
32
7 K
13





In Effigiem Fausti Socini Senensis.

Adspice spectator quæ gesserit ora Socinus.
Illa tibi vere parva tabella dabit.
Ingenij dotes, quas non solertia possit.
Pandere pingendo, grande volumen habet.
E tenebris dudum latitantia sphalmata traxit.
Tracta repellebat lumine cuncta Dei.

Bibliotheca Fratrum Polonorum quos Unitarios vocant,

INSTRUCTA

Operibus omnibus

FAUSTI SOCINI

SENENSIS, nobilissimi Itali,

JOHANNIS CRELLII

FRANCI,

JONÆ SLICHTINGII

à BUCOWIETZ,


Equitis Poloni, exegeticis &

JOHANNIS LUDOVICI WOLZOGENII

Baronis Austriaci,

Quæ omnia simul juncta totius Novi Testamenti explicationem complectuntur.







IRENOPOLI

Post annum Domini 1656.

FAUSTI SOCINI SENENSIS

OPERA OMNIA

in

Duos Tomos diſtincta.

Quorum prior continet ejus

Opera Exegetica & didactica

poſterior

Opera ejuſdem Polemica comprehendit

Acceſſerunt quædam hactenus inedita.

Quorum Catalogum verſa pagina exhibet.



IRENOPOLI

Poſt annum Domini 1656.

CATALOGUS
Operum Exegeticorum & didacticorum
FAUSTI SOCINI SENENSIS.

DISSERTATIO
SUPER HISCE OPERIBUS.



Ultùm olìm in quærendo ad Felicitatem aditu humanum eleboravit ingenium: Sed nulla contentio, nulla industria mortalium invenire potuit, quod non nisi Dei immortalis beneficio par erat deberi. Magnam igitur generis humani partem blandæ voluptatum inescavêre illecebræ. Nec pauciores auri fulgor extrà se posuit, atque opum utilitas sibi addixit. Sane in hoc visco ferè tota plebs mortalium hæsit: Quam tamen turpem aut sordidam felicitatis imaginem, meritò damnarunt nobiliora ingenia. Gloria istis, imperium, potentia, atque id genus cætera, visa sunt isto fastigio digniora. Sed & hæc inania & fluxa fortunæ munera Sapientiores mortalium optimo jure sunt aspernati. Cætera quoque fugacis ævi blandimenta primùm, mox spolia, veluti forma & vires corporis, conjugium felix, soboles numerosa, & longævi senii vivacitas, eodem cum superioribus fastidio obnoxia visa sunt. Restabat vitæ per virtutem actæ decus atque integritas; in quâ optimi quique beatitudinis nostræ apicem posuêre. Neque ego sanè negaverim, nihil esse in rebus humanis, quod altiùs ac propiùs ad hoc culmen assurgat: in quo tamen isthìc mens nostra conquiescere possit, nondum perspicio. Sublatis enim cæteris vitæ humanæ solatiis atque illecebris, non alium in virtute fructum video felicitate dignum, quàm bonæ conscientiæ. Neque verò spernendum puto istud gratantis sibi animi gaudium. Sed quomodo ab incidentibus, quibus vita humana infesta est, miseriis nos vindicare; aut omnino justæ beatitudinis numeros implere possit, assequi nequeo. Animus enim noster in felicitate, quam ambit, non malorum solatium tantùm; sed vacationem quærit: neque se beatiorem miserrimis esse, sed omnis miseriæ expertem desiderat. Nam mala & miserias non vocare, quæ corpori aut vitæ humanæ acerba sunt, stylum sapit tumentem, & à mortalitatis captu alienum. Relinquamus cùm Homero, qui unus Deorum lingua loqui audebat, suo quidem jure usus, cum non pictor esset, sed Poëta:

Chalcidem (ait de avi quadam) *homines, Cymindin Dii vocant.*

Nos quamdiu corporis & fortunæ casibus obnoxii sumus, bonorum & malorum vocabula rebus imponere cogemur, ex humanitatis potiùs sensu, quàm philosophandi ambitione. Itaque calamitosæ virtuti ad felicitatem deesse multum judicamus, dignamque meliori fortunâ rectè factorum conscientiam, miserationi sæpiùs, quàm invidiæ propiorem arbitramur. Non latuit id emunctioris judicii philosophos; qui beatitudinem in virtutis actione posuisse non contenti, vitæ prosperæ & externorum bonorum conditionem adjunxere. Quo quidem nomine summi viri immeritò malè audiunt. Nihil enim est ineptiùs quàm beatitudinis rationem, quæ in solidâ rerum affluentia consistit, hilari quidem, sed nuda ac sterili cogitatione circumscribere. Nempe inops est atque egena Felicitas, cui virtus suo stipendio militat, nec alia laborum atque periculorum præmia habet, quàm eorum memoriam. Neque verò ego præcipuam ejus mercedem censeo, res in hac vita prosperas & ex voto fluentes: quod ne principi quidem Philosophorum in mentem venisse putamus. Sed tamen misera, & indigna virtute conditio est, insontem eam gravibus infortuniis mulctari; aut optimè meritam, præcipuis tamen adeoque necessariis fraudari vitæ commodis atque solatiis. Itaque æquum erat, illud, quicquid est, sine quo vita mortalium acerba & calamitosa existit, ei felicitati adjungi, ad quam per virtutem ascenditur. Neque tamen rursus sine argumento hæc beatitudinis species exagitata est. Etenim si absque externâ prosperitate non constat, quæ neque initiò comparari, neque parta retineri nostro arbitrio potest; quid in eâ spei aut præsidii ponendum putabimus, quùm nec connitentibus nobis obtingere, & invitis eripi possit?

Verum enim verò justiùs hìc mortalitatis nostræ sortem deplores, quàm acutissimi philosophi judicium reprehendas. Fecit ille, quod potuit: & felicitatis, quan-

tamcunque olim in hâc vitâ ſperare fas erat, duxit lineamenta. Quid meruit, ſi ea non cujuſvis induſtriæ patet? ſi in ea eſt aliquid, quod nec firmum, nec ſtabile putes? denique ſi non implet aviditatem mentis humanæ? Etenim quæcunque erat illa felicitas, quæ ſperari in hac vita poterat, plurimo atque multiplici laborabat defectu. Primum enim cum ad eam nonniſi per virtutem pateret aditus: neque ea certum ac ſeſe dignum haberet ſtipendium, arcebantur ab eâ penitùs infelicius nata ingenia. Eandemque ob cauſſam etiam nobiliores animi ad ſupremum virtutis faſtigium aſpirare non poterant. Deinde ſi quis feliciori genio ad aliquam virtutis laudem eluctatus eſt, oranda erat Bona Fortuna, non minus ſurdum, quàm cœcum numen, ut aut venire aut manere propitia vellet: ſine cujus incertiſſima fide nemo ſola virtute ſuæ felicitatis ſtatum tueri poterat. Denique ut quiſquam proſperrimè virtuti ſimul ac fortunæ litaverit; ac utriuſque conſpiratione uſque ad invidiam felix evectus fuerit: impendebat nihilominus trepido inevitabilis moriendi neceſſitas. Quæ decerptæ beatitudinis ſolatio adeò leniri non poterat, ut quantò quis felicius viveret, tantò ægriùs à felicitate ſuâ divelleretur: & in uberiori maximorum bonorum affluentia, copioſius haberet juſtiſſimi metus atque doloris argumentum. O duram igitur mortalitatis ſortem, cujus ne iſta quidem rara & paucis optanda conditio, tanti doloris tantæque formidinis expers eſſe poterat! Horum malorum ac miſeriarum exitum invenire, ideoque rectum ad ſinceram felicitatem curſum tenere, quod initio diximus, non erat humanæ opis. Manebat iſta gloria ſummi Dei beneficentiam, qui unus per filium ſuum humano generi vulgavit arcanum illud æternitatis, Esse aliquod dignum virtute præmium, præter ipſam. Primus hic ingentibus promiſſis ad veram beatitudinem erexit deſideria mortalium, primus incredibilis voti non ſpem tantum blandam aperuit, ſed ipſius ſpei non dubia dedit pignora. Habemus paternæ fidei obſidem filium, cujus ipſa primùm doctrinæ puritas & ſanctitas, etiam ſine advocatis ac patrocinio ſatis pro ſe perorat: cujus vitæ innocentia doctrinam, ſtupenda miracula ipſam præterea confirmant innocentiam. Cujus mors pro ſuæ doctrinæ teſtimonio ſuſcepta, optimæ fidei ſpecimen arguit: ſuperata verò certiſſimi teſtimonii veritatem oſtendit. Cujus à morte ſuſcitatio ardui promiſſi exemplum, exaltatio verò atque imperium certitudinem repræſentat. Cujus denique res per Apoſtolos geſtæ & ille Spiritus admirandorum operum opifex, qui tandem armatum orbem inermis ſubegit, qui ad virtutis ærumnas tot gentes ſine illecebris pellexit, nunquid levia videntur divini ejus imperii ſimul atque ſpei noſtræ documenta? Credibile verò eſt olim immenſam laborum molem non modo ſine ullâ mercede, ſed præſentiſſimo exitio, ullos mortalium in hoc ævo ſubituros fuiſſe, niſi habuiſſent, quo poſthumæ ſpei ſuſtentarent fiduciam? An excelſæ fidei robur in recenti adhuc rerum geſtarum memoriâ tanta ſui experimenta dare potuit, ſi ſuberat ulla non levis aut iniqua diffidentiæ ſuſpicio? Itaque nihil propiùs factum eſt, quàm ut univerſo orbi earum rerum fides fieret, quas initiò pauciſſimi & ſimpliciſſimi mortalium oculis ſuis uſurpârunt. Tot urbes atque imperia, tot gentes ac populi, tot inſulæ ac terrarum ultimæ oræ, quanquam in aliis rebus plerumque diſcordes, in eorum tamen fide conſentiunt, quæ Chriſtiana religio pollicetur. O fortunatum igitur humanum genus, cui pridem in altâ demerſo caligine, tanta lux repentè oborta eſt! ô beatam conditionem hominum, quibus ad cœlum & immortalitatem via non modò comiter oſtenſa, ſed firmiter ſtrata atque munita eſt. Hæc illa eſt vera felicitas, quæ & unicuique ſeriò volenti patet, nec invito eripi poteſt. Nihil in illam fortuna, nihil fabuloſa Fati neceſſitas, nihil anilis Parcarum colus jactet poteſtatis. Ipſe Deus quod in eam juris habuit, tradidit iis qui promiſſis ſuis per Chriſtum ſincerè crediderunt, pactorum memores, nobiſcum

Quæ pepigit, nati quos ſanguine prodigus emit.

Poſtremò quæcunque humanam olim in hac vita proſperitatem turbabant aut morabantur, longè ab hac felicitate remota ſunt. Tanta in eâ virtuti præmia propoſita ſunt, ut omnibus ad ſupremum ejus faſtigium acceſſus pateat: tanta præſidia atque adminicula addita, ut neminem ab eo infelicior indoles, neminem prava educatio, neminem

neminem ingenii tarditas, neminem literarum inscitia, non sexum imbecillitas, non humilitas sortem nascendi, non inopia, non vitæ institutum, non ulla denique alia res quenquam, nisi voluntaria improbitas arceat. Postquam Christiana religio tot gentes cælestibus curis imbuit, desiit Fortunæ virtus supplex fieri, ne acerbissimis casibus cursum suum turbaret, ne solida ejus gaudia terroribus humanis aut luctibus interciperet. Tunc illa profectò cœcum istud numen sine superbia spernere, tunc sine temeritate provocare cœpit: tam incolumitatis suæ quàm victoriæ secura. Nam & in præsenti vitâ non plus in virtutem fortunæ licere Deus voluit, quàm quantùm humanissimo parenti sueta erga liberos indulgentia permittit. Et ut minarum ejus ictus non sint irriti; gloriæ nostræ militat ac felicitatis incremento, quando omnibus malis superstites, læta & gloriosa laborum memoria manet. Denique ipsa illa invicta moriendi necessitas, quæ postremò vitæ agmini incumbens, etiam undique cumulata ejus gaudia eminùs terrore, cominùs luctuoso carpebat interitu, jamdudum Christianæ virtuti ac Fidei domitum caput submisit. Nec obstat, quod nondum hostis hic arma abjecisse videatur, quum præcipuus ejus mucro retusus sit, morte pridem per reducem Christi vitam debilitata. O felix & plus quàm Saturnium seculum, quo primùm tàm amœnum jubar terris illuxit! Poterat mortalium genus in tam salutiferâ luce facili & inoffenso gradu vadere ad immortalitatem: sed ipsi tanta felicitate, nescio per quam vicissitudinis injuriam, sincerè diu frui non licuit. Sive quis mundo infestus genius; sive ipse sibi ingratus orbis hanc fortunam invidit, sive hoc denique fuit supremi Dei consilium, ut virtuti nunquam idoneum certamen deesset: spem certè tàm invidiosæ sortis, ipsumque ad eam aditum à multis jam seculis maximis difficultatibus involvi contigit. Primùm enim ipsa spei nostræ fiducia (quæ sola nos in veræ beatitudinis fastigio sistere potest) admotis pœnè machinis subrui cœpit ac labefactari. Deinde ipsa Religio Christi, quæ sola humano generi tantæ spei fidem fecerat, non uno nomine in dubium vocata est. Denique non modo concipiendæ, sed etiam adeundæ huic spei ingens est objectum impedimentum. Quodque maximè doleas atque indignère, hæc omnia facta ab iis, qui se speratæ felicitatis candidatos professi sunt.

Etenim, ut ad id, quod primo proposuimus, revertamur, quæ erat machina subruendæ fidei nostræ aptior, redeundi ad vitam difficultate? Vitam fortè in immensum produci posse, utcunque rationi humanæ probari poterat, sed ereptam postliminiò in æternum restitui, non contra rationem quidem, sed tamen suprà fidem erat. In tanto præter naturæ morem rei miraculo, credere humanum genus, nisi exemplo, vix poterat. Itaque ejus rei certum Deus subjecit omnium oculis experimentum, revocato ad vitam eo, qui naturæ mortalis conditione nihilò cæteris præstabat. Hoc tam evidens fidei nostræ adminiculum communis Christianorum opinio nobis eripit: si JESUS ille resuscitatus est ille ipse summus Deus, à patre essentiâ non diversus. Nam nec bona fide mortuus erat: (quis enim supremum numen planè mori posse censeat? quis personam illam Patri coæternam & homousion trucidatam asserat?) nec in ipsâ morte existens (quemadmodum nos) aliena ope indiguit: Et ad vitam gloriosè redux, propriis viribus, nec unquam adempta sibi aut depositâ potentiâ, sese ipse è faucibus lethi eripuit. Cedo, quid in nobis simile? Non accessiones nostri, sed nos ipsi morimur: quid verò spei sit in nostris viribus, penitùs per mortem fractis & prostratis? Certè defunctorum manes aut personæ in id non excubant, ut se suapte potentia ex sopore tàm profundo excitent. Parum fuit fidem nostram in re maximi momenti tàm periculosè convelli: quin etiam ne aliunde quærere posset, quo se erigeret, satis providè prospectum est. Cum enim præcipuum vivæ fidei officium esset, tàm sublimibus Dei promissis sincerè credere; vulgò persuasum est Christiano populo, in eo cardine verti fidei specimen, ut certas de Dei natura aliisque similibus dogmatis sententias credamus. Ita à vero fidei exercitio, ad inanium opinionum ambitionem, mentes omnium deflexit publicus error atque detorsit. Quo factum est, ut de natura Dei omnes disputarent; promissis pauci crederent: ac proinde præceptis quoque non multi obtemperarent. Ita exiguo momento fides in opinionem, religio in philosophiam, virtus in contemplationem, zelus in contentionem, caritas in stu-

dia partium degenerarunt. Neque aliter fieri poterat, posteaquam relictis moribus, sola coli atque examinari cœpêre ingenia.

Venio nunc ad alterum illum concussæ fidei arietem, quo per universæ religionis latus spes nostra petitur. Cœlum ac sydera benè meritis nulla secta, nulla religio solidè despondet, præter Christianam. Perit tantæ sponsionis pignus, si sponsor ipse vocatur in dubium. At quominùs falsi condemnetur, aut justissima suspicione traducatur Christiana religio, nulla mora est per eos, qui ipsi falsa atque ab omni ratione abhorrentia dogmata veluti fundamenta substernunt. Quis non illachrymetur malis Ecclesiæ, reputans quantùm à primigenia castitate desciverit? Atque in medio dolore nonnunquam & justa erumpit indignatio, quòd in proximo de Deo dogmate non puduerit priscos illos Episcopos S. Scripturarum sensum ad normam placitorum, Græcanicæ dicam, an Barbaræ philosophiæ, violenter exigere. Gnosticis olim vetus Ecclesia irrisit, quòd prophanam philosophiam, additis è Christiana doctrina centonibus prodigiosè contextis, corruperint. Ipsa verò, si Diis placet, magis sobriè philosophata, maluit Christianam Theologiam, quàm illius ævi eruditionem inquinasse videri. Usque adeone patres illi miserum putarunt, illarum artium rudes censeri, quæ tunc flagranti seculi studio celebrabantur? Sed quod accidit iis, qui duabus sellis sedere volunt, ut utraque excidant; nec sacræ revelationis primævam simplicitatem, nec prophanorum ingeniorum conjecturas sincerè retinuerunt. Quamobrem absurdis ac invicem pugnantibus sententiis referta sunt Ecclesiæ dogmata: quæ, quia nobis notitias à naturâ insitas ipsamque adeò rationem à stirpe evellunt, Fidei obtentu ingeruntur. Quod ferri utcunque posset, primùm si vim humanæ mentis superarent, non everterent. Multùm autem interest, utrum illa rationem alicujus rei non capiat, an videat falsitatem. Verum enim sæpè tam altè reconditum est, ut erui vix possit; at falsum raró se in eas latebras abstrudit, quin suis vestigiis deprehendi queat. Utinam verò tam facilè ignorantiæ mederi possemus, quàm promptè errores falsi convincere licet! Aliàs quid ultrà menti nostræ relinquetur, si quo prætextu damnare timebit, quod implicat contradictionem. Præterea ferri quoque posset ista paradoxorum sub Fidei clypeo defensio, si saltem bonâ fide ab examine rationis, ad testimonii divini auctoritatem refugerent. Sed ubi sub rationis judicio causa laborare incipit, subitum à sacrâ revelatione præsidium arcessitur. Postquám hæc ipsa revelatio venit in examen, primùm (quod antea quoque innuimus) Platonicis ingeniis quàm scriptoribus Apostolicis evidentiùs patefacta deprehenditur. Deinde si quis est in S. oraculis locus, qui ejus fidem facere videatur, tam obscurus est, ut rursus ad volucres atque aëreas humani cerebri contemplationes redeundum sit, ex quibus de ambiguo ejus sensu constet. Quibus in consecutionibus nectendis, si causa iterum titubare incipit, iterum quoque ad cœlestis patefactionis fidem, veluti ad notum diverticulum, ridiculus fit receptus: quasi jam pridem confessum esset, hoc esse dogma divinitùs traditum, & non id ipsum tunc vel maximè veniret in dubium. Ita dum incerta ratio à suspecta revelatione, & hæc iterum ab illâ, intempestivam petit opem, in utraque tandem parùm præsidii deprehenditur. Postremo tot in S. literis, tamque manifesta adversæ sententiæ testimonia extant, ut neque salvis iis paradoxa dogmata consistere possint; neque in dubium vocatis S. librorum maneat auctoritas incolumis. Quamobrem etiam nemo è Christianis testimoniorum istorum vel fidem, vel sensum vocare in dubium audet: manca tantùm & mutila esse, ideoque iis ad plenam rerum divinarum notitiam aliunde nonnihil addi debere contendunt. Concedamus id sanè postulantibus, dum ne obtentâ hâc addendi licentiâ abutantur, ad subruenda ea, quæ videlicet supplere polliciti sunt. Sed quid? si talia additamenta proferunt, quæ eorum, quibus adduntur, fidem & rationem penitùs evertunt? hoc verò minimè ferendum est: nam testimonia nostra supplere promiserant, non tollere. At enim supplementa ista ex S. oraculis hauriunt, ad quorum normam cætera eorum testimonia exigi postulant. Equidem non negamus, scripturam fidissimum esse sui ipsius interpretem. Sed primum videndum est, quâ fide id alicunde ex scriptura hau-

hauriant, quod alibi apertæ ejus ſententiæ repugnat. Deinde rogandum eſt, quâ fronte eos locos, de quorum ſenſu ipſis (ob apertam evidentiam) cum adverſariis ferè convenit, explicari poſtulent per alios, de quorum expoſitione maxima lis eſt. Quis eſt iſte tàm perverſus ac præpoſterus cognitionis ordo, qui per tenebras lucem illuſtret? quaſi hæc ſit ratio percipiendi res notiſſimas, ſi in ignotis cœcutiamus. Quantum igitur in divinis oraculis præſidii opiniones habeant rationi alioqui repugnantes, & quo jure fidei opem implorent, ex iis, quæ diſſeruimus patet. Sed quid refert? ſi tamen maximæ hominum parti perſuaſum eſt, plurimùm Religionis Chriſtianæ intereſſe, ut tàm incredibilia credantur. Neque hoc unum eſt caput, in quo tàm divinæ Fidei veritas traducitur. Quid ego hoc loco memorem, fœdiſſimorum errorum colluviem, quibus puriſſima quondam ejus doctrina paſſim inundata eſt. Nulla fuit olim tàm profana opinio, nullum tàm anile delirium, nulla tàm riducula ſuperſtitio, quæ non in eâ (per ſummam hominum injuriam) non modo locum, ſed pretium quoque invenerit. Taceo de Tranſubſtantiatione, de Sacerdotum atque Pontificis infinita poteſtate, de cultu ſimulachrorum, portentoſas ſententias: taceo arceſſitas ab Academia, de Limbo, de Purgatorio, fabulas, taceo tot apparitionum ſpectra, tot abſolutionum nundinas, atque delictorum pretia, tot alienos ritus atque peregrinas ceremonias, quæque alia ſive Græca quoque, ſive Latina tantùm Eccleſia, tamdiu pro Fidei columinibus venditare non erubit. Quicquid enim aut ab omni ratione abſonum, aut S. literis repugnans Chriſtianorum vulgo per tot ſecula obtruſum eſt, omne id in religionis ac Fidei noſtræ contumeliam redundavit, cum nec ingenitum nobis mentis lumen ullo modo extingui, nec Scriptūræ autoritas ſalvâ fide noſtrâ poſſit convelli. Sed fuerit iſta ſanè lapſi in barbariem orbis deploranda calamitas: nunc poſtquam felicioris ſeculi luce obortâ è ſpiſſa caligine emergere cœpit, indignum eſt experrecto atque laboranti eaſdem aut tetriores etiam tenebras offundi. Quo enim pertinet ineluctabilis divinæ deſtinationis conditio? quo iniquiſſima Fati neceſſitas, etiam ſupra antiquorum ſomnia fabuloſa & barbara? quæ non æquam omnibus & communem vitæ Legem, ſed ratum jam de immutabili ſingulorum ſtatu fixit decretum, quæ omnia ſcelera atque flagitia, priuſquam ulli venirent in mentem, ipſo (quod ajunt) actu fieri voluit, ac certis hominibus aſſignavit, & tamen acerrimè vindicat: quæ denique id unum in hominibus ſive immenſis præmiis, ſive immanibus ſuppliciis dignum cenſet, quòd Dei voluntati, ut maximè velint, reſiſtere nequeant? Quo ſpectat, inquam, tam ſcæva ac ſiniſtra opinio, niſi ut divini ſimul imperii atque humani obſequii rationem atrâ involvat caligine? Quid ſibi vult & illa quorundam peculiaris de bonorum operum pravitate? quid altera communior de alienæ ſanctimoniæ proprietate ac poſſeſſione noſtra, ſententia? Præter offuſas menti noſtræ tenebras, per miram utrobique pugnantium rerum mixturam, nonne à veræ pietatis ſtudio arcemur? ſi & optimè agentes terret benefactorum conſcientia, & peſſimè viventibus non deeſt alieni meriti fiducia. Quid perſolutum propriè pro gratuita impunitate pretium? quid æquiſſimæ ſeveritatis Lege injunctum nobis, quod fieri non poteſt? quid ipſam denique humani arbitrii, hoc eſt, libertatis ſervitutem commemorem? Non magis omnes iſtæ opiniones cum ſincero piè vivendi conatu, quàm ſecum ſingulæ conciliari poſſunt. Quis enim cariſſimarum rerum impendio præmium captet, quod jam alieno ſumptu penitùs ac ſine ulla ſuâ operâ ſibi putet quæſitum? quis eò per ardua & ſalebras niti contendat, quò non modò evadere poſſe, ſed ne vadere quidem velle, ſibi integrum eſſe, ſit perſuaſus? Intelligo me eos locos doctrinæ Reformatæ (quæ vocant) tetigiſſe, qui veluti delicatiſſimæ partis ulcera tractari ſine exquiſito doloris ſenſu nequeunt. Itaque plura non addam: nec enim verborum compendio comprehendi poſſunt, quorum ne numerum quidem mente inire facile eſt. Et alioqui ſat ſcio nonneminem fore, qui lectis iſtis pauculis, veluti inopinato ſtimulo ictus, exſiliat, atque ſtomachetur: quamvis ita moderari ſtylum contendam, ne cui meritò bilis moveri poſſit. Indormit enim placidè ſuis vitiis Chriſtianis orbis, iſtis opinionibus molliter ſuffultus: quem ſi quis pulvinum delicatæ cervici ſubtrahere auſit, illico

orbâ

——— *orbâ tigride pejor*

furit accensa Theologorum factio, & Fidei ac Religionis fortunas agi clamitat: cum tamen vel privata nonnullorum existimatio, vel publica tantùm peccandi illecebra veniat in periculum. Honori & gloriæ Dei Christique zelum hunc imputant: quasi Deo Christoque cordi sint ejusmodi præconia, quæ verum cultum & observantiam Numinis ejus, sitam in obsequio, ex animis hominum funditus extirpant. Dandam sibi operam unusquisque pro virili existimat, ne qua de essentiâ, personâ, beneficio; breviter, gloriâ Dei Christique humilis opinio obrepat. Recte sanè: Sed enim ô bone vir,

——— *quid pulchra vocabula pigris*
Prætentas vitiis?

Vis tu gloriam Deo tuâ operâ verè ac magnificè asseri; da operam, ut præluceat omnibus virtutum tuarum splendor Matt. 5. Quod ut promptiùs facere possis, remove omnia opinionum portenta, quæ te in veræ pietatis cursu remorari possunt. Nisi hoc studium ad res divinas attuleris, necesse est te in magnâ earum ignoratione versari. Nam quod tu gratiam Dei atque Christi, quæ obsequio quæritur, assentatione demereri te posse putes, inanissimam spem alis Matth. 7. Aspernabitur Christus blandimenta & titulos, quorum sub umbra hactenus inobedientia mandatorum ejus delituit. Illuxit autem orbi salutiferum jubar: sed homines magis adamavêre tenebras, quia improbitatis suæ lenocinium depereunt. Quid igitur mirum? tàm absurda, tàm pugnantia, tàm ab omni ratione remota & abhorrentia incautis obtrusa? Omnia ista per diram noctem atque caliginem obrepsere, dum homines dulci peccatorum sopore sepulti animum ad cæcas insidias non advertunt. Sed præcipuè, ut diximus, Christianæ religionis existimationi pessimè consultum est: postquam hominibus persuaderi cœpit, eam sine tàm putribus & infirmis adminiculis stare non posse. Quæ non tantùm evidentissimæ falsitatis suspicione; sed eo quoque nomine fidem sibi derogant, quòd virtutis stirpem ex animis hominum radicitùs vellant, quàm una cum cæteris communi notitiæ insitis principiis mens nostra, quicquid conetur, damnare non potest. Jam verò per tot inextricabiles errorum ambages vocata in dubiam Religione, (ut alienos taceam) quotusquisque ipsorum Christianorum tot tàmque gravibus suspicionibus intactam & illibatam spei suæ fiduciam servare potuit?

Hinc illud tandem promanavit, (quod tertio loco proposuimus) ut impeditâ fide ac spe nostrâ, quæ sola nos in obsequio Christi retinere potuit, ipsum quoque obsequium, ac proinde rectum ad speratam felicitatem iter impeditum fuerit. Omnis enim generis crimina atque flagitia ingenti agmine in Ecclesiam irrupere. Tot morum corruptelis, tot morbis & ulceribus, scatet universum Ecclesiæ corpus, ut longum sit singula persequi. Innumeri errores infinitos abusus peperere. Itaque omissis cæteris, quæ cum infamia Religionis vulgò regnant, duo tantùm commemorabo, quorum non modò permissa impunitas, sed injuncta quoque impietas est. Primum enim cultu summi numinis, à spirituali & cœlesti ratione, ad informes ritus ac ceremonias detorto, triste ac pudendum Idololatriæ genus invectum est: Et quasi periculum esset, ne injussi mortales timidius expressa Dei mandata calcarent, publicis Ecclesiæ sanctionibus & dogmatis, tantum non conceptis verbis imperatum est, ut prima ac potissima Dei præcepta violarentur; alterum verò etiam è numero reliquorum decem expungeretur.

Deinde nova illa & Regia Lex Christi, quæ inter alias, non modò ut perfectionis complementum & cumulus, sed ut peculiaris populi ejus tessera eminet, Lex, inquam, Caritatis, fœdissimis moribus atque institutis publicè abrogata est. Taceo alia, quæ in fraudem ejus, non clandestinâ infirmitate, aut privato ausu, sed publico consilio factitantur. Illud unum sufficit, quod in pudendam Ecclesiæ Christi contumeliam à multis jam seculis inolevit: Eos homines, qui Jesu illi Nazareno pro Christo Dei agnito, se suasque spes atque opes crediderunt, qui in familiam ejus atque militiæ sacramentum nomina dedere, quos ne odisse quidem cuiquam

(qui

(qui modò Christi legibus se solutum non putet) fas est, non aliam ob caussam, quàm quod aliqua in re dissentiant, à cæteris suis conservis & commilitonibus, non modò acerbissimis odiis, contumeliis, injuriis violari: sed etiam exquisitis cruciatibus, & immanibus atque horrendis suppliciis mactari. Non est hæc privatæ crudelitatis macula: Ecclesiæ nomine hæc tàm dira ac detestanda patrantur. A multis enim seculis invaluit in populo Christi prophana & crudelis factio, quæ Christi Ecclesiam ferro atque ignibus atrociter depopulata, ejus se tamen nomine, cæteris exclusis, sola immeritò venditat. Hæc illa est, quæ ex cæde ac vulneribus innocentium tàm infamem sibi saniem ac tabum aspersit: hæc est, quæ sibi tot funestis ignibus, tot feralibus flammis, hanc indelebilem notam, hæc stigmata ad sempiternum dedecus inussit: hæc est quam oppressorum manes, ad summi Judicis tribunal, non minùs in cæno vitiorum, quam sanguine insontium lapsantem ac trepidam trahunt: hæc denique factio Reipbub. atque Ecclesiæ imposuerat principem, cujus potentiam nuper gremio Europæ incubantem gemuit Christianus orbis, nunc iterum horret ingruentem. Etenim durissimæ, quâ premebamur, fortis misertus benignissimus Deus, jugum hoc à nostris cervicibus depulerat. Jamque discussâ turpis servitii caligine, amœnissima lux libertatis affulgebat, cum subito tempestatum nebulæ coortæ tristiores pœne prioribus tenebras minantur. Quid, nisi nostra ingratitudo, efficere solet, ut Deum beneficii sui pœniteat? Præmiserat exorienti luci gratissimum auroræ splendorem: nos maligno crepusculi lumine contenti, clausimus oculos ad ipsum solis jubar, ut in tenebris liceret verecundiùs peccare. Libertatem restituere cœperat: nos maluimus servitutem. Quam enim dominationem alii in nos, eandem nos in imbecilliores exerceri passi sumus, ut liqueret palàm nobis non tàm servitium, quam dominum displicuisse. Quid igitur accusemus Deum, quòd nos in teterrimas iterum retrudat tenebras, qui lucem tàm fœde aspernamur? quid queramur nos in servitutem Pontifici postliminiò reddi, qui nos ignobilioribus dominis erubescendo mancipii nexu addiximus? Si servire libet, est aliquis in honestiore capiendo hero dilectus. Quid ergo? Invitabimus omnes, ut excussum olim cervicibus jugum iterum accipiant? minimè vero. Nam quanquam novitiæ servitutis piget pudetque; tamen cum veteri tyrannide pulsam Idololatriæ labem meritò nobis gratulamur. Gratulamur & aliis multis in rebus suam Ecclesiæ faciem redditam. Sed præcipuè S. libris debitam auctoritatem ac reverentiam vindicatam, pro eximio Dei munere agnoscimus. Jacta sunt igitur optimæ spei fundamenta: superest ut pulsæ Idololatriæ addamus restitutam Caritatem, quæ, nisi proscriptâ non modo crudelitate, sed omni quoque tyrannide atque iniquitate, restitui nequit. Sacrorum vero librorum, quam asseruimus, auctoritate, atque ductu utamur ad profligandas tenebrarum reliquias, quæ hactenus non minus spem salutis convellebant, quam fidem & formam Religionis nostræ deformabant. Quid cunctamur amplius? quid expectamus acriores excitantis Dei stimulos? Hac profectò tempestate, nescio quid grandius mortali ore insonuit. Non jam humana voce, sed metuenda divinorum judiciorum objurgatione admonemur officii. Triste quidem, sed salubre Deus ægritudini nostræ remedium adhibet. Nimiâ nos corruperat felicitas, & in rerum prosperarum blandimentis palàm jam solveramus cupiditates. Quos ex nobis flagitiorum aut certè honestæ improbitatis vis non abripuit ad crudele austeræ veritatis odium, eos tamen aliquis rerum terrenarum amor aut metus, molli ac lenta compede in blandis detinuit erroribus. Illorum impietas supplicium, horum imbecillitas auxilium postulabat. Itaque suum singulis dispensat providentia remedium. Obrutæ vitiis mentes, recidivæ caliginis pœnâ luunt veritatis odium atque contemptum. Probis autem, sed tamen rerum terrenarum nexu constrictis animis, laxat vincula divina benignitas. Præstiterat sanè in florenti fortuna atque rebus integris ingerentem se amplecti veritatem. Sed ne sic quidem clementiss. Deus probis pectoribus malè consuluit, quod illecebras & impedimenta, quibus ab ejus cognitione arcebantur, removit. Itaque nunc palàm atque conscio orbe periculum facit, quâ fide unusquisque nostrum ab Antichristi grege secesserit. Si quos factionis conspiratio, aut studium partium, aut humana aliqua ratio

tio hactenus in Christi militia continuit, patet illis transfugium ac receptus illuc, ubi plus præsentis emolumenti ostenditur. Vos vero quicunque Imperatoris vestri fidei credidistis dilatæ mercedis stipendium, ne despondete animos in tanta sævientis fortunæ tempestate. Ita suos Deus exercet atque explorat. His calamitatibus ab omni ævo virtus ac veritas educata est: his adolevit speciminibus: his etiam malis Christus ipse & Apostoli, his primævæ Ecclesiæ martyres & confessores conflictati sunt. Istis denique armis Mundus semper in meliores sævit, istis cuniculis Antichristi tyrannis jam à multis seculis irrepsit, istis rationibus magna pars eorum, quos plus æquo suspicitis, Patrum grassata est: istis artibus illa, quæ etiamnum adoratis, stetere Concilia, cum in Synodis controversiæ violentis factionibus atque auctoritate deciderentur, decreta verò Synodorum Imperatoriâ vi ac potestate, mulctis, ignominiis, exiliis, ac tandem etiam sanguine & extremis suppliciis sancirentur. Degustare vos Deus voluit ejusmodi artium æquitatem atque ingenium, ut intelligere possetis, quid vobis sit de ea auctoritate judicandum, quæ similibus modis atque rationibus crevit ac stabilita est. Quin igitur abjectis istis prophanis ac meritò suspectis ætatum atque auctoritatum præjudiciis, unicam S. oraculorum fidem imploratis, atque in eorum patrocinio veritatis cum inveniendæ rationem, tum inventæ tutissimum præsidium quæritis. Adferte modo sinceros ac vericupidos animos: & quoniam vobis propemodum non majori jactura atque impendio tota veritas constare potest, quam hactenus portio ejus constitit, audete obviis eam ulnis recipere, quum vobis tandem gratis atque impune sui copiam faciat. Ita fiet ut firmioribus adminiculis spes atque fides vestra suffulta, sese ad verum Dei cultum atque obsequium promptiùs erigat, in eoque stabilior maneat. Quam ad rem profectò vobis atque universæ Ecclesiæ fructuosissimam operam navavit is, cujus hoc tempore relicta posteritati opera in lucem prodeunt: Faustus Socinus, vir genere, virtute, atque ingenii sui monumentis nobilis; & ubi unà cum sæculi ignorantiâ deferbuerit invidiæ æstus, longè apud posteros futurus nobilior. Cujus viri laudes silere præstat, quàm modicè persequi. Præsertim cum eas Vita ipsius, quàm una tumultuariè exhibemus, aliquomodo; cæterum sublimis ingenii partus & scriptorum ejus genius cumulatiùs testentur ac prædicent. Is in eo acerrimi judicii nervos contendit, ut ab Ecclesia Christi removeret, quæcunque aut gloriam Dei, aut spei nostræ solatium, aut Religionis dignitatem, aut denique pietatis sinceritatem convellere judicabat. Habebit igitur Lector in ejus scriptis, primum convulsas plerasque machinas, quibus una cum summi Dei honore spes, ad quam aspiramus, Felicitatis nostræ subruebatur. Habebit universæ religionis decus defensum, & existimationem ab absurdis ac deformibus (quarum nomine hactenus per summam injuriam apud exteros malè audiebat) opinionibus vindicatam & assertam. Habebit denique sublata omnia impedimenta, quæ non sperandæ tantum, sed etiam adeundæ cœlestis patrimonii hæreditati, ipsi sibi mortales objecerant, injunctæ pietatis pertæsi. Nec enim tantum universæ sanctimoniæ studium blandis & perniciosis opinionibus extinguebatur, sed etiam manifestorum contra Legem Dei delictorum partim permissâ licentia, partim aut accensa libido, aut etiam imposita fuit necessitas. His obicibus submotis, habebit viam ad supremam vel improbissimi voti beatitudinem, incredibili Dei beneficio stratam atque expeditam: quam per plura annorum millia ante Christi adventum humanum genus semper desideravit, semper ignoravit: quam ipsi Mosaicæ legis cultores pertenui aliquando suspicione odorari, nunquam apertè deprehendere potuerunt: quam denique à Christo Apostolis patefactam, mox succrescentium errorum spinis obsitam, atque dirâ obruente caligine abditam, rursus exectò fabularum senticeto, ac reddita veritatis luce, benignissimus Deus detexit atque restituit. Cui quidem veritati adeò claræ atque illustri, ut assentiatur universus Christianus orbis, semel illam sepositis præjudiciis contemplari satis est: verum id uti facere velit, atque ausit, fallor? an (quo alioqui ineuntis seculi status vergere videtur) iterum insontium sanguine, & novis martyriis excitandus est.

PRÆFATIUNCULA,

In qua de operibus hisce necessaria quædam cognitu explicantur.



NIhil fere est in mundo isto sublunari, ac præsertim in rebus humanis, etiam bonis, quod in statu eodem consistat atque perduret perpetuo, quod non vices mutationum patiatur. Ejus rei specimen præter alia spectatur & in Politiis, quæ instar hominis per diversas ætates progrediuntur, ut à suo ortu per adolescentiam & juventæ florem ad virilem maturitatem procedentes, tandem consenescant, & interdum quasi reddita juventute reviresçant. Quales periodos in populi Romani statu, floridus ille historicus Florus observavit: tales vero in aliis etiam Rebuspub. possunt observari.

Spectatur simile quippiam in artibus, quæ à primordiis per vigorem ad deliquium quoddam deveniunt, ac nonnunquam rursus instaurantur.

Tale quid evenit quoque in negotio religionis: quæ quamvis vera atque ab ipso Deo tradita, tamen respectu hominum qui eam profitentur, subit mutationes.

Sic in populo Israëlitico, post Mosis & Josuæ tempora, oborta est a vero Dei cultu ad cultum idolorum defectio. ut patet ex libri Judicum cap. 2.

Sic in Ecclesia Christiana, post Apostolorum tempora, prædicta ab ipsis Apostolis corruptela (Act. 20. & 2 Thess. 2. & 1 Tim. 4. & 2 Pet. 2.) atque triticeæ sementi interspersorum zizaniorum seges erupit. Matth. 13.

Quorum vaticiniorum eventum Hegesippus ab Eusebio in Historia Ecclesiastica citatus, indicavit.

Philosophi præcipue Platonici, quorum secta tunc viguit, sicut postea Aristotelica, Christianismo assentientes, sed ultra Sacram Scripturam sapere affectantes, ejus aureæ simplicitati atque puritati, suarum opinionum scorias admiscuerunt.

Inter alia religionis dogmata, maximè circa ipsius Jesu Christi naturam atque substantiam seu personam excitatæ sunt controversiæ.

Quibus tamen temporibus, dum errores isti emergerent, viri nonnulli Apostolicæ simplicitatis tenaces eis restiterunt. Ut Theodotus Byzantinus, circa annum Christi 190: quem Victor Episcopus Romanus genere Afer, ob sententiam de Jesu Christo cum Apostolica consentientem, sed ab ea quæ tunc invalescebat dissentientem, ab Ecclesia exclusisse scribitur: tum Artemon cum suis sociis: & Paulus Samosathenus Episcopus Antiochenus circa annum Christi 260. & (ut præteream Beryllum Bostrensem in Arabia, & Marcellum Ancyranum in Galatia Episcopos) Photinus Episcopus Sirmiensis, circa annum Christi 350, à quo denominati Photiniani, per tempus aliquod veritati testimonium præbebant: quod ex historiis apparet.

Sed errores torrentis instar subinde magis magisque exundantes, florentes divinæ veritatis campos inundarunt; vel instar caliginis tenebrosæ, Solis istius spiritualis lucem obnubilarunt.

Quod factum est non absque Dei sapienti atque justa gubernatione: qui homines partim per negligentiam, partim per vanam curiositatem, tenebras pro luce amplexantes, pro merito puniens, à Cacodæmone salutis humanæ ac veritatis hoste, principe tenebrarum, ita in tenebras errorum deduci permisit.

Sic mulier illa mystica illustris, Sole amicta, Lunæ insistens, stellis duodecim coronata, id est veritas cœlestis, in desertum delata, ibi mansit occultata per dies Propheticos id est annos 1260; ut prædictum est vaticinio S. Johannis, Apoc. cap. 12.

Tandem

PRÆFATIUNCULA.

Tandem aliquando Divina benignitate genus humanum revisente, post obscuræ noctis plusquam Cimmerias tenebras, quæ per diluculum Erasmi, Lutheri, Zvinglii & aliorum dispelli cœperunt, reducis veritatis diurnam lucem non tantum circa alia, sed etiam circa Christi Servatoris personam atque officium, is ipse mundi Servator, & lux mundi, mundo restitui voluit.

Id vero ab Italis exordium cepit, à Lælio Socino Senensi, & deinde ejus fratris filio Fausto: sicut in hujus vita & in adjuncta eidem de scriptis ejus dissertatione ab Equite Polono conscripta declaratur.

Verumtamen non subest causa justa, cur ii qui cum Socino in plerisque consentiunt, ideo Socinianorum nomine notentur. Nam & ante Socinum post Apostolos extitisse ejus sententiæ confessores, jam est ex historiarum Ecclesiasticarum testimonio indicatum: & ipsi eorum adversarii cautiores, sententiam hanc (quam hæreseos macula aspergunt, sicut olim ipsorum Apostolorum confessio à Judæis simili macula aspergebatur) non demum natam, sed renatam, nec primum ab hominibus istis cusam, orbique Christiano expositam, sed recusam & postliminio repositam agnoscunt atque confitentur. Nec vero ii qui Socinum pro hæretico non censent, neque reprobant ac detestantur, continuo omnia ejus dicta pro ratis sententiis habent, velut ipsius addicti jurare in verba magistri.

Et sane mirandum est, etiam eos qui ipsi, quamvis cum Zvinglii & Calvini sententiis non pridem in orbem terrarum prolatis consentientes, Zvinglianorum & Calvinianorum titulos sibi imponi ægreferunt, eosque recusant, tamen istis imponere titulum Socinianorum. Isti vero etsi maxime vellent atque optarent, ut à Christo magistro ac Domino Christiani simpliciter nominarentur; tamen quando ii qui Christianorum nomine gloriantur in multas sectas diversas sunt dissecti, ut huic communi nomini differentiæ causa aliquid adjiciatur, non abnuunt quominus ad discrimen Trinitariorum appellentur Christiani Unitarii; quia unicum strictissima unitate non tantum essentiæ sed & personæ, Deum altissimum, & unicum non tantum persona sed & essentia Filium Dei Jesum Christum, confitentur: quo quidem nomine in Hungaria & Transylvania jam recepto usitate appellantur.

Quippe præter Poloniam, in qua utpote regno ejusmodi quod tunc libertate egregia gaudebat eaque vigebat, religionis quoque libertas locum invenerat, sub Rege Sigismundo Secundo, cognomine Augusto, etiam in Transylvania, sub ejusdem sororis filio, principe Johanne Secundo Sigismundo, ei confessioni assentiente, istius confessionis homines, cum cæteris ab Ecclesia Romana diffidentibus, sedes quietas obtinuerant.

Et initio quidem cum Euangelicis Reformatis eandem frequentabant Ecclesiam: sed postquam de Deo & Christo sententia istorum à vulgari diversa innotuit, quidam ex Euangelicis zelo amaro flagrantes, eos pro hæreticis habitos, tolerare noluerunt.

Itaque Cracoviæ, quæ est Poloniæ urbs præcipua, duce potissimum Gregorio Pauli concionatore, cœtus separatos habere cœperunt. Sicut olim quum Paulus Apostolus Ephesi Synagogam Judaicam frequentaret, postquam nonnulli sermonibus ejus assensum præbere recusantes, viam Domini maledicebant, is discedens ab eis, segregavit discipulos. (Actor. 19)

Habuerunt vero Ecclesias, per Poloniam ac Lituaniam eisque annexas provincias, tum in urbibus regalibus, ut Cracoviæ, Lublini, Novogrodiæ, tum etiam in nobilium oppidis atque pagis passim: per annos fere centum pacate vixerunt, atque religionis suæ exercitium celebrarunt, vix aliquibus interdum adversis intervenientibus. Ità ut de eis potuerit dici quiddam tale, quale de illis primævis Apostolicis Ecclesiis est scriptum, (Actor. 9.)

Sed non est ea sors verorum Christi discipulorum, ut hic in terris habeant sedes fixas & manentem civitatem, (Hebr. 13.) imo omnes fere qui volunt pie vi-

vere

vere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur. (2 Tim. 3.)

Jam dudum adversarii ægris oculis spectabant, quod tum alibi nonnulli à Pontificiis, atque ab Euangelicis, ad Unitarios accederent, tum etiam præcipuè quod Racoviæ, Poloniæ minoris oppido, & Synodi quotannis celebrarentur, & libri sententias nostras defendentes excuderentur, atque inde in diversas oras spargerentur, & juventus in artibus liberalibus ita erudiretur, ut ex ipsis quoque Pontificiis non pauci liberos suos institutionis causa in gymnasium illud mitterent.

Idcirco malignis invidiæ stimulis agitati, hæc ipsa impedire atque disturbare moliebantur. Obtulit se eis cui inhiabant occasio, quum è schola illa adolescentes aliquot spatiatum extra oppidum in agrum egressi, ligneam Christi crucifixi effigiem, viæ imminentem, per petulantiam saxis impetentes, fregerunt.

Hac occasione cupide arrepta, in Comitiis Regni Warsawiensibus, 1638. decretum est latum, ut Racoviæ tum Schola dirueretur & studia interdicerentur, tum Ecclesia clauderetur, tum ejus Ministri atque Scholæ Præceptores in exsilium pellerentur, tum officina typographica tolleretur.

His ad exequutionem deductis non contenti, mox similia deinde Kiselini & Beresci in oppidis Voliniæ, quo Ministros atque Magistros Racovia pulsos sese contulisse insimularunt, per tribunalis Lublinensis judicium effecerunt.

Atque ut alia minus notabilia prætereantur, Jonas Slichtingius ob editam secundum Symboli Apostolici capita Confessionem Christianam, ex ipsis ferme Sacrarum Literarum dictis collectam, in Comitiis 1647. proscriptus est, & liber ipse tanquam blasphemus carnificis manu publice est combustus.

Quum tamen congregationes & exercitia religionis, quanquam pauciore hominum numero in locos singulos conveniente, non intermitterentur, conabantur excogitare modum, quo ansa quapiam arrepta, omnes hujus religionis confessores exterminarent.

Itaque quum Sveci Poloniam invasissent, & pleraque ejus loca occupassent, ita ut & provinciæ multæ missis legatis Regi Svecorum ut victori sese subjicerent, & exercitus ipsi cum Ducibus suis eidem sese addicerent, quia ex Unitariis nonnulli etiam ad Svecorum patrocinium & protectionem confugerant, quamvis multi eorum nullam cum Svecis inirent societatem, post Svecorum discessum, omnes ii quos Arianos vocant, publica regni constitutione, 1658. non prætextu perduellionis, ne Sveci, qui per tractatus amnestiam iis qui ipsis adhæserant pacti sunt, offenderentur, sed directe ob religionem, ob id quod Jesu Filii Dei præ æternam, quam vocant, Deitatem non agnoscant, extorres acti sunt, ut scilicet Deus hisce blasphemis amotis, omnia prospera isti regno tribueret: ita ut nisi patria excederent, accusati pœnæ capitali subjicerentur: bona quoque eorum fisco publico sunt applicata: & vetitum ne quusquam eos ullo modo juvare, vel extra solum patrium exsulantes, aliquo benignitatis ac benevolentiæ indicio prosequi audeat, alioqui eidem cum ipsis pœnæ obnoxius futurus.

Hoc igitur edicto pulsi in diversas, sed maxime limitibus Poloniæ conterminas oras, cum suis domesticis commigrarunt, dispersi per Silesiam, Prussiam, Marchiam, Transylvaniam, &c.

Interim Deo Optimo Maximo, in mediis afflictionibus (quas ad ipsos tum ob non inventa eorum opera in conspectu suo completa castigandos, tum isto igne explorandos, atque perpurgandos, permisit:) eis consulente, subducti sunt in loca tutiora è Polonia, quæ diversis tumultibus, & belli non tantum externi sed & interni terroribus exagitatur: in qua libertas in licentiam degeneravit, & licentia in servitutis metum delabitur.

Interea istis Ecclesiarum candelabris è locis suis amotis atque alio translatis, non desinit Deus eam, ob quam isti patiuntur, confessionem hominibus veritatis atque pietatis amantibus per diversas regiones commendare: ita ut non pauci hic illic repe-

reperiantur, qui huic confessioni in plerisque assensum præbeant.

Jam ergo omnium hominum, qui veritatis ejus quæ est secundum pietatem sunt amantes, qui alienarum opinionum non sunt mancipia, officium erit, ne incognita, quod est inconveniens, damnare præsumant, ut ista quæ in his scriptis offeruntur absque præjudicio, sed cum recto judicio legant, atque ad verbi divini non dubii normam applicent, & exigant, non quis sed quid dicat attendentes, ac omnibus ex Apostoli Pauli monito exploratis atque probatis, si quæ bona invenerint, ea retineant & amplectantur.

Scopus vero istis præfixus & fructus ex eis proveniens, is esse debet, ut non tantum erroribus depulsis, lux veritatis percepta animos contemplatione sui delectet, sed ut ista omnia ad praxin pietatis excitandæ & fovendæ atque exercendæ, & inprimis ad charitatem, quæ est vinculum perfectionis & verorum Christi discipulorum nota atque tessera, etiam erga eos qui passim tanquam blasphemi immerito traducti exosi habentur, provocandam atque exacuendam, deducantur.

Monendus vero est lector, Socini Opera ex exemplari ab eruditissimo viro à quam plurimis mendis castigato esse expressa, adjectis nonnullis ante hac nunquam editis. In Crellii vero operibus nunc recusis, Ethica Christiana à prolixa illa (non ipsius Crellii) de virtute Christiana & gentili dissertatione sunt liberata, retentis illis quæ de Ethicis Crellianis agunt. Ex indicibus locorum S. Scripturæ, illa loca quæ nude tantum citantur, quorum infinitus fere erat numerus, rejecta sunt, & ex ipsis rerum & verborum Indicibus multa, quæ inutilia & minime necessaria videbantur resecta, ne, quod alias factum fuisset, fere quadraginta philyras occuparent, & pretium libri non leviter gravarent. Adjecimus vero omissa illa ex Ethicis Christianis, quæ seorsim in tribus vel quatuor pagellis impressa, in multis exemplaribus desiderabantur. Grotii tractatum de Satisfactione Christi, duasque ipsius ad Crellium Epistolas adjunximus, quibus Crellio pro responso ad suum librum gratias agit.

Inter ista quæ Crellii operum exegeticorum tertio Tomo continentur, nonnulla ex Crellii prælectionibus ab aliis excepta, ab ipso vero Crellio non recognita, reperiuntur. Inter Woltzogenii opera reperies explicationem in Acta Apostolorum, Epistolas Jacobi & Judæ, ab A. W. & in in capita 6, 7, 8, 9, 10. Johannis Joachimi Stegmanni Junioris commentarium, à nobis adjecta, quia in M. S. ipso Woltzogenii non reperiebantur, ne liber aliquis Novi Testamenti, vel quædam illius pars, ab Ecclesiarum istarum luminibus non illustrata reperiretur, sed istud integrum explicatum orbi Christiano exhiberemus. Vale, & istis utiliter fruere.

VITA AUTHORIS

Conscripta ab Equite Polono.



[illegible]am paucis ac perfunctorie persequi infra tanti viri dignitatem; plenius vero atque [illegible]borate, supra nostras fortasse vires fuerit. Nam & illustrium hominum laudes raptim ac negligenter narrare, virtutis injuria est: & si quis unquam alius, hic certe vir fuit non cum cura tantum, sed cum ingenio quoque dicendus. Sed quia eximias dotes non satis pro merito laudari præstat, quam penitus taceri; iniquum est, si aut viris ingentibus narrantium mediocritas, aut scribentium ingenio fraudi sit eorum quos celebrant magnitudo. Mihi vero alio quoque nomine venia debetur, pluribus districto curis, & intra præfixos angusto tempori cancellos præcipitanti scriptionem.

Patria viro celeberrima urbs Hetruriæ Senæ. Gentis antiqua nobilitas, & cognationum splendor ultra privati hominis sortem illustris. Patri præter gentilitia decora accesserat è materno sanguine Salvettorum nobilitas: quæ gens apud Florentinos ea quondam potentia floruit, ut expulsus Senis Pandulphus Petruccius, Pauli Salvettii potissimum auxilio & opibus restitutam patriam & mox principatum suum debuerit. Quo beneficio obstrictus Senensis ipsi civitatis jus contulit, &, ut patriam cum Senis commutaret, persuasit. Hic Paulus Camillæ pater fuit; quæ Mariano Juniori nupta, Alexandri & Lælii Socinorum mater, Fausti fuit avia. Mater, ne in privatam quidem spem suscepta, patre Burgesio Petruccio, Senensis quondam Reipublicæ Principe, matre Victoria Piccolominea genita. Quæ cum esset Andreæ Piccolominei Castilionis & Piscariæ Domini filia; Pii Secundi & Tertii Pontificum neptis; Johannis Cardinalis Piccolominei, Ducum Amalphitanorum, Marchionum Capistrani, Comitumque Calani, multorumque aliorum Italiæ Procerum soror aut consobrina; nupsit in domum Petrucciam, quæ tunc Senensis principatus fortunam tenuit. Sed Burgesius Pandulpho patri succedens, & mox vertentibus fatis pulsus, non diu dignitati suæ fuit superstes. Successit tamen ipsi in regimine patriæ Raphaël Cardinalis Petruccius, atque illius Reipubl. gubernacula aliquamdiu tenuit. Cæterum relicta vidua Victoria animum, quem in prioris fastigii splendore nunquam sustulerat, tam iniqua rerum vicissitudine frangi non permisit. Itaque annis quinquaginta sex, quibus mariti vitæ & communi fortunæ superfuit, singulari modestia & spectata integritate ac pudicitia vidui status solitudinem toleravit. Filiam Agnetam, quam, ut tanto genere dignum erat, sanctissimis moribus imbuerat, Alexandro Socino in matrimonium dedit, patricio quidem juveni, sed tamen privato. Is fuit Fausti nostri pater: in ea domo genitus, quæ non armis atque potentia; sed ingenio atque eruditione principatum quendam in certo literarum genere aliquamdiu tenuisse visa est. Nam & hic ipse Alexander subtilitatum, & pater ejus Marianus Junior Juris Consultorum principes vocati sunt: & patruus Mariani Junioris Bartholomæus, ab Angelo Politiano suæ ætatis Papinianus dictus est: denique pater Bartholomæi Marianus Senior, Juris Consultus gravissimus, ab Ænea Sylvio tot præconiis extollitur, ut prope narrationis fides laboret. Hujus Mariani filius fuit Alexander Senior, & ex eo nepos, alter Marianus; pronepotes Alexander & Lælius: ille, ut diximus, pater; hic Fausti nostri patruus. Ambo ingenii magnitudine atque eruditionis dotibus usque ad invidiam insignes; sed ad quos illud Poëtæ jure deflecti potest:

Ostendent terris hos tantum Fata, neque ultra
Esse sinent.

Nam & Alexander, cum ad mirum ingenii acumen divina memoria & excellens eloquium accessisset, vix du[illegible] primo ac tricesimo ætatis anno expleto raptus, grande toti Italiæ sui desiderium reliquit: Et Lelius brevis ævi curriculo res maximas complexus, septimum ac tricesimum vitæ annum non excessit.

Hujus ego viri memoriam maxima posteritatis admiratione dignam censeo, qui tantillo quo vixit tempore, tot tantosque errores, qui in Ecclesiam furtim irrepserant, non modo suis vestigiis odoratus est; sed ex ipsis cubilibus extractos primus jugulari docuit. Is à patre Mariano ad studium impulsus nomini suo hæreditarium, humanarum Legum scientiam ex ipsis divini juris fontibus hauriendam sibi putavit. Quo consilio dum S. libros impensius evolvit, non difficulter deprehendit, plurima ex iis, quæ vulgo recepta sunt, Ecclesiæ dogmatis, divinis testimoniis plane adversari. Idque tanto facilius, quod ex iis pleraque Rationi quoque, &, quæ nobis ipsa Natura insevit, principiis repugnarent. Cum igitur ad excellentis ingenii altitudinem & judicii acrimoniam singularis animi probitas accessisset, deprehensis Ecclesiæ erroribus (quod plerique faciunt) non est abusus ad Scripturæ & Religionis contemptum; sed potius Scripturæ & religionis Christianæ auctoritate usus est ad sanandos Ecclesiæ morbos, qui nisi detectis erroribus curari non poterant. Itaque in eo studio, ad quod sublimis & pia mens inflammato impetu rapiebatur, non sine divina procul dubio ope, magna ei lux repente oborta est, præcipue cum ad eruendos Scripturæ sensus Orientalium Linguarum, Hebrææ præcipue atque Græcæ, quin & Arabicæ cognitionem attulisset. Sive igitur, ut credi potest, periculi metu, sive exactiori purioris Theologiæ linguarum studio incensus, cito ex Italia in Helvetiam atque Germaniam concessit.

Admo[illegible]m adolescens Anno 1547, patriam reliquerat; annum videlicet agens alterum & vicesimum. Proximo quadriennio Galliam, Britanniam, Belgium, Germaniam universam, ipsam quoque Poloniam emensus, apud Helvetios Tiguri sedem fixit. Unde licet privatis publicisque negotiis sæpius abstraheretur, potissimam tamen illic exilii sui partem exegit: multis passim principibus viris carus, nonnullis quo-

que Regibus conciliatus. Nemo ea tempestate è viris doctrina illustribus exstitit, (quorum tamen nulla ætas feracior fuit) cujus nnn amicitiam modo, sed familiaritatem quoque moribus non meruerit. Quo factum est, ut ad insitam judicii bonitatem singularis quædam prudentia & morum suavitas accesserit. Quas dotes in eo cum alii è summis viris plurimi agnoscunt, tum præcipue Philippus Melanchthon laudat in commendatitiis suis, quibus abeuntem prosecutus est, literis. Et profecto quis ipsi cum celeberrimis illius seculi viris, Calvino præcipue, Melanchthone, Bullingero, Brentio, Musculo, Munstero, Zanchio, Vergerio, Castellione, Beza, Martyre, Ochino, Cælio, & aliis plerisque usus intercesserit, frequentes ad eum plurimorum epistolæ testantur, quorum autographa magno numero ad nos pervenerunt. Non ille horum amicitia frui maluit ad fortunæ suæ perfugium; quam uti ad Ecclesiæ emolumentum. Itaque ipsus illos metuendos florentis tunc Theologiæ antistites quæstionibus suis multum ursit atque exercuit. Habeo literas Calvini manu scriptas, quibus motam sibi ab eo bilem non dissimulat, & pro responsione objurgationem ac minas reponit. *Non est*, inquit, *quod expectes, dum ad illa, quæ objicis, quæstionum portenta respondeam. Si tibi per aëreas illas speculationes volitare libet, sine me, quæso, humilem Christi discipulum ea meditari, quæ ad fidei meæ ædificationem faciunt. Ac ego quidem silentio meo id quod cupio consequar, ne tu mihi posthac sis molestus. Liberale vero ingenium, quod tibi Dominus contulit, non modo in rebus nihili frustra occupari, sed exitialibus figmentis corrumpi vehementer dolet. Quod pridem testatus sum, serio iterum moneo: nisi hunc quærendi pruritum mature corrigas, metuendum esse, ne tibi gravia tormenta accersas. Ego si indulgentiæ specie vitium, quod maxime noxium esse judico, alerem, in te essem perfidus & crudelis. Itaque paululum nunc mea asperitate offendi malo, quam dulcibus curiositatis illecebris male captum non retrahi. Erit tempus, ut spero, cum te ita violenter expergefactum fuisse gaudebis. Calend. Jan. 1552. Joh. Calv. tuus.*

Neque vero fluxa fuit aut spernenda minarum fides. Nam in Octobre anni sequentis Genevæ Servetus exustus est. Lælii tamen veneratio, & in maximis doctrinæ atque ingenii ornamentis incredibilis modestia, & morum dexteritas adeo sævientium iracundiam exarmaverat, ut, cujus libertatem ferre non poterant, odisse tamen hominem non sustinerent. Sciant, quos nimia veri libertas in pericula sæpe intempestiva præcipitat, ipsam illam, quam propugnant, veritatem in circumspecta prudentiæ lenitate, quam in effreni zelo plus habere præsidii. Ut qui ultro suis discriminibus occurrunt, magis ad privatam laudem, quam ad publici emolumenti rationem festinare videantur. Et, si usquam alibi, hic profecto columbina simplicitas serpentino astu temperanda est: nisi nobis suspectum est Servatoris consilium, damnantis eorum inconsultam temeritatem, quibus sæpe nequiter expetit, suas illic margaritas prodigere, ubi pretio suo æstimari nequeunt. Lælius certe inter capitales sententiæ suæ hostes mansit integer & inviolatus. Nec tamen commisit, ut judicii sui sensus periret intra conscientiæ suæ secretum. Itaque quibus visum est, concredere non est veritus quæ sibi divinitus patefacta censebat. Suos præcipue Italos erudiit, quos pium ac voluntarium exilium per multas Germaniæ atque Poloniæ regiones sparserat. Reperio in Polonicarum Ecclesiarum commentariis geminum ejus in patriam nostram adventum. Primum circa annum 1551, ætatis vero ejus sextum & vicesimum; quo tempore cum plerisque è nobilitate Polonica non sine maximo fructu conversatus dicitur. Is quoque tunc Francisco Lismanino Corcyræo, Bonæ Sfortiæ Reginæ Confessario (qui tunc, nisi fallor, fratrum minorum provincialis, mox deficiendi à Pontifice in hoc Regno primus signum sustulit) abjiciendæ cucullæ acerrimus auctor exstitisse perhibetur. Sed tunc quidem intra paucissimos menses discedens in Moraviam, & inde ad Helvetios se recepit. Alterum ejus in Poloniam adventum deprehendo post mortem Mariani patris, qui Bononiæ obiit anno 1556. Non multo post enim, circa annum 1558 & 1559, literis Poloniæ atque Bohemiæ Regum muniri voluit, ut securius in urbe Veneta cum amicis de patrimonio agere posset. Tunc profecto patuit apud plerosque Germaniæ atque Poloniæ proceres, ipsusque adeo Reges, quantum is gratia potuerit. Summis enim studiis in ejus causa apud Ludovicum Priulum Venetiarum, atque Cosmum Hetruriæ Duces certatum est. Eodem fere tempore atrox ob suspicionem hæreseos coorta tempestas, universam Socinorum domum periculoso turbine concussit. Post obitum Alexandri tres germani fratres Lælio supererant: è quibus Celsus Bononiæ, Cornelius & Camillus unæ cum Fausto fratris Alexandri filio Senis agebant. Hos inter quoque, suggerendæ veritatis mirus artifex Lælius, ejus semina sparserat, eaque longis licet terrarum spatiis divisus, tam efficaci studio fovebat, ut nonnullorum uxores ignotus adhuc & absens in partes traxerit. Nec deerant ex aliis quoque familiaribus & amicis ejusdem instituti partim consortes, partim conscii. Sed istius messis tam blanda spes in ipsa herba exstincta est, capto Cornelio, cæteris perculsis aut fugatis. Hic metus Faustum quoque, admodum tunc juvenem, non urbe tantum patria, sed Italia ipsa exegerat. Qui cum aliquamdiu Lugduni in Gallia viveret, Lælius interim Tiguri præmatura morte exstinctus est. Ejus de obitu literis Marii Besozzi certior factus Faustus, structas lucubrationibus ejus insidias ægre antevertens, earum hæreditatem crevit; jam ante quoque plurimarum ab eo rerum notitia imbutus, quas ipse longo postea intervallo, acri ingenio & studio indefesso excoluit. Incidit mors Lælii in diem perendinum Id. Maji, anni 1562, ætatis vero ejus septimi supra trigesimum. Tantam indolem longævam aut vitalem non fuisse, minus mirabitur, quisquis expenderit, quam præcox extitit. Vixdum ex ephebis egressus Italiam reliquit. Intra sextum & vicesimum ætatis annum, universis pene Occidentis provinciis peragratis, plurimis passim è præcipua nobilitate, omnibus autem fortasse ubique eruditis viris, eximiæ laudis nomine innotuit. Quindecim propemodum annos numeres quibus à patria absuit. Ex tantillo ævi spatio magnam sibi partem longinqua itinera vendicant, quibus per varias Europæ oras fructuosum multis exilium circumtulit. Adde perpetuam cum tot tantisque viris consuetudinem; adde continua literarum commercia: quibus deductis, quota quæso pars temporis studiis ejus

relictæ

relicta est? Quærendum jam stupentibus superest, quodnam illud tam profundum otium? quæ tam acris industria? quæ tam versatilis indoles? quod tam vastum ingenium fuerit, quod tot linguis, tot scientiis hauriendis, simul altius revocandæ in seipsam menti, simul maximis rebus gerendis suffecerit? Hæc de Lælio præmittere, nisi ultro libuisset, ipsa postulabat necessitas. Quippe is ipsi Fausto atque aliis ingrediendæ, quam postea secuti sunt, viæ dux & auctor exstitit. Nunc ad Faustum redeo: cujus primum vitæ seriem ac præcipuos casus compeodio retexam; deinde rerum gestarum capita complectar; postremo quæ de animi & corporis habitu cursim inquirenti comperta habere licuit, paucis adjiciam.

Natus est duabus horis & tribus fere quadraotibus ante solem Nonis Decembris oriturum, in calce anni 1539, annis fere quatuordecim Lælio patruo minor. Mortuus est anno 1604, paulo ante ineuntis veris initium, annum ingressus quintum ultra sexagesimum.

Ejus ætatis viginti primum, & paulo post duodecim annos in patria: triennium circiter in secessu Lugdunensi; reliquos trigiota annos continuos egit in voluotario exilio. Orbata parentibus fuisse videtur ætas illa, quæ capiendo literarum & ingenii cultui maxime docilis est. Levissime enim, & omni præceptore destitutum bonarum artium studiis sese operam impendisse quæritur. Et alibi, se Philosophiam non didicisse; nec Scholasticam Theologiam unquam attigisse; & ipsius Logicæ artis nihil nisi rudimenta quædam, idque valde sero degustasse fatetur.

Superbientis hæc fuit seculi contumelia, quod tam insigni documento compertum est, etiam sine istis (quæ merito quidem, sed tamen sæpe intemperantius suspicimus) præsidiis esse

Magnos posse viros, & magna exempla daturos.

Forsitan & expediebat, natum ut de dogmatibus orbis cognosceret ingenium, nullis delibari præjudiciis; ne quam errorum fibram admitteret, quibus exstirpandis adolescebat. Etenim fœta errorum Theologia ipsam quoque Philosophiam ac prope omnes bonas artes infecit. Itaque non in cunis tantum, sed in ipsis quoque primæ doctrinæ rudimentis jam olim pueritia orbis decipitur, & opiniones tanquam veras imbibit, priusquam judicare possit, an falsæ sint. Ita fit, ut sæpe præstet nullis, quam perversis documentis i obui: nec mirum sit interdum turpius eruditos desipere, & rude vulgus judicare iocorruptius. Quod non ita accipi velim, ut eruditionem, sed ut abusum ejus damnare existimer; oec fræoum ipsi, sed eautionem optare. Istiusmodi levi literarum tinctura, simulque Jurisprudentiæ (ut arbitror) studio prima Socini ætas occupata fuit, ad annum usque tertium & vicesimum. Hauserat tamen jam ante divinæ veritatis principia, partim acri ingenio, partim Lælii patrui monitu, præcipue cum subito ingruente discrimine, quod antea quoque monuimus, in Galliam concessisset. Tametsi Lælius, ingenio nepotis confisus, plura divinanti innueret, quam traderet discenti; nonnulla etiam in experimentum judicii adolescentem celaret; non dissimulato inter amicos præsagio, plenius hæc atque felicius à Fausto orbi prodenda. Sed cum post obitum Lælii revertisset in Italiam, in illo ævi fluxu, ætas adolescentis veluti navis sine rectore fluctuans, nescio quibus ventis abrepta, pene ad aulicas Sirenes consenuit. Etenim in Regiam Francisci Magni Ducis Hetruriæ ascitus, eique honoratis ministeriis plurimum conciliatus, cum isthic flagrantissima gratia & dignitate floreret, totos duodecim annos in aula Florentina consumpsit. Periit ipsi tunc (ut ipse perpetuis gemitibus dequestus est) florentissima pars ævi; si modo periisse censenda est, in qua non umbraticis doctrinæ præceptis, sed solidis vitæ experimentis formatum est sublime judicium; in qua & ille juvenilia æstus deferbuit, qui plerumque magna in magnos lapsus præcipitat ingenia. Et profecto nisi id quoque aliunde nobis constaret, vel ex ipsa ingenii vi conjectura duci posset, quam vehementibus olim animi motibus æstuaverit illa indoles. Sub exitum istius temporis tetigit animum ejus serio de bonorum dilectu deliberatio; quam ea animi magnitudine expedivit, ut sibi ob spem cœlestium omnia terrenorum votorum emolumenta calcanda decerneret. Itaque nihil cunctatus, desperata ab invitissimis priocipibus missione sua, sponte patriam, amicos, spes & opes suas destituit, quo liberius suæ atque aliorum saluti incumbere posset. Non ingratam ejus operam Magno Duci fuisse absentis jam & exulis desiderium ostendit. Sæpius enim per literas atque nuncios, Pauli potissimum Jordani Ursini, viri illustris, qui sororem Magni Ducis in matrimonio habebat, opera hominem sollicitavit ad reditum, solita quidem modestia, sed obfirmato animo renitentem. Annus agebatur Christi nati 1574, ætatis autem ejus quintus & trigesimus, cum ex Italia in Germaniam secessit. Venientem hospitio excepit Basilea, benigna receptatrix Christi exulum, & quæ jam pridem periclitantem innocentiam gremio suo sovere didicerat. Illic solidum triennium & quod excurrit Theologiæ studio incubuit; Sacris præcipue voluminibus intentus, quorum ad synceram intelligentiam cum assiduis votis atque precibus aspiraret, paucissimis Lælii patrui scriptis, & pluribus ab eo sparsim relictis notis multum adjutus est. Quod ipse, cum supprimere posset, ingenue semper præ se tulit ac professus est. Cum ad annum usque 1577 Basileæ degeret, creditum sibi veritatis pignus in secreti pectoris custodia minime detinuit. Itaque dum lumen sibi exortum ad alios propagare studet, ab amicis ad alienos sensim delapso disserendi argumento, disputationem de Jesu Christo Servatore ore primum inchoatam, postea scripto complexus est. Quam antequam absolveret, primum valetudine à studiis, deinde peste à scriniis Basileæ relictis exclusus, aliam interim cum Francisco Puccio disputationem, ineunte anno 1578. Tiguri confecit; mox eodem anno Basileam reversus libro quoque de Servatore summam manum imposuit. Multum illa tempestate Transylvanicis Ecclesiis turbarum dederat Francisci Davidis & reliquorum de honore ac potestate Christi opinio. Cui malo remedium quærens Georgius Blandrata (cujus tunc & in illis Ecclesiis, & apud rerum potientes principes Bathorreos magna erat auctoritas) illo ipso Christi nati anno Socinum Basilea evocavit; ut præcipuum factionis ducem Franciscum Davidis à tam turpi & pernicioso errore abstra-

fieret. Id quo commodius fieret, conducto apud eundem grandi ære hospitio; eadem utrumque domo atque mensa paulo plus quam per trientem anni uti voluit. Sed Francisco existimationis inter suos retinendæ, quam quærendæ veritatis cura fuit antiquior. Itaque errorem suum non modo privatim spargere; sed publice pro suggestu promulgare ausus, præsens sibi periculum accersivit, in carcerem mox jussu Transylvaniæ principis conjectus, in quo paulo post mortem obiit. In hujus exitu cum ab omni culpa abesset Socinus, invidiam tamen non effugit. Quasi vero aut hic aliis armis Franciscum debellare non posset, cum utriusque disputantis documenta publice extent; aut Magistratus ille ita fuerit causæ Socini addictus, ut ipsius, sive cujusquam ex eodem hominum genere arbitrio stringeret arma suæ potestatis. Quod si quis forte à Socini causa non alienus (quod mihi quidem non constat) auctor fuit principi acerbioris in Franciscum consilii, ejus certe culpam Socinus præstare non debuit, cujus neque consilium scire, neque factum ullo modo probare potuit. Nam ut alia plurima taceam, nihil magis adversum Socini sententiæ accidere poterat, quam illud dogma, quod Francisci viventis voce atque ingenio defendi non poterat, ejusdem morientis muto, sed efficaci testimonio sancitum videri: præsertim cum obitus ejus martyrio similis statim omnium in se oculos converterit. Socini disputatio, quam cum ipso habuit: licet eo superstite conscripta, quintodecimo demum post anno vix in lucem prodire potuit. Post hanc disputationem in Majo anni 1579 absolutam, & Ecclesiis Transylvanicis exhibitam, non diu isthic Socino commorari licuit, per morbum ibi vulgo grassantem, quem colicam vocant. Eodem igitur anno jam quadragenarius migravit in Poloniam, ubi Ecclesiis Polonicis, quæ solum patrem Domini Jesu summum Deum agnoscunt, publice adjungi ambivit: Sed cum dissensionem in quibusdam dogmatis non premeret, satis acerbe atque diu repulsam passus est.

Qua tamen ignominia minime accensus, vir, non tam indole, quam animi instituto ad patientiam compositus, nulla unquam alienati animi vestigia dedit. Quin potius impressionem variorum hostium, à quibus tunc illæ Ecclesiæ vexabantur, suo sibi ingenio sumpsit propulsandam. Primus Andreæ Volani impetus refellenda ejus parænesi exceptus est; eademque occasione rogatu Nemojevii septimum caput Epistolæ ad Romanos explicatum. Mox Jacobum Palæologum adoriri placuit; cujus tunc existimatio atque auctoritas pestilentium errorum reliquias in hominibus alioqui minime malis fovebat. Hunc non odio, sed consilio, durius aliquanto habitum, semper excusavit. Paulo post, cum redintegrante pugnam Volano certamen recruduit, simul ad Posnaniensis Collegii Theses responsum est. Dum pro veritatis patrocinio tot pugnas atque odia Socinus suscipit, calumniatoribus tot inimicitiæ non caruerunt. Stephanus tunc Regnum Poloniæ obtinebat. Ejus aures accusator imbuit seditiosi contra Magistratum scripti criminatione. Indignum esse, si authori vago atque exuli Italo impune abeat hæc audacia. Libellus contra Palæologum designabatur. Qui licet aliud non postularet innocentiæ testimonium, quam sui lectionem, declinari tamen periculum placuit.

Proinde Cracovia, ubi quartum jam annum degebat, commigravit ad virum nobilem, Christophorum Morstinium, Pawlikovii Dominum, ubi non tam latebris, quam Nobilitatis in gente nostra privilegio innocentiam tutatus est. Nam rus illud suburbanum paucis passuum millibus Cracovia distat. Illinc, quam ex vinculis crimina purgare, consultius visum. Nec ad illum modo temporis articulum periclitanti patuere officiosæ domus hospitalitii lares; sed amplius triennio foverunt hospitem. Et quo cumulatius esset exhibitæ humanitatis specimen in exulem ac peregrinum, paulo post etiam ambienti filia familias virgo nobilis in matrimonium collocata est; factusque ex hospite gener, securitatem in illis locis suam affinitatibus & amicitiis sanxisse visus est. Ruri dum ageret, cum alia multa præclara, tum præcipue librum contra Eutropium conscripsit: constanter illius Ecclesiæ famam & causam propugnans, à qua iniquissimo præjudicio damnatus multa insons indigna jugiter pertulerat. Filiam Agnetem sustulit circa Pentecosten anni 1587, ætatis 48, ex qua, cum post mortem patris Stanislao Wiszowatio Equiti Polono nupsisset, nepotes neptesque etiamnum supersunt. Eodem anno in Septembre amisit uxorem Elisabetham: quem casum viro luctuosum & acerbum gravis ægritudo corporis excepit: adeo quidem pertinax, ut per aliquot menses studiorum usum interciperet. Et, ne qua calamitatis species abesset, eadem fere tempestate, per mortem Francisci Magni Ducis Hetruriæ, fructus bonorum ejus, quem quotannis ex Italia capiebat, penitus ipsi fuit ereptus. Sane aliquanto ante, criminatorum acerbitate ac minis Pontificum, bona ejus in periculum venerant. Sed Isabellæ Mediceæ Magni Ducis Hetruriæ sororis, quæ Paulo Jordano Ursino, quem supra memoravimus, nupta fuerat, dum vixit, enixo studio, & postea ipsius Francisci Magni Ducis benevolentia, factum est, ut illo superstite annuos ex iis reditus Socinus caperet. Adeo nondum illic meritorum ejus exoleverat memoria, ut literis ac precibus, damnati & exulis, pridem destituti ac sæpe repudiati, principes difficillima in re gratificarentur. Humanissimis quoque literis compellatus, & in posterum quoque bono animo esse jussus est, quamdiu vita illis suppeteret, dum ne in libris edendis nomen suum publice extare pateretur. Sed tunc illos principes infestum Socino fatum abstulerat. Atque ut omnia in solicitudinem viri conspirasse viderentur, viduum, ægrum, & fortunis omnibus provolutum ipsa Reipublicæ nostræ tempora angebant, tunc maxime decertantibus inter se regni Polonici candidatis turbulenta; ideoque inimicorum licentiæ opportuna. Jam enim iterum Cracoviam migraverat. Proinde in tot malis solatium à negotio petit, quod sibi repurgandis, qui tum in Ecclesia vigebant erroribus, divinitus datum sentiebat. Quanquam igitur antea quoque Ecclesiasticos conventus frequentare solitus, anno tamen 1588 in Brestensi Synodo (quod oppidum est in Lithuaniæ finibus) majori quam antea conatu atque fructu, de morte & sacrificio Christi, de Justificatione nostra, de corrupta hominis natura, denique cum Davidianis & Budneistis, de Jesu Christi invocatione disputavit. Hic fuit annus, quo primum Luclaviciani Cœtus cura atque Provincia mandata est

Petro

Petro Stoinio, Petri illius Statorii Thonvillani filio, cujus progenies olim inter indigenas nobiles cooptata, hodie quoque habet aliquos in patria nostra magnis honoribus perfunctos viros superstites. Is non minus judicio acer, quam promptus eloquio, postquam Socini amicitiæ copia facta est, in sententiam ejus libenter concessit. Paulo ante quoque non paucos è præcipuis privatim in suam sententiam pertraxerat, & suffragantium sibi non exigua indies fiebat accessio. Refragabantur tamen adhuc viri maximæ auctoritatis, Nemojevius ac Czechovicius, & plerique è Ministris natu majoribus. Primus olim Securinius sententias Socini, in quas descenderat, propugnasse palam dicitur ausus. Secuti mox alii. Quos inter grande partibus momentum addiderant, Andreas, Stanislaus, Christophorus, tergemini fratres Lubienecii, quos splendidis natalibus, & in summam spem genitos, atque partim in aula Regia, partim in summorum Procerum contubernio educatos, à mediis vitæ illecebris ad Religionis curam sacer quidam instinctus abripuerat. Hi, quemadmodum flagrantissimo zelo omnia pietatis impedimenta calcaverant, ita agnitæ veritati pari animi candore ac magnitudine subscripserant.

Jamque & alii certatim è pastorum ordine partibus addebantur, præsertim è junioribus, quos minus morabatur inveteratæ opinionis atque auctoritatis præjudicium; cum evenit casus novitate insignis, qui quanta vis sit veritatis documentum dedit memorabile. In magno sententiarum dissensu laudabilis hæc fuit illius Ecclesiæ concordia, quod tantum opinionibus, non etiam odiis homines illi pugnaverint. Et cum alii aliorum sententias detestarentur, sese tamen mutuo minime damnarent. Itaque integra utrinque tolerantia sæpius acriter disceptabant, atque hoc fuit præcipuum illarum Synodorum negotium.

Anno igitur 1589 in Synodo Lublinensi, sententia Socini de cap. septimo ad Romanos non mediocriter agitata est. Erant qui defenderent; sed & oppugnantium pastorum non minor fuit numerus. Ex iis unus, Nicolaus Zitinius, ab aliis earundem partium jussus contra mentem Socini caput illud exponere, eoque consilio rem strenue aggressus, delapsus inter disserendum ad verba, quibus Apostolus gratias agit Deo liberationis nomine, hæsit attonito similis. Et mox, Ecqua vero est ista liberatio? ait, ecquod beneficium illud, quod tantas Apostolo grates expressit? An quod in tanta eum peccati servitute detineri necesse fuit? Hoc vero mihi equidem probari nullo pacto potest. Ego igitur (inquit) pariter ingentes Patri luminum ago gratias, quod mihi nunc ab errore liberato veritatis suæ lucem oboriri voluerit. Mox contrariam explicandi rationem ingressus, pro sententia orthodoxa accurate disputavit. Stupentibus & arguentibus quorum causam susceperat, respondit, se non potuisse convictæ mentis judicio refragari. Magnum ea res momentum attulit ad veritatem propagandam; sed non minus illorum studia, qui ad amplectendum eam signum cæteris sustulerant. Hos inter eminuit Petri, quem diximus, Stoinii eloquium. Unam illam facundiam parem ingenio Socini Deus Ecclesiis istis contulerat, quæ subtiles & à rudiorum captu remotiores Viri sensus populari ratione tradere, & flexanimæ orationis genio cunctis probare potuerit. Hoc ille videlicet suæ mentis præcipuo interprete usus est, ad insigne Ecclesiæ Dei emolumentum. Quicum ut tanto arctius jungeretur, evenerunt nonnulla quæ cogerent. Jamdudum Socinum Cracoviæ commorantem circumstare undique pericula cœperant, quæ plerumque fideles Christi servos comitari amant. Quanta ibi contumelia affectus fuerit ab insolenti milite Verneco, ipse in quadam epistola exponit. Sed præcipue post librum de Servatore typis evulgatum inimicorum odia recruduerunt. Itaque anno 1598, commota per Scholasticos infimæ plebis fæce, æger tunc & forte curandæ valetudini intentus, extrahitur è cubiculo seminudus, & per forum ac celeberrimas plateas, deposcentibus ad supplicium plerisque, contumeliose raptatur. Tandem in illa furentium colluvie pessime mulctatus, à M. Vadovita Professore Cracoviensi ægre furenti multitudini eripitur. Direptas tunc sarcinas & suppellectilem, quæque alia rapi potuere, longe minori dolore tulit, atque scriptorum quorundam jacturam irreparabilem, quam ipsius vitæ impendio sese redempturum fuisse sæpe professus est. Periit ibi una insignis contra Atheos labor, quem refellendis ingeniosis magni cujusdam Viri commentis susceperat. Cum vero ad tam barbarum sævitiæ exemplum minæ quoque accederent, Cracovia Luclavicias migravit, in pagum ultima sua habitatione atque obitu nobilem, novem circiter milliaribus Cracovia dissitum; ubi aliquot annos, usus mensa & ædibus viri nobilis Abrahami Blonscii, vicinus Stoinio vixit. Ambo igitur mutuam sibi operam de propinquo navantes in profligandis errorum reliquiis, jam ad unanimem in omnibus sententiis consensum pene universam illam Ecclesiam redegerant. Nam & ipse pridem Nemojevius plerisque in rebus Socino assensus, hallucinationes suas nunquam satis prædicanda ingenuitate damnaverat.

Solus Czechovicius à sententia sua dimoveri non potuit. Qui cum, vincente potiori parte, ad cætera ægre quidem, sed tamen utcunque conniveret; paulo post in sententia de Baptismo ciere turbas cœperat: quæ tamen cito ex voto Socini sopitæ, postea suapte sponte evanuerunt. Repurgata sic plene ab erroribus Ecclesia, veluti ad unam eam rem hucusque vita producta, non tam immaturo sibi, quam luctuoso suis fato eripitur Luclaviciis, exeunte bruma, anno ætatis quinto ultra sexagesimum. Ultima morientis vox excepta, se non magis ævi, quam invidiæ & molestiarum saturum, læta atque intrepida spe propendere in supremum illum fati sui articulum, qui missionem ab ærumnis simul & laborum stipendium ostenderet. Quem vitæ ac laborum socium, eundem funeris laudatorem, & sequenti anno comitem habuit, Petrum Stoinium; qui tanquam præstitutum quoque jam vitæ pensum exegisset, Socinum secutus est vix quadragenarius.

Curriculum vitæ ejus emensi, per quod compendio festinavimus, restat ut in dispiciendo quid gesserit, quid præstiterit, paululum figamus vestigium. Nemo memoria nostra de toto Christiano orbe, sed inprimis de Ecclesiis Polonicis, melius meruit. Primum enim genuinam Sacrarum Literarum mentem, tot editis lucubrationibus, innumeris in locis aperuit. Deinde sententias de Dei atque Christi persona, quas jam

 in Polo-



in Polonia vigentes deprehenderat, solidis argumentis confirmari, & à subtilibus cavillis atque Sophismatis peritè defendi unus egregie docuit. Mox quasdam impias, alias prophanas sententias, quarum exitiabile virus furtim in Ecclesiæ gremium irrepebat, felicissime exstinxit. Nemo acrius Judaizantes repressit: Idem Chiliastiarum opinionem: idem multa præterea alia fanatica somnia explosit. Errores autem, qui à reformatis Ecclesiis hausti magno adhuc numero in ea Ecclesia regnabant, mira felicitate exstirpavit. Talia erant, de Justificatione, de placanda justitia Dei, de Prædestinatione, de servitute arbitrii, de peccato originis, de Cœna quoque Domini, de Baptismo, & alia sinistre intellecta dogmata. Denique sublatis perniciosis erroribus, ne quid ineptiarum quoque in Ecclesia relinqueret, superstitiones plurimas circa res indifferentes exterminavit. Ex hoc genere fuit nimia vilis vestitus ambitio, deinde capessendi magistratus, aut etiam citra vindictæ studium sui juris persequendi religio, & si quos similes nævos primi fervoris inconsideratior zelus asperserat.

Vitæ ordine atque rebus gestis expositis reliquum est, ut de animi & corporis habitu pauca addamus. Ingenii & judicii laudes memorare, supervacuæ est operæ, cum tot ejus monumenta in promptu sint. Eruditionem autem quo pertinacius occuluit, eo se prodit impatientius. Serior hæc, verum solidior accesserat. Nec desunt in ejus scriptis felicis quoque memoriæ vestigia. Unum ipsius specimen præterire nequeo, quod in disputatione cum Christiano Francken edidit. Hic in consessu Synodi Chmelnicensis, doctrinæ atque ingenii specimen ostentare cupiens, tumidius quam par erat pastores illos ad disputandum provocaverat, mediocrem singulorum eruditionem despiciens. Et quo magis disputaturum ipsa copia percelleret, atque obrueret, meditato apparatu quinquaginta simul argumenta contra invocationem Christi proposuit. Turbaverat ea res nonnullos, & Socino, licet ab Ecclesia toties repulso, respondendi Provinciam mandaverant. Is hominem improviso iniquam disputandi rationem ingressum, & uno pene Spiritu tot præparata spicula effundentem, attente audiens, monebatur, ut saltem capita rationum quibus respondendum esset notaret. Sed memoriæ fiducia calami subsidium sprevit, & hominem quousque libuit suas illas rationes declamantem, patienter audiit; mox eodem plane ordine longam argumentorum seriem retexens, adeo ad singula solide respondit, ut vix quicquam adversario superfuerit quod contra mutire posset. Itaque se minus in ea materia promptum ac paratum professus, &, stupentibus omnibus, confusus abiit. Et quoniam naturæ ejus dotes attigimus; si quem forte ea cura tangit, ut figuram quoque corporis cognoscere aveat, sciat illi non defuisse formam indole sua dignam: statura justam quidem non excedens, sed proceræ vicinior fuit. Habitus corporis gracilior, intra modum tamen. In vultu porrectæ frontis dignitas, & oculorum masculus decor vibrabat. Venustas & gratia oris vigorem & majestatem nihil minuebat. Cibi somnique parcior, & omnium voluptatum citra ambitionem abstinens, in una valetudine curanda scrupulosus, & sæpe nimius fuisse videbatur. Qua tamen prospera plerumque usus est, nisi quod interdum calculi doloribus, & passioni colicæ obnoxius esset. Lippitudinem quoque nimiis lucubrationibus contractam jam senior quærebatur. Lenis vitæ atque insons genius. Mira simplicitas in moribus, quibus ita gravitas inerat, ut abesset supercilium; & hominem facilius revereri velles, quam posses timere. Alloquio facilis, honorem cuique ultra modum exhibuit, & si quid damnare in eo cuperes, nihil fuit vituperio propius, quam nimia sui contemptio. Modestus corporis cultus, sed tamen comptus & elegans, tametsi à fastu longe recesserat, faciles minus aspernebatur munditias. Officiosus in amicos & in omnibus vitæ partibus diligens. Principes, quorum in ministerio partem ævi posuit, ita demeruerat, ut nec desiderium ejus diuturna absentia, nec favorem manifesta offensio exstinxerit. Patruos, fratres, agnatos, omni officio prosecutus, Lælium præcipue suspexit & coluit. E propinquis mulieribus, præter Camillam aviam matronam lectissimam, Portiam amitam, & Phyllidem sororem, suo utramque merito vehementius dilexit. Quarum illa dum vixit laudatissimæ pudicitiæ exemplar, prudentia simul & comitate morum incredibili, adeo Lælium Beccium maritum, virum insignem sibi devinxerat, ut is sæpe cum lachrymis se tali tantaque conjuge indignum fuisse diceret: Hæc morum atque in regenda domo disciplinæ sanctitate, viro probata, (is fuit Cornelius Marsilius nobilissimo loco natus) immortale sui moriens desiderium reliquit. Et quoniam pridem à naturæ dotibus ad ea quæ sua sibi opera quæsiverat bona delapsi sumus, non sunt premendæ silentio nonnullæ è virtutibus ejus, quibus supra multos eminuit. Non facile dixerim, in tam vehementi indole plus ignis, an ingenii fuerit; adeo antequam impetus suos ratione composuisset, præcipitem ad bilem natura formaverat. Quam tamen ita fregit, ac domuit, ut quæ postea in homine eluxit mansuetudo, plerisque visa fuerit naturæ laus esse, non industriæ. Patientiæ quoque commendationem, cum fortunæ & injuriarum indignitas; tum delicata, ideoque irritabilis auget indoles. Nihil ejusmodi hominibus malorum accidere solet sine exquisito doloris sensu; neque adeo mirandum est, quod sæpe plus capere possit tristitiæ ingenium capacius. At ille in hoc quoque certamine fortis & naturæ suæ victor apparuit: postquam tot calamitates ab alienis, tot à suis injurias, pericula ab hostibus, ingratitudinem ab amicis; invidiam à doctis, odium ab imperitis, infamiam ab omnibus, paupertatem à fortuna, denique ab ipsa illa quam unice ornavit Ecclesia, jugem nec sine ignominia repulsam, Christiana animi magnitudine tulit ac perpessus est. Pene injuriam feci fortunæ, quod in eam paupertatis ejus causam rejecisse videor. Verum ego nunc non culpam ejus accusavi, sed indicavi statum à quem Socino evadere per fortunam forsitan licuit, si aut per conscientiam, aut per quandam animi generositatem fuisset integrum. Sanctitatis certe famam ex mendicitate nunquam venatus est. Quoties tamen vel tenuissimo sumptu conditionem suam tolerare potuit, adduci nequibat ut munera ultro oblata caperet. Ultro quin etiam in egenos facultates suas erogabat. Nec tantum eleemosynæ, sed & liberalitatis nullum genus omisit: ut agnosceres flagrantem promiscuo omnium amore charitatem. Sumptibus quoque suis non-

nullos

nullos libros in lucem edidit; ut ad ardentem promovendæ divinæ veritatis zelum, nihil ſibi faceret reliqui. Hanc tot ſcriptis, tot epiſtolis, tot privatis publiciſque diſputationibus, tot informationibus eorum quos mentis ſuæ paſſim habuit interpretes, tot longis, pleriſque ab extrema Sileſiæ ora in intimam Lithuaniam, ſuſceptis itineribus: valetudinis, famæ, fortunarum diſpendio, ſui denique capitis periculo, ſibi ſumpſerat propagandam. In tantis laboribus, & diſcriminibus, quo uno ſe ſuſtentabat ſolatio, idem toti Eccleſiæ, unicum ad vitam ſanctius agendam remedium inculcare non deſtitit. Spem enim immortalitatis jugem ſollicite ac delicate ſovendam cenſuit. Adeo ut cuidam ſenecioni in argumentum pietatis tumulum ſibi conſtructum oſtentanti, ac ſubjicienti, mortem ſe perpetuo meditari, rectius facturum reſponderit, ſi reſurrectionis rationem meditaretur. Sane in omnibus vitæ partibus, ſed maxime in rerum ſpiritualium judicio, prudentia ejus eluxit. Quæ veluti fructus quidam fuit humilitatis ejus atque modeſtiæ: virtutis ita ingenio ſuo inſitæ ac peculiaris, ut in cæteris alios, in hac ſeipſum æmulatus fuiſſe videatur. Neminem unquam contempſit, nullam rem niſi conſulto ac circumſpecte aggreſſus eſt. In ſtudiis quoque adeo omnis ſui fiducia aberat, ut nihil ſcribere auſpicaretur, niſi longa & matura meditatione concoctum. Idem in lucubrationibus ejus non difficulter deprehendas. Quoties is per ſalebras quas alii ſecuro gradu calcaſſent, ſuſpenſo inceſſit veſtigio! ut nemo ſic alieno, quemadmodum is proprio judicio diffiſus fuiſſe videatur. Quod ſingularis ejus modeſtiæ, ut diximus, tunc fuit præmium, nunc eſt indicium. Sed præcipue fides ejus multum inter cæteras laudes enituit. Nemo poſt hominum memoriam omnibus præſidiis inſtructior fuit, quibus ad famam, atque opes, & altiſſimum vitæ iſtius apicem aſcenditur: nobilitatem generis, amicitiarum ſplendorem, gratiam Principum, opes ingenuas, valetudinem, ingenium, eloquium, eruditionem & maximarum rerum capacem indolem, Natura, Fortuna, induſtria denique certatim cumulaverant. Tantarum illi rerum jactura conſtitit vocantis obſequium Dei, & concreditæ veritatis Fidei commiſſum. Parum erat deſtituiſſe tot ſummæ ſpei pignora, niſi ſe ultro infinitis miſeriis, egeſtati, diſcriminibus, inimicitiis, omnium deſpicatui, probris & contumeliis, & execrabili ubique ſui nominis memoriæ, veluti devotam publicis odiis victimam, ſciens prudenſque objeciſſet. Neque vero reſpexit ulla præſentis, aut ſaltem propinquæ mercedis ſtipendia. Longe ille ſua vota, ultra vitæ quoque ſuæ limitem, imo ultra labentis tunc ſeculi curriculum jaculatus eſt; adeoque bona fide ſpes ejus in cœlum erigebatur, ut in nullo terreni ſolatii fulcro recubuerit. Non detraho debitas aliorum meritis laudes: manet ſingulos ſuum decus. Verum pace omnium dixerim, tentavere forſitan illuſtrium virorum aliqui, ad tam ſublime fidei ſpecimen eniti, ſed neſcio an quis evaſerit. Plerique enim non caruere ſubſidiis quibus eorum virtus cito ſublevata eſt, ut non diu creditores ſummi Dei exiſterent. Lutheri & aliorum animi magnitudo plauſu mox & ſtudiis principum ac populorum excepta eſt. Quot alios, inopes alioqui & obſcuros, cauſæ Dei defenſio, ad opes atque potentiam provexit? Quos tamen hæc viciſſitudo à fidei laude non excludit, ſi quæ ipſos provexit cauſa, una cum iis demum ipſa adolevit.

Sed illi in hunc numerum non temere veniunt, qui florentem jam & adultam Dei cauſam (ſive illa vere talis, ſive prætenſa ſit) etiam non exiguis rerum ſuarum impendiis demerentur. Habent enim quod ſperent in terris, etiam citra cœli reſpectum, & in ejuſmodi præſentium præmiorum expectatione non ſemper facile diſcernas, utrum magis Deo confidant iſti, an induſtriæ ſuæ.

At Lælius & Fauſtus, viri tanto judicio, tanta illius (quo vixerunt) ævi cognitione atque experientia, quodnam ſibi in terris dum viverent, imo & proximo poſt ſeculo, tot laborum atque diſcriminum ſolatium deſpondere poterant, dogmata profeſſi, nulla auctoritatis pompa, nullo partium ſtudio, nulla diſſolutioris vitæ conniventia, nullo alio lenocinio commendata; quin potius auſteritate ſua cunctis exoſa atque inviſa. Nullam hic ſane video terrenæ ſpei latebram, quæ vel minimum decerpat de nobiliſſimæ fidei laude, quæ quanta quanta fuit, omnibus terris excluſa, in cœlum evolaverat, & in ſolius Dei clementia collocabatur.

Ignatius quoque, ut alios taceam, majorum noſtrorum memoria, patriam, agnatos, opes, honores & alias illecebras contempſerat, multos quoque labores, multa diſcrimina ultro ſubierat, zelum gloriæ Dei & fidei militiam profeſſus. Non deſpicio animi magnitudinem quæ in eo aut nonnullis ſimilibus apparuit. Neque enim prorſus molli itinere ad gloriam contenderunt. Sed nondum hic video illud magis arduum, quod quærimus, nobilioris fidei ſpecimen. Non ſumo mihi tantum, neque etiam in præſentia multum intereſt, ut de cujuſquam mentis propoſito ſententiam feram, quam feret olim judex falli neſcius. Itaque nihil moror quid Ignatius in animo habuerit, cum ad præſens negotium ſufficiat, quid habere potuerit. Videbat ille ſane res Pontificum in quibuſdam Provinciis afflictas; ſed in pluribus quoque aut ſaltem potentioribus, adeoque in patria, & ubi ſedem fixurus erat, bene firmatas & florentes ignorare non poterat. Immenſa quæ propugnatoribus ſuis Eccleſia illa ſtatim reponit præmia, virum iſtum latuiſſe quis dixerit? Acris eſt profecto in generoſis animis gloriæ ſtimulus. Ubicunque illuſtris famæ campus panditur, non modo ipſi voluptates atque opes ſordent, ſed vita quoque ipſa vilis eſt. Itaque & martyria pro felici atque opulenta Eccleſia, etiam citra nobilius religioſæ fidei documentum facile ſuſcipiuntur, neque adeo plus admirationis mereri poſſunt, quam illi quondam, qui

——— *in Punica nati*
Tempora, Cannarum fuerant, Trebiæque juventus.

aut ſi Caſtrenſe vulgus diſplicet, quam

Codrus pro patria non timidus mori.

Sane quiſquis in Eccleſia Romana æternitatem nominis quæſivit, non ſtulte profecto elegit gloriæ ſuæ ſpatium.

spatium. Nunquam enim Romana olim Respubl. (quamvis hac potissimum ratione adolevisset) tot aut tanta præmia periculis pro se susceptis proponebat, quot & quanta Romana Ecclesia repræsentat. Sero illa pulvinaria atque aras, & solis tantum Imperatoribus posuit. Hæc passim bene meritis præter sempiternam nominis venerationem, templa, & sodalitia, & honestam inter Deos indigetes sedem exhibet. Quid altius suspiret flagrantissima gloriæ sitis? Quisquis igitur propositis ac prope manu comprehensis tam invidiosis stipendiis, quantumvis non sine aliqua rerum suarum jactura, militiam istam ingressus est, nihil est quod Fidem suam Deo imputet. Ubi opes Ecclesiæ Romanæ, tot principum potentia, atque ipsius Hispanici imperii sparsa per orbem moles, stetere in subsidiis, facile fuit etiam in maximo discrimine procurrere ante signa. Humanæ istud erat atque militaris fortitudinis specimen. Ad primævæ quidem Ecclesiæ martyrum aut confessorum sanctiorem gloriam non assurgit. Ita illi sincere in cœlum suspexerant, ut nihil sibi in terris quod sperare possent reliquum esset. Eorum exemplo ita Lælius & Faustus Deo crediderunt quæ in ejus gratiam perdebant, ut nulla prope terrena futuræ mercedis pignora, nullam humanam divinæ spei fidejussionem, nullum solatium acceperint. Unius Dei fidem atque clementiam, eamque longo post fata sua intervallo expectandam secuti sunt. Suo quoque ævo jugiter spreti, atque inglorii, & solis odiis nobiles, ne morituri quidem secundioris famæ auspicium delibarunt. Nulli tamen unquam credentium decoxit fidelissimi numinis beneficentia. Ne istud quidem servorum suorum nobile par diuturna oblivione sepultum esse voluit. Ostendit illos orbi, qua parte sui gloriose noscitari poterant; protractis in lucem tot inclytis ingeniorum monumentis. Ac licet non hac mercede steterit plenum militiæ illorum stipendium; tamen ipsum quoque inter mortales nominis decus ita benigne asserere cœpit, ut fortasse magis periculum sit ne nimios, quam ne nullos ipsis honores habitura sit posteritas.

LECTORI PIO

SALUTEM,



N tibi, Erudite Lector, divinam Philosophiam, à Divino illo Doctore Jesu Christo, hac quidem oratione à Matthæo Euangelista descripta, explicatam. In quibus vera felicitas sita sit; quæ discipulorum Christi dignitas; quibus tuenda & paranda studiis; quanto cor labore ab ira, ultione, libidine, avaritia, rerum ad vitam tuendam necessariarum solicitudine abstrahendum; sermo à perjurio avocandus; quantopere, ne eleemosyna, oratio, jejunium, inquinentur ambitione, ac oratio etiam loquacitate & animo implacabili, elaborandum; quo conatu Dei regnum & justitia ejus inquirenda; quam studiose à damnandis aliis abstinendum sit; nec non qua erga divinorum contemptores prudentia; in precibus contentione; erga universos homines æquitate; quo erga viam arctam animo; qua erga falsos Prophetas cautione; quo erga Christi sermones studio esse, operæ pretium sit, divine docet. Utinam in hanc Philosophiam animis oculisque intenti universi Christiani, eam ad vitæ usum traducerent; & consiliis dictis factisque veluti regulam quandam ponerent, omnia hic opinione sua majora facile deprehenderent, & reipsa experirentur. Hic enim veram animi tranquillitatem; hic conscientiam omni metu solutam; hic cor erga Deum fiducia plenum; hic votorum successum optatum; hic Spiritus illius divini virtutem, quæ sensum omnem, nedum orationis vim superat, facile reperirent; quibus bonis in hac vita nihil conferri, nedum anteponi potest. Sed maxima pars Christianorum, proh dolor, ita agunt, ac si hæc à Christo Servatore nostro, & Doctore divinissimo, nunquam tradita fuissent; immo nec desunt, in hisque qui Doctorum nomen præ aliis affectant, & sibi arrogant, qui hæc non vitæ præcepta Christianis omnibus præscripta, sed consilia certis hominibus data velint, & alios ad eum modum instituere, nihil vereantur. Quasi vero Christus aliam vitæ viam pro omnibus laxiorem, aliam pro plerisque arctiorem docuerit. Unam is Doctor divinus, unam, arctam nimirum & angustam, quæ ad vitam ducat, & quam pauci inveniant, omnibus præscripsit, & eam insistendi omnibus auctor exstitit; qui latiorem & spatiosiorem quæsierit, illa arcta & angusta, & meta illi præfixa, quantoscunque Spiritus sibi sumat, excidat oportet. Hic divinæ Philosophiæ ut lucis aliquid afferret, precibus quorundam inductus F. Socinus, vir incomparabilis, dictatis quibusdam eam explicare instituerat. Quæ licet ex tempore dictata, nec ab eo absoluta, ac ne recognita quidem fuerint, immo ab ipso quodammodo spreta: tamen cum nobis nequaquam contemnenda viderentur, obruta & sepulta pulvere noluimus, sed ea cum pietatis & veritatis studiosis communicanda existimavimus, rati hoc nostrum consilium, illis nec ingratum, nec infrugiferum futurum. Quæ opinio si nos frustrata non fuerit, nobis idem erit magno ad alia incitamento. Vale Lector benevole, & studiis nostris fave, ac Dominum una nobiscum ora, ut reliquum vitæ veritati illius promovendæ consecramus. Cui sit laus & gloria in omnem perennitatem, AMEN.

CONCIONIS
CHRISTI,

Quæ habetur capite quinto, ſexto, & ſeptimo apud Matthæum Euangeliſtam,

EXPLICATIO.

Dictata

a

FAUSTO SOCINO SENENSI,

Opus ad finem non perductum.



IRENOPOLI
Poſt annum Domini 1656.

CONCIONIS CHRISTI,

Quæ habetur capite quinto, sexto, & septimo, apud MATTHÆUM EUANGELISTAM *Explicatio.*

CAPUT V.

QUod attinet ad ipsas beatitudines, quas Christus docet ac commemorat, considerandum est in genere, quid sit hoc loco beatum esse; de quo libenter verba facio, quia video in versione Polonica Novi Testamenti, qua ecclesia nostra hactenus utitur, esse verbum Græcum redditum eo verbo, quod proprie felicem significat, id quod mihi parum probatur, cum Græcum verbum μακάριος aliquid significet, quod verbo Latino felicis non bene videtur exprimi. Nam, nisi me memoria fallit, sentiunt viri eruditi illud Græcum verbum plus significare, quàm illud Latinum, & divinam quandam felicitatem proprie declarare, quamvis etiam aliter usurpatum, nomen illud Græcum inveniatur. Proponit igitur Christus ante oculos verbo isto, felicitatem quandam plusquam humanam, & cui nihil possit addi. Hoc igitur in genere considerato, videamus quid debeamus intelligere eorum nomine, qui sic beati à Christo vocantur, & de singulis separatim dispiciamus. Primo igitur loco vers. 3 *Pauperes Spiritu* beati vocantur a Christo, quod dupliciter intelligi potest, ut scilicet Christus loquatur, vel de paupertate pecuniarum; ita ut vox Spiritus sit addita, ad ostendendum, paupertatem istam pecuniarum consistere potissimum in Spiritu, & mente hominis, sive quis revera pecunias multas habeat, sive minus; vel ut loquatur de paupertate ipsius Spiritus, ad quam distinguendam ab altera illa paupertate, vox Spiritus addita fuerit. Si priorem sententiam amplecti velimus, animadvertendum erit locum, qui apud Lucam cap. 6 videtur huic respondere, ubi videlicet est nomen Pauperes simpliciter positum, debere ita accipi, ac si vox Spiritu, ut hic apud Matthæum, addita fuisset. Pronunciat igitur Christus, secundum hunc sensum, beatos illos qui divitias spernunt. Quod si tamen aliquis, ob eam caussam quæ antea dicta fuit, quod non videatur esse eadem Christi concio apud Lucam, quæ apud Matthæum, omnino velit, apud Lucam vocem Pauperes, simpliciter accipi debere; tunc supplendum videtur, quod isti sint pauperes, id est, reipsa pecuniis careant, propter illam causam, quæ videtur posse subintelligi, cum propter subjectam ipsam materiam, Euangelii annunciandi, ac plenius docendi; tum ob id, quod ad extremum causa ista tandem exprimitur, quæ est justitiæ studium, & Christo obsequendi cura. Siquidem verisimile videtur, ad molestam repetionem vitandam, satis habuisse Christum ejusmodi caussam ad extremum exprimere, unde facile auditores essent collecturi, simili rationi intelligendas esse priores beatitudines; id est, quinam revera beati illi sint, qui beati à Christo vocantur, ut postremæ intelligi debent. Quod si alteram sententiam amplectamur, plana res videbitur esse, ut scilicet Christus intelligatur pronunciare beatos illos, qui ab omni superbia penitus absunt. Est enim vox Spiritus apta ad significandam animi elationem, qua si quis pauper sit, jam à superbia prorsus aberit. Cum superbia aliud nihil sit, quam nimia animi elatio, quod vitium potissimum videtur referri ad eam partem inobedientiæ seu contumaciæ nostræ, quæ Deum peculiariter respicit; quo vitio nihil turpius aut nocentius excogitari potest. Verum similiter contra, nihil præstantius aut homini utilius invenire quis possit, ea virtute, quæ huic vitio opponitur, & quam hic Christus commemorat. Ubi enim est animus coram Deo plane demissus, sunt etiam alia omnia laudabilia, quæ Deus à nobis requirit; abestque homo, qui tali animo fuerit præditus, ab eo genere peccatorum, quibus Deus veniam dare non solet; & appellantur peccata per superbiam admissa; sed si quid tamen peccat, ex ignorantia, vel incogitantia, vel etiam ex simplici humana fragilitate id facit, cujusmodi peccatis facile à Deo venia concedi solet. Non credat tamen quis, nos omnino & absolute statuere, nihil præterea requiri in eo, cujus animus ab omni superbia adversus Deum absfuerit; sed nobis videri, intelligendum esse, una cum virtute ista conjunctas esse alias quæ verisimiliter, quamvis non necessario cum illa conjunguntur: id quod credimus debere considerari, etiam in quibusdam aliis ex consequentibus beatitudinibus, ut deinceps observare poterimus. Pronunciat autem Christus istorum, quos propter paupertatem sive pecuniarum, sive Spiritus beatos esse dixit, esse regnum cælorum. Quod quid sit, non videtur admodum dubitandum; quamvis enim nomine regni cælorum possit non unum tantum quiddam intelligi, sed plura; hoc tamen in loco nihil dubitari debet, quin nomine isto significetur habitatio in ipsis cælis, & sic æterna vita; hæc est enim vere illud, quod beatos homines reddit, & nihil aliud. Sed jam ulterius progrediamur.

Vers. 4. Subjicit igitur statim Christus, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient.* Apud Lucam, pro *lugent*, est *flent*, & propterea ibi subjungitur, non quidem, consolationem accipient, quod proprie lugentibus convenit, sed *videbunt*, quod flentibus melius accommodatur. Jam hic videtur omnino, sub intelligendam esse caussam istius luctus; illam videlicet, quam diximus ad extremum diserte commemorari. Nam alioqui non apparet, quomodo sustineri possit hoc, ita simpliciter pronunciatum, quod beati sint qui lugent. Constat enim posse fieri, & quotidie conspici, ut pessimi etiam homines lugeant; nisi hunc locum ita accipiamus, ac si Christus docere voluerit, luctum ne-

mini esse impedimento, quominus sit beatus. Multorum enim luctum solere habere subsequentem consolationem, quæ plane luctum illum & tollat, & abunde recompenset. Quanquam est præterea animadvertendum, eos qui lugent plerumque bonos esse solere, quippe qui à malis hominibus perpetuo affligantur, ita ut Christi verba possint accipi, non de singulis hominibus lugentibus; sed in genere atque in universum de iis qui lugent, quos unusquisque potest animadvertere, non esse malos, sed bonos. Siquis enim interroget, quinam sint illi in mundo qui lugere soleant, an boni, an vero mali homines? sine dubio sæpius quisque statim respondebit, hos esse in genere non malos, sed bonos. Mali enim, qui hujus mundi voluptatibus capiuntur, in hisque volutantur, nec virtutis amore, aut Dei metu ab illis quidquam retrahuntur; quique omnia sibi licere putant, modo sibi profutura existiment, non solent luctui esse obnoxii, sed potius bonis insultando, perpetuo ridere ac gaudere. Sive igitur subintelligatur hic causa illa, amoris justitiæ & curæ Christo obediendi, sive non subintelligatur, necesse est Christi verba ita accipere, ut appareat, eos, de quibus loquitur, esse bonos, non malos. Quod quemadmodum fieri recte possit, satis à nobis explicatum esse arbitramur. Jam quæ sit ista consolatio, & cujus generis, quam isti lugentes sint accepturi, satis intelligi potest ex eo, quod ob hanc ipsam caussam beati vocantur. Itaque necesse est concludere, consolationem istam debere esse stabilem ac perpetuam, ejusmodi autem esse nequit, nisi in vita immortali. Proprerea alibi etiam Scriptura, cum immortalem vitam significare vult, quam habituri sint ii, qui propter justitiam & propter Christum lachrimas fundere in hac vita coguntur, ait fore, ut omnes illorum lachrimas Deus abstergat Apoc. 7. vers. 17.

Vers: 5. Pergens Christus, ait esse beatos, qui sint *mites, seu mansueti*, hoc est, qui nemini irascuntur, nullasque suas injurias ulciscuntur, sed ex animo eas condonant.

Subjiciens autem caussam, cur isti futuri sint beati, ait; *Quoniam ipsi hæreditatis jure terram possidebunt.* Quam sententiam, sine dubio, mutuatus est Christus ex Psalmo 37, & hinc factum est, ut hoc in loco, vitæ æternæ atque immortalis possessionem, vocaverit possessionem terræ; nempe quia in eo Psalmo, diserti possessionis terræ fit mentio, quod quidem sub Vetere Testamento, ubi bona tantum hæc terrena promissa fuerant, poterat de ipsa terræ possessione intelligi; sub Novo autem, ubi potissimum cœlestia bona sunt promissa, eaque ferme sola, statuendum est, significare cæli possessionem, seu novam illam terram & novum cælum, quod ex Dei promisso Christiani expectant. Adde, quod in Psalmo nulla fit mentio beatitudinis, isto in loco, quæ hic diserte commemoratur, quæque nusquam alibi haberi potest, nisi in vita immortali. Convenit autem cum Christi pronunciato, hoc, quod mites ac mansueti homines sint beati, & sint vitam æternam adepturi, id quod inferius dicet, remissum iri peccata iis, qui aliis ipsi remittunt, ea quæ adversus se peccaverint; ne quis fortasse statuendum esse arbitretur, mansuetorum, seu mitium nomine, aliud præterea intelligi debere, quam id, quod antea diximus. Quasi nullo pacto videatur satis esse ad vitam æternam consequendam, injurias omnes sibi factas condonare. Ecce enim Christus hoc ipsum alibi diserte pronunciat; quandoquidem remissione peccatorum, quam expresse ejusmodi hominibus tribuit, continetur æterna vita: neque enim, ex ipsius Dei presertim consilio, aboletur mors peccati pœna, nisi quis in æternum vivat. Itaque hoc in loco id observandum, quod superius indicavimos, verba Christi ita accipienda esse, ut intelligatur una cum virtute ista condonandi injurias, esse conjunctas alias, quæ illam comitari solent. Quod autem dico, de interpretatione ista verborum Christi, hoc potissimum locum habet in præsenti loco nostro. Nam in altero illo, qui inferius legitur, videntur Christi verba ita accipi posse, ut non simpliciter affirmet, illis remissum iri peccata, qui aliis remittunt; sed nisi hanc virtutem homines habeant, non fore ut illis peccata remittantur. Quod apertius explicabimus, ubi ad eum locum Deo volente pervenerimus, & simul ad ea, quæ ex ipso loco huic sententiæ objici possint, respondere conabimur,

Vers. 6. Sequitur locus, qui apud Lucam, ut de prima beatitudine diximus, vel mancus est, & supplemento indiget, vel aliter accipi debet, quam hic apud Matthæum, ubi Christus ait: *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Non legitur apud Lucam verbum justitiæ, unde concludi debet, si quis velit eundum ipsum sermonem, eandemque unam concionem esse ab utroque Euangelista commemoratam, omnino apud Lucam esse subintelligendum nomen justitiæ; quod si admittatur, ut quidem nos ad credendum procliviores sumus, non esse unam atque eandum concionem apud utrumque Euangelistam, tunc dicendum erit, apud Lucam locum istum ita accipiendum esse, ut diximus apud ipsum & Matthæum accipi debere id, quod Christus paulo ante apud Matthæum, statim vero post apud Lucam pronunciavit de lugentibus seu flentibus, ut scilicet vel caussa subaudiatur, propter quam esuriunt. (sitis enim apud Lucam nulla mentio) quæ est, ut dictum fuit, virtutis sectandæ & Christo obediendi studium, vel non de singulis hominibus esurientibus, sed in genere de iis qui esurire solent, Christi verba intelligantur. Nam sicut in genere qui lugent ac flent, sunt homines boni non autem mali, ut antea docuimus, sic etiam in genere ii qui esuriunt, propter easdem causas non sunt mali sed boni. Jam in loco nostro, id est apud Matthæum, hæc interpretatio nullum locum habere potest, cum diserte justitiæ nomen in eo expressum fuerit, & inquirendum relinquitur, quid sit ista fames & sitis justitiæ, quæ sine dubio, ut uno verbo dicamus, quemadmodum ipse metaphoricus dicendi modus nos docet, est ingens amor & desiderium justitiæ, id est rectitudinis & probitatis, quod desiderium duas partes habet. Unam quæ respicit ipsum desiderantem. Alteram, quæ ad alios pertinet. Nam, vel desiderat quis vehementer, ut ipse sit rectus ac probus, vel ut sint alii. Jam amor iste ac desiderium, cum est ingens, ut dictum est, & metaphora ipsa famis & sitis declarat, fieri non potest, quin is in quo invenitur sit rectus ac probus, atque tam erga Deum & proximum, quam erga se ipsum juste se gerat, & consequenter omnino id sit adepturus, quod justis à Deo est præparatum; nempe beatam immortalitatem, quæ hic convenienter saturationis, ut sic dixerim, nomine exprimitur. Egregie enim hoc fami & siti respondet. Et sane si quis futurus sit satur justitia, id est, ut diximus rectitudine ac probitate, necesse est, ut illius beatæ vitæ sit particeps, ubi virtus ista plena ac perfecta futura est, neque usquam alibi; adeo ut propterea beatitudo illa immortalis metonymice justitia appelletur: quippe quod justitiæ certum ac verum sit præmium, & cum qua necesse sit in summo gradu virtutem istam esse conjunctam. Proinde locus ille apud Petrum posterioris epistolæ cap. 3, ubi dicitur, nos novos cælos & novam terram exspectare in quibus justitia habitat; etsi possit ita accipi, ut justitiæ nomen rectitudinem & probitatem significet propter modo dictam caussam, quod, scilicet, in illis novis cælis & nova terra futura sit virtus ista perfecta; tamen quia videtur Petrus ibi docere, quid boni sit expectandum Christianis hominibus, verisimilius videtur prædicta metonymia nomen istud prolatum fuisse, aut certe (quod neutiquam absonum videri debet) eo sensu, ut utrumque significet; & simul istam virtutem, simul ejus præmium declaret.

Vers. 7. Pergit Christus in declarando quinam sint futuri beati, & ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Beatitudo ista apud Lucam non legitur: qui vero sint isti misericordes, videtur melius

posse

posse intelligi, si illud consideretur, quod subjicitur ut caussa ipsorum beatitudinis; *Quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hæc enim misericordia quam sint consequuturi, sine dubio est plena remissio peccatorum. Tunc enim Deus, a quo misericordia ista ut proficiscatur necesse est, vere mortalium miseretur, quando illis omnia, adversus legem & voluntatem suam admissa delicta, plane condonat. Itaque videtur misericordes hic dici potissimum illos, qui injurias sibi illatas plane remittunt, &, quemadmodum inferius Christus loquitur, debitoribus suis dimittunt debita. Nam ut antea attigimus, ibidem quoque Christus affirmat, hujusmodi hominibus remissum iri a patre cœlesti ipsorum delicta. Est tamen & alia significatio valde frequens atque usitata, nominis misericordes: quæ significatio cum similiter locum habere possit in misericordia, quam misericordes isti sint consequuturi, est ea omnino simul cum præcedente conjugenda, atque intelligendum, Christum utramque nomine isto significare voluisse. Ea autem est, libenter donare de suo, de suis, inquam, pecuniis & opibus hilariter & abundanter egentibus largiri. Hinc enim largitio ista, eleemosina (quod nomen Græcum ejus est conjugatum, quo Christus hic est usus ad misericordes istos significandos) est appellata. Etenim optime dicere potuit Christus, hoc eodem sensu istos misericordiam consequuturos, nempe a Deo: tunc enim verè divinam largitatem ac beneficentiam experientur Christi fideles, quos largos esse & liberales esse necesse est, cum vitæ æternæ donum possidebunt; quo nihil majus potest ipse Deus ex tantis suis opibus homini largiri. In hac porro beatitudine, considerandum est id evenire, quod antea monuimus, ut, scilicet, non ita simpliciter Christi verba accipiantur, ut is omnino beatus sit futurus, qui talis fuerit qualem ipse hic nominat, cum videatur fieri posse, ut quis & injurias condonet, & de suo liberaliter indigentibus donet, & tamen misericordiam illam, quæ beatum hominem facit, non consequatur; quippe qui interim possit aliquo nihilominus ex iis vitiis implicatus esse, quæ regnum Dei possidere nulli permittunt. Est igitur Christi pronunciatum cautè accipiendum, & in eo explicando ea ratione utendum hoc etiam in loco, quam antea alicubi explicavimus.

Vers. 8. Sequitur beatos esse illos, *qui mundi sunt corde, quoniam ipsi Deum sint visuri.* Cordis mundicies, seu puritas aliud nihil est, quàm esse exemptum ab omni vitiorum labe; sunt enim vitia tanquam maculæ, quæ cor inficiunt. Nam ex corde, ut Christus ipse testatur, vitia & peccata proficiscuntur Matth: cap. 15. Is igitur mundus ac purus corde est, qui nulli vitio, quod videlicet cum Dei voluntate aperte pugnet, est irretitus. Istis vero, qui ejusmodi fuerint, convenientissime a Christo promittitur, eos Deum visuros, quia enim visio ista Dei, quam hic intelligit Christus, est objectum animi & mentis nostræ, quæ cordis nomine significatur, propterea dicitur, eos, visione ista fruituros, qui purum cor habuerint; quemadmodum, ut quis oculis corporeis aliquid intueri ac cernere plane possit, requiritur, ut oculus sit purus, & ab omni labe immunis. Jam videre Deum, in sacris litteris potissimum significat, ejus benignitatem reipsa abunde atque affluenter experiri; quemadmodum inter alia complura testimonia, aperte, rem diligenter consideranti, indicat locus ille apud Jobum cap. 19 vers. 26, qui vulgo de resurrectione nostra accipitur, quam nos quidem credimus ibi potuisse adumbrari, & adumbratam fuisse: sed tamen interim, res ipsa docet, Jobum, cum eo in loco dixit, se visurum Deum, intellexisse, se denuo Dei summam erga se benignitatem ac beneficentiam experturum. Quare non est omnino necesse ex verbis Christi colligere, in beata illa atque immortali vita, Deum à nobis, proprie loquendo, conspectum iri, tametsi nos id, sano modo intellectum, negare non audemus: sed tantum id necessario est intelligendum; quod ibi Dei benignitas & beneficentia in supremo gradu sentietur; quemadmodum id requirit, quod beati pronunciantur isti, qui Deum sint visuri; Neque enim vera beatitudo ibi esse potest, ubi non sit plenissima affluentia & participatio divinæ bonitatis & beneficentiæ.

Vers. 9. Vidimus de sex hominum generibus, quos Christus beatos pronunciavit; quæ tamen hominum genera ejusmodi sunt, ut, si in suo quodque genere perfectionem habuerint, necesse quodammodo sit, ut simul & semel omnia in uno homine inveniantur. Ejusdem generis est, aut certe ut sit verisimilimum videtur, id, quod septimo loco à Christo commemoratur, dicente: *Beati pacifice, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Quid hic oporteat pacificorum nomine intelligere, est meo judicio non parum difficile, id plane statuere: præsertim, cum Græcum verbum εἰρηνοποιοὶ, ejusmodi sit, quod apud alios scriptores vix fortasse reperitur; neque in ipso Novo Testamento: ullum locum a quoquam inveni observatum, præter hunc, ubi nomen istud legatur. Legitur quidem verbum εἰρηνοποιῶ ad Colos. 1, vers. 20. & ad Ephesios id quod tantundem valet, ποιῶν εἰρήνην, idque capite secundo vers. 15. In quibus duobus locis, nulli dubium esse potest, quin eo verbo significetur, concordiæ, ut sic dixerim, factio seu effectio. Agitur enim ibi de concordia & conjunctione, quam Christus adveniens inter Gentes & Judæos effecit & constituit. Ita ut hac significatione inspecta, viderentur in loco nostro pacifici ii appellari, qui, ut nomen ipsum proprie sonare videtur, pacem faciunt, id est, sunt auctores concordiæ & conjunctionis inter alios. Atqui nihilominus, ut verum dicam, non facile adduci possum, ut credam hoc in loco, istam *pacifici* nominiis significationem esse agnoscendam; præsertim, cum ipsum pacifici nomen apud latinos, nunquam videatur istud significare; quamvis nominis compositio id præ se ferat, & habeant Latini, quod vix apud Græcos invenitur, verbum hujus nominis conjugatum Pacificare, quod sine dubio; pacem facere significat, id est, ut dictum fuit, ad concordiam & conjunctionem redigere. Significat enim nomen pacifici, apud Latinos, pacis amantem ac studiosum, seu quietum, placidum, ac placabilem; non autem, ni fallor, eum qui pacem faciat, seu ad concordiam diffidentes adducat. Hac igitur significatione omissa, considerandum est, extare locum apud Jacobum capite 3 ad finem, ubi mentio est faciendi pacem; ibi enim, quemadmodum ex antecedentibus intelligi potest, videtur omnino facere pacem, aliud nihil significare, quam pacem sectari, & rixas omnes, atque dissidia vitare: & sunt, qui ad locum istum adnotent, pacem facere esse Hebraismum, quo significatur pacis esse studiosum, seu pacem colere; quanquam mihi de Hebraismo isto, nihil dum liquet. Igitur possumus fortasse statuere, pacificum, hoc loco nostro, aliud nihil significare, quam pacis studiosum, & cultorem esse; præsertim cum Latini nominis, Græco quod in loco nostro est plane respondentis, hæc, ut dictum fuit, sit significatio. Plurimum vero confert ad intelligendum, quid isto Græco nomine significatur in hoc ipso loco nostro, diligenter inspicere, quid Christus affirmet cum ipsis factum iri qui tales fuerint; verisimile est enim, non minus hic, quam in superioribus locis, Christum istis tribuisse, tanquam id quod eos maneat, aliquid, quod convenientiam habeat cum ipso nomine, seu potius cum nominis significatione, quo eos appellat. Ait autem de istis, quod filii Dei vocabuntur; quod sane videtur habere convenientiam, cum studio & cultu pacis: Proprium siquidem Dei est, pacis autorem esse; & propterea tam sæpe apud Paulum vocatur Deus pacis, & diserte in epistola ad Corinthios priore cap. 14 opponit pacem, cujus autor est Deus, discordiæ & dissensioni. Itaque convenientissime videtur a Christo dictum, istos vocatum iri Dei filios, si eos intellexit, qui pacem colunt atque sectantur; id est, concordiam, & animorum conjunctionem. Quod si liceret ex pro-

prietate

prietate sermonis Hebraici, aliam quandam significationem nomini Pacifici hoc loco tribuere, ut scilicet eos intelligeremus, qui pacem, id est, ut apud Hebræos hoc nomen sæpius accipitur, & in ipso Novo Testamento non raro, bonum aliquod egregium atque ipsam felicitatem faciunt, id est aliis procurant, sensus esset valde egregius, & convenientissime istis a Christo tribueretur, quod filii Dei vocabuntur. Proprium siquidem similiter Dei est, summum bonum ac felicitatem aliis tribuere. Verum mihi non videtur tantopere audere nos debere, nec sine necessitate aliqua quicquam novi excogitandum esse, aut recedendum ab ea significatione quæ testimonia satis aperta habet, quam proxime exposuimus, illamque libenter sequimur; tantum considerandum restat, quid differant isti pacifici; ab illis mansuetis de quibus antea dictum est: neque enim ullo modo est verisimile, de iisdem prorsus hominibus hic agi, de quibus ibi: videntur autem, aut videri possunt parum differre, pacifici a mansuetis, differunt tamen, & quidem insigniter. Nam mansuetus is est, qui, ut supra dictum à nobis fuit, injurias facillime condonat, neque unquam diu cuiquam irascitur. At pacificus ille est, qui omnes dissensiones, quam fieri potest maxime, vitat & sopire contendit, ut exempli caussa, ii qui inter nos curant, ut, quamvis sit aliqua opinionum & sententiarum diversitas in ecclesia, tamen nulla dissensio, vel, ut magis proprie loquar, dissidium inter fratres oriatur, vel etiam qui curant, quantum possunt, ut etiam cum illis, qui nobiscum non congregantur, si alioqui pii sint & probi, pax colatur; isti merito ac proprie pacifici vocantur; quæ virtus non parum est diversa ab ea, quæ mansuetorum hominum est propria, quo nomine appellabuntur inter nos illi, qui nulla, quantumvis gravi injuria, commoventur, &, si quid acerbius adversus se fieri videant, connivent, idque æquissimo animo ferunt. Loquitur igitur Christus hoc loco, non de iis qui injurias tolerant, sed de iis qui dissensiones abominantur. Ubi animadvertendum est, quod si illi peccant, qui non cum omnibus, ut Paulus non semel docet, pacem colunt, nec curant ut inter omnes, quantum fieri possit maxime, sit concordia, multo magis sine comparatione illi delinquunt, qui id inter fratres non curant. Et sane Salomon cap. proverbiorum sexto, ponit studium seminandi discordias inter fratres inter septem res, quæ præter omnes alias Deo displicent. Et quidem si Hebraismus, qui, nisi fallimur, ibi habetur, diligenter animadvertatur, hanc, quam ultimo loco Salomon ponit, dicet ab illo judicatam fuisse reliquarum sex maximam & Deo invisissimam.

Superest ut aliquid dicamus de phrasi illa, *Vocabuntur filii Dei.* Vulgo enim à peritissimis quibusque traditur, verbum vocandi Hebraica loquutione, eandem vim, in hoc & similibus locis habere, quam ipsum verbum, ut sic loquar, *Essendi*, ut aliud nihil sit Filii Dei vocabuntur, quam filii Dei erunt, hoc est, ut interim simul quid filiatio ista sit explicemus, Erunt immortales æternaque vita perfruentur, & ab ipsa quidem interpretatione verbi Vocandi non censeo temere recedendum esse, præsertim in ista loquutione, Vocari filium Dei; cum videam alibi satis frequenter homines justos & cujusmodi sunt pacifici isti, esse Dei filios, diserte dici. Veruntamen, si quod mihi nunc succurrit dicendum libere est, valde vereor ne ista interpretatio, quod Vocari pro Esse accipiatur, non sit simpliciter atque absolute vera, sed sæpe, ubi illa videatur locum habere, aliqua improprietas subsit, propter quam scriptura non essendi sed vocandi verbo utatur aliquando, quamvis alias etiam ipso essendi verbo eadem in re uti soleat; exemplum non est nobis longe petendum, cum hæc ipsa appellatio filiorum Dei nobis id abunde suppeditet. Certum est enim neminem proprie loquendo esse Dei filium, nimisque majestatem Dei dedecet, quicquid vulgo theologi asserant, vel cogitare, quod ipse vere ac proprie filios generet. Hinc factum est, ut non modo de aliis hominibus & hic & alibi dicatur, eos vocari Dei filios, sed de ipso Jesu Christo domino nostro idem pronunciatum inveniatur, ut Lucæ primo, ubi de eo scriptum legimus ab angelo dictum *Vocabitur filius Dei.* Verum quoniam ut dictum est, Deus, proprie loquendo nullos filios generat, propterea ii qui per figuratum loquendi modum Dei filii merito dici possunt, etiam esse Dei filii dicuntur; nimirum ob id, quod nulli inveniantur, vel esse possint magis proprie Dei filii, quam ipsi sint. Non fuit nobis otium omnia loca diligenter dispicere loquutionum istarum cum vocandi verbo, sed suspicamur tamen verissimum esse quod diximus, verbum istud aliquam improprietatem sæpe subindicare, quæ legentes, & rem penitissime non considerantes omnino lateat. Jam nihil arbitramur esse opus, hic repetere, pronunciatum Christi istud de pacificis hominibus non esse simpliciter accipiendum, cum fieri possit, ut quis virtute ista sit præditus, & tamen beatam immortalitatem, qua filiatio divina continetur, non adipiscatur, & auditores ad ea quæ dicta sunt, rejicimus. Sed antequam ulterius progrediamur, id quod jam attigimus de convenientia, quam habeat id, quod Christus ubique hactenus attulit pro caussa beatitudinis singulorum istorum quos commemoravit, cum ipsorum appellatione, diligentius considerandum proponimus; mirifice enim conferre videtur ad intelligendum, quinam revera illi sint, de quibus Christus loquitur. Hoc autem præcipue commemoratum voluimus, propter primos quos nominavit; cum enim de illis ageremus, & duplicem sensum appellationis pauperum spiritu indicaremus, omisimus, & ad hunc locum reservavimus, diligenter considerare convenientiam, quam habeat regnum cælorum cum pauperibus spiritu, ut melius possimus statuere, utram ex illis duabus significationibus appellationis illius amplecti debeamus. Videtur enim omnino melius convenire, quod regnum cælorum sint isti habituri, cum paupertate pecuniarum, quam cum paupertate spiritus; convenire, inquam, per antithesin, & correctionem, vel potius compensationem ejus incommodi, quod illa appellatione continetur; quemadmodum videmus inferius factum esse, ubi luctui consolatio opponitur; fami & siti justitiæ, saturatio. Sic igitur & in dicto primo loco, rectissime videtur opponi, tanquam correctio & compensatio incommodi quod in illa est, paupertati pecuniarum & opum, cælorum regnum. Non est tamen interim negandum, quin retenta etiam altera illa illius appellationis significatione, possit antithesis ista locum commode habere: quandoquidem satis recte demissioni animi, quippe quæ faciat ut quis contemnatur & despiciatur ab iis, qui ad interiora non penetrant, ut plerique hominum sunt, opponitur regnum, quo statu nihil sublimius aut elatius invenitur, adeo ut in ipso Deo omnium excellentissimum esse videatur, quod is omnium sit Rex & Dominus, & in omnia alia quæ extra ipsum sunt, divinum regnum atque imperium habeat, ac propterea, cum homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus esse dicitur, plane statuendum videtur idcirco id dici, quia similiter homo in hoc mundo regnat super alias res creatas, in easque plenum, ex rei ipsius natura exque Dei consilio, imperium habet.

Vers. 10. Octavo loco, Christus beatos pronunciat, *qui persequutionem patiuntur propter justitiam* Hoc nomine justitiæ utitur aliquoties Christus, hoc sensu, ut significet rectitudinem & veritatem rerum ad pietatem pertinentium, adeo ut hoc loco, judicio quidem meo, tam de his loquatur, qui ob vitæ sanctitatem ac probitatem, quam qui ob veritatem scientiæ divinarum rerum, quam ipsi aut tueantur & observent, aut etiam promoveant, à malis & imperitis rerum divinarum hominibus persequutionem patiuntur. Quod sane admodum grave carni nostræ videri potest, persequutionem videlicet pati ob id, propter quod, vel maxime quis laudandus & recipiendus sit; propterea voluit nos docere Christus, multo aliter rem se habere atque huma-

næ rationi videatur; debere inquam istos lætari, & libentissimo animo ejusmodi persequutionem suscipere, cum ii quibus id evenit beati merito appellari possint, eo quod ipsorum sit cœlorum regnum. Quod etiamsi posset fortasse ita intelligi, ut Christus docere voluerit, illos in hac vita esse ex vero populo Dei, & Dei regnum intra illos esse, tamen verisimilius est, ut potius, quemadmodum & antea in prima beatitudine, intelligat ipsam immortalitatem, cujus sedes est cœlum, ubi fideles Christi olim regnaturi dicuntur, propterea quod in eo statu omnes inimicos suos sibi subjectos habebunt; ipsa morte atque inferno devicto. Est autem hic tacite intelligendum, quod isti, si beatorum appellatione digni sunt censendi, ita persequutionem istam patiantur, ut si justitiæ cultum & propagationem deserere vellent, vitare eam possent, & tamen malint eam pati, quam justitiæ ullo pacto deesse. Qui enim tales sunt, vix fieri potest quin iis vitiis careant, quæ obstant quominis quis regnum cœlorum obtineat, præsertim si persequutio ista usque ad sanguinem fundendum progrediatur, & verisimile quidem est, Christum hoc loco persequutionis nomine aliquid gravius intellexisse, ex quo appareat eos, qui propter justitiam id vitare negligant, vere probos & justos esse, ut merito pronunciare potuerit ipsorum esse cœlorum regnum. Quia vero hac in re, ut sciamus, videlicet, persequutiones propter justitiam non mali quidquam, sed summum bonum nobis adferre, plurimum momenti est positum, idcirco dominus Jesus, his non contentus quæ hactenus explicuimus, subjicit eadem de re verba ista:

Vers. 11. *Beati estis cum probris affecerint vos*, &c. usque ad versum tredecimum. Jam vero hic primum convertit Christus sermonem suum ad aliquos, de quibus videtur multum dubitari posse, quinam isti sint ex illis qui tunc aderant, & eorum similibus, qua de re postmodum accuratius videbimus, nunc videndum nobis est, quid Christus consentiens cum eo quod modo dixerat, uberius subjecerit. Inquit igitur: *Beati estis, cum probris affecerint vos, & persequuti fuerint.* Enarrat quodammodo dominus Jesus quædam, quæ faciunt homines mali adversus justos & justitiam colentes, & verisimile quidem est, ut quemadmodum hæc duo, quæ commemoravimus, probris afficere & persequi, habent inter se diversitatem aliquam, licet alioqui alterum ad alterum, tanquam ad suum genus redigi possit: sic etiam tertium quod sequitur,

Et dixerint omne malum verbum, &c. aliquid ab istis duobus diversum sit, quod tamen & ipsum, ad alterum ex superioribus duobus tanquam ad suum genus, referri alioqui possit. Nam quod Christus ante generali verbo Persequendi complexus est, hic videtur in tria distribuere, inter quæ est nihilominus ipsa persequutio, quæ videlicet, ut in multis aliis nominibus, frequenter alibi apud scriptores evenire solet, modo generis, modo speciei locum teneat. Videtur igitur, Probris afficere significare vulgaras ac consuetas verborum injurias, quibus homines intemperantes eos afficere solent, quos odio habent, nulla habita consideratione, an verum dicant nec ne, imo etiam an ad rem nec ne loquantur, tantum id curantes, ut odium suum convitiis ejusmodi homines afficiendo exsaturent. Jam quod sequitur, id est persequutio in specie hoc loco accepta, ut paulo superius in genere accepta fuerat, ita ut reliqua etiam duo quæ hic dicuntur comprehenderet, significat, sine dubio hoc in loco facta, quibus negotium facessunt homines mali piis hominibus, eosque affligunt & vexant, cujuscumque tandem generis facta ista fuerint. Tertium porro est, dicere omne malum verbum adversus ipsos, idque falso, id quod aliud quiddam est à convitiis: sed est, de illis hominibus piis ac justis quodammodo pronunciare ac sententiam ferre, de iisque aliquid asserere, nempe malum ac detestabile, sive id pertineat simpliciter ad ipsorum doctrinam, sive etiam ad vitam atque mores, ut quando Christiani homines dicti sunt contemnere omnem veram religionem verumque divinum cultum, inducentes cultus falsos ac superstitiosos, vel cum hæretici & seductores sunt appellati, quod ad doctrinam pertinet: vel quando dicti sunt carnes humanas comedere, conuubia promiscua habere, & in ipsis suis cœtibus libidines incœstas ac pudendas exercere, quod potissimum ad vitam & mores pertinet. Et ita apparet, nisi fallimur, aperta differentia inter ista tria, ad quorum finem perpendendum est illud *Propter me*, quod, ut quidem mihi videtur, non ad ultimum tantum, ut quibusdam fortasse visum fuit, sed ad omnia & singula tria pariter pertinet. Necesse est enim, ut si quis propter unum vel plura ex istis tristus beatus vocari debeat, ut ea propter Christum illi contingant. Est igitur consequenter distinguendum verbum *mentientes*, ab istis, *Propter me*, & intelligendum, ista duo verbo conjungi debere cum verbis quæ ad illos referuntur, quos hic beatos Christus pronunciat.

Vers. 12. Subjungit autem caussam Dominus, cur isti sint beati, addens, quod debeant gaudere & exultare, quod longe videtur alioquin abesse debere ab iis qui talia patiuntur, caussa porro est, *quia*, inquit, *merces vestra multa est in cœlis.* Servans hic Christus illam convenientiam, de qua ante non pauca diximus, opponit tribus illis malis mercedem multam, tanquam videlicet ii, qui illa patiuntur, plurimum laborent; labori enim merces debetur. Et interim ex hac tacita metaphora colligendum nobis est, ita debere istos propter Christum ejusmodi mala perpeti, ut, quemadmodum superius est dictum, possint ea effugere, si Christum & ejus disciplinam contemnere aliqua ratione velint. Non contentus autem Christus mercedem isti labori proposuisse, addidit, eam esse multam, neque hoc contentus, addidit præterea, in cœlis illam esse futuram; ut videlicet, quemadmadum & superius fere ubique observavimus, ostendat, se merito pronunciasse istos esse beatos. Subjicit autem ad extremum quandam quasi rationem eorum, quæ modo dixit, inquiens:

Sic enim persequuti fuerunt prophetas, qui fuerant ante vos. Quod sane non admodum videtur accommodari recte posse ad proxime dictum, quod scilicet merces multa sit futura in cœlis, neque enim ullo pacto ex eo, quod prophetæ ejusmodi persequutiones passi fuerint, hinc sequitur, eos qui eas patiuntur, habere multam mercedem in cœlis. Quare necesse est, ut hæc ratio, ad substantiam quandam, ut sic dixerim, & summam ante dictorum referatur, quæ est, istos qui talia patiuntur, nihilominus, ut aliter humanæ rationi videri possit, esse tamen beatos, & gaudere illos atque exultare debere. Tunc enim recte fit accommodatio prædictæ rationis ad ante dicta: quandoquidem fieri non potest, ut Deus prophetas suos, quos charissimos habebat, permiserit grave aliquod malum subire, quod illis in multo majus bonum non vertatur, & quicquid sit, videtur debere quilibet verus Dei cultor vehementer lætari & beatum seipsum existimare, quod sibi illa contingant, quæ contigerunt, non sine Dei nutu ac providentia, ipsius Dei amicissimis hominibus. Est autem hic postremo animadvertendum, quam verum sit quod diximus, persequutionis nomine tria illa omnia posse intelligi, quamvis inter ipsa sit ipsum persecutionis nomen ipsaque persequutio; cum Christus persequendi simplici nomine, illa omnia significet, cum ait, *Sic enim persequuti sunt, &c.*

Cæterum animadvertendum est illud, quod Christus ait, *qui fuerunt ante vos*, & inde præsertim cum ea quæ sequuntur eandem occasionem præbeant, occasio nobis sumenda est inquirendi, ad quos proprie sua verba Christus dirigat, & ad quos tota Christi concio sequens pertineat. Sunt enim qui velint ad solos Apostolos, eorumque similes homines, id est, verbi Dei ministros, sequentia Christi præcepta ac monitiones spectare. Contra vero sunt, qui ad omnes qui Christi discpuli esse velint, totum Christi sermonem pertinere contendant. Est autem hæc quæstio magni sane momenti, ut sciat quilibet quomodo debeat se gerere, & quid faciendum ipsi sit si Christi præceptis obtemperare studet, sine quo-

rum observatione nulli æterna salus a Deo est proposita. Nam ut alia singularia multa omittamus, quanti interest cognoscere, an verba illa Christi, quæ proxime infra in hac concione habentur, *Primum quærite regnum Dei*, ad verbi Dei ministros tantum pertinent, an vero etiam ad reliquos Christianos, ibi enim & præceptum & promissum Christi habetur, quorum utrumque maximi momenti est, & si ad Christianos omnes utrumque pertineat, ostenditur necesse esse, ut quilibet nihil curet ea omnia, quæ pertinent ad victum & vestitum sibi parandum, nisi prius ac præcipue res divinas curet; immo debere quemque ita divina curare, ac si reliquorum nulla ipsi cura esse deberet, quippe quæ divina curanti a Deo dentur, non autem propria hominis cura comparentur. Rationes quæ movent eos, qui censent ad solos Apostolos Christum sermonem suum direxisse, sunt vel esse possunt satis multæ; sed nos pauciores quasdam recensebimus, initio facto ab ea, quam verbis istis, quæ postremo enarravimus, contineri paulo ante innuimus.

Ea est, quod ait Christus, prophetas fuisse ante illos ad quos loquitur, id quod videtur indicare, eos Christum fuisse alloquutum, qui populum Dei nomine docturi fuissent, quemadmodum prophetæ docebant, quos propterea ante illos fuisse dicat, quia in eodem munere populum docendi atque monendi eos præcesserant. Hæc ratio posset habere aliquid momenti, nisi duo illam vehementer labefactarent atque adeo infringerent. Unum est, quod adsunt, ut postmodum videbimus, nimis fortes rationes, quæ suadeant Christum ad omnes verba facere, qui illius discipuli esse velint. Alterum vero est, quod nihil cogit, vocem *ante* isto sensu accipere, ut scilicet denotet præcedens prophetarum munus simile muneri Apostolico, sive eorum qui verbum Dei ministrant. Potest enim vel simpliciter de anteriore tempore accipi, vel, si tamen velimus debere aliquam interim similitudinem esse inter eos, ad quos Christus sua verba dirigit, & prophetas, unde fiat ut hos illis præcessisse Christus dicat, potest similitudo in eo considerari, quod quemadmodum ii, quos Christus intelligit, immerito & sine ulla ipsorum culpa persequutionibus patiendis quodammodo destinati erant, sic etiam prophetæ, quamvis innocentissimi, persequutiones gravissimas passi fuerant. Prophetarum vero, pro eo tempore quod fuit sub Lege exemplum Christus tantum attulit; non quia prophetarum munus hac in re peculiariter aliquod momentum haberet, sed quod vix ulla alia exempla nota ac celebria extabant hominum, sub Vetere Testamento insigniter ab ipso populo & immerito vexatorum, præter exempla prophetarum. Alia ratio istius ejusdem sententiæ est, quod hic statim Dominus Jesus, eos, quos alloquitur, dicit esse sal terræ & lucem mundi; quæ metaphoræ vix ullis convenire posse videntur, preter eos, qui aliis præeunt, tanquam lux in tenebris, ad viam veritatis & salutis, vel certe aliis hominibus sapientia ac virtute longe præstant, quod proprium esse videtur eorum, qui reliquos instituendos suscipiunt. Hanc rationem id enervat, quod utraque ista & salis & lucis metaphora, invenitur in ipso Novo Testamento, accommodata etiam aliis, qui cæteris non præeunt. Paulus certe ad Philippenses scribens ait, eos vel esse, vel esse debere tanquam luminaria in mundo, prout verborum φαίνεσθε, quod legitur cap. 2. vers. 15, vel indicativo vel imperativo modo prolatum fuisse dicamus. Appellantur igitur, sive appellari possunt homines Christiani, quique vere Christi disciplinam complectuntur, *mundi lux*, propter ipsam vitæ sanctitatem, citra ullum alium alios docendi modum, ut ex prædicto Pauli loco satis liquet.

Vers. 16. Et Christus ipse in hoc ipso sermone id aperte indicat, cum ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Jam de salis metaphora, quæ iis etiam conveniat qui simplices sunt Christi discipuli, videtur id demonstrare, quod in ejusdem Christi sermone legitur, qui extat apud Lucam cap. 14 ad finem. Sic enim ibi legitur, Christum dixisse. Sic ergo omnis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Bonum est sal, si vero sal infatuatum fuerit, per quod condietur? Apparet enim satis aperte Christum unumquemq; ex suis discipulis similem sali facere, & consequenter docere, unumquemque ex ipsis posse metaphorice *sal* appellari. Et sane, quemadmodum veri Christi discipuli sua vita sancta aliis prælucent, unde lux mundi merito dici possunt; sic etiam & animum, & facta sua ejusmodi habent, ut videatur, illis non minus, quam sale dapes condiuntur, condiri reliquum humanum genus. Est & alia ratio pro sententia ista, quod Christus ad solos Apostolos verba sua dirigat, quam afferemus, non quia revera ea alicujus sit momenti, sed quia ab iis qui istam sententiam tuentur afferri solet, quod scilicet Matthæus diserte dicat in ipso capitis initio, Christi discipulos accessisse ad Christum, eumque illos ista docuisse, quæ in tota præsenti concione videlicet, leguntur: inquiunt enim isti, Discipulorum nomine debere intelligi Apostolos, alicubi enim id factum invenitur in Euangelica historia. Quam rationem propterea afferunt, quia alia sint indicia quæ illam confirment, satis animadvertentes ut arbitror, alioqui eam ipsam per se ac simpliciter, non magnum habituram momentum, cum nemo nesciat, Christi discipulorum nomine significari omnes qui Christi disciplinam amplectuntur, etiamsi alioquin nullum munus aliis eam tradendi ipsi suscipiant. Jam vero ad rationem istam, qualiscunque illa sit, respondemus, ubi discipulorum Christi nomine intelliguntur ipsi Apostoli, aliqua aut præcessisse aut subsequi, quæ id aperte declarare possint, unde licuerit Euangelistæ per excellentiam Apostolos simplici isto nomine discipulorum vocare. Nihil tale invenitur in loco nostro, immo cum nondum electionis Apostolorum mentionem ullam Euangelista fecisset, & sic secundum historiæ seriem nondum Apostoli ulli essent, nullo prorsus pacto potuit facer hic historicus simplici discipulorum Christi nomine, Apostolos intelligere. Adde, quod ad finem concionis ipse Euangelista satis declarat, cum ab ipsius initio dixit Christum docuisse suos discipulos, se discipulorum nomine omnes intellexisse, qui Christi doctrinam, ut inde aliquid docerentur, audiebant. Sic enim scribit ad finem capitis septimi: Erat enim docens eos ut potestatem habens, & non ut Scribæ. Primum enim relativum *Eos*, non potest referri nisi ad turbas proxime ante nominatas, quæ apud Græcos masculini sunt generis. Deinde oppositio illa Christi & Scribarum in docendi modo, satis demonstrat, eos, qui à Christo tunc docebantur, illos fuisse, quos Scribæ etiam docere solebant, id est promiscua plebs & populus. Qui comparatione facta inter Scribas suos ordinarios præceptores, & Jesum Nazarenum extraordinarium, interque illorum & hujus docendi, quod ad gravitatem & auctoritatem attinet, modum ac rationem, hunc nimirum illis longe anteponentes, vehementer mirabantur.

Est adhuc & alia ratio pro opinione prædicta, quod scilicet Christus ipse suis verbis satis ostendat se illos alloqui, qui alios docturi erant, cum versiculo 19 hujus capitis dicat, eum qui fecerit, & docuerit etiam minima præcepta legis, magnum vocatum iri in regno cælorum. Videtur igitur Christus ibi requirere, ut ii, ad quos verba sua dirigit, & faciant, & doceant; atqui hoc non potest convenire nisi iis, qui onus docendi habeant; igitur Christus verbi ministros tantum in sua illa concione alloquebatur. Ad hanc rationem respondendum est, particulam &, non semper eam vim habere, ut ea, quæ continentur verbis inter quæ est posita, simul omnino conjungat; sed tantum significare sæpe solere, de utroque idem statuendum esse, id videlicet quod vel ante vel post exprimitur, ita ut Christi verba ita accipienda sint, ut si quis sit cui tantum faciendi munus incumbat, isque mandata illa etiam minima fecerit, magnus sit futurus in regno cœlorum, & similiter si quis esset, qui muneri tantum docendi foret præpositus, is, si

mini-

minima etiam ista mandata doceret, posset merito magnus vocari in regno cœlorum. Verum, quia nemo talis est qui soli docendi muneri sit præpositus, & non simul debeat ipsa præcepta facere, propterea intelligendum est, utrumque quidem requiri in eo, qui utrumque munus habeat, ut scilicet & faciat & doceat, si velit magnus in regno cœlorum vocari; in eo vero, qui munus tantum faciendi habet, non nisi ipsum facere ad hoc ipsum consequendum requiri; quod tamen ex Christi verbis concludi non potest, nisi copulæ *Et*, ea vis esse posset, quam antea docuimus. Ex quo possumus concludere, non posse ex illis verbis ullo pacto colligi, auditores concionis Christi, ad quos ille verba sua dirigebat, ejusmodi fuisse, qui & facturi & docturi essent, sed tantum quod inter illos partim essent qui & facturi essent & docturi, partim vero qui munus tantum faciendi haberent. Potest autem hæc eadem ratio, quam refellimus, colligi etiam ex superioribus Christi verbis. *Qui vero solverit, & docuerit sic homines &c.* Cum enim ibi sit initium hujus Christi enunciati, ubi pronunciat quid futurum sit de iis, qui docuerint alios in iis, quæ pertinent ad minima etiam illa mandata, & diserte ab ipso sit facta mentio in ipsomet isto initio muneris docendi, videtur omnino statuendum, eum non loqui nisi cum illis, qui munus docendi homines essent habituri. Verum responsio prius allata, hic quoq; non tantum locum habet; sed multo apertius totam istam rationem dissolvit, cum ob vim illam, quam diximus solere esse copulativæ illius particulæ (unde etiam factum est, ut vulgo apud grammaticos, & alios quoque professores audiatur, *Et*, interdum poni pro *Aut*) possint Christi verba ita accipi, ac si dixisset: Qui ergo solverit, & qui docuerit sic homines; seu, Qui ergo solverit, aut docuerit sic homines. Et sane, in tali ratiuncula non erat tantum momenti ponendum, ut propterea negligerentur, vel confutatæ esse crederentur rationes, quæ contrariam sententiam plane demonstrant; de quibus jam est tempus ut aliquid dicamus, tametsi aliquot ex illis sint, quæ ex supra dictis non obscure colligi possint. Primum igitur considerandum est, ab omni verisimilitudine prorsus abesse, quod Christus, turba præsente atque audiente, sumpserit sibi docendos eos tantum, qui munus docendi alios habituri essent: &, si nihilominus id facere voluisset, quod Euangelista ejus rei verbis suis nullum indicium legenti dederit. Nam quod in ipso narrationis initio scripsit, Christum discipulos suos, qui ad ipsum accesserunt docuisse; hoc quamvis quibusdam, ut antea attigimus, aliter videatur, id nullo pacto indicat; cum quemadmodum ibi diximus, manifestum sit, discipulorum nomine omnes intelligi qui Christi disciplinam amplectuntur; ut alia omittamus, quæ supra à nobis exposita sunt, ut rationem, ex nomine discipulorum pro contraria parte ductam, dissolveremus; quæ tamen ejusmodi sunt, ut plane contra ex isto ipso nomine concludi possit, Christum nullo pacto eos solum docere voluisse, quibus alios docendi munus incumberet. Deinde, pro alia hujusce rei ratione, & pro hac posteriore sententia, quam nos verissimam esse arbitramur, considerandum est, nimis absurdum futurum, cum Euangelista nullam prorsus mentionem hactenus fecisset Apostolorum, seu aliorum, qui verbi Dei ministri futuri essent, à Christo ex numero suorum discipulorum nominatim selectorum, si is nihilominus, cum Christus sermonem suum habuisset ad ejusmodi homines, id silentio præteriisset, quantumvis verum esse posset, quod jam Apostoli & ministri isti à Christo electi fuissent, etiamsi ex ordine hujus ipsius narrationis Euangelicæ intelligatur, aut certe intelligi omnino videatur, eos postea fuisse electos, quod scilicet, ut aliquando evenire solet, sit narratione ὕστερον πρότερον, cum scilicet istud, videatur indicari ex Luca, qui electionis ipsorum Apostolorum mentionem, ante ejusmodi Christi sermonem, proxime fecerat; quantumvis, inquam, hoc ita se haberet (quod tamen nos nullo pacto credimus, præsertim cum censeamus, non eundem plane sermonem narrari apud utrumque Euangelistam) non tamen ex hoc ratio nostra infringeretur, neque absurditas ullo pacto tolleretur, quam ante diximus. Præterea, pro ejusdem sententiæ nostræ ratione, consideranda sunt Christi præcepta & monitiones, quæ in toto ipsius sermone continentur: nihil enim est ex omnibus illis, quod proprium omnino sit ministrorum verbi Dei, sed satis constat, si quis ea singulatim examinet, omnia omnium esse communia, qui Christi discipuli esse velint. Denique apertum est ex eo, quod Christus de præceptis ipsius decalogi legisque Mosaicæ verba facit, suaque præcepta ac monitiones ad illa magna ex parte accommodat, sive ipsa nuda Mosaica mandata intelligat, sive una cum eorum interpretationibus, à Scribis & Pharisæis populo obtrusis, eum in animo habuisse populum docere, cui & Lex Mosis data fuerat, & à Scribis & Pharisæis, ut dictum est, ejus per singulas partes, interpretatio proposita. Atque his paucis rationibus hoc in loco volumus esse contenti, ut ostendamus prædictam sententiam nostram, omnino veram esse, præsertim cum quædam alia supra indicata fuerint, quæ idem demonstrare videntur. Itaque jam ad ipsa Christi verba, quæ nondum attigimus, explicanda accedamus, in ejusque sermone explicando pergamus.

Vers. 13. Inquit igitur. *Vos estis sal terræ, sin autem sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* Videtur valde dignum consideratione, quod Christus statim ab ipso initio tacite monuerit, ne ii quos instituebat à suo officio deficerent, idque subobscure, & sub salis metaphora, cum nondum quidquam dixisset, quod ad eos instituendos proprie pertinere videatur, sed tantummodo pronunciasset, quinam beati sint censendi. Sed animadvertendum est, quod etiamsi id, quod Christus, admissa præter ipsam conclusionem superiore ratione, fecisset, non admodum sit consuetum, & non plane videatur ordine factum; tamen nihil vetat quominus, aliquantulum à communi usu recedens Christus, monitionem istam suam ab initio proposuerit, ut scilicet eo attentiores, & studiosiores suæ monitionis exequendæ, auditores redderet. Præsertim, cum metaphora illa salis interim animos illorum sibi conciliaverit, appellans illos sal terræ, quæ non exigua nec vulgaris ipsorum præstantiæ commendatio est. Verum præterea considerandum est, in iis, quæ præcesserunt, à Christo dictis, tacite contineri institutionem in rebus maximi momenti, eorum, quos docendos susceperat, & explicationem officii ipsorum. Quid enim est aliud appellare aliquos beatos, quam audientes instituere atque hortari, ut tales esse velint? Inter eos vero, quos beatos Christus pronunciavit, ii sunt, qui persequutiones patiuntur propter justitiam, & propter Christi nomen; idque ultimo loco, & quam proxime commemoratum fuit, ad quod admodum apte accommodari potest monitio hæc, de qua nunc agimus, ac si Christus dicere voluerit: Dixi istos beatos esse, & consequenter monui, ut nemo propter persequutiones ab ipsa justitia & à me deficere velit; ad quam rem præstandam, debet vel id discipulos meos impellere ac cogere, quod ipsi sont sal terræ, quod sal infatuaretur, si ipsi in persequutionibus fatiscerent, & suum officium desererent, quod admodum injuste & scelerate factum esset, ac si quis universum sal insipidum redderet, unde fieret, ut dapes omnes insipidæ & nihili redderentur, & ita similitudine hac inspecta, ipsi deficiendo caussa essent, ut tota terra, id est, universum humanum genus insipidum ac nihili redderetur: ac præterea, ut de rebus nullo sale conditis evenire solet, tandem corrumperetur ac putrefieret. Est autem hic considerandum, quod, ut quidam animadverterunt, sal nullo pacto potest insipidum reddi, quod quidem ego non ausim affirmare, sed philosophos & rerum usus apprime peritos affirmantes audivi, id sane fieri nullo pacto posse. Unde videri queat, Christi hanc metaphoram valde ineptam esse, præsertim cum addat: *Si sal insipidum factum fuerit, ad aliud nihil bonum esse, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Hæc enim verba ostendunt, vel certe ostendere videntur, istud

aliquando contingere solere. Ego vero, tota hac ratiocinatione non obstante, & nihilominus ut admittatur, nullo modo sal insipidum posse fieri, crediderim Christi metaphoram, & quidquid eam sequutus, hoc loco dicit, rectissime posse consistere, neque necessarium esse ad hoc, ne inepte Christus loquutus videatur, ut sal reipsa insipidum reddi possit, multoque minus, ut aliquando redditum fuerit. Satis enim ad metaphoram, sustinendam, & ea quæ ejus occasione hic dicuntur esse debet, quòd illa vera essent, quæ Christus affirmat consequutura, si ulla ratione fieri posset, ut sal insipidum redderetur, sive id reipsa fieri queat, factumque aliquando fuerit, sive minus. Potest enim, etiamsi id impossibile plane censeatur, unusquisque ex tali metaphora intelligere, quid Christus sibi velit, & summam absurditatem & injustitiam quandam animadvertere, quæ ex eo consequeretur, quòd ii, qui Christi disciplinam sunt amplexi, ab ea deficerent, vel si velimus ad ea etiam, quæ nondum expressa à Christo fuerant, ejus verba accommodare, frigidi aut etiam tepidi in officio Christiani hominis exequendo redderentur, non minùs, inquam, potest quilibet istud videre, si sal alioqui nullo pacto possit insipidum reddi, quàm si re ipsa possit. Rectè igitur Christus concludit, discipulos suos debere in officio suo quemque constanter permanere, cum alioqui, quando ipsi sunt tanquam sal terræ, idem eventurum esset ipsorum culpâ, quod eveniret, si sal insipidum redderetur, tam ratione eorundem & ipsorum, quàm ratione aliorum; & interim docet, quàm plane inutiles & digni omni contemptione essent futuri si tale scelus admitterent. Subjungit Christus

Vers. 14. *Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem sita, &c.* Alia metaphora excellenti ac perspicua monet Christus discipulos suos, ne suo officio desint; neve ullis hujus vitæ incommodis deterreantur quominus Christi nomen ejusque doctrinam profiteamur, & factis præstent. Vos enim estis lux mundi, vos, inquam, estis, qui tenebras humanæ ignorantiæ in re omnium maxima dispellere apti estis, utque id faciatis electi. Neque enim Christus in hunc tantùm finem quærit discipulos, atque ipsemet facit, ut ipsi, modò eum cognoscant, & per illum æternam salutem adipiscantur, sed etiam ut alios, & verbis, & factis suis, ab ignorantia rerum divinarum liberent, & in viam æternæ salutis deducant. Sed dicet aliquis; Quid ad hanc metaphoram pertinet id, quod sequitur statim post lucis mundi mentionem, quòd scilicet non possit urbs super montem posita abscondi? Dicendum est, aliam hanc esse metaphoram, non absimilem tamen priori, quatenus, quemadmodum lux ea res est quæ abscondi nequeat, sic etiam abscondi nequit civitas supra montem sita. Requirit enim Christus utraque hac metaphora, ut ejus discipuli apertè ac palam, id & re & sermone profiteantur, quod sunt, utque omnibus quales sint appareat, non minùs quàm lux & civitas supra montem posita, omnibus est conspicua. Quod si, ut diximus, hæc civitatis supra montem positæ commemoratio, alia metaphora est, necesse est ut concludamus, ejusmodi civitati Christi discipulos similes esse, id est, ad Christi discipulum constituendum, hoc etiam requiri, ut ejus sancti mores sanctaque doctrina cuncta appareant.

Vers. 15. Pergit Christus in hoc proposito, monendo discipulos suos, ut dent operam, quò eorum facta ipsius institutis sint consentanea, eorumque professio cunctis sit conspicua; & tertiam adhuc metaphoram addit accensæ lucernæ, quam non est cur quis fortasse existimet, esse eandem, cum metaphora lucis mundi. Est enim accensa lucerna a mundi luce res admodum diversa; & mundi quidem lux, quemadmodum & civitas supra montem posita, abscondi nullo pacto potest; unde fit, ut duæ istæ priores metaphoræ peculiarem habeant inter se, separatam à tertia ista convenientiam. Lucerna enim accensa, abscondi nihilominus potest; sed tamen cum id fieri non soleat, & propterea lucerna accendatur, ut luceat omnibus qui sint in domo, merito Christus tali metaphora, ad ostendendum cujusmodi sit munus discipulorum ejus, usus fuisse censeri debet; immo hæc metaphora, ad admonendos eos de suo officio aliquanto etiam aptior quam duæ priores videri potest, propter id ipsum quod diximus, lucem & civitatem abscondi non posse, lucernam vero accensam posse; monitio enim videtur semper pro concesso sumere id, quod ipsa continet, esse ejusmodi, quod possit fieri & non fieri; & propterea is, qui admonetur, debeat ipsi monitioni valde attendere, ne forte aliter se gerat ac debet, cum scilicet possit, nisi sibi caveat, minime suum officium facere. Accommodatissima igitur est metaphora seu similitudo ista tertia, ut Christi discipuli moneantur, quamvis latere possint & seipsos abscondere, qemadmodum accensam lucernam abscondere quis potest, tamen id ab istis non plus debere fieri, quam debeat lucerna accensa in eum finem, ut lucem præbeat toti domui, abscondi & sub modio poni, nec minus quam hoc illud absurdum futurum. Hic vero antequam ulterius progrediamur, animadvertendum est, proprie loquendo, primam solam ex istis tribus esse revera metaphoram; diserte enim ait Christus, suos discipulos esse mundi lucem, quod non facit in reliquis duabus: neque enim dicit, illos esse civitatem super montem positam, nec lucernam in domo accensam, unde fit, ut istæ reliquæ duæ, proprie loquendo, potius similitudines quam metaphoræ sint appelandæ, cum Christi verba ita videantur accipienda, ac si dixisset: Quemadmodum nec civitas in monte sita abscondi potest, nec lucerna in domo accensa abscondi solet; sic vos mei discipuli, debetis censere tales vos esse, ac si abscondi nequeatis, aut si tamen potestis, non debeatis. Non nego tamen, cum neque verbum substantivum, ex quo vel tacito vel expresso fit, ut id, quod alioqui esset metaphora sit similitudo, expressum omnino fuerit, posse quem, si velit, ita etiam Christi verba accipere, ac si dixisset: vos estis civitas supra montem posita, quæ abscondi nequit, &, Vos estis lucerna in domo accensa, quæ abscondi non solet, nec debet, ita ut nihilominus utraque ista sit metaphora; mihi tamen plus probatur, ut utraque sit similitudo, eo pacto explicata quo jam dictum est. Christi sequentia verba, quibus scopus monitionis ipsius continetur, videntur id confirmare, quod diximus, tertiam istam similitudinem, seu metaphoram, maxime Christi proposito, ejusque monitioni accommodatam fuisse, cum illis non videatur contineri relatio nisi ad istam tertiam, ut docet verbum istud lucendi, quod est, in verbis istis, quemadmodum & in ista tertia similitudine. Dixerat enim, *sed ponunt super candelabrum, & lucet omnibus qui sunt in domo*, & statim verba ista subjungens ait

Vers. 16. *Sic luceat lux vestra &c.* Nam verbum *lux*, non habet relationem ad illam primam metaphoram, in qua Christi discipuli lux mundi appellantur, sed ut dictum est, & propter idem verbum lucendi, quod in tertia est & non in prima, & propter ipsam sermonis connexionem, ipsum hoc verbum lucis, in verbis de quibus agimus positum, solum ad tertiam respectum habet. Quod vel ex eo confirmatur, quod aliud est, esse ipsam lucem, quemadmodum appellati sunt discipuli Christi in prima metaphora, & aliud, esse id unde lux proficiscatur, ut est lucerna, quæ non ipsa est lux, sed inde lux prodit. Nam in verbis de quibus agimus, non minus quam inter lucem, & lucernam ex qua lux prodit, distinguit Christus inter discipulos, & lucem illorum, quæ videlicet ab ipsis proficiscitur, inquit enim: *Lux vestra.* Jubet igitur Christus, ut lux quæ proficiscitur à suis discipulis, si veri ipsius discipuli sint, se conspicuam omnibus præbeat. Quid autem sit lux ista, seu quid potissimum significet, videntur statim declarare sequentia verba, *ut*, inquit, *videant vestra bona opera.* Itaque potissimum videtur Christus hic loqui de luce bonorum operum, quamvis alioqui verbum lucis, sit accommodatissimum ad significandum lumen quod

prodit

prodit ex Euangelica doctrina, cujus rei expressius judicio meo Christus hic mentionem fecisset, si eos, vel tantum, vel præcipue voluisset alloqui, qui Euangelicam doctrinam essent professuri; sed quia sine dubio istius docendi muneris, quamvis aliquam in sermone hoc toto suo, non tamen vel solam vel præcipuam rationem habuit, idcirco diserte bonorum duntaxat operum mentionem fecit. Nam si quis dicat, posse etiam, & quidem meritissimo, vocari bonum opus ipsam Euangelii annunciationem, ut alia omittantur quæ ad hoc respondere possent, satis videtur considerandum proponere, quod Christus pro concesso sumit, bona ista opera, de quibus hoc loco verba facit, esse ejusmodi, ut eorum bonitas hominibus ea videntibus appareat. Hoc autem evenit quidem in ipsis bonis factis & virtuti consentaneis, qualia sunt verorum discipulorum Christi, ita ut ipsimet infideles atque impii homines, si seipsos interioremque mentem suam consulant, fateri cogantur, ea esse bona, quantumvis propter incommodum quod inde sentiunt, præsertim ob id quod vita sanctorum hominum, ipsorum malam vitam mirifice in apertum prodit atque reprehendit, ea alioquin summo odio prosequantur, id quod non ita evenit in ipsa doctrina, quæ aliquot partes habet, non proprie ad ea facta pertinentes, de quibus inter homines constat, sint nec ne bona: immo non parum continet, quæ optima licet ac præstantissima, tamen ab hominibus male doctis atque institutis possunt pessima ac deterrima censeri, & porro vulgo censeantur. Quod si quis tamen velit, nihilominus ab istis bonis operibus, quæ hic Christus commemorat, non plane excludi patefactionem cœlestis doctrinæ, & ejus, quam maxime fieri possit, promotionem, modo concedat, non de hoc bono opere, sed de aliis potissimum ac præcipue Christum loquutum fuisse, non multum pugnabo, præsertim cum ejus sim sententiæ, quæ & rationibus & exemplis ex Sacra Historia petitis confirmari potest, ut debeat unusquisque, quantumvis privatus & nullo munere in ecclesia fungens, Christi discipulus, veritatem Euangelicæ doctrinæ privata prædicatione, ubicumque ejus rei se occasio offert & spes aliquid boni faciendi, promovere ac propagare. Attulit Christus caussam, cur velit lucem discipulorum suorum lucere coram hominibus, quæ est, ut videant bona opera ipsorum, quo facto statim subjicit:

Et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Id quod, si ipsa verborum connexio, & vis pervulgata copulativæ particulæ attendatur, videtur esse altera pars prædictæ rationis, sed tamen re diligentius inspecta, videtur mihi omnino sentiendum, non quidem alteram partem prædictæ rationis hoc esse, sed caussam ipsius rationis seu caussæ, ut illam ab initio appellavimus, ut scilicet hic Christus rationem reddat, cur velit suorum discipulorum bona opera ab hominibus conspici, ex quo sequitur (quod etiam verissimum est, & propterea hanc nostram interpretationem vehementer confirmat) non per se quæsitum à Christo fuisse, aut quæri, ut bona opera suorum discipulorum videat esse nota hominibus, sed propter aliud, id est, ut inde pater cœlestis glorificetur. Et sane gloria ipsius Dei videtur esse omnium rerum caussa, quas Deus vel per Christum, vel alia ratione, aut fecit, aut præcepit, facturusve aliquando sit: unde etiam præter multas scripturæ sententias, quæ hoc adversus multorum opinionem confirmare videntur, habemus dictum illud Salomonis Proverb. 16. *Omnia facit Jehova propter seipsum*, qua de re latius disputandi (est enim materia valde ampla, ac difficilis) non est hic locus: tantum quærendum nobis est, quo sensu Christus potuit dicere, glorificatum iri Deum ab hominibus, ubi viderint bona opera ipsius Christi discipulorum. Videtur autem ad duo capita potissimum posse redigi, quidquid hujus glorificationis patris cœlestis nomine hoc loco intellexit Christus. Nam si diligenter consideretur, quid huc pertinens possint efficere bona opera Christianorum, ab aliis hominibus animadversa, apparebit ni fallor id esse, vel agnitionem ipsius Dei virtutum, ut sic loquamur, & sui ipsius coram ipso Deo demissionem, vel imitationem eorundem bonorum operum, quibus præstandis, cum ea à Deo fuerint jussa, necessario divinorum præceptorum obedientia, & porro ipsius Dei glorificatio continetur. Jam vero, ut quod prius ex istis duobus capitibus complectitur latius explicemus, dicimus, quod cum Christianorum bona opera animadvertuntur, quæ satis constat Deo primo autore primaque caussa esse facta, & quam illa omnia aliorum hominum quantumvis egregia facta, præstantiâ suâ, quatenus ad virtutem referri possunt, longissime superent: hinc datur cognosci, quantopere sapientia & beneficentia Dei omnem sapientiam humanam excedat, & omnem spem, quam de Dei erga homines bonitate, quis alioqui concipere potuisset, longe superet; quandoquidem non potest cognosci & animadverti, quomodo Deus sit primus auctor, & caussa talium bonorum operum, quin una cum summa & ineffabili Dei sapientia, qui novit modum invenire homines sanctos reddendi, id quod nulla humana cura unquam, nisi minima ex parte, efficere potuit, appareat ejusdem Dei erga humanum genus inexplicabilis bonitas ac beneficentia, quibus homines alioqui, ut cæteri sunt, fragiles & ad peccandum proclives, eo adduxerit, ut sancti atque inculpati præ cæteris jure dici possint, immo qui eas virtutes habeant, quæ ipsam humanam conditionem superare videntur, & angelicum quippiam & divinum omnino sapere. Nam quod talia sint ea bona facta, quæ propria Christi discipulorum sunt, quæque eos ab aliis hominibus, cujuscumque sectæ alterius aut religionis tandem sint, non modo ab iis qui nulla religione tenentur, aperte ac manifeste distinguunt, inferius, Deo volente, una cum ipsis Christi præceptis videbimus, & clare intelligemus.

Hactenus habuimus quoddam quasi præludium ejus sermonis, quem Christus habere statuerat, seu quandam, ad illum attentius audiendum, suorum discipulorum præparationem; quamquam maxima hujus præparationis pars, ubi scilicet pronunciatur quinam sint beati, potest videri quodammodo ex accidente continere summam quandam ipsius sermonis. Nam si quis velit diligenter examinare, quinam sint ii, quos Christus sic beatos pronunciat, & quale sit unumquodque nomen, quo singuli appellantur, quicquidve ad illos significandos Christus dixit, facile inveniet contineri ibi omnia quæ Christus postea in ipso sermone latius atque uberius, & sub alia forma alioque ordine exposuit. Nunc vero, usque ad versiculum 21, & sic per quatuor integros versiculos, habituri sumus exordium proprium & peculiare ipsius sermonis; quod exordium, partim tacite, partim expresse hæc duo breviter continet; Christum constituisse, veram ac perpetuam divinam legem populum docere, quod est alterum ex prædictis duobus, quodque non expresse, sed tacite ex ipsius Christi verbis colligitur. Alterum est, quod Christus nihilominus, ista sua veræ atque æternæ divinæ legis doctrina proponenda, ipsam legem per Mosen datam non sit abrogaturus, sed eam impleturus; quod quid sit, postea videbimus. Quid contineat exordium istud, summatim ad hunc modum exposito, videtur, antequam verba ipsa Christi explanare aggrediamus, de eo agendum; an Christus, doctrina ista veræ atque æternæ legis divinæ proponenda, id tandem efficere voluerit, ut falsæ legis Mosaicæ interpretationes abolerentur, & verus sensus ejus legis appareret, & in usum revocaretur; an vero aliud quippiam inducere in Dei populum voluerit, ab ipso populo præstandum. Sunt enim hac de re, tres præcipuæ opiniones. Una est, quod Christus nihil aliud efficere voluerit, quam id, quod priore loco commemoravimus: Relique duæ in eo consentiunt quidem quod posteriore loco commemoravimus, sed

non eodem modo illud intelligunt. Nam una vult, ea quæ à Christo addita legi Mosaicæ fuerunt, maxima ex parte ejusmodi esse, quæ quidem singuli ex populo præstare debeant: sed non tamen simpliciter atque absolute, sed tum demum, si velint esse perfecti, & propterea ista, non præcepta simpliciter appellare solet, sed potius consilia. Altera vero omnino statuit, ista à Christo legi Mosaicæ addita, ejusmodi esse, ut quilibet qui verus Christi discipulus esse velit, ea præstare omnino debeat. Prima ex istis tribus opinionibus, vulgo recepta est ab iis, qui à Romana ecclesia deficientes, Euangelici appellari solent. Altera est ipsius Romanæ Ecclesiæ. Tertia vero reliquorum, qui in Latina, quam vocant, Ecclesia, Romanæ ecclesiæ non adhærent. Nam quid Ecclesia Græca, & aliæ similes, hac de re statuunt, mihi nondum liquet. Nos porro, tertiam plane amplectimur, nec videmus quomodo utracumque ex reliquis duabus sustineri possit. Quod enim ad primam attinet, vel istud ipsum, quod appellavimus Christi sermonis exordium, eam abunde refellit, si quis illud recte intelligat, & vim quorundam Christi verborum diligenter animadvertat; quemadmodum apparebit, ubi verba ipsa explanaverimus. Sed præterea opinio ista ab ipso Christi sermone aperte quodammodo refutatur, cum Christus ab initio sua dicta ipsismet puris ac putis Masaicæ legis verbis sæpe opponat, eaque suis dictis complectatur, quæ in ipsa Mosaica lege contenta non fuisse, nec contineri, quisquis facile animadvertere potest, id quod similiter verissimum esse apparebit, in explanatione ipsius Christi sermonis. Secunda porro opinio, quæ plane ortum suum à carne, ut ita loquar, habuisse videtur, nullo prorsus fundamento nititur, cum expresse Christus pronunciet, eos qui ea non fecerint, quæ ipse addit Mosaicæ legi, vel punitum iri, vel mercedem, quam ipse discipulis suis proponit, non accepturos. Verum nihilominus carnales isti homines, & quibus durum erat nimis, nova ista Christi præcepta præstare, adversus ipsiusmet Christi verba, quod ille aperte præcipit, consilium ausi sunt esse dicere. Nam ita ut dicimus rem omnino se habere, postmodum Deo volente apparebit. Jam igitur, ad verba ipsius Christi explananda, accedamus.

Vers. 17. Cum igitur Christus statim dicat: *Ne putetis quod venerim solvere legem, aut prophetas*, satis intelligi ex hoc loquendi modo possunt illa duo, quæ summam fecimus hujus ipsius exordii. Nam cur alioquin diceret ac moneret, ne putent se venisse, ut solveret Legem & Prophetas, nisi in animo haberet, legem aliquam & doctrinam populo proponere, & ad id faciendum se venisse profiteri? quomodo etiam potuisset dicere, se non venisse ad solvendam Legem & Prophetas, nisi hoc revera ita se haberet, quamvis alioqui prima fronte potuisset videri, ipsum nihilominus, ut ista dicat, doctrina sua Legem solvere; cum tamen ea, quæ solutio Legis videretur, non solutio revera, sed impletio esset? Unde ipsemet statim subjicit. *Non veni solvere, sed implere.* Facit mentionem Christus, & Legis, & Prophetarum, quamvis alioqui solo Legis nomine Prophetæ etiam ipsi intelligi soleant, quemadmodum præter alia testimonia videtur aperte colligi ex mox sequentibus verbis, in quibus Christus solius Legis mentionem facit, cum tamen verisimile admodum sit, eum verbis istis, plane respondere iis quæ antea dixerat, in quibus, ut dictum est, non Legem tantum, sed Prophetas quoque nominaverat. Prophetarum vero nominatim Christus ab initio mentionem fecit, ut arbitror, propter hanc caussam, quod etiam apud Prophetas multa continentur, quæ pertinent ad Dei legem & ad præcepta ipsa divina, quamvis verisimile sit, ut Judæi vulgo credunt in prophetis, quod ad præcepta divina attinet, nihil revera contineri, quod præceptis ipsis Mosaicis non contineatur; & Prophetas, interpretes & explanatores quosdam, quod huc pertinet, fuisse Mosaicæ legis: quos tamen, præcipue quatenus pertinebat ad præcepta Dei, non recipiebant non pauci ex ipsis Judæis, ii videlicet qui Saducæi vocabantur; hodieque sunt inter Judæos, qui idem sentiunt. Voluit igitur Christus hac ratione indicare, se cum Saducæis non facere, id quod pertinebat ad populi benevolentiam captandam, aut certe odium hac in re vitandum, cum populus Pharisæis, qui prorsus & hac in re & in aliis multis Saducæis adversabantur, plurimum esset addictus. Cum igitur Christus viderat ea, quæ mox docturus foret, ejusmodi esse, ut videri posset abrogare ea, quæ circa præcepta apud Mosen & prophetas scripta invenirentur, quod tamen non ita erat, præmunit sese & doctrinam suam hac protestatione, quod Legem aut Prophetas soluturus non venerit, sed impleturus. Facile ab omnibus intellectum fuit, & in eo fere consensum, quid sit ista Legis & Prophetarum solutio, quam Christus à se removet; nempe quod sit, ut diximus, istorum, quod ad præcepta attinet, abrogatio. Sed quid impletio ista sit, ut diximus, non perinde inter omnes convenit. Nos illis omnino adhæremus, quamvis eos non adeo multos, præsertim inter recentiores, esse credamus, qui statuunt, impletionem istam potissimum significare perfectionem & absolutionem, metaphorâ ductâ à vase aliquo, seu modio, aut simili aliqua mensura, quæ contineat quidem multum ejus, quod in illam injici solet, sed tamen nondum sit plena, nec suum complementum habeat. Ut autem melius impletionem istam, quam hic Christus intelligit, percipiamus, animadvertendum est, quamvis legis simpliciter mentio hic facta fuerit, nosque similiter præceptorum divinorum simpliciter mentionem fecerimus, vocabulum quodammodo Legis explanantes, tamen hic non debere intelligi ullam aliam Legis partem, ulla, ve alia ejus præcepta, præter ea quæ ad mores pertinent, quemadmodum, si quis diligenter inspiciat, evenit sæpius & in aliis Novi Testamenti locis. Nam Christus certe in sermone suo, nullorum aliorum præceptorum mentionem facturus erat, nisi eorum quæ ad mores pertinent, qualibus à se datis, nulla ex parte abrogaturus, sed tantummodo perfecturus & absoluturus erat moralia præcepta Mosis, ut deinde singulatim Christi præcepta examinando observabimus ac docebimus. Itaque profitetur in suis verbis Christus, quicquid in lege Mosis ac prophetis continetur ad ipsos mores pertinens, quod quidem præcepti omnino vim habeat, à se nullo pacto abrogatum iri, id est, illud totum integrum ex sua ipsius doctrina permansurum, sed tantummodo aliquid se amplius dicturum, quod ad perfectionem & absolutionem ejusmodi præceptorum pertineat. Quæ hic ab aliis dicuntur, de impletione Legis & Prophetarum per Christum facta, quatenus per ipsum Legi Dei perfecte satisfactum fuit, eique plenissime obtemperatum, & Prophetarum prædictiones fuerunt impletæ, id est ad suum exitum perductæ, non multum ad rem facere nobis hoc quidem in loco videtur, quamvis in mox sequentibus verbis, possit merito credi, illum ex parte ista intellexisse, ut statim explicabimus. Inquit enim:

Vers. 18. *Amen amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, jota unum, aut unus apex non transibit à lege, donec omnia fiant.* Sunt verba ista sane perdifficilia, &, nisi me memoria fallit, plurimum negotii explanatoribus facessunt; nec spero me posse perfectum eorum sensum explicare, dicam tamen quod in præsentia mihi succurrit. Primum igitur statuo, ut dictum ante fuit, simplici Legis nomine Prophetas quoque hoc loco intelligi, sed tamen ita non intelligantur prophetæ, nisi quatenus aliquid dicunt ad præcepta moralia pertinens, vel saltem, quod ad præcepta attinet, non autem, quod pertinet ad prædictiones. Nihil enim videntur ad propositum Christi facere Prophetarum prædictiones, de quibus videlicet non posset ambigi, propter sermonem quem Christus habiturus erat, quod ipse eas soluturus fuisset. De præceptis igitur omnino, sive moralibus

ibus tantum, sive omnibus intelligendum est, quicquid Christus legem hic nominans intelligit, & statuendum Christum affirmare, non fore, ut quicquam vel minimum pereat, id est, abrogetur ex præceptis Mosaicis & aliorum Prophetarum, donec omnia fiant. Quæ enunciatio, potest prima fronte vide.i significare, nunquam futurum ut quidquam eorum, quæ dicta sunt, abrogetur, quando videlicet nec futurum similiter unquam videatur, ut ista omnia fiant. Prima quidem facie, ut dixi, possunt Christi verba videri hanc significationem habere, & verisimile est, Christum ipsum voluisse, ut in hunc sensum ipsius verba ab auditoribus acciperentur, cum tamen interim alius sensus subesset, & verissimus, & ejusmodi, ut Christum postea nihil non verissimum affirmasse appareret. Is autem sensus est, quod non prius futura esset abrogatio ulla præceptorum illorum, quam illis plenissima aliqua ratione obtemperatum fuisset, nempe ab aliquo homine præstitum perfecte vel minimum præceptorum istorum, id quod ab ipso Christo factum sine dubio est, dum hic in terris ageret, quo facto & ipso in cœlos sublato, tum demum, & non antea abrogatio facta est non paucorum ex illis præceptis, nempe ceremonialium omnium, & judicialium. Hinc fit, ut quamvis in prioribus hujus loci verbis jam recitatis, Christus nomine Legis & Prophetarum, sine dubio, moralia tantum præcepta intellexerit: in posterioribus tamen, magis probandum videatur, illum omnia prorsus præcepta intellexisse. Jam istius rei, quod verba sacra non unum tantum sensum habeant, quamvis alium alio, vel magis ipsis verbis convenientem, vel magis præcipue à Spiritu Sancto intellectum, complura sunt exempla in Literis Sacris, præsertim ubi aliqua prædictio contineatur, quemadmodum hic fit; immo similis plane loqutionis cum ista forma aliquid negandi, donec quippiam fiat aut non fiat, cum ejusmodi duplici sensu; habemus exemplum apud Jobum cap. 14. 12, ubi legitur, Hominem, postquam occubuerit, non resurrecturum, donec non erunt cœli. Nam istis verbis, videtur significari, hominem, postquam mortuus fuerit, nunquam vitæ restitutum iri: Nam hoc est, quod maxime ad propositum Jobi ibi loquentis facit. Videtur enim, & ita, ut verisimile est, Jobi tempore passim credebatur, quod & hodie à quibusdam, religionem ipsam Christianam profitentibus, creditur, cœlos nunquam desituros, & fortasse hodie plerique existimant, Jobi sententiam istam nullum alium sensum continere, nisi quod homines, ubi mortui fuerint, ex ipsius rei natura, in æternum non resurgunt. Mihi tamen, qui una cum aliis non paucis credo, hos cœlos quos videmus aliquando desituros, multo magis probatur ut dicamus, verum ac præcipuum Spiritus Sancti eo in loco sensum esse, quod postquam cœli esse desierint, id est, jam desituri erunt, tum demum, neque ullo modo antea fiet, ut homines à morte in vitam revocentur. Considerate igitur, quam sit similis locus iste huic nostro, & quam interpretatio, quam hujus nostri attulimus, probanda videatur, ut scilicet is sensus, quem prima fronte verba ipsa præ se ferunt, quique Christi proposito magis convenire videatur, non sit tamen is quem præcipue Spiritus Sanctus intelligit, sed alius sensus subsit magis secundum veritatem probandus, & quem potissimum Spiritus Sanctus intelligat. Nam quemadmodum ibi non est verus prior ille sensus, unde concluditur cœlos nunquam desituros, & propterea nec homines unquam resurrecturos, sic in loco nostro prior sensus, quod nullum jota neque apex Legis periturus sit, quia videlicet fieri nequeat, ut omnia fiant quæ sunt scripta in Lege, non est simpliciter verus, cum veritas habeat, fore aliquando, habita ratione temporis quo hæc dicta sunt, (nam id mox factum est) ut quæcumque sunt in Lege scripta omnino fiant. Ut enim antea diximus, Christus ipse, qui hæc dicebat, totam Legem perfectissime servavit, quamvis, ut aliquando inveniretur qui id faceret, impossibile esse videretur: quemadmodum impossibile tempore Jobi videbatur, & nunc etiam videri potest, ut cœli esse aliquando desinant. Quod si aliquis dicat, hunc sensum, quem in Christi verbis præcipuum esse dicimus, cum non recte ad Christi propositum videatur accommodari posse, non esse admittendum, ob id vero non posse accommodari, quod ex eo sequitur, Mosis Legem ex aliqua parte aliquando abrogatum iri, Christi autem propositum sit, firmitatem ac durationem Legis Mosaicæ ostendere. Respondemus, satis ad propositum Christi facere, si dicat, tantam esse præstantiam ac firmitatem totius Legis Mosaicæ, ut nihil quantumvis minimum illic scriptum abrogari debeat, donec inventus fuerit, qui quicquid in ea scriptum est exactissime servaverit: nec quicquam absurditatis continet, quod Christus interea suis verbis voluerit aliud præ se ferre, & ita loquutus fuerit, ut non eo ipso tempore, quo loquebatur, sed postea tempore suo intelligeretur, quid ipse istis suis verbis sibi voluisset: alias enim idem contingit in ipsis ejusdem Christi verbis, & quidem in iis, quæ habebat ad suos ipsius Apostolos, quibus, ut peculiaribus amicis suis, omnia quæ sciret se patefacere profitebatur, quid mirum igitur, si idem hic evenerit, ubi omnes alloquebatur qui ipsius doctrinam amplecti vellent, & ipsam turbam, ut ex verbis Euangelistæ ad finem sermonis Christi scriptis, de quibus antea sermonem fecimus, aperte constat, docebat atque instituebat?

Jam quid sibi velint verba illa, *Jota unum, aut unus apex*, non est difficile percipere, &, ni fallor, à plerisque id perceptum est. Omissis igitur vanis commentis quorundam hominum, & sequentes eam explanationem, quæ obvia atque in promptu est, dicimus jota significare literam jod alphabeti Hebraici, quæ litera est & omnium aliarum minima, & sæpe ejusmodi quæ non proferatur licet scribatur, ac propterea supervacanea sæpius videri possit. Apex vero est nomen, quo, nisi una cum aliis fallimur, puncta, quæ vocant, & accentus fortasse significantur, quibus literæ & verba apud Hebræos ad ea recte proferenda insigniuntur; unde videtur colligi posse id, de quo nonnulli, ni fallor, ambigunt, jam ipso Christi tempore, cum apicibus istis solitum fuisse scribi Mosaicam legem: non quidem necessario, in omnibus ejus exemplis; cum satis sit, si id fieret in codicibus, qui publice asservarentur in Ecclesiæ usum, quemadmodum non pauci affirmant; qua de re, non est, cur hic diligentius inquiramus. Nobis enim satis est, ex isto loquendi modo intelligere, Christum dicere voluisse, nihil vel minimum abrogatum iri legis Mosaicæ, donec &c. Quemadmodum & litera jod, & apices illi sunt quid minimum in ipsa Legis scriptura. Ex hoc, quod Christus affirmavit de firmitate & duratione præceptorum legis Mosaicæ, infert ipsemet, quod nulli homini liceat vel minimum ex Mosaicis præceptis solvere, id est, tanquam id abrogatum esset, de eo non curare, & ne alii curent efficere, inquit enim

Vers. 19. *Qui igitur solverit unum ex istis mandatis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Quæ sententia, si ad moralia tantum præcepta referatur, est absolutissime & perpetuo vera, & jam dictum est, Christum ab initio, cum dixit se non venisse ut Legem aut Prophetas solveret, moralia præcepta, quæ in Lege ac Prophetis continentur, intellexisse, quod adeo verum est, judicio quidem nostro, ut si quis verborum illorum proxime à nobis explanatorum, *donec omnia fiant*, meliorem fortasse aliquem sensum, quam eum, quem ipsi attulimus, afferre queat, & ostendere, quomodo verum sit, ipsa moralia præcepta Legis Mosaicæ non desitura, donec omnia fiant, facile simus concessuri, in illis etiam verbis Christum, de moralibus tantum Legis præceptis egisse. Posset vero is sensus ejusmodi esse, ut Christus velit dicere, nullum ex moralibus quantumvis minimum Mosis præceptis desiturum, id est, abrogatum iri, ni prius omnia fiant, id est, nisi prius

prius ejusmodi hominum conditio & reformata natura sit, ut omnia præcepta Mosis absolutissime impleant, quod cum utrumque reipsa non sit futurum, nisi hoc ipso seculo desinente, propterea idem fuisse ac si Christus diceret: Nunquam durante hoc seculo quicquam ex lege Mosis abrogatum iri. Quem sensum suadere videntur verba illa, à nobis nondum nominatim explicata, donec transieret cœlum & terra. Quæ ideo supra nominatim ac diserte non explicuimus, quia illa ita accepimus, ac si Christus dixisset, *Nunquam*, & secundum eum sensum, quem supra sequuti sumus, dicere voluerit, nunquam futurum, ut quidquam pereat ex Lege Mosis, donec omnia fiant, seu ipsa verba diligentius explicando, & iis magis adhærendo, potius futurum ut cœlum & terra transeat, quam ut minimum quid ex Lege Mosis pereat. Sed jam ad propositum revertamur, & concludamus, quiquid de Christi proximis verbis statuendum sit, hæc quæ nunc præ manibus habemus, propter id, quod jam à nobis est expositum, ad sola moralia Mosis præcepta referri posse, quod nobis, ut fiat, admodum probatur.

Putamus autem, in illis verbis: *Minimus vocabitur in regno cælorum*, esse figuratum loquendi modum, & vocem *minimus*, idem hic valere, quod *nullus*. Sic vero loquutum fuisse Christum, ut alluderet ad eandem vocem *minimi*, quæ præceptis in hac verborum comprehensione addita fuerat. Constituto à Christo, quod qui minimum ex præceptis moralibus Mosis omittendum esse dixerit, aut etiam docuerit, nullus erit in regno cælorum, id est, in regno Dei nullum habiturus sit locum: subjicit, quid contra eventurum sit ei, qui ejusmodi præcepta fecerit, aut docuerit, pronunciat enim istum magnum vocatum iri in cœlorum regno. Ubi primum animadvertendum est, non esse Christi verba ita accipienda, ut plane sonant, ut scilicet is, qui & faciat & doceat minima præcepta Mosis, & quidem ipsa moralia, sit futurus magnus in cœlorum regno. Sed intelligendum est Christum velle dicere, eum futurum magnum in cœlorum regno, qui ita & faciat & doceat Mosis præcepta, ut nullum, ne minimum quidem, relinquat.

De illis porro verbis *fecerit & docuerit*, quemadmodum & de superioribus illis, *Qui solverit, & sic docuerit homines*, quo sensu sint accipienda, dictum est satis antea, tantum de verbo Vocandi, de quo antea similiter loquuti sumus, possumus hic notare, quod fortasse unus est hic locus inter alios, ubi locum habeat phrasis illa Hebraica, quod Vocari significet esse, tam in prioribus quam in posterioribus Christi verbis. Verumtamen videtur nihilominus hic quoque improprietas aliqua isto verbo Vocandi indicari. Et sane in prioribus verbis *minimus vocabitur* &c, negari non potest improprietatem aliquam ibi esse, vel propter id, quod antea diximus, nomen Minimi, nullum hoc loco declarare, & sic minus proprie accipi. Sed in posterioribus quoque verbis, propterea improprietas aliqua animadverti potest, quia revera, qui & fecerit, & docuerit, si modo ita conjunctim ista duo verba accipienda essent, etiam minima moralia Mosis præcepta, habiturus est quidem omnino partem in cœlorum regno, sed quod propterea, proprie loquendo, magnus sit in eo regno futurus, non videtur affirmari posse, cum, ut quidem ego arbitror, ista observatio præceptorum Mosis non sit ita intelligenda, ut nulla ne minima quidem ex parte unquam aberretur. Apparet enim Christum de ea re loqui, non modo quæ fieri aliquo modo possit, id est, non sit plane ac penitus impossibilis, sed quam fieri contingat. Non contingit autem, ut quis & docendo & faciendo, quod attinet ad præcepta Legis, nullum, ne minimum quidem errorem committat. Quare videtur omnino statuendum esse, vocem Magni, à Christo eo sensu pronunciatam fuisse, ut plane opponatur vero sensui, à nobis antea expresso, vocis Minimi, & Christum, non minus in posterioribus suis verbis, quam in prioribus, figurate loqui voluisse, ut recte ac concinne omnia inter se consentanea essent, quando elegans illa allusio ad vocem Minimi, præceptis adjuncta, eum induxerat, ut in prioribus figurate loqueretur. Pergit Christus confirmare, & aliquanto apertius explicare, quæ modo dixit, monens, ne quisquam sit, qui vel ipse faciendo, vel alios docendo omittat aut spernat, vel minimum ex præceptis Mosaicis, & ait.

Vers. 20. *Dico enim vobis, quod nisi abundaverit justitia vestra, plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Potuisset enim aliquis secum cogitare, Et quid iste jubet ut fiat? Curve tantopere urget, ut ne minimum quidem Legis divinæ mandatum omittatur, sive in faciendo, sive in docendo, cum videamus eos qui nobis præeunt, viros præstantissimos cum eruditione tum vitæ sanctimonia, aliqua tamen ex divinæ Legis præceptis, & quidem non ex minimis, non ita servare, ut plane verba Legis ipsius requirere videntur; propterea Christus aperte illos monet, adeo verum esse id quod affirmavit & tacite jussit, ne quis audeat vel minimum Legis præceptum spernere, ut neminem sit adjuturum, & à pœna, quæ ex tali Legis divinæ contemptione profectura est, exempturum exemplum eorum, qui omnium sanctissimi habeantur, aliorumque sint magistri, quos in ipso populo, ad quem verba faciebat, & fatetur simul & monet isto crimine Legem divinam spernendi omnino teneri, & propterea necesse esse unicuique ex populo, qui velit regnum cœlorum adipisci, & sic pœnas effugere iis constitutas, qui officium suum in divina Lege servanda non præstiterit, majore sanctitate præditum esse, quam sint isti ipsorum duces & præceptores. Justitiæ enim nomine, sine dubio, sanctitatem illam Christus significat, quæ inde proficiscatur quod quis præcepta Dei servet, qua in re vehementer peccabant Scribæ & Pharisæi isti, quos propterea alibi Christus satis frequenter hujusce rei nomine objurgat atque increpat, & nominatim alicubi illis objicit atque exprobrat, quod gravissima onera discipulis suis imponerent, quæ ipsi ne extremo quidem digito attingerent. Quoniam vero ista justitia, quam Christus hic commemorat, quamvis præcipue ad sanctitatem morum, id est, ad conservationem divinorum præceptorum, ut dictum est, pertineat, tamen & ad doctrinam etiam, quam quis eo munere fungens aliis proponat, pertinere censenda est, cum Christus antea, non de faciendo tantum sed de docendo loquutus fuerit: propterea censendum est Christum hoc in loco eos, ad quos hoc pertinere aliquando possit, id etiam monere voluisse, ne in præceptis divinis docendis ac proponendis Scribas & Pharisæos imitari velint, sed diligentius ac plenius justitiam, hac quoque in parte sectari: certum est enim Christum alicubi Legis Mosaicæ peritis, cujusmodi erant Scribæ, objecisse, quod clavem cognitionis, nempe rerum divinarum accepissent, & interim nec ipsi ingrederentur, nec alios ingredi permitterent, quod judicio meo non potest intelligi, nisi de non bene explicanda ac proponenda doctrina ipsa divina: sed & ex aliis locis, quod Scribæ & Pharisæi hac in parte delinquerent, teste ipso Christo, satis aperte constat, & nominatim ex iis, quæ adversus illos loquutus est cap. 15 hujus ejusdem Euangelistæ, ipsismet præsentibus exprobrans, quod Dei mandatum illud insigne, honorandi patrem & matrem, pervertissent; & ita effecissent, ut populus Deum coleret magis doctrinis & præceptis hominum, quæ ipsi docerent ac proponerent, quam ipsis divinis mandatis servandis ac custodiendis.

Vers. 21. Hactenus, ut antea monuimus, est exordium præsentis Christi concionis; nunc ipsa concio incipit, his verbis: *Audivistis, quod dictum sit antiquis, non occides, qui autem occiderit, reus erit judicii.* Quæ verba antequam explicemus, dicendum est hoc loco aliquid, præter ea quæ jam dicta sunt, de Christi mente in his præceptis suis tradendis & ad Mosis legem accommodandis, non tantum propter hoc ipsum præceptum decalogi,

calogi, de homicidio non committendo, sed etiam propter alia deinceps sequentia. Quamvis enim antea statuerimus, Christi mentem esse ipsis Mosaicis præceptis aliquid addere, non autem falsas interpretationes eorundem præceptorum, quas Scribæ & Pharisæi populo obtrudebant, refellere; id tamen ita intelligendum est, ut concedamus Christum aliquoties, dum Mosis præceptorum mentionem facit, cum illis aliquid conjungere, quod expressum diserte in ipsa Lege non sit; sed audiretur tamen, & ab antiquissimis temporibus in populo auditum fuisset, tanquam si germana pars essent ipsius Mosaici præcepti, quæ tamen additamenta non abhorrerent ab ipsa Legis Mosaicæ mente; sed & præterea id quod diximus ita intelligendum est, ut interim non negemus, Christum alicubi potuisse tacite recitandis ipsis verbis Legis, intelligere una cum illis interpretationem illorum quæ in populo resonabat, quam ipse tamen non probaret, quamque iis, quæ præcipiendo ipse subjungit, refelleret atque rejiceret; de quibus singulatim suis locis apertius agendum erit. Nunc quod attinet ad præceptum illud Mosaicæ Legis, quod præ manibus habemus; dicimus illud à Christo ita recitari, ut tamen non ipsissima tantum Legis verba commemoret; sed & illud quod inde consequi ex ipsa Legis mente apertissimum erat, & in populo quibusdam conceptis verbis prolatum resonabat; ac si diserte id in ipsa Lege scriptum esset; illud est quod iis verbis continetur, *& qui occiderit, reus erit judicio*; quamvis enim ipsa verba in ipsa Lege, sive ab initio, cum præceptum istud primum datum fuit per Mosen, seu postea non legantur, legitur tamen expresse ipsorum sententia, ubi pœna ei qui occiderit constituitur.

Jam quod hic Christus in ipso initio ait, & sæpius postea repetit: *Audistis quod dictum sit Antiquis*, satis videtur docere, non fuisse Christo propositum Scribarum & Pharisæorum falsas Legis intepretationes rejicere; quid enim cum hoc commune habet, quod id, cui sua verba hic Christus opponit, audivisset populus dictum fuisse Antiquis? an non potius statuendum est, si ista Christi mens fuisset, eum fuisse dicturum, audivistis, quid dicant magistri, vel simile quidpiam? Certe, si quis non plane præfracte veritati reluctari velit, necesse est fateri, Christum sua verba ei rei opponere hoc in loco & similibus, quæ ab omni antiquitate, postquam Lex data & explicata populo fuisset, audita foret; & quid quæso commune habent verba ista, vel sententia hæc tota, quam Christus antiquis dictam fuisse affirmat, cum falsis interpretationibus Scribarum & Pharisæorum, cum, ut dictum est, partim diserte, partim alioqui satis expresse totum istud in ipsa Lege contineatur. Verum ajunt ætatis nostræ non pauci hujus loci explanatores, ista, quæ Lege ipsa contineri nemo negare potest, ita à Scribis & Pharisæis fuisse accepta, ut id tantum, quod ipsa verba sonant, præceptum esse intelligi deberet, quam interpretationem Christus hoc loco rejiciat, monens; ipsis præcipientibus Legis verbis plus contineri, quam simplissima ipsa verba præ se ferant, nimirum occidendi verbo, non ipsam duntaxat occisionem, sed & alia quædam significata in Lege fuisse; quod istorum explanatorum commentum, vere commentum dici potest, cum nulla prorsus nec verisimilitudine, nec indicio, nec denique vestigio nitatur, & absurdissimum plane censendum foret, si Christus, cum hanc mentem haberet, ita loquutus fuisset, ut quidvis potius illum egisse censeri merito deberet, nunquid fortasse Scribas & Pharisæos nominatim taxne Christus verius esse dicendus est, qui proxime ante non obscure dixerit, eorum justitiam ejusmodi esse, quæ nullo modo satis sit ad regnum cœlorum obtinendum?

Non est igitur ullo pacto, aliter sentiendum, nisi quod Christus iis, quæ in ipsa Lege continebantur, sua opponit, quæ subjicit. Opponit inquam, non ut contraria, sed ut perficientia eam Legis partem, hoc nimirum pacto. Lex jubet, ne quis quenquam occidat; & pronunciat reum futurum eum, qui occiderit: Ego vero, non modo hoc idem & jubeo & pronuntio; sed præterea ista etiam, quæ statim à me audietis, & dico, quod etiam is, qui iratus fuerit &c. Quid vero sit illud judicium, cui reos futuros auditum antiquitus fuerat qui occidissent, sunt qui diligenter inquirant; neque id mihi aperte ac nominatim liquet, cum libris destituar, in quibus id quærendum esset; verum hoc nihil momenti, meo judicio, habet, & satis est intelligere, antiquitus ex mente Legis pronunciatum fuisse, quod is, qui homicidium commisisset, dignus plane condemnatione esset; ea vero cujusmodi esse intelligeretur, colligendum est ex locis illis ubi pœnæ homicidis constituuntur. Quod primo loco, huic ex Lege in populo resonante sententiæ, Christus addit, est, asserere eum, qui temere iratus cuiquam fuerit, similiter judicio reum futurum; ubi animadvertendum est, ut hinc initium hujus rei commemorandæ faciamus, ea, quæ ubique Legi Mosis Christus addit, habere conjunctionem quandam cum iis, quæ in Lege ipsa continentur: habet enim ira cum homicidio aliquid commune; etiamsi quiddam valde minus omnino sit; cum homicidium soleat, vel ex ira, vel ex odio, quod aliud nihil quam inveterata ita est, plerumque proficisci. Statuit igitur Christus eum quoque reum futurum, qui cuiquam temere iratus fuerit, non modo qui illum occiderit.

Adverbium *temere* non legitur in vulgata Latina editione; quod indicat, in quibusdam exemplaribus Græcis, antiquitus illud lectum non fuisse. Translatio quidem Hebraica, quam vidimus hujus Evangelii; quamque ii, qui illam ediderunt, antiquam esse affirmant; nisi memoria me fallit, adverbium istud non haber, &, ut verum fatear, mihi magis verisimile videtur à Christo adverbium istud non fuisse prolatum, sed fortasse ab aliquo in margine additum, cui nimis durum videretur, propter simplicem iram, sive justam, sive injustam, quemquam reum condemnationis esse, idque pugnare cum eo, quod diserte scripsit Paulus ad Ephel. cap. 4, ubi legitur, *Irascimini & nolite peccare. sol non occidat super iram vestram*; quæ additio postea tanquam ea quæ cum veritate plane consentire videretur, locum obtinuerit in ipso contextu, & pro re non quidem addita, sed ab ipso Christo diserte prolata, habita fuerit. Ratio vero, cur sentiam particulam istam verisimiliter non à Christo prolatam, sed additam fuisse, hæc est, quod videtur illa, oppositionem istam verborum Christi, verbis Legis Mosaicæ, minus elegantem reddere, cum multo major elegantia appareat, si simplici occisioni, simplex ira opponatur; præsertim cum ira illud sit, quod per se commune aliquid, ut dictum fuit, habere videtur cum homicidio. Quod autem illa temere, aut non temere sit suscepta, nihil huc merito pertinere videri possit. Nec obstat huic sententiæ nostræ Pauli dictum illud, nam alia censenda est ira illa, de quà Paulus loquitur, & alia, de qua Christus. Etenim ira, quæ aliquomodo cum homicidio familiaritatem quandam habeat, est illa quà cupimus alicui quidpiam mali facere; est illa tandem quæ hoc nomine magis proprie, aut certe magis peculiari quadam ratione appellatur; & à quibusdam ulciscendi libido esse definitur, ac describitur, ejusmodi iram plane Christus prohibet: ea vero quam Paulus videtur permittere, & sine peccato esse posse non obscure affirmare, non est ulciscendi libido, nec desiderium mali alicujus inferendi, sed commotio & indignatio propter rem aliquam, injuste, sive adversus seipsum; sive adversus quempiam alium seu dictam seu factam. Quamvis verisimile sit, Paulum potissimum de ea ira, id est commotione atque indignatione agere, quæ contingit propter aliquid tale adversus nos ipsos, vel verbis, vel facto commissum, ut mens Pauli sit, monere, ne quis propter injuriam sibi illatam ita indignetur ac commoveatur, ut interim peccet, & ob id ut caveat, ne perturbatio ista sit in ipso diuturna, adeo ut ne ultra unum quidem diem eam durare velit. Ingens est enim periculum, ne duratione sua degeneret in alteram illam iram, quæ ulciscendi libido est,

quæque Christianum hominem plane dedecet. Interim tamen nullo pacto, Græcam vulgatam editionem & Syriacam, rejicimus, quam nos ipsi sæpius & sequuti sumus, & alicubi ursimus; nec cuiquam consulerem, ut sine evidentissima necessitate Latini codicis lectionem, Græci & Syriaci lectioni, præsertim vero Græci, anteponeret Voluimus tamen, cum hic locus nobis nominatim & ex professo explicandus nunc fuerit, quid nobis de diversa ista lectione magis probetur, non reticere. Verba Christi, cum is nominatur cui quis irascitur, habent *fratri suo*, quod nos supra non semel, voce *cuiquam* reddidimus, eo quod, sine dubio, hæc Christi mens fuerit, ut ex iis, quæ infra dicenda erunt, facile constare poterit. Sed verbo Fratris, Christus, & hic & alibi in hoc sermone suo, uti voluit, non discedens à consuetudine præceptorum proponendorum in Lege Mosis, quorum pleraque vel tacite, vel expresse, si ad alterum pertineant, id est, ad alium quempiam, præter eum de quo agitur, quatenus attinet ad eorum conservationem, ad eum qui sit ejusdem populi, & propterea frater dicatur, referri solent. Antequam vero ulterius progrediamur, omittendum non videtur, ad Paulum cum Christo conciliandum, si in Christi verbis non legatur adverbium illud Temere, quod Christus aperte loquitur de ira adversus aliquem. Paulus vero de ira simpliciter, unde confirmatur id quod ante diximus, Christi enunciatum de ea ira accipiendum esse, quæ ulciscendi libido est: in Pauli vero verbis agitur de simplici ira, quæ, ut diximus, indignatio tantum & commotio quædam est, propter injuriam sibi factam, cum interim omne vindicandi studium procul absit: sunt, inquam, Pauli verba de tali ira accipienda, quatenus scilicet illam concedere videtur, nam alioqui verbum *Irascimini*, etiam apud ipsum Paulum, poterat & illam alteram iram significare, & propterea, cum simpliciter concessisse videretur ut irasceremur, statim subjecit, *& nolite peccare*, perinde ac si dixisset, ira quædam est, quam vobis permitto, quædam vero quam minime concedo, quæ videlicet peccatum secum conjunctum habet, id est, ulciscendi cupiditatem, quæ ne iræ vestræ adjungatur cavendum vobis est, ut etiam ira illa quam vobis permitto brevissima sit. Quia vero possit quis valde mirari, quod Christus judicio reum fututum dicat, & ita condemnationi obnoxium, qui fratri suo iratus fuerit, etiamsi verba ipsius de illa ira accipiantur quæ ulciscendi desiderium est, vel illud secum conjunctum habet, cum Christus videatur non de habitu talis iræ loqui, sed de uno tantum etiam actu; considerandum est primum, quod ad ipsam iram attinet & libidinem ulciscendi, aperte alibi pronunciatum inveniri, eam ejusmodi esse, quæ impediat quominus quis regnum Dei possideat: & sic videmus non modo hic, sed alibi quoque hoc idem pronunciari, quod ejusmodi ira sit obnoxia condemnationi Locus, ubi id quod dicimus aperte scriptum est, est apud Paulum ad Gal. 5, ubi diserte inter illa, quæ si quis faciat regnum Dei non possidebit, iræ enumerantur. Non eodem quidem Græco vocabulo, quo in verbo irascendi est usus Christus, sed tamen eo quod tantundem valet, quodque propterea, & in vulgata, & in aliis quibusdam editionibus Latinis, iræ vocabulo est redditum Cæterum, quoniam, ut alibi à nobis declaratum est, Pauli verba de habitu, non autem de quopiam simplici actu, accipienda sunt, Christus vero, ut diximus, de ipso simplici actu loqui videtur, est omnino huic difficultati occurendum, & ostendendum, nihilominus Christi verba cum Pauli verbis consentire, sed prius docendum, Christum de simplici actu loqui. Id autem, ni fallimur, ex ipso loquendi modo liquido constat, cum dicat, *Si quis iratus fuerit fratri suo*, seu *Si quis irascatur*: tali enim loquendi modo, non habitus, sed actus declarari omnino videtur. Adde, quod non bene responderet id, quod Christus Mosis Legi hoc loco addit, si id de habitu, non autem de simplici actu accipiendum esset, cum Lex Mosis, sine dubio, etiam de ipso unico actu accipienda sit. Jam non propterea diversitas ulla est inter Paulum & Christum, etiamsi expresse apud Paulum legeretur, quod illud ipsius pronunciatum non verum sit in simplici actu; quod tamen, licet ab iplo non expressum, verissimum ex ipsius sententia, esse credimus. Nam Paulus de eo loquitur, quod reipsa ad effectum perducendum sit, & ratione habita illius Dei misericordiæ, quam Deus sub Euangelio humano generi exhibuit, quæ quantumvis magna non efficit, ut ii, qui habitum ejusmodi peccati habuerint, Dei regnum sint possessuri, sed ab eo illos nihilominus exclusum iri statuendum omnino est. At Christus loquitur de eo, non quod omnino reipsa effectum suum sit habiturum, sed quod, si Deus sub Euangelio summo jure uti velit, plane futurum esset, etiamsi id sub Lege non esset. Quod rectissime dictum à nobis esse agnoscetur, si consideretur, promissum vitæ æternæ quod Deus sub Euangelio proposuit, non autem sub Lege, ejusmodi esse, ut merito requirat summam & absolutam sanctitatem, ita ut vel unus actus, cum spe ac præstantia talis promissi pugnans, possit, si Deus summo jure, post promissum illud factum, agere vellet, ab eo consequendo unumquemque excludere: immo eum, qui talem actum committat, ipsi Deo valde invisum, & dignum condemnatione apud ipsummet Deum reddere. Hinc fit, ut etiamsi ex ingente Dei misericordia sub Euangelio, non modo re ipsa, sed ex ipso divino fœdere, non simplex quilibet actus peccandi, sed habitus, promissi in iplo Euangelio contenti adeptionem impediat; tamen necesse sit, ut quilibet summa ac perpetua diligentia caveat, ne unquam vel unum ex hujusmodi actibus admittat. Cum, ut hic Christus pronunciat, jure ejusmodi homo condemnari possit.

Nunc ad alia transeamus, quæ Christus subjungit, addit enim præterea, eum *qui fratri suo dixerit Raca*, vel *fatue*, similiter condemnationi obnoxium esse, ubi considerandum est, quam sit verum, quod diximus, superiorem Christi sententiam etiam de simplici uno actu accipiendam esse, cum in istis, quæ subjicit, nimis apertum sit, eum de simplici actu loqui. Quid sit nomen illud, Raca, quidve significet, satis videtur inter eruditos hodie convenire, cum nomen sit quod tam in Syriaca, qua Christus sine dubio utebatur, quam in ipsa Hebræa Lingua, à verbo ducitur quod vacuum seu inane esse significat, cumque ejus nominis vestigia aliqua inveniantur apud Hebræos Literaruma Scrarum expositores. In Talmud certe vocem huic simillimam Legi, eruditissimi homines aperte testantur. Ubi apparet, illam id significare, quod ejus etymologia indicat, & ejusmodi esse quæ convitium exprimat, eumque hominem declaret qui nihil sit, & vacuus omni bono.

Altera vox, *fatue*, seu *stulte*, quæ Græce est, *μωρὲ*, quid declaret, omnibus est apertum, & convicium continere nemini dubium. Et sane quemadmodum de ira, sic de conviciis, scriptum apud Paulum invenimus, ea vim habere excludendi à consortio sanctorum hominum, & consequenter à regno cœlorum, si quis videlicet eorum in alterum conjiciendorum habitum habeat. Est Pauli locus ad finem cap. 5 prioris ad Cor. ubi prohibet cum conviciatore, qui fratrem se nominet, vel cibum quidem capere. Estque hic plane eadem ratio Paulum cum Christo conciliandi, licet ipse aperte de habitu, Christus vero de simplici actu apertissime loquatur, quæ in superiore loco, & supervacaneum est illam hic repetere, tantum restat aliquid dicere de duabus illis rebus, quibus obnoxium Christus esse pronunciat, partim illum, qui Raca, partim illum, qui Fatue fratri suo dixerit, & eum qui talia dixerit, ait quidem Christus, obnoxium esse Consessui, alludens sine dubio, ad Consessum illum inter Hebræos, apud quos appellatio ipsa vocis Græcæ, quam Euangelista hic ponit, plane obtinuit, quod enim Græce, & ex ipso Græco etymo est Συνέδριον, quod proprie consessum significat, apud Hebræos, leviter corrupta voce est Sanedrin, qua tamen, non ipse Consessus, sed consultores vel judices, qui in ipso Consessu sedent, videntur significari.

Qua-

Qualis autem esset confessus iste, & quæ judicia pro-
rte in eo exercerentur, potest ex aliis explanatori-
us peti, cum parum aut nihil id exacte scire referat; &
itis sit agnoscere, Christi mentem esse, pronunciare,
alem hominem condemnationi obnoxium esse. Jam de
o, qui Fatue dixerit, pronunciat Christus, illum reum
uturum gehennæ ignis: quid sit ista ignis gehenna, vel
otius unde appellatio ista fluxerit, videtur satis conve-
ire inter hujus loci explanatores. Dicunt enim fuisse
allem quandam, in qua solerent aliquando Hebræi, à vi-
inis gentibus protracti, scelerate ut illi, suos filios, tan-
quam cultum divinum quendam egregium facerent, per
gnem ducere, id est comburere, hancque vallem, quæ
lio nomine vallis Tophet appellaretur, fuisse etiam ap-
ellatam de nomine possessoris sui, vallem Hinnan. Et
erte vox Hebræa Gehinnan, unde manifeste nomen ge-
ennæ in N. Testamento fluxit, vallem Hinnan signi-
icat. Affirmant autem explanatores isti, quod facile nos
redimus, apud Hæbræos per translationem sic nomi-
atum eum locum fuisse, in quem post mortem conjici
llos, qui mali fuissent, apud Hebræorum vulgus apud-
que ipsos Pharisæos receptum erat, quantumvis ejus rei
ullum indicium in ipsis Sacris Literis aperte extaret,
& propterea Christum hic vulgaris loquendi modi usum
equutum, aliud nihil voluisse dicere, quam, qui tali con-
vitio fratrem suum affecerit, dignum esse æternis pœnis;
d quod illum pronunciasse, propter illa quæ ante dispu-
ata à nobis sunt, nemini mirum videri debet. Et ex iis-
dem satis superque apparere potest, quo sensu id Christus
pronunciare non dubitaverit. Non est autem omitten-
dum, quin apertius explicetur, quo sensu sit accipiendum
convicium istud; quod Christus condemnatione dignum
esse affirmat. Videtur enim id simpliciter nullo pacto
admitti posse, quod Christus affirmat, cum ipsemet non
absimilia quædam, atque adeo graviora, videatur ali-
quando adversus eos, qui in rebus Sacris populo præ-
erant ac præibant, dicere non dubitasse; Et quidem, si
retineatur Græca & Syriaca lectio loci superioris, & ad-
verbium illud *temere* ibi legi debeat, facile videtur dissol-
vi posse hæc dubitatio, ut, scilicet, non simpliciter sit ac-
cipiendum utrumque convitium, sed quando temere in
quemquam jacitur, repetendo ex superioribus tacite ad-
verbium istud, id quod nos alicubi docuimus, posito pro
constanti, quod lectio ista sit retinenda: tunc enim ipsius
Christi factum, ejusdem hoc loco enunciato nihil pror-
sus adversaretur, cum Christus non temere, sed consul-
tissime ac meritissimo, ea quæ commemoravimus, ad-
versus quosdam dixerit. Verum potest nihilominus du-
bitatio ista dissolvi, etiamsi adverbium istud non subau-
diatur; immo ut verum dicam, mihi plus placet, ne sta-
tuamus illud subaudiri debere, nam multo melius men-
tem Christi percipere poterimus, & multo magis appa-
rebit sensum verborum ejus esse rectitudini & veræ pie-
tati consentaneum. Nam si adverbium temere subaudia-
tur, tunc à contrario, ut loquuntur, sensu posset intel-
ligi, non esse obnoxium condemnationi eum, qui non
temere fratri suo convitia ista dixerit, id est, nihil tali-
bus conviciis in eum conjiciendis, falsi dixerit; id quod
simpliciter dictum nullo modo mihi probatur, nec per-
petuum id esse puto: præsertim cum Christi enunciatum
ita accipiendum videatur, ut intelligamus, eum loqui de
eo, qui convitiis istis fratrem suum lædere in animo ha-
beat. Nam alioqui non videtur id, quod ait, convenienter
fuisse additum præcepto Mosaico de non occidendo; Ne-
cesse est enim ut additiones istæ in eo conveniant cum
præcepto illo, quod in iis agatur de damno fratri suo infe-
rendo: Nihil autem vetat, quominus quis animo alterum
lædendi convitia in eum jaciat; & tamen non temere id
ab eo fiat, convitiaque ista nihil falsi prorsus contineant,
immo quo plus veritatis continuerunt, eo magis apta e-
runt ad illum lædendum & damno afficiendum. Rectius
itaque videtur, non quidem Adverbium illud subaudire,
sed intelligere, quemadmodum subjecta materia plane
requirit, convitia ista, si ei qui illa fecerit comparatura
sint condemnationem, animo alteri nocendi debere esse
facta. Ad cujus rei confirmationem adde, si
nullo prorsus nocendi animo, convitium in alter quis,
cerit, quantumvis alioqui temere id fecerit, non vide-
tur ejus peccatum esse tanti, ut vel ex ipso divino ri-
gore ignis gehennam mereatur, qua tamen de re nihil
prorsus statuimus, sed ut de illa paulo diligentius consi-
deretis, monere voluimus.

Vers. 23. Ex iis, quæ Christus præcepto non occidendi
addiderat, infert totum id quod sequitur usque ad ver-
siculum 27, & breviter monet, adeo verum esse, quod ne-
mo debeat fratrem suum lædere, ut omnia alia sint post-
habenda studio reconciliandi se cum eo, quem quis læ-
serit. Atque exemplum ejus affert, qui munus in altari
offerre paratus sit, & ibi recordatur fratrem suum adver-
sus ipsum aliquid habere, id est, ab ipso aliqua ratione
offensum ac læsum fuisse, & dicit, debere istum omittere
pro eo tempore munus istud offerre, quamvis videlicet
alioqui sit res Deo charissima, & fortasse illi ex voto, aut
aliqua ratione debita; & statim ire quæsitum fratrem
suum, atque omni studio conari illi satis facere; vel alia
qualibet ratione efficere, ut cum eo ipse reconcilietur; ac
tum demum posse ire & oblationem sui muneris perfi-
cere. Quod ut magis persuadeat, sub metaphora quadam
debitoris & creditoris, docet, quantum damni sit passu-
rus is, qui fratrem sibi reconciliari spernat; quem vide-
licet offenderit. Nam quemadmodum, si quis, dum in
via esset cum illo cui debet, quique propterea paratus sit
ipsum in jus vocare, sperneret illi solvere; vel potius cum
illo transigere de suo debito, & efficere, ut ille contentus
maneat, facile fieret, ut iste ipsius creditor curaret eum
capi & in carcerem conjici; unde non esse exiturus, nisi
prius, quicquid deberet, ad teruncium solveret: sic si quis,
dum adhuc tempus habet id faciendi, spernat fratri à se
offenso reconciliari, illique ratione aliqua satis facere;
fier, ut postea, cum jam ejus rei tempus non erit, id est, vel
post mortem, vel in hac ipsa vita ubi Dei judicium adve-
nerit, non sit ullo pacto vitaturus pœnas suo peccato de-
bitas universas. In quo exemplo, per similitudinem ad
rem præsentem accommodato, videtur omnino requiri,
ut offensus à nobis frater, qui nullam satisfactionem of-
fensæ sibi factæ à nobis habuerit, curaturus sit ut punia-
mur, quod quomodo verum sit, nullo pacto apparet, hinc-
que factum est, ut multi verba Christi ita accipi velint,
ut non similitudinem, sed rem ipsam contineant, ita ut
Christus aliud nihil moneat, quam id quod ipsa verba
præ se ferunt, id quod judicio meo nullo pacto est admit-
tendum; cum Christi propositum non sit, ostendere dam-
num ab hominibus illatum, quod quis negligentia sua
transigendi cum alio accersere sibi queat; sed tantum de
damno ex divino decreto illis imminente, qui fratre suo
offenso, reconciliari se illi eique satis facere negligat, ver-
ba facere, ut ejus superiora verba secundum omnium ex-
planationen admodum aperte docent. Non est igitur à
communi sententia recedendum, ut scilicet hic Christus
per similitudinem & allegoriam quandam, seu similitu-
dinem allegoricam, cujusmodi ipsius parabolis contineri
solent, doceat, quam male cum eo agetur qui fratrem
offendat, nisi diligentiam adhibeat ut illi satis faciat,
eique aliqua ratione reconcilietur. Nam, quod at-
tinet ad id quod isti sententiæ objicitur, quod videlicet
non appareat, quomodo frater à nobis offensus, nisi cum
illo reconciliemur, sit curaturus, ut puniamur prout offen-
sa nostra adversus ipsum commerita fuerit, quemadmo-
dum requirere videtur allegorica ista similitudo. Respon-
dendum est, nihil esse necesse ut in ejusmodi similitudini-
bus omnia respondeant; sed satis esse debere, ut in reipsa
respondeat id, quod quis habet in animo docere, similitu-
dini, qua ad id docendum utitur. Quare cum Christus in
animo habeat docere, quam rigorosa futura sit condem-
natio illius, qui fratri suo à se offenso non reconcilietur,
satis est, si in similitudine quam attulit aliquid sit, quod
ejusmodi, ut sic dixerim, non reconciliationi, ejusmodiq;
propter illam condemnationi respondere constet; etiamsi
in ipso modo & via ad istam condemnationem devenien-
di, non conveniat similitudo cum eo quod docere voluit.

[illegible] advertendum est, figurate dici posse, Præterea fratrem a nobis offensum, cui reconciliati [illegible]mus, curaturum, ut propter hanc caussam rigide puniamur, cum istud, quod adversus ipsum fecimus, futurum sit caussa condemnationis nostræ: quemadmodum Abelis sanguis dicitur clamare ad Deum, vindictam, scilicet, adversus fratrem Cainum à Deo petendo; propter illam tantum caussam, quod dignus esset Cain qui gravissime puniretur, eo quod sanguinem istum fudisset. Nam & electi dicuntur clamare ad Deum, die nocteque, propter injurias atque afflictiones sibi à malis hominibus illatas, propter quas Deus sit malos istos homines puniturus; vel certe electos ab ipsorum manibus vindicaturus: quamvis fieri possit ut electi interim taceant, & patienter Dei auxilium atque opem expectent. Quid plura? habemus apud Lucam Euangelistam Christi parabolam, ex qua eos, quibus à nobis bene fit, caussam fore, ut nobiscum aliquando optime agatur, doceri ex mente Christi possumus: cum tamen in ipsa parabola, illi, seu is, qui illis respondet, quibus à nobis benefactum fuerit, curet, & efficiens caussa sit, ut illis sit bene, qui in parabola ista similiter nobis respondent; cum tamen in re ipsa quæ docetur, non ita res se habeat; & ii, quibus à nobis benefit, non sint ipsi curaturi, efficiensve caussa futuri, ut nobiscum optime agatur; de quibus tamen ibidem Christus dicere non veretur, eos recepturos nos in ęterna tabernacula; nempe ut propositę parabolę isto figurato loquendi modo sese accommodet; & hac etiam in parte, etiamsi non proprie, figurata saltem ratione, similitudinem illam rei, quam docere voluit, convenire ac respondere appareret; quemadmodum quilibet aperte intelliget, qui legerit initium capitis 16 prædicti Euangelistæ, ubi parabola ista, una cum ipsius significatione, commemoratur atque exponitur. Quemadmodum igitur ibi dicuntur recipere nos in æterna tabernacula, ii qui nihil aliud hic agunt; immo nihil prorsus agunt; nisi quod ex accidente, quia videlicet illis bene fecerimus, caussa sunt ut in æterna tabernacula recipiamur, simili ratione potuit hic quoque dici à Christo, utriusque similitudinis auctore, fratrem à nobis offensum, cum quo reconciliati non fuerimus, curaturum, ut rigorose condemnemur; quamvis hac in re frater iste nihil prorsus sit acturus; sed tantummodo ex accidente caussa futurus, ut ita severe puniamur; nempe, quia punitio ista inde est profectura, quod illum offenderimus; nec postea cum ipso reconcilati fumus. Superiore objectione hunc in modum, ut quidem arbitramur, satis superque diluta, non est quod curiose investigemus, quis sit ille minister, seu, quis ministro isti respondeat in reipsa, qui in similitudine nominatus est, aut quid similiter respondeat carceri isti in ipsa similtudine nominato; tantum non videtur spernendum, quomodo ex similitudine ad rem ipsam sit accommodandum, id quod ad finem similitudinis positum est.

Non exibis inde, donec solveris ultimum quadrantem. Multi enim multa hic philosophantur; & pontificii suum ignem purgatorium hinc probare contendunt. Inquiunt enim, ex hac similitudine apparere, quod, ubi quis perfecte pœnas dederit sui peccati liberabitur, seu, contingere liberationem post datas sui peccati pœnas, id quod, ajunt, nullo pacto verum esse potest de pœnis, quæ in inferno infliguntur, eæ siquidem sunt sempiternæ, nec ab illis unquam liberatio contingit. Necesse est igitur ut locus aliquis sit, in quo infligantur quidem pœnæ, sed ejusmodi quæ aliquando finem habeant, & ex quibus, quantumvis tarde, liberatio suo tempore contingat, quod aliud nihil est (inquiunt) quam quod nos dicimus, esse ignem purgatorum, in quo purgentur ea peccata, pro quibus, licet alioqui à Deo remissis & condonatis, is qui ea commiserat, non, prout debuit, in præsente hac vita, satis fecerit. Jam ad totam hanc ratiocinationem breviter respondendum est. Primum, non posse eam admitti, eo quod inde sequeretur, quod fratrem offendere, eique non reconciliari, peccatum sit quod non in æternum, sed tantum temporarie puniatur, semperque cum peccato isto, nisi videlicet alia peccata impediant, esse nihilominus salutem æternam, id est, illud nunquam impedite, quominus salutem æternam adipiscamur: quemadmodum id significat, quod iste, qui illud commisit, tandem sit futurus liber à pœnis peccati sui, secundum quidem ratiocinationem istam, & secundum id, quod de purgatorio igne interpretatio ista requirit; in quem quicumque conjiciuntur, salutem æternam nihilominus tandem sunt adepturi. Atqui aliunde apparet, ejusmodi peccatum, si quis eo implicatus ejusque habitum habens hanc vitam finierit, ejusmodi esse, quod salutem æternam adimat. Nam si salutem æternam adimit non remittere fratri offensas, quas nobis fecerit, ut cum ex aliis locis, tum ex iis quæ habentur Matth. 18 ad finem, satis intelligi potest, non video, cur multo magis is condemnandus non sit, & vita æterna privandus, qui ipse fratrem offendere consueverit, nec cum illo ut reconcilietur quærere. Deinde animadvertendum est, præsertim si statuere velimus peccatum istud non puniri pœnis sempiternis, ut pontificiorum interpretatio postulare videtur, nihil cogere, ut Christus de ea illius punitione loquatur quæ fiat post hanc vitam: sed, nullo cum aut verborum aut sensus in commodo, posse intelligi, Christum verba facere de punitione peccari istius, quæ in hac ipsa vita à Deo fiat, quam, licet temporariam, gravissimam nihilominus & rigorosissimam futuram, Christus docere voluerit, nisi videlicet in tempore & admodum diligenter ab isto peccato quis sibi caveat.

Vers. 25. Quod significate voluit Christus adverbio illo *Cito*, quo in ipsa parabolica similitudine nostra est usus, cum ait; *Esto consentiens cum adversario tuo cito*; & similiter iis verbis quæ statim addit, *cum es in via cum eo.* Neque enim verba ista eam vim habent, ut quispiam fortasse credere posset, ut indicent satis esse, si, dum adhuc sumus in mortalis hujus vitæ via, & antequam moriamur, aliquando adversario nostro reconciliemur. Neque enim sunt verba ista simpliciter declaratoria, ut ita loquar, proximi adverbii *Cito*, sed ita accipienda sunt, ac si dictum fuisset: Dum es in via cum adversario tuo, reconcilieris illi cito, ita, ut ex vi parabolicæ istius admonitionis, significare Christus omnino voluerit, ne quis ullo modo procrastinet fratri à se offenso reconciliari. Postremo, non est probanda ratiocinatio ista pontificiorum, vel ob eam caussam, quod isti loquendi modi, Non fiet hoc, donec illud fiat; Non exibis inde, donec solveris &c, non habent hanc vim, ut statuere debeamus id, quod posteriore membro ejusmodi loquutionum continetur, & statim additur post voculam Donec, aliquando omnino futurum: sed fieri sæpe contingit, ut id nullo modo fieri possit, seu nunquam fiat; quemadmodum intelligere potuistis ex iis, quæ antea disputavimus de superioribus illis Christi verbis, *Non peribit unum jota aut apex legis, donec omnia fiant.* Ubi exemplo verborum Jobi cap. 14 ostendimus, posse Christi verba ita intelligi atque accipi, ut tamen nunquam contingat omnia fieri, quæ sunt in lege; & sic nunquam similiter fiat, ut pereat jota unum aut apex Legis, ita ut hic quoque non possit necessario concludi, aliquando fore, ut is in carcerem conjectus, cui ille responder, qui daturus est pœnas propter offensum sibique non reconciliatum fratrem, illum ultimum quadrantem aliquando solvat: sed satis esse, ut quemadmodum verba ipsa sonant, non sit ille ex carcere illo exiturus, donec istum ultimum quadrantem solverit, licet interim nullo pacto fieri possit ut illum solvat; & sic conditione ista respecta, nullo modo similiter unquam fiat, ut inde exeat; id quod accommodatum ad rem, quam similitudine ista voluit docere Christus, planum faciet, quam male ratiocinentur pontificii, qui ex ea colligere volunt, esse locum, in quo perfecte peccatorum pœnæ, quas in hac vita non persolverimus, persolvantur; & statim postea liberatio inde contingat. Cæterum, antequam alia Christi præcepta, hoc ipsius sermone contenta, explicanda aggrediamur, videtur non omittendum, ut paulo diligentius per-

:rpendamus modum illum, quo Christus utitur, & c & alibi inferius, ea præcepta commemorandi quis sua opponit, dum videlicet ait, *Audistis, quod dictum antiquis.* Nostra quidem sententia est, Christum ic ratione duo potissimum præstare voluisse; alterm, ut verecunde quodammodo, & sine auditorum tensione, sua dicta Mosis dictis opponeret, id est, supra explicuimus, adderet. Alterum vero, ut inrim indicaret, se, novum quendam populum Dei, is præceptis formare velle. Itaque, quod ad prius istis duobus attinet, noluit dicere, ut sane potuisset, tei veritas spectetur, Audivistis Mosen præcepisse, ve, ex ipsius Lege hoc præcepisse, sive, ex ipsius ege hoc præceptum vobis traditum habuistis, sed talis quendi modi loco, dixit; *Audivistis, quod dictum sit iquis*; quibus verbis idem reipsa præstat, & intem omnem invidiam devitat, in quam incurrere potuisset, si Mosen ipsum, legemve ejus diserte nomiasset; & sic suis statim consequentibus verbis aliquid ea desiderari expresse docuisset. Id vero, quod poeriore loco diximus, similiter abunde præstat, quamis id non ita evidens omnibus sit, Veteres vocando ilos, quibus Lex Mosis data est. Hinc enim tacite inelligi potest, non omnino ac simpliciter jam standum sse præceptis illis, illa enim perfect quidem satis fuse pro illo tempore, quatenus decebant veterem illum opulum, sed novum, quem ipse formare vellet, præantiora quædam præcepta decere, quæ ut dictum st, interim nihil immutent eorum quæ veteribus illis int tradita, sed tantum illa perfectiora reddant; adeo utem verum est, vocem ipsam Veterum qua hic usus est Christus, & ejus affirmationem quod illis dicta fuerint a, ad quæ sua dicta accommodat, duplicem istam vim abere, quam exposuimus, & consequenter hinc olligi, Christum voluisse nova præcepta dare, & Mosaicæ Legi non pauca addere, eamque istis ipsis us novis præceptis perficere; ut ii qui à Romana Ecclesia defecerunt, quia maxima ex parte talium esse ontendunt, hanc Christi mentem fuisse quam diximus, nomen ipsum *Veterum*, vel modum illum loquendi *Dictum est veteribus*, sive *antiquis*, mirabilibus ac variis rationibus sint interpretati, quorum interpretaiones, quod attinet ad ipsam vocem Veterum, seu ntiquorum, ejusmodi meo judicio sunt, ut eas vel ommemorare quidem non deceat, cum nimis apertum it, non posse voce ista aliud significari, quam id ipsum uod illa sonat. Hinc factum est ut quidam pauci ontendant, vocem Græcam ἀρχαίοις, quæ *antiquis*, vulgato Latino interprete reddita est, non debere el voce ista, vel Veteribus, vel alia ulla similis gnificationis reddi, sed vel rudibus vel principibus ertendam esse. Ii qui rudibus vertendam esse, aut ltem verti posse contendunt, non omnino ab ipsa ræcæ vocis significatione recedunt, cum illa interum tale quid significare inveniatur. Verum non t illa nihilominus ullo pacto admittenda, cum & solens illa plane sit in Testamento Novo, & veritam nullo pacto hoc loco exprimere possit, atque eptum valde sensum efficiat; quasi vero rudibus ntum fuerit dictum, exempli gratia. *Non occides, qui occiderit reus erit judicio*, nisi velimus rudes appelre omnes, qui in ipso populo aliquando fuerunt; nnibus siquidem eadem & dicta & inculcata fuerunt. oc autem, quod omnes appellarentur hoc loco rus, plane istorum, qui hanc interpretationem excotarunt vocis ἀρχαίοις, adversaretur, nostramque sentiam non mediocriter confirmaret, ac doceret unirsum populum hactenus fuisse rudem, eique ut rudi usmodi præcepta simpliciter data fuisse. Nam si i dixerint, verba Christi ita accipienda esse, ac si luerit dicere, audivistis, quod nihil præterea ud sit dictum, & quod rudibus, simplicia tantumodo præcepta ista sint proposita; quæ, scilicet, mulpleniora aliis non rudibus proponerentur; hoc tom, inquam, ab ipsis Christi verbis ita simpliciter prolatis, plurimum abhorret, & ab omni verisimilitudine abest, si Christi mens ista fuisset, eum ita fuisse loquuturum, ut plane contrarium quiddam ipsius menti inde colligi posset: quemadmodum sane colligitur, si ejus verba ita simpliciter, ut sonant, accipiantur. Jam vero ii, qui vocem illam Græcam Principibus reddi posse autumant, necesse primum habent, modum istum loquendi ita accipere, ac si scriptum esset, à principibus, & Christus dicere voluerit, audivistis, quod a principibus vestris dictum fuerit. De qua loquendi forma, an hoc loco sit admittenda, paulo post agemus. Prius enim docendum nobis est, istos deinde necesse habere voci isti Græcæ, novam ac plane inusitatam significationem tribuere, ob id videlicet, quod vox ἀρχὴ & verbum ἄρχω, illa principatum, hoc vero principatum habeo, significare possit, sed stultum est, ex etymologia vocis alicujus, formare sibi ejusdem vocis significationem novam atque inusitatam; quare non est, quod de interpretatione ista plura dicamus. Sed de eo videndum adhuc est, quod antea indicavimus, esse, qui retenta significatione vocis Græcæ, quam ipsam omnino præ se fert ac requirit, velint nihilominus, Christi loquendi modum aliter atque ab aliis fit interpretando, vim illam effugere, quam ex ipsa voce fluere superius docuimus. Inquiunt enim vertenda Græca verba esse, hoc pacto; Audivistis, quod dictum sit à veteribus; & hujus quidem sententiæ est Beza, qui postremo, si non ab initio, ita locum versum in sua translatione nobis dedit; sed pace ipsius dicendum omnino videtur, hanc interpretationem nullo pacto huic loco convenire: est enim ejusmodi loquendi modus, ut τοῖς ἀρχαίοις dictum sit, pro ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, quamvis in prosa oratione usurpatus interdum inveniatur, magis proprius carminis, & sine dubio figuratus est; nec verisimile videtur, vel Euangelistam ipsum, si ipse Græce scripsit, vel ejus Græcum interpretem, toties in hoc Christi sermone ista loquendi figura usum fuisse; præsertim cum verba alium sensum habere queant; & quidem multo magis usitatum. Ad quid enim ambiguitas ista & periculum evidens, ne aliter atque oporteret verba Christi acciperentur, ab ipso quodammodo affectatum fuisset? Adde, quod interpretatio ista sensum efficit nullius, judicio meo, ponderis. Cur enim Christus dixisset, à veteribus præcepta quæ commemorat, dicta & proposita populo fuisse, cum illa eadem, perpetuo usque ad ipsius tempora, in populo dicta ac commemorata essent? Nam si quis dicat, propterea illum Veterum mentionem fecisse, ut fateretur, jam inde à vetustis temporibus idem factum fuisse, quod & tunc fiebat, ut omittamus hoc ipsum, si diligenter examinetur, nullum pondus habere, facile constiturum; dicimus hic similiter, non esse verisimile ita loquuturum fuisse Christum, ut plane diversus, ac ferme contrarius ejus menti sensus, inde elici posset, quandoquidem iste loquendi modus, dictum est à veteribus, videtur significare, ab aliis qui veteres non fuerunt, & præcipue ab iis, qui tunc erant cum verba ista proferebantur, idem minime factitatum fuisse; cum tamen Christus, ut isti volunt, potissimum agere voluerit de iis, quæ tunc populo tanquam divina præcepta proponebantur; atque ut hic sensus possit ex ejus verbis colligi, propterea non *veteribus*, sed *à veteribus* legi omnino velint. Itaque concludendum est, & hic & alibi infra; nec aliter legendum esse, quam *veteribus*, sive *antiquis*, seu *priscis*, seu plane simili aliqua alia ratione, & vocem istam eo sensu à Christo usurpatam fuisse, ut Mosis expressa mentione, ob eam caussam quam diximus, omissa, interim intelligeretur, eos, quibus præcepta illa data fuissent, tanquam veterem quendam populum censendos esse, cui videlicet jam novus esset successurus, cui Christus præcepta ista à se reformata & aucta tradere institueret. Jamque igitur ulterius progrediamur.

Verſ 27. Statim igitur ſubjicit Chriſtus: *Audiviſtis, quod dictum eſt antiquis, non adulterabis.* Hic nulla cauſſa eſt, cur ſuſpicari poſſimus Chriſti aliam mentem fuiſſe, quam id, quod in ipſa Moſis Lege ſcriptum erat ac præceptum, reformare ac reficere, cum nudum ac ſimpliciſſimum ipſius Legis præceptum commemoret, quo facto, ſubjungit:

Verſ.28. *Ego autem dico vobis, quod quilibet aſpiciens mulierem* &c. Quibus verbis evidentur addit præcepto iſti præceptum non deſiderandi mulierem, nempe quæ virum habeat; quemadmodum vox Græca γυναῖκα, quæ apud Euangeliſtam legitur, apud Græcos, ſicut & interdum apud Latinos, vox mulieris ſignificare deprehenditur, declarare ſæpe ſolet; addit inquam, non ſimpliciter, ſed cum ea declaratione, quod qui id fecerit, adulterii ſit reus, cum id alioqui ex verbis ipſius Legis non flueret; Nam ſi Chriſti mens fuiſſet explicare quo ſenſu accipienda eſſent Legis verba, ac docere, in ipſa Lege verbum adulterandi, etiam ipſum deſiderium potiundæ alicujus nuptæ mulieris, complecti, nullo pacto dixiſſet, ipſo Legis præcepto commemorato: *Ego autem dico vobis* &c. Sic enim plane demonſtrat, ſe non illud explanare velle, ſed aliquid diverſum ab ipſo proponere; quæ quidem diverſiras in eo conſiſtit, quod ex ipſo Moſis præcepto non apparet, debere adulterium cenſeri, ſi quis maritatam mulierem cum cupiditate illius potiundæ, aſpiciat. Chriſtus autem ſua hac additione efficit, ut hoc etiam ipſum, quamvis cupiditas iſta ad ipſum effectum plane non perducatur, pro adulrerio haberi debeat. Quod quomodo intelligendum ſit, diligentius poſtmodum explicabimus. Nunc, & ex iis quæ diximus, & ex aliis quæ mox dicemus, concludendum eſt, Chriſtum voluiſſe non quidem ſimpliciter docere, peccatum eſſe ſi quis mulierem aſpiciat cum libidine ejus fruendæ; ſed tale peccatum, adulterium cenſeri poſſe; & ſane jam in ipſa Moſis Lege expreſſe vetitum fuerat, alterius uxorem concupiſcere. Quare ſi id modo Chriſtus quoque dicere voluiſſet, nec quidquam novi dixiſſet, & ſemetipſum deridendum præbuiſſet, qui duo diverſa præcepta, tanquam ſi unum tantum eſſent, ſimul junxiſſet. Et quidem ii, qui volunt Chriſtum Legi Moſis nihil addidiſſe, hac ratione utuntur, quod iſtud ipſum quod Chriſtus docet, in ipſa Moſis Lege expreſſum eſſet, non animadvertentes ex hoc ipſo conſequi, non poſſe fieri, ut id, quod Chriſtus dicit, ſit explanatio præcepti illius legali, ad quod Chriſtus dictum ſuum accommodat. Nam quomodo poteſt id eſſe explanatio, ſeu ad explanationem pertinere alterius, quod diverſum & diſtinctum quiddam ab eo ſit? Sed nimirum, in hunc errorem & abſurditatem inciderunt iſti, quia Chriſti verba non bene perpenderunt, neque id animadverterunt quod diximus, Chriſtum, non ſimpliciter peccatum eſſe ſtatuere, concupiſcentiam iſtam, ſed eam adulterii loco ducendam eſſe, quod in ipſa Lege neque expreſſe nec tacite continebatur. Hæc eſt igitur, ut hinc de hac materia aliquid plenius dicere ordiamur, differentia inter Moſis præcepta circa maritatas mulieres, quod Chriſtus pro adulrerio habendum eſſe ſtatuit ipſam talis mulieris potiundæ cupiditatem: Moſes vero, quamvis cupiditarem iſtam diſerte prohibeat, non tamen illam adulterii loco ducit; quod vel ex eo apparet, quod cupiditatis iſtius quam prohibet, meminit non modo, ut dictum eſt, diſtincte à præcepto non adulrerandi, & præceptum de ea ſuum, ut diverſum ab iſto alio proponit: ſed etiam poſterioris hujus non ſtatim poſt prioris propoſitionem, ſed poſt inter poſita duo alia præcepta, mentionem facit: quod ſane indicat, præter præceptorum diverſitarem, magnam, quod ad pondus ipſorum attinet, inter utrumque diſtanriam, id eſt, multo majus peccatum eſſe adulterium, quam iſtam concupiſcentiam. Non tamen propterea credat quis, nos exiſtimare Chriſtum inter iſtam cupiditatem, & adulterium quod reipſa commiſſum fuerir, nullam differentiam ſtatuere, quamvis ex ipſiuſmet verbis, quæ apertiſſima ſunt, concluſerimus, illum qui talem cupiditatem habuerit, adulrerium commiſiſſe. Namque animadvertendum eſt, in ipſis Chriſti verbis aliquid contineri, quod nos hoc docere poteſt; verba inquam illa, *In corde ſuo*, quibus voluit hoc adulterii genus, ab illo, cum quis facto implet deſiderium ſuum, non obſcure diſtinguere. Eſt tamen in hoc ipſo peccati genere cupiditas quædam, quæ nihil prorſus ab ipſo facto differt, quamvis ad effectum reipſa non perducatur: unde fit, ut nulla prorſus ſit ſtatuenda differentia inter ejuſmodi peccatum & factum ipſum, iſtaque cupidiras pro ipſo facto, quatenus ad magnitudinem peccati attinet, in omnibus & per omnia habenda ſit: ea eſt, cum quis ita alterius uxorem concupiſcit, ut etiam per ipſum nullo modo ſtet, quin ad effectum ſuum cupiditas iſta perveniat: immo eo res deveniat, ut præter ipſum nudum ac ſimplex factum, quicquid ad tale peccatum pertinet committendum & reipſa faciendum, id factum ac patratum reipſa fuerit; ut ſi quis vel cum propria uxore, vel cum alia fœmina quæ maritata non fuerit, reipſa concumbat, credens ſe plane cum maritata fœmina concumbere. Atque hujuſmodi peccatum, quin in ipſa etiam Moſis Lege adulterium coram Deo exiſtimari deberet, & nulla inter ipſum & adulterium reipſa patratum, quod ad magnitudinem peccati attinet differentia conſtitueretur, nihil prorſus eſt dubitandum; nec de tali cupiditate ad effectum, ſi deliberata hominis voluntas inſpiciatur, omnino perducta, loquitur hoc loco Chriſtus: ſic enim Legi Moſis revera nihil addidiſſet, idque docuiſſet, quod jam ſatis omnibus certum eſſe poterat. Et ſane ex ipſiuſmet verbis manifeſte apparet, illum de ejuſmodi cupiditate minime verba facere, cum ait:

Si quis aſpexerit &c. Ex quibus verbis apparet, illum de ſola cupiditate, etiam factis ipſis deſtituta, verba facere, & breviter, de ea cupiditate quidem loqui, quæ in Moſis Lege jam prohibita fuerat; ſed tantum, ut dictum eſt, hoc Legi Moſis addere, quod ipſam adulrerium quoddam eſſe ſtatuit, id quod à Moſe factum non fuerat. Eſt autem iſta cupiditas diſtincta ab ipſo facto, & ab ea cupiditate, quam docuimus pro ipſo facto, ratione quidem ipſius peccati, omnino haberi, deſiderium illud fruendæ maritatæ mulieris, quod formatum, ut ſic dixerim, in corde hominis fuerit: unde cogitare jam incipiat, quomodo illud aliquando ad effectum perducere poſſit. Eſt, breviter, ejuſmodi deſiderium cui quis aſſentiatur, eoque ſe quodammodo oblectet. Nam cum eſt tantummodo primus quidam motus concupiſcendi, tunc nec deſiderium, proprie loquendo, dici debet, nec in hominis poteſtate, qui habitum virtutis caſtitatis adeptus non fuerit, ullo modo eſſe videtur, & ſi tamen aliquo modo eſt, nulla ratione credendum videtur, Chriſtum talem cupiditatem adulterii loco duxiſſe. Illud certum, judicio meo, eſt, ejuſmodi cupiditatem, cui quis nullo prorſus modo conſentiat, non fuiſſe comprehenſam præcepto illo Moſis de non concupiſcendo; & vix propter rationem proxime allatam, quod ea non videatur in poteſtate hominis eſſe, etiam ſub ipſo Euangelio, peccati ullam rationem habere, quicquid contra complures diſputent. In ea porro cupiditare, quæ & peccati rationem omnino habet, & cum eſt potiundi maritata muliere, à Chriſto cordis adulterium eſſe dicitur, ſunt gradus quidam, qui poſſunt peccatum à peccato diſtinguere, non quidem quod attinet ad ipſum peccati genus: nam ubique adulrerium eſt, ſed quod attinet ad peccati gravitatem. Nam ſine dubio gravius quis peccat, & ad verum ac proprium adulterium reipſa patratum propius accedit is, qui multa facit ac tentat, ut iſtam ſuam cupiditatem expleat, quam is, qui ejuſmodi quidem cupiditate aliquo modo eſt irretitus, ſed tamen non admodum curat ut illam ad effectum perducat. Veruntamen, quantavis diligentia utatur ut cupiditatem iſtam expleat, niſi eo res perveniat, ut, quemadmodum antea diximus,

mus,

nus, ipsum merum factum tantummodo desit, non quidem ullo pacto ob deficientem voluntatem hominis, sed quia illa, quamvis plenissima ac deliberatissima, & quæ, quantum in se fuit, ipsum illud factum admisit, quominus admitteret casu aliquo impedita fuerit, nisi, inquam, huc res deveniat, nullo modo est existimandum, nihil prorsus interesse inter cupiditatem istam effectu carentem, & illam quæ suum effectum plene habet, quantumvis pertinet ad ipsum peccatum & reatum qui inde proficiscitur. Potest enim quis, qui nondum istuc devenerit, quantavis alioqui cupiditate talis peccati admittendi incensus fuerit, mutare sententiam, &, ubi ad ipsum factum perpetrandum deventum fuerit, atrocitate sceleris ab ipso reipsa perpetrando deterreri. Et hæc volumus in præsentia satis esse, pro materia ista hoc loco tractanda: sic enim arbitramur unicuique satis constare quæ hic fuerit Christi mens, quâ integre perceptâ, non est cur quicquam aliud in præsentia quæramus. Quare jam ad verba, quæ hujus suæ doctrinæ caussa vel occasione addenda Christus censuit, explicanda accedamus. Nam quod ea, quæ hactenus dixit, occasionem illi dederint ista alia dicendi, res ipsa loquitur. Inquit enim

Vers. 29. *Si autem oculus tuus dexter te scandalizat, erue eum* &c. Nimis siquidem apparet, hæc verba referenda esse ad id, quod dixerat, *Quicumque viderit mulierem* &c. Nam hoc loco docere vult, ita debere quemque abstinere, ne visa muliere eam concupiscat; ut, si alioquin ab hac concupiscentia liber esse non possit, præstet oculos ipsos sibi eruere. Qui tamen loquendi modus figuratus esse potest, & significare, ab omni tali aspectu diligentissime cavendum esse, & talem se hac in re præstare unumquemque debere, qui periculo isti sit obnoxius, ac si oculis careret, ipsosque ipse sibi hac ratione, nempe ab aspectu tali prorsus continendo, quodammodo eruisset, & procul à se abjecisset. Cur autem Christus, & tantummodo oculi unius, & quidem dextri, mentionem fecerit, non parum difficile explicatu videtur. Nam si oculi tantum singulari numero meminisset, & dextri appellationem non addidisset, usus fuisset figura sermonis satis usitata, & quæ in ista ipsa loquutione vulgo usurpari solet, ut oculus, pro oculis ponatur: sed additum illud Dexter, rem difficiliorem facit, & abhorrentem ab usu loquendi communi. Mihi, in præsentia, videtur Christus voluisse diserte ita loqui, ut unum tantum oculum nominaret, quo sibi viam sterneret, ad id subjiciendum quod statim sequitur, & ad oppositionem illam faciendam, inter unum membrum, & totum corpus. Et hoc pacto magis quodammodo id persuadendum, quod voluit. Inquit enim, propterea se ita loqui, quia præstet ut unum ex nostris membris pereat, quam ut totum corpus in gehennam conjiciatur. Habetis, meo judicio, rationem, cur numero singulari in oculis nominandis; & quidem ita, ut videatur omnino oculum unum duntaxat intelligere, uti voluerit Christus. Restat, ut aliquid dicamus de eo, quod oculum dextrum diserte nominavit: neque enim hoc videtur quicquam referre, ut dexter magis quam sinister hoc loco nominetur, cum utriusque oculi eadem plane vis esse videatur, & potuerit Christus oppositionem illam, quam diximus, facere, eandemque vim atque elegantiam suæ monitionis retinere, si dixisset, unus sive alter ex oculis tuis. Cur igitur, inquam, nihilominus dextrum nominare voluit, nulla alia mihi ratio melior nunc succurrit quam ista, quod etiamsi eadem prorsus sit vis atque facultas dextri, quæ sinistri oculi: nihilominus tamen dextri vulgo in hominibus, qui plerique nec scevolæ sunt, nec ambidextri, major quam sinistri potest esse usus: quippe qui ab ea ipsa parte sit, ubi illa manus est quâ potissimum quis utitur, & propterea consequen[ter] ab illa parte, à qua operationes hominis potissimum fiunt, unde merito videri potest, dextrum oculum plerisque hominibus chariorem aliquanto esse debere quam sinistrum; & propterea Christus, cum unum tantum oculum nominare vellet, voluisse diserte dextri mentionem facere, ut ostenderet, quantumvis charum aliquod membrum sit, præstare tamen eo quodammodo se ipsum privare, quam totum suum corpus perdere; & consequenter, præstare abstinere ab aspectu mulieris, quamvis inde succedat quasi exemptio quædam sibi ipsi membri unius sui corporis, quam illam aspicere, & aspiciendo concupiscere; unde sequatur totius corporis in gehennam conjectio. Jam enim, ut vel ex hoc loco intelligere possumus, in populo ipso Judaico vulgo receptum erat, eum, qui adulterium commisisset, dignum esse gehenna ignis; quæ quid sit, supra explicatum à nobis fuit, & Christus jam dixerat, eum, qui aspiciendo maritatam mulierem concupisceret, adulterium committere. Non probat igitur Christus, fore, ut in gehennam ignis is conjiciatur qui adulterium commiserit, sed, quando & id vulgo credebatur, & verissimum est, tales homines dignos esse æterni ignis pœna, satis habuit id simpliciter affirmare & pro concesso ponere.

Vers. 30. Quod de oculo dextro Christus dixerat, idem statim subjungit de manu dextra; quod quidem nihil videtur ad ejus propositum facere, cum de videndo tantum & concupiscendo proxime loquutus fuisset, quibus in rebus manus, seu sinistra seu dextra, nullum locum aut munus habet; itaque dicendum est, aut Christum hac occasione dextri oculi, quid ad propositum faciebat, à se commemorati, tanquam digressione quadam utentem quiddam dixisse, quod alioquin plane extra ipsius propositum esset, ut scilicet, hac occasione sibi oblata, moneret in genere atque universe, debere hominem, suum ipsius bonum amantem, omni suo ipsius commodo præsentis vitæ potius carere, & res ipsas sibi carissimas abjicere, quam peccatum aliquod comittere, unde æterni ignis fiat reus: aut sentiendum nihilominus, ut antea nulla sit facta mentio rei, ad quam manus expresse referatur, non tamen extra ipsum propositum Christum loquutum fuisse, cum manus ad adulterii peccatum, de quo Christus loquutus fuerat, pertinere possit; ut scilicet, quemadmodum Christus monuit, ut quis ab aspiciendo abstineat, ubi concupiscendi sit periculum: sic etiam à quolibet vel minimo contactu, si idem periculum appareat, abstinendum esse doceat: & interim tacite commonefaciat, sive aspiciendo sive tangendo excitetur in nobis cupiditas ista, eam esse adulterii loco ducendam, & dignam, vel si quis in ea perseveret, vel alioquin nisi misericordiæ Dei ratio habeatur, æterna condemnatione. Verbum Scandalizare, quo utrobique & cum de oculo & cum de manu Christus loquitur, uti voluit, significat sine dubio facere, ut quis impingat, id autem metaphorice facit ut impingas, quod caussa est ut pecces, nec ullus lapsus gravior aut nocentior ipso peccato esse potest. Non est quod quicquam hic dicamus, cur Christus manum dextram potius quam sinistram nominaverit; cum satis illa sint quæ de dextro oculo diximus; illaque multo magis in manu quam in oculo, suam vim & locum habeant; cum nemo nesciat, manus dextræ, in plerisque hominibus multo majorem usum esse, quam sinistræ; atque ejusmodi membrum, propter necessarias homini operationes illi longe esse charissimum.


Vers. 31. Postquam Christus, de quibusdam decalogi ipsius præceptis egit, quibus addere aliquid, eave perficere voluit, ad alia transit, quæ ad ipsam quidem Mosis Legem pertinent, sed in ipso decalogo non habentur, & primo loco agit de divortio, seu repudio uxoris, & ait, *Dictum autem est, si quis dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii.* Hæc verba, & iste expressus modus præcipiendi quod attinet ad libellum repudii dandum, non habentur diserte in ipsa Mosis Lege; quamvis non desint, qui ita locum vertant ex Hebræo, unde sententia ista petita est, ut contineat ejusmodi

præcipiendi modum. Verum, si quis rem diligenter examinet, & verba omnia totius illius contextus accurate perpendat, videbit illa quidem reipsa præceptum istud continere; sed tamen non expresse ac diserte, ut Christi verba ferunt. Tota enim vis istius rei est, in verbo illo, *Et scribet* &c. Quod in prædicto loco legitur Deuteronomii videlicet cap. 24 in ipso initio; utrum scilicet verbum istud præceptive, an vero enunciative accipi debeat. Certum enim est, utrovis modo ipsum per se accipi posse; verum ex filo ipsius orationis, & ex secundo principali membro totius illius contextus, ubi agitur de eo, qui repudiatam uxorem duxerit; & postea & ipse illam repudiaverit; ubi quoque idem prorsus verbum habetur, quod isto posteriore in loco nullo pacto præceptive accipi potest; sed ut enunciative accipiatur necesse est, satis evidenter constat, in priore quoque loco non præceptive, sed enunciative accipiendum esse; atque intelligendum, totam orationem suspensam esse usque ad versiculum quartum, in cujus initio est verbum, ad quod tota ista oratio refertur; nempe *Non poterit* &c. Veruntamen, est nihilominus, ut ita res se habeat, reipsa in loco isto præceptum aliquod, circa hanc ipsam libelli repudii scriptionem: manifeste enim, etiam secundum istam ipsam loci lectionem atque interpretationem, ibi requiritur, si mulier ista legitime demissa ac repudiata censeri debeat, ut illi, inque ejus manum datus fuerit à marito, qui illam dimiserit, repudii libellus. Nec aliter possunt accipi verba Christi, quæ hac de re facit, neque enim intelligendum nude ac simpliciter est, illum voluisse dicere, dictum fuisse ut detur libellus repudii uxori, quæ dimittitur, quasi hoc ipso peccaturus fuerit maritus, si uxorem dimittens non dederit illi libellum repudii, sed dictum fuisse, non esse validam, neque efficacem ac juridicam dimissionem, nisi datus uxori à viro fuerit repudii libellus. Itaque breviter statuendum est, in ipsa Mosis Lege id reipsa fuisse scriptum, quod Christus dictum fuisse hoc loco affirmat, sed tamen nihilominus statuendum simul videtur, Christum hic propterea non dixisse, ut in duobus superioribus locis, dictum fuisse antiquis, sed simpliciter, dictum fuisse, propter eam caussam, quod diserte in ipsa Lege non ita legeretur ut ejus verba sonant, & vulgo in populo dictum & auditum jam diu fuerat. Perpenso eo, cui Christus sua verba opponere in animo habebat, videndum est de ipsis ei oppositis verbis, quæ hoc continent, non licere uxorem dimittere nisi propter stupri caussam; & qui citra hanc caussam uxorem dimiserit, eum dare illi occasionem adulterandi; & si quis ita dimissam duxerit, ab isto adulterium committi. Ex quibus Christi verbis atque sententia, illud primum liquet, verba vel sententiam Legis Mosaicæ, quam hic reformat Christus, eam præcipue esse, quod liceret uxorem dimittere multas ob causas; adeo, ut simpliciter dici possit, sub Mose licuisse uxorem dimittere, quemadmodum alibi idem Christus satis aperte docet ac loquitur, nempe cap. 19 ejusdem Euangelistæ, ubi ait ad Pharisæos, qui illum de tota re interrogaverant, *Moses propter duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Quare nihil est dubitandum, quin, quemadmodum ipsa Christi verba ipso in loco ferunt, Christus hic dicere voluerit, Mosen quidem permisisse multas ob caussas dimittere uxorem, se vero id non permittere, nisi ob caussam stupri; quamvis non desint, qui valde audacter ac confidenter ausint affirmare, hac ipsa in re nullam differentiam inter Mosen & Christum esse, quam tamen communiter, & fere omnes illi ipsi agnoscunt, qui contendunt, Christum in hoc sermone suo Legem Mosis nullatenus reformare; sed tantum ejus falsas interpretationes rejicere. Jam, quod diximus de multis caussis, propter quas permittente Mose liceret uxorem dimittere, propterea dictum à nobis fuit, quia non plane constat, ob quamvis caussam id facere licuisse, nec Christus prædicto cap. 19 interrogatus à Pharisæis, an ob quamvis caussam liceret id facere, ita respondet, ut omnino statuere possimus, id sub Mose licuisse; sed tantum, ut ejus verba habent, permissum à Mose fuisse uxorem dimittere; quæ sententia vera est, etiamsi non ob quamvis caussam; sed tantum ob multas id facere Moses permisisset. Verba quidem, quæ habentur in ipsa Lege Mosis, sunt ejusmodi, ut possit hac de re dubitari. Inquit enim ibi Moses, *Si invenerit in ea turpitudinem aliquam.* Hinc enim colligi posse videtur, non ob quamvis caussam, sed tum demum, si turpitudinem aliquam in ipsa invenerit, permisisse Mosen viro uxorem dimittere; quamvis ex altera parte videri possit, ista verba exemplum tantum rei de qua agitur continere; id est, exemplum in illis dari caussæ, propter quam uxor non fuerit grata viro, seu, ut Hebræa ipsa loquutio habet, *Non invenerit gratiam in oculis ejus*, adeo ut res valde dubia videatur, nec sane ausim ego quicquam certi de ipsa statuere: crediderim tamen intelligendum esse, quod attinet ad ipsum civile forum, quod Theologi forum fori appellare solent, licuisse per Mosen ob quamvis caussam uxorem dimittere; nec necesse habuisse virum caussam dimissionis suæ proferre, & multo minus, eam magistratui approbare, sed, ut dimissio ista juridica esset, satis fuisse, ut id fieret, quod in Lege Mosis expressum est, de dando in manus ipsius mulieris libello repudii. Verum, quod attinet ad conscientiam, & ad forum spirituale ac divinum, quod forum Poli à Theologis vocitari solet, peccasse etiam sub Mose ipso eum, qui ob caussam non legitimam uxorem dimisisset, id est, non talem, quæ vel eadem ipsa sit, vel ei similis quam in ipsa Lege scriptam legimus; quæ, ut dictum fuit, est turpitudo aliqua quam in uxore maritus invenerit.

Postquam vidimus, quid Moses hac in re dimittendæ uxoris permiserit, quid non, necesse est ut diligentius consideremus quid Christus ipse permittat, aut non permittat, quidve sub Christo hac in re liceat, aut non liceat. Verba quidem Christi & hic & alibi, id est, prædicto cap. 19, omnino ferunt, ut unam tantum ob caussam uxorem dimittere sub ipso Christo liceat, id est, ut dictum fuit, ob caussam stupri. Est autem in Græco vox πορνείας, quæ generalis quædam vox esse videatur, quæ omnem concubitum significet non licitum, quamvis alioqui soleat πορνεία, ab adulterio manifeste distingui, ut scilicet adulterium sit, cum vel vir cum aliena uxore rem habet, vel mulier cum alieno marito. Cum enim quis uxorem habens, cum muliere alia concumbit, etiamsi ipse adulterium non committat, committit tamen mulier ista, vel cum mulier maritata cum eo qui ejus vir non sit, quamvis alioquin cum soluto rem habet. Aperte enim Paulus cap. 7 Epistolæ ad Romanos ait, illam mulierem esse adulteram, quæ cum virum habeat alii viro conjungitur, neque enim hac in re par, secundum quidem ipsam Legem fuit, conditio viri & uxoris; quemadmodum neque in dimittendi negotio pares ullo modo fuerunt, cum non similiter, ut viro uxorem, liceret uxori virum dimittere; ita ut dubitari possit, an idem sub Euangelio censendum sit; & quidem, quod attinet ad dimissionem, cum nusquam expressum in Novo Testamento legatur, quod uxori maritum dimittere liceat, non crediderim, etiamsi maritus cum alia muliere rem habuerit, liceri uxori ipsum dimittere; quamvis persuasus sim, sub Novo Testamento, etiamsi id non erat sub Vetere, talem viri concubitum esse adulterium; cum nihil dubitem, non licere sub Testamento Novo, vel plures unà uxores habere, vel præter uxorem suam cum ulla alia concumbere; dubium tantum de eo, quod diximus, judicio nostro, sub Euangelio mulieri non licere, facit id quod legitur 1 Cor. 7, ubi scriptum est, *Si mulier habeat maritum infidelem, & ille habitare consentit cum ea, non debere eum dimittere*; quæ verba indicare videntur, aliquem casum esse, in quo liceat uxori virum dimittere, & quidem tunc cum is infidelis fuerit, nec consentiat cum ipsa habitare. Quare simili-

similiter dubitandum videtur, ne propter istam à Christo expressam adulterii caussam, ob quam liceat viro dimittere uxorem, vicissim uxori liceat dimittere virum, præsertim cum dicto loco ad Corinth. in dimittendo nec ne propter infidelitatem, omnino uxor viro æquiparetur. Verum tamen non putaverim, recedendum esse à sententia quam paulo ante exposuimus, ut non liceat mulieri virum suum dimittere, quamvis in adulterio deprehensum. Nam ad prædictam ratiocinationem, ex Pauli verbis ductam, dupliciter responderi potest. Primum, nihil impedire, quominus verbum dimittendi eo in loco, non omnino significet ita dimittere, ut verum divortium fiat; quemadmodum alioqui verbum istud, in hac materia, sine dubio significat, ut postea docebimus: sed ut in significet, quod vulgo inter pontificios thori separatio appellatur, quod passim tamen in Polonia divortium valde improprie appellatur; vel, si tamen quis velit, verbum istud in illis Pauli verbis consuetam vim retinere, nihil obstare, quin istam vim suam, tunc tantum retineat, cum mentio fit viri, qui dimittat; non etiam, cum fit mentio uxoris dimittentis, quippe quod aliunde constet, viro licere, seu sub Novo, seu sub Vetere Testamento, propter caussam aliquam ita dimittere uxorem, ut verum divortium cum illa faciat, & matrimonium inter ipsum & illam penitus dissolvatur, quod, ut dictum fuit, nusquam alibi de muliere legitur; nec quicquam est absurdi, si unum idemque verbum, in eodem verborum contextu, modo propria ac pleniore, modo impropria, ac minus plena significatione accipiatur. Altera ratio ad prædictam ratiocinationem respondendi est, quod quando vir cum uxore, vel uxor cum viro habitare nullo prorsus modo consentit, tunc, etiamsi alter eorum qui alioquin consentit, vere ac proprie separetur, ita ut etiam ad novas nuptias transeat, non potest tamen dici dimittere conjugem, cum is proprie dimittat, qui cum possit habere & frui, id renuit, adeo ut casus iste, ubi altera pars non dat se habendam & fruendam, nullo modo videatur pertinere ad Christi præceptum de non dimittenda uxore, & necesse sit fateri, alio, ex parte, sensu, usum fuisse Paulum Dimittendi verbo, quam Christus usus fuerit; etiamsi effectum, qui isto verbo significatur eundem alioquin utrobique esse velimus, ut scilicet, & Christus & Paulus de ejusmodi dimissione loquatur, qua divortium contineatur & facultas ad novas nuptias transeundi.

Sed jam ad ipsa Christi verba perpendenda & accuratius discutienda veniamus, eaque cum iis, quæ infra cap. 19 habuit, conferamus. Quemadmodum igitur, ut antea diximus, quando de eo ait, quod in Mosis Lege circa hoc negotium dimittendæ uxoris permissum sit, apertius & clarius loquitur infra quàm hic; sic in monitione sua proponenda, ibi clarius quam hic suam mentem explicat. Hic enim tantummodo dicit, non licere uxorem dimittere, nisi propter unam tantum caussam, nihil diserte pronuncians, an ista dimissa liceat aliam ducere: ibi vero diserte aliam ducendi mentionem facit, quod dicit, non licere nisi propter hanc ipsam caussam. Quamquam sine dubio enunciatum illud ipsum per se, quod hic habemus, licere, scilicet, propter istam caussam uxorem dimittere, satis docet, etiamsi id ita expressum non fuerit, licere aliam ducere. Proprie enim uxorem dimittere est eam liberare à nexu illo conjugii, quem habet cum eo qui illam dimittit, & suæ quodammodo potestati illam reddere, suæ, inquam, ipsius mulieris. Jam nexu illo conjugii dissoluto, sequitur necessario (nam idem utrumque est) neutrum alterius esse conjugem, & consequenter, licere viro aliam ducere uxorem; cum aliud nihil impedire possit, quominus aliam ducat, nisi quia jam conjugem habeat, aliive mulieri conjugii jure sit obstrictus. Et sane ad redarguendos errores pontificios, qui sentiunt, nec etiam propter ipsam adulterii caussam hic expressam, licere viro aliam ducere uxorem; sed tantummodo ei à Christo permitti, ut cum ipsa non habitet, satis erat id, quod hoc loco Christus pronunciat, cum Dimittendi verbum, ubi de uxore est sermo, sine dubio, proprie loquendo, hanc significationem habeat; sed tamen ut melius ipsorum error appareat, bene fuit, quod divina providentia factum sit, ut & Christus alias apertius hac de re sit loquutus; & ejus verba literis perpetuæ memoriæ tradita. Namque præterea ex altero isto loco ipsa significatio simplicis verbi dimittendi uxorem, quam nos asserimus, facile probatur. Interrogant enim ibi Pharisæi Dominum, an liceat propter quamvis caussam dimittere uxorem; ubi sine ullo dubio intelligunt, an liceat verum divortium & conjugii solutionem cum uxore ob quamlibet caussam facere: id quod satis apparet, cum postea Christi responsioni objiciunt, dicentes, *Cur ergo Moses præcepit dare libellum repudii, & dimittere ipsam?* Ex quibus etiam solis verbis, & per se consideratis liquido constat, tunc dimitti uxorem cum repudiatur, & sic matrimonii nexus solvitur. Quia vero, ut apertius Christi mens intelligatur, jam quodammodo locum illum alterum cum hoc nostro conjunximus, non abs re esse videbitur de iis agere, quæ præcipue ex istis duobus locis simul junctis, vel etiam ex altero illorum tantum colligi posse videantur. Et primum diligenter inspiciendum est, quomodo sit intelligendum, quod propter caussam adulterii tantum liceat ita uxorem dimittere, ut alia duci queat. Nam hoc aperte ex istis locis colligi jam satis docuimus. Sunt igitur, qui Christi verba non ita præcise accipienda ducant, ut non sint aliæ quædam caussæ præter istam adulterii, propter quas hoc totum liceat: præsertim, si sint ejusmodi, quæ videantur aut paris, aut majoris etiam ponderis, quam adulterii ipsius caussa; multasque rationes & absurda ad id comprobandum afferunt; quæ alioquin inde consequerentur. Nos vero difficillime adduci possumus, ut credamus aliam ullam esse caussam, propter quam sub Euangelio istud facere liceat, præter istam unam tantum adulterii à Christo expressam, cum ipsa satis diserte sola esse dicta sit ab ipso Christo, propter quam id liceat: nec arbitramur in veniri casum ullum, qui possit talem difficultatem hac in re parere, quæ insolubilis videatur; nisi, si dimissionem uxoris eam interpretemur, quæ revera non est, quemadmodum antea attigimus, & in Pauli verbis 7 capitis ad Corinthios contingere docuimus, scilicet, quemadmodum ibi evenit, vir proprie loquendo, non ipse dimittat uxorem, sed illa ab ipso se omnino separet, nolitque cum ipso habitare: constat enim, in ejusmodi casu, quamvis improprie dici possit istam à marito dimitti, quæ ita se gerat ac si illa ejus uxor non esset, tamen proprie loquendo id dici non posse, cum ipse vir ejus rei non sit auctor, & fieri possit, ut ipse vel ardentissime desideret illam habere, & alioqui reipsa habiturus libentissime esset, nisi per ipsam staret quominus id fieret; idem sentiendum videtur, cum uxorem quis habet, quæ usui matrimonii sit, aut reddita fuerit prorsus inepta: tunc enim non habet locum vera & propria dimissio, quæ, ut modo attigimus, requirit, ut vir ejus sit auctor, quod in ejusmodi casu non contingit, cum caussa totius disjunctionis quæ hic contingeret, non à viro, ejusve voluntate, sed ab accidente illo quod in uxore emersit, aut etiam ab initio fuit, ortum ducat; unde factum est, ut ipsi pontificii, qui verum divortium opera viri factum, & ab ipsius voluntate plane proficiscens, nullo pacto, ne propter adulterium quidem, admittere velint; tamen propter ejusmodi accidens dissolutionem matrimonii, tam viro quam mulieri, si in viro idem acciderit, eam petenti concedant; & utrivis in ejusmodi casu permittant ad alias nuptias transire; quod nos non semel usu ipso comprobatum apud ipsos vidimus. Non sunt igitur casus ejusmodi referendi ad uxoris dimissionem, de qua Christus ait, nec censendum, vel Christi verbis, propter paritatem aut majoritatem, ut lo-



ut loquuntur caussæ, eos omnino comprehendi, vel exceptiones esse ad regulam quam Christus proponit. Non videtur autem nobis hic locus diligentius disputandi de singulis casibus, quibus isti volunt licere sub ipso Euangelio cum uxore divortium facere, & caussas ipsas accuratius examinandi: satis sit in genere sententiam nostram, cum ipsis Christi verbis plane consentientem, protulisse, & ostendisse eos casus, ubi sine caussa adulterii liceat nihilominus divortium facere, huc proprie loquendo minime pertinere.

Restat ut videamus quid sentiendum sit de iis, qui volunt etiam sub Euangelio licere plures uxores ducere, non quidem quia hic sit locus quæstionem istam tractandi atque explicandi; sed tantum quia ex altero illo loco, quamvis non ex isto nostro, colligi aperte videtur istos nimium falli. Verba alterius loci, ex quibus id colligi aperte possit, sunt illa, *Et aliam duxerit.* Nulla enim fuisset caussa, ut Christus istud adderet, si plures uxores habere liceret: Nam certe, si id sub ipso Euangelio concessum esse intelligi deberet, istud *Aliam uxorem duxisse*, & improprie dictum fuisset, & nihil ad rem faceret. Nam quod ad proprietatem loquendi attinet, videtur isto in loco vocem *Aliam* significare, quod ista alia loco dimissæ ducatur; quod adeo verum est, ut ii, qui vim hotum verborum effugere velint, dicant, ea ita intelligenda esse, ut loco dimissæ uxor ista alia ducatur, ut scilicet ad id respondeant quod nobis secundo loco explicandum erat, quod scilicet ea verba nihil ad rem facerent, si liceret plures uxores habere, cum ex illis hoc unum, idque apertissime efficiatur, ubi quis uxorem ob aliam caussam quam adulterii dimiserit, non licere illi aliam ducere, cui prohibitioni nullus potest esse locus ubi pluralitas uxorum concedatur, adeo ut non tantum ad rem verba ista non facerent, si liceret eodem tempore plures uxores habere; sed ex illis omnino contraria sententia pluralitati uxorum manifeste concludatur. Ut enim inquam, ad hanc ratiocinationem respondeant, ajunt verba Christi ita accipienda esse, ut intelligat, cum quis non simpliciter uxorem ducit post jam dimissam, sed cum loco dimissæ ducit. Atqui hoc nugatorium omnino est, si plures uxores ducere liceat: quomodo enim tunc dici potest, ut loco dimissæ ista alia ducatur, quæ duci poterat etiam altera non dimissa, nec sane ostendere unquam poterunt isti, quomodo stante jure ducendi & habendi plures simul uxores, una alterius loco duci possit. Itaque ut istud tamen, quod ex verbis Christi colligitur, locum habere queat, ut scilicet posterior loco prioris ducatur, quod & isti ipsi non modo concedunt, sed etiam urgent; necesse est fateri, non esse sub Euangelio jus plures una uxores ducendi eodemque tempore habendi. Nec sunt in illis Christi verbis ac sermone, infra cap. 19, tantum verba ista de quibus modò egimus, unde probari possit non licere sub Euangelio plures uxores simul habere, sed alia etiam ex quibus constare videtur, rem esse abhortentem ab instituto Dei plures una habere uxores, adeo ut id sub ipso Verere Testamento censeri debeat non aliter permissum fuisse, quam divortium etiam extra caussam adulterii. Christus enim ibi ab initio suæ responsionis, ad interrogationem Pharisæorum, qui illum tentantes quæsierant ab ipso, num liceret homini dimittere uxorem suam propter quamlibet caussam, eos quodammodo reprehendit quod ita interrogent, quasi non legerint id, quod scriptum est apud Mosen, ubi describit hominis creationem. Nam eo in loco dicitur marem & fœminam ita ab initio fuisse creatos, ut duo in carnem unam futuri essent. Quod nimirum ex ipso eos creandi modo alioqui etiam intelligi poterat, cum ex ipso viro, exque ejus carne ac corpore sumptum id fuerit, unde formata est mulier, quæ ei pro socia & uxore data est. Unde Christus concludit, viri, & uxoris conjunctionem, à divino instituto ab ipsius creationis initio pendere; unde consequatur, non debere tale vinculum humana ratione dissolvi, nec homines adeo audaces esse debere, ut id quod Deus conjunxit ipsi separent. Atqui vis totius istius Christi ratiocinationis ejusmodi est, ut non modo divortii prohibitio, sed etiam plurium uxorum uno tempore habendarum interdictum inde colligi posse videatur. Quomodo enim verum erit, tantam esse conjunctionem inter virum & uxorem, quantam verba illa, *Et erunt duo in carnem unam*, præ se ferunt, & modus creationis viri & mulieris docere videtur, si liceat uno & eodem tempore plures habere uxores. Neque enim jam erunt duo in carnem unam, id est non erit vir totus cum sua uxore conjunctus, ac si unum corpus, uterque essent, cum non uni tantum sed pluribus is adhærere debeat, & cum pluribus arctissime conjungi, quod cum arctissima illa conjunctione consistere nullo pacto posse videtur, cum arctissima illa conjunctio non possit cadere, nisi inter duos tantum, nec possit vir totus esse uxoris suæ, ut conjunctio ista omnino requirit, nisi unius tantum. Nam ubi plures sunt, necesse est, ut non ex toto sed ex parte tantum vir, partim hujus partim illius uxoris fiat. Idem quod verba illa ac sententia, quod futuri essent duo in carnem unam ostendit similiter, ut ante attigimus, modus ipse creationis, præsertim eo perpenso, quod non modo uxor ex viro sumpta est, quod arctissimam illam conjunctionem declarat, sed etiam, una tantum mulier ex viro formata est, non plures; & una tantum uxor viro in ipsa creatione data, & non plures. Consentit autem cum eo, quod colligi docuimus ex vi ratiocinationis Christi; id quod Paulus scribit ad Ephes. cap. 5, ubi conjugium viri & uxoris comparat conjunctioni Christi cum Ecclesia, & hujus rei occasione, meminit ejusdem illius antiquissimæ sententiæ, *Et erunt duo in carnem unam.* Ibi enim ita loquitur Paulus, ut satis constare videatur, quemadmodum Ecclesia una tantum est Christi sponsa sive uxor; sic etiam viri unam tantum sponsam & uxorem esse debere, & arctissimam illam conjunctionem, quæ est inter Christum & Ecclesiam, in ipso viri & mulieris conjugio adumbratam fuisse; quod fieri nullo pacto potuit, si conjugium istud arctissimam conjunctionem in se non habeat: non habiturum autem, si plures una uxore habere viro liceat, satis paulo ante ostendimus. Quid quod idem Paulus cap. 7 prioris ad Corinthios pronunciat, nec mulierem maritatam sui ipsius corporis potestatem habere, sed virum: nec virum similiter uxoratum sui ipsius corporis habere potestatem, sed uxorem? An non pronunciatum hoc manifeste indicat, unam tantum cujuslibet viri debere esse uxorem, quæ potestatem corporis sui viri habeat, cum id nullo pacto fieri possit ubi sunt plures? Sic enim nulla ex ipsis poterit dici, potestatem corporis viri sui habere, cum nulla id corpus totum possideat, sed ex parte tantum. Multa alia Apostolus, & ibi, & alibi, cum de viris & uxoribus loquitur, enunciat ac docet; ex quibus satis unicuique non rudi, nec contentioso homini constare potest, quemadmodum uni mulieri plures maritos habere non licet, nec unquam licuit, sic uni tantum viro plures habere uxores, nec sub Euangelio ullo modo licere, nec aliter sub Lege & ante Legem licuisse, nisi ex conniventia quadam divina; non autem quod ab ipso creationis initio satis unicuique constare non potuerit, id cum ratione Deique ipsius instituto pugnare. Sed non est hic locus omnia quæ ad hanc materiam pertinent, vel accurate perpendendi, vel etiam commemorandi, satis instituto nostro factum fuerit, si, quid ex Christi verbis, quæ capite illo 19 habentur, & quæ cum iis quæ in loco nostro leguntur conjungenda duximus, colligi possit, ostenderimus, quemadmodum nos fecisse speramus.

Est autem in ea historiæ Euangelicæ parte, quæ eodem 19 capite habetur, & quam supra commemoravimus, de interrogatione Pharisæorum, perpendendum verbum illud Euangelistæ, cum dicit, Pharisæos tentando Christum interrogasse: videtur enim

ver-

erbum istud Tentandi subindicare, ipsosmet Pharisæos satis intellexisse, non posse ex ipsa Lege apparere, quod sub ipsa licuerit quamlibet ob caussam uxorem dimittere, immo aliquod huic sententiæ contrarium inde colligi posse: qua in re vellent experiri, uid Christus pronunciaturus esset; & ea ratione occasionem fortasse habere illum accusandi atque erroris convincendi, quæ propterea dicimus, ut, præter l quod supra à nobis hac de re breviter disputatum est, x ipsa Pharisæorum interrogatione, & quo animo iterrogaverint Euangelistæ indicatione, agnoscamus sub ipsa Lege permissionem illam dimittendæ uxoris non fuisse perpetuam, nec ob quamlibet caussam, quod quidem attinet ad ipsam conscientiam, ut nte conclusum à nobis est.

Nunc ad ipsa Christi verba, quæ in loco nostro leguntur, perpendenda revertamur. Notandum igitur omnino videtur, quod Christus, cum vellet docere uxorem dimittere non licere, non uti voluit isto ipso oquendi modo; sed ait, quod, qui dimiserit ob aliam caussam quam ob adulterium, facit ut illa adulteret, & qui illam ita dimissam duxerit, adulterium committit. Quo loquendi modo magis ob oculos ponit, & quantum sit delictum dimittere citra prædictam caussam uxorem suam, & quomodo intelligendum it, quod id facere non liceat. Dupliciter siquidem id ntelligi potest, id est, vel simpliciter, quod is peccet qui id facit, vel quod præterea ipsius hoc factum irritum sit. Potuisset enim fieri, ut is quidem peccaret qui ita uxorem dimitteret, cum interim tamen dimissio ista non esset inanis, sed plane effectum suum retineret, atque efficeret ut jam illa non amplius esset ejus uxor, qui eam dimisisset; adeo ut videretur ex hoc ipso potissimum crimen & peccati reatum proficisci, quod iste reipsa & cum plenissimo effectu conjugium illud dissolvisset. Potuit, inquam, alioqui res ad hunc modum se habere, & hoc pacto intelligi, quod non liceat uxorem dimittere: sed Christus hanc sententiam aliis verbis exprimendo; & dicendo, quod qui ita uxorem dimittit, facit illam adulterare, & quod is, qui ita dimissam ducit, adulterium committit, apertissime significat dimissionem istam esse irritam; & sic ejusmodi dimittentem virum simul graviter peccare, simul nihil, quod ad jus attinet, efficere ejus quod quærit; cum nihilominus illa ejus uxor esse perseveret: alioqui, nullo modo verum esset, illum facere, ut Christus ait, istam adulterare, id est, dare illi caussam ut adulteret, nempe alii nubendo. Adulterium siquidem, ut supra ex Paulo docuimus, est mulieri virum habenti alii viro conjungi. Nam si liberata fuerit à Lege viri, jam, ut idem Paulus ait, non erit adultera vocanda si alii viro adhæreat: similiter, si verum esse debet id quod Christus ait, eum adulterium comittere qui ita dimissam ducat, necessarium plane est, eam non desiisse esse dimittentis uxorem. Neque enim dicitur vir, præsertim jam uxorem non habens, adulterium committere, nisi tunc, cum ei mulier jungitur quæ virum habeat. Potuisset, etiamsi Christus simpliciter dixisset non licere uxorem dimittere, tertius sensus, præter jam enarratos duos, inde colligi; quod scilicet, etiamsi ejusmodi dimissio esset irrita, non tamen is peccaret qui ejus autor esset; quod tamen Christus omnino docere voluit, & propterea sententiam suam, quæ utrumque complecti debuit, aliis verbis expressit; quibus, quemadmodum, ut vidimus, planum fit, dimissionem istam irritam esse, sic etiam non obscure significatur, talis dimissionis auctorem ea in re peccare. Certum enim est eum peccare, qui caussam peccandi alteri præbet. Atqui ex modo explicationis sententiæ suæ, quo usus est Christus, constat aperte, dimissione ista caussam peccandi dari non uni tantum, sed pluribus; hoc est, non modo ipsi dimissæ mulieri, sed cuicumque qui eam, tanquam à priore conjugio liberatam, ducere voluerit. Satis videntur Christi verba, & quæ hic, & quæ infra capite 19 de dimittenda nec ne uxore habuit, à nobis fuisse explicata. Tantum non abs re nihilominus futurum videtur, si, ut plenius adhuc mens Christi, circa hanc materiam conjunctionis & separationis conjugum, intelligatur, explicemus id, quod Paulus septimo capite prioris ad Corinthios ipsum Dominum præcepisse ait. Inquit igitur: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*, seu potius, ut Græcum verbum sonat, *separari*: *quod si discesserit*, seu *separetur*, *manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat.* Hic jam habemus aliquid ipsis conjugatis mulieribus à Christo præscriptum, quod neque in hoc nostro neque in inferiore illo loco apud Matthæum Christus præcepisse legitur: id autem est, ne audeat mulier à suo viro se separare, quantumvis, videlicet, ejus rei maximam caussam sibi habere videatur. Cum enim Apostoli verba indefinita sint, indefinite etiam sunt intelligenda, & si nihilominus caussa aliqua supervenerit; propter quam dignum ac justum esse videatur, ut uxor cum viro suo non cohabitet, non debere illam id per se facere, sed consulendam ea de re esse Ecclesiam, & si illa id fieri approbet, tum demum fieri posse. Videtur siquidem mihi hoc præceptum Christi omnino ejusmodi esse, ut uxori sua ipsius sponte, & ex sua ipsius voluntate à viro se separare prohibeat; non autem, ut quidam arbitrantur, potius consilium quoddam istud esse quam præceptum; propterea, quod statim consequantur verba illa, *Quod si discesserit, manere innuptam* &c. Ecce, inquiunt isti, non simpliciter jubet Christus & absolute, ne uxor se à viro separet; sed jubet, ut vel non separetur, vel si separata fuerit, innupta maneat; & si innupta manere non possit, id est, viro carere nequeat, tum demum viro omnino reconcilietur. Verum animadvertendum est, judicio meo, non ita accipienda esse Christi verba, ac si alternativam istam, (quam vocant) simpliciter & pariter utrique parti sui sermonis ab initio opposuisset: sed, ut ipse loquendi modus præ se fert, simpliciter intelligendum præceptum mulieri fuisse, ne à viro suo se separet. Inquit enim diserte, *Mulier*, sive *uxor à viro ne discedat*, quod isti cur pro consilio accipiant, & ita interpretentur, ac si Christus dixisset, satius esse ut illa non discedat, sed interim ei concedat discedere si velit, nempe, ubi caussam ejus rei habeat, nulla caussa est, cum statim sequentia verba ita accipi possint, ac sine dubio debeant, ut saltem, si huic præcepto non obedierit, nolit in pejus ruere, & putare sibi licere, non modo à viro se separare, quod tamen nullo modo ei facere licet, sed etiam alii viro nubere. Nam si, ubi separata fuerit, senserit se viro carere non posse, tunc non alius sed proprius ejus vir, à quo se separavit, quærendus illi est, & propterea omnibus modis curare debet, ut illi reconcilietur. Quod, sine dubio, faciet pia mulier, quæcumque se continere nequeat; & quicquid est gravissimum, quod ei ex habitatione cum viro suo accidere possit, æquo animo feret ac subibit potius, quam ut alii viro, sive per matrimonium, sive quavis alia ratione jungatur; & ita adulterium committat. Ubi animadvertendum est, quod Paulus, quamvis ex Christi mente isti, quæ se separavit à viro tantum præcipiat, ut innupta maneat, aut suo viro reconcilietur, non propterea illi concedit id, quod est tertium quodammodo inter ista duo, ut scilicet interim possit alterius alicujus viri commercium habere, sed tantum manendi innuptæ mentionem fecisse, ne fortasse ista credat sibi licere legitimo concubitu alicujus alterius viri perfrui, quin etiam, cum certum sit, propter separationem istam uxoris à viro suo, matrimonium non esse dissolutum, & consequenter istam adhuc esse nuptam, intelligendum est verbum *innupta* isto in loco improprie usurpatum fuisse, pro eo, quod est commercio viri non utens; & sic, cum jubetur ista innupta manere, quæ tamen revera adhuc nupta est, ne irritum ac nugatorium sit præceptum istud, ei præ-

ceptum

ceptum fuisse, ne alii viro quoquo modo se jungat Quanquam non negamus improprietatem, quæ in istius vocis usu eo in loco deprehenditur, posse in eo consistere, ut non simpliciter sit accipienda, sed tantum habita ratione secundarum nuptiarum, ut idem sit, *maneat innupta*, quod, *ne alteri nubat*. Et hæc quidem, quod attinet ad id quod mulieri præcipitur, quodque alibi à Christo præceptum non legitur.

Superest, ut duo verba dicamus de eo quod viro præcipitur, quamvis id alibi Christus præcepisse legatur. Est autem, ne vir uxorem dimittat, nulla exceptione facta caussæ adulterii, quod mirum videri non debet, cum apud Marcum & Lucam similiter istius exceptionis nulla mentio fiat, sed ea tamen exceptio ex Matthæi utroque loco est addenda. Quod si quis quærat, cur illa alibi expressa non fuerit, potest fortasse dici, caussam esse, quia subtiliter ac penitius rem considerando, ubi adulterium ab uxore committitur, videtur ejus culpa matrimonium ipso jure dissolvi; cum illa vinculum illud conjugale penitus abrupisse videatur, fidem marito suo frangendo, & sui ipsius copiam alteri viro faciendo; unde videatur dici posse, hoc etiam in casu non virum esse qui uxorem dimittat, sed tantummodo illum solutionem matrimonii, jam ab uxore, seu uxoris culpa factam, approbare, & propterea, non fuisse necesse omnino istius exceptionis adulterii caussæ mentionem facere, ubi diserte de dimittenda uxore agebatur: quamvis nihilominus Christus, ut nullum prorsus dubium hac de re superesse posset, illam aperte exprimendam censuerit. Cæterum, antequam locum istum Pauli plane absolvamus, & ulterius ad Christi dicta examinanda progrediamur, non est silentio prætereundum, quod ex ipsis Pauli verbis, quibus hic Christi voluntatem ac præcepta exponit circa firmitatem conjugii, apparet, non licere sub Euangelio, non secus, atque sub Lege, uxori divortium cum suo viro facere, esseque rem hanc valde procul ab eo, ut vel suspicari quidem quis possit eam licere. Nam in Pauli verbis ex Christi mente allatis, nulla hic mentio fit expressa hujusce rei, nec diserte prohibetur uxor non dimittere suum virum, sed tantum ne ab ipso separetur. Quod si tamen id adversus Christi præceptum fecerit, ne audeat saltem, ut supra dictum fuit, ad secundas nuptias transire; quod etiamsi jure fieri nequeat, nisi antea dissolvatur prius matrimonium, aliud tamen hoc ipsum per se est à dissolutione matrimonii, & consequenter à divortio, quod uxor cum suo viro faciat. Atqui cum commemoratur id, quod in hac materia viro à Christo præcipitur, diserte fit mentio dimittendæ uxoris, & sic, ut supra docuimus, veri ac proprii divortii quod vir cum uxore faciat; idque facere, ipse vir prohibetur; nempe quia viri est hoc facere, si modo id alioqui liceat, non autem uxoris, nec unquam, nec ullo modo; proprie tamen, ut diximus, & dimittendi, & divortii faciendi appellatione accepta, de quo supra satis à nobis explicatum fuit. Hinc sequitur, ut antea attigimus, cum paulo inferius Paulus ex sua ipsius mente prohibet, ne mulier habens virum infidelem, qui cum ipsa habitare consentiat, eum dimittat; verbo Dimittendi, cum sic de muliere loquitur, improprie eum usum fuisse; ut scilicet alioquin elegantior esset sermo, & redditio expressior atque concinnior, cum antea viro præcipiens similiter dixisset, non debere eum, ejusmodi uxorem dimittere; ubi proprie loqui potuit, cum proprium sit viri dimittere uxorem. Quanquam, ut ante latius explicavimus, ne vir ipse quidem in tali casu: maxime proprie loquendo, possit dici uxorem dimittere, cum culpa separationis ab ipsa, & porro dissolutionis ipsius matrimonii, non ab ipsius voluntate, sed ab uxoris non habitandi cum eo obstinato consilio proficiscatur

Vers. 33. Sed jam tempus est, ut ad Christi concionem revertamur, & ulterius in ea explicanda progrediamur. Subjungit igitur Dominus Jesus: *Rursus audivistis, quod dictum est antiquis: Non pejerabis, Reddes autem Domino juramenta tua.* Hic primum animadvertendum est, unde sumserit Christus, tanquam antiquis dictum, tam priorem quam posteriorem partem ejus, quod hic dicit. Et prior quidem pars, etiamsi non videatur aliunde expressius sumpta, quam ex 19 cap. Levitici, ubi diserte jurandi fit mentio; & prohibetur, ne quis per nomen ipsius Dei ad fallaciam seu fraudem juret, quod aliud nihil est, quam prohibere ne quis pejeret; dicendum tamen videtur, in ipso decalogo præceptum istud expresse contineri, præcepto inquam tertio; ubi interdicitur nomen Dei sumere in vanum: quamvis enim non desint, qui istud *in vanum* (prout quidem vulgata editio habet) ita interpretentur, ut significet idem, quod Sine necessitate, & quidem viri alioqui Linguæ ipsius Hebraicæ peritissimi existimati; tamen nos una cum aliis non paucis, verbum Hebraicum falsitatem ac mendacium significare credimus, quemadmodum significat Deut. cap. 5. vers. 20, ubi nonum præceptum, de non dicendo falso testimonio, eandem hanc ipsam in Hebræo vocem habet; qua sola falsitas ista exprimitur; quod si quis nihilominus vulgatam interpretationem in tertio præcepto omnino retinere velit, dicimus, *in vanum* non significare Sine necessitate, sed Sine effectu & frustra, ita ut assumptio ista nominis Dei, frustranea, ut ita dicam, dici merito possit: quod tunc fit, cum id non præstatur, propter quod Dei nomen assumptum fuit, id quod aliud nihil est quam merum perjurium: quandoquidem certissimum est, istam assumtionem Dei nominis aliud nihil esse, quam per Dei nomen, seu per ipsum Deum aliquid affirmare, quod tametsi ad res quoque & præteritas & præsentes accommodari queat, tamen passim de futuris rebus in tali affirmatione fere agi solet, in quibus solis, proprie loquendo, perjurium locum habet, quamvis negandum non videatur, in præcepto isto ipsarum etiam præteritarum & præsentium rerum habitam rationem fuisse, ita ut quis præcepto isto non modo in perjurium, proprie sic appellatum, incidere prohibeatur, sed etiam per Dei nomen quidquam falsum ullo modo affirmare vetetur, quæ tamen falsa affirmatio videtur, saltem improprie, perjurium dici posse, cum ea aliud nihil sit quam falsum jus-jurandum. Quicquid sit, illud certissimum est, præceptum non pejerandi isto tertio decalogi mandato plane contineri; unde meritissimo dici possit, ut paulo ante statuimus, Christum priorem partem enunciati sui ex ipso decalogo sumpsisse. Jam quod attinet ad posteriorem partem, quamvis non defuerint, qui valde temere atque inconsulto, ut Palæologus, dixerint, illam esse additamentum Scribarum & Pharisæorum ad Legem Mosis, tamen, & inter alios omnes constat, & certissimum est, illam ex 30 cap. Numer. esse desumptam, ubi expresse jubetur, ut is, qui ad aliquid faciendum juramento interposito sese obstrinxerit, id omnino reipsa præstare debeat, quod aliud nihil est, quam debere quemlibet juramenta sua domino reddere. Quod, ut hic à Christo fit, plane ac directe opponitur perjurio. Quandoquidem, non tunc demum ac solum reddit quis Deo juramentum suum, cum id præstat, quod ipsi Deo jurando promisit: sed etiam tunc, quando id præstat, quod similiter jurando cuipiam alii, aut etiam simpliciter atque absolute promiserit, nempe, quia vera & legitima juramenta per Dei nomen tantum fiebant, aut per id quod tantundem valebat, ut postea apertius docebimus. Ex quo consequebatur, ut is, qui id non præstaret quod juramento interposito promisisset, ipsum Deum, cujus nomen ea in re assumpserat, quodammodo fraudaret, & sic illi juramentum suum non redderet; potissima siquidem ratio in juramento præstando Dei ipsius haberi debet; ut ejus qui longe omnibus sine ulla comparatione præstat, & de cujus honore ac reverentia ea in re potissimum agitur. Itaque merito concludere possumus, prædicto loco Numerorum, quamvis non iisdem verbis qui-

quibus hic usus est Christus, tamen eandem sententiam, eamque expressius & clarius, quam in ipsis Christi verbis, contineri, ita ut nulla prorsus suspicandi caussa esse potuerit, istam posteriorem Christi enunciati partem, esse additamentum Scribarum & Pharisæorum. Quia vero, ut conclusimus, tota Christi enunciatio ex ipsa Mosis Lege desumpta est, propterea hoc loco ausus est Christus reverti ad illum loquendi modum, quo bis usus est ab initio, ut scilicet non simpliciter affirmaverit dictum fuisse, sed expresse addiderit *Antiquis*, seu *Veteribus*. Quod qualem quantamve habeat vim, & quomodo ob oculos ponat Christi mentem in Mosis Lege reformanda, satis antea documus.

Jam reformatio Legis Mosaicæ in eo, quod tota ista Christi enunciatione continetur, statim consequentibus verbis, ut etiam antea, ipsius Christi continetur, hic similiter inquientis, *Ego autem dico vobis* &c. Reformatio vero ejusmodi est, ut nullo modo jurare quenquam Christus velit; quod tamen non prorsus absolute intelligendum esse, satis videntur declarare exempla, præcipue Pauli Apostoli, qui in Epistolis suis sæpius jurasse deprehenditur, ut ex iis, quæ infra dicentur, apertius constabit, sed & ipsa subjecta materia, nempe ipsa Lex Mosis quam sibi reformandam Christus sumsit, satis declarat, non omne prorsus juramentum prohibere Christo propositum fuisse; quandoquidem Lex ipsa, ea quidem in parte quam Christus reformare intelligitur, (si non omnino, ut tamen plane statui posse videtur) de his juramentis tantum loquitur, quæ de re futura fiebant, & in quibus, proprie loquendo, perjurium locum habere poterat; vel contra, redditio juramenti sui ipsi Deo, id est, ut diximus, ejus quod quis jurando promiserat præstatio: quæ quidem juramenta, & de rebus futuris omnino erant, & consequenter plane voluntaria. Quare, Christi reformatio non ad alia juramenta pertinere dicenda est, quam ad ea quæ plane sunt voluntaria; & censendum, ubi Moses in ejusmodi juramentis perjurium tantum prohibebat, Christum ipsa præterea juramenta vetare; & ubi Moses tantum jubebat, ut quis præstaret id quod sua sponte jurasset, quod idem est atque in perjurium non incidere, (unde multo magis apparet stultitia eorum, qui putarunt, alterum alterius esse additamentum) Christus tali præstatione juramenti sui non est contentus, nec vult, ut ea sit caussa, quominus is peccasse dicendus sit qui ejusmodi voluntaria juramenta fecerit. Hanc Christi mentis interpretationem, & propter jam dictas duas caussas, & propter incommoda multa atque inconvenientia quæ inde sequerentur, si ejus prohibitio universe prorsus accipienda esset, eo etiam libentius amplectimur, & alios docemus, quod verbum *Omnino* non prorsus universe accipiendum esse, videntur docere ea quæ statim consequuntur, quæ indicant, verbulum istud pertinere ad modos jurandi, non simpliciter ad ipsa juramenta; ita ut sensus sit, non quidem nullum prorsus juramentum debere fieri, sed juramenta plane voluntaria nullo prorsus modo, quibuscumque tandem verbis illa concepta fuerint. Nam statim addit Christus.

Neque per cœlum, &c. Quæ verba ἐπεξηγητικὰ censenda sunt istius voculæ præcedentis *Omnino*, ac si Christus dixisset, *id est*, *neque per cœlum* &c. Non quidem, quod Christus hic omnes modos enarret quos ille prohibeat; sed tantum exempla quædam afferat modorum, quos omnes ille prohibitos velit; afferat, inquam, ex omnibus modis quædam pauca exempla, ubi videlicet minor dubitatio esse videretur, quin talibus formis concepta juramenta, quantumvis voluntaria, licita cuicumque esse deberent; & quibus ad istum modum acceptis soleant vulgo uti. Hos modos, antequam una cum iis, quæ de iis singulatim Christus pronunciat, diligentius examinemus, necesse est ad illos percipiendos, & ad universam Christi præceptionem recte intelligendam, aliquid de jurejurando in genere tradere, & quid revera ac breviter jusjurandum sit, inquirere atque percipere.

Videtur igitur jusjurandum in genere acceptum, (ita ut omnes jurandi modos complectatur, sive ii in Sacris Literis, sive alibi legantur, ita ut nullus jurandi modus, qui vel in Dei populo, vel inter alias gentes in usu unquam fuerit, aut sit, non includatur,) esse, ut Cicero lib. 3. de officiis ait, religiosa affirmatio. Affirmationis autem nomine intelligenda est etiam negatio; quatenus is qui negat, affirmat id quod negat minime esse. Nomen vero *religiosa*, significat affirmationi, quæ alioqui simplex futura esset, additum esse aliquid, quod eam ratione quadam divina confirmet. Appello autem divinam rationem eam, quæ aliquo modo id contineat quod non est prorsus humanum; eo sensu videlicet, quod quis ita affirmando tacite profiteatur, se credere, si ea in re mentiatur, fore ut impunitus non evadat; non quidem respectu simplicis alicujus humanæ punitionis, sed respectu, numinis alicujus, quod, sive per humanam, sive per aliam quamvis viam & modum, pœnas talis mendacii ab eo sit repetiturum. Jam, quod diximus una cum Cicerone de religiosa affirmatione, confirmatur ex eo, quod ipsum jurare, aliquando nominatur sancte affirmare. Jam, hæc sanctitas & religio quæ in juramento sit, non necesse est ut proficiscatur ab aliqua re sancta & religiosa, quæ in ipsa affirmatione, sive cum ipsa nominetur, sed satis est, ut talis affirmatio fuerit, qua quis multo magis, quam si simplex ea esset, profiteatur se non mentiri, nominando in ea aliquid, cujus ipse merito summam rationem habere debeat, idque nullo modo spernere, aut parvi facere; quemadmodum videretur plane fieri, si ea in re mentiretur, quam istud diserte nominando affirmasset. Fit autem nominatio ista, apud Latinos quidem communiter cum præpositione Per; Græci habent particulam huic usui proprie destinatam, quæ est νὴ, vel μὰ. Hebræi vero solent præpositione *In* uti, quæ tamen idem valet quod *Per*. Fit etiam, tum apud Græcos tum apud Latinos, ista nominatio sine particula ulla, ut dicunt, exempli caussa, Juro Jovem; quod tamen non videtur fieri, nisi cum res illa nominata habetur pro numine aliquo. Apud Hebræos quidem, quod attinet ad id quod Deus approbaret, neque usus erat, neque legitur, quod alius, aliudve nominaretur in jurejurando præter Deum ipsum, aut aliquid, quod tantundem valeret; sed etiam apud alias gentes verum jusjurandum tunc esse censebatur, cum numen aliquod nominabatur. Verumtamen, ut diximus, etiam usus obtinuit, ut non numen aliquod sed quippiam aliud nominetur, unde, etiamsi non ita proprie, tamen ob eam caussam, quam ante attulimus, affirmatio cum tali nominatione facta, possit dici sancta & religiosa; & propterea nomine jurisjurandi significari: ad quod Christus respiciens, in jurandi modis, quos recenset, ut de aliis in præsenti nihil dicamus, meminit jurisjurandi per caput suum, ubi certe nec numen ullum nominatur, neque id, quod tantundem valere ullo modo dici queat. Sed nihilominus tamen ejusmodi jusjurandum religiosa affirmatio dici potest, cum in ea nominetur res juranti nullo pacto spernenda aut parvi facienda, & quæ propterea, ut dictum fuit, ostendat, istum non vulgari ratione & consueta id affirmare, quod affirmat, sed singulari quadam, quæ indicet, illum nullo prorsus pacto audere, aut ausurum esse ea in re mentiri, & propterea, cum tantam asseverationem, præter communem usum, præ se ferat, & hac ratione omnino conetur persuadere se verum dicere, dignus pœna sit futurus, si mentiri, mentitumve fuisse in hoc ipso aliquando deprehendatur.

Est autem considerandum, quod etiamsi res, quæ in juramento nominantur, possunt omnes sub quodam genere comprehendi, seu ad unum genus referri, quod ut diximus est, esse rem nullo pacto à jurante, ut qui-

ut quidem apparet, spernendam vel parvi faciendam, tamen possunt varie inter se distingui, & in caussa, & in sensu, quo nominenter alioqui esse diversæ, 'ut, exempli caussa, in ipso Deo nominando, sive apud nos Christianos Christo ipso; vel apud Ethnicos numine aliquo, id potest subesse quod alibi non fuerit, præter illud omnibus, in jure jurando nominatis rebus, commune; quod jam diximus. Subesse siquidem potest, & secundum aliquos semper subest; primum, quod Deus, seu Christus, vel numen illud tacite in testem, seu testis ejus rei quæ affirmatur, appellari censeatur. Ac præterea, vel tanquam ex hoc pendens ac proficiscens, vel quavis alia ratione, imprecatio sibi similiter tacita iræ ac vindictæ cujuscumque fit istorum, si ita jurans mentiatur, quod non est aliis in rebus, quæ in juramentis nominantur; præsertim proprie loquendo Nam improprie solent etiam res aliæ, cujusmodi sunt illæ, quæ à Christo, inter modos jurandi à se recensitos, nominatæ sunt, cœlum scilicet & terra, testis aliquando adhiberi, quemadmodum ab ipso Mose alicubi factum legitur; sed, ut diximus, hæc vel impropria & plane prosopopœica est testis appellatio, vel aliquid aliud, ipsius cœli & terræ nomine intelligendum est, quam ipsum cœlum ipsave terra. Non desunt, qui credant sensum, in nominando rem aliquam dum quis jurat, fuisse, precari ut res illa periret si ipse mentiretur, quod unde illi habuerint incompertum mihi est; tantum suspicor istud ab ipsis, ex modo illo à Christo allato jurandi per caput suum, collectum fuisse, eo juncto quod sequitur, dum Christus rationem reddit, cur tali modo jurare non liceat, quod videlicet non possit quis, sui capitis vel capillum unum nigrum aut album facere: quasi Christus dicere voluerit, indignum esse sibi imprecari, ut id pereat, quod alieni juris est, & de quo non possit quis decernere ac facere, quidquid sibi libuerit.

Verum non potest mihi sententia ista probari, cum non videam illam in reliquis modis jurandi, sive hic, sive alibi, id est infra cap. 23, à Christo recensitis, locum habere posse. Et arbitror, non esse recedendum ab eo, quod jam diximus de communi ratione omnium istorum modorum. Nam quod attinet ad caussam, quam Christus affert, cur non liceat jurare, ne ista quidem ratione, videlicet per caput suum, ea ejusdem generis est cum aliis reliquis, quas affert in prohibendis aliis modis, à se commemoratis. Animadvertendum est enim, verisimile esse, talia juramenta, ubi Deus non nominaretur, nihili quodammodo fuisse vulgo existimata, aut certe potuisse dubitari, ne viderentur parvi facienda, & propterea nihil curandum, an quis ita necne juraret, quem errorem Christus redarguere volens, & ostendere, non esse quod quis ipsius præceptionem de non jurando, ad ejusmodi juramenta minime pertinere censeat, docet plus continere, seu pluris esse res in ejusmodi modis nominatas, quam ipsæ, præ se ferant, adeo ut religio ei esse debeat, qui talia nominet in affirmatione sua, vel mentiendo, vel saltem sine ulla necessitate. Jam enim dictum est, Christum hoc loco voluntaria juramenta prohibere, & quemadmodum jurare per cœlum ostendit nominatam in se rem habere, quæ maximi sit momenti, cum cœlum sit sedes ipsius Dei, & jurare per terram similiter, cum terra sit scabellum pedum ejus; & denique jurare per Hierusalem, cum ea sit civitas magni regis, id est, regis ipsius populi Dei, sic etiam ostendit jurare per caput suum, rem nominatam in se continere, quæ non minimi sit momenti: quippe cujus potestas & imperium ad ipsum Deum pertineat, non autem ad hominem, cujus est caput. Nam certe contrarium ejus quod Christus attulit ad probandum, non habere hominem potestatem & imperium in suum ipsius caput, in Deo esse cernitur, nempe qui possit, non modo unum, aut alterum capitis istius capillum, nigrum aut album pro suo libitu facere: sed omnes ac singulos, quos voluerit. Jam, quod pertinet ad cœlum & terram, quorum illud thronum seu sedem Dei, hanc vero scabellum pedum ejus, Christus esse dixerit, nemo nescit, id sumptum fuisse, ab ipso initio capitis ultimi Esaiæ: id vero quod de Jerusalem affirmat, sumptum est ex Psalmo 48 paulo post initium, ubi Jerusalem inter alias ipsius appellationes diserte Civitas magni regis nominatur. Noluit enim Christus quicquam, de rebus istis nominatis in jurejurando, deque earum præstantia, affirmare, quod compertum ac testatum non esset. Nam quantum ad caput uniuscujusque spectat, satis per se id, quod tacite de Dei potentia, expresse vero de impotentia, circa illud ejus hominis cujus est caput, asserere voluit, compertum & certum apud omnes erat.

Docet igitur Christus, modos jurandi, quorum exempla protulit, non esse ejusmodi ut nihili haberi debeant; sive ut quis existimare possit, sibi semper & ubique, pro suo libitu talia juramenta jurare licere, cum in illis aliqua ratione, modo obscurius, modo minus obscure, vel ipse Deus nominetur, vel id quod ad ipsum omnino pertinet, & ipsius juris est: Nam supra indicato loco infra cap. 23, quod attinet ad jusjurandum per cœlum, expresse concludit, in eo jurari per ipsum Deum, cujus cœlum sedes est; atque ut, quid sibi voluerit hactenus Christus præceptione sua, dilucidius ac plenius intelligamus, animadvertendum est, cum antea diximus, exempla jurandi à Christo prolata, esse epexegesin quandam voculæ *Omnino*, quæ præcesserat, id non ita esse accipiendum, quasi Christus docere voluerit hoc tantum; videlicet à talibus juramentis omnino abstinendum esse; sed intelligendum, eum propterea dixisse, non esse jurandum omnino, ut verbis suis, & præsertim vocula ista *Omnino*, comprehenderet etiam modos illos jurandi, quos statim postea commemorat, eorumque similes, & non satis habere in ista præceptione sua, ut quis ab eo jurandi modo, seu modis, sibi caveret, qui ex ipsius Dei voluntate sub Vetere Testamento, quantumvis voluntarie juraretur, permissi erant. Qui, ut dictum fuit, ii tantum erant, in quibus Deus diserte, vel quod tantundem valeret, nominaretur. Cui tamen sententiæ, quod scilicet ejusmodi approbata ac permissa juramenta sub Vetere Testamento, non alia quam prædicta ratione conciperentur, poterit fortasse cuipiam repugnare videri, id, quod legitur Genes. cap. 31, de Jacobo jurante per pavorem Isaaci. Nam, sine dubio, tale juramentum Deo non displicuisse, prorsus est verisimile, ob multas caussas, quas hic enumerare non est necesse. Sed animadvertendum est, id esse verissimum, quod omnes fortasse eruditiores de loco isto sentiunt; quod scilicet Pavor Isaaci ibi aliud nihil significet, quam ipsum Jehovam, quem Isaacus timebat, & porro eum ulla ratione offendere expavescebat.

Quod autem appellatione ista ipse Deus significetur, indicat illud, quod non multo ante in eodem capite ibidem legitur, cum idem Jacobus ait, Deum patris sui, Deum Abrahami, & pavorem Isaaci, vel adfuisse sibi, vel certe impedivisse, quominus Laban, ad quem Jacobus loquebatur, vacuum ipsum dimisisset: Deus enim, ut similiter in eodem capite adhuc superius legitur, apparuerat in somnio hesterna nocte ipsi Labani, eumque monuerat, ut caveret, ne Jacobum non bene contentum à se dimitteret. Quod vero in istis, quæ commemoravimus, Jacobi verbis, antequam pavor Isaaci nominetur, fit mentio Dei, patris ipsius Jacobi, & Dei Abrahami, non debet obstare, quominus censeamus Isaaci pavorem aliud nihil esse, quam ipsum Deum. Certum est enim, ibidem eundem esse Deum patris Jacobi, & Deum Abrahami. Quemadmodum igitur bis diversa ratione, idem Deus nominatur: sic nihil impedit, quominus & tertio, diversa pariter ratione, nominetur, ut scilicet exprimatur, eum quem ante patris sui, id est Isaaci appellaverat,

rit, ita ipsius fuisse Deum, ut eum vehementer timuerit. Potest tamen quis suspicari, ne potius dicendum sit, quod pavoris istius patris sui appellatione, Jacobus intellexerit Angelum, qui ut ipsi Jacobo, sic etiam Isaaco, apparere soleret. Nam angeli istius ab ipso maximam rationem fuisse habitam, indicat locus ille Gen. 48, ubi precatus prius, ut Deus Abrahami, & Isaaci, & Deus qui ipsum pascebat, benediceret filiis Josephi, idem deinde subjungit de Angelo, qui indicaret illum ab omni malo. Et certe is, qui Labani in somnio apparuerat, seu, ut Scriptura loquitur, ad ipsum in somnio venerat, non ipse Deus fuerat, sed Dei angelus, qui etiam propterea non Jehova ibi nominatur, sed Elohim, quo nomine Angelus convenienius significare potest. Ratio vero, Angelum istum pavorem ejus, cui apparebat, appellandi, in promptu est, cum fieri nequeat, quin eo apparente pavor aliquis ei cui apparebat suboriretur. Nam etiam, proprie loquendo, pavor est earum rerum quæ nobis apparent; ita, ut extra ipsum apparendi actum, recte ac proprie de rebus ejusmodi dicere soleamus, quod illas paveamus, si ejusmodi sint ut illas revereamur & expavescamus. Quæ interpretatio si admittatur, ita ut concludatur, Jacobum, cum per pavorem Isaaci juravit, jurasse per Angelum istum, non tamen quicquam concludetur adversus id, quod antea affirmatum est, quod modi isti jurandi approbati, per Deum tantum fierent, aut per quippiam aliud, quod tantundem valeret: quandoquidem Angelus Dei, qui ipsius Dei nomine appareat, ipse Deus quodammodo censendus est, & valde frequenter in Sacris Literis commutantur ista, ut scilicet Dei angelus ipse Deus vocetur, ipseque Deus fecisse dicatur id, quod ejus Angelus fecit. Non censeo nihilominus recedendum esse à vulgata sententia, in interpretando isto Jacobi jurandi modo, præsertim cum Esaiæ cap. 8 moneatur populus, ut Deum sanctificet, Deum inquam ipsum Jehovam, atque ut ipse sit pavor & timor eorum. Unde, & fortasse ex aliis locis apparet, ipsummet Jehovam appellari pavorem fidelium ipsius.

Postquam Christus expresse vetuit, ne omnino juretur, id est, per nullum jurandi modum, quod, ut dictum fuit, de voluntariis & prorsus liberis juramentis intelligendum est, cujusmodi sunt juramenta de futuris rebus, quas videlicet se facturum quis promittat, verba subjungit, ex quibus apparet, illum juramentorum (non modo de futuris rebus de quibus loquitur Lex ab ipso Christo prolata, quæ suis verbis talia juramenta à se concedi significat) rationem in sua præceptione ac prohibitione habuisse, sed etiam de rebus præteritis, & præsentibus. Inquit enim:

Vers. 37. *Sit autem sermo vester, etiam, etiam; non, non.* Quæ sane verba non tam bene ad res futuras, quam ad præsentes, & præteritas accommodantur. Vult igitur Christus ut in sermone nostro, cum aliquid vel affirmamus vel negamus, à jurando, quatenus scilicet in nostra simplici ac libera voluntate positum sit, abstineamus: cujus rei caussa præcipua videtur, ne Dei nomen, per quod juramenta fere fieri solebant, aut quippiam aliud, quod divini quodammodo juris sit, apud nos ulla ratione vilescat. Potest enim præceptionis Christi caussa esse perjurii periculum, quod etsi potissimum in jurejurando de futuris rebus locum habet; potest tamen in ipsis etiam præsentibus ac præteritis locum habere, quatenus scilicet fieri possit, ut quis nesciens, atque adeo invitus, in re vel præterita, vel etiam præsente affirmanda aut neganda, mentiatur: quod, ubi jusjurandum adhibitum fuerit, potest aliquo modo, ut antea diximus, perjurium vocari, & quocunque tandem nomine vocetur, tantundem mali in se continet, quantum id, quod vulgo ac proprie perjurium appellatur, nec minus quam id dignum est pœna. Est autem considerandum, quid proprie sibi velint in Christi verbis, voces illæ, *Etiam, etiam; non, non.* Duplex siquidem est earum interpretatio, quarum una hæc est, ut Christus dicere voluerit, nostrum etiam, debere esse etiam; & non, debere esse non; id est, ut quod affirmamus verum sit; id quod negamus, revera non sit. Sic enim videntur omnino intelligenda esse Jacobi verba cap. 5 Epistolæ ipsius; ubi hoc idem Christi præceptum non jurandi inculcat. Verum considerandum est, Jacobi verba, paulo aliter se habere, quam Christi, cum in illis diserte legatur, *Sit autem vestrum etiam, etiam; & non, non.* Ex quibus verbis sensus iste prior omnino colligi videtur. At Christi verba non ita babent. Non est, inquam, hic scriptum, vestrum etiam, aut, vestrum non, sed, *Sermo vester sit, etiam* &c. Quare non dubito, quin alter sensus Christi verborum amplectendus nobis sit, qui est, Christum simul voluisse dicere, affirmationem & negationem nostram debere esse simplicem, id est sine ullo juramento; simul etiam monere voluisse, licere juramenti loco constanter quippiam vel affirmare, vel negare, quod significaverit repetitione illa tam negationis, quam affirmationis.

Est autem interea ex Jacobi loco, qui alioqui plane huic nostro respondet, & ubi, quemadmodum & hic, cœli & terræ fit mentio, per quæ quis juret, notandum hoc loco obiter id, quod antea diximus, de jurandi modo sine ulla præpositione, aliave simili particula, verissimum esse, & locum habere vel babuisse etiam in ipso Dei populo; & non tantum apud Ethnicos, ut ante indicavimus. Diserte enim Jacobus cap. 5. vers. 12 ait. *Ne jurate, neque per cælum, neque terram*; quibus verbis statim addit, neque ullum aliud jusjurandum; quod docet id verum esse quod diximus, Christi verba de omnibus prorsus jurandi modis accipienda esse. Ex eodem præterea Jacobi loco apparet verum esse, perjurii periculum ponendum esse inter caussas jurandi prohibitionis. Aperte enim reddens Jacobus caussam talis præcepti, ait ad extremum: *Ne in simulationem incidatis.* Quod Simulationis verbum, cujus loco in Græco est ὑπόκρισιν, significat, cum aliud præ se fertur, & aliud revera est. Hypocrita enim, unde Hypocrisis proprie histrionem significat, qui toto habitu, aliisque omnibus externis rebus, alium præ se fert se esse, quam revera sit; id quod accidit omnino in perjurio, seu proprie, seu minus proprie sic dicto; quandoquidem illud mentiri, cum quis aliquid jurejurando interposito affirmat, aut negat, aliud est nihil, quam quidpiam præ se ferre quod verum non sit. Quoniam vero Jacobus absolute ac simpliciter loquitur, nec ejus verba, ut verba Christi, relationem ullam habent ad ullam Legis Mosaicæ partem; unde quemadmodum in Christi verbis intelligi possit, eum de specie quadam juramentorum loqui, adeo ut videatur, omnia penitus ac prorsus juramenta ab ipso fuisse interdicta, animadvertendum est, à discipulo repetitum præceptum non aliter debere aut posse intelligi, quam ut à magistro datum fuit; & propterea quantumvis absoluta & generalia sint Jacobi verba, plane voluntaria tamen duntaxat juramenta, non secus ac Christus fecit, eum interdicere voluisse. Attulimus autem antea, præter ipsam subjectam materiam in ipsis Christi verbis, quæ sensum istum prorsus suadent, exemplum Apostoli Pauli, quem adversus Christi expressum præceptum tam sæpe commisisse, & quidem in Epistolis suis, in quibus homines Christo jam consecratos diligentius instituendos suscipiebat, nullo pacto fieri potest. Inspiciantur in ejus Epistolis hi loci, Rom. 4. 9. 2 Cor. 1. 23. & cap. 11. 31. Phil. 1. 8. 1 Thes. 2. 5, 10. Quibus crediderim alios etiam similes addi posse, in quibus, quamvis ipsum jurandi verbum diserte expressum non sit, tamen apparet, ejus verba vim ipsissimam jurisjurandi habere, cum nominatione ipsius Dei, quem testem ac vindicem suorum dictorum adhibet. Jam quemadmodum videtur nulla esse caussa, cur omnia prorsus juramenta interdicta censeri debeant, sed ea omnia posse ac debere concedi, quæ aliqua necessitate impellente fiant: sic præter caussas ante allatas,

quæ Christum moverunt ad prorsus voluntaria juramenta interdicenda, non videtur silentio prætereundum, ejusmodi juramenta usurpanda non esse, vel ex eo constare posse, quod verbum Hebraicum, quod jurare significat, est passivæ terminationis. Vix enim habent Hebræi, quod tamen apud Græcos & Latinos satis frequens est, verbum aliquod passivæ terminationis, quod absolute ac simpliciter sit activum; sed semper tali terminatione passiva, si quis verbi significationem accuratissime perpenderit, aliqua passio videtur significari: unde factum est, ut viri Linguæ Hebraicæ peritissimi, non pauci dixerint, propterea verbi jurandi terminationem apud Hebræos passivam esse, ut hac ratione judicetur, in juramento passionem aliquam ejus qui jurat semper esse, & coactionem quandam, aut certe esse debere; qualis est, cum necessitate aliqua impellente non autem plane voluntarie juramenta fiunt: tametsi id alioqui, in ipsa Lege expressum non fuerit. Nam, ut antea dixi, mihi non probatur illorum sententia, qui tertio decalogi præcepto volunt prohiberi, ne quis nomen Dei sine necessitate assumat, cum ex propria significatione Hebraicæ vocis, quæ reddita est Latine *in vanum*, mihi persuasum sit, ibi tantum vetari, ne cum quis nomen Dei assumit, id est per nomen Dei jurat, quicquam mentiatur; ad quam sententiam amplectendam me etiam id impellit, quod alioqui Christus nihil ferme novi præcepisset, & quod in ipsa Lege expresse non contineretur, contra quam verba ejus ferant, quibus, ut ante demonstratum est, se Legem Mosis in hac juramenti materia, non secus atque in aliis quibusdam, reformare velle profitetur, aut certe præ se fert.

Est tamen considerandum, quod ad juramenta attinet de rebus futuris, cum proprie Christi reformatio videatur ad ejusmodi juramenta pertinere, propter id, quod verba sua refert ad sententiam illam Legis, *Reddes domino juramenta tua*. Quæ non potest accipi, nisi de juramentis super re futura: est inquam considerandum, quod hic nihilominus, ut in ipsa Lege, vetitum fuisset sine necessitate jurare, videretur tamen Christus aliquid Mosis Legi addere: nempe, nullo modo licere de re futura jurare, quod non videtur pugnare cum eo, quod diximus de voluntariis dumtaxat juramentis à Christo vetitis, cum juramenta super re futura videantur omnia esse voluntaria: quod tamen diximus de mente Christi circa talia juramenta, ita accipi volumus, ut non simpliciter jurare non liceat occasione rei, quam quis se facturum non dubitat: tales enim & non aliæ sunt res futuræ super quibus juratur; sed non liceat ita juramentum concipere, ut prorsus quis jurando promittat se aliquid facturum, cum ea quæ futura sunt plane incerta sint, nec sit in manu cujusquam absolute ac penitus positum aliquid facere. Sed interim non vetetur juramentum super re futura præstare, si vel eo pacto jurisjurandi verba concipiantur, ut jurans de re præsente, id est, de mente ac voluntate sua in eo præstando, quod se facturum jurando promittit, & sic de re sibi comperta juret; vel, si non ex ipsis jurisjurandi verbis, aliunde constet, illum non de ipso facto, sed de mente & animo suo, id, quod jusjurandum continet, affirmare. Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, constat eos falli, qui nolunt, etiam ipso magistratu juramentum deferente, Christiano homini jurare licere, nec similiter tunc etiam, cum gravissima aliqua caussa jurandi, id est, per sanctam & religiosam affirmationem certissimum aliquem, seu aliquos reddendi, de veritate ejus quod affirmat: qua in re nimis longum esset ac difficile, etiamsi ad capita quædam totam rem redigere vellemus, omnes casus complecti, qui caussam habeant adeo gravem, ut jurare liceat. Potest unusquisque, qui Spiritu Dei ac prudentia non sit plane destitutus, eos facile per se animadvertere atque cognoscere: potest, inquam, facile quivis cognoscere, an ulla necessitas adsit certitudinis istius, in aliorum animis, ut sic dixerim, generandæ. Quicquid sit, præstat, judicio meo, timidiorem esse hac in re quam paulo audaciorem, ut sic facilius ea vitentur, quæ Christus vitari voluit præcepto suo de non jurando, quomodocumque tandem illud accipi debeat. Nam verisimile omnino est tale præceptum habere caussas suas, quæ facile possint intelligi, & ab homine pio ac cordato perspici, quemadmodum colligi potest ex iis paucis quæ hac de re supra disputavimus. Itaque jam viderentur explicanda pauca illa verba, quæ adhuc restant in Christi sermone, de hac jurisjurandi materia; sed priusquam id faciamus, quia Jacobi locus persimilis omnino huic nostro est, & ad hanc materiam recte percipiendam plurimum confert, non videtur committendum, quin explicemus (nam id nondum factum à nobis fuit) quid sibi voluerit Jacobus cum dixit, *Sit vestrum etiam, etiam; non, non.* Nam quod fortasse aliqui existimant, eum voluisse dicere, ut quod affirmatur, ita sit ut affirmatur; itidemque id, quod negatur; talis, inquam, explicatio istorum verborum nobis neutiquam probatur, ob hanc caussam, quod talis præceptio non videatur pertinere ad Apostoli scopum, qui est apertissimus, id est, juramenta prohibere; non autem docere, ne quis affirmando vel negando mentiatur. Quare crediderim, mentem Jacobi in verbis istis fuisse, docere illud idem, quod mox in verbis Christi nobis explicandum restat, id est, ne quicquam addatur affirmationi, vel negationi, sed nostrum *etiam*, non sit nisi *etiam*, & *non*, non sit nisi *non*. Si enim aliquid jurando additum fuerit, tunc non erit simplex *etiam*, vel simplex *non*. Sed aliquid aliud præterea. Christus certe id plane expressit, quod scilicet nihil addere liceat, videlicet jurando; hoc enim aperte continent ejus pauca verba illa, quæ nondum explicuimus, cum dicat:

Quod autem his abundantius est, à malo est. Itaque, clare hac ratione monet Christus, ut simpliciter aliquid affirmemus, vel negemus, ut antea explicatum à nobis fuit; monet inquam Christus aperte, non licere quicquam addi, nempe per juramentum, cum dicat, id quod additur, esse à malo. Mali nomen, non minus in Græco quam in Latino contextu, ejusmodi est, ut & masculini & neutri generis esse queat; sed tamen collatis aliis locis ipsius Novi Testamenti, ubi ea vox legitur, crediderim posse affirmari, non neutro sed masculino genere vocem istam accipiendam esse, ita ut significet ipsum Diabolum, seu Satanam, qui malus ille, seu ὁ πονηρὸς alibi appellatur, ut nominatim, in prima Johan. Epistola cap. 2. bis, & semel cap. 5. Intelligendum igitur est, operâ Satanæ fieri, ut quis, non contentus simplici affirmatione aut negatione, sine ulla necessitate & gravi justaque caussa, addat jusjurandum; nempe, quia res est, quæ potest hominem in laqueos aliquos vel perjurii, vel nimiæ, ut sic loquar, cum Deo familiaritatis, ipsiusque majestatis parvæ æstimationis, aut in similes alios conjicere, & consequenter hominem, vel ad expressum peccatum ac sacrilegium pertrahere, vel ad quandam impietatis & contemptus Dei speciem, unde fiat ut facile pereat, id quod inimicus iste humani generis perpetuo quærit.

Vers. 38. Explicato quicquid Christus dixit ac præcepit circa jusjurandum, jam ad sequentia ejus verba transeamus; quæ ista sunt. *Audivistis quod dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis*, &c. Hic similiter Christus, sicut quando de divortio egit, non dixit, Dictum fuisse antiquis, sed simpliciter, Dictum fuisse; fortasse ob eam caussam, quod etiamsi verba ista, *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*, in ipsa Mosis Lege legantur, tamen poterant alio sensu accipi, & fortasse accipiebantur, quam eo quo antiquis dicta fuerant, quod scilicet, ubi in Mosis Lege agebatur de pœna talionis à magistratu ipso infligenda, essent, qui carnis suæ suasiones sequuti, intelligerent ea significare, quod unicuique liceret malum pro malo reddere, modo malum, quod redderetur,

tur, esset par; hoc est, nihilo majus eo quod acceptum fuisset: quam falsam & à carnali sensu proficiscentem verborum Mosis interpretationem, una cum ipsa re, quæ à Mose revera verbis istis permittebatur, satis copiose refellit Christus iis, quæ ipse statim subjungit. Jam vero id, quod unicuique Lege ista sua Moses non obscure permittebat, illud erat, ut liceret unicuique per magistratum pœnam talionis repetere. Nam, quamvis verba ipsius legis non ad privatos sed ad magistratum directa sint, qui jubetur in casibus illis, qui ibi recensentur, pœnam talionis ab eo qui læserit repetere: tamen tali jussu consequenter permittitur unicuique ita læso, accusare apud magistratum, eum qui læserit, & curare ut id magistratus exequatur, quod Lege ista illi præscribitur. Itaque, cum Christus verba sua ipsis Legis verbis opponat, necessario sentiendum est, ipsum nolle, privato homini licere accusationem istam instituere; & ratione ista talionis pœnam à quoquam repetere. Nam Christum privatis præcepta dare, aperte ex ipsius verbis constat; adeo ut, siquis affirmare velit, non posse ex Christi verbis concludi, ipsi magistratui non licere tales pœnas cuiquam infligere, jure reprehendi nequeat: Nam si id tamen Christiano magistratui licere nolimus, certe id non ex ipsis Christi verbis, sed aliunde colligendum est. Interim animadvertendum est, quod posset tamen quis dicere, Si est, ut dicis,& res ipsa monet,ut Christus præcepta hæc sua non magistratui sed privatis dederit, videtur sentiendum, illum hoc loco dicta sua opponere verbis illis *Oculum pro oculo* &c, non quatenus simpliciter in Mosis Lege scripta inveniuntur, quæ Lex, ut supra dictum fuit, omnino non privatis sed magistratui lata est, seu mavis universo populo; sed quatenus à multis, ut supra indicatum est, ita accipiebantur, ut liceret unicuique privatim talionis pœnam repetere, & sic apparet, non prohiberi à Christo adire magistratum, ab eoque talionis pœnam repetere, sed tantum id privatim curare. Verum ut huic objectioni respondeamus, considerandum est, cum Christus, ut antea diximus, ipsa verba legis recitet, & nihil prorsus eis addat quibus sua dicta opponat, nullo pacto verisimile esse, quin ipsam Legem aliquo modo corrigat; quamvis fieri possit, ut simul falsam ejus interpretationem, quæ in populo vigeret, corrigere voluerit. Jam, correctio ipsius Mosaicæ Legis in eo est, vel potius in eo omnino esse debet, (alioquin nulla correctio esset) quod non liceat per magistratum, cui Lex illa data fuerat, talionis pœnam repetere; quod, quibus verbis Christus exprimat, & quid hujusce rei occasione præcipiat, antequam videamus atque examinemus, videtur non esse omittendum, quod Lex Mosis non modo imperabat, ut pœna talionis repeteretur ab eo, qui reipsa malum intulisset, sed etiam ab eo, qui per magistratum ejusmodi aliquod malum alteri inferre & procurare conatus esset: si id tamen injuste atque immerito tentasset, & si falso quempiam accusasset criminis alicujus; unde fieret, ut accusatus, si crimen illud verum esse deprehenderetur, pœna afficeretur, & damnum aliquod pateretur, quod talionis esset capax. Nam, etiamsi falsitate accusationis detecta, accusatus iste plane impunitus atque illæsus à magistratu dimitteretur, nihilominus falsus accusator eadem pœna plecti debebat, idemque damnum subire, quod alteri falsa sua accusatione inferre conatus esset, ut scriptum habetur Deut. 19 capite.

Vers. 39. Jam Christus recitatis verbis legis subjicit, *Ego autem dico vobis, nolite resistere malo.* Phrasis est defectiva, pro eo quod alioqui dici debuit, Non debere nos resistere malo, Vox *malo*, in Græco est τῷ πονηρῷ, quæ vox non minus quam Latina, potest similiter, ut supra in eadem voce evenire diximus, tamen neutri generis esse quam masculini; neque omnino videtur esse certum, utro genere hoc loco vox ista enunciata fuerit; cum utrocumque genere accipiatur, videatur sensus esse consentaneus & Christi proposito accommodatus. Neque enim minus potuit Christus convenienter hoc loco dicere, Ne resistatur rei malæ, quam ne resistatur malæ, ut sic dixerim, personæ. Priore modo erit vox ista generis neutri, posteriore vero generis masculini; quam posteriorem interpretationem, quæ videtur interim paulo convenientior esse quam prior, si amplecti velimus, & masculino genere vocem istam accipere, non tamen idem hic eveniet, quod paulo ante; ut scilicet intelligatur, quædam certa mala persona, nempe, Diabolus, seu Satan; sed omnino intelligendus erit, quilibet homo malus, & qui laborem ac dolorem alteri inferat, ut proprie vox Græca sonat. Diximus autem convenientius esse, ut masculino genere vox ista accipiatur: quia alioquin aliquid videretur subaudiendum; & ad eundem sensum, qui ex masculino genere resultat, omnino deveniendum; intelligendo videlicet, si neutro genere vox ista accipiatur, non simpliciter rei malæ, & quæ laborem ac dolorem afferat, resistendum non esse; sed tum demum, cum res ejusmodi adversum nos ab aliquo homine tentata fuerit, vel nobis etiam illata; & melius etiam alioqui resistendi verbum, personæ, quam rei accommodatur; & de resistentia, quæ homini fiat, Christum potissimum loqui, indicant omnia ejus verba, quæ ad hoc propositum pertinentia statim subjicit. Quare, nihilominus, ut verum sit, potuisse à Christo vocem istam hoc loco, tam hoc, quam illo sensu alioqui efferri, tamen satius esse puto, posteriorem sensum omnino amplecti, ac statuere, ipsum de malo homine omnino loqui. Præcipit igitur Christus, ne malo homini resistamus, id quod non simpliciter sane atque absolute intelligendum est (infinita enim alioquin absurda sequerentur, si Christus videlicet juberet, ut nulla resistentia malo homini fieret) sed intelligendum est, primum Christi præceptum tunc locum habere, cum aliquod damnum ad hanc vitam simpliciter pertinens, quispiam nobis inferre vult, aut reipsa infert, ut scilicet, vel nos in corpore lædat, vel in pecunia; vel molestiam & laborem aliquem nobis afferat, prout exempla, quæ subjicit, satis declarant; quæ tamen non eam vim habere debent, ut ad istius generis tantum incommoda, præceptum Christi referatur, sed, ut diximus, ut doceant hic agi de damnis & incommodis hujus vitæ, cujusmodi sunt ea quæ exemplis istis continentur, cum alia interim esse possint ejusdem generis incommoda; nec tamen, quia non sint in istis exemplis expressa, censeri debeat, ea Christi præceptione minime contineri; ad eave Christi prohibitionem non pertingere; qualia sunt incommoda, quæ ad decus & famam pertinent, quorum in Christi verbis nulla aperta fit mentio. Deinde intelligendum est, in ipsis etiam hujus vitæ incommodis, quæ nobis quis vel inferat, vel inferre conetur, non omnem resistentiam à Christo prohiberi, sed illam quæ vindictam aliquam, vindictæve, seu ultionis speciem conjunctam habeat. Ratio hujus rei est, quia, ut etiam antea docuimus, cum proxime de Christi præcepto non jurandi egimus diligenter, si quis Christi mentem in his suis præceptionibus assequi velit, necesse est inspicere. Quibus Mosaicæ Legis verbis Christus sua dicta opponat, & qua occasione ea præcipiat, quæ præcipit. Jam, hoc in loco, certum est, eum sua dicta opponere Mosaicæ Legi, quæ ultionem per magistratum concedebat, & occasione talis ultionis prohibendæ, dicta sunt, sine dubio, à Christo omnia, quæ toto hoc loco præcipit. Erat enim omnino repetitio ista talionis, in iis rebus quæ expresse in Lege nominantur, & à Christo ex parte commemorantur, mera prorsus ultio, sine ulla alia certa utilitate vel commodo ea repetentis, quam quod videret eum, qui se læserat, eodem damno sive incommodo affectum, quo ipse ab eo fuerat. Hisce rebus recte perpensis, non admodum difficile erit verum sensum percipere, eorum quæ Christus in exemplis statim à se subjectis præcipere voluit.

Primum exemplum est, de incommodo nobis illato ad ipsum corpus pertinente, præcipiente Christo, ut si quis nos percusserit in maxillam dexteram, præbeamus

mus illi & alteram; quo uno exemplo, sine dubio, complecti voluit, quicquid ejusmodi corporei damni nobis illatum fuerit. Jam hoc ipsum primum exemplum satis nos docere potest, si cum iis conjungatur quæ alibi legimus, Christi verba, non simpliciter, ut sonant, accipienda esse, sed eo sensu quem diximus; nimirum, ut intelligatur non plane atque absolute ista præcipere, sed jubere ut ista potius fiant, quam ut vindicta sive ultio ulla quæratur; seu mavis, si fieri non possit, ut vindicta sive ultio non quæratur, nisi si quis ista faciat quæ Christi præceptis continentur, tunc debere ista fieri. Nam certe ipsemet Christus, qui sine dubio exemplar fuit à Deo nobis propositum, quod omni studio ac conatu exprimere vita ac factis nostris laboremus, percussus, alteram corporis partem percutienti non præbuit; sed tantum conquestus est, quod sine caussa percussus fuisset, ut legitur Joh. 18. 22, 23. Quapropter nihil est dubitandum, quin Christus suo isto præcepto, præbendi maxillam alteram, ei, qui dextram nobis percusserit, aliud præscribere voluerit quam ipsa verba præ se ferant, quod quid sit, satis expositum à nobis fuisse credimus.

Vers. 40 Ab ipsius corporis afflictione & incommodo nobis illato, transit Christus ad incommodum res nostras spectans, seu pecuniarium; pecuniæ si quidem nomine res omnes intelligi possunt, quæ pecunia parantur; & ait: *Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Hic, nisi quis caute agat, præter absurdissimum aliquod præceptum, quod Christo tribuet, faciet etiam illum non satis ad rem loquentem. Nimirum si quis velit, ut non pauci faciunt, ex verbis istis Christi concludere, non licere cuiquam, etiam repetendi sui causa, judicio agere; quod nimis valde absurdum esset, cum repetitiones per ipsum magistratum factæ dentur, in quibus is, à quo repetitur, nullum damnum sentit, & nisi illæ fiant, quispiam maxime læditur, tum ipse, tum ii qui ejus curæ sunt commissi, ab ipsoque ali debent, nec ulla prorsus apparere potest causa, cur Christus ejusmodi repetitiones fieri interdixerit. Nec sane ad propositum ipsius Christi quicquam talis præceptio pertineret, quod satis ostendimus esse, eam resistentiam prohibere, quæ ultionem aliquam secum conjunctam habeat. Adde, quod ipsa Christi verba, ad repetitiones istas minus apte accommodari possunt, cum Christus revera, exemplo suo, eum casum complectatur; in quo non de repetitione agitur, aut certe non de simplici repetitione, sed de accusatione in judicio, illius qui nobis aliquid eripuerit, vel potius eripere voluerit; & eripiendo, aut eripiendi studio nos quodammodo cogere ad contendendum cum ipso coram judice. Hanc enim vim, omnino videntur habere verba illa, *Si quis voluerit tecum judicio contendere* &c. Præsertim, cum, ut alii monuerunt, possint Græca verba ita accipi, ac si dictum fuisset, Si quis abs te in judicium vocari velit, nempe, eripiendo, seu eripere tibi conando tunicam tuam. Nam cum iis, qui aliena raperent, aut rapere conarentur (intellige, vi aliqua adhibita) graves essent constitutæ pœnæ, ita ut præter vel redditionem rei ereptæ, vel cohibitionem rapiendi, damno aliquo graviore per judicem afficiendus esset is, qui accusatus talis criminis convinceretur, prohibet Christus, ut quælibet vindicta semper vitetur, accusationem istam fieri; & potius, præter tunicam, quam eripere iste voluit, pallium quoque ei concedendum, quam ejusmodi accusationem adversus ipsum instituendam præcipit. Ubi est notandum, quod si hac in parte simplicibus Christi verbis adhærere velimus, (quod cur faciendum non sit, nulla causa apparet) statuere possumus, accusationis istius effectum commodum aliquod accusantis respicientem, nullum esse posse præter vindictam; cum Christus diserte, non de eo, qui reipsa acceperit, sive eripuerit nobis tunicam, verba faciat, ubi præter vindictam, sui repititio locum haberet, sed de eo qui accipere seu rapere voluerit, ubi repetitioni nullus locus esse potest. Quod si dixeris, etiam cum quis simpliciter accipere seu rapere voluit, nec tamen reipsa rapuit, ex accusatione adversus ipsum, præter ipsam vindictam posse hoc commodum ipsi accusanti comparari; quod post hac iste à magistratu cohibitus atque adeo punitus, verisimiliter non sit ausurus tale quippiam adversus istum tentare; Respondeo, cum iste accusator, seu potius qui accusaturus esset, revera nullum damnum ab eo, quem in judicium esset vocaturus, passus fuerit, non esse habendam rationem, quod attinet ad commodum ipsius, simplicis istius adversus commoda ipsius voluntatis reprimendæ; aut certe non talem, quæ ullo pacto impediat, quo minus quis merito affirmare possit, accusationem istam potissimum ac præcipue vindictæ caussa institutum iri; ideoque eam, sicut menti Christi plane adversatur, quæ est, omnem vindictam, etiam necessariam, prohibere, sic nihil habere commune cum accusatione illa, in qua nihil præterea quæritur, quam rerum sibi acceptarum, aut quoquo modo interversarum, seu retentarum nuda ac simplex repetitio

Vers. 41. Sequitur tertium Christi exemplum, ejus quod facere jubet, minime id permittens, quod tacite colligebatur ex ipsa Lege Mosis, ut scilicet liceret per magistratum talionis pœnam reperere; quod exemplum ad labores & molestias pertinet, quibus quis nos vel affecerit, vel afficere voluerit Verba Christi hæc sunt. *Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo duo*: Quid significet verbum istud, *angariaverit*, quod in Græco est *ἀγγαρεύσει*, ex eo intelligi potest, quod scriptum est cap. 27, apud eundem Euangelistam, & apud Marcum cap. 15, ubi fit mentio illius Simonis Cyrenæi, qui fuit adactus atque adeo compulsus ad bajulandum Christi crucem; ibi enim est verbum istud, quod alibi, ni fallor, in toto Novo Testamento non legitur, & apud prophanos scriptores vix usquam invenitur. De cujus etymologia ac derivatione non est quod curiose inquiramus, cum satis sit scire, quid apud Euangelistam nostrum significet. Significat autem, sine dubio, cogere, seu adigere ad aliquid faciendum, quemadmodum alius ille à nobis citatus locus aperte ostendit. Quamobrem, Angariaverit te mille passus, idem est, atque adegerit, seu coegerit te ad mille passus conficiendos; ubi interim subintelligendum est, *cum ipso:* id enim aperte colligitur ex eo quod sequitur.

Ito cum eo duo. Quod Christi præceptum atque exemplum, ita sine dubio accipiendum est, ut docuimus superiora duo accipi debere, ut scilicet non simpliciter jubeat Christus istud fieri, quod præcipit; sed potius id faciendum doceat, quam quærendum, ut, laborem seu molestiam nobis illatam, ulla ratione ulciscamur, ita, ut ne per magistratum quidem id à nobis quæri velit. Semper enim habenda est ratio ad quid Christus sua verba referat, & cujus occasione illa proferat, quod hic similiter esse Legem à Mose latam, de talionis pœna quam magistratus curare debebat, ex eo apparet, quod per conjunctivam particulam ista cum superioribus, quæ eo sine dubio respiciunt, connexa sunt, unde constare possit, hoc esse, ut diximus, tertium exemplum ejus rei à Christo allatum. Non est autem dubium, quin is, cui vis aliqua infertur, & liber cum sit, ad aliquid faciendum vi cogitur, possit per magistratum suam hanc injuriam & damnum ulcisci; & quin ejusmodi res naturaliter unumquemque movere soleat, ad vindictam molestiæ sibi illatæ quærendam; propterea recte exemplo hoc usus est Christus, cum vellet & à publica, & à privata vindicta, sed potissimum à publica, homines hoc loco deterrere. Estque in hoc exemplo, sicut & in duobus superioribus, à Christo jussum, ut non tantum damnum patienter feramus, quod nobis quis vel intulit, vel inferre voluit: sed prætereа tantundem amplius, ut hac ratione apertissime ostenderet, quantopere nobis cavendum sit ab omni ultione, cum tam grave damnum nos subire velit potius, quam vindictam ullam quærere.

Vers. 42. Tribus istis exemplis allatis, quibus ostendit Christus nolle suos eo uti, quod Lex Mosis permittebat, quædam subjicit, quæ tametsi proprie eodem referri nequeant, ad propositum tamen ipsius faciunt, quemadmodum docebimus. Sed prius animadvertendum est, id verum esse quod modo diximus, ista videlicet, quæ subjicit, eodem proprie non spectare, quo tria illa exempla, vel ex eo apparere, quod non utitur conjunctiva aliqua particula in illis ad superiora addendis. Unde intelligi potest, ea non esse plane ejusdem generis. Inquit enim nulla præcedente conjunctione, *Qui petit à te, da ei; & volenti mutuare à te, ne aversatus fueris.* Ubi sine dubio, nullum locum habet magistratus aditio, & per ipsum vindictæ sui incommodi, ut sic dixerim, quæsitio. Neque enim, si quis à me aliquid petat, mutuove quippiam à me accipere velit, injuria ulla, aut damno me afficit, ita ut non modo non videantur ista eo proprie pertinere, quo superiora; sed vix appareat, quomodo ea ad Christi propositum faciant; & sint, ut saltem esse debent, additamentum, sive appendix quædam ad superius dicta. Sunt tamen nihilominus, & ad Christi propositum recte accommodantur; quod est, ut dictum fuit, ab omni vindicta plane deterrere. Non contentus enim Christus ea commemorasse, quæ jam præsentem habent caussam ultionis quærendæ, vult præterea monere, ut omnem occasionem vitemus eo deveniendi, ut nobis caussa præbeatur ultionis alicujus quærendæ, & propterea jubet, ut si quis aliquid à nobis petat, id demus, ne scilicet ille frustratus petitione sua, nobis irascatur, & aliquid gravioris mali, præ ira, nobis inferat; unde nobis occasio detur ultionis quærendæ. Non est tamen hic, non magis quam in exemplis quæ attulit, Christi præceptum simpliciter intelligendum, ita ut necesse sit cuique petenti dare; quamvis apud Lucam cap. 6 legatur vox *Omni*; sed intelligendum est, tunc demum id fieri debere, cum quis videt alioqui periculum fore, ne ipse postmodum ad vindictam quærendam, aliqua ratione adigatur. Itaque si quis videt non esse timendum, ne is qui petit, etiamsi non impetraverit, quicquam mali ipsi inferre conetur; aut si id timendum censet, se paratum esse sentit, ad id mali, quod iste intulerit aut inferre voluerit, patienter ferendum, nulla caussa est, si petens iste alioqui indignus sit qui accipiat, vel ipse à quo petitur, non possit sine suo suorumve incommodo id dare, quod iste petit, cur illi quidquam dare debeat; neque huc ullo pacto Christi verba ac præcepta, hoc loco data, trahenda sunt. Nimis enim alioqui magna absurda, & cum vera charitate ac prudentia Christiana pugnantia, inde consequerentur.

Jam igitur, quod attinet ad explicationem Christi verborum ac præceptorum, quæ Legi illi Mosaicæ opposuit, satis hactenus à nobis explicatum & disputatum videtur. Quare possemus jam ulterius progredi. Veruntamen occasione istius Mosaicæ Legis, non inutile videtur de eo quærere, quod antea attigimus, An scilicet, quemadmodum sub Vetere Testamento jubebatur magistratus talionis pœnam repetere, sic sub Novo idem vel jubeatur facere, vel saltem ei concedatur. Verba siquidem Christi, ut supra affirmavimus, cum ad ipsos privatos dirigantur, non videntur aliud quippiam istius Legis mutare aut corrigere, quam id, quod ad jus ipsorum privatorum pertinet, ut nimirum permissio tacite in Lege ista contenta, quærendi per magistratum talionis pœnam, sublata à Christo censeatur; nec quicquam amplius. Jam vero, ut proposita quæstio breviter à nobis dissolvatur, dicimus, primum inter omnes constare, Leges Mosaicas ad judicia pertinentes per Christum fuisse sublatas; hoc est, in Christiana religione non propterea illas esse servandas, quia ad Christianos revera pertineant; sed, si nihilominus inter Christianos aliqua ex illis locum habeat, vel habere possit, id ex eo pendere, quod cum ipsa Christiana religione consentiat; non autem quod vim suam, ex promulgatione illa à Mose facta, inter Christianos retineat. Deinde ex hoc concludendum est, quod attinet ad id, utrum magistratus Christianus teneatur Legem istam servare, eum minime teneri, cum Lex ista inter Christianos non vigeat. Quod vero attinet ad alterum, utrum, scilicet, possit nihilominus Christianus magistratus pœnam istam talionis inferre; dicendum omnino videtur, eum non posse, cum pœna ista omnino cum Christiana charitate pugnet, cumque prudentia, quam Christiana religio nos abundantius docuit, quam Mosaica. Quid enim minus secundum charitatem, minusve prudenter videatur esse factum, quam pœnam inferre, quæ pertinere debeat ad emendationem, vel compensationem damni ab eo qui punitur accepti; ex qua interim is, qui damnum acceperit, nullum commodum revera sentiat, nullamve damni sibi illati compensationem aut imminutionem? Quod si quis objiciat, hac ratione posse concludi, injuste atque imprudenter Legem istam per Mosem fuisse latam. Respondemus, aliam fuisse caussam, cur ea tunc temporis injusta & stulta videri non possit: quippe, quod Deo illius auctori, quemadmodum innumerabilia fere alia exempla, tum Legum tum judiciorum ab ipso Deo factorum aperte ostendunt, propositum tunc fuerat, timore potius quam amore populum in officio continere; unde Paulus cap. 8 ad Rom. ait, pro eo tempore Dei populum accepisse spiritum servitutis ad metum. Considerata igitur analogia & ratione totius illius Veteris Fœderis, & propositi in eo divini, nullo pacto censendum est, non obstantibus iis quæ dicta sunt à nobis, ut ostendamus, talem Legem usumve ipsius, in Christiano populo locum habere non debere, eam dignam reprehensione esse, si consideretur ut lata fuit Fœderis illius antiquioris tempore. Nam etiam præterea habet Lex ista suas caussas, quibus extra Christianam religionem justa omnino censeri possit; quod vel ex eo facile unicuique potest persuaderi, quod non defuerunt alii Legislatores, præter Mosen, iique æstimati prudentissimi, qui ejusmodi Legem scripserunt. Id certum est, talionis Legem in ipsis duodecim tabulis, unde jus civile Romanorum originem suam habuit, contentam fuisse. Ut enim pax & quies in populo servaretur, & delinquendi occasio omnis præcideretur, ut denique ab injuria alteri inferenda unusquisque deterreretur, multa sunt inducta alibi extra Christianam religionem, quantumvis alioqui ejusmodi quæ videri possent imprudenter atque injuste facta. Tanta fuit ratio & cura publicæ tranquillitatis atque quietis; quippe quod in ea, summa ac potissima hominum, & rerum-publicarum ac populorum felicitas, constitueretur. At vero inter Christianos ratio & cura ista multo minor sine comparatione est; quippe, quod Christiani hic in terris, in istaque communi tranquillitate ac quiete, minime suam felicitatem constitutam habeant, neque hoc bonum tanti faciant, aut facere debeant, ut ejus vel consequendi vel retinendi gratia quicquam, ne minimum quidem cum recta ratione alioqui pugnans, & inique aut imprudenter factum admittere, vel approbare ulla ratione possint.

Vers. 43. Restat ultimus locus Mosaicæ Legis, ex iis, quos Christus sibi supplendos delegit; in quo quid Christus præstiterit, operosius aliquanto est discernere, quam in aliis superioribus; & præcipue id, an hoc in loco, de solis verbis aut sententia Legis reformanda, egerit; an vero præterea, falsa ipsius Legis, ejusque mentis interpretamenta retegere ac rejicere voluerit; aut etiam an hoc solum facere intellexerit, ut complures existimant. Nam isti potissimum ex hoc loco contendunt, satis constare, Christum, & hic & alibi supra, non habuisse sibi propositum, ut ipsam Mosis Legem reformaret; sed tantum ut interpretationes ejus falsas refelleret, atque ex populo exterminaret. Ajunt enim illud hic manifeste apparere, ex eo quod inquit auditum fuisse, inimicum suum odio habendum esse, id quod

id quod nusquam in Lege Mosis extare, clare patere ajunt. Verum considerare deberent isti, primum nihil necesse esse, ut dictum istud, aut simile, diserte in Mosis Lege habeatur, ad hoc ut statui possit, Christum hac quoque in parte Mosis Legem reformare voluisse, sed satis est, ex tota ipsa Lege, sententiam dicto ipso comprehensam, omnino posse colligi, ut quidem nos posse credimus, si modo recte intelligatur, quid inimici nomine hoc loco significetur, ut postea explicabimus. Deinde animadvertere debent isti nihilominus, ut dictum istud, cui Christus sua dicta opponit, neque cum verbis, neque cum sententia Mosaicæ Legis ullo modo conveniret, statuendum tamen esse, Christum, non ea modo hoc loco rejicere voluisse, quæ perperam addita Legi Mosis fuissent; sed etiam ipsam Legem voluisse reformare: quandoquidem, & ipsam Legem recitat, & quæ ipse de suo subjungit, non modo ad rejiciendum istud quod additamentum Legis esse creditur, sed etiam ad ipsam Legem reformandam omnino pertinent: quod mox planum faciemus, ubi videlicet docuerimus, quid proximi, quidve inimici nomine, in ipsis Legis verbis, & in isto, quod additamentum esse creditur, omnino significetur.

Quod attinet ad nomen Proximi, certissimum est, illud significare quempiam ex eodem Israëlitico populo, & sane quemlibet talem; sed nulla ratione eum qui ex eodem populo non esset, facit id primum manifestum nomen ipsum Hebraicum, quod proximi voce redditum est, & quidem non male. Significat enim nomen istud socium atque amicum, quæ appellatio sub ipsa Lege, nullo modo convenire poterat cuiquam, qui extra populum Israëliticum foret, respectu, inquam, ipsius populi. Quomodo enim potuisset aliquis extraneus & incircumcisus vocari socius cujuspiam, qui ex populo Israëlitico esset, cum inter utrumque nulla societas aut commercium esse posset. Adde, quod si appellatio ista pertineret indistincte, ut quidem isti volunt adversus quos nunc disputamus, ad omnes & singulos homines cujuscunque generis, non distingueretur appellatione ista quisquam, à quoquam; cum tamen certissimum sit, eam in Lege fuisse usurpatam ad distinctionem aliquam. Præterea ipse locus, ubi datum est præceptum illud diligendi proximum, qui est capite 19 Levitici, satis docet appellatione ista quempiam ex populo tantum significari. Est enim ibi scriptum ad hunc modum, *Ne ulciscaris, neve reserves* (nimirum, injuriæ memoriam) *populi tui; & diliges proximum tuum, sicut te ipsum* Satis enim constat, conjunctivam particulam, quæ legitur ante verbum *diliges*, ex idiomate Hebraico habere vim particulæ adversantis. Unde factum est, ut & Tigurini, & Tremellius ac Junius, & alii nonnulli in suis versionibus Latinis, loco *Et*, *Sed* posuerint: ex quo consequitur; eum, quem proximum Lex isto in loco appellat, eundem esse, atque eum, qui sit ex eodem populo. Sensus enim totius Legis est, non esse ultionem quærendam injuriæ sibi illatæ ab ullo ex populo; sed quemlibet ejusmodi hominem, non minus quam seipsum, à quolibet amari debere. Quod (ut obiter hoc loco id dicamus, quod inferius dicendum fuisset) non ita tamen est accipiendum, ut perfectam illam & absolutam charitatem significet aut complectatur, quæ jussa est sub Euangelio; sed Amare sicut seipsum, in loco isto declarat, debere unumquemque quemadmodum ipse cuperet, ne quisquam ex suis popularibus injuriam ulcisceretur, ejusve meminisset, quam ab ipso acceperit; sic ipsum injuriam sibi à populari quopiam suo factam, nec ulcisci, nec ejus recordari.

Jam cum explicatum sit, quid Proximi nomen in Mosis Lege declaret, proclive admodum est intelligere quid Inimici nomine significetur, in verbis quæ statim subjiciuntur, & additamentum ad ipsam Legem esse putantur: manifeste enim ibi inimicus proximo opponitur. Itaque si proximi nomine intelligendus is est, qui ex eodem sit populo; inimici, intelligendus erit is, qui alienus à populo fuerit, & hostis alio nomine dici potest; ex quo facile constare poterit istud, quod Christus ait auditum fuisse, de odio adversus inimicum, non esse ex falsa Legis interpretatione ipsi Legi additum; sed ex ipsa Legis sententia omnino fluere. Secundum quam licebat hostes non amare, sed odio habere; & porro eos armis interdum invadere atque delere, penitusque exterminare, & alienigenas plane aversari necesse erat. Quare non est temere asserendum, Christum hoc in loco, non dicam tantum, sed ulla ratione voluisse falsam Legis Mosaicæ interpretationem rejicere; quamvis nos facile possimus concedere, quemadmodum & in superioribus quibusdam Christi dictis fecimus, eum hoc in loco, non tantum Mosis Legem reformare, sed etiam falsam ejus interpretationem rejicere voluisse: satis enim habemus, si ostendamus, illum plus præcipere, quam Moses præceperit, & revera ipsam Mosis Legem hac ratione reformare. Quæ de re postea agemus. Istud inquam concedere possumus, cum fieri queat, ut quia vox Hebraica, quæ proximi nomine est reddita, significat, ut diximus, amicum & socium, ii qui suis cupiditatibus indulgere volebant, sibi persuaderent, Lege ista diligendi proximi, non juberi, nisi ut amici diligerentur; præsertim, cum additum in Lege fuerit illud, *Sicut te ipsum*, quod fortasse non videretur verisimile, quemquam teneri sicut seipsum diligere, nisi eum qui amicus esset. Atque ex hac præcepti istius interpretatione, à contrario sensu, ut loquuntur, colligerent, Ergo eum qui amicus non esset, si non debere, posse saltem odio haberi; quandoquidem verba illa, *Et odio habebis inimicum tuum*, non omnino significare videntur, debere quenquam inimicum suum odisse; sed ita posse accipi, ac si dictum fuisset, inimicum autem tuum odio habere poteris. Potest inquam fieri, ut isti, cupiditatibus suis & odio adversus inimicum hominem indulgentes, ita Legem istam Mosis interpretarentur, ut amandi præceptum à Mose datum ad amicos tantum ejusdem populi pertineret; inimicos vero, quamvis ejusdem populi, minime complecteretur. Quamquam oportuerit istos vere cupiditate sua excæcatos fuisse, cum manifeste ibidem prohibeatur, ne quis odio habeat quemquam ex populo suo: sed fortasse odium istud ita illi interpretabantur, ut ejusmodi esset, quod ad ultionem prorumperet; cum ibi omnino videatur, verbum *Odisse*, opponi verbo ulciscendi, & servandi injuriæ memoriam, nempe ad vindictam aliquando quærendam; si modo Hebraicum verbum, quod servare, seu reservare præcipue significat, ad istum modum supplendum est, nec per se ipsum, vel cum supplemento aliquo alio, quiddam aliud significat. Caussa vero ut adduci possimus, iis non obstantibus quæ contrarium suadent, & à nobis supra indicata sunt, ut concedamus, Christum hoc loco non modo ipsam Legem Mosis reformare, sed etiam falsam ejus interpretationem, interpretationemque istam suis verbis complexum fuisse, non una tantum est, sed, ut in quibusdam ex superioribus dictis, quibus Christus sua opponit, omnino duplex. Nempe primum, quia ut ibi, quemadmodum antea monuimus, non addita est vox *antiquis*, ita neque hic; ut non sit necesse, Christi verba illa, *Audistis, quod dictum est*, ita accipere, ut significent id, quod in Lege ab ipso initio, ipsisque priscis ac veteribus præscriptum fuerat; sed possint ad id referri, quod alioqui in populo personabat. Deinde, quia hic quoque ipsa Legis verba non plane recitantur, ut in ipsa Lege leguntur; nam præterquam quod adduntur verba illa, *Et odio habebis inimicum tuum*, quæ certe neque ibidem leguntur, neque alibi expresse habentur, omittitur etiam illud, *Sicut te ipsum*, quod sine dubio maximi momenti censeri debet, & facile in eo, quod ex falsa Legis interpretatione in populo personaret, omitti potuit; ad præcepti nimirum gravitatem, in populi gratiam non parum levandam.

Vers. 44.

Vers.44. Jam, cum satis à nobis explicatum fuerit, in quem sensum possint accipi verba, quibus Christus sua dicta opponit, tempus est ut videamus, quidnam Christus ipse dicat ac præscribat, & quod antea polliciti sumus ostendamus, Christum plus præcepisse, quam Lex ipsa Mosis præceperit; & propterea merito dici posse, eum hoc loco Mosis Legem reformasse, id quod sane vix usquam in præcedentibus tam aperte fecit. Nam pro eo, quod Mosis Lex tantum jubebat amare eos, qui ex eodem populo essent, Christus indefinite jubet amare inimicos, & bonum pro malo illis reddere: quorum inimicorum species quodammodo enumerans; tria genera illorum facit. Unum eorum, qui verbis; alterum, qui corde & animo; tertium vero eorum, qui ipsis factis nobis sunt infensi. Præmisso igitur prius generali præcepto, generalique omnium istorum sub ipsius inimici nomine appellatione, his verbis, *Diligite inimicos vestros*; Primum genus, appellatione eorum, qui nos devovent & dira nobis imprecantur, commemorat, quibus jubet nos benedicere, id est, bene precari, seu verbis nostris atque animo optare ut bene habeant. Quamquam verbum Benedicendi potest ita accipi, ut significet laudare, seu verbis commendare, pro eo, quod illi nos vituperant ac verbis damnant, ut ii solent qui alios devovent iisque dira imprecantur. Antequam vero ad secundum genus transeamus, non est omittendum, in Latina vulgata editione totum istud membrum, *Benedicite iis, qui vos devovent*, plane desiderari; cum tamen nec ullum indicium extare videatur, quod in aliquo Græco exemplari ista verba desint, nec ea in Syriaca interpretatione omissa fuerint. Jam alterum genus inimicorum, à Christo appellatione eorum, qui nos odio habent, describitur, quod, sine dubio, ad cor & animum eorum potissimum refertur, ut verbum ipsum odio habendi significat. Istis jubet Christus ut benefaciamus; & sic pro eorum malo animo benefacta eis rependamus. Tertium porro genus, ut in vulgata Interpretatione legitur, persequentium nos atque calumniantium nomine appellat: ubi prius persequentes, deinde calumniantes appellantur, cum in Græco contextu & in Syriaca editione contrarius ordo habeatur. Vox porro calumniantium, qua à Latino interprete redditum est verbum Græcum ἐπηρεαζόντων, non ita accipi debet, ut significet simpliciter aliquid falsi cuipiam affingere; sed, damnum aliquod aut vexationem cuipiam sub prætextu aliquo afferre, quemadmodum ipsum calumniandi verbum proprie significat. Nam, & verbum ipsum Græcum tale calumniæ genus declarat; quod ideo dicimus, ut appareat, hoc tertium genus eos inimicos complecti, non qui verbis aut animo tantum, sed ipsis factis nobis sunt infensi, sicut supra monuimus. Cum istis ita agendum Christus nobis præscribit, ut quemadmodum illi omnium nocentissimi inter ista tria genera inimicorum sunt, sic nos illis maximum omnium beneficiorum præstemus: quod est; Deum pro illis orare, qui non modo omnia illis dare potest bona, sive ad hanc, sive ad futuram vitam spectantia, verum etiam illorum animum ac mentem immutare, atque efficere ut ex malis & ipsius Dei inimicis, boni & Deo chari evadant.

Jam ex istis, quæ juberi à Christo ostendimus, de inimicis diligendis, aperte, ni fallimur, constat, eum non parum addere hac etiam in parte Legi Mosaicæ; etiamsi dicta, quibus sua opponit, ita accipienda essent, ut non intelligeretur neque ex toto, neque ex parte ab ipso recitata Lex ipsa Mosis, sed tantum id quod in populo audiri & tradi consuevisset, ut scilicet amici amarentur, inimici vero odio haberi possint, & quidem ex eodem populo; ex falsa videlicet interpretatione Mosaicæ Legis, quæ inde fluxisset, unde eam fluere potuisse supra à nobis expositum est: hoc enim, quantumvis verum esse admitteretur, nunquam tamen tollere possit, quominus Christus in præceptis suis circa dilectionem plus jusserit, quam revera ipsa Lex Mosis recte interpretata jussisse deprehendatur: nusquam enim invenies in universa Mosis Lege, jussum simpliciter, ut inimicis suis quisque bene faciat. Nam si quis dicat, istud contineri in præcepto amandi proximum sicut se ipsum; ex quibus solis istud colligere fortasse quis posset, eo posito, quod proximi nomine quilibet ex popularibus intelligeretur, ita ut etiam inimicos comprehendat modo ex eodem sint populo, quod nos verum esse & concedimus, & supra docuimus; Ostensum inquam est antea, non ita accipienda esse verba ista, ut propterea hinc sequatur debere quemlibet, suo etiam inimico qui ex eodem populo sit, benefacere: nimirum quia unusquisque vellet secum ita agi. Nam præter ea, quæ supra dicta sunt cum verum sensum verborum istorum ostendimus, certum est in ipsa Mosis Lege Exod. 22 fuisse permissum, furem noctis perfodientem, quamvis ex eodem esset populo, graviter verberare, etiamsi ex talibus verberibus mors ipsa consequeretur. Atqui nemo est, quin videat hoc pugnare, non modo cum amore illo, qui significatur verbis istis, amare sicut seipsum; si ea simpliciter atque sonant accipiantur, & non eo sensu qui à nobis expositus fuit: sed etiam cum mediocri amore, quo alter alterum prosequatur. Quid enim? an cum amore isto consistere potest, alterum ita verberare ut moriatur, ut ipse damnum aliquod pecuniarium, quod iste alioquin fortasse sit tibi illaturus, evites atque effugias?

Quod si quis, ad ostendendum nihilominus benefaciendi præceptum etiam inimicis suis in Mosis Lege contineri, id afferat, quod scriptum est Exod. 23. ubi jubetur unusquisque, qui in bovem inimici sui errantem aut asinum inciderit, curare ut ad ipsum dominum reducatur: & si quis viderit asinum illius, qui se odio habet sub onere succumbentem, jubetur eum non deserere, sed illi auxiliari. Respondeo, istis officiis, etiam erga inimicum jussis, non propterea juberi simpliciter iis bene facere; quandoquidem officia ista ab iis tantum negligi solent, qui vindictæ cupiditatem, aut saltem odium adversus inimicum suum retinent; quod utrumque ab ipso Mose vetitum fuisse, & fatemur, & scriptum esse ipsimet contendimus: nempe supra memorato cap. 19. Levitici, ut scilicet appareat, ex utroque isto præcepto fluere ista alia, quæ à Mose erga inimicum facienda jubentur, non autem ex eo, quod alioqui ex mente ipsius Mosis teneretur quis inimico suo benefacere. Non est etiam cur quis adversus id, quod conclusimus, afferat quod scriptum est à Salomone Proverbiorum cap. 25, & ab ipso Paulo Apostolo ad Rom. 12, usurpatum. Sic enim ipsius Salomonis verba habent, *Si esuriat osor tuus, ciba eum pane; & si sitiat, da ei bibendam aquam.* Quæ verba, quantumvis præcipiendi modo à Salomone prolata, non possunt habere præcepti vim in ipsa Lege contenti; quandoquidem Salomon non profitetur, se vel Mosis Legem explicare, vel præcepta dare ex ipsius divini præscripti atque absoluti jussus mente: sed tantum, sicut aliis plerisque in locis illius sui operis, istic etiam monitionem exponit, quam sperat atque affirmat utilissimam fore, si quis illam sequatur; quemadmodum docent statim sequentia verba. *Nam prunas coacervabis super caput ejus, & Jehova rependet tibi.* Magna igitur utilitas, quæ inde consequutura sit si quis ista faciat, movit Salomonem ad ita monendum; non autem quia id censeat in ipsa Dei Lege esse jussum, quandoquidem nihil impedit, quominus Deus ei rependat qui plus fecerit, quam ipsi præscriptum & absolute jussum ab ipso fuerit; immo hoc ipsum, quod Deus dicitur isti repensurus, satis indicare potest, benefacta ista erga inimicum suum, non fuisse jam tum ab ipso Deo omnino jussa; neque enim videtur ille retributionem à Deo prorsus expectare debere, quid id facit quod facere omnino jussus est: non loquor nunc de totius Legis conservatione, sed de re aliqua præstita, quæ in ipsa Lege jussa fuerit. At vero, quando id,

do id, quod quis præstat, excedit ipsius Legis præscriptum; & interim est aliquid singulare ac difficile ad præstandum, quodque fidem faciat animi maxime virtute præditi, quale est istud, ipsis inimicis suis benefacere; tunc videtur retributioni omnino fore locum: hic enim fit plus, quam facere quis obstrictus fuerit; ibi vero illud fit, quod quis facere omnino tenetur; unde succedit tunc Christi regula, quod possint ii, qui hoc modo obediunt, ac debeant nihilominus dicere, se servos esse inutiles. Quod si secundum ipsius Christi verba, nimirum ipsum jus per se respiciendo, locum tunc etiam istud habet, cum quis omnia facit quæ sibi sunt jussa: quanto magis locum habere dicendum est, ubi quædam tantummodo fiunt; id est, non apparet, cuncta esse facta, quæ fuerant jussa? Itaque non debet locus iste Salomonis vim ullam habere ad probandum, sub Lege jussum fuisse inimicis benefacere: sed tantum ad ostendendum, sub ipsa Lege, si quis id fecisset, recte facturum fuisse, & rem ipsi Deo admodum gratam. Verissimum est igitur, etiamsi Christus dicta sua, non ipsi Mosis Legi, sed falsæ ejus interpretationi, opponere in animo habuisset; tamen nihilominus in ipsis suis dictis præcepta dedisse, quæ ea superant, quorum in Lege fit mentio, circa alterius amorem ac dilectionem.

Quod si, quemadmodum reipsa omnino Legem Mosis hac in parte reformavit, sic etiam velimus, ut sane verisimile omnino est, verba illa *Diliges proximum tuum*, à Christo recitata fuisse, ut ea quæ in ipsa Lege leguntur, atque eo sensu quo ibi accipi debent; quicquid alioqui, de alteris illis verbis *Odio habebis inimicum tuum*, quæ similiter iis dictis continentur, quibus Christus sua dicta opponit, statuendum esse velimus; sive videlicet concludamus, illa, ex ipsa Legis sententia fluere, sive additamentum fuisse magistrorum populi, nemini dubium relinquitur, quin Christus plus præcipiat, quam Mosis Lex præceperit, quod ad ipsam alterius dilectionem pertinet; quandoquidem Legis præceptum de proximo diligendo, non complectebatur nisi eos, qui essent ex eodem populo, ut ante docuimus: Christus vero præcepto suo de diligendo altero, omnes complectitur; & breviter, Christi præceptum ad eum quoque pertinet, qui proximo in Mosis Lege sic vocato opponitur, ita ut uno verbo dicere possimus, Mosen proximi tantum amorem præcepisse, Christum vero etiam non proximi. In quo his verbis ita statuendo, etiamsi nihil sit necesse, nomine proximi hoc loco aliud intelligere, præter id quod Lex Mosis intelligit; tamen animadvertendum est, differentiam illam, quæ vulgo statuitur inter proximi significationem sub Lege Mosis & sub Euangelio, ut scilicet sub Lege significet eum, qui sit ejusdem populi, seu circumcisus; sub Euangelio vero unumquemque hominem declaret, non esse simpliciter atque absolute veram; & sic, ubi in Novo Testamento videatur proximi appellatione quemlibet hominem significari, id fieri ex abusu quodam, cum dubitari nequeat, quin, ut ante diximus, appellatio ista, distinctionem aliquam inter homines & homines omnino declaret. Et sane, quamquam certissimum est, sub Euangelio juberi nos quemlibet hominem amare eique bene facere, quamvis alienus sit ab ipso Euangelio & Christiana fide, ut inter alia multa quæ hoc probant, clare docent Pauli verba ad Galatas cap.6, ubi præcipit seu monet, omnibus esse benefaciendum, maxime autem domesticis fidei; non tamen hinc sequitur, ut quidam fortasse arbitrantur, proximi appellatione, sub Euangelio quemlibet hominem significari; quasi vero non jubeatur sub Euangelio alterius dilectio, verbis plus significantibus, quam illis significetur *Diliges proximum tuum*, seu, quasi tota alterius dilectio atque universa, quæ sub Euangelio præcipitur, hoc uno præcepto, *diliges proximum tuum*, contineatur; quod tamen nemo, ni fallor, demonstrare poterit; nec ullus est locus qui magis suadere possit, sub Euangelio Proximi nomine quemlibet hominem significari, quam ille apud Lucam, ubi Christus interrogatus à quodam Legis-perito, quisnam esset ipsius proximus, statim subjecit parabolam illam, de eo qui descendebat ab Hierusalem in Jericho, qua voluit docere omnibus esse benefaciendum. Unde, si proprie ad interrogationem Christum respondisse velimus, concludendum videtur, quemlibet hominem cujuique proximum esse; sed nihilominus, si quis diligenter animadvertat, significatio ista nominis Proximi, sub ipso etiam Euangelio, non potest ex eo colligi, quod Christus concludit; sed tantum colligi potest ac debet, non esse in benefaciendo distinctionem ullam adhibendam inter hominem & hominem; id est, nullum hominem esse debere, quem à nostra beneficentia excludere debeamus; & ita cum quolibet hac in parte agendum esse, ac si quilibet esset proximus; & satis apparet, Christum isto in loco ipsum Proximi nomen aliter accepisse, quam non modo in ipsa Mosis Lege significat, sed etiam hodie sub Euangelio vulgo significare creditur, in iis videlicet verbis, quibus ipse jurisperitum illum vicissim interrogavit, *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* ubi sine dubio, tertia quadam ab istis duabus diversa significatione, extulit Christus Proximi vocem: qua voluit eum declarare, qui amicus ac benevolus alteri fuisset; & propterea, cum respondisset, eum sibi videri illius, qui in latrones inciderat, proximum fuisse, qui ei misericordiam fecerat, aliud nihil subjecit Christus, nisi, *Vade, & tu fac similiter*; id est, esto proximus, nimirum amicus & benevolus cuilibet, eique benefacito; quæ responsio atque conclusio, proprie quidem ad rem ipsam pertinet, & interrogationi jurisperiti illius abunde satis facit, qui propterea interrogaverat, quis esset proximus suus, ut, quemadmodum Euangelista inquit, seipsum justificaret, id est, tentaret, an ex Christi responsione posset ostendere, se præceptum illud proximum sicut seipsum diligendi plene præstitisse; id quod vidit sibi non succedere, & Christum sua responsione id conclusisse, quod, quamvis sibi non gratum, ad id quod expiscari voluerat, aut velle præ se tulerat, omnino pertinebat. Nihilominus tamen negari nullo modo potest, quin Christus omiserit directe respondere ad ipsam nudam & simplicem interrogationem, neque suis verbis expressisse, quid proximi illius nomine significetur, quem amare sicut nos ipsos jubemur, quisve sit iste proximus. Nam, quicquid de Proximi vocis significatione ex ipsius vi vocis elici potest, refertur, ut vidimus, non ad eum qui amatur, seu amari debet, sed ad eum qui amat; seu de quo quæritur, an amare nec ne debeat. Itaque tandem concludimus, teneri quidem nos sub Euangelio quemlibet hominem amare, eique benefacere; sed non tamen propter id, quod erga proximum ista facere debeamus, & proximi nomine sub Euangelio quilibet homo censeatur. Omittimus autem examinare, pauca quædam alia loca Testamenti Novi, ex quibus fortasse, ista vulgo sub Euangelio recepta Proximi nominis significatio, probari posse videatur: unusquisque enim per se, ubi in illa inciderit, facile poterit animadvertere, ea vel occasionem continere proximi nominandi, propter præceptum in Lege datum de proximo amando; & idcirco, non propter ipsam proximi appellationem, sed propter Euangelii tacite cum Lege collati analogiam, posse ea quæ ibi dicuntur ad quemlibet hominem referri; vel nomen proximi ibi omnino significare, non quidem quemlibet hominem; sed ejusdem religionis, ejusdemve Ecclesiæ, ita ut nullo pacto in illis locis, de quolibet homine agatur; sed neque etiam possint ea, quæ ibi dicuntur, ad quemlibet hominem referri, tantum abest, ut ipso proximi nomine quilibet homo ibi significetur.

Vers. 45. Postquam Christus dedit præceptum istud, de amandis inimicis, idque ita explicuit, ut & genera quædam inimicorum commemoraverit, & qua ratione

tione potissimum cum unoquoque eorum sit agendum, quove genere amoris debeamus inimicos nostros prosequi, quod breviter est illis bonum pro malo rependere, voluit tanti sui præcepti, quod omnino, ut ante explicatum fuit, quocumque tandem Christi dicta respiciant, superat atque excellit quicquid in Lege Mosis de altero diligendo præceptum est, rationem & caussam reddere, & propterea statim subjungit:

Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est. Jam antea quoque nominatus ab ipso fuerat Deus, sub hac appellatione patris cœlestis illorum, ad quos loquebatur; propterea, cum jam appellatione ista docuisset illos esse Dei filios, commodius hoc loco potuit, ex ista, ut sic dixerim, filiatione divina, rationem & caussam præcepti sui auditoribus probare; quæ est, quod quando ipsi filii Dei dicuntur, consentaneum est, ut revera ita se gerant ut Dei filios decet; & simul tales evadant, qui merito filii Dei dici possint, & sint. Ad duo enim videtur pertinere simul & eodem tempore, duoque significare, istud, *Ut sitis filii* &c. Unum est, ut similes in actionibus suis Dei esse velint: alterum, ut curent ei similes esse immortalitate; & sane vel ex hoc loco satis constat, filiationem nostram divinam aliud nihil esse, quam similitudinem cum ipso Deo. Namque Christus aperte concludit, ut ex iis, quæ illico subjicit apertum est, fore, ut ii, qui præceptum hoc suum servaverint, imitentur ipsum Deum; eaque in re, quam præcepti istius exequutio continet, sint illius similes, & consequenter, ejus filii. Sed nos, præter istam similitudinem, credimus illam alteram immortalitatis, Christi verbis contineri, ac si dixisset, Si id feceritis quod ego vobis præcipio, sicut propter imitationem Dei actionum, poteritis merito gloriari de appellatione ista filiorum Dei, sic etiam, maxime vera atque sublimi ratione, Dei filii efficiendi; nempe immortales reddemini. Nam alioqui, appellationem filii Dei significare beatam immortalitatem, eamque omnino complecti, videtur probare locus ille Pauli ad Rom. cap. 8, ubi ait, creaturum, nempe novam, expectare revelationem filiorum Dei. Certum enim est, expectationem istam ad id tempus respicere, quo homines, qui novæ sunt creaturæ in hoc mundo, quatenus per Christi Spiritum sunt regenerati, immortales in ipsa resurrectione fient. Verbum siquidem Revelandi, ut aliis non paucis in locis Novi Testamenti, eandem significationem illic habet, quam verbum Existendi. Johannes quoque primo capite sui Euangelii, cum dicit, eos, qui nati sunt ex Deo, potestatem seu dignitatem hanc à Christo consequi, ut fiant Dei filii, satis indicat, divinam filiationem omnium præstantissimam immortalitate contineri: Nihil enim dubitari potest, quin dicere voluerit, eos qui regenerati sunt, & in actionibus suis Deum, quatenus fert humana conditio, imitantur, hoc per Christum beneficium adepturos ut beata immortalitate donentur. Illud Christo ipso teste certissimum est, eos, qui in resurrectione beati atque immortales fient, propter hoc ipsum filios Dei futuros; id enim Christus aperte testatur Lucæ cap. 20. 36. Exponit autem Christus, quomodo, & cur ii, qui servaverint dilectionis præceptum à se datum, imitaturi sint Deum ipsum. Nam inquit, *Ut sitis filii patris vestri qui est in cœlis*, & statim addit, *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos*; *& pluit super justos & injustos.* Continet siquidem, ut vidimus, Christi præceptum, ut non amici modo, vel ejusdem populi homines, sed etiam inimici, & à nobis plane alieni, à nobis amenter & beneficiis afficiantur. Ubi animadvertendum est, si comparatio & similitudo ista Christi recte constare debet, ut certe debet, agnoscendum esse, omnes bonos & justos esse Dei amicos, eique conjunctos: malos vero & injustos, ejusdem Dei inimicos, & ab ipso penitus disjunctos; alioqui, cum Christus in præcepto suo non malos nominaverit, sed inimicos; & sic tacite, non bonos, sed amicos intellexerit, quibus non solis bene fieri debeat, non consisteret comparatio ac similitudo ista; sed Christus pro eo, quod, ipsum comparationis modum ac tenorem plane retinens, dicere debuisset: Qui facit solem suum oriri super eos, qui ipsum amant, & super eos qui ipsius sunt inimici &c. dixit, super bonos & malos, & super justos & injustos, ut simul, & quam brevissime indicaret, ac doceret, quinam sint amici Dei, quive inimici. Sicut igitur Deus non minus sole suo illuminat homines injustos & malos, qui ipsius inimici sunt, quam justos & bonos, qui ejus sunt amici, & per ipsius solis calorem & pluviarum humorem, non minus illis quam istis agros fœcundat, & convenientes ac necessarios atque utiles dat fructus; sic debet vir Christianus, non propterea omittere quin egenti pro facultate sua benefaciat, quia ipsius sit inimicus.

Vers. 46 & 47. Non contentus Dominus Jesus explicatione ista similitudinis cum Deo, quam omnino affectare debeamus, subjungit præterea rationem admodum validam, cur ipsis etiam inimicis benevoli esse debeamus; nempe, quia nihil egregii alioquin à nobis fiet hac quidem in parte, neque hic quicquam præstabimus hominibus, qui vel genus vitæ sequuntur plane culpabile, quales tunc erant publicani, licet alioqui ex Dei populo essent; vel ab ipsa divina, ut ita dicamus, republica sunt prorsus alieni, quales tunc erant Ethnici, & consequenter, non erit cur mercedem ullam expectemus, præsertim vero egregiam illam atque Euangelii propriam, vitæ æternæ ac regni cœlorum: quandoquidem tum publicani, tum Ethnici, & eos diligunt, à quibus diliguntur; & eos salutant, id est, illis amoris effectus exhibent, qui sunt eorum fratres; id est, si non alia ratione, saltem eo modo cum ipsis conjuncti, quem fert ac gignit, esse unius ejusdemque populi. Quanquam enim hoc Christus non exprimat, ut possit in ejus verbis nomen fratris, significare eum, qui vel amore vel cognatione aliqua arctiore sit nobis conjunctus: tamen verisimile est, cum, sine dubio, ejus præceptum etiam ad extraneos porrigatur, eum fratrum nomine voluisse eos omnes complecti, qui ejusdem sint populi, (ut sane nomen istud inter Judæos, quibuscum loquebatur, usurpari solebat) quos nolit solos à nobis amari; sed etiam eos, qui valde absint ab ejusmodi nobiscum fraternitate. Continet itaque ratio ista, uno quodammodo verborum complexu à Christo allata, duo maximi momenti. Unum est, quod res decentissima sit, ut ipsius discipuli, qui omnium, quotcumque fuerunt hominum aut futuri sunt, præstantissimi esse debent, in altero amando excellant saltem eos, qui non modo vulgares sunt homines, sed à vera justitia non parum alieni. Alterum, quod, cum discipuli ipsius non solum mercedem aliquam sibi debeant promittere; sed eam maximam ac divinissimam ab ipso Christo expectare, consentaneum plane sit, ut actiones etiam habeant singularissimas, & quibus, præsertim in beneficentia ac bonitate, quæ omnium virtutum, quibus in communi vita est locus, excellentissima censeri debet, alios longe antecellant: & tandem hic concludens Christus ait:

Estote igitur perfecti, sicut Pater vester qui in cœlis est, perfectus est. Satis apparet, ex ipsa subjecta materia, quid perfectionis nomine Christus hoc loco intelligat, quæ aliud nihil est, quam ipsius rei, quod ad genus attinet, absolutio quædam, etiamsi in ipsis hominibus circa eandem istam rem, possit esse alioqui imperfectio aliqua. Declaro quid mihi velim. In amandi genere, non potest quis ulterius progredi, sive absolutius aliquid præstare, quam si amet ipsos inimicos suos; & propterea qui hoc facit, hacque in re ipsum Deum imitatur, perfectus dici potest, quamvis fortasse istos eosdem suos inimicos, non ita perfecte amet ut posset; & ut Deus suos inimicos amat, id est, non tam sincero & candido amore, ut Deo par hac in re dici ullo modo possit;

possit; & sic docemur ex hoc loco, & verba non semper secundum suam absolutiorem significationem, accipienda esse, sed ex subjecta materia interpretanda; & similitudines non debere ad exactam conformitatem exigi, sed satis esse, si similitudo sit ea in re, quam locus requirit, & in ipso rei genere, quamvis alioqui in re ipsa tota non exigua dissimilitudo, inter ea quæ comparantur, vel similia esse dicuntur, deprehendi facile possit: nihil enim dubii est, Christum hoc in loco nos hortari ad perfectionem, similem illius quæ in Deo est, non quidem omnem, neque omnimodam, sed tantum in eo de quo agebatur, & in rebus similibus, seu in ipsius rei genere, quamvis in eodem genere aliud alio perfectius esse possit: cum totum ipsum genus per se consideratum, quiddam perfectum merito dici queat, nam sane perfectio quædam est, ut dictum fuit, amare ipsos inimicos suos.

CAPUT VI.

POstquam Dominus Jesus, ea dixit, ac præcepit, quæ sibi dicenda ac præcipienda pro eo tempore statuit, pertinentia ad reformationem Legis Mosaicæ quod ad mores attinet; & simul etiam ad abolitionem fortassis quarundam, falsarum ejusdem Legis interpretationum in populo receptarum, aut certe à populi magistris invectarum; transit ad docendum ac præcipiendum, quomodo debeat unusquisque se gerere in quibusdam, quæ vel præcepta à Deo erant in ipsa Mosis Lege, vel alioqui bona opera esse censebantur, & in populo frequenter fieri solebant, cujusmodi sunt, eleemosyna, preces sive oratio, & jejunium: quandoquidem in istis multa ab Hypocritis perperam fiebant, quæ facere quosve imitari nullo pacto, homini vere justo ac pio, convenit; idque verum erat etiam sub ipsa Lege, adeo ut hac in parte Christus revera nihil præceperit aut docuerit, quod plane novum esset; idque vel ex eo apparet, quod aperte adversus Hypocritas loquitur; nec ullam sive Legis Mosaicæ, sive verborum dictorumve in ea contentorum quibus sua opponat, mentionem facit. Quod si similiter, superiore capite, non ipsam Legem Mosaicam, sed tantummodo falsa ejus interpretamenta attingere, eaque vel reformare, vel abolere voluisset, aliquod sine dubio simile evidens indicium hujus rei ibi extaret; & quemadmodum hic Hypocritas diserte nominat, eosque apertissime vituperat; sic ibi falsorum istorum interpretum mentionem aliquam, cum eorum vituperatione conjunctam, omnino fecisset, si unquam id solum propositum habuisset, ut illos refelleret. Nam, quod, cum aliud præcipue sibi propositum haberet, id est, Legis ipsius Mosaicæ reformationem, interim aliquid etiam attigerit spectans ad falsas ejus interpretationes abolendas, nec tamen id aperte ac nominatim indicaverit, nulla in eo est absurditas. Quanquam, ut superius monuimus, non est temere nihilominus affirmandum, quod istarum falsarum interpretationum abolendarum rationem, in suo sermone superiore capite contento, habuerit.

Vers. 1. Sed jam ad ea, quæ in præsenti capite docet ac præcipit, explicanda accedamus. Initium autem facit Christus, ab eleemosyna, quam, ut quidem Latinus codex habet, justitiam appellat, & ait, *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Beza in sua translatione, postremæ ni fallor editionis, idem verbum justitiæ habet, quamvis fortasse hodie vix ullum Græcum exemplar inveniatur, quod nomen istud hoc in loco habeat; suspicor, quia ita observaverit, in ipso Græco codice aliquando lectum fuisse; & certe ab omni verisimilitudine prorsus abest, ut vetus Latinus interpres, sine ullo Græco codice unde id sumpserit, ejusmodi nomen cum significatione eleemosynæ, ex suo capite usurpare voluerit, tantum ob id, quod certum est, & Hebraice & Chaldaice atque Syriace, idem nomen, quod justitiam significat, significare etiam eleemosynam; quod nomen persuasum mihi est hodie legi in ipso Syriaco contextu, quem ad manus non habeo; quamvis in ejus interpretatione Latina, ab Immanuele Tremellio edita, eleemosyna diserte legatur. Cur vero factum sit, ut nomine, quod proprie justitiam significat, eleemosyna significetur, facile potest quis assequi, si consideret inter omnia opera, quæ à justo homine fiunt in hac communi vita, & in hoc cum aliis hominibus commercio, & quæ justitiæ opera appellari solent, præcipuam esse liberalitatem ac beneficentiam. Nam ob hanc eandem caussam, Paulus Apostolus in Epistola ad Galatas cap. 6. operari bonum, intelligit nominatim beneficentiam exercere, cum ait, *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*, ubi sine dubio præcipit, sicut & supra attigimus, ut omnibus quidem bene fiat, potissimum tamen iis, qui ejusdem nobiscum sint fidei ac religionis; quin etiam, si quis justitiæ nomen in eum sensum accipiat, ut virtutem illam nominatim significet, qua suum cuique tribuitur, & sic à generali sua significatione ad particularem quodammodo istam descendere velimus; nihilominus tamen non deerit caussa, cur eleemosynam, recte justitiam appellatam fuisse statuamus; quandoquidem omnes morales philosophi docent, beneficentiam ac liberalitatem esse partem istius particularis justitiæ. Cujus rei ratio potissima ac præcipua, si apud ullos locum habet, apud Christianos certe vel maxime habere debet, qui id quod possident, quod illis necessarium non sit, non suum ipsorum esse, sed aliorum qui egent, existimare debent, & propterea agnoscere, ac fateri, quod cum eleemosynam faciunt, si eam alioquin recte faciant, se alteri tribuere quod ipsius est: hoc autem, ut paulo ante indicavimus, id est quo justitia ista particularis continetur. Non crediderim tamen, nisi altera illa generalior nominis justitiæ, significatio, seu acceptio, id effecisset, futurum fuisse, ut simplici justitiæ nomine, eleemosyna apud sacros scriptores significaretur.

Jam observandum est, eleemosynam, seu beneficentiam erga pauperes atque egenos, rem esse in ipsa Mosis Lege nominatim præscriptam; quam is non quidem erga omnes homines egenies exercendam, sed tantum erga pauperes ejusdem Israëlitici populi: quemadmodum intelliget, quisquis legerit cap. 15. Deuteronomii, ubi maxime ac peculiariter ea præscribitur, ita, ut si alicubi simpliciter ac peculiariter præceptum, aut monitio apud Scriptores Testamenti Veteris legatur, de beneficentia exercenda, non sit tale præceptum, seu monitio extendenda ultra limites populi Israëlitici; quemadmodum in aliis omnibus, quæ in Vetere Testamento præscribuntur, evenire certum est, nisi aliunde aperte constet, id, quod dicitur ac præscribitur, ad alios extra populum, vel solos, vel una cum hominibus ipsius populi, omnino pertinere. Præcipit vero Christus, ne eleemosynam nostram faciamus coram hominibus; non quidem simpliciter, quasi nullo modo deceat coram aliis eleemosynam facere; sed eo scopo, & in eum finem, ut ab illis conspiciamur; quod ita etiam accipiendum est, ut significet hoc ipsum à nobis quæri per se, ut videlicet sciant alii nos eleemosynam facere. Nam alioqui potest considerari ac statui, non omnino eum esse culpandum, qui eleemosynam suam faciat hoc animo, ut videatur id ab aliis, si non ob hoc ipsum id fiat, sed propter illud quod inde consequi potest, nempe ut Deus hac ratione glorificetur, & exemplo nostro moveantur alii ad idem Sanctum opus hilariter faciendum: Christus siquidem ipse antecedente capite, ut vidimus, præcipit, ut ita lux nostra luceat, ut alii videntes bona opera nostra glorificent Deum. Quorum Christi verborum explicatio quam ibi attulimus, huc etiam referenda atque accommodanda est; atque hac ratione duo ista loca, quæ aliquam repugnantiam

etiam continere cuipiam videri fortasse possent, sunt concilianda.

Subjicit caussam Christus, cur istud fieri non debeat, quod ipse cavendum esse præcipit, ut scilicet in hunc ipsum finem eleemosyna fiat, ut alii videant. *Nam*, inquit, *alioquin mercedem non habebitis, apud patrem vestrum qui in cœlis est* Rationem autem hujus caussæ, mox affert; ubi etiam apertius exponit, quid sit illud quod dixit, *Ut videamini ab eis*, ut statim videbimus.

Vers.2. Subjicit enim, *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba clangere ante te, sicut hypocritæ faciunt, in Synagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus.* En vobis, quid illud sit quod antea dixit *ut videamini ab eis.* Ex quo apparet, istud quærere, ut videamur ab aliis dum eleemosynam facimus, quod Christus vetat, aliud nihil esse quam quærere ut ab hominibus laude & honore ob beneficentiam nostram, quam egentibus præstamus, afficiamur; ex quo consequitur, eos, qui ita faciunt, quærere suorum benefactorum mercedem istam, ut laudentur & honorentur ab aliis. Atqui hoc non recte convenit cum eo, ut quis eorundem benefactorum mercedem à Deo recipiat. Neque enim convenit, ut quis sui benefacti duplicem mercedem habeat; sed justum est, ut si illam habuerit, ob quam & ob spem ejus consequendæ, permotus est ad tale benefactum præstandum, ea debeat esse contentus. Itaque, peregregie atque eleganter non minus quam subtiliter Christus docet, cur non sit, quod tales ab ipso Deo ullam mercedem exspectent. Verba Christi, cum vetat ne quis eleemosynam faciens tuba ante se canat, sunt pro exemplo totius rei accipienda, non autem ad id quod in eo dicitur, neque etiam ad alia similia Christi monitio restringenda, quamvis enim neque tubam ante se canere, nec quidpiam aliud simile quis, cum eleemosynam facit, curet aut jubeat, modo illud quærat ut ab hominibus conspiciatur, quo ab ipsis laudetur, certum est tunc adversus Christi monitionem facere.

Addit Christus ea, quæ id quod modo diximus, apertissime confirmant; namque ait:

Vers.3. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua:* adeo jubet ac monet Christus, ne quis curet in eleemosyna facienda ut ab aliis conspiciatur, (quod quomodo intelligi debeat, satis ante docuimus) ut usus sit proverbiali atque hyperbolico, & simul prosopopœico dicendi modo, cum neque sinistra nostra, proprie aliquid scire vel nescire dici queat, & si dici posset, fieri nequiret, ut ille ignoraret quæ dextera faceret; sed ita, sine dubio, proverbiali ac figurata ratione loqui, vel tunc in usu erat, vel certe ipse voluit, ad summam cautionem significandam, quæ adhiberi debeat in eleemosyna sua occulte facienda. Nam ipsemet illico subjungit:

Vers.4. *Ut sit eleemosyna tua in abscondito.* Ad quod recte intelligendum adhibeantur ea, quæ superius a nobis dicta sunt, ne quis omnino statuat eleemosynam palam fieri non posse; sed unusquisque intelligat, hunc Christi loquendi modum, non esse absimilem iis, quos superiore capite notavimus, ubi aliquid præcise jubere videtur, cum tamen ita jubeat, ut dicere velit, potius id faciendum esse, quam quiddam aliud, quod ipse fieri plane vetabat. Nam hic quoque intelligendum est, ipsum non præcise jubere, ut eleemosyna nostra plane occulta sit (videtur enim alioqui ad Dei gloriam, & proximi ædificationem magis pertinere, si fuerit aperta) sed tum demum istud præscribere, si periculum sit alioquin gloriæ ab hominibus captandæ; & tandem concludit, quod, qui ita fecerit, ac maluerit plane occulte eleemosynam suam facere, quam periculum captandæ humanæ gloriæ subire, retributionem à Deo patre suo cœlesti accipiet, inquiens: *Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi palam*, sive *in propatulo*, ut quidem Græca & Syriaca exemplaria habent. Nam in plerisque Latinis, & in quibusdam etiam emendatioribus Græcis, illud *Palam*, sive *in propatulo*, nequaquam legitur. Et sane tutius videtur sequi lectionem istam, quæ nulli difficultati exposita est, quam illam, quæ habet *Palam*, sive *in propatulo*: cum fieri maxime possit, ut quis à Deo mercedem, suæ eleemosynæ in abscondito factæ, accipiat, nec tamen in propatulo. Neque enim necesse est, istam mercedis acceptionem à Deo, ad illud tempus accommodare, cum Christus veniet orbem terrarum judicaturus, cum etiam in hoc præsente seculo, & ante ultimum illud judicium, Deus soleat, ut pœnas de male factis sumere, sic benefactis mercedem convenientem tribuere. Immo cum agitur de mercede seu retributione danda, non in universum bonis operibus alicujus, & toti ipsius obedientiæ ac fidei in Deum, sed tantum cuidam, seu quibusdam bonis operibus, tunc non ad ultimum illud judicium universale est istud referendum, sed omnino ad particularia judicia, quæ Deus ante illud tempus exercere solet: ea vero sæpe ejusmodi sunt, quæ vix illi ipsi appareant, & sint nota, cujus gratia feruntur. Itaque, quamvis communem lectionem Græcam & Syriacam, simpliciter improbare non audeam; tamen Latini codices, & emendatiora illa Græca exemplaria, in suspicionem me adducunt, quod aliquis de suo addiderit ab initio in codicis margine, verba illa Græca, ἐν τῷ φανερῷ. non tanquam in ipso contextu scribenda, sed ad rem simul declarandam, simul etiam, antithesi illa verborum *in abscondito*, & *in propatulo*, illustriorem & elegantiorem reddendam: quam additionem postea, ut solet, imperitus aliquis librarius in ipso contextu reposuerit.

Concludit igitur Christus, quantumvis in abscondito sit eleemosyna nostra ab oculis hominum, tamen patere divinis oculis; & propterea Deum retributionem hujus benefacti daturum. Qua Christi conclusione, videtur aliquid contineri contrarium ei, quod supra disputavimus, cum ageremus de loco illo Proverb 25. ubi Salomon affirmat, Deum retributurum illi, qui inimico suo esurienti ac sitienti cibum & potum dederit. Diximus enim, vel ex hac retributione, quam Deus isti daturus sit, posse intelligi, id, propter quod ea datur, non fuisse omnino à Deo jussum; cum tamen hic Christus affirmet, retributionem datum iri à Deo propter eleemosynam, quæ tamen sine dubio, ut ante loco citato ostendimus, in ipsa Lege jussa fuit. Verum animadvertendum est, primum, dictum illud nostrum superius non esse ita accipiendum, quasi nos affirmemus, non dari retributionem cuiquam bono operi seu benefacto, quod jussum fuerit: sed tantum intelligendum est nos affirmare, retributionem tali operi non omnino deberi, & verisimile esse, cum retributionis fit mentio, id, propter quod illa datur, expresse jussum non fuisse. ubi etiam necessario intelligendum est, alioquin non constare, an id, propter quod datur, necne jussum fuerit. Deinde est considerandum, quicquid ibi diximus, ad eum casum tantummodo referendum esse, cum quis, alicujus boni operis retributionem promittens, non loquitur ut propheta, sive à Deo ad id promittendum impulsus; sed tantum ex ratione & scientia revelata divinarum rerum: neque enim ibi Salomon aliter loquitur, quam hoc posteriore modo; & propterea, cum non nominatim à Deo impulsus retributionem illam divinam promittat, sed aliunde ex patefactis oraculis illam haurire audeat, verisimile omnino est, benefactum illud non fuisse jussum, cum nulla ratio divina cogat statuere retributionem datum iri à Deo ejus operis, quod ipse jusserit, si ipsum per se, & non conjunctum cum universa Legis divinæ obedientia, consideretur, nisi aliqua ratione Deus id expresse patefecerit. Atqui in præsente casu promissionis Christi, aliud sentiendum est, cum Christus, ut Propheta, & quidem omnium summus, loquatur, & ipsius Dei impulsu ac nomine cuncta proferat. Quare, potuit ille constanter affirmare ac promittere, habiturum à Deo retributionem illum, qui eleemosynam decenter ac rite fecerit;

etiamsi alioquin eleemosyna expresse jussa fuerit. Quippe qui Deo sibi id nominatim patefaciente, id affirmare merito audere potuerit.

Præterea illud etiam addere non dubitabo, si legatur diligenter caput illud 15 Deuteronomii, & si qua alia sunt similia loca, ubi agitur de benefaciendo, sive eleemosyna danda, facile appariturum, præceptum istud non esse simplex atque perpetuum, ita ut facile dari multi casus possint, in quibus secundum Legem nemo juberetur eleemosynam facere; & tamen ex sua liberalitate, & spontanea, ut sic dixerim, voluntate, eam facere non omitteret; & propterea sub ipsa Lege (cujus temporis rationem Christum babuisse dicendum est, quippe, qui nihil novi se docere hoc loco profiteatur) retributionem aliquam merito expectare possent. Id quod sub ipso Euangelio evenire non putamus; quippe, quod Christianus homo, ut is qui felicitatem, bona, ac possessionem suam, non habet in hac vita, videatur, ex analogia suæ religionis, & ex præscripto ipsius Christi, debere omnia largiri, quæ illi supersunt, ad vitam modeste ac sobrie degendam ac transigendam; & sic in hac eleemosynæ materia, duplicem inter Legem & Euangelium differentiam statuendam arbitramur; ex quibus, quantopere Lex Christi Mosis Legi præstet, facile apparere poterit. Una est, quod sub Lege nemo jubebatur cuiquam benefacere, qui non esset ex eodem populo; cum sub Euangelio jussum fuerit, etiam exteris, & alienis à fide ipsa Euangelica, benefacere. Altera est, quod sub Lege non absolute, atque perpetuo jubebatur quis eleemosynam dare, nec cogebatur quisquam ex præscripto ipsius Legis, quicquid sibi supererat, aliis elargiri; sed, modo quis fratris ad inopiam redacti rationem haberet, ita ut ex suis bonis illi aliquid largiretur, eumque juvaret, satis Legis præscripto fecisse, dicendus erat; quamvis alioquin multa interim pro se, & suis majoribus, licet minime necessariis commodis retineret; ubi tamen, cum aliud censeri debere sub Euangelio affirmaverimus, nolumus verba nostra ita accipi, ac si statuamus, non licere homini Christiano plus possidere possessionum, quam requirant fructus, quibus ipse omnino opus habet; sed tantum, non licere illi ex fructibus, quos ex possessionibus suis percipit, plus sibi retinere, quam necessaria ipsius & familiæ ejus commoda postulent, & consequenter intelligi volumus, sententiam nostram esse, quod sub Lege non modo ampliores possessiones habere liceret, quam pro reditibus sibi necessariis opus foret, sed etiam ex ipsis reditibus possit quis, sine ulla reprehensione vel offensione divinæ Legis, sibi plus retinere, quam necessarium esset. Qua de re multo plura, ad confirmandam istam Legis & Euangelii differentiam, dici possent, quam ea sint, quæ à nobis indicata fuerunt; sed quia non est hic proprius hujus disputationis locus, ea in præsentia missa faciemus, & ad sequentia Christi verba ac præcepta explicanda progrediemur, qui, postquam de eleemosyna cum ea fit, illa præcepit quæ vidimus, ad alteram ex illis tribus rebus transit, id est, ad orationem; & primum docet, ut, cum oramus, nolimus esse similes Hypocritis in eo, quod illi potissimum student, ut cum orant, id ab aliis animadvertatur. Ait enim, quemadmodum & de eleemosyna dixit, ejusmodi homines suam mercedem recipere, nimirum isto ipso consequendo, quod quærunt, cum eleemosynam faciunt, ubi cum, quæ ad hanc mercedis receptionem pertinent, dicta fuere, nihil est opus hic repetere: satis est monere, quod utrobique, idem plane statuendum est, & utrobique propter easdem caussas, in ipsis Christi verbis, partim tacitas, partim expressas, statuendum, non decere, ut isti ab ipso Deo, mercedem ullam accipiant; verba Christi, quibus hoc præceptum negativum [ot vocant] de non imitandis in oratione facienda Hypocritis, expressum est, hæc sunt.

Vers. 5. *Et cum oraveris, non eris ut Hypocritæ; quoniam amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes, orare* &c. Vulgata Latina editio, pro eo, quod vulgati codices Græci, & Syriaca interpretatio habent numerum singularem, numerum pluralem habet. Sic enim ibi legitur. *Et cum oratis, non eritis* &c. Quæ lectio convenit cum loquendi modo, quo usus est Christus in superiore præcepto. Constanter enim ibi in numero plurali legitur. *Attendite* &c. quamvis mox, cum affirmativum præceptum subjungit, quatenus jubet ut eleemosyna fiat in abscondito, utatur Christus numero singulari, *Te autem faciente* &c. quemadmodum & hic in ipso Latino codice legitur postmodum, *Tu autem cum oraveris* &c.

Jam vero animadvertendum est, verbum illud *Stantes*, quo Christus utitur, & dispiciendum an proprie, an vero minus proprie, accipi debeat. Nam si proprie accipiendum est, sequitur, Hypocritas istos, cum orabant, non quidem genua flexisse, sed erectos fuisse, quod fortasse videri possit hoc tempore mirum, cum non soleant ad Deum haberi preces, nisi flexis genibus, & in Novo Testamento, de genuum flexione, in orando Deum, non raro fit mentio: immo Paulus ad Ephesios cap. 3 suas ad Deum preces, per genuum flexionem declarat. Nam pro eo, quod alioqui dicere potuerat, Precor patrem Domini nostri Jesu Christi &c. (id quod & magis proprie atque usitatius loquendo dicturus fuerat) dixit per circumscriptionem, Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi. Quin etiam in ipso Vetere Testamento, cum Solomo in dedicatione Templi solennem illam orationem ad Deum habuit, legitur diserte eum in genua procubuisse 2 Paral. 6. Quare mirum videri posset, Hypocritas istos, qui summam sanctitatem & Dei cultum præ se ferre, sine dubio, studebant, in publicis istis orationibus suis genua minime flexisse: quod tamen, sine ulla controversia, majorem sui ipsius coram Deo demissionem significat, quam si quis erectus oret. Unde arbitror, à multis verbum istud *stantes*, hoc in loco ea significatione accipi, qua idem standi verbum sæpissime in ipsis Sacris Literis accipitur; ut scilicet idem valeat, quod manere, sive esse; Veruntamen crediderim nihil prohibere, quominus verbum istud hoc in loco proprie accipi possit, cum ex lectione Testamenti Veteris possit colligi, vulgo preces ad Deum fieri consuevisse, stando potius quam genua flectendo. Id quod hodie quoque, ni fallor, apud Judæos in usu est, quamvis certum sit, orationem illam quæ aliquid singulare, quod attinet ad ipsius Dei adorationem ac reverentiam, contineret, cujusmodi est flexio genuum, magis etiam nescio quid notabilis atque admirandi quodammodo simul continuisse, & propterea cum Salomon in celeberrima illa actione dedicandi templi, omnium oculos & animos admiratione quadam sui agendi modi cum Deo implere vellet, in genua ipse procubuit, cum interim totus populus staret qui ibi adoret, & verisimiliter una cum ipso eadem precaretur Deum, quæ ipse sublata voce proferebat ac precabatur. Potuit igitur Christus verbo isto proprie uti, opponens illud tacite, sessioni vel accubationi, & actu isto standi exprimens ipsum communem tunc temporis in orando corporis gestum. Nam certe, si prædictum verbum hoc sensu à Christo elatum non fuisset, & simpliciter significare per illud voluisset ipsum manere, sive esse, supervacaneum prorsus verbum istud videri posset. Namque dempto illo idem plane erit sensus, isque & facilior & apertior.

Sed jam hoc missum faciamus, & consideremus, quod videtur Christus reprehendere ipsum orare in congregationibus. Nam de angulis platearum, quod in illis orationes suas ad Deum porrigere non probet, nihil mirum videri debet; sed in congregationibus seu Synagogis, ubi Judæi conveniebant ut aliquid ibi peragerent ad res divinas pertinens, videtur non parum debere quemlibet mirari; nisi quis dicat, quod publicæ orationes non nisi in ipso templo fieri deberent; & propterea, qui extra templum publice nihilominus orabant, licet in ipsis Synagogis id facerent, ad id faciendum non viderentur esse impulsi, nisi studio captandi opinionem

nionem

nionem sanctitatis & pietatis summæ erga Deum; vel dicendum est, ut supra, cum de eleemosyna loqueremur, observavimus, Christum non simpliciter culpare, ne orationes ad Deum habeantur in publicis locis, etiam extra ipsum locum huic rei nominatim destinatum, cujusmodi erat templum Hierosolymis, quæ domus Dei vocabatur, quam suam domum ipse Deus orationis domum vocat apud Esai. cap. 56, sed tunc in ejusmodi locis factas orationes culpare, cum in hunc ipsum finem fiunt dumtaxat, ut alii id animadvertant, & ii qui orant inde laudem aliquam apud homines consequantur. Potest autem ex loco isto fortasse intelligi, quanquam id alioqui per se constare possit, aliud esse adorationem, & aliud orationem seu invocationem; videtur enim omnino, externam ipsius Dei sacramque adorationem non licuisse facere apud Judæos nisi in ipso templo; quemadmodum, tum aliunde, tum ex iis intelligi potest, quæ scripta sunt cap.4 Euangelii Johannis, in verbis illis Samaritanæ mulieris ad Christum, *Vos dicitis quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Templum enim sine dubio intelligit, quod in urbe Hierosolymorum erat. Neque enim est verisimile, Hypocritas istos adeo stultos fuisse, ut cum pietatem & sanctitatem maxime ostentare vellent, id facerent, quod aperte divino verbo ac voluntatis adversaretur, & ibi ad ipsum preces funderent, ubi minime liceret. Quamvis enim non videatur posse esse oratio ad Deum, sine adoratione; & sic possit nihilominus videri istos adversus divinum præscriptum manifeste fecisse, qui orantes, consequenter etiam ac necessario Deum adorarent; quod tamen non nisi, ut dictum fuit, in templo ipso facere licebat. Animadvertendum est, adorationem istam, quæ in qualibet ad Deum oratione contineri videtur, non esse veram ac formatam adorationem, de qua nos loquimur, quando illam ab oratione distinguimus, Quanquam nihilominus, ut verum sit, quamlibet ad Deum orationem, veram ac formatam ejusdem Dei adorationem complecti, remanet adhuc inter utramque distinctio seu differentia; cum etiamsi in qualibet oratione sit adoratio, non tamen vicissim, in qualibet adoratione, est oratio; qua de re postea, id est, ad finem hujus de oratione tractationis aliquid explicatius, Deo volente, dicemus.

Nunc in Christi verbis explicandis pergamus, qui diserte ait, istos ejusmodi in publicis locis orare, ut videantur ab hominibus; unde concludit, & quidem admodum merito, ut ante diximus, ipsos recepisse mercedem suam, id est, & istud ipsum consequutos fuisse quod quærebant, & nullam aliam mercedem illis expectandam esse. Quo dicto, statim subjicit, quid hac in parte, cum oramus, plane contrarium ei quod Hypocritæ faciunt, faciendum nobis sit, & ait:

Vers. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora* &c. Hic similiter Christus ut antea, quo expressius doceat id quod vult, debere nos, scilicet, omne studium ostentationis in offerendis ad Deum precibus, vitare, utitur loquendi modo quodammodo hyperbolico, cum ad evitandum studium istud, non omnino necesse sit, cum quis orat, ingredi in cubiculum suum, præsertim in tale cubiculum, quale Græcum nomen declarat, quod secretum ac penetrale quoddam significat, & multo minus necesse sit ipsum ostium claudere. Quare, non minus hic quam supra alibi, sunt verba Christi sano modo intelligenda, ejusque in illis proferendis sententia, non omnino ad ipsum verborum sonum redigenda, sed inspiciendum, quo animo ejusmodi verba protulerit, & ista adeo exquisita præcipere videri voluerit, adeo ut, si quis in adhibendis precibus suis ad Deum ab omni ostentatione sibi caveat, & ubi vel proximi ædificatio, vel ipsius Dei gloria, vel alia quælibet pio homine digna caussa aliter non jubeat, secreto atque occulte id faciat, omnino possit esse certus, se isti Christi præcepto plane satisfecisse; quamvis nec in penetrale suum sese abdiderit, nec loci, ubi preces facit, ostium occluserit.

Subjicit autem hic Christus idem quod antea dixerat, cum præceptum dedit de eleemosyna occulte facienda, nempe, quod si quis in abscondito patrem, id est Deum, oraverit, ipse Deus qui in abscondito videt, sit illi retributurus; ubi non minus quam in superiore loco, in Græcis quidem ac Syris codicibus, legitur illud *in propatulo*, quod in Latinis codicibus plerisque desideratur, & in quibusdam emendatioribus Græcis non habetur. Utra autem lectio magis probanda videatur, jam satis à nobis superius disputatum atque explicatum est: tantum est hic diligentius observandum ac perpendendum, quod Christus dicit de retributione, quam pater cœlestis sit daturus iis, qui rite ad eum preces fundunt. Videri enim possit cuipiam hic minime locum esse retributioni, ut in eleemosyna, in qua dat aliquis de suo. Quod si quis dixerit, id quod negari non potest, ut ex iis licet intelligere quæ supra à nobis disputata sunt, dari retributionem ipsi bono operi; quamvis in ipso opere datio nulla interveniat, adhuc objici potest, non apparere, cur oratio seu preces ad Deum bonum opus simpliciter dici possit, cum quis Deum precando, suum ipsius aliquod bonum quærat; quamvis interim negari nequeat, quin is recte faciat, qui aliqua re bona egens eam à Deo petit. Quod si oratio quæ ad Deum fit, contineat precationem non pro ipso orante, vel non pro ipso tantum, sed etiam pro aliis, uno aut pluribus, tunc videri posset, non modo bonum simpliciter esse opus istud, sed etiam in quo convenienter locum habere queat retributio. Verum Christi verba simpliciter atque indefinite de oratione loquuntur, & propterea non minus de ea ratione intelligi debent, in qua quis pro alio quopiam orat: sed etiam de ea, in qua pro se tantum orat; immo, de hac potissimum & præcipue. Nam etiam potissimum ac præcipue quis pro se ipso orare consuevit. Quare posset fortasse quispiam contendere, debere Græcum verbum ἀποδώσει, non verti hoc in loco *reddet*, sed *Dabit*, quemadmodum verbum istud, non obstante compositione sua, aliquando id significare deprehenditur, & pro simplici, non autem ut est pro composito verbo accipi. Verum ad hanc difficultatem melius explicandam, An dici merito possit, dari retributionem à Deo propter preces ad se fusas, etiamsi illæ precantis tantum commodum ac bonum respiciant, id est, non alterius cujusquam hominis, necesse est diligenter inquirere, An oratio ad Deum præcepta nec ne fuerit, & quomodo, ac quatenus; qua de re, Deo bene juvante, aliquid postea dicemus.

Vers. 7. Nunc ad aliud præceptum examinandum veniemus, quod Christus dat similiter circa orationem, quod quale sit, non omnino facile est intelligere, propter Græcum verbum βαττολογῆν, quod nos orando facere Christus vetat; nam hac re continetur totum hoc præceptum. Est siquidem verbum istud aliquanto obscurioris significationis, cum non bene conveniat inter Grammaticos de ejus vera etymologia, vel potius etymologiæ caussa. In hoc enim videntur convenire, quod à quodam, qui Battus nominaretur, istud vocabulum derivatum fuerit; sed quid esset, quod Battus iste in verbis suis haberet, quod tali componendo verbo occasionem dederit, cujus significatio esse videtur, Battum istum in verbis suis imitari; de hoc, inquam, minime conveniunt. Duæ tamen sunt præcipue circa hanc rem opiniones. Una, quod iste Battus loquendo, easdem seu verba, seu syllabas sæpius repeteret. Altera, quod inania alioquin multa verba funderet. Quare videri potest Christum, in isto præcepto suo, vel alterutrum, vel utrumque ex istis duobus vetasse, ac præcepisse, ne quis orando vel sæpius idem repetat, vel multis verbis ad id, eave petenda quæ vult, utatur, ubi videlicet, id paucis verbis fieri possit; & sane verba, quæ Christus præcepto isto dato statim subjicit, videntur ad utrumque istorum accommodari posse. Nam ostendemus cur præcepisset, ne in eo, quod ipse vetabat, essemus ut ethnici, inquit de illis: *existimant enim quod in multiloquio suo*

exaudientur: Vox enim multiloquii, quæ sine dubio idem polleat necesse est, quod præcedens illud verbum βαττολογεῖν, tam potest accommodari ad repetitionem, quam ad multitudinem diversorum verborum. Verum est nihilominus, quod id, quod Christus ait, Ethnicos sperasse propter multiloquium suum se exauditum iri, videtur suadere, de repetitione potissimum hoc in loco agi. Videtur enim ejusdem rei sæpius iterata petitio, posse habere vim aliquam ad eum movendum, qui oratur, & ab eo impetrandum, quod petitur, plus multo, quam multorum verborum profusio: quicquid sit, recte est & convenientius, ut intelligamus, Christum de utroque loquutum fuisse, & utrumque pariter vetasse. Igitur cavit Christus in primo circa orationem præcepto, ne Hypocritarum similes esse velimus; in altero vero, ne Ethnicorum. In primo, ostentationem ipsius orandi actionis; in altero fiduciam, in iisdem, eodem tempore unicaque oratione, verbis repetendis, vel alioqui multis verbis utendis, prohibere voluit.

Vers. 8 Atque ut ostenderet, quod ad secundum præceptum attinet, quantopere sibi esset cordi, ut id servaretur, & illud repetit, & illius caussam egregiam aperte affert. Itaque ait, *Nolite ergo assimilari eis*, nempe Ethnicis; ubi manifeste repetit, quod ante dixerat & præceperat; & illico subjungit: *Scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Hæc caussa, quam Christus sui præcepti affert, similiter ad utramque ex illis duabus rebus, quas diximus præcepto isto contineri, accommodari potest, ut caussa illa, jam allata & à nobis explicata, cur Christus dixisset, nos fore similes Ethnicis si id faceremus, quod ipse vetabat. Nam si pater cœlestis, antequam rogetur, scit quid nobis sit opus, satis superque videtur in oratione nostra semel id petere quod volumus, & nihil esse necesse ut sæpius id repetatur, quo scilicet Deus melius intelligere, atque, ut sic dixerim, memoriæ mandare possit, quid ab ipso petamus: quemadmodum propter has caussas, cum hominem quempiam aliquid rogamus, ipsam petitionem nostram sæpius repetere solemus, neque similiter necesse esse, ut, ad id explicandum, quod volumus à Deo orando consequi, longo verborum apparatu, seu valde multis verbis, quæ id apertius ac significantius exprimere ac declarare possint, ullo modo uti: id enim tunc fieri potest ac solet, cum dubitatur, ne forte is qui rogatur, alioqui non bene sit percepturus, quid ab ipso petamus; id quod nullo modo cadere potest in Deum, qui jam antequam eum rogemus, optime ac penitissime novit quid nobis sit opus; nisi si quis ea petere vellet quibus nihil ei est opus; ex quo potest intelligi, Christum hic pro concesso sumere, Deum non rogari debere, nisi ea quibus nobis est opus, & consequenter monere sub isto verborum involucro, ut diligenter caveamus, ne à Deo superflua ac supervacanea petamus; aut certe, si id fecerimus, nihil esse cur miremur, si minus successerit, ut id impetremus quod petimus. Hæc inquam doctrina de iis non petendis, quibus nec nos, nec alius quispiam pro quo oremus ullo modo indigeat, omnino in istis Christi verbis continetur: quæ autem ea sint, quibus sive nos, sive alii, pro quibus oramus, indigeamus, difficile est diligenter explicare: conabimur tamen aliquid in genere hac de re tradere; ubi ipsam orationem explicuerimus, quam Christus mox subjungit, docens nos atque instituens, quomodo orare debeamus; quod antequam facimus, non omittendum est, quin aliquid dicamus pro explicatione majore istius secundi præcepti, quod Dominus dedit circa orandi modum, & clarius exponamus id, quod ejusdem rei caussa de priore præcepto supra attigimus.

Nam, quemadmodum ibi, non secus atque in superioribus aliis quibusdam Christi præceptis fecimus, monuimus, ipsa præcepti verba non esse penitus urgenda; sed mentem Christi in illis diligenter perspiciendam; sic & in hoc posteriore præcepto faciendum monemus: ita, ut quemadmodum nihil adversus Domini mentem is admiserit, qui aliquando atque etiam sæpe, prout occasio tulerit, vel gloriæ Dei magis amplificandæ, vel proximi ædificandi, vel aliquid simile efficiendi, palam & in conspectu hominum preces suas ad Deum habuerit, aut certe ita Deum oraverit, ut id nequaquam in abscondito factum fuisse dici possit, modo id nullius ostentationis gratia ab ipso fiat; sic non sit is adversus Christi præceptum quippiam commissurus, qui vel repetitionibus, vel multitudine verborum in sua oratione utatur, si id ab ipso fiat, ex aliquo ardentiore affectu, ac vehementiore desiderio id impetrandi quod petit, ac studio seipsum inflammandi, & cum Deo, quatenus licet, magis conjungendi per meditationem ipsius Dei: cum meditatio tunc potissimum, ac vehementius, circa Deum resque divinas excitetur, cum preces ad ipsum habentur, ex quibus dantur sæpissime occasiones & caussæ aptissimæ, penitius contemplandi ac perpendendi sapientiam, bonitatem, ac potentiam ipsius Dei, quicum, is qui orat, loquitur, cumque eo loquendo ad ipsum rapitur, in eumque, ut ita dicamus, quatenus homini in hac vita mortali licet, transformari dici potest. Et sane in Vetere Testamento, & in ipsis Psalmis multa videntur extare exempla repetitionum, & multitudinis verborum in orationibus, à Sanctissimis viris ad Deum factis. Neque enim ulla suspicio hic esse potest differentiæ inter tempus Veteris Testamenti, & tempus Novi: nec sane Christus battologiam illam, quam hic caveri jubet, tribuit, non dicam institutis Mosaicæ Legis, consuetudinive in populo Judaico receptæ, sed ne Hypocritis quidem ipsis ex Judaico populo; sed tantum Ethnicis, eorumque falsæ persuasioni, quod propterea essent impetraturi quod peterent.

Nam si quis dicat, Immo videri verisimile, βαττολογίαν omnem semper & ubique, dum quis Deum orat, propter Christi præceptum istud esse vitandam, quatenus illa significat verba inania atque superflua, cum etiam sine isto Christi præcepto, ea videantur omnino fugienda ei, qui cum ipso Deo loquitur. Respondemus, ubi adsit aliqua ex supra dictis caussis, non esse, cur verbis, alioqui inanibus & superfluis, decenter in ipsa oratione ad Deum non possit esse locus; quandoquidem inanium ac supervacaneorum verborum nomine, quæ βαττολογίας voce concedimus contineri, aliud nihil intelligendum est, quam verba, quæ, ad id significandum quod quis petit, non sint necessaria; & quibus ex ipsa oratione detractis, satis nihilominus mens precantis expressa habeatur; namque, ut ejusmodi verba in precibus ad Deum contineantur, potest facillime efficere, immo fere semper efficit, vel una ex caussis supra dictis. Quod si quis appellatione verborum inanium ac superfluorum, aliquid aliud plane vitiosum in oratione intelligat, nihil repugnamus, sed nos de tali verborum vitio hoc loco non loquimur; nec credimus battologiæ nomine, præsertim, quam Christus intellexit, illud significari. Unum adhuc de priore circa orationem præcepto, explicatius à nobis exponendum est, nempe id, quod diximus, nobis videri, citra offensionem ipsius præcepti, posse nos palam atque adeo coram omnibus interdum preces ad Deum habere; hoc enim non intelligimus tantum, vel potius non de hoc loquuti sumus, cum quis in ipsa fratrum congregatione, in ipsoque loco ad publicas ad Deum faciendas preces electo, publice cum aliis Deum orat; nam hac de re, nullum umquam apud ullum hominem fuit aut potuit esse dubium. Verba igitur nostra sunt intelligenda, extra ipsum tempus & locum publicas preces habendi; cum facile contingere possit, ut etiam extra tale tempus & locum, justa occasio detur coram omnibus Deum precandi: nempe quia vel Dei gloria, vel aliorum ædificatio, vel aliud quippiam simile, ut supra dictum fuit, id vel postulet omnino, vel saltem ferat.

Vers. 9. His animadversis, quæ satis videri possunt ad explicandam Domini mentem in hisce duobus præceptis, videndum adhuc est, antequam orationem ipsam, quam ipse docuit atque instituit, explicemus, quibus verbis illam instituerit; quæ ista sunt, *Sic ergo*

vos

vos orabitis: Primum enim animadvertendum est, quod omnes concedere videntur, noluisse Christum verbis istis nobis necessitatem imponere, non utendi verbis aliis in oratione nostra ad Deum, quam iis ipsis quibus illa formata est, & quam ipse docuit; & quod attinet ad id, quod videtur Christus, id, quod continent pauca ista verba, opponere usui battologiæ illius, quam ipse vetat; & sic, etiamsi ad ipsa verba sequentis orationis neminem revera penitus astrinxerit, tamen præcipere, ut oratio nostra sit succincta ac brevis, animadvertendum est, hoc verum quidem esse, & jam satis ab ipso Christo expressum fuisse antea in battalogia prohibenda; sed tamen talem, aut similem brevem ac succinctum orandi modum à Christo fuisse præscriptum, quatenus attinet ad evitandum periculum, quod supra, præcepto isto dando de cavenda battalogia, vitari voluit; non autem omnino jussum, ita ut etiam citra periculum istud, qualibet etiam præsente caussa, quæ ad longiorem & uberiorem orationem ad Deum habendum juste impellat, ad talem, similemve orandi formulam servandam astrictos nos esse voluerit, qua de re nihil copiosius hic dicendum nobis videtur, cum satis superque paulo ante hæc res à nobis explicata fuerit. Sed revertendum est ad id, quod priore loco diximus. Quamvis enim, ut dictum fuit, videantur omnes concedere, noluisse Christum nos obligare ad eadem ipsa verba, quibus orationem suam formavit, tamen multi videntur sentire, non licere quidquam à Deo petere, quod aliqua ratione aperta non contineatur in ipsa oratione Dominica. Namque nos neutiquam hujus sententiæ sumus; sed, breviter, credimus Christi mentem esse in verbis istis, *Sic ergo vos orabitis*, quod videlicet attinet ad res ipsas quæ à Deo petantur, non quidem præcipere, ut ea tantummodo Deum oremus, quæ in oratione, quam statim subjungit ac docet, continentur, sed tantum præcipere, ut ista omnino à Deo petamus, non excludens interea ullo pacto petitionem aliarum multarum rerum, quæ in ipsa oratione ab ipso instituta minime continentur, nisi fortasse obscurissime & per longas deductiones, quæ vix cuiquam patere possint. Neque enim, ullum dubium esse videtur Christi mentem fuisse, non quidem capita quædam generalia proponere, sub quibus omnia contineantur quæ peti à Deo possint, ut quis videlicet id diligenter inspiciens videat, ut quidquid Deum oraverit, ad unum ex istis generalibus capitibus referri queat; sed sine dubio, ut & præcedens præceptum, & verba ista, quibus præcipit ut sic oremus, manifeste docent, ejus mens fuit, ut eadem hæc ipsa integra oratio habeatur, sive iisdem plane verbis, seu idem significantibus. Res autem quæ petuntur in ipsa oratione contentæ, ejusmodi sunt, ut præter verbum ipsum imperandi, (nam ex Græco ; non *Orabitis*, sed *Orate*, legendum omnino est) satis demonstrent ipsæ per se, teneri nos omnino illas omnes à Deo orando petere, adeo ut mihi mirum videatur, si ullus invenitur qui id non animadverterit atque senserit: non modo, si verbum *Orandi*, quod in verbis nostris continetur, ita accipiatur, ac si dixissemus, *cum oramus*: sed etiamsi ita acceptum fuerit, ut dicere voluerimus, plane teneri nos petere, & verbum *Orando* adjunxerimus, ut petendi modum apertius exprimeremus, ita ut non modo dicere voluerimus, quandocumque orabimus, debere nos res istas omnes à Deo petere, sed etiam debere nos omnino orare Deum, pro omnibus istis. Quamvis enim videatur Christus tantum præscribere, quid orare debeamus cum oramus; non autem simul præcipere, ut omnino oremus, tamen animadversa qualitate rerum istarum in eam sententiam procliviores sumus, ut Christus utrumque simul facere voluerit.

Explicato eo, quod sibi voluit Christus in paucis illis verbis, quibus orationem, quam à suis fieri vult, instituit atque præscripsit, ad ipsam orationem explicandam jam veniendum esset; sed restat adhuc quæstio quædam dissolvenda, circa hanc Christi institutionem; namque apud Lucam, in initio, capitis undecimi aliam occasionem, longe ab ea diversam quæ hic habetur, legimus, istius à Christo instituendæ orationis; ibi enim dicitur, quod aliquando, cum Christus quodam in loco oraret, ubi finem precibus suis imposuisset, rogatus fuit à quopiam ex numero discipulorum ejus, ut doceret ipsos orare; quemadmodum Joannes Baptista suos discipulos docuerat; & Christum statim illis suis discipulis dixisse, quando oratis, dicite *Pater noster* &c. ubi nemo non videt, quam diversa sit occasio ista, ab illa quæ hic apud Matthæum legitur, ubi nullo modo rogatus, sed sua ipsius sponte, non postquam desiisset orare, sed in medio sermonis, quem non modo ad discipulos, sed ad ipsam turbam habebat, orationem istam docuit; unde factum est, ut omnes ni fallor fassi fuerint, necesse esse, ut bis saltem Christus orationem istam instituerit. Sed restat adhuc scrupulus, cum ex ordine narrationis Historicæ apud utrumque Euangelistam, necesse esse videatur, ut, cum eam à discipulo illo rogatus docuit, jam illam in sermone illo suo docuisset; quod ab omni verisimilitudine prorsus abesse videtur, ut scilicet, postquam palam & aperte, coram omnibus discipulis suis & turba ipsa, orationem istam docuisset, quispiam, præsertim ex ipsius discipulis, præsentibus aliis, illum rogaverit, ut ipsos orandi modum doceret, & ita non se modo, sed alios discipulos nondum id edoctos ab ipso fuisse professus fuerit; ac revera, ita rem se habuisse, & ipsi discipuli reliqui tacentes, & ipse Christus similiter tacendo, nec ullam mentionem faciendo, quod jam antea id præstitisset, quod ab ipso tunc petebatur, omnino confirmaverit, neque ego sane quicquam invenire, vel excogitare possum, quod mihi ullo modo satisfaciat, ad absurditatem istam tollendam, quæ nimis evidens plane est. Quocirca, nihil dubitandum mihi videtur, quin Lucas hoc in loco, quemadmodum & in aliis multis, nisi prorsus fallimur, ordinem ipsius temporis non curaverit; sed satis habuerit, quod ea vera essent quæ de Christo scribebat; nec reprehendendus ullo modo videtur, cum in narratione sua non dixerit, hanc Christi institutionem orationis ad Deum habendæ, fuisse post illa alia, quæ superius narraverat. Inquit enim in initio, ut diximus, prædicti capitis undecimi simpliciter, *Et factum est, cum esset in quodam loco orans* &c. Quod nihil vetat potuisse fieri ante prius narrata, & interim tamen Euangelistam, nil, nisi ipsissimam veritatem scripsisse; qui, si omnino sensisset, id, quod isthic narrat, evenisse post illa quæ prius narraverat, facile voculam aliquam apposuisset, unde illud aliquo modo constare posset; quod si quis est qui nihilominus, ut institutio orationis istius quæ apud Lucam habetur, fuerit post illam quæ in loco nostro habetur apud Matthæum, noverit rationem ostendendi hac in re nihil absurdi contineri, libentissime illi cedemus, gratias agentes ipsi ex animo ubi nos rationem istam docuerit.

Sed jam tempus est ad ipsam orationem accedendi, eamque pro captu nostro; quamvis multas & graves difficultates, si illam quis penitius introspicere ac rimari voluerit, fortasse contineat, dilucide explicandi. Primum igitur, non discedentes ab eo quod alii fere tradunt, agnoscimus in oratione hac esse petitiones sex, non autem septem, ut quidam volunt, cum plane sentiamus, postrema verba illa *Sed libera nos à malo*, quam isti septimam petitionem faciunt, esse partem sextæ, & non simplicem petitionem per se à præcedente distinctam, de quo postea suo loco diligentius aliquid docebimus. Ex istis autem sex petitionibus, credimus priores tres præcipue ac potissimum pertinere ad ipsum Deum, id est, ad ipsius gloriam, honorem, ac celebritatem amplificandam; reliquas vero tres posteriores, pertinere ad nos, id est, ad nostra commoda, salutem, ac securitatem nobis conciliandam. Jam vero, antequam prima ipsa petitio proferatur, ut æquum ac porro necessarium est, in ipso orationis initio is nominatur atque appellatur, à quo ista omnia petuntur, & ad quem tota ipsa

oratio dirigitur, id est, Deus; qui eo nomine vocatur, quod est proprium quodammodo temporis Euangelii, ubi Deus præcipue, ac longe præstantiore ratione quam sub Lege fecisset, patrem se nostrum esse declaravit, potissimum ob id, quod in eo apertissime exposuit, se velle nos immortales efficere: immortalitate enim nostra, ut alicubi antea docuimus, maxime continetur filiatio nostra divina. Quod si nos sub Euangelio, id quod sub Lege factum non fuerat, prædicta ratione, quæ omnium aliarum est potissima, filii Dei spe certissima sumus: sequitur necessario ex relatorum vi, Deum sub eodem Euangelio, multo magis quam antea declarasse, se esse patrem nostrum. Itaque prima orationis istius Dominicæ verba, quibus Deus compellatur, sunt, *Pater noster*. Ubi non est silentio prætereundem id, quod alii etiam vulgo observarunt, voluisse Christum in tota hac oratione rogari à nobis Deum, non ita ut unusquisque pro seipso singulariter ac peculiariter roget, sed ut roget simul pro aliis, qui eandem spem immortalitatis à Deo adipiscendæ habent, & propterea una nobiscum, Deum suum patrem esse agnoscunt. Voluit enim Dominus hac ratione nos simul charitatem docere, simul in ea nos quam frequentissime exercere. Nam si Christi institutionem istam, ut sane obstricti sumus, non spreverimus, sed eam diligentissime servaverimus, quoties orabimus, toties necessario charitatem erga fratres nostros exercebimus, eamque quod attinet ad ipsorum bonum, in gradu supremo, ut indicavimus supra, cum explicuimus ea quæ Christus jubet fieri inimicis nostris, & beneficia commemorat, quibus illos afficere debemus: atqui sæpissime homini pio, Christique discipulo contingit ut oret, sæpissime igitur, si Christi institutionem servaverit, charitatem summam erga fratres suos exercebit.

Additur appellationi isti Fratris nostri, ad Deum significandum, eum esse in cœlis; id quod superius quoque ab ipso Christo in hoc sermone suo factum est, ubi, cum Deum nominare vellet, non Patrem tantum eum appellavit illorum ad quos loquebatur; sed cum hac additione, *qui est in cælis*. Nempe, ut significantius Deus exprimatur, & apertius ab aliis omnibus patribus distinguatur. Diciter autem Deus esse in cœlo, secundum vulgatam ac communem interpretationem; non quia Deus non sit essentia sua, non minus in terra, quam in cœlo; sed propterea, quod in cœlo ejus gloria, majestas, atque imperium, sine ulla comparatione, magis elucet atque apparet, quam in terra. Verum cum nihil sit, judicio meo, quod nos cogat credere atque statuere, ipsam Dei essentiam non minus in terra quam in cœlo esse, non video, cur cogamur interpretationem istam simpliciter sequi atque amplecti; & cur non liceat ex hoc, & innumerabilibus aliis similibus locis, immo expressioribus, colligere ipsam Dei essentiam proprie in cœlo esse, Deumque proprie loquendo ibi habitare. Cœli autem nomine, in hoc & aliis hujusmodi locis, non sunt intelligendi cœli illi, sive id cœlum quod videmus, & ad cujus notitiam per ipsos sensus homines pervenerunt; non denique cœlum, seu cœlos illos quorum creationem Moses descripsit: sed aliud cœlum, quod Paulus Apostolus tertium vocat 2 Cor. 12.7: nempe, quia alii duo ii sunt de quibus Moses loquitur, accipiendo pro uno cœlo totam aeris regionem, usque ad illos cœlos quibus luna & sol, & reliqua astra continentur & moventur. Pro altero vero istos alios omnes cœlos, supra quos sit istud tertium, quemadmodum ipsi sunt supra primum; quod tertium, una cum ipso Deo sit immobile, & propterea, præter alia huc pertinentia quæ à nobis ignota sunt, digna ipsius Dei sedes.

Post Dei ad quem oratio dirigitur compellationem, & honorificentissimam maximeque significantem patris nostri cœlestis appellationem, sequitur ipsa oratio, cujus tres priores petitiones, quas diximus ipsius Dei gratia potissimum fieri, possunt hac ratione inter se distingui, ut singulæ quidem hoc in se habeant, ut ad Dei, ut sic loquamur, commodum, præcipue respiciant, hocque sit tamquam genus quoddam, sub quo omnes contineantur; sed tamen prima, ad verba, & scripta, aliaque externa similia referatur, quibus Dei nomen honoratur expresse ac celebratur. Altera, ad cor nostrum respectum habet, quo Deus, ut par est, honoretur & in pretio habeatur; immo, cujus illi sacrificium quoddam à nobis fiat, totumque ipsi dedicetur. Tertia vero, ad facta pertineat ex nobis prodeuntia; ita ut factis nostris ipsi Deo illam obedientiam præstemus, quam ipse requirit. Quicquid enim agit homo, non minus in iis quæ ad Deum pertinent, quam aliis in rebus, potest primum dividi in duo membra; in actiones scilicet, si ita loqui licet (nos quidem hic agendi verbum, lata admodum significatione sumimus, ut etiam, improprie saltem loquendo, aliquando solet ab aliis accipi) interiores, & externas. Deinde exteriores, in duo rursus membra dividuntur, in verba scilicet, & facta; quamquam nos, hoc loco, ut jam indicavimus, verborum appellatione plus complectimur, quam ipsa vox sonet, & factorum nomine aliquid minus, quam fortasse videri posset voce ista significari debere.

Primum igitur petitur, ut Dei nomen sanctificetur, quod quid sit statim explicabimus, ubi monuerimus, cum ista ipsa tria, quæ Deum potissimum respiciunt, in oratione ad ipsum contineantur, & propterea ab ipso petantur, necesse esse, ut petitiones istæ sint veræ ac propriæ petitiones, non autem simplicia vota, quæ fortasse improprie loquendo petitiones appellari cuipiam posse videbuntur. Ex quo sequitur, nos in hac oratione Deum rogare, ut ista efficiat, non autem simpliciter illi exponere desiderium nostrum; ac præterea quia nihilominus, ut id, quod quis Deum orando petit, ad ipsum Deum pertineat, tamen consentaneum est, ut in eo ipso, is qui orat, interim sibi ipsi simul aliquid petat, concludendum est, in oratione ista non peti à nobis simpliciter ut Deus ista efficiat, sed illa per nos efficere velit, & sic nobis ea media atque auxilia suppeditare, quæ in nostra ipsorum potestate absolute non sunt, & sine quibus ista per nos effici nullo pacto possunt. Quare, ut jam istud, quod modo diximus, ad ipsam hanc primam petitionem primo loco applicemus, cum oramus ut Dei nomen sanctificetur, sentiendum est idem plane esse, ac si diserte rogaremus, ut per nos sanctificetur Dei nomen.

Quid sanctificandi verbum hoc loco significet, non est admodum difficile probe intelligere, quamvis istius verbi significatio sit valde multiplex, adeo, ut etiam ea, quæ sibi invicem plane adversantur, hoc uno verbo significentur. Solet autem vulgo exponi in loco isto, eo sensu quem sequutus est Castellio in interpretatione sua, qui pro voce ipsa Sanctificetur, reposuit, Sancte colatur, quæ interpretatio, & qui sensus, quamvis ab eo, quem nos verissimum hujus loci esse putamus, parum abesse videatur, tamen, non est judicio nostro is, qui proprie verbo isto significatur. Significat enim istud verbum, cum ad Deum, non quidem active, ut Grammatici loquuntur, sed passive refertur, honorare, seu honore & gloria afficere, quod, sine dubio, aliud quiddam est, quam sancte colere. Honor siquidem iste & gloria, quam verbum istud declarat, est quiddam apertius, & in sensus nostros efficacius atque evidentius incurrens, quam id sit quod ex quolibet Sancto Dei cultu proficisci potest. Neque enim negamus, ubicunque Deus Sancte colitur, ibi etiam Deum honore & gloria affici, quæ sæpe, prout cultus iste fuerit non apertus, & humanis sensibus expositus, aperta & clara non erit; & sic non omnino ejus generis, cujus illa est, quæ verbo Sanctificandi simpliciter prolato, & ad Deum passive, ut diximus, relato, significari solet; quæ est ejusmodi, ut valde con-

conspicua omnibus sit, & valde Dei excellentiam cunctis commendet; quemadmodum docere possunt ea loca, in quibus verbum istud ad eum modum, quem diximus, usurpatum invenitur; ut inter alia videre est Levit. 10. 3, & cap. 22. 32, quibus locis aliquot similia inveniuntur in duobus sequentibus Libris Mosis, ut cum Deus exprobrat Mosi & Aharoni, quod ipsum non sanctificaverint coram populo ad aquas contradictionis. Vide Num. 27. 14. Deut. 32. 51. Sed etiam apud Prophetas significatio ista verbi hujus clarissime deprehenditur; præcipue apud Esaiam, sed multo magis ac frequentius apud Ezechielem. Vide Esaiæ cap. 29. 23, ubi bis hoc verbum significatione ista habetur; & Ezech. cap. 20. 41. & cap. 28. 22, 25. & cap. 38. 16. & cap. 39. 27. Quapropter, concludendum est, in hac prima petitione Deum orari, ut nobis concedat, quo possimus verbis, scriptis, & aliis rebus similibus, evidenti honore & gloria afficere nomen ipsius, eumque celebrare & laudare, utque ab aliis laudetur & celebretur, efficere.

Quanquam vero nulli dubium esse potest, quin *nomen tuum*, in petitione ista, ex proprietate Linguæ Hebrææ idem valeat, quod *tu ipse*, tamen hujus loquutionis usus, cum de Deo honorando & gloria afficiendo agitur, magis ob oculos ponit id, quod quis sentit, quam si persona ista simpliciter nominetur. Exprimit enim melius illam celebrationem & laudationem, quam quis intelligit; cum ea, si expressa & evidens esse debet, requirat ipsius nominis Dei qui laudatur & celebratur, expressam commemorationem; quæ, cum in omni honore & gloria, quæ quoquo modo Deo tribuitur, appareat quidem aliquo pacto; sed non ita expresse, ut in ea quæ verbis & scriptis, aliisque similibus rebus fit: hinc factum est, ut verbum sanctificandi, à nobis, ad istam rationem celebrandi divini nominis, peculiariter pertinere dictum fuerit. Cujus rei occasione dicendum est nobis aliquid, de loco illo priore Petri 3. 15, ubi in vulgata editione legitur, itidemque in Syriaca, *Dominum autem Christum Sanctificate in cordibus vestris*, in Græco vero, non *Christum*, sed *Deum* legitur, qui locus videtur indicare, Sanctificandi verbum ad ipsum Deum, vel Christum (nam idem hac in re Christi persona, quod Dei, præstat) passive relatum, id significare, quod diximus vulgo existimari in ipsa hac prima petitione per ipsum declarari, id est, *Sancte eum colere*, seu pro Sancto habitum ita amare, illique obedire, ut tanta sanctitas requirit. Sed animadvertendum est, istic verbum Sanctificandi non simpliciter fuisse usurpatum, ut nos supra loquuti sumus, cum istius verbi significationem exposuimus; utque usurpatum est in ipso hoc loco nostro. Additur enim ibi diserte, ut dictum fuit *in cordibus vestris*. Quæ additio efficit, sine dubio, ut ibi significatio hujus verbi alia sit, quam alibi, ubi verbum ipsum simplex est, & docet jam non declarari verbo isto honorem illum & gloriam, quæ dictis, ac scriptis, & rebus ejusmodi Deo tribuitur vel Christo; sed eam, quæ ipso corde tribuenda est; tametsi alioqui negari non potest, quin, ubi quis ipso corde Deo, Christove, honorem & gloriam tribuit, necessarium sit ut etiam illa in ejusmodi externis ejusdem hominis rebus appareat ac personet. Nam ibidem, tanquam fortasse effectus hujus Sanctificationis divinæ, quæ ipso corde fit, subjungitur statim, *Parati semper ad satisfactionem, omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe.* Nam quemadmodum is, qui Deum, & Christum in suo corde Sanctificat, necessario ista etiam externa præstat; sic etiam istud ipsum externum, quod ibi commemoratur, necessario conjunctam secum habet, apertam atque evidentem Dei Christique glorificationem.

Pertinet igitur iste Petri locus, quamvis in eo Sanctificandi Dei, secundum Græcum codicem, expressa mentio fiat, non ad primam istam petitionem, in qua Deus oratur ut nomen ejus Sanctificetur; sed ad secundam, ad quam explicandam jam accedimus, ubi rogatur Deus

Vers. 10. Ut ejus *regnum veniat*. Quamvis enim nomen regni Dei, vix inveniatur alibi id significare, quod supra dicto Petri loco continetur, id est, Dei habitationem in cordibus nostris, ita, ut in illis regnet, & ita corda nostra sint illi plane subjecta, eique dicata ac consecrata; tamen, quia istud per illud fit, quod plerumque nomen istud declarare invenitur; præsertim cum dicitur, regnum Dei vel adesse, vel venire, vel appropinquare, aut similia de ipso vel dicuntur, vel optantur; & præterea, quia, si quis non tam usum quam vim ipsius nominis spectare velit, non dubium est, quin id quod diximus significare possit. Postremo, cum significatio ista alicubi tamen inveniri videatur, adducti sumus, ut credamus, eam potissimum debere hac in petitione agnosci. Frequentior quidem significatio nominis regni Dei, præsertim ea ratione, qua diximus, usurpata, esse videtur, ut declaret patefactionem voluntatis divinæ, ejusque receptionem, sive agnitionem, quod regnum vocatur etiam, eodem prorsus sensu, cœlorum regnum. Patefactionis autem divinæ voluntatis nomine complectimur, non modo ipsius annunciationem, & prædicationem, sed etiam confirmationem ab ipso Deo proficiscentem, cujuscumque tandem generis alioqui illa sit; præcipue vero, cum à donis & effectis Spiritus, atque potentiæ & efficaciæ divinæ illa oritur; sed ex hoc ipso Dei regnandi modo, consequitur illud, quod nos hoc in loco potissimum intelligimus, ut Deus scilicet regnet in ipsis cordibus nostris, & nisi hoc consequatur, non videtur vere ac proprie dici posse, Deum regnare. Verum est, quod hoc ipsum, ex quo fit ut Deus vere ac proprie regnet, existere ex ordinaria voluntate Dei non solet, nisi istud alterum illud præcedat; & propterea in petitione ista, quamvis eo pacto accepta ut nobis magis probatur, intelligendum est nihilominus, nos Deum orare, ut patefactione voluntatis suæ, ac confirmatione, velit ipsam suam voluntatem nostris cordibus insculpere, ut hac ratione inter nos merito ipse Deus regnare dici possit. Dei porro voluntas hic intelligitur ea, quæ ad nos spectat; & consequenter, in præcepta dividitur & promissa, quæ Deus humano generi per Christum dedit ac fecit; quandoquidem, post ipsum Christum exhibitum nulla alia fuit, aut erit unquam donec præsens sæculum duret, ejusmodi Dei voluntas, nisi illa quam Christus nobis attulit atque annunciavit, & pluribus modis mirifice confirmavit.

Ex tribus rationibus, quas ante attulimus, cur in loco nostro aliam quandam significationem nominis Regni Dei sequamur, quam simplicem illam, quæ inter multas, quas nomen istud habere deprehenditur, huic loco potissimum convenire videri possit, duas jam aliquo modo explicuimus; quæ & connexionem nostræ interpretationis cum significatione ista, & vim ipsius nominis respiciunt; superest ut tertiam de aliquo loco, ex quo interpretatio nostra confirmetur, haud inanem esse videamus. Est igitur locus, ubi significatio, quam nos hic probamus, nominis regni Dei, haberi videtur, apud Paulum in Epistola ad Rom. 14. 17, in verbis illis; *Non est enim regnum Dei, esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Ubi omnino videtur, regni Dei nomine illud intelligi, quod proprie nomine isto significari videtur, id est, quod Deus in cordibus nostris regnet. Apparet enim, Pauli mentem esse, dicere, ex eo, quod Deus in cordibus nostris regnet nasci justitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu Sancto; non autem distinctionem inter cibum & cibum vel potum & potum, sive alia qualibet ratione, curam exquisitam circa cibum & potum. Nam quod Paulus ibi loquatur de iis, quæ à nobis proficiscuntur, non autem de iis quæ nobis divino decreto annunciantur, videtur posse demonstrari, ex verbis quæ statim sequuntur,

quuntur, *Qui enim in his* (quanquam vulgata editio habet, *in hoc*) *servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.* Sed adhuc quartem rationem habemus interpretationis nostræ, quam nobis suppeditat sequens tertia petitio, quæ etiam caussa est, ut istas tres priores petitiones, alio modo interpretemur, quam fieri debere, multi existimare putarunt. Qua de re, mox aliquid explicatius dicemus; Jam enim ipsam tertiam petitionem examinemus, & rationem istam, quam inde nobis suppeditari diximus, exponamus.

His igitur verbis petitio ista tertia continetur, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Ubi negari nequit, judicio meo, quin à Deo petatur quiddam, ubi desideratur tamen factum nostrum. Nam, sine dubio, petitur hic à Deo, ut, quemadmodum cœlestes illi incolæ & habitatores ipsi per omnia obediunt; sic, qui terram incolunt & inhabitant ipsi pariter obtemperent, ut, inquam, non minus ab hominibus quam ab Angelis ipsi Deo perfecte obedientia præstetur. Itaque, cum in hac petitione manifestum sit, aliquid peti à nobis & Deum rogari, in quo factum nostrum omnino requiritur, hinc concludendum videtur, in petitionibus quoque præcedentibus duabus, aliquid contineri, quod sine nobis existere nequeat, & propterea, cum in altera ex illis petitur, ut Dei regnum veniat, non debere hoc accipi simpliciter de patefactione & confirmatione voluntatis divinæ inter homines, sed de receptione illius, non quidem externa tantum, sed interiore etiam; immo de hac potissimum, sine qua exterior illa nec sincera ullo pacto esse potest, nec vim habet efficiendi, ut Deus in nobis revera regnet. Eadem ratio effecit, ut primam petitionem ita interpretati simus, ut in eo quod petitur, factum nostrum similiter omnino requiratur; & sic cum petitur ut Dei nomen Sanctificetur, nolimus intelligi simpliciter peti, ut ipse Deus ea faciat, unde nomen ejus gloriosum appareat, sed ut nobis ea subministret, unde possimus ipsius nomen honore & gloria afficere ac celebrare; & porro id faciamus. Quæ ratio si non esset, id est, nisi hæc tertia petitio manifeste id continere videretur, quod nostrum factum requirat, facile possemus aliam sententiam, in istis tribus prioribus petitionibus interpretandis, sequi, quam, ut paulo ante attigimus, multi fortasse sequuntur, quamque & supra, & hic proxime indicavimus, ut scilicet in illis petatur, ut Deus ipse simpliciter sine nobis ea efficiat, quæ in illis continentur, & cum, ut de prima primum agamus, petitur ab ipso, ut ejus nomen Sanctificetur, intelligatur peti, non quidem ut, quemadmodum nos interpretamur, efficiat, ut nos sanctificemus, id est, celebremus & gloria afficiamus nomen ipsius; sed ut ipse, sicut modo dicebamus, ea faciat, unde ejus nomen celebre ac gloriosum appareat, quandoquidem ita exponi potest; totum istud *Sanctificetur nomen tuum*, ac si dictum fuisset, Sanctifica nomen tuum, quemadmodum nemo negaverit, quin petitio illa secundo loco posita. *Veniat regnum tuum*, ita simpliciter accipi possit, ac si dictum fuisset, Mitte regnum tuum.

Nam quod Sanctificandi verbum, active simul & passive, ipsius Dei respectu, usurpari possit, ita ut Deus Sanctificare se ipsum dicatur; idque cum ea significatione, quod ea efficiat, unde nomen ejus celebre ac gloriosum appareat, probat inter alia testimonia locus Ezechielis cap. 36, in initio versiculi 23, itemque apud eundem Prophetam locus cap. 38. 23. Ubi habetur verbum istud Hebraicum, in conjugatione, quam vocant Hitpael; quæ conjugatio id habet, ut significet actionem in eundem ipsum qui agit: ibi enim verbum istud, de Deo dicitur, adeo ut pro eo, quod in vulgata editione legitur, *Et magnificabor & sanctificabor*, secundum propriam apud Hebræos significationem verborum legendum sit, *Et magnificabo meipsum, & sanctificabo meipsum.* Sic similiter in secunda petitione, cum, ut diximus, illud *Veniat regnum tuum*, ita possit accipi, ac si dictum foret, Mitte tuum regnum, sententia esse posset, peti à Deo, ut ipse per se, facti nostri nulla consideratione habita, patefaciat voluntatem suam, ejusque cognitione plane homines repleat, quemadmodum antea fassi sumus, regni Dei appellatione solere significari; præsertim, cum agitur de eo, ut regnum Dei veniat, aut existat; sic inquam possemus, ut credimus ab aliis multis fieri, istas duas petitiones accipere, atque etiam una cum illis excogitare, quomodo ad eundem modum ipsa tertia petitio accipi posset; nisi id esset, quod diximus, quod planus & apertus sensus petendi à Deo, ut fiat voluntas ejus in terra, quemadmodum in cœlo, videtur esse quod petatur, ut nobis ea suppeditet, quibus non quidem nos cogat ejus voluntatem perfecte facere, sive, ut necessario eam faciamus, efficiat; sed ut libere interim, & cum aliter facere possemus, ad illam faciendam impellamur. Neque enim, ordinarie loquendo, Deus cuiquam necessitatem affert suam voluntatem faciendi; voluntatem, inquam, quæ præceptis ejus continetur, de qua sine dubio, hic agitur; hic enim, hujus tertiæ petitionis planus, nihilve, seu verba, seu sententiam spectes coactus, efficit, ut aliis rationibus adjunctis, quas ante attigimus, eo adducamur, ut statuamus, in prioribus quoque duabus eum sensum esse agnoscendum; in quo, quamvis Dei auxilium atque operatio, omnino adsit, sit nihilominus locus aliquis in agendo libertati nostræ. Nam, quod quidam tertiam istam petitionem ita interpretantur, ut omnino significet, Deum orari, ut ipse omnino efficiat, quo voluntas ejus perfecte in terra fiat, sicut in cœlo; & cum non sit verisimile, Christum voluisse nos à Deo quidquam petere, quod ille reipsa non sit facturus; ajunt, istud tunc fore, cum Sancti in hoc ipso mundo regnabunt, cum Deus tunc sit omnino ac re ipsa effecturus, ut non minus hic in terris ab hominibus ei obediatur, quam ab Angelis in cœlis. Quam interpretationem, ut paulo ante subindicavimus, nos quoque amplexi fuissemus, aut etiam ejus similem; nisi supra dicta & late explicata ratio aliter omnino suaderet. Hoc inquam totum non videtur, nec per se recte subsistere posse, nec in Sacris Testimoniis ullum verum fundamentum habere, cum, ut dictum est, Deus ordinarie necessitatem suæ voluntatis perfecte faciendæ, aut etiam imperfecte, nemini afferre soleat, nec, judicio nostro, ullus in Sacris Litteris extet locus, unde aperte colligi possit, perfectam istam voluntatis divinæ obedientiam in terra aliquando futuram. Non est autem, si interpretationem nostram sequamur, his absurditatibus locus ullus; quamvis firmum nihilominus maneat, peti à Deo ut ejus voluntas fiat in terra, sicut in cœlo. Nam non propterea similiter frustra Deus à nobis rogatus fuerit; cum secundum interpretationem istam, satis sit, ad hoc, ut Deus id fecerit quod rogatur, ut ea subministraverit & dederit, unde ejus voluntas perfecte non minus in terra, quam in cœlo fieri potuerit, etiamsi culpa & negligentia hominum factum sit, ut effectus iste non extiterit.

Concludimus igitur, nobis omnino videri, satius esse in tribus his petitionibus eam interpretationem amplecti, ex qua elicitur Dei opem implorari, ut ista tria quæ petuntur, à nobis fieri queant, ita ut & nobis subministret, quomodo possemus digni celebrare ac glorificare nomen ejus, & operetur, ut omnino possimus ipsi Deo dare locum; & possessionem ac dominationem in cordibus nostris; & denique, ea nobis præstet, unde queamus non minus in hac vita mortali illi obedire, quam in illa immortali ab Angelis fiat. Satius, inquam, istas tres petitiones ad hunc modum ita interpretari, esse concludimus, quam ad illum alterum, ut scilicet Deus rogetur, ut ista ipse omnino efficiat. Neque huic sententiæ nostræ quicquam repugnat id, ut fortasse cuipiam videri possit, quod nos ipsi alibi scripsimus; id est, in disputatione nostra Dei Jesu Christo servatore parte secunda, cap. 19.

Ubi,

Ubi, ut probaremus, aliud esse, Deum aliquid facere cujuspiam precibus intervenientibus, & aliud, illius precibus ad id faciendum permoveri; hoc exemplo, trium istarum petitionum à Christo jussarum, usi sumus, ostendentes, quod etiamsi Deus velit ista à se peti, & sic fidelium suorum precibus intervenientibus velit ipse ea facere, non tamen propter id quod illi ita orant, ista sit facturus Deus, alioqui scilicet, non facturus. Unde omnino colligitur, nos, cum hæc scripsimus, sensisse, Deum ista, quæ tribus istis petitionibus continentur, omnino facturum. Hoc inquam nihil pugnat cum sententia nostra, de sensu ipsarum trium petitionem, quam nunc afferimus: quandoquidem, verba illa nostra illo in loco, ita accipi & possunt & debent, ut sensus sit, Deum quidem ista omnino facturum quæ ab ipso petuntur; quatenus scilicet omnino daturus sit modum, rationem, & vires, quibus ista plane fieri possint; quem sensum ipsimet eo in loco indicavimus, verbis illis, *alioqui horum nihil facturus, seu potius ut fiat decreturus.* Nam posterior horum verborum pars declarat, quomodo ibi intellexerimus, Deum ista omnino facturum; id est, decreturum, ut fiant, per nos nimirum, quemadmodum hic docemus. Verum est, ne quicquam dissimulem, ad omnem ambiguitatem tollendam, & ad sententiam nostram melius iodicandam, rectius futurum fuisse, si pro verbo *Decreturus*, scriptum fuisset *Curaturus*. Jamque ad istam tertiam petitionem, quantum satis est explicandam, nihil aliud superest, quam duo monere. Unum est, quod non videatur necessarium statuere, in ea peti, ut in universa terra ita Deo obediatur, sicut in cœlo, sed satis videri ad verba ipsa petitionis, ut sic dixerim, verificanda, si in terra aliquis insignis atque conspicuus numerus hominum sit, qui Deo perfecte obediant. Alterum, quod leve quidem non tamen negligendum est, consideratio loquutionis istius, *Sicut in cœlo, & in terra:* ubi vocula *Et*, eandem vim habet post præcedentem vocem *Sicut*, ac si dictum foret, *Sic etiam.* Namque, ni fallor, iste loquendi modus est valde rarus in ipsis Sacris Literis; neque nunc mihi aliud exemplum simile, ex ipsis petitum succurrit.

Vers. 11. Sequuntur tres alteræ petitiones, quæ similiter ut tres istæ priores, videntur posse quadam ratione inter se distingui, ut scilicet, cum omnes, ut dictum est, in hoc conveniant, quod ad commodum nostrum præcipue spectant, in hoc ipso tamen, prout commodum nostrum varie considerari potest, inveniatur inter ipsos aliquid, quod aliam ab alia secernat. Nam in prima, videtur omnino peti aliquod bonum; in secunda, depulsio seu ablatio cujusdam mali; in tertia vero, à quodam malo præservatio ac defensio. Prima igitur sic habet, *Panem nostrum supersubstantialem*, (sic enim hic apud Matthæum habet vulgata editio. Nam apud Lucam legitur, *quotidianum*) *da nobis hodie.* Apparet, ni fallor, manifeste, aliquid boni his verbis omnino peti, quamvis, cujusmodi sit bonum istud, perdifficile sit statuere; & sane varie admodum propterea hic locus, ab explanatoribus, & aliis de ipso mentionem facientibus, acceptus & explicatus invenitur. Primum enim valde dubitatur, aut certe in eo à multis diverse admodum sentitur, quid sit panis ille qui hic petitur. Nam primo loco dubium est, an metaphoricus, an vero verus panis, sive id totum, quod appellatione veri panis solet, præsertim apud Hebræos, significari, hoc loco petatur. Deinde, si metaphoricus petitur, quid illud sit, quod metaphorico isto loquendi modo dictum fuisse, intelligere oporteat, nimisque longum esset, varias metaphoras, hic excogitatas, recensere atque examinare. Deinde, valde dubium locum reddit, & sensum illius plane ambiguum facit vox illa, quæ à vetere interprete reddita est per vocem, Supersubstantialis, vel, Quotidiani, ea est Græce ἐπιούσιος, quæ cum ejusmodi sit, ut vix usquam alibi apud Græcos scriptores, his exceptis qui Christiani fuerunt, aut alioqui scribentes ad hunc locum respexerunt, usurpata inveniatur, & præterea ejus formatio, & etymologia minime sit aperta, multum negotii & difficultatis omnibus exhibet, volentibus locum hunc probe percipere, ejusque sensum assequi. Postremo, loci difficultatem aliquantum auget, quod apud utrumque Euangelistam, tempus pro quo panis iste petatur, non eodem modo habetur. Nam apud Matthæum quidem, legitur, ut diximus, *Hodie*, apud Lucam vero, *quotidie*, sive, *in singulos dies.*

Jam quod attinet, ad primam difficultatem, nos ejus sententiæ sumus, ut statuendum censeamus, & proprie & metaphorice simul, vocem Panis accipiendam in hac petitione esse. Propria vero significatio vocis istius, quemadmodum alii etiam sentiunt, est, ut complectatur primum omne cibi genus, ac deinde usitato loquendi modo, sub cibi nomine, quicquid ad corpus nostrum alendum ac conservandum pertinet, ita ut victus totus, id est, tam potus, quam cibus & vestitus simul significetur: & sic à Deo pane isto petendo, petatur victus & vestitus, & si quid aliud est, quod ad corpora nostra sustentanda pertineat. Quod vero attinet ad metaphoricum panem, qui pariter hic à Deo petatur, putamus illum aliud nihil esse, quam eam Dei gratiam & favorem, sine quo spiritualis vita nostra, dum in hoc corpore sumus, conservari nequit, quemque à Christo præscriptum fuisse, ut à Deo petamus, adeo est verisimile, ut si utraque simul interpretatio, proprie videlicet & metaphorica, vocis panis, hoc loco admitti simul non posset, satius omnino sit metaphoricam, quam propriam retinere. Sed nihil videmus quod prohibeat, quominus utraque pariter, ut dictum est, retineatur. Addita est voci panis, vox nostri, & dictum, *Panem nostrum* &c, ut melius indicetur, panem hic peti quo nobis est opus Id enim exprimit ac declarat, vox *Nostrum*, quæ alioqui significare videretur, nos jam habere panem istum. Verum, quia non est verisimile, ut profiteamur nos habere quod petimus; & quia facile contingere potest, ut reipsa panem istum, nec verum nec metaphoricum habeamus; propterea, ea significatio vocis *Nostri* hoc loco agnoscenda est, quam ab initio diximus.

Quod porro attinet ad vocem illam Græcam ἐπιούσιος, quæ si perfecte intelligatur, plurimum adjumenti ad totam petitionem recte intelligendam afferre potest. Sunt, qui velint, omnino illam verti debere, ut hic factum est à vetere interprete, id est, Supersubstantialem, vel, ut Erasmus notat, superessentialem, cui tamen alia quædam interpretatio, ut mox dicemus, plus placere videtur. Porro hujus interpretationis ea vis esse videtur, ut omnino excludat hoc loco significationem panis proprie accepti. Testatur autem idem Erasmus, Hieronymum scriptum reliquisse, apud septuaginta interpretes, pro voce ista usurpari similem aliam, quæ est περιούσιος, cujusvis est, ut eximium sive egregium declaret. Quæ interpretatio similiter si hoc loco admittatur, videtur statuendum de pane proprie accepto minime hic verba fieri. Utriusque interpretationis istius caussa est, quod videtur non dubitandum, quin vox ἐπιούσιος composita sit ex nomine οὐσία, & ex præpositione ἐπὶ quæ proprie videtur quiddam excellens omnino significare, & quod transcendat essentiam ac naturam vulgaris panis; sed plerique hodie ex iis, qui volunt & fatentur nomen οὐσίας deduxisse originem voci isti, non agnoscunt vim istam in præpositione ἐπὶ, eamque nihil addere volunt, quod ad significationem attinet, ei, quod significatur per nomen ipsum οὐσίας; & contendunt propterea, ἐπιούσιον ad verbum aliud nihil esse quam substantialum, sive essentialem; quo verbo significetur id, quod, ad nos sustentandos, essentiamque nostram conservandam pertinet; dantque ni fallor, quidam exempla quædam istius præpositionis, quæ in compositione significationis nihil addat. Id plane memini, Castellionem videlicet

licet afferre exemplum vocis ἐπουράνιος, quæ passim, non supercœlestem, sed cœlestum simpliciter significat. Hæc vocis istius interpretatio nobis maxime placet, eaque optime ad utramque & propriam scilicet & metaphoricam panis significationem, accommodatur, ut scilicet, si utramque simul significationem istam hic agnoscere velimus, petamus à Deo, ut & corpori & animæ nostræ alimentum illud præbeat, quæ & hac & illud sustentatur quo, inquam, ad sui conservationem omnino indigent. Quamvis autem nihil videatur dubitandum de voce Panis, quod metaphorice aliud significare, possit quam vulgarem & materialem, ut sic loquar, panem; tamen, quia diximus hanc metaphoricam significationem hoc loco nobis potissimum probari, non abs re est, in memoriam revocare ea, quæ leguntur dicta à Christo apud Johan. cap.6, ubi sæpius repetit Christus vocem istam Panis, cum significatione non propria sed metaphorica, & quidem ea metaphora, quæ, licet, ut credimus, non sit plane eadem cum ea, quæ hoc loco agnoscenda est, ab illa tamen non abludit; quatenus videlicet, sine dubio, non minus ibi quam hic agitur, sub voce panis, de cibo, quo sustentatur non quidem corpus, sed anima nostra.

Sed non desunt, qui velint, inter quos videtur esse Erasmus, & Flaccius Illyricus, originem vocis ἐπιούσιος, duci à voce ἐπιοῦσα; quæ, ut ipsi loquuntur, apud Græcos significare solet diem crastinum, idque in ipsis Actis Apostolicis à Luca descriptis; & propterea volunt vocis ἐπιούσιος sensum esse eundem, ac si dictum fuisset, diei crastini; atque ajunt, Hieronymum testari in Euangelio illo, quod Hebræorum vel secundum Hebræos inscribebatur, extitisse vocem, quæ istud ipsum in Lingua Hebraica, in qua Euangelium illud scriptum erat, plane declarat. Hanc interpretationem videntur viri isti amplecti, cum ea significatione, ut hac ratione petatur a Deo panis, quo in singulos dies indigemus; ita ut non multum absit, quod attinet ad sensum, interpretatio ista ab illa, quam à vetere interprete apud Lucam habemus, & omnium receptissima est, ut scilicet vox ista Græca, voce Latina Quotidiani reddatur. Sunt autem, qui interpretationem istam propterea rejiciant, quod videatur pugnare, cum præcepto ipsiusmet Domini qui hanc orationem instituit; cum præcepto, inquam, quod paulo inferius, ad finem scilicet hujus capitis, in hoc ipso ejus sermone legitur, ut ne simus solliciti in crastinum: hinc enim fit, ut non videatur verisimile, eundem Dominum antea jussisse, ut panem crasteinum, id est, sequentis diei precibus nostris quæramus. Verum hæc objectio parvi facienda videtur, cum præceptum illud sit intelligendum, nec simpliciter de omni cura habendi id quod nobis in crastinum opus est, sed de anxia quadam cura, quæ nos nimirum occupet, & ab eo quod potissimum quærere debemus aliquo modo abstrahat aut retardet; neque etiam de ea cura qua ad Deum confugiamus, sed de illa, qua ipsi id acquirere, quo in crastinum opus habemus, nostra opera atque industria studeamus. Sed alia tamen esse videntur quæ suadeant, quominus interpretationem istam amplectamur. Nam parum verisimile videtur, ut ex voce ἐπιοῦσα, quæ non proprie sed figurate sequentem diem significat, per defectum scilicet vocis ἡμέρας, hoc est, diei, quæ subaudiri debet, cum plena loquutio sit, ἐπιοῦσα ἡμέρα, id est, superveniens dies. Non est inquam verisimile, ut ex figurata ista voce, formata fuerit ista altera ἐπιούσιος, cum significatione ejus significationis, ut ita dicam, conjugata, quam vox ista figurata ex ipsa tantum figura habet. Neque enim similiter, ut, subaudita in ea altera illa voce, habetur ejus verus sensus, sic in ista quæ ab ea derivata esset, si vox illa altera subaudiretur, haberetur is sensus, qui illi in hac interpretatione tribuitur. Deinde, si quis recte animadvertat, non videtur significatio vocis ἐπιούσιος, si ea à nomine ἐπιοῦσα derivaretur, posse convenire huic loco. Namque non crastinum significaret, sed postridianum; neque enim ἐπιοῦσα cras significat, sed postridie. Quis vero non videt absurdissime loquuturum eum esse, qui Deum orando diceret, *Da mihi panem postridianum*, in iis quidem exemplis, quæ in Novo Testamento habentur nominis ἐπιοῦσα, nusquam, ni fallor, invenitur eo significari diem crastinum, sed postridianum, ubi, quia in Latina interpretatione sequentis diei vox habetur, qua potest etiam, si quis velit, crastinus dies appellari, ut si quis dicat, sequenti die, pro eo quod est, Cras ad te veniam; & propterea etiam, si Deum orando diceremus, Da nobis panem sequentis diei, nihil absurdi in hoc loquendi modo conspiceretur, cum idem esset, vel esse posset, ac si diserte diceremus, Da nobis panem crastinum, propterea arbitror factum fuisse, ut absurditas ista non fuerit animadversa, quæ alioquin satis evidens est, si in petitione ista ea vox ponatur, quæ non quidem omnem proxime sequentem diem, & sic eum, qui post præsentem, quo quis loquitur, sequuturus est, sed eum, qui vel sequutus, vel sequuturus sit post diem certum aliquem absentem, præteritum videlicet vel futurum, omnino declarat. Verum præterea etiam, immo potissimum ob id interpretatio ista mihi non probatur, ex qua fit, ut crastinum panem à Deo petamus, quod ea retenta, non satis commode videtur retineri posse, ut in petitione ista petatur panis ille metaphoricus. Neque enim crastini appellatio, ejusmodi pani ita convenire posse videtur, ut proprio ac vulgari pani, cum metaphoricus iste panis non ita sit comparatus, ut de eo præscribi aut statui possit, quantum ejus futurum satis nobis sit pro die uno, quemadmodum potest de proprio ac vulgari pane.

Quoniam vero & hic & supra urgemus, quod hic petatur non proprius tantum panis, sed etiam metaphoricus, diximusque nobis videri, si alterutrum tantum hic peti demonstrari possit, præstare, de metaphorico potius, quam de proprio petitionem istam accipere, duo nobis omnino facienda videntur. Unum est, apertius & exquisitius explicare, qui sit iste metaphoricus panis. Alterum, ad id respondere quod putamus posse huic sententiæ objici, quod hoc loco metaphoricus iste panis omnino petatur. Diximus antea, istum metaphoricum panem esse id, quo anima seu spiritualis vita nostra sustentatur; hoc autem in genere affirmari potest, esse Dei gratiam. Proprius autem ad rem accedendo, dicere possumus, esse eam Dei gratiam, qua fit, ut, quas per nos ipsi non habemus vires, habeamus, vivendi atque operandi secundum id, quod non caro, sed Spiritus dictat; unde fiat, ut omnia impedimenta omnesque difficultates, quæ in hoc efficiendo occurrunt, amoveamus ac spernamus. Ex eo enim, quod quis non secundum carnem, sed secundum Spiritum vivat & operetur, animæ salus comparatur & spiritualis vita nostra conservatur. Videtur autem gratia ista, posse etiam Spiritus Sancti nomine appellari. Nam, ut Spiritum Sanctum à Deo petamus, alibi monet ipse Christus, & quidem eo in loco apud Lucam, qui statim sequitur post præceptam & institutam hanc orationem: statim enim postea apud istum Euangelistam, multis verbis & exemplis, ac similitudinibus suadet Christus, petendum esse à Deo, cum certa spe accipiendi; & tandem concludit, Si nos, cum mali simus, novimus bona dare filiis nostris, multo magis Deum daturum Spiritum Sanctum, sive ut vulgata editio habet, Spiritum bonum, petentibus se. Ex quo apparet, in ipsa oratione ab eo præcepta, Spiritus Sancti petitionem contineri. Nam præter id, quod, sine dubio, tota ista Christi suasio ac monitio referenda est ad præscriptam ab ipso orationem, illud etiam hoc nobis suadet, quod, ut ab initio diximus, sine dubio, oratione ista præscripta continetur quicquid jubemur omnino à Deo petere. Quod autem Spiritum Sanctum à Deo petere jubeamur, tota ista, quam suasionem Christi appellavimus, facile docet.

Est

Est enim ejusmodi suasio, quæ omnino, vim præcepti habeat. Jam vero Spiritus Sanctus, ea res est, ex qua fit, ut id præstare possimus quod ante diximus, & sic reipsa idem est cum gratia illa Dei, de qua modo loquuti sumus; nisi quod Spiritus Sancti appellatio, rem ipsam magis exprimit. Isto enim nomine, evidentius significatur afflatus ille divinus, quo concipimus spem æternæ vitæ, si non carnis, sed Spiritus imperio paruerimus. Nam ex spe ista, & non aliter efficitur, ut hoc ipsum præstemus. Cum igitur omnino concludendum videatur, in hac à Christo instituta oratione ad Deum qua uti debeamus, contineri petitionem Spiritus Sancti, sive illius gratiæ, quam paulo ante exposuimus, nullus locus in tota oratione est ubi id nominatim fieri, seu propriis, seu metaphoricis verbis dici possit, nisi hic ipse, ubi panis petitur quo sustentemur; & propterea concludendum similiter omnino videtur, hic contineri ac fieri petitionem istam.

Sed objiciet aliquis, secundum explicationem nostram trium priorum petitionum, jam in illis gratiam istam à Deo petitam fuisse, cum velimus, eas ita debere explicari, ut quæ in his petuntur, per nos fieri petantur, saltem aliqua ex parte. Nihil enim eorum quæ illis petuntur, est, quod sine Dei gratia fieri à nobis ulla ex parte queat; & propterea à Deo ista petantur, ac porro peti jubeantur. Respondemus, atque eodem tempore id exequimur, quod secundo loco faciendum nobis, circa hanc primam ex posterioribus petitionibus, antea diximus, id est, id refellimus, quod sententiæ nostræ de pane metaphorico, quod scilicet de illo in petitione hac prorsus agatur, obstare videtur; quod videlicet jam antea panis iste, & sic divina gratia petita fuerit. Respondemus inquam, primum non eadem ratione, neque ob eandem caussam peti Dei gratiam in tribus prioribus petitionibus, sicut in prima hac ex tribus posterioribus: ibi enim agitur potissimum de ipso Deo, ejusque præcipua ratio habetur; hic vero de nobis peculiariter agitur, nostrumque ratio plane habetur; ibi queritur Dei gloria, hic vero salus nostra; nec quicquam prohibet eandem rem diversa ratione, diversamque ob caussam non semel peti. Deinde addimus, quod si recte res consideretur, ea divina gratia, quæ antea in qualibet ex illis tribus petitionibus tacite, secundum explicationem nostram, petita fuit, non eadem est cum illa, quæ metaphorice, panis, quo sustentemur, appellari possit. Nam, ut singulas illas tres petitiones breviter, quantum huc pertinet, nostra explicatione earum posita, percurramus, cum petimus, ut Dei nomen per nos celebretur, eatenus divinam gratiam petimus, quatenus opus est, ut nobis & occasiones à Deo subministrentur, & cor accendatur, & lingua aut calamus acuatur & temperetur, ut id, quod petimus, decenter ac Deo digne fiat; quæ divina gratia quiddam, sine dubio, diversum est ab ea, qua spiritualis vita nostra alitur ac fovetur. Cum vero petimus, ut Deus regnet in cordibus nostris, propterea divinam gratiam petere dici possumus, quia simul, quemadmodum antea explicatum à nobis fuit, petimus, ut Deus, patefactione & confirmatione aperta atque efficaci voluntatis suæ, efficiat, ut merito dici queat, ipsum regnare in cordibus nostris, & sic verum ipsius in terris regnum existere; quæ similiter gratia divina, etiamsi aliquid hic velimus intelligi, quod Deus in nobis interiore præterea ratione operetur, quiddam omnino est distinctum, ab ea gratia qua perpetuo indigemus, ut anima nostra ac spiritualis vita nutriatur ac sustentetur. Jam vero cum petimus, ut ab hominibus, & sic à nobis Dei voluntas in terra ita fiat, ut fit ab Angelis in cœlo: quamvis, sine dubio, vel maxime hic Spiritus Sanctus à Deo petatur atque imploretur, sine quo istud nullo pacto præstare humana fragilitas potest; est tamen manifeste gratia ista divina aliquid excellentius, & majus ea, qua assidue nobis est opus, ut spiritualem vitam constanter retineamus; plus enim est, sine dubio, ita voluntati divinæ obedire, ut Angelis ipsi obediunt, quam ita vivere, ut Spiritus ipse dictat ac postulat; quandoquidem hoc tunc fieri merito dici potest, cum non secundum carnem sed secundum Spiritum ambulatur, etiamsi imperfectio aliqua, in obedientia quæ Deo præstetur, omnino appareat, atque ejusmodi, quæ longe absit ab ea obedientia, quam Angeli Deo præstant. Præterea animadvertendum est, hanc tertiam petitionem ex illis tribus prioribus, posse, ac fortasse debere ita accipi, ut non petatur, id assidue ac perpetuo fieri, quod ipsa continet, sed ut aliquando id fiat; unde apertius constat, quantum differat divina gratia, quæ in ea tacite imploratur, ab ea, quæ aperte, licet metaphorico loquendi modo hic petitur, qua assidue ac perpetuo nobis est opus; quæ consideratio diversitatis, inter hanc & illam gratiam, potest etiam aliquo pacto locum habere, respectu duarum priorum petitionum. Neque enim necesse est, ut in illis omnino petatur, ut id perpetuo faciat quod ipsæ continent: cum enim perpetuo dico, indesinenter ac sine intermissione intelligo. Nam certe indesinenter atque sine intermissione nobis est opus, ut pane illo metaphorico, quo spiritualis nostra vita sustentatur, cibemur atque nutriamur. Neque enim in illis duabus prioribus petitionibus, de quacunque sanctificatione divini nominis, ut antea docuimus, agi dicendum est, aut de quocunque modo; quo Deus regnet in cordibus nostris; sed & sanctificatio quædam nominis divini petitur, quæ celebris sit, & plenum quoddam regnum quod Deus in cordibus nostris habeat; quemadmodum & ipsum Sanctificandi verbum, & adventus ipsius divini regni, satis demonstrare videntur.

Concludimus igitur, nihil obstare, quominus statuamus, in prima trium posteriorum petitionum, peti divinam gratiam, seu Spiritum Sanctum; immo id plane necessarium videri. Interim tamen non negamus, peti simul cibum seu victum necessarium, adeo ut etiam ipse vestitus petatur, quippe, qui ad sustentandam vitam hanc corporalem, requiri omnino soleat. Panis siquidem appellatione, primum omnis cibus, præsertim apud Hebræos, intelligi solet. Cibi autem nomine, tanquam re potiore, potus etiam intelligitur; & demum sub utriusque, & sic alimentorum appellatione, quæ unico panis nomine significentur; comprehenditur ipse quoque vestitus, eadem scilicet sermonis figura; nimirum quod alimenta, in nobis sustentandis, inque victu nostro, potiorem ac magis præcipuam partem habeant. Hanc autem sententiam, quod hic panis hac in oratione petatur, propterea libenter sequimur, quod plane sit verisimile, Christum voluisse, nos hac ratione agnoscere ac confiteri coram ipso Deo, victum ipsum & vestitum nobis necessarium, quamvis ad illum parandum nostra cura & opera interveniat, à Deo tamen proficisci, ab ipsoque nobis suppeditari; & propterea etiam, id est ob hoc ipsum, quod is nobis à Deo datur, instituisse, ut in oratione ad ipsum Deum nobis præscripta, is omnino petatur; quippe, sine quo esse nequeamus. Quandoquidem verisimile ac necessarium plane videtur, voluisse Christum, ut in oratione, quam ipse nobis præscripsit, nihil non petatur quod omnino nobis sit opus, præsertim, cum ad Deum glorificandum per nos, ac celebrandum, ipsa hæc vita nobis sit necessaria; ita fit, ut simul necessitatibus nostris orando prospiciamus, simul in memoriam nobis perpetuo redigamus, non nostra arte atque industria fieri, ut vitam hanc corporalem sustentandi facultatem habeamus, sed dono ac benignitate Dei. Ubi interea intelligendum est, non propterea debere nos desides esse atque otiosos, in victu & vestitu nobis comparando; id enim nihil aliud esset, quam ipsum Deum tentare, præsertim cum sciamus, humano generi, propter peccatum primi hominis, hanc esse pœnam ab

ipso

ipso Deo constitutam, ut in sudore vultus sui vescatur pane suo.

At dicet aliquis. Si ita est, ut hic panis tum corporalis tum spiritualis petatur, concludendum videri, has esse duas petitiones, & propterea orationem hanc, septem saltem, non autem sex tantum petitiones continere, quod tamen nos ab initio affirmavimus. Animadvertendum est primum, cum illud à nobis fuit affirmatum, rationem habitam fuisse ejus rei, quod dubium est ac controversum, an hic res una tantum, an vero duæ petantur. Immo, quod plerique sentiunt, quod una tantum petatur; id est panis, vel corporalis, vel spiritualis, & non uterque simul. Deinde considerandum est, nos petitionis nomine, cum diximus sex tantum in hac precatione petitiones esse, id intellexisse quod cæteri intelligunt, qui in controversia ista, quot sint in ea petitiones, ipsorum distinctorum inter se in petendo, ut sic dixerim; articulorum, non autem ipsarum rerum petitarum, quæ inter se aliquo modo distinguerentur, rationem habuerunt, ita ut merito, non solum propter ipsam rei naturam, sed etiam propter consilium omnium, qui de numero petitionum in hac oratione quæsierunt, dici possit ac debeat, nihilominus, ut hic uterque iste panis petatur, duo quidem peti; unicam tamen esse petitionem. Uno siquidem totius orationis ac petitionis membro atque articulo, simulque ac semel, iisdemque verbis, duo ista petuntur. Quod si quis quærat, an stante interpretatione nostra hujus petitionis, possit admitti interpretatio vulgo recepta nominis ἐπιούσιος. & panis iste quotidianus appellari; præsertim, cum apud veterem interpretem, non modo in omnibus exemplaribus apud Lucam, sed etiam in quibusdam apud Matthæum, ea vox usurpata fuerit; Dicimus, non admodum convenire vocem istam petitioni panis spiritualis; cum tamen de eo præcipue mentionem in ipsa petitione fieri, intelligendum esse statuamus, propter eam caussam, aut ejus similem quam superius attulimus, cum interpretationem illam Crastini, nobis non probari diximus; sed neque etiam, si is sensus retineatur, quem nos voci illi Græcæ subesse credimus, videtur *Quotidianum* nomen & appellationem, admodum appositam esse ipsi corporali pani: neque enim Quotidiani vox, exprimit illam sustentationem ac nutritionem, quæ exprimi, judicio nostro, videtur voce ἐπιούσιος. Nec sane hactenus invenire potuimus Latinam vocem, quæ nobis isti Græcæ respondere videatur; quæ donec ab aliquo eruditiore inveniatur, consultum forte credimus, ut non unica voce sed pluribus, sensus Græcæ vocis declaretur; qui, nisi fallor, satis exprimeretur, si quis, pro *quotidianum*, diceret *quo sustentamur*. Nam voce *alimentarii*, qua in sua translatione usus est Castellio, quamvis, si ejus derivatio spectetur, possit videri hunc sensum declarare, tamen revera non declarat. Neque enim id unde quis alitur, sed quod ad alimenta pertinet, significare invenitur, ut Lex alimentaria. Plura dici possent, ut ostenderetur, Quotidiani nomen interpterationi nostræ parum convenire: sed nihil est necesse istud diligenter explicare; & satis fuit caussam præbere aliquid melius excogitandi, & quomodo tamen id, quod interpreratio nostra fert, reponi hoc loco possit, indicare atque monere

Post vocem *quotidianum*, vel ut apud Matthæum vulgo legitur, *Supersubstantialem*, sequuntur verba illa, *Da nobis hodie*, ubi primum, ni fallor, incipit apparere aliqua differentia in ipsa orationis formula, inter Matthæum & Lucam. Namque hactenus in ipso Græco contextu, nulla prorsus, ne in uno quidem apice, differentia inter utramque formulam deprehenditur: sed hic demum differre aliquo modo incipiunt. Nam apud Matthæum, pro eo quod Latine legitur, *da*, est Græce δὸς, quod magis proprie significat *dato*, est enim aoristus imperativi modi, apud Lucam vero est δίδου, quod præsentis plane est temporis, & vere atque ad unguem significat *da*. Quæ differentia nescio an à quopiam alio antea fuerit animadversa, quippe, quæ nullius videatur esse momenti; quamvis fortasse negari nequeat, quin alioqui tempus aoristum seu indefinitum, quod cum futuri significatione usurpatur, magis huic loco convenire videatur, quam tempus præsens, cum nón petatur a Deo, ut statim det panem istum; sed ut eo die, vel ut Lucas habet, quotidie eum dare velit. Nam alia est hic, id est in hac ipsa petitione, majoris momenti differentia inter utrumque Euangelistam, quod scilicet hic noster habet *hodie*, ille vero *quotidie* Esse autem hanc differentiam inter ipsos, una cum aliis, de quibus postea videbimus, in formula ista orationis recitanda a Christo præscriptæ, nihil mirum videri debet, si, ut ab initio nos demonstravisse credimus, non semel tantum docuit Christus discipulos suos quomodo orare deberent, sed saltem bis id fecit; ad quorum duorum temporum alterum, referenda sit formula à Matthæo recitata, ad alterum vero ea, quæ recitatur à Luca. Quemadmodum enim aliqua absurditas videri posset, si uterque Euangelista, ad idem tempus, & ad id, quod semel tantum factum esset, respiciens, diverse tamen aliqua ex parte istam precandi formulam recitasset: sic nihil absurdi in eo est, quod Christus non semper, cum ipsam orationem docuit, iisdem prorsus verbis ac syllabis usus fuerit, modo idem sensus subsit atque appareat; quemadmodum hoc ipso in loco fit, cum, sive hodie, sive quotidie legas, sensus sit, nos petere pro singulis diebus à Deo panem istum: tantum id habet lectio apud Matthæum, ut nos doceat, debere nos singulis diebus oratione ista à Christo præscripta uti. Nam, cum ibi legatur Hodie; & sic diserte non petatur panis, nisi illius diei, quo tamen in singulos dies, seu singulis diebus nobis omnino est opus, monemur tacite, oportere igitur, si nobis velimus esse prospectum, ne dies ullus transeat quin oratione ista ad Deum utamur. Itaque, quamvis videri possit aliquid plus haberi hac in parte apud Lucam, quam apud Matthæum, cum plus sine dubio sit, quotidie, quam hodie; tamen revera, & apud hominem qui sensu ipso communi non sit destitutus, nihil plus est ibi quam hic; seu potius, hic plus quam ibi quatenus hic tacite monemur, singulis diebus orare Deum, ad eum modum quem Christus præscripsit, ibi vero minime. Verum hoc aliquid est extra ipsam petitionem, sive id, quod petitur; & proptetea nullam sensus differentiam, quod ad ipsam orationem attinet, inter utrumque Euangelistam constituit.

Vers. 12. Sequitur secunda ex tribus posterioribus petitiouibus, quæ apud nostrum Euangelistam sic habet, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hæc petitio duas evidentes partes babet, quemadmodum duo sunt membra ipsius comprehensionis verborum; in priore id continetur, quod petitur; in posteriore vero, vel caussa, vel modus, vel utrumque simul id petendi. Jam id, quod priore parte continetur, & sic id, quod petitur, est remissio peccatorum nostrorum, sub nomine nostrorum debitorum, quod & per se satis patet atque apud omnes in confesso est, & probatur evidenter ex Luca altero Euangelista, qui diserte, non debita, sed peccata habet; quamvis in posteriore hujus periodi parte retinuerit metaphoram istam debiti, quæ admodum conveniens videri debet ad peccata nostra significanda, tunc præcipue, cum loquimur cum ipso Deo, & rogamus ut illa nobis remittere velit; sic enim aperte indicatur, nostra peccata eam vim habere, ut reos debendi nos apud Deum constituant, quo nibil verius ac certius esse potest; unde etiam fit, ut quemadmodum potest quis liberalissime, & sine ulla prorsus satisfactione, id quod sibi debetur debitori remittere; sic Deus possit, nulla penitus à quoquam satisfactione accepta, clementissime omnia peccata nobis ignoscere ac remittere, ut sane facit; quod plerique quamvis apertissimum, & in ipsa oratione ad Deum, quam perpetuo in memoria atque ipso ore babent, satis expressum,

non

non animadvertentes, fabricarunt nobis satisfactionem illam, quam Deus accipere à Christo voluerit pro omnibus peccatis nostris; qua de re latius disputandi non est hic locus, præsertim, cum in disputatione nostra De Jesu Christo Servatore, uberrime tota hæc res tractata fuerit; tantum non est oblivioni dandum id, quod modo diximus, ipsam orationem ad Deum, qua ex Christi præscripto uti omnes debemus, satis nos docere, nos a peccatorum nostrorum reatu non alia ratione liberari, quam remissione & condonatione, quam Deus, apud quem rei sumus, nobis concedat. Communis porro sententia est, ut peccata nostra, quorum in hac oratione a Deo veniam ac remissionem petimus, quamvis de omnibus id intelligi possit, præcipue tamen ac potissimum sint ea, quæ subinde committimus, adeo ut ex hac ipsa petitione concludant, neminem esse qui quotidie non peccet. Cum, sine dubio, quotidie debeat unusquisque Deum orare; & consequenter oratione hac, per Christum à Deo præscripta, uti, ac porro ab ipso petere ut sibi peccata remittat.

Verum nos aliter omnino sentimus, & quamvis neque affirmemus neque negemus verum esse, quod unusquisque quotidie peccet, constanter tamen asserere non dubitamus, id non probari ex petitione ista, quam credimus præcipue ac potissimum pertinere ad ea peccata, quæ à nobis commissa sunt ante pœnitentiam & conversionem nostram ad Deum, per veram Jesu Christi agnitionem; cujusce rei triplex potest afferri ratio. Una est, quod peccata, quæ ante pœnitentiam commisimus, multo graviora sunt, quam ea quæ postea committimus; & sic multo magis necessarium nobis est, illorum veniam petere à Deo, quam istorum. Altera ratio est, quod certissimum quidem est, nos omnes ante pœnitentiam peccasse, sed non ita similiter certum esse probabitur, post ipsam pœnitentiam à nobis omnibus peccari, etiamsi nos id minime negemus. Nam quod scriptum est à Johanne Apostolo, *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis est* 1. Joh. 1.2, non significat nos peccare, sed reos peccati esse, id enim notatur loquutione ista habendi peccatum; quemadmodum à nobis ostensum fuit in disputatione, de loco septimi capitis epistolæ ad Romanos; & ita ex loco isto, probatur quidem nos omnes aliquando peccasse; id est, ante veram ac seriam ad Deum per Christum conversionem, sed non probatur ex eodem, nos subinde peccare. Tertia vero, quamvis non adeo potens est, quod metaphora ista, cum peccata nostra debita nostra appellantur, quæ videtur rem aliquam jam transactam indicare, non ita apte accommodari posse videtur, ad peccata, quæ subinde committantur, ut ad ea, quæ jam commissa fuerint. Nam si quis dicat, non esse verisimile, nec porro convenire, ut Deum oremus pro remissione peccatorum præteritorum, & ante conversionem nostram commissorum, quia jam illa nobis per Christum ab ipso condonata fuerint. Respondemus, quamvis reatus ipse per se peccatorum istorum ablatus jam fuerit, tamen nondum effectum istius absolutionis extitisse, neque revera extiturum, nisi tum demum, cum à morte peccati pœna exempti fuerimus & immortales facti, quod ut suo tempore fiat, hic Deum singulis diebus oramus, precantes, ut quemadmodum promisit, nolit propter scelera nostra nobiscum in judicium venire, eave, prout commeriti sumus, vindicare ac punire. Adde, quod si ratio ista attendenda esset, reatus ipsius peccatorum jam per Christum aboliti, non conveniret similiter veniam petere à Deo eorum peccatorum, quæ post pœnitentiam nostram indies committimus; quandoquidem istorum etiam reatus per Christum abolitus est, cum omnia cujuscumque temporis, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri peccata, eorum, qui in ipsum Christum credunt eique obediunt, cujusmodi sunt ii, qui pœnitentiam serio ex Euangelii præscriptione egerunt, in eaque perseverant, jam sunt per ipsum Christum deleta atque abolita, quod attinet ad ipsum per se reatum, ut explicatum fusius ac demonstratum a nobis fuit, in prædicta disputatione de Christo Servatore. Et hæc satis sint, pro explanatione atque explicatione verborum, & sensus prioris partis hujus petitionis.

Jam, quod attinet ad posteriorem, tria videmur ex illa doceri. Unum est, quæ sit, & qualis remissio peccatorum nostrorum, quam à Deo petimus. Alterum, quomodo, quave ratione debeamus nos condonare iis, qui aliquid adversum nos peccaverunt. Tertium vero, qua conditione, quove modo remissionem istam peccatorum nostrorum petamus. Primum enim cum Deus oratur, ut sic remittat nobis peccata nostra, sicut nos quoque remittimus debitoribus nostris, id est, iis, qui in nos peccarunt, remittimus, docemur, quemadmodum, cum nos revera, & ex animo ei offensam remittimus atque condonamus, qui nos offendit, nullas pœnas ab ipso repetimus, etiamsi id facere maxime possimus. sic cum petimus à Deo ut nobis peccata nostra remittat, id nimirum petere, ut à nobis, quamvis meritissimo possit, nolit ullas pœnas peccatorum nostrorum exigere. Deinde similiter docemur rursus, quod quemadmodum nos cupimus, ut Deus nobis ita peccata nostra remittat, ut liberos nos atque immunes, ab omni pro iis pœna exsolvenda, pro sua benignitate reddat: sic debere nos ita ignoscere iis, qui adversus nos delinquunt, ut nullam penitus ultionem quæramus, nec quicquam pœnarum ab illis ulla ratione reperamus. Ad hanc autem paritatem nostræ & Dei remissionis offensarum, quæ plane declaratur posteriore hac parte totius hujus petitionis, cum priore conjuncta, quemadmodum ipsa verba omnino postulant, amplius ac melius intelligendam, plurimum confert ea Christi parabola, quæ habetur circa finem cap. 18 hujus Euangelistæ, una cum verbis quæ Christus parabola absoluta statim subjungit, qui locus etiam plurimum valet, ad recte explicandum tertium illud quod proposuimus, & adhuc latius exponendum restat; nempe, quomodo, quave conditione remissionem peccatorum nostrorum à Deo petamus, nempe, tum demum, si ipsi quoque adversum nos peccantibus ignoverimus; cujusce rei potissimam à Christo habitam fuisse rationem, in addenda petitioni isti posteriore hac parte, apertissime docent verba, quæ illico subjicit post absolutam precandi formulam; de quibus, Deo volente, suo loco accuratius aliquid dicemus. Nunc satis sit dixisse, ibi expresse haberi, non remissum iri nobis peccata nostra, nisi nos aliis dimiserimus; unde sequitur id, quod diximus, nempe posteriorem partem hujus comprehensionis verborum, qua continetur altera ex tribus posterioribus petitionibus, habere hanc vim, ut significet, nos non petere in ea à Deo peccatorum nostrorum remissionem, nisi hac conditione, si nos videlicet similiter iis, qui in nos peccant, ignoverimus. Ut autem melius adhuc possit, & tota hæc res intelligi, & loquutionis illius *Sicut & nos* &c. vis percipi, adhibendus est in consilium Lucæ locus huic respondens. Neque enim apud Lucam legitur *Sicut & nos*, sed *siquidem & ipsi* &c. Sic enim habet vulgata editio, & profecto non male, modo illud siquidem, sub uno accentu conjuncte legatur; ita ut idem significet quod, *quandoquidem*, non autem disjuncte; ita ut idem declaret, quod, *Si modo*; quamquam enim sensus, qui ex tali disjuncta dictione colligeretur, verissimus est, & ei par, quem modo diximus ex Christi verbis apud Matthæum colligi, tamen ex ipsis Græcis verbis, quæ apud Lucam leguntur, certum est, non disjuncte, sed conjunctim duas istas particulas legi debere: siquidem in Græco, ad verbum habetur, *Etenim.* Ut igitur apud Lucam legitur, istud, quod nos remittamus iis qui in nos peccant, affertur pro caussa, seu tanquam caussa, cur audeamus à Deo petere, ut nobis peccata nostra remittat.

Quoniam vero superius diximus, nos in ea sententia esse, ut quamvis apud utrumque Euangelistam, quibusdam

busdam in locis hujus orationis non eadem verba legantur, tamen idem utrobique sit sensus; quod & verissimum esse, atque adeo necessarium nemo negare audebit; propterea dicimus, ex modo isto loquendi, qui apud Lucam extat, facile posse intelligi, particulam illam *Sicut*, quæ legitur apud Matthæum, non habere omnino ac prorsus vim similitudinem constituendi, inter remissionem, quam à Deo petimus, & illam, quam nos aliis concedimus, quamvis non negamus istam vim, ex ordinaria significatione ipsius particulæ, illi isto in loco subesse. Nam hoc inspecto, illa duo priora diximus, quæ eliciantur ex posteriore parte hujus petitionis. Verum, rem paulo subtilius ac diligentius perpendendo, ex loquendi modo qui apud Lucam extat, concludimus potiorem significationem particulæ istius esse, ut in eo similitudo agnoscatur, quod & à nobis, & à Deo remissio fiat. Solet enim particula ista, quemadmodum alio in loco à nobis scriptum & observatum est, similitudinem declarare simpliciter rei ipsius, non itidem modi, aut quantitatis ipsius rei, ut, quemadmodum ab aliis quoque observatum est, factum videmus in verbis illis, quæ ad finem superioris capitis habentur: *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.* Ubi non est intelligendum, nos debere esse ita perfectos, ut ipse Deus est; sed tantum, in eo debere nos Dei esse similes, quod ille est perfectus, & nos perfecti simus. Ex quo sequitur, nihil prohibere, quominus alioqui, perfectio nostra non æquet ullo modo Dei perfectionem. Itaque, cum hic apud Matthæum legimus, *Sicut & nos dimittimus* &c, potior sensus particulæ istius esse potest, constituere, ut diximus, similitudinem in eo, quod nos remittamus, & Deus remittat, cum apud Lucam nulla fiat mentio similitudinis in ipso modo remittendi, sed tantum reipsa ipsius remissionis; & ex eodem Luca videtur esse intelligendum, quod nos remittamus, id afferri à nobis orando pro caussa, ut dictum est, seu tanquam caussam, cur audeamus petere ut Deus nobis remittat, etiam hic apud Matthæum; id quod haud incommode potest, quamvis non ita expresse, significare eadem particula *Sicut*.

Ubi tamen animadvertendum est, caussam istam, quæ apud Lucam quidem expresse, apud Matthæum vero aliquanto obscurius indicatur, non esse veram & propriam caussam, sive impulsivam, sive aliquo modo efficientem; sed tantummodo ejus generis caussam, quæ vocari solet, Sine qua non; ut sensus sit, non quidem nos censere Deum debere nobis remittere, quia nos aliis remittamus; vel propterea remissurum, quia nos remittimus; sed tantum, non abesse à nobis illam caussam sine qua Deus non remittit; quæ quidem caussa est omnium potissima earum, sine quibus Deus peccata non remittit; & propterea ea expresse in petione ista commemoratur. Nam, præter caussas ejusmodi nihil in nobis esse potest, quod Deum moveat ad peccata nobis ignoscenda. Quod si quid aliud circa rem hanc hoc loco dici à nobis posse aut debere videretur, id reservandum duximus ad eum locum, ubi verba illa explicabimus, quæ, post ipsam orationem, Christus statim subjicit. Hic nihil faciendum restat, quod attinet ad sensum ipsius petitionis explicandum, quam considerare, apud Lucam non haberi indefinite, ut apud Matthæum, *Debitoribus nostris*; sed universe, *omni debenti nobis*. Ex quo apparet, vulgarem illam regulam, quæ potissimum apud jurisconsultos usurpari solet, quod indefinita æquipolleant universalibus, non esse inanem, aut ullo modo contemnendam; & apud Matthæum intelligendum esse, debitoribus simpliciter dictum fuisse, pro omnibus debitoribus.

Cæterum, cum antea dictum à nobis fuerit, hac peccatorum remissione, quæ à Deo hoc loco petitur, contineri liberationem ab ipsa morte, & consequenter, immortalitatem, videtur dici posse, nos non satis recte distinxisse tres has posteriores petitiones, affirmantes, quod in hac secunda petatur liberatio ab aliquo malo in quo jam sumus. Apparet enim, hoc pacto peti in ea quoddam bonum, idque omnium maximum, quod non habemus, cum tamen boni alicujus petitionem, propriam fecerimus primæ petitionis. Sed animadvertendum est, nos non admodum exacte atque absolute distinctionem istam adhibuisse, ita ut ad omnia prorsus referatur, quæ in ipsis petitionibus continentur, ex illisve necessario consequuntur; sed tantum in ea adhibenda, rationem habuisse ipsius petendi modi, sive ejus quod diserte ipsis in verbis petitum videmus. Nemo autem negare potest, quin petere remissionem peccatorum, sit petere, si ipsa verba attendantur, atque adeo sensus qui primo loco sese offert, liberationem ab aliquo malo, in quo jam simus; id est, à reatu peccatorum nostrorum; quæ liberatio, quamvis secum adferat summum quoddam bonum, tamen id ex consequente est; ac præterea, si ipsius rei natura per se consideretur, non plane necessario, sed tantum ex Dei benignitate ista liberatio tantum bonum nobis adfert, cum dici posset, Deum nos liberare à peccatorum nostrorum reatu, quandocumque nos in eum statum restitueret, in quo primus homo fuit antequam peccaret, & sic, nullum peccati reatum habebat. At vero primus ipse homo, etiam ante peccatum nequaquam immortalis erat; quemadmodum latissime à nobis demonstratum est in disputatione nostra cum Francisco Puccio. Dei igitur benignitate, non autem ex rei natura factum est, ut remissis nobis à Deo peccatis nostris efficiamur immortales, atque idcirco merito dici potest, petitionem talis remissionis, vi propria sua aliud non continere, quam petitionem liberationis à quodam præsente malo. Et hæc satis esse volumus, pro explicatione secundæ hujus ex posterioribus petitionibus.

Superest, ut de tertia ex istis posterioribus, & ultima omnium petitionum agamus, quæ duas quodammodo partes habet, easque ita evidentes, ut non mirum fuerit quosdam censuisse, has esse duas petitiones inter se distinctas, adeo ut totam orationem, non sex tantum, ut plerique existimant, & nos cum ipsis ut ab initio dictum est statuimus, sed septem petitiones continere censuerint. Verba totius, sive unius, sive duarum petitionum hæc sunt.

Vers. 15. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Ubi animadvertendum est, in vulgata editione Latina apud Lucam, desiderari posteriorem istam particulam, *Sed libera nos à malo*, quæ tamen hodie in omnibus fortasse Græcis exemplaribus, & in Syriaca editione habetur. Illud certum esse videtur, tempore veteris interpretis non defuisse Græcos codices, qui ea carerent. Certe hæc diversa lectio, & defectus apud Lucam particulæ istius, in quibusdam etiam Græcis antiquis exemplaribus, videtur aliquid ponderis habere ad confirmandum, particula ista non contineri aliquid, quod non comprehendatur in superiore proxima, neque in ea haberi petitionem distinctam ab ea, quam superior particula continet. Negandum tamen non est, posteriorem istam particulam multum lucis adferre ad hanc ultimam petitionem recte intelligendam, atque exactius percipiendum, quid sit illud quod in eo petitur, ne Deus nos non indicat in tentationem; quod ut jam explicemus, animadvertendum est primum, Tentationis, & Tentandi verbum, quamvis eadem etymologiæ ratio ubique servetur, varias quasdam habere significationes. Quod plane necessarium esse, vel id aperte docet, quod Scriptura alicubi Deo asscribit, quod tentet, ut in ipso initio capitis 22 Geneseos, ubi diserte habetur, quod Deus tentaverit Abrahamum, nimirum cum jussit, ut sibi unicum filium sacrificaret, & tamen alibi in eadem Scriptura legimus, Deum non tentare quenquam, videlicet apud Jacobum, ejus Epistolæ cap. 1. Verum, cum Deo asscribitur quod tentet, tunc tentandi verbum significat simpliciter, periculum facere illius qui tentatur. Cum autem negatur Deum ullum tentare, tunc tentandi verbum declarat, sollicitare aliqua ratione ad peccandum.

Utraque tamen hæc significatio, quamvis inter se plurimum differant, originem trahit ab una eademque verbi etymologia, quæ tam in Hebræa quam in Græca, lingua, quibus sacri libri conscripti sunt, videtur ejusmodi esse, ut verbo isto propriè significetur, conari aliquid quod non vulgare sit, sed aliqua ratione eximium; præsertim vero vim istam videtur habere in Hebræa lingua; unde solet apud sacros scriptores Græcarum ipsarum vocum significatio dimanare. Quia igitur, (ut gradatim vim & usum verbi ostendamus) qui periculum alicujus sive hominis, sive rei facit, videtur aliquid conari novum quodammodo, nec vulgare aut consuetum; propterea factum est primum, ut verbo isto significatum fuerit, periculum facere. Deinde, cum periculum fieri possit varia ex caussa finali ut vocant, hinc factum est, ut hoc verbo ea significata fuerint, quæ in hoc conveniunt, ut in iis periculum aliquod fiat, cum tamen alioqui res sint admodum diversæ; quemadmodum contigit in duabus illis rebus, quæ in allatis modo à nobis scripturæ locis habentur; quarum altera Deo tribuitur, altera vero minime; quandoquidem etiam, cum quis ad peccandum aliquem sollicitat, ejus periculum facit.

Ubi animadvertendum est, non esse necessarium, ad hanc loquendi rationem inducendam, ut scilicet is, qui aliquo modo periculum facit, tentare dicatur, istum hoc ipsum habere sibi propositum, ut periculum faciat; sed satis esse, si re ipsa ex ipsius facto eveniat, ut periculum fiat: neque enim Satan adversarius noster, cum nos ad peccandum aliqua, quæcumque tandem illa sit, ratione sollicitat, id scilicet sibi propositum habet, ut nostri periculum faciat: quippe, qui aliud non quærat, nisi ut nos perdat; sed tamen interim, dum hoc conatur, periculum nostri fit, neque enim ulla res est, quæ magis ostendat cujusmodi simus, & quam nec ne firmi ac stabiles in fide atque in obedientia nostra præceptorum Dei, quam cum diabolus vehementes peccandi occasiones nobis præbet atque parat, vel oblata spe, & quasi sensu alicujus boni, vel timore nobis injecto, ipsaque experientia alicujus mali. Quia vero potissimum à nostra fide deturbari, & ab obedientia, quam Deo debemus retrahi rebus adversis vel præsentibus, vel futurus possumus, quas experiri nobis sit necesse, si constantes in officio nostro perseverare voluerimus, propterea tentationum nomine res ejusmodi adversæ in Sacris Literis intelliguntur, quas, quamvis ab ipso Satana nobis immissas vel procuratas, sine ipsius Dei voluntate non evenire certissimum est, & voluntate quidem non illa universali, & omnibus rebus quæ in mundo fiunt communi, quando sine Dei voluntate nihil est quod fieri possit, sed singulari ac peculiari: loquimur enim hic de nobis, ut piis, & ipsius Dei veris cultoribus: horum enim Deus singularem ac peculiarem curam perpetuo habet, & consequenter. nihil illis grave contingit unquam sine certo Dei consilio: quia tamen ipsius rei adversæ sæpissime proxima atque immediata, ut loquuntur, caussa, non ipse Deus est, sed potius diabolus, propterea fit mentio in Sacris Literis, quod Deus permittat, aut non permittat nos in ista adversa incidere; quæ adversa, inque ipsa incurrere, tentationum, & tentandi verbis scriptura significat, ut in illo loco, 1 Cor. 10, ubi adhunc modum legitur, *Tentatio vos non apprehendit nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis.* Affirmat Paulus, Deum non passurum, seu permissurum ut Corinthii tententur supra vires suas; id est, in ejusmodi adversa incurrant, quibus sint succubituri. Nam & usque ad illum diem, ea adversa quæ fuerant passi, non admodum gravia fuerant, sed ejusmodi, quæ consueverint hominibus evenire: hoc enim id signficat; quod dicit, illos quidem à tentatione apprehensos fuisse, sed tamen humana.

Cum igitur à Deo hic petimus, ne nos inducat in tentationem, primum, tentationis nomen ea adversa significat, quibus possimus à cursu pietatis nostræ abduci aut retardari. Deinde verbum *Inducas*, quod Græce ad verbum sonat *infesas*, etiam si non ita accipiendum est, quasi rerum ejusmodi adversarum, quæ piis obveniunt, Deus ipse soleat esse proxima atque immediata caussa, tamen intelligendum est per illud id declarari, quod diximus; videlicet, non sine certo Dei consilio ista piis accidere; & propterea hoc loco à Deo petitur, non quidem ut in ista non incidamus, sed ne illis succumbamus; idque exprimitur, petendo à Deo ne nobis illa inferat atque injiciat: quasi diceremus, Non detrectamus quidem, quominus tuo consilio ac definita voluntate fiat, ut dum tibi servire studemus, vel ob hoc ipsum, vel quacumque alia ratione, in ejusmodi res adversas incidamus, quæ facile nos abs te retrahere possint: sed tamen abs te petimus, ne in ea quodammodo nos inferas ac conjicias, ita ut ab illis plane detineri nos contingat; sed potius efficias, ut tandem ex illis evadamus. Id quod dupliciter intelligi potest, vel scilicet; ut mala ipsa atque adversa plane desinant, vel ut nos, quantumvis illa durent, non tamen ab illis vincamur. Locus autem ille ad Corinthios, quem paulo ante attulimus, verba habet nondum à nobis recitata, quæ plurimum conducunt ad petitionem istam intelligendam, & explicationem ejus nostram magis aperiendam. Inquit enim ibi Apostolus, statim post supra recitata verba, *Sed faciet etiam cum tentatione* (*proventum* habet vulgata editio; sed verbum Græcum sonat *evasionem*) *exitum*, seu *evasionem*, *ut possitis sustinere.* Ex quibus verbis videtur omnino posse colligi, Dei quidem consilio tentatari homines pios; id est, adversa pati, eaque ejusmodi, quæ possint illos ab ipsa pietate abducere; sed tamen eundem Deum efficere, ut ab istis malis pii non absorbeantur, sed vel ab ipsis tandem plane liberentur, vel nihilominus, ut nunquam dum ipsi vivunt desinant, illis non succumbant.

Jam, quod hoc ipsum in hac ultima petitione à Deo postuletur, statui potest, etiamsi in verbo Inducendi non esset illa vis, quam supra exposuimus, ut scilicet significet injicere, ac quodammodo includere, ita ut quis ibi detineatur; nam ipsum tentationis nomen, potest significare per se, istud vinci ac superari à malis atque adversis rebus, quæ nobis, dum Deo servire studemus, accidere possunt: quandoquidem verbum Tentandi, unde Tentationis nomen est derivatum, invenitur in ipso Novo Testamento habere significationem abstrahendi à Deo, vel certe in aliquod peccatum conjiciendi, ut 1. Cor. 7, ubi Paulus monet conjugatos, ne ad longum tempus separent sese alter ab altero, cujus rei ac monitionis caussam afferens, ait, *Ne tentet vos Satanas, propter vestram incontinentiam.* Quæ verba aliud nihil significare videntur, quam, ne Satanas propter incontinentiam vestram peccare vos faciat. In epistola etiam ad Galatas cap. 6, sic scriptum legitur in ipso capitis initio, *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Ubi nemo non videt, necesse esse ut illud *Ne & tu tenteris*, idem valeat, quod *Ne & tu in aliquo delicto præoccuperis*, ut à loquendi modo non discedamus, quo ibi usus est Apostolus, quo ista verba referuntur. Est præterea locus ad Thessalon. priore Epist. cap. 3. in illis verbis, *Ne forte tentasset vos ille qui tentat, & inanis factus esset labor noster* Nam certe, si isti tantummodo per adversa aliqua, vel aliqua ratione sollicitati fuissent à diabolo ad peccandum, non propterea inanis factus esset labor, quem pro ipsis Paulus susceperat, sed tum demum inanis redditus fuisset, si illi instigationi isti, & conatui diabolico assensi fuissent ac succubuissent.

Cum igitur Deus à nobis rogatur, ne nos inducat in tentationem, etiamsi ista verba ita accipienda essent, ac si diceretur, ne permittas nos tentari; posset tamen nihilominus ex usu ipsius divini Spiritus

in Sacris Eloquiis intelligi, nos petere ne permittat nos succumbere rebus adversis, & sollicitationibus ad peccandum, quinetiam, non modo Tentandi verbum, sed ipsum Tentationis nomen videtur inveniri, cum ista significatione conatui Satanico succumbendi, ut Matth.26; Marc.14. Lucæ.22, ubi Christus monet discipulos suos ut orent ne intrent in tentationem. Nam certe videtur Christus omnino monuisse, ut orarent, ne sollicitati à Satana ipsius conatibus succumberent, non autem simpliciter, ne à Satana sollicitarentur, ut aliquid peccati committerent; cum vix ac ne vix quidem, ita Deo propter non unam caussam volente ac statuente, contingat, ut ejus cultores à Satana ad peccandum non sollicitentur. Similiter apud Paulum 1 Timoth.6 scriptum est, quod qui volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum. Ubi videtur negari non posse, quin Paulus voluerit dicere, istos non quidem simpliciter ad peccandum sollicitari, id enim, ut dictum est, etiam ipsis piis est commune, sed assentiri ac succumbere, dum ita sollicitantur. Nisi tamen quis velit, tam in hoc, quam in superioribus locis, sensum istum assentiendi & succumbendi, non ex ipso simplici tentationis nomine manare; sed ex eo, quod additum est verbum, quo significari possit inclusio, ut sic dixerim, in ipsam tentationem, atque in ea detentionem; non minus quam diximus posse significari verbo inducendi, seu inferendi atque injiciendi, quod in hac petitione legitur. Est siquidem in locis illis, apud tres illos Euangelistas, ut vidimus, verbum intrandi, seu ingrediendi, quod videtur indicare illam injectionem in tentationem ipsam, de qua jam sæpius diximus, quæ possit declarare illam quodammodo possessionem, quam hominis tentati tentatio capiat. Apud Paulum vero, in prædicto loco est, ut dictum fuit, verbum incidendi, quod verbum, per translationem sumptam à laqueo, cujus ibidem simul & semel fit mentio, declarare potest, quod quis ab ipsa tentatione detineatur; quemadmodum is dicitur in laqueum incidere, qui ab ipso laqueo capitur ac retinetur. Atque ad hunc modum confirmaretur per istos similes locos interpretatio nostra verbi Inducendi, in hac ultima petitione. Alterutrum enim omnino necesse est, vel scilicet, ut in locis istis tentationis nomen ipsum per se, significet victoriam illam, quam nostri tentatio obtineat; vel, ut verba nomini isti addita, eam vim habeant, quam nos verbo inducendi hoc in loco, ab initio tribuimus Et hæc satis esse possunt, ad explicandam priorem particulam hujus ultimæ petitionis. Quod vero attinet ad posteriorem, non videtur illa habere ullam aliam difficultatem, nisi in voce illa *Malo*, de qua videlicet dubitari possit, quid hoc loco proprie significet, qua de re mox aliquid dicemus. Nunc consideremus, quomodo posterior ista particula conjungatur cum priore, eamque illustret, nec novam petitionem reipsa inducat. Nihil enim aliud continet, quam magis expressam explicationem ejus quod petitur, in ipsaque priore particula continetur, quod est, ut diximus, ne vincamur à tentationibus; id quod tunc fit, quando ab ipsis, & ab eo, qui illas nobis nocendi animo immittit, liberamur. Certum est autem, ut supra dictum fuit, Satanam, ut proximam & immediatam caussam, solere nos rebus adversis vexare & ad deficiendum à Deo sollicitare, ut scilicet nobis hac ratione, utpote infensissimus hostis noster, quam maxime noceat, quapropter etiamsi nomen Græcum, quod redditum est Latine *malo*, possit ita accipi, ut intelligatur res mala: quippe quod nomen istud ita possit accipi, ut neutro genere intelligatur prolatum; placet tamen, ut hic, quemadmodum in superiore illo capitis præcedentis loco, *Quicquid his amplius est, à malo est*, potius masculino genere prolatum intelligatur, ita ut personam aliquam, ut sic loquamur, malam omnino significet; quæ alia nulla sit nisi ipse Satan, qui hoc simplici nomine alibi non raro appellatur, suntque à nobis supra indicata testimonia, quibus hoc loco expresse addimus, locum, seu potius loca Matth.13: ibi enim bis, nempe vers.19 & vers.38 nomen istud Satanam significat; & præterea locum ad Ephes.6 vers. 16, nam in illis verbis, *In quo possitis omnia jacula mali ignita extinguere*, sine ulla controversia, Mali nomen Diabolum, significat. Quod enim Diabolus, seu Satan, ut antea non semel dictum est, nos ad peccandum sollicitet, & hac ratione perdere curet, multaque mala nobis immittat, ut nos à Deo pure colendo abstrahat, sunt hujus rei testimonia multa clarissima, tum in Vetere tum in Novo Testamento, adeo ut vehementissime mirer, inventos nihilominus fuisse, hodieque, ni fallor, inveniri, qui Christianam religionem profitentes, quicquid de Diabolo & Satana traditur, qui nobis insidietur, & in peccatorum laqueos injiciat, non ita esse intelligendum arbitrantur, quasi substantia aliqua spiritualis sit, quæ ista conetur, figuratumque esse loquendi modum censent, sic ubi scriptum extet istud ipsum quod vulgo creditur: nihil aliud enim esse, quod nos ad peccandum sollicitet ac tentet, quam ipsam concupiscentiam nostram, ad quod probandum, abutuntur loco illo Jacobi in sua Epistola cap.1, ubi ait: Unumquemque qui tentatur, tentari à concupiscentia sua abstractum, & illectum. Ubi cum agatur qua ratione tentemur, nulla tamen fit personæ alicujus mentio quæ nos tentet, sed tota tentatio concupiscentiæ nostræ tribuitur, quam volunt isti, per mirabilem quandam prosopopœjam, alibi appellari Satanam, seu Diabolum qui nobis adversetur, nosque coram Deo accuset, unde videlicet derivata sunt ista nomina, alterum Hebraicum, alterum Græcum: vehementissime inquam tales homines miror, qui ista vel doceant, vel ipsi credant, & interim tamen se, scriptis Veteris Testamenti plane fidem adhibere profiteantur. Nam vel unum historiæ Jobi initium, satis est ad eos vel erroris, vel mendacii convincendos; ex quo videlicet manifeste constat, Satanam esse personam aliquam; quæ hominibus nocere studeat, præsertim vero iis, qui pure Deum colunt. Ex quo loco similiter apertissime colligitur, personam istam, quæ spiritualis substantia est, habere tantam vim, ut possit multa & ingentia mala, si Deus permiserit, humano generi inferre, quippe, qui auctor ibi fiat, ac perhibeatur, omnium gravissimorum illorum malorum, quæ Jobus passus atque expertus est.

Jam de instigatione ad peccandum inter alia loca ipsius Veteris Testamenti 1 Paral.21 in ipso initio habetur, quod Satan, ut populo Israëlis aliquod grave malum pareret, incitaverit Davidem ad numerandum ipsum populum; quippe qui, ut astutissimus & scientissimus, videret factum istud, ut nimis superbum & gloriosum, valde displiciturum Deo, & propterea facile hinc facturum iri, ut, in pœnam tantæ superbiæ, plaga aliqua ipsius Dei decreto in populo existeret. Ubi obiter est notandum, quod Samuelis lib.2 in initio cap.24 istud idem, de Davide incitato ad numerandum populum, ita scribitur, ut multis visum fuerit, incitationem istam ipsi Deo tribui, quasi Deus per Satanam incitaverit; quod falsissimum esse & rei ipsius absurditas atque indignitas, & apertum testimonium Sacrum, cujus supra mentionem fecimus, quod Deus neminem tentet, id est, incitet, aut solicitet ad peccandum, clare demonstrant. Caussa vero tanti erroris atque adeo blasphemiæ fuit, quod in loco isto secundi Libri Samuelis, nominato Jehova, de eoque dicto, quod ejus ira perrexisset accendi in Israëlem, statim subjicitur, *& incitavit Davidem* &c, ita ut omnino visum fuerit, verbum istud *incitavit*, ad ipsum Jehovam debere referri, cum alius nemo ibi nominetur ad quem referri queat; sed interim non fuit animadversum, hanc esse satis vulgatam Hebraicam phrasin, ut verba sola ponantur, non expressa, ut Gramatici loquuntur, persona agente, adeo ut verba ista: *Et instigavit Davidem* &c, ex communi sententia Grammaticorum Hebræorum, possint ita suppleri, *Et instigavit is, qui instigavit* &c.

Porro

Porro, quod attinet ad testimonia Testamenti Novi, ea sunt & valde frequentia & apertissima, adversus istorum impudentiam potius quam ignorantiam. Petrus quidem in priore sua epistola cap. 5 monet, ut sobrii simus & vigilemus, quoniam adversarius noster diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret, & Paulus adhuc apertius 6 cap. epistolæ ad Ephesios nos docet, & diabolum nobis insidiari, & nos adversus mundi principes & tenebrarum seculi hujus luctari, aliis verbis additis, ex quibus clarissimum est, istos, quibus cum nos luctari dicit, esse spirituales substantias ac personas, quæ substantiæ, propterea simplici soloque nomine diaboli, seu Satanæ significantur, quia sine dubio habent ipse, tanquam proprium aliquod caput, propriumque principem, cujus imperio ac voluntate reguntur unde factum est, ut alicubi Satanæ, seu diabolo angeli tribuantur; ut in verbis Christi apud Matthæum cap. 25 & apud Paulum in posteriore ad Corinthios, cap. 22. Quemadmodum igitur, quicquid angeli Dei faciunt, id totum ipsi Deo tribuitur: sic, quicquid faciunt angeli Satanæ, seu diaboli, ipsi Satanæ aut diabolo tribuitur. Jam Christus ipse, inter testimonia non pauca, quæ in ipsius verbis habentur, istarum insidiarum quas Satanas tendat hominibus piis, apud Lucam cap. 23 ait, Satanam quæsivisse, ut cribraret ipsius discipulos sicut triticum, se autem rogasse, ne deficeret Petri fides, ut videlicet ejus, qui cæteris præibat. Nihil autem est opus plura testimonia proferre, cum illa ubique in Novo Testamento extent; tantum est animadvertendum, quamvis in oratione ab ipso Christo instituta, liberatio à Satana, ejusque insidiis ab ipso Deo petatur, non ita tamen intelligendum esse, quasi in liberatione ista consequenda atque curanda, nullæ nostræ sint partes habetur siquidem statim post Paulo ante citatum Petri locum, monitio, ut diabolo nos devorare quærenti resistamus fortes in fide; cui consentiens Paulus, in loco similiter Paulo ante citato, instruit nos iis armis, quibus adversus diabolum & angelos ejus præliari, nosque defendere possimus ac debeamus; & inter cætera, pro clypeo fidem sumendam esse docet, ubi possint omnia ignea tela illius mali, id est, ut ante dictum fuit, diaboli, extingui. Et Jacobus 4 cap. suæ Epistolæ monet, ut diabolo resistamus; hac namque ratione futurum, ut ille à nobis aufugiat; & sic videmus non minus in hac re, quæ ad nostram salutem sine dubio pertinet, quam in ipsa tota salute nostra, quamvis à Deo præcipua ratio atque auxilium ejus consequendæ proficiscatur, tamen desiderari quoque operam nostram: sed interim necesse esse, ad istam divinam opem confugere, eamque implorare. Sic enim vult Deus à nobis honorari, & agnosci auctor omnium bonorum nostrorum; & præcipue liberationis à Satanæ vi atque potentia. Cujus rei petitio tanti momenti est, ut vix majoris quicquam esse possit, ad hoc, ut reipsa excellentissimum illud bonum adipisci possimus, quod nobis Deus per Christum obtulit.

Ut autem melius appareat, quantopere nobis sit à diabolo timendum, ne is à via salutis nostræ nos abducat, considerandum est, adeo verum esse, quod adversarius iste noster hac in re plurimum possit atque efficiat, ut non pauci quæsierint, unde fiat, quod diabolus videtur plus posse in nobis perdendis, quam Deus in servandis; cujus rei, præter proclivitatem nostram ad peccandum, caussa esse videtur, quod Deus ita nos servare vult, ut interim tamen libertas arbitrii nostri in nobis relinquatur, & ipse nulli vel vim faciat, vel mentem ac voluntatem prorsus atque absolute immutet, cum diabolis, modo nos perdat, nihil pensi habeat, nec plane quicquam curet, sive dolo quibus nos cogat ac circumveniat, id quod quærit obtineat, cum certum sit, quacumque tandem ratione fiat, ut nos minime Deo obediamus, nullo pacto fieri posse, ut salutem æternam adipiscamur.

Jam vero, siquis quærat, cur diabolus tantopere nobis adversetur, nostrique ruinam atque interitum & cupiat & curet, aliud nihil, judicio meo, quod solidum sit, aut saltem valde probabile dici potest, nisi id quod passim à theologis traditur, & à Christianis creditur; id enim est adeo verisimile rationique consentaneum, ut etiamsi nullum indicium in Sacris Literis ejus rei haberemus, non temere tamen à sententia ista communi recedendum videretur; quæ videtur quodammodo ab antiquissimis temporibus, etiam ante Christi adventum, in Dei populo quasi per manus tradita & conservata. Ea est, quod propterea diabolus, una cum toto satellitio suo, nobis tantopere sit infensus, quod vel videat (ut certe in ipso homine Jesu Nazareno videt) vel prorsus sibi persuadeat, eos ex hominibus, qui Deo obedierent, ad illam beatitatem perventuros, à qua ipse una cum suis dejectus est, & homines pios, se una cum suis penitus atque in æternum rejecto, quodammodo in sui locum substituros. Nam diabolum ejusque satellitium totum, divinos angelos primum fuisse, Deoque ministrasse, unaque cum ipso in suprema illa luce, ubi sedes veræ felicitatis est, habitasse, & ipsa ratio docet, & Sacræ Literæ non omnino silent. Quod attinet ad rationem, primum statuendum est, necesse esse, ut diaboli, quod pertinet ad suam existentiam, illam à Deo habeant, ab ipsoque sint creati. Deinde, non esse ullo modo verisimile, Deum, spirituales ejusmodi substantias, tanta vi atque potentia præditas in alium finem creasse, quam ut ipsorum opera uteretur: & quemadmodum suæ virtutis ac potestatis participes fecerat, ita etiam fælicitatis faceret. Quod vero pertinet ad Sacras literas, & Petrus in posteriore sua Epistola, & Judas in unica & brevi sua testatur, angelos quosdam fuisse qui peccaverint, & propterea à Deo puniti fuerint, qui illos in tenebras detruserit, ibique servet puniendos, ad magnum diem illum ejusque judicium; qui angeli sine dubio, nulli alii esse possunt quam isti, qui dæmones & diabolus ejusque satellites postea sunt dicti; qui diabolus etiamsi, ut Paulus in Epistola ad Ephesios cap. 2, & 6. satis aperte testatur principatum potestatis aëre habet, & in aëre una cum suis habitat, ita ut illum in locis cœlestibus (cœli enim nomine aër sæpe intelligitur) degere affirmet; tamen in tenebris detineri dicitur, comparate ad lucem illam supremam vereque divinam, unde dejectus fuit; & quamvis dæmones, huc atque illuc in mundo hoc inferiore discurrant, dicuntur tamen tenebrarum catenis constricti quia nullo pacto jam illis datur, in superiore illo mundo versari, unde pulsi fuerunt. Jam, id quod angeli isti qui peccarunt, reservati sint puniendi, ad judicium magni diei, optime consonat, cum eo, quod legitur apud Matthæum cap. 8. ubi scriptum est, Dæmones quosdam in humanis corporibus existentes, ad Jesum clamasse, Quid tibi, & nobis Jesu fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos; quæ ultima verba, sive cum interrogatione, sive cum affirmatione legantur, ostendunt statutum esse tempus; quo dæmones torqueri debeant; quia videlicet dæmones sint angeli illi, qui peccaverunt, & puniendi ad magni diei judicium reservantur. Caussa vero, cur ejusmodi substantias spirituales, tanto potentia præditas, ab ipso Deo creatas esse oporteat, est, quod alioqui necesse esset, sive illi æterni statuerentur, sive ab alio quopiam creati, plura, quam unum principium agens statuere, quod dogma universam theologiam pervertit, Deique ipsius majestatem vehementer minuit. Sed non est hic locus hac de re uberius disputandi; satis est dogma istud semper ab ecclesia blasphemum atque impium existimatum fuisse, quod quidem attinet ad disputationem præsentem. Jam quod Deus ipse, sua sponte, ejusmodi substantias tales creare atque efficere voluerit, quæ nobis insidias struant; & ea vi qua sunt præditæ, quantum in ipsis est, interitum nostrum procurent, nullo prorsus pacto est verisimile; neque enim Deus sua sponte, vel mali culpæ, (ut vocant,) vel periculi ejus subeundi auctor unquam est; sed tantum, & novit & solet, mala mente maloque animo, quem

res creatæ ipsæ sua culpa conceperunt ac contraxerunt, uti in aliquem bonum finem: & propterea etiamsi potuerit, noluit tamen spirituales istas substantias, post contractam ab ipsis mentis malitiam, & adversus humanum genus odium, statim perdere, ut hac ratione, dum illæ faciunt quicquid possunt, quo homines pios perdant, daretur materia ipsis hominibus piis fidem suam exercendi, ipsique Deo probandi, & ex victoria, quam, Deo ipso adjutore, de substantiis istis tandem reportarent, major appareret & ipsius gloria, & eorum virtus; interimque ipsi haberent, perpetuam caussam vigilandi, & summa cum diligentia in officio suo versandi, ipsumque Deum gloria & honore afficiendi, dum tanto periculo sibi impendente, ad ejus opem assidue atque humiliter decurrerent. Meritissimo igitur Christus, inter res, quas omnino à Deo petere debeamus, hoc posuit, ut ne succumbamus tentationibus, sed à Satana, qui earum proxima atque immediata caussa est, liberemur, hujusque rei petitione, utpote maximi momenti, ut solent res majoris pretii ad ultimum reservari, conclusit orationem, quam nos ad cœlestem patrem perpetuo habere voluit, eamque ultimam fecit earum petitionum quæ ad nostrum commodum proprie ac privatim spectant.

Absolutis omnibus petitionibus, adduntur tanquam coronis quædam, verba illa, *Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula. Amen.* Quæ quidem verba, in codicibus Latinis, id est, in vulgata editione, minime leguntur, & apud Lucam in omnibus codicibus, tam Græcis quam Latinis, nec non & Syriacis, plane desiderantur. Ac pontificii quidem, qui vulgatæ editioni Latinæ plus tribuunt, quam ipsis Græcis exemplaribus, vulgo verba ista pro addititiis habent; & credunt ex more concludendi preces ad Deum aliqua doxologia, qui mos apud Græcos potissimum semper viguit, additionem istam manasse, & ubique in Græcis exemplaribus apud Matthæum locum invenisse, in eaque irrepsisse. Verum non modo in exemplaribus Græcis omnibus, sed etiam in Syriacis particula ista legitur; quamvis alioqui Syriaca editio, cum vulgata Latina, ubi illa à Græcis exemplaribus discrepat, non raro consentire soleat; tantum, quod in Græco est *In secula*; in Syriaco est, *In seculum seculorum*; neque in Syriaco habetur ad finem, vocula illa *Amen*, quam Græci codices omnes habent. Sed Hebraica quoque editio Euangelii Matthæi, à Munstero olim edita, & à Quinquarboreo recognita; quæ similiter, ut ipse Quinquarboreus in sua in illam præfatione scribit, cum editione vulgata Latina plurimum alioqui consentit, particulam istam totam habet. Quapropter, non est temere adhærendum Pontificiorum opinioni, quod tamen quidam faciunt, sed potius firmiter credendum, ita Christum docuisse, ut exemplaria omnia, præter Latina, habere deprehenduntur. In quibus Latinis propterea fortasse tota ista particula desideratur, quod certum sit, ut diximus, eam nusquam, id est, in nullis codicibus apud Lucam inveniri; & creditum fuerit, hanc satis insignem differentiam, inter utrumque Euangelistam minime verisimilem esse. Verum si statuatur, id verum esse, quod nos ab initio breviter attigimus, & non obscure docuimus, Christum, bis saltem orationem istam docuisse, & de uno tempore Matthæum; de altero vero Lucam scripsisse, nihil absurdi in eo est, quod hac in re sint dissimiles, cum id totum, quod particula ista continet, sit omnino extra ipsas petitiones; & idcirco, quod de vera substantia orationis sit, dici nequeat.

Jam, ut tentemus explicare, quid sibi velint verba ista, tanquam coronis ipsi orationi imposita, dicimus, posse illa accipi, vel, ut simplicem doxologiam; vel, ut in quibus ratio reddatur quædam, cur petita illa fuerint, quæ in ipsa oratione continentur. Nam reddi in verbis istis rationem proxime antecedentium, videtur indicare particula Græca ὅτι; quæ ab interpretibus Latine, *Quia*, sive *Quoniam*, similive alia vocula, reddendi rationem vim habente, reddita est. Quanquam autem interdum, nec valde raro, contingit in ipso Novo Testamento, ut Græca ista particula, quæ respondere videtur particulæ כִּי, Hebraicæ, secundum ipsius Hebraicæ Linguæ frequentem usum, sit, quod ad sensum attinet, quodammodo supervacanea, & ornatus tantum gratia posita, consultius tamen fortasse hoc in loco est, non recedere à propria ejus significatione; præsertim cum id sine ullo incommodo, immo cum expressione egregii sensus fieri queat. Hac igitur voculæ istius rationem reddendi propria significatione retenta, credimus posse dici, admodum eleganter reddi in coronide ista rationem, cur audeamus à Deo petere tot & tanta, quot & quanta oratio ipsa continet. Et primum quidem pro ratione affertur, quod Dei sit regnum; id est, ille habeat jus atque imperium legitimum in omnia; deinde, quod ejus sit potentia; id est, nihil tam arduum sit, quod ipse efficere non possit, atque ita, cum & jus regendi habeat, & consequenter dignissimus sit, qui pro suo arbitratu cuncta moderetur; ac præterea omnia possit, merito hinc fit, ut non modo audere possimus, sed etiam debeamus, ab ipso ista omnia, quantumvis maxima, petere.

Additur autem postremo, ipsius esse gloriam: quod etiamsi fortasse alios etiam sensus habere potest, tamen credimus duo præcipue, vel utrumque, vel alterutrum, hoc loco significare. Unum est, quod Deo omnis gloria debeatur, id est, ipse solus sit gloria afficiendus. Vim enim exclusivæ vocis videtur habere pronomen illud *tua*; ac si dictum fuisset, *& non alterius*. Quod idem dicimus de regno, deque potentia, quorum antea est facta mentio; ita ut, *tuum est regnum, & tua potentia*, idem polleat, ac si dictum fuisset: *Tui solius est regnum, atque potentia*. Nam hoc pacto, majorem vim habet, quicquid rationis hic continetur: sic enim concluditur melius atque efficacius, quod, ut dictum fuit, non modo audere possimus, sed etiam debeamus, illa omnia, quæ oratio ista complectitur, ab ipso petere; quippe, cum nullus alius sit, qui ea præstare ac concedere, sive de jure, ut loquuntur, sive de facto possit. Sed ad gloriam revertamur, quam totam Deo deberi, secundum unum sensum hic significari diximus. Nam hujusce rei propterea fit mentio, tanquam rationis istarum petitionum nostrarum: quippe, quod ex eo ipso, quod aliquid à Deo petimus, atque humiliter ab ipso precamur, ipse Deus sine dubio, ut paulo ante etiam attigimus, gloria afficitur. Alter sensus istorum verborum *Tua est gloria*, esse potest, quod tandem omnis gloria, quæ ex beneficiis maximis, per nos à Deo petitis & impetratis, manaverit, in ipsum Deum redundabit; ita ut non modo ratio afferatur, cur nos ista petere audeamus, sed etiam, cur Deus illa nobis concedere debeat. Et sane, cum quis post petitionem aliquam factam addit rationem aliquam, potest ex vi & usu loquendi, ratio ipsa per se, si modo ea alioqui id ferat, ad utrumque istud accommodari, ut scilicet & caussam declaret, quæ ad petendum impellit, & multo magis eam, quæ illum à quo petitur impellere debeat, ut id præstet quod ab ipso petitur, quod tamen nullo pacto contingit, si priorem sensum sequamur: quandoquidem ratio ista post orationem allata, quod Deo omnis gloria debeatur, non fert, ut accommodetur, nisi ad caussam, cur ea petantur, quæ in oratione continentur. Idem dicimus de oratione, quod Dei sit regnum, atque potentia, eo modo explicata, ut à nobis factum fuit; cum ejusmodi ratio, non possit referri ad caussam, cur Deus illa concedere debeat, quæ in oratione petuntur, sed tantum, quod ea concedere possit; & sic ad caussam, cur nos ista petere debeamus.

Hactenus coronidem istam orationi impositam explicavimus, quatenus omnino velimus, illam non esse simplicem doxologiam, seu celebrationem ipsius Dei. Verum quamvis in ipsius initio adsit illa particula, quæ ordinaria sua significatione, orationem reddendi vim habet, quæ rationis redditio impedit, quominus

ista

iſta ſit ſimplex doxologia; tamen propter id, quod ante dictum eſt, de non raro ex altera parte uſu voculæ iſtius, ſine ulla ſignificatione rationem reddendi, cum diligentius locum perpendentes videamus, quamvis ſimplex doxologia iſta coronide contineatur, neceſſarium tamen quodammodo fuiſſe, illam incipere à tali vocula, facile adducimur ut credamus, nihil eſſe neceſſe propriam ſignificationem iſtius voculæ retinere, & poſſe ei commodiſſime tribui, vim tantummodo connectendi iſtius coronidis cum præcedentibus, id quod alioquin compluribus verbis fieri oportuiſſet, ſi ſimplex doxologia in ea continetur. Habent Latini quoque voculam, quæ alioqui ordinaria ſua ſignificatione, rationis redditionem declarat, & tamen non raro, cum ſimplici vi ſermonem connectendi, apud præſtantiſſimos atque optimos ejus Linguæ autores, uſurpata invenitur. Ea eſt conjunctio *Nam*; ſed & apud Græcos, & nominatim in ipſo Novo Teſtamento, conjunctio ὅτι, quæ alioquin omnino reddendi rationem vim habere videtur, nihil aliud præſtat interdum, quam quod ſermonem connectit; quemadmodum ab iis, qui ſcripta Novi Teſtamenti commentariis vel annotationibus illuſtrarunt, obſervatum eſt: præſertim vero à Theodoro Beza. Sed vocula illa Latina, ut ea, quæ non ſecus atque iſta Græca, quæ initio hujus coronidis habetur, ſolet a principio poni, recte, tanquam ei quodammodo par, pro exemplo à nobis allata fuit. Veriſimile eſt igitur, ut concludamus, etiamſi Chriſti mens fuerit, in coronide iſta non exprimere niſi ſimplicem Dei celebrationem, ne alioqui multis verbis uti cogeretur, ad illam cum ipſa oratione connectendam, unica iſta vocula id commode atque uſitate præſtitiſſe. Agnoſcendum autem eſt, ſi hunc ſenſum atque interpretationem ſimplicis doxologiæ amplectamus, Chriſtum nos docere voluiſſe, debere nos, cum à Deo aliquid petimus, non omittere, quominus ipſum laudemus ac celebremus. Jam vero illud *In ſecula*, melius ad doxologiam accommodari videtur, quam ad rationem, quæ in iſta coronide reddatur, cur, vel nos iſta à Deo petamus, vel etiam ipſe Deus ea nobis concedere debeat. Et eſt valde alioqui conſuetum, doxologias talibus aut ſimilibus vocibus concludere, ut factum videmus ad Rom. cap. 9. & cap. 16, nec non in priore Petri Epiſtola cap. 4 & 5, & ad finem poſterioris, & alibi ſæpe. Cæterum, nihil opus eſſe videtur, hoc ſenſu retento ſimplicis doxologiæ, iſta tria explicare, quæ hic Deo, & quidem ſoli, tribuuntur; cum ipſorum explicatio peti poſſit ex altero ſenſu, de quo ante egimus. Neque etiam, in ipſa voce *In ſecula* diligentius explicanda, immorandum videtur, cum nemo neſciat ea ſignificari, ut ſic dixerim, ſempiternitatem, ſeu, ut loquuntur, æternitatem à parte poſt, ſeu mavis, durationem in æternum.

Reſtat vocula *Amen* ad ipſum finem poſita, cujus ſignificatio ſatis nota ac trita eſt. Tantum ſciendum eſt, apud Hebræos, unde vox iſta ad Græcos derivavit, eam, ut Grammatici tradunt, non eſſe adverbium, ut quilibet exiſtimare facile poſſet, ſed nomen, quo veritas ſeu fidelitas, & conſtantia ſignificatur; quamvis, tanquam ſi adverbium eſſet, eam paſſim utuntur, cum volunt aliquid approbare, vel conſtanter aſſeverare. Inveniturque aliquoties in Veteri Teſtamento, particula iſta duplicata, ut Num. 5, & Nehem. 8, utrobique cum ſenſu approbandi & conſentiendi iis, quæ alius quiſpiam dixerit; qui uſus præcipue locum habere ſolet, cum præcedit imprecatio aliqua ab alio facta, & ad eum pertinens, qui voce iſta illam approbat, ut prædicto Numerorum loco, & cum frequenti repetitione Deut. 27 capite. De ſignificatione autem & uſu iſto voculæ iſtius, ut ſcilicet approbationem declaret, ejus, quod alius quiſpiam dixerit, poteſt nos monere ſatis, vel unus ille Pauli locus 1 Cor. 14, cum ait: *Cæterum, ſi benedixeris Spiritu* (ſubintellige tantum, & non etiam mente) *qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, ſuper tuam benedictionem?* Quod porro attinet ad id, quod diximus, de uſu duplicatæ iſtius voculæ, non videtur ſilentio prætereundum, quod, cum Dominus Jeſus frequentiſſime apud Euangeliſtas legatur vocula iſta eſſe uſus, nunquam fortaſſis apud tres priores Euangeliſtas duplicata in ipſius Chriſti verbis invenitur, cum tamen contra apud Johannem, nuſquam, ni fallor, aliter quam duplicata inveniatur; & quidem, ſi non ſæpius, certe ſemel in iiſdem Chriſti verbis ab aliis Euangeliſtis, id eſt, à Matthæo ac Marco recitatis, ubi videlicet Chriſtus prædicit Petro, futurum ut ipſum neget, antequam gallus cantet. Unde facile adducor, ut credam uſum quodammodo perpetuum Chriſti fuiſſe, ut vocula iſta duplicata uteretur; fuit enim Johannes, in recitandis in Hiſtoria ſua ipſis Chriſti verbis, omnium Euangeliſtarum diligentiſſimus: nec propterea ullius vitii, ac multo minus, falſitatis arguendi ſunt alii Euangeliſtæ, licet ſemper, ut dictum fuit, ſimplicem voculam iſtam in Chriſti verbis poſuerint, cum etiamſi major quædam videatur eſſe vis, in ea duplicata, quam ſimplici, tamen reipſa idem ſimplex quod duplicata præſtet, & conſtantem aſſeverationem omnino declaret, quæ, quoniam vel maxime ibi convenire videtur, ubi Deus celebratur, quippe, qui, ſupra quam dici poteſt, digniſſimus ſit, cujus laudes conſtantiſſime prædicentur, propterea ea in Dei doxologiis, quas in Novo Teſtamento legimus, fortaſſe nunquam omittitur, ſed ſemper ut hic illas concludit; & quia, etiamſi hic ſimplex doxologia non eſſet, tamen negari non poteſt, quin expreſſe in coronide iſta Dei majeſtas plane celebretur, utrumcumque tandem, ex duobus à nobis commemoratis ſenſibus, in ea explicanda ſequamur; idcirco agnoſcendum plane eſt, illam optime huic loco convenire, & meritiſſimo illa Chriſtum coronidem iſtam concluſiſſe.

Orationis à ſe præſcriptæ formula plane abſoluta, cum in ea petitio, ut nobis Deus remittat peccata noſtra, quiddam ſingulare habeat, quod videlicet nulla ex petitionibus reliquis habet, nimirum, ut ſit conjuncta cum modo vel conditione quadam, quæ eſt, ut nos viciſſim remittamus aliis, quæ adverſus nos peccaverunt, & quia ſimul res hæc maximi momenti eſt, ut poſtea dicemus, propterea Chriſtus illico ſubjungit verba illa.

Verſ. 14. *Si enim dimiſeritis* &c. Reddens rationem prædicti modi, ſeu conditionis appoſitæ in petitione iſta, quaſi aliud nihil ab ſe præſcriptam orationem continere præ ſe ferat, quam petitionem iſtam cum conditione prædicta: neque enim ad extremum ipſius orationis petitio iſta eſt poſita, ut, etiamſi alia multa ipſa oratio contineat, tamen ex vi Grammaticæ & loquendi uſu, id quod Chriſtus, rationem reddens ejus, quod dixiſſet, ſubjungit, ad eam ſolam referri poſſit. Ex vi quidem Grammaticæ & uſu loquendi, quando iſtud quod Chriſtus ſubjungit, non ſtatim ſequitur poſt petitionem iſtam, ſed inter hanc & illud, & integra petitio, eaque duabus partibus conſtans, & tota ipſius orationis coronis quædam interpoſita eſt, videbatur, ut iſtud Chriſtus ſubjungere poſſet, cum iſta rationis redditione, quam vocula *Enim* declarat, neceſſarium, ante mentionem conditionis iſtius illi petitioni appoſitæ omnino facere: ſed Chriſtus brevitati conſulens, & quia ſingularitas conditionis iſtius, per ſe ſatis eam præſentem memoriæ audientium faciebat, non dubitavit, ſtatim abſoluta oratione, ejus, nulla licet ipſius facta mentione, rationem reddere. Maximi enim alioqui præterea, ut diximus, eſt conditio iſta momenti, cum appoſita ſit petitioni, qua noſtra felicitas continetur. Remiſſione enim peccatorum noſtrorum, ex ipſius Dei potiſſimum decreto, vita æterna comprehenditur. Adde, quod ipſa conditio valde ardua eſt, cum pleriſque hominibus nihil tam grave ſit ac difficile, quam injurias condonare; idque perfecte atque ex animo; quemadmodum, ſine dubio, conditio iſta interpretanda eſt. Cæterum ratio quam Chriſtus hic ſubjungit, & quam vocula *Enim* ſignificat, potius explicatio quædam eſt, & apertior expo-

expositio conditionis istius, quam propria & vera ratio, quæ ut talis sit, necesse est ut ab ipso dicto, cujus est oratio, res sit plane distincta. Certe enim, cum petitio ista remissionis peccatorum, habeat sibi additum illud, *Sicut & nos remittimus* &c, videtur omnino statuendum reipsa totum ibi contineri, quod Christus subjungit; præsertim vero ex duobus ab ipso subjunctis, posterius illud, *Quod si nos non remiserimus aliis delicta ipsorum; nec pater cælestis nobis nostra remittet*; reipsa, inquam, nec sane obscure id totum quod Christus subjungit in eo contineri videtur, quod petimus nobis remitti, sicut & nos remittimus. Primum enim ex hoc loquendi modo omnino colligitur, nos ipsos fateri, debere nos aliis remittere, si nobis à Deo remitti velimus. Deinde, cum, ut supra ex Luca docuimus, ista adjuncta petitioni conditio ita accipi possit, immo plane accipienda videatur, ac si simul caussa quædam afferretur, cur Deus debeat nobis remittere, satis apparere potest, in ipsa petitione cum ista conditione sua, id quoque contineri, quod si nos aliis remiserimus, Deus nobis remittet. Itaque non videtur negari posse, verba ista à Christo subjuncta, apertiorem, ut diximus, declarationem & expositionem esse ejus, quod tota ipsa petitio continebat, potius quam veram & propriam illius rationem. Ad quam apertiorem Christi explicationem, ne, vel bis eadem nobis, dicenda essent, vel nihil postea suo loco dicendum, quod ad eam clarius intelligendam pertineret, ea explicanda reservavimus, quæ supra, quamvis locus ipse id ferret, plane non explicuimus, quæque ad rem totam hanc recte intelligendam necessaria esse videntur.

Primum igitur diligenter inquirendum est, quid sibi id velit quod Christus priore loco subjungit, nempe, si nos aliis peccata ipsorum dimiserimus, patrem cælestem delicta nostra nobis remissurum: quandoquidem sententia hæc, ita simpliciter atque absolute, ut ipsa verba sonant, accepta, nullo pacto vera esse videtur; quemadmodum etiam antea attigimus, in explicatione illorum Christi verborum, *Beati mites* &c, ubi diximus, quamvis istorum Christi verborum, quibus reipsa eadem hæc sententia continetur, possit afferri alia quædam interpretatio, ut appareat ipsam sententiam, quicquid prima fronte præ se ferat, verissimam esse: tamen hoc in loco, cujus ibi mentionem fecimus, commodius posse eam interpretationem afferri, quam statim dicemus, nempe quia videantur verba loci hujus illam indicare; ea autem est, ut scilicet, nihil aliud reipsa sibi velit sententia ista, priore loco à Christo subjuncta, quam illud, quod posteriore sententia significatur, quæ sit quasi explicatio quædam prioris. Neque enim novum est, ut caussis, sine quibus aliquid non fit, tribuatur ipse effectus, etiamsi illæ ad eum præstandum, per se non sint satis. Sunt hujusce rei exempla, omnes fere beatitudines illæ à Christo promulgatæ, in initio hujus sermonis sui. Ubi, cum illas explicaremus, ostendimus, necesse esse in illis vel aliquid subaudire, vel quavis alia ratione illas aliter interpretari, atque ipsa verba præ se omnino ferunt. Sed & paulo inferius, in hoc eodem Christi sermone, hoc est in ipso initio proxime sequentis capitis, habemus hujusce rei exemplum quoddam, rei nostræ satis accommodatum. Inquit enim ibi Christus, *Non judicate, ut ne judicemini*; id est, non condemnate, ut vos non condemnemini, ubi videtur omnino tribuere effectum condemnationis non subeundæ, ea rei, si quis videlicet alios non condemnet; cum tamen nihil certius esse videatur, quam fieri posse, ut quis ejusmodi vitiis ac peccatis sit onustus, propter quæ certum sit illum condemnatum iri, & interim tamen ipse vitio alios condemnandi careat. Quare necesse est isto in loco ita Christi verba interpretari, ut voluerit dicere, unam ex caussis, propter quas à Deo quis condemnatur, hanc esse, si ipse alios condemnet, intellige immerito & sine caussa, atque ita ut charitas negligatur. Sic igitur & hoc in loco intelligendum videtur, non quidem ex eo, quod quis aliis remittat, omnino consequuturum, ut ipsi remittatur (nihil enim tam facile est, quam ut quispiam peccatis sit implicitus, ita ut remissionem sperare nequeat: & tamen ipse sive studio, sive natura sua ita sit comparatus, ut injurias sibi factas non ulciscatur, sed eas libentissime condonet) sed inter alias caussas, propter quas pater cœlestis peccata non remittit, hanc esse, si quis aliis non remittat.

Nam, si quis objiciat, quod si hanc interpretationem amplecti velimus, sequitur, id, quod posteriore loco Christus subjungit, supervacaneum esse, quippe, in quo nihil contineatur amplius, quam istud ipsum scilicet, quod nos aliis non remittamus, id caussam esse, ut nobis pater cœlestis non remittat. Respondemus, nihil mirum esse, ut id, quod antea obscurius dictum fuerat, & poterat aliter accipi ac Christi mens esset, clarius postea dicatur, ita, ut nullus error in Christi mente percipienda esse queat: immo, cum, ut satis ostensum credimus, id quod priore loco est dictum, nullo pacto ita accipi possit, ut verba ipsa sonant, nihil verisimilius est, quam, in quem sensum accipi debeat, expositum fuisse in verbis proxime sequentibus, quando, ut dictum est, illa clarissima sunt, & eadem de re, sine dubio, loquuntur. Adde, quod ad conservandam sententiam, quam nos, ipsis prioribus verbis subesse credimus, possunt illa ita accipi, ut nihil supervacanei in posterioribus appareat. Possunt enim verba ista ita exponi, ac si Christus dixisset, Si vultis vobis remitti à patre cœlesti delicta vestra; remittite & vos aliis delicta ipsorum. Nam certe, si ita loquutus fuisset Christus, aliud nihil dicere voluisset quam illud ipsum, quod jam diximus intelligendum esse eum dicere voluisse, id est, inter caussas, propter quas pater cœlestis non remittit, hanc esse, si nos aliis non remittamus. Nemo tamen negarerit, quin sine redundantia aut inconcinnitate ulla recte, si Christus ad istum modum loquutus fuisset, istud subjunxisset, quod subjunxit, ac si diceret: Propterea dixi, ut si velitis vobis remitti, ipsi similiter aliis remittatis; quia, nisi remiseritis, nec vobis remittetur. Non negamus tamen, posse priora ista verba, cum eodem effectu, ut falsi nihil contineant, paulo aliter accipi, atque nos hactenus statuerimus; ut scilicet idem sit, nobis remissum iri si nos remiserimus, quam plurimum habere momenti ad remissionem nobis conciliandam, si nos aliis remittamus; etiamsi istud, quamvis aliter ipsa verba ferant, revera non sit satis.

Est autem locus in Epist. Jacobi cap. 2, quod ad sententiam attinet, valde toti huic nostro similis, ex quo videtur egregie confirmari hæc interpretatio nostra. Scriptum est enim ibi, quod judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam, & statim subjungitur, *Gloriatur autem misericordia adversus judicium.* Certe in priore horum verborum comprehensione, habetur sententia fere illi par, quæ continetur in verbis posteriore loco à Christo subjunctis. Quid enim aliud est, judicium sine misericordia factum iri ei, qui non fecerit misericordiam, quam non iri remissum ei, qui non remiserit? In posteriore vero verborum Jacobi comprehensione, videtur omnino similis sententia inesse, quæ inest in verbis priore loco à Christo subjunctis. Gloriari enim misericordiam adversus judicium, aliud nihil esse videtur, quam non esse, cur is qui misericordiam fecerit, condemnationem metuat, id quod sane reipsa idem est cum eo, quod si nos aliis remiserimus, remittentur nobis peccata nostra. Verum, nemo, arbitror, audebit affirmare, sententiam istam apud Jacobum simpliciter esse veram, & satis omnino esse ad hoc, ut quis condemnationem nihil metuat, si ipse adversus alios misericors fuerit, sed fatebitur unusquisque, necesse esse sententiam istam ita interpretari, ac si Jacobus dixisset, Magnam vim habere, ad condemnationem vitandam, si quis in alios sit misericors. Similes autem loquendi modi, ut simpliciter aliquid tribuatur rei cuipiam, quia scilicet res illa ea in re præstanda plurimum possit, sunt satis frequen-

tes in Sacris Literis. Ut, exempli caussa, cum Christus apud Lucam cap. 11 Pharisæis dicit, illis omnia munda fore, si dent eleemosynam. Neque enim intelligendum est, ipsam eleemosynam per se esse caussam, ut omnia illis sint munda, qui eam faciunt, quocumque tandem sensu mundicies ista accipiatur, cum fieri possit, ut quis eleemosynam det, & quidem omnium, quæ illi supersunt; quemadmodum fortasse Christi mens fuit eo in loco monere, & tamen vitiis ejusmodi sit implicatus, quæ ipsum immundum reddant, & consequenter secundum Apostoli sententiam Tit. 1. 15, omnia illi immunda efficiant. Danielis quoque cap. 4 legitur, ipsum consuluisse Nabuchodonosori, ut eleemosynis, & benefactis peccata sua redimeret, sive, ut in ipso fonte legitur, abrumperet & abscinderet. Petrus similiter cap. 4 prioris suæ epistolæ monet, ut præcipue charitatem inter nos intensam habeamus, eam enim operturam multitudinem peccatorum. Jam, sicut necesse est minus verum esse, si simpliciter id accipiatur, eleemosynas & benefacta redimere seu abrumpere peccata; sic, nec simpliciter verum esse potest, charitate operiri multitudinem peccatorum. Itaque, quemadmodum, sine dubio, dandâ eleemosynâ, omnia munda nobis fieri, id tantum significat, ad munditiem istam plurimum conferre eleemosynæ dationem sic intelligendum est, eleemosynam & benefacta, intensamque charitatem magnum pondus habere, ad peccata redimenda atque operienda. Attulimus autem exempla ista, inter alia multa quæ extant similis loquendi modi, quia in illis ea de re agitur, quæ ejusdem generis est cum ea, de qua Christus loquitur hic apud Matthæum, id est de charitate: quandoquidem injurias condonare, præstantissimum ac præcipuum charitatis est opus, non minus, immo vero magis, quam eleemosynas dare, & aliis ejusmodi beneficiis quemquam afficere. Sunt & alia non pauca testimonia, ex quibus constat, charitati, & fructibus inde provenientibus adeo multum tribui, ut nihil sit mirum, hic quoque à Christo præstantissimo huic charitatis fructui, tributum fuisse, quod nobis remissionem peccatorum conciliet. Sed quemadmodum loci illi omnino ita accipi debent, ut hyperbole quædam in illis agnoscatur; & hic noster, si priorem interpretationem nostram sequi nolimus, ita accipiendus est, ut hyperbolen quandam, eo modo, qui jam dictum est, plane contineat.

Absolvimus, Deo adjutore, explicationem, non modo ipsius orationis à Christo præscriptæ, sed etiam ejus, quod Christo subjungere illi placuit, ad quiddam in ea contentum clarius exponendum. Quare, nihil nobis restat dicendum, quod pertineat necessario ad intelligenda ipsa Christi verba, circa hanc orationis materiam. Verumtamen censemus, non esse ulterius progrediendum, nisi prius quædam explicuerimus, quæ supra partim attigimus tantum, partim antequam finem huic tractationi de oratione imponamus, nos explicaturos promisimus. Attigimus enim supra, paulo ante explicationem ipsius orationis à Christo præscriptæ, videri, ex ipsius Christi verbis, dum ait, *Vos autem sic orate*, colligi posse præceptum nobis datum fuisse, non modo, ut quando orare volumus, non omittamus illa à Deo petere, quæ in oratione ipsa præscripta continentur, sed etiam simpliciter & absolute, ut omnino oremus. Cum vero egimus de eo, quod Christus ante dixerat, hypocritas solere in synagogis & angulis platearum stantes orare, polliciti sumus nos hoc loco aliquid clarius explicaturos, de differentia inter adorationem & invocationem. De hisce igitur duobus nobis agendum est, antequam de jejunio, quæ reliqua est ex illis tribus rebus, circa quas Christum hic monitiones tradere constat, & de qua proxime sequentia Christi verba agunt, quidquam dicamus. Non est autem necessarium, ut de hisce duobus plane seperatim ac destinctè agamus. Nam in explicanda quæstione, utrum nobis absolute præceptum fuerit ut oremus, commoda occasio sese offeret, explicandi differentiam adorationis & invocationis.

Si quis igitur simpliciter quærat, an divinum extet præceptum ut oremus; id est, ad ipsum Deum, preces aliquas dirigamus. Primum videndum est, an de tempore utroque, scilicet tam Veteris, quam Novi Testamenti, an vero de altero tantum, quod ad nos proprie pertinet, id est, de Novi Testamenti tempore, agere velimus. Nam si de utroque, res valde dubia esse videtur. Ego quidem hactenus, ejusmodi præceptum absolute sub Veteri Testamento datum, invenire non potui; adeo, ut ne statis quidem quibusdam temporibus id fieri præscriptum fuisse, deprehendere potuerim; quamvis alia non pauca præscripta invenerim (& sane, illa omnibus sunt obvia) quæ ad ipsum Deum colendum omnino pertinent, idque ex parte jugiter, id est, singulis diebus. Nam certum est Deum præcepisse, ut sibi singulis diebus in holocaustum offerrentur agni duo, unus mane, alter vesperi, una cum quibusdam libaminibus, de quibus Exodi 29, & Num. 28, præter id, quod tria festa solennia constituta fuerant, quæ adhuc à Judæis observantur, in quibus omnis masculus coram Deo comparere debebat, idque non sine munere aliquo, quod ipsi Deo offerret, ut habetur Exodi 23. Præscriptum etiam erat, sacrificium illud singulis annis repetendum, quo expiarentur omnia peccata populi, ea videlicet, quibus expiatio per sacrificia concessa fuerat, ut latius explicuimus in disputatione nostra, De Jesu Christo servatore; de quo sacrificio nominatim ac diligenter agitur Levit. 16. Alia enim sacrificia, tam expiatoria, quam, ut Scriptura illa vocat, pacifica, quomodo fieri, quave ratione absolvi deberent ac perfici, præscriptum quidem erat, cæterum ut omnino fierent, absolute præscriptum non legi; sed tum demum, quod ad expiatoria attinet, si quis volebat expiari peccatum suum, cui ejusmodi expiatio fuerat præstituta. Remque ita se habere, quod scilicet alia sacrificia non essent in Lege absolute præscripta, videntur satis docere verba ipsius Dei apud Esaiam cap. 1, ubi de sacrificiis multis, sibi à populo oblatis, verba faciens, inquit, *Quis quæsivit hoc a manu vestra, ut conculcetis atria mea?* Quamvis non ignorem, locum istum vulgo aliter accipi; sed non video, cur divina ista verba non possint ita intelligi, ut plane sonant, id est, Deum non jussisse, ut sibi ejusmodi sacrificia fierent, sed cum ut dixi, illa nusquam simpliciter atque absolute præcepta inveniantur. Quod si quis dicat, in sacrificio illo anniversario, quod præscriptum fuisse & certissimum est, & ipsi confitemur, necessarium fuisse, ut summus pontifex, qui illud offerebat, Deum pro populo oraret; ne hac de re, vera nec ne sit, sine necessitate accuratius disputemus, dicimus, non propterea dici posse in Vetere Testamento præscriptum fuisse, ut preces ad Deum haberentur. Est enim istud singulare quiddam, & ubi non populus revera, & multo minus unusquisque ex populo separatim (qua de re hic potissimum quæri videtur) Deum orabat; sed tantum summus sacerdos, pro iis, qui peccata admisissent, quæ sacrificiis expiarentur; cui alioqui etiam præscriptum fuisse, ut Deum pro populo oraret, non diffitemur: id enim tum aliunde, tum nominatim ex eo intelligi potest, quod scriptum est ad finem cap. 6 libri Numerorum. Alia erant etiam in Lege præscripta, quæ pertinebant etiam ad ipsum Deum colendum, ut erat oblatio primitiarum. Quæ absolvi poterant sine ullis ad Deum precibus. Erat quidem, præsertim post templum à Salomone conditum, constitutus locus, ubi si quis publice Deum orare vellet, orationes suas ac preces ad ipsum Deum haberet; unde scriptum est Esaiæ 56, domum Dei, id est templum, domum orationis vocari; sed aliud est, præscriptum fuisse locum publice ad Deum fundendi preces, aliud vero, præscriptum fuisse ut ipsæ preces funderentur. Præterea, dici quidem similiter potest, præscriptum fuisse in Vetere Testamento, ut cum quis orare vellet, & divinam opem implorare, ad ipsum Jehovam cœli & terræ conditorem preces suas porrigeret, & non ad ullum alium:

hoc eum

hoc enim, partim docent non obscure quædam alia hæc de re testimonia; partim, ipsum præceptum expressum de uno Deo Jehova habendo, id necessario fert, sed non tamen interea hinc concludi potest, jussum omnino fuisse, ut ipse Jehova Deus invocaretur, id est, preces aliquæ ad ipsum dirigerentur.

Nam si quis objiciat, non posse ullo pacto negari, quin preces ad Deum sub Vetere Fœdere jussæ fuerint, cum sine ulla controversia jussum, idque præcipue & ante alia omnia fuerit, ut Jehova Deus adoraretur. Respondemus, in enthymemate isto committi tacite consequentis fallaciam. Neque enim, etiamsi verum sit, quemadmodum superius quoque diximus, ubi polliciti sumus de hac re nos uberius acturos, in omni oratione ad Deum, si videlicet decenter fiat, contineri ejusdem Dei adorationem, propterea vicissim verum est, in omni adoratione contineri orationem; sive, non posse quem præcepto Jehovæ Dei adorandi satisfacere, quin ipsum Deum omnino oret, sive ad illum preces aliquas dirigat; cum adoratio aliud nihil sit, quam vel corpore, vel mente atque animo, vel utroque simul, sese coram Deo prosternere aut inclinare; ita ut, quod ad mentem attinet, possit quis & debeat perpetuo id facere; sitque hic affectus potius quidam erga Deum, quam actio; cum oratio seu invocatio, id est, ipsarum precum ad Deum directio, neque perpetuo à nobis fiat, fierive debeat, & actio quædam nostra sit. Itaque non recte faciunt ii, qui ista confundunt; & cum, exempli caussa, de Christo invocando necne agitur, de ipso adorando agunt, nec distinguunt in ipsa Christi persona inter ista duo, cum tamen necessaria sit distinctio quædam, eaque valde insignis, de qua alibi satis accurate egimus, & inferius, Deo dante, aliquid apertius trademus.

Jam vero, quamvis hactens nos invenire non potuerimus locum in Vetere Testamento, ubi simpliciter atque absolute populo præceptum fuerit, ut Deum oret, nec fortasse ejusmodi locus inveniri queat; tamen non dubitamus, quin quilibet pius, etiam sub Veteri Testamento, frequenter Deum oraret, & quin præceptum istud, licet non expresse, tacite tamen, ex vi totius ipsius religionis, datum fuisse merito dici possit. Quod attinet ad preces, quas ad Deum pii homines haberent, unius Davidis de cujus pietate ipse Deus sæpe testatur exemplum, id nobis indicare merito potest. Frequentissime enim in ejus Psalmis legitur, de precibus ejus ad Deum, quas etiam admodum frequenter, & tantum non perpetim illum ad Deum fudisse, aliquot loca in iisdem Psalmis non obscure ostendunt. Et sane ex eo, quod, ut indicatum fuit, ipsa totius religionis ratio id omnino fert, ut Deus ab iis, qui illum norunt, quique se ejus populum profitentur, oretur atque invocetur, factum omnino credimus, ut ii, qui Deum non norunt, nec populus ejus sunt, nominentur ac significentur appellatione eorum, qui Deum non invocant; ut factum est Psal. 79. & Jerem. 10. Ex ista enim appellatione, & quadam quasi descriptione, omnino consequitur, ut, qui Deum non invocat, is neque etiam Deum noverit, ex ejusve populo sit; tametsi non ignoramus, à quibusdam istud, Deum invocare, de quo, in prædictis duobus & aliis fortasse similibus locis, Spiritus Sanctus loquitur, aliud esse statui, quam ad ipsum Deum preces dirigere, eumve orare, id est, significare tantum, nomen, ut sic dixerim, ipsi Deo dare, ac profiteri se ex Dei populo esse. Quod quidem, ut alibi, id est, in disputatione nostra cum Francisco Davidis, fassi sumus, loquutione ista significari posse, merito fortasse quis dixerit; sed non id tamen solum, verum cum significatione conjuncta, ad opem ipsius Dei in suis necessitatibus implorandam, accedere non dubitandi. Quare non negamus, ita nihilominus posse istam loquutionem accipi, ut non plane significet ipsam invocandi actionem, sed persuasionem, id merito posse fieri, & decretum apud seipsum id faciendi, ubi usus evenerit. Veruntamen in dubio, & ubi nulla est ratio, quæ aliter suadeat, immo cum ratio istud dictet, quemadmodum ubique faciendum arbitramur, sic quoque hic à verborum proprietate minime recedendum censemus, atque intelligendum, de ipsa invocandi actione in loquutione ista omnino agi, ita, ut, quemadmodum antea dictum est, ex illis locis consequatur, quod qui reipsa Deum non invocat, id est, in hac actione frequens & assiduus non est, is ad Deum non pertineat.

Jam, quod ratio omnino suadeat hoc ipsum, & sic, ut, quemadmodum supra proposuimus, non modo exempla piorum hominum, sed etiam totius religionis ratio, nos impellat ac cogat ad preces Deo frequenter adhibendas, id sine dubio demonstrat, quod sub ipso Vetere Testamento (hujus enim temporis nunc nominatim rationem habemus) præceptum erat ut Deus quam maxime honoraretur. Nulla autem res videtur esse aptior ad honorem Deo præstandum, quam ejus opem suppliciter atque humiliter implorare, quod etiam vix fieri potest, quin frequenter ut fiat ipsa necessitas suadeat, cum non liceat nec licuerit unquam, ullius opem, tanquam divinam viresque humanas excedentem, implorare, nisi unius Dei, vel ejus qui ei tali in re subordinatus fuerit; & certum sit, ac semper in populo Dei fuerit, neminem alium præter ipsum Deum, aut eum, quem Deus ipse huic muneri præfecerit, posse nobis divina ratione ullam opem ferre. Itaque concludendum mihi videtur, sub ipso Vetere Testamento extitisse si non expressum, certe tacitum Deum orandi præceptum. Nam quod attinet ad Novi Testamenti tempus, multa Testimonia Sacra habemus, ex quibus concludi possit, expressum extare præceptum orandi Deum. Nam, ut nihil dicamus, de verbis illis Christi, *Sic igitur orate vos*, de quibus ante egimus, cum fateamur posse illa ita accipi, ut non absolutum præceptum contineant, preces ad Deum adhibendi, seu illam orationem ad ipsum porrigendi, quam Christus instituit; sed ut tantummodo significent ac præcipiant, quomodo orandum sit si quis orare velit, quid dicemus de eo, quod scriptum est in initio cap. 18. apud Lucam? qui testatur parabolam quandam, quam ibi statim subjungit, à Christo fuisse allatam, ut ostenderet quod oporteat semper orare, & non deficere. Certe hæc Euangelistæ verba idem omnino pollent, ac si dixisset, Christum præcepisse ut semper oremus, & nunquam ab orando desistamus. Sed præterea Paulus ad Ephesios cap: 6 jubet, ut omni oratione, & obsecratione, in spiritu, omni tempore oremus, & in hoc ipso cum omni instantia vigilemus. Idem 1 Thes. 5. diserte hoc ipsum præcipit, inquiens, *Sine intermissione orate.* Nominatim autem jubemur in Novo Testamento, orare pro fratribus, ut in prædicto loco ad Ephesios expresse habetur in verbis illis, quæ, post sententiam paulo ante recitatam, statim subjunguntur, *Et obsecratione, pro omnibus Sanctis.* Jacobus quoque ad finem suæ Epistolæ jubet, ut oremus alii pro aliis, quo servemur; eumque intelligere, ut id assidue fiat, declarant verba statim sequentia, *Multum enim valet deprecatio justi assidua*, quanquam ex Græco legendum potius videtur, *efficax*, quam *assidua*. Idem Pauli præceptum de orando cum instantia, & in oratione vigilando, habetur in initio cap. 4. ad Colos. & in ipso initio cap. 4. ad Timoth. prioris, diserte idem Apostolus monet, ut fiant obsecrationes, orationes, & postulationes omnibus hominibus. Quod si hæc, & ejusmodi alia Deum orandi præcepta ac monitiones, non extarent, nihilominus tamen præter ipsam religionis rationem, quæ non minus sub Novo Testamento pollet, quam sub Vetere, imo tanto magis, quanto Deus sub Novo majorem dedit nobis caussam illum honorandi, quam sub Vetere, propter multo majora beneficia nobis in eo expressa. Adsunt etiam exempla Sanctorum virorum, qui frequentissime ad Deum preces fundebant, vel publice, vel privatim, ut ex actis Apostolorum, & ex Pauli nominatim Epistolis colligi potest, quin de ipso Christo, sub Novo Testamento omnium piorum duce & antesignano, nihil tam frequenter legitur eum fecisse, quam orasse. Itaque nihil plane dubitandum est multo scilicet etiamminus, quam de iis qui sub Vetere Testamento

mento fuerunt: quin omnes, qui sub novo sunt, debeant omnino, idque quam frequentissime, orationes ac preces ab Deum fundere, sive id privatim intelligamus, sive publice. Est tamen inter privatas & publicas preces, quæ Deo adhibentur, hæc distinctio facienda, quod in publicis magis Deus honoratur ac celebratur, quam in privatis. Nam si quis aliquanto diligentius caussas inquirat, cur preces fiant ad Deum, & in quem finem, videbit primum, eas tam propter Deum, quam propter eum, aut illos pro quibus Deus oratur, fieri. Et propter Deum quidem, quatenus hac ipsa actione illi preces adhibendi, ejus nomen insigni honore afficitur, sive sint privatæ preces, sive publicæ. Nam in privatis quoque, etiamsi illæ, quod ad homines attinet, plane occulte fiant, tamen propter Angelos, tam malos quam bonos, præsertim vero bonos, quibus magis etiam quam malis notæ sunt actiones hominum piorum, nomen Dei, sine dubio celebratur, cum intelligunt Angeli isti, ac vident atque audiunt, tunc honorem Deo deferri, ut ab iis agnoscatur pro auctore omnium bonorum, & interim, ut in Sacris precibus fieri solet, variæ ac multiplices ejus laudes agnoscuntur & narrantur. Sed quia publicas preces, non solum Angeli isti, non minus quam privatas, sed potius magis & fortasse majore in numero audiunt; verum etiam homines non pauci, coram quibus præcipue vult Deus celebrari nomen suum, propterea dubitandum non est quidquam, quin per publicas preces ad Deum fusas, magis Deus honoretur, quam per privatas. Jam deinde quod attinet ad Deum, ad eosve pro quibus preces fiunt si is qui orat, pro se ipso orat, tunc duæ finales caussæ esse videntur, cur talis oratio fiat. Una est, ut is qui orat, officio suo satis faciat; quod est, ut agnoscat Deum tum esse, à quo omne bonum derivetur, & sine quo non possint haberi illa, quæ in ipsa oratione petuntur. Altera est, ut orando id impetret quod petit; tum quia Deus, si nobis ea concedere debet quibus indigemus, vult hunc honorem sibi deferri, ut ea ab ipso petamus, & hac in re, dimissionem nostram coram se, & sui reverentiam ac cultum videre; tum quia, sine dubio, movetur Deus precibus piorum hominum. Nam si is, qui orat, minime fuerit pius, vix est quod sperare possit se impetraturum, quod petit. Nam, ut inquit ille qui natus fuerat cæcus Joh 9. vers. 3, & à Christo visum acceperat, peccatores Deus non audit, sed si quis ejus voluntatem facit, hunc Deus exaudit. Quod si is qui orat, non pro se ipso, sed pro alio aliisve oret, tunc præter jam dictas duas causas, quæ hic quoque suo modo, prout diversitas petendi pro se aut pro alio requirit, omnino locum habent, est & tertia caussa, cur ejusmodi oratio ad Deum habeatur; ut scilicet erga proximum charitas exerceatur. Et sane, si quis recte rem consideret, piorum precibus ad Deum multo magis indigent alii, præsertim, qui vere pii non sunt, quam ipsi pii; id est, multo magis opus est, ut pii rogent pro aliis, quam ut pro se ipsis. Sunt enim homines pii potissimum curæ ipsi Deo, & propterea, non modo, ut in aliis etiam omnibus evenit, novit Deus quid opus habeant, etiam antequam petant, ut vidimus supra ipsum Christum suos discipulos monere, verum etiam jam per se paratus est & promptus, ad illis dandum, quicquid usui eis sit futurum, adeo, ut etiamsi ordinarie, ut sic loquar, (sic enim intelligenda sunt verba nostra, quæ hac de re Paulo ante fecimus) velit Deus, ut ipsi pii à se petant, quæ illis sit daturus; tamen extraordinarie multa illis det reipsa, de quibus ipsi sæpe ne cogitant quidem; & tamen illis magno sunt usui. Voluimus ista pauca attingere de caussis precum ad Deum faciendarum, ut melius intelligeretur, quam sit verum quod diximus, debere nos Deum, idque frequenter, seu privatim, seu publice orare. Non est autem dubium, quin, quanto major est Dei cultus & gloria in eo, si publice ad ipsum preces fundantur, quam si privatum, tanto diligentiores oporteat nos esse in publicis, quam in privatis precibus ad Deum habendis. Est enim Dei honor & gloria semper omnibus aliis rebus, quam longissime anteponenda.

Illis duobus absolutis quæ proposueramus, de differentia scilicet adorationis & invocationis, & de necessitate orandi Deum, adhuc, antequam de jejunio agamus, appendicis cujusdam loco ad hanc de oratione tractationem, aliquid dicendum videtur de ea quæstione, an præter ipsum Deum liceat, divina ratione & in Sacris precibus ad ullum alium nostras preces dirigere, ejusve opem implorare. Ac Pontificii quidem statuunt, licere, non modo ad ipsum Deum, sed etiam & ad Christum, quatenus est homo, & ad omnes Sanctos vita functos, de quibus certum sit, quod omni labe purgati ex hac vita discesserint, sacras preces habere; præcipue vero ad Mariam virginem, Christi matrem. Nam istos omnes, id est, ipsorum animas, virginis vero Mariæ plerique & animam & corpus, in cœlo beate vivere, pro certo habent: & virginem quidem Mariam præterea ibi jam regnare, & suprema quadam auctoritate præditam esse, persuasum illis est. Quanquam vero dicere soleant ac profiteri, istos omnes posse orari à nobis, non ut ipsi per se quicquam nobis præstent, sed ut Deum pro nobis orent, & ab ipso nobis ea quæ petimus impetrent; tamen certissimum est, vulgo ab illis preces sæpe ejusmodi concipi, quibus, à multis ex istis, præcipue vero à virgine Maria, aliquid petatur ac si ipsi sint qui illud sint præstituri. Quod sane idololatriam sapere omnino statuendum est; referant illi, quantum velint, omnia ad Deum, certum enim est, ut antea diximus, non licere divina ratione quidquam petere nisi vel ab ipso Deo, vel ab eo saltem, qui ei fuerit, ex ipsius Dei decreto, subordinatus. Quomodo vero poterunt Pontificii unquam ostendere, quemquam ex istis, præter Christum hominem, quem ab initio nominavimus, Deo fuisse, ex ipsius Dei decreto subordinatum? Itaque ipsorum commentum id universum est, quod istis hac in re tribuunt; & propterea manifeste ab ipsis divinus honor ac cultus illis tribuitur, quibus tribui non debet, & consequenter, dum id faciunt, in idololatriæ crimen incurrunt.

Et hæc quidem breviter, quod ad Pontificios attinet. Pontificiis quasi altera ex parte oppositi ipsorumque respectu, hac in re quasi alterum extremum, sunt ii fere omnes, qui Christi nomen profitentes, ab ipsis hæretici judicantur. Isti enim ita statuunt, neminem omnino, præter ipsum Deum creatorem cœli & terræ, posse sine idololatria invocari. Atqui ii bipartito divisi sunt; quatenus alii (& hi sunt multo maxima pars istorum) credunt Dei filium, una cum patre & Spiritu Sancto, illum unum Deum esse cœli ac terræ creatorem; reliqui vero alii, solum patrem Deum istum esse credunt. Nam hinc fit, ut priores, invocationem, non minus filio & Spiritui Sancto, quam patri convenire statuant; posteriores vero, patri tantum, adeo, ut ipsum Dei filium ab invocatione excludant. Prioris igitur, etiamsi Dei filio invocationem tribuunt, id tamen propterea faciunt, quia persuasi sunt, eum, non minus quam Patrem, esse illum unum Deum, alioquin minime eam illi tributuri; quamvis videantur concedere, ipsum Dei filium Christum Jesum, secundum ipsam humanam naturam, orari à nobis posse, ut videlicet mediatorem, & eum qui pro nobis Deum interpellet. Quanquam, cum isti fere omnes velint, Christum fungi mediatoris officio, non secundum humanam naturam tantum, sed simul etiam secundam divinam, videtur concludendum, quicquid invocationis illi ut mediatori tribuunt, ratione quidem ipsius humanæ naturæ, sed non tamen solius, ei ab illis tribui. Posteriores vero, ratiocinatione sua maxime ac turpissime falluntur, cum sub Novo Testamento, nullo pacto locum habeat axioma illud, quod ipsi statuunt, solum Deum creatorem cœli & terræ invocari posse; quod sub Vetere locum habuisse, merito dici potest; cujus insignis inter utrumque Fœdus & ipsorum tempora diversitatis ratio hæc est, quod sub Vetere Fœdere nullus erat, qui

Deo

Deo creatori cœli & terræ ſubordinatus eſſet, in nobis, id eſt, iis qui ad populum Dei pertinent juvandis ac regendis, quod ſub Novo Fœdere plane contra accidit, ſub quo nimirum Deus ille creator cœli & terræ, filio ſuo Jeſu Chriſto, domino noſtro, quamvis homini, & ſic non ejuſdem (id quod etiam alioqui fieri nullo modo poteſt) ſecum eſſentiæ, omne judicium dedit, id eſt, omnem curam ac poteſtatem nos regendi ac gubernandi demandavit, ut ipſemet Dei filius aperte teſtatur, cum alibi, tum nominatim apud Joh. cap. 5, ubi diſerte ait, ſibi à Patre datam eſſe poteſtatem judicii faciendi, quia filius hominis, id eſt verus homo ſit. Jam ſine dubio, neceſſe eſt, ut poteſtas iſta nos regendi ac gubernandi, ſit conjuncta, non modo cum notitia omnium quæ à nobis fiunt, ſed etiam cum ipſius cordis noſtri inſpectione ac cognitione, & conſequenter, neceſſe eſt, ut Chriſtus non modo preces noſtras audiat, ſed etiam ipſum cordis affectum noverit. Quare nulla ratio eſt, quominus ad ipſum preces noſtras dirigere audeamus. Ut enim quis merito ad quempiam preces ſuas dirigere poſſit, duo iſta ſimul juncta videntur eſſe ſatis, poteſtas videlicet concedendi id quod preces continent, ſive in ipſis petitur, & ipſarum precum exauditio. Contingere tamen poteſt nihilominus, ut duo iſta ſimul juncta in eo reperiantur, quem invocare non liceat, ſi videlicet id divinitus vetitum fuerit: ſed aliud nihil eſt, propter quod id contingere poſſit. Itaque etiamſi ſupra conſtitutum à nobis fuit, neminem poſſe invocari divina ratione, niſi vel Deum ipſum, vel eum qui illi ſit ſubordinatus; tamen animadvertendum eſt, hoc quidem verum eſſe, ſed non tamen omnino ex ipſius rei natura, verum partim quoque ex accidente, nimirum, quia accidit ut vetitum à Deo fuerit illos invocare, qui ipſi non ſunt ſubordinati; quamvis alioqui & noſtras preces intelligere poſſint, & nobis id quod petimus concedere; quemadmodum colligi poteſt ex iis, quæ ſcripta ſunt cap. 18 Deuter. à nono verſiculo uſque ad 15, præter multos alios locos, tum in Veteri tum in N. T., qui id non obſcure indicant, qui inquam indicant, non licere nominatim à dæmonibus quicquam petere; quantumvis & petitiones noſtras audiant, & id quod petitur, præſtare poſſint. Jam quod diximus, neceſſarium eſſe, ut ſi Chriſtus nos regendi ac gubernandi curam ac poteſtatem habet, habeat etiam notitiam actionum noſtrarum & ipſius noſtri cordis, nulla videtur probatione indigere, cum nemo non videat, tali curæ & poteſtati non poſſe eſſe locum, ubi ignorantia ſit cujus qualitatis nos ſimus; & ſic, quatenus, & an conveniat nec ne, nobiſcum aliquid facere, quod ad noſtri curam & gubernationem pertineat. Univerſa vero iſta noſtra qualitas, ab ipſo corde & actionibus noſtris proficiſcatur. Quare concludendum eſt, etiamſi nullum aliud hujuſce rei argumentum haberemus, vel ex eo ſolo, quod nuſquam vetitum ſit, ne ad Chriſtum preces noſtras dirigamus, ab eoque illa peramus, quæ humanis viribus præſtari nequeunt (quo potiſſimum continetur id, quod vocamus, divina ratione petere,) omnino ſequi, nos merito poſſe à Chriſto petere quicquid pertinet ad ſpiritualia noſtra bona, non modo minora alia. Cum certiſſimum ſit, eum poteſtatem habere iſta nobis dandi, & preces noſtras exaudire, tantum abeſt ut neceſſarium ſit, quo id facere poſſimus, præceptum ejus invocandi extare. Quod tamen indigne prorſus atque immerito requirunt iſti, qui Chriſto invocationem non tribuunt.

Verumtamen hac in re, illud omnino eſt memoriæ noſtræ infigendum, quod verba noſtra hactenus hac de re facta indicare poſſunt, cum nunquam dixerimus, Chriſtum invocari debere, ſed tantum invocari poſſe. Namque hoc ipſum, non modo ab objectione iſta adverſariorum, quod non extet præceptum Chriſti invocandi, ipſam Chriſti invocationem defendere poteſt, verum etiam docere, non poſſe fieri, ut ejuſmodi præceptum habeatur. Jam Chriſtum quidem invocari ſemper ac perpetuo à nobis poſſe, non tamen ad illum invocandum nos præciſe obſtringi, veriſſimum eſſe id cogit fateri, quod alloqui ſemper, cum divinam opem imploramus, neceſſe haberemus ad ipſum Chriſtum preces noſtras dirigere; quod tamen aliter ſe habere, perpetuus ab ipſis Chriſti Apoſtolis, Eccleſiæ uſus manifeſte oſtendit. Semper enim conſuevit Eccleſia, ordinarias ſuas preces, non ad Chriſtum, ſed ad Deum Patrem dirigere. Atqui, cum preces ad Deum Patrem diriguntur, nullo pacto dici poteſt, hoc ipſo, quod tunc Deus Pater invocatur, Chriſtum ipſum invocari, cum Deus Chriſto minime ſit ſubordinatus: at contra, quandocumque Chriſtus, quamvis ſolus, in precibus noſtris oratur, tunc ſimul nihilominus ipſe Deus Pater oratur; quippe, quod Chriſtus illi ſit ſubordinatus, adeo, ut per Chriſti invocationem, nullo pacto fiat, quin ſemper nihilominus Deus invocetur; quod quidem juſſum eſſe, ex quibuſdam Scripturæ locis videtur intelligi poſſe. Inter quæ numerari poſſunt ea Chriſti verba, proxime ante inſtituram à ſe orationem prolata, de quibus & ſuo loco, & alibi deinde ſatis accurate egimus, *Sic igitur orate vos*. Diximus enim, videri verbia iſtis non modo præſcribi, ut omnino in precibus noſtris ad Deum ea petamus, quæ in ipſa præſcripta oratione continentur, qua de re apud nos nihil prorſus dubii eſt, ſed etiam, ut ipſum Deum patrem oremus, tametſi, an hoc revera verbis illis præſcribatur, in dubium vocari poſſit, & apud nos ipſos non ita omnino certum ſit, ut iſtud alterum.

Reſtat autem adhuc aliquid accuratius explicandum circa verba iſta, quod etiam potiſſima cauſſa fuit, ut hoc loco de Chriſti invocatione ageremus. Nam qui eam non admittunt, & ſolum Deum patrem invocandum eſſe, & invocari poſſe contendunt, ad id probandum maxime uti ſolent verbis iſtis Chriſti, cum eo junctis, quod in præſcripta ab ipſo oratione Pater tantum invocatur. Ajunt enim, cum Chriſtus nos ſic orare jubeat, *Pater noſter* &c, manifeſtum omnino eſſe videtur, eum adverſus Chriſti præceptum facere, qui patrem non oret. Atqui Chriſtus ipſe non eſt pater. Ergo ſi quis illum oret, adverſus ipſius præceptum committit. Reſpondemus, primum, ut etiam ſuperius attigimus, verba iſta Chriſti, *Sic orate vos*, non habere eam vim, ut aliter orare vetent; nihil enim cogit, ea ulterius extendere quam ipſa ſonent: ſed ſatis eſſe, ad illorum ſententiam plane habendam ac retinendam, ex illis concludere, debere nos ſic orare, ut ſtatim ſubjungitur. Quod quomodo intelligendum ſit, ſatis antea ſuo loco explicatum fuit, nec quicquam eſt neceſſe, quamvis loquendi uſus id ferre poſſit, ſimul cum iſto affirmante præcepto negans etiam inde colligere, ut nimirum ſit ſenſus: Sic orate, & non aliter. Quicquid enim negantis præcepti vis poteſt, etiamſi ipſa per ſe ſpectemus, ex iſtis verbis colligi, intelligendum eſt id à Chriſto expoſitum fuiſſe in iis verbis, ad quæ iſta referuntur; referuntur autem ad illa, in quibus Chriſtus vetat in precibus battologiam, quæ quid ſit antea explicuimus. Ad hoc igitur negans præceptum relationem habent Chriſti verba, de quibus nunc agimus; & conſequenter, etiamſi velimus ex illis vel poſſe, vel etiam debere colligi præceptum negans, ſatis erit collectioni iſti per nos factum, ſi dixerimus, ea vi ſua præcipere, ne alia quapiam orandi formula utamur, quæ battologiam contineat, ſed tantum ejuſmodi, quod ad hoc attinet, qualis eſt iſta orationis præſcriptæ. Deinde dicimus, negari non poſſe quicquid nos de abſoluto orandi præcepto diximus, quod ibi comprehenſum eſſe videatur, quin Chriſti verba commodiſſime ita accipi queant, ut aliud nihil ſignificent, quam quomodo orandus ſit Deus ipſe pater, de quo nimirum tunc inter omnes conſtabat, eum eſſe orandum, & non alium præterea quempiam; non autem quis ſit orandus. Adeo, ut non poſſit ullo pacto ex illis colligi, nullum alium orandum eſſe niſi Deum patrem, ſed tantum, cum Deus pater oratur, ejuſmodi oratione omnino utendum eſſe:

cum

cum Christus nondum esset glorificatus, necdum supremam illam potestatem & curam populi Dei sibi demandatam haberet, nullus erat tunc locus de ipso, seu tacite, seu expresse agendi, quantum pertinet ad ipsum invocandum: nec, quia ipsius ante curam & potestatem istam, cum de invocando agitur, nulla sit facta mentio, præsertim ab ipsomet Christo, ulla ratione concludi potest, aut etiam conjici, non licere, postquam potestatem istam & curam est adeptus, illum invocare. Adde postremo, quod etiamsi Christi verba eam vim haberent, ut juberet omnino, ut cum oramus, ipsum Deum patrem invocemus, non tamen hinc sequeretur, Christum ipsum invocari non posse; quandoquidem, ut paulo ante conclusimus, Christo invocato ipse Deus pater invocatur, propter subordinationem ipsius Christi ad Deum patrem. Itaque non est, cur adversarii invocationis Christi, ipsius verbis, dum orationem à se institutam præscripsit; ad eam impugnandam ullo pacto uti possint.

Verum, remanet adhuc scrupulus, propter id quod antea conclusimus, de nullo expresso præcepto Christi invocandi; quamvis verissimum sit, ut diximus, ipsum, & quidem semper ac perpetuo invocari posse, & pro Christiano minime is sit habendus, qui hoc non agnoscat & confiteatur. Nam dicet aliquis, præceptum tamen extare ipsius Christi adorandi, & propterea omnino statuendum videri, præceptum quoque fuisse ut Christus invocetur; eandem enim videri plane esse rationem invocationis, quæ adorationis, & Christum ipsum dixisse, voluntatem patris sui esse, ut omnes honorent filium sicut ipsum patrem honorant; sed pater honoratur, illum invocando, igitur & filius, illum invocando honorari debet. Animadvertendum est, quod attinet ad eandem invocationis, quæ adorationis rationem, illam non omnino eandem esse, ut supra à nobis indicatum fuit. Adoratio enim, quæ plane jussa est, tam Christi quam Dei, potius affectus quidam est perpetuus animi nostri, quam vera actio: & propterea etiam perpetuo simul & Deus, & Christus adorari à nobis potest, & ita utriusque adorandi præcepto, eodem tempore plene ac perfecte simul satis fieri. At in invocatione, id est, precum implorandæ opis caussa directione, valde diverse contingit; propterea, quia ea proprie ac vere sit actio quædam nostra, eaque minime perpetua; ex quo fit, ut, quemadmodum dictum fuit, cum Deus Christo minime sit subordinatus, in ipsa Dei invocatione Christi invocatio non contineatur, nec simul & semel, cum illa fit, hæc quoque fieri dici possit. Nam ex hac diversitate adorationis & invocationis, id omnino consequitur, ut possit quidem tam Christi quam Dei adorandi præceptum extare, ut revera extat, invocandi vero non item, cum necesse sit, si Deus pater solus, aut sæpe aut interdum invocari potest, ut certe potest, sæpe etiam aut interdum saltem Christum non invocari. Jam, quod attinet ad verba ipsius Christi, de honorando filio sicut honoratur pater, non sunt illa extra subjectam ibi materiam protrahenda: agitur enim ibi de judicio, quod pater dedit filio, ex quo paritas, seu similitudo potius debiti honoris, tam filio quam patri, universa manat, ut locus ipse aperte docet Joh. 5. 22, & 23. Atqui judicium istud, ut ante dictum fuit, est cura & gubernatio populi Dei; ex qua necessario quidem consequitur debita adoratio, seu honoris tantæ dignitati debiti exhibitio: at invocatio non necessario inde proficiscitur. Quare, verbum Honorandi, quod ibi habetur, nulla caussa est, cur aliter accipiatur ac simpliciter sonat, ut scilicet vere ac proprie, honorem significet, præsertim, cum, si ulterius ejus significationem extendere velimus, ita ut pari ratione invocationem qua adorationem complectatur, necesse sit in absurdum illud, à nobis non semel repetitum, incidere, ut scilicet, nunquam liceat solum Deum patrem invocare; quod absurdum, utpote longe maximum, ut penitus evitemus, concludendum est, sicubi fortasse extare videantur præcepta ipsius Christi invocandi, ea non absolute ac præcise, sive etiam vere ac proprie præcepta esse; sed tantummodo commonefactiones, &, propter consolationem, quam quis sentit in invocando eo, quem licet dominum agnoscat, fratrem etiam suum simul esse novit, expertumque fuisse, quid sit aliena ope indigere, utilissimas adhortationes.

Restat tertia ex illis tribus rebus, de quibus diximus, Christum agere voluisse, postquam multa dixisset, quæ pertinent ad Legem Mosis, in iis, quæ ad mores spectant, reformandam & perficiendam, antequam ad alia quædam transeat, quæ eodem pertinere videntur. Est autem tertia ista res, jejunium, quod non secus atque eleemosyna & oratio, quæ sunt reliquæ illæ duæ, ut antea diximus, solebat in Israëlitico populo exerceri, in eoque cultus divinus aliquis statui. Sic igitur pergendo, Christus ait

Vers. 16. *Cum autem jejunatis, nolite fieri, sicut Hypocritæ, tristes.* Hic similiter, ut in eleemosyna & oratione tractanda apparet manifeste, Christi mentem esse, ut superius indicavimus, adversus Hypocritas loqui, & ab eorum agendi modo populum retrahere, adeo, ut quæ hac in parte docet, non minus sub ipso Vetere Testamento facienda essent, quam sub Novo. Ut autem non frustra ad explicationem eorum, quæ hic præcipit, veniamus, necesse est primum statuere, quid sit jejunium; & quidem ex ipso Græco verbo, quo Euangelista utitur, ad id significandum, quod jejunandi verbo, quamvis minus Latino, necesse habent Latini interpretes significare, satis constare videtur, quid sit jejunium, seu, quid sit jejunare. Est enim verbum istud Græcum compositum ex vocula privativa, & ex voce esum significante; ita ut vocabulo isto esus privatio omnino declaretur; & sic constat, jejunare aliud nihil esse, quam ab esu seu cibo abstinere. Jubet igitur Christus, ut, cum à cibo abstinemus, quod scilicet fit in bonum aliquem finem, qui ad Dei cultum aliquomodo respicit, & sic rationem quandam boni facti, seu operis habere videtur, nolimus imitari Hypocritas, qui cum jejunant, curant ut facie tristi ac tetrica esse appareant; id enim proprie significat verbum Græcum, quod, verbo *tristes*, a Vetere Latino interprete redditum est; ubi necesse est animadvertere, quamvis hoc leve admodum esse videatur, verba Latini codicis ita construenda esse, ut intelligatur, verbum istud *tristes*, debere conjungi cum verbis illis *nolite fieri*. Ut sit sensus, nolite fieri tristes sicut Hypocritæ, scilicet fiunt. Neque enim in Latino codice est ulla distinctio, quæ hujus rei lectorem moneat, adeo ut non desint, qui verba accipiendo ut jacent, intelligant, Christum in illis præcipere, ne efficiamur, cum jejunamus, similes Hypocritis tristibus, cujus constructionis effectus omnino esset, ut aliud quippiam ab eo, quod diximus, & per se alioqui manifestissimum est, ex isto Christi præcepto colligeretur.

Postquam Christus jussit, ne velimus curare, ut facie tristi ac tetrica simus, tunc, cum jejunamus, quemadmodum Hypocritæ curant, rationem reddit, cur istud Hypocritis tribuerit, inquiens, *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Verbum *exterminant*, Græce est ἀφανίζουσι, quod verbum proprie significare videtur, efficere ut aliquid disppareat, seu jam non appareat. Verum, apud hunc eundem Euangelistam, paulo post hoc idem verbum usurpatur, ad significandum corruptionem & demolitionem quandam. Cum enim mox vers. 19 Christus ait, ne velimus nobis thesaurizare in terra, ubi tinea & ærugo corrumpit seu demolitur, utitur Euangelista isto eodem verbo. Porro sensus, in loco quem tunc explicamus, est satis apertus, cum Christus, sine dubio, dicere velit, Hypocritas cum jejunant, curare, ut consuetum aspectum faciei suæ aliqua ratione perdant ac corrumpant, uti iis evenire solet, qui diuturna fame sunt afflictati. Certum est enim, arte quadam hoc curari posse, citra ingentem aliquam inediam, atque inter cætera, ut à quibusdam accepi, fumus cymini tosti,

si quis facie super illum diu incumbat, plurimum ea in re efficere potest; & fama est, monachos aliquos hac arte uti, ut præ se ferant maximas inedias atque vigilias se subiisse, vel etiam perpetuo subire. Christus igitur plane prohibet, ne tale quippiam à nobis curetur cum jejunamus: sed ut contrarium potius faciamus. quod antequam dicat, rationem affert, cur hac in re hypocritæ minime à nobis sint imitandi; quia, inquit, hypocritæ isti sic facientes, jam receperunt mercedem suam, & sic nullam aliam sunt habituri, quemadmodum & superius dixit, cum nos deterrere voluit, ab eleemosyna coram hominibus facienda, in eum finem, ut ab illis conspiciamur. Si igitur ita res se habet, ut qui jejunando curat, ut id aliis notum fiat, suam jam mercedem acceperit, nullaque alia præterea ei speranda sit, hoc sane satis superque esse potest ad nos absterrendos, quominus id faciamus. Quid igitur Christus jubet à nobis fieri?

Tu autem, inquit, *cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans.* Hic non minus quam in præceptis, quæ superius dedit, de eleemosyna & oratione occulte facienda, non ita Christi verba accipi debent, quasi nullo pacto liceat ita jejunare, ut id resciri possit; sed tantummodo, non debere nos in hunc finem jejunare, ut propter abstinentiam nostram à cibis, laudem aut gloriam aliquam nobis apud alios comparemus; alioqui nihil vetat, si justa aliqua caussa ejus rei adsit, ita jejunare, ut interim id omnibus sit manifestum. Potest enim quis, ut alias caussas honestas reticeam, quemadmodum & de elemosyna diximus, in eum finem ita jejunare, ut id cunctis appareat, quo aliis exemplo esse possit id faciendi, cum usus in ipsa religione id postulat, qua de re postea agemus. Similiter, cum Christus præcipit, ut jejunantes ungamus caput, & faciem lavemus, non est præceptum hoc ita interpretandum, quasi id omnino fieri debeat quod verba sonant, sed intelligendum est, debere nos ab omni ostentatione alienissimos esse, adeo, ut, si alioqui dubitandum sit ne in hoc crimen incidamus, recte à nobis factum iri censendum sit, si ad periculum istud vitandum, caput ipsum unxerimus, & faciem laverimus, & sic omnem opinionem, quod jejunaverimus aut jejunemus, ab aliis removere studeamus; quemadmodum & supra quippiam tale monuimus, in præceptis, de curanda penitus occultatione, dum eleemosynam facimus, & Deo preces adhibemus.

Pergit Christus, & ait, *Sed patri tuo, qui est in abscondito* (repete, *videaris jejunans*) *& pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in propatulo.* Vox *in propatulo*, quæ in vulgatis Græcis exemplaribus legitur, ut supra quoque, cum de eleemosyna ageretur, docuimus, in Latino codice minime habetur; sed neque etiam hoc loco apud Syriacum interpretem extat, & in correctissimis exemplaribus Græcis minime habetur. Utra autem lectio præferri debeat, & quis sit sensus illius, diximus ante, in tractatu de eleemosyna, sententiam nostram. Eo igitur auditores rejicimus. Tantum hic non est leviter notandum, quod non modo in eleemosyna & in oratione dixit Christus, Deum redditurum iis, qui ita se gerunt in istis, ut debent, quæ scilicet nemo negare potest, habere rationem boni operis; sed idem etiam de jejunio dixit: de quo, an bonum opus simpliciter vocari possit, multum dubitatur. De qua quæstione, ut sententia nostra melius percipi queat, utque ita jejunii materia à nobis indiscussa non relinquatur, necesse est, antequam sequentia Christi præcepta explicemus, aliquid de jejunio explicatius tradere. Primum igitur, cum jam expositum sit, quid jejunii nomen significet, inquiremus id ipsum, quod nos impellit ad disputandum de jejunio. Inquiremus, inquam, an jejunium bonum opus nec ne, censeri possit, & quomodo; deinde investigabimus, an id præceptum fuerit; Postremo agemus, an aliqua, in hac jejunii materia, sit differentia inter Novum & Vetus Testamentum.

Ut igitur de primo primum dicamus, videtur ex ipsis Christi verbis, quæ præ manibus habemus, omnino colligi, jejunium esse bonum opus & Deo gratum, quando Christus diserte affirmat, patrem cœlestem redditurum jejunanti ut decet. Huc similiter, & ad hoc ipsum probandum, pertinere videntur verba Pauli Apostoli, quæ habentur ad finem cap 2. ad Coloss. quem locum, licet admodum difficilem, & mihi ipsi valde obscurum, hac occasione mihi præbita, examinare non pigebit; præsertim propter id, quod alii fere omnes, qui à Papatu recesserunt, videntur ex loco isto contrarium colligere ejus, ad quod probandum illum pertinere posse diximus. Sic igitur habent verba Pauli, *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid ad huc, tanquam viventes in mundo, decernitis? Ne tetigeris, ne gustaris, neque contrectaris; quæ omnia ipso pereunt abusu, secundum præcepta & doctrinas hominum.* &c. Hucusque interpretationes variæ verborum Græcorum, quod attinet ad sensum, satis convenire videntur, sed in iis quæ sequuntur, & verbis & sensu interpretes admodum variant ac discrepant. Vulgata editio fortasse, in sequentium versuum initio rectius habet quam reliquæ, ut pote, quæ ab ipsis Græcis verbis nihil discedat. Sic enim illa habet, *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ.* Nam Græca verba id plane ad litteram sonant; si modo vox λόγον, quæ in illis legitur, ut potest ac solet, voce *rationem* recte exprimitur. Nam Erasmus, qui plane aliter, ut arbitror, locum istum accipiebat, atque nos facimus, verbum istud Græcum; non rationem, sed speciem reddidit, cum tamen, nisi fallimur, vix inveniri possit locus, ubi Græca ista vox speciem significet, non modo apud sacros, sed etiam apud prophanos scriptores. Beza quidem quamvis de ejus loci sensu idem sentiret, quod Erasmum sensisse arbitramur, non est ausus id verbum aliter vertere, atque vulgatus interpres vertit. Quod si res ita habet, ut omnino legendum sit, ut ipse Beza cum vetere interprete consentiens, in sua interpretatione habet, videlicet, *Quæ rationem quidem habent sapientiæ*, non video quomodo negari possit Paulum affirmare, ista habere, non quidem speciem, sed, ut ipsa verba sonant, rationem sapientiæ, ista, inquam, eo modo considerata, ut ab ipso in sequentibus verbis considerantur. Jam, in sequentibus verbis apud veterem legitur, *In superstitione & humilitate* &c. Primum hic non video, cur vetus interpres vocem Græcam, quæ plane cultum voluntarium significat, superstitionis verbo reddiderit; & multo magis miror Erasmum hac in re illum imitatum fuisse. Beza quidem ipsam propriam vocabuli significationem retinuit, & eam voce cultus voluntarii, reddidit. Sequitur in vulgata editione, *Et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* In prioribus hujus particulæ verbis, non debuit vetus interpres dicere, *Et non ad parcendum*, sed, *& ad non parcendum.* Quamquam melius etiam Bezæ translatio habet, in qua sic legitur, *Et in eo quod corpori non parcant.* In reliquis postremis verbis rectius est id, quod in vulgata editione habetur, quam quod apud Bezam, aut Erasmum; sic enim proprie sonant ipsa Græca verba, *Non in honore aliquo, ad saturitatem carnis*, quæ verba Beza sic reddidit, *Nec tamen ullius sunt pretii; cum ad ea spectent, quibus farcitur caro.* Quæ interpretatio mihi plane monstrosa videtur. Additur enim in illa caussa, vox *tamen*, vox *sunt*, & totum illud, *Cum ad ea spectent*, vel certe, illa duo verba *Cum spectent*, & mirabiliter sensus verborum Græcorum, qui satis planus esse videtur, corrumpitur, judicio quidem meo. Sunt enim hæc verba, quæ, ut diximus, plane Græca verba exprimunt, *Non in honore aliquo, ad saturitatem carnis*, satis clara & aperta, idque significantia, quod sonant; Ista scilicet non habere honorem, seu pretium aliquod, quod attinet ad carnis saturitatem, nempe quia ut proxime dixerat, habent ea quæ rei isti sunt contraria, nempe humilitatem, id est, sui ipsius de-

missionem,

missionem; & quod corpori non parcunt, eo videlicet modo, ut antea monuimus, considerata, quo illa, eadem ut verba ipsa aperte indicant, Paulus hoc loco considerat; quandoquidem Pauli sententia, secundum ipsa verba, quibus per eam nulla penitus vis affertur, hæc omnino esse videtur totius hujus loci, videlicet, non debere tangi, non debere gustari, non debere contrectari quædam; ista, inquam, non divina, sed humana præcepta sub Euangelio esse, & propterea dignum reprehensione illum esse, qui Euangelii factus particeps, istis adhuc teneri velit; quamvis alioqui hæc ipsa rationem sapientiæ habeant, & sapienter facta dici possint, quatenus in illis hæc continentur. Primum, quod cultu voluntario fiunt. Deinde, quod modestum ac demissum hominis animum ostendunt. Postremo, quod per illa, corpori non parcitur, & sic in nullo honore seu pretio sunt, quod attinet ad carnis saturitatem. Itaque Paulus, non quidem absolute ista laudat, & sapientiæ rationem habere dicit, immo potius aperte vituperat, sed tantum non damnat; immo sapientiæ alicujus nomine commendat, quatenus, ut dictum est, ista continent.

Cum igitur de jejunio quærimus, an bonum sit opus, id est, rectum & laudabile, ac porro Deo gratum, certe videmur ex Pauli verbis affirmare posse, quod si quis plane sua sponte jejunare eligat, atque hac ratione seipsum demittere atque humilem reddere, corporique suo non parcere, & id eligere, quod nullius sit honoris aut pretii, quod ad saturitatem carnis attinet, istum rem facere, quæ rationem sapientiæ habet; & propterea dubitari non posse, quin Deo rem gratam faciat; cum nihil sapientiæ rationem, proprie ac sine ironia loquendo, habere possit, quod Deo gratum non sit. Videor mihi meminisse, nescio an Bellarminum, an alium quempiam ex papisticis theologis, non absimili ratione ab ea, quam nos in præsentia sequimur, hunc locum explicare atque accipere, adversus eos, qui videntur omnia præcepta, & vota de non gustando &c improbare atque damnare. Quicquid sit, Apostoli mens hoc toto in loco, ut diximus, satis aperta est; & qui aliter sentiunt ac nos locum explicavimus, necesse habent ipsis verbis, aut magnam, aut certe aliquam vim facere. Illud antequam alia Testimonia proferamus, non videtur esse omittendum, quod vocabulum ἐθελοθρησκείας, non propterea in alium sensum accipiendum esse censeatur, quam in eum quem diximus, quod in quibusdam lexicis scriptum inveniatur, nomen θρησκεία posse significare superstitiosum cultum & verbum θρησκεύω eadem significatione accipi posse, immo hanc esse quodammodo magis propriam istorum vocabulorum significationem; quamvis, ut diximus, postea ibidem subjicitur, quod simpliciter etiam cultum utraque vox ista significare apud bonos autores inveniatur, quorum etiam ibi producuntur Testimonia. Nam de altera, & priore quam ipsi ponunt significatione, qui talia lexica conscripserunt, nullum Testimonium proferunt, & videtur, quicquid illi de ista significatione dicunt, tractum ab ipsis fuisse ex isto Pauli loco; in quo nimirum persuasissimum habebant, nomen ἐθελοθρησκείας superstitiosum cultum declarare; id quod falso à multis existimatum fuisse, vel id evincit, quod Paulus diserte ait, propter ἐθελοθρησκείαν illa, de quibus agebat, sapientiæ rationem habere; id quod sane de superstitioso cultu nullo pacto affirmari potest. Cæterum, in Epistola Jacobi cap. 1. v. 25, & 26. & nomen θρῆσκος, religiosum, & nomen similiter θρησκεία, religionem manifeste declarat; & in hunc sensum ab interpretibus omnibus, voces istæ ibi accipiuntur.

Sed jam alia Testimonia & rationes proferamus, quibus persuaderi possit, jejunium bonum opus esse, & Deo gratum. Primum enim Lucæ cap. 2. v. 37. Dicitur de Anna Prophetissa, in Testimonium scilicet ipsius sanctitatis ac pietatis, quod jejuniis & obsecrationibus serviret, nempe Deo, nocte ac die. Præterea Paulus in Epistola ad Corinthios priore cap. 7. v. 5. cum antea jussisset, ne vir & uxor alter ab altero separaretur, concedit nihilominus, ut id ab ipsis fieri possit ad tempus, quo orationibus & jejuniis vacare possint: quod sane indicat, ut orationem, sic jejunium bonum opus esse & Deo gratum, quando, ut ei vacare possint, concedit Paulus conjugatis id, quod alioqui eis denegat. Postremo, ut alia multa in præsentia reticeamus, quæ idem probandi vim habere videntur, quæque mox commodius à nobis attingi poterunt, non est ullo pacto silentio prætermittendum, quod dominus Jesus Matth. cap. 17. v. 21, nec non Mar. cap. 9. v. 28 expresse ait, quoddam genus dæmoniorum, ex humanis corporibus quæ obsederint, ejici non posse, nisi per jejunium & preces. Ex quo, satis videtur constare, cum ipsa Dei virtute dæmonia ejiciantur, jejunium ipsi Deo rem gratam esse, quando sine illo dæmonia quædam ejici nequeunt, & consequenter ad id præstandum divina virtus impetrari non potest.

Jam vero pro contraria parte atque sententia, videlicet, quod jejunium, seu abstinentia à cibis omnibus per aliquod tempus, non sit res ejusmodi quæ possit merito appellari bonum opus & Deo gratum, solet potissimum afferri id, quod legitur Esaiæ cap. 58. v 3. &c. ubi videtur Deus contemnere jejunia populi, & illos objurgare, quod crederent, se jejunando posse Deo placere; & propterea conquererentur, quod etiamsi jejunabant, seque hac ratione affligebant, Deus nihilominus ad illos non respiciebat, neque illis se benignum præbebat: quinetiam ibidem addit Deus, non esse hoc jejunium illud quod ipse eligat, affligere videlicet animam suam, nimirum per abstinentiam à cibis; sed jejunium sibi gratum, & quod ipse eligit, esse, solvere nexus improbitatis, & non opprimere humiliores, atque esurienti panem suum impartiri, & pauperes ejectos introducere in domum suam. Hoc Testimonium, sine dubio, non ita accipiendum est, ut ii volunt, qui ad jejunium elevandum id afferre solent; sed, quemadmodum non pauci viri pii ac docti senserunt, intelligendum ex ipso Testimonio est, Deum, non quidem jejunium simpliciter nihili facere, sed illud contemnere, cum quo non sit conjuncta probitas, & charitas adversus proximum illius, qui jejunat; estque hic locus valde similis illi, de quo superius, cum de oratione ageremus, disputavimus, primo capite ejusdem Esaiæ, ubi Deus inducitur ita loquens, ut sacrificia & holocausta populi prorsus videatur contemnere, ac simpliciter profiteri, sibi illa nullo modo esse grata. Quamvis enim, ut supra docuimus, sacrificia, de quibus eo in loco Deus loquitur, una cum holocaustis, non fuissent ab ipso Deo præscripta atque imperata populo, ita ut omnino populus teneretur illa offerre, nihilominus tamen negari non potest, ea fuisse Deo grata, quando voluntarie ita illi offerebantur, ut decebat. Nam alioqui ab omni verisimilitudine abest, Deum, tam diligentem formam & modum illorum populo præscripturum fuisse, ut sane præscripsit, 1 2 & 3. cap. Levit: ubi de ejusmodi sacrificiis agitur, quæ plane erant voluntaria, & pacifica appellari, ipsisque expiatoriis, quæ videlicet aliquam necessitatem, illorum præstandorum in se habebant, quodammodo opponi solent. Quemadmodum igitur in prædicto cap. 1. Esaiæ nullo pacto intelligi potest, Deum simpliciter sacrificia illa & holocausta populi improbasse, vel non grata habuisse, sed sentiendum est, eatenus illi non fuisse grata, quatenus offerebantur non decenter, non quidem quod attinet ad formam & modum offerendi, sed quod pertinet ad ea, quæ esse debent in illis, quorum sacrificia Deo debent esse grata (erant enim Israëlitæ, qui illa tunc temporis offerebant, injusti atque sceleribus oppleti, ut ipse Deus ibidem contestatur aperte) sic eadem prorsus ratione, in prædicto cap 58. non est intelligendum, à Deo simpliciter non probari jejunia populi; sed tantum, quatenus ii, qui jejunabant, non erant justi ac pii, ut esse debebant. Nec obstat (etiam citra hanc consi-

considerationem) quod Deus ibi dicat: Non esse jejunium ab ipso electum; affligere animam suam, per abstinentiam videlicet ciborum. Ex hoc enim, nihil aliud revera omnino elici potest, nisi tale jejunium non esse à Deo jussum; qua de re nunc non disputamus, sed inferius suo loco de ea agemus. Aliud est enim, sine ullo dubio, rem aliquam esse Deo gratam; aliud vero ab illo fuisse jussam; id quod intelligi potest ex eodem primo cap. Esaiæ; idque quod ibi dicitur ad locum 58 cap. rectè accommodari. Nam ibi inter cætera, quæ Deus dicit ad elevanda sacrificia illa & holocausta populi, profitetur, se non jussisse ut ea offerrent, neque ea ab ipsorum manibus requisivisse; & tamen, ut paulo ante docuimus, interim certum est, oblationes illas rite factas Deo placuisse.

Quapropter concludendum est, testimonium istud 58 cap. Esaiæ rectè intellectum, non id probare quod isti volunt, qui similiter ad id probandum afferre solent cap. 7. Zachariæ vers. 5. &c. ubi Deus ait, in jejuniis, quæ populus habebat quinto & septimo mense, non sibi ab illis jejunatum fuisse; quemadmodum neque etiam cum comederant aut biberant, ipsi Deo biberant, aut comederant, sed sibi ipsis. Atqui ex hoc loco nullo pacto colligi potest, jejunium simpliciter non esse rem Deo gratam, sed tantum ex jejunio populi nihil commodi, ut sic loquamur, ad Deum rediisse, sed quicquid commodi inde profectum fuerat, id totum atque universum ipsius populi fuisse. Animadvertendum enim est, videri hic Deum subobscure indicasse, in ipsis istis jejuniis, quæ populus peragebat, quæsitum fuisse ab ipsis aliquod suum commodum, ut scilicet interim & minus sumptus facerent, & ad negotia rei familiaris liberiores essent: Nam id in prædicto cap. 58 Esaiæ, non obscure idem Deus significare videtur dum ait: *En, quo die jejunatis, præstatis id quod delectat, ut omnes labores vestros exigatis.* Ad quæ verba Tremellius & Junius, sic annotant; id est, Rerum vestrarum eo commodius & diligentius satagitis, quod magis vos delectat, quam ullus cibus aut potus, tanta flagratis avaritia. Et afferunt ad confirmandum istud, quod dicunt de avaritia ipsorum, id quod habetur circa finem cap. præcedentis; ubi ex ipsorum interpretatione, ad hunc modum legitur: *Et isti canes avidissimi non norunt saturitatem, propterea ipsi pascunt se, nesciunt docere; quotquot sunt, ad viam suam se convertunt, quisque ad lucrum suum* &c. Credimus, satis constare, ex neutro istorum duorum locorum, apud Esaiam, & Zachariam, concludi posse, jejunium, non esse rem Deo gratam.

Verum, ad idem probandum afferri solet id, quod scriptum legitur Math. 9. vers. 14 & 15. ubi legitur, Christi Apostolos jejunare solitos non fuisse, dum Christus cum illis esset; & propterea discipulos Johannis, qui sæpius jejunabant, admirabundos de ea re Christum interrogasse, & ejus caussam ab ipso perquisivisse. Sic enim ex loco isto quidam argumentantur: Si jejunium esset bonum opus & Deo gratum, nullo pacto Christus omisisset, quin Apostolos moneret ut jejunarent, quod tantum abest ut fecerit, ut etiam, ad interrogationem discipulorum Johannis respondens, dixerit, ita decuisse ac decere, ne, videlicet, ipso cum illis ad huc manente jejunarent. Verum ex testimonio isto, & & vi ratiocinationis inde ductæ, aliud nihil similiter concludi potest, quam jejunium non esse rem simpliciter à Deo jussam; non autem non esse rem Deo gratam: fieri enim potest, immo plane statuendum id esse videtur, quod, pro eo quod discipuli Johannis & Pharisæi jejunabant, Christi discipuli aliud quippiam, non minus bonum, & fortasse multo melius facerent, quod non ita commode & alacriter præstare possent jejunando, ut à jejunio abstinendo. Sed præterea, non est ulla ratione omittenda ipsa ratio, quam Christus affert cur illius discipuli non jejunarent, quæ videtur per se sufficiens ad illos excusandos, si tale opus, licet alioqui bonum, non facerent, cum interim nullo divino præcepto ad id faciendum obstringerentur. Cum enim manifestum sit, ut ipsius Christi verba docent, in ipso jejunio contineri luctum & molestiam, unde etiam apud Hebræos, jejunium, nomine afflictionis animæ significatur, non videbatur ullo modo conveniens, ut Christi discipuli, suo tanto magistro præsente, qui erat illis ut novæ nuptæ sponsus, lugerent ac mœrerent, Paulo post tamen id facturi, cum ab ipsis Christi præsentia erepta fuisse; & sic, ut ipse Christus ait suo tempore atque convenienter jejunari. Solet etiam afferri ad probandum, Deum nihil curare hominum jejunia, id quod scriptum est 1 Cor. 8. vers. 8. ubi legimus. *Esca autem nos non commendat Deo; neque enim si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus.* Quamvis enim in istis verbis nihil expresse habeatur ejus, quod hic quæritur, videtur tamen ex illis posse colligi, nullum momentum apud Deum ea in re esse, ut scilicet per eam ipsi Deo quis commendetur, quod à cibis abstineat. Atqui locus iste manifeste agit, non de abstinentia illa ciborum quæ jejunium est: sed de abstinentia à quibusdam cibis, tanquam pollutis, & quos nefas sit comedere, ut locus ipse per se manifeste docet. Agitur enim ibi de comedendis nec ne dapibus, quæ idolis immolatæ fuissent.

Possent alia quædam afferri adversus sententiam, quod jejunium non sit tale opus, quod bonum appellari possit & Deo gratum; sed quæ attulimus, videntur esse potiora; & quando ex illis istud concludi non posse docuimus, censendum videtur, ne ex aliis ullis quidem id concludi posse; præsertim adversus ea testimonia atque rationes, quas pro contraria parte attulimus, quibus ad ostendendum, quod locus ille cap. 58 Esaiæ, qui tanquam Achilles aliquis esse videtur illorum, qui jejunium pro bono opere non habent. Adde, quod ex Sacris Litteris liquido apparet, jejunium adhibitum fuisse ad impetrandum aliquid à Deo; idque non raro; præter illud, quod jam attulimus de modo, quo impetrare necesse sit à Deo, ejectionem quorundam dæmoniorum. Legitur enim in libro Judicum cap. 20. vers. 26. quod cum Israëlitæ, bello excitato adversus Beniamitas, propter scelus illud atrocissimum, ab ipsis adversus Levitam illum ejusque concubinam perpetratum, jam bis, quamvis multo superiores numero, in duobus præliis cæsi à Benjamitis fuissent; tandem, quod antea non fecerant, ante tertium prælium omnes quodam die jejunarunt, ut scilicet à Deo, in caussa tam justa, impetrarent auxilium ad perdendos sceleratissimos istos homines; id quod etiam illis fœlicissime successit, adeo ut denique totam tribum Benjamin pœne extinxerint, ac deleverint. Legitur similiter in secundo libro Paralip. cap. 20 incipiendo à versu 3. quod cum Josaphat rex Judæ videret, maximum periculum sibi & toti populo impendere à Moabitis & Ammonitis, timens, ut textus ait, composuit faciem suam ad quærendum Jehovam, & indixit jejunium toti Judææ. David ipse, cum ægrotaret filius, quem primo partu susceperat ex Bethsabe, inter alia quæ fecit ut Deum ad misericordiam commoveret, & filii sanitatem ac vitam ab eo impetraret, jejunavit, ut scriptum est 2. Sam. 12. Nam quod David in hunc finem, quem diximus, à cibo abstinuerit, manifestum est ex iis, quæ ibidem leguntur vers 21 & 22. Cum enim illi ipsius servi objicerent, quod vivente adhuc filio jejunasset, mortuo vero cibum sumpsisset, respondit illis. *Dum infans viveret, jejunans flebam; quia dicebam, quis scit, an gratiam mihi sit facturus Jehova, ut vivat infans.* Habetur etiam apud Danielem cap. 9 in ipso ferme initio, quod ipse Daniel, ut misericordiam & benignitatem Dei populo impetraret, inter cætera quæ fecit, etiam jejunavit. Denique ne omnia recenseam, locus est satis notabilis in libro Esd. 1. cap. 8. vers. 21. ubi scriptum est, Esdram, ut obtineret à Deo, quo posset populus sine ullo periculo & facile, jam venia nimirum à Cyro rege Persarum impetrata, domum reverti, indixisse ac proclamavisse jejunium toti populo. Qua in re cum illi obtemperatum

peratum fuisset, factum est etiam ut Deum exoraverint, & domum securi atque incolumes redierint.

Videtur satis constare in hac quæstione, Utrum jejunium necne bonum opus & Deo gratum censeri debeat partem affirmantem, magis rationi & sacris testimoniis consentaneam esse, quam negantem. Nunc relinquitur inquirendum, ut veritas hujus ipsius quæstionis firmior apud nos ac certior sit, quomodo hoc, quod jejunium bonum sit opus & Deo gratum, intelligi debeat; & primum, quærendum videtur, an hoc intelligendum sit per se, an vero secus. Jam istud per se, dupliciter accipi potest, vel scilicet, ut significet solum non conjunctum cum aliqua alia re, vel ut declaret, non esse necesse ut habeatur ratio finis in quem fiat, præter eum finem, quo nullo pacto ex natura sua carere possit; quod quid sit, explicatius postea dicemus. Primum igitur, quod attinet ad hoc, an per se jejunium opus bonum censeri debeat, inquiremus, an necesse sit, an vero minus, ut sit conjunctum cum aliqua alia re, si Deo placere debeat. Si rationes attendimus, quarum supra mentionem fecimus cum locum Pauli 2 ad Colos. explicaremus, videtur omnino dicendum, non esse necesse, ut cum jejunio aliud quippiam sit conjunctum ad hoc, ut Deo placere possit; quandoquidem in eo solo, & sine ulla alia re ipsi adjuncta, ea sunt omnia quæ ibi Paulus commemorat; unde ipso ibidem teste censeri debeat, rem aliquam habere rationem sapientiæ, & consequenter Deo gratam esse, ut ante à nobis satis explicatum, ut arbitror, fuit. Quare videndum est, an aliquid sit, quod contrarium suadere videatur, & ad id respondendum, cum satis ex prædictis constet, sententiam nostram esse, quod solum jejunium, sine alia ulla re illi adjuncta, possit censeri res Deo grata.

Pro contraria igitur sententia id videtur facere, quod nusquam fortassis sit mentio jejunii, tanquam rei, quæ possit videri Deo grata, nisi conjuncti cum re aliqua alia, præsertim vero cum oratione seu precibus; & si alicubi fortassis solum jejunium nominatur, ubi merito censeri possit illud fuisse Deo gratum, ex ipsa Historia satis constare potest, fuisse cum tali jejunio preces conjunctas, ut exempli caussa, in allato superius loco 2 Paral. 20. ubi, etiamsi simpliciter indicti jejunii à Josaphato toti Judeæ fiat mentio, tamen ibidem ex iis quæ sequuntur aperte constat, simul cum jejunio isto conjunctas fuisse preces. Adeo autem verum esse videtur, consuevisse jejunium semper habere conjunctas sibi preces ad Deum, ut solo ipsius jejunii nomine preces simul significentur aliquando, ut Jerem. 14. vers. 12. ubi Deus ait ad Jeremiam, *Cum jejunaverit populus iste, non audiam clamorem eorum.* Ecce ut verbo jejunandi, solo & per se posito, preces etiam intelliguntur. Nam alioqui inepte ea verba à Deo subjuncta fuissent, *Non audiam clamorem eorum.* Similiter in libro Ecclesiastici, qui quamvis sit Apocryphus, hac in re, ubi agitur de verborum usu & de consuetudine quæ vigeret in populo, idem præstat quod quilibet liber Canonicus, scriptum est ad finem cap. 34. *Sic homo est, qui jejunat de peccatis suis, rursumque abiens eadem facit, quis exauditurus esset orationem istius?* Nulla prorsus orationis antea mentione facta, sed tantum jejunii, dicit, *Quis exaudiet orationem istius?* nempe, quia jejunandi verbo, satis significata fuerat ipsa oratio; quippe, sine qua jejunium esse non soleret. Et sane, de ista conjunctione perpetua orationis cum jejunio, vix videtur dubitari posse, quando, ut dictum est, censeri potest, aut debet, jejunium habuisse rationem boni operis. Veruntamen, non propterea crediderim concludendum esse, solum ipsum jejunium non esse rem ejusmodi, quæ possit Deo placere; inconcussæ siquidem adhuc manent rationes paulo ante indicatæ, & superius ex verbis Pauli explicatæ, quod solum ipsum jejunium possit censeri res Deo grata. Neque enim, etiamsi verissimum esset, nunquam consuevisse jejunium fieri sine precibus, cum res esset futura quæ Deo placeret, inde consequeretur, sine illis fieri non posse.

Sunt qui videantur afferre aliam quandam rationem, ad probandum, quod solum jejunium non possit censeri res Deo grata; quia inquiunt est res quædam quodammodo naturalis, id est, à natura ipsa proficiscens; quia videlicet sit indicium & sequela mœsti & afflicti animi, ut est etiam planctus & fletus, & alia ejusmodi, quomodo igitur, ajunt, possit, id Deo esse gratum, quod natura impellente fit? Hæc ratio mihi ejusmodi esse videtur, quæ non mereretur afferri, sed tamen quia illam scriptam inveni, prætermittere illam nolui; est enim in ea fallacia manifesta à parte, ut sic dixerim, ad totum. Quamvis enim verissimum sit, aliqua, seu etiam multa jejunia, natura quodammodo impellente suscipi: tamen nihil est apertius, quam & esse posse, & frequentissime id fieri, ut jejunia fiant nulla vi naturali, seu quæ naturalis videri posset, suadente. Nam quid, rogo, exempli caussa, naturale movebat Annam illam, ut in templo oraret simul & jejunaret? quid porro eos, qui velint dæmonia illa ejicere, quæ sine jejunio Christo teste ejici nequeunt, quod naturale videri possit, movebit ad jejunandum in tali casu? Non est igitur ullo pacto propter talem ratiocinationem imperfectam atque fallacem, recedendum à sententia quam nos sequimur. Nunc videamus, an secundum alteram illam significationem vocum illarum, Per se censeri debeat, jejunium per se rem Deo esse gratam, id est, etiamsi in nullum alium finem suscipiatur, quam in id ipsum ut quis jejunet, & inde id eveniat, quod nullo pacto evenire non posset. Et sane hic quoque, cum omnes illæ rationes firmæ maneant quæ jejunium commendant, & sapientiæ rationem habere docent, etiamsi nullus alius præterea finis jejunanti sit propositus, statuendum omnino videtur, idem quod antea sentiendum esse. Fatemur tamen posse merito affirmari, multo gratius Deo futurum jejunium, si vel aliud quidpiam, quod præstantius ipso jejunio, aut certe, res similiter bona censeri possit, secum conjunctum habeat, vel, si in aliquem alium bonum finem suscipiatur, præter eum quo nunquam carere potest, quam si vel solum omnino sit jejunium, vel in nullum alium finem fiat, præter illum quo carere nequit. Quæ tota res ut melius intelligatur, necesse est considerare tum ea, quæ cum jejunio conjuncta esse possint, & bona opera censeri debeant, tum ea, in quorum finem, id est, quorum consequendorum gratia jejunium suscipi possit. Sed prius, quanquam jam conclusum est, in utrumcumque sensum à nobis expositum voculæ Per se accipiantur, jejunium per se esse posse rem Deo gratam, videndum est, ut de hac jejunii materia non jejune explicemus, quando & quomodo fiat, ut jejunium seu solum, seu cum aliqua alia re conjunctum, non habeat rationem boni operis & Deo grati. Et nihil hic dicentes de jejuniis, quæ quis subire cogitur, cum non habet quod edat, quæ certe jejunia rationem boni operis habere nequeunt (neque enim in tota hac tractatione necessariorum, sed tantum voluntariorum jejuniorum rationem habemus) dicimus, tunc jejunium, quamvis alioqui voluntarium, non posse habere rationem boni operis cum ex caussa quadam quodammodo naturali proficiscitur; qua de re jam antea aliquid dictum est. Cum igitur quis ob mæstitiam aliquam cordis, & calamitatem qua vehementer prematur, cibum capere renuit, non est cur quis putare possit, tale jejunium rationem boni operis habere, cum, ut tale censeri debeat, nulla caussa adsit; quandoquidem, etiamsi in tali jejunio aliqua ex iis considerari possint, quibus Paulus tribuit, quod habeant rationem sapientiæ, ea tamen in tali jejunio non ejusmodi sunt ut esse debent, & cujusmodi sine dubio Paulus intelligit, neque enim dubitari potest, quin is velit, ista à jejunante fieri, cum aliqua divini cultus opinione; non autem sim-

pliciter ex animi mœrore, & naturalem quandam, ut dictum est, ob caussam. Ad hoc caput referri possunt ea jejunia, de quibus legitur cap. ultimo 1 libri Samuelis, in extremis verbis, & cap. 1 sequentis libri vers. 12. In priore enim loco fit mentio jejunii, quod habitatores Jabes Gilead fecerunt diebus septem, propter mortem Saulis. In posteriore vero fit mentio jejunii, quod David una cum populo suscepit, per integram diem usque ad vesperam, propter mortem ejusdem Saulis, & filii ejus Jonathanis. Nam, quatenus ex animi mœstitia, utrumque istud jejunium fuit, apparet utrumque ad caput hoc pertinere. Potest autem fieri, ut jejunium illud, de quo priore loco, non tam ob cordis mœrorem, quam ob consuetudinem in funeribus & justis persolvendis, susceptum fuerit; ita, ut possit tale jejunium ad aliud caput referri, quod jam dicto addere possumus; sic statuentes, illa similiter jejunia, quæ more aliquo vel consuetudine jubente fiunt, non esse cur boni operis rationem habere vel debeant, vel possint, nisi mos & consuetudo ista, aliquid præterea secum conjunctum habeat, quod aliam insuper qualitatem addat, quæ ipsa boni rationem habeat; ut cum talis mos seu consuetudo propterea instituta est & viget, ut Deo tali ratione cultus aliquis præstetur. Præterea, antequam de iis agamus, quæ paulo ante proposuimus, videndum est etiam, quinam sit ille finis, quem diximus, cum jejunio voluntarie scilicet suscepto necessario conjunctum esse, & quo tale jejunium carere nequeat; & propter quem denique, etiamsi nullus alius præterea finis adsit, statuimus supra, posse dici, jejunium rem esse Deo gratam. Est autem finis iste, ipsa corporis afflictio, suique ipsius demissio; quæ, cum jejunanti proposita per se ipsa fuerit, ut scilicet ea, non tantum ex jejunio consequatur, sed etiam propterea is jejunet, ut ea consequatur, sine dubio, sicut jejunii istius finis merito appellari poterit; sic etiam, reddet opus istud Deo gratum, cui videlicet non placere non potest, ut quis sese demittat, & sui corporis etiam honestas voluptates spernat atque omittat; præsertim sub Novo Testamento, quemadmodum postmodum à nobis apertius, Deo dante, explicabitur. Hinc apparet, quomodo intelligenda sint verba nostra superius repetita, quod scilicet jejunium non possit isto fine, quem diximus, satis esse ad ipsum commendandum, ullo modo carere. Neque enim dicere volumus, fieri non posse, ut quis finem istum sibi non proponat; sed tantummodo necesse esse, in quolibet jejunio res istas adesse, quas, si quis sibi pro fine in jejunando proponat, vel ob hoc ipsum rem gratam Deo faciet.

Nunc ad illa explicanda veniamus, quæ paulo ante proposuimus. Et primum quod attinet ad ea, quæ cum jejunio conjungi solent, non est dubium, quin, ut ante fuit indicatum, precationes ad Deum potissimum ac frequentissimum locum habeant; unde ut diximus, factum est, ut simplici jejunandi verbo ipsæ etiam Deo preces adhibitæ significentur. Ad quod probandum, præter duo illa superius prolata testimonia, habetur testimonium satis insigne in libro Ester cap. 4. 16, ubi cum Ester constituisset adire regem maritum suum, & ab eo liberationem sui populi Judaici decreto regio morti destinati, impetrare, significavit Mardochæo, ut congregaret omnes Judæos, ut jejunarent pro illa, tribus diebus nocte ac die, nam se similiter cum suis puellis jejunaturam; ubi omnino intelligendum est, interim & has, & illos, debuisse ardenter rogare Deum, ut Estheræ ubi regem aditura esset, suo favore adesse vellet, illamque non modo ab omni periculo conservare, sed etiam in eo, quod petitura esset, ita regi conciliare, ut etiam id ipsum obtineret. Nam quid est aliud id, quod illa jussit, ut scilicet Judæi pro ipsa jejunarent, nisi ut jejunando; pro ipsa Deum orarent? Namque sciendum est, ut ibidem non obscure extat, illam constituisse, exacto jejunio ad regem omnino accedere, & ipsum alloqui; quamvis unicuique capitale id esset, nisi Rex sceptro suo veniam ejus rei prius dedisset, eo contacto qui illum allocuturus esset; & sic apparebat, illam maximum periculum, ut populi sui liberationem procuraret, subire velle, & propterea maxime indigere, ut pro ipsa Deus oraretur. Solent præterea cum jejunio conjungi planctus & fletus, in utidio cilicii, sessio & cubatio in terra ac cinere, & similia. Quæ sui ipsius abjectionem significandi maximam vim habent; adhibenturque hæc, vel simpliciter ob animi mœstitiam; vel etiam (& hoc ad propositum nostrum pertinet) ob id, ut quis à Deo facilius impetret quod ab ipso precatur: ut (ne alia loca recenseamus) scriptum habemus, in supra indicato loco Danielis 9. Ibi enim vers. 3 sic ait ipse Daniel, *Adhibui faciem meam ad Dominum Deum, quærendo oratione & deprecationibus, cum jejunio cilicioque, & cinere*, quas res apud Deum ipsum non esse inanes, vel id indicare potest, quod scriptum est 1 Reg. 21 circa finem de Achabo, qui audita per Eliam Prophetam sententia Dei, adversum se, de ipso cum domo sua exterminando, laceratis vestibus suis, & imposito cilicio carni suæ jejunavit, & cum cilicio cubavit. Nam Deus hoc animadverso, dixit ad Eliam, *Videsne Achabum se abjecisse ante faciem meam? Eo quod abjecit se ante faciem meam, non inducam malum illud diebus ejus* &c. Posset etiam admodum convenienter eleemosyna cum jejunio conjungi, tametsi nullum expressum exemplum hactenus ejus rei in Sacris Literis repererim. Nam præterquam, quod ex multis apparet, ista tria, eleemosynam, orationem, & jejunium, magnam conjunctionem inter se habere, nihil videtur convenientius, quam, ut cum quis jejunat, id saltem, quod ipse jejunando non consumit, egentibus liberaliter det; sic enim, ut alia reticeamus, quæ ut id fiat suadere videntur, si fiat istud, manifeste apparebit, eum qui jejunat, nullo pacto propter avaritiam seu sorditatem suam aliquam id facere. Nam, quamvis gloria boni sui operis apud homines, ab eo qui vere pius esse velit, captanda non sit, tamen ex altera parte valde consentaneum est, suspicionem omnem depellere, quæ suboriri posset de opere aliquo, quod revera pium sit, ne non modo non sit tale, sed à malo & vitioso animo proficiscatur. Nec dubium esse potest, quin is qui id maxime curat, ut jejunando Deum aliquo modo placet, vel benignum sibi reddat, nihil melius ac præstantius facere possit, quam cum ipso jejunio eleemosynam conjungendo, quæ ipsa per se, ut superius, cum de ea nominatim ageremus, summam vim Dei iram placandi semper habuit, & tantæ est inter bona opera excellentiæ, ut ipsa boni operis simplici appellatione indefinite significetur. Hæc sunt quæ videntur præcipue posse numerari, inter ea, quæ gratum jejunium Deo reddant, si cum ipso conjungantur. Et quod attinet ad eleemosynam, quam aliis rebus omnibus anteponimus, habetis testimonium expressum, supra prolato capite 58 Esaiæ, ubi nominatim, ut vidimus, fit mentio frangendi panem esurienti, & aliorum quæ manifeste ad eleemosynam pertinent, quæ ea sint unde jejunium Deo gratum fiat. Sic enim, ut supra dictum est, videtur omnino debere accipi locus ille, non autem intelligi, prout verba sonant, ista ipsa esse jejunium, quod Deus eligat; id quod illud indicat, quod mox habetur ibidem vers. 9. quod scilicet Deus, si ista adsint, sit exauditurus. Hoc enim, sine dubio, refertur ad jejunium, de quo ibi præcipue agitur; ac si diserte Deus dixisset, si ista fecerint cum jejunabunt, eos exaudiam. Ex quo interim apparet, id verissimum esse quod antea non semel diximus, jejunium habere consuevisse fere semper conjunctam sibi orationem ad Deum; id quod satis aperte indicatur ex illis, quæ supra habentur vers. 3: *Quare cum jejunamus, non respicis?* Apparet enim induci populum conquerentem, quod cum Deum orarent ac simul jejunarent, tamen is ad eorum preces non commoveretur. Sequitur, ut dispiciamus de finibus, propter quos jejunia, quæ grata Deo esse possint, fieri queant aut soleant. Non est autem dubitandum, quin, quemadmodum

dum

dum precationes ad Deum, ſunt res illa quæ maxime cum jejunio conjuncta reperitur, & fere ejus perpetua eſt comes, ſic præcipue ac potiſſimum jejunii finis ad orationem pertineat; id eſt, quin in eum finem potiſſimum quis jejunet, ut orationi & precibus ad Deum adhibendis, poſſit eſſe aptior, eique rei intentior, ſi modo is qui jejunat, alium finem ſibi propoſitum habeat, eumque laudabilem, præter illum, qui neceſſario ex ipſo jejunio proficiſcitur, ut ante dictum eſt. Et ſane omnia illa loca & teſtimonia, in quibus orationis una cum jejunio conjunctæ fit mentio, ſatis, ſi quis ea paulo diligentius inſpiciat, videntur id docere quod diximus, adeo, ut tunc non jejunium, ſed oratio omnino appareat in ea actione quiddam principale; jejunium vero ejus tanquam acceſſorium; ut non oratio propter jejunium, ſed jejunium propter orationem ſuſcipiatur. Nam cum, exempli gratia, Apoſtoli, Paulus & Barnabas, una cum precibus jejunium conjunxerunt, cum voluerunt diſcipulis ſuis, ſeu potius Chriſti, quos fecerant Lyſtræ, Iconii, & Antiochiæ, ſeniores per ſingulas Eccleſias præficere, & conſtituere, quemadmodum ſcriptum eſt Act. 14. 23, quis dubitare poteſt, quin ibi precum, ut rei principalis, fiat mentio, qui bus à Deo impetrare vellent, ut ipſis adeſſet in eligendis ejuſmodi hominibus, qui ad prædictum munus eſſent idonei, utque iis, quos elegiſſent, favere perpetuo, in munere ſuo recte ac decenter obeundo, dignaretur? Idem dicendum eſt de eo, quod ſuperiore capite legitur vſ.2 & 3, ubi ſcriptum eſt, Prophetas & doctores quoſdam qui Antiochiæ erant, cum Domino miniſtraſſent & jejunaſſent, quod miniſtrandi Domino verbum, precandi verbo poſtea repetitur, Spiritus Sancti inſtinctu elegiſſe Barnabam & Saulem, ut mitterentur ad Euangelium aliis in locis annunciandum. Non poſſum autem ſatis mirari, eos, qui exiſtimant hoc minus verum eſſe, quod ſcilicet jejunium adhibeatur ad aptiorem ſe reddendum precibus Deo adhibendis. Nam ea ratio quam ipſi afferunt, quæ videatur aliquid momenti habere, mihi ſane parum firma videtur, quod ſcilicet jejunium potius vim habeat ineptiorem reddendi ad Deum orandum, quia ſcilicet corpus debilitando, vires quoque animi debilitet, ejuſque alacritatem ac promptitudinem plane minuat atque obtundat; hoc enim non modo non eſt perpetuum, ſed in pleriſque hominibus, ſi moderatum fuerit jejunium, minime contingit. Atque ut experientia ipſa ſatis teſtatur, plerique moderate jejunando, id eſt, exempli cauſſa, à prandio vel à cœna prorſus abſtinendo, ſentiunt ſe pro eo tempore, ad mentem in Deo figendam, eamque ad ipſum elevandam, quod neceſſe eſt fieri in oratione ad Deum decenter facta, aptiores ac promptiores eſſe. Nam cur alioqui cum oratione, tanquam cum re principali, jejunium tanquam acceſſorium conjungeretur? An non, ſi vera iſtorum ratiocinatio eſſet, ſtulte atque inepte egiſſent ii Sancti viri, qui id fecerunt? Nam quod ajunt, propterea jejunium cum oratione conjungi, ut animum pœnitentem declaret, id nullo pacto perpetuum eſſe poteſt, cum ſæpiſſime in orationibus ad Deum, non ſit neceſſe habere rationem pœnitentiæ; quippe quæ non ideo fiant, ut quis impetret, ſeu præcipue ſeu per conſequens remiſſionem ſuorum peccatorum, ſive alicujus ſingularis peccati, & multi ac fere innumerabiles caſus dentur, in quibus Deus à piis hominibus oratur citra ullam conſiderationem tunc præſentem remiſſionis peccatorum, ut vel ex iſtis duobus ante prolatis exemplis, ex Hiſtoria Actorum Apoſtolicorum intelligere facile quilibet poteſt. Non eſt igitur ullo pacto recedendum ab ea ſententia, quæ communiter ſemper obtinuit, jejunium moderatum eſſe rem aptiſſimam, ad reddendum hominem aptiorem ad Deum orandum, & hunc eſſe præcipuum ac magis conſuetum finem jejunii ſuſcipiendi. Eſt & alius jejunii finis, magni, ut quidem mihi videtur, momenti, ut ſcilicet per jejunium dometur ac refrenetur caro, quæ Spiritui continentur adverſatur. Et ſane ſi quis recte animadvertat, videtur hic finis jejunii eſſe maxime omnium proprius, præter eum, quem neceſſario ſecum junctum habet: proprie enim carnis afflicto, quæ in omni jejunio aliquo modo continetur, ad ipſam carnem domandam pertinet, qua re, mirum, quam plerique opus habent. Nec deſunt qui velint, immo à pontificiis id vulgo creditur, Paulum ipſum Apoſtolum hac ratione uſum fuiſſe, ad ſeipſum perdomandum, & Spiritum ſuum carni reſiſtentem, fortiorem, ejuſque victorem penitus reddendum. Huc enim ajunt, omnino pertinere id, quod ipſe ſcripſit ad finem noni capitis prioris ad Corinthios, ubi ad hunc modum in vulgata editione legitur. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aërem verberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Ubi etiam volunt, & quidem magis præcipue, Paulum ſignificaſſe, ſe ſuum corpus verberibus & plagis, ejuſmodique rebus, vehementius etiam quam jejunium corpus affligentibus, maceraſſe, ſeu macerare ſolitum fuiſſe. Et quidem verba illa, *Caſtigo corpus meum*, quæ, ut verbum Græcum ὑπωπιάζω, quod ibi habetur, ſignificat, à Beza *contundo corpus meum* leguntur, illud omnino declarare videntur. Verumtamen arbitramur, ejus loci ſententiam eſſe ejuſmodi, quæ neque jejunandi, neque corpus contundendi, proprie loquendo, quidquam in ſe habeat. Diſſeruerat enim proxime ante Paulus de libertate hominis Chriſtiani, & ſub Euangelio conſtituti, qua docuerat debere unumquemque moderate uti, idque tacite, per ſui ipſius exemplum, qui à multis abſtineret, quæ alioqui illi liceret facere, ne ulla ex parte Euangelii à ſe prædicati curſum aliquo modo impediret; & hoc eſt, quod ille vocat *Caſtigare*, ſeu malumus, contundere corpus ſuum, quod metaphorice ab ipſo dicitur propter afflictionem, eamque interdum ſatis magnam, quam quis alioqui ſentit, dum Spiritu alacri à multis abſtinet, quæ grata & jucunda eſſe ſolent, & in quorum abſtinentia non mediocris carnis afflictio ſentitur. Quod non propterea dicimus, quaſi una cum aliis ſentiamus, nomine corporis, in iſtis Pauli verbis ſignificari corpus ipſum, ſeu carnem; ſed quia, ex ipſa Pauli ſententia à nobis indicata, id, quod modo diximus, plane conſequitur. Cenſemus enim alioqui verba illa, *Corpus meum*, idem prorſus valere, quod me ipſum, phraſi ut à nobis alibi non ſemel obſervatum eſt, Hebraica; & multo magis Syriaca, ipſi Apoſtolo Paulo valde familiari; ita, ut intelligendum ſit Paulum dixiſſe, tantum abeſſe, ut ipſe plene uteretur libertate Euangelica, ut potius ſeipſum in ſervitutem redigeret, ſeſeque quodammodo ſubjiceret multis faciendis ac perpetiendis, quibus minime, ex natura ipſius Euangelii, faciendis aut perpetiendis obligatus erat; & ſic ſe ipſum, ſua ſponte, quodammodo plagis afficeret ac verberibus contunderet. Jam vero, etiamſi hoc Pauli teſtimonium ad id non pertinet, quod iſti putant, neque ad id, quod hoc loco quærimus; nec fortaſſe alibi teſtimonium ullum expreſſum habeatur prædicti jejunandi finis, quin tamen is & laudabilis, & maxime proprius jejunii finis cenſendus ſit, per ea quæ ſupra attulimus, negari non poſſe, credimus unicuique ſatis conſtare. Nam quod ad eos pertinet, (ſunt enim non pauci ejuſmodi) qui negant inedia fieri, ut corporis libido, in iis quæ ad Venerem ſpectant, coërceatur, ii & adverſus communem ſenſum ſentire videntur, & vel illa decantata ſententia ſatis convincuntur erroris, Sine Cerere & Libero friget Venus. Non ſuccurrunt nunc alii fines laudabiles jejunii. Nam de his finibus qui digni ſunt vituperatione, aut certe nulla laude, quod ad pietatem ſpectat, digni cenſeri poſſunt, poteſt unuſquiſque per ſe eos animadvertere, quales ſunt illi, quos diximus indicari apud Prophetam Eſaiam cap. 58, ut ſcilicet quis interim vel ſumptui parcat, vel liberior ſit ad negotia ſua peraganda,

nec nobis hoc loco propositum est, ant esse debet, cum Christus de laudabili jejunio, modo Hypocrisis absit & gloriolæ apud homines captatio; manifeste loquatur, de iis jejuniis loqui, quæ laudabilem finem non habeant, led laudabilem & Deo gratum: quandoquidem non de laudabili tantum, sed Deo etiam grato jejunio Christum verba facere, inde apparet, quod ait, Deum redditurum ei, qui jejunet sine ulla talis sui operis ostentatione.

Nunc veniendum est ad id quod secundo loco posuimus, ut scilicet inquiramus, An jejunandi præceptum aliquod divinum extet. Nisi autem vehementer fallimur, credimus non posse inveniri, seu sub Vetere, seu sub Novo Fœdere ullum, nec generale nec particulare jejunandi præceptum, præter illud quod habetur Levit. 16 & 23, ubi præcipitur jejunium omnino à populo suscipiendum, in die expiationum; id est, in qua anniversarium illud sacrificium peragebatur, quo expiabantur omnia peccata populi, quibus videlicet in Lege per sacrificia, & alias ejusmodi actiones & ceremonias, concessa erat expiatio, qui dies erat decimus, mensis septimi; qui mensis vocatus ab Hebræis Tisri, nostro Septembri ut plurimum & maxima ex parte respondet. Videtur autem vel ex eo constare, quod istud tantum jejunium omnino à populo, ex Dei præscripto suscipiendum esset, quod invenimus diem istum & tempus, simplici nomine jejunii alicubi significari, ut Act 27. 9, ubi dicitur quod cum navis, qua Paulus Romam versus vehebatur, ad locum appulisset, qui Pulchri portus nominabatur, cum jam tempus navigandi non esset, eo quod jam & ipsum jejunium præteriisset, suadebat Paulus ne inde cito solverent, sed tempus navigationi aptius expectarent. Videris quomodo simplici jejunii nomine prædictum tempus decimi diei, septimi mensis, istic indicatum fuerit, post quem nimirum diem parum tuta navigatio esse solet. Atqui istud tempus, simplici ista jejunii appellatione, significari minime potuisset, si aliud quodpiam jejunium, & consequenter alio tempore, præcepium in Lege fuisset. Jam vero, etiamsi neque in Vetere neque in Novo Testamento, ut quidem nos hactenus persuasi sumus, ullum jejunandi expressum præceptum habeatur, non propterea tamen censemus, pium hominem numquam obligari ad jejunium. Multæ enim res sunt à Deo non jussæ; quas tamen, propter aliquas emergentes caussas, facere Christianus homo debet; cui id potissimum debet esse propositum, ut ædificationi proximi & gloriæ Dei promovendæ, perpetuo studeat. Hinc enim videmus fieri, ut Paulus eos reprehendat, qui libertate Euangelica, cum aliquo scandalo vel offensione proximi, utantur, ut habetis ab ipso expositum non paucis in locis, præcipue vero cap. 14. ad Rom. & cap. 8. prioris ad Corinthios. Si igitur, exempli gratia, eveniat, ut Ecclesia in qua simus, propter caussam aliquam, quæcumque illa tandem sit, jejunium aliquod suscipiendum præscripserit, peccabit sine dubio is, qui sine ulla legitima caussa, tunc jejunare recuset, & hac ratione, reliquos fratres turbandi atque offendendi, occasionem non vitet. Potest etiam contingere, ut quis interdum satis aperte cognoscat, nisi jejunet, id est, per totum diem à cibo abstineat, vel saltem multo minus solito, eo die cibo capiendo det operam, futurum esse, ut nequeat piæ alicui actioni vel operationi, quæ in illum diem incidat, convenienter vacare, certe, si nihilominus is nihil remittere voluerit de suo ordinario esu & potu in die illo, non leviter peccare censendus erit. Breviter, quandocumque quis animadvertere potest, aliquid mali aut impedimenti, in rebus ad proximi ædificationem, aut Dei Christive gloriam spectantibus, aut omnino aut facile eventurum, nisi ipse jejunet, nihil est dubitandum, quin is, qui id facere negligat, peccati reus sit futurus.

Possunt hoc loco quædam adjici ad ostendendum, fieri posse, ut perinde habendum sit ac si jejunium præscriptum à Deo fuisset, quamvis expresse præscriptum non fuerit; quorum aliqua ex parte mentionem faciemus, in examinatione tertiæ & ultimæ quæstionis à nobis propositæ, quænam, videlicet in hac jejunii materia, sit differentia inter Novum & Vetus Testamentum; de qua quæstione quid sentiendum sit jam dispiciamus. Censemus igitur, nullam expressam extare differentiam, præter illam quæ ex prædictis colligi potest; ea est, quod in Vetere Testamento jussum fuisset illud unum jejunium, de quo diximus, in Novo vero nullum jussum fuerit. At vero, quod attinet non ad expressum, sed ad tacitum aliquod præceptum, videtur inter utrumque fœdus esse non levis differentia. Cum enim sub Vetere Testamento felicitas iis promissa, qui Deo obedientes fuissent, versaretur circa vitæ hujus commoda, in Novo vero versetur circa commoda futuræ vitæ, consequenter hic fit, ut multo magis jejunio locus esse possit aut debeat, quod attinet ad divinum aliquod tacitum præceptum, sub Novo, quam sub Vetere Testamento; ita ut sub Novo Testamento possit contingere, ut quis censere debeat, perinde esse, ac si sibi expresse jussum fuisset à Deo, ut jejunet, multo frequentius ac facilius quam sub Vetere contingere poterat. Nam si quis, exempli caussa, viderit ex jejunio fieri, ut ipse possit à Venereis libidinibus abstinere, & alioqui fieri ut non possit, non est dubium, quin sub Novo Testamento, ubi non licet talibus libidinibus ullo modo indulgere nisi aliqua ratione cum propria uxore, sit iste peccaturus nisi jejunet; cui rei sub Vetere Testamento vix locus esse poterat, ubi non unam tantum uxorem sed plures habere licebat; & præter uxores etiam concubinas; ac præterea, non videbatur etiam, extra uxorem & concubinam, conjunctio cum prorsus soluta muliere esse prohibita; de qua tamen re in præsentia, nihil expresse affirmamus. Potest etiam fieri, ut quis sub Novo Testamento videat, se posse, sine corporis sui læsione ulla, &, secundum omnem verisimilitudinem, sine ullo periculo longinquitate temporis vel minuendi cursum vitæ suæ, vel in aliquem morbum tandem incidendi, & interim ex abstinentia a cibo fieri, ut & iple plus temporis habeat divinis rebus vacandi, & pauperes uberius ex ejus facultatibus commodum sentire queant. Nam certe ejusmodi homo, si nihil hoc curet, & nihilominus à cibo nihilo plus abstineat, dici merito poterit eum peccare; quippe qui pluris suam voluptatem, vel quippiam tale faciat, quam Dei gloriam & proximi utilitatem. Quæ tota consideratio, sub Vetere Testamento vix videbatur locum habere, propter jam dictam caussam; quod felicitas, ad quam aspirare Dei fidelibus plane licebat, ad hanc vitam tota referebatur; & consequenter etiam ad ejus honestas voluptates. Quæ res præterea caussa esse potest, ut sub Novo quidem Testamento, non quia quis alioqui peccaturus esset, & sic non ut tacito cuidam divino præcepto satisfaciat, sed ut nihilominus rem faciendam, quam Deo gratam esse arbitretur suscipiat, jejunare sæpius eligat, non quidem, videlicet, ut ea viter de quibus proxime mentionem fecimus, aut alia ejusmodi; sed ut simpliciter se ista voluptate, consueto more sæpius cibum capiendi sua sponte privet, considerans vitam Christiani hominis, qui ad cœlum tendit, & à ratione hac animali vivendi, ad rationem vivendi spiritualem transferendus est, quam maxime fieri potest, à voluptatibus hujus vitæ alienam esse debere. Nam huic considerationi, ob jam explicatam caussam, non poterat sub Vetere Testamento ullus esse locus. Jam vero cum jejunium, proprie sic dictum, id est, abstinentia per aliquod tempus ab omnibus cibis, non fuerit simpliciter & expresse, sub ipso etiam Novo Testamento jussa ac præscripta, videndum esset, quando Ecclesiæ liceat, hoc quodammodo jugum, fidelibus in ea congregatis imponere. Quamvis autem, si Ecclesia, vera sit Christi Ecclesia, vix hac in re errare posse videatur, tamen considerare possumus; primum, non debere Christi Ecclesiam jejunium eo tempore, eave ratione præscribere, quæ offendiculum

aliquod

aliquod parere possit, ut, verbi caussa, nullo pacto videbitur laudandum, si Ecclesia jejunium die ipso Dominico suscipiendum præscribat, cum ab ipsis Apostolorum temporibus, usu perpetuo à Christianis receptum fuerit, ne tali die jejunetur; quippe, in quo, ob memoriam resurrectionis ipsius Christi, lætos & hilares omnino nos præbere debeamus. Vidimus enim supra, & jejunium esse animæ afflictionem, & Christum ipsum testatum fuisse, eo luctum quendam contineri, qui eos dedeceat, qui hilares merito esse debeant, ut ejus discipulis eveniebat, ipso adhuc illis præsente, cujus præsentiæ loco nobis quodammodo esse potest commemoratio resuscitati Christi; quæ eo die maxime, quo is resurrexit, nobis ob mentis oculos observatur. Quicquid sit, non debet verus Christianorum cœtus, ab iis consuetudinibus sine expressa necessitate recedere, quæ à Christianorum vulgo perpetuo receptæ fuerunt. Deinde, videtur debere ejusmodi cœtus, qui vere Christianus esse velit, cum jejunium indicit, justa aliqua caussa ad id moveri; justa autem, immo omnium justissima præsertim quod ad caussas attinet, quæ ad omnes & singulos ad cœlum pertinentes spectare queant, videtur omnino esse, ut precibus ad Deum diligentius, & majore cum animi intentione incumbatur quam fieri consueverit, propter, scilicet, ingentem aliquam necessitatem, quæ supervenerit, id est, præcipue propter aliquam insignem calamitatem, aut periculum sive temporale sive spirituale, quod impendeat vel ipsi ecclesiæ, vel etiam aliis; cum certum sit, ex Pauli præscripto, de quo superius in tractatu de oratione egimus, debere in Christi Ecclesia preces pro omnibus ad Deum fieri; propterea, quicquid aliquanto gravius ab Ecclesia faciendum suscipi debeat, ubi conveniens sit nominatim, ac peculiariter aliqua de re ad Deum precationes fundere, idque ardentius etiam quam alioqui fieri soleat, decentissima res esse videtur, ut id aptius ac facilius præstari posset, jejunium indicere, ut Apostolos ac discipulos illos primitivæ Ecclesiæ imitando, videretur, exempli gratia, debere fieri, cum ministri & pastores eliguntur, aut ab uno loco in alium transferuntur. Multa alia exempla, & casus huc pertinentes possemus congerere; sed ex his paucis quæ dicta sunt, possunt facile sine ulla nostra monitione intelligi. Jam enim, huic, de jejunio sic proprie dicto, tractationi fine imposito, videtur, antequam ad alia Christi dicta explicanda transeamus, aliquid dicendum de eo quod communionem maximam cum jejunio habet, id est de *sobrietate*; & inquirendum similiter ut de jejunio, an ipsa sit res Deo grata, an jussa, & quomodo; & quid hac in re Novum Testamentum à Vetere differat.

Jam vero quod attinet ad id, quod primo loco proposuimus, an sobrietas sit res Deo grata, statuendum est ante omnia, tam propter hoc primum à nobis propositum, quam propter reliqua duo, quid sit sobrietas, quidve sobrietatis nomine intelligamus. Est autem sobrietas, & sic omnino in hunc sensum à nobis hæc vox nunc accipitur, temperantia seu continentia in cibo ac potu, quæ res, cum rationibus maximis ac evidentibus, ab iis qui de moribus scripserunt, probetur esse virtus, & propterea res per se ipsa plane laudabilis, nihil dubitare possumus, quin Deo, omnis virtutis atque honestatis amantissimo, ea grata censeri debeat. Nec sane in hac quæstione diutius immorandum est, sed ad reliqua duo à nobis proposita transeundum. Nam cum non omnia quæ Deo grata sint, fuerint ab eo jussa atque omnino præscripta, non immerito, quamvis dubium esse nequeat quin sobrietas Deo placeat, inquirendum nihilominus relinquitur, an à Deo jussa ac præscripta omnino fuerit, id est, non minus sub Vetere quam sub Novo Testamento. Et de Novo quidem Testamento, ut explicatius in tertia reliqua re tractanda dicemus, nihil dubitari potest, quin sub ipso sobrietas jussa fuerit. Tota difficultas est de Testamento Vetere. Nam cum sub ipso, ut jam non semel dictum fuit, hujus- mundi ac præsentis vitæ commoda iis fuerint promissa, qui Deo obedientes se præbuissent, & inter prædicta commoda videatur omnino numerandum, quod quis potu ac cibo sese exhilaret, & voluptatem quam potest maximam inde capiat, videtur ex ejusmodi religionis analogia statuendum, non fuisse, cur Deus pro eo tempore, quo talis religio ex ejus voluntate vigebat, sobrietatem omnino præscripserit, quam si quis servare velit, necesse est, ut magna ex parte commodo isto à nobis exposito seipsum privet. Sed si quis hanc sententiam, quam nos veram esse arbitramur, tenere velit, necesse est ad quædam testimonia Testamenti Veteris respondere, ex quibus constare videtur, ebrietatem à Deo prohibitam fuisse, & consequenter sobrietatem jussam.

Afferemus autem primo loco testimonium, quod potissimum omnium ab iis afferri solet, qui contrariam nostræ sententiæ defendunt, id est, Esaiæ cap. 5. vers. 11, 22: Scriptum est enim vers. 11: *Væ, qui consurgitis mane, ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Versu autem 22 ad hunc modum legitur: *Væ, qui gigantes sunt, ad hauriendum vinum; & viri strenui, ad miscendam siceram.* Ex istis verbis videtur omnino constare, ebrietatem non modo rem esse quæ Deo displiceat, sed male cum iis, ipso Deo sic statuente, actum iri, qui ei dent operam; id enim prorsus indicat particula *Væ* utrobique in ipso initio posita. Credimus tamen nihilominus, ex verbis, quæ post ista statim consequuntur, doceri posse, ex locis istis non istud probari, sed tantum, male cum illis ex Dei voluntate actum iri, qui ebrietati operam dantes, interim omittunt id facere, quod à Deo jubentur. Sequitur enim, post priora verba, *Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum, in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* Post posteriora vero statim adjungitur: *Qui impium ob munus justum pronunciant, & justitiam justorum tollunt ab eis.* Ex quibus verbis utrobique subjunctis, satis potest intelligi, ebrietatem per se ipsam, non fuisse sub Vetere Testamento Deo ita invisam, ut propter illam tantum quemquam puniret; sed tantummodo, quatenus caussa erat ut ipsius opus negligeretur, & injusta multa fierent. Nam, ut scriptum est Oseæ cap. 4. vers. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor.* Propterea Mich. 2. vers. 11. notatur ac reprehenditur vehementer populus, qui eos potissimum magnificaret; eisque aliquid dicentibus, quamvis falsum, fidem adhiberet, quorum opera atque ope possent bene potare atque inebriari, & ita potandi atque se inebriandi studio decepti, locum mendaciis atque imposturis darent. Et sane, si ebrietas ipsa per se sub Vetere Testamento prohibita fuisset, & non tantummodo, quatenus istorum insignium malorum sit caussa, aliquid in ipsa Lege Mosis, de hac prohibitione universo populo facta, legeretur; Ego vero hactenus nihil tale in venire potui.

Est autem alius locus apud Esaiam, nempe cap. 28. vers. 7. qui valde conducit ad rem totam istam melius intelligendam. Legimus enim ibi; *Verum hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errarunt, sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium* &c. Ex quibus verbis manifestum est, ebrietatem eatenus à Deo sub Vetere Testamento damnatam fuisse, &, ut ex aliis locis apparet, pœnis vindicatam, quatenus caussa extitisset sceleris alicujus aut injustitiæ; & sic non ipsam revera ebrietatem, sed peccata inde manantia vindicata à Deo fuisse; quamvis alioqui, ut dictum est, necesse sit fateri, ebrietatem per se, præsertim cum nimia erat, etiam sub Testamento Vetere Deo displicuisse. Quando igitur in Proverbiis Salomonis legimus cap. 20 vers. 1, vinum esse rem luxuriosam, & ebrietatem rem esse tumultuosam, & quicumque iis delectatur, eum non esse sapientem,

nihil

nihil aliud intelligendum est, quam insipienter ab eo fieri, qui vino & ebrietate delectatur, cum inde facile possit aliquid gravis mali exoriri; sed non tamen sequitur, ipsam per se ebrietatem fuisse jam tum à Deo prohibitam. Multa enim habet liber ille Proverb. tam in hortando, quam in dehortando, quæ sunt præter id, quod Deus in sua Lege præscripsit; nimirum, quia, ut vir sapientissimus videbat, quamvis Deus res ejusmodi nec jussisset nec voluisset, tamen facile ex illis magnum aliquod bonum, ex istis vero malum oriri posse. Declarat ipse Salomon, quod attinet ad ebrietatem, rem se habere ut diximus, cap.23 ejusdem libri vers.2. ubi ita est scriptum: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Ecce apparet, quod propterea potationes & commessationes vituperat Salomon, quæ scilicet fiunt sumptu ipsius potantis & comedentis, non propter ipsas potationes & comessationes, sed quia hac ratione fiat, ut is qui potat & commessatur, tandem pauperrimus fiat; quod ille consumi vocat, & pannis, hoc est pessimis & laceris atque attritis vestibus cogatur postmodum uti, is qui præ ebrietate, multo sæpius ac diutius dormire coactus fuerit, quam alias fecisset, & quam ratio rei familiaris postulabat.

Est præterea locus in iisdem proverbiis cap. ultimo, ubi sunt, verba, quamvis sub nomine Lamuelis regis, ipsius tamen Salomonis, quemadmodum doctissimi quidam viri, nomen illud Lamuelis interpretantes, videntur satis aperte docere. Est igitur ibi vers.4. scriptum ad hunc modum. *Noli regibus ô Lamuel noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas; ne forte bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent caussam filiorum pauperis.* Videtis caussam, seu caussas prohibendi, non modo ebrietatem, sed ipsum vini potum, prohibendi, inquam, non ex Dei præscripto, sed ex sapientis consilio; unde satis apparere possit sicut potum vini, similiter etiam ebrietatem alioqui per se non esse à sapiente vetitam. Nam, quod attinet ad ipsum vini potum, vel alterius rei inebriantis, non fuisse isto in loco sapientis mentem, ullo modo simpliciter illum damnare, patet ex iis quæ statim sequuntur. Inquit enim, *Date siceram mærentibus, & vinum iis qui amaro sunt animo, bibant & obliviscantur egestatis suæ, doloris sui non recordentur amplius.* Ubi omnino videtur sapiens, non modo vini & siceræ potum plane non dicam concedere, sed etiam aliquorum ratione jubere: verum præterea, ipsam quoque ebrietatem permittere ac quodammodo præscribere, eorundem hominum respectu, si modo ex illa id tantummodo fiat, ut hilares plane reddantur & suarum miseriarum obliviscantur, quod certe non facit simplex potus vini aut siceræ, sed multus atque copiosus; quod aliud nihil est, quam ebrietas, ut inferius suo loco apertius demonstrabitur.

Postremo, in eodem Proverb. libro testimonium habetur, unde magis, quam ex reliquis tribus superioribus, videtur probari posse, sobrietatem in Lege Mosis jussam fuisse: quod testimonium ut plenius ac commodius examinare ac perpendere possimus, videtur prius agendum de testimonio, quod habetur Deut.21 non multo ante finem, ubi dicitur, parentes, filium malum & sibi rebellem, debere producere ad seniores civitatis, dicendo: *Filius noster iste, protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessator, & potator est*, & subjicitur ibidem, populum debere ejusmodi filium familias obruere lapidibus, ita ut moriatur. Ex quibus verbis, videtur constare, voluntatem Dei sub ipso Vetere Testamento fuisse, ut pro peccato haberetur comessari & potare, quando eum, qui talis sit inter filios familias, nec patri & matri eum corripienti hac in re obtemperare velit, in prædictis verbis dicitur, lapidari, & occidi debere. Cui testimonio ad unguem consentiens, id, quod antea indicavimus in proverbiis reperiri, ad hunc modum, cap.28. vers. 7. ejus libri, scriptum legitur. *Qui custodit Legem, filius sapiens est; qui autem comessatorum fit socius, ignominia afficit patrem suum.* Ubi videtur aperte confirmari, quod in Lege Dei jussa fuisset sub ipso Vetere Testamento sobrietas. Videtur enim manifeste ibi opponi inter se, Custodire Legem, & Socium fieri comessatorum. Veruntamen, arbitramur nos, non esse simpliciter ad istum modum testimonium istud interpretandum; quod mox apparere poterit, ubi ad prædictum alterum testimonium, ex Deuter. prolatum respondebimus. Primum igitur dicimus, diversam esse rationem filii familias, & reliquorum; debereque filiumfamilias suis parentibus esse obtemperantem in omnibus, quæ ipsi ab illis jubentur, modo ne sint adversus præcepta Dei; & sub Lege Veteri constitutum, à Deo fuisse, ut qui non honorasset patrem & matrem suam, maledictus esset, ut scriptum extat Deut. 27.16 & propterea, prædicto cap.21 ejusdem libri scriptum esse, istum filiumfamilias, suis parentibus contumacem, lapidari & occidi debere; propterea inquam, quod patrem suum & matrem non honoret, nolens à comessando & potando abstinere, quantumvis ab illis monitus ut abstineat; non autem, ob eam caussam simpliciter, quod comessator & potator sit. Jam vero cum soleant parentes diligenter cavere, ne eorum filii, dum ad huc sub ipsorum sunt custodia, comessatores & potatores sint; propterea in prædicto Proverb. loco, Salomon sententiam istam profert, ex qua videtur concludi, adversus Legem facere eum filiumfamilias, qui commessatorum fiat socius; quia videlicet necesse quodammodo sit, ut id faciendo patri suo non obtemperet, & sic adversus expressam Dei Legem committat. Neque enim verba illa, *Filius est sapiens* accipienda sunt, ut in bibliis Vatabli exponuntur, quasi sit Hebraismus, idem plane significans, quod simpliciter *est sapiens*; ita videlicet, ut sententia ista ad omnes accommodari possit & debeat, sive filii familias sint, sive minus. Primum enim vix invenietur talis Hebraismus; cum ex Hebræo ad verbum Legi debeat, *Filius est intelligens*, ut scilicet filius intelligens, significet simpliciter intelligentem, ac si vox *filius*, addita non esset. Deinde, quod statim subjungit per antithesin, inquiens: *At, qui socius fit comessatorum, ignominia afficit patrem suum*, satis aperte docet, id quod præcedit, nonnisi de filio familias accipiendum esse, & ita, si naturalem & magis perspicuum ordinem, quo verba ista priora legi debent, servare velimus, ad hunc modum, spreto ordine quo scripta leguntur, efferenda omnino videantur: *Filius custodiens Legem, intelligens*, seu *prudens est.* Simplici enim filii appellatione, vulgatissimum est, filium familias intelligi, de quo cum sit sermo, Custidire Legem, in verbis istis aliud nihil esse potest, quam præceptum illud servare, Honora patrem, & matrem tuam. Hoc enim est illud præceptum, quod proprie & peculiariter ad filiosfamilias spectat, ita ut perinde fit denique, ac si ibi scriptum esset, *Filius, qui honorat parentes suos, prudens est.* Cui sententiæ, decentissime, altera illa opponitur: *Qui socius fit comessatorum, dedecore afficit patrem suum*; quia videlicet, ut dictum est, solent parentes, qui stulti non fuerint, à comessationibus prohibere. Hinc enim necessario sequitur, ut is filiusfamilias, qui comessationibus delectatur, censeri possit non obedire patri suo, & consequenter, non honorare; quod idem est, quod ignominia afficere. Et sic ex isto Proverbiorum loco quamvis prima facie videatur inde aperte colligi, comessationes in Lege Mosis vetitas fuisse; id tamen nullo pacto inde elici potest; sed tantummodo, filiumfamilias facere contra præceptum honorandi patrem suum, si comessationibus det operam.

Explicato Proverbiorum loco, redeamus ad locum Deuteronomii, & consideremus, posse concedi deinde, inde apparere comessationes & potationes esse vitia: verum

verum non simpliciter, sed quatenus ista fint in filio familias, quem plane decet esse modestum, quemque turpe est, bona, quæ ipsius non sunt, sed patris, sua ingluvie ac bibacitate consumere & abligurire. Quod vitium non ita apparet, vel potius multo levius est in aliis, qui filii familias non sunt; in quibus nec tanta modestia requiritur; quippe qui non aliena, sed sua ipsorum bona comessando ac potando dilapidant: adeo ut etiamsi, quod attinet ad filios familias, potationes & comessationes censeri deberent, vi testimonii istius, in Lege prohibitæ, non tamen sequeretur, toti populo & in universum eas leges fuisse datas. Postremo animadvertendum est, posse fortasse concedi id, quod istis vocabulis comessandi & potandi in testimonio isto significatur, fuisse in Lege Mosis prohibitum, nec tamen inde consequuturum, sobrietatem in Vetere Testamento jussam fuisse. Est enim quiddam medium, inter sobrietatem, & illud, quod vocabulis istis significatur. Certum est enim, prius vocabulum, quod comessatoris voce Latine redditum est, Hebraice proprie significare helluonem, & turpem voratorem, qui omnia profundat ut gulæ suæ faciat satis. Posterius vero vocabulum, quod potatoris nomine Latine translatum invenitur, quamvis apud Hebræos, non tam turpem habeat significationem, in iis quæ pertinent ad potum, ut illud alterum, in iis præcipue quæ pertinent ad esum, significat tamen, non modo multum potare, sed etiam sese plane vino, similive potu ingurgitare. Fieri autem potest, ut quis neque helluo, neque ingurgitator, ut sic dixerim, revera sit, & tamen interim non sit sobrius; & sic, quamvis sobrietatem non servet, nihil faciat adversus id, quod ex testimonio isto, quocumque pacto alioqui accepto, videatur elici posse ad probandum, comessationes & potationes, à Deo, sub ipso Vetere Fœdere prohibitas fuisse Ista autem consideratio duorum istorum vocabulorum, habet etiam locum alibi. Nam prædicto loco Prover. cap.28, idem est vocabulum, quod priore loco in Deut. testimonio legitur. Capite etiam 23 eorundem Proverbiorum, de quo superius egimus, legitur utrumque plane vocabulum, & alibi ni fallor idem vel ex toto, vel ex parte observari poterit, si quis Hebraicum codicem consuluerit.

Ex his, tandem, ne omnia quæ huc congeri possent examinemus, videtur posse concludi, non extare testimonium ullum, unde probari possit, in Lege Mosis sobrietatem seu temperantiam, vel continentiam in cibo & potu, fuisse omnino præscriptam.

Sequeretur, ut exactius de eo videremus, quod superius indicavimus, nempe in Novo Testamento, sobrietatem omnino jussam fuisse; & testimonia ea de re proferremus, & simul, quomodo tale præceptum intelligendum sit exponeremus; sic enim videtur postulare ordo eorum, quæ in hac de sobrietate materia nobis tractanda proposuimus. Verum, ne fortasse fiat, ut bis idem nobis repetendum sit, satius erit de eo agere, quod ultimo loco proposuimus; nempe, de differentia, quod attinet ad sobrietatem inter Vetus & Novum Testamentum. Hoc enim agendo, fiet ut ea dicantur, quæ modo diximus, ex proposito ordine videri nunc dicenda esse. Sunt igitur, ut ex iis, quæ ante diximus, colligi potest, in hoc pares Lex & Euangelium, seu Vetus & Novum Testamentum, quod sub utroque sobrietas, res est & fuit Deo grata. Tantum hoc videtur affirmari posse; Tanto gratiorem illi eam esse sub Novo quam sub Vetere Fœdere, quanto ratio Novi Fœderis id magis requirit, ut homines sint sobrii, etiamsi nullum præceptum ea de re datum fuisset. Spes enim æternæ vitæ, quæ data est sub Novo Testamento, non item sub Vetere, efficit, ut, quemadmodum antea attigimus, hujus vitæ commoda & voluptates, nihil prorsus ab eo, qui sub Novo Testamento sit, æstimari debeant, sub Vetere autem Testamento nullo pacto idem statui possit. Hinc fit, ut de alia re agamus, in qua utrumque Testamentum minime convenit, ut, quemadmodum dictum est, in Vetere quidem non inveniatur jussa sobrietas, in Novo vero inveniatur. Quod negamus de Vetere Testamento, supra, ut talis negatio probari potest, non admodum obscure, nisi fallimur, ostensum a nobis, & fortasse aliquid postmodum addemus ad idem demonstrandum. At, in Novo Testamento, adeo sobrietatem jussam esse apparet, ut à promisso vitæ æternæ in eo excludatur, quicumque sobrius non est. Apostolus enim Paulus, tum priore ad Corint.6. capite, tum cap. 5, ad Galatas, idem addit, & pronunciat de comessatoribus. Atque idem Paulus Rom. 13 circa finem, quamvis nihil diserte pronunciet de exclusione à regno cœlorum, tamen aperte jubet, ne comessationibus & compotationibus Christi fideles dent operam. Priore vero ad Thess. cap. 5, 6 & 8, jubet ut sobrii simus. Capite porro secundo ad Titum ait, gratiam salutarem Dei, quæ per Christum apparuit, erudire nos, ut sobrie, & juste, & pie vivamus; quamvis enim Græca vox σωφρόνως, quæ Sobrie, tum à Vetere interprete, tum ab aliis reddita est, possit etiam Sapienter exponi; locus tamen persuasit, & quidem merito, interpretibus istis, ut Sobrie eam verterent. Apparet enim, tribus illis adverbiis, quæ ibi leguntur, voluisse Paulum complecti quam brevissime, quicquid pertinet ad vitam secundum præcepta Euangelii instituendam. Cum enim trimembri divisione ea distingui possint, quatenus scilicet vel Deum, vel proximum, vel nos ipsos respiciunt; quemadmodum adverbiis Juste, & Pie, hoc quidem, ea quæ ad Deum respiciunt; illo vero ea, quæ ad proximum potissimum est complexus; sic ratio omnino suadet, ut reliquo tertio, ea præcepta complexus fuerit, quæ nos ipsos respiciunt; & propterea adverbium istud, eo in loco non quidem Sapienter; quamvis id fieri alioqui possit, sed Sobrie reddi debeat; quemadmodum videtur etiam frequentior esse istius vocis usus. Petrus etiam priore Epistola cap. 4, expresse damnat eos, qui ambulant in vinolentiis, comessationibus, & potationibus. Itaque, nullum dubium restat, quin sobrietas, id est, temperantia in cibo & potu, sit omnino jussa sub Novo Testamento.

Verum, ut præceptum hoc recte intelligatur, videndum est, quomodo dicatur quis præcepto isti obedire: & quatenus temperantia ista in cibo & potu, secundum præceptum istud progredi debeat; & simul qua ratione verba, præcipue Pauli Apostoli, quibus manifeste à regno Dei excluduntur comessatores & ebriosi, intelligi debeant. Videtur igitur sub Novo Testamento duplex sobrietas constitui posse, seu duplex temperantia in cibo ac potu, nulla habita ratione jejunii, de quo jam satis dictum est; & quod non quidem temperantia, sed omnino abstinentia per aliquod tempus à cibo & potu est. Potest igitur quis dici temperans in potu ac cibo, etiam sub Novo Testamento, qui non plus comedit aut bibit quam ejus bona valetudo requirit, quamvis in ciborum condimentis & qualitatibus, & in qualitate potus aliquantulum sibi indulgeat; & quemadmodum sapidiores cibos, sic etiam gratiorem potum quærat ac sectetur: quamvis deteriore tunc cibo tum potu, quod attinet ad bonam valetudinem, & firmitatem corporis sui conservandam, posset esse contentus. Sed aliud genus est temperantiæ, quod proprium Testamenti Novi esse videtur, cum scilicet quis id facit, quod modo attigimus, id est, eo cibo & potu est contentus, qui satis sit ad ipsum bene valentem ac firmum reddendum ac conservandum, spretis interim omnibus, quæ huc non pertineant, condimentis & illecebris cibi ac potus. Inter utramque hanc temperantiam hæc differentia mihi statuenda videtur, ut, si adversus utramvis quis faciat, peccet quidem, sed multo gravius si adversus priorem, quam si adversus posteriorem; ita ut censeam eum, qui adversus priorem commiserit, id est, habitum habeat agendi illi contrarium, à Dei regno excludatur; non item illum, qui non modo aliquando adversus posteriorem commiserit, sed etiam ejus rei habitum habeat. Neque enim invenio pronunciatam sententiam exclusionis à regno cœlorum, adversus hos,

quem-

quemadmodum adversus illos. De qua pronunciata sententia ut melius appareat, notandum diligenter est, quod, quamvis, quod ad peccatum circa potum attinet, non videantur excludi à regno cœlorum potatores, sed ebriosi, prout in Latinis interpretationibus legitur: tamen revera nomen Græcum idem significat, quod Latinum potator, quod attinet ad locum illum prioris ad Corinthios; & quod potatio declarat; quod attinet ad alterum locum, ubi ista sententia pronunciatur, in Epistola ad Galatas. Nomen enim, quod Ebriosi nomine, itemque nomen, quod nomine Ebrietatis è Græco in Latinum istis in locis translatum est; hoc est μέθυσος, & μέθη à nomine μέθυ deducuntur, quod vinum seu merum significat, quamvis sint, qui dicant proprie significare vinum dulce; ex quo fit ut μέθυσος aliud nihil sit quam vinolentus, μέθη vero, nihil aliud quam vinolentia, unde consequitur, eum qui multo vino sit deditus, ex sententia Pauli à Dei regno exclusum iri: quamvis alioqui ejusmodi vinolentia eum non soleat à mente abalienare; quemadmodum videntur significare voces Ebriosi & Ebrietatis; tametsi arbitramur, Latinas etiam voces istas inveniri cum significatione vinolentiæ, etiam citra abalienationem ullam à mente.

Major difficultas est in altera parte sobrietatis, quæ ad cibum pertinet. Namque id vocabulum, quod comessatio Latine redditum est, Græce autem est κῶμος, videtur aliquid plus significare quam vox ista comessationis; ut quidem testantur ii, qui significationes vocabulorum nobis tradunt. Videtur enim accipi pro esu, qui non modo sit nimius, sed lasciviam ac proterviam, nequitiamque quandam secum conjunctum habeat. Veruntamen, cum certum nihilominus esse videatur, nomen istud, ut factum est, simplici comessationis voce recte exprimi posse, & idem posse significare quod nimius esus, sine ulla alioquin alia nequitia vel protervia, statuendum omnino videtur, in Pauli verbis vocem istam non aliter esse accipiendam; ut scilicet hac ratione sit analogia & paritas, ex Pauli sententia, inter esum & potum. Neque enim verisimile est, à Paulo exclusos fuisse à regno Dei simplices potatores, & non similiter exclusos fuisse simplices comessatores, cum non possit ulla ratio differentiæ, inter potum & esum nimium per se consideratum, quod attinet ad peccati gravitatem, inveniri. Ex quo apparet, verum esse quod diximus, eum qui sive in cibo sive in potu, adversus priorem illam, quam fecimus temperantiam habitum habeat, vita æterna privatum iri. Diximus caussam, cur non idem pronunciemus de iis, qui habitum contrarium habeant posteriori temperantiæ, à nobis expositæ. Et certe, quod isti non sint propter talem habitum à Dei regno excludendi, adeo videtur rationi consentaneum esse, ut dubitari etiam posse videatur, an isti nec ne peccent. Mihi tamen, ut ante dictum est videtur, certum esse eos peccare. Qui enim vere Christianus esse velit, & particeps salutaris illius gratiæ, quæ per Christum nobis oblata est, conari debet, ut quam maxime ab omni superflua voluptate abstineat, & ut quam maxime charitatem erga proximum, tam ipse quam alius quilibet exercere possit, quod certe is non faciet, qui ejusmodi qualitates cibi ac potus requirit, ut scilicet uterque eo jucundior & suavior sit, nisi bona & firma valetudo ipsius id postulet: est enim hic aperte supervacanea voluptas; & interim sive ipse, sive alius pro eo plus in cibum & potum impendit, quam usus ipsius postulat. Hic enim totum id, id quod plus impenditur, aufertur pauperibus, & impotentiorem impendentem reddit, ad charitatem erga proximum exercendam. Jam sub Vetere Testamento, utravis ex istis duabus temperantiis, ut ex iis, quæ supra disputata sunt, intelligi potest, non modo jussa non invenitur, sed potius videntur ibi esse sententiæ satis apertæ, quæ laudent sese potu ac cibo exhilarare, ut colligi potest ex cap. 3.5,8 & 9 Ecclesiastis; immo Deus ipse aliquando, ut id fiat præcepisse videtur; quemadmodum Deut. 14 circa finem, ubi concedit, immo jubet, ut, cum decimæ fructuum sunt offerendæ, in loco quem ipse Deus elegisset, si is locus visus erit nimis procul, possit quis commutare decimas a se afferendas pecuniâ, & decimarum loco pecuniam illam, ad eum locum à Deo electum afferre, ibique eam expendere in omnem cibum ac potum, & denique in quicquid desideraverit animus ipsius; & ibi res illas comedere & bibere, una cum familia sua, & lætari coram Domino. Taceo exempla aliquot conviviorum, quæ sub V. Testamento pii homines fecerunt, vel à toto populo perpetuo facienda instituerunt, in quibus nulla ratione fieri potest quin multum superfluitatis esset. Nam, sine ullo dubio, quemadmodum ex ipsa analogia religionis, quæ sub Vetere Testamento viguit, & ex tota historia satis constat, hilariter, & consequenter cum aliqua superfluitate, tunc bibisse & comedisse, non modo vitio non dabatur, sed pars felicitatis, in eo Fœdere iis promissæ, qui Deo fideles essent, omnino censebatur. Et hæc satis esse volumus de sobrietate disputata à nobis, & consequenter de eo, quod appendix quædam necessaria disputationem de jejunio esse videbatur, de quo, seu de re ad ipsum pertinente, quæ explicatione indigere videatur, cum nihil amplius in præsentia habeamus, de quo disputemus, jam tempus est, ut ad sequentia Christi verba explicanda, accedamus.

Postquam igitur Christus, de tribus illis rebus, in ipso decalogo minime expressis, quin & in tota lege Mosis, non nisi ex parte, quod attinet ad eas præcipiendas, diserte commemoratis, ea docuisset, quæ nihilominus, tam sub Vetere quam sub Novo Testamento, consentanea plane divinæ voluntati censeri debent, & adversus hypocritas præcipue circa eas quædam valde necessaria monuisset, voluit ad alia docenda transire, quæ potissimum sub Novo Testamento locum erant habitura, novique Fœderis, quod ipse nobiscum Dei nomine pepigit, propria videri possunt, initiumque facere voluit a dehortando, à divitiis quærendis & congerendis, qua ipsa de re, & de iis, quæ huc pertinent nihil statim trademus, præter id quod expresse habetur in ipsis Christi verbis; quibus nunc, antequam aliud agamus, diligenter explicandis incumbemus. Durant autem verba ista à vers. 19 usque ad vers. 25, in quibus duo Christus præcipue facit, ut à divitiis congerendis nos dehortetur. Unum est, quod ostendit, quam parum certa sit possessio divitiarum. Alterum est, quod ostendit, si quis pecunias congerat, fore, ut non ei rei sit intentus cui esse debet, sed alii ab ea diversæ atque adeo contrariæ, utque suas actiones omnes pervertat, & tales eas reddat, quales minime esse debent, & propterea, ut tantum incommodum plane videtur, utque ad veram felicitatem viam nobis sternamus, sumpta metaphora à divitiis, à quibus congregandis dehortatur, aliud genus divitiarum nobis quærendum ac congerendum esse docet; nempe bona illa, quæ in cœlis simus habituri ac possessuri.

Vers. 19. Ait igitur, *Ne thesaurizate vobis Thesauros in terra*, & statim subjicit eam hujusce rei à se præceptæ caussam, quam priore loco ante commemoravimus, quamvis in ipsius verbis nulla sit particula, quæ rationem reddendi vim haberet. Ait enim simpliciter, sine ulla, ut loquuntur, caussativa particula, *ubi tinea & ærugo demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur*. En caussa, cur thesauris colligendis in terra non sit studendum, quod scilicet, ejusmodi thesauri, eorumque possessio sit valde incerta, cum & tinea, & ærugo possit illos corrumpere, & fures furari. Fit mentio tineæ, præcipue ob suppellectilem, æruginis vero, ob pecuniam, quamquam Græca vox βρῶσις, quæ ærugo tum à Vetere interprete, tum à plerisque aliis Latine reddita est, a Beza, vocabuli etymon non sectante, erosio reddita fuit, quod vocabulum potest aliquanto plus significare, quam ærugo. Quicquid sit, non est censendum, Christum, tinea atque ærugine, sive erosione commemorata, voluisse omnia commemorare, quæ collectos thesauros corrumpere possint, sed est intelligendum,

tantum,

tantum, exempli caussa, duas res istas, quæ id faciendi vim aliquam habent, commemorare ipsum voluisse. Verbum Græcum, quod Demolitur redditum est à vulgato interprete, est, ut supra alibi indicavimus, ἀφανίζει, quod proprie significare videtur, efficere ne quid amplius appareat; id quod figurate significat, corrumpere & abolere. Quod enim vel abolerur, vel corrumpitur, aut jam omnino non apparet, aut certe non ut antea. Quod etiam Christus dixit de tribus, qui perfodiunt ac furantur, ita intelligendum est, ut censeamus exempli caussa fuisse positum, cum aliis multis modis, quam furum opera possit fieri, ut thesauris à nobis congestis privemur ac spoliemur. Denique, id, quod hic Christus de thesauris non congerendis in terra præcipit, non ad supellectilem & pecuniam, argentum, aurum, & gemmas, aliaque ejusmodi preciosa mobilia accommodandum est, ut proprie thesauri vox sonat; sed etiam ad ipsa bona immobilia comparanda, & quodammodo coacervanda, quæ, quamvis non tantopere ut mobilia, tamen & ipsa valde incerta sunt bona, & facile vi ac violentia vel fluminum, vel tyrannorum, vel hominum iniquorum, quantumvis privatorum, nobis eripi queunt, præter vim ignis, qui vel cœlitus delapsus, vel quacumque alia ratione in bona nostra immissus, potest nos, sive casu id factum fuerit, sive quacumque alia ratione, ædibus nostris ac palatiis, ædificiis denique omnibus privare ac spoliare.

Sequitur in Christi verbis hortatio, ad divitias illas alterius generis congerendas. Nam inquit, thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. Thesauris terrenis c ponit thesauros cœlestes, quos per apertam antithesin eorum quæ proxime dixit, ostendit esse certos, eorumque possessionem certam. Namque statim subjicit, *Ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, nec fures effodiunt, aut furantur.* Ex quibus verbis, non id ipsum tantum, quod ipsa sonant, intelligendum est, sed omnino censendum, Christum dicere voluisse id, quod res ipsa per se satis docet, tales thesauros in cœlo congestos nulla prorsus ratione minui posse, aut aliquo modo perdi. Jam quomodo quis debeat sibi thesauros in cœlo congerere, satis potest intelligi ex iis, quæ supra Christus docuit, præcipue ab initio hujus concionis suæ, ubi exposuit, quinam sint futuri beati, & propterea jam beati appellari possint. Nam de plerisque istorum diserte dicit, eos possessuros regnum cœlorum, seu mercedem illorum multam esse in cœlis, seu, ipsos Deum visuros, seu tandem, filios Dei ipsos vocatum iri, quæ omnia, licet non diserte, tamen reipsa ostendunt, istos in cœlo magnis bonis fruituros esse, & consequenter ex Christi doctrina, quæ ibi habetur, apparet, qua ratione thesauri in cœlo sint colligendi, id est, curandum atque efficiendum, ut bona magna atque egregia aliquando possideantur à nobis in cœlis. Nempe, dando operam ut tales simus, quales sunt ii quos Christus ibi beatos pronunciat; & quanquam cura, ut quis divinis illis ibi enumeratis virtutibus, & aliis similibus ornatus sit ac præditus, sit futura caussa, ut quis cœlestia illa bona possideat; tamen præcipue virtus liberalitatis erga pauperes, videtur ejusmodi esse cui hic effectus tribuatur, bona illa cœlestia nobis comparandi. Nam Christus ipse cap.18 Lucæ 22, ei qui illum interrogaverat, quid facturus esset ut vitam æternam possideret, & à Christo monitus quid facere deberet, id est, Legem divinam servare, responderet, se id facere ac fecisse, dixit, unum adhuc illi deesse, ut scilicet omnia venderet quæ haberet, & daret pauperibus; & statim subjecit, *Et habebis thesaurum in cœlo* Capite similiter 16, apud eundem Euangelistam vers. 9 monet Christus, ut faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, id est, terrenas divitias nostras largitur donemus, & in egentes distribuamus. *Ut*, inquit, *cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quibus verbis ostendit, largam destributionem inter pauperes horum bonorum terrenorum, fore caussam, ut in cœlo in æternum habitemus. Quin etiam apud eundem Euangelistam cap.12.33, 34, ubi satis aperte idem docet ac suadet, quod hic, ut scilicet quæramus cœlestes thesauros, sic ait, *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropinquat, neque tinea corrumpit.* Et statim id subjicit, quod & in loco nostro, ut mox videbimus: *Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Unde satis constat, Christum, eadem de re utrobique loqui. Quare, cum apud Lucam nominatim eleemosynæ faciendæ meminerit, immo aliud nihil commemoraverit, non obscure apparet, præcipuam ac potissimam viam congerendi thesauros in cœlis esse, largas eleemosynas facere. Quamvis non ita hoc sit intelligendum, quasi hoc solum, per se futurum sit caussa tanti boni. Estque hic illud memoria repetendum, quod, cum de beatitudinibus illis, quæ sunt in initio hujus Christi sermonis, ageremus, monendum esse diximus, ne quis existimet singula illa, quæ iis, qui beati ibi pronunciantur, tributa leguntur, per se satis esse ad beatitatem illam iis conciliandam.

Reliqua auctor non absolvit.

FINIS.

EXPLICATIO

Primæ partis primi capitis
Euangelistæ

JOHANNIS

Scripta

a

FAUSTO SOCINO SENENSE.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

PRÆFATIO
IN
EXPLICATIONEM
primæ partis primi Capitis Johannis, id est usque ad vers. 15.

MUlta profecto sunt, in quibus adhuc Christianus orbis cæcutit, & plura fortasse, quam quis vel credere, vel etiam cogitare possit; quod cum ego animadverterem, statui non semel, Dei ope atque auxilio fretus, aliquot ex iis erroribus scripto detegere ac confutare, qui in omnibus fere Ecclesiis, quas Christo initiatas cernimus maxime vigent: atque eos præsertim, quos vix à quoquam animadversos penitus latere videbam. Dumque hoc mecum ipse cogito, ecce, (quod equidem satis mirari non poteram) ex amicis meis quidam, & maxime pii, & mihi conjunctissimi, quibus nihil unquam denegare sum ausus, à me petere, vel potius orare atque obtestari incipiunt, ut aliquid hoc tempore de Deo Christoque ejus, scribere velim; hoc est ut falsas, quas de istorum natura vel substantia opiniones Christiani passim conceperunt, destruere coner, veritatem interea, quam nec immerito perpaucos, immo paucissimos nosse arbitrabantur, firmis rationibus, asserendo. Quorum precibus etsi vincebar, eos tamen monere non destiti, satius fore, si alia tractarentur, quæ & ad pietatem magis conducerent, & nostræ ætatis hominibus non minus essent incognita. Idque ea potissimum ratione suadebam, quod viderem, Romani quidem Antichristi regnum ab omnibus dirui atque vastari, idolorumque templa everti, interim tamen Christi regnum non resurgere, ejusque templum, nedum à quoquam extrui, sed ne cæmenta quidem & lapides, ad illud extruendum, ab aliquo parari. Respondebant illi, quæ dicerem sibi valde probari, omnes enim animi & ingenii nostri vires in hoc contendendas esse, ut, Dei Christique gloriæ, alteriusque utilitati inserviamus; verum, se nihil, ne cogitare quidem posse, quod vel cuivis utilius esse, vel Dei Christique gloriam magis amplificare queat, quam, si tam inveterata, quæ de natura & substantia eorum figmenta homines excogitarunt, penitus aboleantur. Hac enim ratione non solum viam ad pleraque alia, quæ maximi sunt momenti, intelligenda patefieri, verum etiam & Judæos & Turcas ad Christianam religionem allici posse, qui portentosis istis opinionibus, quæ Christianæ fidei axiomata esse creduntur, ab ea amplectenda semper sunt deterriti. Persuaserunt itaque, ut quidnam hac de re sentirem, scriptis mandarem. Quapropter Johannis Euangelistæ primi capitis partem illam interpretandam mihi selegi, quam in Ro-

mana Ecclesia à missa (quam vocant) sacrificuli recitare consueverunt. Nam, cum falsa ejus interpretatio omnis erroris fons fuisse videatur, & Achilles quidam sit eorum, qui suis sophismatis, veritatem manifestissimam tenebris involverunt; haud inanum operam me navaturum sum ratus, si & ejus verum sensum, facillima explicatione aperirem, & telum hoc ex adversariorum manibus extorquerem; sic enim fore, ut non tantum sententiam meam ostenderem, sed contrariam non mediocriter labefactarem, Non tamen omnia nos hic dixisse credas quæ vel ad Johannis mentem percipiendam, vel ad sententiam nostram confirmandam, facere possent: pleraque enim omisimus, quædam vix attigimus; in iis vero, quæ ab aliquibus ante nos recte exposita fuere, breves esse laboravimus, longiores tantummodo fuimus in iis explicandis, quorum verus sensus omnes prorsus (qui quidem extarent) explanatores fuisse videtur.

Qua in re orationis ornatum fere omnem sprevimus, non eam quidem ob caussam, quod eloquentiam, ut quibusdam placuisse scimus, sacris in quæstionibus minime convenire putemus, qua in his maxime opus esse credimus; sed cum ea que Nova sunt satis per suspecta videantur, suspicionem augere noluimus, si verborum lenociniis homines in sententiam nostram pellicere voluisse, visi fuissemus; id tantum curavimus, ut omnino barbare locuti non videremur, ne nostrum hoc elegantissimum seculum, nimia sermonis asperitate, à legendis nostris avocaretur. In Sacrarum vero Litterarum locis citandis, & in his verbis quæ nobis explicanda sumpsimus, (ut omnis calumniandi occasio auferatur) Veterem translationem secuti sumus, nisi si quando à sana interpretatione nimis recedere est visa. Nomen autem nostrum non adjecimus, nam licet in iis regionibus simus, ubi ab hominum injuria metuendum nobis non est, libuit tamen, antequam nomen nostrum prodamus, aliorum, exigui hujus laboris nostri, judicium cognoscere. Apellis nobillissimi illius pictoris exemplo, qui post ipsam tabulam latens, opera sua transeuntibus judicanda proponbat. Illud postremo scias optime lector, me quidem valde cupere, ut omnes meæ opinioni adhæreant, quippe qui eam ut verissimam sic etiam utilissimam esse judicem, non tamen protinus vel hæreticos appellaturum, vel fratres non agniturum eos, qui eam & respuerint, & perniciosissimam quoque esse clamaverint; dum modo Christi unici legislatoris nostri præcepta pro viribus exequantur, & divinis testimoniis nos placide convincere conentur. *Vale.*

EXPLI-

EXPLICATIONIS

Primæ partis primi Capitis

JOHANNIS,

Id est usque ad Vers. 15.

PROLEGOMENA.

Quoniam, ut in Epistola ad lectorem monuimus, quæ dicenda sunt, ut majore ex parte nova, & nostro seculo inaudita, suspecta fortasse prima fronte videbuntur, paucula quædam præfari visum est, quæ, scilicet, & suspicionem tollere, & simul ad ea intelligenda non mediocriter conferre possint. Primum itaque quidquid de Ebione & Cerintho vulgo jactatur, adversus quos, tanquam Christum ante matrem fuisse negantes, Johannes suum scripserit Euangelium, figmentum esse censebitur. Nam præterquam quod nihil solidi ad ejus probationem in medium affertur, non desunt efficaces rationes, quæ diversum sentire cogant. Sed prius istius erroris caussa atque origo notanda est, quæ quorundam falsa imaginatio fuit; qui, cum viderent, Johannem in initio sui Euangelii, Christum & verbum & Deum appellare, audirentque ab eo dici mundum per ipsum esse factum, nec verum interea Euangelistæ scopum assequi possent, cœperunt nescio quid altius & divinius mente concipere, quam Johannes intelligere voluerit, nempe Christum esse æternum Dei filium, & parem in omnibus Deo patri, ac secundam (ut ipsi loquuntur) in Trinitate personam, immo ipsissimum Deum omnipotentem. Atqui si res ita haberet, profecto divinæ litteræ alicubi clare, aperte, & sine verborum involucris ambagibusque hæc docuissent. Mirum siquidem esset, Johannem, ac cæteros Euangelistas, & Apostolos, in re tanti momenti (nam non solum ad salutem necessariam, sed etiam salutis nostræ totius caput atque fundamentum esse contendunt) nihil penitus, quod clarum & apertum sit, usquam scripsisse, præsertim cum multis aliis describendis, longe minoris momenti, & ad salutem non usque adeo necessariis, occupentur. Et si cæteri hoc prætermisissent, certe Lucas diligentissimus scriptor annotasset, qui magna cum diligentia, (ut ipsemet profitetur Luc. 1. vers. 1.) omnibus ab initio pervestigatis, accurate & ordine de Christo scripsit, & tamen non in ejus Euangelio solum, sed in Actis quoque Apostolorum ab ipso descriptis, de his rebus mirum silentium vides. Nimirum ergo & ipsi, & aliis Sacris Scriptoribus grandem isti faciunt injuriam, quippe qui eos aliquid vel prætermisisse, vel obscure indicasse tacite affirment, quod ad humani generis salutem summopere sit necessarium. Illud præterea, opinionem istam, quæ de Christo vulgo habetur, abunde refellit, non alium Dei unctum sive Messiam à nobis, ut à peccatis nostris liberemur, amplectendum fuisse, quam eum qui à Prophetis descriptus, ac promissus fuerat, hoc est ex semine Davidis, & summi Dei nostri Jehovæ servus. Neque enim prætermittendum est, in instrumento Novo, dum scribitur per Christum factum esse mundum, & omnia condita fuisse, non hoc ad mundi hujus corporei, quod communiter isti faciunt primam creationem, sed ad ipsius Christi spiritualis regni constructionem (quæ mundi reformatio est) esse trahenda. Siquidem Christus spiritualis rex est, non carnalis, à Deo nostro constitutus, ut ædificet, faciat, atque creet suum hoc spirituale regnum, quod est ipsius Ecclesia. Moses enim (inquit auctor Epistolæ ad Hebr.) fidelis fuit in tota domo illius, tanquam famulus, at Christus ejus domui præpositus est, cujus domus sumus nos Quantum vero ad Ebionem & Cerinthum attinet, in quorum odium Johannes scripsisse dicitur, id ab omni veritate alienum esse videtur. Primum enim longe alia fuit Cerinthi & Ebionis (si modo Ebion certus quidam homo fuit) sententia, atque ab omnibus passim hac nostra ætate scribitur, & superioribus seculis scriptum est (si vetustissimo scriptori Irenæo credimus) qui utriusque doctrinam recensens, quod Christum verbum scilicet Dei ante Mariam fuisse negarent, ne indicat quidem, immo cum de Cerintho loquitur, contrarium innuere, vel potius aperte dicere videtur, si quis paullo diligentius ejus verba expenderit. Deinde verisimile non est, Johannem rem tantam ita leviter silentio præteriturum fuisse, quin hæreticos istos eorumve istam, contra quam scriberet, hæresim saltem vel tacite vel aperte alicubi commemoraret, ac detestaretur, quod cum non fecerit, cur non alicubi saltem apertissime testatur, ipsum Christum natura Deum esse simul & hominem, vel jam extitisse antequam ex Maria nasceretur? Cur in re tanti momenti, cujus ignoratio æternam mortem adfert, adeo & obscurus & parcus esse affectavit? Verum Johannem horum in scribendo nullam habuisse rationem, vel ex eo apparet, quod ad finem Historiæ rationem reddens cur Jesu signa, sive (ut alii volunt) totam Historiam scripserit, non aliam fuisse ait Joh. 20 11, quam ut credamus Jesum esse Christum Dei filium, idque credentes vitam habeamus æternam. Hoc siquidem loco opportunum fuisset Euangelistæ aliquid contra pestiferos hosce hereticos adscribere, sic enim dicere potuisset, hæc scripta sunt, ut credatis Christum esse æternum Dei filium, ejusdem cujus ille substantiæ, & in omnibus illi parem, quin & ipsumet unicum nostrum Deum, idque credentes vitam æternam habeatis. At, mihi crede, non habet hoc Johannis Euangelii initium, tam retrusos sensus, atque vulgo creditum est; sed difficile intellectu reddiderunt nobis subtiles isti & profundi speculatores cavillis suis, ac miris quibusdam figmentis, ludicrisque subtilitatibus; quæ omnia profecto Christiano homine indignissima sunt. Sed quid plura opus est? Id solum ab iis, qui in hæc nostra inciderint, requirimus & flagitamus, ut omni falsa persuasione exuti, ea legere non graventur, & libero judicio, juxta divinum verbum judicent, precibus ardentissimis Deo adhibitis, hac siquidem sola ratione veritatem assequentur.

Vers. 1. *In principio erat verbum.*] Qui hoc loco principii nomine Christi æternitatem designare volunt, manifestissimi erroris, vel ex eo solo convincuntur, quod nulla seu Veteris, seu Novi Fœdere auctoritate eorum

 opinio

opinio fulciatur. Etenim nusquam reperies in Sacris Literis, principium pro æternitate usurpari. Qua propter nomen principii in his verbis, non æternitatem, sed ordinem earum rerum respicere dicemus, quas Johannes de Jesu Christo dilectissimo Dei filio scripturus est, imitatus hac in re Mosem, qui, Historiam suam describens, ab hoc nomine principii & ipse exordium sumpsit *Gen.*1.1. Et sane mirum est, quod cum Theologi fere omnes passim testentur, nullum interpretandi genus melius & securius inveniri posse, quam si Sacræ Literæ iisdem Sacris Literis exponantur; hoc tamen loco, sui ipsorum obliti, valedicto divinarum litterarum auctoritati, suis somniis indulgeant. Quemadmodum itaque Moses antiqui hujus mundi creationem descripturus, *In principio* dixit eorum respectu quæ deinceps dicturus erat ac si diceret, Principio, in primis, & ante omnia condidit Deus cœlum & terram, quod summatim dictum deinde digessit: ita & Johannes, cum de spirituali mundo per Christum creato scripturus esset, usus est illa ordinis voce, non autem æternitatis nota, ut intelligamus verbum hoc fuisse, non quidem ab omni æternitate, sed ante res creatas omnes Novi mundi, paucisque comprehendere voluit, quod deinceps pluribus enarraturus est. Et sic uti Moses non de initio cujus libet rei creatæ, sed illius tantummodo, quæ incipiente mundo facta est, de illa, inquam, visibili, non de invisibili sermonem instituit, quare & initium illud de visibilibus solum creatis rebus intelligendum est: ita & Johannes dum *in principio* dixit, ad earum rerum initium respexit, de quibus sermonem instituerat, non autem omnium, quæ multo ante extiterunt.

Interpretum præterea explicationes hujus vocis *Verbum* variant. In hoc tamen concordant, quod Verbum sit quidam æternus Dei filius, omnis expers principii; utpote qui genitus sit ante omnia secula, & (ut eorum verbis utar) sit coæternus, consubstantialis, ac per omnia patri æqualis, secundaque in trinitate persona. Hæcque & hujusmodi alia quædam, quorum ansam illis dedit Græca vox λόγος, ingeniose quidem (ut ipsis videtur) & feliciter comminiscuntur. Quæ omnia cum non solum Sacris Literis, tum Veteris tum Novi Fœderis, adversentur, verum etiam sibi ipsis non constent, immo cum ridicula magna ex parte appareant, efficitur, proh dolor, ut Jesu Christi religio Sacro Sancta & divinissima, & Judæis, & Turcis, & exteris denique omnibus maxime fit ludibrio. Quid ergo? Johannes *Verbi* nomine ipsum Dominum Jesum Christum Dei Filium, hominem, scilicet, illum, qui, Augusto imperante, ex virgine Maria natus est, intelligit, non ob aliquam ejus naturam, aut substantiam, sed muneris tantum caussa quo ipse Dei filius functus est, dum Euangelicum patris sui verbum exponeret. Nam nihil omnino Christus (quantum attinet ad sui naturam & substantiam) nobis profuisset, nisi Euangelii arcanum patefecisset.

Cæterum observandum est, hanc esse ipsius Johannis phrasim (habet enim Johannes peculiares quasdam phrases, quibus Ecclesiasticorum scriptorum alius nemo utitur) etenim nusquam in Sacris Literis reperire poteris, Christum appellatum fuisse verbum, præterquam ab ipso Johanne, quod alia ratione ab eo factum non est, quam quod ipsius Christi operâ Euangelii verbum, quod prius latebat, innotuit. Subestque hic metaphora simul & metonymia. Metaphora enim in eo est, quod sicut verbo hominis ejus voluntas cognoscitur, ita per Christum omnis Dei voluntas patefit. Christus enim nos allocutus est *Joh.*1.18. & Dei arcanum atque decretum de æterna hominum redemptione, ex sinu patris prolatum, primus humano generi revelavit, Hincque metonymiæ quoque datus est locus, cum Christus auctor sit verbi illius, quod κατ' ἐξοχὴν hac simplici appellatione gaudere potest; quippe quod aliis omnibus utilius sit atque præstantius. Itaque quemadmodum Christus, nunc metaphora utens, seipsum vitem, pastorem, & ostium vocat, quod & viti, & pastori, & ostio aptissime comparari potest, nunc metonymice loquens, dicit se esse veritatem, vitam, resurrectionem, eo quod horum omnium auctor sit, atque largitor: non secus Johannes hic & in Apocalypsi, *Apoc.*19.19, (quem locum Legi cupimus) hominem hunc Christum Jesum, metaphora simul & metonymia utens, verbum Dei appellat, quibus loquendi modis, tum Sacri, tum prophani scriptores nusquam non sunt refertissimi.

Quin (ut exemplis ad hanc rem explicandam quam accommodatissimis, imperitorum caussa utamur) videmus, Johannem Baptistam Vocem in Sacris Literis appellatum fuisse, quod certe nullo modo substantiam, vel naturam ejus indicat, sed munus tantummodo quo fungebatur, cum in diserto clamans omnes ad pœnitentiam invitaret. Aharon quoque datur à Domino Mosi pro ore; num hoc ad ipsius Aharonis vel substantiam vel naturam pertinere dicemus? Quid absurdius existimari posset? An non clare patet de munere, quod, pro Mose Pharaonem & Israëliticum populum alloquendo, obiturus erat, intelligi debere? Quid igitur mirum, si & Christus, non ob ipsius substantiam vel naturam, sed propter munus, quod Dei quodammodo vice in terris obiit, ab Euangelista nostro, qui mire his loquendi modis delectatur, Dei verbum esse dicitur? Quod eo libentius eum fecisse aliquis fortasse non inepte existimare posset, quod cum Novi & Spiritualis mundi creationem (ut jam diximus) exponere instituisset, ejus rei nomine, per quam vetus hic mundus creatus fuit, Christum Jesum per quem novus creatus est, voluerit appellare. Nam per Dei verbum, cœlum, terram, & mare, & quæcumque in eis sunt, condita fuisse legimus, & sicut in prima sua creatione verbo suo dedit Deus animantibus vitam & lucem corporalem, ita postquam in mortem, atque æternas tenebras lapsi erant homines, ineffabili sua misericordia, per hoc verbum suum, mundum iterum creat, instauratque in eis ac reparat vitam lucemque spiritualem. Verum quod huic loco intelligendo potissimum confert, est, quod omnia nomina, seu cognomina, quæ Christo imposita inveniuntur, non propter naturam ejus aliquam vel substantiam divinam & æternam, sed tantummodo ob ejus munus, ac potestatem admirandaque opera ab ipso patrata, illi fuerunt indita. Jesus enim, Christus, magister, lux, via, veritas, vita, ostium, pastor, vitis, panis, lapis, agnus, advocatus, mediator, sacerdos, resurrectio, justitia, spes nostra, aliisque ejusdem generis nominibus nuncupatur.

Quemadmodum ergo nomina ista, naturam ejus aliquam aut substantiam non designant, ita nec vox Verbum, cujus nomine ipse hoc in loco insignitur, quidquam tale significat. Et hic obiter deploranda est inscitia seu potius miseria multorum, qui, licet in divinis oraculis nihil fere umquam de Dei vel Christi abstrusa aliqua natura aut substantia disseratur, impense tamen laborant, & sese miris modis torquent, ut reconditiora multa de utriusque natura & substantia cujusnam illi sint naturæ & substantiæ possint percipere, dumque hoc & ipsi assequi student, & alios docere conantur, bone Deus quid non sunt ausi? Quæ sophismata, quæ mirabilia commenta Euangelii loco simplici plebeculæ obtruserunt? Quænam Dei populo prius inaudita dogmata, Platonica certe magis quam Christiana, in Christi Ecclesiam invexerunt? Quot immensa volumina istis de rebus conscripserunt? Quibus & veritati, & sibi ipsis majores tenebras offuderunt; quod non absque justissimo Dei judicio factum est. Nam præterquam quod in ipsos aptissime torqueri potest illud, quod, adversus eorum figmenta negantes, ipsi sæpius jactare solent, *Scrutator majestatis opprimetur à gloria* Prov.25.27; in hoc graviter errarunt, quod cum nusquam Sacræ Literæ de Dei voluntate ejusque promissis per Christum nobis exhibitis non apertissime loquantur,

quantur, eorum tamen aliqui, dum Græcæ Philosophiæ libentius, quam Dei verbo dies noctesque dant operam, partem hanc, unde hominum pendet salus, vel intactam reliquerunt, vel ita frigide & oscitanter tractarunt, ut quidvis aliud egisse videantur. Quorum vestigiis nos neutiquam insistentes, de Dei essentia disputationes fere omnes relinquamus, minimum siquidem ad pietatem conducere videntur; quid vero nos facere jusserit, quid nobis promiserit, diligenter inquiramus; ubi invenerimus, studiose servemus, certoque futura esse credamus. Sed ut ad id, quod initio nobis propositum est, nostra recurrat oratio, summa hæc est: Scripturus Johannes de Domino nostro Jesu Christo Dei filio, ac mundi redemptore, nec non de spirituali mundo per eum creato, & de mundo hoc corporeo, spirituali ratione per eum instaurato; Altius ante illius patefactionem orditur, dicens, *In principio erat verbum*, hoc est, Christus Dei filius, in principio Euangelii, eo nimirum tempore, quo Johannes Baptista, ad frugem Israëlitarum populum revocare cæpit, & antequam ipsius Baptistæ prædicatione Judæis innotuisset, jam erat, & erat à Deo huic muneri, voluntatem suam scilicet patefaciendi, destinatus. Nam Euangelii principium, à Baptistæ prædicatione ducendum esse, ex Marco liquido constat Mar. 1. 1, quem hic noster, quod ad Principii nomen attinet, auctorem habet. Jesus igitur ad Judæos quidem genus suum referebat, & inter illos versabatur, idque per annos triginta, illisque de facie notus erat, nec ejus nomen ignorabatur, vulgo enim Jesum Josephi filium appellatum fuisse legimus Joan. 6. 42, sed quod verbum & Christus esset, id est, quod per eum Deus voluntatem suam orbi terrarum palam facturus, & homines ab æterna morte vindicaturus foret, id vero omnibus prorsus ignotum erat, ideoque subjungit Johannes:

Et verbum erat apud Deum Hoc est, Jesus quatenus Dei verbum, antequam Baptistæ prædicatione patefieret, soli Deo notus erat. Hinc ipse Baptista paullo inferius dicet, *Ego baptizo vos aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est qui post me venturus est.* Immo & Baptista, quisnam esset Christus, se ignorasse fatetur, dum inquit, *Et ego nesciebam eum; sed ut manifestaretur in Israel, propterea ego veni aqua baptizans.* Constat autem in Sacris Literis, dictionem, *Apud*, in hac significatione usurpari. Nam in hanc eandem sententiam, ipse Johannes Epistola prima capite primo, cujus initium toti huic loco maximam lucem affert, ita scribit, *Et annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & manifestata est nobis.* Quod perinde est, ac si dixisset, vitam vobis æternam nunciamus, quam quidem ante hac nullus hominum novit, quippe quæ soli Deo, qui ea vos donare decreverat, nota foret; sed nunc palam omnibus est facta. Etenim per prædicationem, per miracula, per mortem, & resurrectionem filii Dei, qui, cœlos conscendens, Spiritus Sancti amplissima dona nobis largitus est, denique per Apostolorum divinissimum præconium, vita illa æterna & immortalis, quæ prius omnes penitus latebat, mundo innotuit.

Quod si dictionem *nobis* ad Apostolos tantum & discipulos, qui aliis Christum prædicabant referre malueris (quod equidem valde probo) idem tamen sensus erit vocis *Apud*, hoc est, vitam æternam, quæ ipsis revelata soli Deo prius fuisse cognitam. Ita & Christus antequam gloriam suam patefaceret, qualis & quantus esset, ignorabatur Joh. 2. Patefecisse autem gloriam suam proprie dicitur tum, cum signa edere cæpit. Quod si quis inepte cavilletur, longe aliud esse, gloriam suam non patefacere, & ignotum esse, refellet eum Baptista, qui se venisse ait Joh. 1, ut Jesus patefieret Israëli. Cujus verbis non solum inane istud objectum diluitur, sed perspicuum etiam fit, Jesum ante Baptistæ prædicationem mundo ignotum fuisse, adeo ut jure, non secus ac vita æterna, tunc temporis apud Deum fuisse dicatur Joh. 1. Præterea fratres ipsius, dum ei suadent, ut è Galilæa discedat, & in Judæam se conferat, his verbis utuntur, *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse, si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.* Vides, seipsum mundo manifestare seu patefacere, nihil aliud esse, quam præclaris facinoribus, virtutem suam quæ prius latebat, prodere, & celebre nomen inter homines adipisci. Postremo, ut appareat verba hæc, *Apud Deum*, exponi illis, videlicet, *Apud homines* (hoc siquidem sensu nos ea hoc loco accipimus) non abs re erit Lucæ verba quædam, quæ ille de Jesu dixit, adscribere Luc. 2. *Et Jesus*, inquit, *proficiebat sapientia, ætate, & gratia, apud Deum & homines*; quod idem est ac si diceret, in Dei & hominum conspectu.

Et Deus erat Verbum. Hoc nomen Deus, non est nomen substantiæ cujusdam proprium vel personæ, sed auctoritatis, potentiæ ac beneficentiæ, & (ut grammatici loquuntur) non est nomen proprium, * sed appellativum; quod omnibus, qui vel summis labiis linguarum fontes gustarint, notissimum esse non dubito. In divinis autem litteris nomen hoc κατ' ἐξοχὴν seu ut quidam loquuntur, antonomasiam, tanquam ejus proprium illi summo omnium auctori Deo tribuitur, quippe qui sit omnium Dominus, atque Judex, & fons, origo, atque largitor omnium bonorum. Aliquando tamen tribuitur hæc appellatio rebus creatis, cum ab illo primo omnium auctore ad aliquam functionem, honorem, & potestatem evehuntur. Nam angeli & principes nec non & judices hac ratione Dii vocantur Psal. 28. 6. XCVII. 7. 82. 6. Sic Moses constitutus fuit Deus super Pharaonem, sic pro Deo quoque Aharoni datus Exod 21. 6. & 22. 28. & 7. 1. 4. 16. Quæ cum ita sint, quid mirum, si Christus Dei verbum, Deus esse dicitur, cum non solum in nos miseros mortales innumera beneficia contulerit, & salutis nostræ vitæque æternæ dux auctor, & consummator extiterit, divina, dum in terris ageret, potentia & auctoritate præditus, verumetiam à Deo postmodum supra omnes homines atque angelos, supra omnem principatum & potestatem evectus fuerit, cœli terræque Dominus factus, & vivorum mortuorumque judex constitutus? At vero asserere, Christum ita Deum esse, ut summus ille sit altissimusque rerum omnium auctor, qui cœlum terramque condidit, suprema est inscitia. Nam in Sacris Literis solus ille Jesu Christi pater invisibilis atque omnipotens Jehova hoc honore insignitur. Hinc Paulus 1 Cor. 8. 5. 6. *Nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in cœlo, sive in terra, quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi, nobis tamen unus est Deus, pater ille ex quo omnia.* Non est tamen Christus redigendus in ordinem Angelorum, & aliorum hominum, qui hoc Dei nomine insigniti fuerunt, quia longe majorem, ut jam exposuimus, & excellentiorem potestatem, honorem, gloriam, & majestatem à Deo accepit, quam ullus alius, vel omnes simul, qui dii nominati fuere, sint consequuti, sive ex angelis, sive ex hominibus fuerint, quippe qui illorum omnium caput & princeps sit factus. Neque aliud intendit auctor Epistolæ ad Hebræos, dum Christum Dei filium cum Angelis, & Mose confert, ex qua collatione clare apparet, Christum non minus, quam Angelos & Mosem, quicquid habet, id omne Deo acceptum referre; sed tamen, ut ille ait Heb. 1. 4. *tanto præstantior factus est, quanto excellentius præ illis sortitus est nomen.* Periret enim collatio illa, si Christus non à Deo, sed à seipso cuncta haberet, quæ possidet. Et quod Christus nihil habeat quod à Deo non acceperit, probari præterea potest ratione evidentissima, quæ talis est; Quicquid homo ille Iesus qui ex Maria virgine natus est, habet, à Deo habet. Atqui nihil habet Christus, quod vere & proprie ut homo ille non habeat. Ergo Christus nihil habet, quod à Deo non acceperit. Christum vero nihil habere, quod ut homo ille non habeat, apertissimum est judicio meo. Nihil enim excellentius, nihil præstantius Christus habet,

* *Vide Erasmum in Adagiis, Homo Homini Deus.*

quam quod à cunctis mortalibus, immo etiam ab ipsis Angelis adorari debeat, quod minime quis habere posse videtur ex alterius dono & largitate, & tamen hoc ei ut homini Deum dedisse, auctor est Paulus, ergo & alia cuncta quæ minora sunt, ut homo procul omni dubio habet, & porro à Deo accepit. Sic autem de Christo scribit Paulus Philip.2.9,& 10, ubi eum usque ad mortem crucis, quod certe de eo ut homine dictum constat, obedientem fuisse dixerat, *propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, quibus verbis quid clarius, quid apertius dici potest? Ergo qui dedit, quod majus est, non dederit quod est minus? Sic Christus hoc à Deo accepit, ut ab hominibus adoretur, cur, ut Dei nomine decoretur, non accepisse dicemus? Et quamvis hoc satis superque, iis qui animo sunt composito, futura sint, ut, qua ratione Christus Deus appelletur recte dispiciant, ut res tamen clarius elucescat, hæc pauca adjiciam. Cum apud Johannem Christus à Judæis accusaretur, quod cum homo esset, se Deum faceret, respondit. *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia ego dixi: Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, quem pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quoniam dixi Filius Dei sum?* Quibus verbis Christus, se Deum & Dei filium esse non negavit, immo asseruit, sed Deitatis suæ divinæque (ut ita loquar) filiitatis rationem explicuit, eamque primariam & veriſſimam & quia homo erat, non aliam Deitatem divinamve filiitatem sibi ausus est vindicare, quam quæ à Deo per sanctificationem ipsi ut homini concessa fuisset; hæcque ipsius verba si quis ea accurate perpenderit, quicquid in hujus loci nostri partis explicatione diximus, apertissime comprobant. Christus igitur Deus est, quia est Dominus, princeps, ac benefactor noster, quæ omnia Deo Patri suo accepta refert: sic enim ait Petrus Act.2.36, *Certissime ergo sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis*. Quare mirum non est, si pater ille gloriæ apud Paulum Ephes.1.17, Deus Domini nostri Jesu Christi esse dicitur. Sed quid quod magister ipse veritatis Christus, ore proprio id clare testatus est Ioh.20.17, *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum?* Quid quod nunc collocatus ad dextram Dei gubernat ejus Ecclesiam, non ut principalis auctor & Dominus, sed ut vicarius? propterea in novissimo die, cum subjecta fuerunt illi omnia, regnum Deo patri suo restituet, & illi subjectus erit, ut sit Deus omnia in omnibus. 1 Cor 15.27. Adde, quod Christus nusquam docuit, se esse unicum illum Deum omnium auctorem; sed potius in omnibus suis verbis, & factis omnem laudem & honorem Deo patri suo semper detulit, eum ubique sui muneris, potestatis, & gloriæ auctorem faciens. Quod si aliquis roget, quando Christus à Deo patre suo, hujusmodi eximia dona, ob quæ meritò Deus appellatur, acceperit. Si de divina illa auctoritate peccata in terris condonandi, præpotentique virtute impuris spiritibus, ventis, mari, procellis, morbis, morti denique imperandi, & præclarissima divinaque prorsus, nec prius audita opera faciendi, ac de admirabili illa divinarum omnium rerum scientia, arcanæque voluntatis Dei absolutissima cognitione queratur, jam inde ab initio (quod initium quale sit, superius expositum fuit) hæc omnia eum accepisse: si de mediatoris sive internuncii gloria, honore, & approbatione solenni, in baptismo, & in monte: si vero de summa illa potestate, tum in cœlo tum in terra, post crucis mortem in resurrectione, dicetur. En habes qua ratione Christus sit Deus.

Vers.2. *Hoc erat in principio apud Deum.*] Haud temere quod superius dixerat repetit Euangelista noster, hoc siquidem agit, atque contendit, ut Jesum, licet serius, & post Baptistæ prædicationem patefactum, dignitate tamen atque officii præstantia, ipsi Baptistæ antecellere credamus, & eum jam tum à Deo, ad suæ nobis patefaciendæ voluntatis munus destinatum fuisse, cum Baptista Israëlem ad pœnitentiam invitare instituit. Etenim magna erat in Israële opinio Johannis Baptistæ, ut clare liquet, si quis non oscitanter admodum & supine Euangelistarum scripta legat; adeo ut pro Christo aliquando habitus fuerit. Quare hic noster, mox de eo dicet, *non erat ille lux*. Iterum igitur asserit, verbum hoc fuisse ab initio apud Deum, ne Baptistæ gloria atque existimatio, & tempore prius præconium, nobis oculos perstringat, ut quis vere sit Christus & salutis nostræ auctor, quis verus & præcipuus Dei nuncius atque legatus, cujus maxime verbis indubitata nobis sit adhibenda fides, perspicere non possimus.

Vers.3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.*]. Universalis hæc dictio Omnia; non ita late accipienda est, (quod tamen vulgo fieri videmus) ut primam illam cœli terræque creationem comprehendat. Johannes enim hoc loco non de corporei mundi hujus, de quo perfectissime scripsit Moses, sed de spiritualis mundi structura (ut jam dictum est) loquitur, qui non corporeis sed spiritualibus rebus, id est, Euangelii verbo construitur, quo homines instaurantur, & spirituali quadam ratione denuo creantur. Vox igitur Omnia, non ita simpliciter intelligenda est, ut ad mundana hæc trahatur, sed ad negotium Euangelii jam tunc publicati atque recepti accommodari debet, quasi dicat Johannes, Omnia Nova hæc spiritualia atque divina, quæ apud nos, & in toto terrarum orbe facta conspiciuntur, (nam quo tempore Johannes Christi Historiam scripsit, multi jam ex ipsis ethnicis ad ejus cognitionem pervenerant, & ex tenebris ad veram lucem conversi erant, aliaque admiranda opera Apostolorum ministerio facta conspiciebantur) non aliunde ortum habent, quam à Jesu Christi Euangelii prædicatione, Christique opera & potestate sunt facta. Et licet nemo ignoret, universales particulas plerumque ad id solum, de quo sermo institutus est, accomodari debere, atque simpliciter positas, sæpius necessario contrahendas esse; attamen, ut rudibus consulatur, unum de tam multis, sed appositissimum exemplum, ex Sacris Litteris petitum adducemus. Hæc itaque apud Paulum verba invenies 1Cor.5.17, *Si qua ergo in Christo, nova creatura est, vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.* Quid audio? Num vere omnia Nova sunt facta? num cœlum & terra, num arbores, num animalia cuncta renovata sunt? Minime vero. Nemo enim ignorat hæc omnia Christi adventu pristinam naturam vel substantiam, aut qualitates non immutasse, nec de his loquitur Apostolus, sed de iis, quæ ad religionem, ad cultum Dei, ad ejus fœdus atque promissa, ad mores & vitam nostram pertinent; & hæc omnia merito renovata esse dicit. Haud secus Euangelista noster dixit, omnia per Christum facta esse, non quidem cœlum, & terram, & alia cuncta quæ prius creata fuerant. Quid enim hoc ad ejus institutum? Sed ea universa per Christum facta fuisse asserit, de quibus ipse scribere instituerat Joh.20.30 & 21.25. & præterea quidquid ab ipso omissum, ad præsens negotium pertinebat, veluti gentium conversionem, & ipsius Jesu Christi opera quam plurima, quæ eum consulto præteriisse scimus. Omnia hæc igitur per Christum sunt facta, & sine ipso factum est nihil, quod ad hanc (ut sic dixerim) factionem pertineat. Nam & ipse Apostolis suis dixit Iohan.15.1, *Sine me nihil potestis facere*, qui locus hunc nostrum explicat elegantissime.

Vers.4. *In ipso vita erat.* Nequaquam hoc intelligi debet, de animantium vita naturali, quæ in Deo residet, de qua hic philosophi argutantur (quod ita se habere mox, cum Baptistæ testimonium explicabimus, clarius apparebit) sed de vita, quam per Christum homines consequuntur, nimirum æterna, & immortali, propter quam patefaciendam & Christus natus est, & Euangelium suum Johannes scripsit. Locus autem ejusdem Johannis adducendus, qui hunc quem præ manibus habemus dilucidissime explicat; sic enim alicubi

alicubi scriptum reliquit 1 Joh.5.15, *Quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus est.* Vides, quam vitam in Christo fuisse dicat. In Christo autem vitam æternam esse, duplici de caussa dicitur. Primum, quia, si quis ei fidem habeat, vitam æternam procul dubio consequetur. Deinde, quia in novissimo die ipse vitæ restituet, & immortales reddet omnes, qui ejus vestigia sequuti, non carnis, sed Spiritus imperio paruerint. Et, ne quis existimet hoc esse ipsius Christi proprium, adeo ut id Deo minime acceptum referat, ipsummet Jesum Christum audiamus: *Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & filio habere vitam in semetipso.* Ex quibus verbis apertissime constat, & à Deo Christum hoc accepisse, ut vitam in semetipso habeat, & quo sensu id dicatur, nimirum, quia vocem ejus audientes vitam adipiscuntur. Quare vox *erat* ad tempora illa ęterna pertrahenda non est, quę rerum creatarum initium antecesserunt, neque ad ætatem illam quæ Mariæ virginis partum præcessit, sed ad tempus vitæ illius, quam Christus inter mortales egit. Instituit enim Johannes de Christi vita verba facere, in qua omnia illa perfecit, quæ ad salutem nostram requiruntur. Nec alio sensu accipi debet, hæc vox, quam accipiatur, cum de Johanne Baptista mox dicitur, *non erat ille lux.*

Et vita erat lux hominum.] Argute admodum disputant quidam, quomodo verbum, quod ad sui divinitatem attinet, lux sit, quæ natura luceat, ac semper luxerit in humana ratione, eorum etiam, quibus Deus nunquam se oraculis suis, atque præsentia patefecerit, lucemque humanæ rationis, hoc loco confirmant. Sed sophisticæ istæ subtilitates nos à Christo abducunt plerumque, verumque nobis divinarum litterarum sensum eripiunt. Est igitur vita illa æterna, quæ erat in Christo, lux hominum, quatenus, (ut statim dicetur) Christus hujus vitæ patefactione illuminat omnem hominem. Cum alioqui omnes hujus mundi homines in umbra mortis sedeant, nullam vitæ æternæ firmam certamque spem habentes.

Vers. 5. *Ex lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*] Christus lux dicitur, non solum, quod cœlesti doctrina homines ad vitam æternam illuminet, sed etiam quod vita irreprehensibili, atque sanctissima illis præluceat, ut ipsum imitentur. *Exemplum enim*, inquit Joh.13.15, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Hujus vero sæculi homines tenebræ vocantur, quod sine Christo, vera luce, rerum divinarum nihil prorsus cernant. Cur vero Judæi & plerique alii lucem hanc salutarem non comprehenderint, immo respuerint, & odio sunt prosecuti, caussam habes inferius in hac eadem Johannis historia, ubi hæc Legis Joh.3.19, *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum opera mala.*

Vers. 6. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Johannes.*

Vers. 7. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Ut de hac tam præclara luce, ejusque præstantia omnibus constet, adducitur testimonium Johannis Baptistæ, qui de ea palam & publice testatus est, & id quod maxime in testimoniis requiritur, ejus viri adducitur, cujus & singularis integritas atque innocentia, & gravis auctoritas nulli non erat cognita. Sed quodnam testimonium huic luci dedit Baptista? Num eam ab omni æternitate fuisse, vel cœlum terramque creasse? Quam longe absunt ista ab illius verbis. Num eam omnibus rebus creatis spiritum vitamque hanc naturalem semper administrasse? Nihil minus. Testatus enim tantummodo est de Jesu, quod esset Christus, & agnus Dei, qui mundi peccatum auferret, quod Baptizaturus esset Spiritu Sancto & igni, cum ipse aqua tantum Baptizaret, quod se major ac præstantior esset, & alia hujusmodi. Quare vel alium sibi Christum, ab eo, cui testimonium dedit Johannes Baptista, fingant necesse est, vel invidum Christi gloriæ Baptistam fuisse dicant, vel saltem ejus dignitatis atque præstantiæ ignarum, & porro, nullius momenti ejus testimonium fuisse, cum illa de Christo reticuerit, quibus si destitutus foret, nihil penitus eum humano generi profuturum existimant, omnes ii qui Christum cœli terræque conditorem, animantiumque omnium sempiternum vivificatorem, & unicum Deum nostrum esse contendunt.

Ut omnes crederent per illum.] Ex his verbis, sententiam nostram; quam modo de Johannis Baptistæ testimonio exposuimus, verissimam esse, liquido apparet. Nam si ideo ad testandum de hac luce Johannes à Deo missus fuit, ut omnes crederent per illum; fatendum omnino est, eum nihil de Christo reticuisse, quod, ut illi fidem habeamus, nobis scitu sit prorsus necessarium.

Vers. 8. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum*]. Superius satis expositum fuit, quare hæc verba hoc loco Euangelista noster adjecerit. Tanta enim in Israëlitico populo fuerat opinio Johannis Baptistæ, ut veritus sit, ne Christus is esse diceretur. Ideoque ait, tantum abesse, ut Johannes lux hæc præstantissima fuerit, ut testis potius sit illi à Deo adhibitus, neque aliam ob caussam à Deo missus fuerit, quam ut de luce hac testaretur. Nam, licet Baptista lucerna ardens appelletur Joh.5.35, quod non solum propter eximiam ejus vitæ sanctimoniam, sed etiam, quia Christum veram lucem clarissime demonstrabat, dictum fuisse arbitror: attamen is vera lux illa non erat, quæ Euangelium Dei nobis vere patefecit, & ejus prædicatione tenebrosas hominum mentes illustravit. Baptista enim Baptismum pœnitentiæ tantummodo prædicavit, Christus autem per Euangelium, & mortem abolevit, & vitam immortalitatemque in lucem protulit 2 Tim.1.9.

Vers. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*] Solus ergo Christus est vera lux, is enim Euangelii sui patefactione, hominum mentes in tenebris ignorantiæ Dei constitutas, liberat, & in veram resurrectionis vitæque æternæ lucem, ac certam spem traducit. Quod autem Christus illuminet omnem hominem venientem in mundum, id tripliciter intelligi potest. Primo, quod quicunque ex hominibus hujus mundi ad vitam æternam illuminantur, non alia ratione illuminantur, quam per Christi Euangelium. Secundo, quod cujuscunque generis homines ab ea illuminentur, personarum enim rationem Christus non habet, sed æque illuminat gentes atque Judæos, doctos atque indoctos, nobiles atque ignobiles. Tertio, & hoc fortasse est verius, quod Christus quantum in se est, synechdochice tamen Euangelii luce omnium mentes illustret. Præterea hæc verba aliter Legi possunt, nimirum hoc pacto, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniens in mundum. Vox enim Græca ἐρχόμενον tam luci quam homini accommodari potest. In hanc sententiam alicubi Christus dixit, Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat Joh.12.46, & hæc sine dubio est germana hujus loci lectio, & interpretatio.

Vers. 10. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Hic mundum metonymice pro hujus mundi hominibus accipi, nulli dubium esse debet; id enim manifestissime apparet, dum inquit, *Et mundus eum non cognovit.* Nam de hominibus tantum hoc dici nemo inficias ibit. Quid autem hoc loco sibi velit Johannes, à nemine (quod sciam) adhuc recte expositum fuit. Quare conabimur nos verum sensum ex ejus verbis elicere, & omnibus apertissimum facere, quem superius etiam aliquando attigimus. Nemo est, qui nesciat, Novum Fœdus, hoc est, Euangelistarum & Apostolorum scripta, Hebraismis infinitis prope scatere. Scimus autem Hebræos verba composita non habere, ideoque simplicibus pro com-

compositis solere uti, qualem Hebraismum & Veterum & Recentiorum nonnulli agnoverunt in tertio cap. ad Ephesios vers. 11, in illis verbis, (ut quidem ex Græco legenda sunt) *Qui omnia creavit per Jesum Christum.* Quæ verba & vere & erudite interpretati sunt, omnia instauravit, vel, omnia iterum condidit per Jesum Christum. Similem locum habes eadem Epistola, dum ait Apostolus Ephes. 2.10: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Ubi nemo non videt & fatetur, non de prima nostri creatione, sed de recreatione (ut ita loquar) id est nova creatione per Christum facta sermonem esse.

Quæ cum ita sint, omnibus Euangelistæ nostri mens nota sit; ait enim, Christum in mundo fuisse, hoc est, inter homines versatum esse, & mundum per eum esse factum, id est, homines denuo quodammodo factos & creatos fuisse. Etenim illius opera, & cultus ille carnalis, quo Deum populus Israëliticus colebat, abolitus fuit, & idola fere omnia, quæ gentibus responsa dabant, sublata fuerunt, præterea ex Judæis & gentibus unus Dei populus factus est, & utrique ex tenebris & morte, in lucem immortalitatemque fuere translati, &, ut omnia paucis comprehendam, Apostoli verbis utar paullo ante a nobis expositis, hoc est, illius opera vetera præterierunt, & nova facta sunt omnia 1 Cor. 5.17. Et tamen, cum hoc Christus fecerit, totque beneficia in homines contulerit, ab illis cognitus non fuit; quin & à Judæis crucis supplicio affectus, Romano magistratu assentiente, & postea in membris suis, tum à Judæis, tum à gentibus, acerrime insectatus, & quotidie morti acerbissimæ datus fuit. Præterea, an non fecisse mundum Christus diceretur, cum perditum servarit, & carnem suam pro mundi vita dederit, sitque panis ille, qui dat vitam mundo? Nonne qui vitam dat rem facit atque creat? Nonne ad hoc, ut quis revera sit, efficiendum, multo plus præstat ac valet ei dare æternam quam caducam vitam? Et si mundus, qui tunc erat, periisse dicitur 1 Petr. 3.6, quando aquis diluvii perierunt homines improbi, cur vicissim per Christum, qui vitam hominibus confert, qui humanum genus à morte liberat æterna, mundus factus non diceretur? Ut autem appareat, locum hunc de prima hujus mundi, vel hominum creatione nullo modo exponi posse, præter ea, quæ jam dicta sunt, rationem firmissimam afferemus, adversus eos præsertim, qui à Christo mundum, hoc est, cœlum & terram, & omnia quæ in his continentur, facta esse volunt, non tanquam ab instrumento, quo Deus sit usus, quod res creata sit, & Deo dignitate atque potentia longe inferior, sed tanquam à vero & summo omnium rerum conditore. Nam etsi illa quoque opinio à veritate longissime abest, receptiorem tamen impugnare præcipue nobis propositum est, quamquam ea quæ dicturi sumus (si quis diligenter animadvertat) utramque satis convellere videntur. Certo certius est, hæc verba, *Et mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit*, hoc est, duo hæc membra in eandem sententiam cohærere, & relationem quandam inter se habere, * si modo vox Mundus hic significationem non variat, ut nunc quidem quodammodo pro concesso sumimus. Nam perinde est, ac si dictum fuisset, licet mundus per ipsum factus sit, mundus tamen non cognovit eum. Quamobrem manifestum fit, non de qualibet ejus cognitione loqui Euangelistam, sed de ea tantum cognitione, quæ eo spectat scilicet, quod ille mundum fecerit.

Conqueritur itaque Iohannes, vel potius mundo exprobrat, quod à Christo sit factus, & tamen eum factorem & conditorem suum esse non cognoverit, nec tanquam creatorem suum debito honore fuerit prosecutus. Quod si hoc de prima creatione intelligendum erit, idem est ac si Johannes dixisset, O mundi perversitatem, atque flagitium! Christus est qui cœlum, terram mare, & omnia quæ in eis sunt creavit; & tamen plerique omnes, eum rem creatam esse, sunt arbitrati, nec tanquam ipsorum æternum Deum sunt reveriti. Vel, Christus est, per quem omnes homines primo creati fuerunt; & tamen illi, se per eum vitam hanc naturalem adeptos fuisse, non norunt. Quod nemo non videt, quam longe ab Euangelistæ nostri mente distet; &, si illud Johannes intellexisset, nonne illi merito ab omnibus responderi potuisset. Et cur Christum cœli terræque conditorem, seu primum creatorem nostrum agnosceremus, cum nec quisquam de illo, nec ipse de se id umquam dixerit? Cum eum, qui omnia creavit, nobiscum & patrem & Deum suum appellaverit Ioh. 20.17, cum illi soli omnem gloriam honoremque semper detulerit, cum eo se minorem esse aperte fassus fuerit Joh. 24.26, quid tu nos accusas, cum tu potius accusandus sis, qui ea Christo tribuas, quæ ille, paternæ gloriæ studiosissimus, ut sibi tribueret, ne cogitare quidem umquam est ausus? Equidem non video, quonam pacto hæc objecta diluere potuisset Johannes, nisi novi cujusdam, & prius inauditi dogmatis, de quo ne verbum quidem fecerant alii Euangelistæ, se auctorem constituisset. At vide, quam omnia recte cohæreant, si de secunda creatione, deque mundi instauratione hæc intelligantur. Sic enim jure mundum accusabit Johannes, quod Christum servatorem & liberatorem suum non agnoverit, cum tamen hoc ipse Christus & verbis apertissimis, & miraculis valde conspicuis (quibus nemo non stupebat) & vita innocentissima, & morte teterrima, & resurrectione denique gloriosissima, non modo aperte comprobaverit, sed etiam reipsa præstiterit: multus enim in hoc est Johannes, ut doceat, Christum, licet is fuerit qui mundum illustravit, atque instauravit, non tamen ab hominibus fuisse cognitum. Nam & superius dixit, *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, & hic subjungit

Vers. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Venit Jesus Christus ad suos Israëlitas, ad quos nominatim à Deo missus fuerat, & in tenebris ac morte jacentes, adventu suo mirifice collustravit, vitaque æterna dignos fecit, illi tamen, tenebras magis quam lucem amantes, & mortalem hanc vitam immortalitati præferentes; tantum Dei beneficium repudiarunt, quin & benefactorem suum Christum Jesum Dei viventis filium (proh scelus) patibulo suspensum sustulerunt, & celerem sibi ipsis, ita divina postulante justitia, perniciem, æternumque exitium conciliaverunt.

Vers. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus.* At quicumque mirabile hoc atque præstantissimum Dei beneficium agnoverunt, qui mortalium genus, quod ejus majestatem atque gloriam, quantum in ipso erat, fœdabat ac proscindebat, venia dignatus est, & porro Jesum Christum hujus divinæ clementiæ & bonitatis primarium nuncium atque præconem, ita exceperunt, ut ejus verbis fidem adjunxerint, hi ab ipso Christo hoc sunt consecuti, ut filii Dei sint, id est, ut cœli hæredes, una cum eo evadant; & ultimo illo die, quo impii & scelerosi homines æterni ignis supplicio multabuntur, ejus potentia ab interitus servitute liberentur, & in gloriosam filiorum Dei libertatem asserantur.

Vers. 13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt.*] Hoc loco Johannes Judæorum supercilium retundit, qui gloriabantur, se originem duxisse à patribus, Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, omnemque carnis gloriationem adeo excludit, ut dicat eos, qui potestatem hanc sunt adepti, ut Dei filii sint, ex mortali semine natos non esse. Nam quatenus ab Adamo originem trahunt, tantum abest ut Dei filii vere appellari possint, cœlestis regni vitæque æternæ participes, ut corruptioni ac morti penitus sint obnoxii. Ex Deo nascatur oportet, qui tanta bona adepturus & possessurus est, hoc est, ut ait Petrus 1 Petr. 1.23, non ex semine

* *Hæc verba ita in alio exemplari leguntur: Hoc intellige verum esse, si modo vox Mundus, ter hoc loco à Johanne prolata, semper in eundem sensum sit accipienda, ut accepta est in hoc scripto paulo ante, cum hic locus explicaretur.*

mine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi & permanentis in æternum. Concludit itaque Johannes, terrena ista nihil momenti habere in regno Christi, sed cælesti regeneratione vitæque novitate opus esse.

Vers. 14 *Et verbum caro factum est.*] In Græco habetur καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Nemo autem, qui Græcas Literas vel à limine salutaverit, ignorat, hæc verba non minus *Et verbum caro fuit*, quam, *Et verbum caro factum est*, & bene, & proprie verti posse. Quod nisi apertius esse arbitraremur, quam, ut ulla probatione indigeat, innumeros pene Novi Fœderis locos adduceremus, quibus id notissimum fieret, sed hoc labore, utpote vano atque inutili, supersedendum duximus; locum attamen unum proferemus, quippe qui nobis ita huic rei appositus videatur, ut nullo modo silentio præteriri debeat, is est apud Lucam Luc 24. 12, sic enim de Jesu Nazaræno loquitur alter discipulorum qui Emauntem proficiscebantur ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης, δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ ἐναντίον τοῦ θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ. Hoc est, ut vertit vetus interpres, *Qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo, & omni populo.* Ubi verbum ἐγένετο non *factus est*, sed *fuit* necessario exponi debere constat. Hoc loco itaque non *caro factum est*, sed *caro fuit*, omnino verbum istud interpretari debemus. Superius enim satis demonstratum est, Verbi nomine hominem illum, qui ex Maria virgine natus est, intelligi oportere, qui caro fieri non potuit. sed caro erat. Duabus autem potissimum de caussis, iis, quæ prius dixerat, hoc addidit Johannes. Primum enim hoc spectavit, ne, si quis ea, quæ de Christo superius scripserat, legisset, nimirum, quod sit Deus, & Verbum, per quem omnia sunt facta, & tamen vel ex aliis, qui de Christo scripsissent, vel ex notissima fama percepisset, vel etiam ipsemet vidisset, Christum fuisse hominem abjectum, Israëlitici populi sacerdotibus & senatoribus invisum, à quibus etiam vitam suam tutatus non esset, prima fronte offenderetur, existimans, vel Johannem de alia re quapiam scripsisse, vel hominibus imponere atque illudere voluisse, vel ea vera non esse, quæ cæteri de Christo scripsissent; quo fieret, ut, si jam Christo nomen dare cœpisset, vel saltem, quænam esset ejus religio, diligenter inquireret, hæc, quæ certe absurda sunt, secum animo reputans, protinus Christi religionem fere omnem abjiceret, & penitus falsam esse suspicaretur, Quocirca, postquam tot laudibus Christum decoravit, aperte deinde confessus est, eum fuisse carnem, hoc est, hominem imbecillem, ærumnosum, despectum, humilem, contemptum, & non secus atque alios, morti obnoxium. Carnis enim nomine in Sacris Literis hominis imbecilitatem atque humilitatem significari, apertissime constat. Hinc illa hymnographi verba Psal. 78: *Et recordatus, quia caro sunt.* Hinc illa Esaiæ 40: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri*: Hinc illa Hieremiæ 17: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Innotescitque hoc pacto magis Dei gloria, atque potentia, qui per Christum, licet caro fuerit, hoc est humilis atque abjectus homo, admiranda tamen tot opera patraverit, atque illa fecerit, quæ superius Johannes exposuit. Quemadmodum & Paulus ait 1 Cor 4. 7: *Habemus autem thesaurum istum*, nempe Euangelicum, *in fictilibus vasis, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Quin & de Christo idem Paulus scribit 2 Cor. 13. 4, crucifixum illum quidem fuisse ex infirmitate, sed vivere ex virtute Dei; quæ omnia nobis longe sunt utilissima. Dum enim videmus, Christum, licet homo fuerit imbecillis, despectus, & ab hujus mundi principibus, tamquam scelerosus quispiam fœdissimæ morti traditus, postmodum tamen à Deo vitæ restitutum immortali, & ad supremam gloriam evectum, in spem erigimur, fore, ut & nos, si una cum eo passi fuerimus, parem gloriam à Deo patre nostro adipiscamur, licet & imbecilles, & miseri, & despecti, & hujus mundi hominibus contemptissimi simus. Voluit deinde Johannes his verbis seipsum quodammodo interpretari, & dubitationem omnem tollere, quæ in legentium animis, eorum præsertim, qui de Christo nondum audiverant, oriri potuisset. Nam si ea non addidisset, potuisset aliquis, & quidem jure, in eum errorem incidere, in quem plerosque omnes, sed nunc maximo ipsorum vitio, incidisse videmus, hoc est, ut existimaret, verbum hoc de quo scribit Johannes aliud quid diversum esse, vel aliquando fuisse ab homine illo Jesu, & Platonica philosophia fortasse imbutus, cum videret, & Deum hic appellari, & in principio apud Deum fuisse, quin & mundum per id factum esse, statim persuasus foret, Euangelistam nostrum procul dubio Platoni conformem esse, qui de Deo aliqua scripserit, ex quibus opinionem istam de Trinitate, quæ passim recepta est, originem duxisse non dubito. Etenim valde illi consentanea sunt ipsius Platonis, & ejus sectatorum scripta, qualia sunt Jamblichi & cæterorum; qui tamen omnes à Mercurio illo Trismegisto hæc hausisse videntur. Quod ita se habere aliquorum scripta testantur, qui istorum auctoritate trinitatis opinionem confirmare non sunt veriti. Huic itaque malo, & simul omnibus, quæ ex metaphorico loquendi modo, quo usus fuerat, oriri potuissent, prospiciens Johannes, aperte testatus est, Verbum hoc non substantiam quandam incorpoream, vel naturam divinam atque æternam, sed hominem fuisse, & hoc pacto dubitationem omnem penitus sustulit. Carnis autem non hominis vocabulo est usus, ut hac voce alteri quoque malo, quod priore loco recensuimus, obviam iret.

Et licet hoc ipse apertissimis verbis utendo, optime præstiterit, non destitit tamen nobis & veritati adversarius Satan, quoad hominibus persuasit, vocem ἐγένετο non fuit, sed *factum est* hoc loco significare, atque effecit, ut, quod validissimum semper argumentum fuisset ad errores hosce Platonicos ex Christi ecclesia exterminandos, omnis fallaciæ potissimum fundamentum extiterit. Mirum est tamen, tot theologos viros eruditos, & præstanti ingenio præditos, in hanc sententiam concessisse, ut scilicet vox ἐγένετο, *factum est*, hoc loco interpretari debeat, cum hinc duo præter infinita alia, quæ absurdissima sunt, perspicua absurda efficiantur. Nam quid absurdius dici potest, quam Euangelistam prius narrasse, Verbum in mundo fuisse, ad suos venisse, & potestatem ut filii Dei fiant iis dedisse, qui ei fidem adhibuerunt, deinde subjungere, ipsum verbum carnem factum esse? quasi ad nos venerit antequam natum foret, & prius in mundo fuerit, postea vero caro sit factum. Et licet scopulum hunc evitare aliquo pacto fortasse quis posset, quomodo in alterum non impinget, Verbum scilicet, quod ipsi filium, nescio quem Dei æternum, & ipsummet Deum nostrum Jehovam interpretantur, carnem fuisse factum? quid magis absonum existimari potest, quid magis ἀδύνατον quam Deum carnem factum fuisse? Quis ad hæc non horret, & contremiscit? At dicunt, licet verba istud præ se ferant, nos tamen, commodiore explicatione adhibita, nihil aliud, Verbum carnem factum esse, significare dicimus, quam id in virginis Mariæ utero carnem assumpsisse. Elegans sane interpretatio, sed undenam illam hauserunt? Quemnam locum huic similem, qui interpretationem istam patiatur, ex Sac. L. adducere poterunt, ut non omnino inepte & inerudite divina oracula interpretati fuisse videantur? Addo, quod non multo minus absurdum est, si quis dicat, Deum carnem assumpsisse, quam si diceret, Deum carnem esse factum, quod & ipsi indicant, cum docent, quomodo hoc factum sit, nullo modo vel explicari, vel percipi posse. Hac, scilicet, ratione Satan errores suos, licet manifestissimos, tuetur. Nam & in papatu conversionem panis eucharistici in Christi corpus, absurdissimam licet, & cujus evidentem quoque falsitatem humanus sensus & oratio detegit, uno atque altero Divinarum Literarum loco arrepto, adversus efficacissimas rationes, solidissimaque argumenta, quibus nullo modo rem sic se habere

bere apertissime convincitur, ea ratione etiamnum defendit, si dicat, nos simpliciter credere oportere, & hoc mysterium esse quod hominum captum superet. Ita fit, ut plerique adhuc, etsi re ipsa & videant, & sentiant, frustulum illud panis, nihil aliud esse quam panem, cæco tamen errore ducti, sibimet persuadeant non amplius panem, sed Jesu Christi corpus esse. Idem & in iis, quæ de Deo & Christo credendum nobis est, evenisse perspicimus. Quamvis enim manifestissime appareat, nulla ratione fieri posse, ut divina illa essentia indivisibilis atque incummutabilis, sive quod ad personam (ut ipsi loquuntur) sive quod ad substantiam attinet, carnem assumpserit, ita ut unum suppositum (ut ajunt) cum homine sibi assumpto sit facta, & multo minus ut filius tantummodo hoc fecerit, non etiam pater & Spiritus Sanctus, quos tamen tres, simplicissimum illum atque unicum nostrum Deum constituere contendunt; nihil præterea absurdius excogitari posse (cui quidem tota reclamat natura) quam ut tres sint unus, & unus tres sint: ex qua opinione innumera portenta oriri necesse est longe absurdissima, unde Sacra Divinaque oracula penitus subvertantur, ita tamen nesciu quu pacto Christianorum vulgus fascinatum fuit, vel ita stupidum est, ut omnia hæc non solum constanter credat, verum etiam, ab hac fide salutem suam omnino pendere existimet, & sibi ipsis homines illudentes atque imponentes, quod vident, se non videre, quod autem non vident, se videre penitus sint persuasi. Et quemadmodum de eucharistico pane in papatu dictum est, si quis & orationibus firmissimis & perspicuis Literarum Testimoniis agendo, gravissimum hunc errorem retegere conetur, clamant, mysterium esse, quud non inquiri, sed adorari debeat.

Verum sperandum est, ut non secus atque portentosa illa sophistarum de eucharista opinio, jam Deo auspice ita palam traducta est, ut pueri quoque eam merito derideant, atque explodant, & id, quod olim divinissimum Christianæ religionis mysterium putabatur, crassissimam nunc idololatriam esse constet, ita monstrosa hæc de Deo nostro, & Christo ejus figmenta, quæ hoc tempore sacro sancta, & omni veneratione dignissima, præcipuaque religionis nostræ arcana esse creduntur, aliquando tandem (fremat licet mundus interea, & igni ferroque sæviat) Deo volente ita cunctorum oculis retegantur, & unicuique tanto sint ludibrio, ut neminem non pudeat se his fabulis umquam non dicam fidem adhibuisse, sed aurem accommodasse. At nimis longe fortasse oratio nostra digressa est, quare ad institutum nostrum revertamur, & quæ adhuc restant, breviter & dilucide explicemus.

Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus.] Ut majorem etiam auctoritatem, & iis quæ jam dixerat, & iis quæ dicturus erat, conciliaret Johannes, ait, hominem hunc non in longinqua aliqua regione, ab ipsius Johannis & aliorum qui eum prædicabant, conspectu procul habitasse, sed inter ipsos versatum fuisse, & adeo familiariter versatum, ut, licet vere caro, id est homo mortalis, atque despectus fuerit, & hujus mundi hominibus obscurus atque inglorius extiterit, ipsi tamen admirabilem ejus gloriam aspexerint. Quæ quidem gloria, quemquam Israëlitico quoque populo apparuit, quippe qui Jesu Christi præstantissima opera viderit, & ea opera quæ apud eos alius nemo unquam fecerat, & tot admiranda signa in ejus morte conspexerit, ipsi tamen Apostoli atque discipuli excellentius etiam quiddam, & longe majus viderunt. Nam & à mortuis excitatum, & in cœlum ascendentem, ejus postremum adventum prædicantibus angelis propriis oculis aspexerunt Act. 1. 11. Adde, quod Johannes una cum aliis duobus discipulis, eum in monte transfiguratum vidit, tanta majestate ac splendore fulgentem, ut & ipsi territi fuerint, & Christus, antequam hoc fieret, testatus sit hosce discipulos regnum Dei cum potentia adveniens, sive, ut Matthæus habet Mat. 17. 28, filium hominis venientem in regno suo, priusquam morerentur, visuros fore. Accessit huic ejus gloriæ præclarissimo testimonio Eliæ Mosisque præsentia, & quod omnibus præstat, vox Dei veneranda, atque clarissima, qua ipsius dilectissimus filius declaratus est, quem nos audire oporteat. Quanti vero hoc Testimonium fieri debeat, indicat Petrus, qui cum hac in re Johanni socius extitisset, eandem quæ hic habetur sententiam, his verbis explicat 2 Pet. 1. 16, *Non enim arte compositas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi potentiam, & adventum, sed qui oculis nostris aspeximus illius majestatem. Acceperat enim à Deo patre honorem & gloriam, voce ad illum delata hujuscemodia magnifica gloria, Hic est ille filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est.* Ut enim probet, se vera de Christo dicere, hoc solo Testimonio contentus esse videtur. Johannes igitur confessus quidem est, verbum hoc, de quo loquitur, in hominum conspectu, vile contemtumque fuisse, ne, si hoc silentio præteriisset, auctoritatem verbis suis detraheret; sed una quoque asseruit, somnia non esse, quæ de illius præstantia & dignitate narrabat, utpote qui ejus gloriam ipse vidisset. Idem, cum aquam & sanguinem ex perfosso Christi latere effluxisse narrasset, ne istud fabulam arte confictam aliquis existimaret, hæc verba subjungit Joh. 19. 33: *Et qui vidit Testimonium perhibuit.* Quibus verbis omnem ficti sermonis suspicionem depellere conatur. Neque enim se ab aliis audivisse, id quod non adeo dicti veritatem probat, sed, seipsum vidisse, affirmat, quo nullum certius Testimonium adduci potest.

Gloriam quasi unigeniti à patre. Explicat, quænam Christi gloria hæc sit, quam se vidisse ait, ac si diceret, non quamlibet gloriam vidimus, non fuit vulgaris ea, quam oculis nostris aspeximus, sed valde insignis & singularis quædam gloria; quippe quæ ab ejus patre Deo nostro exhibita fuerit, & eum dilectissimum atque præcipuum ipsius Dei filium esse declaraverit, & tanto filio digna fuerit. Nam vox *unigeniti* hoc loco, non illud videtur significare, quod vulgo creditur, Christum videlicet natura filium Dei esse, cum alii scilicet adoptione filii sint, sed potius (ut nos exposuimus) illi acceptissimum esse, & aliis dignitate præstantem. Vox enim Græca *μονογενής*, quæ non participium sed nomen est, respondet hebrææ Jehid, quæ cum de filio dicitur, unicum quidem significat, sed non tantum genitura, verum etiam dilectione, successione, vel singulari quadam proprietate, quæ cæteris fratribus suis antecellat, & ab illis merito distinguatur. Verum Sacrarum Litterarum exemplis agere præstat. Nulli dubium est, quin Abrahamus duos filios habuerit ex sese vere natos, Israëlem scilicet, & Isaacum, cum Isaacum immolare est jussus; & tamen Isaacus eo in loco bis unicus sive unigenitus ejus filius vocatur Gen. 22. 2 & 16, & unigenitus semel ab auctore Epistolæ ad Hebræos Heb. 11. 17, vel quod videlicet unice ab Abrahamo diligeretur. (& hanc quidem potissimam hujusce rei caussam credimus) nam & septuaginta interpretes vocem Jehid *ἀγαπητὸς*, id est dilectum, ibidem sunt interpretati, vel quod ad eum solum Dei promissiones pertinerent, & is solus patri hæres futurus esset; vel etiam quia mirabili quodam modo, non vulgari, ut Ismaël natus erat 1 Par. 3. Solomon etiam licet plures fratres, ex eadem matre haberet, se tamen unicum inter filios matris suæ, vel coram matre sua fuisse ait Prov. 4. 3. Ubi interpretes omnes vocem Unicum, unice dilectum significare scribunt. Et septuaginta *ἀγαπώμενος ἐν προσώπῳ μητρός*. id est, *dilectus in conspectu matris* verterunt. Quare & Christus inter tot fratres unigenitus Dei filius dicitur. Nam & Deo unice charus fuit, (nec alio præstantiore titulo eum pater, dum adhuc in terris ageret, unquam ornavit, quam cum filium suum charissimum esse dixit), & solus ante omnes universorum hæres est constitutus, & tot tantisque præterea dotibus, magis quam cæteri omnes exornatus fuit (nam & oleo exultationis præ participibus suis, à Deo unctus fuisse dicitur Heb. 1. 8) ut merito

filius

filius Dei unicus fuerit appellatus. Adde etiam admirabili illum & cœlesti, non autem naturali & humana ratione, sicut alios omnes natum esse; propter quod etiam Dei filium vocatum iri, Gabriel Angelus Mariæ ejus matri prædixit Luc. 1. 32. Quod autem Johannes eum Christum Dei unigenam nuncupavit, genitura illum unicum esse neutiquam intellexerit, dubitari non potest, alioqui sibi ipsi contrarius fuisset, qui paulo ante Christo fidentes, ex Deo natos esse dixerat Joh. 3. 16. Vocis etiam unigeniti sensus ex eo clare percipi potest, quod Deus ita mundum dilexisse dicitur, ut filium suum unigenitum dederit. Nam si istic unigenitum, aliter quam unice dilectum atque omnium charissimum interpretatus fueris, plurimum ponderis illi sententiæ detraxeris. Nam & Abrahamo ita loquitur Deus Gen. 22, *& non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Quo loco, jam demonstratum est non genitura unicum, sed dilectione potissimum Isaacum Abrahami filium appellari.

Plenum gratiæ & veritatis.] Antequam ad Johannis Baptistæ testimonium enarrandum se accingat, præstantissimo encomio Christum decorare Euangelista voluit: unde & salus nostra pendet. Hominum siquidem genus mendaciis irretitum, peccatisque obrutum, quibus vitæ sibi aditum præcluserat, seque morti æternæ addixerat, nulla alia re egebat magis, quam veritate & gratia, quæ in Christo nobis affluenter à Deo patre nostro fuerunt exhibitæ. Nam quid aliud Jesu Christi Euangelium est, quam veritas, & gratia, quibus æternam vitam adipiscamur? vel potius vox veritas Hebræa phrasi nihil aliud significat, quam Dei fidelitatem atque constantiam, qui, quod patribus promiserat, abunde per Christum præstitit, paullo autem inferius legem quidem per Mosen datam fuisse scribitur, gratiam autem, & veritatem per Christum factam esse. Illud certissimum est, Christum, non sicut Mosen, minas, & condemnationem, sed Dei gratiam, favoremque spirasse, nec umbris, ut illum, & imaginibus populum detinuisse, sed solidissimam veritatem omnibus patæfecisse, cui quicumque fidem adjunxerimus, immortales tandem efficiemur.

Hæc erant, quæ tibi, optime lector, nota esse volebamus, ut quidnam hoc loco velit sibi Johannes, perspicue possis intelligere, & humanis fabulis penitus explosis, divinarum litterarum certissimum sensum percipere assuescas. Sed quia fortassis opinio hæc nostra, quam in his Johannis verbis interpretandis attulimus, licet, si ipsam spectes, & Sacrarum Litterarum perpetuum tenorem consideres, absurda nemini videri possit: cum nonnullis tamen divinis oraculis pugnare videbitur, animus erat in hujusce nostræ interpretationis calce, omnia ea loca adjicere, quæ nobis vel leviter adversari videntur; & ea ita dilucide exponere, ut non modo sententiam nostram non refellere, sed ex iis etiam aliqua eam non parum confirmare omnibus liquido appareret. Verum, quamvis istud non magni admodum laboris sit, id tamen in præsentia præstare non possumus, tempore enim excludimur, urgentque amici, qui omnis moræ impatientes, hæc, quæ proximis diebus, succisivis horis scripsimus, diutius premi nolunt, ajuntque neminem, qui judicii acumine penitus destitutus non sit, ex his quæ jam scripsimus, locorum complurium, qui adversus opinionem nostram adduci sunt soliti, verissimam interpretationem conjicere non posse, & eorum maxime qui receptæ sententiæ columnæ quædam esse creduntur, quales sunt, ii quibus de creatione per Christum facta, asseritur. Sed quod in aliud tempus differri necesse est, ne tibi auferri existimes, non solum enim hoc, sed & alia quædam posthac visurus ès, quæ tibi impartire decrevimus, si otium, & vita suppeditaverit, quam Deo, ejusque Ecclesiæ omnem perpetuo dedicare certum est. Ei vero, qui & quæ pollicemur, & longe majora per nos efficere, & præstare potest, soli sapienti & immortali Deo, sit honor, gloria, & imperium per Jesum Christum nunc, & in omnem perennitatem. Vale è & veritati, vitæque imprimis sanctimoniæ stude. Amen.



MARTINUS CZECHOVICIUS (excipiente JOHANNE VOIDOVIO *dum Czechovicius suum scriptum recitaret) offensus explicatione fratrum in illa verba. Erat apud Deum ille λόγ☉ homo Christus, id est, soli Deo notus.*

1. Quomodo erat in mundo, si soli Deo notus erat?

2. Cur Angelis erat notus, si soli Deo notus? Angeli enim cecinerunt, *Natus est vobis salvator.*

3. *Et sermo erat Deus.* Quomodo Deus si ignotus erat?

4. *Erat in principio apud Deum.* Quomodo erat, si ignotus erat usque ad annos triginta.

5. *Omnia per ipsum facta sunt.* Quomodo omnia, cum nondum passus, nondum mortuus erat, nondum resurrexerat, nondum in cœlum ascenderat &c?

6. *Et sine ipso factum est nihil.* Quomodo cum illa, quæ superius dicta sunt, per ipsum non facta sunt?

7. *In ipso vita erat, ille illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Quomodo illuminarit, cum adhuc tunc temporis, etiamsi homo erat, soli patri notus erat?

8. *Fuit homo missus à Deo* &c. Quomodo Johannes de illo testatus est, si jam omnia per ipsum facta sunt: aut si jam docuerit, quid opus erat testificari de eo?

9. *In mundo erat, & mundus eum non cognovit.* Quid hoc rei est, quod renatus mundus non cognoscat Christum, cum per ipsum factus est.

Ad superiora Czechovicii objecta Fausti Socini responsiones.

1. Immo dici potest soli Deo fuisse notus, quia in mundo esset, & tamen nullus hominum, ne Johannes Baptista quidem, illum tunc temporis nosset. Quod si in mundo esse pro eo accipiatur, quod est munus suum exercere, non eodem tempore dicit Euangelista, illum fuisse in mundo, quo erat apud Deum; sed hoc in principio, illud autem postea.

2. Vox Soli, voci Deo conjuncta, posita est ad exclusionem hominum, non Angelorum. Præterea etiamsi noverant Angeli eum esse servatorem, non tamen noverant qualis & quantus servator esset.

3. Christi divinitas non in operatione ipsa, sed in operandi potestate consistit, & præterea in exactissima rerum divinarum scientia. Utraque autem istarum præditus erat Christus, etiam antequam mundo patefieret.

4. Immo si erat, & erat ignotus usque ad annos triginta, quomodo non apud Deum, id est soli Deo notus in principio erat?

5. Immo cum Euangelista scripsit ista omnia jam facta erant.

6. Dictio universalis ad subjectam materiam, id est, ad negotium Euangelii referenda est, deinde nihil supra narratur, quod factum sit præter ipsum Sermonem, per quem eundem non potuit ipse sermo fieri.

7. Soli patri in principio notus erat, non autem postea cum cœpit illuminare.

8. Hic, & hujus, & proxime præcedentis, & quincti argumenti fallacia cernitur. Neque enim unica & simplicissima est narratio Euangelistæ, eaque summo ordine digesta, ut ex toto contextu unicuique patet. Igitur etiamsi prius dictum fuerit, per Sermonem facta fuisse omnia, & postea missum fuisse Johannem, non tamen illud prius fuit, hoc posterius. Postquam enim Euangelista de Sermone, quædam in universum dixisset iterum de ipso narrare incipit, & quædam quæ obscurius antea attigerat, aliquanto clarius exponere.

9. Mundus etsi per Christum, quantum in ipso Christo fuit, factus, id est, reformatus, tamen eum non cognovit. Nam & servator mundi Christus dicitur, licet pauci sint, qui serventur. Deinde nihil impedit, quominus vox mundus varia significatione hoc loco accipiatur.

DE
LOCO PAULI APOSTOLI IN EPISTOLA AD ROM.
CAP. SEPTIMO.

FAUSTI SOCINI

cum nobiliss. Viro

JOHANNE NIEMOJEVIO

DISPUTATIO.

In qua id præcipuè quæritur, utrum Apostolus illic sub sua ipsius persona de seipso jam per CHRISTI Spiritum regenerato, necne loquatur.

Habes hîc, Lector universam ferè de renatis, & non renatis hominibus quæstionem explicatam, &, quid potissimùm inter utrosque intersit, accuratè expositum.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

Ad Lectorem.



ALter jam est annus, amice Lector; cum inter me, & nobilissimum divinæque sapientiæ studiosissimum quemdam Virum sermo incidit de sententia, & scopo Pauli Apostoli in septimo capite Epistolæ ad Romanos. Cumque inter nos convenire non posset: quod ille Paulum sub sua persona de seipso, jam per Christi Spiritum regenerato, ut plerique alii hodie sentiunt, locutum fuisse, omnino existimaret, ego vero, id mihi nullo pacto persuaderi posse, dicerem; rogavit is me, ut explanationem aliquam brevem totius loci conscriberem. Quantum videlicet ad id, de quo inter nos controversia erat, explicandum satis esse mihi videretur. Itaque, cum primum potui, scriptum exaravi, in quo breviter ostendebam, Paulum prædicto loco, cum de se privatim loqui videretur, non seipsum, præsertim jam Christi Spiritu regeneratum, sed hominem non renatum, & divinæ gratiæ adhuc expertem intelligere. Illudque ad ipsum nobilissimum Virum statim misi. Qui paucis post diebus litteras ad me dedit, in quibus, cur scriptum meum sibi non persuasisset, exponebat, meaque rejecta, sententiam suam de interpretatione ejus Paulini loci non leviter confirmabat. Ego, etsi tunc temporis aliis scriptionibus impeditissimus eram, tamen, cum viderem, veritatis in quæstione nostra investigationem haud parvi momenti in Christiana religione esse, ad ejus litteras pluribus respondere constitui, & rem totam aliquanto diligentius excutere. Id quod etiam, Deo bene juvante, non ita multis post diebus perfeci. Hac mea responsione ille accepta, substitit. Quippe qui propter à me in ipsa allatas rationes jam suspectam, ut ipse ingenue fatebatur, suam sententiam habere inciperet. Quod ego animadvertens, in eam opinionem sum adductus, ut idem aliis quoque non paucis evenire posset, qui eam sententiam sequerentur. Quæ cum homines Christi nomen profitentes à vitæ sanctimonia abducere facillime queat, & ita à Domino olim videndo (ut Apostoli verbis utar Hebr. 12. 14.) eos excludere, omni ope conandum videtur, ut ea ex illorum mentibus stirpitus evellatur. Igitur, ubi primum ejus rei facultas est data, ipsam disputationem nostram, id est utriusque scripta mihi publicanda censui, præsertim cum non alii modo amici mei, homines eruditione & pietate præstantes, hoc meum consilium vehementer probarent, verum etiam ipse nobilissimus vir, cujus res quodammodo agebatur, minime dissentiret, idque eam potissimum ob caussam; quemadmodum ipse dicebat, ut, utracumque ex parte veritas esset, ei hac ratione victoria quæreretur. Quamquam autem ipse præterea nomen suum in ipsa disputatione diserte adscribendi mihi potestatem fecerat, ejusque ad me Epistola, dignissima, quæ in manus hominum perveniat, mihi esse videtur, tamen ob nonnullas alias justissimas caussas, quas hic exponere non est opus, id facere nolui.

Jam vero, quoniam in responsione mea sæpe cujusdam disputationis meæ de Christo Servatore fit mentio, cum tamen is liber hactenus publice editus non fuerit, nolim hoc cuiquam indicium videri ingenii vani & ab ostentatione prorsus non alieni. Namque (ut alia omittam, nec præsertim me aliorum exemplo defendam, sciendum est, me in hac responsione cum eo perpetuo loqui, qui librum illum meum & viderat, & perlegerat, immo qui in Epistola sua, ad quam ego respondeo, ex libro illo, licet à se speciatim non nominato, adversus meipsum quædam verba attulerat. Est autem responsio mea non ex aliis, qui eam lecturi sint, sed ex eoipso, cui respondetur, æstimanda. Huc accedit, quod is meus liber jam pridem in quorundam aliorum est manibus; atque in urbe quadam celeberrima jam quatuor amplius ab hinc annos ab aliquot doctrinæ opinione præstantibus Viris est visus, &, quamvis improbatus, non tamen refutatus. Etsi enim ab initio, id se facturos, dixerant, tamen postea statuerunt, disputationis illius meæ argumentum ejusmodi esse, ut illam supprimere satius sit, quam, eam refutando, publicare. Qua de re quid sentiendum sit, pii homines & veritatis amantes facile judicabunt. Cæterum, quia in eadem hac responsione mea eorum sententiam minime probo, qui hominem renatum peccare id est aliquid unquam contra Dei præcepta committere nullo modo posse, contendunt, nec tamen illam divinis testimoniis, aut rationibus refello, hic vero nolim à quoquam vel temeritatis, vel imprudentiæ accusari. Cum eo enim disputo cum quo ea de re, quod ad sententiam ipsam attinet, mihi optime conveniebat. Quare ineptum plane visum fuisset, contrariam sententiam refutare velle, maxime cum propter non paucos eosque obscuros Sacrarum Litterarum locos expendendos, atque explanandos, non nisi plurimis verbis id fieri posset. Nam, quod præterea, testimonia quædam ad eam infirmandam afferri solita non satis firma esse, eorum verum sensum explicando, demonstrare sum conatus, id propterea feci, quod loci illi, vel ad aliam sententiam, quæ tamquam alterum extremum est quæque similiter mihi minime probatur, de necessitate pecandi, confirmandam in testimonium adduci consueverunt, vel ejusmodi sunt, qui indicare videantur, fieri posse, ut homo Christianus in peccatis maneat, id quod mihi eo loco refellendum proposueram. Non deerit (spero) nobis aliquando occasio commodior, opinionem istam, valde perniciosam sine dubio de Christianorum in hac vita necessaria perfectione, nominatim, & copiose refutandi. Interim, optime lector, hoc nostro quantulocumque labore fruere. Cujus ope, te in Christi præceptorum salutari obedientia non mediocriter confirmatum iri, plures sunt caussæ, cur sperare per Dei benignitatem audeamus. Id certe unum nobis, hac disputatione nostra publicanda, ad ipsius Dei gloriam propositum fuit. Vale.

Scriptum, in quo breviter ostenditur,

PAULUM APOSTOLUM

In Epist. ad Rom. Cap. 7.

Sub sua ipsius persona de seipso ut renato, non loqui.



Eptimum Cap. Epistolæ ad Rom. compluribus occasionem dedit credendi, in homine jam per Christi Spiritum regenerato, dum hic vivit, peccatum, & vitiositatem pepetuo inhabitare, adeo ut non bonum, quod velit, sed malum, quod nolit, faciat, atque ea cuncta habeat, & experiatur adhuc mala, quæ sibi ipsi tribuere eo loco Paulus videtur: qua opinione vix quidquam perniciosius in universa Christiana religione excogitari posse existimaverim. Quocirca, rem haud inutilem me facturum, sum arbitratus; si, quam brevissime fieri posset, Paulum sub sua ipsius persona non de seipso, aut certe, non de se, tamquam Christi spiritu reformato, locutum fuisse ostenderem. Namque, hoc evicto, non est, cur ex ejus verbis quisquam, tam pestilentem errorem confirmari posse, credat.

Dico igitur, Paulum prædicto cap. 7. Epistolæ ad Rom. sui ipsius nomine non seipsum jam per Christi gratiam, regeneratum, sed hominem divinæ gratiæ expertem, quem modo ante Legem, vel sine Lege, modo (idque potissimum) sub ipsa Lege considerat, significare voluisse. Quod ut planissimum fiat, Apostoli scopus eo in loco ante omnia nobis aperiendus est.

Dixerat Paulus eadem Epistola cap. 6. nos non amplius sub Lege esse, sed sub gratia. Cujus rei occasione paullulum digressus, docuerat, non idcirco peccandum, quia non sub Lege, sed sub gratia essemus. Quo facto, statim in ipso cap. septimi initio ad id revertitur, unde proxime digressus fuerat, & rationes afferre instituit, cur dixisset, nos non amplius sub Lege, sed sub gratia esse, & totum caput eam in rem insumit, ostendens potissimum inter cætera, miserum esse statum hominis sub ipsa Lege, cum ea per se nullas vires habeat ad hominem ex peccati servitute eximendum, sed hoc totum ex divina gratia pendeat. Quæ in Christo, & per Christum nobis largissime est exhibita. Hic nimirum est Apostoli scopus. Ex quo solo apparere potest, ipsum sub persona sua non de seipso, præsertim jam regenerato, sed de eo homine, qui nondum sub gratia sit, verba facere. Sed præstat, toto capite explanando, seu potius percurrendo, rem sic se habere, aperte demonstrare.

Ait igitur Apostolus, ex eo satis constare, nos non amplius sub Lege esse, quod Lex nobis mortua est. Quandoquidem, sicut mulier tam diu sub viri imperio est, quamdiu vir vivit, ita & nos tamdiu sub Legis imperio fuimus, quamdiu illa nobis vixit. Et quemadmodum mulier, viro mortuo, jure alteri nubere potest, &, si cui nupserit, ei subjecta futura est; sic & nos, mortua nobis Lege, Christo, ejusque gratiæ adhærere, eique deinceps subjecti esse jure potuimus. Ut autem probet, nobis Legem esse mortuam, sive, ut ipse, quo Judæorum invidiam declinet, loquitur, nos Legi mortuos esse, ait, nos non amplius in vetustate litteræ, sed in novitate Spiritus Deo servire. Id quod fieri non posset, si adhuc Lex nobis viveret, sive nos Legi. Nam per Legem moventur, augenturque peccatorum affectiones, & in homine vim suam exerunt. Quod certe Spiritus novitati prorsus adversatur. Id enim illorum est, qui secundum carnem ambulant. Et nos ipsi, cum in carne essemus, id est, à novitate Spiritus alieni, idipsum in nobis experiebamur. Hæc cum dixisset Paulus, illico, ut, quod sibi objici poterat, ante occupet, ac diluat, & interim totam rem dilucidius explicet, ea verba subjungit, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est, Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per Legem, &c.* Hic primum incipit Apostolus de se privatim videri loqui. Verum quis est, qui ex hoc ipso initio non intelligat, ipsum sub persona sua semetipsum, præsertim vero jam regeneratum, neutiquam intelligere? Neque enim de ipso jam regenerato erat sermo, sed de iis, qui aliquando fuerant sub Lege. Nec porro de eo, quod Lex in ipso Paulo efficeret, aut effecisset, sed de eo, quod in omnibus, quibus lata fuerat, & qui sub ipsa Lege erant, efficere posset, aut potuisset, quærendum erat. Unde perspicuum est, Paulum personam eorum omnium, de quibus sermo institutus fuerat, & ad quos ea disputatio pertinebat, sumpsisse. Qua sermonis figura utitur alibi quoque. Ut 1. ad Cor. cap. 6. 12. & cap. 10. 23, & 30. & cap. 13. 1 &c & ad Gal. cap. 2. 18. Atque idem hic est, ac si Paulus dixisset, Sed peccatum non cognovisset quisquam, nisi per Legem: quemadmodum alio in loco indefinite loquens ait, per Legem esse cognitionem peccati. Cum igitur ipsa prima verba, in quibus de se privatim videtur loqui Apostolus, non ad ipsum jam regeneratum, sed ad eos omnes referenda esse constet, quibus Lex lata fuerat, quique sub ipsa Lege erant; nemini dubium esse potest, quin eadem ratione consequentia omnia verba explicanda sint, in quibus, eandem sermonis formam conservans, de se ipso loqui videtur. Quemadmodum à nobis fiet, ita ut aliter explicari ea nec debere, nec posse, satis apertum fore putemus.

Itaque ait Paulus, etiamsi Lex in iis, qui sub ipsa Lege erant, peccatum auxerit, non propterea tamen Legem peccatum esse, id est peccati verum & propriam caussam. Quod enim auxerit peccatum, id ex accidente factum est. Nempe quia, cum Lex, quid peccatum sit, id est, quænam hominis facta, aut consilia, & cogitationes peccata sint, & statuat, & doceat, sequitur, ut propter hominis naturam, quæ semper (ut ait Poëta) nititur in vetitum, eum ad ea, quæ ipsa vetat, facienda impellat. Quoniam vero negare quispiam potuisset, à Lege cognitionem peccati proficisci, cum ea cognitio natura unicuique insita esse videatur, exemplo præcepti Legis de non concupiscendo sic rem se habere, ut ipse affirmaverat, ostendit Apostolus. Nam quis unquam cupiditatem ipsam peccatum esse cognovisset, nisi Lex dixisset. *Non concupisces?* Hinc autem factum est, ut homo, Lege lata, videns concupiscere sibi non licere, quod antea non videbat, multo magis ad concupiscendum (propria tamen culpa) impulsus fuerit, adeo ut omni cupiditate post Legem latam plus, quam ante, fuerit repletus. Nam cum Lex non est, peccatum (ut ita dicam) non irritatur, & propterea

 vires

vires suas non exerit, sed quodammodo mortuum est. Mortuo autem peccato, homo ipse vivere merito dici potest. Sed, Lege superveniente, peccatum revivifcit, homo autem moritur. Propterea dicit Paulus, *Ego autem vivebam sine Lege aliquando, &c.* Quæ verba (quidquid plerique hodie conentur) nullo modo ad ipsum Paulum accommodari possunt, cum is nec sine Lege, nec sine Legis cognitione (præsertim quæ ad peccatum agnoscendum satis esset) umquam fuisse dici possit. Quippe qui non modo natura Judæus fuerit, verum etiam ad pedes Gamalielis Legis doctoris educatus, & in patria Lege accurate fuerit institutus Gal 2.15. Act.22.2.5,24. Se igitur nominans Paulus, hominem & absque Lege, & sub Lege illis verbis sine dubio describit. Pergit autem & ait, ex prædictis patere, mandatum non concupiscendi, sive ipsam Legem, quam mandati nomine intelligit, quæ homini data fuerat, ut is ipsam servando viveret, cum non modo eam non servet, sed gravius etiam, quam antea peccet, mortem illi attulisse. Unde apparet, Legem ipsam per se sanctam esse, & mandatum sanctum, justum, & bonum, non autem esse peccatum, seu peccati propriam caussam, ut sibi à quopiam fortassis objici potuisse, ostenderat. Verum, quia rursus objicere aliquis potuisset, negari saltem non posse, quin Lex, quæ ad bonum data fuerat, in malum cesserit, ipsamque adeo mortem attulerit, Respondet Paulus, ne hoc quidem verum esse, sed peccatum, occasione ex Lege arrepta, per id, quod bonum erat, vim suam omnem exerendo, malum, & mortem homini attulisse. Nec vero hoc mirum alicui videri debet. Nam, inquit, Lex Spiritualis est, homo autem (per se scilicet, dum adhuc sub ipsa Lege est, & gratia Dei destituitur) carnalis, & ipsi peccato emancipatus Dicit autem, Legem esse Spiritualem, non quidem quia in ipsa Spiritus insit (alioqui sibi ipsi adversaretur, qui eam paullo ante litteram appellavit, & Spiritui opposuit) sed quia spiritualem hominem requirit. Quoniam igitur homo, qui sub ipsa modo Lege est, non autem sub gratia, carnalis est adeo, ut peccati servus dici possit, idcirco fit, ut homo ejusmodi nequaquam Legi, quæ spiritum postulat, sed peccato obtemperet, & ita non quidem Lex ipsa, quæ semper optima est, illi in malum, & mortem vertatur, sed ipse vitiositate sua per Legem mortem sibi inserendi occasionem arripiat. Quod adeo verum esse ait Paulus, ut ab hoc malo ne ii quidem eorum, qui sunt sub Lege, liberi sint, quos in eo statu ad omnium excellentissimum gradum pervenisse contigit hoc est ita sunt affecti, ut, quod ad mentem attinet velint Legi obtemperare. Isti enim, etsi maxime, ratione duce, volunt, tamen vires obtemperandi non habent, aut certe non obtemperant. Quapropter non bonum, quod volunt, sed malum, quod nolunt, faciunt, nullo modo probantes idipsum, quod agunt. Ex quo etiam perspicuum est, ipsos confiteri, ut agnoscant, in seipsis, licet bonum facere volentibus, malum, id est peccatum, seu vitiositatem inesse, quæ ipsos ad malum faciendum, & peccandum quodammodo rapit Ut non male dici possit, non ipsos, sed vitiositatem in ipsis habitantem id malum facere. Itaque in uno homine duo quasi homines sunt, interior, & exterior. Interior homo, sive homo, quod attinet ad mentem suam, delectatur Lege Dei, eamque servare cupit. At homo exterior, seu caro, id est appetitus, contra pugnat, & quia potentior est, quippe qui adhuc omnia hominis membra occupet, iisque pro armis utatur, superior evadit, & ita hominem, licet invitum, peccati servum efficit. Atque hinc constare potest, quanta in miseria ii omnes versentur, qui sub ipsa Lege sunt.

Quamobrem merito Apostolus, cum ea, quæ modo explicavimus, dixisset, institutam sermonis figuram persequens, pro ejusmodi hominibus sub persona sua conqueritur, atque exclamat, *Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus?* Corpus mortis pro ipsa morte dixit locutione sibi familiari, præsertim in ea Epistola. Nam & supra eodem cap.4. Christi corpus pro ipso Christo dixerat, & cap.6.6. Corpus peccati pro ipso peccato. Quis (me miserum) liberabit me, inquit, ab hac morte? Hoc est, quis mihi dabit, ut amplius peccati servus non sim, unde omnis miseria, & ipsa mors proficiscitur? Ne quis autem in Apostoli verbis tantum [illegible] animadvertens, propter seipsum quoque ita eum exclamasse suæ miseriæ sensu adactum, suspicaretur, statim per parenthesin ea verba adjungit, *(gratias ago Deo Per Jesum Christum Dominum nostrum)* Ex quibus etiam plane intelligi potest, eam, quam diximus, sermonis figuram in reliqua Apostoli disputatione esse, ut sub persona sua non seipsum intelligat. Perinde est enim, ac si diceret Quod autem sic conqueror, & exclamo, non propter me id facio, sed propter alios, de quibus loquimur, quique sub ipsa Lege sunt. Ego enim non sum sub Lege, sed sub Christi gratia, & Deo gratias ago, quod me hac ratione à tanta miseria ac morte prorsus asseruerit, effeceritque ut peccati servus non sim, nec in me exterior homo interiore potentior sit, sed contra interior exteriore, appetitu scilicet ipsum corpus minime occupante, sive dominante. Post quæ verba ad institutum & sermonem, & sermonis figuram redit, atque concludit, se, id est hominem, qui sub ipsa Lege sit, eatenus quidem progredi posse, ut mente Legi Dei serviat, cæterum à Lege hoc consequi non posse, ut ex altera parte carne Legi peccati non obediat, & proinde condemnationi, & morti non sit obnoxius. Non igitur sub Lege iis, qui sub ipsa sunt, manendum est, sed ad Christi gratiam confugiendum. Sic enim fiet, ut à peccati Lege, hoc est imperio, liberati non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulent, & propterea nulli prorsus damnationi sint obnoxii. Quemadmodum ipse Paulus 8 deinde cap. copiose ac luculenter explicat.

Quæ hactenus à nobis dicta sunt, dum Pauli mentem, & magna ex parte verba ipsa in 7 cap. Epist. ad Rom. breviter aperire, atque explanare studemus, satis, superque esse possunt, ut id verum esse constet, quod ab initio diximus, & nobis demonstrandum proposueramus. Videlicet, Apostolum eo loco sub persona sua non seipsum, præsertim tamquam Christi Spiritu regeneratum, sed hominem adhuc divinæ gratiæ expertem intelligere. Attamen, ut id aliquanto etiam evidentius appareat, hominem Christi Spiritu præditum cum eo homine, de quo Paulus ibi loquitur, per antitheses quasdam, idque ipsius Pauli verbis ex eadem fere Epist. ad Rom. desumptis, conferemus.

Homo de quo loquitur Paulus Apostolus Cap. 7. Epist. ad Rom.	*Homo Christi Spiritu præditus ex Apostoli Pauli verbis descriptus.*
1. *In eo peccatum operatur omnem concupiscentiam v.* 8.	1. *Crucifixit carnem una cum affectibus, & concupiscentiis. Gal. cap. 5. v. 24.*
2. *In eo peccatum adeo vivit, ut illum morti mancipet, atque occidat, v. 9,10, & 11.*	2. *In eo peccati corpus (id est ipsum peccatum) destructum est adeo, ut & ipse peccato mortuus sit, nec peccatum in ipso amplius regnet, aut dominetur. Rom. 6. 2, 6, 11, 12, & 14.*
3. *Carnalis est. v.* 14.	3. *Non amplius est in carne. Rom.7.5. & cap. 8.8, & 9.*
4. *Venundatus est sub peccato. Ibidem.*	4. *Liberatus est à peccato, Rom.6. 18, & 22.*
5. *Quod vult bonum non facit, quod autem non vult malum, id agit. v.* 19.	5. *Non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulat. Rom. 8. 1, & 4. & Spiritu actiones corporis perimit. Rom. 8. 13.*
6. *Captivus est Legis peccati. v.* 23.	6. *Liberatus est à Lege peccati. Rom.8.2.*
7. *Detinetur à corpore mortis, (id est ab ipsa morte) a quo liberari miser cupit. v.* 24.	7. *Liberatus est à Lege mortis. Ibidem.*

De

De superiore ejus scripto Epistola.

Gratiam, & pacem à Deo Patre per JESUM CHRISTUM *opto.*

Legi scriptum tuum, vir doctissime, quod rogatus à me edidisti, proque tenui modulo fidei spiritualisque prudentiæ illud examinavi. Video tibi suppetere quasdam rationes, quibus ut tua confirmas, sic adversæ partis argumenta refellere conaris: Tamen, ut verum fatear, mihi tuæ rationes nec tam firmæ, nec veræ videntur, ut à concepta dudum sententia me revocare possint. Quæ igitur me detinent, ne tibi assentiar, paucis aperiam, tu pro tua singulari prudentia dijudicabis.

Principio occurrit Paulina distinctio, quæ unum eundemque hominem in duas partes partitur. Juxta mentem consentientem Legi Dei, in membris vero carnis sentientem rebellionem. Hoc aliis verbis, ni fallor, idem Paulus alicubi effert, videlicet Novi ac Veteris hominis distinctione. Quæ partitio nullo modo homini non renato, gratiæque Dei in Christo experti convenit. Quomodo enim homo non renatus possit consentire mente præcipua parte hominis Legi divinæ, eaque delectari: cum potius illam contemnat, odioque habeat? 1 Cor. 2. 14. Rom. 8. 6, & 7. Animalis enim homo non percipit ea, quæ Dei sunt, cogitationesque carnis mortem adferunt prudentiaque carnalis inimica Dei est, &c. Potius itaque homo non renatus delectatur vanitate mentis suæ, quam ut mentem possit applicare ad meditationem Legis, indeque absque peculiari gratia gustum suavem sentire.

Deinde Paulus post lamentationem, deplorationemque tantæ miseriæ gratia Dei se solatur in Christo. Quod nescio quomodo non declarat, Paulum & de se jam fideli, subque sua persona de omnibus Christianis loqui. Quis enim Deo per Christum gratias agere potest, nisi qui probe Christum cognoverit? Nec est, quod dicas, Paulum ista seorsim sub parenthesi de seipso, alia vero non item scribere, cum omnia uno contextu cohæreant. Immo quæ post gratiarum actionem addidit, meam sententiam confirmant, scilicet se servire mente Legi divinæ, carne vero Legi peccati. Quomodo enim possit servire Legi Dei mente, absque spiritu Dei? servitus enim includit sincerum cor, studiosumque Dei, &c. Aliter non servitus, sed potius illusio quædam, prophanatioque Legis divinæ diceretur. Hæ sunt rationes (ut cætera nunc taceam) quæ me urgent, ut potius iis assentiar, qui luctam perpetuam Christianorum à Paulo describi docent, qui sæpius à propria concupiscentia impediti, non hoc quod volunt, sed sæpius nolentes malum operantur, aliquando quoque prudentes per infirmitatem carnis vi concupiscentiæ irretiti labuntur. Tantam enim esse potentiam hujus malæ concupiscentiæ Paulus declarat, à qua homines pios quasi sub quadam captivitate detineri asserit.

Quæ tu vero, vir optime, objicis sub quadam Antithesi, ea quæ Paulus loco citato scribit, non posse cadere in hominem Christianum, propterea quod idem Paulus multo melioribus, immo contrariis epithetis fidelem hominem ornet, describatque quod ex sequenti capite 8 facile apparet, ubi non carnalem, sed spiritualem describit: Non captivum à Lege peccati, sed liberum, &c. Alioque loco eos, qui Christi sunt, carnis affectus cum concupiscentiis crucifixisse affirmat, &c Ad hæc paucis respondebo. In scriptis Paulinis sæpius diversitas quædam se offert, propterea quod ille de una re loquens pro diversitate causæ, temporisque eam describit, prout patet in elogiis Legis, quam aliquando instrumentum vitæ; aliquando ministram mortis vocat. Sic, ubi de populo Israëlitico agens, eundem & extollit, ornatque præclarissimis elogiis, postea vero humiliter de illis sentit, atque prædicat. Eadem, ubi circumcisionis mentionem facit, invenies. Similiter hic quoque facit. Cum enim describit hominem Christianum à præcipua ejus parte, juxta scilicet renovationem mentis per Spiritum Sanctum, qui Spiritu Dei suasore ac ductore corpus suum in obsequium redigit, ne rebellans jugum Spiritus plane excutiat, sed potius illud subigit domatque hactenus, ne vis peccati in membris rebellans dominium obtinear, sed utut accideret, attamen Spiritus victor evadat, hanc hominis fidelis prærogativam Paulus considerans, eum à præcipua parte spiritualem nominat, eique tribuit, quod peccato mortuus carnem cum affectibus, ac concupiscentiis crucifixerit. Ista à Paulo per excellentiam prædicantur, qui istud, quod optimum est (ut dixi) considerat: propterque inhabitantem Spiritum Sanctum in nobis tam eximiis elogiis hominem Christianum ornat.

Verum, cum nemo ex mortalibus, qui ex voluntate viri geniti sunt, hactenus repertus est, qui ad tantam perfectionem pervenerit, ut nulla labes perversæ concupiscentiæ ei adhæserit, eumque reum coram Deo non constituerit; Immo omnes sancti non tantum sub Veteri, sed & sub Novo Testamento vitiositatem carnis senserint: hoc Paulus expertus non abs re deplorat, ac loco prædicto describit, sentiens tantam vim inesse malæ concupiscentiæ, quæ in membris nostris remanens, perpetuo spiritui nostro negotium facessit, contraque animam militat, ut quodammodo nos captivos mancipet.

Inde igitur ista diversitas, quæ in Paulo prima specie apparere videtur. Quod de eodem homine pio diversa prædicare videtur, idque propterea quod diversos effectus diversarum causarum describit. Ex una parte effectus spiritus vincentis. Ex altera parte vim concupiscentiæ rebellantis, &c. Quis vero negare potest, nisi aut stupidus aut Pharisaico spiritu fascinatus, tantam cladem inferre sanctis concupiscentiam, ut merito omnes peccato obnoxios reddat? Jac. 3. 2. 1 Joh. 1. 8. Jacobus fatetur omnes in multis labi. Idem testatur Johannes. Si dixerimus nos peccatum non habere, mentiri nos, &c. non adfero plura testimonia, nam tibi omnia notissima scio, hoc unum addo, si quis diligenter omnes cogitatus, sermones, factaque examinaverit, absque dubio in seipso sufficiens testimonium reperiet, ut cæteris testibus non egeat.

Naturæ igitur nostræ pravitas à Paulo describitur, quæ optime in homine renato apparet. Nam homo naturæ suæ relictus, totus in cupiditates fertur: Quanquam enim impii stimulis conscientiæ punguntur, quod Dominus permittit, ut judicium suum illis demonstret: Tamen ii peccatum nunquam vere oderunt, nec justitia delectantur. Pii contra, in quibus cœpta est regneratio, præcipuo cordis affectu ad Deum feruntur, justitiam amant, uniceque Deo in omnibus obedire cupiunt: sed rursum à carne impediuntur, vimque eis faciens concupiscentia sæpius rapit, ac distrahit: concupiscentiæ enim effectus est perpetua carnis adversus spiritum rebellio. Quæ pugna cum sit piis molesta, libenter cuperent se ab ea liberari: sed cum in hac vita id non sit, gemunt, ac istam miseriam deplorant, solaque gratia Dei se in Christo consolantur. Quod scilicet iis, qui Deo per Christum reconciliati sunt, vitiositas carnis non imputetur, habentibus intus arrhabonem redemptionis suæ Spiritum Sacrum Qui & de benevolentia paterna eos certificat. Tum in hac

lucta instruit, viresque suppeditat, ne succumbant, sed mortificantes assidue opera carnis, non secundum carnem, sed juxta spiritum ambulent.

Verumtamen fieri non potest, quin tam gravem hostem assidue sentientes, gemant, mortifera tela ejus exhorrescentes, quibus id hostis eorum efficit, ut etsi totis viribus in contrarium nitantur, tamen sæpissime à recto cursu impediantur ac retardentur. Juste igitur Paulus, considerans hanc corruptionem naturæ nostræ, per Legem peccati in membris militantem, Captivitatem vocavit. Quomodo enim non diceretur captivitas, qua se nullo modo fideles, dum hic vivunt, eximere, liberareque possunt? Nam dato mihi aliquem, etiam ex sanctissimis, qui nunquam peccaverit, nec facto, nec dicto, nec cogitatu quidem.

Quod igitur Paulus dixit, se sub peccatum venditum, non voluit indicare, qui ex Christi spiritu natus esset, se dominantis peccati jure teneri, sed indicavit, se peccati vim, rebellantem spiritui sentire, quam tollere, dum viveret, non posset, ut quæ nonnisi cum corpore moreretur. Aliter ergo pii, & sancti homines, aliter impii se sub peccatum venditos sentiunt. Impii condemnantem ejus calculum, & judicium in conscientiis ferentes: Illi ab eo liberi, rebellionem sentientes, reatum non item, & pugnam cum peccato sustinent, pravas cupiditates assidue mortificant. Nihilominus tam moleste ferunt, spiritum à carne sæpius impediri, ne tanta cum perfectione, alacritateque, quam vellent, Deo, proximoque inserviant. Nam caro, quamdiu vivit hac animali vita, non potest sic affecta esse ac composita, ut interior homo affectus, ac compositus est, nec ejus affectus tales fieri possunt, quales sunt affectus spiritus cum Lege consentientes. Ut hæc diligenter examinans, non absque ratione dicere quis possit: Credentes in Christum spirituales carnalesque esse. Probos ac improbos: Carnales ac improbos à vitiata carne, quam, ut mortalem, ita vitiis defœdatam secum gerunt; ut autem spirituales quoque filii Dei vocentur, efficit versans in mentibus ipsorum spiritus, ex quo filii Dei renascuntur. Qui igitur in statu novæ geniturae sunt, spirituales à spiritu vocantur, non carnales à carne: ut Paulus Galatas propter spiritum regeneratorem spirituales vocat, quamvis sciret eos concupiscentiam, Legem peccati in membris corporis portare: propterea admonet, ut peccantes in spiritu lenitatis arguant, considerantes ne & ipsi tententur, per insidiatricem scilicet concupiscentiam. Quare non sine causa addit Gal. 6. 1: *Quod si quis sibi videtur aliquis esse, cum nihil sit, suum ipse fallit animum.* Admonet Paulus, ne quis propriæ justitiæ, sanctitatisque opinione inflatus, cæteros audaciter contemnat, putans se immunem esse ab omni tentatione vimque concupiscentiæ intus latentis, ac grassantis non satis animadvertens, ac agnoscens. Quæ quam virulenta sit, ii demum sentiunt, qui justum bellum cum illa instituunt, assidueque præliantur. Sed quid multis opus, tuipse revoca in memoriam illa, quæ alicubi scripsisti: Hominem Christianum justum & injustum nominans. Justum pronuntians, si ex communi vita juxta æquitatem consentaneam consideretur & cum cæteris comparetur. Injustum vero, si ad divinam propositam normam facta, & cogitationes ejus universæ exacte expendantur. Unde igitur iste defectus in homine renato, quod non possit respondere exacto Dei judicio? Nonne ob imbecillitatem carnis, quæ exagitata à mala concupiscentia spiritui sancto operatori omnis justitiæ reluctatur, ac repugnat? An Deus à nobis justo modo diligitur? Nonne sæpius diffidentiæ, impatientiæque morbo laboramus? Ubi Deo parendum est, nonne sæpius ignava caro alacritati spiritus repugnat? ut si quid boni operari volumus, carni vis inferenda sit. Proximus nonne sæpius negligitur? At ubi tanta perfectio, quod quis proximum æque ac seipsum diligat? Nonne philautia pravæ concupiscentiæ proles ita nos devinctos tenet, ut potius nos nostraque, quam proximum curemus? Examinet, modo quisque cor suum, inveniet istud verissimum. Unde igitur tantus torpor in officiis pietatis, proximique neglectus, fides imbecilla, charitasque languida? In Deo, verboque ejus nulla culpa, qui ad meliora hortatur, spirituque suo instruit. Concupiscentia igitur carnis culpanda est, quæ repugnat, impeditque bonos ac pios conatus fidelium, quod Paulus explicat dicens: Non ego malum operor, verum inhabitans in me peccatum, &c. Sæpius enim pii volentes bonum per spiritum inhabitantem in mente ipsorum, nihilominus operantur malum. Et si quid boni faciunt, non ita tamen strenue alacriterque, ut deceret, id exequuntur, propter innatam carnis rebellionem. Hæc si quis recte consideraverit, in seque ipso expertus fuerit, facile animadvertet, Paulum justas habuisse causas, cur tantam miseriam humanæ infirmitatis tam tragice descripserit, solaque gratia Dei in Christo se sustentarit, qua fit ut ista vitiositas nobis non imputetur. Nulla enim condemnatio iis, qui in Christo Jesu reconciliati, fiduciaque misericordiæ Dei freti, primitias spiritus habentes, pravas cupiditates carnis mortificant, ac omni conatu resistunt, ne peccatum eis dominetur. Quod qui exequuntur diligenter, efficiunt, ne ista lues in carne grassans eos ita inficiat, ut à cœpto pietatis cursu desistant: sed potius fortiter in acie dimicent, victoresque gratia Dei evadant: Attamen vitiositas ista, qua fit, ut non ita, prout velimus, justitiæ operam demus, innocentiamque observemus, culpanda ac deploranda est. Atque nos humiliare debet, ne nos ipsos efferamus, sed humiliter de nobis sentientes, misericordiam Dei unicum Asylum salutis nostræ imploremus, ab eo remissionem omnium peccatorum nostrorum petentes, vitantesque Pharisæi illius arrogantiam, qui dixit, Non sum sicut cæteri homines, &c. Luc. 18. 12. Nam etsi *gratiâ Dei* ea scelera, quibus mundus obnoxius est, non perpetramus, seminaria tamen quædam illorum in membris nostris circumferimus, sollicitante concupiscentia ad malum, nisi spiritu Dei eam reprimamus. Lucta itaque perpetua opus est; ut beneficio Dei superiores evadamus, ne videlicet regnet in mortali corpore nostro peccatum, ob quam victoriam spiritu sacro partam spirituales dicuntur: Carnales vero, si immunditiem, vitiositatemque malæ concupiscentiæ consideraverimus. Sic & liberi evadimus, dum peccatum sollicitans reprimimus, ne in nos sæviat, sibique in servitutem redigat. Rursus vero, quod assidue vexat, cursumque nostrum remoratur, in hoc non parum nocet vimque suam exerit, ac quodammodo jus suum tuetur, ne nos plane liberi immunesque ab illo, dum hic vivimus, simus, non prius omni ex parte liberandi, quam, confecto cursu militiæ nostræ, & spiritu, & corpore in integrum restaurabimur.

Jam finem facio, satis te admonitum arbitror, locum Pauli, aliter ac sentio, accipiendum non esse.

Non dubito, te nunc in eo statu versari, qui faciliorem, planioremque viam pietatis ingressus, non adeo spinosis callosisque salebris impediaris, secure enim otio literario deditus agis. Sed si tu aliquando expertus fuisses vitam communem, maxime conjugalem œconomicamque, melius fortassis perspiceres, quantis procellis, tempestatibusque fides nostra impetatur, quantis machinis oppugnetur patientia. Potes ista conjicere ex cæteris, qui assidue tanto onere pressi gemunt, infirmitatemque suam agnoscunt, ac deplorant. Pauli Epistolæ luculenter testantur istam miseriam, qui scribens fidelibus, eosque sanctos nominans, tamen multas infirmitates, vitiaque non vulgaria in eis notat, ac corrigit. Rogo igitur te, ut, quæ scripsi, diligenter examines, &, si quid diversum adhuc sentias, mihi significare non graveris. Tandem te diu incolumem in Domino cupio, meque ut ames rogo.

Datum die Februarii 12. *Anno* 1581.

I. N. *Frater in Domino tuus.*

AD

Ad superiorem Epistolam sic pluribus AUTHOR respondit.

Gratia, & pax à Deo Patre nostro, & Domino JESU CHRISTO.

NIhil mihi gratius accidere potuit, vir præstantissime, quam, ut ad ea, quæ rogatu tuo in septimum caput Epistolæ ad Romanos proximis diebus scripseram, à te ipso responsum acciperem. Etenim spero fore, ut disputationibus hac de re nostris, veram totius loci sententiam tandem percipiamus, & (quod potissimum à me quæritur) quales ii esse debeant, qui Christi Spiritu regenerati jure dici possint, recte intelligamus. Ne quando nobis ipsi in istorum numero esse videamur, cum tamen non simus, & ita à cœlesti regno, in quod ingredi iis solis datum est, qui ejusmodi fuerint, imprudentes excludamur Joh.3.5. Et quamquam (ut ipse nosti) non tantum temporis habebam, ut tota de re pro ipsius amplitudine scribere possem, tamen (cum præsertim, ut id facerem, abs te rogatus essem) pauculos dies aliis meis occupationibus quodammodo suffuratus, quæ mihi ad ea, quæ ad me scripsisti responderi posse videbantur, explicare constitui. Tu, quem Deus Spiritu suo dignatus est, facile, an divina cum veritate, quæ dicturus sum, consentiant, cognoscere poteris.

Primum igitur ais, sententiam meam, quæ est, Paulum eo loco sub persona sua non de seipso, tamquam Christi Spiritu regenerato, sed de homine potissimum, qui divinæ per Christum exhibitæ benignitatis expers adhuc sub ipsa Lege sit, omnino loqui, ea ratione tibi probari non posse, quod Paulus hominem istum, de quo loquitur, in duas partes partitur, quatenus mente quidem consentit Legi Dei, carnis tamen interim rebellionem sentit, quod alibi opinaris ab eodem Paulo distinctione Novi, & Veteris hominis significari. *Quomodo enim* (inquis) *homo non renatus possit consentire mente præcipua parte hominis Legi divinæ, eaque delectari: Cum potius illam contemnat, odioque habeat?*

Si quæ in hac tua argumentatione explicanda, vir clarissime, dicta sunt, admitti debent, ipsaque argumentatio recte conclusa est, ex duobus alterum efficitur. Aut, ubicumque mentis, & carnis luctatio fuerit, ibi mentis victoriam esse, Aut non necesse esse, ut in homine renato mens carne potentior sit. Ubi enim mentis cum carne luctatio est, ibi mentem esse oportet, quæ Legi Dei consentiat, eaque delectetur. Unde enim luctatio ista, nisi ex eo quod mens divinæ Legi obedire vult, caro autem id facere renuit? Atqui in argumentatione tua tacite sumitur, Quicumque ea mente sit præditus, quæ Legi Dei consentiat, eaque delectetur, eum renatum esse. Igitur aut necesse est, in luctatione ista, quocumque in homine ea fuerit, à mente carnem superari, aut in homine renato ut superetur, non esse opus. Posterius hoc nulla refutatione indiget, cum non modo in Sacris Literis, præsertim vero apud ipsum Paulum, testatissimum sit, in homine renato, & vere Christiano, Spiritum (qui idem hac in re præstat, quod mens) carne potiorem esse oportere, verum etiam tu ipse id satis aperte confitearis; quamquam, cum hoc mirum in modum sententiæ tuæ adversetur, vix hac in re te satis explicare posse videris, ut postmodum dicemus. Jam vero prius illud nullo pacto concedi potest, cum & divinis litteris, & ratione, & quotidiana denique experientia doceamur, in nonnullis immo in plerisque hominum carnem, cum mente luctando, ipsa mente potiorem esse.

Et quidem, quod attinet ad Sacras Literas, expendatur modo diligenter similitudo, seu parabola illa à Christo proposita & explicata de seminante Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. Nam quis dubitare potest, quin is, in quo semen divini sermonis jam enatum fuerat, sed persecutione deinde, aut calamitate propter sermonem exorta, aruit, secum ipse, dum desisceret, pugnaverit, mente, sine cujus rectitudine, quæ non facile abolетur, semen illud enatum non fuisset (nam & cum gaudio ab isto sermonem acceptum fuisse narratur) hinc, ut persisteret, monente, illuc vero carne, ut cederet, suadente? Et tamen succubuit mens, & victrix caro evasit. Idem omnino dici debet de eo, qui ibidem terræ spinis obsitæ assimilatur. Nam, licet disertis verbis non narretur, semen in eo natum fuisse, tamen cum ex ipsa similitudine, tum ex eo, quod ibi dicitur, suffocatum fuisse semen, adeo ut fructum non tulerit, aperte indicatur, natum quidem semen fuisse, sed ad fructum pervenire non potuisse, ut evenire videmus, si qua pars seminis, dum ager seminaretur, inter spinas deciderit. Estque istius exemplum eo magis proposito nostro accommodatum, quod spinæ illæ, ut Christus ipse explicat, voluptates, divitiæ, ac solicitudines hujus vitæ sunt, quibus armis potissimum caro cum mente pugnare, eamque superare consuevit. Quid porro dicemus de iis, quos Sacra Historia testatur in Christum credidisse, interim tamen eum confiteri propter imminentia pericula non ausos esse? Numquid fieri potest, ut in istis mens cum carne non perpetuo pugnaverit? Nam quid aliud est, eos in Christum credidisse, quam mente sua ipsos assensos fuisse, illum vera dicere, eumque esse, quem se esse dicebat, & propterea illi palam adhærendum esse Joh. 12. 42. Hoc profecto cum carnis affectu pugnabat, qui incommoda hujus vitæ fugienda omnino esse suadebat. Quare non sine mentis repugnantia, ut prædicta incommoda vitarent, à Christo confitendo abstinebant isti, nec sine antecedente luctatione illa vincebat in ipsis caro, mensque succumbebat. Hanc ipsam pugnam, in qua interior homo, seu præcipua ejus pars, quæ mens est, ab exteriore superatur, adeo ut ipse homo superatus esse dicatur, satis aperte explicat Petrus, cum ait 2 Petr. 2. 20: *Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.* Et antea dixerat, à quo quis superaretur, ejus & servum esse. Nam verbum Superari, pugnam antecessisse, demonstrat. Sed quid opus est, quo mentem in luctatione cum carne ex Sanctis Literis succumbere posse ostendamus, longius abire, cum nullus sit (opinor) in universis Bibliis locus, qui tam dilucide, ac copiose id doceat, quam locus ipse, de cujus interpretatione quærimus? Verum ne bis eadem dicamus, de hoc postea agemus. Atque hæc in præsentia satis esse volo, quod ad sacra testimonia pertinet.

Quod si rationem ipsam intueamur, videbimus aperte, fieri non posse, quin in iis hominibus, qui divinæ Legis cognitionem habeant, & proinde justi, atque injusti, honesti, ac turpis notitiam adepti fuerint, dum cupiditatibus suis obsequuntur, antequam plane ipsarum mancipia fiant, & in ipsis vitiis quodammodo computrescant, fieri, inquam, non posse, quin in istis mentis cum carne sit perpetua pugna. Tanta est enim, nisi quis prorsus obduruerit, justi, atque honesti vis, ut non modo cogatur unusquisque fateri, aliis rebus omnibus ipsum anteponi æquum esse, sed etiam ad ipsum per se amandum, & quærendum se impelli, ac rapi sentiat. Verumtamen, quia in homine

ex altera parte vehementissimus est animi affectus ille, quo ea, quæ nobis bona esse credimus, sequimur, & mala refugimus, idcirco fit, ut quoniam, ea, quæ honesta & justa sunt, plerumque nobis malum aliquod allatura esse videntur, quæ vero turpia atque inhonesta, bonum, pugna inter superiorem rationem, & appetitum (quæ idem sunt, quod apud Paulum, & in disputatione nostra mens, & caro) gravis instituatur, ratione jubente, ut id, quod æquum est, omnino faciamus, appetitu verò contra ad ea, quæ mala nobis esse videntur, refugienda, quæ autem bona, persequenda nos vehementer impellente. In qua pugna vix umquam non solet appetitus superior evadere, nisi aliqua opinio, aut spes sit, ea, quæ justa, atque honesta sunt, quamvis malorum plena videantur, tamen bonum aliquod ejusmodi nobis allatura, quo ista omnia mala compensari queant. Nec quisquam fortasse est, qui, si eadem bona se percepturum esse persuasum haberet ex bene agendo, quæ ex male agendo, non multo libentius bene ageret, quam male. Quare necesse est, ut, qui sciens prudens male agit, donec omnino hominem exuat, & rationem, sive usum illius plane abjiciat, invitus ex parte id faciat, mente ipsius videlicet interim repugnante, & carni aliqua ratione resistente.

Sed quid de quotidiana experientia dicemus? Quotus quisque est, qui pugnam hanc non sit expertus, cum tamen interea appetitus plerunque superior evaderet? Plena exemplorum sunt omnia, plena querelarum appetitus in pugna ista rationem superantis. Hinc decantatissimum illud, *Video meliora, proboque, Deteriora sequor.* Quod mulierem etiam impudicam atque scelestam dicentem Poëta inducit. Quod sane factum non esset, nisi experientia ipsa docuisset, multos impudicos atque scelestos esse, qui rationem appetitui repugnantem in se ipsis sentiunt, immo nisi plerosque tales esse compertum fuisset.

Certissimum igitur esse debet, in luctatione ista rationis cum appetitu, sive mentis cum carne, in multis, immo in plerisque hominum, mentem carne aut superiorem esse, aut aliquando fuisse, & ob eam caussam, posse quempiam, quod ad mentem attinet, legi divinæ consentire, eaque delectari, & tamen in eo mente carnem potiorem esse. Sed tu nimirum (ut arbitror) apud Paulum, Lege Dei secundum interiorem hominem delectari, ita interpretatus es, ut idem significet, quod (exempli caussa) in primo Psalmo in lege Domini voluntatem suam habere, quod, ut ibidem scriptum est, beatum hominem efficit. Verum ego multo aliter rem se habere putaverim. Quandoquidem in homine tres sunt partes Ratio seu Mens, Voluntas, & Appetitus. Ratio, & Appetitus invicem diffident, & de imperio quodammodo in homine contendunt, suntque tamquam duo extrema. Voluntas media quodammodo inter utrumque est, & modo uni, modo alteri adhæret. Utri autem ex duobus istis extremis ipsa adhæserit, jam illud obtinuisse certum est. Cum igitur in Psalmo primo, Voluntatis fit mentio, quam quis habeat in lege Domini, significatur, in isto rationem obtinuisse, quæ legi divinæ obtemperandum esse monet. At vero, cum apud Paulum legitur de delectatione legis divinæ secundum hominem interiorem, qui (ut apparet) idem est, quod mens, seu ratio, intelligendum est, in isto, de quo est sermo, rationem quidem nulla ex parte depravatam, sed rectam plane atque integram esse, nondum tamen obtinuisse, neque eam delectationem ad ipsam voluntatem adhuc pertigisse. Etsi enim Paulus ibidem dicit, hominem istum velle bonum facere, ipsique ut velit, adjacere, tamen animadvertendum est, alio sensu in Psalmo illo voluntatem appellari, & alio apud Paulum. Apud quem neutiquam de ea voluntate est sermo quæ pugnam inter rationem, & appetitum dirimit, quæque hominis facta regit, ac moderatur, de perfecta scilicet voluntate. Nam si eam intelligeret Paulus, necesse esset, ut homo de quo loquitur, bonum faceret. Quod contra se habet, ut latius postea explicabitur. Sed ex consuetudine quadam loquendi, voluntatem adhuc imperfectam simpliciter Voluntatem appellat. Siquidem (ut sæpius non apud Græcos tantum, sed apud latinos quoque fit) Volo pro Velim seu Vellem usurpat. *Atque idem est in ejus verbis Non quod volo bonum, &c.* quod Non quod velim, seu vellem bonum, &c. Quin etiam ego ipse partim loquendi consuetudine abreptus, partim ipsum Paulum imitatus, homini isti voluntatem obtemperandi legi divinæ simpliciter in meo scripto attribui, eamque vel maximam, quatenus scilicet is sub ipsa Lege status ferre potest, in quo perfecta Deo obtemperandi voluntas non datur. Atqui de perfecta voluntate in Psalmo illa verba fieri, indicat illud, quod sequitur, *Et in lege ejus meditabitur die, ac nocte.* Quibus verbis, sive priora interpretentur, sive illis sint addita, aliquid amplius sine dubio significatur, quam significet Delectari Dei lege secundum interiorem hominem. Ex quo fit, ut is, de quo Psaltes loquitur, beatus ab ipso appelletur, hic vero, de quo Paulus verba facit, miser ab eodem Paulo nominetur. Nec aliud omnino declarat delectamentum istud legis divinæ secundum hominem interiorem apud Paulum, præter id, quod continent antecedentia verba illa, Consentio Legi, quod bona sit. Neque enim fieri potest, ut homo interior, id est mens hominis, nisi prorsus depravata fuerit, eo, quod bonum, id est rectum esse, ipse homo consenserit, non delectetur.

Verumtamen video, quid paullo post adjungas, cum Paulus ad extremum dicat, hominem istum servire mente legi Dei; Ais enim: *Quomodo possit servire legi Dei mente, absque Spiritu Dei? Servitus enim includit sincerum cor, studiosumque Dei, &c. Aliter non servitus, sed potius illusio quædam, prophanatioque Legis divinæ diceretur.* Atqui crediderim ego mente legi Dei quempiam per solam legis cognitionem servire posse. Quod etiam ex tota Pauli oratione liquet, qui eam cognitionem, unde servitus ista, profecta sit, tantum commemorat, nec divini præterea Spiritus ullam mentionem facit. Adde, quod necesse est, Mente legi Dei servire, apud Paulum nihil plus significare, quam ea, quæ prius dicta fuerant, Consentire Legi, quod bona sit, & Dei lege secundum interiorem hominem delectari, quæ sine Dei illo Spiritu, quem tu intelligis, & quem Legis cognitio ipsa non suppeditat, fieri posse, ex superioribus constat. Quod enim, seipsum mente legi Dei servire, ait Paulus, carne autem legi peccati, id infert, aut repetit, ex præcedentibus, ut patet ex conjunctiva particula Igitur. Inquit enim *Igitur ego ipse, &c.* Deinde aliud est requiri Dei Spiritum ad aliquid præstandum, aliud vero renatum esse oportere. Non enim, si in uno quopiam homine aliqua divini Spiritus effecta sunt, idcirco in ipso continuo spiritualis illa regeneratio est, de qua quærimus. Cæterum quod dicis, servitutem includere sincerum cor studiosumque Dei, istud verum esset, si de homine simpliciter, quod Dei legi serviret, diceretur. Nunc, quando non homini simpliciter, sed homini secundum mentem tribuitur, quod legi Dei serviat, nihil hic de sinceritate cordis, & studio erga Deum dicitur. Hæc enim, & si qua sunt hujusmodi, ad voluntatem actionum nostrarum moderatricem referuntur. Sed de ipsa tantum mente, atque ratione agitur, in quam vel istæ sinceritatis, & studii erga Deum appellationes non cadunt, vel si cadunt, hæc hominem renatum non indicant, sed tantummodo à ratione, menteque sua sincere, ac studiose ad legem divinam servandam impulsum. Quod in iis quoque fieri contingit, qui renati non sunt, & mentis commonefactionibus spretis, carni indulgent, eique obsequuntur. Itaque constat, à mente, quæ illa est, quæ hic servire Dei legi dicitur, non profanari ipsam legem, eive illudi, etiamsi homo ipse totus idem non faciat, non enim hoc in mentis est potestate.

Ex iis, quæ hactenus disserui, intelligi potest, id, quod à te affirmatur, hominem non renatum non modo non delectari lege Dei, sed eam potius contemnere, & odio

& odio habere, vel ad eos tantum inter non renatos accommodari posse, qui ita cupiditatibus excæcati sunt, ut justi, atque injusti, honesti, ac turpis nullum fere discrimen habeant, vel ad rem non facere, cum ii, qui nondum excæcati Dei tamen legem contemnunt, & odio habent, nnn ipsa mente, & secundum interiorem hominem, sed factis, & secundum carnem, atque appetitum eam contemnant, & odio habeant. Atque hic illud propter dilemma hoc nostrum animadvertendum est, quod ex priore etiam meo scripto intelligi potest, cum ego una cum plerisque antiquioribus Theologis Paulum hoc loco hominem Christi gratiæ expertem, & ab ipsa Lege pendentem describere affirmo, non quemlibet ejusmodi hominem intelligere, sed eum, qui in eo statu ad excellentissimum gradum pervenerit. Sunt enim istorum, qui minime sunt renati, gradus quidam, quemadmodum & renatorum, omnesque in re una conveniunt quidem, ex qua non renati merito appellantur, ea tamen non est Dei Legem odisse, sed secundum carnem ambulare. Sic quoque renati similiter in re una conveniunt quidem, ex qua renati merito dicuntur, verum ea non est Dei Lege secundum mentem delectari, sed secundum spiritum incedere. Porro quod ais, hominem non renatum potius vanitate mentis suæ delectari, quam Dei Lege, si vanitatem mentis intelligis eam, de qua loquitur Paulus ad Ephes. cap. 4 vers. 17. ea vel in homine, qui divinæ Legis cognitionem habeat, esse non potest, vel certe nihil aliud est, quam effectus quidam cupiditatis, quæ hominem adeo excæcaverit, ut, quid rectum, quid ve pravum sit, amplius non videat, ut ex ipso loco perspicuum est. Sed nos de homine verba facimus, qui divinæ Legis notitiam habeat, & quid rectum, quidve pravum sit, probe teneat. Nam, si quis forte neget, ullum, qui recti, pravique cognitionem habeat, inveniri posse, qui renatus non sit, refellet eum cum ratio manifesta una cum perpetua ab ipso orbe condito experientia conjuncta, tum universa Sacra Scriptura, quæ hominum perditorum, contra quam ipsi fieri debere cognoscunt, agentium, passim mentionem facit. Quod si Vanitatis suæ mentis nomine aliud intelligis, id, judicio meo, nihil esse potest, quod cum delectatione Legis Dei secundum interiorem hominem adeo pugnet, ut cum ea simul consistere non queat.

Jam vero, quia ad probandum id, quod affirmaveras, testimonia quædam ex Sacris Litteris profers, de iis deinceps videndum est.

Affers primum ea Pauli verba 1 Cor 2.14. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Sed diligenter animadvertere oportet, ibi Paulum agere de Dei promissis, deque iis, quæ Deus præparavit diligentibus ipsum, quarum rerum animalis homo gustum, aut notitiam habere non potest, quippe quas, ut ibidem paullo ante ait Paulus, nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec ipsæ in cor hominis ascenderint: non autem de præceptis divinæ legis, aut rebus ejusmodi, quæ rationi ipsi humanæ sunt maxime consentaneæ, & propterea nulli, nisi plane depravato, stultitia esse possunt, quemadmodum animali homini eas, de quibus loquebatur, esse ait Paulus. Stultum igitur est homini animali, id est, qui divinis patefactionibus ad Dei arcana cognoscenda non pervenerit, hominem per medias calamitates, & mille mortis genera ad æternam beatamque vitam pervenire posse. At eidem minime stultum est, non occidere, non adulterare, & cætera id genus, quæ divina lex præcipit, recte præcepta fuisse, &, qui hæc præstiterit, laude dignum esse. Non igitur simpliciter de iis, quæ Dei sunt, ut à te locus recitatus fuerat, loquitur ibi Paulus, sed de iis, quæ sunt Spiritus Dei, id est de iis, quæ non nisi Deo patefaciente, quippe quæ alioquin in ejus mente lateant, percipi possunt, qualia, ut dixi, sunt æternæ vitæ promissa.

Locum deinde in testimonium adducis ex cap. 8. ad Rom. ubi dicitur, studium carnis mortem esse, & inimicitias adversus Deum. Verum istic ne de toto quidem homine non renato, nedum de mente ejus sola, ut præsens disputatio requirit, agitur, sed de ea sola parte, quæ plane menti adversatur, id est de carne. Quæ pars non modo in iis, qui renati non sunt, sed in renatis quoque Dei Lege neutiquam delectatur, nec delectari potest. Nisi fortasse sit, qui dicat, hominem non renatum nihil nisi carnem esse, & mente, ac ratione carere, cum tamen ne spiritu quidem multi etiam ex non renatis sint prorsus destituti, ut postea dicetur. Est ergo non in renatis, (nisi quibusdam fortassis ex iis, qui plane vitiorum mancipia sunt, exceptis) ut fateri necesse est, non caro tantum, sed mens quoque, non secus atque in renatis, sed inter utrosque hoc interest, quod caro in non renatis mente potior est, & principatum adversus ipsam obtinet: In renatis vero inferior eique subjecta. Vel in non renatis in pugna illa superior evadere solet: In renatis vero fere semper manus dare cogitur.

Est igitur Paulina illa hominis partitio in mentem, quæ delectetur Dei Lege, & carnem, quæ rebellet, non renatis hominibus accommodatissima, nisi in ista rebellione mentem prævalere dictum esse velimus, quod plane contra se habere, post modum demonstrabitur. Nec vero est hæc partitio idem cum distinctione illa ejusdem Pauli veteris, & novi hominis. Nunquam enim in eodem homine, præsertim renato, uterque homo vetus, & novus ex Pauli mente invenitur, sed deponitur à renatis vetus homo, & induitur novus, ut patet ex iis, quæ scripsit ad Ephes. 4.22. & ad Coloss. 3.9. Sunt tamen omnino, aut certe esse possunt in homine renato veteris hominis reliquiæ. At vicissim in non renato novi hominis aut initia, aut reliquiæ esse possunt, vel quia Christi spiritus in ipso jam habitare inceperit, vel quia nondum ab eo penitus recesserit. Neque enim renatus is vere dici potest, in quo Christi spiritus non plane habitet. Hinc fit, ut plus novi hominis in non renato esse possit, quam veteris in renato. Non igitur mirum est, si nusquam, ut dixi, à Paulo homo renatus in veterem, & novum hominem divisus fuisse legitur. Meminit quidem alibi Paulus scribens ad Corinth. 2 Cor. 4.16 exterioris, & interioris hominis, qui non modo in aliis renatis, sed in ipso quoque invenirentur, verum alio sensu, quam hic faciat. Ibi enim exterioris hominis nomine non carnem sive appetitum, ut hic (quamquam hic exteriorem hominem diserte non nominat) sed corpus ipsum, ejusque vires, & vitam hanc mortalem intelligit. Interioris vero non mentem, seu rationem, ut hoc loco, sed spiritum, ejusque vires, & spem immortalis vitæ designat. Et hæc quidem partitio propria est hominum, qui Christi spiritu regenerati fuerint.

Arbitror me, vir præstantissime, aliqua saltem ex parte primæ isti rationi satisfecisse, quæ te à mea sententia amplectenda deterrebat. Quare jam ulterius progrediar. Nam deinde addis, cum Paulus post deplorationem tantæ miseriæ, quam sub persona sua exposuerat, soletur se gratia Dei in Christo, hinc apparere posse, eum de seipso, tanquam renato, locutum fuisse, proprium siquidem renatorum est gratiam istam sentire. Dicisque minime admittendum esse, ea verba, *Gratias ago, &c.* per parenthesim dicta à Paulo fuisse, quemadmodum ego affirmabam, cum omnia uno contextu cohæreant.

Ego vero adhuc in ea sum sententia, ut non modo gratiarum actio ista separatim reliquo sermoni à Paulo interjecta fuerit, sed etiam vel ea sola planum faciat, in superioribus omnibus, & paucis, quæ sequuntur verbis, Paulum de seipso, tanquam regnerato, non loqui. Nam quod ais, immo uno contextu omnia cohærere, quæso hic diligenter attende. Videbis enim, ni fallor, rem aliter se habere, & gratiarum actionem illam nec antecedentibus, nec subsequentibus verbis recte jungi posse.

Exclamaverat Paulus, *Infelix ego homo quis me liberabit*

liberabit de corpore mortis hujus? Hic profecto liberator quæritur. Quomodo igitur statim gratiæ aguntur? Certe, qui liberatorem quærit, nondum liberatus est. Qui vero gratias agit, jam est liberatus. Hæc duo nullo modo cohærere possunt. Quinimmo (utpote quæ plane contraria sunt) alterum ab altero necessario tollitur, quacumque tandem ratione liberationem istam interpretemur. Hoc tu ipse (ut opinor) sentiens, istam gratiarum actionem ita interpretari videris, ut non ad liberationem referatur, sed ad consolationem, manente adhuc captivitate. Atqui hoc est præcedentibus verbis manifestam vim facere. In quibus non quærebatur consolator aliquis in tanta captivitate, sed qui ex ea educeret, ac liberaret. Quod autem eodem orationis contextu unum aperte quæratur, de alio vero tacite gratiæ agantur, nullo prorsus pacto admitti potest. Sed quid de sequentibus verbis dicemus? Ea quippe ab ista gratiarum actione penitus sunt disjuncta. Nam, sive gratiæ sint actæ de liberatione, sive de consolatione in ipsa captivitate, perperam omnino inde infertur, *Igitur ego ipse mente quidem servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Si enim de liberatione gratias agit, sibi ipsi his verbis plane adversatur, tantum abest, ut ea inde inferri potuerint. Si vero de consolatione, annon ineptissima esset illatio ista? Gratias ago Deo per Christum, quod in hac mea captivitate consolationem accepi. Ergo in mea captivitate hæc, & hæc experior, sive Ergo mea captivitas hujusmodi est. Nihil profecto ineptius, præsertim cum jam antea idem reipsa de captivitate sua dixisset, ut mox demonstrabitur. Non cohærent igitur ulla ratione sequentia hæc verba cum ista gratiarum actione. Nec solum ipsa non cohærent, sed, ne antecedentia quidem bene cohærere, aperte docent. Cur enim, si sermo, qui præcedit, bene simul junctus fuisset, hæc verba, quæ proxime præcedentibus verbis jungi non possunt, addita essent? Nonne, quod hic dicitur, ut modo attigimus, jam supra satis dictum fuerat, immo apertius, atque explicatius? Quandoquidem supra late fuerat explicatum id, quod hic sub verborum compendio dicitur, & quomodo iste mente quidem legi Dei serviret, carne vero legi peccati, diligenter expositum. Numquid fortasse propter ea, quæ mox dicenda erant, ut ea scilicet commodius inferri possent, hæc dicta sunt? Immo hæc illationem istam non parum impediunt. Vix enim ex eo, quod dictum sit, *Ego ipse mente quidem servio legi Dei, carne vero legi peccati,* inferri potest, *Nulla igitur nunc condemnatio, &c,* præsertim si de seipso, tamquam regenerato, ea verba Paulus dixisset. Quid enim hoc esset? Ego Paulus, qui Christi spiritu regeneratus sum, mente quidem servio legi Dei, carne autem legi peccati. Igitur qui in Christo Jesu non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant, jam nulli damnationi sunt obnoxii? Quod si statim post eam gratiarum actionem dictum esset, *Nulla igitur nunc condemnatio, &c.* nemo non videt, quam apposita ista illatio fuisset. Cur igitur interjecta sunt verba ista, *Igitur ego ipse, &c?* Nempe quia gratiarum actio illa cum reliquo sermone non cohæret, & separatim, atque, ut dictum est, per parenthesin legenda est. Quod contra omnino putatum fuisset, nisi verba ista inter ipsam, & seq. cap. initium adjecta essent. Id vero ne putaretur, tanti fecit Paulus, ut veritus non sit, prius, quam id inferret, quod maxime cupiebat, intermissum per gratiarum actionem illam sermonem repetendo, ea verba adjicere, quæ alioqui taceri potuissent, & ex quibus non ita apposite, ut ex ipsa gratiarum actione, etiamsi non de seipso, tamquam regenerato, in iis loquatur, illatio illa fieri potest. Quæ tamen quomodo ex ipsis fiat, aut fieri possit, in meo scripto demonstrare tentaveram. Quamvis dubium non videatur, quin Paulus ea in re potissimum ad gratiarum actionem illam tacite respexerit. Quemadmodum intelligi potest ex mea paraphrasi in initium istud octavi capitis, quæ in disputatione mea de Christo Servatore extat.

Satis (ni fallor) à me disputatum est, illam gratiarum actionem cum reliquo sermone non cohærere, & per parenthesim legendam esse. Illud judicio meo certissimum esse debet, ex ea sola gratiarum actione omnino concludi posse, quæcumque Paulus eo loco de captivitate illa legis peccati, & mortis disserit, ad ipsum nullo modo pertinere, cum, nisi, ut dictum fuit, vim maximam verbis facere velimus, ex ipsa constet, Paulum, cum ista scriberet, in ea captivitate non fuisse.

Respondi ad ea, quæ tu, vir clarissime, adversus sententiam meam de interpretatione totius Paulini loci aperte attulisti. Nunc de alia ratione, quam tacite, dum antitheses illas meas examinas, affers, videndum est, atque eodem tempore, in quo tua sententia à mea de hominibus per Christum regeneratis differat, considerandum. Nam, si hac in re, quæ caput, & scopus hujus disputationis nostræ esse debet, convenire possemus, non adeo laborandum esset, ut in Pauli loco explicando conveniremus. Quamquam non video, quomodo fieri possit, ut tu in eo perseveres, Paulum de seipso, tamquam regenerato, loqui, &, si non hodie, aliquando tandem sententia tua de hominibus regeneratis à mea mirum in modum non discrepet. Sed jam de tacita illa tua ratione videamus.

Itaque, ut ex responsione tua ad antitheses illas meas colligere potui, id te vehementer movet, ut credas, Paulum de seipso, tamquam regenerato, loqui, quod apertissimum tibi esse videatur, in quovis homine renato perpetuam esse spiritus & carnis luctam, quam suis coloribus Paulus depingere voluerit. Sed animadvertendum est. Primum, istud verisimile quidem videri posse, si verba Pauli ad eam rem accommodari queant, sed nihil esse, quod id statuere nos cogat, si ex altera parte ejus verba non minus ad hominem nondum renatum possint accommodari. Deinde videndum est, num fortasse aliqua, seu multa dicat Paulus, quæ ad luctationem illam spiritus, & carnis in homine renato minime accommodari possint. Sed prius, quam hoc fiat, quid de ea luctatione sentias, diligenter inspiciendum videtur.

Ego sane (ut ingenue ruditatem meam confitear) adhuc sententiam hac de re tuam omnino percipere non potui. Nam quamvis, ut supra dictum fuit, satis aperte, immo disertis verbis sæpe affirmes, in ea pugna spiritum superiorem evadere, tamen alibi ea dicere videris, quæ vel huic sententiæ refragentur, vel certe eam novo quodam modo, ac sensu accipiendam atque interpretandam esse declarent. Sunt enim inter cætera, quæ huc pertinere possunt, hæc verba tua, *Verum tamen fieri non potest, quin tam gravem hostem assidue sentientes, non gemant mortifera tela ejus exhorrescentes, quibus id hostis eorum efficit, ut, etsi totis viribus in contrarium nitantur, tamen sæpissime à recto cursu impediantur, ac retardentur.* Quis, nisi alia tua verba legisset, ubi in renatis spiritum carne superiorem esse ais, non hinc aperte colligi putaret, te in ipsis renatis carnem spiritu potiorem statuere? Vis enim in renatis pugnam inter spiritum, & carnem institui, eamque acerrimam, adeo ut homo totis viribus Diabolo resistat, & tamen sæpissime hominem id non facere, quod vult, sed impediri à recto cursu, ac retardari. Nam quid est Sæpissime, nisi plerumque? Atqui, si plerumque spiritus à carne, dum luctantur, superatur, & cedere cogitur, non dubium est, quin caro spiritu sit potentior. Itaque videris omnino ad renatum hominem constituendum satis habere, si spiritus cum carne luctetur. Id quod etiam, ut ostendimus, ex prima illa ratione tua evidenter consequitur, nisi quod ibi nihil apparebat de eventu, & credi poterat, te existimare, ubicumque luctatio ista esset, ibi quoque spiritus esse victoriam, hic vero non multum de eventu sollicitus esse videris. Immo id evenire non concedit modo, sed plane statuis, ut plerumque in luctando spiritus carne imbecillior appareat. Quocirca istam spiritus victoriam, quam alibi diserte confiteris, in eo consistere fortasse vis, ut

caro

caro nunquam id obtinere possit, ut spiritum extinguat, aut ita reprimat, atque debilitet, quin semper homo summo conatu Diabolo resistat. Id quod tamen alibi aliter omnino explicare videris, cum victoriam à conatu, & resistentia ista manifeste distinguis, ut in illis verbis, *Sed potius fortiter in acie dimicent, victoresque gratia Dei evadant.* Quo fit, ut interdum adducar, ut credam, te victoriam istam intelligere, quatenus, modo spiritus cum carne fortiter dimicet, quidquid acciderit, Deus benignitate sua victorem hominem pronunciet, & tamquam victorem, rite corona donet. Namque alio in loco, ubi tamen alterum illud victoriæ genus cum hoc conjunxisse videris, sic scribis, *Qui (homo Christianus) Spiritu Dei suasore ac ductore corpus suum in obsequium redigit, ne rebellans jugum spiritus plane excutiat, sed potius illud subigit domatque hactenus, ne vis peccati in membris rebellans dominium obtineat, sed, utut acciderit, attamen spiritus victor evadat.* Ex quibus verbis hæc sententia colligi posse videtur, hominem Christianum conari, quantum potest, ne caro rebellans jugum spiritus plane excutiat, ne ve peccati vis dominatum obtineat. Nam, si hoc effecerit, quidquid acciderit, spiritus tamen victor evadet. Peccati autem vim tunc non dominari, intelligere videris, cum jugum spiritus plane non excutitur, id est, etiamsi, magna ex parte excutiatur, tamen non ita abjicitur, ut caro sola longe, lateque in homine imperet, ac dominetur. Mitto autem, quod vel stupidum, vel pharisaico spiritu fascinatum eum esse censes, qui neget, concupiscentiam tantam cladem sanctis inferre, ut merito omnes peccato obnoxios reddat. Nam, etsi verba tua per se omnino significant, in ipsis sanctis peccatum dominari, tamen juvat hoc loco propter quasdam ejus circumstantias arbitrari, te nihil aliud dicere voluisse, quam sanctos quoque in multis concupiscentiæ vi delinquere. Cogitavi aliquando, num fortasse (quemadmodum ex aliis verbis tuis intelligi posse videtur) cum ais, hominem renatum, quamvis totis viribus in contrarium nitatur, tamen sæpissime à recto cursu impediri, ac retardari, Recti cursus appellatione non ipsum bene agere, sed perfectionem quamdam in ipsis bonis operibus, seu factis intelligeres. Sic enim alibi scribis, *Nihilominus tamen moleste ferunt, (pii & sancti homines) spiritum à carne sæpius impediri, ne tanta cum perfectione, alacritateque, quam vellent, Deo, proximoque inserviant.* Verum mox dejecerunt me de cogitatione ista alia verba tua, quæ sic habent, *Concupiscentia igitur carnis culpanda est, quæ repugnat, impeditque bonos ac pios conatus, fidelium, quod Paulus explicat dicens, Non ego malum operor, verum inhabitans in me peccatum, &c. Sæpius enim pii, volentes bonum per spiritum inhabitantem in mente ipsorum, nihilominus operantur malum. Et, si quid boni faciunt, non ita tamen strenue alacriterque, ut deceret, id exequuntur, propter innatam carnis rebellionem.* Hic enim satis aperte imperfectionem in bene agendo ab impeditione illa carnis in bonis ac piis conatibus distinguis, & (quod satis mirari non possum) non modo perfecte bene agere, sed ipsum bene agere, majore ex parte, fidelibus adimis. Nam profecto illa verba, *Et si quid boni faciunt, &c,* ostendunt, non admodum frequenter à fidelibus bona fieri, quantumvis imperfecte bona.

Quæso te, vir clarissime atque humanissime, ne ægre feras, quod ipsa verba tua sæpius ad examen aliquod revocaverim. Non enim id feci, ut te ullo modo accusarem, tabellisque obsignatis (quod dicitur) tecum agerem, sed ut me aliqua ex parte excusarem, si nondum, quid renato homini tribuas, quid ve adimas, satis percipere potui. Alibi enim id tantum tibi concedi velle videris, ut homo renatus interdum peccet, & nemo sit tam sanctus, cui aliqua labes perversæ concupiscentiæ non adhæreat. Atque ad id obtinendum verba ipsa mea alio loco scripta affers, in quibus hominem Deo fidentem, & ob eam rem justificatum, injustum in seipso appellari posse affirmo, si omnia ejus facta ad Dei propositam normam exacte expendantur, & alia multa in eandem sententiam dicis.

Quare, ut tota de re breviter aliquid dicam, cum, quid tu sentias, satis percipere non possim, aperiam ego tibi sententiam meam, etsi ea cum ex scripto meo, ad quod responsum mihi dedisti, atque ex iis, quæ supra disputavi, non obscure intelligi potest, tum vero ex disputatione illa mea de Christo Servatore apertissime colligitur. Ubi pluribus in locis hac de re dissero. Sic igitur sentio, Inter hominem Christi spiritu non regeneratum, & illum, qui eodem spiritu regeneratus sit, hoc potissimum interesse, & hanc esse utriusque specificam (ut loquuntur) differentiam, Quod homo non regeneratus, cui ad cæleste regnum non patet aditus, peccatis implicatus est, hoc est vel unius, plurium ve peccatorum habitum habet, vel, sibi peccandi occasione oblata, à peccando non adeo frequenter abstinet; Regeneratus vero nec ullum alicujus peccati habitum habet, & sibi peccandi occasione oblata, ut plurimum, à peccando abstinet. Probatur hæc mea distinctio ex innumerabilibus propemodum Novi Testamenti locis, præsertim vero ex Epistolæ ad Rom. toto cap. 6, atque initio hujus 7 cap. & toto fere cap. 8, & cap. 5. ad finem Epistolæ ad Gal. & ex pluribus sententiis, quæ leguntur in prima Joh. Epistola. Itaque breviter non in eo est specifica regenerati, & non regenerati hominis differentia, Quod hic nolit, ille velit bene agere, sed, Quod ille bene agat, hic vero minime. Christus qui hominem ex spiritu minime natum à cœlesti regno excludit Joh. 3. 5. Matth. 7. 21, non dixit, Qui voluerit facere, sed, qui fecerit voluntatem Patris mei, is in regnum cœlorum ingredietur. Idem 24. &c. prudentis hominis, qui domum suam super petram ædificavit, non eum, qui ipsius præcepta facere voluerit, sed qui fecerit, stulti vero, qui super harenam domum suam ædificavit, non eum modo, qui noluerit, sed eum, qui non fecerit, similem esse dixit. Idem discipulis suis dixit Joh. 15. 14. suos amicos ipsos fore, non quidem si vellent facere, sed si facerent, quæcumque ipse illis præcipiebat. Jac. 1. 22, Monet Jacobus, ne nos ipsos decipientes, simus auditores tantum sermonis, sed quid? Num, ut etiam eum facere velimus? Non sane, nam adhuc satis non est; Sed, ut eum faciamus. Tempus me deficiet, si ejusmodi testimonia sacra congerere velim, quæ tamen non minus tibi, quam mihi, nota esse scio. Quare aliis afferendis supersedebo, & tantummodo tibi in memoriam redigam, ex Pauli verbis manifestum esse, nihil aliud revera, aut potissimum significare, esse novam creaturam in Christo, quam Dei mandata servare, ut patet ex his duobus locis inter se collatis, 1 Cor. 7. 19, & Gal. 6. 15. nec aliud apud eundem esse, novum hominem, sive Christum induere, quam sancte, & juste vivere, ut apparet ex fine 13. cap. Epist. ad Rom. & ex cap. 4. ad Eph. v. 24, atque ex cap. 3. ad Col.

Sunt tamen, ut supra dixi, gradus quidam & renatorum, & non renatorum hominum. Quidam enim ex non renatis, inter eos præsertim, qui divinæ legis cognitionem non habent, adeo cupiditatum suarum servi sunt facti, ut nihil aliud plane noctes, diesque cogitent, quam, quomodo eas expleant. Atque istorum quidam sunt, qui nullum jam sensum aut discrimen habent recti, pravique. Quidam vero, iique multis partibus plures, qui discernunt adhuc quadamtenus inter rectum, & pravum, eorumque sensu aliquo tanguntur. Unde fit, ut interdum in explendis cupiditatibus suis, sese à propria conscientia accusari, & condemnari sentiant. At ex iisdem non renatis sunt, qui cupiditatibus quidem indulgent, sed inviti quodammodo (mente nimirum, seu ratione ob recti pravique notitiam sensumque vehementem neutiquam consentiente) vel quia jam longo usu factum sit, ut

 sibi

sibi ipsis amplius imperare non possint, vel quia nulla spes adhuc eis affulserit alicujus majoris boni, quod, relinquendis cupiditatibus, sint percepturi. Atque isti ii sunt, quos sub persona sua Paulus loco, de quo controversamur, egregie describit. Qui ex divinæ legis cognitione haud exilem sensum æqui atque iniqui habentes, mente sua ad id, quod æquum est, feruntur, idque facere vellent, sed viribus destituuntur, nisi Dei gratia accesserit. Hæc autem gratia seu favor, & benignitas in Christo potissimum nobis exhibita est, per quem nobis spes est facta maximi cujusdam boni, vitæ scilicet immortalis & beatissimæ, si cupiditates abjiciamus Tit.2.12, unde vires sumimus eas abjiciendi, & sobrie, juste, ac pie, in præsente hoc seculo vivendi. Spiritum enim suum Deus Euangelii Jesu Christi prædicationi assentientibus, & vitam emendare instituentibus largitur Eph.1.13, quo promissiones sibi, si resipuissent, in Euangelii prædicatione factas non inanes futuras sentiunt, & propterea jam Deum pro patre agnoscunt, & nominant Rom.8.15, id est jam se beata immortalitate à Deo donatum iri sperant, arrhabonemque æternæ illius hæreditatis in suis cordibus habent; si tamen hoc spiritu carnis actiones perimant, & ad finem usque in Christi præceptorum obedientia perseverent, cum ipso Christo, si opus fuerit affligi non recusantes, & ipsam mortem perpeti, ut cum ipso pariter evehantur tandem, atque æternum vivant 2 Cor. 1.22. Rom. 8.13. Mar. 13. 13. Apoc. 2 26. Rom.8 17. 2 Tim.2.11. Hic est igitur ille spiritus, secundum quem nobis ambulandum est. Nam ipse quoque de beata immortalitate promissiones, ut ante vidimus, Spiritus Dei, τῦ πνεύματος τῦ θεῦ, esse dicuntur 1 Cor.2.14. Hoc spiritu fit, ut homo ille interior, id est mens, & ratio nostra, quæ jam per se ipsa ad bene agendum nos impellebat, ita roboretur, ac confirmetur, ut ea, quæ velimus, facere etiam possimus. Propterea Paulus Deum precatur Eph.3 16, ut Ephesiis concedat, quo ipsius spiritu corroborentur in interiorem hominem. Erat quidem homo iste interior in eo homine, quem loco nostro describit Paulus, quemadmodum ex ipsius verbis constat, sed nondum erat spiritu, hoc est spe alicujus ingentis boni, præsertim vero beatæ immortalitatis, si divinis præceptis obtemperasset, corroboratus. Sub ipsa Lege enim adhuc erat is homo, non sub gratia, & idcirco spiritu isto prorsus destituebatur. Qamobram diligenter considerandum est, alium adhuc esse gradum superiorem hominum non renatorum, id est renatis proximiorem, quam hic sit, in quo homo iste, de quo Paulus loquitur, est collocandus, tantum abest, ut Paulus de homine renato verba faciat, videlicet eorum, qui non prorsus sub ipsa lege sunt, nec spiritu isto penitus destituuntur, ut supra attigi. Sunt enim non pauci, qui, Euangelii prædicatione audita, cum gaudio (ut Christus inquit) sermonem accipiunt, quod gaudium non aliunde oritur, quam ex eo, quod & ratio præceptis Christi, & voluntas vitæ æternæ promissionibus delectatur. Sed tamen, qui præ voluntatis residua malitia vel nondum promissionibus istis, quantum satis est, acquieverunt, vel cum ab initio acquievissent, vehementer deinde dubitare cœperunt, non persistunt in tentationibus, nec seipsos, quatenus omnino requiritur, ad Christi normam conformant, & propterea renati non sunt, quamvis ex parte aliqua eorum voluntas reformata fuerit, quod, quemadmodum sine spiritu illo factum non est, sic sine ipso perdurare non potest.

Itaque primus, id est infimus, renatorum gradus eorum est, qui cognitione, ac spe divinorum in Christo promissiorum mentem reformatam habentes, (ex quo etiam renatorum, seu generatorum nomen illis, Scriptura ipsa teste 1 Pet.1.3, recte potest accommodari) sic seipsos ad Christi præceptorum normam conformant, ut jure optimo dici possint non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulare, quamvis tanquam ii, qui nondum Christianarum virtutum habitus sunt adepti, non parum difficultatis adhuc, atque laboris in bene agendo experiantur, carne nimirum nondum bene domita, & idcirco spiritui identidem repugnante, quam tamen, pugna inita, fere semper superat spiritus, nisi si quando, potentissimis aliquibus armis carni ab adversario nostro subministratis, imparatus quodammodo ad exiguum tempus quasi opprimatur, & cedere sit coactus. Non inito autem prælio, sed per insidias quasdam aliquanto sæpius non superatur in istis quidem à carne spiritus, sed injuria aliqua efficitur, id est labuntur ipsi, & vel imprudentes, vel incogitantes à recta via, per quam incedunt, leviter ac parumper deflectunt.

Supra infimum istum renatorum gradum plures constitui possent. Sed hic ejus meminisse satis fuerit, qui ad rem nostram, id est ad ea, quæ à te scripta sunt, maxime pertinet. Sunt enim (ut ego quidem arbitror) inter regeneratos, qui habitus sunt adepti virtutum Christianarum, & idcirco tantum abest, ut laborem, aut difficultatem aliquam habeant in Christi præceptis servandis, ut potius bene agendo summam experiantur voluptatem. Etenim, si experientia ipsa compertum est, posse hominem, citra peculiarem Dei spiritus opem, & sine vitæ immortalis certa ulla spe, solo virtutis amore, & longo studio ex impudico pudicum, ex avaro liberalem, ex iracundo placidum ac mansuetum, & alia id genus fieri, adeo ut in istarum virtutum actibus persungendis non nisi delectationem summam sentiat, non sane video, quomodo sine divini spiritus injuria negarī queat, fieri posse, ut homo, cui immortalis vitæ præmium ab ipso Deo fuerit propositum, ejusque firma spes ipsius cordi indita, sine labore, & difficultate aliqua Christi præcepta conservet. Laboris autem & difficultatis nomine carnis repugnantiam ejusmodī intelligo, quæ voluntatem ipsam perturbet, ubi caro in aciem cum spiritu dimicatura prodeat, nec sine vi aliqua tandem reprimi queat. Non sine caussa dixit Christus Mat.11.30, jugum suum suave esse, & onus suum leve. Spes enim haud dubia immortalitatis, quam charissimis amicis suis facit Christus omnia, quantumvis per se gravia ac difficilia, & levia & factu facilia reddit. Propterea ait Johannes 1 Joh.5.3: *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

Itaque, vir clarissime, etsi tu aliter sentis, ego tamen nihil dubito, quin in aliquibus ex Christi fidelibus in hac vita pugna illa inter carnem & spiritum cesset, jam plane spiritu dominante, & carne cum ipso manus conserere non amplius audente. Hoc enim, ut vidimus, experientiæ, rationi, & Sanctarum Litterarum testimoniis valde est consentaneum, nec ulla caussa est, cur aliter sentire debeamus. Nam quod ais, lucta perpetua opus esse, ut beneficio Dei superiores evadamus, rogo te, ut paulisper mecum rationem istam expendas. Quid enim? An non beneficio Dei superior evasit is, qui per Dei spiritum firma spe immortalitatis donatus carnem suam debellavit? Nonne hic multo majus beneficium à Deo accepit, quam is, qui adhuc cum ea bellare cogitur? Quod si dicas nihil esse, quod ad propositum nostrum attinet, à Deo vel summa beneficia accepisse, nisi quis id plane agnoscat, & sentiat, verissimum id esse confitebor. Sed interim affirmare non dubitabo, eum qui Dei beneficio carnem suam debellaverit, non minus beneficium istud à Deo se accepisse agniturum, & sensurum, quam is Dei beneficium agnoscat, & sentiat, qui, cum ipsa dimicans, eam identidem superat. Immo vero magis. Qui enim dimicando suam carnem superat, in eam opinionem facile adduci potest, ut non Dei spiritu adjuvante, sed sua diligentia & cura, suisque viribus id ipse præstet, præsertim cum, ut ante dixi, compertum sit, homines ipsos animales

males quaſdam cupiditates ſuas ſola vi rationis non reprimere tantum, ſed etiam prorſus debellare. At vero, qui carnem nulla in te amplius vehementer ſibi repugnantem habet, cum id mirum plane videri poſſit, ſingulari Dei beneficio factum id fuiſſe, agnoſcere compellitur. Quod & manifeſte ipſe ſentit. Re enim ipſa expetitur, non alia ratione id factum eſſe, niſi propter firmam ſpem vitæ immortalis, quam nulla humana cura, nulla induſtria cordibus noſtris indere poteſt, ſed divini ſpiritus donum eſſe neceſſe eſt. Nam, ſi quis objiciat, iſtum quoque, quia ſæpiſſime, atque acriter antea cum carne ſua bellum geſſerit, exiſtimare poſſe, ſe diligente cura, & viribus ſuis eam tandem debellaſſe; Reſpondeo primum, nihil impedire, quominus Deus nonnunquam, levi admodum antecedente pugna, cuipiam, ut carni ſuæ plane dominetur, concedat. Quinetiam & Sacra Hiſtoria, & perpetuo uſu teſte, affirmare non dubito, ſæpius fieri in Chriſtiana religione, ut quis breviſſimo tempore, & quaſi horæ momento ex malo bonus fiat, eoque perveniat, quo in morali diſciplina vix annorum multorum ſpatio perveniri poteſt, Deo nimirum ſtatim ab ipſo initio tanta vi ſpiritus, & ſpe vitæ æternæ cujuſpiam cor replente, ut nullo certamine aliquanto ſupra infimum regenerationis gradum aſcendat, & proinde nec graviter, nec adeo frequenter illi præliandum ſit, ut ad eum gradum, quem diximus, perveniat. Deinde, etiamſi nemo ad iſtum gradum perveniret, niſi prius diu, multumque cum carne ſua dimicaſſet, tamen, ceſſante pugna, facilius illi eſſet Dei beneficium agnoſcere, cum non amplius, ſe aliquid præſtare, ſuſpicari poſſet, nec præſente ſui laboris ſenſu, quominus ſibi ipſi nihil tribueret, impediri, ſed ſolum Dei ſpiritum cuncta facere, aperte cognoſceret. Utcumque ſit, illud certiſſimum eſt, iſtum, qui aliquando pugnavit, ea omnia expertum eſſe, quæ experitur ille, qui adhuc pugnat, non autem contra. Et, ſi ex ipſa pugna Dei beneficium agnoſcitur, iſta agnitione non poſſe iſtum deſtitui, qui non niſi pugnando, eo pervenit, quo alter nondum pervenire potuit.

Itaque ſic omnino ſtatuo: Quod in pleriſque renatis hominibus carnis cum ſpiritu pugna perdurat, id non idcirco fieri, quia ita oporteat, neque hoc ullo modo Dei conſilium eſſe, ſed propter humanam imbecillitatem iſtud evenire, Deo interim ſerio præcipiente, ut ſancti, ac perfecti ſimus, quemadmodum ipſe ſanctus, ac pefectus eſt Mat 5.48. 1 Petr. 1,15.

Nec ſane video (ut hoc etiam, quaſi pertranſiens, dicam) cur tantopere dicere, aut cogitare exhorreſcamus, fieri poſſe, ut quis in hac vita divini ſpiritus ope, eo tandem aliquando perveniat, ut Dei præceptis perfecte obediat. Num, quia id Dei Spiritus præſtare nequeat? Atqui primum iſtud affirmare impium plane videtur. Deinde non propterea divinus ſpiritus ulla injuria afficeretur, etiamſi plus illi tribueretur, quam poſſit efficere. Num, quia periculum eſt, ne quis ſuperbiat, &, ſe perfectum jam eſſe autumans, Dei miſericordia ſe non indigere, ſibi perſuadeat? Verum, qui tales ſunt, ut ſe perfectos eſſe credant, cum non ſint, næ iſti haud levius errarent, ſi perſuaſum haberent, neminem in hac vita perfectum eſſe poſſe. Eadem enim ratione ſe regeneratos eſſe putarent, cum tamen non eſſent. Immo tanto gravius errarent, quanto ſine regeneratione vera, non autem imaginaria, ſalus nemini contingere poteſt, at ſine vera perfectione poteſt. Nec vero video, quomodo quis, quamvis, perfectum ſe Dei Spiritus ope evaſiſſe, crederet, tamen vel ſuperbire, vel Dei miſericordia ſe non egere, putare poſſet, cum jam iſtam perfectionem ipſe non ſuis viribus, ſed divini ſpiritus auxilio acceptam referret, &, ut Dei miſericordia indigeamus, ſatis ſit, aliquando vel minima quidem ex parte, imperfectos fuiſſe. Huc accedit, quod etiamſi Dei miſericordia, quod attinet ad peccata delenda, is non egeret, qui per totam vitam nihil unquam peccaſſet, tamen in eo Dei benignitate illi opus eſſet, ut à morte liberaretur, ſive Dei benignitatem in eo agnoſcere cogeretur, quod à morte liberandus eſſet, cum immortalitas Dei ſingulare donum ſit, & ne illis quidem debita, qui nunquam deliquiſſent. Quibus tandem confitendum eſſet, ſervos ſe eſſe inutiles, quod ea feciſſent, quæ facere debuerant Luc. 17.10. Num tandem idcirco à ſententia iſta perfectionis in hac vita penitus abhorrendum eſt, quia periculum ſit, ne quis de ſua ſalute deſperet, cum ſe minime perfectum eſſe ſenſerit? Atqui longe aliud eſt, hominem in hac vita perfectum in mandatorum Dei conſervatione aliquando evadere poſſe, &, ut evadat, neceſſe eſſe. Breviter non video, quid mali ex opinione iſta conſequi poſſit. Immo non video, quomodo ex contraria ſententia, quod hæc videlicet perfectio nunquam ullo modo in hac vita contingere poſſit, id ſaltem mali neceſſario non proficiſcatur, ut nemo perfectus eſſe ſtudeat, aut conetur. Quis enim unquam id conabitur, quod fieri nulla ratione poſſe, perſuaſiſſimum habeat? Studio autem, & conatu iſto ſublato, non facile eſt dicere, quot mala in Chriſtiana religione conſequantur, in qua non progredi (ut ille dixit) regredi eſt. Illud non reticebo, me perſpicere nondum poſſe, quomodo delicta eorum, qui ad perfectionem in hac vita totis viribus non contendunt, non potius ex animi malitia, quam ex carnis fragilitate proveniant, & ob eam rem, quomodo ipſorum veniam illi ſperare poſſint. Non reſpondeo ad teſtimonia Sacrarum Literarum, quæ, perfectionem iſtam hic nullo unquam pacto dari poſſe, ſuadere videntur, quia & id nimis longum eſſet, nec mihi veritate contrariæ ſententiæ ad id, quod quæro, probandum eſt opus, tametſi de ea, dum aliud ago, aliquid mihi differendum eſſe, putaverim. Nam ne ii quidem inter renatos, in quibus, carnis cum ſpiritu pugna ut ceſſaverit, fieri poſſe ajo, perfecti plane à me conſtituuntur. Adhuc enim lapſus per incogitantiam, & imprudentiam ſupereſſe poſſunt, & in tota ipſa mandatorum Dei obedientia defectus quidam. Quæ, licet illis non imputentur, vitia ſunt tamen, nec cum perfectione ullo modo conſiſtere queunt.

Habes vir eximie, meam de hominibus regeneratis, & non regeneratis ſententiam. Ubi vides, me regeneratum illum etiam eſſe affirmare, cujus caro cum ſpiritu luctatur, modo ſpiritus adeo frequenter ſuperior evadat, adeoque vigeat, ut merito iſtum non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulare dici poſſit. Quod ex eo potiſſimum cognoſcitur, ſi nullum ſit peccati genus, in quo ipſe ſive volens, ſive nolens, ſive quia peccato delectetur, ſive quia longo uſu alia ve ratione trahatur, maneat, atque perſiſtat. Qui autem ejuſmodi non ſit, id eſt ad hunc ſanctimoniæ gradum non pervenerit, eum minime renatum eſſe. Si tu hoc ipſum ſentis, quidquid ſententiæ noſtræ in reliquis diſerepare poſſint, ſatis convenimus. Sed quomodo, ſi ita ſentis, Pauli locum, de cujus interpretatione quærimus, de regeneratis agere contendis, cum ipſa luce clarius ſit, in eo eum hominem deſcribi, in quo caro aut ſemper, aut certe plerumque mentem ſuperet? Etenim ii omnes loci, quibus ego alios, qui de regenerato homine loquuntur, oppoſui, id apertiſſime declarant, Nam quid opus eſt ita laborare, ut loci, qui in ipſis verbis manifeſte ſibi adverſantur, adeo ut magis adverſari non poſſint, concilientur? Certe citius ignis cum aqua conciliabitur, ut mox videbimus Quid, inquam, opus eſt in ea re tantopere laborare? Num fortaſſis hæc veritas, quod in homine renato caro cum ſpiritu adhuc luctetur, aut luctari poſſit, ex hominum opinione peribit, niſi omnino hic Pauli locus de renato homine loquatur?

Atqui veritas iſta non eſſet, aut certe, eam eſſe non conſtaret, ſi ea ex hoc tantum loco colligenda eſſet, quem tot viri eruditiſſimi cum hoc ipſo noſtro, tum vero antiquioribus ſeculis aliter ſunt interpretati, qui tamen de renatis hominibus hoc idem ſenſerunt, quod nos ſentimus. Nonne potius id mali ex interpre-

pretatione ista, quæ hodie communis videtur, consequi potest, ut credatur, hominem renatum esse, modo secundum mentem suam velit recte agere, quamvis reipsa in pravitatibus degat? Immo quid dico potest, cum certum sit, jam id consecutum esse? Neque enim Pauli verba ita obscurari ulla interpretatione possunt, ut tandem id, quod apertissime dicunt, in legentium animis non obtineat. Atque jam (si placet) loci hujus verba illa omnia, quibus illa aliquot locorum de regenerato homine loquentium opposueram singulatim, atque eo ordine, quo scripta inveniuntur, & a me digesta fuerant, paullo diligentius expendamus, & quid tu, ut utraque concilies, in medium attuleris, examinemus.

I. Primum igitur hoc loco ait Paulus, in homine isto de quo verba facit, peccatum per occasionem latæ Legis operatum fuisse omnem cupiditatem, seu concupiscentiam. Quomodo (quæso) his verbis tanta vis adhiberi poterit, ut inde tandem hæc sententia non erumpat, Hominem istum vehementer concupiscere? Verum, quicumque vehementer concupiscit, is reipsa (quidquid mens ejus contra sentiat) in pravitate degit. Lex enim, unde omnis rectitudo petenda est, concupiscentiam diserte vetat. Nam de hac ipsa saltem concupiscentia, quam Lex non minus, quam turpia quædam facta, nominatim interdicit, loqui Paulum, antecedentia verba aperte docent. Sed de graviore etiam concupiscentia eum loqui, id fortasse indicat, quod hæc verba ad ea relationem habent, quæ paullo ante dixerat, *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.* Illud certum est, in modo recitatis verbis non de peccati fomite (quem appellant) sed de ipsis peccatis, non de eo, quod in renato homine adhuc sit, sed de eo, quod proprium sit hominis non renati, omnino agi. Id enim cum ipsa verba per se propter prima illa, *Cum enim in carne essemus*, tum, quæ statim sequuntur, perspicue demonstrant. Namque per apertam antithesin subjungitur, *Nunc autem soluti sumus à Lege, ei mortui, in quo detinebamur, ita ut serviamus in novitate Spiritus, & non in vetustate Literæ.* Quod vero verba de quibus nunc agimus, ad superiora illa referri debeant, ex eo intelligi par est, quod ea verba, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est, &c.* cum quibus ipsa cohærent, ab eisque pendent, eo sine dubio referuntur. Quia enim dixerat Paulus, cum in carne essemus, affectus peccatorum, qui per Legem erant, operatos fuisse in membris nostris, idcirco, ut tacite objicienti responderet, intulit, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est?* Quod sane diligenter est observandum. Nam vel ex hoc solo planissimum fit, Paulum toto eo capite sub persona sua nullu pacto de se ipso, tanquam regenerato, loqui. Quandoquidem, ut ostenderet, cur, & quomodo per Legem in iis, qui adhuc in carne sunt, in quorum numero manifeste, se non esse, ait, peccatorum affectus agerent, atque vigerent, quamvis Legis ipsius culpa id non fieret, ut, inquam, hoc ostenderet, ea omnia dicit, quæ de seipso dicere videtur Itaque, ut ad rem redeamus, verba ista, *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, nihil aliud significare videntur, quam Ego peccatorum sum plenus, & in ipsis peccatis dego. Quomodo igitur cum verbis istis ea conciliari poterunt, quæ alibi a Paulo dicuntur Gal. 5.24. *Qui autem sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis*, ita ut de eodem homine utraque dici possint? Num fortasse (ut tu conari videris) si dicamus, in his perpetuum studium reprimendæ concupiscentiæ, in illis vero concupiscentiæ rebellionem describi? Atqui carnem cum affectibus, & concupiscentiis crucifixisse, nullo modo studium, seu conatum aliquem perpetuum significare potest. cum id, quod factum jam sit, non id, quod fiat, aperte declarer, & crucifigere ipsum per se, etiamsi in præsenti tempore dicatur, non studium tantum, aut conatum, sed effectum quoque ipsum crucifigendi ante oculos ponat. Quæ nullo modo cum concupiscentiæ rebellione, si ea ejusmodi sit, ut reprimi non queat, aut certe non reprimatur, convenire possunt, utpote quæ in vicem prorsus adversentur. De hujusmodi autem rebellione agi in verbis istis, *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, jam demonstratum est. Tantum vero abest, ut hi duo loci ita conciliari possint, ut ad unum eumdemque hominem accommodentur, ut multo plus contineant, quam in contrariis, seu contradictoriis (quæ vocant) requiritur. Peccatum enim operari in aliquo omnem concupiscentiam, pro suo contradictorio habet peccatum non operari in aliquo omnem concupiscentiam, sive peccatum quampiam concupiscentiam in aliquo non operari: poterat Paulus de Christianis dicere, nullam concupiscentiam in ipsis dominari, & satis fuisset, plusque etiamnum dixisset, quam ad contradictionem istam requiratur. Sed hoc non contentus, dixit, eos carnem cum affectibus, & concupiscentiis crucifixisse. Ex quo potius colligi potest (& sane id verba omnia præ se ferunt) in hominibus Christianis nullam amplius pugnam carnis cum spiritu esse, & plane in ipsis pravos affectus, ac concupiscentias esse extinctas, quam ut ullam vehementem carnis rebellionem, quæ reprimi non possit, in Christianis hominibus adhuc remanere posse, iis Pauli verbis auditis, quisquam amplius suspicari queat. Verumtamen ita locutus est Paulus (ut ego quidem arbitror) quia in quolibet homine Christiano ita dominatur spiritus, & ita mali carnis affectus, & concupiscentiæ reprimuntur, ut non multo aliter sit, ac si caro, unaque cum ipsa mali effectus, & concupiscentiæ extinctæ essent. Quod eo libentius eum fecisse existimandum est, ut Christiano homini huc contendendum omnino esse, interim aperte doceret.

II. Pergit Paulus, & ait, in homine, de quo sub persona sua verba facit, peccatum revixisse adeo, ut illum occiderit. Nun possunt autem hæc Pauli verba ad condemnationem ex Lege provenientem referri, quasi hic peccatum antea mortuum fuisse, cognita autem Lege revixisse, idem sit, quod peccatum ante Legem non fuisse imputatum, nec porro mortis condemnationem hominibus attulisse, post vero fuisse, & morte dignos homines effecisse. Istam enim Legis vim, atque effectum, si quis recte animadvertat, numquam toto hoc loco considerat Paulus. Sed necesse est, ut ad malæ cupiditatis augmentum, & reviviscentiam quamdam referantur, per quam fit, ut homo interire dici possit, cujus vera vita in rationis recto usu, inque malis cupiditatibus minuendis, atque ex animo suo extirpandis consistit. Adde, quod, ubi malæ cupiditates, & peccata vigent, ibi mortem imperium suum exercere. necesse est. *Stipendia enim* (ait idem Paulus) *peccati mors* Rom. 6 23. Nam & ante in eo loco, ad quem, ut dixi, universus hic Pauli sermo refertur, dictum fuerat *Ad fructificandum morti*, idque tanquam proprium eorum, qui à peccatorum affectibus superantur. Quis igitur dubitare potest, quin homo iste, de quo Paulus loquitur, à malis cupiditatibus vincatur, & in ipsis peccatis vivat? Aut quomodo de hoc eodem homine poterunt ea dici, quæ de homine per Christum renovato superiore cap. scribit idem Paulus, affirmans, in eo crucifixum fuisse veterem hominem, ut peccati corpus destruatur, sive aboleatur? Non autem Eneruetur, ut vertit Beza: nam nec verbum Græcum καταργεῖν ullo modo Eneruare significare potest (etenim si etymologiæ rationem habeas, quam plurimum sibi favere Beza opinatur, omni prorsus actione privare significat) & apud eundem Paulum, cujus quodammodo proprium est verbum istud, ubique fere Abolere significat. Ut ostendunt hi loci 1 Cor. 1. 28, & cap. 6. 13, & cap. 13. 8. 10, & 11. & cap. 15. 24, & 26. Ephes. 2. 15. 2 Tim. 1. 10. 2 Thess. 2. vers. 8. In quibus omnibus ipse Beza, qui Erasmum, tanquam vim verbi non recte percipientem, aut exprimentem, quod hoc loco, de quo agimus,

Abo-

Abolendi verbo illud vertisset, reprehendit, ipse, inquam, Beza in omnibus prædictis locis Abolendi verbum in sua interpretatione pro eo Græco verbo reposuit. Quibus adde locum illum Hebr. 2. 14, ubi idem eum fecisse reperies.

Ait igitur Paulus, in homine Christiano veterem hominem crucifixum fuisse, ut peccati corpus, id est ipsum peccatum aboleatur, vel potius Aboleretur, ut Erasmus, quem Tigurini, & alii consecuti, interpretatus est, quod nulla prorsus ratione ei accommodari potest, qui in peccatis degit, quomodocumque tandem io ipsis degat. Hinc factum est, ut idem Beza alibi, * sua nova interpretatione non contentus, addiderit, à Paulo eo loco non describi sanctificationem nostram, qualis nunc est, sed qualis tandem erit in altero sæculo. Miror sane hominem, cum verba illa, quæ subjiciuntur, *Ut ultra non serviamus peccato,* ad præsens tempus Pauli verba referenda esse, aperte doceant. Sed præterea Paulus ibidem paullo post docet, Christianum hominem peccato mortuum esse, & peccatum in ipso non regnare, quæ similiter nunquam de eo dici poterunt, qui in peccatis, quantumvis invitus, manet, quemadmodum eum manere, necesse est, in quo peccatum adeo revixerit, ut eum interemerit, sicut antea à nobis ostensum est. Quocirca nullum hic (ni fallor) tua illa conciliatio, quam urgere plurimum videris, locum habet, quod nemo sit, qui non peccet, & peccatum, dum hic sumus, perpetuo in nobis inhabitet. Nam aliud omnino est, adhuc à peccando immunem non esse, aliud à peccato reviviscente occidi, præsertim hoc loco apud Paulum, qui, ut supra indicatum fuit, quatenus de reatu mortis loqui potest, non de eo reatu loquitur, qui ex quocumque vel minimo peccato provenit, nam is in iis quoque locum habet, qui sine lege sunt, sed de eo, qui ex eo provenit, quod quis, lege cognita, malis undique cupiditatibus repletur, ipsisque, mente licet propter eandem legis divinæ cognitionem repugnante, obedire cogitur. Hic reatus nunquam aufertur, nisi ista cupiditatum malarum obedientia cesset. Ille vero Dei misericordia, etiamsi à peccando penitus non cessetur, semper auferri consuevit.

III. Sed quid dicemus, quod Paulus hominem istum, carnalem esse dicit? Quis hic aliud intelligere potest, quam in eo carnem potiores partes habere? Ex majore enim parte, ut omnes norunt, unumquodque appellatur. Quid porro eo, quod isti homini tribuit, carnalem eum nominans, magis adversari potest, quam adeo carnalem non esse, ut, ne in carne quidem esse, quis dici possit. Atqui & ex superioribus verbis illis, *Cum enim essemus in carne, &c,* & ex iis, quæ scripta sunt vers. 8, & 9 seq. cap. perspicuum est, hominem renatum & vere Christianum, in carne amplius non esse, à Paulo dici. Ex prædictis autem patet, distinctioni illi tuæ locum non esse, quod, si carnem vitiatam consideremus, possunt renati homines carnales vocari, sin autem spiritum, qui eos regit, spirituales. Nam, si ab iis, quæ potiora sunt, denominationes ducuntur, in renato autem homine adeo caro debilitata est, ut is ne in carne quidem esse dicatur, certe non potest homo iste ullo modo carnalis vocari. Et tu ipse aperte confiteris, regeneratos, spirituales à spiritu, non carnales à carne vocari. Nam quod ais, diversarum rerum respectu duo diversa nomina uni rei imponi posse, id tunc verum esse putaverim, cum diversa illa nomina revera non opponuntur, nec alterum ad alterius distinctionem usurpatur, vel, etiamsi alioquin opponantur, tunc tamen propter diversam aliquam rationem minime inter se opponi dici possunt. Tuis ipsius exemplis utar, quibus, Paulum pro rationis diversitate diversa loqui solere demonstrari posse arbitraris, ut interim, quid momenti in tota hac disputatione habeant, dijudicare possimus. Lex (ais) aliquando à Paulo instrumentum vitæ, aliquando ministra mortis vocatur. Quamquam autem non menimi me legisse, ubi Paulus diserte legem instrumentum vitæ appellet, & hic in ipsis verbis tota vis disputationis est, tamen demus, ipsum ita locutum fuisse. Jam vero hic vides, Paulum de Lege duo quidem diversa asserere, & quæ, simpliciter dicta, invicem opponi videntur, sed quæ tamen revera non opponuntur. Quippe quod diversa ratione dicantur. Appellatur Lex ministra mortis propter eventum. Cum enim homines eam non servaverint, legem autem non servantibus mors debeatur, merito, mortem à lege allatam fuisse, eventus ratione dici potest. Appellatur eadem, aut appellari potest vitæ instrumentum, sed propter consilium, quo lata fuit. Idcirco enim lata fuit Lex, ut homines, eam servando, viverent. Quare alia præterea quadam ratione utraque ista appellatio legi convenientissima est, cum & vitam, & mortem secum afferat. Vitam iis, qui ipsam servaverint, mortem autem iis, qui non servaverint. Verum de spiritualis, & carnalis appellationibus, quas hominibus tribuit scriptura, quatenus scilicet spiritualem hominem non animali, sed carnali opponit, idem dici non potest. Quandoquidem duæ istæ appellationes non tam specie, quam reipsa, omnino invicem adversantur, & altera ad alterius differentiam, & exclusionem (ut ita dicam) usurpatur. Spiritualis enim nomen, spiritum carne potiorem, carnalis vero carnem spiritu potentiorem esse declarat. Quæ duo simul in eodem homine eodem tempore nullo modo inveniri possunt. Atqui, si distinctio illa tua ad rem pertinet, necesse est, ut unum eundemque hominem, eodem tempore, & spiritualem, & carnalem à Paulo appellatum fuisse velis. Ut quidem satis aperte dicis. Oportuisset te (ut quidem mihi videtur) aliquo exemplo vel apud Paulum, vel apud alium ex sacris scriptoribus probare, interdum carnalis nomen spirituali non opponi, aut duæ tibi diversæ distinctæque carnalitates (ut ita loquar) duæ item his oppositæ spiritualitates ex divinis literis ostendendæ erant. Ex quo constaret, potuisse Paulum uni eidemque homini, eodem tempore, & carnalis, & spiritualis, quatenus carnali opponitur, appellationem tribuere, aut saltem, si id minus ex Sacris Literis ostendere poteras, ratione aliqua manifesta, Paulum id facere potuisse confirmandum tibi erat. Quamquam in sacrorum scriptorum verbis interpretandis, nullo exemplo adjuvante, immo omnibus exemplis repugnantibus, sola ratione niti, periculosum admodum est, nec ullo pacto àdmittendum, nisi eam rationem ipsæ Sacræ Literæ suppeditent, idque ita evidenter, ut non minus certa quodammodo sit, quam ipsa principia mathematica. Quod profectò hic evenire non videmus. Nulla est enim omnino ratio, nedum ex Sacris Literis manifeste petita, quæ suadeat, unum eundemque hominem, eodem tempore & carnalem, & spiritualem, quatenus carnali spiritualis opponitur, nominari posse, cum (ut dictum est) palam sit, ex majore parte unumquodque appellari, carnalem autem hominem spirituali opponi certum sit, idque uno tantum modo, atque ratione. Cum alibi à me dictum fuit (nam hoc etiam pro exemplo esse poterit) posse eundem hominem, eodem tempore justum, & injustum appellari, id propterea factum est, quod & Sanctis Literis docentibus, & ipsa manifesta ratione duce, videbam duplicem in eo genere hominis justitiam, duplicemque injustitiam statui posse. Sacræ enim Literæ eidem, quem justum, quia justa opera faciat, appellant, justitiam imputari dicunt sine operibus. Ratio item ostendit, eum, qui Dei præceptum aliquod vel minimum spreverit, seu quomodocumque non conservarit, non posse coram Deo, præsertim, si is summo jure cum ipso agere velit, justum appellari. At coram hominibus, aut etiam coram ipso Deo, si ratio ejus erga humanum genus decretæ benignitatis habeatur, eum justum dici posse, qui juste factis ita abundat, ut injuste facta vix in ipso appareant. Nec tamen ex ista mea distinctione ullum Sacrarum Literarum locum, ubi hominis justi, vel injusti mentio fieret, sum interpretatus,

* Respons ad Castel. pag. 319.

ſed tantummodo, ut dictum eſt, quomodo idem homo eodem tempore & juſtus, & injuſtus appellari poſſet oſtendere volui. Sed jam alia tua exempla perpendamus. Dicis enim, Paulum modo populum Iſraëliticum extollere, præclariſſimiſque ornare elogiis, modo humiliter de illis ſentire, ac prædicare, idemque ab ipſo fieri ais, ubi circumciſionis mentionem facit. Paulus cum Iſraëliticum populum laudibus ornat, non ea dicit, quæ cum iis ullo modo pugnent, quæ de illo ſcribit, cum humiliter de eo ſentire videtur. Siquidem in eo nihil altum de Iſraëlitis ſentit, quod eos graviter peccaſſe, Chriſtum rejeciſſe, atque ea ratione irritum, quantum in ipſis erat, Dei fœdus, divinumque de ipſis decretum feciſſe, intelligit, quodque illis nihil ad æternam ſalutem profuturum ait, ex eo populo eſſe, niſi in Jeſum Chriſtum crediderint, inque ea ſalute adipiſcenda eis gentes jam pares facit, immo ſuperiores, quatenus ipſi propter contumaciam, & incredulitatem ſuam jam majore ex parte ad tempus plane rejecti fuerant. Hæc (judicio meo) ne in ſpeciem quidem pugnant, cum iis, quæ ipſos celebrans ait Rom. 3. 2. 9. 4, illis divina oracula concredita fuiſſe, ipſorum eſſe adoptionem, & gloriam, & fœdera, & legiſlationem, & cultum, & promiſſiones, & patres, & ex ipſis denique, quod ad carnem attinet, ipſum Chriſtum ortum eſſe. Manifeſtum enim eſt, hic de quibuſdam agi, quæ partim non ejuſdem generis, cujus ſuperiora, ſunt, partim non ad eventum, ut illa, ſed ad Dei conſilium referuntur. Nuſquam vero ſimpliciter Paulus Iſraëliticum populum vel extollit, vel deprimit, ſed ubique & elationis, & depreſſionis cauſſas commemorat. In quibus (ut dixi) nulla repugnantia conſpicitur. Quare non video, quid exemplum iſtud ad antitheſes illas, quas ego collegi, pertinere poſſit, & præſertim ad hoc, de quo hic privatim quærimus, quomodo fieri poſſit, ut Paulus eundem hominem, eodem tempore & carnalem, & ſpiritualem, immo non carnalem, nec in carne eſſe velit. Quæ duo ſibi ita adverſantur, ut magis adverſari non poſſint, & quorum alterum in Sacris Literis perpetuo ad alterius diſtinctionem, & excluſionem, ut dictum eſt, commemoratur. Quæ de populi Iſraëlitici exemplo dixi, eadem (nam idem exemplum cenſeri poteſt) de circumciſionis exemplo dicta eſſe volo. Niſi quod tanto facilior ad circumciſionis exemplum eſt reſponſio, quanto minus ipſam circumciſionem, quam populum Iſraëliticum, Paulus commendat.

IV. Poſtquam Apoſtolus hominem iſtum, de quo loquitur, carnalem vocavit, ſtatim addit, eum ſub peccato venundatum eſſe, id eſt peccato ſubjectum, & mancipatum. Quo etiam clare explicatur, quid carnalis nomine intellexerit, ſi quis forte de ejus appellationis ſignificatione dubitaret. Quid autem poterat Paulus dicere, ut apertius, aut ſignificantius quam fecit oſtenderet, hominem iſtum in peccatis vivere, nec poſſe ſe ulla ratione, ulla ve ex parte ab ipſis exſolvere, ac liberare? Manifeſta enim tranſlatio eſt ab emptitiis ſervis, qui emptori domino non modo per omnia parere coguntur, ſed etiam multo, quam cæteri, qui domi ſunt nati, acerbius, ac durius ab ipſo tractantur. Quis porro erit unquam, niſi animi probitate quadam inſigni erit præditus, Deique Spiritu mirifice ſuſtentatus, cui, ſi perſuaſum fuerit, de homine renato, id eſt ejuſmodi, qui & Deo ſit carus, & æternam vitam, ſi in eo ſtatu perſeveraverit, omnino adepturus ſit, iſta fuiſſe dicta, non inde (ut humana natura ad peccandum eſt prona) & peccandi, & in peccatis vivendi, vel certe, ne id faciat, non admodum curandi occaſionem tandem arripiat? Quantacumque enim hyperbole Paulum hic uſum fuiſſe velimus, non poteſt ea tanta eſſe, quin ejus verbis, peccatum in iſto homine dominari plane ſignificetur. Jam vero quis eſt, qui neſciat, in reliqua univerſa ſcriptura, eos duntaxat, qui regenerati non ſunt, nec in vitæ novitate incedunt, peccati ſervos appellari? Poſſem hic omnes locos proferre, idque veriſſimum eſſe demonſtrare. Sed nulla alia re eſt opus, niſi locutionis vim animadvertere, &, quæ Paulus ſuperiore hujus Epiſtolæ capite ſcripſerit, tantum perlegere. Ubi ex altera parte diſertiſſimis verbis ab ipſo dictum non ſemel invenietur, eos, qui renovati ſunt, & Chriſto inſiti, liberatos eſſe Rom. 6. 18, & 22, non quidem à reatu tantum peccati, ſed ab ipſo peccato, & peccati loco, juſtitiæ, hoc eſt vitæ ſanctimoniæ, quodammodo ſervos eſſe factos. Jam quis non videt, quantopere hæc inter ſe repugnent, ſub peccato venumdatum eſſe, & à peccato eſſe liberatum, juſtitiæque ſervum eſſe factum? Quis porro non animadvertit, de eodem homine, eodem tempore nullo pacto utrumque dici à Paulo potuiſſe, cum ipſe, de quo unum dicatur, alterum dici non poſſe aperte doceat? Quis denique alterum renatorum, alterum vero non renatorum proprium apud Paulum non eſſe videat, nec alia inſigniore magiſve peculiari nota renatos à non renatis ab ipſo diſtingui, ac ſeparari, quam hac, quod non renati adhuc ſervi peccati ſunt, renati verò à peccato jam ſunt liberati, nec amplius illi ſerviunt? Quare quod tu, vir clariſſime, ais, quia peccatum nos aſſidue vexat, curſumque noſtrum remoratur, idcirco jus ſuum quodammodo ipſum tueri, ne nos plane liberi, immuneſque ab illo, dum hic vivimus, ſimus, Unde (ut apparet) factum eſſe vis, ut Paulus dixerit, renatum hominem ſub peccato venundatum eſſe; hoc, inquam, vereor, ut ſatis recte concluſum à te fuerit. Primum, quia nequaquam veriſimile eſt, Paulum, etiamſi iſtud plane ſenſiſſet, in eo tamen explicando verbis uſurum fuiſſe, eorum prorſus ſimilibus, quibus paullo ante id, quod nullo pacto homini renato convenire ipſe vult, explicaverat. Deinde, quia verba ipſa iſti ſententiæ nulla ratione accommodari poſſunt. Longe enim aliud eſt à peccato non plane liberum atque immunem eſſe, & ſub peccato eſſe venumdatum. Hoc enim plenam eamque duriſſimam peccati dominationem ob oculos ponit. Illud vero liberationem majore ex parte dominatione iſta apertiſſime ſignificat. Inveniſſet Paulus ſine dubio, ſi iſtud hoc loco dicere voluiſſet, alia verba, quibus nec ſeipſum diſerte refellere videretur, quæque ad ſententiam iſtam explicandam appoſita eſſent, nec tantam in re tanti momenti tam graviter errandi occaſionem legentibus temere dediſſet. Ex iis, quæ hactenus diſſerui, reſponſio ad ea colligi poteſt, quæ à te ſcripta ſunt, dum id aperte ais, ut oſtendas, quomodo homo renatus ſub peccatum venditus dici poſſit, etiamſi eodem tempore à peccato ſit liber. Præſertim vero cum ais, per iſtam locutionem, Venditum eſſe ſub peccatum, non voluiſſe Paulum indicare jus dominantis peccati, quo quis teneatur. Iſtud enim, ut ante diſputatum eſt, cum vi tranſlationis, cumque verbis ipſis manifeſte pugnat. Verumtamen, ne aliquid forte prætermittam, quod privata reſponſione dignum videatur, quoniam, quæ hic à te dicuntur, cum iis plane conveniunt, quæ de captivitate hominis renati diſſeris, diligentius aliquanto ea, ubi de iſta captivitate agemus, examinanda reſervo. Id tantum hoc loco dicam, diſtinctionem iſtam à te allatam, inter pios, & impios, quod ad hoc attinet, ut venditi ſub peccato dicantur, impios ſcilicet condemnantem peccati calculum, & judicium in conſcientiis ferre, pios vero peccati rebellionem ſentire; mihi probari nullo modo poſſe: non ſolum quia locutio ipſa neutram iſtarum interpretationum ferre videtur, ſed etiam multo magis quia periculum eſt, ne omnes locos, ex quibus apparet, piorum eſſe proprium, ut liberi ſint à peccato, ad ſolam condemnationem, & reatum peccatorum, quem amplius pii non ſentiant, referamus. Id quod nec ullo pacto ipſis locis convenire poteſt, in quibus aperte de liberatione à peccando præcipue agitur, & perniciem ſummam facile poteſt afferre, cum reipſa compertum ſit, hodie innumerabiles pæne homines ex iis, qui Chriſtum profitentur, inveniri, qui cum ſceleribus ſint oppleti, abſolutos ſe tamen à peccatorum condemnatione,

natione, ac reatu esse non opinantur modo, verum etiam plane contendunt.

Sed quid deinde adjungit Paulus? Id nimirum adjungit, ex quo, si quis de renato homine eum verba facere existimet, facile omnia peccata, ac scelera sua sit excusaturus. Ait enim hominem istum non facere, quod cupit, sed quod odit, nec bonum, quod vult, facere, sed malum quod non vult, agere. Interrogentur modo ii, qui divinæ voluntatis per Christum patefactæ veram cognitionem habentes, in ebrietibus nihilominus, comessationibus, impudicitiis, jurgiis ac contentionibus, & aliis similibus non renatorum propriis vitam transigunt Rom. 13. 13, num neutiquam probent ipsi ea, quæ faciunt, num mens ipsorum cum factis minime consentiat, num denique ista ipsa, quæ identidem committunt, odio habeant. Annuent plerique sine dubio, idque ex animo, sed cupiditatibus se trahi, ac transversos rapi dicent. Flebunt etiam nonnulli ex ipsis, & statum suum vehementer deplorabunt, aliosque ut Deum pro se orent, qui ipsos, antequam à morte occupentur, è tanta miseria pro sua bonitate liberet, impense, & ex animo rogabunt. Non tamen hæc illi facient, qui, renatum hominem, Deoque acceptum ea quæ vellet, non facere, quæ autem nollet, ea facere solere, sibi persuadent. Immo nullum prorsus miseriæ suæ sensum habentes, quippe qui non miseriam, sed statum eorum, qui in hac ipsa vita maxime omnium à Deo veris ac solidis beneficiis sunt affecti, eam esse putent, nihil minus curabunt, quam, ut, dum hic vivunt, inde aliqua ratione eximantur. Ita, cum & miseri, & miserabiles, & pauperes, & cæci, & nudi sint, se tamen & divites, & locupletatos, & nullius rei egentes esse existimabunt. Apoc. 3. 17. Nec sane perspicere adhuc possum, quomodo non hæc ex Pauli verbis consecutura sint, si de regenerato homine ab ipso dictum fuisse volumus, eum non facere, quæ velit, sed quæ nolit. Nam, si aliquis dicat (quemadmodum ex quibusdam tuarum litterarum locis colligi potest) Pauli verba ita interpretanda esse, ut intelligamus, hominem istum, non, quæ velit, ea semper facere, sed multa etiam facere, quæ nolit, ad idque probandum ejusdem Pauli verba afferat, quæ de Galatis scribit Gal. 5. 17, affirmans (ut quidem multis videtur) ipsos, quos deinde spirituales nominet, non ea facere, quæ vellent; Primum dico, ipsa loci nostri verba interpretationem istam nequaquam admittere. Universe enim loquitur Paulus, seu mavis indefinitis (ut vocant) verbis, utitur, inquiens: *Non, quod volo bonum, hoc facio, sed, quod nolo malum, hoc ago.* Quod plane indicat, hominem istum, aut nunquam, aut perraro vel aliquid boni facere, vel à malo perpetrando abstinere. Deinde, quod ad ejusdem locum illum ad Gal. attinet, non verebor affirmare, in eo vel convertendo vel explicando multos insignes viros non leviter lapsos esse. Nam Castellio ipse, qui (ut ego quidem censeo) hac tota de re alioqui non male sentit, tamen in interpretatione sua verba illa Græca, ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις ἵνα μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε, ad hunc modum vertit. *Atque hæc ita sunt inter sese contraria, ut non quæ velitis, ea faciatis*: quasi vero scriptum sit, ὥστε μὴ, &c. & non, sicuti est, ἵνα μὴ, &c. Etsi enim alicubi fortasse in Novo Testamento ἵνα pro ὥστε usurpatum invenitur, tamen retinenda est omnino propria & usitata verborum significatio, nisi aliter fieri debere, evidenter appareat. Non est igitur Pauli sententia, Hæc duo, carnem. & spiritum ita inter sese contraria in Galatis fuisse, ut ipsi non facerent ea, quæ vellent, sed, carnem, & spiritum idcirco sibi invicem adversari, id est, carnem spiritui sese opponere, ne homines, qui jam spiritus participes aliquo modo facti sunt, è quorum numero erant ipsi Galatæ, ea, quæ velint, faciant. Nam, si caro istud obtinuerit, jam satis habitura est. Propterea Galatas monet, ut sibi caveant, & isti carnis conatui vi spiritus fortiter resistendo, ejus cupiditates minime exequantur. Ex quo loco perspicuum est, non facere bona, quæ quis velit, & mala facere, quæ nolit, Christianis & regeneratis hominibus nullo modo convenire. Primum quia Paulus monet Galatas, ut spiritu incedant, & carnis cupiditates minime perficiant: deinde quia carnis spiritui sese opponentis hunc scopum, seu finem esse Paulus ait, ut homo ea, quæ velit, non faciat. Dictio enim Græca ἵνα scopum, vel finem declarat. Quocirca, cum spiritûs finis, aut scopus, dum carni repugnat, esse non possit, ut homo ea non faciat, quæ vult, sed potius ut omnino faciat, de scopo, aut fine carnis si e adversarii nostri, qui eam adversus spiritum subinde incitat, hic verba fieri necesse est. Error, in quem in interpretatione sua lapsus est Castellio, cum nonnullis aliis, qui in vernaculas linguas Testamentum Novum converterunt, illi communis est. Quamquam alii quoque interpretes Latini non longe à Castellionis culpa abesse videntur. Nam, & si in priore periodi membro particulam Ita, ut ille fecit, non addiderunt, ac ne in posteriore quidem, sed simpliciter, ut verba Græca jacent. Ut enim, &c scripserunt, tamen, quia dictio Latina Ut eo loco duplicem significationem habere potest, eventus, & caussæ, quam finalem vocant, id est, vel id significare, quod Castellionis interpretatio fert, vimque eandem habere, ac si scriptum esset Ita ut, sive adeo ut, vel id, quod ego dixi, & idem esse Ut non, quod est Ne, ad evitandam amphiboliam istam, debuerant omnio pro ἵνα μὴ Ne, non autem Ut non, quemadmodum fecerunt, in sua interpretatione reponere. Quamquam non dubito, quin Beza inter alios, quemadmodum ex ejus scriptis colligi potest, ita locum intellexerit, ut de ipso eventu, non autem de finali caussa ibi agatur. Cæterum Castellio in hoc cæteris præstat, quod ea verba, ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε, ut par erat, *Quæ velitis, ea faciatis*, interpretatus est, non autem, ut illi, *Quæcumque vultis, seu volueritis, &c.* Nam, ut dictum est, de scopo, aut fine carnis, seu Satanæ ibi verba fiunt, qui non is est, ut homo non omnia faciat, quæ velit, sunt enim multi ex iis, in quibus caro à spiritu longe superatur, nec ullo prorsus pacto Satanæ mancipia dici possunt, qui tamen nonnulla faciunt interdum, quæ minime vellent. Sed id scilicet & caro, & Satanas quærit, ut homo, qui jam spiritu dictante, bona facere cupit, vel nihil, si fieri potest, vel saltem pauca eorum faciat, quæ velit. Atque hinc manifeste apparet, locum istum, non modo explanationem illam loci nostri, ut in eo dicatur hominem istum, non facere quidem, quæcunque vellet, multa tamen facere, non confirmare, sed eam etiam, funditus evertere, meamque, & aliorum qui mecum sentiunt, nempe eam, quæ ab ipsis verbis nihil omnino recedit, mirifice stabilire, ut hic affirmetur, hominem istum aut nunquam, aut raro admodum, quod velit bonum, idem etiam facere. Et quoniam in istum ad Gal. locum incidi, non abs re erit, antequam ulterius progrediar, ostendere, eum sententiæ illi meæ, quod nonnulli sint, in quibus in hac vita acris illa carnis cum spiritu luctatio cesset, nulla ratione adversari, quamvis plurimi non desint, qui eum pro inexpugnabili quodam contrariæ sententiæ propugnaculo habent. Dico igitur, Paulum, cum ait carnem adversus spiritum concupiscere, & spiritum adversus carnem, hæcque sibi invicem adversari, neutiquam (id quod isti crediderunt) dicere voluisse, in quolibet homine spiritum cum carne pugnare, sed carnis cupiditatem, ubi ea fuerit, spiritus cupiditati (si eam ita appellare fas est) prorsus adversari. Nam idem ibi est Caro concupiscit adversus spiritum, quod Caro, cum concupiscit, adversus spiritum concupiscit, sive Carnis concupiscentia spiritui adversatur. Superiore enim versic. dixerat, spiritu incedendum esse, nec perficiendam esse carnis cupiditatem. Dicet aliquis, Num fieri potest, ut aliqua caro sit, quæ non concupiscat? Et, si omnis caro concupiscit, in quolibet autem homine est caro, ergo in quolibet homine carnis concupiscentia est, & porro carnis cum spiritu pugna. Animadvertendum est, apud Paulum

lum carnis appellatione non carnem istam, quam videmus, quamque nobiscum ad mortem usque necessario circumferimus, sed appetitum illum, qui rationi opponitur, ut supra dictum est, significare: qui appetitus revera non est substantia quædam in homine, sed qualitas, quamvis illi per prosopopœiam aliamve similem sermonis figuram multa tribuantur, quæ, rem aliquam subsistentem ipsum esse, indicare videntur. Hæc qualitas non amplius est in iis, qui jam virtutum habitus plane fuerint adepti, quales ego nonnullos inter Christianos inveniri puto, & sic homines aliqui (ut mihi quidem videtur) inveniuntur, qui carnem istam amplius non habent, aut certe perinde omnino est, ac si eam non haberent. Quemadmodum ex altera parte aliqui ex iis, qui prorsus vitiorum mancipia sunt facti, ea animi qualitate destituuntur, quæ appetitui opponitur, & ratio appellatur, aut certe perinde omnino est, ac si ea destituti essent. Propterea factum est, ut Paulus eos etiam, qui carni isti non obediunt, quamvis ipsa non careant, tamen non amplius in carne esse,& carnem, cum affectibus, & concupiscentiis crucifixisse, ut vidimus,ausus sit dicere Rom.7.5,8.8,& 9. Gal.5.24. Sed ad propositum revertamur. Satis (ut arbitror) ex supra dictis constat, cum de homine, quem describit Paulus, legimus, eum non facere bonum, quod velit, sed malum, quod nolit, nihil aliud intelligi posse, quam ipsum aut nunquam, aut perraro boni aliquid agere, vel à malo aliquo committendo abstinere. Quod si renatum hominem & Christianum descripsisse Paulus credatur, tibi ipsi, vir integerrime ac prudentissime, judicandum relinquo, quales tandem Christianos habituri simus. Sed hominem renatum à Paulo nequaquam descriptum fuisse, innumerabiles prope loci aperte declarant, ubi non dicam cæteri Sacri Scriptores, sed ipse Paulus renato homini ea tribuit, quæ cum ista summa in bene agendo imbecillitate nullo prorsus pacto convenire possunt. Potissimum vero ubi diserte testatur Rom.8.1.4.13. regeneratum hominem non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulare,itemque ubi ait, eos demum vitam adepturos, qui spiritu corporis actiones peremerint: quas sententias frustra quis ea ratione cum imbecillitate ista conciliare studebit, quod in illis de conatu, & studio bene agendi Paulus loquatur; cum ipsa verba de factis ipsis aperte loquantur. Quamquam non est tibi hoc loco ista ratione utendum, & tacite concedendum, hominem, de quo hic Paulus loquitur, conatum quidem, & studium bene agendi habere, sed vires propemodum nullas, nisi etiam velis, in homine renato, quod attinet ad ipsa facta, sive operationes, carnem spiritu potiorem esse, qua de re postea videbimus. Sed (quemadmodum ex verbis tuis colligitur) si tibi isti & similes Paulini loci cum hoc nostro conciliandi sunt, necesse est, ut dicas, Paulum, cum homini à se descripto potestatem bene agendi adimere videtur, nihil aliud sibi velle, quam hominem istum non omnia bona facere, quæ velit, sed interdum, sive etiam non raro mala facere, quæ nolit, non autem ipsum aut nunquam, aut raro admodum vel aliquid boni facere, vel à male agendo sibi temperare. Verum conciliationem istam jam per ea quæ supra dicta sunt locum habere non posse satis evidenter, ut spero demonstratum est.

VI. Sequitur, ut consideremus, Paulum deinde homini à se descripto tribuere, quod captivus sit legis peccati Quoniam vero de hoc loco, quod ad sententiam attinet, quæ ex ipso colligi aut debeat, aut possit, ea fere omnia dici possunt, quæ de verbis illis diximus, venumdatus sub peccato, id tantum in præsentia, quod huc pertineat, dicam, aliam translationem hic esse manifestam ab iis,qui in captivitate sunt, quibus nihil præter id,quod ei visum fuerit, à quo in captivitate detinentur, facere permissum est. Lex autem peccati apud Paulum significat id, quod Peccatum omnino fieri jubet. Nam per prosopopœiam, ut solet, de peccato loquitur. Quapropter, cum dicit, hominem istum captivum fieri legis peccati, perinde est, ac si dixisset, non posse eum aliud facere, nisi id, quod peccati certissimus jussus tulerit. Jam, si quis credit, istum hominem renatum esse, nec tamen ex hoc colligit, renatos homines nihil nisi peccare posse, profecto is præ aliis Deo plurimum debet,qui ne in peccato manendi aliquam inde occasionem arripiat non permittit, eum istam rationem, quamvis apertissimam, concludere. Sed quotus quisque est, qui tantopere Deo sit carus? Quamquam nondum video, quomodo possit quisquam firmiter credere, Paulum hic dixisse, hominem renatum captivum fieri legis peccati, cum idem Paulus mox seq. cap. affirmet legem spiritus vitæ in Christo liberare nos à peccati lege, & ita rem isti plana contrariam de renato homine asseveret. Quod enim à te, vir præstantissime, ut hosce duos locos ex diametro (quod ajunt) pugnantes conciliares, excogitatum fuisse videtur, non crediderim diligenter rem ipsam perpendenti satis probari posse. Ais enim, *Juste igitur Paulus, considerans hanc corruptionem naturæ nostræ per legem peccati in membris militantem, captivitatem vocavit. Quomodo enim non diceretur captivitas, à qua se nullo modo fideles, dum hic vivunt, eximere liberareque possunt. Nam dato mihi aliquem, etiam ex sanctissimis, qui nunquam peccaverit, facto, nec dicto, nec cogitatu quidem.* Hic autem locus unus ex illis est, unde intelligi posse, ac debere videtur, te, ab homine renato peccata quidem aliqua adhuc committi, omnino statuere, non tamen in ipsis factis carnem spiritu potentiorem esse, sed contra spiritum carne, adeo ut non admodum frequenter renatus, homo peccet. Nam, cum tibi satis sit, ne quis, se legis peccati captivum non esse, gloriari possit, eum interdum peccare, nihil autem gravius, quod ad peccandum attinet, homini renato à te ex mente (ut quidem arbitraris) Pauli tribuatur, quam hoc quod legis peccati captivus sit, sequitur te, quod ad peccandum attinet, de homine renato nihil gravius omnino statuere, quam, quod interdum peccet, idque (ut tua ipsius verba ferunt) vel facto, vel dicto, vel cogitatione denique. Quod sane vehementer lætor tametsi, ut ante dixi, nondum perspicio, quomodo hoc cum plerisque aliis verbis tuis convenire possit. Sed ad conciliationem istam tuam redeo. Vis igitur, idcirco hominem renatum legis peccati captivum fieri, à Paulo dici, quod, dum hic vivit, peccato se penitus exsolvere non possit. Quamquam eodem tempore alia etiam ratione, hominem renatum in captivitate ex Pauli sententia esse, velle videris, quia videlicet corruptio naturæ per legem peccati in membris militet, id est (ut ego interpretor) quia à corruptione naturæ nostræ ad peccandum sollicitemur, à qua liberari nullo modo possimus. Si ita sentis, hoc non videtur ad Pauli verba accommodari posse, qui hominem, quem describit, non simpliciter captivum esse dixit, sed captivum legis peccati. Apparet enim (ut totam rem accuratius explicem, & interim, in homine à Paulo descripto carnem in pugna illa cum mente superiorem evadere demonstrem) Paulum hic quatuor leges facere, quarum duæ duabus alteris opponantur, Unam mentis, alteram carnis, quam simpliciter legem in membris appellat, quæ mentis legi opponitur, Tertiam Dei, Quartam peccati, quæ Dei Legi opponitur, & hanc similiter in membris esse dicit. Itaque ait, legem carnis contra mentis legem pugnare nimirum quia Lex mentis vellet hominem Dei Legi subjicere, Lex autem carnis, ut legi peccati eum subjiciat, quærit, neque ulla alia de re pugna est inter carnem, & mentem. Quid igitur in homine isto fit, quem ipse describit? Illud nempe fit: In pugna ista caro, sive Lex carnis (nam idem reipsa hic sunt hæc duo) vincit mentem, seu mentis legem, &, victoria parta jam illud obtinet, propter quod pugnaverat, & ita hominem istum legi peccati subjicit, ejusque captivum reddit, ut diserte Paulus ait. Nam quomodo hoc facere caro posset, nisi in prælio isto mentem vinceret, quæ, quominus id fiat, vehementer resistit, nec

aliam

vehementer reſiſtit, nec aliam ob rem tam acriter cum carne præliatur? aut quid aliud eſt, in pugna iſta mentem à carne ſuperari, quam id fieri, non quod vult mens, ſed caro? Ex prædictis intelligi poteſt, Paulum non corruptionem naturæ noſtræ captivitatem vocare, ſed aſſerere, carnem, ſeu corruptionem iſtam, quæ menti, id eſt rationi repugnat, id, ipſam rationem in pugna ſuperando, efficere, ut legis peccati captivus homo fiat. Quare captivitas, de qua Paulus loquitur, nullo pacto renato homini tribui poteſt, niſi in homine renato carnem in pugna cum mente ſuperiorem evadere velimus. Hæcque captivitas, ut dictum eſt, legis peccati captivitas nominatur. Itaque, ſi concedis, in renatis hominibus carnem à mente ſuperari, neceſſe eſt etiam, ut concedas, captivitatem Legis peccati nihil cum homine renato commune habere; nec opus eſt ad ea reſpondere, quæ in medium affers, ut oſtendas, quomodo homo Chriſti ſpiritu regeneratus Legis peccati captivus ſit, aut dici poſſit. Attamen, ut veritas clarius perſpiciatur, dico, etiamſi tibi concederetur, hominem renatum, donec in hac vita animali eſt, non poſſe ſe à peccato ita liberare, ut interdum vel dicto, vel facto, vel cogitatione non peccet, non tamen ex hoc ſecuturum, renatum hominem legis peccati captivum eſſe. Quandoquidem Lex peccati non id fert ſcilicet, ut interdum aliqua ratione peccemus, ſed ut ſemper, peccandi occaſione oblata, peccemus. Quocirca qui, cum peccare poteſt, plerumque ſaltem non peccat, is peccati legi revera nullo modo obtemperat, ideoque ne per hyperbolem quidem, legis peccati captivus dici poteſt, quæ tranſlatio, ut ante dixi, omnino ſignificat, quempiam nihil aliud agere poſſe, niſi quod Lex peccati velit. Non igitur, quia homo renatus (ut plerique ſtatuunt) in hac vita nunquam ſe à peccato penitus liberare queat, qui legis peccati effectus videri poteſt, idcirco legis peccati captivus poteſt vocari. Nam (exempli cauſſa) ſi rex aliquis hoſtem habeat, quem fere ſemper in prælio vincere, ac ſuperare, ingentibuſque cladibus afficere ſoleat, certe, etiamſi eum prorſus debellare nequeat, ſed interdum aliqua levia damna ab ipſo accipere cogatur, non tamen ejus captivus eſſe ulla ratione dicetur: Captivitatem enim ſive veram, ſive metaphoricam, non difficultas, aut etiam (ut ita loquar) impoſſibilitas perfectæ liberationis facit, ſed ſervitutis, & ſubjectionis ingens gravitas, & magnitudo. Nam quidam ſunt plane captivi, qui tamen facillime è captivitate penitus liberari poſſunt. Quidam rurſus ſunt omnino non captivi, qui tamen nunquam pleniſſime liberari poterunt, ut ex ſuperiore exemplo, & ejuſmodi aliis compluribus, quæ afferri poſſunt, unuſquiſque perfacile intelliget.

Quæ hactenus de captivitate iſta legis peccati diximus, manifeſtum facere poſſunt, non eſſe cur dicamus, eum, qui peccati vim rebellantem ſpiritui ſentiat, quam tollere, dum vixerit, non queat, ſub peccato venditum dici à Paulo potuiſſe, quemadmodum à te affirmari video. Primum quia id, quod contra ſpiritum rebellat, ſi Paulinas hoc loco proſopopœias, & metaphoras, ut debemus, attendere velimus (tametſi, ut poſtea dicam, Paulus nullam toto hoc loco ſpiritus mentionem facit) non eſt ipſum peccatum, ſeu Lex peccati, ſed caro, ſeu Lex carnis. Hæc autem in homine, quem Paulus intelligit, continenter, non rebellat quidem, ſed tamquam cum perpetuo hoſte bellum gerit, non cum ſpiritu, quo homo iſte deſtituitur, ſed cum mente, ſeu cum mentis lege, ut hominem iſtum legi peccati, ut facit, ſubjectum teneat. Quare, quod Paulus dicit de venditione ſub peccato, peccati rebellionem ſignificare non poteſt, ſed, ut peccati dominatum, quemadmodum ipſa verba declarant, ſignificet, neceſſe eſt. Deinde, etiamſi peccatum hic ex mente Pauli rebellaret contra ſpiritum, non tamen iſta rebellio, quamvis perpetua, efficeret, ut homo iſte venditus ſub peccato dici poſſet, niſi ſaltem ea ejuſmodi eſſet, ut peccatum plerumque id quod quærit, obtineret, nec fruſtra ulla ratione rebellaret. Ut enim quis alicui venditus, ejuſque ſervus per tranſlationem appelletur, etiamſi hyperbolice loqui velimus, non ſatis eſt perpetuam aliquam moleſtiam, quantumvis gravem, iſti ab illo exhiberi, ſed opus eſt præterea, ut iſte illi aliqua ſaltem ratione ſubjiciatur.

VII. Supereſt, ut de ſententia illa agamus, quæ ex Pauli verbis colligitur, cum hominem iſtum in perſona ſua exclamantem inducit. Ea eſt, hominem iſtum à corpore cujuſdam mortis detineri. Quæ locutio vulgo non intellecta occaſionem credendi dedit, in exclamatione illa quæri liberationem ab hoc corpore mortali, & proinde in totius loci explicatio graviter errandi. Quaſi miſer ſtatus antea deſcriptus hominis iſtius ejuſmodi eſſet, à quo, dum hic vivitur, nemo liberari poſſit. Verum non eſt in locutione iſta Hebraiſmus ille vulgaris, cum epitheta ſubſtantivo nomine, generandi caſu efferuntur, ſed alia figura ſacris ſcriptoribus, præſertim vero ipſi Paulo, familiaris, cum corpus alicujus rei pro re ipſa dicitur, ut in ſcripto meo exemplis ex eodem Paulo allatis oſtenderam Rom. 6. 6. tametſi exemplum illud, *Ut deſtruatur corpus peccati*, vulgo ſimiliter non fuerit animadverſum: poterat autem quilibet vel ex eo ſatis admoneri, non eſſe hic vulgarem illum Hebraiſmum, quod non ſimpliciter ſcriptum ſit De corpore mortis, ut Hebraiſmus ille poſtularet, ſed De corpore mortis hujus. Etſi enim pronomen iſtud demonſtrativum in Græco contextu & ad corpus, & ad mortem ex vi grammaticæ referri poteſt, tamen orationis ſtructura, ut ad corpus referatur, nullo pacto ferre videtur. Nec veriſimile ullo modo eſt, ſi Paulus pronomen iſtud cum nomine corpus conjungere voluiſſet, aliter illum dicturum fuiſſe, quam ἐκ τούτου τοῦ σώματος τοῦ θανάτου, non autem ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου, ut dixit. Quomodo enim tantam ſtructuræ ſermonis inconcinnitatem, atque inſolentiam cum tam manifeſto alterius ſententiæ ex ejus verbis colligendæ periculo, ita temere affectaſſet? Cæterum illam, quam ego hic eſſe affirmo, loquendi figuram ipſi Paulo, ut dixi, familiarem eſſe, animadvertet quiſquis diligenter, & cum judicio ejus ſcripta legerit. In quibus ejus rei exempla paſſim occurrunt. Sed, quoniam pleraque eorum non omnibus fortaſſe indubitata videri poſſunt, duo tantummodo, quippe quæ certiſſima ſint, aliis duobus, quæ in meo ſcripto attuleram, addere libuit. Unum eſt in Epiſtola ad Gal. ad finem ipſum, alterum in Epiſt. ad Philipp. cap. 1. 20. Utrobique enim Paulus Corpus ſuum pro ſeipſo ſine dubio dixit. Addidiſſem & illud, quod eſt in Epiſt. ad Colloſſ. cap. 1. 18. *Et ipſe eſt caput Corporis Eccleſiæ.* Nam quod Paulus Corporis Eccleſiæ nomine ipſam Eccleſiam intellexerit, declarare videtur manifeſte locus, qui in Epiſt. ad Epheſ. huic reſpondet, ubi ſecundum Græcos codices ſcriptum eſt Epheſ. 1. 22. *Et ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ*, ſive (ut Eraſmus, Tigurinis aſtipulantibus & Beza converterunt) *Ipſi Eccleſiæ*, quemadmodum emendatiores quoque Latini codices habent: ſed propter ſequentia illa hoc loco ad Eph. verba, *Quæ eſt corpus ipſius*, veritus ſum, ne fortaſſe nomen corporis prædicto loco Epiſt. ad Coloſſ ad Chriſtum debeat referri, ac ſi ſcriptum fuiſſet Corporis ſui, & nomen Eccleſiæ, quod ſtatim ſequitur, ἐξηγητικῶς additum fuerit. Ac ſi dictum foret, id eſt Eccleſiæ, ſive quod eſt Eccleſia, ut infra v. 24 locutus eſt. Jam vero (ut ad inſtitutum noſtrum revertamur) cum Paulus dicat, hominem iſtum à morte quadam detineri, & verba ejus præ ſe ferant, mortem iſtam inſignem quandam mortem eſſe, eamque peſſimam, quis erit, qui ſi non modo renatus eſt homo iſte, ſed inter renatos maxime præcipuus, ut certe eſt, ſi de ſeipſo, ut regerenato Paulus loquitur, quemlibet renatum hominem in peſſima quadam morte perpetuo verſari non credat, id eſt tot, tantiſque peccatis obrutum eſſe, ut æternæ morti ſit penitus obnoxius, à qua tamen morte gratia Dei per Chriſtum liberandus ſit? Quis hinc facile, in

peccatis

peccatis sibi necessario manendum esse, non colligat? Neque enim bic de eo mortis æternæ reatu agi potest qui vel ex minimo quolibet peccato, Dei misericordia penitus seclusa, proficiscitur, sed de eo, qui, etiamsi Deus hominibus in ipsius viis ambulantibus, quamvis interdum labantur, peccata non imputare decreverit, ex peccandi perpetuitate quadam provenit. Quandoquidem non post Christum, nec per Cbristum tantummodo, sed etiam alia ratione ante Cbristum Deus benignitatem istam erga humanum genus non decrevit solum, verum etiam ab ipso poene orbe condito variis testimoniis, atque exemplis declaravit, ut satis per se patet, & ego in mea de Jesu Christo * servatore disputatione abunde confirmavi. Verum bic id sine dubio agitur, ut hominis coadito, quod ad mortis reatum attinet, si gratia Dei, non quidem quæcumque sed qualis per Christum plane exhibita fuit, temoveatur, diligenter describatur. Quare, si de jam tenato bomine est sermo, oecesse est, ut homo renatus in Dei viis non ambulet, & non modo interdum labatur, sed in ipsis peccatis maneat, quamquam vix fieri potest ut quis de renato homine bic affirmari credat, eum ab ipsa morte captivum quodammodo detineri, qui consideret, statim cap. seq. ubi renatus homo describitur, per non obscuram eorum, quæ prius dicta fuerant, antithesin, affirmari, eum à mortis lege solutum esse, quod alteri isti affirmationi penitus adversatur. Ex iis enim, quæ modo dicebam, aperta responsio colligitur ad illud, quod pro istorum locorum conciliatione à te, vir nobilissime, excogitatum fuisse apparet, ut scilicet in priore de mortis reatu verba fiant ex ipsis peccatis per se, gratia Dei, quæ per Christum est, seclusa, consideratis proveniente, in posteriore vero de liberatione agatur ab eodem reatu per Dei gratiam nobis à Christo allatam concessa, quæ duo in uno eodemque homine, eodem tempore considerari possunt. Hanc, inquam, conciliationem admittendam non esse, id demonstrare videtur, quod homo renatus, id est, qui in consilio impiorum non ambulat Psal. 1. 1, nec in via peccatorum manet, beatus jam ut scriptum est, appellari debet, jamque à mortis teatu ex propriis peccatis proficiscente liberatus Dei benignitate est: quæ, ut dictum fuit, etiam ante Christi adventum id abundanter præstitit, ut homines pii & in peccatis minime manentes semper pro justis coram Deo ipso babiti fuerint, id est, suorum delictorum veniam sint consecuti.

Hactenus, vir clarissime, ea ipsius loci nostri verba expendi, unde potissimum colligi arbitror, si Paulus de seipso, ut regenerato, hoc sep. cap. Epist ad Rom. loquatur, posse hominem tegeneratum in peccatis manere, & secundum carnem in hac vita incedere, immo quin in peccatis maneat, & dum hic vivit, secundum carnem incedat, vix ullo modo fieri posse, quandoquidem vix ullo modo fieri posse videtur, ut quis in hac vita id præstet, quod ipse Paulus præstare non potuit. Et simul alia alibi scripta eiusdem Pauli verba, quæ de homine regnerato manifeste sunt dicta, quæque istis opposueram, cum ipsis minime conciliari posse, & propterea hic de seipso, tamquam tegenerato, Paulum ullo modo verba facere, etiamsi tibi secus omnino videatur, demonstrandum mibi sumpsi. Quod si ex animi mei sententia successit, est quod Deo ingentes gratias agam, qui mea opera in re (bac præsertim ætate nostra) tanti momenti præstanda uti pro sua bonitate voluerit. Sin minus, non est, quod mirer cum imbecillas vires meas considero, & mecum animo reputo, quam difficile sit, veritatem, quæ diu in tenebris apud plerosque jacuerit, in lucem quodammodo revocare. Id tamen interea commemorandum censeo, hucusque me ita disputasse, quasi tu (ut equidem spero) in eo mecum sentias, hominem Christi spiritu regeneratum in peccatis non manere, & in ipso spiritum in pugna, & luctatione illa, carne revera superiorem evadere, ejusque malas cupiditates, ut plurimum, reipsa vincere, ac refrenare. Quod si fortasse aliter sentis, & nibil aliud bomini renato tribuis, quam studium, & conatum quemdam bene agendi minime efficacem, adeo ut plerumque non bene, sed male agat, vide (obsecro te) qualis sit ista sententia tua, & quomodo eam vel apertis sacris testimonis confirmare, vel rationibus inde ductis, verisimilem saltem esse, probare queas. Ego ut & mihi, & (quemadmodum arbitror) tibi ipsi plenius satisfaciam, quamvis sententia ista per ea, quæ ante disserui, satis confutata videatur, tamen, antequam finem scribendi facio, quæ te quantum ex tuis litteris conjici potest, in eam inducere potuerint, diligenter recensere, & cujus ponderis sint, examinare, Deo volente, decrevi, ut quid de sententia ista censendum sit, melius cognoscatur. Nam & huc tota de Paulini loci interpretatione disputatio nostra referenda est, & eadem opera aliquanto etiam diligentius, quam hactenus factum sit, locus ipse expendendus. Ac primum de Sacrarum Litterarum testimoniis, deque tationibus inde petitis, deinde de quibusdam aliis rationibus disputabo.

Quod igitur ad ipsa sacra testimonia attinet, non dubium est, quin locus ipse, de cujus interpretatione quærimus, facile te in sententiam istam, plus quam cæterea omnia, impellendi vim habuerit. Vix enim fieri potest, ut credas, Paulum ibi de seipso, tamquam Christi spiritu prædito ac regenerato, locutum fuisse, & non simul credas, tenatum hominem, quamquam invitum, in peccatis manere, & à carnis cupiditatibus vinci, ac superari, & captivum quodammodo detineri. Nimis eoim, ut vidimus, aperta sunt verba Pauli id significantia. Et quamvis ex verbis tuis intelligi possit, te aliis præterea rationibus adductum fuisse ut omnino statuas, ibi Paulum de bomine renato verba facere, ego tamen nihil dubito, quin id te potissimum moverit, quod Paulus in persona sua totam disputationem exequitur. Atque ita mibi persuadeo, si aliqua ratione tibi constare posset, nihil prohibere, quominus, Paulum de seipso, qualis præsertim tunc erat, minime locutum fuisse, suspicari liceat, in ejusque verbis eam esse posse sermonis figuram, quam ego esse arbitror, te in eam potius partem propensurum, ut nullo modo de homine renato Paulus locutus fuerit, cæterasque rationes omnes pro nihilo habiturum. tantopere, quæ de renatis hominibus & antea, & postea perspicue disserit, iis, quæ ibi de seipso affirmare videtur, sunt contraria. adeo ut & tibi, & aliis, qui tecum sentiunt, quemadmodum ex iis, quæ ante disputata sunt, apparere potest, ut locos istos concilietis, utrobique inauditæ quædam hyperbolicæ locutiones, aliæque permultæ sermonis (ut sic dixerim) improprietates, necessario sint inducendæ, quarum (ut ego quidem existimo) vix ullum exemplum vel apud ipsos poetas invenietur. Et tamen hæc omnia incommoda unica sermonis figura admittenda, qua idem Paulus alibi usus est, quæque in quotidianis ipsis sermonibus frequenter usurpatur, nullo negotio vitari possent. Quod ut fieri omnino debere intelligas, hæc, quæ mox subjiciam, ex iis, quæ ante disserui, fere collecta, ut accurate perpendas, te etiam atque etiam rogo.

1. Primum pauciores obscurioresque loci ex multo pluribus & apertioribus explicari debent, non autem contra. Atqui nullum omnino in Sacris Litteris locum invenies, qui verba habeat hoc idem vel leviter quidem præ se ferentia, quod locus iste totus præ se ferre videtur, nedum sententia, qualis ex isto, nisi ea sermonis figura admittatur, colligenda est, ex ullo alio ut colligatur, necesse sit. Verum innumerabiles propemodum reperies, qui plane contrariam sententiam aut continent, aut certe prorsus continere videntur.

2. Deinde Apostoli scopus diligenter considerandus est, & quænam illi ea scribendi, quæ ibi scripsit, occasio fuerit, animadvertendum. Quod si fiat, adhuc perspicere non possum, quomodo quisquam sibi penitus persua-

* Pag. 229. & seq.

persuadere possit, Paulum in loco isto de seipso, ut regenerato, verba facere Nam neque hoc aliquid cum ejus scopo commune habet, qui sine dubio, ut ex verbis ipsis liquido constat, nihil aliud est, quam de ipsius Legis viribus, atque effectis sine Christi gratia disserere, qua cum re homine renato nihil esse potest, & disputationis ipsius occasio, ut supra vidimus, ex eo fuit, quod dixerat, cum in carne ipse, & alii essent, affectus, seu perturbationes peccatorum in ipsorum membris per Legem efficiaces fuisse, adeo ut morti fructum ferrent. Namque illud ostendere voluit, etiamsi per legem istud factum fuerit, tamen ipsam Legem peccatum non esse. Quare necesse est, quidquid deinde ad ejusdem rei confirmationem atque explicationem adjungit, id est universam ipsam usque ad finem cap. disputationem, ad hominem, qui in carne adhuc sit, pertinere, quamvis de seipso perpetuo loqui videatur. Nam idem quoque ab ipso initio fecerat. Adde, quod illud saltem certissimum est, Paulum de malis effectibus Legis in homine loqui, ipsius tamen hominis culpa provenientibus, qui mali Legis effectus in homine renato esse nequeunt, utpote qui non sit amplius sub Lege, sed spiritu regatur & gubernetur, adeo ut, quemadmodum ex similitudine in initio cap. proposita intelligi potest, Paulus velit, Legem renato homini mortuam esse, nec eum cum ipsa amplius aliquid commune habere, quod ad hoc videlicet attinet, ut illa in eo aliquid mali efficiat, sive ulla ex parte dominetur.

3. Praeterea quaedam ex iis, quae sibi ipsi Paulus tribuere videtur, nequaquam illi convenire possunt. Quale est illud, quod sine Lege vixerit aliquando, ut in scripto meo lectorem admonueram. Quod enim ajunt, non de ipsa Lege, sed de Legis cognitione Paulum loqui, quam tandem cognitionem intelligunt? Num perfectam plane & absolutam? Atqui ea ad id quod Paulus quaerit, nihil est opus. Satis est enim, cognitionem istam ejusmodi esse, ut quis illa praeditus ea interdicta esse noverit, quae diserte in Lege sunt scripta. Et propterea satis est verba ipsa Legis tenere, eamque legem sibi latam esse, credere. Patet hoc ex ipso ejus cognitionis, quam is intelligebat, Pauli exemplo, *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret non concupisces.*

Num ergo istam, quam ostendi ad id quod Paulus quaerebat, satis fuisse? Atqui nunquam ea destitutus fuit Paulus, ut in priore meo scripto planum feci.

4. Tum vero recte intuenti perspicuum est, Paulum in tota ista disputatione, cum mortis à peccato proficiscentis mentionem facit, non eam intelligere quae à quolibet minimo peccato proficiscitur, sed quam gignit peccatum auctum per Legem, non quidem quatenus Lex peccatum magis dignum condemnatione efficit, sed quatenus homo, in vetitum semper nitens, multo ardentius, quam antea, ea facere concupiscit, quae sibi à Lege interdicta esse cognoscit. Peccatum, inquam, ipsum auctum adeo, ut Paulus supra modum peccans peccatum factum fuisse, dicere non dubitaverit. Atqui homo renatus, etiamsi ejus facta per se ipsa consideremus, nec Christi gratiae, quod attinet ad peccatorem remissionem, rationem habeamus, in eo statu est, ut quidquid illi tribuamus, id est, quantulamcumque tandem ejus vitae sanctimoniam esse velimus, ab ista condemnatione sit liber. Nam is ex eorum numero profecto est, quos Sacrae Literae pios & justos appellant. Sed pii & justi, quos scriptura vocat, ita vivunt, ut, tametsi priori illi condemnationi, & morti, quam quodlibet peccatum affert, sunt obnoxii, à qua non alia ratione, quam Dei benignitate eximuntur, hujus tamen posterioris, quae ab aucto mirum in modum peccato infertur, nullo modo sint participes.

5. Adhaec satis manifestum est, hominem à Paulo descriptum cupere, se liberari à quadam morte, à qua, dum hic vivit, liberari potest. Liberari inquam, non autem consolationem tantum accipere. Sed homo renatus, praesertim qualis ipse Paulus erat, à nulla morte detinetur, à qua, dum hic vivit, liberari possit. Igitur homo iste à Paulo descriptus non est homo renatus, praesertim vero ipse Paulus. Quod autem ab ea morte, à qua detinetur, possit homo iste in hac vita liberari, ex gratiarum illa actione patet. Quae etiam docet, omnino hic de duobus hominibus, sub eadem Pauli persona agi, uno, qui liberari cupit, altero jam liberato. Quorum is, qui jam liberatus est, ipse Paulus sit, & quicumque ei similis fuerit, necesse est. Qui vero liberari cupit, Paulo dissimilis, & ob eam rem minime renatus. Atqui de jam liberato non agitur, nisi in eo versu, ubi gratiae de liberatione aguntur. Ergo in toto reliquo sermone de eo, qui liberari cupit, & porro de non renato verba fiunt. Atque hic obiter observandum est, mortem istam nihil aliud esse, quam captivum fieri legis peccati, unde mors necessario proficiscitur. Id est peccatis esse implicitum, & malis cupiditatibus, quamvis invitum, obedire, non autem simpliciter, morti obnoxium esse. Quod & verba ipsa prae se ferunt, nec tu negas ita esse, sed putas, à tanto malo liberationem in hac vita non dari. Itaque (parum apte ni fallor) Paulum, sive hominem istum miserum se vocantem, & mire seipsum cruciantem facis, quia scilicet id non habeat, quod nunquam se, dum hic vivit, habere posse, optime novit. Jam vero, si mors ista, est captivum fieri Legis peccati, & jam probatum est, ab ista morte & Paulum, & alios ejus similes, id est, homines renatos, in hac vita liberatos esse, sequitur, ut qui renatus est, Legis peccati captivus non fiat, id est malis cupiditatibus nullo modo obediat.

6. Postremo illud plurimi faciendum videtur, quod Paulus, postquam de homine isto in persona sua a se descripto loqui coepit, nunquam ad extremum usque verbum spiritus ullam prorsus mentionem facit. Quod nullo pacto fieri potuisset, si de homine regenerato locutus esset, in quo potior pars spiritus est, & cujus est proprium cum carne pugnare. Itaque in illa pugna, quam describit, non dubium est, quin pro Mente spiritum repositurus fuisset, si de homine non regenerato verba fecisset. Verum quia de homine non regenerato loquebatur, eoque ejusmodi, qui spiritus tantam partem non habeat, quanta opus est ad ineundum cum carne certamen, vel eum, ut deberet sua desidia, & negligentia in aciem non producat, immo quia de homine illo non regenerato loquebatur, qui adhuc sit sub ipsa Lege, & idcirco quantumvis mente praeditus, spiritu prorsus careat, propterea nunquam spiritum commemorat, nec cum carne luctantem facit, sed mentis tantummodo meminit, eamque solum cum carne praeliantem inducit, & in praelio succumbentem. Quod contra fit, cum spiritus supervenit, ipsique menti adversus carnem tantas (ut ita dicam) suppetias fert, ut non amplius mens, sed spiritus cum carne praeliari dicatur. Mens enim, quae paullo ante carni cedere cogebatur, spiritu superveniente, adeo confirmatur, ut carnem terga dare tandem compellat, & sibi victrici cedere. Quo fit, ut homo, cujus caussam praelium initum fuerat, ex captivitate illa legis peccati, cui à carne fuerat subjectus, educatur, & liberetur, & (quod mens quaerebat) Legi divinae subjiciatur. Ex qua liberatione, & subjectione illud omnino consequitur, ut homo, qui prius morti penitus obnoxius erat, vitae particeps fiat. Propterea Paulus, cum toto fere cap. 7, in homine non regenerato, sed adhuc sub ipsa Lege vivente pugnam mentis, & carnis, nulla spiritus mentione facta, descripsisset, & mentem succumbentem fecisset, deinde cap. 8 spiritum supervenientem inducit, & miserum istum hominem ex servitute illa Legis peccati, & mortis liberantem, eumque spiritum vitae nominat. Nempe quod vitae firmam spem faciat, & vitam opera sua homini pariat. Igitur, partim gratiarum illam suam actionem explicans, partim ex praedictis tacite colligens, omnem istius hominis, quem descripserat, miseram ex eo pendere, quod adhuc sub ipsa Lege esset, & ob eam caussam carnis legi obtem-

obtemperare cogeretur, sic ait, *Nulla igitur nunc condemnatio [est] iis, qui in Christo Jesu non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati, & mortis.* Videmus, hic præter quatuor illas superiore leges quinctæ legis mentionem fieri, id est Legis Spiritus, quæ sextæ opponitur, cujus antea quidem jam mentionem fecerat, sed nondum, postquam hominem istum sub persona sua describere inceperat, ex altera parte ei quidquam opposuerat. Quod tamen antea, ubi paucis verbis summam quandam complexus fuerat eorum, quæ deinceps late explicaturus erat, facere non omiserat, ea summa vers. 5. & 6, continetur. Sexta autem Lex ista Lex Literæ est, & Lex Legis etiam appellari potest. Animadvertendum est enim, duplicem esse rationem Legis per Mosen latæ. Unam, quatenus ea, quæ recta & sancta sunt, præcipit. Et hac ratione Lex Dei à Paulo appellatur, eique, ut vidimus, Lex peccati opponitur. Alteram, quatenus simpliciter præcipit, nec ullas vires ea, quæ præcipit, faciendi homini largitur, quin immo ei amplius peccandi occasionem præbet. Atque hac ratione Paulus eam vel legem simpliciter, vel Literam nominat, eique Spiritum opponit. A litera ista caro per occasionem vires sumebat, ejusque accidentaria quadam ope mentem facilius superabat. A spiritu mens vires sumit, eoque & adjutore, & duce carnem vincit, atque prosternit. Spiritus enim, ut alibi ait Paulus 1 Cor. 2. 10, ipsa profunda Dei scrutatur, & Deum amantibus eique obedientibus præmium immortalis vitæ repositum esse cernit, idque homini ostendit. Cujus præmii desiderio hominis voluntas, quæ, ut supra diximus, media inter mentem, & carnem est, ita rapitur, atque incenditur, ut carne, ejusque illecebris posthabitis, menti, quæ, amandum esse Deum, eique obediendum, docet, penitus tandem adhæreat. Spiritum autem illum Christus largitus est, & hac ratione id præstitit, quod tota Lex Mosis nulla ratione propter vim carnis, quæ eam infirmam, atque invalidam reddebat, præstare poterat. Propterea subjungit Paulus, *Nam quod impossibile erat Legi, &c.*

Satis (ut spero) demonstratum est, Apostolum non seipsum vere, aut hominem Christi Spiritu regeneratum, sed hominem nondum istius spiritus participem factum sub sua ipsius persona toto cap 7. Epist ad Rom. descripsisse, & simul, quid nam eo loco sibi velit, explicatum. Unde constare potest, non modo inde probari non posse, hominem renatum studio quidem, atque conatu bene agendi esse præditum, sed eo plerumque inani & inefficaci, verum etiam, si cum initio seq. cap. conjungatur, plane contrarium inde aperte colligi. Nunc de aliis sacris testimoniis, unde sententiam istam elici posse, fortasse putasti, dispiciendum nobis est.

Itaque, ut imbecillitatem hominis, quamvis renati, ad bene agendum ostendas, duo divinarum literarum testimonia profers, in quibus de homine Christiano, quod adhuc peccet, & sæpius labatur, aut affirmatur, aut certe affirmari videtur. Et alia plura esse ais, quæ, tanquam mihi notissima, afferre non curas. Ego sane non adeo sum in sacris ipsius Novi Fœderis Literis versatus, ut multa, quæ in iis scripta sunt me sæpe non fugiant. Id tamen ausim affirmare, quamvis constanter credam, Christianum eum etiam esse posse, qui interdum peccet, & non raro labatur, tamen (quod ad peccata præsertim attinet, quæ hoc loco à lapsibus distinguo) hac in re indicanda, non modo explicanda, sacros scriptores parcissimos esse. Ut non adeo mirer, si Catharorum hæresi locus inventus est, quam olim tot viri præstantissimi sunt amplexi, nec hodie desunt, qui eam tuentur, ac fovent. Veriti enim divini scriptores esse videntur, ne, si eam rem plane explicuissent, peccandi licentiam sibi quisque facile sumeret. Interim tamen, ne, cum forte, se interdum peccare, pii homines animadverterent, animum desponderent, & se minime Christianos, minimeque Deo caros esse putarent, nonnulla indicia humanæ imbecillitatis etiam post regenerationem, ipsa regeneratione adhuc perdurante, in suis scriptis reliquerunt, eamque potius ex sententia, & totius rei ratione, quam ex verbis ipsis, disertisque de ea testimoniis, colligi voluerunt. Nam quod ait Johannes 1 Joh. 1. 8, (qui unus est ex duobus locis à te allatis) *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis*, non significat, ipsum Johannem, & cæteros omnes adhuc peccare consuevisse, sed peccati reos fuisse, id est jam peccasse. Quandoquidem habere peccatum, non idem est, quod peccare, sed idem, quod peccati reum esse, ut ex aliis locis apud eundem Johannem apparet. Qui hac eadem locutione Christum utentem facit Euangelii sui cap. 9. 41, & cap. 15. 22, & cap. 19. 11. Atque id, quod diximus, Johannem omnino sensisse, confirmant præterea manifeste verba illa, quæ postmodum eodem loco scribit, eandem sententiam more suo verbis paullulum immutatis repetens 1 Joh. 1. vers. 10. Ait enim, *Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Non peccavimus inquit, non autem non peccamus. Nam de peccatis loquitur, quæ unusquisque, antequam Christi nomen profiteretur, commisit, & hæc ea sunt, quæ, Deo confitenda esse antea dixerat, qui ut pote fidelis, & justus, ea remissurus esset. Idque demonstrant ea verba, *Ab omni injustitia.* De sceleribus enim, etiam gravissimis, loqui Apostolum, aperte docent. Quæ in homine ad Christum converso atque ejusmodi, qui propter divinum promissum per Christum factum, ejusque sanguine confirmatum, veniam suorum delictorum à Deo sperare possit, locum amplius non habent. Resipiscentibus enim duntaxat & à sceleribus deinceps abstinentibus ea venia promissa est. De præteritis igitur peccatis, ut dixi, loquitur Apostolus, non de præsentibus. Nec vero alio potissimum respexit Christus, cum nos orare docuit cœlestem Patrem, ut nobis remittat nostra debita. Grande enim æs alienum propter peccata nostra cum Deo contraximus, antequam ad ipsum per Christum converteremur. Quo nunquam reipsa nos liberatos esse gloriari poterimus, donec de morte peccati pœna tandem exempti sumus. Propterea gementes, redemptionem, ut inquit Paulus, nostri corporis expectamus Rom. 8. 23, Deum tantisper assidue rogantes, ne præteritorum nostrorum scelerum meminisse velit. Quibus, absque ejus misericordia, æterna mors omnino debetur.

Habes, quæ, judicio meo, Johannis mens sit in verbis illis à te allatis. Quinetiam asserere non dubitabo, ne id quidem, quod ab ipso scriptum est cap. seq. *Filioli mei hæc scribo vobis, ne peccetis. Et, si quis peccaverit, advocatum habemus, &c.* Quæ verba plerique ad idem probandum, quod tu superioribus verbis probari existimabas, identidem afferre solent, ad rem multum facere. Cum enim Johannes ait, *Hæc scribo vobis, ne peccetis*, non vult dicere, se id suis antecedentibus monitionibus curasse, ne in aliquod peccatum amplius ii, qui jam ex animo ad Deum per Christum conversi erant, inciderent, sed ne in peccatis amplius quisquam eorum, ad quos scribit, maneret, verum jam in luce ambularent, & peccata sua Deo ex animo confitentes, ab ipso eorum omnium veniam sperarent. Quemadmodum ex ipsis superioribus verbis perspicuum est. Quod si quis tamen nondum poterat se ex peccatorum laqueis extricare, non idcirco ei desperandum esse, sed confidendum, si resipuisset, & in luce ambulasset, sibi remissum iri omnia peccata, cum Jesus Christus justus, id est fidelis & verax, sicut promiserat futurum, sic re ipsa apud Deum eorum omnium patronus esset, ipsorumque peccata omnia expiaret, qui, serius etiam licet aliquanto, vitam emendarent. Namque hanc esse Apostoli sententiam, ex eo præterea constare potest, quod ait, Christum, etiam pro totius mundi peccatis expiationem esse. Hinc enim apparet, non de peccatis eum agere, quæ committuntur post veram pœnitentiam, & vitæ emendationem, sed ante. Mundus

siqui-

siquidem totus non resipuerat, immo totus fere etiamtum in peccatis manebat. Voluit autem Johannes dicere, Christum expiaturum esse peccata non eorum tantum, qui jam ipsi adhærere cœpissent, eique nomen jam dedissent, sed quorumcunque: modo, scilicet, vitam corrigerent, & præcepta ejus conservarent, atque hac ratione eum vere nossent, ut sequentia verba aperte docent. Quod enim quidam, Mundi, seu τῦ κόσμυ totius appellatione omnes electos significari ajunt, id nullo Sacrarum Literarum exemplo confirmatur. Etiamsi Electorum nomine eos, qui jam per Jesu Christi fidem renovati sint, intelligamus. Nusquam enim isti (quidquid aliis visum fuerit) simplici τῦ κόσμυ nomine in Sacris Literis sunt nominati. Hanc igitur, quam dixi, Johannis mentem esse, omnino mihi persuadeo, præsertim cum apud ipsum, ut etiam apud alios divinos scriptores, verbum Peccare simpliciter positum non aliquod peccatum committere, sed peccatis implicatum esse significet. Ut ex illis locis constat, in quibus hominem ex Deo natum non peccare, nec peccare posse, affirmat 1 Joh. 3. 9. & 5. 18. qua de re à nobis in disputatione * de Christo Servatore pluribus disputatum est. Hæc autem pauca hic a me disputata fuerunt, ut locum a paucissimis (ut arbitror) intellectum, hac mihi oblata occasione, explanarem. Cæteroquin, etiamsi & hic, & superior locus id significarent, quod vulgo creditur, & alii præterea innumerabiles invenirentur, qui idem dicerent, Jam ego, Christianum hominem interdum peccare posse, concedo. Quod satis est, ut loci isti in receptum jam sensum accipi possint.

Alter locus apud Jacobum à te allatus Jac. 3. 2. & de lapsibus loquitur, & proverbialem loquendi modum continet, quo humanæ naturæ imbecillitas significatur. Nec plane, ut verba sonant, accipiendus est, quasi nemo prorsus sit, qui in multis reipsa non labatur. Sed intelligendum est, humanam naturam ita comparatam esse, ut omnes homines generatim facile labi possint. Apparet autem, Jacobum ibi hyperbolice aliqua ex parte locutum fuisse. Nam deinde statim addit, eum, qui in sermone non labatur, virum esse perfectum, qui etiam totum corpus frænare possit. In multis labi is certe non potest, qui vir perfectus est. Utrobique tamen est aliqua hyperbole, & altera alteram indicat. Sed etiamsi & de peccatis ipsis locutus esset Jacobus, & ejus verba, ut sonant, omnino accipienda essent, non tamen sequeretur, neminem esse, qui plerumque non peccet. Potest enim quis in multis peccare, non tamen in plerisque.

Verum præterea, ut ostendas, posse hominem spiritualem esse, & tamen legem peccati in membris suis habere, Pauli ipsius testimonium affers, qui Galatas spirituales vocet Gal. 6. 1, cum tamen sciret, eos concupiscentiam in membris corporis portare. Etsi autem hoc à te eo tantum dici videtur, ut ostendas, non esse in Christianis hominibus plane extinctas malas cupiditates, quæ eos identidem ad peccandum stimulent, tamen, ne qui scrupulus fortassis propter hunc locum in animo tuo hæreat, præsertim cum paullo ante non modo concupiscentiam in Galatis fuisse, sed etiam, eos non fecisse, quæ voluissent, à concupiscentia impeditos, dicere Paulus videtur, præter ea, quæ supra dixi, ostendens, istud ex Pauli verbis colligi non posse, Dico, Paulum non nominasse Galatas spirituales, sed tantummodo declarasse, aliquos ex ipsis spirituales fuisse, aut potius, se ita credidisse. Inquit enim, Vos, qui spirituales estis, & Græca verba sic habent, ὑμεῖς οἱ πνευματικοὶ, quod nihil aliud est, quam illi inter vos, qui spirituales sunt. Quem locum recte Beza, amphiboliam quamdam vitans, & ab ipsis Græcis verbis non recedens, Vos spirituales, convertit.

Addit postremo, Paulum eos, ad quos scribit, sanctos nominare, & tamen in iisdem multas infirmitates, vitiaque non vulgaria corripere, ac notare. Ut cætera, quæ hic dici possent, omittam, animadvertendum censeo, Sanctorum appellatione apud Paulum, & alios, eos omnes significari, qui publice Christo nomen dederant, ejusque discipulos se esse profitebantur, etiamsi nondum tales essent, quales eos esse oportebat, si vere renati, & Dei filii merito appellandi fuissent. Ut hodie quoque fratres vocamus omnes, qui nobiscum de Christianæ religionis placitis, quæ ad salutem necessaria esse credimus, idem sentiunt, eamdemque doctrinam profitentur, etiamsi aliquos inter ipsos nobis videre videamur, qui nondum vere regenerati sint. Sanctorum porro nomen Pauli ætate omnibus Christum profitentibus commune fuisse docere possunt inter cæteros multos hi loci, Act. 9. v. 32. & 41, & cap. 26 v. 10. Rom. 12. v. 13. & cap. 15. v. 25 & 26. 1 Cor. 14. v. 33. 1 Tim. 5. v. 10. Hebr. 6. v. 10.

Constitueram de ea ratione (quæ quidem ex Sacris Literis petenda esset) quod omnes sancti tam novi, quam veteris fœderis, vitiositatem carnis senserint, cum nec à te ad eam confirmandam testimonia aliqua proferantur, nec ipsa ad quæstionem, de qua hic agimus, proprie pertineat, nullum verbum facere. Verumtamen, quia aliquid hac de re dicere non inutile futurum est, eam non prorsus intactam relinquam. Dico igitur, me, sacris cum veteris, tum Novi Testamenti libris perlegendis, istud non animadvertisse. Interdum quidem sancti homines de natura sua (id est humana) imbecilla, & ad peccandum proclivi conquesti sunt. Quod ad peccata sua excusanda fecerunt, non quæ committere pergerent, sed quæ jam commisissent, & ut Deum ad sibi parcendum adducerent. Quemadmodum David fecit Psal. 51. 5, qui post adulterium, homicidiumque perpetratum, veniam peccati sui à Deo implorans dixit, se in iniquitate, & peccatis esse conceptum. Sed, quod sancti viri, dum in recto justitiæ, ac pietatis cursu essent, istam carnis vitiositatem sentirent, quæ eos impediret adeo, ut de via sæpius deflecterent, & frequenter non id agerent, quod vellent, quemadmodum video te vitiositatem istam carnis interpretari, id vero non modo de omnibus, sed ne de uno quidem aliquo (quod sciam) scriptum est. Errabant quidem, aut certe se errasse dubitabant ipsi per ignorantiam, atque ejusmodi peccatorum, quæ sibi occulta erant, etsi vix peccata nominari possent, veniam nihilominus à Deo petebant, eumque simul rogabant, ut ipsos à peccatis prudenter admissis custodiret (quemadmodum idem David Psalmo 19. facit) quippe qui & sanctitatem suam universam ipsi Deo acceptam referrent, & sine ejus auxilio à peccando abstinere se non posse, persuasissimum haberent. Sed hoc longe aliud est ab eo, quod à te de omnibus sanctis affirmari videtur. Quinimmo ipse David, cum sæpe alibi suam justitiam, integritatem, & innocentiam prædicat, tum vero Psalmo 18. dicit, se custodisse vias Domini, & integrum cum illo fuisse, sese que à prave agendo conservasse, adeo ut Dominus sibi secundum justitiam suam, & manuum suarum puritatem rependerit, ac benigne fecerit. Paulus porro ipse (si locum istum 7 cap. ad Rom. excipias) ne in speciem quidem de se usquam vel affirmat, vel indicat, quod carnis vitiositate, quominus rectum pietatis cursum tenere posset, sæpius impediretur. Immo, & se mundo crucifixum esse, & mundum sibi, & se per Christum, à quo coroboraretur, omnia posse, ait. Idem seipsum Corinthiis, & aliis ad imitandum proponit, & quidem tamquam Christi imitatorem Gal. 6. 14. Phil. 4. 13. 1 Cor. 11. 1. 2 Thes. 3. 7. Philipensibus vero scribens ait Phil. 4. 8. & 9, eos in ipso ea vidisse, quæ eos cogitare, ac facere jubebat, nempe quidquid est verum, quidquid grave, quidquid justum, quidquid castum, quidquid amabile, quidquid bonæ famæ, omnem denique virtutem, omnemque laudem, & alia ejusmodi complura de se constanter affirmat, quæ cum ista tanta carnis vitiositate, ejusque in pietatis cursu impedimentis omnino pugnant. Sed jam de quibusdam aliis rationibus, quæ ex ipsis sacris testimoniis minime sunt petitæ, videndum est.

* Pag. 29, & 164. &c.

Ais igitur primum, Si quis diligenter seipsum examinaverit, reperturum sine dubio sufficiens testimonium concupiscentiæ, quæ sanctis tantam cladem inferat, ut merito omnes peccato obnoxios reddat. Verum ratio ista veritatem hujusce quæstionis inveniendi fallax prorsus, & simul admodum periculosa videtur. Non enim ex eo, quod quisque nostrum in seipso experiatur, sanctorum vita æstimanda est, neque, si quid nobis deesse sentimus, idem continuo sanctis hominibus deesse concludendum est, quasi vero certum sit, nos jam sanctos esse, id est per Christi spiritum à mundo, & corruptione, quæ in ipso est, separatos, & Deo, ejusque sanæ obedientiæ consecratos. Certe, si ego ex memetipso regeneratos sanctosque homines metiri velim, multo aliter de ipsis mihi sentiendum erit, quam sentio, nec ea dicenda, quæ dico. Sed absit, ut hoc faciam. Ex ipsis Sacris Litteris, ex vita eorum, quos certum est vere sanctos fuisse, ex tota denique fidei, ac religionis nostræ ratione hac de re dijudicandum est. Quæ igitur à te, vir præstantissime, postmodum recenientur, tamquam ea, quæ in regeneratis omnibus aut reperiantur, aut reperiri possint, non propterea crediderim ego in istis reperiri, quia scilicet egomet (verbi gratia) ea omnia in me ipso experiar. Quid enim? Num (exempli caussa) & Paulum ipsum φιλαυτίᾳ pravæ concupiscentiæ prole ita devinctum fuisse credam, ut potius se, suaque, quam proximum curaret? num in ipso insignem aliquem torporem in officiis pietatis, fidem imbecillam, charitatem languidam fuisse, mihi persuadebo, cum ipsemet, quem modestissimum alioqui fuisse, necesse est, istis plane contraria identidem de se prædicet? Nam quomodo, quæso, ista φιλαυτία in Paulo locum habuit, de quo legimus, anathema se esse ab ipso Christo optasse propter fratres suos secundum carnem Rom.9.3. Aut quomodo de ipso, quod se potius, suaque quam proximum curaret, quisquam suspicari potest, qui vel ipsius ea verba legerit 2 Cor.11.29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Negligentiam autem ullam, nedum insignem aliquem torporem in officiis pietatis exequendis in Paulo fuisse, quis cogitare audeat, qui vel orationem illam perlegerit, quam in dicessu Ephesinæ Ecclesiæ senioribus habuit? Ubi inter alia ea verba sunt, Actor.20.31. *Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non cessavi cum lachrimis monere unumquemque vestrum.* Et mox. *Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & iis, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, &c.* Hæc eadem repetit scribens ad Thessalonicenses, ubi etiam efficacius summam diligentiam suam in pietatis officiis sive ad corpus, sive ad animum spectantibus commemorat, adeo ut verba illa non veritus sit proferre 1 Thes.2.10. *Vos testes estis, & Deus, quam sancte, & juste, & inculpate vobis credentibus fuimus, &c.* Quid porro de fide imbecilla, aut charitate languida dicam, cum ipse testetur, Timotheum assectatum fuisse ipsius fidem, & charitatem, atque eo nomine eum non obscure commendet, utque perseveret, moneat 2 Tim.3.10. Quomodo autem suspicari quis potest, Pauli fidem unquam imbecillam fuisse, qui tot, tantaque pro Christi nomine perpetuo gesserit, ac passus fuerit? quis charitatem languidam, cum, ab omnibus liber esset, se tamen omnibus servum fecerit, ut plures lucrifaceret? 1 Cor.9.19. Huc, huc dirigendi sunt semper oculi nostri, si, quomodo Sancti Dei viri affecti esse soleant, & comparati, cognoscere velimus, non autem, quid quisque nostrum in seipso sentiat, inspiciendum est unquam. Atque hic considerandum est, quomodo, cum Paulus de seipso ea, quæ & modo, & paullo ante recensuimus, testatus fuerit, & multo plura, eaque fortassis efficaciora in eandem sententiam scripserit, fieri possit, ut de se, tamquam Christi spiritu jam prædito ac renovato, & ejusmodi, qualis tunc erat, cum eam Epistolam ad Rom. scripsit, ea dicere potuerit, quæ cum istis δὶς διὰ πασῶν (quod dicitur) discordant. Quod si ea nulla prorsus ratione ad Paulum ipsum jam regeneratum accommodari possunt, & propterea certum esse debet, de seipso, ut regenerato, eum tunc locutum non fuisse, non est, quod, qua ratione ad cæteros regeneratos accommodentur, quisquam laboret, cum nulla prorsus caussa sit ad omnes regeneratos Pauli verba trahendi, nisi de seipso, ut regenerato, ea scripserit

Sequuntur quatuor rationes ab absurdis ductæ, quæ tibi fortasse consequi omnino videntur, si credatur, aut verum sit, hominem Christianum & vere regeneratum non modo bene agendi studio perpetuo esse præditum, sed reipsa bene agere, & plerumque, quod conatur, id etiam facere, de quibus singulatim agemus.

Una igitur esse videtur, quod facile putabit aliquis se jam refrænare cupiditates suas, & reipsa justum se jam, & sanctum evasisse, cum tamen nihil minus sit. Nempe quia, quæ fieri posse credimus, ea, si nobis sunt grata, præsertim vero si ad nostram laudem existimationemque pertinent, & facta etiam esse, facile nobis persuademus, quamvis facta non sint. Hanc rationem ego ex verbis tuis colligo, quamvis tu eam non expresseris. Cum enim quæratur, non qualis unusquisque nostrum sit, vel, qualem se jam esse, credere oporteat, sed qualis unusquisque esse debeat, tu vero opinionem propriæ justitiæ, & sanctitatis, cum interim tamen concupiscentia intus lateat, atque grassetur, hic detesteris, non sane video, quomodo istud alioquin ad rem facere possit. Nam, si id tantum urgere vis, fieri non posse, quin semper concupiscentia intus grassetur, id est (ut ego interpretor) impediat, quominus bene agamus, & ita justi, & sancti simus; non est, quod de justitiæ, sanctitatisque opinione aliquid dicas, quam nemo non detestabitur, si ea falsa fuerit: sed illud ipsum quærendum est, utrum sic res se habeat, ut ipse contendis, neminem scilicet cupiditates suas ita domare, ac refrænare posse, ut bene agat, ideoque justus, & sanctus sit. Sin autem concedis, cupiditates ita domari, ac refrænari posse, sicut dictum est, cur ei, qui revera id fecerit, ob idque justus, & sanctus fuerit, suæ etiam justitiæ, & sanctitatis opinionem habere non concedes? Nunquid peccat is, qui id opinatur, quod verum est? Certe Pauli locus, quem tu hic expendis, & justitiam istam, ac sanctitatem dari, &, qui eam habeat, non modo id ipsum opinari, sed etiam de ea gloriari posse docet Gal.6.4. Sic enim ibi scriptum est, *Nam, si quis existimat, [se] aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero.* Hic non reprehenditur à Paulo, quisquis se aliquid esse opinatur, sed qui falso id opinatur, & ex alienis delictis potius (ut ex præcedentibus non obscure colligitur) quam ex propria innocentia occasionem sese jactandi captat. Quare monet, ut unusquisque studeat, ut se integrum præstet, & ita opus suum probet, unicuique enim hoc opus mandatum est, idque faciendum unusquisque sibi sumpsit, ut integre vivat. Quod si fecerit, tunc erit quod gloriari possit, non de aliorum erratis, sed de sua integritate. Est tamen hæc gloriatio sano modo (ut ajunt) intelligenda, & ad Deum tota referenda, qui omnis integritatis & porro justitiæ, ac sanctitatis nostræ caussa, & auctor est, atque interim, quæ adhuc supersunt in nobis, errata agnoscenda, & multo magis, quæ integritatem nostram scelera antecesserunt, perpendenda, ac deploranda, nec cæteri præ nobis contemnendi, quæ cum non faceret Pharisæus ille à Christo inductus, minime ab ipso laudatus fuit Luc.18.11,12. Igitur ad eum modum, quem supra dixi, explicanda videtur ratio tua ut videlicet periculum sit, ne quis se sanctum, & justum esse opinetur, cum tamen non sit: quæ ratio non negat, homi-

hominem Christi spiritu regeneratum sanctum, & justum esse, sed, non sine magno periculo id à quoquam credi posse, affirmat. Atqui hac eadem ratione multò majus est periculum, si quis credat, hominem renatum non ulterius progredi posse, quam ut studium vehemens atque perpetuum bene agendi habeat: Etiamsi id verum esset. Multo enim facilius est, ut quis opinetur, se aliquid totis viribus conari, cum tamen revera non conetur, si nihil præterea, quam conatus ipse quæritur, quem irritum plerumque fore, persuasum jam sit, quam, ut quis opinetur, se aliquid facere, quod non faciat, ubi facto ipso est opus, quod opinionem istius comprobet, immo vero quod eam in ipso gignat. Ut vix fieri posse videatur, ut quisquam, se id facere opinetur, quod revera non faciat, modo quid, quale ve sit illud, quod se facere opinatur, probe teneat. Itaque si quis recte noverit, quid sit cupiditates suas compescere, ac subigere, & bene agere, atque ita sanctum, & justum esse, non sane perspicio, quemadmodum fieri possit, ut is se ista præstare opinetur, cum tamen non præstet. Etenim, cum hæc doctrina prædicatur, hominem renatum non esse, nisi cupiditates suas malas vincat, atque refrænet, & bene agat, docendum est simul diligenter, quid hoc sibi velit. Quod & exacte, & facillime quisque percipiet, & sic sui ipsius ea in re decipiendi ab ipsa doctrina periculum nullum erit. Ingens autem semper futurum est in altera ista doctrina de conatu, & studio perpetuo bene agendi, quod solum in renatis requiratur. Nemo enim unquam fuerit, qui, quid conatus iste, ac studium sit ipsis factis plerumque destitutum, vel alios recte doceat, vel ipse probe teneat. Quapropter, etiamsi doctrina ista vera esset, tamen præstaret eam populo non tradere, sed potius docere, necesse esse, ut in facta ipse conatus iste, ac studium plerumque erumpat. Sic enim fieri, ut, viribus multo magis contentis, multo etiam facilius ad conatum, & studium ipsum perveniretur. Nam, si quis objiciat, tunc periculum fore, ne quis, cum conatum, & studium istud jam adeptus esset, & tamen, frustra se plerumque laborare, nec facta ipsa præstare posse, animadverteret, de salute sua desperaret, & ita imprudens periret is, qui jam revera ad metam salutaris vitæ pervenerat; Respondeo, spiritum Dei, quo abundanter, & quantum ad salutem satis est, istum præditum esse oportet (si modo is regeneratus est, qui ad conatum, & studium istud pervenerit) uullo pacto permissurum, ut de sua salute desperet, sed, simulatque eo perventum fuerit, ei demonstraturum (sacra enim illa unctio, ut inquit Johannes 1 Joh. 2. 27, docet omnia) non esse, cur se torqueat, si minus facta ipsa præstare possit, cum ea præstare minime sit necesse.

Altera ratio, quæ ex tuis verbis elici posse videtur, hæc est, Quod, si quis credat, se jam cupiditatibus suis imperare, negligens fiet deinceps in studio earum reprimendarum, & tamquam si ab omni tentatione immunis jam esset, pericula peccandi non vitabit. Ad rationem istam sic respondeo. Aut iste de se, quod jam cupiditatibus suis imperet, falso opinabitur, aut vere. Si falso, jam demonstratum est culpam in ipsa doctrina de cupiditatibus reipsa refrænandis non residere. Si autem vere, dico, in doctrina ista non contineri, quod si quis eo pervenerit, ut cupiditatibus suis imperet, easque refrænet, jam fieri non possit, ut ab illis ipse unquam subigatur. Immo, qui ista docent, docent simul, aut certe docere & possunt, & debent, nisi quis diligentissime sibi caveat, semper periculum esse, ne vel ab iisdem cupiditatibus, quæ nondum plane domitæ, ac subjugatæ sint, sed sæpe adhuc ferociant, atque recalcitrent, is, qui eas frænabat, tamquam sessor de equo tandem excutiatur, & humi prosternatur, vel paullatim ab ipsis, quas tamquam captivas tenebat, imprudens ipse, dum eas interimere negligit, irretiatur, nec prius id sentiat, quam ex Domino jam servus sit factus, vel denique, etiamsi eas interemerit, tamen ipsæ denuo aliquando repullulent, & illi iterum ingens negotium facessant, atque in discrimen libertatis, & vitæ ipsum adducant.

Tertia ratio ea esse videtur, Quod, quicumque persuasum habuerit, se eo pervenisse, ut carnem suam ita jam domuerit, ut ex mentis, ac spiritus præscripto vivat, & plerumque id, quod velit, faciat, facile superbus fiet, ac cæteros contemnet, suæ sanctitatis, & justitiæ opinione inflatus. Hic rursus distinguo. Aut iste falso persuasus est, aut vere. Si falso; Culpa ipsius est, non autem ejus doctrinæ, quod ea fieri debeant, quæ iste se fecisse somniat. Sin autem vere, pugnant hæc omnino inter se, carnem suam ita domuisse, ut ex mentis, ac spiritus præscripto quis vivat, & interim superbire, alios despicere, & sanctitatis, atque justitiæ suæ opinione tumescere. Hæc enim posteriora carnis, & quidem spiritum superantis, sunt fructus manifesti. Quod si quis tamen esse neget, non est, vel cur de iis vitandis magnopere laborandum nobis sit, vel ea opinione culpanda, qua istos fructus pariat, si alioquin ea laudabilis esse videatur.

Restat quarta ratio, quæ à te aliquanto apertius explicata est. Ais enim, nos non debere nos ipsos efferre, sed humiliter de nobis sentire, Deique misericordiam unicum asylum salutis nostræ implorantes, ab eo omnium peccatorum nostrorum veniam petere, Pharisæique illius arrogantiam vitare, qui dixit, *Non sum sicut cæteri homines, &c.* Namque, ut hoc fiat, propterea affirmare videris, in nobis vitiositatem illam perpetuo hærere, qua fit, ut non ita, prout velimus, justitiæ operam demus. Ad hanc rationem per ea, quæ supra disputata sunt, satis responsum videtur. Præsertim, cum demonstratum est, iis ipsis, qui eo pervenissent, ut perfecte Deo obedirent, imo iis (si id fieri ullo modo posset) qui per totam vitam nullum, ne minimum quidem, delictum commisissent, Dei misericordia, & gratia opus futurum. Nedum illi Dei misericordia, & peccatorum remissione non egeant, qui non solum aliquando peccatores fuerunt, id quod sane omnibus renatis contingit, verum etiam adhuc à peccando prorsus non sunt immunes, immo & nonnunquam præ carnis imbecillitate prudentes scientes leviter peccant, & aliquando sæpius per ignorantiam, aut incogitantiam labuntur. Quales ego renatos homines esse posse, constanter affirmo. Quare vitiositate ista (præsertim si Vitiositatis verbum proprie accipis) nihil est opus. Quasi sine ipsa Dei misericordiam, veniamque peccatorum nostrorum implorandi locus non sit. Et sane hoc mirum videri debet, Deum vitiositate nostra quodammodo delectari, vel certe nolle, ut ea, à nobis umquam, dum hic sumus, auferatur. Certe hinc id saltem necessario consequitur, non esse laborandum, ut ea in hac vita careamus, non modo quia frustra omnino laboraremus, sed etiam, idque multo magis, quia Deo ipsi adversaremur, id tentantes efficere, quod ipse ne fiat, plane constituit. Sed (quod ego vehementer deploro, cum ipsa experientia, rem sic se habere, compertissimum habeam) id etiam facillime ex opinione ista sequitur, ut homines, qui Christi religionem sanctissimam profitentur, vitia, & peccata sua, non solum excusent, sed ad salutem etiam ea sibi conducere existiment, &, cum vix tepidi sint (quales tamen plus, quam frigidos, Dominus Jesus abominatur, fervidos tamen se esse arbitrentur Apoc. 3. 15. Quanto satius est, Deoque nostro dignius, putare, omnem vitiositatem adeo invisam illi esse, ut quemadmodum id per Christum effecit, ut nobis peccata nostra non imputentur, sic per eundem efficere voluerit, ut non modo pœnitentiam agamus, & ex peccati servitute exempti, nos justitiæ mancipemus, verum etiam ab omni vitio, ac labe & animi, & corporis liberemur, quemadmodum Sacræ Literæ nos aperte docent Eph 5. 27. 1 Thes. 3. 13. v. 23. 2 Cor. 7. 1? Nec vero ideo ab hac divina veritate abhorrendum est, quia scilicet periculum sit, ne in pharisaicam arrogantiam incidamus. Ut enim antea dictum est, non hic quæritur, quales simus, aut, quales nos esse, credere nos oporteat,

aut etiam liceat, sed quales esse debeamus. Et sane præposterum hoc admodum videtur, Ab hominibus niniam vitæ sanctimoniam non exigere, ne quis sanctitatis suæ opinione arrogans fiat. Cum potius nihil sit, quod ab ista arrogantia magis avocare possit, quam sibi persuadere, & plane necesse esse, ut revera sancti simus, & nullam tantam sanctitatem inveniri posse, quam à nobis Deus non requirat, licet pro bonitate sua atque clementia summo jure nobiscum acturus non sit. Nam quis erit, qui, in seipsum descendens, & se à scopo isto multum aberrare, animadvertens, non omnes arrogantiæ spiritus deponat, & sese coram Deo quam humillime demittat? Quod certe aut omnino non faciet, aut non ita ex animo, nisi etiam persuasus fuerit, id quod nondum præstat, præstari tamen à se posse. Sic enim demum, & culpam suam vere agnoscet, & Deum sibi merito, si velit, iratum fore cernet. Ex quo præterea id consequetur, ut totis viribus in id incumbat, ut officio suo, id est hominis undique absoluti fungatur, ejusque partes omnes perfecte impleat. Quod si quis ex altera parte ita statuat, Deum nihil aliud à nobis necessario requirere, quam ut conemur, ac studeamus sancti esse, quippe cum nihil amplius præstari à nobis possit, arrogantiæ facile locus dabitur, cum facillimum sit, ut quisque istum conatum, ac studium se habere credat, & ob eam rem omnia jam se præstare, quæ præstare potest, sibi persuadeat, nec esse, in quo merito à quoquam reprehendi possit, cum nulla sit in eo homine culpa, qui id non facit, quod facere nequit. Innumerabiles pæne homines, ut alibi supra dictum est, hodie sunt, qui, se & Dei filios, & cœlestis hæreditatis participes esse, arroganter jactant, qui tamen impure vivunt. Nempe quia, cum sibi plane videantur conari, ac studere, ut bene vivant, & sancti sint, jam sibi nibil deesse arbitrantur eorum, quæ Dei filiorum propria sunt, quæque ab homine mortali in Dei cultu præstari possunt. Atque bac eadem ratione necessarium est, ut, si quis ad conatum, & studium istud jam pervenerit, aut se pervenisse putet, is, ut ulterius progrediatur, nihil curet, aut cogitet, & ita non solum aliquid amplius nunquam habeat, sed id etiam, quod habet, vel ipse aliquando abjiciat, vel sibi tandem auferri sentiat.

Hæc erant, vir præstantissime, quæ mihi ad ea respondenda videbantur, quæ in Epistola ad me tua observaveram, ex quibus fortasse probari posse crederes, hominem Christianum & renatum perpetuo tantum studio, atque conatu à peccatis abstinendi, & juste vivendi esse præditum, aut saltem, in quocumque is conatus, & studium sit, eum jam renatum esse. Quod posterius certe ex multis, quæ à te affirmantur, colligi posse videtur. Præsertim vero ex eo, quod, ubicumque mens cum carne luctetur, ibi regenerationem esse, satis aperte statuis, ut ante dictum est. Id tamen, ut dixi, propter alia complura, quæ à te dicuntur, ut credam, animum meum inducere nullo modo possum. Immo jam persuasum mihi est, te sentire, præter studium, & conatum istum in quolibet homine renato facta quoque ipsa esse debere, eatenus, ut justus, quemadmodum eum scriptura appellat 1 Joh. 3. 7, nominari jure possit. Quæ scriptura in ea appellatione non quidem imputatæ justitiæ, sed juste factorum manifeste rationem habet. Justitiam autem imputari (id est, eum pro perfecte justo haberi) & peccata omnia condonari, non ei quidem te arbitrari, qui in Christum, nescio quo pacto, credens, & spiritum, nescio quem, sanctum habens, aut habere se putans, conetur, ac studeat, vel potius conari, ac studere sibi videatur, ut malas cupiditates suas refrænet, sed ei, qui Christi suprema sempiternaque potestate confisus, & propterea beatæ immortalitatis, quam is sibi obedientibus peperit, bona spe divinitus perfusus Hebr. 5. 9, carnem suam ita revera domet, atque cohibeat, ut ipsius Christi præceptis obedire merito dici queat. Qua de re in disputatione mea de Christo Servatore latissime explicatum est. Ex quo etiam fit, ut hic nihil addam amplius. Id tantum dicam, si, ut spero, ita sentis, cavendum, judicio meo, non secus atque ab ipsa peste, tibi esse, ne locum istum septimi cap. Epist ad Rom. ad Paulum ipsum jam renatum pertinere tibi persuadeas. Nam si id tibi persuaseris, nisi Deus tibi mira quadam & singulari ratione adsit, necessario tandem ad illam alteram sententiam de solo conatu, & studio deflectes, quæ hodie non exiguam Christiani orbis partem mirabiliter infecit, atque vastavit. Cui rei nulla alia major occasio data est, quam non sana istius loci explicatio. Quem locum præcipuum inter cæteros esse plane credo, quos Petrus intellexit, cum ait, 2 Petr. 3. 10, *In Pauli Epistolis quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti ac parum stabiles ad suum ipsorum exitium detorquerent.* Nihil enim simile de ullo renato homine, seu qui Deo sit carus, in reliqua universa scriptura legitur, ne dum de tanto Christi discipulo, & Dei amico, quantus Paulus fuit, sed omnia prorsus dissimilia. Id saltem, si penitus aliquanto rem perpenderis, mihi omnino dabis, nullum incommodum, aut malum ex eo proficisci posse, quod locum de homine, qui adhuc sub ipsa Lege sit, accipiamus. Multa vero, eaque ingentia ex eo, quod ad Paulum ipsum jam Christi Spiritu regeneratum illum referamus. Nam (ut alia non repetam) etiamsi prior interpretatio falsa esset, non tamen id colligeretur, quod ex posteriore colligitur, nec veritas ulla ex parte obscuraretur. Necesse enim esset, alios multos locos extare, ex quibus idem aperte colligeretur. At, si posterior interpretatio falsa est, quanta (Deus bone) si ea recipiatur, salutaris doctrinæ jactura fiet! Præstat igitur omnino eam abjicere, præsertim cum, si fieri posset, ut ea vera esset, nihil tamen boni, sed multum mali inde facile proveniret, ut paullo ante, ipsa ratione, atque experientia duce, demonstratum est.

Atque hæc tandem satis esse volo pro responsione ad ea omnia, quæ vel sententiam meam de istius loci interpretatione labefactare, vel tuam confirmare posse, es arbitratus.

Cæterum, quod existimare videris, me fortasse hominibus renatis ideo plus tribuere, quam necesse sit, nec satis recte perspicere, quantis procellis tempestatibusque fides nostra jactetur, quia nunc literario in otio verser, nec unquam communem quandam vitam, præsertim vero conjugalem, œconomicamque sim expertus; Velim id memineris, quod supra attigi, me in tota hac de hominibus renatis disputatione nihil prorsus ex eo constituere, vel argumentari, quod in me ipso aut nunc experiar, aut aliquando expertus sim, experturum ve me esse, non temere sperem. Nam, si id esset, certe vix ad infimum illum renatorum gradum, quem ego feci, quemquam pervenire posse statuerem. Præterea, etiamsi nunc in studiis Sacrarum Literarum, inque variis de religione nostra scriptionibus sum totus, nec unquam liberos, uxorem ve habui, tamen & œconomicam vitam, & aulicam per aliquot annos sum expertus, persecutionibus multis, iisque gravibus fui obnoxius, in famæ, vitæque discrimina sæpius incidi, rei familiaris non levem jacturam sum passus, odium, atque invidiam eorum, quibus præ cæteris carus esse vehementer cupiebam, & domi, & foris subire sum coactus, aliaque multa mala, & pericula mihi obeunda fuere, quæ hic recensere non est opus. Nec vero hodie validissimæ tentationes desunt, quæ me à cœpto cursu, nisi Deus mihi adjutor esset, penitus revocare queant. Sed, cum in his omnibus non mediocriter exercitatus fuerim, & etiamnum magna ex parte exercear, tamen verissimum esse deprehendi, si quis, precibus Deo frequenter, & ex animo fusis, ejusque auxilio fretus, sibi ipsi, carnique suæ vim facere instituat, & sæpe (ut quidem potest) fecerit, non admodum difficilia illi postmodum ea visum iri, quæ nullo modo à se fieri posse, antea putabat. Sed nolumus nimirum plerique vim istam pati, & credimus, Christianas

virtutes

virtutes vel reipsa non dari, vel nullo labore comparari. Quia scilicet exempla quorundam aut vidimus, aut audivimus, in quibus (si unquam in aliquibus) Christianæ fuere virtutes, qui, nullo studio antecedente, statim ii facti sunt, qui postea esse perrexerunt, idemque omnibus contingere arbitramur. Verum dantur omnino Christianæ virtutes: Sed eæ à plerisque non sine pulvere, & sole (quod dicitur) obtinentur. Quare omnino laborandum, & sudandum nobis est, ut tandem vincamus, & nos ipsos primum subjugantes, facile deinde omnes tentationes superemus. Hujus præclarissimæ victoriæ ea nobis proposita sunt præmia, quæ & vinci posse, & debere, plane demonstrant, &, nisi vincamus, nostri ipsorum pessimos inimicos nos fore, aperte docent. Apoc.2.7, *Vincenti* (inquit Jesus Dominus noster) *dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi Dei mei* vers.11. Et iterum, *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Et rursus vers.26. *Qui vicerit, & custodierit, usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes. Et reget eas in virga ferrea, tanquam vasa figulina confringentur. Sicut & ego accepi à Patre meo. Et dabo illi stellam matutinam.* Et postremo vers.3.21. *Qui vicerit, dabo ei sedere in Throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum Patre meo in Throno ejus.* Quis justitiæ, & pietatis amans his amplissimis promissis ad certamen istud ineundum non movetur, tantasque vires inde adipiscitur, ut victor tandem evadat? Ergo mundani homines, spe sibi proposita boni alicujus incerti atque evanidi, omnia, ut 1 Cor.9.25, inquit Paulus perferunt, & nos, scilicet, Christiani, spe nobis facta certissimi atque æterni boni, eadem & multo etiam majora perferre non poterimus? *Beatus vir* (ait Jacobus Jac.1.12) *qui suffert tentationem. Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus diligentibus se.* Ne quis igitur nostrum sit, qui de victoria desperet. Sed cum sciamus, neminem coronatum iri, nisi legitime certaverit, 2 Tim.2.5 demus operam potius, ut cum Paulo (quisque in vocatione sua) dicere possimus, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem conservari. De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Non solum autem mihi, sed & omnibus, qui dilexerint adventum ejus.* Vale vir clarissime, & corroborare in Domino. Omnes qui istic sunt, fratres, meo nomine salutes, unaque cum ipsis Deum pro me ores, velim. Gratia Domini nostri Jesu Christi adsit omnibus vobis. Amen.

Die 24 Martii, Anno 1581.

Tui studiosissimus atque observantissimus in Christo Frater.

F. S.

Disputationis de loco 7. cap. Epist. ad Rom. finis.

FINIS.

FAUSTI SOCINI SENENSIS

DEFENSIO

Disputationis suæ de loco septimi Capitis Epistolæ ad Romanos, sub nomine Prosperi Dysidæi, ante 12 annos ab se editæ.

Adversus Reprehensiones N. N. Ministri (ut vocant) Euangelici nuper scriptas, & ab amico ad se missas.

Anno a Christo nato

1595.



IRENOPOLI

Post annum Domini 1656.

Ad Nicolaum Bernaudum, Medicum ac Philoſophum eximium &c.

PRecibus tuis & accuratis & repetitis deeſſe cum nec velim, nec poſſim; ut primum mihi ab aliis perpetuis meis occupationibus aliquot paucæ diei horæ vacuæ conceſſæ ſunt, ad ſcriptum quod ad me tranſmiſiſti, contra diſputationem meam de loco 7. cap. Epiſt. ad Rom. ſub nomine Proſperi Dyſidæi jam diu editam, aliquid reſpondere aggredior; quantum, videlicet, ſatis eſſe poſſit ad verba mea ab iſtius ſcripti impugnationibus defendenda. Utinam ipſe ſcripti auctor hunc meum laborem, qualiſcumque is fuerit, boni conſulat: & niſi alium ex hujus meæ Defenſionis lectione fructum ceperit, hunc ſaltem percipiat, ut, exemplo meo, ſine ullis convitiis aut maledictis in aliorum ſcripta ipſe ſcribendo, animadvertat: hacque in re eam modeſtiam ac pietatem ſervet, atque oſtendat. Qua illum præditum eſſe, ex tuis ad me literis cognovi. Fateor enim, me, ubi ejus ſcriptum perlegi, valde contriſtatum ob id fuiſſe, quod alicubi nimia acerbitas atque amarulentia adverſus me in eo apparet, quæ mihi omnem ferme ſpem adimit, ut ipſe aliquando nobiliſſimum ac præſtantiſſimum illum virum aliqua ex parte imitetur, eum quo de Paulini † illius loci ſententia Diſputationem illam habui. Is enim non modo, ut in Epiſtola ad lectorem monui, viſa reſponſione mea, de ſua ſententia dubitare cæpit, ſed poſtea & libere & publice ſæpius eſt faſſus; atque adeo ipſe adverſus alios contendit, Apoſtoli locum illum non aliter accipi debere, atque ego una cum aliis compluribus accipiendum cenſeo. Libens nihilominus tamen tuis precibus ſum obſecutus, ſperans hanc defenſionem meam quidquid ipſe ſcripti auctor de ea ſit ſenſurus, pleriſque divinæ veritatis ſolidæque pietatis ſtudioſis non inutilem futuram. Quare jam, annuente Deo, eam texere incipiam, in particulas quaſdam Reprehenſoris mei ſcripto diviſo, earumque ſingularem principiis ordine indicatis, atque illico meis reſponſionibus ubique ſubjectis.

† Johannes Niemojovius.

Particula 1. *pag.* 1.

Q*Uæritur in ſeptimo illo cap. ad Romanos*, &c. Ait Reprehenſor meus, me tueri, in loco illo cap. 7. ad Rom. Paulum ſub perſona ſua, de quolibet alio homine non regenito loqui. Hoc non uſquequaque ita ſe habet. Nam ſentio quidem Apoſtolum docere voluiſſe, neminem eorum, qui ſub ipſa adhuc Lege ſunt, & nondum Dei gratiæ ſeu Spiritus regenerationis ſunt participes, extra condemnationem poſitum eſſe. Cæterum non omnia, quæ ſibi ipſi Paulus iſto in loco tribuere videtur, cuilibet homini non regenito convenire ajo. Immo in ipſo meo ſcripto priore pag. 13 dico, Paulum cum hominem deſcribit, qui, quod ad mentem attinet, velit Legi obtemperare, de iis loqui, qui ſub Lege ad omnium excellentiſſimum gradum pervenerunt: probe alioqui ſciens, complures eſſe homines non regenitos, ſeu ſub ipſa Lege adhuc conſtitutos, qui iſta mente non ſunt præditi. Id quod diligenter notandum eſt, propter multa, quæ inferius dicenda erunt. Adde, quod in poſteriore meo ſcripto pag. 33. adhuc apertius repeto, me, cum, una cum pleriſque antiquioribus Theologis, Paulum hoc loco hominem Chriſti gratiæ expertem & ab ipſa Lege pendentem deſcribere, affirmo, non quemlibet ejuſmodi hominem intelligere, ſed eum, qui in eo ſtatu ad excellentiſſimum gradum pervenerit.

Partic. 2. pag. 2. *Cum priorem veteres* &c. Pergit autem Reprehenſor meus; & ait, Veteres pœne omnes, ac noſtra ætate doctiſſimos quoſque eam ſententiam probare, quæ habet, Paulum in loco iſto de ſeipſo, ut regenito, loqui. Atqui, quod ad veteres attinet, plurimum fallitur. Non enim ſolum Origenes, & ille Pſeudo Hieronymus (quemadmodum ipſe infra partic. 31. pag. 11 fatetur) contrariam mecum ſententiam probant, ſed etiam Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenus, Photius, & alii ex Græcis, qui in locum iſtum ſcripſerunt: Ex Latinis autem Ambroſius, qui tantum ultima cap. verba ad hominem regenitum pertinere vult, in commentariis ſuis in eundem locum, & verus Hieronymus in cap. 3. Danielis, & Quæſt. 8. ad Algaſiam. Jam quod ad recentiores attinet, non nego pleroſque ſententiam meæ contrariam ſequi: Nam hic unus eſt ex multis erroribus, quos Pontificiis acceptos referre debemus, ipſi vero Pontificii Auguſtino: Cui nimium Euangelici quoque ſunt addicti. Quanquam & ex Pontificiis ſunt, qui mecum ſentiam, ut is, qui ſuo nomine non expreſſo, Paulo tertio Romano Pontifici ſuos in Epiſtolam ad Romanos, & ad Galatas commentarios dedicavit. Nec Auguſtinus, qui aliquando Ambroſium, & alios antiquiores (quidquid ipſe iſtos ſuæ poſterioris ſententiæ auctores nominet) imitatus, poſtremam tantum capitis illius 7, ad Romanos partem ad Paulum ipſum jam regenitum referebat, ubi mutavit ſententiam, & ad eundem ſuperiora quoque verba referenda cenſuit, * aliud ſenſit, aut docuit, quam in homine regenito adhuc concupiſcentiam remanere; cui tamen is nec animo nec factis ullo modo conſentiat; explicans illud: *Malum facio*, id eſt, concupiſco. Quod ſi Pontificii & Euangelici ad eum modum totum iſtum locum interpretarentur, minus certe male cum ipſis ageretur, tametſi interpretatio iſta ſuſtineri nequit; ac ne-

* Lib. 1. de nupt. & Concup. cap. 27. & deincept. atque alibi ſæpius

ac necesse est prorsus, ut, si de se ipso, ut regenito, Paulus toto eo loco loquitur, fateri cogantur, hominem regenitum non concupiscere tantum, sed etiam factis ipsis, mente licet repugnante, concupiscentiam suam, quoad potest, plerumque explere. Jam præter Erasmum, quem ipse Reprehensor * meus inferius partic. 33, commemorat, & Castellionem, cujus partic. 40. pag. 15, meminit, non solum Ochinum, inter recentiores habemus, qui receptiori hodie sententiæ mecum adversatur, sed ipsum Bucerum ac Musculum; quos nihil morari, ut de Erasmo & Ochino se facere ait, nec Beza potest, aut certe debet, nec ullus Euangelicus, ut pote qui non modo doctissimi fuerint, sed inter Euangelicos præcipui & habeantur, & sint. Hi vero ambo unanimi consensu, verba Pauli, de quibus potissimum ambigitur, ad ipsum Paulum, ut jam plene regenitum, seu qualis erat, cum ista scriberet, referenda esse negant in suis in eum locum commentariis. Itaque minus verum esse apparet doctissimos quosque ætatis nostræ contrariam meæ sententiam probare.

Partic 3. ibidem. *Hanc vero & veterum &c.* Dilemma illud meum pag. Disput. meæ 29, invalidum esse ob id existimat, quod in homine regenito non perpetua sit mentis adversus carnem victoria. Atqui ego nihil in eo dilemmate de perpetua mentis victoria dixi. Sed tantum affirmavi, in homine renato spiritum (qui idem hic præstat quod mens) carne potiorem esse oportere. Potior autem erit, etiamsi non semper, modo fere semper seu plerumque victor evadat. Atque hoc ipsum omnino me intelligere, ex iis constat, quæ compluribus in locis posterioris mei scripti disputavi: nominatim vero pag. 52, 56&63. Nec vero perpetuâ istâ victoriâ in homine renato, ad sententiam aliorum de interpretatione hujus Paulini loci refellendam, quidquam est opus; cum non dicat Paulus, hominem, de quo loquitur, interdum facere malum, quod non vult, sed simpliciter atque indefinite, quod vult bonum non facere, & facere malum, quod non vult. Ex quo aperte intelligitur, hominis istius mentem plerumque à carne superari. Qua de re disputavimus pag 81, & deinceps, in posteriore scripto nostro. Animadvertatur autem præterea, me dilemma illud revera non ad impugnandam aliorum de Paulino loco sententiam, sed ad argumentationem illius, cum quo disputabam diluendam attulisse

Partic. 4. pag. 3. *Verum antequam ulterius, &c.* Ait, me in priore meo scripto fingere, in quolibet homine duos quasi homines esse, interiorem & exteriorem. Atqui ipse potius mihi hoc affingit, quandoquidem in loco, quem ipse intelligit, id est, pag. 13, non, in quolibet homine, legitur, sed, in uno homine. Nec sane ibi de quolibet homine, sed de eo quem Paulus intelligit, disputandum mihi erat. Hunc autem non quemlibet hominem esse, me sentire demonstratum est initio hujus meæ defensionis. Jam, quod in altero, quem citat, loco, in posteriore nimirum scripto pag 41, dico, Pauli partitionem illam in mentem, & carnem, non renatis hominibus accommodatissimam esse; Non renatorum hominum appellatione, non quemlibet hominem non renatum intelligo, seu omnes non renatos, sed maximam partem; ut constat ex paulo ante eadem pag. scriptis verbis illis (nisi quibusdam fortassis &c.) quæ eadem sententia alibi quoque in eodem scripto extat, ut pag. 32, sed asseverantius in fine paginæ 85, & initio 86. Cæterum, id quod ego de ista partitione in homine sentio, multis modis probo: de quibus, quatenus eos attigit Reprehensor meus, postea videbimus. Etenim, ne ordinem ipsius invertam, ad ea nunc respondebo, quæ ipse prius contra ipsam meam sententiam affert. Affert autem primum, eum, qui regenitus non est, totum possideri à peccato, & omnino esse peccati servum, quod tamen nec probat, nec, si probaret, quidquam efficeret. Voluntas enim plane inefficax & imperfecta bene agendi, quæ sine pugna inter mentem, & carnem in homine existere nequit, non impedit, quominus quis à peccato possideri, peccatique servus omnino esse, jure dici possit. An non is ipse, de quo Paulus loquitur, dicitur ab eo, esse venum datus sub peccatum? & tamen certum est, istum velle, id est, cupere bene agere.

Dixi autem, Reprehensorem meum non probare eum, qui regenitus non sit, totum à peccato possideri, quia, quod ad probandum attulit, hominem, scilicet, non regenitum boni quidquam nec velle nec efficere, immo ne cogitare quidem posse, non colligitur ex iis locis, qui in margine sunt notati Phil. 2, & 2 Cor. 3, quod antequam doceam, libet prius monere, ordinem suæ argumentationis scriptorem istum invertisse, cumque debuisset, ex eo, quod homo non regenitus totus a peccato possideatur, probare, hominem ejusmodi nec velle nec cogitare quidquam bene posse; id quod vel illud idem re ipsa est cum eo, quod concludere vult, videlicet, in homine non regenito non esse pugnam illam mentis cum carne, vel certe proxime, atque, ut loquuntur, immediate ex eo consequitur; cum, inquam, ad hunc modum nectenda illa argumentatio esset; inverso ordine, ex eo, quod homo non regenitus nec velle, nec cogitare quidquam boni possit, colligit, hominem non regenitum totum possideri à peccato, id quod, vel, ut ante indicatum est pugnam istam mentis cum carne non excludit, vel certe non immediate. Unde apparet, quid de hujus Scriptoris argumentationibus sentire possimus; præsertim cum hoc ipso in loco, in eo, quod ipse sentit, explicando, fallaciam satis evidentem Petitionis principii (quam vocant) committat, inquiens, *Ego vero cum Paulo in homine regenito solummodo istam pugnam agnosco*: Ita enim loquitur, quasi certum sit, Paulum ita sentire, & non hoc ipsum controvertatur, utrum Paulus ita sentiat. Sed jam ad loca illa in margine notata respondeamus. Dico igitur, in loco ad Philipp. 2, non agi de quacumque voluntate aliquid boni faciendi, sed de voluntate, eaque plena ac solida, Christi Euangelio obediendi, ut ex loco ipso constat. Quam voluntatem sine dubio operatur in nobis Deus, ipsius videlicet Euangelii sincera prædicatione ac confirmatione: quæ ex ejusdem Dei prorsus gratuito dono nobis contingit. Nam alioqui, in hac ipsa solida voluntate Euangelio Christi obediendi, aliquas nostras partes esse, aliquidve, quod in nobis situm sit, cum divina per Euangelii prædicationem & confirmationem efficacia conjungendum, requiri, ostendunt manifeste alio ipso in loco verba illa, *cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Locus similiter 2 Cor. 3, non loquitur de quacumque alicujus boni cogitatione, sed de cogitando aliquo magno bono; quale illud est, de quo ibi agitur. Agitur autem de ministerio Euangelico decenter atque efficaciter obeundo.

Nec obstat vox, *aliquid*, ibi expressa, quæ per se ad qualecumque bonum referri potest. Primum enim certum est, eandem vocem simpliciter ad qualecumque malum posse per se referri. Unde eodem ratiocinandi genere colligi posset, nos nihil mali ex nobis ipsis cogitare posse. Quod si dicas, aliquod verbum subaudiendum esse, secundum subjectam materiam; Jam dixi, quæ subjecta sit materia: quare non verbum Bonum simpliciter, sed verbum Ejusmodi, aut simpliciter, aut verbo Bonum adjunctum, subaudiri debet. Deinde animadvertendum est, pronomina ista Aliquid, Aliquis, simpliciter posita in Novo Testameto pro aliqua magna re, & magno aliquo homine usurpari. Vide inter alia loca Act. 5. 36. & 1 Cor. 3 7

Affirmat autem deinde scriptor noster, in eo me falli, quod, scilicet, mentis nomine in illo cap. 7, ad Rom. mentem seu rationem hominis simpliciter intelligam, *cum potius*, inquit, *mentis nomine Paulus illic intelligat mentem Spiritu Dei illustratam atque regenitam.* Sed unde obsecro, ipse hoc habet, cum Paulus simpliciter mentem nominet, nulla prorsus divini spiritus mentione facta? Num ex eo, quod Paulus de se, ut regenito, loquatur, & certum sit hominem regeni-

* In Epist. ante Respons. ad Castel.

regeni-

regenitum mentem habere Spiritu Dei illustratam? Atqui hoc, illud ipsum est, de quo controversamur, utrum videlicet, Paulus de se, ut regenito, necne loquatur. Ita ut non quidem ex regeneratione mens divino spiritu illustrata: sed contra, ex mente divino spiritu illustrata regeneratio colligi ab Adversario debeat. Jam ego mentis nomine apud Paulum, etsi simpliciter mentem seu rationem superiorem hominis intelligo, ejus tamen hominis intelligo, qui divinæ Legis per Mosen latæ notitiam habeat. De tali enim homine manifeste Apostolus loquitur nec interim simpliciter ejusmodi hominis mentem intelligo, sed ejus, in quo Lex ista divina quidquid boni per se ipsa efficere potest, effecerit. Breviter, mentem hominis intelligo illustratam quidem ac quodammodo regenitam, verum non Dei Spiritu, sed Lege tantum. Sentio enim Paulum (id quod satis per se omnibus apparet) toto eo septimi cap. ad Rom. loco, hoc agere, ut ostendat, prorsus imbecilles esse per se Legis vires ad hominem é peccati servitute eximendum, & sic ab æterna morte liberandum, sine Dei Spiritu. Quod igitur Paulus & Romanos Rom. 12.2, & Ephesios Ephes. 4.23, ad quos scribit, mente renovari velit, ut Deo sint grati, unde concludit scriptor noster, mentem illam, quæ omnibus hominibus est communis, Lege Dei non delectari, immo totam cupiditatibus suis actam adversus Legem Dei ferri, etiamsi conclusio ista bona esset, nihil contra meam sententiam faceret; cum ego non loquar de mente, quæ omnibus hominibus sit communis, sed de mente ejus hominis, in quo ipsa per se Lex Dei, ut dictum est, quidquid boni efficere potest, effecerit.

Sed præterea, non recte conclusit Reprehensor meus, duplici de caussa. Primum, quia Paulus loquitur de renovatione mentis, quod attinet ad exequendam illam voluntatem Dei perfectam, quæ per Euangelium patefacta est, & res ipsa novum hominem induendum; ut ex utroque ipso loco patet. Cujus renovationis, etiam illa mens indiget, quæ tantum Legem Mosaicam exequi cupiat, nam hoc nullo modo satis est, ut quis, sub ipso Euangelio, Deo gratus esse possit. Deinde, quia potest quis, ut absolute Lege Dei per Mosen latæ obedire desideret, id est, omnia præcepta in ea contenta exequi, renovatione suæ mentis indigere: nec tamen ante renovationem istam, ejusmodi mentem habere, quæ tota cupiditatibus suis acta, adversus Dei Legem feratur, vel etiam ipsa Lege Dei non delectari simpliciter jure dici possit. Nihil enim vetat, quominus quis pleraque ac fere omnia divinæ Legis præcepta exequi cupiat: ex ipsis tamen interim unum aut alterum, ut pote naturæ aut malæ assuetudini suæ plane contrarium, non adeo probet: & hujus rei gratia renovari ejus mens debeat. Neque enim ad alicujus rei renovationem omnino requiritur, ut tota mutetur, quemadmodum fortasse Adversarius sentit, sed satis est, si ex parte ita mutetur, ut novam formam induisse dici queat. Quod sane illi menti evenit, quæ cum prius Legem Dei absolute servare non cuperet, postea idipsum cupit; præsertim, cum Legis divinæ natura hæc sit, ut qui in uno quolibet ejus præcepto violando delinquit, fiat totius Legis violatæ reus Jac. 2.10. Denique Pauli testimonia ista propterea ad præsentem quæstionem non pertinent, quia locorum unde petuntur circumstantiæ docent, Paulum mentis nomen ibi pro voluntate, eaque plena ac perfecta, usurpare, quæ, scilicet, omnino sit efficax; non autem plane inefficax; cujusmodi est voluntas ejus hominis, quem cap. septimo ad Rom. describit.

Falli præterea me similiter ait scriptor noster, quod carnis nomine in loco isto credam intelligi appetitus illos crassiores, quos communes cum bestiis habemus. Ex quibus autem meis verbis id colligat, non adscribit. Tantum apparet, eum propterea istud de me affirmare, quia carnis nomine non intelligo totum hominem non regenitum, sed id, quod in homine non regenito menti seu superiori rationi opponitur. Quasi vero homo non regenitus nihil aliud menti & superiori rationi oppositum in se habeat, quam appetitus illos crassiores, quos communes cum bestiis habemus, quo nihil magis manifestissimæ veritati contrarium dici potest. Quanquam, cum adversarius carnis nomine totum hominem, quatenus regenitus non est, intelligat, necesse est, illum velle, hominem non regenitum mentis superioris ve rationis expertem esse, quod multo etiam manifestius falsum & absurdum censeri debet. Jam in loco Joh. 3.6. quem ipse ad suam de carnis vocabuli hoc loco significatione sententiam confirmandam citat, caro non quidem menti, sed spiritui opponitur. Quare non mirum est, si ibi nomen istud humanam etiam mentem non Spiritu Dei reformatam complectitur.

Sed jam incipit scriptor noster ad quædam respondere, quæ attuleram ad probandum, in homine non regenito inveniri mentis & carnis luctam, & quod attinet ad vulgatum illud, Video meliora proboque, Deteriora sequor, fatetur, impios, quum adversus ipsam Legem sceleribus suis ruunt, conscientiæ stimulis subinde lancinari, nec in vitiis suis ita sibi blandiri posse, quin subinde aliquem amaritudinis gustum sentiant. Sed quantum abest hæc interpretatio ab ipsis verbis, in quibus diserte dicitur hominem & videntem & probantem quæ meliora sunt, deteriora tamen sequi? Nam quid amplius in cap. 7. ad Rom. tribuitur homini illi, de quo inter nos ambigitur, regenitus nec ne sit, quam quod videt, debere ea fieri quæ Lex jubet, quod idem est, quod videre meliora: eaque secundum mentem facere cupit, quod idem est. quod eadem probare, nisi quod desiderium istud aliquanto significantius exprimitur, & voluntas appellatur? Nempe, quia non de quolibet homine non regenito, ut jam non semel dixi, ibi Paulus loquitur, sed de eo, qui in eo statu, qui sub Lege est, ad omnium excellentissimum gradum pervenerit. Quæ hic addit scriptor noster, nihil fere sunt, nisi Principii petitiones, aut res similes; ubi scilicet, duplex desideratur probatio, & quod quædam, quæ dicit, tribuantur à Paulo homini illi, de quo loquitur, & quod ista renatorum tantum hominum sint propria. Quare ad ea nihil respondendum censeo; satis futurum ratus, si in hac Defensione mea ad ea respondero, quæ aliqua vel ratione vel auctoritate fuerint confirmata.

Partic. 5. pag. 4. *Ut vero ostendat Dysidæus &c.* Ad rationem, quam extraxeram ex parabola de seminante, ut ostenderem, posse mentis & carnis luctam esse, ubi tamen caro omnino superior evadat; Respondet, in tribus membris prioribus illius parabolæ, referri ingenium ac sortem, non eorum qui vere regeniti sunt, sed eorum qui quandam solummodo habuerunt regenerationis speciem. Verum hoc illud ipsum est, quod ego quæro, ut, videlicet, isti, qui in secundo & tertio membro describuntur, non sint regeniti; quo inde probem, in homine non regenito luctam mentis cum carne existere posse, huc enim, ut dictum est, omnino tendit ratio mea. Quod si, ut apparet, propterea hoc ipsum, quod alioqui favet, urget adversarius, ut hinc, quemadmodum sane facit, probet, in istis hominibus luctam, de qua loquimur, existere non potuisse, quippe, quæ non nisi in homine vere fideli, & sic vere regenito, queat existere; Est hæc tam evidens principii petitio, ut vehementer mirer, hominem alioqui eruditum ista scripsisse: præsertim cum nihil ad ea responderit, quæ ipse aperte attuli, ut demonstrem, in istis hominibus, antequam plane desciscerent, luctam mentis & carnis necessario fuisse; nisi aliquid tacite, idque, si ad rem faciat, similiter cum principii petitione, inquiens, istos recto Euangelii studio nunquam affectos fuisse. Nam si rectum istud Euangelii studium apud ipsum idem est, atque Euangelio assentiri, ita ut illud probent, eoque secundum mentem delectentur, non solum id simpliciter negando, principium petit, cum de hoc ipso inter nos hoc loco disputetur, sed contra ipsius Christi apertissima verba Matth. 13.20, à me pensitata & in medium producta loquitur, qui diserte ait, eos sive eum, de quo in secundo membro agitur, cum

gaudio

gaudio accepisse verbum. Sin aliud quid majus intelligit, nihil ad propositam quæstionem facit.

Partic.6. pag.5. *Quod postea affertur &c.* Responsio similiter ad id, quod ex cap. Joh.12 collegeram, partim expresse meam ratiocinationem confirmat, dum in ipsa responsione asseritur, ibi non agi de vere fidelibus vereque regenitis; partim tacite principium petit, cum necesse sit, si ea ad rem aliquo modo pertinere debet, ut pro concesso in ipsa sumatur, ubi non sit vera fides veraque regeneratio, luctationem istam mentis cum carne esse non posse. Jam quia ego ex eo, quod isti in Christum credidisse dicuntur, cum ex altera parte affirmetur, eos id ipsum confessos non fuisse, concludo, mentis cum carne luctationem in illis extitisse; ait ipse, istos conscientiæ testimonio coactos fuisse agnoscere, Jesum esse Christum. Quasi vero qui talem conscientiam habet, possit sine interiore secum pugna, aut præcedente aut etiam comitante ac perdurante, se in ipsum Jesum credere nequaquam confiteri. Animadverte autem multo plus esse, credere in aliquem, quam conscientiæ testimonio cogi, agnoscere illum talem esse, cui credendum sit. In hoc enim intellectus tantum operatio, in eo vero etiam voluntatis ut sit necesse est; si modo, quid sit in aliquem credere, recte intelligatur. Qua de re alibi à nobis, potissimum vero in disputatione de Jesu Christo servatore satis explicatum fuit.

Partic.7. ibidem. *Subjicit locum 2 Petr.2.10* &c. Ad locum istum, quem non ut probarem, mentem à carne plerumque superari, quemadmodum scriptor noster ait, sed ut ostenderem posse esse pugnam mentis & carnis, ubi carnis est victoria, ita respondet, ut fateatur, in homine non regenito mentem hominis, id est, residuam lucis scintillam, à cupiditatibus, quæ in ipso regnant, superari. Sed ait hanc non esse eam luctam, de qua Rom.7. *in qua*, inquit, *caro quidem reluctatur menti, sed menti regenitæ.* Hucusque metam habemus Principii petitionem. Sed addit, *& ad Deum aspiranti atque ejus mandatis parere cupienti.* Quibus verbis, si Latino verbo Aspirandi est usus, plus tribuit menti isti, quam in Pauli verbis expressum sit, neque enim Paulus mentem istam jamjam ad Deum pervenientem ad ipsumve omni conatu contendentem facit. Hoc enim multo plus est, quam delectari Dei Lege, Deive Legi ita servire, ut interim caro Legi peccati serviat, quod breviter est quidquid menti isti eo in loco Paulus tribuit

Sed rursus addit scriptor noster, Et à cujus mentis parte stabit tandem victoria? Atqui Paulus nullam victoriæ mentionem facit, nisi rerum statu mutato, & Spiritu vitæ per Christum Jesum superveniente, qui liberet à Lege peccati & mortis, cujus homo iste, quem cap. isto 7 describit, captivus est. Nota vero in hujus scriptoris verbis illud *tandem* & verbum *stabit*, quæ aperte significant, diu istam pugnam durare sine victoria mentis, & consequenter cum victoria carnis. Alterutra enim ut identidem vincat necesse est, prout identidem occasiones sese offerunt, Legi Dei nec ne, re ipsa parendi. Quid autem magis vel absurdum, vel contrarium Pauli verbis dici potest, quam in homine jam Spiritu Dei regenito diu carnem mente superiorem esse? Nam quæ regeneratio ista est, ubi mens tantum cupit Legem Dei observare, voluntatemque efficacem nullo modo secum conjunctam habet? * An non qui regenitus est, in Christo Jesu est: An non ii, qui sunt in Christo Jesu, teste Paulo ipso, minime secundum carnem ambulant? Quanquam non solum diu, sed perpetuo, dum in hac vita mortali est, necesse est, hominem regenitum, carnem habere mente potiorem, in eoque vinci à carne mentem, si de seipso, ut regenito in 7. illo cap. loquitur Paulus. An meliorem hominis regeniti, præsertim generatim, ut hic fit, loquendo, statum in hac vita aliquando fore credendum est, quam ipsius Pauli esset jam regeniti, & cum ista scriberet? Atqui à Paulo descriptus eo in loco homo, admodum apertis verbis dicitur mentem habere, de qua caro victoriam reportet.

Itaque si scriptoris nostri & suorum sententiam sequimur, concludendum est, illud suum *tandem*, tempus post hanc mortalem vitam significare, quo nihil absurdius dici potest, mentem videlicet tunc victoriam de carne, cum ea pugnando, reportaturam, cum jam caro ista non erit. Hinc factum est, ut ipse Reprehensor meus alibi in hoc scripto, ut Partic.30. pag. 11. coactus sit asserere, hominem, quem Paulus describit, cum sua carne luctando, vincere, nec ullo pacto concedere, mentem in eo aut semper, aut certe plerumque à carne superari; quod tamen & Pauli apertissime, & ipsius tum hic tum alibi verba non obscure docent. Credidit autem Adversarius, se iis, quæ à me totis paginis 32, 33, 34 dicuntur, sua responsione, quam modo diluimus, satisfecisse, id vero quam jure crediderit, judicet qui utriusque nostrum scripta leget. Ego quidem, sola illa jam sæpius à me repetita commonefactione, quod non sentiam, Paulum de quolibet homine non regenito loqui, sed de eo, qui adhuc sub Lege necdum sub gratia, ad eum gradum pervenerit, qui in eo statu excellentissimus datur, spero me ad omnia respondisse, quæ toto hoc ejus scripto contra meam de eo Pauli loco sententiam, aliqua responsione sint digna. Quanquam ne ista quidem commonefactione quidquam opus erat, cum istud ipsum, quod sentio, in ipsa mea Disputatione diserte, ut ab initio, citatis locis, ostendi, fuerit expressum.

Partic.8. pag.6. *At vero quid istud est*, &c. Nam & id quod mox addit, me πλαγιανίζειν, quia dico, in homine, quem Paulus describit, rationem nulla ex parte depravatam, sed rectam plane atque integram esse, statim evanescit, cum animadvertit, me considerare hominem, licet nondum Christi Spiritu regenitum, à Lege tamen Dei edoctum, & ab eadem Lege mentem seu rationem ita illustratam habentem, ut & recte noverit, quæ sit voluntas Dei in ipsa Lege expressa, & ei omnino obtemperandum censeat, sentiens, illam esse ex omni sua parte justam, sanctam, & bonam; Non autem (ut loquuntur) in suis puris terminis naturalibus. Non est igitur, quod Adversarius ex meis verbis ullum impium dogma se colligere posse existimet, nec est, quod quidquam respondeam ad testimonia, quæ contra dogma istud, quod mihi affingit, hoc loco congessit. Tantum ad id respondebo, quod affert contra id, quod affirmo, per solam ipsius Legis divinæ cognitionem, quempiam posse mente Legi Dei servire. Affert autem Pauli dicta, per Legem augeri peccatum, & Legem, absque Dei Spiritu, iram operari, & occidere. Sed addit de suo, quod nihil aliud facere possit. Nam neque id Paulus unquam dixit, & aperte pugnat cum scriptura, quæ Legi Dei hoc tribuit, quod convertat animam & oculos illuminet, & alia multa similia de illa prædicat Psal.19 & 119; licet Paulus fateatur, ipsam per se non efficere, ut quisquam illam præstet; ex quo per accidens iram operari & occidere dicitur: quippe quæ ipsam non præstanti mortem irroget. Quod si Dei Lex vim habet animam convertendi, non modo oculos illuminandi, certe apparet, per ejus solam cognitionem posse quempiam eo adduci, ut mente sua illi serviat. Sed non mirum, scriptorem nostrum hæc non videre, quamvis Sacris Literis testatissima, & ipso perpetuo usu comprobatissima, cum pro re certissima ac concessa sumat, non posse quemquam mente sua Legi Dei servire sine regenerationis spiritu. Id enim se facere, non sine consueta Principii petitionis fallacia, ratiocinando hoc ipso in loco aperte significat.

Partic.9. ibidem. *Ad locum 1 Corint.2.24.* &c. Quod responderam ad locum istum, *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*, rectissime responderam. Et unusquisque qui à præjudicatis opinionibus liber, illum locum inspexerit, fatebitur omnino, ibi non de Legis Mosaicæ præceptis, sed de divinis promissis in Euan-

* Vide quæ dicentur infra partic.16.

in Euangelio factis sermonem esse. Concedit autem, quamquam non libere & aperte, Reprehensor meus id, quod nullo pacto negari potest, hominem, licet animalem necdum spiritualem, nosse malum esse occidere, mæchari, &c. Sed tamen ista & alia peccata odisse posse, ac Legem Dei amare, charitatemque ac virtutes ea lege præscriptas amplecti negat. Ubi primum notandum est, si ad rem loqui velit, nomine aliorum peccatorum oportere eum intelligere reliqua omnia, quæ similiter ut homicidium & adulterium secundum Mosis Legem sunt peccata: cum autem de odio peccatorum, & de charitate & virtutibus ea lege præscriptis amplectendis loquitur, de odio, & amplexu (ut sic loquar) qui mente tantum, non autem ulla ex parte factis fiat, ipsum loqui.

Hoc posito, dico, illum haud mediocriter falli. Nam si in homine animali à Lege Mosis edocto, existere potest cognitio peccatorum, in ipsa lege vetitorum; necesse est, ut in eodem homine animali odium quoque, secundum mentem, id est, superiorem rationem, eorundem peccatorum existere queat; immo, quin aliquod tale odium re ipsa, ubi cognitio est, existat, nullo modo fieri potest. Caussa enim istius odii, & vera & necessaria, ista cognitio est. Non potest enim quis mente non odisse, quod turpe esse intelligit: quemadmodum enim pulchrum cognitum, amoris, sic turpe cognitum, odii, ut necessarium est objectum, sic etiam caussa. Quare & mente similiter amare animalis homo charitatem, & alias virtutes à Lege Mosis præscriptas non solum potest, si eas potest cognoscere, verum etiam, ubi eas cognoverit, ut illas aliquo modo amet necesse est; nihil enim virtute pulchrius. Adeo autem verum est, cognitionem rerum pulchrarum & turpium, quales, præter alias omnes sunt res honestæ, & vitiosæ, harum odium, illarum vero amorem necessario gignere, ut Socrates summus & sapientissimus Philosophus censuerit, præsente scientia, id est, cognitione ista, fieri non posse, ut quis incontinens sit, qua tamen in re sine dubio erravit: nisi, ut quidem verisimile est, intellexerit, scientiam seu cognitionem ejusmodi, quæ etiam id complectatur, ut quis sciat, res honestas eas facienti magnum aliquod commodum, vitiosas vero incommodum allaturas: aut nisi ipsius verba, quemadmodum sane sonare videntur, de certa, eaque non solum ab initio existente, sed in ipso affectu atque actu integro perdurante cognitione, sint accipienda. Qua de re videndus est Aristoteles cap.2 & 3, lib.7. Ethicorum Nicomach. qui alibi, id est, lib.3. cap. 1. cum ipso Socrate absolute sentire videtur, inquiens, *Ignorat igitur quidem omnis improbus quæ facienda sunt, & quæ fugienda &c.* Verum, verba ista ita interpretenda esse, ut faciendorum & fugiendorum nomine non tantum rerum honestas, sed una cum ipsa etiam commodum seu utilitas inde proveniens significetur, indicant mox sequentia, *Invite autem factum haud stat imdicendum est, si quis quod utile sit ignorat*, sed de his hactenus.

Partic.10. ibidem. *Locum Pauli ad Rom.8. &c.* Tametsi in loco ad Rom.8. studium carnis nihil prorsus à verbis ipsis discedens, ipsius carnis curam interpretor; non tamen eam solam partem, in qua crassiores appetitus resident, sed totum id, quod infra mentem seu superiorem rationem est intelligo; nam aliquid esse, præter cassiores appetitus, Reprehensor ipse meus satis innuit, cum ipsorum crassiorum appetituum mentionem facit. Hinc enim sequitur, esse in homine alios appetitus minus crassos. At nemo unquam dicet mentem seu superiorem rationem appetituum ullorum nomine contineri, quam merito quidem philosophi tantopere extulerunt, quippe qui ex ipsis certissimis effectis, manifestissimaque experientia, ita & sentire & loqui sint ausi, vel potius coacti. Nec dubitandum hic est, ne aliquid interea divinis testimoniis repugnans affirmaverint. Veritas enim veritati repugnare nequit, sed plerique ex Sacris Litteris mirabilia quædam paradoxa hodie sibi fingunt, quale est istud, in quolibet homine, nisi gratia & Spiritu Dei regeneretur, propter peccatum primi parentis, ipsam mentem superioremve rationem adeo corruptam esse, ut Deo adversetur: cum tamen hac de re nullum verbum fiat in Sacris Litteris, & quidquid in illis de humani generis corruptione dicitur, nec usquam ad Adami lapsum, tanquam ad suam caussam referatur, & ubique nullo pacto de superiore ratione, sed de voluntate, proxima actionum humanarum caussa, sit accipiendum. Studium igitur carnis Rom.8.6, seu mens carnis Col.2.18, non quidem superiorem rationem in homine non regenito, sed voluntatem ab appetitu, qui in homine inferiorem rationem complectitur, excitatam & proficiscentem significat. Est autem inferior ratio in homine, illud medium inter crassiores appetitus & mentem seu intellectum, quod scriptor noster non plane agnoscit, eaque tota hujus vitæ solidis quibusdam commodis & utilitati querendæ est intenta. Ex quo fit, ut sæpe non modo superiori rationi sive intellectui, qui unam honestatem perpetuo sectatur, sed etiam inferiori appetitui, qui voluptati præcipue, & fucatis (ut sic dixerim) commodis studet, plane adversetur. De loco Johan.3, ubi totus homo non regenitus caro appellari videtur jam dictum est supra, nec debet ejusmodi locus figuratum prorsus loquendi modum continens, & ubi caro manifeste spiritui opponitur, afferri ad probandum, quid carnis nomine intelligendum sit, quando opponitur menti.

Partic.11. pag.7. *At quod subjicit ex non renatis &c.* Meæ sententiæ, quod ex non renatis multi spiritu non sint prorsus destituti, simpliciter opponit suam, Neminem, qui regenitus non sit, spiritu esse præditum. *Si spiritus vocabulum accipiam*, inquit, *prout à Paulo sumitur pro parte hominis regenita, quæ Lege Dei delectatur.* In quibus verbis cum consueta sua fallacia Petitionis principii, pro concesso sumit, eam partem hominis, quæ Lege Dei delectatur, ex ipsius Pauli sententia, esse Spiritu Dei regenitam. Cum tamen inter nos de hoc ipso disputetur, & à me constanter affirmetur, mentem, cui 7.cap. ad Rom. Paulus tribuit, quod Lege Dei delectetur, esse superiorem rationem hominis, qui nondum regenitus sit, nec sub gratia, sed sub lege adhuc sit constitutus: in quo tamen statu ad excellentissimum, qui in eo haberi potest, gradum pervenerit. At vero deinde non opponuntur revera hæc duo inter se, Spiritu non esse prorsus destitutum, &, Spiritu non esse præditum. Ista enim locutio, esse præditum, rei ipsius, qua quis præditus dicitur, mediocrem saltem copiam apud istum inveniri significat. Poterit igitur dici quis spiritu non esse præditus, qui particulam tantum aliquam (ut sic dixerim) spiritus habeat; & tamen de isto merito dici poterit, eum spiritu prorsus non esse destitutum.

Partic.12 Ibidem. *Ait nunquam in eodem homine &c.* Nihil opus est respondere ad locum Augustini, quem recitat scriptor noster contra sententiam meam, quæ habet, in eodem homine regenito neutiquam inveniri simul utrumque hominem, veterem & novum; præsertim, cum, ad sententiam suam meæ contrariam melius exponendam, illud recitare se dicat, nullo, ut arbitror, solido fundamento in ipsius Augustini auctoritate constituto. Jam ad id, quod interrogat, unde probare potero, in homine non renato restare novi hominis reliquias, *cum*, inquit, *nunquam novum istum hominem ille induerit?* Respondeo vicissim interrogando, unde ipse probare poterit, hominem non renatum novum istum hominem nunquam induisse. An ex eo, quod qui semel regenitus fuerit, regenitus esse desinere non possit? Atqui istud est unum ex illis, tanquam scripturæ consentaneis, confictis paradoxis, de quibus paulo ante dicebam; cum nullus sit locus in Sacris Literis, ex quo potuerit aliter, quam ridicule & per summam fallaciam extrui axioma istud, quod apud Euangelicos passim obtinuit, eum, qui semel vere fidelis

delis fuerit, ab ista vera fide excidere non posse, immo non pauca sint in ipsis Sacris Literis testimonia, quæ contrarium plane doceant, præter rationem & experientiam ipsam prorsus manifestam.

Partic. 13. Ibidem. *Quod dicit renatum, &c.* Cum dico, in renato homine Christi spiritum plane habitare, adverbium, *plane*, accipio quidem pro *Revera*; sed ita tamen, ut adverbio isto excludam, ut inchoatam sic etiam deficientem, seu ex aliqua parte tantum, habitationem, quæ vera habitatio simpliciter dici nequit. Quamvis enim ne ego quidem omnino plenam, aliquo tamen modo plenam istam Spiritus Christi habitationem in homine renato necessario requiro, id est, ejusmodi, ut merito dici possit, istum non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulare.

Partic. 14. Ibidem. *Quæ postea eadem pagina, &c.* Miror, cur audeat dicere, me mihi esse contrarium, quia uno in loco homini non renato interiorem & exteriorem simul hominem inesse velim, In alio vero exterioris & interioris hominis partitionem propriam renatorum hominum esse dicam; cum in posteriore hoc loco nempe pag. 42, affirmem ac moneam, duplicem apud Paulum extare interioris & exterioris hominis significationem, & utramque explicem, secundum quarum unam prius illud meum enunciatum accipiendum esse constet, secundum vero alteram hoc posterius accipi debere, ipsummet enunciatum aperte doceat. Quam vero nihil ad rem illud facit, quod quasi distinctionis hujus meæ nihilominus mentionem facturus, subjungit; Si id peculiare, inquit, vult esse loco illi 2 Cor. 4. ratio saltem aliqua ejus diversitatis afferenda fuit. Nam neque ego quidquam peculiare volo esse loco isti, sed tantum ibi aliter accipi à Paulo hominem exteriorem & interiorem, quam in 7 cap ad Rom. & hoc ita se habere, & quidem ibi utrumque istum hominem ita à Paulo accipi, ut ipse clarissime expono, adeo locum ipsum accurate legenti constare potest, ut satis fuerit id admonuisse, sine ulla alia probatione.

Partic. 15. pag. 8. *Quod postea pag. 45. vult, &c.* Quod meam sententiam, quam Origenis quoque fuisse ait, de verbis illis Pauli, *Gratias ago Deo per Jesum Christum*, omnium doctorum virorum consensu jam pridem explosam fuisse affirmat, vereor ne plurimum fallatur; si modo & quæ proxime antecedunt, & quæ statim sequuntur verba de eodem homine, ut sine dubio ipse cum suis sentit, dicta censeri debent. Certum est enim, eos, quos non paucos indicavi, viros doctos, qui volunt, Paulum toto illo capite sub persona sua de seipso loqui, qualis tunc erat, cum ista scriberet, fateri, in istis verbis, *gratias ago, &c.* fieri mutationem personæ, vel certe Pauli personam in illis alio statu considerari, quam in superioribus, ex quo necessario consequitur, si sequentia verba cum præcedentibus cohærent, intermedia ista per parenthesin dicta à Paulo fuisse, eo sensu, quem nos in nostro scripto explicavimus, cujus sensus validissima ratio à nobis allata nihil prorsus labefactatur ab eo, quod Reprehensor meus contra illam affert, inquiens, Paulum ex parte quidem liberatum, ex parte tamen perfici hanc liberationem expetere. Hoc enim merum commentum est: cum omnis loquendi usus ac ratio postulet, ut gratiæ ibi agantur pro ea ipsa (sive ex toto ea sit, sive ex parte liberatione, cujus tam vehemens desiderium in verbis illis antecedentibus, *Miser ego homo &c*, exprimitur. Nam quod ait, sequentia verba istam suam Paulinæ mentis interpretationem indicare, nedum, ut ego dicebam, sententiam de parenthesi confirment; haud obscura est hæc principii petitio. Tum demum enim indicare possunt sequentia verba Pauli mentem istam, si verum sit, verba de quibus contendimus, per parenthesin non fuisse dicta, quod illud ipsum est, quod hoc in loco controvertitur.

Quis autem non videt sequentia ista verba, eandem prorsus captivitatem significare, quam deplorari, in superioribus videmus cum summo desiderio se ab ea exsolvendi? Nam quid aliud est, *Ego ipse mente servio Legi Dei, carne autem legi peccati, quam condelector Legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me legi peccati, quæ est in membris meis?* post quæ verba statim consequuntur illa, *Infelix* seu *Miser ego homo, quis me &c.* Non igitur magis possunt verba ista ultima cum præcedente gratiarum actione congruere, quam superiora illa, quibus gratiarum istam actionem opponi necesse est. Ex quo apparet, fieri aliter non posse, quam ut gratiarum ista actio sermonem proprie non continuet, sed propter eam caussam, quam nos in priore scripto nostro attulimus ipsi sermoni, qui post ipsam statim repetitur, interjecta fuerit.

Partic. 16 Ibidem. *At statim sequitur, nulla igitur, &c.* Conatur Reprehensor meus hic ostendere, quomodo intelligendum sit id, quod apud Paulum sequitur: *Nulla igiter est condemnatio, &c.* ubi aperte dicitur, eos demum nulli damnationi esse obnoxios, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum incedunt. Hoc enim nulla ratione videtur dici posse de homine illo, qui carne serviat legi peccati, qualis antea descriptus fuerat. Et primum ait, *fide in Christum nos assequi remissionem peccatorum, atque adeo veram justitiam*, veræ autem justitiæ nomine Justificationem sine dubio intelligit, non autem justitiam, qua juste vivimus, nam illico subjicit, *Immo etiam sanctificationem, quæ tandem*, inquit, *nos peccato superiores efficiat.* Itaque ut etiam ante notavimus, vult Reprehensor meus, regenitum & nulli condemnationi obnoxium etiam eum esse, qui adhuc peccato non sit superior, sed aliquando tandem futurus sit. Atqui Paulus hoc ipso in loco diserte in homine nulli condemnationi obnoxio, requirit, ut dictum est, ne secundum carnem incedat, sed secundum spiritum: quo nihil magis peccati vires frangit, & quo alibi, id est, non multo inferius idem Paulus Rom. 8. 11, homini vitam cupienti, facta carnis, quæ aliud nihil sunt, quam peccata, perimenda esse docet. Quomodo igitur is, qui peccato nondum est superior, & consequenter eo est inferior, potest dici incedere secundum spiritum? Asserit præterea Reprehensor meus, *eos qui carne serviunt legi peccati, non ideo dici secundum carnem incedere. Nam*, inquit, *qui carnis reliquias gestant, adhuc quodammodo hærent in peccati salebris, ut ab ejus jugo plane liberati dici non possint.* At enim multo plus est, carne servire legi peccati, quam, quodammodo hærere in peccati salebris, ridiculumque est prorsus, pro illo hoc reponere. Multo plus similiter est, captivum esse legis peccati, quod de isto affirmat Paulus, qui carne servit legi peccati, quam, à peccati jugo non plane liberatum esse.

Adde quod affirmare, hominem regenitum à peccati jugo non plane liberatum esse, aliud nihil est, quam apertissimis scripturæ testimoniis contradicere, quæ ejusmodi hominem à peccato & à peccati lege liberatum esse diserte testantur, Rom 6. vers. 18. & 22. & cap. 8. vers. 2. Sed videamus, quid scriptor noster dicat esse secundum carnem incedere, sic enim ait: *Secundum carnem incedere dicuntur, qui carnis suæ concupiscentiis totos se regendos tradunt!* Hæc interpretatio nec verbis ipsis, nec rei est consentanea. Incedendi enim verbum, ipsum duntaxat factum declarat. Tradere se regendum, consilium etiam ipsum aliquo saltem modo significat. Et potest quis secundum carnem incedere, id est, carnis opera, ut ea alicubi Paulus vocat, facere, & sic, ut ibidem Paulus monet Gal. 5. 19. & 21, regnum Dei non adipisci, nec tamen totum se carnis suæ concupiscentiis regendum tradere. Nam vel unius alicujus peccati habitum habere, sive in uno tantum peccato hærere, Dei regno eum, qui talis sit talive ratione se gerat, omnino excludit quandoquidem ut idem Paulus docet 1 Cor. 6. 9. & 10: *neque fornicarii, nec*

idolo

idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 1 Cor. 6. 9, & 10.

Pag. 17. ibidem. *Pag. 51, & 52. In illa definitione &c.* Proinde videat Reprehensor meus, quid illud sit, quod paullo post subjicit, se vereri, ut satis firmum sit, quod pag. 52. affirmo, regeneratum hominem cujusquam peccati nullum habitum habere, cum sententia ista mea (nisi velimus, regeneratum aliquem posse esse, & tamen à regno Dei excludi) ex ipsius Apostoli verbis sit petita; secundum quæ omnino accipiendum est id, quod idem Apostolus in loco paullo ante à nobis indicato, Gal. 5. 19 &c. scripsit. Ubi, enumeratis quodammodo operibus carnis, postmodum subjicit, qui talia agunt, regnum Dei non consecuturos, ut scilicet intelligamus, eum, quodvis istorum, non autem eum tantum, qui omnia aut pleraque aut etiam aliqua ex istis agat, regnum Dei non consecuturum. Nam quod agit, ista mea sententia videri, infirmas conscientias in præcipitium abjici, quando se in aliquod vitium propensiores esse sentiant, hoc nihil prorsus ad rem facit Longe siquidem aliud est, In aliquod vitium propensiorem esse, &, Habitum alicujus peccati habere; Potest enim quis in aliquod vitium esse propensior, & tamen perpetuo ab eo abstinere; At si quis peccati alicujus habitum habeat, is vix unquam, aut ne vix quidem, ejus peccati committendi facultate sibi præbita, ab eo committendo abstinebit.

Partic. 18. ibidem. *Eadem pag. 52.* &c. Jam quod subjungit, se fateri, in homine regenito non voluntatem tantum bene agendi, sed etiam ipsum bene agere esse debere: verum in loco Roman 7. illud ab hoc non disjungi simpliciter, *neque enim*, inquit, *dicit Paulus, se nihil boni facere, sed quod non quæcunque velit, ea faciat.* Hujus sane hominis dialecticam, quæ sibi ubique est consentanea, valde miror. Putat ipse, idem esse Nihil boni facere, &, Non bene agere; cum tamen possit quis non bene agere, & interim nihilominus aliquid boni facere. Et pro eo, quod ostendere debuit, in 7 cap. ad Rom. Bene agere simpliciter jungi cum Bene agendi voluntate, conatus est ostendere, illud ab hoc non disjungi simpliciter. In quo tamen ostendendo in eo non leviter est lapsus, quod affirmavit Paulum isto in loco dicere, se non quæcumque velit ea facere. Nam hoc neutiquam ibi legitur. Vide quæ hac de re scripsimus Disputationis nostræ pag. 83, & deinceps per totam ferme paginam 84: sed neque etiam verum est, Paulum ibi dicere, se non nihil, id est, aliquid boni facere, quod fortasse ex eo consequi putavit Adversarius, quod non dicit, se nihil boni facere. Quæ consecutio qualis sit, quilibet agnoscere potest.

Partic. 19. pag. 9. *Quod quosdam non regenitos*, &c. Ad id quod affert contra sententiam meam de quibusdam hominibus non regenitis, quos, invitos quodammodo, cupiditatibus suis indulgere statuo, multa responderi possent. Sed satis sit, ne defensio hæc mea limites excedat, quos illi ab initio præscripsi, respondisse id, quod superius ad similia objecta respondi, me, scilicet, loqui non de omnibus, sed de quibusdam non regenitis hominibus, nec hominem ejusmodi intelligere, qui id tantum habeat, quod natura suppeditat, sed qui, licet spiritu Dei nondum vere præditus, tamen alia bona habere possit, sibi vel humana, vel etiam divina ope comparata.

Partic. 20. ibidem. *Videtur significare nos* &c, Assensum Euangelio præbitum, & institutum emendandæ vitæ (de aliis bonis operibus nullam mentionem faciens) innui pag. Disputationis meæ 54. præcedere dono spiritus sancti, eodem loquendi modo usus, quo ipso spiritus sanctus utitur Ephes. 1. 13. qui locus in margine est notatus, & Actor. 5. 32. cum qua sententia, tum istis, tum aliis clarissimis Sacrarum Literarum testimoniis confirmata, nihil pugnare potest testimonium illud à Reprehensore meo allatum Ephes. 2. 10. ubi etiam non *ad bona opera* sed, *in bonis operibus* scriptum legitur. Sensus autem loci est, Deum, per Euangelii Jesu Christi filii sui prædicationem, nos in bonis operibus formasse, in quibus, seu per quæ ut ambulemus, omnino statuit, translatione sumpta à via, quæ præparetur, ut quis per eam incedat. Ubi nullam vides doni spiritus sancti mentionem fieri; nisi dicas, ipsam prædicationem Euangelii appellari alicubi ministrationem spiritus. Sed hæc ministratio spiritus aliud sine dubio est, quam donum spiritus sancti, quod vel ego, vel ipse Reprehensor meus hoc loco intelligit. De loco Philip. 2. superius Partic. 4. est dictum: qui sine dubio istius ad Ephesios simillimus est. Sed neque ibi ulla fit doni spiritus sancti mentio, quod voluntatem nostram bene agendi antecedat. Nec quidquam prorsus hæc duo inter se pugnant, Deum auctorem esse nostræ bonæ voluntatis, atque in bonis operibus perseverantiæ, & Institutum nostrum emendandæ vitæ dono spiritus sancti præcedere. Augustinum, quem testem suæ sententiæ habere se putat Adversarius facile est agnoscere non plus illi, quam Paulum favere. Quamquam non tanti faciendam Augustini auctoritatem censeo, ut quidquam laborandum mihi arbitrer, quo illius verba cum mea sententia non pugnare ostendam.

Partic. 21. Ibidem. *Quod Pag. 55. dicit*, &c. De mentis, seu superioris rationis corruptione in homine satis dictum est supra Part. 10, eam videlicet, ex Sacris Literis nullo modo probari posse, quæ si tamen probaretur, ea sententia meæ nihil officeret. Illa siquidem ad hominem in sua natura tantum consideratum pertineret. Ego vero non ita rudem hominem considero, cum illi mentem tribuo, quæ ipsum ad bene agendum impellat: sed aliquo modo excultum. Nec in loco illo Pag. 55. licet illis vocibus, *per se ipsa*, utar, Dei legem, aliave hominem excolentia, excludo, sed tantum illum spiritum, secundum quem homines regeniti ambulant. Cæterum, quod quis servus sit peccati, & tamen cupiat bene agere, nihil omnino impedit. Et Paulus ipse in ipso loco, de quo tota hæc Disputatio nostra instituta est, diserte venundatum esse sub peccatum, & captivum esse legis peccati, quod idem plane est, quod Esse servum peccati, conjungit cum voluntate, id est, desiderio bene agendi.

Partic. 22. Ibidem, *Eadem Pag. subjicit*, &c. Cum dico eadem Pag. 55. interiorem hominem apud Paulum Rom. 7. nondum fuisse spiritu, id est, spe alicujus ingentis boni, præsertim vero beatæ immortalitatis, si divinis præceptis obtemperasset, corroboratum, non propterea dico, spiritus donum in prædicatione doctrinæ, quæ vitam æternam promittit iis, qui divinis præceptis obtemperaverint, consistere. Spes enim ista non est ipsa doctrinæ prædicatio, quamvis prædicatione ista interveniente in nobis gignatur, nec tamen in omnibus, quibus prædicatio ista conceditur, immo in paucis eam generari contingit. Quare nescio, quid hic sibi velit Reprehensor meus; præsertim, cum in verbis meis nulla ullius prædicationis mentio fiat, nisi quod occasionem, ut ex ipsius verbis constat, arripere voluit me larva objecti Pelagianismi territandi.

Partic. 23 pag. 10. *Quod pag. 57. dicit*, &c. Quod in loco isto affirmavi de hominibus, qui solo virtutis amore & longo studio, aliquarum virtutum habitum contraxerint, non philosophicum est, sed historicum. Quanquam vera sive naturalis sive moralis philosophia, tametsi vera theologia est longe inferior, ipsi tamen adversari nequit. Jam quod Reprehensor meus dicit, cor in omnibus hominibus, qui fide non sint præditi, impurum esse, id non probatur ex loco in margine notato Gen. 8. neque etiam in loco superiore ejusdem libri cap. 6. ubi multo pluribus verbis de corruptione cordis humani agitur. Ut enim ex isto sexto cap. apparet, non loquitur Deus de cordis corruptione, quæ naturaliter ac necessario omnibus hominibus insit, sed de ea, quam in illius ætatis hominibus, non sine intimo suo dolore, ut ibidem scriptura loquitur, ipse Deus videbat, id est, de prorsus voluntaria, quam homines illi generatim contraxerant, corrumpentes

vias suas, unde universa terra iniquitate repleta fuerat. Itaque non sunt testimonia ista ad naturalem quandam cordis impuritatem, quæ necessario omnibus hominibus insit, pertrahenda: sed neque etiam ad omnes consequentes ætates accommodanda; quasi perpetuo homines ex se ipsi generatim tam perversi ac mali voluntarie sint. Primum enim verba illa cap.6.5, *omni tempore*, quæ idem significant, quod illa cap.8.21, *ab adolescentia*, sive, *à pueritia sua*, non naturalis alicujus corruptionis indicandæ caussa ibi posita sunt, sed corruptionis voluntariæ exaggerandæ gratia. Vulgo enim, cum alicujus voluntariam malitiam exaggerare volumus, non tantum ad istum modum loquimur, sed dicimus etiam, eum in utero, vel, ab utero matris suæ malum fuisse. Hinc dicta illa in ipsa scriptura, *Alienati sunt à vulva: erraverunt ob utero. Transgressorem ab utero te vocavi* Psal. 58.4. Esai. 48.8, & alia similia. Quæ imperite admodum à nonnullis ad naturam hominis corruptam sunt accommodata. Deinde sensus loci Gen. 8 non est, ut vulgo creditur, Deum propterea diluvium, aut quidpiam tale perdendo humano generi, jam non amplius immissurum, quia homo naturaliter sit malus, sed hominis voluntariam malitiam, quantumvis maximam, jam non amplius fore caussam, ut Deus terram cum omnibus in ea viventibus perdat: quippe, videlicet, qui judicio isto universali, quod per diluvium semel exercuerat, ad testandam universo humano generi suam erga peccata turpia ac perpetua ingentem iram, dum præsens sæculum duraturum est, velit esse contentus. Locus Act. 15, ubi, scilicet, dicitur, Deum fide purificasse corda Ethnicorum, ad rem non facit; cum ibi de excellentiore quadam cordis puritate agatur, id est, de ea, qua si quis præditus fuerit, jam ad Dei regnum eum pertinere, certum est.

Partic. 24. ibidem. *Quod pag. 58 ait, &c.* Affirmat Reprehensor meus, necesse esse, me valde stupidam conscientiam habere, quia dico, me nihil dubitare, quin in aliquibus ex Christi fidelibus pugna illa inter carnem & spiritum cesset, jam plene, videlicet, spiritu dominante. Quasi vero non possit quisquam ex Christi fidelibus in carne sua, ut scriptura loquitur, una cum affectibus & concupiscentiis crucifigenda, plus proficere, quam ego profecerim; aut quasi ipse statuam, me esse unum ex istis aliquibus, quos dico, Christi fidelibus, in quibus carnis cum spiritu pugna cessaverit; qui tamen diserte contrarium profiteor, pag. 117, & pag.132, quæ duo meæ Disputationis loca satis esse possunt, ad istam ex sententia mea collectionem erroris gravissimi redarguendam. Quomodo autem Adversarius affirmare audet, sententiam meam solius conscientiæ testimonio refelli? Num ipse vel omnium Christi fidelium conscientias novit, vel se jam ad eum domandæ carnis suæ gradum pervenisse autumat, ut ulterius nemo progredi queat?

Partic. 25. ibidem. *Eodem pertinet quod pag.60, &c.* Si non horresceret Reprehensor meus cum Augustino dicere, fieri posse, ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope divina adjuvante; cur igitur mihi litem movet, qui idem, immo multo minus, ut postea apparebit, dico, nec quidquam amplius homini Spiritu Dei adjuto tribuere audeo? Num fortasse, quia non conjungam cum hoc illud, quod ex eodem Augustino ipse conjungendum ait, neminem fuisse nec fore, in quo sit ista perfectio, præter unum Christum? Sed undenam collegit, me istud non conjungere? Num ex eo, quod illud ibidem non addo? Atqui hæc argumentatio à non dicto, idque certo quodam in loco, ad quicquam à loquente vel scribente creditum taciteve concessum, futilissima & ridicula omnino est. An ex eo, quod credam, aliquos Christi fideles esse, in quibus carnis cum spiritu pugna desierit? Sed longe minus hoc est, quam perfectionem illam habere. Illa enim totam hominis vitam sine ullo peccato requirit; hoc vero habitum tantum omnium virtutum Christianarum per aliquod tempus ante hujus vitæ finem, qui etiam habitus non plane, pro isto etiam aliquo tempore, omne peccatum excludit. Possunt enim una cum habitu isto aliquæ adhuc imperfectiones inveniri, quæ sine dubio eo sensu, quo hic loquimur, sunt peccata. Aut certe, me ita sentire ex eo apparet, quod ad finem pag. 60, postquam de ista cessatione pugnæ inter carnem & spiritum disserui, incipio demum obiter, ut de nova & diversa ac denique majore quadam re, de eo agere, quod possit quis in hac vita, divini spiritus ope, tandem aliquando Dei præceptis perfecte obedire; & propterea etiam illam quidem re ipsa dari, me non dubitare dico: hoc vero tantum fieri posse affirmo. Hoc autem quanto minus est, quam illud quod Augustinus dicit, cum hoc, perfectio obedientiæ divinorum præceptorum sit, tantum pro aliquo tempore ante extremum diem, illud vero ita absolute dictum perpetuam istam perfectionem significet? Jam quod hic Reprehensor meus subjicit de spiritu, qui detur tantum ex parte, ex quo concludit, obedientiam, quæ per illum fit, esse tantum ex parte, pugnat cum eo, quod cum Augustino non horresceret dicere, fieri posse, ut sit homo sine peccato, Dei ope adjuvante. Nam quod Augustinus nequaquam de tali divina ope loquatur, quæ nemini unquam detur, præterquam quod ridiculum prorsus istud fuisset, disputatioque plane futilis, ex eo apparet, quod postmodum cap.2, ait, non multum errare, nec perniciose falli, qui defendat & putet, aliquem esse, aut fuisse, aut fore perfectum.

Partic. 26. ibidem. *Quod pagin.61, ait, &c.* Quando pag. 61, ajo, me non videre, quomodo fieri possit, ut, si quis crederet, se ad perfectionem, divini spiritus ope, pervenisse, jam superbiret: loquor de superbia, quæ ex hoc ipso, quod ita crederet, oriri facile possit. Pharisæus autem ille, etiamsi Deo gratias agebat, quod non esset sicut cæteri homines, ipsius tamen superbiæ caussa non erat, quod istud Dei beneficium agnosceret: sed quod elato alioqui esset animo, & cum à perfectione plurimum abesset, quidquid lingua efferret, interiore sensu istius divini beneficii revera non tangeretur.

Partic. 27. pag.11. *Quod eadem pag. subjicit, &c.* Non est hic locus disputandi de sententia illa mea, quod homo sua natura mortalis sit, etiam secluso peccato, de qua integrum librum adversus Fran. Puccium scripsi, qui liber aliquando, Deo volente, edetur. Tantum dicam, Reprehensorem meum plurimum in præsente disputatione errare, neque animadvertere, me hic nihil dicere, quod ipse suique omnes non fateantur. Quamvis enim quis per totam vitam suam ab omni peccato immunis esset, peccato, inquam, (ut vocant) actuali: (de hoc enim peccatorum genere hic loquimur) remaneret nihilominus reatus, quem ex Adamo primo parente nostro, propter ipsius inobedientiam omnes contrahimus: cujus vi, necessariæ morti in perpetuum subjicimur Rom.5.12. Tametsi igitur, mortem per peccatum ingressam fuisse in mundum, ut scriptura testatur, significaret, hominem ante peccatum natura immortalem fuisse, (quod tamen ipsius etiam Augustini testimonio falsum esse, non uno in loco alibi à nobis demonstratum est) non propterea hinc sequeretur, quin, postquam primus homo peccavit, cæteri omnes, qui ab ipso sunt propagati, propter hoc ipsum, quod ab eo sunt propagati, qui, propter suum peccatum, morti penitus, ex divina sententia, fuit addictus, sint licet quantumvis alioqui sine peccato, ipsi quoque similiter morti pænitus essent addicti; ex qua divinæ tantum misericordiæ ope liberari queant.

Partic. 28. ibidem. *Quod ex sententia quam tuemur &c.* Etiamsi scriptura homini suam imperfectionem perpetuo ob oculos ponit, non tamen usquam negat, hominem, quamdiu in hac vita est, sine peccato esse posse, intellige, per aliquod tempus ante mortem suam. De hac enim perfectione, non de absoluta per totius vitæ curriculum disputamus. Nec meminit Reprehensor meus, cum hæc scripsit, sententiæ Augustini ab ipso

ab ipso paullo ante non improbatæ, nec quanta, ex ipsius Augustini sententia, differentia sit inter has duas enunciationes, Nemo est perfectus, Nemo potest esse perfectus. Cum illa quidem conatus ad perfectionem perveniendi consistere potest: cum hac vero, nullo pacto. Nec quidquam video hic responsum, ad manifestissimam hujus rei rationem à nobis allatam, quam ante nos attulerat Seba: Castellio, homo sine dubio pluris faciendus, quam Adversarius existimet.

Partic. 29. ibidem. *Quod in definitione regeniti &c.* Cum de hominibus regenitis loquimur, in iisque requirimus ut in nullo peccato maneant, cum Paulo Apostolo, ut ante partic. 16, & 17, ostensum est, loquimur, qui eos, qui possessuri sint Dei regnum, nec adulteros, nec scortatores, &c. esse vult. Regnum enim Dei homines, qui regeniti fuerint, omnino possessuros, inter omnes constat. Dum igitur quis (exempli caussa) ita in adulterio manet, ut merito adulter, pro præsente tempore vocari possit, certum est, istum tantisper non esse regenitum. Itaque, si David adulter merito vocari aliquamdiu, pro eo ipso tempore potuit, regenitus etiam, pro eo tempore non fuit. Nec quidquam impedit, quominus quis regenerationem perdat, eamque iterum recipiat. Quanquam, quod ad Davidem attinet, cum regeneratio propria Novi Testamenti esse videatur, ut ex compluribus locis, præsertim vero ex cap. 3. Joh. intelligi potest, ejus exemplum non admodum ad rem facere dicendum est.

Partic. 30. ibidem. *In loco illo Pauli &c.* Vult me tacite Principii petitionis insimulare. Quia videor pro concesso sumere, in 7 cap. ad Rom. describi hominem, in quo semper, aut certe plerumque caro mentem superet. *Hoc enim*, inquit, *id est, de quo controvertitur.* Respondeo dupliciter. Primum nego, hoc ipsum vel per se, & præcipue, vel etiam consequenter, controverti. Præcipue enim controvertitur, an Paulus de seipso, ut jam regenito necne loquatur, quam controversiam haud necessario (ex disceptantium quidem mente) consequitur illa, utrum in homine à Paulo descripto caro necne mentem superet, cum permulti sint ex iis, qui volunt, Paulum de seipso, ut jam regenito, loqui, quibus videtur ad hominem regenitum constituendum satis esse, si in eo perpetuus & sincerus sit conatus bene agendi, quamvis iste plerumque irritus fiat. In qua sententia videtur fuisse nobilissimus ille ipse vir, cum quo disputans ista scripsi, dum ad ejus Epistolam respondeo, id quod in ipsa mea responsione ad finem pag 47, & deinceps aperte doceo. Deinde vero ad istud Adversarii objectum respondeo, me, quod in homine à Paulo descripto caro superet mentem, non pro concesso sumere, quamvis dicam, ut quidem verissimum est, id ipsa luce esse clarius; sed multis modis, idque ex professo, probare, dum diligenter verba non pauca 7 cap. ad Rom. confero cum aliis ejusdem Apostoli locis, in quibus de renatis hominibus loquitur, idque ad finem proxime seq. pag. 64, usque ad finem ferme pag. 97. Ita ut (nam & alibi etiam sparsim idem, ni fallor, facio) nihil majore studio in toto eo libello probare nitar. Ridicula vero est prorsus interpretatio Reprehensoris mei verborum Pauli, Nam quod Paulus, illum quem describit, dicit esse carnalem, interpretatur, *illum carnem adhuc residuam in se sentire:* quod ait, *istum venundatum esse sub peccatum, & captivum fieri Legis peccati à carnis Lege*, hoc his verbis refert, *qua*, (carne) *constringitur ac veluti captivus detinetur.* Quam utramque interpretationem, præ ipsis Apostoli verbis, prorsus dilutam esse, quis non videt. Affirmat præterea, Paulum dicere, istum luctando vincere, cum nulla tamen de hujusmodi victoria ibi fiat mentio, ne in illis quidem verbis, *Gratias ago, &c.* Unde istam sententiam ipse elicit (nec aliunde sane eam eliciendi spes ulla esse potest, cum in illis tantum gratiæ agantur pro liberatione, scilicet, à corpore mortis, quæ liberatio, quomodo contingat, an per victoriam quæ post luctam consequatur, an vero quia lucta illa desinat, omnino nihil constat.

Quanquam præterea, ut & in ipsa Disputatione nostra demonstratum, & superius in hac nostra Defensione confirmatum fuit, per parenthesin dicta sunt verba ista, *Gratias ago, &c.* Sed tamen operæ pretium est, videre, quomodo Adversarius cum illis proxime sequentia connectat. Arbitratur enim in proxime sequentibus genus victoriæ exprimi, quod, videlicet, sit, servire mente Deo (Legi Dei dixisse debuit) licet interim carne serviatur Legi peccati. Egregia sane victoria, cum istud sit illud ipsum, quod homo iste conqueritur ac deplorat, ut antea par. 15 ostendimus. Quid vero aliud est, mente servire Legi Dei, carne autem Legi peccati, quam, velle quidem, mente id suadente, Legi Dei obtemperare, te tamen ipsa carnis desideriis obsecundare? An hoc sit vincere in lucta cum carne, an potius succumbere, quilibet facile judicabit. Ridiculum enim est, *carne servire Legi peccati*, cum Adversario qui in suis Paulinorum verborum interpretationibus ubique sui similis esse coactus fuit, interpretari, *carnis reliquias restare, quæ non sinant esse sine peccato.*

Partic. 31. ibidem. *Ut suam Dysidæus in loci illius &c.* De iis, qui sive antiquitus, sive nostra memoria, idem re ipsa senserint, quod ego sentio, videlicet, Paulum 7 cap. ad Rom. nequaquam de seipso loqui, ut tunc, cum ista scriberet, regenitus erat, satis dictum est supra. Ex contraria autem sententia sequi, ad hominem regenitum constituendum, satis esse si secundum mentem suam velit recte agere, quamvis re ipsa in pravitatibus degat, abunde atque adeo ubertime in Disputatione illa nostra de loco istius 7 cap. ad Rom. demonstratum est. Debuisset autem Reprehensor meus, si sibi ipsi omnino constare voluisset, prorsus negare, fieri posse, ut quis secundum mentem suam, velit recte agere, & tamen interim in pravitatibus degat. Alioquin, cum id hoc loco tacite concedere videatur, videtur simul concedere, tenatum hominem posse in pravitatibus degere. Quandoquidem supra pat 4, satis aperte negavit, quenquam velle secundum mentem suam recte agere, qui non sit tenatus. Jam quod asserit, Paulum dicere, *renatum hominem (hominem, de quo loquitur*, vel *se* dicere debuit, alioqui principium petit) *quidquid vult boni non facere*, non autem *negare boni quidquam agere*; Vide quæ disputavimus supra partic. 18.

Partic. 32. pag. 12. *Quicumque, inquit, omnem concupiscentiam, &c.* Jam non dicet Reprehensor meus, me pro concesso sumere, in homine, de quo loquitur Paulus, mentem aut semper, aut certe plerumque superari, seu, hominem istum in pravitatibus degere, quando ad ea conatur respondere, quæ ad id probandum attuli. Primum autem facit me inepte pro eodem medio termino sumentem, peccatum in quopiam operari omnem concupiscentiam, &, Quempiam operari omnem concupiscentiam, atque ita argumentantem: Quicumque omnem concupiscentiam operatur, is te ipsa in pravitate degit, At in eo homine, de quo Paulus loco illo cap. 7 ad Rom. peccatum omnem concupiscentiam operatur: Ergo in pravitate degit, & non est regenitus. Ubi etiam vides, præter ineptudinem istam varii medii termini, quæ argumentationem penitus dissolutam ac nullam reddit, abundare in conclusione verba illa, *& non est regenitus.* Ego sane non ita argumentor, sed reipsa hoc pacto: Qui vehementer concupiscit, is in pravitate degit. Homo, de quo Paulus cap. 7. ad Rom. vehementer concupiscit. Ergo homo iste in pravitate degit. Minorem probo ex ipsis verbis Apostoli, *peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Majorem vero ex eo, quod ibi Paulus (quem in concupiscendi verbi usu hic imitari cogimur,) loquitur de ea concupiscentia, quæ divina Lege diserte est prohibita.

Nam quid magis pravum, id est, rectitudini contrarium, quam id, quod pugnat cum expressa Lege Dei? Et consequenter, quomodo non is in pravitate degit, qui id vehementer facit, quod expresse Legi Dei adversatur? Quid, quod omnis concupiscentiæ nomine, isto

in loco, à Paulo peccata præterea ipsa generatim significari, doceo, & idem reipsa esse apud ipsum, *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, quod, *Ego peccatorum sum plenus, & in ipsis peccatis dego?* Quid ad hæc Reprehensor meus. Nihil omnino, Tantummodo quæ ejus ferme est ratio mearum argumentationum ex aliquo sacro testimonio ductarum dissolvendi) profert suam istorum Pauli verborum interpretationem, & breviter dicit, etiam in homine regenito omnis generis concupiscentiam à peccato generari, quatenus in eo veteris hominis reliquiæ perdurant. Sed animadvertere debuit, ad concupiscentias omnis generis in quopiam gignendas, non satis esse, si in eo sint reliquiæ veteris hominis: sed necesse esse, ut ipse vetus homo in eo sit, quemadmodum, hoc eodem etiam in loco, in homine regenito esse, idem affirmat. Verum istud à nobis diserte negatur, nec ab ipso cui id faciendi onus incumbit, vel probatum est, vel umquam probabitur. Quod dicit, in homine regenito istam omnis generis concupiscentiam per spiritum cohiberi, atque etiam corripi, ut sensim aboleatur: de hoc, quod in homine illo, de quo ibi agitur fiat, nullum verbum in ipso Sept. cap. ad Rom. imo contrarium prorsus ibi legitur, & risu potius, quam ulla responsione dignum est, locum ad Gal. 5, ubi ii, qui Christi sunt, dicuntur crucifixisse carnem cum vitiis & concupiscentiis, velle quodammodo conferre cum iis, quæ leguntur 7. ad Rom. de homine, in quo peccatum operetur omnem concupiscentiam, ita ut tandem homo iste fiat captivus legis peccati, cui legi usque ad extremum carne serviat, licet mente serviat Legi Dei. Hæc est, scilicet, illa abolitio concupiscentiæ a peccato ingeneratæ, quæ in isto homine sensim fit; ut, nimirum, ad ultimum usque hujus vitæ spiritum, carne legi peccati serviat.

Partic 33. Ibidem. *Agnoscimus 9. & 10. versus*, &c. Quæ sententia sit vers. 9, & 10. 7. cap. ad Rom. non expositum modo, sed probatum est à nobis pag. Disputat. nostræ 68, 69, & 70, & Apostoli scopus in verbis illis demonstratus, qui illis tantum qui adhuc sub ipsa lege sunt accommodari potest. At Reprehensor meus, iis nulla ratione dilutis, quæ à me disputantur, ait, istos duos versiculos de sensu peccati intelligendos esse, quo sensu destitutus erat Paulus ante cognitum Christum, per quem ad legis cognitionem aperti sunt ei oculi, cum antea hypocrisim foveret in corde se putans justum ex lege. Quis unquam mirabiliorem explicationem vidit? Paulus diserte loquitur, de morte, quæ, veniente mandato, id est, lege, acciderit; quia, videlicet, peccatum, quod ante legem erat mortuum, revixerit: quæ peccati reviviscentia (ut sic dixerim) qualis fuerit, ex antecedentibus illis verbis constat, *operatum est in me omnem concupiscentiam*, & tamen in ista explicatione, de hac re nihil dicitur; & sine ulla probatione ad sensum peccati verba trahuntur, de quo nihil apparet. Paulus manifeste de effectu ipsius legis loquitur, qui extitit, simulatque Lex lata fuit. Hic vero dicitur, eum de cognitione legis loqui, idque post Christum cognitum, de quo in tota ista Apostoli de vi & effectu legis disputatione, quæ incipiens à vers 7, usque ad finem cap. perdurat, nulla prorsus nec aperta nec tacita fit mentio, nisi demum post 17 versiculos in gratiarum illa actione; quam etiam cum reliquo sermone proprie non cohærere, & per parenthesin legendam esse docuimus. Cæterum, quod Reprehensor meus ait, me falli, eo quod verba illa, *ego autem mortuus sum*, intelligo dicta esse simpliciter, id est, ut significent, hominem in statu illo morti & condemnationi prorsus fuisse obnoxium, non autem secundum quid, ut ipse, dicta esse affirmat, rogo unde hoc habeat, cum verba ipsa sint simpliciter prolata. Quis autem antehac audivit, mortuum esse, idem significare, quod sentire, se jure posse morte damnari, eodem tamen tempore à damnatione ista se plane liberatum esse animadvertere.

Partic. 34. pag. 13. *Atqui utitur Paulus voce*, &c. Movet quæstionem de verbi καταργεῖν Rom. 6. v. 6. significatione, quam, cum, ipso Beza, adversus quem disputo, infinitis pæne in locis, teste, eam esse negare non possit, quam ego dico; sic ait: *Quid inde consequitur? An ita abolitum esse in regenitis peccatum, ut amplius non sit? At ne id quidem audet affirmare. Quid est igitur ista abolitio peccati in homine regenito, nisi illius enervatio & debilitatio, ut quas solet vires in eo non exerat?* Ego vero dico, ex ista significatione verbi καταργεῖν, ut, scilicet, idem re ipsa sit, quod *Abolere*, id consequi, ut de homine regenito dici à Paulo nequeat, peccatum in ipso ita vivere, ut eum occidat, quandoquidem idem Paulus aperte vult, in homine regenito καταργηθῆναι peccatum, &c. Nam, in quopiam homine aboleri peccatum, & in eodem ita peccatum vivere, ut eum occidat, pugnantia sunt prorsus: adeo, ut qui unum de homine regenito dicat, nulla ratione, per quantumvis figuratum sermonem, alterum, sine manifesta repugnantia, de eodem dicere possit, id quod non ita omnino consequitur, si καταργεῖν significet enervare, id est, ut ipse Reprehensor meus interpretatur, ita debilitare, ut quas solet vires non exerat. Jam quanti sit momenti id, quod Paulus ad Rom 6. v. 6. affirmat de peccato, quod in nobis debeat καταργηθῆναι, & quantopere hoc pugnet cum eo, ut peccatum, nihilominus ut regeniti sumus, in nobis eos effectus pariat, quos ipsum parere isti ut velint necesse est, qui Paulum de se ipso jam regenito 7 cap. ad Rom. loco, loqui statuunt, satis indicavit ipse Beza, cum non contentus verbi istius Græci significationem isto in loco *Enervandi* verbo illud reddens, plane enervasse, Castellioni postea respondens, prorsus ridicule addidit, à Paulo in eo cap. 6. ad Rom. loco non describi eam hominis Christiani sanctificationem, quæ habetur in hoc sæculo, sed quæ tandem erit in futuro, ut à nobis Disputat. nostræ pag. 70, jam animadversum fuerat: cui animadversioni nostræ hic addimus, ex ista Bezæ interpretatione atque explicatione sequi, in ipso futuro sæculo peccatum enervatum, non autem plane abolitum iri.

Partic. 35. Ibidem. *Tota ista ratiocinatio ex voce* &c. Etiamsi Paulus 1 Cor. 3 v. 3. Corinthios carnales simpliciter appellando, secundum quid istam appellationem illis convenire intellexisset, non tamen sequeretur, idem posse intelligi, cum sub persona sua Rom. 7. v. 14. dicit hominem istum, de quo loquitur, esse carnalem; ita videlicet, ut interpretari possimus carnalem, id est, carnis reliquias adhuc in se habentem, idque duplici de caussa. Primum, quia aliud est loqui Rhetorice, aliud (ut sic dicam) Dialectice seu doctrinaliter. Cum illud fit, conceduntur hyperbolicæ quædam locutiones aptæ ad persuadendum; cum vero hoc, tales locutiones concedi nequeunt. Volebat Paulus persuadere Corinthiis, ipsos reprehensione dignissimos esse, & oportere, ut quædam facere prorsus desinerent. Itaque potuit illos paullo severius objurgare, & simpliciter carnales vocare, etiamsi revera illis simpliciter talis appellatio, proprie loquendo, non conveniret, quippe quæ proprie significet, carnem spiritu vel mente potiorem esse; quod fortasse in illis ut venire merito affirmari non poterat. Sed in 7. cap. ad Roman. conditionem illius hominis, de quo loquitur, plane nos docere voluit; & propterea oportuit illum proprie loqui: & sic cum carnalem istum hominem appellavit, intelligere, in ipso carnem potiores partes habere.

Deinde in loco isto ad Corinthios explicat sese Paulus, cur carnales Corinthios vocaverit. Quapropter nullum est periculum, etiamsi alioqui minus proprie vocem istam usurpaverit: At in cap. 7. ad Rom. vocem istam non explicat: nisi quod illud statim addit, ex quo intelligi debet, eum maxime propria significatione illam usurpasse. Illico enim subjungit, *Venundatus sum sub peccatum*, Quod necessario ostendit, Carnalem ibi id ipsum significare, quod verbum sonat, id est, carni addictum &

ctum & obsequentem. At vero præterea minus verum est, Corinthios appellari carnales à Paulo non simpliciter, sed secundum quid; si modo, quid in hac quæstione significent verba ista, *secundum quid*, recte intelligatur. Non enim significant, voluisse Paulum dicere, Corinthios quidem carnales esse, sed non ita tamen, ut omnibus, aut certe plerisque carnis affectibus indulgerent; verum ne quibusdam quidem, aut cuidam etiam tantum. Fieri enim potest, ut quis vel uni tantum affectui indulgeat, & tamen carnalis merito simpliciter vocetur; in proposito præsertim nostro: ubi certum est, nos intelligere, eum, qui ita regenitus non sit, ut regni Dei particeps sit futurus, carnalem simpliciter jure dici posse. Jam vero Paulus diserte explicat, se carnales propterea Corinthios vocare, quod inter ipsos essent ζῆλος, ἔρεις, & διχοστασίαι id est, Beza interprete, *livor, contentio, & dissidia*; quæ non modo plura simul juncta sunt vitia & carnis affectus; sed inter eos carnis fructus ab eodem Paulo 5. cap. ad Gal. singulatim numerantur, quorum vel unum quicumque facit, regnum Dei non est possessurus. Itaque non quidem secundum quid, sed simpliciter, quod attinet ad propositum nostrum, vocat Paulus Corinthios carnales. Nec obstat, quod ab initio Epistolæ vocaverit eos Ecclesiam Dei, sanctificatos in Christo Jesu, & vocatos sanctos. Tribuuntur enim & ibi, & alibi à Paulo ista similesve appellationes, omnibus iis, qui Christi doctrinam vitæque sanctimoniam profitebantur, propter istam ipsam professionem, ipsamque doctrinam, quæ divinissima & sanctissima est, & per quam ab aliis prophanis hominibus separati erant; nulla in ejusmodi appellationibus habita ratione an revera id essent, quod profitebantur.

Partic.16. ibidem, *Quod pag. sequente subjicit, &c.* Cur dicat enunciatum illud meum, Legem appellari ministram mortis propter eventum, Pelagianismum resipere, non satis intelligo, idque fateor, curiosius investigarem, si testimonio aliquo divino confirmatum esset, quidquid Pelagianismum resipit, id, ut vulgo creditur, esse hæreticum, alioqui enim larvis istis jam non puer, sed adultus per Dei gratiam in Christi cognitione factus, nequaquam territor. Jam, quod ait, istud meum enunciatum dilutius esse, quam rei conveniat; mihi plane contra videtur. Cum enim is, cum quo eo in loco disputo, contraria aliquando de eadem re, pro diversitate caussæ & temporis, à Paulo affirmari, exemplis ostendere aggrediens, Legis exemplo usus fuisset, quam à Paulo modo vitæ instrumentum, modo mortis ministram vocari diceret, mihi vero nihil aliud faciendum esset, quam docere istius diversitatis rationem nihil commune habere cum ea, quam ipse in Paulinis [verbis istis subesse] existimabat, quæ inter se prorsus pugnare, si locus 7. cap. ad Rom. de Paulo ipso jam regenito accipiendus esset, satis aperte demonstraveram; nihil potui nec aptius nec plenius excogitare, quam id, quod verissimum est; nempe si Lex vel appelletur, vel appellari potest vitæ instrumentum, id ratione consilii, quo lata fuerit, evenire; quod si contra ministra quoque mortis appellatur, istud ratione eventus fieri. Nam quid convenientius consilio opponere potui, quam eventum? Jam eventus iste id etiam (sano, ut ajunt, modo intellectum) complectitur, quod Reprehensor meus, tanquam à me omissum, addi vult, nempe, legem, per se ipsam nihil amplius præstare posse, quam occidere; quod à me alibi re ipsa expressum (idque mea sponte, necdum Adversario in illa Disputatione nostra quidquam elocuto, altera, videlicet prioris mei scripti pagina, quæ totius libelli octava est) nihil opus erat isto in loco repetere.

Ex quo concidit instantia, quam reprehensor meus hic affert de Euangelio, cum Euangelium, per se ipsum, vitam afferre queat, & porro credentibus, singulis diebus re ipsa afferat; adeo ut non ulla ipsius impotentia, sed tantum incredulorum, & apostatarum malitia ac perfidia fiat, ut ipsis sit odor mortis in mortem, & propterea non possit, istius eventus ratione ullo modo mortis minister appellari. De lege porro, quam concesserim vel appellatam fuisse, vel appellari posse instrumentum vitæ, nihil est quod me reprehendat; præsertim, cum præfatus ibi fuerim, me non meminisse istius appellationis legi diserte à Paulo tributæ. Alioqui enim istud, quod concessi, ex ipsius Pauli verbis, isto eodem 7 cap. ad Rom. aperte colligitur, cum vers.16 ait, mandatum, id est legem esse ad vitam. Nam quid aliud est, *Esse ad vitam*, quam, datam fuisse, ut homines, qui eam servarent, viverent? Ego quidem, ut Reprehensor ipse meus fatetur, dixi, legem posse appellari instrumentum vitæ, propter consilium, quo lata fuit. Et Moses, ut idem meus Reprehensor hic agnoscit, legi tribuit, quod vitam conferat, si quis eam servaverit, & vitam se proposuisse ait, cum legem servandam proposuit. At, inquit, hæc elogia legi sunt data *quatenus gratiæ in Christo non opponitur*. Immo (inquam ego) *quatenus gratiæ in Christo opponitur*. Diserte enim propterea data esse, ipse Moses significat, quia, qui legem servaverit, vivet. Hæc autem ut Paulus Rom.10.5 &c, testatur, & Gal.3.12, brevissime repetit, est legis justitia, quatenus fidei justitiæ, & sic gratiæ in Christo opponitur. Itaque nihil minus theologicum ab Adversario dici potuit; qui, velit, nolit, necesse est, ut distinctionem istam nostram, consilii, & eventus in lege danda approbet: neque enim ullo pacto illam convellere possunt ea, quæ ex Paulo de usu legis (ut ipse loquitur) citavit. Ista quidem omnia, vel ad eventum pertinent, vel si etiam, ex parte, ad consilium quoque trahi possunt, non pugnant consilia ista cum eo consilio, quod nos diximus, quodque multo frequentius atque apertius Sacris Testimoniis confirmatum est, nec quidquam impedit, quominus legis dandæ plura consilia fuerint, & unum aliis omnibus potius, saltem ordine: ut certe istud est. Ordine enim præcedit alia omnia consilium istud in danda lege, ut, scilicet, homines, eam servando vivant, quod quia ipsi propter carnis imbecillitatem non faciunt, succedunt alia consilia, ut peccata cohibendi, ut ad Dei gratiam, & ad Christum tandem suo tempore homines perducendi, & si qua sunt similia. Denique satis apparet, Reprehensorem meum, hoc in loco occasionem me accusandi, quemadmodum etiam alibi, admodum intempestive captasse.

Partic.37. pag.14. *Scriptura, inquit ille, spiritualem &c.* Quid quod statim aliam reprehensionem subjungit, quæ manifeste indicat, ipsum nimio me carpendi studio, cum ista scriberet, valde præpeditum fuisse? Scribit enim, me dicere, scripturam spiritualem hominem non animali, sed carnali opponere; & subjicit: *Contra dicit Paulus* 1 *Cor.*2.24. Atqui ego ipse in illis quidem verbis meis, quæ suggillat, satis aperte indico, scripturam spiritualem hominem animali opponere solere, non minus, quam carnali. Sic enim habent ipsa verba mea: *Verum de spiritualis, & carnalis appellationibus, quas hominibus tribuit scriptura, quatenus scilicet spiritualem hominem non animali, sed carnali opponit, idem dici potest.* Quis ex istis verbis non intelligit me fateri, vel potius monere, spiritualem hominem modo animali, modo carnali homini à scriptura opponi, & me; isto in loco de spirituali homine loqui, non quatenus animali, sed quatenus carnali homini in Sacris Literis opponitur?

Partic.38. ibidem. *Ad id quod urget, eum hominem &c.* Ait propter peccati reliquias, quæ adhuc in homine regenito sunt, ejusmodi hominem à Paulo venundatum sub peccatum dictum fuisse. Ad hoc jam satis supra non uno in loco responsum est: præsertim par. 35. ubi monuimus, Paulum ibi non Rhetorice, sed Dialectice loqui: quanquam ne Rhetorice quidem, unquam ausus esset Paulus de homine regenito affirmare, quod venundatus sit sub peccatum, cum sæpius diserte contrarium affirmet, eum, videlicet, liberum esse à peccato, seu à lege peccati, esse mortuum peccato, crucifixum in eo esse veterem hominem, ut

corpus peccati, id est, ipsum peccatum aboleatur, ita ut jam peccato non serviat Rom. 6. 18. & 22, & cap. 8. 2, & rursus cap. 6. 6, &c, & alia similia non pauca; ex quibus certissimum est, peccatum in homine regenito nullum imperium exercere. Unde necessario consequitur, nulla prorsus ratione dici posse, illum venundatum esse sub peccatum; cum verba ista non modo aliquod, sed absolutum imperium, idque durissimum, significent; adeo, ut quemadmodum in Disputatione nostra pag. 77, diximus, etiamsi Paulus vel summa hyperbole hic usus fuisset, necesse sit fateri peccatum in homine isto dominari, adversus id, quod idem Paulus alibi in homine regenito omnino & requirit & esse pronunciat Rom. 6. 12, & 14. Joh. 8. vers. 34. Dictum illud, *qui facit peccatum, servus est peccati*, nullo pacto docere nos potest, de homine regenito dici posse, eum esse venundatum sub peccatum. Quamvis enim homo regenitus interdum delinquat, non tamen peccatum facit, vel ipso Adversario teste; apud quem supra partic. 16, ad finem hæc verba habentur: *Ideo ibidem subjungitur à Johanne, non facere peccatum, eum qui natus est ex Deo, id est, qui sit regenitus.* Et proxime antea dixerat, Johanni Facere peccatum, esse, indulgere peccato, *quod*, inquit, *à piis alienum esse debet.* Jam dictum illud, *Qui facit peccatum, &c*, apud eundem ipsum Johannem legi, nemo est qui nesciat.

Partic. 39. ibidem. *Quod tam absurdum censet, &c.* Quod ego de quibusdam affirmavi, qui voluntatis divinæ per Christum patefactæ veram cognitionem habent, eos, nimirum, interim in nonnullis vitiis manere, hic Reprehensor meus sophistice admodum carpit, inquiens, *se negare, eum qui Christum vere cognoverit, & bonam Dei voluntatem in eo fuerit amplexus, in istiusmodi spurcitiis vitam transigere*, & addit: *Nota est illa Johannis sententia, qui dicit, novi Christum, & mandata ejus non servat, mendax est.* Atqui ego non de Christi ipsius, sed de voluntatis divinæ per ipsum patefactæ cognitione, non de eo, qui voluntatem istam fuerit amplexus, sed qui tantummodo eam cognoverit sum locutus. Ut nihil dicam de Epitheto *bonam* quod Reprehensor meus ad vocem *Dei voluntatem* addidit: quo Epitheto expressius multo vitæ æternæ promissum significatur, & gustus, quem iste voluntatis divinæ sentiat, indicatur. Adde, quod locutiones istæ, Nosse Christum, Nosse Deum, ambiguæ sunt; & modo plene accipiuntur, ita ut obedientiam simul præceptorum Dei, & Christi significent, ut in isto & similibus locis apud Johannem; modo autem non plene, id est, sine obedientia ista: ut apud Paulum, ubi loquitur de quibusdam, qui, cum Deum novissent, ipsum tamen debito honore non sunt prosecuti, Rom. 1. 21. Et ego, videlicet, non quidem illa, sed hac significatione verba mea protuli. Quanquam, ut dixi, non de ipsius Christi, sed de voluntatis divinæ per ipsum patefactæ cognitione sum locutus; quam veram nominavi, non ut perfectam aliquam cognitionem significarem: sed ut eam à falsa, cujusmodi ex parte inter Pontificios est, distinguerem. Cæterum quod ait, impios non diligere bonum, neque odio habere malum, ad rem non facit, cum ego non de impiis hominibus, sed de carnalibus, iisque non mente, quod proprium impiorum est, sed carne ipsa tantum talibus, verba faciam. Relege autem, pro plena responsione ad ea quæ hic dicit, quæ scripsimus supra pluribus in locis, præcipue vero partic. 4, 5 & 9. Nam alioqui ipse hic, ut fere etiam alibi, nihil probat, nec sententiæ meæ quidquam, nisi suæ sententiæ explicationem opponit: & interim tamen regenito seu pio homini quædam tribuit, quæ à Paulo, homini illi, quem cap. 7, ad Rom. describit, minime tribuuntur: ut præcipuo cordis desiderio ad Christum suspirare, & cœlestem justitiam expetere, &c.

Partic. 40 pag. 15. *Non placet Dysidæo nostrorum &c.* De hac Reprehensoris mei, & suorum ab ipso sæpius repetita Paulinorum verborum interpretatione; ut, scilicet, *non quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago*, ista, inquam, verba apud Paulum ita intelligenda sint, ac si dixisset, *non quod volo bonum, hoc semper facio, sed quod nolo malum, hoc nonnunquam ago*, dictum est à nobis supra aliquid partic. 18, & ad ipsam confutandum, atque ostendendum, eam nec mihi, nec ulli pio & cordato homini merito placere posse, satis esse possunt ea, quæ hoc loco in Disputatione nostra scripsimus, pagina videlicet 81, & deinceps. Ubi abunde demonstratum est, eam non fulciri ullo modo eo Pauli testimonio, quod extat Gal. 5. vers. 17. Id autem ita se habere, vel id satis indicat; quod Reprehensor meus ad rationes meas nihil respondet, sed tantum ait, me conari locum istum obscurare, & in alienum plane sensum detorquere, dum subtiles in vocula ἵνα capto argutias; quam subtilitatem qui Græce tantillum norunt, plane risuros ait: & tandem concludit, videri, me ipsum non satis assequi, quæ de loco isto disputo; quam, dicit, justo Dei judicio esse mercedem eorum, qui claræ luci tenebras obducere conantur. Egregia sane respondendi ratio. Ego vero arbitror, homines & Linguæ Græcæ haud rudes, & veræ Theologiæ candidatos, de iis, quæ pro explanatione istius Paulini loci scripsimus, multo aliter jam sentire, & porro sensuros perpetuo esse, modo illa diligenter examinare velint. Si magnopere Castellionem, dum aliud ago, commendassem, quemadmodum, me hic facere, Reprehensor meus ait, id fecissem, quod & illius viri summa pietas atque eruditio, & benevolentia ac pœne observantia, qua me plane adhuc adolescentem, ipse ætatis jam provectæ, postremo vitæ suæ anno sibi cognitum & familiarem factum est prosecutus, ut perpetuo, occasione hujus rei mihi præbita faciam, omnino requirit ac postulat. Sed non fuit, isto in loco, ulla hujusce rei occasio, cum ejus, Paulinorum istorum ad Gal. verborum translationem nequaquam probarem, quare satis parce isthic eum laudare, quodam modo necesse habui. Jam vero, an Castellio, ut, Bezam imitatus, asserit Reprehensor meus, in pervertendis scripturis, si quis alius, audax necne fuerit, non est disputandi locus. Ego quidem una cum aliis doctissimis viris, ejus laboribus in convertendis in Linguam Latinam Sacris Bibliis, & brevibus scholiis alicubi illustrandis, multum à Sacrarum Literarum studiosis deberi censeo; præsertim, si ejus translatione quis, tanquam paraphrasi quadam brevissima potius, quam exacta interpretatione utatur, Epistolam illam Bezæ ad pastores Ecclesiæ Basiliensis, jam diu, & antequam Disputationem illam nostram scriberemus, & vidimus, & expendimus, nec putamus, in ea quidquam esse aliqua responsione dignum, quod à nobis in illa ipsa Disputatione, dum præstantissimo illi viro respondemus confutatum non fuerit.

Partic. 41. ibidem. *Cæterum quod pag. 85 vult &c.* Opinionem illam meam, quod aliqui inveniantur, qui habitus virtutum Christianarum plene sint adepti, aliter rejicere oportet, quam objectis larvis Anabaptismi & Pelagianismi. Nam quod, teste scriptura, nemo sit qui non peccet, nemo, qui peccatum non habeat, nihil illi adversatur. Nihil, inquam, impedit, quominus quis plene habitus Christianarum virtutum adeptus fuerit, & tamen interdum peccet, vel ignorantia, vel incogitantia, vel leviore denique aliquo lapsu. Hæc siquidem, si perraro evenerint, cum pleno virtutum Christianarum habitu neutiquam pugnant. Quanquam, quod attinet ad Johannis testimonium de peccato, quod unusquisque nostrum habeat, ex eo non probatur, neminem unquam ad eum sanctimoniæ vitæ gradum pervenire, ut jam non peccet: sed tantummodo, neminem esse, qui peccati non sit reus; ut aperte demonstravimus pagina 109, & 110, Disputationis nostræ, quidquid in istum locum scribens contra disputet Reprehensor meus, qua de re infra suo loco partic. 52.

Nam

Nam de Salomonis testimonio, &, si quod aliud est simile, præter id quod jam respondimus, non solum loquendi modi censeri possunt, quibus quis merito utitur, ubi vix contrarium exemplum datur, sed etiam haud injuria quis dixerit, aliam esse rationem ejus temporis, quod Christi Euangelium & gratiam præcessit, & ejus, quod consecutum est.

Partic. 42. pag. 16. *Quod urget Dysideus, eum hominem, &c.* Ad probandum, quod is captivus Legis peccati simpliciter dici possit, qui ex parte tantum illam peccati captivitatem sentit, aliud necesse est, quam id (ut quidem sæpius in quantumvis controversis suis enunciatis Reprehensor meus facit) simpliciter affirmare: præsertim, cum certum sit, denominationes fieri ab eo re, quæ plus, aut saltem æque viget: non autem ab ea, quæ minus: & non minus tum certum, tum confessum sit, in isto, de quo agitur, an captivus Legis peccati merito appellari possit, id est, in homine regenito, plus vigere libertatem spiritus, quam carnis seu peccati captivitatem. Quod ne sibi objici possit, quam maxime potest cavens adversarius, ea verba in suam suæ enunciationis explicationem insinuat, ex quibus colligi queat, in homine regenito non plus vigere libertatem spiritus, quam servitutem carnis, immo vero minus, ut statim ostendam. Inquit enim: *Verum quoniam captivitas illa quæ tantum est ex parte, aboleri debet, & libertas illa spiritualis quantumvis adhuc infirma, principatum obtinere, ideo pii jam liberi peccato dicuntur, & mancipati justitiæ, quia in abnegandis cupiditatibus laborantes vitam juste et religiose pro virili instituunt.* Nam certe, si quædam, quæ in homine regenito aliquando futura sunt, una cum iis, quæ jam adsunt, efficiunt, ut homo regenitus liber à peccato dici possit, sequitur, ut sine istorum futurorum consideratione, & præsentis tantum status respectu, idem de ipso dici nequeat; & consequenter concludendum est, (ex ipsius quidem Reprehensoris mei sententia) in ipso non tantam esse libertatem spiritualem, quanta est peccati captivitas. Cur enim alioqui, si, ut ipsi Reprehensori meo placet, respectu tantum præsentis status, captivus Legis peccati dici potest, non similiter, ejusdem tantum præsentis status respectu, liber à peccato diceretur? En qualem hominem regenitum nobis scriptor noster describit: in quo, videlicet, plus adhuc carnis sit, quam spiritus. En qualem nobis ipsum Paulum Apostolum, dum Epistolam ad Romanos scriberet, format ac depingit: in quo, nimirum, infirma (idque non parum; hoc enim ex dictione, *quantumvis*, omnino colligitur) adhuc esset spiritualis libertas, nedum in eo principatum jam obtinuisset. Vix crediderim, ullum alium ex ipsius Symmistis ista proferre ausurum. Tametsi, ut una cum ipso id tandem faciant necesse est, si aliquo modo sententiam suam de loco illo 7. cap. ad Rom. à meis & aliorum impugnationibus defendere videri velint.

Partic. 43. ibidem. *Quod autem pag. 91 &c.* Ex iis, quæ hic Reprehensor meus dicit, apparet, illum omnino id sentire, quod modo diximus, id est, in homine regenito, non jam re ipsa, sed spe tantum, spiritum carne potiorem esse; quando, videlicet, hic se satis habere ostendit, si modo ejusmodi homo non semper, peccandi sibi occasione oblata, peccet. Egregia sane regeneratio, interdum à peccato abstinere! Adde quod hoc ipsum, quod illi satis est ad hominem regeneratum constituendum, non probatur; ut ipse existimat, esse in homine illo, quem Paulus in loco, de quo disputamus, describit, ex eo quod homo iste dicatur mente servire Legi Dei. Non enim hinc sequitur necessario, ut nonnunquam à peccato abstineat, sed tantum ut ipse Adversarius loquitur (qui ex hoc tamen illud consequi perperam arbitratur) ut non omnino serviat Legi peccati; id est, non mente etiam ipsa, sed factis tantum. Id quod si, quominus sæpius ab ipso fiat, mens ista, quæ servit Legi Dei, nequaquam impedit; nulla caussa est, cur necessario aliquando tamen impediat.

Partic. 44. ibidem. *Frustra insudat Dysideus, &c.* Nihil hic à Reprehensore meo dicitur, quod vel jam satis superque a nobis refutatum non fuerit, vel responsione ulla sit dignum. Nam quid, quæso, est, quod ait, si exclamatio illa Pauli ipsius personæ non conveniat, igitur Paulum in re seria mentitum fuisse? An fortasse non & ubique ante, ubi eodem cap. de se ipso videtur Paulus loqui, in re seria versatur? An non eum ubique semper non de seipso, qualis erat, cum ista scriberet locutum fuisse contendo? Cur igitur nunc primum istud mihi objicit? Quod si recte objectum est, totam meam illam Disputationem penitus convellere est aptum. Manifesta sine dubio ipsius objectionis infirmitas tantæ ad eam proponendam tarditatis caussa fuit. Quid enim aliud ego una cum tot aliis doctissimis viris hic contendo; quam Paulum per quandam haud plane, in rebus ipsis gravissimis, insuitatam sermonis figuram, sub sua, id est, in prima persona loquentem, non de se ipso tamen, qualis erat, cum ista scriberet, loqui voluisse? Jam quid etiam illud est, quod ait, nos, si Pauli exemplum sequamur, non mansuros in peccatis, sed adversus ea fortiter luctaturos? Nam verum hoc quidem est, sed non, si Paulus de seipso jam regenito isto in loco loquatur.

Adde, quod alioqui etiam hæc mei Reprehensoris verba vitio non carent Quasi vero non possit quis in peccatis manere, etiamsi adversum ea fortiter luctetur, eo quidem manendi in peccatis sensu, quem locutio ipsa omnino præ se fert, & quo ego in illis meis verbis, ad quæ Adversarius respondet, sum usus, & quo deinceps sensu contendo, neminem renatum hominem in peccatis manere. Ut scilicet, manere in peccatis sit, admodum frequenter, & quodammodo assidue peccata aliqua committere, adeo ut quis non peccans modo, sed etiam peccator dici possit. Nam regeneratum hominem ratione habita ipsius præsentis status, non ita peccare, ut peccator dici possit, docet Paulus, qui manifeste *peccatorem, justificato* opponit, Rom. 5.8, & 9, præter alia complura, ac fere innumera Sacrarum Literarum testimonia, quæ ostendunt, peccatoris nomen nullo modo vere pio homini convenire posse, nisi fortasse præteritæ vitæ, præteritarumve actionum respectu, dum scilicet, vel impius adhuc, vel non vere pius esset. Quid autem vetat, quominus quis fortiter adversum peccata luctetur, & tamen ab eis victus vix nunquam non succumbat? Neque enim, ut in lucta non succumbat luctator aliquis, satis est adversus ἀντίπαλον suum fortiter luctari: sed necesse est præterea, illum viribus luctandique arte superare. Ut missum in præsentia faciam Pauli verba, de quibus agimus, & ex quibus, quid nobis, exemplo ipsius Pauli, si is de seipso loquatur (sic enim supplenda sunt Reprehensoris mei verba, alioqui inepta admodum & Principii petitionem continentia) faciendum esse doceamur, hoc loco ambigitur, luctationem quidem istius hominis adversus peccata indicant, sed quod, in ipsa hac lucta, homo iste fortiter luctetur, ejus rei nullum in ipsis certum indicium extat.

Partic. 45. pag. 17. *Paulum non fuisse locutum &c.* Nihil opus erat, ut isto ipso in loco ullum ex innumerabilibus propemodum illis Sacris testimoniis proferrem, quæ sententiam contineant ei plane contrariam, quam locus iste Rom. cap. 7, continere prima fronte videtur, cum proxime ante per triginta amplius paginas, nihil aliud fecissem, quam ejusmodi testimonia non pauca, in altero meo scripto jam prolata, diligenter probandum expendere, ac demonstrare, contraria tevera illa loco isti fore, si locus iste ita acciperetur, ut verba videntur sonare, id est, si de ipso Paulo jam regenito intelligeretur.

Adde, quod inferius, pag. videlicet 116, ad finem, quinque de seipso Pauli testimonia profero, quæ illum alium prorsus fuisse docent ab eo, quem isto in loco seipsum facere videtur. Quod si plura ejus modi loca, præter ea, quæ in illis meis duobus scriptis prolata sunt, Reprehensor meus desiderat, ista adhuc sibi, similiter apud eundem duntaxat Paulum, notata habeat;

Rom 6. vers. 4, 13, 17, 19 & 20. cap. 7. vers. 4 & 6, & cap. 8. vers. 12, & cap. 13, vers 13 & 14. 1 Cor. 5. vers. 11. & cap. 6. vers. 9, 10, 17, & 20. 2 Cor. 7. 11. Gal. 5. 6, (juncto cap. 6 vers. 15) item vers. 16, 19, 20, 21 & 28: & cap. 6. vers. 8. Ephes. 2. 3, & 10, & cap. 3. vers. 16 & 17. & cap. 4. vers. 22, ac deinceps usque ad finem cap. & cap. 5. vers. 3, 4, 5, & deinceps usque ad vers. 13. Philipp. 2. 15, Coloss. 3. 5, & deinceps per decem versiculos. Deficeret me tempus, si reliqua notare velim, quæ tum apud eundem Paulum, ex quo solo, ut dictum est, ista desumpsimus, tum apud alios Apostolos & Euangelistas extant. Nam in ipsius Christi verbis ejusmodi sunt non pauca testimonia, quibus confirmatur, Christianum hominem alium esse omnino debere ab eo, quem Paulus cap 7, ad Rom. describit, id est, non talem, qui tantummodo sine efficacia ulla velit bene agere, sed qui reipsa bene agat, non qui carne serviat legi peccati, sed qui carnem ejusque cupiditates domet, ac mortificet; ita ut, quemadmodum Paulus Tit. 2. 12, ait, mundanis desideriis abnegatis, sobrie, & juste, & pie vivat, in hoc seculo. Quamquam satis omnino est homini non contentioso, tantummodo ea quæ Paulus proxime ante & post locum illum septimi cap. ad Rom. de Christianis hominibus aperte disputat, cum iis conferre, quæ ibi homini isti sub sua persona tribuit; præsertim eo animadverso, quod cuilibet inspicienti dilucide apparet; scopum, videlicet, Apostoli isto in loco esse, de viribus atque effectis Legis, Christi gratia seclusa, differere. Qua de re mox aliquid dicendum nobis erit. Interim monebimus, quod in regenitis adhuc sint carnis reliquiæ, id nihil adversus sententiam nostram facere; cum ipsi nostra sponte sæpius in disputatione illa nostra concesserimus, regenitum hominem interdum peccare posse. Sed, ut video, istas carnis reliquias tales esse vult Reprehensor meus, ut spiritu potiores, aut saltem æquales ei sint, quod ex testimoniis ab ipso allatis nunquam probabitur. Nam ex illis nihil amplius effici potest, quam neminem esse, qui sine ullis peccatis vivat.

Partic. 46. ibidem. *Scopus Apostoli est, inquit*, &c. Concedere quodammodo videtur, scopum Apostoli, ut ego in Disputatione mea scripseram pag. 101, in loco illo septimi cap. ad Rom. esse, *de ipsius Legis effectis atque viribus sine Christi* ipse pro *Christi* reposuit *Dei) gratia differere*, sed ait, addendum fuisse, *Paulum id docere voluisse ab effectis etiam residuis in homine regenito.* Atqui hæc inter se repugnant. Ubi enim regeneratio, ibi necessario Christi gratia. Quomodo igitur possunt in homine regenito effecta Legis sine Christi gratia ostendi? At, inquit, ut postrema hic ipsius verba indicant, se velle dicere, Paulum ex eo, quod præsente Christi gratia Lex ejusmodi mala effecta producit, & tam exiguæ sunt ipsius vires, multo magis id contingere, ubi abest Christi gratia, tacite argumentando concludere. Respondeo, tacitæ argumentationis istius nullum prorsus indicium extare, præter id quod Paulus in sua persona loquitur. quod quam nihili sit, demonstravi in Disputatione mea pluribus in locis, prælertim vero pag. 10 & 11: cætera omnia clamant, Paulum hominem describere sub ipsa Lege constitutum, & Christi gratiæ adhuc expertem.

Præterea dico, ubi quis jam Spiritu Dei est præditus, & Christi gratiam est assecutus, legem illi esse mortuam, sive, ut Paulus loqui maluit, illum legi, & propterea legem non amplius ista mala effecta in ipso parere, quæ in isto homine, de quo sub sua persona loquitur, eam peperisse Paulus dicit Id quod ipsemet Paulus apertissime testatur, si conferas vers. 5 & 6, ipsius cap. 7, ad Rom. cum vers. 11 & 13, ejusdem cap. Negat enim vers 5 & 6, in regenitis, utpote qui sunt à lege liberati, & Spiritu Dei renovati, affectus peccatorum vigere per legem ad fructificandum morti, ut tunc vigebant, cum adhuc sub Lege & in carne essent. v. autem 11 & 13, ait, in homine isto, quem sub sua persona describit, peccatum occasione accepta per præceptum, decepisse illum, eumque per illud occidisse, & peccatum per id, quod erat bonum, id est, per legem, isti homini genuisse mortem. Certe qui huc non intelligit, hominem istum ex ipsius Pauli tum mente, tum verbis clarissimis eodem in loco expressis, homini regenito opponi, nec divino spiritu renovatum esse, sed in literæ vetustate adhuc hærere, & consequenter Christi gratiam nondum esse adeptum; pro eo orandus est Deus ut ejus hac in re misereri velit, & deperditum hac in parte intellectus lumen, ut recipere possit, illi concedere. Adde postremo, quod si Pauli scopus est de legis viribus isto in loco differere, & sic ostendere, quam illæ sine Christi gratia sint infirmæ, necesse est, ut exemplum ponat hominis, cui ab ipsa lege auxilium expectandum sit, seu mavis, qui legis auxilio uti velit. Id quod non potest in eum hominem cadere, qui Christi gratia sit præditus; quippe qui jam à lege nullum auxilium quærat, nec ipsi is, quod huc attinet, ut inde vires aliquas sumat, ullam jam rationem habeat. Non potest igitur ejusmodi hominis exemplum isti, quem diximus, Pauli scopo accommodatum esse, ut scilicet, ubi, ostenderit, in homine regenito valde infirmas legis vires esse, hinc multo infirmiores in non regenito illas esse, tacite concludat, cum certum sit, in homine regenito, nullum periculum legis virium, id est, opis & auxilii à lege proficiscentis, unquam fieri.

Partic. 47. ibidem. *Paulum loco illo 7, ad Rom. ita convertit*, &c. Nullo prorsus pacto ex verbis meis, sive in isto loco, quem Reprehensor meus notat pag. 102, sive in priore meo scripto pag 11, ubi de istis Paulus verbis ago, apparet, me aliter intelligere vulgatæ editionis verba illa, *ego vivebam sine lege aliquando*, quam, ac si scriptum esset, *vivus eram*, ut Bezæ omnium, ni fallor, primo verbum ἔζων convertere placuit. Et sane ego ipse locum istum ita intelligo, ut Bezæ interpretatio monet, quam tamen interpretationem non laudo. Nam, cum in Græco locus sit ambiguus, itidem ambiguus in Latino, si id fieri potest, esse debet. Sed putavit, nimirum, Reprehensor meus, in Paulina locutione ista, verbum *vivere* non posse significare vivum esse, sed tantum vitam transigere: & propterea alios interpretes ante Bezam, & me, qui (ut fere soleo in Novi Testamenti locis) secundum veteris interpretis translationem locum illum lego, errasse, cum in eo convertendo vel citando vivendi verbo usi sumus; quippe quod mens Pauli fuerit, dicere, se vivum fuisse.

Verum graviter sine dubio ipse erravit. Sed in eo gravius adhuc errasse videtur, quod putat, si apud Paulum legatur, vivus eram, non habere locum ratiocinationem meam ex eo ductam, quod Paulus dicat, hominem istum, de quo loquitur, aliquando fuisse sine lege: quasi vero, lectione ista admissa, hoc Paulus non dicat. Nam quid, obsecro, est aliud, *vivus eram sine lege aliquando*, quam, *Aliquando, cum sine lege essem, eram vivus?* Cæterum & ipsius mei Reprehensoris, & aliorum, quos ipse sequitur, interpretatio, ut, Esse sine lege, in loco isto sit, Non habere veram cognitionem legis, seu, non percipere vim legis, quod nimirum Paulus de seipso dicere potuerit, antequam esset regenitus, abunde refutata est in Disputatione nostra, partim in priore scripto pag. 11, partim vero in posteriore, hoc ipso in loco pag. videlicet 102. Nec unquam probari poterit, regenerationem, quæ per Christum contingit, ullam Legis Mosaicæ majorem cognitionem ipsi homini regenito conciliare: præsertim, quæ ad Pauli eo in loco propositum quidquam pertineat.

Partic 48 ibidem. *Quod renatum hominem liberum*, &c. Non scripsi ego, renatum hominem liberum omnino esse ab ea irritatione ad peccandum, quam in hominibus non regenitis efficit Lex: sed tantum, Hominem renatum ita vivere, ut condemnationis, quam ab aucto per legem mirum in modum peccato (de qua, videlicet, Apostolus in loco 7. capitis ad Rom. expresse loquitur) inferri certum est, nullo modo sit par-

ſit particeps. Inſpiciantur ipſa verba mea pag.103. Quanquam & iſtud ipſum, quod mihi affingit Reprehenſor meus, jure ſcribere potuiſſem: nec quidquam tamen me attigiſſet ejus reprehenſio, cum nihil impediat, quominus in homine regenito nonnunquam, immo etiam ſæpius irritetur concupiſcentia, neque id tamen ab ipſa lege fiat.

Partic.49. pag.18. *Paulo poſt, Mors, inquit, &c.* Ratiocinationem meam, quam pene ad verbum & fideliter recitat, ſua reſponſione ab initio ne attingit quidem. Nam, cum dico, hominem renatum à nulla morte detineri, à qua, dum hic vivit, liberari poſſit, proprie loquor: atque intelligo, hominem, poſtquam renatus eſt, ſive in ipſo regenerationis ſtatu, à nulla ejuſmodi morte detineri, ut quidem neceſſe eſt ut intelligam, niſi peſſime ratiocinari velim; cum dicam in ipſa ratiocinationis propoſitione, hominem à Paulo deſcriptum cupere ſe liberari à quadam morte, à qua, dum hic vivit, liberari poteſt, ex quo apertiſſime conſequitur, hominem illum, in eo ipſo ſtatu, in quo eſt, à morte iſta detineri. Quid igitur huc pertinet illud, quod Reprehenſor meus hic dicit, hominem regenitum ex parte (in hac nempe vita,) liberari, licet plenam liberationem in altero ſæculo habeat? Nam certe iſta liberatio ex parte, quam adverſarius intelligit, per ipſam regenerationem ſtatim contingit, ipſiuſque perpetua & individua eſt comes.

Quare nulla prorſus ratione poteſt per eam homo renatus, ne minima quidem ex parte à morte aliqua liberari, à qua in ipſo regenerationis ſtatu detineatur. Sed inquiet, ſe nihil aliud velle dicere, quam falſam eſſe ratiocinationis meæ propoſitionem, cum plena liberatio non in hac vita, ſed in futura contingat; cujus liberationis tum in exclamatione, tum etiam in gratiarum illa actione ratio habeatur, ut, nimirum, gratiæ agantur, & pro nondum plena, quæ jam præſens eſſet liberatione, & pro plena, quæ poſt tandem futura eſſet quemadmodum poſtrema ejus verba hoc loco indicant. Reſpondeo primum, hoc non convenire cum eo, quod ſupra partic.15. dixit, ubi ſatis conſtat eum velle, exclamationem quidem pertinere ad plenam liberationem, quam homo iſte percuperet, gratiarum vero actionem ad liberationem ex parte, quam jam adeptus fuiſſet, quod ibi oſtendimus ſubſiſtere non poſſe, cum neceſſe ſit, ut ejus omnino rei ratione gratiæ agantur, cujus conſequendæ deſiderium, ſummum in exclamatione proxima oſtenſum fuerat. Deinde dico, ne hanc quidem novam interpretationem ut, ſcilicet, in gratiarum actione, & præſentis & futuræ liberationis ratio habeatur, poſſe ſubſiſtere, cum non ſatis ſit, haberi in ea rationem ejuſmodi rei, cujus adipiſcendæ deſiderium exclamationem illam peperit: ſed præterea opus ſit, ut de nulla alia re gratiæ agantur, niſi de ea propter quam conſequendam exclamatum fuerat. Quare, cum ipſe adverſarius non audeat negare, gratias agi in loco iſto pro liberatione, quæ in hac vita habetur, neceſſe habet fateri, mortem à qua homo à Paulo deſcriptus detinetur, & à qua ſe exolvendi deſiderio exclamat, ejuſmodi eſſe, ut ab ea in hac vita liberari poſſit. Et ſic, ratiocinationis meæ propoſitionem ab ipſo minime negari poſſe, apparet. Adde, quod diſtinctio iſta plenæ & non plenæ liberationis, cum ipſis Pauli verbis nihil commune habet; ex quibus liquido conſtat, ibi non agi, niſi de una, eaque uno atque eodem tantum modo accepta & conſiderata, tum captivitate, tum liberatione. Captivitas quæ deploratur, & unde exclamatio illa oritur, eſt ſimpliciter, captivum eſſe legis peccati & mortis verſ.23. & 24. ejuſdem 7. cap. Liberatio item, quæ ſubſequitur, & pro qua gratiæ aguntur, eſt ſimpliciter, liberatum eſſe à lege peccati & mortis verſ.2. cap.8. Itaque, ut ſupra eadem partic.15. diximus merum eſt hoc commentum, diſtinctionem iſtam duplicis quodammodo liberationis hoc loco adhibere.

Partic.50. Ibidem. *Toto, inquit, cap illo 7. &c.* Nullo pacto rationem meam ex eo ductam, quod Paulus in illo ſermone, ubi de ſeipſo loqui videtur, nullam in ipſo cap.7. ſpiritus mentionem faciat, convellere poteſt Adverſarius, niſi iſtius rei cauſſam afferat, ac doceat, cur, ſi, ut ipſius ſententia neceſſario fert, de ſpiritu reipſa verba Paulus faciebat, mentem tamen tantum ac ſimpliciter nominavit; præſertim, cum & antea, & poſt, ubi certum eſt, eum de regenitis hominibus loqui, ipſa voce ſpiritus ſemper utatur. Nam quod idem adverſarius ait, cum hic Mens carni opponatur, oportuiſſe, me animadvertere, Mentis nomine hoc loco, *non quamlibet hominis mentem ſive rationem, ſed animum regenitum intelligi:* Ad hoc reſpondeo, immo, cum carni hic Mens opponatur non autem Spiritus, oportuiſſe illum animadvertere, Carnis nomine non intelligi ipſum hominem non regenitum, ſive hominem, quatenus non eſt regenitus, ſed id, quod menti etiam in homine non regenito opponitur, præſertim, cum, hoc pacto, utriuſque vocis, & Mentis ſcilicet, & carnis propria ſignificatio conſervetur, nec ulla additione ad eam percipiendam ſit opus. Nam quis negare poteſt, in homine, quantumvis non regenito, modo in beſtiam quodammodo non degeneraverit, & carnem, & mentem, maxime proprie loquendo, inveniri, atque inter ſe opponi?

Quod ſi Mentis nomine intelligas mentem Spiritu Dei regenitam, nonne, ex tuo ſenſu, addis voci Mentis quiddam maximi momenti, adeo ut non quidem interpretari, ſed corrigere velle Pauli verba videaris? Cæterum ad id, quod hic repetit Adverſarius, de mente non regenita, quæ Mens carnis à Paulo nominetur, unde concludit, non potuiſſe ejuſmodi mentem ab ipſo, carni, opponi, itemque ad id, quod ſimiliter repetit, de mente quæ in homine renovari debeat, abunde reſponſum eſt ſupra Partic.4. & 10. Nam quod hic addit, Paulum monere, mentem iſtam eſſe exuendam, id neque in notatis ab ipſo in margine locis, Col.2. Rom.12. Epheſ.4, nec alibi uſquam (quod ſciam) ſcriptum eſt. Pergens autem hoc loco Reprehenſor meus, tribuit mihi ratiocinationem quandam, quæ non invenietur in meo ſcripto, ut ſcilicet, ex eo, quod cap.8 mentionem faciat Paulus legis ſpiritus, cap. vero 7 legis mentis, concludam, illum cap.7 de alio homine, id eſt, non regenito loqui. Sed videamus tamen, quomodo ratiocinationem iſtam diſſolvat? Inquit igitur. *Nego vero conſequentiam, ſiquidem Lex mentis cap.7, & Lex ſpiritus cap.8. eadem eſt Lex, quia effecta eadem utrique tribuuntur, nempe ſervire Deo, & liberari à lege peccati & mortis.*

Sed ubi, quæſo, tribuit Paulus legi mentis, quod liberet à lege peccati & mortis? An fortaſſe hoc dicit, cum ait, illam alteram legem in membris ſuis repugnare legi mentis ſuæ, ſeque captivum reddere legi peccati, unde exclamat, *Me miſerum, quis me liberabit ab hac morte?* Quid alterum alteri magis contrarium eſſe poteſt? Et ſane vel hoc ipſum, quod apud Paulum Lex ſpiritus liberat in hac ipſa vita (præteriti enim temporis verbo *liberavit* utitur Paulus) à lege peccati & mortis; Lex vero mentis hoc non efficit, immo, pugnante cum ea membrorum lege, homo captivus fit legis peccati, ideoque & mortis, manifeſte docet, oportere, ut ex Apoſtoli mente longe aliud ſit Lex mentis, quam Lex ſpiritus, & hanc illi plurimum præſtare.

Credidit Reprehenſor meus (idque, ut arbitror, hoc loco dicere voluit, quamvis ſuis verbis non expreſſerit) idem valere, Servire mente Deo, ſeu ut Paulus loquitur, Legi Dei, quod, Mentis ope liberari à lege peccati & mortis, & propterea à Paulo eundem inſignem & ſalutarem effectum legi mentis tribui, quem legi ſpiritus tribuit. Sed quantopere fallatur, multa, quæ variis in locis tum in Diſputatione illa noſtra, tum vero ſupra in hac ejus Defenſione à nobis diſputata ſunt, monere illud facile poſſunt. Meminerit tantum, Paulum poſt illa verba, *mente ſervio Legi Dei*, ſtatim addidiſſe, *carne autem Legi peccati*, cum præfatus eſſet,

esset, se de uno & eodem homine ista duo dicere. Jam postremo miror, Reprehensorem meum ausum esse asserere, *in illis locis Epistolæ ad Rom. spiritum non opponi literæ, seu legi vacuæ spiritu, sed carni, peccato, & morti*, Cum cap.7.6. legantur verba illa, *ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ*. & cap.8.2, & 3. postquam Apostolus dixisset, legem spiritus vitæ liberasse ipsum à lege peccati & mortis, statim subjunxerit, *Nam quod impossibile erat legi, &c.* An non ipse Adversarius non diffitetur, ut vidimus partic.46. in 7 capite agi de effectis & viribus legis? Quomodo igitur non necesse est, ut spiritus, cujus effecta & vires cap 8 exponit, is spiritus sit, qui legi opponitur?

Partic.51. ibidem *Quod pag.108. & 109 subjicit, &c.* Reprehensorem meum non admodum accuso, si me, à suo more interim non recedens, Catharorum & Novatianorum larvis territare tentat, quando ex ipsa Epistola mea ad lectorem, & ex aliis in Disputatione mea locis intelligere potuit, me ab istis hominibus non parum abhorrere. Verum quid, quæso, commune habet cum Catharorum seu Novatianorum dogmate, asserere, scriptores sacros parcissimos esse in peccatis sanctorum explicandis? Certe hinc potius apparet, eum, qui ita loquitur, omnino sentire, peccata sanctorum dari, id quod cum dogmate istorum aperte pugnat. Adde, quod isto ipso in loco id est, pag 108. diserte scripsi, me constanter credere, *Christianum, eum etiam esse posse, qui interdum peccet, & non raro labatur.* Quomodo igitur ausus est Reprehensor meus, ex verbis à me isto in loco dictis, eorum hominum me socium facere, qui nolunt, Christianum hominem jam ullo modo peccare? præterea, nonne, dum istud ipsum assero, quod ille ita acriter mordet, simul ostendo me sentire, non adeo parcos esse sacros scriptores in explicando, quod inter ipsos sanctos homines inveniantur, qui non raro labantur? Nunquid istud fert Catharorum seu Novatianorum dogma? Mera igitur atque adeo manifesta est hoc loco Reprehensoris mei calumnia. De distinctione, quam ego inter lapsum & peccatum hoc loco adhibeo (tametsi eam non explico) & ipse carpit, nihil aliud dicere attinet, nisi non propterea me negare, omnem lapsum esse peccatum. Sed nemo nescit, sæpe fieri, ut unum & idem vocabulum, modo latiore, modo restrictiore significatione efferatur, seu modo generis, modo speciei, ut logici loquuntur, significationem habeat. Quod an in voce peccati contingat, judicent alii. Ad exemplum Davidis, quod hic repetitur, responsum fuit supra partic.29. De Petri porro abnegatione item responderi potest, Petrum, videlicet, adhuc sub Vetere Testamento fuisse, necdum Spiritum Sanctum Novi Testamenti proprium accepisse, & porro non plane regenitum tum temporis fuisse. Sed finge, fuisse. Quid hoc adversus enunciatum meum, quod Sacri scriptores parcissimi sint in indicando, non modo explicando, quod sancti homines interdum peccent? Primum enim unum alterumve exemplum parcitati isti (ut sic dixerim) non adversatur.

Deinde meum enunciatum, ut verba ipsa per se satis ostendunt, non ad historiam, sed ad doctrinam, quæ apud Sacros Scriptores extat, omnino est referendum. Dissimulatio Petri, & dissidium Pauli & Barnabæ (si modo dissidium illud delicti aliquid in se continet) inter lapsus à me numerantur. Quidquid autem de illis statui debeat, cum ad historicam narrationem pertineant, nihil revera meo enunciato adversantur. Abnegationis denique Christi nominis, qua notati fuerint plurimi, qui postea Christi martyres sunt facti, non erat, quod Reprehensor meus mentionem faceret, cum id apud Sacros ipsos Scriptores non legatur. Adde quod nihil vetat, istos omnes, antequam Christum abnegarent, quamvis ejus nomen publice profiteri non dubitarent, veros tamen Christianos, & re ipsa sanctos non fuisse. Cæterum, quod me inter otiosos homines numerat, & extra teli jactum, nullis unquam visis aciebus, constitutum facit, ignoscerem homini mei notitiam non habenti, nisi nulla venia dignum videretur de hominis sibi ignoti fama quidquam detrahere. Notavit ille, nobilissimum illum virum, cum quo de 7 capitis ad Rom. loco isto disputavi, ipsius disputationis nostræ pag.25, de me affirmare, quod tum temporis secure otio literario essem deditus. Verum, præter quam quod longe aliud est, otiosum hominem esse, & otio literario esse deditum, debuit Reprehensor meus similiter notasse, quæ à me pag.132 ad istud, & ad alia quædam huic similia, quæ à nobilissimo illo viro de me sunt scripta, respondentur: ex quibus satis constat, me, ne eo quidem tempore, quo ista scribebam, extra teli jactum fuisse, & jam tum diuturna ac multiplici experientia, quid cum tentationibus præliari sit, didicisse.

Partic.52. pag.19. *Quis vero non miretur præfractum &c.* Si hoc loco prout commeritus est, ita Reprehensori meo respondere velim, id mihi faciendum erit, quod & naturæ, & instituto meo, & denique in disputationibus perpetuo meo mori adversatur. Quare satis mihi esse volo ita respondere, ut quilibet facile intelligere possit, me à præfracta in corrumpenda (ut ipse mihi objicit) sententia illa Johannis Apostoli, 1 Joh.1 8 quam longissime abesse: ipsum vero (ut quam lenissime cum ipso agam quid hic dicat, quidve mihi objiciat, prorsus nescire. Cujus rei ostendendæ initium illud erit, quod ex tota illa Disputatione mea apertissime constat, me concedere, hominem ipsum jam regenitum peccare posse.

Citavi superiore partic. loca duo, unum in ipsa Epistola ad lectorem, alterum superiore proxima pag.108, ubi diserte, ut vidimus, non tantum labi, sed etiam peccare ejusmodi hominem posse, affirmo; licet hoc rarius, illud autem crebrius. Quod idem satis aperte colligitur ex iis, quæ disputo pag.56, post ipsius paginæ initium, ex quibus intelligi simul potest, qua ratione lapsus à cæteris peccatis distinguam. Atque, ut complura alia loca omittam, unde sententia ista mea cunctis patere potest, eam iterum clarissimis verbis explico pag.126. ubi etiam quid peccatum, quidve lapsum à peccato distinctum, in hac disputatione appellem, clarius apparet. Adde, quod ipse reprehensor meus supra partic.34. ait, me non audere affirmare, in homine regenito peccatum amplius non esse, & apertius proxime seq. partic. fatetur, me concedere, renatum hominem posse peccare quanquam dicit, me, quasi mei oblitum istud dixisse: cum tamen constet, me isto in loco ad ea respicere, quæ alibi superius dixeram. Videat lector ipsum initium pag. 112 Disputationis meæ. Constat igitur, Reprehensorem meum nescire quid dicat, cum mecum ita pugnat, quasi ego negem, renatum hominem unquam peccare. Sed fac, me negare; quid attinet hoc loco contra sententiam istam Sacra Testimonia afferre, ubi non de ipsa agitur, sed tantum de quorundam Joh. Apostoli verborum interpretatione mea, ex qua nullo modo sequitur sententia ista? Cur interim nihil prorsus respondetur ad testimonia à me allata, ut probem, peccatum habere, non idem esse, quod peccare, sed, quod peccati reum esse, ex quo manifeste confirmatur, interpretationem illorum Johannis verborum vulgo receptam nihil firmitatis habere? sed videamus, quid respondeat ad alteram meæ interpretationis confirmationem, sumptam ex apertioribus ejusdem Apostoli verbis, quibus mox, more suo, eandem sententiam repetit, ex illis, inquam; *Si dixerimus, quoniam non peccavimus &c. Certe*, inquit, *nec præteritum tempus excludimus.* Quasi vero ego, præteritum tempus excludendum non esse, probare velim & non apertissime constet, me ex verbis istis, in quibus de præterito tantum tempore agitur, ostendere velle, in iis de quibus controversia erat, quippe horum simillimis, de præterito tantum tempore similiter agi.

Jam, cum ait, omnino intolerabile esse, quod adjicio, Apostolum, videlicet, illic agere de peccatis, quæ unusquisque commiserit antequam Christi nomen profiteretur,

retur, quomodo quæso, istud, quod ait, probat? Certe non alia ratione, quam quia quotidie peccatorum remissionem, à Deo petere docemur; unde concludit, nos nova indies peccata committere. Atqui hoc penitus extra propositum concluditur, cum neque ego id negem, nec si, in singula etiam momenta, quilibet Christianus homo gravissime peccaret, hinc certo statui possit, verba illa Johannis de istis etiam peccatis, & multo minus de istis tantum accipienda esse. Non enim quidquid verum est, ubique dicitur; & sæpe in Sacris Literis verba aliquid significare iis videntur, qui in earum locutione non sunt adeo versati, quod tamen non significant, etiamsi id alioqui verissimum sit. Sed mox me impium, & præcipui, quo Christiani donantur, beneficii hostem non ferendum appellat, quia dicam, in precatione Dominica nos petere remissionem peccatorum, quæ ante conversionem nostram & regenerationem commissa fuerant. Si intelligit, me dixisse, istorum tantum peccatorum remissionem in ea precatione à nobis peti, apertissime calumniatur. Verba enim mea pag. 110. hæc sunt. *De præteritis igitur peccatis, ut dixi, loquitur Apostolus non de præsentibus. Nec vero alio potissimum respexit Christus, cum nos orare docuit cælestem patrem, ut nobis remittat debita nostra.* In quibus verbis dictio illa *potissimum* manifeste significat, me aliorum etiam peccatorum remissionis petitionem non excludere, licet præcipue istorum remissionis in precatione ista rationem haberi dicam.

Quod si hoc ipsum ipse intelligit me dixisse, cur turpissimis istis & gravissimis conviciis me afficit? Quid impietatis, rogo, aut hostilitatis (ut sic dixerim) adversus remissionis peccatorum, quæ etiam post regenerationem committimus, beneficium hic animadverti potest? Quin immo, si ulla impietas in alterutrius nostrum hac de re sententia notari potest, in ipsius potest, quæ meæ contraria sic habet; *Forma illa precandi pro remissione peccatorum, non tam ad ea peccata quæ ante remissionem admissa sunt, quam ad ea, quibus, quantumcumque regeniti, subinde nos astringimus, referenda est.* Quæ Reprehensoris mei verba nunc accuratius non examino. Tantum dico, si in petenda remissione peccatorum major ratio habetur eorum, quæ subinde post regenerationem committuntur, quam ante commissorum, posse hinc colligi, graviora esse ea, quæ post, quam quæ ante committuntur, id quod ut falsissimum est, sic impium sane fuerit affirmare.

At dicet ipse, collectionem istam stupidissimo homine esse dignam; cum non major peccatorum gravitas, sed nondum consecutus remissionis effectus efficiat, ut peccatorum, quæ subinde post regenerationem committimus, remissionem petere potius debeamus, quam ante commissorum, quæ jam remissa sunt. Sed profecto, si ratiocinatio ista bona est, non modo magis illorum, quam istorum, sed istorum tantum remissionem petere debemus. Et sane hoc reipsa, istius rationis, quod jubemur quotidie peccatorum nostrorum remissionem petere, vi atque efficacia fretus, conclusit antea Adversarius, hac eadem particula inquiens, non esse Christianum, qui non credat, præterita peccata iis, qui in Christum credunt, remissa esse, & propterea, cum nihilominus peccatorum remissionem à Deo quotidie petere doceamur, hoc fieri propter nova peccata quæ indies committimus. Itaque primum sibi ipsi non constat, cum postea ita loquitur, ac si ad utraque peccata pertineat petitio ista, quamvis ad subsequentia regenerationem magis præcipue. Deinde non recte distinguit inter utraque peccata, quod ad remissionem attinet. quandoquidem ea peccata, quæ post regenerationem, ipsa regeneratione durante (de his enim loquimur) committuntur, non minus remissa fuerunt simulatque is, de quo agitur, in Christum credidit, quam illa, quæ ante fuerant commissa. *Una enim oblatione*, inquit divinus ille scriptor, *consummavit* [*Christus*] *in æternum sanctificatos.* Qua de re pluribus egimus in disputatione nostra de Jesu Christo Servatore.

Ex quo sequitur, cum nihilominus tamen remissionem peccatorum homo regeneratus quotidie à Deo petere debeat, haberi in petitione ista potius rationem præteritorum, id est, ante regenerationem commissorum, quam præsentium peccatorum. Quippe quod illa istis & multo graviora ac certiora sint, nec tam facile, ut ista, à Deo remitti solita. Jam cum ego ad hunc modum de precatione ista sentiam, quomodo ex sententia mea potuit Reprehensor meus colligere, meum esse dogma, hominem regenitum non amplius peccare? aut quomodo ausus est statim, subjicere, *labi*, inquis, *potest, peccare non potest?* Ubi, quæso, in tota illa disputatione mea distinctio ista legitur? aut ex quibus meis verbis ea elicitur? Qui alterum reprehendere aliqua de re disputantem est paratus, diligentissime prius inquirere ac nosse debet, quid ille dicat. Non profecto ad istum modum, ego distinguo & doceo. Immo, ut supra demonstratum est, concedo, hominem regenitum peccare posse, sæpius tamen labi. Peccatum intelligo, cum quis sciens prudens à sibi præscripta via deflectit: lapsum vero, cum id per ignorantiam vel incogitantiam facit: non quod negem, vel omnem ejusmodi lapsum, latiore vocis Peccati significatione, peccatum merito dici posse, vel, qui ad istum modum labitur, si Deus summo jure cum ipso agere velit, æternæ mortis reum esse: sed quo facilius & apertius intelligatur, quid ego de delictis regeneratorum, nec ne in ipsis inveniantur, sentiam.

Frustra igitur hic disputat Adversarius, Ut probet, omnem lapsum esse peccatum, cujus stipendium sit mors, nisi gratuita Dei venia remittatur. Quasi vero id ego negem. Peccandi porro verbum intelligere potest, me non ita hoc loco accipere, ut vitiis indulgere significet, quod tamen, auctore Johanne Apostolo, ut ipse fatetur, facere potuissem. Sed hoc pacto, regenitum hominem vitiis indulgere posse, concessissem; cum, ut sæpius jam dictum est regenitum hominem peccare posse concedam. Quod absit à me ut vel per somnium quidem fecisse dici possim. Sic enim non modo mihi ipsi plane contrarius essem; sed id, quod falsissimum est, concederem, quodque si ipsa istius enunciati verba attendantur, seipsum manifeste falsitatis accusat. Nam quid aliud sonat verbum ipsum regenitum esse, quam in novitate, & sic, in sanctitate vitæ ambulare? Unde constat, quam turpiter fallatur Reprehensor meus, qui putet, sub mea sententia latere insanum quorundam Anabaptistarum delirium, de perfecte regenitis, qui postea labi non possint, vel certe miseras conscientias, vi sententiæ meæ, in desperationem labi necesse esse. Et addit, *En quid sit in Sacris Literis ex cerebri sui somniis philosophari.* Ego vero, ut istud ipse de me plane immerito, sic hoc meritissimo de ipso dicere possum. En quid sit nimio reprehendi studio teneri, & suorum magistrorum decretis nimis addictum esse!

Partic. 53. pag. 20. *Idem non minus impudenter quam nefarie*, &c. Pergit conviciari ac calumniari, inquiens, me non minus impudenter, quam nefarie corrumpere locum illum 1 Joh. 2. 1. Et interim nihil respondet ad rationes validissimas, quibus meam istius loci interpretationem confirmo; sed tantum ex ea colligit, qui semel fuerit regenitus, eum extra peccandi periculum esse. Id quod (tanquam si jure id collegisset) & falsissimum & absurdissimum esse, pluribus modis probare aggreditur. Quid est autem cum sua ipsius umbra pugnare, si hoc non est? Ergo, si Johannes (ut ego quidem sentio) isto in loco non id agit, ut moneat eos, qui, peccatis relictis, Christo se consecraverant, ne post hac in aliquod peccatum incidant: sed ut moneat eos, ad quos scribit, ut peccata quemadmodum postulat doctrina Christi quam profitebantur, re ipsa relinquant. Hinc sequitur, priore ista altera monitione nihil esse opus, quia, videlicet, ex posteriore hac,

in istis Apostoli verbis agnita, efficiatur, ut qui semel peccata reliquerit, peccare amplius non possit? Potestne stupidior hac, ulla consecutio excogitari? Aut quid verat obsecro, quominus monitio ista altera utilissima sit, etiamsi illa in loco isto non habeatur? Quid autem dicam, cum me ita loquentem facit? *Si regeniti simus, nihil ista* (id est, peccandi pericula) *nobis oberunt.* Me id dicere ait, quod ego falsissimum esse arbitror; idque mihi exprobrat, quod ipsius & suorum est proprium. Volunt enim ipsi, & hoc ipsemet in hac sua Reprehensione partic. 12, attingit, eum, qui semel revera fuerit regenitus, & sic vera vivaque fide fuerit præditus, ab ea nunquam excidere posse, & consequenter peccandi pericula isti non obfutura: quandoquidem certum est, omnes qui in vera vivaque fide perstiterint, salvos fore. Quæ igitur hic testimonia congerit, ut, ipsis regenitis pericula à diabolo & peccatis imminere, probet, non quidem adversum me, sed adversus seipsum & suos imprudens in medium producit.

Fatetur (quamvis tacite) ipse mox, ea nihil contra me facere, cum agnoscit, me concedere, renatum hominem peccare posse, idque eo magis fatetur, quod apparet, verba quibus sententiam istam exprimo, ita accipienda esse, ut intelligam, hominem renatum ipsa regeneratione perdurante, posse peccare, id est peccatum aliquod interdum committere. Adeo ut plus etiam ego concedam, quam ex testimoniis istis necessario concludi possit; quippe quæ peccandi quidem pericula renato homini imminere ostendunt, sed quod regeneratio, nihilominus ut renatus homo peccet, in ipso perdurare queat, prorsus non docent. Sed quædam ex ipsis, potius periculum esse indicant, ne quis peccando à regeneratione plane excidat, & ab adversario & hoste diabolo superetur. At vero ait, me quasi mei oblitum, istud quod homo renatus peccare possit, concedere. Immo vero ipse, me sugillandi studio, sui ipsius oblitus, præter omnem pii & cordati hominis morem, scriptum licet meum reprehensurus, quid ego scribam, non animadvertit; nec videt, me perpetuo in toto illo opere (ut vocula, *jam*, in istis ipsis, hoc loco, id est, in ipso pag. 112, initio, verbis meis aperte indicat) istud idem aut expresse aut tacite identidem concedere. Jam, dum rationem convellere vult, quam ipse attuli, interpretationis meæ illius loci 1 Joh. 2.1, nihil dicit; cum non modo nonnunquam, ut ipse fatetur, sed semper apud Johannem in illa Epistola, & fortasse etiam alibi, peccati, seu peccatum faciendi verbum simpliciter positum, in peccato manere significet, vel aliquid grave admodum & abominandum patrare. Qua significatione admissa, & ratione habita eorum, quæ superiore capite leguntur, ad quæ initium istud hujus cap. omnino relationem habet, multo verisimilius videtur esse, Johannem id curare, ut ii, ad quos scribit, re ipsa tales sese præstarent, quales ut essent, ipsorum professio requirebat, quam, ut, quando jam se tales præstabant, in eo etiam perseverarent. Tametsi enim jam profani non erant, quippe qui Christi Jesu nomen profiterentur; tamen quod vita ipsorum isti professioni responderet, ac breviter, quod revera pii essent, nihil vel constabat, vel constare poterat. Neque enim, quamvis id Adversarius affirmet, eos Johannes alloquitur, qui jam communionem cum Deo patre & filio ejus Jesu Christo haberent, (quanquam & hoc, & cætera omnia, quæ istis a Johanne tribui, Adversarius ait, & si qua alia, laude digna, in ea Epistola ipsis tributa inveniuntur, illis etiam tribui possunt, qui modo Christi doctrinam & Euangelium se amplecti profiteantur) sed eos, de quibus, ut eam haberent, sollicitus erat, ut constat ex vers. 3. cap. præcedentis.

Partic. 54. pag. 21. *In loco Jacobi cap. 3. eludendo, &c.* Ait; me desudare in eludendo loco Jacob. cap. 3. Ita nimirum hodie comparatum est, ut, si quis aliam ab ea, quam vulgus probat, alicujus loci interpretationem afferat, verissimam licet ac plenissimam, & nullo negotio explicatam, is & locum eludere, & ea in re desudare, seu miris modis se torquere dicatur. Sed videamus, quid meæ interpretationi deinde opponat. Scripsi ego, mentem Jacobi eo in loco esse, affirmare, non quidem, ut verba præ se ferunt, neminem prorsus esse, qui in multis non labatur: sed humanam naturam ita comparatam esse, ut omnes generatim facile labi possint. Hinc Reprehensor meus ad hunc modum scribit: *Immo vero ô Dysidæe, non solum generatim, sed speciatim, atque etiam singulatim quilibet & labi & graviter impingere quotidie potest, in tetra etiam flagitia ruere, nisi manu Dei sustineatur.* Sed quid hic, rogo, contra interpretationem meam? Totum certe istud ego concedo. Aliud est enim re ipsa in multis labi; aliud vero, posse quotidie labi, & graviter impingere. Hoc de omnibus & singulis affirmari posse, admitto, illud nego. Jam ista duo, Generatim omnes facile labi posse, & singulatim omnes posse in tetra etiam flagitia ruere, nullam oppositionem inter se habent. Adverbium enim *Facile* in priore enunciato positum, non item in posteriore, omnem oppositionem inter ipsa tollit, nec quidquam impedit, quominus Jacobus id tantum dicere voluerit, quod ego eum dicentem facio, & tamen id etiam nihilominus sit verum, quod Reprehensor meus affirmat. Qui non contentus, nihil contra meam interpretationem attulisse, quod eam quidquam attingat, adversus ejus confirmationem à me allatam id affert, quod ipsam confirmationem mirifice confirmat. Confirmatio ista eo continetur, quod ex perfecti appellatione, quam Apostolus subjicit, appareat, illum in toto eo sermone hyperbolicum esse. Reprehensor autem meus tanquam huic contrarium, affert, *virum perfectum illic accipi non simpliciter, sed comparative.* Quod quid aliud est reipsa, quam ibi figuram hyperbolem esse? Quo confirmationis meæ vis tota continetur, & illud ipsum est, quod ego urgeo. Ex qua certe confirmatione nemo unquam colligere potuerit, me sentire, dari aliquem, cui nihil desit ad perfectam justitiam, quod tamen, nescio quo pacto, idem Reprehensor meus hic me sentientem facit.

Partic. 55. pag. 22. *Quod sanctorum nomen dari, &c.* Cur sanctorum appellatio tribuatur omnibus, qui Christi doctrinam profitentur, non dubito, quin facile quisque fassurus sit, me verissimam caussam indicasse, id est, ipsam Christi doctrinæ professionem. Nam & ratio ipsa id per se monet, quam supra in ipso partic. 35, fine attigimus, & idem testantur loca, à me ex Sacris Literis eodem in loco, quem hic Adversarius carpit, id est Disputationis meæ pag. 115, annotata; in quibus vix ullum locum habere potest ratio ista, à reprehensore meo & aliis quibusdam ante ipsum, præter omnem usum figuratarum ejusmodi locutionum, excogitata, quod scilicet ii, qui inter istos sancte vivunt, sint caussa, ut omnes, qui Christi doctrinam profitentur, sancti dicantur. Sed sive mea, sive illis potius ratio admittenda est, hoc ad id, de quo ibi agitur, & ad me isto in loco refellendum nihil refert. Ex utravis enim, immo magis ex Adversarii, quam ex mea ratione colligitur, sanctorum nomen, quatenus vitæ innocentiam veramque pietatem significare potest, proprie à Paulo iis non fuisse tributum, qui vitiis non vulgaribus impliciti erant. Hoc autem illud re ipsa est, quod mihi, eo in loco, demonstrandum sumpseram.

Partic. 50. ibidem. *Quod postea pag. 115 adjicit, &c.* Quidquid hic per integras duas sui scripti in folio (ut loquuntur) paginas Reprehensor meus dicit, nihil fere ad id pertinet, de quo agitur, nec adversum me quidquam ferme ex eo concludi potest. Dixeram ego, sanctos homines interdum de imbecilitate suæ, id est, humanæ naturæ conqueri, ad excusanda peccata sua, quæ comisissent, non autem quæ committere pergerent, atque ut Deum ad ea sibi ignoscenda adducerent. Ait ipse, immo pios commemoratione suorum peccatorum non quærere iis excusationem, sed accusare ea potius & condemnare, ut deleantur. Atqui ego nihil dixi de commemoratione peccatorum,

sed

sed de querimonia propter naturæ humanæ imbecillitatem, de qua imbecillitate ibi agebatur: Cujus nemo dixerit sanctos, idcircu mentionem facere, ut peccata sua condemnent, sed potius, ut illa aliquo modo excusent. Hacque ratione, dum nihilominus tamen ipsa peccata sua coram Deo interim & agnoscunt & confitentur, ad veniam ab ipso impetrandam sibi viam parent. Jam quia querimoniam istam ad peccata jam commissa, non autem ad ea, quæ adhuc subinde committantur, respicere dicam, non propterea, in sanctis & regenitis naturæ corruptionem prorsus abolitam esse, affirmo, & multo minus statuo, homines ejusmodi nullos fructus putres, id est, malos amplius proferre; cum certum sit, etiamsi nulla naturæ corruptio in homine foret, eum tamen malos fructus ferre, seu peccare posse: ut ipsius primi hominis exemplum satis ostendit, qui, cum nondum ullam naturæ suæ labem contraxisset, peccavit tamen, idque gravissime. Unde apparet, propriam & veram peccatorum caussam non corruptionem naturæ esse, sed voluntatis liberæ malum usum.

Quid igitur hic attinebat tot testimonia afferre hominum sanctorum, qui peccaverint; cum neque ego id negem, nec de eo hic quidquam disputetur, sed tantum de eo, an in homine sancto & pio vitiositas adhuc maneat, quæ illum adeo impediat, ut sæpius de recta pietatis via deflectat, & frequenter non id agat quod velit? Cum igitur testimonia ista nihil ad id, de quo agitur, pertineant, examinationem illorum omittam; tametsi, illis examinandis, cuilibet apertius constare posset, quam frustra hic laboraverit Reprehensor meus. Tantum dico, eum gravissime falli, ubi ait, me personæ Davidis exemplo afferendo, ad probandum vitiositatem istam adeo efficacem in se manentem à sanctis minime agnosci, meo ipsius gladio imprudentem me jugulasse, nempe propter homicidium & adulterium ab ipso Davide commissum, & peccatum postea numerandi populi. Quandoquidem, ut supra partic. 29 anotavimus, si statuere volumus, Davidem per aliquod tempus inter homines homicidas & adulteros, vere ac proprie loquendo, numerari merito potuisse, necesse est etiam, ut statuamus, eum, pro isto tempore, sanctum & pium esse desiisse. Quæstio autem nostra est, an, perdurante sanctitate & pietate, vitiositas illa nihilominus in homine hæreat, & sic exemplum istud ad quæstionem nostram non pertinet.

Quod si statuere velimus actus, illos primos Davidis, occidendi hominem, & adulterandi, non habuisse vim illum efficiendi hominem homicidam & adulterum, & sanctitatem ac pietatem illi adimeodi, hoc exemplum nihilo magis ad rem facit; cum aliud sit unum atque alterum pravum actum in sancto & pio homine inveniri, aliud vero, vitiositatem de qua loquimur, in eo adhuc manere. Quamobrem de pravo illo actu jubendi, ut populus numeraretur, non est, cur quidquam respondeam, cum certum sit, istum Davidis actum, sine ulla in ipso inhærente vitiositate, existere potuisse, ut jam exemplo ipsius primi parentis demonstratum est. Recte igitur à me Davidis exemplum allatum fuit, suam justitiam, innocentiam atque integritatem commendantis &, vias domini se custodiisse affirmantis. Hæc enim adeo efficacia vitiositatem istam omnino excludunt; cum satis appareat, sanctum illum hominem ita loqui, ut non modo per comparationem cum impiis, sed etiam simpliciter pietatem & rectas suas actiones prædicet, quamvis ex altera parte fateatur, si Deus summo jure cum ipso agere voluisset, reum se ejus judicio futurum, non quidem, videlicet, propter vitiositatem, quæ illum sæpius transversum ageret, & de recta via frequenter deduceret, sed propter aliquos in sua justitia defectus & errores suos; cum vel unicum delictum, in tota hominis vita reddat illum Dei judicio obnoxium, si ipsius Dei misericordia secludatur. De Pauli exemplo, quod similiter attuli, nihil amplius ad ea quæ adversarius dicit, respondebo, nisi longe aliud esse, luctam spiritus & carnis in Paulo fuisse, nec penitus & omni ex parte eum fuisse regenitum, & vitiositatem sibi inhærentem perpetuo illum habuisse, quæ caussa esset, ut faceret, non quæ vellet, sed quæ nollet. Conferat lector Disputationis meæ verba cum Adversarii reprehensione, & videbit, sine dubio, illum hic nihil agere, etiamsi illi quædam concedantur, quæ, minus licet comperta, vel potius aperte falsa, pro concessis hoc loco ab ipso sumuntur.

Partic. 57. pag. 24. *Rationem eam rejicit Dysidæus*, &c. Tripliciter nec sane leviter, hic errat Reprehensor meus. Primum quia, etsi apertissima res est, non videt, quid hoc loco disputetur. Deinde, quia id, quod ipse, ad suam rationem tandem concludendam, assumit, nequaquam probat. Postremo quia, etiamsi id verissimum esset, non tamen ejus ratio recte foret conclusa. Disputatur hoc loco, an quisque nostrum possit de eo, quod in vere sanctis hominibus, quod attinet ad concupiscentiam, inveniatur, ex eo certam conjecturam ducere, quod in se ipso experiatur: quemadmodum nobilissimus ille vir, cum quo mihi de loco illo Septimi cap. ad Rom controversia erat, sua argumentandi ratiooe se sentire præ se ferebat, id quod ego nullo pacto concedo aut sentio; & affirmo, viam istam investigandi, quid in sanctis hominibus fiat, fallacem prorsus & admodum periculosam videri; cum certum non sit, nos jam sanctos revera esse. Reprehensor autem meus ita loquitur, acsi disputaretur, utrum judicium istud fieri possit *ex eo sensu* (sic enim ipsius verba habent) *quem in se vel sanctissimus quisque experiatur*; meque reprehendit, quasi negem, posse judicari, quid sit in aliquo homine, quod ad concupiscentiam attinet, ex eo quod iste ipse homo in seipso sentiat, & fallacem rationem investigandi sua peccata esse dicam, suæ ipsius conscientiæ testimonium. Potuitne turpius disputatio ista, meo & nobilissimi illius viri scripto comprehensa, inverti, aut ego evidentiore calumnia premi?

Jam vero unde habet, aut quomodo audet ipse Reprehensor meus deinceps affirmare & sine ulla probatione assumere, neminem unquam fuisse, neminem esse, & neminem futurum esse, qui non in seipso concupiscentiæ aculeos experiatur, & hinc concludere, concupiscentiam etiam sanctissimis talem cladem inflixisse, ut omnes obnoxios peccato reddat? Sed esto. Verissima sit assumptio ista; num propterea sequitur, etiam sanctissimum quemque peccato obnoxium esse, id est, ut ipsemet, hoc ipso in loco, ab initio locutus est, adhuc peccati lege obstrictum; qua de re, antequam aliud dicam, consideret lector, quid sit contra id, quod Paulus Apostolus scripsit, aperte loqui, si hoc noo est; cum Paulus diserte regenerato homini, sub sua ipsius persona, tribuat, quod liberatus sit à lege peccati, Rom. 8. 2. Nam istam conciliandi rationem ab Adversariis excogitatam, jam abunde in disputatione nostra, nec non alibi supra refutavimus. Sed ad propositum revertar. Nego igitur, ex eo quod quis concupiscentiæ aculeos sentiat, continuo consequi, eum peccati lege obstrictum esse. Aliud est enim, à concupiscentia tentari, quod idem est atque aculeos concupiscentiæ sentire: aliud ejusmodi concupiscentiam habere, quæ jam conceperit, & consequenter peccatum pepererit, ut Jacobus Apostolus loquitur Jac. 1. 14 & 15, qui inter ista duo manifeste distinguit.

Scio quidem, magistros Reprehensoris mei, concupiscentiam, etiamsi quis ei nec animo nec factis ullo modo assentiatur, peccatum esse statuere. Qua in re quantopere fallantur, non est quod nunc ostendere laboremus. Satis id ante nos multi egregie præstiterunt. Sed finge, Reprehensorem meum una cum magistris suis, cum ita sentiunt, neutiquam falli; non tamen id hoc in loco ipsius errorem excusat. Neque enim hic de tali peccato loquimur, cum quærimus utrum sauctissimi ipsi homines sint peccati lege obstricti: sed de eo peccato, quod ad ipsa facta refertur, ita ut quis licet non mente, tamen carne, ut Apostolus Paulus

in loco ipso 7 cap. ad Rom. loquitur, legi peccati serviat. Credidit quidem Augustinus, ut in initio hujus defensionis monuimus, verba Pauli posse ita accipi, ut ad nudam concupiscentiam, cui quis nulla ratione consentiat, referantur. Verum neque hoc aliud est, quam vim manifestam ipsis verbis facere, in quibus faciendi & operandi diserte fit mentio: nec ipse Reprehensor meus, aut ii, adversus quos potissimum disputo, interpretationem istam Augustinianam probant; quippe qui omnino velint, Paulum suis verbis, homini de quo loquitur, aperte tribuere, quod sæpius à concupiscentia vincatur, & prout illa jusserit, operetur. Atque utinam, quando Paulum de se ipso jam regenerato loqui arbitrantur, non ita esset, sed, ut in cæteris ferme solent, ab Augustini sententia hac in re nihil quidquam discessissent. Minus male profecto, ut antea quoque diximus, cum ipsis ageretur, & facilius de hac tota quæstione convenire possemus.

Partic.58. ibidem *Quod enim iste omnem peccati sensum, &c.* Inique admodum, non modo immerito hoc loco mihi Adversarius tribuit, quod omnem peccati sensum in homine regenito abolere velim, & stupidam reddere ejus conscientiam; cum nec ego quidquam disputem de eo, quod ipse homo regenitus de se ipso sentiat, quod ad hoc attinet, utrum ipse aliquod necne peccatum adhuc admittat, sed tantum prolatis ipsorum testimoniis ostendam, vere sanctos homines illam adeo efficacem vitiositatem in se ipsis non sentire, quam eos experiri, in summo licet sanctitatis, quæ in hac vita datur, gradu constitutos, Adversarii affirmant; & alioqui, ut supra planissimum feci, ipso etiam Reprehensore meo ex parte teste, apertissime sæpius fatear, hominem regenitum, dum adhuc est regenitus, peccare posse. Non est igitur, cur ullam ne minimam quidem, Reprehensor meus caussam vel occasionem habuerit suspicandi, ne sententia mea non procul absit ab illorum Anabaptistarum delirio, qui putant, quidquid homo regenitus agat, qualecumque tandem id sit, bonum omnino esse. Sum, per Dei gratiam, ab istiusmodi opinionum portentis, magis etiam (ni fallor) quam ipse Reprehensor meus, penitus alienus. Nec contra meam sententiam, quod vere sancti homines, qui vel sub Novo, vel sub Vetere Testamento fuerunt, dum adhuc sancti esse pergerent, vitiositatem illam efficacem in se ipsis non sentirent, quidquam faciunt, exempla Danielis Dan.9, Psaltis Psal.106 & Levitarum Nehe.9 peccata confitentium, & misericordiam Dei implorantium, ab Adversario allata; cum certum sit (ut alias responsiones omittam) istis in locis non agi de peccatis, quæ adhuc committerentur, sed de jam commissis, idque multo ante, propter quæ, præter alias populo à Deo inflictas pœnas, tandem captivitas illa Babylonica evenerat, & templi atque urbis Hierosolymæ, una cum regni illius abolitione, destructio & vastatio. Verba ubique sunt apertissima, & in præteritum tempus omnino respicientia, adeo ut potissimum peccatorum patrum, quæ etiam ordine enumerantur, ratio habeatur, eorumque ejusmodi, quæ nequaquam cum sanctitate vera consistere possint, immo, quibus præsentibus, Dei misericordia impetrari nequeat. Ait enim ipse Daniel in initio precationis suæ, Deum custodire pactum & misericordiam, non quidem quibuslibet, sed diligentibus ipsum & custodientibus mandata ejus. Atqui peccata, quæ statim confitentur, sunt, Iniquitatem facere, impie agere, recedere, id est, deficere ac rebellare, & denique, declinare à mandatis & judiciis Dei. An non hæc peccata ex diametro pugnant cum qualitatibus istis, quæ in iis esse debent, quibus Deus custodiat pactum & misericordiam, & quibus qualitatibus tacite Daniel, se & populum præditum esse profiteretur, cum Deum precatur, idque in ipso initio precationis suæ? Sed inquies fortasse, Daniel ipse semper sanctus & justus fuit; & tamen nominatim sua se peccata, non tantum peccata populi, Deo confessum fuisse postmodum ait. Respondeo, primum, nihil constare de ista perpetua Danielis sanctitate & justitia, præsertim antequam in captivitatem duceretur, licet postea in insignem Dei sanctum evaserit.

Deinde dico, Danielem peccata suorum genitorum & majorum in ipsa familia sua, peccata sua appellare, quemadmodum peccata populi vocat ea, quæ patres ipsorum commiserant: ut ex ipsa ejus precatione liquido apparet. De Pauli Apostoli sanctitate, jam abunde tum in jam edito scripto meo, tum etiam supra disputatum est, & quid de illa ipsius cum Barnaba contentione sentiendum sit, satis partic.51. indicatum. Nam quod Reprehensor meus hic præterea mentionem facit stimuli dati Paulo, 2 Cor.12 id est, carni ejus, ut ipse Paulus testatur (quem iste carni infixum appellat) & illum nil nisi concupiscentiam carni, id est, corruptæ naturæ inhærentem, fuisse arbitratur, quam Satan, dum alios adversus pios impellit, magis etiam accendat, mirabile omnino est hoc, nescio, an aliunde haustum, ipsius commentum. Sunt per se, inhærentem, ut ipse loquitur, concupiscentiam, stimulum istum interpretari non est ausus: cum nec illa detur à quoquam, nec quisquam sit, prout ipsi Adversario placet, qui ab ea sit liber. Apparet enim, Paulum de stimulo quodam sibi dato loqui, qui non omnibus sit communis. Propterea, ne se in hos laqueos indueret, miscuit persecutiones à Satana excitatas (Satanæ siquidem Angelum stimulum istum, aut certe stimuli istius auctorem Paulus facit) cum concupiscentia ista, quatenus (inquit ipse) illa persecutionibus magis accenditur; & hoc pacto credidit, posse intelligi, nomine stimuli carni Pauli dati, qui tamen non omnibus detur, concupiscentiam istam quantumvis naturalem & omnibus alioqui communem. Judicet cordatus lector de commento hoc: præsertim, cum aperte constet, Paulum loqui de re aliqua sibi singulariter data, quæ vim haberet eum in officio continendi, ne superbiret ob singulares revelationes sibi concessas. Nihil enim singulare habent persecutiones; istis siquidem quilibet Christianus, qui pie vivat, ut ipse Paulus affirmat 2 Tim.3 12. exercetur.

Partic.59. pag.25. *Ut periculum in quod plerique &c.* Conferat hic lector Disputationem meam cum iis quæ Reprehensor meus dicit; videbit, eum nihil ad rem loqui. Dixeram, hic quæri, qualis unusquisque nostrum esse debeat, ut ex verbis illius nobilissimi viri, cum quo disputabam, rationem propositam, ad quam respondendum mihi sumpseram, colligi posse, ostenderem: & verum sane dixi, non tantum eo sensu, ut Adversarius opinari videtur, quo dicimus, & Christus ipse dixit Luc.17.10, nos debere facere omnia, quæ nobis ab ipso Christo sunt præscripta, sed etiam hoc sensu, ut qui talis non sit, is Christianus re vera seu renatus censeri nulla ratione debeat. Quid huc, quæso, pertinet disputare, & mihi opponere, ut Adversarius facit, ex Pauli verbis, eum, qui stat posse cadere, & nobis cum timore & tremore nostram salutem operandam esse? Ipse sibi potius & suis ista opponat, qui negant, hominem vera fide præditum ab ea excidere posse, & nihil humanis viribus ad salutem comparandam præstari posse, contendunt. Locum Gal 6.4. adeo accurate expendi, ut existimem, malusse Adversarium, ut eum silentio præteriissem, ad examinationem meam certe illius loci nihil ipse respondet. Tantum id exagitat, quod ex ipsis Apostoli verbis aperte collegi, non esse, videlicet, dignum reprehensione, qui, se aliquid esse, vere opinatur, sed qui falso: & ait, Paulum omnem fastum & arrogantiam corrigere voluisse. Quasi vero ego ipse seq. pag. non moneam, Pauli verba intelligenda esse sano (ut ajunt) modo, & ita, ut fastu & arrogantiæ nullus fit locus; & quasi, quia verissimum est, omnem prorsus fastum & arrogantiam vitandam esse, necesse etiam fit, ut Paulus isto in loco id suos Galatas monuerit.

Partic.60. ibidem. *Si homo renatus integre vixerit, &c.* Frustra conatur ostendere, Paulum in isto loco

loco ad Gal. non id dicere, quod tamen aperte dicit, inquiens, *& sic in semetipso tantum gloriam habebit* &c. & pro eo, quod deberet ostendere, quomodo verba ista non pugnent cum iis, quæ alibi apud eundem Paulum leguntur, & illa cum istis conciliare ea ratione, qua tacite à me factum est, cum explicavi cujusmodi esse debeat gloriatio ista; hunc locum per alios illos re ipsa destruit, & tacite Paulum inconstantiæ insimulat. Nam, quod, ad conciliationem meam labefactandam, ait, Pharisæum illum, cujus exemplum ipse protuleram, agnoscere omnes virtutes, quibus gloriabatur, à Deo profectas fuisse: ne hoc ipsum in præsentia, verum necne sit, accuratius examinem, dico, illum nihilominus, ut istud verissimum sit, nihil tamen contra conciliationem meam afferre. Neque enim in gloriatione, quam ex istis Pauli verbis Christiano homini concedo, id tantum requiro, ut gloriatio ista tota ad Deum referatur, ut ad omnis integritatis auctorem, sed præterea alia quædam, à me ibidem expressa, quibus Pharisæi illius gloriationem carere ibidem affirmo, & propter quorum defectum, dico, illum à Christo minime fuisse laudatum. Cujus Christi sententia, quod omnis, qui sese extollit, deprimetur, nullo pacto gloriationem istam quam in Pauli verbis expressam esse contendo, excludere potest, cum illa, ea ratione, qua id fieri debere monui, accepta atque exposita, nullam prorsus sui ipsius elationem contineat.

Partic.61. pag.26. *Et si doctrina ista de imbecillitate* &c. Non simpliciter de imbecillitate virium, etiam in renatis, hoc loco agitur, sed quatenus renatus is omnino sit, qui conatum & studium bene agendi habet, etiamsi, videlicet, interim servus sit reipsa ipsius peccati, & sic conatus ac studium istud plerumque sit irritum. Quam doctrinam, etiamsi vera esset, dico satius fore populo non tradere, ac potius docere, necesse esse, ut in facta ipsa conatus iste ac studium plerumque erumpat: cujus meæ sententiæ eam rationem affero, quam nec Reprehensor meus ausus est attingere, nec quisquam facile unquam convellet. Nam quod ipse ait, immo, si vera ista doctrina sit, docendam esse, quasi, quidquid verum est id etiam docendum sit, nego id perpetuum esse, ubi de docendo populo agitur. Paulus enim Apostolus nos non obscure admonet, sicuti infantibus nuper natis non solidus cibus, sed lac præbeatur, sic infirmis adhuc in Christi fide eas veritates tradendas, quas ipsi recte percipere, & quibus ad suam salutem uti possint, non autem difficiliores quasdam intellectu, & quibus ipsi facile in suam perniciem abuti queant: idem nos docet auctor epist. ad Heb., apertius distinguens inter eos qui lacte, & eos, qui solido cibo sunt nutriendi. Jam vero quis neget, in populo, præsertim hoc nostro sæculo, maximam esse vim infirmorum in fide? Sed subjungit Adversarius, doctrinam istam imbecillitatis virium in ipsis renatis, valde conducere ad hominem deprimendum, ne falsa justitiæ suæ opinione insolescat. Immo vero nihil ad hominem deprimendum ineptius, quam persuasum illi esse, se quamvis regenitum, vires ea præstandi, quæ Christus præcepit, adeo imbecillas semper habiturum, ut præter studium & conatum ista faciendi, vix quidquam aliud unquam sit præstiturus; quod tamen satis sit futurum, ut plane regenitus merito dici possit. Contra nihil ad hominem deprimendum aptius, quam si persuasum illi fuerit, se & posse & debere, si regenitus jure dicendus sit, ita vivere, ut ipsius facta (non tantum conatus & studium) ab ea regula quam Christus præscripsit, non admodum discrepent. Quo enim quis plus minusve se præstare posse aut debere credit, eo plus minusve ejus insolentia reprimitur, & simul diligentia in agendo excitatur; ac si quid per negligentiam peccatum ab eo fuerit, id ab ipso agnoscitur & damnatur. Nam quomodo, quæso, potest quisquam, si eo pervenire se posse ac debere arbitratur, ut ea facta præstet, quæ diximus, falsa justitiæ suæ opinione insolescere? Num propterea existimabit, se propria justitia coram Deo justum esse posse? Quid magis ridiculum, cum ad propriam justitiam, quæ nos coram ipso Deo, vi sua, justos reddat, per integrum vitæ spatium perpetua & absolutissima ipsius præceptorum obedientia requiratur? à qua certe iste, & quia aliquando secundum carnem ambulavit, & quia, postea quam secundum spiritum ambulare cœperit, interdum peccaturus, & sæpius lapsurus facile est, longissimo intervallo distabit semper. Breviter vis hominem deprimere, persuade illi, eum posse ac debere multa præstare, quæ non præstat. Rursus vis eum insolentem reddere; Fac illi persuadeas, eum nec posse, nec necesse habere aliud præstare, quam bene agendi conatum ac studium. Vide quæ in Disputatione nostra scripsimus ad finem pag 127, & deinceps, ubi veritatem hanc, licet per se apertissimam, abunde confirmavimus.

Partic.62. ibidem. *Paulo post contra disperationem*, &c. Hic Reprehensor meus, ut sæpe antea in maxima elenchi ignoratione versatur. Primum enim, ut sæpius jam dictum & demonstratum est, nequaquam doctrina mea est, neminem esse regenitum, in quo aliquid pravi superfit, sive hominem regenitum nunquam graviter lapsurum (lapsus enim à peccatis, ut supra explicatum est, in tota hac disputatione distinguo) immo contrarium pluribus in locis illius mei scripti partim aperte, partim tacite doceo. Deinde vero non excipio ego in scripto meo contra disperationem, quæ ex mea doctrina, si populo tradatur, provenire queat; nisi quatenus Adversariorum doctrina vera esset, atque ea tamen populo non traderetur: (cujus desperationis interim nullam prorsus necessitatem ex mea doctrina proveniendi agnosco, sed tantummodo (ut ita loquar possibilitatem.) Nam alioqui, si doctrinæ Adversariorum, utpote falsæ, nulla ratio habeatur, sed mea tantum, utpote verissima, consideretur, nihili omnino est facienda desperatio ista, quemadmodum nihili est faciendum, quod quis desperet de sua æterna salute, si in Christum non credat; quippe quia ad salutem æternam consequendam fides in Christum est necessaria. Sic enim ego similiter ad renatum hominem, ideoque æternæ salutis participem constituendum, opera ipsa Christiana necessaria esse dico, idque sane meritissimo, cum re ipsa idem sint opera ista, & in Christum fides; quemadmodum alibi à nobis plenius disputatum atque explicatum fuit.

Partic.63. ibidem. *Contra tres reliquas rationes*, &c. Sæpissime quidem, ut paullo ante indicatum est, Reprehensor meus, vel in elenchi ignorationis fallaciam incidit, vel etiam aperte ea mihi affingit, quæ à mente atque ipsis verbis meis alienissima sunt. Verum hoc loco, ubi in Reprehensionis suæ ferme extremo acrius vires suas in me contendere videtur, seipsum omnino in istis, quæ illi quodammodo sunt propria, superare voluit. Primum enim ait, me fingere, mihi adversus sententiam meam à suis objici has tres reliquas rationes; cum tamen & ipse diserte dicam, duas priores elici posse videri ex verbis illius nobilissimi viri, cum quo disputabam, reliquam vero postremam aliquanto apertius ab eo explicatam fuisse affirmem, & res ipsa quemlibet facile monere possit, hæc ita se habere. Deinde facit, me unica responsione ad omnes istas tres rationes uti, & tamen in singulis refellendis diversam ubique rationem adhibeo, nec usquam illam usurpo, quam ipse mihi solam tribuit; nec porro illo dilemmate, *Aut falso, aut bene opinatur* &c. in omnibus tribus, sed tantum in duabus prioribus refellendis sum usus, quod certe longe aliud est, quam non dicam in omnibus tribus, sed in istis ipsis duabus diluendus eadem responsione uti, ut ipse propter istud utrobique allatum Dilemma est arbitratus. Præterea in responsione ista, quam mihi affingit, facit me dicentem, istum, de quo agitur si vere opinatur se esse regenitum, nunquam graviter lapsurum, nec se supra modum elaturum, quippe quod hoc contrarium sit regenerationi. Ubi duo ipsius gravissimi errores apparent; unus, quod, qua de re hic

agatur, neutiquam intelligit; & dilemma illud meum, disertissime licet expositum, non percipit. Alter, quod id me fingit scripsisse, cujus contrarium potius scripsi. Putat ipse, ex ipso meo dilemmate, hic agi, an quis vere existimans se esse regenitum, & interim de hominibus regenitis id sentiens, quod ego sentio, certa quædam pericula necne subeat.

Cum tamen dilemma meum non de opinione loquatur regenerationis, quam omnes Adversarii veram dari concedunt, sed de opinione imperii in cupiditates suas, quod Reprehensor meus una cum suis, homini licet regenito, minime concedit: ego vero doceo, illud in homine regenito ejusmodi saltem esse debere, ut plerumque re ipsa id faciat, quod mens & spiritus jubet; quam talis imperii opinionem, si falsa sit, nullo prorsus modo à doctrina ista proficisci, antea demonstraveram: sin autem sit vera, nullum inde periculum esse demonstro: & sic doctrinam istam ab iis, quæ illi objiciebantur, vindico. Explicui alterum ex Adversarii erroribus; ex quo consequitur, illum perperam me dicentem facere, regenerationi contrarium esse, interdum graviter labi & se supra modum efferre: cum ego istam sui ipsius nimiam elationem, hoc loco non quidem regenerationi, ut dictum est, sed imperio in carnem & cupiditates suas, contrariam esse dicam.

Nam de gravioribus lapsibus (& hinc apparet alter Adversarii in illis suis verbis error) nullam mentionem hic feci. Immo inferius, dum ad quartam & ultimam rationem respondi, (ut etiam sæpe alibi sum fassus) dixi, me constanter affirmare, hominem regenitum nonnunquam, prudentem scientem, leviter peccare posse, & aliquanto sæpius per ignorantiam & incogitantiam labi. Ubi, cum, inter leviores & graviores lapsus nulla distinctione adhibita, simpliciter affirmem, hominem regenitum non raro posse labi; potius intelligendum est, me, graviores quoque lapsus in homine renato dari, non obscure concedere. Neque enim repetendum est in verbis meis, ex antecedentibus adverbium *leviter*, quo utor, cum ibi de peccatis renatorum loquor (namque alibi illud omitto) sed omnino labendi verbum simpliciter, ut sonat & positum est, accipi debet: ita ut ad graviores quoque lapsus referri possit. Quandoquidem peccatum leve gravi lapsui æquipollet. Et quicumque sciens prudens leve aliquod delictum admiserit, non minus culpandus est, quam is, qui ignorans aut non cogitans graviter deliquerit. Ac proinde non magis illud, quam hoc, in homine regenito inveniri potest. Sed turpius adhuc errat Reprehensor meus, cum ex istis, quæ me dicentem fingit, sic infert, ***Quid igitur? Qui vere regenitus** (subaudi **est**) **in quævis pericula se conjiciet nihil reformidans. Quid est tentare Deum si istud non est?*** Nam hic & multo magis extra rem loquitur, & ex meis à se confictis verbis id colligit, quod aperte cum aliis veris verbis meis pugnat. Extra rem manifeste loquitur, cum hic agatur, non absolute, an homo regenitus aliquid facere necne possit, sed tantum, an, durante regeneratione, seu mavis, non in sensu diviso, sed in sensu composito, quæstionis istius verba, hoc quidem in loco, sint accipienda. Nam sic intelligenda esse verba mea, vel ex ipsis loquendi modis apparet, quibus ubique sum usus, dum negare volui, in homine regenito hoc vel illud inveniri posse. Non est igitur hic locus de periculis aut quærendi, aut meæ sententiæ objiciendi, in qua, si illa admittatur, conjecturus sese sit homo regenitus & Deum tentaturus.

Pugnat autem aperte istud, quod ex sententia mea, ut ab ipso exposita est, ab eo colligitur, cum iis quæ in hac ipsa illarum quatuor rationum refutatione, dum secundam refello, pag.124, & 125 scribo. Ubi diserte affirmo, eum, qui jam suas cupiditates refrenet, posse nisi diligentissime sibi caveat, ab ipsis nondum plane domitis & subjugatis, tanquam sessor de equo, excuti, & humi prosterni; atque alia similia in hanc sententiam addo. Et sane, ut alias supra admonui, mirum est, hominem istum mihi objicere, quod hominem regenitum jam securum esse jubeam, cum istud tum à verbis tum à mente mea mirum in modum abhorreat, ipsius vero & suorum doctrinæ plane sit consentaneum. De spiritu humilitatis, qui fructus sit doctrinæ ipsorum, cum meæ, scilicet, fructus sit Spiritus superbiæ & arrogantiæ, nihil hoc loco respondebo amplius. Unicuique enim satis superque esse possunt, quæ disputavimus supra partic. 61, & in loco ibi ad finem notato Disputationis nostræ, pag. videlicet 127 &c.

Partic. 64. pag. 27. ***At, inquit Dysidæus admitto, &c.*** Iis, qui eo pervenissent, ut perfecte Deo obedirent, gratia & misericordia Dei nihilominus opus futurum, propterea rectissime affirmavi, quia certum est, istos, antequam istuc pervenissent, multa delicta commisisse; nec vita illa, quæ ex pacto constituta est iis, qui fecerint quæ Deus jubet, ex isto ipso pacto ei deberi potest, qui aliquando unum vel minimum delictum adversus Dei jussa admiserit. Verum arbitror, Reprehensorem meum errore lapsum, sententiam istam meam de iis, qui eo pervenissent, ut Deo perfecte obedirent, loco illius scripsisse, quæ ibidem habetur de iis, qui per totam vitam (si id fieri ullo modo potest) nullum, ne minimum quidem, delictum commisissent; quam, non autem istam alteram impugnare in animo haberet. Illam enim, non istam, superius quoque impugnavit, nempe partic. 27, cum utraque antea similiter, id est, pag. 61, affirmata à me fuisset. Jam ibi in ea intelligenda, nihil erravit. Sed id, quod contra eam attulit, minus verum esse, supra suo loco demonstratum est. Hic vero, tametsi illud verum est, quod contra ipsam affert, tamen nihil prorsus eam labefactat, quia in elenchi ignoratione, non satis eam intelligens, incidit. Cum enim, in ista sententia asserenda, de Dei misericordia & gratia loquor, rem totam, ex altera parte, in sua ipsius natura considero, & isti naturæ per se gratiam & misericordiam Dei oppono; quæ hoc pacto accepta, ipsa etiam Dei pacta & promissa, quæ ex solo Dei beneplacito originem habent, omnino complectitur, quale certe est pactum & promissum vitæ, quod Deus iis fecit, qui nihil unquam adversus ipsius præcepta commiserint, ut mox docebo. Nam præterea animadvertendum est, cum de sui ipsius elatione vitanda hoc loco agatur, satis esse, ad eam excludendam, ostendere, sine Dei gratia & misericordia id non extitisse; propter quod dubium est, ne quis seipsum efferat. Jam, nisi vitæ præmium iis promissum, qui perfectissime Deo obedierint, intercederet, nemo obedientiam istam præstare unquam posset.

Quare si aliquis inveniretur, qui eam præstaret, is obedientiam istam suam isti divino promisso maxima ex parte, acceptam referre deberet, ac consequenter gratia & misericordia divina, quæ in promisso isto continetur, sibi opus fuisse confiteri. Si enim naturam ipsius rei per se consideres, nullo præmio, nedum tali & tanto præmio, quale & quantum est præmium vitæ, ut is afficiatur necesse est, qui Deo vel perfectissime obedierit; idque ob eam caussam, quam Christus ipse nos docet, inquiens, ejusmodi homini dicendum esse, Servus inutilis sum, quia feci, quæ facere debui. Hinc Deus primo homini pœnam quidem proposuit necessariæ mortis, nisi sibi obtemperasset in abstinendo ab esu illius fructus: sed, si obtemperasset, nullum proposuit præmium; nimirum, ut non obscure significaret, quodlibet præmium obedientiæ nostræ deinceps ab ipso proposito, ex mero ipsius beneplacito pendere. Verissimum igitur est, ei, qui per totam vitam nullum, ne minimum quidem delictum committeret, Dei gratia & misericordia opus futurum ad æternam vitam consequendam, si rei ipsius per se natura consideretur, ut quidem hoc loco facere necesse est.

Partic. 65. ibidem. ***Addit, Renatis qui adhuc &c.*** Ex eo quod affirmo, renatos homines, quia interdum peccant, & sæpius labuntur, Dei misericordia & gra-

tia indigere, colligit, me sentire, si qui gravius peccarint, istis denegari penitus Dei misericordiam. Judicet, quæso, quicunque hæc legerit, de mirabili ista collectione. Certe, ex ipsa affirmatione mea nihil aliud, quod huc aliquo modo pertinere videatur, colligi potest, quam multo magis misericordiæ & gratiæ Dei illos indigere, qui sæpius, idque graviter peccant, & sæpissime labuntur. Accepit Reprehensor meus verba mea, ut apparet, in eum sensum, ac si caussam exposuerim, propter quam sentiam, renatos homines non quidem gratia & misericordia Dei indigere, sed illam consequi. Verum, ne si istud quidem significarent verba mea, ipse tamen recte collegisset: præsertim non addito, in verbis seu sententia mea recitanda, adverbio *leviter*, ad *peccandi* verbum, sicut à me hoc in loco additum legitur. Nulla enim ferme alioqui est oppositio, inter interdum peccare, &, Gravius peccare, cum nihil vetet, quempiam simul & gravius & rarius tamen peccare. Unde nullo modo consequitur, si caussa, cur renati homines misericordiæ & gratiæ Dei sint participes, est, quod rarius peccant, iis qui graviter peccarint, de divina gratia & misericordia desperandum esse. Adde, quod sententia ista de renatis hominibus, potest ita intelligi, ac sane debet, ut vera sit, quamvis de ipsis adhuc vere dici possit, quod interdum peccent. Ac illud, quod ex ea à Reprehensore meo colligitur, videtur omnino ita esse intelligendum, ut ii, qui gravius peccarint, etiamsi postea id facere desierint, gratiam ac misericordiam Dei consequi nequeant. Indicant istud aperte ipsius Reprehensoris mei de me verba illa: *Quid obstat, quin jam iste in Novati castra totus transeat?* Nemo enim nescit, Novatum sensisse, iis, qui post Baptismum, seu ad Christum conversionem gravius peccassent, quantumvis pœnitentibus, nullam misericordiæ apud Deum consequendæ spem reliquam esse. Jam quæ hic, post istam suam egregiam ex mea sententia collectionem, infert atque exaggerat Adversarius, nullius indigent refutationis. Tantum igitur dico ac repeto, nihil à meis verbis ac sententia alienius esse, quam, ut ullus homo existimare possit, se non admodum peccasse, vel graviter labi non posse, ut ipse & hic, & alibi tam sæpe mihi objicere non veretur.

Partic. 66. ibidem. *At si per eas peccati in nobis, &c.* Suum morem, mihi aliquid affingendi, ad extremum usque servare voluit Reprehensor meus. Sic enim ipse scribit: *At si per eas peccati in nobis reliquias homines ad humilitatem erudiuntur; sequitur, inquit Dysidæus, vitiositate illa, quæ in nobis est residua, Deum delectari, per quam videlicet ad tam eximiam virtutem, qualis est humilitas, efformemur.* Verba autem mea hæc sunt: *Quare vitiositate ista (præsertim si vitiositatis verbum proprie accipis) nihil est opus. Quasi sine ipsa, Dei misericordiam veniamque peccatorum nostrorum implorandi, locus non sit. Et sane hoc mirum videri debet, Deum vitiositate nostra quodammodo delectari, vel certe nolle, ut ea à nobis unquam, dum hic sumus, auferatur.* Non arbitror quenquam tam hebetem fore, quin cernat, quam dissimilia sint verba mea iis, quæ me Adversarius dicentem facit. Quocirca differentiis, quæ inter utraque sunt, indicandis supersedebo, & tantummodo lectorem monebo, tametsi antea quoque non semel idem sive aperte sive tacite monui, me non negare, in homine regenerato peccati reliquias inveniri; sed vitiositatem, proprie loquendo, de qua superius non pauca diximus, in eo remanere, nullo pacto concedo. Quanquam vero non affirmavi ego, Deum vitiositate nostra delectari, si illa in nobis perpetuo remaneat, sed tantum asserui, si ita res se habeat, eum nolle, ut ea à nobis unquam in hac vita auferatur; tamen dico, Reprehensorem meum, si suam suorumque sententiam, de vitiositate in hominibus perpetuo residua tueri velit, perperam absolute defendere, illam Deo displicere. Nam, cum illa, quatenus perpetua ac necessaria hominis cujuscumque (ut illis placet) est comes, non aliunde proficisci queat, quam ab ipsius Dei consilio, frustra, nulla adhibita distinctione, ab ullo ex ipsis negatur, eam, quatenus est talis, Deo placere; cum nihil præterea hic jure excipere possint, nisi, placere illam Deo quidem, non tamen per se ipsam, sed quatenus aliud quiddam ex ea provenit. Jam vero & mihi, & reliquis qui mecum sentiunt, quorum, per Dei gratiam, hodie non exiguus est numerus, ad id concludendum, quod volumus, satis est, si ostendamus, ex Adversariorum sententia necessario proficisci, vitiositatem istam, Dei ipsius consilio, in nobis perpetuo hærere. Vide, quæ in Disputatione nostra statim hoc ipso in loco, id est, ad finem pag. 126, ac deinceps adducimus; & agnosces, ni fallor, nihil tutius ac verius, & Christianæ pietati magis consentaneum esse, quam statuere, Dei consilium & curam esse, ut etiam in hac vita, omnis vitiositatis, de qua loquimur, prorsus expertes simus.

Defendi, Barnaude præstantissime, ut spero, abunde, non modo quantum satis fuisset, ut ab initio promiseram, Disputationem meam de loco 7. cap. Epist. ad Romanos, adversus amici tui, cujus ad me scriptum miseras, reprehensiones; quas, dum illas calamo jam refellere studens penitius introspicio, tales esse, maxima ex parte, animadverti, ut in medio eas refellendi cursu sæpius (fateor) hujus me suscepti laboris piguerit ac pœnituerit: præsertim ob id, quod ipsa per se Disputatio mea, si quis eam haud oscitanter legerit, omnes ferme quales sint, planum facit, & Reprehensorem hunc suum multiplicis erroris, potissimum vero in plurimis illi affingendis, manifeste redarguit. Vim tamen nihilominus mihi ipsi faciens, cæptum hunc illam defendendi cursum, multis aliis curis & molestiis interea pressus ac circumdatus, absolvi, ut nimirum meam tibi per literas datam fidem liberarem, ac tentarem, si cum viro isto, alioqui, ut video, homine erudito, aliquid effici possit, ne saltem pergat, salutarem ac verissimam de regenitis hominibus, eorumque statu ac viribus doctrinam, ita acerbe odisse atque insectari. Vale quam optime & quam diutissime in Christo Jesu. Cracoviæ.

Absoluta est hæc Defensio die 14 Novembris 1595.

Laus DEO & CHRISTO ejus.

F I N I S.

FAUSTI SOCINI SENENSIS

EXPLICATIO
VARIORUM
S. SCRIPTURÆ
LOCORUM.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

HIERONYMUS à MOSCOROW MOSCOROVIUS,

CHRISTIANO *Lectori Salutem.*

EXPLICATIONES quorundam Scripturæ locorum, à Fausto Socino confectas, tibi, Lector erudite, offerimus. Quo studio, qua fide versatus idem sit in hoc negotio, ex his quoque, uti ex aliis scriptis ejusdem viri, perspicies atque cognosces. Magno certe labore, perpetuis vigiliis, invicto studio, veritas divina à commentis hominum vindicata & asserta eidem viro constitit, ut pericula, quæ eo nomine à multis pertulit atque perpessus est, prætercam. Sed nihil erat, quod animum viri incomparabilis, à tam præclaro & laudabili studio avocaret aut absterreret. Quare his laboribus viri hujus Christiane Lector, perfruere, animi æquitate & Christiano candore adhibitis; nec parum æqua aliorum judicia morare, eo siquidem fine tibi offeruntur. Atque ut eo nomine apud plerosque malam ineamus gratiam, illud tamen nos solatur, quod dies, cui omnia aperire datum est, tandem opus cujusque manifestatura, & quid quisque quærat, sit patefactura. Quod ut primo quoque tempore fiat, supremus divinæ veritatis vindex nocturnis diurnisque precibus fatigandus est. Cui te tuaque, Lector Christiane, commendo, & te in eodem valere opto:

HIERONYMUS MOSCOROVIUS.

Brevis Explicatio & quasi paraphrastica IX cap. Epistolæ ad Rom. ab eo loco (vers. 6.) Non enim omnes, qui ex Israël, &c. cujus rei occasione, undecimum quoque caput ejusdem Epistolæ, majore ex parte, eadem ratione explicatur.

SCopus Pauli Apostoli nono cap. Epist. ad Rom. alius nullus est, quam ostendere, non omnes, qui secundum carnem ex Israële, hoc est, ex Jacobo prognati sunt, esse veros Israëlitas, neque omnes, qui ex Abrahami sunt semine, esse Dei filios; quemadmodum apparet vers. 6, & 7, ut quis sit verus Israëlita Deique filius, necesse esse secundun spiritum esse natum, exque ipsius Dei promisso quemadmodum constat ex vers. 8. Hoc autem aliud nihil est, quam, ut quis sit verus Israëlita Deique filius, necesse esse Christo fidem adhibere in eoque spem suam collocare; non autem confidere carnali propagationi ex populo Hebræo, ac persuasioni servatæ Legis Mosaicæ.

Jam vero, quod Apostoli scopus is sit, quem diximus, atque adeo ita acceptus, ut nos eum exposuimus, demonstratur esse verissimum ex iis, quæ tandem, verba sua concludens, ad hunc modum scribit; *Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem, quæ ex fide est. Israël vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis: offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali; & omnis qui credit in eum, non confundetur.* Concludit igitur Paulus manifeste, caussam justificationis nostræ, & consequenter, quod simus ex vero Dei populo, ipsiusque Dei filii, esse Christo confidere; non autem conservare conari Legem Mosis, iis, qui ex Abrahamo & Jacobo sint prognati, latam. Hincque factum esse, ut gentes, quæ nihil minus cogitabant, quam qua ratione coram Deo justæ evadere possent, in Christum credendo, justificationem sint adeptæ; Judæi vero, quantumvis studerent, ut justi in Dei conspectu evaderent, eo quod in Christum non crediderunt, justificationem minime sunt adepti. Quinimmo, sicut in Christum credere caussa fuit, ut filii Dei fierent, qui prius ab ea re longe aberant; ita in eundem Christum non credere fuit caussa, ut ii à populo Dei penitus disjuncti atque abscissi fuerint, qui prius saltem secundum carnem ejus populi membra erant. Hoc idem explicat idem Apostolus pluribus verbis cap. 11. ejusdem Epistolæ, ubi ab initio ait, quod, quamvis major pars populi Judaici in Christum non crediderit, ac propterea à Deo rejecta fuerit, tamen non est credendum, Deum universum illum populum rejecisse, quem prius sibi in peculiarem populum elegerat. Namque revera, eos tantum rejecit, qui in Christum non crediderunt, qui eis anunciatus fuerat; quemadmodum ostenderat præcedente cap. 10. Qui tametsi maximo sint numero, nonnulli tamen ex eodem populo crediderunt. Sic enim similiter Eliæ tempore accidit. Nam, etsi Eliæ videbatur, universum populum Israëlis à Jehova Deo defecisse, & idcirco prorsus ab eo rejectum fuisse, tamen Deus adhuc suos agnoscebat ex eo populo multos. Quocirca ipsemet ad Eliam verba faciens, illi significavit, in cæde illa, quam ipsius jussu, Jehu & Elisæus, ejus populi facturi erant, se septem millia ex illis, id est, magnum numerum conservaturum. Hi autem illi omnes erant, qui Baali genua minime flexerant, nec illum ulla ratione coluerant.

Quamobrem Paulus statim concludens ait, *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt.* Electionem gratiæ vocat propter fidem in Christum pro filio Dei haberi; quemadmodum divina gratia ii in cæde illa conservati fuerunt, qui Eliæ tempore Baalem nequaquam coluerant; tametsi & his, & illis quiddam inesset, quod in cæteris non inerat, qui rejecti fuerant. Quin etiam, ut caussa, cur septem illa

millia servarentur, fuerat, Baali nullum cultum exhibuisse; sic caussa, cur hæ reliquiæ servatæ fuerint, fit, in Christum credidisse. At nihilominus tamen hæ reliquiæ servatæ esse dicuntur ex gratuita electione neque enim aliter servatæ sunt, quam pura Dei gratia. Qui pro ingente bonitate sua, eos omnes servarum iri statuit, qui Christo confisi fuerint. Nullam rationem hic habens carnalis ullius propagationis, aut ullorum operum, quæ ii, qui credunt, fecissent, quibus impulsus fuerit, ad tantum beneficium illis dandum.

Propterea, pergens, inquit, *Si autem gratia, jam non ex operibus* &c. Deinde subjungit, Israëlem id minime consecutum esse, quod quærit, Electos autem esse consecutos. Quod, ut aperte constat, illud idem reipsa est, quod vidimus eum prius 9. cap. dixisse. Nempe Israëlem non pervenisse ad legem justitiæ, quam sectabatur: Gentes vero justitiam apprehendisse, quamvis eam neutiquam sectarentur. Nisi quod hic Gentium loco Electos sive Electionem nominat eos ex Judaico populo intelligens, qui in Christum crediderant, quos vocat Electos ob eandem caussam, ob quam, ut vidimus, dixerat supra, quasdam reliquias ejus populi servatas fuisse ex electione gratuita. Qui igitur in Christum crediderant, & idcirco electi erant, ex bona Dei voluntate justitiam obtinuerant. Reliqui vero, qui videlicet non reddiderant, ut ibidem deinceps scriptum est, non modo justitiam non obtinuerant, verum etiam propter ipsorum incredulitatem, quamvis ex Abrahamo, Isaaco, & Jacobo prognati essent, indurati fuerant. Quemadmodum Esaiæ tempore iis acciderat, qui Deo parere noluerant, & quorum labia modo Deum honore afficiebant, cor autem ab illo alienum erat: & quemadmodum David, qui Christi typus erat, precatur, ut iis eveniat, qui injuria ipsum afflixerant, ac persecuti fuerant. Hinc Paulus infert ac docet, Judæis a Deo rejectis eo quod in Christum non credidissent, Gentes in eorum locum successisse, quæ crediderant. Qua de re multa verba facit, assimilans incredulos Judæos ramis naturalibus oleæ cujuspiam, ex qua excisi fuissent, Gentes vero credentes ramis alicujus oleastri, unde sumpti, loco eorum, qui ab olea excisi essent, in eam forent insiti.

Et tandem, ne Gentes, quibus præcipue scribebat, hanc ob caussam, in superbiam & confidentiam quandam ob acceptum tale à Deo beneficium inciderent, ad ipsos sermonem convertens, sic ait; *Dices ergo, Fracti sunt rami, ut ego inserar, Bene, propter incredulitatem fracti sunt; tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos*, &c. Ex quibus verbis aperte colligitur, caussa electionis, & rejectionis, de quibus Paulus loquitur, quamvis quo ad Dei decretum attinet, nihil aliud ea sit, quam ipsius Dei voluntas, quæ hac in re, ut ante etiam ex parte dictum fuit, nec carnalis prognationis, nec operum quæ quis fecerit rationem habet, tamen, quod ad rei ipsius effectum pertinet, esse fidem in Christum, & (ut sic loquar) in eundem incredulitatem; Deo pro sua sula gratia ac bonitate ita perpetuo volente, ut, qui in Christum crediderint, sint electi; non secus ac justo suo judicio vult, ut, qui in Christum non crediderint, sint rejecti. Cum interim ii, qui aliquando crediderunt, rursus possint non credere; & similiter ex altera parte, qui increduli fuerunt, ad credendum adduci

Cum igitur, ut vidimus, Paulus Apostolus hac ipsa de re agat cap. 9. propterea, ut ibi probet, ad hoc, ut quis filius Dei sit, aliud requiri, quam ex Abrahami Jacobique stirpe esse prognatum, primum ait, hinc posse intelligi, Deum rationes istas carnales non tanti facere, quanti fortasse quidam existimant, quod quamvis Abraham ipsi tam carus esset, tamen non omnes ab eo prognati, fuerant ab ipso electi; sed ii solum, qui per Isaacum ejus filium propagati sunt. Qui Isaacus ex ipsius Dei promisso natus fuerat Unde tanquam ex typo quodam conjici potest, ad hoc, ut quia sit Dei filius ab ipsoque electus, nihil momenti habere carnalem quancumque prognationem, sed necesse esse spiritualiter nasci, exque divino promisso, id est, credere in Christum, atque ex Deo per fidem in ipsum Christum nasci, ac pullulare. Cum is ejusque fideles sint semen illud in Isaaco adumbratum, cui divinum promissum factum est. Id quod universum colligitur, ex 3. cap. Epist. ad Gal. 16 19. 22. 26. & 29, atque etiam ex cap 4. 28. ubi dicitur, nos esse filios promissionis, ut Isaac fuit. Nos videlicet qui in Christum credimus. Deinde non contentus Paulus hac probatione, ulterius progreditur, atque ostendit, ne illos quidem, qui per Isaacum sunt propagati, cui, ut dictum est, promissum divinum factum fuerat, fuisse omnes a Deo in suo populo numeratos. Quandoquidem ex duobus filiis ejusdem Isaaci iisque ex uno concubitu natis, alter ab eo fuit electus, unde ipsius populus nasceretur; alter vero omissus. Tamen is, qui electus fuit, post alterum in lucem fuerat editus. Ut eo clarius constet, Deum harum carnalium rationum non habere rationem. Et, ne quis suspicari queat, Deum tamen earum habiturum fuisse rationem, nisi Esaus improbitate sua commeritus fuisset, ut in ipso Dei promissum minime servaretur, contra vero Jacob ob suam probitatem dignus habitus esset, in quo præcipue id promissum servaretur; ait Paulus, Deum hæc jam decrevisse priusquam nascerentur pueri, non modo antequam utervis eorum quidquam boni, aut mali fecisset. Ex quo sane apparet, Deum in hac electione & rejectione nullo pacto potuisse alterius rei rationem habere, præter ipsum suum propositum & voluntatem.

Nec idcirco tamen (subjicit Apostolus) dici potest, in Deo ullam esse injustitiam. Quippe cum ille jure possit beneficia sua distribuere utcumque ipsi placuerit, nec cuiquam injuriam faciat, si ad nulla merita respiciens à nobis excogitata, huic dat, quod illi dare non dignatur. Hoc autem ipsius Dei verbis confirmat, quæ Mosi dixit; videlicet, se fore benignum & clementem, erga quem sibi visum fuisset. Ex quo, ut ipse Paulus ait, necessario sequitur, dona ac beneficia, quibus Deus homines afficit, non eorum esse, qui ea maxime vellent, utque ea habeant laborent, & tanquam in stadio currunt; sed eorum demum, quos ipse Deus benignitate sua complecti constituit. Id quod ea ratione, qua supra ostensum est, ipsius Pauli tempore apparuerat in Judæis: qui quamvis & voluissent, & plurimum laborassent, ut coram Deo justi haberentur, hocque ab eo beneficium obtinerent, non tamen idcirco id obtinere potuerant. Nempe quia id ea via tentaverant, quæ ipsis ei rei accommodata visa fuerat, ex ipsorummet sensu, non autem ex voluntate Dei. Sed ii tantum illud obtinuerant, quos Deus habituros constituerat. Id est ii, qui eam viam ingressi fuerant, quam Deus ad id obtinendum proposuerat, & in Jesum Christum crediderant. Ad hujus autem veritatis clariorem demonstrationem, addit Paulus aliud testimonium Sacrorum Literarum, ex quo intelligitur, quod, quemadmodum vidimus, Deum suam benignitatem impertiri, cui sibi videtur, sic idem Deus in illum severitate utitur, id est, eum propter ipsius peccata graviter punit, quem punire statuit.

Hoc autem testimonium ea verba sunt quæ Deus jussit, Mosem Pharaoni nomine suo dicere *Profecto propter hoc ipsum stare feci te, ut tibi ostenderem* (sive in te ostenderem) *potentiam meam, utque annuncietur nomen meum in universa terra.* Ubi animadvertendum, verbum Græcum ἐξήγειρα, quod alii apud Paulum vertunt Excitavi, debere veru, ut à nobis factum est, *stare feci.* Sic enim est in Hebræo, unde sumptus est locus. Præsertim cum ipsum verbum Græcum figurate hanc significationem habere possit. Atque hanc eundem locum Septuaginta interpretes ita in Græcam lin-

linguam converterunt, ut ad hunc modum Latine sonet. *Et hanc ob rem conservatus es hucusque, ut, &c.* In magnis autem Bibliis Rob. Steph. Genevæ impressis sic locus explicatus invenitur. Ad verbum *stare feci te*, vel, *manere* id est nolui te illico ob tuam impietatem exterminare. Potuisset Deus, si voluisset, omnibus quibus consuevit, rationibus quærere, ac curare, ut Pharao à sua iniquitate recederet, eique ignoscere: Noluit tamen. Immo illi cor induravit, ut hinc majorem caussam haberet patefaciendi in ipso potentiam atque excellentiam suam. Quod quidem ille ob sua scelera, id est ob summam sævitiam, qua in populum Israëlis & ipse, & decessor ejus usi fuerant, plane commeruerat. Igitur Deus, ut Apostolus subjicit, benignus est, erga quem ipsi videtur, & similiter severus est, in quem ipsi videtur, eum in ejus malitia indurans. Atque ex hoc Pharaonis exemplo, omnino intelligi potest (id quod plurimum ad illud pertinet quod Apostolus potissimum demonstrare conatur) Deum in decretis suis, quæ humanum genus respiciunt, nullam rationem habere personarum, nec earum rerum quas mundus seu carnalis prudentia plurimi facit. Veluti, an quis sit rex potius, quam privatus, ac quidquid est hujusmodi. Cæterum ex hac Pauli sententia, si quis malitiam suam excusare voluisset, Deoque suæ punitionis caussam ascribere, potuisset ansam sumere sic interrogandi; Cur igitur nos adhuc increpat Deus, & conqueritur, si ipse id facit, quod vult? Aut quis est, qui ejus voluntati queat resistere.

Cui respondet Apostolus: *Quin immo, ô homo quisnam tu es qui velis cum Deo contendere?* Perinde ac si diceret, Nequaquam conqueritur Deus, quenquamve increpat ob ea, quæ secundum ipsius voluntatem fiunt. Sed tu is es, qui teipsum opponere tentas divinis atque egregiis ejus decretis, quippe qui ea cœco carnalique tuo judicio metiare. An non satis habere deberes, nisi aliud amplius intelligere potes, quod Deus hujus universitatis est Dominus? Videturne tibi convenire, *ut res ficta suo fictori dicat, Cur me sic finxisti? Nonne potest figulus ex eadem argillæ massa aliud vas formare rebus honestis destinatum, aliud vero inhonestis?* Sic Deus similiter potest clementia uti, erga quem ipsi visum fuerit; ac rursus non uti, erga quem ipsi non fuerit visum, nulla habita ratione eorum, quæ humana prudentia considerandа censuerit, nec cuiquam sui facti rationem reddere cogitur. Jam quod similitudines fictoris & figuli, neutiquam ad hominis creationem respiciant, sive ad certum finem, cui Deus scilicet singulos creando destinet, sed ad distributionem in ipsos beneficiorum Dei, ac debitarum pœnarum, præter apertissimum Apostoli scopum, demonstrant manifeste cap. 45. Esaiæ, & cap. 18 Hieremiæ; ex quibus locis ipse sine dubio eas est mutuatus. Verum ut videas ô homo (subjungit Paulus) etiam secundum à me allata exempla summam Dei justitiam & æquitatem, Dic (quæso te) an non potuisset Deus jam diu gravissime punire atque undique exterminare eos ex populo Hebræo, qui Christum repulerunt, quos constat, majore ex parte, etiam antequam eum repulissent, fuisse homines improbos, quemadmodum Dominus Jesus illis sæpe exprobravit? Potuisset sane. Quam ergo illis injuriam fecit, si eos multa cum lenitate diu pertulit, sicut etiam diu pertulit Pharaonem, ut in ipsis suam potentiam declarandi occasionem haberet, eos nimirum perdendo ea ratione, qua id factum esse jam videmus; & ad quam perditionem ipsi propter sua scelera properabant, sese indies magis dignissimos reddentes, in quos Deus iram severitatemque suam exereret? Rursus, cuinam ille injuriam fecit, si, ut divitias gloriæ suæ ostenderet, illorum omnium est misertus qui in Christum Jesum crediderunt, quos gloriosos fore constituit; hocque beneficium non modo in illos contulit, qui secundum carnem ex Abrahamo sunt prognati, erantque ex ipsius peculiari populo; sed etiam in illos, qui procul aberant ab omnibus ipsius fœderibus atque promissis? Quæ omnia ut Paulus multo clarius demonstret, non debere videri nova aut insolentia, locos quosdam scripturæ affert, ex quibus aperte probatur, primum, Deum jam pridem prædixisse, se benignum futurum erga alios, quam Judæos, & pro populo suo habiturum eos etiam, qui prius non erant ejus populus. Deinde, Deum alias Israëlis populum universum, paucis quibusdam exceptis, graviter puniisse. Id quod typus quidam esse poterat hujus postremæ & maximæ calamitatis, in quam illi justo Dei judicio inciderunt. Ac tandem, ut ab initio diximus, & planum fecimus, concludit, caussam, cur quis sit, aut non sit ex Dei populo, exque numero filiorum ejus, nihil aliud esse, quam credere, aut non credere in Christum; idque quia sic Deo est visum, nulla habita ratione carnalis propagationis ex Abrahamo & Jacobo, vel cujusquam alterius rei similis.

APPENDIX

Ad superiorem explicationem in 9 cap. Epistolæ ad Rom.

PAulus, ut ostendat, Deum in eligendo populo suo Israëlitico non habuisse rationem simpliciter & absolute propagationis carnalis, primum adfert exemplum filiorum ipsius Abrahami, quem primum omnium sibi delegerat, & ostendit, non omnes ejus filios, sed Isaacum tantum fuisse à Deo electum, ex quo oriretur populus, ad quem pertinebant ipsius benedictiones: neque hoc contentus attulit præterea exemplum filiorum ipsius Isaaci, eorumque eodem partu natorum, ex quorum tamen utroque noluit originem ducere populum suum, sed ex altero tantum, atque adeo ex minore natu. Verum potuisset quis posteriori isti exemplo objicere, quod ad rem non faciat, cum alia eaque potentissima caussa subesset, cur id à Deo factum fuerit, nempe malitia majoris natu, id est Esai, & probitas minoris natu, id est Jacobi, quæ caussa non sinit ut possimus dispicere, an Deus hic habuerit rationem carnalis propagationis nec ne, & merito facit, ut possimus concludere ita Deum statuisse, non quia rationem carnalis propagationis non habeat, cujus alioquin semper habere soleat; sed quia malitia Esai, & probitas Jacobi illum ipsum quodammodo coëgisset, ut suam ordinariam agendi rationem, in hoc casu minime servaret. Quapropter respondet Paulus huic considerationi nullum locum esse posse, cum Dei decretum de eligendo Jacobo, & reprobando Esao pronunciatum fuisset, antequam utervis eorum esset natus, nedum quicquam boni aut mali fecisset. Apparet igitur, quod si ex eo quod Paulus dicat, Deum in reprobando Esao, & Jacobo eligendo nullam malorum aut bonorum operum utriusque rationem habuisse, hinc colligi putet, Deum in eligendo & reprobando, ad opera eorum qui eliguntur aut reprobantur nihil respicere; apparet inquam istum non recte colligere, cum Paulus quidquid affirmat de bonis aut malis operibus Jacobi & Esai, non ad aliquid probandum eorum quæ sibi proposuerat, nec sua sponte id dicat, sed tantum excipiendum, & quia tacitæ objectioni quæ ipsi fieri potuisset, respondere & satisfacere voluit, quo ostenderet exemplum Jacobi & Esai à se allatum ad comprobandum, quod Deus simpliciter & absolute carnalis propagationis rationem non habeat, esse firmum & stabile, nec ullo pacto respui aut refutari posse. Quod si idem urgeat, ex hoc exemplo tamen probari posse, Deum nihil inique facere, si alios servet, alios vero damnet, nulla habita ratione bonorum aut malorum operum, quæ ipsi faciant. Respondendum est, longe diversam esse rationem beneficii non dandi, quod factum est in Esau, & pœnæ inferendæ, quod fit in iis qui damnantur. Nam beneficium denegare etiam homini nihil mali commerito unusquisque jure potest, at pœnam inferre, nullo prorsus modo.

Auctor

Auctor manu sua cuidam hæc sequentia addidit.

PAulus cum 9 capite Epistolæ ad Rom. affirmat, Deum in decreto illo, quod Esaus, quamvis major, Jacobo fratri minori serviret, non habuisse rationem operum utriusque, non propterea hoc dicit, ut ostendat Deum in hominibus eligendis aut reprobandis nullam prorsus ipsorum operum rationem habere, sed ut tacitæ objectioni respondeat. Cum enim exemplum istud duorum illorum fratrum ideo attulisset, ut doceret, Deum carnalem propagationem ac prærogativam non tanti facere, ut sui Israëlitæ putabant, potuisset ei aliquis objicere, tale exemplum minime ad rem facere, eo quod decretum illud divinum non inde profectum fuerit, quod Deus ista carnalia non curet, sed inde, quod Esaus malus, Jacobus autem bonus fuerit. Itaque respondet Apostolus hoc minime fieri potuisse, cum neuter esset natus cum decretum illud pronunciatum fuit; non negans alioqui Deum in nobis servandis aut damnandis probitatis aut improbitatis ullam rationem habere, sed tantum affirmans Deum non iis ad nos servandos moveri, quæ nobis probantur, sed tantum iis, quæ ipsemet probat, à nostro sensu sæpissime valde alienis. (Illud vero Esaum odio habui, non id sibi vult quasi condemnaret Esaum, verum quia eum minus Jacobo amavit, ut loci similes habent Math.6.24. Luc.14.26.)

Sequuntur Aliorum locorum Sacræ Scripturæ explicationes.

Gen.1.26. Faciamus hominem.

IN omni fortasse lingua obtinuit, ut cum aliquis seipsum, quantumvis solum, ad aliquid faciendum adhortatur, vel se facturum decernit, si id ita efferat, ut per subjunctivum modum, Græce aut Latine enunciari debeat, numero plurali utatur, ut apud Livium, lib.39. Annibal, venenum sua sponte hausturus, Liberemus, inquit, diuturna cura populum Romanum.

Gen.3.22. Adam factus est, sicut unus ex nobis.

VOx nobis eos una cum Deo complectitur, qui cum ipso in cœlo habitant, vitamque cœlestem & immortalem degunt. Nam simplici etiam Dei, vel Jehovæ nomine, hujusmodi etiam cohabitatores aliquando intelliguntur, ut Psal.115. *Cœli cœlorum Jehovæ; terram autem dedit filiis hominum.* Adhæc Locus ex Hebræo, sic verti potest. *Ecce Adam factus est, sicut unus ex seipso, sciens bonum & malum.*

*Esaiæ cap.42. Ecce servus meus &c.

MUltifariam trahitur hoc caput. Quidam enim de Cyro interpretantur, de Propheta quopiam alii; non pauci de Israële, plurimi, hoc præsertim tempore, de Jesu Nazaræno. Mihi videtur ad Israëlem referendum; quod ex locis consequentibus pariter & antecedentibus facile evincitur, videlicet, cap. 49.8,9 cap.41.8,9,13,14, cap.43.1,2. Unde apparet, hæc verba de Israële bono ac fideli accipienda. Nam quod dicitur *Innitar ei* &c. intelligendum de cultu & nomine divino, quod solo Israële quodammodo nixum, solique cognitum fuit: ut videre est Deut.4. 6,7,8. Sap.18.4. Zach.8.20,21,22,23. Esa.53.8 & 11. Ex quibus omnibus constat per Israëlem bonum & fidelem reliquas gentes de Deo cultuque ejus edocendum fuisse.

* Ad hujus & sequentis loci explicationem à Semi-judaizante quodam propositam Socinus infra respondet.

Esa. cap.53.

ETsi de morte Jesu plurimi accipiunt, tamen qua id ratione probari queat, nihil apparet, immo nec antecedentia nec consequentia verba id suadent: opiniones vero & suspiciones quædam incertæ, hoc in negotio sunt periculosissimæ. Quod enim Novi Fœderis Testimonium adducunt, præpostere id quidem faciunt; cum vetus potius de novo testari, quam contra debeat. Sed, ne novum quidem Fœdus, de morte Christi qua abluuntur peccata, hæc verba intelligit: sed de sanatione duntaxat variorum morborum, Matth. 8,16,17. Deinde, si res & verba capitis hujus diligenter ponderentur, non omnia (mihi crede) Jesu personæ respondebunt. Potius itaque ad Israëlem referenda, quod ut sentiam, potissimum his Scripturæ Testimoniis ducor, Esa. cap.6,3,4,5. cap.45. Item cap.52.13, 14,15. cap.62.1,2. Mich.4.11. Sap.18.4. Ezech36.23, 33,34 &c. Cæterum quod de una quasi & certa quapiam persona loqui Propheta videtur, licet populum intelligat, mirum non est; cum hoc sit frequens & usitatum in Sacris Literis, verbi gratia, Dan.7.13,14. Item Oseæ 11.1. &c. &c.

RESPONSIO F. S. ad superiorum ex Esaia locorum explicationem.

Esa. cap 42. Ecce servus meus &c.

NOn potest hic locus referri ad Israëlem, cum huic servo tanquam bono & fideli multa tribuantur, quæ Israëli, qui nec bonus, nec fidelis servus erat, aut unquam fuit, minime conveniant. Itaque quod dicitur, de Israële bono & fideli hæc accipienda esse, plane nugatorium est. Nam si eam partem Israëlis intelligi velimus, quæ bona erat, aut futura erat, nimis insolens erit hæc appellatio; Ea enim pars semper fuit valde exigua, quare nec Israëlis simplici nomine appellari potest, nec per se tanquam persona aliqua intelligi, aut totius populi personam sustinere. At enim fortasse futurus est bonus & fidelis omnino Israël aliquando, & ad tempus illud hujus vaticinationis verba referenda sunt. Expectabimus igitur tempus illud, ut certo statuere possimus hunc locum de Israële; non dicam accipiendum esse, sed accipi posse. Cæterum alii ejusdem Prophetæ loci, ex quibus apparere dicitur de Israële bono & fideli hunc locum accipiendum esse, nihil ad rem faciunt.

Primum enim locus cap 49.6,7,8. non de Israële loquitur; sed de Messia, quem servum suum fore ait Dominus, ad erigendas tribus Jacob, & ad restituendas vastitates Israëlis. Hoc enim munus Messiæ, id est regis illius, qui sæpius obscure ab ipso ferme orbe condito promissus fuerat, clare vero instante captivitate Babylonica sub Hieremia Propheta cæpit à Deo promitti; proprium futurum fuisse, non autem ipsius Israëlis; quasi Israël Israëlem erecturus & restiturus esset: hoc inquam ita se habere varii loci apud ipsum Hieremiam, Ezechielem, Danielem, & reliquos recentiores Prophetas planissimum faciunt, & apud omnes Israëlitas, semper in confesso fuit.

At deinde alii loci nihil aliud probant, quam Israëlem à Deo vocatum fuisse suum, & servum suum Sed nullo pacto ostendunt, in Israele bono & fideli appellationes istas usurpatas fuisse. Nihil enim in illis dicitur, quod ad universum Israelem sive bonum sive malum referri non debeat, non modo non queat, quemadmodum fit in loco nostro. Quare contrarium potius ex illis probatur, atque opus fuerat. Ejusmodi enim exem-

exemplis ostenditur, cum de Israële est sermo, etiam tanquam de Dei servo, quem ille pro suo agnoscat, totum Israëlem solere intelligi; id quod etiam per se & ratio, & loquendi usus evidenter docet.

Sed finge in illis locis & similibus apud Esaiam, in quibus, Israëlem à Deo servum suum appellari, constat, de bono & fideli Israële agi, num propterea de bono & fideli Israële accipiendum erit, quicquid apud eundem Prophetam de bono aliquo & fideli servo suo Deus dixerit? Itaque de bono & fideli Israële hunc locum non quidem accipiendum esse, sed tantummodo accipi posse, ostendere possent loci illi, quacumque tandem ratione eos interpretari velis. Sed hunc locum nihilominus de bono & fideli Israële accipi non posse vel illud satis ostendit, quod de hoc servo dicit Dominus, se daturum illum in fœdus populi; id quod cap. quoque 49 dicit; ubi, quemadmodum dictum fuit, sine dubio de Messia est sermo. Nam quomodo, quæso, bonus & fidelis Israël dari aut potuit aut potest à Deo in fœdus populi; cum ipse sit ille idem populus aut certe pars ejus, eaque talis ut ad ipsam potissimum fœdus istud pertineat?

Taceo illud, *Non faciet audiri in platea vocem suam*; quod satis aperte ostendit, de uno quopiam homine, non autem de populo universo, aut de parte populi, verba fieri. Sed quid si concederetur, hanc Prophetiam, de Israële bono ac fideli non solum accipi posse, sed etiam accipiendam esse? Nunquid inde sequeretur, eam de Jesu Nazaræno non posse accipi? Non sane, Multa enim alia fatemur nos de aliis per typum seu figuram quandam prædicta fuisse, quæ proprie tamen & vere in Jesu Nazaræno impleta sunt. Et cap. 49. hujus Prophetæ, ubi, sicut dictum est, omnino de Messia agitur, id sub persona ipsius Prophetæ fieri videtur. Quinetiam sub eadem persona ipse Messias, quem nos Jesum Nazarænum esse contendimus, ibidem Israël esse dicitur, in illis verbis, *Servus meus* [*es*] *tu*, *Israël* (subaudi *es*) *in quo glorificabor*.

Quare nullam absurditatem continet, si quis dicat de Israële quidem in loco nostro verba fieri, Jesum tamen Nazarænum præcipue intelligi. Quanquam & de Israële nullo pacto verba fieri satis jam demonstratum est, & de Jesu Nazaræno potius, quam de ullo alio locum accipiendum esse, id plane suadet, quod quidquid ibi dicitur, ad ipsum vere & proprie accommodari potest. Id quod de nullo alio merito dicetur. Quid quod necesse est, si ad Israëlem hanc vaticinationem, non autem ad Jesum Nazarænum, referri velimus, palam confiteri, eam nondum impletam esse, quamvis ab eo tempore quo fuit prodita, bis mille & quadringenti plus minus anni numerentur? Quid obsecro hoc est, vaticinationem istam in eo impletam fuisse negare, qui annis post octingentis circiter extitit, cuique omnino ad unguem conveniunt, & post ter octingentos annos adhuc expectare, ut in eo impleatur, qui, cum jam multo ante esset, & post semper fuerit, nunquam tamen is fuit, qui esse debet, ut de eo hæc sperari possint, cuique nunquam æque bene, ut illi alteri, ipsius vaticinationis verba accommodari poterunt? Debuisset saltem auctor scripti istius, cum unum hoc sine dubio propositum illi esset, ut de Jesu Nazaræno Prophetiam hanc minime accipiendam esse doceret, ostendere quid sit, quominus id fieri queat; aut planum facere, sive Israëli, sive cuipiam alii, ea quæ in ipsa dicuntur, magis proprie ac vere convenire, quam ipsi Jesu. Quod sine dubio nunquam faciet; nec ad Israëlem, quantumvis bonum & fidelem, ullo pacto locum accommodari aut debere, aut posse demonstrabit; nisi boni & fidelis Israëlis nomine ipsum Jesum Nazarenum una cum suis Apostolis, & aliis intelligat, qui ex Israëlis populo Euangelii lucem orbi terrarum intulere, & gentes à falsis diis ad verum Deum colendum adduxerunt.

Esaiæ cap. 53.

TOta hæc vaticinatio idcirco merito Jesu Nazareno accommodatur, quia nullus fuit unquam, cui ea prorsus conveniant, quæ in ipsa dicuntur, præter unum Jesum Nazarenum. Nec quisquam futurus est, qui demonstrare possit quippiam istorum ad Jesum non quadrare. Nam quod scripti auctor dicit, nec antecedentia nec consequentia verba id suadere; cur vero non suadeant, cum in præcedente cap. de futura redemptione populi Israëlis agatur, & in seq. idem apertius repetatur, utrobique autem de gentibus vel in sui admirationem trahendis, vel filiæ Sionis seu Hierusalem servituti subjiciendis sit sermo? Siquidem Jesus & Israëlis populum, quantum in ipso fuit, ab æterna morte vindicavit, & à peccatorum servitute redemit, & simul gentes in sui admirationem traxit, sibique ex Sione & Hierusalem per Davidem & successores ejus oriundo gentes subjecit. Quanquam etiam est in Prophetis, atque adeo in ipso Esaia, tanta rerum quæ dicuntur continuatio, ut sæpe quæ vel antecedunt, vel consequuntur, nullam aut exiguam cum iis, quæ in medio dicta sunt, convenientiam aut conjunctionem habeant: Quemadmodum neque etiam ordo in illis servatur; sed frequenter id quod postea futurum est, prius dicitur, & contra.

Quod ad scripta Novi Testamenti attinet, fatemur non posse inde interpretationem hujus loci peti, si cum iis instituta fuerit disputatio, qui ea scripta rident, & nullo loco habent, vel etiam de illorum auctoritate dubitant, tanquam ii, qui Spiritum Sanctum in scriptis illis loquentem minime agnoscunt. At vero, si cum iis, qui mentis oculos illuminatos habent, & vident ac sentiunt, scripta illa ab hominibus divinis conscripta fuisse, disputatio fuerit, nullam meliorem interpretationem afferre quisquam potuerit, quam eam, quæ ex illis scriptis elici possit. Jam vero, etsi Matthæus Euangelista cap. 8. vers. 16, & 17, vaticinationis hujus partem ad sanationem variorum morborum corporis à Jesu factam accommodat, nihil vetat, quominus eadem illa pars ad sanationem variorum quoque animi morborum accommodari queat. Non quidem ut plerique Christiani nominis affirmant, quia Jesus ea omnia passus fuerit, quæ populus, & nos omnes propter animi nostri morbos, id est peccata nostra, pati debeamus, & hac ratione nos ab illis, id est ab illorum reatu, liberaverit; hoc enim longe à veritate abest. Sed quia quemadmodum Jesus ægrotos illos à corporis languoribus & infirmitatibus sanavit, & propterea, interprete Matthæo, dictus est tulisse & portasse, id est abstulisse & asportasse languores & infirmitates nostras; sic etiam animi languores & infirmitates nostras curavit, cum ab ipsis peccatis nos liberando, id est, efficiendo, ne amplius in peccatis maneamus, tum vero postquam peccare desierimus, à pœna & reatu peccatorum nos asserendo, & pro suppliciis ac morte æterna, quam commeriti fueramus, beatam immortalitatem nobis dando. Quod cum sine interventu passionis & violentæ mortis ipsius Jesu factum non fuerit, (per hæc enim ad æternam vitam & potestatem eadem vita sibi obedientes & in posterum sobrie, juste, ac pie viventes, & mundana desideria omnia abjicientes donandi, ex Dei consilio & voluntate pervenit) idcirco prædictum fuit de ipso, quod livore ejus sanati simus, & reliqua omnia, quæ in hanc sententiam hoc loco ab Esaia copiose sunt scripta. Et sane in ipso Novo Testamento, contra quam scripti auctor affirmet, Esaiæ verba ad Iesum relata ad ipsos animi morbos accommodantur. Ut videre est 1 Petr. 2 ad finem capitis.

Quamvis autem non prorsus negandum videatur, hanc quoque vaticinationem, sicut cæteras fere omnes, quæ Messiam respiciunt, potuisse tanquam ad typum quendam alio ratione aliqua referri, quam ad ipsum Jesum, antequam Iesus existeret, tamen ad populum Israëlis eam accommodari posse, nullo pacto censendum est, propter eas rationes, quas in superiore loco exami-

examinando attulimus. Potissimum vero propter illam, quod is, de quo est sermo, propter transgressionem populi Dei percussus dicitur, ex quo manifeste sequitur, alium esse populum Dei, & alium, istum, de quo Esaias vaticinatur. Atque hac sola ratione jam pridem ab Origene libro primo (ni fallor) contra Celsum interpretatio ista confutata fuit. Quid autem dicemus, quod is, de quo Esaias loquitur, occidendus & moriturus prædicitur? Nam quando, rogo, Israelis populus vel occisus vel mortuus est? Quod, propterea quia occidi & mori voluerit, sive animam suam ponere hostiam pro delicto, futurum sit, ut videat semen longævum? Quod enim, quæso, fuit istud semen longævum visum ab Israelis populo? Quod cognitione sui justificaturus sit multos, quorum ipse iniquitates portabit? Nam quomodo hæc unquam ab Israelis populo sunt facta? Taceo alia multa, quæ nullo modo, quicquid R. David Kimchi potissimum conetur, quicquid comminiscatur, ad Israelis populum accommodari queunt. Immo nihil est prorsus, quod recte ad ipsum possit accommodari; etiamsi populi Israelis nomine eos tantum ex populo intelligas, qui boni & justi erant. De quibus nunquam vere & proprie dictum fuerit, quod iniquitatem non fecerint, nec inventus fuerit dolus in ore ipsorum. Verum nemo est, quin intelligere possit, cum Propheta dicendo Nos, & Nos omnes, & Nostras infirmitates, & Nostras iniquitates, seipsum, id est, sui similes iis annumeret, qui ab isto servo Dei, de quo est sermo distinguuntur, istum Dei servum, bonum & fidelem Israelem esse non posse; nec fieri à Propheta distinctionem inter malum, & bonum Israelem, sed inter universum Israelem, qui fere totus malus erat, & servum istum Dei. Locos qui afferuntur, quibus suaderi possimus, istius servi Dei nomine hoc loco Israelem intelligi, per ea, quæ in superioris loci examinatione dicta sunt, nullam id præstandi vim habere constat; nisi fortasse, si concedamus, locum 52. cap. id est finem ipsius cap. de Israele accipiendum esse. Atqui hoc concedendum non est; sed dicendum, ibi quoque, ut ipsa verba sonant, de certo quodam homine Dei servo agi, id est de Messia, quem nos Jesum Nazaræum esse asseveramus. Jam, etiamsi verissimum esset, aliquando, vel etiam frequenter in Sacris Literis populum intelligi, licet de certa quadam persona videatur esse sermo; tamen hoc neutiquam ibi admittendum esset, ubi non quidem in paucis quibusdam verbis id factum fuisse necesse esset, quæ etiam se ipsa explanarent, ut in Oseæ loco accidit, cap. 11. 1, sed in longa quadam oratione idque perpetuo; quemadmodum hic contingit, sine ulla ejus rei significatione, immo cum apertis indiciis, quod nequaquam de populo sub appellatione illa sit sermo. Nam, quod ad Danielis locum attinet, cap. 7 13, & 14, nihil obstat, quominus primum Messiæ ipsi regnum tribuatur, deinde vero idem regnum sanctorum esse dicatur. Unum siquidem futurum tandem est Messiæ regnum, & sanctorum. Quare nihil cogit contra omnem verborum vim, illius nomine, qui similis erat filio hominis, non certam quandam personam, sed populum intelligere.

Explicatio loci Esaiæ 49. 5. Et nunc dixit Jehovah, qui me formavit ab utero servum &c.

RESponsio est triplex. Primum, quod locutio illa *ab utero* proverbialis & hyperbolica est, qua etiam aliæ linguæ præter Hebraicam utuntur, cum volunt significare aliquid ita plane esse, adeo ut perinde sit, ac si id, quod de ipso affirmant, esset ei naturale. Exempla afferuntur ex ipsis Sacris Literis, ex Esaia ipso, & Psalmis. Deinde, quod potest de aliquo dici aut prædicari id, quod certissime futurum est, licet nondum sit, quare cum ab ipso initio, quando Jesus est formatus in utero matris, certissimum esset illum fore servum Dei, merito dici potuit, illum jam tunc fuisse formatum à Deo servum suum. Postremo animadvertendum est, in Hebræo legi *in servum*, quod perinde exponi potest ac si scriptum esset *ad serviendum* sive *ut serviam*, quemadmodum Tremellii & Junii translatio habet, ita ut istud servire, ad tempus futurum referri debeat, non aliter atque id quod statim sequitur, *ad reducendum* &c. ad tempus futurum necessario refertur, si, inquam, verba illa *ab utero* velimus debere proprie accipi: neque enim simul atque Jesus formatus est in ventre matris cœpit reducere &c. Potest addi etiam quarta responsio, hoc est, vaticinationem istam, ut ipsa verba omnino ferunt, tanquam in typo in Esaia primum suum effectum habuisse, de quo certe dici non potuit, quod cum formatus est homo in utero matris suæ, fuerit ob hoc ipsum formatus Dei servus, alioqui nihil dixisset Esaias, quatenus ad ipsum locus refertur, cum de omnibus hominibus idem dici posset. Addo præterea, quod Esaias non dicit simpliciter servum, sed *servum sibi*, sive *ipsi*, & servilis conditio vel forma, de qua Phil. 2, si humanam naturam significare posset, ita accipienda esset, ut ejus ibi sit mentio, id est, simpliciter & absolute, non autem cum relatione ad Deum. Nam alioqui ipsi quoque Angeli sunt Dei servi, quin & ipse Dei filius, si non est ejusdem substantiæ cum ipso Deo, immo, si non est ipse Deus, sed ipso minor illique subjectus, quocunque modo consideratus, necesse est, ut sit ipsius Dei servus, adeo, ut si erat, antequam homo nasceretur, necesse sit jam tum fuisse Dei servum, non autem ex eo factum esse, seu formatum Dei servum, quod homo fuerit natus.

Matth. 5. 21, 27, 33. Dictum est antiquis &c. Ego autem dico vobis.

QUidquid concessum, sub Vetere Testamento fuit, necesse est ut id per se, nequaquam sit malum. Alioqui Deus mala fieri concessisset, quod ab ipsius natura plane abhorret. Quod igitur, quædam ex istis, sub Novo Testamento non concedantur id non propterea fit, quod per se mala sint; sed quia, cum in Novo Testamento ea promissa fuerint, quæ longe exsuperant naturam nostram, nempe immortalitas, sempiternaque beatitudo, conveniens fuit, ut præcepta quoque, naturam nostram superarent; id est non modo ea nobis interdicerentur, quæ per se mala sunt, sed multa quoque ex iis, quæ non sunt per se mala, quamvis à divina illa perfectione absint, quæ cum cælestibus illis promissis recte congruit atque consentit.

Matth. 9. 13. Non veni ut vocarem justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

HOc est, Quos veni servatum non sunt justi, sed peccatores. Vel: Non veni vocatum ad pœnitentiam justos; hoc est, homines qui inculpatam vitam, quantum ejus fieri potuit degerunt, sed peccatores; hoc est, eos, qui contra suam ipsorum conscientiam, & Legem etiam Dei multipliciter peccaverant.

Marci 16. 15. Ite in universum orbem prædicate &c.

QUemadmodum ii qui parent legibus politicis, quamvis recte faciant, nihil tamen merentur; quia id quod debuerant facere, fecerunt; qui vero non parent, non solum malefaciunt, quia id non fecerunt, quod facere debuerant, verum etiam merito puniuntur: Sic ii qui divinis legibus parent (si rem ipsam per se, divinis promissionibus seclusis, considerare velimus) nihil merentur, etiamsi illi, qui non parent, nullis quantumvis propositis pœnis, puniri tamen jure possunt. Hinc fit, ut perspicuum cuilibet esse possit, non esse eandem rationem præmiorum & pœnarum, & posse quempiam optimo jure ob id puniri, propter

propter cujus contrarium, nullo præmio omnino affici mereatur. Quare non mirum est, quod etiamsi nihil mereantur omnia bona opera nostra, seu quidquid boni à nobis proficisci potest; præsertim quod ad hoc attinet, ut nobis Jesu Christi Euangelium prædicetur, possunt tamen mala opera nostra, esse caussa ne nobis, licet antea promissum, prædicetur? Et idcirco, quamvis idem Jesu Christi Euangelium ex promissione divina, debuisset omnibus prorsus nationibus prædicari, tamen propter mundi peccata merito fieri potuit, ut plæræque nationes, illud sibi prædicari non audierint, etiamsi illæ, quibus prædicatum fuit, ut sibi prædicaretur, propter nulla sua bona opera, meritæ fuerint. Vide apud Hieremiam cap. 18, ut intelligas Deum promissa sua, propter eorum quibus promisit peccata revocare.

Luca 16. 19. Utrum quæ ex Christi verbis Lucas de divite & Lazaro scribit, historia sit an parabola?

Quod ad divitem & Lazarum attinet, ego nihil dubito eam esse parabolam, non autem historiam. Ab omni enim verisimilitudine abest, Christum historiam ullam omnibus prorsus incognitam populo narrasse, nullo omnino testimonio de ea allato. Sed ut parabolam dixerit, verisimillimum id est. Cum enim, ut ex historis & testimoniis veterum scriptorum colligitur, opinio de Abrahami sinu, in quem justi post hanc vitam reciperentur, & de cruciatibus quos injusti homines similiter post hanc vitam in inferno sustinerent, vulgo apud populum illum recepta esset, convenientissime Christus hanc parabolam inde texuit, ad avaros, & crudeles in pauperes & miseros homines, à tanta immanitate deterrendos. Perinde est enim ac si diserte professus fuisset, se velle ostendere, quid verisimile sit illi eventurum qui ita se gereret, & interim ipse omnibus delitiis affluerct. Nam quod quidam objiciunt, non indicari, ut alibi solet, istam esse parabolam, hoc nihil est. Neque enim minus absurdum est, immo vero magis, ut Christus inducatur narrare historiam ex nullo petitam loco, non indicato prius eum historiam narrasse, cum parabolas fere innumeras Christum dixisse constet, aliam vero similem historiam nullam. Adde, quod paullo ante duæ, ut omnes fatentur, parabolæ à Christo dictæ scribantur, nequaquam indicato quod sint parabolæ. Nam si quis velit, non Christum, sed ipsum Euangelistam ex persona sua narrationem istam scribere, id non modo per se absurdissimum est, sed refellitur evidenter à verbis, quæ statim post narrationem istam sequuntur. Ea enim manifeste ostendunt, ex Christi persona illam fuisse ab Euangelista expositam.

Luca 20. 38. Deus non est mortuorum, sed vivorum Deus &c.

Vivunt Deo Abrahamus, Isaacus & Jacobus, siquidem resurrecturi sunt. Sin minus, plane sunt mortui. Quare, cum Deus se Deum illorum esse dicat, Deus autem non mortuorum sed viventium sit, ut resurgant necesse est. Ita fit ut eodem tempore, sed diversa tamen ratione, ipsi etiam Deo & mortui sint & vivant. Vivunt Deo, quatenus eis vitam æternam dare omnino constituit. Mortui sunt Deo, quatenus nondum eam vitam illis dedit. Quod ipsi Deo mortui sunt, in causa est, ut in eo statu, in quo nunc sunt, perdurare nequeant, cum ipse eorum Deus dicatur, qui non mortuorum sed viventium sit Deus. Quod Deo vivant, in causa est, ut merito is eorum Deum se esse professus fuerit, alioqui si omnino mortui essent, is ipsorum Deus nullo modo appellari posset. Rursus, si Deo omnino viverent, necesse non foret eos resurrecturos esse, ut is illorum Deus jure appellari queat.

Luca 24. 47. Quando primum cœptum sit prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine Christi Jesu.

F. S. manu sua.

Antequam Christus moreretur, & à mortuis postmodum resurgeret, in cœlumque ascendens immortalis fieret, omnemque in cœlo & in terra potest item adipisceretur, prædicabat quidem ipse pœnitentiam & remissionem peccatorum, atque idem faciebant ejus Apostoli ab eo missi ad annunciandum regnum Dei, sed non tamen vel ipse, vel illi id in ipsius Christi nomine faciebant, nondum enim Christus homines reipsa immortalitate donandi, qua vera & absoluta peccatorum remissio continetur, præditus erat, ea enim ipsius obedientiæ præmium & exaltationis sequela fuit. Propterea scriptum est apud Lucam ad finem historiæ Euangelicæ, ipsum Christum dixisse, quod oportuisset Christum pati & tertia die resurgere, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum. Cui loco respondent in Actis Apostolicis hi duo cap. 3. 26. & cap. 5. 30 & 31. & alii similes nonnulli. Ex quibus etiam apparet, quid sit *in nomine Christi*, in verbis illis apud Lucam, id est, Christo ipso id præstante & perficiente: apparet enim post Christi glorificationem, ipsum esse qui præstiturus & perfecturus sit remissionem peccatorum nostrorum, nos immortales efficiendo; quique nunc præstet ac perficiat, ut resipiscere seu pœnitentiam agere possimus, quippe qui propria auctoritate eam pœnitentiam in remissionem peccatorum nobis per suos Apostolos annunciet atque proponat.

Joh. 1. 13. Quæ est differentia, inter hæc tria?

Qui *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.* Nulla est differentia: quia opponuntur simpliciter, generationi ex Deo. Vel Sanguis & caro idem significant, ut etiam alibi. Hoc vero, tanquam nimis figuratum, à Johanne fuisse clarius explicatum, dum addit, Neque ex voluntate viri. Vel sensus est, ut Johannes ea tria recenseat, quæ requiruntur ad carnalem generationem, 1 Sanguis; 2 Cupiditas carnis; hoc est Libido, quæ in homine latet. 3 Voluntas viri. Nam oportet ad generationem concurrere animum & voluntatem generantis, qui velit sobolem procreare.

Joh. 1. 15. Ante me factus est, quia prior me erat.

Rectius sensum aliquando, in sua translatione sic expressisset Beza: *Mihi prælatus est, quia præstantior me est.* In priore membro, habet Beza adstipulatores, non modo quos ipse in suis annotationibus citat, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum, sed omnes ut arbitror paulo eruditiores. In posteriore vero, non est, cur habere non debeat, cum verba ipsa id ferant, & infirmissima alioqui sit ratio ista, Quia prior me erat, si de prioritate temporis id intelligatur; immo indignissima, quæ afferatur, & plane ridicula. Adde, quod ℣. 27. ubi membrum hoc posterius desideratur, videtur omnino ejus loco positum fuisse, *Cujus non sum dignus &c.* Cæterum, si quid scrupuli adhuc restat, ad illud eximendum consule Bezæ annotationes.

Joh. 3. *cap. à versu* 9 *ad* 17. Paraphrasis.

Respondens autem Nicodemus, dixit, ista quæ dixisti, nec satis percipio, nec quomodo ea fieri possint

possint intelligo. Excipiens vero Jesus, ait illi, Mirum sane videtur, te, qui tantus es in Israele magister, hæc non percipere, aut ignorare. Id certum est, tibi de veritate eorum quæ à me dicuntur, minime dubitandum esse. Quæ enim loquor, ea plane novi, & de quibus testor, ea mihi perspectissima sunt, tametsi nullus est, qui testimonium meum ita ut deberet accipiat, ac probet. Quod si tibi velim, ea, quæ dixi & non intelligis, apertius ac diligentius explicare, vereor ne mihi fidem non sis habiturus, nec ea aut percepturus, aut vera esse crediturus, quæ dixero. Etenim jam tibi, tuique similibus non pauca hactenus dixi, quæ terrena præ istis, quibus cœlestium appellatio vere convenit, merito dici possunt, quæ tamen vos non recte percipitis, neque illis plane assentimini, immo ea spernere videmini, cujusmodi sunt, quæ vos ab ipso initio docui, de vera pœnitentia ac justitia, deque vera in Deum fide. Quinetiam hæc ipsa, quæ modo tibi dixi, quam diu plenius atque exactius non traduntur, terrena appellari possunt; quippe quæ humanum captum nullo modo superent, donec ita in genere, ut à me factum est, proponuntur, nec ita proposita, ullo pacto illam divinam patefactionem excedunt, quæ Lege vestra continetur, ut sine dubio excedunt illa, quæ ad eorum pleniorem explicationem dicenda forent, quæ propterea præ iis cœlestia sunt omnino. Quomodo igitur ea tu, tuique similes percipere ac probare poteritis, si terrena ista non probatis, aut percipitis? Cœlestia quidem ut vos doceam, idcirco ad vos sum missus, nec præter me quisquam est, qui in cœlum ascenderit, ubi cœlestia primum addiscuntur; præter me, inquam, qui cum ibi essem, inde descendi, ut hoc, quod ibi addidici, docendi munus inter vos obeam. Quare necesse est, si quis cœlestia, sine quorum cognitione spes certa æternæ vitæ concipi non potest, percipere velit, ad me venire, & plenam mihi fidem adhibere: quod ut facere quis possit, & nisi fecerit, ipsius culpa id evenire certum sit, propterea, non aliter atque Moses, extulit in deserto, atque in sublimi loco omnibus spectandum posuit serpentem illum æneum, in quem quisquis aspexisset, à venenatorum illorum serpentum morsu sanabatur: efferendus similiter sum ego, in crucem primum, ac deinde in cœlum, & ad supremam potestatem evehendus, ut quisquis in me crediderit, id est, vera esse quæ dixero sibi persuadens, mihi confisus fuerit, à Satanæ morsu, antiqui illius serpentis sanetur, unde æterna mors consequitur, & vitam æternam adipiscatur. Nam quemadmodum Dei consilio & jussu, fabricatus est à Mose serpens ille æneus, & in sublimi loco positus, miserante Deo populi sui, quantumvis id commeriti, summam illam afflictationem atque interitum; sic ejusdem Dei decreto, ac voluntate, non modo exstiti ego unigenitus ejus filius, sed præ ingente amore, quo ipse humanum genus est complexus, tradar, quamvis ipsi omnium filiorum præcipuus ac carissimus, cruentæ morti; ut inde scilicet, per resurrectionem à mortuis, ipsius potentia exemptus & divino imperio ac majestate donatus, caussa humano generi esse possim, ut in me, & sic per me in ipsum Deum credant, eique ex præscripto meo obediant, quo ab æterna morte, cui omnes alioqui meritissimo subjacent, hac ratione liberentur, atque æternæ vitæ participes fiant.

Joh. 3. 13. Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.

AUt in verbis istis, tropus agnoscendus est, aut non agnoscendus. Si agnoscendus est, nihil impedit, quominus iste ascensus in cœlum, & iste descensus de cœlo, & denique istud, Esse in cœlo, figurate accipiatur, non minus quam adversarii velint, nomen illud Filius hominis figurate accipi debere, & inde duas in Christo naturas colligi; & cum utramque simul fieri nequeat, nihil potest hoc testimonium adversarios juvare. Sin autem nullus tropus hic est agnoscendus, nullo modo possunt adversarii hoc loco, ad duplicem in Christo naturam probandam uti, cum id non nisi tropo agnito fieri possit; non nisi inquam agnito, per idiomatum communicationem, quam vocant, dictum fuisse de filio hominis, quod de cœlo descenderit, & in cœlo fuerit. Nam certe, vel neutrum revera de filio hominis, id est, de ipso homine dictum fuit, vel saltem alterutrum non fuit dictum, si duplex Christi natura hic colligenda est. Sed commentitia plane est ista idiomatum communicatio, si ea ita accipitur, ut quod unius tantum naturæ est, alteri separatim tribuatur. Neque enim, exempli gratia, quod solius animæ est, corpori separatim tribui, aut vicissim quod solius est corporis, animæ tribui potest. Quemadmodum enim non dicitur anima stare aut sedere, quia corpus stet aut sedeat; sic neque corpus cogitare aut philosophari dicitur, quia anima cogitet aut philosophetur. Igitur, Nec filius hominis, sive humana natura in cœlo fuisse dici potuit, eo quia ibi divina natura esset. Verum figurate omnino, in verbis istis loquutum fuisse Christum, figuramque non in voce illa Filius hominis, sed in reliquis esse, verba, quæ antecedunt, planissimum faciunt; in quibus de cœlestium rerum cognitione & intelligentia agitur; atque ostendunt, in sequentibus, nihil aliud esse Ascendere in cœlum, quam rerum cœlestium veritatem investigare. Descendere autem de cœlo, de iisdem rebus cœlestibus edoctum fuisse. Et postremo, esse in cœlo, easdem res cœlestes probe tenere, sive eas tanquam præsentes inspicere atque intueri, quæ omnia filio hominis, illi inquam homini, citra ullam naturam, id est, essentiam divinam, optime convenire possunt, ut certe conveniunt. Quod si tamen quispiam ita pertinax esse velit, ut nullum tropum, quamvis elegantissimum, eumque facillimum, ac præterea ipsi loco accommodatissimum, seu potius necessarium, qualis profecto iste est, in rebus istis admittere velit, nihil aliud restat, nisi ut filium hominis, sive hominem illum, & vere & proprie, jam tum & de cœlo descendisse, & in cœlo fuisse dicamus. Quod nos sane, non modo libenter concedimus, sed etiam plane contendimus, nec ullo modo dubitandum esse dicimus, quin si Paulus, antequam moreretur, ad tertium usque cœlum raptus fuit, Jesus ipse Nazaræus, ejus magister & dominus, in cœlo fuerit, ibique aliquamdiu ante mortem suam, præsertim vero, antequam munus suum in terris obiret, commoratus fuerit. Ex quo fit, ut quidquid de descensu Christi de cœlo, de exitu ipsius à patre, de antecedente ejusdem visibilem ascensum in cœlum, ipsius ibidem commoratione, in Sacris Literis legitur, quod tantopere contra nos adversarii urgere solent, id nihil plane sit. Immo efficitur, ut adversarii nostri, qui nos, tanquam interpretationibus nostris à Litera ipsa longe recedentes, accusare solebant, à nobis merito, hoc eodem nomine, accusentur; quippe, qui, quod scriptura, vel illi filio hominis, vel simpliciter, supposito illi, ut vocant, quod Jesus Christus est, aperte tribuit, divinæ cuidam à se somniatæ naturæ, sive essentiæ tribuere non vereantur. Animadvertendum tamen est, quod, si in loco nostro sine tropo, ea ratione, qua dictum est, Christi verba accipere velimus, non, *Qui est in cælo*, sed *qui erat in cælo*, legendum sit. Nam participium illud Græcum, ὁ ὢν, ut etiam Erasmus & alii annotarunt, non minus *qui erat*, quam *qui est*, verti potest. Sed postremo non est omittendum propter primam horum verborum partem illam, quam Adversarii ipsi figurate accipere coguntur, *Et nemo ascendit in cælum*, omnino concludendum videri, totum locum figurate accipiendum esse. Vix enim invenies unquam, quomodo sine tropo aliquo dici potuerit Solum filium hominis, in cœlum ascendere. Cum jam Elias eo ascendisset, ut aperte scriptura testatur, & idem de Enocho affirmari posse videatur.

Joh. 5. 27. Pater dedit poteſtatem filio judicium facere, quia filius hominis eſt, *&* *paulo ante dictum eſt*, Patrem non judicare quemquam, ſed omne judicium filio dediſſe, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem.

EX his locis manifeſtum eſt, Dei filium, & quatenus homo eſt, adorandum eſſe; & ideo adorandum eſſe, quia illi à patre datum fuerit omne judicium. Itaque erroris convincuntur, tum ii, qui ſi Chriſtus non ſit æternus Deus, ejuſdemque cum patre eſſentiæ, eum adorandum eſſe negant; tum ii qui idcirco eum adorari debere contendunt quod æternus Deus ſit, & ejuſdem cum patre eſſentiæ. Jam vero Dei filium, quatenus homo eſt, adorandum eſſe, ex prædictis locis perſpicuum eſt, propterea, quia ex iisdem patet, eum poteſtatem quam habet judicii faciendi, tanquam hominem habere, hanc vero poteſtatem ejuſmodi eſſe, ut omnes illum adorare debeant, id eſt divino cultu afficere. Nam quid aliud eſt, datam fuiſſe poteſtatem filio Dei judicium faciendi, quia filius hominis eſt, quam Dei filium, quatenus eſt homo, judicium faciendi poteſtatem habere? Quid item eſt illud, Datam fuiſſe hanc poteſtatem filio Dei, ut omnes illum honorificent, ſicut honorificant patrem? niſi Dei filium propter hanc eandem poteſtatem, eodem honoris genere ab omnibus afficiendum eſſe, quo patrem afficiunt, & idcirco quemadmodum pater, divina ratione colitur, ſic filium divina ratione, quia illi a patre fuerit datum omne judicium, colendum eſſe, idque ex ſupra poſitis locis, aperte colligi, ex iis quæ modo diximus, liquide conſtat. Ex quo ſequitur neceſſario, Dei filium, qui Chriſtus eſt, non eſſe æternum, nec ejuſdem cum patre eſſentiæ, tantum abeſt, ut hæc ſit ratio cur adorari debeat. (Nam ea quæ ſit jam & dictum, & evidenter probatum eſt) Si enim Chriſtus æternus, & ejuſdem cum patre eſſentiæ eſſet, quid opus fuiſſet eum quidquam accipere? aut quomodo illi potuiſſet dari poteſtas ulla, ad hoc ut adoraretur? Hoc enim ille jam prorſus habuiſſet. Quandoquidem datio iſta, ad æternam illam generationem referri non poteſt, non ſolum, quia expreſſe dicitur, eam poteſtatem illi fuiſſe datam, quia ſit filius hominis, id eſt homo; & certum eſt Chriſtum, quatenus hominem, non eſſe æternum. Sed etiam, quia expreſſum eſt, ita omne judicium filio eſſe datum, ut pater non judicet quemquam. Per æternam enim illam generationem, datum filio à patre nihil fuiſſe volunt, quod ſibi ipſi plane atque eodem modo, quod filius ab ipſo habuit, non retinuerit. Nec vero potuit, quatenus homini, ea poteſtas & adoratio Chriſto à patre dari, ſi cum homine illo, in eadem perſona, ipſa divina eſſentia conjuncta erat, quæ per ſe neceſſario efficiebat, ut homo ille, & poteſtatem iſtam haberet, & adoratione digniſſimus eſſet, idque multo efficacius, quam ulla alia ratione fieri poſſit, ut hæc eadem à quoquam conſequeretur.

Joh. 6. *cap.* Quid ſibi velint verba hæc paſſim apud divum Johannem in hoc capite obvia, Filii hominis carnem edere, & ſanguinem ejus bibere?

QUia mors Chriſti hoc in nobis gignit, ſine quo ſervari non poſſumus, hoc eſt, fidem, ideo vocatur caro Chriſti cibus, ſanguis vero ejus potus, idque μεταφορικῶς. Quemadmodum enim verus cibus & potus eſt cauſſa hujus vitæ, non quidem per ſe, ſed ſi ſumatur; ſic caro & ſanguis Chriſti pro nobis traditus eſt cauſſa vitæ, non quidem per ſe, ſed quod fidem in nobis gignunt, ob quam nos Deus pro ſua gratia ſervare decrevit. Idcirco manducare Chriſti carnem, & bibere ejus ſanguinem, non aliud eſt, quam ex Chriſti morte fidem in Deum per Chriſtum acquirere: aut, ut hoc etiam addamus, ſciendum eſt, mortem Chriſti non quidem in ſe occultam quandam efficaciam habere, ejuſmodi fidem, qua coram Deo juſtificamur, in nobis gignendi: ſed quia reſurrectio Chriſti ex mortuis, quæ iſtam vim & efficaciam fidei in nobis gignendæ in ſe habet, ut 1 Pet. cap. 1. 3. & 2. cap. ℣ſ. 21. videre eſt, ſine iſta morte præcedente fieri nequiverit, merito morti Chriſti cauſſa fidei, & conſequenter ſalutis noſtræ tribuitur.

Loci Joh. 16. *verſ.* 8, 9, 10 *explicatio.*

A*Rguet de peccato.* In Græco eſt περὶ ἁμαρτίας. Hoc eſt, Occaſione peccati, quod in Jeſum non credant. Quemadmodum etiam ea verba ita ſunt accipienda Rom 8. 3. *Ut peccata tollerentur* Et Heb. 10. 6. Holocauſta περὶ ἁμαρτίας; hoc eſt Quæ fiebant ad tollendum peccata. *De juſtitia*, Quia juſtum eſt, vel fuit, Chriſtum auferri è conſpectu hominum, & nunquam ab eis conſpici, quem ita indigne tractarunt. *De judicio*, Quia Chriſtus per mortem ſuam, victurus erat eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabolum. Per ſpiritum enim ſanctum quem dedit Chriſtus, innotuit, illum factum eſſe dominum cæleſtem, ipſius etiam diaboli. Nam ſpiritus teſtatur etiam Jeſum eſſe Chriſtum 1 Joh. 5. Primum horum pertinet ad homines, Secundum ad Deum, Tertium perſe eſt, neque in Deo, neque in homine; ſed extra utrumque.

Locus Johan. 17. 5. Et nunc clarifica tu me pater &c.

AFfertur vulgo hic locus ad probandum, Dei filium extitiſſe revera ante mundum conditum. Verum inter alia, quæ demonſtrant perperam id fieri, illud inprimis dignum conſideratione eſt, quod ſatis conſtat, fieri nullo pacto poſſe, ut Dei filius eam claritatem ſeu gloriam ante mundi creationem revera haberet, qua ſe affici à Patre verbis iſtis petiit. Qua de re explicatum eſt à nobis, cum alibi, tum vero in diſputatione noſtra cum Eraſmo Johannis. Jam hac ratione telo hoc ex adverſariorum manibus extorto, facile eſt deinde in ipſos idem ſtatim retorquere, oſtendendo, cum certum ſit, gloriam quam Dei filius hoc in loco petit, longe aliam eſſe à quacumque, quam ante mundum creatum apud patrem reipſa habere potuerit, jam ex iſto ipſo loco evinci, fieri non poſſe, ut Dei filius ante mundum conditum aliquam gloriam reipſa apud patrem habuerit, & conſequenter neceſſe eſſe, ut is revera ante conditum mundum minime extiterit. Nam ſi aliquam gloriam jam tum revera apud patrem habuiſſet, nunquam, cum vellet patrem rogare, ut ſe quadam alia gloria afficeret, longe ab ipſa diverſa, ejuſmodi verbis uſus eſſet, quibus iſta ipſa tamen diſerte peteretur, quemadmodum hic eſt uſus; ſed ita omnino locutus fuiſſet, ut manifeſte appareret, illum aliam petere, quam re ipſa ante creationem mundi non habuiſſet.

Ibid. 11. Pater ſancte ſerva eos per nomen tuum, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos.

CHriſtus propterea ſuos hinc diſceſſurus patri commendavit, quia munus & poteſtatem eos, licet abſens, gubernandi nondum adeptus fuerat. Quod quamvis, ut alibi apparet, ipſe futurum ſciret, decebat tamen eum antequam id re ipſa fieret, precantem ita loqui, ut ea ratione, & id deinde ſibi ex patris largitate datum agnoſceretur, ipſeque ſe idem agnoſcere profiteretur, & diſcipuli ipſius precationem ejus audientes, non ſolum quam ipſe eos charos haberet,

perciperent: verum etiam, videntes se Deo tam efficaciter à charissimo suo filio commendatos fuisse, bono animo essent, & absente licet ipso, animum tamen non desponderent, immo ne mortuo quidem, pro quo tempore potissimum preces illas à Christo fusas fuisse credendum est. Illud enim, *nunc autem ad te venio*, & similia verba quæ in ea precatione sunt, non ipsum ascensum in cœlum, sed mortem, quæ nisi intervenisset, in cœlum ipse non ascendisset, & quæ idcirco via dici poterat eundi ad patrem, & mundum relinquendi, eo in loco significare non incommode possunt.

Quod autem Christus, licet ad eum modum convenienter pro eo tempore, & re præsente loqueretur, sciret tamen se denuo curam suorum gesturum, satis ex iis constat, quæ ipse dicit Joh.14.22,23, ut alia testimonia omittam. Quin etiam id ex ea ipsa precatione ad patrem perspicuum est; inquit enim ad finem illius, *Et notum feci eis nomen tuum. Et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis.* Nonne id se hic facturum dicit, quod ibi à patre petierat, ut eadem etiam utrobique caussa, cur ita petat & loquatur, ostendit. Dixerat enim, *Pater Sancte &c.* vers. 11. Nam se quoque servasse eos in nomine ipsius, testatur ipse subjungens; *Cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos in nomine tuo*: Hoc autem idem esse, re ipsa cum illo, *Ego notum feci eis nomen tuum*, satis apertum videtur. Quare idem quoque re ipsa censendum est, *Et notum eis faciam nomen tuum, & servabo eos in nomine tuo.*

Quomodo Jesus Christus sit de semine Davidis; de quo apud Paulum Rom.1.3. 2 Tim. 2.8. 2 Samuelis 7 agitur. Item, Cur Jesus Christus, vocetur, filius Joseph. & quamobrem Matthæus à Luca, in describenda genealogia Christi, discrepet, brevis explicatio.

Paulus seminis Davidis mentionem facit, non ut persuadeat, Christum revera ex eo semine natum esse, sed tali tamen ratione, ut prædictionibus divinis, quod ex eo semine nasci deberet, satisfactum censeatur, ut ostendat, hac etiam in parte, quæ maximi momenti apud Judæos habebatur, Jesum talem esse, qualem Christum futurum Prophetæ prædixerant. Etenim, si, qui nascebatur ex uxore illius, qui ea sine liberis relicta decesserat, ejus censebatur, quamvis post mortem ipsius, ex alio viro, id est ex fratre ejus nasceretur; multo magis filius alicujus censendus est is, qui ex ipsius uxore, ipso adhuc vivente nascitur, nec ab ullo alio viro generatus fuit, licet neque etiam ab ipso fuerit generatus. Nulla enim videtur esse caussa, cur is qui ex ea nascitur, quæ mea caro adhuc est, nec ullo pacto, ab alio quopiam generatus est, meus filius omnino censeri non debeat, mihi scilicet à Deo, ea ratione qua illi visum est, datus & donatus. Itaque cum Joseph, Mariæ matris Jesu maritus, ex familia Davidis esset, merito Jesus ex semine Davidis natus dicitur, cum ipsius Josephi filius jure haberi possit; quippe, natus eo adhuc vivente, ex ipsius uxore, nec tamen ab alio viro generatus. Id quod multo magis dicendum est, quod legitur apud Eusebium, Historiæ Ecclesiasticæ libro 1. cap. 7. ex Epistola quadam Africani, gravis Historici. Ibi enim legitur, ideo apud Lucam, Heli filium dictum fuisse Josephum, quod natus esset post ipsius mortem ex ejus uxore, quam duxerat Jacob frater uterinus Eli, ad suscitandum videlicet semen fratri, cum is ex ea nullos liberos suscepisset. Erat enim, licet frater tantum uterinus, ex eadem familia Davidica, ipso quidem ex Salomone Davidis filio prognato. Ex qua Historia, quam approbat, nullo tamen nominato auctore, præclarus ille scriptor, cujus sub nomine Justini leguntur responsiones quædam ad Orthodoxos, responsione ad quæstionem 66 & 133. apparet conciliatio inter Matthæum & Lucam, in Jesu Christi genealogia; & simul apparet Josephum, sive ejus naturalem generationem spectes, sive legalem, ex stirpe Davidis fuisse. Unde meritissimo Christus Jesus, qui illius filius censetur, ex semine Davidis natus fuisse dicatur.

Paraphrasis in V. Caput ad Roman.

Cum igitur à Deo justi habeamur, propterea quod ipsi confidimus, pacem habemus cum ipso Deo: idque per Jesum Christum nobis contingit. Nam præterquam quod per ipsum factum est, ut nihil dubitemus, nos peccatorum nostrorum plenissimam veniam, id est, ab ipsorum pœna liberationem perpetuam consequuturos; per eundem etiam prædictæ fiduciæ vi, aditus nobis patefactus est ad hoc Dei beneficium atque favorem, in quo stamus, & cujus participes sumus, gloriantes, quod spem habeamus, nos aliquando Dei gloriam visuros, & ejus participes futuros.

3. *Non solum autem &c.* Neque vero, propter id solum gloriamur; sed etiam quod in calamitatibus simus, cum compertum habeamus, ex calamitatibus nostris tolerantiam atque patientiam, ex patientia nostri ipsorum probationem, ex probatione spem gigni; quæ spes nostra, minime fallax esse potest, vel nos unquam pudore afficere, cum ex divina virtute, & propter spiritualia dona, quæ nobis largiter data fuere, in ipsis cordibus nostris effusam erga nos Dei charitatem & benevolentiam sentiamus.

6. *Ut quid enim &c.* Nam cum adhuc infirmitate & morbo quodam animarum nostrarum laboraremus, Christus, ut nos confirmaret atque sanaret, tempore à Deo præstituto, nostrum caussa mortuus est; nostrum inquam, qui mali, atque impii eramus: tametsi vix inveniatur, qui hominis justi & pii caussa mori velit. Etenim viri probi caussa, fortasse inveniatur, qui mori non recuset.

8. *Commendat autem &c.* Quamobrem maximam erga nos charitatem ac benevolentiam Deus ostendit, quandoquidem, cum adhuc peccatores essemus, & coram ipso injusti, voluit, ut Christus, ipsius dilectissimus filius, nostrum caussa mortem subiret. Multo igitur magis nunc, cum jam per effusionem sanguinis Christi factum sit, ut Deo confidamus, ob eamque rem justi ab ipso habeamur, servabimur per eundem Christum ab ira, quam Deus suo tempore adversus eos, qui in ipsum contumaces sunt, est effusurus. Nam si cum ipsius inimici essemus, Deus, ut nos sibi reconciliaret, atque efficeret ut ipsius amici evaderemus, filium suum morti tradidit; multo magis cum jam cum ipso reconciliati ejusque amici facti simus, servabit nos à morte, per eundem viventem suum filium, qui sicut jam mori non potest, sic ut hujus nostræ salutis caussa moriatur, nihil est necesse.

11. *Non solum autem &c.* Neque vero solum de prædictis rebus gloriamur, sed etiam de Deo ipso gloriamur, ut videlicet de re, per Jesum Christum Dominum nostrum, jam nostra facta, quatenus per ipsum Christum ad Deum conversi sumus, ex quo ipse Deus, unde ob scelera nostra antehac prorsus excideramus, nunc pro bonitate sua, ex liberalissimo suo decreto atque promisso, noster plane est factus.

12. *Propterea sicut &c.* Hinc concludi potest, quod, quemadmodum per unum hominem, id est, per Adamum, peccatum & divinæ voluntatis (ut sic dixerim) inobedientia in mundum est ingressa, & per ipsum peccatum mors certa atque perpetua, (hæc siquidem fuit pœna, merito ipsi peccato à Deo constituta) sic per unum hominem, id est per Christum, in mundum ingressa est obedientia, & per ipsam obedientiam vita certa atque perpetua, id est, à morte liberatio & resurrectio, cum firmissima securitate non amplius moriendi. Hoc siquidem est præmium, quod ex sola sua benignitate, Deus isti obedientiæ constituit.

Et ita

Et ita in omnes &c. Et ficut morti certæ atque perpetuæ obnoxii fuerunt, quicunque ab Adamo fecundum carnem prognati funt, quatenus omnes peccarunt; ita fimiliter, vitæ certæ atque perpetuæ participes funt, quicunque à Chrifto fecundum fpiritum funt prognati, quatenus omnes Deo obediunt.

13. *Usque ad legem* &c. Certum enim eft, etiam ante legem, quam Deus per Mofen dedit, peccatum in mundo fuiffe, & homines peccaffe, quandoquidem multa contra Dei voluntatem jam tum faciebant. Nam fi quis dixerit, Ubi nec Lex, nec præceptum ullum eft, ibi quantumvis quis peccet, non poffe illi peccatum imputari à Deo, ut jure ejus det pœnas: ne hanc rationem nunc diligentius examinem, breviter dico, fatis fuiffe ut homines prædictæ morti merito effent obnoxii, eos ex Adamo fecundum carnem natos effe, qui jure ei fuit obnoxius. Quod ita fe habere inde intelligi poteft, quod ab ipfo Adamo, ufque ad Mofen, mors in iis etiam regnavit qui non peccaverant, haud fane aliter, ac fi aliquod Dei præceptum tranfgreffi fuiffent, ut Adamus primus homo tranfgreffus fuit; qui typus & exemplum eft fecundi hominis, qui venturus erat, nempe Chrifti; ex quo quicumque fecundum fpiritum nati fuerint, id eft, in Dei præceptorum obedientia ejus fimiles erunt, vita æterna donabuntur, ad quam ipfe per obedientiam fuam pervenit, etiamfi peccatores fuerint aliquando, non fecus atque fi integram ac perpetuam obedientiam Deo præftitiffent, ut fecit ipfe Chriftus.

15. *Sed non ficut* &c. Verumtamen non omnino paria funt Adami peccatum, & donum à Deo per Chriftum in nos collatum. Nam fi unius hominis delicto multi funt mortui, multo magis Dei gratia & donum, ea benignitate comprehenfa, quam unus homo Chriftus Jefus Dei nomine mundo attulit, exuberare debuit in multos.

16. *Et non ficut* &c. (præterquam quod in eo etiam differt donum iftud ab eo, quod accidit per eum qui peccavit; quod judicium illud à delicto uno profectum eft, per ipfum judicium punito, ejufque finis fuit condemnatio. Huic autem dono cauffam dederunt multa delicta, quæ per ipfum condonata fuerunt, ejufque finis fuit abfolutio.)

17. *Si enim* &c. Etenim fi unius hominis delicto mors in mundo regnavit, & fic per unum illum hominem regnavit, à quo videlicet regnandi initium fumfit, multo magis in iis, qui exuberantiam iftam tantæ gratiæ & doni, quo ab omni reatu abfolutio continetur, accipiunt, regnatura eft vita per unum hominem Jefum Chriftum, qui videlicet ad hanc vitam primus pervenit, ejufque aditum ac viam aliis patefecit.

18. *Igitur ficut* &c. Quemadmodum igitur unius hominis delicto judicium in omnes homines derivatum eft ad eos morte damnandos, fic unius rectitudine derivatum eft donum in omnes homines, ad eos ita abfolvendos, ut vitam æternam habeant.

Sicut enim &c. Quandoquidem, ficut per inobedientiam unius hominis factum eft, ut multi propterea, quod ex ipfo fecundum carnem nati effent, pro peccatoribus fint habiti, atque ut tales tractati, fic fimiliter per obedientiam unius hominis, multi propterea, quod ex ipfo fecundum fpiritum funt nati, pro juftis funt habendi, atque ut tales tractandi.

Lex autem &c. Jam, Lex Mofaica dudum extitit ac fubintravit, unde peccatum manifeftius & gravius factum eft, quafi in eum finem illa data fuerit, ut peccatum augeretur. Verum, fi auctum eft peccatum, aucta eft pariter, immo exuberavit Dei gratia & beneficium, ut, quemadmodum peccatum regnavit, homines morti neceffariæ jufte fubjiciens, fic Dei gratia & beneficium regnet per abfolutionem ab omni ipfius peccati reatu, hominibus vitam æternam donans, per Jefum Chriftum Dominum noftrum.

Epift. ad Rom. cap. 8. 1. &c. Paraphrafis: *Nulla igitur nunc [eft] condemnatio, iis qui, funt in Chrifto Jefu, &c.*

IDcirco autem dixi me Deo agere gratias per Jefum Chriftum, quod, qui divini beneficii à Chrifto nobis allati, ut quidem mihi contigit, participes facti funt, ii prædictæ condemnationi nulla ratione jam funt obnoxii: neque enim jam carni fed fpiritui obfequuntur. Spiritus namque vitalis imperium, cui & ego, & omnes qui Chrifti funt, fubduntur, nos à jugo peccati & mortis afferuit. Nam quod legi, in carne, hoc eft, in hominibus per ipforum carnis fragilitatem, efficere poffe non dabatur, id effecit Deus hac ratione. Mifit in mundum unigenitum filium fuum, non minus quam nos carne circumdatum; & ipfum tamquam peccatorem plurimis malis, & ipfi denique crucis morti fubjecit, atque ut peccatum aboleret, in ipfo, & fic in carne, peccatum penitus extinxit. Siquidem eum & innocentiffimum effe voluit, & à morte cui univerfum humanum genus prorfus obnoxium eft, vindicavit, ac fempiterna vita donavit. Unde factum eft, ut nos immortalitatis fpem concipientes, carne licet circumdati, non carni fed fpiritui obtemperandi, non voluntatem modo, fed vires etiam adepti fimus, & fic à peccati fervitute liberati, jufti coram Deo habeamur, non fecus atque illi habiti fuiffent, qui totam legem fervaffent.

1 *Cor.* 1. 17. Non in fapientia verbi, ne inanis reddatur crux Chrifti.

NOn fuit annunciatum Euangelium, neque annunciari debuit cum fapientia fermonis, ne inde fieret, ut etiam homines impii, & quos, fi in impietate fua perfeverent, Deus vult perire, ipfi Euangelio fidem adhiberent. Propterea ipfe Apoftolus ftatim fubjungit ea verba, Nam crucis fermo, ftultitia eft iis, qui pereunt; ac fi diceret, Hoc ita eft omnino à Deo conftitutum, ut iftis qui pereunt, crucis fermo ftultitia fit. Non effet autem illis ftultitia, fi Euangelium cum fapientia fermonis annunciaretur.

1 *Cor.* 6. 18. Qui fcortatur, in proprium corpus peccat.

QUia fornicationis actus vel femel tantum, & à cujufvis ætatis ac fexus homine commiffus, maculam perpetuam afpergit, ac notam quafi corpori inurit, qua ab aliis videtur internofci. Huic explicationi duo adftipulantur loci, Rom. 1. 24. in verbis, *In impuritatem, ut ignominia afficerent corpora fua inter fe.* Ad Theff. cap. 4. 3. & 4. *Ut abftineatis à fcortatione, & fciat veftrum unufquifque fuum vas* (id eft, *corpus*) *poffidere cum fanctificatione & honore.*

1 *Cor.* 15. 32.

SI mortui non refurgunt, igitur omnia quæ pro Chrifto graviffima pericula fubii, perinde fe habenr, ac fi ego in theatro publico cum beftiis pugnaffem, quod eft abfurdum. Omnes meæ afflictiones & pericula fumma, quæ fubii, non erant abfimilia iis, quæ ab hominibus iniri folent, qui oftentandi roboris, & acquirendæ vanæ gloriæ cauffà, cum beftiis in theatris publicis pugnare folent. Quod fi ita eft, næ ego omnium inveniret ftultiffimus, qui tanta pati voluiffem fruftra.

Ephef. cap. 4. 15. & 16. *Paraphrafis.*

VErum tales fimus, ut in rebus divinis veritatem, veramque de illis doctrinam tenentes, juncta fimul charitate erga Deum & erga homines, in omnibus & per omnia in Chrifti fpiritu ac difciplina ado-

adolescamus. Est siquidem Christus caput scientiæ rerum divinarum, & ii, qui scientiam hanc tenent, ejus sunt corpus, cujus corporis membra congruenter simul compacta & coagmentata inde, id est, ab ipso Christo, tanquam à suo capite per commissuras omnes, per quas virtus ad hoc efficiendum apta subministratur, incrementum sumunt, ea mensura, qua singulis est opus; cum hac quippe proportione & non aliter fit incrementum istud, unde totum corpus augetur & adolescit, seque ipsum constabilit ac confirmat, in eum potissimum finem, ut charitas à Deo præscripta exerceatur.

Ibidem cap. 4. vers. 20. usque ad 25. ejusdem capitis.

AT vero vos in Christi disciplina non ita edocti estis: si modo illa recte vobis exposita fuit, vosque per illam didicistis, (quemadmodum quidem secundum ipsum Jesum Christum verissimum ac certissimum est) oportere vos deponere veteres mores, in quibus videlicet antea versabamini: ii enim, ut qui a deceptricibus cupiditatibus proficiscuntur, corruptissimi sunt, & ex altera parte novis iisque decentibus sumptis cogitationibus, & novo eoque decente fine omnium actionum vestrarum vobis ipsis proposito, mores plane novos induere; eos, inquam, quos Deus per Christum Jesum præscripsit, nobisque à se quodammodo formatos servandos tradidit, plenos justitiæ & sanctitatis non ementitæ aut inanis, sed solidæ atque verissimæ.

Ephes. 5. 11. Et ne commercium habueritis cum operibus illis infrugiferis tenebrarum, sed potius etiam arguite.

NOlite esse participes operum tenebris dignorum, quæ nullum fructum, sed potius damnum afferunt, immo ea coarguite: siquidem opera ejusmodi, ut tenebris digna, sic ex aliqua mentis caligine proficiscentia, & facile coargui possunt, & adeo sunt coargutione digna, ut turpe sit vel ea quidem nominare. Quicquid vero coarguitur, à statu tenebrarum ad statum lucis adducitur, ita, ut tenebræ illæ prorsus evanescant, cujus rei caussa est lux, quam coargutio in se continet, ita ut quicquid hac ratione illustratum fuerit, lux appellari possit, quippe quod ad statum lucis adductum fuerit.

Coloss. 2. 8. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam &c.

HOc agit Paulus, ut persuadeat Colossensibus, ne usquam alibi quærant, quomodo Deum colant, aut rerum divinarum quas nos scire opus est, cognitionem expiscentur, quam in Christo, relicta plane, quod ad hanc partem attinet, humana sapientia, & ipso Mose.

Ibidem cap. 2. 20, 21, 22, 23. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tamquam viventes in mundo dogmatizamini &c.

SEntentia esse videtur totius hujus loci, videlicet non debere tangi, non debere gustari, non debere contrectari quædam, ista, inquam, non divina, sed humana præcepta sub Euangelio esse, & propterea dignum reprehensione illum esse, qui Euangelii factus particeps istis adhuc teneri velit, quamvis alioqui hæc ipsa rationem sapientiæ habeant, & sapienter facta dici possint, quatenus in illis hæc continentur. Primum, quod cultu voluntario fiunt; Deinde, quod modestum ac demissum hominis animum ostendunt; Postremo, quod per illa corpori non parcitur, & sic in nullo honore seu pretio sunt, quod attinet ad carnis saturitatem. Itaque Paulus non quidem absolute ista laudat, & sapientiæ rationem habere dicit, immo potius aperte vituperat; sed tantum non damnat, immo sapientiæ alicujus nomine commendat, quatenus, ut dictum est, ista continent.

1 *Thess.* 5. 23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in adventu domini nostri Jesu Christi servetur.

SEnsus Apostoli est, ut cum Christus advenerit, & spiritus, & anima, & corpus istorum, ad quos scribit, nullo vitio infectum inveniatur. Sic enim sæpe Apostolus loquitur, ac si Christus adveniens, sit deprehensurus vivos Christianos omnes. Jam ut sciamus quid sit id quod optat, necesse est scire quid intelligat nomine spiritus, item, quid animæ & corporis. Spiritus est id, quod alio nomine vocari potest, mens seu ratio superior, quatenus scilicet est illustrata, à Dei patefactione illa, quæ continetur in Euangelio, ita ut cum Paulus optat, spiritum esse sine ullo vitio atque perfectum, aliud nihil optet quam ut nullus error, nulla ignorantia divinæ patefactæ voluntatis in iis sit, ad quos scribit, & simul ad reformationem mentis & rationis superioris, per patefactionem istam nihil illis desit. Adeo, ut & cognoscant & probent ea quæ Deo placent, pleni bona spe consequendi fœlicitatem illam, quam Deus iis promisit, qui patefactæ ejus voluntati acquieverint. Quod porro ad animam attinet, desideria, cogitationes, & denique voluntatem in omni actione intelligit, quam vult esse integram, & plane virtute conformatam, ita ut isti nihil cupiant, nihil cogitent, nihil denique velint, quod virtuti & rectæ rationi adversetur; quæ anima in homine, alio nomine, seu potius nominibus, appetitus & ratio inferior vocari potest. Ea enim utrumque, quamvis sæpe alterum alteri adversetur, omnino complectitur, secundum quidem Pauli mentem, nempe, qui corporis nomine aliud nihil intelligere videatur, quam externas actiones nostras, quas ejusmodi esse vult, ut nullo pacto ab eo absint aut dissentiant, quod Deus nobis præscripsit, ita ut non satis sit, eas, si à præscripta divinitus norma discedant, neque ab appetitu nostro revera, neque ab electione spontanea voluntatis nostræ proficisci; sed quodammodo ex coactione quadam. Ut si quis externe idolum aliquod adoret, non quia ad id faciendum appetitu aliquo trahatur, aut ipse alioqui sua sponte id facere eligat; sed vel metu alicujus magni mali, si id non fecerit, vel aliorum exemplo, consuetudine, impulsu, ad id faciendum adigatur. Differunt igitur ea inter se, quæ ab anima & corpore procedunt, & quidem ita, quemadmodum ostensum est in præsentia.

Paraphrasis verborum Pauli Apostoli 1 Tim. 1. 5. usque ad vers. 11.

JAm finis & scopus omnis Euangelicæ præceptionis est, ut quis charitate, ex puro corde bonaque conscientia & fide non ficta proficiscente, sit præditus: quem scopum non attingentes quidam, & ab his omnibus aberrantes, de via declinaverunt, & ad vaniloquentiam diverterunt, dum student & esse & videri legis doctores, cum interim non noscant aut intelligant, neque ea quæ ipsi dicunt, neque ea de quibus tam firmiter asseverant. Scimus quidem & nos legem esse bonam, modo quis ea sic utatur, ut finis, in quem data est, omnino postulat: præcipue vero si non ex ea ipsa justus coram Deo pronunciari, vel ipse quærat, vel, ut alii quærant, doceat. Neque enim verus ac proprius legis ferendæ finis fuit, ut quis per eam justificetur, indeve justificationem suam petat, quæ tota pendet ex Dei, peccata, & con-

& contra ipsam legem perpetrata delicta ignoscentis, clementia ac misericordia, alioqui enim si ipsius legis per se vis spectetur, condemnat illa quemcumque adversus ipsius præcepta quicquam delinquentem. Sciat autem iste clementiam misericordiamque divinam, quam diximus, illis tribui, qui in nullo peccato graviore manent, adeo ut, ipsius Dei proposito & actione inspecta, constanter affirmare possimus, adversus ejusmodi homines legem non esse latam, etiamsi aliquid interdum in ipsam legem peccent. Atque hi sunt quos justos divina oracula appellant. Non igitur adversus homines justos, id est, in nullo graviore peccato manentes, lata à Deo Lex fuit, sed adversus omnes legis contempores, omnemque subjectionem recusantes, adversus impios & peccatis deditos, adversus eos qui omnem innocentiam & sanctitatem spernunt, quales sunt patris matrisve percussores, homicidæ, adulteri & scortatores, masculorum concubitores, plagiarii, mendaces, perjuri, & alii hujusmodi, qui ea committunt, in iisque manent quæ sanæ doctrinæ adversantur. Nam ipsum quoque gloriosum beati summique Dei Euangelium, cujus annunciatio mihi mandata & concredita est, & ad quod divulgandum ac promovendum te mi Timothee constitui, quamvis divinæ mansuetudinis ac lenitatis sit plenum, tales homines tamen damnat, eisque æternam mortem denunciat.

Ad locum illum Hebr. 7.3. Sine patre (*Melchisedech*) sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens &c.

CUm hujus Epistolæ scriptor vellet hoc loco docere, Jesu Christi sacerdotium adumbratum fuisse olim in Melchisedeci sacerdotio, quatenus scilicet non pendet ab ulla promissione, alicui certæ hominum familiæ aut generi facta, & quatenus Christus Jesus, ut sacerdos, nec ulli successit, nec ullum ipse successorem est habiturus; Propterea ait, nec patris, nec matris Melchesedeci mentionem fuisse factam, nec ipsius Melchisedeci initium dierum, aut vitæ finem commemoratum esse. Nam certe cujus nec pater, nec mater commemoratur, de eo patet quæri non debere, cujus familiæ aut generis fuerit. Cujus etiam dierum initium (subaudi, in sacerdotio obeundo) & vitæ finis prorsus reticetur, certe de eo nihil dicitur, quod ad hoc pertineat, ut ipse in suo sacerdotio alii cuipiam successerit, vel alius ipsi. Itaque non est cur quisquam existimet, ideo Melchisedecum ab hoc scriptore appellatum fuisse ἀπάτορα & ἀμήτορα, quasi Christus quoque possit dici esse sine patre, & sine matre, sed neque etiam ideo dictum ab eo fuisse, Melchisedecum nec dierum initium, nec vitæ finem habere, quasi Christus similiter sic dierum initium non habeat, ut vitæ finem non habet. Nam præterquam, quod ista, quæ de Melchisedeco ab eo dicuntur, alium sensum ut habeant necesse est, quam quem ipsa verba sonant, eum videlicet, quem supra complexi nostris verbis sumus, est etiam animadvertendum, ab hoc scriptore hoc eodem ipso loco dici, hisce in rebus, non quidem Christum Melchisedeco, sed Melchisedecum Christo, seu Dei filio assimilari, ita ut modo quæ de Melchisedeco ex Sacris Literis narrat, ea omnia complectantur, quæ de Christo in eo adumbrata fuisse vult: nihil sit necesse ut vicissim, ea quæ Christo tribuit, nihil non contineant eorum, quæ de Melchisedeco commemorat. Et sane Christi nec mater ignoratur, aut in Sacris Literis reticetur, & pater ille, quem solum revera & habuit & habet, Deus, disertissime apud Sacros Scriptores & commemoratur, & inculcatur. Ejus vero obeundi sacerdotii initium, simul atque videlicet post sanguinis sui fusionem in cœlum ingressus est, aperte satis ab hoc eodem scriptore pluribus in locis exponitur, & quamvis æternum sit ejus sacerdotium, donec scilicet sæculum hoc duraverit, tamen finito hoc sæculo illud non amplius duraturum, illud satis indicat, quod scriptum est, eum tunc Deo & patri regnum redditurum. Neque enim sine regno consistit sacerdotium istud. Itaque constat, ea, quæ hic de Melchisedeco dicuntur, si recte intelligantur, non contineri omnia iis, quæ Christo tribuuntur huc pertinentia, sed tantum his omnia ista adumbrata fuisse, quemadmodum dictum est.

Explicatio loci ad Heb. cap. 13.9,10. Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.

APostolus ut allegorica quadam ratione confirmet, non esse ponendum cultum in cibis, ait, hoc ex eo apparere, quod in sacrificio pro nobis peracto, pontifex pro nobis ingressus est in sancta. Nam sub lege, quandocumque pontifex ingrediebatur in sancta, ut scilicet eo inferret sanguinem mactatæ pecudis, tunc non licebat quidquam comedere ex pecude illa mactata, sed necesse erat eam totam igni comburere; cum tamen alioquin, quandocunque pontifex in sancta non ingrediebatur, oporteret illam comedere, & in ea re ex parte cultus divinus positus esset. Est autem animadvertendum, quod nomine illorum, qui tabernaculo deserviunt, intelligit omnes Christianos. Sacerdotes enim sub lege tabernaculo deserviebant. Atqui Christiani omnes sunt sacerdotes, ut non in uno loco Sacrarum Litterarum scriptum est Subjicit autem Apostolus aliam allegoriam, eamque duplicem, ut ostendat legis ritus cessasse. Ait enim, quod quemadmodum tunc, cum pontifex in sancta ingrediebatur, pecus mactata extra castra comburebatur, qua combusta, cultus ille divinus finem suum accipiebat, id est, penitus absolvebatur; sic nunc in sacrificio pro nobis peracto, cum pontifex in sacra ingressus fuerit, quiddam quod ad sacrificium peragendum requirebatur, factum est à pontifice nostro, extra urbem Jerusalem, id est, Victima nostra mactata, & ejus sanguis fusus, cum tamen alioqui in omnibus legalibus sacrificiis pecus deberet in castris ipsis mactari, quæ castra, in hac allegoria, ut apparet, respondent circuitui murorum Jerusalem. Primum igitur sub ipsa lege adumbratum fuit, cultum divinum perficiendum esse, citra & extra ritus illos legales, per castra illa significatos. Deinde idipsum plane adumbratum fuit, cum extra urbem Jerusalem, quæ totum legalem cultum significat, pars sacrificii nostri peracta est, sine qua esse non potuit, & quæ, ut dictum est, intra castra secundum legem peragenda fuisset.

Paraphrasis in finem tertii cap. Epistolæ prioris Petri Apostoli a 17, usque ad finem: Ubi non paucis Theologis de descensu Christi ad inferos agi videtur.

Κρεῖττον γὰρ præstat enim fratres, ut bene facientes, si modo ita ferat Dei voluntas (neque enim ultro mala nobis accersere ipsi, aut adire debemus) ab impiis hominibus affligamur, & multa mala patiamur, quam male facientes.

Ὅτι καὶ Χριστὸς Nam & Christus ipse dux, & præmonstrator noster, semel tantum, id est non iterum moriturus, ipsam mortem à sceleslissimis hominibus sibi illatam, cruciatibus, ac dedecore plenam, ita Deo volente, subire non recusavit, non quidem propter delicta aliqua, quæ ipse commisisset, sed nostrorum peccatorum caussa, ut ea ratione scilicet nos à peccati pœna & servitute vindicaret. Itaque mortuus est ipse justus pro nobis injustis, ut ad Deum,

à quo propter iniquitates nostras, & mentis nostræ cæcitatem quam longissime aberamus, spe immortalitatis deinde nobis facta, nos resipiscentes & divina luce collustratos adduceret.

Θανατωθεὶς μὲν &c. Factum est enim, ut licet is propter infirmitatem carnis necatus fuerit, & mortem gustaverit, divina tamen vi atque potentia, ad immortalem vitam, postmodum sit restitutus.

Ἐν ᾧ καὶ τοῖς, &c. Per eandem vero divinam vim atque potentiam, cum hinc ad patrem profectus esset, dimissis per universum orbem discipulis, & ministris suis, qui tantam ejus adversus mortem victoriam prædicarent, & palam testarentur, eorum etiam hominum mentibus, & animis clare concionatus est, & veritatem patefecit, qui malitiæ & ignorantiæ vi, quodam quasi carcere, tanquam iræ Dei captivi detinebantur, & contumaces fuerant aliquando.

Ὅτι ἀπεξεδέχετο &c. Quod non secus accidit, atque cum ætate Noë, Dei lenitas atque clementia hominum contumacium resipiscentiam exspectaret, quos arca, quæ ab ipso Noë ex divino præscripto construebatur, ipsorum officii, & divini quod imminebat supplicii, satis admonebat.

Εἰς ἣν ὀλίγαι. Verum, quemadmodum tunc temporis iram, quam adversus impios Deus exercuit, pauci admodum effugerunt; ii videlicet tantummodo, qui in aquarum diluvio illo arcam sunt ingressi, octo inquam illæ animæ, quæ solæ ex tanta hominum multitudine in ipsis aquis conservatæ sunt: sic etiam hoc tempore fiet, ut ii soli, divinam iram quæ in scelestos homines exerenda est effugiant, & in ipsis cælitus immissis malis conserventur, qui baptismi arcam, in tanta malorum, quæ Deus mundo inferet, colluvie, ingressi fuerint.

Οὐ σαρκὸς Baptismum autem intelligo, non illum quidem, quo corporis sordes abluuntur, ac deponuntur, sed quo fit, ut, animi sordibus ablutis, atque depositis, bonæ conscientiæ nostræ erga Deum testimonium, in nobis ipsis ferri sentiamus. Hoc autem non aliunde nobis contingit. quam ex resurrectione Jesu Christi, quem propterea imitari, Deoque nostro obedire, mediis etiam calamitatibus nec recusamus, & merito gloriamur.

Ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ &c. Is enim, ut dictum est, injustissime antea vexatus, & acerbissime morti traditus, nunc supremam apud Deum potestatem & auctoritatem obtinet, in cœlum divina illa, de qua diximus, vi atque potentia profectus, qua etiam subjecti illi sunt omnes Angeli Dei, cæterique quotquot sunt, qui ab ipso Deo, sive in cœlo, sive in terra dignitatem, aut imperium aliquod sunt consequuti.

2 Pet. 1. 5. * Subministrate in fide vestra virtutem &c.

HIc est verus nexus hujus catenæ, ut ex assensu prædicationi Euangelii adhibito proficiscatur, ut homo Christianus postea viriliter sese gerat & vires sumat. Hinc veram ac solidam cognitionem ac scientiam rerum divinarum petat. Inde nascitur, ut sese contineat ab omni carnis cupiditate. Et in hoc sibi vim faciat, toleret ac perseveret, quæ continet verbum ὑπομονή. Nunc non tantum continens est, quæ est virtus erga seipsum, vel (& ita potest explicari) alii non nocet, sed pius etiam evadit, hoc est, spretis carnis voluptatibus, & abjecta rerum mundanarum cura, totus ad Deum & religionem se convertit. Ita affectus amat fratres, & denique charitatem quæ describitur 1 Cor. 13 exercet, neque vitam suam pro fratre ponere recusat Nam ἀγάπη plus complectitur quam φιλαδελφία. Notandum quod Petrus hic loquatur, quemadmodum in Ecclesia fratres sese gerere debeant.

* Hujus loci explicatio à Socino scripta non est, sed ex dicentis ore raptim excepta.

In Johan. Sommeri explicationem *cap. 1. ad Col.* F. Socini Animadversio.

PAulus ad Coloss. cap. 1. 20, non loquitur de reconciliatione, qua nos ei reconciliati sumus; sed de ea, qua omnia quæ in cœlis & in terra sunt, id est Angeli hominesque inter se sunt reconciliati. Nam de altera illa reconciliatione loquitur versu sequenti. Nec Græca verba εἰς αὐτὸν, quæ Beza interpretatus est *Sibi*, ita accipi debent, ut reconciliationem istam cum Deo factam fuisse intelligamus; sed ita, ut ad Deum, ejusque cultum & gloriam omnia referantur. Nec sane crediderim Grammaticæ rationem, verbique Græci ἀποκαταλλάξαι construendi usum, ut aliter locus explicetur, ferre posse. Quare perperam fecit Beza, qui locum ita convertit, ut de reconciliatione cum Deo facta, ibi omnino agi videatur. Quamquam non dubito, quin etiamsi ejus interpretatio retineatur, possint verba Pauli, ut nos fieri debere affirmamus, explicari. Idem enim Paulus, hac eadem de re ex parte ad Ephes. scribens, cap. 1. 16. ait, *Ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem:* ubi apud me satis exploratum est vocem *Deo*, nihil aliud significare, quam ad serviendum Deo, aut simile aliud quidpiam. Non enim de inimicitia hominum cum Deo, ut ex antecedentibus liquet, eo loco verba fiunt, sed de inimicitia, quæ inter gentes & Judæos erat. Non dubium est tamen, quin Beza interpretatione sua, pro quarto casu cum præpositione, tertium substituerit, qui putaverit Paulum de reconciliatione, qua cum Deo omnia reconciliata sint, disserere. Quanto rectius Erasmus, qui verba εἰς αὐτὸν *Erga se* reddidit, quæ interpretatio appositissima est, & reconciliationem cum Deo factam minime significare potest, nisi tamen vehementer fallor. Non putaverim enim Latine dici posse, Reconciliare erga se, pro eo, quod est Reconciliare sibi. Præterea est animadvertendum, Veterem interpretem *in ipsum*, ea verba reddidisse, hodieque non paucos Græcos codices exstare, in quibus, non εἰς αὑτὸν, denso spiritu; sed εἰς αὐτὸν legatur; quæ lectio plane explicationem nostram confirmat. Nam si ad Christum ea verba referantur, jam ex illis, de reconciliatione cum eo facta, hic sermonem esse nihil elici potest, eoque verisimile est, omnino de alia verba fieri, cum nullo modo fieri posse videatur, ut Angeli cum Deo per Christum reconciliati fuerint, quidquid nostri Theologi hac de re scripserint, & commenti fuerint. Loci igitur sententia est. Non modo homines inter se; id est Judæos cum gentibus, sed Angelos quoque cum hominibus per Christum, perque ejus mortem (in qua nimirum Deus, se universo humano generi benignissimum præbuit) à Deo reconciliatos fuisse, ita ut ad se omnia, adque suam gloriam convertat; sive ad Christum ejusque gloriam. Nam supra quoque ℣. 16. de Christo dixerat Apostolus, in ipsum omnia creata esse. Quis autem neget, istam hominum secum ipsis, & cum illis Angelorum concordiam, ad Dei, ipsiusque Christi gloriam pertinere; immo ejus ultimum finem, utriusque gloriam esse? Cæterum, quod auctor illius explanationis, in primum caput ad Colos. videtur omnino sentire, idem plane esse apud Paulum, Per Christum omnia fuisse creata, & per Christum omnia fuisse reconciliata; in eo, judicio meo, propterea labitur, quod Creare, in verbis Pauli, est tanquam totum aliquid, Reconciliare autem tanquam pars ejus. Creare enim, ut ipsemet confitetur, & exemplis, testimoniisque prolatis, probat, ex consuetudine Hæbræi sermonis est Reformare, ac renovare. Per Christum autem reformata & renovata sunt etiam, non tantum quia per ipsum omnia sint reconciliata; sed etiam, quia præter reconciliationem, novam formam, novumque statum quendam, suscepere. Omnium autem appellatione, cum de creatione agitur, non homines tantum & Angelos, sed dæmones quoque intelligo. Homines quidem plane per Christum renovatos esse

tos esse, nemo non videt, cum ex ignorantibus, sapientes; ex captivis, liberi; ex malis, boni; ex reis, insontes; ex mortalibus denique & mortuis, vivi & immortales facti fuerint. Adde, omnium, quæ ad Dei cultum pertinent, in illis meram non modo instaurationem, sed omnimodam, ut ita dicam, renovationem. Angeli porro cum ex Dei jussu, hominem pro capite suo & domino habeant, quem etiam adorare, & ad cujus nutum perpetuo præsto esse debeant, satis apertum esse videtur, eos eorumque hierarchiam omnem renovatam esse. Nam perinde est, ac si quis paterfamilias, œconomum familiæ suæ, quam ante ipse, per se ipsum regeret, præfecisset, & quidquid vellet, in totius domus administratione, faciendi plenissimam auctoritatem dedisset. Jam quanta hic rerum omnium mutatio esset; præsertim, si ea quoque quæ extra familiam essent, nova quadam ratione, per ipsam familiam, administranda forent? At dæmonas per Christum renovatos fuisse, quatenus eorum imperium diminutum & ex parte abolitum fuit, ipsique Christo omnes parere sunt coacti, à quo potestas, quam adhuc in mundo exercet, perpetuo pendet, isque eam pro arbitratu suo moderatur, nemo opinor negaverit. Nam huc pertinent, non ad angelicam tantum potestatem, verba illa Apostoli: sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: quemadmodum etiam intelligi potest ex eo, quod scriptum est 1 Cor. 15. v. 24. Plura nunc eadem hac de re scribere, non vacat; quod tamen si opus fuerit, me facturum recipio. Id tamen antequam absolvam monere volui, quæstionem priorem de reconciliatione, nihil commune habere cum hac, Quid scilicet creatio illa significet. Nam, sive reconciliationem tantum; sive etiam, ut nos credimus, universam reformationem; sive quidquid sit, significet, semper dubium erit, quomodo angeli reconciliati sint; nisi, quid reconciliatio ipsa sit, recte intelligatur.

Ex Euang. Joh. cap. 1. *v.* 16. Et ex plenitudine ejus nos omnes accepimus.

PLENITUDO ista, ut quidem ego arbitror, est affluentissima copia earum rerum, quarum proxime Euangelista dixerat plenum fuisse Verbum, id est, Christum Jesum: nempe gratiæ & veritatis, divinæ scilicet beneficentiæ erga humanum genus, ac fidelitatis, simulque solidæ ipsarum rerum divinarum scientiæ. Omnium nostrum nomine intelligit Joh. Baptista Israëliticum populum, ad quem Christus primum missus fuerat, è quorum numero seipsum non eximit, quippe, qui sine dubio jam à Christo ista didicisset, sive potius eorum particeps factus esset. Munus enim, quo ab ipso Deo prius affectus fuerat, ea quæ sunt ipsius novi fœderis omnino propria, non continebat, præter prædicationem pœnitentiæ in genere, & remissionis peccatorum. Quamquam nihil vetat verbum præteriti temporis *accepimus*, debere accipi more prophetico pro verbo temporis futuri, ut quidem mihi plus placet; nec ullum in ea re est absurdum, si, quamvis Baptista dicat *nos omnes*, seipsum in hunc numerum tamen revera non includat. Sunt enim satis usitati, præsertim apud Prophetas & Apostolos, isti loquendi modi, & exempla passim sunt obvia, præsertim apud prophetas. Quamquam, ut mea ipsa edita scripta docent, mihi plus placet, ut verba ista, *& ex plenitudine*, &c. sint Euangelistæ, & conjungi debeant cum illis, *plenum gratiæ & veritatis*, quemadmodum res ipsa monet; interjectis per parenthesin illis *Johannes testatus est*, &c. nam post hunc versiculum Euangelistam in sua persona loqui, indicat etiam illud, quod postea rursus ad Baptistæ testimonium exponendum revertitur, inquiens vers. 19. *Et hoc est testimonium Johannis &c.*

Ex Euang. Joh. cap 3. *v.* 31. ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστι.

ILle enim, utpote qui superne venit, id est, ab ipso Deo, qui in excelsis habitat, descendit, non me modo, sed quemcumque alium, qui umquam Dei nomine munus aliquod in terris obierit, omnino excellit. Ego quidem, ut is, cui ejusmodi à Deo ad homines legatio minime obtigit, sed ea, quæ isti comparata, terrena dici potest, non possum similiter alia in hoc meo munere obeundo loqui, quàm, quæ præ illis, quibus munus ipsius Jesu continetur, terrena merito dici possint. At ille, qui ex ipso cælo venit, quo nimirum prius ascenderat, ut quidquid nunciaturus Dei verbis hominibus esset, ab ipso Deo præsente præsens doceretur, non quæ ex inspiratione, aut renunciatione angeli alicujus cognoverit, sed quæ ipse singularissimæ isti divinæ patefactioni consentanea, ideoque plane cœlestia vidit & audivit, in suo munere obeundo loquitur.

Conciliatio locorum 1. *Joh.* 3. *v.* 9. *& cap.* 5. *v.* 18. *cum loco cap.* 2. *v.* 1.

SEntentia illa Johannis Apostoli in prima ipsius Epistola, quod *qui natus est ex Deo non peccat, nec peccare potest*, ideo non pugnat cum eo, quod idem Johannes in eadem Epistola scribit, *Filioli mei hæc scribo vobis ne peccetis, quod si quis peccaverit, advocatum habemus, &c.* quia non erat certum, omnes, ad quos scribebat, esse revera ex Deo natos, id est, ut Paulus loquitur, spiritu mentis suæ renovatos & novum hominem indutos. Immo de nemine ipsorum affirmari id à quoquam poterat. Solus enim Deus & dominus noster Jesus Christus novit corda hominum. Cum igitur fieri posset, ut aut pars eorum, aut etiam omnes ex Deo minime essent nati, recte dubitare potuit Apostolus ne quis ex ipsis peccaret, quamvis certum sit, eum, qui natus est ex Deo, non peccare. Idcirco autem asserit Johannes, quod qui natus est ex Deo, seu, qui in Christo manet non peccat, quia Peccare, seu Peccatum facere idem est apud ipsum, quod peccatis esse implicitum, non autem, Aliquod peccatum aliquando committere. Opponit enim ibidem inter se Facere peccatum, 1 Joh. 3. v. 7 & 8. & Facere justitiam, Quemadmodum igitur Facere justitiam, non significat Justum aliquod opus interdum facere, sed Justitiæ operibus perpetuo delectari & illa exequi, (ait enim eodem in loco, quod qui facit justitiam justus est) sic Facere peccatum non significat, Aliquod peccatum interdum committere, sed Peccatis deditum esse. Nam sic quoque scriptura passim Peccatores eos nominat, non qui aliquando peccatum aliquod commiserint, sed qui in peccatis manent eosque Justis opponit; cum tamen contingat, justum hominem nonnunquam peccatum aliquod committere. Itaque Johannes cum ait, *Filioli hæc scribo vobis ne peccetus*, de hoc peccandi genere similiter loquitur; ut etiam ex illis ipsis apparet, quæ dicebat se ideo illis scribere, ne peccarent. Supra enim illos hortatus fuerat, ut in tenebris non ambularent, & peccata sua agnoscerent, ac confiterentur quæ antea commisissent. Sic enim futurum, ut Deus illis omnem iniquitatem condonaret. Cui hortationi deinde subjungit, quod si tamen inter eos aliquis erat, qui nondum peccatis, quibus implicitus esset, se exsolvere posset, non propterea illi de eorum venia à Deo consequenda prorsus desperandum, sed sciendum Jesum Christum paratum perpetuo esse, ad, non modo eorum qui jam ipsius nomine appellantur, verum etiam omnium hominum, qui videlicet aliquando tandem resipiscerent, & peccatis relictis se justitiæ manciparent, peccata apud Deum expianda.

Loci Judæ verſ. 9. explicatio.

VOluit Moſe mortuo, Diabolus cadaver, vel corpus ejus ſurripere, ut Judæos ad idololatriam hac ratione, ad quam erant alioquin valde proclives, ſeduceret. Michael autem, numine divino afflatus, noluit illud concedere, & etſi eſſet Satana potentior, tamen non eſt auſus illi maledicere, ſed tantum dixit, Puniat te Deus. Unde apparet quam turpes ſint illi, qui magiſtratus & reges blaſphemare audent. Quam facile autem fieri potuerit, ut Judæi corpus Moſis adorarent, & ita idololatræ fierent, vel hoc indicat, quod jam etiam tantam ei reverentiam tribuunt, ut tantum non adorent. Alii per magiſtratus, Apoſtolos intelligunt, & eorum potentiam qua erant præditi; idque ut faciant duplici moventur ratione. 1. Quod additur, eos blaſphemaſſe id, quod non intelligunt. Quomodo autem fieri poterat, ut aliquis eſſet tam impius & ſtupidus, qui regum & magiſtratuum potentiam à Deo profectam eſſe negaret, cum ea de re aperte teſtarentur Sacræ Literæ? Quæ ignorantia facillime accidere poterat in Apoſtolis, quorum potentia, licet ſingularis, non tamen omnibus ita erat nota. 2. Additur illos periiſſe contradictione Core. Ergo, quemadmodum Core non ideo periit, quod magiſtratum aliquem politicum contemneret, ſed quia Moſen ſpernebat, ducem populi Dei, cujus auctoritas erat tunc temporis recens nata, ſic etiam hi non ideo perierunt, quia magiſtratum politicum ſpernerent, ſed quia Apoſtolos, qui vulgares erant homines, & potentia tamen ſingulari à Deo præditi, contemnerent, & illis parere recuſarent. Ad hæc reſpondetur. 1. Apoſtolos nuſquam dignitates vel poteſtates appellari. 2. Etiamſi aliqua erat in Apoſtolis, eaque non vulgaris potentia, tamen illa non erat de eſſentia muneris eorum, quemadmodum potentia eſt de eſſentia muneris magiſtratuum, qui ad nihil aliud à Deo ſunt ordinati, quam ut potentiam exerceant, quod in Apoſtolis non niſi per accidens inveniri potuit. Quod vero attinet ad priorem rationem, reſpondetur, eſſe æquivocationem in vocabulo Neſciebant, quod non tantum ignorantiam ſimplicem, ſed affectatam ſignificare poteſt, quod ſcilicet illi nolebant agnoſcere, reges à Deo eſſe ordinatos, & eorum potentiam divinum aliquid continere, caſu iſta omnia accidiſſe arbitrantes. Immo, ut apparet, ex hoc collato cum eo, qui eſt 2 Pet. 2. iſti mali homines magiſtratui illi, quem magiſtratum eſſe probe noverant, maledicebant. Ad poſteriorem vero reſpondetur. Primo, commodius & apertius comparari poſſe Moſen cum tyrannis aut regibus, quam cum Apoſtolis, quia Moſes erat ex populo Dei. Secundo, poteſt hoc exemplum accommodari ad propoſitum Apoſtoli, etiamſi exempla ſint diverſa, & res diverſæ.

FINIS.

Amplissimis Illustris Reipublicæ

ARGENTORATENSIS SENATORIBUS.

Dominis meis gratiosissimis.



On immerito ea inter Theologos obtinuit sententia, D. Johannem, inter Euangelii scriptores, primas quodammodo sibi vendicare. Præterquam enim, quod non pauca eorum, quæ alii prorsus omisere, addidit, ea est scriptionis illius vis, ut, sive verba, sive rem ipsam inspicias, sublimia omnia esse, deprehensurus sis. Eadem vis & augusta quædam verborum & rerum divinitas in Epistola illius prima emicat. Verba ipsa vere sunt Theologica: Res vero nervosum universi Euangelii Jesu Christi sunt compendium. Sive enim beatitatis illius, quæ omnes Dei amantes manet, certitudinem & firmamenta requiras, quid luculentius dici potuit, quam Apostolos id ipsum, quod annunciarunt, audivisse, oculis suis vidisse, contemplatos esse, & manibus contrectasse: testes ejus extitisse omni exceptione majores & vere divinos, spiritum, aquam, & sanguinem? Sive beatitatis ejusdem præstantiam cognoscere velis, quid jucundius, quid suavius eo, quod communio nostra sit cum Apostolis, adeoque cum ipso Deo & cum Filio ejus Jesu Christo; quod ex morte in vitam translati, quod Deo similes futuri simus, quia scilicet eum videbimus, sicut est? Sive viam ad istam tantam & tam certam beatitatem perveniendi ostendi tibi cupias, en habes eam ita religiose depictam, ut in luce ambulemus, sicut Deus est in luce; ut ita ambulemus, sicut Christus ambulavit; ne mundum, & ea quæ in mundo sunt, nempe voluptates, commoda, & honores diligamus; ut in nomen Filii Dei credamus, præcepta Dei servemus, & alii alios diligamus. Sive, præter istum pietatis fructum perfectissimum, qui est vita æterna, alias ejusdem compensationes desideres, en inter alias hanc habes; quod Deum semper propitium, & precibus nostris perpetuo annuentem experturi simus. Sive denique, cur tam sacrosanctam Christi Religionem tam cito & tam gravis invaserit corruptio; quod corruptionis illius caput futurum esset; & quomodo ab ea tutus esse queas, erudiri aveas, en audis, multos illorum, qui Christi doctrinam primitus amplexi fuerant, non fuisse ex Christi populo, sed ex mundo, hoc est, non contentos iis, quæ Euangelium promittit, animum ad terrena commoda applicuisse: offensos Christi humilitate eundem repudiasse: hic vero ne erretur, id, quod Apostoli ab initio annunciarunt, tenendum esse.

Hujus tam divini scripti, Vir nostro seculo inter Theologos conspicuus & insignis F. S. Senensis, pro modulo sibi concesso, eam reliquit explanationem, quam universo orbi Christiano utilissimam esse, omnes pios agnituros, equidem persuasissimum habeo. Itaque diutius eam premere, & tantum aliis bonum quasi invidere religio nobis fuit.

Publicatam autem eam sub ILLUSTRI AMPLITUDINUM VESTRARUM nomine, ex sententia Ecclesiarum nostrarum, volui, quod inter Reformatas ad Christi Euangelium Respublicas & Ecclesias, non postrema esse vestra semper mihi visa fuit. Nam & ipsa Respublica vestra, justitia, beneficentia, insigni in summa omnium rerum abundantia moderatione & modestia claret: Ecclesia vero ab omni superstitione libera, eam cultus divini rationem sequitur, quæ, ad extirpandas vitiorum radices, & ad ingenerandam in hominum animis virtutem & pietatem, accommodatissima esse videtur. Aliis vestris laudibus, quæ nec paucæ, nec parvæ sunt, recensendis supersedeo, ne quid auribus dare videar. Deum potius ex animo oro, ut propitius vobis semper adesse velit, & efficiat, ut in istis rebus, quæ religionem

gionem spectant, & quibus nunc claretis, in dies magis magisque proficiatis: Vos autem, AMPLISSIMI VIRI, humiliter rogatos velim, ut hunc meum in vobis colendis & suspiciendis affectum, favore vestro fovere, & hanc hujus libri dedicationem pia mente accipere dignemini. Racoviæ Polonorum, 20 Novembris 1614.

Illustri Amplitudini Vestræ addictissimus

VALENTINUS SMALCIUS GOTHANUS.

Ad Lectorem Pium.

Multum illi sapere videntur, qui Theologum non tam ex eo, quod dextre & subtiliter res controversas tractare & dirimere, quam ex eo, quod fideliter & solide ipsarum Sacrarum Literarum mentem & sensum indagare & explanare possit, agnoscendum esse judicant. Habuisti hactenus non pauca Viri incomparabilis, F.S. *scripta polemica, ex quibus acumen & eruditionem ejus perspicere quivis potest: nunc hunc libellum, didacticum potissima ex parte, communicare tecum visum est, ex quo, quantum donorum suorum Deus in istum Virum contulerit, cognoscere pariter poteris. Significandum autem tibi duxi, hunc librum, uno ante obitum illius anno, nempe* 1604, *in gratiam viri cujusdam nobilis Germani, qui Parisiis in Poloniam, investigandæ veritatis Euangelicæ causa, venerat, & aliorum quorundam Theologiæ studiosorum, Racoviæ, ex tempore, ab illo dictatum, & postea nunquam recognitum fuisse. Quare si quid fortasse, quod majori cultura egere tibi videatur, occurrit, id pro tua æquitate & pietate excusabis: animum vero ad ea, quæ in hoc libello varia continentur, rerum divinarum mysteria penitius inspicienda convertes. Qua in re Deum tibi propitium precamur. Vale Racoviæ.*

COM-

COMMENTARIUS
IN EPISTOLAM
JOHANNIS
APOSTOLI
PRIMAM

FAUSTI SOCINI SENENSIS.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

COMMENTARIUS
In Epistolam
JOHANNIS APOSTOLI
Primam.

PROLEGOMENA.


T breviter quædam attingamus, quæ præmitti solent explicationi cujuscumque Epistolæ in Novo Testamento, statuendum est primum, quis sit auctor hujus Epistolæ. Deinde vero ad quos scripta fuerit, postremo quæ sit ejus summa quædam, atque argumentum. Quod attinet ad primum, certum est, neque unquam, inde ab ipso initio, fuit ea de re in Ecclesia dubitatum, Epistolam hanc esse Johannis Apostoli, quamvis in ejus titulo, Apostoli nomen scriptum non legatur. De hoc perpetuo hac in re Ecclesiæ consensu, plenissimam fidem faciunt scriptores Ecclesiastici, præcipue vero Eusebius Pamphili in historia sua. Quamquam qui non dubitat Euangelium, quod ejusdem Apostoli esse, ab omnibus creditur, vere ipsius esse, is nullo pacto dubitare potest, quin similiter hæc Epistola ipsius sit. Adeo per omnia similis est stylus, & loquendi modus, una cum ipsis sententiis. Jam de eo quod secundo loco proposuimus, dicendum est, non constare, ad quos nominatim, ista Epistola scripta fuerit, nec, nisi vehementer fallimur, quisquam est, in Ecclesiasticis scriptoribus, qui hac in re quicquam certi affirmare ausit. Id tantum videtur ex ista Epistola satis aperte colligi posse, eos scilicet, ad quos illa scripta fuit, fuisse ejusmodi homines, qui, licet Christo nomen dedissent, ejusque religio em forti animo, superatis omnibus tentationibus, palam amplexi fuissent; non multum tamen adhuc in ea, ejusve cognitione profecissent. Hinc est, quod (ut ad tertiam rem, à nobis propositam transeamus) Summa, sive argumentum hujus Epistolæ statui possit, eos ad quos scripta est, monere, ut in Christiana, quam amplexi fuerint religione, alacri animo proficerent, neque in ipsis initiis, consisterent, neve paterentur se seduci à falsis Prophetis, & doctoribus, qui jam tum extiterunt, negantes Jesum esse Christum, & consequenter, ipsius Jesu religionem falsam ac mendacem esse affirmantes; cujus rei occasione, ad probandum Jesum esse Christum, præter simplicem monitionem, quædam ab Apostolo afferuntur, de quibus suo loco videbimus. Jam ut id exequatur Apostolus, quod diximus, & istos ad quos scribit moneat, ut in Christiana religione proficiant, plurimum, tota ferme Epistola, charitatem commendat, quippe quæ sit substantia quædam ac forma, & complementum fidei, ac religionis Christianæ. His paucis quam brevissime potuimus præmissis, atque expositis, jam ad ipsam Epistolam aggrediendum est, & quatenus per nos fieri potuerit, ordine, ejus verborum sensus explicandus, & quæ difficiliora videbuntur, atque obscuriora, aperienda & explicanda.

CAPUT I.

Vf.1. QUod erat ab initio, quod audivimus, &c. Prima hæc hujus Apost. verba videntur non carere difficultate, eo quod incertum esse videatur, quid intelligat Apostolus cum dicit, *Quod erat ab initio*, quid inquam, appellatione ista significare velit. Duplici enim ratione invenio hoc ab aliis explicatum, atque adeo explicari id posse omnino videtur. Sunt enim qui omnino statuunt, verbis istis, ipsum J. Christum significari, atque hujus sententiæ, ni fallor, plerique esse invenientur. At alii sunt qui per hæc verba, non ipsum Jesum Christum, sed Euangelium ejus denotari contendunt. Qui volunt ipsum Christum Jesum significari, utuntur hac ratione, quod istud ipsum his verbis comprehensum, appellatur ad finem hujus primi versiculi *verbum*, seu *sermo vitæ*. Etenim certum est eundem Apostolum in initio historiæ suæ Euangelicæ, Jesum ipsum Christum, verbum seu sermonem appellasse, & quidem tale verbum, seu sermonem, in quo esset vita, quod nemo non videt idem esse, ac si illum sermonem vitæ appellasset, ut hic scriptum legimus. Hæc ratio non videtur habere tale pondus, ut propter illam statuere debeamus, id quod isti statuunt, cum certum sit ex altera parte, non minus ipsum Christi Euangelium, quam Christum, Sermonem vitæ merito appellari posse, & quidem, quod attinet ad ipsam sermonis appellationem, magis proprie quam ipsum Christum.

Sed habent isti aliam rationem, quæ videtur esse majoris momenti, quod scilicet Apostolus hic diserte non tantum dicit, istud, de quo quid sit disputamus, auditum à se fuisse; sed addit, fuisse ipsis oculis visum atque spectatum, & ipsis manibus contrectatum, quæ non videntur ullo modo accommodari posse, nisi ad personam aliquam; aut certe videtur, non posse ea accommodari ad sermonem; & consequenter, cum necesse esse videatur hoc loco, vel ipsum sermonem, vel sermonis auctorem intelligere, & sic, ut dictum est ab initio, vel ipsum Euangelium, vel Christum Jesum, concludendum plane est, quando ad Euangelium ista accommodari nequeunt, Jesum ipsum Christum hic significari.

Hæc ratio quamvis satis speciosa sit, tamen facile dissolvi potest, si consideraverimus, nihil prohibere quominus Johannes ut rei certam scientiam declararet, hisce metaphoris videndi & contrectandi, oculis ipsis & manibus, usum fuisse; quemadmodum nemo ignorat, istis metaphoris in ipso quotidiano sermone, ad rei certitudinem probandam, frequenter locum dari.

Altera porro sententia, quod scilicet Euangelium Jesu Christi, non autem ipse Christus Jesus hic significetur, quam nos veriorem esse arbitramur, unica ratione videtur posse satis defendi, ac constabiliri, quod videlicet hic Apostolus non fuerit usus genere masculino, sed neutro, ita ut constare videatur, ipsum non quidem personam sed rem intellexisse. Legimus quidem in annotationibus Bezæ, quiddam ab ipso allatum ad demonstrandum, cur neutro potius quam masculino genere, sit Johannes usus, quamvis, ut ipse Beza credit, ipsum nihilominus Christum Jesum intellexerit; verum id, iis verbis ab ipso dictum est, ut nondum à nobis satis intelligi potuerit, & propterea ei responsionem accommodare in præsentia non possumus, quam-

vis certi nobis esse videamur, id non tanti esse, ut accurata responsione indigeat.

Statuo igitur Johannem verbis istis primis suæ Epistolæ, *Quod erat ab initio*, intelligere, ipsum Christi Euangelium. Nunc videndum est, quæ sit propria significatio istarum vocum, *Ab initio*, & cur non potius, *in initio* Apostolus dixerit, quemadmodum fecit in Euangelii sui exordio, cum de Christo, sub Sermonis, seu verbi nomine loquutus est. Hujus diversitatis causa esse videtur diversa quædam significatio, quæ bene intellecta, videtur simul declarare, quamvis ibi Apostolus de ipso Christo egerit, tamen concludi merito posse, eundem hic de Euangelio agere. Quandoquidem voces, *in initio*, & sic *fuisse in initio*, declarant quidem ipsam existentiam in ipso principio, sed non tamen simul durationem, usque ad tempus illud, quo istud profertur. Quare Johannes, cum in Euangelii sui exordio, id tantum dicere vellet, Jesum Christum esse Euangelii auctorem, & sic ipso Euangelii publicati initio, non modo extitisse, sed hoc munere, illud annunciandi præditum fuisse, eique singulariter à Deo præpositum, satis habuit dicere, eum in initio fuisse. Cum non haberet, eo quidem in loco, opus dicere, illum sive simpliciter, & absolute, sive quatenus tali munere præditum, adhuc durare, quamvis alioquin ista & verissima atque certissima sint. At vero hoc in loco, cum ostendere vellet, id quod ipse intelligebat, non tantum in initio fuisse, sed adhuc durare, & hac re omnino illi opus esset, ad ea scribenda, ac persuadenda, quæ hac Epistola complecti decreverat; propterea, non *in initio* id fuisse dixit; sed *ab initio*, cum scilicet significare vellet Jesu Christi Euangelium adhuc durare, & sic doctrinam Euangelicam, quæ in ipso initio renovationis, ac reformationis cujusdam, mundi, à Deo facta extiterat, nulla prorsus ex parte defecisse. Sic igitur ordinanda sunt contextus verba, quemadmodum à Syriaco interprete factum arbitramur, ut voces illæ *de verbo vitæ*, censeantur tanquam ab initio dictæ: hoc nimirum pacto (sumendo interim verbum principale hujus periodi quod extat demum versiculo tertio) *annunciamus vobis de sermone vitæ*, id est, *id quod ad sermonem vitæ pertinet, quodque erat ab initio, & videlicet adhuc durat, nempe quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, quodque ipsæ manus nostræ contrectaverunt*. Ubi animadvertendum est, artificium hujus scriptoris, in augendo perpetuo, id quod fidem facit certæ scientiæ, quam ipse hujus rei haberet, nempe veritatis Euangelicæ. Primo enim loco, dicit *se audivisse*, quod in testimoniis minus est, aut esse censetur, quam vidisse, & idcirco addit secundo loco, *se vidisse oculis suis*, at rursus minus est vidisse, quam spectasse, seu contemplatum esse; propterea tertio loco subjungit, *se spectasse*, sed quia præterea, plus etiam quam spectasse est contrectavisse, idcirco quarto loco tandem addit, *se manibus suis contrectavisse*. Quanta autem sit certitudo ex ipsa contrectatione, major quam aspectu & contemplatione, ostendit ipse Christus, cum ad certam fidem faciendam suæ resurrectionis, quamvis ipsius Apostoli, eum & aspiciendi, & contemplandi facultatem, abunde habuissent, atque haberent; hoc non contentus, monuit illos ut se tangerent, ac contrectarent, quo certius agnoscerent se verum habere corpus, nec spectrum aliquod, aut purum spiritum esse Luc.24.39. Joh.20.27. Ex quo etiam factum est, ut quidam ex iis, qui credunt Apostolum hoc loco de ipso Christo loqui, putent id, quod hic de contrectatione dicitur, ad istum in Euangelio ejusdem Johannis locum, omnino respicere.

Vers.2. Versiculus secundus, quemadmodum à Beza factum est, debet totus parenthesi includi, & initium versiculi tertii, cum fine primi, conjungi, ut jam satis ostendimus; cum in ipso demum tertio versiculo, docuimus esse verbum, quod principale Grammatici vocant. Hujus autem parenthesis initium, quamvis ibi sit simplex copula, potest tamen ex proprietate linguæ Hebraicæ, legi cum voce *Nam*, loco copulæ, id quod Beza quoque observavit, hoc nimirum pacto: *Nam vita manifestata est*, &c. Complectitur autem hæc parenthesis præstantiam summam ejus rei, quam se certam habere Apostolus profitetur, inquiens, *Et vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam*. Nihil enim annunciari potest humano generi præstantius ipsa vita æterna. Immo, omnia alia bona, quæ illi proponantur, cum hoc comparata nihili esse censenda sunt. Mentionem quidem vitæ, quæ contineatur re ista quam annunciat, fecerat Johannes in ipso primo versiculo; sed æternitatis nihil aperte meminerat, & propterea hic diserte, cum excellentiam rei summam, ut diximus, ostendere vellet, non satis habuit in secundo hoc versiculo, *vitam* dicere, sed addidit, *æternam, quæ*, inquit, *erat apud patrem, & manifestata est nobis*. Quibus verbis rationem reddit, cur dicat se illam *annuntiare*; quia scilicet antehac esset res non patefacta, sed tantum ipsi Deo nota, qui illa homines sibi obedientes donare decreverat. Unde satis constat, quemadmodum & ex aliis locis similibus, qui inferius in hac eadem epistola habentur, vitam æternam non fuisse in Veteri Testamento patefactam seu promissam.

Vers. 3. Absoluta parenthesi, quia ea aliquantulo longior fuit, continuans Apostolus cæptum antea sermonem, resumit verba quædam, & ait, *Quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum*. Istud, *Habeatis nobiscum communionem*, non debet ita accipi, ut intelligatur de communione, quæ sit futura inter eos, ad quos scribitur, & eum qui scribit. Manifeste enim, ut verba quæ statim subjicit Apostolus, demonstrant, intelligi debet istud, de communione cum patre, nempe Deo, & filio ejus: ita ut illud *nobiscum*, significet idem ac si dixisset, *sicut nos habemus*, id quod etiam satis indicatur, ex vocula *Et*, quæ posita est ante vocem Vos, *ut* & *vos*, id est, Non nos solum, sed vos etiam nobiscum eam communionem cum patre & filio habeatis. Et sane verba illa, *communio autem nostra*, &c. sine ullo dubio ita accipi debent, ac si dictum fuisset, Communio autem nostra de qua loquimur, & quam dicimus nos habere, & curare ut eandem & vos habeatis, est cum patre & filio ipsius Jesu Christo.

In his porro verbis, *Communio nostra*, &c. notandum est, in Græco ad verbum sic haberi, *Et communio autem nostra*. Quod voluimus monere, propter locum ubi idem loquendi modus habetur apud hunc ipsum scriptorem verba Christi referentem cap.6 sui Euangelii ℣.51. ubi ad hunc modum ex Græco legitur, *Et panis autem quem ego dabo caro mea est*, &c. Sunt enim, qui ex eo, quod Christus simplici vocula *autem* non contentus, posuit ab initio horum suorum verborum copulam, *Et*, concludant illum ibi locutum fuisse, de alio genere panis à se dandi, quam loquutus fuisset prius. Quam considerationem inanem esse docet hic locus noster, ubi, si interpretatio nostra, & explicatio verborum Apostoli, vera est, (quemadmodum rationibus à nobis demonstratum esse videtur) satis apparet in tali loquendi modo, copulam istam ab initio positam, esse supervacaneam, & nullo pacto efficere, ut id quod sequitur, aliqua ratione diversa, ab eo, quod antea factum erat, intelligi sive accipi debeat, cum breviter idem sit omnino, ac si simpliciter scriptum esset, *Communio autem nostra*. Quare & in illo altero loco censeri plane debet, idem esse, ac si Christus simpliciter dixisset, *Panis autem quem ego dabo caro mea est*.

Explicatis iis, quæ pertinent ad ipsam verborum constructionem, videndum est, *quid sit ista communio, cum patre & cum filio ejus Jesu Christo*, & nos quidem arbitramur eam dupliciter considerari posse, quatenus videlicet duplici modo, cum Deo & Christo, communionem seu societatem ac participationem habere possumus, atque adeo ut habeamus necesse est, alteraque ex altera necessario pendet. Prior modus erit, participare Dei & Christi sanctitatem, id est, innocentiam ac puritatem. Posterior vero erit, participare Dei & Christi immortalitatem ac felicitatem. Modus prior communionis istius jam reipsa existebat, quod attinebat ad eum qui

istam

istam Epistolam scripsit. Posterior vero ejusdem etiam respectu, licet reipsa nondum existeret, certa tamen spe in ipso erat. Quare cum dicat se ideo annunciare iis ad quos scribit, id quod viderat & audiverat, ut ipsi una secum haberent communionem, cum patre & filio ejus Jesu Christo, sine dubio aliud nihil dicere vult, quam se ad illos scribendo, curare, ut participes fiant divinæ sanctitatis, & consequenter etiam spem concipiant certam beatæ immortalitatis, quam tandem revera omnino adipiscantur.

Vers. 4. Propterea statim subjicit, *Et hoc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Neque enim potest esse plenum gaudium in ullo homine, qui spe immortalitatis destituitur. Jam vero quia (ut paullo ante indicavimus) immortalitas sine præcedente sanctitate haberi, & sic posterior divina participatio, sine priore quæ præcesserit, existere nequit; idcirco Apostoli verba possunt optime accipi in hunc sensum, ut dicere voluerit, *Propterea hæc ad vos scribimus, id est*, vos (id quod deinceps accurate faciet) *ad veram sanctitatem hortamur, ut beatam immortalitatem consequamini, & sic nunc quidem ob spem firmam; postea vero ob certam possessionem hujus summi boni, gaudium vestrum sit plenum, atque absolutum.* Videntur enim omnino verba ista, *Et hæc scribimus vobis*, non proprie ad præcedentia, sed ad sequentia referri debere, & esse pars quasi proœmii cujusdam, ac propositionis totius Epistolæ, quod proœmium ac propositio hucusque duret, videlicet usque ad initium quinti versiculi. Videtur enim plane sentiendum, in isto versiculo quinto incipere Apostolum exponere, ea quæ in animo habebat hac Epistola sua nota facere, & monere eos ad quos scribebat.

Vers. 5. Itaque pro exequutione ejus, quod brevissime antea proposuerat, primum dicit, *annunciationem quam audiverat à Deo & Christo, esse hanc, quod Deus lux est*, &c. Ac si diceret, Dixi vobis, nos audivisse, & quæ audivimus, velle vobis annunciare. Sciatis igitur primum & ante omnia nos audivisse, idque vobis nunc annunciare, quod Deus est lux, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Animadvertendum est autem, quamvis Latina vulgata editio habeat, quemadmodum recitavimus vocem *Annunciationis*: in Græco tamen legi vocem *ἐπαγγελίας*, quæ apud Sacros Scriptores non quidem annunciationem; sed promissionem significat. Nec parum miror Benedictum Ariam Montanum retinuisse vocem annunciationis, quamvis vocabulum istud Græcum minime mutet. Sed & Beza, quamvis eandem lectionem Græcam retineat, *nuncium* tamen, quæ vox idem valet, quod annunciatio, pro Græca voce ponit, inquiens promissionis significationem, hoc loco non convenire: quæ indicant eruditissimos istos viros censuisse, vocem istam Græcam, quamvis proprie promissionem declaret, posse etiam significare annunciationem; quod tamen mihi valde dubium est, præsertim habita ratione usus scriptorum Novi Testamenti. Et quia interim ejusdem sum sententiæ cujus ipsi, quod promissionis nomen hoc loco parum conveniat, nihil dubito, quin ex voce *ἀπαγγελίας*, quæ germana lectio textus Græci sit, mutatio per incuriam sit facta in vocem *ἐπαγγελίας*, per unius literæ commutationem. Nec porro dubitandum ullo modo videtur, quin vetus Interpres Græce legerit *ἀπαγγελία*, quæ proprie *annunciatio* Latine est. Hoc igitur primum eos, ad quos scribit, monet Apostolus, ut sciant per Christi patefactionem, plene rescitum & agnitum fuisse Deum esse lucem, & nullas in eo tenebras inveniri.

Quod quid sit, antequam explicemus, considerandum est, quo referatur pronomen *Eo*, cum dicit, *Quam audivimus ab eo.* Ego quidem, quamvis hujus simplicis relativi usus, apud hunc scriptorem, in hac potissimum Epistola sit varius, atque adeo alicubi incertus, cum modo eum qui proxime nominatus sit, referat, modo eum, qui paullo ante, & alicubi fortasse eum qui admodum procul nominatus fuerit; tamen ut ante tacite indicavimus, crediderim pronomine isto, quamvis numeri singularis, significari & Deum & Christum simul paullo ante nominatos. Atque hujus loquendi modi, ut scilicet Deo & Christo, ante simul nominato subjungatur pronomen istud relativum singulari numero quod utrumque verisimiliter referat, habemus illustre exemplum apud hunc eundem scriptorem, si modo liber ille, ipsum, ut credimus, authorem habet, in Apocal. 22. 3. ubi scriptum est, *Et thronus Dei & Agni in ipsa erit, & servi ejus servient ei, & videbunt faciem ejus*, Ubi nemo non videt, quam commode, quod ad sensum attinet, pronomina *Ei*, & *Ejus*, referre possint, tam Deum, quam Christum proxime simul nominatos, quamvis singulari numero prolata; cujusce usus, quem certum est alibi quoque observari posse, hæc videtur esse caussa, quod tanta est conjunctio inter Deum & Christum, non essentiæ quidem, ut Sophistæ tradunt, sed voluntatis, & rerum aliarum omnium, ut indignum quodammodo visum fuerit Spiritui Sancto, utroque licet diserte nominato, subjicere seu pronomen, seu verbum aliquod quod ad illos referatur, alio numero quam singulari. Et de relativo quidem jam apertum exemplum, præter id quod loco nostro animadverti posset, habuistis, de verbo vero duo exempla apertissima habetis, alterum in priore, alterum in posteriore Epistola ad Thessal. & illud quidem cap. 3. 11. hoc vero cap. 2. 16. & 17. quæ per vos ipsi inspicere poteritis, & id quod affirmamus, verissimum esse deprehendere.

Jam enim veniendum est ad explicationem horum verborum, *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Credimus igitur sensum esse, quod in Deo nihil prorsus sit impuri, sed omnia in illo sint purissima; metaphora sumpta à luce, qua nihil purius excogitari potest, sicut contra tenebræ impuritatem maximam continere videntur, licet non tam proprie ut lux puritatem continet. Cujus lucis apta pro hoc sensu translatio, aptam etiam facit translationem sui termini contrarii, & emendat quodammodo, quidquid in ea ad aptam translationem conficiendam requiri posse videatur. Illud certissimum est, hac eadem translatione lucis & tenebrarum, ad significandam puritatem, seu probitatem; & impuritatem seu malitiam, quamvis aliter videri possit, usum fuisse Spiritum Sanctum, ut cap. 5. ad Ephes. 8. ubi scriptum est, *Eratis enim ante tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Et in Epist. priore ad Thessalon. similiter cap. 5. 5. scriptum est, *Omnes vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.* Quamvis enim in utroque istorum locorum, possint metaphoræ istæ lucis & tenebrarum accommodari ad scientiam & ignorationem, & ego ipse fatear, utrobique Apostolum Paulum istarum rerum rationem habuisse; verisimile tamen mihi fit, ipsum præcipue rationem habuisse puritatis atque impuritatis, seu probitatis & malitiæ. Illud certum est in loco nostro, vix ullo pacto defendi posse, Johannem in duplici ista translatione rationem habuisse scientiæ & ignorantiæ. Nihil enim, judicio meo, ad propositum sive scopum loquutus fuisset, si dicere voluisset, Deum scientissimum esse, & nihil prorsus ignorare. Sed etiam alibi translatio lucis eo modo usurpata, qui multis in locis Novi Testamenti reperitur, non videtur posse accommodari ad scientiam significandam, & necesse videtur per eam significari probitatem, ut Luc. 16. 8. ubi ait Christus, *prudentiores esse filios hujus seculi, quam filios lucis.* Cum enim isto in loco lux opponatur huic seculo id est mundo, de quo (ut infra videbimus) Johannes ait, eum totum in malo, seu maligno positum esse, verisimile est lucis nomine probitatem significari, & aliud nihil Christum ibi dicere voluisse, quam homines improbos, prudentiores, id est, cautiores, & astutiores esse, quam probos: quemadmodum enim improbitatem, astutia; sic probitatem simplicitas comitari videtur. Est tamen animadvertendum, cum dicimus in hac translatione lucis & tenebrarum tunc cum hominibus accomodatur, significari potissimum probitatem & improbitatem, nos eam probitatem & improbitatem præcipue intelligere, quæ talis est, secundum præscripta Euangelii; quandoquidem

ut de probitate nunc nihil dicamus, de qua idem aliqua ratione affirmari posse non dubitamus, certissimum est, non pauca ex Euangelii præscripto, improba censenda esse, quæ tamen alioquin ab improbitate longe abesse censentur, & porro absunt, si vel ipsum jus gentium, vel etiam Legis Mosaicæ præscriptiones attendantur. Attulit enim Euangelium una cum vitæ æternæ annunciatione, cognitionem quandam singularem, ipsiusque Euangelii propriam, probitatis & improbitatis. Unde id fit, quod ante indicavimus, ut in prædicta translatione lucis & tenebrarum, habeatur ratio sæpe ignorantiæ & scientiæ, attributa luce, id est scientia, Euangelio; tenebris vero, id est ignorantia attributa, vel Legi Mosaicæ, vel ei statui in quo erat fere mundus universus ante publicatum Euangelium: quæ tamen attributio tacite potius quam aperte fit, & interim tamen, ut supra diximus, potissima in tali translatione ratio habetur prædictæ probitatis & improbitatis. Ad cujus rei declarationem quædam adhuc dicenda restant, quæ reservabimus ad explicationem ℣f.8, & deinceps cap. sequentis.

Nunc ad ipsam rem nostram redeamus. Primo igitur loco monet Apostolus eos, ad quos scribit, à Deo & Christo, id est à Deo per Christum, annunciatum, id est declaratum fuisse, Deum esse ipsam puritatem, & nihil impuri in eo reperiri. Quæ monitio, prima fronte videtur esse & supervacanea, & continens in se falsitatem quandam, quatenus scilicet ea docere videtur, illud prius non fuisse cognitum: cum tamen satis apertum videatur, id semper apud omnes, qui Dei unius creatoris cœli & terræ opinione imbuti fuere, constitisse, in ipso Deo nihil impuritatis inveniri posse. Ad hanc objectionem refellendam, videtur esse necesse ad id confugere, quod verissimum est, & à nobis paullo ante indicatum, videlicet sub Euangelio, multo majorem puritatem à Deo requisitam fuisse, quam antea requireretur: immo fuisse patefactum, quædam debere censeri plane impura quæ antea pura censeri poterant. Et sic vere dicitur, per Christum patefactum a Deo fuisse, quod antea scilicet ignotum erat, in Deo ipso nullam prorsus esse impuritatem, id est, multa Deo non placere, ipsique esse impura, quæ vix ullus impura esse animadvertere possit, nec quicquam esse, quod ratione ulla, vel subtilissima quidem, & acutissima statui possit, non esse purum; seu vel minima quidem ex parte impuritatis & pravitatis particeps, quod Deus sub ipsius Christi regno, ullo pacto approbet, & non potius penitus abominetur.

Vers.6. Quare brevissima ista metaphora, ac monitione, quod Deus sit lux, quodque in eo nullæ sint tenebræ, hocque demum per Christum annunciatum fuerit, comprehensa atque exposita, transit Apostolus ad monendum, quod hinc consequatur pertinens ad mores, & vitam nostram, & ait, *Si dixerimus, quod communionem habemus cum ipso, &c.* Quæ verba antequam explicemus, notandum est, quod numerus pluralis, quo ante hæc verba perpetuo usus est Apostolus in prima persona, & consequenter de seipso loquens, potest quidem ita accipi, ut tali numero multitudinis intelligatur secum conjungere alios præcipuos quosdam Christi discipulos, qui tum temporis cum ipso essent. Quamvis enim inferius proximo cap. singulari numero, cum de seipso loquitur, usus esse inveniatur; Nihil tamen prohibet, quominus non suo nomine tantum, sed aliorum quoque Epistolam hanc scripserit. Nam hoc idem à Paulo, in quibusdam ex suis Epistolis, factum fuisse certum est. Verumtamen cum nullus alius usquam aperte ab ipso nominatus fuerit, quod tamen à Paulo factum est in prædictis suis Epistolis, nihil impedit, quominus censeamus ipsum numero plurali pro singulari usum fuisse. Id enim non semel alibi in Sacris Literis fieri contingit. Hoc autem voluimus monere propterea, quod in iis etiam verbis, quæ nobis nunc explicanda sunt, & in sequentibus, plurali numero utitur, diversa admodum ratione, quam usus fuerat prius. Cum hic jam incipiat, tali numero multitudinis, non seipsum tantum, nec una secum alios quosdam, qui cum ipso essent; sed omnes, ad quos Euangelii cognitio pervenisset, intelligere. Jam igitur, quod ait, *Si dixerimus quod communionem habemus cum Deo, & interim in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem,* significat, neminem posse jactare, se quidquam, cum Deo commune habere, qui in peccatis maneat, quæ peccata tenebras appellat. Nam certe, si in Deo nullæ tales sunt tenebræ, ut antea affirmavit, id est, nullum peccatum est, quod Deus non abominetur, consequitur necessario, eum qui in peccatis maneat, longe à Dei communione, & societate omni abesse.

Is porro loquendi modus, qui in his verbis extat, *non facimus veritatem*, qui sine dubio ex Hebraica Lingua sumptus est, quamvis ejus sensus satis constare videatur, tamen varie ab explanatoribus accipitur. Nos, ne aliorum sententias, quæ minus nobis placent, sine necessitate ulla refellamus, arbitramur idem esse, *Non facimus veritatem*, quod *non recte agimus*. Quem sensum, tali loquendi modo subesse, deprehenditur facile ex plerisque locis, in quibus, in scriptis Veteris Fœderis, talis loquutio reperitur. Ut exempli causa Ezech.18.9. Itaque Johannes hic aliud nihil vult dicere, nisi quod hi, qui ita se gerunt, prave ac perverse faciunt.

Vers.7. Et statim subjungit, *Si autem in luce ambulamus, quemadmodum ipse*, id est Deus, *est in luce, communionem habemus ad invicem*, hoc est mutuam. Jam, si ambulare in tenebris, est in peccatis manere, necessarium est, ut *Ambulare in luce* sit à peccatis alienum esse, & vitæ sanctimonia esse præditum. Dicit autem Deum esse in luce, eo sensu, qui jam indicatus est, & congruit cum eo, quem modo diximus. Vult enim dicere Deum Sanctum esse, & omnis sanctitatis hominibus auctorem; & sic hæc sententia congruit cum ea quam habemus in priore Petri Epistola cap.1.15, ubi Apostolus monet, debere nos esse sanctos in omni conversatione, quemadmodum is sanctus est qui nos vocavit: & ad id confirmandum ait, scriptum esse, sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Quod quidem Levit. cap.11 44, & 45, & cap. 19.2, & cap. 20.26, & alibi fortasse in eodem libro scriptum est. Quod non leviter est notandum, ut incitemur quam vehementissime ad vitæ sanctitatem, quando Deus, qui ipsa sanctitas est, nobis hac in re imitandus proponitur.

Jam illud, *communionem habemus mutuam*, quamvis verba ista, præsertim ut leguntur in Græco contextu, possint ita accipi, ut significent communionem quæ fit inter ipsos Christianos, tamen certum est, hic non de tali communione verba fieri; sed de ea quam quilibet Christianus habeat cum ipso Deo. Satis enim manifestam antithesin hæc verba continent ejus quod ante fuerat dictum, de communione, quæ nulla sit ei homini cum Deo, qui in peccatis maneat. Quemadmodum manifeste id quod de ambulando in luce hic dicitur, opponitur ei quod proxime dictum fuerat de ambulando in tenebris. Itaque concludit Apostolus, eum demum habere cum Deo communionem qui sanctitate morum ac puritate sit præditus.

Atque illico subjungit, *Et sanguis Jesu Christi filii ejus mundat nos ab omni peccato.* Diximus in disputatione nostra de Servatore, eorum verborum sensum esse, quod sanguis Christi testetur ac confirmet nobis esse remissa omnia peccata nostra, id quod & verissimum est, & loco illi ubi ista scripsimus, valde accommodatum. Tametsi censemus, sine ulla jactura, seu diminutione sensus istius, posse alio quodam modo accipi locum istum, ut scilicet Christi sanguis, significet metonymice ipsum Novum Fœdus, nobiscum à Deo sancitum, quia videlicet id Christi sanguine confirmatum fuerit. Nam eadem ratione cum majore etiam figura verborum dicitur à Petro, in initio fere suæ prioris Epistolæ, eos ad quos scribit secundum Dei prænotionem, id est electionem, fuisse sanctificatos spiritu, ut obedirent, & aspergerentur sanguine Christi. Quod aliud nihil est, quam istos electos fuisse à Deo, ut Jesu Christi Fœderis essent participes, & ita obediendo vitam æternam consequerentur, qua remissio omnium peccatorum vera atque absoluta continetur,

quæ

quæ à Deo in fœdere nobiscum per JesumChristum sancito,& ejus sanguine confirmato,promissa est. Quemadmodum autem Petrus,obedientiam cum aspersione sanguinis Jesu Christi coojungit, aperte satis hoc pacto docens,non posse quemquam istius fœderis esse participem, nisi obediat: Unumquemque autem qui obedierit,omnino ejus participem fore; Sic Johannes conjungit ambulare in luce, cum purificatione ab omnibus peccatis per fœdus istud. Quandoquidem hoc loco purificatio, seu purgatio à peccatis, aliud nihil significar, quam liberationem à pœnis peccatorum. Atque hac ratione docet alteram rem sine altera esse non posse. Neque enim de similitudine maxima,quod ad sententiam attinet, inter utraque verba duorum istorumApostolorum dubitari potest, quia non eodem modo loquantur, & præsertim, quia quod Petrus obedientiam appellat, Johannes ambulare in luce oominet.Cum enim (ut dictum fuir,)ambulare in luce apud Johannem, sit in peccatis non manere & recte agere,nemo non videt hoc idem esse cum obedientia.

Ex hac autem utriusque Apostoli doctrina, præsertim vero ita exposita, ut à Johanne factum est, satis constat, quantopere fallantur ii,qui bona opera nostra, ad nos justificandos,oihil pertinere arbitrantur, & justificationem quandam somniant,quæ jam existat,antequam quidquam boni ab eo fiat,qui ea sit præditus. Illud certum est,in his verbis,mentem Johannis fuisse,monere illos ad quos scribebat, ne putarent, se fore particeps novi fœderis, & remissionis peccarorum, nisi in luce amhularent.

Hactenus est illud,quod primo loco voluir Johanoes hac in Epistola docere. Ex quo cum manifesre appareat illum asserere,eos ad quos scribebat reos fuisse peccatorum,propterea illa subjungit quæ statim sequuntur,& id, quod diximus eum aperte indicasse, clarius confirmat, acsi diceret,Nolite mirari,me,non solum vos, sed etiam meipsum vobiscum reos peccati esse, meis verhis complexum esse,& simul cum ambulatione in luce, istum peccarorum reatum conjunxisse. Nam si dixerimus, quod peccatum non habemus, certo scitote, quod nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.

Vers.8. Ex hac nostra verborum Apostoli explanatione statim constare potest, quid apud nos sit *habere peccatum*,quod hic legitur, nempe *reum esse peccati*, quamvis aliter plerique ac fere omnes sentiant, & credanr *habere peccatum* significare ipsum Peccare,adeo ut Apostolus dicere voluerit, omnino Christianos, & se uoa cum illis, nunquam liberos esse à peccando; sed sæpe atque identidem peccare.Non animadvertentes interim,quod quemadmodum, quamvis videantur hæc duo simul stare non posse,in luce ambulare,id est,ut antea docuimus,à peccatis alienum esse,vitęq; sanctimonia esse prędirum,& peccatum habere;tamē,si peccatum habere significet reum esse peccati,nihil contrarii inter ista duo deptehenditur: cū ambulare in luce teferatur ad tempus præsens; reum vero esse peccati,quod attinet ad ipsum perpetratum peccatum,possit referri ad tempus præteritum. Sic contra,cum sæpe atque identidem peccare ad tempus præsens omnino referatur, nullo pacto vitari potest aut negari, quin inter hoc, & ambulare in luce, sit manifesta contrarietas,& sic, quin habere peccatum, quod Christianis Johannes tribuit,nullo pacto significet, sæpe atque identidem peccare, cum iisdem Christianis Johannes tribuat, ambulare in luce. Verum hac ratione, licet ea videatur satis recte conclusa, contenti esse nolumus; sed ex aliis locis, ubi phrasis ista, *habendi peccatum*, in ipso Novo Testamento legitur,ostendere,ejus significationem eam esse,quam diximus. Primum igitur apud hunc eundem scriptorem,ad finem noni capitis Euangelii ejus, legimus scriptum ad hunc modum, *Et audierunt ex Pharisæis hæc qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Num quid & nos cæci sumus? Dixit eis Jesus, si cæci essetis, non haberetis peccatum nunc vero dicitis, quia videmus, igitur peccatum vestrum manet.* Cum Christus dicat illos non habituros peccatum si coeci essent; Satis apparet, *Habere peccatum*, non significare ipsum peccare. Nam ignorantia non efficit quo minus peccet, sed tantum peccatum levius facit, ut apparet ex iis quæ scripta sunt Num.15. cap.22. nam ibi manifeste Deus per Mosen distinguit inter peccatum per ignorantiam admissum, & peccatum per superhiam id est, prudenter ac scienter factum. Et quamvis peccatum per ignorantiam remissibile (ut sic loquar) esse constituat, cum illud alterum irremissibile quodammodo faciat; tamen expiationem constituit, qua debeat ipsum peccatum per ignorantiam, auferri, & sic apertissimum est, ignorantiam non esse caussam, ut quis ita non peccet ut expiatione indigeat. Propterea cum Christus subjungit per antithesin, manere peccatum Pharisæorum, quia dicerent se non esse cœcos, cum *Manere peccatum* omnino sit peccati reatum durare, & non auferri, sequitur ut id cui hoc opponitur, id est non habere peccatum, sit peccati reatum non manere, hoc est etiamsi peccetur, peccatum istud remitti, & apud Deum suam expiationem habere. Jam apud eundem scriptorem, idem Christus cap.15.22. sic ait, *Si non venissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quis hic non videt opponi, Habere excusationem de suo peccato, ei, quod est babere peccatum. Atqui si Habere peccatum, esset peccare; Habere excusationem de peccaro suo, non posset illi opponi. Nam is, qui de suo peccato excusationem haber, sine dubio peccat. Necesse est igitur, ut habere peccatum, sit, Esse peccati plane reum, quod commodissime opponitur excusarioni, quam quis habeat de peccato. Nam qui talem excusationem habet, is licet peccaverit, peccati tamen pœnas noo dat, & sic non plane peccati reus est. Sed mox etiam ℣.24. ubi eadem loquutio habendi peccatum extat, satis potest animadverti ejus significatiooem esse quam diximus, diceote ibi Christo: *Si opera non fecissem meis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Neque enim verum est, si Christus inter illos de quibus loquitur ejusmodi tam mira & inaudita opera noo fecisset, eos futuros sine peccato, quatenus scilicet ei fidem non adhibebant, immo illum, ut ipse statim subjungit, & una cum ipso Deum odio prosequebanrur. Neque enim necessarium erat, ad constituendum quod illi peccarent, ut talia opera Christus faceret; sed necessarium erat ad id efficiendum ut ipsi plane peccati rei manerent, nec ulla remissione digni essent, tale quid sane requirebatur, quod illos inexcusabiles redderet. Videtis igitur loquutionem istam habendi peccatum, quam à suo magistro & Servatore mutuatus est Johannes, sicut apud ipsum magistrum significat, peccati plane reum esse; sic necesse esse apud discipulum hoc idem significare. Est autem præterea apud aliumSacrumScriptorem inNovo Testamento loquutio, quæ eadem plane est, cum ista habendi peccatum;ex qua similiter apparet hujus loquutionis eam vim esse, quam asseveramus. Jacobus enim ad finem cap.4. suæ Epistolæ sic scriptum reliquit, *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum ipsi est.* Nemo siquidem ignorat alicui esse peccatum, idem esse, quod aliquem habere peccatum,idque in omni lingua; sed præcipue in lingua Hebraica, cujus idiotismi permulti in Novo Testamento extant; quæ, cum ipsum verbum *habendi* (ni fallor) non habeat, cogitur ad istum modum loqui, ut dicat Est mihi boc, pro, ego hoc habeo. Jam vero bene locum perpendenti apparet, apud Jacohum istud Habere peccatum, significare,non peccare modo, sed peccati plane reum esse, proptet eam rationem quam supra attulimus, quod ad efficiendum ut quis peccet non requiritur scientia, quæ tamen requirirur ad efficiendum, ut quis peccati sit plane reus. Nam Jacobus in eo quod quis sciar ac noverit bonum facere caussam sine dubio ponit,cur si noo fecerit ille peccatum habear. Sed jam ad verba Johannis tedeamus. Posset enim quis dicere, Quomodo statuere possumus, in loco nostro, peccatum habere id significare quod dixisti, cum manifeste appareat istos,id est, se, & alios qui Jesu Christi Euangelio erant assensi, quos Johannes dicit habere peccatum, ab eodem dici purgari ab omni peccato per sanguinem Christi, quomodo inquam sunt isti peccati

plana rei, si peccata omnia illis condonantur. Animadvertendum est, Apostolum rem considerare per seipsā, seposita ingente atque admirabili Dei gratia quam per Christum ostendit. Nam si quis ita rem consideret, necesse est ut fateatur peccata quæ à Christianis admissa sunt antequam ad Christum converterentur, esse ejusmodi bona ex parte, quæ per superbiam, ut scriptura loquitur, facta esse dici merito possint, & propterea secundum regulam expressam prædicto cap.15. Numerorum, talia quæ sui natura irremissibilia censeri debeant. Huc igitur respiciens Apostolus, non dubitavit affirmare, se & alios esse plane peccati reos, quamvis proxime dixisset, Si in luce ambularent, purgari eos ab omni peccato per Christi sanguinem.

Vers.9. Subjungit Johannes, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut dimittat nobis peccata, & purget nos ab omni iniquitate.* Opponit confiteri peccata sua, ei quod dixerat, dicere se peccatum non habere cui confessioni nimis multum videtur tribuere. Parum enim verisimile videtur, ut per simplicem confessionem sui peccati consequatur quis à Deo ipsius peccati veniam, cum certum sit aliud præterea requiri ad veniam suorum peccatorum consequendam. Et tamen alibi quoque videtur idem, aut fere idem scriptum inveniri ut Psal.32.5, ubi scriptum est, *Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam. Confitebor defectiones meas Jehovæ, & tu sustulisti pœnam peccati mei maxime.* Quare concludendum est verbum *Confitendi*, hisce in locis, multo majorem vim habere quam præ se ferat, & significare interiorem illam ac profundam suorum peccatorum agnitionem, cum dicitur, *Si confessi fuerimus peccata nostra*, ex qua necessario consequatur resipiscentia, & ipsorum peccatorum abjectio & plena depositio. Dicit autem Johannes, ut ostendat Deum, ad istum modum peccata confitenti, ipsa peccata condonaturum, illum esse fidelem ac justum.

Fidelem enim appellat quia servet promissum suum, quod in Novo Fœdere nobiscum fecit, remittendi peccata cuicumque resipiscenti.

Justum vero vocat, quia justum est ut promissa serventur, *ut*, inquit, *dimittat nobis peccata.* Modus iste loquendi est communis etiam ipsi linguæ Latinæ, in qua recte dicitur, ille est sapiens (exempli causa) ut hoc intelligat. Id est, ex ipsius sapientia fit, ut hoc percipiat. Sic, *fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata*, idem est, atque ex fidelitate & justitia ejus fiet, ut nobis peccata remittat.

Et purget, inquit, *nos ab omni iniquitate.* Ubi Hebraica dicendi consuetudine, *iniquitatis* nomine intelligit pœnam peccati Neque enim, ut supra attigimus, toto hoc capite quæ dicuntur de ablatione seu purificatione peccatorum, de ipsis peccatis, sed de peccatorum pœnis intelligenda sunt. Est autem observandum id quod alibi monuimus, Apostolum hic purificationem peccatorum nostrorum, quam ante Christi sanguini tribuerat, ipsi Deo tribuere, quod solum videtur satis esse posse, ad ostendendum, Christi sanguinem purgare peccata nostra ratione admodum diversa ab ea quæ vulgo creditur. Creditur enim vulgo per satisfactionem pro ipsis peccatis nostris à sanguine Christi istud præstari. Certum enim est Deum, cui idem omnino & iisdem verbis tribuitur, peccata nostra non purgare satisfaciendo pro ipsis, sed illa remittendo ac condonando. Nihil autem verius est, quam sicut idem plane utrique hac in re, Deo videlicet & Christo, tribuitur, sic eadem ratione purgari peccata nostra à Christo, qua purgantur à Deo, neque ullam sive in hoc, sive in aliis rebus quibuscumque, ad Christi munus pertinentibus differentiam statui posse inter Deum & Christum, nisi quod Deus in illis ut primaria causa, Christus vero ut secundaria agit & operatur, ut quicquid Christus efficit, id Deus per ipsum Christum efficiat.

Vers.10. Pergit Apostolus in instituta commemoratione status in quo eramus ante Christum cognitum, quod attinet ad peccata quæ in nobis essent; de qua re agendi quam caussam, ex præcipua hujus loci monitione sua, habuerit, jam ante explicatum est. Itaque ait, *Si dixerimus quod non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Ex hoc, quod Apostolus utitur hic verbo præteriti temporis: inquiens, *quod non peccavimus*, concludunt quidam ipsum superius non de præteritis peccatis in verbis illis, *Si dixerimus quod peccatum non habemus*, sed de præsentibus loqui, id est, de iis quæ ab hominibus ad Christum conversis identidem fiant: Nam alioqui ajunt bis idem, eodem fere in loco, sine ulla necessitate Apostolus dixisset. Hæc ratiocinatio si admittatur, convellit id quod superius statuimus de significatione istius locutionis, *habere peccatum.* Verum quominus illa admittatur causæ sunt duæ, cum nec assumptio, nec consequutio istius argumentationis quicquam soliditatis habeat. Et ut prius de consequutione agamus, quæ est, re ipsa indignum videri debere, quod Apostolus idem brevi verborum spatio repetat; dicimus, huic scriptori, repetitiones, easque paucis verbis comprehensas, adeo familiares esse, ut concludi debeat, nihil contra ipsius dignitatem statui, si statuatur illum brevi verborum circuitu idem repetiisse. Quod autem attinet ad assumptionem, quæ revera hoc ipsum est, scilicet illum hic idem repetiisse quod paullo ante dixerat, si videlicet velimus illum ante de præteritis peccatis loqutum fuisse; non est temere admittenda, immo verisimile est, quamvis utrobique de præteritis peccatis loquatur, diversum tamen quid dixisse in posteriore loco ab eo quod in priore dixerat. Potest enim id quod priore loco concluserat, Nos habere peccatum, quamvis significet nos peccati plane reos esse, respectu illius temporis quod conversionem ad Christum præcessit, potest, inquam, nihilominus istud ita accipi, ut nequaquam ex eo concludatur, nos ante Christum cognitum in peccatis mansisse, & peccatores plane fuisse, quamvis id alioqui verissimum sit; sed satis est ad sensum quem nos modo expressimus, & loquutioni isti *habendi peccatum* à nobis tribuitur, si, antequam Christum cognosceremus, peccata aliqua gravia, quæ expiationem non haberent ante Christum exhibitum, aut certe expiata non fuissent, commiserimus, id quod Apostolus animadvertens, ut expressius id, quod in animo habebat, moneret atque doceret, nos scilicet ante Christum cognitum in peccatis mansisse, & peccatores merito appellari potuisse, non contentus dixisse, nos habere peccatum, ait, Nos peccasse. Quandoquidem, ut mox in explicando initio sequentis capitis demonstrabimus, utitur hic scriptor peccandi simplici verbo, cum significatione manendi in peccatis, seu habitum quendam peccati habendi. Itaque perinde est, ac si diserte dixisset; Non solum autem gravia aliqua peccata, antequam Christo fidem adhiberemus, commisimus: verum etiam plane peccatores fuimus: quod si, inquit, negaverimus, mendacem ipsum Deum facimus. Apparet omnino Apostolum sensisse, grandem injuriam Deo à nobis fieri, si negaverimus, nos ante Christum cognitum peccatores fuisse. Nulla enim Deo, qui ipsa veritas est, & mendacii osor, ac vindex acerrimus, major injuria fieri potest, quam ipsum mendacem facere. Sed præterea alia summa injuria, præter jam expositam, hac in re Deo fit, quam statim exponemus, si prius dixerimus, quomodo Deus à nobis mendax fiat, si negemus nos peccatores fuisse. Propterea enim id negando, mendacem illum facimus, quia ille per ipsum Christum, & per alios, quos spiritu suo afflaverat, professus est, se per Filium peccata nostra delenda curasse, Christumque apparuisse, ut peccata nostra tolleret; ut quisque potest ex variis divinis testimoniis cum Veteris tum Novi Testamenti aperte intelligere, & vel ex eo sic rem se habere nihil dubitare, quod novum fœdus, & sic totum id quod Deus per Christum fecit, remissione peccatorum, & iniquitatum nostrarum continetur, Jerem.31. Heb.8. Sed inter alia loca, in quibus divinum testimonium extat, quod ante Christum exhibitum, plane peccatores essemus, insignia sunt illa verba Pauli Apostoli ad Rom cap.5.8. ubi sic legimus: *Commendat autem suam in nos charitatem Deus, quod cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Et ver-

Et versiculo 6. dixerat, *Christum, cum adhuc infirmi essemus, suo tempore pro impiis mortuum fuisse.* Unde videtur Apostolus adeo nos peccatores pronunciare ante Christi adventum, ut etiam impios appellare non dubitet. Jam prædicto ℣f.8. una cum priore causa, cur Deus injuria afficiatur, si negaverimus nos peccatores fuisse, quia scilicet id Deus per ipsum Paulum, quem Spiritu Sancto afflaverat, diserte profiteatur, conjuncta est causa posterior, quam nondum exposuimus, id est, quod hac ratione Deo adimimus eam laudem, quæ illi propter hoc debetur, quod adeo nos amaverit, ut voluerit Christum pro nobis, quamvis peccatoribus, mori. Manifeste enim ex Pauli verbis apparet hac in re maxima Dei charitas erga nos, & simul apparere videtur, quod Deus istud à nobis agnosci omnino velit; quod sane etiam alioqui per se ipsum plane est verisimile. Non mirum igitur si Johannes videtur valde urgere, ne audeamus negare nos in peccatis mansisse, & peccatores plane fuisse, cum ex hoc duplex ista tantaque injuria in Deum redundet.

Sed addit præterea ad nos deterrendos quominus istud negemus, *Quod si negaverimus*, certum erit *verbum ipsius Dei in nobis non habitare*, sive potius *non esse*, ut proprie ejus verba sonant. Idem est enim apud hunc scriptorem, in ejusmodi loquendi modis *esse*, quod *habitare* seu *manere*, ut apparet ex ℣f.5. & 6. capitis sequentis, ubi scriptum est, *In hoc cognoscimus quod in ipso sumus: qui dicit se in eo manere, debet* &c. Ubi, quemadmodum suo loco videbimus, satis apparet, *esse*, & *manere*, eadem significatione accipi, & unum atque idem declarare. Jam, quid appellet Johannes hoc loco *verbum Dei*, inter explanatores parum constare videtur, nec desunt qui credant Apostolum appellatione ista significare ipsum Christum, quod tamen nos admittere non possumus, quamvis enim certum sit, apud hunc eundem scriptorem Christum simplici *verbi* nomine alibi significari, & alicubi dici nomen ejus esse Verbum Dei, nempe Apoc.19 tamen non credendum, cum hic, & ante, & post diserte cum Christum vult significare, ipsum Jesum Christum nominet, voluisse ambigua & figurata hac appellatione nunc illum nominare.

Restat igitur ut de ipso Dei verbo seu sermone, vel proprie, vel alia ratione figurate Apostolus hic loquatur. Sunt autem qui pro voce *verbi*, doctrinæ vocem hoc loco reponi posse doceant, id quod non videtur plane rejiciendum; sed tamen videtur *doctrinæ* vox aliquanto angustioris significationis, quam videatur debere statui, esse vocis *verbi* significationem hoc in loco. Videtur enim omnino, Apostolum voce ista voluisse significare quicquid nobis Deus patefecit, præsertim vero per Christum. Atqui nomen doctrinæ Dei non omnia ista significare seu complecti videtur. Putamus igitur sententiam Apostoli esse, eos qui negant se fuisse peccatores, non habere sensum eorum quæ à Deo nobis potissimum per Christum revelata sunt. Nam cur hoc dicat, vel ex iis quæ paullo ante diximus, explicando, cur, quemadmodum ipse Apostolus ait, qui istud negant, Deum faciant mendacem, satis vel intelligi, vel saltem conjici potest; & est sane ut antea diximus, hoc, quod hic Aopstolus ait, valde aptum ad hominem deterrendum ne istud neget, hominem, inquam, qui Christianum se esse profiteatur, ut ii profitebantur ad quos Apostolus scribit. Quid enim Christiano homine indignius, quam non habere sensum eorum quæ per Christum nobis sunt à Deo patefacta? Quemadmodum ex altera parte dignus laude is est, qui una cum professione Christiani nominis conjunctum habeat verum sensum rerum istarum: & propterea scriptor noster capite sequenti ℣f.14. ait se scripsisse juvenibus, quod fortes essent, & verbum Dei maneret in ipsis, nimirum enim hæc duo, quæ juvenibus istis Apostolus tribuit, ad eorum laudem spectare, nemo est qui dubitare possit.

Est autem animadvertendum, quod in hac ipsa loquutione hic utitur verbo *Esse*, ibi vero verbo *Manere*. Unde videtur aperte confirmari, id quod modo dicebamus, de eadem significatione utriusque hujus verbi in loquutione ista: nisi quis velit dicere, propterea Apostolum hoc loco eo verbo uti voluisse, quod minus significat; cum satis sit ad indignitatem, de qua diximus, ostendendam, si Dei verbum non sit in eo qui Christianum se esse profiteatur; immo tanto major indignitas rei appareat, quanto minor, id est facilior, quæ habeatur, ea res est qua aliquem carere constat. Hæc ideo dicimus, quia *esse in aliquo*, minus esse videtur, quam *in aliquo manere*, & facilius illud quam hoc haberi posse. Propterea igitur hoc loco non manendi, sed essendi verbo, uti voluisse Apostolum non immerito fortasse quis dixerit, & negare, eos, qui non agnoscant se peccatores fuisse, esse ullo modo participes divini verbi, quo ab isto negando nos magis deterreret. At vero cum voluit ad juvenes illos scribendo eos laudare, verbo Manendi, quod plus significare videtur, & habitationem quandam perpetuam atque interiorem rei, de qua agitur, in aliquo significare, ipsum uti voluisse, cum hac ratione vere à se illos laudari aperte constaret. Nos tamen, hac consideratione non obstante, non recedimus à priore sententia, quod scilicet utrumque verbum idem utrobique significet. Sed jam explicationem secundi capitis accedamus.

CAPUT II.

Vers.1. POstquam Apostolus id exposuit, quod primo loco sibi scribendum ad istos putavit, qui Christi nomen profitebantur, & quod ejus occasione illi explicandum fuit, explicavit; incipit hic aperte afferre rationem suæ monitionis, quæ prima ista re à se scripta continetur, cum tamen satis alioqui posset ex ipsa monitione constare, in quem finem ea ab ipso scripta fuisset, ut mox explicabimus. Ait igitur, *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis*, id est: Quod vobis annunciavi, Deum esse lucem, & nullas in ipso esse tenebras, & quicumque in luce ambulat, communionem habere cum Deo, & Christi sanguinem illum purificare ab omni peccato, ideo annunciavi, ut non peccetis.

Verbum *peccandi*, ut ante attigimus, usurpatur ab hoc scriptore cum significatione *manendi in peccato*, ut patet ex iis quæ scribit infra cap 3.6, & cap.5.18. In priore enim loco dicit, eum qui manet in Christo non peccare. In altero vero ait, eum qui natus sit ex Deo, similiter non peccare. Immo quod plus est ℣f.9. prædicti tertii capitis ait, eum, qui ex Deo sit genitus, non posse peccare, quod nemo non videt significare, eum, qui possit vitam æternam à Deo sperare, quod proprium est filiorum ejus, sive eorum, qui ex ipso sint geniti, non posse manere in peccatis. Nam alioqui, si verbum *peccandi*, ut videri potest, & porro significandi vim habet, significaret, Aliquod peccatum committere, id est, actum aliquem peccandi facere, sequeretur, nullum qui vitam æternam sperare possit, in actum ullum peccandi incidere. Quod quidem senserunt multi antiquioribus temporibus, & hodie quoque quidam sentiunt. Atqui hoc est adversus regulam quandam à Paulo Apostolo propositam capite 8. ad Romanos ab ipso initio, quod scilicet ii, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant, nulli condemnationi sint obnoxii. Neque enim unus peccandi actus efficere potest, quin merito dici queat, aliquem non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulare. Sed non apud hunc scriptorem tantum, sed etiam apud alios in ipso Novo Testamento sæpe peccandi verbum, non quidem unum aliquem actum peccati habere, sed habitu, vel assuetudine aliqua peccandi esse præditum, omnino significat: ut apud Paulum cap.2. Epist. ad Roman. ℣f.12. ubi ait, eos, qui sine lege peccaverint, sine lege perituros, ubi sine ullo dubio verbum *peccaverint*, non significat, in aliquem peccandi actum incidisse, sed habitum aliquem vel assuetudinem peccandi habuisse. Auctor etiam ad Heb. cap.3.17. ait, Deum per quadraginta annos iis infensum fuisse qui peccaverant, id est, non quidem iis, qui aliquem peccandi actum admiserant, sed qui inobedientes & contumaces adversus ipsum Deum in deserto fuerant, ut ex ipso loco,

ipſaque Sacra Hiſtoria liquido apparet: Addo præterea, adeo verum eſſe, *peccandi* verbum iſta ſignificatione in peccatis manendi uſurpari, ut, niſi vehementer fallor, raro aliter uſurpetur, raroque aliter accipiendum ſit, cum ſimpliciter, ut hic factum eſt, & indefinite profertur. Quare meritò concludere poſſumus, vulgatam explicationem hujus loci noſtri nullo pacto probandam eſſe, ut ſcilicet Apoſtolus dicere voluerit, ſe ideo iſta illis ſcribere, ne ullum peccatum admittant: ſed neceſſe eſt intelligere, eum voluiſſe dicere, ſe iſta ſcribendo curare, ne in peccatis maneant. Id quod etiam colligitur ex ipſa præcedente monitione, ex qua diximus ſatis conſtare illius cauſam finalem, dum ſcilicet Apoſtolus iſtos, ad quos ſcribit, monet non obſcure, ut in luce ambulent. Apparet enim, quicquid ille primo iſto loco ſuæ Epiſtolæ monere voluit, huc tendere, ut illi, ad quos ſcribit, ambulent in luce, id eſt, ut antea explicavimus, recte ſe gerant, & ſic habitus quoſdam virtutum Chriſtianarum habeant, neque enim non habet quis habitus Chriſtianarum virtutum, vel eos, habere definit, quod unum aliquod peccatum, id eſt peccandi actum, interdum admittat.

Vocat autem eos, ad quos ſcribit, *filios ſuos*, quemadmodum veriſimile eſt, quia eos in Chriſto genuiſſet; aut certe hac appellatione inſignem erga illos amorem ſuum oſtendere voluit, cum nullus major ſit amor eo, quo pater filium proſequitur; & interim hac ratione benevolos eos ſibi reddit; & cavet ne turbentur, ſi iſta ad illos ſcribit. Quandoquidem id, quod ait, ſe iſta ſcribere, ne in peccatis maneant, videtur indicare, illum ſuſpicatum fuiſſe, ne in peccatis manerent aut plerique aut aliqui ſaltem ex ipſis. Jam cauſa iſta, cur ad illos ea ſcribat, quæ ſuperiore capite continentur, ab ipſomet Apoſtolo allata, videretur ſola per ſe expoſita indicare, quodammodo actum eſſe de iis, qui inter iſtos, ad quos ſcribit, in peccatis manerent.

Quapropter ne id ipſi ita cogitent, neve deſperent, ſtatim ſubjungit: *Et ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum*, & cætera quæ ſtatim addit. Quorum ſenſus cum præcedentibus junctus is eſt, quod, etiamſi res indigna plane ſit, ut, qui Chriſto nomen dederint, in peccatis maneant: tamen non debere eos, qui tales ſunt, animum deſpondere, ſcientes quod, quandocunque ad eum ſtatum perveniant, ut in peccatis minime maneant, futurum eſt, ut omnia delicta illis condonentur, & gratiæ Dei plane fiant participes. Quod autem hic ſit ſenſus reipſa verborum Apoſtoli, quamvis id per ſe ſatis conſtare poſſit: tamen paullo poſt ea diligentius explanando apertum facere conabimur.

Interim animadvertendum eſt, neceſſe eſſe, ut, quando Apoſtolus ita ſimpliciter & ſine ulla reſtrictione ſeu exceptione, & ſine ulla denique hæſitatione illud affirmat, quod modo diximus, cum mentionem facit eorum, qui peccaverint, id eſt, ut explicavimus, in peccatis manſerint, eos intelligat, qui nunquam, etiamſi Chriſto nomen dederant, vitam emendaverant, & in peccatis manere pergebant. Si enim tales fuiſſent, qui per Chriſti agnitionem vitam emendaſſent, & peccata reliquiſſent, non potuiſſet Apoſtolus ita libere & aſſeveranter affirmare, eos poſſe fieri nihilominus participes remiſſionis peccatorum & gratiæ Dei. Eſt enim quaſi regula quædam tradita ab auctore Epiſtolæ ad Hebr. paullo poſt initium capitis ſexti: Quod, qui guſtaverunt Dei dona, & participes Spiritus Sancti ſunt facti, guſtum denique habuerunt futuræ vitæ, ii, ſi prolabantur, id eſt, ad priſtina peccata revertantur, non poſſint renovari ad pœnitentiam. Atqui nemo poteſt per Chriſti agnitionem peccatis ſuis valedicere, quin guſtum iſtum rerum divinarum habeat. Tametſi enim iſtud, quod ſcriptor ille ait, non poſſe fieri, ut iſti renoventur ad pœnitentiam, non ita intelligendum eſt, quaſi id nullo prorſus pacto fieri queat: tamen certum eſt, id ſaltem voluiſſe eum dicere, quod iſta renovatio ad pœnitentiam ejuſmodi hominibus non ſit prompta & facilis; immo ne in ipſorum quidem poteſtate poſita; ſed tota ſit in manu Dei. Atqui modus loquendi, quo Johannes hic utitur, docet, remiſſionem peccatorum, & conſequenter vitæ emendationem & renovationem, ad gratiam Dei participandam iſtis, de quibus loquitur, eſſe promptam & facilem. Ergo, ut jam diximus, neceſſe eſt ut non loquatur de ejuſmodi hominibus, qui jam vitam ſecundum præcepta Chriſti emendaſſent, & denuo ad priſtina peccata reverſi fuerint.

Ex hac interpretatione noſtra, quod ſcilicet Apoſtolus loquens de iis qui in peccatis maneant, eos non intelligat qui jam vitam emendaſſent, ſequitur, verba illa, *Et ſi quis peccaverit*, quemadmodum quidem Græci ſermonis proprietas fert, debere paullo aliter legi, & pro *peccaverit*, ſubſtituendum eſſe *peccat*, aut ſaltem *peccet*. Eſt enim, ſi Græca verba inſpiciamus, eadem phraſis cum illa, quæ hic ℣.3 habetur, cum ait, *In hoc cognoſcimus, quod cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus*. Nam, *ſi mandata ejus obſervemus*, non idem certe valet in loco iſto, quod, *Si mandata ejus obſervaverimus*: ſed *obſervemus*, ſubjunctivo modo elatum, idem pollet quod *obſervamus*, indicativo modo dictum. Neque enim vult dicere iſtic Apoſtolus, neque id ejus verba præſenti & præterito tempore proxime elata ullo modo ferunt, nos noſſe, quod cognovimus Chriſtum, ſi eveniet, ſed ſi jam evenit, ut ſervemus ejus, præcepta. Sic igitur & hic non eſt cenſendum, ut vox *peccaverit*, omnino ferre videtur, eum voluiſſe dicere, ſi evenerit, ut is, qui jam peccata reliquerat, & ſancte vivebat, cum hæc ſcriberet, denuo peccatis ſe involvat, fore ut nihilominus expientur peccata ipſius. Sed jam explicemus diligentius verba, quibus Apoſtolus ſententiam ſuam, quam expoſuimus, complecti ac ſignificare voluit.

Si quis igitur, ait, peccat, id eſt, poſt Chriſtum agnitum & profeſſionem nominis ipſius, quibus rebus præditi erant omnes ii, ad quos ſcripſit, adhuc in peccatis manet, nec dum reſipuit, is ſciat, ſe adhuc eſſe in tempore, ut expiationem ſuorum peccatorum poſſit adipiſci, quod explicat his verbis, *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum. Et ipſe expiatio eſt pro peccatis noſtris, &c.* Utitur verbo pluralis numeri, & prima perſona, dicens *habemus*, quo videtur ſeipſum etiam complecti. Non quod revera ipſe eſſet unus ex illis, qui adhuc peccarent: ſed ut melius indicet, id, quod affirmat, pertinere ad omnes quibus Euangelium annunciatum eſt, inter quos & ipſe erat, quamvis alioqui ad numerum iſtorum peccantium, id eſt, in peccatis adhuc manentium, nullo modo pertineret. Id quod ab aliis pleriſque non animadverſum, fuit, niſi fallor, potiſſima cauſa, ut verba illa, *ſi quis peccaverit*, ſeu, ut proprie verbum Græcum ſonat, *peccet*, ita interpretati fuerint, ut Apoſtolus de peccatis agat, quæ ab ipſis regeneratis interdum committantur, & porro ab ipſo Johanne committebantur. Quod, ut ex iis, quæ ante diſputavimus, intelligi poteſt, nullo pacto eſt admittendum. Præſertim cum iſti ſentiant, ab ipſis etiam regeneratis non procul abeſſe, ut in peccatis maneant. Quemadmodum ſane neceſſarium eſt ſentire, ſi quidem ea, quæ in Epiſtola ad Rom. cap.7, Paulus videtur ſibi ipſi tribuere, ita ſint accipienda, ut revera ſibi regenerato cuncta tribuat, quemadmodum plerique iſtorum locum iſtum interpretantur. Id quod aperte monere volui, præcipue propter verbum *peccandi*, quo utitur hic Johannes, cujus ſignificationem à nobis expoſitam ac demonſtratam poterunt iſti admittere, & eo magis interpretatione ſua hujus loci veritatem pervertere, & occaſionem dare Chriſtum profitentibus in peccatis manendi. Nam tanto magis nobis eſt laborandum, ut oſtendamus, Apoſtolum loqui de iis, qui nondum reſipuerint, nec unquam, licet Chriſtum fuerint profeſſi, peccatis valedixerint. Quanquam hoc non ſatis eſt ad iſtorum falſam hujus loci interpretationem oſtendendam, niſi illud addatur, quod non modo aliunde, ſed ex ipſius Apoſtoli verbis, & paullo ante ſcriptis, & quæ mox ſequuntur, aperte colligitur, nempe, eos, qui in peccatis manent, nullo pacto habere communionem cum Chriſto, & ſic regeneratos nequaquam eſſe.

Vox παράκλητος Græca, quæ reddita est *advocati* voce, reddi etiam poterat voce *consolatoris*. Utrocumque modo reddatur, idem erit sensus, qui exprimitur verbis illis, *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Quibus significatur, cura & ope Jesu Christi fieri, ut nos liberi simus à pœnis peccatorum nostrorum, & ab illa ira, quam Deus in peccatores effundit & effusurus est. Nam & Paulus Apostolus Rom.5 dicit, nos servatum iri ab ira per filium Dei, & 1 Thes.1 ait, Dei filium nos liberare à ventura ira. Ubi animadvertendum est, tam hic, quam in istis duobus aliis locis, hunc effectum expiandi peccata nostra, & ab ira, quæ in peccatores exercetur, nos liberandi, Christo tribui jam à mortuis excitato, & quatenus à mortuis est excitatus, ut circumstantiæ ipsorum locorum aperte docent. In utroque quidem Pauli testimonio fit mentio ipsius filii Dei, vel vivi, postquam fuerit mortuus; vel, quod idem est, à Deo ex mortuis excitati. Quinetiam in loco ad Romanos opponitur Christus vivens, seu vita ipsius, ejusdem morti. Unde apparet manifeste, quidquid illi eo in loco tribuitur, non habere rationem ipsius Christi mortis, sed tantum vitæ, quæ post ipsam est consequuta.

Hic porro apud Johannem fit diserte mentio, quod Christus sit consolator vel advocatus noster apud patrem. Ex quibus verbis videtur posse omnino concludi, eum considerari tanquam apud patrem manentem, ad quem scilicet, ut ipse apud hunc eundem scriptorem ait Joh.16.28, debuisse evenire, ex mundo redierit, vel, si mavis, sese contulerit. Jam vero ex eo, quod hic Christo tribuitur, sequitur necessario, nos magnam consolationem accipere, nosque ipsum Christum habere patronum ac defensorem nostrum. Unde apparet, posse utramque significationem nominis Græci *paracleti*, nempe tam consolatoris quam advocati hic locum habere.

Verumtamen magis placet id, quod reliquis etiam magis placuisse videmus, ut significatio vocis *advocati* retineatur, si modo utraque simul retineri nequeat. Etenim verba illa *apud patrem*, videntur habere vim quandam significandi, præter mansionem Christi apud Patrem suum, quodammodo effectum quendam à Christo procedentem, qui versetur circa ipsius Patrem, quatenus videlicet Christus efficit, ne, ut dictum est, Pater iram suam, quam in peccatores effundit, in nos effundat: non quidem quia ipsum revera placet, & ex severo mitem reddat: sed tantum quia potestatem habet removendi ab hominibus, qui resipuerint, & in ipsum crediderint, omnes pœnas, quæ alioquin ipsorum peccatis, in quibus manere solebant, infligerentur. Sunt enim modi isti loquendi, quod Christus sit advocatus noster, quod sit Sacerdos noster æternus, & hæc munera nunc in cœlo existens perpetuò exerceat, quemadmodum, sicut hic de advocati officio, sic de Sacerdotis munere in Epistola ad Heb. multis in locis satis aperte scriptum legimus, & ex tota ipsa Epistola clarissime intelligitur: Sunt, inquam, modi isti loquendi de Christo, non minus quam is qui Rom.8, & Hebr.7 extat, quod scilicet Christus oret seu interpellet pro nobis, non proprii revera, sed figurati, quibus Dei patris prærogativa, & supra ipsum Christum auctoritas & eminentia, & interim summa Christi potestas, & cura liberandi nos à pœnis peccatorum declaratur, & quasi ob oculos ponitur. Qua de re alibi à nobis dictum est satis.

Appellat autem Johannes Christum *justum*, dum ei hoc tribuit, quod expiet peccata nostra; ob id, quod sit fidelis & verax (qui sunt effectus præcipui justitiæ ac rectitudinis) quatenus videlicet id præstat, quod promisit cum adhuc in mundo esset, se scilicet suis adfuturum, Mat.28.20. Joh.14.13, 14, 18, 21, & 23, hacque ratione verbis suis ac promisso testimonium apertum dat veritatis, & quatenus in munere sibi à Patre demandato, quod totum, quod attinet ad beneficium aliquod inde proficiscens, nos spectat, fideliter omnino se gerit. Nam quod quidam simpliciter justi appellationem, quam hic Johannes Christo tribuit, accipientes, dixerunt, hoc ideo ab ipso factum fuisse, ut ostenderet, illum Deo charum esse & gratum, ut scilicet inde posset colligi, ipsum impetrare quidquid à Patre petit, non satis convenire videtur appellationi *advocati*. Neque enim advocatus orat, seu rogat, proprie loquendo, sed causam rei apud judicem agit, & iis, quæ à se proferuntur, audet efficere, ne judex reum condemnet, sed illum absolvat. Quanquam enim hæc, quod ad Christum attinet & nos, figurate, ut modo dicebamus, accipienda sunt, tamen requirunt, ut, si quid aliud interim, dum hæc dicuntur, Christo tribuitur, id ab isto figurato loquendi modo nihil absit, sed cum eo prorsus conveniat.

Vers.2. Est etiam considerandum, quid proprie sibi velit vox Græca ἱλασμὸς, quæ *propitiatio* à vetere interprete hoc loco est reddita. Sunt enim qui voce ista, aut simili non bene intellecta, sibi propter ipsam omnino persuadeant, Christum, si aliud nihil amplius hac in re præstet, saltem id præstare, quod nobis Deum placatum ac propitium reddat. Nam sententiam hanc nimis quam à veritate abhorrere, abunde ostensum est à nobis in disputatione nostra de Christo Servatore. Quare sciendum est, vocem istam Græcam, & similes, seu verba sint, seu nomina, non habere, præsertim in Sacris Literis, significationem *placandi*, & ex irato mitem reddendi, seu tantummodo declarandi, quod pertinet ad pœnas peccatorum, ejus animum, cujus est eas sumere atque repetere, mitem atque pacatum; & declarandi, fore ut peccata meritas pœnas non luant: quemadmodum hoc in loco evenit, ubi propterea dicitur Christus esse propitiatio pro peccatis nostris, quia videlicet id præstet, ut peccata nostra nequaquam, prout commerita sunt, puniantur.

Postquam Apostolus explicavit effectum advocationis (ut sic loquar) Christi pro nobis apud Patrem, qui est, quod peccata nostra, id est, nos propter ipsa debitas pœnas non subeamus; subjungit statim, Christum non modo pro peccatis ipsius, qui scribebat, & illorum, ad quos scribebat, esse propitiationem, sed etiam pro peccatis totius mundi. In quibus verbis explicandis admodum se torquent ii, qui putant, Christum revera non pro omnibus esse mortuum; sed tantum pro quibusdam, quos Deus omnino & infallibiliter salvos facere decrevit, & sic de ipsorum peccatis pœnas non sumere: adeo ut quidam istorum sic sentientium non veriti sint dicere, *totius mundi* nomine, hoc loco, istos omnino servandos, quos ipsi electos appellant, significari; alii vero, cum hoc nimis absurdum illis esse videretur, quippe quod mundi vox nusquam inveniatur electos istos significare, sed potius eos qui illis ex diametro opponuntur, dixerunt, totius mundi nomine declarari quodlibet genus hominum, id est, non esse nationem ullam, non sexum, non gradum, non conditionem, quæ sit in humano genere expers expiationis peccatorum à Christo, ut illi volunt, jam in cruce peractæ. Atqui statuendum est omnino, verba ista Apostoli accipienda esse in eum sensum, qui ab ipso sono verborum non plane abludat: is autem est, ut plerique tamen animadvertisse videntur, Christum paratum esse ut omnium peccata expiet, id est, pœnas eis debitas ab illis avertat; modo videlicet illi ad ipsum Christum convertantur, & ipsius fiant. Est vero notandum verba Græca posse ita accipi, ut Latine reddantur, non *Totius mundi*, ut factum est, & quidem fieri recte potuit, sed *Toto mundo*: quod videtur magis adhuc ipsis verbis convenire, cum non sit expressa vox *peccatis*, quam in superiore interpretatione necesse est tacite ex præcedentibus repetere. Quanquam cum neque etiam proxime ante ea vox repetita fuerit, sed dictum simpliciter sit *nostris*, statuendum est, & hic, quemadmodum & ibi, eam subaudiri debere, & sic non *Toto mundo*, sed *Totius mundi*, ut factum est, omnino verba Græca reddenda esse. Est præterea notandum, in omnibus tribus locis, ubi in hac periodo præpositio *pro* legitur, Græce esse præpositionem περὶ, quæ proprie Latinam præpositionem *de*, sonat. Est enim hic satis frequens usus hujus particulæ Græcæ apud sacros scriptores, ut scilicet *pro* significet, præcipue cum de peccatis agitur.

Vers.3. Sequitur apud scriptorem nostrum: *Et in hoc*

hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. His verbis, & iis quæ statim subjiciuntur, aliquo modo exprimitur id, quod ante tacite subaudiendum est. Neque enim simpliciter est verum, Christum expiare peccata illorum, qui ipsius nomen profitentur, quales erant ii ad quos Johannes scribit, & multo minus illorum, qui nondum ipsum sint professi, quos Johannes intelligit nomine totius mundi: cum sine dubio tum demum Christus alicujus peccata expiet, id est, eum à pœnis peccatorum liberum reddat, si is per ipsius Christi agnitionem, una cum professione nominis ejus, à peccando cesset, & consequenter Christi mandata observet. Hinc apparet, quomodo verba, quæ modo recitavimus, cum superioribus connectuntur, quod alioqui deprehendere non parum difficile videtur. Perinde est enim ac si Johannes dixisset: Nolite mirari, si, quemadmodum ab ipso initio aperte factum à me est, ita & nunc tacite feci, requiratur à me in eo, qui communionem habere debeat cum Deo, & cum filio ejus, & particeps esse expiationis peccatorum, quæ per Christum fit, ut in luce ambulet, id est, recte se gerat, & ipsius Christi præcepta faciat. Nam certum, est non posse à nobis Christum cognosci, & sic neque Deum, qui non aliter quam per Christum cognosci potest, nisi ipsius Christi præcepta servemus. Quod amplius confirmando addit:

Vers.4. *Qui dicit novi eum, & præcepta ipsius non servat, mendax est, & in hoc veritas non est*. Id, quod hoc loco Apostolus docet, tradit etiam inferius alibi, non uno in loco, quemadmodum Deo dante videbimus. Nempe non posse cognitionem, seu Dei, seu Christi, in homine illo inveniri, qui divina præcepta non custodiat, quive in peccatis ullo modo maneat. Quod si is, qui non servat præcepta Christi, ipsum Christum non cognoscit, certe neque expiationis per Christum peractæ est particeps. Hac enim ratione, ni fallor, tacite Apostolus ratiocinatur, & ad eum modum, quem jam exposuimus, quæ hic dicit, cum superioribus connectit. Adeo autem verum est, Deum aut Christum non cognosci ab illis, qui ipsius præcepta non servant, ut non paucis in locis Scripturæ S. *cognoscere Deum* idem plane pollere videatur, quod Deo obedire. Collegimus aliquot ejusmodi loca in responsione illa nostra ad scrupulos, ad ipsum primum scrupulum respondentes; & alii etiam ex nostris, in suis scriptis ejusmodi testimonia attulerunt, ad probandum, cognitionem illam Dei & Christi, quam ipse Christus in precatione sua ad Patrem dicit esse vitam æternam, id est, per eam nobis vitam æternam dari, aliud nihil esse, quam Dei per Christum voluntatem nosse, eique obtemperare.

Cur autem factum sit, ut cognitionis Dei nomine intelligatur potissimum obedientia voluntatis ejus, videtur sane inquirendum esse: præsertim cum alicubi scriptum legatur, quosdam Deum cognovisse, qui tamen illius voluntati non paruerunt, ut cap. 1. Epist. ad Rom. ỳſ.21, ubi etiam dicitur, ejusmodi homines, propter cognitionem istam esse inexcusabiles. Est igitur animadvertendum, quemadmodum, ni fallor, à plerisque aliis animadversum est, esse cognitionem quandam Dei imperfectiorem, quandam vero perfectiorem. Imperfectior non potest per se homini eas vires tribuere, quæ requiruntur ad obedientiam divinorum præceptorum, quamvis ex altera parte eum inexcusabilem reddat, si tali obedientia careat.

Hujusce rei totius, quæ videtur quodammodo sibi ipsi adversari, causa est, quod, ut quis Deo obediendi vires habeat, necesse est ut cognoscat, se fore felicem, si id faciat, & sic ut norit, sibique persuadeat, si non penitus, saltem aliqua ratione, Deum præmio se digno affecturum illos, qui ipsi obedierint. Jam, ut hoc quis sibi persuadeat, non satis est, si noverit quænam sit Dei voluntas, quod attinet ad præcepta: sed interim tamen cognita hac voluntate, is qui probus est, facile ista persuasione præmii à Deo sibi obedientibus propositi, imbuitur. Nempe quia præter rationem ipsam, quæ ipsa per se aliquo modo id unumquemque docere videtur, non desunt sacra testimonia, quæ istud confirment. At vero is, qui animi probitate non est præditus, quamvis cognitionem habeat præceptorum Dei, tamen propter animum suum alienum ab obediendo divinis præceptis, nimirum quod ea animum probum prorsus requirant, nec secum ipse cogitat aut ratiocinatur, verisimile esse, quod Deus præcepta sua servantibus præmium aliquod insigne proposuerit, nec divinis testimoniis id vel indicantibus vel etiam asserentibus fidem adhibet, & consequenter, quemadmodum is, qui probus est, spe divini præmii una cum cognitione præceptorum Dei conjungit eorundem obedientiam: sic contra, qui minime est probus, ista præceptorum Dei cognitione abutitur, & illis obedire spernit, quia de divino præmio ei proposito, qui illa servat, persuasionem ob improbitatem suam habere nequit.

Hinc facile cognosci potest, quænam sit altera illa Dei cognitio, quam perfectiorem nominavimus; quæque necesse est ut imperfectiori opponatur; & sic diversos ab illa effectus pariat; id est pro eo, quod imperfectior Dei cognitio non satis est per se ad obedientiam divinis præceptis præstandam, hæc perfectior omnino sit satis. Namque ea aliud nihil est, quam non modo nosse quæ sint Dei præcepta, sed etiam sibi persuadere, præmium ipso Deo dignum à Deo iis esse propositum, qui illa servaverint. Qui enim tali persuasione est præditus, sine dubio pleniorem multo notitiam Dei habet, quam is qui illa caret. Potest etiam citra considerationem præmii, quod Deus sibi obedientibus sit daturus, statui duplex Dei cognitio, altera imperfectior, altera vero perfectior; ita, ut similiter ex perfectiore necessario proficiscatur obedientia divinorum præceptorum; ex imperfectiore vero non item. Nam potest quis ita Deum cognoscere, ut, quam sit dignus ut ametur & colatur eique obediatur, ex admirabilibus ejus proprietatibus plane intelligat; & sic non possit illum non amare, & consequenter colere, eique obedire. Pulchritudo enim cognita, ut omnes Philosophi fatentur atque contendunt, cogit hominem ad eam amandam, & eum, qui ipsa sit præditus; & hæc erit illa perfectior Dei cognitio. Rursus potest quis de Deo talem cognitionem habere, ut interim intellectu suo eo non pertingat, ut comprehendat Dei pulchritudinem atque præstantiam, nisi ex minima aliqua parte; hæcque erit imperfecta Dei cognitio. Certe qui tali tantum cognitione Dei sit præditus, poterit facile eum non amare, nisi admodum leviter, & sic ejus præceptis minime obedire.

Jam vero putamus, primam nostram duplicis Dei cognitionis declarationem, quamvis non ita philosophicam, magis tamen theologicam, id est, divinis oraculis consentientem esse hac posteriore. Divina enim oracula, quod ad Dei cognitionem attinet, hæc duo potissimum urgent, ut cognoscatur quod Deus sit, id est, sit essentia quædam singularissima, quæ divinum imperium sola ex se ipsa in omnes homines habeat, & quod remunerationem sit datura iis hominibus qui ipsi obedierint, ut habetur cap.11. Epist. ad Hebr. Jam illa imperfectior cognitio, quam in priore declaratione nostra diximus esse cognitionem divinorum præceptorum, si recte hoc intelligatur, complectitur istorum duorum, quæ prædicto loco Epist. ad Hebr. dicuntur, unum quidem ferme totum, sed alterum tantum ex parte. Quod enim Deus sit, eo pacto expositum, quo à nobis modo factum est, eo fere continetur, quod præcepta dederit, quæ scilicet servari debeant. Sic enim intelligenda est cognitio ista præceptorum Dei. Namque is, qui hanc cognitionem habet, necesse est ut simul hoc habeat, ut cognoscat Deum esse, & summum divinum imperium in omnes homines habere. Hæc eadem cognitio præceptorum Dei illud continet, quod tacite includitur in posteriore illa re ab auctore Epistolæ ad Hebræos expressa; quodque nos ejus partem, quamvis fortasse minus proprie, paullo ante appellavimus. Hac siquidem re, quod Deus sit remunerator eorum, qui ipsi obe-

obediunt, vel, ut Apostolus loquitur, ipsum quærunt, tacite omnino continetur, quod Deus aliquid præcipiat, vel expresse, aperte nimirum præcepta proponendo; vel tacite, quia videlicet aliis rationibus satis notum faciat, & quodammodo hominis menti insculpat, quid ipse velit, quidve nolit, quæve sint illa (in quibus scilicet voluntas & actio nostra requiratur) quæ illi placeant, quæve displiceant. At vero prior illa huic opposita perfectior notitia, totum illud, quod in prædicto loco ad Hebr. scriptum est, plene ac perfecte continet.

Cum igitur inveniamus sententias de cognitione Dei inter se dissidentes, quatenus scilicet modo dicitur, eos qui Deum norunt, obedientes etiam esse voluntati ejus; modo vero ex altera parte testatum invenimus, quosdam Dei cognitionem habuisse, & ipsi tamen non obedivisse; necesse est, ad ista concilianda omnino affirmare, priorem sententiam de perfectiore Dei cognitione, posteriorem vero de imperfectiore loqui. Et sic habemus, ni fallor, satis explicatum, quantum ad locum nostrum pertinet, quid sit intelligendum nomine cognitionis Christi, quando Apostolus dicit, illum Christi cognitione carere, qui ejus præcepta non servat. Apparet enim ex his, quæ diximus, eum loqui de perfectiore cognitione. Cognitionis autem Christi hic mentionem facit Apostolus, non modo ob eam causam, quæ supra a nobis commemorata & explicata fuit: sed etiam ob hanc, quod ii, ad quos scribit, sine omni dubio Christum se nosse & profitebantur, & credebant. Vult enim eos monere, ne frustra vel temere id faciant; & propterea Christi præcepta servare studeant, quando, si illa non servaverint, non sit cur Christi cognitione præditos se esse vel profiteri, vel credere merito possint.

Vers.5. Et pergens in eodem proposito subjungit statim post verba, quæ postremo supra recitavimus, *Qui autem servat ejus verbum, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Quemadmodum is non novit Christum, qui ejus præcepta non servat: sic qui servat ejus verbum, quod hoc loco idem valet, quod qui servat ejus præcepta, is vere Christum novit: quod istis verbis, *In hoc charitas Dei perfecta est*, tacite comprehendit Apostolus, & interim isti ad hunc modum se gerenti, expressius magnum quiddam tribuit, quod scilicet perfecte Deum amet. Est enim hic charitas Dei non active, ut loquuntur, sed passive intelligenda, ut scilicet non charitatem, qua Deus amat, sed qua amatur, significet. Nemo vero negaverit, vere magnum quiddam hoc esse, Deum perfecte amare, quo continetur perfectior illa Christi cognitio; cujus propterea tacite in his verbis Apostolum facere mentionem modo dicebamus. Neque enim perfecte amare Deum quisquam potest, qui perfectiore Christi cognitione non sit præditus, id est, non noverit quæ sint Christi præcepta, & quantum præmium sint adepturi illi qui ea servaverint. Certum enim est, Dei perfectum amorem, id est quo Deus amatur, eo potissimum, immo integre ac plene contineri, quod quis ejus præcepta servet. Atqui vera Dei præcepta, & in perpetuum servanda humano generi data alia non sunt, quam quæ Christus dedit. Est autem perfectio ista charitatis in Deum, & obedientia præceptorum ejus ita intelligenda, ut non omnino requiratur, ne ei quicquam deesse possit: sed tantum ut ejusmodi sit, qua Deus pro sua ingente erga nos bonitate contentus esse voluit; ita ut lapsus, & ipsa peccata, in quibus quis nullo pacto maneat, non efficiant, quominus quis Christi præcepta, & consequenter ipsius Dei, servare dici possit; & sic, ex testimonio ipsius scriptoris nostri, perfecta erga Deum charitate sit præditus, modo alioquin ita se gerat, ut merito affirmari possit, eum non secundum carnem, sed secundum spiritum incedere.

Cum Apostolus, quemadmodum antea monuimus, de cognitione Christi, non solum ut redderet rationem eorum, quæ prius dixerat, agere voluerit; sed etiam ut eos moneret ad quos scribebat, ne temere aut frustra profiterentur, sibive vendicarent, quod Christum cognoscerent: hujusce rei occasione ad aliud progreditur, quod similiter iidem sine dubio profitebantur. Quod quamvis ex sensu Apostoli idem reipsa sit, aut certe necessario ex eo consequatur, quod quis Christum cognoscat: verisimile tamen est, ex sensu aliorum, ad quos scribebat, utpote in his rebus nondum bene doctorum, aliquid diversum, & non modo amplius, quam sit ipsum Christum cognoscere, sed ejusmodi fuisse, quod non necessario à Christi cognitione proficisceretur.

Illud est *Esse*, sive *Manere* in Christo. Nam verisimile omnino est, istos professos fuisse, se non modo Christi cognitionem habere, quemadmodum professio nominis Christi, qua apparet illos fuisse præditos, necessario fert, seu potius illis ferre videbatur: verum etiam in ipso Christo manere, & communionem cum ipso plane habere.

Itaque ait Apostolus, *In hoc cognoscimus, quod in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, &c.* Ex iis. quæ diximus, constat, nos multo aliter Johannis verba & conjungere & distinguere, quam vulgo ab aliis fiat. Alii siquidem verba ista, *In hoc cognoscimus, quod in ipso sumus*, cum antecedentibus conjungunt, & a subsequentibus plane distinguunt: ita, ut illa tribuant versui quinto, & a statim subsequentibus sumant initium versus sexti; non animadvertentes, quod ante, saltem proxime, nulla mentio facta fuerit (ut sic dicam) essendi in Christo, quemadmodum requirere plane videtur hic modus loquendi, *In hoc cognoscimus, &c.* si verba ista, cum præcedentibus conjungenda essent, & ad ea respicerent, quasi hic Apostolus vellet docere, quomodo fiat, vel potius agnoscatur illud, de quo scilicet antea locutus esset, quod quis in Christo sit. Cum igitur nulla hujusce rei antea sit facta aperta mentio, statuendum est. ab his verbis debere sumi initium novæ sententiæ atque doctrinæ. Quippe quod Apostolus docere velit, unde debeamus cognoscere, an quis in Christo sit, sive maneat, ut videlicet, quemadmodum modo dicebamus, isti, ad quos scribit, in nullo errore circa hanc mansionem in Christo versarentur.

Vers.6. Quod igitur Johannes ait, *Qui dicit, se in ipso manere, debere, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Hoc, inquam, illud est, in quo, id est, ex quo cognoscimus, an in Christo simus; & sic versiculus sextus, ut vulgo contextus divisus fuit, est revera complementum finis versiculi quinti, ubi sermo suspensus adhuc & imperfectus manet. Videmus hic, si explicationem istam, ut necesse videtur, sequi velimus, pro eodem plane sumi, *esse in Christo*, & *manere in Christo*. Quod aliud nihil est, quam plane participem Christi esse, & in ipso non mente tantum & cogitatione versari, sed etiam reipsa, non quidem essentialiter, sed efficaciter.

Verba Græca initii versiculi sexti sic prorsus habent, *dicens in ipso manere.* Ubi sine dubio Latinus sermo requirit, ut addatur pronomen *se*, ut nos ex vulgata editione legimus. Quod est notandum ad alia loca similia, quæ inveniri possint, intelligenda. Est præterea in verbis Græcis ad finem versiculi vocula οὕτως, id est *sic*, sive *ita*, quæ omnino supervacanea videtur, eamque vulgata editio non agnoscit. Est inquam, vocula ista proxime ante ultimum verbum *ambulare*. Jam ipsa Apostoli verba & explicatio, unde cognoscatur, quod in Christo simus sive maneamus, ostendunt, interpretationem nostram hujus loquendi modi esse verissimam. Nam si is, qui merito dici queat in Christo manere, debet ambulare sicut ille ambulavit, certum est, mansionem in Christo contineri, ut quis non solum mente ac cogitatione cum Christo conjungatur, sed etiam factis ipsis: quatenus videlicet ejus facta sint ejusdem qualitatis, cujus fuerunt Christi facta, id est, à spiritu obedientiæ divinorum præceptorum non discrepantia, & breviter ejusmodi, ut, qui iis sit præditus, possit merito dici, non secundum carnem sed secundum spiritum

ritum

ritum ambulare. Hoc est enim (quatenus id necessario ad hoc requiritur, ut quis non injuria dici queat in Christo manere) ita ambulare, ut Christus ambulavit. Unde apparet, quantopere fallantur ii, qui negant Christum revera nobis imitabilem esse; quosque dicere non pudet (ut Covetum non puduit in illa disputatione nostra) obedientiam hominum regeneratorum & verorum Christianorum tam abesse à Christi obedientia atque distare, quam à cœlo terra distat. Sed aliæ adhuc similes sententiæ extant infra io hac eadem Epistola, ut postea videbimus.

Vers. 7. Quoniam vero Apostolus videbatur arduum quiddam ac novum in iis requirere, qui Christi esse velint, & ad eum pertinere, nempe ut ambulent, sicut ille ambulavit, statim subjicit, *Fratres, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio.* Hoc tamen referunt quidam ad sequentia, ubi agitur de fratre odio non habendo, & arbitrantur, id, quod Apostolus dicit, se scribere mandatum vetus, quod isti habuissent ab initio, debere intelligi de præcepto Legis Mosaicæ amandi seu odio non habendi fratrem suum; adeout hinc etiam colligant, hanc Epistolam scriptam esse ad homines Judæos, qui ad Christum conversi fuissent. Verum judicio meo valde falluntur isti. Certe, ut apparet, non parvam vim faciunt ipsi contextui, & verborum ordini, ac denique verbis ipsis. Nam cum Apostolus dicat, se scribere mandatum istud, quod vetus appellat, satis constat, verbum scribendi præsentis temporis non nisi per summam vim posse referri ad id, quod multo inferius scriptum extat; & loquendi consuetudinem ferre, ut potius referatur ad id, quod proxime ante dictum fuit. Denique sensus ipse loci & efficacia quædam, qua requiritur, ne Apostolus insulse quodammodo loquutus fuerit, requirit, ut ista novitas vel vetustas mandati, de qua videlicet videretur posse dubitari, nullo pacto versetur circa præceptum diserte datum in ipsa Lege Mosis, quippe de quo nemo ambigere possit, quin sit vetustum præceptum. Sed id, quod dubium faciebat, erat (ut diximus) præcepti sublimitas ac difficultas. Nam certe ambulare sicut Christus ambulavit, sublime quiddam est, & omnino difficile, homini videlicet nondum per fidem in ipsum Christum regenerato. Igitur non aliter sentiendum est, quam Apostolum voluisse dicere: Ne arbitremini, me vobis quicquam novi præscribere, cum ajo, eum non manere in Christo, qui non ambulat sicut ipse ambulavit. Hoc enim ab ipso initio, quamvis à vobis fortasse non ita bene perceptum, aut memoriæ mandatum, ut debuit, continuit prædicatio Euangelii vobis facta.

Propterea postquam dixit, se scribere mandatum vetus, quod habuissent ab initio, statim subjicit, *Mandatum vetus est verbum, quod audistis ab initio.* Hic loquendi modus videtur esse figuratus, &, ut sic loquar, synecdochicus. Nam si veteris mandati nomine istud intelligit, quod revera mandatum est seu præceptum, ut videlicet quis ambulet, ut Christus ambulavit, videtur hoc non ipsum verbum, verbum, inquam, Euangelii, ut sine dubio hic intelligi debet, non totum nimirum verbum istud, sed partem ejus tantummodo complecti. Quandoquidem Euangelium non præcepta modo sed etiam promissa continet, immo ab ipsis promissis, & bono illo nuncio, quod ipsis continetur, nomen suum habet.

Utitur autem Johannes hic bis isto loquendi modo, *ab initio*, cum ea, ni fallor, significatione, cujus in ipso explicandæ hujus Epistolæ initio mentionem fecimus. Vult enim hoc loquendi modo declarare, & mandatum istud adhuc ab illis haberi, id est, adhuc illis dari, & ipsos adhuc audire verbum Euangelicum, non autem ab initio tantum & mandatum istud illis datum fuisse, & Euangelicum verbum ab ipsis fuisse auditum.

Vulgata editio pro eo, quod ex Græco, ut hodie legitur, in initio hujus versiculi legendum est *Fratres*, habet, *Charissimi*, ut verisimile sit, omnino textum Græcum, quem secutus est Interpres iste, aliam vocem habuisse ab ea, quæ hodie legitur. Et sane ipsa quoque Syriaca editio non *fratres* habet, sed *dilecti mei.*

Vers. 8. Pergit Johannes, & ait: *Iterum mandatum novum scribo vobis, &c.* Dubium est, an hoc affirmet Apostolus de eodem mandato, cujus proxime mentionem fecit; an vero de alio, quod mox subjungat. Mihi quidem verisimilius fit, eum de mandato loqui, quod, etiamsi superiore isto, de quo proxime egit, continetur, tamen quatenus in eo exprimitur, quod prius expressum non fuerat, aliud potest à superiore dici. Arbitror autem mandatum istud novum contineri illis verbis, quæ mox sequuntur:

Tenebræ transeunt, & lumen verum jam lucet. Quæ verba, quia non videntur habere formam præcepti, sed simpliciter enunciativa esse, hinc factum est, ut altera sententia, quod hic appelletur novum mandatum illud idem, de quo superius loquutus est Apostolus, apud quosdam plane obtinuerit, quos sane excusatos haberem, si mandatum istud, de quo proxime egit Apostolus, idem esse crederent, quod nos diximus, nempe, Ambulare, sicut Christus ambulavit. Sed quando illi intelligunt, mandatum istud esse id, quod postmodum indicatur de fratre odio non habendo, non videntur digni excusatione: cum non minus in verbis illis nulla extet præcepti forma, quam hic; nec minus verba illa videantur esse simpliciter enunciativa, quam ista: Sic enim verba habent, *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.* Ubi videtis, quod, quamvis in his verbis, & proxime sequentibus, virtute ipsa contineatur præceptum amandi fratrem: tamen ipsa verba formam præcepti non habent, sed tantummodo quiddam enunciant. Quare mirum videri non debet, si verba illa, *Tenebræ transeunt, & lumen verum jam lucet*, quamvis, quod ad ipsorum formam attinet, mere enunciativa sint, tamen reipsa vim præcepti habent, licet non ita apertam, ut alia ista. De qua præcepti vi oportet nos clarius aliquid hoc loco tradere. Qua de re tamen antequam quicquam dicamus, necesse est statuere, quomodo Apostoli verba legenda, & ex Græco interpretanda sint. Nam si verba ista, *tenebræ transeunt, & lumen verum jam lucet*, ita accipienda sunt, ut vim præcepti habeant, necesse est, ut particula ὅτι Græca, quæ illis antecedit, non sit redditiva rationis, sed tantum declarativa: ita ut recte verti possit cum adjuncta particula Latina *videlicet*, hoc nimirum modo: *videlicet quod tenebræ transeunt, &c.* Ut Castellio vertit, nisi quod majoris elegantiæ gratia, non per vocem *quod*, cum indicativo modo & nominativo casu, sed sine vocula ista per modum infinitivum & casum accusativum locum reddidit. Cujus rei nomine à Beza vehementer accusatur, qui dixit, illum sua ista interpretatione fœde locum istum depravasse. Putat enim Beza omnino, particulam Græcam ὅτι redditivam esse rationis.

Quod tamen ita esse, agnoscere nos nihil cogit. Immo verisimilius multo est, si, ut ipse Beza vult, mandatum istud novum, quod Apostolus se scribere profitetur, nondum expositum ab ipso fuit, sed adhuc exponendum restat; ut verbis, quæ statim sequuntur post professionem istam, ejusque rei confirmationem, quæ continetur verbis illis, *Quod est verum in ipso, & in vobis*, mandatum istud omnino exprimatur. Tantum ostendendum nobis est, verba ista, *Tenebræ transeunt, &c.* vim præcepti habere, quam vim inde sumi dicimus, quia idem est, *Tenebras transire, verumque lumen lucere*, quod, *Jam non esse sectandas tenebras, sed veram lucem.* Quod si Bezæ sententiam sequi velimus, ut Apostolus verbis istis voluerit reddere rationem, cur mandatum, quod intelligit, sit novum, & ita novum, ut & in seipso, & illis novum sit, ad quos scribebat, non satis apparet, quomodo verba ista ejusmodi rationem contineant, nisi fortasse ita verba accipiantur, ac si dictum fuisset,

fuisset, *Hactenus nil nisi tenebræ fuerunt, & nunc demum vera lux apparet.* Id quod si voluisset Apostolus ad hunc modum ut expressimus, efficaciter dicere, ac significare, nulla causa erat, cur non ita loqueretur, ut nos loquuti sumus. Quod cum non fecerit, & sententia, quam modo exposuimus, non nisi per interpretationem quandam ex ejus verbis elici possit, idque non plane necessario, non video cur interpretationem istam Bezæ, & fortasse aliorum, sequi debeamus. Adde, quod, cum Beza sentiat, novum istud mandatum esse fraternam dilectionem, quatenus scilicet id per Christum renovatum fuerit; cum alioqui idem præceptum velit esse vetus, idque ex mente ipsius Apostoli, qui de eodem mandato, considerato videlicet duplici ratione, hoc loco affirmaverit, illud esse & vetus & novum: cum, inquam ita Beza sentiat, non satis apparet, cur ex eo, quod tenebræ tantum antea fuerint, & tum demum, cum Christus apparuit, lux vera apparuerit, sequatur mandatum diligendi fratrem esse novum. Quasi vero illæ tenebræ præcedentes tantæ essent, ut nesciretur ante Christum exhibitum, fratrem diligendum esse. Qua tamen in re ipse Beza nullam inter Vetus & Novum Testamentum differentiam constituit; præsertim quod attinet ad dilectionis intentionem, qua præcipue contineri videtur vis præcepti istius. Nam quod notitia talis præcepti ante Christi adventum fuisset quodammodo obliterata, ita ut illud per Christum renovandum fuerit, nullam verisimilitudinem habet; nec ejus rei idonea ulla testimonia, aut probationes adsunt. Retenta igitur explicatione nostra istorum verborum, *Tenebræ transeunt*, &c. videndum est, quid sibi ea velint quæ proxime antecedunt, & cur Apostoli præceptum, quod verbis istis, ut docuimus, continetur, sit novum.

Verba, quæ proxime præcedunt illa sunt: *Quod est verum in ipso, & in vobis.* Primum igitur relativum *quod* sine dubio refert id, quod proxime dixerat, mandatum videlicet, quod mox expositurus erat, esse novum. Perinde est igitur, ac si Johannes dixisset, Hoc autem, quod dixi, mandatum videlicet quod mox subjiciam, esse novum, est verum & in ipso, & in vobis. Beza interpretatur *in ipso*, id est, *in Christo*, quod videlicet Christus acceperit spiritum sine mensura, unde ad illos spiritus redundarit: cum propterea subjunxerit Apostolus, *& in vobis.* Verum si istud, quod Apostolus dicit esse verum, illud est, quod nos exposuimus, & quod ipse verborum contextus plane fert; non video, quid pertineat ad confirmandum mandatum istud, de quo Apostolus loquitur, (etiamsi illud sit, quod Beza intelligit) esse novum, Christum accepisse spiritum sine mensura. Nihil enim vetat, quominus Christus sine mensura spiritum acceperit, & tamen mandatum diligendi fratres non sit novum, nec ab ipso Christo renovatum. Est enim in ratiocinatione ista, quæ videtur ex verbis Bezæ proficisci, consequentis fallacia. Nam verum quidem est, si mandatum istud sit novum aut renovatum, id per Christum datum fuisse: nempe quod ille spiritum sine mensura acceperit: sed non tamen contra verum est, Si Christus sine mensura spiritum accepit, mandatum istud novum esse aut renovatum, & consequenter ab ipso Christo datum fuisse.

Non video autem, quæ ratio vel necessaria, vel saltem probabilis, Bezam adduxerit ad sentiendum, pronomine isto Christum significari: cum promptissimum sit agnoscere, isto pronomine referri illud ipsum, de quo agitur; & Apostoli sensum esse. Quod mandatum, de quo ipse loquebatur, sit novum, id novum esse in se ipso, & non tantum in seipso, sed etiam in illis, ad quos scribebat, id est, mandatum non modo per se ac simpliciter esse novum, sed etiam respectu illorum. Vult enim Apostolus dicere, istud, quod tenebræ nulla jam ratione sectandæ sint, sed tantum vera lux, esse præceptum non modo aliis omnibus, sed etiam illis ipsis, ad quos scribebat, novum. Quæ novitas duplici modo considerari potest, vel scilicet respectu temporis, quod Christum antecessit; vel respectu prædicationis Euangelii, quam isti habuerant ab initio.

Jam si ratio habenda sit hujus novitatis aut vetustatis præcepti, secundum ea, quæ paullo ante, immo proxime dixerat, videtur omnino statuendum, hac in re rationem tantum haberi prædicationis Euangelii, quam isti ab initio habuissent. Quandoquidem, ut quidem nos explicavimus, ibi Apostolus dixit præceptum Ambulandi, sicut Christus ambulavit, non esse novum, sed vetus, quippe quod contentum fuisset in Euangelii prædicatione, quam isti ab initio habuerant.

Quod si velimus interpretationem istam sequi, necesse erit dicere, istos, ad quos Johannes scribit non audivisse ab initio prædicationis Euangelii, quod tenebræ nulla prorsus ratione jam sectandæ sint, sed tantum lux vera. Id quod, etiamsi, ut mox dicemus, durum videatur, ac creditu difficile, videtur concordare cum eo, quod ab initio ferme hujus Epistolæ Apostolus scripsit, se illis annunciare, quod Deus lux sit, & nullæ in ipso sint tenebræ, cum iis quæ sequuntur; cum illos non obscure monet, ut in luce ambulent. Durum autem & difficile ad credendum nihilominus istud videtur, cum ex ipsius Apostoli verbis constet, præceptum ambulandi sicut Christus ambulavit, datum fuisse istis ab initio. Videtur enim præceptum istud in se totum id continere, quod isto altero continetur, ut quis tenebris prorsus posthabitis, solam veram lucem sectetur.

Verum tamen dici potest, istud quidem præceptum, quod nos diximus Apostolum testari eos ab initio habuisse, complecti revera totum istud alterum: sed tamen quia istud explicite ab initio datum illis non fuisset, neque singulatim illis fuisset expositum, quanam ratione Christus ambulasset, aut certe aliquid isthuc pertinens non satis explicatum illis antehac fuisset, quod Apostolus in animo haberet illis nunc explicare, id prius complectens universali isto præcepto prorsus relinquendi tenebras & sectandi lucem veram, propterea Apostolum ausum fuisse mandatum istud, ista ratione inspecta, appellare novum, tam respectu sui ipsius; quam illorum, ad quos scribebat.

Id porro, quod explicatius volebat Apostolus illis tradere, videtur omnino contineri, saltem ex parte, eo, quod expresse statim subjicit de dilectione fratris. Verisimile est enim, istud præceptum non fuisse antehac istis bene cognitum neque intellectum, quam intensa debeat Christiani hominis esse dilectio erga fratrem suum. Verum, quis nihil cogere videtur, quominus istam novitatem aut vetustatem præcepti hoc in loco Johannes aliter acceperit, quam proxime ante fecerat, potest facile defendi, fuisse præceptum tenebras penitus abjiciendi, & veram lucem amplectendi, novum ab Apostolo appellatum alteram illam ob causam, quam supra brevissime indicavimus, videlicet ob id, quod præcepta, quæ præceptum istud complectitur, & nominatim id, quod ipse Apostolus statim explicat, diligendi fratres, non tam plena, neque tantæ intensionis essent ante Christum exhibitum, quam post Christum; qui propterea profitetur, se novum præceptum dare discipulis suis, & suum quoddam præceptum ac peculiare mandatum illis tradere, quando jubet, ut ament se invicem Joh. 13. 34. & 15. 22. De quo, antequam locum istum de diligendis fratribus, in quo aliquot verba Apostolus insumit, plane absolvamus, aliquid plenius explicabimus.

Vers. 9. Pergens igitur Apostolus in hoc argumento sectandi lucem, & tenebras relinquendi, sic ait: *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.*

Vers. 10. *Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & scandalum in eo non est.* Est hic in primis verbis idem loquendi modus in Græco contextu, quem paullo ante notavimus. Pro eo enim, quod Latine legitur, *qui dicit se in luce esse*, Græce est, *qui dicit in luce esse.* Concludit igitur Apostolus, nullo pacto posse hæc duo simul consistere, ut quis in luce maneat, & interim fratrem suum odio habeat. Ad quod recte ac penitus intelligendum, necesse est, antequam aliud faciamus, ut de ista luce, & de istis tenebris, quemadmodum antea polliciti sumus, hoc loco ea dicamus, quæ superius omitti posse

censuimus, & ad hunc locum reservari. Conclusimus autem supra, istis appellationibus *lucis* & *tenebrarum* significari potissimum, non tantum hic, sed etiam aliis in locis, probitatem & improbitatem; quamvis non negaverimus, habitam simul fuisse rationem à scriptoribus, qui illas usurparunt, scientiæ & ignorantiæ. Nam res, nisi fallimur, ad hunc modum se habet. Primum, metaphorice lumen seu lux appellatur patefactio Euangelii: quia quemadmodum lux est causa iis, qui habent oculos non obscuratos neque obcæcatos, ut videre possint: sic Euangelii patefactio, iis, qui mentem obtenebratam non habent, ita, inquam, obtenebratam, ut cæci mente isti dici possint, est causa, ut agnoscant, quæ sit Dei voluntas erga humanum genus. Sic contra, quemadmodum tenebræ causa sunt ut quis, etiamsi alioqui optimis utatur oculis, non videat: similiter ignoratio Euangelii, cui metaphorice merito tenebrarum appellatio convenit, causa est, ut quis, quamvis alioquin mente sana & integra, nesciat quæ sit Dei voluntas erga homines: Jam ubi est cognitio voluntatis divinæ erga nos, si ejusmodi cognitio manca non fuerit atque imperfecta, necessarium est, ut eidem voluntati divinæ obediatur, & sic vera, & quam Deus requirit, probitas in homine existat: quemadmodum ex altera parte, ubi ignoratio sit divinæ voluntatis, necesse est, ut nequaquam ea probitas adsit, quam Deus à nobis requirit: quemadmodum ex iis intelligi potest, quæ non ita multo ante de perfecta atque imperfecta cognitione disputavimus.

Hinc factum est, ut præcedente prædicta metaphora sit facta via ad metonymiam, id est, ad id, ut accipiatur causa pro suo effectu; & sic, quia cognitio voluntatis divinæ per Euangelium, quod lux, ut diximus, metaphorice appellatur, est causa probitatis in homine, ignoratio vero ejusdem voluntatis, propter Euangelii ignorationem, quæ tenebrarum nomine metaphorice significatur, est in homine causa improbitatis: hinc rursus factum est, ut lucis nomine probitas, tenebrarum vero improbitas declaretur, id est, ut diximus, & hæc & illa potissimum istis appellationibus significetur: etiamsi interim Sacri Scriptores, ubi istis figuratis appellationibus utuntur, satis aperte quædam admisceant, quæ videantur præcipue rationem habere scientiæ atque ignorantiæ divinæ voluntatis. Voluerunt enim hac ratione non modo rem ipsam dicere, sed etiam rei causam indicare atque ostendere iis, qui ad ista percipienda sunt apti, unde proficiscatur, quod lucis nomine, seu operum lucis, probos & Christianos mores intelligunt: tenebrarum vero appellatione, sive operum, vel armorum tenebrarum, mores improbos, & à Christi disciplina alienos, ut Paulus fecit ad finem 13 capitis ad Romanos. Est auem testimonium satis aptum ad ostendendum, quod lucis & tenebrarum figurata appellatio, quamvis initium suum sumat à sciendo & ignorando, tamen potissimum ob id usurpetur, ut denique probitas & improbitas per eam significetur. Probitas, inquam, atque improbitas, ut superius monuimus, quæ talis sit, non quidem simpliciter secundum humanam rationem, & ipsum jus gentium, vel etiam Legem Mosaicam, sed secundum rationem, & jus illud, quod nobis per Christi Euangelium à Deo est patefactum atque propositum. Est, inquam, testimonium & locus aptus ad totum hoc probandum id quod legitur cap.26. Act.18, ubi Paulus, recitans verba, quæ illi fecit dominus Jesus, cum ei ab initio apparuit, & à se in suis membris persequendo illum tetraxit, & ad se convertit, hæc ad finem commemorat: *Ut aperias oculos eorum, & convertas eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos accipiant, per fidem, quæ est in me.* In quibus verbis ea, quæ diximus, satis apparent. Nam quamvis ab initio fiat mentio aperiendi oculos, tamen fit denique mentio, post conversionem à tenebris ad lucem, conversionis a potestate Satanæ ad Deum. Quæ etiam verba ita accipi posse videntur, ut sint exegetica proxime præcedentium, ita ut simplex copula *Et*, quæ præcedit vocem *potestate*, idem valeat, ut sæpissime in Sacris Literis contingit, quod *id est*.

Verum præterea animadvertendum est, per lucem & tenebras posse figurate significari probitatem & improbitatem, idque metonymice sine ulla præcedente in eadem appellatione metaphora, per quam ratio scientiæ & ignorationis habeatur. Certum enim est, quod quemadmodum de Deo dicitur, quod habitet lucem inaccessibilem 1 Tim.6, & alia dicuntur, unde apparet, Deo lucem sive in ipsa inhabitationem tribui: sic contra de Satana, seu de ipsius Angelis ea dicuntur, quæ illos in tenebris esse, nos docent ut 2.Pet.2, ubi dicitur, quod Deus Angelis, qui peccaverunt, non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit. Non est enim dubitandum, quin Angeli isti sint ii, quas alias Scriptura Diabolos & Angelos Satanæ nominat. Habetis etiam Luc.22.53 verba illa Domini Jesu ad eos, qui illum comprehendere, & captivum ad summum sacerdotem adducere volebant: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, ubi sine dubio *tenebrarum* nomine Satanam intellexit. Cum igitur res ita se habeat, apparet manifeste, lucis nomine figurate per metonymiam ipsum Deum primum significari posse; deinde vero id, quod est secundum Deum, & sic probitatem, præsertim eam, quæ in Euangelio Christi præscripra est. Hæc enim maxime, & maxime proprie secundum Deum est. *Tenebrarum* vero nomine eadem figura primum Satanam denotari posse, deinde ea, quæ fiunt secundum Satanam, ut est potissimum improbitas illa, quæ Christi disciplinæ adversatur; quippe per quam fiat, ut homines immortalitatem ac beatitatem consequantur, quam Satanas humano generi maxime invidet, eique eripere omnibus viribus conatur. Jam, etiamsi non dubitamus, quin id, quod diximus de appelationibus istis figuratis *lucis & tenebrarum*, ex ipsis verbis nostris ita intelligatur, ut non affirmemus id ubique evenire, tamen censuimus aperte à nobis confitendum esse, inveniri loca, ubi istæ appellationes & metaphoricæ potissimum sint, & potissimum scientiam & ignorationem rerum divinarum significent, qualis est totus ille locus, qui habetur Johan. cap.3. à versiculo 19 usque ad versum 22. ibi enim manifeste istæ appellationes usurpantut, ad indicandam patefactionem justitiæ & injustitiæ, quæ per Euangelium contigit, & earundem rerum quæ ante Euangelium annunciatum extabat ignorationem.

Quamvis interim negari non possit, ibidem translationes istas fuisse usurpatas ad probitatem & improbitatem hominum ostendendam, & eo arguendam. Alius autem est locus valde insignis, ubi duplex ista figurata loquutio usurpatur, præter eos, qui jam sunt allati, quem propter ejus celebritatem & utilitatem aliquam, cujus eo explicando possimus fieri participes, nullo pacto silentio prætereundem censui. Is est in initio Euangelii Johannis, ubi ait, in verbo illo, seu Sermone, fuisse vitam, id est, in Christo fuisse vitam æternam; hancque vitam fuisse lucem hominum, eamque in tenebris lucere, sed tenebras eam non comprehendisse. Cum Johannes ait vitam æternam, quæ in Christo est, esse lucem hominum, quamvis id intelligi possit de illustratione mentis humanæ proficiscente à cognitione vitæ æternæ, quam Deus sibi obedientibus per Christum promisit; & fortasse hæc sit non modo ordine prior, sed etiam potior significatio isto in loco metaphoricæ istius appellationis; tamen videtur negari non posse, quin optime similiter ac convenientissime accommodari isto ipso in loco possit figuratæ isti appellationi significatio probitatis illius insignis, quam Christus præscripsit, & quæ per excellentiam probitas simpliciter merito appellari potest: quippe, quæ sola perfecta sit probitas, & multis partibus omnem aliam aute excogitatam aut præscriptam superet. Nihil enim est verius, quam vitam æternam à Christo patefactam, & iis promissam, qui ipsi obedierint, esse caussam, ut homines probitatem istam sectentur, & vere perfectissimaque ratione, quæ in hominem cadere possit, probi fiant. Qui cum tales sunt, & plane recte agunt, dicuntur, ut supra in hac eadem Epistola vidimus, in luce aubulare.

Animad-

Animadvertendum autem est, nos non dicere, quod semper, ubi figurata lucis appellatio usurpatur, si appellatione ista probitas significetur, id propterea fiat, quia ipsa vox lucis probitatem significet. Id enim perraro fortasse accidit: sed id dicere volumus, sub ista appellatione aliquo modo rationem haberi omnino ipsius probitatis. Hoc expresse hic monere voluimus, ne quis nostræ interpretationi in istis Euangelii verbis objiciat, absurdum esse, si quis illa ita interpretetur, quasi Euangelista dixerit, vitam æternam, quæ in Christo est, esse probitatem hominum: quamvis hoc, si figuratum loquendi modum figurato adjicere liceat, possit aliqua ratione subsistere; per metonymicam nempe figuram, superius in hac eadem tractatione à nobis explicatam, cum vel caussa pro effectu, vel effectus pro causa ponitur. Sic enim potest merito æterna vita a Christo annunciata insignis illa hominum probitas appellari, cum illius sit causa. Jam vero quod attinet ad alteram figuratam appellationem, quæ est tenebrarum, in isto loco, ea similiter potest tam ignorationem rerum divinarum, quam improbitatem potissimum ac præcipue declarare. Verum enim est utrumque hoc, scilicet & lucem istam lucere in medio ignorantiæ rerum divinarum, & similiter lucem istam lucere in medio improbitatis humanæ, sive lucis nomine intelligatur ipsa patefactio divinarum rerum, id est, divinæ voluntatis erga humanum genus, sive intelligatur nominatim cognitio & approbatio problitatis à Christo præscriptæ. Pari modo id, quod istius loci restat, quod scilicet tenebræ lucem istam non comprehenderunt, ita potest accipi, ut intelligamus, obcæcatas mentes hominum non potuisse percipere mirabilem istam lucem ac divinarum rerum cognitionem, quam Christus attulit: sed etiam possunt ita accipi, ut intelligamus, mentes improbas non potuisse percipere, id est, assentiri insigni illi probitati, quam Christi Euangelium præscribit, cujusque sectandæ studium excitat in mentibus humanis, quæ à probitate non sint alienæ, æterna ac beata illa vita, quam Christus iis promittit atque offert, qui probitate ista fuerint præditi.

Hoc loco celebri Euangelistæ à nobis ad hunc modum perpenso, antequam ab ipso plane discedamus, videtur minime absre futurum, si illum conferamus cum eo, quod proxime in hac Epistola à nobis explicatum fuit, dum Apostolus ait: *Tenebras præterire, & veram lucem jam lucere.* Videntur enim ista duo loca aliquid contrarii inter se continere; quippe quod in Euangelio dicatur, lucem in tenebris lucere, hic vero affirmetur, tenebras præterire. Quomodo enim potest lux lucere in tenebris, si jam tenebræ prætereunt, id est, esse desinunt? Hinc primum apparet, interpretationem, quam habemus in vulgata editione, ubi verbum prætereunt, sive transeunt, præterito tempore legitur, quamvis Syriaca quoque interpretatio idem habeat, minus probandam esse, neque esse recedendum à lectione Græcorum codicum, in quibus habetur verbum παράγεται, quod non nisi præsentis temporis esse potest. Nec sane istud ipsum verbum, quod similiter habetur infra ℣ 17, per præteritum, sed per præsens tempus ipsemet vetus interpres reddidit, & una cum eo interpres Syriacus, quorum uterque eo in loco legit, *Et transit mundus*, &c. non autem *transivit*. Nec ullum indicium habemus, quod interpretes isti aliam lectionem Græcam, quæ præteritum tempus exprimeret, in loco de quo nunc agimus repererint, quam scilicet sequuti fuerint.

Hæc omnia idcirco dicere voluimus, quia, si præterito tempore verbum transeundi, sive prætereundi, hoc loco legatur, multo major videbitur esse repugnantia inter hæc duo loca, Euangelii nimirum & Epistolæ, quam tamen nullam esse arbitramur, quod nihilominus non ita planum fieri posset, si Epistolæ verba tanquam pure enunciativa acciperemus, ut à quibusdam fieri diximus, non autem cum vi præcipiendi, sicut à nobis fit. Nam si Apostoli mens est dicere in hoc loco Epistolæ, Tenebras jam præterire & esse desinere, repugnantia illa, quam diximus, omnino apparere videtur. At si ejus mens est, præcipere, ne tenebras ullo modo sectemur, sed veram lucem tantummodo amplectamur, nemo non videt, ex præcepto isto minime consequi, quod jam non sint tenebræ, seu esse desinant, nisi figurato loquendi modo, quia videlicet jam deberent esse desinere, & sic nihil hoc in loco contrarium apparet ei, quod dicitur in Euangelio, quodque alioqui videtur adversari verbis ejusdem Apostoli in loco nostro, quod videlicet adhuc sint tenebræ, in quibus nimirum lux illa luceat. Nam si quis Euangelii verba velit ita accipere, ut ad tempus antiquius & præteritum referantur, propter verbum *non comprehenderunt*, quod est præteriti temporis, licet ibidem extet verbum *lucet*, quod est præsentis: verba vero Epistolæ omnino ad proximum & præsens tempus respiciant; & hoc pacto arbitretur ista duo loca conciliari posse, is meo judicio nihil egerit. Neque enim potest differentia talis constitui inter utrumque istud tempus, ut videatur posse dici, in uno tenebras adhuc ita fuisse, ut in illis lux illa vera luceret; in altero vero tenebras jam plane esse desinere. Quicquid sit, si non sola, certe omnium tutissima via, ista duo loca, quæ in speciem aliquo modo dissident, conciliandi illa est, quam diximus, statuere, quod Johannes in Epistola, quamvis quiddam simpliciter enunciare videatur, tamen revera ita loquatur, ut præceptum tradere velit, quemadmodum supra ostendimus, ejus verba, quæ proxime antecedunt, id omnino ferre.

Porro antequam hunc locum de figuratis appellationibus lucis & tenebrarum concludamus, videtur postremo non esse omittendus locus apud Matth. cap. 6, ubi Christus similitudine illa allata oculi, qui sit lucerna corporis, qui si simplex fuerit, totum corpus lucidum erit; sin autem fuerit malus, id est, aliqua ratione offuscatus, totum corpus erit tenebrosum, voluit, ut plerisque placet, & nos verissimum esse credimus, ostendere, debere animum & consilium hominis esse probum, & ab omni avaritia & cupiditate rerum mundanarum alienum: cum alioquin futurum sit, ut hominis actiones in universum sint malæ & vitiosæ, inquiens tandem, *Ergo si lumen quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?* Id est, si animus tuus, qui deberet esse lucidus tuumque consilium est tenebrosum, actiones tuæ, quæ inde lumen suum totum accipere debent, quam erunt obscuræ? Si animus, inquam, & consilium tuum improbum fuerit, vides manifeste, necesse esse, ut actiones tuæ sint plane improbæ. Et sic apparet, luminis seu lucis figuratam appellationem, & similiter lucidæ rei accommodari ad probitatem animi & consilii hominis declarandam, quemadmodum tenebrarum & offuscatæ rei similiter figurata appellatio usurpatur ad improbum animum & consilium hominis, nec non ad improbas ejus actiones, seu improbitatis plenas significandas. Potuissemus adhuc duo verba dicere de loco illo posterioris ad Corinthios cap 6, ubi Apostolus, volens deterrere Corinthios à commercio & societate omni in rebus sacris & divinis cultibus cum infidelibus, ait, nullam communionem esse posse lucis cum tenebris. Sed non putavimus esse necesse, de loco isto verba facere, cum nemo non videat, appellationem istam lucis & tenebrarum in loco isto, posse tam accomodari ad scientiam & ignorationem rerum divinarum, quam ad probitatem illam insignem Christianam, eique contrariam improbitatem significandam atque indicandam.

Vers. 11. Sed jam ad Johannis verba revertamur, quæ nobis sunt explicanda, in quibus videlicet incipit apertius exponere, quid sit illud *Ambulare in luce*, quod ab initio monere voluit à nobis fieri debere, & cujus monitionis occasione ea omnia dixit, quæ hactenus explicuimus, & tandem eandem monitionem repetens ea verba protulit, quæ nos ostendimus vim præcepti habere, & præceptum illud novum esse, quod dixit se illis tradere, nempe tenebras transire, & verum lumen jam lucere, id est, relictis tenebris amplectendam esse veram lucem. Quo præcepto diximus contineri id, quod nunc explicandum nobis est, videlicet de non habendo fra-

trem suum odio, deque amando illum. Quandoquidem ipse Apostolus hic affirmat, quod, qui odio habet fratrem suum, quantumvis dicat se in luce esse, nihilominus in tenebris adhuc versatur: qui vero amat fratrem suum. In luce manet. Quæ verba, per ea, quæ superius dicta sunt, facile intelligi possunt, modo intelligatur, quid sit apud Johannem, *odio habere fratrem suum*; & similiter quid sit *fratrem suum amare*. Hoc enim quid sit non potest ex ante dictis percipi, sed necesse est in eo explicando aliquantisper laborare atque insistere. Pendet autem explicatio ex significatione verborum *odio habendi, & amandi*; vel ex significatione nominis *fratris*, cum necesse omnino videatur, ut hæ voces non habeant omnes eandem prorsus significationem, quam habent in Lege Mosis, ubi idem præceptum datum legitur: quippe quod, ut & antea & modo dictum est, Johannes hoc præceptum ut novum iis proponit, ad quos scribit. Nec mirum, cum, ut supra monuimus, Christus ipse profiteatur, cum jubet suos discipulos se invicem amare, dare se illis præceptum quoddam suum proprium, & porro novum. Ex quibus Christi verbis potest intelligi, differentiam significationis verborum inter præceptum datum in Lege Mosis, & præceptum datum ab ipso Christo & Johanne, circa fratrum dilectionem, totam esse in verbo *amandi* seu *diligendi*; & in verbo huic contrario, *odio habendi*. Diserte autem in Lege Mosis, nempe Levitici 19.17,18, scriptum exiat, *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo*. Et mox: *Diliges proximum tuum sicut te*: ita ut, si interpretatio aliqua non adhibeatur istis verbis diligendi & odio habenbi, nihil novi apparere possit in præcepto Christi & Johannis, id est, nihilo plus contineri illorum præcepto, quam præcepto Mosis, immo contra videri posse, in Mosis præcepto aliquanto plus haberi, quippe in quo expressa sunt illa duo, *in corde tuo* & *sicut te*, quorum neutrum legitur in Christi & Johannis præcepto, quamvis omnino aliquod pondus, quod attinet ad plus præcipiendum, utrumque habere videatur. Prius siquidem illud *In corde tuo*, videtur ostendere ac declarare, non modo prohibitum esse factis ipsis aut verbis odium erga fratrem suum exercere, sed etiam ipso solo corde. Posterius vero illud, *sicut te*, plane docet, aut certe docere videtur, amorem erga proximum seu fratrem debere esse valde magnum, nec satisfactum iri præcepto isti, si quis simpliciter proximum suum amet, nisi etiam ipsum amet ut seipsum. Hæc omnino nos docent, necesse esse verba ipsa amandi & odio habendi intensiorem multo significationem habere in Christi & Johannis præcepto, quam in præcepto Mosis; alioqui falsum esset sive Christum, sive Johannem isto præcepto dando aliquid novi præcepisse, quod tamen nullo pacto negari posse, ex his quæ ante dicta sunt aperte constare videtur. Jam ad percipiendum, quænam sit major ista intensio, nihil melius adhibere possumus quam verba ipsius Christi, ipsiusque Johannis, ubi explicatius aliquanto de hoc præcepto agunt. Et quidem Johannes infra cap.3.14 & deinceps ea dicit, ex quibus intensio ista facile colligi potest, &, quænam illa sit intelligi. Inquit enim, *Nos scimus quod translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Certe necesse est, ut dilectio erga fratres quam Johannes præcepit, sit valde magna, eaque multo major ea quam præcepit Moses: quando, si quis illam habet, jam translatus est à morte ad vitam. Neque enim tale quodpiam, ni fallor, invenietur affirmatum usquam de dilectione fratrum, quam Moses jussit. Idem autem alibi quoque tribuit Johannes reipsa dilectioni fratrum à se præscriptæ, nempe cap.4 hujus ejusdem Epistolæ vers.7, ubi postquam præcepit, ut alii alios diligamus, quippe quod charitas ex Deo sit, statim subjungit: *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognovit Deum*.

Jam vero quænam sit ista major intensio dilectionis erga proximum, quæ efficiat, in Christi & Johannis præcepto servando majorem vim esse, quam in servando præcepto Mosis, ex eo apparet, quod Johannes monet ℣.16 sequenti capite, inquiens, *In hoc cognoscimus charitatem Dei*, (quanquam correctiores Græci codices & Syriaca interpretatio, non habent hoc loco vocem *Dei*) *quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Idem expresserat antea Christus apud eundem Johannem cap.15.12,13, inquiens, *Hoc est præceptum novum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis*. En igitur quid sibi volunt Johannes & Christus, cum præcipiunt amorem erga fratres, & quid plus contineatur & significetur verbo diligendi seu amandi apud ipsos quam apud Moseo, unde fiat, ut, si quis præceptum istud exacte servet, merito censeri possit, illum, ut Johannes ait, vere ex Deo esse natum, & translatum à morte ad vitam. Vix enim fieri potest, ut, qui paratus sit animam suam pro fratre ponere (intellige ob causam aliquam cum Dei gloria & reliqua ejus voluntate consentientem) non sit etiam iis divinis virtutibus præditus, quæ satis sunt ad efficiendum, ut quis ex Dei beneficio vitam æternam consequatur. Sic videtis, quamvis hic apud Johannem, & alicubi apud Christum, non sit additum illud, *sicut te*, tamen plus illic contineri quam istud significet: quippe quod non satis sit ad hoc, ut quis Christi & Johannis præcepto satisfaciat, fratrem sicut seipsum amare; sed oportet etiam plus quam seipsum illum diligere. Quanquam, ut docuimus in disputatione nostra adversus Palæologum, illud *sicut te*, in Lege Mosis non videtur habere eam vim, ut significet idem plane atque omnino debere nos facere propter proximum, quod propter nos metipsos faceremus: sed accommodari debere ad id, quod in ipso præcepto dando expressum est à Mose, & ad alia ejusdem generis, & non ulterius extendi. Dictum autem ibi proxime ante à Muse fuerat ac præceptum, ne quis ulcisceretur, neve asservaret iram adversus populares suos. Quare, cum illico subjungit, *Sed diliges proximum tuum, sicut te*, sensus esse plane videtur, ut quis, quemadmodum cuperet, ne frater seu popularis suus à se offensus injuriam hanc ulcisceretur, sic non debere illum acceptam injuriam ulcisci. Quod si sensus talis est, jam apparet, nihil cogere, ut illud *sicut te*, alios complectatur casus, qui prorsus isti illic expresso non sint similes. Jam Christus, ut vidimus, non contentus alicubi præcepisse, ut discipuli sui se invicem amarent, addidit prædicto loco 15 capitis, ut se invicem diligerent, quemadmodum ipse illos dilexisset. Quod quanto majorem in Christi præcepto vim habeat, quam in præcepto Mosis illud *sicut te*, Christus ipse ibidem (ut vidimus) expresse docet, & nos paullo ante explicavimus. Jam quod attinet ad verbum Odio habendi, quamvis non appareat, ita ut negari nequeat diversitas significationis verbi hujus inter præceptum Mosis & præceptum Johannis non habendi odio fratrem suum, & ita non possit hac ratione clare ostendi, Johannis præceptum aliquid plus continere quam præceptum Mosis, & propterea merito ab eo dici novum: tamen aperte probatur, aliquid novi præceptum istud tacite in se continere, quatenus Johannes vult, ut is, qui illud non servet, & sic odio habeat fratrem suum, sit homicida, ut eodem ante citato loco sequentis capitis ℣.15 expresse legitur: Nam certe ex mente Mosis, seu Dei, cum per Mosem præceptum istud dedit non habendi odio fratrem suum, ullo modo constar, cum habitum fuisse pro homicida, qui illud non servasset. Immo cum homicidæ pœna capitis in divina lege constituta fuisset, non modo pœna ista tam gravis, sed ne ulla quidem legitur in Mosis Lege constituta fuisse ei, qui simpliciter odio habere fratrem suum, & talis odii plane convictus esset. Quod sane plurimum valet ad ostendendum, quanto majoris ponderis sit sub Christo præceptum non habendi odio fratrem suum, quam fuerit sub Mose. Unde etiam apparet; quamvis apud Johannem nihil expresse legatur de odio cordis, illud tamen ab ipso vehementer damnari: quomodo enim tantopere ab ipso vituperaretur odium erga fratrem, ut etiam loco homicidii illud ducat, nisi

cat, nisi

nisi mens ipsius esset atque sententia, odium ipsius cordis adversus fratrem rem esse maxime detestabilem. Adde, quod ipsum verbum odio habendi satis per seipsum declarat, de cordis affectu agi. Odium siquidem proprie loquendo non in factis aut in verbis manet, sed in corde; unde postea mala verba, malaque facta adversus proximum proficiscuntur. Voluit tamen Moses ad majorem præcepti explicationem, & ad omnem præcidendam causandi & tergiversandi ansam, cum ei res esset cum hominibus, ut Scriptura loquitur, duræ cervicis, & qui videbantur externis factis omnia metiri, & cordis ipsius interiorisque affectus non magnam rationem habere, addere expresse atque diserte illud *in corde tuo.*

Hactenus explicavimus quænam sit differentia inter Mosis præceptum de fratre odio non habendo, deque eo amando, & Christi Johannisque præceptum eadem de re; quæ scilicet differentia possit colligi ex ipsius Christi & Johannis verbis, & quæ pendeat tota ex diversa significatione seu vi verborum amandi & odio habendi. Quæ differentia universa pertinet ad majorem intensionem præcepti istius sub Euangelio, quam sub Lege. Nunc breviter videndum est, an aliqua etiam differentia sit, quæ pertineat ad majorem extensionem præcepti istius sub Novo, quam sub Vetere Testamento; quæ scilicet pendeat ex diversa significatione nominis *fratris* seu *proxmi*, quod habetur tam in Lege quam sub Euangelio in præcepto isto. Quanquam enim, ut supra indicavimus, ex ipsius Christi verbis possit intelligi, cum ipse præceptum dedit discipulis suis, ut se invicem amarent, quicquid novi & amplius, quam in Lege sit, in tali præcepto continetur, pendere ex ipsa vi verbi *amandi*, seu *diligendi*, cum ille nusquam *fratris* sut *proxmi* mentionem faciat: tamen, quia Johannes expresse *fratris* meminit, non videtur inutile quærere, an ipse nomine isto plures homines complectatur, quam Moses complexus fuerit. Id quod necne is facere voluerit, non potest ex ipsius verbis colligi: sed necesse est considerare, si velimus ejus mentem assequi, quid *fratris* nomine sub Novo Testamento intelligatur; & quid intelligeretur sub Vetere. Qua de re, itemque de significatione nominis proximi, quod similiter ut Fratris in eo habetur, quod Moses de hac materia præcipit, diximus non pauca in disputatione nostra adversus Palæologum, ad quam vos rejicimus; & illud tantum hoc loco dicimus, certissimum esse, in Lege Mosis fratris seu proximi appellatione significatos fuisse omnes, qui ex eodem Israëlitico populo essent, & nullos alios præter ipsos: in Euangelio vero, cum per illud sublatum fuerit illud interstitium, quod sub Lege erat, & inter populum Israelis & reliquos populos, videtur posse affirmari appellationem istam latiorem esse; &, cum omnibus hominibus peræque Euangelium annunciare Christus voluerit, ejusque prædicatio ad omnes pertineat, hinc consequi, ut nullus homo appellatione ista penitus excludatur. Verumtamen, quod attinet ad Johannis mentem, videtur plane verisimile, eum *fratris* nomine non intellexisse alios, quam eos qui idem Euangelium recepissent, idque profiterentur. Nam si mens ipsius fuisset, de omnibus hominibus in isto præcepto loqui, & ipsum præceptum propterea novum appellasset, quia videlicet non tantum eos amari juberet, qui essent ejusdem religionis, eorundemque sacrorum participes, quemadmodum contingebat sub Lege Mosis; sed etiam quoscumque, verisimile omnino est, eum multo clarius locuturum fuisse, & non simplici fratris nomine usurum, sed vel aliud ei fuisse additurum; vel aliud nomen latiore ista significatione præditum usurpaturum.

Quod si quæratur nihilominus (etiamsi Johannis mentem huc spectasse deprehendi nequeat) an sub Euangelio ii etiam sint amandi, qui nihil pertinent ad Christianam Rempublicam; non est dubitandum, istos etiam amandos esse, idque ex Christi verbis apud Matthæum cap. 5. colligi posse, ubi etiam ipsos inimicos à nobis amari præcipit. Quæ ipsius verba quam vim habeant, & quomodo pro diversitate temporis varie accipi possint, & porro Christus ipse ea accipi voluerit, explicatum est à nobis in prædicta disputatione adversus Palæologum, neque est, cur hoc loco ea, quæ ibi docuimus, repetenda sint. Jam igitur habemus explicationem verborum Apostoli, cum ait, eum qui fratrem suum odio habeat, in tenebris esse, cum, quod attinet ad tenebras & lucem, quarum hic mentionem facit, quid intelligendum sit, satis expositum à nobis antea fuerit.

Hinc consequitur, duos etiam sequentes versiculos 10, & 11, nulla fere explicatione indigere. Apparet enim ex jam dictis, Johannem in tribus his versiculis dicere voluisse, eum, qui odio habeat fratrem suum, & vera illa cognitione rerum divinarum, & insigni illa probitate per Christum jussa ac patefacta destitutum esse: eum vero qui fratrem amet (intellige ita, ut sit paratus pro ipso vitam ponere) utraque esse præditum.

Declarandum nihilominus est, quid illud sit, quod ait vers. 10, *In eo, qui fratrem suum diligit, non esse offendiculum, seu scandalum.* Ego quidem arbitror, Apostolum hic improprie loquutum fuisse, & dicere voluisse, non habere ejusmodi hominem, in quod offendat, seu, non posse offendere, id est, aliquo modo labi. Propterea quia, ut proxime dixit, in luce maneat. Nihil enim videtur ad præsens Apostoli institutum, & ad metaphoricum ipsius loquendi modum pertinere, quod ejusmodi homo nullum aliis offendiculum præbeat, seu nulli sit offendiculo: quamvis alioquin ipsa verba, *Offendiculum in eo non est*, videntur huic sensui magis esse accommodata. Unde, si recte memini, factum est, ut multi istis verbis sensum istum tribuerint. Quem ego sensum non plane rejicio, quamvis alter, quem exposui, magis mihi arrideat, & sane sequens versiculus 11, in quo cum sententia ponatur huic opposita, nihil tamen ibi apparet, præter id, quod noster sensus, id est qui nobis probatur, continet, satis docere potest nos non male sentire. In cujus versiculi fine, cum diciter, *Tenebras oculos obcæcasse illius, qui fratrem suum odit*, intelligendum sine dubio est, improbitatem ex ignoratione, quæ perfectiori cognitione opponitur, Dei voluntatis per Christum patefactæ proficiscentem, esse causam, ut iste odio fratrem suum habeat.

Vers. 12. Absolutis his, quæ monere voluit Apostolus primo loco, ubi de ea re locutus est, quæ, ut ab initio monuimus, ab ipso potissimum in hac Epistola traditur, & inculcatur, nempe de charitate & amore, quo erga fratres præditi esse debemus, ad alia transit, & ita loqui incipit: *Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.* Hæc particula hujus Epistolæ, quæ tribus versiculis absolvitur, varie legitur in codicibus tum Græcis tum Latinis, nec, judicio nostro, habemus hodie puriorem ac perfectiorem lectionem, quam ea sit, quæ extat apud Syriacum interpretem. Quod ita esse mox apparebit, ubi aliquid de mente Apostoli in toto hoc loco explicuerimus: quamvis non desint, qui multo aliter sentiant, & multo aliter, quam à nobis fiat, verba Apostoli distinguant, & interpretentur. Diximus igitur, nobis omnino videri, Apostolum hic voluisse ea notare, quæ illis, ad quos scribit, nota præcipue esse, & antehac, cum alias ad eos scripsisset, voluerat, & nunc ad eosdem scribendo volebat; eumque distinxisse illos quodammodo in tres classes, id est in pueros, patres, & adolescentes, rationem habens, quod inter eos quidam ætate adhuc juvenili erant, ut pueri præ aliis appellari possent; alii vero adeo provecta ætate, ut patrum nomine decenter possent significari; alii denique adeo virentibus annis, ut adolescentes merito nominari possent. Cuilibet autem istarum trium ætatum id accommodare Apostolus voluit, quod illi aliquo modo maxime ac proprie conveniat.

Incipiens igitur à pueris, illisque significans, quid nunc ad eos scribat, ait, se illis scribere, *quod remissa sint ipsis peccata propter nomen ejus*, nempe (ut nos inter-

pretamur) ipſius Dei patris. Voculam enim *quoniam*, quæ in Græco eſt ὅτι, ita accipimus, ut non ſit redditiva rationis, ſed tantum expoſitiva ejus, quod dicit Apoſtolus ſe ad illos ſcribere. Cauſa vero, cur pronomen *ejus*, de Deo Patre potius, quam de Chriſto hoc loco accipiamus, quæque non unica eſt, late expoſita à nobis fuit in diſputatione noſtra de Chriſto Servatore, parte ſecunda cap.25. Unde peti poſſunt, quæ hic brevitatis cauſa reticebimus. Ubi tantum illud dicemus, quod, cum nobis perſuaſiſſimum ſit, Apoſtolum idem, quod hic dicit, mox repetere, nulla alia vera differentia inter hæc duo loca exiſtente, præter hanc, quod hic dicat, *ſe ſcribere*, ibi vero, *ſe ſcripſiſſe*; cum ibi expreſſe legatur, eum ſcripſiſſe ad iſtos eoſdem, quod noviſſent Patrem, videtur nobis neceſſarium eſſe, ſentire, prædictum pronomen de Patre accipiendum eſſe. Ubi illud apparet, quod diximus de convenientia rei, quam ad iſtos ſcribit, cum ætate ipſorum. Nihil enim magis decet pueros, quos in primo hoc loco alloquitur, & filiolos nominat, quam ea ſcire, quæ pat.r ipſorum de ipſis ſtatuit, ſeu patrem ſuum bene noſſe. Igitur admodum convenienter dicit, ſe filiolis iſtis ſcribere, id eſt, eos monere, quod Pater, nempe Deus, pro ſua ingente bonitate, remittat illis peccata ipſorum, vel potius jam remiſerit, ut proprie ſonat verbum Græcum, id eſt, per Jeſu Chriſti Euangelium patefecerit, perque ipſum Chriſtum abunde confirmaverit, ſe jam nolle peccatorum ejuſmodi hominum meminiſſe, immo ſe jam illa deleviſſe propter ingentem bonitatem ſuam: id quod exprimitur iſto loquendi modo, *propter nomen ejus*.

Verſ.13. Pergit Apoſtolus & ſecundo loco patres alloquens, id eſt, (ut diximus) provectioris ætatis homines, ait, *Scribo vobis, patres, quoniam cognoviſtis eum, qui eſt ab initio.* Primum ex voce *patres*, qua ſenes homines denotat, ſatis conſtare poteſt, illum filiorum nomine, quod patrum nomini oppoſitum eſt, ibi intellexiſſe, quod ſenibus ſimiliter opponitur, nempe pueros, quemadmodum à nobis dictum eſt. Hinc autem ſatis apparere poteſt, ratiocinationem Bezæ, qui propter filiolorum appellationem ſtatuit, verba, quæ præcedente verſu habentur, non pertinere ad quoſdam tantum ex iis, quibus iſta Epiſtola ſcribitur, id eſt, ut nos interpretamur, ad tenerioris ætatis homines; ſed ad omnes ſimul, & ad univerſum cœtum, ad quem Apoſtolus ſcribit, ſpectare, non habere firmitatem ullam. Id quod addi poteſt iis, quæ adverſus ipſum diſputavimus prædicto loco de Servatore.

Convenientiſſime autem Johannes patres, id eſt ætate provectiores alloquens dicit, ſe illis ſcribere, quod noverint eum, qui ab initio eſt. Proprium eſt enim hominum ætate provectiorum antiquiora noſſe. Senſus autem horum verborum eſt, Johannem ſcribendo velle illos certos reddere, quod, ut ipſe ex eorum profeſſione, & aliis conjicere, ac aperte colligere poterat, vere noverant illum, qui fuerat ab initio, nempe Chriſtum. Jam enim ſatis apertum eſt, quid ſignificet initium iſtud, nempe Novi Fœderis & Euangelii patefacti primum initium. Habent porro hæc Apoſtoli verba hanc vim, ut iſtos moneat, eum, qui ab illis cognitus fuerat, & cujus nomen ipſi profitebantur, eſſe caput atque initium poſt Deum æternæ ſalutis noſtræ, ejuſque nobis patefaciendæ, & utitur Johannes eo modo loquendi, quo antea; ut ſcilicet dicat, *ab initio*, ſive *à principio*: non autem, *in principio*, ut alibi fecit, propter cauſſam non ſemel ante expoſitam: cum videlicet hic oſtendere voluerit, quod Chriſtus, ejuſque munus & auctoritas, quatenus præſens rerum ſtatus requirit, prorſus adhuc duret. In Græco non exprimitur verbum ſubſtantivum, & ſic non apparet, quo tempore, ſi illud interpretando addatur, ſit proferendum: ſatius tamen eſſe crediderim, non recedendo ab eo, quod ipſe Apoſtolus fecit, quando verbum iſtud, eadem phraſi utens, expreſſit, illud, ubi addatur, efferre hoc loco tempore præterito, non autem præſente, ut à vetere interprete factum eſt. Præteritum autem tempus intelligimus, ut Grammatici loquuntur, imperfectum, non autem perfectum, ut non ſcilicet *fuit*, ſed *erat*, legatur. Neque enim perpetuitas, quam Apoſtolus indicare voluit, ipſius Chriſti, ejuſque muneris atque auctoritatis, voce iſta temporis præteriti perfecti indicaretur: immo per voces *à principio* indicata obſcuraretur.

Pergens Apoſtolus, & tertio loco adoleſcentes alloquens ait, *Scribo vobis adoleſcentes, quod viciſtis malignum.* Quoniam enim adoleſcentiæ propriæ ſunt vires & robur, quod requiritur ad vincendum & ſuperandum fortem ac robuſtum aliquem, propterea convenientiam illam, quam dixi, ſervans Apoſtolus, adoleſcentibus nominatim hoc tribuit, quod malignum, id eſt Satanam vicerint ac ſuperaverint: non autem quia hoc idem, quemadmodum & reliqua ſuperiora duo, quæ pueris & ſenibus tribuit, omnibus non conveniat. Nam quemadmodum remiſſa eſſe peccata propter Dei nomen, & noviſſe Chriſtum, qui eſt auctor & complementum ſalutis noſtræ, ſine ullo dubio omnibus tribuenda ſunt, qui Jeſu Chriſti nomen profitentur, ejuſque religionem ex animo amplectuntur: Sic ſimiliter viciſſe ac ſuperaſſe Satanam, omnibus iſtis peræque jure tribui poteſt. Itaque Apoſtolus, non ut alios ab aliis ullo modo diſtingueret, quod attinet ad ea, quæ illis tribuit: ſed, ut diximus, quo convenientiam quandam ſectaretur, & ubique ſervaret, ſingulis iſtis tribus ætatibus, in quas diſtinxit omnes illos, ad quos ſcribit, ſingulare aliquid voluit videri tribuere. Monet igitur adoleſcentes nominatim, ut pro certo habeant, ſe, ſi tales nimirum ſint, quales ſe eſſe profitebantur, jam ab ipſis ſuperatum fuiſſe Satanam. Cum enim Chriſtus, ut ipſe Apoſtolus inferius dicet, in eum finem apparuiſſet, ut deſtrueret opera Diaboli, conſequens omnino eſt, ut, qui penitus Chriſto adhærent, ipſum Diabolum ſeu Satanam vincant & ſuperent, id eſt, omnes ipſius laqueos evitent; vel illis antea irretiti eos frangant atque conterant, & adverſus tentationes illius ſint optime muniti atque armati, ita ut ille eos ab inſtituto obediendi Deo per Chriſtum nullo pacto deterrere queat.

Poſtquam Apoſtolus iſta enarravit, quæ nunc ſcribendo monere eos volebat, ad quos ſcripſit, ſubjicit, ſe iſta eadem illos antea quoque, cum ad iſtos ſcriberet monuiſſe. Quandoquidem vera lectio hujus loci, quam diximus in Syriaca interpretatione extare, ea eſt, ut deinceps non *ſcribo*, quemadmodum in proximo, qui ſequitur, loco, vulgo legitur, ſed *ſcripſi*, non minus quam in duobus aliis ſequentibus legatur. Ait igitur, *Scripſi vobis, pueruli, quoniam noſtis Patrem.* Quorum verborum ſententiam antea oſtendimus reipſa eandem eſſe cum ea, quæ continetur verbis illis, *Scribo vobis, filioli, quod remiſſa ſunt &c.* Apparet enim ex iis, quæ ſtatim ſequuntur, id, quod ſupra monuimus, nullam videlicet eſſe differentiam inter ea, quæ hic ſingulis iſtis tribus ætatibus tribuuntur, & ea, quæ proxime tributa ſunt; & ob eam cauſam tantummodo illa repeti, ut aperte atque expreſſe ſignificetur, ſingula iſta non tantum nunc ad illos ſcribi, ad quod Epiſtola mittitur, ſed etiam ante ſcripta fuiſſe. Jam vero, quod eos, quos antea filiolos nominaverat, hic puerulos vocet, factum eſt ad majorem expreſſionem, quod hic ætatis ratio habeatur, & propterea etiam ante habita fuerit.

Verſ.14. Verba quæ ſequuntur, præter verbum *ſcripſi*, præteriti temporis, quod antea eſt temporis præſentis, id eſt, *ſcribo*, nihil prorſus differunt à ſuperioribus, quibus Patres ſimiliter alloquitur. Unde ſine dubio factum eſt, ut in Latinis codicibus, & in quibuſdam Græcis, illa non extent: quippe in quibus nihil dici putatum ſit, quod non dictum fuerit prius, & propterea abundare ſint judicata. Qui error commiſſus non fuiſſet, ſi verbum illud præteriti temporis, cum antea præſentis fuerit, hujuſque rei cauſa aliquanto accuratius fuiſſet perpenſa.

Jam

Jam id, quod subjicit Johannes, adolescentes iterum alloquens, quamvis non plus teipsa contineat, quam id, quod antea ipsis adolescentibus tributum fuit, tamen expressius illud habet. Nam & ratio hic redditur à nobis antea indicata, quæ ibi nullo modo fuerat expressa, cur istud *vincere Satanam*, adolescentibus nominatim tribuatur. Dicitur enim, *Scripsi vobis adolescentibus, quod fortes estis*, & additur, *Et verbum Dei habitat in vobis*, quo scilicet appareat, unde illis robur istud, quod proprium alioqui est hominum adolescentium, suppeditetur, nempe ex eo, quod Dei verbum habiret in illis, id est, ipsi in intimo corde illud repositum habeant, & verum esse credant id totum, quod per Christum Deus annunciavit; ac breviter, sub spe æternæ vitæ obedientiam præceptorum Christi perpetuo meditentur.

Nunc, antequam ulterius progrediamur, aliquid nobis dicendum est de Bezæ sententia in toto hoc loco interpretando. Censet enim ille, id, quod scribitur versiculo 12: *Scribo vobis, filioli, &c.* pertinere ad totum cœtum, ut antea monuimus. Sed quia interim videbat, hinc sequuturum, quod tres illas ætates, in quas aperte Apostolus distinguit eos, ad quos scribit, non omnes idem postea repeteret, cum à verbo scribendi præsenti tempore transit ad idem verbum temporis præteriti, nempe quia hac ratione pueritiæ ætas non repeteretur: propterea, ut hoc vitaret, quod plane absurdum videtur, & cum instituto Apostoli pugnans, dixit, repetitionem istam pueritiæ ætatis extare demum versiculo 18, ubi legitur, *pueruli, ultimum tempus est, &c.* Nam quod repetitio ista non fiat eo loco, quo revera fit, id est in initio versiculi 14, putavit, arbitror, satis probari posse ex eo, quod vulgati codices rum Græci tum Latini ibi habent *scribo*, non autem *scripsi*, ita ut censeri omnino debere videatur, verba ista ejusdem ordinis esse, cujus sunt proxime superiora, & pertinere non ad repetitionem ullam, cujus indicium videatur esse mutatio præsentis temporis in præteritum, sed plane ad inceptionem. Verum, ut diximus, vera lectio, quæ in Syriaco codice extat, non *scribo* ibi habet, sed *scripsi*; eaque confirmatur quibusdam antiquis ac correctioribus exemplaribus Græcis & Latinis. Unde manifeste apparet, ibi incipere repetitionem, ubi pueruli primum nominanrur, qui iidem scilicet antea filioli nominati fuerant. Nam quod repetitio alloquendi puerulos fiat demum versiculo 18, id, quemadmodum propter interjectos tres integros versiculos ab omni prorsus verisimilitudine abest: sic etiam falsitatis facile convinci potest ex eo, quod verbum *scribendi*, id est mentio, quod ad istos puerulos Johannes scripserit, prorsus omittitur; quod tamen superius in aliis ætatibus, seu primo seu secundo alloquendis, & in ipsis puerulis alloquendis primo, nullo pacto omittitur. Deinde quis non videt, etiamsi aliud verbum substitutum fuisset pro scribendi verbo, loquendi modum in isto 18 versiculo servatum nihil commune habere cum eo, qui servatus est antea. Unde concludendum omnino est, Bezam, cum istam loci distinctionem, quam præ manibus habemus, ejusque œconomiam quandam commentus est, levibus ac frivolis rationibus ad id faciendum fuisse impulsum, ut satis intelligi potest ex disputatiuncula illa nostra adversus ipsum, quamvis à nobis ibi diserte non nominatum, in prædicto loco libri nostri de Servatore. Iis aurem, quæ ibi à nobis dicta fuere, si hæc addantur quæ hic eadem de re disseruimus, plusquam satis, ut arbitramur, unusquisque habebit, ad erroris revincendam monstrosam istam illius hominis interpretationem: quamvis plura adhuc ad eandem confutandam dici possent, quæ quilibet per se ipse nunc, præsertim ad hunc modum à nobis monitus atque instructus, animadvertere poterit.

Restat ut aliquid dicamus ad probandum, Bezam una cum quibusdam aliis non recte facere, qui particulam ὅτι, in omnibus istis locis, ubi Johannes ait, se vel scribere vel scripsisse ad istos, ita accipit, ut per eam significetur, in verbis statim subsequentibus reddi rationem, cur scribat vel scripserit: non autem, ut nos sentimus, & alios nobiscum sentire putamus, per particulam istam declaretur, exponi in verbis sequentibus, quid sit illud, quod scribat, aut scripserit. Dicimus igitur, istam Bezæ interpretationem videri non posse subsistere, ob id, quod sensus ex ea proficiscens videtur esse absurdus, & porro falsus. Quasi vero Johannes ad istos scripturus non fuisset, nisi tales ipsi fuissent, quales eos ostendunt, quæ illis tribuit: cum tamen nihil prorsus vetet, quominus ad illos scripturus fuisset, etiamsi tales non essent; immo etiam ab istis, quæ illis tribuit, longe abessent, quo scilicet eos moneret officii sui, cujus viderentur plane obliti, & eos in viam adduceret, aut revocaret. Immo multo magis ad eos scribendi causam habuisset Apostolus, si à recta via aberrassent. Neque enim, ut Christus ait, egent bene valentes medico, sed male valentes.

Præterea, etiamsi possent alia, quæ istis Apostolus tribuit, ad sensum istum atque interpretationem vocula illius accommodari, certe id, quod à principio illis tribuit, nempe illis esse remissa peccata propter Dei, aut, si quis malit, Christi nomen, non videtur, nisi admodum coacte accommodari posse. Neque enim in re ista fit mentio alicujus qualitatis illorum, quæ scilicet Apostolum potuerit movere ad scribendum illis; sed tantum fit mentio rei à Deo circa ipsos factæ. Id quoque ni fallor, animadvertens ipse Beza, ita verba ista accipit, ac si Apostolus dixisset, *Scribo vobis, filioli, quia estis ex eorum numero, quibus Deus condonavit peccata.* Jam si istud Beza intelligit, rationem habens illius suæ prædestinationis, non potest ullo modo interpretatio ista consistere; cum Johannes nosse non posset, quinam essent æternæ vitæ infallibiliter ac nominatim ab æterno destinati; nec verisimile ullo modo sit, istos omnes, vel saltem inter eos, illos, qui erant ætate infirmiore, fuisse ex numero istorum prædestinatorum.

Quod si non ad hunc modum suam interpretationem accipi velit, sed tantum per eam significari, ipsos habuisse in se ea, quæ requiruntur in nobis, ut peccata nobis remittantur, & quæ sine remissione peccatorum in nullo inveniri possunt; dico, nihilominus non esse verisimile, ad hunc modum, quo loquutus est, loquuturum fuisse Apostolum, si id sibi propositum habuisset, ut hac ratione causam exponeret, cur ad illos scriberet, sed, ut inferius ubique fecit, diserte fuisse dicturum, eos in se ipsis tales esse, & tali virtute præditos, ut sine dubio remissionis peccatorum essent participes. Quicquid sit de hoc, quod secundo loco diximus, ad ostendendam ineptitudinem istius Bezanæ interpretationis, certum omnino est, rationem prius à nobis allatam esse ejusmodi, quæ virium maximum interpretationis istius ostendat, ac doceat, illam nullo pacto defendi posse.

Vers. 15. Quare jam ad alia transeundum nobis est, & considerandum, Apostolum secundum interpretationem nostram, una cum monitione quadam egregias istas qualitates iis tribuisse, ad quos scribit, ut sibi illos benevolos redderet, & dociliores atque attentiores ad ea, quæ statim subjuncturus erat. Statim enim subjungit maximi momenti monitionem, & in qua consistit tota vis efficiendi hominem vere Christianum, atque ejusmodi, qui vitæ æternæ futurus sit particeps. Subjungit inquam, *eos non debere amare mundum, neque ea, quæ sunt in mundo*, id quod præstare, ut plane egregium, sic difficile atque arduum est prorsus. Sciendum enim est, monitionem hanc, ut quidem nos censemus, non pertinere ad illa vitia vitanda, quæ vere vitia esse omnes norunt, ac confitentur, quæque scelera nominari possunt: sed ad ea, quæ judicantur vulgo esse hujusmodi, ut reprehensione careant, & potius laude aliqua sint digna, cum tamen interea ea sub Christi Evangelio, & iis, qui per ipsum Christum beatam immortalitatem sint adepturi, censeri debeant nullo pacto convenire, & in illis vituperatione plane esse digna.

Hæc autem omnia complectitur, una cum ipsa monitione, hisce verbis: *Ne diligite mundum, neque ea, quæ sunt in mundo.* Ubi sine dubio, ut verba ipsa indicant, intelligit, non esse diligenda ea, quæ mundus maxime probat. Non contentus autem monuisse, ne mundum diligant, ut melius id, quod animo intendebat, exprimeret, addidit, *neque ea quæ sunt in mundo.* Nam alioqui monere, ne mundum diligerent, videbatur posse esse satis, quemadmodum docent ipsiusmet statim consequentia verba, *Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.* In hac enim redditione rationis totius monitionis suæ nullam mentionem facit non diligendi ea, quæ sunt in mundo: sed tantum non diligendi mundum. Idque quod ulterius subjicit, ostendit, Non diligere ea, quæ sunt in mundo, contineri eo, quod est, Non diligere mundum. Illico enim subjicit, *Quoniam omne, quod est in mundo, &c.* Hoc enim manifeste habet relationem ad istud, quod postremo dixit, si quis mundum dilexerit, non fore charitatem Patris in illo; ejusque rationem reddit. Quod fieri non posset, si nomine eorum, quæ in mundo sunt, aliquid diversum hoc loco ab ipso mundo intelligeretur. Non negamus tamen, posse, si verba ipsa spectemus, considerari diversitatem inter mundum, & ea, quæ sunt in mundo, etiam habita ratione Apostoli sententiæ & significationis, qua Mundi vocem hoc loco usurpat; ita ut dici possit, cum primum monet, mundum diligi non debere, eum monere voluisse, ne hæc mortalis vita à nobis diligatur, sed ita simus parati, ut eam nihili faciamus, ubi alioqui secundum exactam illam probitatem, quam Christus præscripsit, vivere nobis non liceat. Cum vero deinde subjungit, neque ea diligenda esse, quæ sunt in mundo, videtur posse dici, eum monere voluisse, ne ea, quæ in hac vita mortali solent esse in pretio, & ad illam excolendam maxime pertinere, à nobis amentur. Nam quæ ista sint, licet satis generali quadam & involuta quodammodo ratione, mox exponit.

Quod si, quemadmodum, ubi illa explicare incipit, & simul rationem reddere, cur ea non sint diligenda, utitur particula ὅτι, sic similiter ea proxime ante usus fuisset, cum rationem reddit, cur mundus non sit diligendus, vel potius reddere incipit; dicere possemus, eum non minus in reddenda ratione monitionis suæ, quam in ipsa monitione, hæc duo inter se distinxisse, mundum scilicet, & ea quæ sunt in mundo; & utriusque separatim rationem reddidisse. Sed cum id non fecerit, verum, ut antea diximus, si quis ipsius loquendi modum spectet, statuendum sit, ubi ea summatim enumerat, quæ sunt in mundo, una cum redditione rationis, cur illa diligi non debeant, quæ tacite in ipsius verbis continetur, eum reddere rationem expresse, cur, si quis mundum diligat, non sit charitas Patris in eo; concludendum omnino est, illum in reddenda ratione totius monitionis suæ, Mundi nomine ea quoque, quæ sunt in mundo, intellexisse. Quod si quis tamen censeat, posse sperni vim, ut sic dixerim, Grammaticalem verborum ipsius, & statui, quod in reddenda ratione suæ monitionis, non minus quam in monitione ipsa existimari possit, eum aperte distinxisse inter mundum, & ea, quæ sunt in mundo, cum eo, qui ita sentiat, nos minime pugnabimus; cum jam expositum à nobis fuerit, quænam inter ista duo differentia constitui possit.

Jam cum Apostolus ait, *eum, qui mundum diligat, non habere in se charitatem patris*, videtur omnino quærendum esse, quid Patris charitate Apostolus intelligat. Superius quidem ℣ſ.5, ubi ab eo fit mentio charitatis Dei, quæ perfecta sit in eo, qui servat Christi verbum, seu præcepta, interpretati sumus Dei charitatem, illam charitatem, qua Deus diligitur, neque ab interpretatione ista hoc in loco recedimus; & censemus Apostolum voluisse dicere, eum, qui mundum diligit, non diligere Patrem. Verumtamen non censemus silentio prætereundum, quod in simili locutione potest etiam contineri significatio illius charitatis, quam Deus seu Pater præscripsit, ac si Apostolus diceret hoc in loco, eum, qui mundum amet, non esse præditum amore illo, quem sive erga ipsum Patrem, sive erga ipsum Christum, sive erga proximum, & alia quæcumque, habet sibi ex Patris voluntate à Christo præscriptum. Quæ interpretatio, non ita plane convenit superiori illi loco, ubi Dei fit mentio, ut hic præsenti, ubi fit mentio Patris. Videtur enim ista appellatione Patris, qua Deus significatur, indicari, quod hic habeatur potissimum ratio Novi Fœderis per Christum à Deo nobiscum sanciti, & ejus charitatis, quæ in illo præscripta nobis fuit; cum in hoc demum Fœdere Deus vere ac proprie (ut hoc in ipsum cadere potest) se Patrem nostrum ostenderit, ac præstiterit.

Verſ.16. Sed jam Apostoli verba examinemus, quæ statim subjicit, postquam affirmavit in eo non esse charitatem Patris, qui mundum diligat. Inquit enim, *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, non est ex patre, sed ex mundo est.* Antea diximus, ut ipse verborum contextus omnino fert, hic reddi rationem proxime dicti, & affirmari propterea non esse Patris charitate eum præditum, qui mundum amat, ob eam causam, quod ea, quæ sunt in mundo, non sunt ex Patre.

Esse autem *in mundo* apud Apostolum, ut ante diximus, significat, in pretio hac in vita mortali haberi, & ad eam excolendam maxime pertinere. Neque enim, ut dictum est, hic de sceleribus agitur, sed de iis vitiis, quæ ab hominibus hujus mortalis vitæ cupidis atque studiosis, vix ac ne vix quidem animadvertuntur: & tamen, si ad illam charitatem respiciatur, quæ nobis à Patre præscripta est, & ad præcepta, quæ Deus per Christum dedit, plane vitia sunt censenda.

Res porro *quæ sunt in mundo*, & sic vitia ista, dividit Johannes in tres partes, quarum unam, ut audistis, appellat *concupiscentiam carnis*; alteram, *concupiscentiam oculorum*; tertiam, *superbiam vitæ*. Ubi dubium esse videtur, an prorsus omnia ista vitia hac sua divisione complexus fuerit; an vero præcipua tantum eorum exempla protulerit. Et quidem, quamvis ejus verba ad eum modum legantur, quo nos illa protulimus, ut quidem in omnibus Græcis codicibus fortasse leguntur: tamen nihilominus videtur statuendum, ea ita accipi debere, ac si omnes species vitiorum istorum distinctione ista sua omnino comprehendere voluerit. Sic enim plane ista Grammaticæ ratio ferre videtur: quamvis negari nequeat, quin etiam, sed minus proprie, minusque usitate, sic accipi verba ista possint, ut intelligatur, Johannem exempla tantum proferre voluisse. Quanquam & vulgata editio Latina, & Syriaca interpretatio ita hunc locum legit, ut isti sensui non sit locus. Sic enim habet vulgata Latina editio: *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, &c.* Ubi verbum istud substantivum, post vocem *carnis* additum, plane indicat, enumerari hic summatim omnia illa, quæ sunt in mundo, quæ hoc loco Apostolus intelligit. Sed quia hæc lectio non potest subsistere secundum Grammaticæ rationem, nisi aliquid addatur post vocem *vitæ*, quod imperfectum alioqui sermonem suppleat, propterea in eadem editione, post vocem istam additur statim relativum *quæ*, & legitur, *quæ non est ex patre, sed ex mundo est.* Et ad hunc modum Syriacus quoque interpres plane legit. Incertum autem est quidem, an uterque istorum interpretum habuerit Græcum codicem diverse legentem ab eo, quod nostri codices habent, quem ipsi ad unguem expresserint: an vero ita, ut fecerunt, locum istum interpretati fuerint, quia ipsis sit visum, hanc esse omnino hujus loci sententiam, tametsi Græce non aliter scriptum invenerint, quam hodie vulgo inveniatur. Verumtamen multo verisimilius est, ut multis aliis in locis contingit, eos habuisse Græcum exemplar diversum in his verbis à nostris; & propterea tutius multo est, cum præsertim

ipsa

ipsa etiam vulgata Græca lectio id prorsus, ut diximus, postulare videatur, ita locum accipere, ut censeatur Apostolus omnes species summatim complecti voluisse prædictorum vitiorum, sive eorum, quæ ille dicit esse in mundo. Hic enim sensus & nullus alius, ut ante attigimus, ex interpretatione veterum istorum duorum interpretum omnino sequitur atque colligitur.

Hoc autem dictum est à nobis & pluribus confirmatum, quod facilius intelligere possimus distinctionem prædictam Apostoli istorum vitiorum, &c. quid unoquoque membro hujus divisionis contineatur, recte percipere... Nam si nihil non est complexus Apostolus sua ista divisione eorum, de quibus hoc loco agitur, facilius est ejus mentem in singulis divisionis partibus percipere, quam si aliquid, quod videlicet alicujus momenti sit, prætermiserit. Sic enim ad intelligendas singulas divisionis partes ratiocinari possumus: Quemadmodum omnia bona, quæ absolute & per se ipsa perpetuo bona non sunt, sed eatenus sunt bona, aut esse censentur, quatenus commodum aliquod ea habenti afferunt, in tres species dividuntur: Aut enim pertinent ad voluptates, aut ad utilitates, aut ad honores: sic similiter vitia, quæ versantur circa unum aliquod ex istis bonis, quatenus videlicet modus in iis quærendis exceditur, ut in tres partes dividantur, & non plures, necesse est; & sic, ut omne vitium ad unum ex his tribus capitibus redigatur: nempe vel ad libidinem, vel ad avaritiam, vel ad ambitionem. Nam libido est excessus in voluptatibus; avaritia in utilitatibus; ambitio in honoribus quærendis ac sectandis.

Necesse est igitur Apostolum, si sua divisione omnia complexus est, nihil istorum in ea omisisse. Et sane admodum est verisimile, cum Apostolus tripartito vitia ista diviserit, eum omnino ad prædicta tria capita respexisse. Tantum quærendum est, ad quod caput quæque divisionis pars referatur. Nulla autem videtur esse alicujus momenti difficultas, nisi in secunda parte divisionis, quid scilicet intelligat Apostolus per concupiscentiam oculorum; seu malumus, difficultas in eo est, in qua, ex tribus suæ divisionis partibus, complexus fuerit Johannes vitium avaritiæ. Nam quod attinet ad libidinem, eam plane in prima parte contineri constat.

Quod vero pertinet ad ambitionem, satis apparet illam contineri parte tertia: ita ut necesse omnino esse videatur, avaritiam contineri parte secunda, id est, eo, quo diximus, intellectu non admodum facile videri, nempe concupiscentia oculorum. Et sane nos una cum quibusdam aliis viris doctissimis censemus, posse demonstrari, quomodo avaritia significetur per concupiscentiam oculorum. Nam si quis diligenter animadvertat, avarus ex pecuniis suis & possessionibus congestis, quæ modum superant, cum ipse illis earumque fructibus non utatur, nullum majus habet inde commodum, quam suos oculos, si non corporis, certe animi, oblectare. Et hinc fit, ut avari, qui corporis oculis utuntur, sæpissime suas pecunias, suasque possessiones revisant, in iisque spectandis, & quodammodo scrutandis atque examinandis multum temporis consumant.

Quod si quis quærat, cur Johannes, cum vellet avaritiæ mentionem facere, non usus sit verbis durioribus atque expressioribus: credimus posse responderi, illum voluisse ita avaritiæ mentionem facere, ut simul stultitiam ac miseriam quandam avarorum hominum indicaret, neque curasse, ut clarius loqueretur, cum apparere posset, necessarium esse, propter rationes à nobis ante allatas, eum in secunda ista suæ divisionis parte avaritiam significare voluisse. Nam certe summa est stultitia eorum hominum, & simul miseria propter summum laborem, quem hujus rei causa subeunt, qui opes supervacaneas congerunt, quibus videlicet ipsimet postea non utantur, & ex quibus nullo modo eum fructum percipiant qui proprius illarum est: sed tantummodo id commodi & oblectamenti inde trahant, vel potius trahere studeant, quod non pertinet quicquam ad proprium illarum usum, & quo potius imaginario, quam vero commodo, multo magis cupiditate accenduntur ac torquentur opes nihilominus congerendi: cum interim, tanquam Tantalus ille apud inferos, de quo Poëtæ fabulantur, cum summa siti laborent, ac pene enecentur, neque prætereuntes aquas, quæ eorum labra attingant, nec poma, ad quæ alioqui manibus pertingere possint, haurire, aut carpere, ad sitim restinguendam possint, id est, nullo pacto audeant: metuentes, inquam, ne opes congestæ aliquo modo pereant, non audent isti miseri in summa earum abundantia ipsas attingere, id est, ullo modo eas in suum usum convertere. Hæc, inquam, mihi causa videtur, cur Apostolus per ipsam circumscriptionem concupiscentiæ oculorum avaritiam significare voluerit.

Sed jam videamus, an in reliquis duabus partibus Apostolicæ divisionis sit difficultas aliqua. Mihi quidem non videtur. Concupiscentia siquidem carnis, qua prima pars continetur, satis expresse videtur declarare, quicquid pertinet ad libidinis vitium, id est, ad supervacaneas voluptates quærendas. Sive enim illæ ad cibum & potum pertineant, sive ad lascivias, sive ad quicquid aliud, circa quod versetur libido, & ei contraria virtus temperantia, id omne videtur exprimi ea nominando, quæ ad carnis cupiditatem spectent. Quin etiam carnis vocabulum apud sacros scriptores tam latæ significationis est, ut operum carnis nomine omnia vitia in Sacris Literis inveniantur comprehensa; ut cum sæpe alibi, tum maxime apud Paulum Gal 5. Verumtamen multo magis proprie eodem carnis vocabulo, vitia ista, quæ circa voluptates versantur, quam ulla alia sine dubio significantur. Vere enim ac proprie voluptates ad appetitum spectant. Apppetitus vero ex ipsa carne & sanguine plane proficiscitur.

Porro in tertia hujus divisionis parte, quamvis ea à quibusdam multo aliter explicetur; & credatur, ea contineri avaritiæ vitium; mihi tamen prorsus videtur, satis egregie exprimi vitium ambitionis. Quid est enim aliud ambitio, id est, appetitio nimia & conquisitio honorum, quam vitæ fastus seu superbia, qua quis vehementer oblectetur? Nulla siquidem res est, quæ magis hominem supra alios extollat, quam affluentia honorum, qui eo interdum progrediuntur, ut is, cui exhibentur, tanquam Deus aliquis colatur & suspiciatur. Exemplo sit Romanus Pontifex, qui propter hanc solam causam, quod illi honores exhibentur, qui omnem modum excedunt, eo jam diu devenit, ut Deus etiam terrenus esse dicatur atque affirmetur.

Jam vero ex enumeratione, quam summatim facit Apostolus, earum rerum, quæ sunt in mundo, à quibus amandis nos deterret, & ex explicatione ipsarum nostra, satis constare potest id, quod diximus: non esse Apostolo propositum hoc loco, ut à sceleribus sive ab iis vitiis, quæ ipsi mundo vitia videntur, nos retrahat: sed ab iis, quæ mundo majore ex parte vitia non videntur. Neque enim mundus improbat, seu vitium esse statuit, voluptates carnis sectari, modo illæ cum alterius injuria non sint conjunctæ; & modo non ita omnem modum excedant, ut jam vere voluptates non sint, multaque mala & incommoda ipsis veris voluptatibus plane contraria ex iis consequantur.

Idem dici merito potest de congerendis pecuniis; nempe, ejusmodi studium à mundo non damnari, ubi nemo evidenter lædatur. Denique, neque ipsa ambitio à mundo culpatur, nisi ejusmodi sit, ut cum aliorum contemtu fuerit conjuncta. Neque enim Johannes, tria ista, quæ *in mundo esse* dicit, nominando, aliquid addit, ex quo colligi possit, ipsum non res ipsas simpliciter, sed earum excessum damnare: verum simpliciter & absolute loquitur, ita ut constet, unumquodque istorum trium ab ipso culpari, etiamsi modum non excedat. Quod recte perpensum, & cum eo conjunctum,

ctum, quod dicit *hæc esse in mundo* satis demonstrare potest, de illis hic non agi, quæ mundus ipse non probat, sed & abominatur & punit; cujusmodi sunt omnia graviora vitia, vitiosave facta, quæ scelera nuncupantur. Nec modo non improbat mundus quicquam istorum trium, verum etiam in honore & existimatione habet eos, qui ista sibi comparare norunt citra ullius injuriam. In quo studio quo magis excelluerint, eo etiam magis, præsertim in honoribus & pecuniis acquirendis, admirationi cuidam mundo esse solent. Monet igitur Apostolus, ut non sinamus nos opinione ista, qua mundus plane imbutus est, ullo pacto involvi; quippe quod ista omnia *ex Patre non sint*, id est, valde dissideant ab iis, quæ Deus per Christum nos sectari jussit, & ab omni ratione Euangelii nobis patefacti.

Subjicit autem Johannes post rationem istam, quod ista non sint ex Patre, *ea esse ex mundo.* Quod per se, quatenus tamen isti rationi adjungitur, ad eam corroborandam & explicandam omnino pertinet. Sed quia jam dixerat Johannes, ista omnia esse in mundo, videtur, hujusce rei habita ratione, dici posse, adjectionem istam esse supervacaneam. Verumtamen credimus, eam non inaniter ab Apostolo factam fuisse. Aliud siquidem est *esse in mundo*; aliud vero *esse ex mundo. In mundo sunt* ea, quæ maxime in mundo vigent. *Ex mundo* vero ea, quæ ex ipso mundano spiritu, à divino spiritu distincto ac sejuncto, promanant. Itaque defendi potest, Apostolum sine ulla redundantia seu tautologia, non contentum dixisse, quod ista omnia non sint ex Patre, addidisse majoris declarationis & confirmationis gratia, *ea esse ex mundo*, quamvis jam *illa esse in mundo*, dictum fuisset. Totum vero hoc potissimam rationem continet cur Johannes ab istis sectandis prorsus dissuadeat: qua non contentus addit aliam, quamvis re ipsa, sive jure ipso inspecto, aliquanto minus virium habentem, tamen & ipsam maximi momenti, ut, si à studio rerum istarum nos non deterret, quod sint adversantia præceptis ac voluntati Dei & Christi; & si isto recti ac justi amore inde non abstrahimur, deterreamur saltem indeque abstrahamur propter summum damnum, quod nobis ista afferunt, quod est privari æterna vita, quo nimirum damno nullum majus aut gravius ne cogitari quidem potest.

Vers.17. Propterea igitur hic statim subjicit, *Et mundus transit, & concupiscentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.* Habet hæc ratio ab Apostolo adjuncta, si ejus verba spectemus, omnino partes duas, ut cuilibet manifestum est. Posterior autem pars quæ est, eum, qui facit voluntatem Dei, manere in æternum, priorem illustrat, quæ sine ipsa vel non ita bene intelligetur, vel certe non admodum magnæ efficaciæ esset. Sunt autem istæ duæ partes ejusmodi, ut possint etiam, quamvis nos ex utraque simul unam rationem, quam paullo ante expressimus, elicuerimus, nobis duas rationes suppeditare. Quarum altera sit, res istas omnes esse fluxas ac caducas; altera vero, eum, qui ipsas vitet, & consequenter id faciat, quod Deus vult, manere in æternum. Nam certe qui ab istis tribus cupiditatibus abstineat, vix fieri potest, aut ne vix quidem, si modo id in eum finem faciat, ut Deo Christoque obediat, quin integre, quatenus ad vitam æternam consequendam necesse est, Dei Christique præceptis obtemperet. Quod si velimus, ut modo faciebamus, quasi unam tantum rationem Apostolus afferat, ita verba ejus accipere, dicendum est, verba illa, *& mundus transit, & concupiscentia ejus*, paullo obscuriora esse, & plus continere, quam præ se ferant, idque declarari, ut antea attigimus, à sequentibus verbis. Neque enim, si pro una tantum ratione accipiatur utraque pars verborum Apostoli, priorum is sensus simpliciter est, quem ipsa præ se ferunt. Namque in illis non exprimitur, quod pereat is, qui res istas sectetur, & mundanis cupiditatibus sit deditus: sed tantum, quod ipse mundus transit una cum concupiscentia sua. Atqui necesse est ad rationem Apostoli concludendam, ut is pereat, qui mundana sectetur; & propterea dubitandum non est, quin in prioribus istis verbis, sensus iste, licet aliquanto obscurius, contineatur, quia videlicet Apostolus, dum ait, mundum transire, significare voluerit, non modo vitam hanc mortalem desituram: sed etiam eos plane desituros, & in æternum perituros, qui ea sectati fuerint, quæ isti mortali vitæ sunt maxime ac proprie accommodata. Istud ex posterioribus verbis, quæ per antithesin subjiciuntur, aperte constat. Opponitur enim in illis, *Manere in æternum*, ei quod est, *Esse desinere*, & sic in æternum perire: si modo ita Apostoli verba accipiantur, ut unicam rationem contineant, quemadmodum dictum fuit. Quanquam ad prædictum modum etiam accepta, videri possunt in unica ratione, quæ est, sectantes mundana amittere vitam æternam, duas quodammodo rationes complecti: quarum altera sit, eum perire in æternum, qui mundanarum cupiditatum fuerit studiosus; altera vero, eum in æternum manere, qui Dei voluntatem fecerit: quamvis revera, quemadmodum reipsa unum & idem est, ut paullo ante indicavimus, Nequaquam mundanas cupiditates sectari, &, Dei voluntatem facere: sic similiter unum & idem sit, Non perire in æternum, & Manere in æternum. Præcipue cum istud, In æternum non perire, possit ita accipi, ut significet, Quamvis quis esse desinat, tamen istud non fore perpetuum; seu istam, ut sic dixerim, desitionem non fore æternam. Nam certe, manere in æternum, non potest significare, nunquam revera esse desinere: sed necesse est, ut significet, Etiamsi quis esse desinit, id non fore perpetuum; & futurum nihilominus, ut is denuo existat, & postea in æternum maneat.

Vers.18. Absolutis iis, quæ indicavit pertinere potissimum ad salutem eorum, ad quos scribit, & in quibus major difficultas inerat; rationibusque explicatis, cur illi omnino curare debeant, ut ista faciant: transit Apostolus ad monitionem quandam satis magni momenti in procuranda salute eorundem: quæ est, ut sibi caveant à falsis Prophetis, quos non pudebat negare Jesum esse Christum, & sic universam salutis æternæ nostræ rationem, quantum in ipsis erat, evertere. Admodum autem dextre monitionem hanc suam proponit Apostolus ob eam causam, quam explicabimus in enarrando versiculo 20 & 21, ubi etiam exponemus, in quo consistat ista ipsius hac in re dexteritas. Nunc verba ipsius, quæ hactenus explanatis subjiciuntur, explicemus. Sic igitur ait, *Pueruli, ultimum tempus est, & sicut audivistis, quod Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: Unde scimus, quod ultimum tempus est.* Hoc loco nomen *pueruli*, non quidem, ut Beza putavit, & quidam alii cum ipso, eos puerulos significat, quos antehac eadem appellatione nominavit, id est, eos, qui teneriore ætate erant: sed universos, ad quos scribebat. Idem enim valet hoc loco nomen *puerulorum*, quod in ipso initio hujus capitis, & alibi infra nomen *filiolorum* usurpanturque hæc duo nomina, utrumque pariter ad significandam benevolentiam, & simul autoritatem quandam, quam quis erga illos habeat, ad quos ad hunc modum scribit, aut loquitur. Nam de ipsa appellatione puerulorum habemus exemplum expressum in Euangelio Johannis cap. 21. ℣. 5, ubi Christus post resurrectionem suam Discipulos suos puerulos appellat, ut notavimus in supra citato loco disputationis nostræ de Christo Servatore, unde alia peti possunt, quæ ad eandem significationem & usum istorum duorum nominum ostendendum pertinere possunt.

Quanquam quod attinet ad præsentem locum nostrum, sciendum est, nec apud Veterem Latinum interpretem, nec apud Syriacum legi vocem *pueruli*, seu, quod attinet ad Latinum, *infantes* sic enim is vocem Græcam παιδία supra reddidit. Verum apud Latinum quidem volunt haberi vocem *filioli*: apud Syriacum vero ut antea, ubi *filioli* tum in Græco tum in Latino codice legitur, haberi *filii mei*. Quæ diversa utriusque interpretis, ab eo, quod vulgati Græci codices habent, istius vocis lectio, omnino suadet, extitisse aliquando Græcos codices, qui hoc loco non παιδία sed τεκνία haberent.

Unde

Unde etiam apparet, quam sit vana & futilis interpretatio illa, quæ omnino vult, hic Apostolum denuo ad puerulos suum sermonem convertere, quemadmodum fecerat ad patres & ad adolescentes, præter manifestas ac validissimas rationes, quibus & alibi & hic interpretationem istam monstrositatis cujusdam ac falsitatis convicimus.

Itaque nihil dubitandum est, ut jam conclusum fuit, Johannem hoc loco omnes plane alloqui, ad quos scribit, quibus primum affirmat, *ultimum tempus esse*, seu, ut Latina vulgata editio habet, *novissimam horam.* Quod quidem, etiamsi idem mox repetit, judicio meo, non tam propter hoc ipsum dicit, ut moneat, ultimum esse tempus sive horam, quam ut cum hac conjungat, esse jam antichristos multos, cum, ut diximus supra, satis appareat, ut ex sequentibus patebit, propositum Apostolo hoc in loco fuisse, monere istos, ad quos scribit, ut sibi à falsis Prophetis caveant. Perinde igitur accipienda sunt verba Apostoli, ac si dixisset, Audivistis Antichristum venturum, & sic vobis non debet esse novum, quod falsi Prophetæ Christo adversantes existant, quemadmodum revera nunc existunt, & quidem multi. Nam & hoc scitis, aut scire debetis, ante ultimum tempus & horam extituros multos ejusmodi: quippe quod præter alia ejusce rei divina testimonia, habeamus testimonium apertum ipsius Domini Jesu, qui id aperte prædixit. Nam sine dubio respexit hic Apostolus potissimum ad Christi prædictionem quæ habetur Matth 24.24, ubi interrogatus Dominus de tempore desolationis templi Hierosolymitani, & de signo adventus sui & consummationis seculi; ubi dixisset post alia multa, fore tunc, id est, cum futura esset supra dicta templi desolatio, talem afflictionem, qualis neque fuerat, neque futura erat unquam, & quod, si dies illi non decurtarentur, nemo evasurus esset. Quæ omnia multo melius sine ullo dubio accommodantur ad excidium Hierosolymitanum, quam ad finem mundi, & ad illum Christi adventum, qui fuit tempore Vespasiani Imperatoris, & Titi ejus filii, quam ad illum, qui futurus est in fine mundi. Postquam, inquam, hæc dixit ac monuit, statim inquit: *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Excitabuntur enim pseudo-Christi, & pseudo Propheta, & dabunt signa magna, &c.* Videtis igitur, inquit Apostolus, quod ante ultimum tempus sive horam futuri sunt falsi Christi, & falsi Prophetæ, & inter alia ipsum Christum hoc signum dedisse istius proximæ ultimæ horæ. Quare nihil mirum videri vobis debet, quod antichristi multi nunc existant; sed tantum inde potestis ac debetis colligere, quod ultima hora instet. Hæc omnino videtur esse mens Apostoli, & ad hunc modum posse παραφραστικῶς ipsius verba explicari.

Neque est quod quis miretur, nos appellare *ultimam horam*, tempus excidii Hierosolymitani. Patet enim ex ipsis Christi verbis toto loco supra dicto apud Matthæum, & ex re ipsa, maximam esse convenientiam inter excidium istud & ultimam impiorum condemnationem, quæ in ultimo judicio fiet; &, quemadmodum plerique omnes animadverterunt, prædictum excidium, judicium quoddam memorabile atque insigne, & aliquo modo universale Dei & Christi fuisse, & propterea, quemadmodum dici potest, Christum tunc advenisse, quamvis non ita proprie, ut cum adveniet ultimum judicium facturus: sic etiam tempus excidii istius posse apellari ultimum tempus, ratione habita populi quondam Dei, id est Judaici populi, qui tunc subiit ut maximam omnium, sic ultimam sui universalem condemnationem. Quamvis igitur Apostolus monitionis suæ, quam toto hoc loco facit, initium sumat ab affirmando, quod ultima hora sit, non est ullo modo aliter censendum, quam ut paullo ante explicavimus. Nam ipsa statim sequentia verba, postquam iterum mentionem fecit ultimæ horæ, satis indicant, ejus propositum esse, non de ipsa ultima hora, sed de falsis Prophetis loqui, & non circa illam, sed circa hos revera ejus monitionem versari. Quæ ipsius verba antequam explicemus, dicendum est aliquid de aliorum interpretatione istius ultimæ horæ, sive temporis. Nondum enim quenquam hactenus invenimus, qui horam istam seu tempus ita interpretetur, ut nos interpretamur. Videntur autem plerique intelligere ab Apostolo vocari ultimum tempus totum tempus, quod est, futurumve est, post Christum usque ad mundi finem. Verum quod Apostolus hic voluerit istud significare, nulla prorsus est verisimilitudo. Nulla est enim causa, cur hoc loco moneat, totum istud tempus à Christo ad mundi finem esse tempus ultimum: tum quia hoc per se: & ita intellectum, ut intelligi debet, satis omnibus potest esse notum; tum quia nihil ad ejus propositum hoc spectat, neque ex tali ultimo tempore quicquam potest concludi de falsis Prophetis & antichristis venturis, quippe quod tempus istud semper sit. Unde, si quid concludi posset, ex tali tempore omnino concluderetur, falsos Prophetas & antichristos perpetuo esse ac fore: quod & falsum est, & ad Apostoli mentem nihil facit, qui tamen ista duo, adventum scilicet falsorum Prophetarum & Antichristorum, atque tempus sive horam ultimam simul conjungit, & alterum ex altero colligit. Quæ etiam collectio alterius ex altero, eaque reciproca, satis docet, neutrum per se esse perpetuum. Non colligitur autem, quemadmodum ex ipsius Johannis verbis satis intelligi potest, ex illius singularis Antichristi adventu similiter hora seu tempus ultimum, ut colligitur ex adventu plurium antichristorum. Quandoquidem videmus Apostolum affirmare, adesse, id est, tum, cum scribit, adfuisse eam ultimam horam, nec tamen adhuc singularis ille antichristus venerat, de cujus adventu quod ait illos jam audivisse, vix videtur referri posse ad ullum locum, qui apud Euangelistas extet, sive ad ulla Christi verba, quæ ab ipsis memoriæ mandata fuerint. Et verisimile est, respexisse Johannem (si modo ad aliquid respexit, quod jam sub Novo Testamento divinitus scriptum esset) ad Pauli locum posterioris Epistolæ ad Thessal. cap. 2, qui sane valde insignis est atque apertus, quod attinet ad singularis istius Antichristi prædictum adventum, & Sacris Literis testatum.

Vers. 19. Sed jam ad sequentia Apostoli verba accedamus, quæ talia sunt, *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ex hoc loco valde multi colligunt, fieri non posse, ut quis semel veram fidem in Christum habeat, & sic vere Christianus sit, & postea esse desinat: quamvis hoc manifeste pugnet & cum ipsa ratione, & cum non paucis locis Sacrarum Literarum; adeo ut ad collectionem istam & loci hujus interpretationem refellendam nihi aliud sit opus, nisi ostendere, verum sensum horum verborum, non dicam esse, ut vere est, sed esse posse alium, quam isti putant. Nihil enim cogit ita Johannis verba accipere, ac si, cum dicit, *non erant ex nobis*, voluerit dicere, illos nunquam vera fide in Christum fuisse præditos, quemadmodum requirit interpretatio ac collectio istorum, quam diximus: immo satis patet, vim verbis fieri, si in hunc sensum accipiantur, cum in illis nihil habeatur de toto præterito tempore, sed tantummodo per tempus præteritum imperfectum significetur, illos, cum ab aliis se separarunt, non fuisse ex ipsorum numero.

Et sic verba quæ sequuntur, *si enim fuissent ex nobis, &c.* non ita accipi debere, ac si Johannes diceret, illos, si unquam vere in Christum credidissent, nunquam ab aliis discessuros fuisse: sed tantum, non fuisse discessuros, si fuissent ex aliorum numero, nempe tunc, vel paullo ante, quam re ipsa discesserunt. Quis autem non videt, mentem Apostoli esse, monere eos, ad quos scribit, ne sinant sibi imponi, neve temere credant, istos, quos ipse antichristos nominat, quamvis à se, & ab aliis, qui cum ipso sentiebant, prodiissent, & aliquando cum ipsis congregarentur, & uno eodemque in cœtu essent, esse revera ex ipsorum numero, & consequenter

in isto-

in iſtorum doctrina parum aut nihil diverſi contineri ab eo, quod ipſe Johannes, & alii cum ipſo ſentientes credebant, ac docebant. Quandoquidem longe aliter rem ſe habere, vel id unum demonſtrare poterat, quod iſti ab ipſis diſceſſerant.

Poſtquam igitur Apoſtolus ſatis oſtendit, ex ſeceſſione, quam iſti ſecerant, ab ipſo & ab aliis, eos non eſſe nec fuiſſe, cum ſecederent, ex numero illorum, ſubjungit cauſam, cur Dei ipſius conſilio factum cenſeri poſſit, ut illi ab ipſis diſcederent, inquiens: *ſed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.* Hæc particula videtur habere aliquid novi & inuſitati in conſtructione, & cohæſione cum præcedentibus, & in ſui ipſius ſenſu. Neque enim cum antecedentibus cohæret, niſi ſubaudiatur *hoc factum eſt*, aut aliquid ſimile, ut integer ſermo ſit, *ſed hoc factum eſt, ut manifeſti ſint, &c.* Jam eorum verborum, *quoniam non ſunt omnes ex nobis*, ubi à vetere interprete, ut ſæpe alibi, poſita eſt particula rationis redditiva *quoniam* pro particula *quod*, cum ſimplici expoſitionis ſignificatione, conſtructio & porro ſenſus eſt aliquanto difficilior. Nam ſi vox *omnes* cum ſua conſueta ſignificatione accipiatur, & ad eos tantum referatur, qui diſceſſerant, videtur ſenſus inde elici non conveniens. Nam quid hoc aliud eſt, *ut manifeſti ſint iſti, qui diſceſſerunt, quod non omnes ſunt ex nobis*, quam tacite conſiteri, aliquos ex iſtis fuiſſe ex numero Johannis & ſuorum, licet non omnes tales eſſent. Atqui ex præcedente ipſius Johannis ratiocinatione, & ex eo, quod eos antichriſtos appellat, neceſſarium plane ſit, neminem ex iſtis fuiſſe ex numero Johannis & ſuorum. Quare ſtatuendum videtur, ſi vox *omnes*, ut quidem ſtructura verborum omnino poſtulare videtur, ad ſolos iſtos, qui diſceſſerant, referatur, eam non recipere ſuam propriam ſignificationem, ſed *non omnes* idem hic ex Hebraica ſimili phraſi ſignificare, quod *nulli.* Tritum enim eſt, exempli gratia, *Non ſervabitur omnis caro*, idem ſignificare, quod *Nulla caro ſervabitur*, idque ex Hebraico idiotiſmo apud Paulum Rom.3.20. Quapropter & hic, *non ſunt omnes ex nobis*, idem videtur valere poſſe, quod *nulli ſunt ex nobis*, id eſt, *nemo ex illis eſt ex noſtro numero.*

Verum tamen, quamvis verborum conſtructio videatur repugnare, vel potius manifeſte repugnet, cum in iſta tota particula nullum ſit verbum, quod indicet, de aliis ſermonem eſſe, quam de iis, qui diſceſſerant: tamen valde dubito, ne ſenſus horum verborum ſit alius, is ſcilicet, qui videtur ab aliis quoque animadverſus, & quidem ſolus, quod ſcilicet factum ſit, nempe divino conſilio, ut iſti diſceſſerint, & diſcedendo oſtenderint, ſe non eſſe ex aliorum numero, ut palam fiat, non omnes, qui Chriſto dant nomen, & cum Chriſti fidelibus congregantur, eſſe ex Chriſti fidelium numero. Qui ſenſus & valde egregius eſt, & videtur hujus loci proprius, & ſimul conſentit, ut alii annotarunt, cum Pauli verbis 1 Cor.11.18, 19, ubi Apoſtolus ait, ſe audiviſſe inter illos Corinthios fuiſſe ſciſſuras, & ex parte aliqua ſe id credere. *Oportet enim*, inquit, *& in vobis hæreſes eſſe, ut, qui ſunt probati, manifeſti fiant in vobis.* Miror autem alios, qui prædictum ſenſum in Johannis verbis vel animadverterunt, vel ſunt ſuſpicati, nullam prorſus mentionem, quatenus memoria teneo, feciſſe conſtructionis verborum, quæ huic ſenſui, ut dictum eſt, plane adverſari videtur; ita ut videatur neceſſe, ea verba, *ut manifeſti ſint*, ita interpretari, ac ſi ſcriptum eſſet, *ut manifeſtum fiat.* Et ſic ſane habetur in Syriaca interpretatione, & in Bezæ tranſlatione, qui Beza propterea Græce legit, non ἵνα φανερωθῶσιν, ſed ἵνα φανερωθῇ, & eodem modo neceſſe eſt Syriacum interpretem legiſſe, qui præterea pro eo, quod ſupra in aliis editionibus tam Græcis quam Latinis habetur, *Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum*, loco, inquam, horum verborum habet, *ſed egreſſi ſunt à nobis.* Quæ verba, præter primam voculam *ſed*, quippe quæ ex ipſo Græco contextu ſit, videtur ipſe de ſuo addidiſſe, ubi nos addidimus, *Hoc factum eſt*, inter particula *ſed* & *ut*, & ſic cenſendum videtur, ipſum habuiſſe Græcum contextum, ut nunc quidem alioqui habemus, ſed ſine verbis iſtis, quæ pauſſo ante recitavimus.

Verſ.20. Allata cauſa, cur factum fuerit, nempe divino conſilio, ut iſti ſeceſſionem fecerint, quæ eſt, ut appareat, non omnes, qui Chriſti fidem profitentur, ipſa Chriſti fide eſſe præditos. Quam ſententiam Paulus quoque expreſſit poſteriore ad Theſſal.3.2, dum ait: *Non omnium eſſe fidem.* Ex qua cauſa conſequitur, ut tandem appareant, qui ſunt veri fideles firmiter manentes in vocatione ſua, & ſic, ut Paulus ad Corinthios ait, qui probati ſunt, manifeſti fiant. Allata, inquam, hac cauſa, & ſic tacite confirmato, iſtorum antichriſtorum exortum, & à veris fidelibus ſeceſſionem non ſine Dei conſilio factam fuiſſe, ait, eos, ad quos ſcribit, divinitus eſſe inſtructos, ut timeri non debeat, ne ab iſtis decipiantur, idque exprimit his verbis, *ſed vos unctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia.* Græci codices in initio horum verborum habent καὶ, id eſt, ſimplicem copulam: ſed & Latina vulgata editio, & Syriaca interpretatio habet adverſativam iſtam, quam nos legimus, nec certum eſt, an aliter iſti Græco legerint, atque hodie legatur. Certum eſt enim ex Hebraicæ Linguæ uſu, ſimplicem copulam ſæpe pro adverſativa poni, ut quidem hic fieri debere omnes animadverterunt. Jam quærendum eſt, quid ſit hæc *unctio* quam Johannes dicit iſtos habere, & quis ſit ille *ſanctus*, à quo illam eos habere dicit.

Unctio iſta eſt ſine dubio divinum beneficium cognoſcendi ipſas res divinas, quatenus homini eſt opus.

Sanctus vero ille, à quo ea proficiſcitur, videtur poſſe intelligi tam Pater quam filius, quam etiam Spiritus Sanctus. Quamvis enim, ut nos quidem pro comperto habemus, Spiritus Sanctus non ſit perſona: tamen palam eſt, ei ſæpiſſime tribui, quæ ſunt propria perſonarum, cujuſmodi videtur iſtud, unctionem ab eo proficiſci. Non enim video, cur, ſi unctio iſta illud eſt, quod diximus, dici nequeat, eam à Spiritu Sancto profectam fuiſſe. Verumtamen, quia mos divini ſermonis eſt dicere, non quidem Spiritum Sanctum ungere, quod idem fere eſſe videtur, quod unctionem ab eo proficiſci: ſed Spiritu Sancto aliquem ungi; & quia ex aliis locis ſimilibus, qui in hac Epiſtola ſeſe deinceps offerent, videtur conſtare, unctionem iſtam tribui vel Deo vel Chriſto, propterea hic quoque placet omnino *ſancti* appellatione vel Deum vel Chriſtum intelligere. Vulgo videntur de Chriſto iſtud nomen accipere. Reſpicientes cum ad alia multa teſtimonia, quæ hanc ſententiam continent, tum ad illud, quod extat 1 cap. Euangelii ejuſdem Johannis, in verbis illis, *& de plenitudine ejus omnes accepimus.* Sed, niſi fallor, iſtud abſolute ac ſimplicite de hoc loco aſſeverari nequit; cum optime poſſit *ſancti* ſimplex nomen Deo ipſi accommodari, qui dicit, *ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Immo vero iſta *ſancti* appellatio, magis proprie, & magis frequenter, quam cuiquam alii, Deo accommodatur, & ad ipſum celebrandum in Sacris Literis uſurpatur, ut cap.6. Eſaiæ, & 4 Apocal. & alibi valde frequenter. Poſſet etiam dici, cum certiſſimum ſit, unctionem iſtam à Deo tanquam primaria cauſa, à Chriſto vero tanquam ſecundaria proficiſci, voluiſſe Apoſtolum unica appellatione, & tanquam unius perſonæ, Deum ſimul & Chriſtum ſignificare, propter ſummam, & omnibus numeris, quatenus diverſa eſſentia fert, abſolutiſſimam, quæ inter Deum & Chriſtum eſt, conjunctionem. Qua de re ſuperius aliquid diximus, & inferius in hujus Apoſtoli verbis loca occurrent, quæ plane oſtendere videntur, illum (nimirum propter jam dictam cauſam) de Deo ſimul & Chriſto loqui, non ſecus ac ſi ambo una tantum perſona eſſent. Ea verba, *& noſtis omnia*, continent manifeſtam Synecdochen, ſeu potius Ellipſin. Neque enim poteſt ullo pacto vox *omnia* prorſus univerſe accipi: ſed vel neceſſe eſt ut ex omnibus quædam tantum per vocem iſtam ſignificentur, vel potius certa

quæ-

quædam omnia: nempe ea omnia, quæ spectant ad Dei erga nos voluntatem per Christum patefactam, seum avis in novo fœdere, quod cum humano genere pepigit, comprehensam; idque quatenus voluntas ista divina ejusque cognitio necessaria est ad hoc, ut finem illum consequamur, in quem fœdus istud à Deo nobiscum sancitum est, remissionem nimirum peccatorum & vitam æternam.

Modeste admodum agit hic Apostolus cum istis, quos monere vult, ut sibi ab istis antichristis caveant. Vult enim interea nihilominus videri, sibi persuasum esse, eos tali monitione non egere; quo eam illi libentiore animo ferant, nec ullo modo indignentur, si hæc res illis quodammodo in memoriam redigatur. Quanquam possunt hæc Johannis verba ita accipi, ac si dicere velit, eos non habituros excusationem ullam, si sinant se ab istis seductoribus decipi, cum per divinam unctionem fuerint edocti ea, quæ ad istos agnoscendos & vitandos sunt necessaria. Syriacus interpres hoc in loco habet, non quidem *nostis omnia*, sed, *nostis* seu *discernitis omnem hominem*; cujus lectionis cum nullum alibi expressum indicium extet, statuendum est πάντα apud ipsum idem valuisse quod πάντα ἄνθρωπον, vel illum accepisse vocem πάντα, ac si scriptum esset πάντας, cum aliquoties in Sacris Literis (ut à nobis indicatum est in explanatione verborum Christi, *Tu es Petrus*, &c. Matth. 16) neutrum genus pro masculino usurpatum fuisse aperte constet. Qui quidem Syriacus interpres nihilominus inferius paulo, id est ℣. 27 ubi similis sententia habetur, quod Græce est περὶ πάντων, non quidem de omnibus hominibus, sed de re omni interpretatus est.

Vers. 21. Pergit Apostolus inquiens, *Non scripsi vobis, quod non nostis veritatem, sed quod nostis eam.* Sic enim ad verbum sonant verba Græca. Nam vulgata editio, pro *quod non nostis*, habet, *quasi ignorantibus* rursus pro *quod nostis*, habet *quasi scientibus*. Voluit enim vetus interpres omnino exprimere, se voculam Græcam ὅτι accipere cum significatione reddendæ rationis, non autem simpliciter exponendi. Et hanc interpretationem videntur fere omnes sequi. In Syriaca tamen editione, non minus quam in ipso Græco contextu, dubium manet, utro sensu vocula ista sit accipienda, quam tamen interpres iste non repetit ante verbum *nostis*. Nos vero etiamsi facile huic interpretationi vulgo receptæ assentimur, tamen noluimus præterire, quin moneremus, posse etiam Johannis verba ita accipi, ac si Johannes dixisset, Non scripsi vobis, vos non nosse veritatem, sed nosse eam, ut scilicet verbum *scripsi*, cum sit præteriti temporis, referatur non ad id, quod nunc scribit, & ante ista verba proxime scripsit, sed ad illud, quod antea scripsisset.

Nam ante hanc Epistolam illum aliam quampiam ad istos eosdem scripsisse, indicat repetitum illud, *scripsi vobis*, quod antea habuimus, statim subjectum, postquam non semel repetierat, *scribo vobis*. Et sane aliquanto durius videtur, ut verbum *scripsi* accommodetur ad ea, quæ proxime ante sunt scripta; præsertim non addito saltem demonstrativo pronomine *hoc*, sive *hæc*, ut fieri solet, cum verbum *scripsi* ad proxima relationem habet: quemadmodum mox ipse Johannes facit, inquiens, *hæc scripsi vobis de iis, qui seducunt vos.* Non nego tamen verbum *scripsi* etiam sine ejusmodi pronomine demonstrativo, aut alia voce simili, posse referri ad ea, quæ in ipsa eadem Epistola sint scripta, & porro ad illam ipsam totam Epistolam ubi verbum istud extet. Cujus rei, judicio quidem meo, exemplum est id, quod legimus circa finem prioris Petri Epistolæ, ubi scriptum est, *Per Sylvanum vobis fidelem fratrem, ut arbitror, breviter scripsi obsecrans*, &c. In his enim verbis, nisi vehementer fallor, verbum *scripsi*, refertur ad ipsam illam Epistolam, & ad ea omnia, quæ in illa continentur; nec arbitror plerosque non idem mecum sentire

Memini tamen Erasmum prædicta verba Petri ita accipere, ut inde colligat, ipsum, ante priorem istam, quam hodie habemus, ejus Epistolam, aliam ad illos eosdem scripsisse. Unde postea quæstionem movet, quomodo consistere possit in posteriore ejusdem, quam habemus, Epistola, id, quod in initio capitis 3. legitur, *Hanc jam, dilecti, secundam vobis scribo Epistolam.* Nam si aliam ante priorem scripsit, certe necesse est, ut posterior sit tertia; non autem secunda. Verum, ut ex iis, quæ diximus, apparet, sententia nostra est, Erasmum falsum fuisse interpretandis verbis illis Epistolæ prioris. Ubi tamen animadvertendum est, non mirum videri debere, si verbum *scripsi*, refertur ad illam ipsam Epistolam, & ad ea, quæ in illa sunt contenta, cum id positum sit ad finem ipsius Epist.; id quod non accidit in loco nostro, ubi verbum istud non paullo ante ipsum Epist. medium legitur.

Veruntamen quia scimus frequentissimum esse in Sacris Literis, tempus præteritum pro præsente usurpari, facile, ut diximus, vulgatæ interpretationi hac etiam in parte assentimur, ex qua necessario consequitur, voculam ὅτι, quæ mox subjicitur, tam primo quam secundo loco habere vim reddendæ rationis, cur scilicet proxime scribendo mentionem fecisset antichristorum, à quibus nimirum isti, ad quos scribit, cavere sibi deberent. Et sic Apostolus vult dicere, non propterea se ista scripsisse, quod illi non nossent veritatem: sed potius quia illam nossent, & hanc ob causam facile essent agnituri ipsum verissima loqui; id quod ab ipso nimirum potissimum quærebatur. Itaque secundum hunc sensum videtis expressam caussam, cur dextre admodum, ut supra monuimus, & quasi per insinuationem quandam istam suam monitionem de antichristis, qui jam existerent, & consequenter de illis cavendis exposuerit, vel potius suis verbis complexus sit.

Sequitur in ipsius verbis, *Et quoniam omne mendacium ex veritate non est.* Vox *quoniam*, qua vocabulum ὅτι tertio loco hic positum reddidit vetus interpres, potest, ut ante monuimus, ex ipsius interpretis sensu atque usu accipi, tam cum vi reddendæ rationis, quam cum vi simplicis expositionis, non minus quam ipsa vocula Græca possit. Quamvis autem in superioribus duobus locis plerique, ut diximus, velint, illam vim reddendæ rationis habere: tamen in hoc tertio loco eam ita accipiunt, ut simpliciter exponat, ita ut referatur non ad verbum *scripsi* remotius, ut prius, sed ad verbum *nostis*, quod proxime ante legitur. Unde factum est, ut Beza per infinitivum hæc verba reddiderit, hoc nimirum pacto, *& nullum mendacium esse ex veritate.* Et sane nullus videtur esse conveniens sensus, si particula ista hoc tertio loco vim reddendæ rationis habeat. Igitur nihil aliud hæc verba Apostoli sibi volunt, quam quod virtute continetur in proximis, nempe nostis eam, videlicet veritatem. Nam certe non modo qui veritatem novit, sed quilibet etiam, qui alioquin illam ignoret, hoc scit, nempe nullum mendacium ex veritate esse. Possunt tamen verba ista ita accipi, ac si Apostolus dicere voluerit, istos nosse quod id falsum esset, quod ab istis falsis Prophetis sive Antichristis dicebatur, nempe, quia nullam convenientiam haberet cum veritate, quam illi noverant.

Vers. 22. Quo dicto, ad rem exponendam apertius, atque id exaggerandum, quod dixit, seu potius dicere voluit de mendacio contento in eo, quod isti falsi doctores docebant, statim subjungit: *Quis est mendax, nisi is qui negat quod Jesus non est Christus? hic est Antichristus*, &c. Ait igitur Johannes, mendacium istorum Pseudo-prophetarum, & quidem ejusmodi, quo nihil possit esse majus & apertius (hoc enim indicat interrogatio ista, *Quis est mendax, nisi* &c.) in eo consistere, quod negarent Jesum esse Christum. Unde etiam sequitur, quod illos merito antichristos nominaverit; quandoquidem apertum est, antichristi nomen significare contrarium Christo: quamvis etiam significare possit eum, qui Christi loco sit, vel idem præstet, quod Christus. Hæc enim est vis particulæ ἀντὶ ut scilicet & contrarietatem, ut sic dixerim, & commutationem quandam, in ejusmodi nominum compositionibus significare possit.

Sic igitur, cum Apostolus ait, *hic est Antichristus*, tacite argumentari videtur: Jesus est Christus, & nullus alius præter ipsum. Ergo qui negat Jesum esse Christum, non modo mendax est, sed ipsi Christo aperte adversatur.

Notandum tamen est, in Græco vocem Antichristi hoc loco habere articulum, ita ut non videatur Apostolus recte concludere, & id, quod proxime dixerat, ut ejus verba ferunt, omnino confirmare, & tacite rationem reddere in verbis istis, *hic est Antichristus*, ejus, quod antea asseveraverat, istos esse antichristos, qui videlicet negant Jesum esse Christum. Nam si is, qui negat Jesum esse Christum, est ille Antichristus, ille, inquam, eximius ac singularis, ut videtur omnino significare articulus iste, non sequitur, eum esse simpliciter antichristum qui hoc faciat, sed esse istum singularem atque eximium. Id quod de istis falsis Prophetis, negantibus Jesum esse Christum, nequaquam asseruerat ante Apostolus: sed tantum simpliciter dixerat, eos esse antichristos; immo satis diserte illos ab isto eximio & singulari distinxerat. Verumtamen animadvertendum est, verba ista Johannis, *hic est antichristus*, seu potius, *ille antichristus*, posse ac debere ita accipi, non ut sensus sit, quemlibet, qui sit talis, esse illum Antichristum: sed tantum antichristum illum fore talem, ut istud idem faciat, id est neget Jesum esse Christum, unde etiam nomen antichristi habeat. Nam ex hoc consequitur, quod, quicumque idem faciat, antichristi nomine nuncupari possit, seque pessimum & falsissimum Prophetam esse ostendat, si istud facere pergat, & docere Jesum non esse Christum: quando hac ratione similis est illius omnium pessimi ac falsissimi Prophetæ atque doctoris, qui futurus est, & per excellentiam quandam Antichristus nominari debet.

Subjicit, exponendo quid sit & quanti momenti, negare Jesum esse Christum, inquiens, *qui negat Patrem & filium*. Tribuit hoc, nempe negare Patrem & filium, singulari illi Antichristo, quod tamen, cum ex eo consequatur, si quis neget Jesum esse Christum, tribuit idem quoque consequenter aliis, qui idem negent; cujusmodi erant isti alii antichristi.

Vers. 23. Probat autem, eum, qui neget Jesum esse Christum, negare Patrem & filium, his verbis, quæ illico subjungit: *Omnis qui negat filium, nec Patrem habet.* Unde necessario intelligitur id, quod verissimum est, eum, qui negat Jesum esse Christum, negare filium. Cæterum quomodo is, qui filium negat, neget etiam Patrem; sive, ut ex Apostoli verbis colligitur, non modo filium non habeat, sed neque etiam Patrem, non explicat Apostolus, sed tantum constanter affirmat. Nam quod non explicet, eum, qui negat Jesum esse Christum, negare filium, neque hujus rei causam exponat, nihil mirum est. Quandoquidem Christus, & filius, nempe Dei, idem plane significant. Unde, cum, ut dictum fuit, nemo sit Christus nisi Jesus, apparet manifeste, quod, qui negat Jesum esse Christum, negat Christum, & consequenter Dei filium.

Jam, cur, & quomodo verum sit id, quod Apostolus constanter affirmat, eum, qui negat filium, & sic filium non habet, ne Patrem quidem habere; quamvis ab ipso non explicetur, facile tamen possumus id per nos ipsi perspicere. Nam vel vox Patris hoc loco nihilo plus significat quam vox Dei, ut quidem videtur apud hunc scriptorem alicubi contingere; vel vocem Patris hic, ut plerumque alibi, usurpavit Apostolus, ut indicaret, se de Deo loqui ut pater noster est. Si igitur vox ista hoc in loco nullum majus pondus habet, quam si simplex Dei nomen pro ea positum fuisset, tunc necesse est, ut *patrem non habere* sit idem, quod non habere Deum.

Deum vero *non habere*, triplici modo potest intelligi: vel scilicet non habere opinionem, seu non credere, quod Deus sit; vel non cognoscere Deum, seu quæ sit ejus voluntas erga humanum genus; vel denique non habere Deum sibi bene faventum ac propitium, seu, non esse participem eorum bonorum, quæ ab ipso Deo singulari quadam ratione in humanum genus proficiscuntur.

Quod attinet ad primum modum significandi, quem tribuimus isti loquutioni non habere Deum, non videtur secundum illum Apostoli verba accipienda esse, vel posse ostendi, quomodo ea vera sint: cum nihil prohibere videatur, quominus quis sibi persuadeat Deum esse, id est, esse substantiam quandam, quæ divinum imperium sola ex se ipsa in omnia habeat & nominatim in universum humanum genus, & tamen interim neget Jesum esse Christum, & sic Dei filium non habeat, ut Judæi faciunt, de quibus videtur dubitari non posse, quin illi Deum esse credant, ad eum modum quem proxime exposuimus.

Verum quod attinet ad secundum significandi modum, quem agnoscimus in loquutione ista non habere Deum, concludendum omnino est, non posse quenquam secundum sensum istum habere Deum, qui filium Dei non habeat. Qui enim filium Dei non habet, is necessario non tenet, quæ sit Dei voluntas erga humanum genus, de qua Dei voluntate hoc loco agitur, cum certum sit, non modo voluntatem istam suam per suum filium Deum patefecisse; sed etiam per nullum alium eam ab ipso nobis patefactam fuisse: quemadmodum ipse Dei filius satis aperte docet cum Matth. cap. 11. ait: *Neminem nosse Patrem*, id est, Deum, *nisi filium*, nempe Dei, *& cui filius voluerit revelare.* Veruntamen quia in isto loco non Dei nomen ipsum, sed Patris habetur, unde posset quis negare, ex istis verbis aliud colligi, quam sine Jesu non posse cognosci Deum, quatenus Pater noster est: non autem absolute, Deum sine ipsius filii cognitione cognosci non posse: (quanquam hoc, ut mox dicemus, in proposito nostro frivolum est) placet alia testimonia proferre, ubi ipsum Dei nomen habetur, cujusmodi est illud hujus ejusdem scriptoris cap. 1, sui Euangelii ℣. 18. ubi asserit, *Deum à nemine unquam fuisse visum: sed filium ejus unigenitum nobis* illum *enarrasse.* Qui loquendi modus eam vim proculdubio habet, ac si dixisset, solum Dei filium eum fuisse, qui Deum nobis enarraverit, id est, ejus voluntatem nobis exposuerit. Eadem sententia continetur in eo, quod Spiritus Sanctus per Paulum Apostolum, tum posteriori Epistola ad Corinth. cap. 4. 4. tum in Epistola ad Coloss. cap. 1. 15. affirmat, nempe Christum, seu Dei filium, esse imaginem Dei inconspicui. Nec testimonium illud est omittendum, quod extat in Epist. ad Hebr. 1. 3. ubi Dei filius elegantissimis quibusdam metaphoris dicitur atque exprimitur esse is, per quem Deus ipse apertissime cognoscitur. Verum ut paullo ante indicavimus, ea testimonia, in quibus nomen Patris tantum, & non Dei expressum est, nihilominus probant id, quod hoc loco quærimus; etiamsi inde aliud nihil colligi posset, quam Deum non cognosci à nobis, quatenus noster est Pater, nisi per filium. Quærimus enim hic de Dei cognitione, quatenus ea pertinet ad ipsius voluntatem erga humanum genus. Atqui præcipuum quiddam istius divinæ voluntatis est, ut ipse sit Pater noster, & nos ejus filii. Itaque si per solum Dei filium nobis innotescere potest, Deum nobis esse Patrem, id est, eum velle nos habere pro suis filiis, hinc necessario consequitur, sine cognitione filii Dei non posse haberi cognitionem ejus divinæ voluntatis, de qua hic agimus. Ipse Dei filius Dominus Jesus cap. 14. Euangelii hujus scriptoris non longe à capitis initio dixit, *neminem venire ad Patrem, nisi per ipsum.* Ubi, quemadmodum & præcedentia & subsequentia verba declarant, per *veniendi* verbum intelligit notitiam seu cognitionem habere. Cognitionem, inquam, non quidem essentiæ, sed voluntatis; quatenus videlicet illa ad nos spectat. Apparet igitur, eum, qui negat Dei filium, seu filium Dei non habet, non cognoscere Dei voluntatem erga humanum genus.

Postremo, quod attinet ad tertium modum significandi istius loquutionis, *non habere Deum*, dicimus similiter certum esse, & ex his, quæ modo conclusimus, necessario consequi, eum, qui filium Dei non habeat, non posse habere Deum sibi propitium & faventem; nec esse participem eorum bonorum, quæ à Deo singulari quadam ratione erga humanum genus proficiscuntur bonorum, inquam illorum, quæ proprie sunt bona; nimirum quod & felicem hominem reddant, & perpetuo durent. Certum enim est talem tantumque Dei favorem, tantamque beneficentiam, neminem posse experiri, qui Dei

præceptis

præceptis non obtemperet. Hoc autem nemo facere potest, qui ipsius Dei voluntatem erga humanum genus ignoret. Voluntatem autem hanc ignorare eos omnes, qui Dei filium non agnoscunt, seu Dei filium non habent, jam satis a nobis demonstratum fuit. Quod si velimus, cum Johannes affirmavit, eum, qui neget Jesum esse Christum, filium Dei non habere, & consequenter neque etiam habere Patrem; eum habuisse rationem potissimum paternitatis ipsius Dei respectu nostri, & sic dicere voluisse, istum non habere Deum sibi Patrem; multo adhuc manifestius causa apparebit, cur istud affirmaverit. Certum siquidem est, eatenus præcipue Deum nobis esse Patrem, & nos ipsius filios, quatenus nobis vitam æternam est daturus, nosque beneficio ejus futuri sumus immortales. Atqui, ut idem hic scriptor noster inferius cap.5.℣ſ.11. una cum universa fere Novi Testamenti scriptura aperte testatur, vita æterna, quam Deus nobis dedit, id est, promisit, ac certo daturus est, in ejus filio est, ubi statim etiam subjungit, ***Qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium Dei, vitam non habet***, nempe æternam. Et idem scriptor in initio sui Euangelii scripsit, in sermone illo, seu verbo, id est, in Christo Jesu, & sic in filio Dei, esse vitam. Cum sine dubio simplici *vitæ* nomine intelligeret vitam æternam; ut declarant ejusdem verba ista à nobis ex eadem hac Epistola proxime citata, quicquid plerique ejus loci explanatores, de alio genere vitæ, quod à filio Dei proficiscatur, sint commenti Ipsemet Dei filius Dominus Jesus supra citato loco capitis 14. Euangelii Johannis profitetur, atque asseverat, se esse viam, veritatem, & vitam. Unde statim rectissime id concludit, quod ante recitavimus, neminem venire ad Patrem nisi per ipsum. Et sic videtis quomodocumque accipiamus loquutionem istam, ***non habere Deum***, qui possit ad præsentem locum accomodari, divinitus ab Apostolo,& proinde meritissimo conclusum fuisse,quod,qui filium neget,is ne Patrem quidem habet.

Apparet autem, ut supra attigimus, ex isto modo loquendi, ***ne Patrem quidem habet***. Negare filium, continere in se, Non habere filium, sive idem utrumque esse. Et sane pro eo, quod hic Johannes dicit, ***Qui negat filium***, in prædicto loco inferius cap.5. reposuit, ***qui non habet filium.***

Cæterum in Latino codice, & in versione Syriaca additur hic: ***Qui cognoscit*** seu ***confitetur filium, etiam Patrem habet***, seu ***confitetur.*** Quæ particula in vulgatis Græcis codicibus non habetur, nec porro videtur esse necessaria; cum hic tantum agatur de eo, quod consequitur inde, quod quis neget Jesum esse Christum. Verum & propter Latinam Syriacamque lectionem, & propterea quia Beza testatur,se quatuor codices Græcos manuscriptos vidisse in quibus illa extabat, & idcirco non dubitavit in sua translatione Latina eam ponere, possumus merito statuere, illam hic reponendam esse: præsertim ob id,quod, si ea non pertinet ad proxime ante dicta, pertinet tamen ad ea, quæ statim subjiciuntur.

Vers.24. Namque illico subjungit Apostolus, ***Vos igitur quod audivistis ab initio, in vobis permaneat; si in vobis permanserit, quod ab initio audivistis, & vos in filio & in Patre manebitis.*** Ecce hic aperte mentionem facit Apostolus ***manendi in Patre & in Filio***, quod idem reipsa est cum eo, quod particula ista, quæ in Græcis codicibus reponenda videtur, continet, nempe de habendo Patre & Filio. Jam ordo verborum Græcorum, quem vetus interpres hic ad unguem servavit, est valde præposterus. Si modo vocula *vos*, per se intelligi debet, id est, aliud nihil una cum ipsa subaudiri.Nam sine dubio, si ita ea sit accipienda, non est suo loco posita; neque etiam sequentia verba recte sunt digesta, cum adhunc modum debuerint verba ordinari: *quod igitur vos audivistis ab initio*, &c. Sed sunt, qui judicent, hanc trajectionem & ordinis verborum mutationem, quam tamen Beza in sua translatione expressit, esse nimis duram; & propterea censent hic esse ellipsin quandam Hebraicam, ita ut illud *vos* idem valeat, quod apud Latinos, ***quod ad vos attinet***. Eadem porro sive ellipsis, sive trajectio habetur paullo inferius ℣ſ.27. Nos, cum de sensu ipsorum verborum aperte constet, isque nihil variet, utracumque tandem figura sermonis in illis agnoscatur, non admodum solliciti erimus, utram hic esse, statuendum sit, præsertim cum pro certo habeamus, tam hanc quam illam hoc loco agnosci posse.

Ad rem igitur ipsam accedentes dicimus, hoc, quod Apostolus monet, ut in ipsis maneat, quodque dicit ipsos ab initio audivisse, id est, non tum primum audire, sed perpetuo eos auditu percepisse, ab iis videlicet qui Euangelium eis annunciaverant, necesse est, ut sit ipsius Euangelii summa, in qua continetur beneficium, quod Deus hominibus dignatus est facere, patefaciendo eis voluntatem suam per Jesum Nazaræenum.

Ratio vero, cur ita illos moneat, as ipso statim subjicitur: Nam inquit, ***Si in vobis manserit, quod ab initio audivistis, & vos in Filio & in Patre manebitis.*** Nam certe, si istud, quod modo diximus, retineatur, deque eo nihil dubitetur, consequitur, ut is, qui ita faciat, in Filio & in Patre simul maneat, cum Jesus Nazaræenus sit ille Filius, & Deus sit ille Pater. Nam sine dubio, sicut iste novit Dei voluntatem erga homines eam esse, quam Jesus patefecit: sic necesse est, si id vere novit, ut voluntati isti obtemperet, cum ex ejus obedientia videat sibi conciliatum iri felicitatem ac vitam æternam. Jam in obedientia istius voluntatis divinæ continetur id, quod ait, ***Manere in Filio & in Patre:*** ubi apparet manifesta antithesis ejus, quod antea dixerat, videlicet qui negat Jesum esse Christum, eum & Filium & Patrem simul negare. Ex quo consequitur, hic contra fieri, id est, pro certo haberi, Jesum esse Christum. Habebit etiam hæc loquutio, ***manere in Filio & in Patre***, aliam quandam significationem, quæ est, Ita cum Patre & cum Filio conjunctum esse, ut bonorum ab utroque proficiscentium quis sit particeps. Itaque paucissimis verbis Apostolus docet, quid illis faciendum sit, si velint nihil deviare à vera obedientia voluntatis divinæ, & simul iis bonis frui, quæ perfecta & vere sola bona sunt, ac divinitus in humanum genus proficiscuntur.

Vers.25. Quæ bona apertius explicans statim subjungit: ***Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis vitam æternam.*** Ac si diceret:Dixi vobis si in vobis manserit, quod audivistis ab initio, vos etiam mansuros in Filio & in Patre; & hac ratione non dubitavi vos ad id inducere, ut id firmiter teneatis, quod ab initio docti fuistis, cum hinc necessario consequutura sit vestra felicitas, eaque summa atque æterna. Nam si Deus per Christum, & sic Pater per Filium promisit, nempe sibi obedientibus secundum ipsius Christi præcepta, æternam vitam, & Deus nec mentiri nec fallere quenquam potest, certe, si obedientiam istam præstiteritis, & hac ratione & in Patre & in Filio manseritis, fieri nullo pacto poterit, quin supremam istam felicitatem consequamini. Rursus, si in eo statu eritis, ut participes sitis excellentissimorum bonorum, quæ à Patre & filio proficiscuntur, & hoc sensu in Patre & in Filio fueritis, apparet manifeste necessarium plane fore, ut hujus excellentissimi boni à Patre & Filio proficiscentis, id est, à Patre per Filium ad nos manantis, participes sitis. Est autem in vocibus illis *vitam æternam*, quod ad Grammaticam attinet, impropria ac figurata loquutio. Nam ex vi Grammaticæ dicendum fuisset, *vita æterna.* Sed verbum *pollicitus est,* huic figurato sermoni, eique non ineleganti causam dedit: quod notandum est propter similia loca, quæ in Sacris Literis occurrere possunt, non ita aperta, ut præsens iste locus est.

Vers.26. Hic concludit Apostolus suam monitionem de cavendis falsis Prophetis, & propterea statim subjungit, ***Hæc scripsi vobis de iis, qui seducunt vos.*** Quanquam illico quædam repetit huc pertinentia, quemadmodum mox videbimus. Et hoc quidem in loco, ut supra attigimus, propter demonstrativum pronomen *hæc*, quamvis verbum *scripsi* sit temporis præteriti, possumus sine ullo dubio affirmare, verbum istud, & particulam hanc ad proxime dicta referendam esse; & Apostoli

mentem fuisse, his paucis verbis explicare, quicquid hucusque dixisset, postquam antichristorum mentionem fecerat, qui jam extitissent, & quicquid deinceps hactenus illos monuisset, huc pertinere, ut ipsi ab istis seductoribus sibi caveant; & sic, cum satis modeste, atque quasi aliud agens monitionem hanc suam antea proposuisset, non veritus est illam tandem aliquanto apertius explicare: quandoquidem vox *seducentibus* potest habere, immo revera habet, si ipsa per se consideretur, eam vim, ut non modo significet istorum antichristorum studium atque conatum, sed etian ipsius studii atque conatus effectum: ita ut videatur Johannes voluisse ista voce uti, ut posset illa quidem de conatu & studio tantum accipi; ex usitata nempe quadam sermonis figura, cum res ipsa pro ejus studio & conatu ponitur: verum interea etiam posset secundum suam propriam significationem accipi de ipso effectu, si fortasse factum esset, ut ii, ad quos scribebat, sive omnes, sive aliqui ex ipsis ab istis falsis Prophetis seducti jam fuissent, aut prope essent ut seducerentur. Quare ne forte eas interim offenderet ita loquens, ac si suspicari videretur, eos istis falsis doctoribus jam aliquo modo vel adhæsisse, vel se adhæsuros præ se tulisse; propterea verisimile est, ut, quamvis jam, ut antea diximus, monitionem suam conclusisset, voluerit quædam repetere ex iis, quæ antea dixerat ad monitionem ipsam leniendam pertinentia. Nam statim subjungit

Vers. 27. *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, in vobis manet.* Simplex enim copula, à qua verba ista incipiunt, ex usu Hebraicæ linguæ, ut ante etiam factum est, adversativæ particulæ vim habet, ac si Apostolus dixisset: Quanquam vero mentionem feci istorum vos seducentium: vos tamen interea scio habere unctionem ejusmodi, eamque in vobis manere, quæ efficit, ut nihil sit vobis opus ulla hac in re disciplina; (Nam illico addit *& non opus habetis, ut aliquis doceat vos*) & sic video non esse timendum, ne re ipsa ab istis seducamini. Videtis Apostolum repetere illud ipsum revera, quod etiam antea dixerat de unctione ista, quam haberent ii, ad quos scribit; haberent, inquam, *à sancto*, quem sanctum hoc loco simplici pronomine relativo significat, inquiens, *quam accepistis ab eo.*

Diximus autem antea, videri potissimum *sancti* nomine intelligi Deum, quanquam non sine Christo; quippe per quem Deus istius unctionis eos participes faciat, quibus suum Euangelium per eundem Christum annunciat, si illi assentiantur. Jam quid sit unctio ista antea breviter indicavimus, & diximus esse beneficium divinum cognoscendi ipsas res divinas, quatenus necesse est ad salutem æternam adipiscendam. Sed cur beneficium istud unctio à Johanne appelletur, nondum explicare conati sumus, id ut faceremus ad hunc locum reservantes. Jam posset quis fortasse arbitrari, nomine unctionis, sive illa id ipsum sit, quod nos diximus, & ejus nomine intelligimus, sive quicquid illud sit, quod ea significat, illud indicari, quod alibi scriptum extat, *Nos scilicet à Christo factos esse Deo reges & sacerdotes*, ut habetur Apoc. 1. 6. Quanquam in Complutensi editione non *reges* ibi habetur, sed *regnum*: veruntamen capite 5 ejusdem libri ℣. 10, ubi eadem sententia habetur, in omnibus codicibus *reges* diserte legitur: tam enim reges quam sacerdotes ungebantur. Ego autem, etiamsi possim interpretationem nostram nominis *unctionis*, ad regnum & sacerdotium, quod omnes Christiani à Christo sint adepti, aliqua ratione accommodare: tamen quia, præsertim quod ad regnum attinet, hoc videri posset satis durum atque coactum, arbitror aliud esse quærendum, ut causam istius appellationis investigemus.

Sed antequam id faciamus, videtur aliquid dicendum de isto regno & sacerdotio Christianorum. Nam utrumque alibi etiam illis tribuitur, nempe in priore Petri Epistola cap. 2. 5, & 9, an scilicet hoc sit aliquid proprium Christianorum, quod nimirum fidelibus illis sub Vetere Testamento non contingeret. Namque est locus Exo 19. capite 6, ubi Deus per Mosen pollicetur populo Israëlis, quod, si ipsi Deo audientes fuerint, erunt illi regnum, sacerdotium, & gens sancta. Ad quem locum sine dubio respexit Petrus in posteriore ex citatis locis. Nam & ipse ibi post *Regale sacerdotium*, addit *Gens sancta*, ista videlicet attribuens iis, ad quos scribebat, jam Christianis factis. Ex isto igitur Exodi loco videtur concludendum, non esse rem hanc Christianorum tantummodo, ut sint Deo reges & sacerdotes, nisi quod, quemadmodum de aliis omnibus, quæ sub Vetere Testamento fuerint & Christianis obtingunt, sic de hoc dici potest, id illis contingere excellentiore quadam ratione, quam fidelibus sub Vetere Testamento obtingeret.

Videtur autem Johannes, cum de unctione ista loquitur, aliquid velle dicere, quod sit proprium Christianorum, & breviter Spiritus Sancti unctionem significare voluisse. Quandoquidem per Spiritum Sanctum fit, ut quis eas res divinas noverit, quæ æternam salutem concernunt. Quamvis enim ii ipsi, qui sub Vetere Testamento fideles fuerunt, vitam æternam sint consequuturi: non tamen sic proprie de illis dici potest, quod eas res divinas noverint, quæ ad æternam salutem consequendam sunt necessaria, ut de Christianis potest: cum illi non perinde atque isti vitæ æternæ cognitionem haberent, nec sibi illam à Deo promissam fuisse certo scirent; immo nihil sibi de ea à Deo expresse dictum fuisse fateri cogerentur. Cum igitur proprium Christianorum sit, cognitionem istam rerum ad salutem æternam pertinentium habere, cumque ea per Spiritum Sanctum contingat; metaphora vero *ungendi Spiritu Sancto* in Sacris Literis usurpetur; recte *unctionis* nomine id significavit Apostolus, quod nos diximus, cum vellet aliquid affirmare de iis, qui Christo nomen dederant, quod ipsorum proprium esset. Habetis autem metaphoricum istum loquendi modum *ungendi Spiritu Sancti* indicatum in initio capitis 61 Esaiæ, & cap 4. Lucæ. Sed diserte expressum cap. 10 Actorum ℣. 38.

Potest etiam simpliciter *unctionis* metaphora significare divinam gratiam & beneficia. Pretiosis enim unguentis atque odoratis solebant tum apud Ethnicos tum apud Judæos homines inungi, præsertim eorum capita, ut inde per universum corpus odor ille ejusque suavitas aliquo modo diffunderetur. Unde factum est, ut David Psal. 23, cum vellet metaphorice Dei erga se insignem ac singularem favorem & gratiam significare, dixerit, *Deum ungere*, seu *impinguare oleo caput suum.* Jam nulla divina gratia, nullus favor excellentior isto est, ut quis agnoscat ipsas res divinas spectantes ad æternam salutem adipiscendam.

Quia vero diximus, per Spiritum Sanctum beneficium istud tam insigne contingere, recte est ut hoc aliquanto explicatius exponamus: præsertim cum in eam sententiam venerimus, ut reipsa idem sit hæc unctio, de qua Apostolus hic non semel loquitur, cum eo, quod in hac sua monitione paullo ante dixit hortando istos, ad quos scribit, ut in illis maneat id, quod audiverunt ab initio. Neque enim omnibus plane est obvium, quomodo auditio ista per Spiritum Sanctum fiat: quamvis non desint, qui enarratione hujus Epistolæ, & explicatione unctionis istius, id animadverterint atque docuerint. Certum siquidem est, ipsam Euangelii prædicationem, qua continetur, quicquid à nobis cognosci debet ad salutem nostram spectans, & sic illud totum comprehenditur, quod Apostolus intelligit nomine ejus, quod isti à principio audiverint, non fieri nisi per Spiritum Sanctum; & ipsum Euangelium, ejusque ministerium, Dei Spiritum, & divini Spiritus ministerium alicubi appellari, præsertim vero in priore ac posteriore Epistola ad Corinthios, & in illa quidem cap. 2. in hac cap. 3. Merito igitur videmur in eam sententiam venisse, ut idem reipsa Apostolus dixerit, cum mentionem fecit ejus, quod isti ab initio audiverant, quod, quando unctionis, quam acceperant, mentionem fecit. Id quod multo etiam verisimilius videretur, si in posteriore hoc loco, ubi istius unctionis meminit, legeretur, non quidem *manet*, ut Græci codices habent, sed *maneat*, ut habent Latini: quibus Latinis codicibus magis quam Græcis, quod ad sensum attinet,

consen-

consentit Syriaca interpretatio, in qua habetur *si manserit*. Nam hoc habet vim monendi ut maneat, quemadmodum expresse habet ipsa vox *maneat*, quæ in Latina versione extat. Esset inquam, si ita legeremus, verisimilius quod diximus; cum similiter, quod ad id attinet, quod isti ab initio audiverant, expresse moneat Apostolus, ut id in illis maneat. Quod si fiat, cum Johannes affirmet, fore ut ipsi in Filio & in Patre maneant, necesse omnino est, ut unctio ista nihilo plus complectatur aut declaret reipsa quam illud. Qui enim in Filio & in Patre manet, jam habet omnia, & perfectus est, quantum hac in re requiritur in cognitione Filii & Patris, & in ipsorum participatione; adeo ut, si unctio ista aliquid diversum ab auditione Euangelii significaret, ea sine dubio hic non necessaria sed supervacanea esset.

Pergit Apostolus commendans unctionem istam, & ait: *Sed sicut ipsa unctio docet vos de omnibus, & vera est, & non est mendacium, &, sicut docuit vos, manebitis in eo.* Pro eo, quod alii legunt *in eo*, Erasmus legit *in ea*, referens scilicet relativum Græcum αὐτῷ ad χρίσμα. Quæ interpretatio mihi non improbaretur, nisi ea, quæ sequuntur, satis docerent, relativum istud non pertinere ad unctionem, sed ad Deum, vel ad Christum, vel potius ad utrumque, ut postmodum explicabimus. Nam quod, si pronomen istud ad unctionem non referatur, non appareat ipsius antecedens, nihil est mirum. Est enim hoc apud hunc scriptorem valde usitatum, quin etiam ejus rei exemplum in hac ipsa verborum complexione aperte extat, dum ait, *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, &c.* Neque enim antecedens istius relativi apparet. Id porro quod Apostolus, ut in Græco est, per futurum indicativi extulit, inquiens *manebitis*, ut alias sæpe contingit, ita accipi debet, ac si per præsens imperativum elatum fuisset, ut Latinus interpres una cum Syriaco vocem istam accepit, nisi fortasse illi non quidem μενεῖτε sed μένετε legerunt: nam certe sic legitur statim in eadem repetita sententia. Itaque monet Apostolus, ut, quemadmodum divinum illud beneficium, quo à Deo affecti fuerant per Euangelii prædicationem, ejusmodi erat, ut illos omnia doceret, quæ videlicet pertinerent ad salutarem veritatem cognoscendam; & quemadmodum beneficium istud veritatem prorsus in se continebat, & non ullum mendacium: sic vellent manere in eo, nempe in Deo per Christum. Nam hoc ipsum id breviter erat, quod divinum istud illos beneficium docuerat.

Animadvertendum autem est, quomodo Apostolus loquatur, inquiens de unctione ista, *quod sit vera, & non mendacium.* Nam pro eo, quod ex consueto loquendi modo dicere debuisset, *Et non est mendax*, dixit, *& non est mendacium.* Nec tamen hoc novum est, ut substantiva metonymice pro adjectivis ponantur. Nam præter alia multa exempla, quæ passim non modo in prophanis, sed etiam in ipsis sacris scriptoribus occurrunt, illud videtur ad hunc locum accommodatissimum, quod habetur posteriore Epistola ad Corinth. cap. 7. 14, ubi *veritas* positum est pro *vera*, quemadmodum hic in re contraria *mendacium* pro *mendax*. Reprehendit autem Beza hoc in loco veterem Interpretem atque Erasmum, qui vocem *mendacii* retinuerint. Quæ reprehensio non videtur esse justa, cum figura ista sermonis omnibus sit notissima, & præstet in Literis Sacris, quando aliter facere non sit necesse, ita transferre verba ut proprie sonant. Erat autem, aut certe fuisse videtur alia causa, cur hic Johannes, si sermonis proprietatem ac consuetudinem sequi voluisset, non *mendacium*, sed *mendax* scribere debuisset; videlicet quia dixerat ante non *veritas* sed *vera*, quo nimirum antithesis ista concinnior esset. Quanquam potest fortasse vox ἀληθὲς, quam omnes interpretantur *vera*, esse non adjectivum sed substantivum nomen. Nisi enim memoria me fallit, Græci substantive dicunt τὸ ἀληθὲς, cum eadem significatione propemodum, quam habet vox ἀλήθεια, & recta omnino videtur esse antithesis si τὸ ψεῦδος, & τὸ ἀληθὲς opponantur. Mihi quidem omnino fit verisimile, si verum est, quod diximus de substantivo nomine τὸ ἀληθὲς, illud hoc loco, non autem adjectivum, à Johanne usurpatum fuisse.

Vers. 28. Subjungit statim Apostolus eandem, ut diximus, sententiam repetens, *Et nunc, filioli, manete in eo.* Ubi antequam ulterius progrediamur, necesse est aliquid explicatius dicere de eo, quem Apostolus intelligat sub pronomine isto relativo. Nam verba, quæ mox sequuntur, valde ancipitem videntur lectorem hac in re reddere. Quod ad illud pertinet, cum dixit, *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo*, quid videlicet intelligat Apostolus sub eodem relativo pronomine, jam dictum est antea, nec videtur ea in re esse difficultas, cum nihil sit, quod sensui & interpretationi à nobis allatæ quidquam repugnet, quod videlicet intelligatur ab Apostolo Deus & Christus simul: sed ita tamen ut perinde sit ac si dixisset, a Deo per Christum. Et sane, nisi sequentia verba obstare viderentur, non videtur dubitandum, quin similiter hic, cum ait, & repetit, *Manete in eo*, ita sit hoc accipiendum, ac si dixisset, Manete in Deo per Christum. Verum cum illico subjungat, *ut cum apparuerit habeamus fiduciam, & non pudefiamus ab eo in adventu ejus*, videtur reddi dubia interpretatio ista, quandoquidem secundum ipsam Deus is est, qui præcipue nominatur. Unde, quæ sequuntur, ad ipsum Deum etiam præcipue referri debere, ex interpretatione nostra liquet: cum tamen ea non ad Deum, sed ad Christum tantummodo accommodari posse videantur. Nam & *apparitio*, & *adventus*, & *non pudefieri ab eo, sed coram ipso fiduciam habere*, videntur, inquam, hæc omnia in scriptis Novi Fœderis ad ipsum Christum, non autem ad Deum accommodari; aut certe non ita frequenter, nec tam proprie ad Deum, sicut ad Christum. Sed quod rursus ex altera parte videtur docere, Apostolum nihilominus Deum præcipue hic intellexisse, in istis, inquam, verbis, quæ videntur Christo magis quam Deo ipsi convenire, & sic quod plane confirmat interpretationem nostram (nisi quod potius videantur ipsius verba ita accipienda, ut Deum tantum intelligat, non modo præcipue) illud est, quod deinde subjicit, *Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est.*

Videtur omnino hic Apostolus loqui, non de Christo, sed de Deo. Quamvis enim possit suo modo dici, eum, qui facit justitiam, quod attinet ad tempora sub Novo Fœdere, natum esse ex Christo; & nos de nativitate ista ex Christo, explicantes locum quinti capitis Epistolæ ad Romanos, ubi Adamus cum Christo confertur, in disputatione nostra de Servatore satis aperte, ni fallor, non pauca docuimus, eamque ex collatione ista Christi cum Adamo omnino proficisci, sive ex ea deprehendi demonstravimus: tamen nusquam fortassis diserte scriptura ita de Christo loquitur, ut ipsos Christianos ejus filios nominet, & ipsum eorum patrem. Quod si tamen alicubi ea leguntur, quæ sententiam istam non obscure continere videri possint, & tantum non diserte dicere, Christum esse patrem nostrum, & nos ipsius filios, hoc nihilominus in loco id factum non fuisse, sed Apostolum plane de ipso Deo dixisse, quod, qui facit justitiam, ex ipso sit natus, probant, quæ mox sequuntur, Apostoli verba in initio tertii capitis, cum finis secundi sit in illis verbis, *Ex ipso natus est.* Sic enim statim subjicit, *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur.* Quæ verba cum omnino, quemadmodum verbum *videte* demonstrare potest, ad proxime antecedentia referri debere videantur, necesse est fateri, in ipsis antecedentibus verbis expressum haberi, quod Deus sit pater noster, & nos ipsius filii, nos inquam, Christiani, & qui justitiam facimus. Nam hos sine dubio, immo necessario intelligit Apostolus sub pronomine illo *nobis*. Quid igitur dicemus, cum ne ipsa quidem interpretatio nostra, ut scilicet pronomine illo relativo Deus præcipue intelli-

gatur per Christum, & hac ratione uterque, nempe Deus & Christus, suo modo sub illo comprehendatur, videatur bene respondere huic rei, quæ concluditur, ubi solius Dei videtur ratio habere? Ad hoc postea respondebimus. Nam prius necesse est prima verba Apostoli, quæ paullo ante recitavimus, & ex ordine explicanda nobis sunt, aliquo modo explanare.

Cum igitur ait, *ut cum apparuerit &c.* Huc usque videtur hoc ipsum de ipso Deo dici posse, quemadmodum nostri homines docuerunt, tractantes locum illum ad Titum cap.2, ubi nominatur adventus gloriæ magni Dei, & in Græco, pro eo, quod in Latino codice legitur *adventum*, habetur ἐπιφάνεια, quæ vox cognationem habet cum verbo φανερωθῇ, quo hic Johannes utitur. Nam si quis dicat ibi de gloria magni Dei, non autem de ipso Deo verba fieri; respondemus, ubi gloria Dei, & quidem illius magni, apparet, ibidem dici merito posse, ipsum Deum apparere; præsertim cum is alioqui in essentia sua in hoc mundo nunquam appareat, vel apparere possit: sed tantummodo per qualitates, ut sic dixerim, suas, & effectus præsentiæ suæ apertos atque indubitatos, qui quo majores & expressiores fuerint, eo magis una cum Scriptura dicere possumus, tunc Deum ipsum apparere.

Ejusdem generis est, propter jam dictas rationes, id, quod paullo post dicitur, *in adventu ejus.* Tantum videtur difficultatem aliquam habere illud, *Et non pudefiamus ab eo*, & illud etiam, *& habeamus fiduciam.* Nam quod attinet ad illud, *ne pudefiamus ab eo*, non desunt, qui velint, eandem sententiam verbis istis contineri, quæ habetur apud Marcum cap 8, dum Christus ait, quod filium hominis pudebit ejus, quem ipsius puduerit ejusque sermonum in generatione illa adulteria & peccatrice; eum, inquam, pudebit tunc, cum veniet in gloria Patris sui cum Angelis Sanctis. Ubi videtis, quod attinet ad istam pudefactionem, Christi nominatim atque expresse rationem haberi. Verumtamen quia hæc pudefactio, cujus hic fit mentio, ea est, qua nos pudefiamus; non autem, qua Christum nostrum pudeat. Quod quidem attinet non ad rem ipsam, sed ad verba, quibus illa exprimitur (neque enim negagamus, ex eo, quod Christum nostri pudeat, consequi, nos pudefieri: sed tum dicimus, verbum *pudefiendi* ad nos hoc in loco relatum, non significare illum Christi pudorem, cum eum nostri pudebit, & sic nihil esse necesse, ut hic noster locus idem sit reipsa cum illo apud Marcum, ad illumve respiciat) propterea concludimus nihil impedire, quo minus iste, à quo cavendum nobis est ne pudefiamus, secundum ipsius Johannis mentem sit ipse Deus.

Quod porro pertinet ad id, quod præcedit, *Habeamus fiduciam*, consideratum etiam ut conjunctum cum pudefactione ista, videri similiter potest, illud proprie ad Christum ejusque adventum referendum esse. Nam similis locus habetur, ubi Christi fit mentio, in ipsius Christi verbis apud Lucam cap.21. 36, ubi satis longum sermonem suum de Hierosolymitano excidio, deque suo adventu, & fine seculi ad hunc modum concludit: *Vigilate itaque in omni tempore orantes, ut digni habeamini effugere ista omnia futura, & stare ante filium hominis.* Idem enim omnino videtur esse istud, *Stare ante filium hominis*, quod *habere fiduciam*, & *non pudefieri coram eo in adventu ejus.* Neque enim voces *ab eo*, quæ hic leguntur *pudefiamus ab eo*, ita accipiendæ sunt, ac si dictum esset, ne is nos pudefaciat. Neque enim in Græco est ὑπ' αὐτοῦ sed ἀπ' αὐτοῦ, ita ut revera idem sit, ac si dictum fuisset, coram ipso.

Hoc dicimus ad confirmandam similitudinem, quæ est inter locum hunc nostrum, & locum istum apud Lucam. Beza quidem existimat tam veterem interpretem Latinum quam Syriacum legisse ὑπ' αὐτοῦ. Nimirum quia præpositionem istam ita reddiderunt, ut apud illum quidem pro ea legatur *Ab*: apud hunc vero particula, quæ idem Latine sonat. Verum cum præpositio Græca ἀπὸ multis in locis Latine recte verti possit per præpositionem *à*, sive *ab*, non video, cur non potuerit uterque legere ut est ἀπ' αὐτοῦ, & tamen voces istas reddere *ab eo*. Quamvis in hoc loco non bene conveniat cum significatione præpositionis ἀπὸ, ista interpretatio *ab*. Tametsi enim hac ratione locus redditur ambiguus, id est, nescitur an is, qui significatur per relativum *eo*, habeat locum personæ agentis, an vero tantum personæ, quæ præsens adsit: tamen non est mirum, eos ambiguitatem istam, quemadmodum & alias similes, idque valde frequenter, vitare non studuisse.

Apparet igitur, ut ad propositum revertamur, magna convenientia inter locum hunc & illum apud Lucam; & consequenter, videri potest, ut, quemadmodum apud Lucam de Christo est omnino sermo, sic de eodem verba hoc loco fiant: non autem, ut interpretatio nostra fert, præcipue de Deo. Atqui nihilominus ab interpretatione nostra recedendum non putamus. Nihil enim vetat, quominus unum & idem distincte & de Christo & de Deo dicatur. Quemadmodum ostendimus aliquoties respondentes Trinitariis, afferentibus loca, in quibus ea, quæ de Deo in Vetere Testamento dicta inveniuntur, volunt de Christo dicta esse; quia videlicet eadem de Christo expresse in Novo Testamento dicta inveniantur; & inde concludunt, Christum esse ipsum Deum. Ostendimus, inquam, nihil vetare, quominus istud fiat, etiamsi alia sit essentia Dei, & alia Christi, ut quidem nos sentimus. Numquid fortasse non est recte dictum, debere nos in Deo manere per Christum, ne, ubi ipse Deus per Christum advenerit, ab ipsius Dei præsentia pudefiamus? Certe nemo non videt, hoc rectissime ab Apostolo dici potuisse; & propterea non est, quod ab interpretatione nostra discedamus, quia similis sententia inveniatur ad Christum ipsum manifeste pertinens, coram quo videlicet ut stare possimus, cum advenerit, curare omnino debeamus.

Sed jam tempus est, ut ad illud respondeamus, quod antea attigimus, & ex quo videtur labefactari interpretatio nostra illius relativi pronominis, non quidem propterea, quod non ipse Deus, sed Christus per illud significetur, sed quod non modo Deus præcipue, Christus autem, ut sic loquamur, secundario, sive Deus per Christum, ut interpretatio nostra fert, sed solus ipse Deus pronomine isto significari videatur; cum videlicet ii, qui justitiam faciunt, dicantur ex illo nati. In quo solius Dei videtur ratio haberi, utpote qui solus sit is, ex quo nati sunt ii, qui justitiam faciunt, secundum quidem consuetum Scripturæ loquendi morem. Ad hoc igitur potest ad hunc modum responderi: videlicet, quamvis verum sit, de solo Deo hoc loco intelligi, quod ejus sint filii, qui justitiam faciunt: tamen cum hoc de perfectissima, quam homines, ipsius Dei beneficio, habent, divina filiatione intelligi debeat, necesse est fateri, id non contingere nisi per Christum. Neque enim homines sanctitatis omnium perfectissimæ, & firmæ spei vitæ immortalis, quibus divina filiatio, quæ in hoc mundo habetur, plane continetur, alia ratione participes unquam sunt facti, quam per Jesu Christi ejusque Euangelii prædicationem & patefactionem. Jam quod de filiatione ista divina perfecta atque præcipua Apostolus hoc in loco loquatur, satis indicant verba illa, *Videte qualem charitatem &c.* Ubi videmus Apostolum tanquam rem, in qua Deus excellentissima ratione charitatem suam erga humanum genus ostendat, divinam istam filiationem commemorare. Quod si nihilominus, ut negari non possit, interpretationem nostram illius pronominis posse hac ratione, quam modo exposuimus, sustineri, & docere, *ab eo*, & *ex eo* idem hic esse quod *à Deo & ex Deo per Christum*, dicat tamen quispiam, non parem esse ubique rationem & significationem interpretationis istius, cum videlicet, ubi agitur de unctione ab eo accepta, possit hoc intelligi, ac si dictum fuerit, acceptam fuisse unctionem istam à Deo per Christum: sed tamen ita, ut

non

non tantum à Deo, sed etiam à Christo ea accepta intelligatur; à Deo quidem ut primaria, à Christo vero, ut secundaria causa.

Ubi vero agitur, quod ex eo nati simus, non possit similiter dici nos ex Deo & ex Christo natos esse: ex Deo quidem ut primaria, ex Christo vero ut secundaria causa: dicimus hanc considerationem esse subtiliorem, quam ut Apostolum deterrere debuerit, quominus ad istum modum loqueretur, cum intelligeret ac dicere vellet hoc tantum, videlicet nos ex Deo natos esse, idque per Christum. Satis enim est, si ubique possit ista interpretatio, quod Deus pronomine isto præcipue significetur, sed non tamen sine Christo, optime accommodari; licet non ubique sit eadem prorsus ratio rei istius. Quanquam non videtur nobis omittendum, fieri facile posse, propter summam illam conjunctionem, de qua antea non semel diximus, quæ est inter Deum & Christum, ut Apostolus sæpissime voluerit ita loqui, ut ejus verba tam possint ad Christum quam ad Deum accommodari, sub uno simplici pronomine relativo tacito vel expresso, utrumque, quod ad verborum vim attinet, comprehendens, ut postea lector vel utrique vel alteri tantum ex ipsis, prout opus fuerit, accommodet suis locis ubique id, quod ejus verba continent. Nam certe videtur omnino, saltem prima fronte, cuique legenti, exempli causa, id, quod dicit de apparitione ejus atque adventu, una cum aliis ibidem dictis, pertinere proprie ac distincte ad ipsum Christum, ad eumque plane referendum esse; quod si fiat, nihil non verissimum inde consequetur, sicut ex altera parte id, quod dicit de filiatione ex ipso, manifestum est ad Deum pertinere. Verumtamen non recedimus à jam dicta nostra, & satis defensa interpretatione, quæ similiter, & fortasse multo magis, conjunctionem illam summam Dei & Christi ostendit; quippe quæ hoc ferat, ut nihil in istis dubiis locis, ita de Deo, quamvis de ipso præcipue verba fiant, intelligatur, quin Christus simul intelligi debeat, tanquam is, sine quo nihil istorum fit, aut factum est.

Nunc antequam explicationem capitis tertii aggrediamur, pauca quædam dicenda sunt de quibusdam verbis, & de sententia quadam hujus ultimæ partis secundi capitis. Primum igitur, quod Latinus interpres reddidit *fiduciam*, apud Johannem est παῤῥησίαν, quod verbum proprie & secundum suam etymologiam significat *loquendi libertatem*; & propterea Beza & hic & alibi in hac quidem Epistola, & fortasse ubique vocem istam in ultima suæ translationis recognitione *libertatem loquendi* transtulit. Quæ tamen interpretatio mihi nullo modo probari potest, tanquam ea, quæ, dum proprietatem nominis sectatur, verum sensum omittat aut certe obscuret. Nam quid quæso est, quod Apostolus moneat, ut curemus habere libertatem loquendi, cum Deus in Christo, orbem scilicet terrarum judicaturus, apparuerit? Quis non videt, parum aut revera nihil pertinere ad Apostoli mentem, quod quis tunc libere nec ne loquatur: sed plane hoc ipso moneri, ut tales simus, ne ullam tunc nobis timendi causam habeamus.

Quare cum aliis viris Græcæ Linguæ non minus quam Beza peritis, visum fuerit in hoc & similibus locis vocabulum παῤῥησίας *fiduciæ* nomine reddere. Cumque nomen istud, ut apparet, ad mentem Apostoli maxime accommodatur, non video cur ab interpretatione ista, quæ communis esse videtur, recedendum nobis sit; nec dubito, quin viris istis constiterit, istud vocabulum recte sic reddi posse; & apud bonos auctores, & ni fallor, apud ipsos Sacros Scriptores loca inveniri, in quibus necesse sit, ut cum significatione ista hæc vox accipi debeat. Cujus rei causa esse potest figurata loquutio, eaque receptissima, sumendi causam pro effectu, & contra; seu rem conjunctam pro altera conjuncta. Etenim certum est, nec libertatem loquendi sine fiducia, neque fiduciam sine loquendi libertate esse solere; & libertatis loquendi causam esse fiduciam. Quare nihil mirum videri debet, si vocabulum, quod proprie libertatem loquendi significet, cum *fiduciæ* significatione usurpetur.

Est præterea in his verbis Græca vox γινώσκετε, quæ & *scitote* & *scitis* reddi potest. Latinus interpres una cum Syriaco eam ita accepit, ut sit imperativi modi, & significet *Scitote*: Beza vero vult illam accipi indicativo modo, & *Scitis* reddi; quia videlicet Apostolus ubique præ se ferat, non plane docere, nec rudes instituere. Hic ego non multum laborandum esse crediderim: sed tamen, ut verum fatear, mihi plus placet vulgata interpretatio. Nam tantum abest, ut hac in Epistola vitet Apostolus loqui ut præcipiens, & rudes instituens, quamvis aliquando videatur aliam viam tenere, ut sint manifesta exempla istius rei, tum alibi fortasse, tum sine dubio in initio cap. 4. ubi scriptum est, *Dilecti, ne omni spiritui credite*; & in ipso Epistolæ fine, ubi legitur, *Filioli custodite vos ipsos ab idolis*. Quibus duobus in locis multo magis præceptive, & per modum instituendi rudes, loquitur Apostolus, quam hoc in loco nostro, etiamsi dixerit *scitote*. Apparet enim, illum, quicquid hic monere seu præcipere videatur, id elicere ex eo, si ipsi sciant, *Deum esse justitiam*; adeo ut parva admodum differentia appareat, sive quis legat *scitis*, sive legat *scitote*. Utrocumque enim modo ipse loquutus fuerit, sensus est, ex eo, quod illi sciant, Deum esse justum, consequi, illos scire, seu scire debere, quod, quicunque facit justitiam; ex Deo natus est. Jam quomodo hæc consequuntio vera sit, inde intelligere possumus, si sciamus, quid sit *ex Deo nasci*; quod ipsum sane ex hoc loco facile intelligi potest: nempe, id aliud nihil esse, quam Dei esse similem, & à Deo profectum esse Spiritum, quo regitur & suas actiones moderatur. Nam certe, si Deus est justus, is, qui justitiam facit, Dei est similis, & justitiæ spiritu (justitiæ, inquam, illius, quæ apud Deum perfecta justitia est, & à Deo tanquam ejus fonte manat) seipsum suasque actiones regit ac moderatur. Hoc autem voluit Apostolus monere, quia post monitionem illam de cavendis falsis Prophetis, deque non discedendo à verissima ac certissima fide, ac confessione, quod Jesus est Christus, quæ monitio una cum suis appendicibus hucusque duravit, voluit ad præcipuum suum in hac Epistola institutum reverti, quod est, ut isti, ad quos scribit, sint veris Christianis virtutibus præditi. Nam verbis istis & collectione ista sua illos interim monet, ut justitiam faciant. Nam hac ratione fiet, ut vere sint Dei filii, quod nimirum & desiderabilissima supra omnes alias res plane est, & ipsi id jam profitebantur. Cæterum quid proprie significet *Facere justitiam*, & quid hac loquutione comprehendatur, inferius alibi commodiore loco, Deo dante, explicabimus. Nunc jam ad tertii capitis explicationem accedamus.

Caput III.

Vers. 1. Videte, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur.* Occasione sumpta ex monitione sua, quam postremis antecedentibus verbis complexus est, ad aliam tacitam monitionem, eamque maximi momenti, hoc in loco Apostolus transit. Ea est, quod, quando Deo placuit, ut ipsius filii simus, nosque tali tantoque beneficio donare voluit, nostri officii est, hac re bene perpensa nos erga Deum ipsum haud ingratos præstare, & consequenter illius præcepta quam studiosissime servare, ei cultum illum atque reverentiam tribuentes, quæ tanto patri conveniat. Quod quamvis Apostolus non exprimat, est tamen hoc totum ex ipsius recitatis verbis, & ex isto loquendi modo, *videte qualem &c.* plane colligendum. Præsertim cum vox Græca ποταπὴν, quæ *qualem* simpliciter vulgo reddita fuit, ut mihi quidem semper visum est, eam vim habeat, ut idem pollere

lere possit, quod *qualem & quantam*. Quamvis, ut meminisse possum, quidam ex iis, qui nobis significationes vocabulorum Græcorum in suis Lexicis tradiderunt, hujusce vis, quam vox ista habeat, nullam mentionem faciant. Inveni autem nuper Johannem Piscatorem, in hunc ipsum locum annotantem, hoc ipsum sentire, quod ego sentio; & adferre locum quendam ad id confirmandum, de quo ego itidem jam pridem cogitaveram, nempe Matth. cap. 8. 27. in illis verbis ποταπός ἐστιν οὗτος; quæ sine dubio, ut locus ipse, docet, significant, *Qualis & quantus est iste.* Quod autem diximus, Apostolum ex præcedente monitione (quæ tamen & ipsa, ut antea indicavimus, tacita est) hanc monitionem tacite intulisse, ut Deo quam diligentissime obedientes nos præstemus; ista, inquam, illatio verissima censenda est, aut certe talis videri omnino potest; si modo ultimum Græcum verbum superioris capitis ita legi debet, ut vulgo legitur, id est, γεγέννηται per duplex ν, & propterea Latine reddi, quemadmodum ab omnibus fortassis interpretibus redditum fuit, *natus est*, Complutensis editio habet hoc loco γεγένηται, per simplex ν, & sic Syriacum interpretem omnino legisse apparet; cum Latine secundum ipsius interpretationem habeatur simplex verbum *Est*. Quanquam melius secundum ipsius Syriaci interpretis sensum potuisset fortasse verbum istud reddi *extitit*, melius, inquam, si ipsum verbum Græcum attendamus, quod est temporis præteriti. Nam alioqui, ut alias supra attigimus, valde frequens est in ipsius Novi Testamenti scriptis, ut præteritum tempus pro præsente accipiatur.

Sed dubium interim apud me est, utrum ipsa ista vox ita usurpata inveniatur, ut significet simpliciter *fuit*; etiamsi certum est, verbum γίνομαι sæpissime inveniri cum simplici significatione verbi substantivi; & inde, vel potius ex obsoleto verbo γείνομαι ejusdem significationis, vox ista γεγένηται omnino derivata est. Quicquid sit, dubitari nequit, quin Syriacus interpres omnino crediderit, vocem istam hoc loco, ut sæpe alibi, nihil plus significare, quam fuit, quod ipse propter consuetam, quam diximus, enallagen præteriti & præsentis temporis, nihil est veritus mutare in *est*, propterea quod putaret istic non de Deo, sed de Christo agi, neque videret, quomodo ex usu Sacrarum Literarum dici posset, eum, qui justitiam facit, ex Christo esse natum, vel factum, (ut alioqui vox ista significare potest) quemadmodum omnino videtur posse dici, ejusmodi hominem ex Christo esse; nec, quominus non *natus est*, sed *est* simpliciter vocem istam Græcam redderet, ipsum quicquam deterruit, quod statim subjicerentur verba, in quibus filiationis nostræ divinæ expressa sit mentio, idque cum præposito verbo *videte*, quod omnino suadere potest, id, quod subjicitur, ad proxime præcedentia relationem habere; id quod à nobis ipsis antea indicatum fuit: quod tamen volumus ita accipi, ut admodum verisimile, non autem ut necessarium. Nihil enim impedire videtur, quominus verbum *videte* possit suam vim retinere absque eo, quod respiciat ad proxime antecedentia, & hæc sine dubio fuit causa, cur interpres iste non dubitaverit eam interpretationem sequi verborum præcedentium, quæ sibi cum veritate magis convenire videbatur, quamvis videret ista sua interpretatione fieri, ut sequentia verba ad præcedentia ista relationem non haberent, quod tamen ex vi istius verbi *videte* videbatur plane statuendum. Nam nihil absurdi in eo est, si dicamus Apostolum sine relatione ista, prima hæc verba tertii capitis protulisse, quippe quod res notoria ac vulgatissima in religione Christiana esset, eos, qui Christo adhærebant, cujusmodi & ipse erat, & illi se esse profitebantur, ad quos scribebat, filios Dei & esse & nominari. A cujus rei consideratione abreptus Apostolus, potuit illam sine ulla dependentia ex antedictis commemorare, & considerandam similiter iis, ad quos scribebat, proponere, & inde ea ratione, qua diximus, tacite illos monendi viam invenire.

Hæc explicasse non fuerit fortasse inutile, ut melius ac certius statuere quis possit, quomodo sint accipienda ea, quæ ad finem superioris capitis dicuntur; & an sit omnino nec ne statuendum pronomina illa relativa ad Deum præcipue, sed tamen non sine Christo referenda esse, ut à nobis factum est. Posset enim quis, interpretationem istam Syriacam secutus, omnem fortasse difficultatem vitare, quæ in eo videtur esse, si ad Christum præcipue pronomina ista referantur. Quanquam nos sententiam nostram supra pluribus expositam non mutamus; sed tantum, ut lectores diligentius hac de re cogitent, commonefacere voluimus.

Nunc ad explicanda Apostoli verba revertamur. Textus Græcus habet simpliciter, ut recitavimus, *filii Dei vocemur*: sed in Latinis exemplaribus additur *Et simus*. Quod ipsum invenitur etiam additum in Syriaca interpretatione, estque incertum, an hoc inde nec ne profectum fuerit, quod ambo isti interpretes plus legerint in Græco exemplari, quam nos hodie legamus. Quod tamen plus legerint, mihi omnino fit verisimile; etiamsi solum verbum *vocemur* ex usu Hebraicæ linguæ eandem vim habet, ac si verbum *sumus* expresse additum fuisset: quod fortasse non animadvertens sciolus aliquis, & videns interea, necesse esse, ut hic non de appellatione tantum, sed de re ipsa agatur, addidit de suo in ipso Græco contextu verbum aliquod, quod ipsum esse significaret, quæ additio postea pro germana Græci textus lectione à quibusdam habita fuit.

Notandum autem est, quod Johannes, figurate omnino loquens, pro effectu charitatis ipsam charitatem posuit. Neque enim Pater, id est Deus, proprie loquendo charitatem nobis dedit, cum voluit nos vocari filios ipsius, sed charitatis, nempe suæ, effectum, eumque præstantissimum; propter quam summam præstantiam, verisimile est, Apostolum isto figurato loquendi modo uti voluisse, ac si Deus ipsammet charitatem nobis dedisset.

Pergit Apostolus & ait, *Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum.* Duo hisce paucis verbis videtur Johannes voluisse efficere: Unum, respondere tacitæ cuidam objectioni; alterum, interim removere impedimentum quoddam, quod habere possent ii, ad quos scribit, ne id facerent, quod diximus illum tacite eos monere voluisse; ut scilicet ita se gererent, ut Dei filios decet. Tacita objectio erat, quod mirum videretur inveniri homines tanta præstantia præditos, ut Dei filii essent, & tamen eos pro talibus non haberi, nec à mundo approbari. Ne miremini igitur, inquit Apostolus, *si mundus*, id est homines carnales, aut etiam animales tantum, & non spirituales (quos *mundi* nomine hoc loco intellexit) *nos non noverunt*, id est non approbant, nec præstantiæ nostræ cognitionem habent, quamvis revera filii Dei simus: nam quomodo præstantiam hanc nostram noscerent, nosque propterea approbarent, cum ipsum Deum, cujus filii sumus, & ex quo omnis nostra præstantia proficiscitur, non norint, neque approbent?

Notissimum est autem, verbum *cognoscendi*, quo solo hic usus est Apostolus, ex Hebraica loquendi consuetudine idem significare posse quod approbare vel cognitum probare.

Diximus de priore, & sic de removenda tacita objectione; sequitur ut de impedimento illo dicamus, quod similiter removere curavit Apostolus. Illud est, quod durum prorsus videtur, ac plane difficile iis, qui filii Dei sunt, sese gerere ut filios Dei decet; cum, si id facere velint, odio & contemptui mundo sint futuri, & consequenter multis perpessionibus obnoxii, & periculis multis mortis etiam turpis & atrocis subjecti. Verum quando consideratur, quod hæc omnia ab ignoratione ipsius Dei, quæ hominum animalium corda possidet, proficiscuntur; & quod propterea mundi judicium de Dei filiis nihili faciendum est, & sic non curandum, quod ad ipsum jus pertinet, quod unum homini, qui vere homo esse velit, & ratione uti, curandum duntaxat est, quicquid mali videatur inde dirivari, quod verum malum nullo pacto esse potest, sed tantummodo apparens: quando, inquam, ista penitus considerantur, nemo est, qui causam non habeat, non modo non dolendi & non detrectandi ista omnia

omnia incommoda, sed etiam maxime lætandi, & ista quasi testimonia separationis suæ à mundo libenti animo amplectendi ac subeundi.

Jam de ista Dei ignoratione, unde fiat, ut, qui ipsius Dei sunt filii, sive ipsi præter omnes sunt chari, non approbentur à mundo, sed potius ab ipso odio habeantur, & persequutionem patiantur, loquitur etiam Christus apud hunc eundem scriptorem cap.15 ejus Euangelii 21, & cap.16.3, ubi similiter, ut nos hic fieri ab Apostolo dicimus, videtur omnino, si quis antecedentia & subsequentia verba diligenter attendat, propterea discipulos suos, quos alloquebatur, hujus rei monere voluisse, ne quicquam mirarentur, cum ista illis acciderent; neve propter ejusmodi incommoda, ab obedientia præceptorum Dei quicquam deterrerentur, aut ulla ratione à proposito absterrerentur. Ubi interim notandum est, mentionem fieri à Christo sui ipsius, ut illius, qui & ipse, una cum Deo, à mundo ignoretur, & in cujus ignoratione consistat illa Dei ignoratio, de qua hisce in locis agitur. In priore siquidem loco sic ait: *sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum, qui misit me.* In posteriore vero inquit, *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Cum igitur Apostolus affirmat, Dei filios propterea non agnosci neque approbari à mundo, quia mundus ipsum Deum non novit, intelligendum est, eum loqui potissimum de ea cognitione Dei, quam non contingit haberi nisi per Christum, & per ipsius Christi cognitionem.

Vers.2. Quoniam vero affirmaverat Johannes, nos *vocari*, id est, *esse Dei filios*, ut, quid hoc sit, aliquo modo explicet, & interim hinc occasionem capiat, eos, ad quos scribit, in vero officio Dei filiorum retinendi, subjicit: *Dilecti, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* Mirabili quodam loquendi modo, eoque brevissimo, rem maximam declarat Apostolus, quæ est, divinam filiationem nostram dupliciter accipi, & quatenus videlicet illa in hoc mundo jam est, & quatenus in futuro seculo est futura. Quandoquidem dum in hoc seculo sumus, si Christo, seu Deo per Christum, obedimus, sine dubio Dei similes aliquo modo efficimur; quatenus videlicet sancti sumus & puri, quemadmodum ipse Deus Sanctus & purus est, non pari quidem ratione ullo modo, sed simili. Atqui similitudine cum Deo, ut ante dictum à nobis fuit, continetur divina filiatio nostra. In altero vero seculo similitudo nostra cum Deo erit multo perfectior; nam puritati & sanctitati addetur immortalitas & beatitudo. Quæ res sunt Dei ipsius propriæ, quod attinet ad originem & ad independentiam à quoquam. Quo igitur ista futura cum Deo similitudo perfectior erit quam præsens, eo etiam perfectior futura est ista nostra divina filiatio. Ad hæc igitur respiciens Apostolus ita loquitur, ut audistis. Ac si diceret, Sumus quidem nunc Dei filii, sed alia ratione postea futuri sumus; quæ ratio quanto sit futura præstantior, quam ea, qua nunc sumus, mox explicat, ut postea videbimus. Est enim antea notandum, quod ipse Apostolus explicat verbum *vocandi*, quo antea usus fuerat, si quis fortasse Hebraismum non agnosceret, de quo antea diximus; & pro eo, quod proxime dixerat, *nos filios Dei vocari*, nunc dicit diserte, nos Dei filios esse. Deinde notandum est (& in hoc consistit mirabilitas illa loquutionis ipsius, cujus antea meminimus) quod pro eo, quod videretur dicere debuisse, ut nos jam explicuimus, fore, ut præstantiore multo ratione filii Dei simus, ait, *Et nondum apparuit quid erimus*, ubi subaudiri debet, quatenus attinet ad istam divinam filiationem nostram.

Jam vero in quo consistat ista major præstantia futuræ filiationis nostræ quam præsentis, explicat verbis quæ illico subjungit, inquiens: *Scimus autem, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus* Verbum *apparuerit* potest referri tam ad illud, *quod futuri sumus*, quam ad Christum; nempe de quo plurimum usurpatur hic loquendi modus, quod videlicet apparuerit; & in hoc eodem capite bis idem fieri palam est, nempe v. 5 & 8. Verum mihi plus placet, ut hoc posteriore loco verbum *apparuerit* ad idem referatur, ad quod refertur in priore. Videtur enim omnino alterum verbum ad alterum relationem habere, & sine ullo dubio, quamvis non negemus, quod jam concessimus, ad Christum quoque posse verbum istud secundo loco positum referri: ratio tamen ipsa sermonis prorsus suadet, ut, cum dictum antea fuerit, *nondum apparuit quid erimus*, & statim subjungatur, *Et scimus, cum apparuerit*, de eadem re utrobique agatur; alioqui non satis concinna esset oratio, neque sensus, qui illi subest, satis commode expressus. Nam quod ii, qui omnino volunt ad Christum referri verbum istud secundo loco positum, utuntur hac ratione, quod videlicet statim subjicitur, *similes ei erimus*, ubi relativum *ei*, quod videtur omnino id significare, de quo sit sermo in proximo verbo *apparuerit*, ad Christum omnino sit referendum; aut certe non ad illud, *quod erimus.* Hæc, inquam, ratio, qua Calvinus, & & eum sequutus Beza utuntur ad probandum, verbum *apparuerit* debere ad Christum referri, nullius momenti apud me est.

Ostendimus enim hactenus manifeste, apud hunc scriptorem pronomen istud relativum sæpe illum referri, qui proxime nominatus non sit. Et ridiculum est, quod ipsi interim, si velint suam interpretationem defendere, agnoscunt ipsi, necesse esse, ut ante verbum *apparuerit* subaudiatur pronomen relativum, quod etiam expressit Beza, de suo illud addens in translatione sua. Hoc enim pacto non modo additur in textu id, quod non est, sed postquam est additum, idem impedimentum eademque absurditas apparet, quæ ratione ista ipsorum continetur. Neque enim est antea nominatus Christus, ad quem pronomen istud referri possit, sed Deus tantum & Pater.

Cæterum cum demonstraverimus, nihil esse, quod cogat verbum istud *apparuerit* aliter accipere, atque ipsa orationis concinnitas, & inter se relatio, manifeste fert; & omnino sentiendum esse, Apostolum, cum dicit, *Scimus autem, quod cum apparuerit*, intelligere, *cum apparuerit id, quod erimus*, concludimus, minus necessarium esse, minusque verisimile, ut pronomen relativum illis verbis contentum, *Similes ei erimus*, ad Christum referatur; immo dicimus statuendum plane esse, illud ad Deum referri: cum, ut dictum fuit, non Christus, sed Deus proxime fuerit nominatus; immo Christus, sive id, quod tantundem valeat, expresse non legatur, nisi ante non paucos versiculos; ac præterea (ut supra docuimus) soleat hic scriptor, hoc simplici pronomine Deum præcipue significare Sed & sensus ipse rem ita se habere suadet, cum sine dubio hic sit sensus, (unde etiam, ut ante monuimus, apparet illa major perfectio nostræ filiationis divinæ, quæ futura est, & istius majoris perfectionis causa, quod videlicet propterea filii Dei tunc erimus, quia erimus ipsi Deo similes, intellige perfectiore ratione quam nunc simus; nempe quia beati atque immortales erimus, à qua re nunc longe re ipsa absumus, quamvis id alioqui firmiter speremus: propter quam spem etiam dici potest, quod filii Dei nunc simus; sed eo minus præstanti ratione quam futuri sumus, quo minus præstans est beatitatis atque immortalitatis spes ipsa beatitate atque immortalitate. Nam & hujus quoque rei in verbis suis ipsum Apostolum rationem habuisse plane est verisimile.

Jam quod ea ratione, qua dictum fuit, simus tunc futuri Deo similes, probat Apostolus hac ratione, *Quia* inquit, *videbimus eum sicuti est.* Neque enim fieri potest, ut quis ipsum Deum videat, uti est, & sic beatitatem atque immortalitatem ipsius, qua, ut diximus, Deus origine propria sua, & sine ulla à quoquam dependentia, præditus est, intelligat atque comprehendat, nisi ei similis aliquo modo his ipsis in rebus fuerit. Unde etiam Theologi passim concluserunt, felicitatem nostram illam summam atque æternam ipsius Dei visione,

sione, id est conspectu contineri. Sumit autem Apostolus pro concesso, vel certe nos interim hoc docet, in illa futura vita, eos, qui illius fuerint participes, cujusmodi sunt omnes ii, qui hic per similitudinem sanctitatis cum Deo Dei filii sunt, ipsum Deum, uti est, visuros esse. Et verisimile est, jam apud ipsos Hebræos, qui ante Christum fuerant, &, quamvis eam sibi promissam non cernerent, vitam tamen æternam & felicitatem illam cœlestem expectabant, eam sententiam invaluisse, quæ, ut diximus, apud Theologos plane invaluit, istam videlicet vitam, istamque felicitatem eo contineri, quod quis Ipsum Deum videat.

Notandum autem est, in illis verbis, *Scimus autem, quod, cum apparuerit*, in Græco haberi, non quidem *cum apparuerit*, sed *si apparuerit*. Est enim ibi conjunctio ἐὰν, non autem ὅταν, aut alia similis. Sed certum est, particulam istam, quæ proprie *Si* Latine sonat, idem non raro pollere, quod pollent, ea, quæ *quando*, sive *cum*, seu *postquam* Latine significant. Cujus rei habetur exemplum in Euangelio hujus scriptoris cap 14. 3, ubi ad verbum, secundum ipsum contextum Græcum, habetur: *Et si abiero, & paravero vobis locum, iterum veniam.* Ubi nihil est duhitandum quin sensus sit, ac si diserte Christus dixisset: Et postquam abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam. Nam & hic pro eo, quod legitur, *Scimus autem, cum apparuerit*, recte, immo fortasse rectius legi potest, *postquam apparuerit*. Utitur autem verbo *apparendi* tam priore quam posteriore loco Johannes, in hoc secundo hujus capitis versiculo, ea significatione, quæ alibi in Sacris Literis habetur, ut scilicet non declaret rem, quæ jam sit, & non conspiciatur, sed rem, quæ non sit, verum postea sit extitura, & tantum dici possit, eam jam esse, quatenus & speratur, & certo promittitur.

Exposuimus non paucis verbis, qua ratione simus in præsenti seculo filii Dei, & qua erimus in futuro; id quod Apostolus paucissimis explicuit, & sane perquam obscure, cum neque quicquam aperte dicat de præsente nostra filiatione divina, quod ad hoc attinet, in quo illa consistat; nec futuram nominaverit, immo ita loquutus fuerit, ut videatur asserere, nos quidem nunc Dei filios esse, sed postea aliud quid futuros. Nec profecto ad ejus verba respicientes ausi fuissemus affirmare, illum voluisse nos docere, qua ratione simus futuri filii Dei in futuro seculo, eamque longe præstantiorem esse docere, quam ea sit, qua in præsente sumus, nisi hoc ipsum, quod ipse dicit nos futuros, ejusmodi esset, quo, secundum expressa eaque multa divina testimonia, & secundum ipsam evidentem rationem, contineretur vera ac potior divina filiatio nostra. Unde etiam elicuimus ejus sensum, quod attinet ad rationem ab ipso non expressam, qua in præsenti seculo filii Dei simus. Certum est enim, ex ipsius verbis manifeste colligi, nos id nunc non esse revera, quod futuri sumus. Unde sequitur, ut, cum ille affirmat, nos esse nunc Dei filios, non propterea id affirmaverit, quia velit dicere, nos jam vera ac potiore ratione Dei filios esse, seu nos jam esse beatos, atque immortales: sed necesse est, ut propterea id affirmaverit, quod vel jam sumus Deo similes in justitia & sanctitate; vel quod jam firma spe, licet non reipsa, beatitatem atque immortalitatem habemus; vel certe propter utrumque simul. Atque ut verum fatear, quamvis ab initio prioris rationis filiationis nostræ divinæ in hoc seculo mentionem fecerim, posterioris vero non nisi postea: (nimirum quia ab initio non de spe ulla, sed de ipsa tantum re loqui mihi propositum fuit) tamen, si altera tantum ex illis ad mentem Apostoli pertinere dicenda sit, crediderim illum posterioris omnino rationem habuisse. Apparet enim illum considerare divinam filiationem nostram, quam nunc habemus, tanquam ingens testimonium charitatis divinæ erga nos. At ea sine dubio multo magis conspicitur in eo, quod Deus nobis beatam immortalitatem promisit, ejusque quasi pignora quædam nobis dedit, quam in eo, quod, ipso juvante licet, idque curante, similes in justitia & sanctitate ei facti simus. In hoc enim & aliquæ partes nostræ sunt, & minus divinæ beneficentiæ apparet, quam in illo, propter quod, tanquam propter suum finem, hoc factum est, non autem illud propter hoc. Credimus tamen nihilominus, Apostolum utriusque rei rationem habuisse; sed præcipue promissæ nobis ac confirmatæ à Deo immortalitatis, ac beatitatis nostræ. Hæc voluimus dicere, ut apertius & nostra, & Apostoli simul mens intelligeretur, quod attinet ad nostram divinam filiationem, de qua hoc in loco agitur.

Nunc pro perfecta explicatione verborum ejus, à nobis jam recitatorum, restat tantum, ut aliquid dicamus de ratione, qua interim voluerit Apostolus adhuc diligentius curare, ut eos, ad quos scribit, in officio Christiani hominis contineret. Ea vero satis apparet ex eo, quod beata immortalitas res est præter alias omnes desideratissima; & propterea quamvis, dum Christiani hominis officio fungi volumus, necesse sit, multa eaque maxima incommoda & mala experiri; & quamvis interea, dum sumus in hoc mundo, & Deo per Christum obedire volumus, videamur potius quidvis aliud esse quam Dei filii, id est, ipsi Deo chari: tamen istud, quod certo sperare possumus, non modo levia facit omnia mala & incommoda nostra præsentia, & omne dubium nobis adimit de benevolentia Dei erga nos, sed etiam efficit, ut & ardente animo illa expetamus, & plane constante de hac persuasissimi simus, scientes, hanc esse unicam viam ad desideratissimum istud bonum consequendum, secundum Christi præcepta Deo obedientiam præstare, & id faciendo multa perpeti.

Vers. 3. Quod quia maximam requirit diligentiam nostram, atque non possunt nimis multa dici ad nos monendos, ut sancte vivamus, quemadmodum videlicet Deus per Christum nobis præscripsit; idcirco Apostolus, non contentus hoc suis verbis aliquo modo indicasse & comprehendisse, addit statim: *Et omnis habens hanc spem in eo, sanctificat seipsum, sicut ille sanctus est.* Quibus verbis docet, non esse quod quis jactet, se sperare, futurum, ut Deum videat, sicuti est, nisi interim sancte vivat; & quidem ita, ut similitudinem hac in re cum ipso Deo habeat. Neque enim fieri potest, ut quis tanta spe sit præditus, & tamen minus sancte vivat: tum quia non bene, immo nullo modo hæc duo inter se conveniunt; tum vero quia omnes scimus, nisi nosmetipsos prudentes scientes fallere velimus, non esse tantam rem sperandam, nec eam esse promissam, nisi ei, qui sancte vixerit.

Ubi notandum est, quod Apostolus non dixit simpliciter, *Qui habet hanc spem*, sed addidit *in eo*, ut ostenderet, se non loqui de spe quadam imaginaria, seu quam quis sibi ipse formet; sed de solida spe, quæ ipso Deo ejusque promissis nitatur. Verbum, quod *sanctificat* redditum fuit à vulgato interprete, est ἁγνίζει, quod proprie istam significationem non habet, quamvis re ipsa idem sensus esse possit: sed proprie vel *purificat*, vel potius, ut sic dixerim, *castificat*, significare videtur. Mihi quidem placet, ut *purificat* hoc loco vertatur. Nam quod Beza *castum conservat* illud reddidit, mihi videtur idem hic fecisse, quod supra in voce παῤῥησίαν, ut scilicet, dum nimis proprietatem in significatione vocis sectatur, verum sensum perdiderit, aut certe obscuraverit. Nemo enim non videt, quamvis ex proprietate Latini sermonis possit fortasse vox *castus* ad mentem Apostoli accommodari: tamen multo melius ac tutius ad eam exprimendam esse, uti voce *purus*. Nec arbitror, in verbo Græco ἁγνίζει, quod attinet ad Johannis sensum exprimendum, esse illam ambiguitatem & obscuritatem, quæ est in Latino verbo *castum conservat*, ut nihil dicam, quod valde improprie atque inusitate de Deo dicitur, quod sit castus. Nam certe (ut Beza facere necesse habuit) si verbum ἁγνίζει *castum conservat* verti debet, id, quod subjungitur καθὼς

ἐκεῖνος

ἐκεῖνος ἁγνός ἐστι, nulla ratione fieri potest, quin vertatur, *sicut ille castus est*. Nam de Deo istud dici, & in toto hoc membro duo pronomina relativa, quæ in ipso habentur, ad Deum referenda esse, viderunt fortasse plerique alii, & ipse Beza una cum illis: quod tamen mirum est, cum in superiore proximo versiculo de Christo agi velit.

Est præterea animadvertendum, non parvam vim esse in verbo isto ἁγνίζει seu purificat, cum ait, *purificat seipsum*. Sic enim Apostolus indicat, in nobis aliqua ratione situm esse, ut nos ipsos puros faciamus; id quod innumerabilibus ferme aliis Sacræ Scripturæ testimoniis confirmatur. Quare frustra laborant, qui quærunt persuadere, ex isto modo loquendi rem istam non consequi; & interim sine ulla, non dicam necessitate, ut quidem opus esset, sed sine ulla vel minima causa verbis Apostoli vim facere non dubitant; non considerantes interim, quantum ponderis illius sententiæ detrahatur, & quam debilitetur, ut sic dixerim, ejus cohortatio, quæ his verbis continetur, ut scilicet quisque, qui speret se Deum visurum, purus sit, ut Deus ipse purus est, si Apostolus aliquo modo non expresserit, hoc facere generatim in uniuscujusque potestate esse. De vi voculæ *sicut*, quæ videlicet non habeat significationem paritatis, sed similitudinis tantum, præsertim cum ea ad Deum respectu nostri refertur, non opus est quicquam dicere, cum omnes hoc ipsum probe animadverterint.

Vers. 4. Jam vero quia se ita purum facere, ut quis hac in parte Deo sit similis, continet in se alienum esse à peccando, sive ab ipso peccato, idcirco Apostolus, ut à peccato nos deterreat, subjicit statim: *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit. Et peccatum est iniquitas.* Verbum, quod Latinus interpres, & cum eo Syriacus, reddidit voce *iniquitatis*, in Græco est ἀνομία, quam vocem alii voce *transgressionis legis* vertendam duxerunt, respicientes ad ipsius vocis etymologiam: secundum quam tamen proprie vox ista istud significare non videtur. Composita est enim Græca ista vox ex voce νόμος quæ Legem significat, & è particula, quæ, cum ipsa per se nihil significet, in compositione, ut omnes norunt, privationem declarat; ita ut proprie nomen hujus conjugatum, & ex quo nomen ἀνομίας derivatur, nempe ἄνομος Latine ad verbum reddi debeat *exlex*, quod multo plus significat, & majus vitium ostendit, quam si quis dicat, *transgressor Legis*.

Unde consequitur vocem ἀνομίας, voce *transgressionis Legis*, non bene, id est non plene fuisse expressam à recentioribus istis interpretibus. Et sane, si, ut dictum est, & res ipsa per se loqui videtur, mens Apostoli hoc in loco est, deterrere omnino à peccando, idque efficere affirmando, peccatum esse τὴν ἀνομίαν, necesse est, ut nomen ἀνομίας aliquid manifeste & insigniter malum ac turpe significet; quod absolute dici nequit de Legis transgressione, cum, tametsi Legis transgressio sit sine dubio malum quoddam turpe atque insigne, si, quid illa sit, penitus ac profundius consideretur, tamen tantam istam malitiam ac turpitudinem ipsa sic nominata non omnino præ se ferat; alioqui enim *peccatum* quoque tale est: sed quia nomen ipsum peccati istud per se non ostendit, voluit Apostolus alio vocabulo, quod, ut Dialectici loquuntur, de peccato prædicetur, vel sit ejus definitio, aut descriptio quædam, notum facere, quanta sit peccati turpitudo. Quanquam non negamus posse vocem transgressionis Legis turpitudinem quandam majorem præ oculis ponere, quam ipsum peccati nomen faciat, si quodam sensu, quem mox exponemus, nomen *peccati* à Johanne hoc loco usurpatum fuisse velimus. Potest enim dubitari, an Apostolus per vocem peccati hic significaverit transgressionem ipsius Legis divinæ per Mosen datæ, & per Prophetas, atque adeo per Johannem Baptistam, & ipsum denique Christum alicubi explicatæ ac repetitæ: an vero significare voluerit omne genus vitiorum, quæ quavis ratione pugnent, aut non bene consentiant cum Euangelii doctrina, vel etiam simpliciter cum Euangelii præstantia atque analogia quadam.

Hunc posteriorem sensum videtur secutus fuisse Zuinglius in hunc locum scribens; quamvis non satis declaret, quomodo sensus iste ad verba Apostoli accommodetur, & rem hanc non satis perspicue exponat. Qui sensus si probaretur, tunc eveniret id, quod paullo ante indicavimus de voce *transgressionis legis*, quæ videatur posse recte accommodari ad Apostoli mentem, & ad deterrendum à peccato. Sic enim conservata dicta voce transgressionis legis, eaque tanquam exprimente Græcam vocem τῆς ἀνομίας hoc loco posita, idem esset, ac si Apostolus dixisset: Necesse est, ut ab omni vitio, cujuscunque generis illud tandem sit, quisque sibi caveat. Nullum siquidem vitium est, in quo divina Lex non violetur, non quidem illa, quæ per Mosen data fuit, sed quæ per Christum, & per ipsius Euangelium nobis data est; si modo ipsius Euangelii præstantiam atque analogiam consideremus, & Christi ejusque Apostolorum præcepta omnia diligenter inspiciamus, & quæ inde, quod ad vitam nostram instituendam attinet, consequuntur, recte animadvertamus.

Quare non est quod sibi quis blandiatur, putetve, se nihil magni mali facere, si vitium aliquod habeat, vel secundum ipsum aliquid committat, modo id vitium non pugnet cum expressa Lege Dei per Mosen data, & per Prophetas aliosque divinos viros explicata atque inculcata. Satis enim est, quo ejusmodi homo agnoscat se male agere, idque ita, ut & vituperatione & pœna sit dignus, si adversus alteram istam Legem divinam postremo nobis datam, & ea, quæ inde consequuntur, aliquid committat. Verum, tametsi hic sensus videatur in seipso non minus egregius quam verus: nobis nihilominus videtur, illum huic loco non prorsus recte convenire; quandoquidem Apostolus, cum vult ea vitia intelligere, quæ alioqui non pugnant cum expressa Lege Dei per Mosen data, neque cum manifesta ratione (hoc enim de manifesta ratione addendum est iis, quæ supra diximus, & conjungendum, ut hic facimus, cum Mosaica Lege) solet alio modo loqui, & non peccati nomine uti, sed alia ratione vitia ista significare; ut vidimus superiore capite illum fecisse, cum loquutus est de non amando mundo, neque iis, quæ sunt in mundo; ubi docuimus illum non habuisse sibi propositum, ut dehortaretur ab iis peccatis, quæ Lex Mosaica, aut alioquin ipsum jus gentium, aut ipsa manifesta ratio indicat ac prohibet: sed ea, quæ, licet alioqui secundum ista omnia peccata esse statui non queant, sunt tamen ex Euangelii doctrina vere peccata, & divinæ voluntatis transgressiones.

Cui nostræ rationi addatur, quod ex mox sequentibus videtur satis apparere, Johannem loqui de iis peccatis, quæ ab omnibus peccata esse censentur. Nec porro est verisimile (quod tertiæ rationis loco esse poterit) eum voce peccati usum fuisse in alium sensum, quam in quem vulgo acciperetur, & in quem illam acceptam in Sacris Literis fuisse constaret. Non constat autem in illis, id est, in scriptis Veteris Testamenti, quæ sola adhuc pro Literis Sacris passim habebantur, alia significatione eam usurpatam fuisse, quam ut transgressiones divinæ Legis per Mosen datæ, & dictaminis (ut sic loquamur) manifestæ rationis declararet. Jam hoc constituto, sequitur hic agnoscendum esse alterum illum sensum, cum quo non videtur recte convenire, si nomen ἀνομίας exprimatur per nomen *transgressionis Legis*. Nihil enim vox ista *transgressio Legis* plus continet, vel majorem turpitudinem, seu malitiam ob oculos ponit, quam vox *peccatum*, si *peccati* nomen omnino significat divinæ Legis & manifestæ rationis transgressionem.

Itaque Apostolus nihil effecisset ad deterrendos à peccato, de quo loquimur, eos, ad quos scribit, si aliud nihil dixisset, quam peccatum esse Legis transgressionem. Quocirca necesse plane videtur (id quod etiam alioqui, nisi quid aliter facere cogat, faciendum ubique est) non

non recedere in interpretanda voce ista à propria ejus significatione, & prorsus statuere ἀνομίας nomine hic intelligi id, quod ostendat, eum, qui illam committat, divinæ Legis nullam rationem habere; quod multo plus est, quam divinam Legem transgredi. Potest enim quis divinam Legem, vel per ignorantiam, vel per incogitantiam, vel denique per meram fragilitatem transgredi, & interim tamen non erit ejusmodi, qui divinæ Legis nullam rationem habere merito dici possit.

Sed dicet aliquis: si per peccati nomen Apostolus transgressionem expressæ divinæ Legis & manifestæ rationis intelligit, quomodo igitur verum erit, quod peccatum sit res, quæ declaret, aut in se contineat Legis divinæ contemptum; cum ipse manifeste contendas transgressionem istam consistere posse sine contemptu isto? Hanc objectionem maximi momenti esse fateor, nisi quis attendat ad usum tum aliorum scriptorum sacrorum, tum præcipue hujus nostri, qui *peccandi*, seu *peccati faciendi* verbo intelligunt plerumque, in peccato aliquo, seu mavis in transgressione ipsius divinæ Legis manere. Nam si quis hunc usum hujus potissimum scriptoris animadvertat, cujus manifesta indicia mox inferius in ejus verbis habituri sumus, videbit, apud illum hæc duo, nempe peccatum, & divinæ Legis contemptum, ejusmodi esse, ut alterum ex altero vel proficiscatur vel indicetur, cum nec Legem divinam contemnere quis possit, quin in peccato maneat; nec rursus in peccato manere, quin Legem Dei contemnat.

Animadverterunt usum, quem diximus, verbi *peccandi*, seu *peccatum faciendi*, alii multi ex explanatoribus hujus Epistolæ; adeo ut Beza in translatione sua à non paucis expresse approbata, pro eo, quod verba Græca (ut uterque interpres Latinus & Syriacus habet) proprie sonant *facit peccatum*, reposuerit *dat operam peccato*, volens hoc pacto satis aperte declarare sensum istum in peccato manendi, eoque quodammodo sese oblectandi. Et mirum est, cum hoc & ipse & alii animadverterint, tamen vim vocis ἀνομίας eos non percepisse, quam ante exposuimus, nec vidisse, nimis frigide post *dat operam peccato*, poni *Legem transgreditur*, tanquam id scilicet, quod augeat, magisque ob oculos ponat rei turpitudinem; cum potius contra res se habeat, & negari non possit, quin dare operam peccato, si ipsa verba attendantur, plus sit quam Legem transgredi; cum, ut diximus, possit quis Legem transgredi, nec interim ipsam contemnere; id quod tamen aliqua saltem ratione eum facere negari non potest, qui peccato dat operam, & sic non modo in peccato manet, sed etiam eo sese oblectat. Igitur concludendum nobis est, Apostolum dicere voluisse, eum, qui in peccato aliquo manet, Legis Dei contemptorem esse; quod, cum sit horribile quiddam ac turpissimum, necesse est ut plurimum momenti habeat in animo, qui menti ac rationi non valedixerit, ad illum deterrendum, quominus in peccato aliquo maneat. Hoc, inquam, sibi volunt verba ista, *Qui facit peccatum, & ἀνομίαν facit, & peccatum est ἀνομία.*

Notatur ab explanatoribus, quod istis duobus nominibus, utrique, inquam, apponitur articulus. Quæ consideratio (ne omnia, quæ hujus rei occasione ab illis dicuntur, hic examinemus, ut pote quæ magni momenti esse non videantur) satis fuerit si hunc fructum nobis pariat, ut hinc addiscamus, ubicumque fuerit peccatum, ibi fore etiam ἀνομίαν, id est divinæ Legis contemptum, & vicissim, ubi ἀνομία fuerit, ibi fore peccatum, peccatum, inquam, eo sensu, qui apud hunc scriptorem, ut ante monuimus, valde frequens est, nempe, ut significet peccatum, ut sic dixerim, continuatum, seu mavis peccati habitum, vel assuetudinem. Unde notandum est, quamvis ab aliis, ut diximus, fuerit animadversum, quid sit apud hunc scriptorem *facere peccatum*, eos tamen non intellexisse, sensum istum ex ipsa voce *peccati* fluere, habita nimirum ratione usus illius apud hunc scriptorem, non autem, ut illi sine dubio existimarunt, ex duobus illis verbis simul junctis, sive ex hac phrasi *facere peccatum*. Nam paullo inferius, ubi idem Apostolus utitur simplici *peccandi* verbo, eodem prorsus sensu, quo usus hic est phrasi ista *faciendi peccatum*, & quem isti expresserunt ista sua phrasi *Dandi operam peccato*, nullum aliud verbum vel addiderunt, vel pro verbo *peccandi* substituerunt; sed ipsomet simplici verbo *peccandi* sunt usi, id est, illud in sua translatione retinuerunt; cum tamen debuissent idem ibi facere, quod hic, cum præsertim, etiamsi nihil alioqui appareret de sensu Apostoli, qui idem utrobique est, certum sit, *facere peccatum* nihil plus significare, quam *peccare*, ex Hebraica loquendi consuetudine.

Jam antequam ulterius progrediamur, ne quis de interpretatione nostra nominis ἀνομίας, quod ad ipsum sensum attinet, dubitandi occasionem habeat, ex eo videlicet, quod, si ἀνομία, ut nos interpretamur, contemptum Legis declarat, sequeretur Apostolum dixisse, eum, qui peccatum facit, contemptum Legis facere; quod nimium absurde dictum videatur, cum contemptus Legis non fiat, sed indicetur, & ex eo, quod quis facit, intelligatur; monere voluimus primum, nos non habuisse hac in re opinionem istam, quod nomen ἀνομίας ad unguem Latine reddatur nomine contemptus Legis: sed tantum, quod nomine ἀνομίας, contemptus Legis declaretur, relinquentes interea alii minus occupato, & in Latina Lingua magis versato, curam inveniendi Latinum nomen unum aut plura, quæ cum phrasi ista conveniant, & interim contemptum Legis declarent. Quanquam nihil deinde absurdi esse dicimus, si verbum aliquod idem plane significet, quod aliud significat, idque alioqui ad unguem exprimat, & tamen interim non ita possit commode cum aliquo alio verbo construi atque conjungi ut illud aliud potest. Nec nostra mens est, ut modo indicavimus, ut in hoc loco è Græco in Latinum vertendo vox ἀνομίας reddatur voce contemptus Legis; cum nihil aliud quæsierimus, quam Apostoli mentem declarare.

Vers. 5. Pergit Apostolus confirmare monitionem suam, ut à peccando isti sibi caveant, ad quos scribit, & ait: *Et scitis, quod ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Duas rationes continent hæc verba, quarum utravis per se recte intellecta atque perpensa, maximum pondus habet, ad retrahendum nos à peccando. Una est, quod Christus propterea advenit, & patefactus nobis à Deo est, una videlicet cum ipsius Euangelio, ut peccata nostra auferret. Altera vero est, ipsum Christum peccato omnino caruisse. Eædem istæ duæ rationes ad idem fine dubio efficiendum, quod hic Johannem efficere voluisse diximus, inveniuntur apud Petrum in priori Epist. cap. 2. circa finem, ubi de Christo ait: *qui peccatum non fecit, &c.* & mox subjungit, *qui peccata nostra ipse tulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus.* Sunt igitur admodum similes isti duo loci, & alter alterum non parum illustrat. Quod attinet ad locum Petri, eum nos explicuimus satis diligenter in disputatione nostra de Christo Servatore part. 2 cap. 6. ubi ostendimus, verbum, quod nos hic vertimus *tulit*, & vulgo redditum est *pertulit*, idem significare quod *sustulit*. Id quod confirmatur etiam hoc Johannis loco, nempe in quo eadem sententia appareat, ubi legunt omnes *tolleret*, non autem *perferret*, sentientes hic agi de ablatione peccatorum, non autem de illorum, ut sic dixerim, portatione, id est, pœnarum illis debitarum, ut vulgo creditur, perpessione. Nam alioqui ipsum *portandi* verbum, optime ex usu Sacrarum Literarum potest ipsam simplicem ablationem significare, quemadmodum in eadem disputatione nostra aperte docuimus.

Jam *auferre peccata* duobus modis intelligi potest; & quatenus videlicet proprie loquendo significat efficere ut quis non peccet (proprie loquendo, inquam, quod pertinet ad ipsam vocem peccatorum) & quatenus minus proprie loquendo, sed tamen secundum usum frequentem Sacrarum Literarum, & sic peccatorum nomen, pro pœnis peccatorum accipiendo, significat peccatorum pœnas tollere, id est, efficere, ne illæ exigantur, seu

seu repetantur. Ostendimus autem supra citato loco illius nostræ disputationis, ex istis duabus significationibus priorem, & quæ magis proprie cum *peccatorum* nominis significatione convenit, magis quadrare ad locum istum Petri, idque ob eam causam, quod non ita vim habet deterrendi à peccatis, quod Christus abstulerit pœnas peccatorum nostrorum, quemadmodum quod abstulerit, quantum scilicet in ipso fuit, seu auferre curaverit ipsa peccata. Quapropter in hoc quoque Johannis loco idem statuendum dicimus; quippe in quo non minus, quam in isto apud Petrum, agatur de deterrendo à peccatis, ut jam dictum est. Non negamus tamen, posse etiam in hisce locis habere locum posteriorem significationem istius phrasis *auferendi peccati*; cum etiam ex eo, quod Christus ideo advenerit, ut pœnas nostrorum peccatorum auferret, si modo, ut id faceret, quid, postquam advenit, perpessus fuerit, penitius consideretur, nempe (ut cum Petro, qui hoc expressit, loquamur) quod corpore suo super lignum, id est ad crucifigendum tradito, genus mortis maledictionis & horroris plenissimum subierit, vim aliquam prosisci posse constet, ad nos à peccatis deterrendos. Apparet enim, una cum summa atque ineffabili erga nos Dei benignitate, ex hoc, quod fecit Christus, summum Dei odium erga peccatum; quæ duæ res, in animo præsertim recte composito, & non belluino potius quam humano, magnum pondus habent ad hoc, ut peccatis valedicatur, & hac ratione quis erga Deum se gratum ostendat, & simul Dei judicium atque consilium tanti, quanti debet, faciat. Quamvis igitur prior significatio sit huic loco magis accommodata, non tamen rejicienda est posterior, sed una cum ea simul jungenda; cum utramque simul ab Apostolo, prout ipsa verba ferunt, phrasi ista comprehensam fuisse omnino sit verisimile.

Jam quod attinet ad alteram rationem, quod scilicet Christus peccatum non habuerit, ea propterea magnam vim habet, quia, ut Petrus in prædicto loco proxime ante dixerat, Christus nobis exemplum reliquit, ut insequamur vestigia ejus. Quod quamvis istic à Petro nominatim accommodetur ad mortem, quam Christus pati voluit pro nobis, ut scilicet præter alias causas nos quoque ipsius exemplo pro fratribus patiamur: tamen nihil vetat, quominus etiam ad Christi sanctitatem vitæ atque innocentiam accommodetur; & quominus ipse Petrus huc respexerit, præsertim cum statim subjiciat id, quod antea indicavimus: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Adde, quod turpissimum est, se ipsum Christianum vocare, Christumque pro suo duce & antesignano habere profiteri, & interim non ita se gerere, ut ille se gessit; & pro eo, quod ipse ab omni peccato alienissimus fuit, in peccato aliquo manere.

Verbum *est* præsentis temporis, dum ait, *peccatum in eo non est*, fieri potest ut nullum mysterium in se contineat, sed idem valeat *non est*, quod *non fuit*. Nam Petrus, ut vidimus, verbo præteriti temporis est usus. Quod si tamen pondus aliquod habere velimus, quod Johannes non verbo præteriti temporis, sed præsenti sit usus, tunc poterimus aliter hanc secundam Apostoli rationem accipere, & nomen *peccatum*, ut alibi fit, ita interpretari, ut significet non vitium aliquod in motibus, aut transgressionem aliquam divinæ legis, sed aliquid ex iis, quæ solent peccatorum seu delictorum esse propria; cujusmodi sunt omnia mala, omnesque perpessiones, una cum ipsa morte: ab istis enim omnibus Christus hodie est liberrimus, ut pote beatissimus, & impatibilis, atque immortalis. Nam potest, si hunc sensum sequamur, haberi hoc pro ratione valida ad persuadendum, ut à peccatis abhorreamus; quippe cum sciamus, viam, qua ad tantam felicitatem & ad summum istud bonum Christus pervenit, fuisse obedientiam divinæ voluntatis, & consequenter ab omni peccato, ut sic dixerim, abhorrentiam. Nihil enim est, quod nos magis moveat, ad aliquid quantumvis durum ac difficile præstandum, quam spes felicitatis ac summi boni, quod inde nobis obventurum sit. Non potest autem ista spe carere, cum ipsi Christo ista propter jam dictam causam obvenerint, quisquis arduum licet hoc sit & laboris plenum, non recuset vim sibi faciendo curare, ut à jugo & servitute peccati immunis sit; cum Christus homo mortalis fuerit, ut nos sumus, & manifeste sit nobis pro exemplo propositus, ut morum & actionum, sic etiam fortis & finis, qui illas consequuturus sit.

Non putamus tamen recedendum à priore ratione interpretandi verba ista Apostoli, *& peccatum in eo non est*, & ostendendi, quomodo in illis altera ratio contineatur, qua Apostolus vult persuadere, ne in peccatis maneamus. Quamvis enim verbum præsentis temporis *est* debeat ita accipi, ut præsens etiam tempus revera Apostolus respexerit: tamen recte dictum ab eo fuisset, nunc in Christo nullum esse peccatum; non quod antea fuerit ullo modo, sed quod multo magis id nunc certum est, postquam ad beatam immortalitatem, & ad supremam illam majestatem pervenit. Nam si ipsius Dei exemplo Sacræ Literæ nos excitant ad vitæ sanctitatem omnino sectandam, nulla ratio est, cur idem facere non possint Christi exemplo, jam ut sic dixerim, deificati, atque ut talis considerati. Possumus igitur, si velimus, utramque interpretationem mentis Apostoli in verbis istis retinere, ut videlicet statuamus, eum ad utramque rem respexisse, id est, & ad id, quod Christus omni prorsus peccato caret; & ad id, quod ab illis omnibus malis & imperfectionibus, quæ peccata comitantur, & illa consequuntur, prorsus est liber. Nec ulla res mihi magis probatur in Sacris Literis, quam, ubi duplex sensus haberi potest, qui simul consistere queat, neutrum rejicere, sed utrumque amplecti, & eidem loco simul subesse agnoscere: licet sæpius contingat, ut alter altero videatur ad ipsum locum accomodatior: quemadmodum sine dubio est hic prior sensus à nobis expositus, posteriore, loco præsenti magis consentaneus.

Non omittendum est autem, antequam ad sequentia Johannis verba explicanda accedamus, quod Apostolus cum vellet Christum pronomine aliquo indicare, quem videlicet proxime non nominaverat, usus fuit non quidem pronomine αὐτὸς, sed ἐκεῖνος. Quod dicimus propter illos, qui credunt, ab hoc scriptore pronomine αὐτὸς Christum potissimum significari, etiamsi ille proxime nominatus non fuerit. Nos enim, quamvis, ut antea monuimus, varius sit omnino apud hunc scriptorem usus articulorum relativorum, sive expressorum sive tacitorum, quod attinet ad personam Dei & Christi; tamen ejus sententiæ sumus, ut, si alterum ex ipsis postremo non nominatum, pronominibus istis significare vult, & non utrumque simul, tunc Deum intelligat frequentius quam Christum. Nam cum Christum postremo non nominatum significare vult, utitur pronomine isto ἐκεῖνος, quod non tam relativum quam demonstrativum est, & referri potest ad eum, qui non modo nuper, sed neque etiam unquam antea nominatus fuerit. Nec sane temere pronomine isto ut simplici relativo usus est scriptor noster: sed tantum, ubi non bene quadrabat pronomen αὐτὸς quod proprie & simpliciter relativum est, ut supra proxime, cum dixit, *Et qui habet spem hanc in eo, purificat seipsum, sicut ille purus est*. Pro *ille* enim in Græco est ἐκεῖνος, quamvis simplicis relativi vim habeat. Causa est, quia si posuisset Apostolus αὐτὸς potuisset ex vi Grammaticæ relativum istud tam referri ad eum, qui se purificat, quam ad Deum. Similiter accidit infra ℣.7. ubi ἐκεῖνος simplicis relativi vim habet, & positum est pro αὐτὸς; quia pronomen αὐτὸς ex eadem Grammaticæ vi potuisset non minus accommodari ad eum, qui facit justitiam, quam ad Christum: utrobique enim cessat ista ambiguitas posito pronomine ἐκεῖνος, quo videlicet necessarium est in priore loco Deum significari, in posteriore vero Christum. Jam, quod alioqui usus istius pronominis apud hunc scriptorem sit is, quem antea diximus, docebit nos locus alius inf. ℣.16. de quo cum eo perventum fuerit, accuratius videbimus.

Vers.6. Nunc in explicandis Apostoli verbis ulterius progrediamur. Non contentus enim Apostolus rationibus

nibus jam allatis, ut à manendo in peccatis deterreat, alias subnectit, & inquit: *Omnis, qui in eo manet, non peccat; omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Ex istis Johannis verbis apparet id, quod diximus, apud ipsum idem plane esse *facere peccatum*, quod *peccare*. Nulli enim dubium esse potest, quin ipse in eodem proposito maneat, atque alias rationes, ut diximus, afferat ejus, quod proxime suadere ac monere incepit. Unde necessario colligitur, quod, cum proxime usus fuerit phrasi *peccatum faciendi*, hic vero simplici verbo *peccandi* utatur, idem apud ipsum hoc simplex verbum polleat quod phrasis ista. Quare non possunt alii excusari, quominus indiligentes fuerint in explicandis verbis illis capitis superioris in ipso initio: *Hæc scribo vobis, ut non peccetis: sed si quis peccaverit*, &c. dum non animadvertunt, usum hujus scriptoris ferre, ut ibi non de aliquo peccandi actu, sed de habitu vel assuetudine sit sermo, quemadmodum ut hic sit, necesse est, si, ut illi ipsi agnoverunt, *facere peccatum* idem est, quod peccato dare operam; cum, ut dictum fuit, verbum simplex *peccandi*, manifeste hic idem valeat quod phrasis *peccatum faciendi*.

Estque præterea animadvertendum, quod illi hoc in loco, & mox infra, non modo agnoverunt, verbum *peccandi* vim habere, non quidem actum aliquem, sed habitum vel assuetudinem significandi: verum etiam phrasi isti *peccatum faciendi*, quæ idem pollet cum simplici verbo isto, plus adhuc, quod attinet ad significationem, tribuerunt, quam ut non actum, sed habitum vel assuetudinem significet. Quando enim illam Latine reddiderunt *Dare operam peccato*, videntur intellexisse, ad hoc, ut quis dici possit peccatum facere, non satis esse in peccato manere; sed etiam studere ac diligenter curare peccatum committere: quandoquidem fieri potest, ut quis habitum vel assuetudinem peccandi habeat, sive in peccato maneat, & tamen peccato operam non det, si proprie, & in eum sensum, quem modo exposuimus, phrasis ista accipiatur. Nihil enim vetat, quominus displicentia, ut sic loquar, & odium ipsius peccati, quamvis non magnum, nec absolutum in eo esse possit, qui interim tamen peccare non desinit, & peccandi habitum quendam habet, quandoquidem propter hunc ipsum habitum fit, ut nequeat se à peccato exsolvere, quamvis id curet. Scio equidem posse phrasin istam *dandi operam peccato* ita accipi, ut effectus tantum seu facta ipsa, non etiam animus & studium significetur: verum tunc loquutio ista minus proprie accipitur, quæ tamen improprietas me non deterruisset à statuendo, quod interpretes isti sensum hunc interpretatione ista sua fuerint sequuti, nisi palam esset, eos sentire, posse hominem regeneratum esse, quantumvis peccet, modo studium & conatum habeat, ut à peccando cesset, quamvis effectus minime consequatur, si modo studium ac conatus iste sit sincerus & non fucatus.

Quæ sententia nullo pacto est amplectenda: sed agnoscendum prorsus est, studium & conatum non peccandi quantumvis magnum atque sincerum, non satis esse ad hominem regeneratum constituendum, nisi effectus quoque re ipsa & in hac vita consequatur, ut scilicet à peccando desistatur, & in nullo ex iis peccatis maneatur, quibus apud Scriptores Sacros tribuitur, quod adimant possessionem regni cœlestis, id est, ad illam pervenire permittant: qua de re à nobis satis copiose disputatum est in aliquot ex jam editis scriptis nostris, ad quæ vos rejicimus. Fuit autem hac de re aliquid hic dicendi locus, cum Apostolus diserte dicat, eum, qui peccat, non manere in Christo, neque ipsum vidisse at cognovisse. Certe enim, ut ex iis intelligi potest, quæ antea docuimus, de manendo in Christo deque eodem cognoscendo, dum hoc dicit Apostolus, simul etiam dicit, seu potius hoc ipsum dicit, eum per Christum regenitum non esse qui peccet.

Nam hoc idem animadvertentes isti interpretes, propterea verbis *peccandi*, & *peccatum faciendi* hoc loco adeo prægnantem significationem tribuerunt, ut ex hac sententia Apostoli nihil adversus ipsorum sententiam de regeneratis hominibus concludi queat: sed frustra atque immerito, ut jam dictum est. Est in his Apostoli verbis verbum *videndi* ad Christum passive relatum, quo antea non est usus, cum hac eadem de re, & simul de eo, quod requiratur ad hominem Christianum constituendum, loquutus est. Quod verbum, quamvis videatur minus significare quam verbum *cognoscendi*, tamen hoc in loco videtur ita usurpatum, ut plus significet, cum post illud *non vidit eum*, subjungat Apostolus, *nec cognovit eum*, ut scilicet non modo neget, ei, qui peccat, visum fuisse Christum, quod majus scilicet quiddam sit: sed etiam non fuisse cognitum, quod videlicet sit minus. Illud verissimum est, verbum *videndi* usurpari in Sacris Literis cum significatione majoris rei, quam ipsum præ se ferat; ita ut necesse saltem sit illud aliquando cognoscendi significationem habere, ut in illis ipsis Christi verbis, cum de hac ipsius cognitione loquens inquit Johan. 14. 9. *Philippe, qui vidit me, vidit Patrem*, ubi nemini dubium esse potest, quin videndi verbo saltem id significaverit, quod verbum cognoscendi exprimit. Proxime enim dixerat, *Tantum tempus vobiscum sum & non cognovisti me Philippe?* Verum, ut dictum est, Johannes hoc in loco plus etiam verbo *videndi* videtur tribuere, quam verbum cognoscendi exprimat, & per illud certiorem quandam cognitionem significare; & propterea dicere, eum, qui peccat, non modo non habere certiorem quandam Christi cognitionem, qualis earum rerum habetur, quæ ipsis oculis cernuntur: sed neque etiam ullo modo Christum ab ipso cognosci. Et videmus sane plus esse in Sacris Literis *Deum videre*, quam *Deum cognoscere*; cum hoc passim requiratur à nobis dum sumus in hac vita, & iis tribuatur, qui Deo sunt chari: illud vero promitti consueverit nobis in altera vita, & illis tribui, qui futuri sunt participes beatæ immortalitatis. Prout igitur verbum videndi accipitur, & respectu verbi cognoscendi consideratur, modo plus, modo minus quam illud significat. Minus significat, quando eo declaratur externus aspectus, qui opponatur interiori cognitioni: plus vero, cum significat ipsum contuitum rei, qui opponatur cognitioni, quamquis ejusdem rei per auditum & per aliorum relationem habeat, vel alii cuipiam cognitioni, quæ incertior & minus plena sit, quam illa, quæ per ipsos oculos perque ipsum clarum & apertum visum habetur.

Jam vero ratio, quæ in his verbis Apostoli, quæ postremo recitavimus, continetur, qua utitur ad persuadendum, ut ne quis in peccato maneat, breviter hæc est (præstat enim unicam rationem hic agnoscere quam plures, etiamsi plures cuipiam videri possint) quod is qui in peccato manet, nullam communionem habet cum Christo: id enim significant ista tria, *Non manere in Christo, Non vidisse illum*, & *Eum non cognosse*. Quæ alioqui quem sensum habeant, si quis explicatius intellige velit, ad ea recurrat, quæ supra à nobis de manendo in Christo, deque eo cognoscendo disputata sunt. Sumit autem Johannes pro concesso, rem esse turpem ac detestabilem, nullam cum Christo habere communionem; aut certe ad illos respiciens, ad quos scribebat, hoc ipsis valde turpe ac detestabile esse tacite sumit; cum videlicet illi se Christianos esse profiterentur, & sic aut mendaces, aut valde stulti esse deprehenderentur, si interim cum Christo nihil haberent commune.

Vers. 7. Ab hac ratione transit ad aliam, quæ his verbis continetur: *Filioli, nemo seducat vos, qui facit justiciam, justus est, sicut ille justus est.* Ratio deterrendi à peccatis, his verbis comprehensa, hæc est, quod nimis dignum vituperatione sit, non esse justum: eum autem justum non esse nimis apertum sit, qui justa non faciat, seu juste non vivat; quamvis non desint homines impudentes, & ad decipiendum alios sine ulla fronte perpetuo parati, qui negent necesse esse, ut quis juste vivat, adhoc, ut merito justus vocari queat. Habent enim verba ista, *Qui facit justiciam, justus est*, eandem vim, ac si dixisset; *Is demum, & non alius quis-*

quisquam, justus est, qui justitiam facit. Inveniuntur enim in verbis præsertim Domini Jesu sæpe tales enunciationes, quæ simplicem affirmationem continere videntur, & tamen reipsa negationem quoque conjunctam habent; & breviter sunt ejusmodi, ut in illis idem veniat, quod Juris consulti dicere solent de argumento à contrario sensu, quod ex affirmantibus enunciatis colligatur: cujusmodi est enunciatio illa, quam protulit apud hunc eundem scriptorem Joh.8.47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* In enunciatione siquidem ista tacite subintelligitur particula *demum*, aut alia similis; ita ut ex ea, per argumentum illud à contrario sensu concludatur, eum, qui non est ex Deo, verba Dei non audire; alioquin id, quod ibidem statim subjungit ipse Dominus, non recte conclusum esset. Illico enim inquit, *Vos propterea non auditis*, scilicet Dei verba, quæ ego nimirum loquor, *quia ex Deo non estis.* Hanc rem, id est usum istum, & significationem ejusmodi enunciationum, præsertim in Christi verbis, non animadvertentes multi, qui Dialecticæ præcepta tradunt, ut interim Christi ratiocinationem à fallacia vindicarent, aliter de isto ratiocinandi modo senserunt, ac statuerunt, cum propositiones sunt ejusmodi, ut reciprocentur, posse quem ex illis argumentari, quamvis alioqui argumentandi forma legitima non servata: nempe, quia nihilominus verum concludi possit, & porro concludatur. Quorum sententiæ ego nullo pacto adhærere possum, & plane statuo, nisi Christi enunciatio illa, & si quæ sunt aliæ similes, quæ similes habent subjectas conclusiones, eo modo accipiantur, ut nos diximus, necessarium fore fateri, Christum male ratiocinatum fuisse, quicquid veræ alioquin sint ipsius conclusiones.

Argumentum igitur Johannis hoc in loco tale est: Nemo est justus, qui justitiam non facit. Sed qui peccat, id est in peccato manet, justitiam non facit. Ergo qui in peccato manet, non est justus: quantumvis ejus verba per solam affirmationem fuerint concepta hunc in modum: *Qui facit justitiam, justus est.* Quibus vim totam ipsius ratiocinationis revera continentibus subjicit ista, *sicut ille justus est.* Quæ verba si ita intelligantur, ut credimus vulgo intelligi, ut scilicet nihil aliud addant superioribus, nisi quod is, qui justitiam facit, ita sit justus, ut Christus ipse est justus, tunc multo magis apparebit, in illis nullam vim, quod attinet ad ratiocinationem Apostoli contineri. Sed arbitramur illis alium sensum subesse; neque nobis admodum verisimile fit, Apostolum propter duntaxat jam expositum sensum verba ista addidisse.

Nam si quis dicat eum, paullo superius de ipso Deo loquentem eadem fere ratione mentionem fecisse, quod Deus sit purus, cum tamen istud ipsum dicere vellet, & non quicquam amplius, inquiens: *Et is qui hanc spem habet in eo, purificat se: quemadmodum ille purus est.* Dico, Apostolum ibi loqui de actione quadam, quam exprimere voluit, & qualis illa sit, docere. Voluit enim ostendere, qua ratione purificet se, quisquis in Deo spem habet, quod illum aliquando sit visurus, & ostendere, purificationem istam esse ejusmodi, ut is, qui id facit, hac in re, id est in puritate, Deo similis fiat; & propterea satis elegans atque egregius est sensus verborum Apostoli, etiamsi ex verbis illis, *quemadmodum ille purus est*, nihil præterea colligatur, quam quod dictum est, & verba ipsa sonant. At in loco nostro non de actione ulla agitur, sed de habitu, seu qualitate quadam, quam declarant duo illa verba, *justus est*, quam qualitatem seu habitum declarare, & exprimere, qualis ille sit, nihil erat opus, nec ad rationem Apostoli, quam nos explicavimus, concludendum, id quidquam momenti habet: quemadmodum ex ipsa explicatione nostra istius ratiocinationis aperte intelligi potest. Nihil enim præterea ad rationem istam concludendam requirebatur, nisi quod is sit justus, qui justitiam facit; supple, *nec quisquam alius*: quod vero ita sit justus, ut Christus ipse est justus, istud non huc, sed alio fortasse pertinere potest, quo Apostoli mens tendere non videtur; si videlicet hoc ipsum tantum, quod verba sonant, in illis verbis contineri volumus, *sicut ille justus est.*

Verum, si quis ea in alium sensum aliquanto abstrusiorem accipiat, confirmabitur non parum per illa, tota Apostoli ratiocinatio, ut, quia nimirum Apostolus dixerat, eum demum esse justum, qui justiciam faciat, subjiciat ad id confirmandum, quod Christus ipse hac via & non alia justus sit, nempe justitiam faciendo; ita ut vox *sicut* habeat hanc vim, ut declaret modum, & consequenter causam, cur ipse Christus sit justus. Perinde ac si Johannes dixisset, Is demum justus est, qui justiciam facit; nam & Christus ad hunc modum justus est, justiciam scilicet faciendo. Et secundum hunc sensum verbum *est* præsentis temporis, vel idem pollet, ac si in præterito tempore fuisset enunciatum, respiciendo videlicet plane ad tempus, quo Christus hic in carne vixit, non modo quatenus pertinet ad faciendam justiciam, sed etiam quod ad id pertinet, ut sit justus, ac si dixisset: Nam Christus quoque propterea justus fuit, quia justitiam fecit. Vel si placet, ut, quatenus ad id pertinet, quod expressum est, scilicet quod Christus sit justus, verbum *est* præsentis temporis accipiatur ita, ut ipsum præsens tempus declaret, tunc dicendum est, Christum nunc justum esse dici, quia videlicet ea consequutus sit, quæ justis tantum dantur, & ex quibus manifeste appareat, illum vere fuisse justum. Nam, quemadmodum alibi à nobis ostensum est, ipsa beata immortalitas *justicia* in Sacris Literis appellatur 2.Tim.4.8, 2.Pet.3.13. Cum igitur Christus beatus atque immortalis hodie sit, merito potest ob hanc ipsam causam, ex usu Sacrarum Literarum, hodie justus esse dici. Jam quid sit *facere justitiam*, seu, ut nos antea interdum locuti sumus & Castellio in sua interpretatione habet, *justa facere*, facile intelligi potest, cum consideratur *facere justitiam* hic satis aperte opponi ei, quod est *facere peccatum*, seu *peccare.* Nam si *facere peccatum* est in peccato manere, & habitum vel assuetudinem peccandi habere, necesse est, ut *justitiam facere* sit, in justis actionibus manere, & habitu quodam esse præditum justa faciendi; ac breviter, ut idem sit *justitiam facere*, quod juste vivere, non mente quidem & studio solum, sed ipsis factis & tota vitæ suæ ratione.

Quod si animadverterent, qui ad regeneratum per Christum hominem satis esse concludunt, studium & conatum sincerum habere juste vivendi, ab ista non minus falsa, quam perniciosa sententia omnino recederent; & hic unus locus præsertim ita explicatus, ut nos fecimus, apud ipsos satis esset ad illos sui erroris commonefaciendos. Nam & ipsi hoc certo agnoverunt, hic non tantum dici, quod is sit justus, qui justitiam facit, sed etiam simul definiri, quis tandem justus merito dici queat, nempe ille & non alius qui justitiam facit. Non est autem mirandum, si nihilominus adversus istam definitionem illi revera de hac tota re statuant, & velint, eum etiam esse justum, aut esse posse, qui re ipsa juste eo modo, quo antea dictum est, non vivat; cum ipso Apostolorum tempore, quando scilicet verissima ista definitio ubique prædicabatur, & omnibus notissima esse poterat, ejusque veritas compertissima, tamen non deerant, qui contrarium assererent, & in suam sententiam alios traducere conarentur, quemadmodum ipsa Apostoli verba clare docent; qui sine dubio id faciebant allatis iisdem aut similibus rationibus, quibus hodie ii uti solent, qui idem sentiunt, aut sentire præ se ferunt. Quæ cum partim nescio quid coloris habeant, partim vero, idque potissimum, carni faveant, non mirum est, ab illis periculum simplicibus & non bene firmis in fide hominibus imminere; & idcirco Apostolum directe monuisse, ne finamus nos à talibus hominibus ejusmodi rationibus decipi ac seduci.

Vers.8. Pergit Apostolus in afferendis rationibus, quibus deterreamur à manendo in peccatis, inquiens, *Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* Sumit hic Johannes pro concesso, rem detestabilem esse cum diabolo aliquid commune habere; præ-

ſertim vero *ex ipſo eſſe*, & ſic Diaboli filium appellari poſſe. Neque enim probatione iſtud indiget. Hoc igitur pro conceſſo ſumpto, ſic reipſa argumentatur: Qui peccatum facit ex diabolo eſt. Ergo non oportet peccatum facere. Ex eo, quod diximus illum pro conceſſo ſumere, conſequentia hujus enthymematis apparet; tantum reſtat, ut aſſumptio probetur, quæ eſt, illum eſſe ex diabolo, qui facit peccatum, id eſt, qui in peccato manet. Hanc igitur aſſumptionem probat ex eo, quod peccare ſit res Diaboli propria ac perpetua. Propria, inquam, quatenus non quidem ipſe ſolus peccat, ſed aliis peccandi videtur potiſſima eſſe cauſa. Perpetua vero, quia nunquam, ex quo diabolus fuit, peccare deſiit. Utrumque complectitur Apoſtolus illis duabus vocibus *Ab initio*, junctis cum verbo *peccat*. Quandoquidem, judicio quidem noſtro, *ab initio* hoc loco non id ſignificat, quod plærique exiſtimant, videlicet *ab initio mundi*: ſed quemadmodum in aliis omnibus locis, ubi phraſis iſta reperitur, debet illa accommodari ad ſubjectam materiam, ſive ad id, de quo eſt ſermo. Hic vero ſermo eſt de Diabolo peccante; Ergo iſtud initium debet referri vel ad Diabolum, vel ad ipſum peccare, vel ad utrumque ſimul.

Igitur *ab initio* neceſſe eſt ut hic idem valeat, vel quod *cum Diabolus eſſe cœpit*; vel quod *cum peccari cœptum eſt*; vel denique, quod *cum Diabolus eſſe cœpit*, & *peccatum cœptum eſt*, adeo ut, etiamſi, ut quidam volunt, nec Diabolus eſſe cœpiſſet ante conditum mundum, nec peccari ante mundum conditum cœptum fuiſſet, & ita fieret, ut retenta etiam interpretatione noſtra, ex verbis iſtis hic ſenſus omnino eliceretur, nempe Diabolum ab initio mundi peccaſſe, & peccare incepiſſe, id fieret ex accidente, quod ad illud attinet, quod per duas iſtas voces *ab initio* ſignificaretur mundi initium; nempe, quia accidit, ut mundi initium cum eo concurrat, quod duæ iſtæ voces hoc in loco revera ſignificant: non autem propterea, quia illis mundi initium ſignificetur. Senſus igitur horum verborum, *Diabolus ab initio peccat*, triplex eſt. Nam & ſignificant, Diabolum, cum primum eſſe cœpit, peccaſſe; & primum fuiſſe qui peccaverit; & denique nunquam peccare deſiiſſe; quibus tribus rebus continentur illa duo, quæ ante diximus, nempe, Diaboli & proprium & perpetuum eſſe peccare. Hæc enim, ut indicavimus, maxime pertinent ad probandam aſſumtionem Apoſtolicę argumentationis, & ad oſtendendum quod, qui in peccato manet, ex Diabolo ſit neceſſe eſt.

Quod Diabolus, cum primum eſſe cœpit, peccaverit, ſignificant omnino verba iſta, *ab initio Diabolus peccat*, quatenus illud *ab initio* idem eſt atque *cum Diabolus eſſe cœpit*. Quod vero ſignificent, Diabolum primum fuiſſe, qui peccaverit, eædem duæ voces, relatæ ad ipſum *peccare*, demonſtrare poſſunt; ut ſcilicet idem valeat, Diabolus ab initio peccat, quod, tunc peccavit Diabolus, cum factum eſt initium peccandi. Quod vero denique verbis iſtis ſignificetur, Diabolum perpetuo peccare, verbum *peccat* præſenti tempore elatum, conjunctum cum illis duabus vocibus *ab initio*, id aperte docet.

Diximus enim ante non ſemel, duarum iſtarum vocum, *ab initio*, eam vim eſſe, ut continuationem ab ipſo principio uſque ad illud tempus, quo quis loquitur, declarent. At verbum *peccat* præſentis temporis oſtendit perpetuitatem etiam in futurum tempus, eo enim natura quædam Diaboli exprimitur, ſcilicet peccandi. Quemadmodum ſimilia aliqua verba, ſive quæ affectum, ſive actionem, ſive operationem aliquam declarent, de aliqua re præſenti tempore elata, idem ſignificare ſolent ut ſi dicam, Magnes trahit ferrum, idem eſt ac ſi dicerem, Natura Magnetis eſt trahere ferrum; & ſic in aliis ejuſmodi innumerabilibus evenire conſtat.

Quod ſi quis dicat, quamvis verum ſit, iſtos tres ſenſus poſſe contineri verbis iſtis, quatenus videlicet ea poſſunt ad unumquemque ipſorum accommodari: tamen vix fieri poſſe, ut omnes ſimul iiſdem verbis expreſſi fuerint; de hoc non admodum altercabimur, & unicuique inſpiciendum relinquemus, utrum necne poſſint omnes ſimul & eodem tempore ex verbis iſtis elici; modo id firmum maneat, quod duo illi, nempe quod Diabolus peccavit, cum primum eſſe cœpit, & perpetuo peccat, omnino verbis iſtis una contineantur. Tota enim difficultas eſt, an, quod Diabolus primus fuerit, qui peccaverit, concurrere poſſit, quatenus ad hoc pertinet, ut utrumque ex iſtis verbis eliciatur, cum eo, quod Diabolus, cum primum eſſe cœpit, peccavit. Nos quidem credimus concurrere poſſe, & non dubitamus, ut ſupra etiam attigimus, quin ſæpe Sacræ Literæ unis & iiſdem verbis plures ſenſus exprimere voluerint; quamvis (hoc enim nunc addimus) videatur ex vi ipſa verborum & loquutionis neceſſe eſſe, ut non omnes ſimul ſignificari poſſint. Cæterum hic habetis iterum ſatis manifeſtam probationem, quod apud hunc ſcriptorem *facere peccatum* & *peccare* idem ſit: ſi quis fortaſſe id ex ipſo uſu Hebraicæ linguæ non didicerit. Manifeſte enim in reddenda ratione, cur verum ſit, quod, qui facit peccatum, ſit ex Diabolo, pro *facit peccatum*, ſubſtituit ſimpliciter *peccat*. Nam alioqui, ſi idem non ſignificaret *peccat*, quod *peccatum facit*, & pro eo tamen ſubſtitutum eſſet, male ratiocinatus fuiſſet Apoſtolus, & minus recte concluſiſſet dicens, quod propterea is ex Diabolo eſt, qui peccatum facit, quia Diabolus ab initio peccat.

Addit Johanes rationem aliam, qua deterreamur à peccando, pro conceſſo ſumpto eo, quod in modò explicata ratione docuit. Hoc eſt Diabolum peccare, hocque ejus eſſe quiddam proprium ac perpetuum. Namque hoc poſito ſic tacite argumentatur: Oportet nos abſtinere ab iis, propter quæ abolenda Filius Dei apparuit. Sed Filius Dei apparuit, ut aboleret opera Diaboli. Ergo ab operibus Diaboli abſtinendum nobis eſt. Atqui peccata opera Diaboli eſſe, ut diximus, Apoſtolus pro conceſſo ſumit, & ſic ex ejus ratiocinatione neceſſario concluditur, nos debere à peccatis abſtinere. Nam quod abſtinendum nobis ſit ab iis, propter quæ diſſolvenda ſive abolenda Filius Dei apparuit, nulla indiget probatione, præſertim apud illos, qui ipſi Filio Dei ſe credere profitentur, eumque pro ſervatore ſuo & duce ad æternam ſalutem habent atque agnoſcunt. Quales erant ii, ad quos Johannes ſcribit. Quod vero Dei Filius, apparuerit ut Diaboli opera diſſolveret, ideo non probat Apoſtolus, quia in hoc aſſerendo ſimplici magiſtri munere fungitur.

Verſ. 3. Aliam porro rationem, quæ nos à peccando deterreat, ſtatim ſubjicit Apoſtolus, quæ his verbis continetur: *Omnis natus ex Deo peccatum non facit*, quandoquidem & illi quos Apoſtolus monebat, & nos omnes profitemur, nos eſſe ex Deo natos, aut certe perſuaſi ſumus, debere unumquemque ex nobis ex Deo natum eſſe, quare ſi is, qui natus eſt ex Deo, non peccat, neceſſario ſequitur, ſi nobis ipſis, & profeſſioni ac menti noſtræ adverſari nolimus, ut à peccando nobis caveamus. Ex Apoſtoli igitur mente poteſt formari tale Enthymema: Non debemus peccare, quia debemus ex Deo eſſe nati: ſeu malumus: Debemus ex Deo eſſe nati: Ergo debemus non peccare. Hujus enthymematis, à ſe nimirum explicati, ſolam rationem conſequentiæ explicat Apoſtolus, ea autem eſt: Natum ex Deo peccatum non facere, id eſt, non peccare.

Hoc igitur, ut maxime neceſſarium ad ſuam ratiocinationem concludendam, ut Apoſtolus expreſſit, ſic etiam probat, inquiens: *Quoniam ſemen ipſius in eo manet. Et non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* *Seminis Dei* nomine utitur metaphorice, ut ipſa metaphora *naſcendi ex Deo* plane fert. Neque eſt neceſſarium omnino ſtatuere, quid *ſeminis* nomine hic intelligatur. Nam ſatis eſt ad probationem Apoſtoli concludendam, quid in eo, qui natus ſit ex Deo, oporteat aliquid eſſe, quod cum ipſo Deo cognationem habeat. Quemadmodum per ſe ſatis patet, cum non poſſit dari nativitas iſta ſine iſta cognatione. Tali vero re in homine exiſtente, intellige ſic, ut ipſum afficiat, & qualitatem propterea divinam in eo exprimat, fieri nequit, ut qui tantopere Deo ſit diſſimilis, ut is eſt, qui peccat, id eſt in peccato manet; cum Deus cum

peccato

peccato nihil prorsus habere possit commune.

Sunt qui *feminis Dei* nomine Spiritum Sanctum intelligant; sunt rursus qui intelligant Dei verbum. Nos quidem, si aliquid tale certum Apostolum significare voluisse concedendum sit; illis potius adhæsuri simus, qui verbum Dei *femine* isto significari volunt, quam iis, qui Spiritum Sanctum; nisi Spiritus Sancti nomine intelligamus, ut sæpe fit, ipsam Euangelii patefactionem, quippe quæ per Spiritum Sanctum sit facta. Nam hoc pacto idem esset reipsa SpiritusSanctus quod Dei verbum. Jam de Dei verbo, sive de Euangelio nobis patefacto, quod possit ad metaphoram *feminis divini* accommodari, & per eam significari, habetis locum apud Petrum prima Epistola ad finem primi capitis in illis verbis: *Renati non ex femine corruptibili; sed incorruptibili, per verbum, Dei vivi & permanentis in æternum.* Et in ipso fine ait: *Hoc autem est verbum, quod Euangelizatum est in vobis.* Cum enim appellat semen illud incorruptibile, idem videtur dicere, ac si dixisset *femen divinum*. Cum vero declarat verbum istud esse illud, quod euangelizatum est, id est, ipsum verbum Euangelii, apparet, Dei verbum & Euangelii verbum idem esse. Jam, quod non plane ipsum verbum vocat semen, sed per Dei verbum dicit factum esse, ut ex semine incorruptibili renati simus, non impedit, quominus semen istud divinum possit dici ipsum verbum, si non proprie, saltem metonymice, causa pro effectu posita. Et hoc satis est, ut istud, quod diximus, affirmari possit. Neque enim absoluta sermonis proprietas hic necessaria censenda est.

Ultima Apostoli verba eorum, quæ recitavimus, quamvis pertineant ad rationem consequentiæ illius enthymematis, quod diximus ex ipsius Apostoli mente formari posse, licet ab ipso explicatum non fuerit, ejusmodi omnino tamen sunt, ut nihil revera addant superioribus, quod ad vim probandi attinet, sed tamen firmius atque efficacius id repetant, quod superiora continent. Quandoquidem *quod is, qui natus est ex Deo, non possit peccare* (hoc enim illud est, quod verbis istis continetur) nihil amplius revera significat, quam quod is, qui natus est ex Deo non peccat. Neque enim affirmari potest, quod is, qui ex Deo natus est, non peccat, si is peccare possit, seu fieri possit ut peccet.

Ex quo sequitur, in verbis istis, tantummodo hoc ipsum, quod continebatur in superioribus, expressius atque efficacius exprimi. Cæterum nulla probatio præcedenti probationi additur, sed tantum ipsa ratio consequentiæ constantet affirmatur; adeo ut videri possit Johannes inepte loquutus fuisse; ait de eo, qui natus est ex Deo, & peccare non potest, *quoniam ex Deo natus est.* Videtur enim afferre pro ratione rem ipsam nudam, quæ ipso subjecto continetur. Veruntamen crediderim, posse ipsius verba ita accipi, ut, etiamsi nullam probationem illi superiori addant, *quoniam semen ipsius in eo manet*, tamen probationem contineant; quia scilicet dicere velit, quod quilibet, qui judicio non sit destitutus, ex hoc ipso, quod quis sit ex Deo natus, concludet, eum peccare non posse; cum videlicet necesse sit, ut inter eum, qui natus est, & eum ex quo natus est, non sit tanta dissimilitudo, quanta esset inter Deum, & illum, qui ex ipso sit natus, si iste peccare possit, id est, in peccato mane.e. Ubi animadvertendum est, ex hac ipsa ratiocinatione, quam verba ista Apostoli continent, posse concludi, *peccare* seu *facere peccatum* apud ipsum non significare peccatum aliquod committere, sed, ut diximus, in peccato manere. Cum enim filiatio nostra divina non sit propria nec perfecta, præsertim in hoc mundo; non videtur vel impossibile, vel absurdum esse, ut, quamvis Deus nullum peccatum committere possit, nos tamen, licet ipsius filii, in hoc præsenti seculo aliquod peccatum committere possimus. Nam ut in hac re omnino similes Dei simus, requiri omnino videtur, ut filiatio nostra divina sit aliquo modo perfecta. At contra, vel impossibile, vel absurdum plane censeri debet, quod, si simus Dei filii, quamvis imperfecte, in ea re maneamus, a qua Deus alienissimus est.

Posset hic occasione horum Apostoli verborum quod, *qui natus est ex Deo, non facit peccatum, nec potest peccare*, disputari plenius de sententia illorum, qui volunt ab homine Christiano & vere regenito, in hac ipsa vita nullum unquam peccatum committi, & ostendi, sententiam istam, ut perniciosam, sic etiam plane falsam esse, & divinis oraculis adversantem. Verum quia satis videtur a nobis fuisse probatum, *peccandi* verbo seu *peccatum faciendi* ab Apostolo non significari actum aliquem, sed habitum, vel actuum continuationem, non videtur multum hic laborandum, quasi vero testimonia ista ex verbis hujus Epistolæ vim aliquam ad sententiam istam probandam habere merito videri possint. Satis igitur erit pro veritatis confirmatione, præter quædam pauca a nobis antea de hac ipsa re disputata, &, nisi fallimur, adversus sententiam istam recte conclusa, testimonia aliqua proferre ex ipsis Sacris Literis, unde constare possit, id sine dubio esse falsissimum, quod isti sententiæ suæ annectunt, inquientes, eum, qui post agnitam veritatem peccat, jam ita excludi a numero regenitorum per Christum, ut nullo pacto ei numero unquam accenseri queat, nec in pristinum statum restitui.

Itaque adversus appendicem istam primum considerandum est id, quod scribit Paulus ad Galatas in initio cap.6 dum præcipit, ut, *si quisquam in aliquo peccato deprehensus fuerit; ii, qui spirituales sunt, illum instruant ac confirment, in spiritu lenitatis, considerantes, quod & ipsi tentari possunt*, id est, similiter labi, & in aliquo peccato deprehendi. Ex hoc enim loco non modo probatur, esse locum pœnitentiæ & reditus ad statum priorem ei, qui peccaverit postquam Christum agnovit & confessus fuit (id quod nos in præsentia nominatim nobis probandum sumpsimus) sed etiam constat, ipsam sententiam de regeneratis hominibus, qui non peccent, esse falsam. Nam sine dubio isti *spirituales* sunt regenerati, alioquin nomine isto a Paulo vocari non potuissent. Ubi enim spiritus regnat, ibi necessario est regenerato: ubi vero non regnat, non est locus appellationi isti, nec potest quis, sine mendacio *spiritualis* vocari. Atqui de istis Paulus non obscure dicit, eos subjacere lapsibus, & ei rei, ut in peccato aliquo deprehendantur.

Deinde idem Apostolus priore ad Thess. cap.5. præcipit, *ut ii, qui inordinati sunt commonefiant.* Quod sane indicat, eos posse resipiscere: supervacanea enim alioqui esset omnis commonefactio, qua quis cum ipsis uteretur. Verum isti inordinati ejusmodi homines sunt qui non modo peccent, sed etiam graviter peccent adeo ut Apostolus ipse vetet cum illis commercium habere, ut apparet ex iis, quæ scribit ad eosdem Thessal: in posteriore Epistola cap.3.6. & tamen ibidem inferius ℣.14 & 15. cum ejusmodi hominibus ita jubet agi, ut non cum inimicis sed cum fratribus: quod sane non juberet, si de illorum resipiscentia nulla spes esset. Nam si quis posteriora ista duo loca conferat, videbit, utrobique de iisdem hominibus agi, nempe de iis, qui erant contumaces, & præceptis ipsius Apostoli parere recusabant. Habetis præterea apud eundem Apostolum cap.2. poster. ad Corinth. quod jubet recipi quendam, de quo apparet, quod peccaverat, & Ecclesiam totam offenderat, & illi condonari, ut ipsemet Paulus (ut pote ad Ecclesiam illam, sicut & ad alias omnes, ejus curæ commissas pertinens) faciebat, omnem injuriam, qua fratres, suo nimirum peccato, affecerat.

Adde, quod admodum verisimile est, ut etiam fere omnes sentiunt, istum fuisse illum incestuosum, de quo Paulus priore epist. ad eosdem Corinth cap.5. verba faciens, illum maximopere detestatus fuerat, jubens expresse, ut e cœtu ejiceretur, & Satanæ traderetur. Quod effectum postea propterea non habuisse est verisimile, quia ille, antequam ad hoc veniretur, increpitus a pluribus ex fratribus resipuerat: quemadmodum indicant Pauli verba in altero isto loco posterioris Epistolæ. Quam increpationem, ab ipso videlicet incestuoso in bonam partem acceptam atque admissam, voluit Paulus

satis esse: quamvis antea scripsisset, ut ulterius ad eum modum, quo dictum est antea, ad eum damnandum progressus fieret. Videtis, arbitror, manifeste, etiamsi is, de quo in posteriore Epistola scribit Paulus, non esset incestuosus ille, de quo in priore, tamen manifeste ex Pauli verbis colligi, eos, qui peccaverunt, & Ecclesiam suo peccato offenderunt, non esse sine spe veniæ, & posse condonationem sui delicti ab ipsa Ecclesia obtinere, & simul ac consequenter ab ipso Deo, atque eidem Ecclesiæ iterum adjungi, membrumque ejus fieri.

Habetis postremo, ut plurima alia testimonia omittam, à Christo expresse dictum cap. 18, apud Matthæum, *quod si frater in nos peccaverit, & eum corripuerimus, isque nobis auscultet, fieri, ut talem fratrem lucremur*. Hinc enim clare liquet, posse eum, qui peccat, adeo ut jam frater merito appellari non posset, iterum ad eum statum reverti, ut frater merito vocetur. Totum hoc enim aperte docent illa verba, quæ Christus ibi pronunciat, *lucratus es fratrem tuum*. Neque enim lucrari quis eum dicitur, quem jam haberet. Unde necesse est ut iste desierit esse frater, & postea rursus frater factus fuerit.

Vers. 10. Sed jam ad Johannem redeamus, qui, postquam ex duabus contrariis rebus, Deo nimirum & Diabolo, & ex eo, quod quis ad Diabolum, vel ad Deum pertineat, rationes duxit, quibus à manendo in peccatis deterreri debeamus, in eodem proposito permanens, & quasi recolligens ea, quæ proxime dixerat, hæc verba subjungit: *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli: omnis qui non facit justitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Ex Apostoli verbis, quæ valde concisa sunt, & manca, satis aperte colligi nihilominus potest, quod inter filios Dei & filios Diaboli nulli sint homines medii. Namque videntur omnino ejus verba supplenda esse, cum ait, *non est ex Deo*, & addendum, *sed ex Diabolo*, & interim tacite repetendum id, quod antea dixerat, quod, *qui facit justitiam, est justus*, & consequenter *est ex Deo*. Ac si Apostolus diceret: Audistis & colligere potuistis ex præcedentibus meis verbis, eum, qui facit justitiam, ex Deo esse, sive esse Dei filium. Scitote me verissimum dixisse. Nam hoc ipsum est, quod discriminat filios Dei à filiis Diaboli, & utrosque manifeste indicat, quod scilicet filii Dei justitiam faciunt, filii vero Diaboli non faciunt. Immo nemo est, qui justitiam non faciat, quin idem sit Diaboli filius. Atque ad hunc modum amplificat & exprimit melius Apostolus rationes ab se allatas, cur in peccato manendum non sit. Quid enim turpius aut detestabilius esse potest, quam esse Diaboli filium? Jam enim dictum est, quid sit *facere justitiam*, & consequenter, quid sit non facere. Unde apparet, *justitiam non facere* idem esse quod *in peccato manere*. Nam qui non juste vivit (talis autem ex iis, quæ diximus, est is, qui justitiam non facit) certe ut in peccato maneat necesse est. Quid autem contra pulchrius & amabilius, quam Dei filium esse? Quare si is, qui facit justitiam, filius Dei est, omnibus viribus conandum nobis est, ut justitiam faciamus, & sic juste vivamus, ac consequenter in peccato non maneamus.

Jam quod diximus de nullis hominibus mediis inter filios Diaboli & filios Dei, quamvis id ex Apostoli verbis, ut dictum fuit, videatur aperte colligi, potest tamen hanc declarationem suscipere, eamque prorsus rei ipsi, de qua revera agit Apostolus, & ejus instituto convenientem, quod scilicet istud non sit simpliciter & absolute verum, sed tantum quod attinet ad omnes illos homines, qui Euangelii prædicationem talem, qualis esse debet, & qualis ea erat, quæ tempore ipsius Apostoli extiterat, audiverunt, & ejusdem confirmationem multis modis divinitus factam animadvertere potuerunt. Hi enim talem Euangelii prædicationem aut recipiunt eique assentiuntur, aut eam spernunt. Rursus, qui ei assentiuntur, aut ex ipsius instituto vivunt, aut secus. Qui ex ipsius instituto vivunt, sine dubio Dei filii sunt. Nam & in hac vita similes in sanctitate Deo evadunt, atque immortalitatis spem concipiunt; & in altera vita ejus fient participes. Quibus rebus, ut supra explicatum fuit, continetur divina filiatio nostra. Contra, qui ex Euangelicæ prædicationis instituto, licet à se approbatæ, non vivunt, ii necesse est ut contra conscientiam male vivant; & Diabolo, in iniquitate pergentes, similes fiant, & tandem una cum ipso Diabolo, à quo ad istam iniquitatem incitantur, pereant atque intereant; unde merito filii Diaboli vocari possunt.

Idem dicendum est sine ullo dubio de iis, qui Euangelicam prædicationem, qualem antea diximus, spreverunt. Nam, nec fieri potest, ut contra propriam conscientiam id non fecerint, & necesse est ut ab ipsorum malitia id profectum fuerit. Nulla autem est res, in qua magis similes sint Diabolo homines, quam in malitia; & sic satis apparet, cur isti Diaboli filii merito appellentur. Interim ex hac, ut sic dixerim, Diabolica filiatione, quæ divinæ filiationi opponitur, cum ea tota in eo consistat, quod similitudo habetur cum Diabolo in malitia, & quod ad ejusmodi malitiam ipse Diabolus hortator atque incitator est; & in eo, quod habetur quoque similitudo cum Diabolo, quod attinet ad perditionem atque interitum, cui ille destinatus est; facile intelligi potest, quid sit divina filiatio, nempe id, quod isti Diabolicæ filiationi ex diametro, ut ajunt, opponitur, quod ut apertius explicemus, nihil est opus. Tantum, antequam finem faciamus hac de re disputandi, monere volumus, liquido ex Apostoli verbis constare, idem esse reipsa *Esse Dei filium*, & *Esse ex Deo*; & similiter idem omnino esse, *Diaboli esse filium*, & *Esse ex Diabolo*. Nam vel hac re diligenter perpensa, poterit quis facile utramque filiationem intelligere, & sese ab erroribus, qui circa divinam filiationem existere possunt, penitus liberare atque exsolvere.

Restant adhuc declaranda ex Apostoli recitatis verbis illa, *Et qui non diligit fratrem suum*. Ubi primum ex præcedentibus repetendum est, *non est ex Deo* una cum suo supplemento à nobis indicato, *sed est ex Diabolo*. Ut autem hæc verba melius intelligamus, est deinde non omittendum, quod verba illa, *in hoc*, in initio hujus versiculi posita, habent eam vim, ut non solum referri possint (ut antea à nobis factum est) ad antecedentia, sed etiam non ad antecedentia, sed ad sequentia referri queant, ut supra cap. 2. 5, secundum communem divisionem, secundum vero nostram in initio ℣. 6. habuimus hæc eadem verba *in hoc*. Quæ ut ibi docuimus, ad sequentia plane spectant. Nam & hic possunt ita accipi, ut ad sequentia tantum respiciant: & tamen erit idem sensus, qui antea à nobis expressus est; dum scilicet statuimus, ut pertineant ad præcedentia; cum in sequentibus re ipsa id totum sit, quod in præcedentibus, si illis ea addantur, quæ supra monuimus, affirmantes verba Apostoli in hoc versiculo esse valde concisa & manca.

His igitur à nobis constitutis, haud difficile erit mentem Apostoli perspicere in his postremis hujus versiculi verbis. Videtur enim Apostolus omnino addere ad præcedentia id, quod illa continent. Id quod fieri non posset, si verba illa *in hoc* ad præcedentia referenda essent. Videtur, inquam, Apostolus non modo negare, illum esse ex Deo, qui non faciat justitiam, & tacite affirmare, istum esse ex Diabolo: verum etiam idem negare, idemque affirmare de eo, qui non diligit fratrem suum. Nam si quis dicat, videri omnino, quod is, qui fratrem suum non diligit, justitiam non faciat; & sic, quod nominato eo, qui justitiam non facit, intelligatur etiam nominatus is, qui fratrem suum non diligit. Respondemus, id quidem ita videri posse: sed tamen modum loquendi, quo Apostolus utitur, contrarium ostendere, nobisque declarare, ipsum Apostolum censuisse, non omnem, qui fratrem suum non diligit, justitiam non facere. Manifeste enim ista duo tanquam diversa commemorat. Nam si iterum iste excipiat, posse in verbis Apostoli esse figuratum loquendi

modum

modum, id est, in ejus verbis esse defectum aliquem alicujus voculæ, ita ut ea sint ita accipienda, ac si dixisset: *Et præsertim*, seu *præsertim vero*, *qui non diligit fratrem suum*: Dicimus (quod etiam alicubi antea monuimus) non esse ad figuratas interpretationes recurrendum, nisi necessitas aliqua subsit, quæ hic minime, judicio nostro, apparet, quantumvis illa apparere videatur. Supra enim duo à nobis sunt dicta, & rationibus confirmata, quæ id, quod nunc dicimus, aperte confirmant. Unum est, quod Johannes, cum loquitur in hac sua Epistola de diligendis fratribus, intelligit ejusmodi dilectionem, quæ illam superet, quam Lex Mosaica, & consequenter ipsa humana per se ratio, ipsumque jus gentium præscribit

Alterum est, quod, cum loquitur de peccatis, ipso nomine peccatorum non intelligit nisi transgressiones Legis Mosaicæ, & dictaminis humanæ rationis. Ex quo sequitur, quod, cum ille manifeste opponat *facere peccatum*, & *facere justitiam*, aliud nihil sit *facere justitiam* apud hunc scriptorem, quam juste quidem vivere, ut jam loquutionem istam interpretati sumus, verum ex præscriptione Mosaicæ Legis, & ipsius humanæ rationis. Jam si ista vera sunt, necessario consequitur, illum amorem fraternum, quem Apostolus requirit, in justitia facienda, de qua idem loquitur, minime contineri. Non sunt igitur Apostoli verba aliter accipienda ac proprie sonant, estque agnoscendum, illum voluisse dicere, ut sane dixit, non solum illum non esse ex Deo, qui non facit justitiam; sed etiam illum, qui non diligit fratrem suum, ita scilicet, ut pro eo mori sit paratus. Hoc enim nec Lex Mosaica, nec humana ratio præscribit; & sic non continetur eo, quod apud Apostolum significat *facere justitiam*, & propterea merito ab ipso ei additum fuit. Possunt autem præterea Apostoli verba ita accipi, ac si dicere voluerit, non modo eum ex Deo non esse, qui non servat præcepta per Mosen data, & humanæ rationi consentanea, sed etiam eum qui non servat præcepta Christi, quæ supra ipsam rationem humanam sunt. Certum est enim, præceptum diligendi fratris, eo pacto intellectum, quo Johannem intelligere supra alibi exposuimus, & quo ab ipso Christo, qui illud dedit, explicatum est, ipsius Christi proprium præceptum esse, quemadmodum ipsemet testatur Joh. 13. 34. Atqui certum est etiam, præceptum dilectionis complecti omnia præcepta, quæ pertinent ad officium nostrum erga alterum. Paulus enim 13. cap. Epist. ad Romanos aperte dicit, *omnia præcepta*, intellige ad proximum spectantia, *hoc verbo contineri*, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*.

Ex quo sequitur, quicquid Christus præcepit, quod pertineret ad officium nostrum erga fratres, hoc uno præcepto contineri, ut fratres diligamus. Quod secundum ipsiusmet Christi explicationem, quam hic paullo inferius, id est ℣ſ.16. Johannes confirmat, ita intelligi debet, ut fratres etiam plus quam nos diligamus. Quemadmodum antea, cum de præcepto isto ageremus, demonstratum à nobis fuit. Itaque recte videmur sententiam Apostoli illis aliis verbis nostris, id est, diversis ab iis, quibus ipse utitur, expressisse; cum præceptum diligendi fratres complectatur omnia Christi præcepta, quæ officium nostrum erga fratres requirunt. Nam si quis dicat, supra à nobis dictum fuisse, *fratrum* appellatione non videri à Johanne in hac sua Epistola intelligi, nisi eos, qui ejusdem sunt nobiscum Christianæ religionis: præcepta vero Christi ejusmodi esse, quæ amorem nostrum requirant etiam erga eos, qui alterius religionis sint, & denique erga omnes homines. Respondemus, cum illud asseruimus de Johannis mente in hac fratrum appellatione, ad id nos respexisse, quod necessario illum intellexisse prorsus concludi posset. Neque interim negare voluimus, quin ex interpretatione possint ejus verba, cum de fratribus amandis loquitur, trahi etiam ad eos, qui nobiscum Christianam religionem non profitentur, & porro ad omnes homines; rationem habendo Christi præceptorum circa hanc dilectionem, quæ ad homines referatur, & analogiæ ipsius Christianæ religionis, per quam factum est, ut quilibet homo debeat, suo tamen modo, à nobis pro fratre haberi.

Vers. 11. Sed jam ulterius pergendum est. Nam statim Johannes subjungit: *Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligamus alii alios.* Quorum verborum sententia cum antea à nobis explicata fuerit, non est cur nunc illam iterum explicemus. Tantum monendi estis, ex hoc loco constare id, quod antea asseveravimus, ubi horum verborum sententiam explicuimus, nempe mandatum illud, quod Apostolus supra affirmavit esse ab illis ab ipso initio auditum, potissimum hoc contineri, ut fratres amemus, ea nimirum ratione, quæ antea exposita fuit.

Vers. 12. Porro Apostolus exemplo illustrare incipiens id, quod sive aperte sive tacite docuit, ait: *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum.* Relativum *qui* non est in verbis Græcis, sed ex consuetudine Hebraici sermonis desideratur, & subintelligi debet. Cum dicit, *Cain ex maligno fuisse*, qui *malignus* sine dubio aliud nihil est quam Diabolus, id confirmat, quod antea tacite dixerat, quamvis id non expressisset; nempe, ut ipsi monuimus, eum, qui non amat fratrem suum, esse ex Diabolo.

Pergit Johannes inquiens: *Et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa.* In his verbis continetur potissima ratio seu causa, cur Apostolus hoc exemplum attulerit. Vult enim ostendere, odium erga fratrem ex injustitia odio habentis proficisci. Non potuisset autem id ex exemplo isto ostendere, nisi ex ipsa Historia id colligeretur. Colligitur autem istud ex ipsa Historia satis aperte, cum in illa id narretur, unde constat, Cainum animadvertisse, quod Deus ad munera sibi ab Abele oblata respexisset, ad sua vero non respexisset. Ex quo nimirum intelligi potest, (& ipsum Cainum idem intellexisse necesse est) Abelem fuisse Deo charum, & sic hominem justum: Cainum vero minime charum ei fuisse, & sic fuisse hominem injustum. Jam ex eo quod hæc Cainus animadvertit, id est, vidit Abelem Deo esse charum, se vero minime, factum fuisse ut ille eundem Abelem fratrem suum occiderit, ex eadem Historia apertissimum est. Ex quo id consequitur, quod Johannes hic ausus est asseverare, nempe Cainum propterea fratrem suum occidisse, quia ipsius opera mala erant, fratris autem bona. Quamvis hoc ipsum diserte in ipsa Historiæ narratione scriptum non extet. Patet igitur odium Caini erga fratrem ab injustitia ipsius Caini profectum fuisse. Vult enim Apostolus paulatim occulta quadam ratione explicare Christi præceptum de diligendis fratribus, quod præceptum cum plus contineat quam Mosis præceptum eadem de re, necesse sane est, ut id contineat, quod Mosis præceptum continet.

Et propterea considerans Johannes totum Christi præceptum cum eo universo, quod continet, non satis habuit illud explicare, quod plus continet quam præceptum Mosis; sed etiam illud ipsum explicare voluit, quod ipso Mosis præcepto continetur, & ab eo suæ hujus explicationis initium facere, & interim ostendere, quod, quamvis non quisquis fratrem non amat eo modo, quo Christus præcepit, propterea justitiam non faciat: tamen quisquis ita eum non amat, ut in Mosis Lege, & ipsa humana ratione præscriptum est, is sine dubio justitiam non facit. Nam quod Apostolus hoc exemplo allato Christi præceptum de fratribus diligendis eatenus tantum illustrare voluerit, quatenus in eo id continetur, quod Mosis Lex præcipit, & ipsa humana ratio suadet, id aperte declarat, quod personæ, circa quas exemplum versatur, erant proxima cognatione sibi invicem junctæ; quodque de odio tali, quod scilicet vitare debeamus, in ipso exemplo agitur, quod sit adeo grave, ut alterum ad alterius occisionem impellat.

impellat. Quandoquidem & Mosis Lex, & humana ratio omnino ista fieri prohibet, ac plane detestabilia esse dictat ac pronunciat: cum interim Christi præceptum multo plus requirat, & à multo minore odio, etiam erga ipsos extraneos, cavendum nobis esse præscribat.

Vers. 13. & 14. Sequitur in Apostoli verbis, *Nolite mirari, fratres mei, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Antequam Apostolus in Christi præcepto ulterius progrediatur, quasi per digressionem quandam non pauca verba facit, in commendanda ea dilectione, quæ Christi præcepto continetur. Quippe qui, ut ab ipso initio diximus, propositum sibi habeat in hac Epistola hoc potissimum, ut eos, ad quos scribit, ad obedientiam præceptorum Christi animet, eosque in iis instituat, atque curet, ut proficiant in dies in Christianis moribus, Christianaque pietate. Quorum morum, cujusque pietatis, cujus tandem obedientiæ, summa quædam est ac complementum Dilectio.

Sunt tamen, quod attinet ad id, quod diximus de quadam quasi Apostoli digressione, quæ à verbis modo recitatis incipiat, qui prima illa verba, *Nolite mirari, fratres mei, si mundus vos odit*, ad superiora referant, nec cum proxime sequentibus conjungant. Atque hujus posterioris rei indicium facit, quod ex istis solis verbis integer versiculus factus est. Nobis tamen aliud videtur, id est, ut ex iis, quæ modo diximus, intelligi potest, sentimus, ea cum sequentibus conjungenda esse. Jam qui volunt ea cum præcedentibus conjungi, ad hunc modum illa ad superiora accommodant. Nam cum in superioribus contineatur fratris erga fratrem tale odium, ut eum occiderit, hinc sequitur, non esse mirandum, si mundus nos odio habeat; cum & multo minor conjunctio sit inter mundum & nos, quam inter ipsos germanos fratres est; & occidere plus sit, quam simpliciter odisse. Sunt etiam qui ita interpretantur, dicentes, cum videamus, injustum justo, ut exemplum istud docet, infensum esse, adeo ut etiam eum occidat, nihil mirum est, si mundus, qui est injustus, nobis, qui justi sumus, est infensus. Quæ accommodationes & interpretationes sine dubio non inelegantes nec falsæ ulla ex parte sunt. Adeo ut ipsimet fateamur, nisi ratio esset, quam mox explicabimus, quæ nobis omnino suadet, id faciendum non esse, recte alioqui hæc verba cum superioribus posse conjungi.

Tametsi etiam præter dictam rationem quædam sunt, quæ videntur posse persuadere, verba ista cum superioribus conjungenda non esse, de quibus, quoniam & levia sunt, & interim explicatu difficilia, aliud nihil dicemus: sed tantum prædictam rationem explicabimus, quæ est, quod, si quis verba ista cum superioribus conjungat, ea, quæ sequuntur, nullo modo bene connecti poterunt cum iis, quæ antecedunt; cum tamen interea neque ipsa per se satis dignum principium habeant, & omnino necesse esse videatur, ut ab ipsis principium nullo modo fiat, sed tanquam aliunde dependentia agnoscantur: quod non ita evenit in istis ipsis verbis, de quibus dubitamus ac disputamus, quo referenda sint. Videntur enim illa omnino posse esse initium eorum, quæ sequuntur

Tota difficultas tantum in eo est, quod verbum *Mirandi* non videtur eum sensum præbere, unde possint sequentia cum illis conjungi. Nulla enim videtur esse connexio inter hæc verba, *Ne miremini, si mundus vos odit; namque nos scimus, quod translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Addidimus autem de nostro ante hæc verba *Nos scimus, &c.* voculam *Namque*, ut melius agnoscatur ista nostra connexio; cum ad illam faciendum necesse omnino sit, talem particulam rationis redditivam istis verbis addere.

Ad hoc respondemus, posse haud incommode verbum *Mirandi*, seu *Admirandi*, aliquanto minus proprie accipi, ita ut idem hic significet *mirari*, quod *turbari*. Est enim valde consuetum, ut etiam alibi antea monuimus, ut res conjuncta pro altera sibi conjuncta accipiatur. Quoniam igitur plerumque fit, immo fere semper, ut, qui turbatur, etiam miretur, propterea merito potest haud invenusta sermonis figura *Mirari* accipi pro turbari. Et nos quidem nobis prorsus persuademus, id hoc in loco fieri debere, cum sensus, qui ex tali figurato loquendi modo exoritur, sit & verissimus simul, & ad scopum Apostoli accommodatissimus. Apparet enim, si hic istum figuratum loquendi modum agnoscamus, sensum verborum Apostoli esse; Non debere Christianos homines quicquam turbari propter odium, quo mundus illos prosequitur; cum ipsi ex re contraria, id est, ex amore, quo fratres prosequuntur, ejusmodi videlicet, ut sint parati pro illis mori, ubi mundus contra ipsos perdere studet, capiant ejusmodi fructum, qui non modo æstimatione sua longissime superet, quicquid mali ex altera parte à mundo pati possunt: sed etiam id ipsum malum, quantumcumque illud est, quod à mundo ipsis imminet, & inferri potest, tollat penitus atque extinguat. Est enim fructus iste ipsa æterna vita, qua nihil pretiosius inveniri potest; & quæ cruciatus omnes ipsamque mortem plane tollit ac destruit, quæ sunt, quicquid majoris mali nobis à mundo inferri possit Quod autem Apostolus de vita æterna, quam Christiani homines habent, eo quia fratres diligunt, ita loquatur, ut de fructu & bono aliquo, quod ipsi sentiant & gustent, indicat verbum illud *Scimus*, quod non permittit, ut simpliciter hic verba fiant de re, quæ adsit, & quæ conditionem ejus rei, cui adest, constituat: sed de re, quæ simul sentiatur, immo quatenus sentitur, & quid efficiat, expenditur & consideratur.

Ut autem bonum istud insigne æternæ vitæ melius ob oculos quodammodo ponat, & melius declaret, per ipsum aboleri, immo etiam quodammodo impediri, quicquid malorum Christianis hominibus, qui ipsum sunt habituri, à mundo impendet, ita loquutus est, ac si jam re ipsa tantum bonum adesset, per quod ab ipsa morte jam essent liberati, inquiens: *Quoniam translati sumus de morte ad vitam*, intellige æternam, quemadmodum declarant ultima verba sequentis versiculi. Quanquam alioqui etiam res ipsa per se hoc docet, & simplici *vitæ* nomine alibi, & apud hunc scriptorem, & apud alios in Novo Testamento vita æterna manifeste significatur.

Cæterum quod affirmat Apostolus, eos, qui diligunt fratres, vitæ æternæ esse participes, ita intellgendum est, quemadmodum videmur nobis etiam superius alicubi attigisse, ut videlicet ista fratrum dilectio sit ea revera, quam Christus jussit, & qua fiat, ut quis sit paratus ipsam suam vitam pro fratre ponere, ubi id cum divina gloria consentiat. Nam qui tali animo est præditus, vix fieri potest, quin alias etiam Christianas qualitates habeat, quæ necessariæ sunt ad vitam æternam consequendam. Deinde est animadvertendum, quod sæpe Sacri Scriptores hyperbolicis quibusdam, amplificandæ rei causa, loquutionibus utuntur, quæ non debent ita plane accipi ut sonant, sed ad ipsum scriptoris scopum ita accommodari, ut ne quid interea inde proficiscatur, quod cum analogia Christianæ religionis minime consentiat. Quandoquidem ipse Dominus Jesus sæpe non abstinuit ab ejusmodi hyperbolicis enunciationibus, præcipue vero in initio capitis 5. Matthæi, dum explicat, quinam sint beati, quive Dei regnum sint possessuri. Ubi nos, totum ipsius sermonem explicantes, multa diximus, ad quæ necesse est vos rejicere, cum illa nec indigna fortasse sint, quæ à vobis legantur, & non parum multa, ita ut nimis longum futurum esset ea repetere.

Per contrarium, in re contraria, ejus, quod recitatis jam verbis Johannes asseruit, confirmat, & quodammodo illustrat id ipsum, inquiens: *Qui non diligit fratrem suum manet in morte.* Hac enim ratione efficit, ut melius intellgatur, quam parum vel potius nihil curandum sit de odio, quo mundus nos prosequitur,

cum

cum interim istud odium ipsi obedienti causa sit æternæ mortis; ita ut, si quis esset, qui cuperet, quo ipse esset pacatiore & lætiore animo, dum sentit se mundo odio esse, videre divinam aliquam ultionem hujus iniquitatis adversus se, jam satis sit illam visurus, si animadvertat, istos sui osores iniquos, morti æternæ destinatos esse. Quemadmodum vero supra proxime dixit, eos, qui fratres amant, translatos esse à morte ad vitam: sic contra hic dicit, eos, qui fratres non amant, manere in morte; ut ex utraque sententia intelligamus, hominem natura sua primum, deinde etiam ac multo magis propter peccata à se admissa, morti plane obnoxium esse. Id quod à nobis in disputatione adversus Franciscum Puccium abunde multis rationibus & testimoniis sacris demonstratum est. Quamvis, nisi memoria nos fallit, hujusce loci mentionem non fecerimus, qui tamen non exiguas vires habet ad veritatem istam confirmandam.

Vers. 14. Animadvertendum porro est, quod, dum Apostolus, contrarium in re contraria asserendo, confirmat atque illustrat, ut ante diximus, id, quod proxime asseruerat, interim aliquid addit ei, quod jam dixerat, ut fere fit in hujusmodi oppositionibus tam subjecti quam prædicati. Neque enim, si quisquis diligit fratres translatus est de morte ad vitam, continuo quisquis fratres non diligit in morte manet. Quod cum tamen verum sit, quando id non necessario ex altera opposita enunciatione sequitur, merito id ab Apostolo expressum fuit. Quod quia nihilominus durum, ac minus verum cuipiam videri poterat, probat id Johannes, odit & inquit: *Omnis qui fratrem suum homicida est. Et scimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Ex quibus Apostoli verbis hic syllogismus aperte colligitur: Nullus homicida habet vitam æternam in se manentem. Verum qui fratrem suum odit est homicida. Ergo qui fratrem suum odit non habet vitam æternam in se manentem. Hoc syllogismo igitur probat Apostolus, eum, qui non diligit fratrem suum, manere in morte. Unde consequitur, idem esse apud ipsum *non diligere fratrem*, & *odisse*. Et rursus idem esse *manere in morte*, & *non habere vitam æternam in se manentem.* Nam alioqui terminos, ut ajunt, mutasset Apostolus, & sic neutiquam probasset, quod eum probare voluisse certissimum esse videtur.

Est autem utrumque notandum. Nam quod ad prius attinet, quod est, *non diligere fratrem* idem esse quod *eum odisse*; videtur hoc non bene convenire cum eo, quod Hebraicæ Linguæ usus fert, & ab eo longe abesse: cum contra usus iste ferat, ut *odisse* interdum significet *parum diligere*. Quemadmodum præter alia ejus rei exempla habemus pronunciatum illud ipsius Dei apud Prophetam expositum, & ab Apostolo repetitum, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ubi plerique, & ii, qui peritiores & Linguæ Hebraicæ & rerum sacrarum sunt, intelligunt, idque satis evidenter probant, odium istud, quo Deus affirmat se prosequutum fuisse Esaum, aliud nihil esse, quam minorem amorem quam is erat, quo Jacobum prosequutus fuerat.

Quæ igitur sit causa, cur Johannes hic plane diversa ratione & ferme contraria *non diligendi* nomine *odium* significaverit, vel potius se significasse ipsemet docuerit, inquirendum sane esset. Ego quidem arbitror, eum, ad detestandum peccatum non diligendi fratrem suum, id fecisse, & sic nos docuisse, ipsum *non diligere suum fratrem*, secundum quidem Christi Legem, non minus detestabile esse, quam ipsum odisse. Nam quod *odii* nomine Apostolus verum odium intelligat, id vel ex eo satis constat, quod odientem esse homicidam pronunciat. Neque enim hoc, ut ex iis constabit, quæ postea dicemus, de alio intelligi potest, quam de eo, qui vero odio quempiam prosequatur. Jam quod attinet ad illud posterius, quod Johannes pro eadem re habeat, *manere in morte*, & *Non habere vitam æternam in se manentem*, addiscimus per hoc, ubi vitæ æternæ spes, & jus quoddam, quod jam ejus habeamus, non adsit, necesse esse nos plane in morte manere. Quippe quod ea vita, quæ æterna non est, ne vita quidem merito appellari possit, sed potius mors; præsertim si animus ipsius hominis consideretur, qui in eo acquiescere non potest, aut saltem, si rectus sit, non debet, quod perpetuo non sit duraturum; nec ejusmodi bona pro veris bonis habere. Jam quod is, qui odit fratrem suum, sit homicida, nequaquam probat Johannes, quod tamen omnino videtur probandum esse.

Arbitror igitur, eum hoc omisisse facere, quia apud eos, ad quos scribebat, satis nota essent ea Christi præcepta, quæ in ipsa de Christo Historia Literis consignata sunt; præsertim vero illa, quæ extant Matth. cap. 5. Ex illis enim satis primum intelligi potest, rei alicujus faciendæ desiderium, etiamsi revera idem non sit, quod ipsum factum, tamen in Christi Lege facto ipsi adeo æquiparari, ut ipsius facti nomine appelletur: quandoquidem ibi Christus adulterium esse dicit ipsam adulterandi cupiditatem; nec aliam differentiam inter hæc duo statuere videtur, quam quod unum sit adulterium cordis, alterum vero adulterium operis, ut sic loquamur. Neque enim Christus hoc posterius expressit, sed tantum ex ejus verbis colligi potest.

Deinde vero cum ibidem à Christo agitur de ipso homicidio, certum est, illum revocare ad hoc caput, tanquam rem, quæ saltem cum ipso cognationem quandam habeat, iram, qua quis in fratrem suum commoveatur; & quemadmodum homicida reus est judicio, sic de eo, qui fratri suo irascatur, pariter pronunciare, quod sit reus judicio.

Est quidem in vulgatis codicibus Græcis vox εἰκῆ, id est, temere, ubi Christus mentionem facit ejus, qui fratri suo irascitur; quæ si omnino retineri debeat, videtur aliquid efficere, quominus locus iste non plane conveniat cum eo, de quo agimus; cum videlicet agamus simpliciter de odio, non autem de odio temerario: Verum vocula ista & in correctioribus ipsis Græcis codicibus desideratur, & ab omnibus fortasse Latinis plane abest; quam lectionem nos in explanatione loci illius ostendimus probabiliorem esse. Quemadmodum poteritis per vos ipsi animadvertere, si scriptum illud a nobis dictatum legeritis. Jam si is, qui fratri suo irascitur, ex Christi Lege videtur homicidæ aliquo modo æquiparari, quia videlicet ira, de qua ibi loquitur Christus, sit origo & fons homicidii, & via quædam ad ipsum perpetrandum, quanto magis de odiente fratrem suum id censendum est, cum odium plus sit quam ira; vel ut quidam illud definiunt, non simplex ira sit, sed ira inveterata, & consequenter ejusmodi, quæ vix consistere ullo modo possit, sine desiderio omnium malorum, & denique mortis illius, in quem eam quis retineat.

Hincque apparet id, quod antea, ne bis idem repeteremus, dicere neglexímus, quod scilicet is, qui odio habet fratrem suum, illius etiam mortem desiderat, & sic, quod animum suum attinet, illum occidit. Unde constat per regulam illam supra expositam, quod in Christi Lege rei alicujus faciendæ desiderium ipsi facto æquiparetur, satis recte concludi, eum, qui fratrem suum odio habeat, homicidam esse. Cum igitur videamus, ex manifesta Christi Lege id probari, quod Apostolus hic asserit, & ad id probandum sumit, quod antea affirmaverat, non debet mirum nobis videri, si id ipsum, quod sumit, probare negligit, tanquam nimirum satis notum. Quanquam nihil impedit, quominus Johannes, ut Apostolus ac præceptor, & denique, ut verisimile est, genitor in Christo eorum, ad quos scribit, aliquid asseveret, & pro ratione dicti sui usurpet, quod tamen non probet, etiamsi ejus probatio aliunde non appareat, sed velit id sibi simpliciter affirmanti omnino credi.

Videmus autem hic una cum digressiuncula illa, de qua supra diximus, Apostolum, quamvis non aperte, aliquid conjungere, quod ad ipsius præcipuum scopum pertinet

pertinet: dum enim ea dicit, quæ vehementer animare possint ad Christi præceptum de fratribus diligendis diligenter servandum, aliquid interim miscet quod ad ipsius præcepti explicationem, qui hoc in loco est ejus ille præcipuus scopus, pertinere potest, dum videlicet docet, quamvis id non exprimat, in præcepto isto, ubi scilicet tacite prohibetur, non diligere fratrem suum, ipsum *Non diligere* idem esse quod *Odio habere*, quemadmodum supra à nobis explicatum fuit.

Cæterum, quod nullus homicida habeat vitam æternam in se manentem, quod ad rationem Apostoli concludendam, ut ab ipso expressum est, sic etiam prorsus requiritur, ab eo ut rem manifestam poni, indicat aperte, quod dicit, illos, ad quos scribit, istud scire. Nam quis est qui nesciat homicidis mortem deberi; nihil autem magis contrarium morti esse quam vitam æternam? Est tamen interim animadvertendum, eum homicidam, qui penitus morti sit adjudicandus, & sic cum æterna vita nihil commune habere possit, eum esse, non qui aliquando hominem occidit, sive actum aliquem, homicidii commisit: sed illum, qui habitum aliquem, vel assuetudinem tanti sceleris habeat. Alioquin David, exempli gratia, non fuisset à morte liberatus; neque hac ratione, ut ipse Deus per Prophetam ad ipsum Davidem loquitur, fuisset translatum peccatum ipsius; si unicus hominis quantumvis injustissime occidendi actus, mortem necessario, ex ipsius Dei scilicet judicio, occidenti afferret. Et sane, quod ipse Johannes ita rem intelligat, ex eo patet, quod de eo loquitur, qui non diligit fratrem suum; & istum homicidam appellat. Neque enim suum fratrem non diligere uno aut altero etiam actu continetur, seu mali alicujus inserendi, seu beneficium non dandi, sed plane harum rerum habitu vel assuetudine. Nam præterquam quod ipse loquendi modus, qui animi continuatum affectum declarat, id nos clare docet, vidimus etiam in aliis à Johanne constitutis sive enunciatis hactenus in hac sua Epistola, sumi simplicia verba simplicesque loquutiones, quæ idem quod simplicia verba pollent, tanquam ea, quæ habitum vel assuetudinem, non autem actum aliquem declarant. Ut evenit in ipso simplici verbo *peccandi*, in loquutione *peccatum faciendi, & faciendi justitiam*, & si qua sunt similia.

Finita digressiuncula sua revertitur Apostolus ad id, quod cœperat, id est ad explicationem hujus præcepti Christi de diligendis fratribus; & quemadmodum antea id dixit, quod est minimum omnium in præcepto isto: sic nunc ex altera parte id dicit, quod est in eodem præcepto omnium maximum. Quod illud, quod jam dixit, sit omnium minimum, ex eo apparet, quod exemplum illud Caini propterea sine dubio allatum est, ut ostenderetur id esse detestabile, quod Cainus fecit, idque, ut verba ipsius Apostoli in eo efferendo ostendunt, nullo modo nobis faciendum esse. Verum, non facere id, quod Cainus fecit, id est, non occidere fratrem suum germanum, idque injuste, immo propter injustissimam causam, quis non videt, rem esse omnium, quæ ad præceptum de diligendis fratribus pertinent, factu facillimum. Nam cum præceptum istud jubeat *dilectionem*, huic rei hactenus satis fit, id non faciendo, quod Cainus fecit, quatenus frater non occiditur; quod vix dilectionem ullam ostendit. Quod vero dilectio ista ex ipso præcepto debeat erga *fratres* esse, & sic saltem erga omnes, qui nobiscum ejusdem sunt nationis aut religionis; hoc, inquam, in abstinendo ab eo, quod Cainus fecit, non aliter continetur, nisi quod, quidquid quis dilectionis ostendere ac præstare faciendo dici possit, id erga ipsum fratrem suum germanum ostenditur ac præstatur.

Quod denique præceptum jubet simpliciter & absolute *diligere*, seu *non odisse*, hic non aliter fit; nisi quod propter injustissimam causam minime exercetur odium istud. Et sic plane constat, si quis ista inter se collata diligenter examinet, inter ea, quæ possunt aliquo modo pertinere ad præceptum de diligendis fratribus, id, quod Apostolus, exemplum Caini afferendo, & a tali scelere dehortando, monere nos voluit, & tanquam pertinens ad præceptum istud explicare, esse, ut diximus omnium minimum.

Vers. 16. Nunc igitur, ut dictum est, ex parte opposita explicat id, quod inter ista est omnium maximum. Illud autem est, pro fratribus ipsam animam ponere. Itaque ait, *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Nam quod istud sit omnium maximum, ex iis, quæ pertinent ad dilectionem fraternam, docet Christus ipse manifeste apud hunc eundem scriptorem in Euangelio cap. 15. 13. ubi ait, *majorem dilectionem inveniri non posse, quam si quis ponat animam suam pro amicis suis.* Affert autem Apostolus causam, cur tanta dilectio erga fratres à nobis præstari debeat, eandem, quam Christus ipse in prædicto loco proxime ante affert, inquiens: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quibus verbis, licet non ita expresse ut hic, tamen non obscure una cum præcepto affertur causa hæc, quod Christus posuit animam suam pro nobis. Apparet enim illa verba, *sicut dilexi vos*, habere vim causæ; ac si Christus dixisset: Quia ego vos ita dilexi, ut pro vobis animam meam posuerim, propterea & vos me imitantes debetis alii pro aliis animas vestras ponere.

Jam secundum vulgatam Latinam editionem, quæ confirmatur à Græco Complutensi codice, aliquid præterea expresse in hac causa additur, quod ibi in Christi verbis reticetur. Fit enim aperta mentio Dei, & charitatis ipsius, quam scilicet ostendit, cum voluit Christum pro nobis animam suam ponere, & quidem habet hoc maximum pondus ad nos impellendos, ut parati simus pro fratribus animas nostras ponere, cum consideratur justissimum esse, ut, si Deus, qui omnium est primus atque absolutissimus Dominus, & de nobis quidquid sibi placet constituere potest, modo minime injuriam faciat, nec cuiquam quicquam debet, tantum amorem in nos exercuit, ut filium suum unigenitum pro nobis mori voluerit, nos alii pro aliis mori non recusemus. Simile admodum huic ratiocinationi quiddam habetis comprehensum atque expressum in parabola illa Christi Matth. cap. 18, de eo, qui conservo suo minimum debitum remittere noluit, quamvis sibi à Domino ingens & plane maximum debitum remissum esse vidisset. Apparet enim, liberalitatem Dei, qui per dominum istum in parabola illa adumbratur, erga nos præstitam, qui per servos illius in eadem parabola adumbramur, debere habere vim maximam, ut nos moveat ad ejusdem generis liberalitatem erga conservos nostros & sic nostros fratres, exercendam; remque detestabilissimam esse, si id à nobis non fiat. Hoc enim ostendit finis parabolæ illius, ubi is, qui noluit suum dominum imitari, hujus sui facti, tanquam gravissimi sceleris, ingentes pœnas dedit.

Hujus summæ porro dilectionis Dei erga nos facit quoque mentionem Paulus in Epist. ad Rom. cap. 5. inquiens, Deum suam charitatem maximopere nobis commendare in eo, quod Filium suum, seu Christum pro nobis mori voluit; præter alia ejusdem Pauli & Christi ipsius testimonia hac de re, quæ cunctis notissima sunt. Voluimus tamen expresse istius testimonii Paulini mentionem facere, tanquam ejus, quod maximam convenientiam cum hoc loco nostro habeat, si ita legatur, ut hactenus legimus, propter id, quod neutrobi dicitur expresse, Deum dedisse filium suum seu Christum in mortem: sed tantum utrobique dicitur, quod in eo vel apparet, vel commendatur charitas Dei erga nos, quod Christus sit pro nobis mortuus; ac si ipse Deus hac ratione videretur, si id fieri posset, mortem pro nobis subire voluisse. Unde fit, ut possit colligi vera interpretatio loci illius Act. 20. ubi videtur omnino dici, quod *Deus suo seu proprio sanguine acquisivit Ecclesiam.* Apparet enim ex utroque istorum locorum, ita considerato, ut nos fecimus, propterea dici posse, Deum proprio suo sanguine acquisivisse Ecclesiam, quia eam acquisivit sanguine Christi unigeniti Filii sui, qui, licet persona atque essentia ab ipso revera diversus, propter summam

amoris

amoris conjunctionem unus & idem cum ipso esse, sæpius in Sacris Literis indicatum extat. Quanquam quod attinet ad ipsum locum nostrum, ad verba, inquam, Johannis, quæ præ manibus habemus, non pauci sunt, qui velint, ex eo aperte probari, Christum esse illum unum Deum, & sic ejusdem plane essentiæ una cum patre suo; propterea videlicet, quod nominato Deo statim in verbis istis subjungitur, *illum pro nobis animam suam posuisse*. Nam certe, inquiunt, pronomen *ille*, non potest referri nisi ad *Deum* proxime nominatum; qui quidem Deus ita nominatus est, ut appareat, de uno illo Deo verba fieri. Habet enim id nomen in Græco præpositum sibi articulum. Certum autem est, non ipsum Deum patrem, sed Christum pro nobis animam posuisse.

Huic ratiocinationi, huicque testimonio vulgo à nostris hominibus ita respondetur, ut dicant, in Græcis vulgatis codicibus non haberi vocem *Dei*; sed neque in Syriaca editione ea habetur: sed pro *Dei* nomine est pronomen *illius*. Quæ quidem responsio satis valida est, & efficit, ut adversarii ex loco isto id concludere non possint, vel colligere, quod colligunt. Verumtamen ut responsio sit plenior ac tutior, melius est ostendere, etiamsi Dei nomen hoc in loco legatur, non tamen ex eo, quod statim sequitur, effici id, quod isti volunt. Diximus enim antea in explicatione quinti versiculi hujus capitis (idque verum esse ex eo ipso loco ex parte docuimus) pronomen *ille*, sive ἐκεῖνος, ut Græcus textus habet, esse ejusmodi potestatis, ut commodissime referri possit ad eum, qui non modo proxime nominatus non fuerit, sed qui neque etiam multo ante fuerit nominatus.

Totum igitur hoc demonstrare quidem non potuimus ex eo ipso loco: sed tamen priorem ejus partem demonstravimus. Hoc autem satis est ad ostendendum, nihil cogere, ut vox ἐκεῖνος, seu *ille*, quæ fere statim post *Dei* vocem hic legitur, ad ipsum Deum referatur: sed posse illam commodissime ita accipi, ut ad alium quam ad Deum respiciat. Nam hic locus ille est, de quo supra mentionem fecimus, cum de vi pronominis istius loqueremur, qui scilicet inferius nobis occursurus esset, & fidem facturus, nos circa vim istius pronominis minime errasse: ut certe fidem apertissime facit, si *Dei* vox sit in eo retinenda, iis, qui sciunt, quemadmodum nos scimus, illum unum Deum nequaquam animam suam pro nobis posuisse: sed hoc fecisse solum ipsius filium Dominum nostrum Jesum Christum, hominem, inquam, illum Jesum Nazarenum ex Spiritu Sancto in utero virginis conceptum, ex eaque natum.

Quoniam vero videtur auctoritas vulgatæ Græcæ lectionis multum ponderis habere, & sic statui debere, cum nihil aliter facere cogat, legendum esse locum sine *Dei* voce, relinquitur quærendum, charitatem istam, quam nos cognovisse dicit Apostolus in eo, quod Christus est pro nobis mortuus, cujusnam velimus esse, Christine ipsius, an Dei; an vero utriusque. Et mihi quidem verisimilius sit, Dei illam esse, ex Apostoli mente intelligi debere. Nam sequenti cap. ℣. 9 hoc idem, si non expresse, quod attinet ad Christi mortem, certe tacite repetens, diserte charitatem Dei nominat, inquiens: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum*. Est enim hic locus idem plane reipsa cum Christi verbis cap. 3. Euangelii ipsius Johannis, cum ait, *sic Deum dilexisse mundum, ut filium suum unigenitum dederit, quo omnes, qui credunt in eum, non pereant, sed habeant vitam æternam*. Quod enim Deus filium suum dederit, aliud nihil significat, nisi quod dederit illum in mortem. Et sane ipsa commendatio hac in re charitatis divinæ id per se satis aperte docet. Sive igitur in loco nostro Dei vox legatur, sive minus, consultissimum est statuere, Apostolum hic, sicut & alibi inferius, præter locum à nobis prolatum, simplicis *charitatis* nomine, quæ erga nos extiterit, intelligere ipsius Dei charitatem.

His explicatis nihil explicandum restat, quod attinet ad ipsa verba hujus loci nostri: sed explicandum aliquid adhuc restat, quod attinet ad ipsorum sententiam, & ad id, quod propter ipsum Christi præceptum facere tenemur circa dilectionem aliorum, quo videlicet jubemur pro fratribus animas nostras ponere; quomodo scilicet hoc sit intelligendum, & quatenus obligatio hæc nostra extendatur. Nam hoc antehac non explicuimus, quamvis de præcepto isto Christi, ut Novo, & Mosis præcepta ad dilectionem proximorum pertinentia superante, non pauca disputaverimus. Ad hunc enim locum, tanquam ad eum, ubi hoc Christi præceptum diserte exprimitur, indagationem hanc reservare maluimus.

Quærendum igitur primum videtur, nomine *Fratrum* quid hic sit intelligendum: an videlicet hac appellatione quilibet homo significetur; an vero ii tantum, qui ejusdem Christianæ religionis nobiscum sint. Non videtur autem neque ex ipso loco, neque ex Christi verbis capit. 15. Euangelii hujus scriptoris, quæ superius à nobis sunt prolata, posse ullo pacto concludi, nomen *fratrum* alios significare posse, præter eos, qui nobiscum Christi sint discipuli. Christus siquidem in prædictis verbis suis præcipit suis discipulis, *ut diligant se invicem, quemadmodum ipse dilexit eos*, nempe ponendo animam suam pro ipsis. Certe ex his verbis apparet, non nominari, tanquam eos, erga quos dilectio ista exerceri debeat, nisi ipsos Christi discipulos. Quamobrem concludendum videtur, nihil cogere, ut in loco nostro nomen *fratrum* aliud significet, nisi similiter eos, qui sunt fratres nostri in Christo. Quod si quis quærat, an nihilominus, ut id ex ipsius loci verbis necessario colligi nequeat, verum tamen sit, præceptum istud in iis quoque habere locum, id est, ad eos quoque observationem ejus extendi posse, qui non sint fratres nostri in Christo; nihil dubitabo respondere, fieri posse, ut ad eos etiam extendatur, ad quod statuendum præter analogiam manifestam Christianæ charitatis, de qua mox dicemus, ipsius Christi exemplum me impellit. Is enim pro iis mortuus est, qui nihil ad ipsum attinebant, nisi quod erant homines, ut ipse erat.

Quamvis enim videatur ex ipsius verbis in jam indicato loco omnino colligi, quod ipse posuerit animam suam pro amicis suis; primum hoc non ita accipiendum est, quasi pro amicis suis tantum mortuus sit, seu animam suam posuerit. Deinde nomine amicorum suorum potest Christus nihilominus omnes prorsus intelligere, pro quibus est mortuus. Omnes, inquam, homines, quatenus *Amici* nomen potest ita accipi, ut non eum significet, qui nos amet: seu redamet: sed eum, quem nos amemus, licet alioqui ipse nos non amet, aut etiam odio habeat. Unde factum est, ut contraria appellatione isti iidem maxima ex parte, pro quibus Christus est mortuus, *inimici* ejus vocati fuerint, quemadmodum factum est à Paulo cap. 5. Epist. ad Rom. 10. Quamvis enim ibi Paulus diserte nos, pro quibus Christus est mortuus, non vocet Christi inimicos: sed simpliciter inimicos; idque ita, ut ad Deum potius, cujus fuerimus inimici, quam Christum verba ejus referri possint: tamen cum necesse sit, ut, quisquis Dei inimicus est, is etiam sit Christi inimicus, statuere nihilominus possumus, Paulum generatim eos, pro quibus Christus est mortuus, ipsius Christi inimicos appellare.

Voluimus autem istum Pauli locum afferre, ejusque explicationem quandam indicare, ut eadem opera responderemus, si quis nobis illum objiceret, ut ostenderet, fieri non posse, ut ii, pro quibus Christus mortuus est, fuerint generatim amici ejus. Neque enim quicquam prohibet, ut unus & idem, & amicus & inimicus noster, eodem tempore, sed diversa ratione, sit ac nominetur. Quæ diversa ratio jam à nobis satis explicata videtur. Aliud est enim respicere, quod attinet ad ipsam rem nostram, ad amorem ipsius Christi erga nos: aliud vero ad animum nostrum Deo ipsique Christo

Christo inimicum, cum ille pro nobis mortuus est. Ad propositum igitur revertendo, dico, ipsius Christi exemplo, qui seipsum hac ipsa in re imitandum proponit, constare, tantam istam charitatem extendi posse, & ubi occasio fert, omnino debere, etiam ad eos, qui nostri in Christo fratres non sint. Nam præter ipsum Christi exemplum, analogia, ut diximus, Christianæ charitatis id postulat, ut, si exempli gratia possimus morte nostra aliquem, qui nondum Christi discipulus sit, ad Christum adducere, ut sane sanguis martyrum Christi sæpius id præstitit, nullo modo mortem, subire recusemus. Quid enim magis Christianæ charitati consentaneum, quam omnibus viribus curare, ut ii, qui alioqui pereunt, plane vivant; & ut homines mortales ac miseri beatam immortalitatem adipiscantur? Præsertim cum id fieri possit citra suum verum damnum; aut certe citra damnum, quod magnum censeri debeat, quodve ulla ex parte comparari queat cum ea utilitate, cujus alii opera nostra participes fiant: ut certe est, quicquid detrimenti ex vita hac temporaria amittenda sentiri potest, præ summo emolumento, quod affert æterna vita.

Hoc viso atque explicato, quod præceptum Christi de ponenda anima sua ad alios extendatur, præter eos, qui ipsius Christi jam sunt discipuli, videndum est præterea, quando, & propter quam causam tanta charitas erga alios exerceri debeat; & præsertim an jubeamur, ubicunque possimus morte nostra alium quempiam à morte liberare, vel ab aliquo alio magno malo eripere, mori non detrectare. Hic vero, si similiter ipsum præceptum, ejusque dandi occasionem, & modum expendamus, non videtur aliud certo colligi inde posse, quam præceptum istud tunc habere locum, cum spes est liberandi aliquem ab æterna morte. Christus enim, qui nobis, ut dictum est, hac in re imitandus proponitur, non alio sensu dicitur pro nobis esse mortuus, nec ipse aliam ob causam crucis mortem subiit, quantum ad nos attinet, nisi ut nos ab æterna morte liberaret. Quare alia ratione indagandum est, quam per considerationem ipsius præcepti, & circumstantiarum ejus, an nihilominus Christiana charitas jubeat, ut etiam citra causam istam spei liberandi quempiam ab æterna morte, aliquando vitam pro alio insumere non recusemus. Et mihi quidem videtur, si quis possit morte sua ab ipsa temporaria morte eum liberare, de quo persuasum habeat, ejus vitam magis quam suam ipsius posse aliquid efficere ad Dei gloriam, & proximi æternam salutem pertinens, tunc ipsius officium esse, secundum ipsa Christianæ charitatis præcepta, istius vitam suæ anteponere, & sic pro ipso mori non recusare. Nam & ipsi Ethnici, qui de moribus præcepta tradiderunt, hoc ipsum senserunt, Cic. lib. 3. de Off. & justitiæ cuidam plane consentaneum esse animadverterunt. Animadverterunt, inquam, virtutis & justitiæ amantis hominis, & ipsius denique sapientis viri officium esse, vitam suam postponere vitæ illius, quem præstet vivere quam ipsum, seu cujus vita Reipublicæ sit futura utilior quam ipsius. Quod si vero contrarium eveniat, ut scilicet is, cujus mortem tua morte redimere potes, sit Reipublicæ minus utilis, quam ipse es, Reipublicæ, inquam, Christianæ; quid censendum est fieri debere? An debeat quis nihilominus mortem subire, ut istum à morte liberet? Mihi quidem non videtur. Anteponenda siquidem est publica utilitas privatæ.

Quare non debet quis, ut mortem ab aliquo avertat, & hac ratione privato homini commodum, licet ingens, adferat, causa esse, ut reliqui summo commodo priventur, eoque majore, quam illud sit, quod isti mortem ab ipso depellendo affertur. Nam sine dubio, si Christiana Respublica sit acceptura beneficium aliquod, & utilitatem sensura ex vita mea majorem omnino, quam ex vita istius; apparet quod, si ego, ut illum vivum conservem, mortem subeam, causa ero, ut publicum commodum perdatur; idque tanto majus, quam sit privatum istius commodum, quanto præstantior est vita æterna, quam temporaria. Quandoquidem commodum, quod ex aliquo possit Christiana Respublica capere, totum necesse est ut ad vitam æternam hominibus conciliandam aliqua ratione pertineat. Et sane necesse est, ut causa, quæ nos impellat ad nos ipsos hac ipsa mortali vita privandos, ejusmodi sit, ut ab omni Ecclesiæ detrimento longe absit: alioquin duo ingentia mala committeremus, unum, quod vita hominem privaremus; alterum, quod Christi fideles injuria afficeremus. Breviter, in tali casu, ubi vita nostra futura sit utilior Reipublicæ Christianæ, quam illius, quem possimus nostra morte à morte liberare, non videtur, dubitandum, quin non modo id facere obstricti non simus, verum etiam ab eo faciendo omnino abstinere debeamus.

Diximus de duobus quasi extremis in hac materia; restat, ut de eo, quod inter hæc duo medium est, aliquid dicamus; videlicet quid fieri debeat, cum par sit futura utilitas, quam captura sit Respublica Christiana ab utroque istorum hominum, & ejus scilicet, qui mortem alterius à morte servandi causa sit subiturus, & illius, qui ipsius morte in vita conservari poterit. Hic enim videtur esse difficultas non exigua. Verumtamen ejus sententiæ ego sum, ut Christianus homo pro tali homine vitam ponere debeat, & sic illud præstare revera, quod antea diximus, Christiani scilicet hominis ex ipsius Christi præcepto officium esse, proximum suum plus quam seipsum amare. Hic enim prorsus de alia re nulla agitur, nisi an quis vitam suam debeat pluris facere, quam alienam. Et videmus Paulum Apostolum (quod exemplum ab ipso initio hujus disputationis ad rem totam illustrandam afferre potuissemus) optasse fieri anathema à Christo propter fratres suos Israëlitas, & sic vitam ipsam suam æternam vitæ æternæ fratrum suorum secundum carnem posthabuisse. Nam quo, ut diximus, vita æterna præstantior est quam temporaria, eo videtur exemplum istud esse aptius ad probandum id, quod volumus, quam si in eo de temporaria vita, ut in quæstione nostra fit, ageretur.

Nec aliud obstare potest, quominus exemplum hoc ad rem nostram accommodatissimum sit, nisi quod Paulus, non pro uno homine tantum, sed pro integra natione suam ipsius veram vitam spernebat, ut illi ejusmodi vitam consequerentur. Verum nec major numerus, quantumvis longe major, eorum, pro quibus quis moritur, videtur habere tantam vim, ut mutet ipsius facti conditionem, & ex vituperabili alioqui faciat laudabile; & illud omnium maximum damnum in æternum moriendi, quod sua sponte eligere, nullo modo, neque ullam ob causam licere videtur, cum in quæstione nostra agatur de temporaria morte, quæ levissimum, vel potius nullum damnum homini Christiano censeri debet, emendat in exemplo isto istum quasi defectum, quod non de uno homine tantum, sed de valde multis servandis in eo agitur. Quicquid sit, id, quod de quæstione ultimo loco proposita à nobis constitutum est, non videtur ullo modo in dubium revocari posse.

Egimus hactenus de subeunda morte, ut alius à morte liberetur, restat ut aliquid dicamus de eo, an liceat, seu malumus oporteat, ut aliquem à magno aliquo malo liberemus, mortem subire. Qua in re censeo ita statuendum esse, ut, quamvis is, pro quo id faciendum sit, ejusmodi sit homo, qui & secundum Deum, & secundum homines in pretio haberi debeat: tamen nec oporteat, nec liceat istud facere. Loquimur enim hic non de damno, quod ad animam spectet, sed quod ad corpus pertineat; sive, non quod ad æternam vitam, sed ad hanc mortalem referatur. Videtur enim plane vituperio dignum esse, ut Christianus homo, qui vivens multis modis, & quidem in iis ipsis rebus, quæ ad salutem sempiternam pertineant, aliis potest esse utilis, ut quempiam ab hujus vitæ damno aliquo, quantumvis maximo, quod interim citra ipsius vitæ jacturam sit, liberet

liberet atque exsolvat, ipse vitam perdat. Est tamen hac in re diligenter considerandum, quod fieri posset, ut ejusmodi damnum, quamvis temporarium, tale esset, ut periculum foret, ne is qui in eo manet, aut in ejus periculo versatur, descisceret illius vitandi causa ab ipsa Christiana fide: nam tunc aliud plane statuendum esset; cum possit ac debeat hæc regula in dilectione erga proximum sub Christo firmiter poni ac teneri, quod, ubi quis videat, aut merito existimet, se posse ab æternæ mortis periculo quemquam liberare, ut id efficiat, ne suæ quidem ipsius vitæ parcere debeat.

Hactenus quicquid disputavimus de eo, quatenus scilicet extendatur Christiani hominis officium in dilectione erga alios, non quod attinet ad personas ipsas, sed quod attinet ad res & causas, propter quas ipsa mors subeunda illi sit, respicit, si recte animadvertatur, ad homines Christianos, de quibus vel à morte temporaria, vel ab aliquo temporario damno morte nostra liberandis agatur. Itaque aliquid dicendum est de iisdem rebus, deque iisdem causis, quatenus in illis locum habere possint, respectu eorum hominum, qui nondum sint Christiani; id est, an liceat pro ipsis à talibus malis liberandis mortem oppetere, aut etiam oporteat. Et sane, cum nullus dari possit casus, ubi vita hominis non Christiani futura sit utilior ipsi Christianæ Republicæ quam ipsius Christiani hominis sit; præsertim si de privatis personis, ut quidem hic fit, omnino agatur; non videtur dubitandum, nulla ratione vel oportere vel etiam licere homini Christiano, propter ejusmodi res & causas, pro non Christiano homine vitam suam spernere; & sic, quantumvis quis statuat, & ex ipsis Sacris Literis etiam probet, sub Christi Euangelio *fratrum* nomine intelligi omnes homines, non propterea hic consequetur, quod propter homines illos, qui ad Christum non pertinent, debeamus, aut possimus sanguinem nostrum fundere: nisi tunc duntaxat, cum agitur de ipsis ad Christum adducendis, & ab æterna morte liberandis, quemadmodum jam supra à nobis conclusum fuit. Quandoquiden præceptum ipsum Christi de ponendis animabus nostris pro fratribus, ut à nobis ostensum fuit, ejusmodi est, & ea occasione, cumque iis circumstantiis ab ipso datum, & hic à Johanne repetitum, ut necessario ex eo nihil aliud concludi possit, quam tum demum pro fratribus subeundam nobis esse mortem, cum agitur de concilianda illis æterna vita, sive ab eis æterna morte avertenda.

Jamque nihil videtur restare magni momenti, quod pertineat ad declarationem hujus Christi præcepti. Id tantum non videtur omittendum, quod istud *ponere animam* de quo ipsum præceptum loquitur, ita accipi debet, ut is dicatur pro fratre suo animam ponere, qui periculum moriendi subit, ut fratrem suum à morte liberet, etiamsi reipsa non moriatur. Ostendimus enim in disputatione nostra de Christo Servatore, propter exemplum illud, seu similitudinem, quam ipse Christus affert, pastoris, qui animam suam pro ovibus ponat, cujus ipse Christus se similem facit, necesse est, ut istud *ponere animam* sit, non quidem mortem ipsam eligere, sed tantum in periculum se conjicere illam subeundi. Et certe si quis diligenter rimetur atque examinet, quomodo & quando possit homo Christianus, ut Christi præceptum servet, animam suam pro fratre ponere, videbit, vix fieri posse, ut ipsius mors certissime atque infallibiliter successura sit: sed tantum in omni tali casu contingere, ut periculum, maximum quidem fortasse atque evidentissimum, subeatur moris perpetiendæ: sed interim tamen fieri aliqua ratione possit, ut nihilominus mors ipsa revera non consequatur. Quod ad hoc valere debet, ut moneamur, ne temere nos morti objiciamus, id est, ne ipsimet quodammodo mortem nobis consciscere dici possimus, præ nimio studio hoc peregregium opus peragendi, ut pro fratre vitam & sanguinem fundamus: sed Dei ipsius hac in re voluntatem & consilium expectemus, eique nulla ratione præire velimus, adeo, ut omnibus constet, nos simul voluntarie, simul non prorsus nostra sponte vitam nostram sprevisse. Ea siquidem nobis cara alioquin ad Dei gloriam, & aliorum utilitatem esse debet; nec, ut inquit ille, recedendum est nobis à statione, in qua positi sumus, ante jussum ipsius imperatoris, id est Dei, qui nos in ea posuit.

Vers 17. Postquam Apostolus duo quasi extrema, pertinentia ad explicationem Christi præcepti de diligendis fratribus, nobis exposuit, transit ad medium quiddam inter hæc duo extrema, quod ad eandem rem prorsus pertinet, quod est, ex præcepto isto intelligendum esse, nos debere facultatibus & opibus nostris fratres juvare, & hac ratione dilectionem nostram erga ipsos ostendere ac præstare. Itaque ait: *Qui vero habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Hæc verba cum præcedentibus connectuntur, aut certe connecti possunt, duplici ratione: id est, non tantum secundum materiam, cum apertum sit, in illis non minus quam in præcedentibus agi de præstanda charitate erga fratrem suum; sed etiam secundum dependentiam quandam per ratiocinationem; hoc nimirum pacto, ut, postquam Apostolus dixit, debere nos Christi exemplo ita amare fratres nostros, ut pro illis mori non dubitemus, ad hocque indicavit nos cogi propter charitatem summam, quam Deus erga nos ostendit in filio suo charissimo neci pro nobis dando, nunc ex hoc inferat: cum tantam dilectionem fratribus præstare debeamus, ut ipsam etiam vitam nostram, ubi opus fuerit, pro illis insumamus; quomodo fieri poterit, ut is, qui videat fratrem suum in aliqua necessitate constitutum, cum interim ipse abunde habet, quidquid pertinet ad vitam hanc sustentandam, & tamen fratri isti suo non subveniat, eique benigne facere plane deneget; aut certe non ita illum juvet, ut potest, quomodo, inquam, fieri potest, ut iste gravissime non erret, & adversus præceptum diligendi fratres turpiter non peccet; Quid enim sunt hujus mundi bona, præsertim quibus ipsi non indigeamus, præ ipsa vita?

Verbum Græcum, quod à vetere interprete redditum est voce *substantiæ*, est βίον, quod inter alia, quæ significat, frequenter declarat, quidquid pertinet ad vitam sustentandam. Quæ vita cum dupliciter apud Sacros Scriptores accipi possit, id est, & pro præsente, & pro futura, ut melius seipsum explicaret, addidit Johannes *mundi*; cum videlicet loqueretur de iis, quibus hæc mundana, id est, præsens vita sustentatur. Jam quod apud eundem veterem interpretem est, *necesse habere*, in Græco ad verbum est *opus habentem*, ut scilicet intelligamus, non expectandum esse, ad hoc, ut quis fratri suo subveniat, ut in vera & absoluta quadam necessitate sit constitutus: sed satis esse, si re aliqua egeat, sive necessitate aliqua, quamvis non perfecta, prematur.

Verba illa, *Et clauserit viscera sua ab eo*, videntur indicare, non modo levi aliqua ratione fratri egenti succurrendum esse, sed etiam, si facultates nostræ ferant, plene id faciendum: quemadmodum is facit, qui ex ipso corde succurrit, & commiseratur. Solet enim in Sacris Literis ista interior, & ex ipso corde proficiscens commiseratio *viscerum* nomine appellari: adeo ut etiam, cum de ipso Deo est sermo, ad ostendendam ingentem ejus erga nos commiserationem, quam in Christo ostendit, ista voce *viscerum* Spiritus Sanctus utatur, ut factum est in Cantico quod vocant, Zachariæ Lucæ cap. 1.78 ubi legitur, *Per viscera misericordiæ Dei nostri* ubi, ad majorem etiam ipsius Dei commiserationem declarandam, addita est ipsa vox *misericordiæ*. Ista porro phrasis *clauserit ab eo*, est similis illi, quam habuimus capite præcedente ℣s.28. in verbis illis, *pudefiamus ab eo*. Ubi diximus, in tali loquutione, *ab eo* idem valere, quod *coram eo*. Nam hic quoque idem istæ duæ voculæ valere dicendæ sunt; & sic à Beza redditæ fuere.

Jam quod attinet ad *charitatem Dei*, in verbis, quæ sequuntur, *quomodo charitas Dei manet in eo?* diximus supra, *Dei charitatem* posse tripliciter intelligi, vel scili-

cet illam, qua Deus utitur; vel illam, quæ ipsi Deo præstatur; vel denique illam, quam Deus præcipit ac præscribit. In prima significatione usurpantur istæ duæ voces à Paulo in Epist. ad Rom. cap. 8. 35, quanquam ibi non Dei nomen est, sed Christi; & versiculo ultimo, ubi diserte ipsa vox Dei habetur. Loquitur enim ibi Paulus de charitate, qua Deus nos complexus est per Christum. Id quod tamen valde multi non animadverterunt, & arbitrati sunt, ibi agi de charitate nostra erga Deum & Christum, & in hunc sensum totum illum locum explicaverunt. Quod attinet ad secundam significationem eam supra esse diximus versiculo 5, præcedentis capitis; & ni fallor, sic se habere ostendimus. Quod vero attinet ad tertiam, versiculo 15. ejusdem capitis ostendimus, eam locum habere posse in verbis illis, *non est charitas Patris in eo* Quæ tertia significatio, ut ex iis intelligi potest, quæ antea diximus, in totius hujus versiculi sensu explicando, hic sine dubio agnoscenda est: quemadmodum etiam alibi inferius continget. Manifeste enim apparere videtur, Apostolum dicere voluisse, talem hominem, qui fratri suo egenti, cum possit, non subveniat, non esse præditum ea charitate, quam Deus præscribit. Ut intelligi aperte potest ex ratiocinatione, quam in his vebis, cum antecedentibus conjunctis, subesse indicavimus.

Cæterum non est omittendum, quod ex tribus, quæ Apostolus dixit, explicando Christi præceptum de diligendis fratribus, hoc, quod nunc dicit, & medium quoddam inter duo extrema à nobis appellatum fuit, quemadmodum & prius extremum, continebatur sine dubio in ipso præcepto proximum diligendi Legis Mosaicæ, in qua præcepta sunt de benignitate exercenda erga pauperes. Est nihilominus hic differentia aliqua inter Legem Mosis, & Legem Christi, cum hæc benignitatem istam majorem quam illa requirat: quemadmodum demonstratum est à nobis in explicatione sexti capitis Matthæi in tractatu de Eleemosyna, quo vos, nimiæ prolixitatis vitandæ causa, in præsentia rejicimus.

Pergit Johannes, & admodum convenienter ratiocinationi suæ, qua conclusit, illum, qui deneget fratri suo egenti subvenire, non esse eo amore præditum, quem Deus præcipit, subjungit: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Quæ verba confirmare videntur supra agi de amore seu charitate, quam Deus præcipit, & sic à nobis debetur. Hic enim de tali charitate aperte Apostolus loquitur, ac si explicare vellet, quænam sit charitas sive amor à Deo præscriptus; ut scilicet amemus, non verbis tantum, sed factis ipsis. Videtur enim omnino vocula ista *tantum*, aut similis subaudienda in Apostoli verbis, alioquin videretur præcipere, ne quis verbo & lingua charitatem suam ostendat. Beza quidem addidit *solum*. Veruntamem potest nihilominus non addi, neque subaudiri similis vocula. Quandoquidem verbo & lingua non quidem amare, sed amorem suum ostendere dicuntur ii, qui factis & revera amant; quod qui non faciunt, quamvis id profiteantur, ii verbo & lingua amare merito dici possunt, & porro dicuntur. Quamvis autem istis duabus vocibus, *verbo* & *lingua*, hic utatur Apostolus tanquam diversa significantibus: tamen ni fallor, sentiendum est, non esse inter hæc duo diversitatem significationis, quæ alicujus sit momenti: sed Johannem, ad rem magis exprimendam, ad istum modum loqui voluisse. Quemadmodum etiam in duabus alteris vocibus quas istis opponit, eum fecisse verisimile plane est. Quandoquidem re ipsa, quemadmodum vox *linguæ*, quæ addita fuit voci *verbi*, nihilo plus pollet, quam sola vox *verbi*: sic verbum *veritate*, additum verbo *opere*, nihilo plus quam illud reipsa significat, cum idem sit *veritate*, quod *vere*: vere autem sine dubio is amare dicendus sit, qui opere amat, id est, facto ipso amorem præstat.

Potest autem hic locus non male convenire adversus illos, qui satis habent ad hominem Christianum constituendum, si quis cupiat & conetur benefacere. Et fortasse Apostoli tempore ejusmodi homines, quales nunc plurimos habemus, inveniebantur, qui, etiamsi charitas seu amor ipsorum ad ipsum effectum non perduceretur, nisi quatenus eum profiterentur, & interim, quod profitebantur, ex animo suo proficisci sibi persuaderent, satis habebant. Certum est enim, ad amorem seu charitatem referri posse omnia Christi præcepta; & verisimile sane est, hac mente Johannem monitionem istam amandi factis ac reipsa verbis suis complecti voluisse, ut doceat, in universa Christi præceptorum obedientia, factis ipsis, non autem sola professione, aut etiam voluntate esse opus. Quamvis enim voluntatis nullam expressam mentionem fecerit: tamen certum est, cum diserte *operis* & *veritatis* mentionem fecerit, eum docere voluisse, ut verbo & lingua amare, sic voluntate quadam, quæ ad effectum, ubi legitimum impedimentum non adsit, minime perducatur, amorem istum præstare, nullo modo esse satis.

Vers. 19. Postquam Johannes, Christi præceptum explicando, docuit ex illo statuendum esse, non modo non licere fratrem suum odio habere, & sic homicidam esse: verum etiam contra debere nos, si usus ferat, ipsos pro fratribus nostris mori; & interim id commemoravit, quod præcepto isto maxime continetur, ut scilicet bene faciamus fratribus nostris, qui ope nostra egent, idque ex intimo corde, & non verbis tantum, sed factis ipsis: occasione hujus, quod postremo docuit, fructus quosdam egregios ac præstantissimos exponit, qui ex eo colligantur, quod ad istum modum, quem ipse præscripsit, quis se gerat, & ait: *Et in hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus corda nostra.* Quandoquidem hic verba ista: *Et in hoc*, illud, inquam, *Hoc* refertur sine dubio ad id, quod proxime dixerat, ac si dixisset: Ex hoc vero, quod amemus, non verbo tantum & lingua, sed revera & factis ipsis, intelligimus, nos esse ex veritate, & per hoc ipsum præterea coram Deo suadebimus corda nostra. Pronomen siquidem relativum *ejus*, sine dubio Deum refert; idque si non ob aliam causam, ob eam, quod is, qui postremo nominatus est, ad quem referri possit, Deus fuit.

Hic primum quærendum est, quid intelligat Johannes per id, quod dicit *Esse ex veritate*. Nan hæc loquutio, quod ad ipsius vim attinet, potest ita accipi, ut significet, veram doctrinam in rebus divinis tenere; vel etiam simpliciter, veritatem, quod attinet ad doctrinam, sequi. Nam infra proximo capite versu sexto facit mentionem *spiritus veritatis*, cui opponit *spiritum erroris*; ubi videtur *spiritum veritatis* tribuere iis, qui cognitionem Dei habent; contra vero *spiritum erroris* iis, qui non habeant. Quanquam potest secundum mentem ipsius Apostoli distinctio ista paullo aliter intelligi, ut mox dicemus. Nam alius sensus istius loquutionis, *Esse ex veritate*, videtur esse, vere talem esse, ut quis se esse profitetur. Potest etiam ista loquutione significari; moribus & factis ipsis veram & rectam viam sequi. Nam in proxime allato loco, ubi fit mentio *spiritus veritatis*, censeri potest, Apostolum non tam respexisse ad veram doctrinam, cui sub appellatione *spiritus erroris* falsam opponat, quam ad probitatem animi & rectitudinem, cui improbitatem opponat ac pravitatem: ut quilibet locum ipsum diligenter expendens, & ea memoria repetens, quæ antea à nobis disputata sunt de Dei cognitione, & ex ipso in hoc mundo filiatione, facile intelligere poterit. Credimus in præsente loco debere agnosci significationem, quam secundo loco posuimus. Quamvis & aliis duabus posse etiam hic esse locus. Videtur enim potissimum voluisse Apostolus dicere, quod, qui factis ipsis & revera amat, is potest hinc intelligere, quod sit verus Christi discipulus, quemadmodum se esse profitetur. Nam sine dubio verba illa primæ personæ, pluralis numeri, *cognoscimus* & *sumus*, eos significant, qui una cum ipso Apostolo Christo nomen dederant.

Quod attinet ad primam significationem, ea minus commode quidem ad hunc locum accommodari potest, sed tamen, ut diximus ipsi etiam est locus, ac si Apostolus

dixisset:

dixisset: Si doctrina, quam amplexi sumus, pariat in nobis hunc rarissimum fructum, ut revera & factis ipsis alios amemus, intelligere vel ex hoc possumus, eam esse veram, & ab ipso Deo proficisci; cum ex falsa & Diabolica doctrina, non possint ejusmodi præstantissimi effectus & sanctissimi provenire. Cæterum de tertia significatione, quod scilicet illa hic locum habere possit, & quidem commodissime, nihil est opus disserere, id enim per se satis manifestum est. Nihil autem prohibet, quominus omnes istæ tres significationes, præsertim vero secunda & tertia, agnoscantur simul & semel in locutione ista hoc ipso in loco.

Jam id quod Apostolus subjungit, *Et in conspectu ejus suadebimus corda nostra*, continet sine dubio, si ipsam loquutionem quis spectet, non parvam difficultatem: sed ea, quæ sequuntur, de reprehensione, qua ipsum cor nostrum nos reprehendat, videntur difficultatem istam minorem reddere, & nos omnino docere, *suadere*, vel potius, ut verti locus potuit, *persuadere corda nostra*, idem valere, quod corda nostra secura reddere, quemadmodum Beza loquutionem istam in interpretatione sua reddidit. Est autem hic fructus maximus, si quis coram ipso Deo intrepido ac securo sit corde atque animo, & nihil sibi ab ejus ira metuat. Nam ubi quis non est iræ Dei obnoxius, nihil veri mali accidere cuiquam potest.

Utitur autem Apostolus verbo futuri temporis, non autem præsentis, ut arbitror, ob hanc causam, ut perpetuitatem hujusce rei melius declaret; ita ut, si quis velit, possit etiam id, quod ipse affirmat, referre ad illud tempus, cum Deus per Chrristum mundum judicabit. Et tunc erit sensus ei similis, qui extat ad finem superioris capitis in illis verbis: *Et non pudefiamus ab eo in adventu ejus*. Continebatur quidem virtute, & per consequentiam necessariam, securitas ista in Dei conspectu, eo, quod proxime Johannes dixerat de cognitione, quod simus ex veritate, præsertim secundum duas posteriores, quas diximus, significationes: sed tamen voluit Apostolus id apertius exprimere, propter nimiam rei præstantiam, & fructum omnium utilissimum, qui securitate ista coram Deo continetur. Atque ut ostenderet, se habuisse non levem causam istud docendi, quod docuit de securitare cordium nostrorum in Dei conspectu, propterea statim subjungit.

Vers. 20. *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit omnia*. In principio hujus versiculi est in Græco conjunctio ὅτι, quæ quomodo reddi Latine debeat, videtur multum dubitatum ab interpretibus fuisse. Et Beza, qui in suis annotationibus scripsit, idem illam valere quod δηλονότι, & sic non habere vim rationis reddendæ, sed tantum rei explicandæ, ac si Latine *nempe* seu *videlicet* scriptum esset: in suæ tamen translationis postrema recognitione, reddidit illam conjunctione *nam*, quæ isto in loco vix aliter accipi potest, quam cum significatione reddendi rationem. Castellio vero simpliciter, ut vocula ista Græca frequentius significare solet, habet pro ea *quod* in translatione sua. Mihi vero omnino probatur vulgata versio, ut scilicet conjunctione *quoniam*, vel alia simili, apertam vim habente rationem reddendi, illa exprimatur.

Sed interea animadvertendum est, nolle Apostolum in verbis, quæ sequuntur, probare id, quod proxime dixerat. Neque hoc sensu particula; quæ vim rationis reddendæ habeat, huic loco conveniret. Verum intelligendum est, ut antea indicavimus, illum sequentibus verbis rationem reddere, cur mentionem fecisset istius securitatis cordium nostrorum coram Deo. Frequentissimum enim est ut tales conjunctiones, quæ vim reddendi rationem habent, significent, non probationem rei proxime dictæ, sed causam cur ejus mentio facta fuit. Itaque Apostoli sensus in his verbis est hujusmodi: Ne mirum sit vobis, si fructum ex eo, quod vos monui, proficiscentem diserte commemoravi, quod corda nostra secura coram Deo habebimus. Nam si aliter esset, & sic cor ipsum nostrum nos reprehenderet, & consequenter securos nos esse coram Deo non sineret, male nobiscum ageretur; cum ipse Deus, cum quo res nobis futura est, major sit corde nostro, & omnia noscat, ita ut nos melius ipse noverit, quam nos ipsi; & propterea certum futurum esset, quod coram ipso consistere non possemus: sed quemadmodum cor nostrum nos condemnaret: sic omnino, & multo magis expectandum foret, ut à Deo condemnaremur. In Græcis vulgatis codicibus post vocem *cor* deest *nostrum*. Verum illa non modo apud veterem interpretem Latinum sed etiam apud Syriacum legitur. Et Beza in sua translatione diserte illam posuit. idem fecerat ante Erasmus, & Castellio. Credo, quia fortasse præter locum ipsum, qui vocem istam omnino requirit, &c. licet non expressam, subaudiendam docet, etiamnum inveniantur Græci codices, qui illam habent.

Jam illud, quod Johannes dicit, *Deum esse majorem corde nostro*, à Beza in sua translatione ita accipitur, ac si dixisset, Deum esse potentiorem quam cor nostrum. Quæ quidem interpretatio potest admitti, tum propter ipsum verbum *major*, quod idem aliquando valet quod *potentior*; tum propter egregium sensum, qui inde emanat; quod scilicet, cum cor nostrum nos condemnat, est nobis timendum quiddam majus, quam sit condemnatio ipsius cordis nostri. Est enim nobis timenda condemnatio Dei, qui multo plus potest, quam cor nostrum, & sic condemnatione sua multo magis nobis obesse. Quandoquidem Deus novit omnia, & sic non potest illi esse absconditum, quod cordi nostro patet. Non recedimus nihilominus ab ea interpretatione, quam supra indicavimus, ut scilicet verbum *major* referatur ad majorem, id est penitiorem cognitionem, quam Deus habeat ejus, quod cordi nostro notum est, quam ipsum cor nostrum.

Et hæc quidem interpretatio communis fere omnium videtur, adeo ut ipse Beza, qui pro verbo *major*, *potentior* substituit, ab ea nihilominus in suis annotationibus non recedat, neque ullam mentionem faciat ejus sensus, quem diximus ex verbo isto, quod ipse in sua translatione posuit, elici posse, quamvis, ut dictum fuit, is sit revera egregius. Nam sciendum est præterea, apud interpretem Syriacum hunc locum ad hunc modum legi: *Et si ita est, quod cor nostrum rejiciat nos, quanto magis Deus, qui major est corde nostro?* Namque ex his verbis non videtur posse colligi alia interpretatio vocis *major*, quam communis ista; præsertim cum non legatur apud interpretem istum, illud, *& novit omnia*, (in vulgatis quidem exemplaribus, nam quædam sunt, in quibus legitur) quod sane indicat, interpretem istum aut habuisse Græcum codicem, in quo verba ista non essent, aut certe sensisse illa omitti posse: quippe quorum sententia ista voce *major* contineretur. Est autem in Græcis verbis ante verbum *major* particula ὅτι, quæ omnino ut alibi in Novo Testamento contingit, redundare, ex idiotismo Hebraicæ linguæ, censenda est.

Jam vero restat solvenda difficultas quædam in sensu totius hujus versiculi. Ex eo enim colligitur, Apostolum ita ratiocinari: Quod si cor nostrum nos condemnat, multo magis nos condemnabit Deus, qui omnia melius quam nos ipsi ad nos quoquo modo pertinentia noverit. Potest enim ratiocinatio ista valde infirma videri, cum in ea videatur pro concesso sumi, nos falli non posse in judicio de nobis ipsis ferendo. Nam alioqui nullo modo ex eo, quod ipsi nos ipsos condemnamus, consequi posse videtur, Deum similiter nos condemnare, vel condemnaturum esse. Est enim Dei judicium perpetuo verissimum, & minime erroneum. Ut hunc nodum solvamus, duplicem viam tenere possumus Una est, quod humana natura est ejusmodi, quæ seipsam nimio plus semper amet; ex quo fit, ut vix fieri posse videatur, ut quisquam seipsum condemnet, nisi veritatis manifesta vi compulsus id faciat.

Altera via est, eaque fortasse tutior, quod ad nos tales reddendos, ut merito à Deo condemnemur, satis est, si ipsi nobis persuadeamus, nos peccare, & condemnatione plane esse dignos, quamvis revera citra hanc

persuasionem nostram non peccemus, id est, opera nostra non sint ejusmodi quæ per se ipsa peccata sint, & condemnationem mereantur. Etenim ex regula, quam Paulus posuit ad finem 14. cap. Epistolæ ad Romanos, *quod* scilicet *quidquid non est ex fide, peccatum sit*, necessario consequitur, ad nos reos ac peccatores coram Deo constituendos, satis esse, si nos ipsi credamus, nos peccare, & ea facere, quæ divina punitione sunt digna. Loquimur autem hic de vita & factis nostris universe, aut saltem generatim, non autem de quibusdam tantum actionibus nostris. Nam si is peccat, qui dubitat, dum aliquid facit, rectene, an prave agat, (hic enim sensus est communiter approbatus prædictæ istius Paulinæ regulæ) quanto magis is peccare dicendus est, qui prorsus sibi persuadeat se peccare, etiamsi alioqui ea, quæ facit, secundum divinam legem peccata censenda non sint? Merito igitur Apostolus propter duplicem istam rationem potuit pro concesso sumere, non quidem simpliciter nos errare non posse in judicio de nobis ferendo; sed, quod attinet ad sui ipsius condemnationem, fieri non posse, ut erremus, & quominus apud ipsum Deum rei non simus, ab ipsove non condemnemur.

Vers. 21. Difficiliorem multo fortasse habebit explicationem, & ab objectione simili defensionem id, quod in Apostoli verbis sequitur, *Charissimi, si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Hic enim similiter ita ratiocinari Apostolus videtur, ut pro concesso sumat, nos falli non posse in judicando de nobis ipsis. Et cum hic non de judicio in nobis ipsis condemnandis, quod ipsimet faciamus, sed de judicio agat, quod facimus in nobis ipsis approbandis, neutra ex prædictis duabus rationibus, quæ in superiore ejus ratiocinatione merito opponebantur isti reprehensioni, quod id pro concesso sumeretur, quod verum esse non appareret, potest hoc in loco vim ullam habere, aut locum invenire: quin potius quædam ratio, priori ex istis duobus opposita, hic locum habere omnino videtur; ex qua confirmetur & augeatur absurditas pro concesso id sumendi, de quo nihil constat. Quandoquidem potius contrarium ejus hic verisimile est, nempe ut quis de seipso judicando omnino fallatur, ubi nimirum judicium est de seipso approbando. Quam enim, sumus omnes alieni & abhorrentes à nobis ipsis condemnandis, tam contra prompti & alacres sumus in nobis ipsis approbandis. Itaque apparet, quod diximus, videri hic esse difficultatem majorem, quam quæ ibi fuit, ubi de nobis ipsis condemnandis agebatur. Verumtamen speramus, Deo dante, posse etiam hoc in loco difficultatem tolli ac dissolvi.

Quod antequam facere tentemus, monere volumus, nequis fortasse putet, posse solvi hunc nodum propterea, quod Apostolus aliud nihil dicat, quam *Si cor nostrum nos non condemnat, nos habere fiduciam ad Deum;* quasi interim non dicat, istam fiduciam non esse inanem. Certe enim, si quis sibi persuadet, se in nulla culpa esse, is fiduciam erga Deum ut habeat necesse est: quamvis alioqui, cum possit falli, in sibi id, quod diximus, persuadendo, consequenter simul falli possit in ista fiducia sua, quæ videlicet inanis sit. Nam si quis objiciat verba illa Pauli in priore ad Corinthios cap. 4. 4. *Nihil enim mihi ipsi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, quasi hinc colligatur, posse persuasionem nullius suæ culpæ esse sine fiducia erga Deum, is sine dubio falli dicendus est; cum aliud sit *justificatum esse*, aliud vero *fiduciam habere erga Deum*: quandoquidem fiducia ista id quidem efficit, ut quis credat se esse justificatum: sed non tamen ut reipsa sit. Nec Paulus, qui dixit, *Non propterea sum justificatus*, interrogatus negasset, se tamen credere se justificatum esse.

Ut igitur ad propositum revertamur, si quia difficultatem hujus nostri loci crederet se posse solvere hac ratione, videlicet, quod Johannes nihil dicat de fiducia ista, quæ inanis non sit futura; quamvis alioqui verba ipsa Apostoli possint huic solutioni locum dare: tamen si animadvertatur, quo sensu ipse illa protulit, concidit penitus ratio ista. Statim enim subjungit: *Et, quidquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt coram eo placita, facimus.* Namque ex his verbis manifeste constat, eum loqui de fiducia erga Deum, quæ non sit vana. Nam & paullo ante, cum de fiducia coram Deo, seu securitate cordium nostrorum, mentionem fecit, quamvis nihil expresserit, quod talis securitas vana non sit, id tamen tanquam expressum intelligi debet. Alioqui pro eo, quod sine ullo dubio fructum voluit commemorare præstantissimum, qui ex eo colligatur, quod factis & revera amemus, effectum inde provenientem commemo asset, ex quo parva aut nulla potius utilitas proveniret. Nec porro dubium esse potest, quin ad istum locum hic Apostolus respiciat, &, postquam dixit incommodum, quod ex contraria re, id est, ex reprehensione ipsius cordis nostri oriretur, id iterum resumat, quod proxime ante dixerat.

Postquam igitur vidimus, indicatam istam à nobis difficultatis nostræ solvendæ rationem, quæ cuipiam fortassis probari queat, nihil prorsus soliditatis habere; jam tempus est, ut aliquid melius excogitemus. Itaque ilicimus animadvertendum diligenter esse, quod Apostolus non de omnibus hominibus loquitur, sed de iis, quos sibi similes, hac saltem in re, esse, sibi persuaserat, quod sincere Christi nomen profiterentur, ejusque præcepta bene cognita haberent. Cum enim numero plurali in persona prima utatur, quamvis hoc figurate aliter accipi possit: tamen proprie loquendo necesse est ut se ipsum isto numero includat; & consequenter alios, eodem numero inclusos, sibi similes in eo, de quo agitur, seu potius in eo, sine quo id esse non potest, de quo agitur, esse statuat. Jam id, de quo agitur, est fiducia apud Deum, quæ omnino requirit, & quod quis de Deo curet, & quod notitiam habeat voluntatis ejus; & sic sub Christo ipsius Christi nomen sincero animo profiteatur, & ejus præcepta nota habeat. Hoc autem firmiter posito, ista, de quibus Johannes loquitur, videtur inde plane consequi, vix fieri posse, aut ne vix quidem, ut tales homines seipsos decipiant, in sibi nimium tribuendo, & statuendo, se culpa esse vacuos, cum tamen non sint. Qui enim sincere cum Deo agit, & novit voluntatem ejus, potius in eam partem semper inclinat, ut sibi parum tribuat, quantum pertinet ad officium suum erga ipsum Deum, & potius semper metuat, ne in aliqua re offenderit, ubi etiam metuendum non sit. Quæ consideratio in superiore Apostoli ratiocinatione, cum ageret de proprio judicio in se ipso condemnando, poterat difficultatem ibi propositam augere, & verisimile facere, ejusmodi judicium falsum facile esse posse. Et propterea ibi necesse fuit, duas illas huic oppositas considerationes, seu rationes investigare, quæ isti uni præponderarent, eique omnem vim adimerent: tametsi nos ibi hujusce rei mentionem non fecimus.

Cum igitur vix aut ne vix quidem fieri posse videatur, ut homines ejusmodi, quales ii erant, de quibus Apostolus loquitur, fallantur in se ipsis approbandis, & à culpa immunibus faciendis, recte omnino censendum est, Apostolum tacite ratiocinatum fuisse, & id, quod conclusit, conclusisse. Quandoquidem, ut vidimus, non contentus dixisse, *Quod si cor nostrum nos non condemnat, habemus fiduciam ad Deum*, nempe non inanem; expressius addidit, nos, si tales simus, ut à corde nostro non condemnemur, ejusmodi simul esse, *qui custodiamus Dei præcepta, &, quæ illi placent, faciamus*; unde ait consequi,

Vers. 22. *Ut impetremus ab eo quicquid illum rogaverimus:* qui fructus sane est peregregius, ac ferme incomparabilis, qui addendus est aliis supra ab Apostolo commemoratis, & à nobis explicatis, qui ex eo capiuntur, quod quis non verbo sed factis amet. Est autem hæc eadem ferme sententia repetita inferius ab Apostolo cap. 5. 14, 15. quo ubi Deo dante, pervenerimus, ea dicemus, quæ proprie ad explicationem ejus loci pertinent.

Nunc considerandum est, id, quod Johannes affirmat, &c

mat, & rationem, quam affert, cur ea impetremus à Deo quæ illum rogamus confirmari notabili illa sententia, quam cœcus ille natus profert in Euangelio apud hunc eundem scriptorem, inquiens Joh.9.31: *Scimus autem quod peccatores Deus non audit: sed si quis cultor Dei est, & voluntatem ejus facit hunc audit.* Dominus etiam Jesus istud, quod hic à Johanne dicitur, nempe facere quæ placita sunt coram Deo, sibi ipsi meritissimo tribuens, & addens, quod sic semper faceret, fructum inde non absimilem huic impetrandi quod à Deo petitur, ad ipsum provenire affirmat, inquiens cap.8. Euangelii ejusdem Johannis ✝ 28. *Qui misit me mecum est; nec relinquit me solum Pater. Quia ego, quæ illi placent, facio semper.* Jam de exceptione aliqua, quam possit habere enunciatio ista, quod, qui Dei, voluntatem facit, ab ipso obtineat, quod petit, videbimus, Deo adjutore, in prædicto & à nobis indicato loco inferius cap.5. Præstat etenim hic jam ulterius progredi. Nam cum dixisset Apostolus, nos custodire mandata Dei, volens aut explicare, quæ sint ista Dei mandata, aut id, quod dixerat aliqua ratione probare, subjunxit hæc verba:

Vers.23. *Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus Jesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum.* Possunt enim ista verba, quamvis prima fronte videantur omnino propter id fuisse adducta ut explicetur, quæ sint Dei mandata, ita accipi, ac si non hoc quidem, saltem præcipue, voluerit Apostolus facere, sed probare, quod merito dixisset, istos, de quibus loquebatur, custodire mandata Dei. Nam si recte attendatur, hos dixerat esse illos, quorum cor ipsos non reprehenderet; at rursus istos dixerat esse illos, qui non verbo & lingua, sed opere & veritate amarent; & sic concluserat, eos custodire Dei præcepta, qui revera & factis ipsis dilectionem erga alios exercerent, nempe talem, qualem antea, ipsum Christi præceptum de diligendis fratribus explicans, descripserat, ita ut etiam animas pro fratribus ponere non recusent. Quod à se recte conclusum fuisse ostendere volens, dicit, Dei mandata ad ista duo capita revocari, ut scilicet Christo fidem habeamus, quod unum est caput; & alii alios diligamus, quod est alterum. Cui alteri capiti adjungit, *Sicut mandatum dedit*, quod, judicio meo, ad Christum proxime nominatum referri debet, qui scilicet dederit mandatum istud. Jam de istis, quos affirmaverat præcepta Dei custodire, si dilectionem re ipsa erga fratres præstarent, pro concesso videtur sumere Apostolus, quod Christo fidem haberent. Neque enim loquitur de aliis, quam de iis, qui Christi nomen profiterentur; quæ fides etiam eo necessario includitur, quod istorum amor eo progrederetur, ut etiam animas suas pro fratribus ponere essent parati. Hoc enim non aliam ob causam isti faciebant, nisi quia Christo fidem adhibebant, à quo nimirum tale præceptum ponendi animam pro fratribus expresse habuissent. Quod hic deinde declaravit Apostolus verbis istis, *sicut dedit mandatum*; & simul iisdem verbis exposuit, qualis debeat esse dilectio ista erga alios, si is, qui eam præstiterit, debeat aut possit merito dici servare mandata Dei, nempe æterna illa Dei mandata, quæ per Christum dedit: talis nimirum, ut eam ipse Christus præscripsit, id est, ejusmodi, ut ejus exemplo sanguinē nostrum fundere pro fratribus non dubitemus.

Credimus ex iis, quæ à nobis dicta sunt, facile probatum iri cuicumque ipsum locum diligentius intuenti. Apostolum præcipue hic id sibi propositum habuisse, ut ostenderet, eos, qui vere, atque ut Christus jussit, fratres diligunt, ipsius Dei præcepta servare; & quidquid dixit, pertinens ad exponenda hoc loco Dei præcepta, fuisse dictum, non præcipue propter seipsum, sed ut inde concluderetur ac probaretur, quod modo diximus.

Redegit autem, ut dictum fuit, Apostolus divina præcepta ad duo capita, credendi scilicet Christo, & diligendi alios ad eum modum, quem ipse Christus, (ut quidem nos verba illa *sicut dedit mandatum*, interpretati sumus) vel, si quis malit verba ista ad Deum præcipue referre, Deus per ipsum Christum præscripsit. Revocavit inquam, Johannes ad ista duo capita præcepta Dei sub Euangelio, etiamsi potuisset ad unum tantum caput illa revocare, id est, ad fidem, quæ Jesu Christo Dei filio habeatur. Quod propterea fecit, ut magis id, quod volebat, exprimeret, & illud probaret, quod antea conclusum fuerat de iis, qui fratres vere amant. Propter hanc inquam, causam, addidit expresse præcepto, Christo fidem adhibendi, præceptum alios diligendi, quamvis fieri nequeat, ut quis Christo fidem habeat, & interim alios non diligat, idque ea ratione, ut ipse Chistus jussit. Christus quidem ipse interrogatus, quid faciendum esset, ut opera Dei fierent, id est, ejus præcepta servarentur, respondit Joh.6.28,29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit.* Complectens hoc uno præcepto, & una in ipsum Christum fide, quidquid Deus nos facere jubet. Paulus quoque Apostolus Act.20.21. fidei in Christum adjunxit pœnitentiam in Deum: quamvis nulli dubium esse possit, quin fides in Christum pœnitentiam erga Deum omnino complectatur, id enim & ipse fecit, ut apertius id diceret, quod volebat, & rē melius exprimeret.

Ubi notandum est, quod, cum Johannes fidem, quæ Christo adhibeatur, priore loco ponat; posteriore vero amorem, quo alios prosequamur, Paulus priore loco posuit pœnitentiam in Deum, posteriore vero fidem in Christum. Quæ diversitas inde proficiscitur, quod fides in Christum antecedit quidem tempore, aut saltem secundum intellectum, fratres ita diligere, ut Christus præscripsit: sed eadem ratione non antecedit, sed sequitur pœnitentiam in Deum. Quemadmodum enim ad hoc, ut quis præceptum dilectionis fraternæ à Christo datum servet, necesse esse constat, ut prius, ratione, ut diximus, saltem intellectus, Christi verbis fidem adhibeat: sic contra, ut quis in Jesum Christum credat, necesse est ut jam animum probum gerat, & Deum aliquo modo metuat, saltem, ut dictum est, intellectus ratione; & consequenter, suorum peccatorum & in Deum offensarum pœnitentiam agat. Neque enim aliunde factum est ut, antequam Christus Euangelium annunciaret, missus sit Johannes Baptista ad prædicandam populo pœnitentiam. Hac enim ratione, ut ipsa scriptura loquitur, via Christo præparabatur, id est, homines disponebantur ad illi fidem adhibendum. Nam & ipsemet Christus, cum munus suum aggredi in terris cœpit, annunciavit ac jussit, ut ageretur pœnitentia, & crederetur Euangelio; ostendens hac ratione, quod pœnitentiam agere aliquo modo præcedat fidem quæ Euangelio habetur, & consequenter ipsi Christo.

Jam in his Apostoli verbis primum non est silentio prætereundem, quod, cum probare voluit id, quod antea concluserat, quod, qui fratres amant, mandata Dei servent, pro *mandatis* numero plurali antea dictis, reposuit *mandatum* numero singulari: quamvis duo ista, ad quæ diximus illum præcepta Dei revocare, statim subjecerit ad explicationem mandati istius. Ex quo duo doceri possumus. Unum, commutationem numerorum pluralis & singularis à Sacris Scriptoribus usurpari: alterum, illa duo ita conjuncta esse, & alterum ex altero, id est, posterius à priore pendere, ut utrumque unum tantum præceptum censeri queat. Deinde sciendum est, pro eo, quod Latinus interpres habet, *in nomine*, Græcum codicem habere *nomini*. Ex quo intelligitur, veterem interpretem aliter hunc locum in Græco legisse, quam hodie legatur. Nam & Syriacus interpres eodem pacto ut Latinus legit. Mirum est autem quod Beza hic in voce *nominis* quodammodo philosophetur, inquiens, vocem *nominis* hic referri ad verbi prædicationem, *Nam fides*, inquit, *ex verbi auditu*. Primum enim nihil est tritius, quam ut in Sacris Literis *nomen* alicujus, præsertim Dei & Christi, idem significet, quod is ipse, cujus *nomen* commemoratur, &, quod ipse Deus, & Christus. Unde nihil dubitandum est, quin tam in hoc loco, quam in aliis non paucis, ubi *Christi nominis* fit mentio, nihil aliud intelligatur per *Christi nomen*, quam ipse Christus. Nec ambigo, quin ipse Beza aliis in locis, ubi similiter nominis Jesu Christi fit mentio, & quidem conjunctim

cum *fidei* nomine seu *credendi* verbo, ita hanc loquutionem accipiat, ut nos diximus. Sed hoc in loco fefellit illum loquutio ista inusitata, conjungendi scilicet vocem *nominis* una cum *credendi* verbo dativo casu, cum de Christi nomine verba fiunt. Dativo, inquam, casui, in ipsis verbis Græcis, simplici, & sine præpositione. Alibi enim loquutio ista habere solet vocem *nominis* vel accusativo vel dativo casu cum præpositione. Itaque putavit novam aliquam significationem hic subesse: sed, ut diximus, falsus fuit. Nam deinde quomodo potest hæc interpretatio ipsius subsistere, ut *nomen Christi* sit prædicatio verbi, nempe ipsius Christi? Quis unquam vidit aut observavit, *Christi nomen* significare prædicationem verbi illius, aut aliquid simile, unde aliquo modo possit tam inaudita alioqui & insolita istius loquutionis interpretatio sustineri aut defendi? Sed jam ulterius progrediamur.

Vers. 24. Pergens igitur Apostolus ait: *Et qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo.* Quia, ut nos interpretati sumus, jam probavit Apostolus, eum, qui præceptum Christi de diligendis fratribus servet, divina mandata servare: nunc subjicit, quanta sit præstantia & felicitas ejus, qui divina mandata servat, affirmans, ejusmodi hominem *in Deo manere, & Deum in ipso.* Quibus verbis, ut supra, hunc loquendi modum exponentes, diximus, significatur summa conjunctio inter Deum & ejusmodi hominem; & apparet, Johannem in hac Epistola istud, quod Deus in aliquo maneat, cum eo conjunctum, quod ille maneat in Deo, ponere pro excellentissima & divinissima rerum omnium, quæ homini in hoc mundo contingere possint; immo ea complecti, quicquid boni in homine in præsenti hac vita esse potest, seu quod attinet ad officium ipsius erga Deum, seu quod pertinet ad favorem Dei erga ipsum. Itaque postquam alios fructus recensuit, qui ex eo proveniunt, quod quis ea charitate erga alios sit præditus, quam Deus per Christum præscripsit, tandem hoc, tanquam complementum & summum omnium fructuum, qui haberi in hac vita possunt, recensere voluit.

Et quoniam res adeo eximia iste fructus est, ut vix credi à quoquam possit; propterea probationem, quod fructum istum is percipiat, qui amore illo, quem Christus præcepit, sit præditus, in reliquis hujus capitis verbis subjungit, & ait: *Et in hoc scimus quoniam manet in nobis, ex spiritu, quem dedit nobis.* Ubi primum, animadvertendum est, quod ex duabus istis rebus, quas proxime dixerat, videlicet *Nos manere in Deo*, & *Deum manere in nobis*, non priorem, sed posteriorem probandam sibi Johannes sumit, ut pote quæ minus verisimilis sit, & in qua potissima pars illius fructus, quem diximus consistat. Nam propter istam minorem verisimilitudinem, sine ulla necessitate voluit etiam, cum affirmavit, Deum in eo manere, qui servat mandata ejus, repetere *manendi* verbum; &, non contentus dixisse, ut nos recitavimus, *In illo manet, & ipse in eo*, (ut quidem poterat) post vocem *eo*, statim repetiit verbum *manet*. Sic enim legitur in Græco exemplari, quamvis Latinus codex repetitum istud verbum non habeat. Noluit enim Apostolus, ullum prorsus locum dubitandi relinquere, quin à se affirmaretur, in hujusmodi homine Deum manere, cum id alioqui parum credibile videatur. Ut igitur hoc ipsum, ut minus verisimile, probet, pro medio ad id probandum sumit, Deum ejusmodi homini dedisse de suo spiritu.

Quod antequam declaremus, animadvertendum est, Apostolum nolle hic simpliciter affirmare, quod Deus in nobis habitet. Nam sensus verborum ipsius est, ac si dixisset: *Ex eo autem cognoscitur, quod Deus in aliquo habitet, si dederit illi de suo spiritu.* Figurate igitur hic usus est Johannes numero plurali personæ primæ, cum eadem significatione, ac si impersonaliter, ut loquuntur, loquutus fuisset, quod attinet ad verbum *scimus*, seu *cognoscimus*, & de cætero numero singulari tertiæ personæ usus fuisset. Estque hic figuratus loquendi modus in omnibus linguis admodum tritus; &, si quis recte animadvertat, in ipso Novo Testamento, & præsertim apud hunc scriptorem in hac ipsa Epistola haud infrequens.

Deinde notandum est, quamvis voci *spiritus* non sit additum relativum ullum: tamen debere locum ita accipi, ac si diserte in Græco legeretur ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ, voce αὐτοῦ denso spiritu notata. Nam relativum istud hic omissum diserte ponitur, atque exprimitur capite sequenti ℣f. 13, ubi hæc eadem sententia repetitur. Probat igitur Johannes, in eo, qui mandata Dei servat, Deum manere, ex eo, quod ejusmodi homini Deus de Spiritu suo dedit. Nemo enim negare potest, quin Deus ibi sit, ubi est ejus Spiritus. Jam *Spiritus iste Dei* aliud nihil est quam charitas, qua plane eum præditum esse oportet; qui Dei mandata servat, præsertim ea ratione, qua Apostolus intelligit, qui in tali homine requirit, ut ita fratres amet, ut vitam suam pro illis impendere non recuset. Est, inquam, iste Dei Spiritus charitas, cum nihil magis proprium Dei sit, quam ipsa charitas. Unde factum est, ut idem Apostolus cap. sequenti ℣f. 8. 16. non dubitaverit dicere, Deum esse charitatem; & ℣f. 16. statim subjunxit, *Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo manet.* Ubi nemo non videt, eandem sententiam, quam hic posuit, ab Apostolo aliis ex aliqua parte verbis repetitam fuisse, reposita videlicet *charitate* loco *Spiritus Dei.*

Explicato vero, ut quidem nobis persuademus, & ab aliis non animadverso sensu horum posteriorum verborum hujus tertii capitis, id tantum addendum est, simplicem copulam in verbis istis, *Et in hoc scimus &c.* ut sæpissime evenit in Scriptura Sacra ex Hebraicæ Linguæ usu censendam esse hoc loco habere vim particulæ rationem reddentis. Quod quidem Beza credidit statuendum esse in prima hujus versiculi vocula, quæ simplex conjunctiva particula similiter est: & propterea illam particulam *nam* reddidit, cum tamen ibi hac re nihil opus esset; neque appareat secundum ipsius Bezæ loci explicationem, cur ad istum modum ea vocula reddi debuerit: secundum quidem explicationem nostram liquido constat, id fieri non debuisse. Hic vero, ubi id fieri debuit, latuit hoc Bezam & alios, propterea, quia longe aberrarunt à vero sensu loci hujus. Cæterum, quomodo verum sit, quod Deus participes faciat homines charitatis suæ; & quomodo is, qui mandata ejus servat, ut certum est, eum præditum esse charitate vera ac divina, sic ab ipso Deo charitatem hanc habuerit; & sic, secundum explicationem nostram, Deus illi dederit de Spiritu suo, infra Deo volente dicemus, in explicatione 13. versus supra à nobis citati sequentis capitis. Ad quod explicandum jam nobis aggrediendum est.

Caput IV.

Diximus ab ipsomet initio harum commentationum nostrarum in hanc Epistolam, præcipuum scopum, quique, si quis recte consideret, totam Epistolam occupat, Apostoli, in ea scribenda fuisse, monere eos, ad quos scribit, ut in vera obedientia Christi præceptorum, & ipsius Christianæ religionis cultu, perseverarent ac proficerent; & hujus rei occasione admiscuisse eum quædam pertinentia ad vitandos falsos Prophetas, qui illos à sanctissimo hoc instituto abducebant. Quamvis igitur in secundo capite, ut vidimus, non pauca huc pertinentia dixerit: hic nihilominus iterum eos monet, ne ab istis impostoribus se seduci permittant, & videbimus, si Deus concesserit, quod etiam in sequenti cap 5. quamvis istos seductores non nominet, multa dicit ad refellendum, quicquid illi docebant, & ostendendum, quod Jesus vere est Christus. Quandoquidem istorum falsa doctrina

eo sum-

eo summarim continebatur, quod Jesus non esset Christus, ut evidenter ex iis apparet, quæ scripta sunt hac de re prædicto secundo capite. Estque hoc diligentissime notandum, si quis velit recte intelligere, quid de istis falsis Prophetis, deque ipsorum doctrina, in initio hujus quarti capitis Apostolus scribit ac monet. Sic igitur ait:

Vers. 1. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quoniam multi pseudo-Prophetæ exierunt in mundum.* Nihil hactenus, tanquam de re parvi momenti, diximus, quod verbum *Charissimi*, ut hic & supra aliquoties apud veterem interpretem legitur, in Græco est ἀγαπητοί, id est *Dilecti*: apud Syriacum autem interpretem legitur Latine ubique *Dilecti mei.* Quod non propterea factum esse credimus, quia utervis ex istis duobus interpretibus aliter in Græco legerit, atque hodie legatur: sed vetus interpres credidit, non satis exprimi, sive sensum scriptoris, sive vim Græci verbi, simplici positivo. Ad quod ita statuendum arbitror illi occasionem dedisse illa duo loca, ubi legitur, Deum pronunciasse de Jesu, voce cœlitus demissa, quod is esset ipsius filius Matth. 3. 17. & 17. 5. Additur enim utrobique eadem vox Græca, tanquam epithetum filii, quæ hic habetur. Nam ad summam illam Dei erga Christum dilectionem significandam, ut quidem Deum eam significare voluisse verisimile est, non videtur, vocem istam ἀγαπητὸς, quamvis positivi gradus sit, aliter quam superlativo debere accipi; aut certe verbo Græco ἀγαπάω, unde illa deducta est, plus significari dicendum est, quam verbo Latino *Diligendi*: ita ut nomen *Dilectus* inde ductum, ipsum nomen ἀγαπητὸς non satis exprimat. Quanquam nihilominus in hisce duobus locis ipse vetus interpres nomen *Dilecti* simpliciter habet. Quod sane mihi mirum videtur, & arbitror, cum præ incuria, quamvis ea, quæ diximus, animadvertisset, & propterea in tota hac Epistola nomen istud Græcum non *dilecti*, sed *charissimi* nomine reddiderit, non correxisse id, quod jam in sua translatione scripserat in prædictis duobus Euangelii locis. Jam quod attinet ad interpretem Syriacum, sine dubio ex proprietate quadam Syriaci sermonis addidit de suo affixum illud, ut Grammatici vocant, *mei*, videlicet sine quo elegantia linguæ Syriacæ perire videatur. Sed jam de gravioribus agamus.

Monet igitur Apostolus, ne velint omni Spiritui credere, sed probent Spiritus, an ex Deo sint. Quid nomine *Spiritus* hoc loco Johannes intelligat, non omnino inter eos, qui hunc locum explicant, convenire videtur: quamvis eadem sententia ex diversis ipsorum interpretationibus elici videatur. Nos quidem credimus, nihil esse necesse, ut plerique existimant, in voce ista esse ejusmodi metonymiam, ut *Spiritus* pro homine, qui talem Spiritum habeat, accipiatur: sed putamus nomine *Spiritus* ipsam quasi inspirationem significari, seu sensum homini aliquo modo inspiratum. Videmus enim, quod inferius ỷ. 6, distinguit idem Apostolus inter *spiritum veritatis*, & *spiritum erroris*, ubi non videtur habere locum metonymia ista, ut scilicet *spiritus* pro homine, in quo sit is spiritus, accipiatur: sed necesse est, ut nomen *spiritus* inspirationem quandam, sive inspiratum sensum declaret. Legitur apud Lucam cap. 9. 55. Christum dixisse Jacobo & Johanni discipulis suis, qui voluissent igne cœlitus demisso perdi eos, qui ipsum Christum hospitio suscipere recusaverant, *nescitis cujus spiritus estis.* Quod sine dubio significat, eos nescivisse, non duci se sensu divinitus inspirato ad id expetendum, quod expetebant: sed sensu inspirato aliunde, nempe vel à Diabolo, vel à carnalibus affectibus. Sic igitur & hic censendum est, *spiritus* nomine inspiratum, ut diximus, sensum quendam significari. Et propterea verborum Apostoli sententiam esse, monere, ne crederent esse verum omnem quoquo modo inspiratum sensum; nempe qui appareret in iis, qui aliquid alios docere aggrediebantur: sed explorarent omnes tales sensus, ut cognoscerent de singulis, an inspiratio ista esset divina; an vero Diabolica, seu mere humana atque carnalis. Verbum enim, quod *probate* in Latino codice legitur, Græce est δοκιμάζετε, quod sæpe idem significat quod *explorate*.

Jam ratio, cur Apostolus hoc moneat, illud ipsum est, propter quod totum hoc scribebat, quod scripsit ad hanc materiam pertinens; ut scilicet ii, ad quos scribebat, sibi caverent, ne errarent ac deciperentur. Nempe quod jam existebant falsi Prophetæ, idque non pauci, & quidem, ut facile intelligi potest, inter ipsos versabantur. Hanc rationem igitur his verbis explicat: *Quoniam multi Pseudo-Prophetæ exierunt in mundum.* Ubi apparet, *exire in mundum* idem esse quod existere, & publice munus aliquod aggredi: non autem ex alio aliquo loco, seu aliunde in mundum prodire. Quod, quemadmodum à nostris hominibus merito animadversum est, valet ad confutandas falsas illorum interpretationes, qui ex eo, quod Christus in mundum venisse dicitur, concludunt, illum antequam nasceretur in cœlo fuisse, & inde ex virgine nascendo in mundum venisse.

Vers. 2. Postquam Apostolus & monuit, & rationem seu causam suæ monitionis attulit, non hoc contentus, regulam quandam tradit, per quam dignosci possit, an spiritus aliquis, id est inspiratus sensus, qui contineatur in verbis alicujus, qui alios in rebus divinis docere aggrediatur, nec ne sit ex Deo. Quam regulam Apostolus & affirmative, & negative ponit, ut statim videbimus. Inquit enim: *In hoc cognoscitur Spiritus Dei: Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Hic ponit regulam suam affirmative; & prima illa verba, *In hoc cognoscitur Spiritus Dei*, quæ ipsi regulæ præponuntur, idem significant, quod, ut modo indicavimus, cognosci per eam regulam, quam mox Apostolus subjiciet, an spiritus aliquis sit nec ne divinus spiritus.

Jam in ipsis verbis hujus regulæ, affirmative primum datæ, videtur in vulgata editione error esse non exiguus, nempe in verbo *venisse*; cum verbum Græcum ἐληλυθότα, id est, participium istud, pro quo illud substitutum est, proprie significet *Qui venit.* Id quod hoc in loco Benedictum Ariam Montanum vel non animadvertisse, vel lectorem non monuisse, non parum miror. Nihil enim hic vulgatam Latinam lectionem mutavit, cum tamen in sequenti versiculo, ubi eadem regula negative ponitur, istud idem Græcum participium, quod ibi vetus interpres, ut postea videbimus, sine dubio non legit, reddiderit ipse Latine, non quidem verbo *venisse*, sed participio *venientem.* Suspicor tamen hoc factum ab ipso fuisse, quod crediderit, participium istud, quamvis proprie aliter sonet, posse tamen reddi verbo *venisse*, & ita pro participio Infinitivum in Latina lingua reponi posse; & propterea ubi deprehendit, id à vulgato interprete factum esse, nihil mutare voluit: credo ob eam causam, quod videret, tali mutatione sensum ab omnibus vulgo receptum vehementer immutari: sed interim tamen, ubi vetus interpres verbum istud Græcum non legisset, nec ullo modo in sua interpretatione Latine reddidisset, putavit sibi liberum esse, non recedere à propria, quam credidit, istius verbi significatione, ne quis fortasse arbitraretur, ab ipso hoc minime animadversum fuisse. Sed tamen, pace ipsius dictum velim, quemadmodum in innumerabilibus fere aliis locis, sic in hoc loco mihi nihil probatur, quod participium temporis præteriti apud Græcos, vertit Latine participio præsentis temporis. Nam si dicat, non habere linguam Latinam participium præteriti temporis, quod isti Græco respondeat: dico ego ex altera parte, non esse hanc justam causam, ut quis ita verbum è Græco transferat, ut sensus verus ac proprius Græci verbi immutetur, ut certe hic immutatur. Nam participio isto præsentis temporis aliud significatur, quam Græcum participium præteriti temporis significet; significatur, inquam, Christum

stum Jesum præsenti tempore *venire in carne*: cum sensus vocis Græcæ sit, eum, non quidem nunc venire in carne, sed olim venisse. Et propterea, ista superstitione omissa reddendi participium participio, debuisset Benedictus Arias Montanus hic ponere *Qui venit*, & alibi vel tali, ut sic dixerim, circumscriptione, vel alia ratione, prout locus ferret, participiorum Græcorum præteriti temporis, quæ sibi respondentia in Latina lingua non habent, sensum omnino exprimere.

Jam quod credidit, posse exprimi participium ἐληλυθότα voce infinitivi ejusdem temporis, (quemadmodum quicunque è Græco in Latinum vel in alias liguas, Novum Testamentum hactenus verterunt, prorsus crediderunt; immo hoc loco non aliter quam per infinitivi vocem debere illud verti, existimasse plane videntur) & propterea in priore loco, ubi participium istud in Apostoli verbis legitur, nihil mutavit verbum *venisse*, pro eo à vetere interprete repositum: quanquam non dubito, quin talis interpretatio possit aliquo modo sustineri: tamen ex altera parte similiter nihil dubito, quin præstet omnino *qui venit*, non autem *venisse* participium istud hoc loco reddere.

Quod autem nihilominus vulgata & communis omnium sententia in participio isto vertendo, quod alioquin attinet ad Græci sermonis usum, sustineri queat, ut sic statuam, facit potissimum auctoritas complurium Linguæ Græcæ peritissimorum hominum, qui id senserunt; & non dubito, quin in ipso Novo Testamento aliquod sit exemplum, unde id confirmari possit. Quinetiam videmur paullo superius, capite videlicet superiore ỳ.17, habuisse locum, ubi participium loco infinitivi positum fuisse censeri debeat, in illis videlicet verbis, *Et viderit fratrem suum necesse habere*. In Græco siquidem est pro *necesse habere* χρείαν ἔχοντα, id est, ad verbum, ut Arias Montanus vertit, *opus habentem*. Videtur enim plane sentiendum, participium ἔχοντα idem pollere, quod infinitivi vocem ἔχειν. Neque enim vult dicere Apostolus, *Si quis viderit fratrem suum, qui opus habet*: sed, *Qui hoc ipsum vederit, quod opus habeat*. Id quod rectissime exprimitur per infinitivum: per participium vero minime. Nihil enim vetat, quominus quis videat fratrem suum opus habentem, id est, qui opus habet, & tamen nesciat illum opus habere, & sic quod opus habeat, nullo modo videat.

Quocirca potissima ratio, quæ me movet ad statuendum nihilominus, ut hic participium ἐληλυθότα per infinitivum minime exprimi debeat aut possit, est ipsa subjecta materia, & sensus verborum Apostolicorum qui ex hac ipsa Epistola, ut ante indicavimus, & mox plenius exponemus, manifeste apparet: tametsi non est etiam negandum, quin, ut jam dictum fuit, participium istud proprie, & secundum ipsam Grammaticam, verti Latine debeat, *Qui venit*. Quod quamvis per se clarissimum sit, & propterea nos doceat, verbis Apostoli alium posse subesse sensum, quam is sit, qui hactenus communiter receptus fuit, & quem necessario fert vox infinitivi *venisse*: tamen nemo, ut credimus, ex iis, qui in hunc locum scripserunt, id animadvertit ante Thomam Naogeorgum, qui non spernendum commentariolum ante plurimos annos in hanc Epistolam conscripsit, atque edidit, & simul verum sensum hujus loci nos docuit, qui est: *Eum spiritum, qui confitetur Jesum Christum, id est, eum pro suo servatore ac domino, & denique vero Christo habet, quamvis is in carne venerit, hoc est homo fuerit, non modo mortalis, sed infinitis malis obnoxius, istum, inquam, Spiritum ex Deo esse*. Innumeri siquidem homines, præcipue ex Judaico populo, quominus Jesum Nazarænum, qui dictus est Christus, pro vero Christo, ut revera est, agnoscerent, eo sunt deterriti, quod ipsius conditio & præsertim mala gravia & plurima, & denique ipsa cruenta mors, quam passus fuit, non viderentur bene convenire & simul esse posse cum eo, qui verus Christus & Rex populi Dei esset; is, inquam, Rex, qui ante per Prophetas à Deo promissus fuerat, qui sine dubio, ut ipsa Prophetarum verba significare videbantur, ejusmodi expectabatur, qui potentia & felicitate sua populum ab omni servitutis jugo liberaret, & eum in multo florentiore statu, quam unquam antea fuisset, poneret ac constitueret. Ex quo dabatur occasio falsis Prophetis istis, de quibus Johannes loquitur, plane asserendi ac confirmandi, Jesum istum Nazarænum non esse Christum.

Differentia igitur inter sensum communiter receptum, & eum, qui ex propria significatione participii ἐληλυθότα resultat, hæc est, quod vulgo receptus sensus agit de *confitendo, quod Jesus Christus in carne venerit*: iste vero alter de *confitendo, quod Jesus Christus, quamvis in carne venerit, tamen nihilominus sit ille verus Christus Dei in Prophetis promissus*. In priore sensu, qui id non confitebantur, quod eo continetur, negabant Jesum Christum in carne venisse. In posteriore vero, qui id similiter negabant, quod is continet, contra affirmabant Jesum Christum venisse in carne, & propter hoc ipsum negabant eum esse verum illum Christum à Deo promissum.

Quod autem sit omnino anteponendus sensus minus receptus ei, qui receptior est, probatur aperte per ea, quæ de istis iisdem falsis Prophetis scribit Apostolus noster capite secundo, ubi illis diserte tribuit, (& nihil revera aliud) quod negarent Jesum esse Christum, ut ad verbum habetur ibi ỳ.22, & magna pars capitis quinti ab hoc scriptore in id insumitur, ut urgeat & probet, Jesum esse Dei filium, id est Christum. Quare non videtur dubitandum, quin hic quoque eadem de re agat, & suo more id repetat, quod jam dixit: sed repetat tamen, ut fere solet, cum aliqua adjectione. Quandoquidem, id quod secundo capite non fecerat, addit hic paucissimis verbis causam, cur isti falsi Prophetæ auderent negare Jesum esse Christum; quam si non refellit, nihil mirum videri debet, cum hoc sibi propositum non haberet hoc in loco, ut falsos istos Prophetas erroris convinceret, quemadmodum omnes, quomodocumque ejus verba alioqui interpretentur, fateri coguntur: sed tantum, ut regulam quandam traderet, qua possent internosci ii, qui falsa de rebus divinis docebant, ab iis, qui docebant vera.

Sed alia præterea ratio est, non parum, judicio meo, valida ad demonstrandum, sensum, quem nos una cum Naogeorgo Johannis verbis subesse credimus, anteponendum esse sensui vulgo recepto; nempe quod secundum sensum nostrum apparet, si quis illum bene percipiat, Johannem verissima dicere: secundum vero vulgo receptum sensum, ostendi potest, minus vera à Johanne dici. Verissimum siquidem est, illum Spiritum esse ex Deo, qui confitetur Jesum Christum, qui malis multis & cruentæ morti subjectus fuit. Debet enim confessio ista, ut ante dictum fuit, ita intelligi, ut complectatur, Jesum Christum esse verum servatorem nostrum, verumque Christum Dei. At contra minus verum est, eum Spiritum ex Deo esse, qui fateatur Jesum Christum in carne venisse. Hoc enim sine dubio multi fatebantur, qui ipsum Jesum nihilominus pro vero Christo non habebant. Immo hoc ipsum, quod fatebantur, ut jam dictum fuit, pro ratione validissima ponebant, ad probandum, quod Jesus non esset verus Christus Dei. Quemadmodum Judæi semper fecerunt, hodieque faciunt.

Sed non est intellectum vulgo, quid istud sit *in carne venire*. Nos vero ejus verum sensum jam exposuimus. Quanquam etiamsi *in carne venire*, & sic *Christum Jesum in carne venisse*, illud ipsum revera significaret, quod vulgo existimatum est: non tamen Apostolum propterea vera dixisse ullo modo constaret, cum dixit, eum spiritum, qui confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo esse. Nam infiniti semper fuerunt, hodieque sunt, qui id confitentur, & tamen non sunt ex Deo; & quidem inter ipsos illos, qui se alios res divinas docere profitentur, de quibus præcipue hoc loco

Apo-

Apostolus loquitur. Nam quis est hodie inter omnes, qui multa falsa de divinis rebus aliis tradunt, & falsa ac perniciosa dogmata mentibus hominum indere curant, & interim Christianam religionem profitentur, qui non fateatur, Jesum Christum veram humanam carnem habuisse? Hoc est enim, quod vulgo creditur significare *in carne venisse*.

Scio equidem, quid hic dicturi sint, & dicant, qui receptiorem Apostoli verborum interpretationem sequuntur, & quomodo huic nostræ ratiocinationi tacite obviam eant, in suis hujus loci explicationibus: sed nihil dicunt, aut dicere possunt, quod non sit coactum, & à verbis ipsius Johannis alienum. Certum siquidem est, secundum receptiorem ipsorum sensum, ipsis non contineri, quod quis fateatur, Jesum esse Christum, vel aliquid tale, unde statui possit, eum spiritum, qui istud confiteatur, quod isti volunt, ipsis Apostoli verbis significari ex Deo omnino esse. Nam quod nomini *Jesu* additur nomen *Christi*, hoc nullo pacto pertinere potest ad ostendendum, quod is spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, confiteatur simul Jesum esse Christum. Ponitur enim in verbis istis vox *Christus* eo sensu, ac si diceretur, *Qui dictus est Christus.* Non autem ut significet Jesum revera esse Christum; aut certe non ut significet, id ab eo, de quo est sermo, agnosci. Id quod apertissimum est ex sequentibus verbis, ubi eadem regula dignoscendi spiritus negative ponitur. His enim verbis illa concepta est, secundum quidem Græca exemplaria omnia, quæ hodie extant, *Omnis spiritus, qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse* (lego enim hic participium ἐληλυθότα, ut nunc opus est, secundum communem interpretationem) *ex Deo non est.* Ex istis enim verbis manifeste apparet, nomen *Christi* eo sensu hic poni, quo nos diximus; aut certe non eo, quem postremo commemoravimus, & rejecimus, alioquin Apostolus diceret, eum spiritum, qui agnoscit Jesum esse Christum, sed interim non confitetur eum in carne venisse, non esse ex Deo. Id quod nullo pacto consistere potest. Nam ipsemet Apostolus in ipso initio capitis quinti hujus Epistolæ diserte ait, *eum, qui credit, quod Jesus est Christus, ex Deo natum esse.* Et paullo inferius eodem capite ita loquitur, ut ex ejus verbis manifeste colligatur, *eum, qui credit Jesum esse Dei filium, vincere mundum.* Sed & in hoc ipso quarto capite ℣ſ.15. asserit, quod, *quicunque confessus fuerit, quod Jesus est filius Dei, Deus in ipso manet, & ipse in Deo.* Et ad finem 20. capitis Euangelii sui testatur, *quod, qui credit Jesum esse Christum filium Dei, habet vitam æternam.* Ex quibus locis evidentissime apparet, non posse hoc consistere, quod spiritus aliquis agnoscat Jesum esse Christum, & tamen non sit ex Deo. Quandoquidem ubi fit mentio *Filii Dei*, etiamsi Christi nominatim non fiat, perinde tamen est, ac si diserte *Christi* nomen ibi esset positum; cum *Christus* & *Filius Dei* idem significent; & nihil aliud sit esse Christum, quam illum singularem Dei filium. Quod dicere voluimus propter testimonia illa duo à nobis citata hoc eodem capite & sequenti, non multo post principium, ubi *Christi* nomen non legitur: sed tantum *Dei filii*, verum cum articulo in Græco contextu, qui evincit, ibi de singulari illo, & omnium præstantissimo, & dilectissimo Dei filio verba fieri, & consequenter, ut dictum est, de Christo.

Credimus satis constare, vulgatam interpretationem verborum Apostoli, & lectionem communiter receptam, in qua habetur, quod *omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*, quamvis alioqui possit ipsis Apostoli verbis convenire: tamen sustineri nullo modo posse, propter id, quod verum sensum non contineat, & satis apertum sit, ut spiritus aliquis possit dici vere ex Deo esse, non satis fore, quod confiteatur Jesum Christum in carne venisse, quocunque tandem sensu phrasis ista, *in carne venire*, qui ei convenire possit, accipiatur; qua de re censemus, antequam ad alia progrediamur, aliquid esse dicendum.

Primum igitur non est silentio prætereundum, quod lectio, quam ii, qui Euangelici vocantur, ex Bezæ interpretatione sequuntur, non *in carne* habet, sed *in carnem*, tam hic, quam in secunda hujus scriptoris Epistola ℣ſ.7, ubi de eadem re agitur. Atqui lectio ista plane improbanda est, ut pote quæ & sensum falsissimum inducit, (cum fieri nulla ratione possit, ut Jesus Christus, qui, ut utraque hæc appellatio docet, sine humana natura, vel extra ipsam ne considerari quidem potest, in carnem venerit) & proprietatem Græci sermonis, & usum particulæ Græcæ ἐν omnino tollit ac pervertit. Manifeste enim lectio ista ἐν ita accipit, ac si εἰς scriptum esset, & non ἐν σαρκὶ, ut legitur, sed εἰς σάρκα in Græco exemplari legeretur. Quamvis enim, ut alibi quoque à nobis indicatum est, in Novo Testamento valde frequenter propositio εἰς idem polleat, quod propositio ἐν: rarissime tamen & fere nunquam fit, ut vice versa ἐν pro εἰς usurpetur. Neque hactenus audivi citari alium locum, qui magis videatur favere sententiæ isti, quod ἐν pro εἰς in ipso Novo Testamento usurpetur, quam ille Johannis cap.5.4, ubi vetus interpres, & cum eo alii omnes verba ista, ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, verterunt *in piscinam*, id est ita, ac si Johannes scripsisset, εἰς τὴν κολυμβήθραν. Verum animadvertendum primo loco est, quod admodum sit verisimile, in loco isto esse trajectionem quandam, id est, copulam *Et* quæ statim sequitur post *piscinæ* vocem, non fuisse suo loco, secundum exquisitam Grammaticam, positam; nempe quæ secundum istam rationem poni debuisset ante vocem istam, ita ut locus ad hunc modum legeretur: *Angelus enim secundum tempus descendebat, & in piscina turbabat aquam*: non autem, ut secundum situm ipsorum verborum Græcorum legitur, *Descendebat in piscinam, & turbabat aquam.* Ad quod statuendum ob hanc causam moveor, quia sine dubio lectio à me loco vulgatæ substituta est convenientior, & magis cum veritate consentiens. Neque enim, proprie loquendo, verisimile est Angelum in ipsam piscinam descendisse; cum hac re nihil opus esset ad piscinæ aquam turbandam: sed satis erat ipsum descendere, nempe de cœlo, & aliqua ratione, absque eo quod ipsam piscinam ingrederetur, illius aquam turbare.

Deinde vero considerandum est, tunc fortasse fieri, ut præpositio ἐν pro εἰς usurpetur, quando non est periculum ut in sua propria significatione accipiatur, & locus omnino fert, ut non aliter quam cum significatione præpositionis εἰς posita esse possit. Quemadmodum in loco isto evenit, si verborum ordo plane servetur. Neque enim in ejusmodi verbis locus ullus esse potest veræ ac propriæ significationi præpositionis ἐν: sed necesse est, ut pro εἰς particula ista posita fuerit. Quod sane non contingit in loco, quem præ manibus habemus; cum optime queat præpositio ἐν in sua propria & naturali significatione, præsertim ratione habita usus scriptorum Novi Testamenti, omnino accipi. Nam quod fortasse propter verbum *veniendi* creditum fuit, necesse esse ut hic agatur de motu, ut ajunt, ad locum, non minus quam agatur, propter verbum *descendendi*, in prædicto loco Johannis 5, hoc plane frivolum est, cum verbum *veniendi* sæpissime simili ratione constructum cum præpositione ἐν inveniatur, sine isto motu ad locum, quem isti hic intelligunt. Intelligunt enim, necesse esse, ut caro sit id, quod rationem loci habeat, in quem ventum fuerit. Qui si vel id attendissent, quod scriptum est infra cap.5, 6, ubi dicitur *Jesus Christus venisse, non in aqua tantum, sed in aqua & sanguine* non ita statuissent, ut statuerunt; cum certissimum sit Christum Jesum non venisse tanquam in locum, in aquam, & in sanguinem istum, de quo ibi verba fiunt; & necesse sit, ut ibi, *venire in aqua & in sanguine*, idem sit, quod *venire cum aqua, & cum sanguine*, conservata usitatissima significatione apud Sacros Scriptores præpositionis ἐν, videlicet ut idem

idem polleat, quod præpositio Latina *cum*. Est enim ibi non minus quam hic ista Græca præpositio. Ad finem similiter 15. capitis Epistolæ ad Rom. & ad finem quarti capitis prioris ad Corinthios, & in initio secundi capitis posterioris ad eosdem Corinthios, habetur loquutio ista, id est, constructio verbi *veniendi*, cum præpositione ἐν post se; ubi præpositio ista plane idem valet, quod *cum*, & nullo prorsus modo indicat, rem, cui præponitur, habere rationem loci, ad quem veniatur. Non est igitur dubitandum, quin vera lectio Latina hujus loci nostri debeat esse *in carne*, non autem *in carnem*; nec posse Bezam ullo pacto excusari, qui vulgatam ac receptissimam loci lectionem in sua translatione ad istum modum immutare ausus fuerit. Itaque concludendum est, si participium ἐληλυθότα per infinitivum *venisse* reddi hoc loco posset, dicendum omnino fore *venisse in carne*.

Videamus igitur qui sensus esse possit horum verborum, quod quis fateatur Jesum Christum in carne venisse, & an talis esse queat, unde merito concludatur, illum spiritum, qui hoc confitetur, plane esse ex Deo. Supra jam exposuimus, quid credamus significari loquutione ista *venire in carne*, quæ significatio si admittatur, non video, quomodo is, qui confiteatur Jesum Christum in carne venisse, omnino sit ex Deo. Nihil enim impedit, quominus quis confiteatur, Jesum Christum, id est, ut dictum fuit, Jesum, qui dicitur Christus, non modo mortalem hominem fuisse, sed etiam innumeris malis, & denique ipsi cruentæ morti obnoxium: nec tamen sit ex Deo. Immo hæc ipsa de Christo confiteri, vel potius contendere, ut antea docuimus, eorum quodammodo proprium perpetuo fuit, qui negant, ipsum Jesum esse Christum; & consequenter nulla prorsus ratione eorum Spiritus ex Deo est, sive ipsi ex Deo sunt. Vix autem ulla interpretatio istius loquutionis invenietur, quæ non aliquo modo cum ista nostra consentiat. Nam qui dicunt, Apostolum istius adventus Christi in carne nomine voluisse significare, adversus eos, qui ajebant, corpus Christi non fuisse verum corpus & carneum, ut aliorum hominum est, sed phantasticum, vel alterius substantiæ quam caro sit, quamvis caro esse videretur, Jesum Christum verum corpus humanum, veramque carnem habuisse, isti, inquam, eam significationem amplectuntur, quæ à nostra non discordat, quatenus in nostra quoque ponitur, quod Christus homo mortalis fuerit. Quicquid sit, idem plane de significatione ista dicendum apparet, quod de nostra, quatenus ad hoc attinet, quod is, qui confiteatur Jesum Christum in carne venisse, non propterea ex Deo esse dici merito possit. Possemus idem ostendere plane evenire, etiamsi quis legat *in carnem*. Verum quia jam istam lectionem rejecimus, & falsam esse docuimus, non est quod illius ullam rationem nunc habeamus: sed tantum, cum nulla alia loquutionis *veniendi in carne* sese nobis offerat, præsertim quæ possit sensum Apostoli verum esse ostendere, si dixisset, eum spiritum, qui confitetur Jesum Christum venisse in carne, esse ex Deo, occurrendum nobis est cuidam exceptioni, quæ ratiocinationi nostræ objici posset.

Dicet enim fortasse quispiam, verba Apostoli, posito, quod dicat, eum Spiritum ex Deo esse, qui confiteatur Jesum Christum in carne venisse, non ita esse accipienda, ac si simpliciter & absolute velit dicere, ejusmodi Spiritum ex Deo esse: sed tantum secundum quid, id est quatenus istud confitetur; ut breviter aliud nihil Apostolus facere voluerit, quam docere, verissimum esse, seu divinam hanc esse veritatem, quod Jesus Christus in carne venerit.

Ista exceptio, quamvis fortasse speciosa alicui videri possit, nullo pacto est admittenda; cum apertissime constet, ut dictum à nobis fuit, Johannem tradere hic regulam, (nempe generalem) per quam dignosci possint spiritus, an sint nec ne ex Deo. Adeo ut, quicquid extra hoc dicit seu continet regula ista, non possit esse illud ipsum, quod per ipsam regulam doceri debemus: sed tantum indicium & argumentum ejus. Apertissime, inquam, in illis verbis, *In hoc cognoscitur Spiritus Dei*, continetur universe, esse Dei Spiritum, aut non esse; ita ut id, quod postea subjungitur, & illud ipsum est, quod significatur per pronomen demonstrativum *hoc*, quod præcessit, necessario id esse debeat, unde universe dignosci possit, an Spiritus aliquis nec ne ex Deo sit.

Ponit igitur divinus scriptor noster, tanquam signum infallibile, ut possint dignosci Spiritus, an sint ex Deo nec ne, Confiteri Jesum Christum, qui in carne venit; adeo ut, quemadmodum is Spiritus, qui hoc habet, ex Deo omnino esse censendus est: sic contra is, qui hoc non habet, sit plane censendus non esse ex Deo. Quomodo vero signum istud explicari atque intelligi debeat, supra exposuimus, & iterum, si opus fuerit, idem repetemus. Nam posset aliquis dubitare de infallibilitate, ut sic loquar, signi hujus, & credere, posse fieri, ut quis, doctrinam de divinis rebus quasi divinitus inspiratam proponens, signum istud habeat, & tamen sit falsus doctor, & ejus Spiritus non ex Deo. Quandoquidem videmus, doctores pontificios, qui sine dubio cultus falsos in religione & alia docent, ex quibus efficitur, ut ii, qui ipsis credunt, non sint ex vera Dei Ecclesia, & consequenter arguant, istos esse falsos doctores, nihilominus tamen confiteri Jesum Christum, qui in carne venit.

Prius quam ad hoc, propius ad rem accedendo, respondeamus, oportet generali quadam ratione ita respondere, ut certi esse possimus, ratiocinationem istam non esse validam. Hoc fiet, si hic dicamus id, quod supra jam diximus, nempe, certum esse ex testimoniis hujus ejusdem divini scriptoris, quod is, qui credit Jesum esse Christum, ex Deo natus est, & vitæ æternæ est particeps. Jam nulla ratione fieri potest, ut id, quod, si credatur, satis omnino est ad hoc, ut quis sit ex Deo, & salutis æternæ particeps, idem, si doceatur, non sit satis ad doctrinam illius, qui sic docet, salutarem reddendam, & ad efficiendum, ut ea vere ex Deo esse dici queat. Hinc apparet manifeste, rationem istam ab exemplo pontificiorum ductam non esse bene conclusam, cujusce rei causa est, quod in ea formanda non bene intelligitur, quid sit confiteri Jesum Christum, qui in carne venit; & æquivocationis fallacia committitur. Est enim memoria repetendum, apud Johannem hoc in loco agi de hoc, ut quis confiteatur Jesum Christum, id est, illum pro suo servatore, & divino domino habeat; quod licet pontificii doctores videantur facere, tamen revera non faciunt. Cum enim docent ea, quæ pugnant cum præceptis ipsius Dei per Christum datis, & cum majestate ac divino imperio ipsius Christi, tunc concessionem suam, quod Jesus sit Christus, & Servator noster, ac divinus Dominus, irritam faciunt, & quodammodo revocant atque abjurant.

Sunt qui, respondendo, ut nos facimus, ad exemplum istud magistrorum pontificiorum, magnam vim in eo inesse censeant, quod illi non fateantur illum Jesum Christum, qui in carne venit; & nosmetipsi alicubi hoc attigimus, nempe, quia eum, qui in carne venit, Jesum Christum, qui nullus alius est nec præter neque ante ipsum, quam homo ille Jesus Nazarænus, qui tunc demum extitit, cum ex virgine natus est, non confitentur esse verum Dei filium, & sic pro vero Christo non habent; nisi quatenus cum eo juncta est, ut illi arbitrantur, divina quædam natura, eademque æterna, qua potissimum, immo perfecte atque omnino contineri volunt Dei filium unigenitum.

Verum, judicio meo, multo major est vis in eo, quod ante à nobis dictum fuit; præsertim si consideretur, quod apud Apostolum in signo isto infallibili, de quo agimus, explicando, fit quidem mentio, quod Jesus Christus in carne venerit: sed non ob aliam causam, nisi ut id attingatur, & tacite refellatur, quod moveat multos

multos ad dubitandum, ne Jesus Nazarænus non esset verus Christus, & salvator noster; adeo ut ipsi falsi Prophetæ, qui id docebant, potissimum fundamentum doctrinæ suæ, quod scilicet Jesus non esset Christus, in hoc ponerent, quod Jesus iste in carne venisset, id est, ut supra exposuimus, multis malis, & ipsi crucis morti subjectus fuisset. Cum igitur Johannes non ob id faciat mentionem in isto signo suo, quod Jesus Christus in carne venerit, quia hoc ipsum credere sit necesse, quidquid exceptionis inde trahi potest, ad declinandum, quominus magistri pontificii pro divinis magistris haberi queant, ob id videlicet, quod ipsi istud revera non confiteantur, non admodum firmum, sententia quidem mea, censendum est. Quare ad explicationem recte formandam satis id esse debet, quod nos ante attulimus de falsis cultibus, & aliis rebus, divinæ voluntati per Christum patefactæ adversantibus, quæ in istorum magistrorum doctrina continentur.

Esset hic occasio disserendi de loco illo celebri apud Paulum 1 Cor.3, de ædificantibus super verum fundamentum, quod est Christus Jesus. Videtur enim ex metaphorico sermone, quem ibi Paulus habet, posse concludi, quod quis Jesum Christum confiteatur, & pro vero Christo & servatore nostro in doctrina sua illum habeat, atque aliis proponat: & tamen in ipsa doctrina tradenda ita erret, ut non possit ejus spiritus dici esse Spiritus Dei; & sic videtur dubitandum, ne signum à Johanne hic datum non sit infallibile. Sed quia diligens examinatio loci istius, qua opus esset ad exactam explicationem difficultatis prædictæ, & ad omnem inde provenientem dubitationem penitus tollendam, nimis longam disputationem requireret, propter loci summam obscuritatem, propterea contenti erimus quædam pauca dicere, quæ satis esse possint ad quemlibet veritatis amantem à dubitatione ista liberandum.

Primum igitur considerandum est, ex verbis Pauli in loco isto non omnino colligi, quod ii, qui falsa docent, qui intelliguntur per eos, qui ligna, fœnum, stipulam superædificant, teneant ipsi fundamentum istud confitendi Jesum Christum. Hæc enim sunt Pauli verba: *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Unusquisque autem videat, quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus.* Certe primum in his verbis non modo apparet, superædificantes istos, de quibus mox Pauli verba recitabimus, ipsum fundamentum, quod est Jesus Christus, quodque ipse Paulus jam posuerat, retinere: Verum etiam satis constat, posse saltem fieri, ut aliquid rejiciant. Immo videtur universum dubium, cujus Apostolus mentionem facit, non bene superædificandi, inde pendere, quod fundamentum istud revera non retineatur, sed aliud pro ipso substituatur. Hoc enim plane indicant verba ista: *Videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, &c.* Sed videamus deinde, quid Apostolus addat. Sic autem inquit: *Qui superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum fiet.* Ex his verbis potest quidem videri id colligi, quod scilicet isti ipsi superædificantes ligna, fœnum, stipulam, id est, falsa & futilia docentes, retineant fundamentum, hoc est Jesum Christum, & propterea ipsum in doctrina sua confiteantur. Diserte enim fit mentio *ædificandi super hoc fundamentum*, & consequenter lignorum, fœni, stipulæ super fundamentum hoc ædificatorum.

Verum animadvertendum est, verba ista, *superædificat super fundamentum hoc*, posse aliter accipi, atque modo dictum est; ita videlicet, ut nihil aliud significent, quam quod, ubi Apostolus Jesum Christum prædicaverat, & fundamentum istud posuerat, ibi alii falsas & inanes atque futiles doctrinas docerent. Ita ut illud, *super fundamentum hoc*, aliud nihil significet, quam *ibi, ubi hoc fundamentum fuit jam positum*: non autem declaret, quod fundamentum istud revera ab istis superædificantibus retineatur; quippe qui, ut præcedentia Apostoli verba à nobis leviter examinata docent, possent quidem esse tales, qui fundamentum istud retineant: sed possent etiam tales esse, qui aliud fundamentum ponant, unde fiat, ut, quicquid superstructum ab ipsis fuerit, censeri debeat, si examinetur ad divinum illum ignem, qui aliquando palam exiturus est, ut inferiora Pauli verba docent, tanquam ligna, fœnum, & stipula, ad ignem communem examinata: quemadmodum contra, quicquid illi superædificaverint, qui fundamentum istud, quod à Paulo positum fuit, revera retinent, futurum sit tanquam aurum, argentum, & lapides pretiosi, ad eundem modum examinati.

Breviter, tota vis in eo est, quod superædificare super fundamentum illud, à Paulo positum, est æquivocum, ut scilicet possit intelligi, quod quis, postquam Paulus illud fundamentum jecit, ædificet, & hoc tantum per verba ista significari; & possit etiam ita intelligi, ut præterea super istud ipsum à Paulo jactum fundamentum, tanquam id, in quo ædificatio fundetur, superædificatio ista fiat. Sed eo præterea concesso, quod isti ipsi, qui ligna, fœnum, & stipulam dicuntur superædificare, retineant fundamentum à Paulo positum: hoc tamen ipsum rursus æquivocum est; cum possit dici retentum fundamentum istud, si ii, qui superædificant, fateantur, ut pontificii faciunt, Jesum esse Christum, seu Jesum Christum confiteantur: cum tamen interea id non ita faciant, ut fieri debet, & ut faciunt ii, qui secundum alteram & magis propriam significationem istud fundamentum retinent, confitentes ac profitentes in doctrina sua ipsum Jesum Christum, id est ejus præcepta omnia iis, quos docent, proponentes, & circa ea, quæ ad ipsam Christi Jesu dignitatem & majestatem pertinent, nihil errantes, nihilve prorsus ex iis detrahentes, quatenus saltem necessarium est ut quisque credat ac teneat, si ipsi Jesu Christo velit debitum & necessarium ad salutem nostram cultum præstare, & de ipsius in nos divino imperio nihil dubitare, de quo nimirum unusquisque, qui salvus esse velit, persuasus omnino esse debet.

Vers. 3. Explicata regula ab Apostolo affirmative posita, quam tradit ad dignoscendos Spiritus, an ex Deo sint, eaque ab iis, quæ illi objici posse videbantur, ut arbitramur, defensa: explicanda nobis est eadem regula, ab eodem statim negative subjuncta; quæ quidem in codicibus Græcis nihil differt ab ea, quæ affirmative posita est, nisi ipsis negationibus, quæ illi adduntur. Sic enim verba Græca sonant: *Et omnis spiritus, qui non confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo non est.* Habetur siquidem hic in textu Græco idem participium ἐληλυθότα, quod in superiore affirmativa regula vulgo redditum fuit à recentioribus interpretibus voce infinitivi *venisse*; qua in re utrobique habent sibi consentientem Syriacum interpretem, quod ad ipsum sensum attinet. Is enim reddidit participium istud hisce duabus vocibus, *quod venit*, idem plane valentibus, ac vox ista infinitivi. Jam vero apud veterem Latinum interpretem hæc regula negative posita non paullo aliter legitur, ad hunc videlicet modum: *Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Quæ lectio ut a Syriaco interprete non agnoscitur: sic nullum hodie invenitur habere sibi consentiens Græcum exemplar; nec fortasse apud antiquos scriptores Græcos ejus indicium reperitur ullum, nisi apud Socratem Ecclesiasticæ Historiæ scriptorem lib. 7. cap. 32, ubi adversus Nestorium quodammodo disputans affirmat, in veteribus codicibus, nempe Græcis, lectionem istam extare: sed eam ab iis, qui ex uno Christo, quemadmodum Nestorius faciebat, duos facere volebant, statuentes videlicet, alium esse filium Mariæ, & alium filium Dei, expunctam fuisse, & pro ea scilicet aliam repositam, cujus rei testes nominat antiquiores scriptores. Veruntamen hoc Socratis testimonio non obstan-

obstan-

obstante, parum omnino verisimile videtur, veram lectionem esse eam, quam Latinus codex habet. Primum quia, si ita legeretur, Apostolus nimis obscure loquutus fuisset, nihilque inveniretur, sive ante, sive post verba ista in tota Epistola, quod lucem tantæ obscuritati afferre posset. Quod si pro nomine *Jesu* legeretur nomen *Christi* aut *Filii Dei*, aut saltem *Jesu Christi*, aliquanto minor esset obscuritas.

Deinde, si quis animadvertat ad modum opponendi, id est opposita enunciandi, quem ubique Apostolus tenet, nunquam credet aliter ipsum scripsisse, quam ut Græci codices hodie habent. Solet enim, ut quisque per se animadvertere potest, Johannes ista opposita iisdem fere verbis enunciare, exceptis tantum negationibus, quæ oppositum affirmans à negante distinguant, & oppositionem istam faciant. Quamobrem à Græca olim vulgata lectione, & hodie sola, nihil omnino recedendum arbitror; & potius credendum, in quibusdam Græcis exemplaribus antiquitus ita lectum fuisse, ut Latina vetus editio habet, (si modo hic fraus nulla intervenit) quia fuerint, qui testimonio aliquo tanquam divino istos voluerint refutare, qui idem quod Nestorius de Jesu Christo sentiebant.

Jam quod attinet ad ipsam regulam negative positam, nimirum ut habetur in Græco contextu, animadvertendum est, non sine causa illam ab Apostolo positam fuisse: quamvis fortasse cuipiam satis futurum fuisse videri possit, si regulam affirmative tantum posuisset, quippe ex qua videatur id consequi, quod continet eadem regula posita negative. E quorum numero facile possunt esse ii, qui in enunciationibus, quæ reciproce convertuntur, tantum momenti ponunt, ut arbitrentur, posse illarum vi argumenta construi adversus receptas regulas receptamque argumentorum formam. De quibus aliquid supra diximus, & hic repetimus, eos vehementer falli, & Apostolum optime fecisse, qui eandem regulam negative expressis verbis posuerit. Quanquam enim verissimum est, & facile potest unicuique religionis Christianæ non ignaro constare, quod, quemadmodum spiritus, qui confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est: sic Spiritus, qui hoc non confitetur, ex Deo non est: non tamen hoc ex illo necessario sequitur; & posset, quod attinet ad vim, quæ continetur ipsa enunciationum forma, hoc esse falsum, quantumvis illud esset verum. Immo qui ad istum modum concludunt, & ex priore posterius colligunt, manifeste consequentis fallaciam committunt.

Si quis dixerit, exempli causa, eum, qui, postquam Jesu Christi cognitionem habuit, in ejus præceptis servandis perpetuo ad mortem usque constans fuerit, omnino salvum fore, is sine dubio verissimum dixerit: & tamen nullo pacto poterit hinc concludi, eum, qui perpetuam istam constantiam minime habuerit, non fore salvum. Certe ejusmodi hominem nihilominus salvum esse posse, & communiter Theologi statuunt, & verum esse aliqua ex parte intelligi potest ex iis, quæ supra disputavimus de hominibus in Christo renatis, an possint nec ne peccatum ullum committere, & postquam lapsi fuerint per pœnitentiam renovari. Rectissime igitur factum est, ut Johannes regulam, quam prius affirmative posuerat, negative quoque postea posuerit, ne ullum dubium circa hanc rem existere posset, & regula ab ipso tradita in utramque partem firmissima esse, ejus aperto testimonio, qui eam tradidit, constaret. Cumque nihil nobis sese offerat, quod huic regulæ, quatenus negative ponitur, sic possit objici, ut nonnihil objici posse eidem videtur, quatenus affirmative ponitur, non est, cur hic amplius immoremur.

Unum tantum monere vos volui, apud Syriacum interpretem non legi secundo loco, sive in regula negative posita, nomen *Christi*, sed tantum *Jesu*, ad hunc modum: *Et omnis spiritus, qui non confitetur, quod Jesus venit in carne, non est ex Deo.* Putavit enim, ut ego suspicor, interpres iste, non posse hoc consistere, ut hic nomen *Christi* habeatur; cum ex eo, quod Jesus sit Christus, necessario consequatur, illi nihil deesse; & propterea quod is, qui hoc vel aperte vel tacite agnoscit, non possit ullo pacto dici non esse ex Deo: Spiritum autem istum de quo regula dicit, eum non esse ex Deo, Jesum ut Christum agnovisse, ipsius regulæ verba ostenderent, si nomen *Christi* in ea legeretur. Sed falsus sine dubio est interpres iste judicio & ratiocinatione hac, ut opinor, sua, ut ex iis intelligi potest, quæ ante de hac ipsa *Christi* appellatione in hac regula posita disputavimus, refellentes ratiocinationem inde ductam huic similem, quam isti interpreti in mentem venisse suspicamur. Diximus enim, idque verissimum censendum est, *Christi* nomen idem hic pollere, nec quicquam amplius, ac si dictum fuisset, qui dicitur, seu, qui dictus est Christus.

Postquam Johannes negavit, spiritum, qui non confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, esse ex Deo, statim subjungit: *Et hic est Antichristus*, ut quidem Latina exemplaria habent. Sed male omnino, Nam ex Græco & Syriaco textu legendum est: *Et hic est Antichristi*, hoc est, hic Spiritus tantum abest ut sit ex Deo, ut sit Antichristi Spiritus, quo nihil magis, ut ipsi Christo, sic Deo adversari potest. Indicavimus antea, Johannem, cum monet hoc in loco, ut Pseudo-Prophetæ caveantur, idem reipsa dicere ac monere, quod supra capite 2. hac de re monuit. Et sic videbimus, quod quemadmodum ista duo hujus Epistolæ loca in eo consentiunt, quod isti falsi Prophetæ negarent Jesum esse Christum: sic in quibusdam aliis, huic rei ab Apostolo additis, consentiunt. Nam capite 2. similiter ut hic Antichristi mentio fit, & dicitur, eum, qui negat Jesum esse Christum, esse Antichristum. Unde fortassis vetus interpres transtulit quodammodo in hunc locum verba ista, *Hic est Antichristus*, sic enim ibi legitur. Et quemadmodum superius dictum fuerat, quod ii, ad quos Johannes scripsit, audissent, quod Antichristus venturus esset: sic & hoc in loco pergens Apostolus ait: *de quo audistis quoniam venit.* Nec ulla est differentia inter utrumque locum circa hoc, nisi quod ibi de ipso Antichristo, hic vero de ipsius spiritu verba fiunt. Nam illud, *de quo*, quod hic habetur, non ad *Antichristum*, sed ad *Spiritum* referri debet. In Græco enim relativum istud est neutri generis, quemadmodum & nomen *Spiritus*; cum *Antichristi* nomen sit generis masculini.

Verum quidem est, quod quidam, ut Beza testatur, arbitrantur veram lectionem Græcam esse, non ὃ ἀκηκόατε, sed ὅτι ἀκηκόατε, quasi absurdum sit dicere de Antichristi Spiritu, quod sit venturus, quod si de Antichristo dicatur, nemo non videat convenientissime dictum esse. Sed sine dubio, ut Beza quoque sentit, falluntur isti; nec ulla est causa, quominus de Antichristi Spiritu dici convenienter possit, quod sit venturus. Quod autem videtur adversus istos plane evincere, vulgatam lectionem Græcam germanam esse, hicque agi non de ipso Antichristo, qui venturus sit, sed de ipsius spiritu, quod, inquam, attinet ad ipsa verba, quamvis sententia eadem sit, illud est, quod illico hic subjungitur, *Et nunc in mundo est jam.* Neque enim verum est, jam tum fuisse in mundo Antichristum, illum, inquam, singularem, & omnium maximum Antichristum, qui videlicet hic nominatur, ut apparet ex articulo ipsi Antichristi nomini præposito: sed de ipsius spiritu verum erat, jam illum in mundo esse, cum hæc Johannes scripsit. Nam idem quoque prædicto loco secundi capitis dicit, jam multos Antichristus extitisse. Quod plane indicat, ipsum Antichristi Spiritum, quamvis non plene ac perfecte, quemadmodum futurum erat, cum ipse ille magnus Antichristus advenisset, jam tamen aliquo modo in mundo fuisse.

Dicit quidem, ut paullo ante indicavimus, ibidem Johannes, *Hic est Antichristus*, de eo verba faciens, qui negat Jesum esse Christum: sed non propterea dicere

vult,

vult, quamvis jam multi extitissent, qui negarent Jesum esse Christum, ipsum illum magnum Antichristum jam extitisse: sed figurata loquendi ratione, quia videlicet isti in eo cum magno illo Antichristo conveniebant, quod negarent Jesum esse Christum; propterea dicit, illum esse Antichristum magnum, qui istud neget; & consequenter, jam tum Antichristum illum magnum extitisse; si modo ista consequentia admittenda est. Verum in loco nostro, non per consequentiam quandam, eamque ex figurato sermone proficiscentem: sed diserte diceret, singularem illum Antichristum jam esse in mundo, si ipsius verba non ad Antichristi spiritum sed ad ipsum Antichristum referenda essent. Ut autem melius intelligatur, quo sensu Johannes dixerit in secundo capite verba illa, *Hic est Antichristus*, & perspiciatur, non propterea dictum ab eo fuisse, singularem illum Antichristum jam existere, consulantur ea, quæ in loco isto explicando superius à nobis dicta sunt.

Asserit igitur Johannes, eum spiritum, qui negat Jesum Christum, qui in carne venit, esse Antichristi spiritum, istumque spiritum tum fuisse in mundo, cum ipse ista scriberet. Quod ut recte intelligatur, necesse est recte percipere, quid sit *Jesum Christum venisse in carne*. Quamvis enim de hoc ipso præcipue hic non agatur, sed de confitendo nec ne ipso Jesu Christo, id est, pro suo servatore, divinoque domino nec ne habendo: tamen quia, ut dictum fuit, isto adventu Jesu Christi in carne continetur causa, cur dubitarent homines de confessione ista, & propterea ejus hic ab Apostolo fit diserta mentio, non est ulterius progrediendum, nisi prius aliquid à nobis dictum fuerit ad confirmandam sententiam nostram antea expositam circa id, quid iste adventus Christi in carne significet. Accipitur enim ab aliis plerisque, tam, inquam, ab iis, qui legunt *In carnem*, quam ab illis, qui legunt *in carne*; *carnis* nomen ita, ut simpliciter significet verum corpus humanum. Nos autem, ut ex nostra supra exposita sententia intelligi potest, nomen *carnis* eo sensu potissimum accipimus, ut significet afflictiones, & ipsam cruentam mortem. Quod videtur nobis confirmari posse duobus testimoniis ex una & eadem Epistola ad Hebræos desumptis. Prius est cap. 2. 14. in verbis illis: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse consimiliter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat imperium mortis, &c.* Quamvis enim nomina *carnis* & *sanguinis* alibi soleant significare ipsam naturam humanam, ipsamque humanæ naturæ corruptibilitatem, & imbecillitatem, ut in Epist. ad Galatas cap. 1. 16. ubi *carnis* & *sanguinis* fit mentio cum manifesta significatione naturæ humanæ atque mortalis; ita ut verba illa, *continuo non acquievi*, seu potius *non contuli carni & sanguini*, id est, cum carne & sanguine, idem valeant, ac si dictum fuisset, *Non contuli cum hominibus mortalibus*. Et in Epistola priore Corinth. 15. 50. ubi similiter verba illa, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, ita sine dubio interpretanda sunt, ac si Apostolus dixisset, *Corpora ista nostra humana, hancque corruptibilem nostram naturam, non posse regnum Dei possidere*: tamen in prædicto loco Epistolæ ad Hebræos, ex iis, quæ antecedunt, & quæ sequuntur, apparet, quod, etsi istis nominibus *carnis* & *sanguinis* possit significari ipsa humana natura corruptibilis & mortalis: tamen potissimum per illa significantur afflictiones & mors ipsa, cui Dei fideles & ipsius Christi, qui sunt *pueri* illi, de quibus ibi fit mentio, sunt obnoxii. Satis enim constat, Apostolum ibi verba facere de Christi perpessionibus & morte, quam decuit illum subire, ut eos, qui servandi à Deo illi erant traditi, vere servare posset; & illos patiendo ac moriendo ad eandem subeundam animare, atque alacres reddere.

Alter locus est adhuc, judicio meo, evidentior, & eo magis ad propositum nostrum faciens, quod ibi simplex nomen *carnis* habetur, ut in loquutione, de qua agimus, scilicet *venire in carne*. Est, inquam, locus iste cap. 5. ejusdem Epistolæ ỳ. 7. in verbis illis: *Qui in diebus carnis suæ preces & supplicationes ad eum, qui possit salvum facere illum à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, &c.* Ubi nemo non videt, si vox *carnis* accipiatur simpliciter pro natura humana & mortali, plurimum efficaciæ & elegantiæ detrahi sensui istorum verborum, neque per ea id ob oculos poni, quod scriptor ille divinus sine dubio ponere voluit, atque ostendere, quod Christus in afflictionibus illis maximis, quæ mortem ipsius cruentam antecesserunt, & in ipsa jam morte constitutus, ad Deum supplex se convertit, orans, ut se à tantis cruciatibus, & à tanta morte liberaret; & sic docere, quod quemadmodum Pontifex Aaronicus propter infirmitatem, qua circumdatus erat, ut videlicet à malis, quæ ab ea proficiscebantur, liberaretur, Deo offerebat: sic similiter Christus obtulit ad Deum preces, ut liberaretur à tantis malis, quibus ante mortem vexabatur, & denique ab ipsa morte. Id quod fecisse Christum apparet, primum in horto, dum oravit, ut, si fieri posset, transiret à se calix ille. Deinde in ipsa cruce, cum clamavit, Deum suum compellans, cur se dereliquisset; in illiusque manum suum spiritum commendavit. Nam si dicas, & sic dicentem scriptorem illum facias, Christum ista fecisse, cum adhuc homo mortalis esset, totum pondus ferme atque efficacia ipsius scriptoris verborum perit; quæ tota conservatur, si facias illum dicentem, Christum hoc fecisse eo tempore, quo tanto auxilio potissimum indigebat, & ita interpreteris verba illa, *In diebus carnis suæ*, ac si dictum esset, *tunc, cum afflictionibus illis magnis premeretur, & cruentam ipsam mortem jam præsentem haberet.* Nec quemquam moveat, quod fiat isthic mentio *dierum*, quasi hoc non possit accommodari ad prædictas afflictiones & mortem, quippe quæ aliquot dierum spacium minime occupaverit. Namque si recte considerentur afflictiones, quibus Christus pressus fuit, dum à Judæis quæreretur ad necem, videbit quisque illas satis multorum dierum spacium occupare. Adde quod *in diebus* potest, ni fallimur, figurate accipi pro eodem, quod est *in tempore*. Jam igitur ex istis locis duobus, quæ attulimus, & breviter expendimus atque explicuimus, satis, ni fallimur, confirmatur sententia nostra, ut *Christum venisse in carne* idem sit, ac, dum suum munus in terra obivit, afflictionibus circumdatum fuisse, & tandem ipsam cruentam mortem subiisse.

Vers. 4. Postquam Johannes tradidit regulam suam, qua dignoscantur spiritus, ex Deo nec ne sint; & affirmavit, Antichristi spiritum jam tum in mundo fuisse: quia videlicet jam erant, qui negabant Jesum esse Christum, idque ob eam causam, quod istis malis, de quibus diximus, in munere suo obeundo, & dum in terris esset, subjectus fuisset; & sic consequenter monuit eos, ad quos scribit, ut sibi ab istis caveant, neve illis ullam fidem habeant; ne videatur ulla ratione diffidere fidei ac constantiæ horum ipsorum ad quos scribit, hæc verba subjungit: *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eum quoniam major est, qui in vobis, quam qui in mundo.* Hic apparet, quod antea diximus, de consensu istius loci cum loco capitis secundi, ut in monendo, ne sibi imponi permittant à talibus falsis Prophetis, sic etiam in aliis quibusdam rebus, huic monitioni adjunctis, seu ipsius monitionis occasione dictis. His enim verbis, quæ modo recitavimus, eadem sententia omnino continetur, quæ in illis secundi capitis: *Et vos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia;* una cum aliis, vel mox ibi adjunctis, vel postmodum in eandem sententiam repetitis. Quamvis alioqui verba ista secundi capitis cum his hujus capitis quarti non videantur magnam conformitatem habere. Nam quod ibi dixit, eos *habere unctionem à sancto*, hic dixit, *eos esse ex Deo*; quod rursus ibi est, *nostis omnia*, hic est *vicistis eum*, ut quidem habet vulgata editio Latina. Nam Græca exemplaria, & Syriaca interpretatio non *eum* habet, sed *eos*. Interim veteris interpretis lectio non videtur esse spernenda; verisimileque est, eum habuisse, Græcum

codicem, ubi non *αὐτὸς* legeretur, sed *αὐτόν*. Nam certe non habet, si rationem Grammaticæ spectes, pronomen istud, si plurali numero efferatur, quo referri possit: cum habeat omnino, si efferatur singulari numero, nempe secundum ipsum veterem interpretem, nomen *Antichristi*, ad quem nimirum idem interpres refert id totum, quod proxime legitur ante verba à nobis recitata.

Quod si, ut nos quidem docuimus, non ad ipsum *Antichristi* nomen, sed ad spiritum ejus ista pertinent, habebit nihilominus pronomen istud relativum, singulari numero prolatum, quo referatur: tantum non erit tum legendum in Græco contextu *αὐτόν*, ut ante diximus, sed *αὐτὸ*, neutro scilicet genere, ut ad nomen *spiritus*, quod neutri generis in Græco est, accommodari possit. Veruntamen non credimus recedendum esse à Græca & Syriaca lectione, & statui debere censemus pronomen istud referri ad falsos Prophetas, qui non modo in initio hujus monitionis fuerunt à Johanne expresse nominati, sed etiam tacite nominati fuerunt in proximis antecedentibus verbis. Quid enim aliud est, quod jam existeret Antichristi spiritus in mundo, nisi quod jam, ut antea Apostolus loquutus fuerat, multi falsi Prophetæ in mundum exissent? Jam id, quod addidit Johannes, *quoniam major est, qui in vobis, quam qui in mundo*, virtute continetur similiter in iis, quæ capite secundo sunt scripta, dum unctio illa, quam à Deo per Christum isti acceperant, non parum commendatur atque extollitur; præsertim cum secundum linguæ Græcæ rationem, verba illa; *qui in vobis* & *qui in mundo* videantur legi posse, *quod in vobis*, & *quod in mundo*; neque huic rei aliquid obstet, nisi quod vox *μείζων*, quæ secundum hanc lectionem *majus* sonare deberet, per *ω* scripta est, non autem per *ο*, ut neutrum genus requirit: (Nam de accentu, quo caret pronomen demonstrativum *ὁ*, nihil est curandum, cum antiquitus sine accentibus scriberetur) sed potuit facile hic esse lapsus librariorum, immo etiam aliorum eruditiorum, qui non animadverterint, hic esse sermonem de spiritu, qui, ut sæpius dictum fuit, neutri generis in Græco est.

Nam si ad hunc modum, ut nos quidem arbitramur, locus secundum Græcæ linguæ rationem explicari possit, quilibet animadvertere potest, hunc locum consentire cum illo secundi capitis, ubi *unctio* illa prædicatur; cum ea non fiat nisi per spiritum, per spiritum, inquam, sanctum, qui in hoc loco opponitur *spiritui, qui in mundo est*. Quemadmodum Spiritus Sanctus in illis erat, ad quos, & de quibus Apostolus loquitur. Nam 1 Cor. 2. 12. & alibi *Spiritus Sanctus*, seu *Spiritus Dei*, *mundi spiritui* opponitur. Jam sive legantur hæc verba, ut vulgo Græce leguntur, & in aliis linguis sunt reddita; sive ad eum modum, quem nos proposuimus vobis examinandum; illud certum est, debere in Græcis verbis subaudiri verbum *est*, ita ut Latine legatur, *qui in vobis est*: quemadmodum ipse vetus interpres locum reddidit, & una cum eo interpres Syriacus, & alii recentiores Latini: sed hæc est differentia inter utramque lectionem, nostram scilicet & pervulgatam, quod in nostra agitur, vel de spiritu, ut quidem plane verisimile esset, si ea probaretur; vel de re aliqua: in pervulgata vero agitur omnino de aliqua persona, quæ videlicet dicatur esse in iis, ad quos Apostolus scribit; & rursus de aliqua, quæ in mundo sit.

Et quia nos, quamvis lectionem istam nostram considerandam commemorare voluerimus, tamen à pervulgata recedendum non arbitramur, inquiremus, quænam sit utraque ista persona. Quanquam res inquisitione egere non videtur; cum necesse esse videatur, ut is, sive ea persona, quæ in illis esset, ad quos Apostolus scribit, sit Deus: is vero, sive ea persona, quæ esset in mundo, sit malignus ille, de quo non semel in hac Epistola fit mentio, id est Diabolus. Itaque Apostolus ait, caussam, cur isti cum quibus loquitur, vicerint illos falsos Prophetas, hanc esse, quod Deus, qui est in illis, major sit, id est potentior, quam Diabolus, qui erat in illis falsis Prophetis, quamvis enim Johannes non de eo, qui sit in falsis Prophetis, sed de eo, qui sit in mundo, expresse verba facit, qui videlicet, ut dictum est, sit Deo impotentior: tamen necesse est, ut *mundi* appellatione falsos istos Prophetas comprehendat, vel potius plane intelligat, quod satis aperte declarant ipsius statim sequentia verba: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit*. Ac si diceret, propterea *mundum* nominavi, & de eo, qui in ipso sit, mentionem intuli, cum tamen de istis falsis Prophetis, & de eo, qui in illis est, loqui velim; quia falsi Prophetæ isti de mundo sunt; & quia sunt de mundo, propterea mundana loquuntur; & ita fit, ut mundani homines eos libenter audiant.

Ex quibus Apostoli verbis, eorumque satis aperta sententia, facile intelligi potest, interpretationem nostram ejus rei, quam Johannes istis falsis Prophetis tribuit, plane veram esse, & alias interpretationes non posse admitti; cum ex nostra demum interpretatione intelligatur, rem istam, nempe doctrinam istorum falsorum Prophetarum fuisse mundanam; quatenus videlicet propterea, quia Jesus Christus perpessionibus multis & cruentæ morti obnoxius fuerat, illum non confitebantur, neque pro vero Christo habendum esse docebant. Namque hæc doctrina duo maxime mundana continet. Unum est, quod non sit habendus pro suo duce ac principe is, qui in hac vita tot mala sit passus; nec pro rege populi Dei agnoscendus is, qui adeo infirmus fuerit, & omni potentia destitutus, ut suam ipsius vitam tutari nequiverit, nedum alios felices reddere potuerit, & Dei populum à servitute aspera, quæ pejor ferme ipsa morte est, liberare: & ad vitam beatiorem transferre, prout ex divinis oraculis, quæ antegressa erant, colligi omnino videbatur, debere conspici in illo promisso populi Dei rege, & sic in vero Christo.

Alterum, quod mundanum plane est, ista doctrina contentum, illud est, quod, Christo Jesu pro vero Christo non agnito, necessario sequitur, ejus doctrinam rejici, & pro vera non haberi. Quo mundo nihil potest esse gratius; cum Jesu Christi doctrina omnibus non necessariis voluptatibus, omni avaritiæ & pecuniarum congerendarum studio, omni denique ambitioni & fastui penitus adversetur. Certe neque hæc, neque eorum similia, consequuntur ex doctrina istorum falsorum Prophetarum, si illa ea sit, quam alia quævis ejus interpretatio omnino fert. Quid enim mundani, id est ejusmodi, quod mundo arridere possit eumque ad se allicere, id habet, exempla causa, quod Jesus Christus non habuerit verum humanum corpus, & vere carneum, ut reliqui homines habent; vel quod Christus non venerit in carne, id est, non fuerit substantia quædam, quæ existeret antequam ipse Jesus Christus ex muliere nasceretur? Certe hic nihil est, quod mundum ad se allicere possit; nec ulla poterit unquam excogitari causa, cur ista, quę interpretationibus istis continentur, magis arrideant hominibus mundanis quam non mundanis. Et propterea, etiamsi nulla præterea alia ratio in promptu esset, qua ostendi posset interpretationes istas admittendas non esse, neque ullas alias earum similes, vel hæc sola, quam modo attulimus, satis esset ad eas erroris convincendas. Loquebantur igitur Prophetæ isti falsi mundana, cum Jesum Nazarænum, magistrum omnis puritatis & sanctitatis, omnisque tolerantiæ ac patientiæ exemplum, pro vero Christo, & pro vero salutaris viæ monstratore ac doctore habendum esse negabant. Unde fiebat, ut mundus, id est mundani homines illos libenti animo audirent, eisque adhærerent. Causa vero, cur Prophetæ isti, id est, qui se pro Prophetis venditabant, tales essent, illa plane erat, quod ipsimet essent prorsus mundani, & ventri suo, ac commodis mundi hujus tantummodo studerent.

Videtis aperte, quid hic vox *mundi* sæpius repetita significet; unde crediderim existimari posse, idem significari per eandem vocem paullo ante in verbis Apostoli contentam, dum ait de Antichristi spiritu, *quod jam in mundo esset*; tametsi nos, cum verba ista explicuimus,

cuimus, hujusce rei mentionem non fecerimus. Credimus, inquam, posse existimari, sensum istorum verborum esse, quod jam Antichristi spiritus in mundanis hominibus esset, & in illis vim suam exerceret.

Vers.6. Postquam Apostolus exposuit qualitates istorum falsorum Prophetarum, qui videlicet per suam malitiam, & mundana commoda, homines ad se traherent; & hac ratione tacite illos, ad quos scribit, monere voluit, ne turbarentur, si multi essent, qui istis falsis Prophetis auscultarent: per antithesin quandam hæc verba subjungit, *Nos ex Deo sumus, &, qui novit Deum, audit nos.* Voce enim *nos* eos intelligit, qui merito possint istis falsis Prophetis opponi, nempe, ut supra alibi fecit, seipsum una cum aliis ipsius similibus, qui veram & salutarem doctrinam tenerent, eamque aliis traderent. Quod igitur dicit, *Nos ex Deo sumus*, satis manifeste opponitur ei, quod antea dixit, *Ipsi de mundo sunt.* Opponitur enim in Sacris Literis, ut non ita multo ante indicavimus, *Deus, mundo; & Dei Spiritus, mundi spiritui*, & supra Apostolus diserte *mundum, Patri* opposuit; Patri, inquam, illi cœlesti, qui Deus est, dum ait, concupiscentiam carnis; & alia, quæ ibi addit, *non esse ex Patre, sed esse ex mundo.* Rursus ei, quod dixerat, *Et mundus eos audit*, opponit, *Qui novit Deum, audit nos.* Habeant illi quantumvis multos, qui illis adhærent, id nihil est, nihilve ab homine pio & cordato faciendum; cum nullus ex istis ullius veri pretii homo sit; quippe cum omnes ejusmodi homines vitiis & vituperatione dignis qualitatibus aliquo modo saltem sint capti atque irretiti. Contra sint quantumvis pauci ii, qui mihi & aliis mei similibus adhærent, & doctrinam nostram ex animo amplectuntur, ii ejusmodi homines sunt, qui maximi pretii censeri debeant; quippe qui Dei notitiam habeant, & moribus Deo dignis sint præditi; quo nihil pretiosius aut præstabilius in hac vita esse potest.

Hic porro notandum est, videri aliquam notitiam Dei in eo requiri, qui sit Christi Apostolis, aliisque ejus doctrinæ magistris, fidem habiturus, antequam hoc ab ipso fiat. Apparet enim, idque tota antithesis plane suadet, Apostolum considerare eos, qui ipsum, & alios Christianæ doctrinæ doctores, libenter audiebant, quales essent, non post, sed ante quam doctrinam istam libenter susciperent. Nam quemadmodum causam exponit, cur ii, qui falsos Prophetas libenter audiebant, istud facerent: sic ex altera parte similiter causam exponit, cur ii, qui veros Christi doctores libenter audiebant, id facerent. Eaque ex ipsius verbis alia nulla est, quam Dei cognitio; quam necesse fuit antecessisse, tanquam causam suo effectui, rei isti, quod libenter Christi veros doctores audirent. Non potest autem talis cognitio Dei esse nisi imperfecta. Perfectior enim cognitio Dei nullo pacto haberi potest, nisi postquam quis Christi doctrinam audiverit, eamque susceperit. Estque re ipsa idem hæc cognitio, quod *esse ex Deo*, ut apparet ex ipsis Johannis verbis, quæ statim sequuntur. Inquit enim per antithesin, ut solet, *Qui non est ex Deo, non audit nos.* Opponitur igitur manifeste, ex Apostoli mente, *non esse ex Deo* ipsi *Dei cognitioni.* Quod vero istud, *esse* vel *non esse ex Deo*, antecedat susceptionem vel rejectionem divinæ doctrinæ, & sic Euangelii, non modo ex his Apostoli verbis aperte constat; sed prius hoc idem clarissime docuerat ipse Christus in Euangelio ipsius Johannis cap.8.47. dum affirmavit, *quod, qui ex Deo est, verba Dei audit; & propterea Judæi ipsum non audirent*, qui scilicet verba Dei loquebatur, *quia ex Deo non essent.* Cum igitur *ex Deo esse*, in ista Christi sententia, & consequenter in ipsa, quam præ manibus habemus, Apostoli sententia, aliud nihil sit, quam esse probum & cupidum ea faciendi, quæ Deo placent; hinc concludendum est per ea, quæ modo dicebamus, Dei cognitionem, de qua hic Apostolus loquitur, istud idem esse. Et sane nemo potest esse cupidus ea faciendi, quæ Deo placeant, sed neque etiam ullo alio pacto probitatis studiosus, quin aliquam Dei cognitionem habeat; quandoquidem is, qui animi probi est, & id, quod rectum est, amantis, posito etiam, quod nullam certam notitiam habeat, quod Deus sit, id est, quidam summus omnium rerum moderator & arbiter; tamen potest iste suo modo dici Deum cognoscere, quatenus ea approbat, quæ Deo placent, & sic ipsum Deum, quamvis ignorans, approbat. Satis enim apparet, & ex iis, quæ de Dei cognitione antea disputavimus, intelligi potest, cognitione Dei in Sacris Literis potissimum significari approbationem earum rerum, quæ rectæ sunt atque honestæ, & sic cum Dei voluntate consentiunt.

Quanquam vero res ita se habet, tamen quia ista significatio cognitionis Dei ex figurato loquendi modo proficiscitur, nos supra, cum de Dei cognitione ageremus, occasione ejus, ut ostenderemus, quomodo figurata ista loquutio inducta fuerit, & ea, quæ proprie cognitio Dei dicitur, conjunctionem habeat cum altera ista, quæ figurate sic dicta est; ingressi ibi sumus disputationem de Dei cognitione, sic proprie, aliqua saltem ratione, dicta; eamque divisimus in perfectam & imperfectam, & quæ ad utramque pertinent, & cognitu necessaria esse duximus, explicare conati sumus, negligentes interim hoc idem facere circa cognitionem Dei istam figurate sic dictam. Quare cum prorsus locus hujusce rei nobis materiam & occasionem præbeat, recte est, ut hic id faciamus, quod ibi non fecimus.

Dicimus igitur, hanc Dei cognitionem, quæ aliud nihil est quam animi probitas, & studium ea faciendi, quæ Deo probantur, dividi similiter in perfectam & imperfectam. Imperfecta siquidem probitas animi, & studium imperfectum ea faciendi, quæ Deus probat, etiam in iis invenitur, ut antea diximus, qui de Deo non audiverunt; & multo magis in iis, qui, licet de Deo audiverint, & illum esse omnino sint persuasi, tamen nondum, quæ sit ejus voluntas, cognitum habent & sic perfectæ probitatis ignari sunt, atque expertes. Vocatur autem à nobis probitas animi, & studium recta & justa faciendi, quod in istis reperiri potest, imperfectum, & sic Dei cognito imperfecta, non modo quia non parum illi deest ad id præstandum, quod Deus ab hominibus requirit; sed etiam quia illud ipsum, quod ejus vi præstatur, imperfecte præstatur potissimum ob eam causam, quod non habet ejusmodi animi probitas sibi pro suo fine ac scopo id omnino propositum, quod habere debet; nec propter divinarum rerum ignorationem, ea alacritate, eaque fiducia, quæ requiritur, id ipsum præstat, quod præstat.

Unde fit, ut, quemadmodum vere imperfecta est talis animi probitas: sic non assequatur eum finem, quem assequitur ea, quæ perfecta est; nec satis sit, tali animi probitate esse præditum, ad hoc, ut quis ea plane consequatur, quæ Deus sibi obedientibus præparavit, & consequenter æternæ vitæ compos fiat: & tamen interim qui tali probitate animi, Deique cognitione, licet imperfecta, præditus fuerit, si illi via ostendatur, qua ad vitam æternam pervenitur, aptissimus est ad illam agnoscendam atque approbandam, & secundum illam mores & vitam suam instituendam ac componendam: immo donec ejusmodi probitas in homine est, videtur nullo pacto fieri posse, quin viam salutis æternæ sibi propositam & agnoscat, & postmodum teneat. Hoc enim indicant Apostoli verba, dum hic ait, *Qui Deum cognoscit, nos audit*; si modo, ut antea diximus, loquitur hic Apostolus de ea Dei cognitione, quæ aliquomodo antecedit ipsum assensum, qui doctrinæ Euangelicæ præbetur. Qua de re postea aliquanto diligentius dispiciemus. Jam vero hæc animi probitas, & sic ista figurate sic dicta Dei cognitio, ut alibi docuimus, aut in ipso homine existit, antequam Christi Euangelium ei annuncietur; aut per annunciationem Euangelii in eo excitatur, & quodammodo producitur. Utrocunque modo quis talis Dei cognitionis sit particeps, id videtur necessario consequi, quod diximus, ut scilicet iste Christi Euangelio annunciato assentiatur, eademque in se qualitate per-

durante, ei etiam re ipsa obediat; unde oritur altera illa animi probitas & Dei sic figurate dicta cognitio, quam perfectam ob eam causam vocamus, quod ad ea omnia pertingit, quæ Deo revera probantur; &, quod præstat, id ita præstat, ut plane debet, & Deus ipse requirit: seu præstandi modum quis spectet; seu finem, quem ipsa sibi proponit, & scopum, quo tendit, considerare velis. Unde fit, ut is, in quo illa inveniatur, necessario, sic decernente Deo, eam beatitatem, idque summum bonum consequatur, quod Deus sibi obedientibus constituit atque promisit.

Utram vero ex his duabus sic figurate dictis cognitionibus Apostolus hoc in loco intelligat, si ea attendantur, quæ superius hac de re diximus, minime ambigendum videtur: sed plane statuendum, eum de imperfecta, non autem de perfecta loqui. Verum quia fieri potest, ut illa verba, *audit nos*, non eum sensum habeant, quem antea diximus, & quem omnino præ se ferunt: sed quiddam majus significent, quam ipsa sonant; propterea fieri simul potest, ut non de imperfecta, sed de perfecta ista Dei cognitione hic Johannes loquatur. Quamvis enim verbum *audiendi*, etiam non omnino proprie acceptum, sed secundum communem quendam usum, qui illi plus tribuit, quam sua natura significet, non videtur quicquam amplius declarare, quam libenter audire, & audiendo assentiri: potest tamen fieri, ut hoc loco Apostolus quiddam plus verbo isto significare voluerit; ita ut, cum dicit *audit nos*, nolit simpliciter declarare auditum & assensum illis, quæ ipse una cum sui similibus docebat, ita videlicet, ut hac ratione describat eos, qui antea talem doctrinam non audiverant: sed significare velit approbationem illam doctrinæ, quam ipse & ejus symmystæ proponebant, ab iis factam, qui per auditionem ejusdem doctrinæ, ab aliis antea prædicatæ, jam ad veram Dei cognitionem pervenissent; ut nimirum perinde sit, ac si Apostolus dicat, se, & alios suos, talem doctrinam proponere, quæ illis probetur, qui jam rerum divinarum per Euangelii prædicationem talem cognitionem adepti fuissent, ut ea animi probitate, iisque sanctis moribus essent prædi- ti, quos Deus à nobis requirit.

Ad hunc sensum proponendum, an fortasse huic loco convenire possit, me id movet, quod videatur apud istum scriptorem alibi, & quidem hic proxime inferius, Dei cognitionem, seu Deum cognoscere, plus omnino significare, quam significet imperfecta cognitio ista Dei, quam per se non sufficere diximus, ad hominem talem reddendum, qualem Deus requirit, quodque *esse ex Deo* apud eundem supra cap.3.10. ut ibi monuimus, idem significat, quod *esse Dei filium*, & consequenter perfectiore cognitione esse præditum. Hic vero pro eodem ponuntur *cognoscere Deum*, & *esse ex Deo*, ut antea docuimus. Veruntamen cum considero eum locum præcipue, quem supra citavimus, in Christi verbis Johannis 8. cum quo omnino hic noster consentit, & ad illum plane respicere videtur, iis præterea junctis, quæ superius hac de re diximus, in ea potius sententia acquiesco, ut hic Apostolus de imperfecta ejus generis, quod diximus, Dei cognitione loquatur, non autem de perfectiore. Cum nihil impediat, quando alioquin phrasis ipsa ad utrumque sensum accommodari potest, quominus, licet Johannes alibi in hac Epistola, idque fortasse semper, *cognoscendi Deum* nomine perfectiorem hujus generis Dei cognitionem intelligat: nihilominus tamen hic iisdem verbis de imperfecta loquatur. Nam certe nullo pacto negari posse videtur, quin Christus in verbis illis suis, phrasin, *esse ex Deo*, ita accipi velit, ut non de perfectiore, sed de imperfecta tali Dei cognitione eum loqui statuendum sit. Atqui jam ostendimus, & pro contraria sententia modo ursimus, idem hic esse cognoscere Deum, quod esse ex Deo. Etenim, cum Christus ait, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, & Judæis objicit, quod non essent ex Deo, quia Dei verba non audirent; quis non videt illum voluisse dicere, eos qui aliqua animi probitate sint præditi, etsi ex illorum numero sint, ex quo Judæi isti erant, ut scilicet de voluntate Dei per Mosen patefacta audiverint, studiosi sint ei obtemperandi, ubi illis annuncietur verum Dei verbum ac perfectum, cujusmodi ipse annunciabat, illud libenter audire eique assentiri, non quidem ut rei antea sibi notæ sibique probatæ, sed ut rei, quæ cum eo, quod jam noverunt & probarunt, consentiat: (ex quo fit, ut nullo pacto dici possit, homines istos antequam istud verbum Dei audiant, perfectiore illa, de qua loquimur, animi probitate Deive cognitione esse præditos; cum illa contineatur verbo isto divino, quod ab ipsis nondum auditum fuit, & nusquam alibi addiscatur) & similiter ex altera parte dicere voluisse, quod ii, qui ante auditum verbum istud, animi probitate, quæ vel aliunde, vel ex ipsa Mosaicæ Legis cognitione oriatur, non sunt præditi, cum verbum istud divinum illis annunciatur, id spernant, nec ullo modo libenter audiant, tanquam rem videlicet, quæ cum ipsorum animo ac proposito minime consentiat, immo illis penitus adversetur.

Quamobrem credimus, verba Apostoli non aliter esse accipienda, atque ab initio à nobis factum est, quibus hæc verba subjunguntur, *In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris*. Exemplar Græcum non habet *In hoc*, sed *ex hoc*. Antea quidem, cum ad istum eundem modum loquutus est Johannes, *in hoc*, ni fallor ubique, & in omnibus exemplaribus scriptum legitur. Verum hoc, cum idem, utrocumque modo legatur, fit sensus, parvi aut nullius momenti est. Sensum horum verborum attigimus superius, cum explicaremus verba illa præcedentis capitis ℣.19. *Et in hoc cognoscimus, quod ex veritate sumus*; & diximus dupliciter posse ista verba intelligi, ut scilicet Apostolus loquatur non modo de vera & falsa cognitione rerum divinarum, sed de probitate & improbitate. Id quod à nobis dictum est, si videlicet nomen Græcum τῆς πλάνης ita accipiatur, ut vulgo Latine redditum fuit, nempe ut simpliciter errorem significet. Verum quia est nomen istud ambiguum, ita ut non modo errorem simpliciter significare possit, sed deceptionem active acceptam, atque imposturam; propterea non plane acquiescendum esse arbitramur, in explicandis his verbis iis, quæ supra à nobis dicta fuerint: præsertim cum, ut alii animadverterunt videatur hic Apostolus brevissime indicare id totum, quod antea docuit, de non credendo cuivis spiritui, ac si diceret:

Jam à me habetis, quomodo possitis internoscere spiritus, qui sunt ex Deo, & consequenter vera docent; & spiritus, qui minime ex Deo sunt, & sic deceptorii sunt spiritus, & doctrinam proponunt decipientem, atque in errorem homines adducentem. Et sane supra cap.2. ubi, quemadmodum vidimus, de eadem re, de qua hic, omnino agit ac monet, ad finem ferme monitionis suæ similiter verba quædam ponit, quæ indicent, de qua re antea egisset, inquiens: *Hæc scripsi vobis de iis, qui seducunt vos*.

Videtur tamen hæc hujus loci interpretatio aliquid difficultatis habere, propter duo illa verba, *ex hoc*, sive *in hoc*, quæ referri solent, vel ad proxime dicta, vel ad id, quod statim subjungitur: non autem ad multa simul, quæ antea dicta fuerint, ut hic necesse esset, si interpretatio ista omnino esset retinenda. Nam alioqui præter id, quod jam diximus, ex eo etiam videtur posse confirmari interpretatio ista, quod hic *spiritus* diserte fit mentio, quemadmodum etiam ab initio hujus capitis, ubi Apostolus denuo monere incepit, ne falsis illis Prophetis, qui scilicet negabant Jesum esse Christum, fides adhiberetur; ita ut utrobique facta mentio *spiritus* omnino suadere videatur, utrobique etiam de eadem re sermonem esse; & hunc locum ad illum referri debere, ut qui eo plane respiciat. Nihilominus tamen propter rationem præcipue paullo ante allatam, de usu apud hunc Apostolum dictionum istarum *ex hoc*, sive *in hoc*, ad eam interpretationem amplectendam proniores sumus, quæ nomen τῆς πλάνης in eum sensum accipit, ut errorem seu deceptionem passive;

sive, non autem active, significet hac enim ratione fit, ut vocula *hoc*, quæ illis verbis continetur, *ex hoc cognoscimus*, ad id, quod proxime dictum est, referatur, hoc nimirum pacto: cum enim Apostolus dixisset, *Qui cognoscit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos*, statim subjungit, ex eo, quod ipse, & alii ejus similes nec ne audirentur, id est, & libenter susciperentur ea, quæ ab ipsis dicebantur, & iis servandis opera daretur, vel contra fieret, dignosci omnino posse, cujus spiritus ii essent, in quibus ista animadverterentur. Nam si quisquam esset, de quo appareret, eum libenter audire & plane approbare, quæ à Johanne, & ab aliis ejus symmystis dicebantur, hoc poterat esse, vel potius esse cunctis debebat manifestum indicium, quod iste ex Deo esset, seu Deum cognosceret, & sic spiritum haberet veritatis: sin vero contra, contrariæ etiam rei posse ac debere hoc esse indicium, indeque constare, istum spiritu erroris esse præditum, quæ spiritus diversitas aut ex eo proficisci potest, quod quis vel male vel bene edoctus fuerit; aut ex eo, quod quis animum vel probum vel improbum gerat. Unde factum est, ut supra in enarratione loci illius tertii capitis, *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus*, diximus, in his verbis, quæ præ manibus nunc habemus, duplicem posse sensum agnosci, ut scilicet Apostolus non tam loqueretur de veritate & errore circa doctrinam, quam de figurata quadam veritate atque errore, quæ reipsa aliud nihil est, quam probitas & improbitas animi hominis. Quemadmodum enim figurate Deum is cognoscere dicitur, qui ea probat, quæ Deo placent, & sic animi probi est: & contra, is non cognoscere Deum dicitur, qui ea factis ipsis non probat, quæ Deo placent, & sic animi est minus probi: similiter, & per eandem figuram, is dicitur spiritu veritatis esse præditus, qui animum probum gerit: spiritu vero erroris, qui improbum. Et sane videmus hic *Deum cognoscere* respondere *spiritui veritatis*; *Deum* vero *non cognoscere*, sive *non esse ex Deo*, respondere *spiritui erroris*.

Vers.7. Absoluta repetitione admonitionis suæ de cavendis falsis Prophetis, negantibus Jesum esse Christum, una cum ejus rei appendicibus quibusdam, redit aperte Apostolus ad primarium suum hujus Epistolæ scopum, id est, ad animandum eos, ad quos scribit, ut in Christi præceptis servandis & diligentes & perseverantes sint. Qua interim in re nihil dicit diversum à præcedente monitione: quemadmodum, cum ab hoc primario suo instituto jam bis admonitionem istam cavendorum Pseudo-Prophetarum transitum fecit, nihil interim dixit, quod optime cum primario isto instituto suo non conveniret. Necesse siquidem est, ut is, qui velit perseverare in vera obedientia præceptorum Christi, sibi persuadeat, eum revera esse Christum, & nullo modo permittat se ab iis decipi, qui negant Jesum, qui dictus est Christus, verum Dei Christum fuisse. Cum igitur inter præcepta Christi præstantissimum, & maxime ipsius proprium sit amor mutuus inter homines, præsertim vero inter eos, qui ipsius religionem profitentur, eamque recte tenent; propterea nihil devians ab eo, quod paullo ante monuit, hortatur diligenter Apostolus eos, ad quos scribit, ut ament se invicem, ac si diceret: Cum igitur istis falsis Prophetis, negantibus Jesum esse Christum, nullo modo prorsus vos fidem adhibere velim, consequitur, id me potissimum quærere, & ex monitione mea vos eum fructum præcipue debere capere, ut invicem vos ametis, eo nempe amore, quem Jesus præscripsit; quippe quod hoc sit ejus proprium præceptum; & consequenter à vobis accuratissime servandum, si modo plane persuasi sitis, ipsum Jesum esse verum Dei Christum, & sic nullo modo impostoribus istis auscultetis, & ne aurem quidem illis accommodetis. Hæc est ratio connectendi cum superioribus verba ista *Charissimi*, seu, ut Græcum verbum habet, *Dilecti, diligamus nos invicem*, sive *alii alios*, quibus addit ista scriptor noster: *Quia charitas ex Deo est; & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum*. Affert Apostolus expresse, præter rationem tacitam, quæ in ipsius verbis, si cum præcedentibus conjungantur, continetur, aliam firmissimam rationem ad persuadendum, ut amemus nos invicem. Tacita ratio est, ut diximus, quod credamus Jesum esse Christum; & consequenter profiteamur, nos servare præcepta ipsius. Quæ ratio, quamvis maxima, tamen naturam ipsius rei non ita attingit, ut ista, quæ est expressa, nimirum quod charitas ex Deo sit: hinc enim ex natura ipsius rei consequitur, ut charitas sit quiddam valde laudabile, quodque nobis gratissimum esse debeat; cum nihil proficisci à Deo possit, quod ejusmodi non sit: ita ut, etiamsi Deus charitatem nobis non præscriberet, tamen res prorsus consentanea esset, ut ea præditi essemus. Possunt enim verba ista, *charitas ex Deo est*, immo debent ita accipi, ac si dictum foret, effectum Dei esse, seu voluntatis ipsius, ipsam charitatem. Quod adeo verum est, ut paullo post idem Apostolus, ut statim videbimus, ausus fuerit dicere, *Deum esse charitatem*.

Ex hac ratione, quod charitas res divina sit, & propterea debeamus tali virtute esse præditi, deducit Johannes alias rationes duas, quæ tamen possunt ad unam tantum redigi. Quarum prior est, quod, quisquis charitate seu dilectione est præditus, ex Deo est natus; posterior vero, quod iste idem Deum cognoscit. Nemo autem est, quin fateatur, rem præstantissimam esse *ex Deo esse natum*, & similiter *Deum cognoscere*. Quare causam summam habent homines mortales curandi, ut charitate erga alios sint præditi, & hac in re ipsum Deum imitandi. Jam, *ex Deo natum esse*, & *Deum cognoscere*, quamvis distingui omnino inter se possint; quemadmodum ex iis potest intelligi, quæ supra à nobis de utraque hac re disputata sunt: tamen ad hoc unum utrumque redigi potest, quod quis sit vera animi probitate præditus, quæ nimirum ipsi Deo vehementer placet. Atque hoc ipsum ex à nobis antea de hac materia disputatis facile potest intelligi. Tantum animadvertendum est id, quod superius indicavimus, hoc loco, quemadmodum ubique fere in hac Epistola *cognoscere Deum* significare perfectiorem in hoc mundo Dei cognitionem. Neque enim, si de imperfecta cognitione Dei Apostolus hic loqueretur, aliquid vel magni momenti diceret, vel satis conveniens ad exprimendum, qualis sit is, qui vera charitate est præditus; cum is, qui talis est, non modo probitate illa animi, quæ antecedit obedientiam Euangelii Christi, sit præditus; sed ea etiam animi probitate, quam ipse Christus, ipsiusque Euangelium omnino requirit.

Vers.8. Hoc constituto, quod, qui amat, ex Deo natus est, & cognoscit Deum, subjicit Apostolus more suo contrarium in re contraria, & inquit: *Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est*. Ex quibus verbis primum illud videtur posse intelligi, quod diximus, videlicet ista duo, *Natum esse ex Deo* & *cognoscere Deum*, ad unum caput redigi posse; cum videamus Johannem in hac antithesi unius tantum ex istis duobus mentionem facere, id est cognitionis Dei, qua diximus sæpe superius significari animi probitatem. Namque animi probitas illud unum est, ad quod tanquam ad caput quoddam, diximus ista duo redigi posse. Deinde cum Apostolus ait, *Deum charitatem esse*, & hinc colligit, eum, qui non amat, seu charitate non est præditus, Dei notitiam non habere, apparet, ut ibi indicavimus, id quod antea diximus; sententiam videlicet illam, quæ in verbis superioribus habetur, quibus ista opponuntur, *quod charitas sit ex Deo*, nobis declarare, quod charitas sit Dei ipsiusque voluntatis effectus; & is quidem maxime proprius, id est qui maxime omnium in Dei operationibus appareat. Hinc enim fit, ut figurate dici possit, *Deum esse charitatem*. Syrus interpres verba ista, *Nam Deus est charitas*, collocat ante illa, quæ in aliis codicibus præcedunt, *Qui non diligit, non novit Deum*, interposita inter utraque simplici copula. Quæ lectionis varietas nihil momenti habere videtur, & propterea sine ulla ejus examinatione satis fuerit eam indicasse.

Vers. 9. Jam vero cum sententia ista, quod Deus sit charitas, summam plane Dei charitatem significet, & consequenter Apostolus eam proferendo, hoc, quod significet, affirmare voluerit, quamvis id possit facile alioqui pio homini persuaderi; tamen ut simul cum istius summæ charitas Dei explicatione eam aperte probet, hæc verba subjungit: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Ad explicandam istam Dei charitatem ea verba pertinent *in nobis.* Sic enim Apostolus declarat, se loqui de charitate potissimum, quam Deus erga nos ostendit. Quod vero attinet ad charitatis istius probationem, ea elicitur ex sequentibus verbis, *quoniam filium suum, &c.* Unde etiam, si ea bene intelligantur, probatur ipsa magnitudo atque excellentia charitatis divinæ. Nam istud ipsum, quod Deus curaverit, ut vivamus, id est, æternæ vitæ consortes efficiamur, plane demonstrat, Deum nos vehementer amasse; cum mortalem & corruptioni obnoxiam naturam nostram voluerit immortalis & incorruptibilis naturæ suæ participatione, qua nos donat, ad excellentissimum statum, & à quo illa quam longissime abest, evehere ac perducere. Sed præterea idem ex eo probatur, quod, ut istud fieret, Deus filium suum unigenitum in mundum misit. Qui ejus unigenitus filius cum ita in mundum venerit, ut mortem cruentam, ac maxime detestabilem passus fuerit, idque in eum ipsum finem, ut per illum vitam æternam adipisceremur; cumque hoc fine expresso atque determinato Dei consilio fieri non potuerit, hinc certe constat, Dei amorem erga nos valde eximium fuisse. Nam si, ut apud Zachariam cap. 2. legitur, qui tangit eos, qui ex populo Dei sunt, pupillam oculi ipsius Dei tangit, multo magis id sentiendum est de eo, qui omnium, non modo hominum, sed etiam angelorum, omnium denique creaturarum, quæ unquam fuerint, aut futuræ sint, longe Deo est charissimus; ita ut, quicquid illi mali ab infidelibus hominibus illatum est, quatenus divina natura id patitur, in Deum ipsum quodammodo redundarit.

Vers. 10. Quoniam vero potuisset quis rerum divinarum ignarus suspicari, aliquid fuisse in nobis, quod Deum præter miseriam & indigentiam nostram movere potuerit, ad nos tantopere amandos, cujusmodi esset, quod justitia & sanctitate antea præditi fuissemus, ut ostendat Apostolus multo etiam evidentius summam atque incredibilem Dei erga nos charitatem, negat hoc ita se habuisse, nec quicquam in nobis Deum animadvertisse affirmat, quod tantam charitatem ipsius nobis conciliare ullo modo potuerit, & inquit: *In hoc est charitas* (subaudi Dei) *non quasi nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Id, quod diximus de justitia & sanctitate, quæ in nobis nequaquam fuerit, antequam Deus mitteret filium suum, expressit Apostolus verbis istis: *Non quasi nos dilexerimus Deum.* Quod ideo fecit, ut concinnius magisque ad rem loqueretur. Nulla enim res ne cogitari quidem potest, quæ magis amorem in quopiam excitet erga alium, quam illius amor erga ipsum. Jam, tunc nos Deum amamus, & non alia ratione, cum ea facimus, quæ Deo placent, iisque qualitatibus, quæ secundum Deum sunt, ut præditi simus, diligenter curamus atque efficimus, & sic justi ac sancti sumus: quemadmodum ex altera parte is Deum non amat, sed ejus inimicus est, qui iis delectatur, quæ Deo displicent, eique adversaria sunt. Et propterea Paulus Apostolus, cum de hac eadem summa charitate Dei erga nos verba faceret capite 5. Epist. ad Rom. ait, nos, cum, Deo ita curante, ipsi per mortem filii ejus reconciliati fuimus, fuisse inimicos, nempe ipsius Dei, ob eam videlicet causam, quod iis actionibus, eaque mente præditi essemus, quæ longe abessent ab iis, quæ Deus maxime probat. Qui idem Paulus, ad eandem divinæ erga nos ejusque summæ charitatis commendationem, ad Titum scribens cap. 3. non contentus antea diserte dixisse, nos priusquam ista benignitas Dei erga nos appareret, fuisse ominibus vitiis onustos, addidit expresse, benignitatem istam & amorem Dei erga nos extitisse, non propter opera justitiæ, quæ faceremus, sed propter ipsius misericordiam. Multa sunt alia testimonia idem confirmantia, quæ omnibus sunt obvia; neque ea hic congerere quicquam est opus, vel hac de re plura verba facere; præsertim cum antea, si recte memini, enarrando versiculum 16. superioris capitis, quædam huc pertinentia à nobis dicta fuerint. Concludit igitur Apostolus, quod amor Dei erga nos nullo prorsus pacto ab amore nostro erga illum excitatus fuit, ab eove ulla ratione est profectus. Unde apparet, totum amorem istum divinum simplici Dei benignitati & charitati adscribi debere.

Possent hic aliqua dici *de missione filii Dei in mundum*; de eo, quod *unigenitus* & appellatur & est, de eo etiam, quod fuerit *propitiatio pro peccatis nostris*, ut scilicet ista, quid sint, quidve significent, aperte intelligeretur: sed cum ista omnia in aliis vigiliis nostris abunde explicata habeantur, non est cur hoc loco in iis explicandis laboremus. Tantum considerandum est, in voce *propitiationis* tacite contineri effusionem sanguinis ipsius filii Dei, qui fuit, id est, per quem facta est *propitiatio* ista, nempe pro peccatis nostris. Neque enim sub Vetere Testamento, quemadmodum scriptum habetis in Epistola ad Hebr. cap. 9. sine effusione sanguinis remissio peccatorum, sive expiatio & propitiatio pro peccatis, ex ipso Legis præscripto, fiebat; & in istis Veteris Testamenti expiationibus fuit sine dubio adumbrata illa, quæ sub Novo Testamento per ipsum Dei filium facta est. Ea vero adumbrari non potuisset, nisi in ipsa quoque, ut in illis, sanguis fuisset fusus; neque ullius alterius fundi debuit aut potuit, quam ipsius Dei filii; quippe cum certum sit, eum plane per semetipsum expiationem istam fecisse. Atqui ista sanguinis filii Dei fusio, ut ante dictum est, & nemo non videt & agnoscit, & denique sacra testimonia passim fidem faciunt, maxime pertinet ad divinam erga nos charitatem commendandam atque extollendam. Ex qua sic infert scriptor noster ℣. 11: *Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alii alios diligere.* Huic sententiæ & ratiocinationi similis est illa, quam Apostolus Paulus ponit posteriore ad Corinthios capite 5. ℣. 14 inquiens: *Nam charitas Christi urget nos æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, Ergo omnes mortui sunt.* Sensus enim loci istus esse videtur, quod, quando Christus pro nobis omnibus mori voluit, æquum sit & plane rationi consentaneum, ut nos quoque, si opus sit, alii pro aliis moriamur. Quemadmodum apertius adhuc hic idem scriptor noster ratiocinatus est capite superiore versiculo 16. Est tamen in hoc loco nostro, cum in eo pro ratione, cur alii alios amare debeamus, diserte afferatur, quod Deus summe nos dilexerit, vel potius ita dilexerit, ut filium suum unigenitum ad nostra peccata expianda sanguinem suum fundere voluerit, quiddam amplius, quam in locis prædictis. De Pauli loco non est dubium, cum in eo nulla aperta mentio fiat charitatis Dei erga nos.

De loco vero hujus scriptoris capite superiore res non ita aperta est; cum in codicibus Latinis, quorum lectionem nos minime improbamus, Dei charitatis aperta fiat mentio. Verumtamen cum nec Græci nec Syri codices *Dei* mentionem isto in loco contineant, negari non potest, quin in loco nostro expressior atque indubitatior ratiocinatio extet, ducta à charitate Dei, quæ nos invitare debet ad charitatem similiter erga alios exercendam. Qua de re nonnulla diximus in explicatione superioris loci Apostoli nostri, quo vos rejicimus; hicque monemus, omnino ex Apostoli verbis & ratiocinatione ista duo colligi, quod & debemus alii alios diligere, & ita diligere, ut Deus nos dilexit. Voculam enim *sic* in verbis illis, *Si sic Deus dilexit nos*, ut paullo ante indicavimus, in eum sensum potius accipimus,

pimus, ut significet modum, quo nos Deus dilexit, quam excellentiam amoris; ita ut vocula ista potius idem declaret, ac si scriptum esset, *hac ratione*, quam ac si legeretur, *tantopere*. Unde consequitur, voluisse Apostolum hic idem dicere, quod in superioris capitis loco dixit, debere nos alios pro aliis animas ponere: quamvis nihil præterea dixerit, quam debere nos invicem nos diligere; quandoquidem ratio, qua Deus nos dilexit, fuit, efficere ut ipsius unigenitus filius animam suam pro nobis poneret. Nam alioqui etiam, & citra hujus Apostoli ratiocinationis considerationem, mutuam hanc dilectionem, de qua Apostolus tam sæpe mentionem in hac Epistola facit, accipiendam esse, supra non uno in loco ostendimus, ut tanta sit, quanta ea fuit, quam Christus erga nos præstitit; ejusque præceptum hac de re id continere demonstravimus, ut quis debeat esse paratus animam suam pro fratribus ponere, sicut ipse pro nobis posuit. Hinc enim fit, ut habenti charitatem erga alios secundum Christi præceptum, & suam toties repetitam monitionem, Apostolus sæpius tribuat ea, ex quibus apparet, illum omnino vitam æternam adepturum. Cujus rei causam explicuimus supra, cum alibi, tum nominatim in explanando sensu versiculi decimi capitis secundi, & versiculi 24. capitis tertii. Quo etiam pertinet id totum, quod scribit Paulus cap. 13. prioris ad Corinthios, ubi non modo charitatem omnibus aliis Christianis virtutibus anteponit; sed etiam ei talia & tanta tribuit, ut appareat, ipsum sentire, charitatem habenti nihil deesse, quod attineat ad hominem in vera pietate perficiendum. Quamvis enim eo in loco nihil Apostolus expresse dicat de charitate erga alios, sed simpliciter charitatis mentionem faciat, ita ut, si ipsius vocis vim spectemus, possint ejus verba universe accipi, ita ut etiam charitatem erga Deum complectantur: tamen quia vix invenitur locus ullus, ubi *charitatis* simplici nomine alia charitas intelligatur, quam ea, quæ ab hominibus in homines exercetur, verisimile plane videtur, Paulum ibi de hac tantum charitate loqui, eam scilicet intelligendo, qualem Christus suis præscripsit, & qualis ea est, de qua tota hac Epistola Johannes loquitur. Qui, postquam ex dilectione, quam Deus erga nos præstitit, in filio suo pro nobis morti dando, debere nos simili ratione nos invicem diligere, conclusit, hæc verba subjunxit ℣. 12: *Deum nemo unquam vidit. Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus perfecta est in nobis.* Difficile sane est intelligere, in quem finem Apostolus initio horum verborum enunciatum istud protulerit, *Deum nemo unquam vidit*; variæque sunt (ut ex paucissimis libris, quos hic habemus, conjicere potuimus) de hac re sententiæ.

Sunt, qui arbitrentur, eum istud enunciatum protulisse, ne quis ex iis, quæ antea dixerat, in opinionem venire posset, quod Deus conspiceretur, sicut homines alii ab aliis conspiciuntur; & propterea Johannem primum id diserte negasse, & deinde subjunxisse, quanam ratione, cum id per conspectum fieri negat, Deo quodammodo frui in hac vita possimus. Hæc interpretatio in eo videtur plane rejicienda, quod continet de opinione, in quam ex præcedentibus Apostoli verbis venire quis potuisset, quod Deus sit conspicuus. Nam si, quicquid antea de Deo dixit Apostolus, diligentius examinetur, nihil tale inde ulla ratione elici posse quisquam vel suspicari quidem ausit. Si Apostolus fecisset antea mentionem charitatis, seu amoris nostri erga Deum, potuisset fortassis suspicioni isti atque opinioni aliquis locus esse; cum ad aliquem amandum videatur vulgo requiri, ut is conspiciatur, & per ipsius conspectum ad ejus cognitionem perveniatur. Nam sine rei cognitione amor erga illam existere nequit. Verum Apostolus nihil adhuc expresse de charitate erga Deum toto hoc capite est loquutus: sed tantum de charitate Dei erga nos; & de charitate inter nos mutua; aut etiam simpliciter de charitate, seu amore, quo quis alios prosequatur. Quare censemus interpretationi isti minime acquiescendum esse: quamvis alioqui aliquid contineat, quod à verisimilitudine, & porro ab ipsa veritate non abhorret; quatenus videlicet continet explicationem verborum Apostoli, statim post enunciationem istam, de qua tota quæstio est, subjunctorum.

Alii igitur credunt, Apostoli mentem in isto enunciato proferendo, eique illis subjiciendis, quæ subjecit, fuisse, ostendere fructum maximum, qui percipitur ex eo, quod quis alios diligat, nempe quod, etiamsi Deus est inconspicuus, tamen per dilectionem istam is, qui ea est præditus, id consequitur, ut ipsius Dei nihilominus fiat particeps, eoque fruatur. Quanquam non plane ad hunc modum loquuntur isti, sed ad id respicientes, quod melius ad enunciatum istud accommodatur, non de Dei participatione ejusve fruitione, sed de ipsius cognitione loquuntur, quæ ei contingat, qui dilectione erga alios sit præditus, quamvis ipsum Deum non videat. Apparet enim, magis prope esse, tanquam ejus effectum, cognitionem aspectui, quam fruitionem. Sed interim Apostoli verba, non quidem cognitionem, sed fruitionem seu participationem significare videntur. Quod enim Deus in nobis maneat, non indicat proprie loquendo cognitionem ullam, quam Dei habeamus: sed tantum, quod illius participes simus, eoque alio modo fruamur, & supra, cum de hac mansione Dei in nobis alibi mentio ab Apostolo fieret, ostendimus, ea significari totum id, quod in hac vita magis excellens possidere quis potest, divinitus profectum. Ad quod significandum non satis est phrasi uti *cognoscendi Dei*, nisi illa figurate accipiatur, ita ut causa pro effectu ponatur, quia nimirum Deum participandi ejusque fruendi, quatenus id in hac vita obtingere potest, causa est ejusdem Dei cognitio. Atqui in hac interpretatione, cum habeatur in ea relatio ad *conspectum*, quatenus videlicet nihilominus, ut is non detur, tamen detur cognitio, necesse est, non de cognitione figurata ista, sed de propria sermonem esse.

Quapropter cum verba Apostoli, ut dictum fuit, eam non significent, retinendæ sunt in hac interpretatione voces *participationis* & *fruitionis*. Nam si eæ retineantur, ea valde probabilis videtur. Quanquam fieri etiam potest, ut in his Apostoli verbis, subobscure tamen, aliqua ratio habeatur ejus, quod scriptum est ad finem hujus capitis, ubi similiter fit mentio de Deo, qui non conspiciatur. Quasi Apostolus hic voluerit dicere, non esse cur quis jactet, se amare Deum, cum Deus nemini conspiciatur: sed opportere ut alii alios diligamus, quemadmodum etiam alii alios conspicimus. Nam si id fecerimus, tunc gloriari poterimus, quod Deum ipsum amemus. Id quod eleganter significari potest per verba ista, *Deus in nobis manet*. Ut nihil dicam de reliquis, quæ statim sequuntur in quibus hoc expressum esse videtur. Nam per hoc, *quod charitas Dei perfecta sit in nobis*, nemo negare potest, id videri expresse significari, quod quærimus, videlicet nos perfecte Deum amare. Apertum est enim, ut supra alibi docuimus, *charitatem Dei* eo sensu in Sacris Literis accipi posse, ut charitatem significet, qua Deus amatur; immo propter superiorem locum illum, *In hoc apparuit charitas Dei*, vix aliter ab hoc scriptore *Dei* seu *Patris charitas* in tota hac Epistola accipitur. Tantum alicubi, ut ante suis locis indicavimus, videtur aut posse, aut etiam debere significare eam charitatem, quam Deus nobis præscripsit. Verumtamen, quia, ut diximus, subobscure omnino contineretur in Apostoli verbis sensus iste, qui convenientiam habet cum eo, quod ad finem capitis est dictum, arbitramur non esse recedendum ab ea interpretatione, quam proxime ante, seu secundo loco attulimus. Hic nihilominus tamen monere volumus, ad tertiam istam interpretationem refellendam, nihil prorsus momenti habere, quod hic Apostolus utatur verbo θεάομαι: ad finem vero capitis verbo ὁράω, cum de Deo, qui non aspiciatur, vel

vel non videatur, verba facit; quasi hinc concludi possit, non idem utrobique de Deo negari, & consequenter, non posse hæc loca ut de eadem re loquentia accipi. Namque in eusdem scriptoris Euangelio capite primo versiculo 18. similiter non idem verbum habetur quod hic; non inquam *τεθέαται* ibi scriptum est, ut in hoc loco, sed *ἑώρακε*; cum tamen satis manifeste appareat, eandem prorsus sententiam utrobique esse. Sed ad propositum nostrum revertentes, concludimus, Apostoli mentem esse, dicere quod, quamvis Deus à nemine conspiciatur, (subaudi in hac mortali vita) tamen si quis dilectione erga alios sit præditus, ipsius Dei sit particeps; & verè in ejusmodi homine est dilectio erga Deum; sive ea dilectio, quam ipse Deus nobis præscripsit.

Hanc sententiam porro, *Charitas ejus perfecta est in nobis*, id est ei similem, babuimus etiam antea, ut versiculo quinto secundi capitis, ad cujus loci enarrationem nostram potest quis recurrere, si ampliorem fortasse ejus explicationem quærat. Jam enim nobis ulterius progrediendum est. Sequuntur enim verba, quæ cum istis jam explicatis maximam habent cognationem, & simul aliquid aliud contineot, ut statim videbimus.

Vers. 13. Verba siquidem hæc sunt: *In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Concluserat proxime Apostolus, ex eo, quod alios amemus, fieri, ut Deus in nobis maneat. Hoc idem hic repetit, addens, quod ipsi vicissim in eo manemus. Id quod videlicet reipsa tamen eo continebatur, quod dictum fuerat, Deum in nobis manere. Verum præter id, quod id repetit, quod proxime dixerat, illud etiam probat, inquiens, nos inde hoc cognoscere, *quod ex spiritu suo dedit nobis Deus*, id est, binc manifeste probare, quod nos, qui alios amamus, in Deo manemus, & ipse Deus in nobis manet; quia qui tali dilectione sunt præditi; ii Dei Spiritus sunt participes; & ubi Dei Spiritus est, necesse est ipsum Deum esse. Et breviter, ut supra indicavimus, hic plane eodem modo argumentatur Apostolus, quo argumentatus est in fine capitis præcedentis, ubi, quia non ita apertum erat, quid oomine *Spiritus Dei*, quem participemus, intelligeret, id nos aperte explicuimus; nostramque explicationem verissimam esse confirmat præsens hic locus, oempe Spiritum istum Dei aliud nihil esse, quam ipsam erga alios dilectionem. Ob eam causam, quod Dei maxime proprium est diligere: quemadmodum prædicto loco ad præcedentis capitis finem satis aperte ostendimus; & propterea eo vos rejecimus. Tantum, quod isto in loco facere omisimus, & nos hic facturos polliciti sumus, explicandum nobis est, quomodo verum sit, quod Deus faciat nos charitate esse præditos, & hac ratione, secundum interpretationem nostram, det oobis de spiritu suo. Illud autem oon videtur sane obscurum esse, quandoquidem certum est, nisi Deus prior nos dilexisset, & misisset filium suum vitam æternam annunciantem ipsius Dei nomine iis, qui vera dilectione erga alios fuerint præditi, nunquam futurum fuisse, ut nos talem dilectionem alii erga alios habuissemus, qualis intelligitur in isto felici nuncio nobis divinitus allato.

Est igitur Deus, amore suo erga nos, & promissione vitæ æternæ, amoris nostri erga alios autor, quatenus alioqui amore isto præditi oon fuissemus: sed ejusdem rei autor est etiam, idque magis proprie, quatenus per ista, quæ nobiscum fecit, charitatem seu amorem, de quo loquimur, in nobis ingeneravit. Quemadmodum Paulus ad Philip. cap. 2. ait, *Deum in nobis operari, ut & velimus, & perficiamus*, ea videlicet, quæ pertinent ad salutem nostram; oon aliam ob causam, nisi quia Deus per prædicationem Euangelii Jesu Christi effectus istos oobis plane salutares in nobis producit. En igitur quomodo Deus nos charitatis veræ ac perfectæ participes faciat; & consequenter, cum charitas sit quiddam adeo Dei proprium, ut ipse Deus charitas esse dicatur, nobiscum proprietatem suam quandam communicet, & sic de spiritu suo oobis det. Quæ *spiritus* appellatio propterea convenit qualitati isti à mundi alios, quia hæc qualitas eum, in quo est, summopere afficit, & maximam vim habet ad ejus actiones ejusdem qualitatis reddendas. Ut eoim quis affectus est, & potissimum affectu tali, qui ejus actiones aliquo modo moderetur: sic dicitur tali aut tali spiritu esse præditus.

Vers. 14. Ne autem dubitare possimus de explicatione nostra, quomodo Deus sit autor istius spiritus in oobis, quo fit, ut alios amemus, sicut Deus nos amat, facit inter alia id ipsum, quod in Johannis verbis hic statim sequitur. Id autem tale est: *Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit filium suum salvatorem mundi.* His enim verbis Johannes declarat, quomodo Deus de suo spiritu nobis dederit, id est, spiritus charitatis fecerit nos participes. Nempe, quia misit filium suum in mundum, ut mundus per ipsum servetur. Itaque vult dicere Apostolus, propterea nos spiritu charitatis præditos esse, quia animadvertimus Dei summam in nos charitatem, dum filium suum, ut oos servaret, in mundum misit, & eum pro nobis mori voluit. Quemadmodum etiam antea similes scriptoris nostri sententias interpretati sumus, & in bunc sensum eas accipi debere ostendimus. Continet autem hæc sententia, ut ex iis intelligi potest, quæ modo diximus, duo, quæ pertinent ad confirmandam enuociationem proxime præcedeotem, quod Deus de Spiritu suo oobis dederit. Unum est, quod Deus nos vehementer amavit; unde apparet, dilectionem veram & perfectam Dei effectum esse ejusinodi, qui indicet, quali spiritu, si ita loqui licet, Deus sit præditus, & breviter, ad Spiritum Dei pertinere, vere ac perfecte amare. Alterum, non ita aperte, ut istud prius, in Apostoli verbis contentum, sed tamen in illis comprebensum, est, quod nos ideo amamus alii alios, quia animadvertimus amorem Dei erga nos; & sic factum est, ut ipsius divini spiritus, charitatis, inquam, veræ ac perfectæ participes facti simus. Nec conteotus fuit Apostolus affirmasse, Deum tantam & tam efficacem in nobis charitatem erga nos exercuisse: sed addidit, se & alios sui similes, nempe Christi Apostolos, charissimosque & præcipuos ejus discipulos, istud & vidisse, id est plane cognovisse, & propterea nihil dubitasse id publice testari. Hac enim ratione multo majorem fidem rei veritatis fecit.

Dum autem dicit, *Misit filium servatorem mundi*, ut ex ante dictis à nobis apertum est, non est intelligendum, Dei filium jam fuisse servatorem mundi, antequam mitteretur: quamvis id alioqui recte intellectum, vere dici possit: sed est phrasis ista valde frequens in Sacris Literis, ut mitti seu venire aliquis dicatur talis aut talis, non quia qualitatem istam antea habuerit: sed quia ad id præstandum, quod qualitas ista significat, venerit aut missus fuerit; ut paullo ante vidimus Apostolum dixisse, dum eandem fere sententiam, quam hic, efferret, Deum misisse filium suum propitiationem seu expiationem pro peccatis nostris; & Nicodemus, in initio tertii capitis Euangelii hujus scriptoris, Christum alloquens ait: *Scimus, quia à Deo venisti magister*, id est, venisti ut magister sis. Sic igitur & hic, *Misit filium servatorem mundi*, aliud nihil est, quam Misit filium, ut esset servator mundi. Vulgata editio additam habet ad *filium* vocem *suum*, qua & Græca veritas, & editio Syriaca prorsus hoc in loco caret. Cur vero Dei filius vocetur *Servator mundi*, cum interim etiam post adveotum ipsius maxima mundi pars, id est hominum, pereat; ne hic interpretationes aliorum sine ulla necessitate recenseamus & refutemus, satis sit dixisse, Christum servatorem mundi esse, quatenus scilicet & quantum in ipso est. Quo etiam sensu dictum est in primo capite Euangelii sui ab eodem Johanne, *Christum venientem in mundum omnem hominem illuminare.* Ubi interim negari non potest esse aliam

præ-

præterea sermonis figuram, cum & ibi *omnis* seu *cujusvis hominis*, & hic *mundi* appellatione non prorsus singuli homines, nec mundus totus intelligatur: sed ibi significetur, nullam esse hominis conditionem, quæ illum excludat ab illuminatione, quæ per Christum contingit: hic vero declaretur similiter, ad totum mundum pertinere salutem per Christum allatam, quatenus nullum genus hominum nominarim ab ea excluditur, sed generatim ea ad omnes pertinet.

Vers. 15. Sequitur apud Johannem, *Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Difficile est plane constituere, cur Apostolus hæc verba hoc loco subjunxerit. Nam quod quodammodo per digressiunculam ad id reversus fuerit, de quo initio hujus capitis egit, mihi parum fit verisimile: sed arbitror alterutram ob causam quam subjungemus, illum hoc loco verba ista protulisse. Aut enim voluit (& hoc quidem mihi magis probatur) ostendere, quomodo sit verum, quod Deus miserit filium suum servatorem mundi; aut demonstrare voluit apertius, quantam charitatem Deus in filio suo mittendo exeruerit. Verum priorem causam, quæ mihi magis probatur, quamque verissimam esse credo, latius explicemus. Potuisset enim quis dicere, quomodo vero istud, quod testaris te una cum aliis vidisse, tibi credi potest? Aut quomodo ejus rei documenta nobis das, quod scilicet Pater, id est Deus, miserit filium suum ad servandum mundum? Cui respondet Johannes, se propterea una cum aliis verum dixisse, idque hujus rei documentum esse, quod Jesus nempe ille Nazarænus, qui salutem æternam mundo annunciavit, & ipsius Dei nomine promisit, & seipsum denique illam sibi credentibus & obedientibus daturum affirmavit, est verus & unigenitus Dei filius. Articulus enim, quemadmodum nomini *filii* proxime, ad significandum unicum illum Dei filium, præpositus fuit, sic & hic ei præponitur; & hac ratione melius per hoc, quod hic dicitur, illud, quod proxime dictum est, probatur ac confirmatur. Non contentus autem fuit Johannes, ut simpliciter diceret, Jesum esse istum Dei filium: sed efficacius id exprimere voluit inquiens: quod, qui hoc confitetur, id est ex animo credit, & sic non ore tantum, sed corde hoc verum esse agnoscit, in eo statu est, ut & ipse in Deo maneat, & Deus in illo, quo, ut non semel dictum fuit, nihil præstantius potest homini in hac vita contingere; & sic admodum efficaciter ac splendide affirmat ac contestatur, verissimum esse, quod Jesus Nazarænus sit ille Dei filius unicus ac singularis, qui salutem mundo attulit. Jam quod attinet ad alteram causam, ut scilicet apertius Apostolus Dei erga nos amorem ostenderet, propterea hæc verba dixisse; ea ita se habet, nimirum quod docere voluerit, Deum præ nimio amore, quo nos prosequutus est, talem viam ad salutem æternam consequendam nobis proposuisse, quæ admodum sit facilis; cum ad istud summum bonum adipiscendum aliud nihil ex ipso Dei consilio sit opus, quam credere, Jesum Nazarænum esse Dei filium, filium, inquam, ut dictum est, unicum ac singularem, & sic regem populi Dei. Atqui hoc credere sibique persuadere, admodum facile homini mentis probæ esse videtur; cum resurrectionis à mortuis ipsius Jesu, & exaltationis ad dexteram majestatis Dei extent testimonia, probationes, atque indicia clarissima ac certissima, & omni exceptione majora. Censemus nihilominus tamen, quamvis interpretatio hujus loci, hac nostra posteriore explicatione contenta, non videatur esse spernenda, præstare, ut diximus, priorem omnino amplecti.

Vers. 16. Jam id, quod hic statim consequitur, ubi Apostolus more suo repetit, quæ proxime dixerat, aperte ostendit, nos verum dixisse, cum affirmavimus, Johannem propterea mentionem fecisse, quod ipse, & ejus similes vidissent, quod Pater misisset filium ad servandum mundum, ut hac ratione Dei charitatem erga nos ostenderet. In hac enim repetitione sua diserte *charitatis Dei* fit mentio, quam erga nos habeat, hocque pro eo substituitur, quod antea dictum fuerat de missione ista Filii à Patre. Sic enim verba Johannis habent: *Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis.* Nemo non videt, verbis istis, *cognovimus & credidimus*, repeti id, quod dictum est supra diversis verbis, nempe *vidimus, & testificamur*, repeti, inquam, eandem sententiam: quamvis aliqua diversitas inter sensum proprium ipsorum verborum præcedentium, & horum subsequentium, animadverri possit. Quamvis enim non idem plane sit *videre* seu *spectare*, quod *cognoscere*: pro eodem tamen sæpe accipiuntur; nempe quia per visum seu aspectum fit cognitio. Verbum vero *testificandi* cum verbo *credendi* hanc convenientiam habet, quod, qui ex animo aliquid testatur, id plane verum esse credit. Quanquam suspicor in verbo *credidimus* posse esse Hebraismum quendam, unde fiat, ut parum aut nihil differat ejus significatio, hoc in loco, à verbi *testandi* significatione. Hebræi enim ex unico verbo, paullulum aut etiam nihil immutato, plures quam unam significationem eliciunt, ita ut inter alia hoc potissimum fiat, ut verbum, quod in una conjugatione significat actionem seu passionem tantum illius, ad quem verbum refertur, in alia, & nonnunquam etiam in eadem, significet actionem vel passionem istam in alium translatam. Nam hac ratione fit, ut verbum *credendi* possit exemplo Hebrææ linguæ usurpari ad significandum, quod quis fidem faciat, & sic causa sit ut alii credant, seu credendi affectum in aliis efficiat, ita ut, cum Apostolus dicit, *Et nos cognovimus, & credidimus charitati*, (seu, ut Græcum verbum habet, *charitatem*) *quam habet Deus in nobis*, idem sit, ac si dixisset, *Et nos cognovimus, & fidem fecimus de charitate, &c.* Verumtamen istam considerationem nostram, nequaquam pro vera afferimus, sed tantum examinandam proponimus.

Postquam Johannes clarius repetiit id, quod paullo ante dixerat, addit quiddam, quod superius affirmaverat, inquiens, *Deus charitas est*; atque subjungit, *Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo manet.* Nam certe si Deus est charitas, necesse est ut, qui in charitate manet, in Deo maneat. Quod tamen necessarium non esset, nisi, cum dicitur, *Deum esse charitatem*, intelligeretur, Deum esse ipsam charitatem. Nam si hic, id est, in enunciatione ista, *Deus est charitas*, charitas quiddam esset, quod de Deo prædicaretur simpliciter, ut alia de aliis prædicantur, nihil vetaret quominus Deus esset charitas, & tamen quispiam, qui in charitate maneret, non maneret in Deo. Quanquam, ut verum dicam, non apparet, Johannem ad eum modum, quo nos antea fecimus, hoc loco argumentari: sed convenienter iis, quæ supra à nobis disputata sunt, statuendum videtur, eum propterea ex eo, quod Deus sit charitas, colligere, eum manere in Deo, qui in charitate manet, quia ex enunciato isto, *Deus est charitas*, appareat, charitatem esse Dei effectum quendam, quem ia maxime familiarem, ut sic dixerim, habeat, & sic fieri, ut ia, qui veram charitatem exerceat, Deo sit similis, ejusque spiritus sit particeps. Nam non semel antea idem Apostolus ex eo, quod participes simus Spiritus Dei, conclusit, nos in Deo manere, & Deum in nobis: quemadmodum hic ex eo concludit, quod in charitate maneamus. Unde satis aperte intelligi potest, interpretationem nostram veram esse; quod iste *Dei Spiritus*, de quo Johannes loquitur, aliud nihil sit quam charitas. Id tantum pro explicatione horum verborum addere possumus, ne id quidem aperte constare, quod Apostolus ex enunciatione ista, *Deus est charitas*, omnino ratiocinetur. Nam fieri potest, ut enunciationem istam hic protulerit simpliciter in hunc finem, ut testetur Dei charitatem esse summam; & postea, ut ad charitatem nos inflammet, subjunxerit id, quod statim sequitur, non ut conclusum ex enunciato isto, sed ut per se subsistens, atque ut rem, de qua per ea, quæ

antea

antea ab ipso disputata sunt, dubitari nequeat. Tamen si etiam sine ulla præcedente disputatione, tanquam ab eo, qui alios doceat, potuit istud ab Apostolo plane affirmari, & verum esse constitui, ut sane verissimum est, nempe eum, qui in charitate maneat, in Deo manere, & Deum in ipso.

Unum adhuc restat in hoc 16. versiculo notandum, qua ratione videlicet loquutus fuerit Johannes, cum charitatis mentionem fecit, quam Deus erga nos exerceat. Sic enim loquutus est: *Charitatem, quam habet Deus in nobis.* Quæ loquutio, præsertim tota simul accepta, vix alibi invenietur. Supra, cum similiter de charitate Dei erga nos est loquutus, usus est quidem isto eodem modo loquendi *In nobis*, pro *erga nos*: sed verbo *habendi* ad *Deum* relato minime est usus: sed verbo *apparendi* relato ad *charitatem*, qui loquendi modus est multo usitatior. Ex his autem duobus locis inter se collatis apparet, in priore loco, de quo alioqui fortasse dubitari potuisset, illud *in nobis* prorsus significare *erga nos*: quemadmodum in hoc posteriore necesse est plane ut significet.

Vers. 17. Pergit Apostolus & ait: *In hoc perfecta est charitas cum nobis, ut fiduciam habeamus in die judicii; quia sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc.* Habent hæc verba, magnam & variam difficultatem, quam si diligentius explicare velimus, nimis longi sine fructu ullo futuri simus. Non committemus tamen, quin ea dicamus, quæ ad veram & horum & statim sequentium verborum sententiam asserendam pertinere posse putabimus. Primum igitur nihil dubitamus, quin id, quod Beza in suis annotationibus monet de ordine & structura horum verborum, verissimum sit; videlicet quod verba ista, *Ut fiduciam habeamus in die judicii*, tanquam per parenthesin dicta accipienda sint, & non conjungenda cum verbis illis præcedentibus, *In hoc perfecta est, &c.* Nempe cum quibus conjungi debeant illa, *Quia sicut ille est &c.* Et sane sæpius antea Apostolus, hoc modo loquendi utens, ut dicat, *In hoc sit hoc aut illud*, si id, quod significatur per voculam *hoc*, dum dicit *in hoc*, sequitur post verba ista, anteponit ei conjunctionem Græcam ὅτι, quemadmodum hic posuit ante verba illa *sicut ille est, &c.* Exempla hujusce rei habetis hoc eodem capite supra ỳ. 13. & 9, & alibi non semel, ut per vos ipsi animadvertere poteritis. Quod vero anteponat ei, quod significatur in tali loquutione per demonstrativum illud *hoc*, particulam *ut*, nusquam factum ab eo est; nec sermonis ratio videtur id ferre posse. Unde factum est, ut quidam ex iis, qui credunt illud, *Fiduciam habeamus in die judicii*, id esse, quod per pronomen *hoc* significatur, dixerint, verbum Græcum ἵνα, quod ei anteponitur, & proprie *ut* significat, idem hic vale, quod ὅταν, id est, *cum*, seu *quando*, idque exemplo quodam Aristophanis confirmare sunt conati. Verum nihil est opus ad ista confugere, ubi habemus interpretationem aliam, quæ cum usu hujus scriptoris maxime convenit, & nihil incommodi prorsus habet. Jam si verba ista ita legi debent, ut Beza monuit, & nos censemus, videndum restat, quinam sit eorum sensus, quem à Beza non fuisse animadversum, plane ausim affirmare. Nos enim primum censemus, id quod ille non vidit, pronomen *ille* seu ἐκεῖνος, non Deum ipsum, sed Christum significare: quemadmodum ostendimus evenire supra non in uno loco. Nec solet Johannes pronomine isto uti ad significandum illum, quem proxime commemoravit, nisi tunc, cum non potest pronomen αὐτὸς ad eum significandum commode usurpari, ut supra duobus in locis evenisse ostendimus, ubi propter hanc causam necesse quodammodo habuit Johannes uti pronomine isto ἐκεῖνος loco αὐτὸς; & certe alioqui etiam pronomen ἐκεῖνος sua propria & consueta vi ad eum refertur, qui non proxime, sed vel procul, vel etiam nunquam antea fuerit nominatus.

Hoc igitur constituto, quod hic non secus atque alibi pronomine isto Christus significetur, qui proxime nominatus non fuerat, ut recte intelligere possimus, quid sibi hoc velit, *Quod sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc*, necesse est diligentius perpendere, quid sibi velint verba illa, à quibus hoc pendet, nempe, *In hoc perfecta est charitas cum nobis*, atque inquirere, de qua videlicet charitate hic verba fiant, nostra an Dei; & quid per illud *perfecta est* omnino significetur. Atque hinc initio facto, est nobis totius loci verus sensus accurate investigandus.

Primum igitur, si verba eo modo disponantur, quo nos disponenda esse docuimus, & pronomen *ille* seu ἐκεῖνος ad Christum ut ostendimus referendum plane est; ipsa verba ita sonant, ut appareat, Johannem ita dicere, in eo charitatem nobiscum perfici, quod tales in hoc mundo simus, qualis Christus est: quod eo pertinet, ut in die judicii fiduciam habeamus. Itaque deinde quærendum est, ut diximus, de qua charitate, nostrane an Dei, Apostolus in his verbis loquatur. Qui volunt illum loqui de charitate Dei, nempe erga nos, coguntur verba ista sic disposita, ut nos disposuimus; sicque sonantia, ut ea sonare diximus, ita interpretari, ut Apostolus dicere voluerit, charitatem Dei erga nos tunc perfici, cum nos in hoc mundo sumus, qualis est Christus. Quæ interpretatio non videtur defendi posse, propterea quia Dei charitas erga nos per se ipsa perfecta est, neque ut perficiatur opus est, ut effectus ullus inde in nobis existat. Sed respondebunt isti, verbum *perficiendi* hoc in loco non significare perfectum fieri: sed effectum suum, ac finem sibi propositum consequi. Atqui necesse esset, ad istam hujus verbi significationem aliis hoc in loco probandam, aliquod ejus rei exemplum afferre. Ego hactenus nullum invenire potui, & in superioribus locis, ubi hæc eadem loquutio est, quod scilicet charitas perficiatur, talem significationem vix ullo modo posse admitti, satis credimus intelligi posse ex eorundem explicationibus nostris. At rursus, quando prior responsio ista nobis non probatur, dicent, ex consueto modo loquendi in Sacris Literis, posse rem ipsam pro rei cognitione usurpari, & propterea hic dici posse, idem esse *perfici*, quod *perfectum ostendi.* Sed neque hoc, quamvis significatio ista verbi *perficiendi*, superioribus illis locis hujus Epistolæ, de quibus modo dicebamus, accommodari possit, hic nihilominus locum habere posse videtur; cum perfectio charitatis Dei erga nos, non ex eo apparere possit, quod nos tales in hoc mundo evadamus, qualis est Christus: sed potius in eo, quod vi ipsius charitatis, tales evadere possimus. Hoc autem, considerata ipsius divinæ erga nos charitatis qualitate, & propria vi, per se satis apparet; neque ut appareat quicquam opus est, ut effectus ipse consequatur; cum nemo non videat, si non consequitur, id non ab imperfectione ulla divinæ charitatis proficisci: sed ab improbitate & malitia, vel certe negligentia nostra.

Quare necesse esset, si altera ista responsio aliqua ratione admittenda foret, alium figuratum loquendi modum, præter jam dictum, in Apostoli verba inducere, hoc nimirum pacto, ut, *Esse tales in hoc mundo, qualis Christus est*, idem valeret, atque *Esse posse tales, &c.* Quod satis durum esset, in hoc præsertim loco, cum Apostolus in tota sua hactenus disputatione de charitate sive Dei, sive nostra, non videatur unquam habuisse rationem ejus, quod vi illius fieri possit: sed tantum illius, quod re ipsa fiat. Quicquid sit, non sunt figuratæ loquutionum significationes in unis verbis, eadem, eaque brevi periodo comprehensis, sine necessitate multiplicandæ, eæ præsertim, quæ non admodum usitatæ fuerint, qualis sine dubio ista est, quam postremo commemoravimus. Quapropter satius esse videtur, charitatem istam ita intelligere, ut ad nos active referatur, id est de charitate, qua nos diligimus, accipiatur. Sic enim fiet, ut & sensus sit multo probabilior, & nobis utilior; & eæ difficultates cessent, quæ in altera ista interpretatione de charitate Dei emergunt. Tantum difficultas aliqua esse videtur in verbis illis, cum

cum nobis, seu *nobiscum*. Nam secundum hanc interpretationem, necesse est ut idem valeat *cum nobis*, quod *in nobis*. Qui loquendi modus, si modo alibi invenitur, rarus admodum est, verbaque ista *cum nobis* melius sine dubio accommodantur ad alteram illam interpretationem, quam nos minime probamus. Sed non debet hæc sola difficultas, quæ non magna est, nobis eripere peregregium, atque, ut conjici potest, verissimum ipsius loci sensum. Vidimus enim & paullo ante, id est, in hoc eodem capite ℣. 9. & proxime ℣. 16. Apostolum, ut ante monuimus, usum fuisse verbis *in nobis*, pro eo, quod est *erga nos*, & sic iis verbis significasse id, quod erga nos fit, quibus proprie significatur id, quod in nobis fit.

Quare non debet esse mirum, si hic vicissim iis verbis, quibus proprie significatur quod erga nos fit, declarare voluerit id, quod fit, sive est in nobis. Jam sensus, accipiendo hic charitatem pro charitate nostra erga alios, iste est, quod nostra hæc charitas tunc perfecta est, cum sumus tales in hoc mundo, qualis Christus est, id est, qualis ipse fuit, dum in hoc mundo esset. Nam verba, *in hoc mundo*, potius propter Christum addita sunt, quam propter nos; ad declarandum videlicet, hic sermonem esse de similitudine nostra cum Christo, sive eadem qualitate; non quidem considerato Christo qualis nunc est in cœlo, sed qualis fuit in hoc mundo. Nam verbum præsentis temporis pro verbo temporis præteriti in Sacris Literis usurpari, non est novum. Quinetiam supra cap. 3. 7, ubi similis est loquutio, & quidem de eodem Christo, istud factum fuisse apparet, in illis, inquam, verbis, *Qui facit justitiam justus est, sicut ille justus est:* tametsi nos, ut, quam maxime fieri potest, verborum proprietas conservetur, ostendimus, quo modo possint verba ista explicari, etiamsi ista temporis enallage ibi non fiat: ex qua tamen multo ad rem accommodatiorem sensum, & doctrina Christiana nobis utili pleniorem, emergere, ex explicatione nostra loci istius facile intelligi potest.

Sed quæret aliquis, quid sibi vult istud, *quod tales simus qualis Christus in hoc mundo fuit?* Respondemus, id satis per se constare, & sententiam continere ad totum locum accommodatissimam, etiamsi non habeatur relatio ad charitatem, de qua hic est sermo, ut quidem credimus haberi debere, atque intelligi, non simpliciter, sed secundum quid istam similitudinem nostram cum Christo esse; videlicet ut in charitate erga fratres tales simus, qualis ipse fuit: etiamsi, inquam, ad hunc modum verba ista non interpretaremur, sed simpliciter ea acciperemus, non quidem absolute, (sic enim sensus & absurdus, & impossibilis esset) sed quod attinet ad morum & vitæ sanctitatem: tamen, quemadmodum sensus per se verus esset: sic etiam ad ipsam charitatem, quæ simpliciter hic nominatur, plane accommodatus foret; cum sine restrictione ulla, quicquid ad morum & vitæ sanctitatem pertinet, possit, ut supra à nobis alicubi ex parte disputatum est, & divinis testimoniis confirmatum, charitatis nomine comprehendi, seu ad charitatem, tanquam ad caput quoddam revocari. Verumtamen hoc in loco placet istam similitudinem charitatis nostræ cum Christi charitate ita interpretari, ut arctiore quadam significatione, & magis propria, nomen *charitatis* accipiatur; quatenus scilicet significat erga fratres dilectionem. Nam ex ea fit, ut propter illos nihil non faciamus, & aliquod egregium opus, in ipsorum beneficium, si opus fuerit, patremus. Hujusmodi autem, atque inter cætera maximum ac præcipuum est, mortem pro illis oppetere. Namque hoc ipsum illud est, propter quod maxime ac præcipue in charitate Christo similes sumus. Quare verbis istis, *Quia sicut ille est, &c.* Potissimum significatur, quod non recusemus pro fratribus mori, si usus hoc postulet: quemadmodum Christus, ut nobis benefaceret, & vitam æternam compararet, pro nobis mori non recusavit.

Ex hac interpretatione nostra liquido apparet, quid significet verbum illud *perfecta est*, id est, Est plena & ad eum gradum pertingit, qui nobis præscriptus est & quo ubi pertigerit, jam nihil illi deest, quod sit necessarium, ut ex ea affectus ille consequatur, quem expectamus, & præmium ex Dei benignitate reportemus, quod illi ab ipso Deo per Christum repositum fuit. Non pauci sunt, qui verbum istud τελειοῦται, quod vetus interpres recte ac proprie reddidit *perfecta est*, aut aliud ex eodem themate derivatum, quo & hic, & alibi supra utitur Apostolus, cum de charitate nostra loquitur, ita interpretentur, ut significet sinceritatem, & omnis simulationis carentiam. Quæ interpretatio mihi arridere non potest, cum propter alias causas, quæ ex explicationibus nostris superiorum locorum percipi possunt, tum propter hoc, quod in hoc loco ea consistere non possit, cum manifestum sit, hic non de sinceritate agi, sed de ipsa perfectione. Syrus interpres in his verbis post vocem *charitas* addit, ut arbitror, de suo pronomen *ejus*. Qua in re non admodum fideliter se gessit. Sic enim præjudicium attulit, nec permisit lectori indagare, de qua charitate hic sit sermo. Quod si fortasse non ipse pronomen istud addidit, sed Græcum codicem habuit, in quo id legeretur, sentiendum plane hic est, quod alibi monuimus, verisimile esse, sciolum aliquem de suo illud in margine ipsius Græci codicis addidisse, declarandi nimirum loci gratia, idque postea in contextum irrepsisse. Idem interpres in eo fortasse non male se gessit, quod verbum ἐστί, pronomini ἐκεῖνος subjunctum, reddidit *fuit*, & hac ratione interpretationem veram hujus loci confirmavit, ac docuit, pronomen ἐκεῖνος non ad Deum, sed ad Christum referendum esse. Attamen hic quoque præstitisset liberum judicium lectori relinquere.

Sequitur ut de sensu illorum verborum agamus, *Ut fiduciam habeamus in die judicii*, quæ quo referantur, nihil dubitandum est, si tanquam per parenthesin interjecta legenda sint, immo, secundum dispositionem nostram, omnium horum verborum ista ultima ponantur. Sed & sensus ipse valde apertus est, eique similis, qui habetur ad finem secundi capitis, in illis verbis, *Ut, cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo, in adventu ejus.* Constat enim manifeste, quemadmodum ibi, sic & hoc in loco sensum esse, ut, quando Christus veniet, judicaturus orbem terrarum, simus securi & certi, sententiam ab eo nobis favorabilem in nos pronunciatum iri. Facit autem locus iste superior, ut multo etiam alacrius nostram totius hujus periodi dispositionem amplectamur, ac retineamus. Ut enim ibi hæc sententia posita est ad monendum nos, ut maneamus in Christo, sive in Deo per Christum: sic hoc loco verisimile plane est, fuisse hanc sententiam appositam ad nos monendos, ut tales simus, qualis Christus in hoc mundo fuit, id quod minime factum fuisset, sed plane diversam ob causam sententia ista hic fuisset posita, si ita prorsus disponi deberent verba hujus periodi, ut jacent, ita ut prædicta sententia conjungeretur sensu ipso cum proxime præcedentibus verbis, *In hoc perfecta est charitas cum nobis*, ut sane plerique existimare videntur.

Vers. 18. Ostendimus, in hoc versiculo 17, recte explicando, ut prædiximus, non parvam esse difficultatem: sed major adhuc esse videtur in proximo 18, explicando, cujus initium ita habet: *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Admodum enim difficile est statuere, de quo timore Apostolus hoc in loco loquatur: tametsi ex iis paucis explanatoribus, quos consulere potuimus, nemo sit, qui hac de re quicquam dubitare videatur, statuentibus omnibus, Apostolum hic loqui de eo timore, seu metu, qui opponitur illi fiduciæ, cujus sit mentio in verbis superioribus. Quod quidem verum esse, non ausim ego prorsus negare: sed mihi tamen multo sit verisimilius, ut de alio metu hic verba fiant, nempe de eo metu, quem injiciunt nobis pericula, & damna, præ-

præsertim vero ipsa mors, quæ, ut dictum fuit, ei, si opus fuerit, subeunda est, qui velit veram & à Christo præscriptam charitatem exercere. Si aliorum sententia tenenda sit de significatione hujus vocis *timoris*, tum necesse erit sensum horum verborum, *timor non est in charitate, &c.* hunc esse, quod, si quis vera charitate sit præditus, non est quod metuat, se in die judicii à Christo damnatum iri: Sin vero nostra sententia probetur, sensus erit, eum, in quo sit vera charitas, nihil sibi metuere à quibusvis periculis, & damnis, neque ab ipsa morte, quominus illam, si usus veniat, pro fratre oppetat. Uterque sensus sine dubio verus est, & plane egregius. Sed tamen prior non videtur bene convenire cum eo, quod omnino verisimile sit, sententiam istam, *Timor non est in charitate*, esse proverbialem, atque ejusmodi, quæ Johannis tempore usurpari soleret. Nam si hoc concedatur, non potest fieri, ut prior sensus illi accommodetur; cum sensus iste nullo modo considerari possit aut accipi aliter, quam ut necesse sit confiteri, eum esse satis abstrusum, ac reconditum, ac consequenter non consentaneum proverbiali & communiter usurpatæ sententiæ.

Nam primum valde abstrusum est, ut timoris nomine intelligatur metus condemnantis sententiæ in die universalis judicii. Deinde abstrusum similiter est, quod charitas tanti sit, ut metum istum plane depellat; cum hoc non ex natura rei fiat, sed tantum ex decreto Dei, qui constituit pro sua pura bonitate, ut nulla damnatio in die judicii metuenda sit ei, qui veram charitatem habeat.

Præterea iste loquendi modus, *Timor non est in charitate*, videtur omnino, non quidem significare, ibi non esse metum, ubi est charitas: sed præterea declarare, metum charitati non esse admistum; quod sane verum est, si de vera ac perfecta charitate, de qua hic sine dubio agitur, sententia ista accipiatur. Alioqui enim, si charitas non sit perfecta, admiscetur quodammodo metus charitati, id est, dum quis amat, & sic amore impulsus vellet aliquid magnum, id est, sibi ipsi incommodum pro fratre præstare, admiscetur huic amori metus ipsius incommodi, & ita fit, ut is à sancto isto proposito deterreatur. Ejusmodi admistio non potest ullo pacto animadverti in charitate & metu futuræ damnationis, de quo prior sensus loquitur; neque metus iste efficere ullo pacto potest, quominus quis perfecta charitate sit præditus. Quin potius contrarium potest efficere, & hominem eo adducere, ut perfecte charitatem exerceat; cum certum sit, eum damnatum iri, qui id non fecerit. Atqui in posteriore sensu omnia, ut vidistis, recte conveniunt: nisi quod non est in proxime antecedentibus verbis verbum expressum aliquod, quod videatur posse respicere vocem istam *timoris*, si ea eum metum significet, qui ex malis, quæ in hac vita contingere possunt, & præcipue ex ipsa morte concipitur: quemadmodum sane est, si de metu diei judicii vox ista accipiatur; cum, ut dictum fuit, fiat in proximis verbis mentio rei oppositæ, id est, *fiduciæ*, quæ in eodem judicii die habeatur.

Atque hæc sine dubio fuit potissima causa, cur prior iste sensus vulgo in mentem hujus loci explanatoribus venerit: de posteriore vero ne cogitaverint quidem. Atqui haud raro fit, ut verba subsequentia ad præcedentia relationem habeant, habita ratione sensus, qui in istis continetur, etiamsi prima specie, & in ipso verborum sono, nihil ejusmodi appareat, quo subsequentia verba referri possint: quemadmodum, nisi vehementer fallimur, accidit hoc in loco. Quandoquidem proxime præcedentia verba illa, *Quia sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc*, continent omnino, ut monuimus, hunc sensum, quod scilicet, sicut Christus non dubitavit mortem subire pro nobis, & sic in charitate erga nos perfectus fuit: similiter & nos non dubitamus pro fratribus mortem adire, & hac ratione in charitate perfecti sumus. Hic sensus omnino continet mentionem metu carendi, si quis perfecta charitate sit præditus; & propterea appositissime ad ejus rei confirmationem subjungitur ab Apostolo proverbialis ista sententia, *Timor non est in charitate*.

Est autem diligenter animadvertendum artificium & solertia hujus scriptoris, qui, etiamsi verba illa, *ut fiduciam habeamus*, secundum simplicem & rectam dispositionem totius periodi, debuissent in ejus fine poni: noluit tamen id facere, sed illa inter reliqua duo periodi membra interjicere, ut, quæ in sequente periodo dicturus erat, possent recte intelligi, & eo referri, quo debent. Est enim vulgatum, ut sequentia verba ad ea referantur, quæ postremo & plane proxime sunt dicta; unde factum esset, ut, si postremo loco versiculi istius 17, ut dispositio ipsorum verborum ferebat, posuisset ista, in quibus fit mentio fiduciæ, quæ habeatur in die judicii, tunc plane merito potuisset quis id facere, quod vulgo factum videmus, quodque ipse Apostolus fieri noluit, ut scilicet sententia ista, *Timor non est in charitate*, eo referretur.

Jam verba, quæ post istam sententiam statim leguntur, *sed perfecta charitas foras mittit timorem*, videntur prorsus confirmare id, quod diximus, esse hic mentionem cujusdam metus, qui impediat, vel potius impedire conetur perfectam charitatem, eique sese admiscens, illam imperfectam reddere. Aut certe constat ex his verbis, ut ipsa sonant, perfectam charitatem & timorem, res esse, quæ simul pugnent, & quarum utraque curet in hominis corde & animo locum habere; cumque fieri nequeat, ut utraque simul sit, effici tandem, ut altera alteri cedat, vel potius quodammodo per vim ab altera foras ejiciatur. Atqui ejusmodi pugna, & ejusmodi quodammodo cura cor & animum hominis certatim possidendi, non cadit in timorem & charitatem, si timor is metus sit, qui futuræ in die judicii damnationis habeatur: quemadmodum intelligi potest ex iis, quæ proxime ante à nobis disputata sunt. Voluit autem Apostolus in his verbis aperte declarare, de qua charitate accipienda sit sententia ista, *Timor non est in charitate*, nempe de perfecta, id est, ejusmodi, quæ ad illum gradum pervenit, quem Deus per Christum præscripsit: tametsi, quod de tali charitate sententia ista accipienda esset, satis docere poterat id; quod antea dictum fuerat de eo, in quo consistat perfecta charitas; & quod de tali charitate in proximis verbis omnino sermo fuerat.

Subjungit Apostolus rationem quandam, cur timor, de quo loquitur, non possit simul cum perfecta charitate consistere. Ait enim, *Quoniam timor pœnam habet*. Vox Græca, quæ *pœnam* reddita est, proprie punitionem significat; & ab aliis redditur *cruciatum*. Hæc ratio videtur aliquantum favere communi interpretationi, quod metus seu timor iste sit is, qui concipitur ob futuram damnationem. Is enim metus eum, in quo ille sit, sine dubio valde angit & cruciat: quod non videtur in eo metu evenire, aut certe non tam valde, qui concipitur ob mala & pericula, quæ sint subeunda. Verumtamen negari non potest, quin hic quoque metus aliquem cruciatum afferat; nec ullus potest esse verus metus sine animi perturbatione ac dolore quodam; cum animus noster & totus humo abhorreat à suo malo sive incommodo: metus autem aliud nihil sit, quam concepta opinio impendentis, aut saltem futuri mali. Quare etiamsi non ita proprie dicatur is cruciari, qui metuit damnum aliquod hujus præsentis vitæ, ut is, qui metuit æternam damnationem; ac propterea iste metus mali ad hanc vitam pertinentis, de quo hic agitur, ejusmodi sit, qui non existat, nisi is velit, in quo existit: metus vero æternæ damnationis etiam in eo existat, sive existere possit, qui, ne existat, vehementer curet: nihilominus tamen non videtur ullo pacto anteponenda communis interpretatio nostræ, tum ob ea, quæ ante ad hoc demonstrandum dicta sunt; tum maxime ob hanc causam, quod non appareat, quomodo cruciatus iste ex metu æternæ damnationis pugnet cum charitate perfecta ex ipsius rei natura; cum, quicquid repugnantiæ inter

ista

ista duo est, id totum pendeat ex solo Dei decreto: contra vero ex ipsius rei natura non videtur cruciatus, qui ex metu proficiscatur alicujus mali hujus præsentis vitæ, & ipsius mortis, posse cum perfecta charitate consistere. Quandoquidem is, qui perfecte fratrem suum amat, ita ut sit paratus vitam suam pro ipso profundere, fieri non potest, ut illum cruciatum sentiat ex opinione mali alicujus, quod ipsius sui fratris causa subiturus sit. Apparet autem, sententiam istam, *quod metus cruciatum habeat*, quemadmodum antea diximus de altera præcedente huic simili, *timor non est in charitate*, esse ejusmodi, ut in ea ipsius rei naturæ ratio habeatur. Alioqui non ita simpliciter ac nude, & denique indefinite proferretur: sed aliquid adderetur, unde constaret, haberi in ea rationem alterius cujuspiam rei, non autem ipsius naturæ rerum.

Diximus, quid nobis videatur de hoc sane perdifficili loco; & propter quas causas interpretationem nostram ei, quæ communiter recepta videtur, anteponendam censeamus; nec quidquam in dubium revocamus id, quod jam hac de re statuimus. Veruntamen non inutile fore duximus, si tertiam adhuc interpretationem hujus loci, quam suspicamur cuipiam in mentem venire posse, commemoremus: quamvis per eam efficiatur, ut dubia reddatur jam constituta interpretatio superioris versiculi, quod attinet ad vocem *charitatis*. Jam enim constituimus, ibi agi de charitate erga fratres. Sic enim ubique superius apparet sentire Apostolum, cum de charitate, quæ in nobis esse debeat, verba facit, ut eum in superiore isto versiculo verba facere conclusum a nobis est. Quandoquidem tertia hæc interpretatio requirit ut istic agatur præcipue de charitate nostra erga Deum. Nam secundum eam intelligendum est, ut, cum Apostolus hic dicit, *timor non est in charitate*, velit dicere, non posse vere ac perfecte amari eum quem timemus; & propterea, si quis sit, qui talis sit in hoc mundo, quod attinet ad amandum Deum, qualis Christus, fieri non potest, ut iste sibi à Deo timeat; & consequenter necesse est ut habeat fiduciam in die judicii.

Hæc interpretatio, quæ tota ex eo pendet, quod hic agatur de charitate in Deum, videtur mirifice confirmari per id, quod sequente 19. versiculo subjungitur, qui talis est, *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos*. Videtur enim plane necesse esse, ut hujus versiculi sententia aliquid affine habeat cum proxime antecedentibus; habetque præterea interpretatio ista id, quod, ut dictum fuit, videtur omnino requiri in explicandis duabus illis sententiis, *Timor non est in charitate*, & *Timor punitionem*, vel potius *pœnam*, seu *cruciatum habet*, ut scilicet id, quod continent, ab ipsius rei natura proficiscatur. Nam certe ex ipsius rei natura pendet, ut eum minime sincere ac perfecte amemus, quem metuimus, utque metus iste cruciatum quendam ac perturbationem secum conjunctam habeat, metus, inquam, quo nobis ab aliquo metuimus. Istis pro hac interpretatione rationibus, præter id, quod hactenus Apostolus, cum de charitate nostra loquutus est, præcipue ac fortasse solum de charitate, qua fratres, sive alios diligimus loquutus est, hoc potissimum adversatur, quod verba illa, *Perfecta charitas foras mittit timorem*, non videntur ei posse accommodari. Neque enim amor est, quo aliquem prosequimur, qui ejiciat metum, quem illius habeamus: sed contra metus, quem alicujus concipimus, non permittit, ut illum vere amemus. Ad hæc, vox Græca φόβος, seu Latina *timor*, ad Deum passive relata, nunquam fortassis invenitur significare, nisi rem admodum laudabilem, & divino homine dignam; quæque non modo cum ejusdem Dei amore non pugnat, nec cruciatum ullum habet: sed etiam ipsum erga Deum amorem fovet atque auget, & ipsius quodam modo causa existit; & homini eo prædito animi tranquillitatem potius quam perturbationem ullam affert.

Ex quibus rationibus fit, ut interpretationem istam amplecti non possimus. Nam quod attinet ad rationem pro ea confirmanda ductam ex sequente versiculo, mox Deo dante illam diluemus. Necesse est enim prius duo verba dicere de ultima parte præsentis versiculi, de verbis, inquam, illis, *Qui autem timet, non perfectus est in charitate*, nam in illis sine dubio particula *autem* Latina, seu δὲ Græca, non videtur suam propriam significationem habere; cum sententia, quæ istis verbis continetur, non habeat in se quidquam diversum ab eo, quod antea affirmatum fuit: quemadmodum requirit proprius usus, propriaque vis particulæ istius: sed sententia ista omnino consequitur ex antedictis & affirmatis, ut unusquisque per se apertissime intelligere potest. Quapropter nihil dubito, quin aut mendum aliquod in exemplaria irrepserit, aut hic animadvertenda sit proprietas quædam linguæ Hebraicæ, quæ videlicet cum paucissimas præ aliis linguis, & præ multitudine sensuum, quos illis exprimere necesse est, habeat particulas conjunctivas, cogitur sæpe illis improprie uti. Nec sane hic locus solus est in Novo Testamento, ubi particula aliqua conjunctiva, & nominatim ea ipsa, quæ hic habetur, aliter accipiatur ac proprie sonat atque significat Breviter, satis constat, idem valere hoc in loco conjunctivam istam voculam, quod *igitur* Latinum, sive οὖν Græcum. Concludit enim Apostolus ex præcedentibus, eum, qui timet seu metuit, non esse perfecta charitate præditum; potestque hæc conclusio ex ipsis solis proxime antecedentibus verbis commode colligi, si quidpiam tamen subaudiatur, ut solet in ratiocinationibus fieri. Est enim hic, vel esse potest tale enthymema: Metus habet cruciatum. Ergo qui metuit, non est perfectus in charitate. Subauditur enim totius ratiocinationis propositio, quæ est, *Ubi est perfecta charitas, ibi non est cruciatus*.

Sed jam ulterius progrediendum est, & explicatione subsequentis versiculi diluenda illa inde pro tertia superiorum versiculorum interpretatione ratio ducta, & à nobis allata. Dicimus igitur, non esse necesse ostendere, quomodo verba ista, *nos diligimus eum*, cum proxime antecedentibus plane cohæreant. Vidimus enim supra non semel, non esse in Apostoli verbis summam atque exactam quandam cohærentiam: sed evenire nonnunquam, ut verba ipsius conjungantur, non cum proxime præcedentibus; sed vel cum iis, quæ longius præcesserunt, vel cum ipso scriptoris in hac Epistola scopo ac proposito; satisque nos habere debere, si interim nihilominus ab iis, quæ proxime antecedunt, non plane differant, sed cum illis aliquam tamen convenientiam habeant: id quod hoc in loco sine dubio contingit, etiamsi in proxime antecedentibus verbis non fuerit mentio ejus amoris, quo nos diligimus Deum. Namque satis est, quod amor seu charitas erga fratres, de qua in proximis verbis actum est, oritur, & tanquam inde proficiscens ab Apostolo consideratur, ex charitate, quam Deus erga nos ostendit: quemadmodum constare potest, si quis à versiculo 8. hucusque Apostoli verba repetens, ea diligenter examinet. Cum igitur ex ista charitate Dei in nos Apostolus hucusque ostenderit proficisci, aut certe proficisci debere charitatem nostram erga fratres; huncque locum diligenter ac copiose, simul ad nos ad charitatem in fratres animandos, simul ad ipsius Dei in nos charitatem vehementer commendandam, pertractaverit, repetens propositum suum commendandæ charitatis divinæ, & simul nos animandi, non jam ad amandum fratres tantum, sed etiam ipsum Deum, (quod poterat tacite videri comprehensum in adhortatione ipsius superiore ad charitatem perfectam, ubi illam simpliciter nominat, etiamsi præcipua ibi ejus mens esset, ad charitatem in fratres adhortari) in hunc modum nunc loquitur: *Nos diligimus eum. quoniam ipse prior dilexit nos*. Ac si diceret: Non solum autem hoc, quod Deus prior nos dilexit, quemadmodum antea ostendimus, ac testati sumus, ejus charitatis est causa, aut esse debet, quam in fratres exercemus, aut exercere debemus: sed etiam ejus, qua ipsum Deum amamus, aut certe amare debemus. Sunt enim judicio meo, hæc hujus versiculi verba admodum prægnantia. Nam, ut

paullo ante indicavimus, Apostolus non solum vult hic commendare Dei erga nos charitatem, quod ipsa verba aperte præ se ferunt: sed etiam vult animare nos ad ipsum Deum amandum. Est enim verisimilimum, ut, cum tam multa dessetuit antea de charitate nostra in fratres, ad eamque efficacissimis rationibus nos impellere conatus fuerit, non omittat, antequam suam istam Epistolam absolvat, de charitate, qua Deum diligere debemus, aliquid nominatim disserere, ad eamque nos diligenter adhortari.

In his igitur verbis, *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos*, quamvis non contineatur aperta commonefactio ut Deum diligamus: tamen virtute ipsa ea omnino continetur; cum ejus rei ponatur diserte causa id est id, quod ejus debet esse causa, nempe quod Deus prior nos amaverit. Estque causa hæc, ducta ex amore Dei, multo potentior ad persuadendum nobis, ut Deum amemus, quam ut amemus fratres. Quocirca, cum antea ea sit Apostolus usus, idque non semel, & cum efficacia quadam, ad probandum, nos debere amare fratres; concludendum est, eum voluisse ipsam commemorando tacite nobis persuadere, ut Deum amemus. Est enim omnium causarum amoris illa efficacissima, ut etiam supra alicubi indicavimus, cum sentitur & agnoscitur ab eo, qui amare debet, amor erga se illius, quem debeat amare; adeo ut id per seipsum, sine ullo alioqui præcepto, aliave rei convenientia, & debita quadam condecentia, vim babeat amorem hujus erga illum excitandi. Unde factum est, ut proverbialiter dicatur, quemlibet, qui amari se sentit, cogi naturaliter vicissim amare.

Jam quod diximus de eo, quod his verbis continetur, quod eo pertinet, ut agnoscatur amor Dei erga nos esse causa amoris nostri erga ipsum, ita sine dubio intelligi debet, & in hunc sensum potissimum sunt verba ist accipienda, ut Apostolus dicere voluerit, non futurum fuisse, ut nos Deum diligeremus, nisi ipse prior dilexisset nos. Atque ita ex istis iisdem verbis, quæ propterea paullo ante valde prægnantia esse diximus, colliguntur ista tria. Unum, quod amor Dei erga nos excitavit in nobis amorem erga ipsum. Alterum, quod, si amor iste Dei nos non prævenisset, nunquam nos illum amavissemus, ea scilicet ratione, qua debemus. Tertium, quod quoniam Deus prior amavit nos, condecens plane est, ac consentaneum, ut nos vicissim illum amemus idque facere jure ipso naturæ obstricti sumus.

Sciendum autem est, quod & in Latina vulgata, & in Syriaca editione additur ab initio borum verborum particula conclusiva *ergo* sive *igitur*. Vulgatus enim interpres sic habet: *Nos ergo diligamus*. Syrus vero interpres, ut Tremellius transtulit, habet: *Nos igitur diligimus*. In Latina interpretatione subjunctivum verbum *diligamus* clare docet, interpretem istum agnovisse in verbis Apostoli illum tertium sensum, quem paullo ante exposuimus. Et sane verbum Græcum ἀγαπῶμεν tam potest esse subjunctivi, quam indicativi modi. Mihi tamen plus placet Syriaci, & aliorum interpretum translatio in verbo hoc. Nam pet eam fit, ut multo plenior sit horum verborum sententia.

Quod attinet ad particulam istam conclusivam, quando videmus illam apud utrumque istum interpretem haberi, necesse est agnoscere, eos habuisse Græcum exemplar, ubi ea legeretur. Sed, nisi admodum fallor, lectio ista non erat germana hujus loci, & videtur fuisse particula ista addita propterea, quia crederetur, Apostolum in proxime præcedentibus egisse de charitate, qua Deum amamus, & sic non appareret, quomodo concinne verba hæc cum superioribus cohærerent, sine conjunctiva, & simul conclusiva particula ista. Nam quod ea deberent relationem habere ad id, quod multo ante de charitate Dei erga nos Apostolus disputaverat, nimis durum visum fuit.

Est præterea animadvertendum, quod idem uterque interpres pro eum, ut ex Græco legitur, habet, *Deum*. Ubi similiter concludendum est, ipsorum tempore exemplaria Græca extitisse, quæ non αὐτὸν, ut nunc habent, sed θεὸν, seu τὸν θεὸν haberent. Ubi similiter quoque ausim affirmare, istam non fuisse germanam loci lectionem: sed nomen Dei appositum aliquando in codicis ora, ad explanandam vocem αὐτὸν, in ipso contextu præ inscitia seu incuria librarii, loco ipsiua vocis αὐτὸν repositam fuisse. Est autem hic locus unus ex iis, qui aperte probant, Johannem in hac Epistola simplici pronomine αὐτός, non Christum, quemadmodum Calvinus censuit, sed Deum potius significare, ut in disputatione nostra de Servat: annotavimus: si tamen verum est, quod pronomen οὗτος, quod versiculo 17. habetur, non referatur ad Deum, sed ad Christum: quemadmodum & in Disputatione illa affirmavimus, & hic, nisi fallimur, satis aperte comprobavimus.

Vers. 20. Pergit Apostolus inquiens, *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Non satis habuit Johannes, ea re commemorata, quæ amoris nostri erga Deum causa esse debet, nos commonefacere, ut Deum amemus: sed etiam voluit omnem in hac re hypocrisin & deceptionem nostram depellere, ac detegere, & ita diligenter curare, ne quis fortasse sibi persuadeat, se isti commonefactioni Apostolicæ ac plane divinæ obtemperare, cum interim valde procul ab eo sit ut illi pareat. Atque eodem tempore, non recedens à suo præcipuo instituto, quod est, hortari ad charitatem fraternam, & sic ad præcepta, quæ proprie sunt Christi, servanda, id dicit, unde vebementer moveri quisque possit ad amandum fratrem suum. Ponit enim tanquam certam quandam notam, unde statui possit, à quopiam Deum non amari, non amare fratrem suum. Namque hinc fit, ut, cum nimis turpis res esse videatur, & omni execratione dignissima, Deum non amare, studeat unusquisque debitum amorem erga fratres præstare, ne deprehendi videlicet possit, ab ipso minime amari Deum. Adeo autem verum censuit Apostolus id, quod de nota ista hic tradit, ut non veritus sit paullo acriore verbo uti adversus eum, qui dicat se Deum amare, & interim fratrem suum odio habeat. De ejusmodi enim homine affirmat, quod sit *mendax*, Græce ψεύστης, quod etiam pejus sonat apud Græcos, quam *mendax* apud Latinos.

Jam ad probandum, quod nota ista ab ipso tradita sit verissima, tribus rationibus Apostolus utitur, quarum duæ continentur hoc fine hujus quarti capitis: tertia vero in initio quinti statim exponitur. Prima ratio est hujusmodi: Facilius multo est amare eum, quem videas, quam eum, quem minime videas. Unde consequitur multo facilius esse amare fratrem suum, quem scilicet quis vivider, quam Deum, quem nequaquam videt. Hujus argumentationis consequentiæ ratio est, seu propositionis ejus confirmatio, quod amor non potest existere sine aliqua cognitione: cognirio vero ex visu potissimum oritur. Quare non videtur dubitandum, quin multo proclivius fit amare eum, qui conspicitur, quam eum, qui minime conspicitur. Atqui si, quæ faciliora & procliviora sunt, non fiunt, multo minus fient, quæ sunt minus proclivia, & difficiliora. Unde necessario consequitur, quod ab omni verisimilitudine absit, ab illo amari Deum, qui fratrem suum non amat. Pro verbo *videt* præsentis temporis, quo utrobique in hac periodo usus est vetus interpres, legitur Græce ἑώρακε temporis præteriti, & quidem, nisi fallimur, aliquanto rectius; ita ut non fuerit merito locus firmæ persuasioni, quod hic, ut alias solet, præteritum tempus pro præsenti usurpetur. Quandoquidem satis est ad amorem per cognitionem alicujus erga illum excitandum, quod quis ipsum aliquando viderit; nec necesse est, ut etiam nunc illum videat. Et sic apparet, Apostolum admodum consulte ac proprie verbo præteriti temporis usum esse; neque est verisimile in ullo Græco exemplari aliter lectum fuisse atque hodie legitur: tametsi Syriacus quoque interpres ita locum reddiderit, ut præsenti tempore verbum istud enuncietur, nam legitur apud ipsum in priore loco, *qui videtur*: in posteriore vero *qui non*

videtur

videtur. Nihil enim dubitandum videtur, quin hæc temporis præsentis apud utrumque interpretem lectio inde profecta fuerit, quod consuetam illam enallagen, de qua modo diximus, crediderint hoc in loco esse.

Vers. 21. Altera ratio, qua Apostolus veram confirmat esse notam à se traditam, his verbis ab ipso exponitur; *Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Est autem hæc ratio adeo aperta, ut plane irrefragabilis esse appareat, præsertim si recte intelligatur, quid sit *amare Deum*, id est, quod aliud nihil sit, quam ejus præcepta servare; quod & nos supra alibi attigimus, & Apostolus post initium capitis sequentis verissimum esse confirmat. Nam quomodo fieri potest, ut quis præcepta Dei servet, inter quæ hoc expresse continetur, ut quis diligat fratrem suum, si ipsum fratrem suum minime diligit? an non iste aperte docet, se nullam curam habere servandi præcepta Dei, & sic à se Deum minime amari?

Notandum porro est ex verbis Apostoli, in prima ratione ab ipso allata id indicari, quod alibi etiam supra in hac eadem Epistola animadvertimus, nempe ab ipso pro eodem accipi *Fratrem suum odio habere*, & *fratrem suum non amare.* Manifeste enim hoc posterius pro priore isto in sua ratiocinatione substituit. Cujusce rei caussam attulimus ante in explicatione nisi fallimur 14. & 15. versiculi tertii capitis, quam consulere poteritis. Latinus interpres in secunda hac Apostoli ratiocinatione pro *ab eo*, habet *à Deo.* Quæ lectionis diversitas parvi aut nullius momenti est, nisi si quis una cum Calvino sentiat, pronomen *αὐτοῖς* posse apud hunc scriptorem Christum referre, etiam si nec proxime, nec multo ante nominatus fuerit: sed, ut diximus, opinio ista non habet cui innitatur, & secundum usum hujus scriptores hoc in loco, etiamsi Deus proxime nominatus non fuisset, voce ista *αὐτοῦ*, quæ in Græco est, Deus nihilominus nominatus intelligeretur.

Notandus est præterea loquendi modus, quo hic Apostolus utitur: is enim impropriëtatem aliquam continere omnino videtur, dum ait, *præceptum Dei esse, ut, qui diligit Deum, diligat etiam fratrem suum.* Quasi præceptum diligendi fratrem non sit datum absolute, sed iis demum, qui Deum diligunt: quod ita simpliciter dictum non videtur veritati consentaneum. Quamobrem videntur verba Apostoli ita accipienda esse; ut voluerit dicere, Deum non modo jussisse, ut ipsum diligamus; sed etiam, ut diligamus fratrem nostrum, adeo ut nemo, (si id alioqui fieri posset, quod sane non potest) qui ipsum Deum amaret, & interim non amaret fratrem suum, posset dici mandata Dei servare. Nisi hæc Apostoli mens hoc in loco fuisset, satis omnino habuisset ad suam rationem concludendam dicere, *nos habere hoc præceptum à Deo, ut fratrem nostrum amemus.* Quæ ratio, etiamsi non bene intelligatur quid sit *amare Deum*, habet tamen vim probandi, quamvis non ita apertam & efficacem, fieri non posse, ut is Deum amet, qui fratrem suum non amat. Unusquisque enim ei, quem amat, obsecundare, &, si sit ipsius Dominus, parere atque obtemperare, ejusque præcepta conservare quam diligentissime & studet, & curat. Et hæc satis esse possunt pro explicatione hujus quarti capitis.

Caput V.

Sequitur Caput quintum; in cujus initio, ut ante diximus, est reliqua illa tertia ratio, quam Apostolus afferre voluit ad probandum, quod, qui fratrem suum non amat, is neque Deum amat. Ea autem hujusmodi est: Qui diligit eum qui genuit, diligit etiam eum, qui ex ipso genitus est. Sed Deus genuit eum, qui frater noster est in Christo, (nam de tali fratre hic agitur) Ergo qui diligit Deum, diligit etiam ejusmodi fratrem suum. Ex hoc consequitur, quod, qui fratrem suum non diligit, neque Deum diligat. Majorem propositionem hujus argumentationis Apostolus probandam sibi non sumit, tanquam rem manifestam. Nam ipsa humana ratio, & usus dictat, ejus, qui amatur, omnia amari, quæ ipsi valde sint chara, & ab ipso plurimum amentur. Atqui nihil est cuiquam tam charum; quam is, quem ipse genuit; & amor erga filios, seu ex nobis progenitos, omnem alium amorem excedit. Minorem vero seu assumptionem ex eo probat, quod, quisquis credit Jesum esse Christum, ex Deo est genitus. Sed (subaudi) qui frater noster est in Christo, is credit Jesum esse Christum. Ergo hujusmodi noster frater ex Deo natus est. Neutram ex propositionibus hujus ratiocinationis probare conatur Apostolus, quippe quæ iis, qui Christianam religionem profiterentur, essent indubitatæ & quod attinet ad priorem, quod scilicet, qui credat Jesum esse Christum, is ex Deo natus sit, quædam ab Apostolo superius dicta fuerant, tam secundo, quam quarto capite, ex quibus ea facile colligi potest.

Vers. 1. Jam verba ipsius Apostoli ita se habent: *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est; & omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo.* Ad quorum verborum explicationem quod videlicet attinet mentem Apostoli in illis proferendis, & finem, ob quem illa protulit, ea, quæ modo diximus, non modo pertinent, sed etiam satis omnino esse possunt. Tantum est in ipsis quiddam diligenter notandum, etiamsi id, quod attinet ad Apostoli scopum, hoc in loco ex accidente in eis contineatur. Scopus enim Apostoli est ostendere, ut dictum fuit, quicumque frater est in Christo, eum ex Deo natum esse Ad quod probandum assumit, unumquemque, qui credat Jesum esse Christum, esse natum ex Deo. Hoc igitur, quod assumit, quodque non illud ipsum est, quod Apostolus hoc in loco quærit, est summa cum diligentia perpendendum, revocandaque nobis sunt in memoriam, quæ supra disputata sunt, pro explicatione eorum verborum, quæ habentur in initio capitis superioris, ubi dicitur, quod, quicumque spiritus confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est Ubi etiam, si recte memini, hujus ipsius loci mentio est facta. Nam certe, si verum est, quod Apostolus ibi aliquanto minus aperte, hic vero apertissime testatur, quod scilicet ad Dei filium constituendum satis sit persuasio seu fides, & simul confessio, quod Jesus sit Christus, pessime agunt ii, qui pro fratribus suis in Christo habere nolunt quosdam, qui istud profitentur, quosque verisimile est id ex animo credere; quia videlicet in quibusdam vel paucis, vel multis ad religionem Christianam pertinentibus, secum non consentiant.

Disputat hac de re pluribus, nisi me memoria fallit, Thomas Naogeorgus in commentario suo in hanc Epistolam, quæ certe sunt digna lectu; nisi quod in explicando, quid sit *credere Jesum esse Christum*, sequitur communem illum errorem, quod Christus fuerit pretium pro peccatis nostris: cujusce rei loco si substituatur id, quod est veritas, reliqua ab ipso ibi disputata sunt ejusmodi, quibus quilibet pius & doctus assentiri queat & porro debeat. Quoniam vero fides, utpote quæ in corde latet, non omnino potest certo ex externis factis nobis constare, necesse est, ut ipsa oris confessione, & factis cum ea consentientibus contenti simus, ad hoc, ut quempiam pro fratre in Christo habere & possimus, & debeamus. Quemadmodum enim visibilis Christi Ecclesia iis constat, qui Christi fidem ore & externis factis confitentur, & tam his, quam illo ostendunt, se credere, quod Jesus est Christus: sic similiter, quicumque ad ejusmodi Ecclesiam pertinet, hinc agnoscitur, si ista habeat. Atqui idem est, quod quis pertineat ad visibilem Christi Ecclesiam, & quod quis pro fratre in Christo habendus sit. Ubi igitur ista in aliquo appareant, nihil præterea est quærendum, ut eum pro fratre in Christo habeamus; neque ob opinionum diversitatem ullam è fratrum in Christo numero ullus eximendus est, nisi opiniones illæ diversæ, una vel plures ejusmodi sint, ex quibus consequatur, illum non credere Jesum esse Christum. Sunt autem, vel esse possunt ejus-

modi opiniones duplicis generis; quatenus videlicet aut ipsum Jesum respiciunt, aut ejus præcepta atque promissa. Eæ, quæ ipsum Jesum respiciunt, rursus duplicis generis sunt, quatenus vel pertinent ad ejus naturam sive essentiam; vel ad ejus munus & dignitatem spectant.

Quod ad illas attinet, quæ pertinent ad ejus naturam sive essentiam, vix ullæ sunt, ex quibus, quantumvis falsis, consequatur, eum, qui illas tenet, non credere Jesum esse Christum: sed si tamen ulla est ejusmodi, ea judicio meo, alia esse non potest, quam, quod Jesus verus homo non fuerit. Nam cum ex divinis testimoniis facile evinci possit, Christum Dei, qui promissus fuerat verum hominem esse debuisse, si Jesus non credatur fuisse verus homo, videtur hinc omnino consequi, ut non credatur etiam esse Christus Dei. Verum fieri nihilominus potest, ut quis sibi persuadeat, ista duo simul consistere posse, nempe non esse verum hominem, & tamen esse verum Christum Dei; & propterea, si alioqui appareat, eum, qui neget Jesum fuisse verum hominem, habere illum pro vero Christo Dei, crediderim opinionem istam, quamvis plane falsam & periculi plenissimam, non debere censeri ejusmodi, quæ istum excludat à numero fidelium ipsius Jesu, sive efficiat, quominus iste pro vero fratre in Christo agnosci debeat.

Jam opiniones illæ, quæ respiciunt ipsius Jesu munus ac dignitatem, si falsæ sint, facile etiam erunt ejusmodi, ex quibus consequatur, Jesum non esse Christum, neque pro tali revera haberi ab eo, qui talibus opinionibus sit imbutus. Ut exempli causa, si quis opinetur, Jesum nunc non regnare; vel, si aliquo modo regnare concedat, non fateatur illum in cœlis existentem intelligere ac nosse omnia, quæ à nobis dicuntur aut fiunt, ipsaque corda nostra rimari, atque inspicere; certe iste nullo pacto poterit dici credere, ipsum Jesum esse Christum: cum Christus, id est appellatio ista, Regem omnino significet, nempe qui Dei populum, qui sumus nos, regat & gubernet, ejusque perpetuam curam habeat Quod, fieri nullo modo potest, ut in ipso Jesu esse agnoscatur, nisi credatur, illum ista habere, quæ modo diximus. Possunt tamen esse opiniones aliquæ falsæ ad ipsius Jesu munus pertinentes, quæ vel non adimant illi, quominus sit Christus; vel si revera adimant, tamen possint in eo homine esse, qui nihilominus credat, Jesum esse Christum. Ut exempli causa, si quis Christi munus fuisse credat, pro peccatis nostris justitiæ divinæ satisfacere; & nunc esse, istam satisfactionem ejusque vim & efficaciam ad suum effectum & finem perducere; is sine dubio vehementer errabit, ut quidem plerique hodie errant: sed interim tamen hæc falsa de Jesu munere opinio non adimit ipsi Jesu, quominus sit Christus. Neque enim ipsius regiam divinamque potestatem, vel dignitatem inde proficiscentē quidquam minuit, ejusve majestatem lædit, ipsa, inquam, per se: quamvis, si penitissime opinio ista introspiciatur, & cum suis omnibus necessariis consequentiis consideretur, possit fortasse dici, eam aliquo modo pertinere ad ipsius Jesu præstantiam atque excellentiam aliquo modo minuendam, aut certe obscurandam, & consequenter, verum Jesu munus, quo ille est prædirus, non recte agnoscendum, & sic tandem adimendum aliquo modo ipsi Jesu, quod sit verus Christus Dei: quemadmodum credimus intelligi posse ex iis quæ disseruimus in disputatione nostra de Servatore, præsertim ad finem secundæ partis.

Atqui, si quis opinetur, Jesum nunc in cœlis existentem revera & proprie loquendo Deum Patrem suum pro nobis orare, verisque precibus ab illo impetrare ea, quæ pertinent ad bonum & salutem nostram, iste sine dubio id de Jesu opinabitur, quod ipsum per se ei adimit esse verum Christum Dei; cum pugnent inter se ista duo habere revera potestatem nobis succurrendi, nosque beneficiis afficiendi, omniaque dandi, quæ ad saltem nostram pertinent, quæ omnia hoc ipso continentur, quod sit Christus Dei; & pro istis omnibus largiendis, vel potius nobis impetrandis, Deo veras preces adhibere. Sed tamen, quia fieri nihilominus potest, ut is qui ita opinetur, & Jesu nunc officium pro nobis Deum vere ac proprie rogandi tribuat, credat Christi muneri hoc nihil prorsus repugnare, & propterea interim nihil Jesu deneget, quod attinet ad illum honore & cultu afficiendum, ex iis, quæ requirit verum Christi populique Dei Regis munus ac dignitas, crediderim simul fieri posse, ut graviter erretur, si ejusmodi homo pro vero in Christo fratre non habeatur.

Ex superiore illa falsa opinione, quod Jesus reipsa nos hoc tempore non curet, id est nostri curam non gerat, nec reipsa nos regat ac gubernet, consequitur necessario illi denegari eum cultum, qui vero Dei Christo debetur; & sic præter opinionem ipsam, quod Jesus non sit Christus, quæ necessario falsa ista de Jesu opinione continetur, ex eo etiam id non minus necessario fluit, quod factis ipsis Jesus non agnoscatur esse Christus, & propterea maxima inter falsam istam de Jesu opinionem, & alias, quas postea commemoravimus, differentia est constituenda; quippe quod ex his iste pessimus effectus, qui ex illa consequitur, minime consequatur, saltem necessario, ut ex illa.

Jam quod attinet ad præcepta & promissa, quæ Jesus dedit, necesse est, ut, quando certum est, si illa non fiant, aut non credantur, fieri non posse, ut quis vitam æternam consequatur, in illis non faciendis, aut non credendis contineri aliquo modo negationem seu diffidentiam, quod Jesus sit Christus: cum ex altera parte non minus certum sit, eum, qui non dubitet quin Jesus sit Christus, vitam æternam adepturum, ut quidem necessario consequitur ex Apostoli sententia hoc in loco, quod, qui credit Jesum esse Christum, ex Deo natus est; & clarius ab eodem Apostolo affirmatur, ad finem capitis vigesimi Euangelii sui. Id autem quomodo fiat, explicandum aliqua ratione videtur, ut melius hac de re persuasi esse possimus. Dico igitur, quod, cum verissimum sit, & divina oracula testentur, Jesum præcepta quædam dedisse, & promissum æternæ vitæ iis, qui illa fecerint, proposuisse, si quis promissa & præcepta ista non agnoscat, neque approbet, consequitur necessario, istum revera non credere Jesum esse Christum. Nam si hoc crederet, quicquid ab ipso sive præceptum, sive promissum fuit, pro vero, sancto, ac divino haberet; cum fieri nequeat, ut verus Christus Dei quicquam falsi, à Deique voluntate abhorrentis, & omni approbatione non dignissimi dixerit, aut docuerit.

Quod si quis dicat, fieri posse, ut quis aliqua ex præcipuis Jesu præceptis non agnoscat, neque approbet, non quia non credat, quicquid Christus præcepit, pro vero Dei præcepto habendum esse: sed quia non credat, præcepta ista à Jesu fuisse data; dicimus, ea Jesu præcepta, sine quorum conservatione fieri non potest, ut quis vitam æternam adipiscatur, ita aperte ab ipso Jesu, & ab Apostolis ejus fuisse proposita atque explicata, ut fieri nequeat, quin illa agnoscantur ab eo, qui Deo serviendi sit studiosus, serviendi, inquam, secundum id, quod per Jesum de Dei voluntate hac in parte nobis est patefactum, & sic penitus persuasum habeat, Jesum esse Christum Dei. Sunt enim homines non pauci, qui hoc, licet id ore profiteantur, non quidem corde negent, sed tamen cordi animoque suo penitus insitum non habeant; unde fit ut ad verba ipsius Jesu, & Apostolorum ejus, Novi Testamenti scriptis consignata, non ita animum advertant, ut debent, neque ea cum tanta diligentia rimentur, quanta est opus ei, qui velit verus Jesu esse discipulus. De Christi promissis, quæ videntur posse ad unum tantum redigi, id est ad promissum æternæ vitæ, illud ita expresse ac diserte est in sacris monumentis expositum, ut nulla ratione contingere posse videatur, ut quis illud non agnoscat & ab ipso Jesu profectum esse certissime sibi persuadeat. Quod si tamen quisquam inveniri potest, qui hac de re dubitet, necesse est istum similiter dubitare, an Jesus sit Christus, unde nimirum fiat, ut ita supine ac negligenter se gerat in perscrutandis iis, quæ Jesum dixisse sacra historia testatur, ut rem istam, quamvis ipsa luce meridiana clariorem, non aspexerit, neque animadverterit.

terit. Recte igitur ab Apostolo hic statuitur, eum, qui credat Jesum esse Christum, ex Deo natum esse. Quod idem reipsa, immo cum efficaciore quodam sensu aliis verbis ante expresserat, inquiens ẏ.15. capitis præcedentis, eum, qui credit Jesum esse Christum, in Deo manere & Deum in ipso. Breviter, hæc sententia quod qui credit Jesum esse Christum, sit Dei filius, & ejusmodi filius, in quo Deus habitet, summamque cum ipso Deo conjunctionem habeat, & porro particeps omnino sit futurus æternæ vitæ, pluribus in locis Epistolæ hujus expresse invenitur. Nam & paullo post, eam in sequentibus Apostoli verbis contineri, aperte videbimus. Pessime igitur, ut ante dictum fuit, illi omnino faciunt, qui pro fratre in Christo agnoscere quemquam recusant, de quo aliquo modo non constet, eum negare Jesum esse Christum, aut saltem hac de re dubitare, quique nulla charitate prædili, modo sibi suoque ingenio, vel potius genio satis faciant, atque indulgeant, salutem animarum nihil curant, & Ecclesiæ Christi divisionem, ac scissionem, non modo, ut deberent, toto pectore non abominantur, sed ea quodammodo delectari videntur; nec pati possunt, ut cum quoquam arctam illam consuetudinem spiritualem habeant, quam Christiana religio postulat, nisi is ejusmodi sit, qui ab ipsorum de religionis Christianæ placitis firmis, sed præjudicatis plerumque opinionibus, ullo pacto dissideat.

Vers.2. Tertia ratione exposita, quæ ultima est earum, quibus Apostolus probat neminem fratrem suum amare, qui Deum non amet; seu, quod idem re ipsa est, unumquemque, qui Deum amet, amare quoque fratrem suum; quæ ratio hæc erat, quod nemo amat genitorem, quin ex eo genitum etiam amet; subjungit Apostolus hæc verba: *In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus.* Quæ verba propter id subjecit, sine ullo dubio, quod in proxima ratiocinatione continetur, nempe fratres nostros in Christo esse Dei filios. Jam si illa ita legantur, ut nos ea ex vulgata editione Latina recitavimus, non possunt nisi unum sensum habere eumque nihil diversum ab eo, qui in proxima ratiocinatione continetur; videlicet, ubi quis amet Deum, necesse esse ut etiam amet Dei filios. Hic, inquam, sensus unicus ex istis verbis colligitur, si secundo loco verbum *diligendi* subjunctivo modo prolatum legeratur. Sic enim nihil aliud est intelligendum, nisi quod Apostolus concludat, cum ipse & ejus similes Deum diligerent, hinc plane cognosci, ab ipsis Dei quoque filios diligi. Quanquam enim subest hic, præter sensum, quem diximus, hic sensus, quod Apostolus & ipsius similes amarent Deum: tamen nos ipsius, tanquam rei particularis, & quæ, ut loquuntur in facto non autem in jure consistat, nullam habuimus rationem, cum diximus, ex talibus verbis non posse nisi unum sensum elici. Intelleximus enim sensum universalem, & in jure consistentem. At si verbum istud *diligendi* secundo loco positum, non subjunctivo modo, sed indicativo prolatum legatur, tunc possunt duo sensus, non quidem conjunctim, seu uterque simul, sed aliter, vel utervis eorum ex illis colligi. Et sane præter veterem interpretem alii omnes, ni fallimur, indicativo modo Græcum verbum ἀγαπῶμεν altero isto loco reddiderunt; & in editione Latina Syri interpretis eodem pacto verbum istud legitur.

Horum duorum sensuum alter est is qui continetur, ut diximus, in lectione veteris interpretis, quem si amplecti velimus, statuendum erit, Apostolum voluisse clarius regulam istam, quæ superiore ratiocinatione continebatur, exponere ac constituere, quæ est: Quod, qui Deum diligit, filios quoque Dei diligit. At alter sensus est ejusmodi, qui regula ista non contineatur, ut ita quiddam magni momenti præter eam ab Apostolo hic affirmatum fuisse, omnino nos doceat; nempe, si quis Deum non amet, eum nec Dei filios amare; ita videlicet accipiendo Apostoli verba, ut dixerit, tunc demum cognosci, nos amare filios Dei cum ipsum Deum amamus. Quam interpretationem, nihil dubitandum est, quin ipsa verba ferant, & meo quidem judicio, hic sensus, cum & verissimus sit, &, ut postea dicemus, ex eo, quod ab eodem Apostolo alibi supra affirmatum est necessario colligatur, & simul aliquid insigne addat ei, quod proxime dictum fuerat, omnino plus probandus est, quam ille prior. Quin etiam ob has causas plane constituo, non secundum veterem interpretem, sed secundum reliquos alios *diligendi* verbum, posteriore loco ab Apostolo enunciatum, legendum omnino esse.

Nam præterea animadvertendum este, verisimile videri, Apostolum voluisse in hac sua Epistola expresse id totum dicere, quod hac unica enunciatione continetur, quod amor Dei, & amor fratris sui, id est erga Deum, & erga fratrem suum, sint ejusmodi, ut alter sine altero esse nequeat. Ex hac enim unica enunciatione, quam alii quoque hoc initium quinti hujus capitis explicantes ex verbis Apostoli colligi senserunt, quatuor enunciationes, sive propositiones universales, eæque hypotheticæ plane derivantur, duæ videlicet negantes, & duæ affirmantes; negatione nimirum vel affirmatione in utroque propositionis membro omnino expressa. Sunt autem hæ propositiones istæ: Prior affirmans, *Quicumque amat Deum, is fratres suos quoque in Christo amat;* Altera affirmans, hujus reciproca, *Quicumque fratres suos in Christo amat, is Deum quoque amat.* Negantium vero prior, ut jam per se manifestum esse potest, *Quicumque Deum non amat, is neque fratres suos in Christo amat;* Altera vero hujus similiter reciproca, *Quicumque fratres suos in Christo non amat, is neque Deum amat.* Nihil autem dubito, quin probe intelligatis, omnes & singulas istas propositiones esse hypotheticas, etiamsi nulla ipsarum habet particulam conditionalem *si*, quæ hypothesis solet esse indicium. Satius enim judicavimus fore, si eas ita enunciaremus, ac si essent simpliciter categoricæ. Sic enim aliquid plus gravitatis & doctrinæ habere videntur. Istas igitur omnes & singulas propositiones videtur mihi Johannes voluisse in hac sua Epistola exprimere, ut melius intelligeretur, verissimum esse, quod amor erga Deum, & erga fratres suos in Christo, tantam conjunctionem inter se habent ut alter sine altero nulla ratione inveniri queat. Quandoquidem, quemadmodum quatuor istæ propositiones ex una ista fluunt: sic etiam eæ totum id plane continent, quod ex ipsa dirivari potest. Potuisset Apostolus contentus esse exprimendis duabus tantum ex illis, cum ejusmodi propositiones sint inter se ita comparatæ, ut ex utravis affirmante negans ejus reciproca omnino colligatur; & vicissim ex utravis negante ejus reciproca affirmans necessario consequatur. Namque ex propositione illa affirmante, *Quicumque Deum amat, is fratres quoque suos in Christo amat*, necessario colligitur ista negans, *Quicumque fratres suos in Christo non amat, is neque Deum amat;* & contra ex ista illa. Et similiter ex negante illa, *Quicumque Deum non amat, is nec fratres suos in Christo amat*, consequitur necessario affirmans ista, *Quicumq. fratres suos in Christo amat, is Deum quoque amat;* & pariter contra ex ista illa.

Itaque videtis potuisse Johannem, duas tantum ex quatuor istis propositionibus exprimendo, totum id prorsus complecti, quod ex illo axiomate, quod ipse sine dubio nos docere voluit, dirivari potest; ex eo, inquam, quod amor in Deum, & amor in proximum sint ejusmodi, ut alter sine altero esse non possit: & tamen, ut etiam qui rudiores sunt, possint istud totum, quod inde derivatur, percipere, omnes istas quatuor propositiones suis verbis, ut dictum est, expressit. Et quidem eam, quam omnium primam fecimus, expressit in initio hujus quinti capitis, cum dixit, eum qui amat genitorem, amare etiam eos, qui ab ipso sunt geniti: & interim probavit, eos, qui fratres nostri sunt in Christo, ex Deo esse genitos. Quam vero secundam fecimus, eam, ut quidem ego sentio, complexus est iis verbis, quæ nunc præ manibus habemus, ut ex sensu, quem nos in illis explicandi secuti sumus quisque intelligere potest.

Tertiam porro quam nos propositionem fecimus, expressit Apostolus superiore capite, dum nos docuit

eum, qui amat, in Deo manere, & Deum in ipso. Hoc enim plane continetur 12, & 13 versu, immo ipse solus versiculus 13, ita explicatus, ut à nobis factum est, ut scilicet ille Spiritus, de quo Deus nobis dedit, sit spiritus charitatis & dilectionis erga fratres, id continet. Eadem sententia expressa est ante ℣. 7, ubi scriptum legimus, quod, quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit Deum: sed capite quoque tertio ℣. 14. legitur, eos esse translatos ex morte ad vitam, qui fratres diligunt. Nihil enim istorum omnium tribui potest ei, qui diligit fratres, nisi ex dilectione ista fraterna omnino consequatur amor erga Deum. Neque enim sine amore erga Deum potest fieri, ut quis in Deo maneat, & Deus in ipso; vel, ut sit natus ex Deo, & Deum noverit; vel denique, ut sit translatus à morte in vitam. Jam quarta & postrema ex ordine nostro propositio colligitur aperte ex fine præcedentis capitis, ubi Apostolus aperte concludit, eum, qui fratrem suum non amet, nullo modo Deum vel amare, vel amare posse.

Est autem præterea animadvertendum, si sensum amplectamur, qui nobis magis probatur, in verbis hujus secundi versiculi capitis hujus quinti, videri posse, aliquid diversum, vel etiam contrarium hic dici ei, quod ad finem præcedeutis capitis dictum est, juncta præsertim explicatione nostra, quam jam habuistis, ejus loci. Videtur enim Johannes in superiore loco affirmasse, facilius esse fratrem suum amare, quam Deum; nempe, quia fratrem suum quis videat, Deum autem non videat. At hoc in loco, cum secundum jam expositum sensum nostrum dicat, Si quis Deum non diligit, inde posse cognosci, quod neque Dei filios, & sic fratres suos diligat, videtur statuere, difficilius esse amare fratres suos, quam ipsum Deum, & propterea concludere, quod, si quis Deum non amat, quod sit facilius, eum ne fratres quidem suos amare, quod sit difficilius. Atqui non ad hunc modum se res habet. Quamvis enim manifeste prius ex eo, quod quis fratrem suum non amet, collegerit, eum ne Deum quidem amare: hic vero contra ex eo, quod quis Deum non diligat, colligat, eum ne fratres quidem suos diligere, id tamen non ex contraria ratione proficiscitur, sed ex diversa. Ibi quidem ratio est rei facilitas & difficultas; facilitas quidem in amando fratre, difficultas vero in amando Deo: ea tamen non simplex, seu simpliciter accepta: sed quatenus frater videtur, Deus autem non videtur. Hic vero subintelligenda est ratio, non quidem ex facilitate & difficultate ducta: sed ex verisimili, & minus verisimili. Verisimilius enim est, ut quis Deum amet; quippe quem complures ob causas suprema ratione amare teneatur, quique omni amore, plus quam vel cogitari quidem possit, dignissimus sit, quam ut amet fratres suos in Christo, quibus nec tantum amorem debet, quique multis imperfectionibus sunt obnoxii, ex quibus fit, ut vis & acies quædam amoris minuatur, & quodammodo retundatur. Amor siquidem pro suo objecto habet, ut supra alicubi attigimus, pulchritudinem vel animi vel corporis; & in fratribus quidem in Christo animi pulchritudinem, quæ sine dubio manca est atque imperfecta, propter eas, quas diximus, imperfectiones. Eæ enim non quidem corporis, sed animi sunt. Ex ista igitur majore & minore verisimilitudine concludit Apostolus, (ut quidem nos ejus verba interpretamur) & hanc quasi regulam ponit, quod, qui Deum non amat, is neque fratres suos in Christo amat: quemadmodum, ex eadem nimirum verisimilitudine, ea ante dixerat, ex quibus, ut ante demonstratum fuit, aperte colligitur, eum, qui fratres suos in Christo amat, Deum quoque amare. Quæ enunciatio, ut paullo ante diximus, istam alteram in se continet, & vicissim ab illa continetur.

Quæ tota res ut melius intelligatur, subjicit statim hoc in loco Apostolus id, per quod explicatur, quid sit Deum diligere, inquiens, ut vulgata editio habet, *Et mandata ejus faciamus*; ut autem & nobis, & aliis videtur legendum esse, *Et mandata ejus facimus*, seu, ut verbum Græcum τηρῶμεν proprie significat, *servamus*. Quod quidem verbum per se, cum sit modi subjunctivi, *servemus* significat: Verum nihilominus *servamus* reddendum hoc in loco est, secundum significationem, quam habere potest, quamque nos hic, & plerique alii, agnoscendam esse arbitramur, conjunctiva particula Græca ὅταν, quæ semper quidem construitur cum verbo subjunctivi modi, sed tamen, cum tempus declarat, non autem reddendi rationem vim habet, necesse est ut verbum, cui juncta fuerit, Latine reddatur, non quidem subjunctivo, sed indicativo modo. Neque enim eum aliter nos legimus, ac vulgatus interpres legerit, & verba, quæ ille subjunctivo modo, prout in Græco sonant, reddidit, indicativo reddimus, propterea id facimus, quod existimemus, verba Græca veteris interpretis lectionem non ferre: sed tantum quia particulam ὅταν, quam ille ita accepit, ac si, ut vocant, causativa esset, nos ita accipimus, ut non causam, sed tempus tantummodo declaret.

Jam antequam explicemus verba ista, *Et mandata ejus servamus*, & ea dicamus, quæ nobis pertinere videntur ad sensum recte percipiendum, qui & ipsis, & iis, quæ proxime illa præcedunt, continetur, monere voluimus, in initio hujus versiculi apud Syrum interpretem haberi copulam simplicem, seu conjunctivam particulam *Et*, qua & Græca lectio & Latina prorsus caret. Nam ex particula ista, quam verisimile est istum interpretem in eo exemplari Græco legisse, quo ipse est usus, videtur confirmari posse nostra hujus versiculi interpretatio, quatenus videlicet nos illum ita accipimus, ac si in eo aliquid omnino contineatur, præter id, quod proxime ante dictum fuit. Consueta enim ac pervulgata istius particulæ vis est, aliquid addere superioribus.

Nunc consideremus, quid sibi velit Apostolus, cum ait, *tunc cognosci, quod filios Dei diligimus, cum Deum diligimus, & mandata ejus servamus*; quid, inquam, significet apud ipsum, *Deum diligere, & mandata ejus servare.* Nos enim una cum aliis existimamus, non duas res ab Apostolo hic dici, sed unam tantum, & alteram ad alterius declarationem poni; & sic perinde esse, atque si pro copula, quæ inter ista, quæ duo esse videntur, posita est, legerétur *id est*, ita ut Johannes dicere voluerit, *diligere Deum* aliud nihil esse, quam *ejus præcepta servare.* Apparet enim hoc manifeste ex sequentis versiculi verbis, *Hæc enim est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Non potuit Apostolus expressius, quam fecit, significare id, quod diximus, videlicet se verba illa, *& mandata ejus servamus*, apposuisse per epexegesin, & ad declarationem proxime præcedentium, *Deum diligimus.* Est igitur apertissimum, ex Apostoli verbis idem esse *diligere Deum*, quod *ejus præcepta servare.* Id quod etiam satis aperte colligitur ex secunda ratione, quam ad finem præcedentis capitis idem Apostolus attulit ad probandum, quod, qui fratrem suum non amat, is neque Deum amat. Ratio enim ista ea est, quod Deus præcepit, ut fratrem nostrum diligamus.

Ex quo consequitur, Apostolum omnino sensisse, conservatione præcepturum Dei contineri dilectionem & amorem erga ipsum Deum. Verum toti huic rei non parum id obstare videtur, quod Dominus Jesus, interrogatus, quodnam esset primum seu maximum in Lege præceptum, respondit esse præceptum istud, *Diliges dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*; & mox addidit: *secundum præceptum esse huic simile, Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; & demum subjecit, *in hisce duobus præceptis universam Legem & Prophetas pendere.* Namque ex his Christi verbis clarissime constare videtur, distingui, & tanquam diversum considerari debere præceptum diligendi proximum à præcepto diligendi Deum,

eo licet

eo licet ita expresso, ut ei nihil prorsus addi posse videatur. Hoc dico propter verba illa, *in toto corde tuo, &c.* Quomodo igitur verum erit, *Deum diligere* aliud nihil esse, quam ejus præcepta servare; & Dei dilectione contineri, nimirum ut præceptum ab ipso Deo datum, fratris sui dilectionem, si aliud est præceptum diligendi Dei, idque suprema atque exactissima ratione; & aliud præceptum diligendi proximum suum?

Auget hanc difficultatem, quæ in Christi verbis apparet, id, quod Christus, commemorando præceptum diligendi Deum, habet sine dubio respectum ad id, quod scriptum est Deut. 6. 4, 5. Apparet enim illum inde ipsa verba plane accepisse, quibus præceptum istud diligendi Dei exposuit, & tanquam in ipsa Lege contentum recitavit. Alioqui enim ad interrogationem non respondisset, si inquam, præceptum istud aliter, quam in ipsa Lege expressum, recitasset; nec, nisi fallimur, ullus extat alius Legis locus præter istum cap. 6. Deut. in quo præceptum istud habeatur eo modo expressum, quo illud Christus apud Matthæum & Marcum, ea occasione, quam diximus, commemoravit.

Atqui ibi, si quis recte & antecedentia & consequentia verba Mosis perpendat, præceptum istud continet omnia alia præcepta; neque in alium finem est eo in loco præceptum istud diligendi Deum cum tanta efficacia datum atque expressum, nisi ut populus moneretur, ne auderet ullum ex Dei præceptis infringere, sed in omnibus & singulis servandis diligentissimus esset; nec scimus nos locum ullum in Lege Mosis, ubi dilectio Dei aperte distinguatur, quemadmodum à Christo factum est, à dilectione proximi; immo ubique Dei dilectione significari omnino videtur observatio omnium præceptorum Dei, & consequenter ipsa proximi dilectio. Quare, ad totam hanc difficultatem dissolvendam, necesse est agnoscere ac confiteri, Christum, ad rem magis explicandam, distinctionem istam attulisse; cum universa Dei præcepta possint sine dubio in duas præcipuas partes distribui; quatenus videlicet vel respiciunt ipsum Deum, ipsiusque peculiarem cultum; vel proximum respiciunt, ejusque commodum & utilitatem. Nam hinc factum esse creditur, & verisimilimum est, ut moralia illa præcipua Dei præcepta, quæ decalogi nomen habent, in duabus tabulis scripta & data ab ipso Deo fuerint, idque bis, ut Sacra Historia testatur. Verisimilimum, inquam, est, in altera tabula scripta fuisse ea præcepta, quæ ipsum Deum respiciunt: in altera vero ea, quæ respiciunt proximum: quemadmodum fere omnes Theologi sentiunt. Cujus etiam rei argumentum facit id, quod Paulus nominatim in Epistola ad Gal. cap. 5. & in Epist. ad Rom. cap. 13. scribit, *universam Legem; seu omne præceptum hoc uno contineri, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Neque enim fieri potest, ut præceptum diligendi proximum contineat in se præcepta, quæ peculiariter ipsius Dei cultum respiciunt. Aliud est enim id, quod ante ex verbis scriptoris nostri conclusimus, eum, qui fratres suos amat, Deum etiam amare, & sic non posse fratris sui amorem separari ab amore Dei: aliud vero, præcepto amandi fratres contineri præceptum amandi Deum; vel potius, ut præsens locus requirit, ea præcepta, quæ privatim ad ipsius Dei cultum spectant.

Quapropter concludendum est, Paulum nihilominus ausum fuisse dicere, præcepto diligendi proximum contineri omne præceptum; quia videlicet mens ipsius fuerit, loqui de præceptis omnibus alterius ex illis duabus tabulis, in qua videlicet ea præcepta scripta essent, quæ ad proximum ejusque commodum pertinerent. Nam hoc etiam ipsiusmet Pauli verba in prædicto loco Epistolæ ad Romanos satis apertum faciunt. Ibi enim enumeratis præceptis, quæ ait contineri isto uno præcepto diligendi proximum, nullam facit mentionem eorum præceptorum in ipso decalogo contentorum, in quibus ipsius Dei cultus nominatim ratio habetur: sed tantum ea commemorat, quæ proximum respiciunt; & quidem præter unum honorandi patrem & matrem omnia, quæ in ipso decalogo leguntur. Istud autem honorandi patrem & matrem, quamvis primo loco inter ea, quæ ad proximum pertinent, collocatum, propterea fortasse non commemoravit, quia non ita universe ad proximum pertinet, quemadmodum reliqua omnia: sed tantum personas duas ex omnibus proximis respicit. Nec dicat quispiam, Paulum ibidem post enumerationem istam præceptorum addidisse, *Etsi quod aliud mandatum est*, quasi ista additione possent intelligi comprehensa ea præcepta, quæ ad ipsum Deum nominatim pertinent. Absurdissimum enim plane esset, indefinita ista oratione Apostolum significare ac complecti voluisse præcepta multo majoris momenti, quam ea sint, quæ definite & expresse commemoravit. Sed vel intelligendum est, eum habuisse in indefinitis istis verbis, & simul universalibus, rationem omissi à se propter jam expositam causam, præcepti honorandi parentes, vel, quod mihi magis probatur, aliorum præceptorum moralium, quæ sparsa sunt per totam Mosis Legem: quæ etiamsi possint fortasse ad unum aliquod ex illis, quæ in decalogo expressa sunt, & à Paulo commemorantur, referri: tamen id non est plane apertum; & posset quis facile statuere, non esse ullum ex præceptis istis in decalogo contentis, ad quod ea referri possint, quamvis (nam de talibus moralibus præceptis hic loquimur) ea non minus, quam ista in decalogo scripta, & à Paulo commemorata, ad ipsum proximum nominatim pertineant.

Jam distinctio ista inter ea, quæ ad ipsum Deum pertinent, & quæ pertinent ad proximum, licet tam hæc quam illa unica appellatione *pertinendi ad Deum* comprehendi possint, habet aliquid simile sibi in diligenti consideratione orationis Dominicæ. Nam ibi quoque, licet omnes sex illæ petitiones possint considerari, ut ad ipsum Deum pertinentes; quippe quod, quicquid ibi petitur, ad ipsius Dei gloriam totum refertur: tamen merito dici potest, quod tres priores ad ipsum Deum nominatim pertineant: tres vero posteriores ad nos.

Tantum est hæc inter id, de quo agimus, & exemplum istud differentia, quod petitionibus illis tribus prioribus, quamvis ad Dei gloriam nominatim pertinentibus, continetur aliquid omnino, quod nos ipsos, & bonum ac commodum nostrum respicit: sed in moralibus Dei præceptis non ita apparet, quomodo illa, quæ nominatim ad Deum ipsum colendum pertinent, aliquid contineant, quod proximi nostri commodum & utilitatem respiciat. Jamque igitur concludimus, quod, etiamsi verissimum sit, ut ex Apostoli verbis liquet, dilectione Dei contineri proximi dilectionem, & præcepto diligendi Dei contineri præceptum diligendi proximi, idque secundum mentem ipsius Legis Mosaicæ: tamen rectissime potuit Dominus Jesus, ad ipsam Legem respiciens, distinguere, majoris explicationis gratia, inter præceptum diligendi Dei, & præceptum diligendi proximi; nec ulla repugnantia est inter verba Christi hac de re, & verba scriptoris nostri, aut ipsius Legis mentem; cum diversa ratione possint optime duo ista præcepta modo ad unum, id est, alterum ex ipsis redigi, nempe ad præceptum diligendi Dei, modo vero tanquam inter se distincta accipi ac considerari.

Porro quod scriptor noster hæc duo simul conjunxit, amare Deum, & servare præcepta ejus, ponens posterius pro declaratione prioris; in eo videtur plane imitatus fuisse ipsum Deum & Mosen, in ipso decalogo populo proponendo; quandoquidem tam 20. cap. Exodi, ubi Lex ista primum à Deo datur, quam quinto capite Deuteronomii, ubi ea à Mose repetitur, in secundo præcepto dando & commemorando hæc verba habentur Dei nomine prolata: *Ego misericordia utor in mille generationes erga eos, qui diligunt me, & observant præcepta mea.* Ubi sine dubio illud, *observant præcepta mea*, est ex-

est explicatio illius, *diligunt me*; & propterea à Tremellio & Junio, in loco Deuteronomii reddita verba ista ad hunc modum leguntur, *Qui diligunt me, id est, qui observant mandata ejus.* Ubi *ejus* sine dubio pro *mea* positum fuisse intelligendum est.

Vers. 3. Nec satis habuit Johannes sui loquendi modi habere ante se auctorem Deum, & Mosen; sed præterea voluit, quasi seipsum exponens, & interim simul tacite explicans istum loquendi modum, qui in Lege reperitur, verba illa subjungere, *Hæc enim est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*, quo facto quia interim, dum hæc dicit, non obscure hortatur ad præcepta Dei servanda, propterea statim subjicit, *& mandata ejus gravia non sunt*, ne quis fortasse putet, illum ad id quemquam hortari, quod fieri vel nequeat, vel non sine summa difficultate queat; & hac ratione suam adhortationem quodammodo corroborare, & dignam reddere, quæ libenti animo ab omnibus accipiatur. Sed quia, ut ista efficeret, non satis erat affirmare Dei præcepta non esse gravia; sed oportebat aliqua ratione fidem ejus rei facere, & interim apertius explicare, quo sensu istud affirmasset, subjicit illico talis affirmationis probationes, unde colligitur, in quem sensum velit accipi istam suam enunciationem, in hunc videlicet, quod præcepta Dei non sunt gravia iis, qui Dei cognitionem habent, seu qui sunt ejusmodi, ut illi erant; vel certe se esse profitebantur, ad quos scribebat, quos nimirum potissimum hortabatur ad Dei præcepta servanda. Ait enim ỳ. 4: *Quoniam omne, quod est natum ex Deo, vincit mundum.* Quæ verba ita accipienda sunt, ac si diceret: Quod affirmavi, præcepta Dei non esse gravia, id respectu vestri, quos potissimum ad illa servanda adhortor, verissimum esse, ex eo apparet, quod nihil potest esse grave in Dei obedientia, secundum voluntatem ejus, ei, qui ex ipso Deo sit natus; & quod necesse est, hominem ex Deo natum posse ea præstare, quæ Deus præcipit, & tantas vires in se habere, ut omnia impedimenta ad istud efficiendum vincat & superet, quæcumque tandem illa sint, aut esse possint.

Mundi siquidem nomine intelligit, quicquid in hac vita possit contingere, sive ab hominibus malis, sive ab ipsis rerum casibus, & eventibus, sive ab illecebris ipsarum rerum mundanarum, impediens, quominus quis Dei præcepta faciat. Jam cum in ista sua ratiocinatione Apostolus hoc tacite affirmet, nempe eos, ad quos scribit, & alios, de quibus, & quorum respectu loquitur, cum ait, præcepta Dei non esse gravia, ex Deo esse natos; videndum est, quomodo id, tanquam jam probatum, sumere potuerit; quod facile intelliget, quisquis initium hujus capitis meminerit, quo sine dubio respicit Apostolus, cum istud sumit. Dicitur enim in initio isto, ut jam vidimus, eum ex Deo esse natum, qui credit, quod Jesus est Christus; nam ex hoc necessario consequitur, ut illi, qui Jesu Christi nomen profitebantur, cujusmodi erant ii omnes, quorum respectu enunciatum istud protulit, quod præcepta Dei non sint gravia; aut omnino ex Deo essent, aut se tales esse profiterentur. Quam probationem suæ tacitæ assumtionis, quod isti nati essent ex Deo, aut certe esse deberent, declarat non obscure verbis sequentibus, quæ ita habent: *Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Istis enim verbis tacite docet, propterea se ausum fuisse pro re vera sumere, quod illi, quorum respectu affirmavit, Dei præcepta non esse gravia, ex Deo nati essent; quia fide essent præditi, fide, inquam, & persuasione, quod Jesus esset Christus, seu Dei filius, ut sequente versiculo aperte explicat. Jam enim, ut dictum fuit, conclusum in initio hujus capitis fuerat, quicumque credit, Jesum esse Christum, ex Deo natum esse. Ex quo consequitur, istas duas sententias, quas hoc quarto versiculo Apostolus complexus est, nempe, *Natum ex Deo vincere mundum; & fidem, quod scilicet Jesus sit Christus, similiter mundum vincere*, idem plane pollere, & alteram altera confirmari: quanquam secundum verba Græca in posteriore sententia est quiddam amplius, quam in priore, cum verbum *vincit*, quod in vulgata Latina editione, & in Syriaca interpretatione legitur, in Græco sit *vicit*, ita ut in posteriore sententia non modo vim ipsius Christianorum fidei exprimat, quemadmodum in priore nativitatis ex Deo vim expresserat; sed etiam ipsum effectum, qui jam consecutus esset, commemoret & urgeat. Nam sane, cum hæc scripsit Apostolus, jam Christi fideles, vi ipsius fidei in Christum, iique maximo numero, vicerant ac superaverant ipsum mundum, quatenus omnem mundanarum rerum vim impedientem, quominus Dei præcepta per ipsum Christum data servarent, fregerant ac debellaverant. Sunt tamen, qui existiment, Apostolum hoc loco verbo præteriti temporis fuisse usum, ut rei certum atque indubitatum eventum declararet.

Quæ interpretatio nec ne vera sit, ex eo totum pendet, quid proprie significet *vincere mundum.* Quid nos id esse censeamus, jam supra exposuimus, & arbitramur, nos a veritate interpretatione nostra minime recessisse. Ex quo consequitur, nihil esse opus ad id hoc loco confugere, ut dicamus, verbum *vicit* præteriti temporis minus proprie fuisse usurpatum. Nam ad hoc confugiendum est, si quis istam mundi victoriam aliter interpretetur, ut scilicet accipiatur pro ea victoria, quam Christiani obtinebunt, cum adversus universam mundi potentiam felices atque beati tandem evadent. Et quidem videtur *vincere mundum* posse in istum sensum accipi, si quis animadvertat ad Christi verba, quæ leguntur ad finem 16. capitis Euangelii hujus scriptoris nostri, sic enim in ipso fine sui illius longi sermonis, quem ad discipulos suos habuit, loquitur Christus, *Hæc loquutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Nam certe isto in loco, *vincere mundum* non id significat, quod nos credimus significare in loco nostro: sed id, quod modo dicebamus, id est, non obstante tota mundi potentia, beatum ac plane felicem evadere. Quare his Christi verbis confirmatur præterea illa interpretatio verbi *vici*, quod scilicet non victoriam jam partam, sed certu futuram declaret. Nam nondum Christus, cum verba ista protulit, mundum vicerat: nondum enim mortem cruentam sibi à mundo illatam superaverat, quam scilicet nondum subierat, neque ex ingente illa afflictione & cruciatu, quem proxime ante mortem à mundo sustinuit, liberatus fuerat, quippe cum similiter ista nondum passus fuisset; nondum, inquam, immortalis resurrexerat, & summam illam beatitatem, qua postmodum donatus fuit, adeptus fuerat, & tamen dicit, *ego mundum vici*: nempe ob certissimum istarum rerum eventum.

Verumtamen, quod attinet ad locum nostrum, cum sensus loquutionis istius *vincere mundum*, non possit esse is, qui est in Christi verbis; quippe quod in loco nostro agatur tantum de facilitate quadam servandi Dei præcepta, quæ res tota in hac ipsa vita præstatur, & in ea suum complementum prorsus habet: non arbitror à proprietate hujusce vocis *vici* recedendum esse, sed agnoscendum revera, jam fidem Christianorum, quam Johannes appellat *fidem nostram*, mundum vicisse, cum hæc Johannes scriberet; non quidem in omnibus Christianis, qui tunc essent, cum ii nondum hunc cursum vitæ absolvissent, quo non absoluto, non potest de quoquam affirmari, quod Dei præcepta servaverit, & sic omnia mundi impedimenta isti tantæ rei obstantia superaverit; sed in omnibus illis Christianis, qui tempus illud, quo Johannes scribebat, antecesserant. De illis enim, cum jam cursum suum absolvissent, ex multis apertis signis & testimoniis constare poterat, plus illos potuisse, quam universum mundum, quod attinet ad ea præstanda, quæ Deus per Christum præcepit; & reipsa, ea præstando, victoriam de mundo reportasse. Quam sententiam complectitur Apostolus verbis valde figuratis, quatenus dicit, fidem Christiano-

stiano-

stianorum esse victoriam, quæ vicerit mundum, pro eo, quod proprie loquens dixisset, ex fide Christianorum natam esse victoriam hanc, ut scilicet mundus ab ipsis Christianis victus fuerit. Itaque Apostolus victoriam vocat id, quod est causa victoriæ, & victoriæ tribuit, quod vincat; cum vincere, vel vicisse sit ipsa victoria. Unde apparet, ut dixi, valde figuratum esse sermonem ejus, & plane metonymicum.

Vers. 5. Sequitur explicatio, quænam sit ista fides nostra, quæ mundum vincit, eaque his verbis continetur, *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est filius Dei?* Explicat igitur Apostolus fidem, de qua loquitur, & cui tribuit, quod mundum vincat, esse, credere, quod Jesus est Dei filius. Nam in Græco nomini *Filii* articulus est præpositus. Diximus autem supra, præcipue in explicatione secundi capitis, Christum & Dei filium, nempe unicum illum & singularem, unum & idem esse: id quod satis abunde probavimus in refutatione nostra libelli Wujeki; & ex hoc ipso loco id ipsum probari potest, cum appareat, Apostolum hic respicere ad id, quod dixit in ipso hujus capitis initio, nempe quod, qui credit, Jesum esse Christum, est natus ex Deo; quandoquidem vis præcipua argumentationis seu ratiocinationis qua hic Apostolus utitur ad probandum, quod fidelibus Christi, & sic credentibus, Jesum esse unigenitum Dei filium, Dei præcepta non sunt gravia, in eo consistit, quod, qui ita credunt, ex Deo sunt nati, quod ipse nusquam expresse dixit, nisi in isto capitis initio id dixerit. Ex quo consequitur, cum ibi non fiat mentio *Filii Dei* sed *Christi*, idem esse *Christum* quod *Dei Filium*. Nam alioquin Apostolus, ut ex iis intelligi potest, quæ supra disseruimus, pro concesso sumpsisset illud, de quo antea nullam mentionem fecisset; quod videtur esse absurdum. Jam licet, ut dictum est, potissima ratiocinatio scriptoris nostri ex eo pendeat, quod ii, de quibus loquitur, & quorum respectu dicit, Dei præcepta non esse gravia, sint nati ex Deo: apparet tamen, in ejus verbis subesse aliam argumentationem, ductam nimirum ab ipso effectu evidenti; ex eo, inquam, quod aperte constitisset, Christi fideles mundum vicisse, quemadmodum antea à nobis explicatum est.

Quæ argumentatio si fortasse cuipiam non constaret ex verbis proxime antecedentibus, quia videlicet verbum *Vincendi*, secundo loco proximo quarto versiculo prolatum, quamvis præterito tempore enunciatum, existimaret, non victoriam jam partam, sed quæ certo sit futura, significare; is poterit ex hoc quinto versiculo eam animadvertere, & simul inde colligere, non figurate, sed proprie accipiendum esse in superiore versiculo verbum istud temporis præteriti. Namque interrogandi modus, quo hic utitur Johannes, inquiens, *Quis est, qui vincit mundum, nisi &c.* Satis declarat, istam victoriam jam apparuisse, jamque effectu ipso fuisse comprobatam, quod, qui credit, Jesum esse filium Dei, id est Christum, vincit mundum: alioqui satis frigida esset interrogatio ista, adeo ut, si quis nullo pacto concedere vellet, istum effectum vincendi mundum jam in ipsis Christi fidelibus exstitisse, ac conspectum fuisse, inde id aperte colligi posset, ut certe & extitit & conspectum est in ipsius Christi resurrectione & exaltatione.

Quoniam vero hactenus Apostolus id non probaverat, sine quo, quicquid hactenus dixit de credentibus, quod Jesus sit Christus seu Filius Dei, parum virium habiturum esset, propterea non pauca subjungit ad id probandum, & hac ratione, quicquid antea de hac re dixit, confirmandum ac demonstrandum. Inquit enim, *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.* Quibus verbis continetur ex parte id, quod Apostolus afferre voluit, antequam disputationem istam absolveret, ad id probandum, quod diximus. Ubi primum notandum est, verba illa *Jesus Christus* non minus, quam diximus, fieri debere paullo post initium superioris capitis, non ita accipienda esse, quasi Johannes illis proferendis asseveret Jesum esse Christum; esset enim ista manifesta ut vocant, principii petitio: sed intelligendum est, ac si dixisset, Jesus, qui dictus est Christus; cum mens Apostoli omnino sit, quemadmodum jam diximus, & ex iis, quæ sequuntur, facile constabit, probare, quod, quemadmodum Jesus Nazarænus dictus erat esse Christus, seu Dei filius, sic revera erat. Jam hujus rei probationes, quæ his paucis verbis continentur, ex duabus rebus ducuntur, quarum altera est puritas & innocentia, tum vitæ tum doctrinæ Christi; altera vero sunt ejus perpessiones, ipsaque mors cruenta, quam sustinuit propter illa, quæ docuit. Puritas vitæ ac doctrinæ significatur per aquam: Perpessiones vero & cruenta mors, per sanguinem. Nam quod attinet ad *aquam*, alia loca sunt, ex quibus apparet, aquæ nomen habere vim id significandi, quod diximus. Et quidem de vitæ puritate & innocentia, habetis locum ad Hebræos cap. 10. 22, ubi Apostolus hortatur eos, ad quos scribit, *ut habeant corda purgata à conscientia mala, & corpora abluta aqua munda seu pura.* Namque, ut disputatum est à nobis in libello nostro de Baptismo, necesse est, ut divinus iste scriptor per *corpus ablutum aqua pura*, intelligat actiones externas inculpatas & sanctas.

Quod vero attinet ad ipsam doctrinam puram cum vitæ puritate conjunctam, est locus Pauli Apostoli ad Ephesios capite 5. 26, ubi ait, Christum *sanctificasse Ecclesiam, mundantem illam lavacro aquæ in verbo* seu *sermone*: Quandoquidem istius loci sententia est, eaque homini præjudicata aliqua opinione minime impedito clara & aperta, quod *sermo*, id est, doctrina Christi, habet vim mundandi nos à peccatis nimirum omnibus, & vitiis; non minus atque aqua vim habeat mundandi corpora nostra ab omnibus eorum sordibus. Sequitur enim statim eodem in loco, Christum hac ratione *mundasse Ecclesiam, ut ipsam sibi ipsi statueret gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut quidpiam simile*; sed quæ esset sancta & inculpata. Itaque longissime absunt ab Apostoli mente; & à verbis ipsis, qui, decepti mentione *aquæ*, putant istic mentionem fieri Baptismi aquæ: cum nemo sit tam rudis, quin videat & agnoscat, Baptismum aquæ talem mundationem efficere non posse. Sed non est omnino mirum, si creditum est, nihilominus in loco isto fieri mentionem aquæ Baptismi, cum idem creditum sit in altero illo loco ad Hebræos, quamvis aperte constet, scriptorem illum ibi non loqui de re, quæ jam facta esset, ut quidem fuisset opus, si de aqua Baptismi verba illic fierent, cum Epistola illa sit scripta ad eos, qui jam Christo nomen dederant; sed plane de re, ad quam faciendam eos hortetur, ad quos scribit. Probat igitur Apostolus, necesse esse fateri, quod Jesus sit Dei filius, id est Christus, si quis consideret ipsius vitæ ac doctrinæ puritatem. Inde enim aperte colligitur, Jesum vera dixisse, & consequenter illum esse Dei filium seu Christum. Nam hoc ipsum coram ipso magistratu, Matth 26. 63. 64. XXVII. 11, ubi quodammodo causam dixit, non obscure affirmavit, præter id, quod & antequam Marc. 9. 41. Matth. 16. 17, pateretur, & Luc. 24. 26. 46, postea, suis discipulis suo ipsius ore testatus est, seipsum videlicet Christum appellans.

Jam quod attinet ad *sanguinem*, quod scilicet ejus appellatione significentur perpessiones, & ipsa cruenta mors, nihil est opus ad id probandum ullum testimonium proferre: est enim res per se ipsa satis omnibus manifesta. Quod vero perpessiones & cruenta mors, quæ videlicet voluntarie subeatur, habet vim confirmandi ea, quæ is dicit, qui illam ista ratione subit, similiter res est adeo aperta, ut non videatur ullius probationis indigere. Ab omni enim prorsus verisimilitudine abest, ut quis velit gravissime affligi, & cruenta morte extingui, ut id verum esse persuadeat, quod ipsemet scit esse falsum. Sunt igitur duæ istæ rationes probandi, quod Jesus est Dei filius, seu Christus,

validæ omnino atque irrefragabiles; eo posito, quod verissimum est, ipsum Jesum talem se esse non negasse, immo etiam professum fuisse. De interpretationibus aliorum *aquæ* & *sanguinis*, cujus hic fit mentio, nihil necesse est differere: cum illæ partim sint rediculæ, partim absint à vero Apostoli scopo, & breviter, non sint tales, ex quibus appareat, per *aquam* & *sanguinem* istum, aperte probari, Jesum esse Christum, quod unum hoc in loco Apostolo propositum fuisse, à paucis ita, ut debuit, fuit animadversum atque perpensum, cum hunc locum sibi explicandum sumpserunt.

Tantum non videtur silentio prætereundum, quod alii animadverterunt, videlicet videri omnino *aquam* istam & *sanguinem*, *per quem*, id est, cum quo *Jesus venisse* hoc loco dicitur, fuisse adumbratum in ea aqua & sanguine, qui exierunt ex Christi latere militis lancea in cruce perfosso. Nam hujus rei idem Johannes scriptor hujus Epistolæ, & quidem inter alios Euangelistas solus, expressam mentionem facit cap. 19. sui Euangelii ℣f. 34, subjunctis statim ejusmodi verbis, unde constare videatur, illum hanc rem pro valde notabili atque insigni habuisse, quemadmodum nobis ipsis aliquando visum est. Subjungit enim illico verba ista, *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus, & ille scit, quia vera dicit, ut vos credatis.* Verum quanquam non negamus, in isto sanguine & aqua, quæ ex latere Christi exivit, adumbratum fuisse illum sanguinem, & illam aquam, de qua in loco nostro Apostolus loquitur; Tamen quod attinet ad verba, quæ modo recitavimus, quamvis illa statim legantur post narrationem sanguinis & aquæ, quæ ex perfosso Christi latere fluxit, accuratius nunc rem ipsam perpendentes, putamus, ea non fuisse addita propter sanguinem & aquam istam; sed propter illa alia duo, quæ Euangelista narraverat de Christi corpore, quod videlicet ejus crura minime fracta fuissent, ut crura duorum latronum cum ipso crucifixorum, & quod ejus latus militis lancea perfossum fuisset, statim enim adjungit hæc verba, *Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo; & iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.* Vocula siquidem *enim* in initio horum verborum posita, satis aperte docet, ea adjuncta esse, ut redderetur ratio proxime dictorum, id est, quod qui viderat, testatus fuerat ipsam veritatem, ut ii, qui legerent, crederent. Quare cum in his verbis nulla fiat mentio aquæ & sanguinis, qui fluxerat ex Christi latere; sed tantummodo afferantur duo scripturæ testimonia, quibus ostenditur, illa alia duo de venturo Christo prædicta fuisse: concludendum videtur, istam tantam asseverationem veritatis sui testimonii ex ipso visu, quæ in Euangelistæ verbis appareat, non pertinere ad sanguinem & aquam, quam testatus fuerat ex Christi latere perfosso fluxisse, & sic non posse ex tali asseveratione colligi, quod res ista, secundum ipsius Euangelistæ mentem, maximi, aut saltem magni alicujus momenti fuerit.

Negari nihilominus tamen non potest, quin Johannes eo in loco mentionem fecerit sanguinis & aquæ, quæ ex latere Jesu perfosso effluxerit, in aliquem certum finem, præter eum videlicet, ut, quod evenerat, narraret: neque enim ab Historicis ea narrari solent, quantumvis vera, quæ nullam causam præterea habent, ut narrari debeant. Itaque sunt, qui credant, Euangelistam noluisse omittere, rem istam narrare, quia inde appareat, Jesum vere fuisse mortuum. Ajunt enim, aquam quandam contineri in hominis corpore circa cor, quæ effluere nequeat, nisi membranula quædam perforetur; quod cum fit, necesse est hominem mori. Nam quod sanguis ex eo vulnere tunc effluxerit, id nihil miri habet; sed tantummodo indicat, Jesum, cum id factum est, vix dum fuisse mortuum: mortuum siquidem tamen fuisse, testatur ibidem Euangelista. Hæc loci istius consideratio mihi probari non potest, ob eam causam, quod vel de vera Christi morte persuadendi sunt ii, qui credunt Jesum Christum verum humanum corpus habuisse, vel qui id minime credunt. Si ii, qui minime id credunt, isti nihilo magis commovebuntur, ut credant Jesum Christum fuisse mortuum, etiamsi verissimum sit, ita oculis eorum, qui aderant, apparuisse, quod scilicet ex Christi latere perfosso aqua fluxerit: dicent enim, quemadmodum Christus corpus habebat, quod videbatur plane verum humanum corpus, nec tamen erat: sic istam, quæ visa fuerit aqua ex ejus latere fluens, non fuisse veram aquam, sed talem oculis spectantium apparuisse. Sin vero ii, qui credunt, Christum verum corpus habuisse: tot & tanta sunt testimonia, & tunc erant, cum Johannes Euangelium suum scripsit, quod Jesus Nazarænus, qui dictus est Christus, revera mortuus fuerit, ut nihil sit, vel esset opus ista fluxione aquæ ex ipsius latere, ad id probandum: nec quisquam eorum, qui Jesu Nazaræno verum humanum corpus tribuerunt, dubitavit unquam, quin is revera mortuus fuerit. Si ageretur de credendo, quod eo ipso tempore, quo Jesu in cruce adhuc pendenti perfossum est latus, ipse Jesus (si non antea) per istud ipsum vulnus mortuus plane fuerit, tunc posset consideratio ista aliquem locum habere: immo, si verum est, quod dicitur de aqua ista circa cor, esset ista aquæ fluxio ex perfosso latere manifestum indicium ejus rei.

Verum in interpretatione ista, quod ad probandam Christi mortem mentio aquæ & sanguinis, qui ex perfosso ejus latere fluxit, facta fuerit, non de hoc agitur, neque in ea re quicquam est momenti, an tempore isto mortuus fuerit Jesus: sed id quæritur, an revera mortem subierit, propter eos, de quibus dictum est, qui arbitrantur, Dei filium non habuisse verum humanum corpus, & visum quidem fuisse mori, sed mortem tamen revera non fuisse expertum. Relinquitur igitur, ut, cum nihil aliud occurrat magis probabile, propter quod Euangelista rem istam narraverit, quam hoc sit, ut inde agnosceretur fuisse adumbratam in ista re, quæ accidit ex perfossione lateris Christi, illam aquam, & illum sanguinem, cum quo in loco nostro idem scriptor narrat & asserit Jesum Christum venisse; relinquitur, inquam, ut in hunc ipsum finem voluerit is in narratione sua Euangelica istius rei diserte mentionem fieri; præsertim; quod, etiamsi non possit plane evinci, illum, cum dixit in isto Euangelii loco, *Et qui vidit testatus est, &c*, habuisse rationem istius rei à se visæ, propter illam causam, quam superius attulimus de verbis subsequentibus, & per particulam, rationem reddendi vim habentem, cum superioribus connexis: tamen fieri etiam potest, ut nihilominus in ista sua asseveratione veritatis sui testimonii eo respexerit, quamvis alia illa duo potissimum eum respexisse sit verisimile. Sed cum non haberet ullum Veteris Testamenti locum, in quo fluxio ista sanguinis & aquæ ex Christi latere aliquo modo prædicta fuisset, satis habuit, duo illa loca adferre, in quibus illæ aliæ duæ res aliqua ratione prædictæ & indicatæ in ipsa Mosis Lege & Prophetis fuerant. Non enim videtur omnino necessarium, ut particula rationem reddens indicet, in proximis antecedentibus verbis nullam fuisse habitam rationem, nisi eorum, quorum post dictam particulam fit aliqua mentio: siquidem videtur posse contingere, ut reddatur ratio, non omnium, sed majoris partis eorum; ad quæ proxime præcedentia verba respiciunt.

Jam quod diximus, & plerisque aliis omnino probatur, ut præpositio *per* quæ est in istis loci nostri verbis, *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem*, habeat eandem significationem, quam præpositio *cum*; posset non paucis exemplis ipsius Novi Testamenti confirmari: sed, ne longiores simus, satis habebimus, exemplum unum afferre, quippe quod sit apertissimum, nec ulli dubitationi subjaceat. Illud est in Pauli verbis Epistolæ ad Romanos cap. 14. 20, ubi legitur, *Omnia quidem*

quidem sunt pura, sed malum est homini, qui per offendiculum comedit; Ubi nemo non videt, *per offendiculum*, idem plane esse quod *cum offendiculo*. Et sane in hunc sensum ab omnibus locus iste accipitur, & ab interpretibus ita redditur, ut loco præpositionis *per* præpositionem *cum* substituant.

Expositis duabus rebus, quæ plane fidem faciant, Jesum esse Christum, subjungit Apostolus aliam, & sic tertiam, quæ etiam majoris efficaciæ & virium ad idem probandum esse videtur; & inquit, *Et spiritus est, qui testificatur: quoniam spiritus est veritas.* Male admodum, judicio meo, ultima hujus loci verba à Beza in sua translatione reddita fuerunt, quem tamen quidam alii sunt secuti, & ipsius interpretationem probasse omnino videntur, nominatim vero Tremellius in translatione Syriaci contextus, in quo eadem ambiguitas est, quæ in Græco. Sic enim habent verba translationis Bezæ, *Et spiritus is est, qui testificatur, spiritum veritatem esse.* Accepit enim Beza conjunctionem Græcam ὅτι, tanquam expositivam, non autem rationis redditivam, qua in re vehementer mihi falsus esse videtur, & parum attentus fuisse ad id, de quo hoc in loco agitur. Quid enim quæso ad propositum Apostoli, quod prorsus est, ostendere ex apertis testimoniis, Jesum esse Dei filium, seu Christum, potest pertinere testificatio ista, quod spiritus sit veritas? Ut nihil dicam de absurditate, quæ in eo apparet, quod spiritus testetur, spiritum esse veritatem. Nec poterit quisquam hoc ita interpretari, non dicam, ut ad scriptoris nostri scopum pertineat; sed, ut sensus inde eliciatur, qui sit ipso scriptore dignus. Quapropter nihil ambigendum videtur, quin conjunctiva ista particula, non expositiva, sed redditiva rationis sit. Hinc enim & sensus eruitur cum Apostoli scopo plane congruens, & aliquid dixisse Apostolum apparet, quod sit dignum observatione. Ubi enim dixit, spiritum esse, qui testatur, unde fit, ut spiritui nominatim ac diserte tribuerit id, quod sanguini, & aquæ nondum tribuerat, quod scilicet vim testandi haberet, nempe quod Jesus esset Christus: recte fuit, ut hujus honoris, quo quodammodo spiritum nominatim ac peculiariter affecerat (quamvis interim, ut ex verbis ipsius, quæ statim sequuntur, plane constat, mens ipsius esset, aquæ & sanguini similiter tribuere, quod vim testandi id ipsum haberet) rationem redderet: & propterea ista verba subjunxit, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστι ἡ ἀλήθεια, id est, *nam spiritus est veritas.* Ac si diceret, Potissima vis id testandi, quod quærimus, est in spiritu, quoniam spiritus nullo pacto fallere potest, cum sit ipsa veritas. Et certe, si recte intelligatur, quid sit iste spiritus, aperte constabit, majorem & certiorem vim veritatis testificandæ in ipso esse, quam in ipsa illa aqua, & sanguine, quem hic Apostolus intelligit. Est enim spiritus iste illa vis & efficacia divina, per quam tot admiranda opera à Jesu, qui dictus est Christus, facta fuerunt, & per quam ipse Jesus à mortuis est excitatus, & in dextera Dei collocatus, quam nemo non videt rem esse præstantiorem, & ab omni suspicione erroris alieniorem, & denique aptiorem ad probandum, quod ipse Jesus sit filius Dei, seu Christus, quam sit puritas & innocentia vitæ ac doctrinæ ipsius Jesu, atque ejusdem voluntaria ac eruenta mors: quamvis, ut antea docuimus, ista sint valde efficacia ad id probandum ac persuadendum.

Diximus autem, Apostoli verba ita accipienda esse, ac si diserte dixisset, spiritum, de quo loquitur, esse ipsam veritatem, quia voci Græcæ ἀλήθεια articulus est præpositus, qui id significandi vim habere potest. Potest etiam vis istius articuli hoc in loco esse, ut denotet quandam singularem veritatem, eam videlicet, quæ ad mentem ac sensum Apostoli pertinet, id est eam, quæ eo continetur, quod Jesus sit Christus: ac si Johannes diceret, quod veritas ista, quam ipse probare vult, adeo à spiritu, quem ipse intelligit, probatur ac demonstratur, ut dici possit, spiritum istum esse hanc veritatem; quippe, cujus vis & operatio tota in eo sit, ut ratione omnium certissima & excellentissima probetur, quod Jesus est Christus. Est autem ipsi quoque *spiritui* in Græco articulus præpositus, ut ostendatur, non in universum de divino spiritu, seu virtute atque efficacia divina hic verba fieri; sed de illo spiritu, illaque Dei virtute atque efficacia, quæ ad confirmandum Jesu Christi Euangelium exhibita à Deo fuerat, & cunctis apparuerat.

Vers. 7. Postquam rationem Apostolus reddidit, cur singulariter spiritui, quem intelligebat, tribuisset, quod testaretur, id videlicet, quod hoc loco quærebatur; ea verba subjungit, ex quibus aperte constat, mentem illius esse, aquæ similiter & sanguini tribuere, quod hoc ipsum testentur, & in hunc finem ista duo ab ipso antea commemorata fuisse. Legemus autem verba ista, ut certum est, correctiora exemplaria, tam Græca, quam Latina habere, & ut Syriaca interpretatio in omnibus exemplaribus plane habet: quamvis non simus defuturi, quin postea explicemus id quoque, quod nunc vulgo tam Græce, quam Latine legitur, præter id, quod vera lectio habet. Est autem ea ejusmodi, *Quoniam tres sunt, qui testantur, Spiritus, & aqua, & sanguis.* Quibus verbis additur in Syriaca interpretatione, & in quibusdam Græcis & Latinis antiquis exemplaribus, *Et hi tres in unum sunt*, sive *unum sunt*. Apostolus igitur hisce verbis fidem manifestam facit, se antea propterea dixisse, quod Christus cum aqua & sanguine venisset, quia mens ipsius fuerit dicere, quod & aqua, & sanguis testantur, Jesum esse Christum, quamvis potissimum id testetur spiritus, quem ob hanc causam, quamvis antea ultimo loco nominatum, hic primo loco ponit. Ad ista igitur tria redigit Apostolus, quidquid est solidi testimonii, ad probandum, quod Jesus sit Christus; nempe ad vitæ ipsius Jesu & doctrinæ puritatem, ad ejusdem perpessiones & cruentam mortem, & ad opera illa admiranda, quæ facta sunt, tum ab ipso Christo, tum à Deo circa ipsum, quæ nomine *spiritus* intelligit, propter eam causam, quam antea attulimus, quod scilicet spiritu, id est virtute atque efficacia divina ista facta sint; & hac simplici appellatione *spiritus*, ac si res unica quædam essent, illa nominare voluit, quemadmodum antea simplici appellatione tam aquæ, quam sanguinis, plures res intellexerat, ut posset metaphoram quandam, quæ hic subest, & simul prosopopœiam retinere. Nam metaphora in eo est, quod, quemadmodum testis aliquis solet fidem facere alicujus rei, sic spiritus, & aqua, & sanguis fidem faciunt, quod Jesus sit Christus, & propterea testes appellantur: & interim persona quædam singulis istis tribus rebus tribuitur, cum ita considerantur, ac si tres personæ essent, quæ istud, quod quæritur, testarentur. Hoc enim præ se fert loquendi modus iste, *Tres sunt, &c*, cum interim tam spiritus, quam aqua, & sanguis apud Græcos generis sit neutri. Nam *Tres*, seu, ut in Græco est, τρεῖς, cum eo, quod sequitur, οἱ μαρτυροῦντες, plane generis est masculini, quod indicat hic agi, tanquam de tribus hominibus, qui testes sint, aut certe de tribus personis; earum enim proprium est, ut testes appellentur, & testificari dicantur: in quo inest prosopopœia illa, de qua modo dicebamus.

Jam verba illa, *& hi tres unum sunt*, magis adhuc confirmant prosopopœiam istam: alioqui enim secundum Grammaticam, & ipsam nominum significationem, (neque enim nomina ista, *spiritus*, & *aqua*, & *sanguis*, aliud significant, quam res quasdam) dicendum fuerat, *& hæc tria in unum*, seu *unum sunt*. Hæc verba igitur, si ea tamen pro germanis hujus loci habenda sunt, hoc sibi volunt, quod testimonium singularum istarum rerum, testimonium, inquam, quod hoc loco intelligitur, est unum & idem; quandoquidem omnia & singula ista hoc idem & unum testantur, quod Jesus est Dei filius, seu Christus. Quomodo aqua & sanguis istud testentur, aperte atque abunde expositum est à nobis supra. De spiritu autem

quam

quamvis ea dixerimus, unde quilibet per se facile intelligere potest, quomodo is fidem faciat, Jesum esse Christum: tamen majoris declarationis gratia dicimus, propterea spiritum, id est, admiranda illa opera, virtute & efficacia divina patrata, fidem facere ac testari, & quidem, ut ex verbis ipsius Apostoli collegimus, singulari & excellentissima quadam ratione, quod Jesus est Dei filius, seu Christus, quia partim non poterant ab eo fieri, vel circa illum evenire, qui Deo carissimus non esset, & consequenter veracissimus, (jam enim dictum est, ipsum Jesum dixisse, se esse Christum) partim ejusmodi sunt, quæ ipsum Christum efficiant. Nam ipsa Jesu exaltatio, & in dextera Dei collocatio, id est, datio supremæ ac divinæ potestatis & imperii secundum Deum, efficit, ut Jesus sit revera Christus, id est, verus, solus, ac perpetuus populi Dei Rex, & similiter sit verus, atque unicus ille ac singularis Dei filius, nempe & universorum hæres ab ipso Deo constitutus, & summa omnium atque excellentissima ratione similis ipsi Deo factus.

Hactenus ita locum accepimus hunc totum atque interpretati sumus, ac si de ipso tantum Christo Jesu, qui ista tria testimonia, unde probatur, Jesum esse Christum, in se habeat, sermo esset, prout indicant ipsius loci prima verba, *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Jesus Christus.* Verum quia certum est, omnia tria ista testimonia, ejusdem rei fidem facientia, inveniri in Christi fidelibus; & quia sæpe in Sacris Literis solo Christi nomine, non solum ipse Christus, sed omnes, qui ipsius sunt, significantur; immo aliquando non ipse Christus revera, sed tantum discipuli ejus, sive ejus Ecclesia, ut priore ad Corinthios 12.12. propterea necesse est, aliquid etiam dicere de eo, quomodo in ipsis Christi fidelibus ista tria testimonia appareant, & fidem faciant, quod Jesus sit Christus, & ob hanc causam iterum breviter totum locum percurrere, ut, si quid omissum fuerit in præcedente nostra ejus explicatione, quippe, quæ non esset tota seu integra & perfecta, nunc dicatur. Cum igitur ait Apostolus, *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem Jesus Christus*, intelligendum videtur, eum voluisse dicere, quod, quocumque modo Christum consideres, sive in ipsius propria persona, tanquam capite, sive in ipsius fidelibus, tanquam corpore & membris ejus; verissimum est, in eo conspici hæc duo, quæ testimonium videlicet faciant, eum revera esse filium Dei, seu Christum, nempe vitæ ac doctrinæ puritatem, & perpessiones ac mortes, cum voluntaria sanguinis sui fusione conjunctas. Neque enim Christus solus, id est Jesus, qui dictus est Christus, passus est, & sanguinem suum voluntarie fudit, nimirum occasione doctrinæ suæ; sed etiam ipsius discipuli seu fideles. Nam de doctrina ac vita pura, quæ in illis sit & fuerit, qui ipsius Jesu sunt fideles, nihil videtur dubitandum. Neque enim ejus discipulus ejusve fidelis dici quisquam merito potest, qui eandem doctrinam, eandemque vitæ sanctitatem non habeat, quam ipse habuit: sed, quod attinet ad perpessiones & mortem, quam quis voluntarie re ipsa subeat, nihil impedit, quominus videatur fieri posse, ut quis ista non subeat, præsertim mortem, & tamen sit ejus discipulus, & vere fidelis merito vocandus.

Et propterea verba illa, quæ nondum explicuimus, *Non in aqua tantum, sed in aqua & sanguine*, ab Apostolo potissimum fortasse fuerunt adjecta. Quamvis enim illa ad Jesum quoque ipsum accommodari recte possint, cum satis esse videretur ejus doctrina pura, itidemque vita, ad probandum, quod is sit verus Christus Dei, & propterea potuerit Apostolus ea mente ista verba addere, ac si dixisset, in ipso Jesu non fuisse tantum unum testimonium, quamvis per se sufficiens, ad fidem faciendam, quod verus Christus esset, nempe aquam, id est, puritatem vitæ & doctrinæ: sed aliud præterea, idem non minus aperte testificans, sanguinis videlicet sui voluntariam fusionem: tamen multo magis necessarium fuit, ut Apostolus ista verba propter ipsius Jesu Christi discipulos adderet, propter jam expositam causam, & doceret, ipsos Jesu Christi discipulos, si videlicet in universum considerentur; habuisse non modo vitæ puritatem ac doctrinæ, sine qua Jesu Christi nomine nuncupari non possent, sed etiam sui ipsorum sanguinis fusionem, quæ non videbatur necessaria, ad ipsos tales constituendos, ut ad ipsum Jesum Christum pertinerent, & ejus corpus essent: Nam de ipso Christo, quod cruentam mortem experturus esset, prædictum id erat in Prophetis: præsertim vero apud Esaiam capite 53.

Jam quod in verbis istis alia præpositione, cui nomina *aquæ* & *sanguinis* subjiciat, usus est Apostolus, quam antea usus fuerat, & loco *per*, substituerit *in*; factum est hoc, nisi fallor, ad majorem declarationem ipsius præpositionis *per*; in quem videlicet sensum ab ipso prolata fuisset: multo enim frequentius in Sacris Literis præpositio *in*, idem significat, quod *cum*, quam præpositio *per*: immo præpositio *per*, qua distincta à præpositione *in* Hebræi carent, non ob aliam causam factum est, ut non raro idem polleat, quod *cum*, quam quia ipsius propria & peculiaris significatio exprimitur sæpissime per præpositionem *in*; quæ, ut dictum est, præpositionis *cum* frequentissime significationem habet: & ita mira quadam ratione & commutatione factum est, ut Hebraismus in ea vocula appareat, quæ tamen ipsa non est Hebræa.

Affirmat igitur Johannes, Christi fideles, qui, ut dictum est, ipso Jesu Christi nomine appellari consueverunt, non modo venisse, una cum duce suo, cum aqua, sed etiam cum sanguine, eo sensu, qui jam à nobis sæpius expositus est. Ubi est observandum, quod, præter rationem à nobis antea indicatam majoris præstantiæ atque efficaciæ testimonii spiritus, quam aquæ & sanguinis, propter hoc etiam distinxit Apostolus Spiritum ab aqua & sanguine, & horum duorum separatim à spiritu mentionem prius fecit, affirmans, Jesum Christum cum duabus rebus istis venisse, id est, tam ipsum, quam ejus fideles; id quod de spiritu diserte non affirmat, quia videlicet duo ista, aqua & sanguis, multo magis propria, sunt, tam ipsius Jesu Christi, quam fidelium ejus, quam sit spiritus. Nam vitæ & doctrinæ puritas, itidemque perpessiones & voluntaria mors, videntur res esse ipsiusmet personæ, in qua ista appareant, etiamsi, quod attinet ad doctrinæ puritatem, illa sine dubio à Deo proficiscatur. Sed spiritus, id est, admiranda opera, & præter naturæ cursum, quæ quis faciat, ejusmodi sunt, ut nemo non videat, ab illa persona, quæcumque illa tandem fuerit, à qua ea fiant, ab ejusve virtute non proficisci; sed necesse est, ut ab ipso Deo, ab ipsiusque virtute proficiscantur. Meritissimo igitur, quando non una hujus rei causa fuit, ista distinctio spiritus ab aqua & sanguine ab Apostolo facta est. Cæterum, quæ sequuntur de ipso spiritu à Johanne dicta, nihil necesse esse credimus diligentius explicare, quomodo ad Christi fideles accommodantur. Tantum animadvertendum est, Apostoli verba, quod ad Christi fideles attinet, non pertinere revera ad omne tempus, quemadmodum etiam ipsius Apostoli verba sonant, in quibus non est verbum ullum futuri temporis, sed tantum præsentis, quod non habere vim, ut ad omne tempus trahatur, indicat verbum *venit*, usurpatum, cum actum est de aqua & sanguine, quod omnino præteriti temporis est, & docere potest, ea, quæ de spiritu statim subjunguntur, cum spiritus ad idem pertineat, ad quod pertinet aqua & sanguis, & una cum ipsis postea, tanquam res ejusdem vis ac naturæ, conjungatur, præteritum tempus potissimum respicere.

Qua re non obstante, potuit Apostolus præsente tempore uti, cum de spiritu separatim verba fecit, & ita loqui, ac si spiritus iste perpetuo in Christi fidelibus non minus quam in ipso Christo appareret; cum ipse Christus apud Marcum capite ultimo non dubitaverit affirmare, signa eorum, qui credituri essent in ipsum, fore, quod multa mira facerent in ipsius nomine, & sic spiritu isto, de quo Johannes loquitur, essent præditi,

cum

cum tamen hoc non fuerit perpetuum, sed tamdiu dumtaxat duraverit, quoad sufficienter confirmatum fuit ipsius Jesu Christi Euangelium, & consequenter, ipsum Jesum verum Dei filium, seu Christum esse. Et sane ad id, quod Apostolus probare intendit, non est necessaria ulla perpetuitas, cum id aliud nihil sit, quam hoc ipsum, quod modo diximus, quodque merito ac vere affirmavimus, citra ullam perpetuitatem plane extitisse, id est, plenissimum testimonium datum fuisse, plenissimamque fidem factam esse, quod Jesus sit Christus.

Jam vero nihil restat amplius, quod à nobis dicendum sit circa explicationem hujus loci, quamvis accepti ita, ut non ad ipsum Jesum Christum tantum, sed etiam ad ipsius fideles accommodetur. Quare antequam ulterius progrediamur, id præstandum à nobis est, quod polliciti sumus, ut scilicet ea etiam explicemus, quæ in hoc loco hodie in vulgatis tam Græcis quam Latinis codicibus leguntur, præter illa, quæ à nobis jam explicata sunt, etiamsi satis constat, illa esse adulterina, & ab hominibus qui suum dogma de trino & uno Deo quacumque ratione defendere ac propagare volebant, in hunc locum infarta, facile intelligi potest ex ipsomet contextu primum, deinde ex eo, quod mira, & supra modum multiplex est varietas in exemplaribus tam Græcis quam Latinis, in toto hoc loco, ac præterea ex testimoniis antiquorum Theologorum, tam Græcorum, quam Latinorum, qui maxima ex parte hunc locum vel explicantes, vel citantes, nullam faciunt mentionem triplicis testimonii, Patris, verbi, & Spiritus Sancti in cœlo testantium; & fortasse ante Hieronymum vix ullus invenietur, qui testimonium istud hoc in loco plane agnoverit. Sed Hieronymus, ut is, qui, ut recte de eo Erasmus alicubi scribit, non satis prudenter sæpe ad victoriam, & ad causæ suæ defensionem & favorem multa trahebat, nactus forte exemplar aliquod, aut etiam plura exemplaria, in quibus particula ista ita adjecta fuerat, ut fraus animadverti non posset, adversus fidem aliorum omnium exemplarium, tam Latinorum quam Græcorum, lectionem particulæ istius tanquam germanam defendere & promovere cœpit, conquerens publice, eam culpa & fraude hæreticorum abrasam à vulgatis codicibus fuisse. Legat quilibet diligenter ea, quæ Erasmus in hunc locum accurate ac copiose annotavit; nec non, quæ breviter in eundem notarunt Theologi Lovanienses, & facile intelliget, rem sic se habere ut nos affirmamus.

Vers. 7. Sed jam verba ista, quamvis addititia, recitemus, eaque, ut polliciti sumus explicemus: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, pater, verbum, & Sanctus Spiritus, & hi tres unum sunt.* Hæc verba ut melius intelligantur, necesse est, in sequente membro pro certo ponere haberi verba illa *in terra*, ut vulgo habentur; quorum antea mentionem nullam fecimus; quippe, quæ, etiamsi in quibusdam emendatis exemplaribus inveniuntur, in emendatioribus tamen non habeantur. Jam verba ista efficiunt, ut melius intelligatur, quid sibi velit istud, *In cœlo*, quod in modo recitatis verbis habetur. Distinguit enim Apostolus secundum vulgatam lectionem testes, qui testantur, Jesum esse Christum, in duas classes: utrique classi testes tres assignat, quorum videlicet alteri in cœlo testentur, alteri vero in terra, & hac ratione inter se distinguantur: & quia jam mentionem fecerat eorum, qui testantur in terra, sed hujusce rei, quod scilicet testarentur in terra, nullam mentionem fecerat, sed tantum simpliciter de eis dixerat, quod testarentur: propterea, cum alteros tres commemorare voluit, distinctionem istam loci, ubi utrique testantur, expresse adhibuit, utque id apertius faceret, tres priores, quos commemoraverat, testes repetiit; mentionem autem antea fecerat, quod spiritus, & aqua, & sanguis testarentur, propterea, quia, etiamsi, cum aquam & sanguinem nominavit, nullam testimonii ipsorum ab initio mentionem fecit; tamen cum spiritum postea commemoravit, & de illo diserte dixit, quod testetur, ita locutus est, ut appareat, eum simul dixisse, quod aqua & sanguis testatur: hoc enim indicat particula illa *&*, in illis verbis ab initio posita, *Et spiritus est, qui testificatur;* tantundem enim valet particula ista, ac si dixisset, *Spiritus quoque testificatur*, unde intelligitur, duo illa præcedentia, aquam & sanguinem, testari.

Jam differentia inter unos & alteros testes, ut scilicet hi in terra, illi vero in cœlo testentur, ita accipienda est, ut non proprie, ut verba sonant, intelligamus, in ipso cœlo, & in ipsa terra testimonium reddi; sed, *testari in cœlo* idem significare, *testari existentes in cœlo*; quod idem valet, ac si dictum fuisset *De cœlo. Testari* vero *in terra*, intelligamus similiter idem esse, ac *Testari existentes in terra*, ut postea explicabimus; non autem, ut à plerisque fit, est simpliciter intelligendum, quod uni ex istis testibus sint cœlestes, alteri vero terrestres. Neque enim *spiritus*, qui numeratur inter illos, qui testantur in terra, terrestris testis est, sed cœlestis; cum sit, ut antea asseruimus, virtus & efficacia divina. Cum igitur Apostolus dicit, *tres esse, qui testantur in cœlo*, & hos tres esse affirmat, *Patrem, & verbum, & Sanctum Spiritum*, primum quod attinet ad Patrem, intelligendum est ipsum Patrem Deum de cœlo testimonium dedisse, quod Jesus sit ejus filius, seu Christus. Et sane hujus rei habemus mentionem factam expressam apud Euangelistas, dum narrant, quod & cum Jesus baptizatus est, & cum in monte coram illis tribus suis discipulis trans figuratus est, vox de cœlo est audita, dicens: *Hic est filius meus dilectus.* Cujus rei, quatenus ea accidit in monte, ubi Jesus transfiguratus est, Petrus ipse, qui fuit unus ex illis tribus discipulis, aperte verbisque admodum magnificis mentionem fecit in altera sua Epistola, 2 Petr. 1. 17. Illud etiam, quod refert hic idem scriptor in suo Euangelio cap. 12, de voce ad verba ipsius Jesu dicentis & rogantis, *Pater, glorifica tuum nomen*, quæ de cœlo venit, dicens, *Et glorificavi, & iterum glorificabo*, huc omnino pertinet, quo similiter alia multa pertinere possunt, quorum in ipsa Sacra Historia non fiat mentio, & tamen eo tempore, quo Johannes hanc Epistolam scripserat, vel visa, vel audita, ut valde verisimile est, fuerint, ex quibus apparuerit, Deum ipsum Patrem, tanquam ex persona sua, reddere testimonium talis Jesu præstantiæ, & talis cum ipso Deo conjunctionis, vel erga Jesum ipsius Dei aut operationis, aut affectus, unde certo colligi possit, Jesum esse ipsius Dei filium, quamvis id alioqui in istis vel visis, vel auditis, expressum non fuerit, quemadmodum contigit in eo, quod modo commemoravimus à Johanne in suo Euangelio literis consignatum fuisse. Neque enim in ipsis illis verbis de cœlo factis & auditis expressum est, ut in aliis, quorum antea mentionem fecimus, Jesum esse Dei filium: & tamen interim ex illis hoc necessario consequitur. Neque enim, si Jesus falsa dixisset, nominans in illis suis verbis ac precibus Deum Patrem suum, idque bis (antecedunt enim iis verbis Christi, quæ recitavimus, ista, *Pater, salvifica me ex hora hac*) unquam responsum istud tulisset, quod tulit.

Porro quod attinet ad testimonium Verbi, id est, ipsius Jesu Christi de cœlo redditum, quod ipse Jesus revera sit Christus, possumus exempla hujus rei ponere apparitiones, visiones, & sermones habitos ab ipso Jesu, postquam in cœlum ascenderat, de quibus expressa fit mentio in actis Apostolorum, quæ tamen exempla, circa unam tantum personam, id est Paulum Apostolum, in prædicta historia apparent: sed verisimile est, ejusmodi res alias ab ipso Jesu factas, & aliis etiam ostensas extitisse, quamvis illæ in ipsa sacra historia non commemorentur. Nam Lucas, qui illam scripsit, ut Pauli Apostoli comes, id sibi potissimum propositum habuit, ut ea, quæ Paulo evenerant, literis mandaret, quemadmodum ab omnibus facile animadversum fuit. Et propterea brevissime admodum alia attigit, quæ alios, quam ipsum Paulum, respicerent, satis habens summam earum rerum narrare, quæ evenerunt ante ipsius Pauli conversionem. Jam nihil est eorum, quæ

ipsi Paulo Jesus de cœlo, sive ibi manens ostenderit, aut dixerit, aut significaverit, unde non appareat, ipsum Jesum esse Christum. Ubique enim in istis Jesus se tanquam Dominum cœlestem, & Dei populum regentem ac gubernantem gerit atque ostendit: quibus rebus ipsum Christi munus & potestas plane continetur.

Restat de Spiritu Sancto de cœlo testante aliquid dicere, ubi necesse est, distinctionem adhibere inter testimonium, quod eidem Spiritui Sancto postea tribuitur, ut in terra existenti, & istud, de quo hic verba fiunt. Apparet enim ex interpretatione nostra jam allata verborum sequentium ac præcedentium, nomine *spiritus*, de quo in sequentibus dicitur, quod testetur in terra, quamvis epithetum sancti non fuerit additum, intelligi ipsum Spiritum Sanctum. Sed animadvertendum est, vulgata lectione admissa, istoque duplici ejusdem Spiritus Sancti testimonio, unius in terra, alterius vero in cœlo; necesse esse Spiritui ipsi Sancto, quatenus cum aqua & sanguine conjungitur, pauciora tribuere, quæ vim testandi habeant, quod Jesus sit Christus, quam supra à nobis tributa fuerint; quamvis non omnia tamen ibi recensuerimus, quæ illi tribui possunt. Sunt enim secundum vulgatam lectionem spiritui isti tribuenda ea tantum testimonia, quæ hic in terris exstiterunt. Nam ea quæ de cœlo apparuerunt, vel intellecta sunt vim habentia testandi, quod Jesus sit Christus, in quibus interim ipsa persona Patris, aut filii expresse non interveniat, tribuenda sunt Spiritui Sancto, qui hic simul cum Patre & verbo commemoratur: id est, intelligere debemus, testimonia ista à virtute & efficacia Dei profecta fuisse tali ratione, ut ex ipso cœlo ea prodiisse appareat; quales sunt apparitiones Angelorum, voces auditæ, visiones, monitiones, similesque res, quarum exempla aliquot habentur in ipsa Historia Actorum Apostolicorum Act.13.2, ubi etiam aliquando diserte ipsi Spiritui Sancto tributæ leguntur. Non est autem silentio prætereundum, quod in his verbis filius Dei, seu Jesus Christus, neutro ex his nominibus, sed *verbum* appellatur; quod mihi quidem videtur esse indicium aliquod istorum verborum addititiorum. Quamvis enim hujus scriptoris proprium fuerit alicubi, Dei filium seu Christum Jesum isto nomine appellare, cur id fecerit, subsunt alibi causæ, at nulla subesse videtur, cur id hoc loco facere debuerit.

Nam si quis dicat, propterea hoc ab ipso factum esse, quia videretur absurdum dicere, quod ipse Dei filius seu Christus de seipso testaretur, & quidem se esse Dei filium, seu Christum: hoc mihi videtur valde leve, cum ipse Dominus Jesus apud hunc eundem scriptorem in Euangelio cap.8.18, affirmet, se de seipso testari.

Adde, quod etiamsi alia appellatio sit verbi, & alia filii Dei seu Christi, si ipsum verborum sonum spectes; tamen re ipsa unum & idem significant: adeo ut in ipsa voce *verbi* contineatur plane id ipsum, quod significat esse Dei filium, seu Christum; ita ut substitutio istius vocis pro altera istarum duarum, nihil minuat absurditatis, quæ in eo inesse videatur, quod quis dicatur testari de se ipso, id quod ipsum nomen sonat, quo, cum hoc ipsum dicitur, appellatur. Quanquam ista in re nullam ego absurditatem video. Præterea, non bene simul junguntur, *Pater* & *verbum*. Neque enim ea est relatio Patris ad verbum, quæ est ad filium, quo nomine videbatur Jesus Christus hoc in loco nominandus esse, ubi Deus nomine Patris significatur: aut si ista verbi appellatio ad Jesum Christum significandum hoc loco usurpanda erat, dicendum plane videtur, Deum debuisse non Patris nomine, sed ipsius Dei nomine appellari, quandoquidem Deus & verbum habent inter se relationem. Dicitur enim Jesus Christus esse Dei verbum Apoc.19, & in ipso initio Euangelii hujus scriptoris; ubi appellatio ista verbi Christo Jesu tribuitur, nulla sit mentio Patris, ad quem verbum istud relationem habeat, sed Dei tantum.

Verum jam ultima verba hujus particulæ, quam supposititiam esse censemus, inspiciamus atque examinemus. Sunt autem ista, *& hi tres unum sunt*. Sic enim legunt tam Latina, quam Græca vulgata exemplaria, quamvis Græca Complutensis editio habeat, *In unum sunt*. Hæc verba utrocunque modo legantur, verisimile mihi faciunt, in sequentibus post factam mentionem trium alterorum testium legi debere hæc eadem verba, quæ etiam habentur in Syriaca interpretatione, quamvis (ut supra monuimus) non pauca ex emendatioribus exemplaribus, præsertim Græcis, illa non habent, sicut nec ipsa Complutensis editio habet. Mihi enim valde verisimile videtur, quod verba ista dederint occasionem addendi triplex testimonium Patris, verbi, ac Spiritus Sancti. Cum videlicet, si verba ista ad exemplum ejus, quod factum est in triplici testimonio spiritus, aquæ, & sanguinis, adderentur, facile inde colligi posset unitas essentiæ & trinitas personarum in ipso Deo; seu Patrem, verbum, & Spiritum Sanctum, quamvis dicantur esse tres testes, & consequenter, tres inter se distinctæ personæ, tamen essentia esse unum & idem. Nam sine dubio in hunc non in alium finem facta est additio ista, (si modo, ut nos pro certo habemus, facta est) triplicis istius testimonii. Quanquam, cum postea fuerit animadversum, si ista eadem verba *Et hi tres unum sunt*, sive, *In unum sunt* legerentur, dicta similiter de spiritu, & aqua, & sanguine; ex illis non consequuturum, Patrem, verbum, & Spiritum Sanctum, esse ejusdem essentiæ, cum certe spiritus, & aqua, & sanguis diversæ inter se essentiæ sint: Verisimile est ex multis codicibus fuisse ista verba abrasa, ubi de spiritu, & aqua, & sanguine sit mentio.

Verum, quicquid sit, non potest ullo pacto ex istis verbis una & eadem essentia Patris, verbi, & Spiritus Sancti confirmari; ut a nostris hominibus copiose & multis exemplis allatis demonstratum est in interpretatione eorum verborum Christi, *Ego & Pater unum sumus*: neque hic quidquam est opus ea in medium afferre; præsertim cum locus ipse satis doceat, istam unitatem pertinere ad ipsum testimonium, hicque aliud nihil dici, nisi quod Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, unusquisque testimonio suo hoc unum testatur, quod Jesus est Christus, seu Dei filius; præter id, quod jam dictum est, nempe quod idem dicitur de spiritu, & aqua, & sanguine, in quibus alia unitas esse nequit, quam testimonii. Nam si quis dixerit id, quod nos ipsi jam confessi sumus, in non paucis emendatis exemplaribus non esse verba ista unitatem significantia, ubi agitur de spiritu, & aqua, & sanguine, præter id, quod jam dictum fuit ad confirmandum, hanc esse tamen veram lectionem, ut scilicet ibi hæc verba legantur; dicimus satis esse, quod legantur in omnibus exemplaribus, in quibus legitur triplex cœleste testimonium, cum istorum eorundem verborum adjectione, unde unitas ista essentiæ Patris, verbi, & Spiritus Sancti probari posse videatur; in omnibus, inquam, ejusmodi exemplaribus, præter, ut jam dictum fuit, Complutensem editionem: quanquam non videtur esse necessarium, illam excipere ex prædicto numero, cum ad illum minime pertinere censenda sit, quippe, quod in ea non legatur de Patre, & verbo, & Spiritu Sancto, quod unum sint, sed quod sint *in unum*. Multo enim minus ex hoc loquendi modo videtur posse colligi unitas essentiæ, quam ex illo. Unde factum est, ut, quamvis exemplaria Latina, in quibus totus hic locus habetur, ut vulgo haberi diximus, utrobique habeant *unum sunt*: in vulgatis tamen exemplaribus Græcis hodie obtinuerit, ut priore quidem loco, ubi videlicet de Patre, & Verbo, & Spiritu Sancto agitur, legatur *Unum sunt*; in posteriore vero, ubi spiritus, & aquæ, & sanguinis sit mentio, legatur *In unum sunt*; Ubi scilicet possit quidem ex priore loco unitas essentiæ colligi, sed non item ex posteriore; & hac ratione interim præcidatur exceptio, quæ possit fieri; ut sane fieri solet, ex loco posteriore adversus eos, qui ex priore unitatem essentiæ colligunt. Neque enim exceptioni isti potest esse locus, si in posteriore aliter legatur, quam in

priore,

priore, & quidem ita, ut non perinde ex eo unitas essentiæ intelligi queat, ut ex priore potest.

Explicavimus satis diligenter ea verba loci hujus, quæ supposititia esse arbitramur omnia, præter duo illa octavi versiculi *In terra*, quæ diligentioris adhuc explicationis indigent: quanquam ea in nonnullis ex emendatioribus exemplaribus tam Græcis quam Latinis leguntur. Porro, si ea sint retinenda, quemadmodum plane faciendum videtur, si retineatur triplex prius testimonium eum verbis illis *In cælo*. (Namque ea à multis exemplaribus Græcis manu scriptis, in quibus alioqui triplex istud prius testimonium legitur, minime legi, videtur testari editio Roberti Stephani in folio, ubi tamen, quemadmodum Lovanienses animadverterunt, typographicum mendum subesse videtur) si, inquam verba ista *in cælo* retineantur; & consequenter hæc illis opposita *In terra*; sensus verborum *In terra* oportet ut sit, quod hic in terris ipsis testimonia ista apparuerint, spiritus, & aquæ, & sanguinis, nec ea de cælo dari, aut descendere conspecta fuerint. Quanquam alioqui certum sit, quicquid testimonii ab istis profectum est, à Deo, & sic è cœlo, primam suam originem habuisse. Nam de spiritu, cum is, ut dictum est, sit virtus & efficacia divina, nihil dubitari potest, quin hoc, quod modo diximus, verissimum sit; sed de aqua etiam & sanguine, id est de puritate vitæ & doctrinæ, & sanguinis sui fusione, dubitari nequit, quin prima istarum rerum origo à Deo sit. De doctrina est satis apertum per se ipsum, de vita vero pura, cum illa ex puritate doctrinæ pendeat, idem (etiamsi non immediate, ut loquuntur, sicut de doctrina) affirmari merito potest. Quod vero ad sanguinis fusionem attinet, cum illa à sensu veritatis doctrinæ, & firma spe eorum, quæ Deus promisit Christi fidelibus, proficiscatur, &, si de ipso Christo loqui velimus, ipse similiter, nisi sensus veritatis eorum, quæ alios docebat, & spes illius maximi præmii, quod à Deo propositum illi fuerat, in ipso fuisset, nequaquam ut fecit, sanguinem fudisset: apparet, quod ipsa, sive in Christo, sive in Christi fidelibus, sui sanguinis fusio à Deo, & sic è cœlo originem ducit.

Jam volebam ulterius progredi, sed succurrit adhuc aliquid dicere de eo, quod in utroque testium ordine, secundum interpretationem nostram ponitur Spiritus Sanctus, quod fortasse cuipiam durum videtur, eo non obstante, quod supra hac de re attigimus, & alibi, id est, in refutatione nostra libelli Vujeki, paucis verbis apertius diximus; nempe Spiritum Sanctum hic dupliciter considerari, prout videlicet virtus ista & efficacia divina aut de cœlo, ita ut id aperte intelligatur, sese exerit, cujus rei ratione testis hic ad priorem ordinem spectat; aut in ipsis terris quodammodo versatur, & ut talis ibi suas vires exerit, & effecta producit; cujus rei respectu ad posteriorem testium classem pertinet: hoc, inquam, non obstante, videbitur cuipiam fortasse durum, quod una & eadem res in utraque testium classe, sive ordine posita fuerit, cum videatur Apostolus omnino res illas testantes, quas in uno ex istis ordinibus ponit, ab altero ordine excludere, & plane tamquam differentes res posteriores à tribus prioribus considerare, ac commemorare; & hinc fortasse factum est, ut, quamvis alioqui omnis ratio persuaderet, nomine *spiritus* in posteriore testium ordine intelligi ipsum Spiritum Sanctum, id est signa & miracula, quæ vi atque efficacia divina ad confirmationem Euangelii, & consequenter, quod Jesus sit Christus, facta fuerunt: tamen non pauci omnino statuerint, nomine *spiritus* aliud quippiam intelligi in ordine isto, & quidam ex istis, inter quos Beza, & Piscator, affirmaverint, sub ista *spiritus* appellatione intelligi Euangelium ipsum; quod sane interdum fieri, verissimum esse censemus. Verum hoc in loco, quominus istam interpretationem admittamus, ut reliqua taceam, id potissimum suadet quod minus verum est, ipsum Euangelium testari; id est, (ut hic verbum testandi accipitur) fidem facere ac probare, quod Jesus est Christus. Immo Euangelium ejusmodi res est, quæ ipsa testimonio indigeat, vel certe cui affirmandæ & omnibus approbandæ addita fuerint à Deo testimonia illa, de quibus hic fit mentio, nisi quatenus ipsum Euangelium continet doctrinæ puritatem, quam diximus vim testandi habere: sed doctrinæ puritas, ut dictum fuit, *aquæ* nomine, ut verisimile omnino videtur, significata fuit; si tamen ejus in enumeratione horum testium omnino fuit ratio habita, idque aliqua ratione distincte ab ipsa vitæ puritate, quam eodem *aquæ* nomine significari affirmavimus. Quamvis enim supra non semel repetierimus, tam doctrinæ puritatem, quam vitæ, aquæ appellatione significari: considerandum est tamen, potiorem rationem habendam esse vitæ puritatis, quando de eo agitur, ut testimonium reddatur veritati Euangelii, & ipsi Jesu, quod sit Dei filius seu Christus. Et sane nos alibi *aquæ* nomine hoc in loco vitæ puritatem & innocentiam significari diximus, nulla mentione facta puritatis doctrinæ, cujus si nihilominus in explicatione hac nostra Epistolæ hujus mentionem facere voluimus, id propterea factum est, ut nihil omitteretur, quod *aquæ* nomine ab Apostolo hoc in loco intelligi, & vim aliquam testandi, quod Jesus sit Christus, habere censeri posset. Nam alioqui doctrinæ puritas non ita apparet, si in universum ipsa doctrina consideretur, ut non potius ea testimonio aliquo confirmari debere videatur, quam ut ipsa aliquid testetur. At vitæ puritas & innocentia maximam vim habet testandi, quod is, qui ea sit præditus, nec fallat, nec fallatur in ea religione, quam profitetur, & in ipsa doctrina puritati testimonium reddere omnino videtur ipsius vitæ puritas. Sed jam ad propositum revertamur, & concludamus, non fuisse causam, cur *spiritus* nomine, qui in eodem ordine testium cum aqua & sanguine conjungitur, ipsum Euangelium intelligeretur: nec sane existimamus, negari posse, quin nomine isto, ut dictum est, ipse Spiritus Sanctus intelligatur. Quod si propter id, quod antea dictum fuit, omnino durum videtur; satius est vel hinc agnoscere, supposititium esse ordinem illum trium testium in cœlo testantium, inter quos, etiamsi ponantur tanquam tales, qui diversi sunt ab iis, qui testantur in terra; spiritus tamen sanctus commemoratur, qui idem reipsa est, qui spiritus inter eos numeratus, qui testantur in terra.

Vers.9. Sed jam videamus, quid Apostolus subjungat, illico enim addit, *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*. Hæc verba ad eundem modum habentur in omnibus exemplaribus, tam Græcis, quam Latinis; Syriaca vero interpretatio, ut ea, quæ interdum paraphrasin potius sapit, ita habet, ut sensus quidem idem sit, sed verba aliquantum diversa. Sic enim in Latina ejus interpretationis versione legitur, *Si testimonium filiorum hominum accipimus, quanto magis testimonium Dei, quod maximum est*. Sensus porro secundum omnem editionem omniaque exemplaria hic est, Si fides adhibetur hominibus aliquid testantibus, & testimonium, licet mere humanum, non spernitur; immo secundum illud sæpius sententiæ feruntur, & causæ dijudicantur: multo magis fidem adhibendam esse Deo aliquid testanti, & multo magis divino testimonio adhærendum & innitendum esse; quippe quod falli aut fallere nulla ratione possit, cum interim utrique isti malo humanum testimonium sit subjectum. Unde fit, ut multo major autoritas sit divini testimonii, quam humani; id quod expressit Johannes, cum dixit, *testimonium Dei majus esse*.

Restabat, ut Johannes ad ratiocinationem suam recte concludendam aliquid diceret, unde appareret, testimonium, de quo proxime loquutus fuerat, divinum esse, manifeste enim ejus mens est, suadere, ut fides adhibeatur testimonio proxime à se commemorato. Idcirco secundum vulgatam editionem Latinam statim subjicit: *Quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de filio suo.* Sed omnes aliæ editiones paullo aliter habent, nec repetunt verba illa,

majus est, nec habent particulam ullam, quæ sonet vocem *quoniam*, quam vetus interpres secundo loco habet; sed ad hunc modum constanter in illis legitur, *Quoniam hoc est testimonium Dei, quod testatus est de filio suo.* Quibus verbis declarat Apostolus, testimonium, cujus proxime mentionem fecit, à Deo profectum fuisse, sive Deum illius autorem esse, qui voluit testibus istis fidem facere, quod Jesus Nazaræenus esset Christus, & hac ratione filio suo, qui nimirum alius nullus est, quam Jesus Nazaræenus: testimonium reddere nempe, quod revera sit ipsius filius. Est autem animadvertendum, quod & hic fortassis, & sine dubio in sequentibus verbis, Johannes eodem sensu utitur nomine *Filii Dei*, quo uteretur simplici nomine ipsius *Jesu*, seu *Jesu Nazaræni*. Quod attinet ad hunc locum quem præ manibus habemus (de aliis enim, qui sequuntur, mox videbimus) videtur negari non posse, quin si pro *filio suo* legatur *Jesu*, seu *Jesu Nazaræno*, non modo idem sensus sit futurus, & non minus id fuerit dicturus Johannes, quod vult, quam si filii Dei nomen retineatur; sed etiam apertius & secundum id, quod disputandi ratio requirit, id sit expressurus, quod vult. Vult enim, ut valde sæpe à nobis repetitum fuit, ostendere, quod Jesus sit Christus seu Dei filius, & propterea dicere, quod ipse Deus hoc testatus est. Cui sensui multo magis videtur convenire, ut dicat, *Quoniam hoc est testimonium quod testatus est de Jesu*, quam, ut dixit, *de filio suo*. Verum, ut ante indicavimus, non est nihilominus ita necessarium, substituere loco *filii sui* nomen *Jesu* in verbis istis, quemadmodum videtur esse in sequentibus, quæ, ubi explicabimus rem istam, melius aperiemus & confirmabimus. Interim animadvertendum videtur, ex hoc ipso loco videri posse colligi, supposititium esse illum ordinem trium testium in cœlo testantium. Primum enim ita Apostolus hic loquitur, ac si unius tantum testimonii supra mentionem fecerit, ut certe fecit, si unum tantum ordinem testium commemoravit, & præcipue, si addidit verba illa, *Et hi tres unum*, sive *in unum sunt*; quod vix aut ne vix quidem videtur posse dici eum fecisse, si duos plane distinctos ordines testium commemoravit, & utrique separatim addidit, quod testes ibi recensiti unum, sive in unum sint.

Deinde, cum hic, quasi aliquid novi dicens, affirmet, testimonium, quod præcessit, à Deo profectum fuisse, non videtur verisimile, quod jam istud antea expresserit: nam id sane expressit, si antea testimonium istud commemorans, mentionem fecit *Patris*, id est, Dei, qui illud dederit, quemadmodum diserte habetur in ordine isto testium, quem nos additium esse aliis plurimis rationibus adacti affirmare non dubitamus; & ob hanc ipsam causam dicimus, posteriorem partem hujus novi versiculi ita accipiendam esse, ac si Apostolus dixisset: Quamvis enim, dum proxime hujus testimonii, quod Jesus sit Christus, mentionem fecimus, nihil diserte dixerimus de eo, quod testimonium istud à Deo fuerit profectum: scitote tamen, illud à Deo plane profectum fuisse, & quicquid sive ex spiritu, sive ex aqua, sive ex sanguine testimonii fluxit, quod Jesus sit Christus, sive in ipsius Jesu persona, sive in ipsius fidelibus, id totum Deum autorem habere, qui per istos tres testes apertam fidem facere voluit, quod Jesus ille Nazaræenus sit ipsius filius. Jam quomodo & cur potuerit, & ausus sit Apostolus istud affirmare, ubi intellectum fuerit, quid sit iste *spiritus*, quidve ista *aqua & sanguis*, id plane percipere valde proclive fuerit, & nos supra ea diximus, unde satis constare potest, non modo, quicquid testimonii, quod Jesus sit Christus, ex signis & miraculis profectum est, sed etiam, quicquid ex vitæ ac doctrinæ puritate, & perpessionibus ac mortibus, tum Christi, tum fidelium ejus, ad similiter testandum profectum fuit, Deum ipsum autorem habere.

Vers. 10. Postquam Apostolus asseruit, testimonii à se commemorati auctorem esse Deum, ita ut merito dici possit, Deum ipsum testimonium istud dedisse de Jesu Nazaræno, quod sit ipsius filius, seu Christus, pergit inquiens: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in se.* In quibus verbis nulla alia, judicio meo, mens Apostoli est, nisi affirmare, quod ad testimonium istud Dei recipiendum, & hac ratione erga Deum, ut decet, se gerendum, nihil aliud sit opus, nisi ut quis credat, Jesum esse Dei filium. Articulus enim additus in Græco voci *testimonii*, ut sæpe alibi, habet sine dubio vim pronominis demonstrativi, non secus ac si scriptum esset, *Hoc testimonium*. Verbum autem *habet* est figurate pro *accipit* seu *recipit* positum. Nam quisquis accipit seu recipit, acceptum à se seu receptum habet. Nec ullo pacto propter istud *habendi* verbum intelligendum est, Johannem hic loqui de testimonio aliquo Spiritus Sancti, quod is in suo corde habeat, qui credit, Jesum esse Christum; & sic in filium Dei credit. Nam isti sensui, nec articulus nomini *testimonii* præpositus consentit, nec ipse Apostoli scopus consentaneus est. Nec sane est verisimile, ab ipso tantam rem, eamque novam, (si quis ea spectet, quæ tota hac de re, de credendo scilicet in Dei filium, non modo hic, sed etiam ubique in sua hac Epistola disputavit) tam obscure ac parce fuisse ab eo indicatam, præsertim cum de ejus veritate merito dubitare quis possit; quandoquidem, si *habendi* verbum proprie accipiendum est, quemadmodum sensus iste requirit, videtur sentiendum esse, istud Spiritus Sancti testimonium jam haberi ab eo, qui credit in Dei filium, immo antequam credat, ex quo videlicet inducatur, ut in ipsum credat, ut quidem complures plane requiri pro certo habent; quæ tamen res nullum habet certum testimonium ex ipsis Sacris Literis, ex quibus potius apparet, non esse quemquam sancto spiritu, ejusve in suo corde testimonio præditum, nisi postquam in Dei filium crediderit.

Non est igitur recedendum ab interpretatione nostra, quam alios quosdam animadvertisse huic loco convenire, quamvis non plene id animadverterint, nos comperisse arbitramur. Jam, quod attinet ad nomen *filii Dei*, quod his verbis continetur, jam supra monuimus, illud positum ab Apostolo fuisse pro *Jesu* nomine: sed, ut mox videbimus, hunc morem videtur Apostolus præcipue in hac suæ Epistolæ parte servasse, ut id dicat, quod ex eo sequitur, quod si secundum legitimum ratiocinandi modum loqui voluisset, dicendum ei fuerat. Certum est enim, mentem ipsius esse, illos commendare, &, rectissime ac secundum Deum facere eos, affirmare, quia credunt Jesum esse Christum, seu Dei filium. Hic, inquam, sine dubio, toto hoc in loco & alibi supra, est scopus Apostoli. Verum, quia ex eo, quod quis credat, Jesum esse Christum, seu Dei filium, consequitur, hunc ipsum credere in Dei filium, propterea loco ejus, quod secundum istum scopum suum debuisset ex ratiocinandi jure quodam dicere, *Qui credit, Jesum esse Christum*, seu *Dei filium*, dixit, *Qui credit in filium Dei*; vel potius, & ad id, quod probare volumus, accommodatius, eum scilicet pro *Jesu* nomine posuisse nomen *filii Dei*, dicendum est, quod, cum ex eo, quod quis credat, Jesum esse Christum, seu Dei filium, consequatur necessario, quod credit in ipsum Jesum, pro eo, quod istam proximam consequutionem respiciens debuisset dicere, *Qui credit in Jesum*, dixit, *Qui credit in filium Dei*: quippe, quia necessarium est, ut, si Jesus est Dei filius, qui in ipsum credit, in Dei filium credat.

Apparet igitur, ut unico verbo multa Apostolus complecteretur, spretam ab ipso fuisse veram ratiocinandi rationem, ab ipsoque pro concesso id positum fuisse, quod probandum videbatur, &, quo admisso, jam nullus dubitationi relinquitur locus. Quis enim negare ausus fuerit, illum recte facere, & divino testimonio assentiri, qui in filium Dei credit? Non solent autem ea doceri aut moneri, nec sane debent, quæ unusquisque per se satis intelligit. Hic autem, sicut ubique in hac Epistola, doctoris & monitoris personam, sine ullo dubio Apostolus sustinet. Itaque videtis, verum esse, quod diximus,

filii

filii Dei nomen hic idem plane valere, quod *Jesu* nomen, si quis ipsam ratiocinationis Apostoli vim dumtaxat spectet. Idem videbimus in sequentibus ipsius verbis prorsus evenire; id quod non ita constanter affirmari potest de eadem *filii Dei* appellatione, quæ in fine superioris versiculi habetur (id quod ante à nobis indicatum fuit) propterea quod potuit ibi Apostolus, non recedendo à recto ratiocinandi modo, non ipsum *Jesu* nomen, sed *filii Dei* ponere, ut ostenderet evidentius, quanti faciendum esset testimonium, quod commemoraverat; cum illud non modo Deum auctorem haberet, sed etiam ad eum pertineret; qui ipsi Deo omnium aliorum longe charissimus esset, nempe ad filium ejus, quem cum Deus impensissime amaret, noluit eum sine suo testimonio esse, sed plane ex testimonio à se illi dato constare, eum revera ipsius esse filium, illum videlicet unicum ac dilectissimum.

Postquam Johannes affirmavit, ut quis divinum testimonium, de quo loquebatur, recipiat, id tantum requiri, ut in Jesum credat, eumque Dei filium esse agnoscat, statim, ut solet, per antithesin aliquid subjungit, & ait: *Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo.* Vulgata quidem editio, pro voce *Deo*, habet *filio*; sed exemplaria Græca omnia, & Syriaca interpretatio *Deo* habet. Unde apparet id, quod diximus, Apostolum ponere id, quod consequitur, pro eo, unde consequitur, ut brevi verborum compendio multa dicat, spreta interim vera & consueta disserendi ratione. Quis enim non videt, debuisse illum dicere, si veram antithesin suis verbis, quæ id præ se ferunt, complecti voluit, non quidem *Qui non credit Deo*, sed, *Qui non credit filio Dei*, aut saltem simpliciter *filio*, ut vulgata editio habet? Proximis enim in verbis, quibus ista opponuntur, non de credendo in Deum, sed de credendo in Dei filium mentio facta est. Verum, quia ex eo, quod quis non credat in Dei filium, seu Dei filio, necessario consequitur, quod ipsi Deo non credat, propterea ita loquutus est Apostolus, ac si diceret: Qui non credit in filium Dei, & consequenter ipsi Deo non credit, iste facit Deum mendacem. Pro verbo *facit*, quod est apud Latinum veterem Interpretem, & apud Syriacum, Græca exemplaria habent *fecit*; qua in re parum admodum est momenti, propter frequentem, ut alias monuimus, in Scripturis Sacris temporum enallagen in ea parte orationis quam Grammatici Verbum vocant. Similiter loco verbi *credit*, quod in Latino codice legitur, in Græco est *credidit*, cui lectioni, quamvis in superiore verbo cum Latino consenserit, adstipulatur Syriaca interpretatio. Sensus totius periodi facilimus est, cum aliud nihil contineat, quam contrarium ejus, quod proxime præcedentia verba continent. Cum enim in superioribus verbis dictum fuisset, illum, qui in filium Dei, id est, in Jesum, qui est Dei filius, credit, accipere seu recipere Dei testimonium, quod scilicet ipsi Jesu filio suo dedit: in hac periodo per antithesin, ut dictum est, dicitur, eum, qui in Jesum non credit, & sic ipsi Deo fidem non habet, mendacem facere ipsum Deum, propterea quia non credat testimonio, quod Deus filio suo dedit. Ubi nihil habetur revera, nisi mera contrapositio, exceptis tantum illis verbis, *Mendacem Deum facit*. Quorum tamen oppositum virtute ipsa in præcedentibus verbis plane continebatur. Nam certe, qui accipit, seu qui recipit Dei testimonium, is ipsum Deum veracem facit; id est, hoc suo facto esse profitetur. Hæc enim vis est verbi *Faciendi*, in hoc & in similibus locis, ubi tales loquutiones habentur.

Jam in his verbis hujus decimi versiculi, *Quod testificatus est Deus de filio suo*, quamvis eadem sint cum iis, quæ leguntur ad finem similiter ut hic versiculi superioris, illud *de filio suo* multo certius, quam ibi, ita accipiendum est, ac si dictum esset, *de Jesu*. Est enim hic, ut diximus, antithesis ejus, quod ante hoc eodem versiculo dictum fuit, ubi docuimus nomen *filii Dei*, idem prorsus valere, quod nomen *Jesu*, cujus loco propter causas, quas attulimus, positum ab Apostolo fuerit, cum in versiculo superiori docuerimus, fieri posse, ut ibi nomen *filii Dei* proprie accipiatur. Alicujus autem momenti atque utilitatis esse hanc considerationem, quod Johannes *filium Dei* nominans idem dicere voluerit, ac si *Jesum* simpliciter nominasset, aut saltem dixisset, hoc quidem in loco, *de Jesu, qui est filius ejus*, & ad hunc modum alibi loquutus fuisset, præter id, quod hinc agnoscitur, quid requirat recta ratiocinandi ratio, mox, Deo volente, planum faciemus.

Vers. 11. Pergens enim sic ait Apostolus: *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus est.* Explicat his verbis Johannes, quantum momenti & ponderis in se habeat illud, quod Deum testatum fuisse proxime dixit atque inculcavit, explicato etiam, quamvis subobscure, ipso testandi modo. Ut enim ante non semel repetiimus, voluit supra Apostolus dicere, Deum testatum fuisse, quod Jesus sit Christus, seu ipsius filius. Quare hic nunc explicat, quid hoc sibi velit, Jesum esse Christum, & ait, hoc idem reipsa esse, atque nobis per Jesum dari à Deo vitam æternam, seu vitæ æternæ à Deo consequendæ rationem totam inveniri in ipso Jesu; cum videlicet & in ipsius doctrina ea contineantur, quæ vel credere vel facere debeamus, ut vitam æternam adipiscamur; & ipse Jesus is sit, qui nobis vitam istam sit daturus: tametsi hic prioris rei, quod scilicet doctrina à Christo proposita contineat viam vitam æternam adipiscendi, præcipue ac potissimum hoc in loco ratio ab Apostolo habita fuerit. Videtis, me non secus in his verbis, quam in superioribus, nomen *filii Dei* ita accipere, ac si nomen *Jesus* ejus loco positum fuisset. Nam certe nihilo plus momenti habet in hoc loco nomen *filii Dei*, quam *Jesu* nomen; & interim similiter, ut supra, si appellatio *filii Dei* ita accipiatur, ac si simpliciter nomen *Jesu* hic fuisset positum, legitima disputandi ratio melius omnino constabit; cum ea requirat, ut, si *filii Dei* nihilominus mentio hic facienda sit, non aliter fiat, quam per modum declarandi, quod Jesus sit Dei filius. Nam si quis dixerit, omnino per se ac præcipue debuisse hoc potissimum in loco, quemadmodum & in verbis proxime sequentibus, ipsum *filii Dei* nomen poni, ad indicandum, quod necesse sit agnoscere ac credere, quod is, in quo vita æterna sit posita à Deo, seu per quem Deus vitam æternam nobis dederit, sit Dei filius, nempe unigenitus ac singularis, ita ut tanquam res duas diversas ponat, quod Jesus is sit, per quem Deus vitam æternam nobis dedit, & quod sit ipsius Dei filius unigenitus, is non parum falletur: præsertim si arbitretur, necesse esse hæc duo tanquam diversa à nobis debere agnosci, & utrumque distincte alterum ab altero omnino credi, si vitam æternam velimus adipisci. Veritas enim est, ad hoc, ut quis vitam æternam adipiscatur, satis esse, persuasum habere, quod Deus per Jesum det nobis vitam æternam: quamvis certum similiter sit, neminem vitam æternam adeptum, qui non credat, Jesum esse Dei filium, cujus rei hæc causa est, quod idem plane pollet, *Habere potestatem dandi æternam vitam*, & *esse Dei filium*, unigenitum illum, inquam, ac singularem, (sic enim semper in tota hac disputatione simplex *filii Dei* nomen est accipiendum) adeo ut verba nostra ita accipi velimus, ut non sit plane necessarium, de Jesu credere, quod sit Dei filius, sub hac ipsa *filii Dei* appellatione: sed satis sit, credere, eum habere potestatem istam, quam diximus, & eam recte ac plene intelligere; etiamsi alioqui nollet quis assentiri, neque agnoscere posset, hinc consequi, ipsum Jesum esse Dei filium. Non enim necessarium est hic scire, quid significet hoc nomen, sive hæc appellatio *Dei filius unigenitus*; sed satis est, ea Jesu tribuere, quæ faciunt illum Dei filium unigenitum, etiamsi is, qui ista ei tribuit, hoc ignoret. Cæterum, quod diximus de recte ac plene hoc intelligendo, quod

Jesus habeat potestatem nobis æternam vitam dandi, significat, debere non tantum agnosci, præter id, quod doctrina Christi ejusmodi sit, ut, si quis secundum illam vivat, vitam æternam sit habiturus, Jesum illo ultimo die suscitaturum à mortuis suos fideles, & transformaturum corpora nostra vilia, ut sint conformia corpori illius glorioso; sed etiam nunc perpetuo habere curam omnium suorum, omniaque illis posse largiri ac suppeditare, quibus indigeant, quo facilius possint in cœpto cursu pergere ac perseverare, & tandem vitam æternam adipisci: id quod Christum habere agnosci nequit, quin simul agnoscatur, illum esse suis fidelibus per totum hunc cursum, usque ad ipsum judicii diem, loco ipsius Dei, & pro ipso Deo in Ecclesia regnare; & inde necessariò consequitur & cultus divini exhibitio, & agnitio potestatis implorandi ipsius Jesu opem in iis omnibus, ubi habeatur ratio curæ ac gubernationis prædictæ, quam Jesus suorum fidelium habeat; sine qua exhibitione & agnitione certum est, neminem vel dignum quidem esse, qui Christianus appelletur.

Ut igitur ad propositum revertamur, dicimus, mentem Apostoli esse, affirmare, Deum testatum esse, se dedisse nobis vitam æternam per Jesum, id est, promisisse æternam vitam iis, qui doctrinam ipsius Jesu amplexi fuerint, & simul etiam fuerint persuasi, ipsum Jesum vitam istam dandi potestatem habere, ex dono videlicet ipsius Dei, qui propterea dicitur hac ratione nobis vitam æternam dedisse. Itaque, ut dictum est, si nomen *filii Dei* omnino hoc in loco, ut quidem censemus, retinendum est, hoc pacto retinendum est, ut censeatur ab Apostolo pro eo, quod dixit, *In filio ejus*, dictum fuisse, *In Jesu, qui est ejus filius*, quemadmodum alibi supra, & fere ubique verba ejus accipi possunt.

Vers.12. Pergit Johannes, & ait: *Qui habet filium, habet vitam; qui non habet filium Dei, vitam non habet.* Hæc verba ostendunt, nomen *filii Dei* proxime ante, licet alioqui sit loco simplicis nominis *Jesu*, haud frustra fuisse positum, ut scilicet Apostolus sibi viam sterneret ad hæc dicenda, quæ his verbis continentur, in quibus nomen *filii* seu *filii Dei* magis proprie, magisque per se ipsum, quam antea accipitur, ut ostendit ipsa loquutio *habere Filium.* Ea enim significatur, agnoscere in Jesu, quod sit Dei filius, id est, ut ante diximus, sit præditus potestate illa divina, & doctrinam proposuerit, quam si quis fuerit amplexus, is rectissime fecerit, & Dei voluntatem exequutus fuerit. Nam si quis ejusmodi est; ita videlicet, ut hæc ex animo credat, & propterea re ipsa ipsius Jesu doctrinam amplectatur, & ipsi Jesu adhæreat, is sine dubio vitam habet, nempe æternam: cum contra, si quis talis non fuerit, is nequaquam æternam vitam habeat. Nam, ut Petrus Apostolus testatur Act.4.12, *non est sub cœlo nomen aliud datum, per quod servari possimus, nisi nomen Jesu, neque in ullo alio est salus.* Quæ verba tamen tam Johannis, quam Petri, nos ita interpretamur, ut non possit ex eis prorsus statui, neminem servatum iri, seu vitam æternam adepturum, qui ipsius Jesu cognitionem non habuerit, vel etiam nihil de ullo Dei filio, per quem æterna vita nobis contingat, unquam noverit.

Ex verbis quidem Petri sententia ista necessario non colligitur, ex illis enim sane apparet, Petrum loqui de patefacta Dei voluntate, circa negotium salutis æternæ, & propterea aliud nihil affirmare, quam Deum non patefecisse ullam aliam viam salutis æternæ adipiscendæ, præter fidem in Jesum, qui dicitur Christus. Quod vero attinet ad verba Johannis hoc in loco, quamvis illa videantur ad istam sententiam probandam efficaciora; quippe in quibus diserte negetur, eum habere vitam, qui filium non habet: tamen possunt ea ita accipi, primum, ut generatim dicta intelligantur, & non prorsus universe, & ad religiones cultusve divinos respiciant, quæ vel tunc in mundo essent, vel posthac existere possent; de quibus velit Apostolus prorsus affirmare, nullum eorum esse, unde, si quis illum servet, vitam æternam sit adepturus. Sed præterea verbum *Habendi* præsenti tempore, dum ait, *Non habet vitam*, videtur significare certitudinem, ut sic dixerim, seu certam spem istius vitæ, quam negat quemquam habere, qui filium Dei non habeat: cum interim tamen non prorsus neget fieri posse, ut quis unquam re ipsa vitâ æternâ à Deo donandus sit, nisi ipsius Dei filii notitiam habuerit, eique adhæserit. Summa hæc est, tam Petri sententiam, quam Johannis, & si quæ sunt aliæ similes, in Sacris Literis ita accipi debere, ut intelligamus, nullam viam consequendæ æternæ vitæ patefactam hominibus à Deo esse, præter eam, quam Jesus Christus docuit, & sic præter fidem in ipsum Jesum. Quod si Deus nihilominus cuipiam dare vitam æternam velit, quamvis Jesu Christi cognitionem non habeat, nihil ab eo fit adversus sententias istas. Est enim hoc ipsius Dei arcanum, quod nobis patefacere noluit, nec inquirendum à nobis est, seu hac de re in utramvis partem quicquam statuendum, & agnoscendum, illos non leviter errare inter eos, qui Christianam Theologiam profitentur, qui audent rem hanc non modo inquirere, sed de ea in alterutram partem aliquid omnino constituere: quamvis sibi videantur ad id faciendum duci non modo rationibus quibusdam, ut illis quidem videtur, maximi ponderis, sed etiam aliquot Sacrarum Literarum testimoniis, quæ nimirum ab ipsis non bene intellecta sunt. Sed non est ut de hac re hoc loco uberius disputemus, ne fortasse, dum alios curiositatis cujusdam videmur nobis merito damnare posse, ipsimet curiosi esse videamur.

Illud nec curiosum, nec inutile videri poterit, si ad discrimen Veteris & Novi Fœderis rectius percipiendum observaverimus, ex his duobus versiculis 11. & 12, qui eandem ferme sententiam continent, posse quidam colligi, præcipue vero ex ỳ.11, quod ad prædictum discrimen plurimum pertinet; videlicet vitæ æternæ promissionem non fuisse à Deo datam, nisi per Jesum Christum. Quandoquidem verba illa, *Deum dedisse nobis vitam æternam, & hanc in filio ipsius esse*, id est, ut dictum fuit, in ipso Jesu, videntur omnino significare aliquid novi, quod Deus fecerit per Christum; maxime cum præcedant ante ista verba, illa, *Et hoc est testimonium*, quibus, ut supra attigimus, voluit significare, se in sequentibus verbis expressurum substantiam, & simul summam utilitatem ac pondus divini testimonii, quod Jesus sit Christus. Nam certe hoc, quod Deus testari voluit, non erat res, quæ jam sciretur, sed plane nova, & consequenter novum erat illud quod ipsa continebatur. Continebatur autem re ista, ut sequentia verba, quibus nos hujus rei novitatem contineri diximus, aperte docent, Deum dedisse, id est, promisisse, seu dare constituisse nobis vitam æternam, hancque vitam posuisse in filio suo, id est, in Jesu, qui dictus est Christus; posuisse, inquam, ea ratione, qua ante explicatum fuit, unde videtur in una re nova posse duas animadverti; unam, quæ est ipsa promissio vitæ æternæ, alteram, quæ est ratio illam dandi, seu medium, per quod Deus illam dederit. Et sane nemo negare potest, sub Vetere Testamento nec vitam æternam promissam fuisse à Deo, nec modum illam consequendi fuisse patefactum, ita videlicet, ut id ab iis, qui illam consecuturi essent, intelligeretur. Nam si nihilominus, antequam Christus suum Euangelium prædicaret, fuerunt in Dei populo, qui sibi vitam æternam pollicebantur, eamque à Deo sperabant, id non ex ipsis Dei promissis aperte colligebant, sed vel mystice illa interpretabantur, vel præ summo atque innato immortalitatis desiderio, quo omnes tenemur, tanti boni spem ipsi sibi fingebant; fingebant, inquam, non quidem habita ratione ejus, quod futurum esset, ut mox dicemus, sed ejus, quod Deus promisisset.

Quam-

Quamvis enim ex eo, quod Apostolus dicit, vitam æternam esse in Christo Jesu, seu Dei filio, & eum, qui filium non habeat, vitam, nempe æternam, non habere, videtur aperte colligi, ut antea dictum est, fine Christi cognitione non contingere vitam æternam, & eertum sit, quicquid plerique contra sentiant ac disputent, eos, qui Christi adventum præcesserunt, non habuisse Christi notitiam, tanquam videlicet ad se pertinentis, & per cujus fidem ipsi ad Deum accederent, sed, quicquid ipsi de Christo futuro credebant, id totum ab illis existimatum fuerit, non ad se ipsos, sed ad eos, qui futuri tunc essent, cum Christus adveniret, omnino pertinere. Tamen ex altera parte satis constat per ipsa divina testimonia, iis, qui ante Christi adventum Deo sunt confisi, eique obedientes fuerunt, datum iri ab ipso Deo æternam vitam, sicut & illis, qui post Christi adventum tales fuerunt, & per ipsum Christum Deo confisi sunt, eique obedierunt. Nam præter testimonium non obscurum ipsius Domini Jesu, Luc.20.37,38, cum Sadducæis de resurrectione mortuorum disputantis, quod Abraham, Isaac, & Jacob resurrecturi sint, nempe ad immortalem vitam, unde intelligi potest, omnes alios, qui istorum trium fuerunt similes, similiter resurrecturos; habemus testimonium auctoris Epistolæ ad Hebræos cap.11, ubi non solum istud idem docet de tribus istis, & Domini Jesu quodammodo verba explanans, non obscure affirmat, eos regni cœlestis futuros participes; sed etiam, enumeratis, partim nominatim, partim generatim, aliis plurimis, qui ante Christi adventum, in Dei populo, fide in ipsum Deum fuerunt præditi, ipsisque à tali fide vehementer commendatis, tandem ad hunc modum concludit ℣.39,40: *Et hi omnes testimonio probati per fidem, non reportarunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* In quibus Apostoli verbis duo sunt diligenter notanda. Unum est illud, propter quod ea protulimus; videlicet istos omnes, qui ante Christi adventum fide in Deum præditi fuerunt, una cum iis, qui, Christo jam patefacto, ei fidem adhibuerint, perficiendos esse, id est, futurum, ut una cum illis perficiantur, hoc est immortales ac beati fiant. Nam certe perfectio, nimirum id consequendi, quod Deus dare constituit, quod attinet ad illos, qui Christo fidem adhibuerint, est immortalis ac beata vita. Alterum, quod in his verbis notari debet, illud est, quod isti quoque, qui Christi adventum antecesserunt, habuerint promissionem, & sic revelatum sibi aliquid, quod Deus illis dare constituisset. Ejusce rei perfectio, cum sit, ut diximus, in iis, qui Christo crediderunt, & consequenter etiam in istis, qui cum illis hac in re plane conjunguntur, eisque pares fiunt, immortalis ac beata vita; videtur hinc prorsus consequi, istis quoque, qui Christi adventum præcesserunt, Dei fidelibus, promissam fuisse beatam atque immortalem vitam; quod penitus iis, quæ supra diximus hac de re, adversari dicendum est. Sed tamen non ita res habet.

Animadverti enim debet in ista conclusione, Apostolum potissimum de iis loqui, (nam proxime de istis loquutus fuerat) qui ante Christi adventum, cum Dei fideles essent, misere nihilominus in hoc mundo afflicti fuerant, & plerique in ipsarum afflictionum quasi medio extincti. Namque hi certe promissiones sub ipso Vetere Testamento à Deo suis fidelibus factas non acceperunt. Constat enim, Deum in ipsa Lege Mosis felicitatem, non autem miseriam in hac vita fidelibus suis promisisse. Relinquitur igitur, ut isti, cum Deus mentiri nequeat, sint consequuturi felicitatem aliquam, seu aliquid à Deo reportaturi, unde se ab ipso deceptos minime fuisse plane sentiant atque agnoscant. Hoc autem interpretatur Apostolus fore præmium idem cum eo, quod reportaturi sunt ii, qui in Christum crediderint. Itaque ratiocinatur isto in loco scriptor ille divinus eadem ratione, qua supra eodem capite ratiocinatus fuerat, de Abrahamo, Isaaco, & Jacobo verba faciens, inquiens ℣.13: *Juxta fidem mortui sunt isti omnes, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia hospites & peregrini sunt super terram, &c.* Ex quibus verbis apparet, istos similiter, id est, Abrahamum, Isaacum & Jacobum, non consequutos fuisse promissiones illas, quas à Deo acceperant; unde concludit idem scriptor, necesse esse, ne videlicet Deus mentiatur, eos tandem habituros patriam aliquam, seu possessionem, quæ illis placeat.

Nam possessio fuerat illis à Deo promissa, & propterea ℣.16 ait de illis, *Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem*, nempe patriam seu possessionem. Ubi *appetendi* verbum figurate ponitur, cum significatione non quidem animi, seu spei ipsorum (jam enim erant mortui) sed futuri eventus; id quod expresse declarant mox sequentia verba, in quibus testatur idem scriptor, suum præceptorem & magistrum Dominum Jesum imitatus, *quod istorum*, quamvis mortuorum, *Deus se Deum vocet, propterea quia præparaverit illis civitatem*, id est, decreverit illis dare hæreditatem cœlestem, postquam nimirum ejus beneficio à mortuis revocati fuerint. Itaque videris, illis antiquis Dei fidelibus, quamvis ipsis vita æterna à Deo promissa non fuerit, (dicuntur enim non accepisse promissiones sibi factas, & quænam istæ essent, non obscure exprimitur, nempe rerum ad hanc vitam ejusque felicitatem pertinentium) tamen datum illis iri ipsam cælestem patriam, & eandem immortalem ac beatam vitam, quam habituri sunt ii, qui post Christi adventum Deo per ipsum Christum fideles fuerunt. Sunt igitur scriptoris nostri verba, ac sententia ista, quod, qui filium non habet, vitam non habet, ita accipienda, ut sonant, quod attinet ad tempus præsens verbi *habendi*, & sic ad tempus illud, quo Johannes scripsit, quod erat Euangelii tempus, accommodanda, non autem ad tempus præteritum, seu antiquum illud, quod ante Euangelium fuit, petrahenda.

Vers.13. Jam vero, quia Apostolus proximis sententiis concluserat tractationem suam, quam alibi supra attigerat, sed in hoc capite peculiariter & ex professo aggressus fuerat, de Jesu videlicet, qui dictus est Christus, quod vere sit Christus, seu Dei filius; id quod probare ac persuadere voluit, ut præcipuum suum scopum totius Epistolæ attingeret, qui, ut, dictum fuit, est, illos, ad quos scribit, ad veram præceptorum Christi obedientiam inflammare, atque, ut in ea persistant, & in dies augescant, efficere: propterea subjicit, tanquam brevissimum epilogum tractationis hujus, & finis, quem in ea sibi proposuit, verba hæc: *Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomen filii Dei, ut sciatis, quoniam vitam æternam habetis, & ut credatis in nomen filii Dei.* Quæ verba à nobis recitata sunt, ut habentur in ipso Græco codice, idque ut conjicere licet, in omnibus exemplaribus, quæ hodie extant. Nam & vulgata Latina editio, & Syriaca interpretatio, aliter legunt. In utraque enim desiderantur ultima istorum verborum, videlicet, *& ut credatis in nomen filii Dei*; & interim in reliquis, quæ retinuerunt, inter se non consentiunt. Nam Latine leguntur eo ordine, quo Græce; Syriace vero ordine ipsorum mutato. Priore enim loco ponit Syrus interpres verba illa, *Ut sciretis, quod vitam æternam habetis*, sive, ut apud eum legitur, *vita æterna est vobis*, posteriore vero illa, *Qui creditis in nomen filii Dei*; ubi etiam apud ipsum, non *creditis* sed *credidistis* habetur. Indicat autem hæc inter hos duos interpretes differentia, vix habuisse illos probatum aliquem codicem Græcum, in quo desiderarentur ultimæ hujus particulæ verba, quæ ab utroque omissa esse diximus; & verisimile est, visa fuisse ultima ista verba supervacanea, & idcirco in aliquibus minus probatis exemplaribus inventa fuisse abrasa, & in aliquo ex illis, dum hoc fit, & abrasio ista ut celetur, quæritur, reliquorum verborum ordinem perturbatum fuisse.

Quicquid ſit, veriſimile plane eſt, veram lectionem eam eſſe, quam exemplaria Græca habent; neque enim quicquam abſurdi, aut ſupervacanei in eo eſt, quod Apoſtolus eos, quos dicit jam credere in nomen filii Dei, hortetur, ut id faciant, id eſt, ea in re perſeverent, & magis magiſque augeſcant & confirmentur; atque ut in hunc ipſum finem, quemadmodum ipſa verba ſonant, ea omnia ſcripſerit, quæ & in hoc capite præcipue, & alibi quoque ſupra in eadem Epiſtola habentur, quæ pertineant ad confirmandum, quod Jeſus ſit Chriſtus, & quod per eum vita æterna nobis obvenerit. Ubi idem dicimus, quod paullo ante de nomine filii Dei diximus, illud ſcilicet in hoc breviſſimo epilogo bis poſitum, idem prorſus valere, ac ſi vel ſimplex *Jeſu* nomen poſitum fuiſſet, vel hac ratione, ut pro *filii Dei* legeretur. *Jeſu, qui eſt Dei filius.* Nec quiſquam erit, quin fateatur, ſi hoc loco ita legeretur, apertius notum fore id, quod Apoſtolus dicere voluit, viſumque iri, eum aliquanto melius ſecundum rectam diſputandi rationem loquutum fuiſſe. Jam igitur quaſi hac in parte perorans Apoſtolus concludit, ſe, quæ hac de re ſcripſit, quod ſcilicet teſtimonio divino fuerit comprobatum, Jeſum eſſe Chriſtum, hoc animo ad illos ipſos ſcripſiſſe, qui jam in ipſum crederent, ut eo magis certi eſſent, ſe ita credendo vitam æternam adepturos, & propterea omni ſtudio curarent, ne à tali fide quicquam deficerent, ſed potius in ea in dies creſcerent ac prorſus ſtabilirentur. Hoc facto, ſubjicit quiddam valde utile, magnique momenti, quod inde proficiſcitur, ſi quis ex animo credat, Jeſum eſſe Chriſtum, ſeu Dei filium, eique propterea confidat, & conſequenter ejus præcepta ſervet.

Verſ.14. Et quia ipſemet unus ex iſtorum numero erat, a ſecunda perſona pluralis numeri, qua proxime uſus fuerat, tranſit ad primam, & ait: *Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum, quia, quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Bezæ interpretatio, pro *eum*, ut omnes editiones habent, habet *Deum*, & quidem, quod attinet ad ſenſum, recte: ſed non oportebat interim lectionem omnium fortaſſe codicum propterea mutare, (hanc enim arbitror hujuſce mutationis fuiſſe cauſam) quia videlicet alioquin non de Deo, ſed de Dei filio hic agi intellectum fuiſſet; quippe de quo poſtremo actum fuerit, & ſic veriſimile plane ſit, pronomine iſto relativo *eum*, illum, non autem Deum ſignificari, cum tamen certum ſit, id, quod hic dicitur, non ad Dei filium, ſed ad ipſum Deum, ex conſuetudine loquendi Sacrarum Literarum, referendum eſſe, quæ, cum de orando ſeu petendo à divinitate verba faciunt, ipſum Deum ſeu Patrem ſemper nominare vel intelligere ſolent. Non erat, inquam, nihilominus opus iſta mutatione; cum uſus frequens hujus ſcriptoris in hac Epiſtola ſit, ſimplici relativo pronomine Deum ipſum intelligere, etiamſi is poſtremo ante nominatus non fuerit, ſed Jeſus Chriſtus, ſive ejus filius, ut ſupra non ſemel monuimus, & hic locus ejus rei exemplum manifeſtum eſſe poteſt, quemadmodum in diſputatione noſtra de Servatore obſervatum à nobis fuit. Sunt qui id, quod his verbis continetur, de fiducia, quod Deus eos audiat, qui in ejus filium credunt, ſi quid ab ipſo petierint, referant ad ipſam æternam ſalutem; id quod mihi nullo pacto probari poteſt.

Sentio enim, ut ſupra ex verbis noſtris intelligi poteſt, Apoſtolum hic loqui de bono aliquo, quod Chriſto fidentes habeant, præter ipſam æternam vitam. Nec ullam cauſam video, cur aliter ſentire debeamus, vel cur dubitare poſſimus, an ſit quicquam, quod liceat à Deo petere Chriſtiano homini eum firma ſpe illud obtinendi, etiamſi id non ſit ejuſmodi, ut ad ipſam vitam æternam omnino ſpectet. Habemus ſimilem ſententiam huic, quæ proxime recitatis verbis continetur, ſupra cap 3.22, ubi aliquid hac de re, ut locus prorſus requirebat, diximus, ſed plenam ejus tractationem ad hunc locum reſervavimus. Eſt autem utrobique ſententia plana atque aperta, quod, qui Deo per Chriſtum obediunt, impetrant ab ipſo, ſi quid ab eo petunt. Nam utrobique aperte loquitur Apoſtolus de talibus. Tantum, quod in priore loco dixerat, eos deſcribendo, quod obſervent præcepta Dei, & ea faciant, quæ in ipſius conſpectu placent, hic aliis verbis, ſed eadem prorſus ſententia dicit, iſtos, videlicet de quibus loquitur, credere in nomen filii Dei; adeo ut vel ex collatione iſtorum duorum locorum poſſit ſatis intelligi, fide in Chriſtum, ſeu in Dei filium, contineri obſervationem mandatorum Dei, & obedientiam, quam ſibi Deus ex ipſius ſui filii præſcriptione præſtari vult. Diximus autem ſuperiorem locum explicantes, aliquid nihilominus ad hoc, ut quis ea obtineat, quæ à Deo petit, requiri, præter id, quod illi ſecundum Chriſti præcepta ſit obediens, quod quid ſit, in hujus præſentis loci explicatione nos dicturos polliciti ſumus. Eſt autem hoc quiddam non plane unicum ac ſimplex, ſed ſaltem duplex; cujus alterum ac præcipuum membrum habemus hic expreſſum in ipſo præſente loco, in verbis illis, *ſecundum voluntatem ejus.* Primo igitur ac præcipue præter obedientiam præceptorum Chriſti, ut quis id impetret, quod à Deo petit, neceſſe eſt, ut id, quod petit, ſit non abhorrens à voluntate ipſius Dei. Id quod rurſum dupliciter intelligi poteſt, quatenus videlicet vel poſſit eſſe aliquid, quod Deus nunquam probet; vel alioqui ejuſmodi ſit, ut Deus ſecundum infinitam ſuam ſapientiam judicet, non concedendum, quamvis alioqui ejuſmodi ſit, quod non pugnet cum ordinaria ac perpetua ipſius voluntate: rurſuſque hoc ipſum dupliciter conſiderari poteſt, vel quia jam Deus aliquid prorſus decreverit, quod pugnet cum eo, quod ab ipſo petitur; vel quia alia accidentia ſint, quæ efficiant, quominus Deus id concedendum cenſeat, quod petitur; quæ quidem accidentia multiplicia eſſe poſſunt, nec ad certa ulla capita facile redigi queunt.

Unum tantum iſtorum capitum, ut pote maximi momenti hac in re, & quodammodo præcipuum, commemorabimus; quod eſt, cum accidit, ut illud, quod à Deo petitur, ipſi petenti utile non ſit futurum, quamvis is, qui petit, id non animadvertat, ſed Deus tamen ſapientiſſimus id videat. Hæc ſunt, quæ, quam breviſſime potuimus, exponere nobis eſt viſum, pro declaratione alterius membri eorum, quæ requiruntur, ut quis, Deo per Chriſtum obediens, obtineat ab ipſo, quod ab illo precibus contendit, quod ſcilicet membrum in loco noſtro expreſſum habemus.

Reſtat, ut de altero membro aliquid explicemus. Illud autem eſt, debere eum, qui ſub obedientia præceptorum Chriſti aliquid à Deo petit, ſi id velit impetrare, petere cum fide, quemadmodum colligi poteſt ex Chriſti verbis in pluribus Euangelicæ hiſtoriæ locis, ſed expreſſe ex Jacobi monitione, primo capite ſuæ Epiſtolæ, ubi hujus rei non paucis verbis mentionem facit, requirens omnino, *ut is, qui petit, petat cum fide, nihil dubitans.* Quod non ita intelligendum eſt, quaſi requiratur ad hoc, ut quis aliquid à Deo petendo impetret, ut penitus ſibi perſuadeat, ſe illud accepturum eſſe: ſed eſt intelligendum, non debere quenquam dubio animo & inconſtanti ad aliquid à Deo petendum aggredi. Quod arbitramur (etiamſi hoc videatur extra mentem Jacobi eſſe iſto in loco) evenire poſſe illis etiam, qui alioquin Deo per Chriſtum obedientes ſint. Illud videtur plane indubitatum eſſe, quidquid aliter de hac re ſtatui velimus, conditionem iſtam animi non dubii in aliqua re à Deo petenda, ſed aliqua ratione certi, quod id, quod petitur, etiam impetrabitur, debere hic adhiberi, quatenus quæritur, an certum ſit, ut ſcriptoris noſtri verba ferunt, fore, ut quis illud impetret, quod à Deo petit.

Nam certum eſt, etiamſi concedamus, fieri poſſe, ut quis id, quod Deum rogat, etiam ab ipſo obtineat, quamvis dubitet, an id ſit accepturus: tamen ex altera parte non poſſe quenquam certum eſſe, ſe id accepturum, quod à Deo petit, niſi certo ſibi perſuadeat, ſe

non

non iri frustratum petitione sua: quemadmodum (ut ex Christi verbis, quæ supra indicavimus, intelligi potest) contra certissimum est, eum obtenturum, qui cum firma fide ac spe obtinendi petat. Apparet igitur, Apostoli sententiam, quam supra tertio capite expresserat, de fiducia obtinendi à Deo, quod petimus ab ipso, si illi obedientes simus, non solum cum ea conditione intelligendam esse, quæ hic exprimitur, ut scilicet id, quod petitur, non pugnet cum voluntate ipsius Dei, quod qua ratione explicandum sit, jam à nobis expositum fuit; sed etiam cum hac, ut quis cum fide obtinendi, quod petit, Deum aliquid roget; quæ conditio, quatenus requirit, ne animus sit dubius atque inconstans, plane necessaria censenda est ad id, quod petitur, impetrandum: quatenus vero requirere videtur, ut quis petendo plane sibi persuadeat, se id, quod petit, impetraturum, ejusmodi est, ut sine ea non possit certo affirmari, istum, qui petit, petitionem suam obtenturum; & interim ex altera parte prorsus statuendum est, Apostoli pronunciatum, quod sit impetraturus, quod petit, locum habiturum.

Satis videtur à nobis disputatum de conditionibus, quæ requirantur in illis ipsis, qui Deo per Christum obediunt, & in petitionibus ipsorum, si sperandum sit, aut plane affirmandum, eos habituros à Deo ea, quæ ab ipso petunt, & consequenter satis explicata videri possunt verba Apostoli, quæ hac de re hoc loco in prioribus suis verbis facit. Nam quomodo posteriora, quæ nondum recitavimus, explicanda sint, mox dicemus, si prius illud monuerimus, vel potius à nobis indicatum apertius dixerimus, videlicet hæc priora verba ita accipienda esse, ac si scriptum foret: *Et hæc est fiducia, quam nos, qui in filium Dei credimus, habemus, &c.* Nam quod, cum *nos*, in verbo *habemus* contentum, Apostolus nominat, censeri debeat, ac si diserte nominasset eos, qui credunt in filium Dei, vehementer conducit, atque adeo necessarium est, ad ea recte intelligenda, quæ pro explicatione istorum priorum ejus verborum à nobis dicta sunt.

Vers.15. Sequuntur posteriora verba, ad hanc ipsam materiam petendi à Deo generatim pertinentia, quæ ita habent: *Et si scimus, quia audit nos quicquid petierimus, scimus quoniam habemus petitiones, quas postulavimus ab eo.* Quæ verba non carent difficultate, propter eam potissimum causam, quod supervacanea esse videantur, & nihil addere prioribus verbis hac de re factis, præsertim si legantur sine particula *si*, in ipso eorum initio, quemadmodum in vulgata Latina editione leguntur. Quam lectionem, cum non appareat eam confirmari, neque à Syriaca interpretatione, neque ab ullo Græco exemplari, hoc addito, quod, ut diximus, loci sententiam multo difficiliorem, aut plane supervacaneam reddit, parvi aut nihili faciendam esse arbitramur; inquirendumque tantummodo censemus, quid sibi voluerit Apostolus in verbis istis cum prædicta particula enunciatis. Videtur autem necesse esse, ut intelligatur mens Apostoli in illis, & demonstretur, illa non frustra ab ipso prolata fuisse, ex duobus alterum facere, aut verbum *audit* paullo aliter interpretari, atque hactenus, de prioribus verbis agendo, fecimus; aut ostendere vim aliquam, quæ sit in verbo *postulavimus* præteriti temporis, quod in his posterioribus continetur: aliter enim sententia ipsorum nulla alia erit, nisi quod ii, qui in Dei filium credunt, sciunt, se à Deo accipere, quæ ab ipso petunt. Atqui hæc sententia integre ac perfecte exposita jam est in prioribus verbis, si verbum *audit*, quod in illis habetur, idem valet, quod vulgo dicunt *exaudit*, quemadmodum eam nos accepimus, & merito quidem id fecimus, aut certe facere potuimus, quia in Sacris Literis audiendi verbum ad Deum active relatum, significationem istam habere solet, ut exempli causa cap.9, Evangelii ejusdem Johannis ỳ.31, & cap 11, 41,42. Vitaretur autem absurditas ista idem bis dicendi, si verbum *audit* hoc in loco significaret tantum, non spernere, neque sese avertere; ut scilicet sententia esset, cum Apostolus dicit Deum audire nos, quod Deus nos ab ipso aliquid petentes non spernit neque aversatur: unde in posterioribus his verbis Apostolus colligeret, nos igitur scire, id est merito persuasum habere posse, quod Deus etiam ea faciet, quæ ab eo petimus.

Verum hæc interpretatio propter usum fere perpetuum verbi *audiendi* in re simili, ut jam diximus, mihi non plane probari potest, præter id, quod non apparet, cur Apostolus prius mentionem facere debuerit, quod Deus non aversetur petitiones nostras, ut inde postea inferret, nos posse certos esse, quod Deus concedit nobis ea, quæ ab ipso petimus, & non potius statim ac simpliciter dixerit, Deum ea facere, quæ ab ipso postulamus. Adde, quod vel hæc duo, quorum alterum ex altero secundum istam interpretationem colligeret Johannes, unum & idem plane sunt reipsa, & tunc inanis & supervacanea videretur collectio ista; vel sunt revera inter se diversa, & sic non videtur aperte constare, seu necessarium esse, alterum ex altero sequi, neque cur fieri nequeat, ut Deus merito dici possit, non spernere neque aversari preces nostras, & tamen interdum, aut etiam sæpe propter causas à nobis supra indicatas, ea nobis non præstet, quæ ab ipso petimus.

Relinquitur igitur, ut in verbo *postulavimus* præterito tempore enunciato, aliqua vis sit ad ostendendum, posteriora verba, hoc in loco scriptoris nostri, non prorsus supervacanea esse. Cujus rei, id est, ejus vis, quæ in tali verbo, si præterito tempore enuncietur, esse possit, nullam rationem videtur habuisse interpres Syrus, qui illud per præsens vertit. Vis autem ista hæc esse potest, quod inter Johannem, & eos, ad quos scribit, & conveniret, & simul constaret, de quibusdam rebus à Deo petendis, quas videlicet jam petere concorditer instituissent, quas se à Deo obtenturos esse, per regulam quandam in prioribus suis verbis positam, & in posterioribus hujus ipsius rei causa repetitam, Apostolus concludat, qui propterea, mentionem istarum petitionum faciens, uti noluit tempore præsenti (ut alioqui potuisset) ut distingueret petitiones istas ab aliis, quas identidem à Christi fidelibus fieri contingat. Quod si quis præterea velit, verbum istud præteriti temporis tantam vim habere, ut plane declaret, Apostolum loqui de petitionibus quibusdam, à se & ab iis, ad quos scribit, jam antea factis, & Deo oblatis; huic ego non prorsus repugnabo, ut videlicet petitiones istæ jam non fierent, sed tantum antea, ut dictum est, factæ fuissent. Verum ex tali interpretatione consequeretur, petitiones istas ea continuisse, de quibus, an impetrata nec ne à Deo essent, plane constare non posset; quæ nihilominus impetrata fuisse, aut certe fore, ut impetrarentur, Apostolus affirmare ac monere voluerit, utens propter hanc causam verbo *habemus* præsentis temporis, quo denotatur, vel jam reipsa petitiones istas impetratas fuisse, vel certo fore, ut impetrentur. Mihi tamen multo melius videtur, Johannis sententiam ita accipere, ut antea diximus. Notandum autem est, quod in editione vulgata, non in omnibus exemplaribus verbum *postulandi* præterito tempore enunciatum legitur; sed tantum in correctioribus. Nam vulgares codices non *postulavimus* habent, sed *postulamus*; quæ lectio, &, quia in Græco vox ista plane præteriti temporis est, & propter illa, quæ ad hunc locum explicandum proxime disputata sunt, nobis probari non potest.

Vers.16. Postquam Apostolus in genere atque in universum egit de persuasione, qua imbuti esse possimus, & porro debeamus, quod Deus pro sua bonitate ea faciat, quæ secundum voluntatem ipsius Christi fideles ab ipso petunt: voluit de hac ipsa materia aliquid specialius docere, & quodammodo exemplo illustrare, quod dixerat de petendo à Deo secundum voluntatem ipsius. Itaque pergens ait, ut quidem & Græca exemplaria, & Syriaca editio, quod attinet ad principium ipso-

ipsorum verborum habet, *Si quis viderit fratrem suum peccantem peccatum non ad mortem, petet, & dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem.* Vetus enim Latinus interpres non *Si quis viderit* habet, sed *Qui scit* & non *peccantem*, sed *peccare* ad hunc videlicet modum, *Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem.* Ex qua lectione elicitur hic sensus expresse, quod quis possit scire, quod ipsius frater ad mortem peccet: qui sensus ut ex altera lectione eliciatur, nihil plane cogit, etiamsi concedatur, ut quidem concedimus, hunc esse unum ex illis locis, ubi participium infinitivi vim habeat, & idcirco secundum veterem interpretem, & possit, & ad verum sensum magis exprimendum legi debeat, non quidem *peccantem*, sed *peccare.* Neque enim est illa vis in verbo videndi, quæ est in verbo sciendi, adeo ut possit quis dici videre fratrem suum peccare non ad mortem, non quidem eo sensu, quod istud ipsum videat, quod scilicet ad mortem peccet; sed tantum quod videat illum peccare, & interim peccatum istius sit peccatum ad mortem, quod tamen is nesciat, qui illum peccare videt. Sed sciendi verbum in tali loquutione non videtur posse usurpari, quin simul scientia ista, & ad peccatum simpliciter, & ad ipsius qualitatem istam, quod sit ad mortem, referatur. Retenta igitur Græca lectione, dicimus Apostolum voluisse monere, ut quis videns fratrem suum *peccantem*, seu *peccare*, si petierit à Deo, ut illum à reatu mortis liberet, quem secum adfert peccatum, fore, ut hoc ipsum, quod petit, impetret, modo ne peccatum, quod iste committit, sit ad mortem; qua de re tota antequam aliquid explicemus, non est omittendum quod verbum *petet*, ut ipsa Græca vox sonat, potest sine dubio ita accipi, ut accepta est à vulgato Syriaco interprete, & ab interprete Latino, ut quidem vulgares codices habent, ut scilicet habeat vim impetrandi perinde ac si dictum esset, *petat.* Nam sæpe, & apud sacros, & apud prophanos Scriptores evenit, ut vox futuri temporis indicativi modi, vim habeat imperandi, & propterea pro eodem habetur, ac si præsenti tempore subjunctivi modi, vox ista enunciata fuisset. Sed potest & vox *petet* hoc in loco ex Hebraica loquendi consuetudine idem valere, quod *si petierit*, hocque mihi magis probatur.

Præterea notandum est, verbum *dabit*, ut Græca vox similiter sonat, itidem posse ita accipi, ut à Vetere Latino interprete, & à Syriaco accepta est, & voce *dabitur* reddi. Potest enim fieri, & admodum verisimile est, hic esse pervulgatum istum Hebraismum, ut vox verbi singularis numeri, personæ tertiæ, eandem prorsus vim habeat, atque vox impersonalis, quam vocant; tametsi hoc in loco potest retineri vox *dabit*, & subaudiri Deus, tacite in verbo petendi nominatus, quippe à quo petatur.

His visis, videndum primum est, quid *peccandi* nomine, seu *peccandi peccatum* per se simpliciter accepto Apostolus intelligat. Nos quidem arbitramur, nequaquam eum intelligere actum aliquem peccandi, seu peccatum semel admissum; sed peccandi assuetudinem, seu peccatum in quo quis maneat; sic enim voces & peccandi, & peccati a scriptore nostro usurpari alibi supra docuimus. Hoc autem propter id præcipue monere voluimus, quod fere omnes peccatum istud, quod hic Apostolus vocat ad mortem, interpretantur idem esse cum peccato seu blasphemia in Spiritum Sanctum; quia videlicet istud unum peccatum videatur Dominus Jesus ejusmodi esse statuere, quod non remittatur, cum cætera omnia dicere plane videatur remissibilia, ut ita loquamur, omnino esse. Verum Christus cum ista docet, sine dubio, ut omnes fatentur, de aliquo peccandi actu loquitur, & idcirco nihil cogit, ut hæc Johannis verba ad istam Christi doctrinam referantur, quando, ut diximus, si ipsius loquendi usum spectemus, hæc ejus verba, non ad aliquod peccatum semel admissum, seu ad aliquem peccandi actum; sed ad peccatum referenda sunt, in quo quis maneat, seu ad peccandi assuetudinem.

Hoc igitur primum sic constituto, quod an plane verum sit, melius ex iis, quæ infra dicentur, apparebit; quærendum deinde est, de quo hominum genere Apostolus loquatur; qui peccare à nobis animadvertantur, seu, quid *fratris* nomine hoc loco intelligat. Nobis quidem non videtur esse dubium, quin appellatione ista *fratris*, & quidem, ut ipse loquitur, *fratris nostri*, Johannes non quidem quoscumque homines, sed eos tantum intelligat, qui fidem in Christum professi fuerint, quique, quod attinet ad religionem & doctrinam, quam profitentur, ejusdem Ecclesiæ nobiscum esse censeantur. Neque enim, quod attinet ad peccatorum reatum, ut is scilicet ab illis removeatur, concipi preces solent, aut debent, pro iis, qui ad Christi Ecclesiam non pertinent. Sunt enim isti extra spem remissionis peccatorum, quamdiu Christi cognitione & assensu, quem ejus salutari doctrinæ præbeant, sunt destituti. Loquitur igitur sine dubio Apostolus de iis peccantibus, qui alioquin secundum spiritum nostri sunt fratres, quod videlicet pertinet ad Christi fidem ac religionem, quam una nobiscum profiteantur. Hoc ad hunc modum concluso, restat videndum, quodnam possit esse peccatum illud, in quo frater noster maneat, à cujus reatu spes sit eum liberatum iri, si pro eo Deus à nobis rogetur; & quod rursus, de quo idem sperari à nobis nequeat, unde fiat, ut ejusmodi peccatum ad mortem esse dicatur, prius vero illud non ad mortem. Sic enim omnino accipiendum est istud, *esse* vel *non esse ad mortem*; non autem in eum sensum, quasi peccatum illud, à cujus reatu ut quis liberetur, possit à Deo precibus obtineri, ejusmodi sit, quod sua natura mortem non afferat. Patet hoc ex eo, quod Apostolus dicit, fore, ut, si quis pro isto roget, detur ei vita. Hoc enim aperte significat, alioquin, si Deus non exoraretur, neque id, quod hic ab eo petitur, impetraretur, fore, ut omnino iste moreretur, id est æterna morte periret.

Hæc autem horum verborum *ad mortem* significatio, ut scilicet declarent, fieri non posse, ut id, quod ad mortem esse dicitur, plane mortem non afferat, non autem, quod vim tantum afferendi mortem habeat, ita videlicet, ut ex altera parte id, quod dicitur non esse ad mortem, ista vi careat, videtur satis egregie demonstrari posse per id, quod scriptum est cap. 11. 4. Euangelii Johannis Christum dixisse, simul atque audivit Lazarum ægrotare. Dixit enim, *infirmitatem* seu *morbum illum non esse ad mortem*, cum tamen morbi illius eam vim fuisse, ut mortem afferret, eventus ipse, Lazaro ex eo mortuo, comprobaverit. Unde manifeste constat, Christum, cum dixit, Lazari infirmitudinem non esse ad mortem aliud nihil dicere voluisse, quam, non fore, ut mortem plane atque omnino is morbus Lazaro afferret, quia videlicet mox à morte, quam ei attulisset, liber futurus esset. Unde etiam, eo jam mortuo, dixit discipulis suis, *Lazarum dormire, seque ad eum ire, ut eum excitaret.*

Declarato, quid sit *peccatum esse ad mortem*, & *Non esse ad mortem*, videndum est, ut antea diximus, quodnam sit istud peccatum ad mortem; quod vero sit istud non ad mortem. Et, cum jam constituerimus, *peccati* nomine, & *peccandi* verbo hic significari mansionem (ut ita loquamur) in peccato, seu peccandi assuetudinem, inspiciendum est, quomodo, & cur inter peccandi assuetudines, seu in peccato mansiones, distinctio ista sit adhibenda. Videtur enim modus loquendi, quo Apostolus utitur, omnino propter diversum genus peccatorum hanc distinctionem faciendam esse, nobis indicare: quod tamen mihi probari non potest, cum videam, nullum genus peccati esse, (quod ejusmodi modo sit, ut sua vi mortem afferre queat) in quo committendo non possit quis ita se gerere, ut nulla possit esse de ipso spes salutis; ita ut non simpliciter peccandi genus illud sit, quod distinguat peccatum ad mortem à peccato, quod non sit ad mortem, eo sensu,

quo supra debere hoc intelligi demonstratum est. Namque, ut ex ipsis Apostoli verbis manifeste ostendimus, illud etiam peccatum, quod non est ad mortem, & pro quo, id est, pro eo, qui illud committit, rogari potest Deus, cum firma spe obtinendæ petitionis suæ, ejusmodi est, ut, si ejus propriam vim ac naturam spectemus, mortem afferat; licet is, qui id committit, Christi nomen profiteatur, ejusque religioni ac doctrinæ plane assensus fuerit.

Quare videtur omnino relinqui, ut hæc distinctio oriatur, non ex ipso simplici genere peccati, sed ex peccandi modo; ita ut is, qui peccatum aliquod committit, & in eo manet, quod vim per se habeat mortem conciliandi, merito nihilominus dici possit non peccare ad mortem, si non ita in ejusmodi peccato maneat, ut plane etiam in eo manere velit; & licet optime agnoscat quale peccatum committat, nullo pacto vel curet, vel etiam optet à peccando desistere; si, inquam, ejusmodi homo in suo peccandi statu, non sit talis, sed, quamvis peccato suo irretitus, cogitet aliquando quomodo viam invenire possit, ut ab eo liberetur, is non est in eo statu, ut de eo sit desperandum, quin videlicet resipiscat, & hac ratione mortem effugiat, ad quam alioqui à peccato suo ducitur: contra vero, qui, licet non in graviore, quam iste, peccati genere maneat, tamen in eo præfracte perseverat, nec ullam cogitationem habet, quamvis se peccare probe agnoscat, ut aliqua ratione curet sui ipsius à suo peccato liberationem, de eo plane desperandum videtur, & statuendum omnino, fore, ut propter suum peccatum in mortem æternam incurrat. Quod si quis tamen velit, aliquod esse peccati genus, in quo si quis maneat, prorsus per se ipsum sit mortem æternam allaturum, ita ut nulla sit de ejusmodi homine, qui illud committit, salutis spes, ne nos quidem id ita se habere negaturi sumus. Tantum ostendere voluimus, simplicem differentiam generis peccati in hac tractatione non sufficere, ad generalem regulam constituendam, & generalem distinctionem istam efficiendam. Nam si, ut supra indicavimus, ex mente Christi videtur posse inveniri singulare aliquod peccatum, id est, peccandi actus, qui nunquam remissionem invenire queat, & interim ejusmodi sit, qui, nisi remittatur, mortem æternam omnino sit allaturus; multo magis id sentiendum est, de assuetudine talis peccati, citra omnem considerationem ipsius modi peccandi, quemadmodum in uno illo actu peccandi de quo Christus loquitur, ipsius peccandi modi nulla ratio habetur, modi, inquam, ejusmodi, de quo supra verba fecimus.

Itaque non negaverim ipsum Johannem hoc in loco suis verbis tale peccatum complexum fuisse; modo retineatur, quod non de uno aliquo actu, sed de peccandi assuetudine ipse loquatur. Etiamsi enim verum sit, quod in tali peccato, quale est illud, de quo Christus ait, id nunquam remissum iri, satis sit ad mortem plane conciliandam, & salutis spem extinguendam, vel unus actus: tamen necesse est, ut Apostolus in iisdem terminis, ut loquuntur, tam de peccato, quod non sit ad mortem, quam de eo, quod ad mortem sit, loquatur, & propterea, cum certum esse videatur, in homine, qui Christi fidem alioquin ex animo profiteatur, de quo hic verba fiunt, actum unum peccandi non posse eam vim habere, ut per se mortem illi afferat, quemadmodum tamen afferre diximus illud etiam peccatum, quod non est ad mortem; hincque concludendum plane sit, Apostolum, cum loquitur de peccato, quod non sit ad mortem, non intelligere actum aliquem peccandi: statuendum prorsus atque omnino est, eum similiter, cum de peccato loquitur, quod sit ad mortem, non unum peccandi actum intelligere, sed peccandi assuetudinem. Quicquid enim contingat, ut unus peccandi actus ad mortem sit, id, quod attinet ad verba, & multo magis ad mentem Apostoli, in hac sua monitione, totum ex accidente est; quemadmodum ex accidente esse censeri potest, quod ipsum peccandi genus, citra omnem modi peccandi considerationem, ad mortem plane sit, propter eas causas, quas ante attulimus, ex quibus liquet, necesse esse, ut in hac monitione sua rationem habuerit ipsius peccandi modi. Ex iis, quæ diximus, videtur posse intelligi, quod, quamvis ex Apostoli verbis non possit necessario concludi, agnosci omnino à Christi fidelibus peccatum, cum est ad mortem: tamen fieri potest, ut agnoscatur; quandoquidem facile evenire potest, ut constet, quod quispiam ita in peccato maneat, ut nullo modo curet ab ipso discedere. Diximus enim, ubi talis modus in peccato aliquo manendi inveniatur, ibi nullam spem haberi posse salutis, & sic tale peccatum, esse peccatum ad mortem.

Jam vero, ut ea, quæ hactenus de hac Apostoli monitione disputavimus, melius intelligantur, eorum brevissimam quandam summam, antequam ulterius progrediamur, hoc loco exponemus, quamvis adhuc restent, quæ ad eam plane explicandam nobis dicenda sunt. Dicimus igitur Apostoli mentem hanc esse, ut moneat, si quis viderit aliquem ex iis, qui jam Christi Ecclesiæ aggregati fuerint, ejusque religioni ac doctrina assensum manifeste præbuerint, in aliquo peccato manentem, (modo non ita in eo maneat, ut inde se liberare, illudque relinquere, nihil nec curet, nec cogitet, &, modo peccatum, in quo manet, per se ipsum ejusmodi non sit, quod à Deo non remittatur, cujusmodi Christus esse affirmavit, blasphemiam in Spiritum Sanctum) si à Deo petierit, ut istum à reatu peccati sui liberare velit, impetrabit id, quod petit, & obtinebit, ut pro eo, quod mortem æternam suo peccato est commeritus, in eum statum restituatur, ut æternam vitam sperare possit.

Hæc est brevissima summa eorum, quæ hucusque de hac Apostoli monitione disputavimus. Restat, ad eam melius intelligendam, & quid illud sit, quod peti velit Apostolus à Deo, quidve illud, quod inde eventurum promittit, clarius atque distinctius, quam hactenus, intelligi ex iis, quæ diximus, potest, percipiendum, ut explicemus, qua ratione contingat per ipsius Dei bonitatem, qui precibus nostris ad id faciendum motus fuerit, ut iste in peccato manens liberetur à reatu peccati sui. Neque enim intelligere debemus, hoc eventurum, quia Deus isti pergenti manere in suo peccato illud non imputet: hoc enim pugnaret cum universa Scriptura Sacra, quæ ubique testatur, Deum non resipiscentibus & peccare non desinentibus peccata non condonare, nec eos à peccatorum reatu absolvere. Quapropter necesse est, ut illud, quod à Deo in casu jam exposito petatur, sit, ut iste resipiscat, & peccare desinat; quod si fiat, inde ex Dei benignitate consequatur, ut de homine isto meritas pœnas sumere nolit, sed pro tali eum habere, ac si nunquam ea ratione, qua dictum est, peccasset. Considerandum enim est, Scripturam diserte testari, eum, qui post Christi cognitionem in peccata relapsus fuerit, in pejore statu esse, quam ante Christi cognitionem esset; neque in ejus potestate esse positum ut renovetur per pœnitentiam; quemadmodum ex fine secundi capitis posterioris Petri Epistolæ, & ex Sexto capite Epistolæ ad Hebræos paullo post principium colligi aperte potest.

Etenim, quamvis arbitremur, in utroque ex istis duobus locis agi de iis, qui post Christum agnitum non uno aliquo peccato se denuo involvunt, ut secundum explicationem nostram agitur hic apud Johannem, sed qui generatim ad priora peccata revertuntur, & vitam, ut antea, impuram vivunt: tamen propter magnam convenientiam, quæ est inter hoc & illud; & propterea, quia videmus, non minus ex uno aliquo peccato, graviore scilicet, in quo quis maneat, teste Paulo Apostolo, 1 Cor.6.11. Ephes.5.5, reatum æternæ mortis proficisci, sive exclusionem à regno Dei & Christi, quam proficiscatur ex multis peccatis, in quibus quis similiter maneat, sive ex vita, quæ in universum sit impura, censemus, etiamsi hæc non

omnino

omnino paria facimus, hac ipsa in parte tamen difficilimum esse homini post Christi agnitionem vel in uno graviore peccato manenti, sese inde sine peculiari Dei auxilio eximere atque exsolvere; & ob hanc causam, si quis in tali sane quam deplorando statu fuerit, qui eum apud Deum precibus juvare velit, necesse esse videtur, ut à Deo petat, ut isti det, quo possit sui peccati pœnitentiam agere ac resipiscere, ad idque faciendum vires & modum illi subministret ac præbeat.

Cum igitur Apostolus ait, *dabit ei vitam*, nempe Deus, idem est, ac si diceret: Concedet illi Deus, ut possit re ipsa à peccato suo sese extricare, & ad eum statum reverti, in quo si postea perseveraverit, vitam æternam sperare possit, tollens reatum ac condemnationem, in quam propter peccatum suum incurrerat. Diximus autem, Deum, precibus nostris motum, isti daturum, ut possit resipiscere, non autem ut resipiscat. Quia, quicquid Apostoli verba sonare videantur, & quicquid supra à nobis dictum fuerit, quod idem sonet, de effectu videlicet ipso, qui plane consequatur, ejus nihilominus sententiæ sumus, Apostolum revera non de ipso effectu omnino loqui, sed de facultate ad illum perveniendi. Nam difficile mihi videtur, plane statuere, quod semper effectus iste resipiscendi, & sic ad pristinum statum salutis ac vitæ æternæ revertendi, ex eo consequatur, quod Deus rogatus pro eo fuerit, qui in peccato maneat ab aliquo ex ipsius fidelibus. Multa enim esse possunt, quæ impediant, quominus effectus iste reipsa consequatur, quamvis iste, qui in peccato manet, non ita maneat, ut ad mortem peccare dici possit, quod quid sit jam antea exposuimus; & quamvis Deus propter fidelis sui preces isti concedat vires sese a peccato exsolvendi; multa nihilominus impedire ipsum effectum possunt, quamvis, postquam Deus id effecerit, quod diximus, in una istius, pro quo Deus rogatus fuit, voluntate sit positum, ut plane resipiscat, & peccato suo valedicat. Multæ enim possunt esse causæ, quæ obstent, quominus peccator iste velit suum peccatum relinquere; nec solet Deus cujusquam voluntati, cum aliis in rebus, tum maxime in resipiscendo, necessitatem ullam afferre, ut videlicet una cum gloria, quæ ipsi Deo debetur ex auxilio, quod præbuerit ad id efficiendum, istius resipiscentiæ effectus id conjunctum secum habeat, ut resipiscens virtutem aliquam animi sui ea in re ostenderit, quæ nulla prorsus esse potest, ubi necessario prorsus resipuerit, neque ea in re libere, cum scilicet aliter facere posset, quicquam egerit. Non est autem Novum in Sacris Literis, ut Deus vel Christus dicatur aliquid facere, quando per eum non stat, quominus id fiat, sed per hominis voluntatem, quam ordinarie, ut dictum fuit, Deus liberam in iis, quæ ad sui ipsius obedientiam spectant, esse vult.

Cum igitur jam explicatum à nobis fuerit, quicquid pertinet ad recte intelligendam Apostoli monitionem; expendenda verba sunt, quæ, ab illa interim non discedens, statim subjungit. Nam post verba illa, *& dabit ei vitam*, illico subjicit, *peccantibus non ad mortem.* Repetit Apostolus, se loqui de peccato, quod non sit ad mortem, ut bene hoc ac profunde infigatur legentium mentibus, utque penitus intelligatur, nihil mirandum esse, si preces ad Deum porrectæ pro aliquo peccatore, à quantumvis ipsius Dei fideli, nullum effectum interdum sortiantur, nec Deus illis quicquam moveatur. Nam hoc propterea evenit, quia iste, pro quo illæ sunt fusæ, peccabat ad mortem. Et sic Apostolus hoc exemplo confirmat, & simul declarat conditionem illam, quam antea posuit, & quam requisivit, si preces nostræ à Deo audiri debent, &, quod ab ipso petimus, impetraturi sumus; nempe, ut ea petamus, quæ sint secundum voluntatem ejus, neque enim secundum voluntatem Dei est, ut is resipiscat, qui ad mortem peccat. Id quod idcirco dicimus, quia nihil dubitamus, quin is, qui ad mortem peccat, propterea, id est, hac ratione in peccati sui reatu permaneat, quia nunquam resipiscat. Quemadmodum enim cum nobis patefacta voluntate Dei pugnat, ut quis à reatu peccati sui liberetur, qui pœnitentiam non agat: sic similiter cum eadem voluntate pugnat, ut is, qui pœnitentiam agat, id est, relinquat peccatum suum, ab ipsius sui peccati reatu non absolvatur.

Mutavit autem Johannes in his verbis, *peccantibus non ad mortem*, numerum singularem, qui præcesserat, in pluralem, ut melius intelligatur, ipsius monitionem ac sententiam universe referendam esse ad omnes, qui peccant, modo ad mortem non peccent. Atque sui ipsius magis declarandi gratia, adhuc verba ista addere voluit: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Itaque denuo affirmat, dari peccatum, id est, potissimum, ut nos interpretamur, in peccato manendi modum & rationem, unde necesse sit mortem æternam consequi: quamvis hoc ad aliquod peccati genus etiam referri possit, ex quo consequatur certa atque inevitabilis mors: &, quod Apostolus antea tacite indicaverat, & à contrario sensu, ut loquuntur, ex ejus verbis colligi poterat, nempe preces Deo adhibitas, pro eo, qui ad mortem peccet, inanes esse, hic apertius exprimere voluit. Idem enim valent verba ista, *Non pro illo dico ut roget quis*, ac si dixisset, spem, quam monitione sua fecit, vitæ impetrandæ à Deo pro aliquo peccatore, nullum habere locum, ubi peccator iste ad mortem peccet. Nec ex verbis istis est præterea concludendum, plane agnosci, cum quis ad mortem peccat, quasi Apostolus voluerit dicere: *Si videris, quod quis ad mortem peccat, noli Deum pro illo orare.* Est autem in his Johannis verbis aperta metonymia, quæ ex Græco contextu liquet. Pronomen enim *illo* ad ipsum *peccatum* proxime expressum, non autem ad *peccantem*, in eo tacite comprehensum, referri debet, ut fortasse ex Latino contextu fieri vel posse, vel debere quispiam suspicari posset. Est enim pronomen istud in Græco non masculini generis, ut necesse esset, si peccantem tacite antea nominatum referret, sed fæminini, ut est ipsa vox *ἁμαρτία*, qua peccatum Græci nominant. Apparet igitur, Johannem hunc loquendi modum usurpasse, *Rogare pro peccato*, quod nemo non videt hoc in loco pro eo positum esse, quod est, rogare pro peccante, seu peccatum committente.

Non contentus autem Johannes ea dixisse, quæ explicuimus, distinguens inter peccatum ad mortem, & peccatum non ad mortem, quia hoc fortasse videri poterat novum, hanc ipsam distinctionem repetere voluit, & docere, aliquod peccatum esse, quod non sit ad mortem. Nam de hoc videbatur potissimum dubitandum, cum omnia peccata ad mortem esse videantur, quippe quod, ut Paulus ait, Rom.6.23, *stipendium peccati sit mors.* Ait igitur, ℣.17. *Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum non ad mortem.* Quamvis enim in vulgata editione Latina non legatur negativa particula *Non*: tamen cum Græca exemplaria, & Syriaca interpretatio, negativam istam particulam constanter habeant, censendum est, veram lectionem hanc esse, non autem illam. Hac igitur retenta dicimus, eorum Johannis verborum duplicem esse posse sensum. Unus est ut ipsius verba ita accipiantur, ac si dicere voluerit, omnem quidem iniquitatem esse peccatum, sed non vicissim omne peccatum esse iniquitatem; & sic, quia videlicet ipse sentiat, omnem iniquitatem esse peccatum ad mortem, concludat, quod non tamen omne peccatum est peccatum ad mortem; ut ejus postrema verba omnino significant.

Alter sensus est, quod dicere voluerit, omnem quidem injustitiam esse peccatum; sed tamen injustitiam dari, quæ non sit ad mortem, & consequenter, dari peccatum, quod ad mortem non sit. Prior sensus, ut scilicet nomine *iniquitatis* seu *injustitiæ* id peccatum dumtaxat intellexerit, quod est ad mortem, ob id mihi probari non potest, quod supra cap.3, dixit ea verba, ex quibus manifeste colligitur, omne peccatum esse

ἀνομίαν.

ἀνομίαν, quod vocabulum, ut ex interpretatione nostra in explicatinne istorum verborum Johannis intelligi potest, nihil minus grave significat, quam injustitiæ seu ἀδικίας nomen, quod hoc in loco habetur, immo vero potius aliquid gravius. Non igitur ex ipsius Apostoli mente, superiore isto in loco, omnis injustitia est peccatum ad mortem; alioquin necesse esset non dari peccatum, quod non sit ad mortem, adversus id, quod diserte in loco nostro ipse Apostolus docet.

Quare necesse est posteriorem sensum amplecti, & agnoscere Apostolum dicere voluisse, omne quidem peccatum esse injustitiam: sed tamen non propterea omne peccatum esse ad mortem; quia videlicet injustitia aliqua detur, quæ non sit ad mortem. Et sic ejus verba non ita prorsus accipienda sunt, ut sonant; alioquin vel falsum quiddam dixisset, vel non satis ad rem loquutus esset: cum manifeste appareat, Græca & Syriaca lectione, ut decet, admissa, ejus mentem esse, id, (de quo diximus dubitari posse, an verum sit) quod ab ipso antea fuerat affirmatum, nempe dari peccatum, quod non est ad mortem, repetere, ac confirmare, & interim tacitæ cuidam objectioni respondere, quæ erat, videri omne peccatum propterea ad mortem esse, quia omne peccatum sit injustitia. Videtur enim is, qui injustus sit, nullo pacto æternam mortem vitare posse; & Paulus quidem Apostolus 1 Cor. 6. diserte pronunciat, injustos regnum Dei possessuros non esse. Respondet igitur Johannes, minus verum esse, omnem injustitiam necessario mortem æternam adferre. Ubi quis, ut ipsum cum Paulo conciliet, facile in eam sententiam veniet, ut credat, Apostolum Paulum de habitu vel de assuetudine injusta faciendi loqui, ut sine dubio loquitur, Johannem vero de simplici aliquo injustitiæ actu: id quod nobis probari non potest, propter illa, quæ supra diximus ostendendum, Johannem non de peccato uno semel admisso, sed de peccato, in quo quis maneat, verba facere. Ad cujus rei confirmationem potest hoc addi, quod Johannes dicit, *Si quis viderit fratrem peccantem, &c.* Quod non videtur commode, & secundum loquendi consuetudinem dictum, nisi Johannes intelligat peccandi assuetudinem: ea enim hoc secum affert, ut quis illam facile animadvertere possit, & ita videre fratrem suum peccantem, id quod non ita evenit in unico peccandi actu, qui sæpissime oculis aliorum non apparet, seu quis mentis, seu corporis oculos intelligat. Non igitur, judicio quidem meo, ad hunc modum conciliandi sunt hi duo Apostoli, sive ostendendum, nihil pugnare id, quod Paulus diserte affirmat, cum eo, quod ex Johannis verbis colligi potest, & secundum quidem sententiam nostram omnino debet: sed dicendum est, Paulum loqui de assuetudine aliquid injuste committendi, in qua quis omnino perseveret: Johannem vero de ea, de qua non constet, an quis in ipsa sit perseveraturus, quamvis neque ex altera parte quicquam certi appareat, quod ab ea sit recessurus; & illam dicere non esse ad mortem, id est, de ea non posse pronunciari, quod omnino ac necessario sit mortem allatura, quæ videlicet curam vel cogitationem aliquam interim conjunctam habeat illius, qui ipsa irretitus est, ab ea se aliquando extricandi, quemadmodum superius à nobis expositum atque explicatum fuit.

Nunc quia mentionem fecimus supra non semel *blasphemiæ in Spiritum Sanctum*, quam Christus nunquam remitti aperte doceat, cumque propterea blasphemia ista vel prorsus sit peccatum ad mortem, vel tali peccato vehementer affinis, & consequenter, cum loci nostri materia multum commune habeat, duo à nobis inquirenda videntur. Unum, quid revera sit blasphemia in Spiritum Sanctum. Alterum, quid illud sit; quod Christus ait, eam nunquam remitti. Vulgo vocatur hoc peccatum (nam si blasphemia est, & non remittitur, necesse est esse peccatum) vocatur, inquam, vulgo *peccatum in Spiritum Sanctum*, quamvis isto loquendi modo nusquam Christus, qui solus in toto Novo Testamento hac de re loquutus invenitur, usus fuisse deprehendatur. Nusquam dico, rationem habens trium Euangelistarum, apud quos doctrinæ Christi hac de re mentio facta invenitur. Nam apud Matthæum cap. 12, legitur *blasphemia spiritus*, eo sensu, quo dicitur, exempli causa, obedientia Dei; & mox ibidem hæc verba leguntur: *Qui autem dixerit* (subaudi *aliquid*) *adversus Spiritum Sanctum.* Apud Marcum vero cap. 3, & apud Lucam cap. 12, *blasphemandi* tantum, seu *blasphemiæ in Spiritum Sanctum* mentio fit. Quæ res, ut scilicet non *peccatum in Spiritum Sanctum* peccatum istud appellari debeat, sed *blasphemia Spiritus Sancti*, sive *in Spiritum Sanctum*, est res alicujus momenti, ut ex iis, quæ mox dicemus, apparebit

Cum igitur quæritur, quid sit blasphemia in Spiritum Sanctum, vel potius quid Christus blasphemiam in Spiritum Sanctum vocet, nulla melior ratio esse potest hoc investigandi, quam animadvertere, cujusnam rei occasione Christus peccati hujus mentionem fecerit. Et ex Luca quidem occasio ista minime animadverti potest, sed ex Matthæo & Marco ea liquido apparet. Apparet, inquam, occasionem istam hoc fuisse, quod Pharisæi, cum Christus dæmonia ejiceret, dicerent, eum id facere in Beelzebub principe dæmoniorum; & hoc quidem ex Matthæi verbis apertissimum est. Nam Marcus pro Pharisæis habet scribas, de quibus præterea ait, quod dicerent Jesum habere Beelzebulem. Cum igitur hanc occasionem Christus de blasphemia in Spiritum Sanctum verba faciendi, & doctrinam suam de ea proponendi habuerit, videtur plane statuendum, istos sive scribas, sive Pharisæos, ista dicendo in Spiritum Sanctum blasphemasse.

Unde facile intelligi poterit, quid sit blasphemia in Spiritum Sanctum; quod ut facilius etiam fiat, juvant nos plurimum Marci verba, qui consulto & ex professo videtur voluisse declarare, quid illa sit. Nam statim post absoluta Christi hac de re verba, ad hunc modum ait: *Quia dicebant, eum spiritum immundum habere.* Diserte enim ipse Marcus, ut antea monuimus, quod hoc isti dixissent, mentionem antea fecerat. Ex quibus Marci verbis aperte intelligitur, hoc ipsum dicere, quod Christus Spiritum impurum haberet, blasphemiam in Spiritum Sanctum fuisse. Sed interim valde durum videtur, quod Christus pronunciaverit, ejusmodi de se affirmationem peccatum esse, quod non remittatur; cum videatur facile fieri posse, ut ex ignorantia atque errore peccatum istud proficisceretur. Peccata vero per ignorantiam seu per errorem commissa, sub ipso Vetere Testamento, ubi multo major severitas, quam sub novo erat, à Deo condonabantur.

Huic dubitationi non videtur alia ratione satis fieri posse, quam si ostendatur, istos sive Pharisæos, sive scribas, quod affirmabant, Christum habere spiritum impurum, & in principe dæmoniorum ejicere dæmonia, adversus propriam conscientiam, & ex mera malitia affirmasse. Verum hoc probare atque ostendere non admodum proclive videtur, præsertim cum apud Matthæum in narratione ista verba quædam legantur, quæ possint indicare, istos errasse; quippe quos Christus, ut verba ista indicant, quæ etiam apud Marcum maxima ex parte habentur, ab errore liberare conari videatur. Verum etiam non videtur negari posse, ex ipso nomine, quo Christus peccatum istorum appellat, satis constare, illos scientes prudentes peccatum istud commisisse. Nam cum illud à Christo nominetur blasphemia in Spiritum Sanctum, necessarium plane est, istos blasphemasse Spiritum Sanctum. At nemo proprie loquendo dici potest quemquam blasphemare, quem non cognoscat. Nam si, exempli gratia, quis, cum crederet Regem non Regem esse, sed alium quempiam, puta hostem regni ipsius, illi maledixerit, (hoc est enim aliquem blasphemare) nunquam dici poterit, ab eo Regem blasphematum fuisse, seu ipsum blasphemiæ in Regem reum esse.

Ex quo consequitur, cum Christus Pharisæos istos &

scribas blasphemasse dicat in Spiritum Sanctum, & hujus blasphemiæ eos reos faciat, cognitum ab illis fuisse Spiritum Sanctum, quem Christus habebat, & cujus vi dæmonia ejiciebat, & propterea non ex ignorantia ulla, sed ex mera malitia, propter invidiam summam erga Christum, & studium vitandi incommoda, quæ illis afferebat, quod Christus pro vero Dei Propheta haberetur, ad id affirmandum, quod affirmarunt, & Spiritum ipsum Sanctum injuria afficiendum impulsos fuisse. Itaque apparet, non parvi momenti esse, an peccatum istud, quod à Pharisæis & scribis commissum antopere Chr istus damnat, vocetur *blasphemia in Spiritum Sanctum*, an vero simpliciter *peccatum in Spiritum Sanctum*, cum ex appellatione blasphemiæ consequatur, illud non per errorem & per ignorantiam commissum fuisse, sed à malitia, cum scientia ipsius peccati conjuncta, fuisse profectum, id quod ex simplici *peccati* appellatione non consequitur. Potest enim quis merito dici in aliquem peccare, modo aliquid dicat aut faciat adversus ipsum, idque injuste, etiamsi illum non agnoscat, & alium esse putet, quam qui est.

Jam vero quod pertinet ad ea, quæ diximus apud Matthæum legi, & maxima etiam ex parte apud Marcum, ex quibus constare videatur, Christum conatum fuisse istos scribas & Pharisæos ab errore & ignorantia liberare, & ita efficere, ut peccatum suum agnoscerent, quod non agnoscebant, dicendum omnino est, non in hunc sensum Christi verba, quibus ostendit, non esse verum, quod illi dicebant, accipi debere: sed, quicquid rationum vel similitudinum seu parabolarum Christus attulit, eo pertinere, ut istos mendacii convincat. Ubi inter cætera, quæ Christus ait, & istis objicit, diligenter est notandum id, quod apud Matthæum tantum legitur: *Et si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi vestri erunt judices.* Quibus verbis Christus illis exprobrat summam impudentiam, & ea dicit, unde intelligi possit, eos scientes prudentes falsa dixisse. Quorum verborum, præter id, quod plane sententiam nostram confirmare videntur de cognitione, quam isti haberent peccati sui, propterea mentionem facere voluimus, quod non parum difficilia esse videantur, aut certe à nemine hactenus, quod nos sciamus, recte fuerint explicata: quandoquidem sensus ab aliis non animadversus ipsorum hic est, quod vel ex eo Pharisæi & scribæ isti cognoscere poterant, id, quod Christus faciebat, nempe quod dæmonia ejiciebat, impudenter ab ipsis tribui ipsius principis dæmoniorum vi ac potestati, quod talis ejectio non esset res, quæ inter ipsos videri consuevisset, & multo minus ab ejus populi & nationis hominibus fieri, unde scilicet ipsi dignoscere possent, quando tale opus vi divina fieret, an vero Diabolica; ex quo simul consequeretur, cum ejusmodi opus rarissima res esset, & in ætate illa, & aliquot fortasse superioribus, ut verisimile est, inter ipsos non visa, potuisse illos, si voluissent, animadvertere, istud divinum quoddam esse opus, & propterea, cum ipsi contra Diabolicum id esse dicerent, posse eos merito & malitiæ & impudentiæ simul accusari. Impudentia enim in eo apparebat, quod auderent de eo pronunciare, & condemnantem sententiam ferre, quod potius admirari debuissent. Nam de malitia jam dictum est, eam inde constare, quod causam apertam haberent agnoscendi Christi opus illud esse divinum.

Est autem loquendi modus, quo ibi utitur Christus, cum eo sensu, quem nos illi tribuimus, satis in omnibus linguis familiaris, ut scilicet cum sumus reprehensi, quod aliquid, quod alioqui egregium sit, non faciamus ut debemus, soleamus, nos ipsos à tali reprehensione quoddammodo defendentes, & interim impudentiam & malitiam quandam reprehendenti exprobrantes, dicere: Et tu quomodo tale quid facias? nempe dicere volentes, cum non esse tanti, ut egregium ejusmodi opus ulla ratione faciat; quare debere ipsum tacere, & loco ejus, quod tale opus facientem culpare, & ea ipsa in re illi detrahere conatur, fateri, illum id posse præstare, quod ipse non potest, & propterea illum etiam laudare, atque admirari. Neque enim dubium est, quin verba illa, *Filii vestri*, idem valeant, quod *vestri populares*, & proinde parum significatione sua ab eo absint, ac si dictum fuisset, *vos ipsi.* Quos eorum populares, & consequenter aliquo modo ipsosmet, ait Christus fore ipsorum judices, id est ipsos malitiæ atque impudentiæ damnaturos & convicturos, propter id, quod nulla ratione ab ipsis dæmonium ullum ejiceretur; unde videlicet possent excusationem aliquam habere, cur ita audacter, tanquam scilicet talis rei ac cognitionis periti, de ejectione dæmoniorum, quam Christus faciebat, judicarent, eamque tanquam Diabolica vi factam damnarent. Potest etiam fieri, ut Christus *filiorum vestrorum* nomine, cum vel scribas vel Pharisæos, vel utrosque simul alloqueretur, intellexerit ipsorum discipulos, quorum videlicet nullus dæmonium ullum unquam ejiceret. Sed prior interpretatio multo est probabilior, & ad sensum verborum Christi accommodatior.

Vidimus de altero è duobus, quæ à nobis inquirenda esse duximus, &, quid sit blasphemia in Spiritum Sanctum, si non plene saltem aliqua ex parte exposuimus, quatenus videlicet, quid blasphemia illa in Spiritum Sanctum esset, cujus nomine Christus Pharisæos & scribas illos reprehendit, satis, ut arbitror, explicuimus. Nunc de altero agendum videtur: nam si quid ad plenam tractationem, quatenus locus noster fert, blasphemiæ in Spiritum Sanctum pertinere censebimus, id commodius postea explicari poterit. Alterum igitur, quod à nobis inquirendum diximus, illud est, quid sit, ut Christus pronunciat, blasphemiam in Spiritum Sanctum nunquam remitti, cum interim asserat, omnes alias blasphemias & peccata remitti; &, an istud *non remitti*, idem valeat, quod *esse ad mortem.* Nos quidem arbitramur, non adeo facile esse, hac de re quicquam certi pronunciare. Nam ex una parte sunt rationes, quibus videatur posse concludi, istud *non remitti* non habere eandem vim, quam habet *esse ad mortem*; id est, non significare, propter tale peccatum eum, qui id commiserit, æterna morte punitum iri. Ex altero vero, verba quædam sunt apud Euangelistas, quæ videantur omnino suadere, hoc ipsum per istud *non remitti* prorsus significari. Quod attinet ad rationes, quæ id dissuadent, hæ duæ sunt præcipuæ: Una, quod *non remitti* manifeste per se nullam majorem vim habet significandi, quam declarandi, pœnas sumi de eo, quod non remitti dicitur. Atqui pœnæ, quæ sumuntur de ipsis peccatis, non omnes sunt æternæ, id est, non sola æterna mors est peccati pœna. Puniuntur enim à Deo peccata etiam in hac vita, & aliis rationibus, quam privatione vitæ æternæ.

Nam si quis dicat, propriam cujuslibet peccati pœnam esse mortem, & consequenter, etiamsi *non remitti* idem sit, quod pœnas sumi, tamen isto loquendi modo satis significari, mortem illi subeundam esse, qui tale peccatum commiserit, de quo dicitur, illud non remitti: Respondemus, ut alia omittamus, quæ hic dici possent, sub Euangelio & tempore gratiæ, quæ per Christum data est, minus verum esse, cujuslibet peccati propriam pœnam esse æternam mortem; & Pauli sententiam illam, quod stipendia peccati sint mors, primum accipi posse, vel potius debere, non de quolibet peccato seu peccandi actu, sed de peccato in quo quis maneat; ut satis intelligi potest ex iis omnibus, quæ ante sententiam istam ibidem Apostolus disputaverat. Deinde non incommode posse sententiam istam ita accipi, ut verissima quidem de quovis peccato esse intelligatur, sed seclusa Christi gratia, cujus videlicet ope fit, ut multorum peccatorum jam propria pœna non sit ipsa æterna mors, sed vel prorsus atque absolute omni pœna careant, vel mitius multo à Deo puniantur; qua de re, si pro rei ipsius dignitate,

& plana

& plana ejus explicatione differere velimus, nimis longi futuri simus. Quare volumus hæc pauca in præsentia satis esse.

Altera ratio, quæ videtur suadere, istud *non remitti*, quod Christus de blasphemia in Spiritum Sanctum asserit, non significare, eam æterna morte puniri, hæc est, quod ut supra indicatum fuit, Christus videtur aperte loqui de uno tantum peccandi actu. Manifeste enim ejus verba ad illum unum actum referuntur scribarum & Pharisæorum dicentium, illum habere Beelzebulem, & in ipso Beelzebule dæmoniorum principe, id est, ejus vi atque efficacia, dæmones ejicere. Durum enim videtur, ut tempore gratiæ unicus peccandi actus, quantumvis gravis atque scelestus, ejusmodi apud Deum sit, ut nullo pacto, qui illum admiserit, mortem æternam vitare possit; cum alioqui hoc gratiæ tempus illud attulerit, ut ipsi habitus & assuetudines, eæque in uno homine multiplices, peccatorum, eorumque maximorum, veniam apud Deum inveniant, ita videlicet, ut saltem mors æterna non subeatur; quod non modo in iis contingit, qui talibus ac tantis peccatorum laqueis detinebantur ante ipsam cognitam gratiam, sed etiam in iis, qui post Christi gratiam acceptam ejusmodi laqueis se induunt, modo ab iis aliquando per pœnitentiam ac resipiscentiam veram & seriam ita liberentur, ut posthac Deo secundum Christi præcepta obedientes se præstent; quamvis verissimum sit, post acceptam Christi gratiam valde paucis hoc contingere; quippe quod, ut indicatum antea à nobis fuit, in talium hominum potestate non sit positum, pœnitentiam serio agere, ac resipiscere, nec sine Dei peculiari auxilio ad id aspirare possint.

Jam verba, quæ apud Euangelistas leguntur, ex quibus videtur posse intelligi, *Non remitti blasphemiam in Spiritum Sanctum*, idem esse, atque eam omnino æterna morte puniri, primum sunt illa, quæ apud Marcum in ipso verborum Christi fine leguntur. Diserte enim dicitur, eum, qui blasphemaverit in *Spiritum Sanctum*, non modo non habere remissionem in æternum, sed judicii æterni, id est, æternæ condemnationis esse reum. Quæ verba propter quasdam causas prius examinanda duximus, quam quædam, quæ apud Matthæum horum loco leguntur, quia sic putamus fore, ut & hæc & illa melius intelligantur. Sed priusquam horum apud Marcum verborum explicationem tradere tentemus, necessarium videtur de eo agere, quomodo possint alioqui Christi verba accipi, cum pronunciat, blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti, præter id, quod jam diximus, posse, si quis vim ipsam verborum spectet, id peccatum non remitti affirmari, quod aliquo modo punitur. Dicimus igitur considerandum esse, an fortasse Christi verba non sint intelligenda seu accipienda absolute, sed cum hoc, si videlicet is, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, nominatim hujus peccati pœnitentiam non egerit, ejusque veniam à Deo iis rationibus, quibus Deus ad ignoscendum moveri solet, impetrare studuerit; quandoquidem multa peccata inveniri posse videntur, immo fere omnia talia censeri posse, ut, modo quis per illa à Christi fide, & à vivendo secundum Spiritum, non autem secundum carnem, non discedat, etiamsi hujus vitæ finem faciat, antequam ipsorum nominatim pœnitentiam egerit, & omni ratione eorum veniam à Deo obtinere curaverit, tamen ei non imputentur, sed propter retentam in Christum fidem illi condonentur.

Quod si hunc sensum Christi verborum esse velimus, & statuere, quod dicit, non remitti blasphemiam in Spiritnm Sanctum, intelligendum esse, non quod omnino non remittatur, etiamsi quis ejus seriam pœnitentiam agat; vel quod fieri non possit, ut, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, seriam pœnitentiam hujus peccati agat, eaque faciat, quæ ad veniam sceleribus dandam Deum movere solent: sed quod non remittatur simpliciter & per se, nisi videlicet nominatim tanti peccati seria pœnitentia agatur, qui quidem sensus nobis valde probatur; multo facilius erit, sese ab omnibus difficultatibus, quæ circa hanc rem existere possunt, liberare, & verba ipsius Christi, quæ apud Marcum leguntur, & à nobis allata sunt ad probandum, quod blasphemia in Spiritum Sanctum æterna morte puniatur, recte intelligere, deque eorum sensu nihil dubitare, quem videlicet sensum ipsa omnino præ se ferunt. Reum siquidem esse judicii æterni, videtur prorsus significare, reum esse condemnationis æternæ, quæ idem plane est cum æterna morte. Nam, quod attinet ad duas rationes ante allatas, ad probandum, ex verbis Christi non debere, aut saltem non necesse esse id colligi, eæ facilem solutionem sunt habituræ.

Et sane quæ posteriore loco allata fuit, videtur penitus dissolvi, si consideretur, nihil in eo esse absurdi, si peccatum aliquod adeo grave inveniatur, cujus vel unus actus mortem æternam afferat, si hoc non prorsus absolute intelligatur, sed, nisi videlicet talis actûs seria pœnitentia acta non fuerit; eoque posito, quod, licet quis istius gravissimi peccati actum aliquem admiserit, tamen de ejus salute penitus desperandum non sit, sed possit is pœnitentiam tanti sceleris agere, & per ipsam, ejus veniam à Deo consequi; nihil esse videtur, quod durum cuipiam hac in re videri debeat, & tota vis istius posterioris rationis plane concidit, in qua videlicet pro concesso sumebatur, homini, qui vel semel in Spiritum Sanctum blasphemasset, nullam prorsus atque omnino superesse spem salutis. Jam quod attinet ad rationem, quam priore loco attulimus, ea nullam potest habere vim, quando Christus non solum, nec simpliciter dixit, non remitti blasphemiam in Spiritum Sanctum, sed addidit, eum, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, reum esse judicii æterni; quod quam vim habeat, & plus multo significet quam necessario per id significatur, quod talis blasphemia non remittatur, satis expositum à nobis fuit. Quanquam vel ipsa illa verba apud Marcum, quæ præcedunt mentionem reatus æterni judicii, nempe, quod blasphemia in Spiritum Sanctum, non quidem simpliciter non remittatur, sed non remittatur in æternum, videntur satis indicare, pœnam, ei, qui tale scelus admiserit, decretam, esse æternam mortem; id quod clarius apparebit ex altero loco, qui apud Matthæum est, huic respondente, ex quo diximus similiter, ut ex hoc apud Marcum, probari posse, blasphemiam in Spiritum Sanctum, etiamsi quis semel tale scelus admiserit, æterna morte puniri. Ait enim Christus apud Matthæum Cap.12.31, *Si quis loquutus fuerit adversus Spiritum Sanctum, non remissum ei iri, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ex quibus verbis, præter id, quod diximus, videtur præterea intelligi debere, eum, qui ita peccaverit, in hac ipsa vita punitum iri, etiamsi omnino mortem æternam sit subiturus.

Libet autem, antequam clarius hujus loci sensum explicemus, sententiam Pontificiorum de ipso aliquantum examinare. Notum siquidem est, eos ex isto potissimum loco argumentum ducere, ad suum ignem purgatorium stabiliendum. Inquiunt enim, ex Christi verbis, *Non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro*, aperte constare, post hoc seculum, & sic post hanc vitam, ut ipsi fere interpretantur, dari remissionem aliquorum peccatorum, quorum videlicet in hac vita remissio data non fuerit. Atqui, ajunt, in patria cœlesti, sive in paradiso, remissioni peccatorum non est locus; cum eo nemo ingrediatur, qui plane à reatu peccatorum suorum omnium jam exemptus non fuerit. In inferno vero, seu damnatorum loco, nulla penitus est remissio, cum illuc non detrudantur, nisi qui remissionis peccatorum beneficio penitus privati fuerint. Relinquitur igitur, ajunt, ut post hanc vitam sit tertius aliquis alius locus, seu animarum à corporibus suis separatarum status, in quo fiat quorundam peccatorum remissio, à quorum numero Christus istis verbis suis bla-

sphemiam in Spiritum Sanctum prorsus eximere voluerit. Hæc autem, inquiunt, remissio eatenus fit, quatenus pœnæ temporales, quæ in hoc mundo pro peccatis persolutæ à nobis non fuerint, in altero seculo in igne purgatorio (cujus ignis videntur sibi posse aliqua testimonia sacra proferre, sed quæ revera nihil penitus ad rem faciant) persolvuntur, quibus persolutis statim quis plenam remissionem peccatorum suorum consequitur, & sic ad fruendam æternam felicitatem in cœlum evolat.

Hæc ex Christi verbis pontificiorum pro purgatorio igne argumentatio solet, aut certe olim consuevit, ab iis, qui purgatorium istum ignem negant, ad hunc modum dissolvi, ut dicant, verba illa, *Neque in hoc neque in futuro seculo*, quem sensum habeant, ex Marco constare, apud quem eorum loco legitur, *In æternum*. Itaque ajunt, nullum fundamentum ponendum esse in mentione *futuri seculi*, in quo blasphemia in Spiritum Sanctum non remittatur, nec inde colligendum, in futuro seculo aliqua peccata remitti; quemadmodum neque ex verbis *In æternum*, quæ apud Marcum leguntur, id colligi ullo modo potest. Hanc responsionem, & interpretationem, Castellio in suis in hunc locum annotationibus merito, judicio meo, reprehendit. Neque enim id quod implicite, ut sic dicam, dictum est, potest id declarare quod explicite fuerit dictum; sed contra per ipsum declarari debet. Quare non potest id, quod Marcus dixit *In æternum*, quod implicite dictum est, declarare, *neque in hoc, neque in futuro seculo*, quod explicite dictum apud Matthæum legitur; & quærendum nihilominus relinquitur, ut Castellio ait, quid sit illud *futurum seculum*; quod vero attinet ad pontificiorum argumentationem, videndum primum, an inde, quod Christus dixit, in eo blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti, consequatur, aliqua peccata in eo remitti; & rursus, an ex hoc purgatorius ille ignis confirmari possit. *Futurum* istud *seculum* aliud nihil esse, quam seculum, quod succedet isti vitæ animali, & post finem ipsius mundi, plane mihi persuadeo. Sic enim futuri seculi appellationem usurpare solent Sacræ Literæ. In quo seculo peccata remitti, & fateor, & ex ipsius Christi verbis colligi posse non nego. Sed quod hinc consequatur, necesse esse, ut post hanc animalem vitam sit locus, ubi peccata purgentur, id vero pernego.

Cujus rei causam antequam explicem, non omittendum est, quin dicamus, secundum pontificiorum interpretationem & argumentationem intelligi debere, *futurum seculum* respectu uniuscujusque hominis incipere statim post mortem. Volunt enim animas eorum, qui moriuntur, si non persolverint in hac vita temporarias pœnas, ut ante dictum fuit, suorum peccatorum, statim post discessum à corpore in ignem purgatorium istum conjici, ut ibi illas persolvant. Verum vix invenietur apud Sacros Scriptores, ubi *futurum seculum* significet statum eorum, qui ex hac vita excesserunt, simul atque ex ea excesserint. Sed quidquid sit, illud certissimum est, ex remissione peccatorum, quæ fiat, sive post finem hujus mundi, sive post uniuscujusque mortem, nullo pacto ignem istum purgatorium colligi posse; cum nec per illum, neque in illo remittantur peccata, sed contra potius puniantur; ut satis mirari non possim pontificiorum argumentationem istam. Quis enim ita loquutus est unquam, ut dixerit, remitti peccata per eorum punitionem.

Nam quod dicunt, peracta punitione ista, consequi illos, qui puniti fuerunt, plenam remissionem peccatorum, id est æternam beatitatem, hoc, secundum placita ipsorum pontificiorum, nullius est momenti, ad tam absurdam, & sibi ipsi contradicentem enunciationem hic tolerabilem reddendam. Distinguunt enim illi, & fortasse alioqui non male, si modo res dextre accipiatur atque intelligatur, inter *remissionem culpæ*, & *remissionem pœnæ*. Jam quod attinet ad culpam, volunt illi eam remissam esse iis omnibus, qui in purgatorium ignem conjiciuntur, id est, illis jam æternæ mortis reatum condonatum fuisse. Quod vero attinet ad pœnam, ut iidem volunt, illa quidem istis nullo pacto remittitur, sed contra eam isto ipso, quod in purgatorium ignem mittuntur, illi plane subeunt. Itaque effectus, qui postea consequitur, vitæ æternæ adipiscendæ, non pendet revera ex eo, quod suorum peccatorum pœnam subjerint, sed ex culpæ remissione, quam jam antea consequuti fuerint. Igitur ex eo, quod post hanc mortalem vitam, sit locus remissioni peccatorum, concludere, post hanc ipsam vitam pœnas peccatorum dari, ubi culpa jam remissa fuerit, perridiculum plane est; præsertim cum, quid significet *remitti*, vel *non remitti peccata post hanc vitam*, satis apertum alioqui esse possit, & prorsus apparere, nihil tale concludi ex eo, quale isti somniant. Cum enim vera ac plena remissio peccatorum sit vita æterna, & non remissio æterna mors, quis non videt, ex eo, quod peccata remittantur post hanc vitam, colligendum esse vitam æternam post hanc vitam dari; & rursus ex eo, quod non remittantur, mortem æternam infligi.

Itaque Christi pronunciatum, quod blasphemia in Spiritum Sanctum in futuro seculo non remittatur, etiamsi *futuri seculi* nomine intelligas eum statum, qui statim mortem uniuscujusque consequitur, & pro certo statuas, singulorum, qui moriuntur, animas superesse, aliud nihil significare potest, quam non dari æternam vitam animæ illius, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, simul atque is mortuus fuerit, sed contra æternæ morti eam adjudicari. Verum, quia nos de animabus post mortem uniuscujusque superstitibus, præsertim ita, ut vel bonis perfruantur, vel malis torqueantur, nihil explorati habemus: dicimus, Christum voluisse dicere, cum finis mundi erit, & judicium universale fiet, non fore, ut is, qui Spiritum Sanctum blasphemaverit, à morte æterna liberetur, seu ad æternam vitam resurgat, si jam antea mortuus fuerit: si vero vivus adhuc à Christo judice deprehendatur, immutetur, & ex mortali immortalis fiat ac beatus, ut iis omnibus eveniet, qui Christi fuerint, & similiter, ipso ad judicandum veniente, adhuc vivere fuerint deprehensi. Jam quod Christus ait, blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti in hoc seculo, ut supra nobis indicatum est, aliud nihil esse videtur, quam peccatum istud in hac ipsa vita puniri, & sic fieri, ut is, qui tale peccatum admiserit, & dum in hac vita mortali est, propter ipsum à Deo affligatur, & postea æterna etiam vita privetur.

Ad probandum autem, quod *non remitti* idem sit, quod puniri; & simul ad ostendendum, quod peccata etiam in hac vita, seu in hoc præsente seculo, à Deo puniantur, multum id facit, quod Christus, paralyticum illum sanaturus, dixit, se velle ostendere, *filium hominis habere potestatem dimittendi* seu *remittendi peccata in terra*. Primum enim apparet, ex Christi mente, liberare à morbis, quæ pœnæ peccatorum sunt, esse remittere peccata, & consequenter necesse est, ut ex ejusdem mente, non remittere peccata, sit non liberare ab iis rebus, quæ sunt pœnæ peccatorum; quod dupliciter contingit, vel quia non sinatur quis esse immunis à talibus rebus; vel postquam in illas inciderit, inde non eximatur: quemadmodum contra liberare ab iis rebus, quæ pœnæ sunt peccatorum, dupliciter contingit, vel scilicet, quia in tales res quis non conjiciatur; vel quia jam conjectus inde eximatur. Unde fit, ut, si teste ipso Christo remittere peccata significat liberare à pœnis peccatorum posteriore modo, non solum hoc, sed etiam priore modo, à pœnis peccatorum liberare, sit peccata remittere; cum *remittendi* verbum ad priorem modum magis etiam quam ad posteriorem accommodari queat, & consequenter, *non remittere* non modo sit non eximere à peccatorum pœnis eum, qui in illas jam conjectus fuerit, sed etiam non concedere, ut in illas non conjiciatur.

Et hoc

Et hoc quidem, quod attinet ad probandum, ex ipsius Christi mente, *non remittere peccata*, idem significare posse, quod pœnas de peccatis sumere, etiamsi hac probatione nihil opus erat, cum hæc sit res apud omnes confessa & manifesta. Quod vero pertinet ad sumendas pœnas de peccatis in hac ipsa vita, præter id, quod Christus appellat *remittere peccata* liberare à morbis, tanquam videlicet à pœnis peccatorum, quod istud evidenter ostendit, cum morbi in hac vita contingant: ex eo præterea id à Deo fieri apparet, quod Christus ibidem distinctionem tacite faciens inter pœnas peccatorum, quæ in terra luuntur, & sic in præsente hoc seculo, & illas, quæ in futuro seculo luuntur, ait, *se habere potestatem peccata in terra dimittendi*. Est enim ex Marco, in loco isto, quemadmodum alibi à nobis observatum fuit, illud *In terra*, quod in Christi verbis habetur, conjungendum, non cum *habere potestatem*; sed cum *dimittere peccata*, ut sensus verborum Christi sit, ipsum jam tum habuisse potestatem liberandi à pœnis, quæ à Deo *in terra*, id est, ut dictum fuit, in præsente hoc seculo, peccatis infliguntur; nondum enim videlicet adeptus fuerat Christus potestatem, quam scilicet jam non promissione tantum, sed reipsa haberet, liberandi ab æterna morte, quamvis certissimum esset, fore, ut illam adipisceretur, nempe post obedientiam suam usque ad crucis mortem, ex qua, & non alia ratione, consequuta est ipsius summa exaltatio, qua potestas vitæ æternæ dandæ continetur. Hinc factum est, ut cum alibi, tum vero maxime in suo illo sermone, quem habuit apud Johannem cap. 6. Christus sæpius repetierit, se suscitaturum à mortuis suos fideles.

Verum, ut ad id, quod agimus, revertamur, dicimus, ex verbis illis Christi, de blasphemia in Spiritum Sanctum loquentis, & de eo, qui ita blasphemaverit, *Non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro*, aperte constare, non minus, immo etiam magis, quam ex verbis apud Marcum, *Est reus æterni judicii*, peccatum istud æterna morte omnino puniri, & sic merito vocari posse peccatum ad mortem, & consequenter, posse merito videri, tale peccatum pertinere ad verba Apostoli nostri, qui ait, se non dicere, ut quis oret pro peccato ad mortem. Verumtamen, ut ex iis, quæ supra disputavimus, intelligi potest, cum Apostolus loquatur de assuetudine peccandi; & blasphemia in Spiritum Sanctum, etiamsi quis semel tantum in peccatum istud inciderit, mortis æternæ reum eum faciat, quemadmodum ex ipsa Euangelica Historia, & ex Christi verbis intelligi potest; non videtur peccatum illud pertinere ad locum nostrum, & ad Apostoli mentem; præsertim si illud verum sit, quod nos verissimum esse credimus, & supra probabile esse omnino ostendimus; nempe istum unum actum blasphemandi in Spiritum Sanctum, esse quidem ad mortem, quia mortis æternæ reum committentem illum faciat, sed tamen non penitus ac prorsus absolute, sed tum demum, si is qui, qui eum commiserit, ejus seriam pœnitentiam in tempore non egerit. Nam hæc conditio, sive exceptio non habet locum in peccato, quod scriptor noster ad mortem esse dicit: si tamen, ut quidem nobis persuademus, vera est interpretatio nostra hac in re mentis Apostoli. Ex qua apparet, apud ipsum *peccatum ad mortem* esse illam peccandi assuetudinem, de qua nulla spes haberi possit, quod sit desitura.

Nam si quis dicat, eatenus tamen blasphemiam in Spiritum Sanctum posse ad locum nostrum pertinere, quatenus non unus tantum actus ejus committatur, sed assueverit quis sæpius in illam incidere: dicimus nihilominus, non posse assuetudinem istam in Spiritum Sanctum blasphemandi, ad locum nostrum pertinere, ob eam causam, quod, ut ex iis, quæ supra disputata sunt, intelligi potest, & verba ipsius Johannis fidem faciunt, locus noster accipiendus est de fratre, qui assuetudinem peccandi habeat, id est, de ejusmodi homine, qui interim tamen retineat professionem veræ doctrinæ Christi, & alioqui ad visibilem ejus Ecclesiam omnino pertineat; id quod evenire non potest in eo, qui assuetudinem habeat blasphemandi Spiritum Sanctum. Necesse enim est, ut talis homo jam palam profiteatur, se non adhærere veræ Christi doctrinæ, utque constet, cum jam ad Christi visibilem Ecclesiam non pertinere. Non erit nihilominus inutile, neque à proposito Apostoli in loco nostro abhorrens, perscrutari, an ista blasphemia in Spiritum Sanctum possit sua appellatione aliquid complecti, præter id, quod aperte colligi potest ex verbis Christi, cum de illa loquitur, & ex ipsa Historia, atque ipsorum Euangelistarum verbis; ut scilicet ad blasphemiam in Spiritum Sanctum pertineat, cum quis agnitæ divinæ veritati reluctatur, vel etiam, quod plus est, eam, eosque qui illam profitentur, persequitur. Videntur enim omnes fere Theologi sentire, istud esse peccatum in Spiritum Sanctum. Nam, ut supra monuimus, quod Christus appellat *blasphemiam*, ipsi vulgo *peccatum* simpliciter vocant. Et certe *peccati* nomen melius ad istud, de quo quærimus, an ad blasphemiam in Spiritum Sanctum pertineat, accommodari potest, quam ipsum *blasphemiæ* nomen.

Credimus nihilominus, cum possit, etiamsi non ita proprie ac bene, aliqua ratione dici, eum esse blasphemum in Spiritum Sanctum, qui divinæ veritati à se agnitæ reluctetur, (nam cum propterea eam persequitur, multo minus dubitandum est, quin de eo istud dici possit) & præter hoc alia subsit causa, cur concludendum sit, Christum, cum de blasphemia in Spiritum Sanctum est loquutus, nomine isto ejusmodi scelus complexum fuisse, facile concedimus, illud ad blasphemiam in Spiritum Sanctum pertinere. Ratio porro, quæ suadet, ejusmodi scelus appellatione blasphemiæ in Spiritum Sanctum à Christo comprehensum fuisse, hæc est, quod ait, *Omne aliud peccatum hominibus remitti, præter blasphemiam in Spiritum Sanctum*; ita ut necesse sit, ut illud peccatum, quod non remittitur, aliquo modo sit blasphemia in Spiritum Sanctum. Verum divinæ agnitæ veritati reluctari, videtur omnino ejusmodi esse peccatum, ut non remittatur. Nam præter divina testimonia, quæ videntur indicare, non remitti reluctationem, ut sic loquar, divinæ veritati factam, nisi illa per ignorantiam fiat, observatum est, non dari exemplum ullum hominis, qui resipuerit, postquam agnitæ veritati divinæ serio fuerit reluctatus; adeo ut, si interpretatio nostra attendatur, illius pronunciati Domini Jesu, quod blasphemia in Spiritum Sanctum non remittatur, necesse esse videatur non modo par, sed gravius esse peccatum hoc, quam blasphemia illa in Spiritum Sanctum, de qua Christus loquebatur. Quandoquidem interpretatio nostra fert, ut Christi pronunciatum istud sit accipiendum cum tacita conditione, nisi videlicet is, qui ita blasphemaverit, resipuerit, sive peccati sui seriam pœnitentiam egerit.

Adde, quod propterea etiam gravius est peccatum hoc, quam illa blasphemia, quia non est, sicut illa, unus tantummodo peccandi actus. Neque enim dicetur is agnitæ veritati divinæ reluctari, qui semel ob aliquam, alioqui sibi impendentem, maximam calamitatem, aut etiam fragilitate humana, aliave ratione victus, id faciat, sed qui in eo persistat; unde etiam dici posset, Christum reluctationem, quæ divinæ veritati fiat, appellatione blasphemiæ in Spiritum Sanctum complexum non fuisse; cum, ut sæpius repetiimus, ipse sine dubio de actu uno blasphemandi in Spiritum Sanctum, loquatur, non autem de persistendo in tali blasphemia. Nam si quis hoc non concedat, & velit omnino Christum loqui de blasphemia in Spiritum Sanctum, in qua quis persistat, tunc nec nostra illa conditio seu exceptio, quam in Christi verbis subintelligimus, locum habere censenda erit. Potest etiam ad blasphemiam in Spiritum Sanctum redigi quiddam, quod adeo magnam cognationem habet cum eo, quod

quis agnitæ divinæ veritati reluctetur, ut ab eo nihil differre, & sub ejus appellatione contineri facile quispiam existimare possit: nos tamen arbitramur esse quiddam diversum; cum quis videlicet agnitam divinam veritatem rejicit, id est, jam & animo & factis illi non obedire statuit, & ita post tergato quodammodo Deo & Christo, sibi suisque cupiditatibus indulget; hæc enim est rejectio, seu desertio divinæ agnitæ veritatis, quod diversum quiddam est ab eo, cum quis ei reluctatur, ut faciunt ii, qui eam oppugnant, illique palam contradicunt, quod istum facere, de quo loquimur, ad hoc, ut talis sit, qualem nos eum depinximus, nihil est necesse.

Quod si quis eum reluctari divinæ agnitæ veritati dicat, qui, quamvis eam non oppugnet, nec palam ei contradicat, tamen ei assentiri non vult, nec veritatem divinam esse fateri, id sane concedemus: sed interim tamen negabimus, eum, de quo loquimur, istud facere, cum is divinam veritatem à se agnitam non neget esse talem, sed potius qualis sit nihil curet, & qualiscumque ea tandem sit, secundum eam, non vivere constituat: de tali autem homine, videtur accipiendus locus ille decimo capite Epistolæ ad Hebræos, ubi talis homo appellatur *sponte peccans post acceptam cognitionem veritatis*, eique omnis spes salutis adimitur, aliudque nihil ei expectandum esse dicitur, quam condemnationem & divinam iram; & inter alia, quæ de eo dicuntur, dicitur Spiritum Sanctum, seu Spiritum gratiæ contumelia afficere; unde videtur ejusmodi homo Spiritum Sanctum blasphemare dici posse, parum enim omnino differt, aliquem blasphemare, & eum contumelia afficere, quod cum eo conjunctum: quod sicut is, qui in Spiritum Sanctum est blasphemus, nullam spem remissionis sui peccati habet, sic iste omni spe salutis caret, merito efficere potest, ut istius peccatum ad blasphemiam in Spiritum Sanctum referatur.

Ubi interim notanda est obiter differentia inter eum, sive eos, de quibus verba fiunt in isto decimo capite, & eum, sive eos, de quibus idem scriptor loquitur ejusdem Epistolæ cap.6. Nam in capite sexto non præripitur prorsus spes omnis salutis ei, de quo verba fiunt; quamvis dicatur *impossibile esse, ut ejusmodi homo per pœnitentiam renovetur*. Sunt enim ibidem proxime ante verba quædam, quæ docent, istam, ut sic dixerim impossibilitatem intelligendam esse non simpliciter & absolute, sed ratione habita ejus, quod is ipse per se efficere possit, qui talis sit, qualis ibi describitur: non autem ita, ut Deus vel id non possit, vel omnino nolit, eum per pœnitentiam unquam renovari. Proxime præcedentia verba, quæ id, quod diximus, docere plane videantur, sunt illa: *Et hoc faciemus, si permiserit Deus*; quæ non apparet quomodo possint commode alio referri, quam ad renovationem per pœnitentiam; quam scriptor ille divinus antea nominaverat sub appellatione *jaciendi denuo fundamenti pænitentiæ ab operibus mortuis*. Est autem necesse, quod, cum ei, de quo capite decimo agitur, omnis spes salutis prorsus adimatur, iste, de quo in capite sexto agitur, diversus sit ab illo, & diversi generis peccator; ut certe est, ita ut ejus peccatum minus grave sit, quam alterius, & propterea minus graviter etiam puniatur. Minor autem peccati gravitas in eo est, quod non perinde, ut ille alter, post tergum abjecerit Christum, & religionem ejus, sed tantummodo prolapsus est denuo in ea peccata, aut similia, à quibus per cognitionem ipsius Christi recesserat; ita ut ejusdem generis sit cum iis, de quibus Petrus loquitur in posteriore Epistola ad finem capitis secundi, de quibus, quamvis in pessimo sint statu, & pejore, quam erant, antequam Christi cognitionem haberent, propter id videlicet, quod jam sine speciali Dei gratia non possunt resipiscere, ut antea per solam Evangelii cognitionem potuerant, tamen adhuc spes esse potest, ut Deus illis concedat, quo possint resipiscere, & ad vitæ sanctitatem, quam deseruerunt, reverti. Itaque de istis dici non potest, quod in Spiritum Sanctum blasphemi sint. Supra etiam conclusimus, quod, si quis in Spiritum Sanctum blasphemando perseveret, quemadmodum isti in vitæ impuritate permanent, desperandum sit illi omnino de salute sua.

Quanquam vero isti ad numerum eorum, qui in Spiritum Sanctum sunt blasphemi, nullo modo pertinent, pertinere tamen possunt ad numerum eorum, qui alioqui ad mortem peccant, & ita ad locum nostrum pertinere. Fieri siquidem potest, ut ita in peccatis maneant, ut nihil vel curent vel cogitent de illis aliquando relinquendis. Qui enim tales sunt, secundum quidem interpretationem nostram hujus Johannis loci, ad mortem peccant. Qua de re, quamvis supra ad eam probandam satis dictum fuisse videatur, tamen, ad idem efficiendum, non omittemus, quin hic dicamus, nos videre non posse, quomodo is, qui frater noster adhuc appellari queat, ut ipsius Johannis verba ferunt, possit ita in uno vel pluribus peccatis manere, sicuti ostendimus, propter usum loquendi Johannis, debere hic intelligi per simplex *peccandi* & *peccati* verbum, ut vel *ad mortem*, vel *non ad mortem peccet*, nisi quatenus vel omnem cogitationem abjiciat emendandi sese, vel eam adhuc retineat; ita ut *ad mortem peccare* dicatur, cum illam prorsus abjicit; *non peccare* vero *ad mortem*, cum illam adhuc retinet. Si quis est, qui melius aliquid cogitare possit iis, quæ modo diximus de sensu alioqui verborum Apostoli, nos illi libenter cessuri sumus.

Vers.18. Sed jam tempus est, ut tandem ad ipsius Apostoli verba revertamur, qui, secundum explicationem nostram, quam supra attulimus, affirmat omnem quidem injustitiam esse peccatum, sed tamen injustitiam dari, quæ non sit ad mortem, & sic peccatum inveniri, quod ad mortem non sit; ubi *injustitiæ* nomine sine dubio intelligit vitium non faciendi ea, quæ justa sunt, seu illa perpetrandi, quæ sunt injusta. Ubi semper est retinendum, Apostolum loqui, more suo, non de uno actu, sed, vel de habitu, vel saltem de assuetudine, etiamsi alioqui verba ejus ad unum etiam tantummodo actum accommodari queant. Hoc igitur concluso ac constituto, quod alia sint peccata ad mortem, alia non ad mortem; & declarato, se, cum monet, ut quis pro fratre peccante oret, cum spe obtinendi illi à Deo veniam & vitam, non loqui de fratre peccante ad mortem, sed de peccante non ad mortem; statim subjicit: *Scimus, quia omnis, qui est natus ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum*; sic enim ad verbum legit vetus interpres Latinus. Nam Græci codices, una cum Syriaca interpretatione, aliter habent, non enim *Generatio Dei conservat eum*, sed, *Qui natus est ex Deo, conservat se ipsum*, tam in illis, quam in hac legitur. Sensus tamen utrobique idem est. Hanc eandem sententiam habuimus supra capite 3.9, ubi, quomodo sit intelligenda, quidve in se contineat, satis explicatum à nobis fuit. Quare nihil est necesse, illam hoc in loco explicare, tantum hoc monebimus, in ea interpretanda non paucos falli hoc in loco; quippe qui credant, id, quod Johannes simpliciter dicit, *Non peccat*, esse intelligendum, ac si dixisset, *Non peccat ad mortem*, quippe quod antea de peccando ad mortem loquutus fuerit.

Verum debuerant isti animadvertisse, quod in proximis superioribus verbis, non de peccato ad mortem, sed de eo, quod non est ad mortem, secundum quidem Græcam & Syriacam lectionem, quam ipsi sequuntur, mentio fit, unde nulla causa illis dabatur existimandi, quod *non peccandi* nomine Apostolus intelligat, non peccare ad mortem; sed potius statuendi, quod intelligat *non peccare*, quamvis non ad mortem. Nam si nolint rationem habere eorum, quæ hoc in loco proxime antecesserunt, cur non hic similiter, ut prædicto loco capitis tertii, istud *non peccare*, quod Johannes natis ex Deo tribuit, interpretati sunt, *peccato non dare operam*, & non, ut faciunt, *Non peccare*

ad mor-

ad mortem; id quod ipsimet sibi objici posse animadvertentes, conantur ostendere, idem esse *Peccare ad mortem*, & *dare operam peccato*. Qua in re non parum falluntur, si peccare ad mortem, ut quidem hic necesse est, eo sensu accipiatur, quo ab Apostolo hoc loco profertur; cum certum sit, de eo, qui ad mortem peccat, ex mente ejusdem Apostoli, nullam posse esse spem salutis; quod profecto nullo modo de iis omnibus affirmari potest, qui dant operam peccato, cum certissimum sit, non paucos ejusmodi resipuisse aliquando, hodieque resipiscere, & à statu damnationis in statum salutis transferri. Non est igitur quicquam addendum, aut subaudiendum hoc in loco post voces *non peccat*, sed tantummodo usus verbi *peccandi* apud hunc scriptorem, de quo jam sæpius loquuti sumus, animadvertendus, & secundum eum de loci sententia statuendum, quemadmodum à nobis factum est supra dicto loco tertii capitis, quo vos rejicimus pro plena hujus loci explicatione.

Tantum non omittemus dicere, Apostolum similiter, ut antea, hic affirmare, natum ex Deo non manere in ullo peccato. Quod propterea hic repetere voluit, ut esset perinde, ac si dixisset: „ Quod autem dixi „ de orando pro fratre peccante, non ita accipiendum „ est, ac si concesserim, quempiam posse peccare, id est, „ in peccato manere, & interim tamen esse verum no„ strum in Christo fratrem. Nam quod *fratris* mentio„ nem feci, id factum est à me propter professionem, „ quam adhuc quis retineat, ejusdem nobiscum Chri„ stianæ religionis, & conjunctionem adhuc ipsius ex„ ternam cum iis, qui ad aspectabilem Christi Eccle„ siam pertinent. Nam alioqui certum est, ut antea quo„ que monui, eum, qui natus sit ex Deo, & sic verus „ in Christo sit frater, non manere in peccato ullo. Ne „ igitur ex verbis meis ullam erroris occasionem sumite, „ neve existimetis, posse quempiam verum Dei filium „ esse, qui in peccato maneat. Ex qua declaratione mentis Apostoli hoc in loco, magis adhuc apparere potest, cum antea mentionem fecit fratris peccantis, eum non de uno aliquo peccandi actu, sed de peccandi assuetudine, sive in peccato mansione, loquutum fuisse. *Non peccat*, inquit Apostolus, *qui natus est ex Deo*, id est, non manet Dei filius in peccato, *sed conservat seipsum*.

Ex quibus Apostoli verbis videtur constare, aliquid præstare eum atque efficere, qui per Christum regeneratus fuerit, in seipso à labe atque assuetudine peccandi immunem conservando. *Et malignus*, inquit, *non attingit eum*. Quod ita intelligendum est, quemadmodum & illud, quod in extrema oratione dominica à Deo petimus, *ut nos liberet à malo* sive *à maligno*. Et hic locus non parum confert ad declarationem illius, præsertim quod attinet ad vocem *mali* seu *maligni*, quæ hic manifeste masculini generis est, id quod in altero isto loco non omnino apparet. Potest enim ibi, si verba ipsa spectentur, ita accipi vox ista, ut sit generis neutri. Verum hic locus docet, eam genere masculino esse accipiendam. Et propterea tam ibi, quam hic, *mali* seu *maligni* nomine, intelligendum esse Diabolum. Nec vero hac solum in re, sed etiam in toto ipsius loci sensu, alter locus ad alterius explicationem plurimum conducere censendus est. Est siquidem admodum verisimile, Johannem hic, filios Dei id habere, seu illis id obvenire, affirmare, quod Christus nos ibi à Deo petere jussit.

Videamus igitur, quid hoc sit, quod Johannes dicit, Diabolum non attingere Dei filios. Nam hac ratione non modo hujus loci sententiam percipiemus, sed etiam intelligemus, quid sit illud, quod ex Christi præscriptione à Deo petimus, ut scilicet nos à Diabolo liberet.

Quoniam vero istud, quod Apostolus ait, *Diabolum non attingere Dei filios*, necesse est ut habeat in sensu convenientiam cum eo, quod proxime dixerat, *natos ex Deo non peccare*, cum jam explicatum sit, quid hoc sibi velit, non erit difficile intelligere, quid sit, *filios Dei à Diabolo non attingi*. Atqui *Dei filios non peccare*, jam ostensum est significare, eos in peccato non manere. Quare eosdem *à Diabolo non attingi*, verisimile est significare, non quidem plane illos ab effectibus, qui à Diaboli astutia & inimicitia adversus humanum genus, & præcipue adversus eos, qui beatæ immortalitatis consequendæ spem habere possint, proficiscuntur, liberos esse, sed eorum non ita esse participes, ut Diabolus id obtineat, quod quærit, atque efficiat, ut ipsi ea faciant, quæ possint ipsis auferre, quominus ad beatam immortalitatem perveniant, ut esset, in aliquo graviore peccato manere, & hac ratione se Deo minime obedientes præstare. Cum igitur Christo præcipiente Deum oramus, ut nos à Diabolo liberet, non est similiter intelligendum, nos à Deo petere, ut plane ab istis, quos diximus, astutiæ & in nos Diaboli odii effectibus immunes simus, inter quos merito numerantur afflictiones & mala, in quæ incurrimus, aut quorum periculum subimus, dum volumus, & quia volumus Deo ex Christi præscripto obedire; propterea petitio ista, quæ ultima est illarum, quæ oratione dominica continentur, seu potius illius pars est, alteram partem, quæ præcedit, talem habet, in qua non obscure de afflictionibus istis ac malis, & eorum periculis agatur, quatenus videlicet ibidem petimus, *ut Deus nos in tentationem non inducat*, quod aliud nihil est, quam petere, non quidem, ut ab illis prorsus immunes simus, sed in illa non conjiciamur, & quodammodo intrudamur, unde scilicet fiat, ut ab ipsis victi, aut aliqua ratione dibilitati, vel penitus succumbamus, vel minus constanter atque integre in officio nostro erga ipsum Deum persistamus; quod ut fiat, cum Diabolus plane quærat, ut hac ratione nos captivos teneat, propterea statim subjicitur altera petitionis pars, *ut à Diabolo liberemur*; & sic apparet, quod liberatio ista non est, nihil habere commune cum iis, quæ Diabolus Deo permittente nobis immittit, sed ab illis nullo modo vel superari, vel transversos ulla ratione agi, ita ut Deo, quam debemus, obedientiam minime præstemus. Et certe hoc idem, quod diximus de afflictionibus & periculis, quæ Diabolus permittente Deo nobis immittit, accommodari huic ipsi loco nostro haud male potest, ut hac ratione horum duorum locorum convenientia magis perspiciatur.

Nam cum Apostolus dixit, Diabolum non attingere filios Dei, potuit omnino rationem habere istarum rerum, per quas Diabolus curat, ut minus recte erga Deum nos geramus; quasi dicere voluerit, in Dei filiis non habere eam vim, quam Diabolus vellet, nec efficere, ut ullo modo à suo erga Deum officio absterreantur, aut dimoveantur; quod ipse vocavit *non attingi à Diabolo*, propter id, quod hac ratione fit, ut Diabolus non id obtineat, quod quærit, & sic Dei filii ab ipso liberi esse merito dici possint, quemadmodum videlicet eo sensu, quo à nobis jam dictum est, jubemur omnes, qui Christi discipuli sumus, à Deo precibus contendere.

Vers. 19. Postquam Apostolus satis expresse declaravit, nolle se, ex monitione sua de orando pro fratribus peccantibus quemquam colligere, quod veri Dei filii peccent, eo sensu, quo ab ipso *peccandi* verbum usurpatur, id est, in peccato maneant; subjungit hæc verba: *Scimus, quoniam ex Deo sumus, & mundus totus in maligno positus est*; ac si diceret: „ Non debet quisquam mi„ rari ea, quæ dico, unde videlicet consequitur, Dei „ filios, quales esse nos profitemur, vehementer di„ versos esse à cæteris hominibus. Nam plane ita res „ se habet, quod nimirum nos à Deo pendemus, illique „ adhæremus, ita ut ab ipso prodiisse merito censeri „ possimus. At reliqui omnes contra Diabolo, ipsius „ Dei videlicet summo adversario, adhærent, & in eo „ ejusque suasionibus acquiescunt. Nam sine dubio hic similiter, ut proxime ante, *maligni* nomine intelligit Diabolum. Nam utrobique eadem est Græca vox, & utrobique articulus est ei præpositus, quemadmodum etiam in petitione illa extrema orationis dominicæ. Habet enim articulus vim ostendendi certum quendam malignum seu malum, eumque omnibus malis insignem:

hic autem nullus est alius præter Diabolum. Quanquam hoc, quod diximus de articulo in hac ipsa voce, quæ Græca πονηρὸς, non est plane perpetuum; quandoquidem Matth. cap. 5. 39, ait Christus, non debere nos resistere τῷ πονηρῷ, quod certe non significat, non debere nos resistere Diabolo, ut & locus ipse per se ostendit, qui docet, ibi nomine τοῦ πονηροῦ intelligi malum aliquem hominem, & qui, ut Græca vox sonat, laborem & molestiam alteri afferat, & demonstrat aperte inter alia multa testimonia, ex quibus idem colligi potest, locus ille apud Jacobum cap. 4, ejus Epistolæ ℣. 7, ubi diserte præcepit, *ut Diabolo resistamus.* Nam idem plane verbum est apud Jacobum, quod apud Matthæum in Græco contextu, quod Latine *resistendi* verbo est redditum. Verum quod attinet ad locum nostrum, modo concedatur vocem τοῦ πονηροῦ esse masculini generis, ut suadet, quod eadem vox proxime masculino genere usurpata fuit, satis habemus ad ostendendum, necesse esse, ut voce ista hic non minus, quam proxime ante ipse Diabolus significetur. Nam si vox ista masculini generis est, necessario sit, ut per eam persona aliqua declaretur.

Sed quænam persona est, aut esse potest, in qua mundus positus esse, seu, ut verbum Græcum sonare videtur, & Castellio ac Beza vertit, *jacere* dici queat, idque per antithesin ejus, quod est, *esse ex Deo*, nisi Diabolus? Quod si quis dicat, non masculino genere, sed neutro vocem τῷ πονηρῷ hic prolatam fuisse censeri debere, nulla apparet hujus rei causa, & vix invenietur, ubi ad istum modum vox πονηρῷ in scriptis Novi Fœderis usurpata fuerit, præsertim cum articulo sibi præposito; id est, semel fortasse tantum, nempe Rom. 12. 9. Verum dicet aliquis, immo causam apparere, cur censeri debeat vocem τῷ πονηρῷ hic neutro genere enunciatam fuisse, cum *positum esse* seu *jacere* in persona aliqua nimis inusitate atque improprie dicatur, at in re aliqua usitate ac ferme proprie. Respondemus, hunc scriptorem non minus inusitate alioqui atque improprie, Christum imitatum, in hac sua Epistola aliquoties phrasi *manendi in aliqua persona* usum fuisse. Quicquid sit, si neutro genere hanc vocem hoc in loco accipiamus, peribit antithesis illa, quam inter hoc membrum & proximum superius esse, prorsus est verisimile, aut certe ejus elegantia maxima ex parte perdetur; cum non bene res personæ opponatur, ut persona opponitur, id est, res mala Deo multo minus recte opponi possit, quam Diabolus.

Notandum autem est, ut ex iis, quæ paullo ante diximus, intelligi potest, Apostolum hoc in loco nomine *totius mundi* omnes intelligere, qui Dei per Christum cognitionem non habent; quos propterea in Diabolo positos esse, seu potius jacere ait, etiamsi multi esse possint, qui Dei per Christum cognitionem non habeant, qui nihilominus perditis moribus non sint prædiiti, ob eam causam, quod in reatu æternæ mortis manet, quisquis per Christum ad Dei cognitionem non pervenerit, & sic cum ipso Diabolo, qui & reus æternæ mortis ipse est, & homines similiter ejus reos facere omnibus modis studet, valde multum commune habet. Posset tamen hic *totius mundi* nomine non plane intelligi omnis homo, qui Dei per Christum cognitionem non habeat, sed ii homines, qui & maxime & proprie iis, qui istam cognitionem habent, opponuntur; quales sunt sine dubio plerique hominum cognitione ista carentium; nempe nihil aliud quam mundana curantes, ea videlicet, quæ ipse Apostolus supra cap. 2, in mundo esse dixit, ex eorum, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum, & ad concupiscentiam carnis, & ad superbiam vitæ, nomine complexus est; de quibus hominibus sine ulla dubitatione plane dici potest, eos ipsi Diabolo adhærere, & in eo quodammodo jacere. Sunt enim mundana ista, ea, quibus Diabolus potissimum tanquam laqueis & retibus utitur, ad illaqueandos & irretiendos miseros mortales, & suos efficiendos. Quod si quis malit vocem τῷ πονηρῷ neutro genere accipere, eo videlicet sensu, quo in loco Pauli Rom. 12. 9, τὸ πονηρὸν legitur, à qua sententia & interpretatione, ut verum fateamur, nos minime abhorremus; tunc multo facilius erit, interpretando, ut *totus mundus* hic significet id, quod nuper diximus, percipere, quomodo verum sit, quod totus mundus in malo jaceat; cum nihil sit verius neque proclivius ad intelligendum, quam, quod homines, qui hujus mundi illecebris capti atque irretiti sunt, jacent in malo, id est, in rebus malis, & quæ coram Deo peccata sunt.

Vers. 20. Jam cum Apostolus vellet hanc suam Epistolam concludere, tanquam rem maximi momenti, & ad suum scopum potissimum pertinentem, ut solent in extremo ea poni, quæ majoris sint momenti, potissimum si ea talia sint, quibus summa quædam contineatur eorum, quæ quis scribendo suadere voluit, id commemorat, sine quo fieri non potest, ut quis in Christi doctrina atque obedientia persistat, quodque in se continet præcipuum caput totius istius obedientiæ; commemorat, inquam, quod in Christi doctrina contineatur cognitio unius illius veri Dei, cujus vere ac perfecte, quatenus in hac vita contingere potest, cognoscendi ipse Christus solus ac primus auctor humano generi fuit; ac præterea, quod ipse Christus, per quem, id est, ex cujus præscripto, Deo obedimus, & qui nobis unicum est medium ad ea tum facienda, tum adipiscenda, quæ maxime & debemus, & cupimus, omni veritate ac soliditate, ut sic dixerim, plenissimus est. Itaque ait, *Scimus quod filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum.* Id tantum, quod in horum verborum initio dixit, *venisse Dei filium*, satis erat ad demonstrandum, quicquid iste Dei filius docuit, verissimum esse; & propterea potuisset Johannes unico verbo dicere, post prima verba ista: Et nos docuit eam doctrinam, quam tenemus: sed voluit expressius quædam dicere, quæ istis paucis verbis continentur, propter eam causam, quam antea attigimus, quod in iis continetur fundamentum totius obedientiæ præceptorum Christi, atque præcipuum ipsius obedientiæ caput; quandoquidem, ut supra à nobis non semel repetitum fuit, scopus Apostoli in hac Epistola est, curare, ut ii, ad quos scribit, in præceptorum Christi obedientia perseverent, in eaque in dies confirmentur, atque augescant. Atqui id fieri à nemine ullo pacto potest, nisi quis persuasissimum habeat, eum Deum, quem Christi doctrina proponit, esse unum illum Deum, præter quem non est alius; cum causa præcipua, cur Christi præceptis obediatur, hæc sit, quod nihil dubitatur, quin eorum autor sit ille unus Deus. Qua persuasione remota, nemo erit unquam cordis pii atque sinceri, qui vel cogitet quidem de obedientia Christi præceptis præstanda. Adde, quod primum ac præcipuum Christi præceptum, & tanquam caput totius obedientiæ, quam Deo per Christum præstamus, est, ipsum illum Deum, ut decet, colere ac venerari, quem Christus annunciavit, & quem auctorem fecit omnium, quæ vel præcepit, vel promisit.

At vero cultus iste nullo pacto exhiberi isti Deo potest, nisi persuasum sit, ipsum esse illum unum verum Deum, qui videlicet solus ex seipso absolutum ac plane divinum imperium in nos habeat. Sed neque etiam in eadem Christi præceptorum obedientia persistere quisquam poterit, nisi plane sibi persuadeat, ipsum Christum esse verum ac divinum dominum suum; cum inter cætera Christi præcepta, id est, à Christo Dei nomine data, illud sit magni omnino momenti, immo primum ac præcipuum post illud, quod jam diximus esse omnium caput, ut ipsum Christum seu Dei filium ita honoremus, quemadmodum ipsum Deum ejus Patrem honoramus. Propterea igitur primum commemorat Apostolus Deum illum, quem nobis Dei filius, id est Jesus, qui dictus est Christus, annunciavit esse verum Deum, illum, inquam, unum verum Deum: nam in Græco articulus habetur vero Deo præpositus; & interim vult Apostolus, ut hanc cognitionem unius illius veri Dei, quam omnes Christi discipuli habemus, ipsi Christo in soli-

solidum acceptam referamus. Verum est quidem, quod neque in vulgatis exemplaribus Græcis, neque in Syriaca interpretatione vox Dei hoc loco habetur, quæ apud veterem Latinum interpretem, & in Complutensi Græca editione omnino legitur: sed nihilominus sensus idem est, sive vox Dei hic legatur, sive minus; cum, etiamsi simpliciter legamus, *Ut cognoscamus illum verum*, necesse sit intelligere illum verum Deum; præsertim cum postea in omnibus codicibus atque editionibus legatur, *Hic est verus Deus*, seu potius, *Ille verus Deus*. Primum, inquam, hoc voluit Apostolus commemorare; deinde vero etiam expressam mentionem facere ipsius Dei filii Christi Jesu, qui sit plane verus, eo sensu quem & paullo ante attigimus, & mox explicabimus.

Nam in hac etiam particula non convenit vulgata editio Latina cum Græcis exemplaribus, neque cum editione Syriaca, & nec cum ipsa quidem Græca Complutensi editione hoc in loco consentit. Sic enim habet, *Et simus in vero filio ejus Jesu Christo*, pro eo, quod in prædictis omnibus exemplaribus habetur, *Et sumus in vero, in filio ejus Jesu Christo*. Quod attinet ad verbum *sumus*, quod *simus* vetus interpres legit, non est admodum laborandum, sive hoc, sive illo modo legatur; quanquam nobis multo magis placet, ut vox ista legatur indicativo modo, quam subjunctivo; habet enim nescio quid majoris gravitatis, si Apostolus diserte affirmet, se & alios, ad quos scribit, id habere, de quo hic verba fiunt, quam si dicat, Dei filium nobis dedisse, ut id habeamus; sed major est vis in eo, si secundum veterem interpretem ante vocem *filio* non legatur præpositio *In*. Tunc enim sequitur, illum dicere, nos esse vel esse debere, in vero filio Dei, Jesu Christo. Quæ lectio sane videtur plane convenire cum superiore illa, quam idem vetus interpres habet, ut *Dei* videlicet nomen legatur post vocem *verum*, sive *illum verum*. Optime siquidem ista sibi respondent, *cognoscere illum verum Deum*, & *Esse in vero ejus filio*; sed quia, ut dictum est, omnia exemplaria, tam Græca, quam Syriaca habent præpositionem istam interpositam, inter vocem *vero*, & vocem *filio*; propterea necesse est, ut explicemus, quis sit hujus lectionis sensus; & quid Apostolus sibi voluerit, cum dixit, *Nos esse in vero, in filio ejus Jesu Christo*. Non pauci sunt, inter quos est Erasmus, qui arbitrantur, aut debere, aut certe posse ista verba ita accipi, ut vox vero referatur ad *illum verum*, de quo proxime loquutus est Apostolus, pro constante videlicet ponendo, quod ibi non habeatur vox *Deum*, sed simpliciter vox *verum*, sive *illum verum*.

Nam & hic, cum articulus non minus quam ibi in Græco voci *vero* sit præpositus, legendum videtur, *Et sumus in illo vero*. Jam verba, quæ sequuntur, *In filio ejus Jesu Christo*, volunt isti ita accipi, ut præpositio *in*, ut valde frequenter solet, idem ex Hebraica consuetudine valeat, quod præpositio *per*; ita ut sit sensus, *Nos esse in illo vero*, id est, in illo vero Deo, *per filium ejus Jesum Christum*. Verum nobis magis placet, (ut id, quod minus cavillationibus & reprehensionibus est obnoxium) ut verba *In vero*, sive *In illo vero*, non ad id, quod proxime præcedit; sed ad id, quod statim sequitur, referantur; ita ut *ille verus* secundo loco hic nominatus, sit ipse Dei filius, Christus Jesus. Quanquam verba, quæ statim sequuntur in vulgata editione Latina, (id quod prius monere debuissemus) non habent illud *Jesu Christo*, quod alibi ubique legitur. Verum id legi hoc loco omnino debere, valde verisimile videtur, ad majorem expressionem dignitatis ac præstantiæ Jesu Christi. Quod igitur secundum hanc communem lectionem in his verbis habetur, quod simus in vero, sive in illo vero, & iste sit Dei filius Jesus Christus, non potest, judicio meo, habere alium sensum, nisi quod filius Dei Jesus Christus, est quiddam plane solidum ac verum, & est illud verum medium, per quod ad Deum illum unum ac verum pervenitur. Hoc enim, ut dictum fuit, similiter, ut & illud, quod Deus nobis à Christo annunciatus sit ille unus verus Deus, est maxime necessarium iis, qui velint in obedientia præceptorum Jesu Christi persistere. Nam præter id, quod jam diximus, alioqui non fore, ut quis eo honore ipsum Christum afficiat, quem ipsiusmet Christi præcepta requirunt, nullo pacto fieri potest, ut quis in obedientia, præceptis illius, tanquam æternis & immutabilibus, præstanda, perseveret, quem penitus persuasum non habeat esse plane verum, ac solidum quiddam, quod mutari nequeat.

Postquam Apostolus eo modo, quo jam dictum & explicatum est, asseruit, eos, ad quos scribebat, habere verum illum unum Deum, & verum ac solidum medium ad ipsum perveniendi, in ea doctrina ac religione, quam profitebantur, & in qua ut in dies magis confirmarentur, ipse tota hac Epistola accuravit, subjungit hæc verba: *Hic est verus Deus & vita æterna*. Nemo nescit, hæc verba vulgo ac passim afferri ad probandum, quod Jesus Christus sit verus Deus, adeo ut non defuerint ex illis, qui sentiunt, ipsum non esse illum unum verum Deum, qui consenserint, hæc verba ad ipsum Christum referenda esse; non animadvertentes, in Græco ante voces *verus Deus* esse articulum, qui significat, hic agi de illo uno vero Deo. Et sane talem esse Jesum Christum ii contendunt, qui hunc locum proferunt ad Christi divinitatem probandam. Cum igitur istud, quod contendunt ex hoc loco colligi, illis nullo pacto sit concedendum, (quandoquidem ex proximis superioribus verbis manifeste constat, Apostolum distinguere inter verum illum unum Deum, & Jesum Christum ejus filium) non est etiam illis ullo modo concedendum, verba ista, *Hic est verus Deus*, ad ipsum Christum referenda esse.

Nam quod isti ipsi ajunt, adversus quos nunc disputamus, pronomen *hic* prorsus ostendere, verba ista referri debere ad Jesum Christum proxime nominatum; id non uno modo ac ratione refelli potest, quemadmodum ostendimus in refutatione nostra libelli Jacobi Vujeki: sed tamen hic quoque ut videlicet in suo proprio loco, aliquid hac de re dicendum est. Primum igitur dicimus, apud omnes probatos scriptores, tam prophanos, quam sacros, sæpe inveniri pronomen relativum, non id, vel eum referens, qui proxime ante nominatus fuit, sed qui remotius; præsertim si contingat, remotius nominatum eum esse, de quo præcipue agitur; id quod nos in refutatione illa nostra factum in ipso Novo Testamento fuisse docuimus, in ipso relativo pronomine *qui*, quo nullum est aliud magis sua natura adhærens ei rei, vel personæ, quam refert. Unde etiam apud Græcos Grammaticos articuli appellationem invenit. Vocant enim pronomen hoc articulum postpositivum, ad differentiam articuli magis proprie magisque usitate sic dicti, quem ad hujus differentiam præpositivum nuncupant. Invenit, inquam, relativum istud articuli nomen apud Græcos Grammaticos ob eam causam, quod, ut articulus sic proprie dictus, semper adhærere soleat rei, vel personæ, cui inservit, illam scilicet proxime consequendo, sicut alter ille articulus magis proprie sic dictus antecedendo.

Attulimus autem ejus, quod ante diximus, exemplum valde illustre, in posteriore Epistola ad Thessalonicenses cap. 2. 9. qui ita incipit, *Cujus adventus est secundum operationem Satanæ*. Ubi nemo non videt, necesse esse verba fieri de *filio illo perditionis* ante nominato; cum tamen non ipsius sed *Domini*, id est, Christi proxime facta fuisset mentio; & quod plus est, etiam ipsius adventus, ut in verbis à nobis recitatis adventus fit mentio illius, de quo verba fiunt. Itaque apparet vocem *cujus*, & sic pronomen *qui*, seu postpositivum articulum referre non proxime nominatum, sed remotius, quamvis præter proximitatem esset adhuc alia causa, propter quam eum, qui proxime nominatus fuerat, referre deberet. Non fuimus autem curiosi in refutatione illa nostra, ut exemplum aliquod proferremus

mus ipsius pronominis *hic*, quale est in loco nostro; cum nobis videretur evidentius probatum fuisse id, quod volebamus, per exemplum pronominis *qui*, quippe de quo difficilius creditu videatur, quod non semper referat id, vel eum, qui proxime commemoratus fuerit. Et tamen Smiglecius, vim talis exempli nostri non perpendens, in suo libro de æterna divinitate Christi, carpit nos eo, quod nullum exemplum protulerimus ipsius pronominis *hic*. Quod sane, ob jam dictam causam, ut immerito, sic imperite admodum fecisse videtur.

Verumtamen Statorius noster postmodum in sua responsione ad ejus prædictum librum protulit exempla ipsius pronominis *hic*, quorum id, quod sumptum est ex septimo capite Actorum Apostolicorum ℣f.19, valde ad rem accommodatum videtur; cui nos hic addimus aliud exemplum, sumptum ex 10 capite ejusdem libri ℣f. 6, ubi ad hunc modum legitur: *Hic hospitatur apud quendam Simonem coriarium, cui est domus juxta mare, hic loquetur tibi, quid te oporteat facere.* Manifeste enim apparet, in his verbis pronomen *hic*, secundo loco positum, non ad *Simonem coriarium*, proxime nominatum, sed ad *Simonem Petrum*, pronomine *hic*, priore loco posito, significatum, omnino referri debere. Taceo, quod nullus est scriptor minus hujus rei observans, ut relativa pronomina proxime nominatum referant, quam sit hic noster, ut in hac ipsa ejus Epistola superius à nobis non uno in loco observatum est. Nullam igitur vim habet, præsertim apud hunc scriptorem, quod Dei filius Jesus Christus proxime ante nominatus fuerit, ad probandum, quod pronomen *hic* ad ipsum referri debeat; quod eo magis sine ulla dubitatione affirmandum est, quod non modo constat, Deum, cujus Jesus Christus est filius, eum esse, de quo hic præcipue agitur, verum etiam, ut antea diximus, ipse noster scriptor proxime apertissime distinxit inter illum verum Deum, & inter filium ejus Jesum Christum, quomodo igitur ad ipsum Christum Jesum possunt referri verba ista, *Hic est ille verus Deus?* Quid esset sibi ipsi adversari, & confundere ac pervertere antea dicta, si hoc non esset, quod Apostolus hic diceret, Jesum Christum Dei filium esse illum verum Deum? Quis est tam stupidus, qui vel ex hoc ipso, quod hic diserte exprimitur, Jesum Christum esse illius veri Dei filium, non intelligat, necessario consequi, Christum Jesum non esse illum verum Deum? Num potest quis sui ipsius esse filius? Facessant igitur istæ non minus imperitæ, quam absurdæ interpretationes; & sane miremur inveniri homines, judicio alioqui & eruditione præstantes, eosque valde multos, qui plane velint, propter id tantum, quod Jesus Christus proxime fuerit nominatus, omnino de ipso dicta fuisse verba ista, *Hic est ille verus Deus.*

Diximus de ratione una respondendi ad ratiunculam istam Jesu Christi proxime nominati, pro concesso, una cum omnibus aliis, sumentes, quod pronomen *hic* debeat omnino ad alterum ex duobus ante nominatis, scilicet *illo vero Deo*, & *Jesu Christo ejus filio*, nominatim ac singulariter referri. Sed alia est ratio ad ratiunculam istam respondendi, cujus mentionem fecimus in supra dicta refutatione nostra, quæ nobis potissimum probatur; hoc est, negare, quidquam cogere, ut pronomen *hic* alterum ex duobus jam dictis singulariter referat, & ostendere, apud omnes scriptores, & apud illos ipsos, qui Testamenti Novi scripta ediderunt, consuevisse, ut ejusmodi pronomina, cum construuntur cum verbo substantivo, non conveniant in genere, & numero cum subjecto, sed cum prædicato; cujus rei dedimus exemplum primum in verbis illis Christi apud Matthæum cap 13.38. *Bonum autem semen, hi sunt filii regni.* Ubi apparet, pronomen *hi* nec numero nec genere convenire cum *bonum semen*, quod est subjectum, sed cum *filii regni*, quod est prædicatum. Deinde attulimus exemplum in verbis ejusdem Christi apud hunc scriptorem nostrum in Euangelio cap.17.3. *Hæc autem est vita æterna, ut cognoscant te, &c.* Ubi pronomen *hæc* convenit in constructione cum *vita æterna*. Est enim fœminini generis, ut ipsa *vita æterna*, quæ hujus totius enunciati prædicatum est; cum tamen id, quod Christus dixit esse æternam vitam, & enunciationis ipsius subjectum est, nullo modo dici queat esse fœminini generis, nec secundum Grammaticam possit pronomine alterius generis, quam neutri significari.

Sic igitur in loco nostro non est intelligendum, quod pronomen *hic*, nominatim, & singulariter, vel Christi patrem, vel ipsum Christum, ut totius enunciati subjectum, referat: sed intelligendum est, isto pronomine referri totum illud, quod præcessit; & tamen genere masculino propterea pronomen istud fuisse usurpatum, ut secundum Grammaticam conveniret cum eo, quod statim subjicitur, & prior pars totius prædicati est; nempe cum *ille verus Deus*; cum sensus interim sit ejusmodi, ac si dixisset: Id eo, quod diximus, est ille verus Deus, & vita æterna. Nam quatenus quis habet & cognoscit Christi Patrem, & ipsum Christum, cujus rei antea mentio facta fuerat, habet & illum verum Deum, & æternam vitam. Illum quidem verum Deum; quia Christi Pater est ille verus Deus: vitam autem æternam: quia illa à Christi Patre per ipsum Christum in nos proficiscitur. Et ad hunc modum interpretando id habemus, quod Apostolus in istis suis verbis Christum non omiserit, id est, eum illis complexus fuerit: & tamen interim non dixerit, eum esse illum verum Deum; quod, ut ostensum à nobis est, non potuit ab ipso, nisi absurdissime & inconstantissime, fieri.

Vers.21. Ad ultimum Apostolus noluit omittere, quin tanquam per corollarium quoddam moneret eos, ad quos scribit, ut sibi à falsis divinis cultibus caverent. Hoc enim plane ex eo consequi debet, quod quis veram cognitionem habeat Dei & Christi, & utrique, ut debet, adhæreat; falsos enim cultus divinos eos appello, qui soli Deo & Christo non tribuuntur. Nam, ut Paulus docet priore Epistola ad Corinthios cap. 8, nos Christiani nullum alium habemus, quem divino cultu afficiamus, præter Deum Patrem, & Christum, illum quidem ut omnis nostræ felicitatis primum authorem, & ultimum scopum omnium actionum nostrarum; hunc vero, ut & nostræ felicitatis secundariam causam, & per quem solum ad Deum accessum habemus. Porro monitionem hanc suam Apostolus his paucissimis verbis explicat: *Filioli, cavete vobis à simulachris*; sic enim legit Latinus ipse vetus interpres, & Syriacus quoque, qui tamen non simpliciter habet *à simulachris*, sed *à reverentia simulachrorum*; si modo Syriaca vox, quæ à Tremellio *simulachrorum* voce reddita fuit, recte fuit reddita. Græca quidem verba *idolorum* vocem habent; quæ vox quamvis, si quis ejus originem spectet, significet speciem aliquam, vel effigiem, seu simulachrum, tamen in Sacris Literis non videtur simpliciter cum hac significatione usurpari solere, sed cum significatione ejusmodi effigiei, seu simulachri, cui divinus cultus præstetur; & fortasse propterea factum est, ut Beza ipse, qui contendit, vocem istam Græcam omnino simulachrum significare, tamen hic in versione sua habeat, non quidem *à simulachris*, sed *ab idolis*. Crediderim tamen posse merito monitionem Apostoli sic accipi, ut ex ea consequatur, debere nos cavere non tantum ab eo, quod vulgo intelligunt *idoli* nomine, & sic abstinere à colendo pro suo Deo alio, quam Christi Patre, & Christo ipso; sed etiam debere nos à simulachrorum cultu cavere. Neque enim, ut omnes fatentur, cum præcipit, sibi cavendum esse, sive ab idolis, sive à simulachris, ejus mens est, præcipere, ut demus operam, ne illa nobis aliquid mali faciant: sed certissimum

tissimum est, illum monere voluisse, ut ab iis colendis prorsus abstineamus. Non est autem ratio ulla, quando ipsum Græcum nomen τὰ εἴδωλα sua propria significatione ad id accommodari potest, cur censendum non sit, Apostolum non modo monere voluisse ut caveamus, ne pro Deo id colamus, quod minime est Deus; sed etiam à simulachris colendis prorsus nobis caveamus, quippe, cum non possit illis ullus alius cultus exhiberi, nisi qui non sit humanus, sed divinum quid sapiat; quod fieri nequit sine offensione Dei & Christi, quibus solis divinus cultus debetur, & sine expressa contemptione divini præcepti, per Mosen dati, & per Christum non abrogati, de simulachris ullis nulla ratione colendis. Exod. 20. 4. 5. Deut. 5. 8. 9.

Soli sapienti Deo gloria per Jesum Christum.





DE SACRÆ SCRIPTURÆ AUTORITATE

Libellus

FAUSTI SOCINI SENENSIS.

Cui addita eſt

Summa Religionis Chriſtianæ,

ejuſdem Socini.

Utrumque ex Italico in Latinum converſum.



IRENOPOLI

Poſt annum Domini 1656.

Lectori Benevolo.


Unc Libellum Auctor in gratiam magni cujusdam viri, ante annos quadraginta & aliquot conscripserat. Editus idem erat Hispali, ante annos viginti tres, sub nomine cujusdam Dominici Lopez Societatis Jesu. Sed dolus latere non potuit. Talis enim præfatio, libello huic præfixa erat, quæ contrarium plane ejus, quod in eo disputatur, continebat. Affirmabat enim præfatio, dari naturalem Dei cognitionem; quod libellus prorsus negat. Hujus libelli intelligentiam, quia, præter alia permulta commoda, ad veritatem divinam, quam nostri cœtus profitentur, tacitam esse ἐισαγωγὴν, existimamus; & exemplaria ejusdem nulla amplius prostant; en denuo eum recudi, ad communem omnium sanctissimæ Theologiæ professorum & studiosorum utilitatem, curavimus: & iisdem eum, nostrorum cœtuum nomine, offerimus & dedicamus. Racoviæ, Calend. April, Anno M. IↃC. XI.

De Auctoritate

SACRÆ SCRIPTURÆ.


Ubitant non pauci, etiam inter eos, qui Christi nomen profitentur, de Auctoritate Scripturæ, quæ dicitur sacra, id est librorum, qui Biblia vocantur, seu Vetus & Novum Testamentum. Ac quærunt, cur credendum sit, vera esse & recte dicta, quæ in illis continentur.

Hujus quæstionis duo capita fieri possunt. Aut enim ii, qui sic dubitant & quærunt, concedunt alioqui, religionem Jesu Nazareni, qui dicitur Christus, esse veram; Aut non concedunt; sed vel de ea dubitant, vel etiam nihil dubitant, quin sit falsa. Primum de priore capite; deinde de posteriore agemus.

CAPUT I.

In quo demonstratur iis, qui jam credunt Christianam religionem esse veram, non posse eos jure dubitare de auctoritate librorum Veteris & Novi Testamenti.

Dico igitur, si concedatur, religionem Jesu Nazareni, qui dicitur Christus, esse veram, me videre non posse, quemadmodum jure dubitari possit de auctoritate librorum, qui Vetus & Novum Testamentum vocantur. Ac primum, quod attinet ad Vetus Testamentum, cum aperte à Novo Testamento confirmetur, si demonstrabitur, eo concesso quod modo dictum est, Novum Testamentum auctoritatem habere existimandum esse, jure hinc concludetur, Vetus Testamentum similiter auctoritatem habere, esse existimandum. Præsertim, ubi non constet, aut justa suspicio sit, depravatum, vel immutatum fuisse; ut infra dicetur. Jam, quod attinet ad Novum Testamentum, injuria de ejus auctoritate dubitari, quasi videlicet historia aut doctrina Christianæ religionis minus fideliter in ipso exponatur, ostendi potest, ni fallor, ad hunc, qui sequitur, modum.

Quatuor sunt, ut videtur, caussæ, cur jure dubitari possit de auctoritate libri cujuspiam. Prima est, si scriptor parum sit fide dignus, aut non ejusmodi, de cujus fide & scientia dubitari nequeat. Altera est, si revera scriptor ignoretur. Tertia, si constet aut justa suspicio sit, librum depravatum fuisse, aut aliquo modo immutatum. Quarta vero & postrema, si non rejicienda testimonia adsint, quod libro isti nequaquam sit adhibenda fides. Si igitur demonstratum fuerit, nullam ex prædictis quatuor caussis locum habere in eo libro, qui Novum Testamentum appellatur, demonstratum utique etiam fuerit, injuria de ejus auctoritate dubitari.

I. Itaque, quod ad primam caussam attinet; Quod libri alicujus scriptor parum sit fide dignus, aut non ejusmodi, de cujus fide, & scientia dubitari nequeat; id sane ex eo fit, quod vel alioqui constat, justamve aliquam ob caussam suspicio est, eum non recte novisse ea, quæ scripsit, aut non ita scripsisse, ut noverat; vel ejus rei in ipso libro aliqua indicia apparent.

Jam vero non video primum, quo pacto de scriptoribus ejus libri, qui Novum Testamentum vocatur, constare possit, aut justa suspicio esse (nisi propter id, quod ex uniuscujusque ipsorum scriptis colligi queat) eos aut non recte novisse ea, de quibus scripserunt, aut non ita, ut noverant, scribere voluisse. Etenim, aut volumus, ejus libri scriptores eos fuisse, quorum nomina inscripta suis locis apparent, aut omnino alios. Si alios, proferantur prius eorum nomina, & idoneæ probationes, quod ipsi scripta illa conscripserint, non autem ii, quibus tribuuntur; tum videbimus, an ejusmodi homines sint, quibus fides, necne, sit adhibenda. Nam, si quis dixerit, satis esse, si nihil constet, eos fuisse ejus libri scriptores, qui vulgo esse dicuntur; Respondebo, hoc non pertinere ad primam ex quatuor caussis ante expositis, quæ merito efficere possint, ut quis de cujuspiam libri auctoritate dubitet; de qua caussa nunc loquimur; sed ad secundam pertinere, de qua suo loco videbimus. Atque istud neutiquam ad quidquam probandum valet in hac disputationis hujus nostræ parte, sed tantum ad excipiendum, si quis ab ipsis scriptoribus Novi Testamenti ad ejusdem auctoritatem argumentari vellet; quod hoc loco revera non fit, sed ad ea respondetur, quæ contra auctoritatem horum scriptorum afferri possent. Verum ad propositum nostrum revertamur. Si igitur proferri non possunt (ut certe non possunt) idoneæ probationes ad demonstrandum, alios scripta illa conscripsisse, non autem illos, qui scripsisse creduntur; sequitur, cum hoc loco pro concesso ponatur, constare de scriptoribus quinam fuerint (quomodo enim alioqui aut constare posset, aut justa suspicio esse, aliunde, quam ex eo, quod ex ipsis eorum scriptis colligi posset, scriptores

istos aut ignorasse, aut minus fideliter scripsisse, quæ in scriptis illis continentur, nisi constaret, quinam sint?) sequitur, inquam, scriptores fuisse illos, qui fuisse existimantur. Jam, si isti fuerunt scriptores, perpendamus obsecro, quales ipsi fuerint, & qualia uniuscujusque ipsorum sint scripta; ut videamus primum, an ullo modo sit verisimile, eos ignorasse veritatem earum rerum, quas scripserunt, deinde, an liceat suspicari, eos scientes id scripsisse, quod sit falsum.

Matthæus, & Johannes, qui de Christo Jesu historice scripserunt, ambo ex ipsius Jesu discipulis fuerunt ei intimis, ac, præ cæteris, familiaribus. Ex quo sequitur, eos non modo novisse, quæ narrant, sed iis fere omnibus interfuisse. Marcus, & Lucas, qui similiter Christi Historiam scripserunt, tunc, & ibi vixerunt, ubi, & quando Christus vixit, dum in terris commoratus est. Ac præterea alter, id est Marcus, fuit, ut nonnulli existimant, primum socius Pauli Apostoli, ab ipso Christo singulari ratione electi ad ejus doctrinam publicandam; deinde sine dubio discipulus, & socius Petri, qui similiter Christi Apostolus erat, & cum ipso Christo familiarissime vixerat, iisque ferme omnibus interfuerat, quæ Marcus scripsit. Immo Marcus aliud nihil scripsit, præter id, quod illi à Petro (ut sic dixerim) dictatum fuit. Alter vero, id est Lucas, socius fuit atque intime familiaris Pauli supra dicti; à quo omnino dicendum est illum habuisse, quidquid opus erat ad perfectam cognitionem eorum, quæ ad ipsam historiam prorsus pertinebant. Idem Lucas scripsit de iis, quæ egerunt Apostoli post Christi ex hoc mundo discessum, & potissimum de iis quæ Paulus egit; quibus à Paulo actis, ipse magna ex parte interfuit: de reliquis vero potuit ab ipso Paulo plene doceri, & simul de multis erudiri, ad alios Apostolos universamque illam historiam pertinentibus, quæ ipse Paulus viderat, & optime noverat. Præterquam quod Lucas & illo ipso tempore, & in illis locis vixit; quod per se satis est ad ostendendum, eum veritatem novisse rerum supra dictarum. Jam Pauli Apostoli leguntur Epistolæ quædam, quas vel ad Ecclesias quasdam, vel ad certos quosdam homines scripsit; quæ majore ex parte continent doctrinam de religione Christi, ac præterea aliquid historicum, aut ad Christum pertinens, aut ad ipsum Paulum, aut ad alios ex Ecclesia; nec non vaticinationes aliquas ad ipsam Ecclesiam pertinentes. Quod igitur ad doctrinam attinet, quis dubitare potest, quin Paulus optime sciret, quid scriberet, cum non singulari tantum, sed admirabili divinaque prorsus ratione electus à Christo fuisset ad nomen & Euangelium ejus per terrarum orbem ferendum? Historiæ porro ea pars, quæ ad Christum pertinet, adeo cum doctrina conjuncta est, ut altera ab altera separari nequeat. Ei vero parti, quæ ad alios ex Ecclesia pertinet, ipse Paulus interfuit. Nam de ea parte, quæ ad ipsum pertinet, nihil attinet dicere. De vaticinationibus; non potest fieri, ut in tam sublimi gradu apud Christum esset, illique adeo charus, & interim tamen futurarum rerum veritatem nesciret, quam ipse se scire profitebatur. Extant similiter Epistolæ quædam Jacobi, Petri, Johannis, & Judæ, qui omnes Christi Apostoli fuerunt; quos fieri nequit in eo errasse, ut ea ignoraverint, de quibus in ipsis Epistolis scripserunt; sive id ad Christi pertineat doctrinam, qua omnes fere, ab initio usque ad finem, sunt refertæ; sive ad ipsius Christi historiam, cujus particula quædam in ipsis habetur; sive etiam ad vaticinationes (nam paucæ aliquot ibi sunt) de futuris rebus ad Christianos pertinentibus. Habetur præterea liber, Apocalypsis dictus, qui admirabilem quandam visionem continet, in qua satis obscure multa prædicuntur futura, quæ omnia ad Christi Ecclesiam spectant. Cujus visionis veritatem, id est, an & qualis fuisset, optime is noverat, qui eam scripsit; cum ipse affirmet, sibi eam contigisse, seque illam vidisse. Sive scriptor sit Johannes Christi Apostolus, idem nimirum, qui ejusdem Christi historiam conscripsit, ut communis est opinio, sive quivis alius. Qua de re verba faciemus, cum de secunda caussa agemus. Ubi etiam loquemur de Epistola ad Hebræos scripta, de qua dubitatur, an Pauli Apostoli sit, necne.

Ostendimus, de singulis Novi Testamenti scriptis agentes, nullum ex ipsis esse, cujus argumentum universum; verumne an falsum esset, non is optime sciret, qui illud conscripsit. Verùm dicere posset quispiam, hoc prorsus verum tum demum futurum, si scriptores isti tales forent, quales ego illos feci: sed de hoc jam dubitari; aut certe à quolibet dubitari posse. Respondeo, ut supra, cum dubitabatur, utrum nomina scriptorum illis scriptis præfixa, vera essent, necne, hanc videlicet dubitationem ad secundam caussam pertinere. Cum enim affirmatur (ut in hac primæ caussæ parte fit) notum esse, quisnam alicujus libri scriptor fuerit, non intelligitur, notum esse, quo nomine is vocaretur, aut ejusmodi aliquid, quod parum momenti habeat ad dijudicandum, an illi, necne, fides sit adhibenda: Sed intelligitur, notam esse ejus conditionem, externasque qualitates, quæ hac, in re alicujus sint momenti, & indicare possint interiores huc pertinentes. Satis igitur hoc loco probatum est, si, qui fuerint scriptores Novi Testamenti, spectare velimus, neutiquam dubitari posse, quin veritatem earum rerum noverint, quas scripserunt.

Nunc videamus, utrum verisimile sit, tales homines ea scripsisse, quæ falsa esse ipsi noverant. Et sane videretur, nos in suspicionem adduci debere, quod in iis, quæ ad historiam pertinent, minus fideles fuerint, ex eo, quod de iis scripserunt, in quibus res ipsorum agebatur. Nomine autem historiæ hic divinas patefactiones etiam complector, quas ut vidimus, aliquis ex ipsis, se habuisse scribit. Verum, quando isti non solum veri Christiani omnes fuerunt, sed etiam aut ipsimet, aut ii, quibuscum conjunctissimi erant, Christo præter alios omnes homines charissimi, quemadmodum hic pro concesso sumitur, nullum locum hic habet ista suspicandi caussa. Omnes siquidem norunt & confitentur, inter præcipua Christianæ religionis præcepta hoc esse, ut quisque verax sit ac fidelis, nec ulli ulla in re mentiatur, non modo, ut caveat, ne falsarius in publicis rebus sit; ut certe sunt illi, qui scientes ac prudentes falsas historias conscribunt: immo vero ne sit sacrilegus, aut blasphemus, aut saltem rerum divinarum negligens, Deique parum timens; qualem esse eum omnino oportet, qui historiam religionis conscribens, falsa prudens scribit. Itaque, quod in iis de quibus isti scripserunt, res ipsorum ageretur, hoc non modo non adimit, sed auget opinionem fidei ipsorum in illis scribendis. Nullam enim aliam ob causam potius res ipsorum agebatur, quam ob id, quod Jesum Christum, ejusque religionem ex animo colebant, & idcirco, tales erant, ut prudentes mentiri nequiverint. Quod si hoc non adimit, sed potius majorem conciliat ipsis fidem in historia, multo magis idem in doctrina efficere debet; ubi nihil ipsorum interesse poterat, illam aliter tradere, atque eam se habere noverant. Quam enim aut gloriam, aut utilitatem, aut etiam delectationem ex eo percipere poterant, quod data opera alios fallerent, eosque ad perditionis iter capessendum inducerent, cum illis auctores esse possent, ut ingrederentur salutis viam, quam ipsi optime edocti erant & per quam ipsi perpetuo incedebant?

Sequitur, ut videamus, an, non habita ratione, quinam fuerint scriptores isti, possit ex ipsorum scriptis certo sciri, aut justa suspicio esse, eos vel ignorasse, vel efferre noluisse veritatem eorum, de quibus scripserunt. Jam suspicio, aut certitudo ista, quæ ab ipsis scriptis suppeditetur, necesse est, ut ex eo oriatur, quod in illis quædam doceantur, aut narrentur, quæ vel inter se diversa aut repugnantia, vel per se ipsa falsa esse deprehendantur. Hac autem de re si quis plene

plene agere vellet, necesse esset omnes locos suspectos singulatim examinare; quod omnino nimis longum esset, ac præterea, quantavis diligentia hic adhiberetur, complures facile omitterentur. Quare hic satis erit summatim ea de re agere, & per summa quædam capita. Eo magis, quod, si in secunda caussa tractanda probaverimus (ut quidem speramus) eos scripta ista conscripsisse, qui vulgo existimantur, non opus erit hac in parte admodum laborare.

Dico igitur, quod attinet ad repugnantias aut diversitates, quæ in Novi Testamenti scriptis inveniantur, nullam esse, quæ aut non videatur quidem vera, sed tamen non sit, aut non in re sit parvi, seu potius nullius momenti. Quæ videri tantum possunt, nec tamen sunt revera, ea sunt, quæ ad doctrinam spectant: in qua non modo nulla vera in scriptis illis repugnantia aut diversitas invenitur, sed tanta est concordia & convenientia, ut vel hoc satis esse deberet ad conciliandam libro illi auctoritatem majorem, quam quivis alius liber habeat, ubi doctrina aliqua tradatur. Vix enim, aut ne vix quidem, in scriptis unius tantum hominis, licet brevibus & paucis, tanta unquam doctrinæ ubique concordia & convenientia, reperietur, quanta in eo libro, qui ex tot diversis multorum scriptis constat. Repugnantiæ porro aut diversitates seu veræ, seu quæ videri tantum possint, quæ in rebus sunt parvi momenti, eæ sunt, quæ pertinent ad historiam. Qua in re aliud nihil est opus nisi ea videre, quæ scripsit Johannes, qui Chrysostomus est dictus, in procemio commentariorum suorum in Euangelium Matthæi. Ubi si recte memini, plene huic quorundam objectioni respondet, contra auctoritatem nominatim quatuor Euangelistarum, & fidem eorum narrationibus adjungendam. Summa est, eos nihil prorsus inter se dissentire in iis historiæ partibus, quæ alicujus sint momenti; & quod in quibusdam rebus minimis inter se differant, hoc non solum illis non minuere, sed augere etiam debere auctoritatem & fidem. Hinc enim apparere, eos non scripsisse quidpiam ab ipsis communi consensu confictum, neque vera diversos scriptores fuisse, qui rei gestæ veritate impulsi, idem reipsa aperte scripserunt. Quamvis in quibusdam paucis rebus, quæ nullius sunt ponderis, cum fieri possit, ut alius alio talium rerum veritatem melius tenuerit, fortasse aliquantum, aut etiam multum diverse alius ab alio scripserit. Verum hac de re aliquid dicendum reservabimus in altero capite universæ quæstionis nostræ; ubi non ponetur pro concesso, Christianam religionem esse veram, quemadmodum ponitur in hoc primo capite. Et sane, hoc posito, nullo modo est verisimile, quemquam ex varietate quapiam, aut etiam repugnantia, quæ in rebus admodum levibus reperiatur in scriptoribus, qui adeo antiquitus adeoque communi consensu à Christianis sunt approbati, caussam arrepturum, de fide aut scientia illorum dubitandi in iis rebus, ubi inter se conveniunt, & in eo, quod reipsa quilibet eorum narrat; nisi aliunde ipsi constet, eos in his rebus interdum id scripsisse, quod minime sit verum.

Quamobrem ad ea venientes, quæ per seipsa falsa appareant, hic similiter dicimus, aut nihil tale inveniri, aut, si quid ejusmodi invenitur, id adeo parvi momenti esse, ut scriptorum istorum nihil prorsus fidem imminuere debeat in iis rebus, quæ alicujus sint ponderis. In doctrina, affirmari constanter potest, nihil inveniri, quod falsum esse aperte cognoscatur. Nam, si hoc inveniretur, non reperirentur hodie, nec antehac reperti fuissent tam multi homines alioqui prudentes ac docti, qui scriptis istis in hac ipsa parte, quæ ad doctrinam spectat, sine ulla hæsitatione plane fidem adjunxissent, uti adjunxerunt. Nihil itidem in eis invenietur, cujus contrarium probabiliter quispiam demonstrare possit, qui alioqui Christianam religionem veram esse fateatur. Neque enim id aliter quodammodo facere potest, quam si decreta, aut axiomata religionis Christianæ proferat, quæ alicui rei in Novo Testamento scriptæ adversentur. Atqui unde petat iste ejusmodi decreta, vel axiomata, quave auctoritate illa confirmare poterit, quæ ipso Novo Testamento multo non sit inferior; in quo, quod ad res externas attinet, sua fundamenta habet omnis cognitio, quæ habetur, decretorum, & axiomatum religionis Christianæ? Num id fortasse faciet, ostendens aut rationibus, aut Veteris Testamenti auctoritate, cujusmodinam debeant esse decreta vel axiomata ista; eaque aut omnino, aut ex parte aliter scripta inveniri in Novo Testamento? Hoc non crediderim ego quemquam facere posse. Quod enim ad rationes attinet, hæc nimis fallax via est in re, quæ ex divina patefactione pendeat, qualis est Christiana religio. Quod vero pertinet ad auctoritatem Veteris Testamenti, ea non est hic magnī facienda; nisi prius constet, in quem sensum in divina patefactione ista accepta fuerint verba locorum ejus libri, quæ ad id probandum afferantur. Quandoquidem certum est, non posse quemquam ulla ratione aut pacto recipere Christianam religionem, quin simul confiteatur, in ejus patefactione agnitum fuisse, vaticinationum de Christo & de rebus ad ipsum, ob idque ad Christianam religionem pertinentibus, saltem aliqua ex parte, aliam sententiam esse ab ea, quæ videatur: eamque ejusmodi, ut sine patefactione ista, de ea ne suspicari quidem quisquam posset. Nihili enim æstimandum est quoddam genus hominum, qui lingua quidem Christianam religionem profitentur, interim tamen corde, ac factis eam negant. Quippe qui revera interiore animo aut Judæi sint, aut Spiritu Judaico pleni; quem & fama & historiæ, immo perpetua eaque certissima experientia docet, semper Christiano Spiritui ex diametro (quod ajunt) fuisse contrarium. Nam asserunt homines isti, nihil in vaticinationibus illis esse, quod ita intelligi non debeat, ut ipsa verba sonant, & non aliter ullo modo. Quod tamen falsum esse demonstratur ex quibusdam, quæ de Christo ipsimet fatentur. Etenim verum est quidem, vaticinationes illas, magna ex parte, primum habuisse suum exitum, secundum nudam verborum sententiam, in aliis, quam in Christo; sed quatenus deinde in ipso Christo exitum suum habuerunt, intellectum est, sub ipsis aliam sententiam latuisse, quam verborum cortex ostenderet. Quanquam in multis ex istis vaticinationibus id, quod in aliis aliqua ratione exitum suum habuit secundum figuratam quandam, licet admodum consuetam, verborum significationem, in Christo perfecte impletum est, aut implebitur secundum id omnino, quod ipsa verba sonant, ac per se sola significant, omnī figura loquendi, quam communis usus ferat, nudata. Sed non est nunc hac de re agendi tempus. Nos, si vel ab istius generis hominibus, vel ab aliis quibusvis, qui Christianos se esse profiteantur, producentur testimonia Veteris Testamenti, ad probandum, in libro, qui Novum Testamentum vocatur, esse quædam ad doctrinam pertinentia iis contraria, quæ sub Christo fore prædictum fuerat; ad omnia (Deo volente) particulatim respondebimus, præter id, quod supra generatim respondimus. Quam responsionem nostram volumus iis quoque accommodari, quæ objici possent scriptoribus Novi Testamenti, dum Veteris Testamenti loca citant, quasi ea non recte ad rem citaverint, & longe aliter, atque eorum est sententia, interpretati fuerint, & sic quædam dixerint, quæ falsa esse appareat.

II. Sed jam tempus est, ut de secunda caussa agamus, unde dubitari possit de auctoritate alicujus libri; quam esse diximus, ignorari, quisnam revera ejus scriptor fuerit.

Dicet enim quispiam, quamvis alioqui fateatur Christianam religionem esse veram, quisnam mihi certum facit, scripta Novi Testamenti ab iis revera conscripta fuisse, qui, ut tales, in inscriptionibus aut procemiis illorum nominantur, & ea conscripsisse vulgo creduntur? Et cum nihil certi de hoc habeamus, nonne

aperte hinc sequitur, incertum esse, quinam ea scripserint; quando nulli alii nominari possunt, quoa tam verisimile sit ea scripsisse, ut istos? Quod cum ita se habeat, undenam fieri poterit, ut debeam scriptis illis fidem adhibere, sive in rebus ad doctrinam spectantibus, sive in rebus ad historiam pertinentibus? Fides, quæ historico alicui libro adhibetur, eo potissimum inniti solet, quod constet, scriptorem, rem, uti gesta fuerit, probe tenuisse, & talem fuisse, quem haud verisimile sit voluisse mentiri. Atqui huic rei quomodonam locus esse poterit, ubi ignoratur scriptor? Pari ratione, quod ad res attinet ad doctrinam spectantes, si scriptori cuipiam fides adhibenda est, nosse oportet, eum hominem fuisse doctum in eo genere doctrinæ, adeo ut ei merito credendum sit. Ut vero hoc sciatur (si modo sciri potest) an non necesse est, non dubium esse quisnam fuerit scriptor iste?

Respondeo, in universa hac ratiocinatione duo affirmari, aut pro concessis sumi, quorum utrumque falsum censeri debet. Unum est, nihil constare de scriptoribus Novi Testamenti. Alterum, cum alicujus libri scriptor ignoratur, nihil ferme superesse, quo inniti debeat fides, quæ ei adjungenda sit, sive in rebus historicis, sive in iis, quæ ad doctrinam spectant. Atque, ut id falsum esse ostendam, quod priore loco commemoravi, quemadmodum proprie postulat, quod ab initio nobis faciendum proposuimus, Dico, si ullius admodum antiqui scripti auctor non ignoratur, non ignorari certe auctores scriptorum fere omnium Novi Testamenti; immo plus horum actores sciri, quam cujusvis alterius scripti. Et sane mirum est, neminem fortasse esse, qui audeat negare, aut etiam dubitare, quin liber aliquis, quantumvis antiquitus scriptus, eum habeat auctorem, cui communi hominum consensu tribuitur, nisi firma aliqua ratione aut testimonio ad id impellatur; & tamen hodie nonnullos inveniri, qui aut negent, aut dubitent, horum scriptorum auctores esse eos, quibus communi hominum consensu tribuuntur, immo quorum se esse ipsamet majore ex parte ostendunt; cum interim nullum testimonium aut rationem habeant, qua ad hoc impelli queant. Et tamen multo minus de auctoribus horum scriptorum dubitari posse dicendum videretur, quam de auctore alteriua cujusvis similis scripti, id est admodum antiqui. Cum enim hoc, quod sciatur, quisnam fuerit scriptor libri alicujus admodum antiquitus scripti, ex testimonio eorum, qui eo tempore, quo scriptus fuit, aut paulo post fuerunt, exque perpetuo concensu doctorum hominum pendeat potius, quam ulla ex re alia; quinam liber invenitur tam antiquitus scriptus, ut scripta ista, qui tot testimonia, qualia dictum est, habeat, quot illa habent, & tam perpetuum consensum hominum prudentum de scriptoribus, quinam fuerint? Legantur ea quæ hac de re Eusebius scribit pluribus in locis historiæ suæ Ecclesiasticæ. Et invenietur, usque ad ipsius Eusebii ætatem, hoc est, per ducentorum & quinquaginta circiter annorum perpetuum spatium, postquam scripta illa conscripta atque edita fuerunt, numquam fuisse in Ecclesia, qui dubitaret, quin quatuor, quæ habemus, Euangelia, liber Actorum Apostolicorum, Epistolæ omnes, quæ Pauli Apostoli esse dicuntur, præter eam, quæ ad Hebræos est scripta; prior Apostoli Petri, & prima Johannis Apostoli; hæc, inquam, omnia, ab iis scripta fuissent, quibus tribuuntur; iisque ejusmodi, quales à nobis in examinanda superiore caussa descripti sunt. Atque intelligetur, alios non paucos scriptores fuisse, qui vel eo tempore vixerunt, quo scripta ista edita fuerunt, vel paulo post extiterunt, à quibus aperte testatum relictum fuit, auctores istorum scriptorum eos esse, quorum ipsa habent inscripta nomina. Id quod nos hodie quoque magna ex parte videmus. ex scriptis, quæ ad nostram ætatem pervenerunt Justini, Irenæi, & Clementis Alexandrini; qui omnes tres tempori illi proximi fuerunt, præsertim vero Justinus. Secuti sunt deinceps perpetuo viri prudentissimi, iique ingenti numero, qui penitus assensi sunt, rem ita se habere. Et cum tot ac tantæ fuerint in Christiana religione dissensiones, nullus tamen (quantum historiæ nos docent, & fama tulit) fuit unquam homo prudens & gravis inter eos, qui aperte ac libere Christi nomen profiterentur, qui dubitaret, quin supra enumerata scripta eorum essent, quorum esse dicuntur. Legitur quidem de quibusdam, primis illis temporibus, *Iren. lib. 1. cap. 26. Euseb. Hist. Ec. lib. 3. cap. 24*, qui Judæi potius, quam Christiani, dici debent, à quibus Pauli Epistolæ rejiciebantur. Sed non negabant tamen isti eas Pauli esse; immo se idcirco eas non recipere prositebantur, quod Paulus, qui eas scripserat, Legis divinæ per Mosem datæ proditor fuisset: & hodie quoque tales nonnulli inveniuntur. Ac præterea isti ipsi haud magni faciebant scripta nostrorum quatuor Euangelistarum, exceptis Matthæi scriptis. Sed & alii istorum similes aut deteriores, diversa diversi ex supra enumeratis scriptis non receperunt. Non legitur tamen, eos negasse, illorum scriptores eos fuisse, qui dicebantur.

At dicet quispiam, ut demus, jure dubitari non posse, quinam supra enumerata Novi Testamenti scripta conscripserint, dubitari certe admodum jure potest, quinam reliqua alia conscripserint. Nam & veteres de illis omnibus dubitarunt, & de nonnullis hodieque dubitatur.

Ad hoc primum dico; etiamsi scripta ista omnia rejicerentur, satis futurum alia recipi; illa, inquam, quæ quinam scripserint, nihil vel dubitatur, vel dubitatum fuit unquam: quando nihil alicujus momenti in istis est, quod in illis quoque non sit. Et sane solæ Pauli Apostoli, quæ dicuntur, Epistolæ, (ea excepta, quæ scripta est ad Hebræos, quam etiamnum multi ei non tribuunt) quas, ut dictum est, ne ii quidem, qui eas rejiciebant, ab ipso Paulo scriptas esse negabant, satis omnino essent ad sententiam ferendam in omnibus iis, de quibus aliquo cum fructu in Christiana religione disceptari potest. At deinde addo, quod attinet ad posteriorem Petri Epistolam, & ad Epistolas Jacobi, & Judæ (quarum unaquæque in ipso initio nomen expressum habet illius, cui tribuitur, ut ejus, qui eam scripserit) quantum ex historiis, aliisque indiciis colligi potest, ideo quinam eas scripsissent, dubitatum ab initio fuisse, quod repertæ essent, postquam ex reliquis scriptis quasi liber jam factus esset, ac constitutum fuisset, illa sola, nec præterea alia, fide prorsus digna censenda esse, quod ad historiam attineret, & doctrinam Christi atque Apostolorum. Sed, cum postea, tempore procedente, ex indiciis huic rei aptis cognitum fuisset, istas Epistolas illorum ipsorum Apostolorum esse, exempta plerisque dubitatio illa fuit, & sic inter alias sunt numeratæ: & ea quidem, quæ Jacobi est, ante duas reliquas. Quemadmodum etiam intelligi potest ex vulgaris codicibus Syriacis, in quibus illa extat, reliquæ duæ non item; fortasse, quod de ea prius aliquid certi haberi coeptum est. Jam de duabus posterioribus Johannis Epistolis, verum est, eas non ita communiter ab omnibus, ut Johannis Apostoli scripta, fuisse agnitas ac receptas, *Euseb. lib. 3. cap. 19.* Sed tamen à plerisque, ut tales, fuerunt receptæ, & ab illis etiam, qui de illarum scriptore, quisnam videlicet fuisset, dubitabant, approbatæ, & fide dignæ existimatæ. Cognitum enim fortasse fuit, illas ab ipso initio hoc honore dignas habitas fuisse ab iis paucis ad quorum manus pervenerant. Quo magis vero tempus processit, eo magis deinceps perpetuo & de his, & de aliis supra enumeratis scriptis firmiter creditum est, illorum auctores eos fuisse, qui vulgo existimantur; adeo ut per plura sæcula, cum adhuc in Christiana Ecclesia magni momenti dissensiones essent, non secus atque, usque ad nostra tempora, postquam dissensiones istæ desierant, sicut de illis, ita & de his, vix ullus homo, intelligens existimatus, dubitare inventus fuerit. Tametsi vero, quo magis tempus procedit, eo etiam

magis

magis ab eo tempore, quo conscripta fuerunt, ob eamque rem à monumentis absumus, & indiciis auctorum uniuscujusque ipsorum; tamen omnino credendum est, perpetuum istum omniumque communem consensum (maxime vero ejusmodi hominum, qui non modo alioqui inter se dissentiant, sed plane contrarias opiniones habeant, quas quilibet ipsorum cum scriptis istis convenire contendat) de auctoribus prædictis, ob idque de auctoritate eorum, quæ diximus, scriptorum, non casu extitisse, sed propter testimonia aliaque aperta ejus rei argumenta, quæ procedente tempore in dies magis apparuerint, & confirmata fuerint. Quod attinet ad Epistolam ad Hebræos scriptam, non dubium est quin ad hunc usque diem immo hodie multo magis, quam pluribus retro actis seculis, dubitatum fuerit, ac dubitetur, quisnam eam scripserit. Opinio enim vulgo recepta, eam esse Pauli Apostoli, non paucas nec leves difficultates habet: & ego quidem, me ex illorum numero esse fateor, qui ægre adducuntur, ut id credant. Nam præter alias rationes, quæ inde me retrahunt, videtur mihi ipsa in universum scribendi ratio auctoris illius Epistolæ admodum diversa ab ea, quam sequutus est Paulus, quamvis æque divina. Ne quidquam dicam de stylo, eoque, quem Græci characterem vocant, illius Epistolæ; qui, ut Græcæ linguæ periti asserunt, admodum dissimilis est characteri, & stylo aliarum Pauli Epistolarum: quandoquidem hodieque multi sunt, qui omnino volunt, eam Judaico sermone fuisse conscriptam; refragrantibus pluribus iisque apertis indiciis, quæ in ipsa reperiuntur, contrariæ sententiæ. Ingenue igitur fateor, de scripto hoc non sine caussâ dubitari, num illius auctoris fuerit, cui communiore consensu tribuitur. Nihilominus tamen (ut interim de altero agamus, quod falsò sumi diximus in ratiocinatione illa, qua explicata est in quæstione nostra hæc secunda caussa fidei, libro alicui minime adhibendæ) dico, etiamsi nomen auctoris alicujus scripti ignoretur, non tamen ejusmodi scriptum nullius auctoritatis existimandum esse, aut etiam minoris, quam si non ignoraretur, sive in iis, quæ ad historiam, sive in iis quæ ad doctrinam spectant; dummodo constet, scriptum istud ab iis, qui optime noverant, an ea vera essent, quæ in ipso continentur, verax existimatum fuisse. Atqui hoc in ea Epistola contigisse cernimus: ea siquidem primis illis temporibus, id est, cum adhuc multi eorum viverent, qui cum ipsis Apostolis consuetudinem habuerant, ut aperte ex historiis * colligi potest, quamvis multi ex Romana Ecclesia, aut etiam ipsa Ecclesia Romana contradiceret, generatim ab omnibus Christianis approbata fuit; adeo ut illi ipsi, qui contradicebant, ab aliis potius in eo dissentirent, quod nollent, eam ab Apostolo Paulo scriptam fuisse, quam ulla alia in re. Eam autem antiquitus admodum approbatam fuisse, fidem inter cætera facit vulgatus codex Syriacus Novi Testamenti; quippe in quo illa extet. Reliqua est Apocalypsis, quod scriptum semper communi consensu tributum fuit Johanni Apostolo & Euangelistæ. Multi tamen hac de re dubitarunt. Verum Justinus, † qui eo propemodum tempore vixit, quo conscriptum fuit, illud ut Johannis, quem diximus, opus citat, eique, quemadmodum etiam Eusebius testatur, aperte tribuit. Irenæus * autem, qui paulo post Justinum extitit, quique similiter, ut ipsemet affirmat, proximus fuit ei tempori, quo visio illa ejus scriptori contigit non solum (id quod etiam idem † Eusebius testatur, ipsis Irenæi verbis citatis) asserit, scriptum istud esse Johannis Apostoli; sed etiam non obscure ait, id testimonio eorum confirmatum sua ætate fuisse, qui ipsum Johannem de facie cognovissent. Quocirca non videtur, propter parvam aliquam aut etiam magnam dissimilitudinem rationis scribendi in universum, ac styli ab aliis ejusdem Johannis scriptis longe diversi generis (quæ omnium fortasse rationum potissima est, quæ afferuntur ad probandum, scriptum illud non esse ipsius) debere aut posse dubitari, quin ejus sit opus; maxime cum simul adsint tot alia testimonia, & conjecturæ, ut illi ipsi, qui prorsus negarent, ejus esse, illudque rejecerunt, coacti fuerint fateri, à quopiam conscriptum fuisse, qui persuadere voluerit, istum ipsum Johannem illud conscripsisse. Atque hæc satis sint de secunda hac caussâ.

III. Tertia caussa, propter quam diximus dubitari posse de auctoritate alicujus libri, hæc est; videlicet si constet, aut justa suspicio sit, librum fuisse immutatum ac depravatum. Ubi primum animadvertendum est, necesse esse, ut depravatio sit vel totius historiæ aut doctrinæ in universum, vel singularium aliquot locorum, ex quibus ipsa historia aut doctrina non immutetur. Si enim vel partis tantum esset historiæ aut doctrinæ, vel locorum, ex quibus ipsa historia aut doctrina immutaretur, id facile aliqua ratione appareret; propterea quod non esset convenientia illius partis cum reliquis, immutatioque ista latere non posset, præsertim doctrinæ. Itaque appareret in libro repugnantia, aut parva ejusdem secum consensio: quod, jam diximus, &, ut hoc loco licet, probavimus, non deprehendi in Novi Testamenti libro: quin potius in eo inveniri mirabilem ubique consensum atque concentum; adeo ut hoc solum, si quis consideret, quot scriptores, & scripta in eo contineantur, satis esse debeat, ut quilibet judicio præditus ei fidem vel maximam adjungat. Jam vero, ut depravatio sit totius doctrinæ aut historiæ in universum, id fieri prorsus nequit, si modo id firmum maneat, quod supra ostendimus; ista videlicet scripta eorum esse, quibus tribuuntur: neque enim alioqui illorum scripta essent, sed aliorum. Quodsi depravatio est aliquot locorum singularium, ex quibus nec doctrina nec historia immutetur, quidnam hoc momenti habet? Aut quam vim habere potest, ut libro alicui fides minime habeatur in iis, quæ alicujus sunt momenti? Nam si quis dixerit, ex depravatione in rebus levioribus jure dubitari posse, ne hoc idem in rebus gravioribus acciderit: respondebo, jam hic, ut demonstratum est, pro concesso sumi, in rebus gravioribus hoc non accidisse. Sed videamus præterea, quænam probationes, aut conjecturæ adsint depravationis, sive ex toto sive ex parte, scriptorum Novi Testamenti. Quod attinet ad probationes, eas oportet aut ex testimoniis hominum dignorum quibus fides habeatur, aut ex validis rationibus proficisci. Jam testimonia ejusmodi nulla adsunt. Quinimmo summa omnino reverentia, in qua hæc scripta fuerunt apud omnes, qui antiquioribus temporibus inter Christianos alicujus nominis erant, aperte nobis testatur, istos existimasse, ea neque ex toto, neque ex parte depravata fuisse. Alii homines digni, quibus hac in re fides habeatur, nulli invenientur. Etenim, si Christiani non sint, fieri potest, ut sic locuti ac testati fuerint ex animi perturbatione, atque ut eo minus vera existimetur Christiana religio, quam nos in hoc quæstionis nostræ capite verissimam pro concesso ponimus. Sin Christiani quidem sint, sed parvæ, aut nullius actoritatis, quodnam pondus habere poterit eorum testimonium? Et nisi admodum antiqui fuerint, iisque temporibus proximi, quibus scripta ista conscripta sunt, qui testari vere potuerint, ea postmodum corrupta fuisse ac depravata? Validas porro rationes, quibus corruptio hæc ac depravatio probari queat, ego quidem nullas video. Si quis enim argumentando eam colligere velit ex rebus manifesto falsis, vel inter se repugnantibus aut diversis, quæ in ipsis scriptis legantur; jam dictum est, res ejusmodi minime in eis inveniri; aut certe non tales, quæ ullius sint momenti, & idcirco non aptas ne ad suspicionem quidem inducendam depravationes ipsorum. Quod si quis fortasse eam probare velit

* Euseb. lib. 3. cap. 3. & lib. 6. cap. 14. † In colloquio cum Tryphone lib. 4. cap. 17. Euseb. lib. 4. cap. 18. Tertull. similiter Johanni Apostolo librum Apocal. tribuit lib. 3. adversus Marcionem. * Iren. lib. 4. cap. 37. & lib. 5. circa finem. † Euseb. lib. 5. cap. 8.

velit ex variis lectionibus, quæ habentur plurium in ipsis locorum, Dico, quamvis necessarium quodammodo sit, unam tantum esse veram lectionem, alias vero falsas, non tamen dici posse, scripta illa esse depravata; immo jure posse affirmari, ea valde conservata esse. Nullum enim est scriptum, in quo temporis longinquitate, ob varias incidentes caussas, multa aliqua ratione non immutentur. Quamobrem inter antiqua scripta illud minus depravatum censeri debet, cujus pluribus in locis variæ lectiones extant. Ut verisimile sit, in quolibet loco, quem tempus immutavit, veram lectionem inter ipsas extare; quam lector, ratione duce, & collatione aliorum locorum similium, assequi atque amplecti possit. Magis vero depravatum illud existimandum est, cujus nusquam ulla extat varia lectio. De scriptis loquor, quæ in complurium manus pervenerint, & quorum necesse sit multa exempla decursu temporis scripta fuisse; qualia præ cæteris omnibus fortasse sunt Novi Testamenti scripta. Quot libros antiquitus conscriptos habemus, quorum variæ lectiones si ad nostram notitiam pervenissent, non dubitaremus fortasse, ut facimus, de ipsorum sententia in locis innumeris; nec opus esset, ut nos tantopere torqueremus, quo assequi possimus, quemadmodum modo hic, modo ille locus legendus sit, quando liquido apparet, fieri non posse, ut ibi ita scriptum fuerit, quemadmodum legitur? Jam igitur, ut de conjecturis agamus depravationis scriptorum Novi Testamenti, si quispiam dixerit, admodum verisimile esse, tot sæculorum spatio, cum tot exempla eorum descripta fuerint, ea pluribus in locis fuisse immutata; id sane non negabo. Sed simul dicam, ex variis lectionibus apparere posse vestigia immutationis, qualisnam ea fuerit.

Quod si quis præterea dixerit, verisimile esse, ut ii, qui in Christiana religione inter cæteros principatum in orbe terrarum obtinuerunt, quorumque de ipsa religione sententiæ prævaluerunt, tot sæculis, quibus regnarunt, multis in locis religionis ipsius libros corruperint, eorumque verba, ad suam sententiam illa accommodando, immutaverint;

Respondebo similiter, me non negare, quin verisimile sit, eos tentasse, aut cogitasse id facere. Verum, tam magnum exemplorum numerum, qui variis in linguis semper horum librorum per terrarum orbem diffusus fuit; tot veteres, qui aut explanationes & commentaria in eos ediderunt, aut de rebus ad Christianam religionem spectantibus scripserunt, à quibus sæpe sæpius ex his libris aut verba aut sententiæ citantur, id illis non permisisse. Cujus rei satis manifestum indicium esse potest, quod nulla est opinio, de qua diu olim disputatum fuerit, quæ ex iisdem codicibus, quos à se conservatos ipsi approbant, non possit, ut antea, disputanda suscipi; quodque ex his ipsis codicibus gloriantur hodie innumeri se detegere istorum (ut quidem eam ipsi vocant) tyrannidem, ac falsitatem innumerabilium ab eis receptarum opinionum. Quanquam præterea & contra hanc, & contra quamcumque aliam conjecturam, quam quis in medium afferre possit depravationis scriptorum Novi Testamenti, conjectura quædam pugnat longe illis gravior, quæ sola eas omnes diluere atque evertere potest. Ea est, quod plusquam verisimile censeri debet, Deum, cujus bonitas, & providentia infinita est, non permisisse, ut illa scripta, quibus continebatur potissima, quam sui-ipsius suæque voluntatis simulque salutis nostræ, humano generi, toto hoc ab orbe condito tempore, largitus est, notitia; quæque ut talia, quæ eam continerent, à vere piis in ipsum Deum hominibus semper recepta fuerunt, ulla ratione depravata ac corrupta fuerint. Nam, si quis, hoc verisimillimum esse, negare velit, necesse est etiam, ut neget, aut Christianam religionem esse veram, adversus id, quod hoc loco pro concesso ponitur; aut Novi Testamenti scripta ab iis conscripta fuisse, qui ea conscripsisse existimantur, adversus id, quod jam probatum est, immo in hac ipsa disputatione de scriptorum illorum depravatione, jam firmum constitutumque habetur. Quamobrem plura de hac tertia caussa verba minime facientes, jure possumus ulterius progredi, præsertim cum de ea iterum dicendum sit, ubi separatim de Veteris Testamenti scriptis agetur; ibique addendum, si quid hoc loco prætermissum fuerit.

IV. Restat igitur quarta & postrema caussa, quam paucissimis verbis expediemus. Quandoquidem nulla (quod sciam) testimonia extant hominum hac in re fide dignorum, quod Novi Testamenti scriptis, si modo Christiana religio vera est, fides non sit adhibenda. Et sane quidem, si ab aliquibus veteribus Christianis, de quorum sanctitate, & hujus ipsius rei cognitione, ex historiis aperte constaret, simpliciter testatum deprehenderetur (etiam nulla ejus rei ratione allata) non debere scriptis istis fidem adjungi; hoc solum satis esse posset ad detrahendam illis fidem, aut certe eam valde dubiam suspectamque reddendam. Verum, ut dixi, quod hoc deprehendatur, nihil scio; nec fieri ferme potest, ut tale quid ad nostram notitiam pervenerit: cum nemo unquam vulgo verus Christianus existimatus fuerit, qui de auctoritate eorum scriptorum in universum dubitaverit, nedum affirmaverit, in rebus ad Christianam religionem pertinentibus, scriptis illis credendum non esse, neque eis standum.

Hactenus nobis videmur satis aperte demonstrasse, si concedatur, Christianam religionem esse veram, nullam esse caussam, cur dubitari debeat de auctoritate ejus libri, qui Novum Testamentum appellatur. Ex quo, ut ab initio diximus, necessario sequitur, non esse similiter, cur dubitetur de auctoritate ejus libri, qui appellatur Vetus Testamentum, cum is à Novo Testamento manifeste confirmetur. Nulla siquidem scripta hoc loco ad eum librum pertinere agnoscimus, præter ea, quæ Christi, & Apostolorum ejus tempore, jam, ut sacra, in Judaico populo recepta fuerant, atque ejusmodi, quibus prorsus fides adhibenda esset. Hæc sunt illa omnia, quæ hodie quoque Judæi, ut talia, approbant & agnoscunt; quæ denique ipsorum Bibliis continentur, & universe apud Christianos sine controversia plenam auctoritatem obtinent. Quare nihil hic est opus agere vel de duabus prioribus, vel de quarta earum caussarum, quas de Novo Testamento verba facientes examinavimus, ex quibus induci quispiam possit ad fidem alicui libro minime adjungendam; cum nulla ex istis tribus, ob jam expositam causam, locum habere possit in Vetere Testamento, si Novi auctoritas agnoscatur. De tertia tantum nonnihil agendum erit. Sed prius tamen aliquid mihi dicendum videtur de ipso Mose, qui præcipuorum Veteris Testamenti librorum scriptor fuit, in quibus non modo reliquorum omnium, verum etiam totius (ut sic dicam) religionis fundamenta continentur.

Audivi enim aliquoties, doctos quosdam viros libris istis objicere, quod in eis ea narrentur, quæ longissimo tempore ante Mosem, qui eos scripsit, natum evenerint, nedum is potuerit ex propria scientia (ut loquuntur) illa scribere, atque, ut facere videtur, asserere, & idcirco caussa sit, cur ejus dicto non sit standum.

Hæc objectio tametsi aliquid coloris habet, tamen, ut mox ostendemus, nullam vim habet ipsa per se. Primum igitur animadvertendum est, rationem hanc longinquitatis temporis inter scriptorem, & res, quas scribit, posse quidem hanc vim habere, ut ipsi indubitata fides minime adhibeatur, non tamen per se ipsam efficere posse, ut nihil ei credi debeat. Alioqui rejiciendi penitus essent complures celebres historici, qui de rebus scripserunt ab eorum ætate longe remotis. Et tamen non solum isti penitus non rejiciuntur, sed etiam generatim non mediocris fides illis adjungitur, ut Livio, Plutarcho, & aliis non paucis. Hoc autem ideo dico, quod, etiamsi hic quæri tantum videatur de plena fide adhibenda: tamen, ut postea dicetur, ad rem etiam plurimum facit, scire, num historiis, de quibus agimus, debeat aut possit ea fides adhiberi, quæ

aliis

aliis multis, de quibus tamen nihil certi habemus. Deinde vero dico, quod Moses ea ætate vixerit, quæ remotissima fuerit ab eo tempore, quo multa evenerunt eorum, quæ narrat, hoc per seipsum non debere fidem illis quidquam detrahere. Etenim aut volumus, Mosem talem fuisse, cui fides haberi possit in iis, quæ scribit suo tempore evenisse, quæque ipse optime noverat, an vera necne essent, & quomodo prorsus se habuissent: aut nolumus fuisse talem. Si nolumus talem fuisse, vanum est commemorare magnum illud intervallum, quod est inter res quasdam ab ipso scriptas, & tempus quo ipse vixit; quasi tacite dicere velimus, in rebus, quæ vel proxime; vel ipsius tempore extiterant, deberi aut posse illi credi. Sed oportet aperte dicere, non debere illi quidquam credi; ac ne illa quidem, quæ sibi ipsi accidisse narrat, aut quibus se interfuisse affirmat, nedum aliud quidpiam. Sin autem volumus, eum talem fuisse, cui fides haberi debeat saltem in iis, in quibus nullo pacto falli potuerit; & concedimus, eum hominem insigniter ac consulto mendacem ac mentientem minime fuisse; necesse est, ut pariter velimus & concedamus, verissima esse, quæ scripsit, quantumvis longo temporis spatio ab ejus ætate dissita, maxime vero id, quod vel minus verisimile videtur, vel minus potuisse ab ipso resciri; hoc est hunc, quem videmus, mundum à Deo creatum fuisse, & quomodo. Narrat enim idem Moses de se ipso, idque constanter asseverat (qua in re fieri non potest, ut falsus fuerit) se in tam alto gradu apud Deum fuisse, & usque ad mortem adeo illi charum, utque ipse ait, necessarium ac familiarem, ut hoc verum esse nequeat, quin simul verum sit, eum non solum rescire potuisse ea, quæ longissimo temporis spatio ab ipsius ætate distabant, maxime vero ea, quæ proprie ad ipsum Deum pertinebant, sed etiam cum certo illa rescivisse, prout ab ipso scripta sunt. Alioqui Deo charissimus atque intimus fuisset homo scelestus & indignus qui viveret, qui videlicet ausus fuisset ea scribendo asseverare, non modo de aliis, sed de ipso Deo, deque ejus operationibus, quæ sibi comperta non essent, & tam graviter alios fallere. Sed jam ad propositum nostrum revertamur.

Dico igitur, non posse quidquam dubitari de auctoritate libri, qui Vetus Testamentum appellatur, nisi si quis dixerit, ab eo tempore, quo Novum Testamentum conscriptum fuit, fuisse Vetus Testamentum pluribus in locis corruptum ac depravatum; quos cum plane nosse nequeamus, esse cur de omnibus ejus libri locis dubitemus. Verum quisnam erit, qui vere affirmare istud possit? Præterea, ut non tantum de certitudine, sed de suspicione quoque agamus, aut depravatio ista casu evenit, aut data opera. Si casu; quinam liber est, in quo hoc idem evenire non potuerit? Ergo, si ob istam caussam dubitandum est de omnibus, quæ hodie in Vetere Testamento leguntur, quasi aliter legantur ac scripta fuerint, oportet ob hanc ipsam caussam in eodem dubio versari circa omnes, qui ubique extant, libros; ac propterea, quod ad historiam attinet, nihili facere quemcumque, qui legatur, librum. Jam vero quis nescit, librorum depravationes, quæ casu eveniunt, præter quam quod levioris momenti esse consueverunt, plerumque tales esse, ut earum in ipsis locis indicium aliquod appareat; eosque qui judicio non sunt destituti, optime nosse, quinam esse queant suspecti loci, qui rursus ejusmodi, ut in iis depravatio ulla casu evenire minime potuerit? Sin autem depravatio ista data opera evenit, necesse est Judæos id fecisse, quandoquidem illi perpetuo tanquam custodes ejus libri fuerunt. Judæos vero haud verisimile est, ut apparet, aliud depravare aggressos fuisse, nisi aliquot loca, in quibus aliquo modo verba fierent de futuro Messia, quæ satis aperte intelligerentur de Jesu Nazaræno, quem ipsi in crucem sustulerunt, vere dicta esse, & in eo impleta fuisse: aut loca alia, quæ quavis tandem ratione eis adversarentur, ac fidem facerent pertinaciæ ipsorum. Quæ depravatio nihili facienda est. Cum jam pro concesso hic ponatur, non recipi Vetus Testamentum, quin simul recipiatur Novum, in quo apertissime continetur quidquid pertinet ad cognitionem Jesu Nazaræni, ut Messiæ in Vetere Testamento, promissi, & ad excellentiam, & gloriam ipsius, & simul ad Judaici populi perversitatem. Postremo considerandum est (disputet contra quivis) si recipiatur Novum Testamentum, non posse ad ipsam religionis summam quidquam fere momenti habere, quamcumque Veteris Testamenti depravationem, cum nihil non levis momenti potuerit esse in Vetere Testamento, quod Novo non contineatur; nec quidquam illius recipiendum sit quod non conveniat cum iis, quæ in hoc sunt scripta. Adeo ut utilis quidem plures ob caussas sit lectio Veteris Testamenti iis, qui Novum recipiunt, id est, hominibus Christianæ religionis, sed non tamen necessaria. Hocque ideo dictum volumus, ut eodem tempore respondeamus iis (si tales fuerint) qui, ut auctoritatem Veteris Testamenti minuant, atque ostendant, scripta illa fuisse depravata, dicturi sint, multa in eo legi, quæ nihil prorsus cum quibusdam conveniunt, quæ in Novo Testamento leguntur. Quandoquidem ista suo tempore & vera fuerunt & sancta. Sed postea qualitatem mutarunt, cum mutatum est Testamentum (ut etiam ipsa nomina indicant, Vetus & Novum) id est fœdus, quod pepigit Deus cum populo suo.

CAPUT II.

In quo hoc idem demonstratur iis, qui nondum credunt Christianam religionem esse veram. Primum iis, qui credunt aliquam esse, aut esse posse veram religionem. Deinde iis, qui existimant, nullam veram religionem esse posse.

Ostendimus, ut quidem nobis videtur, quantum satis est, nullam esse causam, cur quis dubitare debeat de auctoritate librorum Veteris, & Novi Testamenti, si modo concedatur, religionem Jesu Nazaræni, qui dicitur Christus, esse veram. Sequitur nunc, ut videamus, quemadmodum auctoritas horum librorum probari possit, ubi quis dubitet, an religio ista sit vera, necne; aut etiam firmiter credat, eam esse falsam. Et quanquam non soleat ejusmodi de re his conditionibus disputari, cum vanum esse videatur conari cuiquam persuadere, fidem adjungendam esse libris quibusdam de religione agentibus, quam veram esse, jam constans non sit opinio: tamen tentabimus breviter exponere, quæ hic etiam dici posse arbitramur.

Necesse est igitur primum in hoc disputationis nostræ capite talem distinctionem facere. Nam aut is, qui dubitat de veritate religionis Jesu Christi, eamve falsam etiam penitus esse existimat, credit esse, vel esse posse religionem aliquam veram: aut credit, religiones omnes, quæ sunt, vel esse possunt, esse falsas; & idcirco aut negat, Deum esse, aut non concedit, illius cura & providentia homines singulatim regi & gubernari. Communis quædam utrique istorum ratio, qua videlicet illis probari queat libris supra dictis fidem adjungendam esse, hæc foret; Nempe illis demonstrare, Christianam religionem esse veram. Jam enim ostensum est, si hoc probetur, nullam causam esse, cur id fieri non debeat. Quanquam vero hæc res ejusmodi est, quæ longam disputationem requirat, ipsaque per se magnum plane volumen postulet: tamen, quatenus brevissima, qualem hic instituimus, scribendi ratio fert, videbimus, ut aliquid de hoc dicamus, ratione habita, idque separatim alterius ab altero, utriusque generis istorum hominum.

I. Quantum igitur ad eum attinet, qui credit esse, vel esse posse aliquam veram religionem, videre nequeo, si modo is judicio sit præditus, quomodo clare non perspiciat, Christianam religionem non solum alias

omnes longe antecellere, sed etiam omnia habere, quæ io religione aliqua vera desiderari possint, adeo ut aut hæc sola sit vera, aut nulla vel sit, vel esse possit non falsa.

Sed dicet quispiam: Quanam ratione vis, me quidquam de Christiana religione judicare posse, cum nesciam qualisnam sit ista Christiana religio, propter tot tamque diversas immo cootrarias opiniones, quæ antiquitus fuerunt, hodieque sunt, de rebus ad eam pertioentibus?

Respondeo, istas tot tamque diversas, aut etiam contrarias opiniones, nihil impedire, quominus de summa quadam constare possit ejus religionis; quæ summa sine dubio id est, in quo omnes, qui eam religionem, profitentur, videntur convenire; *præcepta* scilicet sanctissima quæ in ipsa dantur, *promissaque* admirabilia vereque Deo digna, quæ in ipsa continentur: quibus duabus rebus tanquam partibus, omnis religio potissimum constat. Quænam vero alia religio unquam fuit, aut esse potest, io qua tanta, oedum major, vitæ innocentia ac probitas vera præscribatur, tamque oedum magis, ab omni superstitione aliena, & ab omni quamvis minima caussa irrisionis sibi conciliandæ, quam illa est, quam omnes, qui Christianos se esse profitentur, agnoscuot præscribi in Christiana religione? Quin potius, quænam alia religio est, cujus præcepta, si cum præceptis Christianæ religionis comparentur, non videantur tanquam exiguum & obscurum aliquod lumen soli oppositum atque collatum? Jam quod attinet ad promissa, quis est, quio videat, ne excogitari quidem posse ulla nec subliminora nec magis divina, quam illa siot, quæ Christianæ religionis auctor, iis fecit qui eam colerent? Adde quod modus ista præcepta dandi, istaque promissa faciendi, qualem eum fuisse consentiunt omnes, qui Christiani appellantur, adeo rarus ac perfectus est, ut io summam admirationem adducat quemcumque eum diligentius considerantem. Hic enim is, qui præcepit, primus etiam omnium ea, quæ præcepit aliis, ipse fecit; idque manifeste atque absolute, ut non minus docuerit, quæ facienda sint, suo ipsius exemplo, quam verbis. Idemque ipse, postquam palam & in oculis omnium ea via incessisset, quam aliis monstraverat, eo pervenit, quo illam ducere affirmaverat; promissaque illa est adeptus, quæ aliis fecerat, unaque potestatem consecutus ea aliis præstandi, quemadmodum se facturum promiserat. Quæ igitur alia religio cum hac in his rebus æquari potest, præsertim vero in postrema hac parte? Nam quæ alia est, in qua evenerit, ut is, qui ejus auctor & princeps esset, promiserit seipsum daturum præmium à se propositum iis, qui ipsius præcepta servassent? aut illud idem præmium ipse obtinuerit, nedum facultatem illud aliis dandi? Promisit Moses, Legem, quam ipse dedit, conservantibus, multa felicia in hac vita, quorum non apparet ipsum, oisi minima ex parte, participem fuisse: qui toto fere tempore, quo vixit, laboribus & molestiis circumdatus fuit; & ne datum quidem in ipso vitæ extremo illi est, ut io eam regionem ingrederetur, quam Deus perpetuo possidendam ei populo dederat, quem ipse eo ducebat, oedum ut ipse eum illuc introduceret, plenumque tot suorum laborum fructum cerneret. Mahometes similiter iis, qui religionem à se promulgatam coluerint, promisit post hanc vitam gaudia, & voluptates magnas, quarum hactenus illum partem ullam adeptum fuisse, nullum indicium extitit. Quinimmo constat hodie, aut constare creditur, ubinam corpus illius sit, vita omnique sensu destitutum jam inde à mille circiter annis.

Nam si quis diceret, si ea qoidem vera essent, quæ auctori Christianæ religionis evenisse dixi, nulla alia disputatione opus futurum, cum ex illis necessario concludendum foret, hanc religionem esse verissimam: verum de ipsis dubitari, aut etiam firmiter credi, fabulas esse ac mendacia.

Responderem, quod pertinet ad illud, de quo hic agitur, nihil opus esse inquirere, an ista sint vera, necne. Sed satis esse, in Christiana religione ita affirmari, ut à me dictum est, ad hoc, ut hæc religio cum aliis omnibus conferatur; positis videlicet iis, quæ in illis affirmantur, ac demonstrato, hanc illis longe antecellere, paribus alioqui conditionibus, hoc est, pro concesso sumpto, eandem prorsus fidem adjungi omnibus, quæ vel in hac, vel in illis affirmantur. Quanquam ea, quæ in Christiana religione ejus auctori evenisse affirmantur, idoneis probationibus non carent; ejusmodique eorum indicia apparuerunt, ut, qui audeat plane contrarium asserere, id est, fabulas ea esse ac mendacia, ostendat se non admodum intelligentia pollere, ac temerarium esse; quemadmodum inferius demonstrabitur. Cum igitur, si id tantum consideretur, quod de rebus ad Christianam religionem pertinentibus, veritatis vi plane cogente, omnes, qui eam profitentur, affirmant, semperque affirmarunt, facile cognosci possit, quantopere cæteris ea sit anteferenda; quidnam (putas) foret, si omnium rerum præcipuarum ad eam pertinentium veritas oota esset? Quæ tamen hodie quibusdam paucis est nota, qui præter modum obstupescunt divinam & admirabilem sapientiam, quæ in ipsa tota, in singulisque ejus partibus continetur; atque aperte vident aut nullum prorsus locum habere, aut facillime everti posse, quidquid contra ipsam afferri vel solet, vel etiam potest: cum pleraque ex illis ideo afferantur, quod per errorem falso ponuntur quædam quasi maxime ratæ ac necessariæ sententiæ in ea religione; quodque adhuc ex parte ignoratur, quemadmodum de quibusdam ex præcipuis rebus ad ipsam spectantibus sentiendum sit. Quos errores nunc mihi explicandos reservo, si unquam Deo placuerit, ut plene de veritate hujus sacratissimæ sanctissimæque religionis scribam; ubi ad omnia graviora respondebo, quæ contra eam possunt afferri. Quod vel ex toto, vel ex parte alii quidam jam tentarunt; sed quia istis non recte ejus arcana nota erant, & ob eam caussam multa adversariis concesserunt, quæ falso de ea pro veris ponunt, hinc factum est, ut minime iis satisfacere potuerint, qui acuti fuerunt & excelso ingenio præditi. Potest igitur, ut ad rem nostram redeamus, vel ex eo solo, quod de Christiana religione ab iis semper affirmatum est, qui eam sunt professi, facile, quicumque judicio penitus destitutus non sit, cognoscere, quantopere hæc religio cæteris omnibus sit anteponenda; &, si ulla quæpiam vera religio in terris est, aot esse potest, hanc illam esse. Quinetiam quando generatim ii, qui unquam se Christianos esse professi sunt, quantumvis diversas ac repugnantes inter se opiniones alii ab aliis habueint, fassi sunt, in libro, qui Novum Testamentum appellatur, summam religionis ipsorum contineri, potest, qui de ejus veritate dubitet, librum illum accurate legendum sibi sumere; & sane, nisi plane stolidus fuerit, nec apud animum suum jam statuerit, quænam aut ex toto, aut ex parte, siot ejus religionis decreta, sine ulla alia ope ad clarissimam cognitionem perveniet multarum rerum ad eam pertinentium, quæ id efficient, ut ipsa, (quod ajunt) manibus contrectet ipsius præ cæteris omnibus religionibus excellentiam.

Quod si quis objiciat, noo posse quemquam Novum Testamentum in hunc finem legere, ut aperte cognoscat ea quæ sunt religionis Christianorum, à Jesu Nazaræno traditæ, cum de auctoritate ipsius Novi Testamenti dubitetur;

Respondebo (hocque ad materiam quoque superioris capitis accommodari poterit) necesse esse, ut dubitatio, quæ hic merito esse possit, de auctoritate ejus libri, ad ipsam historiam pertineat rerum, quæ eo tempore evenerint (idque in ea tantum parte, quæ nequaquam communiter ab omnibus etiam maximis Jesu Nazaræni inimicis, ot vera, recipitur; quæque, si reciperetur, aperte demonstrare posset, ipsius Jesu religionem bonam esse & dignam, quæ recipiatur) atque etiam ad promissa, aliasque rerum futurarum prædictiones, aut

nes, aut ad patefactionem rerum præsentium vel præteritarum; sed nullo pacto ad doctrinam, quatenus historice consideratur. Quis enim risu dignus non fuerit, si affirmantibus cujusvis religionis hominibus, suam ipsorum religionem certo quodam libro contineri, quod idem semper sensisse constet eos, qui ejus religionis fuerint, dicat ipse se id minime credere? Nam quis est, exempli gratia, qui negare audeat, aut etiam dubium apud se id esse dicat, in Vetere Testamento contineri religionem Judaici populi à Mose traditam, vel in Alcorano seu Corano religionem, quam Turcæ aliique Mahometani à Mahomete traditam habent? Quamobrem durum ac novum admodum videtur, quemquam inveniri, qui sciens, Novi Testamenti librum semper à Christianis hominibus eum existimatum fuisse, in quo scripta contineatur summa religionis ipsorum, audeat ipse dicere, se hoc non credere, aut de eo dubitare; nec confiteatur satis esse, ut quis certam cognitionem ejus summæ assequatur, diligenter eum librum inspicere, aut saltem vere doctrinam Jesu Nazaræni ejusque verorum ministrorum eam esse, quam ejus libri summa complectitur. Hoc siquidem solum satis est, ut recte id concludi possit, quod conclusimus. Quod aperte dicere voluimus propter eos qui inter Christianos confitentur quidem in Novo Testamento nihil de Jesu Nazaræni religione scriptum esse, quod ad eam non pertineat; cæterum volunt multa in eo scripta non fuisse, quæ non minus, quam scripta, ad eam religionem pertineant.

Jam vero quid dicendum nobis erit de tot religionis Christianæ circumstantiis (ut sic loquar) quæ ipsius solius sunt, ac propriæ, quarumque merito semper magna ratio est habita; quas denique non pauci ad veritatem ejus probandam attulerunt? Eam siquidem, ab ipsius auctore initio facto, innumerabiles utriusque sexus homines cujuscumque ætatis, ordinis, ac conditionis testati sunt, suoque ipsorum sanguine quasi obsignarunt; quorum magna pars alti atque educati prius fuerant in alia quapiam religione, quæ per complura sæcula in eorum patribus, & majoribus ad ipsos usque continuata ac conservata fuerat, eaque, aut diversa penitus à Christiana religione, quales Ethnicorum religiones erant, aut propria illorum hominum, qui semper Christianæ religioni omnium infensissimi fuerunt, qualis erat Judæorum religio. Penetravit illa brevissimo temporis spatio ad loca ab eo remotissima, ubi primum promulgata fuerat. Et quamvis per trecentos paulo minus annos ab ejus initio ubique fere non modo odio haberetur, verum etiam asperrime incesseretur, in illisque, qui eam retinerent, crudelissime puniretur, nullum adhuc principem virum atque potentem nacta, qui aperte publiceque eam profiteretur: tamen in dies magis amplificata, perque omnes orbis terrarum partes diffusa est adeo, ut rem intuenti mirum plane sit. Qui primi omnium eam post ejus auctorem promulgarunt, homines fuerunt minimæ aut potius nullius auctoritatis existimationisve inter alios, omnibusque humanis viribus destituti; talesque similiter fuerunt ii, qui eam deinceps publice suaserunt. Nec unquam, nisi post aliquot sæcula, fuit quisquam minis, metuve aut contra promissis, speve ulla, præter id quod ipsa religio secum affert, ab iis, quibus hoc cordi erat, ad eam amplectendam & sequendam impulsus. Evanuerunt hac apparente religione, quasi tenebræ exoriente sole, paulatim aliæ religiones, adeo ut plerisque eorum locorum, ubi per aliquod tempus libere ac publice prædicata fuit, tempore procedente vix ullum vestigium antiquarum religionum remanserit, præter quam religionis Judæorum, quam scilicet ipsa concedebat; immo necessario ponebat, verissimam per longissimum temporis spatium fuisse, Deoque acceptissimam, a quo, populo illi data fuisset. Mihi quidem videtur, has nonnullasque alias hujusmodi, Christianæ religionis circumstantias, quibus cæteræ religiones prorsus carent, satis esse debere ad ejus veritatem persuadendam illis etiam, qui nullam veram religionem esse credunt.

Sed profecto, si quisquam est, qui ex illis aperte non cognoscat, quam illa aliis omnibus sit anteferenda, affirmari quidem potest, hunc aut intelligentia carere, aut aliquo pertinaciæ spiritu teneri, aut denique inveterata consuetudine, & à puero educatione ac disciplina plane excæcatum esse. His autem circumstantiis addere non dubitabo quiddam circumstantia majus, vel potius rationem inde ductam, quæ talis est. Nam cum religio res naturalis nequaquam sit (alioqui non invenirentur nationes omni prorsus religione carentes; quales nostra ætate quibusdam in locis inventæ sunt, ac nominatim in regione Bresilia: quemadmodum testantur scriptores digni quibus habeatur fides, mihique constanter affirmavit Pistoriensis quidam monachus Franciscanus concionator ex iis, quos Capuccinos vulgo vocant, homo honesto loco natus, prudens admodum ac cordatus, qui in ea regione fuerat) cum, inquam, religio nequaquam res naturalis sit, sed, si vera est, patefactio sit quædam divina; non modo verisimile est, sed prorsus fieri non potest, ut religio illa quam Deus velit æternam esse atque omnibus gentibus communem, ipsius certissimo ac singulari jussu & opera, passim in orbe terrarum cujuscunque generis hominibus prædicata non fuerit. Atqui hoc nec vere, nec ut verum videri ullo modo queat, de ulla alia religione dici potest, præterquam de Christiana: quæ sola inter omnes eodem tempore variis in orbis terræ partibus, sine ulla personarum distinctione, omnibus prædicata fuit à multis, qui affirmabant, se ad hoc missos huicque rei destinatos certissime ac singulariter a Deo fuisse.

Quamobrem concludendum est, si ulla religio in orbe terrarum est, quæ nunquam defutura sit, quæque ad omnes cujuscunque generis homines pertineat, hanc Christianam esse; & ob eam causam, si ulla vera religio est, hanc esse verissimam. Nam talem sine dubio aliquando esse decebat eam religionem quam Deus ipse humano generi dedisset. Jam, ne plura dicam, videtur facillimum, persuadere cuicunque nullarum partium studio vel odio præpedito homini, & rationi locum danti, si ulla est aut esse inter homines potest religio vera, hanc neque esse, neque esse posse aliam, nisi religionem Jesu Nazaræni, qui dicitur Christus. Nam si quisquam foret, qui negaret, ea vera esse, quæ ad historiam pertinentia in hac disputatione pro concessis à nobis sunt posita, is indignus plane esset, qui cum verba fierent: quandoquidem illi ipsi, qui omnium maxime Jesu Nazareno ejusque religioni adversati unquam fuerunt, nunquam ista sunt ausi negare, ut pote nimis manifesta, & quorum semper apparuerunt, hodieque magna ex parte apparent clarissima indicia.

II. Verum quibusnam argumentis utemur, cum illis agentes, qui omnem prorsus religionem negant, ut illis demonstremus, religionem Jesu Nazaræni veram esse? Certe (præsertim si jam institutum iter pergere velimus) recta ad hoc via esse videretur, cogere eos fateri illud ipsum, quod negari ab eis diximus, rationibusque eo adigere, ut dicant, non solum esse Deum, seu primum quendam motorem omnium rerum, quæ moventur, primamque causam omnium rerum, quæ sunt, essentia (ut sic loquar) formali, & nominatim hujus mundi aspectabilis; verum etiam eum præterea homines singulatim, eorumque actiones curare atque intueri: atque hac ratione eos eo adducere, ut concedant esse, aut esse posse inter homines aliquam veram religionem. Hoc enim concesso, jam ostendimus, inde sequi, Jesu Nazaræni religionem esse veram. Quanquam vero minime dubitamus, quin hoc haud magno negotio effici queat, maxime si rationes ducantur non tam ex ipsa natura, ejusque necessariis effectis, quam ex liberis voluntariisque eventibus extra necessarium naturæ ordinem, qui in orbe terrarum conspecti sunt, & quotidie conspiciuntur: tamen quia hoc nimis longam disputationem requireret, ad illud ipsum statim venie-

veniemus, quod in controversia est, & hominibus istis quantopere fallantur, demonstrare conabimur. Nam re licet altius non repetita, potest aperte satis constare, ipsam religionem, quæ Jesu Nazaræni dicitur, esse veram. Ac primum illos interrogabimus, an concedant, fuisse quendam Jesum Nazaræuum, qui religionem quandam suam in publicum proposuerit, eamque persuadere curaverit, vel quomodocumque de religione verba fecerit, deque ea præcepta dederit. Si negaverint, signis atque effectis ejus rei manifestis convincentur, quale est, fuisse antehac hodieque esse innumerabiles homines, qui professi sunt, ac profitentur religionem Jesu Nazaræni, & inde ab ipso initio ejus caussa vitam profuderunt: quemadmodum fidem faciunt historiæ omnes, & fatentur illi etiam, qui hujus religionis semper hostes capitalissimi fuerunt, quales sunt Judæi.

Quod si isti mihi concedunt, fuisse quendam Jesum Nazaræuum, qui professus fuerit, se præcepta dare cujusdam religionis, ut quidem concedere sunt coacti, tum eos interrogo, an credant, hunc Jesum, id curantibus ejusdem nationis hominibus, turpi morti fuisse traditum tanquam hominem seditiosum, quique Deum blasphemaret, & populo imponeret. Hoc similiter quomodo negare possint, non video. Cum adhuc extet ea natio, quæ haud negat, se id, quod diximus, curasse atque obtinuisse. Tametsi hoc illi ubique odium & contemptum conciliet, eoque illi infinitæ miseriæ ac calamitatis sit caussa. Mitto, quod perpetuus & universalis orbis terræ consensus, in constante opinione summæ veritatis eorum, quæ hactenus de Jesu Nazareno affirmavimus, satis est ad probandum, rem ita se habere, sine aliis conjecturis, aut certis signis. Jam si ita res se habet, undenam fieri potuit, ut tam magnus hominum numerus, inter quos multi fuerunt cordatissimi atque eruditissimi, antiquis suis religionibus sua sponte abjuratis, aliisve opinionibus depositis, in quibus consenuerant, & de quibus penitus persuasi erant, seque ipsos interim ludibrio milleque vexationibus periculisque evidentibus, immo certæ, atroci, turpique morti exponentes, religionem amplexi fuerint, cujus ejusmodi homo auctor erat, qui à suis ipsis sceleratissimus ac prorsus infamis existimatus fuerat? Est sane omnino necessarium, probabilia argumenta maxima, eaque talia, quæ vim animis facerent, extitisse, istum vera dixisse. Quæ argumenta ubi examinabuntur, deprehendetur sine dubio, ea firmissima esse, originemque suam ducere à principiis neutiquam fallacibus. Quandoquidem jam inde ab ipso initio, idque vehementius, quam unquam postea, vividæ atque efficaces erant caussæ illæ, quæ id efficerent, ut quis ab ea religione abhorreret, nisi pura apertaque veritas animos eorum, qui primi eam sunt amplexi, aliisque persuadere curarunt, ad hæc facienda coëgisset.

Non negant hodie, nec unquam negarunt ipsi Jesu Nazaræni interfectores, eum mirabilia quædam magna ac multa fecisse ad ea confirmanda, quæ dicebat, quæ fatentur vi ordinaria & naturali fieri non posse. Verum ajunt, Jesum præterquam quod insignis magus erat, Cabalistam etiam insignem fuisse, & nescio quam Dei nominis interpretationem habuisse, cujus vi mirabilia ista omnia faceret. Atqui nec istam ipsorum Cabalam dari credetur, nisi simul credatur, aliquam esse veram religionem; nec secundum ipsam eorum legem ac disciplinam verum unquam erit, posse quempiam Prophetam, aut de rebus divinis verba facientem, ejusmodi mirabilia facere cujusmodi Jesum fecisse concedunt, nisi revera divinus homo sit, vel contra id curet, ut homines ad deserendum veri Dei cultum inducat, aut ad Deos alienos colendos, Deo scilicet ipso illic, ad cœlestem veritatem testandam: hic vero, ad veros suos servos explorandos, mirabilia ista fieri concedente. Jam vero Jesus Nazaræus non modo non id curavit unquam, ut quemquam induceret, ne illum Deum coleret, qui verus Deus ab ipsius, quos diximus, interfectoribus existimabatur, vel, ut alios Deos coleret: verum etiam ad istum solum Deum, cultum omnem gloriamque referebat; eum auctorem faciens omnium suorum mirabilium operum simulque suæ doctrinæ suæque virtutis ac felicitatis universæ, ne minimam quidem partem illi adimens eorum omnium, quæ ab istis ei tribuebantur: immo id curans, ut illi ea redderentur, quæ ab istis ei adempta fuerant. Itaque secundum ipsam eorum legem ac disciplinam necesse est confiteri, Jesum Nazaræuum fuisse revera hominem divinum. Nec quidquam obest, si isti cæterea omnia negent à me de Jesu affirmata, quod attinet ad Deum ipsorum colendum: modo id tantum firmum maneat, eum non curasse, ut quemquam ab hoc Deo colendo avocaret.

Sed fortasse dicent; satis curasse Jesum, ut homines ab eo, quem ipsi colunt, Deo colendo avocaret, dum persuadere conabatur, hunc Deum jam nolle, ut perfecte ea Lex servaretur, quam ipse olim per Mosem populo suo dederat.

Respondeo, Jesum, donec Propheta fuit, & munere suo in terris est functus, nunquam id facere conatum esse: Sed tantum, firmis manentibus omnibus præceptis, quæ hic Deus olim dederat, docuit, ad quam majorem perfectionem majoribus promissis conlentaneam, quæ ipse ejusdem Dei nomine attulit, potior jam datorum præceptorum pars perduci deberet; abrogationem partis eorum à se faciendam in id tempus differens, cum non jam Propheta foret, sed princeps ac dominus cœlestis & perpetuus, ab eodem Deo eidem populo datus; talisque ipsius principatus ac dominationis evidentissima signa in ipso populo conspicerentur. Sed ad eos revertamur, quibuscum nunc disputamus, & porro concludamus, si ipsi Jesu interfectores, eorumque posteri, qui Jesu inimicissimi esse nunquam desierunt, fassi sunt & fatentur, eum mirabilia quædam fecisse ad suam doctrinam confirmandam, necesse esse rem ita se habere. Cum fieri non possit, ut aliud quidpiam præter certissimam manifestissimamque veritatem eos ad id fatendum induxerit, quod tantopere ipsis adversatur; & in quo falli nulla ratione potuerunt, ut pote qui ab initio omnibus interfuerunt. Ex quo sequitur, oportere, ut ii, qui omnem religionem negant, caussas ostendant istorum mirabilium operum, absque eo quod inde concludatur, religionem, quam is prædicabat qui ea faciebat, fuisse veram, aut saltem aliquam veram religionem dari. Ego sane non video, quomodo id sint facturi. Hoc certum est, quicumque istam opinionem habent, religionem videlicet humanum esse inventum, eamque derident, existimantes, vanissimum esse sperare vel metuere, se à Deo ob sua honesta turpiave facta præmio pœnave ulla affectum iri, certum est, inquam, hos similiter ridere, si miracula ulla narrari audiant ab hominibus facta; omniaque ad naturales causas referre.

Verum ulterius progrediamur, ipsosque interrogemus, an credant, illos, qui primi omnium post turpem in orbis terrarum conspectu Jesu Nazaræni, mortem, ausi sunt ipsi amplecti, aliisque publice suadere ipsius Jesu disciplinam, credidisse, aliisque confirmasse, Jesum Nazaræuum revixisse? Respondebunt sine dubio veritate coacti, se id credere. Quandoquidem disciplina ista illud in se continet: immo, ut potissimo sui ipsius fundamento, eo utitur; sine quo manifeste apparet, eam universam corruere. Cum hoc igitur ita se habeat, dicant, obsecro, an credant, istos ipsos affirmasse, semetipsos illum à mortuis excitatum vidisse, cumque eo versatos esse, & comedisse ac bibisse post ejus resurrectionem? Nam si dixerint, se hoc minime credere, præterquam, quod historiæ de Jesu Nazaræno aperte adversabuntur ea in parte, quæ nunquam in dubium fuit vocata, loquentur etiam contra omnem verisimilitudinem. Vix enim fieri ullo modo potest, ut, qui omnium primi publice efferre ac persuadere instituerunt, rem adeo ab omni humano judicio abhorrentem, eam se tantum audivisse

vixisse affirmarent, & non etiam vidisse, & certo cognovisse. Itaque, si, ut fateri necesse est, primi illi affirmabant, semetipsos Jesum vidisse à mortuis excitatum, certoque deprehendisse, rem ita se habere; nec dubitari potest, quin ipsi eo quod affirmarent, Jesum Nazaræenum revixisse, infectationes gravissimas passi fuerint, ac plerique ipsorum, ut hoc idem confirmarent, proprium sanguinem fundere non recusaverint; sequitur necessario, aut Jesum revera revixisse, ut ipsi affirmabant; aut ipsos affligari, & mori miserabiliter voluisse, ut id testarentur, quod ipsimet falsum esse noverant. Posterius hoc nullo modo verum esse potest, quippe cui ratio prorsus communisque sensus repugnet. Necesse est igitur, prius illud esse verum.

Nam si quis dixerit, priori isti rei similiter rationem repugnare simulque naturam ipsam;

Respondebo, aliud esse alicui rei repugnare, aliud vero eam non assequi nec percipere. Non potest fortassis quisquam ratione aut via aliqua naturali assequi, quomodo homo mortuus reviviscere queat. Sed non idcirco docet aut ratio aut natura, id prorsus fieri non posse. Ut taceam, quod antiquitus non defuerunt, nec hodie desunt Philosophi Christiani, qui ex causis effectisque naturalibus conati sunt ostendere, fieri posse, ut homo mortuus reviviscat. Quod, si minus aliud, demonstrat, saltem hanc ipsam (ut sic dixerim) reviviscentiam non esse rem ejusmodi, quæ rationi ac naturæ penitus adversetur.

Sed excipiet fortasse quispiam, primos illos afflictatos quidem fuisse atque necatos, propterea quod affirmarent, Jesum Nazaræenum revixisse, sic enim sibi persuaserant: sed non tamen, quia affirmarent, semetipsos eum redivivum vidisse, tametsi & hoc quoque affirmabant.

Respondeo primum, cum concedatur, ipsos affirmasse, se Jesum à mortuis excitatum vidisse; cumque necesse sit, ut ostendimus, eos in hac affirmatione aperte fundamenta posuisse alterius affirmationis, quod Jesus à mortuis excitatus fuisset, nulla ratione posse alteram ex istis affirmationibus ab altera separari; dicendumque omnino esse, istos ideo & afflictatos & necatos fuisse, quod affirmarent, non solum Jesum revixisse, sed etiam semetipsos eum vivum vidisse, postquam mortuus fuerat. Et sane Judæi quibus primum annunciatum est, Jesum à mortuis fuisse excitatum, quod illi negabant; eos infectando, qui id prædicabant, parum de eo solliciti fuissent, quod primi illi id, quantumvis constanter, dicerent atque affirmarent, nisi propterea affirmassent, quod rem compertam haberent, ejusque oculati testes essent, sed illos contempsissent, & tanquam cum amentibus, quales revera fuissent, ita cum eis egissent.

Præterea qui poterant primi illi sibi persuadere, Jesum revixisse, & potius mori velle, quam id affirmare desinere, nisi ejus rei cognitionem suis ipsi oculis & ex sua ipsorum scientia hausissent? Quænam alia argumenta, quas probationes adeo validas persuadere sibi poterant se ejus rei deprehendisse, ut ejus prædicandæ constanterque affirmandæ gratia, suam ipsorum vitam spernerent? Immo, quam aliam causam ii, qui subsecuti sunt, habuerunt vitam profundendi, dum vel tacite, vel aperte affirmarent, Jesum Nazaræenum à mortuis excitatum fuisse, idque pro certo habendi, nisi quod liquido noverant, primos illos suo ipsorum sanguine fidem fecisse, se id vidisse, remque prorsus ita se habere? Postremo animadvertendum est, ab omni verisimilitudine abesse, primos illos, quos negari non potest, adeo pios fuisse ut propter suam religionem mori non recusarent, tam insigne tantique momenti mendacium dixisse, quale hoc fuisset, quod Jesum à mortuis excitatum ipsi vidissent, nisi verum fuisset. Nam si quis dixerit, sine hoc mendacio, non potuisse eos persuadere, Jesum à mortuis excitatum fuisse, ostendatur, quid illos cogeret, aut saltem impelleret, ut id persuadere aliis curarent, quod ipsi compertum minime habebant, præsertim cum manifesto ipsorum vitæ periculo. Quod si tamen alia ratione quapiam, quam quia id ipsi vidissent, se id certo cognovisse existimabant, cur rationem seu modum illum aliis quoque non exponebant; quando cum verum esse credebant, omisso illo, quem sciebant esse falsum? Etenim, si ipsis ea ratione persuasum fuerat, eadem apparebat aliis pariter persuadere posse.

Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, facile intelligi potest, verum esse, Jesum Nazaræenum à morte in vitam rediisse: & ob eam rem, non solum unum aliquem Deum esse, eumque homines singulariter curare, sed etiam ipsius Jesu religionem esse veram. Cum nec sine singulari Dei providentia Christus reviviscere potuerit; nec ullam aliam ob causam id Deus curasse, quam ut ea omnia confirmarentur, quæ ejus nomine Jesus dixerat. Aut certe id non curasset, si Jesus homo mendax fuisset, & in rebus ad ipsum Deum pertinentibus falsarius, ut quidem fuisset, si doctrina, quam tradebat, fuisset falsa, præsertim cum is profiteretur, se ab ipso Deo eam accepisse, ab eoque missum fuisse, ut eam mundo prædicaret. Longum esset, si vel innuere quidem velim alias firmas rationes, quas habemus ad demonstrandum, etiam adversus illos, qui omnem religionem negant, Jesu Nazaræni religionem esse veram, quæ tamen majore ex parte ab aliis allatæ sunt atque explicatæ. Hoc tantum dicam, si quis diligenter consideret originem ac progressum hujus religionis, eosque eventus ad ipsam pertinentes, qui nullo pacto negari possunt; ac præterea ad ea animum advertat, quæ multis ante sæculis, quam Jesus nasceretur, de eo à Prophetis Veteris Testamenti scripta ac prædicta fuerant, nominatim vero ab Esaia primum, deinde à Daniele, nisi rudis sit prorsus, & inde usque ab incunabulis juratus hostis ipsius Jesu, quales sunt Judæi; vel à sua ipsius malitia, (unde fiat, ut omnem religionem penitus oderit) plane excæcatus, videbit, fieri vix, ac ne vix quidem posse, ut hæc religio non sit verissima.

Atque hæc hactenus dixisse satis esse arbitramur hoc loco, ut, quantum sat est, probetur veritas Christianæ religionis, primum iis, qui aliquam religionem agnoscunt; deinde iis quoque, qui omnem negant; quam diximus rationem quandam esse utrique communem, qua videlicet utrisque demonstrari possit, libris Veteris ac Novi Testamenti fidem adjungendam esse, quemadmodum ante ostensum fuerat.

CAPUT III.

In quo probatur breviter cunctis in universum, neminem posse causam ullam justam afferre, cur libris istis fidem non adhibeat.

Sed ego sane quemlibet libenter interrogarem, unde fiat, ut historiæ Novi Testamenti fidem non adjungat? Nam si dixerit, ex eo, quod in ipsa quædam reperiat ab aliquo ex scriptoribus illis aliter narrata, atque alius ex iisdem scriptoribus ea narret, ego præter id, quod supra responsum est, dicam: Si hæc ratio firma esset, securutum, non debere fidem adjungi ulli historiæ à pluribus scriptæ. Semper enim hoc accidit, ut diversi alicujus historiæ scriptores, in quibusdam ejus partibus diverse, & nonnunquam (ut ita loquar) contrarie alius ab alio scribant. Quod si dixerit, in Novi Testamenti historia quædam narrari, quæ ipse impossibilia prorsus esse judicet: Respondebo; cum assidua experientia noverimus, multa evenire, quæ ab iis, qui ea minime viderint, solent per se ipsa impossibilia censeri, hinc fieri, ut, si plures sint qui affirment, se oculatos esse testes rei cujusdam quam narrent, seque eam certa scientia nosse; ac præterea sciamus, istos falli non posse; nec quidquam verisimile esse,

esse, inter ipsos convenisse, ut alios fallant, facillime credamus quidquid illud sit, quantumvis magnum, & alioqui impossibile existimatum. Quinetiam videmus, multa communiter credi, quantumvis absurda atque inusitata, modo ab aliquibus historicis, qui alioqui digni censeantur, quibus habeatur fides, confirmentur, etiamsi nemo eorum dixerit, se præsentem adfuisse. Nec invenietur fortasse quidquam tam novum atque absurdum, vel ab uno tantum scriptore narratum, de cujus fide alioqui non dubitetur, quod se vidisse ipse affirmet, vel de quo aliter constet ipsum verba facere, tanquam de re, cui præsens adfuerit, & in quo falli non potuerit, cui communiter etiam fides non adjungatur; isque vel fatuus vel cerebrosus non existimetur, qui id nolit credere. Vidimus supra, historiam Novi Testamenti à pluribus scriptam fuisse, qui (ut ipsi etiam ex parte affirmant) loquuntur aut tanquam de rebus quibus ipsi interfuerint, aut tanquam de iis, ubi perinde ferme sit, ac si ipsi illis interfuissent. Hi autem ea fere narrant, quibus si interfuerunt, prorsus fieri nequeat, ut in iis falsi fuerint; nec apparet, cur veraces existimari non debeant, curve data opera scripturi fuissent tam magna mendacia, quam illa essent, quæ scribunt, nisi vera scripsissent, quæque nihil verisimile erat fidem ullam per se apud alios inventura. Quinetiam non apparet, cur non debuerint de ejusmodi rebus silere. Quandoquidem eas narrare, seu veræ seu falsæ essent, cum tanta eorum jactura conjunctum erat, eisque undique odium atque insectationes conciliabat, nisi vis maxima veritatis, eaque cum alia etiam majore vi conjuncta, quæ tamen in iis tantum, quæ vera sunt, locum habet, id est, cum virtute quadam ac providentia divina, & naturæ limites excedente, eos ad id faciendum impulisset ac coëgisset.

Quamobrem, si mihi libere dicendum est quod sentio, quodque verum esse, facile probari potest, mihi videtur, eos, qui nec genere nec educatione Jesu Nazaræni sunt inimici, ab eove ejusque religione alieni, nec tamen multum fidei historiæ Novi Testamenti adjungunt (si modo alioqui judicio sunt præditi) non ratione ulla probabili revera moveri, sed solum probitatis, id est, difficili veræ virtutis via ingrediendi exiguo studio. Quandoquidem, quicumque crediderit eam historiam esse veram, credet pariter veram esse Christianam religionem, atque idcirco ob desideratissimum & incomparabile immortalitatis ac beatitudinis præmium ab ea propositum, studebit esse talis, qualem illa postulat, id est, probus sanctusque & moribus vere divinis præditus. Qui igitur animo voluntateque admodum alienus est à probitate hac & sanctitate, ab hisque moribus, non potest adduci, ut credat id esse verum, ex quo sequeretur, illi curandum esse, ut & his & illis sese exornaret. Quinetiam à sua ista mala animi affectione, cui Euangelium ex diametro (quod ajunt) adversatur, adeo excæcatus est, ut nec videat, nec agnoscat apertas validasque rationes, quæ possunt illi persuadere, eam historiam esse veram. Quod si tamen aliquando ejus rei lumen aliquod ei apparet, conatur quam potest maxime, ut illud ne cernat, sibique persuadeat, id nihil esse, atque omnibus viribus vitat, negatque eam lucem, quæ ipsius fœditates retegit. Et quidem profecto, nisi historia Euangelica secum conjuncta haberet severa illa, quæ habet, præcepta admirabilis continentiæ, perfectæ sui ipsius demissionis, summæ liberalitatis, contemptionis hujus mundi, sui ipsius abnegationis patientiæque, ac tolerantiæ omnium malorum, nemo esset, qui modo alioqui jam in contrariam partem animi perturbatione totus non propenderet, quin ei fidem adjungeret, ac propter beatam immortalitatem, quæ in ipsa apertissime commemoratur & promittitur, omnibus, quibus posset modis, sibi ipsi persuadere conaretur, eam esse verissimam. Jam si quis Novi Testamenti historiæ fidem adjungat, consequitur, istum reliquis omnibus in eo libro contentis fidem adjungere; ut colligi potest ex iis, quæ ante disputata sunt, & apertius ex iis intelligetur, quæ adhuc dicenda restant.

Quod si quis iis omnibus fidem adjungat, quæ in Novo Testamento continentur, jam demonstratum est hinc consequi, ut fidem etiam, ea ratione, qua oportet, iis omnibus adjungat, quæ continentur in Vetere Testamento, cum jam ad ea responsum fuerit, quæ dici possent de corruptione ac depravatione, quæ in his libris contingere potuerit. Et propterea arbitramur à nobis satis apte probatum fuisse, sive pro concesso prius ponatur, religionem Jesu Nazaræni, qui dicitur Christus, esse veram, sive non ponatur; sive credatur prius, aliquam veram religionem esse, aut esse posse, sive non credatur, nullam rationem esse, quæ vim habeat efficiendi, ne quis libris Veteris & Novi Testamenti fidem adjungat: immo rationes esse idoneas ad efficiendum, ut illis adjungatur fides, recipianturque atque recte dicta agnoscantur ea, quæ in ipsis continentur.

CAPUT IV.

In quo ostenditur, istis libris majorem debere fidem adjungi, quam aliis communiter adjungatur, doctrinam historiamve aliquam continentibus.

SEd dicet fortasse quispiam, quidquid hactenus diximus, vim forte habere posse probandi, libris Veteris & Novi Testamenti eam fidem adjungendam esse, quæ communiter aliis libris adjungitur, non tamen majorem, quam cæteris omnibus, atque ejusmodi, ut dubitare non liceat de re ulla in eis scripta, qualem illis adjungi debere communiter affirmant, quicumque Christianam religionem profitentur.

Ad hoc sic primum respondeo, Utinam tanta fides adhiberetur libris Veteris & Novi Testamenti, præsertim vero Novi, quanta communiter multis aliis libris adhibetur. Hoc enim satis foret, quo homines in veros Christianos evaderent, hoc est, secundum ipsius Novi Testamenti præcepta viverent. Verum hoc dolendum est, quod plerique majorem fidem adjungunt, exempli causa, historiis Thucydidis, & Sallustii, quam historiæ à Matthæo & Johanne scriptæ, quamvis hi non solum eo tempore vixerint, quo ea evenerunt, quæ ab ipsis narrantur, quemadmodum illi vixerunt; sed etiam omnibus propemodum interfuerint: cum illi majore ex parte nequaquam viderint ipsi ea, quæ scripserunt. Ut nihil dicamus de tenella ætate, qua fuisse Sallustium necesse est, si modo natus erat, cum bellum fuit ab eo scriptum, Romanorum contra Jugurtham: ut, quomodocumque res se habeat, non possit (eo sensu, quo hic loquimur) affirmari, illum eo tempore vixisse. Et tamen isti ipsius historiæ ea fides adjungitur, ut vix inventum iri putem, qui illi unquam ulla in re sese opponere audeat, aut etiam ulla de re dubitare, quæ in ipsa affirmate scripta fuerit. Illud certissimum est, neminem inventum iri, prudentem ac doctum exstimatum, qui & corde & lingua non confiteatur, summam seu argumentum ejus historiæ verissimum esse. Sed quid ego Thucydidem, Sallustiumque commemoro, vel quemlibet alium historiarum scriptorem, qui eo tempore aut proxime vixerit, vel etiam rebus ab se narratis interfuerit? An non aperte demonstrari potest, nullum esse historicum, quantumvis ab iis, quæ scribit, tempore & loco abfuerit, cui in omnibus iis, quæ alioqui falsa aut fabulosa esse non constet, non multo plus fidei habeatur, quam iis, quos ante memoravimus, aut aliis in Novo Testamento historiæ Jesu Nazaræni scriptoribus, rerumque præteritarum ad ipsum ejusque religionem pertinentium? Nemo erit, qui stultus non censeatur, si, cum vel levissime quidem credat, se, exempli gratia, si teruncium tantum unum impenderit, lucraturum aliquot millia aureorum nummorum, illum impendere statim non curet.

Sic

Sic igitur nemo erit, nisi mente captus fuerit, qui si, quantumvis leviter credat, se, si impenderit (ut ita loquar) omnia commoda hujus vitæ mortalis, ipsamque simul vitam, ut Deo obediat secundum præcepta Jesu Nazaræni, aliam vitam, eamque immortalem, lucraturum cum summa ac perpetua felicitate conjunctam (quemadmodum ut fiat necesse est, si ea vera sunt, quæ narrantur à scriptoribus supra dictis) non id facere constituat. Et tamen paucissimos videmus, qui ad hoc opus se accingant. Unde aperte consequitur, paucissimos esse, qui scriptoribus istis vel minimum quidem fidei adhibeant.

Neque hic quidquam refert, si dicatur, hoc ideo contingere, quod constans sit opinio, necesse esse illis plenam fidem adjungere; alioqui omnia frustra fieri. Hæc siquidem opinio non est omnium. Quinimmo infinitus numerus eorum hominum, qui Christiani appellantur, maxime vero Ecclesiæ Romanæ subjectorum, existimat, fidem plerumque sua incrementa habere, atque ab initio debilem ac parvam esse, & postea indies augeri ac roborari; & posse quemlibet bonis operibus, quamvis cum minima fide, id est, persuasione veritatis historiæ Euangelicæ, seipsum aptum reddere, (adeoque id reipsa facere) ad gratiam illam divinam accipiendam, cujus vi efficitur, ut quis veritatem sentiat earum rerum, quæ de Jesu Nazaræno narrant ante dicti scriptores. Et tamen nihilominus, quocumque nos vertamus, vix omnino centesimum quemque inveniemus eorum, qui Christianam religionem profitentur, qui revera probitati studeat ea ratione, quâ unusquisque Christum præcipere fatetur. De hac enim probitate, nec de alia hoc loco verba fiunt. Jam vero plane supervacaneum est probare, haud esse quidpiam minus vitam immortalem, cum summa ac perpetua felicitate conjunctam, si cum hac vita mortali omnibus bonis referta, quæ in ea percipi possunt, comparetur, quam aliquot millia aureorum nummorum, si cum teruncio tantum uno conferantur; hocque posse quemlibet per seipsum optime nosse. Immo necesse est confiteri, manifeste apparere, esse quiddam sine ulla comparatione majus. Quandoquidem inter unum tantum teruncium, & aliquot millia aureorum nummorum, est tamen aliqua mensura atque proportio, cum res sint ambæ finitæ: sed inter hanc mortalem, immortalemque vitam, inter hæc temporaria, æternaque illa bona, nulla mensura aut proportio est, cum hæc vita hæcque bona finita sint, illa vero infinita. Præter diversam qualitatem unius vitæ, & unius generis bonorum à qualitate alterius, quæ in illis sine ulla comparatione præstantior est, quam in his; cum interim aliquot millia aureorum nummorum nihil denique sint aliud, quam nescio quot plura millia teruncioram. Huc accedit, quod nemo est, cui in hac vita omnia illa bona contingant, quæ in ea percipi possunt, nec qui speret ea sibi obventura, quodque non omnes, qui Jesu Nazaræno obediunt, impendunt, id est, reipsa perdunt magis, quam communiter alii faciant, vitam hanc mortalem, omniaque ejus bona. Immo non pauci sunt inter eos, qui Jesu obediunt, qui majorem copiam habent bonorum hujus vitæ, in eaque diutius vivunt, quam innumerabiles alii, qui ei non obediunt. Ne quid dicam, ut fortassis jure possem, nullum esse inter eos, qui Jesu obediunt, qui quantumvis miser esse videatur, non sit in hac ipsa vita beatior censendus, quam quisquam illorum, qui ei non obediunt.

Jam, quæ hucusque diximus hoc loco de historia Jesu Nazaræni, rerumque præteritarum, quæ ad ipsum ejusque religionem spectant, Novo Testamento comprehensa, volumus dicta similiter esse de ipsa doctrina in eodem Novo Testamento exposita. Eadem siquidem utriusque est ratio. Quinetiam historiæ tractatio doctrinæ tractationem complectitur, quemadmodum intelligi potest ex iis, quæ paulo ante sunt disputata, ac præterea non potest historia esse vera, quin doctrina quoque sit vera, ut statim demonstrabimus.

Quare ulterius progredientes, dicimus, non debere libris Veteris & Novi Testamenti pares censeri, quod huc pertinet, ut illis fides adjungi debeat, alios libros, in quibus doctrina aliqua tradatur, aut etiam doctrina simul & historia. Doctrina enim fere omnis, quæ in aliis libris continetur, ejusmodi est, ut rationibus potissimum nitatur, quæ si cuipiam non probantur, nihil est aliud, quod eum inducere debeat ad eam approbandam. Qua in re ejus auctori scriptorive nullam iste injuriam facit, atque interim potest firmiter credere, quidquid ad historiam spectans cum ea conjunctum fuerit. At vero doctrina, quæ Vetere Novoque Testamento continetur, ejusmodi est, ut tanquam præcipuo suo fundamento utatur, non quidem ratione, sed auctoritate, eaque historiæ innixa rerum, quæ in bis libris narrantur. Ita ut, si quis historiæ assentiatur, necesse fit eum doctrinæ pariter assentiri, immo ipsa doctrina ejus historiæ pars est. Narrat, exempli gratia, Matthæus quinto, sexto, & septimo capite suæ historiæ, sermonem quemdam Jesu Nazaræni, quo aliud nihil continetur, nisi præcepta vivendi, ut quis vere beatus esse possit, ac cœli municeps fieri. Hoc sine dubio totum doctrina est, immo summa dici potest totius doctrinæ Novi Testamenti, cui sese opponere nemo ulla ratione potest, qui credit veram esse historiam ipsius Jesu ab eodem Matthæo scriptam, & sic credit, Jesum multa mirabilia fecisse, & postquam turpi morte fuisset affectus, revixisse, quemadmodum factum iri, ipsemet prius dixerat. Idem enim Matthæus hæc omnia pluribus aperte scribit atque testatur. Quis similiter erit, qui negare possit, sanam esse eam doctrinam, quam tot in locis scribit Moses se tradidisse de iis, quæ Israeliticus populus facere deberet, ad felicitatem in terris sibi conciliandam, si crediderit, verum esse, quidquid ille narrat de magnis admirabilibusque operibus, quæ Deus per ipsum in eo populo fecerit, deque valde mirabilibus aliis quibusdam, quæ visa fuerint in ejus doctrinæ confirmationem; aut saltem crediderit, eam doctrinam populo illi ea ratione fuisse traditam, qua ipse narrat? Sed erit forsitan, qui dicat, hæc vera esse, nec tamen hinc sequi, omnia recipienda esse, quæ tradita sunt in Vetere Novoque Testamento. Ego vero affirmo, quod ad Novum Testamentum attinet, de quo præcipuè loquimur, eandem rationem esse reliquorum omnium, quæ illius particulæ, de qua verba fecimus. Quod enim attinet ad ea, quæ illi Euangelistæ scribunt ad doctrinam spectantia, quæ omnino recipi debeat, ista omnia ex Jesu Nazaræno prodierunt, & idcirco, ut jam dictum est, si creduntur illa esse vera, quæ historice de ipso Jesu Euangelistæ isti scripserunt, qui omnes narrant quædam ab ipso facta, naturæ limites omnes excedentia, affirmantque eum ex cruenta morte in vitam rediisse, necesse est omnia ista recte dicta censeri. Sunt aliquot pauca verba in eorundem Euangelistarum historia, quæ ab ipso Jesu dicta non fuerunt, & tamen videntur ad doctrinam pertinere, quæ recipi debeat, hoc est, cum ipsi Christi verba aliqua explicant, aut quando ex sua ipsorum persona aliquem Veteris Testamenti locum afferunt ad id, quod narrant, confirmandum, vel quando ea referunt, quæ Johannes dicebat cognomine Baptista.

Verum nec, quæ ipsi dicunt, Jesu verba explicantes, aut ex sua ipsorum persona ex Vetere Testamento afferunt (nisi fortasse minima ex parte, ut postea dicetur) ad doctrinam revera pertinent, & quæ Johannem dicentem faciunt, ad doctrinam pertinentia, id est, ad res aut faciendas aut credendas, vel non ejusmodi sunt, quæ omnino recipi debeant, quippe quæ ad tempus spectent Veteris Testamenti, vel ab Jesu aperte dicta ac prædicata fuere, & pars doctrinæ Jesu esse agnoscuntur, non autem ipsius Johannis, quamvis ipse ea prior dixerit. Quidquid sit, ipsi Euangelistæ & Baptista, ejusmodi homines sunt, ut, si illa credantur, quæ historice in Novo Testamento narrantur, necessarium sit, aut certe rationi valde consentaneum, censere recte di-

ctae esse, quaecumque illi docuerint. Quandoquidem, quod ad Johannem Baptistam attinet, is, ut historia fert, ipsius Jesu testimonio, non solum spiritu Prophetico donatus erat, sed omnium Prophetarum, qui unquam extiterant, maximus, nequidquam dicamus de modo, quo natus est, deque iis, quae historia tradit evenisse, ante & post ejus ortum; quae omnia plenissimam fidem faciunt, eum fuisse hominem vere divinum, atque ejusmodi, qui in rebus ad doctrinam pertinentibus errare non posset. Quod vero attinet ad quatuor Euangelistas, unum ipsorum, id est, Johannem, ex ipsa historia apparet fuisse Apostolum Jesu, & ab eo singulariter dilectum; ideoque ejusmodi, ut in doctrina errare non posset, non magis ferme, quam Jesus ipse: alium vero, id est Lucam, ex eadem Novi Testamenti historia constat, intimum Paulo, Jesu similiter Apostolo, fuisse. De reliquis duobus, quanquam id non adeo sine erroris periculo fieri queat, cum nomen seu cognomen Matthaei & Marci pluribus potuerit esse commune, Christianam religionem, temporibus & locis illis, profitentibus: tamen eo addito, quod jam inde ab antiquissimo tempore perpetuo creditum est, immo constanter affirmatum, dici potest, ex ipsa historia colligi, alterum Jesu Apostolum fuisse, alterum vero necessarium unius saltem ex praecipuis Apostolis, & propterea dignum, cui in iis, quae ad doctrinam pertinent, fides habeatur. Quanquam arbitramur, nihil in historia à Marco condita scriptum esse, ab eoque ex sua ipsius persona dictum, quod ad doctrinam pertinere videatur, ab uno ex tribus reliquis non similiter dictum.

Ex iis, quae hactenus disseruimus, satis aperte intelligi potest, si fides adjungatur historiae Novi Testamenti, necesse esse, fidem adjungi omnibus, ad doctrinam spectantibus quae scripta sunt à Petro, Paulo, Johanne, Jacobo, & Juda in suis Epistolis; quando hi omnes, ut haec eadem historia fert, Jesu Apostoli fuerunt. Quidquid similiter ad doctrinam spectans in historia actorum Apostolicorum scriptum invenitur, si ipsi historiae fides adjungatur, dubitari non potest, quin recte dictum sit, cum, quicumque in ea aliquid ad doctrinam pertinens loquuntur, ab ipsa tales fuerint descripti, qui errare non potuerint. Jam si historia Apocalypsis (quisquis ejus scriptor fuerit) similiter vera esse censebitur, verum quoque & recte dictum necessario existimabitur, quidquid in ea dicitur, quod ad doctrinam spectet, cum nemo de ejusmodi rebus ibi loquatur, nisi Jesus sive Angelus ipsius, praeter aliam quampiam coelestem vocem, quae interdum inibi auditur, ut nullus hic errori sit locus. Caeterum de doctrina Epistolae ad Hebraeos, si Novi Testamenti historiae fides adhibeatur, dubitari nequit, ubi Paulus ejus scriptor esse existimetur, ob jam expositam causam, quod is Jesu Apostolus erat, atque ita errare ea in re non poterat. Sed, quisquis Epistolam illam conscripserit, affirmo, si iis fides adhibeatur, quae in ipsa Epistola vel tacite vel aperte ad historiam pertinentia continentur, necesse esse doctrinae quoque in ea comprehensae fidem adhibere. Ex pluribus enim ejus locis, simulque ex universa scribendi ac docendi ratione aperte colligitur, scriptorem illum profiteri, se hominem divinum esse, & à Deo ad alios in Christiana religione edocendos electum; ac denique se plane certo & sine ulla erroris suspicione ea scire, de quibus affirmat. Est tamen animadvertendum, sive quod ad ea attinet, quae scriptor iste, sive quod ad ea, quae reliqui omnes in Novo Testamento docent, praeter unum Jesum Christum, oportere, quemadmodum etiam non ita multo ante innuimus, talem distinctionem adhibere. Nam, aut quae docent, ad res quasdam spectant, quae omnino fieri credive debeant; & haec vere doctrinae pars est, nec ullo modo fieri potest ut, si isti tales sunt, quales in historia sunt descripti, hic errare potuerint: aut ea, quae docent, ad explanationem pertinent aliquorum Jesu verborum ad res faciendas vel credendas minime spectantium, qualia istic fere sunt, vel ad interpretationem aliquorum locorum Veteris Testamenti, & ad explicationem argumentorum inde ductorum, aliave ratione ab ipsis in medium allatorum; & haec minus proprie doctrinae pars est, sed potius vel additamentum (ut sic dixerim) vel probatio doctrinae; quodque hoc attinet, fieri posset, ut verissima ea omnia essent, quae de ipsis historia affirmat, & tamen ipsi nonnunquam hac in parte leviter errassent. Nam vis omnis auctoritatis ipsorum, necessario ex historia colligitur, ad id referebatur, quod proprie doctrinae pars esset, cujus veritas revera neque ex veterum monumentorum auctoritate, neque ex ullis rationibus penderet; sed ex divina eaque praesente patefactione illis concessa, adeo ut certissime nosse possent, se nec fallere, nec falli posse, etiamsi eorum, quae docebant, nullam praeterea aliam confirmationem habuissent. Et propterea, ubi divina patefactione destituebantur, non plane id affirmabant quod dicebant, nec cuiquam quidquam praecipiebant: sed tantum sententiam suam exponere profitebantur, ut factum est à Paulo Apostolo quibusdam in rebus ad virgines viduasque mulieres pertinentibus, an nubere scilicet necne possent, aut deberent. Hocque novum quodammodo genus est eorum, quae docebant, cujus superiore distinctione nullam separatim mentionem fecimus, nam praeterquam quod pauca omnino complectitur, non potest etiam ad doctrinam propriè referri, cum hic nequaquam affirmate loquantur, ut in aliis supra expositis generibus faciunt.

Ad summam: Quamvis nos nihil prorsus dubitemus, quin quicquid, quacumque ratione, ad doctrinam spectans, traditum in Novo Testamento est, recte traditum fuerit, nullumque in eo argumentum testimoniumve afferri, quod firmum accommodatumque esse, bono aliquo modo defendi non queat, & quin sententiae consiliaque omnia in eo scripta, optima sint, praesertim pro temporis ratione, & cum iis circumstantiis, quibus data fuerunt, tamen satis est, si verissimum esse credatur quidquid in eo continetur ad veram doctrinam spectans, hoc est, ut diximus, ad ea quae omnino fieri credive debeant. Verissimum autem id esse credet, quisquis de historia eodem Novo Testamento comprehensa nihil dubitet. Porro sub docendi genere comprehendi volumus vaticinationes, quatenus res sunt, quae credi debent, id est, quibus fides debet adjungi, tametsi non proprie, ut res aliae credendae, ad salutis nostrae negotium pertineant. Illud certissimum est, ad quodcumque docendi genus eas referri velimus, sive à nobis expositum, sive minus, necesse esse, ut, quicumque historiae Novi Testamenti fidem adjungit, ipsis quoque vaticinationibus fidem adjungat, deque illarum veritate nihil prorsus dubitet, ut videlicet earum, quae à divinis hominibus profectae fuerint, eoque talibus qui hisce in rebus nullo modo errare potuerint. Jam quae de Novo Testamento disputavimus, ut ostenderemus, si ejus historia vera esse credatur, necesse esse, doctrinam quoque veram esse credere, disputari similiter possent de Vetere Testamento. Sed ne longiores simus, satis erit de Novo Testamento ista disputasse. Namque, ut alibi supra, & porro ab ipso initio diximus, si Novo Testamento auctoritas adjungatur, necessario Veteri quoque Testamento auctoritas adjungitur, praeterquam quod, si concedatur, ipsam modo Veteris Testamenti historiam esse veram, hoc satis esse debet iis, qui ajunt utrique istorum librorum fidem adhibendam esse. Qui enim Novum Testamentum recipit, habet in ipso quidquid sibi est opus, quod attinet ad doctrinam. Quod si tamen interdum in rebus ad doctrinam spectantibus, est quod Vetere quoque Testamento utatur, ea doctrinae pars tunc aliud nihil, nisi historia censenda est, qualia sunt praecepta, quae Deus per Mosem dedit.

Est & alia ratio admodum judicio mea valida ad demonstrandum, non debere alios libros, doctrinam aliquam historiamve continentes, comparari cum libris Veteris & Novi Testamenti, quod ad fidem attinet, quae illis sit adjungenda. Plerique enim aliorum libro-

rum

rum nulla secum conjuncta habent præsentia aut præterita effecta, eaque certa, quæ fidem faciant veritatis eorum, quæ in ipsis traduntur, ut hi libri habent.

Nam si, exempli gratia, quispiam fuerit, qui dubitet, utrum unquam bellum civile fuerit inter Cajum Marium & Lucium Syllam cives Romanos, quemadmodum in quibusdam libris aperte narratur, quibusnam aliis indiciis præsentibus præteritisve, quæ negari non possint, poterit hoc isti persuaderi, præter libros istos? Nullis profecto. At vero, si quispiam fuerit, qui dubitet, verbi gratia, utrum Jesus Nazarænus mirabilia quædam fecerit constitutos naturæ limites excedentia, ut aperte in Novo Testamento narratur, poterit hoc illi facile persuaderi ex eo, quod ab eo tempore perpetuo innumerabiles homines extiterunt, qui ipsius Jesu doctrinam sunt amplexi, quæ sine mirabilibus istis rebus, propter rationes ante allatas, nunquam, præsertim ab initio, à tot hominibus recepta fuisset. Præterquam quod confessio præsens præteritaque eorum, qui proprie atque omnium maxime Jesu Nazaræni ejusque doctrinæ hostes sunt, hujus rei quemadmodum alibi diximus, plenissimam facit fidem. Quodsi de iis agere velimus, quæ omnium, quæ in Novo Testamento narrantur, maxime incredibilia sunt (quibus si fides adjungatur, fieri non potest, quin reliquis omnibus adhibeatur fides) videlicet Jesum ex morte revixisse, post vero in cælum ascendisse, indeque sæpius apparuisse & mirabilia operatum esse, videbimus horum quoque omnium habere nos effecta satis manifesta. Neque enim vel inventi complures fuissent, qui suo ipsorum sanguine istarum rerum fidem fecissent, ut à se visarum sibique compertarum; vel, si hi non fuissent, alii pæne innumeri deinceps perpetuo, præter quamcunque aliam humanam rationem, contraque sua ipsorum commoda, hæc eadem & credere & constanter affirmare perrexissent.

Adde, quod, rebus istis sublatis, & fide, quæ earum facta est, neutiquam apparet, quemadmodum fieri potuerit, quæcunque tandem Jesus miracula fecisset, ut tam multi homines cujuscunque generis, non solum illum reciperent tanquam unicum recte vivendi magistrum, idque firma cum spe, si ita vixerint, post mortem vitam immortalem adipiscendi: sed etiam, verum Deum, illum esse crediderint, utque talem, colucrint, ejusque opem imploraverint, præsertim, cum post edita miracula ista, magistratus judicio atque sententia è medio sublatus fuerit, & tanquam homo malus atque iniquus, immo blasphemus Deique ac rerum divinarum contemptor, à suismet, ab illis ipsis, qui miracula ab eo facta conspexerant, perque ea beneficiis ab ipso affecti fuerant, in crucem fuerit actus. Hi autem eventus, eorumque circumstantiæ res sunt compertissimæ, nec quisquam est, quantumvis Jesu Nazaræni, ejusque religionis adversarius, qui hæc negare audeat, quando hodieque partim conspiciuntur, partim extant eorum effecta indiciaque admodum aperta.

Jam quid dicemus de præcipua Veteris Testamenti historia? Judaicus populus, qui hodie adhuc durat, nonne ejus certissimam facit fidem? Etenim, nisi verum esset, eos antiquitus legem illam accepisse, quam adhuc, ut sanctissimam, retinent, idque ea ratione, qua in historia legitur, id est ita, ut appareret, eam à Deo proficisci, fieri vix potuisset, ut se tot ceremonialium (quæ vocant) præceptorum jugo subdidissent; præsertim à plurimis cibis abstinendi, quibus alii omnes communiter vescuntur, & inter quos non pauci sunt suavissimi palatoque gratissimi: potissimum vero seipsos circumcidendi, quod cerimoniale præceptum, vel ipsum per se, videtur fidem facere posse, legem illam humanum inventum non fuisse. Vidimus, alias omnes antiquas religiones, quamvis minus multo ad colendum difficiles paulatim evanuisse, adeo ut illarum vix extet memoria. Hæc tamen antiquissima conservatur adhuc in hunc usque diem. Cujus rei caussa alia nulla esse potest, quam ipsam initia habuisse gravissima, firmaque fundamenta, post quæ consecutæ fuerint confirmationes & corroborationes apertæ ac manifestæ, prout in ipsa ista historia legitur, quibus rebus cum cæteræ antiquæ religiones modo non prorsus caruerint, necesse fuit, quemadmodum aliis omnibus humanis rebus contingit, ut tandem corruerint, & ad nihilum venerint. Huc accedit, quod aliæ religiones tunc deficere cœperunt, cum nemo erat, qui cuiquam, quamlibet illarum profitenti molestus esset. Immo una ex istis religionibus, ea videlicet, quam urbs Roma sequebatur, quamque si ejus substantiam spectes, magna eaque potior orbis terræ pars amplectebatur, tunc ad nihilum redigi cœpit, cum Roma una cum universo ipsius imperio unum tantum caput ac Dominum agnoscebat, qui hanc ipsam religionem profitebatur; quod idem perpetuo deinceps per aliquod longum tempus fuit. Et tamen scimus, nihil aptius esse ad morem aliquem novum in quemvis populum inducendum, non modo ad veteres in eo mores conservandos, qui per se ipsi, sine ullo alio adminiculo se sustentare queant, maxime vero ii, qui ad religionem spectant, æternitati enim consecrati videntur; nihil, inquam, huic rei esse aptius, quam voluntatem, exemplumque ejus, qui dominatur. Contra vero Judæorum religio conservata est ac conservatur, & ubique fere, nisi ubi commorari sit illis prorsus interdictum, sunt, qui eam adhuc constanter sequuntur; quamvis & hodie, & antehac per tam multa sæcula ii, qui eam profitentur, sint fuerintque ludibrio habiti, injuriis affecti, tyrannice tractati atque oppressi, milleque modis sæpe non solum in suis ipsorum corporibus vexati ac torti, sed etiam miserabiliter necati.

Profecto, si quis est, qui ex hac re, aliisque nonnullis, quæ commemorari possent, non intelligat, quam necesse sit, ut Judæorum religio eam originem habuerit, quam ipsi affirmant, & idcirco historia doctrinaque Veteris Testamenti hac in parte, ob idque in aliis quoque sit vera, videtur inter eos numerandus, qui aut nihil cernunt, aut, ne cernant, oculos claudunt. Jam vero ex Judaicæ religionis veritate, id est, ex eo, quod populo illi ea religio à Deo data fuerit, exque certitudine historiæ ac doctrinæ Veteris Testamenti, quivis judicio præditus agnoscit, fieri non posse, quin Christiana religio, eoque ut supra demonstratum est, historia & doctrina Novi Testamenti sit vera, non secus atque ex harum rerum veritate, illarum, ut dictum est, veritas agnoscitur. Quod si Judæi hoc minime agnoscunt, id ob ipsorum ruditatem, vel potius stoliditatem miram atque evidentem evenit, & propterea quod ab ipso ortu capitalissimi sunt religionis Christianæ hostes.

Per ea, quæ hactenus disputata sunt, arbitramur satis demonstratum fuisse, majorem fidem adhibendam esse libris Veteris & Novi Testamenti, sive quod ad historiam, sive quod ad doctrinam attinet, quam plerisque aliis libris soleat, eumque, qui illis fidem non adjungat, nulla probabili ratione inde deterreri.

CAPUT V.

In quo detegitur error illorum, qui fidei libris istis adjungendæ ejusmodi argumenta postulant, quibus nemo sese ulla ratione opponere queat.

Jam, tametsi, quæ hucusque scripsimus, satis fortasse esse debeant ad id efficiendum, quod ab initio proposueramus: tamen visum est nobis, antequam huic nostræ scriptioni finem imponamus, monere lectorem eos, qui, ut iis fidem adjungant, quæ scripta sunt in Veteri Novoque Testamento, ejusmodi argumenta & rationes postulant, quibus nemo sese opponere, aut repugnare queat, quæq; unicuiq; ejus rei certam & indubitatam fidem faciant, hos, inquam, ostendere, se religionis naturam parum attente considerasse; quæ ea est, ut, quemadmodum multi loquuntur, hæc meritum requirat, sitque

sitque hominum probitatis tanquam lapis quidam lydius; præsertim vero ejus religionis, quæ Novo Testamento continetur, de qua una ob eam causam, quæ sæpius dicta est, satis est nos loqui. Dico igitur, si Novi Testamenti scripta ejusmodi essent, ut nemo ulla ratione negare posset, ea esse veridica, neminem etiam fore, qui non modo religionem non profiteretur in eis comprehensam, id est, se esse Christianum: verum etiam talis reipsa non esset, hoc est, Jesu Christo non obediret. Præmium enim in illis propositum iis, qui Christo obedierint, adeo magnum est, adeoque desiderabile, ut nemo sit, qui ejus consequendi gratia, majora etiam iis non faceret, quæ Jesus Christus præcepit, (si modo majora fieri possunt) ubi compertum haberet, se præmium istud adepturum, ut certe haberet, si verissima esse crederet ea omnia, quæ in Novo Testamento sunt scripta. Ita nullum inter malos, & bonos discrimen existeret; nec ulla causa bene ac male agendi, eoque nec virtutis remunerandæ & vitii puniendi. Quandoquidem ex eo, quod præmium, cum ab initio proponitur, incertum est, fit ut mali à bonis internoscantur. Qui enim bonus, id est, probus est, & cogitatione ac voluntate ad ea facienda propensus, quæ justa & honesta sunt, atque ejusmodi, qualia Jesus Christus præcipit, aut saltem ab eis animo non est alienus, facile credit, quæ audit de ingenti præmio iis proposito, qui ista fecerint, quamvis id aperte non videat; modo de eo spes aliqua appareat, & ita credens, omnibus viribus aggreditur, ut ista faciat. Qui vero malus est atque improbus, nec quidquam justis honestisque rebus delectatur, earumque similibus, quæ à Jesu Christo præceptæ fuerunt, aut certe ista parum curat, cum audit verba fieri de præmio iis proposito, qui ea fecerint, quo majus illud esse audit, eo minus credit.

Quod si tamen propter magnas, quæ ejus sunt, conjecturas, aliquam ejus habet opinionem, ea infirma est adeo, ut efficere nequeat, ut is malos suos mores deserat, unaque cum illis delectationem, aut honorem, aut utilitatem, quam inde vel sperat, vel jam experitur. Sapientissime igitur noluit Deus, ut præmium immortalitatis, id est, rei cunctis desiderantissimæ, à se omnibus propositum, quicumque Jesu Christo obedierint, humano generi paucis quibusdam exceptis, qui nimirum fidem facere aliis possent eorum, quæ ipsi viderant, certum indubitatumque ulla ratione appareret, & idcirco nequaquam fecit, ut Novi Testamenti scripta, in quibus ejus præmii apertissima fit mentio, quæque de eo constanter affirmant, ejusmodi essent, ut nullo modo quisquam sese eis opponere posset. Sed satis esse voluit, si & hæc scripta, & alia, quæ sunt, ejus præmii argumenta, ejusmodi forent, quibus jure & possit & debeat fides adhiberi, talia demum, ut ei, qui probus est, aut ita comparatus, ut probus facile evadere queat, sint satis: ei vero, qui improbus est, & præ malitia sua probus fieri nequit, non sint satis: ut, hac ratione illorum probitate detecta, horumque malitia, justissimam causam habeat hos quidem puniendi, illos vero præmio afficiendi: tum quia ita convenire videtur: tum multo magis, ut hoc pacto in illis summam suam misericordiam, in his vero justam severitatem exerceat, in utrisque autem admirabilem suam potentiam, supremumque universitatis rerum quem habet, dominatum, atque imperium infinita immortalique sua cum gloria patefaciat.

CAPUT VI.

In quo confirmantur ex parte, quæ supra dicta sunt, auctoritate Dantis Aligerii.

POstremo confirmationis cujusdam gratia, & ex parte conclusionis quodammodo eorum, quæ de hoc Sacræ Scripturæ auctoritatis argumento dicta à nobis & disputata sunt, visum est hoc loco adscribere carmina quædam Dantis Aligerii, non modo celebris Poëtæ, sed ingenii acumine, & multarum rerum scientia, viri ætate sua rari ac singularis, in quibus hac eadem de re agitur. Is igitur in suo Poëmate, quod comœdiam ipse vocavit, Cantico 24 Paradisi, inducit Petrum Apostolum interrogantem ipsum, undenam proficisceretur ea fides, qua se præditum esse dixerat, hoc est, persuasio de rebus divinis: se vero ipsum respondentem ad eum, qui sequitur modum.

Appresso usci de la luce profonda,
Che li splendeva, Questa cara gioja,
Sovra la quale ogni virtu si fonda.
Onde ti venne? Et io, la larga ploja
Delo Spirito Santo, ch' è diffusa
In su le vecchie, e'n su le nuove cuoja,
E silogismo, che la mi ha conchiusa
Acutamente si, che'nverso d'ella
Ogni demostration mi pare obtusa.
I udi poi, L'antica & la novella
Propositione, che si ti conchiude,
Perche l'hai tu per divina favella?
Et io, La pruova, che'l ver mi dischiude,
Son l'opere seguite, à cui Natura
Non scaldo ferro mai, ne batte ancude.
Risposto fummi, Di, che t'assicura
Che quelle opere fosser quel medesmo,
Che vuol provarsi? Non altri il ti giura.
Se il mondo si rivolse al Christianesmo,
Diss'io, senza miracoli, questo uno
E tal, che gli altri non sono il centesmo.
Che tu entrasti povero & digiuno
In campo à seminar la buona pianta
Che fu gia vite, & hora è fatta pruno.

Quæ Latine, si verbum verbo reddatur, ita sonant:

Deinde exivit ex luce profunda,
Quæ illic splendebat, Hæc pretiosa gemma,
Super quam omnis virtus fundatur,
Unde tibi venit? At ego, Larga pluvia
Spiritus Sancti, quæ est diffusa,
Super Veteres, & super Novas membranas,
Est syllogismus, qui eam mihi conclusit
Acute adeo, ut præ illa
Omnis demonstratio mihi videatur obtusa.
Audivi deinde, antiquam & novam
Propositionem, quæ adeo tibi concludit,
Cur habes tu pro divino sermone?
At ego, probatio, quæ verum mihi recludit,
Sunt opera, quæ secuta sunt, ad quæ Natura
Non candefecit ferrum unquam, nec percussit incudem.
Responsum fuit mihi, Dic, quis tibi certum facit,
Quod illa opera fuerint illud ipsum, (*confirmat.*
Quod debet probari? Haud quisquam id tibi jurejurando
Si orbis terræ sese convertit ad Christianismum,
Inquam ego, sine miraculis, hoc unum
Est tale, ut reliqua non sint centesima pars,
Nam tu ingressus fuisti pauper ac jejunus,
In agrum ad serendam bonam plantam,
Quæ fuit olim vitis, & nunc est facta spinus.

Nec aliud quidquam in præsentia iis, quæ supra scripsimus, addere volumus. Faxit Deus, ut hic noster labor, quamvis imperfectus atque exiguus, in hac mundi ætate, quæ præter omnes alias, quæ unquam fuerunt, maxime videtur harum rerum indigere, non prorsus sit inanis.

FINIS.

SUMMA

SUMMA

RELIGIONIS CHRISTIANÆ.



Eligio Christiana, est doctrina cœlestis, docens veram viam perveniendi ad vitam æternam.

Hæc autem via, nihil est aliud, quam obedire Deo, juxta ea, quæ ille nobis præcepit, per Dominum nostrum Jesum Christum Hebr.5.9.

Verum ut manifestius perspici possit id, quod nobis ille mandavit, inprimis consideranda est, conditio & natura hominis, & in quo gradu ac statu is sit coram Deo

Homo quia est ex terra factus, natura sua Gen. 2. 7. 1 Cor.15.47, mortalis Gen.3.19. 1 Cor. 15. 48, & corruptioni subjectus; &, ex accidente, quia divinum præceptum violavit, morti æternæ obnoxius est Gen.2.17.3.19: ita ut, quod immortalitatem attinet, nihil illi cum Deo commune sit, & insuper, ob peccata sua, hostis illius evasit.

Necesse est igitur, quo cum Deo in gratiam redeat, & in spem vitæ immortalis venire possit, ut Deus omnia ei peccata remittere, & immutata ejus natura, è mortis servitute, eum vindicare velit.

Jam vero Deus, pro pura bonitate & misericordia sua 2 Tim.1.9. Tit.3.5, utrumque præstare decrevit, dummodo hominem, antea patratorum peccatorum pœniteat Tit.2.12. 1 Cor.6.9. Gal.5.21.6.8, & is in posterum, non ad terrenam & carnalem, sed ad cœlestem & spiritualem normam, vitam suam conformet.

Volens nihilominus, ad declarandum apertius, bonitatem & potentiam suam 2 Cor.4.7, simulque fidem & obedientiam nostram explorandam 1 Petr.1.7, ut ne protinus à morte soluti & liberi essemus, sed ut prius eam, subiremus, immo vero acerbissimam etiam, quæ ab ullo nobis inferri possit, ita exigente necessitate, perferremus potius, quam eum denuo offenderemus.

Quoniam igitur Deus ex parte hominis aliquid requirit, quo is ad hoc perficiendum incitaretur, non solum opus fuit, ut ei hoc consilium patefieret, sed id revera Dei consilium esse, etiam persuasum esset.

Quapropter placuit Deo, mittere in mundum carissimum Filium suum Christum Jesum, natum ex muliere Gal.4.4, ut nobis hoc lætum nuncium annunciaret Mar. 1. 38. Luc. 4. 43. Joh.18.37, & amplius confirmaret, obsignaret, & reipsa comprobaret Apoc.1.5.3.14.

Sic igitur, Christus in mundum veniens, hoc consilium Dei nobis annunciavit Eph.2.17. Luc.4.18. 2 Tim. 1. 10. Hebr.2.3. Esai.61. 1, infinitis & manifestissimis miraculis illud confirmavit Joh.2. 23. & 7. 3. & 12.37. Act.2.22. proprio sanguine obsignavit Hebr.13.20. Luc.22.20. Mar. 14.24. Hebr.12.24. oppetita ultro illius causa, acerbissima & ignominiosissima morte Joh.10.18, reipsa denique illud comprobavit, exhibita in sui ipsius persona ea vitæ ratione, quam nos sectari debemus in hoc mundo Joh.13.15. 1 Petr. 2.21. 1 Joh.2.6.

Excitatus porro à Deo Patre Gal.1.1. Act.3.13. 1 Thess. 1.10, ut sempiternum viveret Rom.6 9. Act.13.34. Hebr. 7.24, & 25, certissime nobis confirmavit, 1 Petr.1.3,4. Hebr. 10.19, & 20. 4. 14. 6. 20, eos qui huic viæ, quæcunque tandem incommoda aut pericula iis objicerentur, insisterent, evasuros tandem ad illam vitam sempiternam, quam Deus nobis per eum pollicitus est.

Præsertim, cum Deus ad perfecte adstruendam hujus promissi sui fidem, non tantum Jesum Christum excitaverit, & immortalitate donaverit: verum etiam eidem contulerit omnem potestatem in cœlo & in terra, testatum id nobis faciens Matth.18.18. Joh.13.3. Eph.1.20, postquam eum in cœlum, in conspectu charissimorum ipsius discipulorum, assumsit Act.1.9. Luc.24.51. Mar.16.19, rebus admirandis, & donis cœlestibus, quarum illæ patratæ hæc vero obtenta fuerunt in nomine ipsius Jesu Christi Mar. 16. 20. Hebr.2. 4. Act.4.3, Et ex consequenti, tradidit ei in manus auctoritatem & potestatem, excitandi nos à mortuis, & immortalitatem nobis donandi Joh.5.20.21.26.6.39,40. Philip.3.21, in manus scilicet fratris nostri, qui ea ipsa mala perpessus est, quæ nobis sunt sufferenda Hebr.2.11.17. Psal.22.23. Joh.20.17. Hebr.2.17.4 15, ita ut nulla amplius sit causa dubitandi, illum condoliturum nobis Hebr.2. 18.4.15, & daturum illam vitam Joh. 10.27, 28. 17.2, cujus potestatem conferendæ iis, qui ejus vestigia secuti fuerint, Deus ei largitus est.

Argumenti Pro trino & uno Deo, omnium potissimi, aut certe usitatissimi.

EXAMINATIO.

Cujus rei occasione, tota de re, præcipue vero de Christi Divinitate ac natura, breviter explicatur.

ARGUMENTUM.

Deus est tantum unus, ut ex multis scripturæ testimoniis aperte constat. Atqui Pater in Sacris Literis dicitur Deus, Filius item, & Spiritus Sanctus dicitur Deus. Ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt nnus Deus, & consequenter Deus unus quidem est essentia, sed trinus personis.

RESPONSIO.

VOx Deus, duplici modo potissimum in Sacris Literis accipitur. Prior modus est, cum significat illum, qui tum in cœlo, tum in terra ita aliis dominatur ac præest, rerumque auctor est & origo, ut neminem superiorem aut principem habeat, nec ab ullo pendeat. Atque hoc priore modo dicitur Deus esse unus. Alter modus est, cum significat eum, qui summum aliquod imperium aut vim, aut potestatem ab ipso uno Deo habet, vel aliqua alia ratione divinitatis illius unius Dei est particeps. Hinc enim ille

unus Deus, id est Jehova, Deus deorum dicitur, Psal.50.1. Hoc altero modo in ipsis Sacris Literis vocatur nonnunquam Filius, seu Christus, Deus. Patet totum hoc ex verbis ipsius Christi, Joh.10.35. *Si*, inquit, *illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* His verbis Christus manifeste ostendit, nomen Dei in Sanctis Literis iis etiam tribui, qui illo uno Deo multo inferiores sunt; seque nulla alia potiore ratione potuisse seipsum appellare Dei filium, & porro Deum, quam quia à Patre sanctificatus & in mundum missus fuisset. Est igitur quidem Christus Deus: sed non tamen ille unus Deus: Immo propterea est Deus, quia ab uno illo Deo (hic enim idem prorsus est, qui Pater, ut postea probabimus) excellentissima ratione à cæteris segregatus, & cælestibus donis cumulatus, saluti æternæ hominibus & annunciandæ & reipsa dandæ præpositus fuit. Hæc est enim illa ipsius à Patre sanctificatio & in mundum missio.

Quod ad Spiritum Sanctum attinet, is nusquam diserte atque ad literam (ut dicitur) in scriptura Deus appellatur. Sed tantum haud raro ea illi tribuuntur, quæ Dei sunt propria; vel quod Spiritui Sancto alicubi tribuitur, id aut ibidem, aut alibi Deo tributum invenitur. Hujus rei causa est, quod Spiritus Sanctus virtus est atque efficacia Dei. Quod enim virtuti atque efficaciæ Dei tribuitur, id sine dubio ipsi Deo tribuitur. Sed non est propterea Dei virtus & efficacia persona aliqua divina; sicut nec Dei bonitas, aut justitia, aut misericordia, aut judicium, alique Dei vel effectus vel proprietates, sunt personæ aliquæ divinæ. Alioqui multo plures etiam, quam tres, eas esse oporteret.

Cæterum vel ex eo solo, quod Deus unus esse aperte traditur, merito concludi potest, eum non esse nec trinum, nec binum. Opposita sunt enim inter se Unus, & trinus; sive unus & binus. Ita ut, si Deus sit trinus aut binus, non possit esse unus. Nam distinctio ista, unus essentia, trinus personis, nec usquam extat in Sacris Literis, & cum certissima ratione ac veritate manifeste pugnat. Certissimum enim est, non pauciores esse individuas essentias, quam personas. Cum persona nihil aliud sit, quam individua essentia intelligens.

Jam, quod hic unus Deus non alius sit, quam Pater Domini nostri Jesu Christi, non etiam Dei Filius, & Spiritus Sanctus, probatur aperte pluribus modis; atque his præcipue.

1. Primum, ut ostensum fuit, si Deus unus est, non potest esse trinus aut binus. Constat autem inter omnes, & scriptura passim testatur, Patrem Christi esse ipsum Deum. Sequitur ergo necessario, nullum alium, quam Patrem Christi, esse hunc unum Deum.

2. Deinde ex illis ipsis locis, in quibus expresse traditur, Deum esse unum tantum, non pauci sunt, ubi dicitur, hunc unum Deum esse Patrem illum omnium, vel Patrem Jesu Christi. Joh. enim cap.17.3, Christus ipse dicit, Patrem suum, esse illum unum solum verum Deum, etiam respectu sui. Seipsum namque ibidem nominat, atque à Patre distinguit; & quidem ita, ut non possit dici, illum loqui de se secundum humanam naturam tantum. Nam eatenus se nominat, quatenus in ipso cognoscendo vita æterna continetur. Quod ad totum Christum, quantus quantus, referendum omnino esse, nemo non videt. Etenim, quod quidam olim Christi verba ita accipienda censuerunt, ut intelligatur, Patrem, & Jesum Christum esse illum solum verum Deum, rejectum est hodie hoc ab ipsis ferme omnibus Trinitariis: cum propter id, quod nec verborum structura, nec locus ipse id ferre videtur; tum vero, quod Spiritus Sanctus hac ratione ab illa sola vera divinitate, quæ ad vitam æternam consequendam cognitu necessaria est, non obscure excluderetur. Locus item 1 Cor.8.6, aperte docet, unum illum Deum nostrum, esse Patrem illum, ex quo omnia, & nos in illum, illum (inquam) Patrem, qui à Christo distinguitur, quatenus Christus est ille unus Dominus, per quem omnia, & nos per illum. Ita ut, quemadmodum in superiore loco, hic quoque nullo modo possit dici, de Christo verba fieri secundum humanam naturam tantum. Similiter in loco Ephes.4.6, ubi unus Deus esse dicitur, diserte etiam simul affirmatur, istum unum Deum esse Patrem omnium, isque aperte à Christo distinguitur, quatenus Christus est unus Dominus.

3. Præterea ad probandum, quod Pater tantum sit ille unus Deus, inexpugnabilis ratio videtur, quod *millies simplici Dei nomine, quando subsistentiam ipsam significat, Deus tantum Pater* certissime intelligitur; quemadmodum adversarii ipsi omnes fateri sunt coacti. Nunquam autem, cum, prædicta ratione, simplex Dei nomen est positum, solus Christus seu Filius, solusve Spiritus Sanctus aperte ac citra omnem controversiam significatur.

Nam etsi Christus nonnunquam, ut dictum est supra, Deus appellatur, tamen tunc Dei nomen subsistentiam ipsam non significat, sed subsistentiæ tantum attributum. Seu mavis, tunc Dei nomen non subjecti, sed prædicati locum obtinet. Nusquam enim in divinis literis invenies scriptum, Deum aliquid vel fecisse, vel dixisse, aut de Deo quidpiam aliud affirmari, quod ad Christum à Patre distinctum sit omnino ac necessario referendum.

4. Adde quod, cum Christus, ut revera est, sic passim appelletur Dei filius, Spiritus autem Sanctus, Dei Spiritus, & sine dubio is Deus, qui in ejusmodi locis nominatur, sit ille unus Deus, sequitur, nec Filium, nec Spiritum Sanctum esse illum unum Deum. Alioqui filius esset sui ipsius filius, & Spiritus Sanctus sui ipsius Spiritus.

5. Quodsi certissimum est, Christum esse illius unius Dei filium, certissimum quoque est, Patrem Filium, & Spiritum Sanctum simul, non esse illum unum Deum, sed Patrem tantum, cum Patris, Filii, & Spiritus Sancti simul non sit Christus Filius, sed Patris tantum.

Jam si quis est, qui ob ea, quæ Christo in divinis literis tribuuntur, magnificentissima omnino & maxime sublimia, dubitet, an ipse sit ille unus Deus, aut saltem ejusdem cum ipso essentiæ, is consideret, nihil vel magnificentius vel sublimius Christo in scriptura tribui, quam divinum cultum ei ab omnibus debitum. Sed hoc, ut homo, à Deo Patre Christus habuit. Igitur nihil inveniri poterit Christo divinis testimoniis tributum tam magnificum tamque sublime, quod, nisi aliud obstet, quam rei magnificentia & sublimitas, illi, ut homini, convenire non possit. Quod autem divinus cultus Christo ab omnibus debitus, illi, ut homini, à Deo Patre sit constitutus, probant primum verba ipsius Christi, qui apud Johannem cap.5.22, & 23 ait, Patrem non judicare quempiam, sed omne judicium Filio dedisse, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Unde apparet, ex judicio à Patre Filio dato, consequi cultum divinum, illi ab omnibus debitum. Atqui hoc judicium Patrem Filio, ut homini, dedisse, testatur ibidem ipse Christus paulo post ℣. 27, cum ait, Patrem dedisse Filio potestatem judicium faciendi, quia filius hominis est. Deinde hoc idem probant verba Pauli Apostoli ad Philip. cap.2, ubi de exaltatione Christi agit propter ipsius obedientiam usque ad mortem crucis. Inquit enim ℣. 9, & deinceps, quod propter istam obedientiam Deus illum tantopere extulit, ut in nomine Jesu debeat omne genu flecti. Quod quid aliud est, quam divinum cultum ab omnibus illi deberi? Atqui certum est, Jesum, ut hominem, prædicta ratione fuisse exaltatum. Obedientia enim usque ad mortem crucis in ipsum hominem tantum cadit. Et ex ipsis Pauli verbis liquido constat, eum ipsum plane fuisse exaltatum, qui usque ad crucis mortem obediens fuit.

Bre-

Breviter nihil tam vel sublime, vel demissum est in Sacris Literis Christo tributum, quod ad hominem illum Jesum Nazaræum proprie non pertineat. Quare nulla causa fuit, in uno & eodem Christo duas naturas; id est essentias, comminiscendi, divinam & humanam, & cum excellentia Patris supra Christum in Sanctis Literis clarissime consignata ostenditur, ad distinctionem istam confugiendi, divinæ & humanæ naturæ; ac dicendi, quod tunc non secundum divinam, sed tantum secundum humanam Christi naturam scriptura loquitur. Ut, cum ipse Christus ait, *Patrem se majorem esse*, Johan. 14.28, cum fatetur, *Filium ignorare futuri* divini judicii diem & horam, sed Patrem solum illam scire, Mar. 13.32, cum, jam à mortuis excitatus, *Patrem* non minus *suum*, quam discipulorum *Deum esse* testatur, Joh. 20.17, quod idem, jam in cœlum translatus & plane glorificatus, affirmat quater in uno versiculo, Apoc. 3.12; cum denique, ne singula recenseam, *suam doctrinam*, *sua verba*, sua signa, sua opera omnia, una cum auctoritate ac potestate sua, Deo patri accepta refert; adeo, ut alicubi non sua, sed ejus esse dicat, qui ipsum miserat, id est Patris. Vide Joh. 5. 19, 20, 22, 23, 27, 30, 36, 43, & 7. 16, & 10.25, & 17.2. Ut Pauli, & aliorum Apostolorum innumera pœne testimonia omittam, quibus evidentissime hæc Patris supra Filium eminentia confirmatur.

Quanquam, cum viderent Adversarii, in multis ex prædictis testimoniis ejusmodi verba esse, quæ ipsa per se secundum humanam Christi naturam nulla ratione accipi posse existimabant, duo alia refugia quæsiverunt: Unum, quod testimonia ista ad æternam generationem referantur, per quam Filius à Patre illa habuerit, quæ ibi commemorantur. Alterum, quod per figuram quandam sermonis, quæ Idiomatum communicatio appellatur, quod unius tantum naturæ est, alteri separatim tribuatur.

Verum oportebat prius, quam mirabili hac ratione sacra testimonia interpretarentur, istam æternam generationem, istamque duplicem Christi naturam aperte ex aliis probasse. Alioqui, simplici istarum rerum negatione, interpretatio ipsa meritissimo rejici, ac confutari potest.

Præterea, quod ad istam generationem attinet, cum eam non solum æternam, ut ipsi volunt, sed, si æterna est, naturalem quoque ac necessariam esse oporteat, nullo modo possunt huc referri ea, quæ vel in tempore (ut loquuntur) Christo à Patre data dicuntur, vel ita commemorantur, ut ex libera voluntate, aut certe in aliquem finem, aliquove consilio donata esse appareat, qualia sunt ea, quæ in testimoniis istis recensentur. Pugnant enim prorsus Æternum, & In tempore: nec non Naturale, ac Necessarium, & Ex libera voluntate, aut In aliquem finem, aliquove consilio, donatum.

Quod vero attinet ad idiomatum communicationem, ea nequaquam efficere potest, ut, quod unius naturæ tantum est, alteri separatim tribuatur. Licet efficere fortasse possit, ut, quod unius naturæ est, ipsi personæ simpliciter accommodetur. Nemo enim, exempli causa, dixerit: Anima mea est procera; aut Anima mea induitur talari veste; aut, Anima lavatur in balneo, etiamsi corpori, cujus hæc sunt propria, ita in homine ejus anima sit conjuncta, ut ex utroque ipse idem unus homo constet; quemadmodum volunt, ex divina & humana natura, vel, ut alii loquuntur, ex Deo & homine, constare unum eundem ipsum Christum Jesum. Ad hæc, quomodocumque hæc Idiomatum communicatio in locis de Christo loquentibus admittatur, hoc nihil est aliud, quam cum sacris verbis quodammodo ludere, & plane incertum de loci sententia, deque re ipsa sæpissime reddere lectorem.

At enim dicent, quædam esse, quæ omnino sine ista Idiomatum communicatione, & porro duarum in Christo naturarum agnitione explicari nequeant. Ut, cum dicuntur omnia à Deo per Jesum Christum creata, Ephes. 3.9, ut quidem Græci codices habent; aut, cum dicitur filius hominis in cœlo fuisse ante, quam, conspicientibus ipsius discipulis, eo ascenderet, Joh 6.62; aut etiam in cœlo esse, dum tamen in terra loqueretur, Joh. 3.13.

Respondeo, nihil esse, cur hæc ad hominem illum Jesum Nazaræum proprie non referantur. Cum enim omnia creata à Deo per Jesum Christum dicuntur, non ea sunt intelligenda, de quorum creatione diligentissime scripsit Moses in initio suæ historiæ. Is enim ibi, cum creandi actionem exponit, nullius personæ, quæ partem in ea habuerit, præter Deum ipsum, mentionem facit. Atqui hic necesse est, alium esse Deum, & alium eum, qui Jesu Christi nomine intelligitur; cum Deus per Jesum Christum creasse dicatur. Præterea nusquam Christus universe aut generatim creasse dicitur, sed per eum factam fuisse creationem. Itaque nulla Christi, sive ejus, qui Christi nomine apud Paulum intelligitur, in creatione, quam Moses exponit, facta est mentio. Moses enim Dei, ut creantis, meminit, non autem, ut per quem fit facta creatio. De aliis igitur rebus creatis est Pauli locus accipiendus, & vox *Omnia*, ad ea omnia referenda, quæ ad novam creationem pertinent, quam per hominem illum Jesum Nazarænum factam fuisse constat. Quemadmodum idem Paulus alibi ait, omnia nova esse facta, 2 Cor. 5.17, cum tamen certum sit, infinita esse, quæ in eodem statu manserunt, in quo erant antea. Nempe quia ibi vox *Omnia*, ad ea omnia referenda est, quæ ad Dei fœdus cum hominibus, adque religionem pertinent, & ad ea, sicut in superiore loco fieri debere contendimus, restringenda.

Similiter, quod filius hominis in cœlo fuerit ante, quam eo conspicue ascenderit, revera & proprie ad hominem illum Jesum Nazarænum referri & potest, & debet. Nam quod revera homo ille, postquam natus est ex virgine, & antequam Euangelium annunciaret, in cœlum raptus fuerit, ibique ab ipso Deo ea didicerit, quæ humano generi patefacienda per ipsum erant, adeo est verisimile, ut aliter fieri non potuisse videatur. Non est igitur sine ulla causa, immo præter & contra omnem rationem vis verbis inferenda: sed ea, ut sonant, accipere & in hoc, & in similibus aliis locis oportet. Et sic plana erunt omnia.

Jam in loco Joh. 3.13, licet vulgo legatur, *qui est in cœlo*, potest tamen ex Græco legi, *qui erat in cœlo*, quemadmodum Erasmus, Beza, & alii monuerunt. Itaque erit hic locus superiori similis. Quod si quis tamen vulgatam lectionem mordicus retinere velit, non tamen sequetur, aliam, præter humanam, fuisse in Christo naturam sive essentiam; secundum quam scilicet fuerit tunc revera in cœlo. Istud enim, *Esse in cœlo*, ita accipiendum erit, ut ipsi humanæ naturæ, seu ipsi homini, de quo diserte verba fiunt, convenire possit. Eo nimirum sensu, quo ibidem dicitur, filium hominis ascendisse in cœlum, & neminem præter ipsum. Hoc enim nec secundum humanam, nec secundum divinam naturam, recte potest, ut ipsa verba sonant, explicari, nisi fortasse, si concedatur, hominem illum revera ascendisse in cœlum ante, quam hæc verba proferret. At vero, cum hoc, unde, ut dixi, omnia plana fiunt, licet verissimum, non agnoscatur, factum est, ut plerique istum ascensum in cœlum, penetrationem (ut ita loquar) ad rerum divinarum cognitionem sint interpretati. Sic igitur similiter, *Esse in cœlo*, ipsam jam adeptam rerum divinarum cognitionem interpretabimur.

Sed sunt, qui omnino ex eo maxime putent colligi duas in Christo naturas, divinam & humanam, quod Filius Dei & appelletur, & sit; unde per communicationem Idiomatum fiat, ut homo ipse Jesus Nazarænus Filius Dei esse dicatur. Nam alioqui, quomodo, inquiunt, purus homo, id est, cum ipsa divina essentia non copulatus, Dei Filius esse potest?

An non necesse est, ut, sicut homo hominem, ita Deus Deum generet?

Ad hoc sic respondeo. Si constaret, fieri posse, ut Deus, quemadmodum homo, & cætera animalia, ex sua ipsius substantia gigneret sibi similem, vim aliquam videretur habere hæc ratio. Verum non modo id non constat, sed contrarium facile probatur. Namque ex ipso consensu omnium Trinitariorum, exque ratione manifesta intelligi potest, Dei substantiam, id est essentiam, nulla ratione dividi aut multiplicari posse. Ipsam autem totam & numero unam ac prorsus eandem pluribus personis communem esse non posse, id evidenter demonstrat, quod supra diximus, videlicet necesse esse, ut non pauciores sint individuæ essentiæ, quam personæ. Porro autem quomodo Deus generet sibi similem, satis declarat scriptura, quæ compluribus in locis homines pios, maxime vero Christo confidentes, ex Deo natos, ab ipsoque generatos esse, affirmat. Adeo ut alicubi neget, eos ex hominibus esse natos, ut Joh. 1. 13. Cur hic vero duas naturas non comminiscimur, divinam & humanam, negantes, puros homines posse ex ipso Deo generari & nasci, nec ex ipsis hominibus ortum ducere? Quemadmodum igitur hic agnoscimus, unum & eundem hominem, duplici ratione consideratum, videlicet ratione Spiritus, & carnis, & esse, & non esse Filium Dei, aut hominis: sic etiam agnoscamus, eundem ipsum hominem Jesum Nazaræum & secundum carnem, esse Filium hominis, & secundum Spiritum, esse Filium Dei; Rursus, secundum carnem, non esse (si ita placet) Filium Dei, secundum autem Spiritum, non esse filium hominis. Quanquam, ut postea dicemus, Jesus Nazaræus, etiam secundum carnem, Filius Dei à scriptura agnoscitur. Ista autem distinctio in ipso Christo Pauli Apostoli verbis apertissime confirmatur: qui unum & eundem Dei Filium ex semine Davidis generatum esse secundum carnem, at secundum Spiritum sanctificationis, Dei Filium fuisse definitum, testatur Rom. 1. 3, 4.

Verum, dicet aliquis, Christus non solum Dei Filius, sed etiam unigenitus ac proprius Dei Filius in Sacris Literis appellatur. Quamobrem necesse est, illum singulari aliqua ratione ex Deo esse natum, præter reliquos omnes Dei filios.

Hic fateor libenter, atque agnosco singularitatem istam: sed non propterea concedo, eam in eo consistere, quod Christus ex ipsa substantia Dei sit generatus, alii vero minime. Jam enim ostensum est, Dei substantiam nec dividi, nec multiplicari, nec eandem ipsam unam numero pluribus personis communem esse posse. Cæterum in quibus consistat hæc Christi nativitatis ex Deo singularitas, ex ipsis sacris testimoniis intelligi potest.

1. Primum enim in eo consistit, quod Christus, simulatque natus est homo, Filius Dei fuit; & sic natura Filius Dei est: reliqui autem homines Dei filii, non sic. Adeo ut hac ratione inspecta, alii præ Christo non nati, sed adoptati, ut alicubi videtur scriptura loqui, filii Dei dici debeant. Natus est autem Dei Filius, homo ille Jesus Nazaræus, qui dicitur Christus, quia non ex virili semine, sed ex Spiritu Sancto virtuteque Altissimi in virginis utero conceptus est. Hanc enim ipsam ob causam id, quod ex virgine nasceretur, Dei Filium vocatum iri, ipsi virgini prædixerat Angelus Dei, Luc. 1. 35. Unde apparet, etiam secundum carnem, eum merito posse dici Dei Filium. Id quod nemini alii contigit, aut contingit.

2. Deinde, cum aliis hominibus Deus Spiritum suum, ex quo Filii Dei fiunt, ad mensuram largiatur, huic homini Christo sine mensura suum Spiritum, unde sublimiore, quam antea, ratione Filius Dei est factus, largitus est, Joh. 3. 35. Si modo is locus ad Christum referri debet. Sic enim simpliciter verba habent, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, nulla Christi mentione in eis facta. Possunt autem commode hæc verba ad totum Euangelii prædicationis ministerium referri; ubi Deus non parce & restricte, sed abundanter & effuse suum Spiritum est humano generi largitus. Quicquid sit, certum est ex ipsis divinis literis, aliis singulis hominibus Deum multa spiritualia dona dare potuisse, quæ non dedit; at Christo homini nihil spirituale non dedisse, quod dare potuerit. Quocirca merito singulari ratione ex Deo præter alios natus dicitur.

3. Adhæc, cum Christus homo ante alios omnes solus & immortalitatem ac glorificationem sui corporis adeptus sit, & hæres ac Dominus universorum fuerit constitutus, quibus rebus maxime similitudo cum Deo, ob idque divina filiatio continetur, apparet, illum singulari ratione, præter alios omnes, ex Deo natum fuisse. Cumque hæc, dum adhuc in terris degeret, ab ipso initio certissime futura omnino essent, merito jam tum, ob has ipsas causas, unigenitus ac proprius Dei Filius est appellatus.

Quædam alia omitto, propter quæ Christus homo Dei Filius unigenitus ac proprius jure potuit nominari. Et tantum illud moneo, Isaacum, cum in ara Deo oblatus est, unicum sive unigenitum Abrahami Filium fuisse dictum, Gen. 22. 2, & 12. Hebr. 11. 17, cum tamen Abrahamus tunc temporis alium Filium ex sese vere, non minus, quam Isaacus, natum haberet, hoc est Ismaëlem. Nam qua ratione tamen nihilominus Isaacus ejus filius unicus sive unigenitus dici potuisse ostendetur, eadem, aut simili, Christum hominem, unigenitum seu proprium Dei Filium nominari potuisse demonstrabitur; tametsi alios etiam similiter ex Deo natos esse constet.

Ut autem tota hæc res melius intelligatur, examinentur loca omnia Sacrarum Literum, in quibus vel tacite, vel aperte causæ exponuntur, cur Christus Dei Filius nominetur. Nusquam enim invenies nec expressam, nec indicatam causam istam, quod ex ipsa Dei substantia sive essentia sit generatus. Sed vel propter *modum conceptionis* in matris utero; vel *propter sanctificationem Dei* & in mundum missionem; vel *propter resurrectionem* à mortuis, quam scilicet consecuta est glorificatio, & supra omnes res creatas exaltatio; *vel propter* æternum sacerdotium ac regnum, quod à Deo habuit; *vel propter alia ejusmodi*, eum Dei Filium & esse, & nominari invenies. Vide autem hæc loca, ex quibus jam aliquot supra attulimus Luc. 1. 35. Joh. 10. 36. Act. 13. 33. Rom. 1. 3, 4, & 8. 29. Psal. 2. 6, 7. Hebr. 5. 5.

THESES

Theſes de Chriſto à vera divinitate excludendo, niſi ſit creator cæli, & terræ.

THESIS I.

Quem Deum vetus Iſraëlitica colebat Eccleſia, hunc & noſtra colit, creatorem ſcilicet cæli, & terræ.

THESIS II.

Jam vero, ut illa hunc unum & ſolum verum eſſe Deum profitebatur, ſic & noſtra hunc unum & ſolum pro vero Deo agnoſcit; alium vero præterea neminem.

THESIS III.

Hinc ſequitur, Chriſtianos non eſſe, qui, præter hunc cæli terræque creatorem, alium quempiam Deum colunt, verumque eſſe Deum arbitrantur.

THESIS IV.

Quanquam vero magiſtratum, aliaſque nonnullas res creatas hoc Dei nomine inſigniant interdum ſcripturæ, hoc tamen æquivoce fieri nemo non novit: ut ſolus, qui cælum & terram creavit, Deus verus ſit, reipſa vere & natura Deus, illa omnes nomine tantum.

THESIS V.

Jam ſi Sermo (quem Johannes Deum appellat) in rerum creatarum album redigatur, Deus verus non erit (quandoquidem ſolus mundi creator verus Deus eſt) ſed falſus Deus, æquivoce ſcilicet & nomine tantum. Abſit autem ejuſmodi blaſphemia à Chriſtiano pectore longiſſime.

THESIS VI.

Qui ſcopulum hunc effugere ſtudent, verum quidem eſſe Deum Sermonem concedunt, ſed non eum, qui mundum condidit. Binos igitur veros Deos colunt, in binos credunt, & binos adorant, natura & eſſentia diverſiſſimos. Quantum enim creator immenſus ab exili caducaque creatura differt!

THESIS VII.

Atqui & hæc blaſphemia eſt priori nihilo minus execrabilis. Tam enim dualitatem Deorum deteſtatur ſcriptura, quam pluralitatem.

RESPONSIONES.

AD PRIMAM THESIN.

Conceditur hæc Theſis, ſimpliciter atque, ut ipſa verba ſonant, accepta.

AD SECUNDAM.

Si Veri Dei nomine is intelligitur, qui ab æterno, & à ſe ipſo, ſive ex ſeipſo, divinitatem habeat, vera eſt Theſis. Si vero is intelligitur, qui divino imperio & poteſtate revera ſit præditus, nequaquam vera eſt Theſis. Quamvis enim Iſraëlitica Eccleſia nullum ejuſmodi verum Deum agnoverit, præter creatorem cœli & terræ: Eccleſia tamen Chriſtiana agnoſcit; hominem videlicet illum Jeſum Nazaræнum, qui dictus eſt Chriſtus, ſub Auguſto, Tiberioque, imperatoribus Romanis, demum ac primum natum, & mundo exhibitum ac patefactum, divinamque iſtam majeſtatem ab ipſo creatore cœli & terræ adeptum.

AD TERTIAM.

Dubia ſignificatio jam detecta eſt appellationis Veri Dei, & conſequenter etiam ſimplicis vocis Dei. Quare de hac Theſi idem, quod de ſuperiore ſtatuendum.

AD QUARTAM.

Non ſimplex & nuda eſt homonymia ſive æquivocatio in nomine Dei, creatori & creatis rebus tributo, ſed analogica, ejus generis, quod vocant à cauſa. Ita ut multæ res creatæ, potiſſimum vero homo Chriſtus Jeſus, non nomine tantum, ſed re etiam ſint dii. Sic tamen, ut prius creatori, poſterius vero rebus iſtis creatis, Dei nomen conveniat, ſeu de illis prædicetur. Neque enim ludit ſcriptura quam Chriſtus ipſe ſolvi poſſe negat, cum quoſdam homines, Deos appellat. Nec ſane Chriſtus, illam adverſus Judæos citans, ſophiſtam agit.

AD QUINTAM.

Hæc Theſis jam per ea, quæ ad ſuperiorem notavimus, minus vera eſſe deprehenditur.

AD SEXTAM.

Cum Sermo ille, qui aliud nihil eſt, quam homo Jeſus Chriſtus, creatori cœli & terræ, Deo vero, divinitatem ſuam prorſus acceptam referat, cumque illi ſit plane ſubordinatus; etiamſi verus Deus & ipſe eſt: non tamen hinc duo veri dii eo ſenſu conſtituuntur, ut quiſquam jure offendi poſſit. Sic enim nec uterque à ſeipſo, ſive ex ſeipſo, Deus, aut æque verus Deus ſtatuitur, nec diverſa, utriuſque divinitas cenſetur. Jam, quod utriuſque eſſentia ſit diverſiſſima, id cultum utrique, ut vero Deo, debitum nihil impedit. Nam præterquam quod ad divinum cultum, & quidem ei ſimilem, qui ipſi creatori debetur, Chriſto homini exhibendum, ſatis eſt, ſic creatorem juſſiſſe, ut certe juſſit; cultus etiam alicui, ut vero Deo, exhibendi propria & neceſſaria cauſa eſt, divinum imperium atque poteſtas; quam nihil prohibet in re creata ei ſimilem inveniri, quæ in ipſo creatore eſt, ex beneficio videlicet creatoris, ut quidem in Chriſto homine invenitur, tametſi diſſimilis plane utriuſque eſſentia ſit. Nec tamen quælibet res creata ſimpliciter exilis & caduca appellari poteſt; præſertim vero homo Chriſtus Jeſus, poſtquam glorificatus eſt.

AD SEPTIMAM.

Duos Deos ſummos, quorumve alter ab altero minime pendeat, eive ſit ſubordinatus, plane abominatur univerſa ſcriptura. Sed unum ex quo, alterum, per quem, cum dependentia hujus ab illo, ad eumque ſubordinatione, non modo non abominatur, ſed partim prædicit, partim prædicat ſcriptura tota; & utrique divinum cultum exhibendum eſſe docet; atque unius, id eſt ſubordinati, cultum ad alterius, id eſt, ejus, cui eſt ſubordinatus, honorem & gloriam pertinere affirmat, ad eumque referri, & hac demum ratione unam utriuſque divinitatem, & unum Deum utrumque eſſe, non obſcure oſtendit.

FINIS.

LECTIONES
SACRÆ
FAUSTI SOCINI SENENSIS.

Quibus auctoritas Sacrarum Literarum præsertim Novi Fœderis asseritur.

Opus imperfectum.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

LECTIONES SACRÆ, F. S. S.

Quibus auctoritas Sacrarum Literarum, præsertim Novi Fœderis asseritur.

RErum divinarum scientia, earumque investigatio, præsertim quod attinet ad ea, quæ quis ex Dei voluntate, vel facere, vel credere debeat, & consequenter Christianæ religionis cognitio & indagatio cujus rei caussa hic convenimus, duo habet præstantissima, propter quæ omnibus aliis scientiis, & earum indagationibus longissime anteferri debeat. Unum est, quod ejus Subjectum & finis, nobilissimum omnium Subjectorum, & finium est. Subjectum enim est Deus ipse, ejusque voluntas; Finis vero officium nostrum erga ipsum Deum, ejusque gloriæ amplificatio, & nostra æterna salus atque beatitas. Quorum prius, hoc est Subjectum, quod ipse Deus est, quin omnia, quæ mente concipi possint, longissimo atque infinito intervallo superet, nemo est qui dubitare ausit. Alterum vero, quod finem esse diximus, officium nostrum erga ipsum Deum, & æterna nostra felicitas, quin omnia hujus generis excellat, quæ vel cogitari quidem possunt, stultum est ambigere. Altera res quam diximus, propter quam hæc cognitio & investigatio divinarum rerum omnibus aliis longissime sit anteponenda, hæc est, quod reliquæ aliæ cognitiones & investigationes, omissis ipsis Mathematicis, quæ proprie scientiæ non sunt, sed artes potius, ut etiam vulgo appellantur, nulla habent propria principia, quibus penitus innitantur, & ex quibus facile, aut etiam cum aliqua difficultate, possit ad eas perdiscendas, & digne tractandas perveniri; aut si aliqua tamen principia habent, ea sunt adeo pauca, ut vix unquam ad ea disputando perveniatur. At cognitio & investigatio sacrarum rerum, fundamenta sua habet & principia multa, eaque clara & aperta, unde eam facile assequi, & convenienter in ea nos gerere valeamus. Imo, ut plerisque, & merito quidem, placet, totam habemus expressam atque expositam, quatenus quidem ad eum pertinet finem, quem diximus ejus esse, & de quo acturi & disputaturi sumus; quandoquidem monumenta habemus scripta, quæ nobis Deus mirabili & benignissimo consilio dedit & conservavit, divinorum virorum, qui vel ad ipso divino spiritu impulsi, eoque dictante, vel Spiritu Sancto pleni, illa literis commiserunt; hi sunt libri, quos Biblia, seu vetus & Novum Testamentum vulgo appellamus. Inter quos, inter libros, inquam, Veteris & Novi Testamenti, quæ differentia sit, & quatenus tam ii, quam illi nobis usui esse debeant, postea videbimus. Nunc in præsentia ita statuimus, cognitionem divinarum rerum ad usum nostrum pertinentium, præcipue vero Christianæ religionis, quam & amplexi sumus, & sanctissimam esse non dubitamus, & de qua ut agamus constitutum inter nos est, hisce libris omnino contineri. Quare nobis, quidquid dicturi, quicquid conclusuri sumus, quod huc pertineat, inde omnino petendum erit.

Verum, quia dubitare quis posset, Cur libiri isti tales sint, quales nos illos esse dicimus: & ambigere, an verum sit, quod illis ab iis, qui Christianam religionem sunt amplexi, plena fides adhiberi debeat: Propterea visum est ante omnia hoc ipsum probandum sumere, eo, videlicet, concesso; quod Christiana religio vera sit, libris istis fidem omnino esse adhibendam.

Primum igitur eas caussas proponemus, propter quas fieri merito possit, ut quis libro alicui fidem non habeat. Nam si ostenderimus, nullam ex ejusmodi caussis locum habere in libris istis, modo quis Christianam religionem veram esse statuat, satis videbitur demonstratum, nullam caussam esse cur quisquam nostrum illis fidem adhibere non debeat. De qua materia tractatum est à nobis in libello nostro de auctoritate Sacræ Scripturæ. Hic tamen magna ex parte quæ ibi diximus repetemus, prout necessarium esse judicabimus, & interim non pauca addemus, quæ ibi vel omissa sunt, vel non erat, cur dici deberent: cum mihi eo in loco ostendendum non sumpsissem auctoritatem istorum librorum, minime ab Ecclesiæ auctoritate pendere, quod hic, Deo dante, ostensuri sumus. Quanquam vel ex eo ipso quod aliæ causæ exponentur, propter quas censendum sit libros istos veraces esse, satis constare poterit illorum auctoritatem Ecclesiæ auctoritati minime inniti.

Quatuor omnino videntur esse causæ propter quas alicui libro fides haberi non debeat. Prima est, Si constet ejus libri scriptorem non esse ejusmodi, qui vel noverit, vel ut ipse noverat, tradere voluerit ea, de quibus in eo libro scripsit. Altera causa est, si plane nesciatur, quis sit libri auctor; unde fiat, ut nemo videre possit, cur scriptori isti credendum sit. Tertia causa est, si appareat, aut justa suspicio sit, librum, postquam scriptus fuit, fuisse corruptum ac depravatum. Quartam & ultimam caussam faciemus, si testimonia aliqua fide digna adsint, non debere libro isti fidem adhiberi.

Quod attinet ad primam caussam, ea duas partes habet; Nam vel scriptor propterea minime dignus fide apparet, quod scitur quis fuerit, & inde constat eum non fuisse ejusmodi, qui ea, quæ scripsit, vel ipse noverit, vel, ut noverat, scribere voluerit. Altera pars hujus caussæ est, quod ex ipso libro propter repugnantias manifestas, ineptias, aut aliquid tale appareat, fieri non posse, ut ejus scriptor vera scripserit.

Videamus igitur primum, an scriptores istorum librorum ejusmodi fuerint, quibus non sit credendum. Et quia, ut utrique libri, tam Veteris quam Novi Testamenti, recipiantur, satis est si Novi Testamenti libri recepti fuerint, ob eam caussam, quod in ipsis manifeste Veteris Testamenti librorum auctoritas confirmatur, satis etiam erit de scriptoribus Novi Testamenti inquirere.

Jam Novi Testamenti libri in quatuor partes dividi possunt: nam vel sunt narrationes eorum, quæ Christus fecit, aut dixit, quæve illi quoquo modo acciderunt; vel narrationes sunt eorum, quæ ejus Apostoli ex parte fecerunt, dixeruntve, quæve illis contigerunt, postquam Christus Jesus è conspectu ipsorum in cœlum receptus est; vel Epistolæ sunt Apostolorum quorundam ipsius Christi; vel historica narratio cujusdam visionis, quæ uni ex ipsius Christi discipulis contigit.

De prima parte, quæ vulgo Euangelia appellantur, nihil videtur esse dubitandum, quin illorum scriptores veridici fuerint, si, quinam ipsi fuerunt, consideretur. Nam ex quatuor, duo, id est Matthæus & Johannes, fuerunt ex intimis ipsius Christi discipulis, qui etiam ejus Apostoli, hoc est legati per universum mundum fuerunt. Hi enim, iis quæ scribunt fere omnibus, ut adfuerint necesse est, & consequenter veritatem eorum

rum noverint, quæ scripserunt. Nam quod ita scripserint, ut ipsi rem esse noverant, prorsus est statuendum. Christiana enim disciplina hoc potissimum fert, ut nemo prudens, sciens, alia mentiatur. Quod si ex religione ista faciendum omnino id est, in hujus vitę actionibus, multo magis sentiendum est, id debere fieri, cum de rebus divinis agitur, ubi mentiri scelus est plane inexpiabile, si quis, inquam, prudens sciensque mentiatur. Reliqui duo qui Euangelia scripserunt, etiamsi ipsius Christi Apostoli non fuerint: fuerunt tamen intimi & familiares discipulorum & Apostolorum ejus; Marcus quidem Petri, Lucas vero Pauli, ut partim ex ipsa historia Actorum Apostolicorum apparet, partim ex aliis non paucis historicis, qui postea extiterunt. Quare in istis duobus etiam (quamvis non omnino tanta, quanta in aliis duobus) apparet, propter eas quæ diximus, caussæ, ob quam, iis quæ scripserunt, fides adhiberi debeat. Et de Marco quidem traditur, ipsum Euangelium suum scripsisse ex iis quæ à Petro audiverat, adeo ut Petrus ei quodammodo historiam istam dictaverit: Lucas vero tam arcta consuetudine cum Paulo junctus fuit, de quo (utpote Christi singularissimo Apostolo, & propterea rerum ad Christum pertinentium scientissimo) maximam fere partem eorum quæ scripsit, rescire tam certo potuit, ac si ipse præsens adfuisset: ut vel ob hoc solum nullum dubium videatur relinqui, quin vera scripserit præsertim, cum ipsemet Lucas testetur, se veritatem eorum quæ scripsit edoctum fuisse ab iis, qui illa ipsi & viderant, & certa scientia cognoverant.

Vidimus de prima parte, quam fecimus scriptorum Novi Testamenti, eorum auctores ejusmodi esse, qui, si religio Christiana vera esse concedatur, non modo veritatem noverint eorum, quæ scripserunt; sed etiam eam scribere voluerint, & porro scripserint. Nunc ad secundam partem veniemus, quam diximus contineri historia quorundam Actorum Apostolicorum post Christi in cælum ascensum. Hic liber unus tantum est, isque ab eodem Luca scriptus, qui & Euangelium scripsit, ut ex initio utriusque operis satis constat. Jam vero si merito, ut arbitramur, conclusum à nobis est, à scriptore isto vere scripta fuisse, ac fideliter, quæ in Euangelio scripsit: multo magis statuendum est, ac concludendum, illum vere ac fideliter scripsisse, quæ de actis istis Apostolicis literis mandavit. Quandoquidem non modo ea ab iis audivit, qui præsentes fuerunt, vel alia ratione ea certissime noverant, quemadmodum in iis contigit, quæ in Euangelio scripsit, sed ipsemet istis magna ex parte interfuit, utpote qui Pauli Apostoli comes fuit, de quo bona pars scribitur libri istius, deque ipsius actionibus. Quapropter nihil videtur addendum, ad id confirmandum, quod quærimus, tantum monendi sumus, verisimillimum esse, ut Lucas aliis etiam quæ Paulo non acciderunt, & in libro isto narrantur, interfuerit, quippe qui inter illos quorum actiones ibi scribuntur, vixerit sine dubio, & commoratus fuerit.

Sed jam ad tertiam partem Novi Testamenti scriptorum accedamus, quæ, ut diximus, Epistolis continetur, ab ipsius Christi Apostolis scriptis; quorum unus in hac re potissimum præcipuus, propter maximam partem istarum Epistolarum, quæ illius sunt, Paulus est. De quo nihil dubitari potest, quin fideliter ac vere scripserit, quæcunque scripsit; sive ea ad doctrinam (qua maxima ex parte sunt plenæ Epistolæ istæ) sive ad historiam, sive etiam ad vaticinationes, quæ aliqua ex parte in iis traduntur, pertineant. Tantus enim Apostolus & tam singulariter à Christo ad id muneris electus Paulus fuit, ut nulla ratione dubitari possit, quin ea quæ scripsit, sic esse recte noverit, & verax omnino in sua scriptione universa esse voluerit. De Jacobo porro cujus una est istarum Epistolarum, cum & is ipsius Jesu Christi Apostolus fuerit, nefas est dubitare, eum vel nescivisse ea quæ scripsit, vel noluisse, ut sciebat, ea scribere. Idem concludendum est de Petro, de Johanne, & de Juda, quorum reliquæ sunt Epistolæ, quippe qui & ipsi Christi Apostoli fuerint. In quo illud potissimum notandum est, eo posito quod Christi religio vera sit, (quemadmodum in præsente disputatione pro concesso ponitur) ab omni verisimilitudine prorsus abesse, ut Apostoli isti, quod ad doctrinam attinet, quæ in ipsorum Epistolis continetur, de qua potissimum agendum nobis est, voluerint aliter eam tradere ac vere se habet, & viam salutis æternæ consequendæ aliis quodammodo inviderint. Nam quod ipsi eam recte tenuerint, nimia apertum est. Quid autem utilitatis, aut commodi, voluptatisve potuissent illi sentire in lectoribus decipiendis, & aliter doctrina Christiana illis proponenda, quam veritas ipsa ferat? Nullum igitur dubium esse potest, quin ea doctrina quam suis Epistolis tradiderunt, verissima sit. Quia vero inter istas Epistolas omnes horum Christi Apostolorum, quædam paucæ sunt de quibus dubitatur, vel potius olim dubitatum est, an ab istis Apostolis, quibus tribuuntur, revera scriptæ fuerint: aliquid hac de re in secunda caussa examinanda, propter quam libro alicui fides non adhiberi merito queat, explicandum reservamus; ut pote loco suo.

Nunc ad reliquam quartam partem scriptorum Novi Testamenti veniamus, quæ ut diximus, aliud nihil est, quam mirabilis quædam visio, obscuris vaticinationibus plena, quæ illius scriptori contigit. Scriptor porro traditur esse Johannes Apostolus Christi, idem qui & Euangelium scripsit, quod si verum est, nulla relinquitur dubitandi caussa, quin, & verissime & fidelissime, visionem istam literis mandarit, quandoquidem, quod ipsimet ea contigerit, docet nos illum ejus optime scientem fuisse. Quod vero Apostolus Christi fuerit, id aperte testatur, eum prudentem, scientem, mentitum non fuisse: præsertim cum non modo Christi Apostolus, sed illi summe ac præcipue dilectus fuerit. Verum quia non defuerunt olim, nec desunt hodie qui dubitent, an dilectus ille Christi Apostolus fuerit istius scripti auctor; operæ precium fuerit, in secunda caussa, de qua modo dicebamus, explicanda, aliquid etiam hac de re diligentius explicare. Ad quam secundam caussam antequam aggredimur, objectioni occurrendum est, quæ iis omnibus fieri posset, quæ hactenus in prima caussa tractanda diximus. Dicet enim aliquis: Fateor ego quidem verissimum esse de authoritate, tum propter scientiam, tum propter fidelitatem ipsorum dubitari non posse, eorum, qui scripta Novi Testamenti nobis reliquerunt, si modo illi ii essent, qui dicuntur, & quos tu esse affirmas. Sed quis est, qui me certum faciat rem ita se habere, id est, & eos homines illos fuisse, qui esse dicuntur, & tales homines, quales fuisse passim creduntur? Respondemus, objectionem istam non habere in hac prima caussa tractanda locum, præsertim in priore, in qua adhuc sumus, ejus caussæ parte. Nam in ea pro concesso sumitur, sciri quinam sint auctores scriptorum istorum. Nec vero dici potest, sciri quinam sint auctores, si tantummodo, verbi gratia, sciatur, quomodo nominati fuerint, & ex qua gente, aut patria fuerint, sed necesse est etiam alia externa non ignorari ad ipsos pertinentia, ex quibus conjici possit de animo & voluntate ac scientia ipsorum, ut inde possit intelligi, an ipsis fides nec ne sit adhibenda. Quare objectio ista non ad hunc locum pertinet, sed ad illum, ubi de secunda caussa agetur, quæ est, quod nesciantur authores librorum istorum; in qua examinanda conabimur ostendere eos esse illos qui esse dicuntur, & consequenter tales, quales fuisse traduntur.

Absolvimus priorem partem primæ hujus caussæ; itaque ad posteriorem accedendum nobis est, quæ eo continetur; quod scriptoribus istis propterea adhibenda fides non sit, quod ex ipsismet eorum scriptis intelligi possit, eos vera non scripsisse, quippe qui vel inter se aperte pugnantia scripserint, vel alioqui manifeste falsa. Solet autem quod ad repugnantias attinet, quæ in istis scriptis inveniantur, potissimum Euangeliorum ratio haberi, in quibus Euangelista alius ab alio non

parum

parum in non paucis narrandi dissidere videtur, quæ si nobis singula examinanda ac perpendenda essent, non satis integer ad eam rem annus esset. Quapropter rejicientes auditores, quod ad singula ista attinet, ad ea, quæ viri plurimi doctrina atque ingenio præstantes de conciliandis inter se Euangelistarum dictis copiose ac subtiliter scripserunt, satis habebimus in præsentia, responsione quadam generali, quæ, judicio meo, cuilibet non moroso homini satis facere debet, objectionem istam diluere, præsertim cum illa suppeditata nobis fuerit ab antiquo Ecclesiastico scriptore eoque sane, quam ingenioso atque erudito, nempe à Johanne, qui dictus est Chrysostomus. Is enim in procemio suo in Matthæi Euangelium hac de re ex professo agit, & breviter ostendit, nullam esse causam, cur ob istas (si modo sic appellari debent) repugnantias, scriptis Euangelistarum fides adhiberi non debeat.

Jam quæ Chrysostomus, prædicto loco in hanc sententiam, disputat, si recte memini, breviter hæc sunt. Primum, quod ea, in quibus narrandis alius ab alio Euangelista discrepat, non sunt ejus momenti, ut quicquam in reipsa immutent, remanente semper inter ipsos summa concordia in iis narrandis, quæ aliquid momenti in ipsa Christiana religione habent. Deinde, quod hæc ipsa diversitas in nullius momenti rebus, quæ in Euangelistarum narrationibus apparet, aut potius maxima ex parte apparere videtur, non minimum habet ponderis ad ostendendum, Euangelistas istos nullo modo ex composito inter se ea scripsisse, quæ scripserunt; sed prout rerum veritas ferebat. Nam certe, si non veritate ipsa impulsi, ab eaque edocti historiam istam scribere aggressi essent; sed eam sibi ipsis finxissent, atque, ut nihilominus vera esse crederetur, inter se convenissent, quomodo ea scribi ab ipsis deberet, nunquam tales, etiamsi non magnæ diversitates, in illis legerentur. Non distinximus autem quod ad Euangelistarum scripta attinet, inter meram historiam & doctrinam, quia ipsa doctrina, quæ in eorum narrationibus continetur, ad ipsam historiam pertinet, neque enim ipsi quicquam revera docent, quod ad ipsa Christianæ religionis dogmata spectet, sed tantum quæ ab ipso Christo huc pertinentia dicta sunt nobis exponunt, & præterea fortasse aliquid à Johanne Baptista dictum. Dixi autem fortasse, quia vix in iis, quæ à Johanne Baptista dicta fuisse ipsi narrant, quicquam est, quod vere ac proprie ad Christianam religionem ejusque dogmata pertineat; Et si quicquam est, tamen id ipsum à Christo dictum fuisse ipsimet narrant.

Quod attinet ad Acta Apostolorum, & ad meram historiam quæ in ipsis continetur, si recte quis animadvertat, nullam apertam repugnantiam in tota illa narratione deprehendet; tametsi una est quæ ejusmodi videri possit, de qua nobis aliquid hoc loco dicendum videtur, ne illa fortassis apud quenquam tanti sit, ut illi persuadeat, non esse temere historiæ isti universæ fidem adhibendam. Ea vero est, quod nono cap. illius sui operis narrat Lucas, cum Saulus (qui postea dictus est Paulus) Damascum proficisceretur, ut eos quos Jesu Nazaræni nomen profitentes invenisset, captos Hierosolymam abduceret, cumque in ipsa media via Jesus Nazaræus illi apparuisset, ad eumque dixisset, Saule, Saule quid me persequeris, ipsius Sauli comites, vocem quidem audivisse, neminem autem vidisse. At vero cap.22, ejusdem historiæ, cum Paulus ipse hanc eandem rem populo narraret, inducitur affirmans suos comites lucem quidem, id est lumen illud eximium, quod in ea apparitione extitit, vidisse, vocem autem ejus qui ad ipsum Paulum loquebatur non audivisse. Audivisse vocem & non audivisse, manifestissime repugnant, quare necessarium videtur, ut in altero ex istis duobus locis veritas desideretur. Duobus autem modis à viris doctis solet hic nodus solvi, (quanquam non defuerint qui omnino voluerint posteriorem locum depravatum esse, sed nos ista audere non debemus) veniamus igitur ad illos duos modos. Unus est, quod quando in priore loco non exprimitur cujus illa vox fuerit, quæ dicitur fuisse audita à Pauli comitibus, non intelligatur hanc fuisse vocem illius, qui cum Paulo, loqueretur, quam auditam ab illis fuisse in posteriore loco diserte negatur; sed fuisse Pauli vocem. Quæ interpretatio si alioqui merito recipi posset, sine dubio nodum ipsum egregie solveret. Verumtamen vix videtur ea recipienda esse, satis siquidem apparet, cum Lucas in priore loco dicit, neminem fuisse visum ab iis qui cum Paulo erant, sed tantum auditam vocem, necesse esse, nisi vim quodammodo verbis istis facere velimus, ut vox illius intelligatur qui negatur fuisse visus. Quapropter, etiamsi hic prior modus hanc difficultatem tollendi magnos auctores habeat, non immerito quidam alii doctissimi viri, eo improbato, hunc alium excogitarunt, ut scilicet in priore loco verbum *audiendi vocem*. significet ipsius soni vocis auditionem, sine articulata ipsorum verborum exauditione: in altero vero loco significet articulatam ipsam verborum ipsorum exauditionem; ita ut res ita se habeat, quod illi Pauli comites audiverint quidem vocis Jesu Nazaræni sonum, sed ipsa tamen verba non exaudiverint. Ad confirmandum vero, rationem hanc ista duo loca conciliandi, alia loca afferuntur, ex quibus intelligi potest verbum *audiendi*, modo hac modo illa significatione usurpari. Locus unde intelligi potest, *audire* idem significare, quod sonum ipsum tantum verborum percipere, eumque etiam ita confusum, ut ne verba quidem ea fuisse, quæ audita sunt, ipsis audientibus constet, habetur cap. 12, Euangelii Johannis, ubi dicitur, vocem è cœlo venisse ejusmodi: *Et glorificavi, & rursus glorificabo*: cum Christus Patrem rogasset, ut glorificaret nomen suum, subjungitur enim ibi ad verbum: *Turba igitur quæ stabat & audiverat, dicebat tonitru extitisse.* Vides hic prius dictum fuisse quod vox extiterit, & quænam ea vox fuerit, & postea additum esse statim, turbam audivisse, quod aliter intelligi nequit, nisi quod audiverit vocem illam, & tamen tantum abest ut vocem intellexerit, ut ne verba quidem in ea voce comprehensa fuisse perceperit: quomodo enim alioqui tonitru factum esse dixisset? Sic igitur non injuria intelligere possumus, cum scriptum est, Pauli comites vocem audivisse, etiamsi omnino de voce ipsius Jesu Nazaræni intelligendum sit, eos non quidem verba ipsa percepisse, sed tantum verborum sonum audivisse. Loci porro ex quibus constat *audiendi* vocem cum ad verba refertur ipsam explicatam verborum intelligentiam significare, ita ut *audire* idem prorsus significet, quod intelligere, non pauci ut arbitror sunt. Nos tres tantum, qui ab aliis etiam afferuntur, in medium proferemus. Primus sit id, quod legitur Gen.42 capite ubi Josephi fratres, cum per interpretem cum ipso Josepho loquuti fuissent, & propterea persuasi essent illum Hebraicam linguam non intelligere, in ipsius præsentia loquebantur inter se, de suo ipsorum facinore, quando ipsum Josephum vendiderunt, seque ipsos accusabant, ubi subjungitur, quod illi nesciebant Josephum audire. Ubi necesse est, verbum *audiendi* intelligendi significationem habere. Alter locus est, isque bis legitur, semel 4 Reg. cap.18, & iterum Esai. cap.36, ubi cum Rabsaces, Assyriæ Regis Dux loqueretur Hebraice cum Ezechiæ Regis hominibus, qui in mœnibus urbis stabant, rogatus est à quibusdam præcipuis Ezechiæ Regis famulis, ut Syriace loqui vellet, ne populus qui aderat intelligeret, *nos enim*, inquiunt, *audimus*. Ubi apertissime constat, verbum *audiendi* idem significare, quod intelligere. Voluerunt enim dicere, se callere linguam Syriacam, quam populus ignoraret. Tertius locus est cap.5. Jerem. ubi Deus minatur populo, se effecturum ut in potestatem gentis perveniat cujus linguam non sit auditurus, id est, sine dubio, intellecturus. Quocirca nihil mirum videri debet, si in posteriore loco Actorum Apostolicorum verba illa: Non audi-

verunt vocem ejus qui Paulo loquebatur, ita accipienda sunt, ut intelligatur eos verba ipsa non percepisse: præsertim cum hic nulla possit esse dubitatio, quin significatio ista verbi *audiendi*, à lingua Hebraica proficiscens, ibi locum habere queat; cum sint Pauli verba, qui ad populum Hebraice loquebatur, ut diserte scriptum est in fine capitis antecedentis.

Absoluta breviter, quemadmodum institutum nostrum requirit, tractatione de repugnantiis historiæ Actorum Apostolicorum, & ostenso, in eo libro eas non dari, agendum esset de repugnantiis doctrinæ. Verum quia in libro isto, non secus, atque adeo magis quam in Euangeliis, quicquid est doctrinæ, id pertinet fere totum ad historiam; vix enim quicquam Lucas ex sua ipsius persona in eo libro scribit, quod ad doctrinam pertineat, sed ea quæ huc pertinent ex aliorum persona narrat: propterea non est quod de doctrinæ repugnantiis, separatim à repugnantiis historiæ, quicquam dicamus.

Sequitur ut videamus de repugnantiis, sive historiæ sive doctrinæ, quæ esse possunt in tertia parte, quam fecimus, scriptorum Novi Testamenti, hoc est, in Epistolis Apostolorum. Repugnantiæ quidem, quod attinet ad historiam, vix esse possunt, cum scripta ista non sint historica, sed, ut sic dicam, doctrinalia. Est tamen in Pauli Epistolis historiæ nonnihil, ubi nondum animadverti, posse merito suspicionem esse alicujus repugnantiæ. Quod ad doctrinam attinet, sive in Epistolis Pauli, sive in aliis aliorum Apostolorum, non video, quomodo quis merito suspicari possit, repugnantias aliquas in illis inveniri: sive quis singulorum auctorum Epistolas separatim ab aliis aliorum inter se conferat: sive cujuscunque Epistolam, seu Epistolas aliquas, & quæ in eis continentur cum alterius cujusvis Epistolis, cumque iis quæ in illis scripta sunt, conferre velit. Nam quod quidam putant, si ea conferantur, quæ Paulus de justificatione nostra, quod attinet ad fidem & opera nostra, in Epistolis, præcipue ad Romanos & ad Galatas, scripsit, cum iis, quæ eadem de re scribit Jacobus cap. 2. Epistolæ suæ, inveniri inter utriusque dicta manifestam repugnantiam; quippe quod Paulus dicat, non ex operibus sed ex fide nos justificari: Jacobus vero contra asserat, hominem justificari non ex fide tantum, sed etiam ex operibus; non est hac in re intellectum, quid Paulus, quid item Jacobus, vel fidei, vel operum, præsertim vero operum nomine intelligat. Quod si intelligatur, statim apparet, inter utriusque, dicta nullam repugnantiam esse; immo summam concordiam. Fidei siquidem nomine ex qua justificemur, intelligit Paulus fiduciam ejusmodi in Deo, per Christum, collocatam, ex qua necessario obedientia præceptorum Christi nascatur; quæ etiam obedientia sit tanquam forma & substantia istius fidei. Operum vero nomine intelligit Paulus, perfectam conservationem divinæ legis & omnium divinorum præceptorum, quam negat esse rationem nos ullo modo justificandi. Quandoquidem neque hanc rationem justificationis nostræ Deus per Christum nobis proposuit, neque quisquam est qui ratione ista justus pronunciari queat; nempe quod nemo, propter carnis nostræ imbecillitatem, perfectissimam istam obedientiam reipsa præstet. At vero Jacobus fidei nomine, ex qua sola, seu solum hominem justificari negat, intelligit assensum illum qui præbetur prædicationi divinæ, non quidem perfectum & absolutum, sed quodammodo inchoatum atque imperfectum; qui bonis operibus, id est, obedientia præceptorum Dei caret; ostendens interim nihilominus ex altera parte se non dissidere à Paulo, in hac ipsa fidei voce ejusque significatione, si ea alio modo accipiatur, dum ait, fidem sine operibus mortuam esse. Hinc enim apparet quadam significatione, quæ scilicet illa est, quam Paulus sequitur, apud ipsum Jacobum, fidem complecti opera, id est, Christi præceptorum obedientiam. Nam si sine operibus fides mortua est, jam sine operibus non est fides, nisi, quod ad præsentem significationem attinet, plane æquivoce, non secus, atque hominis cadaver dicitur homo, quamvis revera non sit. Jam quod attinet ad vocem *operum*, apparet manifeste, Jacobum voce ista non intelligere, perfectissimam obedientiam divinæ legis, sed tantum obedientiam illam, quam à nobis necessario, si justi coram ipso esse velimus, idque ex ipsius gratia, omnino tamen requirit. Qua de re, non est hic latius explicandi locus; fiet hoc postmodum, Deo dante, loco suo. Interim hæc pauca dixisse sit satis, ut appareat quam graviter Lutherus, & alii quidam eum secuti, alioqui eruditissimi viri, erraverint, dum Epistolam istam, quæ etiam alias ob causas paulo suspectior est, omnino rejecerunt; ob id, scilicet, quod ex parte ejus doctrina pugnaret cum doctrina Pauli Epistolarum, de quarum auctoritate nemo, qui Christum ex corde fuerit professus, unquam dubitavit.

Restat quarta pars, quam fecimus, scriptorum Novi Testamenti, id est, Apocalypsis: qui liber quamvis videatur quædam alia continere, quæ illum falsitatis suspectum reddant, tamen quod ad repugnantias sive doctrinæ sive historiæ quæ in illo continetur, nihil audivi vel legi hactenus quod sit dignum examinatione. Considerandum vero est, quod, cum videremur quodammodo satis nos habere, si nullum ex scriptis Novi Testamenti secum ipsum dissidere ostenderemus, tamen quia revera omnia ista scripta simul considerantur in hac disputatione nostra, & tanquam liber unus, voluimus, ut hic fieri potuit, docere in universis ipsis scriptis, inter se collatis, non esse dissidium ullum, quod alicujus momenti, ad id quod quærimus, censeri debeat, & vim ullam habeat persuadendi, libro isti fidem non esse adhibendam. Quod sane, quod ad doctrinam attinet, non modo constanter affirmamus, sed addimus, nullam, ne minimam quidem, in toto eo libro doctrinæ repugnantiam inveniri: immo tantam esse hac in re concordiam, ut res omnino mira videri debeat, cum vix fiat, ut in unius & ejusdem auctoris scriptis, ubi de doctrina agatur, nulla inveniatur repugnantia, non modo in tot diversorum auctorum scriptis, quot sunt ii, qui libris Novi Testamenti continentur.

Superest, quod attinet ad primam causam, cur libro alicui fides adhiberi non debeat, ut aliquid dicamus de iis, quæ in scriptis Novi Testamenti falsa omnino per se ipsa videri possunt. Jam vero, cùm hic pro concesso ponamus religionem Christianam veram esse, necesse est, si quis velit aliquid ad doctrinam pertinens in scriptis istis ostendere esse falsum, idque non ex repugnantia ulla quæ in iisdem scriptis inveniatur, de quo jam satis dictum est, necesse est, inquam, ut vel ratione, vel aliis divinis testimoniis id probet. Ratione vix ullo modo fieri id potest, cum Christiana religio non humanæ rationi ullo pacto innitatur, sed tota ex voluntate Dei pendeat, & ex ipsius patefactione. Quod vero attinet ad divina alia testimonia, quæ scilicet vera sint, & cum ipsa Christiana religione consentiant, alia nulla videntur afferri posse, quam ea quæ libris Veteris Testamenti continentur: ita ut ex iis, quæ in istis libris ad doctrinam pertinentia tradita sunt, intelligere, aut merito suspicari quis possit, quædam, quæ in scriptis Novi Testamenti docentur, esse falsa. Verum quomodo id fieri poterit, nisi sciamus, quatenus ista, quæ docentur in Testamento Vetere, fuerint sub Novo, & sic in Christiana religione conservata ac retenta, & quomodo ea quæ ibi sunt dicta, accipi & explicari debeant in ipsa Christianæ religionis patefactione? Hæc vero sciendi atque investigandi nulla ratio sese offert, quæ plane incerta non sit, præter ipsa Novi Testamenti scripta, ex quo apparet circuitum hic inutilem fieri, & frustra omnino hac in parte laborari.

Ad confirmandum vero, quod nihil evidenter falsum in libris Testamenti Novi inveniatur, quod scilicet ejusmodi esse per seipsum appareat, aut certe non momenti alicujus, plurimum hæc ratio valere videtur, quod alioqui non fuissent inventi tot homines eruditione atque ingenio præstantes, adde in religione aliqua

à Christo

à Christo aliena educati, qui libris istis plenissimam fidem adhibuissent; ut certe adhibuerunt, quemadmodum historiæ & ipsorummet scripta, quæ aliqua ex parte etiamnum extant, abunde testantur.

Considerandum vero est, hanc evidentem falsitatem, quam in libris istis inveniri pernegamus, duplicem esse, aut scilicet ad doctrinam pertinentem, aut ad historiam.

Quod ad doctrinam attinet, etiamsi satis ea esse videantur, quæ breviter hactenus attigimus, tamen quia posset quis ad doctrinam referre, si quid ex Veteris Testamenti libris in Novo Testamento citetur, & ad aliquid confirmandum afferatur, quemadmodum sane id fieri sæpe contingit, propterea antequam aliquid de iis, quæ proprie ad historiam pertinent, explicemus, conandum nobis est ut à scriptis istis calumniam quandam depellamus, quam Judæi homines, vel Judaico spiritu prædîti, excogitarunt, ut illis omnem authoritatem detrahant. Illud est quod ajunt, multa testimonia ex Vetere Testamento in Novo ad aliquid confirmandum afferri, quæ nihil ad propositum faciant, quippe de quibus constet quod longe alio diverso sensu fuerint ibi scripta, unde citantur. Ad quam sane calumniam penitus diluendam, necesse quodammodo videretur, singula testimonia de quibus isti ita asserere non verentur, ut diximus, examinare, una cum locis ipsis, ubi illa afferuntur. Sed quia hoc nimis longum esset, propterea satis arbitramur futurum, si per capita quædam ad objectionem hanc respondeamus, & quid de testimoniis istis plane sentiendum sit, aperiamus.

Duo igitur sciendâ sunt: Unum est, quod non omnia testimonia, quæ ex Vetere Testamento citantur in scriptis Testamenti Novi, quamvis aliter prima fronte videri possit, in eum finem afferuntur, ut probetur id ipsum esse verum quod affirmatur, & præsertim id fuisse certo prædictum, sed sæpius citantur loca ad ostendendam rerum similitudinem, & ita accommodantur ad propositum illius scriptoris, & quodammodo conferuntur cum eo quod ille affirmat; id quod exemplis aliquot prolatis ostendere poterimus. Sed prius dicendum est, quid sit illud Alterum, quod diximus sciendum in hac disputatione esse. Id autem est, quod multa ex istis citatis testimoniis non unicum sensum habent. Nam sæpe Spiritus Sanctus una prædictione aut affirmatione, plura complecti voluit; idque, ut semper mos præcipue vaticinationum fuit, ad rem ipsam prædictam occultandam, saltem aliqua ex parte, donec ipsa res extiteret, ex cujus eventu clare intelligeretur id prædictum fuisse, quod evenit, nec sine Dei providentia ac decreto evenisse. Id quod verum esse, necesse est ut omnes fateantur, qui concedunt Jesu Nazaræni religionem veram esse; quemadmodum hoc in loco à nobis pro concesso sumitur; & consequenter ac necessario fatentur atque agnoscunt, ipsum Jesum esse illum Messiam seu Regem populi Dei, ab ipso Deo in scriptis Veteris Testamenti promissum, quemadmodum ipsi Judæi, talem regem promissum fuisse fatentur. Nisi enim multa, quæ de rege isto ibi prædicuntur, figurate dicta esse intelligantur, & sic aliud significare, quam ipsa verba sonant, ac præterea in aliis quibusdam priore quodam sensu fuisse antea impleta, nullo pacto defendi poterit, ipsum Jesum Nazarænum esse revera Messiam istum.

Sed jam ad priorem rem, quam diximus hic sciendam esse, revertamur, & exempla ejus quod diximus, afferamus: ubi antequam ea à nobis proferantur, animadvertendum est, ex ipso citandi modo satis posse intelligi differentiam, de qua ante diximus. Cum enim Novi Testamenti scriptores non accommodationis tantum cujusdam gratia & similitudinis, aut etiam generalis alicujus confirmationis, loca citant, sed ut plane ostendant id, quod ipsi narrant aut affirmant, fuisse omnino prædictum, & quia prædictum fuerat, necesse fuisse ut existeret; tunc autem extitisse, cum illud evenit quod ab ipsis narratur, aut affirmatur; eos verba ejusmodi adhibere solere, unde hæc ipsorum mens aperte constet; ut exempli causa, *ut adimpleretur quod dictum est*, vel aliquid simile. Cum vero accommodationis tantum gratia ea citant, verbis solere uti, quæ aliter intelligere nos non cogunt.

Exemplum sit primum apud Paulum in Epistola ad Romanos capite 9, ubi citat locum illum Esaiæ cap. 1: *Nisi Dominus Zebaoth reliquisset nobis semen &c.* Neque enim ait Apostolus, dictum illud Prophetæ tunc impletum fuisse, cum Judæi majore ex parte rejecti fuerunt, & quidam pauci tantum reservati, qua de re ibi agebatur: sed tantum ait, *quemadmodum ante dixit Esaias*, quandoquidem verbum προείρηκε quo ibi utitur Apostolus, nihil cogit ita accipere, ut vaticinationem significet. Est enim verbum istud quod idem sonat, atque prædixit, tam in Græco, quam in Latino ambiguum, ut scilicet & Prophetiam, id est vaticinationem significare possit, & tantum ante, ut sic dixerim, dictionem: quemadmodum in eo afferendo illud interpretati sumus. Itaque si quis adversus Paulum argumentaretur, volens ostendere, istud jam fuisse multo antea impletum seu factum, & hinc concluderet ab Apostolo non recte fuisse locum istum allatum, is nihil ageret; cum Paulus simpliciter ostendere voluerit, non debere quenquam mirari, si exigua portio populi Judaici servata Christi tempore fuisset, cum simile quiddam etiam antea evenisset. Suntque in eo ipso loco ab Apostolo alia etiam quædam testimonia, in hunc ipsum finem tantummodo allata, non autem quia voluerit docere id ipsum nominatim & singulariter quod ipse affirmabat, jam fuisse prædictum.

Alterum exemplum esto id, quod non ullus scriptor ipse ex se, sed Christus ait, cap. Matth. 15, cum illud quod Esaias cap. 29, scriptum reliquit; *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*, ait pertinere ad illum ipsum populum, qui tunc eo hic vivente præsens erat. Quanquam enim utatur Christus verbo *Prophetavit*, inquiens, *Bene Prophetavit de vobis Esaias*, tamen Prophetandi verbum isto in loco non est accipiendum, ac si dixisset *vaticinatus est*, sed, *in sua Prophetia scripsit*. Apparet enim manifeste, id, quod tunc Esaias de populo Judaico scripsit, à Christo relatum, eo ipso tempore verum extitisse, nec vaticinationem esse, sed exprobrationem populo à Deo factam rei præsentis: ita ut sensus verborum Christi sit, id, quod ita indefinite de populo Judaico ab Esaia Dei nomine prolatum fuerat, recte omnino fuisse prolatum; quippe quod ita indefinite fuisset sumtum, verum esse deprehenderetur. Nam & Paulus ad Titum scribens 1 cap. ait, quendam Prophetam, id est Epimenidem, recte dixisse de suis Cretensibus, Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est. Vocat illum Prophetam non quia futurum quicquam prædixerit, sed quia verum de gente illa affirmavit, & propterea etiam verbum Prophetavit, quo Christus utitur, rectissime ita accipi potest, ac si simpliciter dixisset, affirmavit atque asseruit.

Tertium exemplum sit locus ille 2 Cor. 6, ubi Paulus citat locum Esaiæ 49: *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tibi.* Ut ostendat, debere Corinthios animadvertere ne in vanum gratiam Dei acceperint. Sequitur enim apud ipsum Paulum: *Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis.* Quare videtur Paulus locum istum Esaiæ citare, quasi ibi hac de re ad Corinthios pertinente, & de qua ipse eos monebat, ageretur, cum tamen certum sit, longe alia de re eo in loco agi, quippe, cum verba Prophetæ Dei nomine dicta, ad Messiam, si sensum Propheticum attendere velimus, omnino referantur. Itaque non ad rem attulisset locum istum Paulus, nisi ita accipi deberet citatio ipsius, ut intelligere tantummodo debeamus, eum velle, id quod ibi alia de re, & ad aliud propositum dictum est, accommodari posse ad rem de qua ipse agebat, concludi scilicet posse ex loco Esaiæ, esse tempus quoddam acceptum, & quod salutis tempus appellari potest, in quo Deus eos exaudiat nobisque

quæ opituletur, quod propterea elabi finere non debemus.

Multa alia sunt exempla talium accommodationum, ita ut etiam eas fieri contingat sine prævijs verbis quæ significent citari locum illum, qui ex Vetere Testamento ad præsens institutum in Novo Testamento accommodatur. Quemadmodum cum Paulus Rom. 10. profert verba illa: *Quinimmo in omnem terram exivit sonus eorum, & ad fines orbis terrarum verba eorum*, quæ verba leguntur Psal. 19. & de cœlis eo in loco sunt dicta, & interim ab Apostolo ad eos accommodata, qui Euangelium annunciabant, quippe propter hanc similitudinem, quæ est inter cœlos & ejusmodi homines, qui Euangelium annunciant, quod quemadmodum cœli omnibus, qui intelligant mundum à Deo creatum fuisse, ipsius Dei gloriam atque potentiam manifestam faciunt, sic Euangelii præcones, iis, qui de Deo sint persuasi, quod sit, & quod humani generis curam habeat, aperte & conspicua quadam ratione, ipsius Dei gloriam ac potentiam patefaciunt.

Jam explicato primo membro, quod fecimus rationis respondendi iis, qui allegationes Veteris Testamenti, à Novi Testamenti scriptoribus factas caluminantur, quasi minime ad propositum pertineant, ad alterum membrum transeamus, quod est, afferri quidem testimonia quædam Veteris Testamenti in Testamento Novo, ad cofirmandum id, quod dicitur tanquam ibi prædictum & vaticinatione comprehensum, quod videatur tamen ad propositum non facere, cum interim faciat, ob eam caussam, quod duplici sensu prædictiones istæ sæpe sunt proditæ. Exemplum hujusce rei insigne esse videtur id, quod legimus Matthæi cap. 2. ubi Euangelista ait, cum Christus à Josepho una cum matre ipsius in Ægyptum adhuc infans abductus esset, idque ex divini Angeli monitione, id factum fuisse, *ut impleretur quod dictum fuerat à Domino per Prophetam, Ex Ægypto vocavi filium meum &c.* Videtur enim omnino hic locus, qui est apud Oseam initio capitis 11, intelligendus esse de Israëlis populo, qui ex Ægypto à Deo evocatus, id est, liberatus fuerat. Quod etiamsi verissimum esse concedatur, non tamen hinc sequirur, quin ibidem interim prædictum fuerit id, quod de vero Dei filio aliquando futurum erat. Nam certe ex altera parte mirum videtur, quod Israël ibi quasi derepente, idque absolute, Dei filius nominetur: adeo, ut fortasse non sine caussa quidam velint ita de Christo accipiendum esse locum istum, ut de Israële non accipiatur: cujusmodi interpretes sunt Tremellius & Junius in translatione & annotationibus suis in locum istum, mirabiliter alioqui, ut verum fatear, verba ipsa Hebraica in Latinum convertentes, ut inde is sensus tantum elici possit, qui ad Christum pertineat.

Alterum exemplum præbet nobis idem caput 2. Matth: ubi citatur locus Jerem. 31. de voce & clamore audito in Rhama cum fletu & ploratu multo, Rachelis scilicet plorantis filios suos, nec volentis consolationem accipere, quoniam jam ipsi filii non sint. Videtur enim locus iste pertinere ad tempora captivitatis Babylonicæ, & illius excidii atque internecionis multorum, qui Hierosolymis habitabant, quæ urbs erat in sorte, quæ Benjamini tribui obtigit, qui Benjamin filius Rachelis fuerat. Sed nihil tamen vetat quin idem iste locus accommodari possit ad ea, quæ evenerunt in agro Bethlehemitico, Herodis magni tempore, in occisione illa, ipsius jussu facta, omnium infantium à biennio & infra, quam verbis suis docet Apostolus, in isto Jeremiæ loco fuisse prædictam. Propterea enim ad Rachelem, ut ad matrem, pertinere dicuntur infantes illi, quia, per figuram synecdochen, cum Judaicus ille populus, ex descendentibus à Benjamino ex parte, ex parte vero licet multo majore ex descendentibus à Juda constaret, potuerunt infantes isti filii Rachelis appellari, ex qua, ut diximus, Benjamin natus est: atque eo aptius potuit alteri figuræ prosopopœjæ, per quam Rachel istos suos filios plorare inducitur, locus esse, quod ipsa Rachel fuit in agro isto Bethlehemitico sepulta, quemadmodum habetur Gen. 35. Quanquam & istum etiam locum nisi memoria me fallit, iidem Tremellius & Junius ita accipiunt, ut ad id tantum pertineat, ad quod confirmandum ab Euagelista citatur. Verum, ut jam diximus, nulla hic est absurditas, si duplici sensu intelligantur prædictiones Veteris Testamenti esse prolatæ; imo hoc videtur proprium & consentaneum prædictionibus esse.

Est autem hic animadvertendum, quod quemadmodum aliquando contingit, ut id, quod ad tempora Christi pertinet, in Vetere Testamento dictum & in Novo allatum, habeat priorem quendam suum sensum secundum ipsam literam, qui ad Christum, ejusque tempora non pertinet, posteriorem vero figuratum & allegoricum, qui ad Christum ejusque tempora pertineat: sic contra fit, ut non pauca sint testimonio Testamenti Veteris, ad Christum, ejusque tempora pertinentia, quæ secundum quendam priorem sensum, aliquo modo figurate accipi debeant, secundum vero posteriorem maxime proprie, atque omnino ut ipsa verba sonant, adeo, ut nunc nihil sit prorsus, quod isti ad calumniam rapere possint quasi ad rem loca ista allata non fuerint; nisi quod oporteat intelligere, eum, de quo prius dicitur, Christi typum fuisse. Exemplum sit id, quod habemus Psal. 2. de Davide, cui promissi fuerint à Deo possidendi terræ termini, & alia non pauca ibidem ei promissa leguntur, quæ omnino, quod ad ipsum Davidem attinet, proprie accipi nequeunt. Sunt enim ipsius respectu, plane hyperbolica Christi vero respectu, cujus typum ille gerebat, plane vera sunt ac proprie dicta. Hujus generis est illud, quod à Petro primum cap. 2. Act. Apostolicorum, deinde à Paulo cap. 13. citatur ex Psal. 16. ad Christi resurrectionem confirmandam, siquidem in eo Psalmo David videtur de se ipso dicere quod non esset corpus ipsius visurum corruptionem, quam tamen vidit. Ex quo ambo isti Apostoli concludunt, verba illa Psalmi, ad alium quempiam referenda esse, in quo vere impleta fuerint, nempe ad eum, cujus typum David gerebat, nempe ad Messiam seu Christum, quem aliis modis & rationibus in promptu probare habebant, debuisse corruptionem sui corporis non videre; id est, postquam occisus fuisset, ac mortuus, brevissimo post tempore, corpore suo adhuc integro, in vitam revocari. Ubi interim sciendum est, non esse Apostolorum istorum verba ita accipienda, ut Psalmi locus ad ipsum Davidem nullo modo pertineat; sed tantum intelligendum est, non proprie, neque ut ipsa verba sonant, ad ipsum Davidem pertinere.

Potest autem exemplum, quod modo attulimus, esse pro tertio ejus generis, ubi videantur Novi Testamenti scriptores, vel ii, qui ab ipsis loqui inducuntur, ex Vetere Testamento loca citare, quæ ad rem non faciant. Nam posset aliquis objicere & Petro & Paulo, quod David omnino de seipso, in Psalmo illo 16 loquutus fuerit, non autem de alio quopiam fuerit vaticinatus, sed interim figurate, ut in omnibus sermonibus fieri contingit, loquutum esse, & dixisse, se non visurum corruptionem, non simpliciter & absolute, sed pro illo instanti tempore. Qui enim moritur, idem etiam postea corrumpitur, immo ipsa mors corruptio vocari potest. Quare, mortis loco, corruptionem, substituere potuit, ac dicere, se non visurum corruptionem pro eo, quod est, se non moriturum, id est, se ab inimicis suis minime interfectum ac deletum iri. Verum tamen, ut jam dictum est, cum, si verba proprie accipiantur, ea non possint ad Davidem accommodari: hinc fit, ut merito ad Christum, ab Apostolis, referenda esse, affirmatum fuerit. Oportet enim & illud animadvertere, quod ex antiquis Rabbinis, qui ante Christum extiterunt, exque scriptis, aut dictis illorum quæ ad nos pervenerunt, abunde constat, etiam antequam Christus nasceretur, jam creditum ac receptum inter ipsos Judæos, qui peritiores erant, fuisse, ut multa,

quæ

quæ de aliis dicta esse in Vetere Testamento videntur, ad Messiam tamen potissimum referri debeant, & ita iu ipso complementum suum sint habitura. Habemus hujusce rei manifcstum indicium in Auctore Epistolæ ad Hebræos. Is enim cum ipsis Hebræis quodammodo disputans, aperte pro concesso sumit, quædam de aliis primo loco dicta, ad Messiam tamen postea applicanda esse: id quod præcipue in primo capite facit, ubi quicquid fere ad Christi præstantiam ostendendam ex Vetere Testamento affert, vel ad Salomonem, vel ad Davidem pertiner, adeo ur id, quod nos nunc affirmamus, Salomonem scilicer & Davidem, & alios quosdam Jesu Christi typos fuisse, sub quorum personis, muita de ipso Christo fuerint prædicta, non nova res sit, sed jam diu in ipso Dei populo, ante ipsum Christum narum animadversa atque recepta.

Afferamus adhuc quartum exemplum, ubi videantur in scriptis Novi Testamenti loca afferri ex verere, quæ ad propositum non faciant, & tamen revera faciant, immo magis ad id petineant, ad quod confirmandum ibi adferuntur, quam ad illud quod prima fronte videri possit. Exemplum esto quartum istud, id quod legimus Actor.3. & 7. à Petro & à Srephano in medium allatum, ad probandum, Jesum Nazaræuum audiri debere, illique obediendum esse. Est enim, quod adserunt, illud, quod scriptum legimus Deut. 18 ubi Deus Mosi dicit, populum recte rogasse, ne ipse Deus cum illis loqueretur, sed ipse Moses Dei nomine, & statim subjungit: Se susciraturum Prophetam, post ipsum Mosen, ipsi Mosi similem, per quem loquetur ad eos, quemque nisi audierint, ipse in eos sir vindicaturus. Videntur enim verba ista, non quidem si ipsa verba, sed si locum ipsum inspiciamus, & cur ea dicta à Deo fuerint consideremus, omnino id significare, quod vulgo etiamnum Judæi asserunt, id est, Deum quidem, quando ita populus volebar, non per seipsum, sed per Mosen alloquuturum populum, dum ipse Moses viveret; post ipsum vero semper excitaturum aliquem Prophetam, per quem id similiter faceret, comminatione illa adjuncta, se vindicaturum in eos, qui ejusmodi Prophetam non audiverint, ipsique non auscultaverint; ne arbitraretur populus, quando jam non Deus ipse loquuturus ad illos esset, posse se ea, quæ ipsius nomine dicerentur, aliqua ratione spernere. Hic inquam, videtur esse sensus verborum Dei in loco isto, si occasionem spectemus, cur illa dixerit; Verum si verba ipsa proprie, ut sonanr accipere velimus, satis apparere videtur, Deum de insigni aliquo Propheta & singulari loqui, quem suscitaturus esset in populo post Mosen.

Adde, quod alter ille sensus, qui magis ad rem, de qua ibi agebatur, pertinere videtur, locum habere non posse ob id censendus est, quod post Mosen non semper extitit aliquis Propheta in populo, quem, ut Mosen, audire populus deberet; immo nullus, si proprie loqui velimus, ejusmodi Propheta, ante Christi tempora extitir cum quicquid populo per alium quempiam à Deo significahatur, quod pertinerer ad rationem & modum ipsi Deo obediendi, nihil esser aliud, quam reperitio, aut declaratio eorum quæ jam à Mose dicta fuerant. Certe Josue ipse, qui statim Mosi successit, non egit cum populu monitorem voluntatis divinæ in obediendo ipsi Deo, sed munus ejus fuit, populum in promissam terram, quam jam aliqua ex parte vivente adhuc Mose, possidere cæperant, eam inquam exiguam regionem, quæ cis Jordanem erat, inducendi eamque illis dividendi, & quædam statuendi, quæ simpliciter ad politiam ejus populi pertinerent. Post Josuen verò, Judicum rempore, quod satis longum fuit, vix ullus nominari potest, per quem Deus populum alloqueretur, præsertim vero, qui Prophetæ nomen mereatur, & de Dei voluntate populum monendi munus haberet. Atque hæc satis sunt, ne per reliquum tempus usque ad Christi adventum discurramus, ut ostendatur sensum istum à Judæis receptum, & quem non negamus, aliquo modo posse ad Dei, in eo loco, propositum accommodari, non esse verum ac germanum loci sensum, & propterea optime ac rectissime fuisse Dei verha illa ad singularem aliquem Prophetam accommodata, qui exstiturus esset, postquam Mosis aurhoritas desiisset, & consequenter ad Jesum Nazaræenum. De quo, cum locum istum, isti discipuli ipsius Jesu interprerantur, non tam aliquid probare volunt, quam simpliciter docere, ut satis ex ipsorum verbis constare videtur. Sed quia adhuc posser aliquis objicere, in eo propterea quodammodo à Petro & Stephano peccatum fuisse, quod locum ipsum non ita attulerunt, ut apud ipsum Mosen legirur, aliquid hac de re dicemus, cum alterum caput præsentis disputationis aggrediemur, in quo agendum erit de iis, quæ ad historiam pertinenr, in quibus videanrur scripta Novi Testamenti errore non carere, imo aliquid manifeste salsum continere; quandoquidem hoc, quod Vereris Testamenti loca, in Novo, non ita citata fuerint, ut revera ibi habentur, ad historiam omnino pertiner, non autem ad doctrinam, de qua adhuc loquimur.

Exemplum unum adhuc adducemus, ubi videatur locum aliquem, in Novo Testamento, ex Verere fuisse citatum, qui ad rem non faciat, quippe quod locus iste sit omnium celeberrimus, & in quo Judæi Judaizantesque homines jactant, manifeste apparere quam Novi Testamenri scripta à Dei Spiritu sint aliena. Is est locus Esa. 7. citatus à Matthæo cap 1. his verbis: *Totum autem hoc factum est, ut impleretur quod dictum est à Domino, per Prophetam dicentem: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabunt*, seu *vocabit nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus*. Porro illud totum, cujus hic meminit Euangelista, & cujus caussâ locum istum citat, est, quod Maria, cum Josepho viro de Davidis domo desponsata esset, cum nondum convenissent, inventa est gravida ex Spiritu Sancto. Jam locus apud ipsum Esaiam ita habet: Cum regnare cæpisset in Juda Achaz, qui fuit pater Ezechiæ, Rezin Rex Syriæ, & Phaceas filius Romeliæ Rex Israelis, ascenderunt junctis copiis in Judæam, Jerusalemque obsederunt, ut illam caperent, quod illis non successit, etiamsi alioqui maxima damna, præsertim Rex Israelis & ejus exercitus, toti illi regioni intulerint, ut ex 2 libro Paralip. aperte constat. Dum igitur adhuc cum exercitu uterque in Judæa esser, imo in ipso initio, cum ad Hierusalem obsidendam accesserunr, & nunciatum esset hoc totum Regi, & domui ejus, valde timuerunt, & perterrefacti sunt. Tunc præcepit Deus Esaiæ Prophetæ, ut ad ipsum regem, accepto secum filio suo accederet, qui filius eo nomine vocabatur, quod significabat, atque indicabat, reliquias reversuras esse, id est, quamvis futurum esset, ut magna pars populi captiva duceretur, reverterentur tamen postea in patriam complures ex illis, quemadmodum factum est, & in prædicto libro Paralipomenon aperte legitur. Accedens igitur Esaias ad regem, dixit ei: *Pete tibi signum à Domino, sive in cælo sursum, sive in terra deorsum*, Dixerat enim Deus Isaiæ, ur Regi diceret, ne timeret sibi ab istis duobus tirionibus fumigantibus. Tunc Rex dixit: *Ego non tentabo Dominum, neque petam signum ullum.* Esaias vero subjunxit, *Ecce, non satis vobis est, ut negotium hominibus facessatis, etiam ipsum Deum fatigare vultis.* Quod significat, postquam Deus illi benigne proposuerat, ut ipse sibi peteret signum, non debuisse illum tamen velle, ut ipse Deus ejusmodi signum daret, id quod Propheta appellar Dei fatigationem, hoc dicto, *Ecce*, inquit, *Jehova dat tibi signum. Ecce juvencula illa concipiet*, seu potius, *concipiens & pariet*, seu ut verhum ipsum sonat, *pariens filium, & vocabis*, subinrellige, o juvencula, (nam verbi vox in Hebræo fœminini generis est) seu *vocabit*, sic enim similiter ex Hebræo legi potest, fœminino genere nihilominus rerento, *nomen ejus Immanuel. Butyrum & mel comedet, ad avertendum à se malum, & eligendum bonum. Nam priusquam hic puer noverit reprobare malum,*

& eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum regum suorum, sic inquam, legitur in ipso Hebræo codice. Jam primum, ut nihil dicamus de voce *juvencula*, quæ apud Matthæum legitur virgo, (hoc enim pertinet non ad doctrinam, sed ad historiam & de eo in proxime sequenti capite agendum nobis erit) hoc, inquam, in præsentia omisso, videtur locus iste omnino nihil ad rem facere, cum, quidquid ibi prædicitur, pertineat manifeste ad tempora illa ipsius Achasi Regis, non autem ulla ratione, ut videtur, ad Jesu Nazaræni tempora. Præterea, quisnam esset iste puer qui nasciturus esset ex juvencula ista, & quænam esset ipsa juvencula, omnino videtur constare ex cap. seq. 8. apud eundem Esaiam. Ibi enim statim post Esaiæ verba ad Achazum facta Dei nomine, subjicitur, quod Deus ibi Esaiæ dixerit, ut sumeret sibi volumen grande, & scriberet in eo verba ista: *Festina spolium, accelera prædam*; id quod ille fecit. Postea accessit ad prophetissam, sive, ut alii volunt, hoc jam dicitur, quasi factum antea, quæ conceperat, seu concepit, & pepererat, seu peperit filium, dixitque Jehovah ad Esaiam; *Voca nomen ejus, Festina spolium, accelera prædam. Quia antequam sciat puer vocare, Pater mi, mater mea, tolletur*, sive, ut ad verbum Hebraice legitur, *tollet Damascum, & spolia Samariæ, coram rege Assyriæ*. Videtur autem plane constare, propter rerum summam similitudinem,. immo propter easdem ipsas res, quod puer iste, sit ille idem, de quo superiore capite dictum est. Nam quod ibi dicitur, antequam noverit puer reprobare malum, & eligere bonum, hic dicitur, antequam sciat vocare, Pater mi, mater mea. Quod vero ibi dicitur, derelictum iri terram, quam Rex Achaz abominabatur à duobus suis regibus, hic dicitur, spolia Samariæ, & Damascum ablatum iri. Quod, ut legitur lib. 2. Reg. cap 15, & 16. significat, Regem Assyriæ debellaturum tam Damascum quam Samariam, & interfecturum Rezim Syriæ regem, cujus provinciæ caput erat Damascus. Post quæ statim etiam accidit, ut ipse Rex Samariæ occideretur ab Osea, qui in locum ejus successit. Hæc autem facta sunt, secundo ad summum, aut tertio anno, postquam prædictio ista divina per Esaiam, & ipsi Esaiæ facta extiterat, ita ut vere impletum fuerit, ut antequam puer ille, ex prophetissa natus, nosset reprobare malum, & eligere bonum, id quod intelligendum est, de quacumque mali reprobatione, & boni electione; alioqui si de exacta seu plena utraque intelligendum esset, ad complures annos res differenda erat, & simul, ut puer nondum sciret expedite patrem suum, aut matrem appellare, præsertim, si, ut verba sonant, conceptio prophetissæ non ante, sed post ipsam prædictionem facta fuerit. Jam illud: *Butyrum & mel comedet*, significat felicitatem, ac bonum rerum statum; & verba illa quæ statim sequuntur, *ad reprobandum malum & eligendum bonum*, quamvis compluribus, iisdemque diversissimis modis explicentur, ita judicio meo accipienda sunt, ac si scriptum esset, simul atque noverit reprobare malum & eligere bonum. Nam præterquam quod phrasis ipsa Hebræa id fert, illud etiam indicari videtur satis aperte ex eo, quod sequitur, *Nam antea quam puer noverit &c.* Hoc enim indicat, quod simul atque cœpisset puer ille nosse reprobare malum, & eligere bonum, butyrum & mel comesturus esset, id est, quies & pax in terra Judæ esset futura. Quod sane consequutum est ex eo, quod isto tempore, ut ibi diserte dicitur, terra, quæ ita abominationi erat Achazo Regi; à suis regibus fuerat derelicta, id est, uterque jam mortuus erat, & consequenter terra Judæ, quam ipsi affligebant, nullo alio jam infestante, pacem & quietem nacta fuerat. Nam quod Rex Assyriæ, nempe Tiglatpelesser, quemadmodum etiam ipse Deus, in ista ipsa prædictione per Esaiam prænunciaverat, Judam admodum afflixisset, id factum fuerat eodem tempore, quo & Damascus & Samaria, ab ipso eodem rege direpta fuerat, qui exercitu suo ulterius etiam excurrerat, & Judæam ipsam terram vastaverat. Quod autem diximus de significatione locutionis illius comedendi butyri & mellis, non modo verum esse constat, ex ipsa locutione, quæ metaphorice, idque perleganter, in eum accipi potest sensum, quem diximus; sed etiam ejus rei aperta vestigia apparent, in eadem ipsa prædictione. Nam inferius leguntur verba ista: *Butyrum & mel comedet, quicunque remanserit in medio terræ.* Quod sine dubio significat, eos, qui tunc temporis, in terra Judæa futuri essent, pace ac quiete fruituros.

Ex iis quæ diximus, satis constare arbitramur, illum eundem puerum, de quo scilicet cap.7. Esa. agitur eum esse de quo agitur cap.8. qui filius erat ipsius Esaiæ. Ex quo tanto magis apparere videtur, locum ac prædictionem, quam Matth. cap.1. citat, omnino ad tempora illa ipsius Prophetæ pertinere, ita ut prima fronte saltem non appareat, quomodo Euangelista hunc locum ad sua tempora, & ad Christi personam, tanquam Christus ille puer esset, accommodare potuerit. Confirmatur autem, totam illam prædictionem, revera ad tempora illa, quibus scripta fuit, spectare, ex eo quod cap.8. postquam prædicta fuisset vastatio, quam Assyriæ Rex terræ Juda facturus esset, subjungitur in hunc modum: *Confringite, seu consociamini populi, & conterimini, & auribus percipite universi longinqui terræ, accingite vos & conterimini, accingite inquam vos & conterimini: Consultate consilium, & dissipabitur; loquimini verbum, & non stabit, quia nobiscum Deus.* Est autem in Hebræo, pro Nobiscum Deus, Immanuel. Unde manifeste apparet, quæ hic dicuntur, spectare ad prædictionem capitis 7 ubi dictum est, puerum illum vocatum iri Immanuel. Atqui apertum simul est, verba, quæ modo recitavimus, hunc sensum habere, quod etiamsi Rex Assyriæ, & populus ille, conjunctis sibi aliis (nam cap.7. fit etiam mentio in hoc proposito Ægyptiorum) terram Juda plane perdere ac vastare decreturus esset, tamen Deum consilia istorum omnium dispersurum, & propterea puero illi nomen istud Immanuel imponi debuisse, ut significaretur, in tantis terræ Juda periculis, Deum nihilominus, cum populo illo futurum.

Hæc sunt præcipua, quæ videantur obstare, quominus credatur Euangelistam locum ac prædictionem istam Esaiæ recte in medium attulisse, ad confirmanda ea, quæ proxime de Christi ortu narraverat. Verumtamen, non est, quod ad hunc modum nos de Euangelista statuamus. Satis enim supra docuimus, nihil incommodi esse in eo, quod una & eadem prædictio apud Prophetas, plures quam unum sensum habeat, præsertim ubi ejus rei indicia satis aperta fuerint, quemadmodum tunc est, cum verba ita sunt concepta, ut omnino alium sensum præ se ferant ac porro contineant, præter illum, de quo tamen constat, in eum verba ipsa accipienda esse, ut quidem hoc in loco evenit. Nam etiamsi verissimum sit, totam illam prædictionem, in eum sensum accipiendam esse, qui temporibus ipsius prædictionis conveniat; tamen ex altera parte, in ipsa prædictione ea verba sunt quæ non possint sensui isti plane consentanea esse, quæque indicent, alium præterea quendam sensum, toti isti prædictioni subesse, Primum enim cum ibi scriptum sit. *Ecce Deus dat vobis signum, Ecce juvencula concipiens &c.* satis constare videtur, signum hoc à Deo datum, in eo præcipue consistere, quod juvencula illa conceptura & paritura esset: id quod nullo pacto ad sensum illis temporibus accommodatum convenire potest, quamcunque tandem fuisse velimus juvenculam istam. Necesse est enim, quæcunque illa fuerit, nihil in ejus partu aut conceptu accidisse, quod mirabile aliquid contineat, & propterea tanquam signum à Deo dari potuerit; præsertim si; in sensu isto illis temporibus accomodato, velimus, ut sane à nobis probatum esse videtur, juvenculam istam non aliam esse posse, quam prophetissam illam, de qua cap.8. verba fiunt, quam omnes intelligunt,

fuisse

fuisse ipsius Esaiæ uxorem. Quod sive verum fuerit sive minus, quanquam id nos verum fuisse credimus, satis est ad omnem rem mirabilem, in conceptu & partu isto excludendam, id, quod ibi diserte narratur, Prophetam videlicet ad illam accessisse, quæ verba sine ullo dubio, honeste significant, illum cum ea rem habuisse. Præterea, cum pax illa & quies, quæ fuit in terra Juda, post vastationes illas Regum Syriæ & Israëlis, de quibus ibi nominatim agitur, nec non postea etiam Regis Assyriæ, fuerit admodum brevis ac dubia, vix videtur ullo modo, propter rem ejusmodi tantum, nisi aliud quippiam subesset, puero illi indi debere nomen istud Immanuel, quod significat aperte ac simpliciter, præsentem Dei favorem atque auxilium, nisi, inquam, sub nomine pueri illius, prophetico more, alius quispiam intelligeretur, quo nato, & cujus tempore, vere ac proprie dici posset, Deum cum populo illo esse, & favorem ac benignitatem suam illi ostendere. Huc accedit, quod cap. 8. diserte dicatur, terram Juda esse istius, cui nomen erat Immanuel; quandoquidem hæc verba ibidem leguntur: *Ideo ecce Dominus ascendere facit super eos aquas fluminis fortes & multas, Regem Assur, & universam gloriam ejus, ascendetque super omnes rivos suos, & ibit supra omnes ripas suas, transibitque, per Jehuda, mundabit & transibit, usque ad collum pertinget, & erit extensio alarum ejus plenitudo latitudinis terræ tuæ Immanuel.* Jam qua ratione dici poterit, nisi satis improprie, terram Juda fuisse illius puelli, de prophetissa nati? vel quid attinebat istam apostrophen facere ad eum, qui vocandus erat Immanuel, si is puellus ille prophetæ filius futurus esset; Hæc autem non eo nobis dicuntur, quod negemus etiam verba & apostrophen istam ad puellum istum accommodari posse, sed tamen improprie; alioquin si nullo prorsus modo posset accommodari, tum nullo etiam modo is esse posset ille Immanuel; quod tamen jam concessimus, affirmantes interim alium tamen sensum toti isti prædictioni subesse. Nam quod quidam, quemadmodum Justinus in colloquio cum Tryphone Judæo, de ipsis Judæis sui temporis affirmat, ajunt puerum illum qui Immanuel vocari debebat, esse Ezechiam, Achazi, qui tunc regnabat, filium, unde consequeretur, merito ac proprie terram Juda illius esse, dictum fuisse, cum is ejus terræ rex fuerit, id nullo modo admitti potest. Quandoquidem, cum Ezechias regnare cœpit, jam annorum 25 erat. Achaz vero, cujus tempore prædictio ista facta est, regnum per sedecim tantum annos tenuerit; adeo ut etiamsi velimus in ipso regni Achazi initio, ut quidem verisimile est, ista prædicta fuisse, necesse futurum sit ut Ezechias, qui statim rex post patris mortem extitit, tunc jam novem annos natus esset cum ipsa prædictio est facta. Quomodo igitur Ezechias is puer esse potuit, qui post prædictionem istam est natus? Nam quod cap. 8. dicitur: *Tollet Damascum* &c. quod videtur omnino referendum esse ad puerum, de quo ibi agitur, unde concludi posse videatur, puerum istum fuisse regem aliquem, qui ea fecerit quæ ibi subjiciuntur, hoc nihil plane est. Nam verbum, *Tollet*, Hebraica eaque admodum frequenti phrasi, ita accipiendum est, ut non referatur ad aliquem ibi nominatum, sed supplendum sit, prout ipsi Judæi supplere solent, in ejusmodi phrasi, is qui tollet, ac si scriptum diserte esset, Is tollet, qui tollet, id est aliquis tollet; quod nos alia ratione dicere possimus ita legendum esse, ac si pro *Tollet*, scriptum esset, Tolletur. Ex quo satis constat, quod sit deceptus Justinus eo in loco, cujus antea meminimus. Ibi enim cum ita verba ista interpretaretur, ut verbum Tollet, ad puerum illum referendum esset, disputans adversus Judæos, ostendit hinc apparere, puerum illum non esse Ezechiam, quippe de quo non legatur, quod ea fecerit, quæ ibi subjiciuntur, sed necesse esse, ut alius quispiam iste puer sit; quem ait esse Jesum Nazarænum, accommodans interim ista, quæ facturus puer iste, secundum prædictum sensum verbi Tollet, ibi prædicitur, aliqua ratione & per figuras quasdam ad ipsum Jesum, ut inde concludat, omnia, quæ de conceptu & partu illius, quam ipse virginem omnino nominari vult, in loco isto Esaiæ dicuntur, pertinere ad Mariam matrem Jesu, quæ virgo adhuc, id est, sine ullo viri congressu, ipsum Jesum conceperit ac pepererit. Non debuit igitur Justinus, ad probandum quod is puer Ezechias non esset, ista sua ratione uti, sed illa quam nos attulimus, quæ demonstrativa plane est. Ad probandum vero, quod is puer Jesus Nazarænus esset, similiter non ratione ista, sed illa, quam jam nos exposuimus, utendum illi erat, quæ sane efficax admodum est, si proprietas verborum prædictionis spectanda sit. Nam valde proprie dicitur, terra Juda esse Jesu Nazaræni, cum revera ipse ejus sit dominus, adeo ut de nemine alio tam proprie id dici possit, ne de rege quidem ullo, qui in ea regnaverit. Neque enim perinde Rex aliquis dominus est ejus regionis, cui imperat, ut Jesus est & terræ Juda, & totius orbis: quæ tamen terra Juda singulariter isto in loco ipsius Jesu terra vocatur, ob eam causam, quod in ea natus esset, & illam patriam suam agnosceret.

Concludimus igitur, totam prædictionem istam etiamsi aliquomodo accommodari possit, & porro accommodanda sit ad alium quempiam præter Jesum Nazarænum, id est, ut nos quidem credimus, ad puerum illum ex prophetissa & Esaia natum; tamen si proprietas verborum spectetur, & totius loci atque sententiæ, ad ipsum Jesum præcipue ac potissimum referendam esse; præsertim vero ob id, quod satis aperte constat, Deum dedisse conceptum & partum illius puellæ pro signo mirifico; id enim docent manifeste ipsius Dei verba, cum ait Achazo: *Pete tibi signum sive inferius in terra, sive superius in cœlo.* Hæc enim verba omnino indicant, nomine signi, intelligi debere rem aliquam mirificam, non autem indicium quando id futurum esset, quod Achaz cupiebat, ut scilicet ab eo, quod timebat, & ipse & universus ejus populus liberaretur. In hanc siquidem sententiam necessario accipienda est vox signi, si ad istum alium, præter Jesum Nazarænum accommodandus sit locus iste. Verum posset quis adhuc objicere, quomodo fieri potest, ut prædictio ista præcipue ad Jesum Nazarænum referenda sit, cum Jesus Nazarænus, ejusque conceptio & ortus nihil pertineat ad id quod Achazus petebat, vel certe desiderabat? Respondemus, quemadmodum & alibi, sic etiam hoc loco, id quod historia ipsa continet, per figuram, ad aliud quidpiam accommodandum esse, ita ut liberatio ista, quam Achazus una cum suis omnibus expetebat, adumbraret liberationem illam magnam, quam ab omnibus veris inimicis suis populus Israëliticus, quatenus attinet ad Dei decretum atque consilium, per Jesu Nazaræni conceptionem atque ortum consecutus est. Quod si rursus aliquis objiciat, quædam in ista prædictione dicta, ad ipsum Jesum Nazarænum, ejusque tempora, minime accommodari posse, etiamsi figurata aliqua ratione omnia interpretemur; Respondendum est, in prædictionibus de Messia, non esse id quærendum, ut omnia ipsius prædictionis verba, ad ipsum Jesum accommodari queant; præsertim vero hoc in loco, ubi Euangelista noster, ex ipsa ista prædictione, de qua agimus, aliud nihil ad Jesum Nazarænum accommodat, nisi quæ in initio ipsius prædictionis dicuntur, & ad conceptum ortumque ipsius Jesu; atque nomen, quo merito vocari potuit ac debuit, spectare constat. Nam inter cætera exempla ac testimonia ejus, quod diximus, non esse, inquam, prædictiones de Messia ejusmodi, ut earum verba omnia, ad Jesum Nazarænum Dei filium accommodari possint, illud est insigne, quod habetur 2 Sam. 7. ubi omnibus, ipsisque adeo Judæis si non hujus temporis, certe antiquioris ætatis approbantibus, est omnino de Messia prædictio in verbis illis: *Ego ero illi pater, & ipse erit mihi filius,* &c. ubi tamen ait Deus, se istum ubi deliquerit, non rigide, sed paterna ratione castigaturum.

Id quod nullo modo ad ipsum Dei filium, qui nunquam quidquam deliquit, accommodari potest. Sed necesse est, ut tota ista pars, ad Salomonem tantum accommodetur, qui typus ipsius Dei filii Jesu Christi fuit, & de quo primo illo sensu, quem diximus plerumque subesse in vaticinationibus Veteris Testamenti, omnino tota illa prædictio accipienda est. Diximus autem supra, hoc proprium esse divinarum vaticinationum ut obscuræ sint, nec perfecte intelligi queant, nisi postquam eventus earum extiterit. Ad cujus rei confirmationem aliquid pertinere videtur, id quod scriptum est, Prov.25 in ipso initio, ubi habetur ad verbum: *Gloriam seu honorem Dei esse, celare verbum*, quod, sine dubio, ad hanc rem aptissime accommodari potest, ad vaticicationes inquam ipsius Dei. Nam alioqui, ubi alterius generis Dei verbum habetur, ut cum aliquid jubet atque imperat, cum docet, cum monet, cum arguit & castigat, cum, breviter, vult, de ipsa sua erga nos voluntate in actionibus nostris nos certos facere, tunc aperte loqui solitus est Deus, ita ut quicunque animo pio sit præditus facillime ea, quæ ab ipso dicuntur, intelligere possit. Scio equidem, nomen *verbi*, quod habetur in loco isto Proverb. posse ita accipi (ut quidem è plerisque accipitur, neque id etiam à me fieri debere negatur) ut non ipsa Dei verba, sed rem significet; ut sensus sit, honorem Dei esse, celare decreta ac consilia sua: verum hinc nullo pacto sequitur, quin optime sententia ista ad ipsas vaticinationes accommodari possit. Nam si usquam alibi, certe in ipsis vaticinationibus agitur de Dei consilio atque decreto. Illud certum esse videtur, adeo id verum esse, ut Deus in prædictionibus suis consueverit obscure loqui, ut Diabolus in responsis, quæ apud Ethnicos dare consueverat, obscuritate, qua in ipsis utebatur, hominibus non imperitis, neque rerum divinarum penitus ignaris, facile persuaserit, responsa illa divina esse. In quo tamen Diabolus eos egregie fallebat non quidem semper, (nam sæpe Deus permittebat, ut verissima Diabolus prædiceret, non quidem ex sua ipsius scientia, siquidem non est Diaboli futura prædicere, sed Dei tantum, ut colligitur aperte ex cap.41. Esaiæ Prophetæ) sed tantum aliquoties, aut etiam sæpius, non quidem ob eam causam, quod ille hac ratione vellet suis prædictionibus authoritatem conciliare, & interim alioquin sciret certo quid futurum esset; sed quia ipsemet nesciebat, & propterea verba sua ita concipiebat, ut ad omnem eventum accommodari possent: quod idem observavit Cicero factum esse in carminibus Sibyllinis, quæ propterea ipse nihili facere videtur. Habemus autem duo insignia exempla, talium Diaboli responsorum; unum est, cum Pyrrho Epirotarum Regi respondit; *Ajo te Æacida Romanos vincere posse*; ubi sive Pyrrhus Romanos vinceret, sive Romani Pyrrhum, verum nihilominus prædixisse Diabolus videri poterat. Quanquam præterea, cum in responso non dicatur quicquam de certa victoria futura, sed tantum (ut sic loquar) de possibilitate victoriæ, etiamsi præterea quis dicat, potuisse accidere, ut nec Pyrrhus Romanos, nec Romani Pyrrhum reipsa vincerent, nihil tamen falsi propterea in responso isto contineri dici unquam potuisset. Alterum exemplum est, in responso Cræso Lydorum Regi dato, cum adversus Cyrum primum Persarum regem exercitum duceret: *Cræsus Halim penetrans, magnam pervertet opum vim*: quod responsum, sive Cræsus victus, sive victor futurus esset, non poterat mendacii coargui. Tam enim pervertit Cræsus magnam opum vim, cum victus à Cyro fuit, quam si ipse vicisset. Suas enim opes, suamque potentiam, clade illa sua pervertit, atque perdidit. Quod autem prædictiones istæ dæmonum solerent esse obscuræ, & ad plures sensus accomodari possent, quemadmodum & ipsæ divinæ prædictiones, id aperte docet, quod Apollo ipsarum fere auctor Loxias propterea est appellatus; quod verbum apud Græcos ab eo derivatur, quod obliquum significat. Indicatum est enim nomine isto, Appollinis responsa consuevisse non recta esse ac simplicia, sed obliqua atque versuta, & sic obscuritate ista involuta de qua loquimur.

Addimus autem ad ea quæ diximus, ut ostenderemus in vaticinationibus Veteris Testamenti interpretandis, nemini mirum videri debere, si sæpius non unus tantum, sed duo vel plures sensus sint sequendi, hoc videlicet, quod apud ipsos Judæos, qui maxime aliquando nostris Apostolis & Euangelistis obloquuntur, ob hanc ipsam rem, quod aliter accipiant testimonia Veteris Testamenti atque ipsa verba sonant, vel potius aliter, atque tunc, cum prolata fuerunt, intelligenda fuisse apparet, apud istos, inquam, & antiquitus, & nunc maxime receptum fuisse, ut in Scripturis Sanctis interpretandis, sensus quidam subsit, qui non omnino ille sit, quem ipsa verba præ se ferunt, & hanc rationem interpretandi Sacras Literas, quæ apud nos nostrosque Theologos, in plura capita dividitur, & unico tamen vocabulo, mystica ratio, & secundum mysticum sensum appellari potest, ipsi Midras vocant, quod verbum à quærendo ductum est, confitentes, licere præter literalem sensum alium etiam quærere, adeoque affirmare, istum alterum sensum sacris testimoniis subesse. Id tamen verum est, quod nolunt ex isto sensu non literali quidquam omnino ac firmissime concludi atque asseverari posse. Sed neque aliter sane accipienda sunt verba Apostolorum & Euangelistarum nostrorum, cum ejusmodi sensum commemorant, id est, haud intelligere debemus, illos velle hac ratione firmiter comprobare ac demonstrare rem ita se habere, ut ipsi dicunt sed tantummodo est intelligendum, illos ea in parte docere nos velle, atque indicare alterum istum sensum sacris testimoniis, quæ afferunt plane subesse.

Antequam vero ad alteram partem, quæ ad historiam pertinet, testimoniorum Veteris Testamenti in Novo citatorum accedamus, unum adhuc superest dicendum quod ad doctrinam spectat circa locum istum, in quo tamdiu jam versamur, Esaiæ 7. citatum à Matth. Euangelista, cap.1. Illud est, quod in ipso textu Hebraico, & porro in Græco, quemadmodum & ipse Matthæus locum citat, est ante vocem illam, quæ παρθένος, id est virgo, in Græca translatione legitur, litera, quæ articuli vim habet, sive ipse articulus; unde concludi potest, designari ibi apud Prophetam certam aliquam & notam juvenculam. Hæc enim est illius literæ apud Hebræos, & apud Græcos articuli vis. Quod si ita est, quomodo, dicet aliquis, potest locus iste accommodari ad Mariam matrem Jesu, quæ non modo tunc ignota erat, sed nondum extiterat? Respondendum est, literam illam Hebraicam, & porro Græcum articulum, quo illa est reddita, non semper vim istam habere, sed sæpe significare aliquid singulare atque insigne, etiamsi non notum antea; & hinc fit, ut apud Hebræos persæpe, cum aliquid commemoratur, quod magnum ibidem vocetur, additur litera illa rei isti, quamvis antea minime notæ. Ex quo consequitur, nihil absurdi esse, si & hoc in loco litera illa, non certam aliquam puellam significet, sed singularem quandam, ut certe singularis fuit Maria, mater Jesu. Imo videtur dicendum, significationem illam istius literæ, ut scilicet rem aliquam notam ac certam indicet, vix habere locum in vaticinatione ista, & in verbo illo *Alma*, cui præposita est. Nam neque ullius juvenculæ antea mentio ulla facta erat, nec, ad quamcunque tandem nomen illud referatur, pro tempore illo quo prophetia ista edita est, sive illa sit ea, cum qua congressus est Propheta, ut quidem nos statuendum esse demonstravimus, sive quæcunque alia, non apparet ulla ratione quomodo illa ita nota & certa fuerit, ut ad eam sensus iste, ut ita dicam, relativus atque indicativus, ejus literæ, accommodari possit.

Sed jam tempus est, ut ad alteram partem, quæ ad historiam sacrorum testimoniorum, in Novo Testamento citatorum, pertinet, accedamus, atque illorum calumniis obviam eamus, qui ajunt persæpe in ipso Vetere Testamento aliter legi testimonia sacra, atque in

Novo citantur. Unde apparere dicunt, falsi aliquid in Novi Testamenti scriptis contineri, ex quo concludi possit, scriptis istis non temere adhibendam esse fidem. Ut igitur plene ad calumniam hanc respondeamus, quæ etiam illud continet, quod quædam citentur in Testamento Novo, quæ non quidem aliter, sed nullo modo in vetere leguntur, dicimus ad tria animadvertendum esse. Unum est, quod Novi Testamenti scriptores plerumque sequuntur editionem Græcam Veteris Testamenti 70 interpretum, non modo quia ipsi Græce scribebant, sed etiam, idque potissimum, quia editio illa tunc temporis, apud ipsos etiam Hebræos, in magna existimatione erat, ob id videlicet, quod interpretes isti omnes fuerant natione Hebræi. Quare etiamsi Apostoli & Euangelistæ nostri animadvertebant, aliquam nihilominus esse differentiam inter id, quod Hebraice legebatur, & id quod Græce, & certum esset, Hebraicam editionem esse, ut sic dixerim, primævam, & ex qua Græca fluxisset: tamen, ubi differentia ista sensum nullum falsum inducebat, nec talis erat quæ pugnantes inter se istas editiones duas ostenderet, nihil sunt veriti, se se interim ad captum & usum sui seculi accommodantes, locum citare, non ut omnino in Hebraica, sed ut in Græca editione legebatur. Ex quo id saltem necessario consequitur, illos nulla ratione falsitatis redargui posse. Adde quod non desunt, qui velint septuaginta interpretum editionem Græcam, anteponi ipsi Hebraicæ, quippe qui doceant, omni tempore, aliquid corruptionis à Judæis male feriatis, in suam ipsorum editionem inductum fuisse; præsertim post Christi tempora. Unde recte concluditur, si hodie aliquid inveniatur in Hebraico textu Veteris Testamenti diversum ab eo, quod citatur in Testamento Novo, ubi, ut dictum fuit, habita est eo casu ratio editionis septuaginta interpretum, statuendum esse, veram lectionem potius esse eam, quæ apud scriptores Novi Testamenti legitur, quam eam, quæ hodie in Hebraicis codicibus extat. Alterum, quod animadvertendum est, omnino esse debet, quod Novi Testamenti scriptores, non semper id sibi proponant, in Veteris Testamenti locis citandis, ut verba ipsa recitent; sed satis habent, si sensum fideliter exprimant, id quod semper & ubique, & licuit, & in perpetuo usu fuit in omnibus scriptionibus, ubi testimonia aliqua aliarum scriptionum referuntur, ut videre est apud omnes probatos authores, & nominatim apud nostros Theologos, qui sæpenumero non ipsa verba omnino citant, sed sensum in Testimoniis Sacris citandis; licet tamen interim ipsa verba recitare velle videantur. Exemplum, quod ad rem nostram attinet, esto id, quod antea indicavimus, in testimonio illo Deut.18, citato tum in tertio, tum in septimo capite Actorum Apostolicorum. Nam præter alia quædam, quæ non omnino & ad unguem ita leguntur in loco ipso, prout à Petro & Stephano recitantur, illud nominatim est, quod ajunt, quasi ibi scriptum esset: *Is vero qui non auscultaverit verbis Prophetæ illius, exterminabitur.* Neque enim ita legitur, neque in Hebraico, neque in Græco codice. Sed tantum dicit ibi Deus; *Ego ab isto requiram*, seu, *in istum vindicabo.* Quod tametsi verbis non idem sit cum illo, quod in Novo Testamento citatur, intelligendum est tamen, sensu idem esse. Nam vindicta illa & requisitio, quam Deus se facturum minatur, aliud nihil erat, quam istum, qui Prophetæ illi non auscultasset, perdere. Id quod effectus etiam ipse comprobavit, præsertim si ad Christum divina illa prædictio accommodanda sit, ut quidem à Petro & Stephano accommodatur. Nam certum est eos, qui Christo non paruerint, exterminatum iri, Hierosolymitanumque excidium hujus rei nobis indicium ac specimen certum præbet. Tertium, quod omnino animadvertendum existimamus, est, quod non omnes sacri libri hodie extant, ex quibus non extantibus, omnino credendum est, citata fuisse in Novo Testamento testimonia illa, quæ hodie in libris Veteris Testamenti non leguntur; quæ tamen pauca admodum sunt. Quod autem perierint multi sacri libri, apparet manifeste ex eo, quod verborum Nathanis Prophetæ, & Gadis videntis fit mentio 1 Paral. 29, & 2, ejusdem libri, cap. 9, nec non verborum Jeddonis videntis eodem cap. 9, libri 2 Paralipomenon. Immo non verborum, sed visionis. Eodem porro capite mentio fit Achiæ Silonitæ. Præterea cap. 12, ejusdem secundi libri Paralip. fit mentio verborum Iddonis videntis in Genealogiis, & cap. 13, ejusdem Prophetæ commemoratur Midras. Cap. porro eodem 12, habetur mentio verborum Semaiæ Prophetæ. Insuper cap. 10, libri Josue, itemque cap. 10. 2, Samuelis, fit mentio libri Recti, cap. vero 21 Numerorum, commemoratur liber Bellorum Jehovæ. Quanquam non omnino certum est, isto in loco certum aliquem librum significari. Sed præterea apud Esaiam 34, nominatur liber Jehovæ seu Domini. Postremo omnes sciunt, identidem in lib. 2. Regum fieri mentione Chronicorum Regum Judæ, & Regum Israëlis, ad quæ scriptor illius libri sæpissime se refert, & ad ea lectorem rejicit.

His tribus rebus, quas animadvertendas esse diximus, circa id, quod pertinet ad historiam testimoniorum Veteris Testamenti in Novo citatorum, & sic, ut clarius loquamur, ad fidelitatem qua usi sint scriptores Novi Testamenti in citandis Veteris Testamenti testimoniis, bene consideratis & ante oculos perpetuo sibi propositis, facile unicuique erit ad omnes objectiones respondere, quæ fieri scriptoribus istis hac in parte possint. Ex quo fiet, ut quemadmodum in iis quæ pertinent ad doctrinam, expositis quibusdam quæ vice generalis alicujus responsionis esse possint, si quis objiciat, ea in parte aliquid falsi in scriptis Novi Testamenti reperiri, non omnia & singula testimonia ab illis citata, in quibus locum habeat ejusmodi aliqua objectio, attulimus atque expendimus, sed tantummodo pauca quædam, quæ præcipua videntur: sic in hac quoque parte, quæ ad historiam pertinet, faciendum nobis esse duximus.

Et quia postremo de illo testimonio agimus, quod habetur cap. 7. Esaiæ, & citatur à Matthæo cap. 1, ab hoc initium exemplorum huc pertinentium faciemus. Quamvis enim satis multa à nobis disputata sint, quod attinet ad ipsam doctrinam, ut ostenderemus locum istum merito fuisse ab Euangelista ad id comprobandum, de quo ibi agebatur, allatum, superest tamen adhuc difficultas non exigua, quæ ad historiam & veritatem citationis attinet. Quandoquidem vox quæ virgo legitur apud Matthæum, in Hebræo apud Esaiam vox est quæ videtur non proprie virginem significare; ea est, ut diximus *Alma*, videtur enim vox ista juvenculam, sive adolescentulam, seu mavis puellam omnino declarare, non autem proprie virginem. Nomen enim Hebraicum quod proprie virginem significare videtur est *Bethula* seu ut alii pronunciant *Besula*, ex isto enim nomine deducitur nomen aliud, quod manifesta signa virginitatis declarat. Id autem est *Bethulim* seu *Besulim* plurali numero. Unde videri potest minus fideliter ab Euangelista nostro fuisse citatum locum istum, cum ibi, istius vocis *Alma* loco, legatur Græce παρθένος, quæ vox virgo Latine redditur; suntque hac in re Judæi Judaicique homines admodum nobis molesti, deridentes & simul calumniantes scriptorem nostrum, qui, ut persuaderet jam prædictum fuisse, quod virgo aliqua sine virili congressu conceptura ac paritura esset, non sit veritus locum istum falso, ac prorsus infideliter, citare. Atque eo magis quod, ut quidam asserunt, quamvis alioqui videatur nomen *Alma* significare quod diximus, id est puellam, tamen ajunt inveniri locum, ex quo constet istam vocem potius significare eam puellam quæ deflorata jam fuerit, quam virginem. Locus est cap. 30 Proverbiorum, ubi dicitur: Tres esse res difficiles ad percipiendum, & quartam quæ nullo modo intelligi possit, Tres illæ res sunt, aquilæ

aquilæ volatus per aërem, serpentis gressus super lapidem, & navis transitus per mare. In quibus omnibus videtur constare sensum scriptoris esse, quod in his tribus rebus nullum vestigium prorsus remaneat ipsius rei. Jam quartam rem esse dicit viam viri in *alma*, quod similiter videtur debere significare, quod ejus rei nullum vestiguum remaneat. Quod tamen falsum esse constat, si vocem alma virginem interpretemur, & non omnino eam puellam significare dicamus, quæ jam non sit virgo.

Ad hoc respondendum est ad hunc modum. Si ratiocinatio ista vera esset, debere hinc consequi, ut nunquam vox *alma* eam puellam significare posset, quæ adhuc sit virgo. Nam alioquin non esset simpliciter verum, viam viri in alma non agnosci, neque ejus rei, ullum vestigium remanere. Unde concludendum est, locum istum non esse ita accipiendum ut ratiocinatio ista fert, si probatum fuerit vocem alma eam puellam significare posse, quæ adhuc sit virgo. Id autem duplici ratione probari potest, & ex ipsius nominis etymo, & ex testimonio Sacrarum Literarum.

Quod ad Etymon sive Etymologiam attinet, vox *alma* ab Hebræo verbo deducta est, quod abscondere ac celare significat, unde etiam est factum, ut omnino, quicquid alii dicant, vox ista eam puellam significet, quæ nondum nupsit, ob id, quod innupta puella abscondita, & celata quodammodo est à viris. Verum hæc eadem ratio suadet, ut propria sua significatione declaret puellam illam, quæ nulli viro adhuc sit cognita, de hac enim revera ac proprie dici potest, quod sit ab omni viro abscondita eique celata. Nam alioqui si de alio genere absconsionis (ut sic dicam) loqui velimus, id non verum esse invenietur in ea puella quæ tantummodo innupta fuerit, propter hoc ipsum scilicet quod nondum nupserit. Quandoquidem certum est, apud ipsos Hebræos, quorum est vox de qua disputamus, non fuisse in usu ut ipsæ puellæ innuptæ à viris absconderentur, id est, ita conclusæ tenerentur, ut à viris conspici nequirent. Certum enim est ex plurimis Sacræ Veteris Testamenti Historiæ locis, innuptas puellas nulli, quod attinet ad conspectum, fuisse absconditas. Id quod vel ex eo loco constat quem adducturi sumus, ut altera ratione, id est ex testimonio aliquo sacro, id quod intendimus, probemus, nempe vocem *alma* eam puellam significare posse, quæ virgo sit revera. Is locus est Genes. 24, ubi servus Abrahami, qui missus fuerat, ut uxorem Isaaco ejus filio quæreret, Labani, qui ad eum foras exierat, narrans, cur & in quem finem illuc venisset, ait se expectasse an fortasse *alma* aliqua exiret, quam uxorem conciliaret filio domini sui. Certum enim est servum istum voluisse, ut puella, quæ uxor Isaaci futura esset, minime corrupta ac polluta esset, sed integra ac vere virgo. Itaque ex loco isto duo apparent; unum est quod vox alma vere virginem significare potest, de eaque dici. Alterum est, quod innuptæ puellæ sese viris conspiciendas dabant, quod & tunc reipsa factum esse, & usitantum id fuisse, quod servus Abrahami speraret id futurum, ex eo apertissime probatur, quod in illa historia antecedit, nempe, quod Rebecca jam foras exierat, & cum servo isto Abrahami jam locuta fuerat. Nam quod aliqui ex eo concludere volunt, vocem alma omnino virginem significare, aut significare posse, quod Rebecca quæ in ista historia alma appellata fuerit, eadem ibidem diserte dicatur fuisse Besula; id est virgo, quæ nulli viro adhuc cognita fuisset, hoc inquam, à præstantissimis licet viris in medium allatum, non videtur esse recipiendum. Quandoquidem minus verum est Rebeccam in historia illa almam fuisse appellatam, fuit enim tantummodo in narratione appellata illa Naär, quæ vox puellam simpliciter significat; Vox enim alma quæ semel ibi legitur, non ad Rebeccam appellandam prolata fuit, sed tantummodo à servo illo Abrahami dicta, cum exponeret se expectasse ut puella aliqua exiret.

Cum igitur ex his quæ diximus satis constet, nomen alma eam significare posse, quæ vere virgo sit, sequitur, ut ante diximus, Proverbiorum locum non esse ita accipiendum, ut nostri Euangelistæ calumniatores volunt. Falsum enim dixisset auctor ille inquiens, ut istis placet, viam viri in alma cognosci non posse, si alma eam etiam significare posset, quæ nondum corrupta fuerit. Jam quod non possit sensus istius loci Proverbiorum is esse quem Judaici isti homines dicunt, apparet ex eo, quod ibidem statim sequitur: Sic etiam, inquit auctor ille, in muliere adultera evenit, quæ comedit, & absterso ore dicit; Non sum operata iniquitatem. Ubi honestis verbis scriptor ille significat, non posse mulierem adulteram sui adulterii semper convinci. Itaque apparet superius non fuisse factam mentionem puellæ alicujus jam defloratæ, id est, quæ omnino ponatur esse talis. Nam alioqui exemplum quod subjicit mulieris adulteræ, nihil differret ab exemplo isto superiore. Hinc consequitur necesse esse, (omissis aliis diversis interpretationibus, quæ à variis, ad hunc locum explicandum, afferuntur) ut sensus loci sit, cum aliqua innupta puella apud suos aphuc existit, de qua quæratur, ut matrimonio collocetur, & quidem ut virgo marito tradatur, vel virgo esse ab omnibus existimetur, an virgo revera necne sit cognosci non posse, non quidem omnino, sed scilicet quatenus ex aspectu exteriore, cum illa sese visendam hominibus præbet, deprehendi potest: quod & verissimum esse, nimis multa exempla sæpius ostenderunt; cum sæpius evenerit, ut ea quæ virgo esse credebatur, talis esse haud inventa fuerit.

Satis probatum à nobis esse videtur vocem Hebraicam alma virginem etiam significare posse: quippe quod proprie innuptam puellam significet. Sed dicet aliquis: Quid tum postea? Consequitur quidem ex hoc non posse Euangelistam omnino falsitatis accusari, quod pro voce ista Græcam substituerit, quæ virginem proprie declaret; sed interim in eo nihilominus videtur reprehendendus, quod vocem æqualis significationis non substituerit. Ad hoc respondendum est Euangelistam locum citasse ut in editione 70 interpretum legebatur. Nam 70 illos interpretes vocem παρθένος isto in loco posuisse apparet, non dicam ex ipsa Græca editione, quam hodie habemus, nam multi sunt qui dubitant, ejusque rei causas multas habent, an editio Græca, qua hodie vulgo utimur, sit illa 70 interpretum, præsertim exceptis libris quinque Mosis: sed apparet idem aliunde, nempe ex Sacris Scriptoribus antiquis; qui testantur 70 interpretes vocem istam eo in loco habuisse. Inter quos antiquissimus fere omnium, quorum ad nos scripta devenerunt, est Justinus, qui in colloquio cum Tryphone Judæo id diserte testatur, addens, quod non levis rationis loco esse potest, ad probandam vocem alma virginem significare: addens inquam, ex ista 70 illorum interpretum editione, satis constare posse, propriam significationem vocis illius esse, ut virginem declaret. Cur enim, inquit, interpretes, qui Hebræi natione erant, & aliquot seculis ante Christum exhibitum extiterunt, ausi fuissent, in loco isto pro voce alma, virginem reponere?

Est autem præterea animadvertendum, propterea nullo modo posse Euangelistam nostrum falsitatis condemnari, quia ipsa Græca vox παρθένος, quæ proprie eam significat, quæ nullidum viro cognita fuerit, quemadmodum & vox ipsa virgo: sæpius tamen apud bonos authores, idem valet quod innupta puella, sine ulla consideratione ejus an fuerit nec ne viro cognita. Cujusce rei in ipso Novo Testamento testimonia habere videmur, ut apud Paulum Apostolum Epistola 1 Cor. 7, ubi aliquoties παρθένου seu virginis fit mentio, cum expressa significatione innuptæ puellæ, & quæ nec vidua nec maritata sit, nullo habito respectu an corrupta an integra sit, id enim nihil ad Pauli propositum faciebat, & apud Latinos probatissimos scriptores valde frequenter nomen virgo aliud nihil quam innuptam

innuptam puellam declarat, mulierique opponitur; quod nomen aut viduam aut maritatam significare solet. Itaque etiamsi Euangelista noster, non habuisset sibi præeuntes 70 illos interpretes, tamen non immerito, pro voce *alma* Hebraica, vocem Græcam παρθένος substituisset; præsertim cum, ut antea ex vocis istius Hebraicæ etymologia potissimum ostendimus, verisimile sit vocem istam, proprie ab initio significasse puellam nulli dum viro cognitam, sed postea, ut diximus apud Græcos & Latinos factum esse, pro innupta puella usurpatam fuisse: nempe quia tales puellæ integræ atque incorruptæ esse censentur. Atque hæc ipsa mutatio quodammodo significationis in voce plane idem pollente animadverti potest, in multis aliis linguis, quæ hodie vernaculæ sunt.

Sed adhuc difficultas quædam restat, ad quam nullo modo connivere debemus. Dicet enim merito quispiam, quomodo, si vox ista proprie, ut conjicere possumus, virginem significat, & pro innupta puella passim usurpatur, poterit constare id quod supra à nobis dictum est, cum fassi sumus Prophetiam istam Esaiæ, primo quodam sensu ad alium puerum, atque ad aliam puellam pertinere, præter Jesum Nazaræum & ejus matrem Mariam, nempe aliam istam puellam esse Prophetissam illam, de qua in sequente cap. dicitur, quod Esaias ad illam accesserit, unde factum sit, ut ea conceperit ac pepererit filium. Nullo enim pacto dicendum est, Prophetissam istam aliam fuisse quam uxorem ipsius Esaiæ, quemadmodum omnes uno ore testantur. Quodsi Esaiæ uxor erat, certe innupta puella non fuit.

Ad hoc respondeo, non valere consecutionem istam. Nam optime fieri potest, ut, cum Prophetia ipsa extitit, Prophetissa ista tantum desponsata Esaiæ esset, puella vero antequam nuptiæ fiant, etiamsi jam desponsata fuerit, tamen non modo innupta adhuc est, sed etiam virgo appellatur, quemadmodum ipsa Jesu mater, quamvis jam desponsata Josepho fuisset, virgo tamen appellatur. Notandumque est, quod non sine magno mysterio necesse est vaticinationem istam talibus verbis fuisse conceptam, neque dictum fuisse aliquid, quod manifeste Esaiæ desponsatam puellam significaret, sed & simpliciter puellæ nomen ibi fuisse expressum, & ea voce quæ virginem etiam significare possit, nempe ut ad Mariam Jesu matrem, quæ vere virgo existens, neque ob id esse definens, Jesum ipsum concepit ac peperit. Postremo animadvertendum est, nulla prorsus ratione posse Euangelistam nostrum, damnari tanquam eum qui aliter locum citaverit, atque in ipso fonte habeatur, præsertim propter vocem istam, quæ apud ipsum παρθένος legitur. Neque enim ille diserte ait se propter istam vocem locum attulisse, & ex ea voce constare jam prædictum fuisse, quod virgo, virginitate non pereunte, conceptura ac paritura esset, sed tantum ait, tunc impletam fuisse Prophetiam istam. Quamvis enim dicat: *Totum autem hoc factum est, &c.* Nihil cogit, cum ipse id non expresserit, omnino statuere, quod ille istius rei prædictionem in ipsa vaticinatione extitisse affirmet. Satis est enim, si, quemadmodum in vaticinatione ista prædictum fuerat, quod ea puella quæ innupta erat, postea conceperit ac pepererit, & quidem talem filium qui Emanuel merito vocari possit. Quemadmodum sine dubio de Jesu Nazaræno constanter potest affirmari, & sine ulla comparatione, magis quam de alio ullo, qui vel jam extitisset, vel extiturus esset. Est autem animadvertendum propter id quod diximus de innupta puella, quod videatur satis esse ad confirmandum id, propter quod locus iste à Matthæo allatus fuit, quod ipse Euangelista diserte subjecit, Mariam, cum Jesum peperit, peperisse filium suum primogenitum. Nam certe, si innupta usque ad id tempus fuerat, cum ab Angelo illi nunciatum est de conceptu & partu isto, sequitur filium istum fuisse illius primogenitum, vel potius, non potuisse ejus primogenitum tam constanter ac certo appellari, quemadmodum fit, cum certum est, antea illam nulli alii nupsisse. Concludimus igitur cum apud 70 interpretes, quorum editio veneranda quodammodo tunc temporis erat, ita legeretur, quemadmodum ab ipso citatus est locus, nullo pacto posse Euangelistam falsitatis accusari, etiamsi non essent aliæ caussæ ullæ, cur vox ista Hebræa ita accipi deberet, ut in ista editione accipitur, quæ tamen aliquot à nobis sunt allatæ, quibus quilibet non contentiosus contentus esse debet.

Nunc igitur ad alia exempla transeundum est, ubi videantur Novi Testamenti scriptores peccasse, quatenus ad historiam attinet, in citandis dictis ac testimoniis Veteris Testamenti. Secundum igitur exemplum faciemus, id quod 2 cap. ejusdem Matth. ad finem legitur, nempe Jesum Mariæ filium, in oppido Nazareth educatum fuisse, ut impleretur id quod à Prophetis dictum erat, quod Nazaræus appellari deberet. Quandoquidem nullo modo apparere videtur, quomodo istud à Prophetis prædictum fuerit, neque enim id usquam legitur. Respondendum est: Primum, ut jam dictum fuit, non pauca Prophetarum scripta, quæ probata erant, & citantur in ipsis libris Veteris Testamenti, periisse. In quibus facile fieri potest, ut testimonium istud diserte extaret. Præterea non desunt aliæ responsiones, ex quibus intelligi possit, cur, etiamsi testimonium istud apud Prophetas diserte non legatur, tamen & vere & recte Euangelistam nostrum locutum fuisse constet: estque libellus editus à Ministro quodam, ut vocant Euangelico, cujus nunc omnino nominis non recordor, in quo plenissime de ista una re disputatur, & ostenditur, quomodo merito ejusmodi testimonium ex prophetis ab Euangelista nostro citari potuerit. Quem libellum si haberemus, non dubito quin inde plus satis intellecturi essemus rem ita se habere; sed quando illo destituimur, oportet nos ex aliis & alia ratione quærere, quomodo id verum sit, quod in libello isto tam aperte probatur.

Sunt autem tres circa hanc rem præcipuæ sententiæ, quarum meminit Flaccius Illyricus in sua Clave scripturæ, in voce Nazaræus. Prima est, quod dicatur in Prophetis prædictum, quod Nazaræus Christus vocandus esset, propterea quia inter alios, qui typi ipsius Christi fuerunt, Samson sine dubio est qui Nazaræus fuit, id est voto illo obstrictus, de quo satis abunde apud Mosen legitur. Secunda est, quod Nazaræus propterea in Prophetis dictus fuerit Christus, quia Nezer, nominatim ab Esaia cap. 11, appelletur, quæ vox Hebraica surculum significat. Inquit enim Esaias cap. 11, in ipso initio, *Et egredietur Nezer*, id est surculus *ex radice Jesse &c.* Quæ vaticinatio sine ulla controversia ad Christum pertinet. Tertia est, quod propterea Nazaræum vocatum iri Christum à Prophetis prædictum fuerit, quia ab ipsis non uno in loco fuerit prædictum, quod Christus Sanctus futurus esset. Nazaræi autem, id est ii qui votum illud habebant Sancti Deo erant. De quibus singulis aliquid nobis dicendum est, & interim hac tota de re sententia nostra aperienda.

Quod attinet ad primam sententiam, quam attulimus circa interpretationem hujus loci, ad ostendendum quod merito, etiamsi ibi diserte id scriptum nusquam fuisset, potuerit Euangelista noster dicere, prædictum à Prophetis fuisse, quod Christus Nazaræus vocandus esset, dicimus illam non paucas habere objectiones. Una est quod non habemus ullum apertum testimonium unde concludi possit Samsonem Christi typum fuisse. Sed ad hoc potest responderi, non esse necesse ut tale testimonium habeamus, sed satis censeri debere, si, quemadmodum à multis præstantibus viris factum est, ostendatur merito posse affirmari, Samsonem typum Christi fuisse. Altera objectio est, quod dicit Euangelista prædictum fuisse id per Prophetas, cum tamen liber Judicum in quo Samsonis historia habetur, sit liber historicus, non autem Propheticus.

Ad

Ad hanc objectionem respondetur, libros historicos Veteris Testamenti aliquando Prophetarum nomine appellari, ob id nimirum quod in ipsis multa nihilominus Prophetica continentur, sive expresse per aliquem Dei Spiritu actum prædicta, sive alia ratione ibi adumbrata, quod Prophetiæ ac prædictionis genus censeri debet. Ipse sane Christus apud Lucam cap.24, videtur totam Veteris Testamenti scripturam, in Legem Mosis, Prophetas, & Psalmos divisisse, cum ait: oportuisse impleri ea omnia, quæ in istis scriptis de eo scripta fuerant. Certum est, ut dixi, in ipsis libris historicis multa prædicta fuisse. Adde, & de ipso quoque Christo est hujusce rei testimonium, valde insignis locus ille 2 Sam.7, *Ego ero ei in patrem & ille erit mihi in filium*, quod diserte ab auctore Epist. ad Hebr. ad Christum accommodatur. Sed rursus ex hoc eodem quod Euangelista dixit, dictum id fuisse per Prophetas, tertia emergit objectio; cum unus tantum locus afferatur ad interpretationem istam stabiliendam: quare videri potest debuisse Euangelistam dicere per Prophetam, non autem per Prophetas. Ad hoc facillima est responsio, cum nihil sit tam tritum, quam numeri pro numero usurpatio. Huc accedit quod illa verba, *per Prophetas*, ita merito accipi possunt ac si dictum fuisset, in libris Prophetarum; id autem semper verum esse censebitur, etiamsi in uno tantum loco apud Prophetas scriptum inveniatur. Potest autem huic objectioni alio etiam modo responderi, si ad interpretationem istam primam addatur, quod Samuel etiam, qui multa habet, unde possit statui eum fuisse Christi typum, Nazaræus fuit, ut colligitur ex cap.1, secundi libri Samuelis.

Adhuc quarta objectio est, quæ pluris fit quam aliæ reliquæ, id est, quod nomen civitatis Nazareth scribitur per literam Zade apud Hebræos: nomen vero Nazaræni per literam Zain. Nam vel ex hoc solo videntur Tremellius & Junius in annotationibus suis in locum istum conclusisse, non posse hanc interpretationem, aut aliam quamlibet, quæ nominis Nazaræi, quatenus hominem voto illo obstrictum significat, rationem habet, ullo modo sustineri. Ad objectionem hanc respondebimus, ubi agemus de tertia interpretatione quam attulimus.

Quod igitur attinet ad secundam interpretationem, ut scilicet Christus Nazaræus vocatus fuerit ex prædictione ipsa Prophetarum, quia videlicet Nezer in Sacris Literis appellatur, ut apud Esaiam cap.11, quæ interpretatio caret objectione ista, quam proxime adversus primam interpretationem attulimus, quandoquidem vocabulum istud Nezer, non minus per Zade scribitur, quam nomen oppidi Nazareth: ex quo etiam factum est, ut iidem Tremellius & Junius statuerint, ad appellationem istam Nezer omnino Euangelistam nostrum respexisse; Quod attinet, inquam, ad secundam istam interpretationem, objici illi potest, quod non aliquoties, ut quidam, qui ea afferunt, affirmant, sed semel tantum in prædicto Esaiæ loco appellatio ista habetur. Secundo potest objici, quod ista appellatio, cum sit plane Metaphorica, (surculum enim, ut diximus, significat, & ibi appellatione ista Christus dicitur surculus, qui ex radicibus Jesse fructum daturus esset,) non videtur posse ad Christi appellationem, quatenus Nazaræus seu Nazarænus vocatus est, ullo modo accommodari. Non conabor autem, ut ad has duas objectiones quidquam respondeam, cum, ut verum dicam, ea interpretatio mihi probari non possit.

Restat igitur ut de tertia aliquid dicamus, quod scilicet Euangelista non dubitarit dicere per Prophetas dictum fuisse, Christum vocatum iri Nazaræum, eo quod ab ipsis prædictum fuisset, Christum fore ejusmodi, ut verus Nazaræus, id est Sanctus Deoque consecratus, merito dici posset. In quo illud animadvertendum est, ut Beza quidem in hunc locum annotans animadvertit, quod Euangelistæ verba ita accipi possunt, quasi non ipsa Prophetarum verba, sed sententiam tantum referant, est enim apud ipsum, ante verba illa *Nazaræus vocabitur*, vocula Græca ὅτι, quæ Latine reddita est Quòd. Tametsi enim particula ista aliquoties, abundare solet, tamen nihil cogit, ut dicamus, id in hoc loco evenire. Sed respondendum est, postremæ isti objectioni, quam fecimus interpretationis primæ de litera Zain & Zade. Primum igitur dicimus, non omnino constare nomen oppidi Nazareth, scriptum antiquitus ab Hebræis fuisse, non per literam Zain, ut nomen Nazaræi scribitur, sed per literam Zade. Neque enim oppidi istius ulla fit mentio, in libris Veteris Testamenti, qui in Hebræo sunt canone, tantummodo ad id probandum affertur scriptura Syriaci textus in loco Novi Testamenti. Deinde respondetur tantam esse cognationem istarum duarum literarum apud Hebræos, ut nihil videatur esse absurdi, si Euangelista hujus minutissimæ rei rationem non habuerit. Nihil enim certius est, quam similes, & ejusdem fere potestatis apud Hebræos literas, sæpius invicem commutari. Id omnino videtur interpretationi isti favere, ut scilicet Euangelista ad Nazaræi appellationem, quæ hominem Deo consecratum omnino significet, omnino respexerit, quod in hoc ipso loco Græce habemus, non Nazarænum, sed Nazaræum. Ex oppido enim illo deducta appellatio, omnino videtur requirere, ut Nazarænum, non autem Nazaræum dicamus. Unde etiam factum est ut in Latina vulgata editione, alibi fortasse semper, quamvis in Græco Nazaræus habeatur, Nazarænus tamen legatur; ut, quod loco omnium esse potest in ipso titulo Christi, cruci imposito exponendo, factum videmus. Illud certissimum est, cum id nomen Christo in Sacris Literis tributum, valde sæpe legatur, tamen ter tantum aut quater Legi in Græco Nazarænum, & alibi perpetuo Nazaræum. Quanquam ipsa Græca appellatio Nazaræum habet, sed hoc nullius plane est momenti, & omnino sum persuasus, quamvis ob librorum penuriam id nondum invenerim, nomen istud, quatenus hominem Deo consecratum significat, Nazaræum fuisse à Græcis scriptoribus prolatum. Ad confirmandam vero istam interpretationem, quæ ex voce & nomine isto sumpta est, id etiam pertinere videtur, quod Nezer unde Nazaræi sunt dicti, invenitur significare coronam, aut tale aliquid quod in capite gestaretur. Unde videtur eleganter appellationem inde ductam Christo accommodari potuisse, cum is vere corona ornatus sit, & ea potestate præditus, quam gestamen istud capitis significare potest. Ut inter alios omnes hanc potissimum ob causam excellat, atque insignis sit.

Quod si quis tamen plurimum hæreat in interpretatione ista, propter unius literulæ diversitatem, videat, an fortassis quarta interpretatio addi possit, quam ego quidem apud neminem adhuc inveni. Ea est, quod dicamus istam appellationem Christo fuisse tributam, & miro Dei consilio factum esse, ut is in oppido Nazareth educaretur, unde Nazaræus vel potius Nazarænus vocaretur; eo, quod sine ulla controversia ipse Servator noster fuerit. Nam verbum Nazar Hebraicum, idque per Zade scriptum, non minus quam oppidum Nazareth, servare significat, & Deus ipse nomine ex hoc verbo ducto, & in libro Jobi cap.7.20, & in Solomon Proverb 24 12, modo servator hominum, si recte memini, modo servator animarum appellatur. Certum est autem non tantum Christum fuisse revera & esse servatorem nostrum, sed etiam id prædictum per Prophetas fuisse, ut inter alia loca fidem faciunt 23 & 33. cap. Jeremiæ. Utroque enim in loco diserte scriptum est, temporibus illius insignis regis, quem inibi Deus promittit, quique sine ullo dubio Christus est, servatum iri Judam, & alia multa adduntur, ex quibus intelligitur, quamvis nomen Servatoris, aut servandi verbum expressum non fuerit, debuisse id extitere, ut per regem istum salus populo Dei pareretur.

Quem-

Quemadmodum & idem Euangelista noster testatur, cum ait, Jussu Angeli impositum ei fuisse nomen Jesus, quia is servaturus esset populum à peccatis suis. Et hæc quidem satis esse volumus, ad ostendendum, etiamsi verum esset nusquam prædictum fuisse à Prophetis, Christum Nazaræum vocatum iri, quod tamen non concedimus, cum, ut dictum est, multi Sacri libri, in quibus vatiocinationes continebantur, perierint, tamen ullo pacto inde sequi, non recte dictum ab Euangelista fuisse, propterea Christum in oppido Nazareth educatum fuisse, ut impleretur quod per Prophetas dictum fuerat, quod ille Nazarænus vocari deberet. Hoc tamen postremo addemus non esse oblivioni tradendum, quod phrasi Hebraica idem sæpissime significat *Vocari* quod *Esse*, ex quo maxime via aperitur, ad omnes objectiones diluendas, quæ isto in loco Euangelistæ nostro fieri possunt.

Decreveram jam hic finem facere differendi de hoc loco, quod Nazaræus vocabitur, sed postea aliquid inveni, unde adhuc cogor de vera istius loci interpretatione verba facere. Et miror sane, nec Bezam in suis annotationibus, nec Tremellium & Junium, nec Matthiam Flaccium Illyricum, quos tamen authores ego habeo qui in locum istum quidquam scripserunt, ullam hujusce rei disertam fecisse mentionem. Tantum inveni modo, in Expositione Ecclesiastica, quam vocant, Novi Testamenti à Marlorato edita, id quod dico commemorari. Est autem illud, quod Josephus Jacobi Patriarchæ filius, qui sine ulla controversia multis de causis Christi typum gessit, diserte ab ipso ejus patre, in illa ejus prædictione de omnibus & singulis suis filiis, quæ habetur Gen. 49, dicitur Nazaræus fratrum suorum: idem repetitur quodammodo a Mose, in sua itidem prædictione de tribubus populi Israëlis cap. 33. Deuter. Ex quo ita concludere possumus, meritissimo ab Euangelista nostro dictum fuisse, per Prophetas prædictum esse Christum vocatum iri Nazaræum. Adeo ut mirum videatur, tot præstantes viros in inveniendo, quomodo id merito noster Euangelista dicere potuerit, tantopere se torsisse, cum res admodum clara & aperta esse videatur. Fuit autem Josephus dictus in hisce duobus locis (quorum utriusque auctor est Propheta Jacob, siquidem ut Propheta eo in loco loquitur, (de Mose vero quin Propheta fuerit nemo dubitat) ita ut merito Matthæus numero plurali dicere potuerit, à Prophetis dictum id fuisse quod ait) Nazaræus fratrum suorum, quia erat tanquam princeps suorum fratrum, quos, & patrem una cum ipsis, à morte quodammodo liberaverat, paverat, foverat, quosque omnes dignitate, potentia, scientia, apud omnes gratia longissime superabat, ita ut inter ipsum & illos harum rerum ratione vix ulla esset comparatio. Est enim vox ista Nazaræus ut antea diximus, a Nezer, quod coronam significat, deducta. Quamvis, quatenus illum significat, qui Deo nominatim consecratus esset, possit à verbo Nazar, quod separare significat, deduci. Quanquam non desunt, & quidem judicio meo merito, qui velint & Nezer, quatenus coronam significat, ab isto verbo quod separationem declarat deductum esse, quandoquidem corona, vel gestamen aliquod insigne in capite, efficit, ut separetur quis & distinguatur per præcellentiam ab aliis. Illud est certum, in hisce duabus Jacobi & Mosis prædictionibus, cum Josephum fratrum suorum Nazaræum vocant, mentionem fieri alicujus rei, quæ quodammodo super verticem Josephi esset, unde Nazaræus vocatus fuerit. Hæc verò quis non videt quantopere ipsi Christo conveniat, qui fratrum suorum, id est, ipsius Christi & Dei fidelium, & princeps & Servator, & præ illis tanta excellentia in rebus divinis omnibus præditus, ut vix cum illo ulla ratione comparari possint. Cum igitur Joseph, qui manifeste typum Christi gessit, Nazaræus vocatus fuerit, cum Samson, qui similiter, quamvis non ita plene, aliqua tamen ratione Christi typus fuit, Nazaræus, id est Deo consecratus, ab ipso matris suæ utero fuerit, & nomine isto diserte in Sacris Literis insignitus, cum denique Samuel, qui & ipse, ut dictum fuit, Christi typum aliquomodo gessit, Nazaræus similiter, simul atque natus est fuerit factus, à suaque matre Deo consecratus, nulli dubium esse potest, quin omnino statuendum sit, & prædictum & adumbratum fuisse in Prophetarum scriptis, Christum debuisse vocari Nazaræum, in quo & illud observandum est, quod tres isti Josephus, Samson, & Samuel paulo minus quam miraculose nati esse videntur, immo in Samsone & Samuele miraculose id factum merito dici potest, cum utriusque mater sterilis esset. In Josepho vero, etsi non vere per miraculum, tamen non longe id ab eo factum est. Rachel enim ejus mater per satis longum tempus non concipiebat, &, ut ex historia colligi potest, precibus à Deo impetravit, ut conciperet, & sic primogenitum suum filium Josephum habuit. Hac enim in re isti omnes tres, cum Christo aliquid commune habueruut, qui omnino miraculose natus est, & primogenitus suæ matris fuit. Nihil hic repetam de differentia illarum duarum literarum, quæ videatur impedire, quominus quis in hac interpretatione acquiescat. Ea enim & levissima res est, & jam plus satis de ea dictum est superius, & ostensum nihil eam curari debere.

Jam igitur ad alia exempla transeamus, ubi videantur scriptores Novi Testamenti, in loco aliquo ex Vetere Testamento citando, falsi aliquid dixisse. Occurrit igitur, post jam explicata exempla, id quod legitur Matthæi 27. Idem enim Euangelista noster prædicto in loco, cum vellet ostendere id, quod factum est de Christo prodito à Juda 30 argenteis, quos postea ipse Judas projecit in templo, ex quibus emptus est ager figuli in sepulturam peregrinorum, cum inquam ostendere vellet, hoc totum prædictum esse, ait: Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam &c. Primum enim hic falso citatur ab ipso Propheta Jeremias; cum apud eum nihil tale legatur, quod huc accommodari possit, sed tantum apud Zach. cap. 11. Verum responderi potest duplici ratione. Primum non esse falsitatem appellandam, ubi non modo lapsus tantum memoriæ esse potest, sed etiam is lapsus nihil rem mutat, & nihil falsi, quod attinet ad rem ipsam, de qua quæritur, omnino inducit. Quæritur autem hic, an id quod evenit circa Christum, prædictum aliquomodo à Propheta aliquo fuerit, quare sive is Propheta Jeremias sive Zacharias fuerit, nihil plane refert, modo alioqui constet, id prædictum fuisse. Sed quia non pauci ab eo abhorrent, ut Euangelistæ nostro, vel cuipiam alii Novi Testamenti scriptori, lapsum ejusmodi memoriæ, quamvis levissimum ullo modo tribuant, tametsi non defuerunt ex vetustioribus & religiosioribus patribus, qui id hoc in loco fecerint, possumus alia ratione ab omni culpa & errore, falsitatisve suspicione Euangelistam nostrum vindicare, eo quod in Editione Syriaca, quæ antiquissima est & multis in locis, in quibus varie contingit verba aliqua legi, maximum adjumentum ad veram lectionem inveniendam præbet, nullum in isto loco alicujus Prophetæ nomen habetur, sed tantum dicitur *quod dictum est per Prophetam*. Unde etsi in Græcis & Latinis codicibus nomen Jeremiæ expressum legatur, id accidere potuit ex eo, quod quis in margine nomen Prophetæ ascripserit in Græco textu, unde Latinus fluxit, posueritque nomen veri Prophetæ, hoc est Zachariæ, sed per compendium scripta tantum prima litera quæ ζῆτα est, & extema diphtongo ου; compendiose enim scriptura ista ζαχαρίου significare potest, id quod librarius aliquis animadvertens, crediderit id in textum transferendum esse, & simul pro ζῆτα ἰῶτα legerit. Nam cum Jota compendiosa eadem scriptio Ἰε Ἱερεμίου significabit, id quod ipse in ipso textu scripserit, eo magis quod apud ipsum Jeremiam cap. 32, aliquid habetur de agro empto, Jehovæ seu Domini jussu; quod

quod facile potuit ab aliquo, qui rem diligentius non perpenderit credi, illud esse quod citare voluit Euangelista noster, apud quem & agri empti, & Domini jussus fit mentio, quamvis locus iste Jeremiæ alioqui nil ad rem faciat. Itaque satis constare videtur, nullam caussam esse, cur Matth. ob istam causam, quod in Græcis & Latinis codicibus nomen Jeremiæ apud ipsum isto in loco habeatur falsitatis ullius damnari possit. Sed in ipso loco, qui apud Zachariam extat loco prædicto, & quem sine dubio Matthæus intellexit, citando, multo magis videtur falsitatis suspicionem incurrere, admodum enim diverse ibi scriptum est, ab eo quod à Matthæo citatur. Sic enim ad verbum prædicto capite 11. Zacha: à vers. 12. incipiendo legitur, secundum quidem Hebraicum contextum: *Et dixit ad eos, Si bonum in oculis vestris* [est] *afferte mercedem meam, & si non, cessate. Et appenderunt mercedem meam 30 argenteis, & dixit Jehova ad me; Projice illos*, (seu potius *illam*, scilicet mercedem) *ad figulum, magnificentiam gloriæ, qua appreciatus sum* (*seu magnificum precium, quo appreciatus sum*) *ab eis. Et tuli 30 argenteos, & projeci illud*, id est *illos in domum Jehovæ ad figulum.* In loco vero Euangelistæ, Matth. inquam 27. 9, & 10, sic habent Græca verba: *Et acceperunt triginta argenteos, precium æstimati* (seu *appreciati*) *quem æstimaverunt*, seu *appreciaverunt à filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, quemadmodum constituit* vel potius *præcepit mihi Dominus.* Nemo non videt, arbitror, quantopere distent verba Prophetæ à verbis Euangelistæ, unde merito videri posset, falsitatem aliquam ab Euangelista commissam fuisse, in testimonio isto recitando, ut nihil dicamus, quod non videtur hoc testimonium, quicquam ad rem facere: neque enim id pertinet ad præsens caput objectionum, quæ fiunt scriptoribus Novi Testamenti in citandis testimoniis Veteris, hoc est, non pertinet ad historiam, sed ad doctrinam, & sic ad caput superius: quanquam, dum conabimur nostrum Euangelistam vindicare a suspicione falsitatis, eodem tempore apparebit, quomodo nihilominus, ut aliter prima fronte videatur, locus iste ad rem, de qua Euangelista agit, omnino accommodatus sit; iis præsertim animadversis ac servatis, quæ in capite superiori animadvertenda & servanda esse diximus, in ejusmodi indagatione. Sed ad propositum nostrum revertendo, dico primum, facile credi posse in Græca 70 interpretum editione, aliter atque nunc in Hebraico textu legitur, lectum Euangelistæ tempore fuisse. Nam Græca editio quam hodie habemus, præsertim in prophetis, quicquid multi contra sentiant, non esse videtur ullo modo eadem, cum editione illa 70 interpretum. Quare nihil mirandum est, si quemadmodum cum Hebraico textu, sic etiam cum Græco quem hodie habemus, id quod Euangelista noster recitat, minime consentiat. Jam enim dictum est, scriptores Novi Testamenti Græce scribentes, Græcam quidem editionem admodum frequenter secutos fuisse, sed non quamcunque, (erant enim plures) sed eam quæ erat majore in precio, ea autem, ut antea diximus, erat ista 70 interpretum. Merito igitur credere possumus, in editione ista ita lectum fuisse, ut ab ea lectione nihil aut parum discreparet id, quod à Matthæo hoc in loco recitatur. Et hæc est ratio una à falsitate Euangelistam nostrum liberandi. Alia ratio est, quod, ut antea monuimus, valde sæpe Scriptores Novi Testamenti, etiamsi verba ipsa citare videantur, sententiam tamen tantummodo revera recitant. Videndum igitur est an hoc in præsente loco factum fuerit. Nam si id factum fuisse ostenderimus, satis ab omni falsitatis suspicione Matthæus hac in parte defensus fuerit. Igitur quamvis apud Zachariam habeatur, quod Propheta acceperit illos 30 argentos, apud Matth. vero dicatur, *Et acceperunt* 30 *argenteos*, non pugnant hæc tamen inter se. Intelligendum enim est, apud Zachariam 30 illos argenteos quos Propheta accepit, seu tulit, & projecit in domum Jehovæ, fuisse deinde acceptos à principibus Judæorum, & quidem ita ut emerent ex illis agrum figuli, quod significatur apud ipsum Prophetam per illas duas voces *ad figulum*, apud Euangelistam vero expressius dicitur. Præterea, quamvis apud Prophetam non legantur verba illa, quæ apud Euangelistam leguntur, *Sicut constituit*, seu *præcepit mihi Dominus*, legitur tamen res ipsa, & interim ex istis ipsis verbis quæ apud Euangelistam leguntur, apparet illum rationem habuisse ejus rei, quod ipse Propheta accepisset & tulisset 30 illos argenteos, quemadmodum apud Zachariam legitur, quamvis superius nullam ejus rei mentionem fecisset, sed tantummodo dixisset, *Et acceperunt* 30 *argenteos*, quod quomodo cum sententia, quæ apud ipsum Prophetam habetur, conveniat, jam dictum est. Sed dicet aliquis, quomodo ista conveniunt, quod apud Zachariam ipse Propheta, tulit istos 30 argenteos, in domum Jehovæ, apud Euangelistam vero legitur, quod Judas eos in templum projecerit? quomodo item Euangelista secum ipse non dissidere dicendus est? cum postquam narravit Judam illos projecisse, deinde subdidit in recitatione ipsius Prophetici testimonii verba illa: *sicut constituit mihi Dominus.* Dicendum est, etiamsi Propheta non fuerit typus Judæ, nec Judæ quicquam Dominus præceperit, circa triginta istos argenteos, tamen satis esse, quod ea in re projiciendi illos 30 argenteos in templum Domini, similitudo sit inter Zachariam & Judam, & quod etiamsi Deus Judæ circa rem istam nihil præceperit, tamen Judas, non sine Dei operatione, & certo decreto ac motu, 30 illos argenteos in templum ejus projecit, quod respondere potest expresse jussioni, quam Deus hac eadem de re Prophetæ olim fecerat. Restat adhuc ut videamus, quomodo Euangelistæ verba illa, *precium appreciati, quem apprecia verunt à filiis Israël*, cum eo conveniant quod scribitur apud Prophetam. Dicimus igitur textum Euangelistæ ita ordinandum esse, ut dicatur, illum appreciatum à filiis Israël appreciatum fuisse; quod quantum pertinet ad Prophetæ locum, significet mercedem constitutam à Filiis Israel Prophetæ, sive ut alii volunt ipsi Deo, quæ merces apud ipsum Prophetam ita consideratur, ut ex verbis à nobis ante recitatis ipsius Prophetæ patet, ut, sive Deus, sive Propheta ipse, tanti æstimatus fuisse videatur. Quod vero pertinet ad rem de qua Euangelista agit, hoc idem recte ei convenit, quandoquidem cum Judæi, qui sunt filii Israel, constituerunt Judæ triginta argenteos, ut illis Jesum proderet; jam hac ratione merito dici possunt ipsum Jesum pretio isto triginta argenteorum æstimasse. Verum dubium aliquod facere videntur illa verba: *Quem appreciaverunt.* Non enim apparet quomodo illa possint interjecta esse, inter vocem *appreciati* & voces *à filiis Israël*, nam secundum eum sensum, quem exposuimus, & quem verissimum esse credimus omnino videntur esse superflua. Ad hoc respondendum est, nullo pacto censenda esse superflua, ob eam caussam quod nisi addita fuissent, vox *appreciati* non fuisset plane intellecta. Intelligi enim potuisset eam esse generis Neutri, & significare rem aliquam, non autem hominem quempiam. Quemadmodum tamen ut significet, totus locus & Euangelistæ mens, de qua satis constat, omnino requirit. Quare exprimendum fuit non de re quapiam sed de homine agi, id est de Jesu, qui ea ratione qua diximus à filiis Israel æstimatus fuit. Relativum *quem* cum nihil præcesserit Masculini generis, ad quod referri possit, necessario ex vi Grammaticæ ad hominem aliquem refertur, & sic optime omnia cum Euangelistæ nostri mente, ejusque propositio conveniunt. Postremo sciendum est, quod Hebræi, præsertim vero Rabbi David Kimchi, vocem quam nos *figulum* legimus, *Thesaurarium* legit, unde videri posset falso ab Euangelistæ locum citatum fuisse. Et quidem nihil videtur ad rem facere, quod apud Prophetam figuli fiat mentio, & quod necesse sit ut vox illa, quæ apud nos reddita est *figulum*, si thesaurium significare possit, thesaurii voce reddenda omnino fuerit; qua scili-

scilicet significetur, jussum fuisse Prophetam à Deo, ut præmium istud projiceret ad eum, qui in templo curam habebat colligendæ pecuniæ, quæ illuc inferebatur. Verum sciendum est vocem Hebræam Jozer, quæ legitur in omnibus Hebræis codicibus, ad istum modum scriptam & pronunciatam, non significare ullo modo thesaurarium, sed tantummodo figulum seu fictorem, id quod ipse Kimchi animadvertens dixit, isto in loco literam Jod positam esse pro Aleph. Sæpe enim fit ut litteræ illæ, quæ apud Hebræos quiescentes vocantur, inter quas istæ duæ sunt, invicem communitentur: adeo, ut non pauci ex ipsis Christianis sententiæ ipsius Kimchi adhæserint, & affirmaverint, à Propheta isto in loco Jod pro Aleph fuisse positum; quod etsi verissimum esset, tamen dicendum esset id non sine magno mysterio fuisse factum, quemadmodum ipsi Hebræi fatentur vel potius contendunt, nullam ejusmodi commutationem literarum fieri sine aliquo mysterio. Mysterium autem hoc esset, quod aperte ex accommodatione istius testimonii, ad rem suam ab Euangelista facta, omnibus constat, ut scilicet interim ista vox, ut proprie significat, figulum declararet, cujus videlicet ager 30 istis argenteis emptus fuit, ita ut verba illa apud Prophetam, & ad Thesaurarium legi possint, quod attinet ad sensum rei tunc præsentis, atque etiam & multo certius ad figulum, quod videlicet significent ad emendum agrum figuli.

Nunc, alio de loco agemus, ubi similiter objici posse videtur citatum fuisse in Novo Testamento locum ex Sacra Scriptura, qui tamen in ea non extet, & proinde videatur scriptor falsi aliquid dixisse. Estque hic locus eo magis consideratione dignus, quod citatio ista in eo tribuitur ipsi Christo, ita ut scriptor dupliciter falsum dixisse videatur. Primum, ea citando quæ scripta non sunt; deinde, citationem istam tribuendo ei qui est summa veritas, cum tamen nullo modo inveniatur, quomodo id vere ab ipso fieri potuerit. Locus est Joh. 7.ubi Euangelista ad hunc modum Christum loquentem inducit. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Illud autem certum est, testimonium istud, quod qui credit in Christum, *flumina de ventre ejus &c.* non inveniri in Sacris Veteris Testamenti Literis, in hunc modum scriptum & prolatum. Quapropter torquent se plurimum hujus loci explanatores, ut inveniant quomodo tandem Euangelista, adeoque ipse Christus verum dixerit. Suntque hic tres præcipuæ sententiæ. Una est, quod verba illa, *sicut dixit scriptura*, conjungi debeant cum superioribus illis; *Qui credit in me*, non autem cum iis quæ sequuntur: ita ut non citetur à Christo testimonium aquarum quæ fluituræ essent ex iis, qui in illum credituri essent; sed tantum dicatur, fore ut aquæ vivæ fluant ex eo, qui in Christum crediderit, ad eum modum ut scriptura dicit. Quod potest intelligi, vel de ratione credendi in Christum, vel simpliciter de ipsa in Christum fide, ac si dictum foret: *Qui credit in me, sicut scriptura jubet ut credatur.* Altera sententia est, ut locus qui hic intelligitur citatus sit Poverb.cap.5. de quo loco postea agemus, ejusque verba recitabimus atque expendemus. Tertia sententia est, non citari isto in loco ex Testamento Vetere singulare aliquod testimonium, sed illa omnia, ubi de aquis dandis seu effundendis sub Novo Testamento aliqua mentio, vel expresse vel adumbrate fiat. Primæ sententiæ citantur autores Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus. Secundæ vero Origines & Hieronymus, quos sequitur Franciscus Toletus in suis in hunc locum annotationibus. Tertia est compluriumrecentiorum, atque inter cæteros Calvini.

Quod ad primam attinet, ea sine dubio videtur non parum coacta, verumtamen sequitur quiddam in ipsis Euangelistæ verbis, quod videtur sententiam istam minus duram facere, quatenus ex verbis istis colligi videtur, non citari à Christo locum aliquem, ubi id scriptum esset quod ille dicit; sed potius ipsius Christi simpliciter verba esse, quæ de aquis fluentibus ex iis, qui in illum credant, asserit. Euangelistæ verba sunt hæc: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Nam si præcedentia verba, ubi de aquis fit mentio, intelligerentur citata ex ipsa scriptura, verisimile est Euangelistam non dicturum, *Hoc autem dixit* nempe Christus, sed potius, *Hoc autem scriptum fuerat, &c.*

Quod attinet ad secundam sententiam, ea mihi nulla prorsus ratione non modo probanda, sed ne excusanda quidem videtur; adeo ut vehementer mirer eos, qui prima, quam diximus, rejecta, tanquam plane absurda, istam tamen ita constanter retinere videntur. Locus ita habet, *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta de medio putei tui. Dispergant sese fontes tui foras, in plateis rivi aquarum sint tibi soli, & non alienis tecum; sit scaturigo tua benedicta, & lætare de uxore adolescentiæ tuæ.* Quid, quæso, locus iste totus commune habere potest, cum eo quod à Christo dicitur neque enim quidquam hic prædicitur, sed præcipitur, quod solum satis est ad absurditatem istius sententiæ patefaciendam, quod sane videns Franciscus Toletus, qui illam vehementer probat, necesse habuit in aliud absurdum incidere, ac dicere Christi verba non ita accipienda esse, quasi velit dicere illud scriptum esse, quod ipse ait de aquis illis, sed intelligendum Christum dicere voluisse, eas aquas, eaque fluenta, quæ præcipiuntur bibenda in loco isto, fluxura ex eo qui in Christum crediderit, ubi mirum est, quam inconcinne & coacte possimus credere ista ad Christi verba accommodari posse. Primum enim omnino in alium sensum ea detorquentur, atque aperte sonant. Deinde illa verba: *Qui credit in me*, & sic ratio quæ haberi debet fidei in Christum, in eo quod futurum prædicitur, nullum locum hic habere possunt; cum nihil omnino sit in omnibus istius loci verbis, ex quo aliquid elici possit, quod ad fidem Christo adhibendam pertineat.

Jam quod atinet ad tertiam sententiam, ea sine dubio omnium probabilissima videtur, omnium, inquam, istarum trium. Crediderim tamen posse non sine caussa affirmari, Christum, ut ipsius verba sonare videntur, locum aliquem singularem Scripturæ Sacræ intellexisse, eumque illum esse, qui legitur Esaiæ 44, qui unus est ex illis locis, quos alii etiam animadverterunt, ubi aquarum istarum spiritualium, quæ futuræ erant sub Novo Testamento, in Vetere fit mentio.

Loci verba sic habent: *Et nunc audi Jacob serve mi, & Israël quem elegi. Sic dixit Jehova factor tuus, formatorque tuus ab utero, qui auxiliabitur tibi, Ne timeas serve mi, Jacob, & Jeschurun quem elegi, quia effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super germina tua.* Hic locus quominus possit accommodari ad Christi verba, duo tantum habere videtur. Unum est, quod non de Christo sed de Israële hic fiat mentio. Alterum, quod nihil dicatur de aquis fluxuris ex ventre alicujus. Verum neutra ex istis objectionibus videtur quidquam momenti habere. Nam, quod ad priorem attinet, certum est, apud istum eundem Prophetam, atque etiam alibi in Sacris Literis, nomine Israelis figurate seu typice Christum significari; Inde illa accommodatio, de qua superius egimus, loci Oseæ Prophetæ ad Christum: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, cum apertissime constet, quicquid Tremellius & Junius conentur sua interpretatione aliud docere, verba ista primo suo sensu ad Israelem pertinere. Hinc Israel toties primogenitus Dei appellatur, hinc ille servus Jehovæ esse dicitur quem ipse elegerit, & alia multa de Israele in scriptura dicuntur, quæ non nisi hyperbolice quodammodo & figurate ad ipsum pertinent, sed proprie ac revera, & sine ulla hyperbole ad Christum spectant. Sunt autem apud eundem Prophetam Esaiam loca duo, qui videntur aperte docere sub Israelis

typo Christum intelligi. Unus locus est cap. 49, ubi sic legimus: *Et dixit mihi* (nempe *Jehova*) *servus meus tu Israël, quia in te gloriabor. Ego autem dixi, in vacuum laboravi, inaniter & vane fortitudinem meam consumpsi, vere judicium meum est cum Jehova, & opus meum cum Deo meo, & nunc dixit Jehova qui formavit me ab utero servum sibi, ut reducam ipsi Jacob, & Israël ei congregabit sese.* Hic apparet eundem, quem antea Israelem nominaverat, eum futurum qui reducat ad Jehovam ipsum Israelem, hic autem nullus esse potest nec fuit, præter Christum, de quo statim ea dicuntur, quæ apparet manifeste ad alium ullum accommodari non posse, id videlicet: *leve est, ut sis mihi servus &c.* Hic enim locus expresse ad Christum accommodatur Act. cap. 13.

Alter locus est, cap. 52. ubi ita scriptum est: *Non enim cum festinatione exibitis, & cum fuga non ambulabitis, quoniam præcedet vos Jehova, & congregabit vos Deus Israël. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur & elevabitur, sublimisque erit valde, quemadmodum admirati sunt super illum multi, quod adeo corruptus esset præ viro aspectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum. Sic asperget*, &c. In his enim verbis sub Populi Israelis typo, qui primum in captivitatem duci, & postea inde gloriose liberari debebat, prædicitur Christi mors atque supplicium, & gloria illa quæ inde est consecuta, quemadmodum omnes aperte fatentur, atque contendunt. Contendunt inquam adversus Judæos; quorum plerique, auctore Rabbi David Kimchi, non solum hæc, sed ea omnia quæ sequuntur cap. 53. de Christo tam graphice atque expresse prædicta, contendunt de Israele intelligenda omnino esse, & ad ipsum optime posse accommodari; nec ullam subesse causam, cur alia interpretatio quæratur, cum ex Prophetæ præcedentibus verbis aperte constet illum de Israele loqui. Hæc igitur eo dicimus, non quod quidquam dubitemus, locum 53. cap. Esaiæ ad Christum omnino sensu Prophetico, & porro ad literam magis accommodato, pertinere: id enim per se nimis clarum est, ac præterea aperte confirmatur ex iis, quæ de loco isto ad Christum accommodato habemus cap. 8. Euangelistæ Matthæi, cap. itidem 8. Actorum Apostolicorum, cap. 2. prioris Epistolæ Petri, & aliis fortasse in locis Novi Testamenti, sed ut aperte constet sub nomine Israelis, præsertim apud istum Prophetam, multa de Christo dici ac prædici. Nam quod locus 54 cap. de quo agimus, quamvis aperte ad Israëlem referatur, tamen ad Christum spiritu Prophetico referri debeat, verba illa ostendunt: *Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super germina tua.* Hoc enim de Israele dictum non simpliciter est verum; neque enim totum semen Israeliticum secundum carnem, neque omnia germina ejus participarunt Dei spiritum, imo maxima pars eo semper fuit destituta; sed Christi semen ejusque germina omnia & singula, donum Spiritus Sancti semper sunt consecuta. Nam alioquin quod Christus dicatur habere semen, qui sunt ipsius veri fideles, ut alia quæ id probant complura hoc loco omittamus, id aperte probat prædictus locus 53. capitis ejusdem Prophetæ. Ibi enim hæc verba leguntur: *Si posuerit seipsum sacrificium pro delicto, anima ejus videbit semen, quod prolongabit dies.* Est autem animadvertendum, quod non sine caussa in loco 44. capitis Israel vocatur nomine Jeschurun, quod nomen alibi etiam est illi tributum in Sacris Literis, nempe Deut. 32, & 33 cap. De quo nomine quid verè significet, quamvis multa sit dubitatio ac controversia inter homines linguæ Hebraicæ peritos, tamen id negari non potest, duas posse illud habere origines. Unam à Rectitudine, ut scilicet nomen istud à verbo Jaschar deducatur. Alteram vero à pinguedine, seu succulentia, ita ut ducatur hoc nomen à verbo Schor. Id enim non sine mysterio videtur esse factum, ut quia Israel erat futurus typus ipsius Jesu Christi, propterea nomen habuerit, quod Rectus verti potest, quemadmodum quidem à multis & hoc in loco & alibi, id nomen redditur, quod nomen alioqui significatione ista retenta, parum videtur ad Israelem quadrare; qui scilicet minus rectus fuit semper. Sed interim factum est, ut alteram illam significationem haberet nomen istud, quæ optime ad ipsum Israelem accommodatur, qui omnibus donis à Deo decoratus ac repletus fuit, videturque omnino ad significationem istam respexisse Moses, cum prædicto capite 32 Deuter: ad hunc modum loquitur: *Et impinguatus est Jeschurun, & calcitravit. Impinguatus fuisti, incrassatus fuisti, operuisti: & dereliquit Deum.* Voluit igitur, ut ad propositum revertamur, Propheta Esaias, præsertim in 54 isto capite, uti nomine isto Jeschurun, eam ob causam, quod melius ac plenius accommodatur nomen istud ad Christum, quam ad ipsum Israelem. In Christum enim utraque origo competit. Nam & rectissimus est, & omnibus donis ac bonis à Deo sine ulla mensura decoratus ac repletus. Superest ut ad alteram objectionem quam fecimus, quominus hic locus possit ad Christi verba Joh. 7. accommodari, aliquid respondeamus. Dicimus igitur, etiamsi in verbis Christi habeamus de fluxione è ventre fidelium aquarum istarum, in Esaiæ vero loco de ista è ventre fluxione nihil dicatur, non inde tamen sequi, quominus locus ad Christi verba accommodatus sit. Cujusce rei rationem suppeditat quodammodo nobis ipse Euangelista cum ait: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eo.* Videtis Euangelistam ipsum, quod Christus dixit de fluxione è vente, accommodare ad acceptionem, cujus acceptionis fit verbis ejusmodi mentio in Esaiæ loco, ut magis etiam intelligi possit fluxio illa, quæ inde erat consequutura. Inquit enim Propheta Dei nomine: *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam effundam spiritum meum.* Hic quidem talis acceptio Spiritus Sancti insinuatur, atque expresse significatur, quæ redundantiam omnino præ se ferat, & sic fluxionem illam mox futuram omnino significet. Neque enim potest in quemquam derivari maxima aquæ copia, quæ istis verbis significatur, quin ea iterum inde fluat.

Et sane spiritus ille quem acceperunt credentes in Christum, de quo potissimum Christus loquebatur, & Euangelista intellexit, ejusmodi fuit qui Christi fidelibus propterea fuit datus, præsertim vero Apostolis ut inde quodammodo ad alios flueret. Illa enim Spiritus Sancti dona, quorum initium maximum apparuit in initio Ecclesiæ Christi post ipsius in cœlum ascensionem, ob id data fuerunt, ut cunctis apparerent, & ad cunctorum utilitatem ex Christi Apostolis quodammodo fluerent. Concludimus igitur, si Christi verba sunt ad aliquem locum accommodanda, qui in Vetere Testamento legatur, nullum inveniri posse aptiorem isto 54 capitis Esaiæ, ad quem Prophetam in verbis suis Christum respexisse, id omnino probare videtur, quod ab ipso initio isto in loco dixit, inquiens: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat &c.* Videtur enim hisce verbis omnino ad id allusisse, quod in initio capitis 55 Esaiæ legitur: *Omnes sitientes venite ad aquas*, & simul indicasse, quænam revera secundum spiritum propheticum istæ aquæ essent, quarum isto in loco apud Esaiam fit mentio. Hæc inquam sententia nostra est, si Christi verba ita sunt accipienda, ut in Vetere Testamento diserte aquarum sit facta mentio, quæ Spiritum Sanctum significent, quem accepturi essent ii, qui in ipsum crediturì erant, ut scilicet potius ad locum istum unum ipse respexerit, quam ita in universum ubi aquarum fiat mentio, quæ fortasse aliqua ratione possint similiter ad istum sensum accommodari. Sed judicio meo nihil plane cogit Christum ad aliquem, seu aliqua loca respexisse, in quibus diserte aquarum fiat mentio; ad quod probandum ea ratione moveor, quam supra attuli, cum ostendere volui interpretationem illam primam, quæ volebat verba illa

illa *ficut dixit ſcriptura*, referenda eſſe ad illud *qui in me credit*, non autem ad ſequentia, non omnino improbabilem eſſe. Ea eſt quod Euangeliſta, ut diximus, ſubjungat: *Hoc autem dixit de ſpiritu, &c.* Omnino enim videntur verba iſta indicare, ejuſmodi verba, quæ Chriſtus dixerat, non ita diſerte, aut cum mentione iſta ſaltem aquarum, ſcripta alicubi in Vetere Teſtamento inveniri; ſed vel illud, *ficut dixit ſcriptura* accipiendum eſſe ſecundum iſtam primam interpretationem, quod nos tamen non probamus, propter inſolentem, qui induceretur, loquendi modum;, vel ſentiendum, Chriſtum, id quod aliis verbis à ſcriptura prolatum fuit, hac aquarum metaphora protuliſſe, ad quam ut ſibi Chriſtus viam ſterneret, propterea uſus fuerit antea verbis illis; *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Cum igitur Chriſtus quod ſcriptura diſerte de ſpiritu ait, ſine ulla aquarum mentione, ut præcipue Joelis cap.2, ipſe ſub aquarum Metaphora extuliſſet, merito ſubjunxit Euangeliſta, *Hoc autem dixit de ſpiritu &c.* qui alioqui, ut antea dictum eſt, ſi ſenſiſſet ipſa Chriſti verba, & aquarum iſtarum Metaphoram haberi apud Prophetam aliquem, dixiſſet, ni fallor, Hoc autem non quidem Chriſtus dixit, ſed vel Propheta dixit, vel ſcriptum eſt ſeu fuerat, vel aliquid tale, unde appareret, teſtimonium à Chriſto fuiſſe iis verbis & ea Metaphora, qua ab ipſo prolatum fuit, ex Sacris Literis excerptum. Et hæc jam ſatis ſuperque ſint ad oſtendendum, non immerito, & ſine ulla prorſus falſitatis ſuſpicione, tum à Chriſto dictum, tum ab Euangeliſta ſcriptum fuiſſe, ſcripturam dixiſſe, quod flumina aquæ deberent fluere ex ventre illorum, qui in ipſum Chriſtum credidiſſent, etiamſi id diſerte nuſquam ſcriptum extet, cum vel ſententia ipſa, ſub ipſo aquarum nomine, in ipſis Prophetis expreſſa reperiatur, vel ea dicta inveniantur, quæ per Metaphoram, quam illico Euangeliſta declaravit, potuerunt à Chriſto ſub nomine aquarum referri atque citari. Ubi adhuc illud monendi ſumus, verba illa *è ventre*, ex Hebraica phraſi idem pollere, quod *è medio* ſive *ex ipſis*. Ac ſi ſcriptum foret; Si quis credit in me, flumina ex ipſo fluent aquæ vivæ. Quod certe, ut diximus, reipſa factum eſt, cum aquæ, interprete Euangeliſta noſtro, ſpiritum ſignificent. Ex Apoſtolis enim prodierunt multa, non ſolum ipſo die Pentecoſtes, (quo tamen tempore ait Petrus Act.2. impletam fuiſſe prophetiam illam Joelis, de abundante illa Spiritus Sancti effuſione, ſed etiam, immo multo magis poſtea, variis locis ac temporibus, qui ipſius Spiritus Sancti rivi quidam merito nominari poſſunt, quod ex ipſis fluxerint, in quos videlicet Deus per Chriſtum valde abundanter ſpiritum ſuum effudiſſet.

Poſt iſtum apud Johannem cap.7. locum, viſus eſt mihi ſilentio minime prætereundus locus, apud Paulum ad Eph. cap.5. ubi ſcriptum eſt, *Omnia autem quæ arguuntur à luce manifeſta fiunt. Omne enim quod manifeſtum redditur, lux eſt. Quapropter dicit: Expergiſcere qui dormis, & ſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.* Videtur enim hic à Paulo falſo citari teſtimonium ex Sacris Literis. Neque enim verba iſta *Expergiſcere* &c. ita ut ab ipſo ſunt prolata, uſquam in Vetere Teſtamento leguntur, præſertim vero poſtrema illa, *Et illuceſcet tibi Chriſtus* ne veſtigium quidem ſui videntur uſquam habere. Plerique tamen putant, Paulum eum locum intellexiſſe qui eſt apud Eſaiam cap.60. in ipſo initio. Ubi ad hunc modum ex Hebræo legitur: *Surge illuminare, quia evenit lumen tuum, & gloria Domini* ſeu *Jehovæ ſuper te orta eſt.* Atqui videtur iſte locus nimis multum abeſſe à ſenſu, ſecundum quem apparet Apoſtolum teſtimonium ſuum protuliſſe. Neque enim apud Eſaiam agitur alia de re, quatenus ad typum attinet, quam de Iſraele, qui magnum aliquod decus à Deo conſequuturus erat. Quod vero attinet ad rem typice adumbratam, agitur, ut pleriſque placet, de Eccleſia, quæ Chriſti tempore extitit, quæ res non videtur eo pertinere, quo Apoſtoli verba tendunt, ut ſcilicet is, qui ſomno ignorantiæ & peccatorum conſopitus ſit, evigelet jam, fore enim ut poſtmodum à Chriſto plene illuſtretur. Quare alii crediderunt, Paulum potius reſpexiſſe ad locum, qui apud eundem Prophetam habetur ad finem cap.26, ubi ex Hebræo ſic legimus: *Vivent mortui tui, cadaver meum reſurget, expergiſcimini & præconia dicite habitatores pulveris, quia ros olerum, ros tuus.* Apparet ſane locum iſtum multo magis convenire cum Apoſtoli mente, & verba ipſius melius reſpondere verbis, quæ apud ipſum Apoſtolum, in citando teſtimonio ſuo, habentur. Præterea etiam res ipſa multo magis convenit. Agitur enim in loco apud Eſaiam de liberatione aliqua inſigni populi Dei ex miſeriis ſuis. Quod ſane reſpondet Apoſtoli menti, cum nulla major ſit miſeria, quam ignorantiæ & peccati. Notetur vero illud nominatim, quod id quod apud Apoſtolum habetur, *& reſurge à mortuis:* non modo indicatur verbis illis, *cadaver meum reſurget*, ſed ſatis expreſſe eodem in loco, quo apud Paulum dicitur in illis verbis *habitatores pulveris*, ſi id cum verbo *expergiſcimini*, quod proxime antecedit, conjungatur. Habitatores ſiquidem pulveris ſunt mortui, qui tunc expergiſcuntur, cum à mortuis reſurgunt. Conſentio igitur facile cum iſtis, ut ad locum iſtum Apoſtolus alluſerit cum teſtimonium illud citavit. Nam quod attinet ad poſtremam ejus partem: *Et illuceſcet tibi Chriſtus*, quæ non videtur apud Eſaiam extare, dupliciter reſpondere poſſumus. Primum, quod nihil vetat de ſuo Apoſtolum id addidiſſe, & ita fiet, ut nullo pacto falſitatis argui poſſit, quandoquidem intelligendum eſt; ita illum addidiſſe, ut velit ab omnibus agnoſci, tanquam à ſe additum. Deinde dici poteſt, partem iſtam contineri verbis illis, quæ apud Eſaiam ſimiliter adduntur: *quia ros olerum ros tuus.* Quæ verba explicans Paulus, & myſticum ſenſum, qui illis continetur nos docens, non ut ipſa ſonant ea protulerit, ſed ut intelligi myſtice atque accipi debent, id eſt, ut ad Chriſtum referantur, qui ſit ros ille, de quo in illis ſit mentio, ſumta interim ſibi hac authoritate, ut ex una Metaphora in aliam, quæ nimirum magis cum præcedentibus conveniat, ſententiam iſtam tranſtulerit. Quia vero poſſet aliquis ſuſpicari, cum apud Apoſtolum illud tantum verbum legatur *dicit*, ne non ſit neceſſario concludendum, illum alicujus teſtimonii ſacri, quod ſcriptum extaret rationem habuiſſe; ſed mentem ejus fuiſſe, Spiritum Sanctum ea dicere, quæ mox ſubjungit, animadvertendum eſt hunc modum citandi ſcripturas, per ſimplex verbum *dicit* apud Paulum non eſſe novum. Ut enim alia loca omittam, quæ hoc docere poſſunt, locus eſt qui id probet manifeſtus, cujus etiam ſuperius aliquando mentionem fecimus, is eſt cap.6.2. ad Corint. in ipſo fere initio. Ex quo etiam loco ſi quis objiceret, Paulum non ad rem citaſſe locum iſtum, vel ad illum reſpexiſſe, qui apud Eſaiam cap.26. legitur, poſſumus reſponſionem ad ejuſmodi objectionem nanciſci, & omnino oſtendere, ſaltem id veriſſimum eſſe, nihil quenquam poſſe ſuſpicari de falſitate ulla Apoſtoli hac in re. Nam & in prædicto iſto loco ad Corinth. ubi certiſſimum eſt Paulum ad locum reſpexiſſe, qui habetur Eſaiæ 49, poſſet quis aliquid tale Apoſtolo objicere, quod tamen jure fieri non poſſe, antea, cum de loco iſto ageremus, à nobis demonſtratum eſt: ita ut concludendum ſit, objectionem iſtam nullas vires habere ad perſuadendum, quod Paulus in teſtimonio iſto, ad Epheſ. ſcribens, citando, minime locum iſtum apud Eſaiam intelligere potuerit. Nam quod ad id attinet, quod non ad rem illud citaverit, jam de hac materia, & quomodo nihilominus, ut videantur Prophetæ verba eorumque ſenſus non convenire cum Apoſtoli mente, tamen omnino ſic ſentiendum eſſe, merito potuiſſe locum ab Apoſtolo citari, abunde ſatis ſupra ſuo loco à nobis diſputatum eſt.

Venio ad locum alium, quem volo postremum esse eorum, ubi aliquid in Novo Testamento ex scriptura citetur, quod falso citatum esse videatur. Est locus iste apud Jacobum in ejus Epistola cap. 4, ubi sic scriptum est. *An putatis quod inaniter scriptura dicit, ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in nobis: majorem autem dat gratiam.* Neque enim ullo in loco Testamenti Veteris verba ista aut similia inveniri videntur. Et sane, ne quid coacti à nobis hac in re, ut Jacobum à falsitate vindicemus, dici videatur, non verebor confiteri, me hactenus credere, Apostolum in sua ista citatione non respexisse ad locum ullum, qui hodie in libris Veteris Testamenti legatur, & necesse esse agnoscere ipsum locum aliquem intellexisse, qui hodie non extet. Quod quemadmodum fieri possit, ita ut nihilominus ejusmodi locus vere divinum testimonium contineat, & in ipsis sacris libris scriptus extaret, superius videmur satis aperte docuisse, cum ex ipsis sacris libris Testamenti Veteris, quos habemus, clare ostendimus, non paucos sacros similiter libros desiderari, & arbitror quidem facile fieri potuisse, ut una ex causis, cur non apud omnes Epistola ista Jacobi ab initio recepta esset, hæc fuerit, quod invenirent aliquid ab ipso citatum, quod in scripturis Canonicis non haberetur. Nam & similem fuisse causam, cur & Epist. Petri posterior, & Epistola Judæ, non fuerit ab initio ab omnibus recepta, testantur Ecclesiastici scriptores, affirmantes, quia fieret in illis mentio eorum, de quibus in Apocryphis tantum libris aliquid fortasse diceretur, propterea illas multis fuisse suspectas. Fit enim in utraque mentio Angelorum, qui peccaverint, & propterea à Deo severiter puniti fuerint. Id quod plerique contendunt, nusquam in Canonicis libris haberi. In Epistola porro Judæ diserte Enochi vaticinantis testimonium citatur, quod tamen hodie in Veteris Testamenti libris non habetur. Itaque concludimus nullam esse causam cur quis Jacobo falsitatem ullam ob locum istum ab ipso citatum, qui hodie in scriptura non legatur, objicere possit.

Absoluta examinatione eorum locorum Novi Testamenti, quæ nobis majoris momenti sunt visa, in quibus aliquid ex vetere citetur quod falso citatum videatur, unum adhuc restat, ex quo concludere quis fortasse audeat, in Novi Testamenti scriptis falsitatem aliquam inveniri. Testatur enim Sixtus Senensis, in Bibliotheca sua Sancta, circa finem libri VII ubi enumerat ac refellit objectiones quæ fiunt libro Apocalypsis, non defuisse qui isti libro objicerent, falso in illo fieri mentionem cap. 2. Ecclesiæ Tiatyrensis, quippe quod eo tempore, quo opus istud conscriptum fuit, nulla esset in Tiatyrorum urbe Ecclesia. Ad quam objectionem ipse ex mente Epiphanii respondet; tametsi tunc temporis nulla in urbe ista Ecclesia extaret, tamen non ita multo post extitisse, eamque ejusmodi quæ plurimum ab Hæreticis, qui Phrygastæ dicti sunt, turbaretur atque contaminaretur, præcipue vero à quibusdam mulieribus, quarum nomina sunt, Priscilla, Maximilla, & Quintilla, quæ tanquam vates aliquæ portentosa non pauca in ea disseminabant. Ait igitur Epiphanius, Dei Spiritum, apud Johannem in Apocalypsi, ad tempus mox futurum respexisse, & tanquam de re præsente loquentem, ea ratione mox futura prædixisse, nomineque Jesabelis, cujus ibi diserte fit mentio, fœminas istas intellexisse. Et interim idem Epiphanius affirmat, suo tempore & Ecclesiam istam adhuc permansisse, & ab istis Phrygastarum erroribus plane perpurgatam fuisse. Mihi quidem, ut verum fatear, responsio ista non admodum probatur, cum propter alia, tum propter id, quod nimis aperte ex ipsa historia Apocalypsis constare videtur, jam istam Ecclesiam Thyatirensem revera extitisse. Quare censerem aliam responsionem quærendam esse, & dicendum, valde periculosum esse affirmare, quod, cum Apocalypsis scripta est, vel potius, cum visio illa Johanni apparuit, nulla in Thyatiris esset Ecclesia; præ**pue ob eam causam, quod ex Geographis aliisque historicis doceri possumus, non unam fuisse urbem quæ** nomine isto vocaretur, adeo ut fieri quidem posset, ut in aliquo oppido istius nominis nulla tunc temporis esset Ecclesia, & tamen interim in alio ejusdem nominis non deesset. Quod autem non una fuerit civitas quæ isto nomine appellaretur, quemadmodum & plures Antiochiæ, & plures Laodiceæ, & aliæ quoque urbes plures ejusdem nominis extiterunt, id satis probat, quod Strabo nobilissimus Geographus, Thyatirorum urbem in provinciam Mysiæ reponit. Stephanus vero qui de urbibus nominatim scripsit, eam Lydiæ assignat. At Plinius rursus eam nec Mysiæ nec Lydiæ tribuit, sed Joniæ; & interim, sive in isto sive in alio loco, docet idem Plinius, fuisse etiam insulam quæ nomine isto vocaretur. Hinc enim satis intelligere possumus, aut certe merito suspicari, plures fuisse urbes istius nominis; id quod inde fieri potuit, quod Tyatiri seu Tyatirenses populi quidam erant, qui aliunde venerant, & sedes suas in ea parte, quæ Asia peculiariter, vel Asia minor vocatur, posuerant. Verisimile est enim illos non uno oppido fuisse contentos, cum, ut dixi, populus aliquis satis magnus esset; sed credendum est, illos sibi plura loca delegisse ubi habitarent, & oppida sibi conderent, quæ omnia à se denominari voluerint. Quare non temere est affirmandum, vel visionis, quæ in Apocalypsi continetur, tempore, nullam fuisse in Asia urbem quæ Tyatira vocaretur, in qua cœtus Christianorum esset, vel eo recurrendum, ut dicamus Dei Spiritum, atque adeo ipsum Christum in visione illa aliud sensisse, quam verba & res ipsa præ se ferat.

Statueram, ut hic esset finis de prima causa disputandi, cur alicui libro fides adhiberi non debeat, quod attinet ad scripta Novi Testamenti, de quorum authoritate nunc agimus, & consulto omiseram quæstionem illam totam quæ versatur circa Christi Genealogiam, in qua tradenda Euangelistæ videntur omnino perperam aliquid scripsisse. Nam & res est admodum difficilis, nec in promptu est quomodo quis eam tuto explicare possit, & nos aliquot libris caremus, quibus ad id faciendum plane opus esset. Sed tamen quoniam animadverti, esse inter vos, qui valde cupiat, ut tota hac de re aliquid a me explicetur, quamvis præterea valde imparatus cogar hodie ad hanc materiam tractandam accedere, censui potius aliquid esse dicendum, quam tacendum, quia perfecte rem tractare non valeam. Torsit disputatio hæc, & adhuc torquet omnes fere qui Theologiæ nostræ dant operam, neque enim una sed plures difficultates in hac re apparent; nos ad tria capita omnem disputationem redigemus. Primum enim videtur Matthæus Euangelista in recensenda Christi Genealogia quædam scripsisse, quæ à veritate manifeste abhorreant, potestque hoc caput pertinere ad membrum illud falsitatis historiæ, quæ in scriptis Novi Testamenti reperiatur, de quo postremo agebamus. Secundum caput faciemus, quod cum, tam Matthæus quam Lucas videantur eandem Christi Genealogiam scribere, id est ejus, qui existimatus fuit pater ipsius Christi, nempe Josephi, mira tamen est inter ipsos hac in re discrepantia, quippe quod Matthæus per Salomonem Davidis filium Genealogiam istam deducat, Lucas vero per Nathanem, filium ejusdem Davidis. Tertium caput erit de eo, cur uterque Euangelista, cum Joseph verus Pater Christi non fuerit, videatur tamen omnino, ut dictum est, ipsius Josephi Genealogiam describere. Ex quo capite, uti nunc tantummodo indicemus, quam videantur Euangelistæ nostri perperam fecisse in describenda Genealogia ista, aliæ præterea difficultates emergunt, de quibus postmodum Deo dante aliquid dicemus.

Jam quod attinet ad primum caput, Matthæo objicitur, quod, & non paucos prætermiserit in ea recensione, quam aggressus est, Genealogiæ Josephi, & præterea quosdam fecerit filios quorundam quos meminit, qui tamen ex Sacra Historia appareat non fuisse

Quan-

Quantum pertinet ad eos, qui ab ipso sunt prætermissi, aliquanto levior ac tolerabilior videretur esse error iste, si tamen error appellari debet, nisi etiam verba addidisset, ex quibus intelligi possit, illum credidisse ita se historiam habere, quemadmodum ejus verba sonant. Nam inquit fuisse ab Abrahamo usque ad Davidem generationes quatuordecim. Similiter etiam à Davide usque ad deportationem Babylonicam generationes quatuordecim, ac totidem post captivitatem Babylonicam usque ad Christum, cum tamen certum sit, si illi numerentur quos ipse prætermisit, fuisse à David ad deportationem Babilonicam plures quam quatuordecim generationes. Huc accedit quod in isto ipso numero, à Davide inquam usque ad Babylonicam captivitatem non recensentur ab ipso nisi tredecim generationes, cum tamen ipsemet affirmet esse quatuordecim.

Huic toti objectioni credimus ad hunc modum respondendum esse. Euangelistam scilicet nostrum cum animadverteret, quod nemo negare potest ab Abrahamo usque ad Davidem esse generationes quatuordecim, voluisse, propter concinnitatem quandam & ad memoriam lectoris juvandam, in aliis reliquis duabus divisionibus ab ipso factis, 14 tantum generationes recensere, cum ea in re nihil esset vel periculi, vel falsitatis, præsertim in secunda illa parte à Davide usque ad Babylonicam deportationem, in qua difficultas potissimum est, immo vix apparet, in tertia difficultatem istam locum habere. Nam in tertia illud tantum potest falsitatis suspicionem præbere & similis erroris, quem in secunda esse videri posse diximus, quod Zorobabel dicitur esse filius Salathielis, cum tamen ejus nepos fuerit, natus ex Padaia Salathielis filio, ut constat ex primo libro Par. cap.3. Sed & hic, & in superiore secunda parte, ut dixi, permisit sibi Euangelista, ad numerum istum quatuordecim generationum statuendum, aliquos intermedios omittere, cum extante historia sacra, quæ in manibus omnium erat, hic nullum periculum esset, quin statim ejus consilium intelligeretur. Nec falsum id poterat videri, quod ab ipso scriptum est, cum facit avum vel proavum, vel etiam abavum genuisse descendentem suum, quamvis verus filius ipsius non esset. Dicuntur enim merito isti descendentes suos genuisse, quantumvis longissimo gradu dissitos. Qui enim (ut vulgo in scholis dicitur,) est causa causæ, idem est causa causati. Et Sacræ ipsæ Literæ manifeste ita loquuntur, ut filios, appellent alicujus descendentes, quotocunque tandem gradu ab illis absint: & propterea idem Matthæus in principio enumerationis, vel potius antequam enumeret Christi progenitores, appellat ipsum filium Davidis, & filium Abrahami, à quibus maximo generationum numero tamen aberat, tantummodo quia ex illis prognatus fuerat. Jam qui fuerint ii qui omissi sunt à Matthæo in secunda parte istius suæ enumerationis, quamvis id videatur esse apertissimum, tamen reperi non inter omnes convenire. Tres quidem fuisse ab ipso omissos omnes fatentur, & plerique quidem ni fallor, omissos esse dicunt inter Joram & Osiam, Ochosiam, Joas, & Amaziam, statuentes istum Osiam eundem esse cum Azaria. Nam etiam manifeste in ipsa Sacra Historia, idem qui Azarias fuit, Osias etiam vocatur, & sic legitur in vulgata editione Latina; quamvis apud Hebræos legatur etiam Uzia. Sunt tamen quidam, qui id non animadvertentes, putarunt Osiam istum à Matthæo nominatum, per compendium syllabarum, esse eundem cum Ochosia, adeo ut dixerint, tres, qui prætermissi sunt, esse Johasum, Amasiam, & Asariam. Sed sine dubio falluntur isti. Jam quod ad illud attinet, quod diximus de Zorobabele, qui hic ponatur à Matthæo genitus ex Salathiele, cum tamen Salathiel, non pater sed avus ejus fuerit, eandem habet responsionem. Manifeste enim in historia sacra scriptum extat, cujus vere filius fuerit, & potuit alioquin merito dicere Matthæus, quod Salathiel genuerit Zorobabelem, quamvis non filium sed nepotem suum, non solum ob causam jam à nobis expositam; sed etiam quia in ipsa sacra historia Zorobabel iste filius Salathielis vocatur, ut apparet ex 3. cap. primi Libri Esdræ.

Restat ut aliquid dicamus de eo, quod interim tamen in secunda parte Matthæus non 14, ut profitetur, sed tredecim tantum generationes enumeraverit. Ubi una cum responsione ad objectionem istam quiddam dicemus quod à nobis omissum est, cum mentionem faceremus paulo ante de iis, qui à Matthæo in secunda ista parte sunt prætermissi. Nam præter illos tres, certum est desiderari in ipsius enumeratione, inter Josiam & Jechoniam filium Josiæ, Joachimum, qui pater Jechoniæ fuit. Verum istud Joachimi nomen, etsi scriptum non extet in vulgatis Latinis aut Græcis codicibus, extat tamen in correctioribus quibusdam exemplaribus Græcis, ita ut neque omissum istum fuisse à Matthæo dici possit, & Numerus 14, generationum ab ipso enumeratarum plane constet. Jam quod ad illud attinet, quod præterea diximus, in enumeratione ista sua Matthæum filios quosdam eorum fecisse, quorum non sunt, id revera non videtur affirmari posse, nisi de uno tantum, hoc est de Abiud, quem facit Zorobabelis filium, cum tamen in supra dicto loco cap. 3.1, libri Paralipomenon, ubi Zorobabelis filii enumerantur, nomen istud minime inveniatur. Quod si quis dixerit, fieri potuisse ut unus ex illis filiis Zorobabelis, qui ibi enumerantur, duplici nomine vocatus fuerit, tunc responderi potest, saltem, si id esset, futurum fuisse, ut nomina descendentium istius eadem ex aliqua parte essent, & apud Matthæum & in loco illo Paralipomenon ubi pariter enumerantur. Sed nulla est nominum istorum inter se conformitas, quare aut dicendum est totum numerum descendentium à Zorobabele, qui extat tam apud Euangelistam nostrum, quam in prædicto libro Paralipomenon, eorum fuisse qui duplicia singuli nomina habuerint. Aut censendum, in libro Paralipomenon istum Abiud Zorobabelis filium, omissum fuisse, cujus progenies consequenter in illo libro penitus prætermissa ab Euangelista nostro describatur: quippe per quam tandem ad Josephum deveniatur, cujus Genealogiam ipse Euangelista manifeste describit.

Quod ad primam solutionem hujus dubitationis attinet, ea non improbabilis esse videtur. Certum enim est, hujusceque rei aperta sunt exempla in sacris libris, qui adhuc extant, multos fuisse in populo Judæo, qui binomines fuerint, ut de Asaria, qui idem Osias dictus est, superius à nobis dictum fuit, & præter ipsas Sacras Literas non desunt scriptores alii, qui idem aperte testantur, inter quos præcipue numeratur Philo, de quo postea aliquid latius dicemus. Nam quod attinet ad secundam solutionem, ea sane parum probabilis videtur. Apparet enim, scriptorem illum libri Paralipomenon diligentissimum esse in enumerandis omnibus filiis eorum, quorum descendentes sibi describendos sumpsit, adeoque tantum non disertis verbis profiteri, se nullum prorsus prætermittere. Priorem igitur solutionem retinebimus, & ita quod attinet ad primum caput difficultatum, quæ sint in istis Christi Genealogiis ab Euangelistis nostris traditis, videtur satis à nobis esse explicatum, quomodo nulla causa sit, cur quis de veritate eorum, quæ ab Euangelistis nostris scribuntur, dubitare possit, & Matthæum nihil perperam aut falso dixisse, in Genealogia ista describenda.

Non est tamen, antequam plane caput hoc hujus disputationis absolvamus, omittendum, dextre accipienda esse verba illa Matthæi, *In transmigratione Babylonis*. Neque enim verum est, si, ut sonant, accipiantur, Jechoniam fuisse genitum in transmigratione Babylonica, sed intelligendum est eum fuisse genitum cum instaret captivitas Babylonica, illumque ei captivitati annumerari, quia captivus factus est, & in Babylonem deductus, idque cum vix regnare incepisset.

Estque ipse numeratus inter 14 illos, quibus constat enumeratio Matthæi in tertia sui parte. Sic enim numerus 14 generationum plane constat, ipso inquam primo hujus tertiæ partis existente, Christo vero ultimo. Quod non animadvertentes quidam, putarunt, non secundam partem, ut antea diximus, 13 tantum generationes habere, sed hanc tertiam. Numerabant enim Jechoniam in secunda parte. Jam vero quomodo respondendum sit de defectu isto generationis unius, in parte secunda satis supra à nobis dictum est.

Superest adhuc alia quædam difficultas, quæ proprie ad hoc ipsum caput pertinet, ut scilicet Matthæus videri possit aliquid falsi in Genealogia ista enumeranda dixisse, illud est, quod facit Salathielem filium Jechoniæ, cum tamen ex cap. 22. Jerem. circa finem videatur liquido apparere, Jechoniam illum nullos habuisse liberos: sed quia hac de re in secundo capite, quod mox agrediemur, diligenter agendum nobis est, ne bis idem dicatur, id in præsentia omittemus. Et ad prædictum secundum caput venientes, de discrepantia maxima, quam esse appareat inter Matthæi Genealogiam, & eam quam Lucas describit, dicimus conciliationes hujus discrepantiæ, quarum mentionem inveni apud scriptores, ad tria capita redigi posse. Una conciliatio est, quod Lucas revera non Josephi, sed Mariæ Genealogiam describat, ita ut nihil sit mirum eum à Matthæo discrepare, qui manifeste Josephi Genealogiam describit. Atque in hac conciliatione intelligitur utrumque Euangelistam, hunc quidem Mariæ, illum vero Josephi Genealogiam veram & naturalem describere, hancque sententiam videntur plerique Pontificiorum Theologorum sequi. Altera conciliatio est, quod tametsi tam Lucas, quam Matthæus Josephi Genealogiam describat, tamen Matthæus naturalem, Lucas vero legalem describendam sibi sumpserit. Legalem hoc loco appello, quatenus non verum & naturalem patrem, hujusque progenitores Lucas posuerit, sed vel adoptivum, vel eum, cujus alia de causa secundum Legem Joseph filius dictus ac reputatus fuerit, quamvis ejus pater naturalis non esset. Quod adoptivum patrem Josephi Lucas posuerit sensit Augustinus, quod vero non adoptivus, sed alia ratione legalis pater Josephi à Matthæo positus fuerit, senserunt multi, ac sentiunt hodie viri docti atque præstantes. Tertia conciliatio est, quiddam ex utraque jam exposita mistum: idque non simplex. Sunt enim qui existiment, immo constanter affirment, Solomonis stirpem, per quem Matthæus suam Genealogiam deducit, in Ochosia defecisse, & qui subjiciuntur a Matthæo post Joram, omnes pertinere ad stirpem Nathania, quæ regnum sit adepta, stirpe Solomonis jam extincta. Ex istis qui ita volunt, sunt qui putent, quamvis nomina apud utrumque Euangelistam non consentiant, nisi Salathielis & Zorobabelis, tamen usque ad Genealogiæ finem eos omnes, qui à Matthæo recensentur, recensitos etiam fuisse à Luca, sed sub diversis nominibus, addita compluribus, quos Matthæus omiserit ob eam causam, quam jam diximus, & propter quam illum quosdam omisisse satis constat, ut scilicet lector non plures generationes haberet à Davide ad captivitatem Babylonicam, & rursus inde usque ad Christum, quam fuerint revera, quemadmodum etiam ab ipso enumerantur ab Abrahamo usque ad Davidem. Et sic sentiunt isti, non minus à Luca quam à Matthæo Josephi Genealogiam describi. Alii vero, qui idem sentiunt de Solomonis stirpe quæ in Ochosia defecerit, volunt nihilominus à Luca non Josephi, sed Mariæ Genealogiam describi. de quibus singulis est nobis ordine aliquid explicandum.

Quod igitur attinet ad primam ex istis conciliationibus, ut scilicet simpliciter dicamus, Lucam non Josephi, sed Mariæ Genealogiam describere, ea mihi nullo pacto probari potest, cum omnino necesse sit, ut in Genealogiis describendis, ia, qui pater alicujus esse ponitur, aut naturalis aut saltem legalis sit pater. Verum si Lucas non Josephi ipsius sed Mariæ Genealogiam descripsit, necesse est, ut ille, ex quo natum fuisse Josephum, seu quem patrem Jelephi esse omnino dicere videtur, non pater, sed socer ipsius fuerit. Nam quod quidam ajunt solere, & generos à soceris, & nurus à socrubus, filios & filias appellari, & ad hoc afferunt quod in Libro Ruth, ipsa Ruth, & affinia ejua quæ fratri mariti ipsius nupserat, ab earum socru filiæ appellatæ fuerint, hoc inquam nullam vim habet cum de Genealogiis agitur, in quibus nunquam invenietur hoc factum fuisse, ut socer pro patre positus fuerit, præsertim nulla ejusce rei diserte mentione facta. Quæ ratio adeo valida est, ut frustra laborent, qui ex eo, quod expresse apud Lucam non legitur, quod Josephus fuerit filius Heli, quem ipsi patrem Mariæ fuisse contendunt, & alio nomine Joachim vocatum fuisse, concludere volunt, nihil absurdi in eo esse, si prædictus Heli non pater, sed socer Josephi esse inveniatur. Nec illos juvat quod ajunt in ipsamet ista Genealogia deprehendi, aliquem dictum esse alicujus, quemadmodum Josephua dicitur esse istius Eli, nec tamen is cujus esse dicitur, sit ejus pater. Hoc est, cum Adam dicitur esse vel fuisse Dei, cum tamen apertum sit Deum non fuisse patrem Adami, istud inquam illos non juvat. Apparet enim manifeste, & sine ullo falsæ sententiæ periculo, illum improprie eo in loco loquutum fuisse, & quando Adam nullum alium patrem revera habuit, Deum, à quo suum esse plane acceperat, ejus patrem nominasse. Sic enim intelligendus est locus iste, & sermonis improprietas ista, quæ non adeo magna est, admittenda: non autem sentiendum, ut isti faciunt, verba illa, *Adam Dei*, quæ ita ad verbum apud Lucam leguntur, ita interpretanda esse, ac si dixisset, Adam creatura Dei, ut scilicet hinc evinci possit similiter, cum dixit, Joseph Eli, nihil absurdi esse, si non vox Filius, sed vox Gener sit subaudienda. Adde quod, etiamsi Christus non ex ipso Josepho sed ejus uxore Maria natus fuerit, tamen ab omni verisimilitudine abest, quod Lucas, præter morem perpetuum Genealogiarum describendarum, matris Christi Genealogiam describere aggressus esset, non autem ejus, qui ejus pater esse credebatur, & tamen hujusce rei nihil prorsus lectorem monuerit; præsertim cum non modo is, qui maritus alicujus mulieris est, possit merito vocari pater filii, quem mulier illa ex ullo alio viro pepererit, (quemadmodum infra suo loco apertius explicabimus, & auctoritate eruditissimorum hominum confirmabimus,) sed etiam ipsemet Euangelista diserte ibi proxime, cum incipit Genealogiam istam texere, mentionem fecerit, quod Josephus putaretur esse Christi pater. Neque enim aliam ob causam verba ista expressa ab ipso fuisse videntur, nulla interim, ut dixi, mentione facta ipsius Mariæ matris Christi, quam ut sibi viam sterneret & gradum faceret ad Josephi Genealogiam describendam, quamvis Josephus non verus ipsius Christi pater esset.

Postquam satis ostendisse videmur, primam conciliationem, quam commemoravimus, Genealogiarum Christi à Matthæo & Luca descriptarum, sustineri non posse, & ita nullo modo videri admittendum, quod Lucas non Josephi sed Mariæ progenitores recensuerit, sequeretur ex ordine, ut eam, quam secundam conciliationem fecimus, examinaremus. Sed quia secundam istam conciliationem præter cæteras probamus, credimusque illam veram ac rationabilem ostendi posse, propterea illius examinationem postremo loco reservabimus, ut totum de hac re sermonem nostrum ea sententia concludamus, quæ nobis omnino in tanta difficultate sequenda videtur. Nunc igitur ad tertiam, quam fecimus, conciliationem examinandam accedemus. Quæ quidem mihi, quamvis à præclaris aliquot viris defendatur, ac teneatur, nullo modo probari potest. Potissima ejus quod dico causa est, quod mihi nullo pacto admittendum videtur id, quod isti sentiunt atque affirmant, Solomonis stirpem in Ochosia defecisse.

Nam

Nam in ipsa historia sacta manifeste Joas, qui in locum Ochosiæ, post tyrannidem Athaliæ Ochosiæ matris, ipsa Athalia occisa extinctam, Rex Judæ est factus, filius ipsius Ochosiæ esse dicitur, idque plane disertis verbis tam lib. 2. Reg. 11, quam lib. 2 Para. 22. Id quod animadvertentes isti, qui istam sententiam, quod stirps Solomonis in Ochosia defecerit, omnino veram esse volunt, ajunt quamvis Joas filius Ochosiæ esse dicatur, intelligendum tamen esse, eum propterea Ochosiæ filium vocari, quia in ejus locum, tanquam si filius ejus fuisset, in regno successerit, eam nimirum ob causam, quod proximus illi esset inter superstites ex familia Davidis tanquam is qui ex Nathane Davidis filio, & Salomonis ex eadem matre fratre originem duceret. Ad cujus rei confirmationem, quod scilicet ob causam istam merito Ochosiæ filius nominari potuerit, afferunt tanquam simillimum exemplum, quod cap. 3. lib. 1 Para Salathiel, seu ut ibi legitur, Sealthiel, Jechoniæ filius esse dicitur, cum tamen revera ejus filius non esset, tantummodo ob eam causam, quod in ea captivitate Babylonica, in qua tunc erant, Sealthiel post Jechoniæ mortem principatum quendam in Judaico populo obtinuerit. Ad probandum vero quod Sealthiel sive Salathiel non fuerit revera filius Jechoniæ, afferunt verba, quæ Jeremias cap. 22, ad finem, in hunc modum protulit: *Sic dixit Jehova. Scribite virum istum* (Jechoniam autem sive Choniam, ut ex præcedentibus patet, omnino intelligit) *Orbum.* Ecce, ajunt, manifeste ipsemet Deus pronunciat Jechoniam orbum esse, id est, filiis carere, aut certe cariturum esse. Atqui nos, cum multis præstantissimis viris, aliter verba ista accipimus, & interim, dum sententiam nostram & istorum exponemus, id exequemur, quod supra attigimus pollicitique sumus nos inferius explicaturos, & responsuros ad objectionem, quæ Matthæi Genealogiæ fit, tanquam minus veræ; ob eam nimirum causam, quod & ipse, una cum auctore libri Para. Salathielem Jechoniæ filium facit, qui tamen ex verbis istius Jerem. loci nullos filios reliquisse videtur. Dicimus igitur nullo pacto esse probandam istam interpretationem, quæ facit auctorem libri Paralipomenon falsa dicentem, aut certe præter omnem modum negligentem, qui scilicet lectorem non monuerit, Salathielem à se Jechoniæ filium vocatum, aut revera ejus filium fuisse, sed tantum illi in principatu populi Judaici successisse. Quanquam nihil apertius est, quam auctorem ejus libri isto in loco filios veros se naturales eorum, de quibus meminit recensere. Quomodo ergo, dicet aliquis, intelligenda sunt verba Dei apud Jeremiam? Nempe ea in eum sensum sunt accipienda, qui ex verbis proxime sequentibus aperte colligitur, quæ ista sunt: *Virum cui nihil prospere cedet in diebus suis: non enim prospere aget de semine ejus vir sedens super solium David, & qui dominetur ultra in domo Jehuda.* Ex quibus satis apparet, quo sensu Jechonias à Deo orbus vocatus fuerit, nempe quia nemo ex ipsius filiis in Davidis solio sedit, in quo tamen ipse Jechonias sederat, nec in Jehuda dominatus est. Namque Salathiel, si quid primi loci in populo Judaico, in captivitate constituto, habuit, id non modo nihil habuit commune cum sessione in solio Davidis, sed neque etiam dominationem in se continuit ipsius populi Judaici. Quapropter merito, Deus verba ista ac verissime protulit, quod scilicet nullus filius Jechoniæ, ei in regno aut dominatione populi Judaici successurus esset, quamvis Salathiel revera ipsius Jechoniæ filius fuerit. Præterea si quis istos interroget, cur ipsi tam firmiter asseverent stirpem Solomonis in Ochosia defecisse, nihil habent quod sit admodum magni momenti. Nam quod quidam verba illa 2 Paral. 22; quod in domo Ochosiæ non essent vires ad obtinendum regnum, ita accipi volunt, ac si dictum esset, non extitisse ullum ipsius filium qui regnum posset capere, hæc, inquam, istorum ejus loci interpretatio, nullo pacto sustineri potest. Immo ex istis verbis contrarium elicitur, id est quod erant quidem filii, sed propter ætatem infirmam imbecilles, atque inepti ad regnum obtinendum adversus Athaliam ipsorum aviam, quæ illud omnino occupare voluit. Sed aliud quiddam est, quod aliquanto firmius videtur, ex quo isti sententiam suam confirmant, quod scilicet apud Philonem Judæum, virum doctissimum & rerum Judaicarum peritissimum, scriptum inveniatur, stirpem Salomonis in Ochosia defecisse. Qua in re duo animadvertere oportet, quæ nobis dicenda sunt pro tota responsione ad rationem istam, cum ipsum Philonis librum minime habeamus. Altera istarum rerum est, quod illi ipsi, qui testimonium hoc Philonis citant, fatentur, in Philone, quem ipsi vidissent, testimonium istud non extare; sed illos qui ita statuerunt, quod scilicet testimonium istud apud Philonem extet, auctoritatem secutos fuisse illius, qui ipsum Philonis librum edidit. Altera res consideratione digna est, quod iste libri illius editor, fuit Monachus quidam ordinis Dominicani, cujus nomen erat Johannes Annius Viterbiensis, qui floruit annis ab hinc circiter 140. Sciendum enim est virum istum, licet alioqui rerum antiquarum indefessum indagatorem, & merito, quod ad hanc partem literaturæ attinet, inter erudititissimos ac præstantissimos numerandum, tamen quæcunque ejus rei fuerit causa, libros alios ejusmodi veteres edidisse, qui à recentioribus multis, testimonio Josephi & aliorum clarissimorum scriptorum, magna ex parte adulterini esse convincuntur. Cujusmodi est Berosus Chaldæus, qui nunc in omnium fere manibus versatur, & Metastenes Persa, necnon Maneto Ægyptius. Ex quibus priores duo potissimum, præcipue vero Berosus, ita ut illum ab Annio editum habemus, multis in locis minime cum eo consentit, quod de eo nominatim apud Josephum, si recte memini, in ejus libro adversus Appionem Grammaticum, scriptum invenitur. Quare non videtur ullo pacto temere isti testimonio Philonis, quod istos movit, fidem adhibendam esse; præsertim cum rem plane contrariam in ipsis sacris libris scriptam habeamus. Opus est tamen interea ad rationes duas respondere, quas, ni fallor, Calvinus adfert, ad ostendendum, quod Ochosias nullum filium reliquerit, & quod Joas, qui in locum ejus post Athaliæ tyrannidem successerit, non fuerit Ochosiæ filius. Una ratio est, quod si Ochosiæ filius fuisset: Athalia non curasset omni studio ut illum interficeret, adeo ut necesse habuerit Jehosabat, ipsius Ochosiæ soror, illum occultare. Nam, inquit, multo melius ac tutius regnare potuisset Athalia sub isto prætextu, quod nepotis regnum administraret. Ad quam rationem sic respondendum videtur. Primum, ex ipsa historia posse aperte intelligi, non Joam tantum fuisse Ochosiæ filium, sed alios plures. Dicitur enim ibi, tam cap. prædicto 11. 2. lib. Regum, quam cap. 22. 2. Paralipomenon, quod soror ista Ochosiæ furata fuerit Joas è medio filiorum regis, qui interficiebantur. Verisimile est autem istum omnium minimum fuisse, & propterea non ab ipso, sed ab aliis ejus fratribus, qui jam grandiusculi essent, initium factum esse occidendæ stirpis regiæ. Erat enim Ochosias cum mortuus est annorum 41., siquidem cum ad regnum est evectus 40 annorum erat, regnavit autem in Juda annum unum. Ex quo intelligi potest, illum potuisse filios relinquere, qui jam grandiusculi essent. Quapropter cum & plures essent, & maximus natu non plane infans, non videbat Athalia, quomodo regnum occupare posset, & plene dominari, nisi funditus stirpem regiam delevisset. Nam si majores tantum natu occidere voluisset, jam hoc ejus factum omnino impediturum fuisset, quominus admitteretur, ne illa nomine nepotis superstitis alicujus regnum administraret, nec potuisset ipsa sub hoc prætextu jam populo imponere. Itaque necesse habuit, per apertissimam vim regnum invadere, quam dum exercet, &, ut scriptura loquitur, omne semen regium perdit, evasit nihilominus,

amitæ

amitæ opera, Joas iste, qui adhuc lactebat; ut ex eo potest intelligi, quod in historia dicitur, eum cum ipsius nutrice absconditum fuisse à facie Athaliæ, atque ea ratione non fuisse interfectum.

Altera ratio Calvini est, quod nullo modo sit verisimile, Ochosiæ filium tam diligenter potuisse occultari, quin diligentius ab Athalia conquireretur, & porro inveniretur. Atqui hæc ratio non minus locum habet, modo Joas ex stirpe regia fuerit, ad quem regni successio post Ochosiam pertineret. Nam Athaliæ eam penitus delere omnino propositum fuisse, ex ipsa Sacra Historia evidenter apparet. Sed non minus evidenter ex eadem historia, & ex ipsius Calvini, & aliorum quos ipse sequitur, confessione constat, Joam fuisse ex regia stirpe, ad quam regni successio spectabat, cum diserte historia illum ipsius Ochosiæ filium nominet, quod ipse Calvinus, & alii ob id factum esse volunt, quod is proximus ac legitimus in regno successor Ochosiæ esset. Qua de re supra à nobis satis disputatum est. Non est igitur quod vereamur constanter affirmare, quemadmodum quidem plerique docti viri censere videntur, Solomonis stirpem minime in Ochosia defecisse, & consequenter conciliationem istam non esse admittendam, ut scilicet dicamus, non esse discordes Matthæum & Lucam in suis Christi genealogiis, quia Lucas, cum per Nathanum deducit genealogiam suam, naturalis propagationis rationem, habuerit, Matthæus vero dum per Solomonem idem facit, legalis.

Sed habet præterea sententia ista ac conciliatio plurimum difficultatis, & inter alias hanc, quod ab isto Joas, quem volunt apud Lucam Simeonem vocari, usque ad Selathielem generationes numerantur plures una, quam sint illæ quæ extant apud Matthæum, illis numeratis quos ipse prætermisit. In hoc enim alioqui omnes consentire videntur, quod is, qui apud Matthæum & Lucam Salathiel vocatur, sit unus & idem homo; id certum est, illos, qui conciliationem istam, quam nos minime approbamus, sequuntur, pro certo istud habere ac statuere. Quinimmo satis apparet hanc fuisse causam potissimam, cur ipsi post istud Philonis testimonium sententiam istam amplexi fuerint. Animadvertens autem unus ex illis id, quod diximus de majore numero generationum, ait, in Matthæi genealogia, quemadmodum Ochosias, Amasias, & Asarias adduntur ab omnibus, sic præterea post Josiam non tantum Joachim, quod à plerisque fit, addendum esse; sed etiam ante Joachim Jeochanam, qui fuit primogenitus Josiæ, eique primus in regno successit. Atqui hoc nihil est, cum tertia ista conciliatio omnino ferat, unam perpetuo naturalis propagationis rationem habuisse, ita ut necesse sit Melchi à Luca nominatum, quem, secundum conciliationem istam, eundem esse oporteret cum Joachim apud Matthæum, ab Addi, qui idem cum Joachaso isto esset, vere generatum fuisse, & sic Joachimum fuisse Joachasi filium, cum tamen certum sit, non filium fuisse sed fratrem ex eodem patre Josia natum, quod quam sit verisimile, cum Joachim qui post ipsum numerandus esset, non ipsius filius, ut verba Matthæi ferunt in aliis quos enumerat, sed frater fuerit, viris cordatis judicandum relinquo. Sed jam ad reliqua, quæ ad istam tertiam conciliationem examinandam pertinent, explicanda accedo. Animadvertendum enim est eos, qui tertiam istam conciliationem amplectuntur, quamvis in eo diverse sentiant, quod quidam existimant à Luca describi genealogiam Mariæ, non autem Josephi, quidam vero sentiunt, non minus à Luca quam à Matthæo Josephi genealogiam describi, tamen in eo utrique conveniunt, ut dicant, eos omnes, qui post Joram in Matthæo habentur, usque ad Salathielem quamvis singulos aliis nominibus nominatos quam apud Lucam, tamen esse eosdem una cum iis, qui ab ipso Luca nominantur, à Simeone sursum versum usque ad Salathielem. Nam qui censent Josephi genealogiam ab utroque describi, ii necesse habent contendere, non modo hos, sed omnes usque ad genealogiæ finem eosdem esse; quemadmodum rursus qui volunt à Luca Mariæ genealogiam describi, necesse habent contendere, non omnes esse eosdem. Repetendum autem hic illud est, quod supra docuimus, eos, qui putant Osiam à Matthæo nominatum, eundem esse cum Ochosia, & ita tres qui eo in loco desiderantur esse, Joam, Amasiam, & Asariam, non leviter falli. Nam Osias iste non Ochosias est, sed Asarias, qui & Osias nominatus est, ut patet ex lib.4. Reg. cap.15. Itaque qui desunt apud Matthæum, non quidem tres isti sunt modo nominati, sed Ochosias, Joas, & Amasias, quemadmodum supra alibi à nobis dictum est. Jam vero cum omnino necesse sit, utroscunque velimus sequi qui istam tertiam conciliationem probant, ut post Joram, ut diximus, usque ad Salathielem iidem sint qui nominantur à Matthæo, cum totidem eorum qui ante Salathielem à Luca nominantur, apparet conciliationi isti aliud, præter illa, quæ diximus, objici posse satis magni momenti. Nullo enim pacto verisimile videtur, ut tot reges, inter quos non pauci præclarissimi fuere, omnes aliis plane nominibus a Luca nominentur, quam ex ipsis Sacris Literis doceamur, quales sunt Amasias, Asarias, Ezechias, Josias, quorum nomina & fama, præsertim vero Ezechiæ & Josiæ, summam celebritatem habent; adeo ut nimium absurdum videatur, tantos reges tamque celebres, &, quod caput est, valde pios, nominibus obscuris quibusdam & incognitis, ac de quibus nihil aliud prorsus alibi constet, à Luca nominatos fuisse. Quæ una ratio apud me tanti est ponderis, ut, etiamsi nihil aliud præterea haberemus, quod isti tertiæ conciliationi objiceremus, vel ob hoc solum eam penitus rejiciendam esse arbitraturus essem. Causa potissima, ut antea dictum est, hujus sententiæ, quod isti iidem sint apud Lucam qui apud Matthæum, fuerunt nomina Salathielis & Zorobabelis, qui omnino judicati sunt propter eadem nomina, iidem etiam esse apud utrumque Euangelistam, quod nos tamen minus verum esse credimus. Qua de re aliquid apertius explicabimus mox in secunda conciliatione, quam nobis probari præter alias diximus, tractanda & explicanda. Non existimo autem istius diversitatis, quam esse diximus inter utrosque istos tertiæ conciliationis assertores, ullam aliam causam fuisse, nisi quod quibusdam nimis durum visum est, nullum prorsus nomen usque ad genealogiæ finem, à loco illo quem diximus, apud utrumque Euangelistam idem esse. Quam absurditatem ut vitarent quidam, propterea noluerunt à Luca, quemadmodum à Matthæo, Josephi, sed Mariæ genealogiam describi. Arqui mirum est cur isti, etiamsi non tot nominum, tamen multorum & quidem præstantissimorum virorum, perpetuam diversitatem nihili fecerint, neque absurdam esse, ut debebant, omnino statuerint. Adde, quod istorum sententia, de genealogia Mariæ à Luca descripta, aliis rationibus evincitur esse falsa, quemadmodum superius à nobis demonstratum fuit. Non est igitur ut ullo modo putemus, tertiam istam conciliationem, quæ tota eo continetur quod in Ochozia stirps Salomonis defecerit, & sic à Matthæo legalis propagationis habita fuerit ratio, à Luca vero naturalis, ullo modo sustineri posse.

Ad reliquam igitur conciliationem, quam secundo loco ab initio recensuimus, deveniendum est. Dicimus igitur nobis valde probari, quod in ipsa tantum Josephi persona Matthæus naturalem filiationem ipsius Josephi, Lucas vero legalem secutus fuerit. In eo tantum est difficultas, qua ratione explicanda sit ista legalis Josephi filiatio. Duobus enim nec pluribus hactenus modis eam acceptam esse invenio, quod scilicet Josephus vel ab Eli adoptatus fuerit, vel ejus filius dicatur, quamvis naturalem patrem alium haberet, quia is naturalis pater semen suscitasset, ut scriptura loqui consuevit, ipsi Eli. Quod Josephus ab Eli adoptatus fuerit, censuit, ut supra indicavimus,

Augu-

Augustinus, nec invenio adhue qui ipsius sententiam vel sequatur, vel rationibus refellat. Nec mirum est, cum omnibus sere libris, ad hanc rem necessariis, destituar. Dicam tamen de sententia ista quid sentiam. Illud autem est, eam mihi propterea non admodum probari, quia nec ullum vetus testimonium habet, & modus iste faciendi sibi filios per adoptionem, vix in Sacris Literis nominatur. Itaque existimo alteram sententiam multo probabiliorem esse, ut scilicet Josephus propterea duos patres haberet, Jacobum & Eli, unde ista diversitas genealogiarum apud utrumque Euangelistam manaverit, quia Jacob à Salomone descendens ejus verus ac naturalis pater fuerit, Eli vero a Nathane, non minus quam Salomon Davidis filio, prognatus, ejus fuerit legalis pater; ut pote cujus semen Jacob suscitaverit. Habet enim sententia ista primum à vetustate testimonium valde amplum. Nam apud Eusebium lib.1. Ecclesiasticæ historiæ cap.7. habemus ipsa verba descripta Aphricani vetustissimi & nobilissimi scriptoris, ex ipsius epistola quadam excerpta, quam ad Aristidem scripserat de conciliatione Euangelistarum. Quorum verborum hæc summa est, quod antiqui tradidissent istud quod diximus, de duobus Josephi patribus naturali & legali: idque hac ratione contigisse notatum posteris reliquissent, quod scilicet Matthan, naturalis avus Josephi, & Jacobi pater uxorem duxisset, cujus etiam nominis memoria mansesat, Esta enim vocabatur, quam post mortem ipsius, Melchi pater Eli duxisset, ex eaque ipsum Eli progenuisset, unde fiebat, ut Jacob & Eli uterini fratres essent ex eadem matre nati. Contigit autem ut Heli, quamvis minor natu prior diem suum obiret, post cujus mortem Jacobus, quippe ejus frater, eam quæ Heli uxor fuerat, uxorem habuerit, eamque ad suscitandum fratris semen duxerit. Ex quo secundo istius fæminæ matrimonio, primogenitus natus sit Josephus, qui, ex lege quæ habetur Deut.25. cap. in semine non Jacobi sed Eli censeretur. Antequam vero, quæ possunt huic sententiæ objici, commemorem atque refellam, illud animadvertendum est, unde possit fieri, quod in ista historia duo viri reticentur, qui apud Lucam in genealogia illa habentur, in qua non Melchi, quemadmodum historia ista fert, sed Matthat dicitur esse avus Josephi; nam Melchi apud Lucam, qui primo in illa genealogia nominatur, non quidem avus, sed abavus Josephi fuisse ponitur, interjectis inter Eli & Melchi, Matthat & Levi, quæ res posset falsitatis suspectam alicui reddere istam ab Aphricano recitatam historiam. Sed non est verisimile, eum, qui illam confingere voluisset, hac in re tam turpiter errasse, tamque supinum fuisse, ut id non animadverteret quod diximus. Quare censendum est, variasse tunc temporis exemplaria Euangelii Lucæ in loco isto, & multa exemplaria fuisse, quæ istos duos Matthat & Levi, qui hodie in omnibus exemplaribus habentur, plane omitterent, & secundum exemplaria ista historiam, ab Aphricano literis mandatam, proditam fuisse.

Videamus igitur, an aliquid solidius possit isti sententiæ objici. Illud autem videtur ejusmodi esse, quod in lege illa Deuteronomii fratrum sit mentio qui simul habitent, atque, ut necessario inde colligi videtur, hæreditatem adhuc communem habeant, id quod de Jacob & Eli, qui tantum fratres uterini erant, & consequenter communem eandem hæreditatem paternam non habebant, dici non potest. Præsertim cum alioqui ipsorum inter se cognatio, nimis è longinquo suam originem duceret, nempe à Davide rege. Cæteroquin enim facile responderi potest ad id, quod fratres ex eodem patre non essent. Primum enim scimus Hebraica phrasi, quemadmodum etiam apud alios id invaluit, eos nominari fratres, non tantum qui ex eodem patre sint nati, sed eos etiam qui ex eadem sint consanguinitate, quos, nisi nimis longinquo gradu inter se distent, nihil prohibet posse etiam hæreditatem communem habere, patrimonialem, inquam, hæreditatem, id est quæ ad genus & stirpem ipsorum patrum pertineat. Præterea ex historia libri Ruth manifeste constat, legem illam Deuteronomii locum habuisse, etiam inter eos qui fratres non essent, modo ex eadem essent cognatione, & alter alteri omnium aliorum proximus. Dicitur enim ibi, in Ruth inquam historia, quod mortuo Elimelecho, & post ipsum ejus filio Machlone, qui Ruth vir fuerat, requisitus est ab ipsa Ruth, docente ac monente socru Noemi, Boozus, ut vellet ipsam Ruth & bona quæ fuerant Machlonis & Elimelechi vendicare, ut pote qui ipsorum propinquus esset. Sciendum est enim, præter id quod in prædicto loco Deut. habetur, in Levitico cap: itidem 25. legem perscriptam esse de vindicandis bonis à suo propinquo, & ex eadem familia nato, qui mortuus fuisset divenditis. Itaque in casu prædicto historiæ Ruth, contingebat ut utraque lex locum habere posset, cum præter bona Elimelechi & ejus filii Machlonis, quæ divendita fuerant, superesset etiam ipsius Machlonis uxor, nempe Ruth cujus precibus Booz permotus dixit, se præsto esse, ut id faceret quod illa rogabat, sed alium esse se propinquiorem ad quem id facere pertineret, qui si id recusaret, tum demum se facturum. Quare jussit Booz in porta ipsius oppidi, quod Bethlehem erat, consistere istum propinquiorem se, qui illac transibat, ibique coram decem senioribus ipsius oppidi, re tota narrata, monuit istum ut vendicaret bona illa, & Ruth in uxorem duceret, id quod ille recusavit facere, & sic Booz secundum promissum suum id ipsum fecit, & tamen Booz non modo non fuerat frater, proprie loquendo, prioris mariti Ruth, sed minus erat illi propinquus quam quidam alius, & tamen in ipso locum habuit Lex non Levitici modo, verum etiam Deuteronomii, ipsumque Ruth duxisse uxorem ad suscitandum semen Machloni priori ejus viro. Sic enim habent ipsius Boozi verba ad seniores illos: *Testes estis hodie, quod acquisiverim omnia quæ fuerint ipsius Elimelech, & omnia quæ fuerant ipsius Chilion & Machlon, de manu Noëmi. Sed & Ruth Moabitidem uxorem Machlonis acquisivi mihi uxorem, ad suscitandum nomen defuncti, in hæreditate sua* &c. Ex quibus verbis aperte constat, in hoc casu fuisse executioni mandatam illam Deuteromii legem, præsertim cum etiam in toto hoc negotio conficiendo, cum propinquior ille recusaret id facere quod Booz fecit, ceremonia illa intervenerit detrahendi calceum, de qua diserte præceptum est in prædicto Deut. loco. Et est præterea animadvertendum, quod propinquior ille propterea recusavit id facere quod rogabatur, quia, inquit, *non possum redimere mihi ne fortè deleam hæreditatem meam.* Quorum verborum hic videtur esse omnino sensus, se nolle periculum subire, ne post mortem suam, nulla ipsius hæreditas nominaretur; sed tantum prioris mariti, cui Ruth nupserat; nam si ex ea unum tantum filium suscepisset, is, vi prædictæ legis, non ipsius filius, sed prioris mariti nominandus, totam ipsius hæreditatem, tam eam quam vendicaverat, quam eam quam antea habuerat, possedisset, & sic ipsius naturalis patris nomen post ipsius mortem abolitum fuisset, &, ut diximus, hinc factum est, ut is recusaverit Ruth uxorem ducere. Ubi obiter notandum est, haberi isthic locum, ubi manifeste verbum *posse* significat velle, seu, Non possum facere, idem est, quod, Non sum facturus. Hoc autem monere voluimus propter loca non pauca, ubi ad eundem modum in Novo Testamento verbum *posse* accipiendum est, inter quæ sunt celebria illa duo Rom.4. & Heb.11, in quorum priore scriptum est, *plene persuasum habens, eum quod promiserat posse etiam facere.* Ubi sine dubio *Posse etiam facere*, significat, facturum etiam esse. In altero vero loco, ubi de eodem Abrahamo, de quo in isto priore verba fiunt, scriptum est, *cum illud secum perpendisset, Deum, vel à mortuis excitare posse.* Quem locum nos, in nostra Disputatione de Jesu Christo servatore, docuimus ita accipiendum esse,

ac si

acsi scriptum foret, Deum vel à mortuis suscitaturum. Videmur objectioni quæ fiebat isti secundæ conciliationi, quod scilicet Eli & Jacob non essent fratres consanguinei, nec eandem hæreditatem patrimonialem haberent, fecisse satis exemplo isto ex historia Ruth. Sed remanet tamen difficultas alia, quam superius attigimus, quod scilicet nimis longinquo gradu consanguinitatis juncti essent isti duo. Nec enim verisimile videtur, ut solus Eli ex stirpe Nathanis cum mortuus est inveniretur, ita ut eo mortuo jam stirps illa penitus interiisset, ita ut nullus gradu agnationis propinquior ipsi Eli inveniretur, quam aliquis qui ex altero Davidis filio, nempe Solomone genus suum duceret, qualis Jacob erat, cujus scilicet esset ducta uxore Eli, ei semen suscitare: eo concesso, quod ex prædicta historia Ruth probari omnino videtur, satis esse, ut is qui id facturus esset, propinquissimus omnium inveniretur. Non est, inquam, verisimile rem ita se habere, ob id quod diximus de tota Nathanis stirpe extincta, quod necessarium ad hoc fuisset. Nam, quod Jacob & Eli uterini fratres essent, quo & potissimum & solum videtur respicere Aphricanus, cum historiam illam exponit, ut Euangelistas inter se conciliet, hoc non videtur ad rem facere, cum fraternitas ista, ut ita loquar, non pertineat ad agnationem & ad eandem patrimonialem hæreditatem: cujus rei potissima ratio haberi videtur, in illa Deut. lege. Immo hoc quod isti fratres uterini fuisse dicantur, cum ad hoc probandum historia illa referatur, & qui ea utuntur, huc tantummodo respiciant, videtur falsitatis suspectam reddere historiam istam, si, ut dictum est, ejusmodi fraternitas nihil ad rem facit. Videtur enim aliquis id confinxisse, existimans, cum Deut. lex de fratribus loquatur, satis fore, si historia narretur, ex qua constet istos duos fuisse fratres, si non ex eodem patre, saltem ex eadem matre. Immu legenti historiam istam apud Eusebium, satis constare videtur, eos, qui illa utuntur ad Euangelistas conciliandos, putasse necessarium fore, ostendere, quod Eli & Jacob essent aliquomodo fratres: fratres inquam, eo sensu, quo appellatio ista in usu Latinæ linguæ est. Cum tamen ex eadem illa historia Ruth liquido appareat, id necessarium non esse. Quid igitur ad hæc dicemus? Nempe cum aliunde constet, historiam istam, quod Jacob ea ducta quæ fuerat uxor Eli, ipsi Eli semen suscitaverit, ab omni antiquitate communiter receptam fuisse, hinc concludi debere, vel Nathanis stirpem post Eli mortem omnino defecisse, vel usu apud Judæos invaluisse, ut lex illa Deut. locum haberet etiam in fratribus uterinis, præsertim si contigisset, eam, quæ istorum mater fuisset, hæredem fuisse sui patris; quemadmodum fieri facile potest, ut in ea, quæ uxor Eli fuerat, evenerit. Sed, ut diximus, satis per se verisimile videtur, ut lex illa Mosis ad uterinos etiam fratres porrecta fuerit. Quod autem historia ab Aphricano relata, fuerit communiter recepta, indicant verba ipsa Eusebii in loco supra citato: eo præsertim addito, quod Aphricanus ea referenda testatur, sic scilicet traditum à majoribus fuisse. Adde, quod auctor quæstionum ad Orthodoxos, quæ falso Justino inscribuntur, id responsionibus ad quæstiones 66 & 133, apertissime pro concesso sumit, rem ita se habere, ut scilicet, Josephus maritus Mariæ, propterea diceretur & esset secundum legem filius Eli, licet non ex ipso revera natus, sed ex alio patre, nempe quia is naturalis pater, ex ea quæ Eli uxor fuerat, illum genuisset, ita, inquam, hoc scriptor ille pro concesso sumit, ut satis constet, tunc temporis, neminem inter eos qui Orthodoxi haberentur fuisse, qui id verum esse negaret. Quamvis autem scriptor iste non tam antiquus fuerit ut Justinus, cui opus illud inscribitur, sed duobus saltem post seculis, ut verisimile est, floruerit, tamen non nisi vetustus author ac fide dignus hac in parte haberi potest & debet. Præterea Hieronymus, ut eum citat Sixtus Senensis, in sua Bibliotheca Sancta, lib.7, hanc historiam veram esse credidit, & secundum eam in Matthæum scribens diversitatem istam Genealogiæ Christi inter Euangelistas conciliavit. Accedit quod Augustinus eodem Sixto in eodem libro referente, cum prius, ut dictum est, ita conciliandos esse Euangelistas censeret, ut diceretur Eli fuisse pater adoptivus Josephi, id quod apud ipsum Augustinum dicit Sixtus haberi lib. 2. cap. 3, de consensu Euangelistarum, postea tamen, cum in narrationem historiæ illius ab Aphricano relatæ incidisset, sententiam mutasse videtur, & omnino isti historiæ totus adhæsisse, ut legere est, eodem Sixto citante, apud ipsum Augustinum lib. 2. Retractationum cap. 7, Eusebius quoque, qui sane vir magnus fuit, &, Aphricano excepto, istis omnibus antiquior, eandem istam historiam, dum eam ex Aphricano recitat, omnino etiam probat. Itaque satis habemus & autoritatum & rationum ad confirmandam historiam istam.

Sed tamen adhuc ad alia respondendum est, quæ possunt objici ei historiæ parti, quod & Eli & Jacob, uterque revera, quamvis ab eodem Davide prognatus, tamen alter quidem per Solomonem, alter vero per Nathanem progenitus fuerit. Primum enim valde videtur obstare, quod tam in Genealogia Eli, quam in Genealogia Jacobi fit mentio Salathielis & Zorobabelis, hujus tanquam filii, illius vero ut patris, quemadmodum eadem plane ratione iidem, Salathiel & Zorobabel, nominantur in Genealogia Jacobi. Verisimile est enim istos, eosdem utrobique esse, quod nulla ratione fieri potest, si ex diversis progenitoribus duæ istæ Genealogiæ deducuntur. Et sane, ut antea monuimus, hæc videtur esse potissima causa, cur affirmatum ab aliis fuerit, Matthæum post Joram jam non veros & naturales descendentes Solomonis enumerasse, sed qui tantum legales erant, id est, progeniti fuerant ex Nathanis stirpe, ad quam devoluta fuisset successio regni, quæ istos legales descendentes Solomonis faciebat, ipsa videlicet, naturali Solomonis stirpe jam extincta. Sed nos jam satis demonstravimus, totum hoc a veritate longe abhorrere. Quare, ad objectionem adversus hanc secundam conciliationem, quam sequimur, modo à nobis factam, respondendum est, nihil vetare quominus, etiamsi eadem sint nomina utrobique apud Euangelistas patris & filii, tamen non eosdem homines utrobique fuisse. Cum enim Salathiel & Zorobabel, præsertim vero Zorobabel, ex stirpe Solomonis, ut quidem nos censemus & scriptura abunde testatur, vere nati, insignes admodum viri fuissent, nihil vetat in iis, qui ex stirpe Nathanis erant, ad tantorum virorum memoriam renovandam, eadem nomina aliis indita fuisse. Huc accedat, quod cum ex Historia Sacra lib. 1. Paral. cap. 3, aperte constet, Zorobabelem non fuisse revera Salathielis filium, sed tantum nepotem ex Pedaja Salathielis filio ortum, nullo pacto est verisimile, Lucam, qui nullam causam habebat, ne unum quidem ex tota illa Genealogia recitandi, Pedajam verum patrem illius Zorobabelis, qui à Matthæo commemoratur, reticuisse: ipsumque Zorobabelem filium fecisse illius, cujus erat revera nepos. Nam si Matthæus id fecit, nihil plane est mirum, quia certissimum est, illum antea non paucos alios reticuisse, & non solum nepotem, sed abnepotem etiam pro filio posuisse, quemadmodum antea à nobis demonstratum fuit, & ab omnibus est animadversum. Voluit enim, ut dictum est, constare numerum illum, in tripartita illa sua Genealogia ubique 14, generationum. Quare tantum abest, ut censere debeamus, tam apud Lucam quam apud Matthæum eosdem esse istos Salathielem & Zorobabelem, ut potius, contrarium ex ipsamet ratione Genealogiæ scribendæ, quam uterque Euangelista secutus est, separatim alter ab altero, colligi à nobis debeat. Nam diversa ista utriusque Euangelistæ ratio, potuit etiam per se efficere, ut Matthæus, qui scilicet non tam exacte hac in re versari curavit, ut Lucas, satis habuerit,

quod in ipsa Sacra Veteris Testamenti historia alicubi, & non semel Zorobabel Salathielis filius vocatus fuerit, ut supra à nobis indicatum fuit. Sequitur alia objectio, quod scilicet parum sit verisimile, quod eodem tempore in stirpe Nathanis multo plures generationes extiterint, quam in stirpe Solomonis. Incipiendo ab eo loco genealogiæ, post quem postea non apparet ullum in Solomonis stirpe, quæ in conciliatione ista à Matthæo enumerata ponitur, prætermissum fuisse. Hæc objectio est satis levis. Primum propter id, quod etiamsi ea de re nihil alioqui constet, tamen verisimile est, Matthæum, in tertia parte suæ Genealogiæ, ut constaret numerus ille 14 generationum, non paucos prætermisisse. Deinde, & quidem multo firmius respondetur, nihil impedire, quin in duabus diversis stirpibus eodem tempore, id est, per idem temporis spacium, generationum numerus sit valde dispar. Habemus hujusce rei exemplum luculentissimum in stirpe Jagellonica, & Austriaca. A nato enim Vladislao Jagellone, usque ad natum Sigismundum Augustum pronepotem ipsius, numerantur anni plus minus 163. at rursus, à nato Maximiliano 1. Imp. ad natum Philippum secundum Hispaniæ regem ejus similiter pronepotem, non numerantur nisi anni circiter 70. Adeo, ut totidem generationes hic extiterint 70 tantum annorum spatio, quot ibi centum sexaginta trium. Itaque nihil mirum videri debet, etiamsi nullus descendentium prætermissus fuisset à Matthæo stirpis Salomonicæ à jam dicto loco incipiendo, tamen non conveniret numerus istarum generationum, cum numero illarum stirpis Nathanicæ, à Luca descriptæ, eodem temporis spatio, sed novem circiter generationibus minor esset. Quod nihil est, præ eo, quod evenire posse ostendunt exempla à nobis modo allata: præsertim cum spatium ibi fere triplo longius fuerit, quam hic, in exemplis, inquam, istis quæ attulimus. Non est etiam reticendum id quod superius attigimus, quod apud Matthæum post Zorobabelem nullus nominatus inveniatur, cujus nomen conveniat cum veris Zorobabelis descendentibus, enumeratis prædicto loco Par. libro.1. cap.3. Hoc enim omnino indicare videtur saltem post Zorobabelem, Matthæum non naturalem & veram Solomonicam stirpem enumerasse, sed legalem fortasse aliquam, quæ eadem sit cum stirpe Nathanica, quam Lucas enumeravit. Et quia superius diximus, nobis verisimilius videri, istos omnes binomines fuisse, quam quod Abiud, qui à Matthæo ponitur Zorobabelis filius, ab auctore libri Paral. prætermissus fuerit, cum alterutra ex istis rationibus sit objectio ista dissolvenda, liberum iis non obstantibus quæ supra diximus, unicuique facimus, quod quidem attinet ad sententiam nostram, utram velit istarum rationum sequi: cum alioquin ex iis, quæ ante à nobis disputata sunt, & postea fortasse dicentur, satis constet, Matthæum veram & naturalem Solomonis stirpem in Genealogia Christi à se descripta secutum fuisse. Non reticebo etiam propter viri autoritatem, aliam objectionem, quæ fieri posse videatur conciliationi isti, quam nos amplectimur. Augustinus enim lib.2. Quæst: Euangelicarum cap.5. teste eodem Sixto in loco ante indicato, quamvis nondum sciret, Historiam de ratione, quomodo Eli legalis Josephi pater fuerit, ab Aphricano fuisse tam luculenter descriptam, tamen noverat modum istum conciliandi Euangelistas, quippe qui ut paullo ante docuimus, in ipsa Ecclesia notus & receptus esset: sed interim tamen eum non probabat, quia verba legis Deut. cap.25 ubi dicitur, *Erit autem primogenitus quem peperit, stabit nomine fratris sui defuncti; ne deleatur nomen ejus ex Israële*, ita interpretabatur, ut voce nominis intelligeretur nomen quo defunctus vocabatur, nempe in casu, de quo agimus, nomen Eli, ita ut secundum legem istam necesse fuisset, ut Jacobi filius naturalis, ex ea quæ uxor Eli fuerat natus, vocaretur Eli: quod cum non evenisset, quippe cum non Eli sed Josephus vocaretur; censuit eo in loco Augustinus, rationem istam Euangelistas conciliandi rejiciendam esse. Sed postea rem melius considerans, vidit voce nominis istud minime significari, sed ea voce declarari debere, eum qui primogenitus ex matrimonio isto fuisset, haberi & appellari filium simpliciter defuncti prioris, matris suæ mariti, & consequenter, priorem istum maritum patrem ejus perpetuo nominandum. Hoc, inquam, Augustinus animadvertit, & seipsum corrigens scripsit eodem libro secundo Retractationum cap.12.

Credimus abunde satis per nos responsum ad ea fuisse quæ videantur posse objici conciliationi isti quam ipsi maxime probamus. Ubi illud etiam non videtur ad aliquam conciliationis istius confirmationem omittendum, quod præstantissimi quidam viri attingunt. Illud est, quod Lucas non perinde ac Matthæus in sua Genealogia exponenda usus est generandi verbo, sed tantum ait; Josephi τȣ̃ Ἠλὶ id est simpliciter, *qui fuit Eli*, ut scilicet hac ratione posset patrem, quamvis non naturalem, eo in loco ponere, utrumque enim verum est, videlicet neque eum, cui semen suscitatum fuerat, generasse illum, qui post ipsius mortem ex ejus uxore natus fuerit, & tamen istum ejus esse, & quidem ex legis decreto, filium. Est enim obiter hic monendum etiamsi Lucas in istis verbis filii nomen non posuerit, tamen illud ex præcedentibus repetendum esse. Dixerat enim ante, *Erat autem Jesus quasi annorum 30 ut putabatur filius Josephi*. Itaque cum postea subjicit statim, *qui fuit Eli*, subaudiendum est sine dubio *filius*. Quæ vox ab ipso brevitatis & elegantiæ caussa, in tam longa generationum enumeratione consulto ac merito fuit omissa. Quanquam nihil est opus repetitione ista ex præcedentibus vocis *filius* in loco isto, cum hæc phrasis exempli caussa, Josephus Jacobi, ita per se prolata, significet, tum apud prophanos, tum vero apud ipsos sacros autores, Josephum Jacobi esse filium. Habetis hujusce rei exemplum in Euangelio, inter cætera in filiis Zebedæi Jacobo & Johanne Apostolis. Illi enim simpliciter vocantur alicubi Zebedæi, genitivo scilicet casu, numeri singularis, hujus nominis Zebedæus, ut apparet de Jacobo cap.10 Matthæi, & 1 ac 3 Marci. Hoc igitur in Sacris Literis ipsis receptissimum est, ut cum vir aliquis, seu mavis, homo aliquis masculini generis, alicujus esse dicitur, is, cujus esse dicitur, sit ejus pater. Quemadmodum in fœminis, is, cujus aliqua esse dicitur, ejus maritus est. Quod si ii, qui voluerunt dictum fuisse Josephum Eli, hoc est Græce τȣ̃ Ἠλὶ, propterea quod Eli fuerit Josephi socer, habuissent exemplum aliquod quo id confirmarent, tolerabilior esset ipsorum opinio. Sed nullum, ni fallor, habent. Inveni tantum quod Matthias Flaccius Illyricus, qui istius est opinionis, est ex numero illorum, qui quantumvis velint in Ochozia stirpem Solomonis defecisse, tamen nihilominus arbitrantur à Luca genealogiam non Josephi sed Mariæ describi. Inveni, inquam, quod ibi vir iste ob prædictam suam sententiam statuit dictum fuisse Josephum esse τȣ̃ Ἠλὶ, quamvis Eli non pater, sed socer Josephi esset, motus exemplo quodam ex Actis Apostolorum petito, cap. 7. 16, ubi Stephanus vocat Hemor τȣ̃ συχὲμ, cum tamen legatur. Sichem non fuisse patrem sed filium Emor, ut habetur Gen. cap.33. & Josuæ cap. ultimo. Ex hoc enim Flaccius sic infert: Quemadmodum in isto loco Actorum Sichem genitivo casu positum, non significat, ut solet, patrem, sed filium, ita & in loco apud Lucam cap.3. non est mirum, si Eli generandi casu positum, non patrem declaret, sed socerum. Et sane ante ipsum Illyricum fuerunt viri docti, qui in illo loco verborum Stephani censuerunt addendum verbis Græcis non filii, ut in vulgata editione legitur, sed patris inter quos est is, qui in Bibliis, quæ vulgo Vatabli dicuntur, eas annotationes fecit, aut collegit, quæ habentur in Novo Testamento, horumque sententiam in sua translatione secutus est Beza. Verum nos aliter omnino sentimus, cum habeamus pro significatione

prorsus inusitata, ut nomen generandi casu positum, & ab alio nomine rectum, filium significare possit. Nec credimus usquam alibi ejusmodi phrasim cum significatione ista reperiri. Sed quia hac ratione videretur, nisi aliud diceremus, argui Stephanus & Lucas falsitatis, cum, ut dictum est, constet, Sichem fuisse filium Emor, necesse est ut aliquid præterea dicamus & ostendamus quomodo debeat locus accipi, & tam Stephanus quam Lucas à suspicione falsitatis vindicari. Atque hac occasione nobis oblata, cum mihi idem locus videatur aliquid falsi ad historiam pertinens continere, de hoc etiam agemus, quod superius explicare omisimus, cum nominatim de iis ageremus, quæ, quod attinet ad historiam, falsa videntur deprehendi in Novi Testamenti scriptis. Jam vero altera ista, quæ in Stephani verbis falsitas esse videtur, hæc est, quod ait, patres Israelitarum translatos fuisse ad Sichem, & positos in sepulchro, quod emit Abraham precio argenti à filiis Emor. Nam certum est, sive hoc de Jacobo intelligatur, sive de filiis ejus Israelitarum patriarchis, non ita rem se habere. Nam Jacob quidem, ipsius ante mortem jussu, translatus fuit post mortem ex Ægypto, sed in terram Chanaan, & sic non in Sichem. Præterea, sepulchrum in quo positus fuit, ab Abrahamo quidem fuerat emptum, verum non à filiis Emor, sed ab Ephrone Hittæo: quemadmodum de hisce aperte constat Gen. 23. 49 & 50. Rursus, si de filiis Jacobi sit locus accipiendus, tunc invenimus quidem, quod Joseph translatus fuit post mortem in Sichem, ut legitur prædicto cap. ultimo libri Josuæ. Et ossa ipsius, quæ ex Ægypto Israelitæ in terram Chanaan transtulerant, ibi in Sichem, inquam, fuerunt sepulta, & quidem in sepulchro empto à filiis Emor ut habent Stephani verba, sed quod tamen ab illis non Abraham, ut verba ipsius habent, sed Jacob emerat, quod apertum est & ex dicto loco libri Josuæ, & ex altero à nobis antea citato cap. videlicet 33 Gen. Quocirca videtur vix posse inveniri via, quomodo falsitas aliqua, in ista parte historiæ à Stephano recitata, non inveniatur. Primum igitur hac de re agemus, deinde de priore, quam commemoravimus, falsitate explicabimus.

Primo igitur loco dicimus una cum aliis doctis viris, præsertim vero cum Beza in suis annotationibus in locum istum, nihil cogere, ut Stephani verba referantur ad Jacobum, sed satis ea vera esse, & videri debere, si referantur ad patres tantum Israelitarum. Et quamvis non possemus ostendere alium ex patribus præter Josephum in Sichem fuisse sepultum, id tamen satis esse posset ad vindicanda à falsitate Stephani verba. Frequens est enim satis apud omnes probatos auctores, & apud ipsos scriptores figura synecdoche, adeo ut vera sint verba illa, *patres nostri qui translati sunt in Sichem &c.* quamvis plurali numero patres nominentur, modo unus ex patribus eo translatus fuerit. Sed præterea, ut citatum inveni apud Bezam, habemus Hieronymi testimonium, qui in Epitaphio Paulæ testatur, in Sichem fuisse sepulchra aliorum Patriarcharum Jacobi filiorum, seque illa suis ipsius oculis vidisse. Quare etiamsi id in Sacris Literis scriptum non inveniatur, cum ex altera parte nihil, quod ei adversetur, ubi scriptum deprehendatur; non est ullo modo abroganda fides tanto viro, & quod prudens sciens tam aperte mentitus fuerit suspicandum, quemadmodum vere mentitus fuisset, si nullius alterius præterquam Josephi ex patribus illis ossa in Sichem fuissent sepulta. Ulterius autem progrediendo & ad id respondendo, quod objicitur, sepulchrum istud in Sichem positum, non ab Abrahamo sed à Jacobo emptum fuisse, dicimus dupliciter responderi posse. Primum hic potuisse evenire, id quod verisimilimum esse supra ostendimus, ut evenerit in loco Matthæi cap. 27, ubi Jeremiæ nomen legitur, cum tamen certum sit verba Prophetæ illic citata non Jeremiæ esse sed Zachariæ. Diximus enim plane esse verisimile, ut à Matthæo nullum positum fuerit Prophetæ nomen, quod postea sciolus aliquis in margine adscripserit, idque tandem irrepserit, ut solet evenire, in ipsum contextum, quod ob quam caussam à sciolo isto factum esse potuerit, & Jeremiæ nomen Euangelistæ verbis additum ibidem explicuimus. Itaque & hic facile evenire potuit, ut in verbis Stephani à Luca scriptis simpliciter legeretur, *quod emit*, nullo addito expresse emptoris nomine, quod sciolus aliquis supplere voluerit, & nomen Abrahami adscripserit, (cum subaudiendum tamen esset Jacobi nomen, ibidem paullo ante expressum,) propterea quod pro certo haberet, inter istos translatos, ut sepelirentur, Jacob esse numerandum, ut quidem ipsa Stephani verba ferre videntur. De Jacobo enim legerat iste, eum ut ante diximus, & loca citavimus, fuisse positum post mortem suam in sepulchro quod Abraham emerat. Nam quod ad alia iste non animadverterit, quæ cum hoc non conveniunt, & sunt in ipsis Stephani verbis contenta, nihil esset mirum. Nam qua audacia & incuria tentasset supplere verba Stephani, eadem fieri potest ut de quibusdam Stephani verbis haud diligenter cogitaverit, neque quicquid ille ibi dixit, cum ipsa historia contulerit. Hæc nos dicimus supplendo, id quod à Beza hoc in loco est annotatum, quem hactenus tantum legimus auctorem hujus primæ responsionis. Alter porro modus respondendi est, quod nihil vetat, ipsius Abrahami nomine non quidem ipsum Abrahamum, sed Jacobum ejus nepotem intelligi; hac nempe ratione, ut Abrahami nomine significet Abrahami posteros, & perinde sit ac si scriptum fuisset, quod emerunt posteri Abrahami, id quod verum esse deprehenditur, cum Jacob id fecerit. Nam quod nomine alicujus ejus posteritas, seu aliquis ex ipsius posteris intelligatur, hoc satis tritum est in Literis Sacris. Nam solum Israelis nomen hoc quod diximus comprobat. Nemo enim nescit, nomen istud fuisse Jacobo Patriarchæ ab Angelo impositum, & tamen passim Israelis appellatione simplici, non modo ipse Jacob, sed ejus posteritas, nulla ipsius Jacobi ratione tunc habita, nisi quatenus fuit autor posteritatis suæ, significata invenitur. Nomine etiam Davidis, non ipsummet Davidem, sed vel posteritatem ipsius, vel aliquem ex posteris, ut Messiam, significatum fuisse deprehendet, quisquis legerit Jeremiæ caput 33. 17, & cap. 34. & 37 Ezechielis, nec non cap. 3 Oseæ. Nam apud Jeremiam loco prædicto, Davidis nomine posteritas Davidis significata est: in reliquis vero locis Messias seu Christus diserte David vocatur. Sciendum est autem hanc falsitatis suspicionem in nomine isto Abraham, quod in illis Stephani verbis legitur, tanti fuisse apud aliquos momenti, ut dixerint, Stephanum quidem dixisse & Lucam scripsisse nomen Jacobi, non autem Abrahami, sed postea nescio quo pacto immutatum fuisse: quod tamen nobis probari non potest. Atque etiam ob similem caussam, cur istud nobis non probetur, censemus satius esse secundum modum objectioni isti respondendi amplecti quem modo exposuimus ac verisimilum fecimus.

Jam igitur censemus, per ea quæ diximus satis factum esse prioris falsitatis suspicioni. Nunc videndum est de altera, & quomodo potuerit Stephanus dicere, & Lucas scribere Emor Sichemi; cum tamen Sichem, ut phrasis omnino ferre videtur, non pater sed filius Emori fuisse legatur. Dicimus igitur nihil incommodi esse, id quod sane miramur, alios quos hactenus legimus non animadvertisse, si dicamus Emor fuisse, non tantum patrem Sichemi, ut scriptum extat, sed etiam filium, filium inquam ejus, qui vocaretur eodem isto nomine, quo ipse vocavit filium suum, quamvis id scriptum nusquam legatur: non enim omnia, quæ in Novo Testamento dicuntur, licet pertinentia ad Veteris Testamenti Historiam, quamvis verissima sunt, in ipsis Veteris Testamenti libris, quos hodie habemus, consignata leguntur. Qua de re supra à nobis satis diligenter ac copiose pro præsente disputatione disputatum est. Quod si quis hanc sententiam sequi nolit,

nec

nec satis habeat, ut credat, Emoris patrem Sichem nominatum fuisse, quod ita ipsius Stephani verba ferant, poterimus aliter etiam respondere, ac dicere, illud τῷ συχὲμ non denotare nec patrem nec filium, sed locum unde Emor esset. Sic enim simili loquendi modo invenimus, dictos viros Ninive Lucæ cap.11.32. pro eo quod est, viri Ninivitæ. Est enim sine dubio vox Græca νινευὶ isto in loco Genitivi casus. Sic etiam Judicum cap 8.5. scriptum invenitur; *Dixitque viris Suchot*: ubi similiter nihil dubitandum est, quin vox Suchot sit Genitivi casus. Constat autem idem isto in loco, qui una cum præcedente apud Lucam multos alios sibi similes in Sacris Literis habent, esse viros Suchot, quod viros ex loco isto ita nominato oriundos. Tremellius ac Junius ajunt posse subintelligi, non patrem aut filium sed principem. Videtur enim probari posse ex historia sacra, præsertim vero ex cap.34. Gen. Emor fuisse principem istius loci Sichem dicti. Quanquam ibi hoc diserte non habetur, sed tantum quod esset princeps loci illius. Afferunt enim isti hanc phrasin ab Hebræis usurpari, ut nomen quod ab alio regitur, si sit nomen loci, indicet eum, qui nomine à quo regitur significatus fuerit, principem esse loci eo nomine significati quod regitur. Sed cum nullum exemplum hujusce rei proferant, non audemus nos istam sententiam & explicationem eorum amplecti: præsertim cum ipsimet, si quis eorum verba diligenter consideret, aliud nihil audeant affirmare, nisi quod hæc constructio unius nominis ab altero recti, usitata sit apud Hebræos, quod nullum prorsus dubium habet; non autem usitatum esse, ut in tali constructione nomen principis subaudiatur, qua de re hic agitur. Ex istis omnibus apparet, facile posse depelli à Stephano & Luca omnem suspicionem falsitatis in toto isto loco, exque eo nullo pacto, per ullam similitudinem quæ hæc inter se habebant, posse probari, non longe esse à verisimili, quod cum Lucas dixit, Ioseph τοῦ Ἡλὶ intellexerit Josephum Eli fuisse generum.

Jam igitur concludimus, ex commemoratis à nobis conciliationibus istarum duarum genealogiarum Christi quæ apud Matthæum & Lucam leguntur, eligendam esse eam, quæ statuit, ab utroque quidem Euangelista genealogiam Josephi mariti Mariæ matris Christi descriptam fuisse, sed tamen à Matthæo per patrem naturalem dicti Josephi, à Luca vero per patrem legalem. Quod quantum attinet ad legalem patrem, cum duobus modis præcipue id intelligi possit, vel scilicet, quod Josephus filius fuerit ejus adoptivus, vel quod propterea fuerit filius, quia patri isti suscitatum in eo fuerit semen, libentius isti secundo modo adhæremus, quam alteri: tum quia prior modus non adeo usitatus erat, neque ita omnino filium alicujus quenquam faciebat, ut modus posterior; tum vero quia posterior modus, ut diximus, testimonium satis amplum ab Historia & Antiquitate habet, in ipsa Josephi persona, prior vero non habet. Sed nobis sententiam istam sequentibus, restat adhuc pertractandum tertium caput, quod fecimus, difficultatum, quæ in istis duabus genealogiis inveniuntur, & ex illis proficiscuntur. Nempe, quod si verum est, Josephi tantum genealogiam ab utroque Euangelista fuisse descriptam, & nullo modo ab utrovis eorum genealogiam Mariæ matris ejus, quemadmodnm satis supra demonstravimus, non apparet cur istud ab illis factum fuerit, nisi velimus adversus id, quod uterque ipsorum aperte docet, statuere, Christum revera ex Josepho natum fuisse. Id quod alioqui etiam videtur ex eo persuaderi, quod diserte Christus ex semine Davidis natus fuisse dicitur, ut habetur 2 Tim. cap. 2. 8. & in initio Epistolæ ad Rom. Hæcque fuit potissima caussa, cur invaluerit apud plerosque ea sententia, quod à Luca Mariæ matris Jesu genealogia fuerit tradita, ab eoque ostensum, eam, ex qua Christus revera est natus, à Davide ortum ducere, unde merito concludi possit, ex semine Davidis Christum esse natum; id quod de Genealogia, inquam, Mariæ à Luca descripta, cum multis aliis, quemadmodum & nobis, non probetur; hinc factum est ut fuerint, qui non veriti sint affirmare, quicquid apud Lucam & Matthæum de conceptione ex Spiritu Sancto Domini Jesu, in utero ipsius Mariæ legitur, adulterinum esse & addititium, hodieque non pauci sunt inter Germaniæ inferioris appellatos Anabaptistas, qui id asseverare pergunt. Alii vero, ad solvendam hanc difficultatem, dicunt, satis fuisse ostendere, Josephum ortum suum à Davide duxisse. Hinc enim ajunt sequi, quod similiter Maria uxor ejus ex eadem familia fuerit: de quibus duabus opinionibus, quid sentiendum sit postea clarius docebimus. Oportet autem prius statuere, quid sentiendum sit de eo, an Christus ex Josepho natus fuerit nec ne. Quanquam enim hoc nullum habet dubium, nisi velimus istis adhærere, qui censent, eam partem Historiæ, quæ apud utrumque Euangelistam tradit, sine conjunctione ulla Josephi cum Maria, præter eam quæ simplex matrimonium necessario facit, Christum conceptum & natum fuisse, esse adulterinam: tamen recte est ad veritatem melius noscendam, alia etiam ratione, quid hac de re sentiendum sit, ostendere. Quapropter dicimus ex uno illo loco Esaiæ Prophetæ cap.7. à Matthæo in testimonium allato, si ea considerentur, quæ de eo loco agentes superius satis prolixe disputavimus, nullo modo negari posse, & eum locum prædictionem continuisse, & continere ejus, quod futurum fuerat in Christo, & consequenter, Christum ex virgine natum fuisse, cum aperte ostenderimus, vocem illam Hebræam, quæ virgo ab ipso Euangelista, & ante ipsum à 70 Interpretibus reddita est, vere virginem significare, necesseque esse, ut id in loco isto omnino significet.

Veruntamen, ut totum hoc mysterium melius intelligamus, videndum est nihilominus, an absolute necesse fuerit, ut Christus ex virgine nasceretur, præter eam necessitatem, quæ inde oritur, quod Deus ante sic statuerat: quemadmodum ex prædicto Esaiæ loco, ut à nobis factum est, pensitato atque explicato, abunde constat. Dicimus igitur, quicquid plerique contra sentiant, nullam alioqui necessitatem fuisse, ut Christus omnino ex virgine nasceretur, id quod nobis, qui scimus quæ sit natura & essentia Christi, creditu non admodum difficile videtur. Sed neque iis videri deberet, qui, cujus essentiæ Christus sit ignorantes, præter humanam naturam, divinam aliquam ab humana plane distinctam in eo constituunt. Nihil enim divina ista natura impedire sua vi, citra Dei consilium, potuisset, ne Christus alioqui secundum carnem ita nasceretur, ut alii homines nascuntur. Neque enim nativitas ista revera ac proprie ad naturam ejusmodi divinam pertinere poterat, aut illam ullo modo attingere, remanente perpetuo ipsa divina natura intacta & libera ab omni imperfectione naturæ humanæ, quæ illi fuisset juncta, quantumvis humana ista natura consueta ratione producta fuisset. Nam si quis dicat, si Christus ex Josepho, & sic ex semine viri natus esset, futurum fuisse ut peccatum originale, quod vocant, haberet, quæ res ut in filio Dei inveniretur, qui ab omni prorsus labe debuit esse immunis, nimis absurdum atque adeo impossibile videri debeat; dicimus sententiam istam de labe originalis peccati, quæ trahatur ex eo, quod quis ex Adamo per virile semen propagatus fuerit, ita expositam & intellectam, ut labem dicatur propterea is contrahere, qui eo modo sit natus, labem inquam spiritualem, & quæ ipsum peccato penitus obstrictum faciat, ut hic intelligere est necesse, vanam esse, & nullo divinorum oraculorum testimonio suffultam: cum, ut alibi à nobis ostensum fuit, & si in istis perrexerimus tradendis, quæ hactenus tradidimus, postea suo loco aperte ostendetur, aliud nihil, ipsum per se ex Adamo prognatum esse, secum mali afferat quam reatum mortis, ita ut is, qui ita natus fuerit, mori omnino necesse habeat, nisi singulari Dei gratia à tali reatu absolvatur. Atqui nemo

est, qui id possit aut ullo modo debeat affirmare, ipsum Jesum Christum morti necessario non fuisse obnoxium natura sua, immo necesse est fateri, Christum à nobis hac in parte nihil diversum fuisse, & propterea si aliqua ratione de eo dici possit, eum non fuisse morti necessario subjectum, oportere eum id ex Dei gratia habuisse, quemadmodum & de nobis censendum est dici aliquomodo posse; quemadmodum late docuimus in disputatione nostra cum Francisco Puccio de primi hominis mortalitate. Adde, quod si velimus, quemadmodum fere omnes, præter eos Anabaptistas qui Menonitæ vocantur, qui non aliter sentire videntur, Christum videlicet ex substantia Mariæ matris suæ aliquid traxisse, immo naturam suam humanam, non alia ratione, quam alii homines ex ea habuisse, immo, ut multi sentiunt, multo magis à matre sua traxisse quam quilibet nostrum traxerit & trahat, necessarium est fateri, eum nihilominus, ut ex virili semine natus non fuerit, ex Adamo tamen fuisse prognatum, & ex ejus semine ortum: ac propterea non minus quam nos ex Adamo, quidquid labis trahitur similiter traxisse. Apparet igitur, ni fallimur, seclusa Dei ordinatione ac voluntate, quæ fuit, ut Christus ex virgine nasceretur, ut ita fieret, alioqui nihil coëgisse, nihilque aut incommodi aut absurdi in eo futurum fuisse, ut ipse Dei filius & Christus ejus ex virili semine, si ita Deo placuisset, natus foret. Quare si sententiam illorum nihilominus detestandam esse, & nos una cum aliis profitemur, qui volunt, eum ex ipso Josepho natum esse, non ob id detestamur, quod hic aliquid blasphemi inveniatur, si rem ipsam per se tantummodo consideremus, sed quia opinione ista fit, ut in dubium revocentur ea, quæ à Matthæo & Luca, de Christo, ad reliqua ejus vitæ pertinentia scripta sunt, adque mortem, & exitum, & exaltationem ipsius sunt scripta, & breviter nihil firmi nobis relinquatur in ipsorum historiis. Nullum enim indicium habemus, quod ea, quæ uterque scripsit de Christo ex virgine nato, vel potius scripsisse affirmantur, suspecta esse debeant. Neque enim ullus codex, ullum exemplar invenitur, quod parte ista historiæ apud utrumvis eorum careat, nec ullius antiqui & probati scriptoris testimonium extat, quod illam nobis suspectam reddat. Sunt igitur omnes isti, qui nihilominus partem istam utriusque historiæ tam audacter rejiciunt, merito ac maxime culpandi; qui debuerant, si interim intelligere non poterant, vel quomodo Christus ex semine Davidis natus esset, vel cur uterque Euangelista Josephi Genealogiam descripsisset, debuerant inquam fateri ignorantiam suam, Deumque rogare, ut si id ad ejus gloriam pertineret, vellet eos ex his difficultatibus exolvere. Istis igitur jam missis à nobis factis, videamus quid sentiendum sit de altera illa sententia, quod, si Josephus ex semine Davidis natus esse ostenditur, satis hoc sit ad probandum, quod Maria uxor ejus similiter ex Davide fuerit prognata, & consequenter ad ostendendum, quomodo Christus, quamvis non ex Josepho, sed ex ipsa sola natus, ex semine tamen Davidis natus fuerit. Inquiunt igitur isti, unam quamque mulierem debuisse nubere alicui ex familia patris sui, atque ita necesse fuisse, ut Maria esset ex familia Davidis, cum Josephus cui nupserat ejus familiæ esset: ad idque probandum citant postremum caput Libri Numerorum 36 ubi scriptum est, quod cum quidam ex tribu Manasse filias tantum reliquisset, quibus, ex voluntate Mosis Deique ipsius, adjudicata fuerat paterna hæreditas, adierunt quidam ex præcipuis illius tribus ad Mosen, & rogarunt ne permitteret, ut istæ puellæ alicui nuberent extra tribum ipsorum, ne videlicet, cum jam cœpta esset dividi terra illa, à Deo promissa, inter 12 illas tribus, & singulæ tribus suam propriam portionem à cæteris distinctam habituræ essent, confunderentur portiones istæ, si bona unius tribus ad alteram transferrentur: quod sine dubio factum fuisset, si puellæ istæ hæredes alicui ex alia tribu quam Manassis nupsissent. Assensus est Moses, & statuit ut sic fieret, ut isti petierant. Unde factum est ut puellæ istæ nupserint filiis patruorum suorum, quæ res fuit caussa & est, ut multi hoc, quod Moses tunc statuit, atque, ut ibi habetur, voluit perpetuum esse, arbitrati fuerint ita esse accipiendum, ac si Moses statuisset, ut, quemadmodum tunc factum est, unaquæque puella alicui ex sua paterna familia nuberet. Ubi tamen in eo manifeste erràrunt, quod ad omnes filias Israelis id pertinere voluerunt, quod Moses diserte de filiabus hæredibus sanxit.

Jam vero quod ad illud pertinet, ut filiæ Israelis, de quibus isto in loco agitur, nubere deberent alicui ex familia sua paterna: quamvis id nullo pacto ita se habeat: sed tantummodo jussæ fuerint nubere alicui ex paterna tribu, videntur tamen Tremellius & Junius, id verum esse sensisse: cum in sua translatione versiculo 12. Hebraica verba ad hunc modum verterunt. *Fuitque possessio earum, conjuncta tribui ac familiæ paternæ earum.* Nam tametsi verum est, ut antea diximus, id factum fuisse in eo casu qui ibi recitatur, quod ista verba significant, ut scilicet puellæ istæ nupserint, non tantum in tribu, sed, etiam in familia paterna sua: tamen id casu, ut supra indicavimus, factum est, non autem quia Mosis decretum aliud ferret, quam ut nuberent in tribu sua paterna. Nec sane quidquam aliud viri illi ex tribu Manassis à Mose petierunt. Propterea etiam, neque in ipsis verbis Hebraicis habetur conjunctio illa. Eam enim Tremellius ac Junius de suo addiderunt, & locus ita legi debet; *Fuitque possessio earum conjuncta tribui familiæ paternæ earum.* Quæ verba, sine conjunctione illa, aliud nihil significant, nisi habitam fuisse rationem, ut bona illa remanerent in tribu illa paterna. Poterant autem duo isti, alioquin eruditissimi, & sane oculati admodum viri, animadvertere, similiter supra vers. 8 mentionem fieri & tribus & familiæ, cum ea tamen significatione, ut tribus tantum ratio haberetur. Nam & ipsi ibi in translatione sua verba Hebraica sic reddiderunt, *Alicui è familia tribus suæ paternæ nubito*: ubi, conjunctionem illam *ac*, fortasse libenter addidissent, sed non potuerunt id facere, ut versiculo 12 fecerunt. Nempe quia prædicto versiculo 8 contra quam fiat versiculo 12 familia prius nominatur, & postea tribus. Neque enim poterat ibi dici, *Alicui è familia ac tribu sua paterna.* Supervacaneum enim est, ubi dixeris è familia paterna, addere etiam è tribu. Nemo enim tam fatuus est, qui nesciat eum, qui sit ex eadem familia paterna, necessario quoque ex eadem tribu esse. Agnoscendum est igitur Mosem eo in loco usum fuisse hac phrasi, ut familiam quidem & tribum paternam simul nominaret, modo familiam modo tribum prius nominans, ut indicaret eum, cui nubere filia hæres debebat, debuisse esse ex aliqua familia tribus paternæ suæ, seu mavis, quod plane idem reipsa significat, qui esset ex tribu paternæ suæ familiæ. Concludimus igitur, ex supra dicto loco Numer. cap. 36. nullo modo posse colligi, quod exposita ab Euangelistis genealogia Josephi mariti Mariæ matris Christi, & ostenso, quod Joseph ipse esset ex familia Davidis, sequatur, simul expositum, atque ostensum fuisse, Mariam ejus uxorem ex eadem familia fuisse, cum caput illud, ut diximus, non loquatur quidquam de eadem familia, sed tantum de eadem tribu, quod attinet ad decretum ibi commemoratum, & si de eadem tamen familia loqueretur, non pertineat decretum istud nisi ad filias hæredes. Quod autem Maria mater Jesu hæres fuisset, neque ab Euangelistis ullo modo indicatur, neque aliunde id ulla ratione constat. Cum tamen necessarium videatur, si Euangelistarum mens ea fuisset, ut ex eo, quod Joseph è familia Davidis esse ab ipsis dictus fuisset, intelligeretur, Mariam quoque ex eadem familia fuisse prognatam, ut aliquid aperte indicarent de eo, quod hic omnino requireretur, Mariam scilicet fuisse hæredem.

Quid

Quid igitur dicemus? cum & impium, aut certe omnino rejiciendum videatur commentum illorum, qui existimarunt, apud utrunque Euangelistam adulte inam esse eam partem Historiæ, quæ tradit Christum ex Maria sine viri conjunctione natum esse, nec ullo modo constet Mariam ex familia Davidis fuisse immo non desint argumenta, ex quibus videatur posse concludi, eam neque ex ista familia, neque ex tribu Juda fuisse ortam. Quæ hic commemorare, præsertim, cum ipsa, ut verum fateamur, parum firma nobis videantur, nihil est necesse. Quid inquam, dicemus? quam caussam afferre poterimus, cur Josephi tantum Genealogia descripta ab utroque Euangelista fuerit, & quidem, ut nobis videtur, ab altero legalis, ab altero vero naturalis ejusdem Josephi propagatio; cum tamen interim certum sit, natum esse Christum, cujus ratione Josephi genealogia describitur, ex matre tantum Maria sine Josephi ipsius conjunctione. Necesse est omnino aliquid aliud excogitare, ad difficultaten istam & scrupulum eximendum. Hinc factum est, ut quidam ætate nostra (nam quod id superioribus seculis excogitatum ab aliquo fuerit, non legi) dixerint, quamvis verissimum sit, ut Euangelistæ ambo isti testantur, Christum, sine conjunctione Josephi cum Maria matre ipsius, natum fuisse; non tamen hinc sequi, ne ex semine quidem ipsius Josephi fuisse natum. Ajunt enim nihil impedire, quominus sine conjunctione ulla Josephi cum Maria, potuerit Christus ita DEO operante, nihilominus ex Josephi semine concipi ac nasci, & propterea, quia ita factum fuerit, ajunt ipsi tam diligentem fuisse utumque Euangelistam in genealogia Josephi describenda, adduntque necessario ita sentiendum esse: alioqui nulla ratione ostendi poterit, quomodo Christus ex Davidis semine fuerit natus, cum tamen id sacra oracula abunde testentur. Quamquam vero hæc istorum opinio, & absurda alioqui, & indigna quodammodo ipso DEO videatur, tamen negari non potest, quin, hac ratione ei dubitationi videatur occurri, quam postremo commemoravimus, de Christo nato ex semine Davidis. Nam quod ad illud attinet, quod uterque Euangelista tradit, è Spiritu Sancto conceptum & natum Christum fuisse, non videtur omnino cum istorum opinione pugnare, qui volunt propterea è Spiritu Sancti conceptum & natum fuisse, licet ex Josephi semine conceptus & natus fuerit, quia nihilominus ea in re Spiritus Sancti opera intervenerit, nulla videlicet interveniente virili conjunctione. Verumtamen, quibusdam omissis, quæ dici possent adversus ista, pro istorum opinione disputata, satis esse volumus in præsentia ostendere, istam opinionem, quam nos plane rejicimus, quantumvis vera esset, non tamen tollere difficultatem propositam, de ratione cur Euangelistæ nostri tam accurate Josephi genealogiam nobis tradiderint. Nam si id fecissent propter id, quod ista opinione continetur, sine ullo dubio id aliquomodo indicassent. Verum non modo id non fecerunt, neque ullum indicium nobis dederunt quod aliqua ratione Spiritus Sancti ope ex Josephi semine natus fuerit Christus, sed contra ea dixerunt, ex quibus contrarium videatur omnino debere colligi, prout unicuique totam historiam apud utrumque legenti constare potest. Et profecto eventus ipse id verum esse ostendit quod diximus, cum omnes fere ex ipsorum Euangelistarum Historia collegerint, atque intellexerint, Christum nequaquam ex Josephi semine fuisse ortum. Itaque opinione istorum explosa, jam tandem tentemus, an aliquid invenire possimus, quod difficultatem, de qua agimus omnino tollat. Non est autem ut admodum in hac re quærenda laboremus, cum non pauci præstantissimi viri, quid sentiendum sit, scriptum reliquerint. Inter quos præcipue videtur mihi commemorandus scriptor quidam, de quo superius mentionem fecimus, ad aliud propositum duo ipsius loca citando, quæ huc maxime pertinent. Is est auctor Responsionum ad Orthodoxos, quæ Justini nomen inscriptum habent, cum tamen nullo modo opus illud Justini esse possit, ut superius, ni fallor, docuimus. Jam scriptor iste, in ante citatis Responsionibus ad quæstionem 66. & 133. hanc difficultatem attingens, de qua hic agimus, ait; Propterea Christum dici Josephi filium, quia sit filius ejus uxoris, & non ex alio ullo viro natus. Inquit enim; Quocunque modo Deo placeat alicui dare filium, sive per ipsius cum uxore conjunctionem, sive minus, jam eum censendum esse revera filium ejus. Ubi autem nullus alius pater nominari ulla ratione potest, certum esse videtur, quod ex aliqua muliere natus ejus sit filius, cujus ea est uxor, cum vir & uxor censeantur esse unum corpus & una caro, quemadmodum scriptura loquitur. Ad cujus rei confirmationem, & simul ad declarationem aliquorum testimoniorum, de Jesu Christi ex Davide prognatione, considerandum diligenter est, quod uterus seu venter uxoris, ipsius mariti uterus seu venter dicitur; suntque hujusce rei testimonia non pauca in Vetere Testamento. Sed nos uno capite 28 Deuter. erimus contenti; ubi versiculo 4, 11, 18, & 53 habetur diserte hæc phrasis, cum Moses cum viris Israelitis loqueretur, *Fructus ventris* sive *uteri tui*, pro eo quod est filius, seu filii tui: ut expresse, præter rationem ipsam quæ ubique id docet, prædicto versiculo 53 explicatum habemus. Si igitur uterus, seu venter uxoris, ipsius mariti uterus ac venter esse censetur, sequitur necessario, ut quidquid ibi conceptum, quidquid inde natum fuerit, modo ne alius quispiam ejus conceptionis & ortus auctor dici ullo modo queat, ad ipsum maritum pertinere. Propterea Psal. 132. scriptum est, Deum jurasse Davidi, quod è fructu ventris ejus sessurus esset aliquis in ejus solio, qui locus, sine ulla dubitatione, ad Christum pertinet; id quod & ipsi Judæi, facile concedunt intelligentes tamen Christi nomine non Jesum Nazaræum, sed alium quempiam ab ipsis adhuc expectatum: & Petrus Apostolus aperte docet, cap. 2 Actorum Apostolicorum versu 30: quamvis, ut mox dicemus, ille paulo aliter verba ipsius Psalmi citare videatur, quam in ipso Psalmo leguntur. Prius enim dicendum est, considerandum omnino esse, quomodo loquutus fuerit Spiritus Sanctus in Psalmo illo, inquiens, Ex fructu ventris Davidis, ut scilicet, propter ea, quæ modo dicebamus, satis indicaretur, fore, si ex muliere aliqua, quæ ad aliquem ex familia Davidis pertineret, id est ejus uxor esset, nasceretur Christus. Irenæus certe lib. 3. cap. 27. multum ponderis in eo ponit, quod in prædicto Psalmo minime fuerit dictum, ex fructu lumborum Davidis, sed, ex fructu ventris Davidis, ut ostenderetur inquit, eo in loco, de ortu non ex viro, sed ex muliere verba fieri. Quanquam, nisi fallor, & si recte memini, ipsa Irenæi verba indicant, ita ille rem intelligebat, ut Maria ipsa mater Jesu esset ex familia Davidis, & propterea ejus uterus, Davidis uterus dici posset. Non autem ut nos censemus, & sine dubio verum est, quia Maria uxor alicujus ex familia Davidis fuerit.

Sed interim tamen animadvertendum est, quod Petrus supra dicto loco Actorum Apostolicorum 2 cap. cum, mentionem facit illius divini jurisjurandi, de quo prædicto Psal. 132 clarum testimonium habetur, non ait, *de fructu ventris ejus*, id est, ventris Davidis, sed *de fructu lumbi ejus*, ita ut videatur vana consideratio ista, quod venter Davidis in eo jurejurando fuerit commemoratus: præsertim si addatur id quod Irenæus commemorat, quod non sit dictum de fructu lumbi. Apparet enim ex Petri verbis non minus isto in loco dici posse *de fructu lumbi*, quam *de fructu ventris*: etiamsi in Psalmo sit ventris tantum diserta mentio. Et sane mirum videtur quod Irenæus scriptor non minus diligens quam eruditus, verba ista Petri non observarit. Immo omnino statuendum est, quod is locum optime inspexerit, & aliter legerit, atque hodie in exemplaribus omnibus, tam Græcis quam

Latinis legatur. Cujus etiam rei habemus satis apertum indicium in editione Syriaca. Ibi enim nulla penitus mentio lumbi fit, sed tantum ventris. Ubi obiter (quod tamen ad rem nostram aliquomodo pertinet) notandum est, in eadem Syriaca editione desiderari verba illa, *secundum carnem*, quæ in codicibus tam Græcis quam Latinis leguntur. Et certe cum verba ista non habeantur in Psalmo ipso, neque etiam in alio quodam loco, ad quem Petrus similiter respexisse affirmari possit, id est cap.7. lib.2 Samuelis, verisimile omnino videtur, cum Petrus ipsum Dei jusjurandum & promissionem commemorat, non addidisse de suo duo ista verba, quantumvis illa rectissime alioquin addi possint, atque adeo alibi reipsa addita inveniantur, ubi fit mentio de Christo ex Davidis semine, sive ex Patribus Judæorum prognato, seu mavis ex ipsis Judæis, ut locis supra à nobis citatis ad Rom. cap.1, & 9. Unde potest aliquis conjicere, propter testimonium Irenæi, & Syriacæ editionis, quemadmodum fortasse duo illa verba, *secundum carnem*, adtitia sunt, sic non mirum videri debere, si aliqua mutatio isto in loco Actorum Apostolicorum evenerit in voce *ventris*, pro qua substituta fuerit vox *lumbi*. Veruntamen, quia non libenter sine necessitate nec ipsi recedimus, nec cuiquam ut recedat consulimus, in locis Novi Testamenti à vulgata exemplariumGræcorum & Latinorum lectione, propterea videndum erit, quomodo pro re constanti posito, quod in libro Actorum legi debeat *lumbi*: tamen nihilominus hoc nihil obsit ei rei quam jam constituimus, quod scilicet Christus nullo modo ex semine, proprie loquendo, ipsius Josephi sit natus, & quod nulla verisimilitudo appareat, quod Maria mater Jesu ex ipso Davide prognata fuerit: quod postremum propterea commemoramus, quia, eo non obstante quod Irenæus scripsit & passim traditur, non desunt qui dicant, infantem, qui in utero matris concipitur, non ex semine viri tantum, sed ex mulieris etiam semine simul concipi, in qua sententia Medici vulgo esse videntur. Dicimus igitur, & sic, quod hactenus diserte non fecimus, simul explicabimus, quomodo intelligendum sit, quod Christus ex semine Davidis fuerit natus, dicimus inquam, ob id quod ostendimus, dici merito posse, Christum fuisse Josephi filium, quamvis ex ipsius semine revera non sit conceptus & natus, ob id videlicet tantum, quod Maria, ex qua vere natus est, ejus uxor fuerit, similiter dici posse, Christum ex semine Davidis, sive ex lumbis Davidis fuisse ortum, quia Josephus, cujus filius esse dicitur, revera ac proprie semen Davidis fuerit, & ex lumbis Davidis prognatus. Quanquam si quis velit Medicorum sententiam, quam ante commemoravimus, amplecti, & omnino statuere, id quod fortasse verius est, mulieris semen concurrere ad infantis conceptionem, seu mavis, sine semine mulieris conceptionem istam non fieri, dici hic potest, non minus uxoris semen & lumbos, dici posse semen & lumbos mariti ejus, quam venter dicatur, quemadmodum superius aperte docuimus. Non est tamen sine consideratione prætereundum, quod tametsi in Novo Testamento habeantur locutiones istæ *Ex semine*, &, *E lumbis Davidis*, eæ tamen, ni fallor, non inveniuntur in ipsis divinis promissionibus Vetere Testamento contentis. Quare eo nihilominus redimus, ut una cum Irenæo moneamus, id non sine mysterio factum esse, etiamsi, ut dictum fuit, in ipsa hujus rei causa aliquantum ab Irenæo dissentimus. De loco Psalmi 132, jam dictum est, quod ibi diserte, non lumbi aut seminis sed ventris fiat mentio. In loco porro 2 Sam. cap.7, secundum veritatem Hebraicam, viscerum diserte mentio fit, quod non minus mulieri partum concipienti atque edenti, quam viro illum generanti convenit. Nec enim minus potest dici homo è visceribus maternis, quam paternis extitisse. Jam alibi, ut apud Hieremiam cap.23, & 33, ubi Christus promittitur, & quidem, quanquam verba non sic omnino sonant, ex ipso Davide, nulla fit mentio expressa seminis, seu lumbi Davidis, sed tantum inquit Deus, *Suscitabo Davidi semen*, ita ut nihil aliud requiratur, quam ut Christus ad Davidem pertineat. Pertinere autem jam ostendimus, cum docuimus quomodo filius Josephi sit, licet revera ab ipso non generatus, cum Joseph ab ipso Davide prognatus fuerit: quæ quidem causa est, ut diximus, cur uterque Euangelista tam diligens fuerit in eo ostendendo, ita ut, sive naturalem sive legalem ortum ipsius Josephi spectemus, omnino appareat ipsum à Davide genus suum duxisse. Sed dicet interim aliquis, si nihil necesse erat, seclusa ipsius Dei voluntate atque decreto, ut Christus è Spiritu Sancto conciperetur, cur tamen id factum est, atque hac ratione difficultatibus tota res involuta? Ad hoc dicimus, Deum hac ratione duo efficere voluisse. Unum, ostendere in Christi persona non esse spectandum, ex cujus semine revera natus fuerit. Alterum, nobis specimen quoddam exhibere ortus ac nativitatis nostræ quatenus Christi sumus, & sic quatenus spiritualiter nascimur; quemadmodum videmus ab Apostolis, præsertim Paulo & Petro, ea quæ pertinent ad veram mortem & resurrectionem ipsius veri corporis Jesu Christi, accommodari ad mortem spiritualem nostram, qua mori peccato debemus, & ad resurrectionem itidem spiritualem, qua renovamur ut in vitæ novitate ambulemus, ut habetur apud Paulum præcipue cap.6, ad Romanos. Sed interim objiciet aliquis: Si Deus, ut primo loco dixisti, ostendere voluit, nihil esse curandum ex cujus semine revera Christus natus fuerit, cur tamen adeo expresse promisit, & ab ipso promissum fuisse Apostoli commemorant, Christum ex Davide prognatum iri? Adeo ut non modo non paucis in locis diserte scriptum habeamus, istud ipsum quod dicimus, quemadmodum antea ostensum fuit, sed etiam inveniamus ipsum Christum, Davidem, non modo Davidis filium, fuisse appellatum. Nam de ipso nomine Davidis, attulimus superiùs ad aliud propositum locum Ezechiëlis, itidemque locum Oseæ Prophetæ. Respondemus, id factum propterea fuisse, ut Judæi seu Israëlitæ, quibus Christus seu Messias promittebatur, non haberent ullam excusationem, si, cum exhibitus illis suo tempore fuisset Christus, eum non agnovissent nec recepissent, quippe quod Deus ut promisit sic etiam effecit, ut Christus ita natus fuerit, ut unus quisque merito & existimare & affirmare possit eum è Davide fuisse prognatum, & sic non deesse illi hanc notam, quam illi Deus adhibere voluit, ob prædictam, ut diximus, causam, non autem quod alioqui quicquam necesse esset, ut Christus ex Davide potius, quam ex alio quopiam à Davidis familia dissito, ortum suum duceret. Immo ne necesse quidem erat, ut Christus ex aliqua muliere, vel alia quavis ratione ex hominibus propagaretur: sed tantum necesse erat, considerata ratione quomodo per Christum Deus nos servare vellet, ut is revera esset homo. Ad hominem autem constituendum nihil necesse est, eum ex homine nasci, id quod tum experientia, tum ratio, & consensus prudentium virorum manifeste docet. Nam quod attinet ad experientiam, videmus ac scimus omnes, Adamum patrem omnium hominum, verissimum hominem fuisse, & tamen is ex nullo homine prognatus fuerat, sed ab ipso Deo creatus. Quod vero attinet ad rationem & consensum virorum prudentium, scimus non minus ad hominis essentiam constituendam non requiri, ut is ex homine aliquo nascatur; sed ipsius essentiam eo constare ac contineri, quod sit animal rationale, seu mavis, substantia sensu ac ratione prædita, ubi igitur mihi talem dederis, jam hominem verissimum habebo, etiamsi ex nullo homine prognatus fuerit. Quare, ut alia multa omittamus quæ dici tota hac de re possent, quippe quod ea, quæ dicta à nobis fuerunt, satis esse videantur, concludimus tandem, tertiam illam difficultatem, quæ oriebatur ex duabus illis Christi Genealogiis ab Euangelistis descriptis, nullius momenti esse, neque ob illam magis, quam ob duas alias priores, quicquam dubitandum esse de fide ipsorum Euangelistarum ac veritate, hac quidem in parte; unde similiter concludimus jam nihil superesse, quod nobis persuadere possit, scriptores Novi Testamenti minus

minus veri aliquid scripsisse. Et sic absoluta tandem erit examinatio primæ causæ, cur fortasse quis scriptis Novi Testamenti fidem adhibendam non esse suspicari possit, jamque ad secundam causam, Deo bene annuente, accedendum tandem nobis est. Tametsi non ignoramus alia multa, præter ea quæ à nobis commemorata sunt, objici à nonnullis Novi Testamenti scriptis, potissimum vero scriptis Euangelistarum, ex quibus suspicari merito quis posse videatur, ne historia in ipsis contenta non sit vera, de quibus si voluissemus, ut quidem deceret, ea diligentia disputare, qua de aliis multis quæ commemoravimus, disputatum à nobis est, nimis multum temporis in ea re consumere opus fuisset, propterea satius esse duximus, cum præsertim ex illis, quæ à nobis examinata sunt, possit quilibet pius & cordatus homo conjicere atque intelligere, cujusmodi sint objectiones istæ quæ scriptis Novi Fœderis fiunt, exque à nobis dictis, fortasse per similitudinem quandam, veram solutionem petere aliquarum ex istis objectionibus, quas non attigimus, satius, inquam, esse duximus, jam ulterius progredi, cum unicuique merito videri possit, nos nimis diu in tractanda hac prima causa versatos fuisse.

Secunda igitur causa quam fecimus, ut merito videri queat alicui libro fidem adhibendam non esse, ea est, si de auctore ipsius libri minime constat. In qua causa examinanda, ejusque examinatione ad rem nostram accommodanda, duo nobis facienda sunt. Primum, considerandum nobis est, quam vim causa ista habeat & quanti momenti ea sit. Deinde inquirendum, An illa in eo, de quo quærimus, locum nec ne habeat. Itaque quod ad illud attinet, quod priori loco proposuimus, videtur omnino ignoratio auctoris alicujus libri impedire, quominus tali libro fides adhibeatur, sive in rebus historicis, sive in iis quæ ad doctrinam pertinent. Nam quod attinet ad historiam, certum est, potissimam causam, cur libro alicui, quidquid sit narranti, ea in parte fides habeatur, esse, quod ejus scriptor recte noverit ea quæ ibi narrantur: vel quia ipse præsens fuerit, vel quia ab iis, qui præsentes fuerunt, audierit, vel quacunque alia ratione ad veram notitiam & cognitionem suæ narrationis pervenerit. Atqui hoc nullo pacto sciri à nobis potest, nisi simul sciamus quisnam fuerit ipsius libri scriptor; ad quod præterea necesse est ut sciatur, an iste talis homo fuerit, quem non sit verisimile scientem prudentem voluisse mentiri. Quod vero attinet ad ea quæ ad doctrinam spectant, non videtur posse negari, necesse esse, si scriptori alicui credendum à nobis sit, scire, eum fuisse peritum ac doctum ejus sive scientiæ, sive artis, seu denique facultatis ad quam ista referuntur. Verum hic quoque non apparet, quomodo possimus istud rescilcere, ubi quisnam fuerit scriptor iste ignoraverimus. Verumtamen considerandum est cum ratione, tum experientia duce, quod, quamvis negari non possit, quin ignoratio ista Scriptoris, possit ipsa per se ista impedimenta afferre quæ commemoravimus, & propterea digna sit, de qua à nobis diligenter quæratur, utrum ea in scriptis Novi Testamenti locum vel habeat, vel habere posse videatur: tamen ex altera parte facile fieri potest, ut dignissimæ talesque causæ adsint, cur alicui libro fides haberi queat, & porro debeat, etiamsi ejus scriptor plane ignoretur. Quicquid enim paullo ante diximus scitu necessarium esse, ad fidem libro alicui adhibendam, & videri haberi non posse, si scriptor libri ignoretur, id totum nihilominus sciri à nobis potest, modo testimonia fide digna habeamus, vel quod scriptor ejusmodi fuerit, quem non sit verisimile aut falsum fuisse, aut quemquam fallere voluisse: etiamsi alioqui ejus nomen ad notitiam nostram non pervenerit: vel quod, quicumque tandem eum librum scripserit, vera omnino ea sint quæ in eo leguntur. Ratio enim apertissime dictat, ejusmodi testimonia satis esse ad fidem libro alicui conciliandam, nihilominus ut scriptoris nomen ignoretur. Jam quod attinet ad experientiam, exemplis omissis librorum non sacrorum, unde fortassis quædam illustria peti possint, plus satis exemplorum, eorumque valde illustrium habemus in ipsis libris sacris. Sunt enim inter scripta Veteris Testamenti libri non pauci, & historiam, & doctrinam continentes, quibus ab omnibus veram divinarum rerum scientiam confitentibus, semper integra fides adhibita fuit, & quorum testimonio, ipsi Sacri Novi Fœderis scriptores, adeoque Christiani omnes, uti non dubitant, quorum tamen quis fuerit auctor plane ignoratur. Et ne Judæi quidem ipsi, alioquin in ejusmodi rebus curiosissimi, & tantum non superstitiosi, cum interim tamen istis ipsis scriptis summam perpetuo habuerint fidem, quinam ipsorum auctores fuerint, audent vel affirmare, vel in plerisque dubitantes, saltem asserere. Ex horum autem librorum numero est liber Josue, liber Judicum, libellus Ruth, duo libri Samuelis, duo libri Regum, & alii, quos silentio prætermus, libri tantum Jobi adhuc mentionem facientes, quippe qui valde insignis liber sit. Sive ipsam historiam spectes, sive doctrinam multiplicem, non sine prophetico alicubi spiritu, quæ in eo continetur: & tamen quis librum istum scripserit, nullo modo certo unquam sciri à quoquam potuit, & tamen non modo is liber summo communiter in pretio est, tum apud Judæos, tum apud Christianos, & quantumvis difficilis atque obscurus, eximiam atque irrefragabilem auctoritatem apud utrosque semper habuit, sed etiam habet is liber comprobationem apertam ac manifestam in ipsis Sacris Novi Testamenti scriptis. Primum enim Paulus Apostolus priore Epistola ad Corinthios citat locum & verba tanquam divinitus scripta, auctore interim non nominato, quæ tamen non nisi in libro Jobi leguntur, nempe cap.5, & 13, ea verba sunt de Deo ejusmodi, *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum.* Ubi interea animadvertendum est, in vulgata Latina editione Paulini loci, non legi, ut in loco Jobi, *Qui comprehendit*; sed, *comprehendam.* Ex quo audacter pronunciare posse videmur, mendosam esse vulgatam istam lectionem loci Paulini, præsertim cum ipsius nullum vestigium inveniatur in Græcis codicibus, & ipsa Syriaca translatio cum Græcis exemplaribus plane consentiat, habens ut illa, *Qui comprehendit*, quemadmodum apud Jobum legitur. Ex quo apertius confirmatur omnino testimonium istud à Paulo citatum, ex illo Jobi loco petitum fuisse. Deinde vero Jacobus in Epistola sua cap.5, non obscure mentionem facit istius Jobi historiæ, ipsamque ut verissimam commemorat, inquiens: *Sufferentiam Jobi audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est.* Ex quibus verbis apparet, illum Jobi historiam pro vere sacra habere, & quæ ibi Deo tribuuntur, à se ut verissima sic notatu dignissima judicari. Apparet igitur fieri posse, ut libro alicui, res quantumvis magnas atque arduas, vel ad historiam, vel ad doctrinam continenti, merito possit fides à nobis haberi, atque adeo id facere debeamus, etiamsi ipsius auctor penitus ignoretur; quod expresse docere ac tradere hic voluimus, ut quemadmodum alibi fecimus, ita & hic rei ipsius veritatem aperire, quantum in nobis est, non negligamus. Non autem quia hac ratione difficultatem, quam nobis afferre hæc secunda causa possit, aliquomodo devitemus. Jam enim, Deo bene juvante, ostensuri sumus, eam in plerisque ac fere omnibus Novi Testamenti scriptis, nullum locum habere, & admodum evidenter constare, aut certe facile conjici posse ac statui, quinam fuerint istorum scriptorum auctores. Ad illud igitur aggredientes, quod posteriore loco in hac secunda causa nobis faciendum proposuimus, quodque majoris momenti est, & proprium hujus loci ac disputationis, dicimus, tantum abesse, ut de auctoribus librorum Novi Testamenti, de plerisque, inquam, dubitari possit, quinam fuerint, & affirmari eorum nomina nobis certo nota non esse, ut nullus unquam

liber fortasse scriptus fuerit, de cujus auctore tam certo constet, quam de libris Testamenti Novi. Est siquidem talis, ut sic dixerim, certitudo petenda potissimum ex rebus duabus. Una est, testimonium eorum, qui vel tunc temporis, vel paullo post vixerunt, cum liber scriptus fuit. Altera est, consensus hominum judicio præditorum, de eo quod liber continet aliquid statuere valentium, consensus, inquam perpetuus ac diuturnus, quod libri auctor is fuerit, qui esse dicitur. Atqui utraque hæc res, sine ullo dubio, apertius atque uberius locum habet in Novi Testamenti scriptis, quam in ullo alio libro vetere. Multa enim sunt testimonia hominum, qui non longe ab ea ætate, immo etiam quidam eo ipso tempore vixerunt, quo, si non omnis, pars tamen aliqua istorum scriptorum est edita, ex quibus satis constat, auctores eos fuisse scriptorum istorum, qui esse dicuntur, ut præcipue ex Ignatii Epistolis colligi potest. Quæ licet fortasse, ut ad nostras manus pervenerunt, nonnullis in locis sint contaminatæ: tamen satis constat, illas alioqui non esse adulterinas, maxima quidem ex parte. Verum Ignatius, Johannis Apostoli & Euangelistæ discipulus fuisse, constantissime à veteribus traditur, post ipsius vero Epistolas, habemus Justini, Irenæi, & Clementis Alexandrini opera, ex quibus testimonia ejusmodi colligi possunt. Fuerunt autem tres isti scriptores, eo ordine quo ipsos recensuimus, alius post alium, non ita procul ab Apostolorum temporibus, ut multos alios omittamus pervetustos scriptores, ex quibus itidem talia testimonia peti queunt: sunt enim ipsorum scripta, quæ ad manus nostras pervenerunt, quamvis, ut ex multis indiciis constare potest, non plane adulterina, contaminatiora tamen etiam, quam esse diximus Ignatii Epistolas. Jam de communi consensu, eoque perpetuo ac diuturno, cordatorum ac peritorum hominum, quod auctores maximæ partis ac potissimæ Testamenti Novi ii sint, qui esse hodieque creduntur, & qui à nobis supra in prima causa examinandá expositi sunt, non est quod quisquam, ne leviter quidem, dubitare possit: ut satis intelligere poterit, quisquis libros veterum Christianorum evolverit, & nominatim libros Ecclesiasticæ historiæ Eusebii, cognomento Pamphili, pervestigaverit, ex quibus facile deprehendet, usque ad ipsius ætatem, id est per spatium ducentorum & quinquaginta, atque eo plus, annorum, ex quo scripta Novi Fœderis edita fuerunt, ab iis, qui Christianam religionem profitebantur, nihil dubitatum fuisse, quin quatuor Euangelia, Acta Apostolorum, Epistolæ Paulo inscriptæ omnes, excepta illa una quæ est ad Hebræos, prior Petri Epistola, & prima Johannis, ab iis revera scriptæ fuerint, à quibus scriptæ esse feruntur, adeo, ut quamvis non deessent, qui Pauli Epistolas rejicerent, tamen non propter id rejicerent, quod ab ipso Paulo Apostolo scriptas esse diffiterentur, immo ob hoc ipsum auderent id facere, quod Apostolus Paulus earum auctor esset. Ajebant enim, cum apostatam fuisse, & desertorem divinæ legis, cui calumniæ obnoxium ab ipso initio eum fuisse, non obscure docet historia Actorum Apostolicorum. Extat autem testimonium istud, quod diximus, de Pauli Epistolas rejicientibus, apud Eusebium lib.3. cap.21. Atque hic obiter monemus, quia sæpius ejusdem Eusebii auctoritate deinceps nobis utendum erit, cum numerus capitum librorum ejus, historiæ Ecclesiasticæ non idem sit ubique in Latinis, quas habemus, ejus operis translationibus, nec fortasse in editionibus Græcis, nos in citando sequutos numerum ac divisionem, quæ habetur in translatione Johannis Christophorsoni, quandoquidem eam nos tantum habemus, eaque una utimur. Idem porro quod apud Eusebium in prædicto loco legitur, habetur etiam apud Irenæum lib.1. cap.26.

Sed quia in Bibliotheca Sancta Sixti Senensis lib.7, ex Augustino annotatum legimus id, quod indicat etiam ante Eusebii tempora fuisse celebres aliquot homines, qui de quibusdam libris Testamenti Novi dubitarint, an ab iis fuerint scripti, quorum nomen in fronte gerunt, id quod videtur pugnare cum eo quod paullo ante asseruimus, aliquid, antequam ulterius progrediamur, ad hoc respondendum nobis esse censuimus. Sunt autem homines isti celebres, quod diximus, ii, qui Manichæi vocati sunt, quorum dux & auctor Manes seu Manichæus, ante Eusebii ætatem vixit, imperante (ut conjici potest) Diocletiano. Jam igitur respondemus, Manichæum istum, quamvis alioqui celebrem, vix numerari posse inter eos qui Christianam religionem profiterentur, ut intelligi potest ex iis, quæ de eo memoriæ prodiderunt tum Eusebius lib. 7. cap. 25, tum vero Socrates lib.1. cap.17. Unde etiam facile est colligere, hominem istum, si quis contenderet illum omnino inter eos numerandum, qui Christi religionem profiterentur, de rebus talibus, id est, an essent vere auctores scriptorum Novi Fœderis illi qui esse perhibentur, nec cogitasse quidem; sed de eo cogitare demum cœpisse eos, qui posterioribus ætatibus ab eo denominabantur, quos, facile est conjicere, alias ac diversas ab auctore isto suo sententias in religione sequutos fuisse: atque saltem primum animadvertisse, non pauca scriptorum Novi Testamenti loca, suis sententiis maxime adversantia esse, & propterea, ut auctoritatem illorum minuerent, dicere cœpisse, non eos fuisse illorum scriptores, qui esse dicebantur. Quandoquidem alioquin de ipsorum scriptorum auctoritate dubitari à quoquam merito nihil poterat, quemadmodum à nobis in superiore causa examinanda demonstratum est. Mirum autem proculdubio omnibus videri debet, cum de libri alicujus auctore minime dubitari soleat, quin is sit qui esse traditur, nisi aperta & valida aliqua ratio contrarium suadeat atque ostendat, inveniri tamen homines, qui aut dubitent, aut etiam negent illos fuisse scriptores librorum Novi Testamenti, quorum nomina ipsi inscripta gerunt; quamvis nullam, nec firmam, nec evidentem rationem adferre possint, cur id faciant. De iis, qui à Christiana religione vel professione vel animo sunt alieni, ab eoque abhorrent, ut vitam & mores suos ex istorum librorum præscripto componant, non adeo mirandum videtur; nec nos sane cum ejusmodi hominibus nunc rem habemus: sed si id ab iis fiat, qui Christianam religionem & verbis & corde profitentur, cum quibus ut ab initio præfati sumus, in tota hac disputatione nobis res est, id sane valde mirum videri debet, cum, ut dictum fuit, si causæ considerentur, propter quas statuendum sit, auctorem alicujus libri ejusque nomen certum esse, eæ potissimum, & multo uberius, quam in ullo alio libro, in Novi Fœderis scriptis locum omnino habeant. Sed dicet fortasse quispiam, tu ipse tamen non videris diffiteri, quædam esse scripta Testamenti Novi, in quibus causæ istæ non habeant locum, ea videlicet quæ paullo ante, in iis recensendis, ubi prædictæ causæ vigent, omisisti; nempe Epistolam ad Hebræos, Epistolam Jacobi, secundam Petri, secundam & tertiam Johannis, Epistolam Judæ, & Apocalypsin. Ad hoc primum dico, etiamsi concederem, istorum omnium scriptorum auctores esse incertos, ac proinde (quamvis ex hoc illud non sequatur, ut ante docuimus) ipsorum auctoritatem similiter esse incertam, id tamen non tam multum momenti haberet, ad quidquam de Christianæ religionis dogmatis, nec ne statuendum. Cum nihil sit revera in scriptis istis, quod in reliquis, quæ multo plura sunt, & de quorum auctoribus dubitari non posse docuimus, non similiter inveniatur. Deinde dicimus, posse nos ostendere, de bona ipsorum parte jam vix dubitari posse, si quis probabilitatem, ut hic fieri debet, sequi velit, quinam fuerint ipsorum auctores. Non omittentes interim, quod modo indicavimus, non propterea auctoritatem detrahendam esse ulli ex scriptis istis, etiamsi eorum auctor nesciatur. Ut igitur hoc, quod nunc quodammodo proposuimus, suo loco exequamur ac præstemus, recte erit,

erit, ut per singulos Novi Testamenti libros, eo ordine, quo illos dispositos habemus, percurrentes, aliquid nominatim de certitudine authorum differamus, & ad ea respondeamus, si qua sunt quæ objiciantur, ad ostendendum non eos esse auctores quibus inscribuntur.

Primum igitur occurrit de Matthæi Euangelio, seu de eo Euangelio quod inscribitur secundum Matthæum, videre, an aliquid afferatur ad probandum Matthæum Jesu Christi Apostolum, non fuisse scriptorem illius historiæ. Antequam tamen aliud faciamus, repetendum hic est, cum agitur, an sciatur nomen illius qui librum aliquem scripsit (de hac enim re in secunda causa, quam nunc tractamus, agitur) non esse intelligendum nominis voce seu appellatione ipsum nudum nomen, sed personam ipsam, de qua dubitetur, an ipsa, an vero alius quispiam librum, de quo agitur, scripserit, & propterea cum de ipso Euangelio, quod Matthæo inscribitur, quæstio est, an vere istius scripti auctor sciatur, non quæri simpliciter, an auctor Matthæus nominaretur, sed, an auctor fuerit Matthæus ille, qui in numerum 12, Apostolorum à Christo fuit cooptatus. Jam quod Euangelium istud à Matthæo isto minime fuerit scriptum, tria, ut quibusdam placet, indicare videntur, isti vero quidam, ut refert Sixtus Senensis, non multo ante citato libro 7, suæ Bibliothecæ Sanctæ, partim fuerunt Manichæi, partim quidam nostri sæculi Anabaptistæ. Prima igitur ratio, quam prædicti afferunt, ad ostendendum Matthæum Christi Apostolum, non fuisse scriptorem ejus libri, hæc est, quod in libello isto cap.9, fit mentio diserte ipsius Matthæi Apostoli, cum primum à Christo vocatus est, & se sequi jussus, ac postmodum Apostolus declaratus, fit inquam ipsius mentio, tanquam personæ diversæ ab eo qui Euangelium istud scripsit; quippe qui tanquam tertia, ut loquuntur, persona nominetur, nec dicatur, vocavit me nomine Matthæum, ut videretur debuisse scriptum esse, si ipse Matthæus scriptum illud edidisset, sed scriptum legatur; *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine &c.* Nam quod quidam, ad hanc objectionem respondentes, ajunt, Johannem similiter in suo Euangelio, de cujus auctore, & quin revera Johannes Apostolus ejus scripti auctor fuerit, nihil dubitatur, de seipso, ut tertia persona, loqui, seipsum non semel nominantem appellatione illa discipuli quem diligeret Jesus, hoc non videtur satis esse, ad confirmandum, Matthæum similiter potuisse de seipso in tertia persona scribere; immo exemplo isto, ejus quod fecit Johannes Apostolus in sua Euangelica historia, magis videtur confirmari objectio prædicta, indeque suaderi, Matthæum Apostolum non fuisse scriptorem Euangelii, quod ipsius esse creditur, cum verisimile omnino sit, si scriptor illius historiæ fuisset Matthæus ille à Christo vocatus, & in tertia persona à scriptore nominatus, subjecturum alicubi postea scriptorem fuisse, istum, quamvis in tertia persona nominatum, fuisse ejusdem illius historiæ scriptorem. Nam Johannes id fecit. Cum enim, videlicet ut dictum est, non semel, antea seipsum in tertia persona nominasset, antequam suæ scriptioni finem imponeret, ad ipsum finem declarare voluit, istum ipsum in tertia persona nominatum, & discipulum quem Jesus diligeret appellatum, fuisse scriptorem illius ipsius historiæ, inquiens cap. ultimo ℣.24, *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, &c.* Alia igitur ratio quærenda est respondendi ad objectionem istam, Johannis Apostoli exemplo omisso, quod potius objectionem istam validiorem facit. Itaque dicendum est, mirum videri debere, quod quis ista objectione uti ausus fuerit, cum, ut exempla non pauca prophanorum scriptorum indicare possunt, non infrequens res sit, ut scriptor alicujus historiæ de seipso, in ipsa historia tanquam de tertia persona loquatur. Sed omissis scriptoribus prophanis, unus sacer scriptor Moses solus, plusquam satis esse potest ac debet ad objectionem istam diluendam, ejusque futilitatem ostendendam, ut alios sacros scriptores missos faciamus, de quibus partim plane constat, partim pro certo habetur, eos fuisse auctores scriptorum, in quibus de se, tanquam de tertia persona loquuntur. Moses certe millies in quinque illis libris, quos ipse scripsit, præter primum, in quo ipsius, utpote nondum nati, nulla fieri potuit mentio, de se ipso mentionem facit, & semper ac perpetuo in tertia persona. Nam si quis sit fortasse, qui dubitet, an Moses revera libros istos scripserit, præter perpetuam ac constantissimam famam atque sententiam, apud omnes cujuscumque generis scriptores, qui testati sunt Mosem ipsum illa scripsisse, probat id ipsum Christi inexpugnabilis auctoritas, cum alibi, tum cum Saducæis respondens de resurrectione mortuorum, ait; *An non legistis in libro Mosis, super rubum quomodo dixerit illi Deus &c,* ut habetur Marci cap.12.26: apparet enim evidentissime, Christum ibi citare locum Exodi, qui est secundus ex illis quinque libris cap.3.℣.6, & tamen videtis quod librum istum, librum Mosis appellat, quantumvis in eo ipso loco, quem citat, Mosis mentio in tertia persona fiat. Nam, si quis excipiat, potuisse librum Mosis, librum istum appellari à Christo, etiamsi Moses ipse illum non scripserit, eam nimirum ob causam, quod in eo Mosis acta scripta leguntur, ne diutius in hac exceptione refellenda immoremur, legat iste quid Lucas de hac eadem re scripserit cap.20, ibi enim inveniet ℣.37, ita ab ipso Christum loquentem inductum fuisse, *Quod vero resurgant mortui, & Moses ostendit secus rubum, sicut dicit &c.* Ecce Lucas diserte facit Christum affirmantem, ea, quæ in loco isto Exodi scripta leguntur, & nominatim verba illa, nomine Dei ibi prolata, *Ego sum Deus Abraham &c,* à Mose dicta, id est scripta, seu scribendo relata fuisse. Solent igitur scriptores, ut diximus, tam prophani, quam sacri, in historiis suis de seipsis, quatenus contingit ut ipsi ad historiam ipsam pertineant, in tertia persona loqui, idque partim modestiæ cujusdam causa, partim quia volunt historias suas ita legi, ac si à veritatis ore, ut sic dixerim, illæ manarint, & propterea de iis quæ scribunt nihil dubitandum esset.

Absoluta prima ista objectione, ad secundam veniamus. Ea autem est, quod antiqui scriptores testantur, Matthæum Apostolum, Euangelium suum Hebraicis literis, Hebraicaque lingua scripsisse. Id enim primum antiquissimus scriptor Papias scriptum reliquit, quemadmodum testatur Eusebius historiæ Ecclesiasticæ libro tertio cap. ultimo Idem testatus est Irenæus lib. 3. cap. 1. Idem, ut aliorum testimonia non pauca silentio prætereamus, testatus est postremo Hieronymus, in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, qui etiam addit, istius Euangelii Hebraicè scripti exemplum, sua ætate servatum fuisse in Cæsariensi Bibliotheca, indeque se exemplum simile habuisse, quod si verum est, Matthæum Apostolum, suum Euangelium Hebraice scripsisse, videtur omnino statuendum, istud, quod hodie Matthæo inscriptum habemus, ab ipso minime fuisse scriptum. Cum multa docere videantur, Euangelium istud nostrum Græce scriptum fuisse, non autem ex Hebraico sermone in Græcum transfusum. Affert hujusce rei indicia non pauca Matthias Flacius Illyricus, in præfatione sua in idem Euangelium, quæ sane magnam vim habere videntur, & partim etiam ab aliis ante ipsum considerata, & in medium allata fuerunt, inter ipsa vero illud videtur esse satis insigne, quod Hebraica quædam verba ibi exposita inveniuntur, ut capite 1 verbum Immanuel, cap.27, verba illa Christi cruci jam affixi; *Eli, Eli lama sabathani.* Nam, inquiunt isti, si Hebraice fuisset ista historia scripta, nullo pacto fieri potuisset, ut ista interpretatio Hebraicarum vocum in ipsa subjecta fuisset. Sed præter hoc, quod fortasse aliqua ratione dilui potest, id mihi potissimum consideran-

derandum videtur, quod contrarium statuere fortasse possumus ejus, quod Hieronymus in loco prædicto scribit, & affert ad probandum quod Euangelium istud Hebraice fuerit scriptum. Inquit enim hujusce rei indicium esse, quod in eo citantur loca ex Vetere Testamento, quæ non habentur in Græca editione, sed tantum apud Hebræos. Nam potius videtur statuendum, ex citatione Veteris Testamenti agnosci posse, Euangelium istud Hebraice non fuisse scriptum. Etenim sine dubio, si Hebraice scriptum foret, quod potissimum propter Hebræos factum fuisset (ut quidem illi ipsi ajunt, qui Hebraice scriptum fuisse contendunt) non fuissent citata loca, nisi ut plane in ipso Hebræo fonte leguntur: & tamen aliter factum videmus, ut cap. 2, in citando loco Micheæ 5, ad probandum, quod Christus in Bethleem nasciturus erat, *Et tu Bethleem &c.* Aliter enim habet locus iste in ipso Hebræo fonte, quam istic in Euangelio citatur. Capite etiam 21 ejusdem Euangelii, citatur locus ex Zacharia cap. 9, satis truncate, ut ita loquar, & quidem quibusdam verbis omissis, quæ ad Christi præstantiam plurimum pertinent, illa inquam, *justus & servator*, quæ in Hebræo habentur. Alia, quæ afferuntur ad probandum, Euangelium istud Græce scriptum fuisse, & ab aliis, potissimum vero, ut diximus, à Flaccio Illyrico colliguntur atque urgentur, non est cur nunc nos urgeamus, aut examinemus: potest unusquisque ipse istos scriptores per se consulere, quandoquidem nostrum potius est ostendere, quamvis concedamus, Euangelium istud nostrum, quod Matthæo inscriptum habemus, fuisse Græce scriptum, non tamen inde sequi, hoc non illud fuisse quod Apostolus Matthæus scripsit, quippe scilicet, quod Euangelium suum non Græce sed Hebraice scripserit. Cum enim breviter ostensuri fumus, eo non obstante, quod scriptores à nobis paullo ante enumerati & indicati testantur, nullo pacto verisimile videri, ut Matthæus Apostolus Euangelium suum Hebraice scripserit, sed omnino censendum eum id Græce scripsisse, idque illud ipsum esse, quod hodie una cum aliis Græce scriptum habemus.

Paucula quædam auctoris desiderantur. Reliqua prorsus auctor non absolvit.

FINIS.

TRACTATUS

DE

ECCLESIA

FAUSTI SOCINI SENENSIS.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

In hoc opuſculo continentur iſta:

Pontificios sua dogmata & ritus, Ecclesiæ auctoritate, minime tutari posse, & Quæstionem de Ecclesia, quænam sive apud quos sit, non esse necessariam.



SOlent Pontificii, aut sua sponte, ut auctoritatem suis omnibus dogmatis & ritibus concilient: aut cum urgentur, ut testimonia proferant certa & indubitata, de veritate quorundam dogmatum, deque divina institutione, quorundam rituum apud ipsos receptorum, & in Sacris Literis minime expressorum: aut denique cum reprehenduntur, quod dogmata quædam & ritus habeant, ipsis Sacris Literis repugnantes, huc tandem confugere, ut dicant, Ecclesiam errare non posse, apud se vero esse Ecclesiam. Huic rationi occurrendum est, cum negando propositionem, tum vero maxime assumptionem. Propositio enim ista, Ecclesia errare non potest, non est absolute vera, cum nihil vetet, Ecclesiam in quibusdam errare, ut postea explicabimus. Assumptionem autem, quæ est, apud Pontificios esse Ecclesiam, Ecclesiam inquam Christi veram, & de qua propositio accipienda est, quomodo Pontificii probent, non inveniunt; id quod ostendere in promptu est. Sed de propositione, ut decet, prius agamus.

Si intelligere velimus, ac penitus nosse, an Ecclesia errare, nec ne possit, & quatenus; necesse est statuere, quid Ecclesiæ nomine intelligamus, vel potius ipsi Adversarii intelligant, intelligereve debeant, in ista ipsorum ratiocinatione. Jam certum est, ipsos Ecclesiæ nomine intelligere, aut certe intelligere debere, cœtus omnes aspectabiles eorum, qui salutarem doctrinam Christi tenent, ac profitentur, quos omnes coetus ubilibet terrarum existentes, tanquam unum cœtum considerant, atque accipiunt. Hanc Ecclesiæ appellationem & significationem ipsi quoque admittimus, & frequenter eam in Sacris Literis inveniri agnoscimus: tametsi aliam etiam istius nominis significationem, in eisdem Sacris Literis, inveniri affirmamus, quam Pontificii non agnoscunt, sed potius eam rident, ut scilicet Ecclesia significet omnes, non professione tantum, sed simul etiam, reipsa Christi fideles, & revera pios, qui per universum orbem terrarum sunt sparsi, nec mortalium oculis, qui hominis cor inspicere nequeunt, certo apparent, quam ob causam non potest hæc Ecclesiæ significatio ad præsentem quæstionem pertinere.

Cum igitur adversarii dicunt, Ecclesiam errare non posse, intelligendum est, eos affirmare, cœtus omnes, vel universos aspectabiles, in orbe terrarum existentes, tanquam unum cœtum consideratos & acceptos, qui salutarem Christi doctrinam tenent, ac profitentur, errare non posse. Hæc propositio, simpliciter, & absolute accepta, non minus rejicienda est, quam admittenda, si secundum quid, & secundum potiorem partem accipiatur. Sicut enim nemini dubium esse potest, quin ubi salutaris Christi doctrina est, ibi in iis, quæ ad salutem æternam adipiscendam scire ac statuere sit necesse, errari non possit; sic certum esse debet, nihil prohibere, quominus ibidem errari queat, in aliis affirmandis, constituendisve, quæ non sunt hujus generis. Certe enim, sine istorum cognitione, salutaris Christi doctrina consistere potest. Ex quo consequitur, permulta esse posse, ad ipsam Christianam religionem aliquo modo pertinentia, tam in dogmatibus, quam in ritibus, de quorum veritate ac præstantia, Ecclesiæ judicio stare nihil cogat, ut pote in quibus Ecclesia ipsa errare queat. Permulta siquidem tam dogmata, quam ritus esse possunt, quæ aliqua ratione ad Christi religionem spectent, nec tamen ad salutem æternam consequendam quidquam de illis firmiter statuere, sit necesse. Hanc necessitatis & non necessitatis ad salutem distinctionem, tam in dogmatibus, quam in ritibus agnoscunt passim Theologi ipsi Pontificii, tametsi multo plura necessaria ex utroque genere faciunt, quam facienda sint, de quibus non est hic dicendi locus. Satis enim est ostendisse non esse absolute verum, Ecclesiam errare non posse.

Quod si fortasse adversarii, Ecclesiæ nomine aliud quidpiam intelligunt, idque excellentius, quam sint coetus omnes hominum aspectabiles, tanquam unus coetus accepti ac considerati, qui per universum orbem, salutarem Jesu Christi filii Dei doctrinam, tenent ac profitentur, cum dubium non sit, quin ipsi, ut antea dictum est, Ecclesiam illam inaspectabilem, quam soli vere pii homines, & Christo fidentes constituunt, minime agnoscant, necesse est, hoc esse, ipsorum inventum sacris testimoniis nullo modo consentaneum. Cui tamen Ecclesiæ ab ipsis somniatæ (si modo aliam quandam, ea quam diximus, præstantiorem, intelligunt) nihilo magis quam veræ, & à nobis commemoratæ, ut in iis, quæ ad salutem æternam consequendam necessaria non sunt, errare nequeat, à Deo concessum fuisse, non probabunt unquam. Nam ne ipsi quidem inaspectabili illi Ecclesiæ, quæ vera est illa Christi sponsa & corpus, cujus ipse non voluntate modo, ac potentia sive potestate, sed omnino reipsa & actu servator est, quidquam amplius, quod huc pertinere queat, tribui invenies, quam, illam ab inferni potestate securam esse; ex quo id tantum colligi potest, eam in iis, quæ ad salutem æternam consequendam sunt necessaria, minime errare. Nam istorum tantum, non aliorum ignoratio, inferni potestati, id est, æternæ morti homines obnoxios reddit. Sed jam de argumentationis assumptione videamus.

Affirmant igitur Pontificii, apud se esse veram Ecclesiam, quod perinde est, ac si dicerent, se tenere ac profiteri salutarem Christi doctrinam, quemadmodum intelligi potest ex iis, quæ in examinatione propositionis diximus. Hoc vero quomodo probabunt unquam, nisi prius ostenderint, suam doctrinam cum divinis oraculis consentire, & sic ad examinationem Sacrarum Literarum deveniant, quam ista sua argumentatione ab Ecclesia sumpta, ut declinent, potissimum curant. At ajunt ipsi, Ecclesiæ esse notas quasdam, ex quibus ea facile agnosci queat, nec opus esse se torquere, in examinandis in hunc finem Sacris Literis, quas facile ad suam quisque sententiam confirmandam quilibet homo non rudis, pertrahere possit: sed præstare ex notis istis perquirere Ecclesiam, eaque inventa ejus doctrinæ, ut pote salutari, acquiescere. Ad hæc ita respondemus.

Primum dicimus, ex notis quibusdam velle cognoscere Ecclesiam, non autem ex eo, an habeat, profiteaturque doctrinam Christi salutarem, perinde esse, ac si quis hominem cognoscere vellet, non ex eo, an sit animal, ratione, ac mente præditum, sed ex quibusdam externis, & ad hominis essentiam ipsam constituendam minime pertinentibus. Et sane, quemadmodum ridiculum esset, si quis, cum dubitaretur, an

quoddam

quoddam individuum (ut loquuntur) esset homo, nec ne? ex externis quibusdam quantumvis hominis propriis, id hominem esse, demonstrare vellet, & interim adversario ostendenti, non esse id ratione & mente præditum, respondere negligeret: sic ridiculum omnino est, cum Pontificii volunt ex istis Ecclesiæ notis demonstrare apud se Ecclesiam esse, & interim respondere nobis negligunt, qui in promptu habemus ostendere, ipsos Christi doctrinam salutarem non habere. Nam si vel unum aliquod dogma, vel ritum in rebus ad salutem æternam necessariis apud ipsos esse docuerimus divinis testimoniis contrarium, jam satis ostensum erit, eos Christi salutarem doctrinam minime habere, id autem & pridem abunde docuimus, & porro docere parati sumus, non de uno tantum dogmate aut ritu, sed de pluribus, immo de hoc ipso sæpe tunc agitur, cum ipsi hoc argumentum ab eo, quod Ecclesia errare nequeat petitum, proponunt atque inculcant. Eo enim, ut ab initio attigimus, tunc uti solent, cum aciem nostrorum adversus se argumentorum retundere volunt.

Deinde ad id, quod dicunt de Sacris Literis, quod facile ab unoquoque, qui rudis non sit, ad suam sententiam confirmandam pertrahi possint, respondemus, si ita res se haberet, nihil certi de istis Ecclesiæ notis statui posse, cum ipsæ notæ, si certæ atque indubitatæ esse debent, ex divinis testimoniis petendæ sint. Divina autem testimonia, de quibus omnes, qui Christum profitemur, unanimiter consentiamus, nulla sint præter ea, quæ Sacris Literis continentur.

Dicunt quidem ex ipsis quidam, Ecclesiæ notas in Sacris Literis, quamvis alioqui admodum aptis ad plures ac diversos sensus accommodari, ita aperte consignatas extare, ut de illis nullum dubium esse possit. At nos vicissim affirmamus, ex multis sententiis, quas in Sacris Literis clarissimas, & cuilibet etiam rudi homini intellectu facillimas, ipsimet Adversarii extare fatentur, tanquam ex certissimis quibusdam principiis, una cum interpretatione aliarum obscuriorum sententiarum, veritatem eorum omnium, quæ in controversiam venire possunt, aliud ex alio deducendo colligi. Ac præterea negamus, ex altera parte, evidenter extare consignatas in Sacris Literis, Ecclesiæ notas illas, quas ipsi intelligunt. Nec mirum, cum nihil per se sit necesse, inquiri & agnosci veram Ecclesiam, & notæ, quæ in nostros sensus incurrant, & de quibus an sint nec ne dubitari nequeat, omnino poterunt esse communes, Ecclesiæ etiam non veræ, id est, minime salutarem Christi doctrinam habenti. Quod si ejusmodi sint, de quibus an adsint, nec ne, dubitari queat, adeo ut divinis testimoniis sit opus, ad utrumvis probandum, quomodo quæso istæ poterunt notæ appellari? Jam quod nihil per se sit necesse, ut vera Ecclesia inquiratur, & agnoscatur, id ex eo constat, quod ad salutem æternam consequendam, tota scriptura teste, satis est Christi præcepta, sub spe ejusdem salutis ab ipso sibi dandæ servare, seu mavis in Christum, qui sibi obtemperantibus vitam æternam promisit, vere & ex animo credere, id est, ei plane confidere. Verum, ubinam, quæso, est scriptum, Christum præcepisse, ut unusquisque inquirat, & norit, quænam sit vera Ecclesia? Nonne aperte constat, si quis salutarem Christi doctrinam teneat, istum consequenter vel agniturum statim, quinam sint ii, qui similiter salutarem Christi doctrinam habeant, ac profiteantur, quos supra diximus esse veram Ecclesiam, vel ut agnoscat non modo per se, sed ne ex consequenti quidem esse necessarium. Quid enim, quod ad cognitionem attinet, illi deesse potest, ad salutem æternam necessarium, qui salutarem Christi doctrinam teneat?

Quod si dicas, ad salutem necessarium esse, ut quis sit in vera Christi Ecclesia, & propterea necessarium simul esse, ut veram Christi Ecclesiam inquirat, & agnoscat, negabo consequutionem istam, præsertim si de ea necessitate loquamur, de qua hic agitur, id est, de necessitate per se. Nam simul atque quis Christi salutarem doctrinam habet, is jam vel reipsa in vera Christi Ecclesia est, vel ut sit, non habet necesse inquirere, quænam sit vera Christi Ecclesia, id enim, ut dictum est, jam novit. Unde apparet, quod ad cognitionem attinet, nihil aliud per se necessarium esse inquirere, & agnoscere, nisi quænam sit Christi doctrina salutaris. Hæc autem, etiamsi ut in vera Christi Ecclesia sit, necesse est; non tamen cuiquam præscriptum est, ut eam à vera Christi Ecclesia petat. Cujus rei non alia ratio est, nisi, quia futilis plane & ridicula ac præpostera esset præscriptio ista, cum ad ejusmodi Ecclesiam cognoscendam, necesse sit prius cognoscere, quænam sit Christi salutaris doctrina; quæ doctrina cum ex divinis, & sic Sacrarum Literarum testimoniis omnino sit petenda, hinc necessario consequitur, rationem intelligendi & explicandi Sacras Literas, non esse, ad Ecclesiæ judicium confugere: alioqui necesse esset, Ecclesiam esse cognitam, antequam illud cognitum esset, unde ipsa cognosci debet. Quod non modo longe absurdissimum est, sed manifestam etiam implicat (ut loquuntur) contradictionem. Eodem siquidem tempore, & cognitam, & non cognitam esse Ecclesiam, facit. Eadem absurditas apparebit, etiamsi concedatur non ex salutari Christi doctrina, quam habeat, ac profiteatur, sed ex notis quibusdam Ecclesiæ propriis, ipsam Ecclesiam cognoscendam esse; cum, ut antea dictum fuit, si notæ istæ, certæ atque indubitatæ esse debent, id est, ejusmodi, ut ex illis Ecclesia Christi vera certo agnoscatur, necesse sit, illas ex ipsis Sacris Literis petere. Itaque quocunque te vertas, absurdissimum plane est statuere, Sacrarum Literarum interpretationem, ab Ecclesia potendam esse.

Ex his, quæ breviter à nobis disputata sunt, arbitramur non obscure intelligi posse, quæstionem de Ecclesia, quænam sive apud quos sit, quæ hodie tantopere agitatur, vel inutilem propemodum esse, vel certe non esse necessariam, nisi quatenus docere quis velit, nihil esse, cur de ipsa Ecclesia inquirenda admodum solliciti esse debeamus, quemadmodum quam brevissime potuimus, hic facere conati sumus.

Clamabit fortasse quispiam, in hac sententia nostra necessario impietatem aliquam subesse, quandoquidem nihil certius sit, quam sacra oracula, Ecclesiam vehementissime commendare, & titulis ac laudibus excellentissimis exornare, atque, ut cætera omittantur, Dei domum & columnam ac firmamentum veritatis, appellare. Quare impium omnino videatur esse statuere, quæstionem seu disputationem de Ecclesia, aut quodammodo inutilem, aut certe non necessariam esse. Si dicerem, Ecclesiam non curandam, vel non magnifaciendam esse, tunc dici posset, me impie loqui, idque tum propter sacra testimonia ista, tum propter rem ipsam: cum per se apertissimum sit, Ecclesiam, divinam quandam rem esse, & Deo Christoque charissimam. Verum hoc fere idem de singulis Christi fidelibus merito affirmari potest, nec tamen is impie loqui poterit, qui affirmet, aut ferme non utile, aut certe non necessarium esse, inquirere ac nosse singulos Christi veros fideles. Rei vel summa quidem præstantia, per se neminem omnino obstringit, ad ipsam rem inquirendam & cognoscendam: sed tantummodo, ad cognitam in precio habendam, & debito honore afficiendam. Nec sane idcirco, divinis laudibus insignitur Ecclesia à sacris scriptoribus, ut moneamur, eam à nobis inquirendam, sed ut ad Christianam religionem amplectendam ac profitendam inflammemur. Qui enim hæc facit, is sine dubio Ecclesiæ membrum est, & omnium Ecclesiæ bonorum sit particeps. Cum igitur audis, Ecclesiam divinitus nominari columnam & firmamentum veritatis, (ut interim objectioni, quæ iis fieri posset, de quibus antea asseveravimus, hoc loco occurramus,) non est tibi intelligendum, ac conclu-

den-

dendum; Ergo inquirendam esse Ecclesiam, si nosse velimus, quænam sit divina veritas, quasi hic Ecclesia tacite hæreticis, sive hæreticorum cœtibus opponatur: sed sciendum ac firmiter tenendum, apud eos, qui Christi doctrinam tenent ac profitentur, esse divinæ veritatis domicilium ac sedem inter mortales, ex Christique doctrina omnem divinæ veritatis cognitionem petendam esse, ut scilicet Christi discipulus esse cures; vel si jam es, ne deficias, certo persuasus, quamdiu talis fueris, nihil tibi, quod ad æternam felicitatem consequendam sit necessarium, in rerum divinarum cognitione defuturum.

Paulus quidem Apostolus dum summa ista laude Ecclesiam affecit, id, ni fallor, sibi potissimum propositum habuit (quod & verba ipsius indicant) ut Timotheum ad quem scribebat, moneret, ne quid temere unquam, & sine divina quadam prudentia in Ecclesia ageret, ad cujus administrationem electus positusque esset, cum secum reputaret, quanta res esset Ecclesia. Quam eandem monitionem ad se pertinere ii omnes censere debent, qui simuliter munere aliquo in Ecclesia funguntur. Sed nos, ut objectionem istam, quam modo innuimus, penitus dilueremus, quomodo citra incitationem ad inquirendam Ecclesiam, ad alium etiam quemlibet, qui ea legerit, fructus Pauli verborum redire possit, ostendere voluimus. Sed de his hactenus.

Euangelicis (ut vocant) verbi Dei ministris, ministerii controversiam jure moveri non posse,

BREVIS DEMONSTRATIO.

Quicunque verbi Dei ministris, qui cum Ecclesia Romana aut Græca non consentiunt, eorum ministerii controversiam movent, ab eisque contendunt, ut suæ vocationis aut muneris, legitimum auctorem ostendant, ii nimirum insigniter falli videntur. Aut enim ministros istos, omnino pro novis quibusdam Christi Apostolis, & divinis Prophetis se gerere, vel, ut se gerant, opus esse credunt, aut non credunt. Si credunt, egregie falluntur, fatentur enim ultro ipsi ministri, se in iis, quæ docent, quamvis persuasissimum habeant, ea esse verissima, errare tamen posse. Id quod ab iis, qui se pro Christi Apostolis, aut divinis Prophetis gerunt, penitus abest. Nec porro, ut ipsi pro talibus se gerant, quidquam est opus. Non enim vel inauditam prius doctrinam aut religionem mundo se annunciare profitentur, vel ex novis principiis, priusve incognitis testimoniis quicquam docere. Sed tantum ex iis principiis, iisque testimoniis, quæ apud omnes Christiani nominis certissima sunt, ex ipsis inquam, Euangelistarum & Apostolorum scriptis, Apostolicam doctrinam, ipsumque Jesu Christi Euangelium, se docere profitentur, vel potius, prædicta scripta explanare, atque explicare, aliter atque jam diu, vel in Romana, vel in Græca Ecclesia doceatur, quæ ante hosce 70 annos, maximam partem Christiani orbis occupabant.

Quod si nec eos omnino, pro Christi Apostolis quibusdam novis, divinisque Prophetis se gerere, nec, ut se gerant, opus esse credunt, quid est, cur ab iis requirant, ut sui muneris legitimum auctorem ostendant? An non cuivis Christiano homini licet, etiam sine speciali ullo, sibi, legitime demandato ejus rei munere, charitatem erga proximum exercere? An non opus charitatis plane est, ad Apostolicam, doctrinam, Christique Euangelium complectendum ac retinendum, id est, æternæ salutis viam ingrediendam, atque insistendam, alios cohortari, divinaque oracula, quæ omnibus sunt proposita, illis explicare?

At dicet aliquis, non agi hic de simplici ipso facto ad viam salutis cohortandi, sacrave oracula explicandi, sed cum hac circumstantia, ut publice id fiat, & perpetuo peculiarique munere. Respondeo, Ad istiusmodi munus comprobandum, satis superque esse, quod illi ipsi ita volunt, qui cohortationes istas & explicationes audiunt, & eorum suffragiis, qui tale munus habet, ad illud vel deligitur, vel approbatur.

Sed instabit iste, hos ministros, sacramenta etiam (quæ vocant) administrare, baptismum videlicet ac cœnam dominicam, quod tamen sine divina vocatione fieri nequeat. Respondeo, hoc fortasse verum futurum, si opus foret, ut is ipse, qui Sacramenta ista administrat, vel signis ipsis sacramentalibus aquæ scilicet, pani & vino, cælestem aliquam vim inderet aut mutationem afferret, vel saltem toti actioni, ex persona sua, sanctitatem aliquam conciliaret. Verum quidquid vel virtutis, sive etiam (si ita placet) mutationis, signis istis accedit, vel sanctitatis, in actione tota inest, id a divino instituto prorsus pendet, non autem ulla ex parte ex administrantis persona, qui, ut tali munere merito fungatur, satis simpliciter superque est, ut ab iis, quibus & inter quos sacramenta ista administrat, vel ad illud deligatur, vel in eo confirmetur. Pro concesso enim sumitur, jam divinitus constitutum esse, ut Sacramenta ista, inter eos, qui salutem æternam adipisci volunt, omnino administrentur. Quanquam in cœna Dominica administranda, nil necesse esse, ut unus aliquis certus homo deligatur, qui id faciat, ex ipsa ejusdem cœnæ institutione patet. Christus enim ipse Dominus, cum eam instituit, nemini specialiter, eam administrandi munus demandavit, sed tantum ut posthac eum ritum servarent, omnibus suis Apostolis, non quidem, ut Apostolis, sed simpliciter ut discipulis, eaque in re omnium Christi fidelium, quasi personam sustinentibus præcepit, id quod aperte ex iis, quæ Paulus 1 Cor. 11, scribit, intelligi potest. Jam, baptismum à quolibet Christiano, quamvis ad hoc munus antea non delecto, pro ratione temporis administrari posse, & omnes ferme sentiunt, & exempla quædam in Actis Apostolicis à Luca descriptis, declarant. Baptizati enim & quidem rite sunt Samaritani credentes, ab initio, Eunuchus, & ipse Paulus Apostolus, ab iis, qui ad ejusmodi munus antea minime delecti fuerant, Act. 8. & 9 cap. Ex iis, quæ hactenus diximus, satis constat, quicquid illud est, quod vel fit, vel etiam fieri debet, in eligendis, aut approbandis iis, qui munere verbi Dei, & Sacramentorum aliis ministrandi fungantur, non necessarium esse, nisi ut ordo aliquis servetur, & omnia decenter, ac certa quadam ratione in Christi fidelium cætibus fiant.

Sed hinc fortasse concludent adversarii, cum ante Lutheri adversus Romanam Ecclesiam prædicationem, ordo iste jam diu constitutus esset, ac ratio eorum eligendorum, qui populo verbum Dei & Sacramenta administrarent, non rite eos fecisse, qui postea, hoc ordine ac ratione spreta, ministros sibi ejusmodi vel elegerunt, vel approbarunt. Quibus cum ii successerint, qui hodie ministros istos diversum à Romana & Græca Ecclesia sentientes vel sibi eligunt, vel approbant, perspicuum esse, hos non ante electos aut approbatos fuisse, & propterea injuste ab eis tale munus administrari. Respondeo. Jam constitutum ordinem, & rationem istam, tunc demum servandam esse, cum à recepta jam doctrina, recedere nolumus, aut saltem

non

non debemus. Quod si à recepta jam doctrina recedendum nobis sit, quis non videt, ordinem istum, & rationem, minime servandam esse? Videndum est igitur, an Ministri, de quibus quærimus, eorumque auditores, qui à recepta, ante Lutheri prædicationem doctrina recesserunt, id merito fecerint nec ne? Nam si immerito, jam per se corruit tota electio & ministerium ipsorum. Sin autem merito, injustissime ac prorsus riducule ab eis requiritur, pristini ordinis ac rationis, in electione vel approbatione hujus muneris, conservatio. Quin etiam hoc addo, ordine licet isto ac ratione jam constituta, etiam cum quis à recepta doctrina, recedere non vult, posse tamen Christi fideles, extra ordinem, pro ratione loci & temporis, verbi Dei prædicandi munus, sua sponte aggredi. Hoc enim apertissime confirmatur ex eo, quod ii, qui in persecutione ob Stephani mortem Hierosolymis orta, inde, per varias regiones dispersi fuerunt, pertranseuntes verbum Dei euangelizarunt, Act.8.4. Antiochiæ vero præcipue id fecerunt, ubi etiam, Domini manus, cum eis fuisse dicitur, & magnus numerus credentium, ad Dominum esse conversus, Act. 11.19. Inter hosce autem dispersos, Philippus fuit, ad cujus prædicationem, Samaria verbum Dei recepit, Act.8.5. Qui postea dictus propterea est Euangelista, Act.21.5. Atqui munus euangelizandi, proprium jam alioqui erat Apostolorum, quibus hoc nominatim à Christo demandatum fuerat, Mar.16.8. Nam Philippus iste, non ille Apostolus, sed unus ex septem illis diaconis erat, quorum munus plane distinctum ac diversum erat, à munere Euangelii annunciandi, seu verbi Dei prædicandi, ut patet ex ipsorum electione, Act.6.1. Ex illis vero aliis dispersis, ne unus quidem ex numero Apostolorum erat. Apostoli enim Hierosolymis adhuc permanserant, Act.8.1.

Ex quibus exemplis apparet, certo licet ordine ac ratione jam constituta, prædicandi verbi Dei, eoque munere divinitus certis quibusdam hominibus demandato, posse tamen, prout expedire videbitur, Christi fideles, sua sponte, quamvis non aliud docturos, quam ii doceant, quibus id demandatum fuit (certissimum enim est, ex ipsa historia, dispersos istos, nihil ab Apostolorum doctrina docuisse diversum) verbi Dei prædicandi munus, jure aggredi, ac præterea cum eo administrandorum Sacramentorum usum conjungere. Nam & Samaritani illi, jam antequam ad eos Petrus & Johannes Apostoli mitterentur, rite baptizati erant, Act.8 16. Nimirum id Philippo Euangelista curante. Et de Antiochenis, qui ante Barnabæ, eo ab Apostolis missi adventum, baptizati jam essent, opera videlicet eorundem, qui illis Euangelium annunciaverant, ex eo abunde constat, quod non dicitur in historia, Barnabam eos baptizasse, sed tantum eos cohortatum fuisse, ut in proposito suo permanerent. Quod si in ipso Euangelio annunciando, non omnino necessaria est, rite ad id muneris, prius facta electio, quamvis jam divinitus, certis quibusdam hominibus, provincia data fuerit: multo certe minus necessaria omnino erit, in divinis oraculis, quæ omnibus ad intelligendum proposita sunt, explanandis & explicandis. Tantum abest, ut ministris, de quibus loquimur, qui ex constituto jam ordine ac ratione, inter eos, qui de religione, idem quod ipsi sentiunt, rite ad hoc munus antea electi fuerunt, quisquam ejusdem muneris controversiam, merito movere possit.

SCRUPULI.

Ab excellenti quodam viro propositi.

I.

De vera Dei cognitione.

SI ea esset sola vera Anabaptistarum, seu Neochristianorum sententia, ut certe videtur esse verisimilis, fieri ne potuisset, ut tamdiu, statim ab ipsis Apostolorum temporibus, universalis Ecclesia erraverit, ut in primo & præcipuo articulo, cognitionis veri Dei, & Filii ejus, nutaret? Vel omnino (ut illi affirmant) Deum, ignotum majoribus suis, quod Antichristum facturum prædixerat Daniel, cap.11.38 coleret?

II.

Quod si ita esset, ut quidem necessario sequeretur, illorum opinione & evictione: quorsum vero datus est Spiritus Sanctus, perpetuus Christi Ecclesiæ doctor & custos? Si per id temporis, non quidem multi: sed pæne omnes, ubivis terrarum fideles, in eo articulo, errorum tenerentur?

III.

Ita vero inops virtutis suæ Christus argueretur, & omnium sectarum & professionum, Christiana fides esset longe miseranda, quæ tanquam incertis scripturis nixa, nunquam illorum opinione, certa & vera, ab Apostolorum temporibus fuerit, sed in angulis Ebionis, Cerinthi, & Arrii, aliorumque sola promota delitesceret.

IV.

Ubi vero impletio prophetiarum? In omnem terram, exivit sonus eorum &c. Item: Et dominabitur, à mari, usque ad mare. Et illud Pauli, Rom.1. Fidem vestram annunciari in toto mundo.

V.

Ubi interim veræ Ecclesiæ facies? & apud quos? cum & illius temporis Doctores & scriptores, contrarium senserint, & scriptis prodiderint, si à nostratibus pro Antichristis reputentur.

VI.

Sequeretur, solis tantum Apostolis illis duodecim, revelatum esse Christum: & cum illi decessissent, posteros in priorem idolomaniam relapsos fuisse; atque ita colligi posset, Deum causam esse erroris, & perditionis hominum, cum tam vafre & contorte scripturas de cognitione sui prodere voluisset, quod esset omnino absurdum, & à bonitate Dei remotissimum.

VII.

Ad quam vero Ecclesiam interim necesse fuisset illud referri: Dic Ecclesiæ, quæ non nisi visibilis & conspicua, coram qua dicendum sit, debuit esse.

VIII.

Ergo, falso Christianam fidem amplexum, & errorem pro veritate suscepisse, dicendum fuerit, Constantinum nobilissimum Imperatorem; ejus studia, in promovendo regno Christi præpostera, labores irriti, conflictus cum adversariis, pro nomine Christi, maledicti, ostenta illa ejusdem erronea, de quibus Eusebius, in vita ejusdem Constantini.

IX.

Ergo tot Concilia, præcipue vero illa quatuor, verbo Dei nixa, œcumenica, fuerunt Spiritus Sancti expertia, & ut illi volunt, Satanæ conciliabula?

X.

Ergo Athanasii labores frustranei? Et illa manus Domini, quæ toties sanctissimum senem, ab adversariis protexerat, fortunæ vel rationis humanæ effectus, dicenda sunt? Vide Eusebium.

XI.

Ita consequeretur, innumerorum confessorum sudores, martyrum dira supplicia, absque mercede futura, qui pro confessione deitatis Filii Dei, acerba passi sunt, & ideo omnes illos, usque ad hæc novissima tempora, spe frustratum iri. Conveniret ne id justitiæ Dei, ut cum pro iniqua causa illi decertent, ipse in sinum (ut dicitur) rideat?

XII. *Bre-*

XII.

Breviter. Si tantopere erravit Ecclesia in eo articulo, de Filio Dei, quis & qualis sit, Ergo sequetur, nullam hactenus fuisse Ecclesiam. Ergo, nulla certa remissio peccatorum, in nomine Christi. Nulli legitime baptizati. Nulli vitam æternam consequuti, & inanis fides, prædicatio; Miserrimi, qui perierunt.

XIII.

Si ita res haberet, hanc scilicet esse veram doctrinam Jesu Christi; cur per tales viros manifestaretur antea, & nunc quidem, nulla pietatis commendatione, nullo laudato prioris vitæ exemplo commendatos, imo, ut plerumque videmus, per vagabundos, & contentionum zeli carnalis, plenos homines, alios ex lustris, aulis, ganeis, prolatam esse.

XIV.

Ubi vero humilitas spiritus, ubi studium multa condonandi adversariis, quod fecerunt Apostoli?

XV.

Cur talium nullus, pudicitia conspicuus, & castimonia? Imo contra, initi ministerii symbolum, & character indelebilis, uxor ducenda.

XVI.

Ubi jejuniorum, & orationum fervor? Nonne hæc omnia dissoluta apud tales, & in aliis deprehensa, ut hypocritica.

XVII.

Ubi vero tales, qui extremo loco ponant curam rerum mundanarum, opum, honorum, splendoris, prædiorum, clientelarum? Quæ omnia neglexisse constat Apostolos: Nostros vero, hæc prima habere, mordicus divites esse velle. Idemne sit spiritus, qui in Apostolis, & viris Apostolicis?

XVIII.

Hujus autem illorum zeli, quis tandem finis sit, quod plerique ex nimio fervore, in propagando regno Christi (ut quidem ipsi proferunt) postea cum deferbuerint, in quendam atheismum prolabantur, ita ut alii aperte Christum, alii vero etiam Deum, & inferos negent.

XIX.

Taceo, perpetuas illorum inter se contentiones, in eodem articulo, ut semper discant, nunquam ad veritatis cognitionem perveniant, &, ut Tertullianus inquit, qui semper quærunt, adhuc nihil illos certi habere constet, & proinde quærant tamdiu, quoadusque certo ipsi sint, uni sententiæ addicti. An vero ulli dubitationi, tamdiu subjecta sit fides fidelium, ut mysteria illius nunquam cognita, nunc demum ab iis nostratibus proferantur.

XX.

Nota. Cum eandem veritatem se profiteri affirment, quam olim & primitivæ Ecclesiæ architecti, cur non ea vis Spiritus Sancti in istis appareat, quorum plerique carnalia & mundana curare, &c, conspiciantur?

XXI

Quantum ad dogmata, cum omnes Spiritum Dei jactent, cur in tantum dissideant, & invicem pertinaciter sententiis depugnent? Ubi vero spiritus unitatis, qui idem sapere docet?

XXII.

Exitus vero omnium ministrorum verbi, quos etiam illustres noverimus, quam viles, abjecti, quorundam funesti, inglorii. Proles, quam vaga, errans, & aliquando degenerans. Sociæ thori, quam apud plerosque ignobiles, & famosæ? At, fixum est illud: Generatio rectorum, benedicetur.

XXIII.

Qui fiat, cur non statim per Lutherum id factum dicant: sed sensim ad causæ jugulum accessissent. Quasi vero Deus, plurium incredulitate delectaretur, ut iis tantum ea mysteria, solis reservare manifestanda habuerit.

XXIV.

Item multorum, qui à sede Romana, vel Ecclesia, ut vocant, Catholica defecerunt, conditio vitæ, alioquin in primis motibus, praclara, splendida. Deinde, ubi sententiam fidei mutaverint, quam sensim tota autoritas collabatur, fortunæ intereant; doctrina, etsi insignis, nullius utilitatis, ab omnibus despiciuntur, vagi oberrant, indigne tractantur. Documento Lascus, Duditius, Scotiæ, Angliæ regna, tum privatæ personæ, ut nihil praclari gerere possint.

XXV.

Insuper, Cur vero tantum negotium, cardo scilicet salutis nostræ, non alibi in aliquo terrarum clarissimo loco, vel regno patefactum sit, sed tantum hic in Polonia. Quasi vero hoc regnum peculiares, ut quondam Sion, promissiones habuerit, verbum Domini, de illo exiturum, insigni scilicet beneficio affectum esse, quod exteræ gentes, ut maledictum exhorrescant, & procul repellant.

XXVI.

Si autem aliunde ad nos delatum sit, cur vero ea prærogativa occidentis regionibus attribuatur?

XXVII.

Qui fiat, ut tanto tempore, vulgata veritate confessionis hujus, Ecclesiæ incrementum, neque in numero, nec in pietate sumant? An Deus saniori sententiæ non favet? Vel Ecclesiam deseruit, ut, eam confusionem fieri patiatur? Erronei autem cœtus, iis omnibus emineant? Aliud vero videre fuit temporibus Apostolorum, quibus negotium successit parvo tempore, & fides data est prædicationi illorum.

XXIIX.

Quid agendum fideli prædicatori, cui mediocris eruditio & diligentia suppetit, cum non frequens sit auditorium?

XXIX.

Cur tanta ruditas in ministris verbi, ut in excellentia artium, nullo modo pares sint adversariis? Quod facile videre est, si in frequenti clarorum virorum & doctorum cœtu, Latine, diserte & docte concionari necesse sit, vix aliquem inveniri credibile est, cum tamen apud adversarios, omnia hæc polita, tersa, & doctissima inveniantur & occurrant.

XXX.

Cur tantopere omnes ritus, ceremoniæ, traditiones à nostris respuantur, etiam sine delectu, quas à vetustissimis Ecclesiæ Patribus, commendari videmus, & observatas à multis sine scandalo, cum tamen illos Spiritu Sancto, egregie imbutos, nos ipsi non diffiteamur.

Ad Scrupulos F. S. Responsio.

ANntequam Scrupulos istos coner eximere, tria mihi indicanda censui, ex quibus, vel pro concessis sumtis, vel non satis diligenter probatis, oriuntur fere scrupuli ipsi omnes, quæ tamen falsa, judicio meo censenda sunt. Unum est, quod nostrorum hominum, qui Anabaptistæ seu Neochristiani, ab autore scrupulorum vocantur, sententia, de Deo, & Filio ejus, quod ad eorum naturam seu essentiam attinet, vera esse non possit, quin continuo sequatur, eos qui eandem sententiam non amplectuntur, non esse veros Christianos, nec membra veræ Ecclesiæ. Alterum est, quod necesse sit semper extare, visibilem aliquam Ecclesiam, quæ puram doctrinam, de Deo, Filioque ejus retineat. Tertium est, quod prædicti nostri homines, perfectam & omnibus numeris absolutam rerum divinarum scientiam habere se jactent, seque eos esse profiteantur, per quos Deus, sui cognitione, ut olim per Apostolos, orbem terrarum illustraturus sit. Hæc, inquam, omnia, falsa censeri debent, & consequenter, scrupuli isti, per se ipsi, jam ferme omnes excidunt, nec, ut alia præterea ratione eximantur, necessarium videtur: Verumtamen, ut amico roganti satisfaciam, id singulatim facere aggrediar, & simul suis locis, tria ista, de quibus præmonui, minime vera esse, quantum sat fuerit, ostendere conabor.

Ad Primum Scrupulum Responsio.

PRæcipuus articulus, cognitionis veri Dei, & Filii ejus, non ipsorum naturam sive essentiam; sed voluntatem, & voluntatis obedientiam, potissimum respicit.

respicit. Sic enim loquuntur Sacræ Literæ, & Dei vel Christi cognitionis nomine, utriusque cum voluntatis notitiam, tum ejusdem voluntatis obedientiam, & potissimum, & plerunque intelligunt; id quod unicuique, Veteris, & Novi Fœderis volumina evolventi facile constare potest. Non paucos tamen locos, hic indicare libuit, ex quibus reliqui explicari queant, 1 Reg.2.12. Esa.1.3 & 19,21. Jerem.2.8 & 4,22, & 9,3, & 22,16, & 31,34. Ose.5.4 & 6,4 & 8,2. Joh.8.55 & 10, 14 & 17, 25. 2 Thes. 1. 8, Tit.1.16. 1 Joh.2.3,4 & 3,6 & 4. 7, 8. Quamobrem illorum Christi verborum, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant, &c.* Joh.17.3. non ea est sententia, vitam æternam in eo sitam esse, si quis Dei, & Christi essentiam noverit: sed neque etiam (ut quidem nonnulli locum vel converterunt, vel explanarunt) in eo, si quis cognoscat, Christi patrem, esse solum verum Deum, & Jesum esse Christum. Sed hæc potissimum, in eo vitam æternam esse sitam, si quis Christi patris, qui solus verus Deus est, & ipsius Jesu Christi voluntatem noverit, eique obedierit. Alioquin si ea Christi verba, ad ipsius Christi, & Dei patris essentiam referenda essent, sequeretur, ut quicunque utriusque essentiæ cognitionem haberet, is vitam æternam adepturus esset: quod neminem dicturum crediderim, qui vel minimum sensum pietatis habuerit. Quicquid autem, de Dei Christique essentia, ad vitam æternam consequendam nosse necesse est, id omne in hoc tantum continetur; videlicet, ut sciamus, neminem à seipso esse Deum, nisi unum illum solum, qui ab omni æternitate, à seipso Deus est; & Jesum illum Nazaræum, qui sub Pontio Pilato, Hierosolymis crucifixus est, esse Christum. Atqui hæc duo semper, universalis Christi, quæ dicta est, Ecclesia, & scivit, & professa est. Quin etiam (si quis fortasse, hoc quoque necessarium esse contendat) hunc unum Deum, non alium, quam Jesu Christi patrem esse, jam inde ab ipso initio, per multa sæcula, aperte tenuit & docuit; imo, ut videtur, ad hunc usque diem perpetuo. Nam quid aliud est id, quod generatim omnes Christiani nominis, semper sunt fassi, Patrem totius divinitatis fontem & originem esse, quam solum Patrem à seipso esse Deum? Hinc factum est, ut Calvinus, Beza, & alii, qui contra Valentinum Gentilem disputantes, Christum à Deo Patre essentiatum negarunt, pro hæreticis, hoc ipso nomine, si recte memini, à Genebrardo, Theologo Parisiensi, in suis libris de Trinitate, fuerint traducti. At vero cognoscere, an in divina essentia unica, sint nec ne, plures personæ, modo illa unica essentia retineatur; aut etiam nosse, quando primum filius Dei extiterit, & utrum ex ipsius Dei Patris essentia vel substantia nec ne, genitus fuerit, dum modo Jesus ille Nazaræus, Dei Filius esse credatur, ad salutem æternam consequendam, necessarium esse, nullo unquam pacto probari poterit. Nec nostros homines, tam, (ut ita dicam) immanes esse crediderim, ut tot viros sanctissimos, qui proprium sanguinem, pro Jesu Christi nomine fundere, non dubitaverunt, idcirco à vita æterna excludant, quod vel in una Dei essentia, plures personas esse existimaverint, vel Dei filium, ante cœlum terramque conditam, extitisse crediderint. Nec tamen hinc sequitur, ut is, cui Deus patefecerit, non esse in una divina essentia, plures personas, nec Dei Filium revera ante extitisse, quam Jesus Nazaræus, in Mariæ virginis utero conciperetur, ex eaque nasceretur, hæc vel negare, vel etiam, ubi ea de re agatur dissimulare aut possit aut debeat. Nec porro sequitur, quin is, qui hæc constanter, à quibusdam affirmari audiat, erret non leviter, si eorum veritatem investigare spernat, & multo magis, si eos, qui hæc profitentur, causa, ut fere fit, non bene cognita, contemnat atque condemnet; multo autem maxime, si, ut non pauci faciunt, eos, quibus modis potest, vexet atque insectetur. Sed neque etiam sequitur, quin hæc, si vera sunt, ut certe sunt, omni prorsus conatu pervulgari & unicuique persuaderi debeant, idque si aliter fieri nequeat, cum ipsius etiam vitæ periculo, atque jactura. Quamvis enim, ut dictum est, hæc cognitio, ad vitam æternam consequendam, necessaria non sit: est tamen utilissima; quippe sine qua, salutis ipsius nostræ mysterium, exacte cognosci nequeat, & facile fit, circa illud pluribus in erroribus versari, qui à recta ejusdem salutis via nos abducere queant. Ac denique est cognitio hæc, cum summa veraque Dei nostri, & Christi ipsius gloria, quæ nobis, plus quam vita nostra, cara esse debet, connexa atque conjuncta. Cæterum, quamvis dubium apud nostros homines non sit, quin Deus, quatenus trinus in personis, ab aliis esse dicitur, antiquis veri Dei cultoribus, plane ignotus fuerit; non tamen ex iis ipsis, qui plus sapiunt, Danielis locum illum cap.11.38 huc accommodant, præsertim cum non appareat, illum locum ad Antichristum omnino referendum esse. Quæ hucusque dicta sunt, satis esse possunt, pro communi quadam responsione, ad ea omnia, quæ usque ad numerum 13 in hisce scrupulis leguntur: libet tamen, ut pollicitus sum, ad singula deinceps privatim respondere.

Responsio ad II.

Quatenus Spiritus Sanctus Ecclesiæ doctor, & custos datus fuerit.

Jam ostensum est, etiamsi sententia nostra vera sit, quam de Dei, Filiique ejus essentia, arcte tenemus, non tamen inde fieri, ut Ecclesia, quæ eandem non teneat, in præcipuo articulo, cognitionis Dei veri & Fili ejus aberret; cum demonstratum fuerit, cognitionem istam, ad alia præcipue, quam ad Dei Filiique ejus essentiam respicere. Præterea, etiamsi universa Ecclesia (de visibili loquor) à præcipua Dei Filiique ipsius cognitione statim post Apostolorum tempora aberrasset, & sic vera Ecclesia esse desiisset: hoc tamen non esset contra illud, quod Christus promisit, Spiritum Sanctum cum Apostolis suis, in æternum fore; aut si quid aliud in Sacris Literis legitur, unde colligi posse videatur, Spiritum Sanctum fuisse datum, perpetuum Ecclesiæ doctorem & custodem. Promissio enim ista Spiritus Sancti, & si quæ sunt hujusmodi (si tamen eæ ad universam Ecclesiam referendæ sunt) ad veram Ecclesiam pertinent, quibus, non perpetua, ipsius veræ Ecclesiæ conservatio, sed donec vera Ecclesia fuerit, robur, firmitas, consolatio, & sæculi, vitæque futuræ gustus aliquis, ei promittitur: hæc enim sunt propria Spiritus Sancti effecta. Quod si ea aliquomodo degeneraverit, quia (exempli caussa) divinis iisque apertissimis testimoniis quodammodo spretis, suis somniis indulgere cœperit, quemadmodum nos, in hac, de qua agitur, Dei & Christi cognitione, factum fuisse agnoscimus, certe non modo Spiritus ille Sanctus, quo scilicet doctore & custode, Ecclesia nunquam à veritate desciscere potest, qui tamen revera ei promissus non fuit, sed ne hic quidem, quem promissum fuisse concedimus, ut illi amplius detur, verisimile est. Prædictum quidem à Christo fuerat, ipsius Apostolos, accepturos Spiritum Sanctum, qui eos duceret in omnem veritatem: sed neque hoc promissum ipsorum Apostolorum personas excedit, per quos ubique Ecclesiæ fundandæ erant; neque si excederet, ad alios, quam ad veros ipsorum successores, pertineret, quos necessario extituros fuisse, nusquam (ut arbitror) scriptum est. Nec postremo, quamvis omnis veritatis in eo fiat mentio, id de alia veritate accipiendum est, quam de ea, quæ prorsus necessaria est ad salutem, qualem hanc non esse, de qua loquimur, satis disputatum fuit.

Respon-

Responsio ad III.

Christi veritatem bonis dari, malis eripi. Item de Ebione, Cerintho, Ario.

Nec Christus virtute, eaque maxima, & divinissima caret, nec Christiana fides, incertis est scripturis nixa; sed ipsorum hominum culpa fit, quominus ea, quæ sunt clarissime & constantissime scripta, illi intelligant: nec enim Christus, ullam ipsis vult vim afferre. Qui si tales fuerint, quales esse debent, profecto omnia intelligent in Christianorum sacris voluminibus contenta, quæ modo, eos intelligere necesse sit, si velint salutem consequi. Sin minus, æquum est, ut suæ malitiæ, hanc etiam pœnam subeant, ut salutaria dogmata, divinis literis comprehensa, minime percipiant, aut olim percepta non amplius teneant. Malos autem sua sponte, plerosque omnes, post Apostolorum tempora fuisse, nihil prohibet: quod tamen ego non assero, nec sane credo, quamvis Apostoli, & Christus ipse, tale quippiam prædixisse videantur. Nec vero ea re hic est opus, cum jam conclusum fuerit, dogma, quod nos amplexi sumus, de Deo Filioque ejus, post Apostolorum tempora, (si ita placet) fere ignoratum, ex iis non esse, sine quibus salus contingere nemini queat. Quæ hic de Ebione, Cerintho, & Ario dicuntur, ad rem non faciunt, cum nemo illorum, (si modo Ebionitæ ab Ebione quopiam, & non potius Hebræo nomine, à paupertate, videlicet intelligentiæ, ut Eusebius testatur, sunt dicti) ipsam sententiam nostram defenderit. Cerinthus etiam, eam de Jesu Christo opinionem habuerit, quæ cum adversariorum potius, quam cum nostra sententia, conveniat. Vide Irenæum lib.1.cap.25, & 26. & Eusebium lib.3. cap.24. & 22. Nam de Ario, de quo prædictis locis, nihil scriptum vel fuit, vel esse potuit, nihil attinet testimonia afferre. Nemo enim nescit, quam longe Arii opinio à nostra sententia distet.

Responsio ad IV.

Ex tribus divinis testimoniis, quæ hic afferuntur, primum & postremum, nihil ad rem, ullo pacto pertinent; utrumque enim id significat, quod jam suo tempore extitisse Paulus, ejusque verba aperte docent. Præterea, primum, non receptionem doctrinæ Christi, sed prædicationem tantum declarat, vel ipso Paulo teste, *Rom.*10.18. Postremum porro, nihil prorsus Prophetici continet, nec in futurum ullo modo respicit. Quod vero ad secundum attinet, miror illud allatum fuisse, cum sive vera sive falsa sit sententia nostra, de Christi persona, negari non possit, quin Christus, ubique locorum, cultus & adoratus fuerit. Quod si nulla, nec synecdoche nec hyperbole, hic admittitur, idem dicendum erit etiamsi falsa fuerit sententia nostra, & adhuc expectandum, ut vaticinatio ista impleatur, atque id omnino fiat, quod ipsa verba sonant, id quod sane futurum omnino speramus. Etsi enim, ut divinus ille scriptor, *Heb.*2.9. ait, nondum videmus Christo omnia subjecta, subjicientur ei tamen reipsa, suo tempore.

Responsio ad V.

Non est necessarium, aliquam extitisse isto tempore, veram Ecclesiæ faciem. Neque enim veram Ecclesiæ faciem perpetuo exstituram, usquam revera prædictum aut absolute promissum est. Quanquam, ut diximus, non tollit veram Ecclesiæ faciem ignoratio ejus veritatis, quæ in sententia nostra continetur. Jam vero quod hic dicitur, illius temporis doctores & scriptores contrarium sensisse, cum appareat, sermonem esse, de eo tempore, quod statim post ipsos Apostolos consequutum est, necessarium videtur, Dionysium Areopagitam intelligere, Clementem, Ignatium, Polycarpum, & alios quosdam ejus tempestatis; quorum inscripta nominibus, quæ circumferuntur scripta, vel prorsus adulterina sunt, vel adeo contaminata, ut nulla firma fides, de autoris sententia, ulli eorum adjungi possit. Qua de re, alibi fortassis, uberius aliquanto, explicandum erit. Porro nostros homines pro Antichristis eos reputare, qui inter illos antiquos de Christi persona aliter senserint, atque ipsi sentiunt, haud mihi fit verisimile. Necesse enim esset, ut pro Antichristis haberent (exempli gratia) Justinum & Irenæum, id quod mihi nullo pacto persuaderi potest. Etenim constat, istos aliter de Christi persona sensisse, quam nos sentimus, quamvis non id senserint, quod adversariorum nostrorum plerique sentiunt. Nam liber ille, de Orthodoxa fide, qui Justino adscribitur, plane adulterinus est, & cum iis manifeste pugnat, quæ ab eodem Justino alibi passim scripta sunt, præsertim vero in dialogo cum Triphone Judæo. De responsionibus autem ad Orthodoxorum quæstiones, nihil dico. Jam enim ab aliis animadversum est, illud opus Justini esse non posse, cum in eo & Irenæus & Origines citentur.

Responsio ad VI.

In viis Domini rectis, justos ambulare, prævaricatores vero corruere.

Etiamsi statim post ipsos Apostolos, qui extiterunt, omnes de Christi persona, aliter sensissent, atque ipsi Apostoli senserunt: non tamen sequeretur illud tantum duodecim viris revelatum fuisse, non modo, quia non omnis circa personam Christi ignoratio, Christi veram cognitionem adimit, verum etiam, quia innumerabiles alii esse potuerunt, qui Apostolis adhuc viventibus, cum ipsis hac in re prorsus consenserint, de quibus, cum id necesse non videretur, nihil explicate, memoriæ traditum fuerit. Jam quomodo obsecro ii, qui statim post Apostolos consequuti sunt, in priorem idolomaniam relapsi fuissent, etiamsi de Christi persona, aliter credidissent, quod minus verum esset? Nunquid ex errore isto natum fuisset, ut lapides & ligna, ut antea, tanquam Deos colerent, vel saltem, multiplicitatem illam falsorum deorum, sive ex toto, sive ex parte, denuo reciperent? Ego sane non video, cur istud, de priore idolomania, in quam relapsi isti fuissent, hoc loco dictum fuerit. Quod autem adjungitur, de scripturis, vafre & contorte à Deo, de sui cognitione proditis, si sententia nostra priscis illis incognita fuisset, satis supra refutatum videtur, Num.3. Hic tantum addo, quamvis sacræ scripturæ, in hac ipsa parte, de qua quæritur, ita apertæ atque expeditæ sint, ut nemo, qui eas non intelligat, plane stupidus non videatur: tamen eorum verborum meminisse nos debere, quæ scripta sunt ad finem libri Oseæ Prophetæ: *Quis sapiens, & intelliget ista: intelligens, & sciet hæc: quia rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis, prævaricatores vero corruent.* Nam etsi de obedientia & inobedientia monitorum divinorum hic agi videtur: sunt tamen verba ejusmodi, ut ad ipsam Dei verborum intelligentiam, omnino accommodari queant, quæ videlicet obvia sit piis, impiis vero non item. Quod animadvertens, magnus ille Erasmus Roterodamus, de scripturę figuratis loquendi modis, agens, sic divine scriptum reliquit: *Haud scio, quo consilio visum est æternæ sapientiæ, adumbratis simulachris & insinuare se piis mentibus, & prophanis, ut ita dicam imponere.*

Responsio ad VII.

Utrum semper visibilis Ecclesia extitura fuerit.

Christi verba, tum locum habere censenda sunt, cum is, de quo loquitur, fuerit in aliqua visibili Ecclesia, non autem ex illis concludendum, semper aliquam Ecclesiam visibilem extituram fuisse. Sic igitur loquitur Christus, quia, ut visibiles Ecclesiæ existerent, ipse & volebat, & per suos Apostolos curaturus erat, non tamen sequitur, quin præ hominum malitia fieri potuerit, ut ali-

aliquando, idque per longissimum etiam tempus, nulla visibilis Ecclesia extitetit. Quanquam jam sæpius repetitum est, huc nobis confugiendum non esse, cum ignoratio sententiæ nostræ, veram Ecclesiam comitari possit.

Responsio ad VIII.

Non est hoc loco, de Constantino diligentius agendum, de cujus sive moribus, sive fide & religione, atque de Dei Filio sententia, varii varia scribunt, cum ea de Christi persona fides, quam is se amplecti professus esse dicitur, licet non vera, Christianam tamen religionem non evertat; nec ullo modo efficiat, ut labores, quos pro Christi nomine vel suscepit, vel suscipere visus est, fuerint irriti. Illud unum non reticebo, ex iis quæ ipse Constantinus, ut est apud Eusebium, lib. 2. cap. 68, ad Alexandrum, Alexandriæ Episcopum, & ad Arium, ejusdem urbis presbyterum, initiis controversiæ illorum, cordate admodum & luculenter scripsit, omnibus constare posse, ipsum sensisse, & neutrius sententiam Christianæ religioni adversari, & potuisse utrumque, sua sententia retenta, alterum pro Christi membro & fratre suo agnoscere. Vide locum, nam lectu dignissimus est.

Responsio ad IX.

De Conciliis.

De istis tot Conciliis, ab aliis, qui à Romana Ecclesia desciverunt, satis superque responsum est. Sed ne de quatuor quidem illis, quæ passim recipi videntur, admodum sollicitum esse oportet, cum propter alia multa, tum vero propter hoc, quod iisdem temporibus plura Concilia coacta sint, in quibus, iisdem de rebus, aliter atque in illis constitutum est: inter quæ, celebre est Ariminense Concilium, in quo major Episcoporum numerus fuit, quam in Niceno fuerit; atque, nisi memoria me fallit, ut etiam verisimile est, majore ex parte Occidentalium; qui tamen Niceni Concilii decreta, manibus pedibusque, ut dicitur, paucis quibusdam exceptis, tutari consueverant. Illud certum est, Augustinum alicubi non obscure confessum fuisse, Ariminense Concilium contrarium, atque Nicænum Concilium fecerat, statuisse; idque jure posse Niceno opponi, ubi videlicet, ait, non debere, vel Catholicos adversus Arianos Niceni Concilii authoritate uti, vel Arianos adversus Catholicos Ariminense Concilium urgere; vult que seposito utroque Concilio, ex verbo Dei, de veritate totius quæstionis dijudicari. Quod autem dixi de numero Episcoporum utriusque Concilii, verum est, etiamsi historicis credamus, qui vel Concilio Nicæno non interfuerunt, vel etiam multis annis post extiterunt, ac præterea Arianorum jurati hostes erant. Nam Eusebius, qui in ipso Concilio Nicæno interfuit, haud paulo pauciores Episcopos in eo fuisse scribit, quam alii scripserunt, nec sane, in Ariana controversia, quid conclusum fuerit, explicat: sed tantummodo, concordes super ea re Episcopos discessisse, narrat, id quod apud me, non minimi est momenti.

Responsio ad X.

De Athanasio.

De Athanasio similiter, non est, cur quis magnopere sollicitus sit, cum, ut alia omittam, ex ipsa historia, ab ipsis scripta, qui ejus memoriæ plurimum favebant, satis constare possit eum non tam Sanctum fuisse, ut vulgo fertur. Nam, quid illud fuit, ut ipse restitui in suum Episcopatum posset, non modo factiosorum hominum more, ad potentes in Italia symmistas suos accessisse, eosque vehementer contra suos adversarios concitasse; sed etiam ipsum Imperatorem Constantem, adversus Constantium fratrem animasse, nec per eum stetisse, quominus inter eos crudele bellum exardesceret? Quid item illud, quod Constantii Imperatoris iram metuens, sine ulla justa & Christiano homine digna causa, annos complures, apud sacram, ut vocabant, virginem Alexandrinæ delituit; cui forminæ fama erat, nullam inter ejus ætatis mulieres, formæ elegantia, parem inveniri, adeo ut viris, modestiam & continentiam profitentibus, fugienda videretur; & tamen, cum hac, bonus vir Athanasius, multis annis, occulte adeo ac familiariter convixit, ut nemo præter ipsam, ex Alexandriæ civibus, toto eo tempore, eum vel viderit, & alloquutus fuerit, vel ubi esset, resciverit, eique ipsa una, in omnibus etiam corporis necessitatibus, diligentissime inservierit. Vide Sozomenum libro 5. cap. 6, & miraberis.

Responsio ad XI.

De Martyrum suppliciis, & Confessorum sudoribus.

Nec Martyrum supplicia, nec Confessorum sudores, sine mercede sunt futuri, quamvis vel de Christi persona, vel de Dei essentia ea crediderint, quæ & olim & hodie, à nostris hominibus falsa esse ostenduntur, dummodo & Deo & Christo ex animo servierint, ejusque præcepta conservaverint, nec aliter sentiendum videtur de iis ipsis, qui (si modo historici vera narrant) ab Arianis, aut aliis quibusvis, propterea, quia Filium Dei, ipsi Deo patri coëssentialem esse asseverabant, sunt interempti, aut miris modis afflicti atque vexati. Quanquam idem quoque vicissim Ariani, & alii, qui coëssentialitatem istam pernegabant, ab istis sunt passi. Quocirca necesse est, ut alterutri pro iniqua causa decertaverint. Nec tamen interim Deus, in sinum ridebat, ut hic parum apposite & circumspecte, (ne quid gravius dicam) ab autore scrupulorum scriptum est. Non sunt, Dei imperscrutabilia judicia, humanæ rationis modulo metienda. Nec, si quid nobis alioqui minus probatur, in humanarum rerum, gubernatione divina, statim ab eo, quod Deus nobis manifeste patefecit, recedendum, & aliter, ac divini, homines loquuti sunt, de ipsis rebus divinis, vel affirmandum vel sentiendum; aut quod pejus est, quod multi faciunt, divina providentia in dubium revocanda. Sed hac ipsa de re, iterum ad finem hujus responsionis nostræ, nonnihil fortassis dicemus. Nunc dico, Deum, nec Arianorum, nec Catholicorum, quos vocant, perpessiones, pro sua opinione, licet minus vera defendenda, vel risisse, vel sprevisse, modo ipsi alioquin ii essent, qui esse debebant, & Dei ipsius Christique gloriæ studio impulsi, ea subirent. Quod si secus erat, nihil est, cur non merito eos Deus & ridere & spernere potuerit, imo, in pœnam deserti officii, atque arrogantiæ & ambitionis istorum, eas ut subirent, aut permittere aut curare.

Responsio ad XII.

Hic nihil dicitur, ad quod supra, plenissime responsum non fuerit. Duo enim ex tribus illis, quæ ab initio diximus, hoc loco pro concessis aut jam probatis sumuntur, quorum neutrum, nec verum est, nec ut verum esse appareret, diligenter curatum fuit, ut ante vidimus. Unum est, receptiorem de persona Filii Dei opinionem, non posse esse falsam, quin ubi ea sit, nullus sit Christus, nulla Ecclesia. Alterum vero, necesse esse, aliquam visibilem Christi Ecclesiam perpetuo extare. Quibus additur & hoc: Si nulla sit visibilis Ecclesia, nullam etiam esse salutem, atque peccatorum remissionem consequendam, in Christi Jesu nomine, necesse esse, ut aliquis verus Jesu Christi cœtus conspiciatur, una fortassis cum ministro, qui absolutionem scilicet largiatur: id quod à veritate plurimum abhorret, cum ex Sacris Literis certissimum sit, eum peccatorum suorum quantumvis gravium, remissionem consequi & servari, qui in Deum, & Jesum Christum crediderit, id est, Deo, ex Jesu Christi præscriptione,

ptione, obedierit, etiamsi nullus præterea in universo terrarum orbe, verus Dei Christique cultor esset.

Qui sequuntur scrupuli, partim leves admodum, partim ejusmodi sunt, ut eorum tractatio vehementer sit odiosa: attamen & istos quoque eximere conabor.

Responsio ad XIII.

Si de ea Christi doctrina loquamur, quæ ad salutem prorsus est necessaria, non crediderim, nostros homines, solam doctrinam suam, Jesu Christi doctrinam esse, dicere. Præterea nostri homines etiam multo post Apostolorum tempora, idque sæpius suam hanc de Deo Christoque ejus doctrinam, prædicatam fuisse contendunt, atque ex ipsis adversariorum historiis docent. Quamobrem nulla est causa, cur in iis, qui ipsam hac nostra ætate prædicarunt, major vitæ sanctimonia, quam in aliis, qui se Dei ministros profitentur, requiratur. Certe, utri utris hac in parte præstent, ex reipsa facile intelligi potest. Namque crediderim ego, longe aliter se rem habere, atque hic pro concesso sumitur, quod ad vitam attinet & mores eorum, qui nostram doctrinam prædicant. Id unum vere & constanter affirmare possum, primos, qui tempestate nostra, hanc doctrinam publicare non dubitarunt, homines fuisse, & ab ineunte ætate maxime pios, & ipsorum adversariorum testimonio, ut honesto loco natos & bene doctos, sic externe inculpatæ vitæ. Vide Hieron. Zanchium, ad finem alterius præfationis suæ, in libros de tribus Elohim.

Responsio ad XIV.

Non spiritus elatio, sed divinæ gloriæ zelus, facit, ut nostri homines, pauca adversariis condonent. Neque enim hæc ejus generis sunt, cujus ea erant, quæ condonabant Apostoli, qui tamen revera, paucissima condonabant; nec eadem temporum & causæ ratio, cum adversarii nos, pro perditissimis hominibus, & Jesu Christi juratis hostibus habeant.

Responsio ad XV.

Indignus plane hic scrupulus, cordato homine videtur. Quasi vero non fuerint hæc millies nostra memoria solidissime refutata, & quasi Paulus, ob scortationes vitandas, non aperte doceat, bene esse, ut unusquisque vir, propriam habeat uxorem. Quin etiam nominatim non dicat, ac diserte moneat, oportere Episcopum & Diaconum, esse unius uxoris virum.

Responsio ad XVI.

Nec Christiana jejunia, nec precationum fervor, apud nostros homines deest, nec sunt hæc ullo modo inter eos dissoluta: licet ea superstitione non fiant, qua inter eos, qui se hæc præ cæteris habere jactant. Et sane, nisi vehementer fallor, quod precationum fervorem attinet, longe à nostris hominibus isti superari dici possunt.

Responsio ad XVII.

Miror hunc scrupulum, cum plane contrarium, in plerisque ex nostris hominibus palam conspiciatur; adeo ut si cum cæteris conferantur, præ illis, in mundo mortui videri possint. Quanquam, ut in initio attigimus, non profitentur nostri homines, se tanquam Apostolos ad orbem terrarum, nova quædam luce illustrandum, & quodammodo instaurandum, missos esse: sed ex iis principiis, quæ aliis sunt communia, nonnulla aliter, atque vulgo fit, ministerio verbi jam ex multorum consensu instituto, populum sibi commissum docere conantur.

Responsio ad XIIX.

Hic nihil aliud dicendum videtur, quam id, quod olim Johannes Apostolus dixit, *Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Quanquam, ne ex nobis quidem prodiisse, multi ex iis, qui (ni fallor) hoc loco intelliguntur, merito dici possunt, quos etiam nominarem, nisi omnium, quatenus fieri potest, offensionem mihi vitandam proposuissem.

Responsio ad XIX.

Ea ipsa de re, ubi nostri homines, in articulo illo, diversum ab aliis docent, nullæ sunt inter ipsos contentiones. Omnes enim in hoc consentiunt, non esse plures in una Dei essentia personas, sed solum Domini Jesu Christi patrem, esse illum unum Deum, nec ullum alium unquam fuisse Dei Filium unigenitum, præter hominem illum Jesum Nazaræum. Nam qui aliter credunt, licet non statim à nostris foras ejiciantur, nostri tamen revera censendi non sunt. Quod si in quibusdam Sacrarum Literarum locis interpretandis aut explicandis, nondum per omnia nostri ipsi homines consentiunt: quid mirum post tantas tamque diuturnas tenebras, plenam lucem, omnibus divinis testimoniis intelligendis, tam brevi spatio temporis, illatam non fuisse. Neque enim mentes suas, mirabili ac singulari quadam ratione, divinitus illustratas, sibique ad intelligendas scripturas, propheticum spiritum plenissime datum, jactant nostri homines: sed ex ipsis Sacris Literis, earundem Sacrarum Literarum interpretationem quærunt. Quanquam si quid hac ratione addiscunt, quod cæteri adhuc ignorent, id omne Deo, cujus ad intelligenda ipsius mysteria, spiritum atque auxilium continenter implorant, acceptum referre non dubitant. Veritatem porro, quantum satis esse, ut alios etiam ab errore manifesto revocare possint, se tenere, persuasissimum habent; interim tamen, se indies in ipsius veritatis cognitione proficere agnoscunt, & amplius doceri non erubescunt.

Responsio ad XX.

Eandem quidem veritatem nostri homines, in articulo, de Dei ejusque Filii essentia, se profiteri affirmant, quam olim primitivæ Ecclesiæ architecti: Non tamen sequitur, nostros, se pares illis facere, aut eandem in omnibus utrorumque rationem esse debere. Nam architecti illi, vocationem singularem atque expressam à Deo habebant, eorumque dictis omnibus, fidem adjungi Deus volebat, idque in re nova & antea inaudita. Quæ omnia absunt à nostris hominibus. Quare nihil est, cur miremur, in ipsis non eam vim Spiritus Sancti apparere, quæ in illis apparuit. Nam, quod nostri carnalia & mundana curent, ridiculum plane mihi objectum videtur. Vide supra Num. 17.

Responsio ad XXI.

Si hoc de nostris tantum hominibus dicitur, vehementer miror: cum nec ipsi alium Dei spiritum jactent, præter eum, sine quo Christianæ religionis sciens nemo esse potest, nec inter se invicem sententiis pertinaciter depugnent. Sin de omnibus, qui à Romana Ecclesia defecerunt, non video, quid hoc ad propositum faciat, cum de nostris hominibus sit sermo. Num quia ii, qui à Pontificiis se segregaverunt, dissident inter se, ideo nulli inter se veritatem habent? Consequentia hæc, nulla est. Nam alioqui, Judæi quoque olim merito dicere potuissent, eorum, qui Mose posthabito, unius Jesu Nazaræni præceptis, se adhærere profiterentur, nullos esse, qui veritatem haberent. Nempe, quod isti inter se, multipliciter ac pertinaciter, ipsis etiam Apostolis adhuc viventibus, dissidebant. Cæterum unitas, quæ ex Dei Spiritu consequitur, capita quædam pauca fidei respicit; ea videlicet, quæ ad salutem sunt necessaria: sed præcipue externa facta (non hic de ceremoniis, indifferentibusque ritibus ago) in Deo Christoque colendo, & charitate erga proximos præstanda, in vita denique & moribus instituendis; non autem sententias, vel etiam dogmata omnia respicit, de quibus in Christiana religione disputare contingit. Potest enim quis Spiritu Dei esse præditus, & tamen in non

necessariis errare, adeo, ut pro necessario id ducat, quod non est, & propterea pro fratre non agnoscat eum qui tamen sit. Satis enim est, si ipse omnia, quæ necessaria sunt, probe teneat; quicquid tandem in reliquis eum hallucinari, ab aliisque licet Spiritu Dei similiter præditis; diffidere contingat.

Responsio ad XXII.

De exitibus ministrorum verbi, nihil exacte respondere possum, cum mihi sint incogniti. Miror tamen, sub Novo Testamento, sub quo proprium, non ministrorum modo, sed omnium piorum est, affligi, & viles abjectosque in mundi conspectu esse, hæc nostris verbi ministris objici, cum sub ipso Testamento Vetere, in quo & ista sententia, *Generatio rectorum benedicetur* (quæ tamen ad ea quæ non apparent, atque æterna sunt, & ad spirituale semen, non autem carnale, potissimum referri & potest & debet) & infinitæ aliæ apertiores leguntur, quæ bona hujus seculi promittunt piis hominibus, & posteris eorum, proprium quodammodo Dei prophetarum fuerit, à populo, ad quem erant missi, non solum despectui ac ludibrio haberi, sed misere etiam vexari, ac persequutionem pati. Quis vero legens, quæ in Epistola ad Hebræos scripta sunt, Heb. 11. 35. de iis ipsis, qui sub Veteri Testamento fuerunt, hæc iis, qui sunt sub novo, objicere audeat? Jam vero, quod filii ministrorum aliquando degenerent, quid hoc ad rem, cum istud ex libera illorum voluntate pendeat, quam Deus ad bonum cogere non vult?

Responsio ad XXIII.

Deus per Lutherum, à falsis cultibus & idololatria, quæ passim inter eos, qui Christum profitebantur, fiebat, homines retraxit, & ad ejusmodi divinarum rerum cognitionem adduxit, quæ satis esse poterat, ad salutem æternam conciliandam. Quamvis multa adhuc in doctrina ejus essent, quæ correctione indigerent, & facile à vera salutis via, infirmorum animos revocare possent, quorum correctionem, non diu Deus distulit, & per Zuinglium primum, atque Oecolampadium, quædam magni momenti reformavit. Deinde per alios, alia corrigere est aggressus, idque perpetuo, usque ad nostram ætatem. Nec porro quievit spiritus hic divinus, donec veritatem iis, qui oculos ad videndum aptos habuerint, omnibus prorsus humanis commentis nudatis, ad conspiciendum proposuerit. Nihil autem convenientius fieri potuit, quam ita sensim, ad veritatis divinæ patefactionem progredi. Non enim tantam lucem ferre potuissent oculi plane cæcutientes, ac perpetuo tenebris assueti. Lacte, non autem cibo solido infantes sunt nutriendi: cum vero paululum adoleverint, tum paulo etiam eis solidior cibus præbendus est. Nec interim tamen, dum veritas divina in apertum penitus profertur, incredulitate plurium delelectatur Deus. Jam enim, ut dictum fuit, per ipsum Lutherum ea fuerunt patefacta, quæ ad hominem fidelem constituendum, sunt prorsus necessaria. Quod si de tempore, quod Lutherum præcessit, quæratur, hoc hominum est, nec, quod Deus nihil cuiquam debeat, considerantium; nec, quanta eorum, qui Christi nomen profitebantur, per innumeros fere annos, scelera fuerint, perpendentium; nec, quam diuturna cæcitate, ut miseri Hebræi suo exemplo docent, homines alioqui sibi charissimos, si à pristino instituto degeneraverint, Deus percutere soleat, attendentium; nec denique eas quas futuras tenebras, & cultus divini vastationem, sancti post ipsum Christum viri prædixerunt, recordantium. Atque, ut uno verbo dicam; hoc nihil aliud est, quam universam Dei providentiam in dubium vocare, atque in atheismum quendam homines conjicere velle, si quis hac eadem ratione usus, ad tantam tamque diuturnam orbis Christiani vastitatem, per Machometem invectam, & ad innumerabiles populos, qui vera Dei cognitione, jam per annorum chiliades, perpetuo destituti fuerant, atque etiam nunc sunt, animo & cogitatione se converterit. Providet omnino Deus, & procurat omnia, justissimaque sunt universa judicia ejus. Nec, quamvis non inepte fortassis in hisce ipsis, quæ modo attigimus, id nos demonstrare possemus: tamen vel hic non est hujus rei locus, vel nostro patrocinio, hæc tantopere testata veritas, nullo modo indiget.

Responsio ad XXIV.

Paulo ante, id est num. 17. & 20 nostri homines eo nomine reprehendebantur, quod mundana curarent; fortasse quia unus vel alter ex ipsis, in hominum adhuc maxima celebritate versatur: hic vero, si qui sunt aut fuerunt, à nostris hominibus non penitus abhorrentes, qui potius voluntate, quam necessitate aliqua à publico quodam vitæ splendore, ad privatam vivendi rationem se contulerint, hoc tanquam divinæ punitionis specimen & falsæ doctrinæ argumentum arripitur. Omitto autem, quod quædam de illis hic dicuntur, quæ vel minus vera sunt, vel, ut num. 22 diximus, Christianorum, & vere piorum sunt propria. Quid vero attinebat, Scotiæ, Angliæque regna hoc loco commemorare, quæ doctrinam nostrorum hominum propriam, tanquam pestilentissimam aversantur? Nec tamen arbitror ego, in utrovis istorum regnorum, non pristinum splendorem atque opulentiam conspici. Quod si secus est, non idcirco id, ad mutatam religionem, illico est referendum; cum tot aliæ causæ justissimæ, Deique providentia dignissimæ, ejus rei esse possent, si modo id certo ac definito Dei consilio esse velimus. Atque inter cæteras causas, hæc multo verisimilior, quam mutata religio videri debet, quod istarum regionum populi, Dei beneficium, in abolendis impiis superstitionibua, atque hominibus, ad verum sui cultum traducendis, ac salutari divinæ veritatis notitia donandis, non tanti fecerint, quanti facere debuissent, nec dignam tam præstanti cognitione vitam instituerint.

Responsio ad XXV.

Parum dignus est hic scrupulus, homine in Sacris Literis vel mediocriter versato, cum ex illis apertissimum sit, Deum solere, non ex fulgore fumum, (ut poëtæ verbis utar) sed ex fumo lucem dare: quanquam non video, cur Poloniæ regnum obscurus quodammodo orbis terrarum locus censendus sit, præsertim vero in hac religionis, quam à majoribus accepimus, reformandæ causa, cum in eo tantum imperium atque potentiam avitæ religionis proceres obtineant, quantam in nullo alio. Quod si propterea, quia in eo primum hæc, de Dei Christique essentia veritas publicata & recepta est, male audit hoc regnum apud exteras nationes, Judæa quoque regio, per aliquot sæcula pessime apud exteros audiebat, eo potissimum nomine, quod ibi primum Christiana religio publicata & recepta fuisset.

Responsio ad XXVI.

Adhuc in ipsis initiis sumus, & miramur, nondum ad orientales hanc lucem pervenisse, quasi vero, (ut sæpius dictum est) nostri homines, pro Dei prophetis, vel Christi potius novis quibusdam Apostolis, se venditent, quorum opera Deus, ut per antiquos illos fecit, universas mundi regiones, sui puriore cognitione illuminaturus sit?

Responsio ad XXVII.

Ante annos triginta, nemo fortasse erat in universo hoc regno, ubi nostræ doctrinæ prædicatio primum extitit, qui de Dei Christique essentia aliter sentiret, atque à Romana Ecclesia præceptum fuerat. Cœtus vero, aliter sentientium, nullos extitisse arbitror, nisi demum annis abhinc circiter viginti: quod quæso, quantulum est spatium? & tamen hoc tam brevi tempore,

pore, non modo factum est, ut ubique ferme in hoc regno sint, qui aliter sentiant, & pluribus in locis, aliquis ejusmodi publicus coetus existat: sed in Transylvania & Ungaria, talium coetuum centuriæ numerantur, quamvis præter cætera plurima & ingentia obstacula, quæ ubique fuerunt, Judaizantium hominum, quorum pars à nobis prodierat, perversus zelus, vel potius scelus atque astutia cum summa audacia conjuncta sententiæ nostræ propagandæ summo impedimento fuerint. Ego sane, cum omnia mecum diligenter reputo, tantum abest, ut parum profecisse nostros homines existimem, ut vehementer mirer, his paucis annis, eos tanta præstitisse, & Deum maximopere laudem, qui laborum ab ipsis susceptorum, eum successum dederit, quem vix desiderare audebam. Nec sane dubito, quin (quicquid cuiquam secus videatur) indies magis sit doctrinæ nostræ propagatio incrementum susceptura, aut hic, aut alibi, ubi Deo visum fuerit. Nam quod ad pietatem attinet, (de cujus tamen incremento aut diminutione inter nostros homines, nihil ausim affirmare) nihil mirum videri deberet, si ea nullum incrementum accepisset: hoc enim perpetuum est, in omni religionis mutatione, quantumvis bona, ut scilicet major sit ab initio hominum pietas, quam postea. Nec vero, si alii coetus, quos in multis errare contendimus, nostris multo eminentiores sunt, propterea sequitur, Deum illis magis quam nostris favere. Nullius enim voluntatem Deus vult cogere. Atqui libera hominis voluntate permanente, quid mirum, si plerique ad eos coetus se aggregant, ubi & salutis via quædam latior proponitur, nec commune quoddam odium, atque invidia cujuscunque ordinis hominum subitur? Non sunt hæc nostra (fatemur) Apostolorum temporibus similia; nec nostri homines, cum illis Christianæ religionis coryphæis & antesignanis comparandi: nihil tamen dubitamus, quin multo purior doctrina apud nos sit, quam apud alios quosvis in hoc regno: quam ut omnes pii tandem complectantur, & optamus, nec id futurum sane diffidimus.

Responsio ad XXIIX.

Quasi vero verbi Dei ministro, nominis celebritas, sit quærenda, & doctrinæ atque eloquentiæ ostentatio affectanda. Cæterum præstat, vel unum tantum hominem, in Dei Christique veriore ac tutiore notitia instituere, quam integros populos in ea, quæ vel bona ex parte sit falsa, vel undique periculorum plena.

Responsio ad XXIX.

Nemo unquam divinarum rerum cognitionis non expers, in Euangelicis præconibus, sermonis elegantiam & humanarum artium scientiam magnopere requisivit, cum plane constet, primos atque omnium præstantissimos ejusmodi homines, vel istis omnino destitutos fuisse, vel ea non magnifecisse; sed potius sprevisse, ac dissimulasse: imo ad Christi regnum, quod hic in terris crucem perpetuam comitem habet, propagandum, inutilia duxisse, ut videre est apud Paulum 1 Cor. 1. 17 & 2. 1, 13, & 2 Cor. 11. 6, & aliis in locis. Habeant sibi adversarii suam eloquentiam, & omnium disciplinarum cognitionem: nobis satis est, Jesu illius Nazaræni, qui crucifixus fuit & resurrexit, veram notitiam habere, eamque, ut hactenus factum credimus, & in dies magis fiet, ab omnibus, qui eam oppugnant Deo bene juvante, & voce & scriptis non inepte defendere.

Responsio ad XXX.

Si nostri homines ab aliis jam diu separati non essent, ab iisque penitus explosi, & pro omnium pessimis reputari (quod attinet ad doctrinam, loquor) facile pancasquasdam ceremonias, quas & multa vetustas, & sanctorum virorum authoritas commendabat, retinuissent: in quibus videlicet, quamvis verbo Dei additis, nullus tamen falsus Dei cultus, nulla evidens superstitio, fuisset: Sed quando jam tanta divisio, inter no & reliquos omnes est facta, satius visum est, Ecclesia nostras paulo diligentius reformare, ut ad simplicitatem illam Apostolicam, nobis haud obscure in ipsorum Apostolorum actis, atque Epistolis delineatam, quam proxime accedant, antiquissimarumque illarum Ecclesiarum quam simillimæ fiant.

EPILOGUS.

Hæc, ut ab initio monui, ab amico rogatus scripsi, cum interim aliis gravioribus studiis occupatissimus essem. Quocirca nemini mirum videri debebit, si multa prætermissa sunt, quæ ad levitatem istorum scrupulorum demonstrandam, dici potuissent: sperans nihilominus futurum, ut si quis pii animi homo, in has qualescunque responsiones nostras inciderit, omnino agniturus atque ingenue fassurus, sit, nos viam saltem ab ejusmodi laqueis se extricandi, satis aperte indicasse: id quod tamen apertius nos aliquando facturos, si opus fuerit, Deo volente, pollicemur. Interim tamen ipsorum scrupulorum autorem, fraterne atque amanter monitum volumus, ut, quando ipsemet fatetur, verisimile videri, sententiam nostram, solam veram esse, quia videlicet (quemadmodum ego interpretor) Sacris Literis magis sit consentanea, ne diutius veritati obluctari pergat, neve, ut eam suspectam reddat, ea in medium afferre, quæ ad omnem religionem evertendam pertinere possint. Nostrum est, qui Christianos nos esse profitemur, principia & fundamenta Christianæ religionis, id est, libros Veteris & Novi Testamenti, non modo constantissime retinere, sed etiam in illis, præcipue vero in Novi Testamenti libris, legendis & pensitandis diligentissimos esse. In quibus, si quid non uno tantum aut altero in loco, neque iis verbis, quæ obscuritatem aliquam habere possint, sed ubique clarissimis verbis contestatum deprehendimus, nihil prorsus est nobis dubitandum, quin id verissimum sit, quicquid, in universali, quæ dicta fuerit Christi Ecclesia, constitutum aut receptum fuisse legamus, quicquid hujus seculi sapientia nobis suadeat, quocunque tandem cursu res humanæ ferantur. Alioqui si vel ex hominum authoritate, vel ex sensu nostro, vel ex rerum eventibus, in rerum divinarum cognitione pendere, ulla ratione voluerimus, hæcque apertissimis Spiritus Sancti testimoniis opponere, facile fiet, quemadmodum experientia hodie plus satis nos docet, ut sensim in omnem pietatis neglectum prolabamur, & divina omnia oracula, pro nugis, universamque sacram historiam, pro fabulis propemodum habeamus. Indignissimum plane est homine Christi nomen profitente, non pluris facere divinissimum hunc Sacrarum Literarum thesaurum, nobis à Deo summa atque admirabili, eaque certissima providentia conservatum, ut ex eo omnes in ipsius, Christique ejus cognitione ad salutem æternam ditescere possimus, quam cætera omnia, quæ illum nobis, sive aperte atque palam, seu quodammodo per insidias, & simulationem illius non prophanandi, quacumque tandem via ac ratione eripere possint. Adhibendus modo est, in eo perscrutando, animus vere pius, id est, Deum ejusque gloriam, omnibus rebus, ac suæ ipsius vitæ, haud gravate anteponens. Adhibendæ item sunt preces, ad ipsum Deum perpetuo, atque ex intimis præcordiis proficiscentes; vita moresque nostri, ita sunt componendi, ut digni Christi discipuli simus: & mundo denique, tum mente, tum factis, penitus est renunciandum. Nam si hæc fient, nihil timendum erit, ne Deus veritatem in suis oraculis comprehensam atque explicatam, vel nos fugere, vel nobis suspectam reddi, permissurus sit unquam.

Expli-

Explicatio Verborum Christi:

Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. Matth. 16. 18.

TRia sunt, quæ apud multos difficilem hunc locum reddunt. Unum, quod non liqueat, ad quem, vel ad quid verba illa referantur, *Hanc Petram.* Alterum, quod dubium esse videtur, an aliquid hic singulariter, Petro à Christo promittatur, quod aliis Apostolis datum nunquam fuerit. Tertium, quod sit difficile statuere, quæ omnino sint illa, quæ hic à Christo, Petro promittuntur; & nominatim, quatenus extendatur, illud, ligare & solvere, de quo in verbis istis fit mentio. Nos conabimur, tres istas quæstiones dissolvere, & sic locum ipsum planum reddere; non omittentes interea alia dicere, quæ ad totius loci explanationem, & singularum ejus partium explicationem pertinere videantur.

I. *Quæstio.* Quod igitur attinet ad primam quæstionem, non dubitamus affirmare, verba illa, *Hanc Petram,* ad ipsum Petrum referri debere. Nam alioqui periret allusio Christi Joan. 1. 42, manifesta ad nomen istud, quod ipsemet homini isti imposuerat; præsertim si ejus linguæ habenda ratio est, qua loquutus est Christus, in qua, quemadmodum eruditissimi viri, & antiquitatis peritissimi tradunt, eodem prorsus pacto, & sine ulla penitus differentia, & Petri & Petræ nomen proferebatur. Id quod conjici etiam potest ex editione Syriaca, quæ etiam nunc extat, Novi Testamenti. Certum est enim linguam istam, proxime ad illam accedere, qua Christus loquutus fuit. Quod si cui videtur durum, Christi Ecclesiam ædificatam fuisse super Petrum, is meminerit, eundem sensum alibi etiam haberi, in ipso Novo Testamento. Neque enim quicquam cogit, si ex Christi verbis, de quibus agimus, colligatur, Ecclesiam ipsius Christi super Petrum ædificatam fuisse, colligi simul debere, super ipsum solum fuisse ædificatam; meminerit, inquam, in Apocalypsi cap. 21. 14, scriptum esse: Murum civitatis, id est, civitatis illius magnæ, sanctæ Hierusalem, de cœlo descendentis, ab ipso Deo, ut ex ℣. 12, apparet, quæ sine dubio est, ipsa Christi verissima Ecclesia, habere fundamenta duodecim, & in illis scripta esse nomina duodecim Apostolorum agni, id est Christi. Quod quid aliud est, quam Christi Ecclesiam fundatam esse, super duodecim Christi Apostolos, & consequenter etiam super Petrum. Non absimilis isti loco is est, quem habemus in Epistola ad Ephesios, 2. 20, ubi Paulus ait, nos esse superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum; nos inquam, quatenus Christiani, & sic Christi Ecclesia sumus. Neque enim verba illa, *Fundamentum Apostolorum & Prophetarum,* ita accipienda sunt, ac si scriptum esset, fundamentum, quod Apostoli & Prophetæ posuerunt; præsertim, si hoc de Christo intelligatur: statim enim sequitur, *Existente summo angulari lapide ipsius,* (sic enim ex Græco libentius lego, quam ut alii, *Ipso) Jesu Christo.* Ex quibus verbis apparet, fundamentum de quo ibi Paulus loquitur, non esse Christum, qui non ut fundamentum ipsum, sed ut fundamenti angularis lapis, eo in loco ab ipso consideratur: sed esse ipsos Apostolos & Prophetas. Est enim in verbis illis, *Fundamentum Apostolorum & Prophetarum,* ea loquutio agnoscenda, cùm voce genitivi casus exprimitur, id ex quo ea res constat, cui vox ista adjungitur, ut *Corona vitæ, Corona gloriæ, Corona duodecim stellarum,* & similia, quæ in ipsis Novi Fœderis Literis leguntur, Jac. 1. 12. 1 Petr. 5. 4. Apocal. 12. 1. Non est igitur quod vereamur statuere, Christi verba illa ad Petrum, ita accipienda esse, ut ipsa sonant; cum non de solo Petro, sed & de cæteris Apostolis, & de Prophetis alibi legamus, eos esse fundamenta, seu fundamentum Ecclesiæ Christi, sive hominum Christianorum. Sonant enim omnino, ut diximus ab initio, Christi verba, super ipsum Petrum ædificatam fuisse ejusdem Christi Ecclesiam.

Nam si quis dicat, Imo ex codice Græco, cui nobis adhærendum est, posse videri verba Christi aliud sonare, quam ipsius Ecclesiam super Petrum ædificatam fuisse, cum ibi non legamus, ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ, masculino genere, ut ipse homo Petrus vocatur, sed ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, genere fœminino, cum tamen petra seu saxum, super quod ædificari queat, nomine isto, quod cum nomine illius hominis convenit, non fœminino tantum, sed & masculino genere, apud Græcos enuncietur.

Respondeo, Et si mutatio generis in verbis Græcis facta fuerit: tamen pronomen istud demonstrativum, *Hanc,* petræ adjunctum, idque cum proxime dictum fuerit, *Tu es Petrus,* satis aperte ostendere, Petram istam nihil aliud esse, quam ipsum Petrum. Præterea, quamvis πέτρος genere masculino, Petrum seu saxum significet: tamen nunquam in Novo Testamento id factum invenitur, nisi ubi explicatur significatio vocis Cephæ, qua is homo, de quo agitur, à Christo cognominatus est. Alibi perpetuo voce fœminini generis ad Petram seu saxum significandum usurpatur. Id quod in explicatione istius cognominis, & porro in homine illo Græce cognominando, factum non est, ut quemadmodum homo ille vir erat, sic cognominis illius terminatio, virilis sexus esset; quæ terminatio, licet de ipso Petro sermo esset, tunc non est servata, quando de ipso, ut de petra, super quam ædificaturus esset Christus Ecclesiam, verba sunt facta, ut homonymia, seu æquivocatio & ambiguitas omnis tolleretur, & unusquisque clare intelligeret, Christi Ecclesiam ædificatam quidem fuisse super Petrum, non tamen, quatenus vir fuit, ita cognominatus; sed quatenus fuit petra & fundamentum tanto ædificatio accommodatum.

II. *Quæstio.* De secunda quæstione ita statuo, nihil cogere, ut censeamus, istis Christi verbis ad Petrum, aliquid ipsi Petro promissum fuisse, quod aliis Apostolis nunquam fuit datum: sed si quid Petrus plus habuit, quam cæteri Apostoli, quod ad illud idem pertinere possit, de quo Christi verba agunt, id aliunde omnino colligi, quam ex isto promisso, ut postea dicemus. Tametsi non legimus, alicubi expresse alii, quam Petro, claves regni cœlorum, seu datas seu promissas, fuisse: id tamen simul cum Petro aliis Apostolis datum legitur, quod idem reipsa est, ut in reliqua tertia quæstione explicanda docebimus. Quamvis enim in his, de quibus agimus, Christi verbis, soli Petro sit facta promissio: non tamen facta est, cum exclusione aliorum Apostolorum à promissione ista. Nam soli Petro idcirco est facta, quia ipse solus Christo eos interroganti, quem se esse dicerent, aperte respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Nec vero quis dicat, Petri nomen, ad quod Christus allusit, satis indicare, illum, etiamsi alii idem aperte respondissent, minime ipsis, vel alicui ipsorum, idem dicturum fuisse. Jam enim ostensum est, super alios Apostolos, non minus quam super Petrum, ædificatam esse Christi Ecclesiam. Ad Petri vero nomen, Christi allusio, eo tantum respicit, ut super Petrum ædificetur ab ipso Ecclesia. Itaque ex ipso Petri nomine, & ad ipsum allusione, nequaquam colligi potest, quicquam Petro à Christo promissum fuisse, quod aliis Apostolis datum non fuerit; quamvis negari nequeat, nomen istud, Christo occasionem dedisse, id Petro dicendi, quod dixit de ædificanda super ipsum

Ecclesia sua: quæ quidem occasio defuisset, si alius quispiam ex Apostolis, ita ad ejus interrogationem respondisset, ut Petrus respondit: sed potuisset nihilominus Christus, ad ea respiciens, quæ facturus erat, idem reipsa illi dicere & promittere, quod Petro dixit & promisit; licet non iisdem verbis nec eadem loquendi forma & figura.

Sed instabit aliquis, & dicet: Cum nomen istud, ab ipso Christo impositum illi homini antea fuerit, cumque ex eo, quod Christus postea, ad nomen illud alludens, illi promittit, satis constet, cur illum ejusmodi nomine appellari voluerit, nempe, quia futurus erat fundamentum ipsius Christi Ecclesiæ, necesse esse, ut hac ipsa in re, quod Ecclesiæ Christi sit fundamentum, aliquid singulare & peculiare habeat Petrus, præter cæteros Apostolos.

Respondeo. Hac ratiocinatione non effici, ut Petri prærogativa ista, si qua est, contineatur in isto promisso, quod ei Christus fecit; sive ut Christus ei singulariter aliquid tunc promiserit, quod aliis Apostolis nunquam datum fuerit, qua de re hoc loco quæritur: sed tamen, ut ex verbis, quibus in promisso isto faciendo (quæ tamen ipsius promissi pars nullo modo sunt) Christus uti voluit, idque non solis, sed cum eo junctis, quod Christus antea fecerat, intelligi possit, Petrum ex ipsius Christi consilio, si etiam super alios quoque Apostolos fundata seu ædificata fuerit Christi Ecclesia, aliquid hac ipsa in re singulare præ aliis habuisse, de quo mox sententiam nostram aperiemus. Prius enim monere volumus, ratiocinationem istam, ad Petri prærogativam hanc concludendam, non adeo firmam esse. Nihil enim vetat, quominus Christus in imponendo illi nomine isto, non ad id, quod futurus esset fundamentum Ecclesiæ, sed alio respexerit, & postea tamen, cum illi designavit & promisit, ad istud ipsum nomen alludere voluerit. Verum ratiocinatione ista, tanquam optima & firmissima, admissa, nulla tamen major Petri prærogativa in eo, quod sit fundamentum Ecclesiæ, inde necessario concludi potest, quam in aliis rebus, ipsi cum cæteris Apostolis communibus, id est, quod ille aliqua ratione illis præiret, & ordine primus esset; quemadmodum ex non paucis Novi Testamenti locis, potissimum vero ex historia Actorum Apostolicorum desumptis, aperte colligi potest. Ex quo fit, ut, quamvis alioqui, nec potestate, nec authoritate alios antecederet, non modo simul omnes, sed nec etiam singulos, ut ex altera parte, ex iisdem sacris testimoniis, non minus aperte colligitur: tamen interdum (id quod antiquiores Christiani scriptores diligenter notarunt) ipse unus Petrus pro omnibus accipiatur: ut cum Paulus ait Gal.2.7,8, sibi creditum fuisse Euangelium præputii, quemadmodum Petro circumcisionis, & eum, qui operatus esset Petro, in Apostolatum circumcisionis, operatum quoque sibi fuisse in gentes. Certum enim est (idque ipsimet Pontificii, qui Petri primatum, præter omnem fidem, miris modis extollunt atque extendunt, fateri coguntur) quod ad ipsum munus Euangelii prædicandi, atque ipsum Apostolatum attinet, Petrum aliis Apostolis majorem non fuisse. Ex quo sequitur, Paulum, Petro nominando, reliquos simul alios Apostolos intellexisse, qui non minus quam ipse, Apostoli & præcones Euangelii inter circumcisos constituti fuerant. Quod igitur Petrus, & non alius ullus ex Apostolis, nomine isto insignitus à Christo fuerit, idque ob eam causam, quod super ipsum ædificaturus esset Ecclesiam suam, hoc inde profectum est, quod is cæteris præiturus esset in fundanda Christi Ecclesia, quæ ipsi, & aliis Apostolis, id est, doctrinæ ab ipsis prædicatæ innititur, ipsorumque solidissimo testimonio firmatur, & propterea ipso Petro à Christo, cum hac de re Christus ageret, nominato, nominati simul omnes Apostoli intelliguntur, præsertim ubi etiam alioqui ipse omnium aliorum personam gerit, ut hic certe facit, cum, ut ex Christi interrogatione, quæ ad omnes dirigitur, & ex eo, quod nihilominus unius Petri responso contentus Christus fuit, satis constat, non pro se tantum, sed pro aliis simul omnibus responderit. Adde, quod ut locus ipse monet, ac ferme omnes agnoscunt & fatentur, causa, cur Christus ea Petro promiserit, quæ tunc promisit, id fuit, quod ille respondit, significans, se firmiter credere, Jesum illum Nazarænum, cui respondebat, esse Filium Dei vivi. Nam quin hoc idem reliqui omnes Apostoli sentirent, nihil prorsus dubitandum videtur: imo id liquide apparet ex ipsorum verbis, & facto simul, quod præcessit, ut apud eundem Euangelistam habetur cap.14.33. Cum igitur non minus reliqui Apostoli, quam Petrus, id in se haberent, propter quod is à Christo promissa illa accepit; ac cæteroqui pares illi, in Apostolatus munere, & essent & futuri essent, nisi quod, ut dictum est, ille ipsis etiam præiret, & præiturus esset, concludendum omnino est, quicquid Petro, quantumvis nominatim promissum tunc à Christo fuit, reliquis simul Apostolis promissum fuisse, intelligi debere.

III. *Quæstionis 4 partes.* Restat tertia quæstio, quæ quatuor partes habet: quatenus quatuor videntur esse Petro, & sicut, supra ostendimus, reliquis omnibus Apostolis, in verbis, de quibus agimus, à Christo promissa. Unum, quod ipse Christus ædificaturus esset super ipsum Ecclesiam suam. Alterum, quod portæ inferorum non essent prævaliturae adversus hanc Ecclesiam. Tertium, quod daturus illi esset claves regni cœlorum. Quartum, quod quicquid ille in terra ligasset aut solvisset, id ipsum in cœlo ligatum aut solutum futurum esset. Est autem inter hæc quatuor, hæc differentia, quod in primo Petrus, nihil, proprie loquendo, accepturus erat: sed tantum de eo aliquid erat futurum. In secundo, neutrum erat istorum: sed tantum aliquid futurum erat, de re, quæ ad ipsum Petrum aliquomodo pertinebat. In tertio, aliquid omnino accepturus erat Petrus, & similiter in quarto: Sed hoc discrimine, quod tertium, causa quarti futurum erat; quod idem videtur dici posse de primo, respectu secundi, quemadmodum deinceps explicabimus: de singulis enim istis quatuor, ordine nobis videndum est.

I. *Pars.* Quod igitur attinet ad primum, quid sit, Christum Ecclesiam suam ædificasse super Petrum, satis ex iis, quæ ante à nobis disputata sunt, intelligi potest: præsertim ex eo, quod docuimus, necesse esse, ut super reliquos quoque Apostolos, Christus suam ædificaverit Ecclesiam, non modo, quia Petrus, tum ob id, quod aliis præibat, & præiturus erat, tum vero ob id, quod ipse unus pro omnibus ad Christi interrogationem responderat, aliorum omnium personam gerebat; sed etiam quia expresse alibi legimus, super alios quoque Apostolos fundatam esse Christi Ecclesiam, seu Christianos homines. Facile est autem intelligere, quid sibi hoc velit super Apostolos ædificatam fuisse Ecclesiam ab ipso Christo: nempe Christum constituisse Apostolos, qui primi omnium eam doctrinam, quibuslibet hominibus, sine ullo discrimine annunciarent, & confirmarent: quam qui amplexus fuerit, ipsius Christi sit discipulus, & sic ad cœtum Christianorum pertineat: unde merito Apostoli fundamenta cœtus Christianorum, & sic Christi Ecclesiæ esse dicuntur, & consequenter super ipsos, Christum, qui eos tales constituit, quique per ipsos ad se primum homines traxit, & suos fecit, ædificasse Ecclesiam suam. Nihil autem amplius aut majus per hoc significari, quod super Apostolos ædificaverit Christus Ecclesiam; seu, quod Apostoli, Ecclesiæ Christi sint fundamenta, is locus docet, quem in prima quæstione explicanda attulimus, ubi non tantum super Apostolos, sed super Prophetas quoque, Christiani ædificati esse dicuntur Ephes.2.20. 1 Cor.12.28. Ephes. 4.11. Nihil enim dubitandum est, quin Prophetarum nomine, eo in loco, ii Prophetæ intelligantur, quos à Christo datos, sive à Deo in Ecclesia positos fuisse legimus, quique

quique post Apostolos primo loco à Paulo ponuntur: hi enim, ut ex cap.14.8, prioris ad Corinth. liquet, occultiora quædam, ad Christianam religionem pertinentia, aperiebant: unde confirmari & augeri poterat fides audientium, qui inde adhortationis & consolationis fructum perciebant; nec his rebus quicquam sublimius, quod à Christi Ecclesiam ædificandam pertineret, a Prophetis istis proficiscebatur. Sunt autem hi Prophetæ una cum Apostolis, ab ipso initio à Christo dati, unde merito una cum ipsis, fundamenta Christianorum hominum sunt dicti. Namque animadvertendum est, nec Apostolis, nec Prophetis potuisse nomen istud fundamenti accommodari, nec porro accommodatum fuisse, nisi quatenus primi fuerunt hujus ædificii lapides, quibus reliqui deinde superstructi fuerant, quemadmodum ipsa, ipsius loci Ephes. 2.20, verba ferunt. Ex quo apparet, quam stulte & inepte Pontificii, ut suum primatum Romani Episcopi probent, tantopere urgeant, super Petrum ædificatam fuisse Ecclesiam Christi, etiamsi Romanus Episcopus, verissimus Petri successor esset. Quasi vero hæc sit res, quæ ad successores transeat; & si super Petrum ædificata fuit Ecclesia, inde sequatur, similiter super ipsius successores ædificatam esse. Nam hoc idem est omnino, ac si quis ex eo, quod Petrus ex primis fuit, qui Christianam religionem annunciarunt & confirmarunt, concluderet, Petri quoque successores, ex primorum istorum numero fuisse atque esse, quo nihil stolidius excogitari potest, cum potius ex eo ipso, quod successores sint Petri, qui inter illos primus fuit, necessario consequatur, eos ex istorum primorum numero nec fuisse, nec esse posse.

II *Pars*. Sequitur, ut videamus, quid sit illud, quod Christus ait, portas inferni non prævalituras adversus Ecclesiam ipsius: quod recte explicare, non ita proclive videtur, propter id præcipue, quod ante attigimus; quod scilicet hoc videretur ex eo consequi, quod prius dictum est à Christo, id est, se ædificaturum Ecclesiam suam super Petrum, quasi Christus dixerit: Et quia super te, qui petra es, ædificata erit Ecclesia mea, propterea inferni portæ, adversus illam non prævalebunt, qua de re quid sentiendum sit, postea explicabimus. Prius enim dispiciendum est, quid sit, Portas inferni non posse prævalere adversus Ecclesiam Christi Pontificii vulgo credunt, hoc idem esse, atque, Christi Ecclesiam non posse ullis Diabolicis viribus subverti, ipsiusve Diaboli artibus in errores ullos, præsertim tales, qui fidei in Christum adversentur, unquam adduci. Et quia Ecclesia Christi, apud ipsos, est Romana Ecclesia; quippe, cujus Petrus, super quem Ecclesia Christi ædificari debuit, primus Episcopus fuit, ibique sedem suam ordinariam fixit, & in ea usque ad mortem perseveravit, propterea ipsi Romanæ Ecclesiæ tantum istud tribuunt, ut nec subverti, ac esse desinere, nec errare possit. Quibus de rebus singulis, non est nunc disputandi locus: alias fortasse, Deo dante, quam in tota istá ratiocinatione, qua una, ipsorum universa religio revera innititur, Pontificii hallucinentur, ac turpiter errent, planum facere conabimur. Ad præsens enim institutum nostrum, satis est omnino, de interpretatione, quam ipsi afferunt, verborum Christi, aliquid dicere: quanquam vel hinc apparebit, quam male fundata sit religio ipsorum. Credunt ipsi, unaque cum illis plerique alii, Inferni nomen, in Christi verbis, significare Diabolum, seu Diabolos, sed insigniter falluntur. Nusquam enim infernus, Diabolum, seu Diabolos, in Sacris Literis significat, sed ubique (nisi ego vehementer fallor) statum & conditionem mortuorum; atque ea differentia, quæ est inter mori, & esse in statu mortuorum, eadem & non alia revera est, inter mortem & infernum, quod quidem attinet ad ipsas Sacras Literas, in quibus non alio quam prædicto sensu distinguitur, haud raro, inter mortem & infernum, ita, ut Infernus, aliquid plus significet, quam Mors; quemadmodum aliquid plus est, esse in statu mortuorum, quam mori. Vanissimum igitur est Pontificiorum commentum, & eorum simul omnium, qui ipsos sunt imitati, cum ex Christi verbis, de quibus hic agimus, concludunt, Christi Ecclesiam non posse Diabolicis ullis viribus aut artibus subverti, aut in errores perniciosos induci. Jam portæ inferni aliud nihil sunt revera, quam ipse infernus, non aliter atque portæ mortis, idem revera sunt quod ipsa mors, Psal.9.14, & 107.18, & quidem apud Esaiam cap. 38.10, ubi, nec fortasse alibi, hæc eadem loquutio portarum inferni habetur, nihil aliud ea significare potest, quam ipsum infernum. Si quis tamen contendat loquutionem istam significare simul omnem vim atque potentiam inferni, ut passim creditur, & nos aliquando, cæteros sequuti, credidimus, non multum pugnabo, quamvis priorem interpretationem magis probem. Est igitur sensus Christi verborum, ipsum infernum, seu omnem vim ac potestatem inferni, non prævalituram Ecclesiæ suæ: id est, eos, qui vere Christiani fuerint, in mortuorum statu & conditione non remansuros; sive, ut ex ipso verbo Prævalendi elicitur, mortuorum statum & conditionem illis non dominaturam: qui enim prævalent, id est, superant alios, iis etiam dominantur. Atque ex hoc uno loco apparet, Ecclesiæ Christi nomen, cum maxime proprie accipitur, ut certe, ut hic fiat, necesse est, aliud nihil significare, quam veros Christianos, quicquid Pontificii contra disputent, qui adversus clarissima scripturæ testimonia & rationes inexpugnabiles, audent negare, usquam significatione ista, Ecclesiæ nomen in scriptura usurpari.

Sed jam aliquid dicendum est de eo, An hoc, quod Christus hic dicit, ex eo aliquo modo consequatur, quod prius dixerat; & sic, An quia ipse Ecclesiam suam super Petrum ædificaturus erat, propterea futurum esset, ut inferni portæ (quod quid sit, jam satis explicatum est,) adversus eam prævalituræ non essent. Nihil omnino cogit, ut hoc ex illo consequi, Christus dicere vel indicare voluerit. Satis enim est ad hoc, ut Christus, quemadmodum necesse est, aptissime hæc duo conjunxerit, ita ejus verba interpretari, ut Petro ipsi significare voluerit, quam eximium ædificium futurum esset istud, quod se super ipsum ædificaturum promittebat, quando nulli interitui futurum erat obnoxium. Si quis tamen omnino velit, ita loquutum fuisse Christum, quia posterior res ex priori consequatur, potest illi hoc sensu concedi, quemadmodum alii etiam animadverterunt, quamvis neutram istarum duarum rerum satis bene intellexerunt; id est, ut, quia res prior, propterea à Christo promissa fuerat, quod Petrus crederet, illum esse Filium Dei viventis, idcirco factum iri, ut, qui super Petrum ædificatus fuerit, quæ est res ista prior, is nullo modo perire possit, quæ est res posterior: quippe, quod super petram ædificari nemo possit, qui istud idem non credat, qui autem istud credat, vitam æternam sit habiturus, & sic nullo modo perire queat 1 Joh.2 16.

III *Pars*. Sed jam de tertia re agamus, quam Christus Petro promittit, ea est, Daturum se illi claves regni cælorum. Non dicit clavem, sed claves. Duæ enim solebant esse claves cujuscunque ostii: una, qua aperiri, altera, qua claudi posset. Quanquam potuisset eodem sensu, facultatem aperiendi & claudendi, clavem dicere, ut factum est Esai.22.22. Apoc.3.7, nisi quod ibi potuit singularis numerus pro duali vel plurali usurpari, cum duplex hæc facultas ibidem diserte commemoretur: hic vero, cum de ea apertum verbum nullum fiat, ad eam significandam numero duali vel plurali, quo utraque clavis statim intelligitur, utendum omnino fuit. Promittit igitur Christus Petro, se daturum illi claves, quibus & aperire & clau-

& claudere regnum cœlorum aliis possit. Regnum cœlorum, sine dubio, hoc in loco, conditionem & statum eorum significat, in quibus Deus per gratiam suam habitat & regnat, sive in hoc, sive in futuro seculo. Ex quo fit, ut Petro à Christo promissa fuerit facultas, tum in hunc statum & conditionem homines inducendi, tum eos ab ea excludendi. Verum, cum ex altera parte firmiter atque immutabiliter, à Deo & Christo ipso constitutum fuerit, ut ii omnes, qui in ipsum Christum crediderint, hujus status & conditionis sint participes; qui vero non crediderint, omnes ab ea excludantur: Certissimum autem sit, in Petri potestate nunquam fuisse, nec esse potuisse, omnino ac reipsa efficere, ut quis in Christum crederet, aut non crederet, necessarium plane est id, quod ei Christus promittit, non ita simpliciter esse accipiendum, ut ipsum per se sonat, seu de ipsa rei efficientia interpretandum esse; sed tantum de declaratione & pronunciatione justa ac vera. Nihil autem magis tritum in divinis literis est, quam ut verba rei efficientiam significantia, ejusdem rei declarationem tantum, aut pronunciationem jure factam, declarent. Itaque hoc sibi revera habuit Petrus à Christo promissum in istis verbis, nimirum, quos ipse declarasset ac pronunciasset ad regnum cœlorum, id est, ad eum statum & conditionem, quam diximus, pertinere aut non pertinere, eosdem eo perventuros, aut non perventuros, prout ipse dixisset. Jam vero isthæc declaratio & pronunciatio dupliciter intelligi potest, aut scilicet facta sub aliqua conditione, vel cum modo certo aliquo, aut sine ulla conditione vel modo, sive ea de singularibus hominibus, sive de omnibus generatim fiat. Sine ulla conditione vel modo, ut Petrus juste ac vere declarare ac pronunciare potuerit, quis pertineret ad regnum cœlorum, nulla ratione fieri potest, nisi una cum hac facultate datum etiam illi fuerit, ut humana corda scrutetur, quod omnes dicent, datum ei non fuisse; & certum est, nullum hominem hanc vim ordinariam habuisse, præter Jesum Nazaræum, quemadmodum etiam munus quod habuit, regendi ac gubernandi verum populum Dei, eumque judicandi, adeoque mundum ipsum, quod sine hac perpetua vi consistere & administrari nequit, ipsius unius solius est, nec ullius alterius unquam fuit. Cum enim nemo, ut dictum est, ad regnum cœlorum pertineat, pertinereve ex ordinario Dei decreto possit, nisi qui in Christum credat; hoc vero, nec ne, sit in homine, certo scire nemo potest, nisi qui ejus cor noverit, hinc consequitur necessario, non posse sine cognitione ista, de quoquam absolute pronunciari, quod ad regnum cœlorum pertineat; quamvis pronunciari merito possit, quod non pertineat, si ita se gesserit, ut ex ejus factis dictisve constet, eum revera in Christum non credere. Reliquum est igitur, ut hæc declaratio & pronunciatio, quam Petrus facere jure posset, conditionem vel modum aliquem adjunctum haberet, quæ conditio vel modus, necesse est, ut iis contineatur, quæ Deus omnino & requirit, & satis esse vult, in eo, qui ad regnum cœlorum pertinere debeat.

Sed dicet aliquis: Jam superius constitutum à te est, istud eo solo comprehendi, quod quis in Christum credat: Quid igitur habuit Petrus hic sibi à Christo promissum, quod non quilibet alius habuerit & habeat, qui modo istud noverit, neminem ad regnum cœlorum pertinere, qui in Christum non credat; qui autem credat, eum omnino pertinere?

Respondeo. Fidem in Christum, esse quiddam (ut sic dixerim) valde prægnans, & quæ complectatur, iis tantum esse nota, quibus Deus aliqua ratione illud patefecit, inter quos primus & præcipuus; ut tempore, sic patefactionis claritate fuit Petrus, una cum reliquis Apostolis. Complectitur enim fides ista, partim ut sui ipsius formam & essentiam, partim ut antecedentem causam, obedientiam præceptorum Christi, & cognitionem eorum, quæ Christus ex Dei voluntate, & passus & adeptus est. Atqui Christi præcepta universa, & ejusdem perpessionis, & post has consequutam gloriam, cujusmodi plane sint, primum ac præcipue, & certiore quadam, quam cæteris cognitione, Petro, & Apostolis aliis, nosse datum est. Adde, quod hoc ipsum, credere in Christum, id esse; unde pronunciari possit, utrum quis ad regnum cœlorum pertineat, licet inexplicatum, multo certius atque evidentius, Petro, & sociis ejus constabat, quam quibuslibet aliis constet: atque idcirco, ne hac quidem ipsa in re, ut scilicet quis jure simpliciter pronunciare possit, eos tantummodo, qui in Christum credant, pertinere ad regnum cœlorum, cœteros minime, Petro sunt quilibet isti ullo modo pares. Concludo igitur, Claves regni cœlorum Petro à Christo promissas, esse facultatem declarandi ac pronunciandi, de omnibus & singulis quæ esse in homine debeant, qui ad regnum cœlorum pertineat, & hac, neque alia ratione, aliis aperiendi, aliis vero claudendi regnum cœlorum: quod regnum quid sit, jam ante dictum est. Hanc vero eandem potestatem cœteros quoque Apostolos habuisse, ex iis, quæ paulo ante diximus, aperte constat; nec quicquam est certius, quam unumquemque ex Apostolis, munus habuisse Euangelium annunciandi, idque ipsius Christi ac Dei nomine, & consequenter facultatem, atque adeo autoritatem declarandi ac pronunciandi, de istis, quæ diximus, cum annunciatio Euangelii nihil aliud sit, quam expositio certa ac firma voluntatis divinæ de hominibus in gratiam recipiendis, & simul rationis & conditionum, quibus id fieri Deus velit, qua ratione & conditionibus ista omnia continentur. Sed præterea legimus, Christum ipsum, non Petro tantum, sed aliis etiam Apostolis hanc autoritatem dedisse Joan. 20. 23, ut, si quorum ipsi peccata remisissent, ea remissa essent; si quorum retinuissent, retenta essent. Quod, ut plane eandem vim habet, atque regni cœlorum claves habere, quacunque tandem ratione claves istas interpreteris: sic id omnino continet, quod nos istas claves esse diximus, cum nemini, ex Dei immutabili decreto, peccata remittantur, qui in Christum non crediderit; cuilibet vero in Christum credenti peccata remittantur, & consequenter illis quidem regnum cœlorum aperiatur his vero claudatur. Hanc igitur remissionem & retentionem peccatorum, quam ab Apostolis factam, approbaturus esset Deus, necesse est similiter ita interpretari, ut non res ipsa, sed declaratio rei & pronunciatio intelligatur, propter rationes superius allatas. Habere autem claves regni cœlorum, & cui quis peccata remittit, ea remissa esse, cujus retinet, esse retenta, id est non remissa, idem reipsa esse, vel id aperte ostendit, quod aliud nihil à Dei gratia hominem excludit, quam peccatum Esa. 59. 2: & fœlicitas, seu beatitas hominis, ut ex Davide Paulus docet Psal. 31. 1 Rom. 4. 6 in eo consistit, ut illi remissa sint peccata. Nemo enim beatus esse potest, qui in regno cœlorum non sit: nemo vicissim in regno cœlorum esse, quin sit beatus. Hæc breviter quidem, sed ut arbitror, vere ac recte dicta & conclusa à nobis sunt, ut ostenderemus, id verum esse, quod in initio secundæ quæstionis explicandæ affirmavimus, aliis videlicet simul Apostolis id datum fuisse, quod tantundem valet, quantum id, quod nominatim Petro fuit promissum, quod attinet ad claves regni cœlorum, licet illæ diserte cæteris Apostolis, nec promissæ, nec datæ legantur, nisi quatenus, ut antea docuimus, quicquid tunc uni Petro promissum est, omnibus aliis ejus sociis & collegis promissum fuisse intelligi debet.

IV. Pars. Reliqua adhuc est res quarta, de qua dispiciamus, quam à Christo sibi promissam Petrus habuit; cujus, si causa est, res tertia, quæ ab eodem Christo

Christo, illi fuit promissa, ut supra diximus, facile est intelligere, quid ea sit, & quatenus extendatur, cum jam planum fecerimus, quid ipsa res tertia sit. Quamquam vero ex ipso Christi sermone non omnino liqueat, ab hac illam proficisci: verisimile tamen facit, ipse Christi loquendi modus, plane se rem ita habere. Nam si forte, ut, quod Petrus ligavisset in terra, esset ligatum in cœlis, & quod solvisset, solutum, quæ quarta ipsa res est, ejusmodi res esset, quæ diversum quid foret, & separatum ab eo, quod esset habiturus claves regni cœlorum, quæ est res tertia, nec inde necessario consequeretur; verisimile prorsus videtur, ut quemadmodum Christus in clavibus regni cœlorum promittendis dixit, *Tibi dabo*, &c. sic non simpliciter dixisset, *Et quicquid ligaveris*, &c. sed verbo aliquo, non modo id quod futurum esset significante, sed etiam novum promissum declarante usus esset. Veruntamen, antequam aliquid hac de re prorsus statuamus, quærendum est, an alia ratione deprehendere possimus, quid quarta illa res significet. Videtur autem unicus is locus, qui in Sacris Literis invenirur, ubi idem plane loquendi modus habeatur, viam nobis sternere ad intelligendum, quid istud sit, & simul ad statuendum, quod revera, ut Christi loquendi modus præ se fert, hæc quarta res à tertia pendeat, sitque effectus ejus. Idem enim Christus, hac eadem verborum forma utens, hoc ipsum, quod de Petro dicit, paulo post indefinite de suis Apostolis affirmat. Inquit enim ipse, Matth. 18. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Agitur autem ibi de ejiciendo aliquo è numero discipulorum Christi, qui certe est effectus clavium regni cœlorum. Qui enim è numero discipulorum Christi merito ejicitur, is à regno cœlorum eadem opera excluditur. Itaque necesse est, ut, qui è numero discipulorum Christi quemquam ejicere jure possit, is regni cœlorum claves habeat; & sic, quia possit, quos velit, à regno cœlorum excludere, propterea ex numero discipulorum Christi, quos velit, potestatem ejiciendi habeat. Est igitur hoc *ligare*, de quo Christus loquitur, ad homines, non ad res, passive referendum. Et sane non poterit quisquam, ni fallor, ostendere, quomodo vel Apostoli, vel discipuli Christi, quatenus tales sunt, rem aliquam ligare, sive jure, sive injuria possint, retento vero ac legitimo, per metaphoram seu translationem, usu verbi ligandi, & à rei appellatione, ut hic facimus, hominem excludendo. Hoc enim metaphorico loquendi genere, quod de Apostolis & Christi discipulis, ut tales sunt, active usurpari queat, non res, sed homines tantum ligari possunt. Nec obstat, quod Christus in utroque loco, pronominibus neutri generis, quibus non homines, sed res significari solent, usus fuerit. Non est enim novum, in ipsis Sacris Literis (nam in profanis id frequenter fieri constat) ut genus neutrum pro masculino, seu res pro homine usurpetur, ut Apoc. 21. 22. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.* Nam hoc non de rebus, sed de hominibus intelligendum esse, & res ipsa per se monet, & aperte docet id, quod statim sequitur, *nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* Eadem necessario ratio est solvendi, quæ ligandi, ut scilicet, si homines tantum ab Apostolis, & Christi discipulis, ut talibus, ligari possunt, similiter homines tantum solvi possint. Quamobrem, fæde omnino videntur lapsi ii, qui promissum istud Petro factum ita interpretantur, ut Petro fuerit promissa potestas & authoritas, quicquid vellet in Ecclesia statuendi, ita, ut quicquid ille, etiam extra ea, quæ ipse Christus jussit aut vetuit, jussisset, aut vetuisset, vel fieri vel credi, id ratum & firmum apud Deum futurum esset. Fœdus, inquam, error iste censendus, & non nisi à spiritu Antichristiano, quo tyrannis Ecclesiastica inducta est, proficisci potuit, cum & ex ipsa metaphora ligandi & solvendi, qua usus est Christus, & ex eo, ad quod hanc ipsam potestatem & authoritatem Petro ante promissam, Christus postea, ubi eam suis generatim promittit, aperte accommodavit, nulli dubium merito esse queat, quin de hominibus tantum ligandis & solvendis Christi verba sint accipienda; nec etiam de ligandis & solvendis quocunque modo, sed tantum quatenus de illis pronunciatur, utrum nec ne ad regnum cœlorum & ad Christi discipulorum numerum pertineant, ea interim differentia inter ligandi & solvendi potestatem manente, quam supra attigimus, cum nominatim de pronunciando, An quis ad regnum cœlorum necne pertineat, ageremus. Sed antequam eam hic denuo explicemus, oportet jam, ut, quemadmodum ostendimus, quid sit in Christi verbis Ligare, sic quid sit solvere, aperte exponamus. Videtur autem id esse plane obvium. Nam si Ligare, est ejicere è numero discipulorum Christi, & sic pronunciare, ad regnum cœlorum quempiam minime pertinere: Solvere, erit in numero discipulorum Christi reponere, & sic pronunciare, quempiam ad regnum cœlorum pertinere. Quoniam vero fieri non potest, ut quicquam solvatur, quod prius aliqua ratione ligatum non fuerit, sciendum est, istud, ligatum prius esse, dupliciter accipi posse, vel cui antecesserit esse solutum, vel cui non antecesserit; sed hactenus semper ligatum fuerit. Et propterea solvere, quod hic intelligi debet id est, reponere in numerum discipulorum Christi, & sic pronunciare, quempiam ad regnum cœlorum pertinere, dupliciter accipi & evenire potest, vel scilicet, quia quispiam, qui ex numero discipulorum Christi aliquando erat, & inde vel exciderit ipse per se, vel ejectus fuerit, in eundem numerum denuo recipiatur, vel quia quispiam ex numero discipulorum Christi nunquam antea fuerat, in eum numerum cooptetur. Sed cum similiter ex iis, quæ diximus omnino consequatur, duplicem esse, ut sic dixerim, ligationem: unam, quæ post solutionem existat: alteram, quam nulla solutio antecedat; sciendum est, illam quidem ab Apostolis & Christi discipulis, hanc vero ab ignorantia & peccato fieri, quæ tamen confirmatur & augetur, cum quis ita ligatus, solvi renuit, id est, Evangelio obedire non vult, & ob eam causam ad regnum cœlorum non pertinere, pronunciatur; quæ pronunciatio, ligatio quædam dici potest, cum iste & certius & magis ligatus per eam maneat, atque idcirco ad eum quoque ligandi potestas, Petro & aliis Apostolis data, pertinere potest, ita, ut non modo ejectionem, sed etiam non admissionem in Christi discipulorum numerum complectatur. Jam vero in hoc differunt ligandi & solvendi potestas, quod illa multo plenior & efficacior est quam ista, ob id, quod probitas & fides, propter quam quis solvitur, simulari potest: improbitas vero & infidelitas, propter quam quis ligatur, non potest. Itaque necesse est, ut is, qui legitime ligatus fuerit, id est, è numero discipulorum Christi ejectus, vel in eum non admissus, & sic ad regnum cœlorum minime pertinere pronunciatus, revera jam nec Christi discipulis sit, nec ad regnum cœlorum pertineat: At vero potest quis legitime solvi, id est, in numerum Christi discipulorum recipi, & sic ad regnum cœlorum pertinere pronunciari, qui tamen revera, nec Christi discipulus sit, nec ad regnum cœlorum pertineat. Fit enim omnino pronunciatio ista sub tacita conditione, seu mavis cum tacito modo, qui tamen etiam aperte apponi solet, id est, si modo istius cor & animus externis ejus factis dictisque respondeat; & idcirco manet nihilominus firmum id, quod Christus non minus cum solvitur, quam cum ligatur, futurum affirmavit, ut scilicet id esset ratum in cœlo, quod fieret in terra ab illis, quos alloquebatur. Videmur satis explicasse, quæ fuerit Christi mens, in quarta hac & po-

& postrema re Petro promittenda, seu in illi affirmando, quod ea futura esset: & sic nihil reliqui est, quod præstare debeamus eorum, quæ à nobis præstanda proposuimus, nisi, si quis fortasse amplius a nobis requirat, in hac ipsa hujus quartæ rei explicatione: cum Pontificii, ex potestate ista & authoritate ligandi & solvendi, quemadmodum etiam ex illa retinendi & remittendi peccata, de qua supra aliquid diximus, Petro & aliis Apostolis data, quædam colligant, quæ nequaquam colligi possunt.

Ajunt enim, primum inde intelligi debere, in quolibet homine solvendo, seu in peccatis cuilibet remittendis, intervenire debere auctoritatem Apostolicam.

Deinde inferunt necesse esse, ut is, qui authoritatem istam hac in re sit exerciturus, cognita habeat peccata illius, cui remitti ab ipso debeant, ut scilicet judicare possit, an sint digna remissione, an secus, & quibus conditionibus, quibusve modis, prout qualitas eorum requisierit, ab ipsis iste solvendus sit.

Hinc postremo concludunt oportere, ut is, cui remittere, is qui auctoritate ista fungitur, peccata debeat, ea isti ipsi enarret, & quidem omnia & singula idque cum omnibus, uniuscujusque eorum circumstantiis. Hæ siquidem sunt, quæ peccata diversa faciant, & alia aliis minora vel majora. Atque hoc pacto auricularem suam, quam vocant, confessionem, stabilire Pontificii conantur, pro concessis rebus interim sumentes, potestatem & auctoritatem istam Petro, & aliis Apostolis à Christo datam, & ad eorum quoque successores pertinere: Successores vero Petri & aliorum Apostolorum esse, eos, qui pastoris officio in Ecclesia funguntur, quos volunt, hanc eandem potestatem & auctoritatem, alis etiam, qui non sint pastores, tradere ac demandare posse, quemadmodum ipsi Apostoli (ut quidem illi affirmant) poterant. Hæc Pontificii. Quæ quam male sint conclusa, ostendendum jam nobis est.

Primum igitur negamus, ex Christi verbis ullo modo colligi posse, in quolibet solvendo, sive in peccatis cuilibet remittendis, auctoritatem Apostolicam, vel semper & necessario, vel etiam ordinarie intervenire debere, aut debuisse: tum quia ipsa verba hoc nullo modo sonant: tum vero, quia ratio & causa proxima, eademque perpetua & necessaria, ut quis solvatur, ejusve peccata remittantur, est fuitque semper, ab Apostolorum tempore, fides in Christum, quam si quis habuerit, quomodocunque tandem illam adeptus fuerit, etiamsi nulla Apostolica auctoritas ea in re intervenerit, necesse est, ut simul iste remissionem omnium peccatorum suorum habeat, & ab omnibus spiritualibus vinculis solvatur. Vide Act. 10.43, & 13,38, quanquam totum Novum Testamentum sententiis idem pollentibus est plenum.

Dices, necessarium tamen esse, ut fides in Christum ex auditione verbi Dei nascatur: Dei autem verbum, auctoritate Apostolica annunciandum & prædicandum semper fuisse, & annunciari; & consequenter non nisi Apostolica auctoritate interveniente, peccata remitti, etiamsi verum esset, causam proximam eandemque perpetuam & necessariam remissionis omnium peccatorum esse, fidem in Christum.

Respondeo, primum hanc non esse Apostolicam illam auctoritatem, quam Pontificii hoc loco præcipue intelligunt, qui manifeste de auctoritate loquuntur, quæ exerceatur, non in eos, qui nondum vel tum primum credunt in Christum, sed in eos, qui jam antea in Christum crediderunt, aut certe se credere sunt professi. Deinde, nego in annunciando & prædicando Dei verbo, ex cujus auditione fides in Christum in audientium cordibus gignatur, necessarium esse, ut ulla Apostolica auctoritas interveniat, etiamsi concedere, omnem ordinariam divini verbi, unde Christi fides oriri possit, prædicationem, auctoritate Apostolica fieri. Nihil enim vetat, quominus extra ordinem prædicetur, istiusmodi Dei verbum, ut factum est, ipsorum Apostolorum tempore, ab iis, qui dispersi fuerant ex afflictione, quæ ob Stephanum extiterat, ad quorum prædicationem, in Christum multi crediderant Act. 11. 19. Taceo, quod ex historia * Ecclesiastica constat, integros populos ad fidem Christi aliquando conversos fuisse eorum opera, qui nulla Apostolica auctoritate erant præditi.

Sed rursus instabis, id quod de fide in Christum dixi, ob quam remittuntur peccata, nec quicquam videlicet aliud præterea requiratur, verum esse in eis, qui tum primum in Christum credunt: hic vero, quemadmodum ipse antea excipiens dixi, de iis potissimum agi, qui jam in Christum crediderunt, & postea tamen peccant, de quibus quæritur, qua ratione illis remittantur peccata ista, quæ post fidem in Christum committant.

Respondeo. Testimonia Sacra, quæ docent fidem in Christum, esse causam remissionis peccatorum, generaliter loqui, neque distinguere inter peccata commissa, antequam quis credat in Christum, & postquam crediderit, quamvis occasione illorum prolata, qui vel nondum, vel tum primum in Christum crediderunt, quibus intelligendum est, non tantum affirmari peccata quæ antea commisissent, remitti, vel remissum iri, propter fidem in Christum, sed perpetuam rationem proponi, qua peccata remittantur, seu non imputentur, id quod maxime indicant verba Pauli Apostoli, in loco antea indicato, Act. 13. 38. Sic enim ait: *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, (à quibus non potuistis in Lege Mosis justificari,) in hoc omnis, qui credit, justificatur.* Vides opponi fidem in Christum, seu Christum & fidem in ipsum, Legi Mosis, in justificandi ratione, seu in modo remissionem peccatorum consequendi, & dici, ab omnibus peccatis, à quibus non poterant Israelitæ in Lege Mosis (per modos scilicet ejus rei in ea contentos) justificari, id est absolvi, in Christo quemlibet justificari, qui in ipsum credit. Jam modi justificationem, sive absolutionem à peccatis consequendi, in Mosis Lege contenti, atque iis propositi, qui ex Israelis populo erant, ad totum tempus, quo quisque viveba, pertinebant, & quoties quis peccata, illa, ad quæ expianda propositi fuerant, commisisset, toties suam vim & usum habebant, & sic Israelitæ in Lege Mosis perpetuo habebant, quomodo possent ab ejusmodi peccatis, quandocunque illa commisissent, justificari atque absolvi. Verum hoc beneficium in aliis plurimis peccatis, quibus videbicet expiandis in ipsa Lege Mosis modi nulli fuerant propositi, minime sentiebant: At in Christo, id est, in ipsius Euangelio, inquit Paulus, in istis ipsis omnibus peccatis, tale beneficium sentitur, proposita nimirum in eo ratione & modo, ista etiam peccata expiandi, nempe perpetuo: quemadmodum perpetuo, ut dictum est, illa alia peccata in Lege Mosis expiabantur, quæ ratio & modus, aliud nihil est, ut idem Paulus ait, quam credere in ipsum Christum. Hoc Pontificii intelligere non potuerunt, quia, quid sit in Christum credere, non intellexerunt. Nam si intellexissent, credere in Christum, esse Christo obedire, quemadmodum tamen fuit nostra ætate inter ipsos, † qui intellexisse videtur, facile hanc veritatem assequuti fuissent, & non tam exiliter ac jejune de fide in Christum sensissent; nec tam imperite & ridicule ea omnia sacra testimonia interpretati fuissent, quæ passim in Novo Testamento leguntur, in quibus fidei in Christum tribuitur, quod ipsa justificemur, seu per ipsam peccatorum omnium remissionem consequamur, nec denique commenti fuissent, præter fidem in Christum ad peccata delen-

* Socrat. lib. 1. cap. 16. Theodoretus lib. 1. cap. 24.
† Hieronymus Osorius.

delenda ea requiri, quæ ipsi vocant, Sacramenta, & præcipue, postquam jam quis semel in Christum credidit; id quod pœnitentiæ Sacramentum appellant, quod ex ipsorum disciplina, continet auricularem illam confessionem, quam diximus, illos, ex Christi verbis, de quibus disputamus, ratiocinando colligere, ad quam ratiocinationem examinandam jam tandem revertemur, ubi prius sententiam nostram de vi fidei in Christum ad expianda omnia peccata nostra, apertius exposuerimus, & nihilominus veram pœnitentiam à nobis, ad peccata delenda necessariam, agnosci demonstraverimus.

Sic igitur statuimus: Cum primum quis in Christum credit, id est, ipsi Christo confidit, & sic, sub spe beatæ immortalitatis, quam is sibi obtemperantibus promisit, ei obedire ex animo statuit, & porro, quatenus tunc tempus & occasio fert, proque facultate sua reipsa obedit, statim omnium præteritorum suorum peccatorum veniam adipiscitur. Post vero, donec eandem in Christum fidem retinuerit, ita ut jure de ipso dici possit, quod Christo obediens est, ignoscuntur illi propter banc ipsam fidem omnia peccata, quæ alioqui vel per ignorantiam, vel etiam per fragilitatem interdum committit; & breviter, quicquid delinquit, quod fidem istam & obedientiam non perimat, nec efficiat, ut jam iste non secundum spiritum, sed secundum carnem ambulet. Obedientia siquidem præceptorum Christi, tota hoc continetur, ut quis secundum spiritum ambulet, & non secundum carnem. Qui enim in Christo, id est, per fidem in Christum, seu quia Christo confidunt, hoc faciunt, ii jam nulli damnationi sunt obnoxii, jam legis justificatio in illis impletur Rom. 8.4. Quod si quis ab hoc statu exciderit, & ita prolapsus fuerit, ut jam Christo confidere, sive obedire dici nequeat, amittit, una cum fide in Christum, omnem justificationem suam, atque ad hoc, ut denuo justificetur, opus illi est, ut denuo etiam ad istam veram in Christum fidem revertatur. Sed quam hoc sit difficile, indicat author Epistolæ ad Hebræos Heb. 6.4, qui id impossibile dicit. Quod tamen sine dubio ita intelligendum est, ut apud homines sit impossibile, non apud Deum, qui etiam potest, & interdum vult, idque ex singulari sua benignitate & clementia, ejusmodi prolapsorum hominum misereri, eisque vires, quas ipsi ad hoc efficiendum jam nullas habent, tantas dare, ut è suo cœno emergere denuo possint, & ad fidem Christi & obedientiam reverti. Jam vero quod ad pœnitentiam attinet, quam & scriptura diserte affirmat, & nos libentissime agnoscimus, necessariam esse ad peccatorum remissionem consequendam, ea necessario fide in Christum continetur. Nam quomodo, quæso, is Christo confidere dici potest, qui mutato studio ac proposito suo priore, vel certe actionibus suis, peccatis non valedicit, & sancte in posterum vivere non constituit, cum Christus id expresse præcipiat, nec ulli quicquam promittat, qui id non fecerit? Quod si alicubi pœnitentia à fide in Christum distinguitur, ita ut illa præcedere, hæc vero sequi videatur, id propterea fit, quod sine dubio potest quis pœnitentiam agere, antequam Christo confidat, licet non plane ejusmodi pœnitentiam qualem Christus requirit. Estque ista, ante Christi fidem pœnitentia, ad ipsam via, ut ex Johannis Baptistæ prædicatione liquet. Interim tamen, sicut fides in Christum sine vera, & qualem ipse requirit, pœnitentia, esse nequit: sic vera ista & Christiana pœnitentia, necessario fidem in Christum sibi adjunctam habet. Jam cum quis, veram Christi fidem retinens, nihilominus aliquid peccat, quemadmodum antea exposuimus, tunc pœnitentia, quæ ita ex usu Sacræ Scripturæ appellatur, id est, mutatione propositi & actionum suarum, ei non est opus, & Christus diserte ait Luc. 15.7, justos pœnitentia non egere. Nulli autem dubium esse potest, quin is sit justus, qui in Christum vera ac viva fide credit, quæ, ut docuimus, præceptorum ejus obedientiam complectitur. Quod si quis dicat, oportere tamen istum dolere peccatum aut lapsum suum, suique erroris pœnitere; Iam nec ista est illa pœnitentia, quam ita sacra scriptura appellat, cuique tribuit, ut per ipsam peccatorum remissio contingat: & talis pœnitentia necessario, ex fide in Christum statim exoritur. Neque enim fieri potest, ut quia perpetuo obediendi Christo studio sit præditus, ita ut reipsa etiam obediat, id est, ut dictum fuit, non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulet, quibus rebus Christi fidem contineri demonstravimus: & interim non ex animo doleat, ipsumque pœniteat, si quid adversus Christi mandata deliquerit. Ex quibus omnibus tandem apparet, quomodo & cur fides in Christum, nec quicquam aliud præter ipsam in eo homine requiratur, qui suorum peccatorum, sive antequam in Christum credat, sive post, veniam à Deo consequi velit. Sed jam nimis digressi quodammodo sumus: ad Pontificiorum ratiocinationem revertamur. Ostendimus id, quod primo loco colligunt, ex potestate & auctoritate ligandi & solvendi, retinendi & remittendi peccata, quam Christus Petro, & aliis Apostolis dedit, non bene collectum esse: nempe non posse quempiam solvi, sive cuiquam peccata remitti, nisi Apostolica auctoritas interveniat; diximusque, Christi verba nullo modo id sonare: quod sane verissime diximus. Aliud enim omnino est, quod possis ligare aut solvere, quem velis, seu cui velis retinere aut remittere peccata: Aliud vero, sine te non posse cuiquam remitti peccata: continetque hæc Pontificiorum collectio, manifestam fallaciam, quam consequentis vocant. Neque enim, si quorumcunque peccata, Apostolica auctoritate fuerint remissa, ea jure remissa sunt: idcirco vicissim, quorumcunque peccata jure fuerint remissa, ea Apostolica auctoritate sunt remissa. Subruto autem hoc ipsorum fundamento, id totum necessario ruit, quod superstruxerant. Sed videamus tamen, cujusmodi sint ipsorum deductiones ex prima illa falsa collectione.

II. & III. Erroris refutatio. Quod igitur ex illa statim deducunt, debere eum, qui auctoritate Apostolica, qua sit præditus, & qua cuiquam remissurus sit peccata, illius peccata cognita habere, minus recte deductum est: idque ob eam causam, quod nulla sunt adeo multa, adeoque gravia peccata, quæ homini veram pœnitentiam agenti, & vere in Christum credenti eique inposterum ex animo obedire statuenti, remitti ab eo, qui hanc potestatem habeat, non & possint & debeant: nec ulla rursus tam pauca tamque levia, quæ vel debant, vel ullo modo possint remitti, qui ista non habeat. Itaque cognitione peccatorum, id est, quantitatis & qualitatis eorum, nihil est opus Apostolico ministro, ubi de illis nec ne remittendis agitur.

Sed dicent fortasse aliqui ex ipsis Pontificiis, ad culpam quidem remittendam necessariam quantitatis & qualitatis peccatorum cognitionem non esse, sed esse tamen necessariam ad remittendam pœnam.

Respondeo. Pontificem Romanum, cui illi nihil non deferunt ac tribuunt, una cum suis Conciliis statuisse, ad ipsius culpæ remissionem consequendam, necessariam esse oris confessionem, & sic suorum peccatorum enarrationem coram Apostolico ministro, qui ea sit remissurus Quod vero ad ipsius pœnæ remissionem, id est, ut ipsi intelligunt, ejus castigationis, quam Deus, nisi quis ipsum aliqua ratione placet ac præveniat, in iis ipsis exercere solet, quibus culpam remisit, & sic ab æternæ mortis pœna eos liberos facere, Dico, merum esse humanum inventum, quod ipsius castigationis divinæ remissio, per Apostolicum aliquem ministrum fiat. Neque huc pertinere possunt Christi verba, *Quorum remiseritis peccata*, cum remittere peccata, remissionem culpæ (sic enim hoc loco cum ipsis Pontifi-

Pontificiis loqui necesse est) significet, non autem pœnæ, istius inquam pœnæ, de qua hic agitur, ut ipsum Davidis exemplum, quo potissimum ad suam istam culpæ & pœnæ distinctionem confirmandam, uti Pontificii solent, aperte probat. Dicitur enim in historia illa, Deum transtulisse peccata Davidis 2 Sam.12.13. eo quod propriam peccati pœnam, id est, mortem illi non immiserit, quamvis aliis, haud sane levibus malis atque incommodis, illum castigaverit. Jam transferre peccatum, est, auferre peccatum, sive, ut Hebraica loquutio ad verbum sonat, facere transire peccatum. Propterea id, quod apud Matthæum legitur de Christo, Patrem orante, ac dicente, *Transeat à me calix iste*, Apud Marcum & Lucam legitur, *Transfer calicem istum à me;* quibus verbis sine dubio orabat Christus, ut auferretur a se calix ille. Auferre porro peccatum, vel tantundem, vel plus etiam significare videtur, quam remittere peccatum. Ex quo consequitur, si per peccati ablationem non tollitur, ut vidimus, nisi id quod Pontificii culpam vocant, remanente adhuc pœna: similiter per peccati remissionem pœnam istam non tolli; & sic, datam potestatem Apostolis remittendi peccata, ad istam pœnam non extendi, neque eo pertinere. Ostendimus, Pontificiorum ratiocinationem ductam ex potestate data Apostolis remittendi peccata, ad confirmandam ipsorum auricularem confessionem, nullum momentum habere, etiamsi ea omnia vera essent, quæ ab ipsis pro concessis hic sumi diximus. Nam quod attinet ad solvendi potestatem Petro, atque ut docuimus, reliquis Apostolis simul datam, eam nullum similiter ad eam rem momentum habere satis jam per se constat. Supra enim demonstravimus, potestatem hanc tunc exerceri, cum quis in numerum discipulorum Christi reponitur, vel cooptatur, id quod cum confessione ista auriculari nihil commune habere potest. Adde, quod nihil amplius ad hanc materiam pertinens significare posse dicendum est, solvere aliquem, quam ei remittere peccata. Jam enim antea probavimus, solvendi potestatem istam, ad homines tantum passive referendam esse. Nam, quis unquam negaverit eum spirituali ratione solutum esse, cui sunt remissa peccata?

Quod si dixeris solutum quidem esse, sed non omnino, propter pœnam scilicet, qua, ut Pontificiis placet, adhuc illigatus maneat:

Respondebo, in danda ista solvendi potestate, non haberi vocem istam *Omnino*, nec aliam, quæ idem valeat, non magis quam in danda potestate remittendi peccata, ubi si adderetur, non minus efficeret quam ibi. Sicut enim non omnino solutus is videtur, qui pœnas aliquas est daturus: sic non omnino remissa peccata videntur, cui propter ipsa peccata, aliquæ pœnæ sunt subeundæ. Itaque tandem constat, nihil esse, cur Pontificii ex potestate Apostolis data à Christo solvendi, itemque remittendi peccata, suam auricularem confessionem stabilire conentur. Et quanquam de potestate ligandi, itemque retinendi peccata, in hac quæstione nihil nominatim diximus: tamen, quicquid inde argumentari, ad suam istam confessionem probandam, Pontificii possunt, abunde dilutum ex iis videtur, quæ de solvendi, itemque peccata remittendi potestate, qua potissimum iidem, ut ostendimus, hac ipsa in re nituntur, à nobis breviter sunt disputata. Quod si ea diligentius examinare vellemus, quæ in Pontificiorum ratiocinatione, quam diluimus, pro concessis sumi affirmavimus (id enim quemque res ipsa monet) sine quibus, nihil ejus, quod illi volunt, concludi potest, multo etiam magis, quam futiliter ratiocinentur, apparet. Sed jam tempus est, ut huic scriptioni, quam explicandorum tantum Christi ad Petrum verborum suscepimus, finem imponamus.

Quare hæc tantummodo breviter monebimus, Ecclesiasticos pastores, nequaquam in ipso Apostolico munere, Apostolorum successores esse: potestatem vero retinendi & remittendi peccata, Apostolis datam, ad ipsum Apostolicum munus pertinere, ut supra à nobis ostensum est. Tantum vero abesse, ut Ecclesiarum pastores in ipso Apostolico munere, Apostolis quorum munus ab ipsorum munere apertissime in scriptura distinguitur, ulla ratione successerint, ut nullo pacto liceat affirmare, Apostolis, ut Apostolis, ullos successores datos esse. Fuit enim omnino munus Apostolicum quiddam singulare & proprium nascentis Christi Ecclesiæ. Tunc enim opus erat ejusmodi hominibus, qui Spiritu Sancto pleni, divinarum rerum, quæ ad salutem humani generis pertinent, certissima cognitione instructissimi essent; quique ut pote, ab ipso Christo missi, quemadmodum ipsum eorum nomen declarat, divina ipsius Christi auctoritate ac potestate munus suum exequereotur, atque eorum oculos aperiendo, efficerent, ut homines à tenebris ad lucem converterentur, & à potestate Sathanæ, ad Deum, per fidem in ipsum Christum. Propterea ipsis claves regni cælorum datæ fuisse dicuntur, aperiendi scilicet, ut supra explicuimus, & claudendi aliis regnum cœlorum facultas & potestas, & peccata remittendi ac retinendi auctoritas, quæ aliis, qui immediate (ut loquuntur) ab ipso Christo edocti & missi non fuerunt, revera non est data. Quanquam enim alii multi præter Apostolos, & ab ipso ferme initio, & deinceps fuerint, hodieque sint, qui viam salutis docuerint, & docent, ac sine errore pronunciaverint, & pronuncient, cujusmodi sint ii, qui ad regnum cœlorum aspirare possunt, & qui minus, quive suorum peccatorum veniam consequuntur, & qui minus: id tamen non ex alia auctoritate aut potestate, sibi divinitus data, fecerunt, aut faciunt, sed ab Apostolis ista omnia edocti, quorum vestigiis insistentes, & quæ illi humano generi annunciarunt repetentes, & hominum salutem hac ratione procurantes, nec se nec alios fallere ullo modo possunt. Non loquor hic de extraordinariis missionibus Christi, si ullæ unquam extiterunt, aut extituræ sunt ante ipsius adventum. In his enim auctoritas aliqua & potestas esse posset ei non absimilis, quam ipsi Apostoli habuerunt. Et hæc quidem hactenus.

De Ecclesia nonnulla, ex ejusdem F. S. SENENSIS scriptis excerpta.

Ecclesia est vel aspectabilis vel inaspectabilis. Aspectabilis Ecclesia, est cœtus hominum, qui veram Christi religionem, quantum satis est, ad salutem æternam consequendam, tenent & profitentur. Inaspectabilis Ecclesia est, cœtus hominum, qui Christo confidunt: hoc est, qui vera ac justificante fide in Christum præditi sunt, & per universum orbem sparsi. Rursus aspectabilis Ecclesia potest considerari tanquam unum corpus, quod veluti membra comprehendat omnes particulares Ecclesias, seu cœtus eorum, qui salutarem Christi doctrinam profitentur. Potest etiam quilibet singularis cœtus, & sic quodlibet tanquam membrum illius corporis, quod diximus, & ad generalem Ecclesiam pertinens, censeri & appellari Ecclesia. Quæ distinctio in Ecclesia inaspectabili locum non habet. Neque enim illa in generalem & particularem, ut aspectabilis dividitur, secundum quidem, ut arbitramur, scripturæ loquendi usum, secundum quem alia omnia, quæ diximus, dicta esse volumus.

De Successione.

Cum Papistæ, ut probent suam Ecclesiam esse veram, & consequenter veram esse ipsorum doctrinam, afferunt successionem perpetuam ab ipsis Apostolis; Respondendum est: Non ex successione personarum & locorum, hoc est, in iisdem locis, probari posse

Ecclesiam veram, sed tantum ex successione doctrinæ: ita ut si quis probaret, Episcopos Ecclesiæ Romanæ semper tenuisse eandem doctrinam, quam Apostoli tenebant, eamque professos fuisse, hic certe necessario colligeret, ipsorum Ecclesiam esse veram. Alioquin nihil concludi potest, cum nihil vetet, quominus perduret perpetuo successio personarum in iisdem locis, & tamen fiat mutatio doctrinæ, prout factum est, quemadmodum & ipsi Papistæ fateri coguntur, in locis innumeris, in quibus veræ doctrinæ falsa successit, adeo ut iidem Pontificii cogantur huc confugere, ut dicant Petro tantum & ejus successoribus, & consequenter, ut ipsi arbitrantur, Ecclesiæ Romanæ hoc privilegium à Christo datum fuisse, ut nunquam ipsorum doctrina à vera in falsam mutaretur, id quod nulla prorsus vel ratione vel testimonio demonstrare unquam poterunt.

DE NOTIS.

Dum vero iidem Pontificii addunt, ex eo constare, quod ipsorum Ecclesia sit vera, quia habeat proprias veræ Ecclesiæ notas; Respondendum est: Notas istas vel non apparere in ipsorum Ecclesia, qualis est illa, Quod sit sancta; vel non esse veras ac proprias veræ Ecclesiæ notas, nec ullo testimonio divino confirmatas: & breviter concludendum est, nullas esse notas, proprie loquendo, quæ scilicet sensibus nostris percipiantur, quæ possint fidem facere veræ Ecclesiæ, nec de ejusmodi notis ulla mentio, sive à Christo, sive ab Apostolis, facta invenitur.

Notæ Ecclesiæ, quas Euangelici statuunt, nempe prædicatio veræ doctrinæ Christi, & usus Sacramentorum, nihil valent, quia sunt ipsa essentia Ecclesiæ. Nam quod ad primam attinet, hoc idem quæritur, ubi nam sit vera Christi doctrina. Deinde altera est otiosa. Ubi enim est vera doctrina, ibi etiam verum Sacramentorum usum esse necesse est.

De loco Johannis 21.

Ex loco Joan. 21, *Pasce oves meas, &c.* Papistæ nihil aliud possunt exsculpere, etiamsi concedantur illis omnes aliæ ipsorum falsæ ex eo loco deductiones, præter illam, quæ in quæstione est, utrum scilicet inde consequatur, dicto Pontificis Romani in rebus ad religionem pertinentibus, omnino standum esse: non possunt, inquam, quicquam aliud exsculpere, nisi hoc, Quod Pontifex Romanus sit Pastor universalis totius Ecclesiæ Christi. Unde nullo pacto consequitur, quod ipsius sit dicto standum. Neque enim propterea, quia quis sit Pastor, continuo sequitur, illum bonum & salubrem cibum dare suis ovibus. Potest enim, quamvis munus pastoris habeat, vel per ignorantiam, vel per negligentiam, vel denique per malitiam, minime salubri cibo oves suas pascere. Probatur, quod hinc inferimus, exemplo manifesto Episcoporum particularium, de quibus nemo ambigit, quin possint, quamvis alioqui munus pastoris legitime habeant, falsam doctrinam populo sibi commisso proponere. Ex quo etiam Episcoporum particularium exemplo sequitur, nullam habere auctoritatem præscribendi Episcopum universalem, quid quis credere aut non credere debeat, sed tantum regendi & pascendi Ecclesiam ea doctrina, quam ille putaverit esse bonam. Neque enim plus auctoritatis habere debet Episcopus universalis in universali Ecclesia, quam particularis in particulari. Quare si non potest Episcopus particularis immunis esse necessario ab errore in doctrina, & sic non potest omnino & sine errore ullo præscribere, quid credendum, quidve credendum non sit, certe neque universalis Episcopus id præscribere poterit in Ecclesia universali. Infallibilem veritatem Christi doctrinæ tenere, proprium erat Apostolorum, non autem unquam pastorum fuit, qui ab ipsis Apostolis & eorum scriptis eam haurire semper debuerunt. Jam Petrus, cujus se successores jactant Pontificii, erat quidem, non solum, ut ipsi volunt, universalis pastor Ecclesiæ, sed etiam Apostolus, & quidem præstantissimus. Verum ipsi non ut Apostolo, sed ut Pastori se successisse Romani Pontifices, ut dicant, necesse est, & porro etiam, cum urgentur, fateri coguntur. Unde sequitur ex prædictis, istam ipsorum fictam successionem nihil momenti habere ad hoc, ut ipsorum sententiâ & præscripto, in iis, quæ credi vel non credi debeant, ad religionem pertinentibus, stari ullo modo debeat.

De loco 1 Timoth. 3. 15.

Locus 1 Timoth. 3, *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis*, primum Pontificios nihil juvat, quia non apparet eos esse Dei Ecclesiam, de qua ibi verba fiunt. Præterea neque inde probatur, si quis velit veritatem divinam cognoscere, debere illam petere ab Ecclesia, sed tantum ex Pauli verbis intelligendum est, Ecclesiam, id est, homines Christianos, seu Christianorum cœtum, veritatem divinam tenere, fovere ac promovere. Neque enim voces, Columna & firmamentum, ita accipiendæ sunt, quasi Paulus velit dicere, ruituram esse divinam veritatem, nisi illam Ecclesia sustineret ac firmaret. Sed Metaphora ista columnæ ac firmamenti, eatenus tantum progredi intelligenda est, quatenus Ecclesia id facit, quod modo diximus. Nam quod Pauli sensus nullo modo possit esse, ut fere creditur, si quis velit veritatem divinam noscere, ad Ecclesiam illi esse confugiendum, vel ex eo apparet, quod hæc ratio inveniendi veritatem esset præpostera, cum potius contra ex veritatis divinæ professione cognosci debeat Ecclesia; & ut quis statuere possit, eam, quam credit revera esse Ecclesiam Dei, omnino requiratur, ut cognoscat antea ac certo deprehendat, ibi esse professionem divinæ veritatis. Est autem, ut melius mens Pauli isto in loco percipiatur, animadvertendum, quod Paulus ibi opponit Ecclesiam, non cœtibus hæreticorum, seu ipsis hæreticis, sed aliis hominum societatibus, ut sic dixerim, qui aliam religionem, quam Christianam, profitentur, & interim jactant, se habere divinam veritatem, quales sunt hodie Judæi & Mahometani. Tacite, inquam, Apostolus non ejusmodi hominibus, qui Christum profiterentur, & interim veram ejus doctrinam non tenerent, Ecclesiam opponit, id est, homines Christianos, sed iis, quos modo diximus, ut ostendat summam excellentiam ac præstantiam religionis Christianæ: quippe in qua una sit divina veritas, unde possint, qui verba ejus legerint, accendi ad amorem Christianæ religionis, & si jam eam amplexi fuerint, in ea retinenda prorsus confirmari.

Notandum est autem, quod diximus, in sola Ecclesia Dei, & sic inter solos Christianos esse divinam veritatem, ut hinc melius appareat, quomodo Apostolus merito potuerit Ecclesiam appellare columnam & firmamentum veritatis. Quæ vox *veritatis*, propter articulum ipsi in Græco adjunctum, non modo ostendit, hic agi de insigni aliqua veritate, quæ, ut diximus, nihil aliud est, quam veritas divina; sed etiam de divina illa veritate, qua homines perducantur ad beatam atque immortalem vitam.

Jam, si nihilominus quæratur, an debeat unusquisque quærere, & investigare quænam sit vera Christi Ecclesia: Dicimus, neminem teneri id facere, sed tantum tenetur unusquisque veram Christi doctrinam inquirere atque investigare. Cujus rei viam ostendimus non esse confugere ad Ecclesiam. Ubi vero Christi doctrinam investigaverit ac deprehenderit, tunc uniuscujusque officium est, sese palam iis cœtibus adjungere, qui eam profitentur, qui cœtus, ut supra

dictum

dictum est, sunt vera aspectabilis Ecclesiæ. Aliud nihil, quod ad Ecclesiam cognoscendam pertinere posse videatur, quicquam facere cogitur, & sic inutilis fere apparet esse, tantopere celebrata quæstio, Quænam sit in terris vera Christi Ecclesia? Etiamsi enim nemo sit, qui veritatem profiteatur: tamen propterea illa non perit. Potest enim à Deo servari; & est inclusa Literis Sacris, quæ sunt alia columna & firmamentum veritatis.

Ejusdem F. S. SENENSIS, *adversus eos, qui rerum ad salutem suam æternam pertinentium, cognitionem, diligenter, per se ipsi non inquirunt.*

SUnt, qui putent, se justam causam habere, de rebus ad salutem suam æternam pertinentibus, diligentius non inquirendi, quod istæ res divinæ sint, ac propterea ejusmodi, ad quas humana ratiocinatio non pertingat. Quare censent in ipsis cognoscendis, eorum judicio & sententia standum esse, quibus cura, eas alios docendi, ab initio ac perpetuo demandata fuit, quoique vera docuisse ac docere, divinis aliquot signis & miraculis est confirmatum; nec denique in his aliter sentiendum, quam per complura secula ii senserint, qui in Christiano populo excelluerunt, & una cum illis ipse Christianus populus communiter sensit: quos videlicet divino spiritu præditos fuisse, credendum sit. Alioqui Deus suos deseruisset, quod ab omni verisimilitudine, quam longissime abest. Ad ista sigillatim ad hunc modum respondetur.

Primo, quod ajunt res divinas ejusmodi esse, ad quas humana ratiocinatio non pertingat, conceditur hoc, si humana ratiocinatio per se ipsa consideretur, & omni divina patefactione destituta. Nam ubi divina patefactio adest, non solum humana ratio res divinas percipere potest, sed ut percipiat, necesse est; alioqui frustra plane esset patefactio ista.

Nam quod addunt de iis, quibus cura res divinas docendi demandata fuerit, non debet hoc pro divina patefactione haberi. Potuerant enim isti, quantumvis legitime ad hoc munus delecti, ipsis tantum Apostolis exceptis, errare, atque à sana doctrina rerum divinarum deficere. Quando fatentur omnes, multos Episcopos & Pastores defecisse, adeo ut ipsi Pontificii, præter Petri successores, alios omnes deficere potuisse concedant. Quapropter inquirendum restaret, an hoc, quod ipsi Petri successoribus tribuunt, sit verum; & an sint, & qui sint isti Petri successores.

De divinis signis & miraculis, quibus confirmatum sit, istos vera docuisse, ac docere, qui curam divinas res docendi, sibi demandatam habuerunt, nihil prorsus statui potest; nec inde firmum ullum argumentum sumi. Primum enim incerta atque incomperta admodum sunt miracula ista, etiam in speciem tantum facta. Deinde certissimum est, miracula, si non vera, saltem in speciem facta, cum falsa doctrina conjungi posse, ut in Simone mago, & aliis apparuit. Porro Deus ipse testatur Deut. 13.3, se per miracula, eaque vera, falso alicui Prophetæ concessa, tentare fidem & amorem erga se populi sui. Præterea, Christus ipse, & Paulus Apostolus Matth. 24.24, 2 Thes. 2.9, apertissime prædixerunt, falsos Prophetas, & insignem illum seductorem, qui venturus erat, ea signa & prodigia edituros, quibus in errorem inducantur homines, ipsam divinam veritatem ex corde non amantes ita ut vix illi, qui eam revera amant, & propterea Deo sunt cari, ipsiusque electi, ab errore isto liberi sint futuri. Postremo, fieri potuerunt, Deo ipso auctore, miracula ab iis, qui Jesu Christi doctrinam profitentur, non quidem ad confirmandum, omnia esse vera, quæ isti docent, sed ad ostendendum, ipsam Christi doctrinam veram esse, adque homines à Christi nomine alienos, eo adducendos, ut ipsum pro unico rerum divinarum magistro, & servatore suo habeant & agnoscant, eorumque mentes & corda paranda, ut, quam suo tempore, veram Jesu Christi doctrinam esse intellexerint, statim postmodum recipiant. Possunt etiam fieri in ipso Christiani nominis populo miracula, in Jesu Christi nomine, etiam ab iis, qui ipsius Christi doctrinam non recte tenent, aliosve eam docent; ut Jesu Christi nominis auctoritas, apud eos, qui illud jam profitentur, conservetur, & ab exteris, qui ista resciverint, ejus divina potentia agnosci incipiat.

Jam quod ajunt, in divinis rebus non aliter sentiendum, quam per complura secula senserunt, una cum Christiano populo, ii qui in ipso populo excelluerunt. Dicimus, istud fieri non posse, propterea, quod ab ipsorum Apostolorum tempore, non fuit unquam inter eos omnes qui Christi nomen sunt professi, interve eos, qui in ipsis excelluerunt, una & eadem sententia de divinis rebus, ne dum ut per complura secula idem omnes senserint. Nam ut illos taceam, qui in ipsa Ecclesia Latina, singulis seculis & ætatibus, in multis aliter senserunt, quam vulgo alii senserint, quique non, ut alii, Romani Episcopi decretis, sibi parendum esse censuerunt; cujusmodi fuerunt Albigenses, Valdenses, Pauperes de Lugduno, Lolardi, & alii in variis Europæ regionibus commorantes: ut, inquam, istos, propter numeri, præ aliorum numero, paucitatem taceam, quis est, qui ignoret, Græcæ Ecclesiæ cum Latina, in ipsis Christianis dogmatis dissensiones, quas ipsi Græci, ut quidem verisimile est, perpetuas fuisse contendunt? Quis nescit Æthiopicas Ecclesias, per longissimum, atque adeo immemorabile tempus, nec cum Latina Ecclesia, in multis idem sensisse, nec decretis Romani Pontificis se unquam plane subjecisse? An non præterea palam est, per totum Orientem sparsos esse, usque in hunc diem, alios multos, Jesu Christi displinam se amplecti profitentes, quibuscum Latinæ Ecclesiæ hominibus, de divinis rebus non convenit, & partim nec etiam cum Græcæ: quales sunt Nestoriani, Jacobitæ, & alii? Quod si omnia scripta eorum, qui post Euangelii prædicationem, Christo nomen, usque ad nostra tempora, dederunt, conservata fuissent, quanta fuerit in rebus divinis, hominum, qui inter Christianos scientia atque eruditione præstiterunt, sententiarum diversitas, multo magis quam hodie, ex paucis, quas de ipsis historias habemus, appareret. Quid plura? In ipsa Latina Ecclesia, quæ hodie unum in terris caput, Romanum Pontificem agnoscit, mirum est, quanta nihilominus sit, inter eos, qui in ea maxime excellunt, opinionum varietas, in compluribus, haud parvi momenti, Christianæ religionis controversiis: quales sunt, de peccato originali, de prædestinatione, de justificatione, de fide, aliæque his non absimiles. Frustra igitur, ut quis statuat, quid sibi in divinis rebus statuendum sit, ad eorum, qui Christianos se esse sunt antehac professi, aut hodie profitentur, in iisdem rebus consensum respicit.

Adde, quod etiamsi consensus iste haberetur, si non omnium, saltem plerorumque Christianorum: nihil tamen certi ex consensu isto de Christianæ religionis placitis constitui posset, cum, contra quam isti sentiant, adversus quos disputamus, de Spiritu Sancto, quo Christianus populus præditus fuerit, nihil appareat. Christianum siquidem populum, ut satis constat in hac disputatione, eos intelligimus, qui Christi nomen profitentur; non autem qui sint revera Christiani. Nam isti, & paucissimi semper fuere, & renes ac corda scrutanti tantum cogniti. Non igitur Deus populum suum deseruit, si ii, qui Christiani vocati sunt, communiter ac vulgo variis erroribus fuerunt, circa rerum divinarum notitiam implicati. Nam, nec istos verum Dei populum unquam fuisse constat; & si aliquando fuerunt, omnino censendum est, antequam implicarentur erroribus istis, jam ab ipso Deo aliqua ratione eos defecisse, id quod impura aut superstitiosa, & à primis illis veris Christianis valde abhorrens eorum, perpetuo per annos prope

innumerabiles vita, abunde testatur. Dei promissiones de suis nunquam deserendis firmissimæ sunt: sed quamdiu videlicet pergunt esse sui. Vult enim Deus, idque ratio totius religionis requirit, ut possint desinere esse sui; nec unquam promisit suos, sive singulos, sive in genere, semper fore suos; nec ullis hominibus, ullive eorum numero, aut cœtui, Jesu Christi, licet dilectissimi Filii sui nomen profitentibus, simpliciter atque perpetuo rerum divinarum notitiam est pollicitus.

Respondimus ad ea, quibus isti moventur, quominus ipsi de rebus divinis ad salutem æternam pertinentibus diligenter inquirant. Verum ut melius appareat, quantopere isti hac tota in re fallantur, redeo ad id, quod tanquam fundamentum ponunt sententiæ ac consilii sui, videlicet, ad rerum divinarum cognitionem, non posse ratiocinatione humana perveniri; atque, ut antea feci, concedo id ita esse, modo ipsa per se humana ratiocinatio intelligatur. Nam accedente, ut dictum est, divina patefactione, nihil certius est, quam posse humanam rationem & divinas res cognoscere, & de illis disserere, quemadmodum etiam apud omnes in confesso est. Quærendum igitur est, an de ipsis rebus divinis, ad salutem nostram spectantibus, divinam aliquam patefactionem habeamus, & quænam illa sit. Atqui inter omnes, qui Christianam religionem, ubique terrarum profitentur, plane constat, in Bibliis, hoc est in libris Veteris Testamenti, qui Hebraice, & Novi, qui Græce exstant, nihil scriptum esse, quod à divino spiritu non est profectum, idque isti ipsi, cum quibus nunc nobis res est, minime audent negare, nisi simul confiteri velint, se de veritate Christianæ religionis dubitare; (id quod longe aliam disputationem requirit, neque cum hac nostra quicquam commune habet) vel certe iis non credere, quorum tamen judicio ac sententia, in divinis rebus se stare velle profitentur, quæ duo invicem prorsus repugnant. Quod si à divino spiritu profectum est, quicquid in libris istis legitur, certe cum in ipsis de divinis rebus ad salutem nostram æternam pertinentibus agatur, habemus omnino istis de rebus divinam patefactionem. Necesse est igitur, ut ii, cum quibus hic disputamus, ingenue fateantur, vel spernere se cognitionem rerum ad suam salutem pertinentium; vel se gravissime errare, qui ad res istas cognoscendas, libros istos non consulunt. Præsertim, cum inter eos, qui per totum orbem Christi religionem amplectuntur, de nulla alia, præter hanc, divina ejusmodi patefactione conveniat.

Verum dicent, libros istos admodum difficiles intellectu esse, nec eorum sensum percipi posse, nisi à quibusdam, qui aliis eos explanandi munus habent.

Respondeo Librorum istorum scripta, maxima ex parte, vel fuisse ab ipso initio, cum scripta fuerunt, in vulgus edita, vel ad eos missa, ut ab istis intelligerentur, qui rudes adhuc in Christiana religione erant, & partim gravissimis circa eam erroribus impliciti, cujusmodi sunt pleræque Pauli Apostoli Epistolæ, in quibus tamen, ipsa omnium maxima Christianæ religionis mysteria traduntur. Unde constat, divini spiritus consilium, à quo, ut dictum fuit, sunt libri isti profecti, omnino fuisse, ut vulgo legerentur, & ab ipsis rudioribus legendo intelligi possent. De istis quibusdam, quibus munus datum sit, eos aliis explanandi, non perinde quippiam certi habemus, ut certum est inter nos omnes, qui Christo nomen dedimus, ipsos libros nihil continere, quod verissimum non sit: imo, qui à multis ex numero Christianorum pro iis habentur, qui recte munus istud exequantur, iidem ab aliis non paucis, plane perperam, id exequi censentur, & qui tibi verus explanator Sacrarum Literarum est, is mihi est earum corruptor. Quare relinquitur, ut unusquisque per se, sacros istos libros legere atque intelligere curet, & explanationes, quas afferri audit, si minus ipse sibi placet in quibusdam locis explicandis, accuratius perpendat, & quæ sibi magis probentur, eas eligat. Quanquam cum, ut paulo ante conclusimus, Spiritus Sancti consilium fuerit, ut Sacræ Literæ vulgo legerentur, atque intelligi possent, necesse est, ut in locis saltem intellectu necessariis, earum sensus unicuique pateat, qui sua aliqua culpa mentis aciem hebetatam non habeat. Frustra sane alioqui & editæ & scriptæ fuissent Sacræ Literæ, si earum sensum, quatenus necesse est, non posset unusquisque per se legendo assequi & necessarium foret, à quodam hominum genere illum exquirere. Satius enim multo fuisset, nulla ejusmodi scripta vulgo extare; sed tantummodo jussum esse, ut isti hominum generi, in rerum divinarum notitia, in omnibus & per omnia fides adhiberetur, qui etiam ipsi, ut sacra de rebus divinis scripta aliqua haberent, nihil necesse erat; sed satis fuisset, apud ipsos perpetuo Spiritus Sancti ope, conservari sacrarum rerum cognitionem, idque factum in omnibus Christianæ religionis dogmatis fuisse, quod in multis factum esse Pontificii contendunt, ut scilicet, sine ullis scriptis, ab Apostolorum tempore, per manus, ut ajunt, perpetuo tradita, & incorrupte conservata essent.

Hic autem locus me monet, ut iis respondeam, qui forte objicient, non omnes, qui Christi nomen profitentur, sentire, in Sacris Literis omnia scripta esse, quæ ad salutem nostram pertinent; sed plurimos sentire, multa ejusmodi fuisse per manus tradita. Dico enim, (omissa, in præsenti disputatione, an istud, quod Pontificii contendunt, sit verum nec ne) satis mihi esse, adversus eos cum quibus hic disputo, quod nihil in scriptis, de quibus agimus, inveniatur, quod verissime dictum non sit, ex hoc enim necessario sequitur, quicquid cum illis non conveniet, falsum esse, & penitus rejiciendum. Nullum enim est periculum, si quædam, quamvis istis literis non consignata, recipiantur, modo ne pugnent cum iis, quæ consignata sunt. Concludo igitur, cum rerum divinarum ad salutem æternam pertinentium cognitio, pretio & æstimatione sua, omnem thesaurum infinitis partibus superet; ac necesse sit, ut qui eam spreverit, ipsa æterna vita careat, mortisque æternæ fiat mancipium; cumque res divinas assequi humana ipsa per se ratio nequeat; ut cognitionem istam adipiscamur, ad divinam patefactionem confugiendum esse, non autem attendendum, quid homines, (præsertim quos nec vitæ innocentia, nec divinum aliquod certum testimonium commendat) doceant, sentiantve, vel antehac docuerint aut senserint, quicunque illi tandem, & quotcunque sint, aut fuerint. Ac præterea, cum certum sit, quicquid in libris Veteris ac Novi Testamenti, quos ii omnes, qui Christum colunt, pro Canonicis habent, scriptum legitur, id universum divinæ patefactionis nomine censendum, libros istos omnino consulendos esse, potissimum vero Novi Testamenti scripta, in quibus diserte, atque ex professo, de iis rebus divinis agitur, quæ ad vitam æternam consequendam pertinent; neque exspectandum, donec quis ea nobis explanet, nec explanationi quorumcunque hominum omnino adhærendum, sed statuendum, ea cuicunque Deum timenti, & salutem suam ex animo quærenti, in iis quæ ad ipsam salutem cognitu necessaria sunt, aperta & facilia esse, & sui ipsorum explanationem, in seipsis habere, utpote, quæ constet in hunc finem, literis consignata, & publice divino consilio edita fuisse, ut ab omnibus & legi & intelligi possint, indeque statui, quid ad vitam æternam possidendam, faciendum, credendumque necessario nobis sit; vel quia (ut quidem prorsus est verisimile) omnia ejusmodi ibi expressa fuerint; vel saltem, quod ex iis, quæ expressa sunt, nullo negotio de iis judicari potest, quæ non sunt expressa.

Ex Epistolis F. S. ad quendam, de Ecclesia.

PRimum placet mihi mirum in modum, quod erraverim ex prioribus tuis literis colligens, aliquos esse inter vos, qui cœtus habendos esse iis, qui ex Antichristianis tenebris emergunt, prorsus negarent; quodque nemo inter vos dubitet, quin conveniendum vobis sit, ubi & de divinis rebus sermo instituatur, Deique verbum examinetur atque explanetur, & Deus precibus ac laudationibus communiter colatur. Nam si hoc constanter retinueritis, omnia recte se habebunt, & Deus ipseque Dominus Jesus Christus vobis aderit, quippe in suo nomine congregatis; vosque indies ad majorem veritatis cognitionem, certioremque vestræ salutis rationem sine dubio perlucet. Ad id vero quod attinet, non esse nempe hoc tempore Ecclesiam illam Apostolicam & primævam instaurandam sine speciali aliquo mandato, propterea quia defectio post ipsos Apostolos plena subsecuta est, adeo ut ipsum quoque fundamentum sublatum fuerit: Non satis intelligo, quid vos Apostolicæ illius primævæ Ecclesiæ nomine intelligaris. Etenim si eam Ecclesiam intelligitis, quæ nullo modo errare possit, idque ipsamet jure sibi persuadere queat; nulla unquam fuit talis Ecclesia, etiamsi de erroribus loquamur, qui salutem æternam adimere possunt: nisi Ecclesiam, ipsos tantum Apostolos intelligi velimus, quos sane in iis, quæ ad æternam salutem omnino pertinent, errare non potuisse, & ratio manifesta, & Christi apertissima verba atque promissa plane demonstrant. Cæterum Ecclesiam illam universam, cujus ipsi Apostoli fundatores fuerant, id est, coetus hominum Jesum Christum profitentium, quotquot ab ipsis Apostolis fuerant instituti, errare potuisse atque seduci, dum adhuc ipsi Apostoli viverent, illorumque curam gererent: idque etiam in iis, quæ ad æternam salutem spectant; satis ostendunt Pauli Epistolæ, præsertim vero ea quam ad Galatas scripsit. Quodsi non eam quidem Ecclesiam intelligitis quæ errare nequeat, sed quæ tamen non erret, seque minime errare sibi persuadeat in iis, sine quibus nemini æterna salus contingere potest, qualis sine dubio Apostolorum tempore aliqua Ecclesia erat, ex cœtibus constans, qui ab ipsis instituti fuerant; non video cur talem Ecclesiam instaurare, etiam sine speciali mandato, tentare pii homines non possint: immo cur talis Ecclesia & post Apostolorum tempora dici fuisse, & hodie esse dici merito nequeat. Nam quod affirmatis, post ipsos Apostolos plenam defectionem fuisse, sublatumque ex eo tempore fundamentum esse, hoc mihi nulla ratione probari potest: quemadmodum in alteris meis literis ad te scripsi, in quibus rationem etiam attuli, cur hoc mihi non probaretur, hanc nimirum: Quod ad Christi aspectabilem Ecclesiam (de hac enim loquimur) constituendam, nihil aliud requiratur, quam vera cognitio præceptorum Christi. In Christo siquidem, ut Paulus ait, nil nisi nova creatura valet, & observatio mandatorum Dei. 1 Cor. 7. 19 Gal. 6. 15, quæ videlicet per Christum dedit; fides denique quæ dilectionem operatur. Gal. 5. 6. Una enim dilectione omnia Christi præcepta continentur. Et Joannes ait, quod qui fratres diligunt, in lumine manent & scandalum in eis non est, suntque translati à morte ad vitam, 1 Joan. 2. 10 1 Joan. 3. 14. Breviter, si quis cognuscere velit, ad salutem æternam adipiscendam nihil aliud requiri, quam conservationem præceptorum Christi: præter multa Christi ipsius verba id aperte significantia, & alia complura ipsius Apostolorum dicta, legat præcipue Joannis primam Epistolam, in qua id ita inculcatur, ut nemini dubitandi occasio ulla relinquatur. Quis vero ausus fuerit negare, eam esse veram Christi aspectabilem Ecclesiam, quæ doctrinam habeat, quæ satis sit ad salutem æternam consequendam? Atqui & post Apostolorum tempora diu fuisse, & nunc esse posse hominum cœtus, qui Christi præcepta teneant, nemo, arbitror, negare ausus fuerit. Nam quod de fundamento sublato dicitis, intelligentes nimirum, post Apostolorum tempora sublatum fuisse fundamentum, quia cognitio vera essentiæ Dei, & personæ Jesu Christi obscurata & abolita fuerit; hoc & cum eo pugnat, quod modo ostendi, ad salutem æternam satis esse Christi præcepta servare, nec ullo modo verum esse demonstrari poterit.

De vera Dei & Christi cognitione.

Est quidem Deus & Christus fundamentum salutis nostræ, sed non quatenus eorum essentiam & substantiam recte novimus, sed quatenus Dei voluntatem per Christum patefactam tenemus. Vita æterna est cognoscere patrem illum, qui est ille solus verus Deus, & quem is misit Jesum Christum. At in Sacris Literis Deum & Christum cognoscere, non significat utriusque essentiam vel substantiam novisse, sed voluntatem, eique se obedientem præstare. Adde, quod etiamsi ex Christi verbis illis intelligendum esset, cognosci debere quod Christi ipsius pater sit ille solus verus Deus; Id quod nullo modo mihi videtur, quippe qui verba illa, *illum solum verum Deum*, ut modo indicavi, per appositionem legenda omnino censeam; ut perinde sit, ac si dictum fuisset, *qui es ille solus verus Deus*, non autem, ut Theodoro Bezæ placet, *solum esse verum Deum*, possemque interpretationem meam, immo & Erasmi & aliorum quorundam, firmis rationibus, ex ipsis Græcis verbis eorumque propria significatione petitis, comprobare. Sed etiamsi, ut dixi, altera interpretatio verissima esset, tamen cognitio ista, sine ulla controversia, usque ad tempora Concilii Nicæni, & aliquanto post, inter eos qui Christum profitebantur, esse non desiit. Per totum enim illud tempus, ut ex omnium, qui tunc extiterunt, scriptis liquet, ille unus verus Deus, quem passim sacra testimonia prædicant, solus pater Jesu Christi est creditus: & qui contrarium sentiebant, ut Sabelliani & eorum similes, pro hæreticis plane sunt habiti. Quinetiam, postquam opinio Trinitatis personarum in una Dei essentia, qualem Antichristiana Ecclesia defendit, invecta est, & totum ferme Christianum orbem occupavit, adhuc ipsi Patri prærogativa quædam est reservata; ut non immerito, illa etiam falsa opinione consistente, dici possit, Patrem pro illo solo vero Deo fuisse agnitum. Sed non est nunc hac de re latius explicandi & disserendi tempus; præsertim cum ego non negem, nec negare mihi sit opus, sub Antichristo plenam defectionem fuisse.

Quando Antichristus extiterit.

Atqui ego Antichristum, illum scilicet magnum, hominem illum perditum, à Paulo Apostolo potissimum prædictum, non ante extitisse judico, quam Romani Episcopi primatus extitit. Nam etiam tum primum Christi præcepta passim convelli cæperunt, & pro vero Dei cultu idololatria aliqua induci. Ante vero, quam homo ille perditus à Paulo prædictus; & sic, ut ego interpretor, Episcopi Romani primatus extiterit, & si ego nihil dubito plenam defectionem non fuisse, hoc tamen nihil ad rem pertinet, de qua loquimur.

De plena defectione & Ecclesiæ instauratione.

Nam si ulla vis est in ratione hac plenæ defectionis, satis est eam demum extitisse, nostrumque seculum in eam incidisse Verum quid vetat, quominus hodie instaurari Apostolica Ecclesia possit, sine speciali mandato, etiamsi plena defectio jam extiterit, & ad hæc usque tempora pervenerit? Immo instaurationi quodammodo

dammodo locus non esset, nisi plena defectio jam extitisset, & Ecclesia collapsa esset. Neque enim defectio ista ea abstulit, unde instaurari Ecclesia possit. Summa enim Dei providentia & consilio admirabili factum est, quod Apostolica scripta conservata fuerint, ex quibus, qualis vera Ecclesia esse debeat, facile intelligi potest: nec solum conservata sunt, sed omnium qui Christi nomine appellantur, consensu recepta & pro divinis habita. Nec est quod quis caussetur, ea obscura esse, neque eorum sententiam percipi posse, nisi Deus peculiari aliqua ratione, de qua nobis constet, mittat, qui illa explicet atque explanet. Namque ab omni verisimilitudine abest, Apostolos ea scripsisse, quæ per se satis aperta non essent: nec ullo modo est credendum, Deum, postquàm primi illi, nominatim à Christo ad suam fundandam Ecclesiam missi, defecerunt, non curasse, ut aliquod monumentum ipsorum doctrinæ perpetuo extaret, unde semper vera Christi religio (quæ ubi est, ibi veram quoque Christi Ecclesiam esse oportet) peti posset. Quod si tamen factum est, ut Apostolica scripta à plærisque diu intellecta non fuerint, id non illorum obscuritati, sed hominum vel malitiæ, vel perquam exiguo pietatis studio tribuendum est, & cum Paulo dicendum, quod, si Christi Euangelium & Apostolorum (quod sine dubio Apostolicis scriptis continetur) opertum est, iis, qui pereunt, est opertum, quibus Deus hujus sæculi, mentes excæcavit. 2 Cor. 4. 3, 4. Quanquam quicquid mali & defectionis inter Christiani nominis homines extitit, aliunde potius quam ex non intellectis, quantum satis erat, Apostolorum scriptis, ortum est. Immo ausim ego asserere, eos, qui primi omnium eos errores in Christianum orbem invexerunt, quibus æterna salus convellitur & Christi Ecclesia diruitur, avaritia aut ambitione, aut certe aliquo alio injusto animi affectu, & simul suæ mentis vanitate ductos, ea pro divinis præceptis atque sententiis & dogmatis vulgo obtrusisse, quæ cum Apostolicis aliisque antiquioribus sacris scripturis minime convenire ipsi neutiquam ignorarent. Nam neque aliunde factum est, ut, cum ipsi cæteris præessent, omnia sacra verba in Ecclesia, ea lingua recitari non destiterint, quam non amplius vulgus intelligebat, & tandem lectione sacrorum librorum plebs universa interdicta fuerit. Non est igitur quod dubitemus, quin, postquam Deo benignissimo visum est, ut passim legi cæperint scripta Apostolica, idque, ut olim, ea lingua quam cunctus populus intelligeret, simul etiam ab eodem Deo nobis restitutum fuerit, quo collapsam Christi Ecclesiam instaurare, citra ullum aliud speciale mandatum, omnino possimus atque adeo debeamus. Jam quod addis, veræ Ecclesiæ Christi & credentium signa esse, in Christi nomine miracula facere, quæ cum hodie non fiant, certum sit Apostolicam Ecclesiam cessasse: Primum, hoc ostendere potest, nullam extare hodie talem Ecclesiam, non autem non esse conandum ut eam instauremus. Quanquam video te hoc ipsum contendere, nullam esse hodie talem Ecclesiam, de quo postea explicatius aliquid dicam. Deinde, si recte ratiocinaris, concludendum est, neminem hodie esse qui in Christum credat: & ita cum sine Christi fide salus æterna nemini à Deo offeratur, neminem salutis æternæ spem certam habere posse; aut certe frustra quemquam hodie de Christiana religione vel loqui vel etiam cogitare. Quid enim? Numquid Christiana religio sine fide in ipsum Christum consistere, potest? Atqui tu ipse concedis, dari hodie aut certe dari posse, qui Christi nomine invocato, ab injustitia recedant, Ergo & qui in Christum credant. Quomodo enim, inquit Paulus, eum invocabunt, in quem non credunt? Et sane ex superiori tua ratiocinatione, junctis iis verbis quæ scribis, nullam firmiorem videri regulam, quam quod apud omnes nationes, qui Deum metuit & justitiam exercet, ei acceptus sit; nisi ista de Christi nomine invocando & addidisses & repetiisses, potuisset quispiam non omnino injuria suspicari, te in ea sententia esse, ut nemo hodie adhuc sit, qui in Christum credat, eos tamen fore salvos, qui alioqui Deum metuant & justitiam exerceant; quicquid tandem de Christo ejusve religione noverint aut persuasum habeant. Quam sententiam ego & falsam & perniciosam admodum esse arbitror.

Utrum signa quæ credentes sequi debebant, perpetua esse debuerint.

Sed urges, ut apparet, plane nullam hodie dari Ecclesiam, quæ primævæ illi Apostolicæ similis sit, vel ob hoc, quod nota ista & tessera Apostolicæ Ecclesiæ absit faciendi miracula; aut certe hac nota aut tessera absente, temerarium esse asserere, hodie talem Ecclesiam inveniri. Hoc verum esset, si nota ista & tessera perpetua futura fuisset; sed non futuram fuisse ejusmodi, jam ex eo ostendi, quod alioqui nullus hodie esset, qui in Christum crederet, in se enim credentibus nominatim ea à Christo adjecta est. Adde, quod causa, cur adjecta fuerit, satis manifesta est, ea videlicet quam ipse attingis, ut Christi doctrina confirmaretur. Quod cum jam factum fuerit, cessat causa ista, & propterea nihil est cur effectum postulemus. Nam quod respondes, illustratam quidem & confirmatam fuisse Christi doctrinam, sed certa etiam signa illi fuisse adjecta, tanquam ejus veras notas & tesseras; hoc nihil aliud est, quam eodem revolvi, atque, ut Dialectici loquuntur, principium petere. Siquidem nego, signa ista, ut veram, id est, perpetuam notam & tesseram Christi doctrinæ ab ipso fuisse adjectam, sed tantum pro tempore, ad eam confirmandam addita. Quinetiam affirmo, ea, si perpetua fuissent, religionis rationi obfutura, & fidei experimentum, ut sic dixerim, ac meritum, ut quidam loquuntur, ademptura; nec ullum denique inter bonos & malos discrimen relictura. Quis enim tam perversus fuisset, qui, si Christi doctrina perpetuo conjuncta ista signa habuisset, eam tandem non recepisset, non quidem justitiæ & sanctitatis, quam ea continet, amore, sed certa spe ingentis, atque adeo sine ulla comparatione omnium maximi immortalitatis & sempiternæ beatitudinis præmii? Voluit igitur Deus sapientissimus, ut Christi doctrina per aliquod quidem tempus signa ista conjuncta haberet, quo eatenus confirmaretur, quatenus hominibus vel mente alioqui sanis vel sanabilibus, ad eam recipiendam, ut pote rem novam & inauditam humanæque prudentiæ repugnantem, satis omnino esset; sed perpetua esse noluit, ne improbi etiam homines, quique malam mentem deponere nolunt, ad eam recipiendam satis haberent. Probitatem enim & improbitatem, alioqui recipiendæ & non recipiendæ doctrinæ Christi causas esse, testatur ipse Christus apud Johannem, ubi ait: *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, &c.* Joan. 3. 19. Verum adjungis, nunc maxime in tanta rerum omnium confusione, hujusmodi confirmatione veræ doctrinæ Christi opus fuisse, quæ cum à Deo nobis concessa nondum fuerit, confidendum, nos adhuc in Babylone esse, & ea quidem omnium, quæ unquam fuerit, maxima; tantum abest, ut ullam Apostolicam Christi Ecclesiam hodie extare affirmare quis jure possit. At mihi aliter videtur. Primum, quia quicquid sit, omnes in eo consentimus, quod Christi doctrina verissima & sanctissima sit, itaque ad eam in genere confirmandam nulla re nobis est opus. Id quod, dum signa illa extiterunt, iis qui tunc vivebant, non contingebat. Toto enim illo tempore, aut plærique aut complures eorum quibus signa ista dabantur, ipsam Christi doctrinam in genere & absolute rejiciebant. Deinde in eo etiam convenimus, unde cognitio vera doctrinæ Christi aut solum aut maxime petenda sit, nempe ex scriptis Euangelistarum & Apostolorum. Quare tota confusio est in interpretatione istorum scriptorum. Atqui ut supra attigi, horum

vera

vera interpretatio, quantum satis est ad Ecclesiam constituendam, hoc est, doctrinam tenendam ac profitendam, quæ ad salutem æternam conciliandam satis sit, omnibus est obvia, qui modo probitate mentis sint præditi, & à sincero pietatis studio nequaquam alieni.

Utrum plures hodie cœtus Christianorum, sive Ecclesiæ inter se aliquatenus diversæ, esse possint.

Jam vero quod ad ea attinet, quæ te potissimum impulisse videntur, ut de hoc instauratæ vel instaurandæ Ecclesiæ Apostolicæ argumento ad me scriberes; Alios condemnare, qui tecum per omnia non sentiant, & extra tuos cœtus nullam salutem esse affirmare, hoc non est Apostolicæ Ecclesiæ proprium, sed potius ab ea alienum. Quum enim multa in religione Christiana sint, quæ, licet utilia, tamen necessaria non sint ad æternam salutem: nihil prohibet, quominus plures cœtus Christianorum, sive Ecclesiæ inter se aliquatenus diversæ, omnes talem doctrinam habeant, quæ satis sit ad salutem illam consequendam: „ Nec, ut „ante indicavi, Apostolica Ecclesia ea demum est, „ quæ in nulla prorsus suæ doctrinæ parte errat, sed ea, „ quæ in iis non errat, quæ ad salutem sunt necessaria. Cæterum aliqua doctrinæ capita constituere, sine quibus nemini salus contingere queat, &c, qui in istis tecum non sentiat, in tuam Ecclesiam non recipere, aut eum inde ejicere, ut Apostolicum est, sic & nunc & semper fieri & potuit & debuit. Videat modo quisque, ut capita ista ea constituat quæ constituenda sunt. Id autem facile fiet, si, ut profecto decet, ex solo eoque aperto Dei verbo omnia petantur. Quodsi nihilominus hac in parte erratum fuerit, quatenus aliqua capita constituta fuerint, quæ ex isto numero revera non sint, non idcirco vera Christi Ecclesia ea, quæ hoc fecerit, esse desierit, dummodo nullum eorum prætermiserit, quæ ex isto sunt numero. Et quacunque tandem ratione in iis constituendis erraverit, in eo tamen nunquam errare dici poterit, quod eos recipere noluit, qui in illis secum non consentiant: immo errorem errori adderet, si eos reciperet. Contra enim suam ipsius conscientiam ageret, & eos fratrum loco haberet ac Christi fidelium, quos tamen à salutari Christi doctrina abesse plane sibi persuasisset.

De Ministris eligendis & constituendis.

Unum porro aliquem in singulis cœtibus eligere, qui aliis Dei verbum explanet, atque ex eo illos ad veram pietatem vitæque sanctimoniam adhortetur, & Apostolicum est, nec ulla, ut mihi quidem videtur, ratio afferri potest, cur hodie id fieri non debeat. Quod vero ejus tanta sit auctoritas, ut omnia quæ dicit, sine ullo discrimine aut examine sint recipienda, nec aliis quidquam in Ecclesia dicere liceat; hoc nec Apostolicæ Ecclesiæ est proprium, nec hodie in multis cœtibus, iis præsertim quibus ego, quatenus licuit, adhæsi, id fieri videmus. Immo in istis, & verbi Dei Ministri omnium reprehensionibus & correptionibus sunt expositi, ac porro sæpissime ab aliis & reprehenduntur & corripiuntur, & unicuique in Ecclesia, de omnibus ad veritatem divinam pertinentibus suam sententiam dicere fas est: quinetiam nulla de re ejusmodi in Ecclesia quidquam constituitur, quin singuli nominatim prius suam sententiam rogentur. Quodsi Apostolorum tempore, cum videlicet prophetiæ donum aperte in Ecclesia erat, tamen unus aliquis eligebatur, qui cæteris in Christi doctrina explicanda præiret, ut, præter omnem historiam, & complures alios Apostolicarum Epistolarum locos, Epistolæ Pauli ad Timotheum & Titum planissimum faciunt: non video cur hoc tempore, quo, aperto prophetiæ dono sumus destituti, id fieri nequeat, vel potius omnino non debeat. Nec leviter eos miror, qui ex eo, quod Paulus ad Corinthios de prophetando in Ecclesia scribit, colligunt, non uni cuipiam munus docendi populum demandatum esse, sed unicuique id permittendum: quasi, vel quod Paulus scribit, pugnet cum electione unius cujuspiam qui Episcopi munere in populo fungatur, vel hodie prophetiæ donum aperte extet; cui, si uni tantum in Ecclesia docere liceat, aditus quodammodo præcludatur, & hac ratione divina beneficentia contemnatur. Adde, quod ipso Apostolorum tempore, non unicuique in Ecclesia (quod quidem ad locum illum Pauli pertinet) de rebus divinis disserere licebat, sed iis demum, quos prophetiæ donum habere constabat: neque enim omnibus id donum concedebatur. Hæc autem dico, non quo damnem, si hoc tempore aliis etiam, præter eum qui peculiari munere verbi Dei in Ecclesia explicandi fungitur, de dogmatis ipsis religionis nostræ, verba facere in ipso cœtu liceat, id quod potius vehementer probo; sed quo ostendam, infirmissimas esse rationes & testimonia, quibus nonnulli hodie utuntur, ad munus Ministrorum verbi Dei ex Ecclesia tollendum atque exterminandum. Sine quo, ut ipse ferme sensus communis docet, sicut nihil unquam in religione Christiana profectum est, sic nihil unquam aut proficietur aut profici potest. Tantum cavendum est, ne, quemadmodum Petrus monet, populi Pastores isti dominentur gregi: quod tamen ipsius Petri tempore, potius in ipsorum Pastorum voluntate, quam in fræno aliquo ipsis quodammodo à populo injiciendo repositum fuisse, ejus verba non obscure docent; in quibus hac de re, non quidem populo, sed ipsis Pastoribus præcepta dantur. Similia quædam in antedictis Epistolis Pauli ad Timotheum & Titum scripta extant, ex quibus nullo negotio intelligi potest, eorum, qui populo docendo præfecti erant, non exiguam fuisse auctoritatem, qua ut bene uterentur, potius ipsorum voluntatis esset, quam populi curæ. Sed hæc in præsentia volo satis esse, ad sententiam meam, quam intelligere cupiebas, tibi exponendam, nec non ad ea refellenda, quæ à te pro contraria sententia allata fuerant. Paulicoviæ 17 Martii 1585.

Ex alia ad eundem Epistola.

De externa Christi Ecclesia erigenda seu instauranda.

Hinc initium sumam, ad primas tuas literas respondendi, atque ea diluendi, quæ in eis contra externum Ecclesiæ ministerium disputas. Nam certe in illis, nullam neque esse nec esse posse hodie externam Ecclesiam, una cum Puccio te sentire ostendis, quæ res tandem illi causa fuit ad Papatum revertendi. Utebatur ipse iisdem ferme rationibus, quibus tu uteris; & potissimum hoc unum urgebat, post collapsum externæ Ecclesiæ statum, necesse esse ad eundem erigendum, ut aliquis vel aliqui divinitus excitentur, ita ut ex signis, id est, prodigiis seu miraculis manifestis id appareat ac cœlitus confirmetur, quemadmodum antea factum est, cum primum is status erectus fuit. Ego vero mihi videor aliis meis ad te literis hanc rationem satis convellisse. Explicabo tamen hoc loco aliquanto apertius, quid mihi velim. Dico igitur, longe diversam esse rationem ejus temporis, cum primum Ecclesia externa erecta fuit, & cum postea corrupta est, & hoc pacto ejus status verus ac legitimus labefactatus atque collapsus. Antequam enim erigeretur externa Christi Ecclesia, necesse fuit ejus doctrinæ, unde Ecclesia constat, hominibus, qui in ipsa Ecclesia futuri erant, fidem facere, ut pote novæ atque inauditæ, quæque ab iis religionibus, quæ tum in mundo erant, non solum plurimum aberat, sed magna ex parte eis ex diametro, ut dicitur, adversabatur, easque penitus convellebat. Nec tantum propter eos qui tunc erant, sed propter alios omnes, qui usque ad hujus sæculi finem futuri erant, omnino oportebat eam doctrinam tot ac tantis divinis testimoniis confirmari,

confirmari, ut nemo deinceps de ea merito dubitare posset. Et sane si Apostoli & ipse Christus, qui tamen universam suam doctrinam non per seipsum protulit, sed per Apostolos non contemnenda ex parte eam publicavit, ad suam prædicationem sine ullis miraculis accessisset, seque divinitus missum fuisse variis rationibus non aperte confirmasset, oleum, ut est in proverbio, & operam facile perdidisset, nec nisi fortasse paucissimos aliquot ad disciplinam suam amplectendam pertraxisset. Neque enim ejus disciplina certis quibusdam in principiis cum aliis conveniebat, ex quibus manifeste ipsa comprobaretur, cæteræ vero improbarentur. Immo cum ejus doctrina concederet principia ejus disciplinæ, sub qua ipse Christus natus erat, & quæ tamen per ipsam ex parte aboleri debebat, & tota aliqua ratione immutari, esse ab ipso Deo profecta, id est, Sacras Veteris Testamenti Literas, sive quæ illis comprehensa erant, divinitus tradita fuisse; necessarium plane erat, ipsam Christi doctrinam admirabili præter modum ratione aliqua confirmari, ejusque auctorem similiter Deum esse, evidentibus documentis demonstrari; præsertim cum, quidquid ex principiis illis ad eam comprobandam peti poterat, mysteriis quibusdam esset involutum, ac cælesti quadam explicatione indigeret. At vero post collapsum externæ Ecclesiæ statum, id est, veram Jesu Christi & Apostolorum ejus doctrinam in publicis cœtibus abolitam, non principia modo ipsius doctrinæ, sed, ut magna pars sentit eorum, in quibus eam instaurare multi curant, ipsa etiam universa doctrina literis consignata permansit: quibus omnes, ut divinitus traditis, assentiuntur, quæque adeo sunt apertæ, ut facile unusquisque eam, quantum necesse est, inde petere queat. Hinc enim fit, ut ii, qui in vitiato & corrupto Ecclesiæ statu adhuc perdurare volunt, in controversiis quæ ipsis moventur, solis illis literis agere nolint, & præterea causentur, earum interpretationem à sua ipsorum Ecclesia petendam esse: Et tamen velint nolint, coacti sunt tandem ad eas & ipsi confugere, ut suæ Ecclesiæ auctoritatem probent, sine qua non inveniunt, quomodo sua falsa dogmata defendere, ne in speciem quidem, ulla ratione possint. Quid ergo est hic opus ulla nova & cœlesti confirmatione, cum, modo ipsa omnibus communia principia urgeantur, vera Christi doctrina prorsus eluceat? An non reipsa comperimus, iis solis urgendis brevi tempore factum esse, ut infinita hominum multitudo ab iis Antichristianis corruptelis sibi & caverint & caveant, quæ interitum afferre possunt? Nam quod quibusdam videtur, propter dissensiones & magnas & multiplices, quæ inter eos hodie vigent, qui ex Antichristianis erroribus gravioribus emerserunt, incertum esse, quibus quis se adjungere debeat (id quod ipse quoque satis aperte commemoras) & propterea ad externam aliquam Ecclesiam erigendam, expectandum esse donec Deus aliquem sive aliquos excitet, qui suæ auctoritatis mirabili aliqua ratione fidem facientes, has lites componant; Hoc, inquam, facilem habet responsionem, duplici de caussa. Primum quia, qualescunque sint dissensiones istæ, plæræque non circa ea versantur, quæ per se ad salutem sunt necessaria; quemadmodum jam complures animadverterunt, & satis ex eo demonstrari potest, quod ego in aliis meis literis ad te scripsi. Cum enim ad æternam salutem consequendam nihil aliud requiratur, quam ut Christi præcepta teneantur, dissensiones autem istæ majore ex parte ad ipsa Christi præcepta non pertineant, sequitur, nihil necesse esse illas componi prius, quam externa erigatur Ecclesia; nisi velimus non satis esse ad Christi externam Ecclesiam constituendam, si ea teneantur, quæ ad æternam salutem sunt necessaria. Deinde, inde potissimum istas dissensiones oriri quilibet facile perspicere poterit, quod soli Dei verbo plærique revera non adhærent. Nam adhuc præter Sacras Literas, nescio quæ Concilia, Patres, antiquitas, maxima sunt in veneratione, adeo ut divinis oraculis propemodum æquentur. Cum tamen ista omnia, & si quæ sunt alia ejusmodi, nullas vires præterea apud cordatos homines habere debeant, quam ut sensus Ecclesiæ illorum temporum fidem faciant, vel etiam non temere recedendum moneant ab iis dogmatis quæ ipsa approbant. Sed Sacris Literis licet aperte reclamantibus, quædam tamen mordicus retinere velle, quia scilicet ab istis approbantur; hoc nihil aliud est, quam divinam veritatem consulto pessumdare, & ad Antichristiani Regni confirmationem ingentem fenestram patefacere. Legantur modo Pontificiorum scripta adversus Lutheranos & Calvinianos, & satis intelligetur, si præter Sacras Literas istorum auctoritate sit standum, nobis omnibus causa cadendum esse. Sed quorsum isthæc mecum? Inquies. Nempe ut animadvertas, tot dissensiones, quæ hodie inter illos sunt, qui Christi nomen profitentur, de Christianæ religionis decretis, non quidem ex divinorum oraculorum obscuritate, sed potius ex eorundem contemptione quadam, dum ab illis solis universa Christiana doctrina non petitur, natas atque exortas esse; neve ex illis colligas, auctoritate Sacrarum Literarum eas, quantum satis est, componi non posse; aut saltem non neges, ex ipsis divinis literis posse unumquemque Christianam religionem ejusque placita, quatenus ad hominem Christianum constituendum necesse est, recte agnoscere. Namque hoc concesso, sequitur continuo, Christi Ecclesiam ejusque externum statum, hoc tempore instaurari & posse & debere; quemadmodum apertius postea ostendam. Libet enim prius te ad hoc concedendum quodammodo adigere. Etenim nisi hoc concesseris, quomodo factum tuum defendes, qui de rebus ad Christianam religionem pertinentibus non pauca asseverare audeas, contra quam vulgo affirmatur, ac plane contendere, jam pridem plenam defectionem in Ecclesia extitisse, fundamentumque fuisse sublatum? An non hæc ideo affirmas, quod ea ex Sanctis Literis colligis? Igitur te ipso teste, ex ipsis Sacris Literis veritas Christianæ religionis percipi potest. Alioqui cur non de omnibus dubitas? Aut cur te saltem aliis plærisque palam non adjungis? Immo vero te ab ipsis separas. Nonne ipse & concedis & urges, hodie posse Deum coli, & Christi nomen rite invocari, etiamsi externa quædam non adsint? Atqui non video quemadmodum id fieri possit, nisi aliunde verus Dei cultus & Christi nominis invocatio petatur. Unde vero, nisi ex ipsis divinis oraculis? Quanquam ad id concludendum quod volo, satis est hæc, qualia esse debeant, sciri posse, undecunque tandem id sciatur. Certe enim si hoc sciri potest, potest etiam externus Ecclesiæ Christi status instaurari; „ cum externa Christi Ecclesia nihil aliud sit, quam publica „ congregatio seu convocatio hominum Deum colentium & Christi nomen rite invocantium. Nam quid prohibet quominus ii qui isthæc faciunt, publice etiam conveniant? Immo quomodo isthæc facere dici possunt, nisi palam aliquando congregentur, cum, ut cætera omittam, inter alia Christi præcepta omnibus ejus discipulis convenientia, quibus Deus colitur & Christi nomen rite invocatur, sit publica commemoratio ipsius Christi mortis? Ex iis quæ hucusque disserui, satis, ni fallor, responsum patet ad duo inter illa, quæ contra Ecclesiæ externæ instaurationem attulisse mihi videris: quorum alterum est, eadem aut certe simili ratione instaurandam esse Ecclesiam, qua ædificata fuit; alterum vero, inter tot Christiani orbis dissensiones non posse veritatem dignosci, nisi luce aliqua divinitus, ut Apostolorum tempore, illata. Prædictis autem addo expressius, rationem, qua primum ædificata est Ecclesia, Dei & Christi verbum revera, fuisse, cætera omnia ad hoc confirmandum pertinuisse. Itaque cum nunc idem Dei Christique verbum habeamus, idque abunde confirmatum, immo de quo nemo dubitat, eandem rationem instaurandæ Ecclesiæ hodie revera habemus, qua primum ædificata fuit.

Jam

Jam vero ad reliqua, partim ex iis, quæ hactenus tecum per literas disputavi, partim ex re ipsa satis patere responsio videtur. Quod enim urges, Apostolorum tempore talem fuisse externam Ecclesiam, quæ verum esset Dei ædificium, in quo esset veritas, & extra quod tenebræ tantum essent & cæcæ nubes, quod videlicet hodie post subsecutam defectionem, nisi lux nova aliqua divinitus ac manifesto, ut ante factum est, affulgeat, haberi nequeat. Primum, hoc non ad externæ Ecclesiæ instaurationem simpliciter dissuadendam pertinet, sed ad ejus Ecclesiæ quæ par Apostolicæ illi futura sit. Quod tamen satis refutatum est, ut arbitror, superioribus meis literis, in quibus est ostensum, ipsas Ecclesias Apostolicas, id est, ab ipsis Apostolis fundatas, errasse, idque in rebus ad salutem pertinentibus, dum adhuc ii viverent & earum curam haberent, qui ipsas fundaverant. Nec sane quæ de Ecclesia magnifice prædicat Paulus, affirmans inter cætera, quod sit columna & firmamentum veritatis 1 Timoth.3.15, aut ad externam ullam Ecclesiam pertinent, aut, si tamen pertinent, ita accipienda sunt, quasi Paulus sentiat, in aspectabili Ecclesia nullos errores esse, vel extra aspectabilem Ecclesiam nullam divinam veritatem. Sed est intelligendum, quia omnis externa Ecclesia Christi doctrinam profitebatur, Christi autem doctrina est illa divina veritas; propterea Paulum Ecclesiam, id est, Christum profitentium cœtus sive externam Ecclesiam (si modo, ut dixi, ibi eam intelligit) veritatis columnam & firmamentum appellasse. Opponitur enim ibi tacite, quemadmodum in compluribus aliis locis apud eundem Paulum, Christi disciplina in genere cunctis aliis disciplinis. Nihil autem vetabat tunc, quemadmodum nec hodie vetat, quominus posset quis veram Christi disciplinam amplecti & retinere, nec tamen ulli externæ Ecclesiæ se adjungere, quod fortasse omnes alicujus erroris ad salutem ipsam pertinentis, sive jure sive injuria suspectas haberet Sed videamus deinde cur asseras, Ecclesiam Apostolorum tempore fuisse plane veram Dei Ecclesiam. Quia inquis, ex Spiritu Sancto, quem tunc, post impositas Apostolorum manus, homines consequebantur, & ex aliis ostentis ac miraculis divinitus editis confirmabatur, quod quicunque Jesu nomini fidem haberent, sanctum essent Dei templum &c. Atqui hinc omnino sequitur, si dari hodie possunt, qui Jesu nomini fidem habeant, dari quoque posse Sanctum Dei templum & porro Ecclesiam, ea, quæ Apostolorum tempore fuit, quod huc attinet ut vera Dei Ecclesia sit, nihilo inferiorem. Quare hic, ut in superioribus quoque literis, innuere videris te sentire, hodie fidem in Jesum Christum non dari. Rogaveram quidem te, ut velles posthac sententiam tuam hic aliquanto apertius exponere, quo uberius tota de re tecum disputare possem: sed quando id non fecisti, ad opinionem istam ex tuis ipsius verbis convellendam, ea pauca satis esse volo, quæ antea scripsi. Verum hoc fortasse tibi vis, ex illis signia & Spiritus Sancti donis constitisse, eos, qui Jesu nomen profitebantur, illud ex animo professos fuisse; qua de re hodie nulla ratione constet. Ad hoc rursus primum respondeo, hinc non colligi, non esse instaurandam externam Christi Ecclesiam, sed non esse sperandum, talem instaurari posse, de qua constet eam esse veram Dei Ecclesiam: ex quo nequaquam sequitur, eam re ipsa parem primævæ illi esse non posse, cum nihil prohibeat quin aliquid tale sit, licet tale esse non constet. Deinde dico, si tamen signa & dona illa fidem faciebant animi non simulati eorum, qui Jesu nomen invocare incipiebant, non propterea sequi, quod ex illis apparuerit constitutam jam fuisse veram Dei Ecclesiam. Nam ad hoc necesse præterea erat, ut in eadem sententia perseverarent. Quod autem potuerint non perseverare, si quis est qui dubitet, meminerit Christi verborum Matth.7.22 ex quibus etiam constare videtur, potuisse quempiam eodem tempore à vera fide in Christum defecisse, quo miracula, ejus nomine invocato, edebat; nedum non potuerit aliquando ejusmodi signa facere, & postea à veritate deficere. Nam quod quidam veram, id est, ut hic intelligimus, ex animo in Christum fidem, à charitate sive à bonis operibus, ut Papistæ faciunt, sejungi posse affirmant; id plane falsum esse vel unica Jacobi sententia, quod fides sine operibus sit mortua, Jacob.2.17 aperte ostendit. Itaque cum Christus iniquitatis operatores quosdam vocet, qui in ipsius nomine miracula fecerint, apparet istos vel eodem tempore, vel saltem diversis, & signa ista edidisse, & vera in Christum fide caruisse. Quanquam non crediderim ego, Spiritus Sancti dona illa iis tantum fuisse concessa, qui ex animo ab ipso initio Christi nomen profitebantur, sed omnibus qui profiterentur. Eo enim potissimum tendebant dona illa, ut veritatis disciplinæ Christi fidem facerent, non autem ut de vera Christum profitentium fide testarentur. Nam quod Petrus Act. 15.7,8 videtur omnino Spiritum Sanctum à Deo datum certum testimonium statuere veræ fidei eorum quibus dabatur, id arbitror esse singulare in gentibus, quæ ab initio crediderunt; quas, cum antehac ab ipso Deo essent prorsus alienæ, non est verisimile Deum tanto dono dignaturum fuisse, nisi ex animo credidissent. Adde, quod ad id, quod Petrus quærebat, concludendum ac persuadendum, non est necesse ut singuli ex gentibus, qui primi omnium credere se in Christum sunt professi, de quibus tantum ipse loquitur, ex animo crediderint, sed ut aliqui ex ipsis. Siquidem hoc contendit Petrus, gentes deinceps à Dei regno exclusas esse censeri non debere, cum & Deus illis ostium fidei patefecerit, & illæ vicissim ingressæ fuerint. Nam certe, nisi aliqui saltem ex iis, quibus ipse ab initio, Deo sic jubente, Euangelium prædicaverat, ex animo credidissent, nunquam Deus illis Spiritus Sancti donum impertitus fuisset. At vero dices forsitan, me à scopo tuo multum aberrare, quippe, qui sentias, Apostolorum tempore ad veram Dei Ecclesiam constituendam, satis fuisse Christi nomen profiteri, eique fidem habere; nam hoc testabantur dona illa Spiritus Sancti & alia ostenta ac miracula, hodie vero hoc non esse satis, nam si esset, hodie quoque aliquam ejusmodi divinam ac cœlestem approbationem Christi nomen profitentium eique credentium haberemus. Ergo, si ita sentis, credis religionis Christianæ conditionem labente tempore mutatam fuisse, nec Christum fuisse & esse heri & hodie, & eundem in æternum; Heb.13.8. quod tamen scriptura affirmat. Ergo enunciatio illa Christi, quod, ubi duo aut tres in ipsius nomine congregati fuerint, ipse in eorum medio sit, Matth.18.20, quæ sola ferme potest totam hanc de Ecclesia Christi nec ne instauranda quæstionem dirimere, & contra id hodie fieri posse negantes sententiam ferre. Ista, inquam, Christi enunciatio jam non est vera, ut antea aliquando fuit, dum scilicet signa & miracula eos comitabantur, qui in Christi nomine congregati erant. Hac igitur ratione cætera etiam omnia, quæ Christus dixit, universaque ipsius disciplina in dubium hoc tempore revocabitur, id est, hodie hæc ad nos nihil pertinere censebuntur, nec per plurima sæcula ad quosquam ea pertinuisse, affirmari poterit. Cum tamen luce meridiana clarius sit, signa & miracula in eum finem tantum adhibita fuisse, ut Christi doctrina confirmaretur, certumque esset, illam perpetuo verissimam futuram, & locum habituram donec præsens maneret sæculum. Ex quo, ut antea dixi, necessario sequitur, ut, si signa & miracula, cum iis conjuncta qui Jesu Christi nomini ab initio fidem habuerunt, nos monent, istiusmodi homines verum Dei templum fuisse, Dei verum templum hodie quoque sint ii, qui Jesu Christi nomini fidem similiter habent, licet signis istis & miraculis sint destituti. Quæ cur perpetua in Ecclesia non fuerint, immo esse non debuerint, satis me ostendisse

opinor in superioribus literis meis. Feras me, quæso, vir optime ac præstantissime, si hæc tecum frustra omnino fortasse disputo; nec arbitreris me tam hebetem ac suspiciosum esse, & simul ab omni Christiana charitate atque adeo civili modestia alienum, ut tibi ridiculas & perniciosas istas opiniones adscribam, quas ipsa verba tua postmodum aperte satis refellunt: sed me non tui modo, verum etiam aliorum his scribendis rationem habere cogites; atque pro tua singulari humanitate, quid ad ea jam respondeam, quæ privatim & proprie contra Ecclesiæ externum ministerium hoc tempore à nobis instaurandum attulisti, patienter audias. Ut enim eodem tempore ad id respondeas, quod à me affertur ut probem, hodie externam Christi Ecclesiam instaurari posse, nos videlicet Dei Christique verbum habere, quo ea ab initio fundata fuit; affers primo loco exempla defectionis Israeliticæ Eliæ temporibus, & captivitatis Babylonicæ, ex quibus nos discere oportere ais, quamvis vera de Deo doctrina habeatur, non tamen temere ad externa ista prosiliendum esse, quemadmodum nec illi prosilierunt, qui in istis defectionibus verum Dei cultum nihilominus retinuerunt. Ad hoc respondeo, & nominatim de exemplo defectionis temporibus Eliæ agens (nam alterum captivitatis Babylonicæ, non videtur complures ob caussas satis ad rem facere) dico primum, aliam fuisse conditionem illorum temporum, & externi cultus Dei sub Veteri Testamento, & aliam horum temporum externique Dei cultus sub Testamento Novo. Sub Vetere enim Testamento externus cultus ille divinus, à quo ii abstinebant, qui in media ipsa defectione idololatricis cultibus non adhæserant, cuidam certæ tribui ac familiæ quodammodo alligatus erat, id est; Leviticæ & Aaronicæ; ut nulla ratione liceret extra ipsas alicui sibi sumere, ut illum administraret. Quinetiam summum sacerdotium in tota familia Aaronica, uni domui Phinees alligatum erat, sine quo divinus iste cultus administrari non poterat. Quid igitur, si nullus ex ea domo fortasse tunc erat, qui idololatricis cultibus non consentiret? Annon necesse prorsus fuit interim illius divini cultus administrationem cessare? Adde, quod summus sacerdos ex domo illa, certa quadam ratione & successione eligebatur, quam spernere, & alium in jam electi locum, licet ex eadem domo, substituere, privatis præsertim hominibus nullo pacto licebat. Huc accedit, quod in Israelis Regno, ubi Eliæ tempore defectio ista contigit, nullus poterat divinus cultus administrari, à quo reliquiæ illæ piorum abstinerent. Omnia enim sacrificia, omnis Dei publica & solennis adoratio & invocatio Hierosolymis in templo, ex ipsius Dei præscripto, peragenda erat, id est, in Regno Judæ, unde illi jam pridem secessionem fecerant, & penitus sese disjunxerant. Præterea legimus quidem istos Deo caros fuisse, eo quod ab idololatricis cultibus abstinuissent. Quemadmodum & hodie eos Deo caros esse credendum est, qui inter idololatras licet degentes, idololatræ tamen non sunt. Sed non propterea eos commendari audimus, quod ita occulte solum verum Deum colerent, ut Elias eos non agnosceret, & se solum unius veri Dei cultorem in populo illo relictum fuisse (ut quidem Paulus interpretari videtur) existimaret, aut certe neminem præter se publice Dei caussam agere affirmaret. Nunc consideremus ex altera parte conditionem externi cultus Dei sub Novo Testamento, Is autem vel omnino, ut quibusdam placet, vel potissimum verbi Dei & Sacramentorum (quæ vocant) administratione continetur. Jam vero verbi Dei administratio, præsertim quæ ad externam Ecclesiam colligendam & constituendam requiritur, nulli certæ nationi aut familiæ, nulli eligendi rationi denique aut successioni alligata est. Patet hoc vel ex eo, quod in ipso ferme initio prædicationis Apostolicæ, nulla prævia ad id muneris facta electione, ii, qui Jesu Christi disciplinam amplexi fuerant, passim Euangelium annunciabant, non sine felicibus successibus & divina comprobatione, ut legitur Act. 8 4. & 11. 19 &c. Nam si munus ipsum Apostolicum, ipsis Apostolis adhuc viventibus, immo vix dum illud obire incipientibus, euangelizandi & Dei verbum ministrandi iis qui extra Ecclesiam erant, omnibus Christi discipulis sua sponte exercere indistincte licuit, multo magis profecto Christiano homini licere debet, iis, qui jam ad Ecclesiam pertinent, præire tantum quodammodo in verbo Dei recepto & ab omnibus approbato, exponendo atque explicando, idque ex aliorum omnium „ consensu. Quæ hodie tota ratio est administrandi „ verbi divini necessaria ad externam Ecclesiam colligendam. Nam quod ais, priscos illos scivisse unde doctrinam hausissent, & sanam esse nihil dubitasse; hoc idem & scire, & pro certo habere nostri temporis Christiani possunt, cum Dei verbum æternis monumentis consignatum ac prorsus indubitatum habeant, cui soli si quis penitus adhæreat, nullo pacto in iis, quæ ad salutem pertinent, ita falli potest, ut condemnationem ullam incurrat. Quanquam quanto minus asseveranter loquendum est iis, qui, ut nunc fit, verbum Dei populo explanant, quam iis qui Euangelium annunciant, tanto minus necesse est, ut de doctrina sua merito nihil dubitent.

De Sacramentis.

De Sacramentis porro, id est, ut fere ab iis receptum est, qui ab Antichristo defecerunt, de Baptismo aquæ & Cœna Domini: Quod ad Cœnam Domini attinet, nihil est cur suspicari possimus, eam à quolibet Christi nomen profitentium cœtu celebrari non posse. Neque enim parabilissima hæc & simplicissima cærimonia Apostolis ut Apostolis à Christo præscripta fuit; sed simpliciter ut ipsius discipulis seu mavis Christianis: id quod & Pauli verba 1 Cor. 11, manifestum faciunt, & satis ostendunt ipsa Christi verba à Paulo uberius exposita, quibus ipsius cæremoniæ finis continetur, qui est commemoratio Dominicæ mortis, & annunciatio donec ipse Dominus veniat. Cui gratiarum actionem pro eadem morte fuisse conjunctam, & res ipsa aperte monet, & satis indicat antiquissimum hujus ritus nomen *εὐχαριστία*. Jam & Christi mortem commemorare & annunciare, & pro ea gratias publice agere, ad omnes Christianos peræque pertinere, nemo est quin fateri cogatur. Nec vero est in hoc ritu alicujus divinæ rei ulla datio seu ministratio (sic enim loqui oportet) & propterea nullus certus homo requiritur, qui quasi Christi vicem gerens, panem & vinum cæteris distribuat aut porrigat; quamvis ab ipso initio, cum institutus fuit, id Christus, qui eum instituebat, fecerit. Ex accidente id enim fuit, & quia tunc primum ab ipso instituebatur, qui compendii cujusdam gratia, facta quædam verborum loco substituit. Cæterum unicuique de cæremonia ista recte alioqui sentienti abunde constare potest, nihil aliud sensisse Christum, quam, ut sui discipuli pane simul frangendo ac comedendo, poculoque infundendo ac bibendo, corporis sui fractionem & sanguinis fusionem pro ipsis mox secuturam, postea, ut jam peractam commemorarent ac concelebrarent. Ex quo id intelligitur, quod supra attigi, tantum abesse ut errent, quicunque Christi discipuli merito dici volunt, hoc ritu peragendo, ut potius errare omnino existimandi sint, nisi, quantum in ipsis est, curent, ut illum peragant. Nihil autem simile fuit Eliæ tempore, à quo ii abstinerent, qui Deo cari erant.

De Baptismo.

De aquæ baptismo ego ita sentio, eum Ecclesiæ in perpetuum præscriptum non fuisse, nec unquam, ut illum acciperent, iis præceptum neque à Christo neque ab Apostolis fuisse, qui jam ipsi Christo alia quacunque ratione publice nomen dedissent, vel à primis annis in Christiana disciplina educati atque instituti essent,

essent, qua de mea sententia, cujus alii etiam ante me fuerunt, justum librum conscripsi, in quo omnia testimonia sacra omnesque rationes diligenter examino ac diluo, quæ illum infirmare posse videantur; cui titulum feci, *An homini Christiano aquæ baptismo carere liceat, disputatio*, fratrum autem rogatu eum conscripsi. Verum, ut ad propositum revertar, dico, aquæ baptismum ad Ecclesiam externam hoc tempore instaurandam, meo judicio, nihil pertinere, remque indifferentem esse (in qua utinam fratres nostri nihil novare tentassent) atque idcirco non esse, quod de eo quidquam in hoc proposito explicatius dicam. Crediderim tamen, si is hodieque retinendus sit, propter eos qui ab aliis religionibus ad Christi religionem convertuntur, potissime retinendum esse: quos non video, cur ii baptizare non possint, qui illis Christum annunciaverint; aut si neminem ex hominibus genitorem (ut ita dicam) in Christo habuerint, cur id facere non possit is, qui huic muneri ab eo cœtu, cui se adjungere voluerint, destinatus fuerit; cum aquæ baptismus, in Jesu Christi videlicet nomine ministratus, nihil aliud sit, quam adumbratio remissionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nominis aperta professio, atque in ipsius religionem initiatio quædam, id est, per eum nihil revera detur: sed tantummodo eorum, quæ vel jam data esse, vel datum iri certissimum est, externa quædam agnitio significetur. Quodsi illi, qui Eliæ tempore, propterea quod ab idololatria sibi cavissent, à Deo in aliorum cæde conservati fuerunt, persuasum habuissent, quemadmodum nostri homines de aquæ baptismo persuasum habent, aliquem fuisse ritum à Deo præscriptum, quem nisi rite quis peregisset, in ejus populo numerari non posset, & tamen illum prorsus neglexissent; putasne eos Deo tantopere caros futuros fuisse, nec ejus iram aliqua saltem ex parte sensuros? Breviter, non video, quid istorum exemplum, ad externæ Christi Ecclesiæ instaurationem dissuadendam momenti habere possit; quos nemo negaverit rectius facturos fuisse, si publice & palam se idololatrico illi cultui, qui in populo vigebat, minime assentiri protestati essent, seseque ab aliis, qui idololatræ erant, quam maxime poterant, segregassent. Nihil autem dico, quod hoc tempore multa clarissima indicia dedit Deus voluntatis suæ, ut externa Christi Ecclesia instauretur, & Antichristianum Regnum diruatur; atque inter alia, vim infinitam hominum excitavit, qui suo sanguine veram Christi doctrinam, quantum ad salutem satis est, confirmarunt, & falsam Antichristi refellerunt, adeo, ut si quis recte animadvertat, miraculis & Spiritus Sancti externis donis exceptis, quibus propter eas caussas quæ ante sunt expositæ, hoc tempore nihil opus erat, maxima similitudo inter hæc & Apostolica tempora, & quæ illis proxime successerunt, appareat. Ut merito affirmari possit, quemadmodum tunc nasci, sic nunc renasci Christi Ecclesiam cœpisse; & consequenter concludi, non esse Eliæ tempora illa cum nostris hisce temporibus ullo modo comparanda, non magis quam cum ipsis Apostolicis. Ubi semper meminisse oportet, ad Christi Ecclesiam constituendam, non esse necesse ut veritas omnium rerum divinarum teneatur, sed satis esse ea sciri, sine quibus æterna salus nemini contingere potest.

De senioribus Ecclesiæ.

Nunc ad illud accedo, quod addis de discrimine seniorum Ecclesiæ nostri temporis, & Ecclesiæ quæ Apostolorum tempore fuit: ex quo concludere vis, nostros non esse veros seniores, nec illorum Ecclesiam veram Ecclesiam, immo quia hodie tales seniores, quales antiquitus fuerunt, nulli apparent, nullam etiam instaurari posse externam Ecclesiam. Ais enim hoc tempore seniores ab Ecclesia constitui, non autem à senioribus Ecclesiam colligi, quod contra, inquis, fiebat in primitiva Ecclesia. Ad hoc, etiamsi ea certissima essent quæ pro concessis sumis, abunde ex superioribus responsio patet, propter temporum rationis diversitatem. Tunc opus fuit ut seniores Ecclesiam colligerent, quia tum primum fundabatur Ecclesia, nec ulla principia certissima atque indubitata erant, quibus omnes assentirentur, & ex quibus per se ipsi veritatem agnoscere, & Dei populo se aggregare sua sponte possent. Nunc vero instauratur Ecclesia ex iis principiis, de quibus inter omnes constat: quare certo aliquo architecto nihil est opus, sed unusquisque per se suaque sponte partem in hac instauratione habere potest atque adeo habet. Monitore tantum opus fuit vastationis Ecclesiæ, ejusque instaurandæ rationis: quos sane non unum sed plures habuimus, qui etiam in ea instauranda gnaviter laborarunt. Sed animadvertendum præterea est, te pro concessis sumere ea, quæ mihi minus certa videntur. Neque enim in primitiva Ecclesia colligebantur cœtus à senioribus, sed iis cœtibus sive Ecclesiis præficiebantur, quæ Apostolorum & aliorum Euangelizantium ministerio collectæ fuerant. Exempli caussa, Ecclesiæ Corinthiorum, Philippensium, Ephesiorum, non à senioribus, id est, pastoribus qui in illis perpetuo erant, sed à Paulo Apostolo fuerant collectæ, in quibus ipse deinde seniores constituit; non quidem ex sua tantum ipsius voluntate & sententia, sed ipsa approbante Ecclesia, ut ex eo intelligi potest, quod Timotheus ipse tantus Pauli administer, non sine impositione manuum Presbyterii, id est, Senatus, ut sic dixerim, Ecclesiæ, qui ipsius Ecclesiæ personam sustinebat, ut alicujus urbis Senatus, Civitatis & Reipub. personam sustinet, ad munus pastoris, quo in Ecclesia fungebatur, delectus fuit. An non legimus, mandatum fuisse Tito à Paulo, ut in singulis Cretæ urbibus seniores constitueret? Quod sine dubio de iis urbibus intelligendum est, in quibus jam aliquis numerus Christi fidelium collectus erat, quibus volebat Paulus pastores dari, ad ipsos verbo Dei pascendos, adque Ecclesiæ conservationem & incrementum, ut satis ex ipsius verbis, ubi hac de re agit, apparet. Quomodo igitur tunc temporis à Senioribus Ecclesiæ colligebantur, si jam collectis Ecclesiis seniores præficiebantur? Non tamen hic similiter est intelligendum, Titum debuisse aut potuisse ex proprio tantum sensu propriove arbitratu, quoscumque magis ipse probasset, seniores constituere; sed ei mandatum fuisse, ut curaret seniores constitui ex ipsius Ecclesiæ consensu; qui modo tales essent, quales Paulus descripserat atque ejusmodi seniores ipsam Ecclesiam per se sibi constituere potuisse, nihil est quod dubitare nos sinat. Et sane in illis ipsis Ecclesiis, in quibus Paulus ipse Seniores ab initio (ut legitur Act. 14. 22.) quemadmodum paulo ante dixi, constituerat, illis deficientibus, Ecclesiam ipsam per se alios sibi constituere potuisse, necessarium quodammodo est, & ex Ecclesiastica historia sic quoque factum fuisse intelligere licet. Rursus hoc tempore non est perpetuum, immo vero admodum rarum, ut Ecclesia ipsa Seniores, id est, pastores sibi eligat, Ecclesia, inquam, cui ipsi seniores præsunt. Eliguntur enim ab aliis pastoribus ut plurimum, quamvis non sine consensu illius Ecclesiæ. Quinetiam non solum ab ipso initio renascentis Euangelicæ veritatis, collectæ sunt Ecclesiæ ab ipsis pastoribus pluribus in locis, ut à Luthero, Zuinglio, Oecolampadio, Balthasare Pacimontano, & aliis; sed postea etiam sæpenumero contigit, ut homines pii aliique erudiendis non inepti, vel plane sua sponte, vel ab aliqua Ecclesia jam collecta missi, Ecclesias, ubi nullæ erant, collegerint ac fundaverint; quod cum alibi tum in Gallia potissimum factum esse scimus. Itaque nihil mihi hac etiam in parte dissimilitudinis inter hæc & primitivæ Ecclesiæ tempora esse videtur. Et, si insignis aliqua tamen in ipsis initiis fuisset, jam ejus rei caussam attuli, ex qua apparet non propterea sentiendum, præpostera ratione hodie in Ecclesia instauranda agi. Post ipsa initia nulla profecto dissimilitudo, quæ alicujus

momenti sit, inter hæc duo tempora animadverti potest.

Sed quidquid sit, ut de re ipsa, quæ in controversia est, agamus, illud unum scire velim, cur hodie non liceat hominibus recte, quantum satis est, de religione Christiana sentientibus convenire, memoriam Christi mortis, ut jussi sunt, celebrare, communes preces ad Deum fundere, sese in vicem ad pietatem ac perseverantiam in fide cohortari, de divinis rebus colloqui ac disputare, aliquot ex suo numero certos homines habere, quorum hic aliis in verbo Dei explanando præeat, ac rudiores in disciplina Christiana instituat; ille singulariter pauperibus, ex communibus Ecclesiæ pecuniis subveniendi curam habeat; alii, ut omnia ordine ac decenter in cœtu fiant, provideant & curent; alii sint, quorum prudentiæ ac rerum divinarum cognitioni universus cœtus plurimum deferat, & quos idcirco tanquam senatum suum esse statuat; alii denique aliis muneribus vacent, quæ ad totius congregationis conservationem pertineant: Velim, inquam, scire, cur hæc facere non liceat hoc tempore, quidve, quo minus fiant, jure prohibere possit. Sive ejusmodi congregationem Ecclesiam appellare velis, sive nolis, sive tales congregationes pares aut similes Apostolicis Ecclesiis esse concedas, sive minus. Certe cum, Deus à nobis quam maxime colendus sit, & Jesu Christi disciplina quam apertissime profitenda, & quantum in nobis est, propaganda; cumque hæc omnia ad Dei cultum, & professionem ac propagationem Christi disciplinæ plurimum pertineant, immo sine his existere aut consistere nequeant, necesse est fateri, quicquid præterea de illis judices, & quocunque nomine ea voces, cuncta non modo fieri posse sed etiam debere. Nam quod tu asseris, multos pietate & justitia insignes viros, sine externis istis notis & signis hodie Deum colere & olim coluisse, id mihi nullo pacto verisimile videtur; nisi vel ubi ista habendi facultas non fuerit, vel si forte viris istis omnes cœtus, in quibus hæc fuerint, aliquo perverso & saluti æternæ contrario dogmate visi fuerint cantaminati: alioquin prorsus necesse esse statuo, ut quilibet Christianus alicui Christum profitentium cœtui palam adhæreat, ei videlicet quem aliis puriorem esse judicaverit. Cujus sententiæ infiniti pietate præstantes viri nostra ætate fuerunt, & adhuc sunt; quibus ob hanc caussam grave non fuit famæ atque honorum jacturam facere, & sese manifestis vitæ periculis exponere. Non dubito, quin, ut ipse sancte affirmas, optima mente & solo veritatis amore ea & scripseris & sentias, quæ in tuis ad me literis de hoc argumento continentur: sed transfigurat se hic (ignosce quæso libertati meæ) satanas in Angelum lucis, & per te talem tamque insigni alioqui pietate virum, aliosque non contemnendos homines, ruinam Christi Ecclesiæ renascentis struit. Cujus artes & astum agnosce obsecro, nec patere, ut te paulatim seducat, & tandem, cum prorsus tibi persuaserit, nullam inter eos qui à Romana Ecclesia defecerunt, hactenus esse vel esse posse externam Christi Ecclesiam, nec scriptum, quod habemus, Dei verbum ad eam erigendam satis esse, te ad Ecclesiam istam quæ perpetuam ab Apostolis & ministerii & doctrinæ successionem, ac Spiritus Sancti assiduum favorem & præsentiam audacter, nec prorsus inepte (ut compluribus videtur) jactare solet, ut Puccium, aliquando reducat aut aggreget. Quod omen Deus, ut spero ac fore mihi penitus persuadeo, pro sua bonitate avertat. Nec vero credas aut me, aut alios innumerabiles qui mecum sentiunt, clariorem multo, quam nunc habeamus, veritatis diuinæ patefactionem non expectare. Et sane si quis usquam est, qui hoc expectet, ego is sum; cui fortasse ii omnes, qui Christi nomine appellantur, in pluribus adhuc errare videntur, quam vel tibi vel cuiquam alii videri possint. Sed non propterea censemus, talem hodie veritatis cœlestis lucem non affulsisse, quæ ad salutem æternam consequendam satis sit; vel ad talem lucem habendam non satis esse divinis literis penitus adhærere, ex iisque solis divinam veritatem petere. Ex quo necessario consequitur, externam Christi Ecclesiam hoc tempore instaurari & posse & debere.

Non possum autem non vehementer mirari, te Christi verba, quod *portæ inferorum non essent adversus ipsius Ecclesiam prævalituræ*, ita interpretari, ut nondum ejus rei tempus extiterit. Quod nihil aliud est, quam, vel negare ullam Christi veram Ecclesiam hactenus extitisse, vel Christum mendacii coarguere. Atqui Christi verba non ita prorsus sunt accipienda, ut credamus, quæ vera Christi Ecclesia est, eam non posse satanæ astutiis subverti; sed quamdiu vera Christi Ecclesia fuerit, fieri non posse, ut ab ipsa morte atque inferno quidquam detrimenti patiatur. Non negaverim quidem, sicut etiam non affirmaverim, in hoc sæculo talem Christi Ecclesiam futuram, quæ deficere nulla ratione possit, idque Christum suis verbis significare voluisse. Sed in eo à multis erratur, quod vaticinationes seu prædictiones non nisi in eum sensum accipi posse existimant, qui potior sit, & nulla sermonis figura quantumvis usitata expressus. Cum tamen & Christi ipsius dicta, & Apostolorum ejus scripta, & denique res ipsa apertissime doceat, in prædictionibus divinis sæpissime duplicem sensum inesse: unum videlicet, qui ex ipsis verbis omni tropo prorsus nudatis elici potest, alterum vero qui usitatæ verborum, licet aliqua ratione figuratæ significationi est consentaneus. Verum hac de re, quæ latissime patet, non est hic uberius disserendi locus.

De spe ac fide in venturum Christum, qua præditi fuerint patres sub Veteri Testamento.

De spe ac fide in venturum Christum, qua præditi fuerint patres illi sub Vetere Testamento, ita ut in suis sacrificiis ad illum respexerint, nihil aliud in præsentia dico, nisi, me nullo modo diffiteri, Christum ibi adumbratum fuisse; sed nego hoc illos intellexisse, quod nobis demum patefaciendum erat, ut cælestis atque æternæ veritatis & lucis confirmationem ex antecedentibus figuris & umbris haberemus, sub quibus veteres illi omnes conclusi erant usque ad correctionis tempus, ut loquitur Apostolus Heb. 9. 10. Et quod dixi de Messia Hieremiæ temporibus aperte promisso, ita ut nova quædam promissio censeri debeat, verissimum est, & per ea, quæ in ejus Prophetæ vaticinatione scripta sunt, cap. 23, & repetita cap. 33, abunde confirmari videtur. Tametsi enim antea per alios Prophetas, præcipue vero per Esaiam Messiæ adventus ita prædictus fuerit, ut nunc ejus vaticinationem legentes, historiam potius quam vaticinationem nobis legere videamur; tamen eo tempore prædictiones istæ obscuriores erant, eæque ad varios atque extraneos sensus accommodari poterant. Cujus rei fidem faciunt, quæ hodie inter Judæos receptæ sunt earum interpretationes. Plæraque enim de Jesu Nazaræno ibi prædicta, non modo de illo accipere renuunt, sed etiam de Messia, quem ipsi tamen expectant, accipi posse nolunt. At vero, quæ de Messia ab Hieremia primum, deinde ab Ezechiele & Daniele aliisque prædicta sunt, qui etiam clarissimis verbis antecedentem Babylonicam captivitatem & ab ea liberationem, certo tempore futuram prædixerunt, adeo sunt aperta, ut nulla extranea interpretatione occultari aut obscurari possint, nec ad ipsum Messiam ea omnino pertinere Judæi unquam negare sint ausi. Itaque, quod dicis, Christum, etiam antiquioribus illis patribus fuisse promissum, id sane fateor. Sed nego ita apertas fuisse promissiones, ut id ipsi intelligerent, nedum ad se pertinere arbitrarentur illud, quod non ipsis, sed eorum posteritati se daturum Deus promiserat. Nam quod sive in Epistola ad Heb. cap. 11, sive alibi de spe futurorum sibi ipsis bonorum, qua patres illi præditi essent, scriptum est; in eo neque ad ipsius Christi perso-

personam illos respexisse traditur, aut illius ullam rationem habuisse, nec alius quam vel mysticus sensus, vel eventum potius, quam ipsorum animum significans, est admittendus. Sed requirit hæc res longiorem disputationem, quam ut hisce literis includi possit.

Declarationem verborum tuorum, quod Christus non sit ex Adamo, vel Adami filius, libenter amplector; atque ut idem sentiamus, satis mihi est quod ais te credere, illum verum hominem ex Davidis semine prognatum, & interim, licet in virginis, id est, mulieris utero, non tamen per commixtionem maris & fœminæ conceptum.

De loco autem illo, *solvite templum hoc &c.* quod suspectus censeri debeat, nullo modo tibi assentiri possum. Nam quamvis dicas, te non propterea in dubium revocare sacra oracula, id tamen, si non mentem tuam quidem sed rem ipsam spectes, necessario aliter se habet. Etenim si de uno aliquo loco, qui in omnibus codicibus & exemplaribus, & apud omnes interpretes eodem modo legatur, ut iste legitur, dubitare licet, nihil est cur de omnibus dubitare non liceat: & tu ipse adjungis de Sacris oraculis verba illa, *quantumvis hinc inde depravata*: quibus verbis satis indicas, non debere omnibus, quæ in divinis literis scripta leguntur, temere fidem adhiberi. Ego quidem contra ita sentio, Nihil in iis scriptis, quæ communiter ab iis, qui Christiani sunt dicti, recepta & pro divinis habita sunt, constanter legi, quod non verissimum sit; hocque ad divinam providentiam prorsus pertinere arbitror, ut ejusmodi scripta nunquam depraventur aut corrumpantur, neque ex toto neque ex parte; & si aliqui Codices aut exemplaria alicubi mendosa sint, ex aliis emendatioribus, vel ex antiquorum interpretum auctoritate emendari queant. Qua de re disserui pluribus in opusculo quodam, quod de Auctoritate librorum Veteris & Novi Testamenti, Italica lingua conscripsi. Præstat, mi frater, mihi crede, cum in aliquem scripturæ locum incidimus, qui nobis falsam sententiam continere videatur, una cum Augustino hac in parte ignorantiam nostram fateri, quam eum, si alioquin indubitatus plane sit, in dubium revocare. Nihil habent verba illa apud Johannem Christo tributa quod non sit verissimum, & cum reliquis omnibus sacris oraculis consentiens, ut ipse fortassis, si unquam scripta mea legeris, præsertim vero disputationem meam cum Erasmo Joannis, ingenue fateberis. Depone, quæso te, istam, quam habes de Sacris Scripturis opinionem; quæ sola, nisi caveris, innumerabilium in religione errorum, quemadmodum aliis compluribus Christum profitentibus, caussa tibi esse poterit; & si ipsius vim atque aliorum exempla attendere velimus, facile quemvis in atheismum inducere tandem potest.

De Invocatione Christi ex eadem Epistola.

VIdeo nihil hodie edi posse in tota Christiana religione majoris momenti, quam hoc sit, Demonstratio videlicet, quod Christo, licet rei creatæ, tamen invocatio & adoratio seu cultus divinus conveniat. Nam hoc præsertim quod ad invocationem attinet, de qua nominatim inter me & Franciscum Davidis disputatur, me in ea responsione satis demonstrasse confido; cui addi poterunt disputationes meæ cum Christiano Francken, cum quo præcipue de adoratione mihi disceptatio fuit, & sic res tota clarius apparebit. Si enim hoc demonstratum fuerit, concident omnes Trinitariorum munitiones, quæ revera uno hoc fundamento adhuc nituntur, quod Christo adoratio & invocatio conveniat, quæ solius Dei illius altissimi omni ratione videtur esse propria; & ex altera parte, vera Christi potestas atque majestas ostendetur, & in omnium animis confirmabitur: Sine cujus cognitione, nec Deus ipse, nec quidquam rerum divinarum recte cognoscitur; salutis nostræ ratio revera ignoratur, quidquid, præsertim de expiatione nostrorum peccatorum per Christum, in Sacris Literis legitur, pessime intelligitur; ipsius Christi universa religio in dubium revocatur, aut saltem mutationi & fini in hoc ipso sæculo obnoxia redditur; summum ac præstantissimum nostræ spei ac fidei in Deum fundamentum nobis eripitur; ac denique ne omnia hinc provenientia mala & incommoda, quæ innumerabilia sunt, enumerare hic nunc velle videar, in ipsum Christum & Deum patrem gravissime peccatur. Nam quod tu pro Maxima, ut inquis, habes, Nullum de Christo adorando præceptum in Sacris Literis extare; unde concludere vis, non modo non debere, sed ne posse quidem jure Christum adorari, duplicem habet responsionem. Nam & assumptio & consequentia falsa est. Probo utrumque simul ex duobus Sacris Testimoniis, ex quorum utroque apparet, & Deum omnino velle ut Christus à nobis adoretur, & non fuisse tamen necesse ut hæc ejus voluntas expressa diserte fuerit: rem enim per se ipsam monere, Christum omnino à nobis adorandum esse. Prius testimonium est, verba sunt ipsius Christi, Joan. 5. 22, 23, *Neque enim pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.* Hic primum audis, Deum velle ut Christus honoretur, sicut ipse honoratur: ex quo aperte intelligitur, Christum eo genere honoris à nobis afficiendum esse, quo ipse Deus afficitur, & consequenter à nobis adorandum esse. Nam honoris genus quo Deum afficimus adoratio sine dubio est. Tametsi enim particula *sicut*, plenam similitudinem necessario non significat, neque ego hoc loco significare volo, (nulla enim alioqui esset differentia inter honorem Deo debitum & Christo, quam ego non minimam constituo) tamen ut aliquam peculiarem similitudinem significet necesse est. Nam si nulla alia esset similitudo nisi prorsus generalis, id est, in eo simpliciter quod uterque honoratur, inutilia & vana omnino fuissent verba illa, *sicut honorificant Patrem.* Et ne quis putet, honoris similitudinem istam in eo tantum consistere, quod doctrinæ & præceptis Christi non minus sit parendum, quam Dei doctrinæ & præceptis pareatur (quamquam nec sola obedientia simplici honoris nomine appellari solet, & Christi præcepta ac doctrina non sunt, ut ipse dicebat, ipsius Christi, sed Dei) animadvertatur caussa honoris, quæ est, quia Deus dedit Christo omne judicium, ita ut ipse pater jam non judicet quemquam, id est, omne regimen ac gubernationem Ecclesiæ ei commisit, & pœnarum ac præmiorum in eam, eosve qui quacunque ratione cum ea aut cum Euangelii prædicatione quidquam commune habent, distribuendorum omnimodam potestatem dedit, & quod ad hæc attinet, in sui ipsius loco eum constituit. *Judicare* enim phrasi Hebraica, non solum *jus dicere & sententiam ferre*, sed etiam, idque præcipue, *regere* ac *gubernare* significat. Consideretur, inquam, caussa ista, & intelligetur hic de honore agi qui debetur Christo, non quatenus ejus præceptis & mandatis obeditur, sed quatenus pro nostro Rege ac Domino cœlesti agnoscitur, qui in nos omnes vitæ necisque potestatem habet, ac perpetuo, ut Dei vicarius, nostri curam gerit. Hunc autem honorem, adorationem & divinum cultum esse, nemo (opinor) sanæ mentis negaverit. Patet igitur ex his Christi verbis, Deum velle ut Christus adoretur & divino cultu afficiatur; quæ expositio divinæ voluntatis nihil aliud est, quam præceptum: ac proinde patet, extare præceptum de Christo adorando. Deinde vides ex iisdem verbis manifesto colligi, gubernationem & potestatem à Deo Christo concessam tanti esse, ut ipsa per se moneat, Christum esse adorandum, nec ullo præterea præcepto ad eam rem esse opus. Inquit

enim, *Omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, &c.* Igitur omne judicium habere à Deo, trahit secum necessario adorationem. Et sane, quemadmodum ipse sensus communis dictat, ut iis, qui hic in terris nos regunt & gubernant, si certum sit (ut profecto est) eos à Deo reges & gubernatores nobis fuisse datos, terrenum honorem humanumque cultum exhibeamus, etiamsi nullum ea de re præceptum extaret; sic idem sensus communis plane dictat, ut ei qui in cœlis degens, divina ratione ex Dei voluntate nos regit & gubernat, cœlestem honorem & divinum cultum præstemus, etiamsi id facere nunquam jussi fuissemus. Sed jam ad alterum testimonium veniamus, quod est apud Paulum Philipp.2.9. *Propter quod & Deus superexaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & subterraneorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus* [est] *Jesus Christus ad Dei patris gloriam.* Hic similiter primum vides expressam (idque graphice) adorationem, quæ nomini Jesu ab omnibus rebus creatis debeatur, ex ipsius Dei voluntate, quare manifestum habes de Jesu adorando præceptum. Deinde causam audis, quæ non solum aperte docet, hanc esse divinam adorationem (nam ei qui supra omnes creaturas, etiam cœlestes, evectus est, non potest propter hoc ipsum deberi cultus nisi divinus) sed etiam propter modum, qui cum suo effectu hic conjungitur, clare ostendit, ubi ea sit, ut certe in Christo est, necessario ibidem effectum istum adorationis & divini cultus esse oportere, nec necesse esse aliunde ea de re divinum præceptum extare. Sed quod ad præceptum attinet, habemus expressum aliud testimonium, Hebr.1.6, ubi verba illa Psal.97.7, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, manifeste ad Christum referuntur, ad ostendendum quanto Christus excellentior omnibus Angelis sit, utpote qui ab ipsis omnibus adorari debeat. Neque hic est opus ostendere, etiamsi verba ista in Psalmo ad Deum ipsum referantur, tamen merito potuisse à divino illo scriptore ad Christum referri. Nisi & scriptoris illius, & aliorum, quorum monumenta in sacro volumine extant, qui nonnunquam ea quæ de Deo sunt dicta, ad Christum referunt, auctoritatem in dubium revocare velimus. Est tamen id à me breviter ostensum in Animadversionibus in Assertiones collegii Posnanien: de trino & uno Deo, Assert.21, Num.6; quem locum, si libuerit, poteris percurrere. Sed multo fusius idem ostendi in disputatione mea cum Erasmo Johannis. Quod si Christus ab omnibus Dei Angelis adorari debet, quanto magis ab hominibus, iis præsertim quorum proprie est cœlestis Rex & Dominus? Sed dices fortasse, Angeli Christum vident, homines hodie non vident. Quasi vero vel præceptum de solo Deo adorando, ex quo revera omnis oritur causa dubitandi an Christus adorandus sit, eos tantum excludat qui non videntur, vel Christi potestate & perpetua gubernatione in Ecclesia concessa, una cum necessaria non modo factorum & verborum nostrorum, sed etiam cogitationum omnium cognitione conjuncta, quam concedere divina oracula omnino cogunt, possit ullum discrimen constitui inter Christum à nobis visum & non visum; quemadmodum in prioribus meis ad te de hoc argumento, literis memini me scripsisse. Sed quale pondus in Christi persona habere possit discrimen istud, postea clarius videbimus. Prius enim examinanda ea sunt, quæ à te ad Christi adorationem infirmandam sunt allata. Ais igitur primum, Christum ipsum Satanæ pollicenti, se illi daturum omnia mundi regna, si procumbens se adorasset, respondisse: *Abi è conspectu meo Satana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorato, eumque solum colito.* Sed quid hoc ad rem, cum hic de eo, quem adorare deberet ipse Christus, agatur? Numquid, si ipse Christus adorandus est, sequitur, eum potuisse non Deum modo, sed etiam semetipsum adorare, & propterea falso præceptum illud de solo Deo adorando sibi accommodasse? Non crediderim te hasce ineptias dicturum. At respondebis, idcirco locum istum ad rem facere, quia inde apparet, etiam post Christum exhibitum vigere præceptum in Lege Mosis datum de solo Deo adorando, per quod Christus, cum is non sit ipse Deus, non secus atque aliæ omnes res creatæ ab adoratione excluditur. Ad hoc primo loco respondeo, post Christum exhibitum, dum ille adhuc mortalis in terris degeret, non solum præceptum istud de solo Deo adorando viguisse, sed alia omnia quæ in Lege Mosis scripta erant, quantumvis cærimonialia & (ut sic dicam) umbratilia, quæ tamen postea, Christo glorificato, sublata sunt. Ex quo fit, ut hinc nihil concludre liceat; præsertim cum post Christum glorificatum apparuerit, tantam esse ex ipsius Dei voluntate in nos Christi potestatem & gubernationem, ut merito à nobis omnibus adorari debeat: adeo ut necesse sit, si modo præceptum istud eam vim habet, ut nullo modo quisquam præter Deum ipsum adorari possit, id post Christi glorificationem non amplius vigere. Secundo respondeo, illud præceptum minime istam vim habere aut habuisse unquam, nisi ex accidente, quatenus scilicet nemo esset præter Deum ipsum, qui adoratione dignus esset ex ipsius Dei voluntate, cujusque adoratio tota ad ipsum Deum referretur: nam quandocunque talis extitisset, nequaquam per præceptum istud ejus adoratio prohibita fuisset. „ Nomen enim *solus*, „ & particulæ idem significantes, cum de Deo dicun- „ tur, nunquam eos excludunt; qui illi sunt subordinati. Solus Deus, exempli causa, est Servator, & tamen multi homines quoque servatores merito sunt appellati, & ipse Christus passim Servator dicitur. Nempe quia isti omnes, quamvis revera servaverint aut servent, non tamen ex se ipsis aut aliunde, quam ab ipso Deo id potestatis adepti sunt. Quis negaverit (ut de præcepto aliquo simili agamus) soli Deo confidendum esse? Et tamen, ut alios omittam, Christo confidendum esse, passim est scriptum. Causa hujus rei est, quod, ut ipse Christus dixit, qui ipsi confidit sive in ipsum credit, non in ipsum credit, sed in eum qui misit illum, cui videlicet soli confidendum est. Sic dicere possumus, & quidem summo jure, quod, qui Christum adorat, non ipsum Christum adorat, sed Deum qui illi ea dedit, unde ad gloriam ipsius Dei adorari & possit & debeat. Nam, ut Paulus diserte ait, quod omnis lingua confiteatur Jesum Christum esse Dominum, hoc ad ipsius patris gloriam pertinet. Tantum abest ut dubitare possimus, ne honor, qui Christo tribuitur, Dei honori quidquam deroget. Itaque, ut multa alia ejusmodi exempla in ipsius Christi persona reticeam, si quis velit ex præcepto de solo Deo adorando concludere, Christum non esse adorandum, oportet ut vel ipse probet, Christum ea non habere quibus adoratio conveniat; aut certe ejus adorationem ad ipsum Deum non referri; vel ea diluat, ex quibus contrarium ab aliis probatur, alioquin nihil aget. Pleraque autem, quæ ad argumentationem tuam refellendam, ex Christi verbis illis ad Satanam ductam, pertinere magnopere possunt, sciens prudens omitto, sperans hæc pauca satis esse; & ad illud accedo, quod deinde affers de eodem ipso Christo, qui discipulis suis petentibus ut ipsos orare doceret, *Cum orabitis*, inquit, *dicitote, Pater noster qui es in cœlis, &c.*, & addis: Hujus ipsius Christi mandati fines quis transgredi audebit? Hic primum adorationem cum invocatione confundis, quod tamen fieri non debet, cum utriusque sit diversa quædam ratio: adeo ut ego, quantumvis nihil prorsus dubitem, præceptum extare de Christo adorando, &, etiamsi non extaret, tamen eum omnino adorari à nobis debere; non idem tamen existimem de eodem invocando, cum videlicet invocatio pro ipsa opis imploratione & directione precum nostrarum accipitur. Hic enim statuo, id quidem merito à nobis fieri posse, id est, posse nos jure ad ipsum Christum preces nostras dirigere, ejusque opem nominatim implorare, nihil tamen

tamen esse, quod nos id facere cogat: Alioqui nunquam posset à nobis Deus solus, id est, Christo non etiam rogato, rogari. Quod tamen falsissimum esse, & ipsorum Apostolorum exempla, & perpetuus Ecclesiæ usus demonstrat. Atque hæc ratio, quæ mihi evidentissima videtur, tantum apud me ponderis habet, ut non paucos locos Novi Testamenti, ubi Christi invocatio præcipi videtur, quos satis diligenter in disputatione mea cum Francisco Davidis collegi, ita interpreter, ut ibi non præcepta, sed commonefactiones tantum habeantur & adhortationes. Quis enim ex nobis non vehementer lætetur, si sciat se in omnibus suis necessitatibus posse confidenter ejus opem implorare, qui homo mortalis fuit, ut nos sumus? qui ea omnia mala est expertus in hoc mundo, quæ nos quotidie experimur? qui licet Dominus, tamen idem noster frater est, & caro ex carne nostra, osque ex ossibus nostris? qui denique nostræ fidei ac professionis, ob quam tam multa patimur, princeps, dux & auctor est, cujusque propterea plurimum interest ut nos salvi simus? Quis non libenter ad ejusmodi servatoris opem confugiat, eamque imploret? Ex quo apparet summa Dei erga nos benignitas cum summa sapientia conjuncta, qui hac admirabili ratione, ubi similiter infinitam suam potentiam ostendit, voluerit fragilitati nostræ succurrere, & in mediis nostris calamitatibus nos non modo securos, sed etiam lætissimos reddere. Nec vero metuendum est, ne si, Deo solo invocato, ut supra dictum est, Christus ipse non invocatur, vicissim, Christo solo, id est, nomine Dei præterito, invocato, Deus ipse non invocetur, & sic præcepto Dei ipsius invocandi non satis fiat. Nam licet, qui Regem rogat, hoc ipso ejus præfectum non roget, tamen qui præfectum Regis rogat, hoc ipso ipsum Regem rogare intelligitur. Subordinatus est enim præfectus Regi, sed non contra Rex præfecto. Sic Christus Deo subordinatus est, sed non contra Deus Christo. Quare etiamsi, qui Deum invocat, non idcirco Christum omnino invocat, tamen qui Christum invocat, omnino ipsum Deum invocare dicendus est. Verum quia, ut ex tuis verbis patet, tu ex Christi verbis, cum orare discipulos docuit, non solum concludere vis non fuisse præceptum ut Christum oremus, sed etiam non posse eum à nobis orari: Dico, Christi verba hanc vim nullo pacto habere posse, nec præcepti, quod dedit, fines eum transgredi, qui ipsum Christum oret. Neque enim vel discipuli ab ipso exquisierunt, quem orare deberent; vel ipse, ut consequens est, id illis præscribere voluit. Sed id exquisierunt discipuli, quibus verbis & quænam orare Deum deberent, quem orandum esse constabat: & Christus necessario similiter nihil aliud eos docuit, nisi qua ratione Deum orare deberent. Quid igitur hoc ad Christi invocationem excludendam, si alioquin appareat, eum illa habere quæ ad invocationem requiruntur? Numquid peccarunt iidem discipuli, cum postea ipsum Christum orarunt, ut se in navi pereuntes servaret, sibique augeret fidem? Quæ tamen res sunt ejusmodi, quas nemo antea nisi ab ipso Deo petere ausus fuisset. Cur vero non peccarunt? Quia videlicet vel animadverterunt, vel merito crediderunt, Christum ista præstandi potestatem & munus ab ipso Deo habuisse. Quod satis est, ut quis jure omnino invocari possit, si modo invocantis preces audire vel percipere queat. Adde, quod etiamsi discipuli interrogassent, quem orare deberent, quia sine dubio de numine aliquo intellexissent, quod, licet ab ipsis non visum, præsens tamen ipsis esset, & Christus, quisnam iste esset, eos docuisset; non idcirco tamen se ipsum ab invocatione exclusisset. Adhuc enim conspiciebatur ipse ab illis, necdum eam vim & potestatem fuerat adeptus, ut quamvis nulli conspectus, omnibus tamen esset præsens; aut certe ea de re nihil adhuc constabat, quæ tanta erat, tamque ab omni verisimilitudine abhorrere videbatur, ut æquum esset eam prius effectis comprobari, quam ipsius tantum Christi verbis asseri. Quanquam cum jam hora illa appropinquaret, qua eundum illi erat ad patrem, & mox pluribus documentis confirmandum, eum vi ista ac potestate præditum esse; non prætermisit ipse eosdem suos discipulos monere, ut, quod antehac nunquam fecerant, patrem Deum in ipsius nomine rogarent, se enim facturum quidquid hac ratione rogassent. Quippe cum dicit se facturum, idque etiam repetit, satis significat, „Rogare patrem in Christi no„mine, nihil aliud esse quam patrem rogare, ad ipsum „Christum preces dirigendo. Quod quia fieri posse nondum constabat, idcirco patri sua prærogativa interim expresse conservata, & ostenso, sui ipsius invocationem, non ipsius sed patris revera invocationem esse; summa cum modestia tantam de se ipso rem significavit potius, quam disertis verbis expressit, & propterea etiam, quod se, si rogassent, facturum dixerat, postea patrem daturum affirmavit, ac deinde subjunxit: *In die illa in nomine meo petetis.* Quasi diceret, hoc, quod nunc satis intelligere non potestis, vel, si tamen intelligitis, fieri à vobis posse, persuaderi, tunc omnino facietis, cum post meam glorificationem agnoscetis & plane percipietis aliquando, me, licet à vobis absentem, tamen & precationes vestras exaudire, & vobis in tempore secundum vota vestra opitulari posse. Tametsi non est omittendum, in Codicibus Latinis, & in Syriaca interpretatione, ubi Christus secundo ait, se facturum quod petiissent in ipsius nomine, ad hunc modum legi, *Si quid petieritis me in nomine meo.* Quæ lectio nequaquam inepta est, ut quidem Franciscus Davidis existimabat; quod me, vel ipsius testimonio, in mea cum ipso disputatione satis probasse confido. Jam quod ais, exemplum nullum extare adorati seu invocati Christi, & ad id confirmandum Apostolorum exemplum affers, qui aliquando orantes ad ipsum tantum Deum preces direxerint; infirmissima omnino est hæc confirmatio & ratiocinatio, quia videlicet quidpiam aliquando factum non fuerit, nunquam factum fuisse; sive, quia aliquando factum non fuisse legatur, haud legi unquam fuisse factum. Atqui & adoratum & invocatum fuisse Christum, probant aperte vel illa duo exempla quæ N. N. protulerat: ad quæ responsionem tuam, quam ego miratus fueram, dum defendere conaris, eamque, ut mihi admirationem adimas, apertius explicare, multo magis, (ignosce obsecro) me mirari cogis. Tua enim responsio in literis ad ipsum N. N. prorsus hæc est; quæstionem esse, Num quisquam Christum non visum veneratus sit, vel eum adoraverit, non autem, an visum aliquando: nam de hoc nullum est dubium. Ego hanc responsionem sum miratus, quæ post Christi glorificationem, discrimen, quod ad eum adorandum & invocandum attinet, ponit inter ipsum visum & non visum. Nam propterea ibidem pluribus niteris ostendere, Christum ipsum à Stephano corporeis oculis fuisse visum; ubi, meo judicio, addere debueras, Stephanum vicissim à Christo corporeis auribus fuisse auditum. Attuli autem rationes, cur, si sacris testimoniis credimus, nulla sit causa, ut quisquam discrimen istud ponat: quæ rationes à te refellendæ erant, si mihi admirationem adimere volebas, & demonstrandum, plurimum interesse in hoc invocationis & adorationis Christi negotio, utrum Christus conspiciatur nec ne; præsertim cum alioqui apertum sit, sive absentem sive præsentem neminem divino cultu, sine Dei expressa aut saltem tacita voluntate afficiendum esse. Nam quod, ut recte quid tibi velis percipiam, cum ais Christum ipsum adoratum fuisse, scribis, multos quidem à Christo, quem præsentem viderunt, multa petiisse, cum tamen id nullam adorationem evincat. Hæc certe non videtur tui dicti explicatio, sed potius refutatio; nisi adorationis nomen alio sensu hic extuleris, quam supra verbum adorandi. Pugnat enim aliquo modo hoc, quod ex petitionibus illis nulla Christi adoratio evincatur, cum eo, quod Christus visus adoratus fuerit; tantum

abest ut illius possit esse explicatio. Verum arbitror, te, cum dixisti Christum visum fuisse adoratum, non divinum honorem sed humanum tantum exhibitum intellexisse, postea vero adorationis voce divinum honorem omnino significare voluisse; quasi divinus honor seu Deo debitus nemini viso exhiberi possit. Quod si ita est, nihil erat cur Christus Satanam à se visum propterea adorare recusaret, quod scriptum esset, solum Deum esse adorandum; quandoquidem præceptum istud de divino exhibendo honore accipiendum esse, nulli dubium esse potest. Non tollit igitur conspectus ipse divinam adorationem. Quemadmodum vicissim ex altera parte, nemo est qui ex eo solo, quod Christo coram, dum ab eo aliquid peteretur, exhibitus à petentibus honor & cultus quidam haud raro legitur, concludat, Christum divino honore affectum fuisse. Quod tamen à quibusdam concludi, ipse existimare videris, idque exemplo Elisæi refutare conaris, coram quo mulier illa Sunamitis procubuit: quo interim exemplo afferendo atque explicando, non parum confirmas & explicas Christi licet absentis invocationem; quam, ut ante dixi, cum adoratione confundis, nec minus hanc quam illam ei adimere videris. Etenim, si, ut ais, idcirco ante Elisæum procumbens mulier illa suscitationem pueri ab illo petiit, quod videret Deum ei vim & virtutem suscitandi mortuos & alia faciendi miracula dedisse; nihil est cur, si animadverterimus Deum Christo, licet à nobis corpore absenti, vim & virtutem nobis opitulandi dedisse, eumque precationes nostras exaudire posse, illius opem venerabundi implorare dubitemus. Nam quod excipis, mulierem illam ab Elisæo non tanquam à Deo, à quo solo omnia petenda sunt, filium suum suscitari petiisse; nec ego sane aliter de Christo sentio, quidquamve ab ipso tanquam à Deo, à quo solo omnia petenda esse fateor, peti posse volo: id est, hac ipsa in re, ut Elisæum mulier illa, sic ego Christum non primam & solam, sed secundam & ascitam causam agnosco; quamvis magnum alioquin inter Elisæum & Christum hic discrimen constituam. Vis enim seu potestas Christo data, perpetuo ac constantissime in ipso residet; idque in hunc ipsum finem, ut ad ejus opem omnes confugere possimus, quod neutiquam de Elisæo affirmari potest. Ex quo fit, ut alia & multo majore fiducia ac veneratione à Christo petendum sit, quam ab Elisæo peti poterat. Hic autem vides, te optime agnoscere, id verum esse quod supra dixi, particulas exclusivas (quas vocant) non excludere ab ipso Deo illos qui ei sunt subordinati. Alioqui quomodo ais à solo Deo omnia petenda esse, & interim non obscure confiteris, recte ab Elisæo mortui pueri suscitationem petitam fuisse? Ex prædictis patet, ad exempla, quæ N. N. adorati & invocati Christi attulerat, refellenda, nihil pertinere id, in quo tuæ responsionis vim posueras, Christum videlicet tum fuisse conspectum; nisi de Jesu Christi à nobis corpore absentis cura & potestate in Ecclesia, ac spirituali præsentia dubites, aut diversum à nobis sentias. Qua de re postmodum aliquid explicatius dicendum erit. Nunc reliqua refutanda sunt, quæ ad eadem exempla convellenda pertinere existimasti. Inquis enim Stephanum non adorasse Christum, sed ei vitam in manus commendasse; annon ipse concedis, à Stephano Christum fuisse invocatum? Nam quod causam affers, quod sciret illum à patre datum esse Servatorem, recte est. Verum nos quoque idem scimus, & propterea ut nos servet, illum similiter invocare possumus, seu in illius manus vitam nostram commendare. Quod cum sit omnium, quæ ad nos pertinent, maximum & præstantissimum, nulla causa est cur quisquam dubitet, an simpliciter dici queat, Christum à nobis merito invocari posse. „Immo, ut Christi invocatio asseratur, nihil opus est „nos scire eum fuisse Servatorem à patre datum. Sive enim hoc nos sciamus sive minus, verissimum tamen id est, & erit semper. Atque idcirco si hæc Christi invocandi causa est, certissimum esse debet; Christo invocationem perpetuo convenire. Itaque vel prorsus supervacaneum mihi videtur id, quod subjungis, Stephanum confirmatum fuisse in sententia, quod Christus scilicet datus esset à patre servator, cum videret cœlos apertos & Jesum ad Dei dexteram; vel certe ad exemplum istud invocati Christi ulla ex parte elevandum nihil momenti habet. Primum enim non id hoc loco quæritur, an, si nos Christum invocaverimus, id bona conscientia, sive, ut Paulina locutione utar, ex fide facturi simus; sed simpliciter, an Christus merito à nobis invocari queat. Deinde bona plane conscientia atque ex fide Christum invocat, quisquis, ut verum est, ita credit ac sibi persuadet, Christum à Deo datum fuisse Servatorem; nec magis quam Stephanus ea in re à quoquam reprehendi jure potest. Quid enim est opus alia confirmatione, ubi quis id, quod verissimum est, jam firmiter credit? Quanquam si Sacris Novi Fœderis Literis credendum est, multo magis in hac sententia, quod Christus datus sit à patre servator, confirmati nos sumus, quam fuerit Stephanus ex visione illa. Nam nos quoque ex eadem visione pariter confirmamur, ac præterea innumerabilia pœne alia documenta & apertissima testimonia ejus rei habemus. Itaque necesse est omnino, ut qui Christo invocationem non convenire suspicatur, Novi Testamenti scripta omnia tandem suspectissima habeat, & propterea neget nobis constare, an Jesus Christus perpetuus Servator à Deo nobis datus fuerit, si modo, ut ipse satis aperte confiteris, hoc satis est, ut profecto est, ad Christi opem salutis consequendæ gratia implorandam. Non recte igitur inter Christum à Stephano conspectum, à nobis vero minime, differentia à te constitui videtur, ob eam causam, quod ille in ea sententia, quod Christus Servator à Deo datus fuerit, confirmaretur, nos vero scilicet non confirmemur. Immo multo absurdius dictum est hoc, quam si dixisses idcirco differentiam istam constitui debere, quia potuit Stephanus sperare, Christum, quem videbat, suas preces percepturum, nos autem, cum illum non videamus, non est cur id speremus. Quemadmodum te ratiocinatum tacite fuisse in tuis ad N. N. Literis prorsus existimabam. Hic enim id saltem nobis probandum relinquitur, Christum à nobis licet corpore absentem, precationes nostras audire: quod quantumvis sacris testimoniis confirmatum, negant tamen ii omnes, qui Christo hodie invocationem adimunt. Itaque, ut antea dixi, est cur explicationem sententiæ tuæ in refellendis exemplis à N. N. allatis, multo magis mirer quam ipsam sententiam mirabar. Nam quod attinet ad alterum exemplum, Apostolorum videlicet qui Christum adorarunt, nihil affers præter id quod prius dixeras, Apostolos tunc Christum vidisse; quod vero non visum postea adorassent, nullum extare in Sacris Literis exemplum. Ostendendum est igitur, sive quod ad invocationem, sive quod ad adorationem attinet, nullam differentiam esse inter Christum visum & non visum, postquam is à Deo glorificatus fuit. Est autem quæstio hæc tota ad Christi in cœlo manentis in nos potestatem & gubernationem referenda, de qua videamus quid ipse sentias. Ais igitur, potestatem & gubernationem ejus esse in Ecclesiam, ut ei distribuat dona spiritualia à patre accepta. Ergo hæc poterunt à Christo peti. Quod enim illico addis, pro quibus cum Pater invocatur, dat ea petentibus, sed non nisi per Jesum Christum filium, inque ejus nomine, juxta Christi præceptum, *Quicquid per meum nomen petieritis, id faciam*; si eam vim habet, ut nolis tamen hæc ab ipso Christo peti, sed tantum à Deo, id & rationi manifestæ, & tuis quodammodo, quæ subjungis, verbis aperte repugnat. Cum enim statim addis; *Sed dices fortassis, non satis esse ea tantum petere; plura esse petenda.* Videris velle occurrere tacitæ objectioni, quasi pauciora à Christo peti posse concesseris, quam revera peti possunt. Nam alioqui non apparet, cur

me ista

me ista dicturum suspicari queas. Ostendunt quidem sequentia alia verba tua, te aliud sensisse: verum id extra propositam quæstionem esse videtur, adeoque veritati minime consentaneum. Videris enim nolle, ab ipso Deo quidquam peti posse præter dona spiritualia, aut certe non esse cur aliud petamus. Quod ut multis sacris testimoniis & rationibus inde sumptis, ni fallor tesellitur, sic iis paucis, quæ affers, neutiquam confirmatur. Sed quoniam, ut dixi, hoc extra propositam quæstionem esse mihi videtur, de eo pluribus disserendum non censui. Itaque ad rationem venio, ex qua omnino probari posse existimo, non ab ipso Deo tantum, sed etiam à Christo nominatim dona spiritualia peti posse. Si modo verum est, quod ipse verissimum esse & agnoscis & concedis, ejusmodi dona à Deo non nisi per Christum dari. „ Nam quid quæso „ est aliud, aliquid per Jesum Christum dari, quam „ proximum (ut sic dixerim) datorem esse ipsum „ Christum? Id quod ipse satis agnoscis, cum huc accommodas verba illa Christi, *Hoc faciam.* (Quanquam intelligis omnino, Christum ita dare, ut tamen semper cum dat, quod dat, à Deo accipiat.) Etenim si concedis, Christum perpetuam dandi potestatem habere jam inde à suæ glorificationis initiu sibi traditam, nihil est cur neges eum in iis, quæ ad eam potestatem pertinent, invocari posse, ut mox ostendam. Jam vero Deum nullam potestatem tevera dandi Jesu Christo concessisse, sed tantum instrumentalem quandam nec liberam ejus rei causam eum constituisse; cum divinis literis adverlatur, quæ præter alia multa ejusdem sententiæ testimunia, diserte alicubi testantur, Christo omnem potestatem in cœlo & in terra datam fuisse; tum rationi repugnat, quæ nullo modo patitur, à Deo quidquam frustra fieri. Frustra autem facturum fuisse Deum, si Christum glorificatum & in cœlis perpetuo manentem, simplex ac nudum instrumentum dona sua spiritualia ejus fidelibus dandi effecisset, vel id demonstrat, quod quantumvis diligenter quis id investigare conetur, nullam tamen ejus rei probabilem causam sit deprehensurus. Causam autem cur id fecerit, nobis nulla ratione constare, absurdissimum censeri debet; cum satis superque manifestum sit, quicquid Deus Christo concessit, id ad nos in fide ac spe salutis nostræ confirmandos pertinere. Quid vero huc, obsecro, pertinere potest, quod Christus solus sit simplex ac nudum instrumentum distribuendorum Dei donorum? Certe, si Christus nullam ea in re liberam ac perpetuam potestatem habet, nihil est cur hinc Deo magis quam antea confidendi argumentum ullum habeamus. At vero, si ejusmodi potestas à Deo fuit Christo concessa, ut pro arbitratu suo suis fidelibus spiritualia dona largiri queat; nemo est quin & videat & sentiat, si modo Christi fidelis sit, quantopere hinc in salutis æternæ spe jugiter confirmetur. Qua de re supra, quantum satis est, egimus, exque iis, quæ ibi diximus, abunde constat, istam Christi potestatem, invocationem ejusdem Christi secum trahere; non modo quia certum ex Sanctis Literis est, Christum in cœlis regnantem renes & corda scrutari, Apoc.2.23, & consequenter multo magis verba precationum nostrarum exaudire ac percipere: verum etiam quia hoc præcipuum est effectum, proximusque finis potestatis ejusmodi à Deo Christo concessæ; ut videlicet sine ulla dubitatione, ejus opem ad opportunum auxilium, ut loquitur Apostolus Hebr. 4. ver. ult. implorare possimus. Sensit Franciscus Davidis, senserunt & alii, qui vel ante, vel post ipsum, Christi invocationem negare sunt ausi, quam sit necessarium, Christum invocari posse, si distributio ista donorum spiritualium, quæ à te agnoscitur, illi concedatur: & propterea tandem, Christum nihil plane nunc agere affirmarunt; sed tantummodo in tutela Dei esse, donec regnum suum, quod nunc illi tevera adimunt, ineat atque assumat: atque in hunc sensum non minus ridicule, quam impie interpretati sunt Christi sessionem ad Dei dexteram, donec Deus ponat illius inimicos scabellum pedum ejus. Cum tamen & ex ipsa locutione, & ex Pauli & Aliorum Apostolorum explicatione, & ex ipso loco unde sententia ista de Christo sumpta est, & denique ex tota religionis nostræ analogia, nemo non perspicere queat, ejusmodi sessione nihil aliud significari, quam supremam post Deum potestatem ac gubernationem, duraturam donec mors ultimus hostis aboleatur; cum interim alii hostes paulatim debellentur; & Christo subjiciantur, ab ipso quidem Deo (inde enim tanquam ex fonte omnis virtus & potentia derivatur) sed tamen, ut per secundam causam, per ipsum Christum nullo prorsus pacto otiosum, sed perpetuo ac jugiter vi & potestate sibi à Deo tradita ea in re, agentem & operantem. Quemadmodum David, hac in re Christi typus, in sibi inimicis suis subjiciendis nulla ratione fuit otiosus; immo ipse is fuit, qui virtute ac potentia sibi à Deo concessa omnes suos hostes tandem debellavit. Et sane nemo fuerit unquam, qui ex divinis testimoniis edoctus Jesum post crucis mortem à Deo factum fuisse Dominum & Christum, id est, dominatorem ac regem populi sui, eumque cum Davide typo comparans & componens, non plane agnoscat necesse esse ut Jesus Christus reipsa Dei populi curam ac gubernationem habeat, eique præsit, eumque regat, in eum denique supremam post Deum, vel potius Dei quodammodo vice, potestatem atque imperium exerceat: & idcirco quemadmodum poterat Israelis populus ad Davidem in omnibus, quæ ad ejus regnum pertinebant, sic populum Christianum ad Christum Jesum in omnibus, quæ ad ejus regnum pertinent, opis implorandæ & impetrandæ gratia meritissimo confugere posse; ac simul non fateatur, ut Davidi terreno & carnali (ut dicitur) regi, humanus & carnalis cultus ab Israelis populo prorsus debebatur, sic Christo Jesu regi cœlesti & spirituali, divinum & spiritualem cultum ab omnibus Christianis prorsus deberi. Cumque ex ejusmodi regno & potestate in nos omnes, necessario ejusdem Christi, licet corpore absentis, efficacia spiritus, & factorum, dictorum, cogitationum omnium nostrarum cognitione, perpetua præsentia colligatur & consequatur, necesse est confiteri, cultum istum ei, licet à nobis corporeis oculis non viso, perpetuo exhibendum esse. Quanquam ejus in cœlo manentis, apud suos hic in terris præsentia ex pluribus alioqui Sacrarum Literarum locis aperte colligitur; ut, cum ipse dicit, se in eorum medio esse, qui in ipsius nomine fuerint congregati, cum se cum Apostolis ad consummationem usque sæculi futurum ait; cum denique, ut alia testimonia omittam, pollicetur, si quis ipsum dilexerit, se una cum patre ad eum venturum, & mansionem apud eum facturum. Quinetiam aperte ex Sanctis Literis constat, Christum, licet corpore absentem ac non visum, adorandum tamen esse; cum diserte, ut supra vidimus, scriptum sit, omne genu cœlestium, terrestrium & subterraneorum in nomine Jesu flecti, Deum, ipso superexaltando & nomine omnium summo donando, curasse. Itaque quamvis tu aliter sentire videaris, & Christo, licet corpore præsenti, divinum cultum exhibitum fuisse negare, ea exempla missa facio ex quibus constat, Christum corporeis oculis visum divino cultu affectum fuisse, seu longe alia quam politica humanave ratione, si adorantium mens spectetur, fuisse adoratum; qualia sunt quæ habentur Matth. 14.33, & Joan.9. 39. Tametsi ejusmodi exempla fidem faciunt atque demonstrant, divinum cultum qui Christo exhibeatur, nihil pugnare cum præcepto illo de solo Deo adorando, sive præceptum illud nihil impedire quominus Christus divino cultu afficiatur: quo evicto, & Christi perpetua inter nos præsentia ex Sacris Literis aperte ostensa, ipsaque totius Christianæ religionis, præcipue vero ipsius Christi muneris ratione recte perpensa, non est quod quis dubitet, vel potius dubitare non exhorrescat, utrum Christo divinus cultus conveniat. Breviter, ipsius

ipsius Christi nomen unumquemque satis superque admonet, Christum perpetuo à nobis colendum & divina ratione, quando à nobis corpore jam diu abest, adorandum esse, adque illius opem atque auxilium nos summa cum fiducia confugere posse. Alioqui jam Christus, id est rex noster, quatenus Dei populus sumus, revera non esset, & turpiter à Deo divinisque hominibus delusi fuissemus omnes, qui apertissime sæpissimeque sunt contestati, hunc nobis regem dominumque fuisse datum. Quamobrem, etiamsi verissimum est quod ais, hic de re omnium maxima agi; nihil est tamen quod nos suspensos sive ancipites, qualem te esse conciteris, hac in re tenere debeat. Immo, quia de re omnium maxima in religione nostra agitur, nihil prorsus est cunctandum, sed apertissima veritas statim amplectenda & mordicus retinenda. Nam unde factum esse existimas, ut ab ipso ferme nascentis Ecclesiæ Christi initio usque ad nostra tempora, tot viri, adeo ut nullus sit numerus, non minus pietate quam doctrina clarissimi, tot ipsius Christi sanctissimi martyres, eum alioqui gravissimum errorem secuti fuerint, quod Christus sit ille unus Deus qui omnia creavit, aut certe ex illius propria substantia genitus, nisi quia nimis aperte in Sanctis Literis ea illi tribui animadverterunt, quæ soli Deo tribui consueverunt, & inter cætera potissimum adorationem & invocationem, eave à quibus adoratio & invocatio, illa ut prorsus debita, hæc ut plane conveniens, nullo pacto sejungi possunt? Noli igitur, rogo atque obsecro te, veritati manifestissimæ quidquam repugnare, & summum ac præstantissimum Christianæ pietatis mysterium & fundamentum agnosce, supremam videlicet in nos omnes Jesu Nazaræno datam à Deo in perpetuum præsentem potestatem & gubernationem: quam graphice inter alios locos descriptam, & ὑποτυπώσει quadam oculis subjectam habes in prioribus tribus Apocalypsis capitibus, quibus, ne tibi quidquam desit, quinctum ejusdem libri caput adjunge; ubi præter alia huc apertissime pertinentia, in uno octavo versiculo ea ipsa satis expressa habes, de quibus nominatim agimus, Christi videlicet adorationem & invocationem: idque tecum denique serio reputes, quantus error sit, si Deus Christum à nobis adorari debere & invocari posse velit, ei adorationem invocationemque denegare; contra vero, quam leviter is erraret, qui, etiamsi id Deus non juberet, Christum tamen adorari debere & invocari posse, non verbis tantum, sed factis quoque comprobaret; modo, ut res ipsa monet, ad ipsum Deum omnem Christi adorationem & invocationem referret. Quæ latius hic exponerem atque explicarem, nisi persuasum haberem, ex iis quæ supra disputata sunt, ea satis intelligi ac percipi posse. Quare finem etiam hoc de argumento differendi faciam in præsentia, donec mihi uberius rem totam tractandi abs te occasio detur. Quod nunquam facere detrectabo, quamvis plurima jam eadem de re scripserim; si modo animadvertere potero te nihil tergiversari, idque unum re ipsa quærere ut veritatem agnoscas & amplectaris: quemadmodum de te sperare mihique certo polliceri, & charitas Christiana, & opinio quam jam diu ex tuis ad me literis, de tua pietate & integritate concepi, non solum suadet, verum etiam cogit.

FINIS.

MARCELLI SQUARCIALUPI

Ad F. S. S.

EPISTOLA.

TAmetsi prima lectio meæ hujus Epistolæ commovebit (utinam fallar) animum tuum: tamen spero fore, ut consideratius postea tum verba, tum animum meum expendens, non solum omnia boni consulas, quæ à me proficiscuntur: sed etiam amico tuo gratias agas. Quid enim aliud huc me adduxit, Socine, uti te officii admonerem, quam studium in te meum, & honoris tui solidioris desiderium ardens? Mitto, me hoc vere cognoscere, tuam, si me audiveris, valetudinem longe minus incertam fore. Et profecto, si velis & amicis, & universitati piorum (ut id maxime curas) operam dare, tuæ vitæ ac sanitatis ratio est habenda, quam nullo modo, mi Socine, (crede amico & medico) si tam facile contendas cum acerrimis viris, præsertim de genere argumenti non usque adeo ad usum Ecclesiæ necessario, tueri poteris. Nam si non vides quantum sit pelagus, quantus Oceanus errorum quotidie pullulantium, videris non is esse, qui tamen es judicio singulari. Si vero hæc tibi sunt cognita, & vides infiniti laboris, hoc est insaniæ fere exploratæ esse, Theologorum deliria curare velle, cur tentas quæ assequi non potes? cur eos curas morbos qui serpunt perpetuo, & virus habent, semperque habuerunt inexpugnabile?

Præterquam quod video in eo te peccare quod omnium gravissimum est, & à tua gravitate alienum. Nimis magna est alacritas tua Socine, cum tibi quid in animum venit, cum decernis, illico ad opus aggrederis, & acumine tuo illo, fervidoque studio, cum veri, tum (ni fallor) etiam honestissimæ laudis abreptus, & scribis, & publicas tuos libros.

Quid quæso magis cavendum est amore sui ipsius? At nimium sibi placet ille, qui gravissima cum tractet argumenta suos labores tam facile publicat. Quid si leviora sectetur genera, & in minime necessariis neque ad se pertinentibus insudet?

Sed ad singula explicate.

Dixit heri vir Amplissimus Blandrata, librum se accepisse tuum contra Palæologum. Ego, quanquam à concertationibus theologicis libenter abstineo, tua tamen egregia doctrina facit, nec non Palæologi fama, ut libenter utriusque opera percurram. Legi fere tota nocte cursim ac raptim in utroque libro, eo tamen consilio, ut ab utroque scriptore nonnihil mihi seponerem. Verum pro fructu & jucunditate, molestiam, cum temporis & somni, ut verum fatear, jactura hoc accidit. Quanquam enim uterque vestrum insigni sit eloquentia, & eruditione, unde ego possim vel ex vestris lusibus abire doctior, dolor tamen quem cœpi tua causa, dum inquam te maceras cum vitæ tuæ periculo, nostraque solicitudine, vigiliis istis gravissimis, non tamen fructuosis, omnem sustulit lectionis usum & jucunditatem. Verum ad præcipuas rei partes.

Tria sunt, Socine, quæ mihi literarii istius laboris recte instituti fundamenta solida videantur, Si quinam ipsi simus, hoc est, qui status, quæ vires cum animi tum corporis, quodve præcipuum sit munus; deinde, contra quem scribimus; tertio, qua de materia scribatur, cogitemus. Hæc tua qualia sint, in præsenti negotio, quæso mecum Socine pacato animo recognosce.

Ad te quod attinet, animo es tu quidem ad omnem doctrinæ rationem ac veritatis investigationem nato, magna rerum philosophicarum cognitio, es orator summus, & theologus insignis, linguas tenes maxime Latinam, ut possis cum præcipuis totius Europæ sapientibus certare: sed fortunæ tuæ ratio, & valetudo, non has pugnas, quarum nullus est finis, requirunt. Peregrini sumus, necessaria vix habemus ad vitam tuendam, & nisi aliena succurrat benignitas (ne irascare, de me quoque loquor) quo nos vertamus, nos fugit. An non in iis redactos angustiis decet pacatam vitam agere, nemini infensos esse, certamina graviora declinare. Demum, nil tentare, quod nostris amicis atque patronis non valde probetur? Quis omnium hominum tam est prudens, ut in suis rebus alieno consilio non indigeat? Habes tu non paucos qui te suo judicio regere tuto, & cum honore possint. Habes unum saltem cuisis charissimus, cui omnia debeas, qui judicio maxime polleat, cur tantum studium, consiliique pondis neglexisti? Poteras non tantum ejus censuram absoluti jam libri petere, sed consilium postulare de subeundo non levi labore. Et possum asseverare Senis consilium tibi, sine dubio, si petivisses, profuturum fuisse.

Hæc ad animum & sortem nostram. Quid corporis vires? Gratulamur valetudinis confirmationem, sed casum veremur. Nihilque tam corpus afficit, quam immodica lucubratio, præsertim si contendamus, maxime si lacessimus eum, qui sit & ingenio, & usu & voluntate, mitto facundiam eruditissimam, cavendus. Quid quod (ut scio, non suspicor) immodicus est animi tui æstus in disputatione? Quoties volui te admonere disputantem, vel de re levi jurgantem, & clamoribus maximis omnia perturbantem? Et putas cum scribis non esse intus eosdem fervores, cum eadem omnino sit natura? Et ubi tanta est iræ vis, ut cum summæ pietatis, ac modestiæ professione tanti erumpant clamores, tanta sit animi & corporis commotio, putas, inquam, te tam levi de causa furentem, esse in tuo cubiculo, dum acer inveheris, id Adversarios moderatum? Si etiam cognosceres modestissimum esse te, deberes tamen, ut ne immodicum te dicere quis posset, ad amicorum consilia semper accedere. Nihil aggredi non consultis tuis, & nihil emittere, nisi bene ac sæpe à libero judicio Magistrorum excussum & examinatum.

Jam quod Adversarium spectat, non erat ignorandum, quid boni & egregii, quid mali & cavendi in eo deprehendatur. Palæologus, ut audio, doctissimus, magnus philosophus, theologus, disputator exercitatus, in contentionibus acerrimus, audens, pertinax, facundus item, Græcus demum, in cœlum avolans, si jusserit venter. Quid possis cum homine animosissimo, tu modestissimus, & ad lenitatem fictus & educatus? Ergo hæ magnæ sunt causæ. quibus à pugna cum tanto gladiatore poteras deterreri: vel enim erit jurgandi nullus finis, vel sine magno lucro tibi erit pes referendus, ne dicam fugiendum.

De materia & argumento quid scribam? Vulgatissimum est illud, Nil frustra. Quod si hoc irritum oderunt vel ii qui sunt ex populi sentina, quid sentient viri docti & sapientiæ cupidi? Frustra vero id agitur quod sæpius actum, & unde nullus expectetur usus. Controversia de magistratu, quoties, à quot, à quantis viris est agitata? Non texam catalogum, ne sim ridiculus. Tu ista somnians melius quam ego vigilans dudum nosti. Quorsum igitur oculos hominum novis libris editis fatigamus? Ecquando erit digladiandi, & ab aliis vel res, vel verba, vel utrumque subripiendi finis? Fructus autem ibi nullus in religione, ubi res ad

salutem

salutem non necessariæ disputantur. Nostra vero beatitas non ex hoc pendet, ut sciamus in Ecclesia, magistratum illum sontibus horrendum locum habere, vel non habere. Cum illa potius duo sint necessaria Christi asseclis, vera Dei Christique notitia, & vitæ honesta & sancta institutio. Nos autem quæ necessaria sunt levioribus posthabemus, & nolumus reprehendi atque merito increpari?

Tria dixi esse cum in universum, tum in præsentia consideranda, tanquam laboris nostri solida fundamenta, nostri inquam notitia, & adversarii, nec non argumenti tractandi. Quartum nunc succurrit, ratio ipsa scribendi. Quæ ratio duum est generum; prima logica, in qua methodus Oratoria nec non dialectica continetur in partium dispositione, atque rationum. Secunda vero mores continet, vel enim arroganter, temere, insolenter, inique, turpiter nos gerimus: vel modeste, considerate, placide, rite, atque cum summa verecundia (id quod nunquam negligendum est) pugnamus cum adversario. Quid quæso de te dicis, Fauste, hac in parte? Audi, & menti commenda vocem privatam amici integri, liberam inquam vocem, neque interim à veritate diffidentem.

Primum videris hominem gravissimum ultro lacessere, cum ille tecum non disputet, non contra te, non de te, non contra tuos proximos, nisi velis tuo arbitratu, dum te tuearis, gradus propinquitatum statuere. Poteras non exorari, non magnum fuisset ex tuo silentio detrimentum, vel Paulus * ipse, vel quis alius ejus nationis hoc oneris subivisset. Merito igitur suspicaris, ne temeritatis te accuset † Græcus, cum, ut, fateris, falcem inferas in alienam messem. At enim publica Ecclesiæ causa, & omnes debemus eum refellere (sic enim argutaris in Epistola) qui pietatem in Christum convellat. Ad causam publicam dico, Racoviensium secessionem ac delirium esse ab Ecclesiæ ratione sejungendum. Nisi velis conciliabula quæque amentium anicularum partes Ecclesiæ Christianæ, aut Ecclesiam appellare. De revulsis firmamentis fidei à Græco, id ipse asseris, non probas tamen, ut pateat justis de causis te invasisse tuo calamo in Ecclesiæ perturbatorem. Præterea, nonne tu Græco objicis, jam nullum esse illum cœtum Racoviensium, dissoluta jam illa omnia, mutationem factam rerum, quare cum larvis Græcum luctari? Quænam igitur est causa publica quam tueris, si cum larvis pugnat qui oppugnat Racovienses? An non vides Fauste te larvarum esse patronum, si larvas divexat Græcus?

Huc item illud spectat, nomen tuum à te reticeri. Cur id admisisti? Quo consilio? Adversarius prodit aperte, tu larvatus? Ingenuum semper fuit libere fortiterque non occulte agere atque artificiose. Prudens autem consilium est, nolle ea moliri & persequi, quæ consequi ac præstare non possis. Ridiculum est profecto sperare tuum nomen ignoraturum Græcum, si civitates integræ sciant hujus libri te authorem esse. Si posset alterutrius nomen utrumque fugere, laudandum esset tuum consilium. Sed sine dubio te producet in apertum dies, & quod ipse animo & liberali, & Christiano debuisti, facient cum tuo dolore alii multi. Neque hanc ansam negliget acutissimus æmulus. Et profecto vel honestus est labor tuus, vel minus. Si primum, cur nomen siles omnino publicandum? Si secundum, cur aggrederis?

Jam videamus ultimum de modo disserendi. Proponis tu quidem recte, disponis decore, disputas acriter & elegantissima lingua. Sed quanto judicio, quanta veritate, tu videris. Maledicentia certe in tuo volumine, contra atque in Epistola promisisti, cunctis apparet. Neque enim solum illum pauperrimum senem, ais in contextu, similem esse Judæorum, dolore Christi gloriæ perturbari, immo excœcari, convellere Christi regnum, immo demoliri; sed egregie te oblectasti hominis infamia cumulanda, dum in marginibus legitur sæpe, Palæologus inconstans, Palæologus sibi contrarius, Palæologus Judæorum similis, Palæologus talis ac talis, miris inquam vexatus & confectus modis. At enim fortasse dices, non mea hæc sunt, potuisti delere si voluisses. Verum arriserunt palato tuo aculei mortiferi & execrandi in Christi Ecclesia. Atque utinam in tuam famam hæ sagittæ verborum omnes non cito resiliant.

Si mihi succenseas dum hæc legis, ausim dicere, me nulli mortalium posthac fidem habiturum. Non te coram redarguo, scripto privato admoneo, amicus ego & frater, tuique observantissimus. Novit Senex amplissimus meam in te pietatem, nedum voluntatem. Novi tuas insignes animi, & linguæ, & calami dotes. Unum in te desideramus, ut minus tibi blandiare, magis aliis credas qui te in tuis rebus possunt admonere. Communis est enim omnium sive morbus, sive virtus hæc, ut facile sordes alienas noscamus non perceptis nostris.

Quæ cum ego ita esse intelligam, ne in quo te redarguo me ipse recte accuses, quæ scripsi in Bezam non emittam in publicum excusa, nisi prius tuam limam à tua bonitate ad omnia polienda impetraro. Dixi millies optimo nostro patrono, Malo latere semper in angulis ignobilitatis, quam non uti consilio, judicioque sapientum. Tu, per Deum obsecro, mea scripta, quæ mittam, finge, refinge tuo arbitratu, dele, adjunge, muta uti volueris. Neque enim tua censura satis erit mihi. Si potero, eadem illustri illi viro & vere sapienti tradam absolvenda. Neque ullus esset finis emendandi, si multi mihi essent amici ad rem tantam idonei.

Reliquum est, ut finem prolixæ imponam Epistolæ, Quo gradu Dei beneficio sis constitutus, quæso provide. Illustre nomen tuum in Italia, Germania, Gallia, Sarmatia, Pannonia est.

Mirantur multi vim ingenii, linguarum peritiam, literas reconditas & excellentes, & plurimi suspiciunt innocentiam tuam singularem. Ecclesiarum oculi multarum, nedum fratrum singularium, in te maxime conjecti sunt. Danda est opera ne fallas nostram opinionem. Falleres autem, si te maledicum agnosceremus. Maledicentiam enim animus parit malevolus, & cum ipsa malevolentia pernicies & miseria est cum corporum, tum vero maxime animorum; Promptuarium omnium virtutum scis esse modestiam. Neque tu cessas in aliis, & recte sane, modestiæ dignitatem laudare, urgere. Cave, Socine, ut ne te crimine illo condemnemus, quod minime in te cadere tibi suades.

Et inprimis cognosce, quo te vocet, invitet, ac fere impellat officium boni Christiani. Quanto te prosequatur amore noster patronus optime nosti. Quæ agitentur, quæ versentur in controversia cæterarum gravissima, non te fugit. Aggredere ad laborem pernecessarium, excute omnia quæ huc spectent, erue nos è tantis, tamque obscuris tenebris. Hæc ipsa quæ summa sunt, & plusquam necessaria, tui sunt ingenii, tui acuminis, tuæ theologiæ; fundamenta, fundamenta confirma (locos illos examina quos nosti) non fenestellas, aut pavimenta exornes. Verborum plus satis, rationum parum. Pugnarum jam diu nimium, veritatis inopia maxima. Monstrabit pater viam, (quid enim amicum aut patronum dicam, si non solum foveat, sed alat, & sustentet?) Methodum certissimam ostendet. Non libri, non otium, non ingenium, non ars, non exercitatio, non elegantia summa, non socii tandem deerunt, si volueris. In summa, præstabis quæ cupimus. Vale neque iratus descende ad respondendum. Ex urbe Transylvanorum primaria 15 die Septembris 1581.

Tuus MARCELLUS SQUARCIALUPUS.

* Gregorius Paulus. † Palæologus.

F. S. Ad

FAUSTI SOCINI SENENSIS

Ad amicos

EPISTOLÆ.

In quibus variæ de rebus divinis quæstiones expediuntur, multaque Sacrarum Litterarum loca explanantur.

Additæ sunt paucæ aliorum ad Socinum Epistolæ, ad quas ipse respondet.

De novo accesserunt quædam A. Dudithii Epistolæ.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

F. S. ad superiorem Epistolam SQUARCIALUPI RESPONSIO.

COmmovit me (fateor) tuæ Epistolæ non prima lectio tantum, ut tu futurum putaveras, sed etiam postrema, quamvis sæpius eam accurate perlegerim, idque non paucorum dierum spatio, antequam, ut tibi responderem, calamum sumpserim. Non quod à te & moneri & reprehendi ægre tulerim, à quo nihil mihi gratius accidere poterat; sed quod dum id facis, immodicis interea & plane falsis me laudibus oneras, & simul pleraque in me vel graviter culpas, vel parum probas, quæ aut à me quam longissime absunt, aut laude potius atque approbatione digna videri debent. Itaque tui caussa, & quia te amo, non mediocriter sum commotus, cum legendis tuis literis animadverti, videri posse, te assentatorem, vel (ut ita dicam) illusorem, & simul tamen φιλαπεχθήμονα quendam ex aula nobis prodiisse. Nam quod errore ductus ista scripseris, vix cuiquam verisimile fiet, qui te vel leviter noverit, cujus ingenii, judiciique acumen omnes agnoscunt, nonnulli etiam, inter quos me esse profiteor, non parum admirantur. Dixi autem quid de te videri possit, non quid ego sentiam. Mihi enim, cui tuus in me amor perspectus est, potius probatur te in laudibus vel nimiis, vel nullo modo veris mihi tribuendis, tanquam amantem circa rem amatam, ut ille ait, cœcutiisse; in iniquis vero reprehensionibus nimio honoris & salutis meæ studio abreptum fuisse. Quo etiam fortasse factum est, ut sine ulla caussa tantum dolorem, quantum præ te fers, mea caussa susceperis. Quamobrem patere, quæso, ut te ista molestia liberem, & nihil me fecisse, quod tantopere te cruciare debeat, diligenter ostendam.

Consilium & factum meum adversus Jacobum Palæologum pro Racoviensibus rescribendi multis de causis vehementer reprehendis, quas etsi tu ad certa quædam capita rovocare videris, ego tamen eas omnes singulatim alia ratione recensebo, & quid ad unam quamque contra dici & posse & debere existimem, suo loco statim subjiciam.

Prima igitur caussa erit, quod ea quæ assequi non possim tentare voluerim, cum insaniæ fere exploratæ sit theologorum deliria curare velle. Si hæc tua ratio ad rem facit, & alicujus ponderis censeri debet, digni reprehensione sunt omnes ii, qui hactenus de rebus divinis contra aliquorum sententiam scripserunt, qui tamen nisi fuissent, nos in antiquis tenebris adhuc detenti essemus, & sempiternæ salutis viam prorsus ignoraremus, ex quo etiam intelligi par est, quam alienum à veritate existimari debeat, insaniæ fere exploratæ esse, theologorum (si ita eos appellare licet) deliria (ut ais) curare velle; cum experientia ipsa compertissimum sit, multa theologorum deliria ab iis, qui id tentarunt, curata fuisse. Nam, si tum demum theologorum deliria sanari intelligis, cum vel ipsi delirantes theologi, vel omnes, aut saltem major pars eorum, qui ipsis credunt, ad mentis sanitatem restituuntur, quid hoc ad rem, cum mihi satis futurum sit, si vel unum ex iis, quos una cum Palæologo delirare censeo, mentis compotem reddidero, immo si eos, qui recte sentiunt, ne à recta sententia depellantur effecero? An non hoc in ipsius operis præfatione mea expressum est? Quanquam ad laborem meum ab omni culpa hac in parte liberandum, & non temere susceptum à me fuisse ostendendum, satis superque esse debet, me ea dixisse, vel certe dicere potuisse, quæ caussam eorum, pro quibus respondi, ab adversarii oppugnationibus tutari queant.

Secundam caussam faciemus, quod inconsultis amicis & patronis meis, præsertim vero Sene (ut tu eum nominas) illo prudentissimo, librum istum conscripserim ac publicaverim. Ais enim, nos, qui peregrini sumus, & vix necessaria habemus ad vitam tuendam, nil tentare debere quod nostris amicis & patronis non valde probetur. Hic tria, Marcelle, antequam me reprehenderes, consideranda tibi erant. Primum, satis me amicorum & patronorum consilio usum fuisse, cum non modo probante, sed suadente ac rogante piorum, mihique conjunctissimorum hominum cœtu, quibus mea salus cordi est, opus aggressus sum. Deinde eos, quos tu maxime censuisses, propter locorum distantiam, cum res differri non posset, me nequaquam consulere potuisse. Cui illud adde, de quo tu fortasse cogitare non poteras, me venerandi illius viri, cum id ignorantibus iis, quorum gratia laborem hunc non detrectavi, fieri neutiquam posset, ob certas quasdam caussas, judicium expectare nullo modo debuisse. Qua de re ad ipsum apertius scripsi. Postremo animadvertendum tibi fuerat, rationem istam, quod peregrini simus, & vix necessaria ad vitam tuendam habeamus, prorsus humanam esse, id est, nihil divini sapere, & propterea locum nullum habere posse, ubi de rebus divinis agitur, in quibus ne ob ipsam quidem vitam conservandam de recta via unquam deflectere debemus. Sed ais, (ut ex verbis tuis colligo) cur saltem absoluti operis correctionem atque emendationem ab acerrimi judicii Sene non poposcisti? Utinam id mihi facere licuisset. Sed quomodo (ut cætera omittam) id fieri potuit, cum non exigua operis pars, postquam opus ipsum typis mandari cœpisset, confecta fuerit? Id autem (præsertim quod ad me attinet) non nisi necessitate aliqua cogente factum fuisse, neminem non judicaturum existimaverim.

Tametsi autem ex iis, quæ paullo ante dixi, satis ad id responsum videtur, quod tertiæ caussæ loco esse potest, quod, cum nos non modo peregrini simus, verum etiam in eas angustias simus redacti, ut aliena benignitate ad vitam tutandam plane indigeamus, nemini infensi esse, & certamina graviora declinare debemus; tamen non abs re erit hoc loco illud repetere, totam istam rationem cum rebus divinis nihil commercii habere, eamque homini Christiano ne pili quidem faciendam esse, nisi, si de rebus indifferentibus agatur. Nam ab iis quæ malæ sunt, qualem tu (ut conjicio) istam meam scriptionem facis, etiamsi nulla præterea ratio id suadeat, tamen ob id ipsum, quod malæ sunt omnino abstinendum est. Quod si eam fortasse inter indifferentes numeras; vehementer falleris, judicio meo, quemadmodum ex iis, quæ infra dicentur, apparebit.

Quarta caussa, quam facere possumus, quod, cum nemo tam prudens sit, ut in suis rebus alieno consilio non indigeat; male a me factum est, qui aliorum consilio hac in re non sim usus, jam per ea quæ dicta sunt confutata videtur. Quibus adde, eosdem illos pios viros, qui me ad hoc onus suscipiendum impulerunt, quique prudentia atque eruditione maxime præstant, totum fere opus antequam publicaretur, & vidisse, & visum approbasse. Præterea regula ista, quam tu statuere velle videris, ut nemo sine alieno consilio quidquam faciat, non ita facile, in rebus præsertim ad religionem pertinentibus, est admittenda, etiamsi ad ea tantum, ut arbitror, eam accommodari velis, quæ alicujus momenti esse videantur. Multa enim sunt, eaque maximi momenti, in quibus Christianus homo nullius consilio indigeat; immo, si consilium petat, errare censendus sit, quippe qui impedimenta ad id faciendum quærere videatur, quod se facere debe-

re, compertissimum habeat. Nam quod postmodum hic addis, me nihil emittere debere, nisi bene ac sæpe à libero judicio magistrorum excussum & examinatum; qui sint magistri isti, non sane intelligo. Neminem enim ego in iis rebus, de quibus in responsione illa mea disseritur, ex iis qui hodie vivunt, ulla ex parte magistrum agnosco; sed Deum tantummodo præceptorem habui, sacrasque literas. Quinetiam in universa ipsa divinarum rerum scientia, quæcunque tandem illa in me sit, præter unum Lælium patruum meum, qui jam diu mortuus est, vel potius præter quædam paucula ab ipso conscripta, & multa annotata, nullum prorsus magistrum me habere contigit. Sed fortasse magistros appellas eos, qui & alios, ut tibi videtur, & me docere possint. Ego (ut ingenue fatear) in iis, quæ in responsione illa mihi tractare necesse fuit, ne unum quidem hactenus novi ejusmodi magistrum; tametsi multa adhuc in iisdem rebus me doceri posse plane persuasum habeam. Utinam unum aliquem invenirem. Tu, si eum te reperisse existimas, indicato tantum, & me judicium tuum magnifacere statim videbis, &, quin docear prorsus non recusare.

Quintum locum ea caussa occupabit, quod, cum nil frustra (ut est in proverbio) fieri debeat, ego tamen, pro Racoviensibus ad Palæologum respondendo, inanem laborem sumserim, & Actum, ut dicitur, egerim. Controversia enim de Magistratu in Ecclesia retinendo nec ne, & sæpius, & à multis, iisque magnis viris, agitata est. Miror sane, te, hominem acutum, & in rerum multarum veritate vestiganda exercitatum ista dixisse. Quasi vero fieri non possit ut summos etiam viros aliquid fugiat. Quasi non jam re ipsa compertum sit, in iis, quæ ad Christianam religionem attinent, homines doctissimos, eosque numero pæne infinito, idque per multa sæcula, fœdissime lapsos esse, eaque penitus ignorasse, quæ hodie infantes ipsi recte norunt. Si nullum argumentum tractandum est, de nullaque re scribendum, de qua jam multi, iique magni viri scripserint, non ego magis quam cæteri fere omnes, qui de rebus gravibus libros edunt, culpandus sum. Tuum erat, Squarcialupe, antequam me hoc nomine reprehenderes, quod actum egerim, utque tua verba indicant, ab aliis, quicquid fere scripsi, surripuerim, librum meum perlegere, &, si nihil, aut parum admodum in eo invenisses, quod jam litteris publice consignatum non fuisset, tum demum istud mihi objicere. Quanquam ne sic quidem jure me reprehendisses; nisi etiam unum aliquem certum scriptorem eadem dixisse, quæ ego dixi, deprehendisses. Nam, etiamsi quæ à me scripta sunt, ex aliis compluribus, & variis scriptoribus omnia colligi possent, non idcirco tamen ego reprehendendus essem, qui veritatem sparsim ac divisim (ut ita loquar) à multis dictam, solus uno in loco universam patefacere conatus essem, & tanquam sedula apis ex plurimorum florum succo mel conficere curassem. Nihil dictum fuerit, quod non dictum prius. Sed in eo laborandum est, ut, quod multi, si quædam ipsorum dicta simul jungas, vere atque absolute dixerunt, tu solus dicas, atque ea ratione veritatem antea latentem in lucem proferas. Præterea, ut in prima caussa examinanda attigi, non id curandum mihi fuit, ut novi aliquid docerem, sed satis habui, si caussam, quam defendendam susceperam, recte defenderem. Nam à me defendi debuisse, postea planum faciemus. Verum quid attinebat te controversiæ illius de Magistratu mentionem facere, cum ego ea de re nusquam toto libro disputationem instituam, sed tantummodo alicubi Racoviensium de ea quæstione sententiam explicem, & à Palæologi calumniis vindicem, qui eam inique admodum interpretabatur? Hinc sane apparet, te non modo (quod ipse profiteris) librum meum non perlegisse, sed præfationem tantum fortasse, idque parum diligenter, legendo percurrisse, (Nam vix fieri potest, ut pleraque ex iis, quæ objicis, objecisses, si eam paullo attentius consideralles) ac præterea quædam pauca, ab iis, quæ in libri margine scripta sunt, monitum atque excitatum variis in locis legisse.

Agnoscis igitur, ut arbitror, quam, graviter lapsus fueris, qui (& hoc pro sexta caussa erit) idcirco laborem meum improbandum censueris, quod de re ad salutem non necessaria disputem; quippe qui putares me de Magistratu potissimum agere, cum tamen fere perpetuo de privatorum officio agam. Affirmas autem fructum nullum in religione esse, ubi de rebus ad salutem non necessariis disputatur. Atque hac etiam in re (tua pace dictum velim) non leviter laberis, cum plurima sint non necessaria, sed tamen ad salutem utilia, de quibus si quis vere disputet, non exiguo cum fructu in religione id fiet. Sed statim subjungis, *Nostra vero beatitas non ex hoc pendet, ut sciamus in Ecclesia magistratum illum fontibus horrendum locum vel habere, vel non habere.* Verum quis est qui nesciat, magistratum istum in Ecclesia locum vel habere, vel non habere? An non omnibus manifestum est, ex duobus contrariis quorum alterum ait quid, alterum negat, necesse esse ut alterutrum verum sit? Quis igitur unquam tam demens fuerit, ut ea de re disputet? At deinde subjicis, *Cum illa potius duo sint necessaria Christi asseclis, vera Dei Christique notitia, & vitæ honesta & sancta institutio.* Igitur, te ipso teste, ego in libro meo de re Christi asseclis apprime necessaria disserui. Totius enim disputationis, ut ex tertia parte, in qua adversarii argumenta refelluntur, aperte constat, præcipua capita sunt, An homini Christiano privatæ conditionis belligerare liceat, &, An eidem suas injurias per magistratum ulcisci concedatur, quæ quidem nemo erit quin fateatur ad vitæ honestam & sanctam institutionem pertinere. Huc accedit, quod aliis etiam de rebus eodem spectantibus in mea responsione disputatur, ut de jurejurando, de quo multa scribo, de judiciis forensibus, de matrimonio etiam, & divortio nonnihil, nec non de obedientia civili Magistratui præstanda, aliisque de rebus ad mores pertinentibus, ac denique generatim de discrimine præceptorum moralium Veteris & Novi Fœderis. Et quanquam hæc ad Christi simul notitiam omnino pertinent (*neque enim*, ut in ipso fere meæ responsionis initio disputatum est, *Christum novit, qui ejus præcepta non tenet, immo hæc omnium aliarum hodie maxime necessaria est Christi cognitio*) tamen de alia etiam Jesu Christi cognitione in ea responsione agitur, quæ propius ad eam, quam tu sine dubio intelligis, accedit; sed multo præstantior censeri debet. Etenim in postrema parte, in qua insigniores quosdam reliquos adversarii errores colligo, & hujus rei occasione de multis cognitu haud inutilibus disputo, inter alia de Christi præsente regno & potestate verba facio, deque ejus invocatione nonnulla attingo; quæ maximum pondus habere posse videantur. Dixi autem te aliam, quam hæc sit, Christi notitiam intelligere, quia si hanc intellexisses, ea verba postremo non addidisses, *Nos autem quæ necessaria sunt levioribus posthabemus, & nolumus reprehendi, atque merito increpari?* Nam de Christi præsente regno & potestate, deque ejus invocatione, fieri non potest, ut me, dum isthic essem non pauca scripsisse ignores. Aliam igitur Christi notitiam omnino intelligis, & me accusas, quod illi una cum Dei cognitione patefaciendæ me totum non tradam. De qua accusatione tua postea videbimus. Nunc illud tantum ἐν παρέργῳ dicam, me nescire cur ita asseveras, me nolle reprehendi ac merito increpari, quod necessaria levioribus posthabeam. Profer vel unum testimonium istius animi mei, & statim tibi concedam, meque errasse confitebor. Sed ad rem nostram. Igitur nulla prorsus cum ratione me reprehendis, quod leviora quædam in libro meo tractem, cum, te ipso judice, totus ferme liber in iis præstandis, quæ maxime gravia & necessaria sunt, occupetur. Sed quid si de levioribus rebus duntaxat in eo tractassem, num idcirco reprehensione dignus

essem?

essem? Nunquid ego scriptionis meæ argumentum mihi delegi? An non oblatum id mihi fuit? Sed quid te (inquies) ejusmodi scriptionem suscipere coëgit? Multa sane præter ipsum argumentum, quæ mox explicabuntur.

Nam septimo loco eam caussam examinabimus, quod hominem gravissimum videar ultro lacessere, cum is mecum non disputet, non contra me, non de me, non contra meos proximos. Hinc certe, Squarcialupe, perspicuum est, te ad ea, quæ in præfatione libri mei scripsi, dum ea legeres, parum attentum fuisse. Namque ad hæc omnia ibi abunde responsum est. Nec sane, quanti ponderis ea ratio sit, quam me potissimum ad scribendum compulisse eo in loco profiteor, satis animadvertisti, quod videlicet Palæologus libro suo veram pietatem, vitæque innocentiam convellat. Neque enim, eam quasi naso suspendens, me in ea asserenda argutari dixisses. Nam quod ais, me id quidem asserere, non tamen probare, quæso te quomodo id affirmare potuisti, cum librum meum non perlegeris. Nonne ego in præfatione id quod asserebam, omnibus piis probatum iri dixi, qui modo responsionem illam meam perlegere gravati non fuissent? Cur igitur, tametsi prius monitus, non ante librum meum perlegisti, quam, contra me istam sententiam ferres? Siccine agere gravem hominem decet, & caussam minime cognitam judicare? Præterea cum dicis me non probare quod assero, aut de conatu, aut de eventu loqueris. Si de conatu, id dicis, quod manifesto falsum est. Pluribus enim in locis, idque verbis apertissimis, istud facere conor. Sin de eventu; cur rationes meas non refutas? cur, si me ex reprehensione tua aliquam utilitatem percipere cupis, ignorantiam meam hac in re mihi non prodis? Neque tamen necesse est, me id, quod Palæologo objicio, quodque ad excusandum factum meum affero, ita se habere omnibus probare; sed ne cuiquam quidem. Satis est enim ita mihi visum fuisse, idque aliis ostendere conatum esse. Addebam in eadem præfatione non tanquam aliam rationem, ut tu interpretari videris, sed tanquam istius confirmationem, religionis negotium publici cujusdam juris esse, ob eamque rem cuique licere adversus eos divinis armis pugnare, qui religionem aut convellere, aut labefactare tentarent. Hic tu respondes, Racoviensium secessionem ac delirium esse ab Ecclesiæ ratione sejungendum: quasi vero ego quicquid à Racoviensibus olim factum est, defendendum susceperim, aut cum pro Racoviensibus respondeo, ipsos Racovienses, & non potius Racoviensium sententiam in iis, de quibus præcipua inter ipsos & Palæologum disputatio instituta fuerat, propugnare mihi sit propositum. Quid enim referre posset, etiamsi Racovienses in aliis omnibus plane delirassent, dum modo in disputatione, quam cum Palæologo habuerant recte sensissent? Sed paullo diligentius adhuc, quæ mihi objicis, examinemus. Dicis, me videri ultro Palæologum lacessere. Id revera non ita se habet, non solum quia is ultro lacessere videri non potest, qui alios lacessentem repellit, atque oppugnat. Quid si ipse quoque ab eo aliqua ratione lacessitus fuerit? Etsi enim me nominatim & aperte Palæologus ne verbo quidem prior lacessivit, id tamen tacite fecit, cum adversus eam sententiam, seu potius eas sententias scripsit, quas ego & verissimas, & maximi in Christiana pietate momenti, esse judico. Nihil autem interest, utrum ipse de me, cum librum suum ederet, cogitaverit, an secus; satis est reipsa ita factum esse, ut contra Racovienses scribens, contra me etiam scripserit, atque ea ratione ipse prior me lacessiverit. An non quotidie fit, ut quispiam, quamvis haud nominatim antea provocatus, adversus eum scribat, quem veritatem suis scriptis oppugnare persuasum habeat, & si egregiam ea in re operam navet, ab omnibus qui cum ipso sentiunt, summis laudibus afficiatur, à nemine vero eam tantum ob caussam, quod sese illi opposuerit, vituperetur? Itaque cum deinde addis, Palæologum nec contra me, nec de me scribere, dico, illum satis contra me, & de me scribere, cum contra illos, & de illis scribit, qui in eo, de quo agitur, idem sentiunt, quod ego sentio. Dicis insuper, illum non scribere contra meos proximos. Atqui ego antehac credideram, ex Christi disciplina debere me pro meis proximis agnoscere omnes homines, nedum proximos meos esse eos statuere non deberem, qui fratres mei essent per ipsum Christum, quosque ejusdem mecum cœlestis hæreditatis participes esse cognoscerem. Nam tales profecto, quicquid tibi secus videatur, ii sunt, contra quos Palæologus scribit. Non igitur opus est, quo factum meum defendam propinquitatum gradus, ut ipse loqueris, pro meo arbitratu statuere, cum in promptu sit ostendere, me ad Christi præscriptionem propinquitates expendisse. In quo si falsus sum, doce me, & si isti proximi mei non sunt, quosnam proximos meos nominare & agnoscere debeam, ostende. Verum addis: *Nonne tu Græco objicis, jam nullum esse illum cœtum Racoviensium, dissoluta jam illa omnia, mutationem factam rerum, quare cum larvis Græcum luctari? Quænam igitur est caussa publica quam tueris, si cum larvis pugnat, qui oppugnat Racovienses. An non vides Fauste, te larvarum esse patronum, si larvas divexat Græcus?* Acute sane hoc postremum. Sed prius de eo, propter quod hæc tua verba potissimum recitavi, agendum est. Primum igitur dico, me non plane affirmasse, cœtum illum Racoviensium nullum esse, & multo minus dissoluta jam esse illa omnia, sed dixi, cœtum illum vel non amplius extare, vel ita mutatum esse, ut agnosci non queat. Quod apertius explicatum nihil aliud esse, quam extare quidem aliquo modo cœtum illum, cum extent adhuc homines illi majore ex parte; quorum plerique simul interdum cogi & congregari pergunt, sed quia nec nec amplius, ut olim, Racoviæ degunt, neque ullo alio certo in loco una commorantur, & præterea nunc non paucis, aut certe nonnullis de rebus aliter sentiunt, quam antea sentirent, ac præsertim ea ipsa de re, quæ potissimum illos Racoviæ coëgerat, ibique degere impulerat, sententiam mutarunt, recte fortasse quis dixerit, cœtum illum Racoviensem non amplius extare. Ex quo fit, ut non appareat quinam sint illi, ad quos omnino pertineat ad librum Palæologi respondere adversus Racovienses nominatim, scriptum. Ut sperare merito potuerit Palæologus, sibi minime responsum iri, atque idcirco fortassis suum illum librum edere non dubitaverit, alioqui eum nequaquam editurus. Et hoc est quod dico, ipsum quidem cum larvis, ut dici solet, luctatum fuisse videri, me autem desertam pœne caussam defendendam, suscepisse. Non tamen propterea nego, Racovienses adhuc ita extare, ut qui pro Racoviensibus Palæologo responderet, pro quibusdam hominibus spiritum hunc vitalem ducentibus responderit. Sed quid deinde hac re opus est? Nam vel adhuc supersunt, Racovienses isti, vel non supersunt. Si supersunt, rectissime affirmari potest, Palæologum contra proximos meos scripsisse. Si non supersunt, idem tamen satis recte dicitur. Nam ii quoque, qui contra ipsos mortuos scribunt, contra aliquos scribere dicuntur, nec minus sane mortuorum, quam vivorum justam defensionem suscipere debemus, immo eo magis mortuorum quam vivorum, laudabilis est defensio, quod hi fortasse aliqua ratione se ipsi defendere queunt, illi vero prorsus nulla. Itaque fac, Racovienses istos omnino tanquam mortuos esse, tantum aberit, ut reprehendi jure possim quod eos defendendos susceperim, ut potius eo nomine laudandus esse videar. Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, apparet, te vel nihil plane dicere, vel perverse argumentari, cum ais, me larvarum patronum esse, si larvas divexat Græcus. Nam, si larvarum nomine aliquid mali intelligis, nihil ad rem loqueris. In eo

enim proverbio, Luctari cum larvis, id nomen non eam vim habet, sed aliquid significat, quod forsitan esse videatur, cum tamen revera non sit, aut de quo perinde judicari debeat ac si non esset. Quod si hoc sensu tu quoque nomen istud extulisti, nihil labori meo Larvarum nomen in tuis verbis detrahere potest. Nec enim par est hac in re mea, & Palæologi ratio. Quinimmo, si ille reprehendendus est, quia eos divexet, qui revera vel non sunt amplius, vel perinde est ac si non essent, ego contra, ut dictum est, laudandus sum, qui pro ejusmodi hominibus, qui se ipsi defendere non possunt, justam defensionem adversus ipsum suscipio. Sed ne plane ineptus videar, sciendum præterea est, cum assero, Palæologum contra Racovienses scribentem videri cum larvis luctatum fuisse, non idcirco me Racovienses larvas appellare, sed eo proverbio (quæ ejus vis est) nihil aliud significare velle, quam Palæologum, contra Racovienses scribendo, contra nullos nominatim videri scripsisse; quemadmodum si quis cum larvis luctaretur, cum nemine revera luctatus fuisse dici posset. Sed tu scilicet proverbialem illum loquendi modum in aliam quandam formam vertisti, ut inde commodius me Racovienses larvas facere concludere posses, ac proinde, cum pro Racoviensibus pugnem, larvarum patronum esse. Nam pro luctari cum larvis, quod usitatum est, & statim, quid mihi velim, ob oculos ponit, Divexare larvas substituisti, quod est inusitatum, & aliud, quam ego intelligam, præ se ferre omnino videtur. Quamobrem jam satis constare potest, me jure optimo Racovienses adversus Palæologum defendendos suscepisse, quicquid tibi contra visum fuerit. Huc autem illud accedit, cujus antea mentionem feci, me ad hanc provinciam suscipiendam eorum precibus inductum fuisse, quibus nihil, quod iniquum non sit, denegare nec possum, nec debeo, cum nullos homines istis mihi conjunctiores aut cariores habeam, quibusque ideo etiam, & gratificari, & inservire me jubet Christiana caritas, & sanctissimorum hominum exemplum monet, ut, si fieri possit, hac ratione ad absolutam & perfectam, quam ego illos nondum assecutos esse arbitror, Domini nostri Jesu Christi cognitionem facilius eos perducam. Et tamen tu ab istis in tam justa petitione me potuisse non exorari, affirmare non dubitas. Nam præterquam quod religionis caussa, quam mihi defendendam tradiderunt & justissima est, & ut supra demonstratum fuit, longe gravissima, agebatur etiam de calumniis non paucis depellendis, quibus Palæologus Racovienses in suo libro onerare conatus fuerat, quæ si fidem invenissent, & male sine dubio veri Dei nomen audivisset, & gravius fortasse, quam unquam antea Christi Ecclesia divexata in hisce regionibus fuisset. Quicquid sit, nullo modo ferendum erat, ut innocentes homines tot falsis criminationibus premerentur. Itaque, quod ais, non magnum futurum fuisse ex meo silentio detrimentum; Fateor id quidem; modo alius quispiam locutus esset. Immo non dubito, quin si cuipiam alii hoc muneris demandatum esset, multo consultius Ecclesiæ fuisset futurum. Sed hoc se facturos isti constanter negarunt. Itaque tantum onus omnino mihi subeundum fuit. Quod tamen prius non feci, quam Gregorius Paulus qui tunc aberat, per literas moneretur, ut ipse, quæ scripserat, à Palæologi impugnationibus tutaretur. Quod cum ille propter eas caussas, quas in præfatione mea breviter perstrinxi, nullo prorsus pacto se præstare posse assereret, tunc demum manum ad opus admovi, ac Deo favente, quamvis aliis interea curis & scriptionibus impeditus essem, ad optatum exitum satis in tempore, ut quidem arbitror, illud perduxi, & spero futurum, ut nec plane inanis in præsentia hic labor meus appareat, sed finem suum, aliqua ex parte assequatur, nec posteritas, quæ multo incorruptius de alienis laboribus judicare solet (si modo ad posteros hunc librum meum perventurum verisimile est) hoc factum meum ullo modo improbandum censeat.

Veruntamen octava caussa, cur tu illud minime probes est, quod nimis validum atque acrem adversarium habiturus sum, cui videlicet impar in disputando, & quo, audacia saltem, multo inferior sim futurus.

Si ego meis viribus confisus hanc pugnam iniissem, aliquis locus fortasse huic reprehensioni tuæ esset, sed quando, ut in ipsius pugnæ quasi præludio monui, Dei benignitate fretus id feci, qui me in caussa justissima propugnanda omnino adjuturus sit, non video cur non mihi laudi potius, quam vitio, verti debeat, quod cum tanto gladiatore, ut tu eum appellas, certamen inire non dubitaverim. De ipsius porro audacis nihil plane est curandum. Nisi enim firmiores rationes ac testimonia, ad sua probanda attulerit, quam hactenus fecerit, ejus summa audacia in suum ipsius caput universa tandem vertetur. Jam vero, quod ais, cum tali adversario vel nunquam futurum jurgandi finem, vel mihi sine magno lucro pedem fore referendum, ne dicas fugiendum; De his ego parum admodum sum sollicitus, atque in hoc certamine ineundo, ut in aliis omnibus meis actibus soleo, id tantum spectavi, num rem Deo gratam facerem necne; &, cum plane exploratum haberem, me non solum rem Deo gratam facere, sed etiam non sine divini numinis offensione, ab eo ineundo abstinere posse, ejus alioquin quod eventurum esset, omnem curam apud ipsum Deum deposui. Quanquam & jurgandi finem fore spero. nec tamen sine magno lucro nostram hanc pugnam futuram, non meo quidem, sed aliorum. Illud velim (ut summatim dicam) tecum ipse cogites; me hac in re nullam prorsus mei ipsius, sed Dei tantum, ac veritatis rationem habere debuisse, & dummodo divina veritas per me defensa maneat, de eo, quod mihi in hoc certamine contingere possit, nihil omnino curare.

Itaque jam vides, quid ad illud responsurus sim, cui nonum ac postremum inter istas tuas caussas locum reservavi, ad illud, inquam, quod de mea vita, & sanitate scribis, quam nullo modo (ut ais) tueri potero, si tam facile contendam cum acerrimis viris, præsertim de genere argumenti non usque adeo ad Ecclesiæ usum necessarii. Nam etsi ego nondum perspicere possum, cur magis vita, & sanitas mea, in discrimen ventura sit, si cum acerrimis, quam si cum paullo remissioribus viris de divinis rebus contendam, aut de iisdem ipse, cum nemine privatim contendens adversus aliorum sententiam diligenter & accurate scribam (fieri enim non potest) nec tu id mihi consulis, immo contrarium suades (ut ab ejusmodi scriptionibus cessem) nec sane video, quid huc pertinere possit de argumenti genere ad Ecclesiæ usum non usque adeo necessarie potius, quam de maxime necessario scribere: (quanquam, me de maxime necessario scripsisse, demonstratum est) tamen, ne (ut dici solet) sutor ultra crepidam, tibi medico & philosopho insigni, ego istarum artium plane rudis hac in re nequaquam adversabor. Sed id tantummodo repetam, quod paullo ante dixi, me in disputatione hac cum Palæologo instituenda, dum Deo servirem, nullam mei ipsius rationem merito habere potuisse, nec porro voluisse. In quo potius laudandus, quam reprehendendus esse videor.

Iis explicatis atque perpensis, quæ te ad consilium & factum meum universe improbandum impulerunt, de quibusdam videndum est, quæ nominatim in meo libro reprehendis, ea autem tria esse videntur. Unum, idque præcipuum, quod maledicentia in eo cunctis appareat. Alterum, quod nomen meum ibi non legatur. Tertium, quod ea, quæ ibi a me disputantur, non multo cum judicio & veritate disputentur.

Quod ad primum attinet, videris omnino nondum recte nosse, quid sit maledicentia, quidve inter maledictum & justam reprehensionem sive accusationem

inter

interfit, satis perspexisse. Nam quid ego unquam adversario meo objicio, quod simul evidenter non probem, aut certe probare coner? Quid vitii in illo animadverto, quod extra caussam sit, præsertim si propositum meum, quod ante manifeste declaraveram, spectetur atque attendatur. Nihil omnino. Quapropter tantum abest, ut, quemadmodum tu affirmas, contra quam in præfatione, sive Epistola (ut tu eam vocas) promiserim, maledicentia in meo volumine cunctis appareat, ut neque ulla vera maledicentia in toto libro usquam conspiciatur, & id omnino præstiterim, quod in præfatione non quidem promiseram revera, tametsi ego ipse alicubi minus proprie loquendo id me ab initio pollicitum fuisse dixerim, sed mei consilii esse affirmaveram. Præfatus enim fueram, meum consilium esse, adversarium nullis prorsus convitiis aut maledictis appetere, sed reprehensionibus tantum redarguere, & ratione atque auctoritate convincere. Quinetiam addideram, futurum fortasse, ut nihilominus eum alicubi gravius pungerem, non animi quidem mei impotentia, sed rei summa indignitate compulsus. Præfatus similiter fueram, me, Deo volente, non pauca adversarii errata patefacturum, immo insignioribus quibusdam reliquis patefaciendis postremam totius operis partem nominatim assignaveram, cujus rei, & ibi, & alibi, justissimas caussas attuli. Quis ergo me vel maledicum, vel promissis minime stantem sine maxima injuria appellaverit, quod non modo errores & lapsus graves Palæologi retegam; verum etiam inconstantias, atque ipsius dictorum repugnantias, adde etiam ejus ineptias, audacias, confidentias, sacrorum dictorum corruptelas, & quædam alia id genus tanquam digito ostendam? An non omnia hæc erratorum nomine comprehenduntur? Quod si id multo frequentius à me fit, quam quis Palæologi potius, quam veritatis amicus, cuperet, Palæologo istud imputandum est, qui nimis frequenter erravit, & non pessime cum ipso actum fuisse censendum, quod multa tamen ipsius errata silentio prorsus sunt prætermissa. Sed ais, me alicubi in ipso contextu Palæologum Judæorum similem appellare; nam hoc omnino maledictum esse existimas. Ego non simpliciter Palæologum Judæorum similem appello, sed in eo de quo agebatur. Sic enim se habent verba mea: *Et tu illorum* (Judæorum) *hac in parte similis, &c.* Quod si in libri margine adscriptum est simpliciter, *Palæologus Judæorum similis*, intelligendum est ea in re, de qua in ipso libro apparet, hocque in illis quasi indicibus perpetuum est. Nemo enim non novit, quæ in margine adscribuntur, eorum, quæ in contextu sunt scripta, indices tantummodo quosdam esse; neque ex ipsis solis, scriptoris mentem esse interpretandam. Quod vero Palæologum aliqua in re Judæorum similem appello, idque simul verum esse demonstro, non video, cur ob id maledicentiæ accusari possim, præsertim cum jam omnibus fere veris Christi Ecclesiis, eum plane Judaizare aperte constet. At enim alibi eum Christi gloriæ odio excoecatum esse dicis. Quid tum? Si non modo id verissimum esse ex compluribus aliis manifestum est, verum etiam locus ipse id omnino requirebat, ex quo solo, ut ibi assero, me vera loqui constare potest, reique summa indignitas, ut ibidem moneo, ea mihi verba extorsit? Num idcirco maledicus censendus sum? Nonne in ejus postremæ mei libri partis initio, in qua hæc sunt scripta, & in qua, ut dictum est, reliqua Palæologi graviora quædam errata colligo, id me propterea facere palam professus fueram, ut ipsius auctoritatem hac ratione minuerem, & compluribus consulerem, qui Palæologo, perverse admodum de Christiana religione & sentienti, & docenti, facile omnia credebant? Quid igitur vetat, nisi hoc meum institutum dignum ipsum (quod non puto) reprehensione est; immo si (ut arbitror) pluribus de caussis laudandum est; quid vetat, inquam, quominus Palæologi errata turpissima, atque impietatis plenissima, cujusmodi illud erat, gravius aliquanto insectari, &, qualem ipsum esse prodant, lectorem monere potuerim? At non debueras saltem Palæologi errata in ipsis etiam libri marginibus recensere, & quodammodo repetere. Cur vero? cum mihi id meritissimo propositum fuisset, ut istius hominis, contra quam multi de eo sentirent, non in rebus modo divinis, sed etiam in ipsis humanis cæcitatem ostenderem, adeo, ut communi sensu haud raro destitutus esse videatur? Nihil autem dico, quod cum in Palæologi libri margine pleraque (ut ipse putabat) Racoviensium errata, quæ in ipso libro explicantur, notata sint, cumque hoc per se prave factum censeri non debeat, nihil convenientius fuisse videtur, quam in responsione similiter Palæologi errata non solum in ipso textu exponere, verum etiam in margine adscribere. Illud certe non est reticendum, virum quendam gravissimum, & summæ apud me auctoritatis, cujus judicium teipsum tanti facere novi, ut vix ab eo dissentire ausurus sis, cum me adversus Palæologum scribere accepisset, literis ad me datis hortatum me fuisse, ut Græculi istius esurientis (sic enim eum nominabat) superbiam retunderem. Quo factum est, ut multo etiam alacrius in instituto meo perseveraverim. Nec sane quenquam futurum puto, qui modo Palæologi librum legerit, quin fateatur, vix aliter, quam ego feci (quod ad hanc partem attinet) ei responderi potuisse, aut mitius aliquanto cum ego agi debuisse. Quid si cognitum haberet, ut quidem ego habeo, quot malorum caussa, non isthic tantum in Transylvania, sed in Ungaria quoque, in Lithuania, & aliis in locis Palæologi auctoritas, & scripta fuerint? An non ipse primus omnium in provincia ista, sententiam illam maxime impiam & detestandam de non adorando neque invocando Christo, una cum aliis compluribus pestilentissimis erroribus docuit & scriptum reliquit? Nonne ejus doctrina hodie, quæ à quibusdam Francisci Davidis doctrina esse creditur, integræ eæque non paucæ Ecclesiæ in Ungaria fœdissime sunt corruptæ? Nonne is in Lithuania alterum quendam Franciscum Davidis, quantum in se fuit, jam excitavit, & provinciæ illius Ecclesias suo veneno infecit, ab ipsiusque Poloniæ Ecclesiis jam fere divulsit ac separavit. Non igitur, ut tu arbitraris, cum in mea responsione ad ipsius librum, ut ejus plurima gravissimaque errata statim omnibus conspicua essent, diligenter curavi, ejus infamia cumulanda delectatus sum, sed Ecclesiarum saluti non sine aliquo meo periculo prospicere, occasione oblata non sum cunctatus, nec porro, ut tamen tu affirmare non dubitas, arriserunt palato meo aculei mortiferi, & execrandi in Christi Ecclesia, quo haud scio an nihil mihi à quoquam magis injuria objici potuerit, sive factum ipsum, sive animum meum, qui ex multis mei libri locis liquido apparet, spectare volueris. Relege, ni tibi molestum est, paullo diligentius præfationem meam proœmium quartæ partis, & quæ in ejus, id est totius libri fine scripsi; initium quoque 46 ejus partis particulæ vide atque considera; ea, quæ supra ad mei defensionem attuli accuratius perpende; ipsum denique librum meum, si vis, & tibi vacat, perlege, cumque cum Palæologi libro confer, atque compone, & sine dubio, quemadmodum aliis etiam optimis & cordatissimis viris visum est, non modo maledicum me in ea responsione fuisse non dices, sed etiam sane quam modestum videri posse fateberis; præsertim, cum non meam ipsius privatam caussam agerem, nec periculum esset, ne, ulciscendi libidinem extra modestiæ fines me rapuisse, dici posset. Et hæc satis, aut potius nimis multa de maledicentia, quam in libro meo cunctis

apparere dixisti. Nam, quod inter cætera unde illa appareat, id etiam commemorasti, in eo scriptum esse, Palæologum, quantum in ipso est, Christi regnum demoliri, miror te id maledicti loco ducere, quod meæ scriptionis potissimam causam statuo, quodque verissimum esse, ut ante dictum fuit, compluribus in locis vel demonstro, vel certe demonstrare tento. Atque hinc sane, si aliunde unquam, videri cuipiam posset, te in maledicentia mea, quæ nulla est, notanda, quoddam nimium tuum alios reprehendendi studium manifeste prodidisse. Sed jam ad alias tuas reprehensiones transeamus.

Ais igitur, me nullo modo in responsione illa nomen meum reticere debuisse, atque adeo in Christianam charitatem, id reticendo peccasse. Id enim omnino significant verba illa tua, *quod ipse animo liberali & Christiano debuisti, &c.* Sed cur tandem nomen meum in responsione illa inscribere debui? Aut cur si id non feci tam graviter peccavi? Quia, inquis, *adversarius prodit aperte, tu larvatus.* Et addis, *Ingenuum semper fuit libere fortiterque non occulte agere, atque artificiose.* Primum, cur me larvatum prodiisse dicas non equidem intelligo. Larvatus enim is prodit, qui alterius cujuspiam, sive veri, sive ficti, personam sumit, & pro alio quopiam se venditat. Qui vero nomen suum reticet, se alium esse quam vere sit, minime aut profitetur, aut præ se fert. Nam quid deinde artificiose agere appellas? Si enim artificiose pro callide atque astute dixisti, quænam calliditas & astutia hæc mea est, mei operis auctorem publicare nolle? Nonne ii etiam, qui animo sunt simplicissimo, idem facere consueverunt? At non, inquies, cum adversus quempiam nominatim scribunt. Istud, Marcelle, verum esse potest, ubi ipsi priores & ultro id faciunt, non autem ubi vel adversarius prior aliqua ratione eos lacessivit, vel ipsi non sine necessitate aliqua eam provinciam capiunt. Occulte autem quidpiam boni agere hominem Christianum, non tantum posse, sed etiam debere, Christus ipse docet, qui nonnulla recte facta occulte fieri præcipit, atque in ipsis libris de religione scribendis multorum vere Christianorum hominum exemplo id ipsum comprobari nostra ætate vidimus, qui etiam, quod nomen suum ejusmodi libris à se conscriptis non addiderint, non modo damnati non sunt, sed & modestiæ, & prudentiæ, & nonnunquam etiam Christianæ charitatis laudem retulerunt. Quare vides quam frivolum sit dilemma illud tuum, *vel honestus est labor tuus, vel minus. Si primum cur nomen siles omnino publicandum? Si secundum, cur aggrederis?* Quasi vero nulla sit alia justa causa silendi nomen suum, nisi quia labor minus honestus sit. Quid enim si, ut cætera non explicem, labor quamvis honestissimus, vulgo inhonestus habeatur? Quid si auctoris nomen, laborem alioqui ut utilissimum sic gratissimum futurum, adeo invisum redditurum sit, ut pro utilitate damnum afferat, quatenus id, quod optimum est, malum esse existimetur? Sed ais, omnino publicandum nomen tuum, id est, (ut ego interpretor) publicabitur. Concedo. Verum nunquam ita publicabitur, ut quod ad ea attinet, quæ modo dixi, idem fit, ac si in ipso libro in scriptum esset. Nulla igitur causa est, cur nomen meum reticuisse reprehendi debeat, nisi quid hoc adversario nocere possit ostendatur. Hic autem præter ea, quæ jam in ipsius libri præfatione dixi, sciendum est, me nequaquam id curasse, ne nomen meum à quoquam sciretur, præsertim vero ab ipso Palæologo, non tam propterea, quod difficile admodum id videbatur, quam ut Palæologus de me conquerendi ullam ne minimam quidem causam haberet. Et ob id, ut suo tempore notum fiet, in eo libro scribendo & publicando multa mea sponte fecisse, à multis item rogatus non abstinui, ex quibus omnino factum iri videbam, ut, cum plerique alii, tum vero ipse Palæologus, me illius scriptorem fuisse, prorsus cognosceret. Nolui tamen ob multas easque gravissimas causas, quas hoc loco exponere non est necesse, meum nomen ipse publicare. Hoc autem consilium meum nullo pacto mihi in ipso libro explicare licuit, sed ita loquendum mihi fuit, ac si meum nomen cum aliis omnibus, tum ipsi Palæologo, ignotum perpetuo fore cogitassem. Quanquam, si verba mea diligenter attendantur, nunquam dico, me nomen meum, vel Palæologo, vel cuipiam alii occultare voluisse, vel occultum fore sperasse; quod tu tamen tanquam rem ridiculam in me reprehendisti. Sed tantummodo, etiamsi id ita esset, quid ad me excusandum merito afferri posset, doceo atque demonstro.

Restat ultima libri mei reprehensio tua. De qua, si id dicam, quod sine dubio cæteri omnes judicabunt, vereor, ne tu de me aliter judices, atque res ipsa est. Nam quid est, te obsecro, amico, quem monere, cuique prodesse te velle profitearis, dicere, *Quanto judicio, quanta veritate in tuo libro disputes, tu videris.* Quid, inquam, istud est, nisi eum plane ludificatum dimittere. Num fortasse putas, me, cum librum illum scriberem, nullum judicium adhibere in scribendo curasse, nullam veritatis rationem habuisse, aut certe de his parum cogitasse, ob eamque causam satis fore es arbitratus, si me ejusmodi verbis, ut hæc posthac diligentius curem, commonefaceres? Quod si, ut quidem verisimile est, istarum rerum me potissimam rationem habuisse credis, nihilque dixisse, quod, summo cum judicio & veritate dictum esse non sperem, sed tamen falsum aut plerisque, aut multis in locis me fuisse omnino censes, cur ipsos locos non profers? cur, ubi vel judicium, vel me veritas defecerit, non doces? Cur id ne indicas quidem? In iis, quæ vel leviora sunt, vel (si modo in ipsis erratum est) jam corrigi prorsus nequeunt, apertissime loqueris, in gravioribus vero, & quæ aliquo modo emendari possunt, te nullo modo explicas. Itaque in eo ipso peccas, quod in me, pluribus tuæ Epistolæ locis reprehendis, quod levia atque inutilia consecter, gravibus, & necessariis posthabitis. Sancte enim tibi polliceor, quidquid minus recte aut vere à me disputatum in eo libro fuisse ostenderis, id me primo quoque tempore, quacunque ratione potero, emendaturum, & si opus fuerit, publice etiam (ut dicitur) recantaturum.

Hactenus ad ea omnia me re respondisse arbitror, quæ de mea ad Jacobum Palæologum pro Racoviensibus responsione ad me scripsisti, & satis demonstrasse, nihil plane esse, cur vel consilium, & factum, vel opus illud meum tibi ita vehementer displicere debeat, ac mea causa solicitum habere. Superest, ut ad quædam respondeam, de quibus me hujus rei occasione monendum censuisti.

Primum igitur ais, me in eo peccare, quod omnium est gravissimum, & à gravitate mea (sic enim loqueris) alienum. Nimiam enim alacritatem meam esse in scribendis & publicandis meis libris.

Si hoc propter istam meam dumtaxat pro Racoviensibus responsionem dicis, nimis facile de me, meisque moribus judicium fers. Nam præterquam, quod una hirundo, ut Græcum proverbium habet, non facit ver, erat tibi præterea animadvertendum, non posse me in hoc facto nimiæ alacritatis damnari, cum ego haud mea sponte librum istum conscripserim, sed, ut ante dictum est, eorum rogatu, quibus in re præsertim tam honesta, non obtemperare, plane religio mihi fuit. Scriptus est autem à me liber multo tardius, quam ipsi voluissent, publicatus vero non à me revera, sed ab ipsis, nec sane propter multas causas diutius ejus publicatio differri potuit. Sin autem propter aliquas alias meorum librorum scriptiones, & publicationes, istud de me dixisti, quem ego, quæso, librum non modo admodum præmeditatus, sed etiam fere coactus non scripsi, aut quemnam alium adhuc publicavi? Quocirca plane immerito hujus rei nomine me condemnas, & omnino injuria me nimium mei amantem esse dicis, qui meos labores tam facile publicem.

publicem. Neque in eo etiam recte sentis, quod acumine nescio quo meo abripi me ad scribendum meos libros, affirmas. In eo porro sine dubio (ut veritus esse videris) egregie falleris, quod ad scribendum, & quæ scripsi publicanda, fervido studio honestissimæ laudis abripiar; cum nihil minus, quam de laude aliqua mihi apud homines comparanda cogitem. Nec inter ea, quæ commemorasti, aliud, quam veritatis studium ad scribendum me movet. Sed multo etiam magis id me movet quod à te prorsus reticetur, aliorum salutis ac Dei Christique gloriæ desiderium; aliquando fore sperantem, ut mei labores in publicum edantur, in quibus reconditiora quædam ad rerum divinarum cognitionem pertinentia, quæ jam divina benignitate mihi patefacta fuerunt, comprehensa atque explicata invenientur.

At deinde immodicum in disputatione æstum meum esse affirmas. Teque sæpius me disputantem monere voluisse ais vel de re levi jurgantem, & clamoribus maximis omnia perturbantem. Hic verò, Marcelle, illud ingenue dicam, me tibi idem debere, quod aliis quibusdam amicis meis debeo, qui eadem ferme de re interdum me monuerunt. Quanquam eo plus tibi quam illis me debere agnosco, quod ipsi nec tam aperte istud meum vitium mihi significarunt, neque id, quod tu deinde addis, addiderunt; sed illud prorsus me celarunt. Nec enim unquam me inter disputandum furere, mihi ne leviter quidem indicarunt, qui vix me aliquando subirasci ausi sunt dicere. At tu me ab irâ ad furorem devenire, idque levi de causa asseveras. Hoc profecto non leve est vitium, & me summa ope niti decet, ut eo prorsus liberer. Miror tamen; tibi hæc de me visa fuisse, cum sæpe inter nos disputationes de rebus non adeo levibus inciderint; & tamen non modo aut irasci me, aut furere, sed ne vocem quidem nimis extollere senseris; quin immo placidissime tecum agere, &, ausim dicere, modestissime, nonnunquam potueris animadvertere. Nec me tecum loquentem æstu quodam commoveri unquam, ni fallor, vidisti, nisi fortasse, cum, te tacente, nec adversente, perpetua oratione usus, de re aliqua gravissima ad Christianam religionem spectante disserui. Quod certe vel vitium censeri non debet; vel non illud est quod hoc loco in me reprehendis. Cum nonnullis præterea aliis idem mihi sæpe usu venit, ut quamvis de rebus gravibus cum illis contenderim, tamen sedatissime & pacatissime id fecerim. Cum multis tamen rursus aliter mihi contigisse fateor; atque ut arbitror, cum plerisque, inter quos ii etiam fuerunt, quibus cum me majorem, quam cum aliis modestiam præ me ferre debere optime noveram. Id quod mihi ipsi argumentum est evidentissimum, etiamsi ejus rei nulla alia præterea aperta indicia haberem; id non immodestia aliqua mea revera factum fuisse, sed disputandi illo ardore quodam, qui, nulla personarum ratione habita, nunc magis, nunc vero minus accenditur, interdum etiam prorsus non existit; pro ut is, qui cum disputo, mihi disputandi ratione sua harum rerum causam quandam dederit. Illud quidquid tibi visum fuerit, constanter affirmare possum, me inter disputandum commoveri quidem sæpissime aliqua ratione, id tamen dolore fieri; quod adversarius veritatem, ut mihi videtur, agnoscere & amplecti nolit. Aliter autem animo me turbari, aut irasci, vel perraro, vel fortasse nunquam contingere. Utcumque sit, tibi immortales pro admonitione tua gratias ago. Namque ea, ut spero, fiet, ut posthac nemo me in disputando moderatum non esse merito affirmare possit.

Addis, vos isthic unum in me desiderare, ut minus mihi blandiar. Scio autem id ab aliis quoque nonnullis desideratum fuisse. Sed profecto vereor, ut & vos, & illi me satis recte noverint. Nam ego mihi ipsi optimus sum testis, me à vitio isto procul abesse. Atqui cur tamen & vos, & illi aliter senserint, statim explicabo, si prius illud monuero, extra religionis negotium neminem fortassis negaturum, videri me de me ipso satis humiliter sentire. At in religionis negotio longe secus videtur. Causa est, non quod ego mei ipsius opinione aliqua inflatus sim, aut meliora, & monenti, & docenti acquiescere nolim; sed quod cum compertissimum habeam, alios adhuc multis in erroribus versari, ex quibus Deus bonitate sua me pænitus extraxerit, cumque præter animi summam quandam ingenuitatem (sit mihi fas de me ipso hoc prædicare) quam mihi natura indidit, Deus pietatem aliquam cordi meo inseverit, nulla ratione fieri potest, ut sæpissime cum de religione agitur, à cæteris non aperte dissentiam, sententiamque meam arcte retineam, sive in ipsis dogmatibus, sive in dogmatum probationibus, sive in divinarum literarum interpretationibus, sive in veritatis patefaciendæ via atque ratione, sive quacunque alia in re, ubi de Dei Christique gloria, & animarum salute agatur. In reliquis enim facile conniveo, & aliis assentiri videor. Nec porro quenquam hodie esse arbitror, qui in tot ac tantis Christianæ religionis placitis à reliquis hominibus dissentiat, in quot quantisque ego dissentio, & tamen cum pluribus convenire, eosque pro fratribus agnoscere me sit paratior. Neminem vero adhuc reperi ex iis, qui me mihi nimis blandiri putabant, qui, scriptis meis diligenter lectis & consideratis, vel sententiam istam de me suam plane non mutaverit, vel saltem paullo aliter de me & sentire, & loqui non cœperit.

At postremo me mones, ut inprimis cognoscam, quo me vocet, invitet, ac fere impellat officium boni Christiani. Ais enim mei officii esse de aliis rebus scribere, quam de quibus scribo, non debere me fenestellas aut pavimenta exornare, sed fundamenta confirmare, locos illos quos novi, mihi examinandos esse, huc que omne studium atque ingenium meum esse conferendum. Verum, dum hæc dicis Marcelle, non animadvertis te fenestellarum, & pavimentorum ornamentum id appellare, quod stabilimentum parietis ædificii est; sine quo nullo modo ædificium consistere potest. Jesu Christi præcepta recte tenere paries est, isque præcipuus totius Christianæ disciplinæ, sine quo ipsa concidat necesse est. Atqui de Christi præceptis, quæ, qualiaque sint, ut ante ostensum fuit, agitur potissimum in libro meo. Itaque non fenestellas ego, aut pavimenta exorno; sed ipsum parietem stabilio, vel certe, qualis super fundamentum paries extrui debeat, demonstro. Nam de vero fundamento alibi, id est, in Disputatione mea de Jesu Christo Servatore uberrime explico. Neque enim fundamentum illud est, quod tu putas. Sed non est hic ea de re disserendi locus. Fac enim illud esse fundamentum, quod tu intelligis; Dico per me nec stare, nec stetisse, quominus istud fundamentum, quantum in me est, confirmetur. Locos illos examinare institueram; sed cum meus examinandi modus minus placeret, coactus fui ab incepto desistere. Iterum opus aggredi ac persequi volui. Visum est propter librorum penuriam me frustra id tentaturum. Itaque abstinendum fuit. Interim ejus fundamenti confirmandi multo & brevior, & tutior, & ab omni invidia alienior via, quam illorum locorum examinatio sit, commodum sese offert. Hoc est refutandis Francisci Davidis scriptis, de adoratione & invocatione Christi scribere; Qua ego in re, & jam satis desudaveram, & denuo desudaturus eram. Hoc ipse animadvertens, illico, ut hanc viam ingrediamur, nec tantam occasionem aspernemur, aut elabi sinamus, monere non cesso. Verum aliis partim fortasse non ita visum est, partim commodius tempus expectare placuit. Quare nihildum actum est, sed jam, ut spero, aliquid agetur. Præterea, an non Volano iterum respondendum erit? An non credendum est, in ea responsione præcipuos omnes locos examinandos fore? Examinandi erunt sine dubio, idque

propter adversarium, & diligentius, & nervosius, & ad tempora nostra accommodatius fiet, quam si id nostra sponte faceremus. Denique ego ad omnia paratus sum, & patrono illi meo singulari nihil me non debere agnosco. Quocirca nullum, quem is me subire jusserit, honestum laborem unquam recusabo. Sed vereor, ne ille postea meum opus non probet, & frustra omnino me laborasse sentiam. Id quod mihi (fateor) ob temporis occasionisque jacturam, in tanta hujus vitæ brevitate atque inconstantia; molestissimum accideret. Quod si spes aliqua certa affulgeat, me non frustra laboraturum summam in hoc præsente sæculo felicitatem me adeptum fuisse existimavero, quod dum Dei gloriæ, proximorumque saluti inserviero, tanto simul patrono de meque optime merito satis fecero.

Hæc sunt Squarcialupe, quæ mihi ad tuas reprehensiones & monitiones respondenda esse judicavi. Ad quæ scribenda tantum abest ut iratus accesserim, ut ne ab initio quidem, dum tuam Epistolam legerem, tibi vel minimum succensuerim, nec opinionem hac in re tuam ulla ex parte fefellerim. Nam si forte iræ tribueres, quod sæpe acriter me defendo, & nonnunquam graves in me sive monendo, sive reprehendendo, lapsus tuos demonstro, multo gravius errares quam ego, si tibi iratus essem. Quanquam vix fieri posse videtur, ut quivis alius nedum is ipse ad quem ea scripta sit, ejusmodi Epistolam sine stomacho legere queat. Ostendi ego illam quibusdam ex amicis meis, ut quid agere, quave ratione me tecum gerere deberem, consulere possent. Stomachati plane sunt, nec defuerunt qui affirmarent, eam responso prorsus indignam esse. Nam quid aliud est, dicebant, re non amplius integra, alterius labores ac vigilias tam curiose quodam modo atque avide reprehendere & castigare, quam vel male se erga illum affectum esse prodere, vel cum illo rixandi, & altercandi causas quærere, vel denique illius modestia atque patientia ad suum ingenium ostentandum, sibique indulgendum abuti velle? Ego tamen, ut in principio dixi, & de te multo aliter existimo, & nulla ratione, nisi tui ipsius causa, sum commotus; tametsi & insaniæ fere exploratæ, & maledicentiæ manifestæ, ut alia nonnul la prætercam, me aperte insimulaveris. Nec sane obscure, me in responsione ista ad Palæologum arroganter, temere, insolenter, inique; turpiter me gessisse dixeris. Cum enim, vel qua dictum est ratione; vel contra, modeste, considerate, placide, rite, atque cum summa verecundia nos cum adversario pugnare dixeris, & statim subjunxeris; *Quid quæso de te judicas Fauste in hac parte?* Quis non videt, te voluisse dicere, me non posteriore, sed priore modo cum Palæologo pugnasse? Etenim, cum perspicuum sit, te ibi vel me monere; vel reprehendere voluisse, fieri non potest, ut me posteriore ratione in pugna ista usum fuisse dicere volueris. Namque; alterutra ut quis utatur, necesse esse, ipse prædixeras. Hinc sane, Marcelle, (si non aliunde) animi mei moderationem perspicere potes: qui abs te tam acerbe objurgatus, vel tot convitiis potius lacessitus, tibi tamen, ut arbitror, satis placide responderim, meique facti rationem quodammodo tibi reddere non recusaverim.

Cæterum, quod ais, te non ante publicaturum, quæ contra Bezam scripsisti, nisi prius limam meam ad omnia polienda impetraveris, est quod tibi quidem summas gratias agam, qui & tantum mihi tribuas, quantum ego mihi tribui posse prorsus non agnosco, & maxime benevolum in me animum tuum aperte declares, cum me tanto honore afficere cogitas. Verum, si recte me reprehensum abs te fuisse existimas, quod Palæologum tantum virum ultro lacessere non dubitaverim, vide ne tu in Beza tanto viro ultro lacessendo, tuo ipsius testimonio graviter erres, nec porro ulla lima opus tuum dignum videatur. Nam etsi ego tecum comparandus non sum, ne Palæologus quidem cum Beza comparandus est. Ut alia multa hic non repetam, quæ factum meum saltem excusare possunt; tunm autem (si modo justa est reprehensio ista tua) nullo modo possunt. Quippe quæ cum eo nihil commune habeant. Sed hæc scilicet tu melius. Ego, non ut ea perpoliam, sed ut inde doctior fiam; tua scripta libentissime semper legero. Vale & me ama, teque à me amari, ac propter singulares & animi, & ingenii tui dotes suspici, atque observari, tibi plane persuadeas. Cracoviæ 20 Novembris. 1581.

Tui studiosissimus F. S.

EPISTOLA F. S. S.

Ad Phil. B., qua ipsius literis respondetur, in quibus probare conabatur, nullum in humanis actionibus pœna aut vituperatione dignum esse peccatum.

F. S. S. Phil. B., philosopho S. D.

SI mihi tecum, eruditissime B., res non esset, id est, cum homine humanissimo meique amantissimo, pluribus negligentiam meam excusarem, quod ad literas tuas elegantissimas, easdemque eruditionis plenissimas, Cal. Septembris Posonii datas nihil hactenus responderim. Sed humanitas summa amorque in me tuus singularis, qui per se ipse errores meos facile excusat, non patitur, ut multis hic tecum agam. Quin jubet satis esse, si tibi dixero, (id quod res est) me paullo post quam tuas literas accepi, certiorem factum fuisse, usum meorum bonorum, quæ omnia in patria habeo, ademptum mihi esse, & propediem ipsa quoque bona mihi ereptum iri. Quæ res adeo rotum vitæ meæ statum ac rationes perturbavit, ut necesse fuerit, me plurimis cogitationibus à me ipso quodammodo aliquamdiu distrahi atque divelli. Cui rei accessit, quod affinis tuus Johannes Baptista Cettis, qui mihi literas tuas reddiderat, & cui tibi reddendas curaturo dandæ erant literæ ad te meæ, toto ferme hoc tempore Cracovia longe abfuit in Lithuania. Nunc vero, cum & is ad nos reversus fuerit, & turbulentæ illæ meæ cogitationes maxima ex parte conquieverint, nulla ratione committendum putavi, quominus tibi responderem, & quid pro ea, quam ipse veritatem esse, fortasse agnoscis, asserenda & confirmanda adversus ea, quæ acute à te contra disputata sunt, dici posse credam, libere, ut soleo, significarem, & interim sententiam hac tota de re meam dilucidius tibi aperirem.

Sentio igitur, in hac quæstione, utrum in humanis actionibus ejusmodi error esse necne queat, qui dignus sit vituperatione, quod nos Christiani peccatum vulgo appellamus, distinctionem quandam bonorum adhibendam esse; cum certum sit, neminem quidquam agere, nisi alicujus boni causa. Solent autem bona omnia tripartito dividi; in delectabilia, utilia,

utilia, & honesta. Hancque partitionem mihi quoque abs te tribui, animadverti; quam tamen ego, præsertim ut ea intelligi consuevit, nunquam probare potui. Est enim in ea vel defectus insignis, vel magna confusio, per fallaciam, quam παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν vocant. Nam quæ vel ea non complectitur bonum illud, quod alio modo Rectum appellari potest; aut si complectitur, id sub Honesti nomine comprehendit. Quod nomen modo hoc ipsum Rectum, modo id, quod ad decus & honorem pertinet, significat. Et sic per hanc ὁμωνυμίαν duo bonorum genera confundit admodum inter se diversa. Quamobrem aliter omnino sunt distinguenda bona. Et quemadmodum videmus, fere omnem bonam divisionem, ut ajunt, bimembrem primo esse, sic in duo genera primum bona distribuenda sunt. Quorum unum sit eorum, quæ bona sunt absolute ac per se, id est etiam citra id, quod cuiquam boni quidquam afferant; alterum vero eorum, quæ bona sunt relative, ut ita dicam, & quatenus ipsa habenti aliquid boni afferunt. Ad prius genus pertinent ea, quæ paullo ante indicavi; id est, quidquid rectum est, & cum vera virtute consentiens. Ad posterius vero tripartita illa jam commemorata divisio spectat; sed ita, ut Honestorum nomine ea tantum intelligantur, quæ ad decus & honorem pertinent. Quamvis fortasse ne sic quidem vitio careat. Verum id ad propositam quæstionem nihil facit. Decus autem & honorem intelligo eum, qui hominum opinione constat, atque, ut Aristoteles ait, magis in honorante videtur esse, quam in honorato. Hac bonorum distinctione proposita, animadvertendum est præterea, quod quemadmodum sunt in nobis duæ animæ potentiæ, ex quibus tanquam ex duobus diversis fontibus, diversæ actiones nostræ originem ducunt, mens seu ratio superior, & appetitus, qui in homine, quatenus menti opponitur, inferiorem rationem complectitur, qua tamen ne bestiæ quidem ipsæ prorsus destitutæ videntur; sic unusquisque, cum aliquid agit, modo hujus, modo illius ex prædictis duobus bonorum generibus rationem habet; prout vel mente, quam nos, plerosque alios secuti, rationem simpliciter appellabimus, vel appetitu ducitur. Illa enim ad prius illud genus; hic vero ad posterius nos impellit; quæ cum sæpe inter se aut pugnent, aut certe pugnare videantur, & necesse sit, si alterum eligatur, alterum omitti, magna vel saltem aliqua in nobis ipsis, dum quid eligere volumus, altercatio oriri solet, appetitu videlicet ad hoc, ratione vero ad illud nos trahente. Quæ rationis tractio cum nihil aliud sit, quam suasio ad illud, quod omnibus aliis rebus anteponendum esse, quicumque mente non sit corrupta, confitetur (si quidem omnes sani mente id, quod rectum sit, cunctis aliis anteferendum, id est, potius faciendum agnoscunt) tractio vero appetitus sit suasio ad illud, quod nobis bonum est, aut esse videtur; certe qui appetitui, non autem rationi trahenti, obsequitur, peccare dicendus est. Sicut enim is, qui suum ipsius bonum spernit, ut id sequatur, quod potius sequendum est, dignus est laude; sic, qui id, quod potius est sequendum, spernit, ut suum ipsius bonum sequatur, vituperatione est dignus. His ita breviter expositis, ac rei veritate & causa indicata, conandum est, ut ad ea respondeam, quæ tu contra affers. Primum igitur axioma illud ponis, omnia bonum appetunt, ergo eligunt. Atque hinc concludis, neminem peccare; quia videlicet ex prædictis necessario sequatur, unumquemque bonum eligere, seu verum sive apparens. Electio autem mala, per se ipsa peccatum non faciat; sed ipsius modus. Quod ad axioma illud attinet, fateor id verum esse, si boni appellatione illud bonum intelligatur, quod Relative bonum nominavi. Unusquisque enim, sine dubio, appetit illud, quod ipsi sit bonum, idque per se ipsum. At bonum absolute, id est Rectum, quatenus tantummodo est rectum, & sic per se ipsum, ab unoquoque appeti nequaquam concedo. Immo hic, si proprie loqui velimus, ne locus quidem appetentiæ est. Sed nego præterea id, quod infers, Si appetunt, ergo eligunt, quamvis id tibi patere videatur. Possumus enim aliquid appetere, nec tamen eligere; rationi nimirum non autem appetitui, ut ante dictum est, obsequentes. Quod si verum esset, quicquid appetitur id etiam eligi, nec aliter fieri posset; profecto, quicquid esset illud, quod appeteretur, sive bonum, sive malum, sive appetenti ita videretur, sive secus, nullus peccato esset locus. Ubi enim aliter fieri nequit, ibi nullum nec laus nec vituperatio locum habet, eoque nec peccatum, quod à vituperatione sejungi non potest. Ex quo apparet, nihil necesse fuisse, te axioma illud ponere; sed satis futurum, si dixisses, Quicquid appetitur, etiam necessario eligitur. Ergo nullus peccat. Consecutio enim fuisset optima, ejusque ratio manifesta. Si modo id verum est, quod tu pro concesso tacite sumis, nihil eligi, quod prius non appetatur. Quanquam satis est, quod quidquid peccati speciem habet, circa res, quæ appetitæ fuerint, versatur. Sed tu nimirum voluisti argumentatione tua id potissimum probare, nos in agendo illud sequi, quod bonum sit; unde videlicet perspicuum fiat, nos peccare non posse. Quis enim eum peccare dicat, qui bonum in suis actionibus sequatur? Atqui in hoc duplex est τῆς ὁμωνυμίας fallacia. Quarum alteram ipse sensisti, eique occurere es conatus; alteram ego paullo ante indicavi. Ea, cui tu occurrere tentasti, in eo est, quod bonum aliud est verum, aliud, ut loquuntur, apparens; & de vero, non autem de apparente bono rectissime dicitur, quod, quisquis illud in suis actionibus sequitur, non peccat; si modo (& hic altera est à me indicata fallacia) de absoluto, non autem, ut tuum axioma intelligi debet, de relativo bono loquamur. Neque enim propterea quis à vituperatione in actionibus suis abest, quod in eis id sequatur, quod sibi est bonum, ni simul quoque sit rectum. Ex quo solo fit, ut vel laudem actiones mereantur, vel saltem vituperationi non sint obnoxiæ. Jam ratio, qua priori τῆς ὁμωνυμίας fallaciæ obviam ire voluisti, probanda neutiquam mihi videtur. Siquidem ea regula, quam statuis, electionem malam non facere peccatum, sed modum, non est perpetuo vera. Nisi enim quis, cum malum eligit, putans, se eligere bonum, ignorantiæ suæ justam aliquam causam habeat, peccat: licet non tam graviter, ut is, qui novit, se malum eligere. Qua de re videndum est, quid scribat Aristoteles lib. 3, Ethicorum. Nam id, quod tu ex libro 5, ad regulam istam constituendam affers, de iis, qui, justa agentes, nec tamen modo quodam & fine, juste agere non censentur, te juvare non potest. Contrariorum enim, (ut vulgo hæc regula intelligitur) tunc eadem est disciplina, cum utrobique eadem ratio locum habet. Quod hic minime contingit. Nam ratio non justæ ignorationis nullum locum habet ad concludendum, eum, qui justa agat, licet non eo modo & fine quo debet, juste tamen agere; quem omnino habet, ut dixi, ad demonstrandum, eum, qui mala eligat, aut faciat, licet non eo fine, ut male agat, vel saltem sciens se male agere, peccare tamen & vituperatione dignum esse. Non esse autem horum contrariorum in hac ipsa re, qua de agimus, eandem disciplinam, vel id ostendere videtur, quod, ut pecces, satis est sine ulla controversia, si scias te malum aliquod committere, etiamsi in alium finem, quam, ut leges infringas, id committas. Sed, ut juste agas, non satis est, si scias, te justa facere, nisi præterea idcirco ea facias, ut legibus pareas. Quinetiam vix quenquam negaturum arbitror, ad juste agendum bonam mentem seu (quam vocant) bonam intentionem non esse satis. Cum tamen ad peccandum mala mens satis omnino esse videatur. De loco Platonis in Symp. quem ad eandem tuam regulam stabiliendam citasti, nihil affirmare ausim, cum librum non habeam. Sed quantum ex verbis ipsis, quæ protulisti, intelligi potest, apparet, Pla-

Platonem ibi de iis loqui actionibus, quæ per se sunt indifferentes, id est, nec bonæ nec malæ. Quales sunt illæ quæ ibi commemorantur, bibere, canere, colloqui. In his enim modus tantum est, qui eas malas, vel bonas efficit. Id quod nostri quoque theologi censuerunt. Verum nos loquimur de actionibus per se malis. Nec, utrum illæ sint malæ necne, dubitamus. Sed quantumvis malæ sint, quærimus, an is peccet, qui ita agit, credens interim se bene agere; sive, an is peccet, qui malum eligit, cum putet, se eligere bonum. Itaque tandem pluribus de causis non videtur argumentum tuum recte conclusum, aut ullam vim habere ad persuadendum, neminem esse, qui peccet. Verumtamen ea examinanda sunt, quæ, tanquam ad meas exceptiones responsurus, deinceps addis. In his enim major aliqua vis, quam in ipso argumento, esse fortasse potest. Ais igitur, dicere, nobis insitum esse, ut in utile rapiamur, cum tamen intelligamus, honestum præeligendum esse, nihil aliud videri, quam illud verissimum principium funditus evertere. *Quomodo enim*, inquis, *omnia bonum appetunt*, *si quod præeligendum*, *& consequenter majus bonum est*, *non etiam magis expetitur?* Hic Utilis nomine, si velis contra me loqui, necesse est omne bonum intelligere, quod Relativum nominavi; Honesti vero, quod per se bonum dixi. Jam nihil omnino absurdi in eo est, ut quis cognoscat, aliquid fieri potius debere, & interim tamen quidpiam aliud sibi magis bonum esse existimet; immo illud sibi malum, hoc vero bonum esse credat; unde fit, ut hoc faciat; illud vero omittat. Nam & quotidiana ipsa experientia atque usus id nos plus satis docet. Et hinc est vulgatissimum illud apud Poëtam, quod jam diu in proverbium abiit, *Video meliora proboque; Deteriora sequor.* Melius enim & Deterius hic eadem ratione dicuntur. Et Deteriora vocantur, quæ prava sunt, & absolute mala; quemadmodum Meliora, quæ sunt recta, & absolute bona. Sed durum tibi videtur, quenquam aliquid potius eligendum, censere, & id tamen non magis expetere. Fallacia παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν hic quoque, ni fallor, est. Si quidem verbum Eligendi duplicem significationem habere potest; prout vel ipsius eligentis ratio habetur, vel non habetur. Aliud enim est sibi eligere, aliud vero simpliciter Eligere. Sæpissime autem verbum Eligendi, licet simpliciter prolatum, sibi Eligendi, significationem habet. Si igitur hoc sensu verbum illud à te usurpatur, fateor honestum, id est rectum seu per se bonum à nobis præ relativo bono eligendum non intelligi, quin magis etiam expetatur. Verum hoc sensu non intelligimus, honestum potius eligendum esse, nisi prius nobis persuadeamus, illud, bonum nobis futurum. Quod si aliquando, quamvis ita nobis persuasum non sit, tamen id potius facimus; hoc non ideo fit, quia illud nobis ipsis potius eligendum intelligamus, & sic etiam magis expetamus; sed quia nihilominus faciendum omnino esse nobis persuademus; & sic illud altera illa, id est absoluta verbi Eligendi significatione potius eligendum intelligimus. Quæ significatio in verbo Græco προαιρεῖσθαι, quo & Aristoteles, & alii in universa de moribus tractatione utuntur, quodque ipse, ut arbitror præeligendi verbo reddere voluisti, aliquanto magis conspicua est, eaque sine dubio, non autem priore illa, quam Relativam nominare possumus, (idem enim hic nimirum, quod in bonis, quæ electionis sunt objecta, accidere necesse est) prædicti scriptores verbum illud usurpant. Hac igitur verbi Eligendi non relativa, sed absoluta significatione retenta, nulla est repugnantia inter hæc duo, aliquid præeligendum seu potius eligendum intelligere, aut etiam reipsa eligere, & tamen aliud quippiam magis expetere. Hoc enim appetitûs, ut ipsum verbum indicat, omnino est; illud vero rationis. Hoc bonum relativum prorsus requirit; illud absoluto bono satis habet. M. Attilius Regulus, cum ad exquisita supplicia, ut ait Cicero, sciens prudens Carthaginem Roma proficisceretur, nec supplicia sane, nec profectionem illam expetebat; nisi forte de ingente aliquo bono, quod ea ratione adepturus esset, cogitabat. Sed, ut verisimile est, apud suos in sua patria, quam tantopere diligebat, & esse, & quam diutissime felix vivere plurimum & potissimum cupiebat. Vicit tamen recti faciendi firma opinio sui ipsius boni insitam vehementemque cupiditatem. Quamobrem, quod postmodum infers, bonum per se expeti, & idcirco quod majus bonum sit, magis etiam expeti necesse esse, verissimum est, si de bono relativo loquamur, quemadmodum te hic loqui planum facit illud, quod deinde subjungis de perfectione, quam is, qui bonum aliquod appetit, ex eo quærat. Alioqui, quod rectum est, majus bonum censebitur, quam id quod dumtaxat nobis est bonum, id est dignius ac præstantius. Nec tamen magis expetetur hoc, quam illud. Immo illud, si proprie loqui velimus, expetetur, hoc vero minime, donec aliqua ratione constiterit, id, quod rectum est, facienti bonum etiam esse. Atque, ut aliam interim quandam ὁμωνυμίαν vitemus, animadvertendum est, me verbum expetere in verbis tuis pro appetere accipere. Quemadmodum illud à te ipso acceptum fuisse necesse est; nisi in tua ratiocinatione terminos, quod ajunt, mutatos esse dicamus. Hoc autem dico, quia alioqui nonnulla inter hæc duo verba (ut opinor) differentia est. Quandoquidem expetendi verbum non modo, ni fallor, appetitum, id est cupiditatem (ut semper fortassis verbum appetendi) alicujus rei sibi bonæ, sed simplex etiam quoddam alicujus rei eligendæ (jam enim in quem sensum eligendi verbum hic accipi debeat dictum est) propositum significare potest. Nam secundum hanc significationem potest quidpiam non solum potius eligendum videri, sed etiam magis expeti, nec tamen fieri. Cupiditate nimirum alicujus existimati boni sui ad aliud quidpiam faciendum impellente. Quod nullo modo verum esse poterit, si appetitus ipse verbo expetendi significetur. Etenim, si hæc duo simul jungantur, ut quidpiam potius eligendum censeatur, & simul magis, ut majus suum bonum appetatur, necesse est etiam, ut id omnino fiat; cum nihil fit, quod ad id faciendum non impellat. Si Aristoteles, qui in libro 7. Ethicorum hanc, quam in 3 etiam libro attingit perdifficilem quæstionem tractat, quomodo, præsente scientia possit quis esse incontinens, inter scientiam recti, & sibi boni, inter-bonum per se, & bonum relativum apertius distinxisset, facilius ejus solutionem vel invenisset ipse, vel certe nobis tradidisset. Nunc quia non aperte satis distinguit, non parum obscure, ut mihi quidem videtur ac perplexe loquitur. Concludit tamen fateor satis perspicue à cupiditate scientiam obscurari, & hominem vehementer cupidum mentis quodammodo impotem fieri; ut furiosis & temulentis, aut etiam dormientibus contingit. Quod etiamsi verum esse concessero (neque enim, ut ingenue loquar, id mihi plane probatur, & cum quibusdam aliis, quæ idem Aristoteles in eodem opere dicit, parum convenire videri potest) non tamen sequetur, recti scientiam, & sic, quod id fieri debeat, firmam opinionem cum incontinentia consistere nullo modo posse. Consistit enim ex mente ipsius Aristotelis eodem loco saltem ab initio, donec scilicet incontinentia obtineat. Qua scientia adhuc permanente, posset quis incontinentiæ obsistere. Et propterea nisi id faciat, peccat. Neque excusatur, si postea eo devenit, ut hujus scientiæ usum jam non habeat. Id enim ipsius culpa est factum. Cæterum, quod ex sententia Platonis statuis, omnem mali electionem ab ignoratione proficisci, unde constare possit, nullum esse crimen in eo, qui malum eligit; ubi enim ignoratio, ibi nulla culpa videtur esse. Ad hoc, inquam, respondeo, si ignorationis nomine ea tantum ignoratio intelligitur, qua, aliquid pravum esse, ignoramus, Platonicam istam opinionem minime veram esse. Cum certissimum sit,

sit, quemadmodum multi idcirco gravissime delinquunt, quod quid pravum, quid rectum sit ignorant, unde merito extitit sententia illa à te allata, quæ est apud Comicum, Homine imperito nihil quidquam injustius; sic complures multa facere sive eligere, non ignorantes interim, ea prava esse, nec porro fieri debere. Hinc apparet, nullo modo admittendum esse, quod ais, malitia nos agere non posse, quia finis semper obtineat rationem boni. Illud enim bonum, cujus rationem finis actionis obtinet, plerumque non opponitur malitiæ. Siquidem plerumque bonum istud, non id, quod rectum alioqui dicitur, & bonum per se à me appellatur, sed relativum est bonum. Neque vero ea ratio, quam ex ipso Platone in Menone affers, quidquam contra hanc manifestissimam veritatem concludit. Quod enim ait, unumquemque arbitrari mala obesse, falsissimum est, si Mala, prava significant. Quid enim impedit, quominus quis arbitretur, exempli caussa, latrocinium rem esse summopere pravam, & tamen ex eo se maximam utilitatem consecuturum existimet? Quapropter, quod infert, neminem miserum esse velle, nullum locum hic habet, cum opinione hominum, ex pravitate miseriam consequi, minime sit necessarium. Quanquam, neminem miserum esse velle, verum quidem omnino est, si per se tantum; sed non est omnino verum, si per accidens quoque id intelligi debeat. Tantum enim in quibusdam (ut fortassis in Regulo habuit, de quo supra dixi) rectum atque honestum vim habet, ut potius ea eligant, & faciant, ex quibus se miseros fore opinantur, etiamsi ipsam miseriam per se alioqui summe oderint, quam ut ab eo, quod rectum & honestum esse existimant, quidquam recedere velint. Quod si Ignorationis nomine ea etiam ignoratio intelligitur, qua nescimus, mala, id est prava nobis obesse, verissima est opinio ista Platonis, omnem mali electionem ab ignoratione proficisci. Pro concesso enim sumo (quod & disputatio nostra requirit, & tu alioqui frustra Platonis dicta commemorasses) Platonem hic Malorum nomine Prava intelligere, ea enim ideo eligit quispiam, vel quia ignorat esse prava, vel quia noxia esse non novit, tametsi ipse Plato ejus ignorationis tantum, quod sint noxia, videtur rationem habuisse. Nempe quia fortassis quærebat non simpliciter, cur eligantur prava; sed cur eligantur, etiamsi parva esse cognoscantur. Et inquit caussam esse, quia ignoratur, quod sint mala; plena quadam significatione hoc loco Malorum nomen usurpans; ut videlicet ea significet, quæ prorsus sunt mala, id est non solum prava sed etiam noxia. Namque in hunc sensum eo nomine accepto, quisquis ignorat, prava sibi obfutura, is simul ignorat, prava esse mala; quamvis interea sciat esse prava, & idcirco minime fieri debere. Si enim, quemadmodum hoc scit, sic etiam sciret, ea sibi obfutura, fieri non posset, ut ea eligeret. Itaque ex hac veri damni, quod secum mala id est prava, afferunt, ignoratione, cum alioqui scientia ipsius pravitatis adest, omnis electio malorum ejusmodi oritur; præsertim, cum hujus generis ignoratio latius etiam pateat, stulte opinantibus præterea iis, qui prava faciunt, ea multum sibi profutura. Quocirca merito, ut à te citatur, dictum est ab Euripide, malitiam magnæ signum esse imperitiæ. Sed non excusat crimen ignoratio ista, quantacunque illa tandem sit; cum scientia illa, saltem à principio, adsit, quod prava sint prava, & idcirco fieri non debeant. Testimonium Aristotelis, quod citas ex lib.3. Ethicorum cap.5. quasi ille affirmet, neminem sponte esse malum, contrarium, meo judicio, plane probat. Nam ex duabus sententiis, quæ senario illo continebantur, οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ᾽ ἄκων μάκαρ, alteram videri ait falsam, alteram autem veram: nempe falsam priorem, quod nemo sponte malus; posteriorem autem, quod nemo invitus, beatus, veram. Quemadmodum & antecedentia & sequentia verba apertissime ostendunt. Antea enim proxime dixerat, in nobis esse, ut simus probi, aut improbi. Postea vero illico diserte scribit, beatum neminem invitum esse. De sententia Platonis ex lib.5. de legibus desumpta, quod scilicet nemo sponte sit injustus, nihil statuere possum, cum, ut dixi, Platonis opera ad manum non sint. Verumtamen conjicere licet, Platonem dicere voluisse, neminem eligere, ut injustus sit propter ipsam injuriam: quod sane verissimum esse judico; nisi quis injuria afficiendi nimia assuetudine ita corruptus sit, ut ipsa injuria delectetur. Alioqui enim non per se ipsa injuria eligitur; sed per accidens, aut secundum quid; quatenus scilicet ex ea inferenda aliquid commodi aut capimus, aut, nos capere, credimus: atque hoc sensu verum etiam erit neminem, qui videlicet plane corruptus non sit, & homo quodammodo esse desierit, sponte esse malum. Malitia enim seu pravitas ipsa per se nequaquam eligitur; sed propter aliquod bonum, quod inde ad se redire homines arbitrantur. De sententia Galeni, quam profers, quasi is in libello de cognoscendis curandisque animi affectibus sentiat, peccata hominum à falsa opinione proficisci, id est, ab eo, quod quis falso id rectum esse existimat, quod est pravum, nihil habeo, quod vel negem, vel affirmem; cum & libello illo, & omnibus Galeni libris destituar. Sed tamen crediderim, Galenum non intellexisse, hanc caussam peccatorum esse perpetuam verum sæpe fieri, ut ob falsam istam opinionem homines peccent, adeo, ut flagitiosissimi etiam homines, non quidem omnes, sed aliqui, se optimos esse arbitrentur, tametsi, ut ejus sententia à te refertur, de flagitiosissimis quibusque id se animadvertisse ille dixerit. Namque, etiamsi (quod vix credo) ad hunc plane modum locutus fuerit ipse Galenus; tamen adhibendam ejus verbis interpretationem aliquam esse arbitror; ne alioqui id se animadvertisse eum dicentem faciamus, quod perspicue est falsum. Siquidem non flagitiosissimi modo homines, sed mediocriter etiam flagitiosi permulti, se non optimos, immo ne bonos quidem esse ingenue & fatentur, & agnoscunt; quamvis sua vitia non penitus perspecta habeant; præsertim si ea circa utilitates & honores versentur. Neque enim facile avarus aut ambitiosus, & quisquis iis vitiis laborat, quæ, tanquam rivuli, ex his fontibus manant, sua vitia nota habent. Latent enim quodammodo vitia ista cum alias ob caussas, tum ob hanc, quod perpetuo hominis animum obsident cupiditates istæ. At, qui iis vitiis sunt dediti, quæ circa voluptates versantur, ubi intemperantia & incontinentia potissimum apparet, & quædam remissiones atque intercapedines ipsius cupiditatis dantur, facile ipsi sua vitia bene norunt. Ac complures etiam ex ipsis, ubi aut remisit, aut satiata cupiditas est; qua modo tenebantur, se ipsos graviter culpant atque accusant, eosque vehementer laudant, qui temperantes aut continentes sunt. Jam quod addis, non aliam ob caussam fieri, ut, quod nunc nobis probatur, idem mox displiceat, nisi quod modo sub boni, modo sub mali ratione, sese nobis offerat; animadvertendum est, quid nobis aliquid probari, quidve displicere intelligas; quid item bonum, quid malum voces. Nam si nobis probari, idem apud te est, quod Reipsa à nobis eligi, Displicere autem, Respui, dico fieri posse, ut aliquid bonum nobis videatur, nec tamen id reipsa eligamus; sive Bonum, id, quod rectum sit, voces; sive id, quod nobis sit bonum. Quandoquidem & à recto reipsa eligendo, potest nos revocare opinio, quod id nobis nequaquam sit bonum; & ab eo, quod nobis bonum sit, retrahere potest persuasio, quod non sit rectum. Atque eadem prorsus est displicentiæ & mali ratio. Sin autem, id nobis probari, intelligis, quod potius eligendum judicamus, displicere vero, quod vitandum; cum hoc judicium sæpe effectus non consequatur, ut modo indicavi, & supra latius exposui, non potest hoc ad quæstionem nostram pertinere, in qua de ipsis actionibus disputatur. Sed

postremo ais, in nobis quidem uno & eodem tempore diversas sentiri appetitiones; accidere enim sæpenumero, ut, quod sensus probat, ratio detestetur; nihil tamen obstare, quominus id eligatur, quod ratio bonum judicat; cum electio voluntatis sit, voluntas autem subjecto à ratione non distinguatur. Hæc autem idcirco dicere videris, ut ostendas, quicquid contentionis in aliqua re eligenda in nobis oriatur, id tamen semper eligi, quod ratio eligendum judicat; & sic, quod apud nos boni respectu mali, vel majoris boni respectu minoris rationem habet. Et propterea nullum vituperationi in actionibus nostris locum esse. Atqui non omnis contentio, quæ in nobis oritur circa alicujus rei electionem, inter rationem est, & sensum; immo vix contentio vocari potest ista. Simul atque enim aperte constiterit, aliquid, quod, exempli gratia, dulce gustatu est, esse mortiferum, non jam jubet sensus, ut id comedatur; sed rationi ostendenti vitam brevissimæ delectationi anteponendam esse, prorsus acquiescit. Quod si vel id mortiferum esse aperte non constet, vel nihilominus tamen sensus rationi repugnet, facile etiam fiet, ut non ratio sed sensus vincat. Nam quod asseris, voluntatem, cujus est electio, à ratione subjecto non distingui, id in ejusmodi rebus eligendis vere dictum esse potest de voluntate non corrupta neque decepta. Verum sensus objecto aliquo vehementer allectus, voluntatem corrumpere, aut decipere potens est. Contentio porro vera & potissima, quæ in nobis oritur, cum de re aliqua eligenda quæritur, non inter rationem istam, quæ sensui opponitur, quæque inferior ratio est, atque, ut dixi, hominis appetitu continetur, & bestiis quoque aliquo modo inest, sed inter superiorem rationem est, & appetitum cui hæc ratio opponitur; quæ nullo pacto eadem est subjecto cum voluntate, à qua electio pendet. Immo sæpissime voluntas appetitui adhærens id eligit, quod minime eligendum ratio superior judicabat; quamvis sæpe etiam superiori rationi adhærens id eligat, quod appetitus respuendum censebat. Adeo ut quis id ipsum interdum eligat, quod ipse sibi malum esse opinatur. Et contra id ipsum respuat, quod ipse sibi bonum esse putat. Nempe, quia, rectum esse, ut ita faciat, quemadmodum sibi persuadet, sic etiam re ipsa comprobare statuit. Tanta enim humanæ voluntatis libertas & vis est, ut non bestiarum more illud tantum eligere cogatur homo, quod appetierit, quodve sibi bonum esse judicaverit; sed illud etiam eligere reipsa possit, quod nec appetierit, & sibi malum esse censuerit; modo id rectum esse, arbitratus fuerit. Ex quo intelligi par est, humanam voluntatem, cujus est electio, cum ipsa ratione inferiore (hæc enim sine dubio hominis bonum quærit, & malum aspernatur) non esse simpliciter subjecto eandem, etiamsi nec corrupta nec decepta fuerit, sed ad ipsam rectitudinem conformata. Cujus rectitudinis quoniam bestiæ, ut pote superiore ratione destitutæ, capaces non sunt, propterea id solum sequuntur, quod, ut suum bonum, appetunt. Sed tu in tota disputatione tua hujus rectitudinis à suo ipsius bono distinctæ nullam propemodum in homine ipso rationem habere videris, atque id demum rectum esse constituere, quod facienti futurum sit bonum; & quidquid homini tribuis, quod eum hac in re à bestiis secernere queat, id omne in exquisitiore sui boni cognitione, & cautione, ne sensus isti externi decipiant, collocare. Etenim illud ipsum, quod affers, de iis, qui se, veritatis, ut inquis, tuendæ causa, singulari exponunt certamini, nequaquam ad hanc rectitudinem pertinet. Quamvis enim ad bonum honestum alios secutus hoc referas, ὁμωνύμως tamen id facis. Quandoquidem in tuis verbis, si ea vera esse debent, Honesti nomine non id, quod rectum, sed, ut sic dixerim, honoratum sit, intelligere oportet. Nec enim revera, ut ipsam veritatem tueatur exponet se quisquam ejusmodi discrimini; sed ut honorem decusque suum aut conservet, aut etiam augeat. Quare non recti, sed sui boni causa id facit. Ex quo fit, ut multi quantumvis norint, se injustam causam defendere, singulare certamen non modo provocati sed ipsi sua sponte subeant, & alios provocent. Fateor equidem, si hominis natura simpliciter & per se consideretur, id est, nullo cultu, nulla prorsus disciplina adhibita, facile fieri posse, ut recti & pravi à suo ipsius bono & malo distincti, aut nullum, aut exiguum discrimen homo habeat. Sed præterquam quod ipsi homines seipsos erudierunt, atque excoluerunt, Deus etiam ab ipso initio humanum genus oraculis suis recti & pravi istius cognitione imbuit; cum prius admirabili plane consilio ei talem mentem indidisset, quæ illius potius, quam sui ipsius boni & mali rationem habendam judicaret. Nam absque hoc profecto nec virtuti, nec vitio, eoque nec laudi, nec vituperationi, iisve, quæ hæc consequuntur, præmio & pœnæ locus esse potuisset.

Hæc erant B. præstantissime, quæ in præsentia de tota hac quæstione ad te scribenda, tuisque argutis rationibus opponenda ducebam. Quæ si minus tibi satis fecerint, haud sane mirabor; cum mihi neminem adhuc ex varii generis non paucis scriptoribus qui nodum hunc solvere tentarunt, legere contigerit, in quo non aliquid, idque magni, ut mihi quidem visum est, momenti desideraverim. Quanquam ita mihi (temere fortassis & arroganter) persuadeo, si quod sentio, plane etiam ac perspicue eloqui possem, futurum, ut non tibi solum, qui & facili & exculto admodum es ingenio, aliisque tui similibus, sed etiam omnibus, qui nec plane rudes, nec pertinaces essent, meam sententiam & rationem tantæ controversiæ decidendæ probarem. Mihi quidem ipsi, annos abhinc circiter undecim, ex quo hac de re serio cogitare cœpi, in dies magis adeo illam probavi, ut in clarissima veritatis luce jam dudum versari mihi videar; nec quidquam sit, quod in universa hac disputatione me suspensum ulla ex parte detineat. Utinam id tibi quoque aliquando eveniat. Quod profecto fiet, si ingenium eruditionemque tuam ad fundamentum totius moralis philosophiæ, omnisque adeo pietatis & religionis (nam de eo, ut probe nosti, hic agitur) stabiliendum, non autem evertendum aut labefactandum converteris. Ut autem apertius videas, quanti ego hujus quæstionis veritatem faciendam censeam, mitto tibi theses (ut vocant) quasdam meas, de causa & fundamento in ipso homine fidei in Deum, quas à me extorserunt quodammodo aliæ quædam illius Itali nostri viri nobilis, cui mecum, ut scis, de religione parum convenit, eadem de re scriptæ & mihi ab ipso, ut de eis coram amicis quibusdam disputaremus, oblatæ, quæ quamvis sæpius tum ex privatis monitionibus meis, tum ex ipsis disputationibus nostris emendatæ ab ipso & correctæ fuerint, nullo tamen modo mihi satisfacere unquam potuerunt. Vale amice optime ac suavissime; & si quid fortasse, dum tuas rationes, & testimonia refellere ac diluere conor, imprudenti mihi excidit, quod tuum animum offendere queat, id amicitiæ nostræ prorsus condonatum velis. Ex agro Paulicoviano 5 Cal. Jan. 1584.

AD

MATTHÆUM RADECIUM

Olim Secretarium Amplissimæ Reipublicæ Gedanensis.

EPISTOLA I.

Salutem à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo, &c.

QUatuor ab hinc dies redditæ sunt mihi, Domine ac frater in Domino plurimum colende, literæ tuæ penultima die mensis Augusti datæ: ad quas, simul atque otium aliquod sum nactus, respondendum mihi censui, quamvis nondum certum ullum nuncium haberem. Videbam enim te, non tua solum sed aliorum etiam fratrum, qui isthic sunt, caussa vehementer cupere, ut primo quoque tempore, sententiam meam, de communione vestra nec ne instituenda, literis ad te datis, libere aperirem. Primum igitur summas gratias tibi ago, quod me necdum de facie notum tam amanter per literas prior salutare volueris, & me idem erga te facere cogitantem præveneris, ac diutinam hac in re negligentiam meam mihi excusseris. Jam diu enim, id est, ex eo tempore, quo Cracoviensibus fratribus de vobis aliquid significatum est, & pietas, & virtus tua mihi satis nota fuit. Quare tanti viri amicitiam mihi conciliare maximopere jam tum expetivi, sperans fore, ut ipsa amicitia nostra ad Dei gloriam, & nonnullorum salutem promovendam, non parum momenti, Deo ipso bene juvante, esset allatura. Et sane, nisi sæpius sperassem, idque variis de caussis, futurum; ut isthuc ad vos proficiscerer, & aliquot diebus vobiscum essem, ego meis literis tuas antevertissem. Doleo equidem, me eum non esse, quem vos animó concepistis, nisi quod revera, ut de me audistis, nulli sectæ sum penitus addictus, & quamvis ad eam Ecclesiam, quatenus bona cum conscientia potui, me prorsus adjunxerim, quæ cæteris purior mihi est visa, non tamen alias vel condemno, vel ulla ratione aspernor, sed omnes, in quibus vox præceptorum Jesu Christi Domini nostri resonat, atque exauditur, licet in quibusdam dogmatis, quæ ad ipsa præcepta non pertinent, non recte sentire mihi videantur, pro veris Christi Ecclesiis agnosco, & quicunque eadem præcepta conservant, vera Christi membra esse statuo. Interim tamen eos minime probo, qui dogmatum religionis nostræ ad salutem non necessariorum veritatem inquirere negligunt. Sunt enim multa, licet non necessaria, tamen apprime utilia, & ex quibus bene cognitis fit, ut Jesu Christi præcepta (qua in re, ut dixi, universam Christianam pietatem pono) multo facilius serventur. Immo vigent hodie etiam in iis Ecclesiis, quæ præceptorum Christi veram cognitionem habent, dogmata quædam, quæ licet per seipsa salutem plane non adimant, tamen vix eorundem præceptorum conservationem admittunt, sine qua nulla salus esse potest: qualia sunt ea, quæ ad justificationem nostram, & divinam providentiam, humanasque vires, in pietatis negotio pertinent. Multo autem magis eos vitupero, qui cum ejusmodi dogmatum, quæ ad pietatem maxime conducunt, veritatem teneant, eam tamen non modo alios docere non student, sed prorsus dissimulant, ac silentio supprimunt; nec sese palam iis cœtibus conjungunt, in quibus præter veram cognitionem mandatorum Christi, ea veritas retinetur. Verum longius evagor, quam propositum mihi fuerat. Itaque jam ad sententiam meam de communione vestra, nec ne instituenda exponendam accedo, quod ea libertate faciam, quam & tu à me requiris, & res ipsa omnino postulat. Ego igitur, nondum videre possum, quid vos à conveniendo, à precibus simul habendis, à verbo Dei in conventibus vestris explanando, & adhortationibus ad vitæ innocentiam & sanctitatem proponendis, à memoria denique mortis Christi pro nobis celebranda, retrahere debeat, cum hæc partim ab ipso Christo, ejusque Apostolis in perpetuum mandata & præscripta fuerint, partim ejusmodi sint, sine quibus, propter humanam fragilitatem, necesse tandem sit, ut omnis charitas, & veræ pietatis studium refrigescat, ac propemodum intereat. Quare, si vobis, ut scribis, & mihi penitus persuadeo, nihil nisi animarum salus, cordi est, omnino, (ut quidem mihi videtur) curare debetis, ut ista à vobis non omittantur; illa Apostoli verba præ oculis habentes Heb. 10.24, *consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis, quanto videtis appropinquantem diem.* Nam quod quidam ex vobis ajunt, post Apostolorum tempora secutam fuisse defectionem, & propterea sine speciali mandato communionem instaurandam non esse, & qui id tentarunt, adeo confusum habere sermonem, ut alii alios non intelligant. Primum animadvertendum est, defectionem istam non fuisse ejusmodi, quæ nullam Ecclesiam aspectabilem reliquerit, & fundamentum quod est Christus Jesus subtraxerit. Ubicunque enim Christi doctrina, quod ad ejus præcepta attinet, illibata conservata fuit, ibi sine dubio ipse Jesus Christus fuisse vere dici potest, nec, donec idololatria in universum Christianorum (qui appellabatur) cœtum invecta fuit, quæ Christi & Apostolorum ejus præceptis penitus adversatur, plena fuit defectio; post quam cum Deo placuerit sui cognitionem inter homines instaurare, idololatriam paullatim prosternere, nihil est opus speciali aliquo mandato ad sacros conventus peragendos, & ita in Christi nomine sese congregandos, ipso Christo præsertim diserte contestante, ubi duo aut tres congregati in ipsius nomine fuerint, se futurum in medio eorum Math. 18. 20. Quocirca nullo modo metuenda est confusio ista, si modo revera in ipsius Christi nomine conventus fiant, neque enim vel permittet ille eam existere, vel talem esse, quæ cœtum dissipare queat. In Christi vero nomine, congregabuntur revera ii omnes, qui hoc unum sibi propositum habebunt, ut ei confidant, atque obediant, & quicunque hoc fecerint, pro fratribus habere velint, etiamsi alioqui in sententiis de religione non admodum conveniant. Exempla eorum, qui post veram defectionem communiones memoria nostra resipiscentium hominum instituerunt, nos potius ad eas instituendas exhortantur, cum vel nulla inter ipsos confusio secuta sit, vel plerumque non talis, quæ cœtus dissipaverit: immo certum sit, eorum communiones potissimam caussam fuisse, ipsorum doctrinæ longe lateque propagandæ. Verum est quidem, præcipue mentem nostram ex præscripto mandatorum Dei esse purgandam, sed neque hoc sat commode sine apertis ex verbo Dei monitionibus iisque frequentibus fieri potest nec satis est corde credere ad justitiam, sed necesse est ore etiam confessionem facere ad salutem Rom 10.10! Necesse est, inquam, ut is, qui velit merito verus Christi discipulus appellari, non modo mentem ab

omnibus inquinamentis perpurgatam habeat, ipsaque facta puritati isti respondentia, sed etiam talem se esse palam profiteatur, ubicunque ejus rei occasio & commoditas sese obtulerit. Quod cum multis modis fieri possit, nullus tamen inter eos, qui perpetui quodammodo sunt, præstantior modus seu ratio esse videtur, quam frequenter cum aliis, qui tecum sentiant, convenire, & una cum illis exercitium aliquod tuæ religionis habere, idque si per Magistrum liceat, in oculis omnium. Quod si Magistratus hoc nequaquam permittat, tunc occultius, ut ab omnibus veris Christianis, ejusmodi temporibus factitatum semper est, conveniendum existimo, si non aliam ob caussam, collaudandi saltem & concelebrandi Dei & Christi gratia. Hic enim cultus est illi debitus, quem si quis non præstat, is in maximum inter divina præcepta non leviter peccat. Turbæ & clamores, fateor, vitandi sunt, & quam quietissime vivendum. Sed hoc intelligi debet, quotiescunque citra turbas ullas aut clamores Deus coli, & proximorum saluti consuli potest. Cæterum, si sine aliquibus turbis, & clamoribus id fieri nequit, est Dei gloria & hominum salus isti quieti omnino anteponenda, nec aliter à communione abstinendum, quam si appareat fore ut persecutio aliqua gravior excitetur, qua fiat ut omnia prorsus dissipentur, & in pejorem statum res redigantur, quam si nulla communio instituta fuisset. Cavendum est enim omnino ab eorum sententia, qui nolunt, hodie ullam vel esse, vel esse posse aspectabilem Christi Ecclesiam, quia videlicet non conspiciantur hoc tempore dona illa cœlestia, & Spiritus Sancti operationes; quæ non solum Apostolorum ætate, sed etiam post aliquanto fuerunt ut Justinus, Irenæus, & alii scriptores fidem faciunt, (unde tamen interim perspicuum est, quod dixi, statim post Apostolos non talem fuisse defectionem, quæ omnes aspectabiles Ecclesias sustulerit) neque animadvertunt, conspicua illa charismata ad Christi doctrinam confirmandam ad tempus exhibita esse, nec simpliciter & absolute Ecclesiæ Christi signa, sed pro eo tempore tantum fuisse. Hæc pauca vir humanissime, ut tibi satisfacerem de hoc argumento scripsi, quæ si tibi & aliis fratribus probari intellexero, vehementer lætabor, nec erit, quod quidquam amplius eadem de re scribam. Sin minus, aliud fortasse exactius & uberius scribere aggrediar. Interea mei, in tuis & aliorum precibus ad Deum fundendis, mentionem assidue fieri, plurimum opto, ut si qua fieri possit vos aliquando invisam, & consolationem ex vestra in Dominum Jesum fide, & purioris veritatis divinæ cognitione accipiam. Deus vos omnes, teque in primis vir optime atque ornatissime perpetuo juvet, & suis donis in dies magis augeat ac ditet. Vale Cracoviæ, die 24 Septembris 1584.

Præstantiæ tuæ addictissimus

F. S.

Ad eundem Matth. Radecium

EPISTOLA II.

Salutem & pacem à Deo patre & Domino Jesu Christo &c.

Vix dici potest, quantopere doluerim, vir eximie, & amice ac domine mihi summa observantia colende, quod literæ, quas invicem alter alteri scribimus, tam sero nobis reddantur. Video enim ex literis tuis, quibus ad meas respondisti, te meas non accepisse, nisi duobus post mensibus & eo amplius. Ego vero tuas aliquanto etiam tardius accepi, id est, non nisi paucos ab hinc dies, cum illæ die 9 Decemb. datæ fuerint. Et sane optarim, ut si nobis (quod tu à me humanissime postulas, & ego vehementer cupio) in hac literarum vicissim scriptione, perque eas inter nos collocutione perseverandum est, ratio aliqua earum mittendarum institueretur, qua fieret, ut celerius redderentur. Eam vero tu multo facilius ac melius, quam ego, excogitare atque invenire poteris. Inquiram tamen & ego, num huic incommodo medicina aliqua reperiri possit. Sed jam ad literas tuas accedo, & quantum meæ occupationes mihi permittunt, ad eas respondere aggredior.

Primum placet mihi mirum in modum, quod erraverim ex prioribus tuis literis colligens, aliquos esse inter vos, qui cœtus habendos esse iis, qui ex Antichristianis tenebris emergunt, prorsus negarent, quodque nemo inter vos dubitet, quin conveniendum vobis sit, ubi & de divinis rebus sermo instituatur, Deique verbum examinetur atque explanetur, & Deus precibus ac laudationibus communiter colatur. Nam si hoc constanter retinueritis, omnia recte se habebunt, & Deus ipseque dominus Jesus Christus vobis aderit, quippe in suo nomine congregatis, vosque indies ad majorem veritatis cognitionem certioremque vestræ salutis rationem sine dubio perducet. At vero deinde non satis intelligo, cum apertius explicare conaris, quid illud sit, de quo inter vos dubitetur, immo quod quidam ex vobis, tuque potissimum satis firmiter asseratis; Nempe non esse hoc tempore Ecclesiam illam Apostolicam & primævam instaurandam sine speciali aliquo mandato; propterea quia defectio post ipsos Apostolos plena fuerit, adeo ut ipsum quoque fundamentum fuerit sublatum. Non satis intelligo, inquam, quid vos Apostolicæ illius primævæ Ecclesiæ nomine intelligatis. Etenim, si, ut ex tuis verbis colligi potest, eam Ecclesiam intelligitis, quæ nullo modo errare possit, idque ipsamet jure sibi persuadere queat, nulla unquam fuit talis Ecclesia, etiamsi de erroribus loquamur, qui æternam salutem adimere possunt, nisi Ecclesiam ipsos tantum Apostolos intelligi velimus; quos sane in iis, quæ ad æternam salutem omnino pertinent, errare non potuisse, & ratio manifesta, & Christi apertissima verba atque promissa plane demonstrant. Cæterum Ecclesiam illam universam, cujus ipsi Apostoli fundatores fuerant, id est, cœtus hominum Christum profitentium, quotquot ab ipsis Apostolis fuerant instituti, errare potuisse atque seduci, dum adhuc ipsi Apostoli viverent, illorumque curam gererent, idque etiam in iis, quæ ad æternam salutem spectant, satis ostendunt Pauli Epistolæ, præsertim vero ea, quam ad Galatas scripsit. Quod si non eam quidem Ecclesiam intelligitis, quæ errare nequeat, sed quæ tamen non erret, seque minime errare sibi persuadeat in iis, sine quibus nemini æterna salus contingere potest, qualis sine dubio Apostolorum tempore aliqua Ecclesia erat, ex cœtibus constans, qui ab ipsis instituti fuerant; non video, cur talem Ecclesiam instaurare, etiam sine speciali mandato, tentare pii homines non possint; immo cur talis Ecclesia & post Apostolorum tempora diu fuisse, & hodie esse, dici merito nequeat. Nam quod affirmatis, post ipsos Apostolos plenam defectionem fuisse, sublatumque ex eo tempore ipsum fundamentum esse, hoc mihi nulla ratione probari potest: quemadmodum in alteris meis literis ad te scripsi, in quibus, ut ex ipsis tuis literis intelligo (mearum enim nullum exemplum mihi reservavi) rationem etiam attuli, cur hoc mihi non probaretur, ad quam nihil mihi respondere videris, & tamen petis, ut assertionem vestram falsam esse demonstrem, cum potius, etiamsi ullam sententiæ meæ probationem attulissem, jure à vobis quærere ego possem, ut quæ ita constanter de plena defectione & sublato fundamento asseveratis, mihi demonstrare velitis. Ratio, quam afferebam, hæc est; quod ad Christi aspectabilem Ecclesiam (de hac enim loquimur) constituendam nihil aliud requiratur, quam vera cognitio præceptorum Christi. In Christo siquidem, ut Paulus ait 1 Cor. 7. 19. Gal. 6. 15, nil nisi nova creatura valet, & observatio mandatorum Dei; quæ videlicet per Christum dedit; fides denique quæ per dilectionem operatur Gal. 5. 6. Una enim dilectione omnia Christi præcepta continentur. Et Johannes ait 1 Joh. 2. 10,

quod,

quod, qui fratres diligunt, in lumine manent, & scandalum in eis non est, suntque translati à morte ad vitam 1 Joh.3.14. Breviter, si quis cognoscere velit, ad salutem æternam adipiscendam nihil aliud requiri, quam conservationem præceptorum Christi, præter multa ipsius Christi verba id aperte significantia, & alia complura ipsius Apostolorum dicta, legat præcipue Johannis primam Epistolam; in qua id ita iuculcatur, ut nemini dubitandi occasio ulla relinquatur. Quis vero ausus fuerit negare, eam esse veram Christi aspectabilem Ecclesiam, quæ doctrinam habeat, quæ satis sit ad salutem æternam consequendam? Atqui & post Apostolorum tempora diu fuisse, & nunc esse posse hominum cœtus, qui Christi præcepta teneant, nemo, arbitror, negare ausus fuerit. Nam quod de fundamento sublato dicitis, intelligentes nimirum, post Apostolorum tempora sublatum fuisse fundamentum, quia cognitio vera essentiæ Dei & personæ Jesu Christi obscurata & abolita fuerit, hoc & cum eo pugnat, quod modo ostendi, ad salutem æternam satis esse Christi præcepta servare; nec ullo modo verum esse demonstrari poterit. Est quidem Deus & Christus fundamentum salutis nostræ; sed non quatenus eorum essentiam & substantiam recte novimus; sed quatenus Dei voluntatem per Christum patefactam tenemus. Vita æterna est cognoscere patrem illum, qui est ille solus verus Deus, & quem misit Jesum Christum. At in Sacris Literis Deum & Christum cognoscere, non significat utriusque essentiam vel substantiam novisse, sed voluntatem, eique se obedientem præstare. Adde, quod etiamsi ex Christi verbis illis intelligendum esset, cognosci debere, quod Christi ipsius pater sit ille solus verus Deus; id quod nullo modo mihi videtur, quippe qui verba illa, *illum solum verum Deum*, ut modo indicavi, per appositionem legenda omnino censeam; ut perinde sit, ac si dictum fuisset, *qui es ille solus verus Deus*, non autem, ut Theodoro Bezæ placet, *solum esse verum Deum*, possimque interpretationem meam, immo & Erasmi, & aliorum quorundam, firmis rationibus ex ipsis Græcis verbis eorumque propria significatione petitis comprobare. Sed etiamsi, ut dixi, altera interpretatio verissima esset, tamen cognitio ista sine ulla controversia usque ad tempora Concilii Nicæni, & aliquanto post inter eos, qui Christum profitebantur, esse non desiit. Per totum enim illud tempus ut ex omnium, qui tunc extiterunt, scriptis liquet, ille unus verus Deus, quem passim sacra testimonia prædicant, solus pater Jesu Christi est creditus; & qui contrarium sentiebant, ut Sabelliani, & eorum similes pro hæreticis plane sunt habiti. Quinetiam, postquam opinio trinitatis personarum in una Dei essentia, qualem Antichristiana Ecclesia defendit, invecta est, & totum ferme Christianum orbem occupavit, adhuc ipsi patri prærogativa quædam est reservata, ut non immerito, illa etiam falsa opinione consistente dici possit, Patrem pro illo solo vero Deo fuisse agnitum. Sed non est nunc hac de re latius explicandi & disserendi tempus, præsertim cum ego non negem, nec negare mihi sit opus, sub Antichristo plenam defectionem fuisse. Atqui ego Antichristum, illum scilicet magnum, hominem illum perditum, à Paulo Apostolo potissimum prædictum, non ante extitisse judico, quam Romani episcopi primatus extitit. Nam etiam tum primum Christi præcepta passim convelli cæperunt, & pro vero Dei cultu idololatria aliqua induci. Ante vero, quam homo ille perditus à Paulo prædictus, & sic, ut ego interpretor, episcopi Romani primatus extiterit, etsi ego nihil dubito, plenam defectionem non fuisse, hoc tamen nihil ad rem pertinet, de qua loquimur. Nam si ulla vis est in ratione hac plenæ defectionis, satis est, eam demum extitisse, nostrumque sæculum in eam incidisse. Verum quid vetat, quominus hodie instaurari Apostolica Ecclesia possit sine speciali mandato, etiamsi plena defectio jam extiterit, & ad hæc usque tempora pervenerit? immo instaurationi quodammodo locus non esset, nisi plena defectio jam extitisset, & Ecclesia collapsa esset. Neque enim defectio ista ea abstulit, unde instaurari Ecclesia possit. Summa enim Dei providentia & consilio admirabili factum est, ut Apostolica scripta conservata fuerint, ex quibus, qualis vera Ecclesia esse debeat, facile intelligi potest, nec solum conservata sunt, sed omnium, qui Christi nomine appellantur, consensu recepta, & pro divinis habita. Nec est quod quis causseretur, ea obscura esse, neque eorum sententiam percipi posse, nisi Deus peculiari aliqua ratione, de qua nobis constet, mittat, qui illa explicet atque explanet. Namque ab omni verisimilitudine abest, Apostolos ea scripsisse, quæ per se satis aperta non essent, nec ullo modo credendum, Deum, postquam primi illi nominatim à Christo ad suam fundandam Ecclesiam missi defecerunt, non curasse, ut aliquod monumentum ipsorum doctrinæ perpetuo extaret, unde semper vera Christi religio, quæ ubi est, ibi veram quoque Christi Ecclesiam esse oportet, peti posset. Quod si tamen factum est, ut Apostolica scripta à plerisque diu intellecta non fuerint, id non illorum obscuritati, sed hominum vel malitiæ, vel perquam exiguo pietatis studio tribuendum est & cum Paulo dicendum 2 Cor.4.3,4, quod si Christi Evangelium & Apostolorum, (quod sine dubio Apostolicis scriptis continetur,) opertum est, iis, qui pereunt, est opertum, quibus Deus hujus seculi mentes excœcavit. Quamquam quidquid mali & defectionis inter Christiani nominis homines extitit, aliunde potius, quam ex non intellectis, quantum satis erat, Apostolorum scriptis ortum est. Immo ausim ego asserere, eos, qui primi omnium eos errores in Christianum orbem invexerunt, quibus æterna salus convellitur, & Christi Ecclesia diruitur, avaritia, aut ambitione, aut certe aliquo alio injusto animi affectu, & simul suæ mentis vanitate ductos, ea pro divinis præceptis, atque sententiis & dogmatis vulgo obtrusisse, quæ cum Apostolicis aliisque antiquioribus Sacris Scriptis minime convenire, ipsi neutiquam ignorabant. Nam neque aliunde factum est, ut, cum ipsi cæteris præessent, omnia sacra verba in Ecclesia ea lingua recitari non destiterint, quam non amplius vulgus intelligebat, & tandem lectione sacrorum librorum plebs universa interdicta fuerit. Non est igitur, quod dubitemus, quin postquam Deo benignissimo visum est, ut passim legi cæperint scripta Apostolica, idque, ut olim, ea lingua, quam cunctus populus intelligat, simul etiam ab eodem Deo nobis restitutum fuerit, quo collapsam Christi Ecclesiam instaurare, citra ullum aliud speciale mandatum, omnino possimus, atque adeo debeamus. Jam quod addis, veræ Ecclesiæ Christi & credentium signa esse in Christi nomine miracula facere, quæ cum hodie non fiant, certum sit Apostolicam Ecclesiam cessasse. Primum hoc ostendere potest, nullam extare hodie talem Ecclesiam; non autem non esse conandum, ut eam instauremus. Quanquam video, te hoc ipsum contendere, nullam esse hodie talem Ecclesiam; de quo postea explicatius aliquid dicam. Deinde, si recte ratiocinaris, concludendum est, neminem hodie esse, qui in Christum credat; & ita, cum sine Christi fide salus æterna nemini à Deo offeratur, neminem salutis æternæ certam spem habere posse; aut certe frustra quemquam hodie de Christiana religione vel loqui, vel etiam cogitare. Quid enim? Nunquid Christiana religio sine fide in ipsum Christum consistere potest? Atqui tu ipse concedis, dari hodie, aut certe dari posse, qui Christi nomine invocato ab injustitia recedant; ergo & qui in Christum credant. Quomodo enim, inquit Paulus, eum invocabunt, in quem non credant? Et sane ex superiore tua ratiocinatione, junctis iis verbis, quæ scribis, nullam firmiorem videri regulam, quam quod apud omnes nationes, qui Deum metuit & justitiam exercet, ei acceptus sit, nisi ista de Christi nomine invocando & addidisses, & repetiisses,

potuisset quispiam non omnino injuria suspicari, te in ea sententia esse, ut nemo hodie adhuc sit, qui in Christum credat; eos tamen fore salvos, qui alioqui Deum metuant, & justitiam exerceant quicquid tandem de Christo ejusve religione noverint, aut persuasum habeant. Quam sententiam ego & falsam & perniciosam admodum esse arbitror: eamque hic refellerem, si vel tantum otii esset, vel te ab ipsa alienum esse, penitus persuasum non haberem. Te tamen rogo, ut apertius aliquanto, quid hac de re sentias, ad me scribere velis; id enim (mihi crede) non sine utriusque nostrum fructu & utilitate futurum est; quæcunque tandem revera sit sententia tua. Sed urges, ut apparet, plane nullam dari hodie Ecclesiam, quæ primævæ illi Apostolicæ similis sit; vel ob hoc, quod nota ista & tessera Apostolicæ Ecclesiæ absit, faciendi miracula aut certe, hac nota & tessera absente, temerarium esse asserere, hodie talem Ecclesiam inveniri. Hoc verum esset, si nota ista & tessera perpetua futura fuisset; sed non futuram fuisse ejusmodi, jam ex eo ostendi, quod alioqui nullus hodie esset, qui in Christum crederet; in se enim credentibus nominatim ea à Christo adjecta est. Adde, quod caussa, cur adjecta fuerit, satis manifesta est, ea videlicet, quam ipse attingis, ut Christi doctrina confirmaretur, quod cum jam factum fuerit, cessat caussa ista; & propterea nihil est, cur effectum postulemus. Nam quod respondes, illustratam quidem & confirmatam fuisse Christi doctrinam; sed certa etiam signa illi fuisse adjecta, tanquam ejus veras notas & tesseras; hoc nihil aliud est, quam eodem revolvi, atque, ut dialectici loquuntur, principium petere. Siquidem nego, signa ista, ut veram, id est perpetuam notam & tesseram, Christi doctrinæ ab ipso fuisse adjecta, sed tantum pro tempore ad eam confirmandam addita. Quinetiam affirmo, ea, si perpetua fuissent, religionis rationi obfutura, & fidei experimentum, ut sic dixerim, ac meritum, ut quidam loquuntur, ademtura; nec ullum denique inter bonos & malos discrimen relictura. Quis enim tam perversus fuisset, qui si Christi doctrina perpetuo conjuncta ista signa habuisset, eam tandem non recepisset, non quidem justitiæ & sanctitatis, quam ea continet, amore, sed certa spe ingentis, atque adeo sine ulla comparatione omnium maximi immortalitatis & sempiternæ beatitudinis præmii? Voluit igitur Deus sapientissimus, ut Christi doctrina per aliquod quidem tempus signa ista conjuncta haberet, quo eatenus confirmaretur, quatenus hominibus vel mente alioqui sanis, vel sanabilibus ad eam recipiendam, utpote rem novam & inauditam, humanæque prudentiæ repugnantem, satis omnino esset. Sed perpetua esse noluit, ne improbi etiam homines, quique malam mentem deponere nolunt, ad eam recipiendam satis haberent. Probitatem enim & improbitatem alioqui recipiendæ, & non recipiendæ doctrinæ Christi caussas esse, testatur ipse Christus apud Johannem, ubi ait Joh.3.19, *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum*, & quæ sequuntur. Verum adjungis, nunc maxime in tanta rerum omnium confusione hujusmodi confirmatione veræ doctrinæ Christi opus fuisse, quæ cum à Deo nobis concessa nondum fuerit, confitendum, nos adhuc in Babylone esse, & ea quidem omnium, quæ unquam fuerunt, maxima; tantum abest, ut ullam Apostolicam Christi Ecclesiam hodie extare, affirmare quis jure possit. At mihi aliter videtur. Primum quia, quidquid sit, omnes in eo consentimus; quod Christi doctrina verissima & sanctissima sit, itaque ad eam in genere confirmandam nulla re nobis est opus; id quod, dum signa illa extiterunt, iis, qui tunc vivebant, non contingebat. Toto enim illo tempore, aut plerique, aut complures eorum, quibus signa ista dabantur, ipsam Christi doctrinam in genere & absolute rejiciebant. Deinde in eo etiam convenimus, unde cognitio vera doctrinæ Christi aut solum, aut maxime petenda sit. Nempe ex scriptis Euangelistarum & Apostolorum. Quare tota confusio est in interpretatione istorum scriptorum. Atqui, ut supra attigi, horum vera interpretatio, quantum satis est ad Ecclesiam constituendam, id est, doctrinam tenendam ac profitendam, quæ ad salutem æternam conciliandam satis sit, omnibus est obvia, qui modo probitate mentis sint præditi, & à sincero pietatis studio nequaquam alieni. Jam vero, quod ad ea attinet quæ te potissimum impulisse videntur, ut de hoc instauratæ vel instaurandæ Apostolicæ Ecclesiæ argumento ad me scriberes, alios condemnare, qui tecum per omnia non sentiant, & extra tuos cœtus nullam salutem esse affirmare, hoc non est Apostolicæ Ecclesiæ proprium, sed potius ab ea alienum, cum enim multa in religione Christiana sint, quæ licet utilia, tamen necessaria non sunt ad æternam salutem, nihil prohibet, quominus plures cœtus Christianorum, sive Ecclesiæ inter se aliquatenus diversæ, omnes talem doctrinam habeant, quæ satis sit ad salutem istam consequendam: nec, ut ante indicavi, Apostolica Ecclesia ea demum est, quæ in nulla prorsus suæ doctrinæ parte errat, sed ea, quæ in iis non errat, quæ ad salutem sunt necessaria. Cæterum aliqua doctrinæ capita constituere, sine quibus nemini salus contingere queat, &, qui in istis tecum non sentiat, in tuam Ecclesiam non recipere, aut eum inde ejicere, ut Apostolicum est, sic & nunc, & semper fieri & potuit, & debuit. Videat modo quisque, ut capita ista ea constituat, quæ constituenda sunt. Id autem facile fiet, si, ut profecto decet, ex solo eoque aperto Dei verbo omnia petantur. Quod si nihilominus hac in parte erratum fuerit, quatenus aliqua capita constituta fuerint, quæ ex isto numero revera non sint, non idcirco vera Christi Ecclesia, ea quæ hoc fecerit, esse desierit; dummodo nullum eorum prætermiserit, quæ ex isto sunt numero. Et quacunque tandem ratione in illis constituendis erraverit, in eo tamen nunquam errare dici poterit, quod eos recipere nolit, qui in illis secum non consentiant. Immo errorem errori adderet, si eos reciperet, contra enim suam ipsius conscientiam ageret, & eos fratrum loco haberet, ac Christi fidelium, quos tamen à salutari Christi doctrina abesse, plane sibi persuasisset. Unum porro aliquem in singulis cœtibus eligere, qui aliis Dei verbum explanet, atque ex eo illos ad veram pietatem vitæque sanctimoniam adhortetur, & Apostolicum est, nec ulla, ut mihi quidem videtur, ratio afferri potest, cur hodie id fieri non debeat. Quod vero ejus tanta sit auctoritas, ut omnia quæ dicit, sine ullo discrimine aut examine sint recipienda; nec aliis quidquam in Ecclesia dicere liceat, hoc nec Apostolicæ Ecclesiæ est proprium, nec hodie in multis cœtibus iis præsertim, quibus ego quatenus licuit, adhæsi, id fieri videmus, immo in istis, & verbi Dei ministri omnium reprehensionibus & correptionibus sunt expositi, ac porro sæpissime ab aliis & reprehenduntur, & corripiuntur, & unicuique in Ecclesia de omnibus ad veritatem divinam pertinentibus suam sententiam dicere fas est; quinetiam nulla de re ejusmodi in Ecclesia quidquam constituitur, quin singuli nominatim prius suam sententiam rogentur. Quod si Apostolorum tempore, cum videlicet prophetiæ donum aperte in Ecclesia erat, tamen unus aliquis eligebatur, qui cæteris in Christi doctrina explicanda præiret, ut præter omnem historiam, & complures alios Apostolicarum Epistolarum locos, Epistolæ Pauli ad Timotheum & Titum planissimum faciunt, non video, cur hoc tempore, quo aperto prophetiæ dono sumus destituti, id fieri nequeat, vel potius omnino non debeat. Nec leviter eos miror, qui ex eo, quod Paulus ad Corinthios de prophetando in Ecclesia scribit, colligunt, non uni cuipiam munus docendi populum demandatum esse, sed unicuique id permittendum, quasi, vel quod Paulus scribit, pugnet cum electione unius cujuspiam, qui episcopi munere in populo fungatur, vel hodie prophetiæ donum aperte extet, cui, si uni tantum in Ec-

in Eccleſia docere liceat, aditus quodammodo præcludatur, & hac ratione divina beneficentia contemnatur. Adde, quod ipſo Apoſtolorum tempore non unicuique in Eccleſia (quod quidem ad locum illum Pauli pertinet) de rebus divinis diſſerere licebat, ſed iis demum, quos prophetiæ donum habere conſtabat. Neque enim omnibus id donum concedebatur. Hæc autem dico, non quo damnem, ſi hoc tempore aliia etiam præter eum, qui peculiari munere verbi Dei in Eccleſia explicandi fungitur, de dogmatis ipſis religionis noſtræ verba facere in ipſo cœtu liceat, id quod potiua vehementer probo; ſed quod oſtendam, infirmiſſimas eſſe rationes & teſtimonia, quibus nonnulli hodie utuntur, ad munus miniſtrorum verbi Dei ex Eccleſia tollendum atque exterminandum, ſine quo, ut ipſe ferme ſenſus communis docet, ſicut nihil unquam in Chriſtiana religione profectum eſt, ſic nihil unquam aut proficietur, aut profici poteſt. Tantum caveudum eſt, ne, quemadmodum Petrus monet, populi paſtores iſti dominentur gregi. Quod tamen ipſius Petri tempore potius in ipſorum Paſtorum voluntate, quam in fræno aliquo ipſis quodammodo à populo injiciendo repoſitum fuiſſe, ejus verba non obſcure docent; in quibus hac de re non quidem populo, ſed ipſis paſtoribus præcepta dantur. Similia quædam in antedictis Epiſtolis Pauli ad Timotheum, & Titum ſcripta extant, ex quibus nullo negotio intelligi poteſt, eorum, qui populo docendo præfecti erant, non exiguam fuiſſe auctoritatem, qua ut bene uterentur, potius ipſorum voluntatis eſſet, quam populi curæ.

Sed hæc in præſentia volo ſatis eſſe ad ſententiam meam, quam intelligere cupiebas tibi exponendam, nec non ad ea refellenda quæ à te pro contraria ſententia allata fuerant. Nam in iis tibi ſatiſſacere, quæ in prioribus literis attigi, non poſſum, niſi earum exemplum habeam. Quare, ſi eas fortaſſe ſervaſti, rogo, ut illas deſcribendas cures, ad meque quam primum mittas. Etenim, iis receptis, ſpero me, Deo bene juvante, & in iis, quæ tunc ſcripſi, & in tota hac quæſtione de Eccleſia inſtauranda, aliqua ſaltem ex parte, ſi minus hactenus id feci, tertiia tandem literis tibi, & aliis ſatis facturum. Interim hæc, qualiacunque ſunt, boni conſule; & imperfectionem ac confuſionem aliquam hujus reſponſionia meæ, ſcriptioni pro Animadverſionibus noſtris contra Poſnanienſes, iu qua totus nunc ſum, & eſſe debeo, potiſſimum tribue atque imputa.

Scriptum Eraſmi Johannis, quod ad me miſiſti, jam pridem ab ipſo Eraſino habueram quin etiam ſe illud exarare velle, ante mihi ſignificaverat, qua re audita non deſtiti illum ab incepto dehortari, id divinans futurum, quod evenit, ut ſcilicet ipſe nec ea quæ dixeram ſatis fideliter, quanquam imprudens, referret, nec etiam ſua ipſius ita ſcriberet, (de ſententia non de verbis loquor) ut ea coram expoſuerat. Noluit tamen ipſe mihi hac in re quidquam credere, exiſtimans ſatis fore, ſi, ut fecit, ſcriptum ea conditione ad me mitteret, ut mihi in iis, quæ dixiſſe ibi narrabat, quicquid vellem, mutare liceret. Quod ego non feci, tum quia id nimis laborioſum mihi eſt viſum, tum vero quia nimis breve ſpatium ad id faciendum is mibi conceſſerat, quippe qui ad communem quendam amicum noſtrum ſcriptum ſuum biduo miſſurus eſſet. Itaque aliud facere ſum aggreſſus, & quicquid in eo ſcripto ipſe ſe dixiſſe commemorat, ſatis copioſe ac diligenter refutavi, nulla ratione habita eorum, quæ me dicentem facit, licet multa ſatis fideliter retulerit, niſi ubi alioquin ea, quæ ipſe dicit, locum habitura non fuiſſent, & opere abſoluto atque deſcripto, curavi ut ſimiliter ad communem illum amicum noſtrum mitteretur; à quo poſtea ipſe Eraſmus illud accepturus eſſet, tametſi ſpero, Eraſmum illud legendi, ſi voluit, facultatem habuiſſe, antequam miſſum fuerit, nam ego id diligenter curavi. Mitterem autem nunc illud ad te, ſi ullum exemplum præter meum ipſius autographum, quod vix ipſe legere poſſem, apud me haberem. Nullum autem habeo, quia amanuenſi prorſus careo, ſic ferentibus rebus meis, cum mihi jam diu periculum bona mea, quæ omnia in patria habeo, perdendi impenderit, & tandem paucos adhinc menſes reſciverim ſeveriſſime præceptum fuiſſe ei, qui mea curat, ne vel obolum quidem ad me mittere audeat, vel etiam ad me ſcribere, aut meas literas recipere. Itaque in hac paupertate, ſeu potius extrema mendicitate, ingentes labores in iis quæ jugiter mihi ſcribenda ſunt, poſtea mea manu, ut legi poſſint, deſcribendis, ſubire cogor. Hæc dico ne mireris, ſi, ut valde equidem cuperem, hanc ad Eraſmum reſponſionem meam ad te non mitto. Tuam nuper vidi non ſine animi mei oblectatione, tum quod viderem, te de Chriſti perſona & dignitate ac poteſtate, optime atque rectiſſime ſentire, tum quod in Sanctis Literis te admodum exercitatum eſſe deprehenderim. Earumque ſtudioſiſſimum eſſe cognoverim. Hæc enim mihi firmam ſpem faciunt, nullum eſſe religionis noſtræ dogma, in quo recte ſenſurus tandem non ſis, cum præterea ſimul in te ſummam pietatem Chriſtique gloriæ deſiderium animadverto. In eo tamen abs te diſſentio (ut minutiora quædam prætermittam) quod videris concedere, viros pios, qui ſub Vetere Teſtamento fuerunt, ad Chriſtum in ceremoniis illis & ſacrificiis, in quibus adumbrabatur, reſpexiſſe, & in ſpe illius venturi ſervatos fuiſſe. Id quod ego mihi perſuadere nulla ratione queo, vel ob id quod expectatio futuri Meſſiæ, ſicut nec aperta pomiſſio, non fuit in populo, niſi tandem paullo ante captivitatem Babylonicam per Hieremiam Prophetam. Negas præterea, Chriſtum ex Adamo prognatum fuiſſe; id quod verum eſſe nequit, niſi velis eum de matris ſuæ ſubſtantia nihil accepiſſe: quam ſententiam ego propter multa laudare non poſſum, ſed potius vituperare cogor, quorum quædam attigi in breviſſimo quodam ſcripto, quod Juſto illi ſive Jodoco de Prees aliquando dandum curavi, ubi ipſius rogatu tres rationes, quibus potiſſimum ſententia iſta nititur, refellere ſum conatus. Non placet etiam, quod locum illum *Solvite templum hoc* &c. in dubium revocas, immo à falſario quopiam omnino depravatum eſſe affirmas: quæ ratio diluendi ſacra teſtimonia, quantumlibet alicubi ſpecioſa, mihi nulla prorſus ratione probari poteſt, eam præcipue ob cauſſam, ne hoc pacto univerſæ Sacræ Literæ falſitatis ſuſpectæ reddantur. Teſtimonium porro iſtud facile dilui poſſe, quamvis ita legatur, ut legitur, exiſtimo me in reſponſione mea abunde demonſtraſſe. Immo cur ita omnino legi debeat, incolumi interim noſtra ſententia remanente, in defenſione adverſus Poſnanienſes, quam, ut dixi, in manibus habeo, me ſatis docuiſſe ſpero. Atque, ut quemadmodum cæpi, libere & candide, ſicut Chriſtianum hominem decet, tecum loquar, videtur mihi tua reſponſio potius Trinitarios petere, & illos, qui ex Dei ipſius ſubſtantia filium generatum volunt, quam ipſum Eraſmum, qui filium creatum eſſe fatetur, & ex ſola Dei voluntate ac beneficentia ea omnia habere, quæ habet. Utilis eſt tamen admodum labor tuus omnino, atque ejuſmodi, qui homini minime contentioſo ſatiſſacere queat, & ipſam veritatem penitus perſuadere: ſed homini qualem eſſe Eraſmum hactenus deprehendi, id eſt ſuæ ſententiæ prorſus addictum, non videbitur talis, nec porro ſatis ad eum revincendum eſſe poterit. Ego quidem ex ejus lectione aliquanto doctior ſum factus, gratiaſque Deo egi, qui tales viros, qualem te eſſe video, ad veritatem ſuam patefaciendam excitare dignetur. Et ſane te hanc in rem potius, ad quam aptiſſimus es, incumbere velim, quam expectare, dum Deus aliquem mittat, qui ſpeciale mandatum habeat ipſam veritatem illuſtrandi. Id quod fortaſſe nunquam ante Domini Jeſu adventum fiet. Si unquam conceſſerit mihi Deus, ut tecum coram de di-

divinis rebus differere possim, & tecum ea communicare, quæ aliis ante me hac ætate nostra ille patefacere est dignatus, non erit fortasse, cur dubites, an Deus instaurari hoc tempore Christi Ecclesiam velit. Sed de his satis.

Amicus meus summus, & mihi in religione potissimum, omnium quos habeo conjunctissimus, cujus nomen est Cornelius Daëms Bruxellensis, qui adolescens juris civilis doctoratus, quem vocant, insignia in Italia est adeptus, scripsit ad me, se in animo habere ex Hollandia, ubi tunc erat in loco qui dicitur Gouda, ad vos isthuc migrare. Quod si fecerit, rogo te atque obsecro, ut illum tanquam alterum me accipias; immo eo propensior in officiis & beneficiis illi præstandis in eum sis, quam in me ipsum futurus esses, quo me præstantior est, & dignior in quem ista conferantur. Ipse tibi multa mea scripta hactenus à paucissimis visa ostendere poterit, quæ mei desiderium, si quod in te est, ut intelligo, paullo ardentius lenire ac mitigare facile poterunt. Utinam aliquid tale me propediem habiturum vicissim sperare possem, quo sitim hanc meam te videndi tecumque colloquendi aliqua ex parte restinguere possem. Lætatus sum vehementer, quod decem illa exemplaria meæ disputationis in septimum caput ad Rom. acceperis, quanquam, nisi memoria me fallit, multo plura ut mitterentur mandaveram; quæ si abs te desiderari intellexero; ut habeas, omnino operam dabo. Cum nondum bonorum meorum jacturam fecissem, meis sumptibus libellum illum ex multis aliis potissimum publicandum mihi delegi, quia, nisi vehementissime fallor, potest ea disputatio, ut in fine Epistolæ ad lectorem attigi, facile lectorem minus vitæ sanctimoniæ studiosum, ad eam totum traducere. Plurimum aveo scire, an idem tibi videatur; ac breviter de toto libello tuum judicium cognoscere. Illud igitur ut ad me perscribas etiam atque etiam rogo. Gratissimum mihi fuit quod animo esses erga Bovium amico, & viaticum illi istinc discedenti omnino curaturus esses. Tametsi audio illum pro ista mea erga ipsum optima voluntate, quam ut ipse nosti, officium, quoad mihi licet, comitatur, atque consequitur, calumnias mihi tependere, eumque ubique me prædicare, à quo in religionis negotio tanquam à pestifero homine prorsus cavendum sit. Deus illi ignoscat, eumque ab iis, opinionibus de religione nostra disseminandis, quæ religionem universam facile convellere possunt, prohibeat aliquando atque retrahat. Fratribus omnibus & sororibus quæ isthic sunt meo nomine plurimam salutem à te impertiri velim, omnesque rogari, ut incœpto cursu alacri animo pergere velint, precibus ad Deum fusis assidue pro illustratione divinæ veritatis, & gloriæ ipsius Dei, & Jesu Christi domini nostri amplificatione. Te vero vir optime ac præstantissime, diutissime incolumem in domino Jesu valere opto, ut piis ad felicitatem sempiternam per veritatis cognitionem adipiscendam adjumento esse possis, teque majorem in modum oro, ut Deum precari ex animo velis, ne me in multis iisque gravissimis tentationibus, quæ me perpetuo circumstant, unquam deserere velit, aut permittere, ut vel minima quidem ex parte ulli earum aliquando succumbam. Dat. in agro Paulicoviano prope Cracoviam, ubi jam ante duos annos apud loci dominum fratrem nostrum habito, qui etiam plurimam tibi salutem suo nomine me adscribere jussit, Paulicoviæ 17 Martii 1585.

Tuæ præstantiæ addictissimus

F. S.

Eruditione, virtute, pietate præstantissimo viro D. Matthæo Radeco Gedanensi Secretario amico & domino mihi plurimum observando &c.

EPISTOLA III.

Salutem à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo &c.

PRæstantissime vir, amice, frater, ac domine plurimum observande. Admonuerunt me postremæ tuæ literæ, quas D. Philip. Buccel. dederas mihi reddendas, ut ad eas responderem, quas paullo ante Joël Naborovius noster attulerat. Hæ vero me admonent, ut ad superiores alias respondeam, in quibus de Ecclesia hoc tempore nec ne instauranda agis. Itaque ternis tuis literis mihi respondendum est. Id quod, quasi ὕστερον πρότερον, hoc ordine faciam. Primum enim ad postremas, deinde ad primas, postremo vero ad medias respondebo.

Plurimum multis de causis D. Philip. Buccel. debeo, inter quas hæc etiam numerari potest, quod me sibi amicum esse, coram te professus fuerit. Ego sane juvenem illum & amo & colo, propter non vulgarem multiplicemque ejus eruditionem præstansque ingenium. Cujus præter alia clara specimina hoc clarissimum mihi dedit, quod prius coram, deinde etiam per literas mirabile παράδοξον contra me defendere est aggressus, quamvis, se mecum alioqui & cum aliis omnibus sentire profiteatur. Παράδοξον autem tale est, nullum peccatum in actionibus humanis esse, quod vituperatione revera sit dignum. Conatus sum ego & voce & scripto satis copioso ad omnia ejus argumenta respondere, eique omnem dubitationem, si qua fortasse in ipsius animo hæreret, penitus eximere. Sed ex altero ejus ad me scripto cognovi, me parum aut potius nihil effecisse, immo ipsum acriorem & simul acerbiorem aliquanto in suis defendendis reddidisse. Quare nihil amplius respondendum mihi censui. Quamvis in animo habeam, aliquando, quæ ad ipsum scripseram, ab ejus impugnationibus scripto defendere. Est enim omnino quæstio hæc maximi momenti, atque ejus recta explicatio plurimum lucis toti de religione nostra doctrinæ affert. Nam & causas credendi & non credendi Christi Evangelio, & cur, qui credunt, præmio afficiantur, qui vero non credunt, pœna, aperit atque explanat. Quemadmodum annos ab hinc ferme octo brevissimo quodam meo scripto Italica lingua exarato, in amici gratiam, qui me hac ipsa de re pluribus differentem sæpe audiverat, demonstrare sum conatus. Sed ad Philippum redeo, in quo, ut verum fatear, majus religionis veræ ac pietatis studium desidero. Id enim cum tali ingenio & eruditione conjunctum egregios fructus universæ Ecclesiæ utiles ederet. Nam quod tantopere Franciscum Puccium laudare tibi est visus, id non tam ob pietatem & doctrinam, quam in ipso animadvertisset, quam ob utriusque in religionis negotio sententiæ atque instituti similitudinem quandam factum esse arbitror. Is enim Puccius (de quo postea mira audies) ut satis ex ipsius Philippi verbis intelligere potuisti, nihil de dogmatis religionis nostræ, præter pauca quædam, hoc tempore ex scripturis, quantumvis sacris, definiri posse ajebat. Quapropter ipse naturæ naturalique lumini omnibus hominibus communi potiora tribuens, nullarum partium erat, quemadmodum nec Philippus fortasse est. Ego quidem, quarum sit, una tecum adhuc nescio. Tantum in hoc ab ipso Puccius dissidere solebat, quod annos non paucos perpetuo & in Gallia, & in Anglia, & in Germania inferiore & superiore, & denique in Polonia ab Ecclesia Romana sese separasse aperte est professus, & scriptis quoque

publice

publice contestatus. Quod, ut arbitror, hactenus Philippus non fecit.

Sed ut tibi Puccii historiam quam brevissime potero narrare incipiam (eam enim tibi gratissimam fore ex tuis literis conjicio) scias, cum ante plures annos, cum Lugduni, quamvis ex nobili admodum familia, quæ etiam tres Cardinales habuit, natus, ut patriæ ipsius adeoque totius nostræ Etruriæ mos fert, mercaturam exerceret, exorientibus illis de religione in Gallia dissidiis, quæ necdum sopita sunt, statuit, mercatura relicta, se totum studio Sacrarum Literarum tradere, ut quid sentiendum in nostra religione esset, dilucide, cognoscere posset. Repetitis igitur Latinis literis, quibus adolescens operam dederat, cæpit satis diligenter sacra volumina evolvere, & de rebus sacris disputare. Quod ut commodius facere posset in Angliam se contulit, ibique in Oxoniensi gymnasio aliquandiu se exercuit. Ac mox dogmata nonnulla proferre cœpit ab aliorum sententia plane abhorrentia; præcipue vero de fide in Deum, quæ & qualis sit, multasque & Oxonii, ut arbitror, & Londini privatas disputationes cum Calvinianis habuit; & aliquando etiam publice cum ipsis disputavit, sed ea ratione, ut, quamvis potiore fortasse ex parte, justam causam contra illos defenderet, tamen veritatem divinam derisui potius exposuerit, quam quidquam profecerit, & ipse arrogantis potius ac pervicacis, quam docti & pii nomen apud plerosque omnes retulerit. Interim ego Basileam, Italiæ & patriæ meæ plane sponte valedicto, adveneram, ubi summus & vetustissimus meus amicus erat Franciscus Bettus Romanus, vir pius & in religionis nostræ controversiis haud mediocriter versatus, cum quo per literas Puccius amicitiam instituerat, & ad quem de suis dogmatis identidem nonnulla scribebat. Hic ad eum scribens, præter ea quæ sibi breviter respondenda ad rationes & testimonia, quibus sua dogmata confirmare nitebatur, visum fuit, addidit aliquando Basileæ amicum suum esse, quem etiam nominabat, me videlicet, cum quo si aliquando Puccius congredi posset, speraret ipse futurum, ut veritatem melius cognosceret. Sic enim ille de me (qui ejus est in me amor) & sentiebat, & adhuc sentit. Quid plura? ea fuerunt Betti verba, ut hominem, quemadmodum ipse profitebatur, ex Anglia Basileam venire compulerint, ut nobiscum potissimum esset; ac præcipue ut mecum de religionis nostræ decretis conferret. Itaque paucissimis post ejus adventum diebus conferre cœpimus, initio facto ab ipsis primis omnis religionis fundamentis; in quibus præter hæc solum, quod unus Deus esset æternus, qui cœlum terramque, & omnia, quæ in eis sunt, creasset, quique omnium perpetuam curam & providentiam haberet, in nullo alio prorsus convenire potuimus. Præsertim vero in eo, quod ipse vulgarem quandam opinionem secutus, omnino statuebat, primum hominem à Deo creatum fuisse natura immortalem, ego vero contra, mortalem natura creatum fuisse, plane contenderem. Qua in quæstione hæsimus, nec ulterius justa disputatione progressi sumus. Quin etiam ipse paullo post scriptum mihi obtulit, in quo breviter decem argumentis suam de immortalitate naturali primi hominis ante peccatum, adeoque omnium rerum à Deo creatarum probare conabatur. Cui scripto respondi statim satis copiose. Cumque is responsioni meæ minime acquiescens, eam altero scripto paucis post diebus refellere conatus esset, ego contra ipsius refutationem justum librum scripsi, in quo non paucæ, eæque ex parte gravissimæ, theologicæ quæstiones tractantur. Hunc librum mea ipsius manu scriptum tradidi illi Basilea discedens, in Transilvaniam, quo à Georgio Blandrata vocabar, profecturus. Ad quem librum ipse nullum mihi responsum dedit. Sed tamen in libri margine complures passim tanquam notas sive animadversiones scripsit, quas responsionis loco esse vult; easque una, arbitror, cum ipso libro dedit in Belgio vel in Hollandia Cornelio Daëms, de quo tibi alias in meis literis mentionem feci. Nec dum illas mihi videre contigit Spero tamen Cornelium, quemadmodum illum rogavi, eas propediem ad me missurum, quas, Deo volente, refutabo, ac postmodum, si ulla ratione potero, universam disputationem nostram edendam curabo.

Sed ad ipsum Puccium redeo, qui paullo post meum discessum, Basilea abire quodammodo coactus fuit; propterea quod thesim quandam publice disputandam proposuerat, & excudendam curaverat, in qua asserebat, universum humanum genus in ipso matris utero efficienter particeps esse beneficii Christi, & vitæ immortalis ac beatæ, quam amittere nemo possit, nisi in adultiore ætate, diffidentia superveniente, & ab ipso Deo defectione. Abiens igitur, in Angliam iterum se contulit, & inde, ubi propter ejusmodi sua paradoxa, quædam est passus, & in carcerem etiam conjectus, in Belgium, & in Hollandiam. Quibus in locis quendam peregrinantium Christianorum cœtum esse, ipse (ut mihi quidem videtur) sentiebat; qui concilium etiam quoddam haberet per sessiones multas. Nam scripturus ad me de forma collationis & disputationis sub æquis judicibus, qui silentium imperare possint ei, qui fallitur (convenerat enim inter nos, ut ejusmodi judicium uterque nostrum subiret) hæc verba scripto præfixit, *Ex sessione XXXV concilii peregrinantium Christianorum.* Jam vero cum ea forma satis mihi arrideret, & ipse me in Hollandiam invitaret, ubi ajebat nos facile tales judices inventuros, ac propterea ego illuc ad ipsum me conferre decrevissem, (cujus rei testis esse etiam potest Justus de Pres, qui me Gedanum usque secum vehere pollicitus fuerat) ecce ab ipso Puccio literas accipio, quibus ostendebat se mutasse sententiam, & ex Hollandia Antverpiam venisse, ubi etiam fatebatur se meas accepisse, in quibus conditionem ipsum conveniendi accipiebam, & formæ disputationis, quam ad me miserat, assentiebar. Verumtamen causatus, me conditiones quasdam, si illuc mihi eundum esset, proponere injustas, dixit facilius fore, ut ipse ad me veniret; quod se omnino facturum aliis ad me ex eodem loco datis literis postea confirmavit. Quod tandem & fecit; seque jam secundo mille passuum millium mei conveniendi gratia iter suscepisse professus est.

Post ejus adventum convenit inter nos, ut præcipuæ nostræ controversiæ Cracoviæ fratribus nostri cœtus proponerentur, qui secundum disputationis formam, de qua pridem conveneramus, judices nostri essent, eatenus videlicet, ut alterutri ex nobis silentium imponere possent. Verum quia nostri homines jurare noluerunt, sese omne præjudicium deposituros, omnesque exceptis iis, de quibus omnes Christiani consentiunt, præoccupatas opiniones suspendere, quemadmodum ea forma ferebat, sed tamen sancte affirmare, se hæc pro viribus conaturos & facturos, non videbatur Puccius velle prorsus eorum judicio stare. Nihilominus tamen conscriptis quibusdam thesibus de fide in Deum, quam omnibus hominibus naturalem esse volebat, eas contra me coram prædictis fratribus defendere se velle ait; sed ita, ut naturalibus rationibus potius, quam scripto Dei verbo agendum esset. Quam conditionem non fratres modo sed ipse quoque, ut pote iniquissimam respuebam, quanquam me quacunque tandem ratione ille voluisset, cum ipso disputaturum pollicebar. Iniquitatem autem suæ conditionis is propterea vel negabat, vel excusabat, quod sine fide ista naturali Sacræ Literæ intelligi nequaquam possent. Tandem assensus est, ut ex verbo Dei scripto de suis thesibus judicaretur. Convenimus igitur semel atque iterum coram fratribus; & quamvis de una tantum atque altera thesi disputaverimus, tamen de præcipua ipsarum omnium sententia egimus. Fratres, auditis utriusque nostrum rationibus & argumentis, ac mutuis responsionibus, satis declararunt, se contra Puccium sententiam ferre, eumque amice ac fraterne monue-

monuerunt, ut ab istis paradoxis abstinere vellet. Quod ubi ipse sensit; cœpit denuo asserere, illos esse judices incompetentes, eo quod juramentum secundum formam prædictam præstare noluissent; nec interim animadvertit, apud nostros homines sanctam affirmationem vim juramenti habere, eisque religionem esse jurare, præsertim in rebus ejusmodi, nulla evidente necessitate cogente. Et idcirco non posse verba ejus formæ collationis, de qua inter me & ipsum convenerat, in ejusmodi hominibus locum habere ad unguem & ut ipsa sonant. Mihi etiam privatim quiddam objecit, tanquam videlicet certa quadam ex iis conditionibus carenti, quas prædicta forma in ipsis disputantibus requirebat. Sed immerito prorsus, non minus, quam intempestive. Itaque re quodammodo infecta discessum est.

Paullo post rogavit me Puccius, num judicio cujusdam docti & magni viri, quem mihi nominavit, in ea controversia, de qua coram fratribus actum fuerat, atque adeo in aliis, quæ inter nos erant, stare vellem. Annui. Convenimus coram viro illo; qui, licet se judicem inter nos tantis de rebus esse velle negaret, tamen Puccio audito, antequam ego responderem, ipse se illi summa cum modestia opposuit. Ac demum dixit: Jam vides mi Pucci, si judex vester futurus fuissem, me sententiam adversus te fuisse prolaturum. Aderant, cum hæc diceret, hospes meus, & Erasmus Johannis, qui eo ipso die Cracoviam advenerat, aut certe die proxime antecedente, qui de veritate semper testari poterunt. Cumque ego postea Puccio dicerem, satis ipsi esse debere, ut sciret à magno illo viro sententiam contra se latam fuisse, quod ea verba dixisset, mirabiliter tergiversari cœpit; ac tandem dixit, illum privatim aliter secum fuisse locutum, & ipsius sententiæ se adhærere non obscure affirmasse. Quod cum ex ipsius viri amplissimo testimonio falsum esse constaret, aliam viam ingressus, negavit, virum illum aptum esse judicem, quia scilicet, aulicus homo magis, quam Christianus esset. Atqui, respondebam ego, si hoc tamen verum est, jam tu id noveras, antequam ipse tua sponte eum judicem inter nos nominares. Hic obmutuit. Interim tamen, cum eodem tempore synodus nostrorum fratrum Chmielniciæ haberetur, misit eo suas theses una cum satis longa præfatione ad ipsos fratres, qui, licet me, qui aderam, prorsus tacente, cum satis ex aliis fratribus, qualis homo Puccius esset, cognovissent, scripta illius ne legere quidem voluerunt, quamvis Simon noster, qui ea attulerat, ut legerentur, rogaret. Scripserat ad me, miseratque ante Puccius librum illum, quem Italico sermone ab eo conscriptum fuisse, narravit tibi Philipp. Buccella, cui titulum fecit de bibliis occlusis, deque Elia, qui ea aperturus est. Ubi omni conatu nititur ex divinis vaticinationibus ostendere, hoc tempore Sacras Literas intelligi non posse, neque eas controversiis de religione nostra decidendis sufficere. Sed divinos illos duos homines expectandos esse, de quibus scriptum est Apoc. cap. 11. Ac tandem, ut ab eodem Buccel. audivisti, ut à scriptionibus de rebus sacris abstineam omnino suadet. Qua in re plane ridiculum se prodit, qui interim ipse eam Sanctarum Literarum partem explanare audeat, quæ omnium difficillima & obscurissima est, cujusque cognitione vera tantisper, dum, quod ibi scriptum est, fiat, nullo cum periculo carere possumus. Conatus est ipse quidem in ejusdem libelli ad me præfatione ostendere, se sibi ipsi hac in re minime adversari, sed ut frigide ac jejune, sic plane frustra. Vult autem, ut idem B. tibi dixit, tempus venturi Eliæ, quem vel illos duos, quos ante dixi, vel alterum ex ipsis fore ait, admodum prope esse, propterea quod dies illi 1260, quibus bestia regnatura erat, id est totidem anni, mox finem habere debeant, initio videlicet eorum sumpto à concilio Nicæno, unde ipse bestiæ regnum auspicatur.

Jam vero; dum Puccius in hac venturi Eliæ expectatione totus est, dumque seipsum participem hujus divinæ legationis fore sperat, quemadmodum ejus ipse libellus non obscure indicat, incidit in duos Anglos, qui Palatinum Laskium huc ex Anglia revertentem fuerant vel comitati vel insecuti. Quorum alter est medicus; alter vero magus aliquamdiu fuit, ambo autem Papisticæ religionis, qui orbis Christiani reformationi, quam propediem Deus facturus sit, se destinatos esse ajunt: jactantque Angelorum Dei apparitiones (quas vocant) & collocutiones. Quanquam alter tantum, id est, is, qui magum aliquando exercuit, & malorum dæmonum familiaritate est usus hæc videt & audit, ut ipse affirmat, & cum socio omnia communicat, qui cuncta diligenter notat & scribit. Istis hominibus hinc Pragam proficiscentibus comitem se adjunxit Puccius. Neque ab hoc consilio ullius amici monitiones, quantumvis frequentes, acres ac vehementes, quales sane potissimum meæ fuerunt, eum quidquam deterrere valuerunt. Statim autem fere ut Pragam pervenit, factus est Papista, & ministros pontificios adiens, suæ ab Ecclesia Romana olim defectionis veniam, conveniente satis factione exhibita, impetravit. Ac mox huc ad amicos & præsertim ad me, ad quem hac de re bene longas literas dedit, de suo, ut ipse loquitur, ad Catholicæ Sanctæque Dei Ecclesiæ gremium reditu diligenter scripsit, asserens, se verbis unius ex illis Dei Angelis, qui sociis illis suis responsa dare solent, ad se nominatim loquentis, monitum atque impulsum id fecisse, diuturnumque errorem suum tandem agnovisse. Utque idem ipsi amici facere velint, prorsus suadet, non paucis rationibus allatis quibus Romanam sedem ab omni impugnatione & criminatione defendat, atque ab illa Ecclesia nulla ratione secedendum probet, sed ejus institutis ac ritibus omnino parendum & acquiescendum.

Hæc est Francisci Puccii, ejusque vitæ atque actionum, quod ad religionem attinet, brevis, quam tibi pollicitus sum, historia. Cujus exitus unumquemque nostrum monere deberet, ut verbo Dei scripto acquiescentes, idque quantum nobis ad salutem necesse est, apertum satis & clarum esse agnoscentes, non quemadmodum ipse faciebat, nullam hodie Christi Ecclesiam esse existimemus, sed pro Christi Ecclesiis eos omnes cœtus habentes, in quibus doctrina ex Sacris Literis petita salutaris viget, illis, quantum in nobis est, adhæreamus, illis inquam præcipue, in quibus ejusmodi doctrina purior fuerit; quemadmodum ipse Puccius, seipsum interim, qui nulli adhærebat, plane accusans, fieri debere fassus est, vel potius aperte contendit, in quibusdam suis thesibus, quas complures Italica lingua contra Ecclesiam Romanam conscripsit anno superiore, seque eas adversus omnes Jesuitas Cracoviæ defendere paratum esse dixit.

Hinc igitur initium sumam ad primas tuas literas respondendi, atque ea diluendi, quæ in eis contra externum Ecclesiæ ministerium disputas. Nam certe in illis nullam neque esse, nec esse posse hodie externam Ecclesiam una cum Puccio te sentire ostendis; quæ res tandem illi causa fuit ad Papatum revertendi. Utebatur ipse iisdem ferme rationibus quibus tu uteris; & potissimum hoc unum urgebat, post collapsum externæ Ecclesiæ statum, necesse esse ad eundem erigendum, ut aliquis, vel aliqui divinitus excitentur; ita ut ex signis, id est prodigiis seu miraculis manifestis id appareat ac cœlitus confirmetur, quemadmodum antea factum est, cum primum is status erectus fuit. Ego vero mihi videor aliis meis ad te literis hanc rationem satis convellisse. Explicabo tamen hoc loco aliquantum apertius, quid mihi velim. Dico igitur longe diversam esse rationem ejus temporis, cum primum Ecclesia externa erecta fuit, & cum postea corrupta est, & hoc pacto ejus status verus ac legitimus labefactatus atque collapsus. Antequam enim erigeretur externa Christi Ecclesia, necesse fuit ejus doctrinas, unde Ecclesia constat, hominibus, qui in ipsa Ecclesia futuri

erant,

erant, fidem facere, utpote novæ atque inauditæ; quæque ab iis religionibus, quæ tunc in mundo erant, non solum plurimum aberat, sed magna ex parte eis ex diametro, ut dicitur, adversabatur, easque penitus convellebat. Nec tantum propter eos, qui tunc erant, sed propter alios omnes, qui usque ad hujus seculi finem futuri erant, omnino oportebat eam doctrinam tot ac tantis divinis testimoniis confirmari, ut nemo deinceps de ea merito dubitare posset. Et sane, si Apostoli & ipse Christus, qui tamen universam doctrinam non per se ipsum protulit, sed per Apostolos non contemnenda ex parte eam publicavit, ad suam prædicationem sine ullis miraculis accessisset, seque divinitus missum fuisse variis rationibus non aperte confirmasset, oleum, ut est in proverbio, & operam facile perdidisset, nec nisi fortasse paucissimos aliquot ad disciplinam suam amplectendam pertraxisset. Neque enim ejus disciplina certis quibusdam in principiis cum aliis conveniebat, ex quibus manifeste ipsa comprobaretur, cæteræ vero improbarentur. Immo, cum ejus doctrina concederet, principia ejus disciplinæ, sub qua ipse Christus natus erat, & quæ tamen per ipsam ex parte aboleri debebat, & tota aliqua ratione immutari, esse ab ipso Deo profecta, id est, Sacras Veteris Testamenti Literas, sive quæ illis comprehensa erant, divinitus tradita fuisse, necessarium plane erat ipsam Christi doctrinam admirabili præter modum ratione aliqua confirmari, ejusque auctorem similiter Deum esse, evidentibus documentis demonstrari, præsertim cum, quidquid ex principiis illis ad eam comprobandam peti poterat, mysteriis quibusdam esset involutum, ac cælesti quadam explicatione indigeret. At vero post collapsum externæ Ecclesiæ statum, id est veram Jesu Christi & Apostolorum ejus doctrinam in publicis cœtibus abolitam, non principia modo ipsius doctrinæ, sed, ut magna pars sentit eorum, in quibus eam instaurare multi curant, ipsa etiam universa doctrina literis consignata permansit, quibus omnes ut divinitus traditis assentiuntur; quæque adeo sunt apertæ, ut facile unusquisque eam, quantum necesse est, inde petere queat. Hinc enim fit, ut ii, qui in vitiato & corrupto Ecclesiæ statu adhuc perdurare volunt, in controversiis, quæ ipsis moventur, solis illis literis agere nolint, & præterea causentur, earum interpretationem à sua ipsorum Ecclesia petendam esse. Et tamen, velint nolint, coacti sunt tandem ad eas & ipsi confugere, ut suæ Ecclesiæ auctoritatem probent; sine qua non inveniunt, quomodo sua falsa dogmata defendere, ne in speciem quidem, ulla ratione possint. Quid ergo est hic opus ulla nova & cælesti confirmatione, cum, modo ipsa omnibus communia principia urgeantur, vera Christi doctrina prorsus eluceat? An non re ipsa comperimus, iis solis urgendis brevi tempore factum esse, ut infinita hominum multitudo ab iis Antichristianis corruptelis sibi & caverint, & caveant, quæ interitum afferre possunt?

Nam quod quibusdam videtur, propter dissensiones & magnas & multiplices, quæ inter eos hodie vigent, qui ex Antichristianis erroribus gravioribus emerserunt, incertum esse, quibus quis se adjungere debeat, (id quod ipse quoque satis aperte commemoras) & propterea ad externam aliquam Ecclesiam erigendam, expectandum esse, donec Deus aliquem sive aliquos excitet, qui suæ auctoritatis mirabili aliqua ratione fidem facientes, has lites componant. Hoc, inquam facilem habet responsionem, duplici de causa. Primum quia, qualescunque sint dissensiones istæ, pleræque non circa ea versantur, quæ per se ad salutem sunt necessaria; quemadmodum jam complures animadverterunt, & satis ex eo demonstrari potest, quod ego in aliis meis ad te literis scripsi. Cum enim ad æternam salutem consequendam nihil aliud requiratur, quam ut Christi præcepta teneantur, dissensiones autem istæ majore ex parte ad ipsa Christi præcepta non pertineant, sequitur, nihil necesse esse, illas componi prius, quam externa erigatur Ecclesia; nisi velimus, non satis esse ad Christi externam Ecclesiam constituendam, si ea teneantur, quæ ad æternam salutem sunt necessaria. Deinde, inde potissimum dissensiones istas oriri, quilibet facile perspicere poterit, quod soli Dei verbo plærique revera non adhærent. Nam adhuc præter Sacras Literas, nescio quæ concilia, patres, antiquitas, maxima sunt in veneratione, adeo ut divinis oraculis propemodum æquentur. Cum tamen ista omnia, & si qua sunt alia ejusmodi, nullas vires præterea apud cordatos homines habere debeant, quam, ut sensus Ecclesiæ illorum temporum fidem faciant, vel etiam non temere recedendum moneant ab iis dogmatis, quæ ipsa approbant. Sed Sacris Literis licet aperte reclamantibus, quædam tamen mordicus retinere velle, quia scilicet ab istis approbantur; hoc nihil aliud est, quam divinam veritatem consulto pessundare, & ad Antichristiani regni confirmationem ingentem fenestram patefacere. Legantur modo Pontificiorum scripta adversus Lutheranos & Calvinianos; & satis intelligetur, si præter Sacras Literas istorum auctoritate sit standum, nobis omnibus causa cadendum esse. Sed quorsum isthæc mecum? inquies. Nempe, ut animadvertas, tot dissensiones, quæ hodie inter illos sunt, qui Christi nomen profitentur, de Christianæ religionis decretis, non quidem ex divinorum oraculorum obscuritate, sed potius ex eorundem contemptione quadam, dum ab illis solis universa Christiana doctrina non petitur, natas atque exortas esse; neve ex illis colligas, auctoritate Sacrarum Literarum eas, quantum satis est, componi non posse; aut saltem non neges, ex ipsis divinis literis posse unumquemque Christianam religionem ejusque placita, quatenus ad hominem Christianum constituendum necesse est, recte cognoscere. Namque hoc concesso, sequitur continuo Christi Ecclesiam ejusque externum statum hoc tempore instaurari & posse, & debere; quemadmodum apertius postea ostendam. Libet enim prius te ad hoc concedendum quodammodo adigere. Etenim, nisi hoc concesseris, quomodo factum tuum defendes, qui de rebus ad Christianam religionem pertinentibus non pauca asseverare audeas, contra quam vulgo affirmetur, ac plane contendere, jam pridem plenam defectionem in Ecclesia extitisse, fundamentumque fuisse sublatum? An non hæc ideo affirmas, quod ea ex Sanctis Literis colligis? Igitur, te ipso teste, ex ipsis Sacris Literis veritas Christianæ religionis percipi potest. Alioqui, cur non de omnibus dubitas? Aut cur te saltem aliis plerisque palàm non adjungis? Immo vero te ab iis separas? Nonne ipse & concedis, & urges, hodie posse Deum coli, & Christi nomen rite invocari, etiamsi externa quædam non adsint? Atqui non video, quemadmodum id fieri possit, nisi alicunde verus Dei cultus & Christi nominis invocatio petatur. Unde vero, nisi ex ipsis divinis oraculis? Quanquam ad id concludendum quod volo, satis est hæc, qualia esse debeant, sciri posse, undecumque tandem id sciatur. Certe enim, si hoc sciri potest, potest etiam externus Ecclesiæ Christi status instaurari; cum externa Christi Ecclesia nihil aliud sit, quam publica congregatio seu convocatio hominum Deum colentium, & Christi nomen rite invocantium. Nam quid prohibet, quominus ii, qui isthæc faciunt, publice etiam conveniant? Immo, quomodo isthæc facere dici possunt, nisi palam aliquando congregentur, cum, ut cætera omittam, inter alia Christi præcepta omnibus ejus discipulis convenientia, quibus Deus colitur, & Christi nomen rite invocatur, fit publica commemoratio, ipsius Christi mortis? Ex iis, quæ hucusque disserui, satis, ni fallor, responsum patet ad duo inter illa, quæ contra Ecclesiæ externæ instaurationem attulisse mihi videris. Quorum alterum est, eadem aut certe simili ratione instaurandam esse Ecclesiam, qua ædificata fuit; alterum vero, inter tot Christiani orbis dissen-

diſſenſiones non poſſe veritatem dignoſci, niſi luce aliqua divinitus, ut Apoſtolorum tempore, illata. Prædictis autem addo expreſſius, rationem, qua primum ædificata eſt Eccleſia, Dei & Chriſti verbum revera fuiſſe; cætera omnia ad hoc confirmandum pertinuiſſe. Itaque, cum nunc idem Dei Chriſtique verbum habeamus, idque abunde confirmatum, immo de quo nemo dubitat, eandem rationem inſtaurandæ Eccleſiæ hodie revera habemus, qua primum ædificata fuit. Jam vero ad reliqua, partim ex iis, quæ hactenus tecum per literas diſputavi, partim ex re ipſa ſatis patere reſponſio videtur. Quod enim urges, Apoſtolorum tempore talem fuiſſe externam Eccleſiam, quæ verum eſſet Dei ædificium, in quo eſſet veritas, & extra quod tenebræ tantum eſſent, & cœcæ nubes: quod videlicet hodie poſt ſubſecutam defectionem, niſi lux nova aliqua divinitus, ac manifeſto, ut ante factum eſt, affulgeat, haberi nequeat; Primum hoc non ad externæ Eccleſiæ inſtaurationem ſimpliciter diſſuadendam pertinet; ſed ad ejus Eccleſiæ quæ par Apoſtolicæ illi futura ſit: quod tamen ſatis refutatum eſt, ut arbitror, ſuperioribus meis literis; in quibus eſt oſtenſum, ipſas Eccleſias Apoſtolicas, id eſt ab ipſis Apoſtolis fundatas, erraſſe, idque in rebus ad ſalutem pertinentibus, dum adhuc ii viverent, & earum curam haberent, qui ipſas fundaverant. Nec ſane, quæ de Eccleſia magnifice prædicat Paulus 1 Tim. 3. 15, affirmans inter cætera, quod ſit columna & firmamentum veritatis, aut ad externam ullam Eccleſiam pertinent, aut, ſi tamen pertinent, ita accipienda ſunt, quaſi Paulus ſentiat, in aſpectabili Eccleſia nullos errores eſſe, vel extra aſpectabilem Eccleſiam nullam divinam veritatem. Sed eſt intelligendum, quia omnis externa Eccleſia Chriſti doctrinam profitebatur, Chriſti autem doctrina eſt illa divina veritas, propterea Paulum Eccleſiam, id eſt Chriſtum profitentium cœtus ſive externam Eccleſiam (ſi modo ut dixi ibi eam intelligit) veritatis columnam & firmamentum appellaſſe. Opponitur enim ibi tacite, quemadmodum in compluribus aliis locis apud eundem Paulum, Chriſti diſciplina in genere cunctis aliis diſciplinis. Nihil autem vetabat tunc, quemadmodum nec hodie vetat, quominus poſſet quis veram Chriſti diſciplinam amplecti & retinere, nec tamen ulli externæ Eccleſiæ ſe adjungere, quod fortaſſe omnes alicujus erroris ad ſalutem ipſam pertinentis, ſive jure, ſive injuria ſuſpectas haberet. Sed videamus deinde, cur aſſeras, Eccleſiam Apoſtolorum tempore fuiſſe plane veram Dei Eccleſiam. Quia, inquis, ex Spiritu Sancto, quem tunc poſt impoſitas Apoſtolorum manus homines conſequebantur, & ex aliis oſtentis ac miraculis divinitus editis confirmabatur, quod quicumque Jeſu nomini fidem haberent Sanctum eſſent Dei templum, &c. Atqui hinc omnino ſequitur, ſi dari hodie poſſunt, qui Jeſu nomini fidem habeant, dari quoque poſſe ſanctum Dei templum, & porro Eccleſiam, ea, quæ Apoſtolorum tempore fuit, quod huc attinet, ut vera Dei Eccleſia ſit, nihilo inferiorem. Quare hic, ut in ſuperioribus quoque literis, innuere videris, te ſentire, hodie fidem in Jeſum Chriſtum non dari. Rogaveram quidem te, ut velles poſthac ſententiam tuam hic aliquanto apertius exponere, quo uberius tota de re tecum diſputare poſſem: ſed quando id non feciſti, ad opinionem iſtam ex tuis ipſius verbis convellendam ea pauca ſatis eſſe volo, quæ antea ſcripſi. Verum hoc fortaſſe tibi vis, ex illis ſignis & Spiritus Sancti donis conſtitiſſe, eos, qui Jeſu nomen profitebantur, illud ex animo profeſſos fuiſſe, qua de re hodie nulla ratione conſtet. Ad hoc rurſus primum reſpondeo, hinc non colligi, non eſſe inſtaurandam externam Chriſti Eccleſiam, ſed non eſſe ſperandum, talem inſtaurari poſſe, de qua conſtet, eam eſſe veram Dei Eccleſiam. Ex quo nequaquam ſequitur, eam reipſa parem primævæ illi eſſe non poſſe. Cum nihil prohibeat, quin aliquid tale ſit, licet tale eſſe non conſtet. Deinde dico, ſi tamen ſigna & dona illa fidem faciebant animi non ſimulati eorum, qui Jeſu nomen invocare incipiebant, non propterea ſequi, quod ex illis apparuerit conſtitutam jam fuiſſe veram Dei Eccleſiam. Nam ad hoc neceſſe præterea erat, ut in eadem ſententia perſeverarent. Quod autem potuerint non perſeverare, ſi quis eſt, qui dubitet, meminerit Chriſti verborum Matth. 7. 22, ex quibus etiam conſtare videtur, potuiſſe quempiam eodem tempore à vera fide in Chriſtum defeciſſe, quo miracula ejus nomine invocato edebat; nedum non potuerit aliquando ejuſmodi ſigna facere, & poſtea à veritate deficere. Nam quod quidam veram, id eſt, ut hic intelligimus, ex animo in Chriſtum fidem à charitate ſive a bonis operibus, ut Papiſtæ faciunt, ſejungi poſſe affirmant, id plane falſum eſſe vel unica illa Jacobi ſententia Jacobi 2. 17, quod fides ſine operibus ſit mortua, aperte oſtendit. Itaque, cum Chriſtus iniquitatis operatores quoſdam vocet, qui in ipſius nomine miracula fecerint, apparet, iſtos vel eodem tempore, vel ſaltem diverſis, & ſigna iſta ediſiſſe, & vera in Chriſtum fide caruiſſe. Quanquam non crediderim ego, Spiritus Sancti dona illa iis tantum fuiſſe conceſſa, qui ex animo ab ipſo initio Chriſti nomen profitebantur, ſed omnibus qui profiterentur. Eo enim potiſſimum tendebant dona illa, ut veritatis diſciplinæ Chriſti fidem facerent, non autem ut de vera Chriſtum profitentium fide teſtarentur. Nam quod Petrus Act. 15. 7, & 8, videtur omnino, Spiritum Sanctum à Deo datum certum teſtimonium ſtatuere veræ fidei eorum, quibus dabatur, id arbitror eſſe ſingulare in gentibus, quæ ab initio crediderunt; quas, cum antehac ab ipſo Deo eſſent prorſus alienæ, non eſt veriſimile Deum tanto dono dignaturum fuiſſe, niſi ex animo crediſiſſent. Adde quod ad id, quod Petrus quærebat, concludendum ac perſuadendum, non eſt neceſſe, ut ſinguli ex gentibus, qui primi omnium credere ſe in Chriſtum ſunt profeſſi, de quibus tantum ipſe loquitur, ex animo crediderint, ſed ut aliqui ex ipſis. Siquidem hoc contendit Petrus, gentes deinceps à Dei regno excluſas eſſe, cenſeri non debere, cum & Deus illis oſtium fidei patefecerit, & illæ viciſſim ingreſſæ fuerint. Nam certe, niſi aliqui ſaltem ex iis, quibus ipſe ab initio, Deo ſic jubente, Euangelium prædicaverat, ex animo crediſiſſent, nunquam Deus illis Spiritus Sancti donum impertitus fuiſſet. At vero dices forſitan, me à ſcopo tuo multum aberrare, quippe qui ſentias, Apoſtolorum tempore ad veram Dei Eccleſiam conſtituendam ſatis fuiſſe Chriſti nomen profiteri, eique fidem habere; nam hoc teſtabantur dona illa Spiritus Sancti & alia oſtenta ac miracula; hodie vero hoc non eſſe ſatis. Nam, ſi eſſet, hodie quoque aliquam ejuſmodi divinam ac cœleſtem approbationem Chriſti nomen profitentium eique credentium haberemus. Ergo, ſi ita ſentis, credis Chriſtianæ religionis conditionem labente tempore mutatam fuiſſe; nec Chriſtum fuiſſe & eſſe heri, & hodie, & eundem in æternum; quod tamen ſcriptura affirmat Hebr. 13. 8. Ergo enunciatio illa Chriſti Matth. 18. 20, quod, ubi duo aut tres in ipſius nomine congregati fuerint, ipſe in eorum medio ſit, quæ ſola ferme poteſt totam hanc de Eccleſia Chriſti necne inſtauranda quæſtionem dirimere, & contra id hodie fieri poſſe negantes ſententiam ferre, iſta, inquam, Chriſti enunciatio jam non eſt vera, ut antea aliquando fuit; dum ſcilicet ſigna & miracula eos comitabantur, qui in Chriſti nomine congregati erant. Hac igitur ratione cætera etiam omnia, quæ Chriſtus dixit, univerſaque ipſius diſciplina in dubium hoc tempore revocabitur; id eſt hodie hæc ad nos nihil pertinere cenſebuntur, nec per plurima ſæcula ad quoſquam ea pertinuiſſe affirmari poterit. Cum tamen luce meridiana clarius ſit, ſigna & miracula in eum finem tantum adhibita fuiſſe, ut Chriſti doctrina confirmaretur, certumque eſſet, illam perpetuo veriſſimam futuram, & locum habituram donec præſens maneret ſæculum.

Ex

Ex quo, ut antea dixi, necessario sequitur, ut, si signa & miracula cum iis conjuncta, qui Jesu Christi nomini ab initio fidem habuerunt, nos monent, istiusmodi homines verum Dei templum fuisse, Dei verum templum hodie quoque sint ii, qui Jesu Christi nomini fidem similiter habent, licet signis istis & miraculis sint destituti; quæ cur perpetua in Ecclesia non fuerint, immo esse non debuerint, satis me ostendisse opinor in superioribus literis meis. Feras me quæso, vir optime ac præstantissime, si hæc tecum frustra omnino fortasse disputo; nec arbitreris, me tam hebetem ac suspicio sum esse, & simul ab omni Christiana charitate atque adeo civili modestia alienum, ut tibi ridiculas & perniciosas istas opiniones adscribam, quas ipsa verba tua postmodum aperte satis refellunt; sed me non tui modo, verum etiam aliorum his scribendis rationem habere cogites; atque pro tua singulari humanitate, quid ad ea jam respondeam, quæ privatim & proprie contra Ecclesiæ externum ministerium hoc tempore à nobis instaurandum attulisti, patienter audias. Ut enim eodem tempore ad id respondeas, quod à me affertur, ut probem, hodie externam Christi Ecclesiam instaurari posse, nos videlicet Dei Christique verbum habere, quibus ea ab initio fundata fuit, affers primo loco exempla defectionis Israëliticæ Eliæ temporibus, & captivitatis Babylonicæ; ex quibus nos discere oportere ais, quamvis vera de Deo doctrina habeatur, non tamen temere ad externa ista prosiliendum esse, quemadmodum nec illi prosilierunt, qui in istis defectionibus verum Dei cultum nihilominus retinuerunt. Ad hoc respondeo, & nominatim de exemplo defectionis temporibus Eliæ agens, (nam alterum captivitatis Babylonicæ non videtur complures ob causas satis ad rem facere) dico primum, aliam fuisse conditionem illorum temporum & externi cultus Dei sub Vetere Testamento, & aliam horum temporum externique Dei cultus sub Testamento Novo. Sub vetere enim Testamento externus cultus ille divinus, à quo ii abstinebant, qui in media ipsa defectione idololatricis cultibus non adhæserant, cuidam certæ tribui ac familiæ quodammodo alligatus erat, id est Leviticæ & Aaronicæ; ut nulla ratione liceret extra ipsas alicui sibi sumere, ut illum administraret. Quinetiam summum sacerdotium, in tota familia Aaronica uni domui Phineës alligatum erat; sine quo divinus iste cultus administrari non poterat. Quid igitur, si nullus ex ea domo forrasse tunc erat, qui idololatricis cultibus non consentiret? An non necesse prorsus fuit, interim illius divini cultus administrationem cessare? Adde, quod summus sacerdos ex domo illa, certa quadam ratione & successione eligebatur, quam spernere & alium in jam electi locum, licet ex eadem domo, substituere privatis præsertim hominibus nullo pacto licebat. Huc accedit, quod in Israëlis regno, ubi Eliæ tempore defectio ista contigit, nullus poterat divinus cultus administrari, à quo reliquiæ illæ piorum abstinerent. Omnia enim sacrificia, omnis Dei publica & solennis adoratio & invocatio, Hierosolymis in templo ex ipsius Dei præscripto peragenda erat, id est, in regno Judæ, unde illi jam pridem secessionem fecerant, & penitus sese disjunxerant. Præterea legimus quidem, istos Deo caros fuisse, eo quod ab idololatricis cultibus abstinuissent, quemadmodum & hodie eos Deo caros esse credendum est, qui inter idololatras licet degentes, idololatræ tamen non sunt. Sed non propterea eos commendari audimus, quod ita occulte solum verum Deum colerent, ut Elias eos non agnosceret, & se solum unius veri Dei cultorem in populo illo relictum fuisse (ut quidem Paulus interpretari videtur) existimaret; aut certe neminem præter se publice Dei causam agere affirmaret. Nunc consideremus ex altera parte conditionem externi cultus Dei sub Novo Testamento. Is autem vel omnino, ut quibusdam placet, vel potissimum, verbi Dei & Sacramentorum (quæ vocant) administratione continetur. Jam vero verbi Dei administratio, præsertim quæ ad externam Ecclesiam colligendam & constituendam requiritur, nulli certæ nationi aut familiæ, nulli eligendi rationi denique aut successioni alligata est. Patet hoc vel ex eo, quod in ipso ferme initio prædicationis Apostolicæ, nulla prævia ad id muneris ab Apostolis facta electione, ii, qui Jesu Christi disciplinam amplexi fuerant, passim Euangelium annunciabant, non sine felicibus successibus & divina comprobatione; ut legitur Act. 8.4, & cap. 11. 19, &c. Nam si munus ipsum Apostolicum, ipsis Apostolis adhuc viventibus, immo vix dum illud obire incipientibus, euangelizandi & Dei verbum ministrandi iis, qui extra Ecclesiam erant, omnibus Christi discipulis sua sponte exercere indistincte licuit; multo magis profecto Christiano homini licere debet, iis, qui jam ad Ecclesiam pertinent, præire tantum quodammodo, in verbo Dei recepto & ab omnibus approbato exponendo atque explicando, idque ex aliorum omnium consensu, quæ hodie tota ratio est administrandi verbi divini necessaria ad externam Ecclesiam colligendam. Nam quod ais, priscos illos scivisse, unde doctrinam hausissent, & sanam esse nihil dubitasse, hoc idem & scire & pro certo habere nostri temporis Christiani possunt, cum Dei verbum æternis monumentis consignatum ac prorsus indubitatum habeant, cui soli si quis penitus adhæreat, nullo pacto in iis, quæ ad salutem pertinent, ita falli potest, ut condemnationem ullam incurrat. Quanquam quanto minus asseveranter loquendum est iis, qui, ut nunc fit, verbum Dei populo explanant, quam iis, qui Euangelium annunciant, tanto minus necesse est, ut de doctrina sua merito nihil dubitent.

De Sacramentis porro, id est, ut fere ab iis receptum est, qui ab Antichristo defecerunt, de Baptismo aquæ & Cœna Domini; quod ad Cœnam Domini attinet, nihil est, cur suspicari possimus, eam à quolibet Christi nomen profitentium cœtu celebrari non posse. Neque enim parabilissima hæc & simplicissima cærimonia Apostolis, ut Apostolis à Christo præscripta fuit; sed simpliciter ut ipsius discipulis seu mavis Christianis, id quod & Pauli verba 1 ad Cor. 11, manifestum faciunt, & satis ostendunt ipsa Christi verba à Paulo uberius exposita, quibus ipsius cærimoniæ finis continetur; qui est commemoratio dominicæ mortis & annunciatio, donec ipse Dominus veniat. Cui gratiarum actionem pro eadem morte fuisse conjunctam, & res ipsa aperte monet, & satis indicat antiquissimum hujus ritus nomen εὐχαριστία. Jam & Christi mortem commemorare atque annunciare, & pro ea gratias publice agere, ad omnes Christianos peræque pertinere, nemo est, quin fateri cogatur. Nec vero est in hoc ritu alicujus divinæ rei ulla datio seu ministratio (sic enim loqui oportet) & propterea nullus certus homo requiritur, qui quasi Christi vicem gerens, panem & vinum cæteris distribuat, aut porrigat. Quamvis ab ipso initio, cum institutus fuit, id Christus, qui eum instituebat, fecerit. Ex accidente id enim fuit, & quia tunc primum ab ipso instituebatur, qui compendii cujusdam gratia, facta quædam verborum loco substituit. Cæterum unicuique de cærimonia ista recte alioqui sentienti abunde constare potest, nihil aliud sensisse Christum, quam, ut sui discipuli, pane simul frangendo, ac comedendo, poculoque infundendo ac bibendo, corporis sui fractionem & sanguinis fusionem pro ipsis mox secuturam, postea, ut jam peractam commemorarent, ac concelebrarent. Ex quo id intelligitur, quod supra attigi, tantum abesse, ut errent, quicunque Christi discipuli merito dici volunt, hoc ritu peragendo, ut potius errare omnino existimandi sint, nisi, quantum in ipsis est curent, ut illum peragant. Nihil autem simile fuit Eliæ tempore, à quo ii abstinerent, qui Deo cari erant.

De aquæ Baptismo ego ita sentio, eum Ecclesiæ in perpetuum præscriptum non fuisse, nec unquam, ut illum acciperent iis præceptum neque à Christo, neque ab Apo-

ab Apostolis fuisse, qui jam ipsi Christo alia quacumque ratione publice nomen dedissent, vel à primis annis in Christiana disciplina educati atque instituti essent. Qua de mea sententia, cujus alii etiam ante me fuerunt, justum librum conscripsi, in quo omnia testimonia sacra omnesque rationes diligenter examino ac diluo, quæ illam infirmare posse videantur, cui titulum feci, *An homini Christiano aquæ Baptismo carere liceat, disputatio.* Fratrum autem rogatu eum conscripsi, qui tamen talem sententiam prorsus abominantur, & tandem precibus meis adacti curarunt, ut ad ea, qui ibi scripseram, responderetur; hocque munus Alexandro Vitrelino demandarunt, qui tamen non Ecclesiæ sed privato nomine respondit, sed tot probra, convicia, maledicta, calumnias denique in me una cum responsionibus suis admiscuit, quæ quales sint aliquando fortasse pii homines dijudicabunt, ut fratres ipsi illum acriter reprehenderint; ego vero ab ejusmodi scripto refutando, quamvis id alioqui perexigui laboris mihi esse videatur, hactenus deterritus fuerim. Verum, ut ad propositum revertar, dico, aquæ Baptismum ad Ecclesiam externam hoc tempore instaurandam meo judicio nihil pertinere, remque indifferentem esse; in qua utinam fratres nostri nihil novare tentassent. Atque idcirco non esse, quod de eo quidquam in hoc proposito explicatius dicam. Crediderim tamen, si is hodieque retinendus sit, propter eos, qui ab aliis religionibus ad Christi religionem convertuntur, potissime retinendum esse. Quos non video, cur ii baptizare non possint, qui illis Christum annunciaverint; aut si neminem ex hominibus genitorem (ut ita dicam) in Christo habuerint, cur id facere non possit is, qui huic muneri ab eo cœtu, cui se adjungere voluerit, destinatus fuerit, cum aquæ Baptismus in Jesu Christi videlicet nomine ministratus, nihil aliud sit, quam adumbratio remissionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nominis aperta professio, atque in ipsius religionem initiatio quædam, id est, per eum nihil revera detur, sed tantummodo eorum, quæ vel jam data esse, vel datum iri certissimum est, externa quædam agnitio significetur. Quod si illi, qui Eliæ tempore, propterea quod ab idololatria sibi cavissent, à Deo in aliorum cæde conservati fuerunt, persuasum habuissent, quemadmodum nostri homines de aquæ Baptismo persuasum habuerunt, aliquem fuisse ritum à Deo præscriptum, quem nisi quis rite peregisset, in ejus populo numerari non posset, & tamen illum prorsus neglexissent; putasne eos tantopere Deo caros futuros fuisse, nec ejus iram aliqua saltem ex parte sensuros? Breviter, non video, quid istorum exemplum ad externæ Christi Ecclesiæ instaurationem dissuadendam momenti habere possit; quos nemo negaverit rectius facturos fuisse, si publice & palam se idololatrico illi cultui, qui in populo vigebat, minime assentiri protestati essent, & seque ab aliis, qui idololatræ erant, quam maxime poterant, segregassent. Nihil autem dico, quod hoc tempore multa clarissima indicia dedit Deus voluntatis suæ, ut externa Christi Ecclesia instauretur, & Antichristianum regnum diruatur; atque, inter alia, vim infinitam hominum excitavit, qui suo sanguine veram Christi doctrinam, quantum ad salutem satis est, confirmarunt, & falsam Antichristi refellerent. Adeo, ut, si quis recte animadvertat, miraculis, & Spiritus Sancti externis donis exceptis, quibus propter eas causas, quæ ante sunt expositæ, hoc tempore nihil opus erat, maxima similitudo inter hæc & Apostolica tempora, & quæ illis proxime successerunt, appareat. Ut merito affirmari possit, quemadmodum tunc nasci, sic nunc renasci Christi Ecclesiam cœpisse; & consequenter concludi, non esse Eliæ tempora illa cum nostris hisce temporibus ullo modo comparanda, non magis quam cum ipsis Apostolicis. Ubi semper meminisse oportet, ad Christi Ecclesiam instituendam non esse necesse, ut veritas omnium rerum divinarum teneatur; sed satis esse ea sciri, sine quibus æterna salus nemini contingere potest. Nunc ad illud accedo, quod addis de discrimine seniorum Ecclesiæ nostri temporis, & Ecclesiæ, quæ Apostolorum tempore fuit. Ex quo concludere vis, nostros non esse veros seniores, nec illorum Ecclesiam veram Ecclesiam; immo quia hodie tales seniores, quales antiquitus fuerunt, nulli apparent, nullam etiam instaurari posse externam Ecclesiam. Ais enim hoc tempore seniores ab Ecclesia constitui, non autem à senioribus Ecclesiam colligi; quod contra, inquis, fiebat in primitiva Ecclesia. Ad hoc, etiamsi ea certissima essent, quæ pro concessis sumis, abunde ex superioribus responsio patet, propter temporum rationis diversitatem. Tunc opus fuit, ut Seniores Ecclesiam colligerent, quia tum primum fundabatur Ecclesia, nec ulla principia certissima atque indubitata erant, quibus omnes assentirentur, & ex quibus per se ipsi veritatem agnoscere, & Dei populo se aggregare sua sponte possent. Nunc vero instauratur Ecclesia ex iis principiis, de quibus inter omnes constat. Quare certo aliquo architecto nihil est opus; sed unusquisque per se suaque sponte partem in hac instauratione habere potest atque adeo habet. Monitore tantum opus fuit vastationis Ecclesiæ, ejusque instaurandæ rationis; quos sane non unum sed plures habuimus, qui etiam in ea instauranda graviter laborarunt. Sed animadvertendum præterea est, te pro concessis sumere ea, quæ mihi minus certa videntur. Neque enim in primitiva Ecclesia colligebantur cœtus à Senioribus, sed iis cœtibus sive Ecclesiis præficiebantur, quæ Apostolorum & aliorum Euangelizantium ministerio collectæ fuerant. Exempli causa, Ecclesiæ Corinthiorum, Philippensium, Ephesiorum, non à senioribus, id est, pastoribus, qui in illis perpetuo erant, sed à Paulo Apostolo fuerant collectæ. In quibus ipse deinde seniores constituit, non quidem ex sua ipsius tantum voluntate ac sententia, sed ipsa approbante Ecclesia. Ut ex eo intelligi potest, quod Timotheus ipse tantus Pauli administer, non sine impositione manuum Presbyterii, id est senatus, ut sic dixerim, Ecclesiæ, qui ipsius Ecclesiæ personam sustinebat, ut alicujus urbis Senatus, civitatis & reipublicæ personam sustinet, ad munus pastoris, quo in Ecclesia fungebatur, delectus fuit.

An non legimus, mandatum fuisse Tito à Paulo, ut in singulis Cretæ urbibus Seniores constitueret? quod sine dubio de iis urbibus intelligendum est, in quibus jam aliquis numerus Christi fidelium collectus erat. Quibus volebat Paulus pastores dari, ad ipsos verbo Dei pascendos, adque Ecclesiæ conservationem & incrementum. Ut satis ex ipsius verbis, ubi hac de re agit, apparet. Quomodo igitur tunc temporis à Senioribus Ecclesiæ colligebantur, si jam collectis Ecclesiis Seniores præficiebantur? Non tamen hic similiter est intelligendum, Titum debuisse aut potuisse ex proprio tantum sensu, propriove arbitratu, quoscumque magis ipse probasset, seniores constituere; sed ei mandatum fuisse, ut curaret seniores constitui ex ipsius Ecclesiæ consensu; qui modo tales essent, quales Paulus descripserat. Atque ejusmodi seniores ipsam Ecclesiam per se sibi constituere potuisse, nihil est, quod dubitare nos sinat. Et sane in illis ipsis Ecclesiis, in quibus Paulus ipse seniores ab initio (ut legitur Act. 14.22.) quemadmodum paullo ante dixi, constituerat, illis deficientibus, Ecclesiam ipsam per se alios sibi constituere potuisse, necessarium quodammodo est, & ex Ecclesiastica historia, sic quoque factum fuisse, satis intelligere licet. Rursus hoc tempore non est perpetuum, immo vero admodum rarum, ut Ecclesia ipsa seniores, id est pastores sibi eligat; Ecclesia, inquam, cui ipsi seniores præsunt. Eliguntur enim ab aliis pastoribus ut plurimum, quamvis non sine consensu illius Ecclesiæ. Quinetiam non solum ab ipso initio renascentis Euangelicæ veritatis, collectæ sunt Ecclesiæ ab ipsis pastoribus pluribus in locis, ut à Luthero, à Zwinglio, ab Oecolampadio, à Bal-

à Balthasare Pacimontano, & ab aliis; sed postea etiam sæpenumero contigit, ut homines pii aliisque erudiendis non inepti, vel plane sua sponte, vel ab aliqua Ecclesia jam collecta missi, Ecclesias, ubi nullæ erant, collegerint ac fundaverint; quod cum alibi tum in Gallia potissimum factum esse scimus. Itaque nihil mihi, hac etiam in parte, dissimilitudinis inter hæc & primitivæ Ecclesiæ tempora esse videtur, &, si insignis aliqua tamen in ipsis initiis fuisset, jam ejus rei caussam attuli; ex qua apparet, non propterea sentiendum, præpostera ratione hodie in Ecclesia instauranda agi. Post ipsa initia nulla profecto dissimilitudo, quæ alicujus momenti sit, inter hæc duo tempora animadverti potest. Sed quidquid sit, ut de re ipsa, quæ in controversia est, agamus, illud unum scire velim, cur hodie non liceat hominibus recte, quantum satis est, de religione Christiana sentientibus convenire, memoriam Christi mortis, ut jussi sunt, celebrare, communes preces ad Deum fundere, sese invicem ad pietatem ac perseverantiam in fide cohortari, de divinis rebus colloqui ac disputare, aliquot ex suo numero certos homines habere, quorum hic aliis in verbo Dei explanando præeat, ac rudiores in disciplina Christiana instituat; ille singulariter pauperibus ex communibus Ecclesiæ pecuniis subveniendi curam habeat; alii, ut omnia ordine ac decenter in cœtu fiant, provideant & curent; alii sint, quorum prudentiæ ac rerum divinarum cognitioni universus cœtus plurimum deferat, & quos idcirco tanquam senatum suum esse statuat; alii denique aliis muneribus vacent, quæ ad totius congregationis conservationem pertineant: velim, inquam, scire, cur hæc facere non liceat hoc tempore, quidve, quominus fiant, jure prohibere possit; sive ejusmodi congregationem Ecclesiam appellare velis, sive nolis; sive tales congregationes pares, aut similes Apostolicis Ecclesiis esse concedas, sive minus. Certe cum Deus a nobis quam maxime colendus sit, & Jesu Christi disciplina quam apertissime profitenda, &, quantum in nobis est, propaganda; cumque hæc omnia ad Dei cultum & professionem ac propagationem Christi disciplinæ plurimum pertineant, immo sine his existere aut consistere nequeant, necesse est fateri, quicquid præterea de illis judices, & quocunque nomine ea voces, cuncta non modo fieri posse, sed etiam debere. Nam, quod tu asseris, multos pietate & justitia insignes viros sine externis istis notis & signis hodie Deum colere, & olim coluisse, id mihi nullo pacto verisimile videtur, nisi vel ubi ista habendi facultas non fuerit, vel si forte viris istis omnes cœtus, in quibus hæc fuerint, aliquo perverso & saluti æternæ contrario dogmate visi fuerint contaminati. Alioquin prorsus necesse esse statuo, ut quilibet Christianus alicui Christum profitentium cœtui palam adhæreat, ei videlicet, quem aliis puriorem esse judicaverit, cujus sententiæ infiniti pietate præstantes viri nostra ætate fuerunt, & adhuc sunt; quibus ob hanc caussam grave non fuit famæ atque honorum jacturam facere, & sese manifestis vitæ periculis exponere. Non dubito, quin, ut ipse sancte affirmas, optima mente & solo veritatis amore ea & scripseris, & sentias quæ in tuis ad me literis de hoc argumento continentur, sed transfigurat se hic (ignosce quæso libertati meæ) Satanas in Angelum lucis, & per te talem tamque insigni alioqui pietate virum, aliosque non contemnendos homines, ruinam Christi Ecclesiæ renascentis struit. Cujus artes & astum agnosce obsecro; nec patere, ut te paullatim seducat, & tandem, cum prorsus tibi persuaserit, nullam inter eos, qui à Romana Ecclesia defecerunt, hactenus esse vel esse posse externam Christi Ecclesiam, nec scriptum, quod habemus, Dei verbum ad eam erigendam satis esse, te ad Ecclesiam istam, quæ perpetuam ab Apostolis & ministerii & doctrinæ successionem, ac Spiritus Sancti assiduum favorem & præsentiam audacter, nec prorsus inepte (ut compluribus videtur) jactare solet, ut Puccium, aliquando reducat, aut aggreget. Quod omen Deus, ut spero, ac fore mihi penitus persuadeo, pro sua bonitate avertat. Nec vero credas aut me, aut alios innumerabiles, qui mecum sentiunt, clariorem multo, quam nunc habeamus, veritatis divinæ patefactionem non expectare, & sane si quis usquam est, qui hoc expectet, ego is sum; cui fortasse ii omnes, qui Christi nomine appellantur in pluribus adhuc errare videntur, quam vel tibi, vel cuiquam alii videri possint. Sed non propterea censemus, talem hodie veritatis cœlestis lucem non affulsisse, quæ ad salutem æternam consequendam satis sit, vel ad talem lucem habendam non satis esse divinis literis penitus adhærere, ex iisque solis divinam veritatem petere. Ex quo necessario consequitur, externam Christi Ecclesiam hoc tempore instaurari & posse & debere.

Non possum autem non vehementer mirari, te Christi verba, quod portæ inferorum non essent adversus ipsius Ecclesiam prævalituræ; ita interpretari, ut nondum ejus rei tempus extiterit, quod nihil aliud est, quam vel negare, ullam Christi veram Ecclesiam hactenus extitisse, vel Christum mendacii coarguere. Atqui Christi verba non ita prorsus sunt accipienda, ut credamus, quæ vera Christi Ecclesia est, eam non posse Satanæ astutiis subverti; sed, quamdiu vera Christi Ecclesia fuerit, fieri non posse, ut ab ipsa morte atque inferno quidquam detrimenti patiatur. Non negaverim quidem, sicut etiam non affirmaverim, in hoc sæculo talem Christi Ecclesiam futuram, quæ deficere nulla ratione possit, idque Christum suis verbis significare voluisse. Sed in eo à multis erratur, quod vaticinationes seu prædictiones non nisi in eum sensum accipi posse existimant, qui potior sit, & nulla sermonis figura quantumvis usitata expressus, cum tamen & Christi ipsius dicta, & Apostolorum ejus scripta, & denique res ipsa apertissime doceat, in prædictionibus divinis sæpissime duplicem sensum inesse; unum videlicet, qui ex ipsis verbis omni tropo prorsus nudatis elici potest; alterum vero, qui usitatæ verborum, licet aliqua ratione figuratæ, significationi est consentaneus. Verum hac de re, quæ latissime patet, non est hic uberius disserendi locus.

Superest autem, ut ad ea breviter respondeam, quæ in iisdem tuis literis, præter hanc de Ecclesia instauranda disputationem, continentur. Igitur quod vicem meam in facultatum mearum jactura dolebas, est quod tibi gratias agam; sed multo magis quod me ita & humaniter, & prudenter consolatus fueris. Velim autem scias, hactenus Dei benignitate mihi patria bona erepta non fuisse, & spem aliquam superesse, me vel inde tantum corradere posse, unde victum & vestitum mihi parare queam; vel etiam aliquandiu adhuc illis omnibus fruiturum. Quod sane ob id unum mihi gratissimum foret, quod amanuensem nutrire possem, sine quo ægerrime ea, quæ meæ vocationis mihi videntur, exequi me posse plane perspicio. Hunc autem si à fratribus non habeo (nam me non impetrare; nullo pacto affirmare queo, quippe qui nunquam petierim) nihil est mirum, cum summa sit inter eos paupertas, & in commune non conferendi culpa, in paucissimis quibusdam tantummodo hæreat; quos equidem arbitror, si vellent, posse omnibus Ecclesiæ necessitatibus sufficere. Nam quod tu conquerebaris de ipsorum negligentia in veritate divina Germanica lingua publicanda, lætatus sum vehementer, audiens, eos in proxima Chmielniciensi synodo ad eam rem aliqua ratione animum applicuisse, quod utinam verum sit.

De spe ac fide in venturum Christum, qua præditi fuerint patres illi sub Vetere Testamento ita ut in suis sacrificiis ad illum respexerint, nihil aliud in præsentia dico, nisi, me nullo modo diffiteri, Christum ibi adumbratum fuisse; sed nego hoc illos intellexisse; quod nobis demum patefaciendum erat, ut cœlestis

atque æternæ veritatis & lucis confirmationem ex antecedentibus figuris & umbris haberemus; ſub quibus veteres illi omnes concluſi erant uſque ad correctionis tempus, ut loquitur Apoſtolus Heb.9.10. Et quod dixi de Meſſia Hieremiæ temporibus aperte promiſſo, ita ut nova quædam promiſſio cenſeri debeat, veriſſimum eſt, & per ea, quæ in ejus Prophetæ vaticinatione ſcripta ſunt cap.23. & repetita cap.33. abunde confirmari videtur. Tametſi enim antea per alios Prophetas, præcipue vero per Eſaiam Meſſiæ adventus ita prædictus fuerit, ut nunc ejus vaticinationem legentes, hiſtoriam potius, quam vaticinationem legere nobis videamur, tamen eo tempore prædictiones iſtæ obſcuriores erant, eæque ad varios atque extraneos ſenſus accommodari poterant, cujus rei fidem faciunt, quæ hodie inter Judæos receptæ ſunt, earum interpretationes. Pleraque enim de Jeſu Nazareno ibi prædicta, non modo de illo accipere renuunt, ſed etiam de Meſſia, quem ipſi tamen expectant, accipi poſſe nolunt. At vero, quæ de Meſſia ab Hieremia primum, deinde ab Exechiele & Daniele aliiſque prædicta ſunt, qui etiam clariſſimis verbis antecedentem Babylonicam captivitatem & ab ea liberationem certo tempore futuram, prædixerunt, adeo ſunt aperta, ut nulla extranea interpretatione occultari, aut obſcurari poſſint, nec ad ipſum Meſſiam ea omnino pertinere, Judæi unquam negare ſint auſi. Itaque quod dicis, Chriſtum ipſis etiam antiquioribus illis patribus fuiſſe promiſſum, id ſane fateor. Sed nego ita apertas fuiſſe promiſſiones, ut id ipſi intelligerent, nedum ad ſe pertinere arbitrarentur illud, quod non ipſis, ſed eorum poſteritati ſe daturum Deus promiſerat. Nam quod ſive in Epiſt. ad Hebr. cap.11 ſive alibi de ſpe futurorum ſibi ipſis bonorum, qua patres illi præditi eſſent, ſcriptum eſt; in eo neque ad ipſius Chriſti perſonam illos reſpexiſſe traditur, aut illius ullam rationem habuiſſe, nec alius quam vel myſticus ſenſus, vel eventum potius, quam ipſorum animum ſignificans eſt admittendus. Sed requirit hæc res longiorem diſputationem, quam ut hiſce literis includi poſſit.

Declarationem verborum tuorum, quod Chriſtus non ſit ex Adamo vel Adami filius, libenter amplector; atque, ut idem ſentiamus, ſatis mihi eſt, quod ais, te credere, illum, verum hominem ex Davidis ſemine prognatum; & interim, licet in virginis, id eſt mulieris utero, non tamen per commixtionem maris & fœminæ conceptum.

De loco autem illo, *ſolvite templum hoc*, &c. Quod ſuſpectus cenſeri debeat, nullo modo tibi aſſentiri poſſum. Nam, quamvis dicas, te non propterea in dubium revocare ſacra oracula, id tamen, ſi non mentem tuam quidem, ſed rem ipſam ſpectes, neceſſario aliter ſe habet. Etenim, ſi de uno aliquo loco, qui in omnibus codicibus & exemplaribus, & apud omnes interpretes eodem modo legatur, ut iſte legitur, dubitare licet, nihil eſt, cur de omnibus dubitare non liceat, & tu ipſe adjungis de ſacris oraculis verba illa, *quantumvis hinc inde depravata*; quibus verbis ſatis indicas, non debere omnibus, quæ in divinis literis ſcripta leguntur, temere fidem adhiberi. Ego quidem contra ita ſentio, Nihil in iis ſcriptis, quæ communiter ab iis, qui Chriſtiani ſunt dicti, recepta & pro divinis habita ſunt conſtanter legi, quod non veriſſimum ſit, hocque ad divinam providentiam pertinere prorſus arbitror, ut ejuſmodi ſcripta nunquam depraventur aut corrumpantur, neque ex toto neque ex parte. Et, ſi aliqui codices aut exemplaria alicubi mendoſa ſint, ex aliis emendatioribus, vel ex antiquorum interpretum auctoritate emendari queant. Qua de re diſſerui pluribus in opuſculo quodam, quod de auctoritate librorum Veteris & Novi Teſtamenti Italica lingua conſcripſi. Præſtat mi frater, mihi crede, cum in aliquem ſcripturæ locum incidimus, qui nobis falſam ſententiam continere videatur, una cum Auguſtino hac in parte ignorantiam noſtram fateri, quam eum, ſi alioquin indubitatus plane ſit, in dubium revocare. Nihil habent verba illa apud Johannem Chriſto tributa, quod non ſit veriſſimum, & cum reliquis omnibus ſacris oraculis conſentiens. Ut ipſe fortaſſis, ſi umquam ſcripta mea legeris, præſertim vero diſputationem meam cum Eraſmo Johannis, ingenue fateberis. Depone, quæſo te, iſtam, quam habes de Sacris Scripturis opinionem; quæ ſola, niſi caveris, innumerabilium in religione errorum, quemadmodum aliis compluribus Chriſtum profitentibus, cauſſa tibi eſſe poterit; &, ſi ipſius vim atque aliorum exempla attendere velimus, facile quemvis in atheiſmum inducere tandem poteſt.

Gaviſus vehementer ſum, quod alia via aggreſſus eſſes contra Eraſmum Johannis diſputare. Sed mihi ſcriptum ſeu literas tuas videre non licuit. Is Eraſmus nuper in majorem Poloniam eſt profectus, metuens ſibi, cum, ut te jam dudum audiviſſe exiſtimo, Alexius typographus carceratus fuit, non tam propter Antitheſim illam ſuam, quam ipſius operâ publicaverat, quam propterea quod cum domi ipſius aliquandiu fuiſſet, operam ſuam ei commodaverat in operarum erroribus corrigendis, in quibuſdam libellis (quos tamen ipſe Eraſmus minime probabat) ubi contra Chriſti adorationem & invocationem diſputabatur. Nam inter cætera ejuſmodi ſcripta, quæ Cracoviæ Alexius excudit, excudebat, ſeu potius recudebat poſtremo librum illum, qui Palæologo & aliis curantibus Francofurti ad Mœnum annis ſuperioribus ſine principio & fine excuſus fuerat, ubi præcipuum ſcriptum eſt; Reſponſio Franciſci Davidis ad brevem quandam meam oppugnationem, inibi admodum negligenter & inemendate publicatam, duarum ipſius theſium & quatuor pro altera rationum contra Chriſti invocationem, quas ipſe Franciſcus, dum apud eum in Tranſylvania eſſem, mihi ſua ipſius manu exaratas obtulerat, rogans, ut eas, ſi poſſem, confutare vellem. Quod poſtquam breviter, ut dictum eſt, feci, ipſe longiorem, de qua dixi, reſponſionem confutationis meæ ſcribere eſt aggreſſus, eamque mihi poſt aliquot menſes tradidit. Ego vero ſtatim hanc reſponſionem copioſiſſime refellere inſtitui, in animo habens opus conſcribere, in quo univerſa de Chriſti officio, poteſtate ac regno quæſtio diligentiſſime explicaretur. Sed vix tertiam operis partem abſolveram, cum coactus ſum, ſic fratribus illius provinciæ jubentibus, brevius reſponſum exarare, iis, quæ jam ſcripſeram in compendium redactis; ut in judicio quod paucis poſt diebus Albæ Juliæ coram principe & omnibus regni ordinibus, advocatis etiam ex Hungaria, quæ Imperatori paret, non paucis theologis, de Franciſco Davidis deque ipſius circa Chriſti adorationem & invocationem ſententia habendum erat, poſſet aliqua, ut promiſſum fuerat, ad ejus ſcriptum reſponſio offerri. Sed poſtea, quia, contra quam ſperabamus, de dogmate ipſo ex Sacris Literis nihil prorſus eſt diſputatum, neutiquam oblata eſt reſponſio iſta quam ego inde diſcedens fratribus reliqui, ut recognitam, atque, ut ipſi oportere judicaſſent, emendatam, nomine tamen meo deleto, publicandam curarent, quemadmodum etiam ſe facturos polliciti fuerant. Hoc autem eſt illud opus, de quo audiveras, brevi à me editum iri, (atque hinc ad medias tuas literas reſpondere incipiam) & quidem verum audiſſes, niſi typographo deſtituerer. Nam Alexius, quem ſolum habebamus, & cujus opera, quamvis à fratribus è cœtu ejecti, uti hac in re potuiſſem, prohibitus eſt poſt carcerationem vel potius poſt dimiſſionem è carcere quidquam deinceps excudere, nec ſcio, an ullum alium uſquam nacturus ſim, qui mihi hac in re ſuam operam locare velit. Sumptus ſupeditare promiſit illuſtris & Magnificus D. Kiſka, à me hac de re obnixe rogatus. Video enim nihil hodie edi poſſe in tota Chriſtiana religione majoris momenti quam hoc ſit, *Demonſtratio*.

stratio, videlicet, quod Christo, licet rei creatæ, tamen invocatio, & adoratio seu cultus divinus conveniat. Nam hoc præsertim quod ad invocationem attinet, de qua nominatim inter me & Franciscum Davidis disputatur, me in ea responsione satis demonstrasse confido; cui addi poterunt disputationes meæ cum Christiano Francken, cum quo præcipue de adoratione mihi disceptatio fuit, & sic res tota clarius apparebit. Si enim hoc demonstratum fuerit, concident omnes Trinitariorum munitiones, quæ revera uno hoc fundamento adhuc nituntur, quod Christo adoratio & invocatio conveniat, quæ solius Dei illius altissimi omni ratione videtur esse propria; & ex altera parte vera Christi potestas atque majestas ostendetur, & in omnium animis confirmabitur: sine cujus cognitione nec Deus ipse, nec quidquam rerum divinarum recte cognoscitur; salutis nostræ ratio revera ignoratur: quidquid præsertim de expiatione nostrorum peccatorum per Christum in Sacris Literis legitur, pessime intelligitur: ipsius Christi universa religio in dubium revocatur, aut saltem mutationi & fini in hoc ipso sæculo obnoxia redditur; summum ac præstantissimum nostræ spei ac fidei in Deum fundamentum nobis eripitur; ac denique, ne omnia hinc provenientia mala & incommoda, quæ innumerabilia sunt, enumerare hic nunc velle videar, in ipsum Christum & Deum patrem gravissime peccatur.

Nam quod tu pro maxima (ut inquis) habes, Nullum de Christo adorando præceptum in Sacris Literis extare, unde concludere vis, non modo non debere, sed ne posse quidem jure Christum adorari, duplicem habet responsionem. Nam & assumptio, & consequentia falsa est. Probo utrumque simul ex duobus Sacris Testimoniis; ex quorum utroque apparet, & Deum omnino velle, ut Christus à nobis adoretur, & non fuisse tamen necesse, ut hæc ejus voluntas expressa diserte fuerit, rem enim per se ipsam monere, Christum omnino à nobis adorandum esse. Prius testimonium sunt verba illa ipsius Christi Joh. 5. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Hic primum audis, Deum velle, ut Christus honoretur, sicut ipse honoratur, ex quo aperte intelligitur, Christum eo genere honoris à nobis afficiendum esse, quo ipse Deus afficitur, & consequenter à nobis adorandum esse. Nam honoris genus, quo Deum afficimus. adoratio sine dubio est. Tametsi enim particula *Sicut* plenam similitudinem necessario non significat, neque ego hoc loco significare volo, (nulla enim alioqui esset differentia inter honorem Deo debitum & Christo, quam ego non minimam constituo) tamen ut aliquam peculiarem similitudinem significet necesse est. Nam si nulla alia esset similitudo, nisi prorsus generalis, id est, in eo simpliciter, quod uterque honoratur, inutilia & vana omnino fuissent verba illa, *sicut honorificant Patrem.* Et ne quis putet, honoris similitudinem istam in eo tantum consistere, quod doctrinæ & præceptis Christi non minus sit parendum, quam Dei doctrinæ & præceptis pareatur(quanquam nec sola obedientia simplici Honoris nomine appellari solet, & Christi præcepta ac doctrina non sunt, ut ipse dicebat, ipsius Christi, sed Dei) animadvertatur caussa honoris; quæ est, quia Deus dedit Christo omne judicium, ita ut ipse Pater jam non judicet quemquam; id est, omne regimen ac gubernationem Ecclesiæ ei commisit, & pœnarum ac præmiorum in eam, eosve, qui quacunque ratione cum ea aut cum Euangelii prædicatione quidquam commune habent, distribuendorum omnimodam potestatem dedit; & quod ad hæc attinet, in sui ipsius loco eum constituit. *Judicare* enim phrasi Hebraica, non solum *jus dicere, & sententiam ferre*, sed etiam, idque præcipue, *regere ac gubernare* significat. Consideretur, inquam, caussa ista, & intelligetur, hic de honore agi, qui debetur Christo non quatenus ejus præceptis & mandatis obeditur, sed quatenus pro nostro rege ac domino cœlesti agnoscitur, qui in nos omnes vitæ necisque potestatem habet, ac perpetuo, ut Dei vicarius, nostri curam gerit, hunc autem honorem, adorationem, & divinum cultum esse, nemo (opinor) sanæ mentis negaverit. Patet igitur ex his Christi verbis, Deum velle, ut Christus adoretur & divino cultu afficiatur, quæ expositio divinæ voluntatis nihil aliud est, quam præceptum; ac proinde patet, extare præceptum de Christo adorando. Deinde vides ex iisdem verbis manifesto colligi, gubernationem & potestatem à Deo Christo concessam tanti esse, ut ipsa per se moneat, Christum esse adorandum, nec ullo præterea præcepto ad eam rem esse opus. Inquit enim, *Omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, &c.* Igitur omne judicium habere à Deo, trahit secum necessario adorationem. Et sane, quemadmodum sensus ipse communis dictat, ut iis, qui hic in terris nos regunt & gubernant, si certum sit (ut profecto est) eos à Deo reges & gubernatores nobis fuisse datos, terrenum honorem humanumque cultum exhibeamus, etiamsi nullum ea de re præceptum extaret; sic idem sensus communis plane dictat, ut ei, qui in cœlis degens divina ratione ex Dei voluntate nos regit & gubernat, cœlestem honorem & divinum cultum præstemus, etiamsi id facere nunquam jussi fuissemus.

Sed jam ad alterum testimonium veniamus, quod est apud Paulum Philipp. 2. in illis verbis, *Propter quod & Deus superexaltavit illum, & donavit illi nomen quod est supra omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & subterraneorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus [est] Jesus Christus ad Dei patris gloriam.* Hic similiter primum vides expressam (idque graphice) adorationem, quæ nomini Jesu ab omnibus creatis rebus debeatur ex ipsius Dei voluntate; quare manifestum habes de Jesu adorando præceptum. Deinde caussam audis, quæ non solum aperte docet, hanc esse divinam adorationem (nam ei, qui supra omnes creaturas, etiam cœlestes, evectus est, non potest propter hoc ipsum deberi cultus nisi divinus) sed etium propter modum, quo cum suo effectu hic conjungitur, clare ostendit, ubi ea sit, ut certe in Christo est, necessario ibidem effectum istum adorationis & divini cultus esse oportere, nec necesse esse aliud de ea re divinum præceptum extare. Sed, quod ad præceptum attinet, habemus expressum aliud testimonium Heb. 1. ubi verba illa Psal. 97. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, manifeste ad Christum referuntur, ad ostendendum, quanto Christus excellentior omnibus Angelis sit; utpote qui ab ipsis omnibus adorari debeat. Neque hic est opus ostendere, etiamsi verba ista in Psalmo ad Deum referantur ipsum, tamen merito potuisse à divino illo scriptore ad Christum referri; nisi & scriptoris illius, & aliorum, quorum monumenta in sacro volumine extant, qui nonnunquam ea, quæ de Deo sunt dicta, ad Christum referunt, auctoritatem in dubium revocare velimus. Est tamen id à me breviter ostensum in Animadversionibus in Assertiones collegii Posnaniensis de trino & uno Deo, Assert. 21. Num. 6, quem locum, si libuerit, poteris percurrere: sed multo fusius idem ostendi in disputatione mea cum Erasmo Johannis. Quod si Christus ab omnibus Dei Angelis adorari debet, quanto magis ab hominibus, iis præsertim quorum proprie est cœlestis rex & dominus?

Sed dices fortasse, Angeli Christum vident, homines hodie non vident. Quasi vero vel præceptum de solo Deo adorando, ex quo revera omnis oritur caussa dubitandi, an Christus adorandus sit, eos tantum excludat, qui non videntur, vel Christi potestate & perpetua gubernatione in Ecclesia concessa, una cum

necessaria non modo factorum & verborum nostrorum, sed etiam cogitationum omnium cognitione conjuncta, quam concedere divina oracula omnino cogunt, possit ullum discrimen constitui inter Christum à nobis visum, & non visum; quemadmodum in prioribus meis ad te de hoc argumento literis memini me scripsisse. Sed quale pondus in Christi persona habere possit discrimen istud, postea clarius videbimus. Prius enim examinanda ea sunt, quæ à te ad Christi adorationem infirmandam sunt allata. Ais igitur primum, Christum ipsum Satanæ pollicenti, se illi daturum omnia mundi regna, si procumbens se adorasset, respondisse, *Abi è conspectu meo Satana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorato, eumque solum colito.* Sed quid hoc ad rem, cum hic de eo, quem adorare deberet ipse Christus, agatur? Nunquid, si ipse Christus adorandus est, sequitur, eum potuisse non Deum modo, sed etiam semetipsum adorare, & propterea falso præceptum illud de solo Deo adorando sibi accommodasse? Non crediderim, te hasce ineptias dicturum. At respondebis, idcirco locum istum ad rem facere; quia inde apparet, etiam post Christum exhibitum vigere præceptum in Lege Mosis datum de solo Deo adorando, per quod Christus, cum is non sit ipse Deus, non secus atque aliæ omnes res creatæ ab adoratione excluditur. Ad hoc primo loco respondeo, post Christum exhibitum, dum ille adhuc mortalis in terris degeret, non solum præceptum istud de solo Deo adorando viguisse, sed alia omnia, quæ in Lege Mosis scripta erant quantumvis cæremonialia, & (ut sic dicam) umbratilia; quæ tamen postea, Christo glorificato, sublata sunt. Ex quo fit, ut hinc nihil concludere liceat; præsertim, cum post Christum glorificatum apparuerit, tantam esse, ex ipsius Dei voluntate, in nos Christi potestatem & gubernationem, ut merito à nobis omnibus adorari debeat, adeo ut necesse sit, si modo præceptum istud eam vim habet, ut nullo modo quisquam præter Deum ipsum adorari possit, id post Christi glorificationem non amplius vigere. Secundo respondeo, istud præceptum minime istam vim habere, aut habuisse unquam, nisi ex accidente, quatenus, scilicet, nemo esset præter Deum ipsum, qui adoratione dignus esset ex ipsius Dei voluntate; cujusque adoratio tota ad ipsum Deum referretur, nam quandocunque talis extitisset, nequaquam per præceptum istud ejus adoratio prohibita fuisset. Nomen enim Solus, & particulæ idem significantes, cum de Deo dicuntur, nunquam eos excludunt, qui illi sunt subordinati. Solus Deus, exempli caussa, est servator; & tamen multi homines quoque servatores merito sunt appellati, & ipse Christus passim Servator dicitur. Nempe quia isti omnes, quamvis revera servaverint, aut servent, non tamen ex seipsis aut aliunde, quam ab ipso Deo id potestatis adepti sunt. Quis negaverit (ut de præcepto aliquo simili agamus) soli Deo confidendum esse, & tamen ut alios omittam, Christo confidendum esse, passim est scriptum. Caussa hujus rei est, quod, ut ipse Christus dixit, qui ipsi confidit, sive in ipsum credit, non in ipsum credit, sed in eum, qui misit illum; cui videlicet soli confidendum est. Sic dicere possumus, & quidem summo jure, quod, qui Christum adorat, non ipsum Christum adorat, sed Deum qui illi ea dedit, unde ad gloriam ipsius Dei adorari & possit, & debeat. Nam, ut Paulus diserte ait, quod omnis lingua confiteatur, Jesum Christum esse Dominum, hoc ad ipsius Dei patris gloriam pertinet, tantum abest, ut dubitare possimus, ne honor, qui Christo tribuitur, Dei honori quidquam deroget. Itaque, ut multa alia ejusmodi exempla in ipsius Christi persona reticeam, si quis velit ex præcepto de solo Deo adorando concludere, Christum non esse adorandum, oportet, ut vel ipse probet, Christum ea non habere, quibus adoratio conveniat, aut certe ejus adorationem ad ipsum Deum non referri, vel ea diluat, ex quibus contrarium ab aliis probatur, alioquin nihil aget.

Pleraque autem, quæ ad argumentationem tuam refellendam ex Christi verbis illis ad Satanam ducta pertinere magnopere possunt, sciens prudens omitto, sperans hæc pauca satis esse; & ad illud accedo, quod deinde affers de eodem ipso Christo, qui discipulis suis petentibus, ut ipsos orare doceret, *Cum orabitis*, inquit, *dicitote, Pater noster, qui es in cælis, &c.* & addis, *Hujus ipsius Christi mandati fines quis transgredi audebit?* Hic primum adorationem cum invocatione confundis, quod tamen fieri non debet, cum utriusque sit diversa quædam ratio; adeo ut ego, quamvis nihil prorsus dubitem, præceptum extare de Christo adorando, &, etiamsi non extaret, tamen eum omnino adorari à nobis debere, non idem tamen existimem de eodem invocando, cum videlicet invocatio pro ipsa opis imploratione & directione precum nostrarum accipitur. Hic enim statuo, id quidem merito à nobis fieri posse, id est, posse nos jure ad ipsum Christum preces nostras dirigere, ejusque opem nominatim implorare; nihil tamen esse quod nos id facere cogat. Alioqui nunquam posset à nobis Deus solus, id est Christo non etiam rogato, rogari. Quod tamen falsissimum esse & ipsorum Apostolorum exempla, & perpetuus Ecclesiæ usus demonstrat. Atque hæc ratio, quæ mihi evidentissima videtur, tantum apud me ponderis habet ut non paucos locos Novi Testamenti, ubi Christi invocatio præcipi videtur, quos, satis diligenter in disputatione mea cum Francisco Davidis collegi, ita interpreter, ut ibi non præcepta, sed commonefactiones tantum habeantur, & adhortationes. Quis enim ex nobis non vehementer lætetur, si sciat, se in omnibus suis necessitatibus posse confidenter ejus opem implorare, qui homo mortalis fuit, ut nos sumus; qui ea omnia mala est expertus in hoc mundo, quæ nos quotidie experimur; qui licet Dominus tamen idem noster frater est, & caro ex carne nostra, osque ex ossibus nostris, qui denique nostræ fidei ac professionis, ob quam tam multa patimur, princeps, dux, & auctor est, cujusque propterea plurimum interest, ut nos salvi simus? Quis non libenter ad ejusmodi servatoris opem confugiat eamque imploret? Ex quo apparet summa Dei erga nos benignitas cum summa sapientia conjuncta, qui hac admirabili ratione, ubi similiter infinitam suam potentiam ostendit, voluerit fragilitati nostræ succurrere, & in mediis nostris calamitatibus nos non modo securos, sed etiam lætissimos reddere.

Nec vero metuendum est, ne si, Deo solo invocato, ut supra dictum est, Christus ipse non invocatur, vicissim, Christo solo, id est, nomine Dei præterito, invocato, Deus ipse non invocetur; & sic præcepto Dei ipsius invocandi non satis fiat. Nam, licet, qui regem rogat, hoc ipso, ejus præfectum non roget, tamen, qui præfectum regis rogat, hoc ipso, ipsum regem rogare intelligitur. Subordinatus est enim præfectus regi; sed non contra, rex præfecto. Sic Christus Deo subordinatus est; sed non contra, Deus Christo, quare, etiamsi, qui Deum invocat, non idcirco Christum omnino invocat, tamen, qui Christum invocat, omnino ipsum Deum invocare dicendus est. Verum, quia ut ex tuis verbis patet, tu ex Christi verbis, cum orare discipulos docuit, non solum concludere vis, non fuisse præceptum, ut Christum oremus, sed etiam non posse eum à nobis orari. Dico, Christi verba hanc vim nullo pacto habere posse; nec præcepti, quod dedit, fines eum transgredi, qui ipsum Christum oret. Neque enim vel discipuli ab ipso exquisierunt, quem orare deberent, vel ipse, ut consequens est, id illis præscribere voluit. Sed id exquisierunt discipuli, quibus verbis, & quænam orare Deum deberent, quem orandum esse constabat, & Christus necessario similiter nihil aliud eos docuit, nisi, qua ratione Deum orare deberent. Quid igitur hoc ad Christi invocationem excludendam, si alioquin appareat, eum illa habere,

quæ

quæ ad invocationem requiruntur? Nunquid peccarunt iidem discipuli, cum postea ipsum Christum orarunt, ut se in navi pereuntes servaret, sibique augeret fidem? quæ tamen res sunt ejusmodi, quas nemo antea nisi ab ipso Deo petere ausus fuisset? Cur vero non peccarunt? quia videlicet vel animadverterunt, vel merito crediderunt, Christum ista præstandi potestatem & munus ab ipso Deo habuisse; quod satis est, ut quis jure omnino invocari possit, si modo invocantis preces audire vel percipere queat.

Adde, quod etiamsi discipuli interrogassent, quem orare deberent, quia sine dubio de numine aliquo intellexissent, quod, licet ab ipsis non visum, præsens tamen ipsis esset, & Christus quisnam iste esset, eos docuisset, non idcirco tamen seipsum ab invocatione exclusisset. Adhuc enim conspiciebatur ipse ab illis nec dum eam vim & potestatem fuerat adeptus, ut quamvis nulli conspectus, omnibus tamen esset præsens; aut certe ea de re nihil adhuc constabat, quæ tanta erat, tamque ab omni verisimilitudine abhorrere videbatur, ut æquum esset, eam prius effectis comprobari, quam ipsius tantum Christi verbis asseri. Quanquam cum jam hora illa appropinquaret, qua eundum illi erat ad Patrem, & mox pluribus documentis confirmandum, eum vi ista ac potestate præditum esse, non prætermisit ipse eosdem suos discipulos monere, ut, quod ante hac nunquam fecerant, Patrem Deum in ipsius nomine rogarent; se enim facturum, quicquid hac ratione rogassent. Quippe, cum dicit, se facturum, idque etiam repetit, satis significat, Rogare Patrem in Christi nomine, nihil aliud esse, quam Patrem rogare, ad ipsum Christum preces dirigendo, quod quia fieri posse nondum constabat, idcirco Patri sua prærogativa interim expresse conservata, & ostenso, sui ipsius invocationem non ipsius, sed Patris revera invocationem esse, summa cum modestia tantam de seipso rem significavit potius, quam disertis verbis expressit. Et propterea etiam, quod se, si rogassent, facturum dixerat, postea Patrem daturum affirmavit. Ac deinde subjunxit, *In die illa in nomine meo petetis*, quasi diceret, Hoc, quod nunc satis intelligere non potestis; vel, si tamen intelligitis, fieri à vobis posse, persuaderi, tunc omnino facietis, cum post meam glorificationem agnoscetis, & plane percipietis aliquando, me, licet à vobis absentem, tamen & precationes vestras exaudire, & vobis in tempore secundum vota vestra opitulari posse. Tametsi non est omittendum, in codicibus Latinis, & in Syriaca interpretatione, ubi Christus secundo ait, se facturum quod petiissent in ipsius nomine, adhunc modum legi, *Si quid petieritis me in nomine meo*, quæ lectio nequaquam inepta est, ut Franciscus Davidis existimabat; quod me vel ipsius testimonio in mea cum ipso disputatione satis probasse confido.

Jam quod ais, exemplum nullum extare adorati seu invocati Christi, & ad id confirmandum Apostolorum exemplum affers, qui aliquando orantes ad ipsum tantum Deum preces direxerint, infirmissima omnino est hæc confirmatio & ratiocinatio; quia videlicet quidpiam aliquando factum non fuerit, nunquam factum fuisse; sive, quia aliquando factum non esse legatur, haud legi unquam fuisse factum. Atqui & adoratum & invocatum fuisse Christum, probant aperte vel illa duo exempla, quæ Zglobicius protulerat; ad quæ responsionem tuam, quam ego miratus fueram, dum defendere conaris, eamque, ut mihi admirationem adimas, apertius explicare, multo magis (ignosco obsecro) me mirari cogis. Tua enim responsio in literis ad ipsum Zglobicium prorsus hæc est, quæstionem esse, Num quisquam Christum non visum veneratus sit, vel eum adoraverit; non autem, an visum aliquando; nam de hoc nullum est dubium. Ego hanc responsionem sum miratus, quæ post Christi glorificationem discrimen, quod ad eum adorandum & invocandum attinet, ponit inter ipsum visum, & non visum. Nam proptreea ibidem plurimum niteris ostendere, Christum ipsum à Stephano corporeis oculis fuisse visum; ubi meo judicio addere debueras, Stephanum vicissim à Christo corporeis auribus fuisse auditum. Attuli autem rationes, cur, si Sacris Testimoniis credimus, nulla sit caussa, ut quisquam discrimen istud ponat, quæ rationes à te refellendæ erant si mihi admirationem adimere volebas, & demonstrandum, plurimum interesse in hoc invocationis & adorationis Christi negotio, utrum Christus conspiciatur nec ne, præsertim cum alioqui apertum sit, sive absentem sive præsentem neminem divino cultu sine Dei expressa aut saltem tacita voluntate afficiendum esse. Nam quod, ut recte, quid tibi velis percipiam, cum ais, Christum ipsum adoratum fuisse, scribis, multos quidem à Christo, quem præsentem viderunt, multa petiisse, cum tamen id nullam adorationem evincat, hæc certe non videtur tui dicti explicatio, sed potius refutatio; nisi Adorationis nomen alio sensu hic extuleris, quam supra verbum Adorandi. Pugnat enim aliquo modo, hoc, quod ex petitionibus illis nulla Christi adoratio evincatur, cum eo, quod Christus visus adoratus fuerit; tantum abest, ut illius possit esse explicatio. Verum arbitror, te, cum dixisti, Christum visum fuisse adoratum, non divinum honorem sed humanum tantum exhibitum intellexisse; postea vero Adorationis voce divinum honorem omnino significare voluisse, quasi divinus honor seu Deo debitus nemini viso exhiberi possit. Quod si ita est, nihil erat, cur Christus Satanam à se visum propterea adorare recusaret, quod scriptum esset, solum Deum esse adorandum. Quandoquidem præceptum istud de divino exhibendo honore accipiendum esse, nulli dubium esse potest. Non tollit igitur conspectus ipse divinam adorationem. Quemadmodum vicissim ex altera parte nemo est, qui ex eo solo, quod Christo coram, dum ab eo aliquid peteretur, exhibitus à petentibus honor & cultus quidam haud raro legitur, concludat, Christum divino honore affectum fuisse. Quod tamen à quibusdam concludi ipse existimare videris; idque exemplo Elisæi refutare conaris, coram quo mulier illa Sunamitis procubuit. Quo interim exemplo afferendo, atque explicando non parum confirmas & explicas Christi, licet absentis, invocationem; quam, ut ante dixi, cum adoratione confundis, nec minus hanc, quam illam, ei adimere videris. Etenim, si, ut ais, idcirco ante Elisæum procumbens mulier illa suscitationem pueri ab eo petiit, quod videret Deum ei vim & virtutem suscitandi mortuos & alia faciendi miracula dedisse, nihil est cur si animadvertemus, Deum Christo, licet à nobis corpore absenti vim & virtutem nobis opitulandi dedisse, eumque precationes nostras exaudire posse, illius opem venerabundi implorare dubitemus. Nam, quod excipis, mulierem illam ab Elisæo non tanquam à Deo à quo solo omnia petenda sunt, *filium suum suscitari petiisse*; nec ego sane aliter de Christo sentio, quidquamve ab ipso tanquam à Deo, à quo solo omnia petenda esse fateor, peti posse volo, id est, hac ipsa in re, ut Elisæum mulier illa, sic ego Christum non primam & solam sed secundam & ascitam caussam agnosco. Quamvis magnum alioquin inter Elisæum, & Christum hic discrimen constituam. Vis enim seu potestas Christo data, perpetuo ac constantissime in ipso residet; idque in hunc ipsum finem, ut ad ejus opem omnes confugere possimus, quod neutiquam de Elisæo affirmari potest. Ex quo fit, ut alia & multo majore fiducia ac veneratione à Christo petendum sit, quam ab Elisæo peti poterat. Hic autem vides, te optime agnoscere, id verum esse, quod supra dixi, particulas exclusivas (quas vocant) non excludere ab ipso Deo illos, qui ei sunt subordinati. Alioqui quomodo ais, à solo Deo omnia petenda esse, & interim non obscure confiteris, recte ab Elisæo mortui pueri suscitationem

petitam fuisse? Ex prædictis patet, ad exempla, quæ Zglobicius adorati & invocati Christi attulerat, refellenda nihil pertinere id, in quo tuæ responsionis vim posueras, Christum videlicet tum fuisse conspectum; nisi de Jesu Christi à nobis corpore absentis potestate, & cura in Ecclesia ac spirituali præsentia dubites, aut diversum a nobis sentias. Qua de re postmodum aliquid explicatius dicendum erit.

Nunc reliqua refutanda sunt, quæ ad eadem exempla convellenda pertinere existimasti. Inquis enim, Stephanum non adorasse Christum, sed ei vitam in manus commendasse, an non ipse concedis, à Stephano Christum fuisse invocatum? Nam, quod causam affers, quod *sciret illum à Patre datum esse servatorem*, recte est. Verum nos quoque idem scimus, & propterea, ut nos servet, illum similiter invocare possumus, seu in illius manus vitam nostram commendare. Quod cum sit omnium, quæ ad nos pertinent, maximum & præstantissimum, nulla causa est, cur quisquam dubitet, an simpliciter dici queat, Christum a nobis merito invocari posse, immo, ut Christi invocatio asseratur, nihil opus est, nos scire, eum fuisse servatorem à Patre datum. Sive enim hoc nos sciamus, sive minus, verissimum tamen id & est, & erit semper. Atque idcirco, si hæc Christi invocandi causa est, certissimum esse debet, Christo invocationem perpetuo convenire. Itaque vel prorsus supervacaneum mihi videtur id, quod subjungis, Stephanum confirmatum fuisse in ea sententia, quod Christus scilicet datus esset à Patre servator, *cum videret cælos apertos, & Jesum ad Dei dexteram*; vel certe ad exemplum istud invocati Christi ulla ex parte elevandum, nihil momenti habet. Primum enim non id hoc loco quæritur, an, si nos Christum invocaverimus, id bona conscientia, sive, ut Paulina locutione utar, ex fide facturi simus; sed simpliciter, an Christus merito a nobis invocari queat. Deinde bona plane conscientia atque ex fide Christum invocat, quisquis, ut verum est, ita credit ac sibi persuadet, Christum à Deo datum fuisse servatorem; nec magis quam Stephanus, ea in re a quoquam reprehendi jure potest. Quid enim est opus alia confirmatione, ubi quis id, quod verissimum est, jam firmiter credit? Quanquam, si Sacris Novi Fœderis Literis credendum est, multo magis in hac sententia, quod Christus datus sit a Patre servator, confirmati nos sumus, quam fuerit Stephanus ex visione illa. Nam nos quoque ex eadem visione pariter confirmamur, ac præterea innumerabilia pæne alia documenta & apertissima testimonia ejus rei habemus. Itaque necesse est omnino, ut qui Christo invocationem non convenire suspicatur, Novi Testamenti scripta omnia tandem suspectissima habeat, & propterea neget, nobis constare, an Jesus Christus perpetuus servator à Deo nobis datus fuerit, si modo, ut ipse satis aperte confiteris, hoc satis est, ut profecto est, ad Christi opem salutis consequendæ gratia implorandam. Non recte igitur inter Christum à Stephano conspectum, à nobis vero minime, differentia à te constitui videtur, ob eam causam, quod ille in ea sententia, quod Christus servator à Deo datus fuerit, confirmaretur, nos vero, scilicet, non confirmemur. Immo multo absurdius dictum est hoc, quam, si dixisses, idcirco differentiam istam constitui debere, quia potuit Stephanus sperare, Christum, quem videbat suas preces percepturum, nos autem, cum illum non videamus, non est cur id speremus; quemadmodum te ratiocinatum tacite fuisse in tuis ad Zglobicium literis prorsus existimabam. Hic enim id saltem nobis probandum relinquitur, Christum, à nobis licet corpore absentem, precationes nostras audire. Quod, quantumvis sacris testimoniis confirmatum, negant tamen ii omnes, qui Christo hodie invocationem adimunt. Itaque, ut antea dixi, est cur explicationem sententiæ tuæ in refellendis exemplis à Zglobicio allatis, multo magis mirer, quam ipsam sententiam mirabar. Nam quod attinet ad alterum exemplum, Apostolorum videlicet, qui Christum adorarunt, nihil affers præter id, quod prius dixeras, Apostolos tunc Christum vidisse; quod vero non visum postea adorassent, nullum extare in Sacris Literis exemplum. Ostendendum est igitur, sive quod ad invocationem, sive quod ad adorationem attinet, nullam differentiam esse inter Christum visum & non visum, postquam is à Deo glorificatus fuit. Est autem quæstio hæc tota ad Christi in cœlo manentis in nos potestatem & gubernationem referenda, de qua videamus quid ipse sentias. Ais igitur, *potestatem & gubernationem ejus esse in Ecclesiam, ut ei distribuat dona spiritualia à Patre accepta.* Ergo hæc poterunt a Christo peti. Quod enim illico addis, *Pro quibus cum Pater invocatur, dat ea petentibus, sed nonnisi per Jesum Christum filium, inque ejus nomine, juxta Christi præceptum, Quicquid per meum nomen petieritis, id faciam*, si eam vim habet, ut nolis tamen hæc ab ipso Christo peti, sed tantum à Deo, id & rationi manifestæ, & tuis quodammodo, quæ subjungis, verbis aperte repugnat. Cum enim statim addis, *Sed dices fortassis non satis esse ea tantum petere, plura esse petenda*, videris velle occurrere tacitæ objectioni, quasi pauciora à Christo peti posse concesseris, quam revera peti possunt. Nam alioqui non apparet, cur me ista dicturum suspicari queas. Ostendunt quidem sequentia alia verba tua, te aliud sensisse. Verum id extra propositam quæstionem esse videtur, adeoque veritati minime contentaneum. Videris enim nolle, ab ipso Deo quidquam peti posse præter dona spiritualia, aut certe non esse, cur aliud petamus. Quod ut multis sacris testimoniis & rationibus inde sumptis, ni fallor, refellitur; sic iis paucis, quæ affers, neutiquam confirmatur. Sed quoniam, ut dixi, hoc extra propositam quæstionem mihi videtur, de eo pluribus disserendum non censui. Itaque ad rationem venio, ex qua omnino probari posse existimo, non ab ipso Deo tantum, sed etiam à Christo nominatim dona spiritualia peti posse. Si modo verum est, quod ipse verissimum esse & agnoscis, & concedis, ejusmodi dona à Deo non nisi per Jesum Christum dari. Nam quid, quæso, est aliud, aliquid per Jesum Christum dari, quam proximum (ut sic dixerim) datorem esse ipsum Christum? Id quod ipse satis agnoscis, cum huc accommodas verba illa Christi, *hoc faciam.* (Quanquam intelligis omnino, Christum ita dare, ut tamen semper, cum dat, quod dat, à Deo accipiat) Etenim si concedis, Christum perpetuam dandi potestatem habere, jam inde à suæ glorificationis initio ubi traditam, nihil est, cur neges eum in iis, quæ ad eam potestatem pertinent, invocari posse; ut mox ostendam. Jam vero Deum nullam potestatem revera dandi Jesu Christo concessisse, sed tantum instrumentalem quandam nec liberam ejus rei causam eum constituisse, cùm divinis literis adversatur, quæ, præter alia multa ejusdem sententiæ testimonia, diserte alicubi testantur, Christo omnem potestatem in cœlo & in terra datam fuisse; tum rationi repugnat, quæ nullo modo patitur, à Deo quidquam frustra fieri. Frustra autem facturum fuisse Deum, si Christum glorificatum & in cœlis perpetuo manentem, simplex ac nudum instrumentum dona sua spiritualia ejus fidelibus dandi effecisset, vel id demonstrat, quod quantumvis diligenter quis id investigare conetur, nullam tamen ejus rei probabilem causam sit deprehensurus. Causam autem cur id fecerit, nobis nulla ratione constare, absurdissimum censeri debet; cum satis superque manifestum sit, quicquid Deus Christo concessit, id ad nos in fide ac spe salutis nostræ confirmandos pertinere. Quid vero huc, obsecro, pertinere potest, quod Christus solus sit simplex ac nudum instrumentum distribuendorum Dei donorum? Certe, si Christus nullam ea in re liberam ac perpetuam potestatem habet, nihil est, cur hinc Deo, magis quam antea, confidendi argumentum ullum habeamus. At vero, si ejusmodi potestas à Deo fuit Christo concessa, ut

pro

pro arbitratu ſuo ſuis fidelibus ſpiritualia dona largiri queat, nemo eſt quin & videat, & ſentiat, ſi modo Chriſti fidelis ſit, quantopere hinc in ſalutis æternæ ſpe jugiter confirmetur. Qua de re ſupra quantum ſatis eſt, egimus. Ex que iis, quæ ibi diximus, abunde conſtat, iſtam Chriſti poteſtatem invocationem ejuſdem Chriſti ſecum trahere; non modo quia certum ex Sanctis Literis eſt, Chriſtum in cœlis regnantem renes & corda ſcrutari Apoc.2.23, & conſequenter multo magis verba precationum noſtrarum exaudire ac percipere, verum etiam quia hoc præcipuum eſt effectum proximuſque finis poteſtatis ejuſmodi à Deo Chriſto conceſſæ; ut videlicet, ſine ulla dubitatione, ejus opem ad opportunum auxilium, ut loquitur Apoſtolus Hebr.4.5, ultimo implorare poſſimus. Senſit Franciſcus Davidis; ſenſerant & alii, qui vel ante, vel poſt ipſum, Chriſti invocationem negare ſunt auſi, quam ſit neceſſarium, Chriſtum invocari poſſe, ſi diſtributio iſta donorum ſpiritualium, quæ à te agnoſcitur, illi concedatur. Et propterea tandem, Chriſtum nihil plane nunc agere affirmarunt; ſed tantummodo in tutela Dei eſſe, donec regnum ſuum, quod nunc illi revera adimunt, ineat atque aſſumat. Atque in hunc ſenſum non minus ridicule, quam impie interpretati ſunt Chriſti ſeſſionem ad Dei dexteram, donec Deus ponat illius inimicos ſcabellum pedum ejus. Cum tamen & ex ipſa locutione, & ex Pauli, & aliorum Apoſtolorum explicatione, & ex ipſo loco, unde ſententia iſta de Chriſto ſumpta eſt, & denique ex tota religionis noſtræ analogia, nemo non perſpicere queat, ejuſmodi ſeſſione nihil aliud ſignificari, quam ſupremam poſt Deum poteſtatem ac gubernationem duraturam, donec mors ultimus hoſtis aboleatur, cum interim alii hoſtes paullatim debellentur, & Chriſto ſubjiciantur, ab ipſo quidem Deo (inde enim tanquam ex fonte omnis virtus & potentia derivatur) ſed tamen, ut per ſecundam cauſam per ipſum Chriſtum nullo prorſus pacto otioſum, ſed perpetuo ac jugiter vi & poteſtate ſibi à Deo tradita ea in re agentem & operantem. Quemadmodum David, hac in re Chriſti typus, in ſibi inimicis ſuis ſubjiciendis nulla ratione fuit otioſus, immo ipſe is fuit, qui virtute ac potentia ſibi à Deo conceſſa omnes ſuos hoſtes tandem debellavit. Et ſane nemo fuerit unquam, qui ex divinis teſtimoniis edoctus, Jeſum poſt crucis mortem à Deo factum fuiſſe Dominum & Chriſtum, id eſt dominatorem ac regem populi ſui, eumque cum Davide typo comparans & componens, non plane agnoſcat, neceſſe eſſe, ut Jeſus Chriſtus reipſa Dei populi curam ac gubernationem habeat, eique præſit, eumque regat, in eum denique ſupremam poſt Deum, vel potius Dei quodammodo vice poteſtatem atque imperium exerceat; & idcirco, quemadmodum poterat Iſraëlis populus ad Davidem in omnibus, quæ ad ejus regnum pertinebant, ſic populum Chriſtianum ad Chriſtum Jeſum in omnibus, quæ ad ejus regnum pertinent, opis implorandæ & impetrandæ gratia meritiſſimo confugere poſſe: Ac ſimul non fateatur, ut Davidi terreno & carnali (ut dicitur) regi humanus & carnalis cultus ab Iſraëlis populo prorſus debebatur, ſic Chriſto Jeſu regi cœleſti & ſpirituali, divinum & ſpiritualem cultum ab omnibus Chriſtianis prorſus deberi. Cumque ex ejuſmodi regno & poteſtate in nos omnes neceſſario ejuſdem Chriſti, licet corpore abſentis, efficacia ſpiritus, & factorum, dictorum, cogitationum omnium noſtrarum cognitione, perpetua præſentia colligatur & conſequatur, neceſſe eſt confiteri, cultum iſtum ei, licet à nobis corporeis oculis non viſo, perpetuo exhibendum eſſe. Quanquam ejus in cœlo manentis, apud ſuos hic in terris præſentia, ex pluribus alioqui Sacrarum Literarum locis aperte colligitur. Ut, cum ipſe dicit ſe in eorum medio eſſe, qui in ipſius nomine fuerint congregati; cum ſe cum Apoſtolis ad conſummationem uſque ſæculi futurum ait; cum denique, ut alia teſtimonia omittam, pollicetur, ſi quis ipſum dilexerit, ſe una cum Patre ad eum venturum, & manſionem apud eum facturum. Quinetiam aperte ex Sanctis Literis conſtat, Chriſtum, licet corpore abſentem ac non viſum, adorandum tamen eſſe; cum diſerte, ut ſupra vidimus, ſcriptum ſit, omne genu cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum in nomine Jeſu flecti, Deum, ipſo ſuperexaltando, & nomine omni in ſummo donando curaſſe. Itaque, quamvis tu aliter ſentire videaris, & Chriſto, licet corpore præſenti, divinum cultum exhibitum fuiſſe negare, ea exempla miſſa facio, ex quibus conſtat, Chriſtum corporeis oculis viſum divino cultu affectum fuiſſe, ſeu longe alia, quam politica humanave ratione, ſi adorantium mens ſpectetur, fuiſſe adoratum. Qualia ſunt, quæ habentur Matth.14.33, & Joh.9.39. Tametſi ejuſmodi exempla fidem faciunt, atque demonſtrant, divinum cultum, qui Chriſto exhibeatur, nihil pugnare cum præcepto illo de ſolo Deo adorando, ſive præceptum illud nihil impedire, quominus Chriſtus divino cultu afficiatur, quo evicto, & Chriſti perpetua inter nos præſentia ex Sacris Literis aperte oſtenſa, ipſaque totius Chriſtianæ religionis, præcipue vero ipſius Chriſti muneris ratione recte perpenſa, non eſt quod quis dubitet, vel potius dubitare non exhorreſcat, utrum Chriſto divinus cultus conveniat. Breviter, ipſius Chriſti nomen unumquemque ſatis ſuperque admonet, Chriſtum perpetuo a nobis colendum, & divina ratione, quando a nobis corpore jamdiu abeſt, adorandum eſſe, adque illius opem atque auxilium nos ſumma cum fiducia confugere poſſe. Alioqui jam Chriſtus, id eſt rex noſter, quatenus Dei populus ſumus, revera non eſſet, & turpiter à Deo diviniſque hominibus deluſi fuiſſemus omnes, qui apertiſſime ſæpiſſimeque ſunt conteſtati, hunc nobis regem dominumque fuiſſe datum. Quamobrem, etiamſi veriſſimum eſt, quod ais, hic de re omnium maxima agi, nihil eſt tamen, quod nos ſuſpenſos ſive ancipites, qualem te eſſe confiteris, hac in re tenere debeat. Immo, quia de re omnium maxima in religione noſtra agitur, nihil prorſus eſt cunctandum, ſed apertiſſima veritas ſtatim amplectenda, & mordicus retinenda. Nam unde factum eſſe exiſtimas, ut ab ipſo ferme naſcentis Eccleſiæ Chriſti initio uſque ad noſtra tempora, tot viri, adeo ut nullus ſit numerus, non minus pietate quam doctrina clariſſimi, tot ipſius Chriſti ſanctiſſimi martyres, eum alioqui graviſſimum errorem ſecuti fuerint, quod Chriſtus ſit unus ille Deus, qui omnia creavit, aut certe ex illius propria ſubſtantia genitus, niſi quia nimis aperte in Sanctis Literis ea illi tribui animadvertunt, quæ ſoli Deo tribui conſueverunt, & inter cætera potiſſimum adorationem & invocationem, eave, à quibus adoratio & invocatio, illa ut prorſus debita, hæc ut plane conveniens, nullo pacto ſejungi poſſunt? Noli igitur, rogo atque obſecro te, veritati manifeſtiſſimæ quidquam repugnare, & ſummum ac præſtantiſſimum Chriſtianæ pietatis myſterium & fundamentum agnoſce, ſupremam videlicet in nos omnes Jeſu Nazareno datam à Deo in perpetuum præſentem poteſtatem & gubernationem; quam graphice inter alios locos deſcriptam, & ὑποτυπώσει quadam oculis ſubjectam habes in prioribus tribus Apocalypſis capitibus, quibus, ne tibi quidquam deſit, quinctum ejuſdem libri caput adjunge, ubi præter alia huc apertiſſime pertinentia, in uno 8 verſiculo ea ipſa ſatis expreſſa habes, de quibus nominatim agimus, Chriſti videlicet adorationem & invocationem. Idque tecum denique ſerio reputes, quantus error ſit, ſi Deus Chriſtum à nobis adorari debere & invocari poſſe velit, ei adorationem invocationemque denegare. Contra vero, quam leviter is erraret, qui, etiamſi id Deus non juberet, Chriſtum tamen adorari debere & invocari poſſe, non verbis tantum, ſed factis quoque comprobaret; modo, ut res ipſa monet, ad ipſum Deum omnem Chriſti adorationem & invocationem referret. Quæ latius hic exponerem atque explicarem, niſi perſuaſum haberem,

ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, ea ſatis intelligi ac percipi poſſe. Quare finem etiam hoc de argumento diſſerendi faciam in præſentia, donec mihi uberius rem totam tractandi abs te occaſio detur. Quod nunquam facere detrectabo, quamvis plurima jam eadem de re ſcripſerim; ſi modo animadvertere potero, te nihil tergiverſari, idque unum reipſa quærere, ut veritatem agnoſcas & amplectaris, quemadmodum de te ſperare mihique certo polliceri & charitas Chriſtiana, & opinio, quam jamdiu ex tuis ad me literis de tua pietate & integritate concepi, non ſolum ſuadet, verum etiam cogit.

Cæterum, ut ad reliqua, quæ tuis literis continentur, aliquid reſpondeam, lætor ſane tibi probari diſputationem meam de ſept. cap. Epiſtolæ ad Rom. quamvis non per omnia tibi ea placere profitearis, quæ de gradibus regeneratorum à me dicuntur. Spero enim, ſi rem diligentius perpenderis, iſta quoque tibi probatum iri. Nam quod ais, ea tibi non per omnia placere, niſi velim, quoſdam ferre fructum partim trigecuplum, partim ſexagecuplum, partim centuplum, non ſatis intelligo quid tibi velis; præſertim cum mentem meam in iſtis gradibus conſtituendis adeo aperiam, (ni fallor) ut de ea dubitandi nullus locus relinquatur. Sed me in tua hic mente percipienda valde ancipitem reddit, primum, quod neſciam an revera meæ ſententiæ explicationem, an vero potius confirmationem ex Sacris Literis requiras. Deinde, quod, quid ſit quoſdam ferre fructum partim trigecuplum, partim ſexagecuplum, partim centuplum, non omnino intelligo. Verba enim ipſa unum ſonant; ut autem aliud ſignificent, & Chriſti parabola, ad quam reſpicere videntur, & res ipſa poſtulat. Sed quidquid ſit, ſi confirmationem meæ ſententiæ requiris, ſatis me eam confirmaſſe videor, dum toto ferme libello oſtendi, regeneratum eum eſſe, in quo ſpiritus carne ſit potentior, adeo ut non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum vivat. Ubi neſcio quomodo quis negare poſſit, eos gradus inveniri, quos ego conſtitui. Fateor equidem, ſatius futurum fuiſſe, quod huc attinet, ſi eorum ſententiam aperte refutaſſem, qui negant, eum eſſe regeneratum, qui aliquando peccet, vel perraro ac leviſſime, immo vel ſemel quidem; peccatumque cupiditatem etiam illam, cui nullo modo præbetur aſſenſus, eſſe ſtatuunt. Verum, cur id non fecerim, cauſam attuli in Epiſtola ad lectorem. Fateor ſimiliter, me potuiſſe illa Chriſti parabola meam ſententiam confirmare. Sed longum fuiſſet oſtendere evidenter, eam eſſe Chriſti verborum ſententiam, quam ego agnoſco, quæque ad meam de gradibus regeneratorum ſententiam confirmandam pertinet. Ac præterea quicquid inde elicere poteram, jam ſciebam ab adverſario mihi concedi. Itaque ſupervacaneum eſſe duxi parabolam illam in medium afferre. Quod ſi meæ ſententiæ explicationem requiris, jam dixi, quomodo id jure requirere poſſis, me prorſus neſcire. Si te aliquando latius explicueris, mihi gratiſſimum feceris. Audio enim quendam Tigurinum, nomine Raphaëlem Eglinum Bezæ diſcipulum, meæ illius diſputationis refutandæ provinciam ſuſcepiſſe; & facile futurum, ut in proximis nundinis Francofordienſibus illius opus venale habeamus. Hoc autem iterum me ad ſcribendum, totamque rem uberius tractandam atque explicandam, impeller. Quare velim & abs te, & ab aliis omnibus diſerte de iis moueri, de quibus in hac tota tractatione monendus ſim. Paratiſſimum enim me eſſe ſentio ad omnia publice corrigenda, quæ mihi minus recte dicta exciderint.

De Sommero vehementer ſum miratus, quæ mihi reſcribis; quaſi ego, ſuſpicione aliqua ductus, dixerim, illum, mortuorum reſurrectionem negaſſe, & non aperte, niſi memoria me fallit, profeſſus fuerim, me ex ipſo Franciſco Davidis, cui Sommerus dum vixit, cariſſimus & familiariſſimus erat, quem Franciſcus ejuſque memoriam & ſuſpiciebat & maxime colebat, id accepiſſe. Addebat autem Franciſcus, ſe Sommerum acerrime ejus rei nomine ſæpius objurgaſſe, utque aliquando reſipiſceret, monuiſſe. Hæcque, dum Claudiopoli apud ipſum habitavi, non ſemel, ſed frequenter mihi commemoravit. Quocirca, ſi de veritate meorum verborum fortaſſe dubitas, non eſt, quod me in eorum numero reponas, qui, niſi quis in ſua, aut alterius cujuſpiam verba juraverit, illico eum ſeductorem eſſe clamitant, &c, a quibus mirum in modum & quam longiſſime ſemper abſui, & abſuturus ſum; ſed potius me aut mendacii aut oblivionis ſuſpectum habeas. Sommeri liber ille, multa ſane continet non ſpernenda, & ejus viri doctrina atque ingenio digniſſima; ſed multa etiam non pio tantum homine, ſed paullo doctiore aut acutiore prorſus indigna. Ejus ego viri ſcripta omnia libentiſſime quidem legerem. Sperarim enim aliquid ſemper inde vel addiſcere, vel certe ad ea, quæ jam didici, confirmanda elicere. Verum in ejuſmodi ſcriptis legendis, neceſſe eſt ſummum judicium ſummamque diligentiam adhibere, ne una cum cibo venenum etiam ſumatus. Sed jam ad tuas literas reſpondendi finis eſto. Tu me, ut ſoles, ama, meque fratribus omnibus diligenter commenda, & una cum ipſis in Domino quam feliciſſime diu & vive & vale. Cracoviæ die 8 Januarii 1586.

Hunc librum potius quam literas, ut ad tuas plenius reſponderem, ruri, ubi, ut noſti, jamdiu dego, ſcribere cœperam menſes abhinc tres, atque eo amplius, & jam prope ad finem ſcriptionem perduxeram, cum mihi Cracoviam veniendum fuit, ubi aliis occupationibus perpetuo adeo fui impeditus, ut vix tandem nunc opus abſolvere potuerim. Quod libenter & recognoviſſem, & diligentius emendaſſem, niſi me jam dudum tantæ tarditatis puduiſſet. Itaque leviores mendas excuſabis, graviores autem non admodum aut miraberis, aut vituperabis, ſed pro tua humanitate ac doctrina potius corrigere non gravaberis.

Tuæ præſtantiæ ſtudioſiſſimus.

F. S.

Ad eundem Matthæum Radecium.

Ex Epistola IV.

Sed jam his relictis, ad ea quæ tu merito proprie noſtra vocas accedo. Difficilis plane eſt quæſtio, & mihi quidem quodammodo inſolubilis, quam primo loco proponis ex Gen. 4. 15. Vatablus ait ſenſum loci eſſe, quod *Deus Caino ſignum dedit, quo illi indicaret, neminem eum impune interfecturum*, rectius dixiſſet, *neminem eum percuſſurum.* Hæc explicatio, ut plurimum abeſt à recepta interpretatione, ita plurimum mihi arridet, niſi obſtaret particula Hebraica Levilti, quæ ex iſta explicatione reddi Latine deberet. *Quod non*, vel ſimpliciter *non*, non autem, *ut non*; ſeu *ut ne*, ſive *ne*, ut hactenus fuit reddita. Sed quod id poſſit fieri, nihil certi adhuc habeo præter auctoritatem iſtius viri, qui in linguæ Hebraicæ cognitione mediocritatem omnino excedebat. Cæteræ loci voces & verba, perquam optime iſti ejus explicationi accommodari queunt. Correctæ tamen, ut antea dixi. Nam & verbum, quod *Poſuit* redditum ab aliis eſt (& ita quidem vulgo alibi redditur) invenitur ſignificare poſſe etiam *Dedit*. Vox vero quæ reddita eſt *in Cain*, ſive *in Caino*, vel ut ab aliis factum eſt, *ſuper Cainum*, potius *Caino* dandi caſu reddi debuit. Vox denique quæ reddita eſt ſignum, & indicium & miraculum ſignificat; ita ut intelligi poſſit, Deum miraculo aliquo ipſi Caino edito, illi oſtendiſſe id verum futurum, quod ei pollicebatur, nempe non fore ut quiſquam eum percuteret. Quod ſi receptam loci interpretationem retinere velimus,

velimus, tunc restat dubitandum, an signum istud in Caino positum absterreret quemlibet ab eo occidendo vel percutiendo, an verò non simpliciter absterreret, sed tantum quatenus monebat, non laturum impune qui id fecisset; sed severissime à Deo punitum iri. Utrocumque te vertas, difficilimum est explicatu, quod & quale istud signum fuerit. Potior tamen mihi videtur sententia posterior, propter vocem signi, quæ ægre videtur accommodari posse ad aliquid, quod visum statim terrorem de Caini nece cogitanti divinitus incuteret: istud enim, judicio meo, alio quam signi nomine appellandum esset. At vero ad notam atque adeo literam aliquam, quam scilicet tunc Deus illis imprimere, quos violari seu lædi à quoquam nollet, optime vox signi accommodari potest, immo literæ apud Hebræos isto eodem nomine vocantur. Notum est autem ex Ezechiele & Apocalypsi, divinitus solere notam seu literam aliquam iis imprimi, quos Deus non vult lædi. Explicatio loci ubi Lamech uxores suas alloquitur, quam Castellio affert, mihi non probatur, cum Lamechus seipsum nominet. Nec nisi coactissime atque adeo inusitatissime, Lamechi nomen pro quolibet non homicida poni potuerit. Somnium etiam illud seu commentum Judaicum de Caino à Lamecho ejus abnepote occiso, perridiculum, ut pleraque istorum hominum, mihi semper est visum. Cæterum quid sibi Lamech voluerit, divinare periculosum est, nam ex ipsius verbis certo concludere vix quisquam poterit. Verum tamen ego hactenus Vatabli sententiæ accedo, quod scilicet Lamechus voluit dicere, se iis viribus esse præditum, ut egregie ulturus esset, si quis eum læderet, & cum Deus statuisset gravissimas pœnas cuilibet Cainum occidenti, multo etiam graviores sumptum iri de quolibet, qui ipsum Lamechum interfecisset, nempe, ut uxores quæ ipsi fortasse & liberis ejus metuebant, humanæ divinæque opis ac providentiæ commemoratione solaretur, & solicitudine ista liberaret.

Quod ad Nahamanis verba attinet, ego neminem adhuc inveni, qui illa ad præteritum tantum tempus referenda censeat, quamvis ipse id à plerisque fieri indices. Nihil tamen dubito, quin ex vi ipsorum verborum id possit fieri. Sed loci circumstantiæ aliud suadent. Apparet enim eum profiteri, se velle unum Jehovam colere, & propterea si præteritam tantum & consuetam incurvationem illam in illius Idoli templo sibi condonari à Deo petiisset, statuens in posterum se id non facturum, id omnino quod statuerat verbis etiam aperte expressisset. Quare mihi magis probatur, ut sensus sit ille, quem ab iis quos legi, sive interpretibus, sive explanatoribus fere approbatum, sua interpretatione expressit Castellio, verba illa Ingrediendi, Incurvandi se &c, (quanquam ipse aliis verbis est usus) per præsens tempus reddens. Jam quod isti quos ipse legisti sentiunt, Prophetam Ethnico homini id permisisse, quod Israëlitæ permissurus non fuisset, multum dubitationis habet, cum complures sint, qui verba illa Prophetæ: Vade in pace, nullo pacto velint annuentis esse. Immo Tremellius & Junius potius abnuentis esse contendunt, & significare, ut quiesceret, nec ista quæreret. Quorum tamen sententia mihi probari nequit, & placet Elisæum verbis istis nec annuere, nec abnuere, quod illum cum homine Israelita minime facturum fuisse, sed omnino moniturum ne id posthac faceret, facile concedo.

De Gog & Magog primum ita sentio, nullam esse causam, cur idem voces istæ non significent apud Johannem quod apud Ezechielem. Deinde, nihil ambigendum sentio, quin ista sint nomina provinciarum seu populorum. Postremo, quatenus rem inspicere licuit, probatur mihi sententia Tremellii & Junii, affirmantium, Gog esse Asiam minorem, Magog vero Syriam Cœlem, id est, eam Syriæ partem, quæ ad montem Libanum spectat. Afferunt enim hujusce rei rationes satis firmas, quas longum esset referre. Nec, quod ad istas voces attinet, arbitror ibi quidquam de Romano pontifice prædici, vel de Antichristo ullo.

Locus Gen. 6.3, ita à me accipitur, ut à plerisque recentioribus. Castellionis vero, & multorum qui antea extiterunt, explicationem ob id potissimum rejicio, quod satis constat mihi illis Dei id intelligi, quod paullo post apertius exponitur, id est, finem fore universæ carnis, quo nihil pertinet istorum explicatio, quodque ipsa Hebraica verba docent, non fieri mentionem eo in loco cujuslibet hominis per se, sed universi simul humani generis. Alioqui non male respondet Castellio ad ea, quæ ipsius & Josephi quem citat sententiæ objiciuntur. Plenius autem respondisset, si dixisset, non expressisse Deum, quando id futurum esset, quod minabatur, & propterea nihil necesse esse, ut statim post diluvium id extiterit, sed satis esse, ut quando jam spacium quoddam commune vitæ hominis fuisset quodammodo in perpetuum stabilitum, illud non esset longius, quam 120 annorum. Quod quia revera factum est, posset hoc facile suadere Josephi & Castellionis sententiam esse veram, nisi obstarent, quæ antea dixi. Nam quod postremo Castellio affert, id, si modo non omnino spernendum est, potius ejus sententiæ obest, quam favet. Nam multo major convenientia est inter priorem, quamvis non absolutum totius generis humani finem, & posteriorem qui absolutus erit, quam inter cujuslibet quam longissimum esse potest vitæ hominis spatium, sed alioqui incertum, & præfinitum tempus, quo universum humanum genus certo sit duraturum. Nec aliud obstat, quominus consideratio ista durationis humani generis per 120 annos Jubilæos, accommodari possit ad 120 illos annos, quibus adhuc duraturum esset, id est, diluvio perdi non deberet humanum genus, nisi quod illi ab ipso initio mundi, hi vero à sententia illa à Deo lata initium accipiunt.

De anni tempore quo natus sit Christus nihil habeo quod statuam. Tantum mihi videtur tempus vulgo constitutum non respondere historiæ Euangelicæ. Nam in bruma nec vigilasse pastores custodientes greges suos, nempe non in caulis clausos, sed aperte sub dio degentes, nec jussos fuisse homines quoscumque iter facere, qui in patrio loco non essent, ut ibi describerentur, mihi fit verisimile. Adde, quod cum Christus baptizatus est, tum primum annum trigesimum, vel, ut vulgo locus ille Lucæ acceptus fuisse videtur, agere incipiebat, vel ut Josepho Scaligero placet, explebat, itaque erat anniversarium tempus nativitatis Christi. Verum in ipsa bruma in Jordane flumine populum baptizatum à Johanne fuisse, frigus & rigor, qui tunc maxime existit, credere prohibent. Cum nihilominus videam viros maximos & eruditissimos ejusdem esse sententiæ, ut Christus in bruma sit natus, non audeo omnino adversari, præsertim cum, etsi habeo cur id negem, non habeam quod certum aliud tempus mihi indicet. Sed ista quæstio non tanti momenti est, ut in illius solutione se admodum torquere sit opus.

Ex Epistola V.

Ad eundem Matthæum Radecium.

De tribus illis germanis fratribus ita sentio, eos tolerandos esse, ut tamen omnino appareat, eos pro fratribus non haberi, donec Christi potestatem & Ecclesiæ suæ gubernationem non agnoscunt. In illis vero docendis primum illud animadvertendum videtur, utrum omnia Novi Testamenti (quæ vocantur) scripta recipiant, & quidquid in illis legitur divinitus traditum, aut saltem verissimum esse credant, necne. Si credunt, facile videtur illis turpissimum errorem in quo versantur ostendere: si modo patien-

patienter audire velint. Quod si doceri recusent, nulla major familiaritas cum ipsis conservanda, quam ut permittantur una cum aliis, concionibus, ubi divinum verbum explicatur, interesse. Quod ad ipsorum artem attinet, nemo meo judicio offendi debet imaginibus illis, quæ ab omni periculo in idololatriam inducendi penitus absunt. Major multo offensionis causa est propter sclopos, quibus ornandis imagines istas effingunt ac laborant, & possent fortasse illi ad alios usus istam ipsam suam artem convertere, id quod sane ego plurimum laudarem. Nam alioqui vix ullo pacto Christianum hominem decere videtur, se iis immiscere, quæ ad homines perdendos sunt comparata.

Locum Esaiæ 53.9, *Et dedit cum impiis sepulturam ejus, & cum divite in mortibus ejus*, nunc diligentius pensitare propter initia illa hesterna, quæ & hodie renovari incipiunt, illius mei dolorum thoracis singularis flagelli, propterque temporis brevitatem non licet. Sed hactenus sentio vulgatam explicationem de divite, quod sit Joseph ille Arimatheus, & ei, quam postremo ipse amplecteris, & aliis omnibus anteferendam esse, & agnoscendam permutationem illam, quam ipse prius agnoveras sepulturæ & mortis. Si quis alia Veteris Testamenti testimonia ad Christi mortem ex Euangelistarum auctoritate pertinentia, diligenter consideraverit, facile concedet, loci sensum istum esse quem dixi, nec sine causa à Matthæo scriptum fuisse existimabit, quod Joseph ille dives esset.

De fœnore dico, divinitus fœnori dare prohibitum non esse, nisi fratri pauperi. Fratris autem nomine sub Euangelio, quemlibet hominem libenter intelligo. Et quamvis Paulus & opera carnis, & vitia sive actiones pravas, quæ regnum Dei nobis adimunt, sæpius diligenter quodammodo enumeret, nusquam tamen fœnoris ullam mentionem facit.

Quod ad quæstionem attinet quam mihi proponis, de resurrectionis spe, quam Pharisæi habebant, ea quidem est valde difficilis, neque ego eum me ullo modo esse agnosco, quem me facis, ut videlicet ad me quisquam, nedum tu vir tantus, tantaque & eruditione & judicio præditus, ut habeat quomodo ejusmodi difficultatibus sese exsolvat, confugere quodammodo possit. Immo & in hac, & in aliis plerisque theologicis quæstionibus, quæ vulgo non tractantur, tua tuique similium ope mihi admodum est opus. (Quanquam historica potius, quam theologica quæstio ista censeri debet.) Dicam tamen abs te rogatus, quid hic sentiam. Resurrectionem mortuorum ante Christi prædicationem publice annunciatam populo non fuisse, (quod & ipse sentis) cum Veteris Testamenti scripta docent, quæ vix aliquid partim adumbrate, partim figurate de ea tradunt: tum Novi Fœderis Literæ demonstrant, quæ vitæ æternæ patefactionem uni Christo manifeste tribuunt. Sed præterea ita rem se habere vel id ostendit, quod in populo Sadducæorum secta erat, eaque antiqua, cui si non magnus numerus, certe ex primoribus plerique adhærebant, teste Josepho libro antiquitatum Judaicarum 15. cap.2. Et Christi atque Apostolorum tempore, ex hac secta principes sacerdotum in populo erant, ut colligitur ex cap.5.17 Actorum. Hæc autem secta, nec resurrectionem mortuorum, nec animorum immortalitatem admittebat. Ex quo concludi potest, non resurrectionem modo, sed ne vitam quidem post hanc præsentem, ullam populo antehac divinitus fuisse annunciatam. Hinc consequitur necesse esse, Pharisæos, qui Christi & Apostolorum tempore mortuorum resurrectionem fore confitebantur, vel eam, quemadmodum etiam animorum immortalitatem, præ desiderio, quo omnes vitæ immortalis tenemur, sibi finxisse, hucque loca aliquot ex divinis testimoniis petita accommodasse; vel (nempe ut ii, qui in hanc vitæ immortalis spem, ejus insita cupiditate, una cum maxima populi parte venerant) Christo mortuorum resurrectionem publice annuncianti, facile assensos esse, & ab ipso primum ad eam firmiter credendam excitatos fuisse. Nam quod ipsi, ante Christi prædicationem talem justorum à mortuis resurrectionem non crediderint, qualem Christus annunciavit, locuples testis est idem Josephus prædicto loco. Ait enim illos credidisse, animas improborum hominum sub terra perpetuo carcere includi, proborum vero inde aliquando emergere, & in alia corpora migrare: nec amplius quidquam addit, additurus sine dubio, si quid præterea de futura post hanc vitam eorum qui hic juste vixissent, conditione sperassent. Nam & diserte de ipsorum religione ibi agit, & ut is qui natione ac professione Judæus erat, & quidem rerum Judaicarum peritissimus, bonisque literis singulariter excultus, nihil ignorare in hoc genere aut negligere scribendo potuit. Habes de quæstione à te proposita sententiam meam, quam si tibi probari intellexero, eo vehementius in ipsa confirmabor.

Ad Deum Mahuzim venio, tibique ingenue fateor, me (utpote qui hanc Sacrarum Literarum partem, quæ ad prædictiones pertinet, leviter hactenus inspexerim) nihil dum quid id significet constituisse. Huc usque tamen Tremellio & Junio assentior, & multo aliter, vel potius plane contra quam alii sentiunt, nihil aliud id significare puto, quam ipsum Deum Jehovam. Sed hæc significatio requirit, ut aliter ex Hebræo locus vertatur, atque hactenus conversus est, quod quidem fieri posse mihi videtur, ita ut non solum pro Maozim, quod vulgata editio habet, substituatur, ut à plerisque factum est, *fortitudinum* seu *roborum*, sed etiam sensus sit, Regem illum, de quo ibi agitur, in loco ubi Deus fortitudinum, id est Jehova coleretur, eum Deum culturum, quem majores ipsius non noverant.

Quod ad divitem & Lazarum attinet Luc.16.19, ego nihil dubito, eam esse parabolam, non autem historiam. Ab omni enim verisimilitudine abest, Christum, historiam ullam omnibus prorsus incognitam, populo narrasse, nullo omnino testimonio de ea allato. Sed ut parabolam dixerit, verisimillimum est. Cum enim, ut ex historiis & testimoniis veterum scriptorum colligitur, opinio de Abrahami sinu, in quem justi post hanc vitam reciperentur, & de cruciatibus, quos injusti homines similiter post hanc vitam in inferno sustinerent, vulgo apud populum illum recepta esset, convenientissime Christus hanc parabolam inde texuit, ad avaros & crudeles in pauperes & miseros homines, à tanta immanitate deterrendos. Perinde est enim ac si diserte professus fuisset, se velle ostendere, quid verisimile sit illi eventurum, qui ita se gereret, & interim ipse omnibus delitiis afflueret. Nam quod quidam objiciunt, non indicari, ut alibi solet, istam esse parabolam, hoc nihil est. Neque enim minus absurdum est, immo vero magis, ut Christus inducatur narrare historiam, ex nullo petitam loco, non indicato prius eum historiam narrasse, cum parabolas fere innumeras Christum dixisse constet, aliam vero similem historiam nullam. Adde, quod paullo ante duæ, ut omnes fatentur, parabolæ à Christo dictæ scribantur, nequaquam indicato quod sint parabolæ. Nam si quis velit, non Christum, sed ipsum Euangelistam ex persona sua narrationem istam scribere, id non modo per se absurdissimum est, sed refellitur evidenter à verbis, quæ statim post narrationem istam sequuntur. Ea enim manifeste ostendunt, ex Christi persona illam fuisse ab Euangelista expositam.

Dei verba ad serpentem Gen.3.15, possunt ex Hebræo ita verti, ut legatur, *Et inter hanc mulierem*: sed nequaquam *Inter semen hujus mulieris*, sive *Inter semen hujus*: sed tantum, *Inter semen ejus*. Quamvis Tremellius & Junius *hujus* habeant, unde minister ille id sumpserat. Miror autem istas istius loci tam Menoniticas, quam Calvinisticas pensitationes, cum istæ nihil revera ad id pertineant, quod inter istos dispu-

disputabatur, (sed hoc, quod affirmo, demonstrandi non est nunc otium) illæ vero videantur quiddam aperte falsum pro concesso sumere; nempe, semen illud serpentis non esse naturale. Cum tamen manifestissimum sit, inter naturale semen serpentis, & mulieris semen, nempe naturale, summas esse inimicitias. Quod si Menonita dicat, hic quæri de sensu allegorico, non autem de literali, Respondeo, quando in sensu allegorico serpens quidem Diabolum significat, mulier vero non aliud quam ipsam mulierem, necesse nihilominus esse, ut, quemadmodum mali & impii homines, Diaboli sunt aliquomodo semen revera: sic Christus sit revera aliquomodo semen mulieris; sed nullo modo erit, nisi ab ipsa, ejusque substantia aliquid acceperit. Quod quidem, si altera pars alteri recte respondere debet, spirituale quiddam non corporale esse deberet. Verum, quandoquidem in confesso est, quicquid spiritualis Christus accepit, non à Maria sed à Deo accepisse, concludendum omnino videtur, id quod accepit ab ea corporale fuisse.

De Agapis quamvis nihil ex me quæras, tamen minime hoc reticendum mihi visum est, nihil impedire, quominus utrumque simul sit verum, quod & tibi probatur, esse benefacta convivia quæ pauperibus refocillandis exhibentur, & Euangelico illi Ministro, esse modestas inter se piorum coenas. Nam Tertullianus in Apologetico cap.39, aperte Agapas vocat modestas coenas inter se piorum, quibus simul pauperibus subveniebatur.

Ad eundem Matthæum Radecium.

Epistola VI.

PRæstantissime vir, domine, amice ac frater mihi perpetuo colende. Miror, quod scribis Woidovium de me existimare, in interpretatione loci, & Dei verborum Gen.3.17, cum & ipsi, & aliis multis jam diu sæpius dixerim, & alicubi scripserim diserte, non esse id promissum, sed minas; etiamsi minæ istæ id contineant, quod in majus bonum seminis mulieris redundaturum erat; quas etiam minas, an ipse Adamus audiverit, nihil omnino certi habeo. Illud certo statuendum videtur, nec ipsum, nec uxorem, reconditiorem, quod attinet ad seminis muliebris bonum, earum sensum tunc intellexisse. Otium non habeo plura ad literas istas tuas rescribendi; & male etiam alioqui valere pergo, variis morborum variorum tentationibus mirabiliter vexatus. Necesse esse video, ut medicamenta aliqua graviora experiar, nisi Deus antea medicinam ipse mihi faciat. Ejus gratiæ & bonitati, & me ipsum, & te, & reliquos pios fratres pleno atque omnino commendo.

AD FRANCISCUM DAVIDIS EPISTOLA.

De verbis Thomæ Apostoli Joh.20.28. Dominus meus, & Deus meus.

REverende Domine &c. Duplici ratione demonstrare conaris, ex verbis illis Thomæ Apostoli Joh.20.28, *Dominus meus & Deus meus*, probari non posse, Christum appellatum fuisse Deum. Una est, quia ea verba non minus ad Patrem, quam ad Christum referri possint. Altera, quia omnino ad Christum referri non possint. Quod in priore ratione assumis, ex eo ostendere te posse credis, quod quædam exemplaria ante ea verba, non habeant & *dixit ei*, (ex qua lectione constare non diffiteris, ad Christum ea referri debere) sed simpliciter, *& dixit.* Quod vero in altera ratione assumis, inde patere ais, quod, si ad Christum referri possent verba ista, non *Dominus meus, & Deus meus*, sed *Domine mi, & Deus mi* dictum fuisset. Quo facto, quomodo ea verba ad Patrem relata explicari debeant, aut possint, docere tentas. De quibus singulis agemus.

Primum igitur quod attinet ad priorem rationem, dico, diversam illam lectionem non extare, ut arbitror, neque in ullo probato codice, neque apud ullum probatum scriptorem. Quod vel ex eo satis constare potest, quod Erasmus in suis annotationibus, quamvis de hoc ipso loco agat, ejus rei nullam prorsus mentionem facit. Qui Erasmus, cum hoc in genere nusquam non diligentissime versatur; tum vero in omnibus locis, in quibus Christus Deus appellari videtur, adeo diligenter omnia verba expendit, atque examinat, ut non immerito & Trinitariis Arianismi nomine suspectus fuerit, & ab Antitrinitariis inter eos relatus, qui subobscure Trinitati reclamaverint. Is tamen ingenue fatetur, Christum hoc loco aperte vocari Deum; quamvis alicubi dicat, tergiversationi locum esse posse. Vides igitur, quam debili fundamento nitatur ratio tua. Et sane in nullo exemplari sive Græco, sive Latino, istam lectionem in ipso contextu esse animadverti, præterquam in illo tuo Latino. Id autem propter librarii, vel alterius typographi errorem, qui in eo codice, quem typographus ille secutus fuerit, vocem *ei* omisisset, factum fuisse, plane verisimile est. Quanquam hac in re non multum laborandum videtur. Ut enim appareat, Thomam ea verba ipsi Christo dixisse, atque idem effectus consequatur, ac si absque ulla controversia legeretur, *& dixit ei*, satis est, antea dictum fuisse, *Et respondit Thomas.* Nam profecto Christus fuerat, qui ei dixerat, *Infer digitum tuum huc, &c.* Post quæ verba illico subjungit Euangelista, *Et respondit Thomas, & dixit, &c.* Nemo autem respondens, cum alio loquitur, sive ad alium verba dirigit, quam ad eum, ad quem, sive ad cujus verba respondet. Præsertim si is antea ipsi locutus fuerat, ad ipsumque sua verba direxerat. Quod si tamen aliter fieri contingat, necesse omnino est, in narratione aliquid addi; ex quo id manifestum fiat. Nec vero me fugit, in Novo Testamento, nonnunquam respondere, phrasi Hebraica usurpatum esse pro loqui. Verum, neque id in dialogismis factum esse invenietur fortasse unquam, aut fieri decet, nec temere à consueta & propria verborum significatione est recedendum.

Alterius tuæ rationis confirmatio nulla refutatione indiget. Siquidem apertissimum est, non raro in ipsis Sacris Literis rectum casum pro vocandi casu usurpari, ut in verbis illis Matth.1.20. Ἰωσὴφ υἱὸς Δαβίδ hoc est, *Joseph filius David.* Ubi filius pro fili manifeste positum est. Idem habes Matth.20.30, & 31. Mar.10.47. Quid quod Dei nomen apud sacros scriptores vix unquam cum vocandi significatione aliter effertur? Non solum enim apud Matthæum, & Marcum legimus, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*; (quanquam apud Matthæum in Græco est Θεέ μου, Θεέ μου) & auctor ad Hebr. cap. 1. 8 ait, *Thronus tuus* ὁ Θεὸς (ubi non habent locum Rabbinorum commenta, qui in textu Hebræo nomen אלהים generandi casu prolatum fuisse ajunt, vel recti casus significatione retenta, verbum aliquod subaudiunt, cum in Hebræo Throni nomen non minus quarti, quam primi casus esse possit) qui duo loci ex Vetere Testamento petiti sunt; sed in Apo-

Apocalypsis quoque in verbis illis, *Domine Deus omnipotens*, ter *Deus* in recto casu pro vocativo casu ponitur: In Græco enim est ὁ θεός. Qui, ni fallor, sunt omnes Novi Testamenti loci, ubi nomen Deus in omnibus exemplaribus, quod attinet ad sensum, vocandi casu usurpetur. In Veteris autem Testamenti Græca editione adeò frequentem observavi, præsertim in Psalmis, Dei, in recto casu, invocationem, ut non dubitem, quin ubique ita sit, cum nusquam aliter legere mihi contigerit. Quinetiam invenies ibi idem factum esse, quod in loco nostro factum assero; ut videlicet alia quoque nomina, quia nomini Dei conjuncta essent, per rectum casum & ipsa cum vocandi significatione enunciata fuerint. Ut Psal.5.2. *Intende voci orationis, Rex & Deus meus*, & Psal.34.23. *Exurge & intende judicio meo Deus meus & Dominus meus.* Sed & in Novo Testamento secundum Complutensem editionem (ut locum habeas huic nostro exacte respondentem, ubi nimirum nomen Domini, Dei nomini, præpositum sit) ad finem cap.4. Apoc. legitur in Græco ἄξιος εἶ ὁ κύριος, καὶ ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ ἅγιος λαβεῖν &c.

Verum, quomodo hæc verba Thomæ, *Dominus meus, & Deus meus*, pro *Domine mi*, & *Deus mi*, ab Euangelista dicta fuisse negare potes, cum tu ipse ad Deum patrem illa referens in explicatione tua, vocandi casu ea accipias? Inquis enim, hoc sensu ad patrem referri posse; Dominus meus & Deus meus, quam fui pertinax & incredulus, quod verbo & promissioni tuæ de excitando ex mortuis filio tuo, & testibus quoque condiscipulis meis non acquievi, propter hanc meam incredulitatem dignus essem pœna. Agnoscis, ut arbitror, verba tua.

Jam vero hæc tua interpretatio nullo modo sustineri potest. Primum, quia, ut diximus, non potuisset Johannes simpliciter dicere, Thomam respondisse, si ad alium, quam ad Jesum, qui ipsum allocutus fuerat, verba sua direxisset. Deinde, quia nullum ejusmodi Ellipsis exemplum in tota scriptura, sed neque etiam in alio probato auctore, fortasse invenies. Præterea, cum Christus verbis illis à Thoma prolatis, statim dicat, *Quia vidisti, Thoma, credidisti*, nemo dubitare potest, quin ex ipsis Thomæ verbis aperte constiterit eum jam credidisse. Atqui, si ad Deum patrem illa referantur, id nullo modo constare potest, cum nullam sententiam explicent, & varia possint subaudiri; immo talia, quæ Thomam nec credidisse, nec credere voluisse, demonstrent. Sic enim posset quispiam ea verba supplere; Dominus meus & Deus meus, ne permittas, ut his præstigiis decipiar, & id credam, quod credendum non est. Quod si ad Christum referantur, omnia plana sunt. Nam neque perperam dictum erit, Thomam respondisse; nec aliquid, novo exemplo, subaudire opus fuerit; & quamvis aliquid, idque incertum, subaudiendum esset, tamen ex ipsis Thomæ verbis apertissime constabit, eum jam credidisse. Quomodo enim Dominum & Deum suum illum appellasset, quem spectrum esse suspicatus fuisset, & veriffima esse quæ & diceret, & dixisset, non sibi penitus persuasisset? Aliquem autem vocandi casu simpliciter appellare, & ea appellatione ejus, quod in ipsa exprimitur, confessionem contineri, usitatissimum & vulgatissimum est, nec in ipsis Sacris Literis exempla desunt. Hinc illud Domini Jesu, *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine &c.* Hinc illa Mariæ Magdalenæ, responsio ad Jesum, Rabboni; quod, ut inquit Euangelista, idem est, quod διδάσκαλε. Hinc Elisæi verba illa ad Eliam, *Pater mi, Pater mi, currus Israëlis & equites ejus.* Atque alia, ut arbitror, ejusmodi non pauca. Et hæc quidem quod attinet ad interpretationem tuam

Fuerunt autem, qui in illis Thomæ verbis opinati sint, contineri exclamationem ad Deum cum quadam admiratione conjunctam: acsi Thomas dicere voluisset, ô mi Domine, ô mi Deus quid video! Sed istos duo potissimum refellunt. Primum, quod non dictum fuisset, *Et respondit Thomas.* Deinde, quod ejusmodi exclamationis nullum exemplum ex Sacris Literis profertur. Ut interim taceam, adhuc vigere contra interpretationem istam, quod verba scilicet ad Deum Patrem referantur, illam rationem nostram, quod omnino necesse fuerit ex solis verbis quæ Thomas protulit, aperte constitisse, eum jam verè Jesum à mortuis excitatum credidisse. Ipsius enim admirationis nulla penitus ab Euangelista fit mentio.

Fuerunt præterea, qui dixerint, Ellipsin quidem esse in verbis Thomæ, sed recto tamen, non autem vocandi casu ea accipienda esse; hoc aut simili sensu, Dominus meus, & Deus meus laudetur, qui me ea videre fecit, quæ licet maxime cuperem, non tamen, facta fuisse, animum inducere poteram. Verum isti, etiamsi primam illam objectionem, quod videlicet Thomas responderit, effugere videntur, in reliqua tamen absurda incurrunt, quæ supra commemorata sunt.

Non defuerunt postremo, qui faterentur quidem, Christum à Thoma Deum appellatum fuisse; sed non jure. Quæ sententia adeo fœda & impia est, ut ab Erasmo, & Gualthero, quamvis id uterque egregie faciat, confutari indigna habita fuerit. Itaque concludendum omnino est, Christum in illis verbis Thomæ, & quidem jure optimo, Deum, nec Deum solum, sed Deum nostrum fuisse appellatum; sive verba Thomæ vocandi casu, ut nos affirmamus, sive etiam recto, ut quibusdam placet, accipi debeant, cum certum sit, propter illa quæ supra diximus ad Christum referenda esse. Nam etiamsi ad Christum relata recto casu accipiantur, eadem plane confessio est deitatis, ut ita dicam, Christi, & agnitio ipsius. Ex qua, quidquid subaudiatur, recte, ut par est, Thomam ipsius resurrectionem credidisse, colligit Christus. Verum quid proclivius est, quam sine ulla vera Ellipsi, aut insolente atque incerta interpretatione verbum substantivum, quod vocant, simpliciter subaudire? Persimilis autem (ut explicationi nostræ, quæ multo uberius confirmari posset, colophonem hunc addamus) huic loco est locus ille apud eundem Johan. cap.13.13. *Vos vocatis me magister & Dominus.* Nam in Græco est ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος. Quemadmodum enim Dominum agnoscebant, & confitebantur, sic Thomas Christo dicens, *Dominus meus, & Deus meus*, eum Dominum & Deum suum agnovit, & confessus est. Sed locus plane simillimus, quique pro aperta explicatione hujus nostri esse potest, habetur in lib. Tobiæ cap.7, ubi de Raguele ad Tobiam juniorem loquente scriptum est in Græco exemplari, καὶ εἶπεν αὐτῷ, ὁ τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἀνθρώπου υἱός. Nam in loco nostro in Græco est, καὶ εἶπεν αὐτῷ, ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου. Sicut igitur ibi manifeste Tobias à Raguele honesti & boni viri filius agnoscitur & nominatur, ita & hic Christus à Thoma Dominus suus & Deus suus agnoscitur & nominatur. Nec quicquam refert, quod liber ille Tobiæ inter Apocryphos numeretur. Neque enim ad dogma aliquod ejus auctoritate confirmandum ejus testimonio usi sumus, sed ad locutionis vim percipiendam accommodatissimum, nostroque simillimum locum inde attulimus.

Ad

Ad omnes eos qui Chmelniciam ad Synodum convenerunt,

F. S. EPISTOLA.

Salutem, ac veræ prudentiæ & pietatis spiritum, à Deo Patre nostro, & Jesu Christo, &c.

CUm nonnullis de causis, & potissimum Domini hospitis mei morbo impediar, quominus ad Synodum venire possim; faciendum mihi existimavi, fratres in Christo dilectissimi, & mihi plurimum observandi, ut quamvis existimem, vos hoc tempore de libro ullo edendo minime cogitaturos, tamen me vobis excusarem, si Responsionem illam, pro animadversionibus nostris in assertiones Collegii Posnaniensis de Trino & uno Deo nondum absolvi, tametsi & mihi id in proxima Synodo Lublinensi injunctum fuerit, & satis temporis habuerim, ut eam ad hunc diem absolutam vobis darem. Fui enim interim ferme perpetuo variis, iisque gravibus curis conflictatus, quæ me etiam Cracoviæ integrum mensem detinuerunt: adeo ut nihil aliud totis hisce decem septimanis, ex quo Lublino redii, circa opus illud efficere potuerim, quam diligenter, quæ jam scripseram, recognoscere, ut ea postmodum Cracoviensibus & Lublinensibus corrigenda tradi possent. Doleo equidem hanc temporis jacturam, quam, si id necesse fore intellexero, aliqua ratione resarcire conabor, sed, ut dixi, vereor, ne hoc tempore alia sint vobis agenda, quam libros edere. Cujus rei causa me sane non parum commovit, etsi omnino spero, Deum pro sua bonitate, quicquid periculi nobis imminere videtur, vel plane depulsurum, vel ad causæ nostræ justitiam patefaciendam conversurum. Non deerunt in miseri illius captivi liberatione curanda occasiones multæ palam profitendi ac declarandi, quanti Jesum Christum Dominum nostrum faciamus, & quam illius seduli cultores simus, ac revera pro Deo nostro, Thomam Apostolum imitati, eum agnoscamus & habeamus. Quarum occasionum nulla negligenda & prætermittenda est, quo omnibus tandem constet, tantum abesse, ut doctrina nostra, (quemadmodum vulgo traducimur) Jesu Dei filio quicquam detrahat, ut potius id illi restituat, quod ab aliis partim imprudenter, & quodammodo occulte olim detractum ei fuerat, partim prudenter & plane aperte à quibusdam Judaici spiritus hominibus hodie detrahitur. Itaque ego, licet omnium minimus, hortor vos, ut prorsus bono animo sitis omnes, neve quicquam terreamini, aut à cœpto cursu, & vestra professione & confessione demoveamini; scientes vos in ipsius Dei filii, cujus causam agitis, patrocinio & tutela esse. Si Erasmus Johannis venerit ad Synodum, sciatis me cum illo Cracoviæ collocutum esse, & omnia illius argumenta possum diluere. Tantum si quid in nobis est, quod sive in moribus, sive in doctrina correctione aliqua indigere aut cognoscimus ipsi, aut suspicamur, id ut corrigatur conari ne cunctemur, atque in posterum ab istis omnibus, qui Christo Jesu adorationem & invocationem, cultum denique divinum non concedunt, diligentissime nobis caveamus, neve cum iis, qui tantæ blasphemiæ vel suspecti quidem sint, quicquam commercii habeamus. Alioqui metuendum est, ne quas Deus hactenus ad nos vel leviter castigandos, vel certe exercendos, atque, ut scriptura loquitur, tentandos, calamitates quasdam nobis, aut ipse immittit, aut evenire sinit; iisdem vehementer auctis, ad nos graviter puniendos atque ulciscendos utatur. Valete charissimi ac mihi venerandi fratres in Domino Jesu, quem ex animo precor, ut vobis sapientiam & invictum spiritus robur contra omnem Satanæ astum & potentiam largiri velit. Data Paulicoviæ die 2 Septembris Anno 1584.

Omnium minimus in Christo Jesu frater

F. S.

JOHANNIS NIEMOJEVII

Ad F. S.

EPISTOLA I.

Gratiam & pacem à Deo Patre nostro & Domino nostro Jesu Christo, &c.

PErlecto scripto tuo contra Volanum, animadverti argumenta ejus satis accurate a te refutata, locaque scripturæ pleraque diligenter examinata ac elucidata. Verum non sine mœrore (ne quid gravius addam) incidi inter legendum in quoddam Paradoxon, Scripturæ Sacræ contrarium, ac plane horrendum, dum Christum in morte sive in cruce sacrificium obtulisse pernegas. Volanus circa causam efficientem turpiter lapsus est, dum Christum morte sua patrem cœlestem placasse, ex iratoque clementem ac misericordem effecisse, asserere ac affirmare non veretur: Tu contra, Domine Socine, in causa media non leviter hallucinari videris, qui mortem Christi extenuas, effectumque præcipuum mortis Domini nostri obliterare ac expungere vis, audacter pronuncians, Dominum Jesum Christum non in ara crucis, sed in ipso cœlo sacrificium obtulisse. Miror, quid tibi in mentem venerit, ut tam confidenter (ne quid aliud dicam) contra manifesta Sacræ Scripturæ testimonia pugnare, contrariamque sententiam tueri non timeas.

Nolo nunc hac de re controversiam per literas movere: res enim ista non perfunctorie, leviterque agitari & absolvi desiderat, quæ circa cardinem salutis nostræ vertitur, præcipuamque considerationem requirit. Si itaque tibi placuerit, in futura Synodo, si Deus nos incolumes conservabit, non detrectabo tecum de hac sententia colloquium instituere, unde quæstio de negotio Justificationis facile emerget, ac una vice diligentius quam hactenus factum est, investigari ac pertractari poterit.

Oro interim ne quid sinistri de me concipias, quasi inanis gloriolæ cupiditate motus, te in certamen provocem. Novi prudentiam tuam, acumenque ingenii perspectum ac cognitum habeo, meæque tenuitatis non sum ignarus, quamque mihi sit curta supellex non ignoro. Cum vero doctiores, aut hæc non animadvertere, aut non curare videam, prætermittere nolui, (nec mihi id licuisse putavi) quin exemplo meo cæteros in hujus rei diligentiorem considerationem excitarem, ac provocarem. Interim, admonendus mihi es, ne vires meas tanto negotio sufferendo satis imbecilles, infirmiores reddere coneris. Quod facile fiet, si mihi tecum non nativo sermone, sed Latina lingua (cujus elementa nescio) de tanto articulo differendum fuerit: dabis igitur operam, prout pium veritatis alumnum decet, ne veritati ullum præjudicium fiat, quod facile contingeret, si mihi titubanter, ac quasi semiclauso ore de tanto mysterio colloquium tecum ineundum foret. Peto igitur, ut si tu linguam Polonicam nondum idoneè percipere potes, ut alium nomine tuo substituas, qui te præsente mecum lingua Polonica disserat: aut si tu Polonicum idioma intelligere potes, tuum erit Latine proferre sententiam tuam, & rursus me polonice respondentem audire: scio (& non sine dolore) non deesse aliquos qui tibi hac in re suffragantur, ex iis itaque unum loco tui, si ita videbitur, substitues: Verum de toto hoc negotio tu deliberabis, meque certiorem facies.

Legi quoque diligenter reſponſionem tuam ad Argumenta Franciſci Davidis; ubi Chriſti Domini invocationem honoremque nomini ejus ſacroſancto convenientem aſſeris, ac contra calumnias Franciſci Davidis defendis. Attamen videris mihi, paucis verbis optimam ſententiam non tantum obſcuraſſe, ſed quaſi in dubium revocaſſe, adverſarioſque in errore confirmaſſe.

Quæris quid ſit, quod tantum malum ſecum importare poſſit? Breviter reſpondeo: verba illa quæ ſæpius addis; *Chriſtum Dominum invocare poſſumus, ſed non debemus, ſive non tenemur,* &c. ruinam negotio cauſſæque tuæ minantur. Non poſſum percipere, quomodo hæc conciliari poſſint; Non debemus, ſed poſſumus: quaſi in negotio ſalutis noſtræ liberum ſit facere vel omittere, prout nobis aliquid magis neceſſarium, vel è contra viſum fuerit.

Ego vero non tantum poſſe, ſed & debere nos Jeſum Chriſtum invocare, ab illoque bona nobis neceſſaria petere, affirmo; quod hiſce rationibus breviter confirmare volo. Debemus in Jeſum Chriſtum credere, fiduciamque erga illum ſinceram concipere. Ergo & invocare nomen ejus ſanctum debemus, non tantum poſſumus. Item, debemus Jeſum Chriſtum, Dominum, regem, gubernatorem, ducem, protectoremque noſtrum agnoſcere, cui tuto inniti, ad ejuſque nos nutum componere debemus: Ergo eundem invocare, ab eoque precibus ambire, quo nobis auxilio ſuo præſto ſit, opemque non deneget, debemus. Poſſem per omnes partes eminentiæ Chriſti, ejuſque officii erga nos, diſcurrere, ex quibus omnibus invocationem ſacro ſancti nominis ejus, non tantum poſſibilem (ut ita dicam) verum ſumme neceſſariam evincerem: Verum, quoniam mihi non cum adverſario res eſt, ab iis ſuperſedeo; hoc tantum in tuo ſcripto deſiderans, ut ſemper & ubique rem, quam defendendam ſuſcepiſti, ornes, tuearis, maximeque commendes, præcavens, ne quod una manu exædificaſti, altera deſtruere aut labefactare videaris. Si enim poſſumus, ſed non debemus, aut, ut tu ſcribis, non tenemur; quid inde ſequatur facile quivis colligere poterit. Adverſarius dicet, Quid tam ſtudioſe urges invocationem nominis Chriſti, cum ego id præſtare non tenear? Immo ſit tibi per me liberum invocare, mihi tu in re indifferente, tuo exemplo præſcribere non potes, &c. Unde non levis error pernicioſaque dubitatio ſuborietur, dum alii invocare Dominum Jeſum Chriſtum non ceſſant, immo ſedulo id præſtant, alii vero id facere recuſabunt, atque dum teſtimoniis exempliſque ſacris urgentur, libertate conſcientiæ ſuæ facile ſe tueri ac excuſare, ſi iſtud tuum pronunciatum ſtabit, poterunt. Mihi vero videtur hujuſmodi Chriſtianus, qui Dominum Jeſum Chriſtum invocare aut non vult, aut non audet, vix nomine Chriſtiani dignus; quod & tibi veriſimile videri credo. Cur igitur ex re neceſſaria, liberam ac indifferentem facere vis? Scio in publicis precibus non ſemper id requiri, cum & exempla Apoſtolorum diverſum oſtendant; verum hic non de hac re loquor: ſed conſcientiæ ſingulorum fidelium in veritate, notitiaque nominis Jeſu Chriſti erudiendæ ac ſtabiliendæ ſunt, ut quid credere de Chriſto, qualemque fiduciam concipere, quæ demum & qualia bona ab eo ſperare debeant, certo purſuaſi ſint. Qua in re qui recte edocti ſunt, Spiritu Sancto atteſtante in conſcientiis eorum, ſi in fide ac ſpe, reverentiaque erga Chriſtum Dominum fundati non aberrant, ii neque de invocatione nominis ejus unquam litem movebunt. Contra quicunque invocare non audent, ii neque fiduciam nec ſpem ullam veram ac ſinceram habent, Chriſtique Domini dignitatem, eminentiam, officiumque penitus aut ignorant, aut leviter tantum de illo perſuaſi ſunt, nunquamque guſtarunt quam benignus ac ſuavis ſit Dominus; ad quem cum certa fiducia (quod abſque ardenti invocatione nominis ejus fieri nequit) accedere non audent: certoque certius eſt, hujuſmodi omnes ſive pſeudo-chriſtianos, ſive tepidos, ſuper Chriſto Domino ſuper vivo lapide, veluti vivos lapides non ædificari.

Reſtat adhuc unus levis ſcrupulus in eodem ſcripto, quem ut eximias opto, dum Adorationem Chriſti ab Invocatione diſtinguere videris. Negare non poſſum, ſæpius id accidere, ut aliquem adoremus (de civili adoratione loquor) ſine petitione alicujus rei ab eodem: Verum quomodo hæc in Chriſto Jeſu adorando diſtingui poſſint, non video; neque percipere poſſum. Non enim amplius Jeſus Chriſtus nobiſcum verſatur carnali præſentia, ut eo viſo capita noſtra inclinemus, aut coram eo procidamus. Quod Papiſtæ ſe egregie præſtare putant, dum coram lignea crucifixi imagine ſe humiliant, ac capita aperiunt. Nobis vero qui Jeſum Chriſtum non in terra, neque in elementis terreſtribus præſentialiter quærimus, omnis Chriſti adoratio non tam externa, quanto magis interna eſſe debet. Quotieſcunque enim ad nomen Jeſu Chriſti genua flectimus, id abſque ardenti deſiderio cordis ſine petitione auxilii ſalutaris facere non poſſumus; quod dum facimus nihil aliud agimus, niſi nomen ejus invocando, eundem non tantum interno affectu cordis veneramur, ſed etiam externo geſtu adoramus. Et ſæpiſſime fit, ut abſque exteriori reverentia, vel gemendo, vel precando auxilium ejus ambiamus; cum nunquam fieri poſſit (de veris adoratoribus loquor) ut Chriſtum adorando ab eo aliquid non petamus, quod ſine invocatione nominis ejus fieri nequit. Intelligis, ni fallor, vir erudite, quare ego iſtam ſubtilem diſtinctionem, inter Invocationem & Adorationem, non recipiam, nec aſſequi poſſim: tuum erit nodum hunc expedire.

Supereſt, ut te officii tui admoneam, qui mihi non leviter erraſſe immo peccaſſe videris, qui toties fidem mihi obligatam non exſolviſti, promiſſaque non præſtitiſti, quod ſi tu pro minimo ducis, ſcias tibi cum hujuſmodi hac de re controverſiam eſſe, qui, ne in minimis rebus quidem, ullam ſuſpicionem de ſe ſiniſtram non præſtitæ promiſſionis, præbere vellet: immo Chriſtianum hominem, ab omni hujuſmodi ſuſpicione liberum ac immunem ſe reddere omni ope decet. Paulus, quod ad Corinthios juxta promiſſum non venerat, ſcimus quam diligenter, non ſine obteſtatione, nominiſque Dei uſurpatione, ſe excuſet, ut & nos ejus exemplo diſcamus conſtantiam in promiſſis ſervare, ut ſermo noſter ſemper fidem pariat; non autem inconſtantiæ aut levitatis nos arguat. Frater noſter Dominus Joël Naborovius excuſationem quandam nomine tuo attulit, quam ego non recipio, immo frivolam, ac indecentem judico. Si enim divinis negotiis occupatus (quamvis & ego à te nihil carnale requiro) quod promiſiſti non præſtitiſſes, fortaſſis facilior venia dari potuit. Cum vero audiam, te plane carnalibus officiis & profanis curis occupatum, mirari ſatis non poſſum, quod talibus næniis te excuſatum putes. Immo, ſi recte rem expendere volumus, potius objurgatione, quam excuſatione dignus videris, qui ſtudia tuaſque occupationes à melioribus ad deteriora, à neceſſariis ad vana, à ſacris ad profana transtuleris: ita ut proverbio locum feceris, Ab equis ad aſinos. Sed finis expoſtulationi imponendus eſt, ne quid nimis. Rogo boni conſule candorem & ſimplicitatem Chriſtianam. Nam meæ ruſticanæ Muſæ non redolent doctas Camœnas, ſed ſinceritatem ac veritatem ſpirant. Vale frater in Chriſto colende. Deus te incolumem conſervet. Rogo D. Paulicovium, cæteroſque fratres nomine meo ſalutare digneris. Datæ Lublini ultima Februarii Anno 1587.

Johannes Niemojevius,

Frater in Domino tuus.

F. S. ad

F. S. ad superiorem Johannis Niemojevii Epistolam Responsio.

Salutem a Deo Patre nostro, & Domine Jesu Christo &c.

UT ad tuas literas, vir clarissime, quas mihi Joël Naborovius frater noster reddidit, respondeam, Primum gratias tibi ago, quod scripta mea quæ tibi legenda dederam examinaveris; & quædam quæ in eis tibi minus probantur, notaveris. Deinde, quod scribis, te, in responsione mea ad Volanum, incidisse in paradoxum Scripturæ Sanctæ contrarium ac plane horrendum, & mirari te ais, quid mihi in mentem venerit, ut tam confidenter, (ne quid gravius dicas) contra manifesta Scripturæ Sacræ testimonia, pugnare non timeam, quodque simul asseris, me effectum præcipuum mortis Domini nostri obliterare expungereque velle; omissa refutatione hujus sane gravissimæ criminationis, quæ qualis sit Dominus ipse noster suo tempore declarabit, id tantum in præsentia dico, mihi hoc abs te inexpectatum prorsus accidisse. Nam annos ab hinc sex, atque eo amplius idem paradoxum (quod tamen alii ante me, iique doctissimi viri, senserunt, idque literis consignarunt) in mea de Jesu Christo Servatore disputatione sine dubio legisti; multo etiam liberius atque accuratius, quam in responsione ad Volanum expositum atque explicatum, nec tamen unquam antehac quicquam ea de re mihi aut dixisti, aut scripsisti. Sed quicquid sit, tametsi ego jamdiu ejusmodi de rebus quodammodo fileo, expectans dum Deus viam ostendat cœlestis veritatis totius in apertum producendæ, tamen, cum tu metuens, ut arbitror, ne sententia mea, quam videlicet perniciosissimam esse statuis, apud multos aliquando obtineat, tui muneris esse censeas, per disputationem mecum instituendam huic malo obviam ire; nolui hanc opportunitatem, cum innocentiæ meæ, tum rei ad religionem nostram maxime pertinentis patefaciendæ, negligere. Itaque, ut disputatio inter nos instituatur, plane assentior; verum non coram, sed per scripta, idque pluribus de causis, ac præcipue ut de tota quæstione, melius ab Ecclesia postea judicari possit. Atque hac ratione non erit, quod tuam Latinæ linguæ inopiam excuses, quominus mecum Latine disputes. Namque hujus linguæ tantam copiam tibi esse, ut per scripta non modo mecum, sed cum alio quovis disputare commodissime queas, ostendent semper, præter jam publicatam disputationem illam, de loco septimi capitis ad Romanos, hæ ipsæ literæ quas ad me nuper dedisti. Quod si tamen ipse Polonice scribere malueris, facile curare poteris, ut ab alio id, quod scripseris, Latine deinde vertatur. Nondum enim ego tantam cognitionem Polonicæ linguæ sum assequutus, ut quæ ea lingua scripta lego, nisi tantum aliqua ex parte, percipere queam; tantum abest, ut loquentis cujuspiam prætervolantia (ut ita dicam) nec, ut fit, omnino articulate ac distincte eadem lingua expressa verba, intelligere possim; præsertim ob valde obtusas aures meas. Nam quod per alium me tecum disputare posse existimas, res admodum difficilis & periculosa omnino est. Etenim vel unum verbum perperam prolatum, in ejusmodi præsertim disputatione, multum impedimenti atque incommodi afferre potest; nec ego quenquam inter nostros homines novi, qui ita sententiam meam teneat, ut in ipsa tota explicanda labi facile non queat. Poteris igitur, si tibi videbitur, ea omnia scripto comprehendere, quæ falsitatem sententiæ meæ tibi coarguere videntur, quæ ego postea scripto pariter diluere conabor. Quam meam sententiam, hac thesi comprehensam tibi impugnandam propono. *Sacrificium & oblatio Christi expiatoria pro peccatis nostris, quamvis non sine cruce & sanguinis fusione, non tamen revera in ipsa cruce sanguinisve fusione, sed mox in cælo, Christo illuc ingresso, peracta est.* Hanc autem thesim ad unguem cum iis consentire invenies, quæ contra Volanum hac de re scripsi. Sed jam ad alias tuarum literarum partes venio.

Damnas vehementer, quod in disputatione mea cum Francisco Davidis affirmem, nos Christum Dominum invocare posse, non tamen teneri; hocque ipsi Christi invocationi, quam tamen ubique stabilire nitor, ruinam struere arbitraris. Hic autem pro eodem habes, *non debere*, & *non teneri*; cum tamen *non debere* eam vim habeat, ut significet, aut certe significare possit, *Id facere non licere*; quod contrarium esset ejus, quod ego assero. *Non teneri* autem (quæ locutio, quamvis fortasse non omnino Latina, ad hunc sensum explicandum, & olim & hodie usurpata est) nihil aliud significet, quam *Nullo jure cogi*. Videris etiam paulo aliter accipere invocandi verbum, quam ego accipiam, qui ipsam (ut sic dixerim) precum nostrarum directionem eo verba intelligo, quemadmodum & Franciscus ipse Davidis, (quamquam interim Adorationem aliquando cum Invocatione confunderet) se intelligere apertissimis verbis ostendebat. Dico autem, te videri verbum istud paulo aliter accipere; nam Apostolorum exemplo, & publico ac perpetuo Ecclesiæ usui, ad Deum potius quam ad Christum suas preces dirigendi, occurrere volens, ais, te hac de re non loqui: *sed*, inquis, *conscientiæ singulorum fidelium in veritate notitiaque nominis Jesu Christi, erudiendæ ac stabiliendæ sunt, ut quid credere de Christo, qualemque fiduciam concipere, quæ demum & qualia bona ab eo sperare debeant, certo persuasi sint.* Quasi vero vel hoc ipsum à me diligentissime ubique non fiat, vel sententia mea de invocatione Christi, huic rei quidquam adversetur. Sed sive recte perceperis, quid in verbis meis (ubi tamen proprietatem simul & communem loquendi usum secutus sum) significet verbum Invocandi, sive minus, ostendam (ni fallor) nihil eorum quæ ad me hac de re scripsisti, sententiam meam labefactare; & nihil esse cur dubites, ne propter illam à quoquam Christi invocatio in dubium merito revocetur. Igitur sententia mea, ut ex prædictis intelligi potest, breviter hæc est; Nos quidem jure posse preces nostras ad ipsum Christum dirigere, sed non tamen ad id faciendum divino jure cogi. Et hanc meam sententiam clarissime exposui, idque non semel, in libello ipso disputationis meæ cum Francisco Davidis, præsertim vero in eo scripto, quod legitur ante responsionem ejusdem Francisci per partes descriptam, & à me refutatam: in quo scripto ad ea respondeo, quæ vir quidam pius & doctus (is erat D. Blandrata) brevissime, ad Christi invocationis necessitatem probandam, ad me scripserat, & ad demonstrandum hanc necessitatem omnino urgendam esse, quæ eadem relpsa sunt cum iis quæ tu scribis. Itaque, nisi jam ad me disputationis illius libellum remisisses, possem merito, pro refutatione eorum quæ meis verbis objicis, te ad scriptum illud meum rejicere. Verum, libello jam à te mihi remisso, hic paucis ad tua objecta respondebo.

Primum igitur sic ais: *Non possum percipere quomodo hæc conciliari possint, non debemus, sed possumus. Quasi in negotio salutis nostræ liberum sit facere vel omittere, prout nobis aliquid necessarium vel contra visum fuerit.* Ex his verbis tuis, quemadmodum etiam ex aliis, id apparet quod dixi, te, *Non debemus*, pro eo usurpare, quod est *non tenemur*, sive, *nullo jure cogimur*. Jam vero pro responsione dico, te hic vel principium, ut ajunt, petere, vel negotii salutis nomine, negotium religionis intelligere. Cum tamen inter utrumque differentia statuenda videatur. In salutis nostræ quidem negotio omnia sunt necessaria. In religionis vero nostræ negotio, non pauca sunt non necessaria. Et ne aliunde, quam ex re ipsa, de qua agitur, exempla petamus, ad Christum preces nostras dirigere, sine dubio ad negotium nostræ religionis pertinet: attamen

nemo est, qui negare audeat, nos posse, ut sæpissime quidem omnes facimus, non ad ipsum Christum, sed ad Deum preces nostras dirigere. Quod si pariter ad salutis nostræ negotium pertineret, ad ipsum Christum preces nostras dirigere, id omittere sane unquam nulla ratione possemus. Illud quod hac in re ad salutis nostræ negotium pertinet, est, nos merito posse ad ipsum Christum, semper & ubique, in rebus ad Ecclesiam seu publice seu privatim pertinentibus, preces nostras dirigere, idque ex animo agnoscere, & palam profiteri Nam si quis hoc non agnoscit, nec profitetur, is potestatem, regnum, gubernationem Christi in Ecclesia non agnoscit, nec profitetur; sine qua agnitione & professione nemo per Christum salutem adipisci potest.

Deinde sic argumentaris: *Debemus in Jesum Christum credere, fiduciamque erga illum sinceram concipere: Ergo & invocare nomen ejus sanctum debemus, non tantum possumus.* Respondeo, hic subesse consequentis, quam vocant, fallaciam. Recte siquidem ex necessaria invocatione colligere quis posset necessariam fiduciam. Nam, ut Paulus ait quomodo invocabit quis eum, in quem non credit? Sed non recte contra ex necessaria fiducia, necessaria invocatio colligitur; præsertim, si Invocationis nomine, ut in hac disputatione fit, ipsa precum directio intelligatur. Nihil enim vetat, quominus alicui plane confidam, & tamen ad alium in meis necessitatibus preces meas dirigam, cui videlicet non minus confidam. Debemus Jesu Christo confidere: sed iidem debemus ipsi Deo confidere. Immo Christo confidere, nihil revera est aliud, quam ipsi Deo confidere, neque enim in ipso Christo fiducia nostra terminatur, sed per ipsum in Deum transit, ibique conquiescit. Quare, tametsi fiducia in Christum necessaria est nobis, non tamen necessarium est, ut ad ipsum preces nostras dirigamus; eum possimus eas ad Deum dirigere, cui similiter, immo excellentiore quadam ratione, confidere omnino necessarium nobis est. Alioqui, si argumentatio tua à necessaria fiducia ad necessariam invocationem valeret, ad hunc modum quis argumentari posset: Necessarium est nobis semper atque ubique Christo confidere; Igitur necessarium est nobis semper atque ubique preces nostras ad Christum dirigere. Quod tamen quam à veritate absit, nemo non videt.

At rursus hac argumentatione uteris; *Debemus Jesum Christum, Dominum, Regem, Gubernatorem, Ducem, Protectoremque nostrum agnoscere, cui tuto inniti, ad ejusque nos nutum componere debemus: Ergo eundem invocare, ab eoque precibus ambire, quo nobis auxilio suo præsto sit, opemque non deneget, debemus.* Hæc argumentatio eodem ferme vitio laborat, quo & superior. Quandoquidem etiamsi necessarium esse videtur, ut is, cujus opem & auxilium precibus implorare omnino debeamus, à nobis Dominus, Rex, Gubernator, &c. noster agnoscendus sit; non tamen contra necessarium est, ut ejus qui à nobis Dominus, Rex, Gubernator, &c. noster agnoscendus sit, opem & auxilium implorare omnino debeamus. Nam si alius similiter Dominus, Rex, Gubernator, &c. noster nobis sit agnoscendus, nihil prohibebit, quin, illo præterito, hujus opem & auxilium precibus imploremus. Exemplum esto in antiquis illis Imperatoribus, qui vel suos filios, vel alios homines sibi consortes imperii adsciscebant. Certe istis licet ad imperii consortium evectis, & sic populi Dominis, Regibus, & Gubernatoribus constitutis ac declaratis, nemo tamen ex populo eorum opem & auxilium implorare cogebatur: sed poterat adhue unusquisque opem illorum & auxilium semper implorare, a quibus isti tales constituti ac declarati fuerant, quippe, quos non minus, quam istos, Dominos, Reges, & Gubernatores suos agnoscere adhuc deberent. Similiter igitur, cum non Christus tantum à nobis Dominus, Rex, Gubernator, &c. noster sit agnoscendus. sed Deus quoque, à quo ipse Christus talis est nobis constitutus & declaratus, nihil prohibet, quominus non ipsius Christi, sed Dei opem atque auxilium in precibus nostris imploremus. Nam si dicas, te in argumentatione tua addidisse de Christo; quod ei tuto inniti debeamus, id, quod de istis hominibus ad imperii consortium ascitis dici nequeat; jam in responsione ad superius argumentum, ubi ex fiducia in Christo necessario collocanda, necessaria ejusdem Christi invocatio colligebatur, huic rationi satis factum est.

Verum hic statim subjicis: *Possem per omnes partes eminentiæ Christi ejusque officii erga nos, discurrere, ex quibus omnibus invocationem sacrosancti nominis ejus non tantum possibilem (ut ita dicam) verum summe necessariam evincerem.* Ego vero affirmo, cum ex iis, quæ supra enumerasti, omnium, quæ Christus habet, maximis & præstantissimis, ista Christi invocandi, id est, ad eum preces nostras dirigendi summa necessitas, non nisi perperam, ut vidimus, colligi possit, nunquam eam recte, ex aliis Christi eminentiæ partibus, collectum iri: Sed tantum (quam quidem ipse diligentissime ubique urgeo) indubitatam, & ab omnibus necessario agnoscendam & prædicandam, ad Christum preces nostras dirigendi potestatem, quemadmodum ex his, sic etiam fortasse ex illis rectissime conclusum iri.

Sed ais: *Si possumus, sed non debemus, aut, ut tu scribis, non tenemur, quid inde sequatur, facile quivis colligere poterit. Adversarius dicet: Quid tam studiose urges invocationem nominis Christi, cum ego id præstare non tenear?* Respondeo; Idcirco tam studiose urgeo invocationem Christi, ut Adversarius mecum agnoscat, & palam profiteatur, Christum à nobis merito invocari, id est, preces nostras ad ipsum dirigi posse; & consequenter fateatur ac prædicet, Christum in cœlo manentem, summa nunc in ipso cœlo & in terra potestate reipsa præditum esse, universamque Ecclesiam suo nutu regere ac gubernare; & idcirco, ut cœlestem nostrum Dominum, Regem, ac Gubernatorem à nobis adorari, seu divino cultu ac veneratione affici debere. Certe (ut interim ad alia, quæ subjungis, respondeam) qui ita de Christo ex animo, ut quidem prorsus necessarium esse dico, & sentiet & loquetur, is nunquam dicet, se Christum invocare, sive ad ipsum preces nostras dirigere, vel non audere, vel nolle. Immo, quanquam id necne facere, sibi liberum alioqui esse agnoscet; tamen se ad illum preces suas directurum dicet, prout spiritus suggesserit, atque humana imbecillitas postulaverit; cujus potissimum juvandæ gratia, hoc Christo à Deo datum est, ut preces nostras perpetuo exaudire, nobisque opem ejus implorantibus opitulari possit: neque unquam iste de Christi invocatione litem movebit, aut, dum alii Christum invocabunt, id ipse facere recusabit. Cur enim, si jure optimo semper à se invocari Christum posse & agnoscit & profitetur, aliis Christum invocantibus, ipse id facere recuset, nisi forte Christianæ charitatis prorsus sit expers, ideoque plane indignus, qui in Christianorum cœtu locum habeat? Itaque ambabus (quod ajunt) ulnis, ea verba à te postmodum divinitus scripta, illorumque sententiam amplector ac recipio; *Quicunque* (Christum) *invocare non audent, ii neque fiduciam, nec spem ullam veram ac sinceram habent; Christique Domini dignitatem, eminentiam, officiumque penitus aut ignorant, aut leviter tantum de illo persuasi sunt, numquamque gustarunt, quam benignus ac suavis sit Dominus &c.* Recte igitur existimasti, mihi quoque verisimile videri, eum, qui Dominum Jesum Christum invocare non vult, aut non audet, vix Christiani nomine dignum esse, nisi quod non modo vix, sed ne vix quidem; & non modo verisimile id mihi videtur, sed persuasissimum mihi est. At nihil prorsus cum hoc pugnat, ut paulo ante ostendi, asserere, posse nos quidem merito ad Christum ipsum preces nostras dirigere; non tamen (simpliciter & absolute scilicet loquendo) ad id faciendum divino jure cogi. Nam præterquam quod nullum divinum

divinum, idque certum atque indubitatum præceptum ea de re extat, ipsa etiam subordinatio Christi ad Deum isti necessitati penitus adversatur. Ex ista enim subordinatione, hoc inter Dei & Christi invocationem discrimen necessario consequitur, quod scilicet Deum quidem invocare omnino debemus, sive ad ipsum Deum sive ad Christum verba precum nostrum dirigendo, (qui enim Christum nominatim orat, ipsum Deum revera orat, cujus Christus vicarius quodammodo est, eique, ut dixi, subordinatus.) Christum vero, ob hanc ipsam caussam, semper quidem invocare possumus, id est, ad ipsum preces nostras dirigere (id enim facientes, nihil à præcepto ac necessitate invocandi Dei recedimus) sed possumus etiam illum non invocare; id est, possumus non ad ipsum, sed ad Deum verba precum nostrarum dirigere. Cum enim Deus Christo nequaquam sit subordinatus, qui Deum orat, precum verbis non ad Christum, sed ad ipsum Deum directis, is nullo modo Christum orasse censendus est. Atque cognitio & doctrina hujus discriminis inter Dei & Christi invocationem, certissima est ratio conscientiæ nostræ, in tota hac quæstione invocationis Christi, quietæ ac tranquillæ reddendæ, & Adversariorum, qui nos Christum cum Deo confundere calumniantur, oris obstruendi illorumque pravitatis detegendæ; qui idcirco Christo invocationem adimunt, quia supremam illam potestatem & gubernationem, precumque nostrarum exauditionem illi nequaquam concedunt; ex qua, ut ostendi, non necessitas, sed potestas tantum Christi invocandi necessario sequitur. Est denique tutissima atque adeo unica via, ut conservandi Deo in Ecclesia (quemadmodum omni studio ac conatu curare debemus) suam prærogativam, sic ipsam Christi invocationem prorsus stabiliendi, & adversus omnes Satanæ impetus inconcussam reddendi, tantum abest, ut eam hac ratione labefactari posse, quisquam merito suspicari queat. Et propterea ego cum Francisco Davidis disputans, consulto, ipsissima interim (ut mihi quidem videtur) veritate nihil dissimulata, hanc ipsam viam sum ingressus. Sed quæ hac de re scripsi, ut ni fallor, apertissime mentem meam explicant, sic recte intelligenda ac perpendenda sunt Alioqui, si quis, quæ legit, negligenter legat, non solum ex meis scriptis, sed etiam ex ipsis Sacris Literis occasionem sumere facile poterit, licet plane immerito, de rebus divinis male ac perverse sentiendi.

Nunc venio ad scrupulum tuum, propter distinctionem meam inter Christi Adorationem & Invocationem. Neque enim vides, quomodo Christus corpore à nobis absens adorari queat, quin eodem tempore invocetur: cum tamen videlicet ego ubique affirmem, nobis necesse esse Christum adorare, invocare vero non item. Et ais, *Quotiescunque enim ad nomen Jesu Christi genua flectimus, id absque ardenti desiderio cordis, sive petitione auxilii salutaris, facere non possumus.* Immo vero nihil impedit, quominus ad ipsius etiam Dei nomen, genua sive corporis sive animi flectamus, nihil tamen interea temporis cogitantes, nisi ut illum debito honore afficiamus. An non possumus Christo & corporis & animi genibus flexis, hymnos ac laudes canere ac tribuere divinas? an non eum & mente & lingua Dominum ac servatorem nostrum, venerabundi agnoscere ac confiteri? an non, ut in ipsius cœna fit, ei sacro & divino cultu gratias agere, ejusque nomen sanctissimum divina plane ratione concelebrare; & tamen eodem ipso tempore nihil de auxilio ab ipso sive petendo, sive etiam expetendo cogitare? Profecto possumus. Talis est enim Christus à Deo factus nobisque constitutus, taliaque per ipsum beneficia accepimus, ut, etiam eo secluso, quod nobis eum invocantibus opem in necessitatibus nostris ferre potest, eum tamen prorsus divino honore afficere debeamus. Quamvis enim corpore nobis Christus non adsit, adest tamen spiritu; & non modo gestus nostros omnes & verba videt & audit, sed cor ipsum nostrum perpetuo novit atque intuetur; nec quidquam hic diversi est ab eo, quod foret, si ubique & semper præsens nobis corpore adesset. Quocirca, quemadmodum nemo potest negare, quin, si Christus corpore præsens nobis esset, eum adorare, & tamen eodem tempore simul non invocare possemus; sic negandum nullo modo est, eum licet a nobis corpore absentem, adorari sine invocatione posse. Exempla quidem adorati, nec tamen simul invocati Christi, cum in terris esset, non pauca habemus, eaque non civilis sed religiosæ adorationis; ut Mat. 2. 11, & cap. 14. 33. Joh. 9. 38, & alibi. Siquidem, ut in ipsa disputatione mea cum Francisco Davidis scripsi, (ipsa autem verba adscribam) *Adorat is, qui corpus aut animum alicui reverenter inclinat, & coram eo venerabundus procumbit, etiamsi nihil ab eo petat. Invocat autem is, qui in necessitate constitutus, aut aliquid percupiens, confidenter alienam opem & benignitatem implorat.* Quamobrem miror, distinctionem Adorationis & Invocationis Christi, non quidem à me excogitatam, sed à rei ipsius, non minus quam vocabulorum diversitate proficiscentem, tibi homini erudito inprimis, ac perspicaci, adeo subtilem videri, ut eam percipere nequeas: cum potius necesse sit ad summam quandam, atque (ut ita dixerim) imperceptibilem subtilitatem confugere, si quis hæc duo, quæ & natura ipsa & loquendi usus manifeste distinxit atque sejunxit, confundere velit, vel alterum ab altero nunquam separare. Sed jam ad expostulationem tuam venio, de meo non servato promisso. Qua in re tibi omnino velim persuadeas, admonitionem, vel potius reprehensionem hac in re tuam, mihi fuisse gratissimam, eumque hominem me esse, cui non minus fortasse quam tibi religio sit promissa non servare. Quanquam tradunt sapientes, non omnia promissa servanda esse, quamvis rerum alioqui honestarum; videlicet, cum id quod promissum est, promittenti plurimum incommodi, ei vero cui promissum fuit parum, aut nihil commodi sit allaturum. Quo tamen in numero promissum à me tibi sæpius factum, non pono; sed nihilominus ita sentio, illud ejusmodi esse, ut propter impedimenta aliqua, etiam ultra ipsum præstitutum tempus non semel differri à me potuerit. Impedimenta porro quæ postremo habui, quæque tibi per Joëlem nostrum significanda curavi, licet (fateor) alioquin indigna, si, quo modo mihi plane decepto atque adeo invito acciderint, unquam recte noveris, quamque non una de caussa ea abjicere nec debuerim nec potuerim, (quod spero fiet cum te primum videro, neque enim res sunt literis credendæ) nihil despero, te, si non omnino, saltem aliqua ex parte, me excusaturum. Scito autem, me nondum ab impedimentis illis esse liberum: ac præterea me propediem, Deo dante, hinc Cracoviam migraturum, ibique propriam œconomiam instituturum; quæ res, cum præsertim omni fere domestica ac necessaria suppellectili adhuc caream, quamdiu me pæne totum occupatura sit, satis intelligere potes. Dabo tamen operam, ut quamprimum me omnibus hisce impedimentis & curis exsolvam; quo non solum tibi factum promissum aliquando tandem præstare, sed etiam mea jamdiu intermissa ac desideratissima studia, repetere possim. Interim te rogo, ut mihi tardiatem hanc meæ fidei tibi liberandæ ignoscas, & me potius imprudentiæ atque inconsiderantiæ, quam levitatis aut inconstantiæ accuses. Si proxima Synodus isthic de more ad Pentecosten habebitur, non spero in ea me adfuturum. Nam uxoris meæ primus hic partus in illud ipsum tempus incidit. Quanquam, si omnino expediret me in ea adesse, & ita fratres suaderent, haud mihi grave foret, uxorem me absente vel parere, vel in puerperio esse. Sed, Deo volente, revisemus nos omnino postea in Chmielnicensi Synodo, ubi etiam scripta nostra de Christi oblatione expiatoria, quæ, si tibi hæc inter nos hac de re disputandi ratio probabitur, multo ante confici potuerunt, fratribus legenda atque examinanda tradentur. Ex qua disputatione no-

stro, emerget quidem, ut ipse ais, disputatio simul de ratione nostræ justificationis, quid attinet ad Christi mortem & resurrectionem; sed non fortasse nisi hominibus data opera curaveris, quod pertinet ad fidem atque opera nostra, qua tamen de re, potissimum in justificationis nostræ negotio, agendum mihi videtur: quapropter obsecro, ut id omnino cures. Et quando, ut tibi ipsi constare potest, fratres nostri tibi jure optimo plurimum tribuunt, & magna est tua apud nos, & privatim & publice auctoritas, te coram Deo & Christo obtestor, ne per te stet, quominus salutaris veritas universa in lucem prodeat, omnibusque nobis patefiat; sed des operam, ut placide atque amanter, cum alibi, tum vero maxime in Synodis, non quidem alicujus certi dogmatis, ut præpostere in Ecclesia hactenus factitatum est, omnino damnandi, sed veritatis inveniendæ, atque inventæ retinendæ gratia, quæstiones, huc potissimum pertinentes, proponantur ac solvantur. Nec, quæso te, tantopere horreas, cum quid audis affirmari a nobis, & plurimorum sententia alienum, nisi prius re bene cognita, & rationum ac testimoniorum momentis recte perpensis; præsertim cum reipsa jamdiu compertum habeas, te aliquando ad ea prius cohorruisse, quæ postea vehementer probasti. Nam ego sane (ut verum fatear) hanc etiam ob caussam, quod statim quodammodo resilis ac refugis, si quis vel locum aliquem divinarum literarum, etiam per simplicem, solamque à vulgata diversam interpunctionem, aliter explicet, atque ipse cum plerisque facis, cunctantior hactenus fui in promisso meo tibi præstando, neque enim id facere possum, quin tibi, prima fronte, videar complura Sacrarum Literarum loca corrumpere, atque pervertere; à qua tamen re, haud scio, an ullus alius me vehementius abhorruerit unquam. Deus te & ingenio, & eruditione, & eloquentia, & denique, ut dixi, auctoritate magna inter nos donavit. Tuæ pietatis, qua una vel maxime polles, nunc est, hisce donis, ad Dei ipsius & Christi ejus gloriam, nostræque salutis viam in dies magis patefaciendam, alacriter ac diligenter uti. Dominus Paulicovius socer meus te amantissime resalutat, teque plurimi facit. Dominum Czechovicium, D. Lubieniecium, D. Balcerovicium, cæterosque fratres meo nomine salutes oro. Vale vir clarissime, meque, ut soles, ama, ac quemadmodum ego tuum in iis, quæ ad me scripsisti, sic vicissim tu meum in his, quæ ad te scribo, animi candorem agnosce: atque meam in te commonefaciendo, sicut ego tuam in me accusando & reprehendendo libertatem boni consule. Deus te ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ suæ ædificationem quam diutissime incolumem servet. Datum in agro Paulicoviano, die 20 Martii. Anno 1587.

Tui studiosissimus atque observantissimus

in Christo frater F. S.

JOHANNIS NIEMOJEVII

ad superiorem F. S. Epistolam, Responsio.

EPISTOLA II.

Salutem à Deo Patre nostro, & Domino nostro Jesu Christo &c.

Literæ tuæ redditæ sunt mihi vir præstantissime, fraterque in Domino dilecte, ex quibus Christiani animi candorem, modestiamque tuam perspexi, cum liberam admonitionem æquo animo accipis, reprehensionem non aspernaris; verum ad objecta modeste respondens, ea diligenter diluere ac refutare conaris. Dicere nequeo, quantum animi mihi accreverit, ut postea tecum confidentius agere, deque rebus necessariis per literas colloqui, teque (quamvis multo præstantiorem, infinitisque partibus doctiorem) admonere audeam, non minus propterea, quod te vulgari meo Latinismo delectari, meque barbarisantem ac solœcisantem ferre, in meliorémque partem ruditatem ac imperitiam meam interpretari videam. Miraris, vir eximie, quod in scriptis tuis, quædam nunc demum reprehendenda susceperim, quæ diu antea viderim, & cognita habuerim, & tamen reprehendere neglexerim. Spero, te non miraturum amplius, postquam meam excusationem audiveris, mihique fidem adhibueris. Fateor, me librum tuum de Servatore Jesu Christo legisse, multaque pie ac docte scripta reperisse: tamen non adeo mihi placuisse, ut in eo plane acquiescerem, sententiæque tuæ subscribere vellem, ac possem; immo sæpius significavi, & privatim & publice in synodis, me sententiæ tuæ, de morte Christi, hominisque Christiani justificatione, integre subscribere, calculumque addere non posse. Credo te non ignorare, quomodo ante aliquot annos, fratri nostro Securino, sententiam tuam asserenti, me opposuerim, tecum quoque Lublini, in præsentia fratrum, disputatiunculam, sicut de cæteris articulis, ita & de justificatione habui. Insuper, scire te volo, me, librum tuum de salvatore Jesu Christo, obiter tantum perlegisse; scriptum vero contra Volanum bis perlegisse, diligentiusque omnia examinasse; ubi inter cætera pie atque eleganter scripta, sententias quasdam peregrinas, scripturæque sacræ judicio meo, contrarias, reperi. Videns itaque, Volanum, adversarium acerrimum, qui sententiam nostram veram ac piam tolerare non potest; sed undique occasiones vituperandi ac sugillandi quærens, aliquando etiam calumniari non veretur; quid facturum putas, si aliquid in responsione tua dignum reprehensione repererit; Profecto, omnem lapidem movebit, summoque conatu adnitetur, quo non solum personam tuam denigrare, sed omnes nos infamia aspergere, contentiosaque atrocitate verborum diffamare ac condemnare, cæterisque traducendos ac condemnandos propinare possit. Omnibus igitur modis cavendum est, ne quid à quoquam Christiano aliquando dicatur, sive scribatur, quo infirmiores offendi, scandalisarive possint, adversarii vero ansam condemnandi calumniandique arripiant. Statueram igitur, chare frater, tecum, in præsentia præcipuorum fratrum, colloquium modestum ac Christianum instituere. Verum, cum tu colloquii modum, à me præscriptum, propter certas causas, recipere noluisti; meque ad scribendum invitasti, ego tergiversari nolens, nec veritati testimonium dare differens, consilio tuo acquiescendum putavi. Ad scribendum itaque accingor, tecumque disputare, sive colloqui per literas aggredior, quod fœlix, faustumque ad gloriam nominis divini, Jesuque Christi honorem, mutuamque nostri cæterorumque ædificationem, faxit Deus omnipotens. Non diffiteor imbecillitatem meam, multaque mihi in hanc palæstram descendenti deesse agnosco. Nam imprimis persona tua multis modis mihi præferenda, me a scribendo, tuamque sententiam oppugnando, deterrere posset, tum sermonis Latini inscitia, logicæque artis imperitia; quæ nunc à plerisque in disputatione, quasi summe necessaria, requiruntur, me à disputatione, præsertim cum homine eruditissimo, arcent, silereque cogunt. Verum bonitate caussæ fretus, tuamque humanitatem ac modestiam perspectam habens, majora fortasse viribus audeo; hoc uno me maxime consolans, quod veritas, quamvis aliquando elegantiam, sermonisque peritiam non aspernatur, tamen sæpius simplicitate nativa gaudet, nudaque ac omni ascitio ornatu vacua, in theatrum prodire non erubescit. Quod attinet ad secundam consilii tui conditionem, ut si Latine scribere recusarem, Polonice scriberem, scriptumque meum alicui vertendum traderem, res magni esset laboris, in longumque protraheretur, nec tuto, quod & te cavere video, alieno ingenio, committenda. Rari enim interpretes reperiuntur, qui & verba & sententiam auctoris proprie exprimere sciant, ac possint. Sed jam ad rem ipsam progrediamur.

Verba in responsione contra Volanum hæc extant. *Itaque affirmo Christum non quidem in cruce, seu crucis ara se Deo obtulisse, sed in ipso cælo.* Item: *Nec porro ipsam Christi mortem, ejus revera sacrificium esse aut fuisse, sed illi præivisse &c.* In literis vero ad me datis verba quædam addidisti, sententiam tamen non mutasti: immo hanc esse tuam opinionem, quod Christus revera in cruce sacrificium non peregisset, manifeste confessus es.

Quid igitur dicam? Libenter placita scriberem, si pie ac juste id facere possem: verum, nec te officiosis mendaciis delectari puto, nec ego alicui adulari volo, contraque animi sententiam loqui possum. Ut igitur tecum libere agam, nolo verborum circuitu uti, sed fretus clarissimis Novi Testamenti sententiis, absque omni tergiversatione simpliciter affirmo, sententiam tuam non tantum erroneam, verum cum testimoniis Sacræ Scripturæ ex diametro pugnare. Non opus est longa probatione, sed tantum Scripturæ Sanctæ loca aliquot producenda, ex quibus sententiæ tuæ vanitas, errorque deprehendi facile potest. Quod facere, favente Deo, incipiam.

Paulus Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragantiæ &c.*

Hebr. 9. *Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum inculpatum obtulit Deo vivo?*

Ibidem: *Neque ut sæpe offerat semetipsum, sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quotannis, cum sanguine alieno, alioqui oportuisset eum sæpe passum fuisse à condito mundo. Sed nunc semel in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius patefactus est: & sicut illud statutum est hominibus, ut semel moriantur, postea vero judicium; ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, altera vice absque peccato conspicietur iis, qui ipsum expectant ad salutem, &c.* Possem plura testimonia adducere; verum nunc iis contentus esse volo, ex quibus manifesta repugnantia opinionis tuæ apparet. Tu enim Jesum Christum seipsum in cruce obtulisse Deo negas, mortemque Christi pro vero sacrificio agnoscere non vis; testimonia vero citata, Christum per mortem crucis seipsum obtulisse Deo, apertissime testantur.

Quid ad hæc dicturus es? Fortassis ad Dianœan confugies: verum ego ipsissima verba urgeo, nec nunc de sensu verborum disputationem instituere volo, verbis apertissimis contentus, sicut omnes pios, Deique amantes facere decet. Obsecro itaque, ne extra & ultra propositum necessitatemque me in certamen provoces, hoc est, ne mecum de sensu verborum litem instituas: dabitur, Deo volente, oportunum tempus, de sensu verborum Apostoli conferendi ac disputandi; nec deerunt rationes, Deo favente, sententiam veram eruendi ac confirmandi. Nunc vero hoc tibi objicio, in hocque te non laudo, quod apertissima Spiritus Sancti pronunciata, per repugnantiam verborum oppugnare audeas. Spiritus enim Sanctus clarissimis verbis mortem Christi oblationem nominat, tu vero per antiphasin testimoniu Spiritus Sancti contraire videris. Summa igitur meæ reprehensionis, totiusque disputationis, quoad præsentem articulum, hæc sit: aut ostende, (quod te nunquam facturum puto) scripturam Novi Testamenti, mortem Christi oblationem sive sacrificium non vocare, aut manifestæ veritati cedere, palinodiamque canere non dubites, teque ab errore liberes, nec cæteris scandalum, adversariisque occasionem sugillandi calumniandique præbeas. Tu Christi sacrificium in cœlo demum peragi asseris, conferens Christi ascensum cum introitu Veteris Pontificis in Sancta Sanctorum. Verum quamvis negare nolo, Christi sacerdotium esse æternum, in cœloque sacerdotem pro nobis interpellando, vultuique Dei apparendo agere: tamen nihilominus in terra per mortem crucis, idem Christus seipsum obtulit, morsque ejus jure optimo oblatio vocari, attestante Spiritu Sancto, potest. Nam & sub Lege Pontifex cum sanguine in sanctuarium ingrediebatur, qui sanguis mactatorum animalium erat; ea vero mactatio animantium, oblatio sive sacrificium appellatur. Ita & Christus seipsum per mortem crucis obtulit, sanguinemque proprium effundi passus est; per quem sanguinem introivit in tabernaculum non manu factum, hoc est, in ipsum cœlum, ut ibi æternus Sacerdos Deo appareat pro nobis. Sed ab istis uberius tractandis supersedeo; a proposito certamine non discedens, hoc unum urgeo: aut ostende in Novo Testamento mortem Christi oblationem non appellari, aut te errasse, sententiamque Scripturæ Sacræ contrariam edidisse confitere. Quod attinet ad rationem justificationis nostræ, effectaque mortis Christi; scias me cum illis non sentire, qui Christum morte sua Deum placasse, ex iratoque clementem effecisse imaginantur; nec illis assentior, qui fide mortua justificari volunt. Non, gratia Dei, distinguere auctorem justificationis nostræ, à causa media, patrisque clementissimi misericordiam, gratiamque, summam præcipuamque causam salutis nostræ agnosco: qui quicquid fecit, id totum primo respectu, propter seipsum fecit, ut misericordia ejus immensa, bonitasque ineffabilis appareret. Attamen mediæ causæ, quæ in Christo mediatore præcipue concurrunt, non sunt negligendæ, nec leviter transeundæ, aut in alium sensum, quem Spiritus Sanctus non dictet, accipiendæ. Opera bona a fide justificante separare nolo, sed fidem cum operibus (a Paulo edoctus) confundere caveo: etsi enim opera a fide reipsa non separantur, tamen in negotio justificationis, ratione quadam distinguuntur. Sed de his dabitur aliquando oportunior differendi occasio tempusque, & locum Deus, si voluerit, suppeditabit. Nunc vero finem priori parti controversiæ nostræ imponens, rogo, quod & superius postulavi, ne in respondendo terminos propositos mutare velis, in aliudque genus transcendere audeas, hoc est, ne mecum de sententia verborum litem moveas: sed si id negare non poteris, me pro sententia mea confirmanda, Apostolica verba recte adduxisse, nihil præterea restabit, quam ut errorem tuum agnoscas corrigasque. Quod ut facias suadeo, idque tibi à Deo optimo dari ac suggeri opto.

Sed jam ulterius progrediamur, deque filii Dei invocatione agamus. Video te laborare, quo crimen a te labefactaræ invocationis Jesu Christi removeas, teque nihil hujusmodi scripsisse, unde adversarii occasionem erroris sui stabiliendi habeant, ostendere possis. Ego ingenue fateor, te docte, pie, ac luculenter pro asserenda Domini nostri Jesu Christi gloria scripsisse, adversariosque fortissimis telis ex verbo Dei petitis confodisse, armaque eorum irrita ac vana reddidisse: & nisi pauca illa verba, de quibus mox agemus, addidisses, non puto aliquid validius, quo adversarii contundantur planeque corruant, scripto illo tuo contra Franciscum edito inveniri posse. Verum cum invocationem filii Dei, quam tantopere commendasti ac stabilivisti, non ita necessariam, sicut fiduciam in Dominum nostrum Jesum Christum, asseris, sed liberam facis, ad quam nemo jure divino necessario cogatur: videris mihi à priori sententia etsi non recedere, tamen aliquatenus deflectere. Si enim invocatio Jesu Christi non est adeo necessaria, ut quivis Christianus jure divino ad eam cogatur, profecto inter adiaphora numeranda, potiusque singulorum fidelium conscientiis relinquenda, ut quilibet juxta suggestionem spiritus, vel illa uteretur, vel eam negligeret; nullaque fuisset causa tam acriter cum adversariis hac de re contendendi. Si enim Christus gloriam integram ab iis, qui nomen ejus invocare nec audent nec volunt, habere potest, profecto permittendi sunt ejusmodi propriis conscientiis, ut hac in parte libertate Christiana utantur. Verum si invocatio

Jesu Christi ad gloriam nominis ejus refertur, sine qua honor Domini Jesu Christi illibatus conservari, gloriaque ei integra tribui non potest, profecto invocatio nominis Jesu Christi, res est ex necessariis, ad fidem religionemque Christianam pertinentibus. Verum his breviter prælibatis, ad Apologiam tuam accedamus. Objicis mihi quod inter verba, *non debere*, & *non teneri*, discrimen nullum statuam: qua de re contendere nolo, nam, me Grammaticum non esse, non inficior. Agnosco hæc duo verba, me in una significatione accepisse: verum à te admonitus, ero posthac cautior.

Discrimen quoddam inter res ad salutem necessarias, & illas quæ ad religionis negotium pertinent, statuis: quæ ad salutis negotium faciunt, eas necessarias affirmas; quæ vero religioni serviunt, non pauca non necessaria asseris. Ego, mi domine, explicationem accuratioremque hujus rei descriptionem desidero: verba enim, ut à te scripta sunt, nisi candidum interpretem nacta fuerint, possent nonnullam suspicionem injicere, te de religione Christiana minus sentire, sive imprudentius loqui. Religio enim vera ea omnia continet, quæ ad cultum Dei, Jesuque Christi, tam internum quam externum, in verbo Dei præscriptum, pertinent: ex quibus si quis, sciens ac volens aliquid omiserit, puto ejusmodi hominem contemptæ religionis (nisi resipuerit) pœnas luiturum. Ego itaque omnia quæ ad religionem Christianam vere ac proprie pertinent, cum iis rebus quæ saluti nostræ serviunt, conjungere didici. Scio, quoad religionis negotium, à multis peccari, non malitia sed ignorantia, qui (ut spero) veniam habituri sunt, si ex eorum numero fuerunt vel sunt, qui vero timore Dei imbuti, sincero cordis affectu Deum quærunt, nihil temere omittentes, quod perspectum à Deoque profectum habent. Sed de his non est nunc dicendi locus: nobis, quibus veritas Dei ampliori modo patefacta est, nulla excusatio relicta, si scientes volentesque negligentes in religione, non tantum interna, sed etiam externa fuerimus. Non debemus igitur nec possumus religionis officium, à salutis negotio distinguere: immo potius salutis nostræ modum sive medium, majori ex parte in vera religione constituere. Sed jam videamus exemplum à te adductum hujusmodi: *Ad Christum ipsum preces nostras re ipsa dirigere, sine dubio ad negotium religionis nostræ pertinet: attamen nemo est qui negare audeat, nos posse, ut sæpissime quidem omnes facimus, non ad ipsum Christum, sed ad Deum preces dirigere. Illud, quod hac in re ad salutis nostræ negotium pertinet, est, nos merito posse ad ipsum Christum semper & ubique in rebus ad Ecclesiam, seu privatim seu publice pertinentibus, preces nostras dirigere, idque ex animo agnoscere & palam profiteri. Nam nisi quis hoc agnoscat & profiteatur, is potestatem, regnum & gubernationem Christi in Ecclesia non agnoscit nec profitetur: sine qua agnitione & professione nemo salutem per Christum adipisci potest.*

Exemplum à te loco argumentationis positum, videtur fallaciam redolere, quam ego aut nominare nescio, aut ad fallaciam divisionis pertinere arbitror: vis enim ex eo quod assidue non fit, concludere, quod necessario facere non teneamur. Verum facile per instantiam argumentum tuum solvere possum. Deus Pater non semper invocatur; immo Stephanus solum Christum invocavit, Paulus quoque non semel id fecisse legitur: ergo invocatio Dei non est necessaria ad salutem. Non recte igitur, (pace tua dixerim) argumentaris, ab eo quod semper non fit, ad non necessarium actum. Nam de tempore & loco non est præscribendum: Spiritus suggeret, fiduciaque, quam erga Christum unus altero majorem habet, singulos fidelium instruet. Ego libenter ad gloriam Christi fateor, me nunquam in privatis meis gemitibus sive precibus, quoties Deum Patrem invoco, ejusque auxilium imploro, Christum omittere: novi enim certissimeque confido, me nisi per ipsum non posse ad Patrem tuto ac confidenter accedere; quoniam sic Patri omnipotenti placuit, ut Christus sit opitulator ac interpellator noster, per quem cum fiducia ad thronum divinæ gratiæ, ut misericordiam consequamur, confugiamus. Quod ad publicas preces Ecclesiæ pertinet, hæ pro temporis necessitatisque ratione moderari possunt. Frustra itaque hoc exemplum adduxisti, immo, meo judicio, extra propositum: nam non quæritur, an semper & ubique necessarium sit preces ad Christum dirigere, sed, an res sit necessaria homini Christiano Christum invocare, ad eumque preces dirigere. Tu ipsemet fateris, hoc ad salutis nostræ negotium pertinere, ut agnoscamus nos merito posse ad ipsum Christum semper & ubique preces nostras dirigere. Hoc tuum posse, necessario oppositum, mihi haud dubie labefactationem invocationis Christi continere videtur. Quid enim hoc est, possumus invocare Christum, idque ut profiteamur, ad salutem necessarium est: verum ut invocemus nullo jure cogimur? Si quis ita argumentaretur: Possumus confidere Christo, idque agnoscere & profiteri debemus, verum ut ei confidamus, nullo jure cogimur: nonne tibi absurda hujusmodi argumentatio videretur? Scio quid respondere possis; nos expressum mandatum habere de fide in Christum dirigenda, de precibus vero ad eum dirigendis non item. Ego nunc hac de re diligentius agere nolo, tu ipse tuum scriptum inspice, videbis te contra Franciscum, Dei ordinationem & constitutionem loco præcepti approbare; immo aliquot loca, nisi fallor, adducis (quæ & ego adducere, nisi brevitati consulerem, possem) quæ vim expressi mandati habent.

Sed quid pluribus opus est, cum tu ipse evidenter testeris, eum, qui Christum invocandum negat, nec potestatem, nec regnum, nec gubernationem Christi in Ecclesia agnoscere; sine qua agnitione & professione, nemo salutem per Christum adipisci potest. Si igitur is, qui Christum invocari jure ac merito posse non agnoscit neque profitetur, Christum Dominum vere nec agnoscit nec confitetur; ob cujus ignorantiam salute per Christum parta privandus est: quomodo is, qui sciens Christum esse invocandum, tamen non invocat, majori pœna dignus non erit? Constat itaque ex tuamet ipsius confessione, Domini nostri Jesu Christi invocationem ad salutem consequendam esse necessariam. Si enim hujusce rei ignoratio ab agnitione vera Jesu Christi excludit, à saluteque per Christum acquirenda arcet: quomodo rei ipsius neglectus sive contempus eundem effectum producere non debeat?

Accedis postea ad meam argumentationem, quæ à natura vique fidei, fiduciæque erga Jesum Christum conceptæ, ad effectum necessariæ invocationis producebatur. Quam tu hujusmodi responso rejicere tentas, objiciens argumento à me producto fallaciam consequentis: *Recte siquidem* (verba tua refero) *ex necessaria invocatione colligere quis posset necessariam fiduciam. Nam, ut Paulus ait, quomodo invocabit quis eum in quem non credit? Sed non recte contra ex necessaria fiducia, necessaria invocatio colligitur, præsertim, si invocationis nomine, ut in hac disputatione fit, ipsa precum directio intelligatur. Nihil enim vetat, quominus alicui plane confidam, & tamen ad alium in meis necessitatibus preces meas dirigam, cui videlicet non minus confidam. Debemus Jesu Christo confidere, sed iidem debemus ipsi Deo confidere; immo Christo confidere, nihil revera est aliud, quam ipsi Deo confidere: neque enim in ipso Christo fiducia terminatur, sed per ipsum in Deum transit, ibique conquiescit. Quare tametsi fiducia in Christum necessaria nobis est, non tamen necessarium est, ut ad ipsum preces nostras dirigamus, cum possimus eas ad Deum dirigere, cui similiter, immo excellentiore quadam ratione confidere, omnino necessarium nobis est.*

Hæc tua, Domine Socine, ad argumentationem meam responsio, tantum abest, ut vim argumenti mei

mei enervet debiliterve, quin potius connexum argumenti mei stringit ac confirmat. Nam, quod tu ex necessaria invocatione necessariam fiduciam colligis, sed non è contra; videris mihi hac in re multum hallucinari, qui res conjunctissimas divellere tentas, quæ mutuam relationem habent, & invicem reciprocantur. Si enim in eum ad quem preces dirigo, credere eique confidere debeo: quomodo vicissim eum cui tuto confido, (ut Jesu Christo tutissime confidere debemus) nunquam in necessitatibus meis invocare audebo, aut non curabo? Profecto si quis reperiretur, qui de fide in Jesum Christum gloriari auderet, eumque invocare negligeret, istum ex tribus vitiis ad minus uno laborare oporteret: vel enim de Domino Jesu Christo minus sentiret, videlicet, invocantem ac confidentem juvare non posse: aut se ejus auxilio non indigere arbitraretur: vel potius (quod verisimilius est) loco veræ fidei, nomen tantum inane prætenderet, simulataque fide gloriaretur. Sed quoniam veri Christiani de Domino ac salvatore nostro persuasi sunt, eum & posse & velle juvare, ejusque auxilio & opera semper & ubique se indigere: certe hi omnes ex fiducia concepta aliter facere nec possunt, nec debent, quin ad Christum in necessitatibus suis assidue confugiant, ab eoque auxilium petant. Fiducia igitur vera necessario producit invocationem, non minus quam invocatio sincera veram fiduciam requirit.

Quod vero à persona excellentiaque Dei Patris, ad infringendam necessitatem invocationis Jesu Christi, argumentum petis, cui excellentiori modo confidere, eundemque invocare tutissime possumus: facis id impertinenter, immo (pace tua sit dictum) minus considerate. Quid enim aliud facis, quam ab adversariis arma mutuaris, & non sentiens in eorum castra transire videris? Si enim propterea, quod ad Deum preces nostras dirigere necesse habeamus, ad Christum non necessario easdem dirigere teneamur: nonne eadem sequela fidem in Christum non necessariam, aliquis imprudens existimare poterit? Maxime cum Deum talem habeamus & profiteamur, qui sine alicujus ope nobis succurrere, nosque ex omni periculo liberare, solusque eripere possit. Cur igitur alii cuipiam, præter Deum ipsum patrem benignissimum, omnipotentemque protectorem confidamus, sive in necessitatibus nostris ad alium quempiam confugiamus? Vides, si modo attendere voles, te hujusmodi argumentis plus gloriæ Christi nocere, quam prodesse, adversariisque ansam contra Christum insurgendi præbere. Novimus, gratia Dei, & libenter profitemur ineffabilem majestatem, bonitatemque Patris nostri clementissimi: sed, ubi agitur de gloria Christi, non opus est potentiam ac majestatem Dei prætendere, excellentiaque Patris gloriam filii obscurare, sed voluntas, consilium ac ordinatio Dei consideranda ac perpendenda est. Si Deus nos voluisset per se solum salvare, & absque mediatore conservare, profecto id facere, sicut potuisset, ita & fecisset, Christumque salvatorem neque promisisset neque exhibuisset. Sed quoniam Jesum Christum constituit Dominum, salvatorem ac mediatorem nostrum, per quem ad Patrem accedere debemus, eique omnem potestatem in coelo & in terra tradidit, in quem post Deum credere, eique tuto confidere possumus, inanis est omnis disputatio de eminentia Patris: sufficere enim sola voluntas ejus potest, proque certissima regula fiduciæ ac obedientiæ nostræ erga Christum, Dei ordinatio ac constitutio esse debet. Tuum argumentum itaque valde claudicat, quod in hunc modum formare oportet: Possumus & tenemur Deum Patrem invocare: ergo ad Christum preces nostras dirigere quamvis possumus, tamen non tenemur. Manifesta fallacia consequentis, quam ab instanti, simili argumento ostendere possum: Possumus & tenemur in Deum Patrem credere, ergo Jesu Christo quamvis confidere possumus, tamen non tenemur. Non est ovum ovo similius, quam hoc argumentum tuo argumento. Verba itaque à te in hunc modum scripta, *Quare tametsi fiducia in Christum necessaria nobis est, non tamen necessarium est, ut ad ipsum preces nostras dirigamus, &c*; quicumque diligenter inspicere ac dijudicare voluerit, videbit ad labefactandam invocationem Christi spectare: quicquid enim necessarium non est, id fortassis & parum prodesse potest. Verum ne in re manifesta nimius sim, laboreque superfluo utar, malo à rationibus meis quiescere, teque ipsum potius contra temet ratiocinantem audire, ut ita facilius absurditatem istam animadvertere possis, erroremque tuum corrigere velis. Verba hujusmodi in tuo scripto extant: *Recte igitur existimasti, mihi quoque verisimile videri, eum, qui Dominum Jesum Christum invocare aut non vult, aut non audet, vix Christiani nomine dignum esse; nisi quod non modo vix, sed ne vix quidem, & non modo verisimile id mihi videtur, sed persuasissimum mihi est.* Si ita judicas, Domine Socine, quod is qui Christum invocare non vult, nomine Christiani hominis indignus est, quomodo absolutam necessitatem invocationis Christi negare audes? Videris profecto pugnantia loqui & asserere. Nam si necessarium est, ut is, qui per Christum salvari vult, sit verus Christianus; verus autem Christianus esse non potest, quicumque Christum invocare non vult nec audet: nonne vides ex hoc tuo connexo hujusmodi conclusionem necessario sequi, quod quicumque nomen Christi invocare non vult nec audet, istum ad salutem per Christum partam non pertinere? Unde & hujusmodi consequens necessario emerget, quod invocatio nominis Jesu Christi æque est necessaria, quam salutis nostræ certa persuasio, nominisque Christi vera professio. Vide igitur quomodo Dominus Faustus Dominum Socinum oppugnet, ut ex hoc mutuo conflictu veritas (cui rogo reluctari noli) tanto magis elucescat. Posita hac ratiocinatione Domini Fausti contra Dominum Socinum, ego aliam non dissimilem adjiciam: Omnis res, per quam gloria Christi maxime elucescit & amplificatur, nominisque Christiani professio stabilitur ac confirmatur, est summe necessaria: Dirigere preces nostras ad Dominum Jesum Christum, est res per quam gloria Christi amplificatur & elucescit, nominisque Christiani professio declaratur ac confirmatur: Ergo directio precum nostrarum ad Christum, res est maxime necessaria. Rogo, quid in hoc argumento (quamvis ab homine indocto formato) desideras? Majorem propositionem, scio te non vituperaturum. Minorem tu ipse defendis, quando enim qui Christum invocare non vult nec audet, hominis Christiani nomine indignum judicasti, ignarumque dominii, regni, ac potestatis Christi declarasti. Si igitur constat, per invocationem, Christi regnum ac gloriam ejus illustrari, certissime invocatio nominis Christi res est necessaria & non libera tantum.

Quod ad eminentiam paternam attinet, (cujus in hoc scripto mentionem facis) hæc nulla ratione per invocationem Christi nominis minuitur sive obscuratur, sed magis stabilitur illustraturque: nam quicquid potestatis ac gloriæ Christus possidet, id totum à Patre habere, omnibus piis, in regnoque Christi doctis, certissimum est, atque omnis gloria Christi, in gloriam Dei Patris redundat. Non est igitur verendum, ne adversarii justam causam calumniandi, gloriæque Dei detrahendi, ex doctrina necessariæ invocationis Christi, accipere possint; quibus os obstruendum, non hujusmodi subtilioribus distinctionibus, sed aperto verbo Dei, in quo expressum testimonium extat, de summa Christi exaltatione, quem Pater in solio secum considere fecit, vicariumque suum constituit. Non potest igitur gloria Christi gloriæ Dei, ne quidem in minutissima particula derogare: quin potius ita statuendum est, quod minima gloriæ Christi abnegatio, necessario vergit in Deum ipsum, ut autorem gloriæque Christi vindicem.

Stat itaque firmum argumentum meum à potestate Christi

Chriſti ad neceſſariam invocationem nominis ejus ductum. Tu vero volens hoc elidere, potius eludis, exemplo ab iis, quos Imperatores in conſortium imperii aſciſcere ſoliti erant. Exemplum hujuſmodi non poſſe integre accommodari Chriſto, tu ipſe vidiſti: attamen non video, quid te juvare poſſit. Illi enim, qui olim ab Imperatoribus in conſortium legebantur, non nomine tenus, ſed re ipſa honore debito afficiebantur; nec unquam placuiſſet imperatoribus illis, ſi quis neglectis & poſthabitis eorum conſortibus ſive collegis, ad Imperatores ſolos recurreret. Quod præcipue in filiis imperatorum ſpectabatur. Exemplum quoque Joſephi à Pharaone exaltati, hujus rei clariſſimum exhibet teſtimonium. Non poſſum itaque non mirari, cur tam inconſiderate ſcripſeris: *Similiter igitur, cum non Chriſtus tantum à nobis Dominus, Rex, Gubernator, &c. noſter ſit agnoſcendus, ſed Deus quoque, à quo ipſe Chriſtus talis eſt nobis conſtitutus & declaratus, nihil prohibet, quominus non ipſius Chriſti, ſed Dei opem atque auxilium in precibus noſtris imploremus, &c.* Argumentum hujuſmodi eſt: Non ſolus Chriſtus eſt rex & Dominus noſter, ſed etiam Deus Pater, multo excellentiore modo: ergo poſſumus non Chriſtum, ſed Deum ipſum invocare. Quod verba inferius poſita magis confirmant: *Sed poſſumus illum etiam non invocare, id eſt, poſſumus non ad ipſum, ſed ad Deum verba precum noſtrarum dirigere, &c.* Si ita argumentum tuum concluſiſſes: Poſſumus Chriſtum non ſemper nec ubique invocare, ſed ſæpe ſolum Patrem implorare poſſumus, recte concluſiſſes. Verum dum infinite verba hæc, *poſſumus Chriſtum non invocare*, ſcripſeris, videris eos juſtificare, qui Chriſtum nunquam invocant, nec invocare curant, ſive audent. Si enim poſſumus non invocare, ergo, qui non invocant, nihil peccant, dignumque reprehenſione admittunt. A ſimili. Poſſumus feria ſexta non jejunare, ergo qui non jejunant, non peccant. Quicumque enim non faciunt, ad quod nullo jure divino coguntur, neſcio qua ratione iſtud pro peccato imputari poſſit aut debeat. Videris hujuſmodi intempeſtivis argumentis, non ſolum invocationem; ſed etiam eminentiam Chriſti, etſi non tu ipſe labefactare, tamen adverſariis ad labefactandum imprudens cauſſam porrigere. Chriſtus ipſe teſtatur, ſibi à Patre omne judicium commiſſum, ut omnes honorificent Filium, quemadmodum Patrem honorificant. Abſque dubio hæc verba ſummum honorem Chriſto deferunt, in quo & invocationem nominis ejus, facile quivis non contentioſus includi, agnoſcere poterit: habent igitur hæc verba vim expreſſi mandati invocationis Chriſti. Nam quicumque Chriſtum non invocant, ii nec debito honore (quod tu ipſe fateris) afficiunt. Status itaque quæſtionis noſtræ non eſt, an ſemper & ubique Chriſtum invocare teneamur: ſed an gloria Chriſti, noſtræque ſalutis fiducia id exigant requirantque, ut Chriſtus neceſſario invocetur. Quod neceſſario faciendum eſſe, firmiſſimis rationibus comprobatum, meo judicio, video: tuque ipſe majori ex parte mihi ſuffragari videris, dum omnes iſtos, quicumque Chriſtum nec invocant nec invocare audent, condemnare videris. Stat, igitur, in æternumque firmiſſima perſtabit hæc propoſitio: Chriſtus ab omnibus iis, qui per Chriſtum ſalvari volunt, neceſſario invocandus eſt. Rogo te itaque obnixe, ut poſthac tuo *Poſſumus* renuncies, locoque ejus, *Tenemur* reponas ac aſcribas.

Hoc inſuper loco colophonis addo. Quamvis nullum de invocando Chriſto mandatum in Novo Teſtamento extaret (prout non pauca, quæ vim expreſſi mandati retineant, eſſe puto) tamen ſi non abſoluta, conſequentis nihilominus neceſſitate Chriſtum invocare tenemur. Nam abſque invocatione nominis Jeſu Chriſti, neque fides vera, fiduciaque ſyncera erga Chriſtum defendi, nominiſque ac majeſtatis ejus autoritas conſervari poteſt, nomenque Chriſtianum juſte ac legitime uſurpari. Sed de his in præſenti ſufficere arbitror.

Quod ad ſcrupulum à te injectum, ob diſtinctionem Adorationis & Invocationis Chriſti attinet, neque adhuc mihi exemptum video. Non ſum adeo rudis, gratia Dei, ut quid inter vocabula Adorationis & Invocationis interſit, neſciam; verum ubi de religione noſtra erga Jeſum Chriſtum agitur, inter hæc duo diſcernere nec ſcio nec poſſum: maxime cum nos Chriſtum præſentem præſentia corporali non habeamus. Quicquid enim gloriæ honoriſve Chriſto à nobis exhibetur, id potius ad internum cultum referendum duco: nam etſi aliquando externos geſtus adhibemus, tamen ii per ſe parum aut nihil valent: incitamenta tamen ſunt ad attentiorem orationem ſive gratiarum actionem, ardentioremque; cujus tota energia interiori animi motu, ſeriaque cordis affectione conſtat. Miror itaque qui fiat, ut tu hymnos, laudes, gratiarumque actiones in adoratione includens, invocationem ſub eodem genere habere nolis; cum gratiarum actio etſi ſpecie (ut ita dicam) differat, tamen ſub eodem genere cum invocatione, id eſt, ſub interna adoratione, de religione Chriſtiana loquendo, comprehendi poſſit ac debeat.

Quod vero ſcribis: Talem eſſe Chriſtum à Deo factum & nobis conſtitutum, taliaque nos per ipſum beneficia accepiſſe, ut etiam eo ſecluſo, quod nobis eum invocantibus opem in neceſſitatibus noſtris ferre poteſt, eum tamen prorſus divino honore afficere debeamus, &c. ut verum fatear, maluiſſem à te non fuiſſe ſcripta: videntur enim imprudenter (ſit dicto venia) ſcripta: nam ſi Chriſtus nos in neceſſitatibus noſtris juvare non poſſet parum abeſſet quin otioſum ac exauthoratum (quod abſit) Chriſtum haberemus. Si enim Chriſtus nobis in neceſſitatibus noſtris ſuccurrere non poſſit, nec Rex, nec caput, nec ſponſus, nec paſtor noſter merito vocari deberet. Qualis enim Rex; qui ſubditos ad ſe confugientes, nec exaudire, nec adjuvare poteſt? Cujuſmodi caput, quod membra non vivificat? Quomodo ſponſus, qui ſponſam non nutrit nec defendit? Eſſetne paſtor, qui lupos ab ovibus non arcet, nec oves tuetur? Ex adverſo, quales ſubditi, qui in neceſſitatibus ſuis Regem non invocant? Cujuſmodi membra, quæ à capite vitam non accipiunt? Fideliſne uxor, quæ mariti ſui auxilium in neceſſitate non implorat? Suntne propriæ oves, quæ ſub tutelam paſtoris ſui non confugiunt? Sed ſufficit; tu enim iſta omnia optime noſti, cæteroſque multo me doctius inſtruere potes: modo cave, ne præjudicata opinio noceat, neque pudeat à minori aliquando admoneri & diſcere. Ego hoc epiphonemate rem totam concludo; Vincat veritas. Amen.

Quod promiſſum hactenus non præſtiteris, excuſationem accipio, rogans, ut quam primum promiſſa perſolvas. Finem faciens rogo, ut me ſolito amore proſequare. Fratres te reſalutant. Tuque Dn. Paulicovium (cui in Domino omnia fauſta precor) cæteroſque fratres ſalutabis. Datæ Lublino 25 Aprilis Anno 1587.

Tui in Chriſto ſtudioſus frater

Johannes Niemojewſki.

F. S. ad ſecundam Johannis Niemojevii Epiſtolam Reſponſio.

Salutem à Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto, Domino noſtro &c.

Vix dici poteſt, quantum me tibi debere agnoſcam, quod tam ſedulo & curas & laboras, ut me à quibuſdam erroribus in religione noſtra (ut tibi quidem videtur) revoces ac retrahas. Eſtque hoc ſane tui muneris, qui (quicquid ipſe pro modeſtia tua mihi tribuas, & tibi adimas) multo me doctior & in Sacris noſtris Literis verſatior es. Verum, quemadmodum tu ideo me corripere ſtudes, quia non potes,

cum jam hisce de rebus sit inter nos sermo per literas institutus, aliter loqui ac sentias, sic ego aliter sentire, atque hactenus sensi, non possum, nisi prius docear me male sentire, idque ipse vel agnoscam, vel saltem suspicer, id quod nec priores tuæ literæ efficere potuerunt, neque hæ posteriores possunt, ut statim demonstrare conabor.

Proposui tibi, tanquam ex scripto meo contra Volanum desumptam (quod scriptum tibi hac in parte Scripturæ Sacræ contrarium visum fuerat) hanc thesim impugnandam:

Sacrificium & oblatio Christi expiatoria pro peccatis nostris, quamvis non sine cruce & sanguinis fusione, non tamen revera in ipsa cruce sanguinisve fusione, sed mox in cælo, Christo illuc ingresso, peracta est.

Antequam thesim istam meam impugnes, ais, me in ea, verba quædam addidisse, quæ in duabus sententiis non extant, quas tibi ex scripto contra Volanum descripsisti, quasque ibidem recitas. Verba opinor illa, *quamvis non sine cruce & sanguinis fusione.* Putassem, te existimare, aliquid etiam a me additum fuisse in verbo *peracta est*, quod in illis nudis sententiis non extat, nec ejus sensus plane in eis est expressus, nisi ex verbis, quæ deinde subjicis, constaret te intelligere, id verbum ad sententiam in eo scripto expositam pertinere. Ut autem apertissime constet, me nihil omnino iis, quæ antea scripseram, addidisse, immo apertius antea locutum fuisse, quam postea iis verbis, quæ tu addita existimasti: describam hic utrumque locum integrum, ubi illæ duæ sententiæ leguntur quod & tu sane, ni fallor, facere debueras, cum tibi eas descripsisti. Sic enim eadem opera, & melius semper, quid sentiam intellexisses, & jam ad ea omnia reipsa responsum datum à me vidisses, quæ tanquam evidentissima contra thesim meam testimonia attulisti. Immo non solum locos illos integros, ut quidem mihi videtur, sed totam hac de re disputationem, quæ paucis omnino paginis continetur, tibi describere debueras. Sic enim in nova, necdum bene cognita sententia, quam quis impugnare in animo habet, ut eum, qui eam constanter affirmat & docet, possit ab ea retrahere, facere, meo judicio, decet. Sed jam utriusque loci verba, ut in meo scripto leguntur, adscribam.

Prior locus sic habet: *Dico igitur, non leviter falli Volanum, qui cum plerisque putet, tunc Christum se obtulisse Deo, cum sanguinem suum fudit, existimans idem esse, Christum se Deo obtulisse per proprium sanguinem, &, Christum suum ipsius sanguinem Deo obtulisse, quod posterius nunquam revera Apostolus dicit, ut paullo post apparebit. Itaque ex mente ejusdem Apostoli affirmo, Christum non quidem in cruce seu ara crucis, ut vulgo loquuntur, se Deo obtulisse, sed in ipso cælo. Loquor autem* (nota) *una cum Apostolo, de vera & perfecta, non autem de inchoata quadam oblatione. Patet hoc, &c.* Ex his quidem verbis apertissime patet, me multo clarius expressisse in scripto contra Volanum, quam in thesi mea inde petita, me à Christi oblatione crucem & sanguinem ejus non separare, & fateri, inchoatam quodammodo in cruce fuisse Christi oblationem, non tamen ibidem revera perfectam. Quod etiam in disputatione mea de Jesu Christo Servatore disertius scripseram, tum aliis tum his verbis: *Sententia mea non sejungit Christi mortem ab ejusdem pro nobis oblatione; immo assero, eum non obtulisse seipsum, nisi per mortem, id est, non nisi morte sua intervenientе; quamvis oblatio non ante perfecta fuerit, quam post resurrectionem & ascensum ipsius in cælum.*

Alter porro locus ita se habet. *Nec porro* (ait scriptura) *ipsam Christi mortem, ejus revera sacrificium esse aut fuisse, sed illi præivisse, quippe quod oblatione sui ipsius in cælo contineretur. Appellatur quidem à Paulo Christi factum illud, quod mortem pro nobis subire voluerit, oblatio & victima Deo in odorem bonæ fragrantiæ* Ephes. 5. 2. *Nam facta egregia, quibus patrandis charitas atque beneficentia erga homines exercetur, Deove obedientia præstatur, hostiæ Deo gratæ apellari solent ut ex his locis apparet, Heb.*13.16. 1 *Pet.*2.5. *Phil.*4.18. *in quorum postremo idem loquendi modus habetur, qui in superiore illo Pauli loco, qui Paulus alibi hortatur, ut nostra corpora hostiam Deo placentem exhibeamus Rom.* 12.
„ Verum quod ipsa mors Christi sit ejus sacrificium il-
„ lud expiatorium, de quo hic agimus, id nusquam scri-
„ ptum extat. *Quanquam ex eo, quod sine prævia morte sacrificium ipsum peragi non poterat, factum est, ut non modo Christus pro peccatis nostris, seu propter peccata nostra mortuus esse dicatur; sed etiam ipsi morti seu sanguini Christi, peccatorum expiatio tribuatur, nempe potissimum, ut hac ratione Dei, ipsiusque Christi summa in nobis servandis charitas maximopere commendetur.* Hactenus verba mea: ex quibus te ipsum jam agnoscere arbitror, me in thesi mea nihil iis addidisse, quæ contra Volanum scripseram.

Nunc videndum est, quibus testimoniis me docere velis, eandem meam thesim, Spiritus Sancti verbis penitus adversari, & ex diametro cum illis pugnare.

Primum verba illa Pauli producis, Eph. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.* Hunc locum, ut ex verbis meis paullo ante recitatis apparet, non solum jam antea ipse observaveram, sed etiam nihil contra meam assertionem continere, ostenderam. Et sane miror, cum me à mea sententia retrahere tantopere coneris, te hunc ipsum locum attulisse, non refutatis iis, quæ jam ego ad eundem respondendo scripseram, & ibi scripseram, unde tu sententiam meam excerpseras. Quanquam vero, ut aliud præterea respondeam, minime est necesse: tamen, ut clarius perspicias, ipsa hujus loci verba, contra quam ut omnino credis sententiæ meæ nihil repugnare, & simul agnoscas, me ab ipso meæ sententiæ publicandæ initio, hunc locum non sine responsione præteriisse; adscribam hic, quæ de eo scripsi in disputatione mea de Jesu Christo Servatore, sic autem ad verbum ibi habetur. *Neque vero huic meæ sententiæ, de oblatione Christi pro nobis (ut fortasse quispiam existimare posset) obstant ea verba Pauli, in principio cap.*5 *ad Ephes. Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationemque hostiam Deo in odorem suavitatis. Ubi, cum dilectionis Christi mentio fiat, apparet de ipsa crucis morte dici, vel potius de ipso Christo, quatenus crucis mortem subiit, quod fuerit oblatio Deo gratissima. Primum enim sententia mea &c.* Nam hic sequuntur ea verba, quæ supra ex eadem disputatione retuli. Sed paullo post sic ibidem legitur: *Præterea non dicit Paulus Christum obtulisse se Deo pro nobis; quamvis id multi crediderint, & præsertim qui eum locum vertendo, ejus verbis præpositionem* in *addiderunt* (Beza is fuerat in prima suæ translationis editione) *hoc pacto: Qui tradidit semetipsum pro nobis in oblationem &c. Siquidem verbum Tradidit, quod in Græco est παρέδωκεν, non est conjungendum cum voce προσφοράν, hoc est, oblationem, ut recte & Tigurini & Castellio animadverterunt, qui distinctionem inter ipsa adhibuerunt. Id autem omnino suadet, cum ipsum verbum παραδίδωμι, (cujus in victimis offerendis nullum fortasse usum invenies) tum Apostoli mens, qui maximam Christi dilectionem exprimere voluit, & aperte dicere; Christum seipsum pro nobis in mortem tradidisse. In mortem autem tradere, simplici verbo Tradidit expressit, ut hac ipsa de re loquens sæpius fecit. Nam hoc eodem cap.*25 *inquit: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Et ad Gal.* 2. 20, *In fide filii Dei qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Et de Deo, qui ita nos dilexerit, ut eum morti tradiderit: ad Rom. cap.* 8. 32. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Atque eodem sensu usurpavit quoque verbum Dare Christus ipse, seu potius, ut quibusdam placet, Euangelista Johannes in illis verbis: Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, cap.*3.16. *Quod & ipse Paulus fecit ad Gal.* 1. 4. *& ad Tit.* 2.14. *Id vero non ita expressisset, si dixisset, Christum obtulisse se Deo pro nobis. Neque enim hoc, ut illud mortem ob oculos ponit, cum possit quis se offerre Deo, nec tamen mori.*

Nam

Nam idem Apostolus, in principio cap.12 ad Rom. scribit, ut praebeant corpura sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Sensus igitur hujus loci est, Christum ita nos dilexisse, ut sepsum pro nobis in mortem tradiderit. Deinde ut Ephesii ad singulare hoc Christi facinus imitandum magis accendantur, per appositionem subjungitur, hanc ipsius Christi eximiam charitatem, hoc ipsius egregium opus fuisse Deo oblationem & hostiam gratissimam. Itaque non de ejus corporis oblatione, sed de oblatione praestantissimi facti agitur. Nam ipsum factum hostiam appellari posse patet ex eo, quod scriptum est ad Hebr. 13. 16; Beneficentiae autem, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Quin similem prorsus loquendi modum, cum eadem appositionis usitatissima figura, habes ad finem Epist. ad Philip. ubi scriptum est. Habeo autem omnia & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quae misistis, odorem suavitatis, hostiam gratam, placentem Deo. Ex quo loco etiam apparet, ea verba, de quibus supra egimus, In odorem suavitatis, *quibus LXX Interpretes reddiderunt id quod in Hebraeo est,* In odorem quietis, *nullam expiationem, nedum, ut ibi diximus, irae placationem significare, & propterea in illis verbis ad Ephes. non agi de hostia aliqua expiatoria, ut Hieronymus quoque in explicatione hujus loci optime agnovisse videtur, quamvis verbi Tradidit sensum omnino assecutus non fuerit. Nam ibi ita scriptum reliquit. Quemadmodum enim ille se tradidit pro nobis, sic & iste, pro quibus potest, libenter occumbens imitabitur eum, qui oblationem & hostiam in odorem suavitatis se Patri tradidit, & fiet etiam ipse (nota) oblatio & hostia Dei in odorem suavitatis.*

Noo opus est, arbitror, me quidquam addere, ut ostendam, Pauli verba, ex vi ipsius Grammaticae, & secundum ipsum literalem (ut vocant) sensum, de alia oblatione accipienda esse, quam de qua inter nos agitur. Tantum, ut melius intelligi possit id, quod io supra scriptis verbis meis dicitur de verbis illis, *In odorem suavitatis* (nam ad superiora lectorem quodammodo rejicio) sciendum est, me antea in eodem opere monuisse, praedicta Sacrae Scripturae verba vix usurpari in sacrificiis expiatoriis, sed potissimum ac fere semper in aliis sacrificiis non expiatoriis, ut videre est primis tribus capitibus Levitici, in quibus de sacrificiis non expiatoriis agitur, & de holocausto, quod solum & per se expiatorium non erat, & manifeste distinguitur apud Mosem ab hostia pro peccato. Io sequentibus vero capitibus, ubi de variis sacrificiis expiatoriis agitur, semel tantum (ni falior) in uno ex illis ea verba leguntur. Capite porro 16, ubi diligentissime tota cerimonia sacrificii illius anniversarii pro peccatis explicatur, cui sacrificio potissimum in Epistola ad Heb. assimilatur Christi sacrificium, nunquam leguntur. Adde, quod verba illa, in sacrificio expiatorio, non de eo dicuotur, per quod maxime & revera peccata expiabantur (nam neque inde odor ullus ad superiora ferebatur) sed de combustione adipis & renium, quae tametsi ad absolvendam expiationem in legalibus illis sacrificiis requirebatur, tamen, ut ea quae fiebat jam egresso pontifice ex sacrario, nihil sibi respondens in Christi sacrificio expiatorio habet, ubi omnia absoluta sunt, nunquam Christo ipso pontifice ex sacrario egresso.

Affers deinde, tanquam testimonium thesi ac sententiae meae manifeste apertissimeque contrarium, locum ad Heb. cap.9, haec videlicet verba, ut à te descripta sunt; *Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencae aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem: quantu magis sanguis Christi, qui per spiritum aeternum seipsum inculpatum obtulit Deo vivo.* Primum hic omissa sunt multa verba inter voces *Deo*, & *vivo*; fortasse scribae errore, quem miror te noo animadvertisse, ea autem sic in Bezae translatione, quam sequi videris, leguntur: *purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad serviendum Deo.* Ex quibus verbis apparet, hoc loco, si ipsa nuda verba spectes, non agi de expiatione seu purgatione à reatu peccatorum, de qua nos agimus, & thesis mea loquitur; sed de purgatione ab ipsis peccatis, id est, de vi quam Christi sanguis habet efficiendi, ut peccatis relictis, Deo serviamus, qua de re disputanim est à me, praesertim cum hunc ipsum locum explico, in disputatione de Christo Servatore, & quomodo hoc verum sit, pluribus demonstratum. Igitur quod ad ipsa verba attiner (quae sola hic attendi vis, omissa in praesentia disputatione de sensu verborum) non potest hic locus thesi meae esse contrarius, etiamsi (quod tamen longe aliter se habet, ut postea ostendam) diserte in eo scriptum esset, in ipsa cruce sanguinisve fusione, aut saltem in ipso sanguine peractam fuisse Christi oblatiooem. Mea enim thesis disertis verbis, non de quacunque Christi oblatione, sed, ut dixi, de expiatoria pro peccatis nostris oblatione loquitur, de ea, inquam, unde factum sit, ut à reatu & poena peccatis nostris debita, liberati simus, non autem unde factum sit, ut peccatis relictis, Deo serviamus. Deinde, cum verba divini illius scriptoris à te allata, ad superiora referantur, ut particula *Nam*, aperte ostendit, non erant antecedentia verba in hujus loci recitatione omittenda; quae in eadem Bezae translatione sic habent: *Adveniens autem Christus pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus structurae, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, aeternam redemtionem nactus. Nam si sanguis &c.* Haec autem verba satis docent, quid sit Christi oblatio, quae hic commemoratur, eamque non sine ingressu Christi in sacrarium, hoc est, in ipsum coelum, peractam fuisse ostendunt. Ut enim iisdem verbis utar, quibus usus sum in disputatione de Christo Servatore: „ Hic ratio redditur eorum quae prius dicta fuerant. Di„ ctum autem fuerat; Christum per proprium sangui„ nem ingressum in sancta, aeternam redemptionem in„ venisse; Ergo hic, cur Christus in coelum, per pro„ prium sanguinem ingressus, aeternam redemptionem „ invenerit, ratio redditur, & ita non de sola ejus „ sanguinis fusione, sed de ipsius quoque in coe„ lum ingressu mentio fit. Quibus verbis meis addo; hinc omnino sequi id, quod ibidem proxime ante dixeram, *ea verba, obtulit semetipsum Deo, explananda esse hoc pacto, seipsum in coelis Deo pro nobis praesentavit.* Alioqui tota periodus pessime cohaererer cum verbis proxime antecedentibus, nec illorum, ut tamen necesse est, rationem redderet. Itaque tantum abest, ut hic locus sententiam meam labefactet, ut eam maxime confirmet, si modo velimus, in eo de expiatoria Christi oblatione agi pro peccatis oostris, aliter nihil ad rem nostram, locus iste, ut jam dictum fuit. Confirmatur autem, hic de oblatione Christi, sui ipsius verba fieri, quae peracta fuerit in caelo, ex illis verbis, *Per spiritum aeternum.* Nam (& hic similiter iisdem verbis utar, quibus usus sum in disputatione de Christo Servatore) „ per spiritum aeternum se obtulisse Christus dicitur, „ quia jam in aeternum vivit, & idcirco in aeternum „ pro nobis in conspectu Dei apparebit; non autem, ut „ multi simpliciter interpretantur, quia aeterna sit Chri„ sti sacrificii expiatio: sic enim sumsisset auctor iste id, „ quod probare animo intenderat. Hic autem *spiritus* „ opponitur *literae*, hoc est Legi, quae neque aeterna „ fuit, nec in aeternum sacerdotes constituebat. Atque „ in his paucis verbis eadem sententia continetur, quae „ pluribus ad finem cap.7 explicata fuerat, ubi scriptum est: *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem jurisjurandi, quod post legem fuit, filium in aeternum perfectum (seu consecratum).* Quid igitur quaeso hic locus habet, unde videri possit, hic apertissime affirmari id quod ego nego, in sanguinis videlicet Christi fusione, peractam fuisse expiatoriam pro peccatis nostris ejusdem Christi oblationem? Nunquid, quia hic dicitur, sanguinem Christi, qui se obtulit Deo purgare conscientiam nostram ab operibus mortuis, idcirco, (oon dicam, aperte dicitur, ut quidem tibi videtur,)

detur;) sed concludi debet, ipso Christi sanguine peractam fuisse ejusmodi Christi oblationem? Mihi quidem nullo modo videtur; tum quia, ut contra Volanum scripseram; cum sine Christi sanguine, Christi hæc oblatio fieri non potuerit, merito sanguini, oblationis ipsius effectus tribui potest; tum vero quia oblatio ipsa, aliaeffecta producere potest, (ut quidem, si nuda hujus loci verba tantummodo attendamus, omnino producit) præter hunc qui hic sanguini tribuitur; & sic, licet quadam in re cum ipso conveniat non tamen ipso revera contineri. Immo ipsa verba apertissime potius præ se ferunt, ideo Christi sanguinem purgare &c. quod eum consecuta sit oblatio ejusdem Christi per spiritum æternum, quemadmodum vitulorum & hircorum sanguinem, id est, horum animalium mactationem consequebatur ingressus legalis pontificis in Sancta; ad quam rem, ut jam dictum fuit, hic manifesta relatio habetur.

Postremo, ad eandem thesis sententiæque meæ cum Sacris Literis manifestam repugnantiam ostendendam, affertur à te locus in fine ejusdem 9. c. Epist. ad Heb. ut in Bezæ translatione legitur, hoc pacto; *Neq; ut sæpe offerat semetipsum sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno; alioqui oportuisset eum sæpe passum fuisse à condito mundo. Sed nunc semel in consummatione seculorum ad abolendum peccatum, per immolationem sui ipsius patefactus est. Et sicut illud statutum est hominibus, ut semel moriantur, postea vero judicium: ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, altera vice absque peccato conspicietur iis, qui ipsum expectant ad salutem.* Hic locus non modo thesi sententiæq; meæ non est contrarius, sed eam aperte confirmat, præsertim in primis verbis, ex quibus cætera, alioquin per se ambigua, explananda sunt. Quomodo autem eam confirmet, jam docui in ipso scripto meo contra Volanum, his verbis: *Tertium, quod prædicta verba probant, illud est, quod oblatio illa antiqua, cum qua scriptor ille oblationem Christi confert, non fieret, nisi ingrediente pontifice in sancta; & propterea similiter Christi oblatio facta non fuerit, nisi postquam Christus in cælum ipsum ingressus est, id quod etiam satis aperto in illis explicatur, cum, ut monuimus, repetendum sit ex præcedentibus post verbum Neque, in ipsum cælum introivit.* Sed & in disputatione de Christo Servatore, ex hoc ipso loco sententiam meam confirmaveram, his verbis: *Quid quod auctor ipse* (Epistolæ ad Heb.) *quidnam Christi oblationis nomine intelligat, adeo dilucide explicat, ut nulla dubitandi occasio relinquatur. Sic enim scribit eodem cap. 9. 25. Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sacra per singulos annos in sanguine alieno. Elegantissime opponit Christi, quam sui ipsius semel oblationem fecit, ingressui pontificis quotannis in sancta cum sanguine alieno.* Offerre *enim*, ingressui in sancta *respondet*: *verba.* Neque sæpe, *verbis* Per singulos annos; Semetipsum, Sanguini alieno, *cum decente quadam antithesi opposita esse apparet.* Et mox: *Quis igitur in his verbis manifesto non deprehendat, nihil aliud esse obtulisse Christum seipsum Deo* (agebatur enim de verbis superioris à te allati loci ejusdem capitis) *quam, pro proprii sanguinis fusionem, sive, ut idem hic scriptor loquitur, per proprium sanguinem, vera Sancta, hoc est, cælum ipsum ingressum esse, & ibi pro nobis coram Deo astare?* Hactenus ibi, quod pertinet ad prima hujus loci verba. Jam quod attinet ad sequentia, in quibus, ut arbitror, pondus ipsius testimonii ponis, ea similiter usque ad ea verba, *Et sicut illud*, &c. sententiam meam confirmare ibidem ostenduntur. Hic tamen brevitatis caussa, satis habeo paucis demonstrare, nec ipsa, nec reliqua quidquam illi adversari. Nam quid illi adversari possunt verba illa? *alioqui oportuisset eum sæpe passum fuisse à condito mundo.* Num propterea illi adversantur, quod à passione (ut sic loquar) ad oblationem argumentans scriptor ille divinus ostendit idem esse passionem & oblationem? Atqui non ab eodem ad idem, quamvis cum adjunctione aliqua, quæ illis verbis continetur, *à condito mundo*, sed à conjunctis, seu ab antecedente ad consequens argumentum illic ducitur, id est: ex negato necessario antecedente, consequens etiam negatur, quod argumentandi genus longe elegantius atque concinnius est. Ex eo igitur, quod Christus non sæpe passus est à condito mundo, colligit scriptor ille eum non necesse habuisse, ut sæpe semetipsum offerat, seu, non sæpe semetipsum obtulisse. Neque enim oblatio sine antecedente passione esse potest. Veluti, si quis ita loqueretur, Non oportuit Christum sæpius resurgere, alioquin oportuisset eum sæpius mori; nemo esset, qui hinc concluderet, apud istum idem esse Christi mortem & resurrectionem; sed tantummodo, non posse resurrectionem esse, ubi mors non est. Verba porro, quæ sequuntur; *sed nunc semel in consummatione seculorum, ad abolendum peccatum, per immolationem sui ipsius patefactus est*, non video quomodo, ne in speciem quidem, meæ sententiæ adversentur, nisi immolationis nomine solam mactationem intelligamus, quasi ex eo, quod dicitur Christus per sui ipsius immolationem apparuisse ad abolendum peccatum, sequatur (si quidem immolatio solam mactationem significat) sola mactatione Christi abolitum fuisse peccatum, & sic sola Christi crucis morte & sanguinis fusione, oblationem ejus expiatoriam pro peccatis nostris contineri. Atqui immolatio, sive ut in Græco est, θυσία, non solam mactationem sed aliud præterea significar, id est, quidquid post mactationem ipsam (ut quidem in omnibus ejusmodi sacrificiis usu venit) faciendum restat, etiamsi aliquando verbum θύω per synecdochen, solam mactationem significare inveniatur, etiam ubi nullum sacrificium est; ut Act. 10. 14. Præterea, quamvis per Christi mortem abolitum sit peccatum, non tamen idcirco sequitur, vim aliquam propriam in ipsa morte fuisse, qua id factum fuerit; sed tantum non sine Christi morte id fieri potuisse. Quemadmodum scriptum est, eundem Christum per mortem illum destruxisse, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum; cum tamen non revera ipsa morte hoc prestiterit Christus; immo ipsa ejus mors per se contrarium effecisset, id est, diabolum in suo mortis imperio vehementissime confirmasset. Verum, quia non poterat sine Christi morte, ejusdem resurrectio & exaltatio existere, quarum vi revera Diaboli imperium illud mortis abolitum est, propterea per mortem suam id Christus effecisse dicitur. Nec quidquam tritius aut frequentius his loquendi modis est, sive in sacris, sive in profanis literis. Qua de re rursus aliquid postea dicam, ut ostendam, me hic interea nequaquam ab ipsis verbis (quod tu nunc fieri vetas) ad eorum sententiam transire. Quæ autem hic dixi, non propter locum à te allatum dixi, cum in eo neutiquam dicatur, per Christi mortem abolitum fuisse peccatum, non modo quia, ut dictum est, aliud Immolatio seu θυσία Christi significat, præter ejusdem mactationem; sed etiam quia verba illa, *ad abolendum peccatum*, non sunt cum illis conjugenda, *per immolationem sui ipsius*; Nam & sic alii fortasse omnes, ut ego arbitror, præter unum Seb. Castellionem, existimarunt. In omnibus enim aliis translationibus, in omnibusque codicibus Græcis, quos quidem ego inspexi, distinctio inter utraque verba apposita est. Itaque sicut nemo dixerit, scriptum esse, per Christi nativitatem datum fuisse ab ipso Christo testimonium veritati, licet ipse dicat, se ad hoc natum fuisse, ut testimonium daret veritati Joh. 18. 37, sic ex eo quod scriptum fuerit, Christum per sui ipsius immolationem apparuisse ad abolendum peccatum, minime dicendum est, consequi, scriptum simul fuisse, per Christi mortem abolitum fuisse peccatum, licet Christi immolatio aliud nihil esset, quam ipsius mors. Sed idcirco dixi, quæ dixi, quia ingenue & fateor & glorior, per Christi mortem abolitum fuisse peccatum, idque aut quid simile, quod idem plane significat, pluribus in locis Sacrarum Literarum scriptum esse optime novi. Cæterum, quid sibi velit, Christum per sui immolationem apparuisse seu patefactum esse, non est hic differendi locus. Alibi, id est, in disputatione de Christo Servatore, meam sententiam abunde exposui. At vero dices fortasse, te Immolationis nomine totum sacrificium totamque oblationem intelligere, & pro-

pterea, cum nomen istud referatur ad patiendi verbum paullo ante positum, hinc sequi, passionem ipsam totum sacrificium totamque oblationem complecti, seu passione sacrificium oblationemque peractam fuisse. Respondeo primum, prorsus negari posse, Immolationis nomen ad Patiendi verbum relationem habere: sed referendum esse ad verbum Offerendi superius positum, & verba illa, *Alioquin* &c per parenthesin legenda esse, ut in ipsa Bezæ translatione, leguntur. Deinde etiamsi Immolationis nomen ad Patiendi verbum referendum esset, & Immolatio pro toto sacrificio, totaque oblatione accipiatur: non tamen continuo sequi, passione ipsa sacrificium oblationemque contineri, sed tantum sacrificium & oblationem non sine passione fuisse aut peragi potuisse. Sed jam de postremis hujus loci verbis agamus, *Et sicut illud* &c. Existimas enim (ni fallor) cum in hac comparatione, Christi oblatio morti hominibus statutæ respondeat, hic aperte dici, Christi oblationem ipsius mortem fuisse. Verum, meo judicio, aliter res se habet. Nemo enim negare potest, ideo Christi oblationem morti hominibus statutæ recte respondere posse, quod, ut jam sæpe dixi, & in mea ipsa thesi asserui, inque scriptis meis dilucide exposui, non fuit Christi oblatio sine ejusdem Christi morte, nec sine ea peragi potuit.

Arbitror jam satis constare posse, plurimum abesse ut Sacræ Scripturæ loca à te citata, cum mea thesi ex diametro pugnent. Nec sane id, quod tu ipse ex eis contra me concludis, quidquam thesi meæ adversatur, aut sententiæ meæ quam ipse refers. Ais enim; *Tu Jesum Christum seipsum in cruce Deo obtulisse negas, mortemque Christi pro vero sacrificio agnoscere non vis: testimonia vero citata, Christum per mortem crucis seipsum obtulisse Deo, apertissime testantur.* Si citata à te testimonia nihil amplius testantur, quam, Christum Deo se obtulisse per mortem crucis, quomodo, quæso, meæ thesi adversari possunt, in qua assero, Christo in cœlum ingresso, ejus oblationem demum peractam fuisse; aut potius quomodo eam confirmandi non vim aliquam habent? Scriptum enim est diserte, Christum per proprium sanguinem introisse semel in Sancta, Heb. 9. 12. quæ Sancta ipsum cœlum esse, nec teipsum negare, jam pro concesso supra à me sumptum est, & probatur aperte eodem cap. 24, præter alia multa ejusdem rei apud eundem scriptorem evidentissima argumenta. Certe si Christus per proprium sanguinem ingressus est in cœlum, verum erit, Christum per crucis mortem se Deo obtulisse, & simul tamen non solum verum esse poterit, sed etiam verisimile fiet, Christi oblationem ingressu ipsius in cœlum peractam fuisse, præsertim cum, quemadmodum dicitur Christus semel oblatus, sic semel in cœlum ingressus fuisse dicatur. Jam quod ipse ais, me negare, Christum seipsum in cruce Deo obtulisse, & nolle Christi mortem pro vero sacrificio agnoscere, nullo modo pugnare potest cum eo, quod Christus seipsum per mortis crucem Deo obtulerit; nisi etiam, Christum in cruce cœlum ingressum non esse, & Christi mortem verum ipsius ingressum in cœlum non agnosci, cum eo pugnare velis, quod Christus per proprium sanguinem, id est, per crucis mortem in cœlum ingressus fuerit. Nunquam ego negavi, Christum per crucis mortem se Deo obtulisse: Alioquin, cum affirmem ingressu ejusdem Christi in cœlum, ipsius oblationem contineri & peractam esse, simul contra manifestæ scripturæ verba negassem, Christum per proprium sanguinem in cœlum ingressum fuisse: vel potius, cum id negare non possem, mihi ipsi manifeste adversatus fuissem, & Christi ingressu in cœlum, ejus oblationem contineri negassem. Quanquam in nullo ex testimoniis à te allatis dicitur, (nedum illa, ut ipse ais, id apertissime testentur) Christum per crucis mortem se Deo obtulisse, quemadmodum ex examinatione mea supra allata verborum, unicuique constare potest, & quilibet, qui considerate ea legat, atque perpendat, facile agnoscet ac confitebitur. Quocirca vehementissime miratus sum, te ea adeo aperta contra thesim sententiamque meam testimonia esse putasse, ut tibi licuisse credideris à me flagitare, ne ad verborum sententiam in illis diluendis nunc confugerem. Quod tamen non jure te fecisse, ipse satis agnoscere videris, cum de verborum sententia disputationem in aliud tempus differs. Nam, si illud fieri aliquando potest, cur nunc non fit, cum jam disputatio inter nos instituta est, vel potius cum, ut video, id curas, ut verba sententiamque meam revocem? Ego sane, ut ab initio dixi, nullo modo mea dicta revocare possum, nisi id facere me debere docear, id autem quomodo doceri possum, nisi dicta mea Sacris Literis adversari persuadear? hoc vero quomodo persuaderi possum, nisi de sententia verborum, quæ contra me afferuntur, diligenter agatur? Sed Deo ago gratias, quod non necesse habui meo jure uti, & postulationi tuæ satis facere potui, ac testimonia à te allata diluere, ostendendo (quanquam id per se satis manifestum est) verba ipsorum nihil omnino sonare, quod dictis meis adversetur. Quod si de verborum sententia agendum fuisset, & penitus inquirendum, qua ratione expiata fuerint à Christo peccata nostra, apertissime constitisset, Christi oblationem expiatoriam non in ipsa cruce, sed in cœlo peractam fuisse. Quemadmodum in ipso scripto meo contra Volanum ostendi: sed multo clarius atque uberius in disputatione de Christo Servatore. Nec vero tuæ petitioni non satisfeci, cum exposui, cur dici potuerit, Christi sanguinem seu mortem purgare, seu abolere peccata nostra, sive per Christi mortem abolitum fuisse peccatum; neque hic à verbis ipsis ad sententiam transivi. Vulgatissimum enim est ac frequentissimum, & propterea ipsis verbis consonum, ei rei aliquem effectum tribuere, sine qua effectus ille non existit, quamvis res illa vera ipsius caussa efficiens non sit, nec proxima instrumentalis. Hinc, exempli caussa, scriptum legimus, fidem servare; cum tamen non aliter fides servet, quam quia eam salus consequitur, nec sine fide salutem quis adipiscitur, Deo revera interea, ut efficiente caussa, per Christum, ut proximam instrumentalem, servante, id est, æternam vitam dante, vel aliam salutem largiente; nullas vires fide ipsa ad id efficiendum revera habente aut conferente. Similiter per fidem justificari dicimur; quamvis non aliter per fidem justificemur, quam quia Deus per Christum, ipsi Christu fidentes justificat. Quanquam, quod attinet ad locutionem istam, Per mortem Christi, & similes, jam scripturæ exemplia prolatis, quam vim ejusmodi verba habeant, eamque cum thesi sententiaque mea nihil prorsus pugnantem, satis demonstratum est. Possem hic exemplis compluribus apertissimis ostendere, quam non jure à me petieris, ne de verborum sententia agam, etiamsi in testimoniis tuis, verba cum sententia mea apertissime pugnantia legerentur; sed hoc labore, utpote supervacaneo, supersedere volo. A me id tantum, judicio meo, petere debueras, ne mirarer, si tantopere sententiam meam vituperares, ab eaque me retrahendum curares, cum ea manifeste, quod ad verba attinet (si modo id ita se habuisset) cum non paucis locis Sacrarum Literarum pugnaret. Sed vix etiam hoc ipsum jure facere potueras, cum in scripto meo contra Volanum, à te bis perlecto & diligenter examinato, ea legantur, per quæ testimonia à te allata, & si qua sunt similia, aut, aperte aut tacite diluuntur; cumque ibidem sententia mea non simpliciter exponatur, sed clare explicetur, & testimoniis rationibusque divinis confirmetur, adeo ut neque Volanus merito mihi insultare, nec quisquam infirmus offendi possit, aut ullus adversarius hinc calumniandi meque condemnandi occasionem arripere. Legantur modo diligenter, quæ ibi scripsi. Nam ea, nisi fallor, futura sunt semper satis ad me defendendum sententiamque meam, si non probandam, saltem probabilem ostendendam unicuique non prorsus à veritatis sensu alieno. Dices, me tibi injuriam facere, qui scriptum illud meum diligenter examinaveris, & tamen sententiam meam plane improbes. At ego manifeste depre-

deprehendo ex iis quæ ad me scripsisti, te eorum, quæ ibi legisti, oblitum fuisse, & vix quidquam meminisse præter sententiam ipsam meam, eamque mutilam & imperfectam.

Sed, ut jam disputationem banc concludam, quod à me petis & urges, ut aut errasse me agnoscam & confitear, sententiamque edidisse Scripturæ Sacræ contrariam, aut ostendam, in Novo Testamento mortem Cbristi oblationem seu sacrificium non appellari; hoc, inquam, nulla prorsus ratione petere potes. Primum, quia sive mecum disputare, seu me à sententia mea retrahere velis, tuum est probare sententiæ meæ falsitatem, non autem meum probare veritatem, præsertim cum jam id fecerim in scripto meo contra Volanum, quod nuper legisti, & quo lecto, me redarguere cœpisti. Deinde, quia Sacræ Scripturæ loci, quos hactenus meæ sententiæ opposuisti, neque verbis neque sententia, Cbristi mortem, sacrificium illud & oblationem ejusdem Christi vocant expiatoriam pro peccatis nostris, & multo minus ajunt, in ipsa cruce sanguinisve Christi fusione, expiatoriam ejusmodi oblationem revera peractam fuisse, quod tibi probandum est, si velis me thesim sententiamque meam revocare, aut eam probandam suscipere. Postremo, quia talis negans enunciatio nulla ratione probari potest, quantumvis vera sit, nisi omnia verba totius Novi Testamenti in medium producantur & examinentur. Si petiisses, ut probarem in Novo Testamento dici, mortem, Cbristi non esse oblationem, &c. tolerabilior fuisset petitio tua (quamvis nec ipsa æqua, eique similis qua Papistæ & Lutherani contra nos utuntur, dum petunt, ut ostendamus locum in sacris literis, ubi dicatur illud, quod in cœna Domini datur, non esse corpus Christi, nisi quod tanto minus æqua hæc tua petitio foret, quam ista Papistarum & Lutheranorum, quanto illi clarius in ipsis Sacris Literis contrariæ sententiæ habent testimonium: immo, ut verius loquar, ipsi habent apertissimum testimonium affirmans, illud quod in cœna Domini datur, esse illud Christi corpus, quod pro nobis fuit traditum; tu vero nullum locum habes aperte affirmans, mortem Cbristi esse oblationem illam expiatoriam) sed petere, ut ostendam in Novo Testamento Christi mortem non appellari oblationem, intolerabilis plane petitio est. Jam si boc petere in animo babuisti, ut ostendam ex aliquot Novi Testamenti locis, ipsam Christi mortem non esse oblationem illam expiatoriam, quanquam, ut dixi, hoc à me jure petere non potes, tamen ex multis, quæ in variis scriptis meis, quæ omnia legisti, ad id probandum attuli, unum seligam; quando tu ejus, licet aliquanto obscurius, meministi, inquiens, me conferre Christi ascensum cum introitu veteris pontificis in Sancta Sanctorum. Non quidem, ut illud bic rursus explicem, jam enim supra ex ipsis scriptis meis verba illud explicantia recitavi, sed ut, quæ contra videris afferre voluisse, refellam.

Dico igitur primum, non me conferre ingressum Christi in cœlum cum ingressu veteris pontificis in Sancta Sanctorum, sed ipsum Spiritum Sanctum id facere, in Epistola ad Heb. cum alibi tum vero maxime cap.9. Deinde, quod ad hanc collationem seu comparationem ejusque vim declinandam, ais, te nolle negare, Christi sacerdotium esse æternum (sunt ipsa verba tua) in cœloque sacerdotem pro nobis interpellando, vultuique Dei apparendo agere, tamen nihilominus (ais) in terra per mortem crucis idem Cbristus seipsum obtulit, morsque ejus jure optimo oblatio vocari, attestante Spiritu Sancto, potest. Quod, inquam, sic scribis, hoc nihil pertinet ad ipsam comparationem, comparatio enim in eo est, quod, quemadmodum vetus Pontifex non faciebat oblationem suam, nisi postquam ingressus est in Sancta Sanctorum, sic Christus suam oblationem non fecit, nisi postquam ingressus est in cœlum; & pontifex quidem fuso prius pecudum sanguine, id est, pecudibus mactatis; Christus autem fuso prius suo sanguine, id est, seipso in crucis mortem tradito. Nihil ad banc comparandi rationem Christi sacerdotii æternitas; ex qua tamen sine dubio colligitur, Cbristi oblationem expiatoriam ipsa crucis morte non contineri, quæ jam non est amplius; sed Christi coram Deo in cœlo apparitione, quæ perpetuo durat & duratura est. Durat quidem, ac perpetuo durabit Christi mortis, quicunque ab ipsa manat, effectus & efficacia; sed aliud est oblationis efficacia, aliud ipsa oblatio. Nec solam Christi oblationis efficaciam, sed ipsammet oblationem perpetuo durare necesse est, si Christus revera æternus est sacerdos, eamque illam unam, quam semel fecit, cum unica in perpetuum sit oblatio Christi expiatoria. Scriptor Epistolæ ad Hebr.8. aperte testatur, necesse esse, ut Christus, qui est in cœlo, aliquid babeat, quod offerat; & , si esset in terra, non futurum sacerdotem, & tu tamen affirmas, Christum in terra seipsum obtulisse. Jam, ut idem scriptor ait, oblationes quæ fiunt in terra, sive ii qui eas offerunt, exemplari & umbræ deserviunt cœlestium, ubi in Vatabli Bibliis sic annotatum reperies: *Id est, qui quidem exemplari & umbræ deserviebant eorum, quæ agenda olim erant in cælis per Christum. In cælo enim Deo seipsum offert Christus.* Vides ut alii ante me, iique doctissimi viri, agnoverint, Cbristum sui ipsius oblationem non in terra, sed in coelo fecisse, quod & te agniturum spero, si modo tantum locum istum cap.8. epist. ad Heb. diligenter inspexeris, omniaque ejus verba perponderis. Nibil respondeo ad illud quod ais, spiritum sanctum attestari, Christi mortem, oblationem jure optimo vocari, supra enim satis superque ad hoc responsum est. Sed illico subjungis, *Nam & sub lege pontifex cum sanguine in sanctuarium ingrediebatur, qui sanguis mactatorum animalium erat: ea vero mactatio animantium, oblatio sive sacrificium appellabatur.* Hæc postrema verba, in quibus tota vis est, nunquam cuiquam probabis, nisi locus proferas quod te facere posse non arbitror. Nam certissimum est sola mactatione sive apud Hæbræos, sive apud Gentes, nullam oblationem peractam fuisse, quod & nomen ipsum oblationis aperte indicat, cum in ipsa mactatione nihil prorsus offerretur. Unde etiam fit, ut mihi neganti, Christi oblationem in ipsius morte peractam fuisse, nullum probandi onus incumbat; sed contra iis incumbat, qui istud affirmant, quippe qui id affirment, quod alioqui contra omnem usum atque rationem, adeoque ipsum sensum communem esse videtur. Et hæc quidem bactenus, quod attinet ad Christi oblationem expiatoriam pro peccatis nostris; ut tibi rationem redderem, cur ex iis, quæ à te scripta sunt, ne suspicari quidem possim, eam in cruce peractam fuisse seu in morte Christi. Tametsi autem tu à re ipsa, de qua thesis mea loquitur, ad appellationem disputationem transtulisti, tamen arbitror bac etiam in parte me objectis tuis satisfecisse.

De effectu mortis Christi, gaudeo te melius sentire, quam alii quidam fortasse inter nos sentiant. Me autem vel illum negligere aut non multum curare, vel aliter accipere ac Spiritus Sanctus dictet, nunquam deprehendes. Immo si scripta mea paullo diligentius, quam hactenus feceris, examinare volueris, in quibus, præsertim vero in disputatione de Christo Servatore, fusissime hac de re differo, videbis spero, quam procul ab istis vitiis absim, & quam calumnientur ii, qui me horum audacter insimulant, quibuscum te sentire, virum tam pium atque cordatum, indignum plane esset.

Quod ad opera & fidem in justificatione nostra attinet, dico Paulum nullo modo distinguere opera, (quæ non implendæ legis gratia, nec ut merito illorum ac propria vi justificemur coram Deo, sed ut ipsi Deo ex Christi præscriptione obediamus, à nobis fiunt) ab ea fide, qua sive per quam nos justificari asserit: ejusmodi enim opera non modo à fide, qua justificamur, separari nequeunt, ut ipse confiteris, sed anima, seu forma quædam ac vita ejus fidei sunt. Sicut Jacobus nos aperte docet Jacob.2, cum ea, respectu fidei, spiritui corpori vitam danti confert, quod verissime & maxime proprie illis convenire, & jam in scriptis meis satis

demonstravi, & suo tempore me fratribus omnibus vere piis demonstraturum spero.

Sequitur ut de Christi Invocatione agamus, & ratio à me reddatur, cur non possim tibi acquiescere iterum me momenti ac suadenti, ut sententiam meam mutem, quæ est, Christum à nobis invocari, id est, ad eum preces nostras dirigi, jure posse, non tamen ad id faciendum nos divino jure cogi, atque affirmem omnino, necessarium nobis esse preces nostras ad Christum dirigere. Primum igitur, ut me ad hoc faciendum moveas, repetis id quod prius dixeras, si mea sententia vera est, rem adiaphoram seu indifferentem esse Christi invocationem, & propterea nullam fuisse caussam tam acriter hac de re cum adversariis contendendi. Ad hoc jam satis responsum est in prioribus meis ad literas, in illis verbis: *Respondeo, Idcirco tam studiose urgeo invocationem Christi, ut Adversarius*, &c. cujus meæ responsionis, mirum est te nullam mentionem facere, cum iterum idem mihi objicis. Apparet autem, te statum quæstionis & controversiæ inter nos & adversarios, aut non recte tenere, aut non meminisse: quem ut plane percipias, ac simul videas mihi istud objectum esse jam diu notissimum, & ad diluendum facillimum, plenioremque responsionem habeas, adscribam hoc loco, quæ contra Franciscum Davidis hac de re scripsi, quamvis à te nuper una cum aliis huc pertinentibus jam lecta, quando te eorum non meminisse video, sic igitur verba mea habent cap. 27. partic. 4. *Ad id vero, quod postea addis; Alioqui* (nempe nisi Christi invocatio vel præcepta eit vel prohibita) *Christi invocationem adiaphoram futuram, quare etiam concludis de ea disputandum non esse; Respondeo, Si Adiaphori nomine rem intelligis, quæ nec bona per se nec mala sit, consequentiam tuam non esse bonam, sunt enim multa per se bona, quæ tamen præcepta non sunt. Quod si nomine Adiaphori id modo intelligis, quod nec prohibitum est nec præceptum; jam fateor ego, de Christo invocando, id est, de precibus nostris ad ipsum dirigendis, nullum certum mandatum extare, ideoque nos posse quidem semper id facere, non tamen teneri. Nec propterea sequitur, de Christi invocatione disputandum inter nos non esse. Etenim illud, de quo inter nos circa Christi invocationem disputatur, nullo modo nec nobis, nec vobis est Adiaphorum. Nos enim contendimus, neminem Christianum esse posse, qui non fateatur, se confidenter in necessitatibus suis Christi opem implorare posse, & consequenter ipsius summam in Angelos, & in homines, & in ipsos dæmonas potestatem, cum plena ac perpetua præsenteque totius Ecclesiæ cura & gubernatione conjunctam, non agnoscat & confiteatur, Deumque per ipsum in Ecclesia omnia facere & largiri, sibi non persuadeat. Vos contra, eum qui nunc Christi opem imploret, idololatram esse affirmatis & divino verbo, atque adeo Dei gloriæ summopere adversari contenditis, si Christus nunc in cælis manens aliquid efficere vel largiri ipse possit, aut si Ecclesiam regat atque gubernet aliter, quam per verbi ministerium semel constitutum; ac proinde in Deum graviter peccare, qui aliam præterea hoc tempore potestatem, aut Ecclesiæ curam in Christo agnoscunt & esse contendunt.* Hactenus ibi verba mea. Controversia igitur inter nos & adversarios est, Utrum Christus invocari iure possit nec ne. Illi negant, nos affirmamus. Quid igitur quæritur amplius in nostra cum illis disputatione, quam ut demonstremus, nos jure posse Christum invocare? ex qua una re demonstrata, omnia quæ ad Christi gloriam & majestatem Sacris Testimoniis comprobatam & nobis commendatam pertinent, necessario consequuntur, & illibata conservantur. At inquies, Non deberet addi, *Nos tamen Christum invocare, id est, ad eum precationes nostras dirigere, divino jure non cogi.* Cur vero? An quia hoc est falsum? Atqui ego affirmo esse verissimum? ut jam satis in ipsis meis ad te prioribus literis ostendi. Et in his postea, Deo dante, tuis ad meas rationes responsionibus refutandis clarius ostendam. An quia hoc, quantumvis verum, in dubium videtur revocare, an Christus invocari possit, aut saltem quia sine ullo incommodo reticeri potest? Immo hoc ut verissimum est, sic (quæ est veritatis natura) mirum in modum confirmat nos in ea sententia, quod Christus jure à nobis invocari possit, id est, eam nobis in dubium revocari nullo modo permittit; nec cum propter hoc, tum propter distinctionem ac discrimen, quod inter Dei & Christi invocationem statuendum omnino est, silentio præteriri aut debet, aut potest, quemadmodum in priore velitatione nostra & dixi, & aliqua ex parte demonstravi. Quod ut melius intelligatur, Dico, Adversarios, ut probent Christum invocari jure non posse, hoc potissimum argumento uti, quod nullum ea de re extet præceptum expressum atque indubitatum, sine quo tam arduam rem in divino cultu audere nemo debeat. Ut argumentum hoc dissolvamus, aut assumptio aut consequentia nobis est neganda. Assumptionem nullo modo negare possumus, quidquid tibi negandâ esse videatur. Nam, si præceptum est datum, ut Christum invocemus, quandocunque ejus rei occasio sese obtulerit, id facere omni- „ no debemus. Omnia enim præcepta affirmantia sem- „ per obligant, cum se rei præceptæ occasio offert. Occasio Christi invocandi est, sine dubio, cum quis in aliqua necessitate est constitutus, quæ divina ope indigeat, & multo magis, cum quis jam reipsa invocare vult. Ergo, si præceptum est, ut Christum invocemus, nunquam, cum in aliqua necessitate sumus, quæ divina ope indigeat, & multo minus, cum jam reipsa invocare volumus, omittere possumus quin Christum invocemus. Sed hoc manifeste est falsum. Ergo falsum est, extare præceptum de invocando Christo. Igitur non Adversariorum argumenti assumptum, sed consequentia neganda est; & ostendendum, quamvis præceptum datum non sit, ut Christum invocemus, invocari tamen à nobis jure posse. Quemadmodum ego latissime ostendi in disputatione mea cum Francisco Davidis. Apparet igitur, necesse esse huc devenire, ut fateamur, non extare præceptum de invocando Christo; & consequenter, nos divino jure non cogi Christum invocare. Quod divino jure cogamur invocare, hoc Dei est proprium, & ad ipsius Dei prærogativam supra Christum maxime pertinet; ut postea clarius patebit. Jam quod ais, si Christum divino jure invocare non cogimur, relinquendum esse liberum conscientiis fidelium, *ut quilibet* (sic enim scribis) *juxta suggestionem spiritus, vel illa uteretur vel eam negligeret.* Dico, me nusquam urgere, ut quisquam omnino Christum invocet, id est, ad ipsum verba precationum suarum dirigat sed hoc, ut ex ipsis prioribus meis ad te literis intelligi potest, prout spiritus unicuique suggesserit, liberum relinquere, id quod nihil pugnat cum eo, quod ab adversariis contendo, id enim contendo, ut ex animo agnoscant, se jure posse preces suas ad Christum dirigere, & propterea simul fateantur, se paratissimos esse ad id faciendum, quandocunque id illis spiritus suggesserit. Quomodo vero is, qui ita & sentiat & loquatur, dici unquam poterit, non audere aut nolle Christum invocare? Hoc ego in alteris meis literis longe à veritate abesse docui, & tamen rursus in hunc hæc cadere posse affirmas, confundens iterum, quod sæpe in posterioribus hisce tuis literis facis, Non audere ac nolle invocare Christum, cum, Non invocare Christum; cum tamen fieri possit, ut quis Christum non invocet, id est, re ipsa ad eum preces suas non dirigat, non quia non audeat, aut nolit id facere, sed quia id spiritus non suggesserit. Quare caute omnino interpretandum est in verbis tuis verbum *Negligeret*, si ea admitti debent; ut scilicet significet *Non uti*, non autem *Aspernari*, seu mavis *Nihil curare.* Quinetiam ob eandem caussam caute similiter accipi debet id verbum, etiamsi certissimum esse velis, propter antecedentia verba ita interpretandum ac si scriptum à te fuisset, *Non uteretur.* Potest enim adhuc ita accipi, ut ad propositum, non autem ad eventum referatur; & breviter possint verba tua ita accipi, ac si dixisses. *ut quilibet juxta suggestionem spiritus statueret, an illa velit uti necne.* Atqui ex sententia mea hoc

nullo

modo consequi potest. Nemini enim qui ex animo agnoscat, Christum jure invocari posse, suggerere potest spiritus, ut statuat non invocare Christum. Immo ejusmodi homini sæpius suggeret spiritus, ut Christum invocet, sive charitate Ecclesiæque ædificatione id requirente; sive humana imbecillitate ad id impellente, (quemadmodum in altero meo ad te scripto jam dictum est) sive etiam aliis justis causis & rationibus id suadentibus, pro loci ac temporis ratione. Hæc satis ad ea, quæ præludii cujusdam loco meæ sententiæ iterum objecisti. Nunc de iis videamus, quæ meæ ad priores tuas literas responsioni objicienda censuisti.

Dixeram, videri, statuendam differentiam inter negotium salutis, & negotium religionis. Petis hic, vir humanissime, seu desideras accuratiorem explicationem. Nulla alia accuratiore explicatione mihi opus esse videtur, præter eam, quam, ut primum meum autographum testari potest, ab initio scripseram; sed postea, cum tecum mihi rem esse cogitarem, id est, cum viro apprime erudito ac perspicaci, consulto tanquam supervacaneam delevi. Ea est, quod latius patet negotium religionis, quam negotium salutis; & omnia quidem, quæ ad salutem pertinent, ad religionem quoque pertinent, sed non contra. Quare quod ais, religionem veram ea omnia continere, quæ ad cultum Dei Jesuque Christi tam internum quam externum, in verbo Dei præscriptum pertinent, nihil contra differentiam istam facit. Sed tu ex eo, quod religio omnia continet quæ ad salutem spectant, credis fortasse, vicissim salutem nostram ea continere omnia, quæ ad religionem spectant, & sic, quemadmodum negotium salutis à religionis negotio disjungi non potest, sic similiter religionis negotium à salutis negotio non posse disjungi. Quod perinde est, ac si quis existimaret, quia, ubicumque est homo, ibi est animal; sic vicissim ubicumque est animal, ibi esse hominem. Quod fallaciæ genus appellatur fallacia consequentis, in quam (ignosce mihi vir præstantissime) sæpe incidere mihi videris in hisce disputationibus nostris. Scire (exempli gratia) licere homini Christiano ex omnibus cibis cum gratiarum actione comedere, sine dubio ad religionem pertinet, non pertinet tamen ad salutem, teste Paulo Rom. 14. Hoc idem dico de omnibus rebus adiaphoris, quæ plurimæ sunt, de quibus scire quid sentiendum sit, nemo negare potest ad religionem pertinere, quamvis ad salutem non pertineat. Quot sunt ad religionem nostram pertinentia, de quibus quotidie disputatur, quæ tamen ad salutem non pertinent? Certe plura, quam multi existimant. Exempla proferrem, sed satis esse arbitror rem indicasse. Jam enim ad ea respondendum est, quæ contra exemplum à me prius allatum scripsisti.

Ais igitur, *Exemplum à te loco argumentationis positum, videtur fallaciam redolere, quam ego aut nominare nescio, aut ad fallaciam divisionis pertinere arbitror. Vis enim ex eo quod assidue non fit, concludere quod necessario facere non teneamur.* Certe si ita argumentatus essem, ut verba tua sonant, turpis fallacia esset in argumentatione mea, non quidem divisionis, sed manifestæ ignorationis elenchi. Ab eo enim quod non fit, ad id argumentatus essem, quod facere non teneamur. Ego non ab eo quod non fit, sed ab eo, quod non fieri jure potest, argumentum duxi. Fallacia porro, quam tu in argumentatione mea esse suspicaris, non divisionis est, sed a secundum quid, ad simpliciter. Verum longe abest argumentatio mea ab hac fallacia Ad quod ostendendum, quia hic cardo totius quæstionis nostræ vertitur, quid vel jam dixerim vel dicturus sim (quæso te) diligenter attende. Jam supra dixi id quod verissimum est, & de quo inter omnes Theologos constat, præcepta affirmantia semper obligare, cum rei præceptæ faciendæ occasio sese offert. Jam vero si necessario tenemur Christum invocare, certe necesse est etiam ut id nobis præceptum fuerit. Et, si præceptum est, necesse est etiam ut semper Christum invocemus, quandocunque Christi invocandi occasio se offert. Ergo, si hoc necesse non est, non est etiam de Christo invocando nobis præceptum datum; &, si præceptum non est datum, necessario Christum invocare non tenemur. Recte igitur & sine ulla prorsus fallacia conclusi, ex eo, quod non semper Christi invocandi oblata occasione, Christum invocare tenemur, nos Christum invocare necessario non teneri. Tu ipse hujus fortasse ratiocinationis vim sentiens, tibi ipsi manifeste contrarius, cum prius tacite concessisses, & postea aperte concesseris (nempe quia nimis evidenter est verum) nos posse *Christum non semper nec ubique* (ais enim, si ita conclusissem, me recte conclusurum fuisse) *invocare, sed sæpe solum patrem implorare*; tamen de veris Christianis hæc verba scripsisti, *certe hi omnes ex fiducia concepta aliter facere nec possunt nec debent, quin ad Christum in necessitatibus suis assidue* (nota) *confugiant, ab eoque auxilium petant.* Ostenderam ego, argumentum tuum à fiducia in Christum ad ejusdem invocationem ductum infirmum esse, vel ex eo, quod hinc sequeretur, cum semper atque ubique Christo confidere debeamus, semper etiam atque ubique debere nos preces nostras ad Christum dirigere. Quod & manifesto falsum est, & tu verum non esse confiteris; & tamen, cum illud tuum argumentum defendere velles, coactus es contrarium affirmare, & in istam ipsam absurditatem, quam ego effugi à te non posse prædixeram, incidere. Rem paulo diligentius, te obsecro, perpende; & videbis nullo pacto contendere te posse, Christum necessario nobis invocandum, quin etiam contra manifestam veritatem contendas, nos numquam in precibus nostris omittere posse, quin Christum invocemus. Nisi novum quoddam divini præcepti genus inducas, ut non semper oblata rei præceptæ occasione, sed aliquando, prout nobis videbitur, quidpiam facere jubeamur; & breviter velis, præceptum nobis fuisse, non quidem simpliciter, ut Christum invocemus, sed ut eum aliquando invocemus. Quod numquam probare poteris. Nam quidquid ad hoc confirmandum attuleris, aut simpliciter, & sic semper, in precibus nostris invocandum esse Christum, ostendendi vim habebit (id quod fieri nequit) aut nihil ad Christi invocationem præcipiendam pertinebit. Propterea, etiamsi verissimum esset, nos necesse omnino habere aliquando preces nostras ad Christum dirigere, non tamen affirmandum simpliciter esset, ut tu facis, Christum necessario nobis invocandum esse; sed tantum, Christum necessario aliquando nobis esse invocandum. Percurre cogitatione omnia Dei præcepta affirmantia, nullum invenies, quod, rei præceptæ occasione oblata, ullo pacto omitti possit, si, quæ res illa præcepta sit, recte intelligatur. Dices fortasse, cœnam Domini celebrare, divinum præceptum esse, (quod ego quoque sentio) & tamen aliquando tantum necesse nos habere eam celebrare. Verum istud præceptum nullam certam rei præceptæ occasionem habet, & istud *aliquando*, in hoc præcepto exequendo, non cuilibet rei præceptæ occasioni opponitur, sed cuilibet tempori. Quod si tamen ulla certa occasio Cœnæ Domini celebrandæ dari potest, non dubium est, quin semper ea occasione oblata, necesse sit cœnam Domini celebrare. Puto me satis demonstrasse, in argumentatione mea, quod ad ipsius formam attinet, nullam penitus esse fallaciam, immo ne quod ad materiam quidem, cum, quæ in illa aut assumpsi aut pro concessis posui, verissima esse ostenderim, & partim à te ipso concessa. Videndum nihilominus tamen est de instantia, quam contra argumentum meum affers, & qua facile illud solvere te posse ais. Ea est ejusmodi; *Deus Pater non semper invocatur: immo Stephanus solum Christum invocavit, Paulus quoque non semel id fecisse legitur: ergo invocatio Dei non est necessaria ad salutem.* Ad hanc ipsam instantiam, non modo pluribus in locis contra Franciscum Davidis disputans, aperte respondi, & rem hanc totam clarissime exposui: sed in ipso priore

ad te scripto meo ea dixi, unde responsio evidenter appareat, & totius rei explicatio. Sunt enim ibi hæc verba mea; *Ex ista enim subordinatione* (Christi ad Deum) *hoc inter Dei & Christi invocationem discrimen necessario consequitur, quod scilicet Deum quidem invocare omnino debemus, sive ad ipsum Deum, sive ad Christum verba precum nostrarum dirigendo; qui enim Christum nominatim orat*, (nota) *ipsum Deum revera orat, cujus Christus vicarius quodammodo est, eique, ut dixi, subordinatus. Christum vero ob hanc ipsam causam semper quidem invocare possumus, id est, ad ipsum preces nostras dirigere; id enim facientes nihil à præcepto* (nota) *ac necessitate invocandi Dei recedimus. Sed possumus etiam illum non invocare, id est, possumus non ad ipsum, sed ad Deum verba precum nostrarum dirigere. Cum enim Deus Christo nequaquam sit subordinatus, qui Deum orat, precum verbis non ad Christum, sed ad ipsum Deum directis, nullo modo Christum orasse censendus est.* Vides (nisi vehementer fallor) instantiam tuam jam antea à me eversam fuisse, ex qua eversione constat aperte, id verissimum esse, quod supra scripsi, soli Deo hoc convenire, ut ipsum necessario invocare debeamus, non etiam Jesu Christo; aut certe constat, quod ad ipsam necessitatem invocandi attinet, discrimen omnino inter Dei & Christi invocationem statuendum esse, quod à te nullum statuitur, summa subordinationis Christi ad Deum obscuratione, vel potius deletione. Instantiam quam huc affers, de fiducia in Deum & in Christum similiter necessaria, suo loco infra ad rem non facere, Deo dante, demonstrabo. Nunc, ut pergam ostendere, jure divino (absolute loquendo, ut in prioribus meis ad te literis scripsi) nos non cogi, nec semper nec aliquando ad Christum preces dirigere, verba quædam tua, quæ hic sequuntur, examinabo: ex quibus rursus te tibi ipsi in hac Christi invocandi necessitate adversari docebo, & interim sententiam meam confirmare. Sed prius explicandum mihi est, quid verbis illis *absolute loquendo*, mihi velim. Dico igitur, non esse absolute necesse, ut quis ad Christum, ne semel quidem preces suas dirigat. Id est, fieri posse, ut quis preces suas nunquam ad ipsum Christum direxerit, & tamen nec ideo peccaverit, & nihilominus salutem per eundem Christum consequatur; quippe cui nunquam contigerit ullam ex iis causis habere, quas supra attigi, omnino preces suas ad Christum dirigendi. Alioqui, si ullam ex illis causis habuerit, nec tamen preces suas ad Christum direxerit, & grave peccatum commisisse dicendus erit, & necesse habebit, ut illud sibi dimittatur, si salutem per Christum sit consecuturus. Itaque, licet non absolute, tamen per accidens (ut loquuntur) ad ipsum Christum preces nostras dirigere aliquando necesse habemus. Quod necessitatis genus non modo in hac re tam gravi tantique momenti, sed in levioribus quoque multis per se adiaphoris rebus cernitur. Multa enim sæpe charitate, Ecclesiæque ædificatione, aliisve justis causis cogentibus, facere necesse habemus, quæ alioqui prorsus omittere possumus. Id est, nisi ea fecerimus, graviter peccamus. Exempla, quippe quæ omnibus, & tibi præsertim, sint nota, nihil opus est producere. Jam enim ad tua verba examinanda accedendum est.

Itaque sic scribis, *de tempore & loco non est præscribendum*; nempe invocandi Christi. Sed si de tempore non est præscribendum, ergo ne de ipsa quidem invocatione præscribendum est. Ea enim omnino suum tempus habet, id est, cum in necessitate quis est constitutus, & multo magis, cum invocare vult. Sed addis, *spiritus suggeret*, id ego prior dixeram, & hic repetii; atque iterum repeto, spiritus suggestioni relinquendum esse, ut hac in parte precationes nostras moderetur; satisque propterea esse, nos jam penitus esse persuasos, à nobis jure optimo Christi opem, in precationibus nostris implorari nominatim posse, idque semper & ubique. Ita fiet, ut spiritu suggerente, id etiam facere non dubitemus. Subjicis autem postea: *fiduciaque, quam erga Christum unus altero majorem habet, singulos fidelium instruet.* Fiducia in Christum non instruit quemquam ex Christi fidelibus, ut omnino ad ipsum Christum preces suas dirigat, sed unumquemque monet, cum Christus preces nostras intelligat, posse ad ipsum preces nostras dirigi. Alioqui, cum Christi fideles nunquam fiducia in Christum destituantur, ad ipsum semper in necessitatibus suis preces dirigere instruerentur. Quod falsum esse, ostensum est. Cæterum, quod ad hoc pertinet, in quo Christi fideles de Christi invocatione monentur, seu instruuntur, par est in omnibus prorsus in Christum fiducia; licet alioqui alius alio majorem habeat. Nam si quis propter fiduciæ in Christum paucitatem vel minimum quidem dubitet, an Christus semper & ubique invocari jure possit, is Christi fidelis revera non est. Pergis autem, & ais, *Ego libenter ad gloriam Christi fateor, me nunquam in privatis meis gemitibus sive precibus, quoties Deum Patrem invoco, ejusque auxilium imploro, Christum omittere, novi enim, certissimeque confido, me nisi per ipsum non posse ad Patrem tuto ac confidenter accedere.* Si cum ais, te nunquam Christum omittere, intelligis, te semper ad Christum quoque preces tuas dirigere, id quidem facis, quod facere jure potes. Sed ratio, quam affers, ostendit, te existimare, hoc facere tibi necesse esse. Quomodo igitur alibi, veritate cogente, fateris, posse nos sæpe solum Deum Patrem invocare? Numquid alia hac in re est conditio tua, quam nostrum omnium? Vides arbitror, te tecum pugnare. Id quod propterea fit, quod, quæ adfers ad probandam Christi invocandi necessitatem, quemadmodum etiam ipsum necessitatis verbum simpliciter prolatum postulat, si recte allata sunt, probant, non quidem aliquando, sed semper in precibus nostris invocandum esse Christum. Itaque, ut vidimus, non obscure conclusisti, nos necesse habere nunquam Christi invocationem in nostris privatis precationibus omittere, quamvis postmodum sic scribas, *Quod ad publicas preces Ecclesiæ pertinet, hæ pro temporis necessitatisque ratione moderari possunt.* Cum tamen ratio, quam attuleras, necessitatis invocandi semper Christi in privatis precibus, si ullam vim habet, eandem prorsus habeat & in publicis. Jam illa verba, *pro temporis necessitatisque ratione*, satis indicant, te ipsum veritatem quodammodo sensisse, id est, nullam ordinariam esse necessitatem invocandi Christi; sed fieri posse, ut necessitas aliqua id faciendi emergat. Quod ego quoque non solum fateor; sed memini, me aliquandp ad Synodum Chmielniciensem scripsisse, recte futurum, si hoc tempore propter falsos istos fratres, qui Christum invocare nolunt, constitueretur, ut in publicis precibus non tantum Deus Pater, sed Christus quoque invocaretur. Addidisti etiam alia verba, quæ necessitati non omittendi Christi invocationem in precibus nostris antea conclusæ, adversantur. Nempe illa, *nam non quæritur, an semper & ubique necessarium sit preces ad Christum dirigere*, & illico subjungis; *sed an res sit necessaria homini Christiano Christum invocare ad eumque preces dirigere.* Quæ posteriora verba, ut supra demonstratum est, cum prioribus modo recitatis pugnant. Si enim necessaria res est homini Christiano preces ad Christum dirigere, necessarium est etiam semper & ubique (cum scilicet quis precari vult) ad Christum preces dirigere. Cæterum superiora verba tua, quod nunquam omittas Christum in tuis privatis precibus, quod ad ipsa verba attinet, possunt etiam ita accipi, quasi non omittas Christi meminisse, inque ejus nomine ad Patrem accedas, agnoscens Christum eum esse, per quem Deus Pater omnia Christi ipsius fidelibus largiatur, nec nisi Christi fideles ad Deum accedere posse. Et hoc probat ratio tua supra descripta in recitandis verbis tuis; non autem, nos non posse ad Patrem tuto & confidenter precationes nostras dirigere, nisi simul ad Christum quoque eas dirigamus. Sed ad rem locutus non fuisses, si hæc tuorum verborum sen-

sententia esset. Verba porro, quæ ibi subjungis, *quoniam sic patri omnipotenti placuit, ut Christus sit opitulator ac interpellator noster, per quem cum fiducia ad thronum divinæ gratiæ, ut misericordiam consequamur, confugiamus*, quorum sententia & verba simul ipsa, aliqua ex parte, expressa sunt in fine cap. 4. Epist. ad Hebr. si, ut ego quidem arbitror, ad Christi invocationem in prædicto ad Hebr. loco referri possunt, non præceptum, ut in disputatione mea cum Francisco Davidis docui, sed adhortationem continere dicenda sunt, & commonefactionem propter imbecillitatem nostram, quæ mirifice sublevatur, eo non frustra invocando, qui compati potest infirmitatibus nostris, ut ibi paulo ante scriptum est. Quod si præceptum continerent, omnes idem facere cogerentur, quod tu facis (priorem enim verborum tuorum interpretationem omnino retineo) & nunquam Deum Patrem invocare possent, quin simul preces suas ad Christum dirigerent, ut satis jam superque demonstratum est.

Vidimus, te coactum fuisse tecum pugnare, & aliqua ratione sententiam meam, quam oppugnas, confirmare; Nunc videamus de reliquis, quæ mihi objicis. Ais, *Hoc tuum posse* (semper & ubique invocare Christum) *necessario oppositum, mihi haud dubie labefactationem invocationis Christi continere videtur.* Continet sine dubio istud meum *posse*, quatenus necessario opponitur, labefactationem absolutæ necessitatis invocandi Christi; sed non tamen ipsius Christi invocationis. Immo illud ipsum expresse ac diserte continet, quod nostris adversariis, qui Christo invocationem non concedunt, opponendum est, & nihil minus; apertissimeque contra ipsos Christi invocationem confirmat. Jam, quod existimare præ te fers, me ita argumentari: Possumus, ergo nullo jure cogimur, plurimum falleris, si ita existimas. Nihil ego hic argumentor, sed tantum sententiam meam profero, cum ajo, nos posse, non tamen ullo jure cogi. Immo ipsa verba, *non tamen*, aut similia, aperte docent, me fateri, istud meum *posse* per se non opponi ulli necessitati; & quamvis hic ita eveniat, ut cum necessitate non conjungatur, tamen alioqui optime cum necessitate conjungi posse. Tantum abest, ut ex ipso *posse* exclusionem necessitatis concludam. Possem hic pluribus ostendere, quam turpem lapsum mihi ascripseris, idque plane injuria, cum nulla tam fœdi mei erroris ne levissima quidem suspicio esse posset. Sed brevitati, aliqua saltem ex parte, consulendum est. Ad instantiam tuam de fiducia in Christum propter jam dicta nihil respondendum est. Tantum dico; quod credis, non secus præceptum esse, ut ad Christum preces nostras dirigamus, ac præceptum est, ut illi confidamus, id longe aliter se habere. Nulla enim (quod tu tamen pro concesso sumis) Dei ordinatio, aut constitutio extat, de precibus ad Christum dirigendis. Loca, quæ ego ipse contra Franciscum Davidis attuli, quemadmodum ibi dixi, videri quidem possunt vim habere expressi præcepti; sed tamen revera non habere, ex natura præcepti, ac perpetua vi, de qua supra egimus, quam in precibus ad Christum dirigendis, non exeri compertissimum est, omnino statuere debemus.

Deinde ex eo, quod ipse affirmo, necessarium esse ad salutem per Christum consequendam agnoscere ac profiteri, Christum jure ac merito invocari posse, tanquam à minori, argumentari vis, magis necessarium esse, reipsa Christum invocare. Quod argumentum perversa plane ratione conclusum est. Cum plus sit reipsa, omnino invocare, quam, omnino agnoscere, se jure ac merito posse invocare. Quale nam (rogo te) est istud argumentum? Hoc jure ac merito fiere posse agnoscendum est. Ergo multo vel aliquanto magis fieri debet. Exemplum afferam non longe petitum sæpius mihi varia ratione usurpandum. Agnoscendum est, nos semper & ubique posse jure ac merito ad Christum preces dirigere: Ergo multo vel aliquanto magis debemus semper & ubique preces ad Christum dirigere. Tanta est denique istius tui argumenti inutilitas, ut in ipsa ratiocinatione concludenda alios (quos vocant) terminos pro iis, quos antea posueras, substituere coactus fueris. Primum in illis verbis, *quomodo is, qui sciens Christum esse invocandum, &c.* Aliud est enim, Christum esse invocandum; aliud vero, Christum jure ac merito invocari posse. Hoc potestatem tantum; illud necessitatem quoque significat. Itaque medium tui argumenti terminum, in quo tota vis est, mutasti. Deinde, cum idem argumentum alia quadam forma repetis, in ipsa conclusione illa verba ponis, *quomodo rei ipsius neglectus sive contemptus, &c.* Atqui aliud est negligere sive contemnere invocare Christum, aliud non invocare, quemadmodum supra ostendi, aliud esse, nolle & non audere invocare Christum, aliud non invocare, quod quo sensu à me ipso dicatur, longe à contemptionis suspicione invocationis Christi remoto, apertissimum unicuique mea scripta legenti esse potest. Itaque argumentationis tuæ alterum ex duobus extremis terminis similiter mutasti. Præterea in tua argumenti repetitione insignis est cum ambiguitas tum fallacia. Cum enim dicis, *Si enim hujusce rei ignoratio, &c.* Non apparet, quid hujusce rei nomine intelligas, nam supra commemorasti, & posse jure ac merito Christum invocari, &, Christum invocandum esse, & denique proxime omnium, Christi invocationem ad salutem esse necessariam, quorum primum non idem est, quod secundum & tertium. Hic igitur est summa ambiguitas. Sed statuamus, te, ut æquum est, primum intelligere, in conclusione certe summa est fallacia. Oportet enim, ut ibi nomine rei ipsius, idem intelligas. Verum, qui Christum non invocat, id est, quem modo contingit reipsa ad Christum preces non dirigere, nullo pacto contemnit, Christum jure ac merito posse invocari; cum ne contemnere quidem invocare Christum ulla ratione dici possit, ut jam demonstratum est.

Deinceps refutationem meam priorum argumentationum tuarum refellere aggrederis. Et dicis, me argumenti tui à fiducia in Christum ad ejusdem invocationem ducti connexum stringere ac confirmare; quia videlicet fateor, invocationem sine fiducia esse non posse. Cur vero? An quia, si invocatio sine fiducia esse nequit, vicissim fiducia sine invocatione esse non potest? Atqui hæc est manifesta fallacia consequentis, ut prius te monueram. Neque enim, si ex duobus hoc sine illo esse non potest, continuo nec illud sine hoc esse poterit. Alioqui infinita absurdissima concludi recte possent. Formes tibi syllogismum ex hac propositione. *Quicumque quempiam invocat, illi etiam confidit*, ad probandum ex fiducia in Christum ejusdem invocationem, & videbis, te ἀσυνάγωγον prorsus syllogismum formare, id est, ex puris affirmativis in secunda figura. Sic enim necessario tibi formandus erit; Quicumque quempiam invocat, illi etiam confidit. Quilibet Christianus verus Christo confidit, Ergo quilibet Christianus verus Christum invocat. Quo argumentandi genere, utpote vitiosissimo, nihil absurdi non concludi potest. Ut si ita argumenter. Quicumque quempiam amat, illum etiam aliqua ratione novit. Quilibet eum, quem odio habet, aliqua ratione novit. Ergo quilibet eum, quem odio habet, amat. Quod si, ut ais, fiducia & invocatio adeo conjuncta sunt ut reciprocentur, id quod ego prorsus nego, jam non ego sum, qui argumenti tui connexum stringo ac confirmo, sed materiæ ipsius (ut loquuntur) necessitas. Sed videamus, quomodo nihilominus, ex meo dicto argumenti tui nexum stringi ac confirmari, ostendere coneris. Sic igitur scribis: *Si enim in eum, ad quem preces dirigo, credere eique confidere debeo, quomodo vicissim eum, cui tuto confido (ut Jesu Christo tutissime confidere debemus) nunquam in necessitatibus meis invocare audebo, aut non curabo?* Hic manifeste terminos quæstionis

nostræ mutas. Non enim ut jam non semel monui, quæritur à nobis, utrum quis possit non audere, aut etiam non curare invocare Christum; sed utrum possit non invocare, quæ inter se (præsertim Non audere invocare, & non invocare) plurimum differunt. Et recte fortasse concludi potest, eum, qui cuipiam confidit, illum etiam audere invocare, sed non tamen illum etiam invocare. Nihil enim vetat, quominus quidpiam non faciam, non quia non audeam, sed aliquam aliam ob caussam. Ut nihil dicam quod fieri potest, ut quempiam invocare non audeam, non quia illi non confidam: sed vel quia prohibitus sim id facere; vel quia quidpiam aliunde, si id fecero, gravioris mali mihi metuam, vel propter alias caussas. Ex quo apparet, ex natura ipsius fiduciæ necessario reipsa invocationem, vel etiam (ut sic dixerim) invocandi ausum non consequi ipsam fiduciam adeo, ut quamvis verissimum sit, neminem, qui Christo confidat, non audere illum invocare, tamen hoc non ex ipsa fiducia simpliciter oriatur, sed ex eo, quod in Christo invocando nullæ alioqui sunt caussæ, quæ ab ipso invocando deterrere quemquam possint. At vero quia non similiter absunt omnes caussæ, quæ efficere possunt, ut quis reipsa (non quidem quia non audeat aut etiam non curet; sed quia non contigerit, ut id spiritus suggesserit) Christum non invocet; nempe quia adest Deus pater, cui similiter confidit, & ad quem nominatim preces suas se dirigere jure posse novit. Propterea non similiter in ipso Christo, ex fiducia in eum, ejusdem reipsa invocatio sequitur, ut sequitur ab ipso invocando non deterreri. Ex his apparet, quæ postea scribis de uno ex tribus vitiis, quo laborare necesse sit eum, qui de fide in Jesum Christum glorietur, & tamen eum invocare negligat, aut ad rem non facere, si verbum Negligere, ut quidem apparet, apud te contemnere & aspernari significat, aut non recte conclusa esse, cum hæc simul vera esse possint, quempiam Christo ex animo confidere, ita existimantem, & se illius auxilio indigere, & illum sibi eum invocanti opitulari posse, & tamen istum reipsa Christum non invocare, id est, ad ipsum preces suas non dirigere nimirum quia noverit, ipsius Christi auxilium se impetrare posse, non minus si ad Deum precationes suas dirigat, quam si ad ipsum Christum. In verbis, quæ deinde addis, incidis in tibi à me quodammodo prædictam & supra commemoratam absurditatem illam, in quam te vis istius tui argumenti, à necessaria fiducia ad necessariam invocationem ducti, necessario impulit, & Christianos aliter facere nec posse nec debere affirmas, quin ad Christum in necessitatibus suis *assidue* confugiant ab eoque auxilium petant. Quæ absurditas pariter consequitur, ex eo, quod hic rursus concludis, hoc pacto, *Fiducia igitur vera necessario producit invocationem, non minus, quam invocatio sincera veram fiduciam requirat.* Nam si hoc verum est, sequitur omnino, ut, quoniam assidue Christo confidendum nobis est, assidue etiam illum in necessitatibus nostris invocare debeamus. Accipio autem ista tua verba, de fiducia in Christum, ejusque invocatione, alioqui, si indefinite, ut sonant, accipiantur, multo majora absurda ex illis necessario consequentur; ut ex ante disputatis intelligi potest.

Objicis deinde mihi, quod ab Adversariis arma mutuer, & non sentiens in eorum castra transire videar, quia excellentiam Dei patris urgeam, ex necessitateque quam habemus invocandi Dei, concludam (ut tibi quidem visum est) nos non habere necesse invocare Christum.

Si, quandocunque urgetur excellentia Dei patris, in castra transitur istorum Adversariorum, nunquam deberemus illam urgere contra alios Adversarios, qui sunt tanquam alterum extremum, nobis medium, seu medii locum tenentibus, & tamen, nisi illam maxime ac potissimum urgeremus, necesse esset, nos in ipsorum castra transire. Igitur videndum est, an suo loco & tempore Dei patris excellentia, nec ne, urgeatur. Ego quidem, in hac disputatione me eam suo loco & tempore ursisse, penitus mihi persuadeo. Tametsi hoc loco, ubi à fiducia in Christum argumentabaris ad ejusdem invocationem, neutiquam eam ursi; quamvis ejus, quasi transiens, mentionem fecerim; & merito quidem eam commemoravi, ut postea dicam. Vis meæ responsionis, ut verba ipsa sonant, non in eo est, quod necesse habeamus Deum invocare, cujus rei hic nullam mentionem facio, tantum abest, ut ex ista necessitate colligam, nos non necesse habere Christum invocare; sic enim nihil respondissem, sed in eo est, quod, cum non solum Christo, sed etiam Deo confidere debeamus, possumus ad ipsum Deum (solum videlicet) preces nostras dirigere; & sic non necesse habemus, propter necessariam fiduciam in Christum, eas dirigere ad Christum. Quod ut manifestius constaret, merito excellentiæ Dei supra Christum in ipsa fiducia in eo collocanda mentionem feci, idque ita, ut interim ostenderim, fiduciam, quæ in Christo collocatur, in ipso Deo revera collocari; Ut tanto clarius appareret, nihil obstare, quominus Christo confidamus, & tamen ad Deum solum precationes nostras dirigamus. Quare quævis hic instantia, non modo tua de necessitate confidendi Deo, quæ non excludat necessitatem confidendi Christo, nihil ad rem facit. Oportuisset saltem, te instantiam afferre alicujus rei quam Deo soli, & non simul Christo tribuere possimus, & tamen eandem Christo tribuere teneamur, ejusmodi autem instantiam nullam invenire poteris; quippe quæ sibi ipsi adversetur, seque ipsa destruat. Præterea non esse eandem rationem invocationis, quæ fiduciæ, vel ex eo patet, quod sæpius est dictum, necesse nos habere semper Christo confidere, non autem semper Christum invocare. Quod ut apertius fiat, recitabo hic ea, quæ scripsi contra Franciscum Davidis, qui mihi tanquam pugnantia inter se obscurissimaque dicta objiciebat, quod dixissem, nos Christum adorare eique servire non tantum posse, sed etiam debere; eundem tamen nos invocare quidem posse, non tamen teneri. Eadem enim in tota hac quæstione est prorsus ratio fidei seu fiduciæ, quæ adorationis & servitutis, de quibus ibi agitur. Sic igitur contra eum scripsi cap. 29. partic. prima. *Servitutis & adorationis, quæ Christo tribuuntur, alia ratio, quam invocationis est, ita ut Christo servire, eumque adorare omnino debeamus, invocare vero tantummodo possimus. Servitus enim & adoratio, de quibus hoc loco agitur, affectiones quædam potius, quam actiones, sunt animi & mentis nostræ; eæque non alicujus temporis aut occasionis, sed perpetuæ & nobis inhærentes. Invocatio vero, cum pro precum directione & opis imploratione ipsa accipitur, ut & nos facimus, & usus loquendi requirit, est actio quædam non nobis perpetuo inhærens, sed quæ à nobis pro tempore & occasione, quantumvis frequenter id fiat, suscipitur. Hinc fit, ut perpetuo uno eodemque temporis momento, & Deo & Christo servire, & utrumque adorare possimus At Christum invocare non possumus, nisi ad eum nominatim preces nostras dirigamus. Quocirca, si Christum invocare omnino deberemus, nunquam ad Deum patrem solum nostras preces dirigere possemus. Quod falsum esse, exempla sanctorum virorum, & purioris Christianæ Ecclesiæ antiquissimus usus ostendit. Neque enim ut superiore cap. partic.6 dictum est, qui Deum patrem invocat, Christum ipsum invocat; quemadmodum qui Christum invocat, ipsum Deum patrem invocat. Et hanc ob caussam, quamvis ad Christum, nulla patris expressa mentione facta, preces suas dirigat, præcepto tamen de invocando Deo patre satisfacit. Sic rex præfectos dat, à quibus ea peti possint, quæ ab ipso solo alioqui peti possunt. Non tamen, ut omnino à præfectis petatur, jubet. Neque enim, ne quisquam jam se adeat, interdicit. Cum autem ipse rex aditur, nullo modo à præfectis, sed ab ipso tantum rege petitur, quamvis, cum à præfectis petitur, ab ipso rege, cujus auctoritate ac nomine illi omnia faciunt, petatur. Itaque vides, in distinctione illa mea nullam esse antilogiam, nullum ænigma; sed eam sensui ipsi communi quodammodo patere.* Volui in recitandis his verbis contra Franciscum Davidis ea non

omni-

omittere, quæ de differentia inter Dei & Chriſti invocationem agunt, quamvis alia idem ſignificantia, in priore meo ad te ſcripto legantur, quæ etiam in hoc poſteriore ſunt repetita, ut ipſe hæc relegens, mireris, quomodo tamen, his non ſemel in meis ſcriptis lectis vel quædam mihi objeceris, vel ſaltem non alia ratione, quam feceris. Non eſt igitur, ut ad propoſitum revertar, meum argumentum ullum tale in ſcripto meo, quale tu formari oportere ais, videlicet ad hunc modum, *Poſſumus & tenemur Deum patrem invocare: ergo ad Chriſtum preces noſtras dirigere, quamvis poſſumus, tamen non tenemur.* Sed hæc ſententia tantum ex meo ſcripto elici poteſt: quamvis ad Chriſtum preces noſtras dirigere poſſimus (id quod ſolum, & nihil amplius, concludi poteſt ex neceſſaria fiducia noſtra in Chriſto) non tamen hinc ſequi, nos neceſſario ad ipſum Chriſtum preces dirigere debere. Nempe quia ad ſolum Deum, cui ſimiliter neceſſario confidendum nobis eſt, eas dirigere poſſumus. Nec putes tamen, etiamſi argumentatus ita fuiſſem, ut tibi videtur (quod ſane mihi nunquam in mentem venit) argumentum, quod ipſe ſubjicis, hoc pacto, *Poſſumus & tenemur in Deum Patrem credere: Ergo Jeſu Chriſto quamvis confidere poſſumus, tamen non tenemur;* Ne putes, inquam, hoc argumentum inſtantiam manifeſtam futuram fuiſſe argumentationis meæ, atque, ut ais, non tam ovum ovo ſimile eſſe, quam hoc argumentum eſt ſuperiori illi à te mihi tributo. Similitudo enim argumentorum exacta, non in concipiendorum verborum forma tantum, ſed etiam in materia verbis contenta conſiſtit. Non eſt autem ſimilis materia fiduciæ, & directionis precum; non ſolum propter ea, quæ contra Franciſcum Davidis ſcripta recitavi, ſed etiam multo magis, quod ad propoſitum noſtrum attinet, propter hæc. Primum (præſertim cum de Chriſto eſt ſermo) nihil eſt medium inter fiduciam, & diffidentiam: adeo ut, qui Chriſto non confidit, ei neceſſario diffidat; quod ſcelus plane eſt. Deinde, ſi quis Chriſto non confidit, hunc neceſſe eſt etiam ipſi Deo non confidere, Spiritu Sancto id non obſcure atteſtante pluribus in locis. Præterea, cui in rebus divinis confidere poſſumus, ob hoc ipſum, quod poſſumus, etiam debemus: cur enim poſſumus cuipiam in rebus divinis confidere, qualiſcumque tandem ſit hæc fiducia, niſi quia aut ille veriſſima ac certiſſima nobis Dei nomine promiſſa facit, veramque nobis colendi Dei ab eoque felicitatem ſperandi rationem ac viam docet, aut etiam ipſemet ex ipſius Dei ordinatione nobis felicitatem eſt daturus? Verum, qui talis eſt, ei omnino confidere debemus: alioqui Dei voluntati reſiſteremus, & veritati divinæ non aſſentiremur. Nihil tale in materia invocationis ſeu directionis precum, quamvis ad ipſum Chriſtum relatæ, cernitur. Si quis enim ad Chriſtum preces ſuas non dirigit, non quia non audeat, aut nolit, ſed quia ita illi contingit facere, nulla cauſa exiſtente ex iis, quæ illum monere poſſint, ut ad Chriſtum preces ſuas dirigat, nihil ſceleris admittit, ſi interim ad Deum tamen ſuas preces dirigat. Medium enim quiddam inter directionem precum ſuarum ad Chriſtum, & abhorrentiam (ut ſic loquar) à dirigendis ad Chriſtum precibus ſuis, eſt eas dirigere ad ipſum Deum. Jam, qui ad Chriſtum preces ſuas non dirigit, non propterea ne ad Deum quidem eas dirigit. Poſtremo, ſi ad Chriſtum dirigere ſuas preces quis poteſt, non ſequitur, eum etiam omnino debere. Hic enim poteſtas cum neceſſitate minime convertitur, aut reciprocatur. Alioqui quemadmodum ſemper poteſt, ſic etiam contra manifeſtam veritatem ſemper omnino deberet. Verum, ut ſuperius indicatum eſt, ego hic nihil fueram argumentatus, nedum tale argumentum feciſſem, quale tu mihi tribuis; ſed tantum ad argumentum tuum à fiducia in Chriſtum ductum reſpondens, oſtenderam, quomodo ex iſta quantumvis neceſſaria fiducia, ad eundem Chriſtum neceſſaria precum directio minime ſequeretur. Quocirca falſa & abſurda, quæ à ſimili ex iſto tanquam meo argumento ducis, id eſt, quædam Chriſti gloriam ac majeſtatem obſcurantia ac minuentia, nihilo magis ad verba, quam ad mentem meam pertinent. Quæ quam tota in eo ſit, ut Chriſti gloria ac majeſtas illuſtretur atque amplificetur, & Chriſtus ipſe novit, nec te ipſum ignorare exiſtimo. Nec ſane opus quidquam erat hoc loco ad oſtendendum, Dei Patris eminentiam atque erga nos bonitatem gloriæ Chriſti nihil officere, ea afferre quæ ipſe contra alios affero. Neque enim, ut dictum eſt ante, ego hic Dei eminentiam ſeu bonitatem urſi, præſertim ad Chriſti neceſſariam invocationem ſimpliciter labefactandam, qua de re inferius agendum erit. Multo autem minus (ſi tamen extra propoſitum hoc in loco noſtrum, hac de re agendum videbatur) pro conceſſo ſumendum quodammodo erat, ex eo, quod Chriſtus conſtitutus ſit nobis à Deo Dominus, Servator, mediator, cui omnem poteſtatem in cœlo & in terra tradiderit, in quem poſt Deum credere, eique tuto confidere poſſimus, omnino conſtare, Dei voluntatem eſſe, ut neceſſario ad Chriſtum preces noſtras dirigamus. Nihil enim iſta omnia ad hanc Dei voluntatem probandam momenti habent; ſed tantum ad probandum, Dei voluntatem eſſe ut preces noſtras ad Chriſtum dirigere poſſimus; niſi quædam verba, quæ Mediatoris vocem explicantia addidiſti, nempe hæc, *per quem ad Patrem accedere debeamus*, neceſſitatem iſtam ex Dei voluntate preces ad Chriſtum dirigendi continere, apertiſſimum eſſe credidiſti. Atqui, ſi verba iſta talem neceſſitatem continerent, omnino etiam continerent neceſſitatem ſemper preces noſtras ad Chriſtum dirigendi. Non aliter enim, quam per Chriſtum ad Patrem accedere nos poſſe, certum eſt. Sed quid ſit, per Chriſtum ad Patrem accedere, quatenus ſcilicet hoc facere omnino jubemur ac cogimur, dictum eſt ſupra, cum tua verba examinavi, ubi ob hanc ipſam cauſam, te nunquam in privatis tuis precibus ad Deum, Chriſtum omittere dixiſti.

Subjicis poſtea verba hæc mea in priore ad te ſcripto, *Quare tametſi fiducia in Chriſtum neceſſaria nobis eſt, non tamen neceſſarium eſt, ut ad ipſum preces noſtras dirigamus*, ſpectare ad labefactandam Chriſti invocationem. Id quod primum ex eo concludere videris, quod ante concluſeras, non eſſe neceſſarium Chriſto confidere, ſi (quemadmodum me argumentatum fuiſſe exiſtimabas) quia poſſumus & tenemur Deum Patrem invocare, concludendum eſt, nos non teneri ad Chriſtum preces noſtras dirigere. Verum ego ingenue fateor, me nulla ratione intelligere poſſe, quomodo ex priore illa tua concluſione, hæc poſterior ſequatur. Quanquam, cum jam demonſtraverim, te fruſtra adverſum me iſtam priorem concluſionem extuliſſe, nihil eſt cur hic quidquam reſpondeam. At deinde idem ex eo aperte concludis, quod (ais) *quicquid neceſſarium non eſt, id fortaſſis, & parum prodeſſe poteſt.* Sed quid attinebat, quæſo, ut iſtud mihi objiceres, verba illa mea afferre? An non hoc ipſum expreſſe continet ipſa ſententia mea, contra quam diſputas, obque hoc ipſum tantum me reprehendere pridem inſtituiſti? Videris autem ipſe agnoſcere, quam ſit infirmum objectum iſtud, cum vocem *fortaſſis* appoſueris, idque potius ex quorundam aliorum ſententia ſcripſiſti, quam ex tua ipſius. Sunt enim quidam inter noſtros homines, qui nondum percipere queunt, quæ ſit differentia inter neceſſarium & utile in religione noſtra. Quibuſcum te non ſentire, vel ex eo intelligo, quod ipſam cognitionem, quam noſtri homines habent de Dei Chriſtique natura atque eſſentia, à communi ſententia diſcrepantem, niſi fallor, ad ſalutem conſequendam neceſſariam eſſe non credis. Et rectiſſime quidem judicio meo, alioqui perirent ii omnes, qui tali cognitione ſunt, aut fuerunt, aut futuri ſunt unquam deſtituti. Ex quo ſequeretur, ut alia abſurda omittam, multos ſanctiſſimos & viros & fœminas Chriſtique martyres periiſſe. Non negabis tamen (quod & veriſſimum eſt) prædictam cogni-

cognitionem non modo utilem & valde utilem, sed longe utilissimam esse ad ipsam salutem adipiscendam. Taceo innumerabilia alia exempla ejusdem rei; cum inter doctissimos multos viros constet, ea, quæ ad salutem necessaria sunt, quod ad cognitionem præsertim spectat, paucissima omnino esse. Sed fortasse exemplum quæris actionis seu facti alicujus nostri, qualis Christi invocatio est, quod in religione nostra nobis sit valde utile, nec tamen necessarium. Non est necesse tale exemplum invenire. Satis enim est ostendisse, ad objectum tuum diluendum, aliquid, immo multa admodum utilia esse posse in nostra ipsa religione, quæ tamen non sint necessaria. Sed accipe nihilominus hoc exemplum. Assidue exercere se in studiis Sacrarum Literarum non est ad salutem necessarium, alioqui perirent innumerabiles homines maxime pii, qui hoc non faciunt: & tamen admodum utile esse nemo negaverit. Nec vero hic dixeris, iis esse necessarium, qui id possunt facere. Nemo enim hoc tibi concedet; cum nulli ad salutem necessarium sit aliud, quam Deo per Christum confidere, quod etsi prægnantissimum quiddam est, tamen compertissimum ratione atque usu est, id in eo quoque inveniri posse, qui se assidue in studiis Sacrarum Literarum non exerceat, etiamsi id facere maxime possit, dummodo ne inaniter & sine fructu aliquo Christiano, tempus, quod lectioni & examinationi Sacrorum Scriptorum dare posset, terere audeat. Mitto autem, quod etiamsi Christi invocatio parum nobis prodesset, non idcirco ea nobis contemnenda foret, nam satis esset, eam aliquo loco & tempore alia digna effecta pariturum, qualis est celebratio nominis Christi, & publica contestatio agnitionis imperii, ac perpetuæ ejusdem Christi in Ecclesia curæ ac gubernationis; atque etiam in tali agnitione, ad Christi gloriam sui ipsius exercitatio quædam ac confirmatio, quod non in publicis modo, sed etiam in privatis precibus locum habere potest.

Sed jam ad me meis dictis revincendum transis. Ubi in te ego refutando, & ostendendo, me mihi ipsi optime constare, non ero longior, cum jam supra errorem tuum in confundendis istis locutionibus, *Non vult nec audet invocare Christum*, & *Non invocat Christum*, & simul, quo sensu ex sententia verbisque multis meis colligi possit, me neminem condemnare, quamvis reipsa Christum non invocet, id est, ad eum preces suas non dirigat, abunde ostenderim atque explicuerim. Quid enim aliud ex aliis meis dictis contra me concludis, quam, *quicumque nomen Christi invocare non vult nec audet, istum ad salutem per Christum partam non pertinere*; Hic autem obiter dicendum mihi est, te, dum ita concludis, *Nomen Christi invocare*, pro eodem ponere, quod est; *Christum invocare*, quod & si fieri posse videatur, cum, Hebraica locutione, sæpe idem significet, exempli gratia, nomen Dei, quod Deus; tamen, cum hic Invocandi verbum pro eodem accipiatur, quod est preces dirigere, non videtur debere mutari. hæc locutio Invocare Christum, in hanc, invocare nomen Christi. Nam Invocare nomen Christi, cultum ac fidem erga Christum, unde quidem fiat, ut quis audeat ad ipsum suas preces dirigere, non tamen ipsum Dirigere, ad Christum suas preces; significat: quod cuilibet constare poterit, si velit, ubi locutio ista legitur, loco ipsius substituere, Dirigere preces suas ad Christum. Videbit enim, non bene quadrare hoc non dicam ubique, sed, ni fallor, nusquam. Fateor igitur, ut ad rem redeam, eum, qui Christum invocare nec vult nec audet, ad salutem per Christum partam non pertinere, nec propterea mihi quidquam adversor, etiamsi affirmem invocationem Christi, id est, directionem ad ipsum precum nostrarum non esse necessariam, absoluta scilicet ulla necessitate, sive semper sive etiam aliquando. Nam per accidens (ut ajunt) necessariam aliquando esse & fateor & contra Adversarios ipse satis contendo, cum illam semper & ubique jure fieri posse tantopere urgeo. Quidquid enim in religione nostra jure fieri potest, id etiam necessitati per accidens est obnoxium; cum qua necessitate, ac potestate, unde ea ortum ducit, in iis qui eam agnoscunt, nullo modo simul consistere potest Nolle nec audere.

Affers deinceps ad probandam necessitatem directionis precum nostrarum ad Christum, hoc argumentum: *Omnis res per quam gloria Christi maxime elucescit & amplificatur, nominisque Christiani professio stabilitur ac confirmatur, est summe necessaria: Dirigere preces nostras ad Dominum Jesum Christum est res, per quam gloria Christi amplificatur & elucescit, nominisque Christiani professio declaratur ac confirmatur: ergo directio precum nostrarum ad Christum res est maxime necessaria.*

Si infirmitatem istius argumenti, à te, quamvis apprime docto homine, formati, agnoscere ipse vis; substitue in assumptione seu minore propositione pro, *Dirigere preces, &c. Dirigere semper & ubique preces, &c.* & videbis, eam propositionem non modo tam veram esse, ut antea, sed etiam, ut sic dixerim, veriorem. Ex quo fiet, ut istius argumentationis vi, si recte ea conclusa est, concludere similiter, & quodammodo verius possis, Dirigere semper & ubique preces nostras ad Christum rem esse maxime necessariam, quod non laborabo amplius, ut falsum esse ostendam, contentus exemplo Apostolorum, & tua ipsiusmet confessione; licet eam non semel convellere, ista tua nova quadam necessitate probanda, ut vidimus, conatus fueris. Non est igitur major argumenti tui propositio simpliciter, & absolute vera, non solum in Christi persona, sed ne in Deo quidem ipso. Multa enim in Ecclesia fieri possent, per quæ Dei ipsius gloria maxime elucesceret & amplificaretur, & cultus ipsius Dei stabiliretur ac confirmaretur, quæ tamen non fiunt, nempe quod alia fiant, quæ idem revera præstant, atque efficiunt. Quamobrem, cum publica ac constans professio in Ecclesia, quod Christus omnem potestatem in cœlo & in terra habeat, quod Ecclesiam ipse perpetuo regat atque gubernet, quodque merito unusquisque nostrum semper & ubique ejus opem cum vera cordis fiducia implorare, ad eumque precationes suas dirigere possit, præter ipsius Christi Cœnæ celebrationem, aliaque non pauca quæ quotidie fiunt, aut dicuntur, fierive aut dici possunt, non minus (nisi quid novi accidat, quod ipsam precum directionem ad Christum omnino postulet) Christi gloriam illustret atque amplificet, Christianique nominis professionem stabiliat ac confirmet, quam si præterea aliquando (pro concesso enim sumo tuam assumptionem sic debere accipi) preces reipsa ad ipsum Christum dirigerentur; concludendum est, non esse summe necessarium reipsa preces nostras ad Christum dirigere, idque eo magis, quod in hac invocationis materia cogimur (velimus, nolimus) Dei eminentiam supra Christum agnoscere; cum, ut demonstratum est, Deum semper & ubique invocare teneamur, Christum vero non item. Hanc Dei eminentiam, & sic quod Deus Christo subordinatus non sit, quemadmodum Christus Deo, ego urgeo; quam optime novi per Christi invocationem non minui nec obscurari, alioqui enim quomodo tantopere contenderem, Christum jure invocari posse? Non igitur Christi invocationem, sed per Christi invocationis necessitatem affirmo ego minui atque obscurari hanc Dei eminentiam, ut nimis manifestum est. Nam ista tua necessitas, utcumque non semper, sed aliquando fit necesse, non præscripto nec quando, nec ubi, nec quoties, res inaudita est in religione nostra, nec simplicem Necessitatis appellationem meretur, nedum cum illis adjunctionibus, Summa, seu Maxima, quæ ex verbis tuis aperte colliguntur. Aliam Dei patris eminentiam nec urgeo, nec commemoro in hac disputatione; nisi alicubi, ut quemadmodum supra ostendi, non quidem vel Christi invocationem, vel etiam invocationis necessitatem ei officere aut indicem aut concludam; sed tantum, ut majorem infirmitatem alicujus tuæ argumentationis ostendam. Quod Christi gloria Dei gloriæ

gloriæ deroget, ne per somnium quidem cogitavi unquam. Immo haud scio, an ullus hactenus evidentius, copiosius, ac diligentius, quam ego in scriptis meis fecerim, Christi gloriam, & præcipue hanc, quod ejus opem in precibus nostris sacris fidenter implorare possimus, ad ipsius Dei gloriam maxime ac vehementissime spectare, docuerit, ac demonstraverit. Sed cum Christi gloria nominatur, vera Christi gloria intelligi debet, illa nimirum, quam sacris testimoniis edocti, Deum illi tribuisse, cumque ipso communicasse scimus, quæ quamvis summa omnino ac multiplex & pœne incredibilis sit, aliquid tamen ei cogitatione nostra addere possimus, quod ad ipsum Christum quodammodo cum Deo confundendum pertineat. Quale istud est, quod preces nostras ad Christum dirigere omnino debeamus. Id quod neque in fiducia, neque in servitute, neque in adoratione, nec denique in ulla re alia, quam tribuere ex Dei ordinatione Christo conveniat, contingere potest. Ut ex iis constare arbitror, quæ supra scripta sunt. Et hæc satis esse volo pro responsione ad ea, quæ iterum mihi objicis, quasi sine causa, eminentiæ Dei supra Christum aliquoties in altero meo scripto mentionem fecerim. Nam, quod hic hanc meam inter Deum & Christum in invocatione distinctionem, tanquam subtiliorem carpis, eam ejusmodi non esse, sed ipsi sensui communi quodammodo patere, ostendunt satis, quæ supra recitavi contra Franciscum Davidis à me scripta.

Jam, quod tantum pondus in eo statuis, quod Christi gloria Dei gloriæ nihil deroget, ut propter hoc sic inferas, *Stat itaque firmum argumentum meum, à potestate Christi ad necessariam invocationem nominis ejus ductum*, videre sane nequeo, quo jure id facias. Pro concesso enim sumo, te hic, quemadmodum supra fecisti, & res ipsa postulat, per invocationem nominis Christi, ipsius Christi invocationem, id est, ad eum precum directionem intelligere. Nam quid, obsecro, adversus id, quod ego contra affirmo, & exemplo allato, ostendo, non posse colligi ex certissima licet potestate necessariam invocationem, defendere tuum argumentum potest, quod Christi gloria Dei gloriæ nihil prorsus deroget? Numquid ego tuum argumentum ex eo oppugnare aut convellere tento, quod Christi hæc gloria, quæ ex necessitate illum invocandi oriretur, derogaret Dei Patris gloriæ? Nihil minus. Nam quid hoc ad argumentum tuum? Fuisset hoc, ut tu quidem existimasti, argumentum pro mea, vel contra tuam sententiam, non autem responsio ad argumentum tuum. Ego vero (ut mihi quidem videtur) diligentissime caveo, ne ejusmodi crassos errores in disputando committam; quamvis tu hunc eundem plane errorem mihi ante quoque ascripseris, in solutione alterius tui in priore scripto allati argumenti à fiducia ad invocationem, ut ante visum est. Nunquid fortasse hujus rei, quod hic Dei gloriæ derogaretur, in tuo argumento solvendo ullam mentionem feci? Nullam omnino. Tantum, ut probarem, te consequentia fallacia deceptum, quemadmodum invocatio vera & merito facta, esse non potest sine summa aliqua potestate ejus qui invocatur, sic existimasse, summam potestatem invocatione carere non posse; quod plane falsum est, etiamsi, ut tua argumentatio habet, ea summa potestas necessario agnoscenda esset: ut hoc, inquam, probarem, satis aperte, dixi, hoc verum quidem futurum, si in una tantum persona summa ista potestas agnoscenda esset; sed si in pluribus ea sit agnoscenda, ex boc non posse consequi necessariam invocationem, seu precum directionem ad certam unam ex illis. Idque confirmavi exemplo allato summæ potestatis mundanæ non in una tantum persona agnoscendæ. Ad quod exemplum quid tu respondeas, postea videbimus. Nam prius denuo hic aperiendum est, quid te maxime in hunc errorem inducere potuerit, & porro, ut ex tua ad meum exemplum responsione apparet, omnino induxerit. Illud autem est, quod putas eandem esse hic rationem invocationis, quæ adorationis, puta, & servitutis; & sicut summa eaque prorsus agnoscenda potestas, cuicumque illam habenti, etiamsi plures eam haberent, necessario adorationem, id est, summam reverentiam; nempe humanam, si potestas sit humana, divinam vero, si potestas sit divina, & parem servitutem conciliat, ita existimasti necessario invocationem conciliare. Quod tamen à veritate abhorrere, & discrimen, quod ad necessitatem attinet, inter invocationem, & adorationem servitutemque statuendum plane esse, vel id te monere poterat, quod in ipsius Dei Christique persona paulo post agnoscis & fateris; id est, posse sæpe nos ad Patrem solum preces nostras dirigere, quod certe in adoratione & servitute non contingit. Semper enim & ubique non Deum solum, sed Christum quoque adorare cogimur, seu tenemur, eique servire; hoc necessario requirente summa, quam habet in nos cum Patre Deo communem, potestate, à nobis necessario agnoscenda. Ea enim nequaquam à nobis agnosceretur eo modo, quo agnosci debet, si unquam eum adorare eique servire prætermitteremus. Nunc ad refutationem tuam exempli mei venio; qua diluenda, apertius tota de re constabit.

Primo igitur loco ais, me ipsum vidisse hujusmodi exemplum (nempe imperatorum, & ab ipsis ad imperii consortium ascitorum) non posse integre accommodari Christo, nimirum, arbitror, quia, ut cuicumque vel difficillimo disputatori satis facerem, ego ipse sum fassus, in hoc esse dissimile exemplum, quod Christo omnino confidendum est, illis vero ad imperii consortium evectis hoc non debebatur; in tuo autem argumento ejus rei mentio fiebat, quod Christo tuto inniti deberemus. Verum ego ibidem satis huic objectioni occurri, ostendens, jam me in superiore argumento dissolvendo, huic rationi satisfecisse. Quare nihil necessarium erat, ut exemplum, quod alioqui, fateor, ea carere non poterat, hanc quoque rem in se contineret; cujus teipsum novisse nullam hic necessitatem esse, satis indicat, quod in posteriore hoc tuo argumento commemorando dicis, ut vidimus, te illud a potestate Christi ad necessariam invocationem duxisse, nulla fiduciæ in eo collocandæ mentione facta. Itaque etsi non simpliciter, tamen habita ratione argumentorum tuorum & mearum responsionum, exemplum à me allatum Christo prorsus accommodari potest, atque eo magis, quod si ulla alia differentia est inter exemplum & rem, de qua quæritur, ea est, quod illi imperii consortes ab imperatoribus asciti, non erant prioribus istis imperatoribus subordinati, quemadmodum Christus subordinatus est Deo. Quare, si tamen nemo cogebatur opem ipsorum implorare, ubi videlicet priores imperatores aderant, & parem cum illis adhuc potestatem retinebant, multo minus cogetur quisquam Christi opem implorare, Deo ubique præsente non minus quam Christo, & eandem potestatem, quam Christo dedit, sibi retinente.

At deinde ais, istos ab imperatoribus ad imperii consortium evectos, *non nomine tenus, sed reipsa debito honore* affectos fuisse. Quasi vero vel ego dixerim, istos reipsa debito honore non fuisse affectos, vel nolim necesse esse, Christum debito honore afficere, vel denique constet, ad Christum preces dirigere (hæc enim est illa opis imploratio, de qua hic agimus) honorem esse Christo debitum, id est, ejusmodi, quod illi exhibere sit necesse. Nonne vides, te boc loco omnino principium petere? Nam si Honoris debiti nomine, non quidem necessarium, sed qui convenire possit, intelligis, præterquam quod improprie prorsus loqueris, nihilominus etiam principium petis; si modo verbum *Afficiebantur*, quod in tuis verbis legitur, significat, affici omnino debebant. Jam enim in ipso exemplo explicando à me negatum est, quenquam coactum fuisse ipsorum opem implorare. Quam tamen opis implo-

implorationem non nego illis convenire potuisse, seu, ut clarius loquar, illis tribui potuisse, alioqui nihil ad rem facere exemplum videretur, cum ex mea ipsius confessione manifestum sit, Christi opem implorari posse. Quod si verbum tuum illud *Afficiebantur*, id modo significat, quod sonat, id est, factum ipsum, hoc nihil ad rem, ubi non de eo, quod fieret, sed de eo, quod jure facere quis cogeretur, quæritur. Præterea, quomodo probas, istis omnem honorem exhibitum fuisse, qui exhiberi merito poterat? Sed quidquid sit, illud certissimum est, te nunquam probaturum, quemquam coactum fuisse illorum opem implorare, præsentibus præsertim prioribus Imperatoribus, & eandem cum illis adhuc potestatem retinentibus. Opis autem implorationem, in hoc exemplo, ipsam modo & per se intelligo, qualis est privata ac sine supplici libello. Nam in publica seu cum supplici libello, quidam præterea honor continebatur istis imperii consortibus debitus, quippe qui prioribus Imperatoribus non essent subordinati, sed tantum eorum socii. Propterea non licebat fortasse in tali opis imploratione unquam eos omittere, quamvis absentes & ignaros, cum tamen Christum, omnia perpetuo licet scientem, etiam in publica invocatione sæpe sine dubio omittere liceat. Id, quod quisque igitur istis semper reipsa tribuere cogebatur, erat reverentia, servitus, obedientia, & si qua sunt similia, quæ necessario agnitionem necessariam summæ nec subordinatæ potestatis comitari debent. Itaque, quod ais; *nec unquam placuisset imperatoribus illis, si quis neglectis & posthabitis eorum consortibus sive collegis, ad imperatores solos recurreret*; si de posthabitione & neglectu loqueris, quod attinet ad solum factum, non autem ad consilium omnino ita faciendi, numquam istud verum esse ostendes; nisi propterea id non placiturum fuisse Imperatoribus illis dicas, quod noluissent, se solos necessitatibus & postulatis subjectorum hominum providere coactos, ut antea, esse, (quamquam hoc verum fuisset forsitan, si multos id facere animadvertissent, non autem si unum aliquem, aut etiam paucos quosdam) Atqui istud in Deum cadere nequit, nec quidquam ad quæstionem nostram pertinet. Legitur quidem in Ecclesiastica historia, si recte memini, de quodam Amphilocho, qui consulto Arcadio à Theodosio patre ad imperii consortium nuper evecto, honorem quendam non exhibuit aliquando; sed soli patri pariter præsenti exhibuit, ut hoc Theodosio miraturo, ægreque (ut factum est) laturo, Amphilochus occasionem haberet ostendendi, Deum similiter ægre ferre, si quis ipsi soli, Christo filio, cum quo solium ipsum suum communicavit, prætermisso, cultum divinum præstaret; & idcirco Theodosium adhortandi, ne eos ferre vellet, qui Christum ipsum non colerent. Verum hoc nihil ad invocationem sive opis implorationem; qua licet unum Theodosium Amphilochus tunc honorasset, dummodo alioqui Arcadium honore illi conveniente affecisset, nihil Theodosius vel miratus esset, vel ægre tulisset. Jam Pharaonis & Josephi exemplum quomodo hujus rei clarissimum exhibeat testimonium, (ut ipse asseris) non video, nihil enim ibi apparet, vel inde apparere potest de Pharaone ægre ferente, aut laturo, si quis preces suas non ad Josephum, sed ad ipsum direxisset; nisi velis, quod Pharao dixit in Josepho toti Ægypto præficiendo, neminem pedem aut manum moturum in tota terra Ægypti sine imperio ipsius, huc pertinere. Nam si hoc eam vim habere dicas, ac si Pharao dixisses, neminem quidquam impetraturum, nisi id petiisset à Josepho, ab eoque precibus obtinuisset; hoc singulare quiddam in eo exemplo erit, quod nec in aliis exemplis invenitur, nec propterea, ut idem aut simile quidpiam à Deo in Christo factum fuerit, quidquam suadebit. Itaque propter exempli singularitatem nihil ex eo concludi poterit, nisi cum manifesta principii petitione. Quanquam non crediderim ego necesse esse, verba illa Pharaonis ad istum modum interpretari; immo tantum illis significari, quidquid jussisset Josephus, unumquemque facere debuisse; quidquid vetasset, à nemine fieri potuisse, ut nihil dicam, quod quamvis ad concessiones eorum quæ peterentur, verba ista accommodari aut possent, aut etiam deberent, nihil prohibet, quominus Pharaonis mens fuerit, ut nihil, licet à se petitum cuiquam daretur, nisi per manum Josephi, & ejus jussu interveniente, quod sane ego in Christo agnosco, & sæpe in meis scriptis assero, Deum in Ecclesia nihil largiri, nisi per Christum, id est, ipsius jussu interveniente; quamvis id ab ipso Deo tantum petitum fuerit. Denique istud Pharaonis, sive alterius cujusvis regis terreni exemplum, qui alicui curam sui regni demandavit, non est magnopere in hac parte urgendum; cum fieri possit, & quotidie fiat, ut non tam ad illum honorandum & evehendum, quam ad se molestia & labore liberandum, ut supra attigimus, id fecerit, quod, ut ibi dixi, nullo pacto in Deum cadere potest.

Ad ea, quæ statim subjungis, ut refutes argumentum quoddam meum, quod ex meis verbis elicis, nihil est cur respondere debeam, cum ego revera nihil argumentatus fuerim, ut supra demonstravi. Tametsi verissimum est (& hoc pacto alibi sum argumentatus) si Christus non semper in precibus nostris invocandus est, nullum igitur de precibus nostris ad illum dirigendis præceptum extare; quod si nullum præceptum extat, non necessarium esse ad illum preces dirigere. Nec propterea illos justifico, qui nunquam Christum invocant, si id consulto, & per contemptum invocationis Christi faciunt; ac præcipue si non invocant, ubi spiritus, propter quamvis caussam, quæ multæ esse possunt, id ut fiat, suggerit. Itaque nullo pacto eminentiam Christi aut labefacto, aut labefactare videri possum; quam scio in hac parte firmissimam, & inconcussam perpetuo fore, dummodo à me urgeatur, probetur, demonstretur, (quemadmodum semper & ubique fit, optimo jure posse nos in precibus nostris semper & ubique Christi opem implorare, utpote illius, qui ex patris voluntate omnia in Ecclesia administret, omniaque faciendi potestatem habeat, cum exauditione precum nostrarum, immo cordium ac renum inspectione atque exploratione perpetuo conjunctam.

Jam vero quod addis Christum ipsum testari, *sibi à Patre omne judicium commissum, ut omnes honorificent filium quemadmodum Patrem honorificant*, & ais, *Absque dubio hæc verba summum honorem Christo deferunt, in quo & invocationem nominis ejus facile quivis non contentiosus includi agnoscere poterit*, si, ut apparet, ac quemadmodum soles, per Invocationem nominis Christi, ipsius Christi invocationem intelligis, hoc est, ad ipsum precum nostrarum directionem (quanquam non debuisses toties ambiguitate verborum, etiam tibi fortasse ipsi, occasionem errandi præbere) ego plane diversum sentio; id est, contentiosum omnino eum futurum, qui verbis istis directionem reipsa precum nostrarum ad Christum contineri velit. Constat enim, verbis istis eum modo honorem contineri, qui necessario ex eo sequitur, quod Christo à Deo omne judicium, hoc est, omnis Ecclesiæ gubernatio commissa fuerit, quam ut supra ostensum est, precum reipsa directio necessario non consequitur, licet eam adoratio ac servitus necessario consequatur, quibus adde & obedientiam, quæ tamen servitute continetur. Nam de obedientia præcipue, seu, quod idem est, de fide reipsa Christi verbis adhibenda eo in loco agi ostendunt ea, quæ sequuntur; *qui non honorificat Filium non honorificat Patrem; qui misit illum. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Est igitur verborum Christi, quæ à te sunt allata, ut contra Franciscum Davidis cap. 9. partic. 3. scripsi, hæc sententia, *Oportere nos Christo obedire, & ipsum non secus ac Deum Patrem revereri; quia omnia gubernat, & sibi non obedientes ac contumaces punire pro arbitrio atque imperio potest.* Quamquam vero verba ista Christi, & totus ille locus directionem reipsa precum nostrarum non continet,

inet, tamen continet necessariam agnitionem ac publicam professionem potestatis dirigendarum precum; quippe quæ ex omni Ecclesiæ gubernatione necessario consequatur, quemadmodum contra eundem Franciscum cripsi partic. 2 capitis 21 his verbis, *Iste ipse apud Johan. ocus satis aperte docet, Christi invocationem ad Dei gloriam pertinere. Supra enim cap. 9. partic. 3 de gubernatione seu judicio, quod in Ecclesia nunc Christus exerceat, istic egi ostendimus; propter quod honos illi sicut patri ejus cœlesti tribuendus ab omnibus sit. Qui honor profecto aliud sit necesse est, quam ipsum simpliciter judicem seu gubernatorem esse, cognoscere; neque enim hac ratione honor ullus Christo tribuetur, nisi etiam quæ judicis & gubernatoris sunt, illi tribuantur. Inter quæ id potissimum numerari debet, ut ejus clementiam & æquitatem implorari posse agnoscatur, & publice affirmetur.* Vides, quam diligens fuerim in eliciendo ex hoc loco, quidquid ad Christi invocationem pertinens inde elici potest. Nam, ut necessitas ipsius invocationis recte ac necessario inde eliciatur, impedit ipsa invocationis ratio & natura, quæ nullo modo ex subordinata potestate quantumvis magna, necessario consequitur; nec invocandi legitimæ facultati, aliisque non paucis ad Christi summam gloriam spectantibus, quæ ex ejus potestate necessario consequuntur, est similis. Itaque non habent à te citata Christi verba vim expressi mandati invocationis Christi, ut existimasti, licet aliarum rerum prædictarum habeant, quemadmodum ego ipse de adoratione seu divino cultu contra Volanum scribens sum fassus; contra Matthæum vero Radekum, qui aliquando de Christi adoratione, ut de invocatione dubitabat, nunc autem per Dei gratiam non dubitat, plurimum contendi; ut videre poteris in meo scripto ad illum; quod est apud Dn. Lubieniecium nostrum, in quo scripto eandem distinctionem attuli inter necessitatem adorandi Christi, eumque invocandi, quæ tibi Christi invocationem labefactare videtur, quanquam ipse Radekus, non tam scripto meo, quam mirabili, nescio quo, casu factum fuisse ait, ut agnoverit Christo Domino & adorationem & invocationem convenire. Sed, ut ad te revertar, addis deinceps, me ipsum fateri, eos, qui Christum non invocant, eum, nec debito honore afficere. Ubi, ut soles, *Non invocant* usurpas, pro *Non audent, nec volunt invocare*; vel potius (si hoc recte ex verbis meis & aperte concludendum est) *Non agnoscunt & profitentur se jure posse invocare.* Melius fecisses, si ubique dixisses, me videri (tametsi non tantum videor, sed sic est revera) *condemnare omnes istos, quicunque Christum non invocant, nec invocare audent*, ut paulo post scribis. Nam illa verba, *nec invocare audent*, aut declarant, quo sensu priora, *non invocant*, sint à te dicta, aut certe illorum defectum supplent. Sed paulo ante verba ista, hæc scripsisti: *Status itaque quæstionis nostræ non est, an semper & ubique Christum invocare teneamur; sed an gloria Christi nostræque salutis fiducia id exigant requirantque, ut Christus necessario invocetur.* Ad quæ quid mihi merito respondendum sit, supra abunde expositum est. Hic tamen hoc dicam, statum quæstionis nostræ esse, ut ex scriptis meis manifestum est, An Christum invocare, id est, ad eum preces nostras dirigere teneamur, seu divino jure cogamur. Ex quo sequitur, si non semper & ubique cogimur, partem negantem nostræ quæstionis, quam ego defendo, jure optimo à me defendi, primum, quia non possumus dici simpliciter, divino jure cogi quidquam facere, si non semper & ubique, data videlicet ejus rei faciendæ occasione cogimur: deinde, quia, si non semper & ubique, ne aliquando quidem, necessitate videlicet absoluta cogimur; ut ante pluribus est demonstratum. Quod tu in quæstionis nostræ statu exponendo addis, de Christi gloriæ nostræque fiduciæ (ut sic loquar) exigentia, id revera non pars ipsius quæstionis est, sed ad rationes pertinet, quibus tu pro parte affirmante uteris: quæ cum nullam vim contra sententiam meam habere, ut quidem mihi videtur, satis evidenter docuerim, non video cur debeam ut mones, meo *Possumus* renunciare, ejusque loco *Tenemur* reponere ac scribere. Tu potius (ea tamen reverentia, qua me cum tanto viro agere decet) monendus mihi es, ut tuæ isti incertæ ac vagæ, & simul tamen absolutæ necessitati invocandi Christi renuncies, ejusque loco certam stabilemque invocandi Christi, seu ad ipsum preces nostras dirigendi facultatis agnitionem & professionem substituas; ex qua, certa similiter ac stabilis suo tempore, ex supposito sive ex accidente necessitas consequitur ad Christum preces dirigendi; Aliter & Christi invocationem, quantum in te fuerit, plane incertam reddes, & infirmorum conscientias aut lædes, aut torquebis; qui audientes, sibi necessarium esse ad Christum preces dirigere, & tamen non semper & ubique, aut totum hoc tanquam sibi minime constans, & una cum ipso directionem ipsam precum ad Christum contemnent atque aspernabuntur, aut semper dubitandi caussam habebunt, ne graviter peccaverint, si quando ad Christum preces dirigere omiserint; multo autem magis, si sæpe id illis contigerit, verentes, ne tunc maxime oportuerit Christum invocare, quippe quod necessitas illa vaga tunc acciderit id faciendi; cum nullo pacto sit verisimile, ut id, quod necessarium est ut faciamus, quamvis non semper, sed aliquando, tempus suæ necessitatis ex sola voluntate nostra habeat, si alioqui per se tempus suum habet. Mitto alia absurda & pericula, vel obscurandæ subordinationis Dei ad Christum, vel adversarios, qui Christum invocari posse negant, in suo perniciosissimo errore confirmandi, si viderint, necesse esse, ut qui posse ajunt, idque defendere volunt, necessarium etiam idem esse dicant, atque contendant; quando illi vel jam sciunt, vel facillime intelligere possunt, ex eo ipso, quod omnes fateri coguntur, non semper & ubique preces nostras ad Christum dirigere nos teneri, nullum hac de re præceptum datum fuisse.

Nam quod postremo colophonis loco addis, etiamsi nullum in Novo Testamento mandatum extaret de invocando Christo (quanquam non pauca esse putas, quæ vim expressi mandati habeant) *tamen* (ais) *si non necessitate absoluta, consequentis nihilominus necessitate Christum invocare teneremur*, velim scias, me cum ullum præceptum de Christi ope, directis ad eum precibus, imploranda extare, nego, non tantum de expresso verbis præcepto loqui, sed etiam de colligendo per necessarias consequentias ex aliis præceptis, hominisque Christiani necessario officio. Itaque, si ea vera essent, quæ statim subjicis his verbis, *Nam absque invocatione nominis Jesu Christi, neque fides vera fiduciaque sincera erga Christum defendi, nominisque ac majestatis ejus autoritas conservari potest, nomenque Christianum juste ac legitime usurpari*, si inquam, hæc vera essent (interpretatis videlicet verbis illis, *invocatione nominis Jesu Christi*, ac si scripsisses, *directione precum nostrarum ad Jesum Christum*) ingenue faterer, certum de precibus ad Christum nostris dirigendis præceptum extare. Sed ea minus vera esse, & ad ista omnia optime atque integre conservanda, satis esse constantem ac publicam agnitionem & professionem divinæ potestatis Jesu Christi, & consequenter ad eum semper & ubique preces nostras dirigendi legitimæ facultatis, quibuscum necessario adoratio, servitus, & obedientia erga eundem Jesum Christum conjuncta est, spero ex ante disputatis omnibus facile constiturum, nec tibi ipsi fortasse tam vera ista, quæ affirmasti, visa fuissent, si pro, Invocatione nominis Jesu Christi, Directione precum nostrarum ad Jesum Christum, scripsisses. Nam certe sine invocatione nominis Jesu Christi, ut hæc locutio, ex Sacris Literis accipienda est, ne Christianismus quidem consistere potest. Jam cum agitur in hac religionis materia de necessitate absoluta, quod attinet præsertim ad officium nostrum, id intelligendum est, quod omnino sit necessarium, si Deo obedire velimus & salvi esse; quæ necessitas alioqui absoluta vocari nequit per se ipsa,

cum conditionem conjunctam perpetuo habeat. Itaque si salvi esse non possumus sine directione precum ad Christum, ut quidem non possumus, si ea vera sunt, quæ tu affirmas, statuendum est etiamsi nullum verbis expressum ea de re præceptum extet, tamen precum nostrarum ad Christum directionem absolute nobis necessariam esse. Id quod ego nullo prorsus pacto aut concedere possum, aut quod affirmetur, laudare.

Restat scrupulus distinctionis inter Christi Invocationem & Adorationem; quem tibi nondum exemptum esse, sane miror. Primum dicis, te optime scire, quid intersit inter vocabula Adorationis & Invocationis; sed tamen te inter hæc duo, quatenus ea nunc ad Christum referuntur, distinguere nec scire, nec posse; cum, quidquid honoris & gloriæ Christo nunc corporali præsentia minime nobis præsenti exhibetur, ad internum cultum potissimum referendum ducas. Hic sane aliud præ te fers, ac de te affirmas, videris enim adhuc omnino ignorare, quid inter duo ista vocabula intersit. Ostendunt enim hæc tua verba satis aperte, tibi non videri, interiorem cultum sine invocatione esse posse, cum tamen manifestum sit interiorem cultum esse posse sine ulla petitione. Itaque negare videris, necessarium esse ut in invocatione sit aliqua petitio; quod tamen & nomen ipsum Invocationis necessarium esse ostendit, & inter nos plane constat; cum jam certissimum sit, nobis idem esse in tota hac disputatione de invocatione Christi, Invocationem. & Precum directionem. Num fortasse negabis, interiorem cultum sine ulla petitione esse posse? Atqui ut agnoscas, hoc nullo modo negandum esse, id tantum tecum animo reputa, quod Christum interiore cultu afficere semper & ubique, immo indesinenter, quatenus per humanam fragilitatem licet, debemus; non tamen semper & ubique, nedum indesinenter, aliquid ab eo debemus petere. Quid plura? cum Invocatio, ut dixi, idem nobis sit, quod Precum directio, & ipse fatearis, nos sæpe ad solum Patrem preces dirigere posse, immo, ut ipsa tua verba habent, cum fatearis, nos posse Christum non semper nec ubique invocare, nunquid non clare perspicis, interiorem cultum Christo exhibendum non semper habere secum conjunctam invocationem? alioqui oporteret, te affirmare similiter, nos posse non semper nec ubique Christum interiore cultu afficere, quod impium plane esset. Certe, si hoc non satis est, ut intelligas, me jure optimo inter Christi ipsius corpore absentis adorationem & invocationem distinxisse, & adorationem sine invocatione esse posse constanter affirmasse, vix scio, quomodo unquam id tibi persuaderi poterit. Verumtamen, ut interim aliquot tuæ hac in re incuriæ, tuique ipsius decipiendi caussæ explicentur, atque hac ratione adhuc tentetur, an scrupulus iste tibi eximi possit, respondendum est ad ea, quæ meis dictis postea objicis.

Objicis igitur primum, quod hymnos, laudes gratiarumque actiones in adoratione (ut ais) includam, invocationem tamen sub eodem genere habere nolim.

Hic rursus in consequentis fallaciam incidis. Putas enim, si Invocatio sub adoratione, ut suo genere, contineatur, utramque necessario semper simul junctam esse. Atqui aliter res se habet. Siquidem fieri potest, ut nulla sit invocatio sine adoratione, ut species sine suo genere; nec tamen contra ullo pacto concludi aut debeat, aut possit; adorationem sine invocatione esse non posse. Immo necesse est, ut, si Adoratio est genus, Invocatio vero ejus species, ut sæpe adoratio sine invocatione esse possit. Neque vero ego usquam aut tacite aut aperte scripsi, Christi invocationem sine adoratione esse posse. Illis sane exemplis hymnorum, laudum, & gratiarum actionum afferendis, nihil aliud ostendere volui, ut quidem ipsa verba mea clare explicant, quam, dari posse Christi adorationem sine invocatione. Quid igitur hinc contra sententiam meam de distinctione adorationis & invocationis colligi potest? Mirum sane hoc & tanquam portentum quoddam esset, si ex demonstratione, quod adoratio sine invocatione esse queat, sive etiam ex hujus rei affirmatione, colligi posset, nequaquam adorationem sine invocatione esse posse, nam hæc est breviter ac reipsa illa mea distinctio. Nonne id, quod ex dicto meo colligeretur, cum ipso meo dicto ex diametro (quod ajunt) expresseque pugnaret? Scio quidem, te non ita collegisse, sed tamen verba mea ab omni suspicione, quod distinctioni illi meæ adversentur, liberare volui. Non laborabo, ut ostendam, ex illis exemplis meis non recte colligi, invocationem, tanquam ad suum genus, ad adorationem pertinere. Satis est enim, hoc ipso concesso, quod tu ex ipsis collegisti, aperte ostendisse, id non modo ad distinctionem meam inter adorationem & invocationem labefactandam non pertinere, sed eam manifeste confirmare.

At deinde mihi objicis, quod hæc verba scripserim: *Talis est Christus à Deo factus nobisque constitutus, taliaque per ipsum beneficia accepimus, ut etiam eo secluso, quod nobis eum invocantibus opem in necessitatibus nostris ferre potest, eum tamen prorsus divino honore afficere debeamus.* Ais enim, *Si Christus nos in necessitatibus nostris juvare non posset; parum abesset, quin otiosum ac exauctoratum (quod absit) Christum haberemus; &c.*

Hoc loco videris in accidentis fallaciam incidere, Ego enim considero res in natura sua, ita ut mihi satis sit, intellectu posse eas inter se distingui: tu vero eas consideras prout in subjecto (ut loquuntur) ut simul sint, necesse est, quod, etiamsi verissimum esse concedatur, tamen, quod ad illud attinet, de quo agitur, ex accidente est. Quid enim impedit, quominus ea, unde fit, ut Christum adorare & invocare possimus, nunquam reipsa divelli possint, & non semper omnia conjuncta in Christo esse, & tamen propter aliqua ex ipsis, eum merito adoremus, quæ ipsa per se, ut eum invocemus, nullam vim habeant? Summæ dignitati summæque beneficentiæ summus honor debetur, & divinæ quidem divinus. Christus summam eamque divinam dignitatem habet, summamque, eamque divinam beneficentiam in nos exercuit; Ergo vel ob ista sola, ei à nobis divinus honor & sic adoratio debetur. Atqui ista sola non satis sunt, ut eum invocare possimus, nisi, etiam nos juvare possit, nostrasque preces exaudire, ac præterea nisi constet, non fuisse à Deo prohibitum, ut ipsum invocemus, quæ quanquam omnia in Christo sunt, & illi dempta, eum quodammodo exauctoratum redderent, non est tamen, quin ex natura ipsa rerum fieri posset, ut sine his ista sint. Immo, etiamsi, ne ex natura quidem ipsa rerum hoc fieri posset, tamen satis ad mea verba defendenda esset, quod consideratione distingui possent, & jure affirmari, unis per se adorationem tantum, alteris vero cum ipsis junctis etiam invocationem convenire. Quapropter nihil est opus, ut demonstrem, ut quidem in promptu est, hæc reipsa sejungi posse, immo fieri potuisse, si ita Deo visum foret, ut Christus ipse, id est, is, qui ab eo Christus factus est, una illa sine alteris habuisset, sive etiam cum illis unis quædam tamen ex alteris, & non omnia. Mitto, quod in ipsis verbis meis (quibus addere potuissem, quod perpetuo à Christo divina beneficia accipimus, & majora his accepturi sumus, cui rei per se adoratio debetur) non seclusi, quod Christus nos juvare possit, sed quod nobis eum invocantibus subvenire queat. Possunt enim, ut modo attigi, hæc separari, id est, fieri potest, ut quis juvare possit, & porro juvet, nec tamen ipsum invocantibus subvenire queat; nempe vel quia eorum preces non audiat, vel quia prohibitus sit ipsum invocantes juvare. Sed jam de his satis.

Quæ hic obiter addis ad confirmandam necessitatem invocandi Christi his verbis, *quales subditi, qui in necessitatibus Regem suum non invocant?* Et mox, *Fidelisne uxor, quæ mariti sui auxilium in necessitate non implorat? suntne propriæ oves,*

quæ

Quæ sub tutelam pastoris sui non confugiunt? Hæc, inquam, omnia eam vim non habere, quam credis, satis superius ostensum est, ubi de natura egi potestatis ejusdem in pluribus, quam una, personis residente, quarum etiam illa, de qua agitur, alteri sit subordinata. Hic tamen dicam; nec subditos, malos; nec uxorem, infidelem; nec oves esse alienas, quæ ad regem, maritum, & pastorem suum in suis necessitatibus non confugiunt, modo ne ad alienum regem, maritum, aut pastorem confugiant, sed opem ab eo petant, qui non modo conjunctissimus eorum regi, marito ac pastori sit; sed ipsorum potestatis solus auctor, à quo ipsi perpetuo pendeant, & ad quem ut hi confugiant nunquam ægre sint laturi; dummodo id per ipsorum contemptum, vel quia ipsis isti non fidant, fieri nec videant, nec suspicari possint. Applica nunc tu ipse hæc omnia nobis, Christo, & Deo, in quibus ea sunt, & in hac disputatione esse statuuntur, quæ vel à me in tuis similitudinibus addita, fortasse in ipsis rebus, unde similitudines ducuntur, inveniri nequeunt, vel à te nullo modo, si non veritatis quandam umbram, sed ipsam (ut quidem non dubito) veritatem quæris, omittenda erant. Vincat igitur, ut tu in ipso tuo scripto concludis, veritas. Quod ut in nobis potissimum eveniat, id caveamus diligentissime, quod tu me mones, ne præjudicatæ opiniones nobis noceant, neve nos pudeat, ut ais, à minore aliquando admoneri, ab eoque discere. Mihi sane præjudicatam hisce in disputationibus nostris nullam opinionem nocere, argumento esse poterit diligentia mea, in omnibus & singulis à te contra me allatis, perpendendis, examinandis, excutiendis, quam equidem in te, propterea quod hoc bonore ea digna non censeo, in meis pensitandis tantam non requiro, sed talem nihilominus desidero, quæ & me à labore sæpius earundem rerum scribendarum & inculcandarum te vero cum ab eodem labore, & molestia non jam literarum sed voluminum meorum legendorum, in quibus eadem identidem repetantur, tum maximeà suspicione, ne præjudicata opinione impeditus, mea aut vix legere sustinueris, aut non intellexeris, aut perpendere nolueris, prorsus liberare atque immunem reddere queat. Vale vir clarissime ac præstantissime mihique perpetua observantia colende, meoque nomine fratres omnes plurima salute impertias; quam nobis det ille unus Deus pater noster per Jesum Christum Dominum nostrum. Cracoviæ Die 20 Maij 1587.

Scripsi hæc in summo, ac fere perpetuo strepitu, in mediisque aliis rebus mentem ab omni vel levissima quidem scriptione, non modo ab hujusmodi tam gravi, retrahentibus, atque impedientibus. Quare ignosce erratis; cum in scriptura, tum si quæ graviora deprehendes in sensibus. Visum est enim mihi curandum fuisse, ut quamprimum responsionem meam haberes, nec fidelissimi hujus nuncii occasionem negligendam. Iterum Vale, & me ama.

Tui studiosissimus atque observantissimus in Christo frater
F. S.

Ad eundem D. JOHANNEM NIEMOJEVIUM F. S. EPISTOLA III.

Ut generis nobilitate, sic virtute, eruditione, pietate præstantissimo clarissimoque viro D. Johanni Niemojevio, domino meo summa observantia colendo, &c.

Salus & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo, &c.

Clarissime præstantissimeque vir, mihi summa observantia colende, &c.

DOminus Schomannus noster concessit mihi legendum scriptum tuum Polonicum, contra theses Vegæ Jesuitæ, in negotio Cœnæ Domini. In quo scripto, quatenus per meam linguæ Polonicæ ruditatem licuit, animadvertisse mihi videor, te plerumque adversarium egregie propellere, atque adeo tandem opprimere atque confodere. Verumtamen non pauca in eo observavi, quæ, si edendum, ut audio, opus fuerit, à te corrigi percuperem, quæque si huic rei commodum tempus habuissem, notata per Joelem Naborovium nostrum, qui tibi has literas reddet, ad te misissem. Sed quando id facere non potui, volui saltem tecum communicare brevissimum quoddam meum scriptum de Cœna Domini, in amicorum gratiam jamdiu à me exaratum; ex quo intelliges quid potissimum in tuo scripto desiderem, & quam ob caussam. Videris enim mihi una cum Bucero (qui, ut Zuinglium cum Luthero componeret, ab eo, quod ipsemet ab initio scripserat, recedens, tertiam quandam sententiam adinvenit, cui postea omnes ferme Zuingliani, præsertim vero Calvinus una cum suis omnibus subscripserunt) ea Cœnæ Domini tribuere, quæ nusquam in Sacris Literis leguntur: unde judicio meo, quemadmodum & Zuinglius sensit, ipsius Cœnæ Dominicæ usus quodammodo pervertitur, cum ibi ea quæruntur, quæ in nobis esse debent, priusquam ad ipsam accedamus, si ea digne uti velimus. Cujus Zuinglianæ sententiæ habeo apud me collecta nonnulla aperta testimonia, non modo ipsius Zuinglii, sed etiam Oecolampadii, Capitonis, Buceri, Borrhai, atque ipsius Ecclesiæ Tigurinæ, antequam Bucerus & Calvinus opinionem illam suam jam pridem in Christi Ecclesiam invehi cœptam, compluribus probassent. Quæ testimonia una cum scriptis duobus Lælii patrui mei hac ipsa de re tibi aliquando legenda ac perpendenda tradam, si exiguum hoc meum scriptum, quod nunc leges, tibi minus persuaserit id, quod, ut pote verissimum Christique Ecclesiæ utilissimum, tibi persuadere velim. Cætera, quæ in tuo scripto emendari abs te cuperem, rescies ex me, Deo dante, non itamulto post Chmielniciæ in synodo, ubi omnem operam dabo, ut vobiscum esse possim. Atque eodem tempore poterimus sive privatim sive in ipsa synodo (si ita tibi visum fuerit) de iis aliquid agere, de quibus ante aliquot menses per scripta disputavimus. Quanquam, ut sæpius dixi, malim, cæteris omissis, aut præcipue saltem, de justificatione nostra agi, quod pertinet ad fidem & opera. Video enim maximi momenti esse ad salutem nostram, hujusce quæstionis veritatem recte nosse. Venissem sane Chmielniciam, cum Septembre proximo synodus ibi est habita à vobis, sed præterquam quod nemo ex Cracoviensibus fratribus profectus est, incidit etiam in idem plane tempus carissimæ meæ conjugis mors, qua tantopere sum perturbatus & adhuc perturbor, ut tibi in simili olim jactura vehementem illam perturbationem condonandam esse prorsus judicem, & tibi vehementer gratuler, quod, ut audio, uxor tua lectissima fæmina post diuturnum, sævum, difficillimumque morbum qualis meæ uxoris fuerat, jam tandem convalescere inceperit, & si non sanitatis suæ, saltem vitæ spem facere. Nihil enim ego non dedissem, quo fieri posset, ut uxor mea quantumvis minus sana, mihi superstes fuisset. Deus pro ingente sua bonitate tibi concedat, ut tuam non solum quam diutissime tecum vivere, verum etiam bene valentem esse, non injuria statim sperare possis. Fratres omnes, præsertim vero D. Cechovicium, & Balcerovicium plurima salute in Domino Jesu impertio, meque omnium vestrum precibus apud Deum juvari & cupio, & postulo. Vale vir clarissime meque amare nunquam desistas, judiciumque hoc meum de scripto tuo pro tua pietate ac prudentia boni consule. Cracoviæ die prima Februarii 1587.

Tui observantissimus tibique addictissimus in Christo frater
F. S.

Ad Martinum Czechovicium coetus Lublinensis Pastorem,

F. S. Epistola.

Eruditione juxta ac pietate præstanti viro, D. Martino Czechovicio verbi Dei Ministro mihi plurimum observando.

Gratia & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

ROgavit me Dominus Schomanus, Dominus Simon Ronnemberg, & alii, ut ad parænesin Andreæ Volani responderem. Cui oneri etsi me imparem esse satis agnoscebam, & tempus mihi, aliis præsertim occupationibus distento, brevissimum esse videbatur, eorum tamen precibus deesse non potui. Itaque respondi quantum sat mihi visum fuit. Quid præstiterim vos judicabitis. Volui, ut ex inscriptione appareret, hunc privatum cujuspiam laborem, & consilium fuisse, ut, si quid in hac responsione vobis minus recte dictum videretur, non bona conscientia solum, sed jure etiam eam semper ejurare possetis. Quanquam cavi, quantum potui, ne aliquid dicerem, quod cum disciplina vestra non consentiret. Et propterea, cum alioqui magna mihi occasio data fuisset, de justificatione nostra per Christum sententiam meam accurate explicandi, de ea quid sentiam id tantum exposui, quod ne à vestra quidem sententia abhorrere sum arbitratus. Etenim, ut audio, vos quoque Christum pro nostris peccatis Deo satisfecisse, vel etiam ejus iram adversum nos placasse, tanquam loquendi modos à Sanctis Literis alienos, si quis dicat, ferre non potestis. Non dubito quin multos nævos in scriptione hac mea deprehensuri sitis, sed partim temporis summæ angustiæ, partim non bono eorum consilio, qui hominem huic muneri minus aptum delegerunt, eos imputare debebitis. Ego quidem nec labori, nec diligentiæ ulla ex parte peperci. Rogo te, mi Czechovici, ut exemplum Epistolæ Volani ad nos mittendum cures. Eam enim hic describendi tempus non fuit. Quod si cum eo exemplo partem illam scripti tui de baptismo conjunxeris, gratissimum mihi feceris. Domino Niemojevio, quem, ut debeo, pro ejus egregia pietate, & non vulgari eruditione, quæ generis summa nobilitate & splendore mirum in modum augeri videntur, & amo, & revereor, plurimam salutem te meo nomine dicere velim. Itemque Domino Balcerovicio, Dominoque Krokero, si recte ejus nomen recordor, Balcerovicii sororis viro. Te autem in Domino Jesu optime valere vehementer opto. Cracoviæ die 20 Junii 1580.

Tibi in Christo deditissimus.

F. S.

Ad D. Johannem Balcerovicium civem Lublinensem, & Seniorem coetus qui est ibidem.

Epistola I.

Eruditione ac pietate ornatissimo D. Johanni Balcerovicio, fratri ac domino plurimum observando.

Salutem à Deo, & Christo ejus &c.

EN tibi mi Balcerovici librum, quem tibi pollicitus fueram, qui si ei, quo tu me prior donasti, par esse non videbitur, cogitare debes, nec me etiam tibi parem esse. Utinam aliquando fiat, ut labyrinthos illos simul legere, atque expendere possimus. Suppeditabunt nobis, mihi crede, materiam de rebus differendi in religione nostra, cum maxime arduis, tum vero ad ipsius pietatis studium serio capessendum utilissimis. Ego donec te revisendi mihi facultas data fuerit, amicitiam nostram sancte colam, & memoria jucundissimæ consuetudinis tuæ, tui desiderium levabo. Velim ut interim & tu, & reliqui fratres Deum continenter oretis, ut mihi responsionem ad librum nuper contra nostros editum, non de mandato solum vestro, sed Cracoviensium quoque, & quorundam aliorum fratrum jam jam aggressuro, pro sua bonitate favere dignetur, ad suique nominis gloriam, hominumque salutem mentem meam, & manum, calamumque dirigere. Rogo te, ut D. Niemojevium meo nomine quam officiosissime salutes, eique, nisi id jam fecisti, omnino Commentariolum illum meum in primam partem primi cap. Joh. Euang. legendi copiam facias, eumque obsecres, ut quando ego ad Palæologum respondendo occupatus, quæ ei de justificatione promiseram, scribere non potero, ne gravetur universam ea de re disputationem meam perlegere, quæ est apud Ludovicum nostrum, quem illi causa mea libentissime commodaturum spero, ut præsens eum rogavi, & nunc absens hisce ad ipsum literis rogo. In eo enim opere responsionem D. Niemojevius ad omnia leget, quæ meæ sententiæ obstare vel minimum videantur, & rationem salutis nostræ per Christum exacte pertractatam, exque Sacris Literis ipsaque divina veritate expositam (ni vehementer fallor) inibi esse tandem confitebitur. Tantum ne properet, neve, præ operis mole quadam, legendi ac perpendendi diligenter omnia, curam, patientiamque abjiciat. Illud insuper eum monitum velim, me Levartoviæ ipsi aliisque dixisse, credere me, locum illum ad Gal. 4. Factum ex muliere, aliter legi non posse. In quo memoria lapsus sum. Siquidem ibi est verbum γενόμενον, quod non modo factum, sed Natum etiam significat, & præterea Eum qui extitit, sive fuit. Castellio Natum vertit, & recte, ut ego quidem arbitror, nisi si quis malit, qui extitit, sive fuit, propter verba quæ sequuntur γενόμενον ὑπὸ νόμον Quod nihil aliud est, quam, qui fuit sub lege. Utravis istarum interpretationem nunc mihi multo plus arridet, quam Factum. D. Czechovicio, cæterisque fratribus plurimam salutem impertio, teque una cum familiola tua in Domino Jesu bene valere opto. Cracoviæ 17 Octob. 1580. Dominum Krokerium nominatim meis verbis salvere jubebis. Affini tuo quam celerrime potui rediens literas reddidi. Credo illum ad postulata tua brevi, si id nondum factum est, non verbis tantum, sed reipsa isthuc advenientem responsurum.

Tibi ex animo deditus & in Christo frater

F S.

Ad eundem Epistola II.

Eruditione non vulgari, eximiaque pietate præstanti D. Johanni Balcerovicio, fratri, ac domino meo plurimum observando &c.

Gratia, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

QUod Chmielniciæ in Synodo non adfueris, id sane perquam moleste tuli. Judicium enim tuum de eo, quod jam adversus Palæologum scripseram, cognoscere avebam. Ut nihil dicam, quod sola præsentia, & aspectus tuus, ut semper solet, me atque adeo cæteros omnes, mirum in modum exhilarasset. Eo autem vehementius dolui, quod causa, cur ad nos non venisses, ut audivimus, morbus fuit. Ex quo etsi te jamdudum plane liberatum esse confido, gratissimum tamen mihi fuerit, id ex tuis literis intelligere. Dominus Niemojevius, cum in Synodo simul essemus, rogavit me humanissime, ut aliquid

scriberem

ſcriberem in ſeptimum caput Epiſtolæ ad Romanos. Quo probari poſſe ſperarem (quemadmodum fieri debere contendebam) Paulum, eo in loco non de ſeipſo, præſertim tanquam novo homine ac regenerato, loqui. Annui roganti, & cum Chmielnıciæ nec otium, nec facultas aliqua ſcribendi daretur, pollicitus ſum me Cracoviæ aliquid in eum locum ſcripturum, quod ejus deſiderio ſaltem aliqua ex parte ſatiſfacere poſſet, & per affinem tuum, qui tibi has literas reddet, ad ipſum me omnino miſſurum. Itaque ut fidem meam liberem, mitto exiguum hoc ſcriptum, extempore pœne propter occupationes meas à me exaratum, quod illi meo nomine tradas velim, eumque roges, ut, ſi fortaſſe minus hac ſcriptiuncula mea ſibi ſatiſfactum eſſe aut animadvertet, aut putabit, pro ea, qua præditus eſt, inſigni humanitate, cauſas ejuſce rei mihi ſignificare ne gravetur. Etenim ſpero fore, ut ſi, quid illum mecum ſentire vetet, intellexero, facile viam inveniam eum in meam ſententiam pertrahendi. Qua judicio meo nihil verius, nihil ad pietatem accommodatius excogitari poteſt. Verum quid meam ſententiam eam appello, quæ omnium ferme antiquorum Theologorum cum Latinorum, tum Græcorum fuit? Quam ipſe Auguſtinus, qui princeps contrariæ ſententiæ eſſe creditur, aliquando ſecutus fuerat? Quam denique non pauci ex recentioribus viri eruditiſſimi ſunt amplexi? Certe contraria ſententia adeo mihi & abſurda, & perniciosa (pace Auguſtini, & cæterorum dixerim, qui unum ipſum potius, quam reliquos omnes imitari voluerant) eſſe videtur, ut quantacumque vis potius Pauli verbis ſit adhibenda, quam ea admittenda. Nedum ut ſermonis figura, nec ſane inelegans, nec ipſi Paulo inuſitata, in Ipſis non agnoſcatur, ut à pleriſque hodie, maximo infirmorum offendiculo, fieri videmus. Sed hæc hactenus. Ipſum D. Niemojevium, quem ego unice colo, atque obſervo, meis verbis quam diligentiſſime ſalutes oro, eique dicas, me non dubitare, quin Deus ex tam periculoſo morbo non ita multo ante eum liberaverit, ut in Polonia veritati divinæ illuſtrandæ, ſolidæque pietati promovendæ, longe potiore ratione, quam hactenus factum ſit, non deſit qui vacare poſſit. Id modo ipſe agnoſcat, & accepti beneficii Deo gratum ſe præbeat. D. Krokerio, Dominoque Vilkovio ſalutem plurimam. Si Paſtor veſter jam ad vos, ut ſpero, rediit, me in illius ad Deum pro me precationibus non parum momenti ponere, ut ex te ſciat, velim. Te vero una cum uxore lectiſſima fœmina bene in Domino Jeſu valere ex animo opto. Deus vobis adſit, tuque me amare perge. Cracovia die 30 Januarii 1581.

Tibi perpetuo devinctiſſimus

F. S.

Ad eundem EPISTOLA III

Eruditione ac pietate inſigni prædito D. Johanni Balcerovicio amico & fratri ſuaviſſimo, dominoque ſuo plurimum obſervando.

Gratia & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

QUi has literas tibi reddet, reddet ſimul reſponſionem meam ad D. Niemojevium, quam ab initio copioſiorem quidem futuram arbitrabar, ſed non tamen, ut librum pro literis reſcriberem. Agnoſco me verboſum nimis aliquando eſſe, necdum hoc meum vitium ſatis corrigere poſſum. Excuſo enim interdum meipſum propter rerum hoc noſtro ſeculo novitatem quandam, quæ mihi ſcribenti explicanda eſt. Spero D. Niemojevium verboſitatem hanc meam æqui bonique conſulturum, præſertim cum quæſtio ampliſſima ſit, & ipſe jamdiu contrariam ſententiam ejus, quam ego veriſſimam eſſe arbitror, penitus imbiberit, deque ea plane perſuaſus eſſe videatur. Quo factum eſt, ut multis cum eo agendum putaverim, & non uno modo tentandum, an radicata jam in illo opinio ſtirpitus evelli poſſet. Ejus inſignis pietas, acerrimumque judicium ſpem mihi facit, me non fruſtra laborem hunc ſumpſiſſe tandem agniturum. Cæterum libellus, præ aliis perpetuis occupationibus meis, à me recognoſci non potuit diligenter, ſed tantum errata quædam librarii potius, quam mea, feſtinanter emendandi tempus habui. Nec dubito, quin multa adhuc in eo ſint, quæ limam deſiderent. Tu mi ſuaviſſime Balcerovici, ſi quid in ipſo deprehenderis, quod tibi minus arrideat, fac me continuo certiorem, ut vel locum emendare, vel tibi ſatisfacere aliquo modo poſſim. Interim bene vale, & in cœpto pietatis curſu viriliter perge. Dominus Jeſus tibi perpetuo adſit. Cracoviæ 26 Martii 1581.

Tibi devinctiſſimus in Chriſto frater

F. S.

Ad eundem EPISTOLA IV.

Gratia & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

POſt diſceſſum tuum, Volani reſponſionem iterum legi, quo factum eſt ut ad eam refutandam multo vehementius fuerim excitatus, vixque mihi temperavi quominus calamum ſumpſerim, & refutationem aggreſſus fuerim. Verum quia jam conſtitutum eſt, ne ſine fratrum conſilio & conſenſu aliquid ſcribam, egoque privatas etiam ob cauſas vehementer expeto, ut refutatio iſta totius cœtus nomine in publicum edatur, rogo te id ipſum, quod coram rogavi, ut Eccleſiæ veſtræ hac de re ſententia ad nos quam primum perſcribatur. Crediderim tamen brevem admodum futuram refutationem iſtam. Prior enim reſponſio, ſive mea, ſeu potius noſtra, per ſe ipſa hoc Volani ſcriptum, quo ipſam convellere tentavit, ſatis quodammodo refutat, nec alia præterea re opus eſſe videtur, quam ejus reſponſionis publicatione, paucis quibuſdam additis, quæ captioſas Volani λογομαχίας coarguant, & rem totam, ſicubi opus fuerit, dilucidius explicent. Cum fratres iſtinc reſponſionem in Lithuaniam Volano exhibendam miſere, memini me audire, nonnihil à Domino Czechovicio ei additum fuiſſe; id neſcio an Volanus in ſcripto ſuo commemoret ac refutet. Quod ſi facit, velim ſcire, quid illud ſit. De aliis, quæ præter reſponſionem illam Anonymi ſibi pro reſponſione oblata fuiſſe Volanus ait, curandum mihi non videtur, nec ad ea quæ contra ipſe refert, reſpondendum, niſi ſi alicubi aliquid dicat, quod ad veritatis defenſionem confutatione egere videatur. Quicquid ille, præter quæſtionem de perſona Chriſti Jeſu, ejuſque officio diſputat, ſilentio omnino prætereundum cenſeo. Quicquid tamen fratres conſtituerint, id apud me firmum & ratum erit. Te mi ſuaviſſime Balcerovici optime valere opto in Domino Jeſu, una cum uxore & familia, præſertim vero mellito filiolo tuo, qui ut tui ſimilis, id eſt, pius ſimul atque eruditus evadat, omnibus viribus enitendum tibi eſt. Minutæ meæ Epiſtolæ literulæ jam te oculis probe uti poſſe præſagire mihi videntur, quod utinam ita ſit. D. Niemojevium, Dominumque Czechovicium, ſimulque alios iſtic amicos fratres plurimum ex me ſalvere jubebis, & me pro tua humanitate complecti atque amare perges. Deus Spiritu ſuo tibi perpetuo adſit. Cracovia. Junii 1582. Diem in Epiſtola adſcribere omiſi. Is erat primus Junii.

Tibi ex animo addictiſſimus

F. S.

Ad eundem EPISTOLA V.

Erudito juxta ac pio viro, omniumque virtutum genere excultissimo D. Johanni Balcerovicio, fratri & Domino plurimum colendo, &c.

Gratiam & pacem à Domino, &c.

HUmanissime atque ornatissime vir, Amicum Veterem habeo Johannem Baptistam Bovium Bononiensem, qui Gedano, ubi nunc degit, Lublinum, ut apud vos hac hyeme habitet, venire cogitat. Sed cupit ante, se vobis omnibus commendari, dubitans ne, quia, etsi Trinitarius non est, tamen nobiscum non plane consentit, aliqua molestia à nostris hominibus istic afficiatur, quasi à Menonistis Gedani affectus fuit. Ego quidem ad ipsum scribens, jussi eum esse bono animo; nostros enim homines nusquam ejusmodi esse, ut cuiquam negotium facessant; Immo pollicitus sum fore, ut istic summam humanitatem & mansuetudinem in omnibus experiatur. Interim tamen non committam, quin eum tibi amice optime, & per te aliis fratribus Lublinensibus, vel prope Lublinum commorantibus, quam maxime possum, commendem. Est enim vel eo nomine commendatione dignissimus, quod annos ab hinc circiter novendecim, propter purioris religionis professionem patria exulare est coactus, unicus perpetuò patri filius, eique ditissimo, & generis nobilitate conspicuo. Erat autem jam tum ferme cœcus. Quare, cum nihil prorsus peciniarum à primis exilii annis ad eum pater mittere ausus fuerit, ne gravissimas pœnas, si id faceret, sibi paratas subiret, necesse illi fuit fere semper mendicare, ac sæpe vel fame moriendi periculum subire. Effeceram ego precibus meis apud D. Doctorem Buccellam, ut illi singulis annis quinquaginta florenos dono daret, quibus suam extremam paupertatem bona ex parte levare posset. Spero D. Buccellam adhuc in instituta liberalitate perseverare. Mihique fit verisimile, ipsum Bovium tum propter hanc, tum propter alias quasdam causas, nemini istic admodum gravem futurum. Rogo tamen nihilominus, ut si qua in re illum juvare potestis, viscera misericordiæ vestræ illi non claudatis. Hoc erat quod his meis literis tibi significare volebam. Quare finem facio si prius te obnixe oravero, ut D. Niemojevio, D. Czechovicio, D. Krukerio, cæterisque fratribus meo nomine plurimam salutem in Domino dicas. Vale amice ac frater præstantissime. Cracoviæ die 28 Septemb. 1584. Si cum his meis literis conjunctæ fuerint literæ meæ aliæ Gedanum ad D. Matthæum Radekum mittendæ, quæso te, ut eo quam diligentissime perferendas cures. Adhæc rogo, ne tibi sit grave significare, ecquid literas illas Vilnam miseris, quas tibi Chmielniciæ dederam.

Tibi ex animo deditissimus

F. S.

Ad eundem EPISTOLA VI.

Salutem & pacem à Deo, & Christo, &c.

ORnatissime vir, ac frater mihi pluribus nominibus colende, &c. Post obitum uxoris, unde tanto dolore sum affectus, ac pœne consternatus quantum vix paucos alios in tali casu sensisse, crediderim, successerunt publica hæc mala hujusque regni incommoda, quæ haud mediocriter me turbarunt, atque etiamnum turbant. Ex quo factum est, ut jamdiu nullas ad te literas dederim, nec Gedanum quicquam scripserim, quo tamen alioqui mihi sæpius scribendum fuisset. Quanquam vix nuncius ullus toto hoc tempore se obtulit. Nunc offerente se egregio isto viro D. Bernardo medicam artem profitente, nostrique Domini Radeki affine, tametsi adhuc doloris & perturbationis plenus, nolui omittere quin tibi significarem, me, per Dei beneficium, in tanta animi molestia atque ægritudine corpore jam bene valere, (nam & corpus ipsum vehementer labefactatum fuerat) & sperare, me posse ad pristina studia ac labores, quos aliquot ab hinc menses intermisi, denuo reverti. Quod si ad Dei gloriam futurum est, concedat id mihi ipse Deus. Volui etiam aliquid Gedanum scribere, ad virum mihi summa amicitia & familiaritate conjunctum fratrem nostrum in Domino, & D. Radeko nostro, ex quo Gedanum appulit, carum, ut arbitror, & perfamiliarem. Velim ego virum istum, si per hos tumultus liceret, huc ad nos venire ac mecum habitare. Ea enim est præter eruditionem, & sacrarum rerum peritiam hominis integritas, morumque suavitas, ut nihil mihi ejus usu ac familiaritate jucundius accidere possit. Quare te per amicitiam nostram Christianamque necessitudinem oro obsecroque, ut si unquam contigerit, illum istuc advenire vel Cracoviam ad me venturum, vel alio profecturum, tua illa, quæ tecum nata atque alta videtur, insigni humanitate eum complecti velis, & si qua pecunia illi opus fuerit ad susceptum iter perficiendum, eam illi mutuo dare. Ego enim pro ipso spondeo ac fide jubeo. Immo simul atque de pecunia ei, in quem dixi finem, data certior factus fuero, tibi eam vel hic, vel istic reddendam curabo. Cujus meæ sponsionis ac fidejussionis testimonium volo apud te hasce meas literas extare. Et quanquam ex inscriptione literarum, quas ad ipsum scribo, satis de ejus nomine quem tibi tantopere commendo constare possit; tamen, ut plenum in hisce literis habeas, ut dixi, meæ promissionis testimonium, vocari illum noveris Cornelium Daëms, esseque patria Bruxellensem, fuisseque aliquandò juris consultum, in eaque facultate doctoratus (ut loquuntur) insignia honorifice accepisse; sed postea juriscivilis studio relicto, se totum divino juri pernoscendo tradidisse, non sine summa horum terrestrium bonorum jactura, quam sine dubio Dominus Jesus, cujus gloriæ amore flagrat, cœlestibus bonis cumulatissime compensabit. In quo statu hic sint res, narrabit tibi D. Bernardus. Certe is est status, ut assidue, idque vehementius quam unquam antea, nobis orandus sit Deus, ut nos benigne velit respicere, & imminentia mala pro sua bonitate à nobis repellere. Vale vir ornatissime & D. Niemojevium, Dominumque Czechovicium, reliquosque fratres plurima salute meo nomine impertias; meque tibi addictissimum, ut soles, redama. Cracovia die 21 Novembris 1587.

Tui studiosissimus in Christo frater

F. S.

Ad eundem EPISTOLA VII.

Peregregio plurimisque virtutibus, pietate vero inprimis ornatissimo, ac præstantissimo viro D. Johanni Balcerovicio, Domino, & amico summopere colendo &c.

DOlui atque etiamnum doleo vehementer, quod quando hic nuper fuisti, nec per morbum te invisere, nec tui adventus aut commorationis tempus rescire potuerim. Sed tamen quicquid Deo visum est, æquo mihi ferendum est animo. Dedi Jodoco seu Justo illi de Prez, qui Gedani degere solet, librum meum de Jesu Christo Servatore; illum eundem, quem aliquando hic tibi dederam, ut eum Andreæ Voidovio pro tua humanitate redditum curares, mihi postea à Voidovio redditum. Dedi inquam Justo librum istum, ut tibi eum tradat, teque meo nomine roget, ut eundem velis curare ad Johannem Volkelium meis verbis transmitti, quandocumque sese ejus rei occasio obtulerit. Scio hisce in rebus diligentiam tuam, & quan-

& quantopere me ames; quare, ut ſoleo, tua opera hic uti nihil dubitavi. Conceſſi Juſto, ut per aliquot dies librum apud ſe habeat, antequam tibi reddat; ſed ea conditione, ut reddat, priuſquam Gedanum ſe conferas, iſtuc ut arbitror reverſurus; &, ſi tibi aliquanto ante ad Volkelium eum mittendi facultas detur, ſimulatque id illi ſignificaveris, ſtatim tibi tradat. Quæ omnia rogo te, ut illi in memoriam revocare velis. Cum nuper fui apud te, legi in eo libello, quem habes de viris illuſtribus una cum eorum imaginibus, nomen proprium Pogii Florentini, quod nuſquam antea legeram, nec qui vel legiſſet, vel ſciret, ullum inveneram. Itaque mirum in modum, tametſi leviſſimum quiddam hoc videatur, abs te peto, ut, quando jam ejus ſum oblitus, id nomen ad me ſcribas. Facies mihi rem gratiſſimam. Fratres noſtros iſtic omnes præſertim vero D. Niemojevium, & D. Cechovicium plurimum ſalvere jubeo. Tibi vero vir peregregie atque humaniſſime, familiæque tuæ omnia feliciſſima & opto & precor: meque ut amare pergas, te etiam atque etiam rogo. Cracoviæ die 23 Octobris 1590.

Tui ſtudioſiſſimus tibique addictiſſimus in Chriſto frater

F. S.

Ad eundem Epistola VIII.

PRæſtantiſſime vir Domine ac frater in Chriſto vehementer colende, &c. Gratum mihi feceris, ſi mihi ſignificaveris, an ab Alexio typographo illa exemplaria ,,,,,,,,,,, acceperis eaque diſtraxeris: & quo pretio; ut ego idem pretium, cui debetur, reddendum curare poſſim. Nam, ut tu mihi id nunc diſſolvendum cures, non eſt neceſſarium. Satis temporis ad id, Deo volente, præſtandum habebis. De negotio illo, de quo conſtitutum inter nos eſt, ut per literas agamus, aliquid ex te ſcire aveo. Vehementer enim cupio, ut ſi fieri poſſit, conficiatur. Quod ſi ab ea parte, quæ tibi exploranda eſt, ſpes aliqua affulſerit, nihil dubito confectum iri, & alteram partem ea facturam omnia, quæ decus & conſuetudo poſtulat. Quanquam vero nondum affirmare poſſim, quæ futura ſint omnia bona illius, quem juvandum mihi ſumſi; tamen conſtanter aſſero, ejuſmodi futura, quæ animo Chriſtiano pluſquam ſatis ſint. Nec quidquam magis verendum videtur, quam ne cum illis, quæ iſtinc acciperentur, conjuncta, revera ſint nimia, & poſſidentis animum ab illa animi demiſſione & ſui ipſius abnegatione, quæ Chriſtiano homini neceſſaria eſt, facile avocent. Quod ſi tamen antequam ad me quicquam hac de re ſcribas, aliquid certius hac in parte ſcire volueris, dabo operam, ut ſtatim tibi indicare poſſim. Literas diriges ad D. Simonem noſtrum. Nam ego Deo volente cras ad Submontanos ibo, apud quos aliquot fortaſſe ſeptimanas commorabor. Interim te, vir præſtantiſſime, una cum uxore & liberis quam belliſſime ac beatiſſime in Domino valere ex animo opto. Cracoviæ die 4 Julii 1591.

Tibi ex animo addictiſſimus in Chriſto frater

F. S.

Ad eundem Epistola IX.

Virtute, eruditione, pietate ornatiſſimo ac præſtantiſſimo viro D. Johanni Balcerovicio, Domino ac fratri in Chriſto plurimum obſervando &c.

ORnatiſſime vir, Domine ac frater in Chriſto plurimum obſervande &c. Haud mediocriter dolui, quod Chmielniciæ in proximo conventu eſſe non potuerim; præſertim ubi reſcivi, te Dominumque Andream Lubieniecium ibi adfuiſſe, cum quibus mihi, præter communem religionem, intercedunt quædam alia privatæ neceſſitudinis vincula; ut conſuetudine, aut certe aſpectu veſtro, quo jamdiu mihi caruiſſe videor, aliquantiſper frui poſſem, & in noſtræ Eccleſiæ non paucis ſane, nec levibus, non ita longo tempore, calamitatibus, vobiſcum mutuo & conſolari & conſolationem accipere. Sed quando id Deo non eſt viſum, proficiſcente ad vos Domino Joële Naborovio noſtro nolui deeſſe, quin vos, ut mihi quidem abſenti licet, aliqua ratione inviſerem. Itaque mitto ad te quatuor exemplaria cujuſdam ſcripti excerpti ex libro ac diſputatione mea de Chriſto Servatore, quod amicus meus, me inſcio, excudendum curavit procul hinc quodam in loco, ubi id palam facere non licebat. Ex quo factum eſt, ut plurima errata eaque non levia in ſcriptum hoc irrepſerint, quorum partem notavit amicus ad finem ſcripti, reliquum vero ego ipſe calamo correxi, ſed propter alias occupationes meas, in uno tantum exemplari; ex quo tria reliqua emendanda ſunt, quod ut facias ipſe, te enixe rogo, antequam illa iis meo nomine des, quibus danda ſunt. Abs te enim peto, ne graveris unum ipſi Domino Lubieniecio dare, eique meis verbis ſignificare, quod, ſi forte apud ſe habet exemplum integræ illius diſputationis meæ, aut ſaltem hoc idem ſcriptum inde excerptum, poterit hoc, quod excuſum ad ipſum mitto, alii cuipiam donare; alterum dandum eſt Domino Niemojovio, cui pluribus nominibus in Domino gratulor, aperte experientia nuper comprobatum videns, & illum Deo curæ eſſe, & ipſi Dei cultum ac gloriam præter alia omnia cordi eſſe. Dices autem illi, hoc eſſe illud ipſum ſcriptum, quod in initio meæ in hoc regno commorationis ad ipſum hinc amici miſerunt, ab ipſo tunc temporis minime probatum, quippe qui contra illud Polonice non pauca ſcripſerit, quæ Dominus Schomannus noſter, piæ memoriæ, ipſo rogante Latine reddidit, ac mihi tradidit. Tertium exemplar des velim D. Cechovicio, eumque meo nomine roges, ut illud paullo diligentius legere ac perpendere velit. Diu eſt, ex quo reſponſionem ad Wujeki libellum abſolvi, quam Polonice vertendam habet apud ſe D. Statorius noſter; nec credo, adhuc totam vertit. Fratres omnes ex animo ſaluto, eorumque precibus me juvari apud Deum & opto & peto. Vale vir humaniſſime ac præſtantiſſime una cum uxore & liberis tuis, quibus omnibus Deus perpetuo faveat. Cracoviæ die 19 Decembris 1592.

Tui ſtudioſiſſimus in Chriſto frater ac ſervus

F. S.

Ad eundem.

Clariſſimis virtutibus atque eximia pietate ornatiſſimo ac præſtantiſſimo viro Domino Johanni Balcerovicio, Domino & fratri in Chriſto vehementer colendo, &c.

Ornatiſſime atque humaniſſime vir, Domine ac frater in Chriſto plurimum colende, &c.

DUæ jam ſunt hebdomadæ elapſæ, ex quo redditæ mihi ſunt gratiſſimæ literæ tuæ 8 die Martii datæ. Lætatus ſum ſane vehementer iſta audiens, quæ ſcribis de ſcriptulo illo meo typis excuſo, quomodo videlicet non modo illius, quæ ad te miſi exemplaria, prout ego te rogaveram, diſtributa fuerint, ſed etiam ejus lectio iis potiſſimum fratribus jucunda fuerit, quibus veritatis cognitio eſt cordi; veritatis, inquam, illius veræ divinæ, quæ Domini Jeſu Chriſti Euangelio continetur, quæque ut aliquando tandem emergat, Deum ardenter oro, neque, ut id in noſtro cœtu eveniat, ut ferme ſolebam, amplius deſpero. Quod ſi me vivo id contingerit, divinæ miſericordiæ erga me atque clementiæ maximum hoc erit

argumentum; meis nimirum peccatis alioqui postulantibus, ut prius ego moriar, quam tanto bono Deus suos impertiat. Laboro ego quidem, ut Deo favente, hac felicitate ipse vivens fruar. Sed non ita laboro, ut deberem, segnis enim sum ac timidus fortasse magis quam deceat. Quæ delicta ut mihi Deus ignoscat, ipsum ex animo precor. Literas Radecii nostri in Transilvaniam misi tertio post die, quam illas ad me miseras; qua de re ipsum Radecium brevi, ut spero, per literas certiorem faciam. Tu vero, obsecro, literas illas Italicas ad uxorem illius apostatæ scriptas quam primum ei reddendas cures. Facies mihi rem gratissimam. Non tamen est certus nuncius sumptu aliquo eo, ubi ipsa commoratur, mittendus, sed alicujus, qui alias ob causas eo sit profecturus, facultas expectanda. Tuæ uxori feminæ optimæ ac probatissimæ, liberisque vestris omnibus una tecum à Deo incrementum omnium cœlestium virtutum ex animo opto. Vale vir præstantissime, & fratres omnes plurimum in Domino salvere meis verbis jube. Cracoviæ die 29 Martii 1593.

Tui studiosissimus in Christo frater

F. S.

Ex Epistola ad eundem.

Ornatissimo viro, pietate, humanitate, omnique virtutum genere præstantissimo Dn. Johanni Balcerovicio, Domino & fratri in Christo plurimum colendo.

Ornatissime vir frater in Christo plurimum observande &c. Mei morbi reliquiæ effecere, ut ipse ad Synodum venire non possim, quemadmodum superioribus literis tibi prædixeram futurum. Sed fortasse hic manens plus in mea vocatione efficiam, quam si in Synodo adessem, & spero Deum Christumque vobis adfuturum, nec permissurum, ut quidquam statuatis, quod præter jus fasque infirmiores à nostro cœtu vel deterrere, vel etiam separare possit. Habet quidem Christiana religio sua paradoxa, sed non ea, quæ varii varie putant, re non admodum bene perpensa, & zelo quodam abrepti, vix eos, qui aliter sentiunt, audire sustinent; cum tamen istorum aliter sentientium & pietas & eruditio, & quod caput est, rerum divinarum scientia facile omnes eo adducere deberet, ut diligentissime quæ ab iis dicuntur perpenderent, antequam ea rejicerent. Deum oro ut actiones istius Synodi ipse suo spiritu moderetur ac gubernet. Mitto ad te emendationes erratorum in Antivujeko, quas ab unoquoque in suo Codice notari velim. Mitto, inquam, tribus exemplis. Quorum unum dandum erit fratribus Lithuanis, alterum istic retinendum, tertium Domino Stanislao Lubieniecio tradendum. Si noster D. Franciscus, qui has literas tibi reddet, aliquantulum spatii, antequam proficiscatur, mihi ad scribendum concesserit, alias literas scribam, videlicet ad Ostorodum, quem spero in Synodo adfuturum, ad Arcissevium, & ad D. Christophorum Mortinium affinem meum, qui nobis spem fecit se ad vos venturum; quas literas una cum his accipies. Sin minus, curabo, ut per alium quempiam eas ad te mittam, antequam Synodus dissolvatur. Si quid erit novi audies ex ipso Domino Francisco nostro. Interim me tibi fratribusque omnibus ex animo commendo, vobisque à Deo omnia felicissima precor. Cracoviæ die 13 Maii 1594.

Tui studiosissimus in Christo frater & servus

F. S.

Ex Epistola ad eundem.

Ornatissimo D. Joh. Balcerovicio, &c.

Ornatissime vir, Domine ac frater in Christo plurimum colende, &c. Domino Francisco fratri nostro hinc ad vos proficiscenti literas ad te dedi, & una cum illis emendationes, erratorum non paucorum in Antivujeko, tribus exemplis, a te eo modo, quo te rogavi, distribuendis. Quibus adhuc unius errati emendationem addo, alterius autem, quod secundum in ordine est, clariorem emendationem mitto, ut in schedula his literis inclusa videbis. Mitto etiam denuo rationes dati & accepti ad librum istum imprimendum, additis viginti florenis, quos nondum dederam, cum primo eas misi, & ex altera parte florenis 18 & gr. 27, quos ipse nondum ad me miseras. Acquum enim est, ut Lithuani fratres, si mihi persolvere debent, noscant exacte, quomodo res se habeat. Tibi, quod jampridem & ab ipso initio feci, omnem hujus negotioli absolvendi curam relinquo. Rogo te si exemplum disputationis Novogrodiensis ab Adversariis editæ, itemque (si modo eam nostri ediderunt) à nostris, nancisci potes, utrumque mihi compares, & quam primum poteris mittas, pretiumque ex ea pecunia demas, quam Lithuanorum fratrum nomine adhuc missurus mihi es. Dolerem equidem mirum in modum si disputatio ista sic habita fuisset, ut Adversarii affirmant. Sed ut id credam nullo pacto adduci queo, præcipue, cum omnibus nobis sit notum, quam isti homines parum candide & sincere in hujusmodi rebus se gerant. Suspicor tamen nihilominus, quatenus, disputationem ab ipsis editam percurrendo, animadvertere ac consequi conjectura potui, Licinii Antagonistam arte disputandi & ipso superiorem esse, & id in ista ipsa disputatione facile plerisque constitisse. Nam, etsi, ni fallor, Licinius noster neutiquam in ea hæresi est, in qua non pauci ex nostris sunt, non esse scilicet Christiano homini quantumvis facile cum Adversariis congressuro, dandam operam Dialecticæ; tamen vereor, ne ejus in eo studio diligentia, propter istorum ab eo dehortationes, quodammodo obtorpuerit. Nihil tamen statuo donec resciam quomodo revera disputatio illa fuerit habita. Vale vir ornatissime una cum tuis omnibus, hasque literas diligenter, quæso, tum meas tum alienas reddendas cures. Cracoviæ die 20 Maii 1594.

Tui studiosissimus in Christo frater & servus

F. S.

Ad F. S. Simonis Ronembergii civis Cracoviensis, & Senioris Ecclesiæ tunc temporis ibidem Epistola.

Gratiam & pacem, à Domino, &c.

Mi Socine, quia dicis Baptismum aquæ esse rem indifferentem, & laudas in aliquibus quod baptizantur, & vis etiam ut & Hebræi & Ethnici, qui nondum dederunt nomen Christo, baptizentur quasi ex debito.

Si tu ergo mi charissime Socine ad nos venisti, & est tibi animus participare mensæ Domini, & quodammodo nos accusas, quasi injuste & minus recte, tibi & aliis tui similibus, præcludamus viam, & injuriam faciamus, impedientes vos qui desideratis exsequi voluntatem Dei & Christi. Ideoque in nos magis quam in vos peccatum redundare &c. Aliis quoque viam præcludere quominus hujus Ecclesiæ fint membra, & disciplinæ sanctæ subjiciantur, &c. Per nomen Dei altissimi & Christi ejus me adstrinxisti & adjurasti, ut negotium hoc bene considerem & examinem, ne posthac luam pœnas, & respondeam pro multis, &c. Tibi itaque hæc, mi honorande Domine

Socine

Socine; propono; tuam etiam conscientiam contestans & adstringens, ut tu etiam diligentissime & æquissime negotium hoc examines & perpendas, an non magis conveniat tibi, qui vides utique Ecclesiolæ hujus nostræ pauperculæ & pusilli gregis, jam jacta esse aliqua fundamenta, vides cultum Dei veri & altissimi, & cultum ac regnum Christi ejus: vides aliquos tamen fructus, etiamsi debiles & paucos, Spiritus Sancti: vides apertam prædicationem, & professionem & publicationem eorum quæ divinitus nobis revelata sunt, & cæterorum quæ adhuc revelanda sunt anxiam & ex corde appetentiam & desiderium. Vides aliqua principia, etiamsi paucula & imbecillia disciplinæ Ecclesiasticæ, quam & tu adjuvas, & ut ex animo & indefinenter promoveas etiam atque etiam rogamus, & nomine Dei & Christi adjuramus. Vides Dei beneficio, quod non in pejus convenimus, quod non sunt istæ contentiones vanæ & nocivæ inter nos, quod quis se dicat Pauli, vel Apollo, sed omnes Jesu Christi, eique sicut hæredi omnium & Domino nostro hanc Ecclesiolam congregamus, verbo ejus & mandatis recipimus in gremium fidelium, & eodem verbo segregamus & ejicimus, &c. &c. Quæ tu latius & altius omnia expendere, pro tuo summo judicio, tibi cælitus dato considerare examinareque poteris. Et debes certe.

Hoc itaque mihi videtur in Ecclesiola Dei omnium minimo. Sed tamen etiam pro gloria Dei, & regno Christi, & pro ædificatione domus Dei collapsæ, & pro salute salvandorum, & pro confirmatione fratrum debilium, & pro bona charissimi D Socini, & horum qui à judicio illius aliquo modo pendent, ut, baptismum credens esse rem indifferentem, magis inclinet animum & cursuum boni appetens, in hanc partem indifferentiæ, ut baptizetur in nomine Domini Jesu Christi una cum fratribus, nihil dubitans aut pensitans quid sequuturum sit, an major ædificatio aut destructio &c. Ego hoc promitto nomine Dei & Christi ejus, quorum impulsu ad hoc scribendum hora quarta noctis die 16 Julii accensus sum, quod non in destructionem, sed in magnam & amplam mirabilem Ecclesiæ Dei ædificationem hoc faciet. Multorum enim animi, idque piorum & Deum vere timentium distracti, & quasi consternati sunt, & jam quasi ab hac Ecclesiola absterreri & deficere videntur & cogitant, quorum animi ante paucos annos & dies, non solum ad baptismum aquæ visibilem, sed ad omnes cruciatus, & mortem detestabilissimam etiam subeundam parati erant, & palam professi sunt. Ne itaque horum ratio sit reddenda, coram judice destinato justo & recto vivorum & mortuorum, Simon tuus intimus monet, rogat, deprecatur, optat, & expectat, ut non nostra, non Simonis, non Socini, sed ipsius Dei altissimi, bona & sancta fiat voluntas. Et nos ut fideles operarii in vinea Domini reperiamur, & ad finem usque perseveremus. Amen.

Hoc dico mi Domine Socine, & scribo in synceritate cordis mei, Dominus prosperet, & det virtutem verbo suo, quod ego ex illius mandato & gratia profectum esse credo. Cognovi enim ipsum, qui sim, & quid possim sine illius divino auxilio & afflatu &c.

Nosti mi Domine Socine, quod per Dei clementiam, nulli elementorum tribuimus divinum cultum & honorem: sed totum ad fontem omnium bonorum referimus eoque respicimus, & omnia bona exspectamus, per unicum & in unico mediatore, Jesu Christo Domino nostro, attestante hoc nobis Spiritu Sancto promissionis. Quæ externa sunt, fiunt ex mandato ad declarandam obedientiam, fidem, & spem erga Deum, & Christum ejus, & ad exhibendam veram faciem Ecclesiæ Dei viventis, & charitatem in Deum & proximum, ut etiam & inimici Dei & nostri videant, & confiteri cogantur, quod non nostra, nec nos ipsos, sed Dei gloriam quærimus, & salutem fratrum nostrorum.

Quod si tua, aut tuorum Ecclesia talis appareret; qualis jam, per Dei misericordiam, hæc Polonica apparet, certe cogeremur ista altius nobiscum cogitare, & tibi tuisque morem gerere & acquiescere, vincente nos conscientia nostra, immo vincente verbo Dei & Ecclesia instructiore & perfectiore &c. Boni consule mi dulcissime Socine, & quod Deus jubet dicito aut rescribe.

Tuus ex corde totus

SIMON RONEMBERGIUS.

Ad superiorem SIMONIS RONEMBERGII Epistolam.

F. S. RESPONSIO.

CAriffime & mihi venerande Domine Simon. Legi, ac diu diligenterque consideravi, quæ ad me scripsisti, & quamvis jamdiu mihi ex verbo Dei exploratum esset, quid ad ejusmodi admonitiones mihi respondendum foret, tamen antequam ad rescribendum sum aggressus, sæpius Deum rogavi, ut mihi ipse, quid responderem, ostenderet atque dictaret.

Cum incidisset inter nos sermo de baptismo aquæ, per Dei & Jesu Christi nomen te obtestatus sum, ut totam hanc rem diligentius considerare velles, atque id potissimum perpendere, si aquæ baptismus, quemadmodum ego asserebam, res indifferens esset, quam gravis esset error Ecclesiæ vestræ, quæ onus hoc aqua baptizandi fratribus imposuisset; adeo, ut neminem pro vero fratre agnoscere, & ad cœnam Domini admittere velit, qui rite aqua baptizatus non fuerit. Nec sane quisquam (arbitror) esse potest, qui, si concessum fuerit aquæ baptismum rem indifferentem esse, non plane fateatur, institutum istud vestrum, præsertim in tanta hac Christiani nominis divisione ac perturbatione, prorsus rejiciendum esse, & unicuique liberum relinquendum, an aquæ baptismum accipere velit, an vero ab eo abstinere. Hoc tamen non contentus, singulatim causas explicabam, cur vos, si baptismus aquæ res indifferens sit, ad illum accipiendum neminem adigere debeatis (de iis loquor, qui vulgo baptizati esse creduntur) quas hic breviter recensere, quibusdam fortasse additis, non gravabor.

Prima causa est, quod cum maxima pars eorum, qui nomen Christo dederunt, baptismum istum, quem illi accipiunt, quos ipsi pro jam antea baptizatis habent, rem detestabilem esse existiment, pessime & Dei gloriæ, & hominum saluti consulitur, si is baptismus retineatur, & quamvis indifferens, unicuique accipiendus præscribatur, hac enim ratione occasio datur de doctrina vere divina & Christiana, quam ab aliarum Ecclesiarum doctrina diversam profitemini, maledicendi ac blasphemandi, unde fit, ut plurimi, qui alioqui vel eam jam amplecterentur, vel certe de ea diligenter inquirerent, eam & penitus abjiciant, & ne qualis quidem sit, doceri sustineant.

Secunda causa est, quod Deus tentandus non est, & qui id facit, graviter peccat. Sed sine dubio, si baptismus externus res indifferens est, quicumque de eo rite accipiendo laborant, utque alii laborent, quærunt, Deum tentant. Nihil enim aliud tentare Deum est, quam se in periculum aliquod sine causa conjicere. Nam quis nescit, quantum periculum ubique fere illis immineat, qui ut aquæ baptismus ab omnibus rite accipiatur, curant; & propterea (ut quidem à plerisque existimatur) plurimos jam ab aliis baptizatos ipsi denuo vel baptizant, vel baptizari curant?

Tertia causa est, quod multi sunt vestræ confessionis, atque vitæ ejusmodi, cujus vos pudere non debeat, qui vel adhuc à vestro baptismo abhorrent, tanquam ab eo, quem Christi baptismi repetitionem atque ludibrium, si eum accipiant, futurum esse credunt;

vel

vel nolunt errorem istum (ut quidem ipsi arbitrantur) jugum inutile fratribus imponendi, exemplo suo, si baptismum istum acceperint, confirmare; vel ob alias honestimas causas ab eo accipiendo abstinent. Quos sane, si aquæ baptismus est res indifferens, indignum plane est propter eam causam à vestra communione arcere, nec pro veris fratribus agnoscere.

Quarta causa est, quod fieri potest, ut plerique eorum, qui vestræ sunt confessionis, & tamen baptismum vestrum non accipiunt, id propterea faciant, quia nolint disciplinæ Ecclesiasticæ se subjicere, cum ei apud vos non subjiciantur, nisi rite baptizati. Quod tamen interim vobis aperte constare non potest, prætendentibus illis fortasse alias baptismi istius non accipiendi causas. Itaque fit, ut illorum malitia non solum lateat, sed latibula perpetuo parata habeat, & ita quodammodo foveatur atque alatur. Atqui hoc cessaret illico, si aquæ baptismi accipiendi vel non accipiendi, tanquam ejus rei quæ indifferens sit, omnibus qui vulgo jam baptizati esse creduntur, libertas concederetur, & ita ii quoque, qui ritè baptizati non essent, disciplinæ Ecclesiasticæ ipsique excommunicationi subjicerentur. Ut interim nihil dicam, quod istiusmodi hominum vita, tanquam eorum, qui de disciplina atque excommunicatione sunt securi, ejusmodi facile esse potest, quæ non levem infamiæ notam vestris cœtibus inurat, frequentantibus illis interea cœtus vestros, seque vestræ confessionis esse palam profitentibus, quod quidem omnibus apparet, cum interim, eos baptismum vestrum non accepisse, paucissimis extra cœtum vestrum constet.

Quincta causa est, quod multæ sunt Ecclesiæ, quæ in quibusdam hodie controversis Christianæ religionis capitibus cum vestris Ecclesiis consentiunt, ac præsertim in iis, quæ præcipua omnino habentur de Dei Christique essentia, sive natura, persona, officio, & potestate; adeo ut una Ecclesia utrique cœtus & vestri & illorum passim censeantur. Quæ tamen Ecclesiæ (quacumque tandem de causa id fecerint) baptismi aquæ accipiendi libertatem, de qua loquimur, nuper unanimi consensu probarunt, eamque hodie retinent; à quibus vos in re, quæ revera indifferens sit, & tamen pro indifferente non habeatur, dissentire atque differre, apud exteros scandalo plenum est prorsus, & veritati propagandæ ingens obstaculum.

Sexta causa est, quod Ecclesiæ prædictæ, sive omnes sive majore ex parte, in quibusdam erroribus adhuc versantur, iisque haud parvi momenti; à quibus (quando præsertim in tot aliis præcipuis dogmatibus consentitis) vos, qui ab eis jam diu recessistis, illas retrahere omni ope niti decet. Id vero nunquam fieri poterit, nisi Pauli Apostoli exemplo in rebus indifferentibus illis plane adhæreatis, idque eo magis in baptismo, de quo loquimur, si is indifferens sit facere debetis, quod Paulus, multis se rebus subjiciebat, à quibus liber erat, vos autem contra ab eo onere eximemini, cui ferendo obstricti non estis.

Septima causa est, quod non pauci inveniuntur, qui cum in reliqua doctrina aut vobiscum consentiant, aut certe non multum à vobis absint, ni baptismus iste vester esset, sese vestris cœtibus adjungerent, qui nunc partim tanquam oves errantes sunt sine pastore, mille pereundi periculis obnoxiæ; partim non bonis pastoribus utuntur; aliisque gregibus, ubi sæpe ovibus venenum pro cibo datur, sese admiscent, ob eam causam potissimum, ut cœnam dominicam celebrare possint. Quod in vestris cœtibus, nisi à vobis baptizentur, se facere non posse norunt. Itaque vos rigiditate ista vestra (sic enim sine dubio, si baptismus res indifferens est, ea appellari debet) istos à salutis via quodammodo excluditis, &, si corruunt, eorum ruinæ causa aliqua ratione dici potestis.

Octavam & ultimam in præsentia causam faciemus, quod nulli dubium esse potest, quin Christianis Ecclesiis in rebus indifferentibus id faciendum sit, quod major pars eorum, qui Christi nomen profitentur, faciunt, (quanto igitur magis id quod maxima?) Ut quam vehementissime concordia & pax cum omnibus Christiani nominis quæratur; neve exteris Christi nomen culpa nostra ludibrio exponatur, & divinæ veritati propagandæ aditus præcludatur. Quocirca cum plerique omnes eorum, qui Christum hodie profitentur, satis esse statuant, si quis in ipsa infantia baptismum, à quocumque Christi ministrum præ se ferente, quantumvis mentiente, acceperit; idem vos quoque (si modo baptismus res indifferens est) statuere debetis.

Has te causas omnes frater carissime ac venerande perspicere, quia & prudens, & pius es, omnino persuasum habeo. Quare miror, cur me horteris, etiamsi credam aquæ baptismum rem esse indifferentem, ut illum tamen accipiam. Cum, ut ex prædictis causis patet, si baptismus est res indifferens, vos ii esse debeatis, qui ab eo urgendo cessetis; mihi vero summopere cavendum sit, ne illum accipiam, atque ea ratione vos in errore vestro non leviter confirmem. Non quidem quia mea auctoritas tanti sit, sed quia, ut omnes scitis, ego hactenus constantissime errorem istum vestrum, ubi necesse fuit, reprehendi, exque Sacris Literis integro libro eum refutavi. Ut interim taceam, me non de vobis tantum, sed de aliis quoque debere esse sollicitum. Nam quod tu mi frater nomine Dei, & Christi promittis futurum, ut, si ego baptismum accipiam, ex eo non destructio aliqua, sed insignis Ecclesiæ ædificatio sequatur, teque divino spiritu ad hoc promittendum impulsum esse ais, est, ut recte nosti, spiritus iste diligenter probandus, an revera ex Deo sit. Jam, si baptismus res indifferens est, ex antedictis satis constat, Spiritum istum ex Deo non esse. Quod si baptismum rem necessariam esse velis, hoc summa cura ad Sacrarum Literarum libram expendendum est. Ex quibus ego firmiter assero, nullo modo dogma istud probari posse. Nihil igitur agis nisi prius ostendas baptismi, de quo loquimur, ex Sanctis Literis necessitatem. Quemadmodum ego nihil agerem, nisi ex iisdem ejus indifferentiam ostenderem, quod me abunde præstitisse confido. Quanquam ne hoc quidem mei muneris esse in libro meo satis demonstratum est. Huc igitur omnis quæstio nostra redigitur, utrum aquæ baptismus res sit indifferens nec ne, atque in eo vobis est laborandum, ut librum meum quatenus necesse est, refellatis, meque in errore (ut quidem creditis) eoque magno ac pernicioso versari doceatis. Quod certe vos conari Christiana charitas omnino cogit. Cæterum quod multa de Ecclesia vestra ad ejus laudem narras, ea fateor esse verissima, idque ut apparet, factis comprobo; quando vobis, quod ad per vos licet, me adjungo, & vos pro veris fratribus agnosco; qualem tamen vos me nondum agnoscitis, ad illud, si id fieri à vobis velim, me adigentes, quod bona conscientia nullo modo facere possum. Quanquam multa adhuc in vobis desidero, quæ vix sperare audeo, nisi prius in quæstione hac de baptismo examinanda multo diligentiores, quam adhuc fueritis, vos esse animadvertero. Nam profecto (liceat mihi id, quod sentio, libere proferre) nimis negligenter hactenus hac in re vos gessistis. Jam enim tertius annus agitur, ex quo vobis librum meum vestro rogatu scriptum exhibui, necdum tamen aliquid revera tanta de re actum est. Ea mala, quæ in Ecclesia vestra sensim serpere lamentaris, majora in dies fient, nisi vos animosque vestros ista baptismi (da veniam verbo) superstitione liberetis, & salutis viam alia ratione, quam hactenus factum est, doceant vestri pastores. Vidi, quid satis cordate dicas de sententia vestra in iis, quæ baptismo externo tribuitis. Interim tamen res ipsa monet, te quidem, & alios quosdam paucos præterea, id sentire, quod scribis; verum non ita plerosque vestrum edoctos esse: ex quorum numero ne bonam quidem pastorum vestrorum partem excipio. Video enim adhuc illud

illud apud vos retineri, ut errores aliarum Ecclesiarum præcipui censeantur, trinitas, & pædobaptismus: adeo, ut si quis istos duos abjiciat, & in infantia baptizatos, baptizandos, postquam adoleverint, omnino esse dicat, eum (quod ad doctrinam attinet) pro fratre habeatis, nec quid in plerisque aliis sentiat, admodum solliciti sitis: cum tamen, quantum ad pædobaptismum pertinet, is error, etiamsi baptismus præceptus fuisset, idque in perpetuum, nulla ratione cum aliis multis erroribus, qui in aliis Ecclesiis vigent, esset conferendus. Huc accedit, quod illud etiam, quod ipse scribis vos sentire de charitate in proximum, quæ baptismo accipiendo declaretur atque exhibeatur, nullo modo mihi probari potest; cum potius contrarium hisce temporibus, si secundum institutum vestrum accipiatur, dicendum sit. Nihil enim, ut ex ante dictis patet, charitatem magis lædit, quam ista vestra (ut vulgo eam nominant) rebaptizatio. Postremo, quod ais de nulla mea vel meorum Ecclesia, quæ talis appareat, qualis vestra Polonica apparet, id judicio meo, etiamsi verissimum esset, nihil vos movere deberet, quominus ea, quæ à me dicuntur, diligentissime examinaretis, &, si Sacris Literis consentanea inveniretis, ea etiam approbaretis. Nam certe, si, ut ego contendo, baptismus est res indifferens, error vester ejusmodi est, qualis in Christi Ecclesia minime esse debet. Videte igitur, ne per negligentiam vestram aut aliam minus justam caussam, in errore permaneatis, cujus nullam nec veniam, neque excusationem postmodum inventuri sitis. Scio, mi Domine Simon, animi tui mansuetudinem, scio Christianam charitatem. Itaque ausus sum libere ad ea respondere quæ ad me amantissime scripsisti. Tu pro tua prudentia atque pietate diligenter omnia considerabis, &, quantum in te erit, efficies, ne mea hæc admonitio testimonium aliquando contra vos dicat apud Deum. Bene vale in Domino Jesu, ejusque regnum, quod jam diu facere instituisti, pro virili promovere perge.

Tibi ex animo addictissimus

F.S.

Ad Sophiam Siemichoviam nobilem fœminam F. S. Epistola quam ipsius literis in negotio Baptismi aquæ respondet.

Soror in Christo Jesu mihi plurimum observanda, &c.

Ad ea quæ scripsisti suadens, ut omnino aquæ baptismum in cœtu nostro suscipiam, temporis brevitate, ob alias necessarias occupationes meas, pressus atque coactus, breviter respondebo.

Primum igitur dico, me libentissime agnoscere, munus Johannis Baptistæ aqua baptizandi à Deo fuisse, quemadmodum ipse Johannes nos docet Joh. 1. 33 unde fateor concludendum esse, debuisse omnes, qui tunc temporis fuerunt, donec ejus munus duravit, ab eo aqua baptizari, omnes, inquam, ad quos baptismus ille pertinebat, eos videlicet, qui pœnitentia & peccatorum remissione egebant, is siquidem baptismus erat baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Luc. 3. 3: quem nihilominus Christus, licet innocentissimus, suscepit, quia, ut ipse dixit, decebat illum, & Johannem una cum eo, hac ratione omnem justificationem implere, id est omnia facere, quæ generatim toti populo divinitus præcipiebantur. Nondum enim tempus erat, ut Christus perfectissimam suæ vitæ innocentiam, quæ postmodum evidentibus argumentis comprobanda & patefacienda fuit, seu etiam justitiam vel sanctitatem ullam suam, à baptismo illo abstinens tacite quodammodo prædicaret, ac profiteretur. Sed nullam vim hæc habere possunt ad persuadendum, ut quis hodie aquæ baptismum suscipiat; cum munus illud Johannis Baptistæ una cum ipso Johanne defecerit, immo simul atque Christus prædicare cœpit, nulla necessitas aquâ à Johanne baptizandi cuiquam imposita fuerit. Quod vel ex eo patet, quod ipsa ab initio statim tuarum ad me literarum commemorasti, ex eo, inquam, quod Johannes Christi præcursor fuit; & viam ad illum paravit. Itaque postquam jam ipse Christus advenit, & populum docere instituit, poterat unusquisque non ad Johannem, sed ad ipsum Christum ire. Nihil ergo prorsus ex ipso Johannis munere aqua baptizandi, quantumvis divinitus instituto, colligi potest ad aquæ baptismum in Christi Ecclesia perpetuo ministrandum atque accipiendum. Et sane si exemplo ejus, quod Johannis munus ferebat, aquæ baptismus hodie usurpandus esset, oporteret illos baptizare, qui nondum in Christum credunt, sed tantummodo pœnitentiam profitentur, eos interim monendo, ut in Christum crederent, quemadmodum ipse Johannes faciebat, Act. 19. 4. Ex quo loco præterea constat, Johannis baptismum non fuisse baptismum illum, quem ii accipiebant, qui Christi discipuli merito nominari volebant, cum ibi Paulus, ut ipsa confiteris, eos, qui Johannis baptismum acceperant, in Jesu nomen baptizari curaverit, & ita baptismum Johannis non esse baptismum illum de quo disputamus, & consequenter ex Johannis baptismo nihil de hoc nostro concludi posse.

Jam quod ais, Dominum Jesum Baptismum hunc, nempe aquæ, confirmasse, cum Apostolis suis præcepit ut irent in universum mundum & docerent, subjiciens, quod qui credidisset, & Baptizatus fuisset, salvus futurus esset; ne quidquam nunc dicam, quod ibi Christus non loquitur de baptismo aquæ, ut à me in libro, quem de hac materia conscripsi, satis demonstratum fuit, dico Christi verba non posse pertinere ad rem nostram, cum ipse loquatur de iis, qui alieni à Christi fide erant, nec unquam Christi nomen professi fuerant, antequam ab Apostolis docerentur. Quos æquum omnino erat, jam de Christo edoctos, ejusque doctrinam amplexos, ipsius nomen aperte profiteri; id quod in aquæ baptismo accipiendo fiebat; ut ex pluribus Actorum Apostolicorum locis apparet, & potissimum ex eo quem ipsa protulisti ad confirmandum, quod discipuli Christi præceptum istud non neglexerint, Act. cap 2. Ex quibus omnibus aliud nihil concludi potest, quam Christi discipulos curasse, ut ii, qui ab ipsis Christi fidem edocti fuerant, ad eumque converti, aqua in ipsius Christi nomen baptizarentur. Ita sane fiat & hodie. Si quis Christi discipulus quempiam ipsius Christi fidem doceat, ad eumque convertat, aqua illum baptizandum curet in nomen Christi Jesu. Sed quid hoc huc pertinere potest, ut is, qui ab ipsis incunabulis Christi nomen professus est, eumque suum servatorem ejusque doctrinam sanctissimam esse, & credidit, & se credere præ se tulit, debeat aqua baptizari ab iis, qui ipsum ad Christi fidem non perduxerunt? Nam & Eunuchus ille, cujus exemplum attulisti Actor. 8, nec antea unquam Christum professus fuerat, in eumve crediderat, & ab ipso Philippo, qui illum ad Christum converterat, baptizatus est. Fateor ego, fidem in Christum, quæ præcedat, non impedire, quominus quis in ipsius Christi nomen aqua baptizetur, immo haud rite illum accipere hunc baptismum agnosco, qui prius in ipsum Christum non credat. Sed dico, ut quis omnino debeat tali baptismo baptizari, requiri præterea, ut Christi nomen antea publice professus non fuerit; ita ut nequaquam ab omnibus pro eo fuerit habitus, qui Christi doctrinam veram esse agnoscat; quales fuerunt omnes ii, quos hoc baptismo baptizatos fuisse, Sacris Literis proditum est. Nec etiam sentio, eum, qui antea sanctimonia vitæ, ipsiusque Spiritus Sancti donis fuerit præditus, à baptismo aquæ abstinere debere, sed sentio idque constanter affirmo, neminem obligari ad baptismum aquæ accipiendum, qui nunquam aliam, quam Christi religionem, palam & aperte professus fuerit; sed hanc solam veram esse

esse semper publice fuerit testatus.

Quidquid affers de obedientia, quæ Christo debetur, quod exemplo Petri, qui nolebat sibi à Christo lavari pedes, abunde confirmas, verissimum esse & confiteor, & adversus alios aliis in rebus urgere ipse soleo. Verum non de hoc inter nos agitur, sed de eo, an Christus ejusve discipuli præceperint, ut ii, qui tales sunt ut ego, & infiniti alii mei similes sumus, aquæ baptismo omnino baptizari debeant. Ostendatur mihi præceptum istud, ostendatur mihi, inquam, Christum ejusve discipulos præcepisse, ut perpetuo in Ecclesia ii etiam aqua baptizentur, qui postquam nati sunt, solam Christi ipsius religionem publice sunt semper, quatenus per ætatem licuit, professi; & statim, idque libentissimo animo, aquæ baptismum non modo monitus accipiam, sed ipse instantissime petam. Et miror profecto te, quæ facile rescire potuisti, non solum me serio Christi religionem profiteri, sed jamdiu multa gravissima propter puriorem ejusdem religionis declaratam cognitionem, fuisse passum, & assidue pati, in eam suspicionem venire potuisse, ut ego sciens prudens quidquam in divino cultu contra Christi præcepta facere pergam. Sed putas apertissima esse Christi verba illa Joh. 3. 5, quæ cum Nicodemo habuit, ad probandum, neminem in regnum cœlorum ingressurum, qui aqua baptizatus non fuerit. Atqui aliter res se habet. Nam, ut doctissimi viri plurimi ante me animadverterunt, Christus, cum ibi aquam nominat, non intelligit hanc terrenam aquam, nec aliquid reipsa diversum à spiritu, quem similiter ibi nominat quemadmodum sequentia verba indicant, in quibus, nulla prorsus aquæ mentione facta, spiritus tantum meminit, non semel novam illam nativitatem repetens. Est autem locus iste illi similis Matth. 3. 11, in quo Christus dicitur baptizaturus Spiritu Sancto, & igne. Certum est enim, ibi ignis nomine nihil diversum ab ipso Spiritu Sancto intelligi. Cæterum, quod Paulus ad Galatas scribens ait Gal. 3. 27. *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis*, id non significat, nulla alia ratione Christum indui posse, quam per baptismum, aquæ scilicet; sed neque etiam significat, per baptismum aquæ, quantumvis legitime acceptum, Christum revera indui, hoc enim non quidem baptismo aquæ, sed fide in Christum, ejusque sanctitatis imitatione fit, Rom. 13. 14. Ephes. 4. 24 Col. 3. 10. Verum significat, eos qui in Christum baptizantur, profiteri se Christum induisse, & induere velle.

Historia Naamanis Syri nescio quid ad rem faciat, cum nullus ibi aquæ baptismi typus seu figura esse possit, cum propter alias caussas, tum propter id, quod ille septies ab Elisæo lavare est jussus; baptismi autem lotio aut immersio semel tantum fiat. Præterea ibi apertissimum fuit Prophetæ jussum, hic vero de nullo jussu apparet, quod ad me meique similes spectet.

Nam quod mihi objicis, me communionem cum fratribus, & Christi fidelibus spernere, nec curare, ut una cum ipsis cœnam Domini celebrem, quam tamen celebrare ab ipso Domino omnes jubemur; Respondeo, me, postquam in Poloniam veni, nihil antiquius habuisse, quam ut me quam maxime cum fratribus conjungerem; licet invenissem illos in non paucis religionis nostræ capitibus à me diversum sentire, quemadmodum hodieque multi sentiunt, & Deus novit quæ & quanta diu propter hanc caussam sim passus, & adhuc patiar, nullos unquam interea labores, etiam cum maximo meo periculo & damno conjunctos, refugiens, quos vel fratres ipsi mihi imposuerint, vel ego pro cœtu nostro mihi subeundos censuerim, id est, ei utiles fore speraverim. Quod si nihilominus aquæ baptismum una cum illis non accipio, hoc propterea fit, quia id bona conscientia facere nequeo, nisi publice antea protester, me, non quod censeam baptismum aquæ mihi meique similibus ullo modo necessarium esse, sed ut cum fratribus arctius conjungar, id facturum esse: id quod fratres nullo pacto mihi concedere volunt. Quomodo enim id aliter possim bona conscientia facere cum non modo sentiam fratres graviter, licet per imprudentiam, errare, qui neminem ad mensam Domini admittere velint, nisi prius aqua in ipsorum cœtu baptizatus fuerit; sed etiam hac de re, ipsis rogantibus, plenam disputationem scripserim, & sententiam meam plurimis aliis nostris fratribus, in diversis multis regionibus habitantibus, jamdiu patefecerim? Quod si interim cœnam Domini, ut ii, qui baptizati sunt, non celebro; hic mea nulla culpa est, sed potius illorum, qui id mihi concedere nolunt, nisi id faciam, quod cum mea conscientia maxime pugnat, nec interim me hac in re errare vel ostendunt, vel ostendere serio curant. Et sane si id fieret, mecumque hac de re pro ejus gravitate ac pondere ageretur, nihil vereor, quin veritas facile appareret. Ego quidem, quamvis vehementissime cupiam, ut cœtus noster unicuique liberum faciat baptismum aquæ, prout conscientia illi dictaverit, necne accipere, quippe qui alioqui & Euangelii cursum retardari, & multa incommoda & scandala indies emergere videam; tamen, ne Ecclesiam turbare videar, non nisi provocatus de hac quæstione verba facio, meumque de ea libellum hactenus nemini legendum dedi, qui me ad id precibus suis non adegerit; & ii perpauci sane fuere. Quare mirum videri non debet, si perpauci etiam hactenus mecum sentiunt; nec inde concludendum aut suspicandum, sententiam meam ex Deo non esse, quemadmodum ipsa unumquemque suspicari jure posse, censuisse videris.

Restat, ut aliquid dicam de eo, quod ais, me infantium baptismum, quasi ego tinctus fui confirmare. Id enim à te dictum fuit, quia verba mea, quæ hac de re tecum feci, non omnino percepisti. Dixi enim, quod & nunc repeto, cum inter omnes fere, qui Christum profitentur, hactenus ea sententia obtineat, aquæ baptismum à Christo ejusque Apostolis omnibus Christi discipulis accipiendum, præceptum fuisse, nec posse quemquam qui Christianus esse velit, eum spernere, me ad scandalum & offensionem vitandam aquæ baptismum suscepturum fuisse, nisi vulgo ab istis, pro baptizato haberer, nempe propter baptismum illum quem infans in Papatu accepi, qui quamvis non sit verus nec legitimus aquæ baptismus; tamen ab ipsis esse creditur, quod mihi satis esse dixi ad scandalum istud & offensionem vitandam. Hoc quidem non est infantium baptismum confirmare, sed potius, quantum in me est, evertere; quatenus scilicet sic dicendo, fateor, illum, nec verum nec legitimum baptismum esse. Verumtamen, cum mihi aquæ baptismus non videatur necessarius iis, qui ex Christianis, id est, Christum profitentibus nascuntur, & in ea professione parentes imitantur, atque ita nihil revera referre arbitrer, nisi propter scandalum, utrum isti necne, & an potius adulti, quam infantes baptizentur, propterea non diffiteor me circa infantium baptismum haud difficilem futurum, si contingeret, Ecclesiæ ædificationem sic postulare, illumque citra omne scandalum dari posse.

Hæc sunt, quæ putavi, soror mihi in Domino plurimum veneranda, ad literas tuas mihi respondenda esse, hoc tempore, quo non tantum otii habeo, ut plenissime, prout sane optassem, ad omnia respondere queam. Spero te, quemadmodum ego æquissimo lætissimoque animo tuas monitiones legi, sic te & boni consulturam & gavisuram, quod libere responderim. Utinam in cœtu nostro multæ tui similes mulieres essent, quæ rebus sacris earumque cognitione exactiore investiganda delectarentur; præsertim inter eas quæ tui ordinis & conditionis sunt, id est nobiles sunt matronæ, multorumque liberorum matres. Multa enim bona cœtus noster universus inde sperare posset. Perge vero in hoc tuo veritatis divinæ indagandæ studio; sed ita, ut summa cum patientia & lenitate omnia rationum & divinorum testimoniorum pondera examines, Deum in primis rogans, ut tibi mentem ad ea intelligenda, quæ in ipsius verbo continentur aperire velit. Ac de me ita tibi

tibi perſuadeas; mihi nihil magis curæ eſſe, quam ne vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflectam ab ea via, quam Sacræ Literæ nobis præſcribunt; & quia recte memini verbo Dei ejuſque præceptis nihil nec addendum, nec detrahendum eſſe, propterea me nulla ratione probare poſſe, ut quiſquam Chriſti nomen perpetuo profeſſus, ſi ad cœnam Domini admitti debeat, ad aquæ baptiſmum accipiendum in cœtu noſtro adigatur, quippe qui perſuaſiſſimum habeam, hoc omnino eſſe ejus verbo atque præceptis aliquid addere.

Ad Petrum Statorium cœtus Luclavienſis Paſtorem,

Epistola I.

Doleo non mediocriter tibi negotium faceſſere eos, qui minus deberent, qui videlicet jam tuam & pietatem, & rerum divinarum cognitionem perſpicere potuerunt, quique propterea magis abs te doceri quærere deberent, quam ita diligenter in tua dicta inquirere, & de te quæ minus decent, ſuſpicandi occaſionem quodammodo captare. Sed Deus hoc quicquid eſt incommodi & laboris tui, in bonum & majorem tuam quietem vertet. Laudo tuum conſilium, de ſententia tua circa cœnam Domini vernacula lingua exponenda, ea tamen cautione, ut dicas, in proxima ſynodo Lublinenſi, te eam fratribus, præcipue vero collegis tuis propoſiturum, & donec communi conſenſu aliquid certi hac de re ſtatuatur, te quam parciſſime poteris, eam in tuis concionibus docturum. Quod profecto in ipſa etiam Dominica cœna adminiſtranda facillime præſtare poteris. Modo enim id, quod de hoc ſacro ritu vere ac pie affirmari poteſt, & affirmes & inculces, non admodum referet, ſi ſaltem per aliquod tempus omittas negare & reprehendere ea, quæ illi nec vere nec pie fuerant ab aliis tributa. Quod attinet ad Zuinglii & Oecolampadii teſtimonia, ſcias velim Zuinglium fere ſemper optime & ſenſiſſe, & ſcripſiſſe, niſi quod aliquando quædam leviora non adeo vera in adverſariorum gratiam dixit. Id quod ſatis intelligi poteſt ex iis, quæ ſcripſit ad Conradum So li 4. Ep. fol. 172 pag. poſteriore. Ejus rei tibi fidem faciunt teſtimonia quæ apud te habes, ex ejus ſcriptis fideliſſime excerpta. Id etiam ſatis indicant verba Buceri in initio ejus Epiſtolæ, quam libris illis Epiſtolarum ipſius Zuinglii & Oecolampadii præfixit, quibus conatur perſuadere Zuinglium plus tribuiſſe Sacramentis, quam ejus verba alicubi in Epiſtolis ſonent. Jam enim Bucerus, qui ab initio recte & ſenſerat & ſcripſerat, ut concordiam aliquam omnino cum Lutheranis iniret, nimium tribuere Sacramento Euchariſtiæ cœperat, atque de eo ſententiam illam fabricare, quam poſtea & Calvinus, & alii avide arripuerunt, & ſcriptis ſuis confirmarunt ac propagarunt. Oecolampadius porro, quamvis in aliis fere omnibus ab ipſo initio Zuinglio aſſenſus fuiſſet, tamen in re euchariſtica per aliquot annos adduci non potuit, ut ei aſſentiretur, & Chriſti in eo Sacramento corporalem eſum abjiceret, quare nihil mirum eſſe debet, ſi fortaſſe in ſuis ſcriptis huic ritui aliquando plus tribuit, quam Zuinglius tribuerit. Quanquam & ex ipſius ſcriptis non pauca teſtimonia elici poſſunt, quæ cum veritate omnino conſentire videantur: nec ſane vel Bucero ejus diſcipulo, qui præceptorem ſuum tantum virum, à ſua ſententia non diſſenſiſſe profitebatur, nec aliis, qui jam Zuinglianam ſententiam in Bucerianam mutaverant, in Oecolampadii Epiſtolarum editione ſatis fido, quin alicubi eum ſuo ipſorum modo loquentem fecerint. Quicquid ſit, ego nihil dubito, quin Oecolampadius alioqui hac in re timidus, ut concordiæ ſtuderet, ipſius Zuinglii exemplo poſtmodum plus euchariſtiæ tribuerit, quam cum Zuinglio aſſentiri cœpit. Quare non admodum curandum eſt, etiamſi non multo ante mortem quædam ſcripſerit, quæ nobiſ adverſentur; ſed videndum quid & ipſe, & Zuinglius ſcripſerint, cum ſuam ſententiam ingenue ab initio proponerent, nondum offenſione aliorum, ut poſtea, tantopere deterriti. Mortuus eſt uterque anno 1531 unde per te ipſe facile intelligere poteris, quam diu ante mortem Epiſtolas illas ſcripſerint, cum pleriſque annus quo ſunt datæ, fuerit adſcriptus. Verum, ut dixi, hoc nihil refert, niſi quod ob cauſſam jam expoſitam, pluris ea facienda exiſtimo, quæ longiore temporis ſpatio ante mortem ſcripſerunt. Mitto ad te Borrhai tantum teſtimonia, olim à Lælio patruo meo collecta, tametſi ſcio multo plura ex illo ejus libro colligi potuiſſe, ſed eum librum non habeo, nec plura adſcribenda curare, præ temporis anguſtia, potui, alias, quod, ut ſpero, ſatis in tempore erit, aliorum teſtimonia mittam. Interim ea quæ Zuinglii habes, & hæc Borrhai, ſatis tibi eſſe debebunt, præſertim cum nondum cum fratribus tota de re agendi tempus ſit. Bullingerum in priorem Epiſt. ad Corinthios non habeo, quare locum illum inſpicere non potui. Quod attinet ad id quod Schomanus tibi objecit, animadvertendum eſt, cum nos dicimus, in cœna Domini, Chriſti corpus nec corporaliter nec ſpiritualiter comedi, non ita ſentire, quaſi eo tempore, quo cœna peragitur, à fidelibus nequaquam Chriſtus comedatur, ſed illud, non ex illa panis & vini illius ſumptione proficiſci, ſeu ex ritus illius vi cum fide conjuncti, magis quam ex ipſa fide per ſe ubique ac ſemper. Hoc enim in controverſia eſt poſitum. Nam quis alioqui tam bardus eſt, ut neget, eo etiam tempore, quo cœna Domini celebratur, Chriſti corpus ſpirituali ratione comedi, modo fides in ipſum Chriſtum adſit? Itaque evidens fallacia quæ proprie ignoratio elenchi vocatur, in iſta objectione ac reprehenſione eſt. Cæterum Sacramentaliter in eo ritu ſive à fidelibus, ſive ab infidelibus Chriſti corpus comedi, nemo negare poteſt, cum panis ibi Chriſti corpus adumbret, ejuſque ſit ſymbolum, atque, ut vocant, Sacramentum: & exemplum paſchatis, quod affers, optimum & accommodatiſſimum eſt. Schomanus porro in ſua objectione ſeipſum involvebat, & ex fidei profeſſione manducationem corporis Chriſti colligere volebat, & tu recte ſane id detegis, negando profeſſionem iſtam ipſam Chriſti manducationem eſſe, aut etiam neceſſario cum ea conjunctam inveniri. Cave tamen neges, profeſſionem non quidem fidei in Chriſtum, ſed manducationis Chriſti corporis ipſam manducationem in Sacris Literis appellari, licet revera non ſit. Huc enim pertinent verba illa Pauli, Panis quem frangimus &c. ibi enim ſine dubio communionem ſeu communicationem Chriſti corporis pro ejus rei profeſſione ponit, quæ phraſis ab ipſo in baptiſmo quoque uſurpatur, & ſatis frequens eſt in Sanctis Literis. Sed jam de his hoc tempore ſatis. Relege diligenter mea ſcripta quæ habes de cœna Domini, præſertim vero diſputationem cum Domino Niemojevio, &, ni fallor, non pauca habebis, quibus adverſariorum ſophiſmata & fallacias detegas. Cracoviæ 15 Octob. 1590.

Tuus in Domino frater & ſervus

F. S.

Ad eundem Petrum Statorium

Epistola II.

Pietate atque eruditione præſtantiſſimo viro, D. Petro Statorio divini verbi miniſtro fideliſſimo, amico & fratri in Chriſto plurimum colendo.

Nihil mihi gravius, amice ac frater præſtantiſſime, mei morbi reliquiæ afferre poterant, quam quod ineptum prorſus fere me reddant, ad id præſtandum quod à me petis. Nam nec quicquam mihi antiquius eſt, quam tibi inſervire, & alicui adju-

mento esse, & verissima esse quæ scribis de summo damno & periculo multorum, nisi veritas in hac quæstione de magistratu nec ne adeundo, inter nos obtineat, jam pridem & animadverti, & non paucis ex nostris dixi. Quæ res me cogunt, ut præter id, quod hoc tempore mei tum corporis tum ingenii vires ferunt, aliqua saltem ex parte tibi satis facere tentem. Tu quicquid hoc erit boni consules, & Deum orabis, ut pro sua bonitate me pristinæ valetudini restituere velit.

Dico igitur primum, Christi verba apud Matthæum, *Siquis velit tecum judicio contendere, &c.* non posse ita accipi, ut suum per magistratum repetere non liceat, eo quia manifestum sit, Christum tota illa sermonis sui parte agere de injuriis non vindicandis; ubi fateor, quamvis plerique Christiani nominis aliter sentiant, ne per magistratum quidem id facere licere, Christum docere voluisse; immo potissimum hoc ipsum præcepisse, ne videlicet quis per Magistratum injurias sibi ab ullo illatas, ulcisci audeat. Nam per seipsum id facere in Mosis lege jam erat prohibitum. Christus autem toto illo suo sermone aliquid addit iis, quæ in Lege Mosis præscripta fuerant. Jam quod de injuriis non ulciscendis ibi agat Christus, docent aperte Legis Mosaicæ verba, *Oculum pro oculo &c.* quæ corrigere quodammodo in hac sui sermonis parte instituit, quatenus non vult istud sub Euangelio licere, quod sub lege licuit. Istud autem nihil est aliud, quam injurias sibi illatas per Magistratum ulcisci, id est curare, ut tantundem mali is habeat, qui nos injuria affecit, quantum nos ab ipso passi sumus, idque sine ullo alioqui commodo nostro. Hoc enim proprie & vere est suarum injuriarum ultionem seu vindictam quærere, quemadmodum is quærebat, qui Lege Mosis id permittente, ei, qui ipsi oculum eruerat, similiter ut oculus erueretur, curabat. Hoc vero nihil commune habet cum sui per Magistratum repetitione. Suum autem appello pecuniam remve suam, & damni injuste accepti (ut sic dixerim) resarcitionem seu compensationem. Hic enim contra fit atque in re ista à Lege Mosis permissa. Siquidem neutiquam alterius damnum, sed tantum suum commodum hic quæritur. Quod si nihilominus contingat, ut alter ille damnum aliquod (ut in damni nobis illati compensatione) sentiat; hoc plane ex accidente est; nec quidquam ad mentem illius pertinet, qui suum simpliciter repetit. Idem dico de aliqua castigatione aut coercitione ei per magistratum subeunda, à quo nostrum repetimus. Modo ea ejusmodi sit, quæ modum non excedat, id est illius sit similis, quam filius contumax à patre suo ferre consuevit. Cum enim modum excedit, quamvis ea à nobis non quæratur, non quidem ex Christi præcepto in loco isto, sed ex Christianæ charitatis regula, fieri facile potest, ut Christiano homini suum per magistratum repetere non liceat. Nec quidquam certi in universum de his statui potest; sed ex rei circumstantiis, in singulis, qui eveniunt, casibus, quid homini Christiano faciendum sit, facile intelligitur. Itaque ut ad Christi verba, de quibus agitur, redeamus, dico illa ita accipienda atque explicanda esse ac si ad hunc modum Christus locutus fuisset; Si quis tunicam tibi eripere velit, atque ea ratione te adigere, ut ipsum in jus voces, ac consequenter puniendum cures, potius quam hac ratione ei resistas, & vim quæ tibi fit repellas, si non satis est tunicam, & pallium quoque eum accipere finito. Nam de vi quæ cuipiam inferatur, loqui Christum, præter institutum, de quo jam dixi, corrigendæ quodammodo Mosaicæ legis, docent aperte tam præcedentia quam sequentia verba; quæ uno & eodem contextu, deque eadem re loquens Christus effert. Nec quemquam tam stupidum aut pervicacem esse arbitror, qui vel non intelligat, vel negare ausit, & antecedens & consequens præceptum, simpliciter, ut verba sonant, nullo pacto accipiendum esse, sed intelligendum potius alteram maxillam cædenti obvertendam, & alterum miliare eundum, quam vim sibi illatam vindicandam esse. Subjicit autem tanquam appendicem quandam Christus ea verba, *Qui autem petit à te, da ei &c.* quæ nisi similiter in alium sensum accipiantur, quam ipsa per se sonant, in gravissima absurda devenire necesse erit. Voco autem ea quasi superiorum appendicem, quia etsi in illis, de vi cum ultione haud repellenda non agitur, agitur tamen de occasione vitanda, adducendi se in discrimen vis vi repellendæ; & sic, quod Christus vetat, malo homini resistendi. Quod præceptum non omnem resistentiam, quæ malo homini fit, complecti, omnes (opinor) fatebuntur. Quare de ea tantum resistentia accipiendum esse, quæ ad institutum illud Mosaicæ Legis quodam modo corrigendæ pertineat, id est, quæ ultionis quærendæ studio fiat, necesse est agnoscere. Quod si præceptum istud, in quo, si usquam alibi, summa patientia Christiano homini præscribitur, aut certe præscribi videtur, ne inde aliud quid colligatur, quod manifeste cum hominis Christiani officio, qui malis hominibus sæpius resistere debet, pugnare constet, non universe est accipiendum, & consequenter ad subjectam de ultione vitanda materiam restringendum, quæ, ut dictum est, cum sui per magistratum repetitione ipsa nihil commune habeat; non video sane, ex quo alio loco tantam patientiam Christiano homini præceptam fuisse colligere licebit, quæ suum ope magistratus repetere vetet.

Jam vero deinde, quæ ad probandum non licere homini Christiano lites exercere, & sic suum per Magistratum repetere, afferri non minus quam supra dicta Christi verba, solent verba Pauli 1 Cor. 6; Dico, in toto eo loco nihil esse, quod istud suadere possit, nisi id quod scriptum est ℣. 7. Cæterum tantum abest, ut Paulus ibi lites seu judicia prohibeat, ut ea potius inter ipsos Christianos permittat, modo judices sint Christiani. Qua de re postea aliquid dicemus. Prius enim ostendendum est verba ℣. 7 non eam vim habere, quam multi opinantur. Primum, nemo negabit verba ista non pertinere, nisi ad Christianos qui inter se litigent; quod fieri non debere Paulus prorsus affirmat. Ex quo sequitur, si quis Christianus non cum Christiano, sed cum alio quopiam litiget, ad hunc Pauli verba ista non pertinere. Deinde animadvertendum est, non posse Pauli verba ita accipi, quasi omnino damnet ipsa judicia seu lites inter Christianos, cum ipse paullo ante modum, quo judicia inter se exercere debeant, præscripserit, quod ad judices attinet, id est, ut similiter judices sint Christiani, iique ab Ecclesia eligantur & constituantur. Neque enim, cum ait omnino delictum esse inter ipsos, quia habeant inter se judicia, hoc ipso delinquere eos vult dicere, quod judicia inter se habeant, sed arguere & indicare, delictum inter ipsos esse, id est, alterutrum ex litigantibus alteri injuriam inferre. Patet hoc ex eo, quod statim versu sequenti subjicit, *Sed vos injuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus.* Quæ verba etiam indicant Paulo fuisse notum, in eo iisve judiciis, quæ inter se Corinthii illi habebant, fraudem aliquam ex altera duarum partium esse; & ipsius verba illa superiora, *Jam quidem omnino delictum &c.* non esse universe accipienda, ut ipsa sonant, sed ad rem præsentem accommodanda. Et sane quid vetat, quominus inter duos Christianos judicium esse possit, & tamen neuter ipsorum in alterum fraude utatur? Fit enim sæpissime, ut quis jure se agere omnino falso credat, & ex utra parte jus sit, obscurum plane atque incertum, haud raro etiam ipsis Jure consultis videri, nemo est qui nesciat. Jam quod mens Pauli sit affirmare, Christianos hoc ipso delinquere, quod judicia inter se habeant, haud probat loquendi modus ille, *delictum est in vobis*, quasi utrumque ex litigantibus dilinquere Paulus dicere velit. *In vobis* enim, non significat, In utroque vestrum (qui scilicet inter vos judicia habetis) sed, Inter vos. Immo hic *vobis* ad totum coetum referendum videtur, quemadmodum & *vos*, quod mox sequitur. Ac breviter Pauli verba omnino ita accipienda videntur, ac si dixisset, vel ex hoc ipso, quod sunt inter vos qui judicia inter se habeant, cujusmodi ea sunt, quæ

ad mean

ad meam notitiam pervenerunt, apertissimum est, esse in vestro cœtu, qui delinquant & à peccato superentur; qui cum potius injuriam & damnum pati deberent, quam ulli hominum sponte occasionem præbere secum litigandi, ipsi alios injuria & damno afficiunt, idque fratres, quos sua injustitia eo adigunt, ut cogantur cum ipsis jure coram judice agere. Propterea subjicit, *An nescitis, quia iniqui* &c. Porro, quod Paulus præscribit, ut si frater cum fratre litigare velit, id faciat sub judicibus, qui similiter sint fratres, sic omnino intelligendum videtur, ut, siquidem fratres inveniantur, qui possint & velint esse judices, aliorum, qui fratres non sint, judicium nullo modo subeatur. Quid si enim (quamvis id Paulus apud illos Corinthios fieri non potuisse, existimasse videatur) nemo sit inter fratres, qui aptus sit ad caussam illam judicandam? quid si nullus ex fratribus, quantumvis alioqui aptus, eam judicare velit? numquid miser frater, ingens aliquod damnum pati debet potius, quam civili modestaque ratione suum ab altero fratre jure repetere apud Judicem non fratrem? Non crediderim. Meminerimus autem ejus, quod dixi, verba Pauli in quemcunque sensum accipiantur, nihil pertinere ad eum, qui cum eo, qui frater non est, judicium habet: quo casu plane cessat ipsius Pauli ratiocinatio illa de delicto, quod inter fratres sit. Fieri enim potest, & ita sane, si quis juste litigare velit, esse debet, ut alter ex istis, qui frater est, penitus persuasum habeat, aut saltem existimet, se suum repetere, & si quid culpæ in isto litigio sit, id totum in altero, qui frater non est, residear. Et hæc satis in præsentia, pro temporis brevitate, proque mala mea valetudine sint, quod attinet ad sui repetitionem per magistratum; præsertim cum duobus istis Sacris Testimoniis Christi & Pauli explicatis, nihil ferme difficultatis superesse videatur, quominus statuamus, suum per magistratum repetere licere. Quod vero attinet ad Magistratum gerendum, brevissime dico, me nullum nec testimonium, nec rationem unquam animadvertere potuisse, unde confirmari possit, id per se homini Christiano non licere. Immo ex Paulo constat, licere Christiano homini servos habere sive fratres, sive non fratres, in quos tunc temporis vitæ necisque potestatem absolutam domini habebant, quæ demum ab Adriano imperatore aliquantum imminuta fuit. Ex qua Pauli sententia corruit funditus infirmissima illa ratio, quod oves lupos regere non possint, seu id fieri non deceat. Certe enim ubi Christianus homo servum, cujusmodi tunc erant, habet, ibi, ut in ista ratione assumitur, ovis lupum regit. Quod si ratio ista valida esset, profecto in hoc regno nulli homini Christiano subditos habere liceret, quo vix ullum majus paradoxum (quod etiam partim ridiculum, partim scandali plenissimum est) inveniri potest. Uno verbo, Imperium & Dominatus, non nisi quorundam in quosdam, Sacro ullo Testimonio aut ratione inveniatur Christianis interdictus, sed tantum moderatio in illo exercendo præscripta, ut apud Paulum Dominorum in servos. Adde, quod non quilibet magistratus imperium aut dominatum habet. Quocirca ratio ista metaphorica de ovibus, quæ lupos regere aut non queant, aut non debeant, in hac de magistratu necne gerendo quæstione, universalis esse non potest. Sed sit sane universalis, eam nihili esse jam ostensum est. Et de his hactenus. Vale frater præstantissime: & si Ostorodus in synodo adfuerit, cum ipso, quando nobiscum sentit, antequam cum Domino Niemojevio dispures, non unam ob caussam omnino confer. Deus tibi adsit. Cracoviæ 19 Maji 1594.

Tui studiosissimus in Christo frater & servus

F. S.

Ad eundem PETRUM STATORIUM

EPISTOLA III.

Baptizare in nomen Spiritus Sancti, in illis Christi verbis, meo judicio est, instituere in iis, quæ Spiritus Sanctus sunt, sive ad Spiritum Sanctum pertinent. Primum enim nomen Spiritus Sancti ibi idem esse ajo, quod Spiritum Sanctum id quod facile omnes concedent. In Spiritum Sanctum vero baptizare, idem esse posse, quod dixi, nec ex ista locutione sequi, Spiritum Sanctum esse personam, probat locus ille Actor. 19. 3. Ubi Paulus interrogat discipulos illos, in quid baptizati essent, illi autem respondent, In Johannis Baptisma. Hinc enim apparet, primum etiam in non personam, ut ita loquar, baptizari quempiam in Sacris Literis dici. Deinde in aliquid baptizari, idem pollere, quod in aliqua re institui, ita tamen, ut per eam institutionem, sive una cum ipsa institutione quis declaretur ejus doctrinæ discipulus, eique initietur ac consecretur. Sic enim intelligenda sunt mea verba, cum ab initio exposui, quid mihi videatur, in Christi verbis esse, Baptizare in nomen Spiritus Sancti. Agitur enim ibi, de discipulis faciendis, deque eorum faciendorum ratione. Jam, si quis dicat, loquutionem illam Hebraicam, cum nomen rei pro ipsa re dicitur, non inveniri usurpatam nisi de persona; Respondeo, etiamsi id verum esset, non tamen hinc sequi Spiritum Sanctum esse personam, cum ex altera parte constet, rationibusque inexpugnabilibus evincatur, Spiritum Sanctum non esse personam, & in ipsis Sacris Literis, sæpissime etiam non personis ea tribuantur, quæ sunt propria personarum. Nec sane quisquam nostrum negat, sæpe admodum in Scripturis Sanctis, ea Spiritui Sancto tribui, quæ propria sunt personarum; sed dicimus in ejusmodi locis, omnino prosopopœjam esse, ut in hoc loco. Nec obstat, quod hic Spiritus Sanctus sit conjunctus cum patre, & filio, qui revera sunt personæ; immo hoc prosopopœjæ usurpandæ justiorem caussam dedit. Nihil enim frequentius, quam eodem verborum contextu, aliquid uni proprie, alii vero minus proprie tribui. Nam alioqui nihil omnino vetat, rem cum persona conjungi, & verborum Christi sententia aptissima est, & æque proprie ad Spiritum Sanctum pertinens, atque ad patrem & filium, si modo sententia ea sit, quam dixi, atque esse docui. Non reticebo interim, legi in Psal. 72. ultimo, *Nomen majestatis, seu gloriæ ejus*, id est Dei, quod nihil aliud videtur esse, quam Majestas seu gloria ejus. Majestas enim, seu gloria ejus, statim nominatur simpliciter & per se in sequentibus verbis. Quod indicat, supra quoque nomen istud substantive prorsus accipi debere, non autem, perinde ac si dictum fuisset latine, Nomen gloriosum ejus. Idem habetur cap. 3 Danielis, 52. Quamvis enim locus ille sit Apocryphus, id nihil refert ubi tantummodo de phrasi agitur. Habetur inquam ibi quoque, *Nomen gloriæ tuæ*, ubi similiter vocem *Gloriæ*, substantive prorsus accipiendam esse, non solum indicat, sed evincere omnino videtur, nomen *Sanctum* adjectivum, sine ulla copula statim illi additum. Ex istis igitur duobus locis constat, non adeo abhorrere à lingua Hebraica, vel Hebraisante, usurpare hanc phrasim, *Nomen alicujus rei*, licet ea res non sit persona, pro *Res aliqua*; & propterea, recte ac proprie, potuisse Christum apud Matthæum dicere, *In nomen Spiritus Sancti*, pro *In Spiritum Sanctum*, etiamsi Spiritus Sanctus, res sit quidem, sed non persona. Hæc, ni fallor, mi frater poterunt tibi in illis Christi verbis, omnem scrupulum eximere; præsertim si cum ipsis ea conjungas, quæ scripsi contra Posnanienses, cap. 11. & cap. 13 partic. 4. Bene vale in Domino, Cracoviæ die 8 Septemb. Anno 1590.

Tuus in Domino frater & servus

F. S.

Ad eundem PETRUM STATORIUM EPISTOLA IV.

Pietate atque eruditione præstantissimo atque ornatissimo viro, Domino Petro Satorio, divini verbi Ministro fidelissimo, & fratri in Christo plurimum observando.

Salutem à Deo & Christo &c.

PRæstantissime vir, frater in Christo plurimum observande, &c. Ommissa narratione eorum, quæ mihi Cracoviæ acciderunt, quæ tibi satis jam nota sunt, & propter quæ rescivi te vehementer indoluisse, mihique pœnitus persuadeo, in precibus tuis ad Deum te mei mentionem facere; tantum id tibi exponam, propter quod ad te has literas dedi, & hunc certum nuncium misi. Hic ubi sum, libenter sane perpetuo manerem. Utinam tibi auscultans jam diu mihi hanc habitationem delegissem, quanquam caussæ propter quas tibi non obtemperabam, ejusmodi erant, ut arbitrer id non sine Dei consilio factum fuisse. Quicquid sit, duæ sunt nunc res, quæ hanc commorationem, licet alioqui jucundissimam, vel minus jucundam, vel minus firmam reddunt. Una est librorum, quibus in meis studiis potissimum uti cogor, summa penuria: Altera; quod amici vereantur, ne si hic diutius maneam, aliquid gravioris mali mihi, hospitique meo eveniat, præsertim cum Cracovia non longe hinc absit. Itaque cum & librorum, qui mihi sunt usui, apud te sit non exigua copia, & locus ubi habitas satis procul ab Urbe distet, ac præterea accedat vetus amicitia & consuetudo nostra, nec non fructus, qui ex eo quod apud te sim facile ab utroque nostrum percipi potest, decrevi, volente Deo, isthuc propediem proficisci, & aliquot hebdomadas tecum consumere, sed prius te hujus rei monere volui, ut, si forte non est domi tuæ locus, ubi commode cubare possim (id enim unum mihi satis fuerit) cures, ut eum in ipsa aula, si fieri potest, habere queam; & ita commode nihilominus tua mensa uti; nam alterius cujusquam vix sine summo meæ valetudinis discrimine uti possem, tum ob male divisa apud alios omnes tempora prandii & cœnæ, tum vero, quod tibi ipsi non minus quam mihi, aliqua ratio ciborum & potus ex arte medica est habenda, & ex parte habetur, quæ ab aliis omnibus vestratibus fere spernitur ac deridetur. Adde, quod longo usu jam comperi, mihi licere apud te curare, ut ii cibi parentur, quibus sine meæ valetudinis incommodo uti possim. Sed jam nimis satis de his. Interea dum responsum tuum hic me expectabit, ero, Deo permittente, una cum humanissimo hospite meo Racoviæ, & in itinere huc denuo reversurus, & statim postea, si locum quem dari mihi cupio, paratum isthic fore significaveris, ad te eodem Deo auspice venturus. Racoviam autem prius proficiscendum mihi duxi, nec committendum, ut, hac mihi oblata eundi facultate, fratrum conventui illi non interfim, ob hanc etiam caussam, quod Dn: Lubienlecium nostrum antequam in Lithuaniam proficiscatur, revisere & alloqui cupio, & simul filiam meam videre, quam per integrum annum non vidi. Salutabis, te rogo, diligenter fratres, qui apud vos sunt, iisque meo nomine gratulaberis, quod te Lublinensibus coacti non fuerint concedere. Domino Blonskio nominatim, & Dn. Rupnovio, si isthic prope est, plurimam salutem meis verbis imperties. Uxorem vero tuam, non meo tantum, sed hospitæ hic meæ nomine, quam diligentissime saluere jubebis. Nec insalutatos à me fratrem tuum Samuelem, & filios tuos relinques. Quanta porro sedulitate ac cura mihi Dominus Cetis hospes meus injunxerit, ut tibi ab ipso salutem dicam, verbis satis exprimere nequeo, tu cogitatione fortasse assequi poteris, atque interim una cum tuis omnibus ut quam optime valeas, diligenter curabis. Deus vos custodiat, mihique concedat, ut quam citissime vos incolumes revisere possim. Datum in agro Igolomiano, die 3 Junii 1598.

Tui studiosus in Christo frater & servus

F. S.

Ad Magistrum Antonium Evonymum Carinthium Teuchenum, olim professorem in Academia Wittebergensi, F. S. EPISTOLA.

Salutem à Deo & Christo, &c.

TArdius multo quam putaram, eruditissime præstantissimeque vir, ad tuas literas respondeo die 5 Octobris datas: ex quibus tantam in me vel humanitatem vel benevolentiam perspexi, quantam à nemine mihi deberi sat scio. Velim autem ita respondere, ut literæ tuæ postulant, id est, & copiose & erudite. Sed hoc ruditas mea: illud temporis brevitas non patitur. Excusabis igitur me, si rudius multo ac brevius responsum habebis, quam tuia non minus eruditis, quam longis literis deberi pse agnosco. Quod tibi munusculum illud meum gratum fuerit, vehementer gaudeo, itaque denuo alia forma ad te idem mitto, una cum auctariolo, idque duplice, ut alterum Naborovio detur. Gratissimum mihi fuit, progressum tuum in rerum di inarum cognitione, tam accurate & ordine à te ipso descriptum habere, ex quo nimirum maximam divini numinis tui curam & providentiam facile intelligo, ipsumque, Deum una tecum oro, si quid adhuc tibi ad ipsam rerum divinarum scientiam deest, quod merito in hac vita mortali optari queat, id ipse suo spiritu sufficiat, atque suppeditet. Ego quidem, licet studiorum meorum in rebus theologicis haud me pœniteat, quædam tamen, præter alia multa minoris momenti, mihi deesse sentio, quæ, ut magna sunt, sic ad ea jugiter toto pectore aspiro. Utinam saltem id adeptus essem quod tu mihi tribuis, ut plane atque aperte, quæ intelligo, scribendo eloqui possim. Mihi quidem, ut ingenue fatear, etiam ante tuum testimonium, quod plurimi facio, videbar aliquid hac in parte assecutus esse, sed ab hac de me ipso opinione deterrebant me aliquot nostri cœtus homines, qui mea scripta obscuritatis arguebant. Cætera, quæ in scribendi genere tuum testimonium mihi tribuit, nullo pacto agnosco; nam ut perspicuitatem non indiligenter sectatus sum, sic puritatem & grandiloquentiam neglexi quodammodo, aut certe non affectavi. Faxit autem Deus, ut quemadmodum meorum scriptorum stylus tibi non improbatur, sic eorum sententia probetur. Nihil ex meis scriptis, quæ nondum vel vidisti vel habuisti, descriptum habeo, quod ad te, præter repetitum illud munusculum, mittere possim. Librum Fricii spero te vel jam accepisse, vel nunc accepturum à Domino Joële, qui liber sane egregius est, sed tamen summo cum judicio legendus, id quod te facturum mihi plane persuadeo. Speroque fore, ut tandem sive ex hujus libri, sive ex aliorum lectione ipsissimam veritatem assequaris. Hoc tibi confirmo, Ecclesias hujus regni nostras indies magis & in hujusce tantæ rei, & in aliarum cognitione proficere, maxime vero earum, quæ ad vitæ sanctimoniam potissimum pertinent; quam ut plane ad salutem æternam necessariam, sic aut nullam aut perexiguam alioqui in plerisque Ecclesiis, quæ se reformatarum nomine venditant, cordatis piisque omnibus apparere, persuasissimum mihi est. Ego sane, tametsi multis contra Christi servatoris & legislatoris nostri præscripta lapsibus me obnoxium esse sentio, non desisto tamen, quatenus imbecilla mea fert valetudo, & jam incli-

inclinata ætas, vice cotis hac in re fungi, aliosque acuere, quamvis expers ipse secandi. Ut autem in eandem curam, quoad potes, & tu incumbas, id est, ut vitæ innocentiam, qua te præditum esse nihil porsus dubito, in corruptissimo nostro hoc sæculo in aliis etiam quodammodo ingeneres, tibi perpetuo ac præcipue auctor ero; præsertim vero in iis qui tuæ curæ commissi esse merito dici possunt, inter quos est, cur potiorem quendam locum obtineant Poloni adolescentes isti, quibus si ad corruptionem istam evitandam monitor ac præmonstrator fueris, jam & tuo muneri maxima potissimaque ex parte satisfeceris: & nobis omnibus abunde, quidquid à te postulamus, ac cumulate præstiteris. Vale vir præstantissime; & me amare perge. Sic Deus te juvet & tua studia fortunet. Cracoviæ 10 Martii 1591.

Tui amantissimus ac studiosissimus

F. S.

Ad F. S. Erasmi Johannis Epistola, in qua is de scripto quodam suo agit, quo caussas, propter quas vita æterna contingat, complectitur, in quoque de triplici justitia filiorum Dei tractat.

Salutem plurimam.

Nova quodammodo methodo videor mihi hoc argumentum complexus, ideoque lapsus facilis esse potuit. Sed æquum est, ut sicubi primus hic conatus non assequitur id omne quod in re tanta est, & alicubi vacillat, id ei condonetur. Cum, ut dici solet, in magnis & voluisse, satis sit. Etsi vero prima solummodo lineamenta hic ducantur ejus argumenti, quod in Christiana pietate facile principem locum obtinet, multaque desint, quæ ad tantæ rei absolutionem requirantur, tamen fundamenta operis tam præclari recte jacta non dubito. Ad te vero vir ornatissime ista mitto, ut tuum de iis judicium perdiscam, quod, ut scripto, quantum quidem tua infirmitas tibi permittit, exponere velis, idque qua fieri potest brevitate per amicitiam nostram rogo. Vale in Domino Jesu vir præstantissime, mihique observande.

T. H. deditissimus Erasmus Johannis.

Ad Erasmum Johannis F. S. Epistola, in qua suam, de ipsius scripto superius commemorato, sententiam exponit.

Eruditissime vir, salutem in Domino &c.

Distinctionem caussarum propter quas salus nostra æterna obtingat; in tria capita, quorum unum ad Deum; alterum ad Christum; tertium ad nos referatur, probo equidem atque agnosco. Sed primum velim hæc tria capita, ratione quadam, quæ abs te omissa est, inter se distingui, deinde unum quodque illorum aliter ex parte explicari.

Ratio illa abs te omissa est, quod non solum ac simpliciter aliud caput alio præstantius esse asseratur, sed etiam, quod cum efficientes caussæ, quales necesse est omnes istas esse, (agitur enim de caussis propter quas: nec de finalibus caussis quicquam hic quæritur) multiplices sint, qualem, qualesve unum quodque istorum capitum complectatur, diserte exponatur.

Arbitror autem primum caput (quod tu quoque, sed aliis verbis, & notasti & merito inculcasti) caussam primariam efficientem continere; secundum, secundariam seu instrumentalem, & aliqua ex parte eam, quæ dicitur sine qua non; tertium vero eam tantum, quæ dicitur sine qua non, continere.

Jam quod attinet ad alium ista capita explicandi modum, crediderim in primo debere addi expresse conditionem, quam ipse Deus suæ meræ nihilominus atque absolutæ gratiæ apposuit, ac dicendum esse, Deum peccata quidem propter se remittere, & simul vitam æternam dare, sed tamen nonnisi in Christum credentibus: filiorum Dei hoc loco, cum vox ista varie à variis accipiatur, haud facta mentione, nisi si qui sunt isti filii Dei, aperte dicatur. Quod idem ac multo magis dico de voce Electorum, sive in hoc primo, sive in aliis capitibus duobus. In secundo capite, non Christi tantum obedientiæ mentionem fieri oportere existimo, sed omnium quæ propter nos aut fecit ipse, aut facta à Deo in illo sunt. Neque enim obedientiæ modo Christi, verum etiam & prædicationi ejus, & resurrectioni, & supremæ secundum Deum potestati salutem nostram deberi, satis aperte, & magna ex parte disertis ferme verbis testantur Sacræ Literæ. Præterea, quomodo Christi obedientia salutis nostræ æternæ fuerit sitve caussa, paulo aliter ac feceris mihi explicandum videtur, ac dicendum, Christi obedientiæ ideo salutem nostram æternam merito ascribi, quia Deus ante decreverat, postquam Christus sibi obediens fuisset, omnibus, qui ad Christum pertinuissent, æternam salutem dare; immo Christo ipsi omnino potestatem concedere, ut ipsemet suos æterna salute donare posset; ut certe concessit. Præsertim vero minime dicendum tibi est, Christi justitiam à Deo nobis velut propriam imputari. Id enim nusquam scriptum extat, nec porro ea re quidquam est opus. Cumque jam agoscas, à Christo ipso omne meritum (verum scilicet ac proprium) excludendum hac in re esse, aut aliter, aut certe clarius, quam ipse facis, explicandum est, quod ais, Deum, tum propter se, tum etiam propter Christum sanctis peccata ignoscere, & Spiritum Sanctum ac vitam æternam impertiri. Nam quod explicandi caussa subjungis, *ex benevolentia, qua ipsum præ omnibus electis Angelis & hominibus gratis complectitur*, id vix, aut ne vix quidem, ut recte dictum sustineri potest. Si quando enim scriptura, Deum propter Christum peccata ignoscere, &c. asserit (id, quod tamen nusquam diserte scriptum esse arbitror) id proprie loquendo, non ad summam benevolentiam, qua Deus Christum complectitur, sed ad promissum seu decretum ab eo factum, Ut quicumque ad Christum pertinuerint, id est Christo confisi fuerint, salutem æternam adipiscantur, referendum omnino est. Alioqui aliquam impulsivam saltem caussam nobis salutis æternæ dandæ Deus in Christo haberet. Quod ab omni veritate abhorret: cum certissimum sit, Deum, neque primario, neque secundario ad nos æterna salute donandos, ab ulla alia seu persona seu re impelli, præterquam à se ipso suoque consilio ac decreto. Itaque ut concludam, Deus non ideo nos, qui Christi sumus, servat, æternaque vita donat, quod Christum summopere amat; sed quod eos, qui Christi fuerint, servare æternaque vita donare decrevit. Adeo, ut, si alioqui fieri posset, ut nos Christi essemus, hoc est, ei confideremus, ejusque præcepta conservaremus, & interim tamen Deus Christum non magnopere amaret, servandi nihilominus vitaque æterna donandi à Deo essemus. In tertio porro capite fides potius nostra in Christum, quam resipiscentia nostra commemoranda est judicio meo: nam, nec quælibet resipiscentia nostra, caussa salutis nostræ æternæ dici potest, sed ea demum quæ ex Christi præscripto est, & fides in Christum resipiscentiam istam necessario complectitur, eidemque fidei, & justificatio, & salus nostra æterna sæpius ascribitur: cum resipiscentiæ in Novo quidem Testamento deletio tantum peccatorum ascribi soleat, quam æterna salus (etsi tu aliter sentire videaris) per se ac necessario non consequitur. Nec locus Ezech. 18 qui à te affertur, contrarium probat. Quidquid enim de vita ibi dicitur, id pro eo tempore ad æternam vitam referri non potest,

 cum

cum nondum ea à Deo patefacta fuisset. Illud etiam non reticebo, loca à te allata ad probandum, quod Christi obedientia sit causa salutis nostræ æternæ, non videri ad rem facere. In illis enim Christi quidem fidei & cognitioni, ipsique Christo tribuitur remissio & deletio peccatorum nostrorum, & justitia ac redemptio nostra, quibus æterna salus nostra contineri dici potest, sed interim obedientiæ Christi nulla fit aperta mentio. Præstabat sane vulgatissimum illum locum Rom.5. afferre, ubi diserte dicitur per unius hominis, id est, Christi obedientiam justos constitutum iri multos. Ad hæc animadvertendum est, Pontificiorum sententiam, quod attinet ad bonorum nostrorum operum dignitatem, nihil prorsus discrepare ab ea, quam illis opponere videris, aut illius loco hanc substituere, quamque his verbis explicas. *Nihil igitur impium dixeris, immo recte & cum scriptura senseris, si ascribas salutem & justitiam operibus bonis, modo contineas te sub gratia, eamque præesse statuas operibus omnibus, ita ut ab hac omne suum pretium, dignitatem, ac præmia accipiant.*

Id insuper videtur notandum, te existimare, tertiam, quam fecisti salutis æternæ nostræ causam, non posse dici totam à prima dependere, si fides & sanctitas electorum ab ipsis aliquo modo pendeat. Nam id ego non satis recte à te conclusum puto. Tametsi enim fides & sanctitas electorum ab ipsis aliquo modo pendet, nullo tamen pacto pendet, quatenus est causa salutis æternæ, sed id totum à prima causa proficiscitur.

Postremo tibi consulo, ut alicubi connexionem, quæ inter salutis æternæ nostræ causas, diligentius explices, id est, totam ab initio ad finem usque, uno verborum contextu, salutis nostræ æternæ rationem ac progressum breviter enarres. Sic enim fiet, ut facilius uniuscujusque causæ vis ac dignitas cognoscatur, & lectores eam utilitatem percipiant, quam illis hoc scripto procuras.

Hæc pauca tumultuarie, nec dum quantum velim, & fortasse opus esset, tuo scripto perpenso à te rogatus, de ipso ut potui scripsi. Tu tibi obsequendi studium meum boni consulas rogo. Vale 20 Aprilis 1590. Cracoviæ.

Tui studiosissimus

F. S.

Ad Nobilissimum virum Dominum ELIAM ARCISSEVIUM,

F. S. EPISTOLA.

Pietate ac virtute ornatissimo viro Domino Eliæ Arcissevio in Domini vinea strenue laboranti, amico & fratri in Christo plurimum colendo, &c.

Salutem à Deo in Christo, &c.

DOleo sane te Lippa discessisse ante acceptum ad tuas literas responsum meum. Erant enim ibi quædam, quæ fratribus abs te legi voluissem, quorum aliqui putant, congerendis me pecuniis nunc prorsus intentum esse. Lætor, conventum vestrum, licet paucorum dierum, non fuisse sine fructu. Ad ea quæ ex me exquiris, breviter sic habeto. Magistratum, quantumvis summum, gerere homini Christiano licere existimo; modo alioqui Christianæ charitati in eo gerendo non contraveniat. Sontes capite plectere, aut membris mutilare, vix arbitror ullo modo per Christianam charitatem ei licere. Nec, me auctore, quisquam Christianus qui magistratum gerat, audebit id facere. Difficilior multo est quæstio de bello necne defendendo. Utrum scilicet homo Christianus, qui supremum magistratum gerat, possit, sine Christianæ charitatis offensione, ad id eorum opera uti, qui suam ipsi operam locare velint, quamvis ita statuam, Christiano homini privato, non concedi quenquam, etiam per occasionem propulsandi belli, interficere, membrove aliquo corporis mutilare; magistratu licet supremo, id ut fiat, jubente. Cæteroqui armari, & una cum aliis ad impetum invadentium hostium reprimendum, sine cujusquam cæde, proficisci, tunc crediderim homini Christiano licere, ubi prius omnia tentaverit, quominus ipse proficisci cogatur, sed pecunia suam ejusmodi profectionem redimere queat: quod si obtineri seu impetrare non possit, præstat judicio meo, aliquod periculum futuri scandali infirmorum in fide incurrere, quam certissimam sibi suisque ruinam accersere. Ut nihil dicam de scandalo, quod non minus, immo multo magis plurimis datur, cum quis magistratui suo supremo parere recusat; cui tamen in iis, quæ aperte contra Christi præcepta non pugnant, parendum omnino esse, inter omnes constat. De vestium cultu non crediderim admodum exquisite laborandum esse, hoc vel illud prohibendo in Christi Ecclesia. Tantum in genere ab omni luxu cavendum est. Luxum autem ex perpetuo loci & regionis, ubi degimus usu metiendum esse censeo. Sunt enim, exempli causa, loca, ubi vestibus sericeis uti non plus luxus habet, quam in Polonia linearum & lanearum usus, quippe quibus, in locis istis, vilissimi quique homines utantur, ut in ipsa Italia alicubi nunc audio fieri. Qui igitur volunt in Polonia, non licere fœminæ Christianæ pileo ex Axamit confecto uti, vehementer judicio meo falluntur, cum nulla ferme sit tam vilis fœmina, quæ talem pileum non habeat, in hac quidem regione. De armis gestandis ita sentio, id per se nullo pacto Christiano homini esse prohibitum, ob periculum tamen aliquid mali perpetrandi, & propter infirmorum scandalum, crediderim Christianum hominem id facere non debere. Præterquam fortasse in itinere ob feras bestias, utque latronibus metus incutiatur. An vero quis possit se ab invadente ita defendere, ut eum & vulnerare & occidere queat, perdifficilis sane est quæstio. Illud certissimum est, debere hominem in tali discrimine constitutum satis habere, si se suamque vitam, vel fuga, vel ictuum repulsione tueatur, nec ira sinere se abripi ad adversarium, non dicam interficiendum, sed ne vulnerandum quidem. Nec dubito, quin Deus pio homini, cui ejusmodi quid eveniat, præsens consilium suppeditare soleat, eumque ita juvare, ut vitæ suæ conservandæ causa non cogatur adversarium interimere, quod omnino vitandum est. Nam de plagis, aut vulneribus non lethalibus non videtur eadem esse ratio. Et censeri potest, præstare proximum suum, qui vitam nobis injuste eripere velit, leviter cædere aut vulnerare, quam seipsum interficiendum tradere, præsertim ubi quis non ob diversæ religionis professionem, sed alias ob causas impetitur. Non potest brevis Epistola esse eorum capax, quæ circa ea, de quibus judicium meum exquisivisti, dicenda forent. Coram aliquando, Deo volente, hisce de rebus diligentius tecum disputabo .... Nihil scio quod tibi significandum mihi videatur, nisi quod prodiit Jesuitæ Smiglecii, qui cum Licinio disputavit, liber de æterna filii Dei divinitate; in quo respondetur ad bonam partem eorum, quæ à me scripta sunt in Antiwujeko, & etiam in disputatione adversus Volanum. Credo me responsurum, Deo bene juvante. Nam satis acutus homo est, & sophismatis, non unicuique apertis undique refertus ...... Cracoviæ die 15 Februarii 1595.

Tuus ex animo totus.

F. S.

Ad

Ad eundem ELIAM ARCISSEVIUM Vidaviam.

1. QUæstio de Ecclesia, quæ tanti fit, ac tantopere agitatur, quicquid multi, Papistæ vero potissimum, sentiant, parvi omnino momenti est, ut jam aliquot ex iis videntur sensisse, qui de hoc argumento contra Papistarum sententiam scripserunt. Dicam tamen breviter, distinctionem visibilis & invisibilis Ecclesiæ, mihi valde probari. Invisibilis constat veris fidelibus in spiritu congregatis. Visibilis vero fidem veram profitentibus, & hujus rei causa sese congregantibus. Distinguendum est etiam inter Dei & Christi Ecclesiam. Quamvis enim, quæcumque Christi Ecclesia est, eadem necessario Dei quoque fit Ecclesia, non tamen contra quæ Dei est Ecclesia, eadem continuo Christi ut sit Ecclesia necesse est. Porro Dei Ecclesiæ invisibilis initium constitui nequit, cum non constet utrum Adamus & Eva, ante susceptos & jam adultos liberos, ex animo unquam Deo confisi fuerint. Duorum enim tantum congregationem, quod idem in hoc proposito nostro est, cum Ecclesia, dici posse, docent verba illa Christi, *Ubi fuerint duo aut tres congregati in nomine meo &c.* Visibilis autem Dei Ecclesiæ initium, tempore Enos filii Seth extitisse dici potest. *Tunc* enim, ut scriptum est Gen. 4.5 ultimo, *coeptum est invocari nomen Jehovæ*, id est, ut ego quidem una cum non paucis aliis interpretor, cœpti sunt haberi cœtus, in quibus Jehova Deus coleretur. Scio autem locum illum in contrarium sensum, ex vi linguæ Hebrææ, accipi à quibusdam, ut scilicet ibi dicatur, tunc profanatum fuisse in invocando nomen Jehovæ. Sed ego à vulgata lectione isto in loco nullo modo, ex eadem linguæ Hebrææ vi recedendum puto. Cæterum Ecclesia Christi invisibilis simul & visibilis eodem tempore esse cœperunt, quo enim tempore, Christi discipuli veri, Christo, ut vitæ æternæ datori, confidere cœperunt, eodem prorsus in ipsius nomine congregari cœperunt. Hoc autem tunc primum extitisse affirmare merito possumus, cum Spiritus Sanctus in eos descendit. Antea enim etsi congregabantur, immo eo ipso die jam congregati erant; nondum tamen id fiebat ab ipsis in nomine Christi. Adeo ut Ecclesia quidem Dei illa jam esset, sed non adhuc tamen Christi. Et hæc satis sint in præsentia, quod attinet ad quæstionem tuam, de Ecclesia.

2. Quod ais minus verum videri quod alicubi scripsi, & affirmavi, (quanquam tu paullò aliter me loquentem facis) eum, qui fidem quandam in Christum habuerit, quam ego priorem appello, qua videlicet creditur, Jesum esse Christum &c. necessario eidem Christo obedire; alioqui posse fieri ut quis sua sponte, prudens sciens, vitam æternam aspernetur, quod ego fieri non posse ajo. Quod ais inquam hoc minus verum videri, quia reipsa inveniantur, qui hanc fidem habentes, aspernentur vitam æternam, nihil solidi contra meum dictum affers. Primum enim non dixi ego eum, qui istam fidem habeat, non posse aspernari vitam æternam, quasi concedam quosdam posse eam aspernari; sed prorsus nego id posse fieri ab ullo, intellige, ut ego diserte loquor, sciente & prudente, & ex libera ipsius voluntate. Deinde nullo pacto probas id, quod dicis. „ Ego vero constanter „ nego unquam ullum extitisse, cujusmodi tu multos „ extitisse affirmas. Nam si multi isti, quos tu intelligis, non obedierunt, non propterea id factum est, quia vitam æternam, scientes prudentes sua sponte sint aspernati, sed quia non vere crediderant, eum habiturum vitam æternam, qui obedierit. Quod idem est reipsa, quod non credere Jesum esse Christum &c. Nullo autem modo mihi ipsi contradico, cum ajo, posse aliquem ex libro vitæ deleri. Quasi vero, qui aliquando crediderit, Jesum esse Christum, &c, & propterea obedivit, ac consequenter scriptus est in libro vitæ, si postea deleatur propter inobedientiam nihilominus pergat credere, quod Jesus sit Christus &c. Immo necesse est, istum, ut obedire desiit, sic desiisse ex animo credere, quod Jesus sit Christus &c.

3. Nunquam ego scripsi, priorem istam fidem nihil conducere ad salutem; immo ubique eam valde conducere asserui. Sed tantum & dixi & dico, non esse istam eam fidem, qua vere ac proprie justificamur, licet per eam ad fidem justificantem, quæ fiducia atque obedientia est, necessario perducamur; atque hac ratione ea nobis plurimum ad salutem conducat. Quod de Lutheranis & Euangelicis affirmas, eos istam, quam ego priorem fidem voco, sufficientem statuere, falleris, non enim ista fides (ut quidem ego illam explico) sed credere, quod Jesus Christus justitiæ divinæ pro nobis satisfecerit, est Lutheranis & Euangelicis sufficiens fides, qua videlicet omnino justificemur.

4. Aliud est verbum illud Dei interius, quo moneri nos affirmo, ut ea faciamus quæ ipsi justa esse censemus; ea vero vitemus, quæ injusta esse putamus, & aliud lumen illud divinum quod extingui in homine ipsius culpa dico. Istud enim lumen pertinet ad notitiam eorum quæ Deo placeant, quæve displiceant. Atqui non quidquid Deo placet, idem etiam cuilibet homini justum videtur, nec injustum quicquid Deo displicet. Itaque in verbis meis nulla prorsus est contradictio. Nec vero ego dixi unquam, justificari quempiam ea ratione qua per fidem in Christum justificamur, si verbo illi Dei interiori obedierit; sed tantum dixi, ejusmodi hominem esse Deo gratum, & diserte eo in loco distinxi inter eum, qui singulari quadam ratione (ut certe est is qui Christo confidit) & eum qui, ut sic dixerim, vulgari quodam modo Deo est gratus.

5. Non dixi, Angelos Dei bonos non potuisse peccare. Sed tantum, nos credere, quod nunc Angeli Dei boni non possint peccare, & verissimum dixi. Hæc est enim omnium ferme theologorum communis sententia, quæ nihil omnino cum testimonio à te allato pugnat. Verisimile autem plane est, quemadmodum, ut merito ab omnibus creditur, nos post hujus vitæ agonem, si legitime certaverimus, una cum immortalitatis corona omnimodam à peccato liberationem consequemur, sic Angelos illos Dei, qui fideles fuerunt, nec, ut alii, in illam à suo principio defectionem sese involverunt, id præmii à Deo accepisse, ut posthac peccato nullo modo sint obnoxii.

6. Nego hominem non sic dominatum fuisse cæteris animantibus post lapsum, ut ante lapsum. Immo post diluvium (quod certe fuit post lapsum) cœpit homo animalibus aliis cunctis, ex ipso Dei decreto majore cum imperio dominari, quam ante lapsum, ut aperte colligitur ex cap. 9. Gen.. Liberam autem voluntatem hominis, esse Dei imaginem ad quam conditus fuit, nullo modo defendi potest; alia enim prorsus est libertas humanæ voluntatis, à libertate voluntatis divinæ. Eatenus enim voluntas humana libera est, quatenus potest velle, & bene facere & male. Deus autem non potest velle male quidquam facere, sed idcirco voluntatis summam libertatem dicitur habere, quia quidquid vult, non modo liberrime vult, id est à nulla, præter seipsum, alia causa ad id volendum quidquam prorsus cogitur, sed etiam, quominus id faciat, nulla ratione impediri potest. Id quod homini neutiquam est datum.

7. Quid meæ sententiæ objicias de voluntate perfecta, sufficiente ad Legem Dei implendam, etiam in iis casibus ubi ipse externus actus impeditur, intelligere nequeo, Nam quid huc attinet, quæso, quod dicis de Dei voluntate, rerum proprietate non autem casibus metiendæ? Disputatur de voluntate hominis, tu autem de Dei voluntate loqueris, & id de ea affirmas, quod nec satis percipi, nec quicquam ad rem facere potest. Præsertim cum ego non dicam, impletionem istam legis divinæ ex ipsa voluntate perfecta, in iis

iis casibus locum habere ubi quis non impeditur, quod tu tamen me dicentem facis, sed contra (ut paullo ante attigi) etiam in iis casibus locum habere, ubi quis aliqua externa ratione id facere impeditur, quod maxime vult facere.

Tuus ex animo totus

F. S.

Contra Chiliastas, de regno Christi terreno per annos mille, ad Synodum Chmielnicensem,

F. S. Epistola.

F. S. *ad omnes eos qui Chmielniciam ad Synodum convenerunt.*

ETsi sæpius dicere consuevi, in quæstione de regno Christi in terris futuro, ratione corporeis oculis conspicua, & hisce sensibus perceptibili, una cum ejusdem Christi in terris corporali præsentia, idque per complura secula, me multo libentius audire, quam loqui: & doceri, quam docere velle; tamen sciunt plerique ex toto cœtu, me ex altera parte semper professum fuisse, nullo pacto mihi probari sententiam de hujusmodi futuro Christi regno. Et revera ego semper eam, & Sacris Literis, analogiæque fidei nostræ repugnantem, & perniciosam simul esse sum arbitratus, præter id quod absurdissima multa, & sibi invicem adversantia ex ea necessario oriri, mihi plane est visum. Quod satis per se superque est, ad ejus falsitatem indicandam & coarguendam. Jam vero postquam haud levi cum animi mei dolore rescivi, multos ex cœtu, eosque alioqui pietatis studiosissimos, nec non inter cæteros ob eorum insignes virtutes auctoritate præstantes, sententiam istam serio sequi ac defendere, & tandem eo deventum esse, ut in ipsa Synodo hac de re diligentius agendum, & aliquid statuendum sit, majore studio animum ad veritatem hujus quæstionis investigandam statim applicui. Et quo diligentius totam rem, sacraque testimonia & rationes inde ductas perspexi ac consideravi, eo firmius credidi, sententiam istam & falsam & absurdam, &, quod caput est, perniciosam esse. Quocirca decreveram omnino aliquid exactius de tota quæstione scribere, scriptumque meum in Synodo legendum offerre; quamvis non dubitarem, quin alii futuri essent ex cœtu, qui sententiæ isti sese opponerent, ac præsertim, quin Dominus Martinus Czechovicius acerrimus, ut scio, contrariæ sententiæ propugnator, & voce & scripto, pro ea, qua Deus illum donavit, egregia divinarum rerum scientia, ne sententia ista in cœtu obtineret, immo si fieri posset, ex uniuscujusque animo stirpitus evelleretur, omnino curaturus esset. Verum hisce præteritis sex septimanis, tam gravi ac multiplici morbo fui implicitus, ut quod in animo habebam, minime efficere potuerim. Tantum temporis tamen ante profectionem nostrorum Cracoviensium ad Synodum, vacui à morbo, per Dei gratiam, habui, ut præcipua quædam pauca ex tam multis scripto complecti potuerim, quæ me à sententia ista abhorrere cogunt. Quæ, ut ii, qui contra sentiunt, æquis animis audire velint, ac boni consulere, etiam atque etiam rogo.

Primum igitur mihi videtur, sententiam istam de tali, quale ante exposuimus, Christi regno in terris futuro, viam sternere ad regnum, quod nunc Christus in cœlo manens reipsa habet, convellendum atque evertendum. Ex quo totius fidei nostræ, & Christianæ religionis ruina necessario consequitur, ut jam, ni fallor, plerique omnes ex cœtu animadverterunt; quicquid contra disputent ii, qui Christo in cœlo manenti adorationem & invocationem adimunt. Qui quidem ad sententiam suam confirmandam hoc argumento potissimum utuntur, quod Christi regnum, ut Sacræ Literæ præ se ferre videntur, sit futurum in terra, idque in ipsa Judæa super Judaicum populum Hierosolymis, postquam Dei nutu ac providentia urbs illa in ea provincia eodem loco, ubi antea erat, instaurata fuerit. Nam si ita res se haberet, tunc ad hunc modum argumentari liceret: Regnum Christi unum tantum & simplex est; non duplex; prout divinæ literæ satis aperte testantur, quæ unius tantum Christi regni mentionem faciunt, idque nunquam desiturum ajunt, id est, nullum aliud, præter Dei ipsius regnum, ejus loco successurum. Igitur si Christi regnum in terris super populum Judaicum, in urbe Hierosolyma futurum est, regnum Christi nullum esse potest, nisi Christus ipse in terris adsit, & super populum Judaicum Hierosolymis sceptrum teneat, & consequenter, cum hæc nondum fuerint, nec sint; nondum etiam est, nec fuit Christi regnum. Sicque Christus ad hunc diem in cœlo manens, nondum regnavit, nec regnat. Hujus argumenti vim nullo pacto effugere possunt ii, qui Prophetica Veteris Testamenti testimonia, de Christi regno super domum Jacob, & Hierosolymis in perpetuum futuro, & si qua sunt similia, quæ corporeis sensibus comprehensibile in terris Christi regnum, idque perpetuo duraturum, promittere videntur, nullo pacto mystice seu allegorice; sed, ut verba ipsa sonant, accipi volunt. Quibus consultius, meo quidem judicio, foret, ipsis propheticis testimoniis relictis, ad ea tantum testimonia confugere, quæ in ipsius Novi Testamenti Sacris Literis (ubi aliqua alioqui de Christo nunc, dum in cœlo manet, reipsa regnante, apertissima sunt testimonia) omnino docere videntur, Christum, ratione supra dicta, in terra per multa secula una cum suis regnaturum. Nam, nisi prophetica illa testimonia, vel omnia, vel aliqua saltem ex ipsis mystice seu allegorice interpretemur, ubi (quæso) apud Prophetas scriptum invenitur, Christum in cœlo manentem, in Judaico populo nondum illi subjecto, tamen reipsa ac pleno jure regnaturum? Ubinam, inquam, à Prophetis mentio facta deprehendetur præsentis nunc pleno jure Christi regni, quod illi Euangelica & Apostolica scripta tribuunt, quodque agnoscere necesse est, si Christus nunc merito ac proprie est appellandus, eique adoratio & invocatio tribuenda? Nunquid verisimile est, Prophetas ex professo de Christi regno loquentes, regni ipsius potiorem & diviniorem hanc saltem (ut sic dixerim) partem, vel potius regnandi rationem, silentio præteriisse? Quod si pars aliqua propheticarum vaticinationum de Christi regno, necessario mystice seu allegorice est interpretanda, eadem ratione omnes, cum eædem aut similes ubique sint locutiones, interpretari debebimus, aut certe poterimus. Ex quo fit, ut ex propheticis de Christi regno prædictionibus, nihil prorsus solidi afferri possit ad regnum istud Christi in terris, de quo agimus, confirmandum, nisi quis ante illud, ullum Christi regnum nec fuisse unquam, nec futurum contendat.

Sed sive quis ex Prophetarum, sive ex Apostolorum, Euangelistarumque scriptis regnum istud Christi in terris probare velit, nullo modo argumentum negantium Christum nunc reipsa regnare, superius allatum, dissolvere poterit. Non poterit, inquam, effugere, quin vel, præter & contra divina testimonia, duplex Christi regnum faciat, vel Christum in cœlo manentem, nunc reipsa regnare neget. Nam, si dixerit, immo se asserere, & quod Christus in cœlo manens nunc reipsa regnet, & quod postmodum in terra corpore præsens regnaturus sit, hoc totum, inquam, se asserere unum idemque ac simplex Christi regnum esse, & regnum illius aspectabile in terra, nihil aliud reverа futurum, quam patefactionem regni, quod reipsa jam inde Christus habet, ex quo redivivus ascendit in cœlum; Respondebitur, tantam esse diversitatem inter utramque regnandi rationem; ut omnino duo diversa regna censenda sint.

Primum

Primum enim præsens, id est, hoc tempore regni Christi ratio ejusmodi est, ut ipsum regnum plane subsistat, & pleno jure à Christo administretur, etiamsi totus terrarum orbis illi adversaretur. Satis enim est ad plenum jus hujus regni obtinendum, quod Christus suprema divinaque potestate sit prædictus, qua tum in cœlo, tum in terra, quidquid velit efficere, queat. At futura illa, quam isti sibi fingunt, regni Christi ratio omnino requirit, ut multi ex hominibus sint, qui eum pro Christo agnoscant, & venerentur, id est, ut regem ipsum colant. Deinde hæc Christi regni ratio præsens, nullum prorsus discrimen personarum, aut locorum habet; ista vero futura postulat, ut peculiari quadam ratione Christus super Judaicum populum regnet, idque in ipsa urbe Hierusalem. Præterea, ut paullo ante attigimus, præsens Christi regni ratio potestatem supremam divinamque requirit, tum in cœlo, tum in terra. At futura ista satis habet, si Christus suprema potestate in terra sit prædictus, & ejus doctrina pro vera æternaque habeatur. Taceo nonnulla alia insignia inter utramque regnandi rationem discrimina, quæ unusquisque cordatus homo facile per se animadvertere potest.

Quanquam vel id satis indicat, has duas regnandi rationes, duo etiam regna constituere, quod qui sententiam istam probant, de regno Christi, quale diximus, in terris futuro, illud simpliciter atque absolute Christi regnum vocare solent. Quippe qui satis intelligant, non patefactionem revera præsentis Christi regni, sed novum quoddam & absolutum Christi regnum illud futurum. Et sane quid attinet, ad hoc, ut patefiat præsens Christi in cœlo manentis regnum, ipsum Christum corpore præsentem in terra mille annos una cum suis regnare? An non id melius præstat, quod Christus ipse de cœlo descendens universum orbem terrarum divina prorsus ratione judicet, statimque suos omnes immortales ac beatos reddat, sibi vero adversantes perdat, æternoque supplicio addicat? Ut certe faciet. Hoc autem quia revera & patefactio, & complementum est regni Christi, nam & supremam secundum Deum ipsius Christi potestatem declarat, & mortem, tertius mystici Christi corporis inimicum teterrimum ac perniciosissimum, ultimumque inter omnes Christi hostes abolendum, abolet, merito alicubi, sed perraro tamen, regnum Christi vocatur, ut 2 Tim. 4. 1. Aliud Christi regnum in terris, ipso Christo corpore præsente, non agnoscit scriptura. Nec sane aliter sensisse puriorem antiquitatem, vel ex symbolo, quod Apostolicum appellatur, constare potest, in quo aliud nihil, quod huc pertineat, dicitur, nisi, Jesum Christum Dei filium, qui in cœlum ascendit, inde venturum esse ad judicandum vivos & mortuos: de alia ulla in terra sive regnandi, sive regni sui patefaciendi ratione, in toto illo symbolo ne syllaba quidem extat. Nec sane immerito. Sic enim, si quis recte animadvertat, perpetuus tenor Sacrarum Literarum Novi Testamenti omnino fert atque docet. Ut aliquanto apertius mox, Deo dante, sum ostensurus.

Nam quod deinde potissimum sententiam istam de Christi regno in terris, ea ratione, qua dictum est, futuro, me penitus aversari cogit, illud est, quod scilicet aperte video eam pugnare cum perpetuo sensu, qui in scriptis Euangelistarum & Apostolorum deprehenditur. In quibus adventus Christi de cœlo ad nos in terram, tantum ad judicandum mundum futurus describitur; idque statim, ut præcipue colligitur ex furis noctu venientis sæpius usurpata similitudine, & ex comparatione illa Matth. 24, adventus Christi cum temporibus Noë, quando diluvium extitit. Ex ea enim ipsa comparatione, & ex verbis omnibus, quæ ad eam explicandam Christus profert, valde perspicuum est, Christum, simul atque venerit, non quidem solium suum in terra erecturum, in quo sedens regnet una cum suis per longissimum tempus; sed in quo statim de universo hominum genere sententiam ferat; & alios quidem ad se recipiat, id est, præmio æterno donet; alios vero missos faciat, id est, æternis pœnis afficiat. Id quod sequenti capite idem Christus perspicue declarat, cum ait, ubi venerit filius hominis in gloria sua cum omnibus Angelis suis, tunc sessurum eum in solio suo glorioso, & congregatum iri ante ipsum omnes gentes; ipsum autem alios ab aliis separaturum, & justos quidem ex ejus ferenda sententia vitam æternam adepturos, cæteros vero æternum supplicium subituros. Ubi nihil audis sessurum in solio suo ad regnandum cum hominibus piis in terra per complura sæcula. Et ne quisquam hic causari aut tergiversari possit, animadvertatur diligenter, ex duobus supra dictis locis, præsertim vero ex posteriore, apertissime id colligi, quod modo dicebam, videlicet adventum Christi secum statim allaturum, non quidem aliquorum hominum, aut majoris partis eorum, sed universæ omnium judicium, ultimamque ac definitivam de omnibus sententiam. Atqui judicium hoc ultimum, & universale, ii ipsi, contra quorum sententiam disputamus, fatentur fore extremum omnium, quæ in terra & in hoc sæculo fieri debent; aut certe post regnum Christi in terris, non autem ante, nec simul cum eo futurum. Id quod inter alia eos fateri cogit locus ille, qui Achilles est testimoniorum, quæ proferunt ad confirmandam sententiam suam Apoc. 20, ibi enim manifeste judicium istud futurum dicitur post mille illos annos, quibus duraturum est regnum illud, de quo ibi verba fiunt; quod isti id esse autumant, atque contendunt, de quo inter nos est quæstio. Ad demonstrandum vero Christi adventum secum statim allaturum finem hujus seculi & ipsius terræ interitum, & ita Christo adveniente, nullum penitus isti regno locum futurum, nihil apertius excogitari potest eo, quod scriptum est 2 Petr. 3, ubi diserte dicitur, cum dies Domini advenerit, cœlos transituros, id est, perituros, quemadmodum Psal. 102, scriptum est, & Elementa solutum iri, terram vero, & quæ in ea sunt opera exurenda esse; denique hæc omnia esse dissolvenda. Namque idem esse adventum diei Domini, seu diem Domini, quod ipsius Domini adventum, & Petrum nomine diei Domini, ipsius Domini adventum intellexisse, præter nonnulla alia in Novo Testamento loca, quæ dilucide ostendunt, hæc duo pro uno & eodem sumi atque usurpari, ipsius Petri verba id clarissime demonstrant. Ut enim ex ℣. 4. constat, contra eos disputat, qui prænunciatum ac promissum adventum Domini, tanquam rem prorsus vanam & quæ nunquam futura esset, ridebant; itaque manifeste quod prius adventum Domini appellaverat, adventum deinde Diei Domini vocat.

Et quando supra incidimus in mentionem celebris illius pro regno Christi in terris asserendo loci Apoc. 20, operæ pretium me facturum arbitror, si ostendero, ex loco illo regnum istud nequaquam probari posse, & necesse esse, ut totus ille locus allegorica aliqua ratione accipiatur & explicetur. Etenim, si hoc evicero, facile, ut spero, non pauci ex adversariis manus dabunt, cum reliqua omnia loca, tam in Vetere quam in Novo Testamento, quomodo partim omnino debeant, partim commode possint, allegorice sumi & explanari, unusquisque parvo aut nullo negotio sit intellecturus. Ad hoc igitur, quod dixi, ostendendum, duplici via utar. Primum simpliciter probabo, si locus ille ita accipiendus esset, ut verba sonare videntur, utque adversarii eum accipiunt, id ibi dictum inventum iri, quod aperte pugnat cum clarissimis Novi Testamenti locis. Deinde opponam illi locum 1 Cor. 15. 23, & deinceps, ex quo loco, in eo, quod inde eliciam, apertissimo, manifestius etiam constabit, locum illum Apoc. allegorice interpretandum esse, & eadem opera verba Pauli diligenter explanare conabor. Idque eo libentius, quod sciam, non paucos esse, qui ex illo ipso loco sententiam istam de Christi regno in terra futuro confirmare non dubitant.

Jam

Jam in loco illo Apocalypsis aperte dicitur animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, sive ipsos decollatos, & qui non adoraverunt Bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem in fronte sua, & in manu sua, vixisse & regnasse cum Christo mille annis. Si istud vivere, resurgere est corporali resurrectione, & regnare, est hic in terra regnare, (ut quidem necesse est, si locus iste ad regnum Christi, de quo disputamus, confirmandum pertinere dicendus sit,) hæc ejus loci sententia pugnat ex diametro cum eo, quod apertissime colligitur ex verbis Christi, quater repetitis Joh. 6; id est versu 39, 40, 44, & 54; in quibus omnibus locis Christus id dicit, ex quo patet, eum quemlibet ex suis ultimo die resuscitaturum. Quibus illud adstipulatur, quod dixit Martha ipsi Christo Joh. 11. 24, se scilicet scire, Lazarum fratrem suum, qui erat mortuus, resurrecturum, in resurrectione futura die ultimo. Nonne hæc prorsus invicem repugnant, jam advenisse diem ultimum, &, adhuc superesse annos mille & amplius? Apparet enim ex eodem Apoc. loco, post mille illos annos superfuturum adhuc aliquod spacium temporis, ante diem ultimum. Itaque cum Christi ac Marthæ, quæ Christi ipsius sermonibus prius edocta sine dubio, ad eum modum est locuta, verba simplicissima & apertissima sint, nec ulla penitus sit causa, cur non ita omnino sint accipienda, ut ipsa sonant, necesse plane est, ut verba loci Apocalypsis, quæ visionem quandam referunt, id est, rem, ut visionum perpetuus mos est, subobscuram, & allegoricis interpretationibus prorsus obnoxiam, aliter accipiantur, atque ipsorum, (ut sic dixerim) cortex præ se fert; nisi Spiritum Sanctum secum pugnare velimus, & quod Christus sæpius & constantissime fore asseveravit, non ita futurum, ut ille dixit, sed longe diversa ratione statuamus. Quæ cum absurdissima & plena blasphemiæ sint, concludendum est omnino, Apocalypsis locum allegorice interpretandum esse, id est, ita, ut ad confirmandum regnum Christi in terris, de quo controversamur, nihil faciat.

Sed jam cum loco isto Apocalypsis conferamus locum illum Pauli 1 Cor. 15, eumque paullo diligentius examinemus. Itaque primum ex Pauli verbis, cum ait, vivificatum iri eos, qui sunt Christi, in adventu ejus, aliquid colligi videtur, quod pugnet cum eo, quod scriptum est in loco Apocalypsis, nisi locus ille allegorice explicetur. Hic enim indefinite, atque ob id universe dicuntur resurrecturi is, qui sunt Christi, in ejus adventu, id est, simul atque advenerit. Ibi vero non omnes qui Christi fuerint, sed pars eorum quædam potior atque præstantior, mille annis cum Christo regnatura, videtur resurrectura dici. Neque enim omnes, qui Christi sunt, decollantur, aut Bestiam, imaginemve ejus adorare, vel ejus characterem in fronte & manu sua accipere nolunt. Sic enim omnino interpretanda videntur verba Johannis, ut videlicet ad eos referantur, qui ista facere recusent, non autem simpliciter non fecerint; fortasse quia nec de Bestia, nec de ejus imagine quidquam audierunt unquam; vel, quod in aliqua orbis parte fuerint, quo ejus notitia non pervenerit; vel, quod prius fuerint, quam ipsa existeret. Confirmatur autem, Johannis verba non omnes, qui Christi sunt, complecti, ex eo quod subjungitur, cæteros mortuos non revixisse, donec mille anni complerentur. Nam hoc ad solos impios, eosve, qui Christi non sunt, referre, nimis durum videtur. Verisimile est enim, si hic esset sensus ejus loci, non dicturum fuisse Johannem simpliciter, *Cæteri vero mortuorum*, ut dixit; sed potius, Cæteri vero mortuorum, qui ista fecerunt, aut quidpiam simile. Adde, quod ex fine capitis apparet, inter eos mortuos, qui non revixerunt in priore illa resurrectione, aliquos saltem fuisse pios, & in libro vitæ scriptos. Dicitur enim ibi, apertum fuisse librum vitæ, & judicatos fuisse istos mortuos, ex iis quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. Et tandem subjicitur, si quis non inventus fuit scriptus in libro vitæ, conjectum fuisse in stagnum ignis. Quod certe clare ostendit, multos in libro vitæ scriptos ex istis mortuis inventos fuisse. Constat igitur jam, de non contemnendo discrimine inter ista duo loca, nisi locus Apocalypsis allegorice accipiatur.

Sequitur discrimen ac dissidium multo evidentius, multoque majoris momenti, si locus Apocalypsis secundum Adversariorum sensum sit explicandus. Nam Paulus subjungit, deinde, id est, resuscitatis iis, qui sunt Christi, in adventu ipsius, adfuturum finem. In loco autem Apocalypsis legitur, resuscitatis quibusdam multis Christi fidelibus, eos regnaturos mille annis cum Christo. Certe enim si hoc futurum est in terra, & sic durante etiam hoc seculo, finis adhuc longissime aberit. Quamquam vox finis in Pauli loco, ut ex consequentibus intelligi potest, non hujus seculi proprie, sed regni Christi finem videtur significare. Ita, ut quomodocumque alioqui regnum istud, de quo in Apocalypsi, interpretemur, nisi allegorica aliqua ratione totus locus explicetur, evidens plane atque ingens discrimen atque dissidium inter istum & Pauli locum appareat. At excipiunt adversarii; immo ex Pauli verbis, quæ statim subjicit, aperte constare, post Christi adventum, & resurrectionem ipsius fidelium, & ante finem multa intercessura; quæ scilicet fient illorum mille annorum spatio, de quibus in Apocalypsis loco. Adeo ut Pauli locus, & cum loco Johannis mire hac in parte consentiat, & sententiam de commoratione diuturna Christi in terris post adventum suum aperte confirmet. Quamvis enim Paulus ea verba protulerit, *Deinde finis*, ea tamen non ita accipienda esse, quasi statim adfuturus sit finis. Nam illico ibi subjungitur, *Cum tradiderit regnum Deo & Patri; cum aboleverit omnem principatum & omnem potestatem ac virtutem*. Ex quibus verbis apparet, post adventum quidem Christi & resurrectionem ipsius fidelium finem fore; sed non statim; verum, postquam deinceps ea facta fuerint, quæ subjiciuntur. Adhæc respondeo, primum quod attinet ad priorem partem eorum, quæ in Pauli loco subjiciuntur, id est, ad traditionem regni Deo & Patri, sine dubio id factum iri post Christi adventum, & resurrectionem ejus fidelium; sed neque hoc ullum temporis spatium, nisi brevissimum requirit, nec quidquam aliud reipsa est, quam executio adfuturi finis: finis, inquam, ut ego libentius interpretor, regni Christi. Traditione enim regni Deo & Patri, finis Christi regni continetur, atque (ut sic loquar) efficitur. Jam vero quod attinet ad posteriorem partem eorum, quæ ibidem subjiciuntur, id est, ad abolitionem omnis principatus, & omnis potestatis, ac virtutis, neque hoc similiter Christo ipso corpore præsente, longo tempore indiget. Sed neque ut id fiat, corporali Christi præsentia in terra quicquam est opus; præsertim, si recte intelligatur, quinam sint isti principatus, potestates, ac virtutes. Ex non paucis enim aliis locis satis constat, non homines hos esse, sed dæmones. Præterea, hæc pars non ita accipienda est, quasi ista deinceps fieri debeant; ut postea demonstrabo. Et certe, si mens Pauli fuisset, docere, ista deinceps factum iri, præsertim vero, si aliquod longum temporis spatium, antequam perficerentur, intercessurum indicare voluisset; verisimile est prorsus, eum aliter locuturum fuisse, ac fecit, & dicturum, „ Deinde abolebit omnem principatum, „ & omnem potestatem ac virtutem, tradetque mox „ regnum Deo & Patri, & erit finis. Nam ut locutus est, ejus verba ita accipi possunt, (ut quidem mox docebo esse accipienda) ut intelligatur, ista quidem fieri oportere ante finem, sed non tamen post Christi adventum, & ejus fidelium resurrectionem. Jam non solum Pauli verba ita accipi posse, ut modo dictum est, verum etiam omnino debere, demonstrant aperte ea, quæ sequuntur. Præsertim vero id quod ℣. 26 dicitur, ultimum inimicum abolendum esse mortem. Nam, si mors

si mors ultimus inimicus est, qui aboleatur, quomodo post resurrectionem Christi fidelium aboleri possunt, vel abolendi sunt omnes principatus, & omnes potestates ac virtutes? An non hi inter inimicos numerantur, vel potius præcipui sunt Christi inimici? Nunquid ubi resurrexerint Christi fideles, inimica mors nondum erit abolita? Quid magis absurdum, & secum manifeste pugnans excogitari potest? Cæterum, non modo ultimum inimicum abolendum, esse mortem, & consequenter post Christi fidelium resurrectionem non posse aboleri omnem principatum, omnemque potestatem ac virtutem, & necesse esse, ut ista omnia ante fuerint abolita; sed etiam statim post abolitam mortem, Christi regni finem adfuturum, probat manifeste id, quod, post mentionem abolitionis istorum omnium, illico addit Paulus. Inquit enim, Christum regnaturum donec illi subjecti fuerint omnes inimici ejus. Nam, si ultimus inimicus subjiciendus, mors est, certe, morte abolita, jam non amplius regnabit Christus. Ubi diligenter animadvertendum est, eos, qui Christo hoc tempore regnum non concedunt, & nondum eum regnasse volunt, nec non aliquos ex iis, qui, eum, quidem nunc regnare confitentur, sed tamen nihilominus regnum istud ipsius in terris expectant, contra quos nos præcipue disputamus, vehementer falli, existimantes verba illa Pauli, *Oportet eum regnare*, de futuro, id est, olim extituro regno accipienda esse, cum ex Græco verbo βασιλεύειν, quod præsentis vel præteriti imperfecti temporis tantum est, perspicuum sit, necesse esse, ut Paulus de regno loquatur, quod jam reipsa sit. Qui, si de extituro regno loqui voluisset, non aliter quam βασιλεύσειν, aut βασιλεῦσαι, in futuro scilicet vel aoristo tempore, dicere potuisset. Jam, quod ita Pauli verba accipienda sint, ut, simul atque omnes inimici Christi ei fuerint subjecti, ejus regni futurus sit finis, seu regnum is Deo & Patri sit traditurus, & voculam *donec*, usitatam in ejus verbis significationem habere, ut videlicet rei finem declaret, non autem, ut aliquando solet, simpliciter eo usque rei durationem; nec esse, quod quis argutetur, Paulum quidem dicere, Christum regnaturum usque ad subjectionem omnium suorum inimicorum, sed non tamen negare, quin postea quoque sit regnaturus, id plane suadet, vel potius fateri cogit, quod absurdissimum esset, Paulum, cum ex professo de Christi regno agat, deque ejus fine, nullum verbum de duratione ejus, etiam post subjectos Christi omnes inimicos, protulisse; præsertim vero, si adhuc mille annos & amplius duraturum esset. Verum præterea, omnino Pauli verborum sententiam eam esse, quam diximus, docent, quæ paullo post eodem loco scripsit, *Cum autem subjecta ei fuerint omnia, tunc & ipse filius subjicietur ei, qui ipsi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Ex quibus verbis patet, tunc adfuturum finem regni Christi, cum illi omnes inimici fuerint subjecti. Cui sententiæ consonat illud Dei ipsius in Psalmo celebre dictum, à Christo & ab Apostolis de Christo ipso interpretatum, *Sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quod nemo sanæ mentis negaverit, idem esse cum eo, quod hic Paulus ait, oportere Christum regnare, donec illi subjiciantur omnes inimici ejus. Unde etiam constat, id verissimum esse, quod antea diximus, Pauli verba nulla ratione de regno aliquando extituro, sed de eo, quod jam extiterit, accipienda esse. Nam certe, sessio Christi à dextris Dei, quæ idem est quod Christum regnare, jam tum cœpit, cum Christus assumptus est in cœlum, Mar. 16. 19. Jamque igitur videant, quid agant ii, qui loco illo Apocalypsis ut verba sonant accepto, ad regnum istud Christi terrenum probandum potissimum utuntur. Sic enim Christum in terris ratione cunctis aspectabili, mille annis regnaturum concludunt, postquam ejus fideles plurimi resurrexerint. Et tamen ex Paulo certissimum est, tunc desiturum Christi regnum, idque Deo & Patri ab ipso traditum iri, cum ejus fideles à mortuis excitati fuerint. Ac breviter, isti tunc plane Christi regnum istud cœpturum statuunt, cum jam Christi regni finem adfuturum Paulus aperte docet.

Ex his arbitror, jam satis constare, locum illum Apocalypsis allegorice interpretandum omnino esse, & sic nihil ex eo elici posse, quod regnum istud Christi in terris comprobandi vim ullam habeat. Quod si quis me interroget, quænam sit ista ejus loci allegorica interpretatio, nihil pudebit confiteri, me hactenus eam ignorare, nec ex multis ejusmodi interpretationibus, quas à doctissimis viris, cum antiquioribus tum recentioribus, afferri cognovi, ullam mihi, nisi forte aliqua ex parte, probari. Quid autem mirum, visionem, eamque propheticam, id est; de rebus futuris, non plene intelligi? An non hoc proprium est ferme omnium vaticinationum, ut scilicet non plane intelligantur, nisi post earum eventum? Nec sane necesse est in hac disputatione ejus visionis veram interpretationem tenere: sed satis omnino est, aperte constare, eam non ita esse interpretandam, ut ipsa verba sonant, id quod me ostendisse confido. Quamquam præterea animadvertendum est, in ipsa visione nihil dici de loco, ubi regnent decollati isti propter Christum, & alii, qui ibidem vixisse, id est, revixisse, dicuntur. Dicitur enim tantummodo, eos regnare cum Christo, nec de Christo, qui è cœlo in terram descenderit, ibi ulla fit mentio. Quare, cum certum sit, Christum in cœlo regnare, videtur potius ibi dici, istorum una cum ipso Christo regnum, in cœlo quam in terra esse. Nam, si quis dicat, postmodum ibidem affirmari, exactis mille annis, gentes quasdam à Diabolo seductas, circuisse castra sanctorum & civitatem dilectam, respondeo, nihil prorsus cogere, ut isti sancti illi sint, quos revixisse, & regnasse superius dixerat. Et hæc in præsentia satis esse volo, ad ostendendum, adversarios in eo loco, qui præcipuus inter omnes, quos afferre soleant, esse videtur, nihil solidi pro sua opinione stabilienda habere.

Addam adhuc, quam brevissime potero, aliam rationem, quæ sententiam istam de terreno Christi & suorum regno, semper mihi suspectam atque adeo plane invisam reddidit, quam alii nonnulli attingunt; præsertim vero Urbanus Rhegius vir doctissimus in suis thesibus de Christi regno contra Chiliastas; quod opusculum à me cum quibusdam ex cœtu communicatum, & nunc ei datum, qui secum ad Synodum afferat, ut diligenter atque accurate legatur, vehementer atque enixe rogo. Nam certe ibi satis testimoniorum, atque argumentorum est, ad Christi regnum istud in terris futurum, labefactandum ac convellendum. Sed jam ad rationem breviter explicandam venio.

Universæ Novi Testamenti Literæ, totaque fidei nostræ analogia id potissimum quærunt ac postulant, ut, istis terrenis rebus omnibus neglectis atque pro nihilo habitis, quæ finem sunt habituræ, quæque mortalibus oculis aspiciuntur, ad res illas cœlestes perpetuo adspiremus, quæ sunt æternæ, & mortali homini inaspectabiles. Cujus rei præclarum ac disertum testimonium, inter alia plurima extat ad finem cap. quarti posterioris ad Corinthios. Sed etiam insignis valde est locus ille similiter ad finem tertii capitis Epistolæ ad Philippenses, ubi scriptum est, nostram conversationem, vel potius, ut Græcum verbum sonat, tanquam propriæ civitatis jus atque usum, in cœlis esse, unde & servatorem expectamus Dominum Jesum Christum, ut intelligas ibi cœlorum appellatione, non quidem omnem locum ubi Deus regnet, suoque favore & benignitate adsit, quemadmodum non pauci, similia testimonia eludentes, intelligendum contendunt; sed omnino locum illum, ubi nunc Christus præsens corpore habitat, qui cum hac nostra terra, ubi nos diutissime regnaturos esse isti contendunt, nihil commune habet, immo ubique in Sacris Literis ei opponitur. Atqui si hic in terris tamdiu regnaturi sumus, hocque, saltem ex parte,

ex parte, futurum est præmium fidei ac laborum nostrorum, quomodo fieri potest, ut de hac ipsa terra non cogitemus assidue, vel, ut terrena omnia negligamus & posthabeamus? Quid aptius ad homines à cœlesti illa & spirituali, ac pœne angelica vita una cum spiritus paupertate, id est, humilitate conjuncta, retrahendos atque abducendos, ad quam divina omnia ferme Novi Fœderis oracula nos adhortantur atque impellunt, quam expectatio diuturnæ felicitatis in hac ipsa terra, ac terrenæ, quantumvis alioqui sanctissima ratione, auctoritatis & potentiæ administrationis? Certe quale præmium est, quod agendæ vitæ expectatur, talem fere necesse est ipsius vitæ rationem esse. Neminem autem his meis verbis turbari aut offendi velim. Scio enim (id quod ab ipso initio sum fassus) multo ex cœtu esse, qui regnum istud expectant, & tamen pii sunt revera, & vitam plane spiritualem degunt, aut certe degere perpetuo student. Verum hoc loco rei ipsius per se vis & natura à me inspicitur & consideratur, &, quid fieri sit verisimile, non autem quid reipsa fiat; cum multa sint, quæ, Deo juvante, impedire possunt, quominus quis ex concepta perniciosa per se opinione, quidquam vitii contrahat. Præsertim, si jam virtutis sit studiosus cultor, antequam hujusmodi imbibat opinionem. Cæterum negari non potest, vim per se præmii vitæ agendæ eam esse, quam dixi. Hinc Christus, non quidem in terris, sed in cœlis copiosam esse mercedem nostram affirmavit, & similia dicta sæpius repetiit. Ut scilicet, dum veram nostram mercedem exponeret, simul nos ad cœlestis vitæ rationem, & mercedi nostræ consentaneam invitaret. Nam quod idem dixit, mites possessuros terram, ad locum Psalmi 37. 11, ubi eadem sententia ad verbum legitur, sine dubio allusit. Ibi autem sententia ista, pro eo tempore, & sub Vetere Fœdere, in quo terrena sunt promissa, ut ipsa verba sonant, intelligi poterat. At vero à Christo Novi Fœderis mediatore usurpata, in quo Fœdere promissa cœlestia sunt, mystice omnino est accipienda. Posset hæc ratio pluribus confirmari, & exactius ac plenius multo explicari atque concludi. Sed his paucis quæ dixi contentus esse volo.

Innumera alia, ad sententiam de terreno isto Christi & suorum regno plane dissuadendam, sese dicenda offerunt, verum nec temporis angustia, nec morbi reliquiæ ea me scribere permittunt. Unum tamen, quod apud me est maximi ponderis, breviter attingam, & mox finem huic scripto imponam. Dico igitur, sententiam istam vel penitus dissuadendi, vel saltem, ut ne ea publicetur, monendi, vim maximam habere, Quod, si ea vera esset, aut certe, si publicanda foret, Christus & Apostoli eam aperte docuissent. Hoc autem eos non fecisse, & Novi Testamenti lectio unumquemque satis docere potest, & id satis ostendit, quod alioqui nullo modo fieri potuisset, ut totus orbis Christianus per complura secula eam pro falsa & ridicula habuisset. Siquidem orbis Christiani universi error aliquis, potest fortasse, etiam per longum tempus, esse in re aliqua credenda & affirmanda, quæ Christi & Apostolorum dictis minus sit consentanea, sed in ea pænitus rejicienda & neganda, quam aperte vel Christus, vel Apostoli docuerint, nullo prorsus pacto. Nec ejusmodi erroris exemplum, sed ne levissimam quidem umbram quisquam inveniet unquam. Quare caveant diligenter ii, qui sententiam istam hodie urgent, ne, etiamsi vera esset, id palam facere contendant, quod Deus obscure tantum indicare voluerit; ob eam forte causam, ne Christi fideles de terra, terrenisque rebus curandi, aut cogitandi occasionem inde sumant; aliud nihil obscura ista indicatione quærens, quam, ut, cum res evenerit, appareat, eam præfinito jam ab antiquissimis temporibus ipsius consilio & decreto evenisse. Nam in hunc præcipue finem propheticæ prædictiones existunt, quo notum fiat, Deum esse, eumque humana hæc curare. Jam quidquid de terreno isto Christi & suorum regno, (si id futurum tamen est, quod ut credam nullo modo adduci possum) in Sacris Literis continetur, id ad propheticas prædictiones potius, quam ad divina Euangelicaque promissa, referendum esse, ne illi quidem ipsi, qui illud expectant, fortasse negare audebunt. Quamobrem regnum istud omnino expectandum esse docere, & divina oracula, ut de ipso loquentia, interpretari, ejus tantummodo est, qui prophetico spiritu sit præditus quique, ut pote ab ipso Deo edoctus, ejusque spiritu afflatus, quæ dicit, constantissime asserere atque asseverare non dubitet; non autem ejus, qui compluribus scriptis, divinis licet, testimoniis, & rationibus atque argumentis, quamvis ex Sacris Literis petitis, ad ea, quæ dicit non tam aliis, quam sibi ipsi probanda ac persuadenda indigeat, & si quis eum melius doceat, ab eo discere, sententiamque mutare sit paratus. Cœtus ob alias causas, ut omnes sciunt, pessime audit. Cavendum est, ne ejusmodi exoticis, & jam diutissime à toto orbe Christiano explosis opinionibus in illum invehendis, iisve in eo asserendis, aut etiam disputandis, invisus plane iis etiam, qui serio pietati student, merito reddatur. Præsertim, si opiniones istæ nullum secum spirituale commodum afferunt: Sed potius gravia incommoda & pericula, qualia opinionem de Christi in terris regno isto secum afferre, ostendi. Necdum videre possum, quid spiritualis commodi, vel minimi quidem, ex ea proficisci queat. Nam quod quidam affirmant, hac ratione Judæos, ad Jesum Nazaræum pro Christo agnoscendum, allici, egregie falluntur isti, pace eorum sit dictum. Cum potius nihil magis Judæos inde retrahere possit, quam, si videant, eos, qui Jesum pro Christo habent, prædictiones de Christo & ejus regno, ex quibus solis ipsi de iis rebus veritatem petunt, & petendam esse contendunt, ita, ut ipsa verba sonant, interpretari. Exclusis enim in prædictionibus istis, allegoricis interpretationibus, nihil est, cur ipsarum vi Jesus Nazarænus pro Christo sit habendus, immo cur non pro tali nequaquam sit agnoscendus. Deus pro sua bonitate cœtui universo, & singulis, qui ex eo sunt, adesse & in hac Synodo, & semper velit; nec permittere, ut quidquam ab ipsis vel statuatur, vel doceatur, vel etiam credatur, quod veræ pietati ulla ratione officiat, aut adversetur. Dat. Cracoviæ 17 Septembris 1589.

Ad Christophorum Ostorodum Goslariensem, Pastorem Ecclesiæ Christi Smiglensis.

F. S. Epistola I.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Præstantissime vir, frater in Christo honorande atque carissime. Quod parandis & concinnandis subinde ad impressionem foliis Disputationis meæ de Jesu Christo servatore, cogor esse intentus, non miraberis si aliquanto tardius, idque sine ullis procemiis ad gratissimas tuas literas 28 Julii datas respondebo.

Primum igitur quod attinet ad ea, quæ scripsi de loco Hebr. 1. 6, scias in Polonica Antiwujeki editione abundare voculam, iż; in verbis illis pag. 58. troche wprzedym ij na ostatku quod ego credidi in Polonico idiomate haud ineleganter fieri; nec interim amphiboliam animadverti. Itaque delenda est vocula ista, addendaque hæc aliis istius editi libri correctionibus. Jam ratio illa mea ab absurdo ducta, si nomen Adon, simpliciter & absolute positum, sequeretur post nomen Jehova, instantiis sive exemplis tuis non potest attingi nedum labefactari. Cum in exemplis istis non sit vox Adon, aut Rex, post vocem vel Jehova, vel Jehova simul & Altissimus, simpliciter & absolute posita; sed cum tali accessione, quam tu ipse fateris corrigere, si qua humilitas est in voce Adon. Sed objicis, hanc ipsam accessionem legi in ipso loco de quo agitur. Atqui ego, mi Ostorode, diserte, cum ratione illa sum usus, præfatus sum, me illa uti, si secundum vulgatam editio-

editionem locus legi debeat; secundum quam accessio ista non legitur. Mihi autem cum iis erat disputatio, qui vulgatam editionem omnibus anteponunt, id quod ibidem postmodum commemoravi, & adversus ipsos Antagonistas ursi adeo, ut ipsa luce clarius sit, me ex ipsa modo vulgata, loci lectione rationem illam meam desumpsisse. Quod ubique in eo Psalmo Jehovæ tantum mentio fiat, excepto isto uno loco, ubi Adon habetur: hoc non tollit, quin in isto uno loco de alio quam de ipso tantum Jehova sit sermo; cum certum sit, nomen Adon, etiam cum additione illa, non ipsi Jehovæ tantum, sed homini quoque Christo Jesu convenire posse; quemadmodum à me probatum ibi fuit. Verisimile autem est, nomen istud in Psalmo de Christo homine intelligendum esse, cum videamus illius epist. scriptorem ipsum hunc locum de Christo interpretari, si modo hunc locum ille intellexit, qua de re postea. Prius enim aliquid dicendum est de iis, quæ objicis alteri meæ istius in epist. illa loci interpretationi. Ais igitur, illam ita coactam esse, ut multis cavillis sit obnoxia; & nominatim huic, quod videbitur omnino sequi, Christum esse illum unum Deum, si velimus locum, qui de illo uno Deo loquatur, ad Christum accommodatum fuisse. Huic cavillo spero me & in loco isto, & in non paucis aliis, tota illa mea Refutatione, diligenter obviam ivisse. Et si quis credat, se posse effugere, quin cogatur fateri multa, aut certe aliqua, quæ in propheticis scriptis de uno illo Deo aperte dicuntur, ad Christum in scriptis Evangelicis & Apostolicis accommodata fuisse, idque secundum ipsius Spiritus Sancti mentem, qui ista protulerat, factum esse; is, judicio quidem meo, in maximo errore versatur. Jam quod subjicis, me sine ullo testimonio nude affirmare verba illa de illo uno Deo dicta, propterea ad Christum accommodata fuisse, quia per Christum erant unum illum Deum angeli adoraturi, animadvertas, te rogo, satis mihi esse, si, propterea quia in Christo & per Christum (sic enim ipse loquor) Angeli Deum adoraturi erant, potuerant verba illa Psalmi, licet de ipso Deo dicta, ad Christum accommodari. Sic enim planum fit, adversariorum argumentum, ex ista (ut sic loquar) accommodatione ductum, nullas vires ad id probandum habere, quod ipsi volunt, id quod à me ibi quærendum erat; nec præterea aliud quidquam. Potuisse autem accommodationem istam ob eam caussam fieri, quam ego attuli, nemo, arbitror, negare jure queat. Nam quod addis, non dici Angelos laudare Deum per Christum, & Christum istius laudis participem esse, & denique nusquam legi, Deum per angelos à quoquam laudatum fuisse, (quanquam ego non de laudatione sed de adoratione locutus sum, & Polonus interpres potuit, ni fallor, id verbo Chwalic significare) id quod me voluisse dicere arbitraris, ut ostenderem, cur scriptor ille divinus locum illum Psalmi ad Christi supra angelos excellentiam demonstrandam afferre potuerit, sed me nimis obscure interim id dixisse & demonstrasse ais; Considera (quæso te) nequaquam mihi istud ostendendum fuisse nisi ex accidente, quatenus scilicet probandum mihi erat, locum Psalmi, quantumvis de ipso Deo loquentem, ad Christum hominem accommodari potuisse, quod abunde præstitisse videor: hoc enim probato, statim per se apparet, quomodo hinc colligatur Christi hominis excellentia supra angelos; quandoquidem simul probatur, angelos ipsos debere Christum hominem adorare. An non qui adorari debet, manifeste excellentior est illis, à quibus est adorandus? An non hæc ipsa est tacita quidem, sed tamen omnibus conspicua ratiocinatio ipsius auctoris, ob quamcunque tandem caussam ad Christum testimonium illud sacrum accommodaverit? Nihil igitur erat opus, me demonstrare aut dicere, nusquam legi Deum per angelos à quoquam laudatum, id est adoratum fuisse (hoc enim ex tota ista ratiocinatione, quam mihi tribuis, me haud dixisse libens fateor, reliqua & apertissime dixi ac repetii, & vehementer suis locis ursi) cum neque hæc sit ratio ostendendi, quomodo, mea loci explicatione admissa, ex testimonio illo consequatur, Christum angelis esse præstantiorem, sed illa quam dixi, & quæ omnibus est apertissima: nec me de ejusmodi ratione explicanda magis sollicitum esse oportet, quam fuerit auctor ipse de ratione reddenda, cur, si testimonium illud ad Christum pertineat, hinc concludendum sit, Christum esse angelis præstantiorem. Cæterum quod arbitraris, satius esse credere testimonium illud non esse ex illo Psalmo, & ita credendi quatuor caussas affers, de hoc ego tecum non contendam. Tantum dicam, me non dubitare, quin facile caussæ istæ refelli possint, præsertim si diligenter animadvertatur, quomodo aliquando Veteris Testamenti testimonia in Novo Testamento citentur, & satis constare, Psalmum illum ad Christi tempora, & regnum mystice pertinere, (in Græca certe editione, Psalmus iste hunc titulum habet, *Psalmus Davidi quando ei terra restituta est*) & propterea admodum verisimile esse, & quasi necessarium, ut hunc Psalmi locum auctor ille intellexerit, cum nusquam alibi in Hebraico codice similis sententia legatur. Dixi autem in Hebraico codice; quia in Græco alio in loco ipsissima illa verba leguntur, quæ citantur à scriptore illius Epistolæ: adeo ut ex tuis illis quatuor caussis, posteriores tres nullum ibi locum habeant. Nam de prima nihil est quod quæramus, qualis enim ea sit, vix teipsum ignorare existimo. Locus est in cantico Mosis Deu 32 post ỳ. 42 ad quem si respexisse auctorem Epist ad Heb. velimus, multo difficilius fortasse fuerit ostendere, quomodo illum ad Christum accommodare potuerit, nisi Christus sit ille unus Deus.

De altero loco ejusdem auctoris eodem cap. ỳ. 10 nullo pacto tecum sentire possum, teque rogo, ne facile credas, tibi aliquid divino consilio patefieri, nisi validissimæ, atque adeo inexpugnabiles rationes adsint, quæ id persuadeant; quarum ne umbram quidem hic existere, mihi videtur. Caussæ propter quas meam interpretationem nunc rejicis, vel saltem coactior, ut semper ea tibi etiamnum videtur, nullum pondus habere possunt, si id admittatur, quod ante omnino admittendum esse dixi, & in ipso Antivujeko non uno in loco ostendi nempe, quæ de Deo ipso in propheticis scriptis leguntur, sæpe ad Christum referri, sed de Christo in Novi Testamenti scriptis exponi. Satis habuit auctor Epistolæ ad Heb. testimonia afferre, de quibus in confesso esset, agi in illis de futuro Messia; nec sine hoc ausus ille, sine dubio, fuisset ad Christum ulla Sacra testimonia accommodare, cum hoc vero, quid proclivius, quam ea, quæ in ejusmodi testimoniis de Deo ipso dicuntur, ad Christum, de cujus vel adventu, vel factis, vel regno, vel gloria interim agatur, accommodare; per quem videlicet, & in quo Deus ipse veniat, faciat, regnet ac glorificetur? Nam quod ipse negas Psalmi locum de Christo loqui, id nimirum negas quod cæteri omnes agnoscunt, resque ipsa loquitur. Considera, quæso aliquanto diligentius, quæ scripsi ad finem examinationis ejus loci pag. 76. Etenim, si fortasse, cum negas in Psalmo illo de Christo verba fieri, intelligis illum non nominari, sed Deum tantum, videbis hoc ipsum potissimum meæ explicationi favere, cum alioqui Christiano homini luce meridiana clarius esse debeat, ibi de iis, quæ per Christum Deus facturus erat, & hoc sensu, de ipso Christo, vaticinationem esse. Jam quod attinet ad explicationem tuam, vel hoc unum demonstrat, eam non posse sustineri, quod necesse est, ut vel in proferendis testimoniis de Christi excellentia supra angelos, auctoris sermo, cum verba illa Psalmi recitat, continuetur, vel per apostrophen abrumpatur. Si continuetur, necesse est, ut Psalmi verba afferantur ad Christi excellentiam probandam, id quod tua explicatio negat; Sin abrumpitur per apostrophen, ut te sentire necesse est, quando vis ista locum verti, ut Castellio cogitaverat, nempe hoc pacto; *Tu vero Domine, &c.* sequitur, verba ista non esse allata ad

aliquid probandum de quo ibi agatur, quod tu tamen omnino vis. Vis, inquam, allata esse ad probandum cœli terræque aliquando interitum, ut inde appareat, Christi regnum divinum spiritualeque credendum esse, & merito ei dictum fuisse, *Sede à dextris meis*; quemadmodum statim subjungitur. Miror te, qui ab omni coacta hujus loci explicatione tantopere abhorres, omnium coactissimam, adeoque ut sic dixerim, plane impossibilem probare. Primum enim, ut dixi, quod nec sermo continuetur; nec per apostrophen abrumpatur, vel si per apostrophen abrumpitur, interim afferatur testimonium ad aliquid probandum, de quo ibi agatur, hoc fieri nullo modo potest. Deinde ratiocinatio ista, Cœlum & terra peribit: ergo Christi regnum divinum est & spirituale, cum Christi regnum sit futurum æternum, non solum coactissime ex auctoris illius verbis elicitur, sed ipsa per se probanda non est. Christi enim regnum, ex quo videlicet ipsius Christi personæ dignitas & excellentia apparet, non simpliciter & absolute æternum est futurum, sed respective, id est quam diu cœlum & terra stabunt; idque prædictum fuit Psal. 72 & 89 ubi mystice habetur, Christi regnum cum sole & luna duraturum. Et sane Paulus 1 Cor. 15 apertissime contestatur, post hujus sæculi finem Christi quoque regnum, in ipsius videlicet Christi persona, finem habiturum. Quid plura? ipsa verba Psalm. 110 quæ postmodum hoc loco afferuntur, idem ostendunt, eum sessurum, scilicet Christum, ad dexteram Dei, id est regnaturum, donec subjiciantur illi omnes inimici ejus diserte testantur. Hinc enim satis aperte colligitur, Morte devicta ultimo omnium inimicorum, qui Christo subjici debent, Christi regnum desiturum. Atqui non prius cœlum & terra peribunt, quam mors devicta à Christo fuerit, id est, immortalitate, ii qui Christi sunt, ab ipso fuerint donati. Nec obstat id, quod dicitur Psal. 45 & ab hoc auctore positum fuerat, *Thronus tuus in sæculum sæculi*. Non enim verba ista, *in sæculum sæculi*, absolutam æternitatem necessario significant; alioqui de Solomone, sub cujus typo hæc de Christo dicuntur, enunciari non potuissent. Agnosco equidem ego ipse æternam durationem regni Christi, etiam post cæli terræque interitum, ut apparet ex iis quæ scripsi, rationem reddens cur scriptor noster verba illa *Tu autem idem es &c.* recitasset, sed æterna ista regni Christi duratio ad ipsius Christi personæ excellentiam proprie non pertinet. Præterea quid est (te obsecro) quod ais, voluisse scriptorem illum ex interitu cœli & terræ colligere merito Christo dictum fuisse, *Sede à dextris meis*? Nam aut constabat, verba ista Christo dicta fuisse, aut non constabat. Si constabat, an non satis erat illa proferre in testimonium excellentiæ Christi? An fortasse, quamvis constaret Christo fuisse dicta, tamen, dubitari poterat, utrum hoc merito factum fuisset? quid absurdius? An ulla ea de re quæstio erat? Certe nulla. Quod si non constabat, quomodo (quæso) ex cœli terræque interitu consequitur, verba ista Christo dicta fuisse? Scio quidem te ita acutum esse, ut ista ne somniaveris quidem. Scopus tuus est, ostendere, scriptorem illum voluisse probare, Christi regnum divinum esse & spirituale. Verum hoc vel per se probant verba ista Psal. 110, ut certe probant: quemadmodum ex Petri verbis colligitur Act. 2. 34, & sic nihil necesse erat de cæli & terræ interitu testimonium cum illis conjungere. Aut per se non probant; & sane nihil prorsus momenti illis ad id probandum affert testimonium de cœli & terræ in teritu cum illis conjunctum, quod tantummodo videtur aliquid momenti ad id probandum habere, si conjungatur cum superiore testimonio, ex Psal. 45 prolato, de æternitate regni Christi, qua de re satis jam dictum est. Ad hæc velim consideres, quantopere sit absurdum, ut ad confirmandum aliquid de Christo dictum, quod simul dicatur duraturum donec cœlum & terra steterit, (ut ostendi reipsa fieri in testimonio isto Psal. 110 propter verba illa, *donec ponam &c.*) proferatur testimonium de cœli & terræ interitu. Breviter, cum, ut tibi ipsi videtur, mens illius scriptoris fuerit, probare, Christi regnum esse æternum, istque divinum ac spirituale; alterum probatur ex testimonio Psal. 45, alterum vero ex testimonio isto Psal. 110: neque quidquam attinuit testimonium de cœli & terræ interitu, ad utramvis ex istis probandam, huc infarcire. Vere enim infartum testimonium istud dici posset, quando nec scribendi ratio & consuetudo, nec res qua de agebatur aut requirit, aut etiam ferre potest, ut testimonium istud, in istum finem à scriptore illo allatum fuerit. Postremo considera, nullam dignam caussam fuisse, cur scriptor iste recitaret verba illa postrema ejus loci ex Psal. 102, *Tu autem idem es, & anni tui non deficient*, si locum illum propterea attulit, ut cœli terræque interitum probaret. Ea enim nihil omnino huc pertinent. Quod enim ipse videris sensisse, ideo ea fuisse recitata, ut, cum postea allatum est testimonium ex Psal. 110, appareret, quisnam ille sit ad cujus dexteram Christus sedere jubeatur, aut certe ut constaret, istum in æternum, etiam post cœli terræque interitum duraturum; hoc nullo pacto admitti potest. Satis enim superque ex ipso Psalmo 110 apparet quis iste sit Jehova enim ibi diserte verba ista dicens inducitur, & satis similiter superque notum omnibus per se est, Deum seu Jehovam nunquam desiturum. Adde, quod hic Dei seu Jehovæ perpetuam, ut sic dixerim, indeficientiam istam sempiternamque durationem commemorari nihil attinebat, cum ipsa sessio Christi ad dexteram ejus nihilominus possit esse temporaria, quinetiam in ipso testimonio, quod de ipsa affertur, tantisper duratura dicatur, donec subjiciantur Christo omnes inimici ejus. Multa dixi, sed adhuc plura dicere potuissem, ut ostenderem explicationem sive interpretationem tuam nullo prorsus pacto mihi probari posse. Verum & ea ad explicandum difficiliora sunt, & otium, quantum ad eam rem esset opus, non habeo. Doleo sane me tecum hac in re non posse sentire, sed multo magis dolebo, si & tu, & isti multi quos tecum sentire scribis, in eadem sententia perseverabitis. Quod ut, quantum in me est, ne fiat, propterea hunc laborem eam refutandi sumpsi. Scio enim quantopere in disputationibus, quas identidem istic cum adversariis habetis, ejusmodi sacrorum oraculorum interpretationes, divinæ veritatis cursum retardare queant.

De septem illis spiritibus, quos invocatos fuisse à Johanne scripsi, primum dico libenter, cum nihil necesse mihi sit eo in loco invocationis mentionem facere, ut is ad hunc modum legatur statuete, tako słußine Jan 6. moal od onnych duchow laski y pokoiu ȝadac. Deinde affirmo, me ibi non simpliciter dixisse, istos septem spiritus fuisse invocatos, sed qua ratione invocati fuerint explicasse, nempe gratiam & pacem ab ipsis optando. Nihil igitur aliud, quod attinet ad Spiritum Sanctum invocandum, ex meis verbis colligi potest, quam posse nos à Spiritu Sancto gratiam & pacem optare, & hac demum ratione illum invocare. Qua in re ego quidem nihil omnino absurdi animadverto, quemadmodum enim ibi dixi, si septem illi spiritus sunt Christi virtus seu potentia, gratiam & pacem ab ipsis optare, nihil aliud fuisse, quam ab ipso Christo hæc eadem optare, sic dico, gratiam & pacem à Spiritu Sancto optare, nihil aliud esse, quam ab ipso Deo optare: cum nihil aliud sit Spiritus Sanctus, quam virtus & potentia Dei. Mihi quidem (& credo itidem aliis plerisque) persuasissimum est, etiamsi nullum ejusmodi exemplum in Sacris Literis extaret, nihil prorsus erraturum illum, qui à Dei seu gratia, seu potentia, seu favore nominatim aliquid alicui optaret. Quicquid periculi hac in re esse potest, ex eo pendet, si Spiritus Sanctus censeatur esse persona, ab ipso Deo Domini nostri Jesu Christi patre distincta, id quod à me in opere illo non solum negatur, sed etiam falsum esse ostenditur. Hæc volui ad te scribere de iis, quæ hactenus in meo Polonico Antiwujeko abs te notata ad me misisti, ut candide & libere, sicut tu mecum, vicissim ego tecum agerem

gerem

gitem, id quod si facere perrexerimus, non dubito, quin utrique nostrum hoc utilissimum sit futurum. Et quia statim post impressam Disputationem de Jesu Christo servatore, imprimetur, Deo dante, Anti-Vujekus Latinus, propterea te rogo, ut per fratres, qui ad nos redibunt ex synodo, velis ad me mittere quidquid amplius in Polonico notaveris, ut possim in tempore, ubi opus mihi videbitur, ex monitu tuo librum emendare. Interim pro eo, quod jam ad me misisti summas gratias ago, tametsi hic non tam mea, quam ipsius Ecclesiæ res agi videtur.

Quæ ad me scripsisti de libello meo de baptismo, præter modum grata mihi fuerunt. Nam si non alium fructum hinc sperare possim, hunc saltem exiturum video, quod veritas hujus rei in Ecclesia nostra inquiretur; quod ego jamdiu (nec injuria, ni fallor) percupivi. Deum certe orare non desinam, ut quamprimum id fiat, & re bene discussa, aliquid statuatur, quod ad salutem multorum, & divinæ veritatis propagationem pertineat. Vale in Domino Jesu 13 Septemb. 1595.

Tuus in Christo

F.S.

Ad eundem CHRISTOPHORUM OSTORODUM F. S.

EPISTOLA II.

Plurimum dolui, vir præstantissime, & frater mihi in Domino Jesu vehementer colende, quod tabellarius, quem, cum tuis literis ante sex circiter septimanas, ad me miseras, ad me ipsum non pervenerit; sed hospiti meo, qui in alio suo prædio hinc aberat, redditis literis, statim abierit, nec sibi responsum ad eas, ut referret, injunctum fuisse, quidquam dixerit, aut certe non urserit. Respondissem enim, quantumvis ex tempore; ad id quod à me quærebas de loco, *Tu es Petrus &c.* tametsi locus est difficilis, non tam per se ipse, quam propter varias diversorum præstantium virorum ejus explicationes. Literas tuas non nisi post nonum diem accepi, & cum nulla spes esset, ut cito ad te responsum mittere possem, desperans, illud in tempore à te acceptum iri, nihil nisi ubi sese nuncii facultas offerret, ad eas mihi respondendum esse statui, & quod petitioni tuæ non satisfecissem excusandum. Interim tamen ad locum istum explanandum animum adjeci; & mox explicationem satis longam atque uberem scribere institui, quam ad exitum fere perduxi, & si pueri, qui illam describeret, mihi copia esset, una cum his literis ad te mitterem; ut quamvis occasio, propter quam, ut aliquid in ista Christi verba commentarer, à me petieras, elapsa fuerit, possis tamen, si posthac eo de loco aut publice aut privatim disputandum tibi fuerit, aliquantum fortasse hoc meo labore adjuvari, quem ego propter te potissimum libenter suscepi; quamvis non sim nescius, si ipsemet eundem suscepisses, me in loco illo enodando facile superaturum fuisse. Sed quod in præsentia fieri non potest, brevi, ut spero, fiet, mittamque ad te commentariolum istum meum, de quo judicium tuum vehementer expeto. Illius nihilominus capita; quam brevissime hic tibi exponam. Primum censeo, verba illa, *Super hanc Petram*, ad ipsum Petrum referenda esse, & fateor super Petrum ædificatam fuisse Christi Ecclesiam, non tamen solum, cum & super alios Apostolos illam, sive Christianos homines, qui idem sunt quod Christi Ecclesia, ædificatos fuisse constet, Apoc. 21. 14. Ephes. 2. 20 Deinde portas inferorum non prævalituras adversus eam, interpretor (quemadmodum etiam, si recte memini, in responsione mea ad Gabrielem Eutropium pro animadversionibus in theses &c. collegii Posnaniensis interpretatus sum) non fore, ut, qui veri sint Christiani, in statu & conditione mortuorum maneant, seu in ea retineantur. Claves regni cœlorum dico esse, certam scientiam & cognitionem rerum omnium, quibus ei sit opus, qui vel hic inter eos numerari velit, in quibus Deus per gratiam suam habitat, vel beatæ immortalitatis particeps esse; qua scientia & cognitione Petrus, qui eam habiturus esset, & aperire & claudere regnum cœlorum aliis posset, id est, declarare ac pronunciare, quinam in istorum, quos dixi, numero sint, quive beatæ immortalitatis participes sint futuri, & qui minus. Ligandi & solvendi facultatem & auctoritatem ad homines tantum passive referendam doceo; homines vero ligari dico, cum è numero Christi discipulorum ejiciuntur, aut in eum non recipiuntur; solvi vero, cum in eundem numerum reponuntur, sive prius inde ejecti, sive ab eo antea perpetuo alieni. Hæc sunt, ut dixi, capita, commentarioli hujus mei, cujus præcipuus scopus est ostendere, Petro ibi nihil fuisse promissum, quod aliis etiam Apostolis datum non fuerit, & quæ fuerunt promissa, magna ex parte longe alia esse, quam plerique senserint, præcipue vero pontificii, qui nihil istorum recte interpretati sunt. Ex agro Luclaviciano die 2 Decembr. 1599.

Tui studiosissimus in Christo frater ac servus

F.S.

Ad eundem CHRISTOPHORUM OSTORODUM RACOVIAM

EPISTOLA III.

Dominus Rupnovius noster promisit se ex Ostroviano suo missurum isthuc libellum, de quo excudendo agitur, Latinum; quem si, ut spero, acceperitis, & vestro & meo desiderio satis fieri plane poterit. Ut enim vos (quanquam utrumque utrique desideramus) id cupitis maxime, ut libellus iste vere Polonice loquatur, & à quolibet Polonicæ linguæ gnaro facile intelligi possit: sic ego potissimum opto, ne Polonica verba ulla ex parte aliam sententiam in eo sonent quam ipsa Latina verba ferunt: nam vel minima diversitas, maximum momentum, ut probe nosti, in ejusmodi scriptionibus interdum habere solet. Possent, si vobis videretur, ab ipso initio, statim in altera post titulum seu inscriptionem pagina, nec ullius nomine,
„ nec ad ullum inscripta, hujusmodi verba poni. Vera &
„ stabilis perpetuaque inter utrumque cœtum, qui Pa-
„ patui in his regionibus vale dixerunt, concordia, quæ
„ hactenus frustra ab ipsorum altero tentata est, in eo ma-
„ xime ac potissimum, vel potius solum consistit, ut
„ utraque pars pie ac sancte, ex Christi præscripto vive-
„ re, omnibus viribus conetur & studeat. Quod quia
„ admodum difficile est ut ab Euangelicis fiat, donec
„ sua quædam dogmata retinent, nec modum suarum
„ Ecclesiarum regendarum mutant, propterea editur hic
„ libellus, quo id ita se habere ostenditur, & ob eam
„ caussam qui in illo cœtu sunt pietatis studiosi, ut alteri
„ cœtui sese adjungant sedulo monentur, præsertim cum
„ aliæ etiam sint caussæ, cur id facere debeant, quas
„ scriptum hoc legendo, quisque nullo negotio depre-
„ hendere poterit. Commendo tibi negotium Radecianum, cum propter ipsum adolescentem, tum propter ipsum universum cœtum, quæ hic latius non explico: satis enim abunde coram id feci. Fratres ex me amantissime salutabis, præcipue vero Dominum Lubieniecium, & Dn. Moscorovium. Statorius noster satis recte valet Dei gratia. Habuit proxime conciones duas in initium Euangelii Johannis, usque ad vs. 19 quibus non solum nobis omnibus, sed etiam quibusdam exteris qui aderant, satisfecisse videtur. Ipse sua sponte eas se literis mandaturum est pollicitus, quod ut faciat, ego qui ipsi ut eas haberet auctor fui, vehementer sum cohortatus. Spero enim illas non parvo usui ad veritatis cognitionem promovendam futuras. Deus istam vestram Synaxim suo spiritu foveat, ut inde effectus manent, qui ad ipsius gloriam, & eorum qui convenerint salutem pertineant. Vale in Domino Jesu. Ex Luclaviciano Blonscii die ultimo anni 1599.

F.S.

Ad F. S. Christophori Ostorodi Epistola.

PRæstantissime frater, ingentes tibi gratias ago pro insigni ista humanitate tua, qui non solum illa mecum communicaveris, sed illorum alterum, à me rogatus ut mihi gratificareris, scripseris. Multum (credas mihi frater in Domino charissime) mihi gratulor, & gaudeo de isto commentariolo, in quo Dominus per te satis large, non exiguos divinæ scientiæ thesauros nobis expromsit, Sit Deus laudandus in æternum.

Aliud est quod te velim, mi frater in Domino quæso, ne molestum sit te longa scriptione onerari, ne graveris rogo mihi aurem commodare. Primum est Necessarium est ad fidem & salutem, credere Euangelium Matthæi, & non Thomæ, recipiendum, quod ex scripturis haberi non potest &c. Ergo erit quædam traditio, & consequenter &c. Memini te mihi hujus rei solutionem, cum esses Racoviæ afferre, sed quæ mea est tarditas, vel potius stupiditas, non bene illius recordor.

Alterum est, quod in tractatulo de fallaciis, a te aliquando in mei gratiam conscripto, majoritatem charitatis, de qua Paulus agit 1 Cor. 13. 13, putas esse durationem quandam, at malo tua verba adscribere. Pon„tificii (inquis) non animadvertunt, ibi Paulum age„re de majoritate respectu durationis &c. Sed cum ratio ista nulla alia esse possit, quam quæ in hoc sæculo detur, quomodo charitas erit major fide & spe, æque diu in Ecclesia duraturis? non datur enim vita æterna, nisi credentibus & sperantibus. Sum igitur in ea sententia, istam majoritatem non esse durationem aliquam, sed id, quod illa sit tanquam complementum seu perfectio, vel potius spiritus seu vita quædam fidei & spei, quemadmodum similiter fere, ut meministi, sanctus Jacobus de fide & operibus bonis in sua Epistola loquitur. Accedit huc, quod in toto isto loco à versu 8 incipiendo, usque ad finem capitis, Apostolus nihil aliud dicere voluisse videtur, quam plus charitati studendum esse, atque istis donis spiritualibus, utpote ad tempus tantum Ecclesiæ Christi concessis. Quandoquidem illa, dum adhuc infans esset, ejusmodi adminiculis opus haberet, brevi tamen cessaturis iisdem, postquam eadem Ecclesia ad justam ætatem perventura esset. Hoc est Euangelii, sive Dei Christique notitia, quantum satis esset ut mortales veritati divinæ assentiri possent, istis donis confirmata stabilitaque foret, at charitatem, id est, charitatis legem ait non cessaturam, sed semper in Ecclesia duraturam. Hæc enim tria, fidem, spem, & charitatem; non autem ista dona spiritualia sola esse de essentia (ut sic loquar) Christianæ religionis, & idcirco semper & sola, donis istis cessantibus, duratura esse; hoc est observanda ab iis, qui ad vitam æternam consequendam aspirent. Anno 1600.

Tuus in Domino, Christophorus Ostorodus.

Ad eundem Christophorum Ostorodum, F. S. Epistola IV.

Salutem à Deo & Christo, &c.

PRæstantissime vir, Domine & frater in Christo mihi plurimum colende. Excusas tu diligenter, quamvis id facere nihil necesse haberes; tarditatem in remittendis illis scriptis meis. Quid igitur ego facere debeo, cum tam tarde ad literas tuas respondeo, quæ responsum omnino requirunt? Quanquam potes ipse, mi frater, facile hujusce rei caussam conjicere. Nunciorum hinc Racoviam summa est penuria. Nec fratres hoc quicquam curare videntur; cum tamen judicio meo maxime esset opus, ut inter hunc & istum cœtum frequentissimum esse posset literarum commercium. Accepi a te remissa scripta mea, tibique gratias ago magnas, maximas vero Deo, si, ut scribis, ex commentariolo isto meo in Jesu Christi verba illa, *Tu es Petrus, &c.* quem tuo rogatu scripsi, aliquid commodi divinarum rerum studiosi percipere possunt. Jam ad priorem ex duabus, quas mihi proponis quæstionibus, sic respondendum censeo. Primum, nihil constare, quo necessarium sit ad fidem & salutem credere Euangelium Matthæi & non Thomæ esse recipiendum; nec fieri potest ut ego id concesserim, quemadmodum tua verba præ se ferunt. Longe enim inde abest sententia mea. Longe enim aliud est, jure ac merito Matthæi Euangelium recipi, Thomæ non item (hoc enim est quod ego sentio) & id fieri, ad salutem & fidem esse necessarium, sine necessitate autem ista, non recte illud concludi ullo modo potest, *Ergo erit quædam traditio, & consequenter &c.* In hac siquidem conclusione de traditione agitur, quæ sit necessaria ad salutem; In his enim (ut loquuntur) terminis disputatur inter Romanæ Ecclesiæ sectatores, & eos qui ab illa se separarunt. Deinde, neganda est consecutio ista. Hoc ex scripturis haberi non potest, & tamen jure ac merito ita esse creditur: Ergo traditioni est locus, ita ut ex ipsa aliquid credendum nobis sit. Est enim quiddam medium inter scripturas & traditionem; immo non quiddam modo, sed multiplex quiddam: scriptæ nimirum historiæ, aliaque testimonia & rationes, ex quibus factum est, & fit, ut cordati homines Matthæi Euangelium pro vera de Jesu Christo historia habeant, Thomæ non habeant, nulla hic intercedente auctoritate Ecclesiæ, & spiritus quo ipsa perpetuo gubernetur. Id quod vel ex eo constat, quod communiter ab iis; qui plane inter se in sententiis de religione nostra dissenserunt, adeo, ut alii alios hæreticos censerent, testimonia ista accipiantur. Nam quod ad rationes attinet, quæ scilicet sint ipsius rei propriæ, ut hic sane cum rationes nominamus intelligimus, nemo non videt eas ab auctoritate penitus distingui, eique aliquo modo opponi: Ubi vero auctoritati non est locus, ibi necessario ne traditioni quidem. Ad alteram quæstionem venio, & primum sancte tibi affirmare possum, me, antequam tuas literas legerem, jam nullam memoriam habuisse illius mei tractatuli de fallaciis, & vix post illas perlectas quidquam reminisci potuisse. Id certissimum est, me in exemplis ibi tradendis id potissimum curasse, ut ex illis, quid mihi vellem in exprimendis fallaciis istis, melius intelligeretur, non admodum alioqui sollicitus, ut, si quod exemplum ex Sacris Literis afferebam, in eo explicando à verissimo loci sensu nihil prorsus deviarem: sed satis habens, si quam loci sententiam afferebam ea probabilis esset, vulgoque recepta, ut sane in loco illo 1 Cor. 13. 13 ab iis qui a Pontificiis, quos erroris redarguebam, se separarunt, ea recepta est quam attuli. Quæ etiam aliis de caussis probabilis censeri debet, ut mox dicam. Est enim ante omnia intelligendum, me dum Pontificios in loco isto explicando, & ex eo adversus eos, qui plus in nobis justificandis fidei quam charitati tribuunt, argumentando, in eam fallaciam, quæ proprie ignoratio elenchi dicitur, incidisse affirmo, & perperam majoritatem, ut sic dixerim, efficacitatis, pro majoritate, quæ ex majore duratione provenit, substituisse; vel in eam (neque enim, ut dixi, quid tunc scripserim memini) quæ à secundum quid ad simpliciter dictum appellatur, & quod ratione durationis dictum à Paulo fuit, tanquam ratione omnium dictum, accepisse, dum, inquam, ad hunc modum adversus Pontificios disputo, intelligendum ante omnia est, me pro concesso sumere, fidei nomine in eo Pauli loco intelligi, fidem in potiorem suum significatum acceptam; & qua, licet non sola, nos coram Deo justificari ipsi Pontificii concedunt; vel potius, qua Sacræ Literæ nos justificari docent. De hac enim fide tam Pontificios, quam ipsorum adversarios locum istum accipere manifestum est. Hoc igitur pro concesso sumpto, satis videtur constare, cum ejusmodi fides ipsam charitatem complectatur, non potuisse à Paulo dici, charitatem esse majorem fide ista, ratione efficacitatis alicujus; aut simpliciter

plіciter & absolute majorem esse, atque oportere intelligere, Apostolum charitatem sub sua ipsius forma consideratam, isti fidei similiter sub sua ipsius forma consideratæ, quamvis alioqui ipsam charitatem complectenti, ob singularem aliquam rationem, seu singularis alicujus rei respectu, prætulisse, id quod sane aliud nihil esse potest, quam quod charitas nunquam sub sua ipsius forma aboletur; sed in beata illa atque immortali vita perpetuo nos comitatur; quod certissimum indicium est, eam esse perfectam ac vere divinam virtutem: at fides sub sua ipsius forma abo-letur, nec in futuro illo seculo ac beatissimo ullum locum habet, non magis quam spes, unde duarum istarum virtutum imperfectio apparet, atque proprietas, divino illo statui minime consentanea: ut merito ab Apostolo hæc perpendente, & fidei, quamvis in potiorem sensum acceptæ, & spei, quantumvis firmæ, charitas antepostia fuerit. Hæc vero Paulum perpendisse, atque æternæ istius durationis ratione, quæ propria charitatis est, eam fidei & spei, quæ ipsa sunt distitutæ, prætulisse, indicare omnino videntur antecedentia verba, inde ab octavo versiculo, *Charitas nunquam excidit &c.* usque ad postrema ista, de quorum sensu hic quæritur, *Horum autem maxima est charitas.* Certum est enim in antecedentibus omnibus verbis istis, Paulum, usque ad proxima illa, *Nunc autem manet fides, &c.* aliud nihil agere, quam docere, omnia illa spiritualia dona, quorum studio charitatis studium anteposuerat, quæque sine charitate nihil nobis prodesse affirmaverat, desitura post hanc præsentem vitam, charitatem vero permansuram, ut vel hinc charitatis dignitatem ac præstantiam præ illis demonstret. Jam proxima illa verba, *Nunc autem manet, &c.* quid aliud indicant, quam ipsa, una cum iis, de quorum sententia agitur, ita intelligenda esse, ac si „Apostolus dixisset, Nunc quidem, id est, in hac vi„ta mortali, quisquis Christianis est, hisce tribus ut sit „præditus necesse est, nempe fide, spe, charitate: at in „vita illa immortali, non manebit jam fides & spes, sed „tantum charitas, ob quam caussam istorum trium cha„ritas maxima censenda est. Sic igitur Paulum sensisse, ut à compluribus sentitur, probabile etiam admodum esse apparet, præsertim si, ut dictum est, pro concesso sumatur (ut quidem in hac controversia hactenus sumptum est,) fidem isto in loco à Paulo in potiorem sensum accipi. Video autem te, mi frater, propterea potissimum huic sententiæ non adhærere, quod multo aliter ac cæteri illa accipias, quæ ab Apostolo de duratione charitatis, & desitione (ut sic loquar) donorum illorum spiritualium, multis verbis dicuntur. Unde etiam fit, ut non dubites affirmare, durationem qua charitas fidem & spem antecellat, nullam aliam esse posse, quam quæ in hoc sæculo detur, ita ut videaris negare, in futuro seculo charitatem extituram. Accipis enim Pauli verba in eum sensum, ut dicere velis, alia dona spiritualia, quæ cum charitate conferebat, desitura aliquando in ipsa Ecclesia, cum tamen in ea perpetuo charitas duratura esset, & una cum ea fides & spes, quibus tamen præstantior sit charitas. Ego vero à communi sententia, in Pauli verbis interpretandis, quod attinet ad durationem charitatis, & desitionem aliorum donorum, nullo pacto recedendum esse arbitror, ut istam alteram sequamur. Primum enim de sensu, quem communis interpretatio fert, quin sit verissimus nulla ratione dubitari potest, cum nihil certius esse possit, quam omnia illa alia dona non extitura in futuro seculo, charitatem vero seu amorem ac dilectionem extituram. At vero de sensus veritate, quem ista altera interpretatio continet, meritissimo potest dubitari. Nulla enim est ratio, neque ut arbitror, ullum aliud testimonium, quo confirmetur dona ista omnia, præter charitatem, dum hoc seculum permanebit, & Ecclesia in terris erit, in ipsa Ecclesia aliquando plane atque in perpetuum desitura. Deinde Apostoli verba, non alteram istam sententiam, sed communem præ se ferunt: simpliciter enim prolata sunt, & absolute, *Charitas nunquam excidit &c.* ita ut omnino videatur Apostolus non ullius divini decreti, sed ipsarum rerum naturæ rationem hic habuisse: pro concesso tantum sumpto interim divino illo decreto, de quo inter omnes Christianos constat donandi eos, qui vere Christiani fuerint, post hanc vitam & præsens seculum beata immortalitate suique ipsius visione. Ubi animadvertendum est, verba illa, quæ in vulgata editione ad hunc modum leguntur, *sive prophetiæ evacuabuntur &c.* sic ad verbum ex Græco legenda esse, *sive autem prophetia, abolebuntur: sive linguæ, desinent: sive cognitio, abolebitur.* Quamvis enim in vulgatis Græcis codicibus ista verba ad hunc modum non distinguantur, id tamen omnino requirit vocula δὲ id est, *autem*, à vetere interprete omissa: ac præterea in quibusdam Græcis exemplaribus hæc ipsa distinctio habetur, ut editio Græca simul & Latina, una cum glossa Matthiæ Flaccii Illyrici testatur, ut sit sensus, quem Beza in sua translatione, & idem Illyricus in emendanda Erasmi versione expresserunt, nempe ista omnia abolitum iri ac desitura. Quod si intelligendum sit, Paulum id futurum dicere voluisse, manente adhuc in terris Ecclesia, necesse erit simul intelligere, ipsum non ad ipsam naturam rerum, sed ad divinum aliquod decretum, de quo alioqui non constet, respexisse. Neque enim ipsa rerum natura postulat, ut ante hujus seculi finem ista omnia in Ecclesia aboleantur, quod tamen omnino postulat in futuro illo seculo, ipsaque Dei visione. Nam si quis excipiat, Paulum pro concesso sumere, & simul aperte indicare, fore aliquando tantam in Ecclesia, hoc seculo durante, rerum divinarum cognitionem, ut ipsa hujus rei natura ferat, ut spiritualia ista dona aboleantur. Respondeo, ut hoc Paulus facere potuerit, necesse fuisse, ut ista de re inter Christianos constaret; quod tamen aliter se habuisse historiæ Ecclesiasticæ, & alia antiquissimorum Christianorum scripta abunde testantur, ex quibus constat, Christianos vulgo semper sensisse, plenam rerum divinarum atque perfectam cognitionem nunquam extituram nisi in altero sæculo. Id quod vel ipsum per se docere potest, Apostolum non de eo quod hic in Ecclesia, sed de eo quod in futura illa beata vita futurum sit, verba facere. Perfectionis enim in rerum divinarum notitia apertam mentionem facit, atque adeo ejusmodi perfectionis, qua nulla major esse possit, quemadmodum verba illa indicant, *Facie*, seu potius *Facie ad faciem*, & illa: *cognoscam, sicut & cognitus sum*, sive ut Bezæ placet *fuero*, quæ proprie dici non possunt, nisi ubi cognitio ista sit perfectissima, & porro ipsa Dei visio illa jam adsit, quam non quidem in hoc, sed in futuro seculo fideles expectant. Præterea valde absurdum videtur, vel ipsum Apostolum Paulum, aliosque sive Apostolos, sive alioqui divina ordinatione ad alios cœlesti doctrina imbuendum tunc temporis constitutos, qui satis multi erant, duobus illis verbis non fuisse comprehensos, quæ numero plurali hoc in loco & prima persona profert *cognoscimus, videmus*, vel ejusmodi homines minorem rerum divinarum cognitionem habuisse, quam vulgo habituri sint Christiani antequam hoc seculum finiatur. De quo tempore intelligi non posse Pauli verba, ratione illius perfectionis quam futuram dicit, & consequenter adverbium Tunc ab ipso repetitum de futuro seculo accipiendum esse; docet illi oppositum aliud adverbium Nunc in verbis illis, *Nunc autem manet fides &c.* Nam quod in adverbio significare Apostolus voluerit (ut etiam superius in mea hujus loci sententia explicanda attigi) totum hujus sæculi, & mortalis vitæ tempus, illud satis docet, quod fides & spes una cum charitate per totum hoc tempus, quemadmodum ipse agnoscis, sunt duraturæ. Scripseram hucusque cum primum verba tua diligentius relegens animadverti, te sentire, Paulum quod attinet ad tempus, quod desitura essent dona illa, illud tempus intellexisse, quo jam satis istis donis Evangelii, sive Dei

Christique notitia confirmata stabilitaque foret, ut scilicet mortales veritati divinæ assentiri possent, non autem tempus aliquod in quo tanta esset futura in Ecclesia rerum divinarum notitia, ut jam donis istis nullus locus esse posset, utpote imperfectionem ejus notitiæ omnino indicantibus. Quare videri poteram frustra hactenus laborasse, nisi quod cum sententiam istam, quam tuam esse credebam, refutavi, multo magis quod pertinet ad explicationem istius loci ad rem sum locutus, quam si eam, quæ vere tua est, refutassem. Multo enim minus hæc quam illa (ut quidem mihi videtur) ad ipsius loci verba accommodari potest, in quo apertissime de majore rerum divinarum notitia extitura, quam illa esset quæ jam extiterat, verba fiunt, idque repetitur atque urgetur. Cujus tamen rei vere ac proprie acceptæ, in tua ista sententia atque interpretatione, nullum vestigium apparet; sed tantum in ea confirmationis majoris futuræ, ejus notitiæ quæ jam erat fit mentio. Cum tamen ejus rei expressum ullum indicium in Pauli verbis nequaquam extet. Ac præter primum & ultimum totius istius loci versiculum, id est versum 8, & 13, in quibus aliquid est, quod non minus ad tuam, quam ad communiorem sententiam, atque ipsius loci explicationem accommodari possit, nihil isto in loco legitur, quod cum interpretatione tua quidquam conveniat. Nam quod ipse, ut apparet, conatus es ad illam id accommodare, quod versu 11. legitur, *Cum essem parvulus &c*, ac si ibi ageretur de Ecclesiæ infantia, cui justa ætas postmodum successura esset, videtur ista Pauli metaphora, si istum tuum sensum sequamur, aliter omnino accipi atque ipsius mens fuerit; quo enim sensu Apostolus istam metaphoram, & in quem usum usurpaverit, declarant duo præcedentes versiculi nonus & decimus, ut nimirum imperfectæ ac perfectæ tantum rerum divinarum cognitionis in ea rationem habuerit, & imperfectam interim cognitionem illam esse dicat, quæ ex notitia & Prophetia tum Ecclesiæ concessa habebatur, cum ipsisque conjuncta erat, qua profecto nulla perfectior adhuc in Ecclesia unquam extitit, cujus tamen justa illa ætas quam ipse intelligis jam ante complura secula advenit. Adde ad suspectam tibi ipsi reddendam interpretationem istam tuam, quod non videtur ullo modo dicendum dona prophetiæ & notitiæ, quam γνῶσιν Paulus nominat, de quibus potissimum isto in loco agit, in Ecclesia esse desiisse, ubi jam satis Euangelii veritas confirmata fuit, immo credendum est dona illa duo in Ecclesia perpetuo fuisse, & adhuc esse, quamvis non ea ratione quæ aliquid evidentis miraculi in se contineat, ut ab initio fiebat ad veritatem Christianæ religionis confirmandam: neque ejusmodi rationis, cum Paulus illa desitura dicit, ulla prorsus fit mentio, utve ea tacite intelligatur, quidquam vel cogit, vel etiam leviter suadet, ut quis scilicet excipere possit, non desiisse quidem simpliciter & absolute dona illa in Ecclesia, sed tamen desiisse, quatenus evidentis miraculi aliquid in se continebant, & in hunc sensum Apostoli verba accipienda esse.

Satis mihi videor docuisse, interpretationem communiter receptam totius illius Paulini loci, præter ista extrema verba, de quibus præcipue quæritur, veram esse, tum vero & illam alteram, quam tuam esse putabam, nullo pacto sustineri posse, & consequenter admodum probabilem esse extremorum istorum Pauli verborum eam interpretationem, quam ego in meo illo, non quidem theologico, sed dialectico scripto attuli: in quo, ut jam dixi, pro concesso mihi sumpsi, ibi Apostolum de fide loqui, in potiorem sensum accepta; id quod si verum esse statuatur, non modo probabilis, sed plane necessaria interpretatio ista videtur. Verum ingenue fateor, nihil cogere, ut fidei nomen eo in loco in potiorem sensum accipiatur, quippe, quod in eum accipi possit, secundum quem à charitate distinguitur. Quod si fiat, simul fateor, sententiam tuam in ipsis istis extremis verbis interpretandis, & in statuendo, cur Apostolus charitatem majorem & spe & fide esse dixerit, admitti facile posse, & fortasse debere, si modo interim ea, quam ego complures secutus attuli, non excludatur, sed simul & semel cum ista altera admittatur, ut mens Pauli fuerit asserere, charitatem, & quia est complementum seu perfectio, vel potius spiritus seu vita fidei & spei; & quia ipsa per se res perfectior est, quippe quæ in beata atque immortali ipsa vita locum habeat, ubi nec fides nec spes locum habere potest, propterea & fide & spe majorem, id est, excellentiorem ac digniorem esse. Ex agro Luclaviano mense Majo. Anni 1600.

F. S.

Ad eundem CHRISTOPHORUM OSTORODUM Racoviam.

F. S. EPISTOLA V.

Salutem à Deo & Christo, &c.

FAcile tibi fuit, Ostorode præstantissime, divinare, me ægerrime laturum, ubi de tua adhuc mala valetudine inaudissem, qui quanti te faciam, & quantopere te amem, jamdiu probe nosti. Eo vero ægrius magnas istas ac pertinaces tui morbi reliquias fero, quod mihi certa spes facta fuerat de recuperatione tuæ pristinæ sanitatis. Immo affirmatum, te jam illam plane recuperasse. Cujus rei nomine sæpius in precibus meis ad Deum illi gratias egeram, orans, ut eam tibi quam diutissime conservare vellet. Quare vehementer sum perculsus literis tuis, quæ me de tanta spe, aut certe de re ipsa (ut sic loquar) dejecerunt. Nondum enim desperandum censeo, præsertim, si verum est, quod scribis, perpetuas capitis destillationes omnis mali causam esse. Nihil enim dubito, quin destillationes istæ, partim exquisita victus ratione, partim medicamentis non molestis prohiberi, aut saltem ita imminui, ut pessimos istos effectus non pariant, haud magno negotio possint. Quod ad victus rationem attinet, ea ut exquisita sit, qualis esse debeat facillime conjici potest. Utinam ita facile teneri ac præstari posset. De medicamentis, ut is qui medicus non sum, nihil certi habeo quod suadeam. Putaverim tamen usum electuarii, ut vocant, ex radice Helenii, sive Enulæ Campanæ, quam Poloni Oman appellant, ad noctem ante somnum, & summo mane aquæ stillatitiæ Cardui benedicti valde profuturum. Quibus de rebus poteris Moscorovium nostrum consulere, virum & medicæ scientiæ atque artis peritia, & amore erga te non minus, quam virtute ac pietate præstantem. Interim, ut perpetuo facio, Deum ardentissime orare non desistam, ut te, & tibi ipsi, & toti Ecclesiæ nostræ reddere aliquando velit, quod & futurum spero, modo ipse tibi deesse nolis, & in victus potissimum ratione servanda eam diligentiam ac patientiam adhibeas, qua omnino est opus, quamquam te adhibere jubet summum incommodum, quod ob invaletudinem tuam capiunt permulti, qui abs te bene valente mirifice ad æternam felicitatem consequendam juvari possent. Valentino nostro jam per literas sum gratulatus. Statorius similiter noster jam firmus factus est, ut antea erat. Quinetiam videtur posse sperari, eum posthac minus graviter, minusque frequenter antiquo illo suo capitis dolore afflictatum iri, & fortasse penitus ab eo liberum fore. Habebitis illum isthic Deo volente in funere vestræ Dominæ, cujus mortem gravissime fratres hic nostri omnes tulerunt, multique gravius tulissent, nisi Deus nos certissimo nuntio, additi, per ipsiusmet confessionem publicam & declarationem, Domini itidem vestri ad cœtum & Ecclesiam nostram mirum in modum consolatus esset. Deus illi concedat constantiam ac perseverantiam ipsius virtute dignam, ipsumque exemplum esse faciat cæteris nobilibus Polonis, præsertim iis qui nobiscum sentiunt, pietatis, modestiæ ac libera-

liberalitatis Christianæ. Quod rogas, ut si per meos labores licet, scribam ad te aliquid, facillime, immo prorsus à me impetrasses, nisi post acceptas tuas literas perpetuo oculorum fluxu & dolore, quo quinque septimanis ante captus fueram & conflictatus, laborare perrexissem, necdum liber essem. Quo tamen tempore non sum plane otiatus, sed dictavi (quanquam fere semper ex tempore atque impræmeditatus) interpretationem pro captu meo, quincti capitis Matthæi, & jam in capitis sexti dictanda perveni ad Dominicam orationem; quæ tota interpretatio implet hucusque chartas, quas arkusze Poloni vocant, plures quam decem & octo literæ valde minutæ: ita ut necesse sit, me multa nugatum fuisse, eaque legenda clara indicia apparere, quod is qui eam dictavit, vere ex tempore id fecit, & valde frequenter non habebat quid diceret nisi inania verba. Sed sum tamen dignus qui excuser; cum rogatu & jussu fratrum, id est, Statorii & Volkelii, eo ipso tempore quo nihil legere poteram, ad id adactus fuerim. Jam vero quando non possum tuæ petitioni satisfacere, ut animum nihilominus videas meum tibi obsequendi, tibi significo, me, ni fallor; invenisse viam, quomodo verum esse possit, quod Christus plane libere, & citra omnem necessitatem Deo perfectissime obedierit, & tamen necessarium omnino fuerit ut sic obediret: quemadmodum arbitror, me, & tibi & aliis compluribus fratribus evidenter probasse. Quænam ista via sit, nisi eam ipse per te, ut plane spero, inveneris, postea tibi aperiam. Volo enim prius tuum hac in re & Statorii ingenium experiri. Tametsi vereor, ne jam illi eam indicaverim. Nam certus sum me illam cuidam, aut quibusdam ex fratribus indicasse, nec quis, quive illi sint meminisse possum. Lubieniecium nostrum ex me quam diligentissime salutabis, meque Radecio excusabis, si ad ejus gratissimas literas nondum rescribo. Jam enim multa nox est, meique oculi ut plus scribam nullo modo permittunt. Rescribam, Deo dante, cum Statorius isthuc veniet. Deus tibi, mi desideratissime frater, & corporis sanitatem, & animi consolationem plenissimam concedat. In agro Luclaviano Blonio die 17 Februarii, Anno 1602.

Ad eundem CHRISTOPHORUM OSTORODUM Racoviam.

EPISTOLA VI.

Salutem à Deo & Christo, &c.

ETiamsi, Ostorode frater charissime, fortasse verum sit, Cardui benedicti aquam non habere tantum virium, ut ipsa per se expugnare queat morbum tuum: tamen fieri facile posset, ut juncta usui radicis Helenii, eo pacto quo scripseram, multum in mitigandis saltem symptomatis istiatuis præstare valeret, nec, quam ob rem id tentari non debeat; ullam causam video; præsertim cum, ut quis de ipso Helenii usu, in tali morbo juvante, desperare jure possit, non satis sit sæpius, sed oportet singulis diebus, idque per valde longum tempus, eum frustra usurpasse. Illud non minus in medicina, quam aliis in rebus omnibus verissimum est, quæ singula non prosunt, simul juncta juvare solere. Plurimum lætor te exquisita victus ratione uti, atque ut in eo perseverea tibi vehementer suadeo. Non poterit tandem non aliquid prodesse. Mea illa dictata, quæ meritissimo, ni fallor, à me parvi fiunt; tecum communicare non est in mea potestate; cum eorum ego nullum exemplum habeam, aut quomodo habere possim videam. Oportet vel Volkelium, qui partem aliquam scribendo excepit, vel Samuelem Brelium, qui totum, rogare, ut autographa sua impartiri velint: sed ea partim ipsorum, partim mea culpa, magna correctione indigent, & opus adhuc imperfectum plane est, nec nisi ad medium perductum; inque eo absolvendo, Deo juvante, sum perrecturus. Quare, si modo ejus desiderio teneris, non est cur festines, sed ejus finem & absolutionem ut expectes satius est. De quæstione tibi proposita, non bene conjecisti; nec quam affers solutionem ea probari ullo pacto potest. Qua de re cum Niecieno nostro, qui tibi has literas reddet, multa sum locutus; eique ipsam solutionem meam non solum indicavi, sed late exposui, exemploque ac similitudine illustravi; quem rogavi, ut diligenter tibi, si non omnia, saltem totam ipsam referat; proposita nova alia quæstione, quomodo videlicet, quamvis ex solutione mea appareat manifeste, potuisse fieri ut, necessarium omnino fuerit Christum obedire, & interim tamen is libere obediverit, nihilominus demonstrandum sit, nullo pacto verisimile esse, ut illud quod fieri potuit factum etiam reipsa sit, & sic necesse omnino esse videatur, ut Christus non libere obediverit. Meus fluxus & oculorum dolor adhuc adeo me torquet atque impedit, ut vix ista ad te exarare potuerim. Quare etiam te rogo, ut me apud Radecium excuses, si nihil ad eum scribo, gratias illi meo nomine agens, pro iis quæ me rogante, suis literis mihi significavit. Nam fieri facillime potest, ut ea mihi sint usui. Smalcius noster jam bis ad me literas dedit, promittens, si fratres id permiserint, se ad nos mox venturum. Ad eas hactenus nihil respondi, ejus adventum potius expectans: nunc autem oculi mei ut respondeam non concedunt. Quæso te, si aliquo modo potes, ut hoc ei significes: Jamque hic finem ad te scribendi facere sum coactus. Deus me hoc gravi morbo liberare velit, & concedere, ut scriptum tuum de avaritia non dicam recognoscere, sed saltem perlegere queam. Nam id nondum facere commode potui. Lætor te ista tamen præstare posse: & spero Deum majora tibi concessurum. Vale mi frater optime ac præstantissime. Ex loco solito commorationis meæ die 19 Martii. Anno 1602.

Ad JOHANNEM WOLKELIUM Grimmensem Misniacum, verbi divini Ministrum. Philippoviam in Lithuaniam.

F. S. EPISTOLA I.

Salutem à Deo & Christo, &c.

VOlkeli charissime, frater in Christo plurimum colende &c. Nunquam ego (crede mihi) tibi subiratus fui, sed tantummodo miratus fueram te id fecisse, quod cum tuis promissis parum mihi convenire videbatur. Cujus rei nullam etiam in literis meis ad affinem tuum mentionem fecissem, nisi jam aliquod incommodum sensissem ex eo, quod suo (ut quidem ego existimabam) tempore scriptum illud meum contra Chiliastas non recepissem. Nullum nec habeo, mi frater, nec alere possum amanuensem, & ejusmodi mea scripta sæpius ab amicis absentibus, ut illis mittam, rogor. Itaque vel ipse ex meo autographo iterum atque iterum ea describere cogor, vel amicos sua petitione frustrare, nisi exempla prius ad alios missa ipsisque commodata, quam citissime fieri potest, mihi reddantur. Excusationem tuam libentissime accipio, nec quicquam dubito, quin ea sint verissima quæ ad me hujus rei gratia scripsisti. Cur gratias mihi agas nulla est causa, cum potius ego gratias tibi agere debeam, quod mea scripta tanti facias, ut ea habere cures. Quod tibi explicatio mea noni capitis ad Rom. non parum probetur, haud mediocriter gaudeo. Scrupulus de Esavo & Jacobo eximetur tibi, si consideraveris nihil juvari sententiam adversariorum loco illo Pauli, si ita explicetur; quemadmodum ego explico. Volunt enim adversarii inde probari, Deum in eligendo & reprobando ad æternam salutem, nullam prorsus operum ejus qui eligitur vel reprobatur rationem habere: quasi ex verbis, quæ Paulus de Esavo & Jacobo dicit,

apparear, Paulum hoc ipsum exemplo isto afferendo probare voluisse. Quod sane confitendum videretur, si Paulus verba illa, *Quum enim nondum nati fuissent, &c.* non ut exciperet, & tacitæ objectioni responderet, quemadmodum ego interpretor, sed ut id quod proposuerat probaret, quemadmodum alii interpretantur, omnino dixisset. Quamvis enim electio illa & reprobatio Jacobi & Esavi ita accipi possit, ut ad æternam salutem non pertineat, tamen satis esset, si ad probandum quod proposuerat Apostolus ea verba de istis duobus fratribus scripsisset; cum certum sit Paulum disputationem instituisse de divina electione & reprobatione salutis æternæ respectu. Satis, inquam, esset ad ostendendum, Pauli sententiam esse eam quam adversarii ita acriter defendunt. Sed quando apparet, si Apostoli scopus, à nobis ab initio diligenter explicatus consideretur, non solum posse, sed etiam debere ipsius verba ista, *Quum enim nondum &c*, ita accipi, ut non quidem probent Pauli propositum, sed tantum objectioni obviam eant, quæ isti Esavi & Jacobi exemplo fieri posset, nihil aliud ex verbis istis colligi potest, nisi Deum aliquando, in suis beneficiis conferendis aut denegandis, nullam habere rationem probitatis aut improbitatis, tunc videlicet, cum beneficia ista salutem æternam necessario non conciliant, quemadmodum beneficium electionis Jacobi, Esavo denegatum, certe non conciliavit: non quod in talibus beneficiis idem semper eveniat, sed quod non eveniat nisi in talibus. Quapropter adversariorum sententia affirmantium, Deum cum ad salutem æternam eligit aut reprobat, nullam rationem humanorum factorum sive operum habere, nihil prorsus istis Pauli verbis juvatur, si ea, ut ego censeo, accipiantur & explicentur. Jam quod præterea dico, Deum in miserendo, seu indurando nullam habere rationem ejus, quod hominibus mundanis, & carnali prudentia præditis videri possit, quid hoc, quæso, ad Calvinianorum opinionem, qui volunt Deum in his rebus nullam probitatis aut improbitatis rationem habere, quantumvis ad divinam legem, & spiritus normam expensæ atque examinatæ. Habes, ut spero, responsum ad tuam objectionem. Quod attinet ad missionem nostrorum Ministrorum, nescio an unquam videris hoc breve meum scriptum, quod rogante Euangelico ministro feci. Inveni illud, pueri, qui olim mihi serviebat, manu descriptum. Itaque illud ad te mittendi facultatem habui. Sed rogo, ut mihi Lublini in Synodo reddendum cures, id est, nisi ego ipse adero, mittas ad Statorium nostrum, vel ad aliquem alium qui ad me Cracoviam mittat. Vestram omnium vicem, qui in locis illis, olim Domino nostro Kisskæ subjectis, commoramini, quantum doluerim ac doleam, Deus novit. Cujus tamen clementiæ ac bonitati ita confido, ut adhuc sperem divinæ veritatis prædicationem ac propagationem in locis istis abolitum non iri. Tu sis forti animo, nec nisi plane coactus, quemadmodum ex tuis literis te decrevisse intelligo, tibi à fratribus demandatum munus deseras. Sic Deus te corroboret, tuaque opera ad suum Christique nomen illustrandum, ut jamdiu cœpit, perpetuo utatur. Literas tuas Statorio, Lubieniecio, & Schomano, ad quos eas dedisti, quamprimum reddendas curabo. Vale & me ama. Cracoviæ die 3 Aprilis 1593.

Ad eundem PHILIPPOVIAM, in Lithuaniam.

EPISTOLA II.

Salutem à Deo & Christo, &c.

SPem lætitiamque ex aliis tuis literis, amantissime Volkeli, à me animo conceptam de propagatione veritatis divinæ in loco isto, auxerunt mirum in modum hæ tuæ quas Dn. Gorscius attulit. Et sane vobis omnibus, nominatim vero Domino affini meo, ut pote ipsius loci moderarori ac præsidi, vehementer gratulor. Audivi de ejus socru, quæ sese ad cœtum adjunxerit, & maximopere sum lætatus. Urgenda perpetuo tibi est vitæ innocentia, & vera justificationis nostræ ratio, (quando præsertim in ea Ecclesia ferme tota consentit,) diligenter docenda, ut quidem te facere persuasissimum habeo; quod tibi potissimum gratulari possimus, ut ei, qui mercedem à Deo, ob plurimos tua opera ad ipsum conversos sit reportaturus. Spem tibi feceram, me aliquid in tui & aliorum gratiam scripturum, de Magistratus ope imploranda, sed propter gravissimum molestissimumque morbum, qui me octo septimanas afflixit, id præstare non potui, vix dum enim ab eo sum liberatus. Quamquam præterea firmiter credebam, te futurum in Synodo Lublinensi, ubi hac de re disputandum erat, ex qua disputatione sperabam, te multo plus auxilii habiturum, ut quid in quæstione ista constituendum sit perspiceres, quam ex quocumque vel copiosissimo meo scripto. Itaque, cum ante Synodum nihil ad te hoc de argumento scriptum mittere potuissem, supervacaneum postea duxi quidquam scribere. Nondum scio quid in ea Synodo constitutum fuerit. Tibi tamen suadeo, ut non temere in docendo, vel etiam in sentiendo ab eo discedas, quod in illa constituerint fratres nostri. Quæ mea sit alioqui sententia, præter id quod satis abunde atque aperte scriptum est à me adversus Palæologum, etiam in superioris anni Synodo Lublinensi ex eo apparuit quod scripseram paucis verbis rogatu quorundam fratrum, qui sperabant id à Synodo comprobatum iri, quod tamen postea non successit. Breviter censeo, licere homini Christiano magistratus opem implorare, ut quod suum est repetat aut consequatur, sit quantumvis magistratus infidelis, modo non cum eo agat, qui frater nominetur; Tunc enim Pauli præceptum servandum est 1 Cor. 6, quo servato, id est, judicibus ex ipso cœtu constitutis, non puto alioqui Paulum eo in loco prohibere, seu simpliciter culpare, si frater à fratre suum jure repetat. Christus, si quis recte, quo dirigat verba sua, & quibus hyperbolicis (ut sic dixerim) præceptis Matth. 5, & Luc. 6, utatur, attendat, ac diligenter consideret, sine dubio nihil aliud vetat, quam vindictam per Magistratum quærere, & ita malo homini resistere, ut gravis & atrocis alicujus rixæ periculum subeatur. Ubi resciero, quid fratres in Synodo statuendum hac de re censuerint, præsertim, si te eorum sententiæ non plane acquiescere cognovero, aliquid fortasse uberius scribam. Cum nullas à Domino affine meo literas acceperim, & Dominus Gorscius citius discedat, quam putaram, hinc fit ut ad eum nihil scribam. Salutabis eum cum tota domo quam diligentissime verbis meis, eumque rogabis, ut mihi significare velit, an unquam sex illos Catechismos acceperit, quos ipsius jussu ad eum mittendos curaveram. Valetudinem tuam diligenter cura, ut quam diutissime & quam vigilantissime novo isti gregi præesse possis. Cracoviæ die 16 Junii 1594.

Ad eundem PHILIPPOVIAM,

EPISTOLA III.

Salutem à Deo & Christo &c.

SCias certo, mi Volkeli, me ad neminem scribere, nisi aliqua necessitas cogat, præterquam ad eos, qui me ad scribendum suis literis provocant, & sæpe tamen vel nihil, vel tarde admodum ad istos rescribere. Quare non est, cur a me tibi injuriam fieri putes, quod ad te crebriores literas non dem, cum ipse satis raro ad me scribas, injuriam, inquam, ut ipse eam vocas, insignem seu mavis singularem. Si me amas, ut sane credo, pro certo habeto te vicissim à me amari, nihilque esse quod pro ullo alio magis, quam

quam pro te sim facturus. Si erit quod ad te scribam, id facere non omittam. Alioqui habeas, te rogo, me excusatum, si censeo præstare in meis perpetuis scriptionibus illud tempus conterere, quod, in te simpliciter meis literis salutando, conterendum mihi esset. Præsertim cum idem sim effecturus dandis literis ad affinem meum D. Morstinum, quas tibi semper cum ipso, privatis rebus, de quibus inter nos scribimus, exceptis, & puto, & quod ad me attinet, volo esse communes. Est quidem nunc quod ad te scribam, & properea nominatim ad te has literas dedi, quibus ad eas respondeo, quas tu die 12 Decembris dedisti. Sed voluissem sane, ut explicuisses, cur tibi videatur, me illas tres adversariorum objectiones non satis dilucide in disputatione cum Francisco Davidis, dissolvisse. Et profecto miror, te in eo ipso tam graviter peccare, quod in me tibi minime probari video, & adeo parum dilucide quid sentias exponere. Ego certe vix scio quid ad postulatum istud tuum respondeam, aut quomodo tibi satisfaciam, cum contra mihi videatur, me admodum dilucide ejusmodi objectiones diluisse, adeo ut vix sperem, me dilucidius id in his literis facere posse. Tentabo id tamen, aliis verbis ea repetendo, quæ in ista disputatione scripsi. Primum igitur, quod attinet ad septem illos spiritus, à quibus cum Johannes gratiam & pacem precetur, hinc concludunt adversarii, Christi invocationem nequaquam ex eo posse colligi, quod Paulus & ipse Johannes diserte gratiam & pacem à Christo precetur; alioqui eadem ratione colligi posse, septem illos spiritus invocatos à Johanne fuisse, quod scilicet absurdum plane censeri debet. Ad hoc, inquam, quod attinet, dico non constare septem illos spiritus preces nostras audire, si modo aliquid sint diversum ab ipso Christo, ut postea dicam. Alioqui si ab ipso Christo reipsa nihil differunt, objectio ipsa per se concidit. Cum igitur non constet septem istos spiritus preces nostras audire, non eandem vim habere potest precari ab ipsis gratiam & pacem, quam habet hæc eadem à Christo precari, quem certissimum est, teste ipso Christo apud eundem Johannem, non modo preces nostras audire, sed renes cordaque nostra scrutari. Unde fit, ut precatio ista Christi respectu invocatio merito dici possit: respectu vero septem illorum spiritum non item; sed tantummodo liceat inde colligere, septem illos spiritus in gratia & pace, quæ nobis divinitus datur, conferenda, aliquid præstare. Sed cur, quæso, absurdum est affirmare, septem illos spiritus à Johanne invocatos fuisse? An quia solus Deus est invocandus? Atqui hanc rationem nihili esse tota illa disputatione demonstratur: non modo quia nusquam diserte interdictum est, quenquam alium præter ipsum Deum invocare, sed etiam & multo magis, quia ejusmodi interdictiones (ut sic loquar) nunquam eos excludunt, qui ipsi Deo sunt subordinati. Quicquid enim ab eo, qui subordinationem istam recte novit, & mente sua illam probat, in istos confertur, in ipsum Deum confertur. Quis vero negare audebit, septem illos spiritus, quicquid potestatis in gratia & pace conferenda habeant, ab ipso Deo habere & agnoscere, & propterea eadem in re illi subordinatos esse? Patet enim id vel ex ipsis illius precationis verbis, *Et à septem spiritus, qui in conspectu throni ejus sunt*. Unde apparet septem istos Spiritus Deo ministrare, & totos ab ipso pendere. Postremo à verisimilitudine nihil abest, istos septem spiritus nihil aliud esse, quam multiplicem Christi virtutem ac potestatem, qua ab ipso Deo donatus fuit. Ita ut, quod postea Johannes diserte ab ipso Christo gratiam & pacem precatur, aliud sit nihil quam expositio ac plenior repetitio ejus, quod proxime ante dictum fuerat. Certum enim est apud eundem Johannem legi cornua & oculos septenos, quos agnus habet, esse Spiritus Dei septem, qui mittuntur in universam terram, quos nihil impedit esse eosdem cum illis, qui in conspectu throni Dei esse dicuntur. Nam Gabriël quoque ad Zachariam, jam licet missus, ait apud Lucam, se stare coram Deo. Jam ad id, quod excipitur ab adversariis ex loco Gen. 48, nulla causa erat, cur in disputatione cum Francisco Davidis quidquam responderem, cum, ni fallor, ipse Franciscus loci istius mentionem non fecerit in scripto suo. Quare non mirum, si non modo haud satis dilucide, sed nullo pacto objectionem istam in disputatione illa dissolvi. Potest solutio nihilominus peti ex eo, quod supra dictum est de illis septem spiritibus, de quibus videlicet nesciatur an audiant preces nostras, & (nempe si eas audirent) nihil absurditatis in eo esse, quod illi invocati à Johanne fuerint. Cum igitur adversarius, adversus rationem ex Pauli verbis gratiam & pacem à Christo precantis, aut dicentis, *Ipse Christus consoletur, confirmet &c.* ductam, excipit, eadem ratione consequi Angelum illum à Jacobo Patriarcha invocatum fuisse, primum respondendum est, non consequi, cum nihil constet, quod Angelus ille verba Jacobi audiverit. Deinde dicendum, nihil absurdi ea in re esse, cum Angelus ille Deo sine dubio subordinatus esset. In postrema objectione explicanda ostendis, te non admodum diligenter disputationem illam legisse, cum, nisi memoria me fallit, non dicam *subinde*, ut ipse ais, sed ne semel quidem Franciscus illo testimonio ad curam Ecclesiæ Christo adimendam utatur. Vehementer autem illos miror, qui testimonio isto ad id utuntur; multo etiam magis miror Volkelium hominem eruditum, & in dialecticis versatum, videri dubitare, quomodo argumentum istud solvat. Si in testimonio ista haberetur, Christum id tantum fecisse, quod videlicet unica oblatione perfecit sanctos, tolerabilior videretur adversariorum inde ducta argumentatio. Sed ut verba testimonii habent, *Unica oblatione perfecit sanctos*, non addito, quod id tantum faciat aut fecerit, si quis inde argumentari velit, Christum nullam amplius Ecclesiæ curam habere, poterit etiam, si voluerit, argumentari, ipsum Deum jam nullam Ecclesiæ curam gerere. *Sanctos* (vel potius *sanctificatos*, seu *qui sanctificantur*, ut in textu legitur) perfici unica oblatione Christi, idque ut locus habet *in æternum*, non significat illos omnino nullius rei jam indigere, sed ad eos perficiendos, alia, vel Christi ipsius, vel alterius cujusquam oblatione nihil esse opus. Perfectio enim ista intelligitur, quod pertinet ad peccatorum expiationem, idque ex parte Dei, non autem ad reliqua omnia, quorum, dum in hac vita sumus, ut sanctificationem nostram non perdamus, omnino indigemus. Si bene versatus fueris in disputatione illa mea de Christo Servatore, hæc melius intelliges, quam in his literis possim tibi explicare. Vale mi Volkeli, & diligenter in tuo munere verseris, cujus cum pars sit contradicentes convincere, totus in eo sis, ut diligentissime Sacras Literas, & alios bonos libros evolvas atque rimeris. In suburbio Cracoviensi vulgo Biskupie dicto, die 14 Februarii 1596.

Ad eundem Philippoviam, Epistola IV.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Quo crebrius ad me, Volkeli charissime, scripseris, eo gratius sine dubio mihi feceris. Nec ego te, quo ad potero, meas literas desiderare patiar. Rescripsi jam ad ea quæ in aliis tuis literis ex me quærebas, nunc ad id quod in his postremis quæris de differentia, quam statuam, inter illa quæ ad religionem, & illa quæ ad salutem spectant: quamvis sententia hac de re mea satis eo in loco expressa videatur, qui te ad hoc ex me quærendum impulit. Respondeo, me intelligere ad religionem pertinere, quicquid ad divinarum rerum cognitionem spectat, ad salutem vero ea tantum, sine quibus salus nobis aut nullo modo, aut ægre admodum contingere potest. Nam multa esse

tradita

tradita divinitus, quæ ad ipsam religionem Christianam spectant, id est, ad Christianæ religionis mysteria percipienda plurimum conducunt, nec tamen ad salutem per Christum consequendam sunt necessaria, persuasissimum mihi est; idemque arbitror omnibus vel mediocriter in theologicis studiis versatis omnino videri. Namque ad salutem per Christum consequendam, ea tantum sunt necessaria, sine quibus fides in ipsum Christum, seu in Deum per Christum, ejusque præceptorum obedientia consistere nequit. Reliqua ad salutem istam necessaria non sunt. Nec tamen propterea reliqua ista, quæ ad exactam Christianæ religionis cognitionem pertinent, ullo pacto spernenda esse duco. Quippe quæ, & ad Dei Christique gloriam amplificandam, & ad salutis viam illustrandam, prout ea sunt, (non enim omnia sunt unius modi) vel plurimum, vel aliquid saltem conducunt. Singulatim explicare quænam ista sint, non est profecto Epistolæ, sed justi potius libri munus. Et potest tamen unusquisque rerum divinarum studiosus facile per se agnoscere, quid scire ac tenere necesse sit ad hoc, ut Deo Christoque confidamus, ejusque præceptis pareamus. Potest quis (ut nihilominus unico exemplo quid mihi velim apertius explicem) exempli causa, nescire, an primus homo creatus à Deo mortalis necne fuerit, & tamen ipsi Deo confidere, ac Christo, ipsiusque præcepta servare. Quamvis istius rei cognitio, tanti alioqui sit, ut non possit bonus theologus is esse, nec religionis Christianæ vim ac præstantiam recte percipere, qui ea careat. Contra, si quis persuasus fuerit, ut Papistæ esse videntur, aliquot Christi præcepta, non præcepta, sed consilia tantum esse, is vix aut ne vix quidem præcepta ista eo modo, quo debet, servabit unquam, & sic Deo Christoque obediens non erit. Sed jam piget plura tecum, id est, cum homine rerum divinarum perito, hac de re disputare. Sunt quidem jam diu excusæ duæ illæ meæ disputationes, sed neque apud me sunt, nisi pauca admodum exemplaria, nec per quem mittam habeo. Qui tibi has literas reddet, cum equo vehatur vix hæc secum potuit accipere, quæ ad te uxoris tuæ soror mittit. Petiit jam diu Dominus affinis meus ut mitterem exemplaria aliquot de Jesu Christo Servatore, sed propter ejus qui ad vos eas perferat, defectum, nondum, quamvis ego quoque id maxime cupiam, præstari istud à me potuit. De Ecclesiis ab hac urbe non procul remotis, nihil habeo dignum quod scribatur. Vieliciis habentur aliquando coetus, sed non sine metu aliquo. In magno numero ibi fratres congregari, & propterea cœnam Domini eo in loco celebrare non audent. Tropiæ & Luclaviciæ pergunt ut antea. Statorius & alii ejus socii, sunt admodum in suo munere diligentes. Contulerat se Statorius non ita pridem Chmielniciam, ubi statutum ab ipsis Euangelicis fuerat, ut esset cum nostris disputatio de effectis mortis Christi. Sed frustra & ipse & alii nostri iverunt. Pænituit enim adversarios indictæ disputationis, quam, ut audio, de more quibusdam artibus & excusationibus declinarunt, concludentes tandem suos decrevisse, ne tales disputationes nobiscum habeantur. Resalutat te amanter D. Simon Pharmacopola. Alium ex fratribus præter aurificem affinem tuum hoc tempore non vidi. Dominus Doctor te amantissime resalutat. Vale carissime mi Volkeli, & quando Deus isthic vobis securitatem & quietem concedit, ipseque vides, ut scribis, alicujus boni fructus adhuc aliquam spem esse, in hoc invigila, ut quam plurimos Christo Domino lucrifacias. In suburbio Cracoviensi vulgo Biskupie dicto, die 3 Martii 1596.

Ad eundem, PHILIPPOVIAM, EPISTOLA V.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Literæ tuæ die 7 Octobris datæ, quamvis breviter ac festinanter scriptæ, gratissimæ mihi fuerunt, nisi quod de invaletudine tua id mihi confirment, quod prius non sine maxima animi mei molestia, ex literis Domini affinis mei cognoveram. Quod in meis scriptis legendis atque examinandis verseris, & nominatim in disputatione adversus Puccium, quæ nondum est edita, libenter audio: Poteris enim facile me juvare in ea corrigenda, & digna quæ edatur facienda. Quare te rogo, ut si quid in ea animadverteris, quod tibi minus probetur, id mihi quamprimum significes. Spero enim ejus editionem non diu dilatum iri. Gratiasque tibi interim ago, quod, quid hactenus in ea desideres, mihi indicaveris. Velim autem scias, me duplici de causa, præter eam, quam ipse commemoras, ab ista quæstione de animæ immortalitate ibi abstinuisse. Nam & mihi res erat cum homine, qui me calumniandi, inque omnium invidiam vocandi, omnem occasionem quærebat; nec dum mihi, quid de quæstione ista statuendum sit, plane exploratum erat, quemadmodum nec hodie quidem est. Tantum id mihi videtur statui posse, post hanc vitam, animam, sive animum hominis non ita per se subsistere, ut præmia ulla pœnasve sentiat, vel etiam ista sentiendi sit capax. Quæ mea firma opinio, facile potest ex disputatione ista colligi, cum ex multis, quæ identidem à me ibi dicuntur, tum vero ex ipsa, de qua præcipue agitur, sententia mea. Nam quamvis cum ipso Puccio disputans, qui, ut immortalitatem primi hominis ante peccatum probaret, animæ ipsius immortalitatem mihi objiciebat, ostendi, non propterea hominem dici posse immortalem, quia anima ipsius non moriatur: tamen satis apparet, me sentire, non ita vivere post hominis ipsius mortem animam ejus, ut per se præmiorum pœnarumve capax existat, cum in ipso primo homine totius immortalitatis rationem uni gratiæ Dei tribuo, nec in ipsa creatione quidquam immortalis vitæ in homine agnosco. Jam causa, quam suspicabaris me à quæstione illa tractanda cohibuisse, non est omnino vana. Quid enim oportebat ea attingere, de quibus inter me & adversarium revera nulla erat controversia? Exemplum mei ipsius, quod contra me affers in Disputatione contra Volanum, non videtur omnino ad rem facere. Nam & de ratione qua Christus peccata nostra expiaverit disputandi, causam mihi dederat ipsius Volani scriptum, & jam inter ipsos Euangelicos, si non in hoc regno, certe alibi multis in locis, constabat de mea circa hanc rem sententia, diuque jam erat, ex quo ipsam disputationem meam de Jesu Christo Servatore edere meditabar. De loco illo cujus explicationem quæris ita statuo, ibi animæ nomine, quemadmodum alibi sæpissime, vitam significari, quæ certe non occiditur, etiamsi corpus ipsum occidatur. Vivere enim adhuc apud Deum is dici & potest, & debet, qui aliquando in vitam, eamque immortalem ab ipso omnino revocabitur. Hinc enim Christo ipso teste factum est, ut Deus, quamvis non mortuorum sed viventium tantum sit Deus, non veritus sit se appellare Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi, qui jam pridem ex ista mortali vita excesserant, & quorum corpora extincta fuerant. Corporis autem nomine, animæ nomini, quæ, ut dictum est, vitam significat, opposito, corporalem hanc vitam significari convenientissimum, meo judicio, censeri debet. De statu Ecclesiarum nostrarum nihil habeo quod tibi significem: ipse enim eum maxima ex parte ignoro. Angimur omnes plurimum nostri Statorii absentia, quem utinam aliquando recipiamus. Sparsi enim erant rumores de exitio Ostrovii regii ad Turcam legati, cui comes se adjun-

adjunxerat; quos tamen falsos fuisse speramus. Ego quidem Deum orare non cesso, ut nos utriusque incolumi ad suos reditu consolari velit. Idem & tu facias, interimque valetudinem tuam diligenter cures. Cracoviæ die 16 Novembris. Anno 1596.

Ad eundem PHILIPPOVIAM, EPISTOLA VI.

RESponsum meum, tum ad quæstionem tuam, tum ad eam quam meus affinis proposuerat, tibi eruditissime Volkeli satis fecisse vehementer lætor. Videtur tamen affinis meus adhuc non nihil de responso meo, si non de re ipsa, dubitare. Conatus sum in literis meis quas ad eum scribo, scrupulum istum ei eximere. Utinam id efficiam, aliudque responsum, quod ad aliam propositam ab ipso de usura quæstionem dedi, illi probem. Jam, quod disputationis meæ cum Puccio editionem non probas, id, quamvis alioqui judicium tuum plurimi faciam, minus me movet, quia quas tuæ sententiæ rationes affers, non satis validæ mihi videntur ad id diutius premendum, quod non modo plerique amicorum, ut jam edatur, contendunt, sed ipse fateris reliquis meis scriptis magnam lucem afferre. Et certe si quæ sentio de rebus theologicis probari debent; & in animis aliorum firmas radices agere, necesse est disputationem istam publice extare, quam propterea plurimi, qui alia quædam ex meis scriptis legerunt, & longe hinc absunt, magis quam quidquid aliud ex reliquis meis scriptis legere expetunt. Nam quod ais, ea ibi, tum de Christianorum resurrectione, tum de morte impiorum passim contineri, quæ à multis sine magna offensione, tum nostris, tum alienis legi non possint. Scio equidem ista ibi contineri, sed, meo judicio, nec passim, nec ita aperte (cavi enim istud quantum potui) ut quisquam vir pius facile offendi possit: adeo, ut, quod nominatim attinet ad impiorum mortem, in quo dogmate majus est multo offensionis periculum, ea potius ex iis colligi possit, quæ ibi disputantur, quam expresse literis consignata extet, adeo, ut lector, qui alioqui sententiam meam adversus Puccium de mortalitate primi hominis, quæ toto libro agitatur, quæque ob non paucos quos habet fautores, parum aut nihil offensionis parere potest, probandam censeat, prius sentiat doctrinam istam sibi jam persuasam esse, quam suaderi animadvertat. Quicquid sit, veritas patefacienda est; nec oportuisset ullum ferme hactenus ex meis scriptis publicare, si legentium offensio cavenda fuisset. Quid sub ejus disputationis finem de infantibus subjunxerim, quod durum cuiquam videri possit, prorsus nescio. Ibi enim nihil aliud lego, nisi Puccium infantibus, studio suo inquirendi de ipsorum salute, prodesse non posse, id quod omnes, ut arbitror, verissimum esse fatebuntur. Quod si illa intelligis, quæ multis paginis ante finem scripsi, cum infantes fidem non habere disputo, non video quis merito eis offendi queat, cum idem ferme omnes, quod attinet ad ipsam fidem, mecum sentiant, & si quid inde deduco, nemo non sit agniturus id necessario fieri. Legatus & Statorius salvi domum redierunt. Quod quidquam ad Dei gloriam amplificandam effecerint, nec audivi, nec verisimile est. Doctor Buccella Varssaviæ est: ego vero in antiquo meo hospitio na Bratskiej ulicy habito, dubius adhuc, an posthac sim, ut antea, apud D. Buccellam habitaturus, quamvis ipse id percupiat. Deus tibi, mi Volkeli, perpetuo adsit. Cracoviæ die 8 Martii 1597.

Ad Generosum Dn. CHRISTOPHORUM Morstinum Philippoviæ Capitaneum.

F. S. EPISTOLA I.

Salutem à Deo in Christo, &c.

GRatias tibi ago, quod ad me scripseris ea, quæ resciveras de statu nostrorum fratrum Lithuanorum, qua de re plenius etiam rescivi ex relatione Licinii, qui ad hanc Synodum venit. In qua hactenus ea sunt in disputationibus tandem confirmata, quæ anno ab hinc altero in theses quasdam redacta, & majore ex parte jam constituta fuerant; quarum thesium exemplum, memini me ad te eo tempore misisse. Actum est præterea toto hesterno die, de fine & usu Cœnæ Domini, & tandem fere ab omnibus tam corde, ut creditur, quam ore conclusum, nullum esse certum hujus ritus finem, præter commemorationem & prædicationem mortis Christi. Cujus corpus & sanguis, ibi nec corporaliter nec spiritualiter edatur & bibatur magis quam alibi à Christi fidelibus, quorum fides hoc ipso ritu non augeatur, nec confirmetur, sed si quid tale ibi fiat, aut si quid utilitatis ad eos inde manet, præter eam quam quis ex eo percipit, quod Deum & Christum ejusque beneficia laudat & commemorat, idque ex ipsius Christi instituto, illud non ex ipsa Cœna Domini per se, sed ex Dei verbo, aliisque rebus quæ illi adjungi & possunt, & solent, omnino proficisci. Repugnarunt quidam pauci ex Senioribus huic apertissimæ veritati, victi tamen cesserunt, præter unum Dn. Niemojevium, qui licet, judicio meo, ea coactus fuerit confiteri, quæ prius non confitebatur, ex quibus necessario sequitur, illum immerito sese cæteris opponere, tamen mordicus adhuc suam sententiam tenet. Cujus rei causam arbitror esse, quod jam ante aliquot annos libellum edidit Polonicum contra Theses Emanuelis Vegæ latinas, in quo illam asserit, quamvis à me ante editionem monitus fuisset, ne id faceret. Nihil præterea fortasse aliud circa dogmata in hac Synodo constituetur. Quod si quid tamen actum fuerit, id facile à fratribus Lithuanis tecum communicabitur. Librum Disputationis meæ adversus Franciscum Davidis recepi. Gaudeo quod tibi placeat ac plane probetur, ut idem toti cœtui videatur, fieri vix potest, plurimis de causis, quas nunc scribere non est opus. Si aliqua tamen hujus operis edendi facultas dabitur, faciam te nihilominus certiorem. Illa duo loca in scriptis meis, nihil prorsus inter se pugnant, cum in uno affirmate loquar, in altero vero, per modum, ut vocant, concessionis. Nam alioqui in utroque scripto constanter affirmo, fieri non posse, ut quis firmiter credat ea quæ Christus dicit vera esse, nec tamen illi confidat & obediat. Verum ostendo hoc non ex eo esse, quod quisquis alicujus verba aliquid monentis vera esse credat, illi etiam confidat, sed quod promissa quæ Christus monitionibus suis, id est, præceptis adjunxit, ejusmodi sunt, ut non possint credi, quin simul eorum obtinendorum gratiâ præceptis obedientia præstetur. Quod si fieri posset, ut quis Christi verba vera esse crederet, nec tamen faceret quæ præcepit, neque Christo confidere is dici posset, nec talis Christi verbis adhibita fides, eum quidquam, quod attinet ad justificationem coram Deo, juvaret. Ut intelligatur, si tamen tali fidei, quæ eo continetur quod quis credat Jesum esse Christum, scriptura tribuit, quod nobis vitam æternam conciliat, id non fieri quia revera hæc ipsa fides ea sit qua justificamur, sed quia per accidens, nimirum propter ingentia illa promissa, nemo hac fide potest esse præditus, quin Christo consequenter ac necessario confidat eique obediat, quæ est illa in Christum fides, qua revera coram Deo justificamur. Plura non dicam. Res enim in ipsis scriptis est apertissima, si modo accurate legantur. Et simul his literis finem imponam, præsertim cum alioqui sim occupatissimus.

tissimus. Deus tibi, uxori, liberis, socruique tuæ matronæ lectissimæ perpetuo adsit & faveat. Lublini die 5 Junii 1593.

Ad eundem Philippoviam, Epistola II.

Salutem à Deo & Christo, &c.

NIhil dubito, quin pro insigni tuo in me amore, quæcumque mihi accidunt tibi quodammodo sint communia, summasque tibi ago gratias, quod me ita diligenter, in gravi illo meo casu, & consolari & animare non prætermiseris. Ego quidem, per Dei gratiam, in dies magis in eo patienter atque adeo lætanter ferendo, sum confirmatus. Cum homine illo, mei causa, nihil revera unquam à quoquam actum est, quod ego quidem sciam. Tantum cum D. Lucas de Pace audiret me sibi, quid mihi ab homine isto accidisset, narrantem, sua sponte, cum levem aliquam amicitiam, seu potius simplicem notitiam inter se & illum esse diceret, promisit se tentaturum, ut illi persuaderet, ne posthac quicquam injuriæ amplius mihi faceret. Id quod unum ego curabam, condonata illi ex animo jam accepta ab eo injuria, cujus nullam pænitus satisfactionem quærebam. Id quod postridie ejus diei effecit; immo tandem eo hominem adduxit, ut diceret, se tum, cum in me tam turpiter deliquit, ebrium fuisse: & si fuisset sobrius, nunquam id facturum fuisse. Quare rogabat, ut nihilominus vellem ei esse amicus, quemadmodum ipse mihi futurus esset, fide ipsi D. Lucæ data, se in posterum ne minima quidem ratione me offensurum. Hoc tamen addito, ut curare vellem, ne jam amplius parens ipsi iratus esset, quemadmodum jam diu fuerat, præsertim vero postquam me ita male tractasset. Qua in re illi per literas, & ad fratres submontanos, & ad ipsum ejus parentem datas plenissime satisfeci. Adeo ut sperem, post plurimas difficultates tandem illi patrem reconciliatum fuisse. Ante cujus reconciliationis præstitutum diem, præ se tulit ipse, velle se mihi prius coram reconciliari, venia petita &c. quo facilior redderetur cum patre reconciliatio, id quod in Dn. Lucæ ædibus ut fieret ipse rogavit. Quo mihi à Dn. Luca significato, annui libenter, & promisi me illuc iturum, simul atque mihi indicatum esset. Sed postea, quæcumque hujusce rei fuerit causa, nihil actum est. Arbitror ipsum puduisse, & existimasse ad paternam reconciliationem impetrandum, satis futurum id, quod ejus rogatu antea scripseram. Deus ipsius misereatur, & me ab omni malo custodiat. Labores mei hactenus editi, ni fallor, sint isti. Responsio ad Palæologum pro Racoviensibus. Disputatio de loco septimi cap. ad Romanos. Animadversiones in Theses Collegii Posnaniensis. Disputatio adversus Volanum. Examinatio argumenti pro trino & uno Deo, una cum responsione perbrevi ad quasdam Theses. Synopsis justificationis nostræ per Christum. De fide & operibus, quod attinet ad justificationem nostram. De auctoritate Sacræ Scripturæ. Responsio prior ad Theses duas Francisci Davidis de non invocando Christo. Explicatio initii Euangelii Johannis, quæ Polonice quoque fuit edita, multo ante quam huc advenirem. Antiwujekus Polonicus, & nuper Disputatio de Jesu Christo Servatore. Latinus Antiwujekus est adhuc sub prælo. Nam typographus per aliquot septimanas hoc opus intermisit, Kalendariis, & nescio quibus aliis excudendis intentus, quod non absolvetur, ut conjicio, nisi fortasse post mensem, aut quadraginta dies. Lublinum enim typographus abiit, filio Radekii relicto, qui id curet. Libellum de auctoritate scripturæ ad te mittere nequeo, quia unum tantum Latinum exemplar in meum usum reservatum habeo, nec plura jam habendi spem ullam esse credo. Si Gallice nosses, possem tibi satisfacere. Gallice enim hoc opusculum ab amico conversum, & imprimendum datum fuit, indeque ad me pauca quædam exemplaria missa. Misissem ad te saltem exemplar unum disputationis de Servatore, sed neque hic nuncius certus erat, & cum pedes esset, haud satis commode fortasse illud afferre potuisset. Si speres aliquot exemplaria posse per te in Lithuania distrahi, curabo prima quaque occasione, ut ad te afferantur. De expeditione ista generali constituta, crediderim, si nullo pacto vitari possit, quin aut eatur, aut bona perdantur, nec satis futurum sit pecuniam dare, qua alius tui loco conduci possit, sine Christi præceptorum violatione posse te armari, & proficisci, dummodo à quoquam occidendo, membrisve mutilando abstineas: alioqui, nondum video, quomodo periculum, quod non proficiscenti imminet, salva Christi obedientia effugi queat. Ac sane hic, quemadmodum etiam ad fratres submontanos scripsi, potius doceri, quam docere velim. Vale una cum tuis omnibus, quibus à Deo omnia felicissima assidue & opto, & precibus contendo. Cracoviæ die 3 Februarii 1595.

Ad eundem Philippoviam, Epistola III.

Salutem à Deo & Christo, &c.

BInas accepi literas tuas, ad quas nullum adhuc responsum dedi. Priores scriptæ ex parte fuerant die 13 Julii, sed non datæ nisi post dies complures, & non parum auctæ, immo ejusmodi auctuario completæ, quod longius sane, quam Epistola familiaris ferre videtur, responsum postularet, nisi is tu esses, qui facile ea etiam, quæ concise dicta fuerint, percipere potes. Respondebo igitur ad quæstionem mihi à te propositam, breviter admodum pro ejus difficultate, ac tentabo (quod tamen non spero) an paucis verbis id apud te efficere possim, quod alii hactenus longa fortasse disputatione efficere non potuerunt. Attigi autem fundamenta quæstionis istius solvendæ, in disputatione mea de aquæ baptismo. Fundamenta hæc sunt. Præceptum non comedendi sanguinem, pugnat cum libertate Christiana, & Christianæ religionis ab ejusmodi ceremonialibus (ut loquuntur) præceptis abhorrentis ratione, & cum expressa Pauli Apostoli, ab ipsoque repetita sæpius regula, quæ est, quod ad cibos attinet, nihil esse vitandum homini Christiano. Nec obstat præceptum de sanguine non comedendo datum à Deo, etiam ante discrimen populorum, quandoquidem legis divinæ perfectio, Christo reservabatur ejusque Apostolis. Ante quæ tempora voluit Deus, perpetuo ab ipso orbe condito extare in ratione divini cultus & obedientiæ ipsi præstandæ imperfectionem aliquam, quæ Christo adveniente sublata, fidem faceret, doctrinam ab ipso allatam esse plene cœlestem, nec unquam, dum orbis terrarum stabit, ulli mutationi aut correctioni obnoxiam futuram. Istius imperfectionis ab ipso orbe condito testimonium tibi sit, tum præceptum ipsi primo homini datum, tum illud, quod ex ipso 9 capite Geneseos abs te allato intelligi potest, non licuisse videlicet ante diluvium ex bestiarum carnibus comedere. Quam imperfectionem sustulit quidem Deus, in mundi ista quasi renovatione, sed non omnino, sanguinis earundem bestiarum usu vetito. Christo enim ejusque temporibus, hæc gloria Legem Dei implendi, id est perficiendi, reservabatur. Jam ex duobus causis: cur sanguinis bestiarum esum, Deus, ante Christi adventum vetuerit, una tantum, non utraque, ut tibi videtur, adhuc manet, ea videlicet, quod animantis anima sit in sanguine; quæ quale pondus, apud homines perfectissimam disciplinam profitentes, habere debeat, quilibet per se judicare potest, cum in sanguine jam mortuæ animantis non magis sit anima, quam in re-

in reliquo ejus corpore, ut ne quid dicam, nihil revera esse cur non liceat id comedere, in quo anima ipsius animantis sit. Adde, quod etiamsi caussa ista & plane adhuc maneret in ipso mortuæ animantis sanguine, & justa alioqui posset videri caussa ab ipsius esu abstinendi, tamen propter id, quod præceptum istud continet adversus naturam (ut sic dixerim) Christianæ religionis, nobis ista curanda non essent, præsertim Paulo Apostolo diserte regulam illam, de qua ante diximus, circa ciborum usum statuente. Nam quæ (rogo) caussa potuit esse decentior, ut Deus die septima aliquid operari vetuerit, quam ea quæ ab ipsomet affertur, quod scilicet ipse in mundo creando sex diebus operatus fuerit, septimo autem quieverit. Et tamen, eodem Paulo teste, apertum est, Christianos à diei septimi, seu sabbati observatione esse liberos, quamvis caussa ista, dum mundus stabit, perpetuo sit duratura. Altera caussa non comedendi sanguinis allata Levit. 17, quam tu similiter etiamnum durare putabas, meo quidem judicio plane cessat, cum sub Christo nullæ fiant per sanguinem expiationes, saltem sane per bestiarum sanguinem, de tali enim sanguine accipienda omnino sunt verba Mosis, nec si caussa ista adhuc duraret, plus virium haberet quam altera illa in disciplina quidem, ut dixi, perfecta qualis est Christianorum. Cæterum si quis est, qui moveatur decreto illo Ecclesiastico Act. 15, quominus sanguinem bestiarum comedere audeat, animadvertat eodem decreto contineri interdictum ea comedendi, quæ sacrificata sunt idolis, quorum tamen esum Paulus concedit, modo id citra scandalum & offensionem fiat infirmorum. Vereor, ne, qui pauca hac de re verba me facturum eram pollicitus, nimis multa tibi fecisse videar. Quod si volueris, me plura scribere, morem tibi geram, & tibi aliisque omnem scrupulum eximere conabor. Cracoviæ die 16 Novemb. 1596.

Ad eundem Epistola IV.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Gaudeo responsum meum ad quæstionem tuam, etsi breve, omnem ferme dubitationem, ut scribis, tibi exemisse. Non arbitror autem, me in eo brevi responso, ad probandum nos sanguine & suffocato non prohiberi, usum fuisse ratione illa, quod idolis immolata, in Apostolico illo decreto una cum istis fuerunt vetita, & tamen eis simpliciter non prohibeamur vesci. Pessime enim, aut certe sophistice argumentatus fuissem. Non ego hic argumentor, sed contra sentientium argumentum, ex decreto illo ductum, refello; quod vel ipsum instantiæ nomen, quod vel à me in ratiocinatione mea expressum, vel tibi à veritate extortum, ipse commemoras aperte indicat. Cave posthac, ne tibi id accidat, quod Trinitariis nobiscum disputantibus mirum quam frequenter contingat, ut scilicet exceptiones nostras ad ipsorum argumenta, pro nostris argumentis habeant. Exceptio sive instantia ista rerum idolis immolatarum, est validissima adversus illos, qui decreto illo Apostolico nituntur; adeo, ut si quis ex eodem decreto probare vellet, nobis interdictam esse ipsam scortationem, propter eandem instantiam non recte argumentaretur. Ex aliis plurimis, iisdemque apertissimis testimoniis, istud demonstrari, & potest, & debet. Sic, si alia sunt testimonia aut rationes, quibus demonstrari possit usum sanguinis & suffocati Christianis esse interdictum, proferantur ista in medium, non ad instantiam istam refellendam, & argumentum ex decreto illo ductum defendendum, huic enim rei ineptissima ista sunt; sed ad aliud, aliave argumenta formanda. Sed jam ad ista, quæ ipse iterum affers, per responsiones meas jam ad te scriptas, habes, ni fallor, omnino quid solide, & ex totius religionis fundamentis respondeas. De usura, antequam vel pecuniam haberem, vel futurum aliquando cogitarem, ut aliunde, quam ex mearum possessionum proventibus, me alerem, semper fui hujus sententiæ, eam non esse per se ullo modo vetitam, quidquid vel morales philosophi, vel Theologi nostri contra disputent. Rationes tam Philosophorum, quam Theologorum, nunc, quia nec temporis satis habeo, nec Epistolæ modum excedere statui, missas facio, & duo tantum verba de Sacrarum Literarum Testimoniis dicam. Primum igitur id pro concesso pono, usuram in toto Novo Testamento non inveniri prohibitam, immo non leve argumentum esse affirmo permissionis ejus, quod nusquam, cum toties in eo commemorentur illa, quæ in moribus nostris & actionibus pugnant cum spiritu & Euangelii doctrina, & quodammodo enumerentur, inter ista ulla prorsus ipsius fiat mentio. Hoc jacto fundamento, ad testimonia Veteris Testamenti dico primum, quidquid extra ipsam legem per Mosen datam de vetita usura legitur, secundum ipsius legis verba accipiendum esse, neque enim Prophetæ quidquam legi addiderunt, sed tantum illam latius exposuerunt. Deinde assero, ex testimoniis legis ista de re, explicanda esse pauciora, atque ut sic dixerim, contractiora, per plura & explicatoria, præsertim cum alioquin etiam id tantum, quod explicatius in hac materia dictum est, sit rationi consentaneum. Jam tria loca omnino sunt in lege, ubi usura prohibetur, ea sunt Exo. 22. Levit. 25. Deut. 23: priora duo quæ sunt sane plura, quam reliquus unus locus, explicate usuram tum vetant, cum à fratre paupere accipitur. Itaque etiamsi in tertio reliquo simpliciter dicatur à nullo ex populo accipiendam esse usuram, explicandum est dictum istud ex duobus præcedentibus, quod enim in illis dicitur, cum ratione plane consentit. Hoc autem ita simpliciter acceptum adeo cum ratione pugnat, ut in nulla natione aut religione usu unquam comprobari potuerit. Immo aliquod usuræ genus ubique semper fuerit permissum, & quod plus est, ad ipsorum pauperum utilitatem publice sæpe receptum, ac constitutum. Adde, quod in isto tertio loco, cum in eo libro sit, in quo fit repetitio legis, subaudiendum est, si quid in lege ferenda prolatum isthic omissum fuerit, ut in repetitionibus usu venire solet. Nihil autem dico, quod vocabulum ipsum, quo usura ibi significatur, innuere per se videtur de usura illa agi, quæ cum damno fit illius à quo exigitur. Morsum enim vocabulum istud declarat, & propterea Vatablus ibidem annotat, *Per morsum Hebræi fœnus intelligunt, quo nocemus proximo.* Quidquid igitur, sive apud Davidem, sive apud Ezechielem, sive uspiam alibi in usuræ detestationem legitur, secundum hunc sensum, & de hoc fœnoris genere intelligendum est prorsus: isto autem sensu fœnus in ipso Novo Testamento, tunc interdictum nobis est, cum diserte avari & rapaces esse prohibemur, & alteri ea facere jubemur, quæ nobis fieri vellemus. Denique, si quodlibet fœnus per se detestandum esset, nunquam diserte permisisset Deus populo Israelitico extraneis fœnerari, ut permisit in illo ipso Deuteronomii loco, ubi fratri fœnerari simpliciter vetat. Concludo igitur, nullum fœnus per se divino ullo præcepto prohibitum esse, nisi illud, quod cum proximi ipsius, à quo exigitur, damno fiat, nec quicquam cavendum præterea restare, nisi scandalum & offensionem aliorum, quæ tamen tunc demum vitanda est, quando alioqui in nullam aliam majorem necessario sit incurrendum. Mihi, si pecuniam, quam habeo, fœnori non darem, multo majus scandalum & offensio præsto esset, quam nunc cum do. Nam & me, & filiam meam ad summam inopiam, extremamque egestatem redigerem, ex qua utrique nostrum ingentia, salutis ipsius æternæ jacturæ faciendæ, pericula imminerent, præterquam, quod nullo pacto licet, ut ego consumam ac dilapidem, quod non nisi ex parte meum proprietate est, sed usu tantum. Si hactenus ex pecuniola, quam habeo, nihil fœnoris accepissem, tota jam, ante duos tresve annos, pœnitus consumpta fuisset. Quam autem verum sit, me non avaritia ulla, sed necessitate adactum fœnus

accipere, id vel ex eo constare potest, quod etiamsi quinctus jam sit annus, ex quo maxima temporis parte, habitatione & mensa D. Buccellæ gratis utor; tamen minus pecuniæ nunc habeo, quam cum apud ipsum habitare cœpi. Multo plura ad factum meum excusandum dicere possem: sed tantum hoc addam, utinam omnes qui fœnus accipiunt, id tam explorata, & salva recta conscientia faciant, ut ego facio. Nolui autem, ut cum aliis etiam fratribus feci, hanc occasionem prætermittere tibi hac in re mei rationem reddendi, & rogo ut hanc meam digressiunculam boni consulas. Jam quod attinet ad bona in pignus accepta, non est dubium, hic non esse merum fœnus, propter incertitudinem, ut ita dicam, proventuum, & periculum aliquando ipsius sementis perdendæ, ac præterea laborem & curam illam proventus colligendi. Sed tamen propter aliquas circumstantias sæpius contingit, ut hic gravius erretur, quam in ipso puro fœnore. Itaque ut in illo, sic in pignore diligenter cavendum est, ne ex contractu isto proximus tuus damnum sentiat. Si plus temporis haberem, plura de toto hoc argumento scriberem. Sed si tibi hæc pauca non satisfacient, potero deinceps aliquid addere. Vale affinis optime atque amantissime. Cracoviæ die 8 Martii 1597.

Ad eundem Epistola V.

Salutem à Deo & Christo &c.

Relegens literas tuas ad quas nuper rescripsi, animadverti, me nihil respondisse ad id quod scribis de caussa illa ab ipso Deo allata, quod anima sit in sanguine. Ais enim, te non satis intelligere, quod asserui, non magis animam esse in sanguine quam in carne mortuæ animantis. Neque enim videre potes, quomodo igitur caussa ista potuerit à Deo afferri, cum non de viva, sed mortua animante ibi agatur. Atqui mi affinis, hoc est quod mihi volui, Deum sui illius interdicti caussam attulisse, quam si quis paullo diligentius consideret, agnoscet illam esse aut nullam, aut infirmissimam, id quod sapientissime nihilominus Deus fecit, ut cum ejus populus, ipsumque adeo genus humanum adultius esset factum, & exercitatiores haberet sensus ad cognoscendum, quænam revera sint divina & in perpetuum permansura præcepta, vel ex caussa ista interdicendi esus sanguinis, quæ nihil solidi habet, agnosceret interdictum istud, non debuisse esse perpetuum, ut pote quod non aliunde pendeat, quam à mera & sola Dei voluntate. Vale affinis & frater carissime ac præstantissime. Cracoviæ die 12 Martii 1597.

Ad Generosum Dominum Hieronymum Moscorovium F. S. Epistola.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Nullas tuas literas in tuo Smigliam discessu ad me datas vir clarissime accepi. Hæ autem quas inde reversus dedisti, gratissimæ mihi fuerunt. Nihil tibi cedo desiderio, ut una aliquando simus. Persuasissimumque mihi est, me magis aut certe non minus tua consuetudine juvari posse, quam te mea, ob variam solidamque tuam eruditionem, & singulare acumen ingenii ac judicii tui. Speroque si vixero, aliquando fore, ut hoc meum desiderium ex parte expleam. Sententiam de baptismo meam paucis accipe. Ego ita sentio, præceptum generale ac perpetuum de aquæ baptismo accipiendo Christi Ecclesiæ nullum fuisse datum, præcipue vero quod ad eos pertineat, qui in ipsa Christi Ecclesia sunt nati & educati, sive alia quacunque ratione Jesu Christi nomen perpetuo ac publice sunt professi. Itaque ejusmodi homini, simpliciter ac per se rem adiaphoram sive indifferentem esse statuo, baptismum aquæ accipere. Si hujus meæ sententiæ confirmandæ rationes, ut petis, hic explicare velim, justus mihi liber scribendus fuerit, sed jam talem librum complures ab hinc annos scripsi, ejusque exemplum invenies vel Smigliæ apud Ostorodum, vel Racoviæ apud Lubieniecium, qui illum & simul auctoritatem eum ad Ostorodum mittendi à me habuit. Quanquam non est quod magnopere cures librum istum legere; quando ex altera parte certum esse debet, te tuique similes, qui videlicet alioqui Ecclesiarum nostrarum doctrinam probatis, eamque in hoc regno cæteris omnibus anteponitis, nihilominus tamen aquæ baptismum accipere debere. Quamvis enim id per se, ut dixi, vobis adiaphorum sit, nec alioqui necessarium, tamen ædificandæ Ecclesiæ, & sese cum fratribus quam arctissime conjungendi studium, ad quod vos Dei & proximi charitas adigit, omnino jubet, ut faciatis. Adde quod, si id non facitis, ipsius mensæ Domini, ubi Christi mortis commemoratio & concelebratio cum solenni gratiarum actione fit, participes non estis; cum tamen Christus ipse jusserit panem illum frangi & comedi, itidemque vinum illud infundi & bibi in sui commemorationem, hocque jussum ac præceptum, & generale & perpetuum in Ecclesia esse, ex Pauli verbis 1 Cor. 10 & 11 abunde constet. Quod si roges, cur igitur ego aquæ baptismum non suscipiam. Respondeo, me hujus consilii mei singulares, easque judicio meo inexpugnabiles, rationes & caussas habere, quas hic tibi ex parte exponam. Scire igitur debes, me à primo ipso initio, cum in Poloniam, ut in Transylvaniam me conferrem, veni, rogatum à fratribus Cracoviensibus sententiam illis meam de baptismo aperuisse, idemque in Transylvania facere quodammodo coactum fuisse; ex Transylvania vero non ita multo post in Poloniam commorandi gratia reversum, eorundem Cracoviensium, nec non Lublinensium, fratrum rogatu, vel potius jussu, librum illum conscripsisse, cujus antea mentionem feci, eisque legendum dedisse, meamque de baptismo sententiam ab eo tempore, & publice inter fratres professum fuisse, & in nonnullis aliis Europæ regionibus aperte cum piis hominibus, per literas & scripta communicasse; quippe qui, charitate ita jubente, vehementer cupiam, ut si fieri possit, omnes ejusdem mecum sententiæ sint. Primum enim scio, innumerabiles fere homines inveniri, qui vel nullo unquam aquæ baptismo tincti fuerunt, vel baptismum, quem infantes cum essent, acceperunt, pro vero aquæ baptismo non habent, & interim baptismum rite suscipere, nonnisi cum maximo periculo possunt, quibus si persuasum fuerit, baptismum rite susceptum, unicuique, qui Christianus esse velit, omnino necessarium esse, vel sine ulla caussa (ut ego quidem censeo) in gravissimum aliquod periculum se conjicient, vel rem ex ipsorum sensu, necessariam ad salutem, metu adacti spernent, quod sine certa ipsius salutis jactura vix fieri ab illis potest. Debeo igitur, quo istos, quantum in me est, tanto discrimine liberem, curare, ut hanc quam statuo veram de aquæ baptismo sententiam agnoscant, vel, si jam agnoverunt, in ea persistant. Deinde scio, aut certe meritissimo suspicor, non exiguum numerum haud impiorum hominum esse, qui sese cœtibus nostris apertissime adjungerent, aut certe, non ita, ut faciunt, à nobis abhorrerent, atque hac ratione facile ad divinæ veritatis cognitionem pervenirent, nisi aquæ baptismus à nostris hominibus usurpatus illos deterreret. Ex quo fit, ut non pauci, qui satis alioqui animadvertunt, apud alios divinam veritatem non esse, tanquam oves errantes vagentur, & sic vel athei tandem fiant, vel aliter nihilominus pereant. Quamobrem vel curare vel optare saltem debeo, ut Ecclesiæ nostræ, hoc, quod ego minime necessarium baptismi jugum & arbitror, & palam jam diu appello, fratribus, & ad ipsos accedentibus, imponere aliquando desuescant. Hæc autem & alia similia, quæ mihi ita de baptismo sentienti & docenti vel optanda, vel etiam curanda sunt, omnino, quantum in me est, impedirem ac prohiberem, si ego ipse aquæ baptismum susciperem, præsertim nulla prote-

protestatione coram omnibus antea adhibita, me id non facere, quia rem per se necessariam, sive à Christo jussam esse tandem agnoverim, sed ut me cum fratribus arctius conjungam, velleque mihi posthac liberum esse hac de re, & privatim, & publice disputare, meamque sententiam aliis persuadere: quam protestationem fratres à me fieri nullo pacto concederent. Hæ rationes in te & aliis, qui nec sententiam de baptismo meam unquam alios docere instituerunt, nec eandem quam ego, aut similem vocationem habent, nec denique de ipsa sententia, æque atque ego sunt persuasi, plane cessant, & interim illæ vigent, quas supra commemoravi, quæ vos alioqui ad aquæ baptismum, licet per se non necessarium accipiendum hortantur & cogunt. Et de his hactenus. Libellum tibi à me commodatum, ut tamdiu apud te habeas, donec illum accurate perlegeris, non modo facile patior, sed etiam vehementer cupio, doleoque id tibi hactenus per tuas occupationes facere non licuisse. Quæ fuerint aut etiamnum sint tua cum Adversariis certamina, ut mihi iterum significes rogo, tuæ enim literæ, quibus id significabas, ut ab initio dixi, non sunt mihi redditæ. Christianæ ac liberales pollicitationes tuæ, mihi gratissimæ, semper erunt caussa cur tibi plurimum debeam, & si usus venerit, me quin ex animo ista scripseris nihil prorsus dubitare, faciam ut cognoscas, interim quas tibi possum maximas gratias ago, meque ad tibi in Domino inserviendum paratissimum offero. Vale.

Ad Valentinum Smalcium Gothanum Thuringum, Smiglam.

F. S. Epistola I.

Eruditione ac pietate haud vulgari prædito atque præstanti Domino Valentino Smalcio, amico & fratri in Christo vehementer colendo.

Salutem a Deo & Christo, &c.

NOn dubito, vir ornatissime, quin ex fratribus istis ea de me audiveris, unde, cujusmodi alioqui sim, conjicere potueris, me non contemptione tui, aut animi elatione, aliqua, ad humanissimas tuas literas nihil hactenus respondisse. Et sane alia longe diversa hujus rei caussa fuit. Ego quidem mecum optime agi existimo, si quando mihi datur occasio, ad tui similes, id est, ad divinæ veritatis cupidos scribendi, cumque ipsis amicitiam ineundi. Nec aliud quidquam, cum tuas literas accepi, sum miratus, nisi quod tanti à te fierem, ut ad me prior scriberes, meamque amicitiam tibi expetendam judicares. Cujus rei nomine me tibi plurimum debere agnosco, sancteque polliceor tuam amicitiam mihi fore gratissimam, quam & augere, & confirmare literis ad te datis curabo, ubi aliquid scribendi sese occasio obtulerit. Tuæ quidem literæ fusius ad scribendum materiam mihi suppeditarunt, proposita abs te in eis quæstione, de corporis Christi glorificatione statim post resurrectionem. Sed quia in gratiam quoque Voidovii nostri hac de re aliquid paullo accuratius scribere constitui, neque satis mihi compertum est, has ipsas literas non perituras, in aliud tempus, hoc est, cum certum aliquem nuncium nactus fuero, tuæ petitioni scriptione hac mea, quam meditor, isthuc missa satisfacere distuli. Quod scripta mea haud illibenter legas atque examines, animos mihi addidit istud faciendi quod petis, & si quid aliud ex me te desiderare cognovero, quatenus ingenii corporisque vires meæ ferent, quatenusque per alias aut necessarias, aut graviores occupationes licuerit, tibi gratificari conabor. Quanquam is ego sum, qui potius in rebus divinis pernoscendis (hac enim de re hic agitur) alienæ opis indigeam, quam ut aliis opitulari ipse possim. Tametsi enim non pauca hactenus scripsi, quædam etiam edidi, aliaque & scribere, Deo volente, & edere adhuc cogito (quod equidem non facerem, si me harum rerum prorsus ignarum arbitrarer) tamen multo plura sunt, quæ ignoro, quam quæ non dicam scio, sed scire omnino velim. Tu cui, ut arbitror, vel potius conjicio, in florenti ista ætate nihil deest, ad rerum divinarum scientiam non vulgarem sibi comparandam, incumbe in id quantum potes, atque enitere, ne tibi inaniter tempus effluat, meque imitari noli, qui nescio quo malo genio ductore, cum jam divinæ veritatis fontes degustassem, ita sum abreptus, ut majorem & potiorem juventutis meæ partem, inanibus quibusdam aliis studiis, immo inertiæ potius atque otio dederim. Quod cum mecum ipse reputo, reputo autem sæpissime, tanto dolore afficior, ut me vivere quodammodo pigeat. Quanquam me perpetuo divina misericordia consolatur, quam mihi, omnium indignissimo licet ac nocentissimo, tribui re ipsa experior atque sentio. Cave tu ne in has difficultates tua aliqua desidia aut negligentia te conjicias, &, si in bonis literis informandos pueros suscepisti (quod ego munus, cum honestissimum, tum Deo gratissimum esse censeo: sunt enim multi prophani alioqui, & quidem nobilissimi scriptores, qui prælegi pueris Christianis merito possunt) quicquid temporis a labore isto tibi vacuum fuerit, id in literis rebusque sacris perpendendis ponere memineris, ut suo tempore Christi Ecclesiam juvare possis, erroribus qui eam undique circumsistunt propellendis, & ab ea quam longissime removendis. Sic te Deus juvet, atque assidue tueatur & protegat. Vale juvenis ornatissime. Cracoviæ die 15 Novembris, Anno 1593.

Ad eundem Smiglam.

F. S. Epistola II.

Pietate atque eruditione ornatissimo juveni Domino Valentino Smalcio, Smiglensis Scholæ Rectori, amico & fratri in Christo carissimo & honorando.

Salutem à Deo & Christo, &c.

JAm diu est, frater in Christo carissime, ex quo binas eodem tempore tuas literas accepi, ad quas respondendi hactenus nulla facultas fuit, cum nuncius nullus esset. Arbitror Deum ipsum curasse, ne in Synodo vestra præterita adessem, ne mihi cum Abbate illo concertandum esset, cujus adversus me nominatim editus liber, tot blasphemiis & calumniis est refertus, & tantæ disputandi inscitiæ plenus, ut mirer ejusmodi hominem inveniri. Opus cujus in libelli de baptismo præfatione mentionem facio, à me aliquando scribendum erit, si Deus voluerit. Catechismus meus vix ante annos tres inceptus, est statim postea perpetuo fere intermissus. Quod quædam ex Disputatione mea cum Francisco Davidis excerpseris, gratissimum mihi fecisti, nec erat cur Moscorovius noster aliter existimaret: quæ spes hujus libelli edendi sit, ex Radecio intelliges. Disputationis cum Francisco Puccio unicum exemplum habeo, quo carere ne ad brevissimum quidem tempus ullo modo possum. Quid de me loquantur & sentiant quidam, qui inter fratres haud infimum locum obtinent, jam nihil curare constitui. Hoc tantum curabo, ne ego propterea de studio meo in universum cœtum quidquam unquam remittam. Quod Smiglensis vester cœtus minuatur, id non sine aliorum cœtuum augmento & commodo fiet, vobisque apud exteros minorem invidiam conciliabit. Quare non est quod vos hoc damnum vestrum admodum affligat. Hubertum illum Gallum quem nominas, & cujus verbis me salutas, me novisse non memini. Tantum fuit mihi per literas amicitia cum Huberto quodam Coquiel, non Gallo homine, sed Brabanto, qui etsi mercaturæ operam dabat, tamen à veræ pietatis studio, & rebus divinis penitius inquirendis nihil aberat. Utinam iste

ad nos accessisset, & vobiscum esset. Quicumque vero is fuerit, cujus nomine me salutasti, illi meis verbis, si isthic est, rogo gratias agas, & me ad illi serviendum paratum esse dicas. De me illo satis sane, si carnem spectes, acerbo casu, non erat, si spiritus rationem habere velis, quidquam dolendum. Immo Deo & erant, & sunt gratiæ agendæ, quod velit me aliquid, propter ipsius & Christi gloriam perpeti, mihi interim eam animi constantiam tribuat, ut eo magis ad meæ vocationis cursum implendum sim animatus. Est tamen quod tibi plurimum debere fatear, quod mei caussa tantopere fueris perturbatus, afflictionem ipsam meam tibi ipsi ob oculos ponens, quæ per se iis, qui me amant, non nisi molesta esse potest. Vale mi charissime frater, tibique me totum tuum esse persuade. Deus tibi perpetuo faveat. Cracoviæ die 14 Februarii 1595.

Tui amantissimus in Christo frater

F. S.

Ad eundem VALENTINUM SMALCIUM SMIGLAM,

EPISTOLA III.

Salutem à Deo & Christo, &c.

TUæ literæ charissime atque in Christo mihi colende frater, semper jucundissimæ mihi accidunt, & non modo meo, quod exiguum quidem est, sed cujusque vel maximo acumine, aliquid semper dignum habere mihi videntur. Quare ista culpæ deprecatione quadam cum ad me scribis, jam rogo te in posterum abstine, & quam creberrime ad me literas dare cura. Gratius mihi vix quidquam facere poteris. Mei libelli de auctoritate Sacræ Scripturæ translatio Latina mea ipsius est, [illegible] (ut ajunt) propter nimiam typographi festinationem, unde etiam factum est, ut unus aut alter locus emendatione indigeat. Sunt etiam typographica errata complura. Cæterum præfatio illa, non solum, ut omnes animadvertere possunt, mea non est, nec esse potest, sed me plane inscio illi apposita. Si Deus vitam & valetudinem dederit, totum illud opusculum diligentius recognoscam, tibique atque aliis ut denuo excudi possit, satisfaciam. Nimis multa habeo quæ aut scribam, aut perficiam, aut emendem, seu potius diligentius expoliam, quare quando istum libellum recogniturus sim, nihil certo statuere possum. Ex scriptis, quæ à me petis, pollicitus est Andreas Voidovius tibi disputationem cum Christiano Francken tradere, quod si id, quod adversus Philippi Bucellæ [illegible] scripsi, idem habuerit, (neque enim memini an illi dederim) non dubito, quin etiam istud tecum sit communicaturus, alioqui, si qui describat habuero, ipse ut ad te mittam curabo. Notæ illæ Francisci Puccii ejusmodi manu sunt scriptæ, ut vix quisquam Cracoviæ inveniri possit, qui illas legere ac describere queat. Quapropter nihil hic tibi promitto. Verum pro certo habeas, vix quidquam in illis esse quod lectu sit dignum. De dubiis illis duorum meorum scriptorum locis, quæ sibi invicem adversari tibi videntur, exacte aliquid nequeo scribere: cum hic neutrum istorum librorum habeam. Dicam tamen, ut tibi quoad possum morem geram, si prius illud te monuero, de scriptis meis nondum editis, iisque non perfectis, quale est istud adversus Eutropium, minime statuendum esse, me omnia quæ illic sunt penitus probare. Jam non video, quomodo, si in verbis illis Petri, secundo loco carnis nomine desideria carnalia, quatenus is locus ad nos refertur, intelligam, hoc adversaretur ei quod alibi in disputatione cum Coveto me statuere ais, Christum in desideriis carnalibus minime passum esse, videlicet quia adversus eundem Covetum scribens, tacite fateor Petri verba ad Christum referri. Nam apertum est, me verba ista aliter interpretari, quatenus ad Christum referuntur, quam quatenus ad nos. Verba enim illa *destitit à peccato*, quatenus ad Christum referuntur, manifeste de liberatione ab iis, quæ pœnæ peccatorum esse solent, interpretor. Cum tamen hæc eadem verba quatenus ad nos referuntur, significent sine dubio desistentiam (ut sic dicam) à peccando. Itaque similiter, etiamsi pati in carne eodem in loco quatenus ad nos refertur, significet pati in desideriis carnalibus, id est desideria carnalia sua interimere (ut sic dicam) seu abjicere; nihil vetat quominus, quatenus illa verba, *Passus est in carne*, ad Christum referuntur, significent ejus mortem, & crucis ut loquuntur passionem, ita, ut tota illa sententia, *Qui passus est in carne destitit à peccato*, quatenus ad Christum refertur, significet, illum per crucis passionem liberatum fuisse ab iis, quæ pœnæ peccatorum esse solent. Quatenus vero refertur ad nos, significet nos, per interemptionem seu abjectionem carnalium desideriorum, à peccando cessare. Similem, immo eandem comparationem Christi & nostri, & ejus mortis cum morte nostra, quod ad peccandum attinet, collationem habes apud Paulum Rom. 6. pluribus verbis expositam & repetitam: si fortasse dubitas an ista inter se conferri possint, & comparationem alterius cum altero fieri. Nondum à fratribus Lubienieciis mihi facta est copia Epistolæ illius tuæ ad Aberdonensem illum professorem: si fecerint necesse erit tamen, ut aliquantum temporis habeam ad illam examinandam, ut tibi morem geram; quanquam eam meæ limæ nihil prorsus egere puto, & lætor te stilum exercere in rebus divinis. Nam qui ad illas tractandas, & posteritati earum cognitionem mandandam, atque hoc tempore calamo propagandam sint apti, paucissimos omnino habemus. Quid factum sit de illo aurifabro conterraneo tuo, propter consueta impedimenta mea, investigare non potui. N. N. filius plane corruptus est; & facile peribit, quod Deus avertat. Hic finem propter temporis angustiam facere sum coactus. Quæso te, quicquid hoc est quod scripsi, id boni consules, & interim me amare, & precibus tuis apud Deum juvare, non intermittes. Lublini die 20 Maji Anni 1597.

Tui studiosissimus in Christo frater

F. S.

Ad eundem Racoviam.

EPISTOLA IV.

Salutem à Deo & Christo, &c.

INtermissum à te diu fuisse, vir præstantissime, & frater in Christo honorande, ad me scribendi officium, nihil mirum, cum ipse à me nullas literas jam diu acceperis, nec ad eas quas postremo ad me dederas, responsum meum redditum tibi fuerit, quod sane vehementer doleo. Periit enim una cum ipso Epistola Philippi Bucellæ, cujus nullum exemplum aliud cum haberem ipsum autographum ad te miseram, ut melius meum ad ipsum responsum intelligeres, quod similiter rogatu tuo ad te mittendum censueram. Erant præterea alia in ipsis literis meis, quæ ut scires cupiebam, quorum nunc non memini. Tantum recordor, me ad id, quod ad me scripseras de constructione verbi communico cum dandi casu, qua ipsemet in mea disputatione adversus Vujekum usus fuissem, in hanc sententiam rescripsisse, non debere te ex scriptis meis exemplum sumere Latine scribendi, quippe cum ego & hujus linguæ sim pœne rudis, aut certe non admodum diligens, ut quam rectissime scribam. Cum enim multo magis in scribendo rerum quam verborum rationem habeam, sæpe ut aptius alloqui id quod volo exprimam, ea mihi permitto, quæ ipse parum Latina esse novi, ut factum est isto in loco ejus disputationis pag. 308, ubi aliud interim in Latina lingua erratum gravius, quam istud sit, est à me commissum, quod scilicet relativo reciproco, ubi

co, ubi nullus ei erat locus, sum usus. Quo tamen, cum, nescio quo pacto non animadvertens ipsa verba mea, mihi utendum omnino censerem, putavi mihi licere constructionem illam verbi communicandi vulgo receptam, eo in loco usurpare. Nam ut dicerem, non sibi homini, sed cum se homine, adduci non potui. Hos duos meos errores, comitatus est tertius typographi error, qui pro communicatam, communicatum reposuit. Itaque totum locum sic emendo, Sed per communicatam cum ipso Christo homine à Deo patre &c. Ex acerbissimo illo meo Cracoviensi casu, ostendis tu quidem paucis verbis, quam consolationem immo lætitiam capere possim, nedum affligi propter ipsum debeam. Sed facere non possum, quin tantam librorum & scriptorum jacturam doleam. Quæ quanta fuerit te nondum rescisse apparet, cum denuo petis, ut tibi librum meum adversus Puccium commodem. Perierunt, mi Smalci, in eo casu omnia scripta tum mea, tum aliena quæ apud me erant; præter quædam tantum aliena quæ jam diu in cista quadam, procul ab eo loco ubi habitabam, sunt reposita. Excusabis igitur me, si librum istum ad te non mitto, cujus tibi exemplum facile suppeditare (ut spero) poterit Volkelius noster, qui, ut audio, nunc non longe à civitate Lublinensi habitat. Quod fratres dignum te judicaverint qui socius sis Christophori Lubieniecii in Ecclesia Lublinensi regenda, id mihi vehementissime probatur. Non erit labor iste tuus, præsertim cum tali socio supra vires tuas. Superabitis facile simul juncti, si modo plane concordes fueritis, omnem difficultatem, & nominatim eas quæ te sollicitum reddunt. Sed vobis opus est maxime patientia & prudentia Christiana, ut non detrectetis omnibus omnia (ut Paulus Apostolus loquitur) fieri, quo aliquos servetis.

Tibi vero ad exteros illos adversarios, quorum insidias metuere videris, si cum illis vel coram, vel per scripta disputare contigerit, aut quavis alia ratione ad eorum calumnias respondendum fuerit, refellendos ac reprimendos, necesse est sophismatis penitus cognoscendis, eorumque laqueorum rationi prorsus tenendæ te totum tradere. Ab alio istorum hominum insidiarum genere, defendet te sine dubio Deus & Christus Dominus. Eventu disputationis Ostorodi nostri cum Fabricio illo mirum in modum lætor, & spero Deum multorum oculos aperturum, quanquam Voidovius Ostorodi comes ea ad me scribit, quæ vix mihi permittunt, ut exitum disputationis illius eum fuisse credam, quem ipse Ostorodus ad me scripsit. „Sic enim Voidovii verba habent: Ostorodus noster cum Doctore Jacobo Fabricio Theologo & concionatore est collocutus, & fortassis adhuc hodie post prandium colloquetur, placide ab invicem discessimus, divinam benedictionem haud vulgarem experti. Fecit & tui mentionem Doctor hic, legit librum de Servatore, corpus tuum theologiæ requirit, neque tantum ille, sed & alii multi. Non est quod quidquam tibi doleat, quod meum judicium de libello isto Germanico qui editur habere non potueris. Nam cum socius tibi eo in labore Ostorodus fuerit, verisimile est pauca admodum desiderari posse, præsertim quæ ab ipso non animadversa, à me animadverti potuissent. Deus consilium & cœptum vestrum istud juvet. Statorius amantissime te resalutat, ac vicissim una mecum rogat, ut in tuis ad Deum precibus nostri meminisse velis. Vale vir præstantissime. Ex agro Luclaviciano die 31 Augusti Anno 1598.

Ad eundem Lublinum,

Epistola V.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Heri tuas literas accepi, una cum narratione eorum quæ gesta sunt in Synodo Novogrodiensi, super controversia de invocatione Christi. Plurimum autem sum lætatus, quod ipse comitesque tui non frustra ad synodum istam missi fueritis: & tibi privatim, quippe qui aliis præiveris, & totum fere pondus illius disputationis, adversus eos qui Christum adhuc ignorare dici possunt, sustinueris, vehementer gratulor. Nihil mihi novum fuit ex narratione ista percipere, pastores illos Lithuanicos ab ejusmodi ignoratione minime liberos deprehensos fuisse; & meminisse potes, quid antea hac de re tecum Lublini locutus fuerim. Licinium nihilominus tamen sum miratus, hominem alioqui eruditum, & in scriptionibus & disputationibus theologicis versatum, qui ex disputatione demum tua, quam cum ipso habuisti, rem antea sibi haud plane perspectam recte intelligere cœperit. Deus & ipsi, & aliis ejus sociis caussam tanti erroris atque desidiæ, condonare velit, ea enim alia esse non potest, quam voluisse magis hominibus suisque commodis servire, quam Christo ipsi Jesu, ejusque gloriæ. Dolor qui me ob hanc rem angit, nimis fortasse libera hæc verba mihi extorsit. Vix autem futurum credo, ut Deus istis grave istud peccatum omnino ignoscat, nisi quam primum curaverint, ut ii, qui pertinaces in Christi invocatione non admittenda fuerint, re ipsa, & palam è cœtu ejiciantur, & sic Christi gloriâ tum suis commodis, tum aliorum voluptati antepositâ, se resipuisse ostenderint. Jam narrationem istam tuam, cujus ad me missæ nomine summas gratias tibi ago, statim describendam curavi, & descriptam Moscorovio nostro, qui duos minores Dudithios affinea suos, ut apud Statorium una cum præceptore suo aliquamdiu maneant, huc adduxit, dedi, ut eam ad Ostorodum, prout mandas transmittendam curet. Index meorum scriptorum quæ apud te sunt abs te missus, gratissimus mihi fuit. Et sane non mediocriter sum lætatus, quod tot habeas, quamvis adhuc nonnulla tibi desint, quæ spero tamen apud Voidovium juniorem esse. Mitterem libenter id quod petis de conjugiis cum pontificiis, sed unicum habeo exemplum, idque non solum, quare necesse est ut expectes donec absolvatur, & describatur, id quod ut fiat diligenter operam dabo. De quæstione illa quam in Synodo Lublinensi a me propositam fuisse scribis, novum id plane mihi est. Quod ex imbecillitate memoriæ fieri suspicor, indies enim senectutem, ut aliis cum animi tum corporis facultatibus, sic memoriæ, immo huic præcipue magis officere sentio. Respondeo tamen ad quæstionem istam. Immo non potuisse sine tot afflictionibus, & tam truculenta morte ducis nostri Christi, ita excitari ac foveri fidem nostram, ut cum ipsis. Sumus siquidem omnes infinitis afflictionibus, & atrocissimæ morti, dum Christum sequi volumus, perpetuo quodammodo expositi. Et sane hoc ipsum in ipsa Disputatione de Christo Servatore luculenter à me, ni fallor, quamvis non multis verbis explicatum fuit, locumque tibi indicarem, si ad manum meus iste liber esset, quo post casum Cracoviensem perpetuo carui. Verum spero, te per te ipsum locum quem intelligo, facile inventurum, aut fortasse jam à me monitum statim recordaturum. Quod adolescens ille non ultra festum (quod ajunt) omnium Sanctorum sit suam ad nos profectionem dilaturus, lætor, non modo facile fero. Erit ejus adventus valde omnibus nobis & gratus & utilis, si modo, is apud quem ut habitet constitutum inter nos fuit, parem suis opibus suam ei benignitatem impertierit, non quidem ut eum ditet, sed ut illi concedat, quo possit studiis & vocationi suæ diligenter incumbere, nec eum alienis ab hoc scopo laboribus occupet. Statorium tuis verbis diligentissime salutavi, qui una mecum Deum est assidue oraturus, ut te ab omnibus veritatis hostibus defendat, ab omnique malo tueatur. Tu vicissim pro nobis Deum orabis, qui & ipsi in perpetuis periculis versamur, ego vero quantopere ab omnibus, qui piæ vitæ parum amantes sunt, propter à me edita scripta, præsertim vero ob disputationem illam de Servatore, lacerer ac proscindar, & plurimorum injuriis objiciar, vix satis explicari potest.

Idem ut faciat Christophorus Lubieniecius curabis, quem amantissime meo nomine salvere jubebis, illique in memoriam rediges, ut serio & quam accuratissime id præstet, quod se facturum promisit, teque & Christi Ecclesiam quam maxime potest, juvet. Vale vir præstantissime. Datum in agro Luclaviciano die 24 Julii 1599.

Ad eundem Lublinum,

Epistola VI.

Pietate atque eruditione præstantissimo viro Dn. Valentino Smalcio divini verbi Ministro, Domino & amico in Christo plurimum colendo.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Vigesimus quinctus hic dies est, ex quo tuæ literæ, die 19 Augusti datæ, mihi redditæ fuerunt, ad quas quod antea non responderim, nulla alia fuit causa, nisi quod facultas nuncii, Racoviam etiam tantum usque, plane deerat. Nunc autem cum talis nuncius non sit defuturus, respondere constitui, sed breviter & quantum necesse esse judicavero. Nam tempus ad id faciendum, in hoc fratrum Racoviensium ad nos adventu, & fratrum nostrorum submontanorum cum illis conventu, mihi concessum, breve admodum est. De eo igitur statim aliquid dicam, quod ex me primo loco quæris circa excommunicationis negotium. Itaque paucissimis verbis respondeo, mihi plane probari sententiam hac de re tuam, & rationes quas ad illam probandam affers, tam in jam excommunicatis, quam in excommunicandis. Tantum id considerandum censeo, istam, quam ipse punitionem appellas, quamque ipsi excommunicationi præire vis, tunc esse usurpandam, cum causa cur is, de quo agitur, ad istum modum puniri debeat, inter fratres tantum nota est, necdum vulgo rescitur. Nam si ea extraneis quoque nota fuerit, & ejusmodi sit, ut jam ex Pauli præcepto, cum isto, ne cibum quidem capere fratribus liceat, quippe quod sæpius monitus, tamen in aliquo ex illis, aut similibus peccatis hæreat, quæ Apostolus commemorat, videtur in eo palam excommunicando non esse procrastinandum. Non est etiam omittendum, ita posse fratribus concedi cum excommunicato cibum sumere, & colloqui, non modo illum salutare; ut interim tamen familiaritatem cum eo non habeant, vel amicitiam colant, donec excommunicatus permanet, nec per resipiscentiam Ecclesiæ reconciliatur, ne scilicet liberetur ista tristitia, quæ possit efficere, ut resipiscat, neve ejus familiaritas & amicitia ullum ex fratribus pervertere aut corrumpere possit. Quæ altera causa est, eaque fortasse potior, male se gerentes excommunicandi. Nam altera est, quia non licet cum tali homine communem mensam Domini habere, & cum eo tanquam cum fratre agere.

De verbo ἐξεδέχετο Hebr. 11. 10. dico, illud posse verti *excipiebat*, id est, excepturus erat. Hæc enim est propria verbi ἐκδέχεσθαι significatio; quamvis in Novi Testamenti scriptis expectandi significationem habeat, quam etiamsi hoc in loco retinere velimus, nihil de spe tamen quam Abrahamus ejus civitatis, de qua ibi sermo, adipiscendæ haberet, inde colligi certo potest. Nihil enim vetat quominus sit figuratus sermo, ut scilicet eo verbo non animus sed eventus declaretur; nihil enim in hoc ipso expectandi verbo hac figura frequentius, ut exempli causa, si quis dicat de aliquo scelesto, hic divinam punitionem expectat: quamquam in simili verbo & eadem de re loquens hac eadem sermonis figura mox utitur idem scriptor, inquiens ỷ. 16, Nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. Verbum enim præsentis temporis, & quæ illico eodem versiculo subjiciuntur, non patiuntur verba ista dicta fuisse, nisi pro eo tempore quo jam erant mortui; immo quo scriptor ille ea scripsit: etiamsi *Nunc autem*, idem significaret, ut quidem potest, quod, *at vero*, nec præsens tempus adverbium *Nunc* isto in loco declararet, & sic non adverbii, sed conjunctionis vim haberet.

De loco Ephes. 1. ỷ. ultimo, idem sentio quod antea; neque rationes à te contra allatæ me quicquam movent. Primum enim non modo Apostolus non desiit versu penultimo de Christo loqui, & ad encomia Ecclesiæ, ut ipse ais descendit; sed omnino pergit usque ad capitis finem de Christo loqui, cujus præstantiam commendandi causa, ex accidente de Ecclesia loquitur. Nam & in ipso versu penultimo de Ecclesia eodem modo est locutus. Jam quod ais, nihil tale de Christo unquam legi, quale esset hoc, si τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου ad ipsum referendum esset, videris oblitus fuisse eorum, quæ scripta sunt eadem Epistola 4. 10. Nam quod hic additur ἐν πᾶσι, hoc nihil addit ei quod ibi dictum est, adeo ut etiamsi locus cap. 1. deberet, ut tu vis, ad Deum Patrem referri, non tamen plus continere censendus esset, quam iste cap. 4. Nosti enim, cum de iis, quæ ad Ecclesiam pertinent, agitur, universales quantumvis voces, etiamsi de ipso Deo Patre sit sermo, non complecti solere quidquam extra ipsam Ecclesiam, & ad istam subjectam tantum materiam accommodanda esse. Cæterum, si in disputatione cum Francisco Davidis dico, quod vix credo (neque enim habeo hic meam disputationem) isto in loco primi capitis legi implens, per incuriam id à me est factum, eamque sane magnam, cum ipsa Latina editio, contra quam ipse affirmas, nullo modo ita legat. Locus ut in Græco legitur, & ipse citasti, est judicio meo clarissimus. Nempe enim sensus est, Christum Ecclesiæ dare quicquid illa habet; & sic Ecclesiam, ut est Christi corpus, sic esse ejus plenitudinem, id est, ab ipso proficiscentem, ut statim illis verbis declarat, *Omnia in omnibus implentis*.

Locus Ephes. 6. 12. non video cur ita accipi non debeat, ut ipsa verba sonant. Nam quid cogit sentire, Paulum loqui tantum de pugna nostra in tentationibus, eamque describere qualis sit, & non generatim negare cum carne & sanguine nobis esse pugnandum. An non ex negatione ista peregregie, atque adeo multo efficacius consequitur id quod Apostolus subjicit, & acrius illis quæ mox commemorat, Christianos armandos esse, id est, se ipsos armare debere? Si Pauli mens fuisset id tantum dicere quod ipse censes, debuisset saltem dicere ἡμῶν ἡ πάλη, non autem ἡμῖν, neque enim articulus iste eandem vim habet, si dicatur ἡμῖν, ut quidem dictum est, quam si esset ἡμῶν, dempto enim isto articulo, nulla est occasio Apostoli verba restringendi; sed judicio meo, ut sæpe alibi, articulus iste ornatus causa tantum isto in loco est additus, nam alioqui, ut dixi, non ἡμῖν, sed ἡμῶν legeretur. Adde, quod minus verum est, Christianos in suis tentationibus non habere pugnam cum carne & sanguine, si bellum illis gerere licet, ut vim hostium repellant. An non enim hæc est una ex maximis tentationibus Christianorum, cum ab hostibus ipsorum & veritatis divinæ, armis impetuntur?

De Magistratu quid censeam, & quatenus illum Christiano homini gerere licere credam, satis ex libro meo adversus Palæologum intelligi potest, si quis illum diligenter legat. Breviter, mihi videtur, ipsum præesse, dominari, regere atque imperare; & consequenter, ubi opus fuerit, plectere ac punire, Christianæ pietati non adversari, modo in his omnibus, nihil adversus Dei Christique præcepta committatur. Leges judiciales Mosaicas nihil ad Christianum magistratum pertinere arbitror, quemadmodum vulgo & theologi sentiunt. Sunt enim ibi permulta, quæ cum patefacta vitæ æternæ promissione, cumque ipsa summa charitate, quæ in Euangelio præcipitur, plane pugnant. Hominem, quantumvis scelestum, privare vita Christiano magistratui non permittendum judico: hoc enim

enim postquam vita æterna resipiscentibus promissa à Deo est, nimis cum charitate pugnare nemo non videt. Si aliquid amplius à me hac de materia, quod attinet ad sententiam meam, explicari tibi volueris, necesse erit ut me, de unaquaque huc pertinente quæstione, in qua hæreas, nominatim interroges. Neque hoc tempore sane plura scribendi tempus habeo. Hic igitur finem facio ad tuas literas respondendi, si prius tibi gratias egero pro iis, quæ mihi tuis literis nunciasti. Etsi enim inter ista, id quod ad Christophorum Lubieniecium pertinet, valde mihi molestum est; tamen quando ita est, ut id rescirem te curasse libenter video. Curabo enim quam maxima potero cura, labore, & diligentia, ut malum istud corrigatur. Vale in Domino Jesu, mi charissime & plurimum honorande frater. Datum in agro Luclaviciano Abrahami Blonscii die 25 Septembris 1599. Si theologicas hujusmodi quas ad te scribo literas, putas posse aliis etiam alicui usui esse, tuum est curare ne illæ perdantur. Nam ego earum nullum mihi exemplum reservo. Nec sane id faciendi aut curandi ullum vel tempus, vel facultatem habeo. Tuas quidem ego diligentissime asservo.

Tui amantissimus in Christo frater & servus

F. S.

Ad eundem, Lublinum,

Epistola VII.

Ornatissimo pietate atque eruditione viro Domino Valentino Smalcio divini verbi ministro fidelissimo, Domino ac fratri in Christo plurimum colendo.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Literæ tuæ die 25 Octob. datæ, gratissimæ mihi fuerunt, ad quas respondebo, prout tempus feret ad eas respondendi mihi concessum. Credis subjectam materiam requirere, ut in loco Eph. 6. verba illa: „ Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, de pugna accipiantur, quam „ Christiani, ut Christiani, habent. Ego vero contra arbitror, subjectam materiam aliud nihil requirere, nisi id ipsum quod verba ista præ se ferunt: cum optime ex eo, quod homini Christiano, simpliciter & absolute loquendo, nulla sit pugna cum carne & sanguine, concludat Apostolus se recte facere, qui homines Christianos hortetur ad induenda arma non humana, sed divina, non carnalia, sed spiritualia. Nec quidquam me movet, quod ais, nihil opus fuisse illud Ephesios docere, quod, si Christiani erant, perspectissimum habebant, non licere scilicet bellum adversus homines gerere. Ad quæ tua verba antequam respondeo, libet tibi gratulari, quod etiamsi mea Pauli verborum interpretatio, ex qua hoc ipsum elicitur, tibi non probaretur, sentis tamen alioqui mecum, Christiano homini non licere cum hominibus bellare. Sic enim verba tua omnino præ se ferunt, sed vereor ne aliquid in illis ex tua mente desideretur, quod plane allum ipsorum sensum efficiat. Nam paullo post scribis, istos eosdem Ephesios, & potuisse, & solitos fuisse, vim vi repellendo hominum injurias & insidias vincere & vitare, & tacite id illis Paulum ipsum concedentem facis, sed interim monentem, ne putarent sibi eadem ratione pugnandum esse, cum propter Christum passuri essent. Sed jam ad superiora tua verba, & ad ratiocinationem (quicunque tandem alioqui sit ipsorum sensus) in illis contentam respondeo, & ajo, Paulum complura alia in Epistola illa docere, quæ Christianis hominibus multo perspectiora sunt, quam ipsis non licere bella cum hominibus gerere, id quod ita esse vel illud indicat, quod illa hodie apud omnes, qui Christi nomen profitentur, certissima sunt, hoc vero non item; immo plerique ipsorum contrarium sentiunt, & reliqui fere dubitant, atque inter ipsos, ut dicitur, adhuc sub judice lis est: egoque ipse, qui id in mea illa responsione ad Palæologi librum asserui, fateri sæpe soleo, quæstionem hanc difficillimam esse. Nam quod subjicis, nullam hac de re disserendi occasionem in Pauli loco illo fuisse, mihi multo aliter videtur. Reddit enim manifeste rationem Paulus, cur hortatus Ephesios illos fuerit ad arma induenda, quibus possint stare adversus insidias Diaboli. Verum hujusce rei peregregia ratio redditur, si dicit, quod homo Christianus nunquam cum hominibus, sed tantum cum Diabolo pugnam habet. Objici Paulo poterat, quod non quantum satis erat de armis induendis monuisset, cum illa tantum arma commemorasset, quibus Diabolo resistitur. Itaque evidentem occasionem habuit Apostolus hac de re, quod tantum cum Diabolo, & nunquam cum hominibus Christiani homines dimicant, verba faciendi. Quamquam vero mihi non improbatur id quod ais, Paulum carnem & sanguinem nominando, non homines simpliciter, sed infirmitatem vel etiam industriam humanam significare voluisse, tamen crediderim illum potiorem rationem habuisse, opponendi simpliciter homines Diabolo & Angelis ejus, & arma carnalia spiritualibus. Similia loca, ubi caro & sanguis cum tacita aut expressa antithesi divinitatis, homines ipsos præcipue significat, habes Matth. 16. 17, & Gal. 1. 16. Cæterum quod scribis, te non satis assequi vim rationis à me allatæ, quod si Paulus loqui voluisset de pugna tantum quæ est propria Christianorum, dixisset ἡμῶν ἡ πάλη, non autem ἡμῖν, mihi vero videtur, satis notum unicuique esse posse quantum differat, si quis dicat, nostra pugna non est, ab eo si dixerit, nobis non est pugna, quod apertius non declaro, ne tuo ingenio nimiam faciam injuriam. Verum subjungis postremo, non esse satis firmam ratiocinationem desumptam ex collocatione vocabulorum & articulorum, præsertim in scriptis Apostolicis. Atqui hic non agitur de collocatione ulla, sed de diversa voce, quæ manifeste diversum sensum per se facit, nec aliud meæ ratiocinationi objici potest, quàm articulum præpositum nomini πάλη, efficere, ut nulla sit in Pauli verbis differentia, sive legatur ἡμῶν sive ἡμῖν. Ad quam tamen objectionem ego respondeo, articulos apud omnes Græcos scriptores, etiam elegantissimos, sæpe supervacaneos esse, & vix fortasse inveniri exemplum articuli non supervacanei, ut eleganter Græce scriberent: tamen in eorum scriptis intelligendis Græcæ linguæ proprietatem spernendam non esse, nisi id facere apertissima aliqua ratio cogat. Nescio quid sit illud quod scripsi de majore præmio apud Deum bonæ voluntatis nostræ consummatæ, quam non consummatæ, nisi quatenus ipse refers. Neque enim illud meum scriptum habeo; sed tamen arbitror, me ibi non intellexisse de præmio tantum post hanc vitam, sed de præmio in universum, adeo ut non possit ex uno illo in meis scriptis loco statui, me tenere in futura vita præmia fore diversa, alia scilicet aliis majora. Quamquam alioqui non negem, me in hanc sententiam plurimum inclinare, utpote quæ mihi, & rationi, & nonnullis Sacris Testimoniis valde consentanea esse videtur: sed tu aliter sentis, & primum ad æqualitatem præmiorum in futura vita probandam affers, quod omnia ea, quæ alicubi in Sacris Literis tanquam prærogativa aliqua quibusdam tribuuntur, alibi aliis tributa leguntur. Hæc ratio ad excipiendum potius est accommodata, quam ad probandum, & quod in ea assumitur probationis indiget. Deinde vis inæqualitatem in præmiis indicare imperfectionem, nempe in minoribus præmiis, iisque qui illa habent, & majoribus carent. Hic vero oporteret propositionem hujus ratiocinationis probare, quæ est omnium & singulorum in futura vita præmia perfecta fore. Nam si ad hoc probandum satis illud esse creditur, quod in

sequente tertia ratione dicitur, maxima Christianis communiter facta fuisse promissa, jam secunda cum tertia ratione confunditur, & sic ex duabus fit una tantum ratio. Mihi quidem nihil cogere videtur, ut singulorum vitæ futuræ participum præmia sint perfecta, id est, ejusmodi, ut nihil illis addi possit; immo nihil id suadendi vim mihi habere videtur: cum hoc potius ejusmodi sit, ut seipsum destruat: neque enim de præmio alicujus dici jure poterit, nihil ei addi posse, nisi præmio isto id contineatur, quod is aliis imperet aut præsit; quod si fiat, quomodo quæso aliorum, quibus imperabit aut præerit, præmia erunt perfecta? Quod si dicas, perfectionem istam te intelligere, ut interim unius præmium alterius præmio nihil deroget, totum istud probandi onus tibi incumbet; videlicet, non modo perfecta fore præmia singulorum in futura vita, sed etiam perfectionem istam ita intelligendam esse, ut modo est dictum. Venio ad tertiam rationem, quæ est, Christianis communiter maxima promissa donata esse 2 Petr. 1. 4, hoc enim tibi videtur verum esse non posse, si quibusdam aliquid majus in ista immortalitate dandum esset. Respondeo, etiamsi in ipso statu immortalitatis aliquid detur cuipiam, quod alii non detur, non propterea fieri, quin immortalitas per se, quam omnes & singuli ejus status participes habent, maximum donum sit, & ita maximum, ut nullum eo majus detur. Tametsi nihil cogit vocem istam superlativi licet gradus, ad hunc modum interpretari: & id sive à Græcis μέγιστα, sive à Latinis Maximum sæpius dicitur, quo tamen aliquid majus datur. Adde, quod Petri locus iste non videtur accipiendus de immortalitate nobis promissa, sed de donis in hac vita mortali nobis datis, per quæ efficimur, etiam in hac ipsa vita, participes divinæ naturæ; inter quæ si potissimum numerare velis spem ipsius immortalitatis, tibi plane assentior. Verum aliud est immortalitatis spes, aliud vero ipsa immortalitas, atque inde aperte constabit verum esse quod dixi, vocem istam superlativi gradus iis etiam accommodari, quibus majora quædam reperiuntur. Nam, sine ulla controversia, majus omnino quiddam est, quam spes, quantumvis firma & certa, immortalitatis, ipsa immortalitas. Et ne dicas exemplum hoc non esse accommodatum, cum altera istarum duarum rerum in hoc seculo tantum, altera contra in futuro tantum detur; addo, eam naturæ divinæ participationem, quæ in hac mortali vita datur, id est, justitiam & sanctitatem, quippiam majus ac præstantius esse ipsa spe immortalitatis, & omni alio dono, quod à Deo in hac vita similiter habemus, & per quod, ut Petrus ait, efficimur participes istius divinæ naturæ, quanto major est & præstantior ipse finis, quam ea quæ ducunt ad finem. Sed jam nimis multa de hac tertia ratione: sequuntur quædam, quæ vim rationum habent, à te dicta, dum verisimilitudinem, quæ ex altera parte est labefactare conaris. Ais enim, ex parabola illa Mat. 20, de operariis ad laborandum in vinea conductis, constare posse, præmia in futuro seculo fore æqualia, & eorum qui multum, & eorum qui parum diei Deo servierint. Ego vero existimo, ex parabola ista colligi quidem posse vitam æternam, seu immortalitatem fore omnibus, qui Deo cari fuerint, communem, etiamsi alii aliis plus minusve in Christi Ecclesia laboraverint: sed hoc non impedit quominus in statu isto immortalitatis gradus quidam sint futuri, ut nunc sunt inter ipsos Angelos Dei: ut nihil dicam de gradibus quos ipse Deus & Christus constituit in Ecclesia militante, qui satis indicant in triumphante quoque Ecclesia eos esse posse. Hæc enim sunt illa præmia diversa, quæ ibi fore dico. Quemadmodum vero nunc, & in cœlo & in terra inter illos qui Dei sunt, quamvis munera & gradus ipsorum sint diversi, summa nihilominus est concordia, & unusquisque suo munere & gradu est contentus, sic etiam in futuro seculo, graduum & munerum diversitas, nihil vel communem concordiam, vel privatam uniuscujusque lætitiam impediet aut minuet. Quare in iis, qui illius beatæ atque immortalis vitæ se participes fore sperent, minus verum id esse arbitror, quod ais, omnes non tantum præmii alicujus, verum etiam maximi (id est, ut verba tua interpretari necesse est, quam maximi) præmii cupidissimos esse. Satis enim unusquisque pius & ad cœleste regnum contendens habet, si immortalis ac beatus sit futurus, nec ut ad maximum, qui in ipsa beata immortalitate dari potest, gradum perveniat, occasiones benefaciendi adeo quærit, ut Deum tentare dici queat; id quod, etiamsi alioqui supremi ejusmodi gradus cupidissimus esset, non faceret tamen. Hæc satis esse puto ut intelligas quid me moveat, ut tuis rationibus non sinam me à mea sententia dimoveri, & cur in ea mihi perseverandum censeam. Quæ est, omnes quidem Christi fideles fore ejusdem beatæ immortalitatis participes, sed non tamen alioqui æquales eos per omnia futuros, in eodem ipso beatæ immortalitatis statu.

De loco Hebr. 12. 5, quid sentiam, scripsi, nisi fallor, satis aperte in Disputatione de Servatore, locum ipsum ubi id à me scribitur non memini, nec disputationem istam meam ad manum habeo: sentio autem Hebræos istos occasione quidem professionis nominis Jesu Christi afflictos fuisse, sed tamen interim illos in tam sancta professione non fuisse ferventes, ut esse debuerunt, & multa in illis merito desiderari potuisse, seu non caruisse illos aliquot vitiis & imperfectionibus; unde fiebat, ut Deus afflictionibus, quas ob Christianæ religionis professionem experiebantur, uteretur ad eos castigandos atque emendandos, & plane veros Christianos faciendos. Cui sententiæ non video quid adversetur, quod illius Epistolæ auctor homines istos ad constantiam, exemplo sanctorum virorum & ipsius Christi, hortetur: (quamquam non est verbum Constantiæ, (si recte memini) apud scriptorem istum, nedum ad illam abhortatio.) Neque enim constantia ista significat perseverantiam in eodem prorsus statu, sed tantum in eo quod Christi nomen profitebantur, & ei obediendi (licet non quantum debuissent) studiosi erant. Jam cohærentia ejus quod legitur versu. 4, cum iis quæ statim sequuntur, hæc mihi esse videtur, quod Hebræi isti nondum, ut nihil peccarent, sed Deo, ut debebant, obedirent, eo adducti fuerant, ut sese morti exponerent (id quod scribitur vs. 4) & tamen jam in iis, quæ propter Christi nomen patiebantur, fatiscere incipiebant, & ejusmodi divinam castigationem, minime læto animo, ut debuissent, suscipiebant &c. quæ ea sunt, quæ statim postea dicuntur. Ostendi Statorio nostro, quid scripseris de eo Jesuitam illum dixisse pro concione. Subrisit, miratus interim, ut mihi persuadeo, hominis audaciam & diligentiam. Jussit te officiosissime suo nomine in his meis literis salutari, & vicissim ut pro se Deum ores rogari. De libellis & scriptis quæ jam diu à me petiisti, non potui hactenus efficere, nisi ut disputationem meam adversus Volanum habere posses. Ejus enim curavi jam pridem exemplum unum tradi fratribus Racoviensibus, ut illi ad te transmitterent, id quod jam factum fuisse spero. Vale, & Deum ora, ut in hac extrema ætate mea, possim jam aliam victus & habitationis meæ rationem invenire, quæ me mei juris efficiat, & liberum ab omnibus impedimentis reddat, quibus fit, quominus ea præstare possim, quæ promisi, & à me identidem exigi, non sine dolore audio. Ex agro Luclaviciano Abrahami Blonscii die 2 Decembris 1599.

Tui amantissimus in Christo frater & servus

F. S.

Ad

Ad eundem Lublinum,

Epistola VIII.

Salutem à Deo & Christo. &c.

Die Martii 24 literas accepi, quas ad me primo die Februarii dederas, tarde admodum sane redditas, id quod non leviter dolui. Nam si post justum temporis spacium redditæ fuissent, jam sine dubio, idque diu responsum ad illas accepisses. Quod si saltem scivissem in tempore, D. Abrahamum Sczepanovium nostrum isthuc profecturum, per ipsum illud misissem, & multo minus sero, quam visurus jam es me ad te scribendi muneri meo satisfacientem vidisses. Quomodo formaverit Gratianus argumentum illud suum, ex cap. 54. Esaiæ petitum, non omnino memini, tantum, nisi memoria me fallit, videor mihi posse affirmare, aliquanto melius formari id ab ipso potuisse. Sed quomodocumque ipse formaverit, non potest, judicio meo, ex isto Esaiæ loco rectius quisquam, ad probandum Christum esse unum illum Deum Israëlis, argumentari, quam hoc pacto. Quicumque est Ecclesiæ maritus, is est unus ille Deus Israëlis. Sed Christus est Ecclesiæ maritus. Christus igitur est ille unus Deus Israëlis. Majoris probatio propositionis qua tota argumentatio nititur, petitur ex loco isto Esaiæ, juncto eo quod inter omnes constare videtur, Ecclesiæ maritum non posse esse nisi unum, quemadmodum fœminæ alicujus unus tantum vir esse potest. Ille siquidem unus Israelis Deus isto in loco ait se esse, aut certe fore maritum illius sterilis, quæ non pariebat. Nam hanc esse supernam Jerusalem, id est, Ecclesiam, interpretari videtur Paulus ad Gal. 4. 26, & 27. De veritate minoris profitionis, constat ex iis quæ leguntur cap. 5. Epist. ad Eph. 22, & deinceps. Unde etiam id confirmatur, quod ad majoris propositionis comprobationem diximus, unum tantum esse posse maritum Ecclesiæ, ut mulieris alicujus unus tantum vir esse potest. Nam ex iis quæ ibi dicuntur, apparet Christi cum Ecclesia conjugium, in eoque conjugio, summam, ut sic dixerim, unitionem adumbratam fuisse in maris fœminæque conjunctione, & porro in viri & uxoris conjugio, quod Deus ipse ab initio instituit. Jam ad totam hanc argumentationem sic respondendum censeo. Primum negandum est, sterilem illam quæ non pariebat esse Ecclesiam. Nulla enim ratione de Ecclesia ea dici possunt, quæ de allegorica ista muliere eo in loco dicuntur, præsertim vero de Novi Fœderis Ecclesia, de qua necesse est argumentum loqui, si rite formatum esse debet. Quomodo enim sterilis Ecclesia Novi Fœderis tunc dici potuit, cum nondum esset? Aut quando unquam sterilis hæc Ecclesia fuit, aut dici ullo modo potuit, nisi fortasse multis post Christum natum seculis? Atqui Esaiæ verba ad ea tempora quæ statim post Christum exhibitum extiterunt, omnino pertinere, & Pauli locus, antea pro argumento confirmando citatus, aperte docet, nec quisquam est qui neget, qui vaticinium istud ad Novi Fœderis tempora spectare velit. Præterea, allegorica ista mulier desolata esse dicitur, id est, viro destituta, ut ex eo quod per antithesin statim subjungitur liquido constat, id quod ad Ecclesiam, sive sub Vetere sive sub Novo Fœdere, accommodari nequit. Veteri quidem accommodari non posse illi ipsi fatentur, qui volunt mulierem istam esse Ecclesiam. Iidem enim volunt alteram conjugatam mulierem, cum qua illa confertur esse Veterem Ecclesiam. Novæ autem non posse accommodari id manifeste docet, quod simul atque ipsa extitit, suum virum habuit Christum, quo nunquam postea destituta fuit. Adde, quod Deus fatetur, se mulierem istam ad breve tempus dereliquisse, qui tamen nunquam Ecclesiam dereliquit. Hinc liquet Pauli verba, in citato loco non esse in eum sensum accipienda, quem præ se ferre videntur, ut scilicet dicat, mulierem istam esse Ecclesiam. Sed necesse est eum esse sensum verborum Pauli, quem mox dicemus; ubi, quid nos istius mulieris nomine intelligendum statuamus, breviter exposuerimus. Dicimus igitur, illam, quatenus vaticinatio ista Esaiæ ad Christi tempora, & sic ad argumentum ex ea formatum proprie pertinet, Gentes, sive incircumcisum populum esse, qui eo in loco, Judaico, seu circumciso populo opponitur., & præ illo sterilis mulier, destituta viro, à Deoque derelicta meritissimo & Esaiæ tempore, & postea etiam usque ad Christi adventum atque Apostolorum prædicationem, immo etiam ante Esaiæ seculum, per complura secula dici potuit. Nulli enim Deo filii ex incircumciso populo, jam inde ab Abrahamo, qui primus omnium circumcisus fuit, præsertim vero post legem circumciso populo datam nascebantur, quippe quem Deus quodammodo rejecisset, sine quo, tanquam mulier sine viro, ipsi Deo filios parere non poterat. Nec obstat quod Deus ait, se ad modicum tempus mulierem istam dereliquisse. Derelictio vero ista incircumcisi populi diutissime duraverit. Modicum enim dicitur tempus istud, & tanquam parvum momentum, prout ipsa Dei verba sonant, præ æternitate, cui ipse Deus illud opponit, inquiens, se misericordia sempiterna erga illam usurum. Itaque Paulini loci sententia hæc est, supernam Jerusalem, quam facile concedo Christi Ecclesiam significare, esse matrem omnium fidelium, & sic tunc temporis ad ipsam, tanquam filios eos etiam pertinuisse, qui ex gentibus crediderant, quantumvis magno numero essent, & multo plures quam ii qui ex populo Judaico crediderant; quandoquidem jam prædictum erat, ex gentibus multo plures fideles extituros, quam ex Judaico populo. Apparet igitur non posse ex isto Esaiæ loco colligi illum unum Deum Israelis esse maritum Ecclesiæ, sed tantum fortasse incircumcisi populi. Dixi autem fortasse, quia nihil cogit, ut vox Hebraica Bahal quæ ibi legitur virum seu maritum significet, cum ea non minus Dominum significare queat? Ut quidem tum Græca editio, tum vulgata Latina habet. Id quod alterius responsionis loco ad argumentum ipsum esse volumus. Quæ enim de sterilitate ac viduitate istius allegoricæ mulieris, deque Deo qui illam dereliquisset &, eam recepturus esset, ex quo fieret, ut illa plurimos filios haberet, ibi dicuntur: unde etiamsi vox Bahal maritum eo in loco non declaret, concludi nihilominus posse videatur, Deum ejus maritum esse; ita accipi possunt, ac si dictum ibi foret, incircumcisum populum, postquam à Deo rejectus quodammodo fuisset, factum esse tanquam mulierem, quæ vidua sit ac desolata, liberisque destituta, quos nullos dicatur parere, non quia (ut ante pro concesso ponentes Deum illius maritum vocari dicebamus) eos Deo tanquam marito suo non pariat, sed quia cum Deo non sint accepti, nullo numero esse censeantur, quotquot ad populum incircumcisum, tanquam ad matrem suam pertinent. Sed tertio præterea loco responderi ad argumentum istud potest, non eandem esse rationem metaphoricarum appellationum & propriarum: nec si proprie maritus appellatus unus tantum alicujus veræ mulieris esse potest, similiter metaphorice appellatum maritum unum tantum alicujus vicem mulieris explentis esse posse, concludendum ullo modo esse. Exemplum sit in patris appellatione, quæ quamvis uni tantum proprie accepta conveniat, respectu unius: tamen metaphorice accepta, pluribus, unius licet tantum respectu, convenire invenietur. Nihil enim vetat, quominus quis, exempli gratia, vel ob grandiorem ætatem, vel ob beneficia ab eo accepta, vel ob filialem suum erga ipsum amorem, ipsiusve erga se paternum, vel ob aliam similem causam, vel denique ob easdem aut diversas plures causas, non modo unum, sed plurium unumquemque patrem suum metaphorice merito appellare possit. Quare nihil etiam vetat, quominus Ecclesia plures maritos habere possit, cum necesse sit, quemadmodum ipsa est metaphorica mulier, sic

etiam

etiam quisquis ejus maritus sit, eum esse ipsius metaphoricum maritum; præsertim cum (& hic est potior in proposito nostro hujusmodi responsionis vis) ista mariti metaphora, modo minus, modo magis plena esse possit; ut certe hic fieri dicere poterimus, si concedere velimus, Deum illum unum Israelis, esse Ecclesiæ Novi Fœderis maritum: namque ipsius ratione metaphorica ista mariti Ecclesiæ appellatio minus plena erit, quam ratione Christi, (de quo constat illum esse suæ Ecclesiæ maritum) ut postea docebo. Ex quo sequitur, eum qui propterea, quod ille unus Deus sit Ecclesiæ maritus, & Christus sit Ecclesiæ maritus, concludit Christum esse, illum unum Deum, perperam concludere, & Æquivocationis fallaciam committere, etiamsi alioqui verum sit Ecclesiæ unum tantum maritum esse. In hac enim enunciatione vox metaphorica Maritus, plena metaphora accipienda est. Ut autem id, quod dixi de pleniore & minus plena metaphora usu venire, in istis ipsis appellationibus quæ proprie acceptæ uni tantum conveniunt, planissimum fiat, & interim accusari non possim quod nullum exemplum attulerim ejusmodi metaphoricæ appellationis ubi propriæ non sit locus, quemadmodum non est in appellatione mariti Ecclesiæ: non recedens ab exemplo jam allato appellationis Patris, dico. Veritatis, quæ proprie sic dictum Patrem nullum habet, vulgo Patrem metaphorice dici Tempus; quod quidem intelligendum est, quatenus tantummodo illa apparet atque agnoscitur. Atqui secundum hanc ipsam rationem nemo negaverit, Deum quoque veritatis Patrem dici posse, idque multo pleniore metaphora: cum multo magis veritatis patefaciendæ auctor & causa Deus sit, quam Tempus: cui non nisi per accidens hoc idem tribui potest. Ut nihil dicam, quod Deus, non tantum quatenus illa apparet atque agnoscitur, sed secundum omnem rationem, veritatis auctor & causa est. Satis enim habeo (nam alioqui etiam, nullam in ratiocinatione mea captionis suspicionem esse volo) si veritatis ad eum prorsus modum consideratæ, ut cum dicitur Tempus esse ejus Pater, Deus quoque Pater merito dici possit, & quidem ita, ut in hac metaphorica appellatione Deus loco sic proprie dicti Patris esse queat: Tempus autem minime: & sic licet veritas ad eum modum, qui dictus est, considerata, duos Patres habeat, unum tamen duntaxat habere dici possit. Jam ut ista ad propositum accommodem, neminem negaturum arbitror, si concedatur illum unum Deum Israelis esse maritum Ecclesiæ, hunc esse posse Patrem Domini nostri Jesu Christi, quamvis ipse Jesus Christus maritus ejus sit, qui certe eadem ipsa persona non est cum Patre suo. Quamquam enim hoc pacto duo erunt mariti Ecclesiæ, nihil tamen hic est absurdi, nec propterea fiet, quominus solus Jesus Christus metaphorice licet Ecclesiæ maritus dictus, proprie sic dicti mariti loco Ecclesiæ sit: quippe quod multo pleniore metaphora ipsi hæc appellatio conveniat, quam Patri, qui naturæ, conditionis, accidentium ullorum ratione, nihil commune cum Christi fidelibus, qui tanquam unum corpus considerati idem plane sunt cum Ecclesia, vel habet vel habere potest: cum interim ipse Christus in istis ipsis rebus plurimum cum ipsis commune habeat. Non modo enim homo est, ut ipsi sunt, sed ipsorum etiam in divina filiatione, quamvis alioqui omnium summus ac princeps, omnino consors ac socius: ac præterea omnia mala est expertus, quæ illi experiuntur, & in gloriam suam ea vis ingressus, per quam illi incedunt ut gloriosi fiant. Quod si quis tamen neget, posse ipsum Jesu Christi Patrem esse seu dici Ecclesiæ maritum, ob hanc ipsam videlicet causam, quod inter ipsum & Ecclesiam nimium distet, jam ostensum est, posse metaphoricas ejusmodi appellationes ibi etiam locum habere, ubi ipsa metaphora non plane constet, seu plena non sit, modo aliquid adsit, unde ea aliquo modo extrui possit, veluti in proposito exemplo appellandi Tempus veritatis Patrem, ut certe hic adest, & quidem abunde satis. Amor enim quo Deus Pater Ecclesiam complectitur, cura quam illius habet, beneficia quibus illam continenter afficit, omnia hæc, inquam, non illis absimilia quæ à marito in uxorem proficiscuntur, merito efficiunt, ut metaphoræ isti locus esse possit, & ipse Deus Pater Ecclesiæ maritus dici queat, præter illam summam spiritualem conjunctionem, quam nihilominus, ut alioqui Deus Pater & Ecclesia, natura, statu, aliisque rebus mirum in modum invicem differant, inter ipsum Deum Patrem & Ecclesiam esse Spiritus Sanctus testatur. Quid plura? Deus ante natum hominem Christum Jesum, seipsum non obscure maritum facit, tum Israelis, tum Judæ apud Jerem. 3. Quanto igitur magis potuit Deus, citra humanæ Jesu Christi naturæ considerationem, Ecclesiæ maritum se apud Esaiam vocare? Quod si ita est, quomodo quæso ex isto Esaiæ loco, etiamsi diserte ibi ille unus Deus Israelis, se Ecclesiæ maritum appellasset, concludi posset, Christum Jesum ob eam causam, quod Ecclesiæ est maritus, esse illum unum Deum Israelis, cum sine ulla controversia Christus Jesus, citra suæ humanæ naturæ considerationem, non sit, nec esse possit ille Ecclesiæ maritus seu sponsus, quem ipsum esse Sacra Testimonia docent? Verum non est hac in re quicquam laborandum, cum, ut ab initio docuimus, Deus apud Esaiam in loco isto, non quidem Ecclesiæ, sed gentis incircumcisæ (quatenus vaticinatio illa ad Christi tempora, & sic ad rem nostram pertinet) seipsum nominet, si modo mariti ibi sit mentio, quod, ut antea dixi, plane incertum est, aut saltem aliunde, quam ex ipsa mariti appellatione id colligitur, de quo nihil constare ostendimus. Habes, mi Valentine, plenissimam responsionem meam ad primum argumentum, quod Gratianus cum Statorio nostro disputans, vel attulit, vel certe afferre potuit ac debuit. Ex qua intelligere potes, in quem sensum sint accipienda verba mea, si modo simpliciter dixi, Deum, nec olim Israelitici populi, nec nunc Ecclesiæ sponsum seu maritum dici posse, ut scilicet intelligatur, me de plena, plenamve metaphoram continente appellatione locutum esse, cujusmodi est illa, cum Christus Ecclesiæ sponsus seu maritus dicitur. De verbo Dei non scripto, quod apud se esse pontificii tantopere jactitant, aliquid nominatim scripturus eram in Defensione Animadversionum in Theses Collegii Posnaniensis. Quod opus, si Deus dederit, ut aliquando absolvere possim, habebis & tu, & alii, quicquid magis egregii à me in hoc genere proficisci potest. De falso Ecclesiæ Romanæ primatu, ubi pollicitus in scriptis meis fuerim, me aliquid scripturum, non recte memini; sed quicquid sit, video, si mihi ea omnia scribenda sint, quæ vel ipse constitueram, vel fratres cuperent, immo ut scribam, perpetuo urgent, oportere me & valde diu vivere, & quam optime assidue valere. At neutrum me sperare sinunt senectus mea, & corporis imbecillitas. Huc accedit, quod, quo ulterius ætate & studiis progredior, eo me ad scribendum, aliosque docendos ineptiorem esse agnosco. Quare jam reliquum hoc vitæ meæ tempus, non aliis, sed mihi ipsi erudiendo, impendere velim. Vale vir præstantissime atque optime, ac suavissime frater, & in me amando, ut soles, precibusque pro me ad Deum fundendis, constanter atque assidue perge. Ex agro Luclaviciano Domini Abrahami Blonscii die 16 Aprilis. Anno 1600.

Tui studiosissimus in Christo frater & servus

F. S.

Ad eundem Lublinum,
EPISTOLA IX.

Salutem à Deo & Christo, &c.

SEx septimanæ jam sunt, ex quo literulas tuas accepi die 14 Novembris datas. Fuerunt, per quos potuissem

potuiſſem multo ante reſponſum ad te mittere Racoviam uſque, ut nunc facio; ſed de nullo mihi in tempore ſignificatum eſt. Nunc vero ipſe noſter Statorius, qui, me inſcio, nuſquam proficiſci ſolet, in prædium Czamkovianum proficiſcitur, inviſendi Oſtorodi noſtri gratia, qui paollo ante ex lethali morbo convaleſcere cœpit, & vicem ejus in Synaxi, quæ proximo die Dominico ibi futura eſt, ſupplendi, quamquam alioqui etiam eo profecturus erat; ſic enim eum fratres illi rogaverunt, qui ibidem conſtituturi ſunt tempus communis utriuſque cœtus congregationis hic apud nos, quam fortaſſe ante ver impediet peſtis ſuſpicio, vel potius reliquiæ in proximo oppido. Significabas in literulis tuis tempus conventus noſtri Racovienſis, quod reſcire gratiſſimum mihi fuit. Sed illud me turbavit, quod ſcribebas, facile fieri poſſe ut ipſe in eo conventu non adſis. Nam ſine te frigebunt omnia, & fruſtra quodammodo convenient alii. Spes tamen poſtea mihi facta eſt, te omnino adfuturum, quod utinam fiat. Plurimum lætor, quod, ut eædem tuæ literulæ indicant, in meliorem partem accipis, quidquid aſperius à me profectum eſt; qua in re nihil prorſus falleris. Amor enim meus in te, ardenti illi meo deſiderio junctus, ut id, quod verum eſſe credo, in rebus potiſſimum ad pietatem pertinentibus, ſemper obtineat, illius meæ aſperitatis ſola cauſa fuit. Quam tamen ego ipſe, ut noſti, non probo, tibique ſancte promitto (præſertim coram aliis fratribus, qui non ita arcte nobis ſunt conjuncti, ut illi erant) poſthac ita mitem me, & tecum, & cum reliquis omnibus fore, ut non ſit cur veniam deprecer, ut tunc, & quidem ex animo, feci. Quod à me petis de loco Joh. 17, in eo tibi ſatisfeci, ut in ſeparata ſcheda videbis. Si fortaſſe, quod non ſpero, majore tibi eſt declaratione opus, conabor & in hoc tibi aliquando ſatisfacere. Tu modo omnino ſtatue, ut illi noſtro conventui interſis, idque, quam maxime & diligentiſſime potes, cura. Aliud quod adte nunc ſcribere poſſim vix habeo, & neceſſe eſt hoc reliquum tempus mihi ad ſcribendum conceſſum, in aliis literis ſcribendis inſumere, quæ una cum iſtis uno faſciculo comprehenſæ erunt, quaſque ut reddendas ſuis in locis ac tranſmittendas cures, te etiam atque etiam rogo. Illuſtrem ac generoſum Dominum Petrum Oſtrovium, per te oratum velim, ut me ſuo amore complecti pergat, ſuæque ſalutis, tam animæ quam corporis, diligentem curam habere velit. Te vero, mi ſuaviſſime Smalci, rogo, ut in dies magis tibi perſuadeas, te à me ex animo coli, Deumque aſſidue orari, ut te ſuis donis augeat, tibique perpetuo adſit; quod charitatis officium, ut mihi viciſſim præſtes, pro meo jure abs te peto atque contendo. Fratres duos Germanos Lubieniecios meo nomine diligenter ſalutabis, & reliquos mihi notos. Vale vir præſtantiſſime. In agro Luclaviciano Bloſcii die 18 Januarii Anno 1601.

Tui ſtudioſiſſimus in Chriſto frater ac ſervus

F. S.

Ad eundem Lublinum,

Epistola X.

Salutem à Deo & Chriſto, &c.

Præſtantiſſime vir, frater in Chriſto mihi pluri mum colende. Tibi probatum fuiſſe conſilium meum de tuæ ſororis filio, vehementer ſum lætatus. Velim autem nihilominus tecum coram conferre de re hac; quod fore ſperabam omnino hic in proxima Synodo. Sed tuæ literæ ad Oſtorodum noſtrum datæ, ab hac ſpe me ferme prorſus depellunt. Tametſi rei abſurditatem conſiderans, quod ſcilicet Synodo interfuturus non ſis, vix adduci poſſum, ut ita futurum plane credam. Ego quidem dabo operam, ut oe id fiat. Interim vero Deum orare non deſiſtam ut tibi iſthic adeſſe velit, præſertim vero in colloquio illo, quod de baptiſmo aquæ habituri eſtis; quod ut habeatur tibi tantopere improbari non parum miror, cum potius, ſi tibi, ut debet, divinæ veritatis propagatio cordi eſt, nihil ſit, quod, judicio meo, tibi gratius eſſe merito poſſit; cum Deus te iſtis armis abunde inſtruxerit, quibus veritas in quæſtione iſta defendi & poſſit, & debeat: error autem convinci atque expugnari. Fateor tamen, & te, & collegam tuum, quamvis æque atque ipſe es, aut paullo minus inſtructum, vix quidquam effecturos, ſi diſputandum ſit de baptiſmo aquæ abſolute, an ſcilicet is ab omnibus, qui Chriſti diſcipuli eſſe velint, neceſſario ſuſcipiendus ſit, quemadmodum factum eſt à me in meo illo libello, & hactenus in noſtris Synodis fieri conſueviſſe, deprehendiſſe mihi videor. Non eſt hæc via, niſi fallor, in futuro iſto veſtro colloquio ullo modo ingredienda; ſed de eo tantum eſt agendum, an ii, qui ab ipſis incunabulis Jeſu Chriſti nomen ſunt profeſſi, ejuſque religionem, nec ullam aliam præterea, de qua jam, quatenus neceſſe eſt ad vitam æternam conſequendam, probe ſint edocti, perpetuo ac publice amplexi fuerunt, omnino debeant aquæ baptiſmo rite tingi, & niſi id fiat, pro veris in Chriſto fratribus agnoſci non poſſint, etiamſi vitam & mores habeant ipſi veræ ac puræ Chriſti religioni conſentaneos. Hoc enim eſt revera quod inter vos controvertitur, nec quidquam aliud. Atque oſtendendum eſt, debere eos, qui ita ſentiunt, hujus rei ex divinis monumentis, aliquod vel præceptum, vel exemplum, vel ſaltem denique mentionem aliquam proferre. Cum manifeſto id appareat, ſi id fieri nequeat, nihil penitus eſſe, cur iſti ad ejuſmodi baptiſmum ſuſcipiendum adigi debeant, curve poſſit, nedum debeat tale jugum adhuc fratribus imponi: præſertim ſi tales ſint, qui ab iis, qui Chriſtianam religionem profitentur, vulgo pro baptizatis habeantur. Nam de iis qui tales non ſint, & nullum prorſus aquæ baptiſmum eos accepiſſe conſtet, propter ſummam offenſionem apud Chriſtiani nominis homines inde proficiſcentem, fatendum eſt, nequaquam expedire, ut in cœtibus noſtris ad Cœnam Domini, quæ fraternitatis Chriſtianæ teſſera eſt, admittantur. Jam, ut ipſe, & collega tuus facile obtinere poſſitis, ut colloquium ſeu diſputatio iſta, hac ratione, qua dictum eſt, inſtituatur, neceſſe eſt, quemadmodum alioqui etiam plane faciendum arbitror, ut alter veſtrum, tanquam ipſius loci ordinarius paſtor, exponat ante cauſam talis diſputationis, & præſentibus aliquibus ſaltem ex iis, qui ſine eo baptiſmo, de quo agitur, admitti ad fraternam communionem cupiunt, ad hunc aut ſimilem modum loquatur. Videte fratres & ſorores quid agatur. Ecce hi, quos adeſſe videtis, (eos ſingulatim nominando,) homines vitæ ac morum cum Chriſti præceptis convenientium, & de religionis Chriſtianæ præcipuis myſteriis ac dogmatis, idem quod nos ſentientes, petunt atque orant, ut ipſos, in numerum noſtrum recipere velimus, & pro veris in Chriſto fratribus habere, ac propterea ipſis, ut nobiſcum menſæ Domini accumbant, ejuſque ſint participes, concedere, etiamſi nullum in ullo ex cœtibus noſtris aquæ baptiſmum acceperint. Nos quidem, una cum plerîſque aliis rerum divinarum ſcientia præſtantibus fratribus, horum petitioni, & poſſe à nobis, & debere ſatisfieri cenſemus, generaliumque Synodorum noſtrarum bis repetitum decretum nobis favens habemus, ex quo liquet, ſingulis cœtibus ejuſmodi homines in ſuum numerum cooptare, & ad menſam Domini admittere permiſſum eſſe. Verum alii ex fratribus aliter ſentiunt, & nulla prorſus ratione, ſine aquæ baptiſmo in aliqua ex Eccleſiis noſtris ſuſcepto, hos ad fraternam communionem admitti aut debere, aut poſſe ſtatuunt. Itaque, ut, ſi ipſi veritatem tenent, nos vero fallimur, poſſimus nos ab errore noſtro liberari, & hi probi ac præſtantes homines agnoſcere ſe à nobis id petere, quod illis concedi non

non potest, petimus ab istis, qui plane diversum à nobis sentiunt, ut velint ex divinis literis vel præceptum, vel exemplum, vel saltem rationem aliquam proferre hujus rei, quod scilicet ii, qui tales sint, quales hi sunt, & cum ipso, ut dicitur, nutritio lacte, cognitionem, quod Jesus Nazaræus, qui crucifixus fuit, est cœlestis Dominus, & ejus religio plane vera ac divina, hauserunt, idque perpetuo sunt professi, sine aquæ baptismo rite accepto, non sint censendi ad Christi corpus revera pertinere, nec digni qui ejus mensæ participes fiant, &c. Hic si adversa pars, vel alium esse quæstionis statum, sive aliam instituti colloquii causam contendere velit, vel tergiversari, quominus id facere conetur, quod ab ipsa petitur, nullus erit tam bardus aut rudis, præter fortasse paucissimos quosdam plane excæcatos, quin videat atque intelligat iniquissime ab ea id fieri, & in vehementem saltem suspicionem veniat, ab ipsa injustam causam defendi. Quod si Deus concedat, ut pars adversa, vel nihil causetur, aut tergiversetur, vel nihilominus ad proferenda sacra testimonia veniat, quibus id probet quod ab ipsa petitur, & quod probare debet, primum antequam id faciat, & ipsi, & auditoribus omnibus in memoriam redigendum videtur, ejusmodi esse testimonia ista, ut simulatque aliquod prolatum fuerit, cum nullum fere esse possit ejusmodi, statim verbo unico interpellare liceat, ac monere, illud ad rem non facere, nec ad eos homines pertinere, de quibus est quæstio. Quod si nihilominus is, qui illud protulerit, in eo deducendo & ad rem suam accommodando pergere velit, utque id faciat ei concedi auditores petant, concedatur sane; sed postquam peroraverit, explicatius ostendatur, prolatum testimonium de aliis hominibus, quam de quibus agitur, & ab iis longe diversis omnino loqui; & hæc sit summa responsionis, non omisso tamen interea, quin indicentur aliæ quoque responsiones, quas latius explicare nihil necesse esse dicatur, ac doceatur, nisi prius primæ isti responsioni satisfactum fuerit. Ad testimonia, quæ videantur vim aliquam universe concludendi pro parte adversa continere, quale est exemplum baptismi ipsius Christi, & sententia ab ipso prolata de necessitate renascendi ex aqua & spiritu, proclive admodum esse ita respondere, ut auditoribus satisfiat, ex illa Disputatione mea videtur satis constare, quam si vobis familiarem reddideritis, videor posse, sine ulla arrogantia, sperare, eam vobis ad veritatis defensionem non parum adjumenti allaturam. Hæc pauca de ratione disputandi cum adversa parte, quo, si quid melius effici nequit, veritas saltem non opprimatur, ut ad te scriberem, impulerunt me literæ tuæ, in quibus quasi desperabundum te ostendis, in causa tam justa, & ad defendendum facillima. Volui tamen ea antea hic cum fratribus communicare, qui meum consilium approbantes, alacriorem me ad ea scribenda effecerunt. Rogo te propterea, & una D. Christophorum Lubieniecium, cui tecum volo has meas literas esse communes, ut hoc meum erga vos officium boni consulere velitis. Sic Deus vobis faveat, & cum tempus erit, ea suggerat, quæ ad propugnandam & promovendam in futuro isto colloquio veritatem maxime pertineant. Vale mi frater amantissime, & forti animo esto. Racoviæ 15 Martii 1603. Meus hospes tibi plurimam salutem adscribere jussit. Nihil nunc scribo, sed tantum dicto. Itaque nihil horum meorum laborum ad te mittere in mea est manu.

Tui studiosissimus in Christo frater, ac servus

F. S.

Ad eundem EPISTOLA XI.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Literæ tuæ, frater amantissime & mihi plurimum honorande, quibus interruptum nostrum hoc mutuum literarum officium repetere incepisti, gratissimæ mihi fuerunt. Censeoque me tibi plurimum debere, qui in illis de statu Ecclesiolæ vestræ, & quid cum illis & ab illis agatur, qui secessionem à nobis partim jam fecerunt, partim facere parati videbantur, satis diligenter fecisti certiorem. Ego semper sum arbitratus, nuncque magis in hac sententia confirmor, vestram nimiam patientiam istis hominibus causam præbere in suo proposito perseverandi, & postquam rescivi, quibus conditionibus cum ipsis concordiam facere volueritis, & adhuc velitis; satis facilitatem vestram intempestivam mirari non queo. Quid enim est, per Deum immortalem, in eo istis assentiri, ne per aliquod tempus, de baptismo isto minime necessario, quidquam doceatis, nisi viam, quam Deus præter omnem spem nostram aperuit, omnem hypocrisin è nostris cœtibus ejiciendi, & ad illos haud fucatæ probitatis homines, qui alioqui facile nihilominus pereunt, alliciendi & aggregandi, plane obstruere atque impedire? Quid porro fuit eis promittere, nos neminem ad Cœnam Domini admissuros sine baptismo isto, quam erroris damnare, quod in generalibus nostris Synodis constitutum est, & aliquot cœtus nostros reprehendere, in quibus jam id fieri cœpit? Sed dices fortasse (ut ego quosdam ad vos excusandos audivi dicentes) in cœtibus illis ex consensu majoris partis id factum esse, isthic vero majorem partem, quominus fiat, obsistere. Hoc primum ita se habere, ut credam, adduci nequeo, cum pro certo audiverim, cum admissus fuit D. Zaporius, vix quemquam repugnasse. Certum autem est promissionem istam vestram, ad illum quoque cœtum pertinere, & D. Andream Lubieniecium non posse in sua Ecclesia id facere, nisi promissionem istam & fidem datam infringere velit. Deinde, fac, non modo in ipsa Lublinensi, sed in ista ipsa Ecclesia, majorem partem fratrum nolle ut id fiat, an non promissione ista vestra tacite confitemini, vos ejusmodi homines esse, de quibus merito dubitari possit, ne id faciant quod injustum est, & per vim quandam Synodorum decreta violent? An non ex iis qui hactenus non consentiunt, possunt aliqui sententiam mutare, unde fiat, ut jam major pars consentire dici jure queat? Unum adhuc dicam, maximum errorem fuisse & plane inexcusabilem, eos, qui jam diu sine baptismo isto admitti petunt, non admisisse, si id ulla ratione, decreto Synodi nihil quicquam violato, fieri poterat, & ubi hoc fecisse, adversariorum consilia & vires penitus disturbasset, ac fregisset; non fecisse, & hæc & illa mirifice confirmasse. De fœminis ad Euangelicos transituris nihil est curandum, immo laudandus est Deus, qui tales à cœtibus nostris separandi viam invenit. Idem Deus efficiet, ut locum habeatis vos congregandi, nec quicquam alterius partis cœtus metuendus aut curandus est. Deus vos erudiat, & ab omni errore liberet. Quod aliquamdiu tu & ego eodem in loco esse possimus, vehementer, ut ipse agnoscere videris, à me, nec minus quam à te expetitur. Tantum videtur mihi necessarium, ut tu per aliquot menses ibi habites, ubi ego commoraturus sum. Quod post proximam Synodum, Deo volente, constituetur. Nec dubium mihi videtur, quin Racoviæ id sit futurum. Vale mi amantissime frater, & tuis meisque symmystis salutem plurimam nomine meo imperti. Ex prædio Luclaviciano Bloniano, die 23 Januarii. Anni 1604.

Tui perpetuo studiosissimus in Christo frater ac servus

F. S.

Ad

Ad Christophorum Lubieniecium, cœtus Lublinensis Pastorem.

Epistola.

Præstantissimo atque ornatissimo pietate & virtute viro, Generoso D. Christophoro Lubieniecio, divini verbi ministro integerrimo, Domino & fratri in Christo vehementer colendo, &c.

Salutem à Deo & Christo, &c.

PRæstantissime vir, frater in Christo mihi vehementer colende, &c. Cum Samuel Brelius ad Strzalkovium affinem suum non procul isthinc commorantem proficisceretur, faciendum mihi putavi, ut ad te aliquid literarum darem, quibus videlicet, tibi gratularer, quod isto in loco tam celebri, tamque ad Dei Christique gloriam propagandam apto, ex ipsius Synodi decreto, pastor constitutus fueris, præsertim tali tibi socio adjuncto, *cujus diligentia atque eruditione juvari plurimum poteris. Id possum sancte affirmare, me, simul atque hoc audivi, in acerbissimo illo meo casu, qui recens adhuc erat, non mediocre levamen & molestiæ, & doloris sensisse atque expertum esse. Utinam mihi contigisset, aut aliquando contingeret, ut ibi habitarem; ubi sæpius & tecum & cum socio tuo colloqui possem, vosque cœlestem veritatem, quæ viam ad immortalitatem ostendit, atque aperit, exponentes audire. Tu quidem mi Lubieniecí, cum te, quod non raro accidit, concionantem & auditores ad curam æternæ suæ salutis capessendam, adhortantem atque incitantem audivi, mihi omnino is es visus, quem Deus in hoc regno inter sua præcipua instrumenta elegisset, quibus velit homines à pietate non abhorrentes, ad se Christumque suum convertere, & ab interitu vindicare. Tuum est, quando non sine ejus nutu ac consilio id nunc tibi muneris eo in loco demandatum est, ubi maxime tantum Dei beneficium proferri ac propagari potest, summa atque accuratissima diligentia uti, ne quid magni ad provinciam istam digne sustinendam in te desiderari possit. Scis ad eam convenienter ubivis locorum obeundam, id requiri, ut non modo possit is, cui data est, qui addiscere non renuunt, docere, verum etiam contradicentes revincere. Quanto magis hoc istic requiritur, ubi tot perpetuo sunt contradicentes, iique magna ex parte, eruditi admodum & sophistarum artibus instructissimi? Itaque sunt tibi inprimis libri illorum, qui in majore sunt pretio; quique maxime ad nos nostramque doctrinam falsitatis & mendacii coarguendam sunt scripti, diligentissime perlegendi, ut præmeditatum habere possis, quid illis respondeas, quandocunque evenerit, ut tibi vel scripto, vel sermone aperte aliquid objicere sese que opponere velint. Ea quæ à nostris hominibus adversus eorum sophismata, sunt ad legendum omnibus proposita, quatenus tibi probantur, tanquam in numerato habere debes, ut in promptu simul habeas, quid, etiam ex tempore, illis regeras. Sed præter omnia curandum tibi est, ut verum sensum Sacrarum Literarum, potissimum vero Novi Testamenti monumentorum, ita, quoad fieri potest, teneas ac percipias, ut falsas aut parum accommodatas explicationes erroris redarguere valeas. Sic enim fiet, ut, quando sine sacris ejusmodi testimoniis jam nobiscum contendere adversarii non audent, nihil tibi tuæque doctrinæ ab illis objici possit, quod quomodo refellere debeas, jam non noris. Plura hujus generis ad te scriberem, nisi mihi penitus persuaderem, ista notiora tibi fortasse, quam mihi ipsi esse; qui potius amoris erga te mei, & ardentissimi desiderii propagationis divinæ veritatis, quo teneor, summa vi impulsus, quam quod te monitionibus ullis hic indigere existimem, hæc pauca scripsi, quæ ut æqui bonique consulas, te etiam atque etiam rogo. Hisce diebus elapsis misi ad D. Stanislaum fratrem tuum anagrammatismum, (ut vocant) nominis ipsius, quem, ipso jam pridem rogante, feceram, qui non solum sibi illum fuisse gratissimum respondit, sed etiam à me enixe petiit, ut similiter tui nominis, nec non D. Andreæ fratris vestri anagrammatismum facerem. Obsecutus sum ejus voluntati. Itaque præter ipsius D. Stanislai nominis anagramma, si fortasse id nondum vidisti, mitto ad te alia ista duo. Jam tuum est duplex, quorum prius usurpare solum ac per se poteris, quandocunque & ubicunque libuerit; posterius vero non nisi (judicio quidem meo) adjunctum priori ut si quis fortasse ex priore objiciat, te tibi ipsi nimis tribuere, posteriore lecto, jam intelligat, rem aliter se habere; immo te, etiamsi, quatenus & pius & subjectus fueris, nihil hic, id est, sive in hoc mundo, sive etiam eo in loco & munere, ubi nunc es, magnopere metuendum tibi censeas; tamen nihilominus, cum consideras, te esse pulverem atque cinerem, fateri ingenue, esse quod aliquid timeas. Suum anagrammatismum, ut ad D. Andream meo nomine mittas, illive præsenti des, te plurimum rogo, eique me quam diligentissime commendes. Inter pretiosissimos quoque meos libros & scripta omnia, quæ mihi erepta ab impiis fuere, erat Smiglecii liber, o Bostwie &c. ac præterea breve illud ejusdem Latinum sciptum, adversum me nominatim editum de loco Zachar. 2. cap. ad quorum utrumque scriptum jam respondere cœperam, & posterius, notationibus quibusdam, mea manu in ipsis scripti marginibus, exaratis, magna potioreque ex parte refutaveram. Hæc duo illius hominis opera, si tua cura mihi comparari possent, & aliquando ad me mitti, non solum gratissimum id mihi esset, sed sumptum in ea factum statim ac libentissime redderem. Obsecro te, ut hac in re mihi operam tuam commodare velis. D. Valentinum Smalcium, quem jam tecum esse audio, socium illum nimirum tuum tibi accommodatissimum, perquam diligenter, ut meis verbis salutes, velim. Deus utrique simul perpetuo faveat, suoque spiritu adesse velit. Statorius noster, apud quem jam à duobus mensibus habito, diutius multo adhuc fortasse habitaturus, te plurima salute impertit. Vale frater optime atque integerrime. Ex agro Luclaviciano die 14 Augusti Anno 1598.

Tui amantissimus in Christo frater & servus

F. S.

* Valentinus Smalcius.

Ad Andream Voidovium Craccoviam.

F. S. Epistola I.

Salutem à Deo & Christo, &c.

ANdrea carissime, cum D. Paulikovius nuper Cracoviam veniret, quia mihi improvisus planе fuerat discessus ipsius, nihil aliud ad tuas literas rescripseram, nisi, ut, si fieri posset, ad aliquot saltem horas, huc te conferres, quo consultius de eo, quod tibi agendum esset, deliberare posses. Verum, & D. Paulikovius præ festinatione literas jam sibi à me datas secum auferre oblitus est, nec tu quantum video, huc venire commode potes. Quare ea ad te scribere constitui, quæ tibi coram dicere animus erat. Quod igitur studiis humaniorum literarum te quam primum serio tradere cogitas, id equidem vehementer laudo, si modo in alium quempiam potiorem finem dirigantur studia ista, nec semper in ipsis hærere velis, & quodammodo consenescere. Nec tibi enim soli natus es. Quocirca studia labores que tuos omnes in commune (ut ita dicam) conferre debes, atque eum ipsorum finem tibi proponere, qui non tibi jucundus tantum, vel utilis, vel etiam honorificus esse possit, sed aliis quoque, & iis præsertim, quibus plus debes. Quanquam nec vera jucun-

ditas aliqua, nec utilitas, nec honestas esse potest, ubi ad quod debes, non præstes. Sed videamus prius, quid in universum quisque aliis debeat. Tria sunt genera bonorum, in quibus vel comparandis, vel conservandis, alter alteri adjumento esse & possumus & debemus, animi, corporis, & externa. Animi porro bona, vera philosophia; corporis, medicina; externa, juris prudentia potissimum aut comparantur, aut conservantur. Itaque si quis officium suum erga alios facere velit, debet omnino, si alioquin ad has artes ineptus non sit, aut veræ philosophiæ, aut medicinæ, aut juris prudentiæ dare operam. Jam vero is, qui humanioribus literis perdiscendis aptus erit, vix fieri poterit, quin his etiam studiis aptus sit. Quare aut tibi ab ipsis humanioribus literis abstinendum est, aut eo animo ipsis incumbendum, ut deinde uni saltem ex istis tribus studiis penitus te dedas, illique perpetuo adhæreas. Videndum est igitur, cui potissimum te dicare debeas, idque tanquam finem ejus operæ, quam humanioribus literis daturus es, tibi proponere. Jam si rei ipsius præstantia, ut quidem fieri debet, attendatur, nemo dubitare potest, quin tibi veræ philosophiæ studium deligendum sit. Nam quantum præstant animi bona cæteris bonis, tantum necesse est hoc studium reliquis præstare. Præstant autem animi bona cæteris bonis, non eam solum ob caussam, quod animus ipse corpori & externis omnibus longe præstat, sed ob hanc etiam eamque præcipuam, quod hominem ab interitu vindicant, eumque immortalem & porro vere beatum efficiunt. Id quod cætera bona præstare nullo modo possunt. Ex quo perspicuum est, illa cum his, ne comparari quidem ulla ratione debere: immo præ his, ne bona quidem dici ullo pacto posse. Quid igitur est, quod dubites te veræ philosophiæ studio, cum primum poteris, dicare, si aliis, ut sane debes, quam plurimum prodesse velis? Atqui vera philosophia vel potius sapientia nihil aliud est, quam Dei ejusque voluntatis cognitio vera, quæ Sanctarum Literarum voluminibus continetur, quæ volumina in hunc ipsum finem, ut vere Deum ejusque voluntatem cognoscamus, ipsius Dei consilio admirabili & scripta sunt, & conservata, nobisque, tanquam præstantissima omnium, quotquot sub cœlo sunt rerum, ejusdem Dei summa beneficentia donata & tradita. Præterea vides, aut certe videre potes, quam pauci hodie sint illi, qui hac vera Dei ejusque voluntatis cognitione, præsertim ita, ut eam alios docere queant, præditi esse merito dici possint, & quam vehementer timendum sit, ne, iis deficientibus, qui eam hoc tempore docent, nulli propemodum inveniantur, qui in eorum locum succedant. Quod si (at omen Deus benignissimus avertat) evenerit, id tibi, & cæteris tui similibus imputandum erit maxime, & propterea valde metuendum, ne gravissimas pœnas ejus rei nomine detis, si Sacrarum Literarum studiis, veræque Dei cognitionis propagatione neglecta, aut otiosi esse, aut aliis quibusvis studiis, aliisque muneribus incumbere & vacare volueritis. Dico autem, te tuique similes, qui videlicet adhuc adolescentes estis, qui in vera pietate hactenus educati atque ab ipsa infantia fuistis, qui, propter fortunarum tenuitatem, nulla hujus sæculi impedimenta ad eam rem habetis, qui denique eorum filii estis, quorum hoc jamdiu fuit, & dum vixerint, futurum est proprium munus, ut alios in vera Dei cognitione instituant. Quapropter tanquam hæreditarium hoc idem ad vos pertinet, & si pii erga parentes vestros dici & esse vultis, cogitare debetis, quomodo illis aliquando tandem præ senio sub tanto onere fatiscentibus subvenire, ac per vices succedere possitis, illisque, opera & diligentia vestra, labores atque molestias minuere. Huc accedit, quod nihil dubitandum videtur, quin ipsi parentes vestri, cumque ipsis una cœtus piorum universus, hoc idem à vobis suo quodam jure postulent, vel potius repetant atque contendant. Quamobrem nulla vobis nec excusatio nec tergiversatio relinquatur, quoniam, si id facere recusaveritis, ingrati, injurii, impiique merito & in Deum, & in homines dici possitis. Itaque non admodum laborabo, ut, quam incerta sint & plena periculi reliqua duo studia, de quibus dixi, medicinæ, & juris prudentiæ, tibi notum faciam atque demonstrem, præsertim cum id quotidiana experientia plus satis unicuique ostendere possit. Nec mirum, cum neutrum firmamento stabili ad quo innitatur, sed utrumque vel hominum mendacium opinione atque auctoritate, vel fallacibus experimentis & rationibus constet, neutrum Dei gloriam, sempiternamque hominis felicitatem, tanquam proprium finem habeat, sed utrumque præcipue hanc vitam, ejusque commoda respiciat: quæ cum à plerisque hominum omnibus rebus anteponantur, facile quidem fit, ut, si quis istarum facultatum cognitione atque usu excellat, is ad summas opes summosque honores perveniat; sed facillime simul evenit, ut idem turpia avaritiæ & ambitionis mancipium fiat, quo nihil indignius, nihil homini miserius contingere potest. At vero philosophia nostra vera, tanquam solidissimo fundamento, in ipso Dei veracissimi testimonio ac verbis nititur, ipsamque Dei præpotentis gloriam, hominumque perpetuam salutem tantum respicit, quæ cum, per summam imprudentiam atque stultitiam, ab hujus mundi hominibus contemnantur, & nihili fiant, nullum est periculum, ne si quis in ea excelluerit, is tantas sibi divitias & ornamenta comparet, ut vel avarus, vel ambitiosus facile evadat. Pericula quidem hujus vitæ, ejusque commodorum amittendi, permulta subeunda sunt iis, qui hujus veræ philosophiæ disciplinam profitentur, sed in his periculis nihil revera periculi est. Sunt enim exercitamenta quædam potius virtutis & fidei nostræ, certaque pignora, si quis constanter illis defunctus fuerit, vitæ ac beatitatis æternæ. Satis tibi ex iis, quæ hactenus scripsi, persuasum esse arbitror, tua præcipua studia Sacrarum Literarum esse debere, quo illarum verum sensum aliis quoque explicare possis, eosque Dei ejusque voluntatis cognitionem veram, docere. Nunc videndum est, quatenus, antequam hisce studiis te totum dedas, in humanioribus literis perdiscendis, iisque artibus colendis, quæ ad ea studia te juvare queant, progrediendum tibi sit. Et primum quidem, quod ad linguas attinet, necesse quodammodo videtur, ut tantam Latinæ linguæ notitiam habeas, ut nec ineleganter, nec barbare quacunque de re, quæ in rerum divinarum tractatione inciderit, & loqui, & scribere valeas. Maxime propter eos, qui nisi Latine loquaris, te intelligere nequeant, & propter divinæ veritatis apud exteras quoque gentes, si opus fuerit defensionem & propagationem. Græcam vero linguam, ut admodum exacte teneas non videtur necessarium, sed satis est, si Novi Fœderis scripta per te ipsum intelligere possis, & vim ac proprietatem verborum ac locutionum, quæ in ipsis continentur, recte percipias, ad quam rem multum adjumenti attulerit, si aliquam Hebraicæ linguæ cognitionem adeptus fueris, tantam videlicet, ut saltem lexici alicujus ope Veteris Fœderis monumentorum sententiam mediocriter assequaris, unde fiat, ut Hebraicos idiotismos, (quos vocant) quibus Novi Fœderis scripta abundant, agnoscere possis. Atque hæc quidem paucissimis libris, nullo præceptore, privato studio, modo quis omnino velit, comparari non magno negotio posse, reipsa compertum est, præsertim cum non sit necesse hæc omnia jam habere, antequam ad Sanctarum Literarum studia accedas; ea siquidem magna ex parte in ipsis divinis scriptis excutiendis paulatim acquiruntur, & usu atque exercitatione possidentur, ac vere nostra fiunt. Et sane quantum pertinet ad Hebræam linguam, si quis grammaticam ita noverit, ut verborum themata, & radices (quas appellant) in Lexico per se ipse invenire possit, crediderim, istum ad sacra studia optimo jure accedere posse. Id autem unusquisque per se sola grammatici alicujus libelli ope, altero, aut summum tertio mense, quamvis interim aliud quidpiam agat, facile consequetur,

quetur,

quetur, etiamsi ne literam quidem ejus linguæ antea norit. Jam vero quod ad artes attinet, solam dialecticam crediderim ego iis, qui de sacris quæstionibus disserere, aut judicare volunt, addiscendam esse. Namque ea necessarium quoddam instrumentum est veri à falso, in una quaque facultate, distinguendi ac dignoscendi, potissimum vero ea pars quæ ad sophisticos elenchos pertinet. Sed enim cavendum diligenter hic tibi est, ne vel alium præter Aristotelem, eosve, qui ejus vestigiis institerunt, præceptorem sequaris, vel quidquid ille hac de re scripsit penitus nosse velis: illud enim periculosum valde est, atque hac nostra ætate inutile, hoc vero poene infinitum, sed si qua ratione ille probabilia argumenta formanda esse docuit, eorumque fallacias cognoscendas, mediocriter assecutus fueris, eo contentus esse omnino debebis. Cæterum rethoricæ studium, cui multi hodie tantam operam impendunt, non theologiæ modo, sed quibusvis etiam aliis facultatibus tractandis, parum aut nihil per se ipsum conducere videtur, & non nisi ipsis oratoribus utile esse. Quanquam autem Ecclesiastici concionatores, oratores quidam & ipsi videri queant, tamen illorum ratio ab oratorum ratione revera longe sejuncta est, & quidquid artificii in ejusmodi concionatorum sermone esse aut debet, aut potest, id omne natura ipsa & usus, una cum judicio aliquo, & vera caritate conjunctus, facile docet, atque suppeditat. De aliis artibus nihil dico. Nemo est enim, qui non videat, eas nihil ferme cum iis studiis, de quibus loquimur, commune habere. Nisi artium nomine, quod à bonis Latinitatis auctoribus sæpe, ut arbitror, factum est, humanam omnem philosophiam comprehendi volumus, id est non solum eam partem, de qua egimus, quæque ad differendum pertinet, sed illas etiam quæ vel ad mores componendos, vel ad naturalium rerum cognitionem spectant. Has enim non inficior, si quis eas recte teneret, non parum profuturas ad rerum divinarum exactam scientiam. Sunt enim tanquam ejus pedissequæ, sive ancillæ quædam, quarum ministerio ipsa quodammodo excolitur, sesque magis aperit, ac conspicuam reddit. Verum duæ sunt caussæ, quare hominem, qui in divinis rebus tractandis totus futurus sit, non multum de istarum artium notitia comparanda, sollicitum esse debere existimem. Una, quod ad eam rem temporis longinquitate est opus, etiamsi certam alioqui rationem earum artium cognoscendarum quis nancisceretur. Brevitas autem & inconstantia hujus vitæ, temporis dispendium omne nisi necessarium sit, plane dissuadet. Altera caussa est, quod in artibus illis, præsertim vero in ea philosophiæ parte quæ de natura agit, nihil certi fere est, nihil explorati; adeo, ut si quis rem, uti se habet, vel ex parte saltem cognoscere velit, integra vita hominis brevis omnino sit futura. Veritatem enim, ut ille ajebat, natura in profundum, tanquam in puteum demersit, ubi plerique eorum, qui eam inde extrahere voluerunt, multo etiam magis, quam per se antea erat, illam demerserunt. In moralibus non tanta est obscuritas, tametsi sine rerum naturalium cognitione ipsorum scientia perfecte haberi nequeat. Quocirca concedi fortasse potest vero philosopho post futuro, ut eorum notitiam aliquam sibi comparet, idque ex ipso Aristotele. Neque enim dubitandum est, quin ea, quæ vir ille maximus atque acutissimus de moribus scripsit, mentem hominis ad multa cognoscenda, quæ à theologia minime abhorrent, illustrare valeant. Non crediderim tamen, etiamsi quis moralia ista ignoret, multum eum damni in re theologica ex ea ignoratione sensurum. Satis enim omnia quæ ad mores pertinent, in Sacris Literis expressa sunt, & si quid tamen non expressum est, id ex universa Christianæ disciplinæ ratione, exque caritatis regula, nullo ferme negotio dijudicari & constitui potest. Quod si forte contigerit, ut vel in moralibus vel in naturalibus apud profanos auctores cognoscendis à veritate aberres, & ita inanem prorsus quandam philosophiam secteris, quod quidem propter ea, quæ ante diximus, facillime fieri potest, Deus bone, quantæ tenebræ, ad divinarum rerum cognitionem veram, tuæ mentis oculis offundentur! Ego quidem una cum aliis, iisque doctissimis viris, in ea sum sententia, ut falsæ potissimum à philosophis non optimis acceptæ, cum in moralibus, tum in naturalibus opiniones, rantam nobis, quantam hodie agnoscimus, & videmus (quanquam ea, ni fallor, adhuc magna ex parte latet) errorum sylvam in religione pepererit. Itaque præstat omnino, judicio meo, post Sanctarum Literarum studium, cum jam quis in divina veritate satis confirmatus fuerit, tunc demum aliquid ex istis artibus degustare, sic enim præeunte cœlesti luce, haud ægre verum à falso discernetur, omniaque ad ipsius divinæ veritatis cultum atque illustrationem facilius accommodabuntur.

Habes, mi Andrea, sententiam meam de studiis tuis, quæ si tibi, ut spero, probabitur, te enim & probum & pium adolescentem esse, jamdudum mihi persuasi, non video cur quærendum tibi sit, ut apud D. Buccel. conditionem aliquam habeas. Iis enim qui in aula regia famulantur, literarum studiis operam dandi tempus fere nullum conceditur, & fieri potius posset, ut ea obliviscereris, quæ hactenus didicisti, quam ut aliquid novi in bonis literis addisceres. Verebare, ne, si provinciam erudiendi filios D. Paulikovii suscepisses, à tuis studiis avocareris, cum tamen munus istud ad ipsis non multum abhorreat, immo, eo exercendo, tibi ipsi in illis prodesse potuisses, nihil enim est quod nos magis doceat, quam si alios ipsi docere debeamus, & non vides, quam necesse quodammodo sit, ut ipsa tua studia prorsus deseras, si apud D. Buccel. quacunque ratione servieris. Quia tamen superioribus meis literis pollicitus tibi sum, tales me literas ad ipsum scripturum, quales à me petieras, ne credas, me alia fortasse de caussa, quam ea, quam præ me fero, id est ingente desiderio salutis & veræ felicitatis tuæ, ita loqui, mitto tibi eas literas Italice scriptas, (sic enim soleo semper) in quibus, ut cupiebas, rogo illum obnixe, ut vel tibi apud se locum aliquem concedat, vel sua liberalitate tua studia aliqua ex parte juvare velit. His tu libellum tuum supplicem adjungas oportet, in quo, quid potissimum eum rogatum velis, breviter exponas. Quod si mihi auscultaveris, vel de conditione apud ipsum habenda nihil dices, vel eam requires, quæ, si fieri ullo modo possit, te à studiis tuis non penitus abstrahat. Te autem Dei Christique Ecclesiæ, studiis tuis omnino inservire velle profiteberis. Qui sis, & qualis, & cujus filius, & quibus cognitus, ego in meis ad ipsum literis diligenter exposui. Quare non est, quod tu his de rebus, nisi fortasse interrogatus, aliud ei dicas, præter id, quod in ipso supplici libello dicere est necesse. Qua in re D. Schomanni, prudentis non minus, quam pii viri consilium sequi poteris: cui, te rogo, ut me quam diligentissime commendes, utque Deum pro me orare non desistat, meis verbis ab eo plurimum contendas. Bovii incolumitati, quantum potui, aliis datis ad D. Buccel. literis, consului atque prospexi. Vale & Deum inprimis time; ipsique soli, mundi hujus quibuscunque illecebris posthabitis & valere jussis, perpetuo serviendum tibi esse puta. Ruri die Martii 18. Anno 1583.

Tui amantissimus F. S.

Ad eundem WITTEBERGAM, EPISTOLA II.

Quod Johannes Baptista repletus fuisse dicitur Spiritu Sancto, adhuc ex utero matris suæ, ego sic intelligo, ut partim, si ipsius Johannis Baptistæ sensum ac cognititionem spectes, sit hyperbole in Sacris Literis usitata, & similis illis, *Speravi in te ab uberibus matris meæ, Peccaverunt ab utero &c.* partim, si effectum operationemque aliquam in eo consideres, ita sit accipiendum, ut verba sonant. Nam salutante matre Domini nostri matrem ipsius, cum adhuc in utero ipsius esset, exultasse ipsum legimus, Cracoviæ die 25 Apilis 1590.

Ad eundem, Lublinum.

Epistola III.

Salutem à Deo & Christo, &c.

SEd jam ad has tuas posteriores &c. Non memini nunc ubi de nomine Jehovæ scripserim. Quod si alicubi affirmavi, id nomen esse unius Dei altissimi proprium, verum dixi; modo id recte intelligatur, ita scilicet ut ii non excludantur, qui ipsius Dei personam sustinent, tunc enim isti non quidem ex sua, sed ex ea, quam sustinent, persona, Jehovæ nomine sæpius insigniuntur. Locus apud Hieremiam ad veram nominis Jehovæ appellationem non pertinet; nec tamen crediderim ego, verbum *Vocabit* ibi regi à nomine *Jehova*. Sed *vocabit* phrasi Hebraica aliud nihil est quam vocabitur, id est, locutio ista *vocabit eum*, ex idiotismo Hebræo Latine sic resolvitur & explicatur, *Is vocabitur*; & nihilominus tamen sensus revera non est, istum vocatum iri Jehovam simpliciter & absolute, sed per eum à Jehova datum iri justitiam, propter quam caussam poterit nomen ejus dici *Jehova justitia nostra*, similia exempla alia complura sunt in Sacris Literis, inter quæ est illud de nomine Immanuel Christo attributo, quod significat Nobiscum Deus. Neque enim hinc colligi potest, Christum, esse Deum, quasi simpliciter & absolute appellatio seu nomen istud illi tributum fuerit. Non enim aliud intelligendum est, quam per Christum nobiscum, favore videlicet & gratia sua, Deum esse vel fore. Quod si quis hanc rem melius percipere velit, legat id quod legitur apud Hieremiam cap. 33 ubi secundum veritatem Hebraicam legitur, Hierusalem vocatum iri Jehovam justitiam nostram. Quis enim non videt fieri non posse, ut Hierusalem Jehova simpliciter nominetur, & istius appellationis sensum, nullum alium esse, quam Jehovam justitiam illi urbi, & per illam urbem aliis, totique populo impertiturum? Adde quod cap.23, quem locum tu intelligis, relativum *eum* commode ad Israelem ibi nominatum, non minus quam ad regem illum referri potest. Quare statuendum est, locum istum nullas prorsus habere vires ad probandum quod Christus vel sit ipse Jehova, vel etiam simpliciter nominetur Jehova. Cæterum de nomine isto ut alibi scripsi, cum Vatablo, Brentio, aliisque doctissimis viris sentio, illo potissimum Deum appellari, quia existere & esse faciat id, quod futurum promisit. Hæc enim interpretatio satis aperte colligitur ex cap.6. Exodi, unde etiam eam Vatablus collegit. Cracoviæ. Anno 1594.

Ad eundem Lublinum,

Epistola IV.

Salutem à Deo in Christo, &c.

SEptem mea tibi commodata scripta, quæ ad me remisisti, accepi, una cum tuis literis 11 Aprilis datis; idque nudius demum tertius. Itaque Zakrzoviam nihil responsi ad te mittere potui. In Synodo ista cur non adsim caussa præcipua, cura parandi ad prelum Typographicum Disputationem cum Francisco Davidis quæ Deo dante excudetur, simulatque Disputatio cum Erasmo Johannis, quæ jam, nisi spes me fallit, sub prelo est; excusa fuerit. Ex iis, quæ scribis de mea cum Francisco Davidis disputatione, tametsi nolim, te mea nimis magni facere; hanc non sane mediocrem voluptatem capio, quod spero, ejus libri editionem utilem lectori fore. Nam quod nihilominus tibi non videtur prorsus arridere sententia illa mea in eo expressa, quæ non solum in disputatione cum Christiano Francken, sed, nisi memoria me fallit, in ipso Antivujeko est expressa, Christi, videlicet, imperium & potestatem ad Ecclesiam tantum se porrigere, animadvertere debes, me satis aperte non uno in loco omnia complecti, quæ quoquo modo ad Ecclesiam, & ad singula ejus membra vel pertinent, vel pertinere possunt, adeo ut ea etiam quæ extra Ecclesiam, ratione tamen Ecclesiæ fiunt, meis verbis comprehendam. Neque enim (quod ipse tamen arbitrari videris) nihil est, quod non fiat ratione Ecclesiæ. Immo infinita ejusmodi sunt, ut ipse, si totum terrarum orbem, vel potius mundum universum consideres, & quæ in ipso quotidie fiunt, necessario fateberis. Christo præter ipsum Deum, omnia subjecta sunt, ubi nimirum de re aliqua ad Ecclesiam, ejusve membrum vel minimum (ut tale tamen consideratum) quoquo modo pertinente agatur. Itaque præter ipsum Deum (ne latum quidem unguem à Pauli verbis recedendo) nihil penitus, sive in cœlo sive in terra, à Christi potentia verba mea excludunt; quamvis asseram potentiam istam exercere non esse illi datum, nisi ubi de ipsius regno, vel de iis, quæ ad ipsius regnum, quacumque vel minima ratione spectent, agi contigerit. Nec sane vel tacite vel aperte negavi ego unquam, panem quotidianum vitæ alendæ necessarium à Christo peti posse, modo is qui petit, vel pro quo petitur, vel ista ipsa petitio relationem seu rationem aliquam ad ea, quæ dixi, habeat. Quod vero tu longe majus incommodum esse ais, si Deus imperium aliquod per se, id est, sine Christi medio exerceat, aliquod vero per Christi medium; in eo ipse nihil prorsus aut incommodi aut absurdi video; immo incommodum absurdumque omnino mihi videretur, si res aliter se haberet. Idemque unicuique visum iri spero, qui nobiscum de Christi natura & essentia sentiat, si ad Dei patris prærogativam conservandam, & & ad rationem, cur Christo tanta potestas ab eo data fuerit, diligenter animum advertat. Nunc otium non habeo ista quæ dico comprobandi. Sed si opus fuerit faciam aliquando. Quod scripserim Mosem mortuum esse, nec adhuc revixisse, de morte verissimam & Sacris Literis testatissimam sententiam scripsi; & doleo te istis somniis (ignosce quæso) contra expressum Dei verbum vel aures quidem commodare, quibus contenditur Mosem revera mortuum non esse. Quod nondum revixisse eum dixi, huic sententiæ nihil obstat ejus in Christi transfiguratione apparitio. Ut enim longius nunc non progrediar, mea verba manifeste ita accipienda sunt, ut intelligatur, Mosem non revixisse absolute, id est, ita ut amplius non moreretur; vel certe non ita ut etiamnum vivat, nec apparitio illa huic quidquam contrarium docere potest. Sed quando ipse non curabas, ut ad hæc quidquam responderem, ut id pluribus confirmem non laborabo. Minister ille Euangelicus à me quidem emit Disputationem de Servatore, sed per D. Martinum Codicium, qui, nisi memoria me fallit, addidit precio de suo grossum unum, cum diceret, se non nisi florenum ab emptore habuisse. Libri non compacti precium non à me (ad quem tamen illud non pertinet) sed à fratribus constitutum, sunt grossi 24. Pro compactura dederam ego septem grossos, quos ut reciperem justum fuit. Miror autem, hominem istum censere librum istum caro vendi, cum certissimum sit, omnibus recte perpensis, nullum librum in hoc ipso regno impressum, proportionis habita ratione, vilius vendi. Habebitis, ut spero, Lublini Antivujekum Latinum. Doleo Polonicum à rudibus non intelligi; si enim verum est quod ais, ipsam Dominam Dudithiam illum non recte percipere, quid sperandum est de aliis? Scripta quæ petis, nunc mittendi, id est (adhuc in lituris sunt) ea describendi tempus non habeo ubi habuero, petitioni tuæ, ut soleo; satisfaciam. Tuis aliorumque piorum fratrum precibus apud Deum juvari vehementer cupio. Deus isti conventui spiritu suo adesse velit, Cracoviæ die 4 Maji. 1595.

Tui amantissimus in Christo frater

F. S.

Ad

Ad eundem Zakrzoviam.

Epistola V.

Salutem à Deo & Christo, &c.

REspondeo ad literas tuas 29 Junii datas. Et primum mihi valde probatur, quod animo volutas de commoratione tua in Germania; modo exploratum habeas, tibi illic non fore necesse simulare aut dissimulare, præter id quod fidelitas postulat, quam Deo debemus. Video enim alioqui, te illic Ecclesiæ Dei utiliorem futurum, quam in Polonia. Poterit hac de re in conventu Lucl avviensi agi, ubi me affuturum spero. Quo si D. Philippus Zakrzovius venerit, ejus aspectus mihi jucundissimus est futurus; non tamen propter honorarium, quod fortasse ipsummet mihi allaturum scribis. Immo illud, sive ipsemet attulerit, sive miserit, non accipere decreui, cum, per Dei gratiam, rerum necessariarum nihil mihi desit ex eo tempore, quo D. Buccel. mensa, dum ipse adest, gratis utor. Itaque, rogo te, illi suade, ne vel mittat vel afferat mihi donandum quidquam, præsertim cum certus esse possit, me perinde illi obligatum perpetuo fore, ac si honorarium istud ab eo accepissem. Quod si alios pios nostri cætus viros non pauperes imitari velit, qui aliquid contulerunt, aut collaturos se spondent ad meorum scriptorum editionem; id sane non modo non recusabo, sed ambabus, quod ajunt, ulnis amplectar. Memineris autem interim meo nomine ipsi pro hac mihi decreta liberalitate summas gratias agere. De filia mea nihil aliud me sollicitat, nisi quod ubi nunc est, otiatur, ni fallor, plurimum, nec iis vel faciendis vel addiscendis exercetur, quæ Christianam puellam decent, nisi raro admodum idque negligenter. Nihil tamen certi jam diu rescire potui; & difficile mihi erit eam ab sua matertera avellere. Argumentum Adversariorum, de quo in Antivujeko Polonico pag. 148, non est revera hujusmodi, *Proprium est viventium gignere sibi simile in natura, Ergo Deus, qui est vivens, genuit sibi simile in natura:* Sed est hoc: *Christus est filius Dei vivi, Ergo Christus est similis in natura Deo. Siquidem proprium est viventium gignere sibi simile in natura.* Ex quo fit ut ad enunciatum istud, *Proprium est &c.* cum non sit argumentationis istius enthymematicæ assumptio, sed ratio consequentiæ, non fuerit necesse directe respondere: sed satis fuerit, per instantiam consecutionis fallaciam aperte demonstrare. Eo magis; quod si quis diligentius inspiciat, assumptio argumenti nec omnino ista est, quam ego & in Antivujeko & hic scripsi, non est, inquam ista, *Christus est filius Dei vivi*, sed, *Christus appellatus est Dei filius, addita ad nomen Dei, voce, vivi*, ad quod ego, respiciens, instantia allata, nihil aliud mihi faciendum censui, quam docere, vocem istam longe alia de caussa fuisse additam, quam Adversarii in sua argumentatione affirment. Potuissem ista de vera assumptione argumentationis Adversariorum in ipso Antivujeko, ut hic, ad vivum, ut dicitur, resecare; sed, ubi id commode facere potui, cavi, ne nimis acutus viderer in tota disputatione illa, præsertim ubi de Adversariorum verbis interpretandis ageretur. Nec tamen interea sine responsione est ratio ista consequentiæ Adversariorum, ad quam directò fortasse respondendum tibi videbatur. Quandoquidem proxime ante demonstratum est, fieri non posse, ut Deus simile sibi in natura gignat, dum rationibus evictum est, Dei substantiam, id est, essentiam, nec partiri nec totam communicari, nec multiplicari ullo modo posse. Ex quo fit, Pronunciatum istud Adversariorum in Deo nullum locum habere posse, & necesse esse fateri, Deum, licet omnino vivens quiddam, aliter filium suum genuisse, quam illum sibi similem in natura, id est, essentia gignendo. Nec sane; si directò ad pronunciatum istud respondendum sit, aliud dicendum videtur, quam illud per inductionem quandam tacite collectum, non esse prorsus universe verum, quippe quod generationem ex sua substantia omnino requirat, quæ in Deum cadere non possit, quem etiam certissimum sit aliter gignere filios, quam per essentiæ suæ communicationem; homines siquidem ipsi, qui in Christum credunt, & Dei filii, & ab ipso Deo sive ex ipso Deo geniti seu nati dicuntur. Addatur autem, quod, etiamsi Deus quiddam vivens sit, est tamen simul plusquam vivens, id est ipsius vitæ auctor solus, solusque vivificans; ita ut aliorum viventium numero eximendus sit, nec secundum alia viventia de ipso judicandum, alioqui in ingentia absurda deveniremus, idque in ipsa generatione de qua agitur; quemadmodum unusquisque per se facile intelligere potest. Quod attinet ad Dominum Jesum in universali judicio etiam impiis ipsis conspicuum futurum, nihil te moveat, quod in sua ipsius forma immortali, quam nunc habet, non sit conspicuus futurus. Quandoquidem & Angeli, & Deus ipse sæpius conspectus esse scribitur, non tamen in sua propria forma. Satis est, certum ex multis evidentissimis signis fore, Jesum Christum illum esse, qui sub qualicunque illa forma mundum judicabit. Hoc enim illud est, quod requiritur in judicio isto. Cæterum ex ipsa forma, vel qua Christus dum adhuc hic esset, præditus erat, vel quam nunc habet, etiamsi ea conspicua oculis mortalium esset, quis, quæso, ex omnibus, quos vivos dies ille deprehendet, ipsum Christum certo agnoscere poterit; cum utravis istarum formarum nemini istorum antea cognita aut perspecta fuerit? Vale in Domino una cum tuis; & hilariter tui patris præsentia, quam tibi, uxorique tuæ jucundissimam fore arbitror, quam diutissime potes perfruere. Ex suburbio Cracoviensi Bisf kupie dicto 9 Augusti 1595.

Tui amantissimus

F. S.

Ad eundem Zakrzoviam,

Epistola VI.

Salutem à Deo & Christo, &c.

. . . . . SEd spero Deum ab omni malo me defensurum, quemadmodum heri me è manibus eripuit Domini Wiernek, generi Domini Ligezæ nostri. Is enim in publica via, hic Cracoviæ, cum eques esset, & decem circiter aut duodecim equestribus aliis militibus, quibus ille videbatur præesse, comitatus, cumque ipsi obviam essem factus, me agnito jussit, ut sui milites me vi secum abriperent, cumque ego orarem, ut me hominem innocentem dimitteret, dixit vociferans, me esse Arianum, ipsiusque Patrem seduxisse, nec dignum esse qui viverem, nedum Cracoviæ habitarem, & iterum atque iterum, sæpius me jussit abripi. Me autem vociferante, & populo multo occurrente, jussit mihi os, luto spurcissimo semel ac bis obstrui, deinde etiam totam faciem conspurcari fœdissime, nemineque eorum qui circumstabant audente ei quicquam dicere, tandem me, nescio quo pacto, ea conditione dimisit, si illum humillime rogarem, & ad pedes illi acciderem, id quod ex parte tantum feci, atque hac ratione sum ab eo missus. Sunt qui dicant illum præ se tulisse, ac si vellet me sclopeto transfigere, quod tamen ego non vidi: sunt etiam qui plane affirment, cum jam me dimisisset, & ego domum quandam ad tantum lutum abluendum ingressus essem, unum ex ipsius militibus ibi prope remansisse aliquantisper, ut si ego prodiissem, me globo transverberaret. Sed Deus voluit ut valde diu in loco illo, me abluendo occuparer, ita ut ille postea abiisset, cum ego domum inde me retuli quo simulatque perveni, genibus flexis gratias egi, de tanta liberatione. Tu idem facies, meoque nomine ad idem fratres, quos poteris, hortaberis, rogabitisque omnes Deum, ut me posthac protegere velit, nec permittere ut quidquam Christiano homine indignum mortis metuendæ gratia faciam. Cracoviæ die 7 Octobris 1594.

Ad Clarissimum virum N. N. S. Theologiæ Doctorem.

F. S. EPISTOLA.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Diu erat, ex quo tum ex Gregorii Cycnei, tum ex aliorum amicorum literis, clarissime atque eruditissime N. N. cognoveram; te expetere, ut tuæ ad me literæ perferrentur, cum illæ optatissimæ ad me sunt Lublinum, ubi tunc in nostra Synodo eram, perlatæ. Miratus sane sum tantam tuam erga me humanitatem, & hinc summam spem concepi, ut me indies magis, quamvis tibi & virtute & eruditione longe imparem, sis amaturus, ac simul, in hoc divinarum rerum studio, ætate licet, ut arbitror, multo te provectiorem, non parum adjuturus. Periit enim mihi in Italia, patria quidem mea, sed, quod confiteri quidem necesse est, hodie otii ac vanitatis sede, magna pars ætatis meæ, immo flos ipse universus, ab anno nimirum 23, usque ad 35, adeo ut nihil mirum cuiquam videri debeat, si in rerum (culpa potius hominum tamen, quam Dei consilio) tantopere abstrusarum cognitione, minus quam mediocriter adhuc profecerim. Id quod ego ipse probe sentiens, nihil fortasse, tantis de rebus, scriptis mandassem, nedum scriptum publicassem, nisi aliqua necessitas id me facere coegisset. Quod interdum puto non sine Dei nutu esse factum; cum ea, quæ & scripsi & edidi, ut sine dubio maximi (si vera, quemadmodum mihi persuadeo, sunt) in religione nostra momenti censeri debent, sic à plurimis doctis & piis hominibus non minus veritatis, quam singularitatis cujusdam nomine commendari audiam. Inter quos si unquam te numerare potero, tum demum statuere, ni fallor, mihi licuerit, Deo annuente id factum fuisse. Nam quod ais tibi videri, me in illa præsertim doctrinæ parte, quæ est de Deo, tantum probabiliter non apodictice disputare, idque tibi displicere. Considera (quæso te) qualis sit sententia illa de Deo, contra quam, una cum aliis non paucis scribo, id est, quam ab omni ratione, & sensu ipso communi, abhorrens; ut ipsimet ejus vel acerrimi propugnatores id vix ullo modo negare audeant. Ex quo consequitur, ad sententiam istam erroris plane revincendam, seu falsam eam esse demonstrandum, aliud nihil necesse esse, quam ad ea respondere, quæ pro ea confirmanda in medium afferuntur. Quod sane & ego, & alii Symmystæ mei satis diligenter (nisi plurimum erro) hactenus fecimus. Adde quod in nostris editis scriptis (in meis quidem certe) vix data ulla occasio fuit, quidquam amplius præstandi. Semper enim hactenus non actorum; sed reorum partes sustinuimus. Quare non videbatur, tibi debere displicere, si muneris nostri fines egredi noluimus. Erit aliquando, Deo dante, cum actorum partes, ut ipse animadvertisti me, in animo mihi esse, alicubi profiteri, suscipiemus. Id quod hactenus (cur ab aliis nescio) à me quidem ideo factum non est, quia ea duo defuerunt, quæ requiri tunc dixi, cum animum istum meum indicavi, aut certe alterutrum eorum, nempe otium & bona valetudo. Interim, per Dei gratiam, videmus, non inanes esse labores nostros, idque apud homines quidem cordatos & pios; qui satis habent, ut ab inveterata sententia recedant, agnoscere, tam alioqui per se absurdæ atque incredibilis rei, nullas, sive ex sacris testimoniis, sive ex ratiocinatione petitas probationes dari, quæ firmitatis quidquam habeant, & omnia eam defendentium argumenta sophismatis esse involuta. Vehementer autem omnino sum lætatus, te, hominem licet doctum, & aliis docendis præfectum, à nobis etiam, qui teterrimi, ut ais, hæretici vulgo habemur, aliquid discere paratum esse, gratiasque summas tibi ago, quod me dignum judicaveris, cum quo, hujus rei gratia, de religionis nostræ dogmatis conferas. Sic enim id spero fore, quod ab initio dixi, ut scilicet, me in harum rerum studio haud mediocriter juves. De divina prædestinatione quid sentiam, scripto quidem exposui. Sed illius, præter ipsum autographum meum nullum prorsus exemplum habeo, nec ullius qui illud describere valeat, adest facultas. Quamquam scriptum istud ejusmodi est, ut eum lectorem requirat, qui nulla sententia, quantumvis nova, & prima fronte falsa ac detestabili, quidquam, donec illam diligentius expenderit, aut certe non admodum graviter commoveatur. Ita ut vix audeam illud cum aliis communicare, quam cum iis qui jam agnoverunt, quædam alia non pauca à me vel affirmata, vel negata, ubi vulgus Christianorum me blasphemiæ insimulare non dubitat, verissime ac sanctissime, affirmari quidem illa, hæc vero negari. Verumtamen simul atque potero curare, ut scriptum hoc meum describatur, id facere non negligam, & descriptum dabo operam, ut in tuas manus perveniat, sperans te plane eum esse, quem nihil commoveat, ubi divinis tantum testimoniis, & ratione apertissima duce, veritas inquiritur. Interim ad propositas mihi abs te quæstiones hoc brevissimum responsum habe; quod in hoc ipso inter nos conferendi initio satis esse puto. Nullum arbitror ego esse æternum decretum Dei, quo nominatim alios ad vitam perducere, alios vero præterire constituerit: sed tantum fuisse à Deo decretum, illos servare, qui sibi obedientes fuissent, eos vero perdere seu perditioni relinquere, qui fuissent contumaces; exceptis, quod ad servandos attinet, fortasse paucissimis quibusdam, qui, ut aliorum duces & exemplaria ad imitandum proposita esse possent, verisimile est Deum decrevisse eos servare, quibus viam salutis annunciandam curat, sive obediant isti, sive non obediant, & illos præterire, quibus minime viam istam curat annunciandam; præterquam quod non existimo de tali divino decreto, quod irritum culpa hominis fieri possit, in proposita quæstione agi. Est etiam animadvertendum, nihil cogere, ejusmodi decretum ab æterno à Deo factum esse. Atqui in proposita quæstione de æterno Dei decreto agitur, Jam si quid Deus nominatim de aliquorum salute ab æterno decrevit (nam de ullius hominis perditione Deum quidquam nominatim ab æterno constituisse non arbitror) id sine dubio non ab ulla istorum prævisa probitate pendet, sed ab ipsius tantum Dei gratia & bonitate. Jam quid de certo servandorum & perdendorum numero, deve conditione probitatis & improbitatis sentiam, satis ex ante dictis intelligi potest. Postremo, quod quæris, an statuam, omnes à Christi cognitione alienos, esse reprobos, an vero existimem, inter ethnicos olim non paucos fuisse servatos, & qua ratione, aliasque quæstiones addis ab hac una dependentes; primum respondeo, non debuisse, judicio meo, in hac quæstione ethnicos nominari, qui olim fuerunt. Videtur enim omnino vox Olim ad id tempus respicere, quod Christi adventum antecessit, cum, scilicet, extiterunt illi Socrates, Aristides, Catones, &c. Sed fortasse ita locutus es, quia sentis, etiam ante Christi adventum, per ipsius Christi cognitionem ab orbe condito salutem humano generi contigisse, & quia post Christi adventum ejusmodi ethnicos probos ac justos vix extitisse existimas. Atqui, sententia quidem mea, res aliter se habet; nam nec qui Christum præcesserunt, per Christi cognitionem ulli sunt servati; & non minus post ipsius adventum, quam ante, verisimile est, homines extitisse ab ipsius cognitione alienos, & tamen probos ac justos. Neque enim singulis ætatibus, immo ne unquam quidem, per universum orbem Christi Euangelium hactenus prædicatum est, adeo ut statui possit, quemlibet à Christi cognitione alienum, nec justum esse nec probum, quemadmodum mihi quidem persuasum est, aliquando futurum ut statui possit. His ita explicatis, ajo deinde, divinum hoc esse arcanum, nobis minime patefactum, an Deus alios sit servaturus præter eos, qui viam illam ingressi fuerint, quam ipse ad sa-

ad salutem adipiscendam aperte proposuit; nec ullam injuriam facturum Deum iis, quibus via ista patefacta non est, si eos non servaverit, modo ne eos propter hoc ipsum tantum puniat, quod viam istam non sint ingressi. Itaque, quod ad id pertinet, an una pluresve sint ad salutem viæ, & an omnibus hominibus ubique & semper sufficiens gratia detur ad salutem, præter eam quam Deus ipse proposuit & patefecit, sive ante sive post Christi adventum, vel alios servari posse, præter illos, quibus ea fuerit patefacta; Sed ne contrarium quidem affirmari posse aut debere, existimo: sed Deo ipsi, præsertim, cum cognitio ista nulli rei utilis esse possit, ejusque arcano consilio hæc penitus relinquenda esse censeo. Quamvis sacra testimonia & rationes inde ductæ, quicquid non pauci contra sentiant, in eam partem potius propendere videantur, ut nemini salus contingat, nisi ei, qui salutis viam à Deo propositam & patefactam noverit, eamque ingressus fuerit. Scripseram hucusque, existimans, me satis pro hoc tempore, ad tuas quæstiones respondisse, cum animadverti, te insuper petere, ut fundamenta meæ sententiæ adscribam. Quod facere nunc nullo pacto vacat. Ea vero habentur in Disputatione mea cum Francisco Puccio; quam brevi editum iri sperabam. Sed impedimenta quædam obstant, præsertim cum neminem habeam adjutorem, aut meorum laborum socium. Vale vir præstantissime, & amicitiam nostram, cujus ipse fundamenta jecisti, sæpius ad me scribendo, fove, atque in dies magis confirma. Ego quidem quam maxime potero, eam perpetuo sum culturus. Deus tibi adsit, ut eos quos docendos suscepisti, cœlesti revera doctrina imbuas ac repleas. Cracoviæ die 7 Julii 1597. Receptæ autem sunt hæ literæ apud me usque ad diem 6 Augusti.

Tui in Christo studiosissimus

F. S.

Ad clarissimum virum MARTINUM VADOVITAM Academiæ Cracoviensis Professorem.

F. S. EPISTOLA.

Clarissime atque eruditissime vir, &c.

HUmanitas non vulgaris qua in me es usus, ipsaque verba tua penitus mihi persuaserunt, tibi meas literas quamvis hominis vulgo fere exosi, non injucundas fore. Quare cum primum ad te scribendi mihi occasio est data, eam omittendam non censui. Occasio autem hæc est, quod pro certo ab hominibus fide dignissimis affirmatum fuisse nuper accepi, quemadmodum præter eos qui jam id verbis factisque ostenderant, quibusque me plurimum debere aperte profiteor, quidam etiam alii tui ordinis homines sunt inventi, meum casum dolentes, vosque laudantes, qui me è tanto periculo liberastis, sic nonnullos ejusdem ordinis, id est Academiæ Cracoviensis Professores inveniri, qui nihil dissimulant, se haud mediocriter lætari, quod ita male mecum actum fuerit, vosque graviter accusant, qui furiosæ ac crudelis illius multitudinis in me sæviendi libidinem exsatiari non permisistis. Si alterius cujuspiam professionis homines tantam inhumanitatem præ se ferrent, nec multum mirarer, nec tecum quidquam expostulandum censerem. Sed quod homines bonas artes literasque profitentes, quæ animum quantumvis barbarum ac truculentum excolere ac mitem reddere consueverunt, in hominem ab iisdem artibus & literis non alienum, ipsisque nihil prorsus incommodantem, animis suis tantopere sæviant, id vero apud me miraculi loco est, meque plane movet, ut tecum qui easdem artes & literas profiteris conquerar, & simul planum faciam, istos tuos collegas nullam omnino causam habere, cur mihi quidquam male velint, nedum tam crudeli in me sint animo. Ajunt ipsi, ut audio, me esse hæresiarcham, & propterea mecum quam sævissime agendum fuisse. Ego vero illius enthymematis (liceat mihi tecum qui scholas regis, scholastice loqui) & assumptionem & consecutionem pernego. Immo utramque falsam esse, & uberius, ubi opus fuerit, demonstrare sum paratus, & hic paucis statim sum ostensurus. Primum enim, quod ad assumptionem attinet, nullo prorsus pacto possum ego hæresiarcha vocari, cum nec alios in iis, quæ ad religionis nostræ decreta spectant, docendi provinciam hactenus mihi sumpserim, sed tantummodo vel plane provocatus ac lacessitus, vel amicorum & fratrum precibus ac jussibus coactus, aliquid hucusque scripserim, mea autem ipsius sponte nihil; nec dogma ullum in meis scriptis in lucem editis asseruerim, quod non modo alibi, sed in hoc ipso regno, ubi ea sunt edita, ab aliis ante me, & meum huc adventum, partim publice & voce & scripto assertum, partim jam affirmatum & discutiendum propositum non fuisset. Id quod ita se habere planum facere semper paratus ero. Illud certissimum est, Gregorium Zarnovecium Ministrum, ut vocant, Euangelicum, qui nominatim adversus Disputationem meam de Jesu Christo Servatore (in cujus Disputationis doctrina id totum continetur, unde auctorem me alicujus novi dogmatis suspicari fortasse quispiam possit) libellum Polonice edidit, in ejus præfatione asserere, me ex Ochini dialogis, annos ab hinc circiter triginta quinque editis, sententiam illius meæ Disputationis accepisse. Nam certe in dialogis illis, quorum non pauca exempla jam diu in ipsa Polonia mihi videre contigit, est sententia ista aperte expressa & inculcata; quæ breviter est, Christum quidem sanguine suo delevisse atque expiasse peccata nostra, sed alia tamen ratione, quam ea quæ vulgo recepta est, ut scilicet divinæ justitiæ sanguinis sui fusione id persolverit, quod nos ei propter nostra peccata debebamus, seu pro nobis peccatisque nostris satisfecerit; quippe cum nec id ullo modo opus esset, nec nostrorum peccatorum pœnas Deus à quoquam repetere, seu (ut sic loquar) debita cum ipso nostra exigere voluerit, sed ea liberaliter remittere ac condonare; quemadmodum universæ Sacræ Literæ apertissime testantur. Quod tamen affirmare & contendere est illud meum præcipuum atque inauditum scelus, propter quod scilicet non sum dignus, ut me terra ferat. Verum ad id redeo, quod dicebam, me alios religionis nostræ decreta docendi provinciam nunquam hactenus suscepisse. Id enim adeo verum est, ut silentii hac in parte mei me pudere ac pœnitere debeat, si modo isti rei me aptum esse ipse censeo. Alioqui omnium hominum stultissimus essem, si id aggredi unquam vel cogitassem quidem. Hujus autem silentii mei fidem facient certissimam omnes, quibuscum familiaritatem ullam habui, præsertim vero Cracoviæ, ubi bonam meæ ætatis partem consumpsi. Interrogentur diligenter ipsi Itali nostri, cum quibus potissimum sum versatus, nullus in tanto numero invenietur, cum quo non dicam egerim, ut sententiis suis de religione abjectis meas susciperet, sed disputationem ullam de rebus divinis instituerim. Ita denique hic me gessi, & tanta mea modestia (nisi potius desidia & negligentia dicenda est) hac in re fuit, ut nihil dubitem, quin omnes, qui me familiariter norunt, id sint vehementer mirati. Cum alioqui scirent me diversum ab ipsis in religione sentire, & haud incertam interim de meis rerum divinarum studiis cognitionem haberent, nec non aliquam de eruditione opinionem. Concludo igitur, etiamsi alioqui totus hæresibus scaterem, me quam longissime ab eo abesse, ut hæresiarcha dici possim. Etenim, qui ex loquendi usu merito isto nomine appellari queat, is sæculo saltem suo nova & inaudita dogmata proponit, docet, persuadere conatur, discipulos sibi asciscit, sectæ alicujus est auctor, & alia habet cum quibus mihi

nihil unquam fuit commune. Quid quod ad hæresiarcham constituendum hæc omnia nihil valent, nisi dogmata ista etiam sint falsa? Atqui sacra testimonia, eorumque diligentissimæ examinationes, aliorumque cum aliis collationes, quibus referta sunt scripta mea, & sine quibus nihil unquam in ipsis à me affirmatur, atque eorum omnium quæ ab Adversariis afferuntur, sive testimonia sint sive rationes, sine ulla usquam tergiversatione aut dissimulatione accuratissimæ pensitationes, satis unicuique cordato homini demonstrare possunt, nihil in illis à me disputando concludi, quod sit falsum, aut certe de cujus falsitate a quoquam temere sententia ferri possit; ut ab iis fere fit, qui in lucem editas aliquot disputationes meas impietatis insimulare palam audent, cum tamen illas vel nondum legerint, vel accurate non perpenderint, vel certe non intellexerint. Hujusce rei plenissimam fidem faciunt calumniæ manifestissimæ, quibus in illis reprehendendis isti utuntur, mihi meisque verbis sæpe ea affingentes, quæ ipse non modo non cogitavi unquam, sed in illis iisdem disputationibus meis falsissima esse dico. Ut (exempli gratia) non puduit quosdam asseverare, me in Disputatione de Jesu Christo Servatore, ipsum Christum peccatorem facere; cum tamen in eodem ipso ejus Disputationia capite, ex cujus verbis, nescio quo pacto, turpissimam & gravissimam hanc calumniam isti mihi struxerunt, in ipsiua capitus initio pag. 184, disertissime pro concesso sumam, istam esse summam blasphemiam, quam, ne per somnium quidem mihi in mentem venire optem. Alia hujusmodi complura, mihi meisque scriptis non minus imprudenter quam falso objecta, in præsentia omitto, quæ vel à me ipso, vel ab alio quopiam aliquando, volente Deo, publice commemorabuntur & patefient. Hoc unum, antequam hunc locum de veritate aut falsitate eorum, quæ à me scripta fuerunt (utpote cujus tractatio integros libros requireret) in his literis quodammodo abrumpam, dicere non verebor, me aliquot easque maximas causas habere existimandi, tantum abesse, ut ea falsa sint, aut videri diligenter inspicienti possint quæ in meis scriptis doceo, ut plerique eorum, qui mihi tantopere adversantur, & ipsa mea scripta una mecum extincta cupiunt, propterea id cupiant, quod vera quidem, sed quæ suæ auctoritati aliquando obfutura metuunt, ea esse quæ in illis à me disputantur, ipsimet suspicentur. Sed jam tempus est, ut consecutionem illius enthymematis, quod dignum me esse ut omnia in me sævitia & crudelitas exerceretur, concludi quidam putant, non minus quam assumptionem falsam esse doceam. Fingamus igitur me (si Deo placet) esse hæresiarcham. Num propterea quam sævissime agi mecum debuit? Non sane, etiamsi pertinacem præterea me esse constaret; modo omnis à me absit seditio, ut certe penitus abesse, meque & quietissime in religionis negotio semper me gessisse, fateri coguntur omnes, & modo nullius privati mei commodi gratia dogmata mea disseminare ac propagare studuerim, sed per imprudentiam id fecerim, cum ea videlicet sanctissima, & ad solidam pietatem in hominum cordibus ingenerandam ac fovendam accommodatissima esse plane statuerem. Id quod similiter fateri coguntur, quicumque mearum rerum notitiam ullam habent, immo qui ipso communi sensu non sunt penitus destituti. Quamvis enim non omnes sciant, domi in patria mea quis essem, nec quæ commoda & honores merito & ibi & alibi sperari à me potuissent, si cum aliis in religione consentire voluissem, nec etiam noverint, me religionis causa non solum mea ipsius sponte dulcissimæ ac jucundissimæ patriæ in perpetuum valedixisse, sed etiam bonorum omnium quæ profecto haud exigua ibi habebam, jacturam fecisse, quis est tam bardus aut stupidus, quin videat quot periculia, propter ipsam tantum religionis causam, præsertim si sententias de illa meas aliis persuadere velim, sim perpetuo obnoxius? Longum esset hic enarrare, quot & quantas hactenus post relictam patriam, persecutiones religionis causa sim passus, cum alibi, tum præcipue in hoc regno, aliquot etiam annos antequam in eo domicilium meum, nobili Polona uxore ducta, constituerem. Unus hic postremus casus meus, ubi carissimum meum aliquot scriptorum & librorum thesaurum, quem meo ipsius sanguine libenter redimerem, plane perdidi, ignominiam publice summam sum passus, de ipsa denique vita manifeste sum periclitatus, satis unumquemque docere potest, me, non modo nihil commodi hic quærere, sed persuasissimum habere, omnia maxima & horribilia incommoda, mihi consilium non mutanti, præsto esse. Unde factum est, ut optimus ille vir tuus collega, amice quidem, sed minus tamen ad veram meam salutem apte me monuerit, ut ab istis tantis malis & periculis addiscerem Catholicus fieri. Sed quæ (dices) tandem causa est, cur rebus sic se habentibus, affirmes, etiamsi hæresiarcha esses, & quidem pertinax, non tamen quam sævissime tecum agendum fuisse? Hæc nimitum, quod ubi seditio omnis & sui commodi studium abest, ibi hæresiarcha ipse non voluntatis, sed intellectus vitio laborat. Quamobrem quemadmodum furiosos & mente captos, quantumvis alioqui aliis nocentes, reprimimus quidem, & cathenis etiam, si opus fuerit, constringimus, cæterum ipsorum haud mediocriter miseremur; sic cum ejusmodi hæresiarcha non modo quam sævissime agendum non est, verum illius potius miserendum, & tantummodo curandum, ut ejus conatus suam doctrinam propagandi impediantur, idque si aliter fieri nequeat, carcere & vinculis. De pertinaci, ut vides, hæresiarcha loquor. Nam qui pertinax non est, is nondum eum mentis furorem & insaniam contraxit, ut cathenis cum ipso agendum sit. Jam quis est, qui me in meis de religione sententiis pertinacem esse jure vel suspicari quidem possit? Nam præter unum quendam monachum virum bonum, quem hic nominare non est necesse, qui levissime id semel tantum est expertus, nec fere ullam disputationem mecum instituit, sed potius commonefactionibus & pollicitationibus, si institutum meum relinquerem, mecum est usus, nemo unquam Catholicæ religionis homo disputando mihi persuadere conatus est, nullam justam me habere causam ea sentiendi quæ de religione sentio, & à Romanæ Ecclesiæ communione me separandi. Quamquam vix dici potest me unquam Romanæ Ecclesiæ adhæsisse, cum simulatque per ætatem judicio in divinis rebus uti potui, fuerim in illis aliter atque Ecclesia Romana doceat, edoctus atque institutus. Cur vero antequam tam turpiter publice tractarer, tantaque injuria & damno afficerer, non tentavit aliquis ex eorum numero, qui ista in me patrarunt, vel potius patrari curarunt, omni conatu me à meis, de divinis rebus sententiis, abducere, earumque fundamenta à me exquirere, eaque penitus infirmare atque evertere? Quando enim jam vel animadvertebant, vel se animadvertere putabant, me quædam asserere quæ hæreticorum (quos ipsi vocant) vulgus non solum non asserit, sed vel plane ignorat, vel etiam aperte damnat, suspicari merito debebant, me in fundamentis sententiarum controversarum in religione nostra, non admodum cum illis consentire, & propterea ad me vel revincendum, vel pertinacem ostendendum, ea nullo modo satis esse posse, quæ adversus illos eorumve sententias à Catholicis hominibus scripta fuerunt. Cur saltem ea dogmata, quæ recens à me excogitata, & aliis tradita literisque consignata fuisse isti sibi persuaserunt, ab ipsorum aliquo non sunt scripto refutata, & expectatum an eo perlecto sententiam mutarem, priusquam in me ita sævirent? Sed præter unum Zarnovecium, de quo ante dixi, nemo in hoc regno, nec extra hoc regnum Disputationem meam de Jesu Christo Servatore, quæ aliquot annis ante fuerat edita, ubi dogmata ista contineri putant, refellere hactenus (quod sciam) est aggressus. Quanti vero Zarnovecii refutatio facienda sit, ostendet brevi, ut spero, amicus

meus,

meus, qui, cum ego id præſtare non poſſim, pro me eadem lingua, ut par eſt, qua ille ſcripſit, reſpondebit. Intelligis arbitror, (mi D. Vadovita) me, etiamſi hæreſiarcha alioqui eſſem, nullo tamen pacto pertinacem cenſeri poſſe. Ex quo ſequitur, non modo quam ſæviſſime, ut iſti optaſſent, mecum agendum non fuiſſe, ſed nihil eorum quæ in me admiſſa ſunt, iniquiſſime admiſſum non eſſe. Præſertim ab iis, qui nullum imperium, nullum jus in me habebant. An fortaſſe parum ſævitiæ in eo fuit, quod homo honeſtiſſimo loco natus, & jam ferme ſexagenarius, cum vix è graviſſimo morbo reſpirare inciperet, eo ipſo die, quo pharmacum ſumpſerat, per ſummam vim ex habitatione ſua extractus, & diſcalceatus ac ſeminudus per medium lutum mediumque forum, tota urbe inſpectante, tanquam maleficus aliquis qui ad ſupplicium ducatur, pertractus, & mille convitiis, probris, ac maledictis interim oneratus, ac proſciſſus fuerit, & quæ æque ac ſuam ipſius vitam cara habebat, ei omnia fuerint erepta? Non putabam equidem in Polonica gente, ad humanitatem non parum propenſa, inveniri animos Caligularum & Neronum, qui, innocentium hominum crudeliſſimis vexationibus non contenti, eorundem præterea aliquid gravius, id eſt, acerbiſſimos fortaſſe cruciatus, atrociſſimaque ſupplicia expeterent. Quapropter quamvis, ut ab initio dixi, iſta quæ de quibuſdam tuis collegis audivi, ab hominibus alioqui fide digniſſimis narrata fuiſſe acceperim, tamen nondum ut ea plane credam adduci poſſum. Sed ſive ea vera ſunt ſive minus, ego paratus, donec vixero, ſemper ſum futurus, innocentiam meam probare, & omnium, quæ per annos novemdecim, quibus in hoc regno ſum perpetuo commoratus, ad religionem pertinentia, vel etiam ante, aut dixi unquam aut ſcripſi, rationem reddere. Nam propter hanc ipſam præcipue cauſam, non ſolum in illa mea de Jeſu Chriſto Servatore diſputatione, quam, ut eventus comprobavit, multarum adverſus me turbarum occaſionem daturam prænoſcebam, nomen meum nihilominus, quod antea in aliis meis publice diſputationibus factum non fuerat, diſerte ſcriptum exſtare volui; ſed etiam per annos tres cum dimidiato, poſtquam illa fuit edita, ibi habitare perrexi, & diutius adhuc perrecturus eram, ubi ſedes eſt hujus regni, nec quoquam diſceſſi cum comitia regia ibi ſunt habita, quamvis certo reſciviſſem, libro iſto, paullo ante ipſa comitia & vix dum publicato, jam mihi tum Catholicos tum Euangelicos infenſiores multo quam antea redditos fuiſſe, & à nonnullis ex ipſis quæri, ut graviſſimum aliquod exemplum propter librum iſtum in me ederetur. Quem tamen librum neque ego ipſe publicaveram, & diſputationem quæ in ipſo continetur, non in hoc regno, nec cum quoquam hujus regni incola habueram, ſed ante meum huc adventum ab Euangelico quodam miniſtro, homine Gallo, & in ipſa Gallia tunc degente, provocatus eam ſcripſeram. Verumtamen paratum nihilominus me publice oſtendere volui, illam in hoc ipſo regno, ubi typis excuſa primum fuerat, defendere, & palam quodammodo profiteri, me nihil pudere eorum, quæ in ipſa aſſerueram. Prodeant illi ex Catholicis, qui putant ſe poſſe docere, vel impiam & blaſphemam, vel ſaltem à veritate abhorrentem illam eſſe, meque vel ſcripto vel coram coarguant. Videbunt omnes, me, aut quidquid ab iſtis ei objicietur, juvante ipſo Chriſto Jeſu, in quem ibi maxime injurium me eſſe ajunt, ſolide refellere, aut ſi vel blaſphemiæ vel erroris convictus fuero, protinus illis cedere & palinodiam publice canere, ſimulque illis gratias agere, quod me ex tanto cœno extraxerint, & ab æternæ ſalutis amittendæ diſcrimine liberaverint. Fietque fortaſſe, ut meo exemplo idem multi eruditi ac pii homines faciant; cum quibus in religione conſentio, quique nihil adhuc in mea iſta Diſputatione deprehenderunt impie aut ſtulte dictum. Quod autem de libro iſto dico, idem, ut ante attigi, de omnibus meis editis ſcriptis dictum volo. Quamvis enim eorum pleraque nomen meum inſcriptum non habeant, nemo tamen (ni fallor) hodie eſt, qui illa legerit, qui ſimul eorum me auctorem eſſe non agnoverit. Hac ratione, inquam, mecum agatur, ut mihi mei errores oſtendantur, donec ſaltem pertinacem me eſſe conſtet. Quod ubi conſtiterit, tametſi Chriſtiana pietas adeoque ipſa humana ratio, quemadmodum antea oſtendi, jubet, ut cum pertinacibus ipſis etiam hæreſiarchis, præſertim non ſeditioſis, nec ſua ulla commoda quærentibus, nequaquam crudeliter agatur, ego tamen quamvis nec hæreſiarcha, ut docui, à quoquam merito haberi poſſim, & manifeſtum ſit, me ab omni vel umbra quidem ſeditionis, aut ulla mea commoda quærendi vel leviſſima quidem ſuſpicione quam longiſſime abeſſe, non tamen recuſo, quin tunc ſæviſſimis cruciatibus ſubjiciar, ac demum turpiſſimo atrociſſimoque ultimi ſupplicii genere afficiar. Hæc te de me animoque meo, vir clariſſime, occaſione eorum quæ de quibuſdam tuis collegis, ipſorumque de me crudeli ſententia audiveram, ex meis ipſius literis cognoſcere volui, ut ſi quo pacto ea tibi probabuntur, immo quia tibi ea probatum iri ſpero, facilius & promptius in humanitate erga me exercenda pergere queas, & habere quo poſſis alios tui ordinis ad eundem in me animum adducere. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo, non tam propter me ipſum, quam propter ipſum jus & æquum, cujus te ſtudioſiſſimum & amantiſſimum eſſe penitus ſum perſuaſus. Magnifico D. Rectori, Reverendo D. Lelovitæ, nec non præcellenti Domino Godecio una tecum vindicibus meis, & ſi qui allii veſtri ordinis, quorum nomina ignoro, in me ex ſummo illo periculo liberando partem ullam habuerunt, plurimam ſalutem impertire meis verbis, quæſo, velis, tibique perſuadere, me, quantum & tibi & illis debeam, perpetuo agniturum, idque ubicumque potero, & verbis & factis libentiſſime profeſſurum ac teſtaturum. Vale vir clariſſime, & me tuum ama. Dat. die 14 Junii. Anno 1598. In agro Igolomiano.

Tuæ clariſſimæ præſtantiæ perpetuo ſtudioſiſſimus.

F. S.

Ad Everardum Spangenbergium, Antverpianum. Claudiopolim in Tranſylvaniam.

Epistola I.

Virtute, eruditione, ac pietate præſtantiſſimo D. Edvardo Spangenbergio, amico & frati in Chriſto plurimum obſervando &c.

Salutem à Deo & Chriſto, &c.

LÆtor mihi hanc occaſionem ſeſe obtuliſſe te ſalutandi, Edvarde præſtantiſſime. Miſſæ enim ſunt ad me iſtæ Radecii noſtri literæ quas ad te dedit, ut ego illas tibi afferendas ac reddendas curem. Cujus rei facultatem egregiam præbuit mihi reditus ad vos D. Fabii Gengæ noſtri Itali, qui eas tibi, ut ſpero, fideliſſime reddet. Audivi non ita pridem de te ea quæ mihi mirum in modum placuerunt; quemadmodum videlicet plane noſter ſis factus, & ſolidæ pietatis ſtudio magnopere incenſus. Verebar enim, ne mali quidam inanium in religione noſtra opinionum, & rerum mundanarum fluctus te medio ad nos curſu abripuiſſent. Deus novit, quantopere mihi & pietas tua, & rerum divinarum notitia, cum aliquot ab hinc annos Cracoviæ primum te vidi, tibique amicus ſum factus, probata fuerit. Sed non ita multo poſt quædam de te audiveram, ex quibus, te tui ipſius diſſimilem factum eſſe, valde timebam. Itaque Deo ſummas gratias ago, qui me timore iſto penitus liberavit. Quamvis

enim

enim post tuum hinc discessum & in patriam reditum, nihil unquam ad te scripserim (tamen nec tuas ullas accepi literas) amore tamen sum te perpetuo prosecutus, eoque non vulgari, qualem videlicet tuæ multæ virtutes postulabant; quæ cum auctæ nunc plurimum esse videantur, auctus etiam plurimum est amor in te meus, cujus ut experimentum aliquod capere velis, te etiam atque etiam rogo. Non ero in præsentia longior; nam, ut ab initio dixi, salutandi tui causa has literulas ad te dedi, non autem quicquam præterea ad te scribendi. Quod tamen faciam abunde, ubi de tuo statu ex tuis literis aliquid certi cognovero. Interim Vale & salve vir ornatissime, meque redamare ne recuses. Sic Deus tibi faveat, & suo Sancto Spiritu perpetuo adsit. D. Erasmo Johannis ut meo nomine plurimam salutem dicas, à te enixe peto. Cracoviæ die 14 Martii 1593.

Tui studiosissimus in Christo frater

F. S.

Ad eundem Claudiopolim

F. S. Epistola II.

Ex Gallico in Latinum versa.

Peregregio viro Domino Everardo Spangenbergio, Domino & amico plurimum colendo, &c.

Deus noster Pater & Dominus Jesus Christus dent tibi salutem, &c.

CHarissime frater & amice, Longum jam ante tempus literas tuas quarta die Maji datas, & postea exemplum etiam illarum decima nona die Junii descriptum accepi. Destitutus tabellariis non citius tibi respondere potui, & quia præterea per magnam illius temporis partem Cracoviæ non fui. Doleo te suspicari, quasi noluerim tecum disputationem ingredi (de illa, quam tu speras, propinqua rerum omnium restauratione) propterea, quod per delationem aliorum non bene de te persuasus sim, respectu aliarum rerum. Mei enim silentii causa circa illam materiam, longe alia fuit & est. Non sum, mi frater, in istis quæstionibus propheticis eo modo exercitatus, ut alios docere possim, semper etiam in ea fui sententia, quod homini Christiano necessarium non sit, diligenter inquirere, quando & quo tempore, id est, intra quot annos, & multo minus, quo anno, vel etiam, an cito vel sero evenire debeant res illæ in Sacris Scripturis prædictæ. Multo minus seipsum obscurarum prædictionum, in talibus libris comprehensarum, interpretatione fatigare, iis exceptis, qui se ad hoc singulari quodam in stinctu correptos sentiunt, & consequenter Spiritu Prophetico donati sunt. Alias enim nihil ego video, præter simplicem curiositatem, cum evidente seipsum & alios fallendi periculo. Quemadmodum multorum seculorum experientia perspicue commonstravit. Principalis horum ratio est, quod Spiritus Sancti scopus in rerum futurarum prædictionibus, similiter in illis prædictionibus, quæ obscuritatem quandam continent, non fuit, scientiam nobis & intellectum tradere illarum rerum futurarum, una cum suis circumstantiis locorum & temporum, priusquam eveniant: sed, post illarum eventum, certa nobis & indubitata testimonia tradere, quod aliqua sit providentia divina, id est, Deum esse, qui gubernet omnia, & sine cujus voluntate nihil evenire possit: & in eum etiam finem, ut res illas prædictas revera opera divina esse intelligamus. Cui rei manifestum dant testimonium omnes fere illæ divinæ prædictiones, quæ jam evenerunt, illæ etiam, quas satis claras fuisse nunc videmus, quæ, antequam evenerunt, nunquam bene intellectæ fuerunt. Si ego homo non habens Spiritum Propheticum, verumtamen ex altera parte rerum divinarum cognitione fortassis non destitutus, nec judicio ad rerum veritatem inquirendam idoneo, in istam me theologiæ partem ingerere velim, quemadmodum in multis aliis feci, non inter postremos me futurum sperare possim. Aperte autem video, quod sine illo Spiritu Prophetiæ nihil sit futurum, quam multis modis errandi periculum. Et non possum in hoc non valde laudare Calvinum, qui fere de omnibus aliis nostræ religionis partibus scribens, illa tamen non attigit, nec earum etiam rerum prædictiones, quæ jam evenerunt, exceptis iis, quas in aliis suis disputationibus & Sacrarum Literarum expositionibus non omnino silentio præterire coactus fuit. Nihil itaque, mi frater, illud est, quasi aliunde male de te persuasus sim, teque indignum æstimem, cum quo de talibus disputem, vel quasi promtus non sim ad docendum & discendum, tam ex te, quam ex aliis, illa, quæ ad officium Christiani hominis pertinent. Non autem sentio, quod Christiani hominis officium sit, scire, an rerum omnium restauratio tarde, aut valde cito futura sit: sed (si ista ipso vivente fieri Deo placuerit) cum patientia tempus illud expectare, quando veritas integre declarata erit, & filios Dei quodammodo sublevare in omnibus illis malis, quæ à perversis hominibus patiuntur, & interea, ultra illam obedientiam, quæ Deo & Domino Jesu Christo debetur, totum se tradere, ut bene intelligat ea omnia, quæ salutem nostram æternam concernunt, & ut consequenter bene fundamentum jaciat, ita, ut in obedientia illa perseverare possit. Si tibi hæc opinio mea non bona videtur, à te doceri non recuso. Ea quæ hucusque de istis ad me scripsisti, opinionem meam mutare non fecerunt: si rationes vel autoritates validiores habes, libenter eas audiam. A me ne expectes, ut rationes tibi reddam, propter quas fortassis non commoveri potero tuis, magis, quam iis, quas hactenus allegasti: sed tantummodo certus esto, quod, si eas dignas æstimavero, quæ me aliter credere faciant, locum illis in corde meo dare non intermittam. Mirum in modum gavisus sum, quod te satis bene geris, & Deum precor, ut tibi sanitatem corporis & robur spiritus magis magisque augere dignetur; & ad servitia tua paratus sum. Cracovia, decima die Augusti 1596.

Frater & Servus tuus

F. S.

Ad eundem Racoviam,

F. S. Epistola III.

Ex Gallico in Latinum translata.

Domine Spangenberg amice dilectissime & frater in Christo.

FRatres ex Synodo Racoviensi ad nos reversi, scriptum tuum de duabus bestiis ex Apocalypsi, attulerunt, eo consilio, ut coram multis, qui hic frequentes aderant, publice legeretur; eorumque exquireretur judicium, conferentne in manus hominum evulgandum, vel saltem quo loco habendum, & quanti æstimandum illud esse statuerent. Qua re perspecta, tuæ commentationis mihi tradendæ consilium cæperunt, ut ea à me accuratius recognita, quis de ea animi mei sensus foret, literis à me consignaretur; atque ut eam curam subirem, à me cum alii, tum maxime Dominus Lubieniecius, & D. Ortvinovius, summis precibus flagitarunt. Quod illis recusare non potui, illud D. Otvinovio confirmans, & te inde jam à longo tempore, meum verum & peramicum amicum esse, & me nulla in re te offendere, aut tibi ægre facere velle. Vere illam certam & exploratam spem conceperam, te hanc operam meam, benignius interpretaturum, cum & ad divini nominis gloriam spectet, & à justo. debito-

debitoque erga fratres officio proficiscatur, quo illis ad exaurienda eorum mandata sum devinctus. Et quamvis huic meæ spei nihil postea tempus detraxerit, non abs re tamen me facturum esse existimavi, si ad te nunc, data mihi vacui & liberi temporis facultate (qua tunc prorsus carebam, cum ad D. Lubieniecium, una cum tuo scripto, meum de eo judicium, multis de rebus, quas probare non potui, distincte & distribute explicatum mitterem) in eam rem literas darem: à te pro mea perverteri amicitia, & tuis mitissimis & Christianis moribus, enixe contendens, ut quicquid id sit, boni consulas, & illud tibi persuadeas, me multo plura tibi coram dicturum, aut sigillatim scripturum fuisse, quam ea, quæ charta ad D. Lubieniecium missa sum complexus: sed erant ea illi omnino prius exhibenda, quorum tamen eum tibi aut jam copiam fecisse, aut brevi facturum esse, sine hæsitatione credo. Quare jam expecto, ut mihi errata, in tui scripti censura à me commissa, nota facias: quam tamen ita à me peractam, aut perspexisti jam, aut perspecturus es, ut non tam mearum virium fiducia occupatam, quam voluntati fratrum obsequendi, & simul aliquid, quod mihi adhuc incompertum est, hac occasione oblata, addiscendi studio, à me susceptam esse appareat. Constare tibi antea potuit, me intelligendis prophetiis, in sacra pagina, de rebus iis, quæ nondum exitum sortitæ sunt, contentis, non multum curæ & cogitationis impertiri, existimantem laudabilius & salutarius, operam & tempus, in aliis ejus partibus enucleandis collocari. Qua in re vellem te à meo sensu non discrepare; & te totum potius ad preces converti, quibus in jejunio & cum lachrymis fusis, rerum earum, quæ multo majoris momenti, obscuræ & involutæ latent, illuminationem, à divina majestate suppliciter petas, in eo summam cautionem adhibendo, ne quicquam de rebus venturis, & eorum tempore, perinde ac si in scriptura expresse contenta sint, asseveranter definias, nisi primo de iis, aut per Spiritum Propheticum, at per sermones cum fratribus, qui & scientia, & Dei timore excellant, hac de re habitos, in tua etiam conscientia, sis certus & confirmatus. Deus novit, quantum tacito sinu gaudeam, eorum cœtui tandem aggregatum esse te, qui haud dubio cæteris omnibus, quicumque nobis cogniti sunt, puritate & sanctitate doctrinæ Christianæ antecellunt, & speramus brevi futurum, ut eos sanctitate & integritate vitæ superent. Deus & Dominus Jesus, te & familiam tuam salvos & incolumes conservet, vosque æterna beatitate cumulet. Atque hæc futura est Epistolæ meæ finis, si me prius tuis ad Deum precibus ex intimo cordis mei penetrali commendem. Luclaviciæ die 9 Decembris. Anno 1598.

Tuus amicus & frater

F. S.

Ad eundem Racoviam,

F. S. Epistola IV.

Ex Gallico in Latinum versa.

Salutem à Deo Patre & Jesu Christo Domino nostro.

Accepi tuas literas tertio Idus Quinctilis datas, una cum capitibus disputationis habitæ apud Frisios; quo nomine ingentes tibi habeo gratias, atque omnia vicissim, quæcumque seu jam possunt, sive unquam poterunt à me proficisci, benevoli animi erga te officia peramanter offero. Responsurus tuæ Epistolæ, primum omnium etiam atque etiam à te peto, ne indigne tuleris, si tibi id, quod de rebus à te mihi propositis statuo, candide atque ex animi mei sensu libere aperiam. Principio ais, me eo scripto, quod tuis prioribus thesibus, quas tu libellum appellas, jam pridem adversum objeci, molitum esse summa capita, quibus tua opinio, quam libellus ille continebat, suffulta niteretur, subvertere; quorum tu alterum statuis, immanem illam Bestiam septem capitibus, ac decem cornibus armatam Apoc. 13. Romanæ gerere effigiem Ecclesiæ, aut Romani imperii Christi nomine & cultu gaudentis. Alterum, eandem bestiam abominationem esse illam desolatricem, quam divino inflatu prænunciavit Daniel 12. 11. Enim vero, ut rem fatear, ego neque observatione cognovi, neque suspicione attigi unquam, duabus hisce rebus sustentari tuæ persuasionis structuram, quandoquidem, datis quoque illis atque concessis, nihilo firmius consistat tua sententia, quin solidis rationibus falsitatis admodum convinci queat. Maxime ubi tu temporum disputas rationes, quæ jure fundamenta vocari possunt ejus, quod tu tam obfirmate asseveras, de universa hostium Christi, infestis signis in ejus Ecclesiam sese inferentium, clade atque profligatione, atque adeo de Christi adventu anno sequenti 1602 perpetuo. Quod tuum ego fundamentum satis mihi videor labefactasse, iis argumentis quæ primæ, & secundæ, & septuagesimæ tuarum priorum positionum opposui, quibus sane æquum erat te respondisse, ac non iis rationibus dumtaxat refutandis horas exemisse, quibus ego utcumque infirmare volui illa duo, quemadmodum tu æstimas, summa tui sensus capita. Quamquam & horum alterum quod attinet, ego belluam septem capitibus ac cornibus decem deformatam Apoc. 13, nusquam sum inficiatus significare Romanum imperium cum sibi jam Christi nomen induisset, sed tum etiam, donec vana Deorum superstitione involutum teneretur, ipsius speciem dabam insuper præ se ostendere. Hæc enim ipsa sunt verba mea contra thesin septimam concepta. *Sed potius dicendum, sub prioris bestiæ nomine Romanum imperium, primum ut Ethnicum, deinde etiam ut professione Christianum, accipi & significari.* Et contra thesin 18. *Hinc enim id sequitur, quod ego verissimum esse arbitror, bestiam scilicet, quæ capita septem habet, esse ipsam Romam, non autem Romanam Ecclesiam; Romam, inquam, prius sub imperio Ethnico & seculari, deinde etiam sub Ecclesiastico, & modo illa, modo hac ratione consideratam.* Deinde cum Thesin 24 diluerem, perspicue demonstravi, me esse in ea sententia, ut minime negandum esse censeam, quin illa ipsa bestia Romam referat, non solum post verum Dei Christiano ritu adorandi initum tramitem: verum olim etiam, dum in gentili errorum caligine fœde vagaretur. Tametsi non diffiteor, à me adversus Thesin 9, notatum esse argumentum, quod haud levi momento fit iis, qui negare præoptent, bestiam hanc esse imperium Romanum Christianæ religionis splendore illuminatum, ne sub Pontificum quidem auspiciis: verum me tamen longe ab ea opinione alienum esse, clarissime ostendunt loci ad duas illas Theses jam allegati. Graviter igitur te hallucinatum memoria esse oportet, qui me scripseris asserere, idque probabili ratione destitutum; bestiam illam Imperium Romanum portendere, dum Imperatorum Ethnicorum ditione teneretur: quippe cum id ego nec nude effundam, nec in eam partem dicam, in quam tu accipere videris: atque ut certe ita dicam, multum tamen abest, quin ad dictum meum confirmandum rationes adhibeam haud exigui ponderis. Quare operæ non esset, me jam respondere duobus argumentis, quibus tu probare contendis, bestiam illam nequire imaginem referre Romani Imperii, donec id monstrosam eluviem illam dæmonum superstitioso ritu veneraretur; ut pote quæ nihil contra me faciant: qui eo amplius, etiam Christi Servatoris fidem professam majestatem Romanam, prodigiosa illius monstri figura denotari judicem. Attamen, vel temporis causa, alterum eorum quod attinet, spatium illud, quod præ se ferunt menses duo & quadraginta, quibus bestia potestatem habet agendi (hoc est, quibus vitæ usura ei est tributa, uti literis extat proditum: ac non os datum evomendis blasphemiis, quemadmodum tu autumas) illud, inquam,

quatti, tempus, haud abs re, ajo, urbi Romanæ dari posse gentilibus ineptiis implicatæ, à primis ejus incunabulis exorsu facto. A jactis namque ejus urbis fundamentis ad Totilam usque Regem Gottorum, qui eam ruinis ac vastitate deformavit (quemadmodum tibimet notatum est in octava thesium secundo editarum) atque adeo abolevit, ac sustulit ejus perennitatem; ætas est annorum circiter 1292: quæ, adjectis eo quatuor aut quinque annis, quibus Totilas, priusquam urbem disjecisset, sceptra tenuit, mensibus annorum (annis videlicet captis pro diebus singulis) circumscribitur duobus tantummodo & quadraginta. Qua in ratione ducenda, nihil est opus dies triginta cuique mensi tribuere, cum satis sit calculum ita poni, ut menses duodecim dies trecentos quinque & sexaginta ambitu suo comprehendant, ac quaterno cuique anno una insuper lux bissexti ritu accedat. Atque hoc modo inita ratione, menses annorum, dierum locum hic sibi vendicantium, 42 exeunt in annos 1278. Proinde cum id annorum plusculum, quo imperii Romani ætas ab urbis exordio, ad ejusdem excidionem à Totila conflatam, circumacta exuperat, mensem annorum haud amplectatur, neque adeo attingat ad summam trium & quadraginta mensium; merito, quantum mihi quidem opinione augurari licet, à Spiritu Sancto pronuntiari potuit, intercapedinem illam mensium 42 esse futuram. Quin fac attingere, vel plures insuper annos complexam esse (quemadmodum esset fieri necesse, si singuli menses ad dies triginta exiliter revocarentur) non defuerint tamen alia firmamenta, quibus defendi possit illud toties nominatum 42 mensium tempus, una cum suo vaticinio, cum Totilina urbis demolitione perbelle convenire: quæ ego, brevitatis causa, omitto. Omitto & ea, quæ referri possint iis omnibus, velut decretoriis armis, quæ ex hisce iisdem Apoc. oraculis adferre atque expedire possunt ii, qui præfracte pugnant, triginta omnino dies cuique istorum quadraginta duorum mensium imputandos, neque universorum summam ultra 1260 dies porrigendam esse.

Verum ut alteram denique rationem tuam aggrediar, quænam, obsecro, necessitas tanta est, quæ nos adigat credere, spiritualia illa arma esse, quæ bestia Apoc. 13. 7, in sanctos hostiliter vibrat? ut id constet vel maxime, minimeque ambigua fide nitatur, quod tu sanctos, ais, non nisi spiritualibus armis dimicare. Quid enim? Cum in Canonica scriptura bellum cum sanctis geri refertur: continuo sanctos instructa vicissim adversa acie sub signis consistere, pedem conferre, manum conserere, existimari necesse est? Minime: nam oppugnari eos tantum, vexari, aut infestari bello, vel ex cap. 2. 16, ejusdem prophetiæ planum fieri potest: quo loco bellum sese, Dominus iis, qui Nicolaitarum persuasionem æmularentur, minatur illaturum gladio oris sui: quod quid aliud est, quam Dominum Spiritu suo potenti impetum in eos esse facturum? Unde consequitur neque proxime adjectorum verborum, quibus bestiam victoriam de sanctis reportaturam prædicitur, hujusmodi sensum esse, ut sanctos, pro virili item sua parte strenue conflixisse in animum inducere oporteat. Is enim loquendi ritus est, ut bestia bellum gestura perinde dicatur, ac si proditum esset, molituram exitium, atque incubituram enixe in obterendos sanctos, atque de obtritis tandem triumphaturam. Porro non perspicio, quid sit incommodi, aut quid prohibeat omnino, quominus bellum hic ita geratur, ut ab altera acie arma cruenta, & quorum in conflictibus vulgo est usus, sæviant: ab altera res geratur spiritu, ac telis ab animo, in Dei contemptu & hominum insolentium indignitate, dolore incitato explosis: ut, inquam, bestia vi furiat in sanctos, ac potestate humana, & fœdis imperiis: sancti porro vexent bestiam increpando, ejus malitiam detestando, suæ causæ æquitatem, cum factis, vitæ puta sanctimonia, signis atque miraculis, tum verbis omnium oculis subjiciendo, ultra precum imo pectore fundendarum assiduitatem, atque religiosam Dei omnipotentis in vota supplicibus animis concepta vocationem: id quod inter imperium Romanum gentilium Deorum superstitiosæ vanitati mancipatum, & piam plebem, Christi Servatoris sui numen castis precibus adorantem, olim evenisse indubitate fidei est. Quid quod illud ipsum imperium, non illas tantum materiatas machinas, aut sicas corpora truncantes, in Christi globum distrinxit; verum spiritualibus quoque spiculis intortis, fidem, ac constantiam devotorum pectorum, fœdare multoties conatum est? Cujus rei documento amplissimo sunt Philosophi, ac plerique viri doctrinæ nobilitate incluti, qui, dum imperium illud in veteris pravitatis cœca nocte versaretur, nec non simul ac Christi beneficium ei dilucere cœpit, densissimis argumentationum copiis, ac stipato testimoniorum agmine, divinitatis speciem mentientium, in Christianam simplicitatem impressionem facientes, obstinatis animis, pro illo suo, cujus toties ingeminari nomen necesse est, decernebant imperio; adhus dum universo, certe potissima sui parte, irrito confictorum Deorum metu tremiscente: ex quibus familiam ducebant Celsus, Porphyrius, Demetrianus, Libanius Sophista, atque adeo ipse imperator Julianus, supra reliquorum turbam infinitam. Verum, ut hujus tandem tuæ alterius rationis discutiendæ, seu potius examinandæ, finem faciam; qui animum cum ad illum, tum similes alios, sive Danielis prophetiæ, sive aliorum, ac vel ipsius hujus Apocalypsis locos, paullum attenderit, facile perspexerit, vocem, seu nomen sanctorum, non tantum iis tribui, qui tam morum probitate, ac rerum sancte gestarum merita laude, quam orationis dignitate, ac nominis professione sunt veri Christiani, aut alias certus Dei populus: verum etiam in eos omnes extendi, qui Dei voluntatis, atque intaminati ritus colendi ejus, veram cognitionem nacti, in eo vitam degunt, eumque præ se ferunt, quo pacto nihil est causæ, quin sancti arma quandoque capiant etiam fabrefacta, atque ut ita dicam, materialia; maxime adversus bestiam inexpiabili sui odio efferatam, tametsi præstabilius fuerit, eorumque officio longe dignius, ea non adhibere. Quæ cum ita sint, ratio ista tua, quæ sibi ceu basim substernit, sanctos non nisi armis à spiritu aut ingenio expeditis belligerare, vix ac ne vix quidem, approbari potest: non usurpasse certe alia adversus imperium Romanum, donec abominando idolorum servitio teneretur, quoniam aliorum facultatem non haberent, impune abs te asseri potest. Sed jam mihi videor satis planum fecisse, firmamentum tuum, vel omnibus hisce adminiculis sustentatum, nullo modo posse consistere. Venio ad alterum caput opinionis tuæ, quod tu fundamentalis nomine adornas, ad cujus infirmationem, jam à me pleraque dudum conscripta sunt. Quæ nescio quo tu pacto eleves, nisi prius ad verba Domini, quæ in locum Danielis 12, digitum intendunt, à me adducta respondeas, aut nisi eum verborum Christi sensum, quem duobus illis locis Matth. 24. 25. Luc. 21. 20, ego esse judico, evidenti ratione refutes, neque adeo Christum isthic de obsidione, qua Vespasiani Hierosolyma acerrime circumvallata, ad postrema omnia adegere, verba facere; aut saltem ad locum Danielis, de quo tu ais, non respicere probabili argumento evincas, quod nisi facis, non in me, sed in ipsum Jesum Christum mucronem disputationis tuæ convertas oportet. At enim ut ea diluam nihilominus, quæ contra meam ejus loci Danielis interpretationem, ut tu accipis, à te jaciuntur, verba mea, quibus tuarum Thesium 67, 68, 69 veritatem expendi, dilucide, ut mea fert opinio, declarant, eum locum ad tempora Antiochi Epiphanis pertinere. Quod si quem is scrupulus suspensum teneat, quod abominatio illa desolationis ad secula Christi adventu inferiora, nihilo inconcinnius referri, aut accommodari possit: ego ea, quæ Vespasiani ad Hierosolyma gesserunt, ista abominatione denotari confirmo; quæ cum non interpretatio, sed duntaxat accommodatio sit, necessa-

necessarium hic non est omnes prorsus res velut ad libellam exigere, quadrare, neque Vespasianorum gesta iis tantum temporum angustiis, quæ Daniel illo loco assignat cohiberi. Jam vero voluisse me pugnare, quin quarta Danielis cap. 7. bellua imperium Romanum significet, quod scribis; vehementer profecto memoria laberis, nam id negasse me, vel omnibus verbis atque sententiis attente excussis, quas ad Theses tuas consignavi, nusquam reperias: observasse me sane scio, Tremellium ac Junium monere, ne quis id sibi temere asseverandum putet. Deinde ex eorundem, atque aliorum quorundam virorum eruditionis nomine illustrium, qui in verba Romani Pontificis non jurarunt, sententia, parvo illius belluæ cornu Antiochum Epiphanem adumbrari, tandem sese mirifica veritatis imagine eorum persuasionem commendare ajebam, Seleucidarum imperium ex Alexandri Magni cineribus exsuscitatum, belluæ illius quartæ specie ob oculos proponi arbitrarentur, quemadmodum id videre est in animadversionibus meis Thesi 5. 27, 42. Unde patet nihil me affirmasse, sed digito tantum voluisse indicare, non deesse graves ambigendi caussas, de earum rerum fide, quas tu pro certis atque solidis venditas. Denique Tremellii & Junii mentio mihi facta non est, opinionis eorum tantum recitandæ gratia, sed quia eam haud levis momenti rationibus propulsare videntur, quæ tibi utique improbandæ erant, si à me ipsam opinionem in medium nequicquam prolatam esse videri voluisti. Quamobrem non est caussa, quin mihi, velut jure meo, intacta relinquere liceat tua argumenta, quibus tu in sententiam eorum inveheris, æque ac si ego in eam omnino pedibus eam. Juvat tamen periclitari, ecquid illis sit firmitatis. Primum telum in eos viros à te emissum hoc est: Cum textus & omnium cæterorum versio habeat, *Ecce cornu aliud parvum*. illi, ut suæ scenæ servirent, commutarunt, *Ecce cornu ultimum parvum*, qua in re quam graviter offenderint, suamet inferioris versiculi 24 interpretatione convinci, ais, quem traduxerunt: *Et cornua decem, ex illo regno decem reges exsurgent, post quos exsurget postremus*. Perspicuum enim ex his verbis, inquis, esse, eum, quem illi postremum ajunt, Regem esse, qui post decem tandem reges exsurrecturus est. Non imperite tu quidem, ac si status eorum opinionis aut confirmatio necessario requireret, exiguum illud cornu in numero, ultimo videlicet, decem Regum censeri, ac non aliud prorsus esse ab illis; non absque ulla vi aut robore rationis. Sed non eget illud placitum hujusmodi adminiculis, duabus ex caussis: cum quod isti Reges decem, vel stante hac ipsa opinione, possunt aliter percommode exponi, atque ab illis expositi sunt; tum quia, non discedendo ab illorum interpretatione, facile probari potest, Antiochum Epiphanem esse, non postremum, aut decimo loco Regem, quemadmodum illi arbitrati, literis mandatum relinquerunt, sed alium quendam succenturiatum. Illi namque ab numero decem regum eum excluserunt, qui revera omnium postremum locum occupat, Demetrium Seleuci Pilopatoris, fratris Antiochi hujusce filium, qui etsi Antiocho superstite, in regni possessione non fuerit constitutus, semper tamen in ejus spe atque dominio permansit, morte patris jure hæreditario ad se devoluto, in quod Antiochus furtim irrepsit, populo tutorii nominis obtentu eluso, dum Demetrius pro patruo Romæ obses teneretur, quemadmodum ipsimet ad caput 11 Danielis adnotant. Sed neque eos locum inter hosce decem Reges Demetrio prorsus abjudicasse, vel id est argumento, quod eum in tres dejectos contribuant, quos tamen in superiores decem referri minime ambigitur; usque adeo ut monstri simile sit, qui venerit bonis viris in mentem, Demetrii nomen in eorundem Regum numerum non aggregare. Vides igitur sententiam Tremellii & Junii, qui quarta Danielis 2 bellua, Seleucidarum regnum, & parvo cornu Antiochum Epiphanem portendi existimant, nihil inde capere incommodi, quod eo loci Cornu aliud, fac enim ita esse, ac non Cornu ultimum legi oporteat. Experiamur jam, ecquid altera tua machina fortius feriat. Ais, Spiritum Sanctum aperte prænunciare, quartum Regnum ab Imperio altissimi quassatum atque exinanitum iri: porro Seleucidarum Regnum, inquis, eventus comprobavit, Romanorum, alteriusve populi vi fractum atque extinctum esse. At enim vero, si quartæ Danielis 7 bestiæ de qua hic agitur, portentosa facie quartum regnum repræsentari, communi omnium assensu certum est, ego quo loco, aut quomodo id testificetur Spiritus Sanctus, quod tu prædicas, non reperio: nihil enim isthic aliud perspicitur, nisi postea quam bestia exsævierit, & spoliis de sanctis collectis gravis, trophæa fixerit, regnum tandem sanctis traditum iri. Ac ne id quidem, quod tu regna universo cœlorum anfractu circumscripta, sancto altissimi populo, post supremum diem Antiochi, data esse negas, magis ad rem pertinet; quippe cum id prophetia, post parvum cornu illico eventurum esse, minime definiat; quippe cum hæc vox, inquam, *Illico*, aut id genus alia, in illo loco expressa non extet. Tametsi fatendum est, non multo alitius legi, demissius illud cornu præliaturum cum sanctis, & ovaturum victoria, donec antiquus dierum veniat, & Regnum impertiatur Sanctis. Sed operæ pretium est ad vocem Chaldaicam animum diligenter advertere, quæ cum à lingua Hebræa ortum ducat, & sit translata *Donec*; nihilo inusitatius *Post*, vel *Tandem* explicari potest, quin & harum vocum alteram commutandam, ac non *Donec* convertendam esse, suadet factum ab ea voce exordium. Tum & id observare convenit, parvi cornu nomine eos viros putandos esse, qui ejus locum sortiti populum Dei, etsi non perpetuo, tamen immaniter habuere, atque oppressum proculcatumque atrocibus quibusvis modis accepere. Insuper abunde sufficere eorum postremum, nimirum qui tunc cum Regnum Sanctis restitueretur, superstes esset, vitam ac mores suos, ad humilis illius cornu & formam & gesta, composuisse, quemadmodum revera Herodem Magnum, quo regnante Domini Jesu salutaris orbi exortus illuxit; cui, atque adeo in ejus persona sanctis, regnum collatum erat. Antiochum Epiphanem (cui longo deinceps ordine ad dominandum in Judæos successerat) illegitima usurpatione regni, truculentis imperiis, nefanda laceratione populi Dei, prope ad vivum expressisse constat. Hujusmodi interpretationis, qualem id genus fatidica effata omnino requirunt, exemplum est illustre apud Danielem initio Capitis 11; ubi dicitur, quartum Regum, qui Persis adhuc jura daturi essent, omnes gentes adversus Græcos concitaturum, Verum potentem deinde quendam emersurum regem, qui quæsiturus sit Imperium amplissimum, & acturus pro sui sensus libidine. Nec enim est controversia, quin ille Rex quartus Xerxes sit, & hic Rex potens Alexander Magnus, cum tamen tantum absit, ut Alexander quicquam rerum imperante Xerxe gesserit, ut longissimo post intervallo, cœli primum spiritum duxerit, atque regni habenas attigerit, quo intervallo complures Xerxi Reges deinceps successere, quorum bona pars, nisi me sensus fallit, à misce da bello Græcia quieti egere, aut saltem in affectis bellis nunquam perstitere. Sed quoniam Darius Codomanus, Regum ultimus, bellum atrox conseruit cum Alexandro Rege Græco, & ab eo armis superatus, ac Persidis regno exutus est; idcirco spiritus propheticus æque id futurum denunciat, ac si Alexander in ipsum Xerxem arma cepisset: tametsi reipsa hic tot seculis ante Darium orbem terrarum cœperit adversus Græcos concutere. Atque hactenus ea omnia revincere volui, quæ tu contra opinionem Tremellii & Junii, de quarta Danielis 7 bestia adduxisti: quando mihi eandem tu, tanquam à me in scripto in priores tuas Theses edito, comprobatam, attribueris: tametsi ego quemadmodum exposui, neque illic asseveraverim quidquam, neque hic mihi pariter, quod ad eam opinionem attinet, quicquam asseverandum sumam.

Veniamus jam ad alteram partem Epistolæ tuæ.

Dicis postea, me, cum infirmare vellem, Gog & Magog eum populum esse qui bestiam repræsentet, habentem septem capita, & decem cornua Apocal. 13 illud pro firmamento sententiæ meæ attulisse, quod Spiritus Sanctus historiam Gog & Magog, post hujus bestiæ internecionem, ordiatur. Ego hic tua verba exscripsi, quo attentius consideres, num errore lapsus fueris, & tuum mendum agnoscas. Neque enim illa, aut sola, aut præcipua, eo loci à me adducta ratio fuit, quod verba tua præ se ferre videntur; cum aliæ interim, firmissimæ & efficacissimæ producerentur, quas tu ne verbo quidem diluis, immo eas plane silentio involvis. Unde illud liquet, quod etiam ex rebus præcedentibus perspici potest, non eum te, quem certe debebas, literis tuis scopum præfixisse: ut nimirum positiones tuas à meis oppositionibus vel omnino, vel utcunque tuerere, sed ut tantum me, inter disputandum in gravissimos errores impegisse, palam faceres. Accidit tamen justo Dei judicio, ut passim in tuis redargutionibus, quæ non dixi, tanquàm dixissem, vel omni vel aliqua ex parte, in me conferas. Verum quod postremam reprehensionem tuam attinet, dico mea verba, quæ tibi ejus ansam præbuerunt, dum 61 thesin impugnans de Gog & Magog dissero, talia fuisse; *Deinde non obscurum ex ipsis est*, (ex verbis cap. 20. Apocal. ℣. 10) *bestiam, & pseudoprophetam jam conjectos fuisse in stagnum sulphuris & ignis, cum diabolus similiter eo conjiceretur*, hanc enim vim habent verba illa, *ubi bestia & pseudopropheta*; quæ sine dubio referuntur ad id, quod scriptum est cap. superiore ℣ 20 tanquam videlicet, ad id, quod antea factum fuisset. Ex quibus verbis, quivis clare intelligere potest, meam assertionem, (quod nimirum bestia & pseudopropheta prius sint puniti, quam Gog & Magog atque aliud bestiam, aliud Gog & Magog esse) non eo niti fundamento, quod in prophetarum historiis, prius de bestiæ supplicio, quam de Gog & Magog fiat mentio: nec nuda narrationis serie fulciri, sed potius ex alio & dispari historiæ filio, id evidenter perspicere est. Atque hic subsistam, & finem faciam confutandi ea, quæ tu ad detegendos errores meos, in thesium tuarum impugnatione commissos, literis mandanda esse duxisti. Sub finem Epistolæ tuæ, trium capitum, quæ sigillatim recenses, probationem mihi imponere conaris; dans fidem, si id præstitero, te meis monitis obsequuturum, sin in aliud tempus rejecero, futurum argumento, me ipsum in iis adhuc hæsitare, nec me satis explicare posse. His omnibus ita respondeo, quod etiam Epistolæ initio obiter tetigi, cum de duobus prioribus capitibus, aliqua ex parte disputarem; scilicet nihil opus esse, illa tria capita tibi confirmari, quandoquidem potest tibi pariter, & illorum contrarium dari, & tamen ostendi, opinionem tuam, cui adstruendæ & primas & secundas theses tuas composuisti, plane falsam & erroneam esse, aut saltem quidvis potius, quam tuis thesibus stabilitam. Quod ipsum ego, priores theses refutans, copiose demonstravi, te interim ne unico quidem verbo, per tam longum tempus, ad eas rationes respondente, quas ego ad opinionis tuæ fundamenta convellenda, & ea, quæ in tuis thesibus continentur, evertenda protuli. Dico postea, quantum ad primum, quod nimirum bestia cum septem capitibus & decem cornibus, non sit universalis Romana Ecclesia: sed, quantum ejus ego intelligo, Roma; id ego jam in illo meo scripto evici, præsertim in thesis 10 & 18 confutatione, ubi id per tui ipsius verba confirmo, præter ea, quæ multis Epistolæ exordio à me laudatis locis, in eam rem scripsi. Quod secundum attinet, abominationem desolationis videlicet, Danielis 12.11, aliud esse ab Ecclesia Romana universali, & desolationem per Antiochum Epiphanem Hierosolymis patratam, ut etiam superius indicavi esse: ejus tu succinctam probationem habes in verbis postremis, adductis à me contra thesin 67, 68 & 69, quæ si tu accuratius excusseris, rem ita esse comperies. Quare, si, allatus Danielis locus, universalem Romanam Ecclesiam spectare existimandus est; illud saltem fieri oportet, desolationem per Epiphanem factam, typum dictæ Ecclesiæ extitisse, quod ut meus captus est, nullo argumento doceri potest. Locus Daniel. 11.31, quem eam ipsam rem, quam Danielis 12.11, legimus, continere manifestum est, tam clare & manifeste de Antiocho Epiphane loquitur, ut id, meo judicio, refelli non possit. Denique ut ad tertium caput accedam, quod nimirum Spiritus Sanctus, de alio sanctuario post 2300 dies consecrando Danielis 8.14, quam de sanctuario Novi Testamenti, testimonium perhibet; id à te non est in primis thesibus, contra quas scripsi, sed tantum in postremarum 34 propositum. Ex eo igitur, quod à me istorum capitum probationem flagites, intelligere licet: firmiter credere te, ejus contrarium, quemadmodum & duorum priorum, tuæ opinionis tibicinem & fundamentum esse. Interim non satis attendis, neque tuum 2300 dierum computationis initium, neque de eorum intellectu, habitum à te sermonem, posse ullius viri docti & cordati calculum mereri. Quæ cum ita sint, etiamsi postremi hujus capitis contrarium, sit verissimum, nec cuiquam in dubium revocandum, in illo Danielis loco per Sanctuarium, Sanctuarium Novi Testamenti intelligi debere: tamen inde tantum abest ut tua opinio corroboretur, ut etiam corruat & funditus evertatur. Verum enimvero nullum est dubium, quin Danielis vaticinium de Antiocho Epiphane, & desolatione per eum patrata loquatur, cum illo loci observatum est, authorem hujus desolationis, debere esse perparvum cornu, prodiens ab uno quatuor cornuum, quæ assurrexerunt loco magni cornu hirci, qui profligaverat arietem. Estque certissimum, hunc hircum vel ejus magnum cornu potius, esse Alexandrum magnum, qui imperium Medorum & Persarum afflixit, per arietem figuratum, quemadmodum postea in eodem capite declaratur: ut & illud animadversum est, quatuor cornua, quatuor reges, & quatuor regna esse, quæ assurrexerunt in locum Alexandri & sui imperii, à quorum uno prodiret, rex impudens & cautus, qui deleret populum sanctorum, quem esse Antiochum Epiphanem, a Seleuco primo ortum, uno quatuor regum, apud omnes in confesso est. Quas res tam dilucidas & evidentes, miror te aut non perspexisse, aut tam exiliter considerasse, & in eam audaciam prorupisse, ut 2300 dierum initium caperes ab excidio Hierosolymitano, temporibus Sedeciæ regis facto: qui vixit multis annis, antequam Daniel hoc vaticinium scripsisset, quod de re omnino ventura, immo post multorum annorum curricula, apertissime conceptum est, sicut est scriptum sub finem capitis. Potes jam, ut mihi quidem videtur, intelligere, me de nullo horum capitum dubitare. Et quamvis dubitarem, illud tamen ex eo non efficeretur, me non potuisse dicere, tuas theses *meras nugas* esse. Cum id non eo sensu à me fuisset prolatum, quod eas falsitatis planitus damnarem: sed quod omnes confertim, si earum scopus ob quem conscriptæ sunt attendatur, sint titivillitio & tippulis leviores, & sint à te vanissime consarcinatæ, eoque magis, quod non solum ea quæ in iis concludis, putide conclusa sunt: sed quod magnæ falsitates, & paucæ res de quibus jure & merito ambigi non possit, reperiantur. Uberius ad te hoc tempore, in eam rem scribere nec queo, nec debeo: maxime cum ea, quæ nunc & antea scripsi, ad coarguendum fœdissimum errorem tuum, si modo is sis, qui ulla ratione emendari possis, abunde sufficiant: Sed illud ex omni disputationis tuæ contextu clare liquet, ægre fieri posse, ut ad meliorem mentem convertaris, cum ne ipso quidem exitu præsente, vanas tuas prædictiones, & frivolas sacrarum prophetiarum interpretationes esse, dispicere possis. Quarum appetente tempore, acrem & justam reprehensionem mererer, si abjecta rerum utilissimarum scriptione, & omissa ea opera, quæ mihi à fratribus imposita, & à me suscepta est, in te deviante dirigendo, tempus & operam perderem.

Deus

Deus novit quod te ex animo complector, cujus sanctissimæ gratiæ te commendo. Ex prædio Luclaviciano Generosi Domini Abrahami Blonski die 11 Augusti. Anni 1601.

Tuus frater in Christo, & ad serviendum paratus

F. S.

Ad eundem Racoviam,

Epistola V.

Ornatissime vir Domine Everarde Spangenbergi, Domine in Christo mihi semper colende atque honorande, &c.

Accepi antequam postremo Racovia discederem exemplum, quod ad me miseras, illarum Thesium tuarum de interitu imperii Romanæ Ecclesiæ &c. una cum Epistolio illis abs te præfixo. Gratias igitur primum tibi ago, quod hac ratione volueris ut possim illas (ut quidem cupiebam) aliquanto diligentius considerare: deinde, quod à me contendas, ut id præstem quod tibi sum pollicitus, id est, ut demonstrem eas esse meras ac manu palpabiles nugas, Postremo, quod mihi in eo morem gerere conatus fueris, ut earum titulum mutares. Quanquam quod ad illud attinet, cujus præstationem (ut sic dixerim) à me exigis, id quidem vel expressis verbis (neque enim ipse verba mea memini) vel certe tacite eo quem res ipsa necessario postulat, animo sim pollicitus, id est, si modo ejus mihi rei facultas daretur, ut scilicet de illis tecum conferre ac disputare possem, præsentibus iis, qui de hujusmodi rebus aliqua saltem ratione, si non exquisite judicare possunt. Nam alioqui sola scriptione theses tuas erroris ita revincere, ut me te vicisse appareat; ægerrime possum, cum divinare nequeam, quid tu adversus ea, quæ illis objecero, sis allaturus. Tuis vero ad reprehensiones meas defensionibus minime refutatis, quomodo constare poterit, te plane errasse? Non puto præterea, te pollicitationem meam ita accipere, quasi nihil in tuis istis thesibus dicatur, quod non sit manifeste nugatorium, &c.

Ad Georgium Eniedinum Ecclesiarum in Transylvania, quæ unum illum Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi profitentur, superintendentem,

F. S. Epistola.

Salutem à Deo & Christo, &c.

Clarissime vir frater in Christo plurimum colende. Non parum doleo te invitum, ut ais, a me compulsum fuisse, ut aliquid dicas de controversia mea, quæ mihi erat cum Francisco Davidis. Nam cur invitus hoc de argumento mecum amice conferas, & quid sentias aperte profitearis, (id enim, neque aliud abs te requirebam) nullam veram caussam ne suspicari quidem possum, quæ mihi admodum probari queat. Quid hic mihi velim melius postmodum intelliges. Hoc tantum in præsentia dicam, te, non modo nihil periculi vel subiisse, vel subiturum esse, quod dubitationes hac in re tuas, mecum communicaveris, communicaturusve sis; sed, Deo bene juvante, insignem aliquam utilitatem, omnibus hujus vitæ commodis anteponendam, si ut tibi scrupulos istos eximere tentem, passus fueris, hinc tandem reportaturum. Quod antequam facere aggredior, paucissimis verbis, quam necessaria sit apud teipsum, istius de Christi invocatione quæstionis cognitio, demonstrare volo. Sentis enim ipse, ut non obscure scribis, alterutram ex his duabus sententiis omnino esse veram; aut scilicet jussam ac præceptam plane esse Christi invocationem, & sic nos prorsus Christum invocare debere; aut eandem invocationem seu tacite, sive aperte esse prohibitam, & ita nos nullo modo posse Christum jure invocare. Ex qua sententia, cum hic de divino cultu agatur, necessario consequitur, vel eum qui Christum invocat, vel non invocat, quam gravissime fieri possit, peccare, & consequenter, cum inter istos duos nullus medius esse possit, unicuique, si istius quæstionis veritatem ignoret, evidentissimum periculum quam gravissime peccandi impendere. Vides, ut arbitror, teipsum sentire, non modo utilem, sed prorsus necessariam esse hujus veritatis cognitionem. Quare jam ad totas has tuas dubitationes circa hanc quæstionem accedo. Nam quod non modo ex ipsa sententia tua, verum etiam absolute statuendum sit, hujusce rei notitiam homini Christiano prorsus necessariam esse, ex iis, quæ mox dicam, aperte constabit. Jam igitur primum dubitas, ne sententia mea, quam medium esse ais inter Judaizantium & Papistarum sententiam, ob hoc ipsum quod inter duas istas media sit consistere nequeat, cum (ais) mediæ istæ sententiæ sæpe fallant &c. Non laborabo ut tibi exemplis ostendam, medias ejusmodi sententias non paucas, in ipsis rebus divinis verissimas esse: nec urgebo, si quis rationem spectet, multo verisimilius esse, ut mediæ sententiæ vere sint, quam quæ extrema sectantur, id quod ipse aperte satis testaris cum ais eas blandiri & plausibiles esse: sed tantum dicam, me sententiam istam non idcirco amplexum fuisse, quod media sit inter illas duas, sed quia rei ipsius natura cogit omnino ita sentire. Unde etiam fit; ut nullus tuæ dubitationi locus esse possit, etiamsi alioqui verum esset, non modo sæpe, ut ais, sed plerumque ac fere semper medias sententias istas falsas deprehendi. Dubitas deinde ne recta sit ratiocinatio mea, qui, ex Christi regno & præsente Ecclesiæ gubernatione, necessarium esse statuo nos Christum invocare posse, ita ut qui hoc neget, illa etiam negare seu non agnoscere cogatur, ob id, inquam, dubitas, quod appareat regnum & gubernationem posse sine invocatione esse. Nam, inquis, verbi gratia, Deus regnabat super omnes gentes in Vetere quoque Testamento, neque tamen ab iis invocabatur. Atqui, mi frater, ego ex regno & gubernatione non colligo invocationem fieri, aut factam esse, (quid enim hoc quæso, ad id de quo hic agitur?) sed fieri jure posse, aut potuisse. Neque enim hic quæritur, an Christus invocetur, sed, an invocari possit. Nam si, (ut hoc loco non minus vere, quam ad rem scribis,) multa fieri debent quæ non fiunt, similiter, vel potius multo magis, multa fieri jure possunt, quæ tamen non fiunt. Quæ de angelis affers ex Daniele, curatoribus, ut ais, Græcorum & Persarum, admodum incerta sunt, ut videre poteris in annotationibus Bibliorum Tremellii & Junii, ubi invenies capite decimo (nam nono, quod ipse citas, nihil tale est) non quidem Persarum curatorem, sed principem regni Persici exponi Cambysem Cyri filium, similiter principem Græciæ, non autem Græcorum curatorem, exponi Alexandrum Macedonem. Sed fac ita esse, ut ipse affirmas, quid, te rogo, commune habet, alicubi semel, unico verbo dictum fuisse, angelos quosdam curare Persas & Græcos, non addito, nec quatenus cura ista extenderetur, nec quamdiu duratura esset, nec vel leviter quidem indicatur, an angeli isti eorum ipsorum, quorum, ut vis, dicuntur curatores, cogitationes intelligerent, precesve exaudirent, quod huc aitinet, an illis invocatio conveniat, cum eo, quod sæpissime, atque adeo dum ipse Christus (quod millies in sacris testimoniis fit,) nominatur, semper ac perpetuo de Christi regno, dominatione, cura, & gubernatione præsente atque efficaci, eaque omnimoda, atque in perpetuum usque ad seculi finem duratura Ecclesiæ suæ, una cum suprema in omnes angelos potestate conjuncta, & non modo precum, sed cogitationum omnium humanarum notitia, atque examine, fulta & constabilita, vel apertissime legitur, vel sane necessario intelligitur. Idem dico de Michaëlis exemplo, quod affers, Judæos adjuvante; quod nihil prorsus cum Christi regno suæque Ecclesiæ perpetua cura, & plenissima gubernatione

 (dedit

(dedit enim pater suo filio omne judicium) cum de invocatione agitur, commune habere potest. Quod preces piorum ab angelis Deo offerantur, nec scriptum est in eo, quem citas Apocal. loco cap. 8. 3 (nam Libri Tobiæ auctoritatem & testimonium nihil moror,) nec, si scriptum esset, ad rem faceret, cum hac in re nihil sit simile ipsi Christi regno ac gubernationi, quod scriptum est in loco isto, cuidam angelo data fuisse incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum, quod in visione Johanni ostensum significat, sanctorum preces Deo gratissimas, & suavissimi (ut ita dicam) odoris esse.

Restat quod affers de angelis, qui excubent ad pios defendendos &c. neque tamen (ais) propter hanc illorum curam, ullus unquam pius eos invocandos esse statuit. Ubi primum, (quod & paullo ante feceras) quæstionem de invocandi facultate, mutas in eam, quæ est de invocandi necessitate, neque enim hic quæritur; an Christus invocandus sit, sed, an invocari jure possit. Et fuerunt fortassis homines alioqui pii, qui tametsi non statuerunt angelos invocandos esse, eos tamen jure invocari posse censuerunt; istos, inquam, angelos custodes hominibus datos; quæ opinio an sustineri necne possit, in præsentia non disputo; immo facile concedo eam erroneam esse. Atqui nihil hinc tamen contra Christi invocationem, quæ jure fieri possit, colligi potest: nulla enim est proportio inter curam istam, quam Angeli nostrum sibi demandatam habeant, & Christi regnum ac gubernationem. Et miror, te vel suspicari quidem, pro re ejusdem generis haberi posse, Christi regnum in Ecclesia & gubernationem, & Michaeli jussum datum ut tueatur Judæos. Nam quantum, quæso distant, regem, dominum ac gubernatorem esse, idque perpetuo & absolute, & aliquo modo tutandi curam sibi demandatam habere? quæ etiam cura, quam Michael iste Judæorum habeat, seu potius Danielis ætate haberet, ægre admodum aliunde haberi potest, quam ex eo, quod in fine capitis 10 Danielis eorum princeps vocatur, quod quo sensu dictum fuerit, non constat. Est enim multiplex vocis istius Principis, tam in Hebræa, quam in Latina lingua significatio. Et potuit Michael ibi Princeps Judæorum dici, non quod ipsorum hoc est, regionis illius princeps esset, quod sine cura illorum tutandorum * * *

Additur quidem in initio capitis 12 Michaelem stare pro Judæis, id est, illis favere. Sed primum aliud est cuipiam favere, aliud vero curam ipsius tutandi sibi demandatam habere, deinde satis constat ex iis quæ sequuntur, ibi, sub Michaelis persona & typo, ipsum Christum adumbrari. Quanquam in Tremellianis Bibliis etiam in ipso cap. 10 annotatur, Michaelem istum esse Christum, non quia tunc jam esset Judæorum princeps, sed quia futurus esset, idque Danieli in ista visione ostensum fuerit. Et certe ex visione ista, quæ tota prophetica & mystica esse potest, nihil solide ex eo, quod, verba ipsa sonant, colligi posse credendum est. Itaque vides, angelos custodes, quos conservos nostros, & Christi ministros ac servos, & de quibus nihil certi habemus, quatenus cura, quam nostri gerunt, extendatur, (adeo ut non desint, qui tota hac de re dubitent) quorumque munus in nobis custodiendis potius indicatum, quam aperte significatum ac commendatum nobis est, quique incertum est, an ita præsto semper adsint, ut preces nostras percipiant, cum Christo ipso rege ac domino nostro, qui præter ipsum Deum omnia sibi subjecta habet, omnique potestate tum in cœlo, tum in terra est præditus, cujusque in nobis regendis ac gubernandis, perpetuoque servandis munus & clarissime expositum, & diligentissime commendatum est, cum expressa declaratione, quod ipsos renes & corda nostra scrutetur, in invocationis materia comparare velle, longe absurdius esse, quam ut id verbis satis declarari queat. Ex quo fit, ut si quis angelum aliquem invocare audeat, necesse quidem esse videatur ut se id facere jure posse divinitus moneatur; at in Christo invocando, non modo jussu ullo, contra quam ipse sentire videris, non sit opus, (quanquam jussus non tantum posse, sed etiam debere Christum invocari nos doceret) verum ne monitione quidem. Quis enim monitionis ullius indiget, ut sciat se à rege suo ea omnia posse petere, quæ in ipsius regis sunt manu, & ejus opem, quatenus regia ejus potestas extenditur, implorare? Quis hic non animadvertit, idem esse dubitare, an Christus jure invocari possit, quod dubitare, an sit revera rex noster, omni potestate in nobis juvandis, precibusque nostris exaudiendis & admittendis præditus? Si visum tibi fuisset, aliquanto diligentius saltem, in ipsa, quam cum Francisco Davidis habui, disputatione legenda ac pensitanda versari, facile tibi constitisset, eos, qui Christum invocari posse negant, non aliam ob caussam id facere, quam quod illi præsens in Ecclesia regnum & gubernationem adimant; sed cum ab ejusmodi scriptis diligenter examinandis, ut ex tuis verbis satis constat, quæ ad me scribis, quodammodo abhorreas, quid mirum si istud non perspicis? quid mirum, si gravissimam hanc de Christi invocatione quæstionem, cujus veritate non percepta, necesse est in summa totius Christianæ religionis, ipsiusque mysteriorum ignoratione versari, in qua denique de ipsius Dei, Christique gloria, quo nihil majus aut sublimius potest excogitari, præcipue agitur, levem esse arbitratus fueris? Sed spero te posthac diligentius multo in hac quæstione apud ipsum animum tuum explicanda, laboraturum, quod ut alacrius facias, tuas dubitationes examinare pergam. Videtur tibi argumentum, de Christi invocatione dubitandi, ex eo sumptum, quod nusquam expressum præceptum extet, ut illum invocemus adhuc subsistere, neque infirmari ab iis quæ dixi; dum ostendi, quædam ad divinum cultum pertinentia fieri posse, quæ tamen ut fiant divinitus præcepta non sunt: aisque nominatim exemplum à me allatum pædobaptismi, ad rem non facere, cum ne baptismus quidem ipse ex sententia mea, ad Dei Christive cultum pertinere possit, quippe quo etiam neglecto, Christianum haberi quempiam posse sentiam. Hactenus, mi frater principium (quod ajunt) manifeste petis, pro concesso enim sumis, ad divinum cultum pertinere non posse id, quod omitti potest, cum tamen de hoc ipso hic quæratur, An scilicet, quidquam ad divinum cultum pertinens possit omitti, seu, quod idem est; possit non esse præceptum. Atqui ut rectius intelligatur, quid in hac qnæstione significet, ad divinum cultum pertinere (nam hic homonymiæ fallacia erratur) perpendendum est ipsum argumentum, quod mihi refellendum sumsi, unde hæc locutio sumpta est. Dicitur in eo, nihil licere, si modo id ad divinum cultum pertineat, facere, quod præceptum non sit; & propterea Christum invocare non licere, cum id non fuerit præceptum. Ergo pertinere ad cultum divinum non significat rem esse, qua obeunda revera Deus colatur ipse, aut divinus cultus revera aliquis fiat, sed fieri ab ipso obeunte credatur. Qui enim ita argumentantur, Christi sane invocationem, cum eam hac ipsa argumentatione funditus tollere atque abolere curent, pro cultu, qui revera divinus sit, nullo pacto habent. Sed quia addis, hoc tamen baptismi, vel pædobaptismi exemplum non congruere cum Christi invocatione, quia possit, præsertim secundum sententiam meam, aquæ baptismus ipse omnino à Christiano homine negligi, Christi vero invocatio, ut quidem ipse sentio, non item, ac propterea non debuisse me exemplo isto in hac disputatione uti; primum ostendam, responsionem, quæ à te ipso pro me affertur, optimam esse: deinde, quicquid tamen scrupuli nihilominus tibi restat, eximere conabor. Scripseras ante ad me, non videri quicquam cuiquam esse faciendum, quod non tenetur facere & in iis literis mihi significaveras, mecum tibi esse communem de pædobaptismo sententiam. Nolui hanc occasionem prætermittere, opinionem tuam evidentissime, altera ista mecum tibi communi sententia, redarguendi

non minus quam absurdum sit, Christum omnem potestatem & in cœlo & in terra habere, nostrumque regem plenissimo jure ac possessione esse, cordaque nostra & renes scrutari, & tamen non licere nobis ad eum preces nostras dirigere, atque in nostris necessitatibus ejus opem implorare.

Plura ad te de hoc argumento scribere constitueram, ut tibi persuaderem, cum Christi regni confessione, non posse subsistere, ejusdem Christi invocandi facultatis negationem; ac simul ostenderem, quam necessarium Christiano homini sit regnum istud agnoscere, & consequenter, quam necesse sit agnoscere ac confiteri, Christum jure à nobis invocari posse, quamque, contra opinionem tuam fortasse, supra aliarum omnium cognitionem, hujus in Christiana religione veritatis cognitio utilis censenda sit: Sed partim tempus me deficit, partim ex catarrho afflictio impedit. Quare finem faciam, sperans me alias ista præstiturum, si modo, ut nihil dubito, animadvertere potero, te non gravate ea, quæ de hac quæstione ad te scribo, legere atque perpendere. Vale. Cracoviæ, die 16 Septembris. Anno 1596.

Tuus in Christo
F. S.

Epistola F. S.

Qua excellentissimi cujusdam viri literis respondet.

Salutem à Deo & Christo ejus, &c.

ETiamsi N. N. præstantissime, ego is essem, quem in tuis literis, die 16 Julii datis, me facis, nulla tamen prorsus causa fuisset, cur me per literas alloqui vereberis, non quidem ob insignem, ut ipse ais, humanitatem meam, quæ virtus in me, licet cæteris, quarum studiosus sum, aliquanto major, exigua tamen est; sed quod ipse, ut tua scripta, & judicio præditorum hominum, qui te norunt, testimonia fidem faciunt, talis es, ut is, ad quem prior scripseris, felicitatis cujusdam loco, id sibi ducere merito possit, ut quidem ego facio, hujusque rei nomine tibi summas gratias ago. Quid vero dicendum est, cum ego, quamvis ab illo Mariano Socino, quem ipse memoras, ab Ænea Sylvio tot tantisque laudibus celebrato, abavo nimirum meo, prognatus, & illius, qui nominatim in familia nostra princeps subtilitatum dictus est, cujus rei similiter aliquo modo mentionem facis, unicus filius, tamen ejusmodi sim, ut à priore multo plus virtute, quam propagationis gradu distem; posteriore vero non minus sim ingenio inferior, quam ipse, ratione habita ejus temporis, quod hactenus vixi, cum mortuus est, ætate me inferior fuit. Vix enim annum tricesimum primum suæ ætatis excesserat, cum ego jam pridem 64 ingressus fuerim. Quid inquam dicendum est, cum ego sim talis; Certe aliud nihil, quam me plane beatum esse, ea beatitudine, quæ in hac mortali vita obtingere potest, quod prior ad me scribere dignatus fueris, tantum abest ut tu id faciendo, quidquam nimium ausus fuisse videri possis. Huc accedit, quod literæ tuæ non modo conatum & studium tuum laudabilissimum, ut ipsemet agnoscis, continent ac declarant; sed, quod minime agnoscere videris, rerum gravitatis ac elegantiæ sunt plenæ, unde & jucunditatem & utilitatem simul haud sane exiguam percepi. Plurimum autem me delectavit brevis narratio, quæ in illis habetur, initii & progressus tui in rerum divinarum penitiore cognitione. Quamquam ex altera parte indolui, quod tam parum temporis, in hoc omnium præstantissimum, sine ulla comparatione, studium, insumere tibi detur. Apparet enim te ei aptissimum esse, & maximam jacturam promovendæ divinæ veritatis fore, si ipse huic rei potissimum non vacaveris. Ego quidem (quod tibi sancte confirmare possum) inter omnes fratres nostros, qui in hoc regno degunt, ubi Deus præcipue, alto suo consilio, hominibus seipsum patefacere, hac nostra ætate voluit, neminem novi, qui te iis rebus sit instructior, quibus ad hanc rem est opus. Quare Deum oro, ut te istis quasi laqueis, quibus hactenus impediris, aliquando exolvat, efficiatque, ut ipsi uni ejusque gloriæ inservire possis, id quod propediem futurum sperandum sane est, si, ut ipse profiteris, jam in eo es totus, ut te expedias, quo liberius cœlestia scrutari possis, ut jam dudum facere cœpisti; cujus rei quod mihi das specimen, mirum in modum fuit mihi gratum, quamquam maluissem in eo quidvis aliud potius ejusmodi examinari, quam quædam à me de rebus divinis scripta, ut factum video. Sunt enim quæ scripsi, omnia parum digna, quæ à te eo animo, ut in rerum divinarum cognitione proficias, tam diligenter examinentur. Adde quod, cum examinatio ista tua eo pertineat, ut in dubium vocet ista quædam à me scripta, periculum est, ne ego (ut unicuique sua placent) ea quantumvis immerito defendenda atque asserenda suscipiam, unde fiat, ut te nihil juvem in statuendo, quid de istis sentire debeas, & veritate in iis, quæ ad illa pertinent, omni dubitatione depulsa, plane perspicienda, quod tamen unum abs te quæri videtur. Quicquid sit, mos tibi gerendus est itaque jam aggredior ad ea respondere, quæ quibusdam in disputatione de Servatore à me scriptis objicienda censuisti, cum mihi videatur, si modo recte intelligantur, ea à veritate nihil recedere, nec ab objectionibus istis quicquam labefactari. Primum igitur, ex eo quod pagina octava scriptum est, æquam admodum rem esse, & naturæ Dei convenientem, id quod altera illa à me posita divina misericordia, continetur, concludendum tibi videtur, ejus contrarium esse iniquum, & sic, cum, me ipso alibi teste, nullum Dei opus à rectitudine & æquitate recedere possit, hinc tolli justitiam illam Dei alteram à me positam, & huic misericordiæ oppositam. Hæc objectio non tam mea verba petit, quam ipsius scripturæ verba, quæ aperte alteram istam Dei misericordiam justitiæ nomine interdum appellat, & tamen interim manifeste eidem ipsi Deo id tribuit, quod isti misericordiæ opponitur, quemadmodum à me testimoniis prolatis demonstratum fuit, adeo, ut satis mirari non possim, tibi videri, distinctionem istius misericordiæ, & istius justitiæ divinæ, per vim ex sacris testimoniis fuisse expressam, præsertim cum hic non de nominibus, sed de rebus ipsis potissimum agatur. Quandoquidem etiam citra ulla sacra testimonia, huc nominatim atque expresse spectantia, modo quis Dei providentiam, quam humani generis habet, alioqui agnoscat, & reliquis sacris testimoniis fidem adhibeat, satis constare potest, & misericordiam & justitiam istam à Deo exerceri. Hoc ipse sentiens, ad finem totius disputationis tuæ, adversus ea quæ scripsi de duabus Dei misericordiis, eique oppositis justitiis, ais, te non dubitare, quin à te disputata sint erronea. Sed ut Philosophus, solutionem tuorum objectorum quæris. Age igitur, ea quæ objicis diluamus. Itaque dico, nullo pacto ex eo, quod aliquid sit æquum, sequi ejus contrarium esse iniquum. Quamvis (quod tu hic urges) circa idem subjectum utrumque versetur. Sed oportet hic sibi à quadam occulta homonymia cavere. Exemplo res fiet manifesta, eoque ad rem nostram accommodato satis, unde facile causa seu ratio, cur id, quod dixi, in isto nostro proposito verissimum sit, perspici poterit. Estque exemplum hoc in ipsa mea disputatione, ad hoc ipsum ostendendum, alibi indicatum. Si quis à quopiam damno aliquo affectus fuerit, quod sibi ab ipso resarciri jure petere possit, rem æquam sine dubio faciet, si istud (ut ita loquar) resarciendum curet, nec tamen rem iniquam faciet, si non curet. Adde huic exemplo aliud, a me in eadem disputatione latius deductum atque expositum, illius cui pecunia ab aliquo

aliquo debeatur. Hic enim similiter æquum quiddam facit, si pecuniam istam à suo debitore repetat, nec tamen iniquum quidquam ab ipso fiet, si eam non repetat. Causa hujus rei utrobique est, quod, quicquid æquitatis ex altera parte, ut sic dixerim, contradictionis esse videatur, utramque tamen partem in istius potestate jus ipsum posuit, & in neutra ipsarum eligenda cuiquam injuriam facit iste. Atque hic, quod paullo ante attigi, de occulta quadam homonymia explicandum est. Nam cum in hac materia & disputatione quippiam æquum esse dicitur, aliud nihil significatur, quam id licere, nec quicquam in eo esse iniqui; non autem id fieri debere, sive, ut homonymiam, quæ hic latet, detegam, æquum esse ut id fiat. Neque illa mea verba, *Quid autem divinæ naturæ convenientius, & propterea æquius, &c.* Aliter accipienda sunt, quam si quis diceret, *Quid naturali jure convenientius, & propterea æquius ac justius, quam id repetere quod sibi debetur?* Quæ verba rectissime dicta fuisse, nemo negare ausit, quamvis nemo istud facere jure cogatur, sive, ut antea dictum est, in eo non faciendo nihil sit iniqui. Quare similiter verba ista mea non sunt ejusmodi, ut rectissime dicta censeri non debeant, etiamsi Deus jure possit, seclusis ejus promissis, humanum genus nec beneficiis afficere, nec suæ gloriæ participatione donare. Ostenso, quod hic nihil mecum pugno, & hoc fundamento posito, quod possunt duæ res, quamvis alioqui sibi adversantes & contrariæ, ambæ circa idem subjectum versantes, esse æquæ; id est, non iniquæ, sive à rectitudine & æquitate minime recedentes, facile erit animadvertere solutionem aliorum tuorum objectorum adversus ea, quæ in hac materia justitiæ, eique oppositæ misericordiæ divinæ à me dicta fuere. Quam enim vim primum, ad dicta mea infirmanda id habere potest, quod tantopere urges, etiamsi id verissimum esset, in Deo videlicet rectitudinem saltem ratione priorem (ut ipse loqueris) esse voluntate; nec quia Deus aliquid velit, id esse rectum, sed quia sit rectum, ideo Deum id velle? Jam enim intelligi facile potest, me, Deum nihil facere aut velle, affirmare, quod ipsum per se non sit rectum. Sic enim accipio istud quod ais, Deum ideo aliquid velle, quia sit rectum, ut scilicet significet, Deum id (ut ad hunc modum loquar) non voliturum fuisse, nisi esset rectum. Nam alioqui, si tua verba (ut quidem possunt) ita accipiantur, ut intelligatur, Deum velle quicquid est rectum, sive, rei rectitudinem esse causam, non quidem simpliciter, sine qua non; sed sic proprie dictam, ut Deus aliquid velit; quemadmodum inferiora alia tua verba præ se ferunt, id nequaquam verum esse arbitror, aut in hac disputatione ullo modo concedendum. Hinc siquidem consequeretur, vel duorum sibi adversantium utrumque rectum esse non posse, vel Deum uno & eodem tempore, in uno & eodem subjecto duo sibi adversantia velle. Quorum illud jam à me refutatum fuit, hoc vero plane absurdum atque adeo impossibile est. Denique, Deus nihil jure facere posset, quod non faceret, quo vix quidquam inveniri potest, quod magis divinæ majestati ac bonitati deroget atque adversetur. Jam deinde quod ais, per priorem justitiam à me positam tolli alteram misericordiam, idque ex eodem argumento contrariorum, cum argumentum istud, ut à te antea deductum est, confutatum à me fuerit, refutationis indigere non videtur. Quid? quod nihil contrarii hic est, cum alii sint illi, de quibus in priore justitia agitur, & illi de quibus agitur in altera misericordia. Neque enim, non resipiscentium nomine in priore justitia ii omnes intelliguntur, qui peccatis adhuc sunt immersi, quales ii sunt qui pertinent ad alteram misericordiam, sed ii demum qui scelesti sunt, ac contumaces & perditæ spei homines, ut diserte scriptum est pagina quarta in ipsius prioris justitiæ descriptione, quod abs te animadversum non fuisse, non parum miror. Quamquam vix unquam alio sensu, Non resipiscentis nomen, seu, Non pœnitentis, à Sacris Scriptoribus, & in theologia nostra usurpatur. Sed dices, peccatis adhuc immersorum nomine, qui ad alteram misericordiam pertinent, istos contumaces contineri. Atqui hoc nihil est, cum in describenda misericordia ista, non dixerim, Quosvis homines peccatis adhuc immersos, sed simpliciter: Homines adhuc peccatis immersos; adeo ut satis sit, quo appareat in altera misericordia à me descripta, nihil contineri pugnans cum eo, quod in priore justitia describenda dictum fuerat, si inveniantur adhuc homines peccatis immersi, qui tamen scelesti & contumaces, ac spei perditæ homines dici nequeant. Volui omnem contrariorum, quæ hic sint, suspicionem depellere. Tametsi enim argumentum à contrariis, ut illud ipse proposuisti & explicasti, nullam vim habet, tamen aliter hic proponi & explicari posset, ac vim habere; cum in illis verbis meis à te citatis & examinatis pagina 9, *Non resipiscentibus veniam non concedere, &c.* non modo rectum istud & æquum esse dicatur, sed rectitudini & æquitati debitum ac consentaneum. Sed jam videamus, quid istis ipsis meis verbis objicias. Ais enim mirum esse, me in illis separare naturam divinam, & rectitudinem atque æquitatem. Separandi autem verbum, quo usus es, simplici distinguendi significatione à te prolatum agnosco. Itaque respondeo primum, tritissimum atque usitatissimum esse, conjungendi voculam non inter diversa poni, sed exponendi vim habere. Deinde nego, in præsente negotio, ut videri ais, idem esse naturam divinam, & rectitudinem atque æquitatem. Naturæ enim divinæ nomine id simpliciter intelligi potest, ut à me intellectum fuisse fateor, quod Deus, ut scriptura loquitur, odit omnes operantes iniquitatem, id est, ut explicatum à me est pag. 3, in malitia perseverantes, & qui suorum scelerum pœnitentia non ducuntur. Rectitudinis autem & æquitatis nomine, quod rectum & æquum est, ipsum videlicet per se, etiam citra id, quod Deus ita velit, ut ejusmodi hominibus venia non detur, hæc dixi, quasi scripserim, *Naturæ divinæ, & rectitudini atque æquitati*, ut objectio tua postulare videtur. Nunc quando scripsi, *& propterea rectitudini atque æquitati*, non est cur affirmes, me separare seu distinguere naturam divinam, & rectitudinem atque æquitatem, cum etiam ex ipsa definitione, recte inferri atque colligi possit definitum, & contra. Verum præterea, aut ex tuo sensu dicis, in præsente negotio idem ista duo videri, aut ex meo. Si ex tuo, quæro probationes; sin ex meo, quæro ex ipsis verbis meis testimonia. Pergis autem atque ais, tibi displicere meum loquendi morem, *Propterea rectitudini & æquitati hoc esse debitum, quia decretis* (addere debueras *divinis*) *consentaneum*, & mox causam exponens cur tibi displiceat, *Decretum enim*, (inquis) *divinum non est causa æquitatis, sed æquitas causa est justi & recti decreti &c.* Atqui verba mea ita sunt disposita, ut tantummodo ex divinis decretis inferatur seu colligatur æquitas & rectitudo. An vero non potest quicquam ex quoquam inferri seu colligi, nisi ut ex causa? An non etiam contra, ut ex effectu, vel ut ex adjuncto? Ut quidem abs te verba mea, inverso etiam ordine, & sic addita necessario vocula *Quia*, sunt recitata, videntur præ se ferre, divina decreta esse causam rectitudinis & æquitatis. Veruntamen licet ad istum modum disposita, possunt tamen in alium sensum accipi, & voces *propterea quia*, vel ipsa sola vox *quia*, aut alia similis, non quidem causam, sed effectum significare, vel adjunctum &c. Ut in quibusdam ipsius scripturæ locis à nonnullis non sine aliquo fructu observatum est. Sed quonam digredior? Ad propositum redeundum est. Nam ipsemet fateris, te hic agnoscere *causam τῦ σημαινομένου, decrevit Deus, ergo æquum est*. Et sic agnoscis me recte fuisse locutum, etiamsi verba mea causam aliquam omnino significent; sed statim addis, *At non τῦ πραγμένου*, quasi vero vel istam causam meus loquendi modus plane indicet, vel satis habere non debuerim conclusio-

clusionis meæ causam afferre, sed ipsius rei causa mihi fuerit afferenda; quorum prius à me satis superque modo refutatum fuit, & à te ipso labefactatum, posterius vero nulli prorsus rationi innititur. Cum mihi isto in loco aliud nihil propositum fuerit, quam docere, proprium quidem esse Dei peccatores non resipiscentes punire, sed tamen non ob id ipsum quod peccant, sed ob id, quod resipiscere nolunt; cumque ibi revera non argumentantis, sed respondentis partes sustineam. Sequitur, ut respondeam ad id, quod objicis illis verbis meis pagina decima, *Potest Deus, quantum velit, de suo jure dimittere*, iis enim recitatis, statim subjicis, *quasi jus ex voluntate ipsius pendeat, & non ex æquitate.* At inquam istud ipsum æquissimum est, ut unusquisque de suo jure, quantum velit, dimittere possit; præsertim Deus, qui omnium est Dominus, ut ibidem à me dictum fuit. Sed ad hanc confirmationem & exaggerationem mei dicti, & rationis in eo contentæ, excipis ipse ad hunc modum, *Neque huc facit quod omnium sit Dominus: non enim supra seipsum est, ut possit etiam rectitudinem suam infringere.* In hac tua exceptione videtur peti principium (ut loquuntur) & simul id dici, quod alioqui etiam nullo pacto consistere possit. Videtur peti principium, quatenus in ea sumitur, esse rectitudinem quandam Dei, quæ omnino requirat, ut is pœnam constituat ei, qui adversus ipsius præceptum delinquat. Cum tamen proxime ante verba ista mea, de quibus nunc agitur, pernegaverim, ullam ejusmodi rectitudinem seu justitiam vere in Deo residere, ipsiusve qualitatem proprie dici posse, ibidemque commemoraverim, istud à me supra ostensum fuisse. Non videtur autem alioqui etiam ulla ratione posse consistere, ut is, qui omnium est dominus, de suo jure dimittendo possit rectitudinem suam ullam infringere, cum necesse sit, ut quemadmodum in se, sic etiam apud ipsum perpetuo rectissimum sit, ut de suo ipsius jure quantumcumque velit dimittere possit. Sed jam ulterius in diluendis objectis tuis progrediar. Pagina decima & undecima disputationis meæ hæc verba leguntur; *Quemadmodum potuisset Deus, & quidem jure, homines licet peccantes morti æternæ non mancipare, sic postquam eos illi morti edicto suo mancipavit, ex illius imperio iterum eximere, & quidem jure, sua sola voluntate potest.* Utraque pars horum verborum à te impugnatur, & de priore quidem sic ais: *Hoc pugnat cum eo quod scriptum est paullo ante, Non resipiscentibus veniam non concedere æquitati divinæ (quæ Dei proprietas) esse consentaneum. Pœnam igitur statuere ipsum oportuit.* Hic nihil moror, quod ista quæ paullo ante à me sunt dicta, non ita plane refers ut habent, nulla enim in illis æquitatis divinæ expressa fit mentio, sed tantum divinæ naturæ, & postea absolute rectitudinis & æquitatis. Et ita respondeo, ac si plane sic verba mea haberent, ut à te referuntur. Dico igitur, aliud esse peccantibus pœnam statuere, aliud vero, Non resipiscentibus veniam non concedere. Hanc tu responsionem meam præsensisti, & expresse illam inferius commemoras, & adversus ipsam ad hunc modum excipis: *Agnosco discrimen, quod nihil facit ad præsens negotium; ex eodem enim fonte fluit utrumque, quæ enim rectitudo sive justitia permisit non concedere veniam non resipiscentibus, eadem peccantibus pœnam statuere suasit, neque ostensum est illud magis æquitati consentaneum esse, quam hoc; aut unum magis ex libera voluntate fluere, quam alterum.* Hic nego eandem rectitudinem, non quidem quæ permisit, ut ipse loqueris, sed potius quæ jussit non concedere veniam non resipiscentibus, suasisse peccantibus pœnam statuere. Nam rectitudo quæ horum duorum prius jussit, ejusmodi est, ut ab ea recedere non liceat, quippe cum contrarium ejus quod ipsa jubet, in quod incidere ab ea recedendo necesse est, nempe non resipiscentibus veniam concedere, sit pravum atque iniquum. Oportet enim hic meminisse, quinam homines peccantes non resipiscentium nomine significentur, ut à me supra explicatum, ac demonstratum. Nam quod, si ita res habet, sequatur, Deum nunquam posse recipere in gratiam non resipiscentes, id quod tu mox, de divino decreto agens, dicis, Deum tamen facere per alteram à me positam misericordiam, est hoc antea à me abunde refutatum. At vero rectitudo illa, quæ suasit peccantibus pœnam statuere, non est ejusmodi, ut ab eo, quod ipsa suadet, recedere non liceat, quippe quod ab ipsa recedendo, nihil pravi sive iniqui admittatur, intellige ab ipso Deo, de quo hic agitur, & adversus quem peccata committuntur; cum illa aliud nihil sint, quam debita adversus præcepta & legem ipsius, & propterea ab ipso non puniri, sed condonari sine ulla injustitia possint. Non est autem à me expresse ostensum, magis æquitati consentaneum esse, non resipiscentes peccatores punire, quam simpliciter peccantes; quia hoc ipse communis sensus, & rerum usus per se omnibus ostendit; à libera autem voluntate Dei pendere, simpliciter peccantes, quales hic intelligo, opponens illos peccatoribus non resipiscentibus, necne punire, ostendi expresse parte 3 cap. 1, ipsius meæ disputationis, idemque paullo ante hæc ipsa mea verba, quæ à tuis impugnationibus nunc defendo, satis docui per eam rationem, quam jam à tuis objectis sum tutatus, quod unusquisque, præsertim Deus, qui est omnium dominus, de suo jure quantum velit dimittere potest. Hoc idem vero dici nequit de non concedenda venia peccatoribus non resipiscentibus. Rei enim summa indignitas, atque (ut sic dixerim) turpitudo, si Deus istis veniam concedat, eosque in gratiam recipiat, & simul omnis pietatis ac religionis, quæ inde consequeretur eversio & abolitio, aliter facere non permittit. Respondi ad ea quæ priori parti meorum verborum objicis; restat ut ad ea respondeam, quæ objicis posteriori. Sic enim adversus eam scribis, *Deinde, si, ut supra dixi, Rectitudo prior est decretis, & ideo decreta servare debet Deus, quia æqua sunt, quomodo ea retractare potest?* Hic mihi ea sunt dicenda, quæ jam, maxima saltem ex parte, vel dicta à me, vel indicata sunt. In rectitudinis sive æquitatis nomine est homonymia quædam. Nam aliquid rectum, sive æquum esse, potest simpliciter significare, id non esse pravum sive iniquum. Potest etiam significare, rectum sive æquum esse ut id fiat. Priore significatione rectitudo, sive æquitas, non quidem, ut ipse loqueris, prior est decretis divinis, sed tantum ipsorum causa sine qua non, & quidem perpetuo omnium, ac singulorum. Posteriore vero dici quidem potest, eam præcedere divinis decretis, quatenus ipsorum vera est ac propria causa, sed non tamen omnibus ac singulis perpetuo, verum quibusdam dumtaxat. Quæ decreta sunt hujusmodi, ea Deus nunquam rescindit, ut pote cujus actiones & opera à rectitudine & æquitate recedere nequeunt. Quæ vero tantum id habent, quod omnium decretorum divinorum est proprium ac perpetuum, ut prava sive iniqua non sint, nihil est cur ea Deus rescindere jure non possit, horum enim propria & vera causa alia nulla est, quam libera ipsius Dei voluntas. Sic quidem nullum locum habet id, quod huic rationi obviam eundo subjungis, *Dei voluntatem non ita esse liberam, ut possit aliquid velle, quod rectitudini ejus, atque justitiæ adversetur.* Nihil enim in talibus suis decretis rescindendis facit Deus adversus rectitudinem & justitiam sive suam, sive quamcumque. Nam quod addis rectitudini & justitiæ adversari, *id omne cujus oppositum est æquum, & rectum*, minus recte hoc à te affirmari demonstratum est ante, nisi recti & æqui nomine id intelligatur, quod non solum pravum non est, aut iniquum, sed etiam æquum & rectum est ut fiat, seu fieri omnino debet, id quod per ea quæ jam à me posita sunt non invenitur in decretis istis divinis, quæ rescindere Deo liberum esse affirmo. Tale autem est divinum decretum, de quo in verbis meis agitur, adjudicandi homines peccantes æternæ morti. Quamvis enim, ut necesse quidem est, æquum ac rectum illud sit, quatenus nihil pravi aut iniqui in se habet, non tamen

ita æquum ac rectum est, ut id fieri omnino debuerit aut debeat. Etenim quod hic rursus subjungis, *Atqui rectitudini consentaneum esse dictum est, veniam non concedere non resipiscentibus, Ergo &c.* Unde demonstrari posse videatur, immo decreti istius æquitatem & rectitudinem ejusmodi esse, ut id fieri omnino debuerit ac debeat; jam copiose ad id respondi, ostendendo, quantum & huc maxime pertinens sit discrimen inter decretum peccantes puniendi, & decretum non resipiscentibus veniam non concedendi. Per ea quæ hactenus à me disputata sunt, crediderim omnia diluta esse quæ meis dictis objicis in hac de Dei justitia & misericordia tractatione, quamvis restent adhuc examinanda quædam verba tua huc spectantia, quod mox faciam. Prius enim te monere volo, me, ut in quibusdam aliis paucis, nimis facilem in eo fuisse, quod ita tecum disputaverim, quasi, quemadmodum objecta tua offerunt, scripserim, Deum jure potuisse peccantibus pœnam non statuere, cum tamen non pœnam simpliciter, sed pœnam æternæ mortis scripserim, ubi de hominibus peccantibus generatim sum locutus. Pœnæ autem simpliciter, quam Deus non statuere potuerit, mentionem tantummodo fecerim respectu primi hominis, si præceptum illud sibi ab ipso Deo datum non servasset. Quamvis enim ex eo, quod pœnam primo homini peccanti Deus statuit, consequatur, eandem hominibus generatim in posterum statutam fuisse: non tamen contra, si eam non statuisset, consequeretur, eam peccantibus hominibus generatim statutam postea non fuisse. Sed jam reliqua verba tua percurramus. Ais igitur post hactenus examinata verba tua, *Non licere ex decretis inferre æquitatem, ita ut cætera, quæ decreta non sunt, ex rectitudine non fluere sentiamus. Multa enim recta & æqua, quæ non sunt decreta aut edicta.* Fateor me non percipere quid tibi hic velis, nec video quid in his verbis tuis contineatur, quod omnino ad quidquam labefactandum, aut in dubium revocandum pertineat eorum, quæ à me scripta sunt. Nam prima ipsa verba, quæ sola ad id pertinere videri possunt, & quatenus talia sunt, habent superius à me suam responsionem, videntur hic omnino significare, non esse ex solis divinis decretis æquitatem colligendam, cujus sententiæ nihil adversi in iis quæ scripsi reperietur unquam; immo ita explicata, ut sequentia tua verba ferunt, convenit illa plurimum cum ipsis, iis vero quæ ipse scripsisti, adversari videtur. Si enim, ut ipse ais, multa recta & æqua sunt, quæ non sunt decreta, aut edicta, nempe à Deo, Ergo verissimum est, quod ante expresse non semel affirmavi, & in disputatione illa mea satis aperte indicavi, rectitudinem & æquitatem non esse causam veram ac propriam decretorum Dei, nisi quorundam. Cujus rei te contrarium sentire ea indicant, quæ meis dictis objicis, & consequenter ex isto eodem quod ais necessario colligitur, æquitatem & rectitudinem duplicem esse; sive aliquid æquum & rectum esse homonymos dici, quod ad tua objecta diluenda à me affirmatum fuit: à te vero in illis proponendis non videtur fuisse agnitum. Nam certe, si multa recta & æqua sunt, quæ tamen Deus non decrevit, apparet aliquid ita rectum & æquum esse, ut tamen non fieri jure possit. De altero enim genere æqui & recti, quod fieri omnino debeat, nec tu dubitas, nec fortasse quisquam alius: & sic tandem apparet, non omne rectum & æquum esse ejusmodi, ut ejus contrarium sit pravum & iniquum; præsertim contrarium, ut loquuntur privative tantum, de quo potissimum in objectis tuis agitur, quorum pleraque hoc uno fundamento nituntur, quod illud omne sit iniquum, & justitiæ adversetur, cujus oppositum est rectum & æquum, id quod ego ad illa respondendo constanter negavi. Postremo, Epilogum quasi quendam objectorum tuorum faciens, ita scribis. *Summa rectitudo, æquitas, justitia, cum sint Dei proprietates hoc videntur velle necessario, ut oderint ac plectant, quod iniquum est ac injustum, unde pari jure & pœna peccantibus statuitur, & resipiscentibus venia non conceditur. Neque vero voluntas libera hic quidquam immutare potest, cum ea non ita sit libera, quin rectitudini subjaceat.* Nihil hic dicitur ad mea dicta convellenda pertinens, quod jam refutatum non fuerit. Respondeo nihilominus, & dico, rectitudinem, æquitatem, justitiam omnino quidem ferre, ut jure Deus possit quicquid iniquum & injustum est plectere, sed ut reipsa plectat, hoc necessario velle nego. Nam eadem rectitudo, æquitas, justitia omnino fert, ut Deus jure possit iniquum aliquid, aut injustum committentibus ignoscere, & ipsorum misereri; præsertim si veniam ab ipso sui delicti petant, vel eos saltem sui facti pœniteat, & ne in posterum delinquant studere ac cavere ex animo sint parati. Nam & delicta omnia aliud nihil sunt quam offensiones ipsius Dei, & fragilitas humana, etiam ex ipsa creatione & primæva natura, quæ ipsius Dei est opus, valde multa est. Conatus sum eruditissime N. N. tuæ petitioni satis facere, tibique ostendere, quando necesse est, quemadmodum ipse animadvertis, ut, quæ de iis qui peccant à Deo puniendas disputasti, & conclusisti, erronea sint, ubi error lateat, & quamvis artis Philosophiæ plane rudis, Philosophice tamen, ut ipsa natura mihi dictat, tecum agere, neque hunc laborem, qui licet per se non magnus, mihi in hac gravi ætate, infirmaque valetudine, præsertim gravissimis aliis scriptionibus & commentationibus occupato, non parvus sane est, in tui gratiam sumere quicquam recusavi. Quamvis ea, quæ in ipsa de Servatore disputatione mea scripsi, si accurate omnia perpendantur, satis esse posse videantur, ad se ipsa tutanda, & errorem qui in illis reprobandis latet, retegendum.

Jam quod ad illa attinet, quæ de resurrectione mortuorum disputas, & iis objicis quæ levissime omnino nec de ipsa re, sed Sacræ Scripturæ loquendi modo, in eadem disputatione mea hac de re attigi, videris prorsus occasionem captasse, ut me ad scribendum de difficillima hac materia pertraheres, & ad solvendum, si tantæ rei essem idoneus, dubitationes maximas, quæ circa illam ex ipsis Sacris Literis animo tuo, quemadmodum etiam multorum aliorum oboriuntur. Verum ego meos humeros impares tanto oneri esse sentio, & propterea quantumvis à multis fratribus rogatus, idque diu ac sæpe, nulli eorum hac in re obtemperans, de hoc argumento nihil unquam nominatim scribere volui, quamvis aliquando uni ex ipsis, ejus precibus & simul auctoritate inter nos quadam victus, id me facturum promisissem. Quare ignosces mihi, si tibi hic morem non gessero, & satis habebis, quod ea breviter diluam quæ objicis paucissimis illis verbis meis, quæ huc vix pertinentia scripsi. Facis me dicentem resurrectionem hominum salutem præsupponere, quod ego tamen non dixi, sed tantum affirmavi, Sacrarum Literarum morem esse, simplicis resurrectionis nomine æternam ac beatam vitam intelligere, ut ostenderem me recte locutum fuisse, qui resurrectionis Christi simpliciter mentionem faciens, ejus etiam immortalitatem ac beatitatem, quæ resurrectionem consecuta est, intellexerim. Hujus autem Sacrarum Literarum loquendi moris, ego expresse nullam rationem attuli, sed ipse aut credidisti, aut te credidisse præ te fers, istam à me fuisse allatam, quod resurrectio hominum salutem præsupponat; nempe quia adversarius meus, ut probaret me male locutum fuisse, rationem huic plane contrariam attulerat. At ego illam nec refutavi, nec improbavi, sed tantum me nihilominus recte locutum fuisse, testimoniis sacris in medium allatis, ostendi, quæ tu nescio quo pacto, ad rationem istam adversarii mei rationi contrariam probandam, allata à me fuisse putasti, quamvis observasses, ut ipse confiteris ad locum Job. 5, quem adversarius ad rationem suam probandam attulerat, & animadvertere potueris, scriptis meis legendis, me non solere unquam omittere, quin ad omnia respondeam, quæ allata fuerint pro ea sententia, quam impugnandam suscipio, præsertim si sint testimonia ex Sa-

ex Sacris Literis petita. Itaque videre jam potes, non esse cur quidquam aliud ad tua objecta respondeam, atque agnoscere, nec me ullam consequentis fallaciam commisisse, nec ulla testimonia à me contra meipsum fuisse allata. Sed dices, etiamsi non plane intellexeris, in quem finem testimonia illa sacra à me prolata fuerint, ex tuis nihilominus responsionibus objecta colligi posse, adversus ipsam mentem meam in illis proferendis, unde scilicet constare videatur, multa ex illis esse, in quibus nequaquam simplex ipsum resurrectionis nomen vitam æternam quoque significet. Ego vero dico, nihil esse necesse, ut ad objecta ista respondeam, (quod tamen me facere posse sperabam) cum intacta abs te adhuc maneant non pauca ex testimoniis istis, & præsertim illa omnia, quæ maxime ad propositum ibi meum faciunt, in quibus videlicet Christi resurrectionis simpliciter fit mentio, cum significatione non modo æternæ ac beatæ vitæ, sed etiam potestatis illius summæ, quam Christus post resurrectionem suam est consecutus. Quæstionem, quam coronidis loco mihi proponis, nondum satis intelligere ac percipere possum. Quamobrem satius mihi visum est, ut in præsentia eam non attingam, quam ut manifestum periculum subeam in conando, quemadmodum à me petis, ut eam expediam, ea dicendo, quæ parum aut nihil ad ipsam quæstionem & ad mentem tuam faciant. Ubi primum utramque vel per memeripsum, diligentius adhuc quam hactenus facere potui, tuis verbis perpensis, vel alicujus alterius ope recte assecutus mihi fuisse visus fuerim, quod ad ea expedienda quæ proponis, conducere existimarem, scribere non gravabor, & ad te mittere, id, quod si non citius, statim post proximas nundinas Lublinenses futurum spero, quo tempore, Deo volente, statui ad te scriptum tuum, de prædestinatione & libero arbitrio remittere, una cum de eo, quod tantopere expetere videris, judicio meo. Nulla enim ratione hactenus fieri potuit, ut huic labori scriptum istud diligenter examinandi, & in illud aliquid commentandi vacarem, quamvis hoc perpetuo, postquam ad nostras manus scriptum ipsum pervenit, summopere cordi mihi fuerit. Quare te plurimum rogo, ut me excusatum habere velis, si post tam diuturnum tempus, nondum desiderio isti tuo ardenti satisfeci, quo tamen ut caperceris, nullam causam fuisse, postmodum agnosces. Quid enim exquisiti judicii in ejusmodi philosophicis ac theologicis, iisque difficillimis, disputationibus expectari à me potest, homine, qui nec philosophiam unquam didicit, nec scholasticam (quam vocant) theologiam unquam attigit, & ipsius logicæ artis, nihil nisi rudimenta quædam, idque valde sero degustavit? Nolo enim te ignorare, plerasque disputatione meas, quarum quædam non sunt editæ, scriptas à me fuisse, cum nondum dialecticæ arti ullam operam dedissem. Cujusmodi sunt, ipsa disputatio de Servatore, adversus Puccium, adversus Palæologum, adversus F. Davidis, de baptismo aquæ, de loco Septimi Capitis ad Romanos, de auctoritate Sacræ Scripturæ, Responsio ad Parænesim Volani, Animadversiones in Theses de trino & uno Deo Collegii Posnaniensis, & alia quædam imperfecta, ut posthac non mireris, si in meis scriptis multa deprehenderis minus recte tradita & conclusa. Sed inquies, cur igitur eas scripsisti, cum tam male instructus ad eas scribendas esses? Nimirum, quia vel jussu eorum, quibus parendum mihi erat, vel adversariorum provocatione fui ad id faciendum compulsus. Quænam insignis eruditio, unde tu, qui tanta eruditione es præditus, juvari quicquam possis, inveniri in me credatur, qui levissime, & omni præceptore destitutus, bonarum artium & literarum studiis operam impendi, & florentissimos ætatis meæ annos duodecim perpetuos, ab anno videlicet 22 usque 35 in patriæ otio, & partim in aula perdidi? Verumtamen quando in cognitione ejus quod statui debeat de Christianæ religionis decretis, & de sensu divinorum testimoniorum, præsertim Novi Testamenti scriptis consignatorum, non paullo exercitatior sum, quam tu es, fieri fortasse poterit, ut de his rebus mecum per literas conferendo, non prorsus tibi inutilem operam sumas, mihi certe & emendationi scriptorum meorum eruditione & acumine tuo plurimum adjumenti afferes. Itaque non solum non recuso, ut in incepto tuo pergas, verum etiam ut id facias rogo, ut de ipsis iis quæ à me scripta fuere, si ita tibi videbitur, mecum disputes, & quæ tibi parum probantur, libere impugnes, conabor quam maxime potero, ne ob studium defendendi mea, à veritate in respondendo quicquam deviem.

Multa alia mihi dicenda essent, quæ summæ tuæ erga me humanitati ac benevolentiæ, quam literæ quas ad me dedisti undique spirant, aliqua saltem ex parte responderent, sed malo te perspicaci ingenio tuo, quantum me tibi ista ratione devinxeris, aperte conjicere, quam ex inconditis verbis meis obscure intelligere. Hic igitur harum literarum mearum finem faciam, si prius Deum oravero, ut quidem ex animo oro, ut tuis sanctis conatibus favere velit, tibique concedere, ut una cum charissima conjuge, & prole communi vestra, commode vitam hanc mortalem transigere possis, nec sit necesse ut id fiat, te ab iis inquirendis ac perscrutandis, quæ ad vitam immortalem adipiscendam spectant, abduci & avocari. Cœperam has literas scribere ante multas hebdomadas, sed mala valetudine sæpius impeditus, & aliis occupationibus distentus, non potui illas ad finem perducere, nisi demum hoc die 15 Decembr. secundum Calendarium novum, qui mihi est initium anni 65, quippe qui natus sim duabus horis & tribus fere quadrantibus ante ortum solis, diei quinti ejusdem mensis secundum Calendarium Vetus, Anno Christi 1539, qui nunc est 1603. Ex agro Luclaviciano in submontana regione Palatinatus Cracoviensis. Te fratres omnes amantissime resalutant. Tu autem meis verbis Dominum N. N. diligentissime resalutabis.

Excellentiæ tuæ præstantissimæ addictissimus in Domino Jesu frater ac servus

F. S.

Ad Synodum Wægroviensem, F. S. Epistola.

Gratia & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo, &c.

NOn paucis sane ab hinc mensibus monuerunt me fratres Cracovienses, idque nomine etiam fratrum Lublinensium, ut Apologiæ pro Assertionibus Collegii Posnaniensis contra Animadversiones nostras, totius cœtus nomine responderem. Ego quamquam tunc temporis occupatissimus eram, tamen, quia in ea eram sententia, optime nos facturos, si ad eam Apologiam respondissemus, gratiis actis, quod me huic muneri aptum judicassent, responsurum me recepi, idque præstare non ita multo post sum aggressus, tametsi quænam hac de re universæ Ecclesiæ nostræ voluntas esset, prorsus ignorarem. Nam ex Lublinensi Synodo nihil mihi vel scriptum vel nunciatum fuerat, unde id intelligere possem. Tantum literas à D. Johanne Crotovio nostro acceperam, in quibus me ad hanc provinciam suscipiendam vehementer hortabatur. Occupationes, quibus distinebar, variæ ac multiplices erant; potissimum vero me impediebat responsio privato meo nomine ad Andream Volanum, quam tunc in manibus habebam. Itaque sicut statim promissum præstare, sic in eo præstando postea, totus esse non potui. Sperabam tamen, me opus absolutum ante præsentem Synodum, sed gravi morbo dies quinquaginta atque eo amplius ita conflictatus fui, ut toto hoc tempore nihil prorsus commentari potuerim.

Quam-

Quamobrem rogo vos omnes, ut, si modo (id enim adhuc ignoro) responsio hæc à vobis desideratur, me pro humanitate ac prudentia vestra excusatum habere velitis, si ea nondum perfecta est. Quod si fortasse, ut Apologiæ illi per me respondeatur, non admodum probatis, id mihi vel per literas vestras, vel per aliquem ex fratribus ut significetis à vobis peto; ne frustra videlicet laborem; quamquam animus plane est, quicquid mihi significaveritis, ipsum opus aliquando absolvere, quippe in quod multa conjeci, & conjecturus sum, quæ, si non aliis, mihi ipsi usui futura spero, Liber erit, ni fallor, tantæ magnitudinis quantæ liber adversus Palæologum. Quamvis enim Apologia illa multo breviore responsione refelli possit, tamen satius esse judicavi, una cum evidente sophismatum & fallaciarum Adversarii patefactione, rationes & testimonia ab ipso contra nos allata, ac præterea quicquid in hoc genere inter nos & ipsum controversum est, paullo diligentius examinare atque excutere; & hac ratione nos semel, etiamsi posthac sæpius Adversarii nos impetant, respondendi molestia liberare. Cæterum, quod ad eas causas attinet, ob quas istic Wægroviæ in Dei Christique nomine convenistis, etsi ego vobis ulla de re admonendis parum sum aptus, tamen visum est mihi vos hortari, ut de adoratione & invocatione Christi in Ecclesiis nostris conservanda, imprimis laboretis. Hac enim retenta, perfacile omnes Judaici errores convelluntur; ea vero vel spreta vel abjecta, nulla ratione fieri potest, ne ubique Judaismus vigeat, vel potius turpis Epicureismus atque atheismus. Quemadmodum & pie & docte scripsit olim D. Gregorius Paulus frater noster ad Transylvanos, cum de caussa Francisci Davidis agi cœptum esset. Præpostere igitur omnino fit, si quis cum eo disputans, quem constat adorationem & invocationem Christo non tribuere, conetur illum ab aliis quibusvis Judaicis erroribus retrahere, priusquam eum à tanta ignorantia & cœcitate liberet, quæ omnium ejusmodi errorum tanquam certissimus ac perennis quidam fons est ac scaturigo. Igitur ante omnia de hoc argumento, cum iis qui sunt tales, agi debet, & nullus lapis non movendus est, ut illis primum persuadeatur, Jesu Christo adorationem & invocationem convenire. Nempe cui Deus Ecclesiam suam gubernandi & regendi perpetuam curam dederit. & angelis atque hominibus eum præfecerit, suumque ipsius solium illi impartiens, ut intimas etiam humanorum cordium cogitationes cognoscat largitus fuerit, atque, ut uno verbo dicam, illum regem nostrum, ita ut regnum suum ipse nunc administret, jam reipsa fecerit ac constituerit. Nam si hoc evincatur, nullo negotio discrimen Veteris & Novi Testamenti cunctis apparet, ac proinde omnis Judaici spiritus commenta penitus dissolvuntur. Contra vero mirabilis Mosis cum Christo fit confusio, & hanc ob caussam omnibus Judaicis opinionibus ostium patefit, & iis quæ jam ingressæ sunt, foras expellendis frustra omnis cura & labor insumitur. Quod si qui sunt, qui nullo pacto adduci queunt, ut Christi hoc tempore regni sui administrationem, & divinam potestatem agnoscant, non est cum istis amplius (ut mihi quidem videtur) in rebus sacris commercium habendum. At vero, ne alii in posterum in eandem impietatem facile delabantur, non abs re inter alia, quæ fieri possent, fore existimarem, si omnibus verbi Dei ministris injungeretur, ut in publicis precibus, staturis saltem quibusdam diebus, Christum Jesum Dei Filium nominatim invocarent. Quamvis enim rectissime, jam inde ab ipso initio in Christi Ecclesia, sive usu receptum, seu lege constitutum fuerit, ut ad ipsum Deum preces dirigantur, quo illi prærogativa sua perpetuo conservetur, tamen ex historiis simul manifestum est, Christum quoque, statim post patefactam ejus gloriam atque potentiam, publice ab iis, qui ejus nomen profiterentur, invocari consuevisse. Quod si unquam temporum & personarum ratio tulit ut id fieret, nunc maxime inter nos fert, cum & nos tanquam Jesu Christi contemptores pessime apud alios Christiani nominis homines audiamus, & eorum, qui Christi nomen profitentes, ipsum tamen nec adorant, nec invocandum censent, & nihilominus, quia Trinitatis opinionem abjecerunt, ex nostro cœtu esse existimantur, aliquis omnino fit numerus. Sed hæc hactenus. Vos enim multo melius nimirum hæc per vos ipsi aut jam nostis, aut nosse potestis, quam ego ea docere, aut verbis explicare queam. Satis mihi sit maximi momenti rem indicasse, & officio meo, si quod tamen hac in parte requirebatur, abunde satisfecisse. Deus & Pater noster, & ipse Dominus Jesus Christus illuminet indies magis corda vestra, & vobis eam sapientiam tribuat, qua Ecclesias vestras ab omni labe immunes reddendi viam invenire possitis. Valete charissimi & in Christo Jesu mihi plurimum observandi ac reverendi fratres.

Minimus omnium in Christo fratrum

F. S.

Ad Quendam,

F. S. Epistola.

Gratia & pax Dei Patris & Domini Jesu Christi, &c.

Et occupationibus meis, & morbo, quem Cracoviam veniens ex nimio frigore contraxeram, impeditus, in hunc usque diem ad literas tuas responsum distuli. Quanquam primo quoque tempore respondere vehementer cupiebam, ut, si fieri posset, aliquando tandem intelligere posses, quid in animadversione illa scripserim, quidve ad ea responderim, quæ tu post Gabrielem Eutropium mihi objeceras. Quod hactenus fortasse minus intellexisti, quia quam paucissimis verbis mihi tecum agendum esse judicavi, in re præsertim satis per se manifesta. Dicam igitur pluribus quod sentio. Adversarii sic locuti fuerant, ut nos facerent dicentes, Deum ideo Christi Patrem in Sanctis Literis nominari, quod Dei virtute obumbrante ex virgine sit conceptus. Itaque ex vi ipsa verborum nobis imprudentes tribuebant, quod Deum, Dei virtute obumbrante ex virgine conceptum diceremus, & ob eam causam, Christi Patrem in Sanctis Literis eum nominari assereremus. Quo quid ineptius, immo vero stolidius dici, aut excogitari potest? Id ipsum autem te quoque quodammodo animadvertisse, illud satis indicat, quod cum illorum verba, quæ à me ineptitudinis damnantur, recitas, in altero eorum membro addis ad extremum de tuo vocem Christus, hoc pacto: Quia Dei virtute obumbrante conceptus sit ex virgine Christus. Quæ vox si ab illis addita fuisset, nihil erat (fateor) cur eos inepte locutos dicerem. Neque enim sum adeo hebes, quin videam, si Christus Dei filius ob id recte dicitur, quod ipse Christus Dei virtute obumbrante ex virgine fuerit conceptus, ob illud ipsum similiter, Deum Christi Patrem recte appellari. In corrigendis autem adversariorum verbis, non dixi addendam esse in posteriore membro vocem *Christus*, sed verba illa prima, *Deum Christi Patrem* mutanda in hæc, *Christum Dei Filium*, quod videlicet ad Christum, non autem ad Deum sequentia referri apte possent. Hac, inquam, ratione potius, quam illa, adversariorum verba mihi corrigenda putavi, quod & brevitati & concinnitati cuidam orationis meæ, & usitatiori loquendi modo in illorum verbis, adeoque universæ animadversioni id magis consentaneum esse duxi. Pluribus verbis, quam antea feceram, sententiam meam tibi declarare volebam. Sed vereor ne nimiis fuerim usus, & quemadmodum ante paucitas, sic nunc nimietas verborum tibi obscuritatem pariat. Ignosce amico crassissimæ ignorantiæ suspicionem depellere conanti. Et me, ut facis, ama. Cracoviæ die 16 Novembris 1583.

Tui studiosissimus & amantissimus in Christo frater F. S.

Ad

Ad Valentinum Radecium, nunc Ecclesiæ Claudiopolitanæ Pastorem, & Ecclesiarum quæ unum Deum Christi Patrem per Transylvaniam profitentur, Superintendentem,

F. S. Epistola.

Pietate atque eruditione ornatissimo viro Domino Valentino Radecio, divini verbi ministro fidelissimo, amico & fratri in Christo carissimo & honorando &c.

Salutem à Deo & Christo, &c.

EN tandem mi carissime D. Valentine, quod tibi promisi ex solvo. Id vero quantulum est? Quare in animo habebam, plus præstando, quam promiseram, & pro brevi, more meo, paraphrasi, vel pleniorem paraphrasim, vel justam explicationem ad te mittendo, & tuæ petitioni plenius satisfacere, & tantam tarditatem in fide mea liberanda compensare. Verum, cum ad id me paro, ecce quasi derepente incido in morbum, quamvis admodum brevem, molestissimum tamen & gravissimum, in diarrhœam, inquam, qualem nunquam in vita mea habui, licet simili, aliqua ex parte, aliquoties laboraverim, id est, tam vehementem & copiosam, & cum tantis torminibus, ac dolore capitis & ventriculi, & una cum maxima nausea, tanta anxietate & virium totius corporis prostratione, ut jam morbum ferre non possem. Sed Deus post horas circiter octo, me maxima ex parte, pro summa sua in me benignitate, eo liberavit. Accidit hoc mihi nocte, quæ secuta est diem primum hujus mensis. Duobus sequentibus diebus, propter summam corporis imbecillitatem, ac morbi reliquias non parvas, nihil agere prorsus potui: quos dies tibi destinaveram. Heri, qui fuit dies tertius, scripsi pro te quod hic inclusum habes, sed ægre valde; vereor, ne nihil boni fecerim, aut certe nihil, unde tu unquam quidquam fructus percipere possis.

Sed jam respondendum est mihi aliquid ad tuas literas ..... D. Statorius post multam pensitationem, & cum aliis fratribus hac de re consultationem, tandem, quod ad meos labores attinet, constituit, ut præter Catechismi, qui edendus est, Reformationem, cui una cum ipso vacare debeo, aliud nihil faciam, quam absolvam responsionem meam, quam vulgo vocamus adversus Posnanienses, quod quidem mihi gratissimum est, & quam primum manum operi illi perficiendo, Deo dante, admovebo. Interim, (ut necesse est ut faciam) dum, quicquid hactenus scripsi, sum recogniturus, & diligenter observaturus, rogo te, ut si aliquod isthic habetis mei imperfecti istius operis exemplum, ad ejus finem inspicere velis, an aliquid in eo habeatur non procul ab initio quarti Numeri 20, post verba illa, *Antiquum etiam correctorium, quod* Nam ea sunt plane omnium postrema, tum in meo autographo, cujus unum saltem aut alterum folium periit, tum in uno quod tantum habemus hic exemplo. Nolim enim si extet id, quod amplius scripsi, aliter quam antea feci, particulum illam totius operis nunc scribere. Quare, si quid plus isthic habetis, quam nos hic habemus, cures quæso, quamprimum id describendum, ut per D. Statorium ad me mittere possis. Ubius non ægre feret, quod ad quæstiones illas non respondeam, si illi meis verbis significetur, ut jam pridem, ni fallor, curavi ut fieret, me non esse aptum ut ad plerasque respondeam, responsurumque aliquando ad illas, in quibus aliquid meis scriptis objicitur; quod si nimis tarde fit, nemo gravius id ferre debet, quam ego, cujus maxime omnium interest, ut id fiat. Exemplum Voidovii Defensionis illius meæ non quidem adversus Eglinum, sed adversus ministrum quemdam Gallum, ad te, ut petis, mitto, compactum cum meo autographo scripti Polonice editi ad Euangelicos commonefaciendos, &c. Quod est apertum indicium, illud mihi à Voidovio donatum fuisse. Itaque ubi illud descripseris, rogo te, ut per manus fidi alicujus nuncii, qui primus sese obtulerit, mihi reddendum cures. D. Ostorodum diligentissime meis verbis resalutes velim, ad quem mitto literas D. Bernaudi non ita pridem acceptas, quibus respondet iis quas ad ipsum scripsit. Erunt, spero, illi gratissimæ, præsertim, cum, nisi fallor, in illis inclusa sint medicamenta pro ejus tam difficili morbo, à quo ut aliquando, quemadmodum spem habere cœperamus, magna solum ex parte liberetur, Deum ardentissime oro. Uxorem tuam, D. Nieciecium, D. Gutichium, reliquosque commensales tuos quam optime valere cupio, & pro ipsorum amantissimis salutationibus gratias illis ex animo ago. Deus tibi, uxori, ac liberis suo spiritu & gratia perpetuo adsit. Dat. in agro Luclaviciano die 23 Novembris 1603.

Tui amantissimus tibique tanquam pater inservire paratissimus

F. S.

Ad Michaelem Fabricium Regiomontanum, Sacræ Theologiæ studiosum.

Ornatissimo & pietate atque eruditione præstantissimo juveni, Domino Michaëli Fabricio, amico & fratri in Christo carissimo & honorando, &c.

Salutem à Deo & Christo, &c.

ORnatissime mihique charissime Domine Fabrici. Quia valde diuturno morbo adhuc vexor, paucis, ad gratissimas tuas literas die 13 hujus mensis datas, rescribam. Non est quod vereare, ut verba illa 2. cap. Zach. ẏſ. 11, *Et scies &c* debeant censeri esse Angeli illius, qui per totum ẏſ. 9, loquitur. Ob id scilicet, quod cum fine istius ẏſ. 9, non cohæreant. Quamvis enim (ut ego quidem sentio) interjecta verba, licet ab eodem Angelo prolata, non ipsius sed Jehovæ exercituum censeri debeant, ad hoc tamen, ut statui possit sequentia verba ejusdem Angeli esse, cujus sunt & præcedentia, & non secus atque illa suo ipsius nomine ab eo prolata fuisse, nihil cohæsione ista est opus: sed satis est, si verba ista, quæ post illa subjiciuntur, quæ Jehova ipse dicere inducitur, ejusmodi sint, quæ ipsius nomine idem Angelus proferre potuerit, & cum ipsius Jehovæ verbis cohæreant, ut certe hic evenit. Nam & prorsus, ut antea fecerat, suo ipsius nomine Angelus dicere potuit, agnitum iri, se à Jehova exercituum fuisse missum; & convenientissime hoc subjungitur post ipsius Jehovæ pollicitationem, quod esset habitaturus in medio illorum, & pro suo populo illos habiturus. Namque, ubi hoc præstitum à Jehovâ fuisset, certe constitutum erat, eum, qui ista ipsius Jehovæ nomine pronunciasset, ab ipso Jehova reverâ fuisse missum. Nec vero interpretatio hæc quidquam impedit, quominus interim hic Christi ratio habeatur; cujus videlicet tempore, & per quem ista Jehovæ pollicitatio præstita fuerit.

Quod attinet ad locum 1 Cor. 3. 6, & 7, quid sit incrementum illud, plantationi & irrigationi accedens, quod Deus dat, ex ipsamet similitudine ac metaphora intelligi potest. Nec aliud est propositum Apostolo nisi similitudine ista ostendere, quicquid boni fructus, ex prædicatione & confirmatione Euangelii per Dei & Christi ministros facta, provenit, id totum Deo adscribendum esse. Quemadmodum fructus bonus, qui ex plan-

ex plantatione & irrigatione provenit: quam agricola diligenter fecerit, totus ipsi Deo est adscribendus; à quo videlicet vis illa proficiscitur, qua plantatio & irrigatio ad bonum fructum proferendum est prædita. Adde, quod sicut sine solis calore, agricolæ plantatio & irrigatio ad bonum fructum proferendum haud satis est; ita sine divina gratia, prædicatio & confirmatio Euangelii per Dei & Christi ministros facta, non est satis ut bonus fructus inde proveniat. Sed interim, sicut solis calor omni plantationi & irrigationi, ac generatim omnibus satis & irrigatis stirpibus accedit: sic gratia ista divina omni divinitus factæ prædicationi & confirmationi Euangelii est communis, & generatim ad omnes pertingit, qui talis prædicationis & confirmationis Euangelii sunt participes. Plura ad ista duo quæ à me quæris, respondere in præsentia morbus non sinit, idemque est causa, ut nihil tibi promittere audeam de explicatione verborum Christi ad Petrum, *Pasce oves meas*, (licet eam fratribus jam diu sim pollicitus) præsertim tam brevi tempore, ut eam petis, id est ante tuum in patriam reditum; cujus causam mihi antea inauditam sane vehementer doleo. Salutavi, ut jussisti, fratres nomine tuo, qui te resalutant. Dat. Racoviæ die 17 Aprilis. Anno 1603.

Tui studiosissimus atque amantissimus

F. S.

Ad D. Martinum Berzevicium per Transylvaniam Cancellarium, F. S. Epistola.

Magnifico amplissimoque viro, Martino Berzevicio Stephani invictissimi Polonorum Regis &c. per Transylvaniam Cancellario, Domino, & Patrono suo vehementer colendo, &c.

Multa quidem, magnifice & amplissime vir, jam pridem audiveram de insigni humanitate tua, cum erga omnes homines probos, tum vero erga bonarum literarum studiosos. Quippe cum ipse non solum singulari quadam virtute, vitæque integritate præstares, sed etiam omni politiore doctrina, & optimarum artium scientia excultus esses. Attamen, ut verum fatear, vix umbram quandam humanitatis tuæ antehac mihi conspexisse videor, si cum iis, quæ de ipsa nuper cognovi, ea, quæ prius acceperam, conferre velim. Scripsit enim ad me Resminus Resminius, homo, ut generis nobilitate, sic prudentia ac modestia non vulgari præditus, mihique pluribus modis conjunctissimus, cum non adeo multos ab hinc dies de me aliquid audivisses, homine alioquin obscuro & vix tua notitia digno, eam (arbitror) ob causam, quod nec pessimum hominem, nec à bonarum literarum studiis alienum esse intellexeras, te non modo mei videndi & cognoscendi desiderium præ te tulisse, verum etiam, quod fortasse audiveras, me non minus à re familiari mea, qua ob veræ pietatis professionem assidue periclitor, quam à patria procul abesse, honestam aliquam conditionem ultro mihi coram te oblaturum, dixisse, qua voluntarium hoc meum exilium facilius ferre possem. Jam quanta hæc est humanitas, hominem ignotum, qui nihil ipse prior petat, sua sponte complecti, & non levibus beneficiis afficere velle? Quam hoc bene convenit, cum magno illo rerum usu, quem vigente adhuc ætate habes, cumque humanorum casuum, & vicissitudinum cognitione vera, quam tot honorificis in varias & longinquas regiones peregrinationibus tuis tibi comparasti? Quod si mihi ea dicendi vires essent, quæ pares huic rei esse possent, & tibi pro meritis gratias agerem, & aliis omnibus benignitatem in me tuam libentissime prædicarem. Sed, quando hoc à me propter sermonis ruditatem atque inopiam expectari nequit, animo meo in te gratissimo tibique deditissimo, & ipse contentus ero, &, ut tu quoque esse velis, te etiam atque etiam rogare non desistam. Advolassem libenter equidem isthuc ad te, simulatque Resminii tuam erga me benevolentiam narrantis literas accepi, & coram tibi, quas potuissem, hujus animi mei significationes dedissem: sed non ante in hominum publicum conspectum me dare constitui, exque his quasi latebris, quas mea sponte jam dudum subii, prodire, quam certo sciam, maximum Stephanum Regem, quem mihi post Deum, meumque principem ac Dominum Franciscum magnum Etruriæ ducem, summa perpetuaque veneratione colendum delegi, pro incredibili bonitate sapientiaque sua eam opinionem depo- suisse, quam, per malevolorum aut certe errantium hominum calumniam, de me, ut audio, suscepit, quod librum scripserim, qui ad Magistratus auctoritatem convellendam aut labefactandam pertineat. Quo nihil est, nec esse potest à veritate magis alienum. In eo siquidem libro (hunc enim isti sine dubio intelligunt) quo Jacobo Palæologo pro Racoviensibus respondetur, cujus me scriptorem fuisse, nemini unquam negavi, nec de Magistratus auctoritate revera agitur, sed de Christianorum hominum privatorum officio, & tamen ea dicuntur, quæ ad eam quam maxime confirmandam pertinere possint. Nec sane quemquam hodie esse existimo, qui magistratui plus tribuat, quam vel ego tribuo, vel in eo libro à me tributum fuit. Id mihi compertissimum est, me plus illi ex Sacrarum Literarum (ni fallor) sensu deferre, quam vel jure gentium, aut civili, vel etiam communi Theologorum sententia deferendum sit. Ejusque rei in ipso libro apertissima indicia extare non dubito. Quo factum est, ut, quamvis nihil fortassis acerbius mihi in vita contigerit, quam tanto regi imminutæ quodammodo Magistratus auctoritatis nomine suspectum esse, tamen de me illi purgando hactenus non admodum laboraverim, aut sollicitus fuerim, sperans omnino fore, ut liber ipse per se aliquando satis pro me loquatur, & inde mihi remedium jure existat, unde malum injuriâ exortum est. Hæc tecum, vir amplissime, liberius egi, humanitate eximia ista tua fretus, quæ me ad scribendum impulit, quæque sperare me jubet, non defuturum mihi apud justissimum regem in tam bona causa optimum patronum, te ipsum, inquam, cui patent ipsius regis aures, quique propter egregias virtutes tuas jam diu illi es gratissimus. Ostendet vel indicabit tibi, si opus fuerit, Resminius meus, ejus libri locos complures, ex quibus constare potest, quid de magistratus, regumque auctoritate ac majestate sentiam, quamque sacrosanctam & inviolabilem eam esse statuam, atque contendam. Ut, si quando sese occasio obtulerit hac de re cum ipso rege verba faciendi, possis, si ita tibi visum fuerit, ex animo & constanter affirmare, me ab eo crimine, cujus insimulor, quam longissime abesse. Nullum in præsentia majus beneficium abs te expetere posse videor. Quamobrem te oro atque obsecro, ut, quidquid benignitatis tuæ me hoc tempore sensurum esse, humanissime decreveras, id omne in hoc unum collatum velis. Sic te Deus optim. max. indies magis fortunet, tuisque votis benignus annuat, mihi vero aliquando concedat, ut aliqua saltem ex parte memorem & gratum erga te animum meum, ipsi etiam posteritati, facere possim. Vale vir præstantissime, meque, ut cœpisti, amare perge, & jam tibi plane addictum gratia auctoritateque tua juvandum ac fovendum posthac suscipe. Dat. Ruri die 12 Martii 1583.

Magnificæ amplitudini tuæ

Perpetuo devinctissimus

F. S.

Tt Ad

Ad Georgium Blandratam, F. S. Epistola.

Amplissimo clarissimoque viro Georgio Blandratæ Stephani invictissimi Regis Poloniæ, &c. archiatro & consiliario intimo, Domino ac Patrono suo perpetua observantia colendo, &c.

AD multiplices gravissimosque errores, quos diutissime inter eos homines viguisse necesse est, qui Christi nomine appellantur, è medio tollendos penitus atque extirpandos, quantum momentum habeat ipsius Jesu Christi naturæ sive essentiæ verior cognitio, vel illud indicare potest, quod, cum hoc nostro seculo, quo errores isti ex Christiano populo ejici ac profligari cœperunt, ad eam cognitionem illustrandam deventum est, non satis habuit Satan, quod huic sanctissimo conatui ii sese omnino oppositi essent, qui falsissimas quasque opiniones in Christi Ecclesiam invectas mordicus retinent, ac vi ipsa manifesta, quando aliter non possunt, propugnant atque defendunt; sed plurimos etiam ex iis, qui crassiores errores rejiciunt, atque oppugnant, quique hoc unum sibi propositum habere videntur, ut Ecclesiam, si fieri possit, ab omni labe perpurgent, jam inde ab ipso initio excitavit, qui, tantam lucem non ferentes, ei acerrime obluctantur, & quoscumque ad hanc veritatem patefaciendam prorsus intentos vident, eos miris modis insectantur, ac probris, & maledictis divexant, calumniisque opprimere student. Nam vel hinc intelligere licet, illos hac in re non Dei, sed Satanæ Spiritu agi. Inter hos autem illustrandæ, quam dixi, filii Dei cognitionis apertos hostes, haud infimum locum hoc tempore obtinet Andreas Volanus. Is enim non modo Parænesi illa sua, omnes quicumque in Polonia & Lithuania huic illustrationi toto pectore incumbunt, vehementer exagitare aggressus est; verum etiam, cum ipsi oblata fuisset responsio, à me, horum nomine satis modeste, ni fallor, conscripta, tam acerbe atque adeo impotenter alio scripto edito in nos omnes est invectus, ut sui ipsius oblitus esse plane dici possit. Præsertim cum alioqui in iis, quæ à me scripta fuerant, refellendis parum diligens & accuratus fuisse videatur. Id quod, literis etiam ad me datis, se sentire testati sunt viri aliqui doctissimi & summo judicio præditi. Qui propterea censebant, ad ipsum refutandum nihil propemodum mihi opus esse ut facerem, nisi ut priorem responsionem fratrum nomine scriptam publicarem. Ex his autem unus tu ipse fuisti, optime ac prudentissime Blandrata, cum primum Volani libellus in tuas manus pervenit. Verum, cum in Jesu Christi puriore notitia indies magis provehenda semper animo fueris ardentissimo, & Volani scripto diligentius perlecto, videres facile fieri posse, ut is sua quadam eloquentia ad vulgi captum accommodata rudioribus imponeret, & causam nostram aliquanto etiam magis, quam antea esset, apud istos suspectam redderet, qui non tam rationibus ipsis, quam verbis moventur, quibus affectiones in nobis aut gignuntur aut excitantur, quæque, cæteroqui licet inania, vituperationibus, & objurgationibus sunt plenissima; cum, inquam, hæc videres, suasisti postmodum non semel, ut omnino Volano iterum responderem, huicque incommodo, quoad possem, obviam irem. Quod quamquam alii quoque non pauci eodem tempore à me postulabant; tamen nec tantopere urgebant, nec tantam auctoritatem vel quisquam illorum per se, vel omnes simul apud me habebant, quantam tu solus merito semper habuisti. Itaque tuis potissimum monitionibus factum est, ut ea, quæ priori meæ responsioni Volanus objecit, diligenter refellere tandem aggressus fuerim; quod & Deo adjuvante, menses abhinc circiter .... perfeci, & priori illi alteram hanc responsionem adjunxi. Sed non ante hoc tempus ob varia impedimenta mihi opus hoc meum in publicum edere licuit. Quod cum magno alicui viro dicandum esse, amici censerent, nullus mihi in mentem venit, aut venire potuit, qui hic tecum conferendus esset. Neque enim solum tu revera, ut modo dicebam, hujus suscipiendi laboris mihi auctor fuisti, & idcirco ipsum opus tibi, tanquam ejus primæ cuidam causæ, præ cæteris debetur; sed etiam talem auxiliatorem & patronum in gravibus meis casibus & periculis te mihi præstitisti, ut nihil unquam à me alicujus ponderis queat proficisci, quod tuum quodam jure non sit. Adde vero, quod nulli convenientius dicari liber poterat, in quo de Jesu Christi essentia seu natura præcipue disputatur, & ejus quæstionis veritas defenditur, quam ei, qui hanc ipsam veritatem summo conatu non uno in loco & natione, ubi nunc potissimum recepta est, diu promovit ac propagavit; atque, ut libere eam & profiteri, & docere complures non vererentur, suo indefesso studio ac diligentia effecit. Quod si id imprimis quærendum erat, ne sine defensore libellus hic in publicum prodiret, nemo ei defendendo te aptior inveniri potuit, qui tanta gratia apud Stephanum Regem maximum & potentissimum polles, cui regiones illæ parent, in quibus, si usquam alibi, hoc opus legi continget, quantam præclaræ tuæ virtutes postulant, & maxima ac fidelissima in ipsum regem, nec non in ejus fratrem Christophorum, atque hujus filium Sigismundum Transylvaniæ principes, officia tua sunt commerita. Quæ hoc loco explicarem apertius, nisi omnibus notissima & perspectissima essent. Cum tot igitur de causis hoc mearum vigiliarum munus tibi optimo jure dedicetur, tuum erit, vir eximie idemque humanissime, primum quidem munus ipsum, quantumvis exiguum videri possit, & tuis meritis longe inferius, nequaquam aspernari, deinde vero eorum, quæ hic à me disputantur, quatenus cum Sacrarum Literarum sensu tibi convenire videbuntur, defensionem serio suscipere: hocque factum meum Andreæ Volano privato meo nomine, nec tamen ipso nomine expresso, respondendi (non enim ignoras quas hujus rei justissimas causas habeo) contra audaces criminatores & calumniatores tua prudentia & auctoritate perpetuo tueri. Deus Pater noster, & Dominus Jesus Christus, qui tuorum pro divina veritate patefacienda & disseminanda laborum, tam uberem fructum hactenus, ad istius jam affectæ ætatis magnum solatium, te videre, ac percipere voluit, idem tibi concedat, ut adversus omnes malevolos & veræ pietatis inimicos, quorum ingens est numerus, nec parva potentia, ad extremum usque firmus atque invictus perstes. Vale.

Tibi in Domino Jesu deditissimus Cliens tuus

F. S.

Ad Andream Voidovium Matthæi Radecii, Epistola.

Salutem à Deo & Domino Jesu Christo.

Vir ornatissime frater in Domino charissime & plurimum observande.

PRomiseram prioribus meis literis, decima tertia hujus mensis in eum eventum ad te datis, & ad fratrem Isaacum Stollerdum missis; si forte tuas reculas Thorunium transmissurus esset, ut eas simul transmitteret; me de pœna furibus irroganda, prima quaque oblata occasione, aliquid scripturum esse, qua nunc oblata, promissum facio. Memini vero cum præterito Mense Decembri apud nos fuisset, nos inter cætera in eum sermonem incidisse, jure ne fures, propter simplex furtum, laqueo vitam finirent, nec ne. Osten-

Ostendi, quod & nunc facere conor, Legem illam, præter mentem & sententiam omnium Legislatorum & Imperatorum, in orbem Christianum hominum incuria & crudelitate, irrepsisse. Primus enim Moses, qui de furibus, ipso Deo mandante, legem tulit, nequaquam sanxit, propter simplex furtum, hominem è medio tollendum esse: quin potius, si quispiam bovem, vel agnum furatus fuisset, quinque boves pro bove, & quatuor pecudes pro agno redderet. Exod. 22. Reliqui etiam, inter quos Romani, homines acutissimi & sapientissimi, qui suas leges undiquaque collegerant, earumque magnam partem ex Græcia adferendam curaverant, suisque adjecerant, nullatenus sanciendum existimarunt, homini propter simplex furtum, vitam, publice per Magistratum, adimendam esse; (cum nulla esse possit rerum ex terra nascentium cum vita hominis, nisi iniquissima, comparatio) Sed furem pro ratione furti manifesti, vel nec manifesti, dupli, tripli, aut quadrupli pœna afficiendum esse; aliquando, sed per privatos tantum, impune interfici potuisse. unde Cicero in oratione pro Milone, & Quintilianus lib. 5. cap. 10, Nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt. Fur itaque in furto deprehensus, ei cui aliquid surripuerat, si solvendo forte non fuisset, ita in temporariam servitutem addicebatur, donec, putatis rationibus, pro ratione furti debitum omne solvisset. Sin vero ejus, cui quid furto subtractum fuisset, rationes non tulisset, hominem furem ad eum modum addictum habere, Magistratus, soluto debito, ejus opera tantisper vel in lapidicinis, vel aliis operis publicis utebatur, donec omne illud debitum solvisset, atque ita se furti pœna exemisset. Quæ leges durarunt, usque ad ætatem Friderici, ni fallor, secundi Romanorum Imperatoris. Ibi cum jam barbaries orbem terrarum oppressisset, hominesque non pristinis, iisque optimis, legibus viverent, sed magna ex parte & divinarum & humanarum puriorum obliti, Antichristi crudelitatem sequi cæpissent, leges quoque, pro illorum temporum ratione, barbaras nempe, concedere cæperunt, sanciveruntque, furta, crescentibus (quod prætendebant) delictis, gravioribus pœnis afficienda & punienda esse. Quamvis optimus Imperator non ad eum modum legem tulisset, quo eam ad usque nostra tempora plerisque in locis usurpatam, non sine dolore, vidimus & etiamnum videmus: furem, scilicet, propter simplex furtum vita privandum, sed si rem alienam contrectando pacem simul rupisset, laqueo ei vitam adimendam esse. Quam Imperatoris mentem cum plerique non assecuti essent, neque animadvertissent etiam, paragraphum illum, de puniendis furibus, non simpliciter positum, sed sub titulo, De pace tenenda, collocatum fuisse, constitutionem illsm ita interpretati sunt, ut propter simplex furtum furem vita privandum esse censuerint. Et cum Imperator de quinque Solidorum valore adjecisset, illi quinque grossorum valorem interpretarentur, atque hominem ob quinque grossos interversos vita privandum existimarent; cum tamen ex quibusdam Legislatorum placitis haud obscure appareat, non grossorum communium, sed florenorum valorem Imperatorem existimasse & constituisse; & non simpliciter quidem, sed (ut dictum est) si pacem simul violasset, eamque sanguine forte humano, aut aliquo violento actu, disturbasset. Atque ita plerique abusi sunt, & etiamnum abutuntur, Optimi Imperatoris constitutione. Quo jure ipsi viderint. Hæc forte fuerunt, de quibus tum, ut potui, disserui, & nunc, Jure consultorum libris jam ab aliquot annis destitutus, ut possum, dissero & scribo. Sed vera tamen ea omnia esse nihil ambigo, nisi me memoria vehementer fallat. Vale mi frater, & me tuum, quod facis, amare perge. Salutant te nostri, Saluta nostros in Domino. Me tuis precibus & fraterno amori commendo. Ex agro Buscoviano, die vicesima mensis Januarii, Anno Juliano 1598. post nativitatem Domini Jesu Christi 1597.

Tuus in Domino frater ex animo MAT. RAD.

Alias F. S. Epistolas, quæ partim apud amicos adhuc latent, partim Italice ab ipso scriptæ, in Latinum nondum sunt conversæ, præsertim ad Illustrem Virum Dn. Andream Dudithium, in quibus de argumentis gravissimis agit, alio, si Deus voluerit, tempore separatim dabimus.

ANDREÆ DUDITHIO S.
WRATISLAVIAM.

TU vero, vir illustris, iis me honoribus cumulas, ut incipiam desiderare, ut quamprimum cognoscas, quanto sim minor eo Socino, quem alii, nescio quibus tibi coloribus depinxerunt, quemque tu me, pro humanitate tua, credere velle videris. Id enim si fiat, minuetur grave illud æris alieni, quo tibi sum obstrictus, onus, quod humeris tu meis, ultra id, quod jam antea mea in me sponte receperam, imponis. Nam, ut aliud clausum in pectore, aliud in lingua te promptum habere credam, nemo mihi persuaserit. Sperabam quidem, prout tibi scripsi, jam tunc me debito, quod ex illa quæstione à te mihi jam pridem proposita contraxi, responsum tibi meum remittendo exiturum. Veruntamen consilium id, de quo tibi scripsi, quod semel, quicquid hoc est laboris, exhaurire vellem, tantum in me potuit, ut effecerit, quo contra quam ab initio statueram, pluribus verbis scriptum hoc meum detexerem, quam, quo ære me tuo intra statum tempus levarem, necesse habebam. Credo præter id consilium, quod dixi, hanc quoque moræ caussam subesse, quod vernacula lingua voluerim scriptum id deducere, atque ita visus mihi sim, non pro Dudithio, sed pro hominibus plebeis & rudibus, qui nisi clarum, ac proinde prolixum habeas sermonem, nihil intelligunt, desudare, idque non ut simpliciter sententiam meam exponerem, sed & alios e udirem. Nollem tamen eo te existimare futurum, ut hic labor meus in volumen aliquod ingens excrescat, (intra paucas enim chartas consistet) sed usque eo nihilominus productum iri, ut, cum non nisi paucas horas quaque dierum hebdomade ei impendere queam, multosque ordine dies integros transmittere cogar, quibus manum ei non adhibeam, satis superque sit caussæ, cur eo tu nondum frui queas. Illius in vicem, novæ quæstioni, quam mihi proponis, & in plura capita dividis, breviter jam respondebo, sumpta ex eo audacia, quod acquiescere te illis, quæ objectioni prius a te mihi propositæ reposui, videam. Quod igitur ad officium cujuscunque privati militis, sub magno illo imperatore attinet; res meo judicio certa est, pugnandum illi atque contra hostem veniendum esse, quotiescunque aut iste se ei offert, aut ipse cognoscit, verive simili ratione inductus credit, posse se, ne damnum det iste, impedire. Sed si rectius rem intelligere velimus, siquidem insistendum est metaphoræ, id exploratum est habendum quinam hic hostium nomine veniant. Ii autem revera non sunt homines, nec cuiquam militum bellum suscipiendum est, ut cum hominibus ullo armorum genere confligat: Sed cum vitiis ac dæmonibus immundis, cum res ita tulerit, pugna ei conferenda est, non ut imperatoris sui honorem tueatur, (nec enim hic est militis scopus; atque ita metaphoræ non insisteretur) sed ut hostibus fusis, victoriam consequatur, idque ipsum armis prælio huic convenientibus, qualia à Paulo ad Ephesios Sexto capite, & ex parte in priori ad Thessalonicenses Epistola, capite quinto, versiculo octavo descripta sunt. Quod si tamen velimus, interdum adversus homines arma capienda, dimicandumque esse, prout sine dubio aliquando usu venit, translatio non à milite, qua miles est, in acie sub vexillo ad præliandum collocatus, sumenda est, sed à famulo, aut eo, qui ditioni alterius subjectus est, aut & à milite, non habita tamen ejus ratione, quod officio sibi proprio fungatur, aut denique ab id genus aliis, tali cum

alius necessitudine conjunctis, ut ad propugnandum eorum honorem, contra omnes obtrectatores non aliter sint obstricti, quam ii, quos diximus, ad honorem sive Domini, sive magistratus, sive imperatoris, contra quoscunque obtrectatores defendendum sunt obligati. Tum vero, quemadmodum iis, quos diximus, illud faciendum non incumbit, nisi cum ipsis præsentibus fit convicium, si modo alias ille, cujus honori detrahitur, rem probe notam habeat, & ad honorem suum asserendum, ipse viribus satis polleat, adeo ut magis civilitate quadam, quam necessitate, ut ejusmodi defensionem suscipiant, teneantur: ita etiam, ut clare, quod sentio, loquar, Christianus, qui sub imperatore suo Christo stipendia facit, non debet, aut saltem nulla lege cogitur in pugnam prodire & confligere cum ullo hominum quantumcunque ille de Christo male loquatur, nisi id ipso fiat præsente, ita ut silentium illius in assensum trahi, atque ipse parum imperatoris, magistratus ac domini amantem se præstare videri queat, alias enim nullum est periculum, ne suum Christus ipsemet honorem satis tueatur, quippe qui omnia & novit & potest. Id quidem verum est, cum Christus hominum operâ multa peragere soleat, variisque modis honorem suum defendat, si quis ejusmodi ab eo munus recepisset, cui defensio honoris illius incumberet, jam non satis fore, si, quod ipso præsente actum esset, ad animum revocaret, sed convenire, ut, quacunque ratione dedecus illatum fuerit, ipse secundum legem muneris, quod gerit, obviam contra veniat: id quod & in exemplis illis ex communi hominum vita sumptis usu venit, nec in eo quicquam contra regulam supra positam delinquitur; quæ non nisi ad vulgus hominum pertinet, quod hominum vulgus (quo nomine comprehendo omnes vulgaris communisque sortis) ne ipsum quidem existimem ea lege semper teneri, ut quilibet criminationem, se præsente ab aliis jactatam propulset, quoties ex ejusmodi propulsatione plus mali, quam boni nasci possit, ac præsertim si se is jam ante, quas partes sequatur, palam aperuerit. Quamvis autem à circumstantiis variis ratio officii debiti multifariam mutari queat, finis tamen ea est vis, ut facinus aliquod vituperatione, aut laude, aut saltem excusatione dignum efficiat. Si quis enim id metu adactus, non autem, quo majus evitaret malum, faceret, quamvis tacendi & tempus & locus foret, merito tamen, si taceret, reprehenderetur. Ita etiam, si quis vindicationem istam sibi sumeret, aliud spectans potius, quam ut officium præstaret; vituperationem jure subiret, quamvis alias vindicatio recte atque ordine susciperetur. Et vicissim is, qui eo solo, quem commemoravimus, respectu impulsus contumeliam indigne intortam retunderet, si id tempore & loco commodo faceret, laude aut saltem venia dignus esset. Sed veniamus ad illud Servatoris nostri dictum: *Qui me confessus fuerit*, & quæ sequuntur. Hic mea ista est sententia, Christianos communis sortis, & quotquot inter eos privatam agunt vitam, lege nulla teneri, ut aliud, quam quod Marci 8 capite, versiculo 38 legitur, præstent, hoc est, ut nihil eos, nec Christi, nec sermonum ejus coram mundo pudeat; quo id, ut ego quidem existimo, significatur, ut libere se servos & sectatores Christi profiteantur, seque præceptorum illius observantes palam testentur. Non ergo hoc illis incumbit, ut cuique hominum, & in quovis loco omne id, quod sentiunt, aut verum est de Christo aperiant: sed illud solum, quod, ut illi mos geri possit, scitu necessarium est, & ad obedientiam mandatis illius præstandam pertinet. Enim vero non pauca sunt etiam ex iis, quorum causa una Ecclesia nunc temporis divortium cum altera facit, quæ dicuntur aut dici de Jesu Christo possunt, idque verissime, quæ tamen ejus generis non sunt, ut, etiamsi quis aliquid iis contrarium amplexus sit, Christo tamen obsequium exhibere nequeat, & quodcunque jusserit, exsequi. Non ergo necesse est, ut hi tales sententiam suam de ejusmodi rebus proferant, præsertim, si hanc ab iis nemo exquirat; quod si exquisita ea fuerit, nihilominus cum bona animi conscientia possunt aut nihil respondere, aut respondentium præbere speciem, & interea sermonem alio derivare, idque tanto magis, si intelligi possit, inquisitorem id bono animo, bonoque fine non agere. Ut quis aperte contrarium ei, quod sentit, asserat, utut ejusmodi de re, in qua salutis cardo non vertitur; ego quidem id nunquam laudaverim, imo vero graviter potius vituperaverim: mendacium enim nunquam non turpe in rebus alicujus momenti habendum est, maxime vero divinis, inter quas nulla tam parum ad salutem interest, ut non pro magno putandam sit, veram de ea notitiam animo comprehensam habere, ob nexum arctum, quo omnes inter se sunt devinctæ, id quod in omnibus aliis rebus veris, quæ ad unum aliquod argumentum referuntur, locum habet; adeo ut nulla opinio falsa per seipsam tam exigui sit ponderis in rebus divinis, quæ, si quilibet inde omnia, quæ illam necessario consequi videntur, deduceret, ex eo, quod indifferens alias haberi posset, detestatione digna non evaderet. Nec tamen eo dicerem, si quis hac in parte errore ducatur, nullam ei veniæ spem esse propositam, modo firmum in animo ejus vigeat propositum rectum, rediturum se confestim in viam, aliterque se gesturum. Quod si mendacium in rebus, quæ, ut Christo serviatur atque obtemperetur, necessariæ sunt, committatur, jam id peccatum adeo grave evadit, ut nisi cito, ac quasi è vestigio pœnitentia illud consequatur, atque etiam, quomodocunque id fieri potest, tum seipsum, tum facinus suum is, qui id perpetravit, corrigat, admodum metuendum sit, ne talem ab eo vindictam Deus exigat, qualem nobis prolixe S. Paulus capite primo Epistolæ ad Romanos describit, id quod in eos consuevit, qui divinam veritatem sibi manifestatam, injustitia velut sepultam detinent. Quæ dicta sunt nobis hactenus, ea ad Christianos quidem, sed tamen vulgares, & publico munere in Ecclesia Christi non fungentes, ut jam antea testati sumus, pertinent. Nam quod ad illos, qui aut aliis erudiendis præpositi sunt, aut ea sunt præditi rerum divinarum cognitione, ut ad eam aliis præire possint, non crediderim id sufficere, quemadmodum est apud S. Petrum 1 Pet. 3. 15, semper parati sint ad reddendum ejus, quam habent, spei rationem, neque etiamsi id simul præstent, quod, ut memoravimus, apud S. Marcum legitur: sed necesse est, ut hi tales longius progrediantur, & talentum ad quæstum faciendum sibi concreditum ne sepeliant. Et hæc velim in præsenti satis esse responsa ad illa, quæ rogasti. Sententiam meam de cæteris rebus omnibus si vel nutu id te velle significaveris, lubenter tibi aperiam, gratumque est, id te mihi habere honoris, ut scripta mea videre velis: ita enim mihi persuadeo, non futurum hoc sine magno meo fructu, & fortassis nec tibi illud displiciturum, utut diversum à me sentias. Jussissem jam nonnulla, quæ tibi mitterem, describi, non recusans, quandoquidem divino numini ita visum, ut vix mihi nunc unde vitam tolerem, supersit, quin id, prout tibi placet, sumptu tuo fiat: sed vellem prius à te certior fieri, quid ex meis istis qualibuscunque omnium primo desideres. Est mihi disputatio quædam, de qua tibi scripsi, cum Puccio de primi hominis sive mortalitate sive immortalitate, quæ tota, in unum redacta, volumen mediocre implet. Est deinde mihi alia, cum Ministro quodam ex Calvini familia disputatio de ratione, qua Jesus Christus servator noster esse dicatur; in qua de justificatione nostra per Christum plene dissero, & in transcursu sententiam meam de peccato originis clare satis prodo, & nonnulla etiam de prædestinatione liberoque arbitrio tango, explanans loca difficiliora, & inter cætera illa duo, a te in literis tuis allata: quod fides sit Dei donum, & quod nemo veniat ad Christum, nisi Pater eum traxerit, de quibus hic nihil amplius dicam, satis habens, si in memoriam tibi revocavero verba illa mea: *nisi ita sit*, & cætera, non alia mente à me dicta esse, quam

ut osten-

ut ostenderem, factum meum jure non posse culpari; utut pessime res cadat, non autem, quasi de fine actionum mearum dubius hæream. Id verum sane est, me hic cum vulgo non tacere, sicut aliquando intelliges. Præter ista in scriniis meis deprehendo disputationem quandam meam cum Francisco Davidis de Christi invocatione habitam, in qua particulatim libello cuidam ipsius respondeo, quem contra objectiones & responsiones meas, duabus illius thesibus, alteriusque illarum probationi oppositas, cuderat. Est mihi adhuc libellus satis copiosus de baptismo, in quo omnia illa loca, in quibus sermo de eo habetur, diligenter examinantur, meaque de illo sententia clare explicatur. De Cœna Domini nihil ipsemet scripsi: sunt tamen penes me aliorum quorundam scripta sub limam à me revocata, in quibus verissima, meo judicio, sententia explicatur. In eorum unum jam olim D. Crato objectiones quasdam satis acerbe intorsit, quibus, si Deus voluerit, aliquando respondebo. Est mihi quoque in promptu breve quoddam responsum Andreæ Volano, pro Polonis fratribus, circa Christi divinitatem redditum, in quo aliquas istarum responsionum, quas per tibi gratas fore inquis, videre posses: deprehenderes etiam, alium mihi esse respondendi, & loca quædam divinarum literarum interpretandi modum, quam Polonis ac Transylvanis, quamvis in ipsa sententia dici possimus belle inter nos conspirare. Nescio an unquam oculis tuis oblata sit brevis quædam explicatio initii primi capitis Johannis à Zanchio & Beza, & ex parte à Polonis istis Lælio ascripta: ea vero jam ante annos XVIII ex officina nostra prodiit. Sunt & alii mihi nonnulli libelli, operaque ad umbilicum nondum perducta, quæ ad idem argumentum referuntur. Si pro bono visum fuerit, ut ex iis, quæ commemoravi, aliquid tibi describatur, verbo me mone, quænam potius allubescant, idque brevi tibi effectum dabo. Resminus spem mihi facit, propediem te huc venturum, nec solum venturum, sed & eodem sub tecto nobiscum hospitaturum. An vero unquam tam exoptatus mihi illucescet dies? Quanquam certus sum, ut ne nunc commemorem meam in aliis tenuitatem, nec me præsentia tua plene gavisurum, nec te ex consuetudine mea voluptatem ullam percepturum, ob surditatem gravem, quam Deo visum est mihi, forte ut in majus mihi bonum cedat, immittere, quæ me plane propemodum ineptum, nec ulli usui habilem in familiaribus colloquiis reddit. Sed utcunque sit, vel solus tui conspectus me magnopere recreabit. Mitto tibi Puccii libellum, qui quis vir sit, quaque conditione, quoniam id à me petiveras, minutim, quoad mihi constabat, tibi perscripsi: sed literæ, ut video, interciderunt. Denuo ergo tibi narro, esse illum ex veris Pucciis Florentinis, credoque istic Patrem ei adhuc in vivis restare, quamvis ætate multum provectum, una cum fratre. Est ipse annorum circiter XXXIX aut XL. qui cum ante annos aliquot Lugduni ageret, negotiationi nescio cui deditus, idque temporis disputationes de religione incalescerent, atque ipsi pars Papæ adversa arrisisset; cumque magistrorum institutione jam à puero ad studia literarum inclinatus dextreque ductus esset, mercaturæ sive negotiationi valedixit, & ad theologiam addiscendam animum applicuit. Cui, ut tanto melius vacare posset, Oxonium se in Britanniam, domicilii ad tempus illic figendi causa, atque inde Londinum contulit: quibus in locis duobus, disputationes varias cum Calvini assectis habuit, quarum, credo, gustum ex eo libello, quem tibi mitto, perceperis. Londino deinde Basileam se deportavit, ubi cum illo notitiam contraxi, ac disputationem istam habui. Ipse vero, cum in publicum istic theses illas, quarum in monitione ad lectorem, in calce hujus libelli quem tibi mitto, collocata, mentionem facit, edidisset, fuit ei hoc nomine negotii aliquid à ministris Ecclesiæ exhibitum, tandemque judicatum fuit, optimum fore, si inde migraret. Ita Londinum reversus est, ubi nunc quoque eum commorari puto. Vivit de suo, ut cui extra Patriam, aliquid est nummorum, nec Pater in iis, quæ requirit, illi deest. Multum opinionibus suis fidit atque tribuit, si hominem audias, aut scripta illius videas: condiditque novam quandam theologiam, quam ex hoc illius opusculo animo complecteris. De Palæologo aliquando ubertim inter nos colloquemur. Persuadeo mihi, te, ubi causam ac negotium illius expenderis, idem de ea mecum judicaturum, quamvis in ejusmodi rebus ego quidem non multum artificii mihi arrogem. Constitueram huic meo libello verius, quam Epistolæ finem imponere; sed oportet istud me etiamnum addere, per me non stetisse, quominus cum Danielo agerem, sermonesque conferrem; sed ille, quanquam id meipso non minus desiderare videbatur, postea tamen susque deque habuit, cujus tibi rei fidem Resminus facere poterit. Sed quomodo omisi de Philosopho illo tibi respondere? Quanquam quid opus est, aliud me dicere, quam facturum me, ut jubes? Deus te bonis omnibus ad votum cumulet: me autem, ut favoris tui aura prosequi digneris, etiam atque etiam te rogo. Cracoviæ die III. Non. Decembris Anno ∞ IↃLXXX.

ANDREÆ DUDITHIO S.

Videre mihi videor, nimiæ me negligentiæ jam a te accusari, quod tanto temporis tractu, ad prolixas quidem illas literas tuas, non nisi exigua ex parte; ad alteras vero binas, post ad me datas, ne tantillum quidem (ut, quod res est, dicam) responderim. Sed credas mihi velim, id eo contigisse, quod nunquam otii mihi tantum fuerit, quantum consuetudo mea postulat. Sed cum videam, me, si illud expectare velim, nunquam fortassis tibi responsurum: decrevi tandem abrumpere moram, & responsum, prout potero optime, magna saltem ex parte adornare.

Primum igitur, quod ais, si mea de baptismo sententia vera esset, secuturum, Ecclesiam longissimo tempore in errore versatam fuisse, id quod promissioni illi Christi repugnet: *Ero nobiscum* & cætera, itemque ei, quod φιλανθρωπία divina requirat; ac præterea ita comparatum sit, ut nequaquam quadret ad id, quod Christus, ut ab errore mortales vindicaret, seipsum cruentæ morti objecerit. Hic vero, si alteri alicui responderem, dicere possem, si quid illa ratio firmamenti ac virium habet, necessario secuturum, aut Pontificiam religionem veram Christi religionem; aut ipsius Christi religionem falsam esse: veruntamen cum tecum mihi res sit, qui rerum causam requiris, respondeo primum: errorem illum circa baptismum non esse ejus generis, ut æternæ salutis jactura constet, &, ut paucis dicam, in vera quoque Christi Ecclesia vigere posse. Addo deinde, promisisse Christum, Apostolis se ac proinde veris eorum successoribus continenter adfuturum, si non in munere Apostolico, aliove illius simili obeundo, saltem in re pietatis atque religionis: atque eo affirmo, in ratione à te in medium allata tacite id, tanquam concessum, poni, quod per illam evincere instituisti; Ecclesiam, de qua nobis sermo est, in rebus ad religionem pertinentibus, minime hallucinatam fuisse. Nam inter alia hoc quoque animo advertendum est, promissum à Christo factum eo revera non pertinere, quod, ut in dogmatibus amplectendis erretur, permittere nolit; sed quod iis, qui sana doctrina imbuti fuerint, favore & ope sua adesse velit. Unde sequitur, etiamsi longissimo temporis spatio ne unus quidem extitisset, qui non fuisset gravi aliquo errore implicatus, Christum tamen propterea falsi nequaquam teneri. Nec vero φιλανθρωπία Dei, aut mors Christi requirit vel arguit, orbem terrarum, (nedum minimam illius partem) in errore versatum non fuisse, cum id aut insigni hominum improbitati, aut

salrem languido virtutum studio acceptum ferri possit, quæ longo tempore à Deo tolerata, tandem eum (ut ita dicam) coëgerit projicere hominum curam: imo fieri potest, ut ingratus eorum animus, & abusus ac contemptus veri, quod ab initio oculis illorum illuxerat, & voluntaria divini numinis ignorantia, merito Deum induxerit, quo rem ita instirueret, ut plane ob cæcarentur, & in profundam errorum voraginem demergerentur, quod & Paulus prædixit 2 Thess. 11. Nec ob illud, hominum malitia aut Diabolus plus Deo posse dicendus est. Quippe non vult potentissimum numen illius voluntati vim ullam inferre (loquor de communi ac consueto agendi modo) sed liberam eam permittere mavult, ita, ut non minus in potestate nostra sit, male, quam bene, velle. At Diabolus, quamvis revera voluntati nostræ vim inferre, boc est, ut aliquid necessario velimus, efficere nequeat; nihilominus nullum non movet lapidem, ut nos ad male agendum inducat, adeoque si posset, vi sæpe numero lubens nos perpelleret: id autem cum nequeat, falsa specie ita nobis illudit atque imponit, ut dici possit, vim nos ab illo pati. De hominum malitia nihil aliud dicendum venit: ut enim dixi, vult Deus, ut bomo pro suo ipsius arbitrio non minus improbus, quam probus esse possit, (quamvis vellet, eum esse probum) cum interim optime norit ipse, quantamcunque hominum improbitatem, ad suam ipsius gloriam, suorumque, hoc est, eorum, qui cum possent flagitiose vivere, virtuti studere maluerunt, salutem convertere. Jam vero, ut rem in pauca conferam, quod ad meas, aliorumque opiniones, quæ novitatis præ se ferunt speciem, attinet; mihi ita videtur, si detur, scripturam sacram ejus esse auctoritatis, ut nullo modo ei contradici possit, sed de interpretatione illius omnis duntaxat sit scrupulus, nihil utut verisimile aut ratione conclusum videatur, afferri contra eas posse, quod ullarum sit virium, quotiescunque illæ sententiis atque verbis illius libri aut rationibus liquido inde deductis probatæ atque assertæ fuerint. At si librum istum auctoritate tanta pollere non conceditur, imo vero speciosis illorumque similibus, quæ tu profers argumentis id agitur, ut libri istius auctoritas in dubium revocetur, Christianæque religionis veritas incerta reddatur; jam alio vela sunt vertenda. Quod si exiguus meus libellus de eo argumento scriptus palato tuo aliqua ratione satisfecerit, omnibus læticiis incedam. Spem tu quidem aliquam pro tua mihi comitate præbes: sed nullum mihi est dubium, si otiose eum relegeris, multa te ibi repperturum, in quibus aliquid desideres. Est sane labor ille, quantum ad id, in quo difficultas omnis consistir, boc est, quod ad Cbristianæ religionis veritatem attinet, satis etiamnum mancus atque imperfectus: non solum, quod objectionibus, in quibus quasi cardo rei vertitur, responsum non sit; sed etiam, quia rationes multæ, quibus causa communiri poterat, prætermissæ sunt. Cum opusculum illud meum denuo eum in finem, ut Francisco Betto mitteretur, describerem, paucula quædam emendavi, quæ, quamvis nullius fere sint momenti, quia tamen cupio, ita te eo frui, prout erit ab ultima manu, cui ipse acquiescam, decrevi, postquam aliquot dierum otium ei indulsero, atque eo pacto judicium meum ad sententiam de illo ferendum nonnihil acuero ac liberius expedivero, denuo illud sub limam revocare, tibique deinde mittere. Interea te rogo, ut & tu oculos denuo istuc intendere, ac postea liberius mihi perscribere digneris, quos ibi errores reperisse videaris, & in summa de omnibus me commonefacias, in quibus aliquid desiderare videaris, aut etiam jure desiderari posse, clare deprehendas. Opus tuo instinctu adornatum est: ideoque peculiaris tibi cura incumbit, ne penitus indignum sit, quod in magnorum tuique similium virorum manus perveniat. Ex eo specimen tibi capere promptum est, quid ipse facturus sim, ubi tu, quod contra Atbeismum meditaris, absolutum nobis dederis: quo opere proculdubio vere eum te esse, qui es, palam facies, hoc est, virum rara doctrina atque ingenio singulari præditum, si argumentis ex philosophia depromptis adversarios constrinxeris, & ad id, quod asseris confitendum adegeris, præsertim quod ad præmia ac pœnas attinet. Deus tibi id fortunet: ego quidem tanto illius desiderio non modo teneor, sed pœne dicam torqueor, ut nullius rei unquam magis. De Davidiana quæstione nolim nunc amplius inter nos sermonem esse, cum id aliquando te visurum sperem, quod ipsi Francisco Davidis respondi. Id tantum rogatum te velim, ut apud te expendas, utrum in objectione illa, quam tu aliique nobis opponitis, de duobus Diis, deque duabus adorationibus, non sit melius dicere ἀναλογίαν introduci, quam ὁμωνυμίαν? id quod nos tamen sine ullo causæ nostræ detrimento facile poterimus concedere, ἀναλογίαν, inquam, introduci. Nam ὁμωνυμία quidem, quæ causæ non parum officere videretur, imo revera officeret, quemadmodum aliena est hoc loco, ita nunquam eam jure nobis impingi posse confido, si modo vocabulum id, in significatione multo laxiore, atque alia, quam quæ vulgo in disputationibus obtinet, non capitur. Si divinandi peritiam mihi sumpsi, teque in eadem illa de adoratione opinione esse dixi, errorem non unum commisi: mihi tamen non videbar tantum fuisse ausus; sed quomodocunque se res habeat, ut periculo omni defungar, culpam omnem, si qua intervenit, deprecor. Sed veniamus ad id, de quo tecum disserere longe magis aveo, hoc est, ad Angelorum apparitiones sub Veteri Fœdere magis, quam sub Novo frequentatas. Cum de isto tibi argumento primum respondi, ita locutus sum, tanquam qui ponerem de eo, an sit res, dubii nihil esse; sed solummodo, cur sit: postea vero mihi quæstionem longius extendere, atque eam dum ad argumenta mea respondes, viam insistere visus es, ut satis ostendas, controversiam à te motam ad alium tendere finem, quam ipse putaveram: quod si prius animadvertissem, aliter fortassis argumenta illa explicuissem, atque ita quidem, ut forte clarius sensus meus patuisset. Unum istorum argumentorum, quæ allegaveram, si bene in memoriam regredior, fuit, quod, cum promissiones sub Veteri Fœdere factæ continuerint res temporarias, & intra gyrum vitæ, quam in hoc orbe mortales degimus, subsistentes, quæ quidem res multis à casu pendere atque administrari videntur, propemodum necesse fuerit, religionem illam signis aliquibus speciose in oculos incurrentibus longo tempore confirmari, atque ea ratione populo isti providentiæ erga se divinæ fidem fieri; alioquin quantumcunque secundis rebus, quibus religionis illius vere amantibus promissa sua comprobasset Deus, nihil effectum fuisset. At sub Novo Fœdere, cum promissiones ejusmodi sint rerum, quæ, ut quilibet fateri cogitur, nequaquam casu obveniunt, nec in hac vita occupari debent, utut aliud appareat, facile quis cursum hunc, cum incorrupta de providentia divina opinione, ad calcem usque tenebit, ut qui sciat, eventus effectusque illius non hic, sed alibi demum clare apparituros; qui quando extiterint, pro talibus etiam per se perspicue agnoscentur. Ad hoc argumentum meum fortassis non ita dextre primo explicatum, ejusmodi tuum est responsum, ut illius jugulum petere nequaquam videatur, utpote quod potius aliud pro adversa parte argumentum in se contineat, quod si probe ponderetur, longe alio, quam ut me ferias, tendit. Argumentum tuum, ut compendio dicam, tale est: Si Deus carnalium rerum à se promissarum causa, tam diuturno tempore continenter per Angelos interpretes vocem mittere, visuique hominum sese offerre, & signa & miracula edere dignatus est; multo magis id rerum spiritualium atque æternarum itidem à se promissarum gratia facere debere videbatur; cum hæ longe minus, quam illæ sint credibiles. Unde, inquis, si nisi continuata fuissent isthæc tanta miracula, occasio nobis promissa illa ludibrio habendi, præbita fuisset; multo

tam

eam magis, hac pro ridiculo putandi nobis præberi. At non dixeram ego futurum, ut occasio promissa illa ludibrio habendi præbita fuisset, quatenus parum fuissent visa credibilia, sed quatenus etiam tum, cum opere jam ea complevisset Deus, pro talibus tamen agnita non fuissent; id quod in alteris illis locum plane non habet. Unde fit, ut, quemadmodum dixi responsio tua revera alio potius, quam ad me feriendum, tendat, nec aliud quicquam sit, quam argumentum pro adversa causa allatum, quod peculiarem responsionem mereatur, quæ, nisi fallor, secundum legitimam disputandi rationem talis esse poterit. Primum id est, continuas illas apparitiones & miracula sub Veteri Fœdere non ad fidem rebus promissis tanquam parum credibilibus, sed, ut dictum est, tanquam iis, quæ alias cum præstitæ fuissent, pro talibus non fuissent agnitæ, conciliandam extitisse. Deinde & hoc advertendum, quod de rebus parum credibilibus dictum est, id ita capi posse, ut vel eas Deum velle, vel præstare posse, parum verisimile habeatur. Quod ad id attinet, quod parum sit verisimile, Deum velle: mihi vero longe verosimilius videtur, Deum iis, qui mandatis ejus obsecuti fuerint, res spirituales ac æternas, quam corporales ac fluxas fugacesque dare atque impertire velle, cum illæ multo magis, quam hæ, Deo sint dignæ, & pro muneribus ipsi magis propriis atque convenientibus reputari mereantur: ex quo sequitur, ut minoribus argumentis atque indiciis sit opus quibus illas, quam quibus has Deum polliceri doceatur. Quod ad id, ut minus sit verisimile Deum posse: aut creditur, Deum esse, eaque vi atque efficacia, quæ fere illi ascribitur, pollere, aut non creditur. Si non creditur, Deum esse, nullum jam in hoc discrimen erit inter res, Dei nomine promissas, sive majoris illæ sint, sive minoris momenti. Quod si non credatur, posse Deum res illas majores præstare; quomodo vero probari magis quam nunc probatum est, potuisset, aut etiam posset, Deum illas præstare posse, etiamsi Angelorum apparitiones & miracula eadem serie continuata fuissent, aut etiamnum continuarentur? Illa certe ratione vitam æternam, quæ sub Novo Fœdere promissa est, possibilem esse, nunquam planum fieret, cum eo pacto perpetuitatis illius & durationis fine carentis (in qua cardo rei vertitur) specimen capi, aut indicium evidens haberi nequeat. Quod si vero credatur, Deum esse, eaque vi atque efficacia, quæ passim illi tribuitur, instructum; jam non opus est facere fidem, Deum morte consopitos resuscitare, & ad vitam assidue beatam eos quoque reducere posse, qui in cineres & fumum abierant, quorumque corpora, aut pars aliorum humanorum corporum, aut nescio quid aliud, quod vel absurdius videatur, evaserint; quandoquidem potentia illa est infinita, atque omnino ejusmodi, ut sub illa resurrectio, quam memoravimus, necessario contineatur, quæ certe nec universe nec ex parte inter res illas, quæ nullo modo fieri queunt, numerari meretur, si modo dextre, & non, ut vulgo solet, intelligatur. Tales vero, hoc est, qui & Deum esse, & eundem res, sub Novo Fœdere promissas, præstandi vi præditum credant, illi fere, quibus promissa sunt facta tum cum desierunt miracula, fuere; ita ut necesse non fuerit potentiam illis Dei argumentis comprobare, sed voluntatem duntaxat, & vero de hac, ut dixi, major in animis hominum, quod ad promissiones, quas memoravimus, attinet, quam quod ad illas Veteris Fœderis, persuasio merito esse debebat. Taceo jam, quod post Euangelium promulgatum, Deus atheorum, & illorum, qui sibi numen aliquod fingunt, quod non omnia quæ natura sua factu sunt possibilia, efficere possit, nullam, ut ita dicam, rationem habeat, nec his talibus promissa sua revera offerat, ut qui propter malitiam suam prorsus iis sint indigni. Unde cum ob hoc, tum ob illud, quod paulo ante tetigi, ne mentionem quidem Atheorum ejusmodi, & istorum, qui de potentia Dei male sentiunt, facere necesse fuisset: quam tamen, ut tanto melius verum cognoscatur, prætermittere nolui. Concludo itaque, licet, res sub Novo Fœdere promissæ illis, quæ sub vetere promissæ fuerant, longe sint majores, non tamen propterea minus eas esse credibiles, imo vere quantum ad illud, quod Deus eas promiserit, & pro præmio iis, qui sibi dicto audientes fuerint, proposuerit, multo magis, quam illæ sunt credibiles: quantum vero ad id, num Deo sint possibiles, de eo ab illis, ad quos revera pertinent neutiquam dubitatur. Ex quo clare perspici potest, ab eo, quod res sub Novo Fœdere promissæ parum sint credibiles, argumentum ad ostendendum, majoribus ea adminiculis, quibus confirmentur, quam promissa veteris, indigere, duci nequaquam posse. Sed fingamus, parum eas credibiles videri: interea longe lubentius unusquisque animum inducit ad labores rei alicujus admodum pretiosæ acquirendæ gratia suscipiendos, utut spem alat exiguam, operam se non perditurum, quàm ut rem exigui venetur pretii, licet tandem spes ingens affulgeat non frustra se laboraturum. Ut id impetraretur, ne populus Israëliticus tantis se cupiditatum suarum illecebris abripi pateretur, utque gravi legis jugo humeros supponeret; vix sufficiebat, quod vel sexcentis rationibus perspicue atque continuo fides fieret, illos, qui id fecissent, certos esse posse, ea sibi bona in hoc terrarum orbe, quæ percipi in eo possunt, à Deo expectanda esse: eo quod bona illa, ut breviter dicam, non magni sint ponderis, vixque digna, quorum quis causa molestiæ multum exhauriat, videantur, adeoque si nihilominus eorum causa aliquid devorandum sit fastidii, ut non mediocris ea consequendi spes animum impleat, necesse est. At, ut id obtineatur, quo quis Christo obtemperet, ejusque mandata, quamvis carni nostræ adversa atque gravia, exequatur; sufficere certe deberet, aliquam saltem, licet levem spem vitæ atque beatitatis illis, qui sic se gesserint, propositæ præberi, adeo quippe præmium id jure quodam suo desiderium omnium ad se trahit, nec quisquam est, qui non fateatur, nullum esse tantum laborem, quem illius adipiscendi caussa sufferendum non existimet: ac proinde longe minus tam manifestis ac continuis firmamentis, ut alterum illud, indiget. Ex quo liquet, quod res sub Novo Fœdere promissæ, sine comparatione iis, quæ sub veteri promissæ fuerunt, longe sint majores, id non solum multo majorem apparatum, ut tu loqueris, non requisivisse, sed in causa esse, ut etiamsi longe minor fuisset, tamen sufficeret. Aliud deinde allegabam argumentum, cur sub Novo Fœdere divina confirmatione minus fuerit opus, quam sub vetere; quod, si bene commemini, hoc fuit: quod præcepta Veteris Fœderis maxima ex parte ejusmodi sint, ut difficile sit creditu, illa à Deo manare, adeo vel levia, vel vana, vel superstitiosa, vel etiam stulta ac ridicula, & in summa, parum Deo digna videri queant, ut ita necesse fuerit, ut longo temporis tractu Deus nunciorum cœlestium apparitionibus, miraculisque evidentibus fidem perspicue faceret, legem illam à se promulgatam esse. Ex altera vero parte Novi Fœderis promissa omnia ejus sunt generis, ut non modo Deo dignissima, prout revera sunt, esse videantur, sed, si quis animum iis dextre advertat, sola sufficiant, ad evincendum, totam illam religionem vere divinam esse. Hic tu mihi, misso eo, quod præcipuum ac velut caput est, appendicem arripere videris, dum demonstrare niteris, religionis Christianæ præcepta ad fidem faciendam, ut à Deo profecta credantur, non sufficere: modus autem agendi, quem hic observas, meo judicio ita comparatus est, ut illud ipsum, quod potissimum dicere volui, confirmet. Ais enim, ostendi forsan posse, præcepta gentium reperiri, quæ non multum à nostris abeant. Hoc vero id ipsum est, quod quæro, puta, quod Novi Fœderis præcepta ei, quod ratio dictat, respondeant, ac proinde Deum, illis ut stetur, velle, verosimile videatur: ut ita pateat, quod ad hanc partem attinet, Novum Fœdus confirmatione divina toties repetita non egere. Prætereo silentio,

quod verba illa tua, *non multum*, teipsum non diffiteri ostendant, inter Christi præcepta nonnulla esse talia, aut in nonnullis eorum tale quid inveniri, quo humana ratio per seipsam non pertingat. Id, quod si, ut est verissimum, ita tu verbis illis innuere voluisti, ipsemet mihi nonnihil id, quod argumenti quædam velut appendix & accessio fuit, confirmare videris. Hoc enim illud est, quod, si quis animum attendat, magno satis documento esse videatur, Christianam religionem esse divinam; nimirum, quod in ipsa præcepta nonnulla, & in his talia quædam dentur, ad quæ humana ratio per seipsam pertingere nequiverit, quæ nihilominus (posito præsertim vitæ æternæ præmio, quod, ut ipsemet dicis, homines sibi etiam sine Christo aliquomodo imaginati erant) postquam innotuerit, fateri necesse sit, esse sanctissima, ac omnino talia, qualia ad hominem numeris omnibus perfectum reddendum requirebantur. Non immorabor illi refutando, quod ais, gentilium nonnullorum disciplina homines forte non minus, quam ullos unquam Christianos, ad virtutem excultos fuisse; quandoquidem id per se argumentum à me adductum attingere non videtur. Quatenus tamen à Sancta Christianorum vita probabiliter quis posset Christianæ religionis veritatem argumentando deducere; ut ejusmodi argumentationem ab objectione ista vindicem, hoc tantum dicam, loco unius, qui inter gentes virtute præditus fuerit, inter Christianos vel mille, qui tales extiterint, repertum iri, ac præterea illos, nonnisi immenso studio diuturnoque tempore, horum vero non paucos, vix quicquam ejusmodi cogitantes, & quasi extemplo tales evasisse, ita ut nullo plane pacto illi cum his comparandi sint. Ex iis, quæ dicta sunt hactenus, patet, ad doctrinam atque religionem Christianam confirmandam, satis id fuisse, quod ab initio divinæ apparitiones & miracula manifesta in oculos hominum incurrerint, quousque ad efficiendum, ut ab orbe terrarum acciperetur, sufficeret, qui quidem alias eam, utpote rem novam atque insolentem, etsi per se rationi admodum consentaneam, & unicuique, cui aliqua modo est religio, valde credibilem atque probabilem, repudiasset. At vero, postquam novitatem atque insolentiam illam exuit, id quod illius acceptionem necessario repente secutum est, alia confirmatione pro iis non fuit opus, qui ad ejusmodi doctrinam accipiendam sunt apti, hoc est, qui non plane sunt irreligiosi, & malitiæ suæ mancipati. De cæteris enim verba facere non est opus: istorum autem illæ sunt voces, quas fingis ac introducis, *Ob hoc ipsum opus iis* (id est miraculis) *habeo, quod id non credam* (id est, miracula à principio fuisse edita,) *præsto non fui, cui fidem habebo, id esse factum?* Ad quas voces, quid responsurus essem, quæris? Ego vero primum responderem, me, cum miracula à principio suffecisse affirmo, non id velle, pro iis etiam, qui postea exorti sunt, aut imposterum exorientur, eatenus, ut ob ipsa miracula doctrinæ fidem habeant, illa satis esse: sed huc tendo, cum prima ista miracula, ut doctrina approbaretur, utque ita novitas & insolentia, quæ ab initio in ea adhærescere poterat, abstergeretur, effecerint, ut doctrina jam credatur esse vera; miraculis opus amplius non esse, sed aliquanto solum Dei timore, & voluntate ad bene agendum comparata; adeo doctrina illa est mirifica, numerisque omnibus absoluta, licet illi nostræ parti, quam carnem sacræ vocant literæ, nonnihil gravis, ex qua carne, quia plurimum in nobis potest, omnis diffidentia atque dubitatio de doctrina, quam dicimus, scaturit atque ebullit. Deinde responderem, miraculorum à principio editorum vestigia nobis restare adeo verisimilia, probationesque tantas & indicia luce meridiana clariora, ut, qui fidem illis neget, aperte prodat, esse se vel animo qualicunque etiam de causa occæcato, vel religionis omnino ferme non capacem. Tu vero, inquis, inter tam incerta atque inconstantia dogmata, inter tot religionum genera, quæ hodie obtinent, videri, si non Deum ipsum, saltem Angelum aliquem requiri, qui nobis indicet atque inculcet, hic esse Christum, non illic. Ad hoc respondeo, ut quis verum amplectatur Christum, non alia re opus esse, quam ut præcepta atque promissa illius recte cognita habeat: imo ne promissa quidem adeo exquisite pervestigata habere necesse est, modo summam eorum vitam æternam & beatam esse constet, dummodo præcepta recte intelligantur. Hæc vero illis in libris, qui pro sanctis ac veris ab omnibus, qui Christum investigant, aut eum se investigare profitentur, recepti sunt, adeo perspicue sunt explicata, ut ad ea percipienda doctore alio non sit opus. Quod si nihilominus multi reperiuntur, qui ea non probe tenent, id vel à malitia illorum, quæ has illis tenebras offudit, vel à negligentia in rebus divinis, inque sensu Sacrarum Literarum scrutando proficiscitur, quam malitiam ac negligentiam Deus in apertum vult protrahere, non autem Angelum aliquem mittendo, cujus dictis stare omnes cogantur, abscondere atque occultare. Si quid de eo, quod Novi Fœderis populus spiritualis; veteris autem carnalis esset, tetigi; id non alia de causa factum credo, quam quod scripseras, te, quomodo id quod omnibus in ore esset, capiendum foret, imaginari tibi non posse; videorque mihi dixisse, id respectu præceptorum ac promissorum utrique populo oblatorum intelligendum esse. Nec vero unquam existimavi, populum illum isto magis fuisse carnalem, quod ad propriam illius naturam attinet; nec ejusmodi, ut ita dicam, carnalitate in rem meam usus sum, ad demonstrandum populo illi magis, quam huic divinis apparitionibus ac miraculis opus fuisse. Id quidem dixi, populum illum ad bene agendum magis timore pœnæ, & quidem præsentis & in hac vita propositæ; hunc vero præmii spe, & quidem in altera demum vita obventuri, ipsiusque virtutis amore incitari: ex quo consequebatur, ut cum pœnam populo illi à Deo inflictam apertam atque evidentem esse oporteret; ex altera parte conveniret, ut præmia quoque omnibus apparerent manifesta, ac proinde favor atque gratia divina jugiter in eos exundaret. Quæ ratio in hoc populo propter causas, quas commemoravimus locum non habet. Hic vero pariter non intenderam animum ad propriam populorum istorum naturam, sed ad religionem utrique eorum propositam, quæ vivendi rationem, alteri quidem timoris, alteri vero amoris plenam affert. Id quod de populi Judaici non quidem dispersione, sed obstinatione dixi, non eo feci, ut Christianæ religionis veritatem inde probarem, sed ut causam proferrem, cur apparitiones & miracula sub Novo Fœdere non sint eadem serie frequentata. Si enim eo modo frequentata illa fuissent, ipsimet Judæi tantum non vi ad Christum perducti ac pertracti fuissent, antequam tempus à Deo constitutum appeteret, qui ob gravissima eorum peccata longo eos tempore à se amovere decrevit, ut justæ iræ suæ perpetuum ac clarum testimonium hac ratione omnibus præbeant. Quocirca non video, cur exemplo aliorum populorum pariter dispersorum ostendere volueris, posse dici, quod Judaicus populus ita sit hinc inde dissipatus, id aliunde, quam quod Christum in crucem egerint, ortum esse; multo vero minus, cur Judæos adhuc passim conspicuos esse, suosque agere cœtus, & in vita restare, nec ut alias aliquot nationes extinctas esse, dixeris; eo quod hac ipsa mihi re, ad stabiliendam argumentationem meam, sit opus. Quomodo enim alias locum habere aut apparere eorum posset obstinatio? Sed præterea quantum ad religionis Christianæ confirmationem attinet, ejusmodi Judæorum dissipatio plus habet virium, quam si penitus essent extincti. Hac enim ratione pœna eorum semper recens perdurat: ut taceam, quod, cum ex eo, quod annos tam diu ferant, religionem eorum a Deo ortam facile probari possit, inde jam unicuique, qui modo luminibus non sit orbus, Christianam religionem divinam esse, clare patet. Et hæc sunt, quæ respondere volui ad illud,

illud, quod argumento à me adducto de Angelorum apparitionibus, deque miraculis diutius ſub Veteri, quam ſub Novo Fœdere frequentatis objeceras. Veruntamen quoniam vehementer à me contendis, ut argumentum illud robuſtius, quod ſilentio tunc involvi, tibi aperiam; ſcias velim, argumentum illud in iis, quæ ſuperius diſputata ſunt, poteſtate comprehenſum, & ſatis prolixe in libello de auctoritate Sacræ Scripturæ explicatum eſſe: quod quidem breviter eſt iſtud; nolle Deum, ut homines improbi, quamdiu in improbitate ſua perſiſtunt verbis ſuis fidem adhibere, & mandatis obtemperare poſſint; imo velle, ut hoc ipſum, quod ea, quæ commemoravimus, non faciant, eos detegat tales, quales revera ſunt, eſſe, cum quod iſta non faciant, aliunde, quam à propria illorum improbitate naſci nequeat. Jam vero hæc Dei voluntas opere non compleretur, ſi modus cum hominibus colloquendi, ſuaque ipſis mandata proponendi ejuſmodi ab ipſo ſervaretur, ut quilibet ea pro talibus, qualia ſunt, agnoſcere, iiſque & animo & factis accedere cogeretur. Quia autem id propter rationem ſupra à nobis de mandatorum totiuſque doctrinæ præſtantia, deque præmii ejus obſervantibus promiſſi magnitudine expoſitam, ſine dubio in religione Chriſtiana uſu veniſſet, ſi divinæ apparitiones & miracula in ea per tot ſecula continue ſpectata fuiſſent: inde factum, ut continuatio iſta non obtinuerit, eum, ut vir probi animi, inter Chriſtianos præſertim natus (de his enim revera hac in quæſtione ſermo eſſe deberet) ex animo religionem Chriſtianam amplectatur, res illæ mirandæ, quæ ab initio editæ fuerunt, ſufficiant, eas ob rationes, atque eo modo, pro ut ſupra à nobis dictum eſt.

Cætera deſiderantur.

ANDREÆ DUDITHIO S. P.

AD literas tuas, illuſtris Domine, 3 eidus Maji datas, non eſt, quod reſpondeam aliud, quam non receſſurum me ab illo ordine, quem in ſcribendo mihi ſervandum præfixiſti, Deumque precari, ut ab omni te periculo aſſerat, prout eum facturum nihil dubito, modo eum reverearis, vitamque ad normam mandatorum illius componas. Quod autem ad literas IX. Kal. Junii datas attinet, reſpondere me volentem multa verba facere neceſſe eſt, cum tuo fortaſſis faſtidio, cum mihi nonnulla, quæ jam ante ſcripſeram, ſub calamum revocanda ſint; quod faſtidium, ſi poſthac effugere voles, neceſſum eſt, ut ea, quæ ſcribo, aliquanto ſtudioſius expendere digneris, quam te facere apparet, impeditum, ut credo, ſexcentis rebus aliis, quibus animum intendis. Mirum tibi videtur, affirmare me, errorem illum (ut ego quidem cenſeo) ſi quis baptiſmum unicuique neceſſarium ſtatuat, æternæ ſalutis jactura non conſtare, atque adeo in vera quoque Eccleſia vigere poſſe: itaque quæris, quid ergo ſibi velit illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua,* & quæ ſequuntur: item: *Qui non crediderit, & baptizatus non fuerit, condemnabitur.* Hic primum objectio tua cum eo, quod ego aſſero, non pugnat, quod quamvis baptiſmus non ſit neceſſarius, nihilominus fieri poſſit, ut illum vera Eccleſia neceſſarium ſtatuat; ſed illi opinioni meæ adverſatur, quod baptiſmus non ſit neceſſarius. Deinde reſponſum petis ad duo loca, quibus baptiſmi neceſſitas aſtrui videtur; ad quæ loca in libro meo ea de materie ſcripto, quem legiſti, ſatis ſuperque reſponſum eſt, ita ut plane actum agerem, quod dicitur, ſi ad illam objectionem denuo reſpondere. Sed quæris porro, quomodo errare poſſit Eccleſia, quæ firmamentum & columna veritatis appellatur? Reſpondeo, veritatem illam nihil aliud eſſe, quam viam atque rationem, æternam ſalutem acquirendi, in Euangelio nobis patefactam, quæ ſolo nomine τῆς ἀληθείας in Novo Fœdere ſatis frequenter inſignita reperitur, ac imprimis apud hunc eundem ſcriptorem, ut 2 Theſſ. 2. 12, & in illa ipſa Epiſtola ad Tim. 2. 4. Imo Paulus ipſemet vocem illam ita plane interpretatur Eph. 1. 13. Non poteſt igitur Eccleſia Dei viventis eatenus in æternæ ſalutis via errare, ut non ſemper teneat ac norit ea omnia, quibus ad ſalutem adipiſcendam eſt opus. Verum inde non ſequitur, quod in aliis errare, ac multa, quæ & veriſſima ſunt, & ad res divinas pertinent, ignorare nequeat. Neque vero Spiritus Sanctus, qui omnem veritatem docere debebat, Eccleſiæ promiſſus fuit, ſed illis, qui fundamentum ejus jecerunt, quorumque & ſermones & ſcripta pro divinis, ac, de quibus nemini dubium ullum reſtaret, haberi debuerunt, ut ita ſemper in promptu nobis ſitum eſſet, quo ad cognoſcendam divini numinis voluntatem recurreremus. Taceo, quod & iſta verba, *Omnis veritas*, aliud nihil ſignificent, quam omnem veritatem, quæ ad jaciendum Eccleſiæ fundamentum, munuſque Apoſtolicum probe obeundum pertinebat. Imo cum in Græco ſit, πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, dubitandum non videtur, quin de ſingulari aliqua veritate ſermo ſit, quæque nulla ſit alia, quam de qua ſupra dixi; vox vero πᾶσαν hoc in loco, ut & alibi, idem valeat, quod ὅλην. Cum ergo dicis, ſi Eccleſia errare in eo poteſt, ut baptiſmum, qui neceſſarius non ſit, pro neceſſario habeat, haud poſſe nos eſſe certos, non errare eam & in reliquis; conſequentiam non bonam nectere mihi videris. Illud præterea miror, te, quemadmodum & ex his tuis verbis & multo magis ex aliis deinde ſequentibus colligi poteſt, tanquam indubitatum ponere, extare ſemper viſibilem aliquam Eccleſiam debere, quæ in rerum divinarum cognitione dux nobis & magiſtra ſit. At cui fundamento hypotheſin iſtam tuam ſuperſtruis? Illi fortaſſis, quod ad oſtendendum, Eccleſiam errare non poſſe, dixiſti, de nullo nos dogmate certos alioquin futuros. Sed reſpondeo, non eſſe neceſſum, ut de dogmatibus certi ſimus, niſi iis, ſine quibus ſalutem conſequi nequimus. Ea vero in Sacris Literis ita clare evidenterque perſcripta atque explicata eſſe affirmo, ut id ſatis unicuique, cui modo bene agendi ſit animus, eſſe poſſit, atque adeo, ut ne interpretatione quidem ulla nobis ſit opus. Equidem omnino mihi perſuaſeram, ſi Sacrarum Literarum auctoritas aſſerta fuiſſet, ſatiſfacturum te, nulla re alia opus eſſe, qua quis viam ad æternam ſalutem, quicunque etiam ſit, inveſtiget ac deprehendat. Sed video, etiamſi illa Sacrarum Literarum auctoritas perſpicue tibi demonſtrata fuerit, hæſurum te nihilominus in illo labyrintho, ut, quid de illa via, cujus modo mentio facta eſt, ſtatuendum ſit, nondum ſatis exploratum habeas. Et tamen res poſtulat, ut, ſi literæ illæ revera ſacræ atque divinæ ſint, via ad ſalutem æternam perveniendi perſpicue in illis ſit explicata, nec obſcura ſit amplius, niſi iis, qui, ut manifeſta illis evadat, indigni ſunt. Paulus aperte dicit, 2 Cor. 4. 3, 4. Euangelium, quod ipſe prædicabat, obſcurum non eſſe, niſi iis, qui à Diabolo excæcati erant. Unde manifeſte colligi poteſt cauſa, cur Sacræ Literæ multis ſint obſcuræ, in rebus ad ſalutem æternam adipiſcendam ſcitu neceſſariis: quæ quidem alia nulla eſt, quam aut malitia, aut ſaltem probitas admodum in illis languida ac reſtricta, &, ut paucis dicam, quod non in omnibus, & ubique ita ſe comparent, prout faciendum ſui quemque animi conſcientia convincit, ad ſerviendum ſoli Deo, atque etiam, quo ſe illi dicto audientes præſtent, ad quodcunque, utut ingens ac perſpicuum periculum; imo vero præſentiſſimam atque acerbiſſimam quamque mortem non gravatim adeundam. Quocirca cuicunque cordi eſt, Sacrarum Literarum ſenſum eatenus habere perſpectum, quatenus ad ſalutem æternam ei ſufficit, ita ſe illis legendis dare debet, ut nihil deliberatius habeat, quam quod exequi velit quicquid illæ juſſerint, quomodocunque res cadat. Hoc qui fecerit, omnino certus eſſe & poteſt & debet, primum, non fore, ut circa quicquam eorum, quæ ad ſalutis adeptionem ſcitu neceſſaria ſunt, dubius ac ſuſpenſus

ſpenſus

ſpenſus hæreat; deinde, nunquam ſe eo erroris deventurum, ut credat, in Sacris Literis ea præcipi, quę revera vetantur, aut vetari, quæ potius præcipiuntur, aut etiam non præcipi, quæ revera præcipiuntur, aut non vetari, quæ vetantur. Id enim ad iter, quod ad ſalutem æternam ſacræ deſignant literæ, cognoſcendum ſufficit: in reliquis ſi quis occurrat error, nemo ob eum cœlo excludetur. Unde conſequitur, ſine jactura ſalutis æternæ credi, aliquid in Sacris Literis præceptum aut vetitum eſſe, quod revera illic præceptum aut vetitum non ſit. Circa hoc genus magna ex parte occupantur ſententiæ illæ tam inconſtantes, tam diverſæ, imo contrariæ, quas dicis, quæque tanti tibi videntur, ut in interpretandis atque intelligendis ſacris voluminibus animum hominis ſuſpenſum & ambiguum merito tenere poſſint. Veruntamen etiamſi omnia illa incommoda, circa res ſaluti noſtræ neceſſarias, atque etiam majora & plura, quam res ipſa docet, reperirentur, quamdiu tamen fixum manet illud, literas illas, quas ſacras dicimus, reipſa divinas eſſe, nemo, qui eo, quem ſupra diximus, animo, legendis iis intendit, & ſuæ ſibi probitatis & pietatis eſt conſcius, ullatenus turbari, aut quicquam ambigere debet, quin quod ad ſalutem ejus ſatis ſit, is ſit Sacrorum Librorum ſenſus, quem eſſe credit. Si enim interpretatio ab aliquo hominum conſenſu arceſſenda foret: quam inanes quæſo illæ ambages? Nonne ſatius fuiſſet, Deum abſque ullis libris ſpiritus ſui opera perpetuo uſum fuiſſe, ad voluntatem ſuam aperiendam, primoſque Eccleſiæ conditores id ſolum præcepiſſe, ac literarum monumentis teſtatum reliquiſſe, in rerum divinarum cognitione illi, quem diximus, conſenſui ſemper acquieſcendum eſſe? Res igitur exigit, niſi fruſtra ſcripti ſunt libri ſacri, ut quilibet interpretationem eorum, quoad ſalus hominis requirit, ex eo poſſit ſumere, quod ipſimet occurrit, dum eos legit, ab omni alio affectu immunis, niſi eo, quo fertur ad ſalutem divini numinis obſequio ſibi comparandam. Id quod tu fortaſſis inconveniens & abſurdum judicabis, atque inde inferre voles, de Scripturæ Sacræ auctoritate, ac conſequenter de religione Chriſtiana non immerito dubitari poſſe. Ad me quod attinet, nihil hic abſurdi animadverto, nec aſſequi ſatis poſſum, quamobrem Scriptura Sacra, & una cum ea Chriſtiana religio veriſſima eſſe nequeat, licet nulla detur Eccleſia certa & in oculos incurrens, cujus dictis in explanatione Sacrorum librorum, inque ipſius religionis dogmatibus alii ſtare debeant. Quod quæris, quis controverſiarum in rebus ſacris oborientium judex ſit futurus; ego vero reſpondeo, extra nos ipſos alio nobis judice opus non eſſe, quam Deo & Chriſto, qui ſua ſententia beabit, quotquot noſtrum imbuti deprehendentur doctrina ad ſalutem conſequendam neceſſaria, ſi modo eam vita expreſſerimus, cæteros vero illa deſtitutos condemnabit, tanquam eos, qui, quod non ea, qua par erat, probitate præditi eſſent, ipſi in cauſſa fuerint. Aliud judicium expectandum non eſt, Sibi quemque advigilare par eſt, idque pro vero admittere ac tenere, licet univerſus terrarum orbis in alia omnia iret, quod ipſemet totus ad obſequium Dei converſus de genuino Sacrarum Literarum ſenſu arbitratur & intelligit. Et revera, quiſquis ita comparatus eſt, ſi viderit hominem Pontificium, aut Calvinianum: aut Lutheranum, aut Anabaptiſtam, aut Arianum ferro flammiſve, ut tu ais, doctrinæ ſuæ tuendæ cauſſa vitam objicere, cum nec alterius animum exacte perſpicere, nec qua ratione ad credenda ea, quæ credit, adductus ſit intelligere, nec occulta judicii divini ingenio penetrare poſſit: rem in integro relinquet, ſeu Deo potius permittet, nec ob id vel tantillum de eo ambiget, quod verum jam cognovit, animoque comprehendit. Taceo, rariſſimos ex iis, quos dixi, futuros, qui ſua voluntate ferrum aut flammas eo fine ſubeant, ut nominatim & expreſſe rem non modo falſam (licet pro vera ab ipſis creditam) ſed & ſaluti hominum vi ſua officientem tueantur. Quod ad me attinet, nullum mihi eſt dubium, quin omnes illi, ſive Calviniani ſive, Lutherani, ſive Anabaptiſtæ, ſive Ariani, qui ſe ad præſcriptum Chriſti geſſerint (nec enim dubito, ex ſingulis iſtorum ordinibus tales non paucos aut eſſe, aut eſſe ſaltem poſſe) cœleſtis vitæ hæreditatem aditurı ſint. De Papiſtis idem affirmare nolim, quos omnes hodie idololatras eſſe ſtatuo: novi vero, neminem idololatrarum ſalutis æternæ compotem fore. Ex iis, quæ adhuc dixi, intelligi poſſe exiſtimo, in interpretandis Sacris Literis eo pacto, quo fieri id debere aſſero, nequaquam id, quod in principio peti; quandoquidem ut certi aliquid apud animum noſtrum hic conſtituamus, minime opus eſt extra nos ipſos ad alienum judicium recurrere: judicium vero uniuſcunque eo, prout explicui, modo adhibitum, modo illud ſtet, Scripturam Sacram non eſſe rem inanem, fruſtraque promulgatam (id quod huic diſputationi tanquam certum ſubſternimus) in rebus ad ſalutem obtinendam neceſſariis fallax eſſe non poteſt. Quantum ad res ſaluti non neceſſarias, idem in Sacrarum Literarum, quod in aliorum cujuſcunque generis librorum explicatione uſuveniet, in quo nihil argui poteſt inconveniens. Ut enim ſuo quiſque modo illos interpretatur abſque eo, ut vel aliorum ſe ſubjiciat judicio, vel de vero illorum ſenſu ita quicquam habeat exploratum, ut error ſubeſſe nequeat: ſic etiam in rebus ſaluti noſtræ non neceſſariis Sacræ Literæ explicabuntur. Quanquam hæ quidem id inſuper habent præ aliis eximium, quod cum res ſint divinæ, ac proinde ſibi ipſis contrariæ, aut inter ſe diſſentaneæ eſſe nequeant, ubique per ſe ipſas tuto explicari poſſint. Id quod in aliis libris humano ingenio ſcriptis non æque contingit, qui & poſſunt eſſe, & ſunt ſæpenumero diſcordes ſecum ſibique ipſis repugnantes. Quid multis? omnis, mi Dudithi, difficultas ad Sacræ Scripturæ auctoritatem redit, quæ ſi probata fuerit, tota res meo judicio facilis eſt & plana. Ad libellum meum nihil adjeci, nec tibi ſcripſi, velle me cum Puccio mittere, nec quicquam me dixiſſe credo, unde opinari poſſes, velle me, ut illud exemplar, quod ad te miſeram, mihi remitteres. Id tantum dixeram, me, cum illum denuo deſcripſiſſem Franciſco Betto mittendum, paucula quædam immutaſſe non magni fere momenti, quæ poſtea cognoſces. Interim te rogabam, ut, ſicubi me hallucinatum aut propoſitæ rei defuiſſe deprehendiſſes, liberrime aurem mihi velleres: quod nunc etiam ita te rogo, ut nunquam magis, præſertim cum ex iis quæ ſcribis, colligere poſſim, tibi videri me nonnunquam, & forte ſæpius eo erroris delabi, ut id, quod eſt in principio petam, & non cauſam ut cauſam ſumam. Ego certe, cum illud, quod addis, veriſſimum mihi videatur, hoc eſt, quod & primæ claſſis ſcriptoribus non raro uſu veniat, ut in ejuſmodi labantur errores, id ſedulo operam in ſcribendo dare ſoleo, ne ad illum lapidem impingam. Sed tamen ut is, qui vix inter minorum gentium ſcriptores cenſeri merear, & in logicis non ultra id, quod ipſa me natura docuit, profecerim, quod ipſum tamen perexiguum eſt: facile id tibi dem, me quantumcunque animum attenderim, &, ne iſtic laberer, cavere voluerim, parum id animadvertendum, paſſim in eo oſtendere potuiſſe. Quo magis iterum te per eum, quo me complecteris amorem, perque eam, qua te colo, obſervantiam etiam atque etiam oro & obteſtor, ut ne graveris paucis, quod tibi in proclivi eſt, diſtincte mihi perſcribere, ubinam tibi aut erraſſe aut ſuſcepto argumento defuiſſe videar in illo meo ſcripto; quod conſtitui prius non recognoſcere, nedum ultimam (ut ajunt) manum ei addere, quam aut obtineam à te id, quod dixi, beneficii, aut omni illius obtinendi ſpe excidam. Jam priuſquam diſputationi circa veram Eccleſiam jam inde ab initio motæ finem imponam, ad id ſeorſim reſpondendum mihi videtur, quod captata ex verbis meis occaſione quæris, qualiſnam illa futura ſit Eccleſia vera, quæ per tot ſecula errare poſſit? Ego, vir illuſtris, cum dixi, errorem de baptiſmo in vera etiam Eccleſia extare potuiſſe, non id his verbis mihi

volui

volui, illam Ecclesiam, in qua error iste viguit, veram Ecclesiam fuisse: sed ad id solummodo respondere volui, quod ajebas consecuturum, ut, si mea de baptismo sententia vera foret, Ecclesia longissimum tempus in errore transegerit, tibique demonstrare, etiamsi tandem id eveniret, quod dicis, absurdi nihil ad me inde redundaturum. Id ipsum respondeo ad illud, quod nunc ais de errore, qui tot exercuerit secula, quodque nullum Ecclesiæ ullius vestigium compareat, in qua ea, quæ hæc tempestate in paucorum animis subnascuntur, dogmata pro veris recepta sint. Ideoque dico, optime id posse consistere, ut Ecclesia vera sit Ecclesia, & nihilominus vel ipsas annorum Chiliadas in erroribus hæreat multis, ac nonnulla dogmata pro veris non agnoscat, quæ tamen sint verissima: modo in rebus saluti nostræ necessariis non erret, nec, tanquam falsa, repudiet ea dogmata, sine quibus obsequium Christo constare non potest; quæ inter, non est ullum eorum, quæ hac tempestate in paucorum animis subnascuntur, qualiaque tu proculdubio intelligis. Neque eo affirmo, fuisse semper Ecclesiam aliquam humanis oculis conspicuam, quæ vera fuit Ecclesia: sed occurro tantum objectioni tuæ, sive scrupulum dicere mavis, quo adduceris, ut credas, aut falsa esse id genus dogmata, aut non fuisse, saltem usque ab Apostolorum ævo, ullam veram Ecclesiam oculis conspicuam & frequentem, id quod tibi inconveniens admodum videtur, tibique, dum id expendis, absurda multa ob oculos versari ais. Ego vero, ut vides, hoc, quod affers; non affirmo; sed id tantum dixi atque etiamnum dico; non videre me, cur id fieri nequeat: ea siquidem absurda, quæ tuo se conspectui offerunt, omnia, meo quidem judicio, inde pullulant, quod liberum in homine arbitrium non ponas, quod illi tamen, ut mox dicam, vere inest. Sed prius uno verbo respondebo ad id, quod à me quæris, ubinam gentium incorrupta reperiatur doctrina, & quis mortalium ea sit imbutus? Quippe dixeram, non promisisse Christum, nolle se permittere, ut in doctrina erretur, sed ei, qui vera doctrina sit imbutus, opem se laturum esse. Respondeo igitur, nihil opus esse, nec quo ratum faciamus Christi promissum, nec alia, quapiam de causa, quæ quidem justa sit, ut sciatur, quisnam sana doctrina sit imbutus, aut ut is digito commonstrari possit: sed satis esse, si credatur, prout creditum semper fuit, sanam doctrinam divinis literis comprehensam teneri: quin adeo, fieri posse, ut & hoc à nemine credatur, &, quod amplius est, ne doctrina quidem sana ulli hominum insita sit, nec eo minus & Deus & Christus verax, & constans, & quoad convenit, misericors sit: quandoquidem, ut alias dixi, improbitas & malitia hominum justam his omnibus causam præbere potest. Sed dicis, aut dicere vis, hominem sine auxilio divino probum esse non posse, quod auxilium non sit in potestate nostra positum. Ego vero respondeo, hominem ad eum probitatis gradum progredi posse, qui satis sit ad efficiendum, ne Deus id ipsi, quod jam concessit, subducat, absque alio ipsius Dei auxilio: quod si tamen eo insuper auxilio, quod memoras, opus esset, id procul dubio eatenus in potestate nostra foret, quatenus nemini negaretur, nisi qui voluntate ac sponte sua aliquid in se admisisset, quo se indignum eo reddidisset. Quod ais, Deum non ferre auxilium, præterquam iis, quos sibi elegit, quorum numerus nec augeri nec minui possit: primum non multum ad rem facere videtur, quandoquidem auxilium, quod electis istiusmodi tanquam proprium munus concessum foret, non est auxilium illud, quo hic esset opus: facileque fieri posset, ut quis nondum eo venisset improbitatis, ut excæcari à Deo mereretur, & tamen in electorum istorum censu nomen nullum haberet. Sed deinde, ubinam quæso in Sacris hujus rei mentio habetur, aut qua ratione probatur, solos istos electos divini numinis auxilio sublevari, & ad unum usque omnes nominatim ita definitos esse, ut electorum albo nec accedere nec decedere quisquam possit. Ego quidem pro meo captu nec rationem video ullam, nec Sacras Literas auctores habeo; quæ me tale quid doceant: quin potius innumera mihi videre videor argumenta, quæ sententiam plane contrariam apertissime demonstrent. Tu vero subjungis, voluntatem Dei in agendo efficacem, scopumque suum semper attingere, ac proinde, si quem ille probum esse velit, eum sine dubio talem fore; sin vero nolit, nullatenus talem evadere posse. Respondeo, voluntatem Dei absolutam, puta cum quid ille omnino fieri vult, semper quidem in agendo efficacem, esse scopumque suum attingere: sed voluntatem Dei, qua probos vult esse homines, absolutam aut esse aut esse posse, id vero pernego. Probitas enim, quam Deus homini inesse vult, absolutam alterius voluntatem in se non admittit, quandoquidem Deus hominem sua sponte ac libere vult esse probum, ita videlicet, uti posset, si vellet, eodem tempore improbus esse. Velle autem, ut quid omnino sit, & ut idem eodem tempore possit non esse; hæc duo ita sunt comparata, ut consistere simul nequeant. Nec inde sequitur, Deum probitatem istiusmodi non velle, veriore quodam modo, quo, ut voluntati alicujus substernatur, fieri potest: etiamsi contingere queat, ut raro aut etiam (si ipsam rei naturam respiciamus) nunquam existat, quandoquidem, ut dixi, nullius necessitatis capax est. Quocirca si proprie loqui velimus, non dicendum est, vult Deus, ut homo sit probus; sed potius, vellet ut esset. Eodem modo cum dico, velle Deum, ut homo non minus possit improbus esse, quam probus, licet illum probum esse mallet: non affirmo res duas sibi repugnantes, sed utramque verissimam. Verum ut absolvam responsionem ad objectiones tuas, illud affirmo, si quando contingat, hominem esse improbum, quamvis eum probum Deus esse mallet, non protinus majorem in homine, quam in Deo, efficaciam & agendi vim censendam: quandoquidem sua sponte id vult Deus, ut voluntatis suæ effectus, puta hominem evadere probum, à libera hominis voluntate dependeat, hoc est, ut sine illa ipsa libera hominis voluntate effectus, quem diximus, existere nequeat. Dolet mihi vehementer, cogitationem stringendi calamum contra Atheismum in te refrixisse. Libri illius Gallici nullam alias mentionem unquam audivi fieri, daboque operam quam possum maximam, ut illius exemplar alicunde mihi comparem. Sed persuasissimum habeo, ne comparandum quidem hunc esse ad illud opus, quod tu efficere nobis potuisses, quemadmodum & ex tuis ipsius verbis colligere possum. Quod ad adorationem attinet, quandoquidem huc tandem etiam delaberis, prout alias scripsi, ad præcidendam omnem de vocibus litem, quæro, quotiescunque perspicue probatum fuerit, Deum Christo largitum id, ex quo necessario sequitur, adorationem, id est cultum divinum illi deberi, ac præterea expresse constituisse, ut quilibet eum adoret; quid tandem habeant reponere sive illi, qui ex adoratione Christi eandem illius cum Deo essentiam concludunt, sive isti, qui ob essentiæ diversitatem honore adorationis eum tentant excludere? Dubium non est, par esse, ut tam hi, quam illi manus dent veritati, & agnoscant fateanturque stupendum istud ac benignitatis plenum Dei opus, qui nostræ tantum salutis gratia, quoque nos ad viam immortalitatis ingenti fiducia capessendam induceret, ad tanti potentatus tantæque majestatis fastigium humanam nostram naturam extulit. Quod opus adeo divinum, nescio qui possit quenquam fugere, quandoquidem per omnes Novi, ac partim etiam Veteris Fœderis tabulas tot ac tam clara de illo testimonia consignata extant. Mitto exempla illius adorationis aliquammulta, quæ quidem sunt in promptu, eo quod non nisi contra alteram adversariorum partem pondus ullum habeant: contra quos sufficere crediderim, quæ literis jam antea tradidi, quæque si opus sit ita aliquando locupletabo, ut nullus forte locus ulli dubitationi reliquus sit futurus. Quod si erit, ut sermonem inter nos aliquando conferamus,

ramus, confido fassurum te, habere me, quo omnes utriusque generis adversariorum rationes prorsus enervare queam. Atque hæc in præsens sufficiant.

Quod me circa ea, qua prima in assertionem vigesimam primam Collegii Posnanienses animadversione scripsi, mones, id tale est, ut gratias tibi potius agere eo nomine debeam, quam ut veniam à me requirere. Verum est, quatuor ad res advertendum esse. Prima earum est, nostros homines ita male audire, ut necesse sit, nihil eorum silentio transmittere, quæ tam sinistram de illis opinionem alere ac fovere possunt: imo vel minima calumniæ umbra revocanda est ad animum, operaque danda, ut retundatur. Secunda est, adversarios nostros totos in eo esse, ut aliis pessima quæque de nostris hominibus, quoad possunt, persuadeant; unde fit, ut sermonem de illis habentes, aut non advertant animum pro eo, ac debebant, ad id, quod dicunt, aut etiamsi de eo, quod gestum est, sit quæstio, simplicem rei veritatem malitiosa narratione obsuscent & corrumpant, ita tamen, ut si doli manifestos teneas, postico aliquo elabi possint. Idcirco è re est, istos nunc condocefacere, ut in posterum ita sermonem instituant prout decet. Tertia est, verba illorum, quæ iis, in quibus calumniam hærere dictum est, subjiciuntur, ita comparata esse, ut aliud eos nihil probare velle ostendam, quam extare in Veteris Fœderis literis loca nonnulla, quæ de Christo Domino nostro capienda sint. Nescio igitur, unde possit elici, quod tu affirmas, illos id agere, ut nostros homines reprehendant, eo quod filium illum æternum negent; quandoquidem & hoc negant nostri filium illum ante virginis partum extitisse, & contra hanc sententiam nominatim jam inde à principio stylum isti vibrant. Præter hæc omnia, pars aliqua locorum, quæ in assertione 21 laudant, nullam ne illud quidem probandi speciem habent, filium Dei, antequam homo esset, extitisse: sed id tantum demonstrandi aliquo modo mentionem illius in antiqui fœderis libris fieri. Quarta & ultima est, ultra ea omnia, quæ jam dicta sunt, nihil prætermitti, quin singulatim ad omnia loca, quæ isti in medium adducunt, æque respondeatur, ac si, prout debebant, locuti fuissent; ita, ut liqueat unicuique, etiamsi tandem cavillatio aliqua intercurrisset (quod mihi certe non videtur) forum tamen aut arenam propterea non declinari. Et certe si cui cavillandi animus esset, omnia ista loca absque ullo responso sicco pede præteriri potuissent. Illud est, quod isti, ut mihi videtur, adhuc respondere potuerunt, ea, quæ hic asserunt, ex iis intelligi debere, quæ assertione 16 leguntur, ubi proposita fuerint ea, quæ jam suo hic loco opere ipso præstent. Verum cùm ob ea, quæ dicta sunt, tum ob alia forte, quæ dici possint, non deest, ut opinor, quod & vere & cum honore nostro responderi posset.

Quod ad illud, *Antequam Abraham*, & quæ sequuntur, attinet, possem sane uberiorem illius explicationem, ut desideras, ad te mittere, ex qua fortassis intelligeres, non modo nullam Scripturæ Sacræ vim fieri, minimeque duriter eam torqueri; sed suum illi sensum restitui, qui verbis quam simplicissime respondeat, quique ad totum locum apte quadret, & ob Grammaticæ legem plane sit necessarius. Sed prius me scrire opus est, an illa ipsa explicatio, quæ quantum ad summam rei attinet, animadversionibus inserta est, tibi revera satisfaciat nec ne. Hoc eo dico, quod ustendas, magna mea cum admiratione, te, quamvis judicium de ea tuum promas, illam tamen non legisse. Hanc enim tu interpretationem mihi tribuis, *Antequam esset Abraham* (id quod nomen ejus significat, pater multarum gentium) ego sum Abraham. Et tamen, ut intelligere poteris, si animadversionem 4 in assertionem 2 legeris, interpretatio illa, ut tribus dicam verbis, hæc est, ita illa verba capienda, atque si scriptum esset, Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fiat, quod ego sum. Deduxi latius explicationem hanc in responsione mea Andreæ Volani Paræneси opposita, quam Spiræ typis exprimendam curavit, una cum aliis quibusdam, quibus meam se responsionem infringere existimat, quæ illi manu exarata transmissa fuit, non alio nomine, quam cujusdam boni viri, eaque de causa Anonymum me vocat. De aliis responsionibus ipsi oppositis quas ille tamen refellere nititur, nihil mihi constat: Budneum tamen credo illum esse adversarium. Ita scribo, quod novum illud opus tibi visum existimem: cui refutando vix amplius quicquam requiritur, quam ut meum illud in publicum edatur, quod quoniam non abs re fore credo, ut aliqua ratione fiat, operam dabo, paucis quibusdam ad ampliorem veritatis illustrationem additis.

Quod ad locum ab aliis per apostrophen explicatum attinet, si animadversionem 6 in assertionem 21 legeris, videbis, missa illa explicatione aliam afferri novam, quam ego verissimam esse arbitror, & in qua nihil coactum videre mihi videor. Quod si res exiget, illa etiam validius confirmabitur, ac præterea vel manibus id unicuique palpandum dabitur, fieri nullo modo posse, ut Apostolus, voluerit dicere, verba illa, *Tu in principio*, & cætera, de ipso Dei filio intelligi Explicatio illa per apostrophen à magno viro adinventa fuit, & à multis præstanti judicio præditis accepttata. Ego peculiariter novi, Castellionem, si paulo diutius superfuisset, in sua Novi Fœderis editione locum illum, non ut prius *Et, tu principio, Domine*, sed, *Tu vero, Domine*, translaturum fuisse.

Sed ecce tibi de utriusque fœderis miraculis. Tu quidem, vir illustris, ratione à me in medium adducta, objectionem tuam non solvi asseris: at interea non respondes, meo judicio, ad id, quod dixeram, nec ubinam illa infirmitas aut fallacia in responsione mea hæreat, ostendis, sed tantummodo aliquanto fusius objectionem tuam explicas; nihil tamen attexens, ad quod, nisi vehementer fallor, non sit satis superque responsum. Et sperare juvat, si restat mea apud te Epistola, sique ea, quæ respondi, relegere dignaberis, fassurum te, nihil me à vero alienum dicere. Nihilominus ut tanto uberius tibi satisfaciam, denuo me ad respondendum tibi converteam, adjunctis ad ea, quæ prius scripseram, nonnullis, quæ fortassis non exigui erunt momenti. Jam hæc sunt ipsissima verba quibus de integro objectionem tuam exponis, Quis non agnoscat, si rerum terrenarum, quæque nulla ratione cum spiritualibus ac æternis comparandæ sunt, gratia, tot ac tanta sint edita miracula: rationi multo magis consentaneum videri, ut ad faciendam fidem ac spem rerum magis incredibilium, longeque majorum, aut eadem, aut etiam multo majora patrentur. Jam hic primum illud tenendum est, utrum in ista tua ratione res majores minoresve per se considerentur, quatenus simpliciter res majores, qua tales, majora etiam miracula aut saltem æqualia iis, quæ minoribus in rebus edita sunt, requirere videantur; an vero eatenus, quatenus res majores minoribus minus sunt credidiles. Quod si per seipsas considerentur, meo judicio, non tenuis hic latet fallacia: nec enim revera, ob ipsam promissorum magnitudinem, magna iis adminicula, quibus firmentur, adjungi consueverunt, sed quia magnitudini id conjunctum esse solet, ut parum inveniat fidei, cui stabiliendæ adminicula illa revera requiruntur: adeo quidem, ut si contingat, quod facile potest, ut promissum aliquod, quamvis ingens satis tamen sit credibile, nihil opus sit multis ac grandibus ad illud confirmandum adminiculis; quemadmodum si contra eveniat, ut promissum aliquod, licet exiguum, parum sit credibile, multis illud ac grandibus adminiculis, quibus roboretur, opus habebit. Unde luce meridiana clarius liquet, quod promissa aliqua vel magis vel minus sint credibilia, id solum in causa esse, cur illis confirmandis vel pauca & exigua, vel multa & grandia adminicula adhibeantur, aut etiam adhiberi debeant. Ut igitur probe excutiatur ratio à te allata, id solum expendendum venit, utra promissa magis vel credibilia sint, vel incredibilia: illane quæ sub veteri,

teri,

Veteri, ao quæ sub Novo Fœdere facta sunt? Quod si ostendatur, promissa sub Novo Fœdere facta, licet longe majora, non modo non incredibiliora, sed etiam credibiliora iis, quæ sub veteri facta sunt, esse; jam tua mihi ratio penitus prostrata videtur. Rem autem aliquam promissam incredibilem esse, id vel per se, vel ratione ejus, cui promissa est, habita expendi potest. De eo, quod res aliqua per se sit incredibilis, non est, cur verbum faciamus: id potius est, ut de eo, quod illorum, quibus promissa est, respectu incredibilis sit, explicemus. Quam, ob causam probe animadvertendum est, quinam sint, quibus facta sint ea, de quibus nobis sermo est, promissa: id quod paullo post suo loco curæ nobis habebimus. Jam quod res aliqua promissa incredibilis obveniat animo ejus, cui promissa est, id vel inde potest oriri, quod res ipsa per se videatur, impossibilis; vel quod impossibilis ei, qui illam promisit, vel quod parum verisimile videatur, illum, qui promisisse perhibetur, vere eam promisisse, aut etiamsi promiserit, fidem præstiturum.

Quantum ad illud, ut res per se impossibilis videatur; utique promissa Novi Fœderis ejus esse generis, affirmari non potest. Illi enim, quibus primum ea facta fuerunt, (Juoæos intelligo) jam antea generatim quædam his similia credebant: cum, exceptis Sadducæis, qui non ita multi erant, cæteri omnes aliam post hanc restare vitam felicitate refertam iis, qui in hac se vita ad normam divinæ legis composuissent, persuasum baberent. Nec ab illis diversæ abibant gentes, quibus post illos eadem promissa oblata fuerunt: jam enim generatim omnibus persuasum erat, bominibus probis post vitam hanc præmium virtuti illorum conveniens repositum esse. Nec modus præmium illud conferendi io Novo Fœdere expressus Judæis impossibilis reputabatur, ut qui jam aliquam ipsi sibi resurrectionem imaginati erant, & inter gentes, præter multos sapientiæ opinione celebratos, qui animarum ex uno corpore in aliud migrationem credebant, vulgus ipsum, quod ea sibi tormenta apud inferos persuaserat, quæ secundum ipsum, sine corpore nec erant nec esse poterant, resurrectiooem pro re impossibili ducere nequibat, ita præsertim explicatam, ut debet, cum ita comparata sit, ut nihil in illa secum pugnans inveniatur, nec aliud quicquam sit, unde appareat, nullo eam modo fieri posse: id quod multo etiam magis illorum, qui sapientes usurpati sunt, quam vulgi causa dictum velim. Ita ut hac io parte, qua an res promissa secundum eorum sententiam, quibus promissa est, impossibilis sit, quæritur, nihilo meliore conditione sint res, quæ sub Veteri Fœdere promissæ sunt, iis, quæ sub Novo. Sequitur ut dispiciamus, utra promissa Deo, qui utrisque fidem suam obstrinxit, magis possibilia sint. Hic quoque certe oihil potest esse discriminis, quandoquidem Deus tam ab hoc, quam ab illo populo, quicquid factu possibile est, facere posse existimatus est. Atque hinc patet, me, cum alias eodem hoc in argumento potentiam divinam allegassem, minime intempestivam, imo necessariam, nisi fallor, illius meotionem injecisse, quamvis aliud tibi visum fuerit. Enim vero redderet id res sub Novo Fœdere promissas omnino incredibiles, si existimaretur, Deus, qui illas pollicitus est, non posse verba ad rem conferre.: quemadmodum sane multi opinati sunt atque etiamnum opinantur, ut quibus resurrectio res plane impossibilis videatur. Necessitas igitur requirit, ut ostendatur, eam non esse tale quippiam, quod efficere Deus nequeat, aut saltem eos, quibus factum est promissum, generatim, id præstari posse, credere. Quantum ad illud, an verisimile videatur, Deum sive hujus sive illius promissi auctorem esse, iisque opere complendis obstringi, in quo, ut mihi videtur, totius hujus quæstionis nodus est; respondeo, illis, quibus facta sunt promissa, verosimilius videri, Deum illorum, quæ sub novo, quam quæ sub Veteri Fædere promissa sunt, auctorem esse, eique deinde opere complendis obstringi, idque multas ob causas. Primum enim Deo per se digniora sunt promissa Novi, quam Veteris Fœderis, maxime cum obedientiæ, quæ ipsi Deo præstatur, præmium esse debeat Ita enim moribus comparatum videmus, ut principes justi, sapientes ac liberales, ministros sibi morigeros magnifice remunerentur, ea illis præmia tribuendo, quæ suæ magis magnitudini, quam illorum humilitati conveniant. Et quantillum id est, quæso, tanto numini, res illas omnes, in Veteri Fœdere promissas, homini, obsequium sibi præstanti, dare atque impertire? An non ipse ad intendendam argumenti tui vim affirmas, monarcham interdum aliquem uni ex proceribus navatæ operæ præmium fere tantum largiri, quanti erat vel universa illa regio, quam populo illi Deus erat pollicitus; & ex dynastis, quibus modo mediocres sint opes, suis quenque ministris majora donare, quam singuli in illo populo nanciscebantur? Ita ut meo judicio (quamvis res ex parte fortassis aliter se habeat, ac tu dicis) dum alio forte respicis, hoc est, ut universam historiam, ipsamque religionem Sacris Literis comprehensam parum verisimilem arguas, in hac disputatione contra teipsum argumenteris, & demonstres, verosimilius esse, Novi quam Veteris Fœderis promissiones à Deo profectas, ac proinde illas Novi Fœderis ea parte, qua pluris interest, magis esse credibiles, ideoque miraculis paucioribus, quibus confirmentur, indigere. Hinc putet, quantum abfuerim ab eo, quod tu tibi propemodum persuasisti, ut illudere tibi voluerim, cum scriberem, eo quod Novi Fœderis promissiones longe majoris sint precii, quam illæ Veteris, non modo majoribus ad illas confirmandas præsidiis opus non fuisse, sed etiam illud ipsum in causa fuisse, ut, etiamsi multo minora adhibita fuisseot, ea tamen sufficere potuissent: præsertim, cum id primum probassem non modo ratione ista, quam breviter bic innui, sed etiam alia quadam, ni fallor, satis valida, qua id ob oculos tibi posui, lubentius unumquemque conniti, viresque suas intendere ob res maximas, quamvis exigua eas adipiscendi spes affulgeat, quam ob res exiguas, licet magnam earum spem habeat. Nec vero scripsi *simpliciter* (ut tu mihi tribuis) *ubi causa est infirmior, majoribus miraculis opus esse, & proinde sub Veteri Fœdere ita fieri debuisse.* Sed ut ad primam rationem revertar, quid quæso Deo justissimo, sapientissimo & liberalissimo dignius est, quam ut iis, qui ipsius obsequio vitam impendere & inter acerbos cruciatus spiritum excludere, prout sane par est, atque ipse fieri vult, noo recusant, vitam felicem atque immortalem reddat, præsertim cum homo natura ad felicitatem ipsamque immortalitatem aspiret, nec sine immortalitate vere felix dici possit; imo cum alia bona, quantacunque fuerint, sine illo oil sint, nisi fumus & umbra? Præterea plurimis mortalium ab omni ævo parum id visum est verisimile, Deum obedientiam sibi præstitam rebus earum similibus, quæ sub Veteri Fœdere promissæ fuerunt, remunerare velle ac remunerare, cum ipsis videatur, easdem res non ab illis tantum, qui Deum nullatenus cognitum habent, sed & qui ei utut cognito male morigeri sunt, teneri. Unde factum, ut homines generatim, immortalitatis desiderio simul exstimulati, etiam sine ulla seu promissione vera, seu illius specie, à Deo sibi oblata, aliam sibi quandam vitam cogitatione depinxerint, & satis firmiter persuaserint; tantum abest, ut parum illis res videri possit verisimilis, ubi Dei nomine illis promittitur, idque ita, ut fides ei non levibus documentis fiat. Quapropter videre nequeo, cur dicas, adeo id esse homini difficile, ut aliam post hanc restare vitam credat; in os enim tibi reclamant perpetua tot seculorum inde ab omni memoria experimenta, contra quæ nec illæ, quas tu allegas rationes, nec quotquot unquam allegari poterunt, quicquam virium habent. Ex bac ratione & altera suppullulat, ob quam Novi Fœderis promissa vero similius, quam illa Veteris à Deo proficisci, per seipsa iis, quibus & hæc & illa facta sunt, videri potuerunt. Ut enim supra quoque

commemoratum fuit, cum Novi Fœderis promissa promulgata sunt, jam tum hac opinione homines isti generatim erant imbuti, post hanc vitam ab eo, quem cura hæc tangebat, aliam multo beatissimam iis, qui se probe gessissent, præparatam atque adornatam esse; cum quidem non constet, nec admodum vero sit simile, iis, quibus ab initio Veteris Fœderis promissiones oblatæ fuerunt, jam tum hac eos opinione generatim, fuisse, præmium aliquod viros bonos hoc in orbe manere: imo vero ob gravissimas calamitates, quibus per annos multos totus ille populus jam tum premebatur, causam habebant, cur quidvis potius crederent. Jam licet, ut dixi, rationes, quas in medium affers, quo probes promissa Novi Fœderis parum credibilia, nihil habeant virium ad elevandum id, quod certissimis & continuis post hominum memoriam experimentis, quæ luculente fidem eis, ab infinitis hominibus adhibitam, testantur, compertum est, & idcirco sine responsio transmitti possent: nolo tamen silentio id involvere, videre me non posse, quis possit illis esse locus, etiamsi experimenta illa non obstarent. Promissa enim illa, de quibus nobis sermo est, hoc uno maxime continentur, & huc tandem redeunt, nos, postquam rebus humanis semel valedixerimus, resurrecturos à morte, & in vitam, quandocunque tandem id futurum sit, redituros, ita tamen, ut mortalitatis legi non amplius simus subjecti, sed perenni felicitate affluamus. Id quod primum non video, qui rationi, ut tu affirmas, adversetur, dummodo illud stet, quod supra positum fuit, verosimile esse, Deum id & velle, & certe facere posse. Nec vero magis id repugnat illis sensibus, quos natura animis nostris impressit, quamdiu id impossibile aut absimile vero non reputatur, nisi eatenus, quatenus ratio ac modus illius mente non concipitur, aut etiam satis intelligitur, ordinaria naturæ lege fieri id nequaquam posse, quod nos certe parum angit, modo quacunque id tandem ratione fieri queat, cum id jam ponatur, imo omni modo requiratur, ut ne sit ordinarium naturæ opus, sed extra omnem ordinem à sola illius voluntate proficiscatur, qui aut ipsa est natura, aut illius certe conditor & dominus. Qui autem experimento resurrectio ejusmodi adversetur, cum ratio illius ita comparata sit, ut non modo esse, aut fieri, aut usu aliquando evenisse non dicatur, sed etiam diserte necesse, nec ullo modo unquam evenisse affirmetur, nisi in solo Christo? Quod autem in Christo usu venerit, ejus rei argumenta & indicia habemus adeo magna adeoque valida, ut dici possimus, ipso id experimento didicisse, rem esse & possibilem & verosimilem, nedum experientia scrupulum nobis injiciat, an non contra se res habeat. Tu vero, præter promissiones, illa etiam, quæ sub Novo Fœdere à Deo facta referuntur, tanquam parum credibilia, pensitas. At ea, si probe intellecta fuerint, non modo parum credibilia non videbuntur, sed quilibet potius admirabitur in hoc sapientiam Dei, qui cum homines voluntarie sibi obedientes, felicitatis ac immortalitatis compotes efficere statuisset, non potuit ad hunc finem quicquam vel nobis aptius vel se dignius moliri. Sed, ut monui, probe sunt illa mente percipienda, hoc est, eo modo, quo in Sacris ipsius Novi Fœderis Literis leguntur, satisque clare sunt consignata, sine additamentis & commentis ridiculis hominum, ut ne quid durius dicam, nimis audacium: quibus id debemus, ut Christiana religio magna cum injuria res ab omni veri similitudine alienas adeoque impossibiles ambitu suo complecti existimata fuerit. Denique & illud mihi expendendum videtur, quod tu Veteris Fœderis promissiones ex eo interpretaris, quod in illius regionis tantopere celebratæ dominatu populus Israëliticus sit locatus: quod mea quidem sententia aliter se habet. Vera enim illius fœderis, quod Deus per Mosen cum populo illo pepigit, promissa constant favore cœli & affluentia rerum omnium in hoc terrarum orbe, qua populus ille perpetuo floruisset, si frugi, Deoque morigerus fuisset. Regio vero illa jam pridem à Deo populi illi promissa ac destinata erat ante Mosen, nec ab illo demum in mercedem recte factorum ipsis assignata: quanquam adeo vix quisquam illorum ipsorum, qui ex Ægypto se receperant, pedem in illam intulerit, nulla nisi perversitatis suæ culpa. Hoc totum eo dico, quod disputationem omnem ad ea miracula reducere videaris, quæ perpetrata prius fuerunt, quam populus ille regionis istius imperio potitus fuit, quæ plura ac majora fuisse vis, quam illa Novi Fœderis. Atqui difficultas quæstionis in eo, ni fallor consistit; quod miracula illa longinquo annorum tractu continenter edita sint, ex quo Deus cum populo isto fœdus per Mosen icit, quæ pari serie fœdus per Christum ictum consecuta non videntur. Alias enim ostendi facile posse existimarem, miracula à Christo & Apostolis edita, longe & numero & magnitudine anteire illis, quæ Moses edidit, quæve alio quocunque modo à Deo edita fuerunt ab eo die, quo Deus Mosi id muneris imposuit, ut populum Israëliticum ex Ægypto liberaret, ac medius inter se & populum intercederet, usque ad id tempus, quo Josua populum illum in possessione regionis illius collocavit. Quod cum, ut ipsemet asseris, facile factu esset, satisque credibile, armata manu à populo tam numeroso obtineri posse; ideo opus fuit, ut Deus tot edendo miracula testatum faceret, se esse, qui regionem hanc illis tenendam daret: alioquin acceptam illi, ut volebat, utque verum erat, non retulissent, sed bonæ cuidam fortunæ, suisque viribus. Adeo ut illa ipsa ratio, propter quam tantis miraculis nihil opus fuisse existimas, mihi contrarium ejus demonstrare, & præcipua causa, cur facta sint, esse videatur. Jam quod ad alteram meam rationem attinet, quæ non promissiones, sed præcepta respicit; illud quod tu, vir illustris, affirmas, esse etiam in Novo Fœdere, quæ non minus levia atque superstitiosa videantur, quam illa veteris, eam minime elidit; eo quod ex illis, quæ seu jure seu injuria talia videri queant, nihil affirmem in Novo Fœdere nobis imperatum præter Domini Cœnam, quæ cum nec tempori, nec loco, nec certæ ac præscriptæ verborum gestuumve formæ astricta sit, nisi id admodum generaliter ac universe, cumque manifeste ad id, cujus gratia instituta fuit, accommodatissima sit, nec minus finis ejus convenientissimus, ac tantum non necessarius, dum illud nobis stat firmum, quod Deus & Christus nostri causa summa cum sapientia egit; videre nequeo, qui possit illa res aut levis aut superstitiosa videri, & sola ex adverso opponi, sexcentis antiqui fœderis rebus, quæ aut omnino conditionibus, quas supra memoravimus, carent, aut iis saltem præditæ nesciuntur, eoque non immerito superstitiosæ ac leves videri possint. Neque id, quod addis, sub Novo Fœdere etiam illa, quæ in Veteri tradita fuerunt, necessario credenda esse; quomodo aut verum sit, aut ad rem faciat, intelligo. Sane quidem sub Novo Fœdere & illa, quæ in Veteri tradita sunt, creduntur, non quod ea nobis creditu necessaria sint; sed quod fide iis adhibita, quæ Novo Fœdere continentur, quæque idoneis argumentis per seipsa abunde nituntur, & illa, quæ Veteri Fœdere comprehenduntur, qualiacunque tandem sint, credi sine ullo alio argumento, saltem implicite atque involute, consectarium est: quanquam interea fieri possit, ut quis eorum, quæ in Novo Fœdere tradita sunt, tantum & norit & persuasum sibi habeat, quantum ei ad salutem obtinendam sit satis, & tamen aut nesciat, aut non credat, multa Fœderis Veteris, imo ne unum quidem eorum, quæ illi propria, ejusque generis sunt, de quo nobis est sermo. Quin ausim dicere, ut quis vere Christianus audiat, ne ipsius quidem Veteris Fœderis notitiam ei ullam habere necessum esse. Præterea etiam si detur, ea, quæ Veteri Fœdere continentur, homini Christiano necessario cognoscenda ac credenda esse; jam tamen ponitur, illa sibi propriis iisque satis validis fidei documentis olim stabilita fuisse, quorum indicia atque vestigia admodum evidentia & in historiæ veracis,

monu-

monumentis, & in publica fama, & in ipsa re oculis etiamnum obversante, restant. His omnibus accedit, ea quæ Veteris Fœderis sunt propria, alio modo sub Novo putari Fœdere, quam sub Veteri putabantur, alioque in gradu nunc, quam olim collocari. Tunc enim temporis habebantur & haberi debebant pro veris ac solidis, quibusque æterna ac immutabilis divini numinis voluntas ex parte contineretur; nunc vero & habentur & haberi debent, pro umbris ac figuris aliarum rerum, quæque aliquando mutari à Deo debuerint, succedentibus in illorum locum iis, quæ ævum ferre perpetuum semperque obtinere debebant, ita ut nunc, licet argumenta illa abessent, minime tamen difficile sit fidem illis adjungere; quantumcunque & leves & superstitiosæ videantur; imo vero liquet, conveniens, ut ita comparata essent, fuisse, siquidem obsolescere aliquando debebant: ideoque vel sola Novi Fœderis promulgatio dubiis omnibus tollendis, sufficit, quæ de istis in animo cujusquam oboriri possent. Denique quia dixeram, miracula sub Novo Fœdere edita, dum Christi disciplina etiamnum recens ac velut in cunabulis esset, in futurum sufficere potuisse, quod rationibus in medium adductis confirmavi: tu eo jam reverteris, ut dicas, illa tibi non videri sufficere iis, qui rei gestæ non adfuerint, & de historiæ fide ambigant. Sed respondeo denuo, eos, qui, quod rei gestæ non adfuerint de historiæ fide ambigunt, prorsus injuria id facere, nec nisi improbitate aut saltem languore quodam pietatis inductos, quem Deus hac ratione detegere, &, si usus fuerit, quacunque pœna coërcere aut vindicare vult. Fateor sane (quod & ex illo Christi dicto, *Beati, qui non viderunt*, & quæ sequuntur, erui potest) illos, qui rei gestæ coram adfuerunt, suisque ipsorum oculis omnia sunt contuiti, meliori fuisse conditione, quam cæteri; nec eo tamen do, illis, qui rei gestæ coram non adfuerunt, nec suis ipsorum oculis omnia sunt contuiti, difficile esse fidem habere historiæ, de qua nobis est sermo, modo ne sint malitia depravati, aut alias parum apti, qui fiant probi. Et certe, si id, quod dicis, historiæ fidem in dubium vocari posse, quia rei gestæ non interfueris, tanti foret, ut illius in hoc argumento nostro habenda esset ratio: opus fuisset, ut miracula continenter edita fuissent, atque etiamnum perpetuo ederentur, idque sic, ut in cujuslibet oculos incurrent: quod sane, præterquam quod nec sub Veteri quidem Fœdere usu venit, in causa cum fuisset olim, tum hodie foret, uti alias dixi, ut nec fides vere exerceri, nec humana sive probitas sive improbitas in apricum protrahi posset. Et hæc responsionis loco ad illa, quæ circa miracula Veteris Novique Fœderis à te disputata sunt, ut credo, suffecerint. Quæ si iis, quæ primum tibi scripsi, quæque primæ tuæ responsioni reposui, jungantur, & exacte trutinentur, spero te agniturum, rationes & multas & validas in promptu esse, quibus unicuique de quæstione illa satisfiat: ne dicam tot alia adjungi posse argumenta, quibus præter miracula, Novi Fœderis auctoritas suffulta fuit, quibus aut omnino aut saltem magna ex parte destitutum fuit vetus, quæque aut parem, aut non multo minorem miraculis vim habent. Unde fit, ut, quemadmodum, si bene memini, Picus (vir sublimis ingenii, ut omnes norunt, cujusque pietatem, quotquot magnis sunt ingeniis, ante oculos sibi proponere debebant) in quadam ad nepotem suum Epistola ajebat, non minus stultus, quam noxius sit eorum error, qui de religione Christiana dubii hærent.

Quod me rogas, an in Veteris Fœderis Literis id tibi ostendere possim, vitam æternam eamque beatitatem, quæ Christianis promissa est, populo illi obtingere debuisse: ego vero, cum semper affirmem, promissa sub Veteri Fœdere facta rerum duntaxat temporariarum hujusque vitæ fuisse, crediderim, necessario inde concludi debere, non modo me id non posse, sed etiam pro certissimo habere, nec alium quenquam id posse demonstrare. Hinc etiam, ut tu colligis, egoque innueram, potissimum fit, ut populus ille carnalis sit appellatus: quales enim promissiones fuerunt, talia & præcepta fuisse necesse est, quorum causa populus ille ad Christianismum comparatus pariter carnalis nominari potuit. Non igitur vel de immortalitate animæ, vel de altera aliqua vita, ullam in universis Veteris Fœderis Literis mentionem claram atque apertam unquam fieri credo: agnosco tamen, multa ibi reperiri loca, quæ mystice de alia quadam vita futura loquantur, eamve innuant, inter quæ & ille est à Domino Jesu explicatus: *Ego Deus Abraham, Deus Isaac*, & cætera. Ex qua explicatione id potest colligi (quod & ex aliis Novi Fœderis locis patet) quantumvis populo illi vita futura, aliave præterquam hujus vitæ bona, clare atque aperte promissa nunquam fuerint: nihilominus illos, qui Deo ad exemplum Abrahæ, Isaaci & Jacobi obtemperaverint, una cum veris Christianis ad vitam immortaliter agendam resurrecturos.

Ad quæstionem de æqualitate aut inæqualitate beatitudinis in altera illa vita, vix possim nunc ita præcise respondere, tanquam is, qui nunquam de eo multum laboravi, id me perspectum habere contentus, quotquot ad nutum Christi vitam instituerint, omnes immortales ac beatos fore. Ausim tamen dicere, magis me in tuam, quam in illam amici tui sententiam inclinare, cum & ratio exemplis nonnullis ac testificationibus divinæ voluntatis de puniendis ac remunerandis hominibus suffulta, & singularia quædam loca in Novi Fœderis Literis de præmiis alterius illius vitæ loquentia, demonstrare videantur; quamvis omnes, qui fidem Christo integre præstiterint, vita sempiterna nec unquam defitura munerandi sint, servandam tamen inter eos aliquam inæqualitatem præmii, aut, si ita malis, beatitatis; prout magis minusve (ita tamen ut insigne sit discrimen) hac in vita Dei Christique obsequio insudaverint. Nec facile persuaderi mihi patiar, Paulum, exempli gratia aliquem, quem Christus tanta ac tamdiu ob nomen suum exantlare atque sufferre voluit, in altera illa vita nulla graviorum prærogativa præ latrone illo, qui tum demum, cum animam jam pœne efflaturus esset, Christum pro rege ac domino suo agnovit. In Apocalypsi (quanquam liber ille sit alias obscurissimus) loca quædam extare videntur, quæ indicium satis manifestum præbeant alicujus inter præmia inæqualitatis: quandoquidem interdum, dum de præmiis conferendis disseritur, certum quoddam Dei ac Christi servorum genus à reliquis distinguitur. Videatur id, quod VII capite scriptum legitur, distinctioque illa consideretur, quæ inter eos, qui stolis candidis amicti erant, & inter reliquos constituitur, initio facto à versiculo 13 usque ad extremum. Videatur deinde & illud, quod capite XIV. ÿf. 3. 4, & 5 scriptum est: item legatur adhuc attento animo cap. XX. & videbitur in eo, quod aliis prius, aliis posterius tribuendum sit præmium, discrimen poni inter Christi martyres & qui bestiæ repugnaverint, interque reliquos, qui salutis æternæ compotes fient, quamvis vitam testimonio religionis non impenderint, nec illo tempore in vivis fuerint, quo bestia rerum est potita. Quomodocunque enim prima illa resurrectio accipiatur (quam, si verum fateri debeo, non ita præcise, ut verba sonant, intelligendam censeo) negari tamen distinctio non potest, quæ inæqualitatem præmii non obscure indicat. Quid de eo dicemus, quod Christus Apostolis peculiariter promisit Matth. XIX 28, & Luc. XXII. 30? Quid de eo, quod scriptum est Luc. XIX. 17, 18, ubi clare patet, majus persolvi præmium ei, cujus opera majori fuerat usui, quamvis modus ac ratio, qua id perfectum est, à Domino tota manasset. Consideratione dignum est etiam id, quod 2 ad Cor. IX. 6, scriptum est, si cum eo; quod est ad Gal. VI. 9, & 10, & Luc. XVI. 9, conjungatur. Nec desunt alia, ut opinor, loca, unde præmiorum in altera vita inæqualitas deduci potest: nam in hac quidem vita omnes eum agnoscunt. Et certe si de pœnarum inæqualitate nullum

potest esse dubium, ob id, quod scriptum est Luc. 12. 47, & 48; non video, quamobrem de illa præmiorum inæqualitate dubitandum sit, aut saltem cur mira cuipiam videri debeat, sive in hac, sive in altera illa vita. Rationes a Petro Martyre allatæ me fugiunt: sed fortassis non erunt refutatu admodum difficiles. Multi magnum in illa parabola Matth. 20 robur ponunt: ego vero non puto aliud inde quicquam elici posse, præter paritatem in re ipsa, inque præcipuo præmii illius secundum promissionem momento, quandoquidem æterna vita perinde omnibus est promissa; si modo de vitæ æternæ præmio illic est sermo. Quanquam enim id antehac credidi, ac nescio, ubi asserui; jam ab aliquo tamen tempore, quum alia quadam de causa in illa parabola opera mihi singulatim ac sedulo ponenda esset, cœpi id in dubium revocare, atque etiamnum aqua mihi hæret.

Videre potuisti, vir illustris, quanta cum libertate semper responderim, & de iis, quæcunque ad me scripsisti, sermonem tecum contulerim: atque ita vellem ut & tu mecum ageres, misso illo civilitatis apparatu quo & in exponenda mihi sententia tua, & in proponendis dubiis uteris. Credas mihi velim, meæ me tenuitatis probe mihi conscium, idque satis habere perspectum, me nec ad disputandum cum hominibus tuæ sortis, nec ad tibi de quæstionibus tam sublimibus satisfaciendum, aptum esse. Quinimo novi aut tenendum mihi silentium, aut saltem veniam à te petendam quod ita libere tibi respondeam, tecumque sermonem conferam, tantum abest, ut, quod tu nimia cum modestia facis, venia tibi exoranda sit objectionum quæstionumque, quas mihi proponis, quibus multum sane honoris mihi habes, meque ætatem tibi devincis. Faxit Deus, ut quod uterque tempus in hæc talia impendimus, non frustra sit collocatum. Equidem nihil dubito, aliquem inde fructum nominatim ad teipsum redundaturum, si, ut eandem gratiam atque favorem, quem mihi exhibes, porro cumules, prout innui ab initio, animum ad ea, de quibus inter nos est sermo, serio advertere, diligenterque, quæ tibi scripsi, considerare dignaberis, devorans pro tua benignitate hanc qualemcunque molestiam, quam, dum id agis, ex mea in scribendo imperitia capere possis. Maxime vero, si ita composueris animum, ut omnem moveas lapidem, quantum quidem in te est, quo officii tui munus impleas &, si possit fieri, ad beatitudinem atque immortalitatem pervenias. Quæ sola animi tui destinatio omnem tam in agendo, quam in credendo, difficultatem, quæcunque oboriri tibi possit, multo magis, quam cætera omnia, facilem ac planam reddere potest. Adhuc, uti spero, ei rei tempus est; sed noli diutius illam procrastinare, tuamque ipsius sortem tandem miserare, quod Deus tibi fortunet. A me quidem omnia summa in te studia officiaque expecta. Vale a. d. 4 Eid. Jun. anno ∞ IↃLXXXII.

Si ipsemet huc te non contuleris, velim ut per hunc tabellarium librum meum de baptismo mihi remittas. Habebis una cum his literis alias à Theobaldo, qui primam inter me ac Puccium disputationem de mortalitate aut immortalitate primi hominis ante lapsum sua tibi manu descriptam mittit. Si arriserit argumentum, & videre tibi libuerit secundam disputationem longe fusiorem: poterit & illa deinde tibi mitti. Agnosces in hoc primo meo scripto impolitiam fortassis aliquanto majorem, quam in ullo meorum alio: hanc ergo condones partim angustiæ temporis, qua circumscribebar, partim quod tunc temporis fere primum ad Latine scribendum animum applicabam.

Idem Eidem. Initium desideratur.

IN medio vitæ cursu, anno ætatis 37 eo ipso tempore, cum amicorum precibus tandem permotus constituisset atque etiam cœpisset, saltem inter ipsos, nonnulla in apertum proferre, breviter, cum fructum aliquem tantorum tamque laboriosorum in theologia studiorum videre debuisset, quem fructum alii postea ac fere statim ab illius morte viderunt, videntque etiam nonnulli, qui longe plures illo annos habebant.

Sed ut de illo quoque nonnihil dicam, quod de rebus adiaphoris scribis: mea tibi definitio mira videri non potest, si finem credendi, qui non alius est, quam actio ipsa, animo consideraveris. Id sane verum est, non posse te unquam argumenti hujus perfectam assequi cognitionem, nisi caput de justificatione, de qua aliquando fortassis, si Deus voluerit, disseremus, prius dextre intellexeris. Quantum ad illud, quod ais, posita quoque definitione illa mea, non videre te, qui possint haberi pro rebus adiaphoris illæ, de quibus mihi scripseris, quæ mirifice inter nostros innoventur, ac nominatim notio illa Dei, sitne trinus ille magis, quam non trinus, quandoquidem (inquis) inter cætera religionis præcepta & hoc est, ut Deus cognoscatur, celebretur, gloriaque cumuletur, utque, quod illi convenit, tribuatur, quæ quomodo fieri, nisi illa, quam diximus, notio habeatur, possint, non videas: quantum (inquam) ad totum illud attinet, mihi ita videtur optime posse credi, Deum esse creatorem, conservatorem, largitorem beneficiorum, Dominum ac salutis nostræ auctorem, &, ut summatim dicam, omne id, quod requiri potest, quo ei confidamus; eum revereamur, precibus, quantum ac prout convenit, imploremus, denique omnibus rebus præponamus, in quo, meo judicio, peculiaris illius cognitio, celebratio, atque adoratio ab ipso præcepta, præter reliquum mandatis illius præstitum obsequium consistit: mihi inquam, videtur, ea, quæ commemoravimus, optime credi posse, utut nesciat quis, magisne Deus sit trinus, quam non trinus, cum hæc notio ad res longe ab iis, de quibus modo sermo nobis fuit, diversas, hoc est, non ad aliquid, quod ad nos refertur, sed ad substantiæ sive essentiæ illius cognitionem pertineat, de qua non aliud nobis scire opus est, quam quod, ut ea, qua dictum est, ratione erga illum nos geramus, requiritur, qualia sunt, ipsum esse unum, immortalem, æternum, & id genus alia, quæ pariter illi, qui trinum eum faciunt in personis, quam qui non faciunt, persuasa sibi habent. Nec vero oculos hic ad omnia consectaria, quæ verosimiliter ex hac illave opinione deduci possent, intentos habere oportet, eo quod pauci sunt, qui consectaria illa deducunt: aut etiam animadvertunt, alioquin vix quicquam inter ea, quæ in re religionis seu credenda seu non credenda veniunt, quod indifferens sit, reperiretur: adeo omnia inter se apta, unumque ex altero nexum hæret.

Consilium tuum de modo scribendi, quo hoc argumentum, de quo inter nos potissimum disputatur, illustrem (si modo Deus, ut id, prout vellem, præstare possim, concesserit) mihi arridet: eo excepto, quod non intelligam, cur suadeas, ut rhetorum artem, moremque concionandi in ejusmodi rebus suspendam, nec enim mihi videor, in cæteris meis scriptis ab ea disputandi orbita deflexisse, quam tenere solent, qui cupiunt, ut eorum scripta lubenter ab iis quoque legantur, qui dialectices præsidiis non nisi à natura ipsa sunt instructi, inter quos & me numeres licet. Nam ut rationes syllogismorum formulis constringantur, nisi postea dilatentur, atque eo explicentur modo, ut quilibet eas capiat, eo præsertim in argumento, quale futurum est hoc, quod ut probe ac perspicue ab unoquoque hoc tempore intelligatur, necesse est; non video, quam laudem id mereatur. Quin & experientia magistra cognovi, libros atque disputationes syllogismis perpetuis horrentes populi punctum non tulisse, & nonnisi à paucissimis lectos esse. Summa, modus disputandi ut paulo sit popularior, oportet, mixto atque temperato dialectices rhetoricæque artificio, prout locus atque occasio tulerit. Atque hæc, prout mea fert opinio, affirmo, nec interea ignoro, mihi, ut id præstem, tantum virium non esse, fateorque consilium tuum, si sane intelligatur, nequaquam aspernandum esse, meque eo in tempore usurum recipio.

Cujus-

Cujusnam illa sint verba, à Beza pagina LXXIX. & LXXX. citata, me fugit. Interea dixerim, verum in iis falso remistum contineri, idque ab ipso fortassis auctore non bene intellectum, quod si recte accipiatur, adjumento esse poterit, ad pervestigandum tanto acutius, quid sibi Paulus in illo nono ad Romanos capite voluerit. Id vero illud est, Paulum in tota illa dissertatione à destinatione servandi hos, illosve damnandi, rationem fidei, quam Christo habeant aut negent, nequaquam excludere voluisse. Ut autem tanto melius, quid velim dicere, intelligas, mitto tibi id, quod illo super capite ac parte aliqua undecimi ejusdem Epistolæ jam ante annos quinque vernacula lingua, amico quodam rogante, succincte satis, ac in modum paraphraseos, literis mandavi: quanquam id quidem contra aut præter ordinem disputationi nostræ à me præfinitum; tu vero, quid de eo tibi videatur, fac me postea, quæso, certiorem.

Mirum mihi accidit, quod argumenta te mea contra vulgarem opinionem circa VII ad Romanos caput non capere scribis. Vix potest aliter, quin id stylo, quo animi mei sensa effero, sit imputandum, qui & aliis, scio, obscuritate laborare videtur, cui tamen frustra lumen adhibere studeo. Quanquam credere juvat, novitati rerum id ex parte acceptum ferendum: cujus rei specimina manifesta, & in meis & in aliorum verbis, de rebus novis non semel vidi atque comperi. Quippe quæ licet, ut postea apparuit, ita clara atque perspicua essent, ut nihil supra, tamen ne ab iis quidem, qui acumine aliquo præditi erant, satis intelligebantur. Si dignaberis opusculum illud meum relegere, aut si unquam id relegeris, pro certo habeo, dilucide omnia te, quæ illic scripta extant, percepturum. Et quoniam inquis, videri me tibi convellere ac subvertere peccatum originis: ubi tu mihi, quid tandem illud sit peccatum, dixeris, tum quoque, num id convellam, nec ne, respondere tibi potero. Non credo, aliquam sive rem sive materiam esse, de qua minus inter scriptores conveniat, quæque magis eos intricet, quam ista, illos præsertim, quos Ecclesia Romana approbat, aut saltem hæresios non arcessit. Auctor Epistolæ, ad quam respondeo, est Johannes Niemojevius, homo procul dubio, ut ipsemet judicas, dignus, cujus consuetudo magni fiat, quemque ipse vehementer & amo & æstimo & revereor, quanquam in non paucis opinionibus meis, quarum ad ipsum notitia pervenit, mirum in modum mihi sit adversus atque etiamnum adversatur. Verum enim vero de die in diem mitescit, ac paulatim animadvertit non esse me tam atrum, quam à nonnullis depingor: quin & in hac ipsa disputatione, quantum ad præcipuum ejus caput, hoc est, an Paulus eo in loco de seipso tanquam regenerato loquatur, nec ne, dici potest, eum manus jam dedisse, ut qui inter alia confessus sit, mea sibi responsione oculos apertas, ita, ut longe melius, quam prius, quod sit hominis Christiani officium, cognoscat.

Non puto me dixisse, mortis me desiderio teneri, sed hoc tantum, magni me id beneficii loco reputaturum, si Deo, ut pro divina ipsius veritate mortem oppeterem, videretur, meque hac in parte, non modo tot aliorum, sibi adamatorum, sed & unici sibique charissimi filii, dominique mei similem redderet. Nec possum dissimulare, mirum id in te sæpenumero mihi visum, quod alia te esse mente significes, teque ne martyrio Christi vitam impendere cogaris, optare affirmes. Quid ita vero? Ut ne tantillum, quod ad vivendum ætatis tibi restat, reliquæ addas? Quanti quæso sunt istæ aliquot annorum decades, quas exigere in vita possis amplius, si naturæ arbitrio mors tua relinquatur? Imo quid forent vel secula & annorum Chiliades, si fine nihilominus aliquo concluderentur? Revoca tibi in memoriam verba illa aureis exarari digna literis: quæ vir vera Dei cognitione atque omni alterius post hanc vitam spe firma destitutus proferre noverat, *Sed mihi ne diuturnum quidem quicquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id advenit, tunc illud, quod præteriit effluxit: tantum manet, quod virtute & recte factis sis consecutus.* Sed illud fortassis vis tibi dicere, ut ne sustineas atque sentias tormenta afflictionesque illas. At quo loco id omne habendum est, ubi Deus vires ad id patienter ac cupide ex ipsius amore ferendum suggerit, nisi pro futuræ immortalitatis ac beatitudinis arrha certissima Christiano homini in antecessum data. Nullo igitur modo, ni fallor, nobis, qui Christianismum profitemur, dicendum est, optare nos inter martyres Christi non censeri, maxime si res nobis sit cum hominibus parum religiosis, quique ex ejusmodi sermonum exemplo occasionem ac veluti ansam arripere possint obstinandi animum in ista sua tam frigida religione, credendique ne nos quidem admodum illius studio fervere. Credo, te mentem meam satis percipere; itaque plura illi declarandæ verba non insumam. Id tantum te rogo, ut libertatem hanc in loquendo meam excusatam habeas, quandoquidem, ut ita tecum agam, officii mei esse duco.

Quod perscriptum est ad te, literas tuas Cracoviæ per aliorum volare manus, id, quod quidem sciam, apertum est mendacium, nec minus maligne excogitatum, quam alia multa ex eadem disciplina profecta. Id quidem ego pro certo duco, nunquam fore, ut quieto tibi esse liceat, antequam te ab istis abrumpas, & susque deque habeas, quid homo tibi facere possit, in solo Deo, ejusque providentia, recte agendo, acquiescas. Jesuitarum Cracoviæ jam satis est superque: & quantum audio, sedem hic stabilem collocabunt. Nihil ipse contra Patrem illum Liliam scripsi, sed tantum nomine omnium nostrorum animadversiones contra theses illas ex Collegio Posnaniensium Jesuitarum profectas contexui. Novi sane, Liliam, nondum mihi nisi de nomine notum, animadversiones illas vidisse, & verba quædam emisisse, ex quibus colligendum videbatur, ipsum responsionem ad eas cogitare, non quidem separatim, sed junctum cum aliis illo de argumento in publicum emittendis, & quasi aliud agendo. In iis tamen, quæ adhuc scripsit ac publicavit; responsionem illam non vidi: quanquam, ut verum fatear, nec omnia illius legi.

Placet mihi, quod in eo me consilio, quod jam ceperam, confirmes, ut ne me irretiam atque implicem alicubi sine magna necessitate, addita præsertim spe illa, Deum fortassis id nobis daturum, ut vitæ aliquot tempus una exigere liceat. O si unquam is mihi dies illucesceret, quam me in hoc orbe felicem putarem! quam mihi copiosum ac desideratum voluntarii mei exilii fructum colligere viderer! Ego me jam ad alterum duorum istorum locorum, quæ tu putaveras, & eum quidem, quem tu minus tutum judicaveras, contuli, quod ob multas me causas quam possem minime hinc longinquum abire oporteret: quamvis, nisi valde fallor, periculum neque fuerit neque sit, in quocunque tandem loco, admodum grave, multoque levius fuisset atque etiamnum esset, si meo consilio atque modo res administrata fuisset. Dolet mihi, quod intellexerim Vienna Cracoviam perscriptum, illic spargi, me, quod librum quendam contra magistratum scripsissem, è Polonia aufugisse, quamvis id jam prævidissem. Ideoque ut remedium aliquod adhiberem ei malo, quod rumor ejusmodi rebus meis in Italia infligere posset, jam constitueram ad magnum ducem principem meum, quo me purgarem, magnamque ducem, ut causam meam apud maritum commendaret, literas exarare, prout postea feci, idque præsidio mihi alicui auxilioque futurum spero. Sed fiat, quod divino numini visum fuerit. Credo me ultra ea, quæ disputanda fuerunt, ad literas tuas, quantum opus esset, respondisse. Utinam ne modo tædium tibi inconditis meis sermonibus creassem, ac præsertim illa quoque manu mea, quam vix ipsemet interdum legendo satis assequor. Veneror Deum atque oro, ut quemadmodum id tibi gratificatus est, ut jubilæum ætatis tuæ attingeres, ita etiam tibi con-

concedat, ut in rerum longe preciosiorum majorisque momenti possessionem redire possis, qua temet ipse exuisti, mihique id largiatur, ut in iis custodis tibi alicujus vicem præstare possim, si modo eo sit opus, egoque tali sim aptus muneri. Vale, meque tui amantissimum amore mutuo prosequere. die 6 eidus Martii Anno ∞ IↃLXXXIII.

EPISTOLÆ

ANDREÆ DUDITHII

Sacræ Cæsaris Majestatis Consiliarii, nunquam antehac editæ.

Ad JOHANNEM LASICIUM

Equitem Polonum. In qua de divina triade disputatur.

Andreas Dudithius Johanni Lasicio S. D.

BInas abs te literas accepi, in eandem sententiam, eadem de re scriptas. In quibus illud mihi non inexspectatum quidem neque novum, sed tamen in humanum visum est, quod magnorum virorum, tum quos nominas, tum etiam quos silentio præteris, inimicitias mihi denuncias, nisi eandem, quam tu, quam ipsi, fidem, in re omnium maxima infixam animo habeam, atque adeo pro virili parte propugnem. Si mihi perspectum esset, horum omnium nomine te mecum agere, responderem tibi copiosius & fortasse etiam accuratius. Sed vereor, ne tu tibi, non rogatus ab aliis, tua sponte, hanc provinciam minime necessariam sumpseris; ut majorem scilicet gravitatem, & pondus haberet oratio, minoremque tibi invidiam apud modestos homines conflaret, si non tuo tantum modo nomine, verum aliorum quoque causam ageres, tam acriter me reprehenderes, & gravissimo hæreseos crimine privatum hominem, indicta causa, multorum præclarorum hominum legatus, scilicet, condemnares. Nunc ego tibi, Lasici, non ut legato (de eo enim nihil dum mihi certi constat) sed ut amico, mei, quemadmodum videri vis, amanti, & curiose admodum in conscientiam meam inquirenti, respondebo; & sine fuco ac fallaciis, quid sentiam, aperte tibi significabo. Cave enim existimes tam me parum pium & Dei timentem esse, ut in rebus ad pietatem Christianam, Deique cultum pertinentibus, scurriliter jocari ac pueriliter ludere velim. Mene cum Ostorogo, de Deo deque ejus filio, per ludibrium disseruisse? Heus tu, itane tibi me bonum virum fingis, ut de re minime ludicra haud serio locutum esse me suspicarere? Non me nosti, mi Lasici; neque dum plane intelligis, quam ob rem ex aulico illo splendore & luce hominum, in has me privati ocii tenebras conjecerim. Si simulare, atque etiam dissimulare, si aliud animo premere, ut dici solet, aliud vicissim lingua promere pulchrum, & cum pietate conjunctum esse judicassem, nihil sane opus fuisset totius vitæ rationem commutare. Poteram equidem in magnis deliciis atque opibus versari, & modo ad hujus, modo ad illius, ut res meæ tulissent, voluntatem loqui: aut, si scelerate ingenium ostentare voluissem, Academicum in morem, in contrarias partes de religione disserere: denique, ut omne existimationis hæreseos periculum fugerem (quod vana superstitione dementatos quosdam, & plerosque impios assentatores facere animadverto) sic concludere, ut nihil tamen me sentire profiterer, quod Ecclesiæ Catholicæ placitis repugnaret. Non nescis, Lasici, si alienis auribus audire, si non meis oculis cernere, si Papæ assentari voluissem, aut nunc quoque vellem, quam iis rebus omnibus abundare potuissem, quas vulgo homines magno studio consectantur, nec tamen, nisi pauci, consequuntur. Sed quo dilabor! Non jocatus sum, Lasici; sed serio egi cum tuo atque eodem meo Ostorogo, cum, me non alium Dei Filium agnoscere, dicerem, quam, qui promissus Patriarchis est, ac definito tempore in lucem editus, ut nobis esset via, veritas, vita. Non sum jocatus, Lasici; sed serio admodum professus sum, confessionis illius formulam, quæ Athanasii nomine circumfertur (quam non ab Athanasio, sed ab ocioso potius aliquo monacho, scriptam fuisse, Camerarius noster opinatur) item que Nicænum illud Symbolum, non esse Sacris Literis, & Christianæ pietati consentaneum, sed ex humano sensu & spinosis quibusdam frigidorum Sophistarum argutiis depromptum. Abhorrent illa prorsus, & valde quidem abhorrent, à simplici illa & minime fucata fide, quam Christus ipse magister & servator noster, quam ejus discipuli docuerunt, literarumque monumentis consignatam nobis reliquerunt. Non hic unius trinitatem, non trium unitatem, non communicationem idiomatum, non circumincessiones seu περιχώρησιν, non identitates, non relationes, non consubstantialitates, non sexcenta alia hoc genus verborum, & rerum portenta, quæ scholæ vestræ personant, reperies. Nuda omnia & aperta sunt, non ex humanis ratiocinationibus deprompta, sed ex sinu æterni Patris ad nos demissa. Tanta apud nos & est, & esse debet apud omnes Dei Filios, scripturæ authoritas, ut nihil unquam ab hominibus excogitari possit, quod illi æquare velimus. Neque vero ulla vis existere tanta queat, sive illa longi temporis prærogativa, sive plurimarum gentium consensione, sive conciliorum approbatione, sive principum legibus armata prodeat, ut ullius illa ex parte fundamenta vel minimum labefactare, nedum convellere possit; ita quidem, uti ad extremum non jam homines tantum, sed si ipsi etiam Angeli aliam in medium doctrinam afferant, nos tamen ab ea, quam nunc attigi, & paulo post fusius explicabo, fide, nulla ratione avelli patiamur, licet fremant omnes, & omnibus machinis nos oppugnent.

Vos contra video, desertis Sacrarum Literarum fontibus, ad putidas & turbulentas lacunas descendere, illincque impuram & venenatam aquam petere, quam & ipsi hauritis, & incautis hominibus, qui vos magistros sequuntur, ad perniciem propinatis. Væ vobis, qui dicitis bonum malum. Sed quid (malum) tam multa, tam aliena scripturæ assuitis? Itane ipsa imperfecta, itane manca nobis ab Apostolis tradita est, ut vestris assumentis egeat? O Christum minime providum, ô negligentes Apostolos, qui tam ab omni parte Ecclesiæ mutilatam doctrinam reliquistis. O patres contra nostræ salutis amantes. O Synodos sanctas, ac sapientes. Vestra enim demum opera perfectum est, ut integram & absolutam fidem haberemus. Vobis scilicet, ô boni, non Christo salutem nostram debemus, à qua prorsus excidissemus, nisi vestræ pro nobis curæ evigilassent.

Pudet me vestri, Lasici, sic vivam, & miseret. Vosne ab unico patre, ab unico magistro ad multos & patres & magistros, contra servatoris nostri jussionem, defecisse? Qui vult, inquit ille Pater vester Athanasius, (siquidem Athanasii hoc symbolum esse contenditis, cujus pueri æquales suos baptizantis iterari baptismum vetuit quædam Synodus; o præclaram Synodum, ô baptistam egregium, ô singulare baptisma) qui vult, inquit ille, salvus esse, necesse est, ut fidem Catholicam teneat; quam nisi integram inviolatamque conservet, salvus esse nequeat. O crudelem Athanasium, nosque nimis feros animorum nostrorum hostes, si nemo salvus esse potest, nisi fidem hanc, quam ipsi Catholicam vocant, teneat, quæ tam multis verborum & sententiarum tricis complicata proponitur. Quid fiet, obsecro, misellis hominibus, imperitis, inquam, atque idiotis, quorum maxima pars est, quam late universus terrarum orbis patet? Illi sane hanc fidem tenere, quid dico tenere? ne intelligere quidem possunt: neque vero id mirum. Nam vix illi ipsi,

qui

qui nobis eam identidem obtrudunt, animo atque intelligentia eam comprehendunt. Indicio est tam diversa & varia symboli hujus explicatio. Quis scripturæ locus unum Deum in trinitate, & in unitate Trinitatem tibi venerandam proponit? Quis ita ex Euangelistis aut Apostolis loquutus est? Quid nostram fidem his verborum gyris torques? Quid dicas, si quis sic ratiocinetur: Unum Deum inquis in Trinitate. Plus dicis, quam velis. Trinitas enim tres indicat. Quod si in tribus his unum aliquem Deum fingis, jam præter tres illos quartus, qui in tribus venerandus sit, necessario sese proferet. Non unum igitur, non tres, sed quatuor Deos ponis. Num vides Trinitatem si includas Unitati, quid consequatur? Si diversum atque aliud id est, quod continet ab eo, quod continetur ut est sane naturæ ipsius ordo, tam certe unum illum Deum, qui tres alios complexu suo coërcet, non dispicio, qui quartum esse negare queas. Eodem recidet oratio tua, si unum illum in trium numerum conjicies. Amplius si tres personas Trinitatis vocabulo intelligi vis, Deus ille, quem in trinitate veneraris, quarta quædam, aut persona, aut essentia, ut vos loquimini, erit. Respondet tuus legislator Athanasius: neque confundimus personas, neque substantiam separamus. Quomodo hoc tueri potes, si Trinitatem unum esse Deum statuis? Sane si unus est, tres esse non possunt, nisi eos ita misceas, ac temperes, atque adeo confundas ut Medici πολυφάρμακα ex quatuor rebus coagmentant, ut aliqua jam una sit, & simplex atque unius modi massa. Si substantiam non separas, unam aliquam substantiam ponas necesse est, quæ neque pater, neque filius, neque Spiritus Sanctus sit: hi enim tres illæ personæ sunt, quas in unum confundi vetas. Quod si trium horum, per se quilibet subsistet, substantia præditus ut sit unusquisque necesse est. Una omnium esse substantia non potest: tres enim numero sunt. Quare non una, sed quatuor jam erunt substantiæ Dei: nimirum illius qui in Trinitate conclusus est, aut potius, cui tanquam fundamento infixa est Trinitas ipsa, & trium horum, quorum per se quilibet subsistit. Qualis pater, inquis, talis filius, talis Spiritus Sanctus. Si hæc ita se habeant, ut dicis, non erit jam pater ullus, non filius non Spiritus Sanctus. De substantia enim te loqui certum est. Nam quod ad qualitates & proprietates ipsas attinet, quas tamen verba tua magis indicant, non negas quamlibet personam suas habere separatas quasdam ἰδιότητας. Substantiæ identitas rei identitatem inducit. Una autem atque eadem trium istorum est substantia. Unus igitur & idem hi tres erunt, non plures. Jam filius erit pater, pater ipse vicissim filius: & Spiritus Sanctus tum pater, tum filius. Rei unius igitur tria hæc erunt nomina, ut ensis, gladius, acinax. Negas? repete tua verba. Qualis pater, talis filius, talis Spiritus Sanctus. Recte. Sed pater tibi est origo, & fons Deitatis, & is qui concipit sese intuendo imaginem suam, ex quo conceptu hic fœtus enascitur, quem modo λόγον modo filium vocamus. Agnoscis hæc? tua sunt: ne multa alia scholæ vestræ progymnasmata adferam. Esto; si duo reliqui æque in illa substantia hærent, aut illa ipsa substantia sunt, & cum patre unum Deum constituunt, cur illum fæcundum, hos autem steriles facis? quin hi quoque imagines suas concipiunt, & suos ipsi quoque λόγους pariunt? Negas id fieri posse. Non igitur idem, neque æqualis Deus erunt tres isti. Falsum igitur est quod pleno ore cantillaris, Qualis pater, talis filius, talis Spiritus Sanctus. Jam cum increatum patrem, filium, & Spiritum Sanctum, immensum, æternum, omnipotentem, Deum deni que tres dicis esse, unius numero, & tribus hisce multitudinis numerum aufers, capitis tui somnia recitas. Tres nominas, & unum esse nos credere cogis. Certe non ante hoc tu judicio præditis persuadebis. quam ab omni natura, ac jam ab ipso communi sensu abhorrentem, illam sententiam veram esse demonstrabitis, qua tres unum, & unum tres esse, ridicule, asseritis, quod non ante facies, quam universam naturam, & κοινὰς illas, mentibus nostris penitus insitas, ἐννοίας funditus extirpaveris, quas non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quas, ut inquit ille tuus, non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Ex omnibus illis attributis, unum sumamus: Sit omnipotens. Ita ratiocinor: Tres sunt personæ, quarum per se quælibet omnipotens est. Necesse igitur est, tres esse omnipotentes: non enim, opinor, negas, personæ tribui omnipotentiam posse. Si neges, tum necesse est, quartum aliquem constitui omnipotentem, cui personæ non omnipotentes inhæreant. Ad hæc, si non tres omnipotentes: unus igitur. Hic unus, aut pater, aut filius, aut Spiritus Sanctus est, si pater, jam filius non erit omnipotens, si filius, neque jam pater, neque Spiritus Sanctus. Si hic denique, tum neque pater, neque filius omnipotens separatim dici queat. Nam non nisi unum esse dicis omnipotentem. Si nullus horum, ergo, præter hoc tres, quartus aliquis. Deinde addis Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dii, sed unus Deus est. Si tribus his univoce Dei nomen tribuendum esse censeas, tum nulla Deitatis erit differentia, sed tam Deus erit pater, quam filius, quam Spiritus Sanctus. Unus Deus erunt hi, neque tribus convenire ratio nominis poterit. Ais eo pacto Dei nomen de tribus dici, ut homo de Petro, de Andrea, de Johanne, qui etsi tres numero sint, in hominis tamen rationem congruunt. Accipio conditionem. Conveniunt illi quidem συνανθρωπότητι, ut ita dicam, sed tamen vehementer inter se differunt rebus in aliis omnibus. At tu tres hos æque immensos, æque omnipotentes, æque æternos statuis. Si tres sunt personæ, & quælibet per se Deus est, quomodo non tres Dii erunt? Aut certe Deus unus erit tripersonatus, aut trinomius Sabellii. Unus enim Deus est, qui tres personas gerit & tria nomina habet. Sic, si una quæque persona per se Deus, & Dominus est, quomodo non tres erunt Dii, & Domini? Nam si quamlibet personam substantiali numero ab altero distinguis, fieri nequit, ut tres, unus Deus dicantur: sic neque unus Dominus. Petrus, Joannes, Andreas, & si Domini sint, nunquam tamen hi tres unus & idem numero Dominus esse possit; nisi eos dicas, eandem potestatem, idem imperium habere: quæ tamen potestas nunquam efficiet, ut tres illi numero, unus tantum homo sit. Nunquam Andreas erit Petrus, neque Joannes erit Petrus, non enim unus, sed tres sunt. Si Dei nomen vere Patri convenit, & filio item, ac Spiritui Sancto, tum necesse fuerit prorsus, ut ea etiam conveniant, quæ hoc nomine cumprimis denotamus: Sed increatum esse, non factum non genitum, Dei proprium est. Ipse enim creator est omnium: neque est quisquam alius, a quo fieri ipse, aut creari possit aut generari. Ergo idem hoc de Filio, & Spiritu Sancto recte dixeris, aut certe, Dei nomen alia significatione tribuendum esse dicere cogeris filio & Spiritui Sancto, quam patri tributum est. Pater igitur solus vere ac proprie Deus erit, reliqui duo minus vere, minus proprie; sed per metaphoram. Hoc nisi fallor, non concedes, ne Christum & Spiritum Sanctum improprium & metaphoricum Deum adores. Illud igitur ut dicas reliquum est. Atque eadem opera fatearis, oportet, tam esse filium, & Spiritum Sanctum increatum, non factum, non genitum, quam patrem ipsum. Addis adhuc, nihil prius, aut posterius, nihil majus aut minus esse in Trinitate. Si nihil prius, non erit pater solus fons & origo & principium Deitatis: sed & filius & Spiritus Sanctus, & sic idem & prior & posterior sibi ipsi erit. Si nihil majus, nihil minus, non erit patre minor Christus; quare etiam falsum erit, quod ipse vivæ vocis suæ oraculo professus est, cum dixit, patrem majorem esse. Sed video quorsum elabaris: Deum incarnatum dicis, & hominem Deo unitum hypostatica unione respondes, & cum premeris, ut te serves, modo humanitatis, modo divinitatis scutum objicis, nunc unum, nunc duos,

nunc tres in auxilium adſciſcis. Quid monſtri alis? Unde hæc habes! ex Sacris Literis ſcilicet. Nihil minus. Chriſtus idem Deus eſt, qui Pater, ſic Spiritus Sanctus. Atqui, ſi Deus incarnatus eſt, neceſſario ſequitur, & Patrem & Spiritum Sanctum cum ipſo Chriſto incarnatum eſſe. Non enim partiri Deitas, atque trium illa unitaş, & unius trinitas, atque in portiones diſcerpi poteſt. Quare, Chriſto incarnato, incarnata eſt ſimul & Trinitas. Si id negas, illud certe effugere nunquam poteris, quin concedas unam aliquam ex Deitate illa communi, particulam deciſam eſſe, quæ virginis utero veluti cuidam ergaſtulo includeretur. Sic non jam integra erit illa Deitatis quædam quaſi maſſa. Ac, ſi perſona Chriſti una eſt ex tribus illis aliqua; certe, Chriſto homine facto, jam una pars ex tribus deceſſit; neque plures duabus in cœlo relictæ ſunt, dum una in terris verſaretur. Chriſti enim corpus, cui incluſa Deitas tota, aut ejus tertia pars fuit, eodem tempore tum in cœlis, tum in terra degere non potuit. Suas enim dimenſiones habuit, & ſuis finibus circumſcriptum, immenſum eſſe atque infinitum non potuit. Sed, Chriſtum Deum eſſe ex ſubſtantia Patris reſpondes. Bene habet. Si eſt ex ſubſtantia, jam fatearis oportet, decerptum eſſe Chriſtum ex Patris ſubſtantia. Patris igitur particula quædam Chriſtus eſt; quod vel ipſum vocabulum ex ſatis demonſtrat. Si partem ſubſtantiæ Patris in Chriſto eſſe negas, totam igitur Patris in eo ſubſtantiam collocabis. Si totam, ergo Chriſtus Pater eſt, & paſſo ac defixo Chriſto, Pater quoque una & Spiritus Sanctus crucifixus eſt. Vides quid ex tuis verbis effici poſſit. Trinitas de cœlo in terras cum ſe demiſiſſet, & in virginis uterum illapſa eſſet, vacuam ſcilicet ibi ſedem reliquit. Non enim dicere potes, neque vis, opinor, Chriſtum ejuſmodi aliquod corpus induiſſe, quod carne & oſſibus caruerit. Vide quam impia, quam abſurda conſequantur. Maria jam non Chriſti tantum, ſed totius Trinitatis mater erit. Quod ipſum etiam ſimulachra quædam, ex quibus veſtram hanc Theologiam depromſiſtis, aperte demonſtrant; quæ Mariæ effigiem habent ita quidem elaboratam, ut venter retegi poſſit; quod ſimulatque factum eſt, illico alia quædam imago in matrice proſtrata oculis ſeſe offert. Sedet, promiſſa, eaque cana barba, ſenex, annoſus, & horridus, pilis obſitus, triplici habens corona redimitum caput, Romani Antichriſti inſtar; cætera membra Aaronicis veſtibus, auro intertexto, & gemmis contextus. In pectore appicta eſt pro Spiritu Sancto candidula columbula; quæ ita explicatis alis volitare videtur, ut tamen Chriſti caput non attingat. Qui jam exanimatus, & miſerandum in modum ſpinis claviſque compunctus, & verberibus deformatus, in ſeniculi illius ſinu proſtratus jacet. O admirandam, ô ter maximam virginem! Maria Mater gratiæ, mater miſericordiæ, regina cœli, porta Paradiſi, ab impiis diceris. Puſilla hæc ſunt, præ his. Salutavit te quidem Angelus perquam honorifice, ut etiam gratioſam & Deo acceptam te diceret, & in mulieribus benedictam, & Deum tecum eſſe, affirmaret. Non tamen eo tempore tam fuiſti prudens, ſcilicet, ut intelligere poſſes, te concepturam eſſe, atque uno eodemque partu edituram tam immane monſtrum, ex ſene Papa, alite volitante, & extincto homine cruci confixo compoſitum. Indicare voluit nimirum ſancta illa ætas, quam tu, Laſici, veterem & Catholicam atque Orthodoxam Eccleſiam vocas, monachis & pictoribus magiſtris, qui ſibi quidlibet in religione fingere permiſerunt, Mariam virginem, quoniam Chriſti mater eſſet, & Chriſtus non alius Deus ſit, quam Pater, & Spiritus Sanctus, (unde etiam θεοτόκον vocatis) neceſſario ipſam totius illius ex tribus perſonis conformatæ maſſæ, quam Triadem vocatis, matrem fuiſſe. Quod ipſum ex Athanaſio ad Theophilum, atque Auguſtino, & Damaſceno ſatis aperte demonſtrari poteſt. Non longe abieris, veſtra miſſalia, veſtra inquam, quibus etiam nunc Polonia utitur, quid non Mariæ tribuunt? (Habet impietatis magiſtrum, Rom. Eccleſiam) in exemplari excuſo Anno 1538, Chriſtum ſua dignitate atque officio ſpoliant Antichriſti; & Mariam matrem ei per ſummam impietatem ſurrogant fol. 323. Viam ad vitam, mundi totius gubernatricem, peccatorum cum Deo reconciliatricem fol. 324. Fontem remiſſionis peccatorum, lumen luminum, 325, 326, illam vocant, aliiſque ejuſmodi magnificis prærogativis ornant. Tandem fol. 327 Ave, inquiunt, univerſæ trinitatis mater. Intelligis jam, opinor, nihil me fingere, dum tibi Triadem tuam uno partu ex utero mulieris in lucem editam affirmo. Plura, etiam, ſi lubet, de eadem trinitatis matre legere potes, fol. 328, 381, 340. Quare nihil jam vetat, quo minus relicta Triade, ad Mariam ipſam confugiamus, illiuſque opem imploremus. Nam ſi, quod in ſuis delubris ſaginati illi Flamines magnis lateribus boant, quos ipſos magiſtros habetis, Maria Chriſto Filio jure matris imperare poteſt, & Chriſtus idem eſt, qui reliqui duo, poterit eodem jure trinitati imperare, ut, qui matris præſidium habeat, jam nihil ſit cauſæ, cur trium illorum patrocinium exſpectet. Hic lubet exclamare, ô ſeclum inſipiens & infacetum!

Vides, mi Laſici, in quas te anguſtias conjicias, ſi, relicto verbo Dei, hominum ſomnia ſequaris. Audio, quid dicas, idem, quod ante, perſonam tantum carnem aſſumpſiſſe. Ergo ut ſupra indicavi, duæ tantum in cœlo relictæ ſunt, Patris & Spiritus Sancti, cum tertia in terras delapſa in matris uterum ſe abſtruſit. Itaque mutilata in cœlo non jam trinitas ſed dualitas manſit, & in terris una illius pars verberibus cæſa, crucique infixa, mortem ignominioſam pertulit, reliquis in cœlo duabus, ſive partibus, ſive perſonis, indignam hanc ex eſſentia ſua deciſæ particulæ cædem æquiſſimo animo ferentibus. O diſſimilem ſocietatem! Sed occurres nobis fortaſſe, & præclaro illo Irenæi clypeo ſententiam tuam propugnabis, mortem Chriſti peractam eſſe ἡσυχάζοντος τοῦ λόγου. O deſertorem alterius partis tuæ λόγον. Tamne parum ſocii tui te cruciatus atque adeo mors ipſa commovebat, ut dum ille feriretur, tu quieſceres, nihil ſentires, ſed ſecurus alicunde proſpiceres. Cur non ad perſonæ illius, quo cum tam arcto nexu hypoſtaticæ unionis conjunctus eras, cur, inquam, ad ejus vocem, non evigilaſti, cum te identidem inclamaret, cur me dereliquiſti? O portentoſam & impiam de Deo ſententiam! Ut intelligas, omnes naufragium facere, qui in hoſce ſcopulos, iſta ventoſæ opinionis quaſi procella quadam deferuntur. Lege Lutheri diſputationem, quam Andreas Muſculus Francfordienſis Eccleſiaſtes in illa urbe typis mandavit. Videbis ibi, tum in libello etiam de conciliis, præſtantiſſimum illum virum, hujus opinionis labyrinthis involutum, eo progreſſum eſſe, ut fateri cogeretur, Chriſtum ſecundum utramque naturam paſſum eſſe. Chriſtumne Deum æternum, rerum creatorem omnium, conſceleratorum hominum manibus trucidari potuiſſe dices? Quid poteſt fingi magis portentoſum? Quid tu mihi Eccleſiam Orthodoxam & Patres occinis? Quid conſuetudinem veterem? Pluſne valere iſta debent, quam Chriſtus, quam Apoſtoli? Scis quid tui Pontificiis hoc loco reſpondeant. Non ignoras, quam hanc futilem eſſe ratiocinationem, convincant, ut pueros etiam & aniculas jam hæc levia uſurpare pudeat. Et tu tamen ea nobis, tanquam firmiſſimum cauſæ tuæ præſidium, opponis? Nihil facis, ô miſer, tuo te gladio jugulandum præbes. Sed audi Auguſtinum tuum, trinitatis iſtius, veſtræ architectum, quam cithara & fidibus ludat, cum præter Dei verbum, trinitatem neſcio quam, nobis fabricat. Contra Judæos, de incarnatione ſic ſcribit: Judæe citharam reſpice, ut muſicum melos ſonis dulcibus reddat. Tria pariter adeſſe videntur, ars, manus, chorda reſonans. Tria pariter operantur, ſed ſola chorda reſonat. Nec ars, nec manus ſonum reddunt, ſed cum chorda pariter ope-

operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus carnem susceperunt, & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit; carnem solus Christus accepit; operatio in tribus constat. Sed, quomodo pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. Deus bone, qualia hæc sunt opinionum portenta! Sed multo illud minus ferendum est, quod ille idem Augustinus lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 1. & lib. 6. cap. 6. de Trinitate, plane contrariam Christi verbo sententiam habet. Ita enim inquit: Deus verbum, filius æternus, misit seipsum, venit in nomine suo, & sanctificavit seipsum. Christus contra Joh. 5; Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum recipietis. Passim dicit Christus, se à Patre missum esse, & nos Augustino credemus? Christo fidem abrogabimus? Audis, in te hanc Christi Prophetiam & in eos quadrare, qui, illo relicto, quem Pater misit, alium, nescio quem, sequi malunt, quem non Pater, sed ipse seipsum misit? Somnia loquimini: Somnia creditis. Nam non nisi ex somnio nata est hæc vestra adoranda Trinitas, quæ dormienti Ignatio per quietem observata est, ut Socrates docet.

Majorem Nicænæ Synodi apud me autoritatem esse debere contendis, quam ut ab ejus confessione discedam. Christus majus apud me pondus habet, quam sexcenti Patres vestri, quam omnia concilia. Super eum enim fundata est salus mea. Sed quid tu mihi Nicænam Synodum nominas? In qua scis, quam ambitio quam alia ejus generis vitia regnarint; ut quidvis potius quam Dei verbum Episcopos illos moverit, cum inter se magnis odiis, atque inimicitiis dissiderent. Nosti, quid Augustinus tribui illi Synodo velit. Ne pendeamus, inquit, nos à concilio Nicæno, quod tamen antiquiss. & probatiss. est: nec nos concilio Ariminensi, sed Sacris Literis nitamur, & in his conquiescamus. Quid Hieronymus? Doctrina, inquit Spiritus Sancti ea est quæ in libris canonicis tractatur; adversus quam si concilia aliquid constituerent, nefarium esset. Sed audi tuum Calvinum de illius confessione scribentem. Quid si negem, inquit, hanc formulam, quam mihi obtrudis, à Synodo Nicæna profectam esse? Neque enim credibile est, cum sancti patres, quam maxima possent brevitate complecti vellent formulam compositam ex rebus apprime necessariis, lusisse supervacuo verborum circuitu. Vides autem, in his verbis esse battologiam, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Quorsum ista repetitio? An vel emphasim habet ullam, vel majorem expressionem? Vides ergo, carmen esse magis cantillando aptum, quam formulam confessionis, in qua syllabam unam abundare, absurdum est. Quid quod Augustinus, qui valde religiosus fuit cultor Nicænæ Synodi, fortiter impugnat particulam illam, Credo in sanctam Ecclesiam. Vitiosam enim locutionem esse contendit. An hoc faceret saltem absque honoris præfatione, si putaret, à talibus auctoribus manasse? Quin etiam inscitiæ arguit eos, qui sic loquuntur. Hæc vester Calvinus. Et tu tamen me, invito tuo Calvino, huic Synodo fidem adjungere adigis. Non faciam, ne volente quidem illo. Quod Calvinus, contemnit, id tu mihi venerandum objicis? Alios quæras, qui frugibus inventis, glande adhuc delectari malunt. Mihi Dei beneficio non ita depravatus est gustatus. Quid tu me aliud in fide consilium sequi jubes, quam quod ab ipsis Genevensibus præscriptum est? Exciditne jam tibi memoria juramentum, quod proponi solet omnibus studiosis Genevæ coram Rectore? Illud quidem ita habet: Confiteor, tum universam bene vivendi regulam tum etiam fidei instructionem plenissime tradi in Scriptura Sacra, cui sit nefas quidquam adjicere vel detrahere. Itaque detestor, quidquid homines excogitarunt, ut pro articulis fidei obtruderent, & conscientias suis legibus & statutis adstringerent. Recitavi juramentum. Audesne dicere, hæc ab hominibus non esse excogitata? Dicesne ea Sacris Literis contineri? Quis excogitavit? Dicam nimirum, hoc est somniavit, Ignatius, ut supra ex Socrate docui. Hujus somnium accepit pro Apocalypsi Ecclesia illa, si Diis placet, Catholica & Orthodoxa, cujus auctoritatem meus Lasicius objicit. Audi iterum Calvinum: Cum in Dei majestate mens humana per se omnino cæcutiat, neque quicquam possit, quam & infinitis se erroribus involvere, miris tricis implicare, & altissimis demum tenebris immergere, si juxta captus sui tenuitatem Deum imaginari conetur; Istud bonorum omnium pace ac venia facturos nos confidimus, si non alibi quæramus ipsum, quam in ejus verbo: de ipso nihil loquamur, nisi per ejus verbum. Ac paulo post: Nemo ergo nobis succenseat, si confessionem, quam piis omnibus approbatam volumus, ita moderamur, ut non ex variis hominum placitis consarcinata, sed ad rectam scripturæ normam diligenter exacta sit. Siquidem hic nobis succurrere debet, quod tradit Apostolus, fidem esse ex auditu, auditum vero per verbum. Jam si religionis confessio nihil aliud est, quam conceptæ intus fidei testificatio, ut solida sit, & sincera, è puris scripturæ fontibus petitam esse oportet. Præclare sane & admodum apposite ratiocinatur hoc loco Calvinus. Sed, Deus bone, quam veræ hujus sententiæ suæ fuit immemor, cum de imaginatione ista vestra, ex somnio patre edita Triade post aliquot annos disputandum fuit! Novam hanc, quam nos sequimur, & nuper natam hæresin esse clamat. Nova est, si novum est Euangelium. Multis multorum seculorum assensione comprobatis anathematismis explosam atque ejectam hanc sententiam dicis. Quid tum postea? Nonne id eventurum longe ante prædixit Christus? Quamvis si hæc valere ratio debet, quid causæ est omnino, quare Papanis succensere debeas; qui vos, qui alios hostes suos plumbeo hoc gladio crebris ictibus pulsant potius, quam vulnerent? Si stramineam hanc rationem firmam esse vis, ubi Lutherus, ubi Zuinglius, ubi Oecolampadius, ubi Calvinus, ubi Beza noster, ubi alii consistent? Nonne eadem illi quoque novitatis invidia in summas angustias redigentur? cur ad illa ipsa arma hoc tempore non confugitis, quæ majores vestri, quos modo nominavi, & alii omnes, in adversarium Rom. Pontificem vibrabant? Non illi alio armorum genere utebantur, ad verbum Dei provocabant; quoties à Patrum & conciliorum agmine premerentur. In hæc se præsidia, in has arces referebant, ex his propugnaculis strenue rem agebant. Nunc, mutato ordine, qua fronte, qua mente, qua conscientia, contra verbum Dei, contra scripturam, ut pugnetis, hostium nostrorum arma capitis, quæ ante ex illorum manibus extorseratis? Quid firmiss. & munitissimam verbi Dei arcem infirmis Patrum manipulis oppugnatis? Durum est contra stimulum calcitrare. Non potest vinci, oppugnari potest veritas; quæ tandem victrix exultabit, & triumphum de suis hostibus gloriosum aget. Sed putidum & sane ridiculum est, quod ad Patrum & Synodorum præsidia vos recipitis. Nam illi ipsi, à quibus auxilium speratis, capitalem contra vos sententiam dicent. Imprudenter agitis, dum vos ipsi in vestrorum hostium manus vos conjicitis. Hostes enim vestri sunt & Synodi, & Patres. Ne amicos falsa opinione de his fingatis. Mendacii vos certe convincet G. Genebrardus Parisiensis Theologus, vir admodum doctus & eloquens, cum dicitis eandem vos, quam vetus atque adeo Pontificia Ecclesia de Trinitate sententiam tueri. Bezam ille etiam, Nestorianum facit. Apage igitur cum ista tua inepta atque infirma prærogativa, aut tibi eam serva, me autem patere Christum meum, ejusque doctrinam sequi, in qua vita æterna & salus mihi costituta est: Hic mihi non Patres non concilia, hic, inquam, recte sentiendi, recteque credendi magister est; quo duce aberrare à recta via non possum. Ipse enim, se lucem esse, professus est, cum dixit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Non aliam ad salutem viam ingrediar, non aliam veritatem curio-

curiose, quæ nulla esse potest, consectabor. Christus meus, se viam, vitam, veritatem, ostium professus est. Deus Pater, hunc ut audirem, è cœlo diserte pronunciavit. Hic non ad Patres vestros, non ad Synodos, non ad consuetudinem & longi temporis prærogativam, sed ad scripturam me rejecit. Hic meus magister est, hic Patres. Quin hic ipse vetuit, me alios in terris magistros, aut Patres sequi. Tu nunc, & Patres tuos, aut etiam, si mavis, avos, atque atavos, & eorum Synodos audi. Ego Christo magistro, & Apostolis fidem habebo, quorum sermonem verum esse dubitare non debeo. Hi me, Deum unum esse docent, quem nemo vidit unquam, ex quo omnia 1 Cor. 8. Qui solus est Dominus Judæ vs. 4, excelsus & altissimus Luc. 1. Act. 7. solus invisibilis, solus sapiens, solus immortalis 1 Tim. 1. Rom. 16. solus & verus Deus Joh. 17 solus justificationis nostræ scaturigo & Pater luminum Tit. 3 Jac. 1. Christo & omnibus major Joh. 10 14, solus Pater & caput Christi 1 Cor. 11. Christi Deus & Pater Joh. 20 Matth. 27. Hunc creatorem cœli & terræ confitemur. Act. 17. Quem & Christus ipse, Dominus & servator, ac magister noster Patrem, atque adeo Deum suum, ut supra attigimus, professus est, invocavit, glorificavit, dicto ejus audiens fuit, omnemque ei omnis auctoritatis prærogativam tribuit Joh. 3. 5. 9. 12, 17, & passim alibi. Hic à seipso sumit originem; nulla unquam cujusquam alterius opera indiguit; nihil à quoquam petiit, accepit, sumpsit. Solus enim est Deus omnipotens. Habes de Patre breviter quid sentiam. Nunc de filio ejus Jesu Christo accipe. Credo & in Jesum Christum, per quem omnia 1 Cor. 8, filium altissimi Luc. 1, per quem novissimis temporibus Deus ille Pater locutus est Hebr. 1, quem fecit Dominum & Christum Act. 2, constituit hæredem omnium, Hebr. 1, caput Ecclesiæ Collosen. 1. Eph. 1. 4, 5 Unicum mediatorem Dei & hominum, eundemque hominem 1 Tim. 2. Regem & judicem vivorum & mortuorum Joh. 12. 18, 19 Act. 10. 1 Tim. 4. Hunc non lego aut invisibilem aut æternum vocari, neque super omnia Deum, neque eum, ex quo omnia, neque à seipso Deum aliquando fuisse; sed Deum esse à Deo Patre credo. Cui quidem Patri, & dum in humanis esset, obediens & subjectus erat, & post consummationem seculi subjicietur 1 Cor. 15. Hic se Patre minorem esse dixit Joh. 14. Pater huic divinitatis plenitudinem communicavit, deditque omnem potestatem in cœlo & in terra, & ideo eum ab Angelis, & hominibus adorari voluit. Matth. 28. Philip. 2. Hebr. 1. Hic nunquam aut visus est, aut quenquam, antequam nasceretur, allocutus est Hebr. 1. Hic, non alius ullus, natus est ex Maria virgine, passus, crucifixus, resurrexit, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris, & inde venturus est judex vivorum & mortuorum, ac Patri suo regnum iterum restituturus, à quo id acceperat. Hic se ipse nunquam Deum, sed Dei, sæpius hominis, filium nominavit: Hunc Apostoli virum, nostri similem, excepto peccato, item hominem, & postremum Adamum vocarunt Act. 2. 3. 7. 1 Tim. 2. 1 Cor. 15. Joh. 1. Hic visibilis est, primogenitus omnis creaturæ & mortuorum Joh. 1. Col. 1. Hebr. 1. Non alius, quam hic ipse, nobis promissus fuit, ex mulieris semine. Quare non alium agnoscimus quam hunc ipsum, qui promissus est & crucifixus 1 Cor. 2. Et Antichristum esse dicimus, qui alium sibi, præter hunc hominem, Christum fingit 1 Joh. 4.

De Spiritu Sancto ita sentimus, ut credamus, eum esse Dei Patris & Filii Spiritum, non personam, non Deum Matth. 3 10, 12. Luc. 4. Rom. 8. 1 Cor. 2. 3. 2 Cor. 3. Gal. 4. Eph. 5. Philip. 1. Act. 2. Qui à Patre procedit Joh. 15, per filium datur credentibus Tit. 3. Qui constitutus est à Deo Paracletus noster, Joh. 14. Doctor Luc. 12. Donorum spiritualium distributor 1 Cor. 12. Hebr. 2. Qui denique Dei donum, Dei gratia, Dei virtus passim in scriptura nominatur. Hunc invocare atque adorare mihi religio est, cum id nobis nusquam mandatum sit à Deo Patre, neque adeo ejus Filio Jesu Christo magistro & duce nostro, à quorum præceptionibus, vel latum digitum discedere nefas ducimus. Adde quod nullum omnino ullius exemplum extat in Sacra Scriptura, quo adducti id facere audeamus. Huc accedit, quod Christus Dominus, orandi, invocandi, adorandique formulam nobis præscripsit, in qua quidem nulla Spiritus Sancti, qui quidem Deus sit, vel levis mentio injicitur; tantum abest, ut ad adorationem nobis proponatur, Matth. 4. 6. Joh. 4. 9, 10, 14, 15, 16, 17. Actor. 1. 4. 12. Eph. 6. Hebr. 5.

Audivisti jam fidei meam brevem quandam quasi formulam, eamque ex purissimis atque intimis Sacrarum Literarum fontibus haustam. Nihil hic inquinatum, nihil ementitum, nihil ab ingeniis humanis excogitatum reperies. Jubet nos Christus scripturas scrutari, quæ de se testimonium dent scilicet. Ipse quoque Mosem, Prophetas, Psalmos testes in hac re citat. Nefas igitur duco, alibi Christum quærere, quam eo loco, ad quem ipse nos allegat. Hoc est fundamentum, hæc petra fidei meæ, quam nulla humana vis perfringet, adversus quam, ne inferorum quidem portæ prævalebunt unquam. Quæ si tibi brevior esse videbitur, quam res tanta requirat, sume in manus sacros libros: illi te docebunt, quid sequi, quid fugere debeas. Cave autem tyrannicum, & nimis alta sapientem & humilia omnia contemnentem animum ad lectionem adferas. Superbis Deus resistit. Abjice veteres nugas, quas à puero imbibisti: exue præjudicia, quæ rectum de rebus judicium perturbant. Soli Dei verbo, qui & ipse fidelis est, & fidelis sermo ejus, fidem adjunge. Ne quæras, quid his, vel illis temporibus factum fuerit; sed quid omnino fieri oportuerit: Ne quæras, quæ hic, vel ille Pater, quid hic, vel ille cœtus senserit: sed quid Christus, quid Apostoli, quid ante eos Prophetæ docuerint. Sed desino plura hac de re tecum agere hoc tempore. Quod si plura etiam hac de quæstione cognoscere lubet, mittam ad te librum, quo copiose omnia ad clarissimum Bezam nostrum persecutus sum; ita quidem, ut nihil plane eorum prætermiserim, quæ vel ad confirmandam nostram, vel ad refellendam sententiam vestram requiri posse videantur.

Venio ad eam particulam Epistolæ tuæ, in qua mihi inimicitias amicorum meorum denuncias. Ego vero tantum abest, ut hoc dolenter feram, ut etiam Deum glorificaturus sim, si id eveniat, quod me unum ex illis esse voluerit, qui unigeniti filii causa, & odia, & contumelias, & persequutiones sustinent. Malo amicorum omnium & totius mundi, quam salutis jacturam facere, & à veritate excidere. Quod me rogas, oras, obsecras, obtestaris denique, ut tecum idem sentiam, pueriliter facis. Putasne tanti esse aut tuas, aut cujusquam preces, ut quis à sententia sua Dei verbo confirmata decedere debeat? Desine posthac tali in re quemquam blanditiis, muliebribusve illecebris, in tuas partes traducere conari, ne ludibrio te exponas. Cæterum & te, & eos rogo, qui, si tibi credendum est, hostes mei erunt, ut non mihi apud vos noceat id, quod vobis apud me nullo est impedimento, quo minus omni vos benevolentia complectar. De diversa fide loquor. Vos vestram sententiam retinete, mihi meam relinquite. Ne curiose & impudenter alter in alterius conscientiam inquirat. Ne sumamus nobis judicis partes, Deo Christoque ejus judicium omne de nobis, nostraque salute reservemus. Ille, ille novit, qui sui sint, neque patietur, quenquam ex suis perire. Skaneum sanum esse cupio. Amicos, quos in literis nominasti, salutabis, sive illi amici, sive etiam inimici sint. Deus & tuam, & illorum mentem veritatis luce illustret. Vale. Cracoviæ 9 Junii 1571.

Tuus, quoad voles, & amicus, & frater

ANDREAS DUDITHIUS.

An-

Andreas Dudicius Joanni Volffio Tigurinæ Ecclesiæ ministro S. D.

AMabam te antea, quum elegantissimos & doctissimos commentarios tuos legerem, & sane cupiebam id te quoque intelligere, cum ecce Threicius noster, salutem à te dicit, simulque literas tuas, dolenter ad se scriptas profert, in quibus erat de fratris tui morte. Ibi cum honorificos de te sermones haberemus, doluimus profecto dolorem tuum: atque ex illa quidem commiseratione sensi augeri meam in te benevolentiam. Hunc verò acceptis omnis pietatis & eloquentiæ atque adeo humanitatis plenissimis literis tuis, quantam ad amorem accessionem esse putas? Jam illud quantum est, quad me confirmare in sententia, atque ad constantiam cohortari voluisti? Vix credas, optime Volffi, quantopere me tibi tam liberali, atque plane ingenua oratione devinxeris. At quoniam velle te video, ut paulo fusius atque etiam liberalius tecum agam, tuo exemplo, patere quæso æquo animo, ut ego quoque ingenue quæ sint cogitationes meæ, tibi explicem. Id eo faciam libentius, quod confido te atque adeo Simlerum quoque tuum, vel potius jam nostrum, pro vestra doctrina, atque eloquentia & bonitate, demonstraturos esse mihi, quid vere, quidve ad rem, de qua agitur, vel confirmandam, vel etiam refellendam adferri posse videatur.

Sed antequam longius progrediar, illud abs te peto, ut si posthac ad me scribere voles, ambitiosos illos Episcopatus titulos abjicias. Si nescis, illud ego nomen & functionem cum veste simul exui, & omni me dignitate sponte abdicavi, ut in ocio & literis viverem. Venio jam ad Epistolam tuam; ita est, ut scribis, magno equidem & forti animo extra Romanæ Ecclesiæ castra pedem extuli. Sed illud dissimulare nolo, mi Volffi, ex omnibus adversis rebus, nihil mihi ita acerbum accidere posse, quod eum dolorem æquare possit, quem capere soleo, quoties animo repeto, quam multæ, quam pugnaces, quam adversariæ sint tum alibi, tum in hoc regno, Ecclesiæ, quæ tamen reformatæ vocari & haberi volunt. Id tu quoque in literis tuis attigisti. Quamvis quod me offendit & excruciat, inde tu fidei robur & firmitatem petere videare, ego contra id firmum dicere dubitem, quod subinde movetur, & perpetua quasi rotatione quadam, sursum ac deorsum agitur. Poëtarum illud ante oculos Chaos obversatur, quum frigida pugnabant calidis, humentia siccis. Ac nisi Deus lucem à tenebris discriminet, in eam perturbationem confusionemque religio adducetur, ut non fit cur quispiam bonus vir, vivere amplius velit. Quæ enim vita sine certo Dei cultu jucunda esse queat?

Deinde ubi quæso est vinculum illud, quod à servatore nostro relictum Testamento, animos consociare, & firmissimo nexu continere debuit? Ubi illa est Ecclesiæ unitas, quæ tanquam acies ordinata, inferorum portas, & hæreticorum regnum evertere possit? Ubi est, proh dolor, illa, quam Christiani passim jactamus, una fides, unum baptisma, unus Deus? Nonne nunc, ut inquit ille, fidebus luditur in fide? Nonne diversa sunt baptismata? Nonne jam, ne quid amplius ad summam impietatem superesset, Deus ipse loco ac sede sua, si ita loqui fas est, deturbatur? Non solum Ecclesiæ ipsæ pugnant inter se capitalibus odiis, & horrendis quibusdam anathematismis, dum quælibet vera videri vult, & alias tanquam falsas expugnat, atque evertere conatur? Sed ipsi à seipsis, qui summi haberi volunt Theologi in dies diffident, & novas subinde in religione sententias, atque adeo fidem cudunt, & à sua ipsius, quam paulo ante professi fuerant, & ab aliorum omnium fide abhorrentem: quæ quidem fieri non possunt, quin ita bonorum & quietorum animos afficiant, ut non doleant tantum, sed addubitent etiam, ad quam potissimum partem applicare debeant. Idem propemodum eis usu venit, quod navigantibus in magno pelago, in quo navem jactantibus austris, rectores illi intelligunt quidem coortam tempestatem, & quæ tam premunt procellas fugiendas esse: sed tamen in tanta rerum perturbatione, in tam vehementi & ancipiti jactatione, quos scopulos vitare necesse sit, quem portum tuto petere possint, non dispiciunt, sed neque conjectura aut indicio ullo assequuntur. Ita vident plerique homines, quos neque avaritia, neque ambitio excœcavit, neque metus & pericula perculerunt, multa quidem eaque horrida in Romana Ecclesia & doceri & acriter defendi, ac denique ferro & flammis propugnari, quæ neque sacrosancto Dei mandato, neque bonis rationibus ullis, sed infirmo ac putido fundamento nituntur: Sed tamen cum oculos circumferunt, & eorum dicta, facta, cogitationes, conatus ac studia contemplantur, qui palantes omni doctrinæ vento agitati, & in altum sublati, modo ad hanc, modo ad illam partem deferuntur; Certe ne iisdem ipsi quoque opinionum quasi procellis quibusdam jactentur, malunt in ea ipsa Ecclesia permanere, quæ non ita multis dissensionibus scinditur, & habet vetustatis illius venerandæ, successionis ordinatæ, consensus perpetui, speciem plausibilem, aut non longissime ab ea discedere; quam eos sequi, quorum hodie quæ sit de religione sententia, scire fortasse possis, sed quæ cras de eadem futura sit opinio, neque illi neque tu certo affirmare queas. O miseram & plane lacrymabilem humanam conditionem! o cœcas hominum mentes, ô pectora cœca! Qualibus in tenebris vitæ quantisque periclis, degitur hoc ævi quodcunque est! Quare, mi Volffi, non tibi mirum videri debet, si qui sunt, ut scribis, qui eò unde abierunt, quasi postliminio iterum revertuntur. In tantis enim tamque contrariis de pietate sententiis, quo se alio vertant, ubi sit constans & perpetua in sententia permansio? Eo jam ventum est, ut vere illud usurpari possit, quod longe alia in re apud Cæs. legitur; quos fugiamus habemus, quos sequamur pauci, aut nulli pene, aut certe rarissimi quidem extant. Deum immortalem, in quo tandem religionis capite congruunt inter se Ecclesiæ, quæ Romano Pontificii bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperias ab uno affirmari, quod alter statim non impium esse clamitet. Nihil necesse est tibi Doctissimo Viro, hæc ad unguem resecare. Notiora tibi sunt omnia, quam mihi, qui non ita pridem ad controversias nostri temporis cognoscendas animum adjeci. In quo studio dum versor, video sæpe eundem scriptorem, non tam à reliquis, quam à seipso diffidere. Ut quod de Arrianis scripsit Hilarius, fidem eos annuam & menstruam habere, id de vestris Euangelicis plerisque inprimis, neque injuria dici posse videatur. Unam esse veritatem, unam veritatis columnam, & fundamentum necesse est: in tanta autem Ecclesiarum varietate, in tam dissimilibus, & hostiliter discrepantibus de veritate sententiis, quibus oculis, quæ una illa & vera sit Ecclesia, discernam? Quum omnia diligenter perpendo, nulla fere in re Pontificis adversarios secum convenire, quam in oppugnando Pontificatu animadverto. Neque vero illud causam vestram adjuvat, mi Volffi, quod scribis fuisse olim quoque inter Irenæum & Gallos Episcopos, inter Chrysostomum & Epiphanium contentiones: neque tamen ob eas, veritatis ipsos professionem abjecisse. Nam quantula in re contentio inter eos fuit, si cum magnis & multis nostris discordiis conferantur? Quid? Si in cæteris de quibus nullum fuit eis dissidium, veritatis illos professionem retinuisse concedis: sane per te victores exultabunt Pontificii. Nam si veritas est, quam illi mutuo consensu professi sunt, ea à Pontificiis tota stabit, non à nobis, qui in præcipuis religionis capitibus dissentimus. Scholasticos & Canonistas nominas, ne hi quidem in tantis rebus, neque ita pertinaciter diversa tuentur, ut tamen si quid à Conciliis decretum sit, contra ipsorum sen-

ſententiam, illorum ipſi auctoritatem defugere velint. Nam ſi quæ aliquando inter eruditos ex diſputationis quaſi calore quodam controverſiæ extiterunt, illis ſtatim Concilii, ſive etiam Pontificis decreta finem impoſuerunt. Noſtris diſſidiis in tanta ἀναρχίᾳ, in tanta impunitate & licentia, quæ Concilia, qui magiſtratus, quæ unquam leges modum facient? O tempora! o mores! Jam quod ad mores attinet, quos etiam ad examen tuis literis revocas, ne in hac quidem parte veſtri Pontificiis multo meliores videntur eſſe, ne quid acerbius dicam. Noſti illud: Clodius accuſat mœchos, Catilina Cethegum. Sed ne privatorum mores excutiam & tantum ea leviter attingam, quæ illuſtria cum ſint, in omnium oculos ſponte occurrunt. Quæſo à te Clariſſime Vir, poſt Servetum exuſtum, poſt Gentilem capitis ſupplicio affectum, poſt multos alios ob religionem trucidatos, poſt Ochinum, veſtra iſta urbe indicta cauſſa, hyeme acri, depreſſa jam ætate ſenem, cum uxore & liberis ejectum, poſt Laſcum item, cum ſua illa peregrinorum Eccleſia, quam in Anglia collegerat, maximis frigoribus, ab Euangelicis, apud quos hoſpitium quærebat, cum hyems deſæviret immaniter, omnibus fere, ad quas appellebat civitatibus excluſum, aut pulſum: poſt alia hujus generis multa, quæ ſane à Chriſtiana charitate aliena videntur eſſe, obſecro te qua fronte poſthac Pontificiis Tyrannidem objiciemus? quomodo illius crudelitati inſultabimus? Uſurpabimuſne illud amplius, ſinite eos creſcere uſque ad tempus meſſis? Dicemuſne arma noſtra Spiritualia, non carnalia eſſe? Jactabimuſne amplius, fidem cogi non oportere, libertatem conſcientiis permittendam eſſe. Sed nolo in hac parte moleſtior eſſe. Id tantum quod initio dicebam repeto, magnum me ex communi calamitate, atque opinionum varietate, & acerbum dolorem capere. Venio ad reliqua.

Immodice eloquentiam, quæ plane nulla eſt, in Orationibus meis delaudas, me vero earum jam & pudet, & profecto etiam pœnitet.

Ad ſcriptionem quod attinet: ita exiſtimo, te & tui ſimiles in hac arena verſari debere, hoc præſertim tam erudito, tamque acuto ſeculo. Mihi vero & aliis, qui neque doctrinam, neque eloquentiam ad ſcribendum adferre poſſunt, in doctorum virorum monumentis perluſtrandis conquieſcendum, neque ocio ex literis abutendum eſſe. Vale, & meis verbis Bullingerum, Rodolphum Gualterum, Lavaterum, atque alios ſymmyſtas tuos, viros doctiſſimos & eloquentiſſimos officioſe ſaluta, & hæc omnia in optimam partem accipe, meque mutuo ama. Datæ Cracoviæ ipſo die Pentecoſtes Anni 1569.

ANDREAS DUDICIUS THEODORO BEZÆ, Genevenſis Eccleſiæ primario miniſtro S. D.

Varie affectus ſum literis tuis, quas mihi Venturinus veſter attulit: in quibus ipſis multa ſunt abs te præclare ſcripta, non pauca etiam paulo vehementius in me contorta ſpicula: quæ tu tamen ita jacis, ut videri velis alio direxiſſe. Patere obſecro, ut mihi bona tua venia liceat fuſius, eadem qua tu in me uſus es libertate, reſpondere. Neque exiſtimes tamen contentionis ſtudio incenſum me tibi moleſtiam afferre, ſed diſcendi cupiditate inflammatum, laborem docendi imponere voluiſſe. Si igitur tu non gravate ſuſcipies, ut confido, facies certe officio tuo convenienter, quod te admonet, ut omnia fias omnibus, & cuilibet petenti fidei tuæ rationem reddas, neque magna tua humanitate & bonitate, quicquam alienum committes.

Sed rogo te, æquo animo mihi, ut animum accommodes, & in Reſponſione omnem orationis acerbitatem removeas. Pigmenta illa, quæ in Veſtphalum, in Heshuſium, in Caſtellionem, & alios profudiſti, cum ſuis myrotheciis nunc miſſa facito. Non recuſo tamen interim, ut errorem mihi demonſtres, quin etiam vehementer peto, ſed placidum atque amicum te mihi Ducem præbe: ne ſi aſperius mecum egeris, & pugnis atque adeo calcibus, ut vos ſoletis, in viam me retrahere velis, ſuſpicionem mihi commoveas, non eſſe te boni illius paſtoris alumnum, qui aberrantem à grege oviculam ſollicito animo quæſitum abiit, inventam in humeros ſuos amantiſſime ſuſtulit, leniſſime reportatam ad cæteras aggregavit. Jam venio ad Epiſtolam tuam. Intellexiſti jam opinor, ex proximis literis meis, quas ad Camerarium Medicum Joachimi filium Norimbergam miſi, quæ fuerit diuturni ſilentii mei cauſa. Quod vero priores meæ literæ tam ſero tibi redditæ fuerint non miror: Neque ego ejus culpæ affinis ſum: dederam D. Threcio, utriuſque noſtrum amantiſſimo, ut nulla poſſit eſſe ſuſpicio, mala fide miſſas eſſe. Sed apud Mercatores fortaſſe delituerunt, quos in his, ex quibus nulla ad eos utilitas redit, tranſmittendis, paulo negligentiores eſſe ſolere animadverti. De poëmatum libro, ita tibi debere me profiteor, ut etſi ardentiſſime te remunerari cupiam, nihil tamen à me tam magnum proficiſci poſſe perſuaſum habeam, quod beneficii tui magnitudinem æquare poſſit. Itaque præclarum hujus erga me amoris tui pignus in rebus chariſſimis habebo, & hanc non levem voluntatis tuæ ſignificationem, memoria ſempiterna conſervabo. Interea autem plurimum abs te peto, ut tu quoque, ut Diomedes quandam permutationem, exiguum munus hoc, quod Venturino tibi reddendum dedi, amanter à me accipias, neque ex rei parvitate benevolentiæ & optime de te merendi ſtudii mei magnitudinem æſtimes. Si mihi notum eſſet ingenium tuum, & quibus maxime rebus delectaris, perſpectum fuiſſet, nihil eſt ita magnum, quod quidem facultas mea præſtare poſſet, quod tibi non libentiſſime quavis pecunia comparatum miſiſſem. Sed erit hoc poſtea quam tu mihi quod à me fieri velis, indicabis: quod ut libere facias vehementer abs te peto. Gratias ago tibi, quod eam mihi curam & perturbationem eximere ex animo conaris, quam literis ad te & Volffium meis, præ me ferebam. Sed doleo me nondum ex hac medicina, quam mihi ſtudioſe concinnaſti, eum fructum percipere, quem tu promittis, & accepturum me eſſe confidis. Nondum enim doloris & dubitationis fibras omnes evulſiſti, altius nimirum radices hoc malum egit, quam tu putas. Quod equidem confiteri dubitarem, ſi ſimulate potius, quam vere agere vellem. Sed non diſcedam ab ingenuitate mea, quam & à majoribus meis traditam accepi, & religioſe per omnem vitam, ac ſumma conſtantia conſervavi. Ideo etiam faciendum mihi audacius cenſeo, quod viros præſtantes & magno judicio præditos, in eadem ſententia, qua ego ſum, eſſe animadverto. Quid alios nomino? tu ipſe contra te teſtimonium fers. Ais enim, iiſdem te quoque antehac cogitationibus exercitum fuiſſe. Non pudet me ſane, in iiſdem ſalebris verſari, in quibus te quoque tam varia doctrina, tam perſpicaci ingenio, tam acri judicio virum, non leviter hæſiſſe profiteris. At ego jam emerſi, inquis. Audio. Si rectam viam ingreſſus es, Dei beneficio acceptum ferendum eſt id omne, qui quibus vult ſua dona diſtribuit, habet etiam ea in re nonnihil laudis ipſa judicii præſtantia. Me ſi nondum Deus ex hoc cœno, ut tu loqueris, extraxit, ex quo tu jam evaſiſti, Quis eſt, qui quem hac de re, aut poſſit, aut reprehendere debeat? Solis clariſſimam ille quidem lucem accendit, quam aſpicere non difficile illis fuerit, quibus oculorum uſus conceſſus eſt. Sed ſi eam cœcus aliquis non videt, hunc tu propterea, quod non ſua culpa lucis uſura caret, infamem eſſe, ac vituperatione atque inſectatione dignum judicabis? Neſcio quam æquus ſis, ſi id tibi permittas. Jam ingenium ſane, quo tu abundas, non ita mihi bonum eſt, ut ſtatim quæ optima ſunt, judicio aſſequi liceat. Hic quoque me ne, quem talem natura finxit, in crimen vocabis? Non facies, opinor, ſi ea quæ non à voluntate noſtra

profi-

proficiſcuntur, ſed à natura manant, neque in laude, neque in vitio poſueris, ut homines docti cenſuerunt. Si quæ laus, ſi quæ vituperatio hinc oritur, ea tota naturam ſequitur, ab homine qui ita affectus eſt, merito removetur. Quare noli tu mihi ſuccenſere, quod nondum plane perſpicio, ubi tandem gentium, ubi locorum, vera iſta ſit Eccleſia, de cujus poſſeſſione tam multæ, tam variæ tam acres ſunt hoc tempore dimicationes: tam denique ſanguinolenta certamina: In tanta perturbatione rerum omnium, in tanta animorum & ſententiarum varietate nihil addubitem, quem ſequar? Tu me iſthuc vocas, neque eſſe in vera Chriſti Eccleſia quenquam, qui contrariam veſtræ doctrinæ fidem tueatur, audacter affirmas; negant alii, & à vobis cavendum eſſe, pleno ore clamant: multa commemorant, quamobrem nefas ſit exiſtimare, vos Chriſti, atque ejus Apoſtolorum eſſe diſcipulos. Doctrinam quæ iſthic traditur, ſub examen revocant, in mores, atque inſtituta veſtra diligenter inquirunt. Illam quidem novam atque ante hos 50 annos inauditam in luce hominum fuiſſe convincent. Non negant tamen fuiſſe aliquando nonnullum in obſcuro aliquo terrarum angulo ſeditioſum hominem, qui aliquid ſenſerit docuerit etiam quod veſtræ doctrinæ affine videri poſſit, aliqua ex parte: ſed fuiſſe unum aliquem ullo tempore, qui in omnibus fidei capitibus, prorſus eandem quam vos propugnatis ſententiam habuerit, conſtanter pernegant. Falſum eſt, inquis, hoc eſt, verbo refellere. Rationem vis, hiſtoriarum fide opus eſt, excute veterum monumenta, omnium ætatum annales evolve, nihil reperies quod illorum hanc accuſationem refutare queat. Sed fac fuiſſe aliquem, qui aliquando idem quod vos docuerit, fuitne id perpetuum? Deinde, multiſne in locis id fuit? vix vocem emiſit, qui aliquando tale aliquid auſus eſt, quum oppreſſus eſt ab iis, qui ad Reipublicæ clavum ſedebant. Ita fiebat, ut cum homine ipſo, doctrina etiam ſtatim de medio tolleretur. Quid dices? Ut primum exorta fuit Euangelii lux, repente etiam extincta eſt ut in denſiſſimas tenebras homines conjecti fuerint, in quibus tamdiu oppreſſi jacuerunt, donec iterum aliquis divino ſpiritu afflatus, tetram illam ab oculis hominum caliginem diſpulit? Itane interrupta hæc lux, modo ſeſe oſtendit, modo iterum ex aſpectu ſubduxit? Quis hic jocus? quæ Dei, ut aliquid audacius dicam, ludificatio fuit? Chriſtus ſe cum Eccleſia fore ad finem uſque ſeculorum profeſſus eſt. Si paucos illos tantum Chriſti fuiſſe dicamus, quos modo nominavi, & non aliam Eccleſiam ſtatuamus, quam illam ipſam, in qua tales magiſtri docuerunt, quomodo perpetuam Chriſti cum Eccleſia permanſionem oſtendemus? An eſt Eccleſia, ejuſmodi aliqua hominum conſociatio, quæ brevi aliquo tempore ſtet, ac mox cum ipſis Doctoribus funditus ſublata, ne veſtigium quidem relinquat?

Deinde quum dicitur, in omnem terrarum orbem Euangelii prædicationem, atque Eccleſiæ congregationem, propagatum iri, an id ad anguſtum aliquem orbis terrarum angulum contrahemus? tamne breves Euangelii profeſſioni terminos circumſcribemus? Sic illi fere ratiocinantur, qui falſam vos tradere doctrinam, & extra veræ Eccleſia ſepta excidiſſe demonſtrant. Qui illam quoque notam adhibent, vulgarem quidem, ſed non propterea non veriſſimam, quod & à veteri Eccleſia diſceſſionem feciſtis, & inter vos non eſt conſtans in fidei doctrina conſenſio. Non libet nunc, neque otium eſt omnia perſequi doctrinæ capita, de quibus inter vos digladiamini, in manibus ſunt doctorum virorum libri, qui de induſtria hæc magno ſtudio collegerant.

Altera pars erat reprehenſionis, quæ in notandis moribus veſtris conſumitur. Ex fructibus eorum, inquit ille generis humani Servator, cognoſcetis eos, Jam ex Euangelii veſtri ſemente qui fructus enati ſint, conſiderare nos jubent. Quo in loco veſtram arrogantiam odioſe exaggerant, quod Eccleſiam ad vos ſolos pertinere contenditis, vos ſolos pios, ſapientes, cæteros impios, bardos, aſinos judicatis. Denique omnem vobis & ingenii & doctrinæ, & eloquentiæ laudem uſurpatis, cæteros qui à vobis diſſentiunt, non è Chriſtianorum commercio ſolum, verum etiam ex hominum ſocietate exterminatis.

Qui Apoſtolorum erant auditores; hi majore ex parte dignos Euangelii ac pœnitentiæ fructus proferebant: neque privatum illi quemquam, ob alienam à ſua doctrina ſententiam exurebant, ac crudeliter mactabant, aut in exilium compellebant: neque publice populos armabant, & religionis cauſſam bello atque armis proſequendam eſſe ſtatuebant. Hæc qui faciunt, an eos Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ conſentanea docere, & facere dicemus?

Amabo te, poſt exortam iſtam Euangelii lucem, quam non alibi, quam in Veſtris Eccleſiis ſplendere contenditis, nonne cernis paſſim flagitiorum licentiam impunitam diſcurrere? omnia loca infinitorum hominum ſanguine funeſtari? inſidias Principibus in republica viris comparari? Latronibus & ſicariis præmia proponi? Percuſſores ad cædem, æternæ ſalutis ſpe propoſita excitari? pulcherrimam orbis terrarum regionem ſeditionibus perturbari?

Negas hæc à vobis procurari? Illi ampliſſimis teſtimoniis comprobant. Non enim latent homines ſtudia conſilia, conciones veſtræ. Si vos ex hac culpa eximi vultis, certe illud non impetrabitis, ut hoc hominum genus, quod jam tot annos in patriæ viſcera ſævit, veſtros non eſſe probetis. quum veſtri Euangelii propugnationem profiteantur, quum pro aris, proque pura Dei religione ſe dimicare vociferentur. Vos etiam preces pro eorum ſalute, pro victoria fundere, & occumbentes in pugna, in martyrum numerum reponere ajunt. Taliumne Chriſti religio defenſoribus eget? hæcne vobis magiſter veſter arma tradidit, quibus Chriſtianam fidem propugnaretis? Sed non abibo longius, imo hæc odioſa ſunt, & ſtomachum fortaſſe tibi commovebunt. Quid ſi reliqua attexam quæ paſſim & ſermonibus prudentium virorum uſurpantur, & literarum monumentis mandata jam ſunt. Sed ſcio tibi hæc non nova accidere, neque dici quicquam poteſt, quod tu cogitatione anticipare nequeas. Hæc eo tantum leviter attigi, ut videas non prorſus nullam eſſe cauſſam, quod non ſtatim ad veſtram potius, quam aliorum Eccleſiam, me pleno gradu conferam, qui ipſi quoque Pontificem oppugnant, & primi quidem pro pietate funeſtum illi bellum intulerunt. Redeo ad Epiſtolam tuam. Eccleſiæ fatum eſſe ais, non ex ſyderum poſitu, ſed Dei decreto, ut hæreſibus concutiatur. Animadverte quid velis, pungis me ſcilicet quod in hoc meo ocio, quum animum recreare lubet, aliquando in hæc ſtudia evagor. Scio tibi hoc quoque à communibus amicis indicatum fuiſſe.

Non nego eo me ſtudio delectari, & aliquid interdum temporis huic quoque philoſophiæ parti tribuere. Neque video cur id reprehendi magnopere debeat, quod tamen te hoc loco, quaſi per tranſennam facere conjicio. Sed erit de hoc quoque crimine alias diſputandi locus. Quum Eccleſiæ fatum eſſe dicis, ut ab hæreticis perturbetur, nihil tu quidem adfers, quod tibi non concedatur. Sed heus tu, non de eo quæſtio eſt. Id in quæſtione poſitum eſt, qui ſint iſti Eccleſiæ perturbatores, & unitatis everſores hæretici? Papiſtas in horum numerum, cum Lutheranis & aliis permultis, qui ipſi quoque ſuam Eccleſiam habent, aggregabis? Illi viciſſim Tibi tuiſque hoc crimen accommodabunt. Neque vero ulli parti deerunt rationes, quibus id quod dicunt, probare contendent. Jam reſponde mihi; Ego bardus & literatura non admodum ſciens, ad audiendam hanc contentionem cupide venio, quid utrinque, ſive potius ex multis partibus in medium proferatur, attente conſidero. Video graviſſimis argumentis & teſtimoniis partes inter ſe confligere, idque nullo judice conſtituto, (quilibet enim & judicis & rei partes ſibi ſumit) quid faciam? in quorum obſecro ſententiam pedibus eam? Omnia circumſpicio, nihil non mecum reputo, rationes pondero, homines ipſos, qui ſuis ſe acuminibus compungunt, ſuis momentis examino.

examino. Quid dicam? Dubius ex certamine discedo, fluctuat animus, neque qua tranquillari debeat, ratio ulla apparet. Videor mihi exaudire clara te voce illud exclamantem; scrutamini scripturam. Recte! sed hanc scripturam tu ad tuam, alii ad suam vicissim sententiam confirmandam detorquent. Interim hæreo, nam non dispicio, tibine magis an illis accommodata sit. Si tecum facere dices, erunt qui pernegabunt. Quis mihi judex erit, tu alia loca adferes, quæ hunc, de quo forte disputatio incidit, illuminent, adversarius vicissim tenebras te non lucem inferre clamabit. Ac ne sine ratione tibi adversari videatur, magnam veterum quos Patres vocant, catervam contra te ab inferis excitabit, qui contra te testimonium dicant, quibus credere te oportet, si eorum aliquid apud te autoritas ponderis habebit. Si non moveberis eorum testimonio, dicet aliquis: Heus tu, bone vir, quid causæ dicam esse, quod hos ipsos nonnunquam advocas, quum quid tibi adlubescit apud eos, quo sententiam confirmari tuam censeas. Nunc vero quia te falsi convincunt, eorum auctoritatem defugis? Quæ hæc est inconstantia? quæ levitas? Modo eis omnem adimis auctoritatem, modo laudibus ornas, & fidem concilias. Qui potest idem & bonæ & malæ fidei esse, qui non suspectus habeatur? In judiciis certe, ubi leviore de causa conflictatio est, qui semel mendacio orationem ac testimonium suum contaminavit, cum ignominia rejicitur, neque illius amplius valere fides potest: & in veritate asserenda eum tibi adscisces, qui semel abs te, millies ab adversario stabit? Imprudentis hoc si erit: quare aut prorsus non admittendum est veterum testimonium, quod nescio quam æquum, aut causa cadere te oportebit. Quod si ad Synodos quas religiosas vocas, confugis, ne illæ quidem te sublevabunt, contra te sententiam magna ex parte dicent. Negas? Ostensum id est ab aliis, jam antea, possem & ego, si ocio abutendum sit, aut tu magnopere requireres, id ipsum comprobare. Sed tibi hæc notissima sunt.

Quæ de angusta illa Ecclesia adfers, in quam Zachariam, Elizabetham, Mariam, Simeonem, Annam, tanquam in ergastulum quoddam includis, communia sunt, adeo quidem, ut omnes sectæ, quæcunque à Christi temporibus Ecclesiam dissensionibus dilacerarunt, ad se hoc rapiant, in hoc propugnaculum se recipiant, ex hoc in alios tela conjiciant. At constat non multas, sed unam, & esse & fuisse semper jam inde ab initio veram Ecclesiam. Non multis igitur, sed uni alicui coetui, hoc accommodari debet. Is qui sit nondum ostendisti. Jam enim dixi, communem hanc artem omnibus esse, de qua partes inter se confligunt. Relinquitur igitur hoc quoque argumentum in dubiis ponendum esse. At tu ut me ex hoc dubitationis labyrintho educas, certa non dubia adferre debes, quæ tanquam Thesei filum sequi possim. Fateamur, inquis, necesse est, aut nullam tunc Ecclesiam fuisse, aut agnitam tunc quoque fuisse à filiis suis. Fuit certe aliqua, nec non agnita; sed ostende quæso certis indiciis; an hæc quæ vos defenditis, in illa quoque docebantur. Hic est quæstionis status, hæc est intestini illius belli causa, quod à tot annis tam acriter, tantis partium studiis, cum innumerabilium animarum internecione, geritur: neque adhuc ullis consiliis, aut ulla ope humana tolli posse videtur. Video non tam unum atque alterum ducem, cum paucis cohortibus, sed integras nationes de hujus arcis possessione, signis collatis hostiliter confligere: res est aspectu horrenda, dictu aspera: duces ipsi, qui signa ad hanc dimicationem sustulerunt ab omnibus & ingenii & scientiæ & eloquentiæ viribus instructissimi, in medium progrediuntur, hostes conviciis, minis, armis lacessunt, se causæ disceptatores constituunt. Judicium vero non ad alios quam seipsos pertinere, magnifice jactant. Omne servitutis & obedientiæ jugum excutiunt, in libertatem se hominum conscientias asserere profitentur, legum vinculis multitudinem exsolvunt, fit magna ad eos concursio. Ad extremum à verbis ad arma venitur, vi geritur res. Prodeunt aliorum quoque hostiles copiæ, non ex una tantum parte, hæ omnes inter se dissident, alteræ in alteras impetum faciunt, pugnatur totis armis, neque dum depugnatum est. O miseram, ô lamentabilem hominum conditionem! Certamina dolens aspicio, & misericordia & lachrymis prosequor tot gentium cladem. De causa ipsa quid dicam? Non sum tanti ut dispicere queam, quæ tandem pars jure bellum cieat; testes varii sunt, judicium omne fit difficile, atque impeditum. Eodem igitur relabor ut constituere nequeam, ad quos potissimum veteris illius Ecclesiæ, de qua tanta dimicatio est, possessionem pertinere dicam.

Hic tu quidquid adfers tale est, quod non tam tibi, quam adversariis tuis qui vel antehac fuerunt, vel hodie adhuc tecum pugnant, accommodatum esse videatur. Iisdem certe illi quoque armis contra te ipsum, ac contra alios decertant. Non aliis gladiis ipsi etiam Pontificii vos configere videri volunt, quamvis ubi hebetata acies est, ignes etiam arripiunt, quibus hostium suorum segetem exurant, in quo ipso quoque vos imitatores habent, quibus vos superent.

Quæris quæ ista sint? Dixi jam in Epistola mea, quam tu nondum confutasti. Nam quod de personarum successione docte admodum disseris, de eo tecum non multum disputo. Quamvis sunt qui hanc quoque non negligendam Ecclesiæ notam esse contendant. De doctrinæ successione & consensu inter nos sane agitur. Quam ipsam alii tibi eripient, neque patientur, ut eam ad Vestras Ecclesias perpetuo fluxu pure promanasse dicatis, sed alios rivos ostendunt.

Hic vides iterum jam divortia fieri. Quo me vertam? Ad fontem, inquis, & caput unde hæc profluxerunt. Conturbati sunt, adde quod in profundum demersi, neque omnium oculis patent. Deinde non eadem ad eos ducit via. Si quæras, qua eundum sit? Innumerabiles se duces præbebunt, & diversam omnes tamen semitam ingredi me jubebunt; si alio deflexero magna pericula denunciantes. Hic iterum hæreo miser: quid faciam? Me sequere, inquies; cur obsecro te, quam alios? Nobis, ais, linguarum donum collatum est, nostra scripta cum veteribus etiam excellentissimis comparari possunt, ut dicere non immerito quidem consueverim, dum illa tempora Apostolicis etiam proxima, cum nostris comparo, plus nos scientiæ, conscientiæ minus habere. Tum addes, hæc omnia huc spectant, ut appareat nihil eorum hodie nobis deesse, quæ ad hoc requiruntur, & semper adhibita sunt, à vere piis & religiosis, ut lucem à tenebris, veritatem à mendacio discernerent. Agnoscis opinor tua verba, quæ sane, si cui modestia tua ignota esset, parum verecunde dicta esse suspicari possit. Quid enim dici à quoquam de se amplius potest? Fac ita esse: neque ego secus de vobis judico, quorum multiplici & varia doctrina imprimis delector, eloquentia plurimum afficior, ingenio acuor. Sed sunt alii quoque, qui vobiscum ita contendere, his de rebus posse videntur, ut aliqui æquent, nonnulli etiam vos superent. Non de veteribus tantum illis loquor, quibus vos superiores facitis: sed de his ipsis, qui vos hoc tempore de Ecclesiæ possessione deturbant. Hoc obiter dicam: si plus conscientiæ in veteribus, quam scientiæ agnoscitis, cur in quæstionibus dicendis illorum contra adversarios sententiam producitis? Quomodo eorum doctrinam inscitiæ coarguitis, quos tamen doctrina spoliatis?

Ain' tu, nihil nobis deesse eorum, quæ ad discernendum verum à mendacio adhiberi solita sint à veteribus illis? conscientia deest, tua ipsius confessione, quæ certe non minimum est πνευματικὸν omni tempore habitum in Ecclesia. Neque enim Euangelii vis in verbis magis, quam in egregiis factis consistit. Non sane eloquentia & humanarum disciplinarum cognitione suos Christus instruxit, ut illius se veros magistri sui discipulos esse ostenderent; sed ut factores legis, & ut ille inquit,

inquit, non μιᾶς ἰδέας: sed πολυπρόσωπον ὄψιν esse voluit. Apud eosne Ecclesiam esse dicam, qui contraria omnia faciunt, si mores aspicias, quam eit eis à magistro suo præscriptum? Temperabo mihi hoc loco, neque curiose conquiram, quid publice, quidve privatim, & actum sit antea, & nunc etiam passim fiat ab Euangelicis. Hunc orationis veluti scopulum quendam declinabo. Nota jam sunt lippis & tonsoribus & in omnium oculos incurrunt, quæ per hos annos à vestris perpetrata sunt, atque etiam nunc geruntur. Si fructus qui ex vestra prædicatione colliguntur inspicimus, quæso quos dicemus germanos Christi discipulos?

Non nos, inquis, sed auditores nostri omnia cædibus & sanguine replent; non nos sed magistratus dissentientes à nobis mactant, ipsi gladio feriunt, ipsi ignes admovent, & horrendis cruciatibus hæreticos dilaniant. Scio hæc à vobis in hunc modum excusari. Sed dic hic mihi vicissim; nonne vos hanc in eorum animos doctrinam instillastis? Ut gloriosum esse atque salutare persuadeatis, si quis religionem, si quis conscientiarum libertatem armis asserat? Nonne præclare de pietate, ac Christi Ecclesia mereri eos ostenditis, qui principibus viris cædem inferunt, qui totas civitates, diripiunt, exurunt, innumerabiles homines crudeliter trucidant? Deinde vero, si quis doctrinæ, quam vos traditis ordinem perturbet, atque ad Scripturæ examen revocet: nonne hunc magistro carnifici subjiciendum docetis? Neutrum negare potes. De hoc postremo liber tuus extat, multis sane & ingenii & eloquentiæ luminibus distinctus; utinam etiam charitatis, & Christianæ mansuetudinis, salva conscientia mea, dicere queam. Illud sunt qui locupletissimis testibus comprobent, & res ipsa loquitur. Cur in nos inquis, tantum tua oratio incurrit? Est ne, ubi hæc, quæ tu reprehendis, non fiant? Non ad vos tantum hæc mea querimonia pertinet, verum ad alios quoque, qui eandem ingressi sunt viam. Hoc sentio, Qui classicum ad bella, ad seditiones canit: qui magistratus contra eos, si qui à se dissentiant, ignibus, gladiis, crucibus, armat, non convenienter Christi doctrinæ facit. Si negas, ostende in tota Christi & Apostolorum doctrina legem, qua hæc immanitas sancita sit, profer factum eorum, cujus exemplo id fieri oportere convincas. Non facies, sat scio, nisi majorem umbræ, quam corporis rationem ducas. Hæc quum ita sint, adhuc ne inepte me facere dices, qui nondum oculis Ecclesiam cernam? Quæ de Stancharo subjicis, intelligo. At ille mutusne tibi videtur? Quomodo Vestrates Theologos excipit? Certe si ejus scripta legere potuisti, cum Arrianis, Samosatenianis, Ebionitis, & nescio quibus non hæreticis, jam olim ut tu scribis damnatis, vos consociat. Non desunt qui hanc illius de vobis sententiam suis suffragiis comprobent, viri summi.

Quare iterum ad illam interrogationem meam me convertam, in tanta opinionum varietate, quo me vertam? Cur tibi magis, quam Stancharo credam? Et doctrina & eloquentia instructior illo sum, inquies. Non nego: sed si ille id inficias ibit, & magnos viros, qui ejusdem vos criminis condemnant, testes appellabit, quid dices? Tu tua, ille sua, acriter defenditis, scripturarum & veterum scriptorum testimonia, uterque pro se usurpabit. Quis erit inter te & illum Judex? Et ut sit aliquis, neuter vestrum patietur, tantum enim quisque sibi sumit, ut ne æqualem quidem, nedum superiorem ferre queat. Idem aliis quoque usu venire videmus. Hic ego simplici ingenio & non magna doctrina præditus, in cujus partes concedam? Uterque mihi suspectus est, dijudicare tamen per tarditatem meam nequeo, tu an ille magis, veritati consentanea scribat? Ac quoniam nullum vos judicem admittitis, non habeo cujus authoritate niti possim, ad alterutrius sententiam condemnandam. Quid reliqui sit? Nisi ut dubius ancepisque à vestra contentione abeam? Quid faciet alius aliquis, me etiam multo & indoctior & stupidior? Non puto enim vos existimare, scripturas doctis tantum hominibus propositas esse, rudes vero, & imperitam omnem ab ea multitudinem repelli.

A Stancharo ad hæreticorum *insectationem* orationem traducis, & impietatis, blasphemiæ, stupiditatis eos damnas, quorum dogmata fidei vestræ principiis, manifestis testimoniis verbi Divini repugnare scribis. Addis etiam, toties refutatos, damnatos, profligatos esse. Quid dicis quæso, quod ipsi vicissim non in alias Ecclesias retorqueant? Quid aliud Pontificii vobis objiciunt? Et sane si quas citas Ecclesiæ historias, paulo attentius excutis, non obscure videbis, vestra quoque dogmata majore ex parte à Synodis illis ipsis, quas tu Sacrosanctas paulo ante nominasti, explosa & profligata fuisse. Viden' hunc locum nimis esse communem? Viden' te nihil adferre, quod meam dubitationem tollat, omnia potius quasi de industria comparare, ut magis magisque augeat. Non negabis hæc vobis quoque objici, sed falsam esse criminationem contendes. Illi vicissim hoc in vos convitium regerent. Quis judex erit? An tibi magis, quam illis fidem adjungam? Ad scripturam provocas? Dubia est, non tam tibi, quam illis patrocinatur. Ad historias confugis? Illæ contra te testimonium dicunt. Tum subjungis, cupere te ut longe melius a me Pontificii pernoscantur, quos ita cum vestris comparem, ut superiores faciam. Si erro, multos sane & summos viros ejusdem erroris affines habeo, tum veteres, tum recentes scriptores, omni doctrina & vitæ sanctitate præstantes, ut veniam hic error, aut certe commiserationem mereatur. Non negavi multa in Pontificatu defendi, quæ cum impietate conjuncta videantur; sed dixi, esse in illa Ecclesia mirificum quendam ordinem, quo summa mediis, & hæc item infimis, apte inter se connexa sunt; ita quidem ut quasi ordinata aliqua acies, ad perterrefaciendas atque etiam disturbandas adversariorum copias, comparata esse videatur. Atque hoc quidem non novum, sed multorum seculorum approbatione confirmatum regnum videri, multorum martyrum sanguine constabilitum. In quo si quando aliqui seditiosi extiterunt, compressi sunt, neque diuturna illorum fuit contra Rempublicam perduellio, quia factum est sæpe numero, ut qui contra eam arma cœpissent, ipsi sese nulla adversa acie opposita tanquam Cadmei fratres, mutuis vulneribus confoderent? Ita fiebat, ut sublatis turbis, per longa secula tranquilla pace fruerentur. Quod si ita, ut dico, sese habet, Dic mihi quæso, ubi Christus interea temporis latuit, dum alia iterum seditio cooriretur, quæ bellum Pontificatui commoveret? Convenire ista possunt, cum illius promisso: Ego ero vobiscum usque ad consummationem seculi? Sed ad tua veniamus. Perpetuum in doctrina consensum nihil esse vis, nisi in veritate consentias. Ita est, ut dicis, neque ego secus sentio. De eo igitur quæstio est, ubi tandem hæc veritas conquiescat; penes quos sedem sibi delegerit? Nec video quam rationi consentaneum videri debeat, quod addis; nec etiam ubicunque dissidium est, inde exulat veritas. Nam si de veritate dissidium inter vos est, sane quæ sit illa veritas, non satis apparet, quæ si una tantum est non multiplex, (de Euangelica autem veritate sermo est,) quomodo eam illinc non exulare affirmabimus, ubi non una specie, sed variis formis spectanda proponitur? Quæ deinde magna vi disputas, contra eam doctrinam, quæ in Pontificia Ecclesia traditur, speciosa sunt admodum, nec carent acumine, sed est tamen adhuc de his rebus omnibus lis sub judice, neque illis desunt argumenta, quibus sua tueri, vestra refutare posse videantur. Aut si hæc contra Papatum valeant, quomodo hæc eadem arma ex aliorum manibus, qui vos undique feriunt, extorquebitis? In medio positum est hoc armamentarium, ex quo sibi Lutheranorum sectæ in aliquot partes disflectæ, Suenckfeldiani, Anabaptistæ, Servetiani, Gentilistæ, & quos Samosatenicos ac Ebionitas vocatis, arma depromunt, eisque magna vobis vulnera imponunt. Hic

ego spectator video, qui majores plagas accipiat, jure an injuria cædatur, non conjicio. Ex eodem loco armi petitis, pro eodem vos veritate depugnare contenditis; quæ tamen se quibus fruendam dedat, non apparet. Nam ita ex pugna disceditis omnes, ut penes se quisque victoriam relictam esse magnis vocibus clamet, ac compedibus constrictam veritatem in sua castra abductam agat: quæ si unica est, quomodo diversis in locis erit diversa, & sui dissimillima, atque adeo ex contrariis partibus concreta? Quod si unius tantum videri debet scripturæ authoritas, ut certe debet, non video quamobrem vestris Ecclesiis magis de principe Religionis nostræ capite fides habeatur, quam Ebionitis, ut vos vocatis, qui Transylvaniam, & hoc Regnum, si tibi credendum sit, in certum exitium præcipitabunt, de quo tamen paulo fusius tecum agam, quum ad hanc Epistolam respondebis. Mittam Tibi scriptum quoddam meum, quod ea de re ad te exaraveram, antequam tuas has literas acciperem. Jam ut alia prætercam, quæ de Pontificiis multa congeris, quorum tamen ego propugnationem ac patrocinium nunquam suscipiam, quæ ipsa tamen illi in vos quoque una cum aliis torqueant. Quæris unde primatus Pontificis manet? dicent ipsi, & sane non prorsus nullis viribus hanc arcem defendent. Non disputant, quam probi sint, quam legum observantes, sed se in eorum sedem venisse contendent, qui primi Ecclesiam fundarunt. Neque statim si quis majoribus suis indignus sit, & degener Rex, qui legem aliquam figat, atque arbitratu suo vicissim, refigat, non propterea non Rex erit dicendus. Vos vero, si ille rogat vicissim, quomodo in has Apostolorum sedes veneritis? per quam ingressi januam sitis? à quo missi? quæ missionis ratio? quid adfertis obsecro, quod non exsibilaturus sit? Quod de excommunicatorum cætu adfers, si valere veterum Canonum auctoritas debet, quorum auxilio eos ex vera Ecclesia ejicis, certe iidem illi contra vos, tanquam furcillis usi, ex monte illo sancto deturbatos vos præcipites agent. De ritibus ne a Pontificiis quidem aliqua habita est quæstio. Quamobrem omnia summa imis permiscerentur? Nam qui inter eos minus sunt superstitiosi, & paulo prudentiores ac doctiores habentur, multos notant ipsi quoque, partim à simplicitate, partim à superstitione inventos, quorum moderationem prudenti & pio Episcopo permittunt. Omnes autem ritus qui funditus tollit, ordinem ex Ecclesia, & nitorem quendam, ac cultum auferre videtur, qui etiam in privatis ædibus & ornamento & voluptati esse solet. Qua in re cum mecum Papalis Ecclesiæ, & eorum qui ab ea dissident instituta reputo, in eam mentem venio, ut existimen & hos & illos extrema tenere, longe à medio discessisse, ut in non paucis aliis. Contentionem ego ex Ecclesia non omnem sustuli, fieri enim vix potest, ut nihil unquam existat, de quo doctores inter se dissentiant, sed in dissidiis nullum servari modum dixi. Deinde non de levi, sed de maxima quaque re Euangelicos Doctores inter se hostiliter discrepare scripsi. Ita quidem, ut nulla unquam inter eos, coalescere concordia posse videatur. Quid tu mihi Apostolorum dissensiones occinis? à quibus odium insectatio, conviciorum inexhaustum quoddam pelagus in quo vestri demersi sunt, persecutio, fraudes, cædes, gladii, ignis, longissime abfuerunt. Vobis non satis est probris, conviciis, contumeliis anicularum more, inter vos contendere: sed ulterius etiam progreditur iracundia, ferro, incendio pugnatis. Præclaram vero laudem, & plane Christianam mansuetudinem! Adhucne illius magistri discipulos se profiteri audebunt, qui mitem se & humilem corde dicit, & ad misericordiam suos hortatur, qui ita crudeliter in humanum genus sæviunt?

Utinam, inquis, Prophetarum spiritus Prophetis se subjicerent. Quibus Prophetis? Tu me, ego te, Propheram esse negabo. Oritur inter nos certamen, ambitio, odium, contentionis studium longe nos abripit, & mutuo distrahit. In tanta libertate & impunitate, atque adeo ἀναρχίᾳ, quem feram judicem? Mihi eadem quæ tibi libertas placet. Tu jugum excussisti, ne ego quidem illud subibo, uter alteri jam se subjiciet?

Regionum nostrarum turbatores, fidei analogiæ repugnanda docentes, jam centies millies damnatos ais. Si te rogent; à quibus damnati sunt? Non alios nominare potes, quam eos ipsos, quibus judicibus ne vestra quidem sane caussa stare potest. Nam quod de fidei analogia dicitur, id illi, ut alia quoque, in vos retorquent, & si scripturis, ut ante dixi, sua autoritas constare debet, vos à fidei analogia discedere, non levibus rationibus convincunt, de quo, ut antea scripsi, alius mihi dicendi locus relinquitur.

Deinde, absit, inquis, ut Ecclesiis imputetur, quicquid ab hoc vel illo dicitur, aut scribitur: quasi vero nesciatur in vulgus, vos esse [illegible], vel [illegible] potius, ut levissime dicam, neque aliam auditores sententiam tueri, quam quæ à vobis in eorum aures instillatur; à qua si discedant, ne illi easdem pœnas perferre coguntur, quibus vestri, quum in Pontificias manus incidunt plecti solent, nulla ætatis, nulla sexus, nulla conditionis habita ratione. Refelle hoc, si potes.

Quæris ut in quo religionis capite Vestri inter se dissentiant ostendam. Dissentire, cum Ecclesias totas, & Ecclesiarum magistros, tum a seipsis, tum inter se, scripsi, non tam ad vos respexi, qui in Helvetiis docetis, quam universe ad eos qui ab hinc quinquaginta annos Pontificatum oppugnare cœperunt. Hoc autem ita perspicuum est, ut supervacaneum sit demonstrare. Extant libri ad sempiternum dedecus nominis Vestri comparati. Vos autem prænominatos etiam non prorsus consentire si neges, proferam quos auctores habeo. Quamvis quid longa inquisitione opus est? Eademne Zuinglius & Oecolampadius, quæ Calvinus & tu de Eucharistia docuistis? scis, quid Calvino cum Bernensibus negotii fuerit, paulo post quam Genevensis Ecclesiæ dominatu potitus est. Heidelbergenses non patientur me mentiri, quum vos quoque mutuo discrepare affirmo: in qua vos Ecclesia discordiam accendisse, neque ante conquieturam esse ajunt, quam florentem illam doctis viris Academiam dissipetis, atque evertatis. Tantum enim (ipsorum verba usurpo,) vobis jam sumsistis, ut omnibus Ecclesiis dominari velle videamini, Paparum scilicet exegistis, ut vos imperium invadere, atque in ejus locum venire possitis.

Confessionem Vestram à multis nationibus approbatam esse glorians. Scimus qui subscripserint. Neque nobis ignotæ sunt prensitationes vestrorum, rationes etiam perspectæ; quæ ea in re adhibitæ sunt. Sed quid tu mihi totas nationes recitas? Pauci quidam novatores universitatis nomen sustinebunt? uni ex qualibet gente mille opponi possunt, qui non subscripserunt, viri graves & docti. Calumniatores vocas qui inter Zuinglium & Calvinum aliquam de Sacramentis repugnantiam comminiscuntur. Lutherus certe in ultima sua Confessione, octo pugnantes Zuinglianorum de cœna Domini opiniones commemorat, easque hæresis omnes damnat. Sunt alii complures docti viri, qui in eo elaborarunt, ut hoc quod tu negas verum esse demonstrarent. Quos ego calumniari dicere non ausim, quod testimonia, quibus id probari potest, in medium adferant. Piget me loca conquirere, auctores citare, & quæ in hanc sententiam ab eis congesta sunt, describere Tu eos aut legisti jam, aut legere potes. Remove si potes paulisper iracundiam, depone quoad ejus potest fieri & præjudicium, & sic comparatus, ad hujus quæstionis cognitionem descende. Intelliges, opinor, non esse calumniatores, quos hoc nomine paulo ante contaminabas.

Proverbio etiam tuos defendis, quum secundas cogitationes, ut Græci dicunt, sapientiores esse ais. Atque id quidem fortasse tolerabilius esset, si secundæ modo essent, sed ultra tertias, & quartas, aut eo amplius etiam progrediuntur.

Deinde

Deinde si divini spiritus numine afflati sunt, qui primam Euangelii lucem, ut vocant, accenderunt, ad dispellendas Pontificias tenebras, necesse est eos ipsos, quum priorem doctrinam, aut novæ alicujus substitutione tollunt, aut emendant, aut mutant, non esse à Sancto Spiritu profectos. Quomodo igitur ei credendum sit, qui modo vera, modo falsa affirmet? Etenim quomodo credendum est ei, qui putet, quandoque esse mentiendum? Nam & forte tunc mentitur, quum præcipit ut ei credamus. Ostende in Prophetis, in Apostolis, in eorum discipulis hanc dogmatum tam turpem παλινῳδίαν, quos ipsos, ut & qui post consecuti sunt Theologos, non per omnia consensisse dicis. Tamne capitales & implacabiles inter eos dissensiones, ac de tantis rebus fuisse dices, ut inter vestras Ecclesias est? Non dices opinor. Sæpe calamus incurrit tibi in nostrarum regionum perturbatores, & alios qui συν-[illegible] sint. Idem illi de vobis, totidem verbis affirmant, testimoniis ex divinorum oraculorum penu depromptis. Nam quod de Ecclesiasticis legitimis judiciis annectis, illis ipsis judiciis vos quoque & majores vestros condemnatos esse respondent. Adeo nihil proferre potestis, quod ipsi vobis è manibus non eripiant, atque jure suo sibi vendicare se contendant. Viden' nullam esse causam, cur rudis aliquis, neque literis & doctrina admodum tinctus, vobis magis, quam illis fidem adjungat. Quare dubitet necesse est, aut eo confugiat, ubi pacem coli, neque de summa rei ullum geri bellum animadvertit.

Augustanæ Confessionis Theologi, quod datis accipiunt, & æquo animo ferunt, vos in ipsorum confessione Propheticam & Apostolicam doctrinam agnoscere. Negant tamen interea, eandem se de vobis sententiam habere. Imo vestrum nomen & dogmata, non minori odio quam Pontificii detestantur. Ain' esse in his doctos homines, qui à nobis non dissentiant. Prodeant in medium. Audeant tantum id publice profiteri. Si sunt, ut esse non dubito, jam illi vestri sunt, non Augustanæ confessionis, sed metu se continent. Quamvis si iniquum est, ex paucis de tota Ecclesia judicium ferre, quid tu, de paucis istis, quos ex Confessione Augustana vobiscum facere ais, hominibus triumphas. Ad extremum, ut sint inter Euangelicos dissensiones non paucæ: in fundamento tamen omnes consentire, & cum Christo colligere vos ais. Utinam id ita sit, Beza. Sed quomodo in uno fundamento diversa ædificia consistent? Fieri non potest, & à natura atque omni ratione abhorret, ut super idem fundamentum variæ, neque ex una materia domus extruantur. Hic lapides, ille ligna, alius stramen, est qui linum & arundines comportet, ut ædes quisque huic fundamento imponat. Ac dum alter in alterum incurrit, ac suam materiam, huic ædificio aptiorem esse contendit, & quod jam alter forte extruxit, per vim disturbat, fit ut dum de fundamento, de materiæ aptitudine digladiantur, nemo ædificet, nisi qui forte ita viribus & armis potens est, ut reliquos omnes architectos, per summam injuriam ac violentiam longe repellat.

Unum fundamentum est, unum ædificium esse necesse est, ab uno architecto exædificatum, ad quod reficiendum, si usus veniat, & ruinam minetur, eadem qua extructum est, arte opus est, adjutoribus vero his, qui unanimi consensu, operam quisque suam conferat, non alter alterum excutiat, aut de muro deturbet, non insidias ponat, lingua denique una & eadem utantur, ut se muto intelligant, ne id ipsis quoque, quod Babyloniæ turris ædificatoribus eveniat, ut turpiter à cœpto opere desistere, & in diversa dissipari hostili animo cogantur. Quod sane magno cum gemitu indies usuvenire videmus. Etiamne recte fieri pugnabis, si qui propter aliquod dogma, de quo in vestris Ecclesiis silentium est, exurantur? Et laudari hoc factum à non paucis jactabis? Non hoc certe quisquam, nisi sanguinarius, & nisi ad Cainum originem suam referre volet, in laude ponet. Nonne hoc pugnat cum vestro de prædestinatione dogmate? Sed quid de vobis dico? Estne vel apex in Novo Testamento, quo tam truculentum factum defendere queas? Profer mandatum, recita exemplum. Ad Vetus Testamentum te recurrere non patiar, nisi eadem operâ legem cum Euangelio confundere, & umbram, ut ante dixi, corpori anteferre velis. Non nos, inquis, sed magistratus supplicium ex hæreticis sumit. Videor mihi vocem illam exaudire, Nobis non licet quenquam occidere. Pontificii quoque non secus & faciunt & dicunt, postquam dignos morte judicarunt, quos hæreticos vocant, magistratui excarnificandos tradunt. Non meministi juris consultorum dictum: Qui per alios facit, per se facere videtur. Quisque ejus rei causa est, quæ eo imperante, aut etiam persuadente fit. An ita clam est, quo auctore atque impulsore, Servetus crematus sit, ut de eo adhuc ambigamus?

Sed non ero in hac parte longior, ne tibi bilem moveam, qui hoc factum tantis viribus, tanta eloquentia, libro edito defendere conatus es, & in his quoque literis defendere moliris. Ac quod multo minus ferendum est, optare videris, ut Poloni & Transylvani, pulcherrimum scilicet ac Christiano nomine dignissimum hoc vestrum institutum imitentur: quod Deus omen avertat! Non erunt, mihi crede, ita immites, neque ita impudentes, ut hoc sibi faciendum existiment: Si cogitabunt, quam miserabile sit, ne quid aliud dicam, suorum fratrum sanguinem effundere, atque in sua viscera sævire.

Cum Ochni larva luctaris, pœnas etiam ab uxore divinitus sumptas affirmas, quasi è cœlo, atque ex Dei senatu delapsus, hoc nobis illinc nuncium adfers. Vobis hoc in more positum esse video, ut simul atque aliquis paulo miserabiliore morte obeat, statim hoc justo Dei judicio factum esse clametis. Non est humanum mortuis insultare, neque à mortis genere, de pietate judicium, ferri debet. Alioqui, quid Josiam, & alios fuisse dicetis? Quid de Christo & Apostolis, atque infinitis martyribus, qui omnes ignominiosa & horrenda morte extincti sunt, sentietis? Quid denique de vestro Zwinglio respondebitis? Præclarus ille verbi Dei præco, Christi scilicet discipulus, magistri nimirum & Apostolorum exemplo, in prima acie cæsus esse dicitur. Quod genus mortis, neque Christiano doctore dignum, neque non miserabile tamen fuit. Quare desine ita cum vulgo sentire, ut statim impium fuisse censeas, si quis non levi ac placida morte moriatur. Hæc habui Doctissime Beza, quæ ad longam tuam Epistolam respondenti, in mentem venerunt, ut intelligeres, non ita leves esse rationes, quibus adducor, ut amplius etiam mihi quærendum existimem, ad quam potissimum Ecclesiam me applicem. Ac sane ingenue tibi affirmo, me nondum constitutum habere, quid consilii capere debeam. Deum tantum supplex oro, ut mihi viam commonstret, neque à via certa abduci patiatur. Vale vir clarissime, & mihi amantissime, & hanc nimiam fortasse libertatem, boni consule, meque ama. Cracoviæ Calend. Augusti 1570.

ANDREAS DUDICIUS, PETRO MELIO, Spiritum pacis, veritatis, & sapientiæ precatur à Deo, Opt. Max. per Jesum Christum Dominum & Servatorem nostrum.

Accepi tabulas tuas & quædam alia: quæ quum lego in mentem mihi venit non mediocris admiratio, quid causæ sit, quod vos qui divinorum scriptorum, atque adeo Euangelicæ veritatis interpretes haberi vultis; tam longe ab iis, quæ simpliciter & sine fuco Sacris Literis mandata sunt, recedendum vobis existimetis; atque auditores vestros in avia abducere pulchrum gloriosumque ducatis. Quis quæso, ex istis tenebris lucem speret? Quis ex his labyrinthis Theseus incautos homines educat, atque intricatis istis nexibus invo-

involutos explicet? Simplicem ajunt esse veritatis orationem. At vestræ hujus veritatis, quam perplexa, Deum immortalem, quam varia, quam multiplex oratio? Nihil equidem vidi, ut parcissime dicam, quod minus intelligi queat. Si vos qui docti à vulgo, atque Euangelii vindices haberi vultis, recte ea intelligeretis, quæ nobis ad credendum obtruditis; (meam equidem tarditatem & inscitiam accusarem,) vos omni medius fidius culpa liberarem. Sed ne vivam, nisi vestris vos acuminibus compungitis. Quod modo conceditis, idem statim tollitis. Quid dicam? Pugnantia loquimini, & cum elabi ex adversariorum laqueis conamini, in petitionis principii elenchum fere semper incurritis. Ac quod multo dolendum, ac reprehendendum magis est, pertinaces magistrorum vestrorum imitatores estis, quibus illud in more positum esse constat, ut quos rationibus convincere nequeunt, eos diris devoveant, conviciis proscindant, hostiliter per omnia loca insectentur, ad extremum in Carnificum manus crudeliter tradant. Ad venena, ad aquas, ad ferrum, ad flammas, ad laqueos, aut durissima quævis supplicia. Ajunt enim, eos quoque iisdem artibus excellere; & quoad ejus fieri potest, iisdem armis pugnare. Voluntas certe vestra, & trucidandi hostes vestros, (ita enim dissentientes à vobis nominatis) ardentissimum quoddam desiderium satis omni ex parte se profert. Quid enim aliud clamatis? Quid vestra scripta resonant, quam exilia, cædes, incendia, cruces, & quæ non alia humani generis exitia? Hæccine est charitas, à Christo nobis majorem in modum commendata? Hisne Christus armis, ejusque discipuli Euangelium propagarunt? Ostende mandatum Christi, aut Apostolorum, tam immane tam ferum: aut saltem exemplum posco, quo hanc tueri feritatem possitis.

De benevolentia erga me, quam dedicandis hisce tuis scriptis satis abunde declarasti, gratias ago. Debere etiam hoc nomine tibi me sentio: quod ex multis me potissimum delegeris, cujus nomen lucubrationum tuarum nuncupatione onerares. Hoc enim tibi propositum fuit existimo; quum hæc ad me mitteres. Sed illud te ignorare nolo, hujus generis scriptis me minime omnium delectari, vestrumque institutum mihi prorsus non probari. Contentiosos homines ac præsertim eos, qui omni repudiata charitate, tam furenter, tam hostiliter, tanto odio sulfulti, in certamen cum adversariis suis, & cupide quidem, nec lacessiti contendunt, fugio, & fugiendos esse censeo, jam inde à prima mea adolescentia. Viris bonis, simplicibus, ad omnem humanitatem eruditis, ac charitate & mansuetudine præditis, cumprimis oblectare me soleo: Taliumque consuetudinem non solum non refugio, sed omni studio ad eam me applico. Horum equidem benevolentiam, quibus possum rationibus mihi conciliare summopere contendo; contra vero crudeles, inhumanos, ambitiosos, & simili labe * confectos, toto animo aversor. Threcius qui tibi hujus dedicationis author, ut scribis, fuit, & non sine causa quidem, ut arguraris, nec me, nec penitus notos habet meos sensus omnes, neque tamen ita sum rerum ignarus, ut non intelligam, quæ causa eum ad talia consilia impulerit. Sed rectius rebus suis consulet, sua si curet; atque aliena quæ sunt, missa faciat. Ei ut cupis reddam scripta tua. Nam non est mihi cum Typographis ullus usus. Et si esset aliquis, hanc tibi tamen navare operam nollem. Abhorret enim totum hoc scriptum tuum à sententia mea: quam nunquam ita longe à verbo Dei evagari sinam, nisi mihi mens sana esse desinat.

Vale, nimiamque istam contendendi cupiditatem, minacesque spiritus, & pugnacem in re omnium maxima animum, tempera ac cohibe, cogitationes autem actionesque tuas ad pacis, moderationis, veritatisque studia converte, ut sit tibi mens sana in corpore sano. Iterum vale. Ex Cracovia die 30 Januarii Anno Domini 1571.

* Confectos videtur esse in altero exemplari.

EPISTOLA MELII ad DUDICIUM

Perito & prudenti viro, Domino Andreæ Dudicio, advenæ urbis Cracovianæ, gratia & pax.

ALba sepulchra, & pocula foris purgata intus plena sordibus, hypocritas recte filius Dei vocat. Nam ficus folia sæpe sine fructibus edunt, & Christo esurienti cibum non præbent. Marcescunt & pereunt semina, supra petram & secus viam cadentia. Te quoque agnovi ex eorum numero esse, qui ore confitentur, operibus Dominum negant, parietem dealbatum, paleas & Zizania inter triticum, hœdum inter agnos, aprum & lupum pelle agnina tectum. Antichristum enim & Ariosabellianum te tua Confessio & scripta declarant. Mea igitur opuscula, sine mora ad manus D. Christophori Threcii tradas, nam nisi feceris, perfidiæ argumenta non effugies. Vale. Deobreochini 16 Augusti 1571.

ANDREAS DUDICIUS, PETRO MELIO, Præconi Deobreocheoniensi ὑγιαίνειν.

TRibus fustibus, ut more patrio loquar, quam responso ullo alio dignior es, impudentissime & arrogantissime scurra, quos jam profecto sensisses, & dorso excepisses, ut meritus es, nisi majorem ego mei quam tui rationem habendam mihi esse existimassem. In alios innatam istam rabiem tuam emovas suadeo, me missum facias. Nam si me pietas Christiana malum pro malo reddere vetabit, erunt tamen aliqui tui similes, qui nimirum in lingua tantum Christi nomen gerunt, qui me ulciscantur, & venenatam ac procacem istam tuam linguam forpicibus constringent, ac capitulum istud tuum, in quo mendacia, calumniæ, obtrectationes, atque alia id genus probra, sedem domiciliumque sibi fixerunt, plane contundent, ac comminuent: Ne posthac viris bonis & quietis amantibus, ac pietatis studiosis, rabido isto latratu tuo molestus esse pergas. In felix ille & monstrosus tuorum scriptorum partus, ut primum in manus meas venit, in nescio quas latebras abjectus à me est, ut cum blattis ac tineis luctetur. Neque enim dignus unquam mihi visus est, ut meliorem locum occuparet, aut bonis rebus assuetos oculos, veneno suo inficeret.

Pudet me mei, quoties mihi in mentem venit, fuisse me aliquando tam facilem, ut & libros illos, & libris dignas literas tuas acciperem. Breviter ut dicam, ne te moret, pluris te faciunt adversarii tui, viri optimi, quam vellem. Quod si te, ut par est, contemnerent, mitior & demissior esses. Nunc ipsorum humanitate, & nimia patientia factum est, ut tibi aliquis esse videare, homuncule abjectissime & sordidissime. Pars librorum tuorum, quos cacatam chartam, (ut Catullus loquitur) merito vocare possis, nunquam à tuo Threclo ad me delata est, neque mihi visa. Reliquam partem, de qua supra memini, si tantum mihi otii aliquando dabitur, aut tam male tempus locare libeat, ex tenebricosis illis locis, quæ vix honeste nominari possint, in quibus nunc delitescit, eruam, eique reddam, cui vis, quamvis si me audies, & hæc & alia hoc genus commenta tua in latrinam conjicies, neque enim meliore capsa digna sunt.

O perditum & insanum homulum, qui, ut ridiculum & invisum se omnibus efficiat, summo studio contendit: & dum se vana gloriæ spe lactat, ita se excruciat, ita macerat, ita excarnificat, ut sacrum etiam morbum sibi accersat. O insaniam flagris cohercendam. Sed desino stulto respondere secundum stultitiam suam. Vale si potes, & pietatem ac sapientiam cole. Cracoviæ 22 Septembris 1571.

AN-

ANDREAS DUDICIUS THEODORO BEZA VEZELIO, Genevensis Ecclesiæ primario Ecclesiasti S. D. P.

ANimadvertisti jam ni fallor, Clarissime Beza, te eximiamque istam & omni disciplinarum genere cumulatam eloquentiam tuam, plurimi à me fieri. Ad quam quidem de præstantia tua existimationem meam plane singularem, accessit etiam mutua benevolentia, cujus tu memoriam sempiternis literarum monumentis commendasti, quo neque majus ullum, neque vere optatius expectari ab amico beneficium potest, ac si (ut inquit ille) laudari magnum est, à laudato viro; quale tandem erit à Beza in cœlum efferri?

Equidem etsi ita te amo, ut qui maxime, non potui tamen in hunc diem ullam præclaræ erga te meæ testem voluntatis significationem dare. Expecto nimirum, & cupide quidem, commodam aliquam, quæ ex usu tuo sit occasionem, quæ dum se offert, colamus obsecro sancte, non ita pridem initam inter nos amicitiam, neque eam silentio elanguescere sinamus. Ego id eo etiam libentius faciam, quod fructuosum hoc officii genus mihi fore confido. Nam si quæ tua humanitas est, responsionis, uberrimum eruditionis & eloquentiæ tuæ fructum capiam. Annus enim est & eo amplius, quum ad te scripsi, & peto majorem in modum, ut in hanc quæstionem quæ de Deo Trino & uno, magnis contentionibus, & partium studiis agitatur, in hoc regno & finitimis provinciis, diligenter incumberes, nobisque te Ducem præberes, ad obterendos hosce Christi hostes, sic enim tum eos, si recte memini, appellabam, ut solent plerique omnes, qui ad cognoscendam multis odiis & contumeliis exagitatam caussam aliquam, alienis præjudiciis occupatum, & quasi fascino quodam constrictum animum adferunt.

Paulo post cum attentius rem totam considero, simulque mecum, reputo, non tua, non ullius alterius, quantumvis summi & sanctissimi hominis fide mihi aut cuivis alteri, ad salutem iter patefieri: sed pro se quemque laborare, & de se sollicitum esse oportere cognovissem, cœpi ipsas scripturas perscrutari atque horum hominum, qui à Pontificia & vestris Ecclesiis dissentiunt sententias, suis ponderibus examinare. Nihil equidem prætermisi, (quod quidem à me præstari posset,) quod ad hujusce caussæ plenam quandam cognitionem pertinere videretur. Veteres autores evolvi, novos inspexi, omnia ponderavi, verbum Dei nunquam de manibus posui, sæpe ad Dei opem auxiliumque confugi ardentissimo animo precatus, ne me à recta via aberrare atque alienam à veritate, in re tanta sequi opinionem permitteret. Breviter: post diligentem totius rei inquisitionem, in eam mentem veni, ut jam ipse me tacite reprehenderem, quod causam nondum cognitam, ita temere condemnare non dubitaverim. Nunc sane ita sum affectus, ut nisi tu firmis, atque his quidem non aliunde, quam ex puro verbo Dei petitis rationibus errare me ostenderis, huic me sententiæ non invitus adjungam, quæ Christum à Patre discriminat, neque hos cum Spiritu Sancto confundit, & in unum permiscet. Quod quidem quoniam ita simpliciter est propositum, ut nec satis intelligi, auremque offendere queat, paulo copiosius rem totam persequar. Atque eo orationis genere utar ac si ex illis unus aliquis essem, qui disputationem cum adversario jam suscepisset. Quod dum facio oro te, ut animum mihi aliquantum à gravissimis aliis cogitationibus abductum accommodes, neque hæc propterea contemnenda ducas, aut oculos ab hoc scripto avertas, quod ut passim Vestri cum Pappeis clamitant, nova sit ac nuper nata hæc hæresis, aut multorum certe jam seculorum assensione comprobatis Anathematismis explosa atque ejecta.

Sed jam avoco abs te orationem meam, & ad eum transfero, si quis invidiam huic caussæ, odiumque hoc nomine conciliare studet, quod recens adhuc sit, neque dum satis adulta, aut quum jam olim germinare cæpisset, stirpitus à vetustis patribus evulsam fuisse dicat, ne late propagines in universum orbem explicaret. Heus tu bone; hæc si ratio valere debet, quid caussæ est omnino quare Papanis succensere debeas, qui omnes suos hostes, & à se dissidentem doctrinam, plumbeo hoc gladio vel coriacio potius, quasi sacculo quodam cineribus farcto, quo stulti armari solent, ut pueros terreant, crebris ictibus pulsant potius, quam vulnerant. Quod si stramineam tamen hanc rationem ita firmam esse vis: quomodo Lutheri, Zuinglii, Oecolampadii, Calvini, quomodo magni illius Bezæ nostri caussa consistet? Eadem illi quoque novitatis invidia in summas angustias redigentur. Satis enim constat, ante 50 hos annos, totam hanc Euangelii doctrinam, misere defœdatam in tenebris jacuisse. Ita quidem, ut nonnisi pauci, quos nimirum Deus immortali divinoque hoc beneficio dignari voluit, ante illa tempora oculos ex cœno, in quo defossi erant, attolere, tantamque lucem aspicere potuerint. Non fuit ergo multis seculis in vulgus nota Euangelii doctrina, quam quum Lutherus, atque alii docti viri ex tenebris erui, & labes quibus aspersa erat eluere, pulcherrimamque ejus faciem mortalibus ostendere conarentur. Quid aliud ab Antichristi satellibus audiverunt, quam novam esse illorum doctrinam omnem, ac propterea etiam suspectam esse oportere, quæ quidem aqud imperitam multitudinem calumnia, nunquam non plausibilis fuit. Ac ne nunc quidem alio propemodum clypeo figmenta sua obtegunt: quibus, tu videris, quid respondeas. Equidem hoc tibi vere affirmare possum, non esse novam hanc, quam nos sequimur, sed veterem illam doctrinam, de qua Prophetæ vaticinati sunt, quam Christus ipse docuit, quam Apostoli promulgarunt. Quæris unde hanc hauserim? An Ex Polonicis, an ex Transylvanicis cisternis? Ita enim loqui soletis. Miraris denique tanti apud me esse Georgii Blandratæ, tanti Francisci Davidis auctoritatem, ut eos universæ vetustati, ut nostræ hujus felicissimæ ætatis doctissimis viris opponere, atque adeo etiam anteponere velim. Si vicissim ego tibi tuisque objiciam, mirari me, quod majorem Lutherus, Calvinus, & si qui sunt alii, vobis fidem faciunt; quam antiquitas, pene tota, quam Patres, quam Pontifex Rom. quam Concilia, quam tot amplissimæ Academiæ, quam denique immensa Monachorum omnis generis & Theologorum agmina, quid habes quo meam hanc orationem, tua illa minus probabilem esse ostendere queas? Unum atque alterum ex Veteribus illis Patribus nominabis, quos, cum consentire dices, & dices tantum, Ego contra illos ipsos à vobis magna ex parte, atque in præcipuis quidem rebus hostiliter discrepare probabo, & sexcentos alios proferam, qui nihil prorsus commune cum vestris habeant. Præter ambitionem, & infinitam defendendæ, quam semel mordicus apprehenderunt, sententiæ cupiditatem, ita quidem, ut vel à se leviter discordantes, statim hæreseos infamia notent, atque Anathemathismis proscindant: quibus in rebus ita vestri cum illis certant, ut paria faciant, in hoc etiam superant, & Pappeos Antichristos imitantur quod ferro, flammisque non jam Dei verbum, ut credi quidam volunt, sed existimationem auctoritatemque suam vindicant. Nam ni id faciant, animadvertunt propediem plurimum de nominis sui celebritate ac gloria, quam scribendo docendoque adepti sunt, decessurum esse. Hoc scilicet est Spiritualibus armis pugnare, & spiritu oris Dei hostes terrere. Frustra igitur ad vetustatem, & eos quos tibi ante nominavi, confugies, nisi ut contra te tuosque sententiam audias.

Si ad nostri temporis Ecclesias provocabis, ne hic quidem multitudinis & consensionis præsidium tibi paratum offendes. Nam ut Papanos relinquamus, qui nihil minus, quam Christi doctrinam sequuntur, circumfer

oculos in Germaniam, quæ prima aliis gentibus Euangelii facem prætulit, & insulas Euangelii professione gloriantes, videbis vestrum istum Papatum non minori fere odio exagitari, quam Romanum illum, cui vos neque ambitione, neque superbia, neque crudelitate ceditis. Cave igitur ad hæc arma confugias, quibus teipsum facile confodias. Non Patres, non Papa, non Lutherus, non Calvinus, non quisquam alius, sed Christus Dominus & servator noster, pro te mortem oppetiit. Quæ igitur insania est, plus te illis, quam Christo Servatori credere? Negas te hoc facere. Ego vero ajo. Quare sit hoc in quæstione interea, dum tibi planum faciam. omnes Christo fidem abrogare, qui novas doctrinas illius doctrinæ affingunt, ac multo etiam magis, qui contraria docere non dubitant.

Sed ut quid tamen de duobus clarissimis illis viris G. Blandrata, & Francisco Davidis dicam, profiteor coram Deo, atque ejus Angelis, non me quicquam horum auctoritate permotum fuisse, ut à recepta passim de trinitate opinione, discederem. Illud etiam sancte affirmare possum, me neutrum horum unquam vidisse. Quare nulla cum illis tam arcta mihi amicitia intercedere potuit, nullum, beneficium ab illis profectum est, quod oculorum mihi aciem perstringere queat. Itaque non potuit illorum mihi gratia atque auctoritas fucum facere, ut tu falso conjicis. Neque ulla omnino ullius hominis auctoritas tanta esse possit, quæ me à vera pietate abducat. Hoc tamen tantum abest, ut inficiaturus unquam sim, ut etiam libenter profitear, totam hanc cœlestem doctrinam secundum Deum, clarissimis illis, magnaque doctrina, ingenio, judicio, pietate præditis viris potissimum deberi: in cujus gloriæ societatem jure suo veniunt & Alciatus, & Gregorius Schomanus & Krovicius, & Socinus, & alii præstantissimi viri, qui tum scribendo, tum docendo, plurimum operæ ad hanc illustrandam doctrinam posuerunt. Illi primi, quod sciam, illi, inquam, duo præstantissimi viri, Blandrata & Davidis, Latine editis hac de re libris, Christum ex sepulchro nobis eruerunt; in quod eum Patres illi vestri, & Papismi conditores, & architecti detrusum atque oppressum, circumpositis satellitibus detinebant. Quare ingenue fatebor, quod hi mihi ad Euangelii doctrinam simpliciter ut scripta & tradita est intelligendam, viam, quasi digito intendentes demomstrarunt.

Nunc primum intelligere mihi videor cur tot contradictiones, tot cciliationes pugnantium locorum in Scripturis Sacris quæ sitæ fuerint. Nunc planum mihi fit, unde tot disputationes, tot Concilia, tot dissensiones, tot Ecclesiarum Confessiones, tot hæreses & schismata extiterunt antehac, & etiamnum sunt, atq; denuo in dies exoriantur. Difficile enim factu est, quin ne fieri quidem potest, ut mendacium non sit multiplex & varium, quum veritatem uniusmodi, & simplicem ejus orationem esse oporteat, ut recte à quodam scriptum est. Antehac ad intelligenda quæ pugnare videbantur scripturæ loca, infinitas, ex Monachorum quisquiliis petitas distinctiones, & monstrosa quædam fictorum verborum commenta, adhibere oportebat. Ita quidem, ut ne illi quidem ipsi, qui id faciebant, quid dicerent, quidve omnino sentirent, dispicere in tantis tenebris possent. Vulgus vero & literarum imperita multitudo, quæ hæc mysteria nullo modo capere posset, ad Christi ovile non pertinere videbatur. Nam si verum illud est, ut est verissimum, sine doctrinæ hujus cognitione salutem contingere nemini posse; quod etiam symboli Athanasii initio cantillatur; quomodo salvi esse possint, qui tricas illas non intelligunt? Intelligere autem qui possint homines, ne exigua quidem literarum scientia tincti, quum etiam doctissimi identidem in ea quæstione explicanda hæreant & miserabiliter sese torqueant, ac perpetuo veluti Sisyphium quoddam saxum volvant, quod nullo loco consistens, tantos conatus, laboresque istos de lapsu suo ludificet. Neque enim idem Thomistæ, quod Scotistæ, atque aliæ Babylonicæ turris operæ docent, ut satis appareat ipsos suis se acuminibus compungere, neque tamen veritatem, de qua tantis viribus digladiantur, ab ulla parte stare. Ipsi quoque Patres pugnantia tum inter se, tum sibi ipsi dicunt. quod planum fiet, si eorum scripta evolveris. Jam vero quomodo veritatem tenere existimandi sunt, qui ipsi inter se discrepant, dum in eam inquirunt, deque ejus intelligentia acriter contendunt.

Quid plura? Ne Calvinus quidem, & qui eum sequuntur, eandem cum Papstu in hac controversia opinionem tuetur, sed longe diversam, ut nullum jam amplius in hoc perfugio præsiduum vobis collocatum esse possit, Veteri nempe atque adeo Pontificiæ Ecclesiæ congruentes esse de Trinitate sententias. Idem de Lutheranis ostendi potest: quod rum ab aliis ante tum non ita multis ante annis à G. Genebrardo Theologo Parisiensi qui quidem Bezam nostrum Nestorianum facit, copiose demonstratum est, ut plane supervacaneum sit, longiorem hac de re sermonem instituere.

Jam si his opinionum portentis repudiatis, ad Apostolicam simplicitatem te composueris, & ambitionem gloriolam, rumusculi nescio cujus nimium studium exueris, si inanis philosophiæ deliria abjeceris, si luxuriantem & altius volitantem intellectum tuum Deo, & scripturæ simplicitati in captivitatem tradideris, neque plus sapere, quam oporteat volueris, si his, inquam, semel abdicatis, quos ego duces secutus fueris, pervenies mihi crede, ad sacra illa divinorum oraculorum adyta, quæ nonnisi humilibus patere solent. Ita tu omnia inter se, ita apta & convenientia, ita Novum cum Veteri Fœdere congruere videbis, ut nulla jam dubitatio tibi mentem distrahere, nulla te amplius aberratio à veritate abducere queat. Non jam distinctionibus illis sophisticis, non contrariorum locorum conciliationibus ex spinosa illa & abstrusa scholasticorum Matæologia magno studio ex variis opinionibus coacervata: sed oracula omnia, meridiana luce clariora atque ilustriora, sua sponte sese offerunt, atque adeo in oculos incurrunt.

Ut autem plane intelligas, quibus fundamentis sacrosancta hæc fides, quam tu novam contumeliose appellasti, nitatur, audi ad quas nos regulas, si qua de religione quæstio existit, examinare soleamus, quibus ex regulis, quam vera, quam vetus, quam Christi & Apostolorum doctrinæ conveniens sit anilis illa & superstitiosa ac blasphema in Deum verum, ac contumeliosa de triplici ac uno, aut ut quidam nuper appellavit, trino Deo fabula, aperte perspicueque cognosces. Ac ne te copia obrui jure queri possis, breviter eas ac nude primum proponam; deinde fusius explicabo.

Prima igitur hæc sit Regula, ut summa Sacris Literis auctoritas tribuatur; ita quidem, ut quod ibi expresse non docetur, id ratiocinationibus humanis adducti, pro dogmate & fidei nostræ capite assumere ac proponere nefarium esse existimemus.

Secunda, statutum sit, ut quæ difficilia sunt, ea per locorum iisdem sacris codicibus petitorum comparationem, & per faciliora explicentur. In quo dum versamur, meminisse debemus, ut phrases & idiotismos linguarum non ad Græci vel Latini sermonis normam revocemus: sed contra potius faciendum nobis esse censeamus. Non est enim dubium, & Græcos & Latinos interpretes Veteris Testamenti, quin etiam Euangelistas & Apostolos Hebraizare, & tanquam aliena lingua locutos esse.

Tertia, ut occasio & locus, tempus, & res subjecta de qua agitur, & reliquæ ejusmodi circumstantiæ considerentur. Atque antecedentia cum consequentibus componantur. Denique ut tota atque integra oratio, non membrum aliquod à toto quasi corpore avulsum, ad difficultates tollendas proponatur.

Jam quod ad primam regulam attinet, aliquanto uberius sententiam nostram explicabo. Nos eo loco Sacras Literas habemus, cum illis tribuendam esse auctoritatem contendimus, ut nihil omnino ab hominibus excogitari

gitari unquam possit, quod illi æquare velimus. Neque vero ulla vis existere tanta potest, sive illa longi temporis prærogativa, sive plurimarum gentium consensione, sive conciliorum approbatione, sive principum legibus armata prodeat, ut illius ulla ex parte auctoritatem & majestatem vel minimum labefactare, atque imminuere, nedum convellere, aut de gradu suo dejicere ac deturbare queat. Ita quidem, ut ad extremum, non jam homines tantum, sed si etiam ipsi Angeli aliam in medium doctrinam afferant, non tamen nos avelli ab eo, Deo approbante, ulla ratione permittamus.

Quocunque igitur digitulum intenderint, qui Christum alibi esse ostendunt, quam nobis in Euangelio est demonstratum, nullis nos illecebris, nullis præstigiis, ita dementari patiemur, ut extra circumseptos nobis limites evagari velimus, aut etiam debeamus. Quod cum facimus simul etiam ostendimus, eum apud nos Sacris Literis, à Dei Spiritu ad nostram salutem dictatis, honorem tribui, qui illis ab omnibus summo quodam atque optimo jure debetur.

Illud quoque huic per omnia convenit, nos Christo Servatori nostro, & discipulis ejus majorem fidem adjungere, quam vanis atque impiis fanaticorum hominum commentis, qui humanarum scientiarum cognitione inflati ac tumentes, cum hæc nostra humilia nimis esse, ac stulta existimarent, neque satis digna philosophico fastu, ut ingenii sui acumen ostentarent, ea excogitarunt, quæ totum salutis nostræ fundamentum, quantum in ipsis quidem fuit, funditus everterent. Quæ quum ita se habeant, planum fit quoque, apud eos, qui contrariam fidei nostræ fidem sequuntur, majorem hominum, quam Christi & Apostolorum esse authoritatem, quod sane cum summa dementia, atque impietate conjunctum est. Atque hæc quidem, quam dixi Regula, & si nullis rationibus nobis excuti de manibus debeat: tamen quia gustatum tuum ita depravatum, atque, ut ita dicam, Papeis opinionibus infatuatum esse video, ut nihil tibi jam propemodum sapiat, quod à cænosis illis lacunis haustum non sit, tuum tibi Augustinum proferam, cujus tantam doctrinæ & sanctitatis opinionem in animos hominum Satanas inservit, ut major ejus quam Christi doctrinæ fides passim habeatur. Nam quum alia multa plane ab Euangelio abhorrentia, tum hanc de Triplici Deo extaticam phantasiam, ex ipsius potissimum fœcundo Commentorum penu depromserunt, qui Scholastici Theologi nominantur. Ex hoc nimirum vino biberunt illi primi, deinde reliquas quoque gentes, temulenti ipsi inebriarunt, ita quidem, ut jam, quod ebriis accidere solet, pro uno tres, aut etiam plures, perturbata visione aspiciant. Atque hic sane astutum Satanæ inventum licet admirari, qui quum animadverteret, non posse consistere Regnum suum, si debitus scriptis sacris honos relinquatur, persuasit hominibus, jam sponte sua ad omnem vanitatem pronis, Sacram Scripturam ita esse difficilem, & ut alicubi facilis sit, ita tamen mancam, & imperfectam, ut ex ea salutis cognitio constare nobis non possit. Quare necessario faciendum esse, ut quæ ibi desint, ex hominum philosophorum contemplationibus suppleantur & integrentur. Non aliis artibus primos illos parentes nostros dementavit, salutis nostræ adversarius nequam. Nam Dei verbum pomi esum vetantis, interpretatione subdola, atque adeo versutis quibusdam sophismatis ex eorum animis exemit, suumque venenum infudit in eorum mentes, quo & se infecerunt, & posteritatem omnem contagione pestilenti contaminaverunt: Hic quoque idem consilium secutus est, quod ex sententia successit. Nam perfecit ut verbo Dei, quod tetricum admodum difficile ac spinosum sit, seposito, aut penitus abjecto, major jam Patrum commentis & additamentis, qui tamen mali vitrici verius dici possint, quam ipsis veritatis magistris autoritas à servis Antichristi tribuatur. Quum pater & magister noster in cœlis sit; neque in terris, aut Patres ullos, aut magistros, qui alia doceant, quam quæ scripta sunt, quærere debeamus.

Negas? Si id non est, quid quæso in condendis novis fidei capitibus ab Euangelio discedunt, & ad Patres illos suos confugiunt? Qui tamen ipsi excitari ita timide suas opiniones proponunt, ut nolint sibi credi, nisi quæ dicunt Sacræ Scripturæ testimoniis congruant. Modeste illi quidem & recte! Sed in hoc ipso quoque, ut vulnificus in virenti gramine pastus coluber, sic exitio suo Satanæ quiddam concedunt, latet his sub illecebris venenum, benevolentiam conciliat, & assensionem nostram aucupatur. Facilius enim adducimur, ut credamus iis, qui modestiam & sanctitatem simulant, ac præferunt. Neque persuasum habemus, fucum nobis fieri, & in errorem nos præcipitari posse ab illis, qui tam boni, tam modesti, tam moderati sunt, ut nihil nisi cum cautione, nihil contra conscientiam dicere se profiteantur: quæ quum sic se habeant, quæ tandem quæso dementia, nos illis plus tribuere, quam sibi ipsis sumere audeant, aut etiam tribui velint?

Sed jam declarationis ergo, unum atque alterum Augustini locum adferamus, ut vestrorum quoque Apostolorum sententia, primæ hujus nostræ regulæ firmitas constabiliatur. *Is igitur ad Fortunatium*, de videndo Deo, Epistola, Nos non debemus, inquit, disputationes hominum, quantumcunque Catholici & magni fuerint viri, in eodem autoritatis gradu, quo Scripturas Canonicas habere: Ut nobis tantorum virorum, dixerim, improbare & rejicere ex eorum scriptis non liceat aliquid, quod forte parum vere ab his fuerit judicatum, intellectum, aut ex Dei gratia, aut à nobis, aut ab aliis. Ita de scriptis aliorum faciendum censeo, voloque eos, qui mea scripta legent, in his ita se gerere.

Idem de peccatorum meritis lib. 1. cap. 22. Credamus & consentiamus auctoritati Scripturæ Sanctæ, quæ nescit falli, nec fallere: hominum est labi, hallucinari, falli, fallere, decipi, decipere, Paulo dicente Col. 2, Videte ne quis vos decipiat, per philosophiam & inanem falaciam, &c. Eadem reperies in Epist. 12, & contra Cresconium Grammaticum lib. 2. cap. 32. Sed hujus generis loca plurima passim apud eum legere poteris. Audisne quæ recitavi? Potestne quicquam dici apertius? Sed non possum mihi temperare, quin alium etiam locum adferam. Ubi adversus eos, qui suam opinionem Concilio Ariminensi tueri volebant, sic loquitur: Ne pendeamus nos à Concilio Niceno, quod tamen antiquissimum & probatissimum est: Nec nos Concilio Ariminensi, sed Sacris Literis nitamur, & in his conquiescamus, in hac ipsa causa, qua de re agitur &c.

Vides Augustini tui testimonio, quantum Patribus, quantum item Conciliis tribuendum sit. Et tu tamen ipso invito, plus ei fidei arrogas, quam ipse postulat. Alibi etiam petit sibi ignosci, si quid forte de altissimis hisce mysteriis differenti exciderit, quod alienum sit, Et tu tamen ea omnia pro certissimis complecteris.

Nunc alterius quoque Papæ Synagogæ, Hieronymi, inquam, testimonium afferam. Is in commentaria in Epist. ad. Gal. sic ait: Doctrina Spiritus Sancti ea est, quæ in libris Canonicis tractatur. Adversus quam si Concilia aliquid constituerent, nefarium esset. Lege & in Psal. 86. Sed pleni sunt Patrum vestrorum libri, hujus generis sententiis, quibus & ipsi & vos, quoties à scriptura disceditis, Apostasiæ & falsi convinci nullo negotio potestis.

Ac quoniam Græcis quoque, quæ gens omnibus temporibus vanitatis fuit & superstitionum ac fabularum studiosissima, magnam adulterinæ doctrinæ segetem, qua pastæ sunt aliarum quoque gentium Ecclesiæ, imprimis debemus, ex illorum etiam scriptis non pauca adducere possumus, quibus nostra hæc norma magis ac magis corroborari queat, ex Origine, Irenæo, Chrysostomo, &c. Sed putidum est in re clarissima diutius commorari.

Intel-

Intelligis jam vestrorum etiam testimonio, ac nisi studiose mentiri Spiritui Sancto vis, fatearis necesse est, firmum hoc & immotum manere, quod nos veluti basim quandam, hujus nostræ disputationis posuimus: Sacris Literis in omni discutienda atque asserenda quæstione principatum tribui oportere.

Atque his quidem armis initio vestri quoque illi heroes Lutheri, Melanchtones, Oecolampadii, Zwinglii, Calvini, & post etiam alii doctissimi viri, qui Papæum agmen magnis viribus aggressi sunt, lethaliter vulneraverunt. Illa vero Patrum venabula, & sarissas, cum his tormentis majoribus minime comparanda, cupide abjecerunt, quæ si retinuissent, victi ab illis, & facile prostrati, cæsi & dissipati fuissent. Quæ igitur nunc insania est, illa ipsa vos arma hoc tempore assumere, quæ majores vestri difficillimis suis temporibus, ut exitiosa contemserunt, quæ si retineatis, non jam antesignanis illis tantum, sed hostium vestrorum lixis vel ipsis & calonibus facilem de vobis triumphum præbeatis. Sed hoc nimirum illud est, quod dici solet, pedo pugnant aut arundine, qui ense carent, & qui equo vehi non possunt, propter egestatem, pedibus iter perficere coguntur.

Hoc igitur propositum sit, ut nullus fidei articulus, ex casuum ratiunculis, sed ex verbo Dei plano atque aperto, ac totius Sacræ Scripturæ perpetua quadam consensione, atque omni ex parte continua harmonia extruatur. Nefarium, & ut Hieronymus loquitur, sacrilegium esse ducamus, de verbo Dei humano sensu argumentari. Idem vetat, Euangelii Doctores humanæ rationis præsidiis niti, qui hujusmodi virga & baculus arundineus est, quem si paulatim presseris, frangitur, & manum perforat incumbentis. Eadem ipsa docent & reliqui Patres. Præclare quidem, sed mirifico astu excutit eis Satan hanc scientiam, simul ut ad tractandum hoc pietatis nostræ caput devenitur. Quid (malum) igitur à vestris ipsi præceptis disceditis? Quid vobiscum ipsi pugnatis Patres? Quin sophismata, captiunculas, & argutula quædam terminis philosophicis involuta, in scholas & ad odiosas disciplinarum prophanasque disputationes relegatis, ac Dei verbum pure, simpliciter, reverenter puris manibus, menteque candida tractatis?

Sed hoc est illud, quod scriptum legimus: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi inquisitor hujus seculi? Nonne stultam facit Deus sapientiam hujus mundi? Quo potest illud Pauli monitum alio pertinere, quam ut à vobis caveamus, ne nos per philosophiam & inanem fallaciam seducatis? Hæc nobis & rerum & verborum portenta undenam importastis? Nonne ex Platonis & Hermetica Philosophia? Si quis dubitat, evolvat Trismegisti, Platonis, Dionysii Pseudareopagitæ libros, aut si id piget, facere, inspiciat vel obiter Augustinum Steuchum, de perenni philosophia, inveniet statim ex quo fonte impuri & lutulenti hi rivuli profluxerunt, ex quo venenatas aquas hauserunt, quicunque Dei verbo relicto, de via vagati sunt. Nobis religio esse debet, vel latum unguem à scriptura discedere. Nam scriptum legimus: si quis non acquiescit sanis sermonibus, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbum esse, nihil scire, sed languere circa quæstiones. Non admittimus igitur, neque etiam debemus, novas atque adeo portentosas res, quæ cum analogia fidei, cum totius scripturæ perpetua harmonia & consensu pugnant.

Neque vero hæc ideo adduxi, ut pulcherrimum & suavissimum philosophiæ, & quæ ejus manus dicitur, studium Theologis eripere, & Epicurum imitatus, universam ratiocinandi artem rejicere, ac ut semel dicam, tanquam Julianus aliquis, omnibus ingenii ac doctrinæ artibus bellum indicere velim. Non sum equidem ita iniquus, atque imperitus rerum existimator, neque tantopere à scientiarum studiis, quarum omnium cupidissimus ab ineunte ætate fui, abhorreo. Scio nullum majus à Deo tribui munus humano generi potuisse, nullum præstantius. Sed illud volo, illud contendo, ut summa fide verbum Dei, ac honorifice & verecunde tractetur: heræ sapientissimæ locum occupet, ad cujus ministerium humanæ artes, tanquam ancillæ advocentur. Quæ quidem ita se pudicas, & dicto audientes præbeant, ut non audeant quicquam designare, quod à Domina sibi mandatum non fuerit. Non sibi novos cultus excogitent, præscriptis contentæ sint, ne garrulæ sint præter modum, placide euntem comitentur. In ipsius vestigiis pedem figant, non alio evagentur, ne sese ipsi heræ unquam æquent, ut etiam sociæ esse velint, suæ conditionis meminerint, summam Dominæ dignitatem ac majestatem semper ob oculos habeant. Denique ne ita petulantes sint, ut dominam ipsam, quo nolit ire, vim ei adferant, atque eo impudenter ac scelerate eam protrahant, nefarie etiam in sacros capillos ejus involantes. Intra suos igitur se pedissequæ fines hunc in modum contineant, & dominam suam agnoscant, colant, venerentur. Sophia nomen est doctrinæ, disciplinæ cæteræ hujus sunt administræ, neque hoc tam magnificum nomen jure sibi vendicare possent, ad cujus arcem evocatæ cum sint, serviant non dominentur: sic fiet ut omnia quam rectissime habeant, sic illæ officio suo bene perfunctæ esse dici poterunt. Sic pulcherrimus ac jucundissimus erit totius doctrinæ Christianæ consensus, & ex variis & dissimilibus vocibus dulcissima existet harmonia.

Tu verò cui religio & pietatis cognitio cordi est, ita ancillarum amoribus deditus sis, ne ab heræ deliciis excidas. Nam efficit illa, ut si Agar Ægyptia Abrahami complexibus insolescit, pellatur & in exilium ablegetur, neque feret ad extremum, ut Ismaël Isaaci simplicitatem irrisisse; aut Agar Saræ bonitatem impune contemsisse videatur. Sit modesta, pudica, verecunda, erit etiam utilis: si hos fines ancilla prætergressa fuerit, impudens, procax, perniciosa erit. Sed de prima regula satis, ut opinor, copiose egimus.

Altera Regula erat, ut si quis nobis in scriptura paulo difficilior locus se offerat, qui aut sua sponte obscurus sit, (ut sunt quædam Satanæ ludibrio, atque administrorum ejus operâ obtenebrata,) ut non ad alium quenquam interpretem recurramus, sed à scriptura ipsa difficilis loci explicationem petamus, quæ ita vera est, ita inter se apta & cohærens, ut nusquam à seipsa dissentiat. Illinc igitur obscurum quod est, veluti sole illato illuminemus, ne quid sit, quod oculos fallere queat, quod ipsum etiam tuus Augustinus faciendum esse admonet, de Doctr. Christiana lib. 2. cap. 6.

Recte sane ibi Augustinus, verum longe aliter facitis, apertissima & luce meridiana clariora loca studiose, aliorum quæ quidem obscuriora sunt inductione obnubilare atque obtenebrare non dubitatis, contra omnem & naturæ & rectæ rationis legem atque ordinem. At contra audis, non obscuris clara involvendo, sed apertis retrusa illustranda esse. Si domicilium tenebricosum, apertis fenestris, & immisso sole illuminare possis, id tamen nolis facere, sed in tenebris illis delitescere malis, nonne te amentem merito dicerem? Multo etiam magis insanias, si lucem ità fugias, ut in luculentam aliquam domum delatus, solis radios data opera excludas. Tenebrionum, ut levissime dicam, lucifugarum, ac lippitudine laborantium, non bonis oculis utentium hic mos est.

Atque hæc est altera norma, quam etiam nobis concedas necesse est, qua duce ad verbi Dei intelligentiam pervenire possumus. Non alibi fidei nostræ lucernam accendere licet, quam in clarissima Sacrarum Literarum luce, ut securo cursu, atque sine offensione in via salutis pergere queamus. Lucerna sit pedum nostrorum verbum Dei, contra quod ne portæ quidem inferorum unquam prævalebunt.

Tertia Regula, quam supra posuimus, ita clara est, ut nulla longiore explanatione egeat. Nam vulgari etiam ac trito illo dicto monemur, non esse rem de qua dispu-

disputatio instituitur, à subjecta materia avocandam, ordo rerum ac connexio teneatur, omnium rerum initia, progressiones, caussæ, effecta, antecedentia, consequentia, quoad ejus fieri potest, animo perlustrentur, quæ si negligas, tu de cæpis quæras, ille de alliis, ut dici solet, respondebit. Nec dissimile monstrum erit, quam

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas;
Undique collatis membris; ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne!

Quam apte, quam concinne, quam ad rem, de qua agitur apposite multa dicuntur, quæ si distrahas, si loco suo moveas, & inepta, & inelegantia esse, & nihil ad rem facere videbuntur. Si quis ab ignoto aliquo corpore, manum aut pedem recisum per se intueatur, non facile dixerit, puerine an puellæ; Christiani an Hebræi alicujus membrum fuerit; sic si mutilum aliquod ex pulcherrimo Sacræ Scripturæ corpore, membrum avulsum ostendas, neque quærendi mihi potestatem facias, quam illi loco, unde sumptum est, recte connexum sit, quid aliud eveniet, quam quod idem Poëta ait:

- - - - Ut veluti ægri somnia vana
Junguntur species, ut nec pes nec caput uni
Reddatur formæ - - - - &c

Nec in hac quidem parte longior ero, ne te infra alios homines ponere voluisse videar, quorum nullus est, qui quidem sanus sit, quin hac de re tota vel minimum dubitet.

Age igitur ad tres has Regulas hanc de Trinitate quæstionem examinemus, ac quid Sacræ Scripturæ consentaneum, quid ab ea alienum sit, diligenter atque attente consideremus.

Primum omnium, quoniam omnis de Deo futura est investigatio, & hoc nomen neque simplex, neque uniusmodi est, sed varias res complexu suo continet, dicendum videtur, quid Dei vocabulo universe, quid proprie intelligatur. At quamvis præstantissimi illius nominis, quod nunc proprie Deum vocamus, nomine à Græcis mutuato. Forma, ut inquit Aristoteles, intelligi non potest. Nam nulla unquam ingenii vis atque acumen, nulla eloquentiæ facultas tanta fuit, aut erit unquam, ut vel animo complecti, vel oratione consequi queat, quid illud tandem sit. Nulla tamen gens fuit unquam ita immanis, aut barbara, quæ non insitam in animo notionem aliquam haberet, esse quiddam in rerum natura, quicquid illud tandem esset, quasi mentem quandam solutam & liberam, segregatam ab omni concretione mortali, omnia sentientem & moventem. Atque hunc quidem, qui paulo præter cæteros ingenio ac prudentia præstabant, non multiplicem, sed unum & summum natura duce ponebant. Illud enim sua sponte intelligunt omnes, quod si etiam aliqua gens ita fuit Satanæ superstitionibus imbuta, ut plures Deos posuerit: illud tamen apud omnes statutum fuit, ex omnibus esse unum aliquem summum & præstantissimum, qui reliquorum tum Deorum, tum & hominum, & pater & Rex esset. Jam vero qui rem propius Dei beneficio aspiciunt, illud quidem ipsum cogitant, sed hoc præterea adjiciunt, eandem illam mentem, etiam beneficam, generique humano amicam esse, hujus universitatis, rerumque omnium, qua cœlum ambitu suo coërcet ac continet, aut etiam omnium quæ supra & extra cœlum sunt, opificem & conservatorem esse. Illum sentiunt esse præpotentem, illius arbitrio ac nutu regi cuncta atque administrari intelligunt, nihil esse, quod ille efficere non possit, & quidem sine labore ullo, nulli naturæ obedientem, aut subjectum esse, ut cui pareant omnia. Ab hoc nobis omnia commoda quibus utimur, lucem qua fruimur, spiritum denique quem ducimus, dari, atque ex sancta cœlitum sede, omnia bona ad nos ab eo desluere, sine dubio persuasum habent. Quæ quum dicunt, non equidem nihil omnino dicunt, sed quid est hoc totum, quæso aliud, quam de maxima omnium re, balbutire potius, quam diserte loqui. Atque huic quidem sive Naturæ, sive Menti, sive Numini, Dei nomem Latine ex Græca voce, cui Plato non satis aptam Etymologiam aucupatur, tribuimus.

Putant, quum primum verum illud omnium principium, & motionis omnino fons, nulli penitus motui obnoxius sit, quamvis nostro, hoc est humano more quum de eo balbutimus, accurrere eum dicimus, quoties ad se confugientibus opem fert, ac quodammodo accurrit.

Sed proprium quo natura aut jus illius explicari queat, nullum omnino vocabulum inveniri potuit, aliæ gentes suis quæque nominibus illum appellant; rem autem ipsam, ut initio diximus, nulla unquam ratio, cogitatione comprehendere potuit. Unum illud fortasse nomen à rebus omnibus cæteris, quæ vel supra vel infra, vel in ipso cœlo sunt, hoc tantum nomen discriminare, quali ratione poterit, quod Hebræi ab essendo deducunt, quodque ipse sibi sumsisse videtur, quum Mosi quærenti, quis esset respondit: Ego sum qui sum, Aut, ut Hebraice est, *Ego ero, qui ero. Et Esai.* 43. Ego *Jehovah*, hoc est nomen meum, indicans sempiternum esse, & unum se existere. Sic enim Jehovam, hoc est, existentem, à verbo *Haiach*, quod existere significat, deducunt; idque propterea, quod proprie ipse est solus, ac per se primum essendi principium, à nullo accipiens ut sit, omnibus vero esse suum largiens, ac conservans. Nam nisi is esset, omnia eodem momento corruerent, ut David inquit: Avertente te faciem turbabuntur, & in pulverem suum revertentur. Hoc nimirum est Tetragrammaton illud, quod superstitiosi Iudæi effari dubitant, quod non nomen ipsum, sed id quod significatur, eloqui atque explicari nequeat. Non enim tantum majestas, sed ne actiones quidem ejus, quales sunt, intelligentia humana comprehendi potest.

Algazel etsi Christiana Religione imbutus non esset, sic tamen de Deo loquitur: Dico quod Deus creavit mundum ex nihilo, & dico quod non creavit illum hoc aut illo modo agendi, quibus nos utimur, aut qui sunt nobis noti: sed quemadmodum nos non cognoscimus, ipse Deus quid est; quia superat ejus essentia captum nostrum, ita ejus ratio agendi, est nobis ignota, neque est similis alicui rationi agendi, nobis notæ. Recte sane. Nam ut ipse quodam loco dicit: Non sunt viæ meæ sicut viæ vestræ, neque cogitationes meæ, sicut cogitationes vestræ, & ut Paulus loquitur, inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles.

Multa alia huic *Jehovæ* nomina tribuuntur in Sacro codice, sed quæ tamen non ita proprie rem ipsam nobis delineant, ut hoc. Hieron. & novem præterea primaria Dei nomina enumerat.

Primum EL à 70 Interpretibus Θεὸς redditur. Aquila Etymologiam exprimit, & fortem vertit.

Secundum ELOHIM.

Tertium ELOA, atque hæc quidem tria nomina, à virtute & robore sumuntur. Nec raro hominibus quoque accommodantur, secundum præsertim. Christus citat scripturam, ministros Dei Deos vocantem, de quo suo loco.

Quartum ZABAOTH, id est, *Virtutem*, Interpretibus 70, vel *Exercituum*, Aquila auctore.

Quintum ELION, excelsus.

Sextum EHEIE, *qui est Exod.* 3.

Septimum ADONAI generaliter *Dominum* vocant.

Octavum JAH.

Nonum JEHOVAH existens, de quo ante diximus.

Decimum SADDAI, Aquila interpretatur, fortem potentem.

Reperias, ut antea quoque meminimus, non pauca alia nomina in Sacris Literis, quæ vel potentiam, vel dignita-

dignitatem, vel majestatem, vel benignitatem, & mirificas ejus virtutes, & providentiam declarent. Sed nullum omnino nomen est, quod ei verius conveniat, illo ipso, quod ipse sibi sumsit. Nam tametsi ut præclare Sixtus Senensis docet, ex variis Creaturarum similitudinibus emendicemus appellationes quasdam, quibus Deum quatenus ipsum per speculum, & in ænigmate cognoscimus, nominemus, vel per affirmativa nomina, qualia sunt: ***Sapiens, bonus, Sol, Lux, vita, Rex, Dominus***; vel per negativa, ut sunt Invisibilis, immutabilis, incorporeus; Essentia tamen ipsa, ut in se est, neque verbis explicari, nec scriptis exprimi, neque ulla potest cogitatione comprehendi. Solus enim ille, qui infinitus est, seque solus comprehendit, hanc nominis sui incognoscibilis, id est, essentiæ suæ, quæ per nomen incognoscibile significatur, notitiam sibi reservavit, nemini incomprehensibilem ejus immensitatem revelans, sicut ipse ad Moysen testatus est. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac & Jacob in Deo omnipotenti, & nomen meum Jehova, non indicavi eis Exod. 3.

Dicitur autem hoc nomen nemini fuisse revelatum, non quod vox ipsa Jehova, aut ignota sit, aut lingua exprimi non possit, quum & certis literis scripta sit, & à Pharahone impurissimo homine expressa fuerit, sed quod Dei natura maxime per ipsum nomen significata, à nulla creatura exprimi possit, quum sit infinita, & ob id distincte, aperte, & exacte à nullo possit agnosci & nominari.

Cabalistæ sunt mirifici in hujus nomine, quod ineffabile Hebræis, ut diximus habetur, characteribus curiose investigandis. Ajunt enim mysteria quædam numerorum in quatuor illis literis, quibus Jehovæ nomen scribitur, abstrusiora esse recondita, de quibus Philo in Hexamero, & decalogi explicatione. Sed ne illud quidem hoc loco prætermittendum est, hoc illud esse nomen, quod Exod. 28, in lamina aurea diademati Pontificis super frontem præfixa insculptum erat, quod quidem quia quatuor literis Hebræis scribitur, tetragrammaton à Græcis dici cœpit: Hebræis ineffabile habetur, vel quod hæ literæ sonantes non sunt, neque ullam per se ipsæ articulatam vocem possunt exprimere, vel multo etiam magis, quod paulo ante attigimus, ob divinæ majestatis reverentiam. Quare superstitiosi homines, quoties illud nomen occurrit, in Adonai, quod nobis Dominus est, commutarit.

Nomen igitur Jehovæ, in aurea lamina in fronte Pontificis scriptum, supremum illud maximumque omnium ENS significat: principium esse & vinculum rerum omnium, quarum Pontifex imagines induit, continens & constringens partes omnes universi, nec sinens eas dissolvi, dilabique, nihilque esse in mundo, quod sine auxilio ejus possit esse, qui est omnis essentiæ omnisque vitæ plenitudo, à quo omnia vivunt, moventur, & sunt ab eo profecta, quique totum in se esse complectitur, quasi quoddam essentiæ pelagus, infinitum & immensum, quod fuit quidem semper, estque & erit semper, imo vero semper est: Nam *fuit* & *erit* divisiones sunt fluxæ naturæ & temporis, Deus vero & naturæ & temporis rationem transcendit. Hac de re videre poteris Eusebium de præparatione Euangelii & Dionysium Carthusianum in Exod. 3, ne me Monachos subignorare putes, ex quorum commentis dogmata vestra sumsistis.

Sæpe jungi solet cum Jehovah ELOHIM, quod
70 Interpretes vertere solent, Jehovah Gen.
2. 24. 28. Exod. 3.

Elohe, Dominus Deus Patrum vestrorum. Elohe Abraham, Elohe Isaac, Elohe Jacob, misit me ad vos cap. 5, Sacrificabimus Jehovæ Elohem, Domino Deo nostro cap. 10, Jehovah Eloah Dominus Deus Hebræorum cap. 20. Ego Jehovah Elohecha, Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti Levit. 11. Ego Jehovah Elohechem, Dominus Deus tuus Num. 15. Ego Jehovah Elohechem, Dominus Deus vester. Sed plena sunt exemplorum Sacra Biblia, in quibus recensendis non erimus longiores.

Atque hic quidem summus atque æternus opifex rerum omnium, quæ summa ejus est munificentia, & in humanum genus benignitas, tum nomen ipsum, tum potentiam suam per sæpe & æternis illis mentibus, quas Angelos vocamus, & hominibus etiam ipsis, quorum ministerio, utitur, ad bene placitum voluntatis suæ communicare solitus est: quomodo fit, ut quoniam Reges & Principes, atque adeo Magistratus, & quicunque tandem cum Imperio sunt, Dei quasi quandam inter homines imaginem, & simulachrum repræsentant, iis quoque nomen Dei tribuatur. Sic Moses, sic Judices, pii Viri, idola, Dæmones, sic alii quoque dii nominantur, ad quos sermo Dei factus est.

Hanc homonymiam præclare Paulus 1 Cor. 8. explicat, ut non sit magnopere necesse, aliunde hujus vocabuli distinctionem petere. Scimus, inquit, quod nullus Deus sit alius, nisi unus. Nam etsi sint, qui dicantur dii in cœlo & in terra, ut quidem sunt dii multi, & Domini multi, nobis tamen unus est Deus, ex quo omnia, & nos in illum. Audin' non unam esse vocabuli hujus significationem, sed tum presse, tum latius sumi? Unum tantum illum esse dicit, ex quo omnia proficiscuntur, nimirum reliqui ex hoc ipso, tum nomen, tum omnia gratis accipiunt.

Hæc porro cum ita sint, hic magnopere notandum est; Jesu Christo Domino & Servatori nostro, tum hac ratione, tum multo etiam magis propterea hoc nomen congruere, quod à Deo illo summo missus, unctus, Spiritu Sancto sanctificatus, ipsius voce filius de cœlo bis pronunciatus, & caput & judex sit constitutus, & ab omni æternitate, ad hæc tanta obeunda munera delectus. Cui quidem quum nomen Dei tribui vides, cave id illi cum summo illo commune esse dicas. Sed plane * * * ut fusius suo loco ostendemus.

Neque tamen propterea existimes ita angustis ejus nominis significationem finibus circumscribi, ut supra, quum Magistratus, Reges, Judices Angelos complecteretur: Unus hic est homo, legatus ac Minister summi illius Jehovæ, aliorum omnium, qui aut fuerunt unquam, aut futuri sunt præstantissimus, qui dignitate ac potestate omnes omnino creaturas longe superat, neque ulli sapientia, potentia, auctoritate, bonitate, beneficiis in genus humanum, præterquam summo illi & uni Jehovæ sit secundus. Nam hic præ consortibus suis unctus esse oleo lætitiæ dicitur. Nulli enim unquam tanta potestas data in cœlo, & in terra, quanta huic. Nulli nomen datum fuit alteri in cœlo, vel in terra, supra nomen & eximiam hujus potestatem.

Ac quoniam initio diximus Deum illum maximum animo nos complecti non posse, quantumvis omnes ingenii nervos intendamus: Ne tamen in summa ejus ignoratione versaremur, ut prophanæ gentes faciunt, animis hic atque illuc palantes vagemur, nobis Deos alienos fingamus, reliquit nobis præpotens ille idem nostri generis amantissimus Deus imaginem suam; Sacrarum Literarum momentis consignatam. Hanc ille nec fingi à quoquam, nec pingi aliis coloribus patitur, quam est à seipso, non vivis quidem illis & suis coloribus depicta, sed quibusdam tantum lineis adumbrata, ut eam imbecilles mentis nostræ oculi, quantum licet, aspicere possint. Neque enim totum se quantus est, nostris oculis objicere debuit. Lucem enim habitat nimiam, atque inaccessam, in quam acies nostra defigi nulla ratione possit. Immensus ille atque infinitus est. Contra vero mens atque intelligentia, angustis quibusdam finibus terminatur, neque mensura caret. Quare ut inviti etiam fateamur necesse est, inter illum nostramque mentem, nullam prorsus proportionem esse constitutam, ut qui Oceanum totum si

parva

parva magnis componere ſicet, parvulo ſcypho includere conetur, nihil agat.

Quid igitur facias? Hoc nimirum quod dixi, ut picturam illam, ſeu potius adumbratam Dei in Literis Sanctis imaginem, ante oculos noſtros ſtatuamus, atque in ea Deum noſtrum, non alibi uſquam extra eam quæramus, in eam defixa mente, non quidem qualis ille ſit, ſed qualem ſe haberi velit, contemplemur, neque altius, quam oporteat, ſapiamus, ne dum majeſtatem ſcrutamur, à gloria opprimamur. Caveamus autem diligenter, ne quod nobis propoſitum non eſt, ſtudioſius inquirendo, extra poſitos nobis limites evagemur. Sic enim nobis efficacia illuſionis immittetur, ut quoniam veritati non credidimus, mendacio fidem adjungamus, atque ad extremum in adinventionibus noſtris evaneſcamus. Quare ſi quis nos extra hæc ſacra ſcripta evocet, & Deum, ejuſque Chriſtum, aut hic, aut illic, aut quocunque alio loco eſſe affirmet, ne ex munitiſſima hac arce, in deſerta loca exeamus, ſed magno animo contemnamus, quicquid extra id, quod ad doctrinam noſtram ſcriptum eſt, homines ſibi per inanem philoſophiam, ac quacunque alia ratione effingunt.

Hoc vero ut minore etiam negotio nobis contingat, danda nobis opera eſt, ut præjudiciis, quibus oculorum acies eſt nobis hebetata, mentem exuamus. Nam magnam in animis noſtris Tyrannidem exercent, & vanis fabellis ab ineunte nobis ætate inſtillatis, cum ipſo lacte conſtrictam judicii noſtri libertatem tenent, ut ſe non queant, altius attollere. Opinio antecepta vera judicia prohibet, non minus quam oculorum morbus viſum impedit, ut ne ea quidem cernere poſſimus, quæ ante pedes ſunt, qua ſimilitudine præſtantiſſimus Orator Demades eleganter uſus eſt. Ejice hanc animo peſtem, & Chriſto, Apoſtolis, ac Sacræ ipſi Scripturæ fide, non te errare patietur, ne te ſi quos vocas Patrum auctoritas tranſverſum agat, atque in avia abſtrahat. Quid quod ne illi quidem alia ſe lege audiri volunt, quam ſi ex Scriptura Sacra loquantur. Quum illi ſua probare volunt, an alio quam ad ſimplicem ſcripturæ definitionem provocant. Quid aliud quum contra Papiſtas agitis, in ore habetis vos ipſi? Nonne his armis, ut antea monui pugnatis? Habetiſne quicquam valentius? Non ſane. Nam ſi hæc vobis extorquere patiamini, jacebitis jugulati.

Age igitur mentem jam atque oculos in Sacras Literas inferamus, & diligenter attendamus, qualem ibi ſe Deus haberi velit, atque etiam conſideremus, num Jeſus Chriſtus Filius ejus unigenitus, Dominus & Servator noſter, num etiam Spiritus Sanctus idem ille numero & ſpecie, ut ſic dicam Deus ſit. Ita quidem, ut quod Pater ſit, idem ſit & filius: ac quod uterque, id ſit Spiritus Sanctus.

Diximus in Sacris Literis Dei nomen amplum eſſe, ac varie ſignificare. Nos id in hac diſputatione ad duos imprimis contrahemus. Neque tamen peræque utrique tribui concedemus. Primò quidem maximo rerum omnium præpotenti effectori & conſervatori, Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti proprie. Deinde hoc nomen itidem ad Chriſtum referemus, quem ille nobis Deum & Servatore conſtituit. Ita quidem ut illum unum ſolum proprie & per ſe Deum dicamus, quatenus hoc nomen ſubſtantive, ut Grammatici loquuntur, capitur; hunc vero ex illo, non ex ſeipſo factum, & nobis datum, Dominum & Servatorem miniſtrum eſſe confiteamur. De Spiritu Sancto autem, quoniam nuſquam is Deus vocatur, neque pro Deo colitur, (quod quidem ex Sacris Literis oſtendi poſſit) neque cum ullo unquam homine ſermonem habuit, neque quis eſſet, quemve ſe haberi velit, nobis ipſe indicavit, neque Pater ille de cœlis, eum ut audiremus nobis mandavit; ita agemus, ut ex hoc eum numero eximamus. In qua quidem inquiſitione hæc mihi viſa eſt ratio commodiſſima.

Primum omnium brevem fidei noſtræ Confeſſionem, ex puriſſimis Novi Teſtamenti fontibus hauſtam, ſimpliciter ac breviter proponam, ut in conſpectu ac numerato habere poſſis, quid de Patre, Filio, & Spiritu Sancto ex verbo Dei ſentiamus. Quam quidem Veteris & Novi Fœderis, omni exceptione majoribus teſtimoniis confirmabimus nihil addentes temere, neque ſcelerate quicquam detrahentes, neque vel ad dextram, vel ad ſiniſtram deflectentes, ſed captivantes in ſubmiſſione intellectum noſtrum ac ſuavi verbi Dei jugo, magna animi reverentia ſubjicientes.

Deinde veſtram quoque de Trinitate ex impuris Scholaſticorum & Philoſophorum lacunis ciſterniſque eductam, confuſionem potius, quam Confeſſionem, in medium proferemus, & ei auctoritatem detrahemus, impiam, & à Sacris Literis, & Dei doctrinæ alienam atque abhorrentem eſſe demonſtrando. Poſtremo rationes quibus veſtra hæc commenta tueri conſueviſtis, ad normas illas, quas recte, & pietati Chriſtianæ congruenter initio conſtituimus, examinabimus, & Dei ope confutabimus.

CONFESSIO CHRISTIANA.

Audi igitur noſtram de uno vero Deo Patre, Filioque ejus unigenito Jeſu Chriſto crucifixo, & qui ab iis proficiſcatur Spiritu Sancto confeſſionem, quam quidem nos, ut antea profeſſus ſum, ex Sacrarum Literarum analogia perpetuoque conſenſu deſumſimus.

De Deo Patre.

Credimus in unum ſolum verum Deum, Creatorem cœli & terræ & omnium rerum, quæ in his & extra hæc continentur Gen. 1. 24. 14. Exod. 20. Deut. 4. 6. 27. 32. Pſal. 94. 135. Eccleſi. 1. Mal. 2. Actor. 17. 1 Cor. 8. Eph. 4. 1 Tim. 2. 1 Reg. 7. 2 Par. 6. Job 9. 23. Pſal. 71. 85. 87, &c. Vide Joannis Sommeri Refutationem lib. 1. cap. 4, huc uſque: Hac doctrina informati.

De Filio.

Credimus & in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem omnia 1 Cor. 8. &c. Vide ibidem, ad hæc uſque verba: Neque ullum Chriſtum, qui crucifixus non ſit, ſcimus 1 Cor. 2.

De Spiritu Sancto.

Credimus Spiritum Sanctum eſſe Dei Patris & Filii Spiritum, Matth. 3. 10. 12. Luc. 4. Rom. 8. 1 Cor. 2. 3. 2 Cor. 3. Gal. 4. Eph. 5. Phil. 1. Act. 2. Qui à Patre procedit Joh. 15. Per filium, datur credentibus Tit. 3. &c. Vide Sommerum lib. 2. cap. ult. pag. 171, uſque ad finem.

Si quid præterea eſt, quod Sacræ Scripturæ, ſive Deo ipſi Opt. Max. ſive Filio ejus Jeſu Chriſto, ſive Spiritui Sancto tribuant, quod nos hic dum ad alia properamus, non inviti prætérivimus, id totum libentiſſime, ac cum ſumma animi ſubmiſſione eis tribuimus, toto corde fatemur, & ſine hæſitatione ulla credimus.

Audiſti jam fidei noſtræ brevem quandam, quaſi ſummam, eamque ex puriſſimis, atque intimis Sacrarum Literarum fontibus hauſtam. Animadvertis jam, ni fallor, alium eſſe cœli & terræ atque earum rerum, quæ horum complexu continentur, creatorem illum Deum, Opt. Max. Alium item Jeſum Chriſtum ejus Filium. Itemque hos ipſos alios diverſoſque eſſe à Spiritu Sancto, quem vos iſtis æqualem, imo eundem facitis. Nos vero veritatem Ducem ſecuti, negamus hos eſſe eoſdem, aut eundem unum aliquem Deum,

qui modo unus, modo multiplex sit. Christum vero ipsum ne extitisse quidem, antequam ex Spiritu Sancto conciperetur, ex Sacris Literis demonstrare aperte possumus. Non requiro, ut mihi fidem habeas, Sacris Literis, Euangelistis, Apostolis, Christo ipsi crede, omnia alia, quam tu contendis affirmanti. Jubet is nos scripturas perscrutari, ut quæ testimonium sibi dent. Ipse quoque Mosem, Prophetas, Psalmos testes in hac caussa citat. Nefas est igitur alibi Christum quærere, quam eo loco, ad quem ipse nos alligat.

Age vero, estne in his, quæ modo nominavi, verbum ullum, extatne usquam vel tenuis significatio, ex qua appareat, fuisse Christum æternum, Patri æqualem, coëssentialem, denique eundem ipsum, qui Pater est Deum, totius mundi machinæ, rerumque omnium aspectabilium, atque earum quoque quæ sub aspectum cadere nequeunt, præpotentem fabricatorem atque architectum? De Spiritu Sancto quid dicam? Ne per somnium quidem tale aliquid, cuiquam ex Sacris Scriptoribus, aut corporis, aut mentis oculis unquam obversatum est. Hanc igitur fidem, quam nos profitemur Christus ipse, hanc Apostoli docuerunt. Simplex, pura, nullis alienis coloribus fucata est. Ab omnibus etiam simplicissimis hominibus percipi & intelligi potest. Hæc mirandum in modum, fluctuantes conscientias tranquillat, voluptateque incredibili fidelium animos perfundit.

Hanc vestram quoque perplexam illam, falsam, adulteratam, à verbo Dei abhorrentem, quam nedum simplices homines; sed vix ipsi Philosophi & hujus mundi sapientes intelligant, audiamus. Quæ quidem talis est, ut intelligentiam omnem refugiat, perturbet animos & conscientias hominum, neque aliud quam terrorem & summam conscientiis desperationem afferat. Nemo enim constituere tuto possit, quem potissimum, aut quomodo adoret, invocetque: quum modo tres, modo unus, modo duo, nunc separatim, aliquando conjunctim appellandi sint. Ac quamvis horrida quædam atque scurrilia admodum plerique Vestrum garriunt, neque omnibus eadem est sententia, nos tamen Symbolum illud, quod Athanasio adscribitur, quoniam id fere omnes in ore habetis, & obstinate propugnatis, & Papistæ in suis delubris magnis vocibus reboant, ad verbum recitabimus.

Symbolum Athanasii.

Quicunque vult salvus esse, Ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem, &c.

En vestram illam plane auream fidei confessionem: quam qui legit, aut etiam audit, putasne etiam aliquem qui intelligere possit? Sane Minotauri illius Cretensis Labyrinthus, ludus fuit ac jocus, præ his flexibus irremeabilibus, ex quibus nullus se Theseus explicaverit. Estne hic aliquid ex Sacra Scriptura adductum? estne quicquam Sacris Literis congruens? Næ hic, sive Monachus, sive Athanasius, sive quis alius, & nobis & Christianæ religioni illudere voluit, quasi illa pro Deo vero Proteum aut Vertumnum aliquem habeat: vel etiam Julianum aliquem fuisse oportet, aut si quis fuit alius, qui pietatem Christianam ludibrio habuit. Quid Sibyllæ foliis similius, aut oraculis illis, olim ad decipiendos homines à Dæmonio editis? Equidem ut modestissime dicam, videor mihi par impar ludentes spectare; aut gesticulatores, ac præstigiatores potius. Hi pyxides & globos, agilitate, ac mirabili quadam manum celeritate, ita artificiose tractant, ut modo unum, modo duos, modo tres globos ostendant, sed ita ut qui antea tres erant, sub una pyxide, nunc duo tantum, statim unus, mox iterum tres, eodem fere momento appareant: neque tamen tu observare, aut oculis notare possis, quando eos subducat, quando vicissim subjiciat ac reponat. Vidi etiam pueros ita colludentes, ex his unus aliquis indice ostenso, duobus digitis occultatis, socios divinare jubet, quot digiti essent? Si unum (neque enim plures apparebant,) respondisset, tum duos reliquos proferebat. Si fraude animadversa tres ajebat, tum ille unum, aut duos ostendebat. Similiter hi faciunt, qui modo unum, modo tres nobis Deos ostendunt; quos ignorarunt omnes à Deo docti: modo ajunt, modo negant, nunc constituunt, mox statim unum Deum tollunt, & ita tres uni, & unum tribus pectinatim, ut Plinius loquitur, complicant, ut non jam Sacræ Scripturæ, sed totius naturæ ordinem, ac rationem omnem pervertere velle videantur. Hoc nimirum illud est, quod dici solet, cum ratione insanire.

Atque ab initio statim, ne fucus pateat, terrores injiciunt, æternæque damnationis periculum denunciant. Sic pueros nutrices spectris quæ nulla sunt, territant, ut suaviter dormiant, si somni tempus appetat. Sed vanis hisce terriculamentis, Dei verbo munitus animus fortiter objiciendus est, excutiendus somnus, etiam atque etiam cavendum, ne te hoc pharmaco soporatum, dæmon perdat, præcipitemque in barathrum agat.

Animadverte quæso, quis tandem ille Deus esse queat, qui nunc tres, nunc duo, nunc unus sit. Quis unquam ita male sanus fuit, ut qui unus est, eum tres esse dicat, & ex tribus vicissim unum efficiat? Si nemo salvus esse potest, nisi fidem hanc Catholicam teneat, quæ hic multis & verborum & sententiarum tricis complicata proponitur: quid fiet obsecro, hominibus imperitis, atque idiotis, quorum maxima pars est, in universo terrarum orbe? Illi sane hanc fidem tenere, quid dico tenere ne intelligere quidem possunt. Nec mirum, nam vix ipsi, qui nobis eam identidem obtrudunt, animo complecti queunt: indicio est tam diversa, & varia eorum de Trinitate concertatio. Quis scripturæ locus unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate tibi venerandum proponit? Quis ita ex Euangelistis, aut Apostolis locutus est? quid nostram fidem his verborum gyris torques? Unum Deum inquis, in Trinitate, plus dicis, quam velis. Trinitas enim tres indicat. Quod si in tribus iis unum Deum fingis, jam præter tres illos, quartum, qui in tribus numerandus sit, statuis. Non igitur unum, non tres; sed quatuor Deos ponis. Quod ut magis etiam inculces, Trinitatem illam, includis unitati; hoc est, tres in uno reponis. Si diversum atque aliud id est, quod continet, ab eo quod continetur, unus ille Deus qui tres alios complexu suo coërcet, sane quartus quidam erit. Idem efficies, si unum illum in trium numerum conjicies. Amplius, si tres personas Trinitatis vocabulo intelligi vis, Deus ille quem in Trinitate veneraris, quarta quædam aut persona, aut essentia, ut vos loquimini, erit. Neque confundentes personas, inquis, neque substantiam separantes. Quomodo hoc fieri potest, si Trinitatem unum esse Deum fingis? Sane si unus est, tres esse non possunt, nisi eos ita misceas uni, & temperes ac confundas, ut medici faciunt, cum * * *

Cætera desiderantur.

Andreas Dudicius, Josiæ Simlero, & Jonani Volfio Theologis Tigurinis S. P.

Proficiscenti ad vos Domino Threcio, utriusque vestrum amantissimo, has ab vos dare literas placuit; separatim scribere hoc tempore non licuit, ob nimiam illius festinationem; vel potius quod animo sum perturbatiore, & ab omni scriptione abhorrente, ob Regis nostri invaletudinem, cujus tanta est virtus & sapientia, ut in ejus unius vita secundum Deum, omnis nobilissimæ hujus Reipub. dignitas, tranquillitas, salus denique consistere videatur. Quem si Deus propter scelera

scelera nostra nobis eripiet, nihil nobis infelicius, nihil ne fingi quidem potest calamitosius, nisi nos idem ille Deus respiciat, ac mala omnia longe propellat; peccavimus, inique egimus, iram ejus provocavimus, ut nonnisi gravis expectanda sit criminum nostrorum vindicta. Quæ cum nostris oculis obversatur; quo nos animo esse existimatis? Me quidem quem Deus in hac ipsa navi collocare voluit, ita hæc movent, ut vix alia de re ulla, cogitationes, æger animus, & futuræ tempestatis expectatione afflictis, admittere queat. Quapropter viri optimi & præstantissimi, majorem in modum à vobis peto, ne mihi succenseatis, quod utrumque una hac Epistola, eaque inelegantí ac rudi, compello. Quamvis equidem non magnopere mihi peccare videor, cum vos non separo, quos natura ipsa conjunxit, eadem vobis patria est, idem studium, bonitas; pietas, doctrina, eloquentia prope eadem, par certe humanitas, & erga me nihil de vobis meritum, benevolentia, & præclara bene merendi voluntas, de qua me ita vobis debere sentio, ut quoniam nihil adhuc caussa vestra effeci, quod vobis gratum esse possit, vitam mihi acerbam putem, quæ multo etiam acerbior esset, nisi spes me aleret, fore ut aut Deus, aut vos ipsi aliquam mihi occasionem oblaturi sitis, gratitudinis & observantiæ meæ testificandæ quam ego occasionem avidissime expectabo. Idem dictum volo, de Clarissimo Viro Beza, cui quidem quantum debeam, nulla satis oratione explicavero. In vestram amicitiam me humaniter recepistis, laudibus ornastis, studia etiam mea, & rectam de Christiana religione doctrinam, scriptis vestris adjuvare atque augere conati estis. Quid est aliud si hoc beneficium non est? Equidem præ his alia contemnenda puto omnia. Scripseram ad vos libere; & ut hæsitantem animum confirmaretis, petieram, & vos, & Beza, amice docte, sapienter respondistis; vestræ Epistolæ omnis doctrinæ, elegantiæ, gravitatis plenæ fuerunt, quibus certe nihil in hoc genere potest præstabilius inveniri. Gratias agere cogitabam, & manum etiam calamo jam admoveram, de humanitate & labore vestro: sed quoniam non omnia probabam, verebar ne vobis bilem moverem, si homo rudis pene, atque in hac palæstra nondum satis exercitatus, cum tantis viris amplius contenderem, ne statim me caussa decidisse confiterer. Id autem ne facerem conscientia deterrebat verbo Dei confirmata, è quo ne latum quidem unguem discedendum esse, vel vobis ipsis magistris didiceram. Quapropter animum jam & amplius tacere malui, quam & vobis & mihi negotium scribendo facessere. Huc accedebat, quod non vano indicio vos à me animo alieniore esse cognoveram, ob Epistolam quandam ad Lasicium amicum meum de Trinitate scriptam, quam ille continere non potuit, sed prius aliis legendam tradidit, quam ipse legisset, sic illa in multorum manus venit, non sine magna nominis mei invidia, & fortasse etiam ignominia: Non sane quod illius me sententiæ, quæ ibi describitur, aut pudeat, aut pœniteat, sed quod non ita scripta est, ut in vulgus emitti debuerit. Non enim nescitis, liberius cum amico & negligentius disputare plerumque omnes solere, neque esse quenquam ita rudem & ignavum, qui non majore diligentia ac cura in iis scriptionibus versetur quæ in vulgus emittere cogitat. Postea disseminati quoque sunt sermones tum hic, tum alibi, Dudicium Arrianum, impium, in filium Dei blasphemum esse factum, quæ ipsa ad vos quoque perscripta esse audiebam. Quæ cum ita esse intelligerem, omnem ad vos scribendi cogitationem abjeceram.

Amabam autem vos & observabam, & omni cultu ac commendatione dignos existimabam, ob doctrinam eloquentiam ac præclaras alias ingenii dotes, quibus vos Deus cumulate ornasset. Sic enim cogitabam, quid insanis ad eosne etiam scribis, qui ita sunt animati, ut si te nancisci possint, statim in ignem conjiciant? scio enim ita vos sentire, & hanc sententiam, tum scriptis, tum omni suppliciorum genere propugnare, ut à vobis discrepantes, trucidandos judicetis. Quæ sententia vestra quam sit Pontificia, quis non intelligit? quibus aliis, quæso, præsidiis suam illi Tyrannidem constabiliunt? fera hæc Lex est & barbara, & a Christi Ecclesia explodenda, & repellenda. Quis ita cœcus est, qui non videat hanc feritatem & Doctrinæ Christi repugnare, & in Dei Ecclesia prorsus omni exemplo carere? Non ovium est mordere, sed luporum, non persequitur quemquam vera Ecclesia, sed persecutionem patitur. Neminem Christus, neminem Apostoli ejus atque horum discipuli, ob religionem quamcunque occiderunt, quin ipsi ab impiis hominibus tanquam oves ad occisionem destinatæ, mactati sunt. Sed non est hic locus hac de re fusius agendi. Hæc eo tantum attigi, ut silentii mei rationem adferrem. Et certe ne nunc quidem gratam hanc Epistolam fore judico, ut ab homine, quem vos cum aliis à vobis dissentientibus dignum supplicio judicatis, profectam: Et poteram equidem hac vos molestia liberare, nisi D. Threcius me tora me sperare de humanitate Vestra jussisset. Qui flagitabat illud quoque à me, ut libellum quem de Trinitate ad Clarissimum Virum & mihi amantissimum Dn. Bezam scripsi, ad vos mitterem. Affirmabat enim vos & te imprimis Optime Simlere quæ vestra est pietas & doctrina, libenter lecturos esse librum illum, & rationes meas confutaturos. Cujus ego voluntati hoc tempore obsequi non potui, quod describi tam paucis diebus totus liber non posset, & de voluntate vestra nondum certi quicquam habeo. Deinde malebam eum in adversariis jacere, quam in publicum prodire, præsertim cum nondum eum Beza ipse viderit, ad quem scriptus est. Expecto etiam ut Zanchii liber exeat, qui me à sententia deducat, aut certe in ea, ut confido, magis confirmet. Sed si tamen nondum tantopere à me, meisque scriptis abhorretis, si tam estis meæ salutis, ut Threcius affirmat, cupidi & studiosi, si tantum vobis otii est, ut nostra legere, & refutare velitis, dabo operam, ut ea primo quoque tempore ad vos veniant. Interea illud vos oratos volo, ne tanti hoc dissidium æstimetis, ut me ex amicorum vestrorum numero expungendum censeatis. Mihi certe hæc sententiarum varietas, inter nos impedimento nullo est, quominus vos, ut antea, & amore & observantia dignissimos esse existimem. Miseram ante biennium ad Dn. Bezam duos libellos, de meo Matrimonio, de his dedi negotium Dn. Threcio, ut vobiscum agat. Oro vos, ut id statuatis, quod cum utilitate publica, & mea dignitate conjunctum esse putabitis. Valete viri præstantissimi, mihique clarissimi meque mutuo diligite. Cracoviæ die septimo Mensis Julii Anno Domini 1572.

Magnifico Domino Domino ANDREÆ DUDICIO PETRUS CAROLINUS Concionator Varadiensis.

GRatiam & pacem à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo unigenito à Patre ante tempora secularia, & in plenitudine temporis ex muliere nato precatur, suaque officia commendat. Quanquam virtutis, sapientiæ & humanitatis tuæ, in omnes propemodum Orbis Christiani plagas pervulgata fama, me quoque tui nominis desiderio inflammatum, jamdudum impulit Magnifice & Clarissime Domine Dudici, ut aliquas notitiæ saltem tecum ineundæ fores meis literis aperiam, hactenus tamen accusantibus etiam amicis timiditatem meam, nihil hujusmodi tentare ausus sum. Nam etsi insigni tua pietate, quam uno omnium ore prædicari ubique audio, & in summo tuo ingenio liberalibusque disciplinis cultissimo, cui profecto nihil agreste, aut asperum inesse potest, conquiescens, futurum omnino sperabam, ut meam interpellationem non moleste laturus esses: meus tamen pudor quodam-

modo frænum mihi injiciens, animum ſcribendi cupidum retrahebat. Virum enim tam illuſtri loco, & excellentis eruditionis faſtigio poſitum, cujus amicitiam magni quique, & præſtantes viri, certatim & cupide expeterent, ab homine in obſcurum angulum projecto, nec literis ſatis, ut oportet munito, qualem me eſſe fateri non dubito, ſine aliqua temeritatis nota, interpellari non poſſe judicabam. Quin etiam literæ tuæ ad Petrum Melium, quem ego fratris in loco habeo, cultiſſimæ & ornatiſſimæ, ſuperioribus menſibus perſcriptæ materiam timori meo ſuppeditabant, quibus tu quod importunitate neſcio qua moleſtiam tibi attuliſſet, paulo acerbius, & ſtomachoſius, ut bona tua pace dicere liceat, eum perſtrinxiſſe videris. Verum enimvero his dubitationum fluctibus, quibus me agitatum fuiſſe non inficior, emergere mihi cupienti, hunc nihilominus portum tenendum eſſe ſtatui in quem & magna de tua eximia humanitate ſpes, & meus erga tuas virtutes amor incredibilis, ſtudiumque perpetuum promerebant. Quapropter patere obſecro tibi perſuaderi præſtantiſſime Do. Dudici, in ſcribendis ad te literis ſola nominis tui obſervantia incenſum, ſummaque tua humanitate fretum, audacius manum admoviſſe, eoque, ut meam hanc, ſi quæ eſt, importunitatem, placide tollens, mihi quoque tuis occupationibus obſtrepenti, veniam des vehementer peto. Neque ego nunc ut in album tuorum amicorum recipias, abs te contendo, quod certæ magnæ temeritatis & impudentiæ foret. Sed nunc me ex eorum numero eſſe agnoſcas, qui tuas virtutes ad omnem poſteritatem immortales, admirantur & obſervant. Etſi enim (dicam enim ſicuti mea fert natura ingenue,) ſubobſcuri & ambigui rumores, præſertim ab adverſariis noſtris circumferuntur, te relicta Orthodoxa de Deo doctrina, profeſſione renovata, Serveti opinioni favere cœpiſſe: Nunquam tamen, ut in hanc de te opinionem venirem, perſuaderi mihi paſſus ſum, neque patiar eo uſque, donec aut ſcriptis publicis, aut literis tuis mens tua mihi perſpecta fuerit. Virum enim te iſta pietate, ſapientia & eruditione, cujus exemplum in utramque partem plurimum valet, non exiſtimo quippiam temere commiſſurum, quod magno univerſæ orbis Chriſtiani Eccleſiæ detrimento futurum ſit. Videre etiam te certo ſcio, principia quibus iſti nituntur, tam abſurda & infirma eſſe, ut ſine magno labore colligere liceat, nihil niſi acuti ingenii famam captare voluiſſe, qui ab aliis diſſentiendo ϑηρίο[illegible] hæc opinionum in Eccleſiam invexiſſe, de quibus ſi per te liceat, erit alius commodior diſputandi locus. Quin etiamſi verum ſit id, (quod omen Deus avertat!) quod tui nominis parum amantes diſſeminant: ſummum tamen tuum ingenium, ſummam ſapientiam, eruditionem & eloquentiam mirari, & ſtudioſe colere non deſinam, quibus tu certe non ſolum tuæ gentis homines, longiſſimo intervallo poſt te reliquiſti, ſed eos etiam, qui ingenioſiſſimi & eloquentiſſimi cenſentur, eruditorum omnium judicio, æquaſti. Nec id modo, ſed incredibilem etiam humanitatem attuliſti, quæ etſi mihi coram perſpecta non eſt, ſermones tamen noſtrorum popularium mirifice eam extollentium, ſic mihi fidem fecerant, ut nihil tantillum de ea ambigere ſumma mihi religio ſit. Neque vero extimeſco Magnifice & Præſtantiſſime Domine Dudici, ne gratiam tuam immodice aſſentando aucupari nonnullis videar. Quid ni enim tuas ego virtutes admirer, admirando colam, quas eximii & ſummi viri ad cœlos uſque laudibus evehunt? Nec tu his tuis laudibus faves, ſcio, ac fortaſſe etiam animus tuus vehementer hiſce offenditur, ſed nos minime ingrati ſumus, ſi præclara hæc ornamenta, quæ divinitus in te collata agnoſcimus, turpi ſilentio ſepeliamus. Non igitur vereor, ne hæc aſſentatio ſit, à qua profecto meum ingenium abhorret ſummopere, ſed officio potius me adductum, ſentio, ut meam in te gratitudinem hic ſaltem declararem, idque in optimam te partem accepturum, pro tua humanitate non dubito. Quod ſi hanc meæ voluntatis ſignificationem, gratam tibi, quemadmodum ſpero, ſenſero; dabo equidem operam, ut reipſa cognoſcas, me unum eſſe ex præcipuis, qui tuis ornamentis præclariſſimis favent, quique diutiſſime florentem te eſſe cupiunt. Ornatiſſimum Virum, pietate, ſapientia, & humanitate præſtantiſſimum Dominum Chriſtophorum Threcium, meo nomine officioſe ſalutare ne dedigneris, ad quem meas etiam dediſſem literas, niſi præcipiti Tabellarii feſtinatione excluſus fuiſſem; petes etiam ut per occaſionem ad me ſcribat, id erit mihi longe gratiſſimum. Bene vale Domine Magnifice Dudici, ſeculi noſtri ornamentum. Datum Varadini 12 Calend. Quintilis, Anno Dei 1572.

Andreas Dudicius Petro Carolino Concionatori Varadienſi S. D.

Nihil equidem minus, quam literas tuas expectabam, quum ſingulari modeſtia juvenis, & non mediocri, ut videtur, doctrina præditus, Varſanius, abs te mihi plurimam ſalutem dixit, & omnis humanitatis atque officii plenam Epiſtolam reddidit, quam ego certe perlibenter accepi, & non ſine magna voluptate legi: Non ſane ob eam cauſam, quod laudes, quas immodice in me contuliſti, agnoſcam, quas certe ſine rubore legere non potui. Quin ſæpe etiam in mentem venit cogitare, te, ut homines eloquentes, facundiæ & ingenii ubertate abrepti ſolent, ex Muſca Elephantem facere voluiſſe: ſed quod tam amanter, tam humaniter, tam etiam honorifice me compellari viderem, ab eo homine, quem ego jam pridem, (ut leviſſime dicam,) à me animo alieniore eſſe exiſtimabam, ob diverſam de religionis quibuſdam capitibus ſententiam. Non erat mihi quidem antehac ignota doctrina & eloquentia tua Clariſſime Caroline, ex multorum ſermonibus primum, deinde ex libris quoque tuis. Sed iſta tanta bonitas, tam inſignis humanitas, & animi manſuetudo, ut ingenue fatear, inexpectata, præter opinionem mihi accidit. Nam ego te ex aliorum Symmyſtarum tuorum ingenio, fingebam eſſe hominem ita tuæ ſententiæ addictum, ut ab ea diſcrepantes, ne communi quidem lucis uſura, nedum aliquo honore, & benevolentia dignos exiſtimares. Ignoſce mi Caroline, iniquus eram bonitatis & nobilis iſtius naturæ tuæ æſtimator. Sed quid facerem, vix credebam ex primariis & doctrinæ ac celebritate nominis Clariſſimorum Doctorum, in quibus te numero, aliquem exiſtere, qui tam moderato, & ad charitatem Chriſtianam conformato animo eſſet. Video enim paſſim omnes, etiam infimis pulpitis ad obſcurum aliquem populum, capitis ſui ſomnia aniliter balbutientes, nonniſi dira exitia & ſupplicia crepitantes. Ne longe abieris, & quis Melio, quem tu fratris te loco habere ſcribis, poteſt reperiri intemperantior, petulantior, ſtomachoſior? Quem certe tua conſuetudo cicurare, aut ſaltem nimiam illam linguæ procacitatem minuere debuerat. Sed difficile nimirum eſt, Gryllo perſuadere, ut à Circe mutatam formam reſumat. Ac quoniam huc perventum eſt, fateor equidem, paulo acerbius me reſpondiſſe; ſed ſi illius ad me Epiſtolam, brevem illam quidem, ſed virulentam admodum & contumelioſam legeres, doleret ſat ſcio, me tam inhumaniter, ut parce loquar, ab homine male ſano, acceptum eſſe. Conſtitueram quidem nihil reſpondere, ſed omnium

omnium hominum, qui literas ejus non sine stomacho inspiciebant, una erat vox, ne silentio meo hominis insaniam alerem, ne prorsus fureret, quamvis fortasse melius fecissem, si, ut mihi deliberatum erat, tacuissem, & ad ejus grunnitus aures occlusissem: Nam, ut audio, morbo illius nulla jam satis idonea medicina reperitur: quo magis etiam tuam facilitatem miror, & humanitatem exosculor, quod tale monstrum toleres, atque adeo amore complectaris, neque tamen mihi ob inutilem meam illam, sed quam tamen magna injuria, & amicorum efflagitatio, extorsit responsionem succenseas, quam certe una cum ferinis illius moribus perire, & ex tua, atque omnium bonorum memoria penitus deleri, in primis opto. Sed redeo ad rem.

Magnæ sunt profecto laudes, quibus me immerito oneras potius, quam ornas, quæ sane nescio cui alii, quam tibi conveniant magis. Nam in me doctrina exigua admodum est, eloquentia prope nulla, te vero utraque excellere indicat oratio tua. Ac quamvis ista, ut aliena, non agnosco: tamen quoniam existimo ab amico animo profecta esse præconia, gratias tibi magnas habeo, quod me amas primum, deinde amicitiam meam tanti æstimas, quam ego tibi ultro etiam libentissime defero. Atque ut ea jam tuo quasi jure, quoties occasio tulit, libere uti velis, majorem in modum à te contendo. Non fallam opinionem tuam, mihi crede. Nam ut alia illa, quæ tu mihi ex amoris (quod cupio) abundantia fortasse tribuis, aut nulla in me, aut perexigua esse fateor; ita illud mihi non injuria vendico, qui doctorum & piorum virorum amantior sit, quique illos magis, quam ego, colat, & omni officiorum genere prosequatur, (si ex æquo cujusque facultas æstimatur,) reperiri posse neminem. Neque vero putes velim, ita me superstitiosum, aut parum humanum esse, ut si alia adsint, quæ benevolentia digna videantur, ob diversam religionem, aut refugere cujusquam amicitiam, aut à consuetudine abstinere velim. Nam ut optabile quidem sit, omnes idem sentire; ita fieri id non posse intelligo: Ac certo persuasum habeo, fidem donum esse Dei, non meum, non tuum, non alterius cujusque, quantumcunque illud sit hominis munus. Quo magis etiam miror, nostri & superiorum temporum iniquitatem, quæ tam feros Tyrannos tulerunt, qui in hominum animos sibi imperium sumere non dubitent, ac nun cogitationibus, tum ori modum statuant. Corpora constringas licet, sed frustra animis vincula paras bonis. Liberrima cuique mens est, neque in ullum rationis gyrum cogi potest, quem tu illi describas. Jam si illi ita insanirent, quos passim omnes in crimen, hoc nomine vocamus, minus dolendum fortasse esset. Quis enim nescit Pontificium Regnum ita evectum confirmatumque esse. Sed proh dolor! qui ad veritatem Euangelicam primi facem nobis prætulerunt, qui præter cæteros hanc Tyrannidem in Antichristo notarunt, & ore scriptisque prosciderunt, illi ipsi nunc in iisdem vestigiis pedem ponunt. O homines & dictorum & scriptorum suorum immemores! Vosne ita ambitionis esse studiosos, ut abjecta omni charitate, quos ad messem usque crescere oportere paulo ante clamabatis, qui fidem Dei beneficio non hominum opera contingere, qui servam esse non liberam voluntatem nostram, qui certum esse ad vitam destinatorum numerum, qui nullo consilio, aut labore nostro, aut augeri, aut minus posse, plenis buccis vociferamini, nunc tamen ante messem, fratres nostros in ignem conjicere, idque injussu Domini auderet? An vestri operia esse putatis, hominibus fidem novam, vestram, inquam fidem inserere, veterem evellere? Si fides non vestri muneris est, si servum arbitrium, si nemo, nisi quem vocat Deus, salvus esse potest, & nullam ovem quisquam è manu Christi eripere, aut quæ ejus gregis non sit, ad cæteras tamen ipso invito aggregare queat; quæ ratio est, ut vos tam impotenter, tam crudeliter in eos sæviatis, in quos nec vitæ nec necis potestatem habetis? Quo tandem ore in Pontifice hanc impietatem damnatis? Audi illud frater: Ejice prius trabem ex oculo tuo. Sed tempero mihi hac in parte, neque longius progrediar. Video enim te non ex eorum esse numero, qui cædes spirant, & sanguinem sitiunt, quod indicat illa literarum tuarum particula, qua te tamen amicum fore mihi ostendis, tametsi (quod Deus omen avertat, ita enim loqueris,) in eorum sententiam abierim, quos tu adversarios nominas. Ego certe eo sum animo, ut cupiam quidem summam in Ecclesia de rebus omnibus animorum consensionem esse, sed quoniam id ut eveniat, ne sperandum quidem est, cum hæc semper Ecclesiæ fortuna fuerit, non tamen propterea inimicitias cum quoquam exercere velim, quod ex Epistola ad Simlerum & Volffium intelliges, quam huic adjunxi, ut videas, quem animum geram, & quid in hoc de Trinitate, philosophico potius, quam Christiano dogmate sequar. Eundem erga me tuum, qui meus in te est, animum esse, inprimis cupio. Ac non in me solum, sed in omnes te ita affectum esse humanitatis, ac pietatis tuæ fuerit. Ac non propterea quenquam odisse velis, quod adduci non potest, ut tecum unum in Trinitate, atque eundem in Unitate, Trinum esse Deum confiteatur: ne tibi tam iniquum in conscientias alienas dominatum usurpes. Stet quilibet domino suo, aut cadat: hoc ne putes ad te pertinere, qui fidem nullo conatu cuiquam inseres invito, nisi id Dei, in cujus manu sunt hominum corda, placitum fuerit. Quin etiam pro inita jam amicitia nostra, fraterne te hortor, & rogo, ut remota ambitione, atque odio hominum seposito, contra vero pietate & præclaro ingenio isto tuo, liberalium, ut video, disciplinarum doctrina exculto, in consilium adhibito, ita in hujus quæstionis studium, inquisitionemque incumbas, ut omnia suspecta habeas, quæ ex Prophana Philosophia, in Sacrarum Literarum adyta, per summam vim inducta sunt. Non potes ignorare, quæ tua est eruditio, & acre judicium, tricipitem aut tergeminum hunc Deum, quem ignorarunt Apostoli, & tota illa Orthodoxa Ecclesia, in Monachorum, & qui è philosophicis gymnasiis in Christianam Scholam inundarunt sacrificorum officinis fuisse fabricatam, quem tam vario tam dissimili habitu ornatum in scenam producunt, ut vel ex ipso aspectu fucus pateat. Cave tu consensum Veteris Ecclesiæ nobis opponas, quod etsi facias, nihil proficies. Veritas enim quærenda est ex verbo Dei, non hominum qualiumcunque tanta de re conspiratio. Sine hæc objectare insulsos quosdam & indoctos blaterones, qui in Veteri Ecclesia peregrinantur. Nescire tu nec potes, nec debes, vix unum atque alterum esse ex illis ipsis patribus vetustis, qui male conditam hanc pultem nobis exedendam proposuerunt, qui idem aut sentiant, aut scribant, passim inter se digladiantur. Suum cuique pulchrum est. Inspice Tertullianum, Justinum, Origenem, Hilarium, Augustinum & alios, insere etiam oculos in Scholasticorum Theologorum ratiocinationes, qui se passim suis acuminibus compungunt. Non magno negotio invenies apud hos Dei Filium nondum etiam genitum plene esse; nunquam enim Pater eum generare definit, quum tamen ab omni æternitate parturiat. Quid? Nonne Lombardus Magister ille ἀρχιγονομάνος Christum Trinitatis Filium facit? Nolo alia commenta attingere, quæ omnem ludibrio pietatem Judæis & Gentibus exposuerunt: In promptu tibi sunt non dubito eorum dogmata. Ex quibus quid consequatur pro tuo judicio, satis te animadvertere opinor. Illud quoque vere dici non potest, eandem vestrorum, quæ Pontificiorum est, de Trinitate doctrinam esse, quod tamen gloriosum sibi prædicare, plerique vestri existimant. Calvinus neque cum veteribus, neque cum Romana Ecclesia facit, ostendunt id utriusque partis disputationes. Quare equidem ita judico, indignum esse, & cum impietate conjunctum, si quis huic aut alteri homini aures præ-

beat, ſacra monimenta audire nolit. Non alibi Deum quærendum eſſe, omnes verbo quidem dicunt, quam in Sacris Libris; Re autem ipſa longe aliam ſe animo incluſam opinionem habere oſtendunt, quum Dei quiſque quale collibuit ſimulachrum ſibi fingit, ex Platonis & Platonicorum Philoſophorum εἰδώλοις deprompta materia. Sed non eſt hic de his diſſerendi locus. Ignoſce libertati meæ mi Caroline, & hæc in optimam partem accipe, meque ut cœpiſti amare perge, meaque in te amici hominis officia conſtabunt omni tempore. Threcius abeſt in Germania, quum redierit oſtendam ei literas tuas, & tuis verbis monebo, ut ad te ſcribat. Vale. Cracoviæ, Calendis Sextilis. 1572.



PRÆFATIO.

Illustri Academiæ Heidelbergensi.



EA est natura totius veritatis, in primis vero Divinæ, ut quo magis premitur, tanto magis sese erigat, & caput suum aureum exerat. Vindex enim Deus non potest non esse ejus, quod ipsum autorem habet. Cujus quidem rei insignis proposita nobis est imago, in his, quæ avorum nostrorum memoria acciderunt. Tanta tum erat Veritatis oppressio, ut humanorum commentorum caligine, & traditionum, à nescio quibus hominibus, ad posteritatem transmissarum, tenebris obruta & sepulta videretur; accesserant opes maximæ, potentiaque summa eorum, qui omni ratione id unice prospiciebant, ne quis ullo modo caliginem illam discutere, & tenebras illas plusquam Cimmerias depellere, ac manum extendere ad Veritatem erigendam posset. Atque, quo tutior & securior iis ejus rei possessio maneret, omnem divinæ Veritatis notitiam, Sacrarumque Literarum, quibus illa continebatur, intelligentiam, in se transtulerant, cum illisque opibus, illaque potentia conjunxerant, edictis propositis, ne quisquam aliter, quam illis placuisset, literas divinas intelligere vel interpretari auderet. Adeo omnia tum conspirasse in Veritatis oppressionem videbantur, ut nulla spes, illam caput quandoque erecturam, appareret. Verum quo magis tum oppressa fuit, hoc se admirabili Dei consilio, gloriosius erexit, atque suum extulit caput Veritas divina. Suscitavit enim Deus, viros ingentis Spiritus, magnique & excellentis animi, qui nulla ratione habita opum, illiusque tantæ potentiæ hominum illorum spretoque omni vitæ, honorum, fortunarumque, quod illis imminebat ab adversa parte, discrimine, sese caligini tenebrisque illis objecerunt & opposuerunt; tantumque illo invicto animi robore perfecerunt, ut discussa caligine, depulsisque tenebris, Veritatis divinæ fulgorem, animis hominum ostenderint, & oculis intulerint & ad salutem æternam viam patefecerint & munierint. Et hi cum præclare in ipsis principiis defuncti suo munere fuissent, aliis, quæ desiderabantur, supplenda reliquere. Quibus succedentes alii pari animo, multum à prioribus adjuti, facilius in eodem opere præclarissimo progredi potuere, multaque à prioribus non deprehensa, illi deprehenderunt, & utilitatis publicæ juvande caussa in medium proposuerunt. Magna certe fuit laus tantorum virorum, quibus Deus, velut instrumentis, usus est, ad instaurandum Domum suam, eaque semper permansura est: Vigebit in animis hominum eorum memoria, quemadmodum nunc etiam viget. Ac licet consilium Dei tam admirabile magna pars hominum spreverit, ut mos est hominibus terrenis, ingentia Dei facta flocci pendere: pii tamen omnes ingenti cum applausu & approbatione illud excepere; Deumque pro tam insigni erga se beneficentia summis laudibus extulere, nec efferre adhuc desinunt. Quod itaque usu evenit illis præstantissimis viris, idem nobis nostrisque Ecclesiis eventurum minime dubitamus. Asseruerunt divinam Veritatem, autoritate Sacrarum Literarum, à tenebris, quibus erat obruta, eam vindicantes; eorumque conatus fortunavit Deus, licet nunquam defuerint, qui, illis sese opponerent: Nobis quoque idem est studium, idem animus asserendæ divinæ veritatis, & ab omnibus tenebris vindicandæ. Non deerunt, qui sese opponent, sat scimus. Is quippe veritatis divinæ genius, ut illi contradicatur perpetuo, qui illius autoris, conservatorisque, Domini Jesu Christi erat, quem Simeon positum in signum, cui contradicturi essent, vaticinabatur: at non deerunt, Deo nostro nobis & Christo ejus Domino nostro favente, in quibus conatus vota nostra adimplebunt. Premetur veritas, at quo magis pressa fuerit, eo majore vi erumpet, & locum apud omnes pios & cordatos inveniet. Quorum conatuum nostrorum in præsenti hoc etiam monumentum extabit, quod nunc in lucem post alia scripta nostra demus Prælectiones Theologicas F. S, viri summi & de Ecclesiis nostris optime meriti, qui quantus sit, ex ejus scriptis, & publicatis & pro-

pediem publicandis, quam è nostra commendatione cognoscere unumquemque malumus.

Eas vero dedicatas vobis, Viri Magnifici & Doctissimi, per me Ecclesiæ nostræ voluerunt, partim quod talia scripta talibus conveniant, & à vobis examinari quam rectissime possint: partim ut judicetis ipsi, jurene an injuria, Paræus vester, in Socinum, virum certe singularem, ita invehatur in Commentariis in Epist. ad Rom. editis, ut eum monstrum hominis vocet, & nunc latrare, nunc blaterare etiam passim occinat. Scilicet ii sunt mansueti Christi Spiritus mores; id Christiani hominis ingenium, convitiis in eum, qui a te diversum sentiat, debacchari? Certe diversum ab aliis sentire, & modeste tua, nec temere, sed validissimis rationibus suffulta proponere, quod perpetuo facit Socinus, non est ullum flagitium, sed Christianæ libertatis proprium munus. Atque idem, qui convitiatur Socinum, ita nihilominus in omnibus pene responsionibus suis, cum Socinò agit, ut eum ex respondente perpetuo argumentantem faciat. Quod sophisma nisi in singulis responsionibus adhibuisset, vix propemodum, quod Socino responderet, reperisset. Sed, quanti momenti sint, quæ idem Socino opponit, brevi Domino dante, apparebit. Nunc vos, Viri Magnifici & Doctissimi, nomine Ecclesiarum nostrarum rogatos velim, ut libellum hunc & excipere ab Ecclesiis nostris, eo, quo vobis offertur, animo, & legere ac perlegere dignemini; ac, si libuerit, examini legitimo etiam subjicere: Ex eo enim, quid veri, quid falsi uspiam subsit, facillime apparebit. Nobis profecto veritate divina, divinis literis consignata, nihil est prius, nec antiquius. Deus vobis, Ecclesiisque vestris adsit, Amen. Valete, Racoviæ Polonorum, Calend. Septembris 1609.

VALENTINUS SMALCIUS GOTHANUS,
Ecclesiæ Racoviensis Minister.

PRÆ-

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

FAUSTI SOCINI SENENSIS.

1. Theſſ. 5. 19.

Prophetias nolite ſpernere.
Omnia probantes, (quod) bonum (eſt) tenete.



IRENOPOLI
Poſt annum Domini 1656.

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM.

CAPUT I.

Primus homo etiam ante lapsum natura mortalis fuit.

Quod probatur sic:

PRimo. Quia etiam ante peccatum liberis procreandis ab ipso conditore Deo destinatus fuerat, Gen. 1. 28. Qui autem immortales sunt, liberos non procreant, dicente Domino Jesu, eos, qui futuri seculi, & resurrectionis ex mortuis participes erunt, nuptias ideo non contracturos, quia amplius mori non poterunt Luc. 20. 35, 36.

Secundo. Quia jam escis utebatur & cibo, Gen. 1. 29. Ubi autem immortalitas est, ibi escis ciboque non est locus Id vero aperte ostendunt Pauli Apostoli verba, cum ait, *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet*, 1 Cor. 6. 13. Nam quando id fiet? Nempe cum moriemur, idque in perpetuum sic erit: quamvis corpus suscitandum sit, ut ibidem Apostolus testatur, suscitandum, inquam, ad incorruptionem & immortalitatem, ut idem alibi affirmat, cum qua nec ventrem neque escas aliquid commune habere posse, optime noverat Paulus.

Tertio. Primus homo etiam ante peccatum corpus animale habuit, igitur & mortale. Probatur utrumque ex Pauli verbis 1 Cor. 15, ubi versu 44, corpus animale illud vocat, quod prius vile, corruptibile, & mortale appellaverat, idque à spirituali plane secernit, quod idem est, ut ex antecedentibus patet, quod gloriosum, incorruptum, & immortale. Versu autem 45 ait, primum Adamum factum fuisse in animam viventem, ut inde probet, eum habuisse corpus animale. Adamus vero non modo antequam peccaret, sed in ipsa creatione factus est in animam viventem, Gen. 2. 7.

Quarto. Primus homo, antequam peccaret, jam erat terrenus; nempe, quia è terra formatus fuerat: Sed nos in eo quod morimur & corrumpimur, imaginem primi hominis, quatenus terrenus erat, portamus: Ergo primus homo, quatenus terrenus fuit, mortalis censendus est, & sic etiam antequam peccaret. Hæc ex Paulo aperte colliguntur 1 Cor. 15. 47, & deinceps, junctis iis, quæ ante ab ipso disputata fuerant. Ex prædictis intelligi potest, cum scriptum est à Paulo, per peccatum mortem ingressam esse in mundum, non de naturali mortalitate eum loqui, sed de ipsa morte, ut verba sonant, deque moriendi necessitate. Poterat enim Adamus, si non peccasset, quamvis natura mortalis, à morte Dei beneficio conservari; vel si mortuus fuisset, in vitam aliquando revocari, atque immortalis fieri. Hæc & sibi & posteris suis peccato suo quodammodo invidit. Itaque nisi novus Dei favor nobis adsit, necesse est omnino, ut omnes moriamur, & in ipsa morte maneamus. Neque enim is aut necessario aut vere moritur, qui aliquando in vitam revocandus est, sed dormit potius ac quiescit. Peccatum igitur non mortalitatis naturalis, sed necessariæ mortis causa fuit. Nec aliter intelligi debet comminatio illa, *In quacunque die comederis ex ea, moriendo morieris &c* Gen. 2. 17.

Nam si peccatum (& hoc quintæ rationis loco esse potest) mortalitatem naturalem homini attulisset, Jesus Christus qui peccatum abstulit, ejusque propriam vim omnem ac pœnas illi proprie constitutas delevit, mortalitatem quoque naturalem abstulisset ac delevisset: quod tamen non fecit. Cui adde, quod cum primus homo Diaboli opera peccaverit, quidquid ex peccato illo vere profectum est, opus Diaboli censeri debet. Atqui Dei filius apparuit, ut dissolveret opera Diaboli, 1 Joh. 3. 8. Igitur, si ex peccato illo mortalitas naturalis revera profecta esset, eam quoque Dei Filius solvisset.

Sexto loco, ex eo constare satis potest, primum hominem, antequam peccaret, jam mortalem natura fuisse, non autem immortalem, quod, excepta arbore scientiæ boni & mali, ex omnibus Paradisi arboribus ut comederet, ab initio dixerat illi Deus, Gen. 2. 17, inter quas arbores vitæ arbor erat, in ipso Paradisi medio consita, Gen. 2. 9. Quid enim opus fuisset propter eum, qui natura immortalis jam esset, vitæ arborem conserere, eique ad comedendum tradere, &c.

Septimo ac postremo. Cum omnes causæ efficientes mortalitatis nostræ naturalis, sive in nobis sive extra nos sint, jam antequam primus homo peccaret existerent, non minus quam postea; necesse est, ut ipse etiam effectus mortalitatis naturalis, non minus antea quam postea extiterit. Quod vero causæ istæ omnes jam existerent, unusquisque per se satis intelligere potest. Multa alia dici potuissent: sed hæc satis superque veritatis amatoribus esse debent.

CAPUT II.

Quæritur, quid sit in homine naturaliter, quod ad religionem attinet?

REceptior hodie sententia est, homini naturaliter ejusque animo insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur, quæque humanarum rerum inprimis curam gerat hominibus consulat atque prospiciat.

Hæc sententia, quam nos falsam esse arbitramur, non aliunde potius orta fuisse videtur, quam ex eo, quod videantur omnes homines opinione ista divinitatis alicujus imbuti esse. Verum animadvertendum erat, ab ipso initio cum homo creatus fuit, Deum se illi patefecisse, qui primus homo cum nongentis triginta annis vixerit, posteros suos facile divinitatis opinione imbuere potuit, Quanquam hac re opus non erat, cum ipse Deus, non primo homini tantum, sed aliis subinde ex eo natis, sese variis rationibus patefecerit, quemadmodum ex sacra historia clare liquet.

Quod si divinitatis opinio cunctis naturalis esset, certe ea non esset ex fide: Atqui ex fide eam esse aperte docet Epistola ad Hebr. 11. 6, cum ait, sine fide neminem Deo placere posse: nam accedentem ad Deum credere oportere, quod Deus sit, & quod remunerator sit eorum, qui ipsum quærunt. Illud ex his verbis certum esse videtur, fieri posse, ut quis fide, & sic opinione ista divinitatis careat, cum dicitur, sine fide neminem Deo placere posse. Unde concludendum est, opinionem istam non esse cunctis naturalem. Hocque primæ rationis locum contra receptam istam sententiam obtinebit.

Secundo. Si divinitatis opinio cunctis naturalis esset, quomodo idem auctor ibidem ex eo, quod Enochus Deo placuisset, niteretur probare, eum, Deum esse &c credidisse? Hoc profecto arguit ejusmodi opinionem non esse naturalem, id est, fieri posse, ut quis eam suo animo non conceperit. Nam quæ naturalia sunt, necessaria etiam omnino sunt.

Tertio, Sacræ literæ aperte testantur, aliquos esse, qui Deum esse, non credant, Psal. 10.4 & 14.1. & 53.2 quos etsi stultos appellant, non tamen naturales animæ facultates sensumque communem eos destituisse significare volunt, sed vera sapientia eos prorsus carere. Vera autem sapientia minime naturalis est, sed ratione aliqua comparatur, cujus rei testimonia per totam Scripturam obvia sunt ubique.

Quarto, non singuli tantum aliqui homines, sed integri populi hodie inveniuntur, qui nullum, penitus sensum, aut suspicionem Divinitatis alicujus habent. Hi sunt in novo occidentali orbe in Bresilia provincia, ut historici tradunt, mihique vir fide dignus sancte affirmavit, qui in ipso loco aliquamdiu fuerat. Sed & alibi quoque ejusmodi gentes reperiri, Indiæ recens historia testatur.

At sunt qui dicant, id saltem negari non posse, ex sola hujus mundi machina, si quis animum advertat, posse quemlibet, non solum Deum esse, manifeste cognoscere, verum etiam rebus humanis eum prospicere, plane percipere. Imo complures addunt, ex eadem machina omnes satis intelligere, quidquid opus est ad eam Dei notitiam, ex qua omnis religio proficiscitur.

Sententia ista similiter, vel ex eo falsitatis convincitur, quod præstantissimi quidam Philosophi, inter quos maxime, ut creditur, Aristoteles, qui ingenii acumine omnes superasse videtur, qui hanc mundi machinam non aspexerint modo, ut cæteri omnes, aut, quemadmodum multi fecerunt; eam sunt contemplati, sed diligentissime in ipsa universa, ejusque singulis partibus rimandis, atque expendendis sunt versati, huc pervenire non potuerunt, ut Deum inferiora hæc singula curare suspicarentur, vel hominum saltem singulorum eum curam habere intelligerent. Quinetiam ne creatum quidem à Deo mundum fuisse assequi potuerunt, imo id plane negarunt. Sed quia sententia ista, quamvis à veritate aliena, quibusdam Sanctarum Literarum testimoniis confirmari videtur, de potioribus deinceps agamus.

Primo ad eam confirmandam afferri solet Psal. 19. ubi diserte scriptum est, Cœlos enarrare gloriam Dei, & in omnem terram exivisse regulam sive sonum ipsorum Animadvertendum est primum, in Psalmo pro concesso sumi, Deum creasse cœlos, idque ab iis qui eos aspiciunt credi, ut in locis illis eveniebat, ubi David auctor Psalmi erat. Et sensus est, cum quis cœlos aspicit ac contemplatur, quos Deum creasse novit, Dei sapientiam atque potentiam inde percipere. Nam nisi Deum pro ipsorum creatore agnoscat, qui poterit ex ipsis, Dei tanquam creatoris gloriam agnoscere? Etenim si quis dicat, ibidem scriptum esse, ipsos cœlos per se docere, se creatos esse à Deo, nimirum in illis verbis, *Et opus manuum ejus annunciat firmamentum*. Dico, *annunciare opus* eo in loco, nec fortasse uspiam alibi, non significare, indicare esse opus; sed quale sit opus, seu celebrare opus. Mecum autem sentiunt in paraphrasibus suis Joh. Campensis, & Georgius Buchananus. Quanquam verbum *annunciat* ad nomen *gloriam* superius positum referri potest, & nomen *Firmamentum* per appositionem explicari hoc pacto: Et opus manuum ejus, nempe firmamentum, annunciat Dei gloriam. Atque hunc sensum secutus est Zuinglius in versione sua. Deinde considerandum est, appellatione omnis terræ, in Sacris Literis, præsertim vero in Psalmis, Judæam terram intelligi solere. Vide Psal. 45. 17, & 105. 7. In Psal. quidem 105 dicitur, judicia Dei in omni terra nota esse, cum tamen in Psal. 147. 20 dicatur, non omni nationi, sicut Israëlitis fecit, patefecisse Deum judicia sua. Idem dico de orbis finibus, ut ex Psal. 2. 8 constat neque enim David fines orbis terrarum possedit, nisi quatenus totam regionem illam, inimicis suis devictis Dei ope, suo imperio subjunxit: & tamen Deus ibi pollicetur, se possidendos ei daturum terminos terræ. Nam si dicas ad Christum ista accommodari debere, fateor hoc verum esse secundum sensum mysticum, secundum quem sensum similiter si Psal. 19. 5 verba explicentur, & ad Apostolos ut Paulus cap. 10. 18 Epistolæ ad Rom. facit, accommodentur, poterunt accipi ut sonant, sed interim nihil ad rem nostram facient, qui de cælis ipsis agimus.

Secundo, affertur locus ille ad Rom. 1. 20. *Invisibilia enim ejus à creatione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ipsaque æterna ejus virtus & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles, &c.* Sed sciendum est verba, *à creatione mundi*, debere conjungi cum verbo *Invisibilia*, eundemque sensum esse, qui est Matth. 13 35. *Abscondita à constitutione mundi.* Plerique interpretes ex præpositione *à* ex fecerunt; contra ipsorum Græcorum codicum fidem, qui non ἐκ κτίσεως, sed ἀπὸ κτίσεως habent. Ait igitur eo in loco Apostolus, æternam divinitatem Dei, id est, id quod nos Deus perpetuo facere vult (Divinitas enim hoc sensu alibi quoque apud ipsum enunciatur, ut Col. 2. 9.) æternamque potentiam, id est promissiones quæ nunquam intercident (quo sensu paulo superius dixerat, Euangelium esse potentiam Dei) hæc, inquam, quæ nunquam, postquam mundus creatus fuerat, ab hominibus visa fuerant, id est, non fuerant eis cognita, per opera, hoc est, per mirabilia ipsius Dei & divinorum hominum, præsertim vero Christi & Apostolorum ejus operationes, conspecta fuisse.

Tertio, videtur omnino afferri posse id, quod dicit idem Paulus, Actor. 17. 26, 27. Deum fecisse, ut homines, quos ex uno sive unius sanguine creaverat, habitarent super universam terram, & quærerent Dominum si forte eum contrectarent & invenirent. Hinc enim videtur constare, Dei consilium fuisse, ut homines per res creatas ad ipsius cognitionem pervenirent, & quasi palpando (sic enim aliqui verbum *contrectarent* explicant) ipsum invenirent. Hic dico, Quærere Dominum nihil aliud esse, quam sancte vivere, ut ipse præcipit: Eum autem invenire, est illum sibi propitium experiri. De phrasi illa *quærere Dominum*, nemo est qui dubitare possit, eam illud significare, quod diximus. Ubique enim exempla occurrunt, præsertim in Psalmis, ut Psal. 9. 11. Psal. 24. 6. & Psal. 105. 3, 4. Ex quo facile intelligi potest, verbum inveniendi similiter id significare, quod diximus. Sed locus ille Esaiæ 55. 6. *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est*, sententiam nostram plus satis confirmat. Nam sequitur statim per epexegesim ℣. 7, *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus &c.* Porro verbum *Contrectare* non significat palpare, ut cæci faciunt: sed revera id, quod ipsum verbum sonat. Quamvis enim in Græco sit verbum ψηλαφᾶν quod palpandi significationem habere potest, satius est tamen, contrectandi significatione, quam similiter habere potest, illud accipere. Nam Johannes 1 Joh. 1. 1. quoque eodem verbo hoc sensu est usus, in prima Epistola in ipso initio. Pauli igitur sententia est, Dei consilium fuisse, ut homines sancte secundum ipsius voluntatem viverent, atque ita eum sibi propitium experirentur, & propterea sequitur ℣. 27, 28 *Quanquam non longe est ab unoquoque nostrum: per ipsum enim vivimus & movemur, & sumus.* Quasi dicat: non est dubitandum, quin is sancte viventibus præsto sit, cum in omnes homines sua beneficia conferat: hoc enim ipsum, quod & vivimus, & movemur, & sumus ab ipso omnes habemus. Confer autem cum hoc loco locum Act. 14. 15, 16, in eadem historia, ubi idem Paulus cum Barnaba, ait Deum illis quoque qui ipsi minime serviebant, benignum ac liberalem se præbuisse.

Verum (dicet aliquis) quomodo poterant homines sancte vivere secundum Dei præcepta, si homines Deum naturaliter non norunt? Respondeo, Deum ab initio per multa secula, & ante & post diluvium, præsertim vero ante, de quo tempore loquitur Apostolus, seipsum hominibus patefecisse, adeo, ut & ipsum & ejus voluntatem satis perspectam haberent: Quocirca si postmodum factum est, ut Dei cognitione ca-

ne caruerint, id ipsorum culpa contigit, qui lumen illud divinum paulatim minui atque extingui in seipsis siverunt. Quod si tamen volumus Pauli mentem fuisse, ut semper homines Deum quærere possint, dico, illum suis verbis explicasse, quid vere in hominibus naturaliter sit positum, quod attinet ad religionem. In omnibus enim hominibus naturaliter est aliquod justi atque injusti discrimen, aut certe in omnibus hoc situm est, ut cognoscant & fateantur, justum injusto anteponi debere, honestum turpi. Hoc autem nihil aliud est, quam Dei verbum quoddam interius, cui qui obedit, ipsi Deo obedit, etiamsi alioqui ipsum Deum ne esse quidem, aut sciat aut cogitet. Nec dubium est, qui hac ratione Deo paruerit, illi etiam gratum futurum. Nam si quis objiciat, id quod ante ex Epistola ad Hebr. recitavimus, oportere accedentem ad Deum, credere, Deum esse, &c, facilis responsio fuerit, cum certum sit, Apostolum loqui de iis, quibus Deus se patefecit aliqua ratione. Talis enim Enochus erat, de quo ibi verba fiunt. Isti enim nisi Deum esse credant, animum à pietate, & sic à justi honestique studio, alienum se habere demonstrant. Præterea sermo ibi est de iis, qui singulari quadam ratione Deo grati atque accepti sunt, qualis Enochus fuit. Itaque verum quidem erit, eum qui ad Deum accedere velit, id est, eum sibi singulari, seu non vulgari (ut ita dicam) ratione propitium experiri, oportere omnino credere Deum esse, & si hoc desit, sive quia Deo se patefacienti fidem adhibere noluerit, sive quia ei se Deus nulla ratione patefecerit, istum minime ad Deum accessurum: Non tamen verum erit, id omnino requiri ad hoc, ut quis quadantenus (ut sic loquar) Deo gratus sit, aliam etiam ob causam, quam quia ejus sit creatura, sed satis fuerit interiori illi atque occulto quodammodo Dei verbo paruisse.

CAPUT III.

Utrum primus homo ante peccatum justitiam aliquam originalem imbuerit?

PLerique omnes eum illam habuisse affirmant. Sed ego scire velim, ecquid justitiæ originalis nomine intelligant. Nam si eam conditionem intelligunt, ut non posset peccare, qualem bonos Dei Angelos nunc habere credimus, eam certe non habuit Adamus, cum eum peccasse constet. Neque enim peccasset, nisi prius peccare potuisset. Quod, si ipsum non peccare antequam peccasset, intelligunt, ridiculum istud est, & quæstio prorsus inepta. Quis enim nescit, neminem peccare antequam peccet? At enim dicent, peccati nomen in proposita quæstione, non omne peccatum, sed tantummodo delictum illud ex vetita arbore comedendi significare, & Adamum idcirco ante illud delictum justum fuisse, quia nullum aliud peccatum antea commisisset. Verum ista justitia non originalis, sed actualis fuisset. Deinde, aut ideo ante delictum illud non peccavit Adamus, quia nullum aliud Dei mandatum sibi traditum transgressus est, aut quia nihil adversus propriam conscientiam commisit. Si priore modo, rursus distinguo. Nam, aut nullum aliud habuit Dei mandatum, aut aliquod habuit. Si nullum habuit, neque etiam ullum transgredi poterat. Quomodo igitur justus censendus est, quia id non fecerit, quod etiamsi maxime voluisset, vel alioqui facturus fuisset, tamen facere non poterat? Si aliquod habuit, dicant quodnam fuerit, idque ab ipso conservatum fuisse doceant. At vero si altero modo, probent Adamum ante illud delictum nihil contra propriam conscientiam fecisse, id quod certe nunquam probabunt. Concludamus igitur, Adamum etiam antequam mandatum illud Dei transgrederetur, revera justum non fuisse, cum nec impeccabilis esset; nec ullam peccandi occasionem habuisset: vel certe justum eum fuisse affirmari non posse, cum nullo modo constet, eum ulla ratione à peccando abstinuisse.

Sed sunt qui dicant, originalem primi hominis justitiam in eo fuisse, quod rationem appetitui ac sensibus dominantem haberet, eosque regentem, nec ullum inter ipsam & illos dissidium esset. Verum nulla ratione adducti hoc dicunt, cum potius ex eo quod Adamus deliquit, appareat appetitum ac sensus rationi dominatos fuisse, nec bene inter hanc & illos antea convenisse. Verum tamen ut probent Adamum originalem aliquam justitiam ante delictum habuisse, & justum à Deo creatum fuisse, hisce rationibus & testimoniis potissimum utuntur.

Primo, quia hominem ad Dei imaginem & similitudinem conditum fuisse legimus Gen. 1. 26. Igitur, cum Deus ipse bonus & justus sit, necesse est, ut homo similiter bonus & justus ab ipso initio fuerit. Respondeo primum, istam divinam imaginem & similitudinem in homine, non ad omnia referri, quæ in Deo sunt; alioquin, ut cætera omittam, quæ quilibet per se animadvertere potest, immortalis ab initio homo fuisset, quod contra se habere jam ostensum est. Deinde, si homo Deo similis in justitia & bonitate conditus fuisset, impeccabilis creatus fuisset. Eatenus enim Deus bonus & justus est, quatenus malus & injustus esse non potest. Sed impeccabilem hominem creatum non fuisse, supra demonstratum fuit. Præterea, si in eo divina imago & similitudo in homine fuisset, quod justus creatus esset, certe post peccatum imago illa & similitudo deleta in homine fuisset: (ista enim originali justitia volunt universum humanum genus post peccatum caruisse) & tamen etiam post peccatum homo ad imaginem & similitudinem Dei factus esse dicitur, Gen. 9. 6. Jac. 3. 9. Dei imago & similitudo, ad quam conditus est homo, ne in ipsa quidem mente ac ratione, unde omnis justitia in illum derivari poterat, præcipue consistit, sed in dominatu rerum omnium, præsertim inferiorum, sex illis diebus a Deo creatarum, ut satis patet ex loco ipso, ubi primus homo ad Dei imaginem & similitudinem factus fuisse narratur, Gen. 1. 26. Nam & imago divina quam in altero seculo habituri sumus, in eo constitura est, quod omnibus inimicis nostris & morti ipsi atque inferno plenissime dominabimur, nec aliquid, præstantius in Deo est, quam cunctarum rerum dominatus atque imperium. Non potest quidem homo hic in terris imaginem istam divinam habere, nisi alia imago præcedat, id est, mens & ratio ejusque usus, quo si hominem spolies, tantum aberit, ut cæteris rebus imperet, ut ipse omnium sit servus. Non potest etiam in cœlis, imaginem illam divinam, quam diximus, adipisci, nisi alia imago antecedat, sanctitas scilicet & innocentia, ad quam imaginem novus homo hic primum conditur est.

Secundo ex eo argumentantur, quod Deus viderit cuncta quæ fecisset esse valde bona Gen. 1. 31. Nam inquiunt, igitur homo, quem Deus fecerat, erat valde bonus, ob idque justus. Respondeo, ibi non de animi bonitate, nec de justitia sermonem esse, sed de aptitudine & convenientia ad id, quod Deus antea sibi proposuerat. Translatio est enim ab opificibus, qui opus suum jam perfectum contemplantur, ut si proposito suo respondeat, approbent: sin minus, aut corrigant, aut abjiciant. Vocabulum vero bonum in Hebræo *Tobh* est, quod pulchritudinem atque convenientiam quandam sæpius significat, ut hi loci inter cæteros ostendunt Gen. 2. 18. & cap. 6. 2. Exod. 2. 2. 1 Sam. 9. 2. Nec vero idcirco scriptum est, Deum vidisse cuncta quæ fecerat esse valde bona, ut nos Dei operibus ea omnia tribuamus, quæ nobis bona esse videntur, sed ut, etiamsi aliquid in ipsis nobis animadvertere videremur, quod minus conveniret, nos graviter labi sciremus, utque à curiose iis examinandis, tanquam iis, in quibus aliquid desiderari possit, tempe-

rare-

raremus. Huc adde, quod non ad singulas res ipsas à Deo creatas, sed ad universa opera sex illis diebus facta, verba illa referri debent. Quocirca, quod ad hominem attinet, non est intelligendum, Deum vidisse, ipsum hominem esse bonum, sed bonum esse, quod homo à se creatus fuisset talis, qualem eum antea Moses descripserat.

Tertio sic argumentantur: Deus fecit cuncta in suo genere perfecta: Sed perfectio hominis est, ut sit justus: Ergo hominem justum creavit. Responsio facilis est. Justitia enim non est perfectio hominis naturalis, sed voluntaria. Quare non potuit eam homo in creatione nancisci: sed si libero arbitrio liberaque voluntate, qua præditus erat, recte usus fuisset, eam adeptus esset. In eo naturalis perfectio hominis est, ut omni labe ac vitio careat, hæcque fuit ab initio in primo homine, qui integer & incorruptus creatus est: sed libera tamen, ad malum non minus quam ad bonum, voluntate. Non potest autem ista perfectio justitia, nisi improprie, appellari, quatenus scilicet omnis injustitia adhuc abest, quod tamen rursus & ipsum minus proprie dictum est, cum proprie ab homine injustitia abesse dicatur, si injuste agendi occasione sæpius sibi oblata, nihil injuste egerit. Quod certe de Adamo, cum primum creatus fuit, dici non potuit, sed nec etiam toto illo tempore, quod transgressionem divini mandati præcessit, cum injuste agendi nulla (quod sciamus) illi occasio præbita fuisset, præter illam quam non omisit, & sic divinum mandatum est transgressus.

Ex iis quæ hactenus dicta sunt, patet responsio ad id, quod quarto & ultimo loco afferri pro adversariis potest ex Salomone, qui inquit, Deum fecisse hominem rectum, Eccl. 7. versu ultimo. Rectus enim fuit homo à Deo creatus, quia nihil pravi ab initio in homine fuit, sed is una cum posteritate sua, pravitatem propria voluntate accersivit, ac sibi comparavit, quemadmodum ex eodem ipso Salomonis loco satis intelligi potest.

CAPUT IV.

An sit & qualis sit peccatum originis?

Omissa duplicis hujus quæstionis diligenti examinatione, rem ipsam, ut nos eam se habere credimus, breviter explicabimus: paucis tamen verbis interea præcipuis aliorum sententiis refutatis. Peccati igitur duplex ratio est, sive hujus vocis peccati, duplex significatio est in Sacris Literis. Aut enim culpam significat, aut pœnam. Loquimur autem hic de præcipuis significationibus, & quæ ad propositam quæstionem pertinere possunt. Itaque cum quæritur, An sit peccatum originis? Idem est ac si quæreretur, utrum homines cum nascuntur, eo quod ab Adamo originem ducunt, propter ipsius Adami lapsum, culpam aliquam aut pœnam contrahant, vel alicui culpæ aut pœnæ sint obnoxii? Quocirca, cum ad culpam constituendam propria voluntas ejus, qui in culpa futurus sit, omnino requiratur; pœna vero sine antecedente culpa esse non possit, nullo modo videtur dici posse, in homine dum nascitur, ullam sive culpam sive pœnam locum habere posse, cum is propriæ voluntatis tunc nullum usum habeat, nec antea habere potuerit.

Hinc factum est, ut quidam duas alias significationes hujus nominis peccati, extra Sacras Literas excogitaverint. Una est, ut errorem sine culpa significet. Altera, ut malum, ex alterius etiam culpa proficiscens, declaret. Itaque originis peccatum, vel justitiæ originalis carentiam (ut ita dicam) interpretantur, qua fiat, ut homo naturaliter, nisi Dei gratia superveniente juvetur, nihil nisi errare possit, id est, contra Dei Legem committere; vel ea mala esse dicunt, quæ omnes homines, propter primi parentis culpam, subire coguntur.

Verum, cum à nobis, justitiam istam originalem in primo homine non fuisse, supra demonstratum fuerit, nullus locus est priori ex his duabus interpretationibus. Posteriori vero, etsi id, quod in ea dicitur, verum est, ut postea videbimus, tamen locus propterea esse non potest, quod ista vocis peccati significatio insolens nimis videtur, & fortasse in nullo prorsus est usu.

Sunt igitur, qui velint (hæcque opinio vulgo recepta est) originale peccatum, innatam quandam cupiditatem, seu concupiscentiam malam in homine esse, & ad peccandum pronitatem. Opinio hæc triplici ratione potissimum vera esse non potest. Primum, quia concupiscentiam istam, sive ad peccandum proclivitatem, in omnibus prorsus hominibus naturaliter esse non constat. Deinde, quia etiamsi de eo constaret, non propterea illud esset, quia Adamus, à quo omnes prognati sumus, divinum illud præceptum transgressus fuerit. Postremo, quia cupiditas ista, & ad peccandum pronitas, cum conjunctam secum hominis ipsius in quo est culpam non habeat, ejus peccatum proprie dici non potest.

Sed dicet aliquis, imo constare, in omnibus prorsus hominibus naturaliter concupiscentiam istam malam inveniri, idque his Sacrarum Literarum testimoniis adductus.

Primo enim, Gen. 6. & 8, scriptum est, cogitationem cordis humani esse duntaxat malam omni tempore; &, hominis cogitationem malam esse ab adolescentia ipsius, Gen. 6. 5, & 8. 21. Sed loci isti non de naturali concupiscentia loquuntur, sed de voluntaria. Nam si de naturali loquerentur, certe neque ea de causa immisso diluvio, tam graviter Deus homines punivisse priore loco diceretur; neque tanquam rem aliquam novam & inexpectatam, eam Deo quodammodo accidisse scriptura testaretur, adeo ut ob eam causam Deum indoluisse, eumque pœnituisse dicat, quod hominem fecisset. Quanquam Gen. 8, non est legendum, Figmentum enim humani cordis malum est ab adolescentia sua, sed, quia Figmentum humani cordis malum sit ab adolescentia sua. In Hebræo enim nullum est verbum. Quare satius est subaudire *sit* quam *est*. Ita, ut non afferat Deus rationem, cur non amplius sit execraturus terram propter hominem, nec amplius percussurus omnem viventem; sed dicat, hominis malitiam non amplius tantam vim habituram, ut ipse propter hominem terram execretur, & omnem viventem percutiat, quam malitiam non affirmet jam esse, aut omnino futuram; sed si fuerit, non eam vim apud se habituram, quam antea habuit. Alioquin si, ut vulgo solent, locum legamus & intepretemur, sequitur Deum dixisse, illud idem apud se causam jam esse, ne amplius immissurus sit diluvium orbi terrarum, quod ut immitteret, paulo ante causa fuerat: quo nihil absurdius, Deove indignius excogitari potest.

Secundo, multa testimonia ex Jobi historia desumpta afferri possunt, ut cap. 4. 17, 18, 19, & 14. 1. 2, 3, 4, & 15. 14, 15, & 25. 4, 5, 6, ubi dicitur, hominem esse impurum in Dei conspectu, & ratio redditur, quia ejus fundamentum sit è pulvere, & res sit frivola ac fragilis, & tanquam putredo quædam: quæ ratio naturam hominis ob oculos ponit, & ab ipso ortu hominem impurum esse demonstrat, nempe ob malam cupiditatem ei naturaliter inditam, propterea cap. 15. 16, dicitur, hominem abominabilem & inutilem seu fœtidum, imbibere iniquitatem, ut aquas.

Animadvertendum est, in locis istis de impuritate quadam hominis sermonem esse, quæ in ipsis quoque Angelis ex parte invenitur. Comparatur enim homo cum Deo, cujus respectu impurus dicitur, quod quidem de omnibus prorsus hominibus intelligendum est. At vero cum affirmatur, hominem bibere iniquitatem, ut aquam, id vel hyperbolice dictum censeri debet; vel certe non prorsus universe, sed generatim accipiendum est, idque non ad hominis natu-

naturam, sed ad voluntarias actiones referendum. Est enim argumentum ab eo quod fit, non autem ab eo, quod fieri sit necesse. Quanquam, cum in libro Jobi, in utramque partem de quibusdam rebus disputetur, non possunt temere rationes in eo allatæ probari, præsertim cum à Jobi amicis afferuntur, qui plerunque non bonam causam defendunt. Non est autem Jobus, qui loquitur prædicto cap. 15, sed Eliphaz amicus ipsius.

Tertio, locus ille vulgo afferri solet: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccato calefecit me mater mea.* Psal. 51. 7. Sed satis constare potest, figuratum esse istum loquendi modum atque hyperbolicum, ut illum etiam, Psal 58. 4. *Abalienati sunt impii à vulva erraverunt ab utero loquentes mendacium.* Similis locus est Esaiæ 48. 8 quibus loquendi modis peccata exaggerantur, & efficacius vituperantur. Quanquam verisimile est, Davidem potius ad excusandum peccatum suum ita locutum fuisse, & in humana fragilitate commemoranda, hyperbole ita fuisse usum, quasi peccatum homini res quædam plane naturalis sit, non autem, quod ita sit revera, tametsi David non de homine, sed de seipso tantum loquitur.

Est quidem in hominibus, nullo prorsus excepto, ad peccandum (ut sic loquar) possibilitas, quia nimirum Deus voluntatem liberam & ad bonum & ad malum dedit. Sed de mala illa cupiditate, & ad peccandum pronitate, licet in plerisque sit, non tamen affirmare possumus, eam in omnibus prorsus esse.

Verum quarto loco afferri potest septimum cap. Epistolæ ad Rom. in quo fateor ego manifeste constare, de summa hominis ad peccandum proclivitate agi. Sed considerandum est, Paulum, non tam de natura hominis cujuscunque loqui, quam de eo, quod in plerisque fieri contingit; nec hominem simpliciter considerare, sed quatenus a lege afficitur. Namque ostendit, si hominem, (ut plerique sunt) lex invenerit malæ cupiditati obnoxium, tantum abesse, ut eum vi sua & propria ab isto malo liberet, ut potius illud in ipso augeat.

Cæterum cupiditas ista mala, quæ cum plerisque hominibus nasci dici potest, non ex peccato illo primi parentis manat, sed ex eo, quod humanum genus, frequentibus peccatorum actibus, habitum peccandi contraxit, & seipsum corrupit, quæ corruptio per propagationem in posteros transfunditur. Etenim unum illud peccatum per se, non modo universos posteros, sed ne ipsum quidem Adamum corrumpendi vim habere potuit. Dei vero consilio, in peccati illius poenam id factum esse, nec usquam legitur; & plane incredibile est, imo impium id cogitare, Deum videlicet omnis rectitudinis auctorem, ulla ratione pravitatis causam esse, quæ tamen pravitas, quatenus, ut dictum est, per propagationem in hominem derivatur, peccatum proprie appellari nequit. Nec Paulus prædicto capite 7 Epistolæ ad Romanos, peccati nomine vere pravitatem istam intelligit: sed figurata quadam loquendi ratione, personam quodammodo peccato tribuens, illud in homine nondum regenerato, & ab ipsa lege plane pendente, habitare dicit, id est, ejusmodi hominem, quemadmodum à peccando abstineat, invenire non posse.

Concludimus igitur, nullum, improprie etiam loquendo, peccatum originale esse, id est, ex peccato illo primi parentis, nullam labem aut pravitatem, universo humano generi, necessario ingenitam esse, sive inflictam quodammodo fuisse; nec aliud malum ex primo illo delicto ad posteros omnes necessario manasse quam moriendi omnimodam necessitatem, non quidem ex ipsius delicti vi, sed quia cum jam homo natura mortalis esset, ob delictum illud suæ naturali mortalitati à Deo relictus est, quodque naturale erat, id in delinquentis poenam, prorsus necessarium est factum. Quare qui ex ipso nascuntur, eadem conditione omnes nasci oportet: nihil enim illi ademtum fuit, quod naturaliter haberet, vel habiturus esset.

Sed sunt postremo, qui dicant, omnes homines, tanquam in uno illo primo homine inclusos, peccasse cum ille peccavit, ad idque probandum, afferunt verba illa Pauli ad Rom. cap. 5. 12. *In quo omnes peccaverunt*, tanquam *in quo* referendum sit ad Adamum, de quo proxime verba facta fuerant. Verum sciendum est, in Græco esse ἐφ᾽ ᾧ, quod nihil aliud significet, quam ut plerumque solet, eo quod, vel quatenus. Et sensus est, omnes homines morti penitus fuisse obnoxios, eo quod vel quatenus omnes peccaverunt: stipendia enim peccati mors, Rom. 6. 23. Quid autem hoc sibi velit, quamvis à nobis explicatum, iterum tamen explicabitur cum de imputativa justitia plenius agemus.

CAPUT V.

De libero hominis arbitrio.

EX iis quæ supra disputata sunt, satis constare potest, in homine liberum arbitrium esse, si modo id verum est, quod omnes concedunt, & ratio ipsa manifeste docet, in primo homine ante lapsum liberum arbitrium fuisse. Nulla enim causa est, cur propter lapsum eo privari debuerit. Quandoquidem nec rei ipsius natura id postulat, nec Dei justitia patitur. Sed neque de poena ista, inter ea, quæ poenæ loco Deus lapsui illi constituit, ulla prorsus fit mentio, ut Gen. cap. 3 legenti perspicuum esse potest. Sed quæritur, quatenus liberum hominis arbitrium extendatur, & quas vires habeat? Quoniam igitur concedimus, in plerisque hominibus, non quidem propter peccatum primi parentis, sed propterea, quia homines paulatim denegerarunt, & seipsos corruperunt, innatam quodammodo esse magnam ad peccandum proclivitatem, & pravitatem quandam, idcirco dicimus, in plerisque hominibus naturaliter exiguas esse vires, ad ea præstanda, quæ Dei lex jubet: ea autem præstandi voluntatem in omnibus natura esse posse, atque adeo in plerisque esse; nisi peccandi assuetudine factum sit, ut quis ipso peccato atque iniquitate delectetur. Quod ita se habere, planum faciemus, cum cap. 5 Epistolæ ad Rom. de justificatione nostra agentes, explanabimus. Porro vires non ita exiguæ sunt, ut homo Dei ope accedente, si sibi ipsi vim facere velit, legi divinæ parere non possit. Opem autem suam nemini eorum denegat Deus quibus legem tulit, alioquin legem suam non servantes, nulla ratione vel reprehendere, vel punire posset, & tamen utrumque facit. Itaque non eam legem tulit Deus, quam nemo servare possit, siquidem lex, ut inquit Paulus Rom. 7. 10, ad vitam data est. Atqui, ut idem ex Mose ait, is demum per legem victurus est, qui ea fecerit Rom. 10. 5 quæ lex jubet. Sed tamen eam dedit legem, ad quam servandam ipsius auxilio opus foret, ut perpetua causa esset, cur ab ipso penderemus, eumque vitæ ac felicitatis nostræ auctorem clarius agnosceremus. Jam vero auxilium istud divinum duplex est, exterius & interius. Exterius auxilium sunt promissiones legi adjunctæ alicujus boni, cujus desiderio ac spe homines permoti, legem servandi difficultates superant; vel miræ alicujus mali, cujus odio & metu perterriti, ab ea infirmanda sedulo sibi cavent, earumque & promissionum & minarum externæ confirmationes. Multo autem magis promissionibus ad aliquid faciendum adducimur, quam minis. Quocirca, cum sub Novo Testamento promissa longe præstantiora sint, quam sub Vetere, hinc fit, ut sub Novo divinæ legi parere, multo facilius sit, quam sub vetere. Interius autem auxilium duplex est: Unum cum Deus id, quod sibi obedientibus promisit, eorum etiam cordibus quodammodo inscribit. Alterum, cum ad ipsius voluntatem recte percipiendam, quæ in externo verbo, propter res infinitas, de quibus in humana vita agere & deliberare contingit, expresse omnino contineri nequit, mentem erudit,

eamque illustrat. De hoc posteriore ii omnes loci intelligendi sunt, in quibus rogatur Deus, ut voluntatem suam doceat, ut Psal.143.8,10 & Psal. 119. multis in locis, præsertim vero in litera Ain. De priore vero ii, in quibus Spiritus Sancti fit mentio, quem Deus, tanquam arrhabonem quendam futuri alicujus magni boni, hominibus largiatur, de quo 2 Cor.1.22. & cap. 5.5. Ephes.1.13,14. Nam externa dona Spiritus Sancti, in locis istis intelligi non debere, sed interiorem quandam vim, primus ex ipsis ostendere videtur, ubi scriptum est: *Et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ex his duobus interioribus auxiliis, prius magis proprium est Novi Testamenti: posterius vero Veteris. Quod quemadmodum in Novo Testamento, vera bona promissa sunt: sic in Vetere Dei voluntas in mortalibus actionibus non ita explicata est, ut in Novo. Ex iis autem quæ dicta sunt colligi potest, verum auxilium id esse, quod exterius appellavimus, cum interius utriusque generis, nihil aliud sit, quam exterioris suggestio quædam & obsignatio; præsertim vero cum nemini interius contingat, nisi prius exteriore recte usus sit. Nisi enim quis, externas Dei voces audiendo, ejus promissis fidem adhibeat, obsignationem illam eorundem promissorum in corde suo per Spiritum Sanctum non accipiet: credentibus enim & obedientibus Spiritus Sanctus datur, Actor.5.32. Eph.1.13. Similiter, nisi quis Dei apertissimam voluntatem, pro viribus exequi studeat, nunquam aliquanto occultioris cognitionem veram habiturus est, & divina oracula perfecte intellecturus. Namque ut Salomon ait Proverb. 1. 7. & 9. 10. *Initium sapientiæ timor Domini.* Cæterum animadvertendum est, nos de ordinaria ac perpetua Dei voluntate atque operatione, in prædictis auxiliis ejus interiore & exteriore explicandis, locutos fuisse, nec propterea excludere casus illos, in quibus Deus alia etiam ratione hominibus interdum auxiliatur, eorumque mentem & animum immutat ac renovat, utque sibi obediant, efficit. Quis enim Dei judicia satis nosse aut explicare potest? Sed ut ad propositum revertamur, constitutum esto, in homine etiam post Adami lapsum liberum arbitrium esse, nec vim hanc naturalem ex eo tempore imminutam esse, nisi quatenus homines sæpius peccando peccandi habitum contraxere, & seipsos corrupere, eamque corruptionem ad posteros, per seminis propagationem transmisere, atque etiamnum transmittunt.

CAPUT VI.

De Dei prædestinatione.

VErum huic non minus veræ, quam testatissimæ in Sacris Literis sententiæ, Dei prædestinatio opponitur, qua ab omni æternitate, de singulis hominibus nominatim decreverit, quis omnino servandus, quisve damnandus sit. Nam, si hoc verum est, cum satis constet homines probos servandos esse, improbos vero damnandos, necesse est, ut Deus decreverit similiter, quinam probi, quive improbi sint futuri; aut certe, ut jam id certum ab omni æternitate sit. Ex quo efficitur, ut nulla libertas hominibus relinquatur, in iis, quæ ad suam ipsorum probitatem vel improbitatem spectant: quicquid multi in Romana Ecclesia dicant, qui omnino volunt, prædestinationem istam una cum libero arbitrio hominis consistere posse, quod secus se habere, ea quæ deinceps dicemus, planum facient.

Negamus igitur nos istam prædestinationem, idque (præter innumerabilia Sacra Testimonia eam aperte negantia, quibus, quod adversariorum sententiam refellere potius, quam nostram confirmare, nobis propositum sit, afferendis supersedebimus) ob duas potissimum caussas. Una est, quod, si ea vera esset, omnis religio funditus tolleretur. Altera, quod ea admissa, necesse est Deo multa ipso indignissima attribuere.

Tolleretur omnino, si prædestinatio ista vera esset, religio universa, quia manifeste ex ea consequitur, quæcunque ad pietatem pertinent, omnia ex necessitate fieri. Quod si verum est, quorsum attinet laborare ac studere, ut pii simus? Frustra est enim omnis labor, omneque studium, ubi necessario omnia eveniunt, quemadmodum sensus ipse communis nos docet. Labore autem isto ac studio sublato, omnem religionem interire necesse est.

Deo vero, si prædestinatio ista admitteretur, quatuor quæ vel nominare animus horret, tribuerentur: Iniquitas, Simulatio cum deceptione conjuncta, Inscitia & Pravitas.

Iniquitas, quia iniquissimum plane est, quemquam idcirco punire, quod ea non fecerit, quæ facere nullo modo potuit. Atqui Deus eos punit, qui improbi sunt, & ipsi non obediunt, quorum tamen in potestate nulla ratione situm est, ut sint probi, Deoque obediant, si jam certum aut decretum est, ne probi sint neve Deo obediant. Est autem hæc iniquitas eo major, si ipse Deus id decreverit, quemadmodum ex ista prædestinatione necessario consequitur, si ea ita accipiatur, ut ab iis fieri solet, contra quos potissimum disputatio hæc nostra instituta est: qua de re paulo post cum de pravitate, cujus Deus per istam prædestinationem insimulatur, agemus, aliquid apertius dicendum erit. Itaque ista prædestinatione admissa, Deus homines punit, quia ea non faciant, quæ ut facere nullo pacto possent, ipse constituit, quo nihil iniquius excogitari potest.

Simulatio cum deceptione conjuncta, quia cum ipse jam decreverit, ut bona, imo major pars eorum, qui Euangelii prædicationem audiunt, non serventur, salutem tamen omnibus in ipsa prædicatione offert. Itaque unum agit, aliud præ se fert, quod proprie simulare est; & quod gravius est, id ea in re facit, unde alter decipitur. Audit enim, exempli causa, quispiam ex reprobis (quos isti vocant) sibi à Deo per Euangelii prædicationem, si vitam correxerit, promitti peccatorum veniam, & vitam æternam, & propterea, ut vitam suam emendet, & studet, & curat, viamque istius salutis ingreditur: sed in medio cursu deinde deficit, nempe, quia Deus ita decrevit, atque ne ulterius progrediatur, sed plane concidat, sua illi subtracta gratia, suo tempore efficit. Hoc autem in omnibus, qui ad tempus credunt, si prædestinatio ista vera est, evenire necesse est. Qui an se deceptos fuisse, jure conqueri possint, necne, omnibus judicandum relinquo.

Inscitia porro in eo esset, quod id videretur Deus tentare, quod fieri non posse, optime novit. Stultum est autem, id vel conari revera, vel etiam conari præ se ferre, quod fieri non possit, atque ea ratione se cunctis deridendum præbere. Hoc dico, quia prædestinationem istam ita veram esse adversarii statuunt, ut Deus eam omnino credi velit, deque ea nihil prorsus dubitari.

Pravitas postremo ideo Deo tribueretur, quia peccati autor fieret. Nam si necesse est, ut quicunque condemnatur, is etiam peccet, certe qui antequam is peccet, statuit ut quis omnino damnetur, statuit etiam, ut omnino peccet. Neque enim eo confugere adversarii possunt, ut dicant, idcirco Deum ab omni æternitate aliquos damnasse, quia præviderit eos peccaturos. Impium enim esse statuunt, si quis Dei prædestinationem ulla ratione à prænotione seu præscientia pendere dicat. Quare nullo modo istos ideo reprobasse, quia peccaturos præviderit, sed quia reprobaverit, ideo eos necessario peccaturos prævidisse, constanter affirmant.

Verumtamen habent adversarii, præter non pauca Sacra Testimonia, tres rationes præcipuas, quibus penitus sunt persuasi, Deum quæcunque fiunt, aut non fiunt, ad salutem præsertim nostram & condemnationem

tionem spectantia, jam antea decrevisse, ut fierent, aut non fierent; vel certe nihil in hominis arbitrio situm esse. Quas omnes separatim explicabimus, easque sigillatim refellere conabimur, postmodum vero de Sacris Testimoniis agemus.

CAPUT VII.

Rationes quibus probari videatur, quæcunque fiunt, aut non fiunt, præsertim ad salutem aut condemnationem nostram spectantia, ea prius ita a Deo decreta fuisse; vel certe nihil in hominis arbitrio situm esse, & earundem rationum refutatio.

PRima ratio est, quia si quid ab hominibus fieret, aut non fieret; quod ita a Deo ante decretum non esset, id est, aliter quam ipse vellet, is nec omnipotens, nec perfecte beatus esset. Omnipotentem autem esse Deum, & quæcunque velit facere, cum per se indubitatum esse videtur, tum scriptum est pluribus in locis, præsertim vero in Psalmo 115. 3, & 135. 6. *Esa* 46. 10. & Eccl. 8. 3. Perfecte vero beatum Deum esse, nemo, opinor, negare ausus fuerit. Beatum certe illum esse scriptum est a Paulo 1 Tim. 1. 11 & cap 6. 15, 16. Nihil autem non perfectum inter Dei attributa esse potest.

Huic rationi sic respondendum est: Deus quæcunque vult facit, verissimum est: sed ea quæ ab hominibus fiunt aut non fiunt, præsertim si ad ipsorum salutem aut condemnationem spectent, pleraque omnia in eorum arbitrio & potestate Deus posuit. Quare in his antequam fiant, aut non fiant, non absoluta Dei voluntas, sed desiderium potius & est & dici debet. Regula autem ista, *Deus quæcunque vult facit*, de absoluta voluntate intelligenda est. Nec tamen ejusmodi desiderium istud est, quod voluntas merito (licet non absoluta) appellari nequeat. Quandoquidem in his, id quod Deus desiderat, non magis is velle potest, quam velit, neque enim ea absolutæ in Deo voluntatis capacia sunt. Declaro: Deus, exempli causa, cupit, ne homicidia fiant: Quid vero est quod cupit? Nempe, ut homines, quamvis contingat, ut quempiam occidere possint, nunquam tamen occidant. Hoc ita vult, ut magis velle non possit. Verum, si ita res se habet, opus est, ut liberi hac in re sint homines, & consequenter, ne ipse illis aliquam necessitatem afferat. Nam etiamsi ita necessitatem illis afferret, ut eorum voluntatem ab occidendo ipse vi sua penitus retraheret, efficeretque ne occidere ullo modo vellent, non tamen id adipisceretur, quod quærit. Neque enim homines aliter velle possent, ob idque nec facere. Sed jam dictum est, Deum ita velle, ut homines ab homicidiis abstineant, ut interim aliter facere possint. Est igitur hæc Dei voluntas ejusmodi, ut absoluta esse nequeat: nam si absoluta voluntas esset, non id Deus aliter fieri posse vellet. Quod propterea vult, ut & virtuti & vitio sit locus, ob eamque causam, & præmio & pœnis, quibus nullus locus esse potest, ubi non nisi uno modo res fieri queat.

Ex prædictis satis constare potest, ut Dei omnipotentia conservetur, unaque cum ejus voluntate, quæ in dandis præceptis apparet, eam consistere posse ostendatur, non necesse esse, ad eam distinctionem confugere, quod alia sit Dei voluntas aperta, alia occulta, sive, ut alii loquuntur, alia signi, alia vero beneplaciti, atque hac ratione Deum, non minus ridicule quam impie, simulatorem inducere, quasi id quod præcipit, non vere velit, sed tantum id quod evenire videmus. Namque una est duntaxat ordinaria Dei voluntas, eaque præceptis ejus plane consentanea, iisque expressa, atque, ut dictum est, ejusmodi voluntas, ut nec major, nec constantior esse posset.

Veruntamen adversarii, ad duplicem istam voluntatem in Deo constituendam, quædam exempla afferunt ex Sacris Literis petita, & potissimum Isaaci, quem Abrahamus à Deo sibi immolare est jussus, historiam Gen. 22. 1, 2. Inquiunt enim manifestum esse, si Dei jussus attendatur, voluisse Deum, ut Abrahamus id faceret, & tamen ex eo quod consecutum est, manifestum esse, Deum noluisse revera ut id faceret, alioquin eum id conantem non impedivisset. Afferunt etiam exemplum Mosis, qui Deo ita jubente, ipsius Dei nomine Pharaoni dixit Exod. 5. 1, 2, ut populum Israëlis dimitteret, cum tamen Deus revera nollet ut eum dimitteret, quemadmodum ex eo apparet, quod prædixerat, se induraturum cor Pharaonis Exod. 4. 21. ut etiam postea fecit.

Quod attinet ad prius exemplum; dicimus illud nequaquam afferri debuisse. Primum, quia ibidem in ipso historiæ initio scriptum est, Deum tentasse Abrahamum; ex quibus verbis apparet, aliquid singulare in eo Dei mandato fuisse, nec cum reliquis mandatis id conferendum esse, nisi velimus Deum, semper tentandi gratia, sua præcepta dare. Deinde, quia non recte semper ex eventu propositum Dei colligitur. Potest enim fieri, ut ab initio Deus aliquid velit, postmodum vero nolit, non quia Deus mutetur, aut mutari possit, sed quia alia quædam, quæ extra Deum sunt, & in quibus, vel circa quæ effectus voluntatis divinæ esse debet, ipsa mutantur, quemadmodum alio loco, Deo volente, a nobis ostendetur. Unde cum fieri possit, ut soli Deo mutatio ista perspecta sit, mirum sane videri non debet, si qui hæc non animadvertant, vel Deum mutabilem esse, vel non id voluisse, quod ab initio dixit, perperam omnino concludunt. Postremo, quia nihil diversum, quod ad Dei voluntatem expressam & tacitam attinet, in exemplo illo animadverti potest. Præcipit Deus Abrahamo, ut Isaacum sibi sacrificet, id est, ea omnia faciat, quæ in ipsius potestate sunt; ut id reipsa fiat. Ab hoc præcepto nihil diversum deinde statuit: nam etiamsi effectum ipsum mactationis per Angelum suum deinde impediret, Abrahamum tamen, ea omnia facere, quæ potuit, ut filium mactaret, ante permisit. Ex quo consequitur, Abrahamum Dei præcepto de filio sacrificando perfecte obedivisse, tantum abest, ut Deus præceptum suum revocaverit. Propterea & ipse Deus testatur Gen. 22. 12, 16, Arabamum filio suo unico non pepercisse, ut ipsi obediret; & auctor Epistolæ ad Hebræos Heb. 11. 17, 19, atque Jacobus Jacob. 2. 21. affirmant, eum filium suum obtulisse, additurque a priore, eum in resurrectionis similitudine filium suum recuperasse. Unde constat merito dici posse, eum mactasse filium suum.

Alterum exemplum similiter afferendum non erat, quia manifestum plane est, singulare aliquid esse, quod in hac disputatione vim nullam habere potest, in qua de eo, quod Deus facere perpetuo soleat, disputatur. Pharao ejusque decessor, populum Dei immerentem affligendo, adeo justam Dei iram adversus se concitaverant, ut merito potuerit Deus, eum quodammodo deludere, & quamvis suo nomine illi dicendum curaret, ut dimitteret populum, tamen interea illi cor indurare, efficereque ne populum dimitteret, ut inde præterita scelera in eo puniendi, suamque gloriam patefaciendi, materiam haberet. Adde, quod sicut Deus per Mosen Pharaoni dicebat, ut populum suum dimitteret, ita etiam fieri volebat, licet non statim id fieri vellet, quemadmodum eventu deinde comprobatum fuit.

De Dei omnipotentia dictum est. De beatitudine vero dicimus, eam nihil plane minui, quamvis non ea omnia fiant, quæ Deus fieri vellet, cum Deus ipse, id ita evenire posse, voluerit; & quidquid tandem, contra id quod ipse cuperet, ab hominibus fiat, id omne infinita sapientia sua ad immortalem suam gloriam convertere noverit.

Altera ratio, qua hominis libertas convelli, & Dei antecedens decretum in omnibus quæ fiunt, con-

firmari omnino videtur, hæc est: Si in hominis potestate situm esset, ea facere, aut non facere, quæ Deus præcipit, nec Deus antea ita omnia decrevisset, ut ex ipsius consilio hominum facta penderent, non rata nec certa esset mundi hujus administratio, eaque partim ex Dei, partim ex hominis voluntate, proficisceretur, quo nihil absurdius dici posse videri debet, cum certissimum sit, cuncta in Dei manu esse, ejusque nutu omnia gubernari.

Respondeo. Ea quæ in hominis potestate Deum posuisse affirmamus, non ejusmodi esse, ut ad mundi hujus administrationem ullo modo pertineant. Ea sunt velle & nolle, idque perfectissime atque absolutissime. Verum nulla voluntas, aut (ut sic loquamur) noluntas, quantumvis perfecta & absoluta, aliquid per se ipsa in mundi administratione momenti habet, sed in externis factis universa vis consistit: hæc autem Deus omnino sibi reservavit, nec ullam in ipsis, quanquam vel minimis, prorsus liberam potestatem homini dedit. Propterea scriptum est à Salomone, Prov. cap. 16. ℣. 1. hominis esse præparare cor, à Deo autem esse linguæ responsionem. Quod si homo ne loqui quidem potest, quod omnium factorum minimum esse videtur, nisi Deo id concedente, & linguam ipsam hominis, non modo alia externa facta, Deus moderatur, quid tandem in hominis potestate situm erit, quod ad mundi administrationem per se ipsum pertineat?

Jam vero, quod ad religionem attinet, satis est; hominis voluntatem ad extremum usque plane liberam esse, adeo ut, præter ipsum factum externum, omnia in ejus sint potestate. Nam & obedientiam & inobedientiam hominum, Deus ex ipsa perfecta ac consummata voluntate, non autem ex ipso externo facto, metitur. Obedientia autem & inobedientia hominis erga Deum, quidquid ad religionem pertinet, prorsus continetur. Abrahamus reipsa filium suum non immolavit, & tamen, ut vidimus, perfecte Deo obedivit, nempe, quia per ipsum nulla ex parte stetit, quin filium mactaret, eumque mactandi fuit in ipso perfecta & consummata voluntas. Voluit Balaam, ut conjicere licet, Dei populo maledicere, nec per ipsum stetit, quin id faceret Num. 22. & 23, Quocirca, etiamsi reipsa id non fecerit, quin imo ei benedixerit (id enim à Deo, ipsam linguam nostram, ut modo dicebamus, moderante, factum est) perverse tamen fecisse dicitur, & amena atque iniqua fuisse 2 Pet. 2. 15, 16.

Sed aliquis fortasse, ad probandum, religionem etiam in ipsis externis factis, citra hominum voluntatem consistere, ea afferet, quæ Gen. 12. & 20, cap. scripta sunt, de Pharaone & Abimelecho, quorum uterque in retinenda Sara Abrahami uxore, peccasse satis aperte dicitur, cum propter factum illud, uterque à Deo afflictus fuisse, narretur. Quin etiam Deus Abimelecho dixit Gen. 20. 6, se effecisse, quominus ipse contra se peccaret, quatenus scilicet effecerit, ne cum Sara rem haberet. Itaque apparet, in ipso externo facto aliquod religionis momentum esse. Nam alioqui Deus ipse Abimelechum, ea quæ fecisset, in cordis integritate fecisse, pronunciat, nimirum, quia Saram Abrahami uxorem esse nesciebat, atque eadem ratio in Pharaone quoque locum habet.

Animadvertendum est primum, nos de iis casibus loqui, in quibus quispiam id, quod maxime facere vult, aliqua externa ratione impeditus non facit, dicimusque apud Deum perinde haberi, ac si id fecisset. Exempla autem ista eorum sunt, qui id faciunt, quod facere nolunt, licet factum aliam præterea conditionem seu qualitatem secum necessario conjunctam habeat, quam illi præ ignorantia non suspicantur.

Tum vero sciendum est, nos non negare, quin factum ipsum externum per se Deo displiceat, cum aliquid adversus ipsius legem committitur, etiamsi id imprudenter fiat. Quare merito dixit Deus, se Abimelechum à peccando contra se prohibuisse, quamvis nesciret Abimelechus, Saram, quam uxorem suam facere destinaverat, & sine dubio Deo non prohibente fecisset, alterius, id est, Abrahami uxorem esse. Jam enim, quamvis lex nondum scripta esset, pro divina lege receptum fuerat, non licere alterius uxorem habere. Denique considerandum est, cum quis aliquid contra Dei legem ignorans committit, tum demum ignorantiæ suæ justam excusationem fortasse habere, si rei prorsus licitæ operam det, ut si quis exempli causa, credens se cum propria uxore concumbere, cum aliena concubuerit, præsertim si id suo loco & tempore fiat, omnibusque aliis circumstantiis convenientibus, adeo ut nulla errorem suspicandi causa existat. At vero Pharao & Abimelechus, non dabant operam rei prorsus licitæ, nec quæ ejusmodi esset, in qua nulla erroris suspicio foret. Dubitari enim poterat, & quidem merito, ne id esset, quod erat. Quemadmodum enim Abrahamo in mentem venerat, non nominare Saram uxorem suam, sed sororem tantum, ut mortis periculum effugeret: sic aliis quoque in mentem venire poterat, Abrahamum mortis periculi vitandi causa, quæ uxor esset, eam sororem appellare, nec ita temere ac subito ad nuptias seu concubitum cum ea muliere provolandum erat, maxime cum & soror & uxor simul esse posset, ut erat revera, latius patente sororis nomine, quam ut eam significare non posset, cum qua matrimonium jungi liceret.

Breviter, ut jam dictum fuit, aliud est, aliquid omnino facere velle, impeditum tamen non facere, aliud præ ignoratione aliquid facere. In eo enim voluntas pro facto habetur, in hoc vero ignoratio factum omnino excusat. Hinc est, quod in Lege Mosis constituta erat expiatio, pro peccatis & delictis imprudenter admissis. Tantum est enim Dei odium adversus peccatum, ut ea etiam, quæ per ignorantiam committuntur, aliqua ratione expiari velit. Quare cum dicimus, omnia externa facta in Dei manu esse, id non ita intelligendum est, quasi Deus auctor sit eorum omnium, sed est intelligendum, nullum esse factum externum, quod Deus in libera hominis potestate prorsus esse velit, quodque ipso aut decernente aut permittente non existat. Si quid igitur ab hominibus contra Dei Legem committitur, id non quidem decernente sive auctore Deo, sed permittente tantum fieri asseveramus, nisi perraro quibusdam de causis, quæ alibi explicabuntur.

Quod si quis dixerit, idem de voluntate hominis dici posse, id est, cum aliquid mali homo cogitat, id non nisi permittente Deo fieri, fatemur id verum esse, hincque apparet, non ita liberam hominis voluntatem esse, quin Deus eam quocunque sibi libuerit, semper flectere possit, & propterea, hominis liberam voluntatem Dei supremæ potestati nihil prorsus derogare. Verum hæc inter voluntatem & externa facta differentia est, quod Deus hæc nulla ratione in hominis plane libera potestate esse voluit: sed modo ea permittit ipse, modo impedit, prout sibi visum fuerit, voluntatem vero liberam esse, perpetuo sinit, nisi si quando, ut ei necessitatem afferat, eamve ipse plane gubernet ac moderetur, ejus judicia requirunt. Interea tamen distinguendum est, ut diximus, in ipsis factis externis, inter Dei decretum & permissionem. Quædam enim externa facta omnino ante decrevit Deus, quædam vero permittit. Atque inter ea potissimum quæ permittit, sæpius multa sunt, quæ alioquin ipsi summopere displicent, quippe quod ob aliquam causam satius esse statuat, ea fieri, quam non fieri.

CAPUT VIII.

De Dei prænotione seu præscientia.

Tertia ratio, qua probari posse videatur, nihil in hominis potestate esse, sed omnia ex Dei decreto pendere, vel certe necessaria esse, ex Dei prænotione

notione seu præscientia ducta est. Sic enim argumentantur: Deus infallibili prænotione omnia novit antequam fiant: Ergo nihil fieri potest, quod antequam fiat, jam omnino certum non sit, & idcirco necessarium: alioqui falli posset Dei prænotio. Quod si aliquis fateri nolit, certitudinem istam ex Dei decreto proficisci, quia videlicet Deus ita omnino futurum decreverit: at illud negari non poterit, undecumque tandem ea proficiscatur, certitudinem istam plane esse, atque ex ea, rerum omnium quæ fiunt antecedentem necessitatem, necessario colligi.

Ut ad rationem istam non minus plene quam plane respondeamus, animadvertendum est, infallibilem istam Dei prænotionem, quam pro re concessa adversarii sumunt, à nobis non admitti, nisi prius probetur. Probari autem posse videtur, uno ex tribus modis, vel quia Dei natura per se eam omnino requirat, adeo ut impium sit eam negare; vel quia nullo modo sit verisimile, rem aliter se habere, etiamsi Deo volente aliter se habere potuisset: vel denique, quia id ex Sacris Testimoniis planum fiat.

Quod ad primum attinet, non videntur adversarii eo ulla ratione uti posse. Etenim cum nolint, cum Dei prænotione ista hominis libertatem ulla ex parte posse consistere, quemadmodum ex ipsa eorum ratione apparet, si Dei prænotionem ipsius Dei natura omnino requireret, sequeretur, ne Deum quidem ipsum homini libertatem concedere posse aut potuisse: quod certe non plane impium modo, sed etiam ipsorum decretis contrarium esset. Statuunt enim ipsi * quoque primum hominem ante lapsum liberum arbitrium habuisse. Attamen videamus, num aliquæ rationes sint, quibus probari videatur, fieri nullo modo posse, quin Deus omnia prænoscat antequam sint, idque ex ejus natura omnino proficisci.

Una ratio videtur esse, quod Deo sint omnia præsentia, nempe, quia ipse tempori non subjaceat, sed in æternitate perpetuo sit, in qua nihil prius, nihil posterius est, eoque nihil præteritum, nihil futurum, sed omnia præsentia. Respondemus, Deo quidem esse omnia præsentia, verum ea, quæ aliquo modo sunt Namque non entium nullæ sunt qualitates. Atqui ea, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec certo futura sunt, nullo modo sunt. Itaque ea Deo præsentia esse nequeunt. Ejusmodi autem sunt (aut certe nos eas esse contendimus) voluntariæ hominum actiones, quæ nondum revera extiterunt. Quare, nisi adversarii principium petere velint, necesse est, ut ad rationem istam concludendam probent, omnia quæ fiunt, antequam facta essent certo futura fuisse: hoc autem illud est revera, quod in controversia est, & quo probato, nos statim manus daturi sumus. Præterea dicimus, rationis confirmationem quam afferunt, nullius momenti esse. Tempus enim æternum est, quidquid Theologi nostri contra disputent, semperque & fuit & futurum est, ut & præteritum aliquid, & præsens, & futurum sit. Nec vero in mundi creatione, ut ipsi arbitrantur, tempus primum extitit, sed tantummodo temporis mensura quædam. Neque enim dies & noctes, ipseque universus cælorum & solis reliquorumque astrorum cursus ipsum tempus sunt, ipsumve efficiunt, sed illud metiuntur tantum, atque distinguunt. Quamobrem ipsius quoque Dei respectu aliquid præteritum, aliquid vero præsens, aliquid etiam futurum est. Quod si minus concedatur, illud tamen certissimum est eorum quæ ab hominibus fiunt respectu ita rem se habere. Ex quo consequitur, cum de illorum scientia, quam Deus habeat, agitur, necesse esse, ut præterita tanquam præterita sciat, præsentia tanquam præsentia, futura tanquam futura: quale enim scibile est, talem scibilis scientiam esse oportet. Itaque ea quæ nondum sunt revera, licet certo futura sint, ne ipsius quidem Dei respectu sunt revera, tantum abest, ut ea revera sint Dei respectu, quæ certo futura non sunt: tales enim nos, ut dictum fuit, hominum voluntarias actiones, quæ nondum revera extiterunt, esse contendimus.

Alterius rationis loco esse potest, quod Deus sit omnisciens. Nam si Deus aliquid futurum non nosset, non omnia sciret. Respondeo. Deus omnia scit, quæ sua natura scibilia sunt, quemadmodum omnia potest, quæ sua natura possibilia sunt. Verum sicut quædam sunt, quæ sua natura fieri nullo modo possunt, & idcirco ea Deum facere posse nulla ratione dici potest, nec tamen ipsius omnipotentiæ quidquam derogatur: ita quædam sunt, quæ Deus scire nulla ratione dici potest, nec tamen ipsius omniscientiæ quidquam derogatur. Ex ipsius rei natura, exempli causa, nulla ratione fieri potest, ut factum infectum reddatur. Itaque si quis affirmare velit, Deum id quod factum est infectum reddere posse, merito ab omnibus deridebitur. Pari ratione, si quis dicat, Deum ea scire, quæ nullo modo sunt, deridendus erit. Quæ enim nullo modo sunt, ea ex ipsius rei natura nullo modo sciri possunt. Nec vero in Deo ullum est vitium aut imperfectio, etiamsi quædam eum facere posse, quædam similiter eum scire, affirmari nequeat, quippe, quia res illæ nulli potentiæ aut scientiæ sunt obnoxiæ, nec ullam omnino passivam potentiam aut scientiam admittunt. Nullo autem modo esse ea quæ nondum extiterunt, nec certo futura sunt, jam satis ostensum est. Quare hic quoque ab adversariis tacite principium petitur. Tacite enim sumunt, quæcunque fiunt antequam fierent certo futura fuisse, quod illud ipsum revera est, de quo disputatur, quodque nos prorsus negamus. Non recte igitur in ipsa ratione nectenda dictum est: Si Deus aliquid futurum non nosset, non omnia sciturum esse: quasi vero quicquid fit, id futurum esset, antequam fieret. Fatemur nos quidem, sciri à Deo omnia, quæ futura sunt, sed interim negamus, ea quæ fiunt, si contingentia sint, futura fuisse antequam fierent.

Sed dicet aliquis. Igitur si ista futura fuisse negas, sequitur ea fuisse non futura: quomodo igitur fieri potuerunt, si erant non futura?

Sciendum est, futura contingentia antequam fiant, nec futura esse, nec esse non futura. Unde illud dictum est: De futuris contingentibus non est determinata veritas, sunt enim ista ad utrumque. Et affirmare quidem possumus antequam fiant, ea vel futura esse, vel non futura, hoc pacto: illud aut erit, aut non erit, sed neutrum tamen asserere possumus. Regula * enim illa, de qualibet re est affirmare vel negare, in futuris contingentibus locum non habet.

Sed jam de secundo modo agamus, & videamus, an verisimile sit, Deum voluisse omnino omnia scire antequam fiant, etiamsi aliter esse potuissent, id est, consideremus, utrum verisimilius sit, Deum nullam libertatem homini relinquere voluisse, ut ipse prænosse omnia posset? an vero libertatem aliquam homini dedisse, seque ista prænotione privasse? Ex ratione enim adversariorum, ut dictum est, colligitur, eos nolle libertatem hominis & Dei prænotionem istam simul consistere posse, quod nos quoque non modo fatemur, verum etiam, ut postea clarius apparebit, urgemus atque contendimus, quatenus id, quod Deus certo præscivit, ut certum etiam jam in se ipso sit, necesse est, hominisque libertatem à se penitus excludit. Jam vero; si libertas omnis homini adimatur, ea omnia absurda sequuntur, quæ enumerata sunt à nobis, in initio hujus de hominis libertate disputationis; & Deus nonnullorum vitiorum eorumque gravissimorum turpissime insimulatur, quæ hic repetere necesse non est. At vero, etiamsi Deus non omnia noscat antequam sint, nihil tamen absurdi inde apparet. Cui enim usui, obsecro, ista prænotio esset? An non satis est, Deum cuncta regere perpetuo ac gubernare, nec ipso plane nolente quidquam fieri posse: sed

* Calvinus in Instit. lib. 1. cap. 15. sect. 8.

* Aristoteles libro de interpretatione, cap. 9.

firmari omnino videtur, hæc est: Si in hominis potestate situm esset, ea facere, aut non facere, quæ Deus præcipit, nec Deus antea ita omnia decrevisset, ut ex ipsius consilio hominum facta penderent, non rata nec certa esset mundi hujus administratio, eaque partim ex Dei, partim ex hominis voluntate, proficisceretur, quo nihil absurdius dici posse videri debet, cum certissimum sit, cuncta in Dei manu esse, ejusque nutu omnia gubernari.

Respondeo: Ea quæ in hominis potestate Deum posuisse affirmamus, non ejusmodi esse, ut ad mundi hujus administrationem ullo modo pertineant. Ea sunt velle & nolle, idque perfectissime atque absolutissime. Verum nulla voluntas, aut (ut sic loquamur) noluntas, quantumvis perfecta & absoluta, aliquid per se ipsa in mundi administratione momenti habet, sed in externis factis universa vis consistit: hæc autem Deus omnino sibi reservavit, nec ullam in ipsis, quanquam vel minimis, prorsus liberam potestatem homini dedit. Propterea scriptum est à Salomone, Prov. cap. 16. 1. hominis esse præparare cor, à Deo autem esse linguæ responsionem. Quod si homo ne loqui quidem potest, quod omnium factorum minimum esse videtur, nisi Deo id concedente, & linguam ipsam hominis, non modo alia externa facta, Deus moderatur, quid tandem in hominis potestate situm erit, quod ad mundi administrationem per se ipsum pertineat?

Jam vero, quod ad religionem attinet, satis est, hominis voluntatem ad extremum usque plane liberam esse, adeo ut, præter ipsum factum externum, omnia in ejus sint potestate. Nam & obedientiam & inobedientiam hominum, Deus ex ipsa perfecta ac consummata voluntate, non autem ex ipso externo facto, metitur. Obedientia autem & inobedientia hominis erga Deum, quidquid ad religionem pertinet, prorsus continetur. Abrahamus reipsa filium suum non immolavit, & tamen, ut vidimus, perfecte Deo obedivit, nempe, quia per ipsum nulla ex parte stetit, quin filium mactaret, eumque mactandi fuit in ipso perfecta & consummata voluntas. Voluit Balaam, ut conjicere licet, Dei populo maledicere, nec per ipsum stetit, quin id faceret Num. 22. & 23, Quocirca, etiamsi reipsa id non fecerit, quin imo ei benedixerit (id enim à Deo, ipsam linguam nostram, ut modo dicebamus, moderante, factum est) perverse tamen fecisse dicitur, & amens atque iniquus fuisse 2 Pet. 2. 15, 16.

Sed aliquis fortasse, ad probandum, religionem etiam in ipsis externis factis, citra hominum voluntatem consistere, ea afferet, quæ Gen. 12. & 20, cap. scripta sunt, de Pharaone & Abimelecho, quorum uterque in retinenda Sara Abrahami uxore, peccasse satis aperte dicitur, cum propter factum illud, uterque à Deo afflictus fuisse, narretur. Quin etiam Deus Abimelecho dixit Gen. 20. 6, se effecisse, quominus ipse contra se peccaret, quatenus scilicet effecerat, ne cum Sara rem haberet. Itaque apparet, in ipso externo facto aliquod religionis momentum esse. Nam alioqui Deus ipse Abimelechum, ea quæ fecisset, in cordis integritate fecisse, pronunciat, nimirum, quia Saram Abrahami uxorem esse nesciebat, atque eadem ratio in Pharaone quoque locum habet.

Animadvertendum est primum, nos de iis casibus loqui, in quibus quispiam id, quod maxime facere vult, aliqua externa ratione impeditus non facit, dicimusque apud Deum perinde haberi, ac si id fecisset. Exempla autem ista eorum sunt, qui id faciunt, quod facere nolunt, licet factum aliam præterea conditionem seu qualitatem secum necessario conjunctam habeat, quam illi præ ignorantia non suspicantur.

Tum vero sciendum est, nos non negare, quin factum ipsum externum per se Deo displiceat, cum aliquid adversus ipsius legem committitur, etiamsi id imprudenter fiat. Quare merito dixit Deus, se Abimelechum à peccando contra se prohibuisse, quamvis nesciret Abimelechus, Saram, quam uxorem suam facere destinaverat, & sine dubio, Deo non prohibente, fecisset, alterius, id est, Abrahami uxorem esse. Jam enim, quamvis lex nondum scripta esset, pro divina lege receptum fuerat, non licere alterius uxorem habere. Denique considerandum est, cum quis aliquid contra Dei legem ignorans committit, tum demum ignorantiæ suæ justam excusationem fortasse habere, si rei prorsus licitæ operam det, ut si quis exempli causa, credens se cum propria uxore concumbere, cum aliena concubuerit, præsertim si id suo loco & tempore fiat, omnibusque aliis circumstantiis convenientibus, adeo ut nulla errorem suspicandi causa existat. At vero Pharao & Abimelechus, non dabant operam rei prorsus licitæ, nec quæ ejusmodi esset, in qua nulla erroris suspicio foret. Dubitari enim poterat, & quidem merito, ne id esset, quod erat. Quemadmodum enim Abrahamo in mentem venerat, non nominare Saram uxorem suam, sed sororem tantum, ut mortis pericula effugeret: sic aliis quoque in mentem venire poterat, Abrahamum, mortis periculi vitandi causa, quæ uxor esset, eam sororem appellare, nec ita temere ac subito ad nuptias seu concubitum cum ea muliere provolandum erat, maxime cum & soror & uxor simul esse posset, ut erat revera, latius patente sororis nomine, quam ut eam significare non posset, cum qua matrimonium jungi liceret.

Breviter, ut jam dictum fuit, aliud est, aliquid omnino facere velle, impeditum tamen non facere, aliud præ ignoratione aliquid facere. In eo enim voluntas pro facto habetur, in hoc vero, ignoratio factum omnino excusat. Hinc est, quod in Lege Mosis constituta erat expiatio, pro peccatis & delictis imprudenter admissis. Tantum est enim Dei odium adversus peccatum, ut ea etiam, quæ per ignorantiam committuntur, aliqua ratione expiari velit. Quare cum dicimus, omnia externa facta in Dei manu esse, id non ita intelligendum est, quasi Deus auctor sit eorum omnium, sed est intelligendum, nullum esse factum externum, quod Deus in libera hominis potestate prorsus esse velit, quodque ipso aut decernente aut permittente non existat. Si quid igitur ab hominibus contra Dei Legem committitur, id non quidem decernente sive auctore Deo, sed permittente tantum fieri asseveramus, nisi perraro quibusdam de causis, quæ alibi explicabuntur.

Quod si quis dixerit, idem de voluntate hominis dici posse, id est, cum aliquid mali homo cogitat, id non nisi permittente Deo fieri, fatemur id verum esse, hincque apparet, non ita liberam hominis voluntatem esse, quin Deus eam quocunque sibi libuerit, semper flectere possit, & propterea, hominis liberam voluntatem Dei supremæ potestati nihil prorsus derogare. Verum hæc inter voluntatem & externa facta differentia est, quod Deus hæc nulla ratione in hominis plane libera potestate esse voluit: sed modo ea permittit ipse, modo impedit, prout sibi visum fuerit, voluntatem vero liberam esse, perpetuo sinit, nisi si quando, ut ei necessitatem afferat, eamve ipse plane gubernet ac moderetur, ejus judicia requirunt. Interea tamen distinguendum est, ut diximus, in ipsis factis externis, inter Dei decretum & permissionem. Quædam enim externa facta omnino ante decrevit Deus, quædam vero permittit. Atque inter ea potissimum quæ permittit, sæpius multa sunt, quæ alioquin ipsi summopere displicent, quippe quod ob aliquam causam satius esse statuat, ea fieri, quam non fieri.

CAPUT VIII.

De Dei prænotione seu præscientia.

TErtia ratio, qua probari posse videatur, nihil in hominis potestate esse, sed omnia ex Dei decreto pendere, vel certe necessaria esse, ex Dei prænotione

notione seu præscientia ducta est. Sic enim argumentantur: Deus infallibili prænotione omnia novit antequam fiant: Ergo nihil fieri potest, quod antequam fiat, jam omnino certum non sit, & idcirco necessarium: alioqui falli posset Dei prænotio. Quod si aliquis fateri nolit, certitudinem istam ex Dei decreto proficisci, quia videlicet Deus ita omnino futurum decreverit: at illud negari non poterit, undecumque tandem ea proficiscatur, certitudinem istam plane esse, atque ex ea, rerum omnium quæ fiunt antecedentem necessitatem, necessario colligi.

Ut ad rationem istam non minus plene quam plane respondeamus, animadvertendum est, infallibilem istam Dei prænotionem, quam pro re concessa adversarii sumunt, à nobis non admitti, nisi prius probetur. Probari autem posse videtur, uno ex tribus modis, vel quia Dei natura per se eam omnino requirat, adeo ut impium sit eam negare: vel quia nullo modo sit verisimile, rem aliter se habere, etiamsi Deo volente aliter se habere potuisset: vel denique, quia id ex Sacris Testimoniis planum fiat.

Quod ad primum attinet, non videntur adversarii eo ulla ratione uti posse. Etenim cum nolint, cum Dei prænotione ista hominis libertatem ulla ex parte posse consistere, quemadmodum ex ipsa eorum ratione apparet, si Dei prænotionem ipsius Dei natura omnino requireret, sequeretur, ne Deum quidem ipsum homini libertatem concedere posse aut potuisse: quod certe non plane impium modo, sed etiam ipsorum decretis contrarium esset. Statuunt enim ipsi * quoque primum hominem ante lapsum liberum arbitrium habuisse. Attamen videamus, num aliquæ rationes sint, quibus probari videatur, fieri nullo modo posse, quin Deus omnia prænoscat antequam sint, idque ex ejus natura omnino proficisci.

Una ratio videtur esse, quod Deo sint omnia præsentia, nempe, quia ipse tempori non subjaceat, sed in æternitate perpetuo sit, in qua nihil prius, nihil posterius est, eoque nihil præteritum, nihil futurum, sed omnia præsentia. Respondemus, Deo quidem esse omnia præsentia, verum ea, quæ aliquo modo sunt Namque non entium nullæ sunt qualitates. Atqui ea, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec certo futura sunt, nullo modo sunt. Itaque ea Deo præsentia esse nequeunt. Ejusmodi autem sunt (aut certe nos eas esse contendimus) voluntariæ hominum actiones, quæ nondum revera extiterunt. Quare, nisi adversarii principium petere velint, necesse est, ut ad rationem istam concludendam probent, omnia quæ fiunt, antequam facta essent certo futura fuisse: hoc autem illud est revera, quod in controversia est, & quo probato, nos statim manus daturi sumus. Præterea dicimus, rationis confirmationem quam afferunt, nullius momenti esse. Tempus enim æternum est, quidquid Theologi nostri contra disputent, semperque & fuit & futurum est, ut & præteritum aliquid, & præsens, & futurum sit. Nec vero in mundi creatione, ut ipsi arbitrantur, tempus primum extitit, sed tantummodo temporis mensura quædam. Neque enim dies & noctes, ipseque universus cælorum & solis reliquorumque astrorum cursus ipsum tempus sunt, ipsumve efficiunt, sed illud metiuntur tantum, atque distinguunt. Quamobrem ipsius quoque Dei respectu aliquid præteritum, aliquid vero præsens, aliquid etiam futurum est. Quod si minus concedatur, illud tamen certissimum est eorum quæ ab hominibus fiunt respectu ita rem se habere. Ex quo consequitur, cum de illorum scientia, quam Deus habeat, agitur, necesse esse, ut præterita tanquam præterita sciat, præsentia tanquam præsentia, futura tanquam futura: quale enim scibile est, talem scibilis scientiam esse oportet. Itaque ea quæ nondum sunt revera, licet certo futura sint, ne ipsius quidem Dei respectu sunt revera, tantum abest, t ea revera sint Dei respectu, quæ certo futura non sunt: tales enim nos, ut dictum fuit, hominum voluntarias actiones, quæ nondum revera extiterunt, esse contendimus.

Alterius rationis loco esse potest, quod Deus sit omniſciens. Nam si Deus aliquid futurum non nosset, non omnia sciret. Respondeo. Deus omnia scit, quæ sua natura scibilia sunt, quemadmodum omnia potest, quæ sua natura possibilia sunt. Verum sicut quædam sunt, quæ sua natura fieri nullo modo possunt, & idcirco ea Deum facere posse nulla ratione dici potest, nec tamen ipsius omnipotentiæ quidquam derogatur: ita quædam sunt, quæ Deus scire nulla ratione dici potest, nec tamen ipsius omniscientiæ quidquam derogatur. Ex ipsius rei natura, exempli causa, nulla ratione fieri potest, ut factum infectum reddatur. Itaque si quis affirmare velit, Deum id quod factum est infectum reddere posse, merito ab omnibus deridebitur. Pari ratione, si quis dicat, Deum ea scire, quæ nullo modo sunt, deridendus erit. Quæ enim nullo modo sunt, ea ex ipsius rei natura nullo modo sciri possunt. Nec vero in Deo ullum est vitium aut imperfectio, etiamsi quædam eum facere posse, quædam similiter eum scire, affirmari nequeat, quippe, quia res illæ nulli potentiæ aut scientiæ sunt obnoxiæ, nec ullam omnino passivam potentiam aut scientiam admittunt. Nullo autem modo esse ea quæ nondum extiterunt, nec certo futura sunt, jam satis ostensum est. Quare hic quoque ab adversariis tacite principium petitur. Tacite enim sumunt, quæcunque fiunt antequam fierent certo futura fuisse, quod illud ipsum revera est, de quo disputatur, quodque nos prorsus negamus. Non recte igitur in ipsa ratione nectenda dictum est: Si Deus aliquid futurum non nosset, non omnia sciturum esse: quasi vero quicquid fit, id futurum esset, antequam fieret. Fatemur nos quidem, sciri à Deo omnia, quæ futura sunt, sed interim negamus, ea quæ fiunt, si contingentia sint, futura fuisse antequam fierent.

Sed dicet aliquis. Igitur si ista futura fuisse negas, sequitur ea fuisse non futura: quomodo igitur fieri potuerunt, si erant non futura?

Sciendum est, futura contingentia antequam fiant, nec futura esse, nec esse non futura. Unde illud dictum est: De futuris contingentibus non est determinata veritas, sunt enim ista ad utrumque. Et affirmare quidem possumus antequam fiant, ea vel futura esse, vel non futura, hoc pacto: illud aut erit, aut non erit, sed neutrum tamen asserere possumus. Regula * enim illa, de qualibet re est affirmare vel negare, in futuris contingentibus locum non habet.

Sed jam de secundo modo agamus, & videamus, an verisimile sit, Deum voluisse omnino omnia scire antequam fiant, etiamsi aliter esse potuissent, id est, consideremus, utrum verisimilius sit, Deum nullam libertatem homini relinquere voluisse, ut ipse prænosse omnia posset? an vero libertatem aliquam homini dedisse, seque ista prænotione privasse? Ex ratione enim adversariorum, ut dictum est, colligitur, eos nolle libertatem hominis & Dei prænotionem istam simul consistere posse, quod nos quoque non modo fatemur, verum etiam, ut postea clarius apparebit, urgemus atque contendimus, quatenus id, quod Deus certo præscivit, ut certum etiam jam in se ipso sit, necesse est, hominisque libertatem à se penitus excludit. Jam vero; si libertas omnis homini adimatur, ea omnia absurda sequuntur, quæ enumerata sunt à nobis, in initio hujus de hominis libertate disputationis; & Deus nonnullorum vitiorum eorumque gravissimorum turpissime insimulatur, quæ hic repetere necesse non est. At vero, etiamsi Deus non omnia noscat antequam sint, nihil tamen absurdi inde apparet. Cui enim usui, obsecro, ista prænotio esset? An non satis est, Deum cuncta regere perpetuo ac gubernare, nec ipso plane nolente quidquam fieri posse: sed

* Calvinus in Instit. lib. 1. cap. 15. sect. 8.

* Aristoteles libro de interpretatione, cap. 9.

tum ubique semper, ita scientia ac potentia sua præsto esse, ut omnes hominis conatus & perspicere, & si sibi visum fuerit impedire possit, infinitaque sua sapientia (quidquid homo molitur aut moliri queat) omnia ad sui gloriam convertere, & qua ratione, prout hominis conatus fuerit, sibi agendum sit, jam antea, si ita placet, constituisse? Certe prænotio ista, tantum abest ut aliquid Deo tribuat, ut potius illi nonnihil adimat, id est, curam perpetuam, quam rerum humanarum gerit, aliqua saltem ex parte tollat atque obscuret, & otiosum quodammodo eum reddat. Nam, quid attinet Deum quæ ab hominibus fiunt perpetuo contemplari atque animadvertere, si ea jam antea novit, quam fierent? Quid item ea pro arbitratu suo moderari, si jam antea certissima erant, nec nisi uno modo esse poterant? Denique humanarum actionum inspectio ac moderatio perpetua, quæ & in Sacris Literis passim Deo tribuitur, & ejus summum in homines imperium ac gubernationem, quam maxime demonstrat, prænotione ista omnino labefactatur, & tantum non funditus evertitur.

Restat tertius modus, qui nobis in duas partes distribuendus est. Primum enim de iis testimoniis agemus, in quibus in universum dici videatur, Deum quæ fiunt, jam antea certo novisse. Deinde illa examinabimus, ex quibus singulares quasdam Dei prænotiones elici appareat, unde, omnium rerum prænotionem Deum habere, colligi posse videatur.

CAPUT IX.

Loci Sacrarum Literarum, ex quibus in universum probari videtur, Deum cuncta prænosse quæ fiant, & eorum explicatio.

UT igitur de primis testimoniis videamus, primo loco examinanda sunt verba illa Susannæ, Danielis 13. 42, quæ in vulgata editione sic leguntur: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Jam vero, ex istis verbis non intelligendum est, Deum omnia nosse, antequam ulla ratione sint, sed antequam, licet jam aliquo modo sint, oriantur quodammodo atque existant, id quod ex Græco fonte satis intelligi potest, ubi scriptum est, *πρὶν γενέσεως αὐτῶν.* Metaphora enim est, ducta ab iis quæ nascuntur, quæ etiam ante ipsum ortum sunt, quatenus jam sunt concepta. Et sensus est, Deum cuncta nosse, etiam cum adhuc latent in hominis corde, necdum ad ipsum effectum sunt perducta, simulatque enim homo aliquid animo concepit, ut faciat, id Deo notissimum est; atque hac ratione Deus rem novit, antequam fiat. Verum nos non de ista prænotione agimus, sed de ea, qua aliquid cognoscitur, antequam id ullo modo sit. Sic autem locuta est Susanna, ut ostenderet, se ne cogitasse quidem ea facere, de quibus à pessimis illis senibus accusata fuerat, ut merito Dei opem implorare auderet, quippe, quæ non coram hominibus tantum, sed etiam coram ipso Deo innocens atque inculpata ea in re esset. Quamvis autem historia illa apocrypha sit, libuit tamen insignem locum silentio non præterire.

Secundo, videndum est quid sibi velit Deus, apud Esaiam cap. 41, non procul à fine, cum ait ℣. 23. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos.* Namque ex his verbis apparet, proprium Dei esse, futura prædicere, & propterea etiam prænosse. De vera enim prædictione sermonem esse clare liquet. Responsio ad istum locum & Dei verborum explanatio ex iis colligitur, quæ antea disputata fuerunt. Fatemur enim Deum cuncta, quæ futura sunt, prænoscere; sed negamus, omnia quæ eveniunt, antequam evenirent futura sive eventura fuisse. Multa enim eveniunt, quæ non evenire plane poterant, & sic eventura fuisse prorsus affirmari nequit.

Tertio, sunt qui afferant atque etiam inculcent locum illum in Epistola ad Hebr. 4. 13. *Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus; ad quem nobis est sermo.* Locus iste afferri nullo modo meruit, quippe in quo, de iis quæ jam sunt, manifestus sit sermo, atque ex antecedentibus appareat, nihil aliud dicere voluisse Apostolum, quam id quod passim scriptum est, Psal. 7. 10. Hier. 11. 20, & 17. 10, & 20. 12, Deum renes & corda ipsa hominum scrutari, adeo ut intimos quoque eorum recessus notissimos habeat, nec aliquid prorsus ibi adeo latere possit, ut Dei oculis nudum & apertum non sit. Legatur locus, & rem sic se habere sine dubio intelligetur.

Quarto, inspiciendum est, quis sit sensus verborum Jacobi Apostoli Act. 15. 18. Cujus loci tres sunt lectiones: Una veteris interpretis. Altera Complutensis editionis, tertia codicum communium Græcorum. Vetus interpres habet, *Notum Domino à seculo est opus suum.* Quæ verba nihil aliud significant, quam Deum opus illud de quo ibi erat sermo, ab ipso ævo cognovisse, id est, facere decrevisse. Nam hoc sensu cognoscendi verbum usurpari postea videbimus. Quidquid sit; id tantum ex verbis istis colligi potest, Deum vocationem gentium (namque hoc erat ipsius opus illud) jam à seculo cognitam habuisse. Sed quid ex prænotione ista sui operis, ad prænotionem humanorum factorum stabiliendam colligi potest? In Complutensi similiter editione simpliciter scriptum est, *ἅ ἐστι γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος αὐτῷ. Quæ sunt ipsi nota à seculo.* Unde nihil colligi potest, nisi ea de quibus ibi verba fiebant, nota fuisse Deo ab æterno; ea autem opera ipsius Dei esse, inter omnes constat, & Sacræ Literæ passim testantur. Quin etiam ibidem proxime dictum fuerat, Deum facere illa omnia.

Restat vulgata Græcorum codicum lectio, quæ Latine ita sonat: *Nota à seculo sunt Deo omnia opera ipsius.* Ex quibus verbis tantum abest, ut colligi possit, omnia prorsus Deo nota esse antequam sint, ut potius contrarium colligi posse videatur, nempe, quædam esse ex iis quæ nondum sunt, quæ Deo à seculo non sint cognita. Quid enim attinebat, operum Dei nominatim mentionem facere, si nihil plane esset, quod à seculo Deo cognitum non fuisset? Quanquam Erasmus & Tigurini ita locum interpretantur, ut ad ea tantum omnia Dei opera verba Jacobi accommodentur, de quibus locutus fuerat. Articulum enim ut alibi quoque fieri debere contingit, pronominis loco accipiunt, & *τὰ ἔργα, hæc opera* convertunt. Quod si admittere velimus, tanto magis suspicari licebit, ex loco isto prænotionem Dei, de qua disputamus, non modo non confirmari, sed etiam everti: quippe, ex quo ne omnia quidem Dei opera à seculo illi fuisse cognita intelligi queat, sed quædam tantummodo, qualia ea erant, de quibus ibi verba fiebant.

Cæterum animadvertendum est, Dei opus proprie non id omne dici posse, quod Deus operatur, sed illud demum, quod ex sola ejus voluntate pendet, nec ad hominis actiones respectum habet, qualis fuit gentium vocatio. Et hæc rectissime fortasse dicentur illi à seculo omnia nota esse. Non dubitamus autem, quin multo plura testimonia in Sacris Literis extent, unde prænotio ista Dei rerum omnium in universum videatur colligi posse. Verum non dubitamus etiam, quin ea, quæ per nos ad quatuor ista dicta sunt, si cum iis conjungantur, quæ ante disseruimus, satis sint, ad illa omnia, quæ inde colligi posse videntur, diluenda, & ad testimonia ipsa dilucide explicanda.

CAPUT X.

Loci Sacrarum Literarum, rationesque inde desumpta, ex quibus Deum quædam prænosse constet, unde colligi posse videatur, eum omnia scire, antequam fiant, & ad eos responsio.

INter paucos quosdam, quos allaturi sumus, ejusmodi locos, is erit primus, qui habetur cap. 18.

libri

libri Gen. 17. 18, 19, ubi secundum vulgatam editionem sic scriptum est: *Dixitque Dominus, num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ. Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam, ut adducat Dominus propter Abraham, omnia quæ locutus est ad eum.* Ex quibus Domini verbis, satis constare videtur, ipsum de Abrahamo quædam prænovisse ex eorum numero, quæ minus prævideri posse videantur, quæ scilicet ipsius hominis voluntatem requirunt, quale sine dubio est factum istud præcipiendi filiis suis, &c. Nam si ea ipsa, quæ hominis voluntatem omnino requirunt, prænovit Deus, quidnam evenire potest, quod ille non prænoverit? Pro responsione animadvertendum est primum, in iis quæ hominis voluntatem omnino postulant, distinguendum esse inter bona & mala. De malis postea videbimus. Bona autem ideo possunt sæpe à Deo præsciri, quia nihil impedit, quominus Deus certus auctor sit multorum bonorum, quæ voluntarie, id est, non coacte, quamvis necessario ab homine fiunt: hoc enim est, Deum illorum esse auctorem. Locus autem de bonis manifeste loquitur. Deinde sciendum est, perperam conversum fuisse à vetere interprete locum istum, quamvis ei Tigurini astipulentur. Non dicitur enim in Hebræo codice, *Scio enim, quod præcepturus sit filiis suis, &c.* Sed ut Vatablus monet, *Novi enim eum, ut præcipiat filiis suis, &c.* Qui statim subjungit quædam subaudienda: Nequaquam celabo eum, cum noverim eum justum & pium, nequaquam, inquam, celabo eum, ut præcipiat filiis suis, &c. Quorum verborum sententia, longe alia est ab ea, quæ ex vulgata editione colligitur, nec cum quæstione nostra aliquid commune habet, tantumque abest, ut Dei præscientia, de qua disputamus, eo loco stabiliatur, ut potius labefactetur. Nam, si Deus cuncta certo prænosset, quid attinebat, cum ex eo, quod jam in Abrahamo erat, sibique erat cognitum, id quod Abrahamus, si eum non celasset &c, facturus esset, colligere, & quodammodo argumentari? Postremo, diligenter considerandum est, etiamsi in textu non dicatur, Abrahamum domini verba intellexisse, tamen verisimile esse, ut is ea intellexerit; Deusque, etiamsi dixisset, se scire, Abrahamum ea esse facturum, quæ ibi memorantur, tamen ita locutus fuerit, ut Abrahamum interim officii sui admoneret, & obliqua sed perquam accommoda & venusta quadam ratione eum doceret, quid sibi suisque faciendum esset, si ipsius Dei promissa consequi vellent. Denique nulla causa est, cur Deus dicere non potuerit, se scire, quid facturus esset Abrahamus, etiamsi id certo non prænoverit. Inducitur enim Deus sæpissime humano more loquens; præsertim cum ea in re nihil est periculi. Solent autem homines affirmare se ea futura scire, quæ plane verisimile est futura esse, & quorum necessariæ causæ jam adsunt, licet illæ, priusquam ea fiant, cessare possint: quemadmodum jam aderat, etiamsi cessare poterat, summa illa Abrahami pietas, quæ causa necessaria erat eorum, quæ ibi facturum esse Abrahamum (si ita libet) Deus affirmavit.

Secundus locus, qui nullo pacto silentio prætereundus videtur, est cap. 31. Deut. 16. & 20. ubi Deus diserte Mosi prædicit futurum, ut populus ipso mortuo fornicetur post Deos alienos, seque derelinquat, & irritum faciat fœdus, quod cum eo pepigerat. Hic enim de futuris malis seu peccatis agitur, quæ ideo Deo ita nota fuisse affirmare, quia futura omnino decrevisset, impium prorsus videri debet, præsertim cum ipse minetur, se propter peccata illa graviter populum multaturum. Reliquum est igitur, ut idcirco ea prænoverit, quia cuncta quæ fiunt, ante cognita habeat. Responsio ex his colligi potest, quæ modo à nobis disputata sunt. Neque enim ideo peccata ista Deus futura prædixit, quia ea certissime futura nosset, sed quia sic plane verisimile erat. Patet hoc ex eo, quod infra idem Deus rationem reddens, cur ante non semel prædixisset populum peccaturum esse, sic loquitur ℣. 21: *Nam cognovi figmentum*, (sive imaginationem ejus) [&] *id quod ipse facit hodie, antequam introducam eum in terram, quam juravi* (subintellige me daturum illi) sic enim est in Hebræo. Ex eo igitur, quod Deus videbat populum illum, dum ab ipso Deo pendere plane debuisset, à quo videlicet promissam terram expectabat, cogitationibus pravis repletum esse, & corde ad idololatriam valde propenso, quemadmodum facta ipsa jam comprobaverant, colligit futurum, ut multo magis ea cordis malitia sint præditi, reque ipsa idololatræ evadant, cum jam promissam terram adepti fuerint, & jam quod ab ipso Deo præcipue expectabant obtinuerint. Nam Moses quoque inferius simili modo colligit & ait ℣. 27, se nosse contentionem & rebellionem ipsorum, id est, eorum ad ista propensionem, & quod sint duræ cervicis, & ait, ut est in Hebræo: *Ecce adhuc me vivente vobiscum, hodie rebelles fuistis cum Jehova, & quanto magis post mortem meam?* Ex quo apparet, per hunc quoque locum, quemadmodum per superiorem, potius tolli quam confirmari præscientiam istam. Neque enim opus fuisset, Deum ratione ista argumentari, si jam, quid illi facturi essent, infallibili cognitione prævidisset. Adde, quod, ut superius dictum est, monere potius, quam certo aliquid prædicere voluit Deus; & solemus nos, cum puerum ab aliquo errore committendo plane deterrere volumus, illi asseverare, ipsum omnino in errorem istum lapsurum esse, ut tanto diligentius sibi caveat, ne duplici deinde pudore suffundatur, & quod errorem commiserit, & quod licet præmonitus sibi non caverit, & in tacita quadam cum præmonitore concertatione succubuerit.

Tertium locum faciemus eum, ubi Deus Abrahamo prædicit futurum, ne ejus posteri annis quadringentis peregrinentur in terra aliena, affligunturque & servitute premantur. *Veruntamen* (inquit Gen. 15. 13, 14) *gentem, cui servituri sunt, ego judicabo.* Jam vero gens ista omnino peccatura erat, alioqui non dixisset Deus, se illam judicaturum, id est, puniturum. Igitur Deus ipsa peccata prænovit, & consequenter alia omnia.

Respondeo, posse Deum & solere peccatis peccata punire, ut ex 1 Epist. ad Rom. 24. 26. 28 &c, inter alia sacra testimonia, præcipue constat. Quod ita tamen intelligendum est, ut Deus non sit autor culpæ, nec ejus rei unde culpa proficiscitur, id est, malitiæ & perversæ voluntatis, sed ipsius facti sive operationis duntaxat. Potuit igitur Deus (imo id certissimum esse debet) auctor esse servitutis & afflictionis populi sui, ut ea ratione Ægyptios, ob idololatriam, qua inter alia scelera, præ cæteris populis, semper infames fuere, graviter puniret: non modo quia ipsum turpiter peccare, ut Ægyptii faciebant, populum illum innoxium affligendo, à cujus majoribus ingentibus beneficiis affecti fuerant, pœna est non levis, sed etiam, ut inde eos eo gravius puniendi occasionem nancisci posset: nec vero ipse Ægyptiis malam illam mentem malumque animum indiderat, unde culpa ejus afflictionis, tanquam peccati proficiscebatur, sed eam in ipsis invenerat, qua ad judicium istud suum exequendum, quodammodo abusus est. Itaque mirum esse non debet, si afflictionem istam Deus tanquam certissime futuram, prædicere potuit, non quidem ex prænotione quadam inexplicabili & incomprehensibili omnium quæ fiunt, sed ex decreto suo. Ubi tamen animadvertendum est, decrevisse quidem ab initio Deum, ut populus suus ab una aliqua gente affligeretur, sed ut ea gens Ægyptii ipsi forent, non ante decrevisse, quenquam affirmare posse, quam in Ægyptum populus translatus est. Cæterum, solere Deum ex eo facto, cujus ipse sit auctor, occasionem quo-

dammodo captare aliquem puniendi, ostendit locus apud Hierem. 25. 11, 12, qui huic nostro est persimilis. Prædicit enim ibi Deus futurum, ut populus suus serviat populo & Regi Babylonio annis 70, deinde addit, se post 70 illos annos visitaturum super Regem Babylonis & super gentem illam eorum iniquitatem. Et tamen, ut ex omnibus prophetis perspicuum est, illius servitutis auctor erat ipse Deus, ut populum suum castigaret. Nam si quis dicat, Deum non de iniquitate redigendi in servitutem Judaicum populum, sed de aliis Babyloniorum iniquitatibus visitandis verba facere, idem dici poterit de loco nostro, nempe, verbum *Judicabo* non ad afflictionem illam, qua populum Israëliticum Ægyptii presseri erant, referendum esse & accommodandum, sed ad alia Ægyptiorum scelera, quibus jam pridem commeriti fuissent, ut eos Deus puniret, & propter quæ eos dignos judicavit, quorum opera ad affligendum populum suum uteretur. Sed de tota hac materia aliquid explicatius infra à nobis disputabitur. Hæc, quod ad præsens institutum attinet, satis erunt.

Quartum locum illum statuemus 1 Sam. 13. 13, unde ex Samuelis verbis constat, Deum, nisi Saul peccasset, ejus regnum super Israëlem, in perpetuum sive in æternum stabiliturum fuisse. Nam si hoc verum est, necesse omnino esse videtur, ut Saulis peccatum multo ante à Deo prævisum fuisset, siquidem Deus jam inde ab eo tempore, quo Jacob filiis suis ventura prædixit Gen. 49. 8, 9, 10, aut decreverat, aut certe prænoverat, regnum in tribu Juda, ex qua Saul non erat, constituendum esse, & sic necessario à Saule ejusve posteris esse auferendum, quod tamen factum non fuisset, nisi Saul peccasset. Prævidet igitur Deus peccata, &c.

Possemus ad locum & ratiocinationem istam, Vatabli verbis respondere, qui supra dicto loco, ad verbum *perpetuo* sic annotat, id est, longo tempore. Vox Hebræa *Olam* proprie significat tempus, quod est intermedium inter duo jubilæa, longo igitur tempore: nam regnum tribui Judæ debebatur. Verum, quia significatio vocis Hebrææ *Olam* mihi non parum suspecta est, videturque ea vox omnino vel æternum, vel nimis longum tempus significare, idcirco crediderim ego rectius dici posse, perpetuitatem sive æternitatem, aliam esse absolutam, aliam vero non absolutam. Absolutam vocamus eam, cum aliquid æternum dicitur per se, id est, nullius alterius rei respectu, ut cum vita futura nominatur, quæ nobis promissa est. Ea enim æterna dicitur, non quidem alterius rei, sed sui ipsius tantum respectu. Itaque nisi hyperbole aliqua in verbo subsit, intelligendum est, cum ejusmodi æternitas nominatur, rem cui illa tribuitur nunquam omnino defecturam. Non absolutam autem illam æternitatem vocamus, cum aliquid æternum dicitur non per se, sed alterius rei respectu, ut cum, exempli causa, David Psalmo 145. 1, 2 ait, se laudaturum nomen domini in sempiternum. Respicit enim ista æternitas ipsum Davidem, qui æternus ipse futurus non erat: & idcirco nihil aliud sibi vult David, quam se laudaturum nomen domini, donec vita sibi suppeditaverit, & sic sui respectu semper & perpetuo, donec (inquam) ipse erit, ut Psal. sequenti scriptum videmus: *Laudabo dominum in vita mea, Psallam Deo meo quamdiu ero.* Alioqui si omnino in æternum se laudaturum dominum dicere voluisset David, sibi ipsi adversatus fuisset, qui Psal. 115. 17, & alibi ait, mortuos dominum non laudare, & propterea nonnunquam, ut Psal. 6. 5, 6. Deum orat, ut se ab imminente morte defendat & liberet: *Quoniam*, inquit, *non est in morte memoria tui, in inferno quis confitebitur tibi?* Cum igitur Samuel ait, nisi Saul peccasset, Deum ejus regnum super Israelem in æternum stabiliturum fuisse, dicimus, hanc esse æternitatem minime absolutam: nam ipsius Saulis, & posteritatis ipsius respectu id dicitur, atque idem est hoc loco *in æternum*, quod, quamdiu tu posteritasque tua fuerit. Potuisset igitur Saul non peccare, & sic regnum ab ejus familia nunquam auferri, & tamen dari, non ita post longum tempus, regnum tribui Judæ: nempe quia Deo ita volente defecisset ejus posteritas. Verum, propter ejus peccatum factum est, ut ipso adhuc vivente David in regem unctus fuerit, & ipso mortuo regnum possederit, quamvis ejus posteritas non defecisset, sed (ut ejus filios qui vel ex concubinis nati erant, vel celeriter post ipsius mortem interierant, reticeam) Mephibosethus ejus nepos superstes esset, qui & diu vixit; nec posteri ejus unquam defecerunt, sed in numerum ingentem excreverunt, ut constat ex cap. 8. & seq. 8. 34, & 9. 40. & seq. lib. 1. Paralip. ubi iste Mephibosethus Miribbaal appellatur. Sed jam ad alia transeamus. Quos huc usque attulimus & examinavimus locos, ex Vetere Testamento sumpsimus, nunc quosdam paucos ex Testamento Novo proferre libet.

Quinto igitur loco Christi prædictionem afferemus, cum Petro ait futurum, ut antequam gallus cantet bis, ter ipsum neget Marc. 14. 30. Christum enim negare peccatum est, & quidem maximum, cujus Deum auctorem facere, summa videtur impietas. Itaque necesse est, ut Christi prædictio ista, ex Dei prænotione illa, de qua disputamus, omnino penderit.

Respondeo, peccatum quidem esse Christum negare, idque maximum, sed tamen Petrum propter temeritatem suam promeritum fuisse, ut in ejusmodi scelus laberetur, & divina gratia, qua ab ipso abstinere potuisset, prorsus destitueretur, ex cujus gratiæ subtractione; jam à Deo in Petri temeritatis & arrogantiæ pœnam decreta, unde necessario negatio ista occasione oblata consecutura erat, prædicit illam Christus, non autem ex aliqua alia Dei prænotione: nec alia præterea re opus fuit, nisi ut occasio Christum negandi Petro daretur, id quod ipsum Deum curasse, id est, effecisse, ut ab ancilla illa aliisque interrogaretur, & ex numero discipulorum & comitum Christi esse diceretur, nihil absurdi continet.

Sexto, tanquam locum unum afferre possumus prædictiones non paucas, quæ in Novo Testamento leguntur, de adventu falsorum doctorum & Prophetarum, ut ipsius Antichristi, Matth. 24. 5. Marc. 13. 6. Luc. 21. 8. Act. 20. 29. 2 Thess. 2. 3. 1 Tim. 4. 1. 2 Tim. 3. 1. 1 Petr. 2. 1. Jud. 4, quis enim negare poterit, ea quæ de ipsis prædicantur, gravia esse peccata & summa scelera? Pro responsione considera. Deum solere falsos Prophetas excitare, ut tentet atque exploret suos, quemadmodum colligi potest ex iis, quæ scripta sunt Deut. 13. 3, id quod propter alias quoque causas ipsum facere declarant Sacræ Literæ, & Paulus ad Thessalonicenses 2 Thess. 2. 10, 11, 12, scribens diserte ait, Deum iis qui pereunt missurum esse operationem erroris, ut credant mendacio. Igitur potuit Deus per divinos viros, perque ipsum Christum, adventum falsorum prophetarum prædicere, non quia id prævidentia inexplicabili prænosset, sed quia sic futurum decreverat. Quod si quis objiciat, in ejusmodi prædictionibus, non raro etiam prædictum fuisse, multos futuros, qui falsis illis prophetis fidem adhibeant, jam Paulus, loco quem modo citavimus, pro nobis respondet, atque ostendit, hoc ipsum Dei consilio fieri: id quod intelligendum est, non quidem, quia Deus ratione quadam prorsus incomprehensibili, multos futuros antea noverit, qui digni sint, quibus efficacia illa erroris mittatur; verum quia, cum ejusmodi homines ii sint, qui veritati non obediunt, ut ibidem Paulus ait, ii vero qui veritati obediunt, aut pessimi quidam & perversi sint homines, aut ejusmodi, qui nimis negligentes in rebus divinis sint, quorum semper ingens fuit & futurus est numerus, certum est non defuturos unquam, qui ea punitione Dei sint digni.

Septimo, ad prænotionem istam confirmandam videtur afferri posse id quod scriptum est, ad Rom. 8. 29, 30, de Deo.

de Deo. *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* De quo loco quoniam inferius agendum erit diligenter, hic nihil aliud dicemus, quam verbum προέγνω quod *præscivit* reddidit vetus interpres, commode *elegit*, vel *ante elegit* reddi potuisse. Nam quod in eadem Epistola 11. 2. scriptum est, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, in Græco est προέγνω, id est, *ante elegit*, & jam pridem plebem suam esse voluit. Et in Psal. 1. 6. scriptum est, dominum nosse viam justorum, id est, eligere atque approbare. Porro verbum γινώσκω, ex quo προγινώσκω, unde προέγνω, decernere ac statuere etiam significat. Nam & apud Latinos verbum *Scisco*, quod primaria & antiqua sua significatione, sciendi seu cognoscendi sensu efferebatur, passim pro statuo & decerno usurpatur. Quocirca προέγνω, non incommode in loco nostro antecedens decretum, non autem simplicem prænotionem, declarare possit. Cæterum, quæ sit loci sententia, infra explicabitur.

Octavo, diligenter considerandum videtur, id quod scriptum est 1 Petr. 1. 20. Christum agnum esse præcognitum, ante constitutionem mundi: sive enim ipsum præcogniti nomen, ut quidem nos existimamus, decretum significet, sive prænotionem declaret, omnino videtur ex Petri verbis colligi, ante conditum mundum jam certum fuisse, Christum occidendum & mactandum fore, id quod ex multis aliis Sacrarum Literarum testimoniis intelligi posse non pauci existimant: Atqui Christus ideo mortuus est, ut peccata nostra tolleret: igitur peccata nostra ante mundi constitutionem Deo cognita erant.

Respondemus primum, nec à Petro aperte dici, nec fortasse alibi legi, ante conditum mundum decretum fuisse, ut Christus mactaretur. Petrus quidem nihil aliud affirmat, quam Christum, qui mactatus fuit, ante mundi constitutionem præcognitum fuisse, quod nos etiam confitemur; sed non tamen, tanquam mactandum. Deinde dicimus, satis ante conditum mundum decretum fuisse, ut Christus mactaretur, si Deus decrevit, hominibus peccantibus Christum mactandum tradere. Neque enim conditio decretum tollit, & adveniente conditione decretum fuisse simpliciter dici potest. Cum igitur homines peccaverint, jam simpliciter dici potest, decretum fuisse ante orbem conditum, ut Christus mactaretur, etiamsi sub ea conditione decretum fuerit, videlicet, si homines peccassent. Atqui, si sub ea conditione decretum factum esset, jam aperte constaret, nostra peccata ante mundi constitutionem prævisa non fuisse. Itaque nihil soliditatis habet argumentatio ista, ex eo ducta, quod ante mundum conditum decretum fuisset, ut Christus mactaretur. Cæterum, quia certum est, Deum ante mundum conditum de mittendo Christo decrevisse, ne quis ex eo hominum peccata prævisa fuisse colligat, sciendum est, Christum quidem, postquam homines peccaverant, ad ipsorum peccata delenda venisse: sed venturum tamen fuisse, etiamsi homines non peccassent. Venturus enim erat, ad immortalitatem nobis dandam, qua, ut supra visum est, ab ipso creationis initio, primus homo caruit, quæ immortalitas, cum peccatorum reatu, aut ipsis peccatis, consistere nullo modo potest. Propterea merito dicitur 1 Joh. 3 8, Filium Dei apparuisse, ut dissolveret opera Diaboli, id est, peccatorum reatum, ipsaque peccata tolleret. Et hæc satis in præsentia esse volumus.

Multa alia sunt testimonia sacra, ex quibus prænotio ista divina probari posse videtur, ad quæ omnia facile respondebit, quisquis quæ supra disputata sunt recte perpenderit atque perceperit. Ex quibus hæ quatuor quasi regulæ colligi possunt: Prima est. Quod, si testimonium loquitur de bonis operibus certo prævisis, sine dubio ea Deus ipse decrevit. Secunda. Quod, sive de bonis, sive de malis operibus loquatur, fieri potest, ut prædictio sit ex plane verisimilibus tantum, ob idque non certa, neque ex prænotione de qua quærimus. Tertia. Quod monitio potius, vel boni faciendi, vel mali vitandi, esse potest. Quarta. Quod, si certa mali operis prædictio erit, ipsum quidem opus a Deo decretum fuerit, non autem cordis malitia. De rebus indifferentibus hic non loquimur, quas nemo non videt ideo prædici posse, quia decretæ fuerint: si quis tamen velit ex hoc quintam regulam constituere, poterit.

CAPUT XI.

Conclusio in hac de Dei Præscientia quæstione.

CUm igitur nulla ratio, nullus Sacrarum Literarum locus sit, ex quo aperte colligi possit, Deum omnia quæ fiunt, scivisse antequam fierent, concludendum est; minime asserendam esse a nobis istam Dei præscientiam: præsertim, cùm & rationes non paucæ, & sacra testimonia non desint, unde eam plane negandam esse appareat. Quod rationes attinet, eæ majore ex parte ex iis colligi possunt, quæ supra disputata sunt: sed inter omnes ea potissimum attendenda est, quam solam hoc loco statim explicabimus. Nam si Deus cuncta infallibili prorsus scientia novit, quæ ab hominibus fiunt, nulli dubium esse potest, quin omnia antequam fiant jam in seipsis certa sint. Quomodo enim Deus illa certo prænovisse posset, si ipsa incerta essent? Et sane omnes, qui prænotionem istam Dei asserunt, fatentur idcirco Deum aliquid certo prænosse, quia id certo futurum sit. Jam vero, cum nullus effectus sine sua proxima causa sit, quæro, quænam proxima causa sit istius certitudinis? Homo ipse profecto ejusve voluntas esse non potest, cum neque hæc neque ille adhuc sit. Siquidem Dei prænotionem istam, & sic rei futuræ certitudinem, non modo ortum hominis, qui eam rem facturus sit, antecedere volunt, sed ab omni æternitate eam fuisse contendunt. Oportet igitur aliam esse causam: si Deum esse dixeris, Deum omnium scelerum auctorem facies: sin aliud quidpiam, aliud etiam principium præter Deum agens atque intelligens constitues: quorum utrumque plane impium ac blasphemum est. Jam vero, quod ad sacra testimonia rationesque inde sumptas attinet, illud tantum monuisse volumus, plurimos esse locos, qui nullo pacto intelligi aut explicari queant, ista præscientia admissa: imo si ea admittatur, multa, quæ Deo in Sacris Literis tribuuntur, vel falso tribui, vel ipsum Deum ejus imprudentiæ, quæ ne in hominem quidem cadere, nisi plane dementem, potest, omnino coarguere. Quis enim unquam id intelliget aut explicabit, quod scriptum est Gen. 6. 6, 7. Deum propter hominum iniquitatem, quæ in terra abundaverat, contristatum fuisse? Quis illud quod ipse dominus ait, eodem lib. cap. 22. 12. Se tum demum vere cognovisse Abrahamum Dei timore esse præditum, cum filium suum carissimum sibi immolare non recusavit? Quis item illud Esaiæ 5. 4. *Quid fieri potuit amplius vineæ meæ, & non feci ei? Quid expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* (Sic enim ex Hebræo legendum est) & infra ✠. 7. *Et expectavit* (Jehova exercituum) *judicium & ecce plaga: justitiam, & ecce clamor.* Quis, inquam, hos locos & alios complures satis intelligere aut explicare poterit, si Deum infallibili scientia omnia novisse statuamus, antequam fiant? Porro, quomodo (exempli causa) id vel verum esse poterit, vel Deo dignum, quod scriptum est ipsum dixisse, Num. 14. 12. 22, 23, 28, 29, 30 &c. Se videlicet jurasse, quod introducturus esset in Chananæorum terram populum illum, & tamen propter ipsorum peccatum atque incredulitatem se amplius id non facturum. Quis enim ex ipsis hominibus ita amens est, ut ex animo juret se aliquid facturum, quod se facturum minime esse,

jam

jam probe noverit; seu causas cur id nullo modo facturus sit, jam exploratissimas habeat? Aut quid Deo indignius, quam se aliquid facturum jurare: non animo, sed verbis tantum? Breviter, necesse est compluribus in locis Sacras Literas vel corrumpere ac depravare, seu mirabilibus quibusdam interpretationibus quasi tenebris involvere, vel ad Dei ignominiam convertere, si quis Deum omnia quæ ab hominibus fiunt, antequam fierent certo cognita atque perspecta habuisse velit. Ubi animadvertendum est, nos eorum nomine quæ ab hominibus fiunt, non facta ipsa externa potissimum, sed consumatam prorsus voluntatem, atque interiora (ut ita dicamus) facta intelligere. Hæc enim, ut supra visum est, in hominis potestate à Deo posita esse dicimus, illa vero minime; & ex his, non autem ex illis, homo à Deo judicatur.

CAPUT XII.

De sacris testimoniis, ex quibus colligi videtur, in hominis arbitrio nihil positum esse; & primum de iis, in quibus id universe dici aut indicari videtur, eorumque explanatio.

SEquitur, ut examinatis tribus illis rationibus, quibus ostendi posse videbatur, nihil prorsus in hominis potestate esse, quod ad ejus salutem aut condemnationem pertineat, nunc de sacris testimoniis agamus, ex quibus eadem ista sententia elici posse credatur. Primum autem de iis agemus, ubi aliquo modo universe id dici aut indicari videatur. Deinde, de iis videbimus, quæ singularia aliqua exempla continent, ex quibus idem à plerisque hodie concludi soleat. Insigniora tamen quædam duntaxat attingemus, quibus explicatis atque dilutis, perfacile poterit unusquisque per se reliqua omnia intelligere, ad eaque convenientem responsionem accommodare.

Igitur primum prioris classis locum verbis illis dabimus, quæ Moses populo dixit Deut. 29. 4, in ipso fere initio: *Nec dedit vobis Jehova cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, atque aures ad audiendum, usque in præsentem diem.* Hic Moses universum Israëlis populum alloquitur, qui peculiaris Dei populus erat, & tamen causam, cur non intelligat, non videat, non audiat, ad Deum refert, quatenus ista non concessit. Igitur in ipsius Dei populi potestate, nedum reliquorum hominum, non est, aliquid boni facere, sed à Dei voluntate id omnino pendet.

Respondemus, sententiam verborum Mosis longe aliam esse, quam nuda ista verba intuenti, prima fronte videri possit. Ex iis enim quæ antecedunt, quæque sequuntur, perspicuum est, Mosen populo stupiditatem in divinis rebus, & negligentiam exprobrare velle, eumque monere, ne deinceps idem esse pergat, sed resipiscat aliquando, Deumque suum agnoscat, eique obediat. Quæ exprobratio atque monitio nullum prorsus locum haberet, si bene agere nulla ex parte in hominis potestate esset, tantum abest, ut id Mosen dixisse sit verisimile, atque ea ratione, quidquid verbis suis significare atque efficere volebat, labefactasse & funditus sustulisse. Quinetiam dicimus, ex iisdem istis Mosis verbis satis constare, in populi manu fuisse, ut intelligeret, videret & audiret, nec per Deum stetisse, quominus id esset, imo ut id fieret, nihil quodammodo ab eo prætermissum fuisse. Istorum enim verborum sensus est, quemadmodum (ut diximus) ex antecedentibus & subsequentibus patet: Quamvis Deus tot miranda opera, in populi conspectu ejus causa in Ægypto primum, deinde in deserto fecisset, quibus eos homines erudire, ad seque ex animo colendum sibique confidendum adducere curasset, illos tamen & stupidos & contumaces & incredulos perstitisse, nec dum sapere voluisse. Sciendum est enim, rectissime dici illum non dare, qui accipientem non invenit; seu verbum dandi, propria significatione non voluntatem & curam, sed eventum effectumque ipsum significare: si quis alicui pecuniam ex animo offerat, qui eam non accipiat, dare quidem voluisse & curasse dicetur; non tamen dedisse. Atque hoc sensu proprio, ut dixi, hujus verbi, videtur Paulus illud usurpasse 2 Tim. 2. 25: *Si forte*, vel *si quando Deus det illis pœnitentiam*, id est, si quando per Dei gratiam pœnitentiam agant: non autem simpliciter, si quando Deus velit, ut pœnitentiam agant. Hoc enim ordinaria voluntate semper vult Deus, 2 Petr. 3. 9. Itaque de ipso eventu, deque à Deo dandæ pœnitentiæ effectu ibi loquitur Paulus. Quocirca hic quoque cum dicitur, *Nec dedit vobis Jehova &c*, omnino intelligi & potest & debet, non de voluntate, sed de effectu dandi sermonem esse.

Secundo loco dignum quod examinetur videtur illud quod scriptum est 1 Sam. 10, ad finem, cum scilicet Samuel, Saulem jam à se Dei jussu inunctum, eidem populo regem declarasset, atque ut rogatus ab illis fuerit, regem ipsis præfecisset, populi partem Saulem postmodum abeuntem comitatam fuisse, partem vero id facere renuisse, eumque contempsisse. Hos autem scriptor appellat ℣. 27, 26, filios Belial, illorum vero Deum cor tetigisse ait. Ex quo constare videtur, quod recte agamus, id omnino ex Dei voluntate pendere, adeo ut cujuscunque Deus cor tangat, is recte agat, cujuscunque vero non tangat, is ut male agat necesse sit. Responsio primum ex iis colligi potest, quæ modo dicta sunt. Aliud enim est tangere cor, aliud velle tangere. Voluit Deus per Samuelis orationem totius populi cor tangere, id est, universum populum ad Saulem pro rege suo agnoscendum & colendum inducere, quemadmodum par erat ut facerent, non induxit tamen, & sic cor eorum revera non tetigit, nisi partis eorum. Cujus rei causa fuit, quod reliqui filii Belial erant, hoc est, improbi & mali, ut ibidem scriptum est. Unde satis intelligi potest, eos qui Saulem comitati sunt, nec improbos nec malos fuisse, & inde factum esse, ut Deus per orationem Samuelis eorum cor tetigerit. Sic Act. 16. 14, dicitur Deus Lydiæ purpuræ venditricis cor aperuisse, ut attenderet iis, quæ à Paulo dicebantur, id est, ut ex sequentibus colligitur, iis fidem adjungeret, non quidem, quia Deus fœminæ illius magis quam aliorum qui aderant cor aperire voluerit, sed, quia revera per Pauli prædicationem aperuit, quod in multis fortasse non contigit, quia mali & improbi erant, aut certe non pii. At de Lydia ibidem affirmatur, quod jam Deum coleret. Hæc igitur Lydiæ pietas in causa fuit, ut Deus reipsa illius magis quam aliorum cor aperiret. Nam qui animo est pio, facillime vel potius omnino Dei verbis assentitur: contra vero qui aliter est comparatus, ut postea latius explicabimus. Deinde dico, locutionem illam, *Deus tetigit cor*, ita accipi posse, ut nihil aliud significet, quam Dei timorem, quo aliquis sit præditus. Certe in magnis Bibliis Roberti Stephani verba illa, *Quorum Deus tetigerat cor*, ad hunc modum explanantur: aliquorum, qui timebant dominum; idemque sensisse videtur Chaldæus Paraphrastes à Vatablo citatus, licet de mittendo in cor à domino timore sui ibi mentio fiat; namque id ex ratione paulo ante à nobis exposita intelligi potest. Postremo animadvertendum est, apud eos etiam, qui liberum hominis arbitrium asserunt, in omnibus fortasse linguis receptum esse, ut id à Deo fieri dicatur, quod secundum ejus voluntatem fit: quemadmodum à Diabolo id dicitur fieri, quod ejus voluntati est consentaneum, nec immerito. Nam sicut Diabolus, ad ea quæ sibi placent committenda, continenter homines quacunque potest ratione instigat: ita Deus, ad ea quæ sibi probantur facienda, perpetuo idque variis rationibus, hominum animos movet atque impellit. Sed ita tamen, ut quemadmodum Diabolus nemini vim plane affert, quia non potest: sic Deus nemini vim afferat, quia

non

non vult. Itaque Deus idcirco istorum cor tetigisse dicitur, & sic factum illud operationi divinæ tribuitur; quia nimirum id factum Deo probabatur, ejusque voluntati consentaneum erat.

Tertio, nullo pacto prætermittendum est illud, quod à Salomone scriptum est, Prov. 16. 4. *Universa propter semet ipsum operatus est dominus, impium quoque ad diem malum*, ut in vulgata editione habetur. Jam si Deus, ut hæc verba dicere videntur, ipsum impium creat, & pœnis ad sui gloriam destinat, quid in hominis potestate situm esse queat, in iis quæ ad ipsius salutem aut condemnationem spectant?

Mirabilis sane esset locus iste, si ex eo sententia ista elici posset, & universis Sacris Literis plane contrarius, in quibus ubique testatum legimus, Deum impietatem & iniquitatem odisse, & peccata facile condonare. Primum igitur animadvertendum est, ut Vatablus annotavit, posse locum ex Hebræo sic converti, *Et etiam impius* [decidet] *in diem afflictionis*, id est (pergit Vatablus) peribit, ut scilicet cognoscatur ira Dei. Tum vero sciendum est, verbum operari, sive etiam *Paal* Hebræum, quo ibi utitur Salomon, multo commodius ad divina judicia, quam ad creationem aliquam referri posse. Nam quod præterito tempore verbum illud enuntiatum fuerit, hoc nihil est, cum apud Hebræos præteritum tempus pro præsente usurpari adeo tritum sit, ut nihil magis. Ait igitur Salomon, Dei facta in mundi gubernatione omnia ad ipsius gloriam tendere, ab ipsoque in hunc ipsum finem dirigi, nec alia modo, sed hoc ipsum etiam, quod impium ad diem malum, hoc est, pœnarum adducit. Neque enim, etiamsi vox impii non primo sed quarto casu legatur, est ea nuda & per se cum verbo operandi conjungenda, quasi dicere voluerit Salomon, Deum operari, id est, creare vel facere impium: sed totum orationis posterius membrum, cum verbo illo antecedente construendum est, & aliquid subaudiendum, hoc pacto: Omnia operatur Jehova propter seipsum, atque hoc etiam propter seipsum operatur, quod impium ad pœnarum diem adducit, id est, Deus, cum impium punit, tunc quoque gloriæ suæ rationem habet: ut confirmet Salomon, Deum, non minus calamitatum nostrarum, postquam impii evadimus, auctorem esse, quam felicitatis, cum eum colimus: estque hic locus non paucis aliis similis, præsertim illis, Deut. 32. 39. 1 Sam. 2. 6, 7. Amos 3. 6.

Quartò, non gravabimur Hieremiæ verba illa non nihil expendere, quæ scripta sunt apud ipsum cap. 10. ℣. 23, non procul à fine: *Scio Jehova, quòd non est hominis via ejus, nec viri* sive *alicujus ut eat & dirigat gressum suum.* Quamvis enim locus planissimus sit, & ab Erasmo, potissimum in sua diatribe, ostensum fuerit, eum nihil ad rem facere, tamen, quia multi eo adhuc abutuntur, silentio prætereundus non fuit. Dicimus igitur in loco isto, non esse sermonem, de via & gressu hominis quod attinet ad mores, sed de via ipsorum actionum, & de aliqua re efficienda, quam quis animo destinaverit. Loquitur enim propheta, ut antecedentia verba demonstrant, de futura Judææ vastitate per Nabuchodonosorem, quamvis ille aliud facere decrevisset. Quanquam potest etiam totus locus sic explanari, & ἀνθρωποπαθῶς converti. Etiamsi ô Jehova, Nabuchodonosoris minas & potentiam recte noverim, videamque te propter scelera populi hujus decrevisse, eum per ipsum Nabuchodonosorem punire, tamen scio etiam hominem istum nihil facturum, nisi id quod tu volueris, cum nec in ipsius, nec in ullius hominis arbitrio sit, ea facere quæ facienda sibi proposuerit. Tu enim perpetuo cuncta moderaris, nihilque te invito fieri potest. Quare obsecro te, ne punitio ista quam decrevisti sit plane intolerabilis, neve nos istius arbitratui vexandos & perdendos prorsus dimittas.

Quinto, celebris Esaiæ locus excutiendus est. Is enim, suæ vaticinationis cap. 6. 9, 10, ait, sibi ad populum legato divinitus destinato dictum fuisse: *Vade & dicito populo isti: Audiendo audite, & ne intelligatis & videndo videte, neque cognoscatis: Crassescat reddito cor populi hujus, & aures ejus fac hebetes, & oculos ejus oblino, ne forte vel oculis suis videat, vel auribus suis audiat, vel corde intelligat, quo conversus salute restituatur.* Sic autem hunc locum Tigurini sunt interpretati. Jam verò, cum ex his verbis satis constare videatur, non modo Deum velle, ut populus non intelligat, sed etiam id curare, ne convertatur & sanetur, nullum dubium esse videtur, quin ii qui pereunt, voluntate ac decreto divino pereant, & ideo non convertantur, quia Deus eos converti nolit: ex quo consequi omnino videtur, in iis quæ ad salutem aut condemnationem pertinent, nihil in hominis potestate esse.

Respondendum est, istius loci sententiam atque explicationem ex compluribus Novi Testamenti locis petendam esse, ubi is sive tacite sive aperte in testimonium vel ab ipso Christo vel ab ejus Apostolis adducitur. Matth. 13. 14, 15. Marc. 4. 12. Luc. 8. 10. Joh. 12. 40. Act. 28. 26, 27, & Rom. 11. 8. Ex quibus omnibus simul junctis & inter se collatis, apparet locum istum, licet de populo universe in eo verba fiant, tamen inter eos recensendum esse, ubi de aliquo Dei singulari decreto agatur, quod in consequentiam (ut ajunt) trahendum non sit; quemadmodum postea videbimus. Apparet, inquam, populum istum cæcitate, surditate, ac stupiditate sua, in quam suo vitio inciderat, commeritum fuisse, ut Deus illi aliqua ratione tantam rerum divinarum ignorationem injiceret, ut resipiscere non posset, sed pœnas sibi jam pridem decretas subiret. Quod si nihil aliud haberemus, quam id, quod apud Matthæum legitur, satis inde doceri possemus, quænam loci istius sententia sit, nempe ea quam modo diximus. Ibi enim Christus manifeste ait ℣. 13, se idcirco per parabolas populo loqui, quia jam ipsi videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt. Dixerat enim antea ℣. 12, ab eo qui non habet, etiam id quod habet ablatum iri: & postea ℣. 14 subjicit, ea ratione in ipsis compleri Prophetiam Esaiæ. Ex quo intelligi potest, excæcationem illam, cujus auctor, sive apud ipsum Esaiam, sive apud quemvis alium ex prædictis scriptoribus, videtur fieri ipse Deus, nihil aliud esse, quàm cæcitatem, quam populus jam culpa sua contraxerat, non removere, sed potius per ministros suos ita cum illis loqui, ut ipsis in sua cæcitate perseverandi occasio & causa major daretur, & sic externis rebus illos penitus excæcare, quod certe fieri non potuisset, nisi jam ipsi interiore cæcitate sua sponte laborassent, tantum abest, ut Deus eam illis prius immiserit.

Sexto loco ea examinanda sunt, quæ leguntur apud Ezech. 36. 26, 27. Ibi enim Deus pollicetur, se populo suo cor novum daturum, & Novum Spiritum in eorum præcordiis positurum; ablaturum, inquam, eis cor lapideum, & cor carneum daturum, effecturumque ut in sui statutis ambulent, & judicia sua custodiant & faciant. Certe ex his satis constare videtur, hominem ne voluntatem quidem bene faciendi secundum præcepta Dei ex se habere, sed ex Deo tantum, qui cor ipsius pro arbitratu suo plane immutet, atque cum sibi libuerit, ut necessario sibi obediat, vi quadam interiore efficiat. Similem locum habes apud Hieremiam 32. 39, 40, circa finem.

Hunc Ezechielis locum satis commode explicat Erasmus in sua diatribe, dicens in eo contineri usitatam figuram loquendi, qua cura in altero aliquid efficiendi significatur, illius opera minime exclusa, ac si quis, inquit, præceptor discipulo solœcizanti diceret, Eximam tibi linguam istam barbaricam, & inseram Romanam; nihilo secius tamen requireret à discipulo industriam, tametsi citra præceptoris operam mutare linguam discipulus non possit. Hæc sunt fere ipsius Erasmi verba. Quibus adde, ex loco ipso satis apparere, nullam necessitatem Deum significare voluisse,

sed

sed neque ullam vim interiorem, cum non alia ratione, ea quæ ibi pollicetur, se effecturum ostendat Deus, quam beneficiorum multitudine, quibus affecturus erat populum, ejusque cor & animum emollliturus, in eoque voluntatem & alacritatem sibi obediendi ingeneraturus quodammodo & creaturus. Namque hoc est, quod ait, se spiritum suum daturum in præcordia ipsorum: Spiritus enim Dei est Deo obedire velle, & ad ejus normam voluntatem suam conformare. Legantur quæ Deus ibidem ante & post pollicitationem istam se facturum promittit, præsertim vero ea quæ post, ubi etiam ea dicit, unde constet, ex beneficiis quæ populo facturus erat, futurum, ut illi iniquitates suas agnoscant ac detestentur, seque dignos omni supplicio judicent, atque, ut apertius scriptum est apud eundem prophetam in fine cap. 16. ℣. 61, 62, 63, eos plane pudeat, cum viderint Deum sibi, licet iniquis, ita propitium esse. Josephus Patriarcha Gen. 41. 51 ait, Deum effecisse, ut ipse oblivisceretur cuncti laboris sui, & universæ domus patris sui. Quomodo vero id effecerat Deus? Nempe, ut apertissimum est, eum bonis multis cumulando, & in Ægypto Principem post Regem efficiendo. Ex quo liquet, Deum externis rebus aliquid interius in nobis ingenerare solere, & id dici ab eo in animo nostro effici, quod ejus facta, quamvis ipsa animum nostrum non ingrediantur, in ipso efficiunt. Hinc (ut multos locos similes simul explicemus) perspicuum esse potest, quid sibi velit Hieremias, cum cap. 31. 18 Ephraim ita loquentem inducit: *Converte me & convertar, quoniam tu es Jehova Deus meus, &c.* Convertit enim nos Deus, cum ex calamitatibus nostris nos liberat, tuncque nos ipsos (ut ibidem scriptum est) ut cognoscamus efficit, cum licet immerentes nos beneficiis afficit, quemadmodum eum Ephraim rogabat. Propterea cap. quoque 5. Lament. 21, In precatione illa sua ait Hieremias: *Converte nos ad te Jehova & convertemur*, quod idem est acsi diceret: Si tu domine benigne nos respexeris, & ex calamitatibus, in quibus sumus, ereptos, in pristinum statum restitueris, nos quoque ad te ex animo respiciemus, & ex iniquitatibus nostris emergentes, ad sancte vivendum, tibique uni serviendum aspirabimus. Vide de conversione ista, qua Deus nos convertit Psal. 80. 4. 8. 15. 20, & 85. 5, 7, 8. Est autem animadvertendum, quod, ut supra dictum est, in pollicitationibus illis divinis, quales sunt illæ, Ezech. 36. 26, 27, nulla necessitas significatur, nec effectum certo futurum esse dicitur, sed tantummodo per Deum non staturum, quominus effectus plane consequatur, id est, Deum omnia facturum, quæ fieri poterunt, ut populus libere improbitate relicta, probitatem veramque pietatem sectetur ac colat. Nam si de effectu ipso omnino secuturo Deum loqui velimus, in labyrinthos difficultatesque inextricabiles nos conjiciemus, & complura divina oracula vel pervertemus, vel certe perperam interpretabimur. Consideremus, obsecro, quæ Deus se facturum pollicetur, tum cum novum fœdus cum populo suo panget, ut scriptum est, Hieremiæ 31. 31, 33, 34. Certe si de ipso effectu, qui plane secuturus sit, eum loqui velimus, necesse erit in eum errorem incidere, in quem hodie non pauci inciderunt, ut dicamus Novum Testamentum adhuc non esse, nec futurum, nisi cum major pars hominum Deum ex animo coluerit, aut ea saltem pars fere universa, cui Deus voluntatem suam seque ipsum patefecerit, nempe, quia in prædicto loco ea verba scripta sunt, *Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Nam, cum hoc reipsa nondum factum fuisse, nisi minima ex parte, inter omnes constet, videtur omnino novum illud fœdus, quod hac re potissimum, ut ibidem scriptum est, continendum erat, nondum extitisse. Verum, ut diximus, error est, isque valde insignis ac perniciosus, affirmare vel existimare, Novum Fœdus à Deo cum populo suo pactum adhuc non fuisse. Nec sane quisquam id affirmare potest, quin simul Novi Testamenti scripta pro nihilo ducat, in quibus passim aut tacite aut aperte, per Jesum Christum illud pactum fuisse, ejusque sanguine confirmatum, dicitur & inculcatur. Et ne quis causetur, aliud esse Novum Fœdus, sive alio modo acceptum, id de quo loquitur Deus apud Hieremiam, quam illud sit, de quo Novi Testamenti scripta loquuntur, legantur ea quæ scribit auctor Epistolæ ad Hebræos 8. 6, 7, 8, &c. Nam inde apparet manifeste, Fœdus illud Novum, de quo apud Hieremiam, jam fuisse sancitum, atque illud ipsum esse, cujus mediator Jesus Christus jam fuit. Itaque cum Deus dicit, se daturum legem suam in visceribus eorum &c, nihil aliud intelligendum est, quam Deum ea facturum, per quæ plane verisimile sit, legem suam in hominum cordibus inscriptum iri, idque ut fiat, quam diligentissime curaturum. Quid vero Deus per Christum non fecit, ut legem suam in hominum cordibus inscriberet? Prædicit Paulus cap. 11. ad Rom. ℣. 25, 26, futurum, ut postquam plenitudo gentium advenerit, totus Israël servetur, quod utique non ita intelligendum est, quasi Paulus dicere voluerit, futurum omnino, ut reipsa omnes, qui genere Israëlitæ fuerint, serventur: sed fidei ostium, quod illis jam tum Dei justo judicio clausum erat, ejusdem Dei benignitate illis denuo apertum iri, ita ut, si velint, omnes prorsus servari possint. Nisi hujusmodi ratione alii similes in Sacris Literis loci explicentur, necesse est in summa divinorum consiliorum, quæ ad salutem nostram spectant, ignoratione versari. Et hæc satis fuerint, quod ad testimonia attinet ex Vetere Testamento petita: itaque ad Testamenti Novi locos veniamus.

Septimo igitur loco, de iis Pauli verbis agemus, quæ scripta sunt 1 Cor. 4. 7: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Nam etsi hæc Pauli verba nihil omnino ad propositam quæstionem judicio meo pertinere possint, tamen, quia plerique adversariorum illis haud leviter niti videntur, prætereunda non censui.

Dico igitur, Paulum eo loco non agere de voluntate quam Corinthii haberent Deo per Christum obediendi; sed neque de ipsa obedientia, aliave re ulla, quæ huc spectare possit: sed de Spiritus Sancti donis, aliisque charismatis, quæ tunc temporis iis à Deo concedebantur, qui Evangelicæ voci assensi fuissent, quales erant Corinthii illi, qui, ut idem Paulus ibidem deinde testatur 1 Cor. 1. 4. 5. 6, 7, & in ipso ferme Epistolæ initio dixerat, præclaris ac multiplicibus donis ditati fuerant, quibus illos sese nimis efferre ac superbire vetat, quasi à Deo illa omnia non accepissent. Quod si quis est, qui nihilominus, contra id quod ipse locus plane suadet, velit Pauli verba universe prorsus accipienda esse, quid aliud tandem ex ipsis colligetur, quod ad propositam quæstionem faciat, nisi voluntatem ipsam Deo obediendi, ab ipso Deo in nos proficisci? Hoc autem nos, si recte intelligatur, neutiquam diffitemur, scientes Deum omnium bonorum, quæ in nobis sunt, fontem atque auctorem esse, eoque ipsius etiam voluntatis, quam habemus, illi obedientiam præstandi. Verum, non idcirco sequitur, nos ea in re nihil libere efficere, quemadmodum postea explicabimus.

Octavo, non pauci sunt, qui magnam vim in ejusdem Pauli verbis esse arbitrentur, quæ leguntur 2 Cor. 3. 5. *Non quod sufficientes simus à nobis ipsis aliquid cogitare, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, &c.* Sed miror primum, istos non animadvertere, qua de re Apostolus loquatur. Loquitur autem, ut manifestum est, de ministerio suo, quo factum fuerat, ut Corinthii illi Christi Epistola dici possent, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, hocque quamvis non sine ipsius opera, à Deo tamen plane profectum esse ait, se enim in ejusmodi rebus ne cogitare quidem aliquid posse, tanquam ex seipso. Non igitur universe prorsus, ut sonant, Pauli verba accipienda

sunt,

sunt, sed ad ejus institutum atque subjectam materiam accommodanda. Deinde illud animadvertendum censeo, verbum *aliquid*, quod τι est Græce, non quidpiam simpliciter, qualecunque tandem id sit, significare, sed quidpiam quod magni alicujus sit momenti: hoc enim sensu pronomen illud in Novo Testamento usurpari solet, ut cum idem Paulus 1 Cor. 3. 7. ait, neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat; sed Deum, qui incrementum dat. Non enim intelligit istos plane nihil esse, etiam ea ipsa in re de qua sermo erat, alioqui sibi ipsi contrarius esset, qui paulo post ℣. 9 affirmat, eosdem istos esse coadjutores Dei, & alia dicit, ex quibus constat, & eum qui plantat, & eum qui rigat aliquid esse: sed eos aliquid esse negat quod magni alicujus momenti sit, præsertim; si cum Deo, qui incrementum dat, comparentur. Idem Paulus similiter eadem Epistolâ 10. 19, negat se affirmare, idolum, vel id quod idolis sacrificatur, aliquid esse, non quod nihil omnino ea esse dicere velit, sed nihil quod magno æstimandum sit, adeo ut quis ab illis, tanquam ab illis, aliquid mali metuere debeat, quo sensu cap. quoque 8. 4. dixerat, nihil esse idolum in mundo. Ad Galatas quoque scribens cap. 6. 3. ait, si quis aliquid videatur sibi esse, cum nihil sit, istum seipsum decipere, ubi sine dubio *aliquid* pro aliquid magni momenti dixit. Et Gamaliel Act. 5. 36 dicebat, Theudam illum affirmasse, se esse aliquem, id est, aliquem magnum, ut expresse legitur in Complutensi editione, ubi non simpliciter *τινα ἑαυτόν*, ut in aliis, sed *εἶναι ἑαυτὸν μέγαν* scriptum est. Cum igitur Paulus ait, se & socios suos in Euangelico ministerio, aliquid tanquam ex seipsis cogitare non posse, non est intelligendum, eos ex seipsis nihil prorsus cogitare posse; sed nihil quod alicujus magni momenti esse possit.

Nono, celebris ille locus expendendus est, apud eundem Paulum Phil. 2. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Nam profecto si Deus est, qui efficit in nobis, ut velimus, non tantum ut perficiamus, idque pro sua voluntate, nihil nec quod ad voluntatem quidem ipsam attinet, in nostra potestate erit.

Respondeo, me, ut supra dictum fuit, non dubitare, quin Deus ipsius etiam bonæ voluntatis nostræ auctor dici debeat: sed tamen nego propterea sequi nos ea in re nihil libere efficere, idque vel ex ipso hoc loco manifestum est: quandoquidem ante modo recitata verba scriptum est ℣. 12, *Cum metu & tremore vestram salutem operemini*, cujus adhortationis ratio, in ipsis de quibus quærimus verbis statim redditur. Ex quo intelligi debet, & aliqua ex parte in Philippensium illorum potestate fuisse, aliquid in salute sibi comparanda efficere, & non ita in illis Deum & velle & perficere operatum fuisse, ut illi interea ea ipsa in re nihil libere agerent, siquidem sine voluntate & perfectione ista salus nullo modo comparari potest. Diligenter igitur considerandum est, ut ex antecedentibus patet, Apostoli scopum esse, Philippenses ad humilitatem & sui ipsorum demissionem adducere: Quare monet illos, ne se de via salutis, quam ingressi fuerunt, jactent, neve propterea superbiant, quasi non id omne à Deo profectum sit, qui prædicatione Euangelii sui, promissisque amplissimis in ipso contentis, & mirandis præterea operibus ad ejus confirmationem per Apostolos patratis, in eis & voluntatem & perfectionem ingeneraverat & operatus fuerat, quod & facere eadem ratione pergebat, idque pro bona voluntate sua, id est, quia benignitate illa erga ipsos uti sibi placuerat, non autem quia ipsi commeriti id fuissent. Operatur igitur Deus in nobis voluntatem & perfectionem potissimum verbo suo, per quod etiam regenerari & novæ creaturæ fieri dicimur, 1 Petr. 1. 23, & Jacob 1. 18. Quod verbum etiam post ipsam prædicationem, in iis qui crediderunt agere dicitur 1 Thes. 2. 13. Nam etsi in vulgata editione ejus loci verba, non ad Dei verbum, sed ad ipsum Deum referuntur, tamen certum est, ex vi Grammaticæ, in Græco codice ad Dei verbum referri posse; ex vi autem sententiæ id fieri debere unusquisque confitebitur, qui locum attente legerit. De verbo enim Dei sermo est, non autem de ipso Deo: adstipulanturque sententiæ nostræ & Castellio & Beza in suis interpretationibus. Ubi etiam est considerandum, eodem verbo usum esse Paulum cum ait, Deum operari in Philippensibus velle & perficere, & cum dicit, Dei verbum sive sermonem, qui jam illis annunciatus fuerat, in Thessalonicensibus qui crediderant, agere. Ibi enim de Deo scriptum est, ἐστιν ὁ ἐνεργῶν, hic vero de Dei sermone, ὃς καὶ ἐνεργεῖται. Quod si quis nolit Paulum, cum monitione & adhortatione illa qua ad Philippenses utitur, ad humilitatem in ipsis ingenerandam respexisse, & universam eorum verborum sententiam per se ipsam considerare velit; non autem ad antecedentia accommodare, hic sensus erit verborum ejus: debere Philippenses omni cura & diligentia in instituto opere perseverare, propterea quod non humana figmenta essent; ea quæ illis à se & ab aliis de Jesu Christo proposita fuissent, sed divina mysteria, quibus eorum salus contineretur; Deique consilio & opera factum fuisse, ut ea voluntate iisque factis essent præditi; non autem humana cura atque industria, id est, se & alios, qui Christum Jesum illis annunciaverant, à Deo missos fuisse, & secundum Dei voluntatem locutos esse, non autem, vel sua sponte venisse, vel ex proprio capite quæ prædicaverant confinxisse. Nam verba illa *Cum metu & tremore*, idem significare posse, quod summa cura & diligentia, docere potest id, quod scriptum est Eph. 6. 5, *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore.*

Decimo, ad probandum nihil esse in hominis potestate eorum quæ salutem attinent, satis esse videtur, quod fides, sine qua nemo potest placere Deo, in hominis potestate non est. Probari videtur id primum, quia scriptum est à Paulo, 2 Thess. 3. 2, non omnium esse fidem. Deinde, quia ab eodem fides Dei donum esse dicitur Eph. 2. 8. Philip. 1. 28, & 29. Respondemus primo loco, testimonia allata de fide in Christum loqui, quam fatemur in hominis potestate non esse, quatenus, nisi Deus per instrumenta aliqua Christi notitiam largiatur, non poterit quisquam in Christum credere. Deinde vero, quod ad locum illum attinet 2 Thess. 3. 2. dicimus, non omnium esse fidem, non significare, non omnes posse credere, seu non omnibus datum esse, ut credant, sed, ut verba ipsa sonant, non omnes credere. Cum enim hortatus esset Paulus Thessalonicenses, ut Deum rogarent, ut sermo Dei curreret & clarificaretur, ipseque & ipsius socii à malis & importunis hominibus liberarentur, ut rationem redderet, quare ita locutus esset, inquit, *Non enim omnium est fides*, id est, non omnes ex animo Euangelio assentiuntur. Videtur enim de falsis fratribus potissimum loqui, quos Euangelii cursum maxime tunc temporis impedire consuevisse certum est; & à quibus ipse sibi cavere, sine singulari Dei ope, non poterat. Idem autem ibi esse, non omnium est fides, quod non omnes fideles sunt, declarant, præterea verba, quæ statim per antithesin adjuncta sunt, *Fidelis autem dominus est, &c.* Jam quod ad alios locos pertinet, in quibus fides Dei donum esse dicatur, fatemur id ita se habere: sed nihilominus tamen affirmamus, postquam homini Christus Jesus Dei benignitate annunciatur, in ejus potestate esse, ut in illum credat, si velit: & si nolit, non credat. Quod nisi ita se haberet, profecto ii, qui Euangelio sibi annunciato non credunt, nequaquam reliquis omnibus gravius punirentur, sicut intelligi potest, ex iis quæ Christus ait, Matth. 10. 15. Marc. 6. 11. Item Luc. 10. 12, ubi mitius cum Sodoma & Gomorrha, quam cum istis, in judicii die actum iri pronunciat. Neque enim Dei donum fides non erit, etiamsi in hominis potestate sit credere, id est, fidem sibi per Euangelii prædicationem à Deo oblatam accipere: quemadmodum si ego cuipiam, cui

Aa a nihil

nihil prorsus debeam, pecuniam donare velim; nulla ex parte minueretur liberalitas mea, etiamsi in illis potestate sit, eam pecuniam accipere, vel non accipere. Et quemadmodum; si is pecuniam libera voluntate acceperit, non idcirco donum meum non erit: sic, quamvis nos annunciato Euangelio libera voluntate credamus, atque ea ratione fidem nobis oblatam accipiamus, non tamen fides nostra Dei donum non est. Deus nemini quidquam debet, nisi ex promisso; nec ii, quibus Christus annunciatur, aliquid in seipsis habent, quo tantam Dei benignitatem & largitatem commeruisse potuerint. Quocirca plane Dei donum est, ut in Christum credant: id enim sine ipsius Christi annunciatione fieri nullo pacto, potest. Fidem autem in Christum, ideo Dei donum dici, quia donatur nobis à Deo ut in Christum credere possimus, declarat locus ille Phil. 1. 29. Namque ex eo colligitur, in Philippensibus ita fidem in Christum Dei donum fuisse, sicut in iisdem Dei donum erat pro Christo pati. Verum Paulus, ut ex ipso loco perspicuum est, non vult dicere, Philippenses jam pati pro Christo, (quippe qui illos, ut id faciant, moneat) sed illis datum esse, ut pati pro Christo possint, id est, adversariorum vexationes à Deo ipsis immitti, quæ propterea ipsos terrere non debeant, sed potius alacriores reddere. Quare donatum illis esse, ut in Christum credant, nihil aliud similiter significat, quam per Euangelii prædicationem illis à Deo concessum fuisse, ut in Christum credere possent.

Undecimo, explicandus est locus ille celebris Joh. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit traxerit eum, &c.* Hinc enim satis constare videtur, tum demum fieri, ut ad Christum eamus, ejus verbis fidem adhibeamus, & proinde salutem consequamur, cum Deus nos trahit, id est, nos Spiritu suo rapit, atque ut ad Christum ire velimus, efficit. Unde intelligi potest, omnia in salutis nostræ negotio, ex Dei voluntate pendere, nosque in ea re nihil plane efficere.

Ut magis perspicuum sit, locum istum adversariorum sententiam nullo modo confirmare, animadvertendum est, quod etiamsi ista (ut ita dicam) Dei tractio, nihil aliud esset, quam Dei vis quædam interior, quæ non omnibus externum verbum audientibus concederetur, non tamen inde concludi posset, in hominis potestate, quod attinet ad assensum externo Dei verbo præbendum, nihil situm esse. Neque enim ait Christus, omnes, qui à Patre ipsius trahuntur, ad ipsum ire, sed neminem ire posse, qui non trahatur. Itaque nihil cum Christi verbis pugnat, quod quis à Patre trahatur, & tamen ad ipsum Christum non eat, quia videlicet ire nolit, & sic quod in ejus potestate sit, postquam à Deo quadam vi interiore, non omnibus concessa, ad Christo credendum incitatus fuerit, illi credere, aut non credere. Nam quod quidam sint inter eos, qui verbum Dei audiunt, quibus vis illa interior, sine qua credere non possunt, à Deo non concedatur, id ex ipsorum sceleribus antecedentibus proficisci potest, quatenus in Deus ipsorum pœnam nolit eos posse resipiscere, & salutem consequi. Atque hac ratione & salus & condemnatio, non soli Dei decreto, sed hominis quoque aut bonæ aut malæ voluntati adscribenda erit. Et profecto, si Christus ad solum Dei decretum omnia retulisset, frustra locutus esset, nec suis verbis aliquid effecisset, nisi quod auditores ad omni conatu veniendi ad ipsum deterruisset, & excusationem incredulitatis eorum, qui ipsi fidem non adhibeant, ipse attulisset: cum tamen plane verisimile, sit, eum potius, ut alibi sæpe facit, causam cur non crederent, ad ipsorum improbitatem referre voluisse. Mens igitur Christi in verbis illis esse videtur, confirmare doctrinam suam esse divinam atque cœlestem, cui si quis fidem non adhibeat, id propterea fieri, quod ille rebus divinis ac cœlestibus non trahatur, nempe propter improbitatem suam. Murmurabant enim Judæi de ipso, quod dixisset, se esse panem qui de cœlo descendisset, quibus Christus dixit: *Nolite murmurare inter vos; Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit traxerit eum, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quod dixi me de cœlo descendisse, & panem esse, qui dat vitam mundo, verissimum est. Nam doctrina mea divina est ac cœlestis, adeo ut quisquis eam ex animo amplectitur, divinitus, id est, Deo ipso id curante tractus dici debeat; nec quisquam sit, qui eam rejiciat, nisi is qui non tractus fuerit à Deo, non quod ipsum Deus trahere noluerit, sed quod is per prædicationem meam trahere volenti Deo assensus non fuerit, & sic reipsa à Deo non fuerit tractus. De ipso enim pleno trahendi effectu loquitur Christus, non de sola voluntate: quemadmodum in loco illo, quem supra examinavimus Deut. 29. 4. *Non dedit vobis Dominus &c.* Id est, reipsa non dedit, sive ita ut vos acceperitis, non autem, quod non voluerit dare. Patet autem rem ita se habere, ex iis quæ statim consequuntur. Pergit enim Christus & ait, ÿ. 45. *Est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei*, (sive docti à Deo) *omnis igitur qui audivit à Patre, & dedicit, venit ad me* &c. Ostendit Christus his verbis, tempus illud advenisse à Prophetis prædictum, in quo omnes à Deo docendi erant, id est, curandum à Deo erat, ut docerentur, & quantum in ipso erat, hominis libera voluntate manente, efficiendum, ut plane addiscerent. Verum necesse erat præterea, ut ipsi homines doceri vellent, & sic reipsa addiscerent, propterea ait, *Qui audivit à Patre, & didicit.* Non satis est audivisse, à Patre, & sic Deum docentem habuisse, sed didicisse opus est: non satis est patrem retrahere voluisse, sed ut reipsa traxerit est opus. Quamquam autem Deus & Pater, prædicatione ipsius Christi, ad hæc in populo efficienda, uteretur, tamen post prædicationem vis præcipua in audientium probitate consistebat; quæ per prædicationem quodammodo excitabatur. Nam qui probitate aliqua, quæ secundum Deum esset, erant præditi, Christi prædicationem pro divina agnoscebant, eique assentiebantur, & proinde facile fiebat, ut ad Christum irent, id est, se ei totos dederent, atque ex animo ejus doctrinam amplecterentur. At vero qui improbi erant, doctrinæ illi divinæ suis moribus & institutis prorsus contrariæ, assentiri non poterant, & propterea nec ad Christum ire. Tacite igitur, sed ita tamen, ut intelligi perfacile possit, quod Judæi sibi fidem ex animo non adhiberent, causam eorum improbitatem esse ait, non autem, vel doctrinæ suæ falsitatem, vel aliud quidpiam, quod ex Dei parte faciendum restaret: tantum abest, ut eorum incredulitatem, Dei decreto, aut cuipiam ulla ratione ipsis injectæ necessitati, attribuat. Idem Christus apud eundem Johannem cap. 7. 17 ait, *Si quis voluerit voluntatem ejus, qui misit me, fatere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Et cap. 3. 19, *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum opera mala.* Et cap. 8. 47, *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ex quibus & aliis similibus locis apparet, hominis improbitatem potissimam aut solam causam esse, cur quis Christi Euangelio non assentiatur. Nam in postremo trium istorum locorum, *ex Deo esse*, idem significare quod probum esse, atque earum rerum quæ Deo placent amantem, probat antithesis illa superior ÿ. 44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Certum enim est, his verbis nihil aliud Christum significare voluisse, quam Judæos illos esse improbos, & iis rebus, quæ Diabolo placent, delectari. Id ipsum probant aperte loci plures, in Epistola prima Johannis, in quibus hæ phrases leguntur, *esse ex Deo, non esse ex Deo, esse ex Diabolo, esse ex maligno.* Atque hinc intelligi potest, quid sibi velit Christus, cum prædicto capite sexto inferius ait ÿ. 65, *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.*

Nam

Nam in Græco non est, *à Patre meo*, sed *ex Patre meo.* Intelligi, inquam, potest, eum nihil aliud dicere, quam neminem ipsi confidere posse, nisi probus sit, ejusque probitate fiat, ut Euangelio assentiatur. Et quia ex Christi verbis constat, eum supra idem dixisse quod hic dicit: inquit enim *propterea dixi vobis*, *Nemo potest* &c. nihil autem supra dixerat, quod idem plane cum hoc videatur, nisi illud de quo quærimus, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit traxerit eum*: idcirco certissimum esse debet, hæc verba id potissimum significare, neminem posse Christi doctrinam ex animo amplecti, qui in improbitate persistat, unde fit, ut à Deo per Christi prædicationem eum trahere volente, minime trahatur, quemadmodum antea expositum fuit.

Duodecimo, ea consideranda sunt, quæ Christus de suis ovibus late disserit, Joh. cap. 10. Videtur enim omnino ex ejus verbis colligi posse, eos qui Christi sunt tales esse, quia ut tales sint omnino decretum fuerit, nec fieri posse, ut Christi esse desinant. Nam de decreto satis inde apparere videtur, quod Christus ait ℣.16, se habere alias oves, quæ non essent ex ovili illo, quasque ipse adducturus esset: fieri autem non posse, ut qui Christi sunt, ejus esse desinant, videntur demonstrare verba illa: ℣.28. *Et non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Adde, quod ex eodem Christi sermone intelligi videtur, eos qui ipsi fidem non adhibent, idcirco non adhibere, quia de iis decretum non fuerit, ut Christi sint. Inquit enim ℣.26. *sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.*

Ut totum hunc locum breviter explicemus, & nihil adversariorum sententiam juvare ostendamus, dicimus, ovium nomine in Christi verbis eos intelligi, qui vel jam ejus doctrinam ex animo sunt amplexi, vel propter probitatem aliquam, quæ in ipsis sit, ad id faciendum apti sunt atque accommodati. De illis loquitur Christus, cum ait ℣.28 oves suas perire non posse: de his vero, cum dicit ℣. 16. & 26 se habere alias oves, & Judæos non esse ex ovibus suis. Ubi notandum est, id Judæis Christum exprobasse, & tanquam id dixisse, ex quo eorum ipse non credendi peccatum appareret. Non igitur, cum negavit eos esse ex ovibus suis, intelligere aut significare potuit, de ipsis nullo modo fuisse decretum, ut sui essent: hoc enim ad excusandos eos potius valuisset, atque ostendendum, nullum eorum peccatum esse. Quocirca vel ex verbis istis perspicuum est, quid in toto eo sermone ovium suarum nomine Christus intelligat, nempe eos quos supra diximus, ex quorum numero Judæi illi non erant, quippe qui propter improbitatem suam, non modo Christi doctrinam amplexati non fuissent, verum etiam ad eam amplectendam apti non essent. Est autem sciendum, nos, cum in Christi ovibus constituendis divinum decretum excludimus, non omne divinum decretum intelligere, sed ejusmodi decretum, quo antequam quidquam boni aut mali egerint homines, nominatim Jesu Christo certissimæque saluti destinati fuerint. Cæterum, cum eos Christi oves appellari dicimus, qui ad ipsius doctrinam ex animo amplectendam sunt accommodati, non omnes prorsus ejusmodi homines intelligimus, sed eos, quos jam Deus decrevit per Euangelii prædicationem ad Christi cognitionem vocare. Oves igitur suas appellat Christus, eos etiam ex gentibus, qui in ipsum per Apostolorum prædicationem credituri erant: hac siquidem ratione oves istas ipse erat adducturus. Atque idem Dominus Act. 18. 10 Paulo dicit, se multum populum Corinthi habere, id est, multos in ea urbe esse, qui Euangelio audito, quod ipsis annunciari volebat, in ipsum credituri essent. Nam cum Christo omnes humanorum cordium cogitationes pateant, rectissime citra ullum aliud decretum id affirmari potuit. Perinde est enim acsi dixisset, multos probitate præditos Corinthi esse, ubi nomen suum annunciari volebat. Porro hac eadem ratione explicandi sunt alii loci, si qui sunt similes. Itaque cum Christus ibidem ait, ℣. 8 oves non audivisse eos, qui ante ipsum venerant, oves illos vocat, qui jam tum cum illi venerant probitate erant præditi, simulque Euangelicæ prædicationi erant destinati. Jam vero cum Christus ait, ℣.28 oves suas perire non posse, nec quenquam rapturum eas de manu sua, nullo pacto est intelligendum, eos qui Christi sunt, Christi esse desinere nulla ratione posse. Nam certe possunt, si fidem abjicere velint, sive in Christi mandatorum obedientia non perseverare: (neque enim in illis Christi verbis de eo sermo est, quod ipsæ oves contra seipsas facere possint, & sua sponte vel propria culpa aliquo modo pati: sed de eo quod alii possunt facere adversus ipsas, deque damno, quod aliunde illis invitis inferri possit) sed intelligendum est, homines pios & Christo fidentes, à morte æterna tutos esse, nec ulla ratione fieri posse, ut Christus qui eos servare decrevit, quicquid contra universus orbis moliatur, eos etiam reipsa non servet. Oves igitur Christi nunquam perituræ, non aliqui sunt nominatim, idque ab æterno saluti necessario destinati, sed ii qui Christo confidunt. Hos Joan. 6. 39. & 17. 2, 6, 7, 9, 11, 12, 24 dicit ipse Christus à Patre sibi datos esse, non autem datorum sibi à Patre nomine, aliquos prædicta ratione saluti destinatos intelligit. Vide locum Joh. 6. 37. & deinceps, ubi tandem ita concludit, ℣.40. *Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* In his enim verbis Christum explicare, quinam sint illi, quos ante sibi datos à Patre dixerat, unusquisque prævia hac monitione nostra, nunc clarissime perspiciet.

Tertiodecimo, offert sese nobis locus ille insignis Act. 13. 48, *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*: de quo loco, cum eum in disputatione nostra de Jesu Christo Servatore diligentissime explicaverimus, (unde ea quæ hic omittentur, quæ etiam cuique vel morosissimo satisfactura putamus, peti poterunt) pauca tantummodo quædam disseremus. Primum igitur (quanquam hoc non adeo magni momenti videri potest) animadvertendum est, ex Græco non *præordinati*, sed *ordinati* legendum esse: est enim ibi τεταγμένοι, non autem προτεταγμένοι. Deinde est considerandum, neminem nominari, à quo isti ad vitam æternam ordinati fuerint, sed simpliciter ordinatos fuisse dici. Itaque non est, cur ordinationem istam ad Deum omnino referri debere dicamus, atque inde colligamus, eos qui non credunt, propterea non credere, quia Deus ad vitam æternam eos minime ordinavit, neminem autem esse, quem Deus ad vitam æternam ordinaverit, qui etiam non credat. Verbum enim *ordinati erant*, ita accipi potest, ut accommodationem & aptitudinem quandam à nemine factam, sed ex re ipsa provenientem declaret, perinde ac si dictum fuisset, Apti atque accommodati erant. Supra autem diximus, eos ad Christi doctrinam amplectendam aptos & accommodatos esse, qui probitate sunt præditi. Quare, cum ex Christi doctrina amplectenda vita æterna consequatur, recte hos ad vitam æternam quoque aptos atque accommodatos esse dicemus. Idem igitur apud Lucam erit, *Ordinati ad vitam æternam*, quod, probitate præditi. Quod si omnino personam hic aliquam agentem, ut vocant, subaudiri velimus, istos à seipsis ordinatos fuisse intelligemus, (id quod in hoc eodem verbo τάσσειν Græci sermonis consuetudinem ferre certum est) id est, seipsos ad vitam æternam capessendam parasse atque accommodasse, cum scilicet probi esse voluerint, non quidem quia ipsi de vita æterna tunc cogitarent, quæ per Euangelii prædicationem offertur: sed quia eventus talis fuit, quemadmodum etiam supra Act. 13.46 scriptum est, Judæos verbum Dei repellendo, indignos se judicasse vita æterna, non quod illi ea de re cogitarent, seque ipsos consulto à vita æterna excluderent, sed quia talis fuit eventus. Nihil aliud, igitur sibi vult Lucas, quam Paulo & Barnaba Euan-

gelium annunciantibus, eos omnes ex gentibus quæ audierant credidisse, qui probi erant, ob eamque rem ad credendum apti & accommodati. Quod ideo dictum est ab ipso, ut etiamsi multi fuerint, qui non crediderint; non tamen inde colligatur, Apostolorum illorum prædicationem illam inter gentes temerariam fuisse, nec à Dei consilio fuisse profectam: imo plane Deo ita volente munus illud ab ipsis susceptum fuisse intelligatur, cum nemo inter gentes illas fuerit, qui ad credendum idoneus esset, à quo fides prædicationi illi non fuerit adjuncta. Quoniam vero non deerunt fortasse, qui nullo pacto velint aliter verba Lucæ accipi posse, quam si dictum fuisset, *Erant ordinati à Deo*, ut etiam hoc quamvis inique petitum concedamus, dicimus homines improbos, si cum probis comparentur, cum utrisque Euangelium annunciatur, ad vitam æternam à Deo ordinatos dici non posse, sed probos tantum. Nam & supra vidimus, viros probos ad credendum accommodatos, Domini populum, Christique oves vocari, etiam antequam accedant, imo antequam illis Euangelium prædicetur. Possunt quidem improbi quoque, quibus Euangelium prædicatur, ad vitam æternam ordinati à Deo esse dici, quatenus Deus vult eos per ipsam Euangelii prædicationem ex improbis probos efficere, &, si Euangelio fidem adjunxerint, vita æterna donare. Attamen dum adhuc improbi sunt, quemadmodum nullo modo Christi oves sunt, aut Domini populus, sic etiam ad vitam æternam à Deo ordinati non esse dici possunt.

Quartodecimo, agendum nobis esset de iis, quæ scripta sunt à Paulo ad Rom. cap. 9. & totum illud ferme caput accurate explicandum: verum quia hoc longiorem scriptionem requireret, quædam pauca duntaxat monuisse in præsentia sat fuerit, ex quibus facile quivis, locum illum universum sententiæ nostræ nulla ex parte adversari intelligere possit. Nos jam amicorum rogatu, locum ipsum, una cum iis quæ capite undecimo in eandem sententiam scripta sunt, partim explicando explanavimus, partim paraphrasi illustravimus, quem laborem nostrum, separato scripto comprehensum, per otium describemus, & Ecclesiæ offeremus. Nunc ad id, quod faciendum hoc loco duximus. Diligenter igitur inprimis considerandum est, quisnam Apostoli scopus fuerit in disputatione illa. Is autem, cum ex ipsius disputationis initio, ubi id, de quo disputandum erat, non obscure propositum ab Apostolo fuit, tum ex ejusdem disputationis fine, ubi eorum omnium, quæ, supra dicta sunt, conclusio habetur, omnino colligi debet. Patet autem ex duobus locis istis non aliud Paulo propositum fuisse, quam ostendere, non omnes, qui secundum carnem ex Israële sunt, veros Israëlitas esse; neque omnes, qui ex Abrahamo secundum carnem sunt prognati, vere ex Sacrarum Literarum sensu Abrahami filios esse, & iis promissionibus comprehensos, in quibus Israëlitis & Abrahami posteris perpetua felicitas, perpetuusque Dei favor promittitur; sed istos eos esse, quibus Deo visum est bona sua largiri, nulla carnalis istius prognationis ratione habita, eos inquam, qui per Christum Jesum sibi confisi fuerint, ex quibuscunque tandem parentibus illi sint nati, atque ea ratione, & Abrahami & Israelis, id est, Jacobi spirituales filii sint: & propterea non quærendam esse salutem & justitiam per Legem Mosis, quæ filiis Abrahami & Israelis secundum carnem olim à Deo data fuit, sed per fidem Jesu Christi, quæ postmodum ab ipso Deo Abrahami & Israelis filiis spiritualibus in æternum fuit proposita. Hac Apostoli mente recte percepta, jam perspicuum erit, cur multa afferat, ut ostendat Deum, in salutis nostræ negotio, ea facere, quæ sibi libuerit, nempe, non ut demonstret, Deum, in servandis nobis, aut condemnandis, nullam earum rerum rationem habere, quæ in nobis vel jam sint, vel futuræ sint, sed non ad ea respicere, ad quæ nobis fortasse videretur eum respicere debere. Et hæc quidem generatim de iis, quæ ab Apostolo afferuntur, dicta esse volumus: speciatim vero monemus, id quod commemorat de Esao & Jacobo, quod antequam aliquid boni vel mali egissent, jam sententia de utroque pronunciata fuerit; non alio spectare, quam ut tacitæ objectioni respondeat, quod Deus idcirco in Jacobo fratri anteponendo, fratris primogenituræ nullam rationem, contra quam verisimile videbatur, habuisset, quia Jacobus bonus fuisset, Esaus autem malus. Non autem, ut ostendat, nullam probitatis aut malitiæ hominum in illis servandis aut perdendis rationem habere. Deinde sciendum est, verba illa, *Non est volentis, neque currentis*, non de voluntate & studio ex Dei præscripto bene agendi accipi debere, sed de voluntate & studio Dei beneficia consequendi: id enim non satis est, nisi Deus ea dare velit: vult autem Deus ea sæpissime illis dare, qui de iis accipiendis ne cogitant quidem, quamvis ab istis ipsis, si velint ea vel jam data retinere, vel oblata reipsa accipere, consuevit Deus fidem erga se atque obedientiam reposcere, alioqui illa vel ablaturus, vel neutiquam daturus. Porro, quod de induratione subjungitur ℣. 18, ad propositum exemplum Pharaonis accommodandum est, qui Pharao propter sua & decessoris sui scelera, ut à Deo induraretur, commeritus fuerat, quem tamen non indurare, si ita voluisset, potuisset Deus, sed noluit, ipsumque diu in vita & regno, etiam post patrata scelera, conservavit, ut ejus induratione, in liberatione populi sui ex ipsius manibus, nomen suum in universo terrarum orbe illustre redderet. Verbum enim, *Excitavi*, stare feci, id est, conservavi, ut in Hebræo, & Septuaginta interpretati sunt, plane significat. Postremo sciendum est, in similitudine illa figuli ℣. 21, 22, 23, massæ ejusdem nomine, homines ipsos jam natos, jamque aut probos aut improbos effectos, universe significari, id est, universum humanum genus, quatenus aut probitatis, aut improbitatis est particeps: vasorum vero faciendorum nomine, singulos jam adultos homines, de quibus Deus aliquid singulare decernat, denotari: non autem per eandem massam, semen ipsum, ut ita dicam, humanum, per vasa vero facienda, singulos homines, quatenus creantur, intelligi debere. Hæc ita se habere intelliget, quisquis cap. 45 Esa. & 18 Jer. attente legerit, unde sine dubio eam similitudinem Apostolus mutuatus est. Pauli autem sententia hæc est: quemadmodum figulo licet, ex eadem massa, aliud vas ad honesta formare, aliud vero ad inhonesta: sic Deo licet, ex universo humano genere, alios homines pœnis eorum sceleribus debitis afficere, alios vero, licet immerentes, suis donis cumulare. Et hæc in præsentia satis erunt.

Quintodecimo, expendenda sunt verba illa Petri, prima Epistola cap. 2. 8. *His qui offendunt verbo* (id est, ad verbum) *inobedientes, in quod* (id est, in quam rem) *& positi fuerant*. Videtur enim Petrus hic affirmare, eos qui non obediunt Euangelio, jam ei rei destinatos fuisse, ut non obedirent. Verum, non ita se res habet: nanque ut manifestum est, ait eos, qui inobedientes sunt, offendere ad verbum, id est, seipsos graviter lædere, & ex rejecto verbo suæ ruinæ occasionem habere, cui ruinæ etiam destinati erant, quatenus decretum fuerat à Deo, ut quisquis Euangelium rejecisset, ad lapidem istum offenderet: quemadmodum etiam decreverat, ut quicunque Euangelio fidem adhibuisset, non pudefieret. Antecedentia verba aperte hanc Petri sententiam esse demonstrant, docentque aliud esse offendere ad verbum, aliud inobedientem esse, & hoc præcedere, illud sequi: hoc tanquam caussam, illud vero tanquam effectum esse. Beza & Castellio, ille dum suam prædestinationem vult asserere, hic vero, dum omnem prædestinationem nimis reformidat; hunc locum suis interpretationibus corruperunt. Sed & Erasmus, quem Castellio imitatus est, in eo interpretando est lapsus.

Caput

CAPUT XIII.

De verbis prædestinandi, eligendi, & vocandi, quatenus ad salutem nostram referuntur, quibus singulorum salutis aut condemnationis necessitas in universum confirmari videtur.

PRædestinare in Sacris Literis, quod in Græco προορίζειν est, paucis admodum locis scriptum extat. Quod verbum ante definire & constituere significat. Cum igitur de Deo dicitur active, ad nos autem in salutis negotio passive refertur, necesse est, ut antecedentem aliquam Dei de nobis, quod ad salutem attinet, definitionem (ut ita dicam) & constitutionem declaret. Nostrates Theologi ita loqui solent, ut eum à Deo prædestinatum, vel simpliciter prædestinatum esse dicant, quem nominatim ita saluti destinatum ab omni æternitate esse volunt, ut nullo modo perire possit. Sacræ autem Litteræ istum loquendi modum, non addito videlicet, ad quid prædestinatus quispiam sit, aut quid de eo prædestinatum fuerit, vix agnoscunt. Nam locus ille Eph. 1.11. *Prædestinati secundum propositum ejus* &c, vel supplendus est, secundum id quod paulo ante scriptum est; vers. 5, *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum* &c. & perinde accipiendus, ac si dictum fuisset, *Prædestinati in adoptionem filiorum &c*: vel ita legendus, ut sequentia illa verba *ut simus in laudem* &c, cum verbo *Prædestinati* conjungantur, *Prædestinati ut simus* &c. id est, ad hoc antea constituti, ut simus &c. Sed prior explicatio magis placet, eaque loco illo celebri confirmatur, Rom. 8.30. *Quos autem prædestinavit* &c. Apparet enim, ex præcedentibus repetendum & addendum esse, *conformes fieri imagini filii*. Jam vero, quod aliqui à Deo prædestinati esse dicuntur, in adoptionem filiorum, vel, ut sint conformes imagini filii ejus, non significat æternam istam, quæ nulla ex parte nullave prorsus ratione irrita fieri possit, & nominatim factam destinationem: sed quia Deus ante mundi jacta fundamenta, per Christum Jesum, & Judæos & gentes ad æternam vitam vocare decreverat, eaque illos donare, qui ipsum dilexissent, id est, ipsius Dei mandata conservassent, propterea ii, qui Jesu Christo per Apostolos suos vocanti paruerant, & qui divina præcepta exequi non recusaverant, & prædestinati à Deo in adoptionem filiorum, & prædestinati ab eodem, ut essent conformes imagini filii ejus, merito dicuntur: quamvis nec nominatim unusquisque eorum antea iis rebus destinati essent; & fieri posset, ut illi in ejusmodi obedientia & dilectione non perstarent, ob eamque rem destinatio ista ex ipsorum parte irrita redderetur. Et hæc quidem, quod attinet ad verbum prædestinandi, quatenus ad negotium salutis nostræ refertur.

Verbum Eligendi, quod in Græco est ἐκλέγειν sive ἐκλέγεσθαι, significat ex aliquibus unum aut plura sumere. Quæ in re, ex ipsius verbi vi non est necessarium, ut in eo quod sumitur, aliquid sit, quod in iis non sit, quæ relinquuntur, seu non sumuntur. Quocirca, cum id verbum de Deo active dicitur, de nobis autem in salutis negotio passive, non est propter ipsius verbi vim necesse, ut in iis hominibus, qui à Deo eliguntur, aliquid sit, quod aliis desit, qui non eliguntur, quemadmodum docti nonnulli viri existimaverunt, sed satis est, eos aliis omissis à Deo quia illi ita visum sit, sumptos fuisse. Solet autem hoc verbum, contra quam in verbo prædestinandi fieri diximus, ita construi, ut nihil addatur, ad quod electus sit is qui eligitur. Sed ex subjecta materia apparet, in quem finem electus, id est, ut dictum fuit, ex aliis sumptis fuerit. Ex quo fit, ut unus & idem electus & non electus fuisse dicatur, ut de Juda Iscariota legimus, quem Christus modo se elegisse ait, Joh. 6.70, modo non obscure negat, Joh. 13.18: nempe, quia priore loco de electione ad munus Apostolicum, licet ad tempus, agitur; in posteriore vero de electione ad salutem & beatitatem: nisi velimus in posteriore de firmiore magisque propria, in priore autem de infirmiore & communiore quadam electione agi, & utrobique de electione ad Apostolatum sermonem esse. Sciendum est enim, cum de salute etiam nostra agitur, duplici sensu eligendi verbum efferri: Nam aliquando infirmiorem & magis communem quandam electionem, aliquando vero firmiorem magisque propriam significat. Siquidem ii omnes, qui Euangelicæ prædicationi, quæ à Deo proficiscatur, assentiuntur, electi à Deo esse dicuntur: dicuntur tamen iidem non electi, sed vocati tantum, nisi postquam assensi fuerint, vitam quoque vocatione ista dignam instituerint. Paulus 1 Thess. 1.4 ait, eos ad quos scribit electos esse, (nam in vulgata editione, verba *à Deo*, non cum verbo *Dilecti*, sed cum verbis *electionem vestram*, conjungi debent) & statim ℣. 5 ejusce rei rationem reddens inquit, *quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum &c*. Ex quibus verbis liquet, eos omnes à Deo electos esse, qui Euangelicæ prædicationi à Deo profectæ assensi fuerint. Apparet enim Paulum, ut probet Thessalonicenses fuisse à Deo electos, sive eorum electionem & secretionem quandam ab aliis hominibus divinam esse, satis habere ostendere, prædicationem, cui isti assensi fuerant, vere à Deo profectam fuisse. Hujus electionis meminit idem Apostolus, ad eosdem Thessalonicenses scribens, posteriori Epistola 2.13. Atqui Christus apud Matth. 22, in parabola illa invitatorum ad nuptias, satis aperte demonstrat, eos qui prædicationi Euangelicæ assensi fuerint, nec tamen, ut ea dignum est, se gesserint, non esse electos, sed tantum vocatos: is enim qui ad nuptias quidem invitatus accesserat, veste tamen nuptiali indutus non erat, sine dubio ejusmodi homines significat. De eo autem ibi dictum est ℣. 13: *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium: multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Paulus igitur in locis supra allatis, de infirmiore quadam, magisque communi electione ait: Christus vero de firmiore magisque propria. In priore, dixerit fortasse quispiam, non esse necesse, ut is qui eligitur, aliquid habeat, quod aliis qui non eliguntur desit: at in posteriore omnino is qui eligitur aliquid habeat necesse est, quod alii non habeant, qui non eliguntur. Verum hoc, quod ad verbi eligendi vim attinet, ex accidente fit. Adeo autem verum est, in firmiore magisque propria electione ista, aliquid in eo esse debere, qui eligitur, quod aliis desit, ut ipsius electionis firmitas inde maxime pendeat. Nam unde factum est, ut qui vestem nuptialem non habebat, minime fuerit ista electione electus, nisi ob id ipsum, quod vestem nuptialem non habebat? Idem aperte colligitur ex verbis Petri, posteriore Epistola cap. 1. 10. *Quapropter fratres magis satagite, ut certam vestram vocationem & electionem faciatis*: præsertim, cum in vulgata Latina editione, cui nonnulla Græca exemplaria adstipulantur, ea verba legantur *per bona opera*. Utcunque sit, hic manifestum est, non modo verissimam esse distinctionem nostram firmioris & infirmioris electionis verum etiam firmitatem illam majorem à nostro studio nostraque diligentia maxime pendere; nec tamen Dei propositum excluditur, aut illi non omnia accepta referuntur: nisi enim Deus eos firmiter eligere proque suis omnino agnoscere decrevisset, qui postquam Euangelio assensi fuissent, ad Euangelii præscriptum & normam vitam moresque suos conformassent ac composuissent, nulla ejusmodi electio esset: neque enim sunt hæc per se tanto bono digna. Illud addo, si quis rem diligentius consideret, ne in infirmiore quidem electione illa, hominis voluntatem & factum non requiri: sed in ea quoque aliquid in eo esse debere qui eligitur, quod in aliis non sit, qui non eliguntur. Sciendum est enim, quemadmodum ex utriusque electionis explicatione nostra satis intelligi potest, Sacras Literas utramque electionem non ex Dei proposito curare metiri, sed ex eventu ipso. Quocirca etiamsi, cum Deus ex sola bonitate sua ac beneplacito

(ut vocant) curat cuipiam Euangelium prædicari, dici posset, istum à Deo electum fuisse, tamen non consueverunt Sacræ Literæ eum à Deo electum fuisse dicere, nisi postquam Euangelicæ prædicationi assensus fuerit. Itaque in priore quoque infirmioreque electione, aliquid habere debet is, qui eligitur, quod alii qui non eliguntur non habeant, id est, Euangelicæ prædicationis assensum, quo qui carent, licet ipsis quoque non minus quam aliis, Euangelium prædicatum fuerit, & salus vitaque à Deo oblata, tamen quia ipsorum culpa factum est, ut eventus divinæ voluntati non responderit, Deum istos elegisse non dicit scriptura, sed eos tantum, qui eo assensu sunt præditi: quod ita se habere tunc apertius constabit, cum de vocandi verbo disputabimus. Neque huic sententiæ nostræ repugnant verba illa Pauli, Ephe.1.4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, &c. Namque eo loco Eligendi verbum non proprie usurpatum fuit, nec electionem ipsam sive eligendi actum declarat, sed eligendi decretum, quæ loquendi forma Sanctis Literis perquam familiaris est, præsertim vero apud ipsum Paulum, qui affirmare non dubitat, Deum suos jam glorificasse, Rom. 8. 30. & datam nobis fuisse gratiam in Christo ante tempora secularia, 2 Tim.1.9. & alia ejusmodi non pauca, in quibus, verbis rem ipsam significantibus, ad decretum de re à Deo factum, declarandum utitur. Ex iis quæ hactenus disseruimus, satis perspicuum esse credimus, ex Dei electione, de qua Sacra Scriptura loquitur, nihil colligi posse, quod in salute nostra nobis comparanda, nihil nos libere agere ostendat: sed potius ex ea satis intelligi debere, sine voluntate nostra salutem nobis non comparari, & nihil plane effici, quippe, cum ne ipsa quidem electio absque voluntatis nostræ libera actione aliqua esse, aut consistere ullo modo possit; sed nec ullam necessitatem salutis singulorum qui servantur, indicant loci in Sacris Literis, qui de divina electione loquuntur. Quamvis enim eæ sententiæ in multis ipsorum scriptæ sint, ex quibus constare videtur, Dei electos perire non posse, tamen non solum intelligendum est, in ejusmodi locis de firmiore illa magisque propria Dei electione, agi, quæ omnino, ut dictum est, hominis factum requirit; sed est etiam considerandum, in illis non dici, electos ab electione excidere non posse, si ipsi in ea persistere nolint: sed donec sunt electi, hoc est, vitam degunt Euangelio, cui assensi fuerint; dignam, non posse fieri ut pereant. Vide quæ supra de ovibus Christi, quæ perire non possunt, disputavimus. Illud est postremo sciendum, aliquando Eligendi verbo aliquid adeo singulare significatum in Sacris Literis fuisse, ut ne omnes quidem servandos comprehenderit, sed quosdam duntaxat, ut ex parabola illa Matth.20, de operariis a vineæ Domino conductis, perspicuum est. Certum est enim, omnes illos operarios, quibus eadem merces data est, omnes servandos significare, quibus eadem vitæ æternæ merces dabitur, & tamen non minus certum esse videtur, sententiam illam ℣.16, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, ad istos à Christo accommodari, & electos non obscure dici, qui licet hora undecima diei ad laborandum in vinea accesserint, eandem tamen mercedem, quam cæteri, habuerunt, cæteros vero vocatos. Sed utcunque Christi verba accipi debeant, negari non potest, ipsum electorum nomine non omnes qui servantur intellexisse, sed singulares aliquos, id est, qui in salute consequenda singularem aliquam erga se Dei benignitatem præ cæteris sunt experti. Verum, quia in hoc, & si qui sunt similes loci, non de ipsa electione ad salutem agitur, propterea, cum de electione ad salutem ageremus, duas tantum illas electiones commemoravimus, quæ, ut ostensum fuit, ex ipsis divinis literis manifeste eliciuntur.

Sequitur, ut de Vocandi verbo agamus. Et hoc quidem verbum, cum de Deo active dicitur, & ad nos passive in salutis negotio refertur, idem omnino significat, quod verbum Eligendi in infirmiore ex supradictis duabus electionibus: quandoquidem in Sacris Literis ii demum à Deo vocati esse dicuntur, qui Euangelio assensi fuerint. Quamvis enim, ut de verbo Eligendi diximus, is videatur vocatus à Deo dici posse, cui Euangelium ex Dei voluntate annunciatur, etiamsi ei nullam fidem adhibuerit, tamen vix invenias ubi id in Sacris Literis scriptum sit. Imo ii, qui prædicato Euangelio fidem adhibuerunt, vocatorum nomine, ab iis qui non adhibuerunt, apertissime distinguuntur à Paulo, 1 Cor.1.23,24 in his verbis: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum: gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis, Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Appellat manifeste vocatos, Judæos & Græcos illos, qui Euangelio prædicato fidem adjunxerant: cæteros vero ex Judæis, quibus prædicatum quidem fuerat Euangelium, sed illud rejecerant aut contempserant, vocatorum nomine non dignatur, sed à vocatis diserte separat atque sejungit. Idem probatur ex verbis quæ mox consequuntur: *Videte* (vel potius videtis) ℣.26 *enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem* &c. Nam idem est ac si dixisset: Videtis, fratres, ex vobis qui vocati estis, non multos esse sapientes secundum carnem &c. Sicut enim Electio interdum eos qui electi sunt significat, ut Rom. 11. 7 ita hoc loco Vocatio, eos qui vocati sunt significare potest. Sed quomodocunque nomen *Vocatio* accipitur, certum est, loci sententiam eam esse, quam modo diximus. Ex qua constat, eos tantum vocatos dici, qui Euangelium receperunt, idemque, ut dictum fuit, in Sacris Literis pollere Vocandi verbum, quod Eligendi, cum verbum Eligendi infirmiorem illam magisque communem electionem significat, id quod sequentia verba perspicue docent. Ait enim ℣.27,28: *sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus* &c. Quos prius vocatos dixerat, postea electos esse à Deo affirmat, & pro Vocandi verbo, verbum Eligendi substituit, quippe, quod idem polleat, idemque prorsus declaret.

Sed dicet aliquis, ex loco isto aperte colligi posse, electionem seu vocationem istam, non ex eventu magna ex parte, uti nos diximus, metiendam esse, sed ex Dei tantum proposito, quod eventus ostendat. Nam cum ratio quæ redditur, seu mavis causa hujus electionis, ad Dei consilium tota referatur, *ut confundat sapientes, ut confundat fortia* &c, satis apparet illam universam non ex eventu, sed ex Dei proposito pendere. Respondemus, Imo ex eventu potissimum electionem istam Paulum collegisse eamque mensum fuisse, ut ex superioribus verbis ℣.24 & 26, *Ipsis autem vocatis* &c, & *videtis enim vocationem vestram* &c, satis constare potest: qui tamen eventus ad Dei consilium refertur, quatenus Deus viam Euangelii ad homines eligendos proposuit, id est constituit, ut ii demum servari possint, qui Euangelio assensi fuerint, quod difficulter admodum ii faciunt, qui secundum carnem sapientes sunt, aut potentes, aut nobiles. Nam, cum id Deo, ut cætera omnia, compertissimum sit, merito non solum eventus ipse, quod pauci ejusmodi homines Euangelio assentiantur, & ita ad salutem eligantur, Dei opus esse dicitur; verum etiam ejusce rei finalis causa ad Dei consilium refertur, in eoque inquiritur. Totus enim locus perinde accipiendus est, ac si Paulus diceret, Deum in hominibus servandis eam viam elegisse, per quam pauci sapientes secundum carnem, pauci potentes, pauci nobiles, servantur; ejusque rei, cur scilicet ejusmodi viam Deus elegisset, rationem redderet, ita ut præcipue non Dei consilium explicet, sed, quænam Euangelii natura sit, doceat: non Dei voluntatem ipse dicat atque decretum, ut pauci sapientes secundum carnem, pauci potentes, pauci nobiles serventur, & ad agnitionem veritatis veniant: sed viam servandi homines, quam elegit Deus ejusmodi esse affirmet, ut pauci ex istis eam agnoscere & complecti velint,

sint, quemadmodum res ipsa manifeste docet. Itaque cum via ista, quam Deus elegit & sanctissima sit, & omni non modo laude, sed etiam admiratione dignissima, cumque eam Deus omnibus, quibus prædicari Euangelium curat, ex æquo proponat, & nonnulli præterea, quamvis pauci, ex istis sapientibus secundum carnem, & aliis jam dictis eam amplectantur: certe nec reliquorum contumaciæ ulla prorsus in Deo causa residet, quippe cum non eos ipse, sed ipsi se ab Euangelio recipiendo excludant, nec necessitas aliqua ex Dei cosilio emanat, nec denique injustitiæ ne minima quidem suspicio in hoc universo Dei facto esse potest.

Satis constare ex supra dictis arbitramur, nec Prædestinandi, nec Eligendi, nec Vocandi verbum, in Sacris Literis, cum ad salutem nostram à Deo procuratam accommodantur, ullam necessitatem declarare, liberamve nostram voluntatem ea in re excludere. Verumtamen antequam disputationem plane concludamus, operæ pretium est celeberrimum locum apud Paulum in Epistola ad Rom. cap. 8. diligentius examinare, & quam ea quæ ibi dicuntur cum iis quæ supra docuimus consentiant, explicare. Est enim ibi & Prædestinandi & Vocandi verbum expressum. Eligendi vero verbum quamvis expressum non sit, tamen reipsa quidquid verbum illud significat ibidem continetur, potissimum autem in ipso verbo Vocandi, quod apud eundem Paulum idem aliquando pollere ostendimus: imo satis expressum est, in voce electorum, de qua suo loco videbimus. Sic igitur se habet locus ℣. 28, quem nos per partes explicando recitabimus: *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt.* Jam ex his verbis, ad quæ cosequentia omnia sine dubio respiciunt & relationem habent, aperte deprehenditur, de quibusnam hominibus Paulus loquatur, nempe de iis, qui Deum diligunt, hosque secundum propositum (Dei nimirum) vocatos esse ait, id est, istos demum, quemadmodum ex ipsius Euangelii natura, quod Deus annunciari curavit, colligi potest, ex ipsius Dei consilio Euangelio fidem adhibuisse, & saluti destinatos esse. Namque necesse est, ut antequam Euangelio quisquam fidem adhibeat, vel ante ipsius Euangelii prædicationem, vel postea Deum diligere incipiat: solet enim Euangelii prædicatio, etiam in eorum cordibus, qui antea Deum non diligebant, eam dilectionem ingenerare, idque propter amplissima promissa in ipso Euangelio contenta, quæ Deus omnibus proponit, propterque summam charitatem quam in filio suo, propitiationem pro peccatis nostris mittendo, nobis ostendit. Nam, ut inquit Johannes 1 Joh. 14. 9. *Nos diligimus eum, quia ipse prior dilexit nos*, & supra dixerat, ℣. 10. *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Quibus tamen verbis, non omnino excludit Johannes hominis dilectionem adversus Deum, ante Euangelii prædicationem: sed fieri solere nos docet ut Euangelii prædicatione audita, in qua de Dei erga nos dilectione admonemur, Deum diligamus; & salutis nostræ à Deo procuratæ, non dilectionem aliquam nostram, adversus Deum, quæ antecesserit, sed ipsius Dei erga nos dilectionem, causam fuisse ait. Certe Deum diligi à nobis posse, etiam antequam Euangelium nobis annuncietur, vel unum Cornelii centurionis exemplum demonstrat Act. 10. 1, 2. Quanquam Johannes fortasse de eximia quadam tantum dilectione nostra erga Deum loquitur, quæ non nisi ex Jesu Christi ejusque Euangelii cognitione proficisci potest, de qua sola si Paulum quoque locutum fuisse velimus, sensus ejus verborum erit; ex iis qui Euangelio sunt assensi, eos demum ad immutabile de salute danda Dei decretum pertinere, qui Deum ea ratione, quæ in ipso Euangelio præscripta est, ex animo diligunt. Sed ad rem. Dixerat Paulus ℣. 28, omnia cooperari in bonum diligentibus Deum, hosque ex ipsius Dei consilio prædicato Euangelio fidem adjunxisse, & ita ad salutem æternam vocatos esse: quorum rationem redditurus statim subjungit ℣. 29: *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut is sit primogenitus in multis fratribus.* Idcirco, inquit Apostolus, dixi, istis Deum diligentibus, istis, inquam, antea à Deo approbatis, omnia cooperari in bonum, quia quos Deus antea approbavit, hos etiam antea decrevit similes fore filio suo unigenito, quem aliorum filiorum ut antesignanum, sic exemplar quoddam esse voluit. Quocirca, quemadmodum Dei filius unigenitus Jesus Christus per calamitates & perpessiones ad æternam beatitatem pervenit, & propter crucis passionem, ut Heb. 2. 9, scriptum est, gloria & honore est coronatus: sic etiam alii filii, qui nimirum & ipsi à Deo approbati sunt, etiamsi multa mala perpessi fuerint, tamen hac ipsa ratione fiet, ut beati in æternum ac gloriosi evadant. Qua de re Apostolus supra multis disseruerat, quo ea omnia quæ hic dicit referenda sunt. Docuimus autem alibi, verbum *Præscire* hoc loco idem significare, quod antea approbare, exemplo allato ex eadem Pauli Epistola cap. 11. 2. Porro in his verbis, omnino post verbum *præscivit* subaudiendum est relativum *hos*, quod in sequentibus expressum est. Pergit autem Paulus &c. ait ℣. 30: *Quos autem Prædestinavit, hos etiam & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Supra diximus, post verbum *Prædestinavit* repetendum esse ex antecedentibus *conformes fieri*, &c. Brevitati enim & concinnitati cuidam simul sermonis studuit Paulus. In his verbis docet Apostolus, eos qui Deum diligunt, & propterea jam ab ipso Deo antea approbati sunt, ejusdem decreto gloriæ destinatos esse, & quibus gradibus ad id ab ipso perducantur, ostendit. Unde manifestum fit, id verissimum esse, quod proposuerat, istos secundum Dei propositum vocatos esse. Vocandi verbum hoc loco idem plane significat, quod 1 Cor. 1. 24 & 26 in nomine vocatorum & vocationis, ut ante docuimus, id est, per Euangelii prædicationem efficere, ut ipsi Euangelio fidem adhibeant, & ad Christi Ecclesiam aggregentur. Justificandi autem verbum, frequentissima in divinis literis, quarum peculiare verbum est, significatione sua, absolvere, justumque pronunciare, id est, pro justo habere significat. Qui igitur diligunt Deum, & ab ipso approbati sunt, primum iisdem rebus ab eo destinantur, quas, Christo evenisse novimus: deinde ad Ecclesiam fidelium per Euangelii prædicationem aggregantur: unde illud Act. 2. 47, *Dominus autem addebat servandos quotidie Ecclesiæ* (sic enim habent ad verbum Græci codices): tum vero ab omnibus peccatis absolvuntur, & pro justis habentur: postremo autem glorificantur, id est, firmiore & magis certa quadam ratione immortalitatem beatæque vitæ destinantur. Itaque merito statim addit Apostolus ℣. 31: *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Cum enim nos nominat, non se & eos ad quos scribit, sed se & omnes veros Christianos intelligit, eos, inquam, omnes qui Deum diligunt, ut ante dictum fuit. Ubi animadvertendum est, semper de iis loqui Paulum, quibus Christus annunciatus fuerat, nec verbis suis eos diligentes Deum complecti, qui de Christo nondum aliquid audierant. Nostrum autem appellatione solere Paulum, ut alii etiam scriptores Novi Testamenti solent, se & omnes veros Christianos duntaxat intelligere, ita notum est, ut id exemplis prolatis probare supervacaneum sit omnino, præsertim cum paulo superius, id est, à versu 16 & deinceps, hac loquendi figura sæpius usus fuerit. Quid igitur (ait Paulus) dubitandum est iis, qui revera, non nomine tantum, Christiani sunt, & Deum diligunt, hoc est, ejus præcepta conservare student? Quis eis nocere potest, si Deum tantopere propitium habent? Quod ut magis confirmet, subjicit ℣. 32: *Qui & proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Tantam charitatem erga nos, tantamque liberalitatem Deus ostendit,

eum, ut nos è Diaboli servitute eriperet, & sui regni participes faceret, proprium & charissimum filium acerbissimæ morti tradere, proque nobis eum quodammodo impendere non dubitavit, ut nullum dubium superesse queat, quin una cum ipso filio, omnia per eum nobis promissa bona daturus sit. Deinde, ex iis quæ ante dixerat responsionem infert ad ea, quæ Christum profitentibus Deumque diligentibus objici poterant, vel potius eorum depulsionem, quæ timenda videbantur, & ait ℣.33: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus [est] qui justificat.* Dixerat, eos qui Deum diligunt justificatos esse à Deo, id est, ut diximus, ab eo à peccatis suis, hoc est, peccatorum pœna absolutos, & pro justis habitos. Quis igitur, etiamsi isti aliquando peccatores fuerint, eos accusare audebit? cum Deus ipse, coram quo accusatio ista instituenda esset, omnem peccatorum reatum in ipsis deleverit? cum ipse pro non peccatoribus, id est, perinde ac si nunquam peccassent, eos habeat? Vides autem, Apostolum istos Dei electos nominare. Itaque Dei electi sunt illi, inter eos quibus Christus annunciatus fuit, qui Deum diligunt, & ejus mandata faciunt, firmiore illa verbi Eligendi significatione. Et illico subjungit ℣.34 *Quis est qui condemnet? Christus [est] qui mortuus est*, subaudi, pro illis. Dixerat enim Deum tradidisse proprium filium suum, id est, Christum pro omnibus. Quis, inquit, erit, qui istos condemnet? cum ipse Christus, qui judex omnium à Deo constitutus est, pro ipsis mori voluerit? Num ipse eos, quos tantopere amat, condemnabit unquam? Verum, ut quod dixerat aliquanto clarius explicet simul atque confirmet, & præterea idem evidentius probet, ea verba subjungit ℣.34: *Imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Resurgendi verbo satis id explicat, quod antea tacite dixerat, Christum omnium judicem à Deo constitutum fuisse. Nam idem Paulus Atheniensibus dixit Act 17.31, Deum diem quandam statuisse, in qua juste judicaturus sit orbem, per virum quendam huic muneri a se destinatum, cujus rei fidem omnibus fecerit, cum eum virum à mortuis excitavit. Resurrectio igitur Christi (ut istic Paulo placet) ostendit illum judicem omnium à Deo fuisse constitutum, quemadmodum ipse Christus prædixerat. Sed simul etiam eum à morte in æternum liberatum esse demonstrat. Ex quo consequitur, eos qui ejus membra sunt, hoc est, qui ipsum imitantur, ipsoque duce & auctore Deum, ut ille docuit & fecit, ex animo diligunt, à morte similiter in æternum liberandos fore, & sic nulli condemnationi (nam mors pœna peccati est) propter præteritas iniquitates suas esse obnoxios. Sed addit ℣.34, *qui est ad dexteram*, sive, ut est in Græco, *in dextera Dei*, id est, nunc divina etiam potestate præditus est, & primum secundum Deum dominationis & gubernationis in Ecclesia, iisque quæ ad Ecclesiam quoquomodo pertinent, gradum obtinet. Quocirca potest suos perpetuo juvare & fovere, nec permittere, ut illis aliquid contingat, quod ipsis in bonum non vertatur. Sed quia non satis est posse, nisi adsit voluntas, idcirco postremo addit ibidem: *qui etiam interpellat pro nobis.* Hoc est, quemadmodum potest, sic etiam vult nos juvare, idque perpetuo facit, quod interpellandi seu rogandi pro nobis verbo declaravit, ut ostenderet, quidquid Christus nobis largitur, id potestate eum largiri sibi à Deo tradita, non autem quam ex seipso habuerit; & quod ad hanc partem attinet, perinde esse ac si Christus precibus id à Deo impetraret, ut sua auctoritas & prærogativa Deo intacta conservetur, agnoscaturque ipsum solum omnium bonorum primam caussam & fontem esse. His explicatis, Apostolus usque ad capitis finem nihil aliud agit, nisi ut ex ipsis inferat, fieri non posse, ut res ulla nos separet à charitate Dei & Christi, id est impediat, quominus nos Deus amet & iis beneficiis afficiat, (idque per ipsum Christum) quæ Christus ejus nomine nobis pollicitus est: non autem, ut nonnulli sunt arbitrati, loquitur Paulus de dilectione nostra erga Deum ℣.35,36, &c. Etsi enim calamitatum meminit, quæ non possint nos à dilectione Dei separare, sensus tamen est, calamitates non esse indicia iræ Dei contra nos, nec tanti esse, ut nobis felicitatem nostram à Deo promissam eripere possint. Loquitur Paulus, ut demonstratum fuit, de iis qui Deum diligunt, quibus omnia cooperari in bonum affirmat, atque ad hunc scopum omnia sua verba dirigit. Unde perspicuum est, non dilectionem nostram erga Deum, sed Dei erga nos, si illum dilexerimus, constantem atque perpetuam fore, eum tanta eloquentiæ vi, qua hoc loco usus est, ostendere ac persuadere voluisse.

Ex antedictis satis constare videtur, verba Prædestinandi, Eligendi, Vocandi, ad Deum active relata, & ad salutem nostram accommodata, nullam in Sacris Literis vim habere, ad necessitatem aliquam de singulorum qui servantur salute inducendam: celebremque locum illum ad Rom. 8.29,30 &c, *Quos præscivit* &c, nullum aliud immutabile Dei decretum continere, præter, hoc, quod, qui Deum diligunt, fieri non potest, quin à Deo ea dilectione, quam in Christo exhibuit, diligantur, & sic in æternum serventur. Nec alia sane ratione explicandi sunt omnes ii loci, in quibus de divino eoque antiquissimo quorundam hominum servandorum decreto agitur, nempe, ut non certi quidam homines nominatim intelligantur, sed genus quoddam hominum. Quocirca, cum, exempli caussa, Christus Matth.25.34, seipsum in judicii die sic ad servandos homines loquentem inducit, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, non est intelligendum, unumquemque ex illis nominatim ab orbe condito saluti destinatum fuisse: sed eos ex eo hominum genere esse, quibus salus ab ipso mundi exordio parata fuerat. Colligitur hoc aperte ex iis, quæ statim subjiciuntur vers. 35. *Esurivi enim & dedistis mihi manducare* &c. Apparet enim perinde esse ac si dictum fuisset: Iis omnibus, qui mihi esurienti manducare dedissent &c, paratum fuit hoc regnum ab ipsa mundi constitutione: Atqui vos mihi esurienti manducare dedistis &c: Igitur vobis hoc regnum à mundi constitutione paratum fuit. Alios similes locos ex hoc uno, quisque facile interpretari poterit. Itaque eorum examinationem omittemus. Aliquid tantum dicemus de iis locis, in quibus scriptorum in libro vitæ fit mentio, ut in Apoc. cap. 13. 8. & 17. 8. & 21. 27. Sciendum est enim, præter id quod modo dictum est, quodque ejusmodi Sacris Testimoniis rectissime accommodari potest, metaphoricum istum loquendi modum nullam necessitatem significare solere, & fieri posse, ut qui scripti sunt in libro vitæ inde deleantur. Moses certe Exod. cap.32.32 rogat Deum, ut vel populo ignoscat, vel se de libro, quem scripserat, deleat: cui Deus respondet, vers. 33 se eos de libro suo deleturum, qui peccassent. Et David Psalm.69.29 orat ut inimici sui ex libro viventium deleantur: & in Apoc. quoque cap.3.5 ait Christus, se ejus qui vicerit non deleturum nomen de libro vitæ. Et circa finem ejusdem libri scriptum est Apoc.22 19. *Si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Cum igitur in superioribus illis Apoc. locis, quorundam fit mentio, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni, idque ab origine seu constitutione mundi, (neque enim in primo loco ea verba *ab origine mundi*, conjungenda sunt cum iis, post quæ statim ipsa sequuntur *qui occisus est*, sed cum superioribus, ut ex secundo loco patet) ex quo satis manifestum est quosdam esse, quorum nomina in libro illo vitæ ab origine mundi scripta sunt, intelligendum est, istos ita scriptos esse, ut deleri tamen possint, nec alios esse, nisi illos, qui vitam possunt adipisci, id est, eos omnes, qui non adorant bestiam, neque admirantur eam (nam qui eam adorant, aut admirantur, nullo modo servari possunt) idque ab ipsa mundi constitutione statutum esse, ut qui bestiam non adora-

nec admirati fuerint, servari possint, cæteri vero minime. Quod si tamen placeat, eos qui in prædictis locis tacite in vitæ libro à constitutione mundi scripti esse dicuntur, omnino servari debere, satis est ostendisse, ibi non de certis quibusdam hominibus nominatim agi, sed de hominum quodam genere: ex quo intelligitur, superiorem illam generalem responsionem ad hos quoque locos, quemadmodum præfati sumus, rectissime accommodari posse. Nec vero quemquam moveat, quod in his locis nominum fit mentio, quasi proprium cujusque nomen ea voce significetur. Metaphorica enim, ut dictum fuit, locutio est, ab iis derivata, qui aliquos in libro eos nominatim scribunt ac notant, de quibus secum aliquid statuunt, atque decernunt. Itaque ea locutione nihil aliud quam decretum de quibusdam hominibus significatur, sive certa sint eorum propria nomina, sive incerta. Satis est enim, eorum qualitatem quandam certam esse, quæ in hac metaphora proprio nomini plane respondet. Verum, nomen alicujus scriptum esse in libro vitæ, non significare, eum nulla prorsus ratione interire posse, satis id demonstrare videtur, quod Paulus ad Philip. 4. 3, audet affirmare, quorundam certorum nomina, Clementis, inquam, & aliorum suorum adjutorum esse in libro vitæ. Siquidem nec ullo modo verisimile est, Deum Paulo patefecisse certos istos homines perire non potuisse; nec si patefecisset, Paulum id ipsum omnibus aliis aperuisse, præsertim simplici ejusmodi affirmatione, nullo tantæ divinæ patefactionis vel indicio vel testimonio, vel majore saltem ac diligentiore aliqua confirmatione & narratione adhibita. Adde, quod idem Paulus ad Philemonem scribens ℣. 24, Demam inter adjutores suos recenset, de quo tamen ad Timoth. scribens ait, 2 Tim. 4. 10: *Demas me reliquit, diligens hoc seculum.* Nihil aliud ergo sibi vult Paulus, cum dicit adjutorum suorum nomina esse in libro vitæ, quam ipsos in salutis certissima via esse, in qua si perseveraverint, vitam æternam adipiscentur: non autem eos omnino vitam æternam adeptos, & ita nunquam fieri posse, ut ab ea via aberrent atque desciscant.

CAPUT XIV.

Sacra testimonia, in quibus singulare aliquod divinum decretum commemoratur, ex quo probari videtur, quod ad salutem aut damnationem attinet, nihil penitus in hominis libertate esse, & eorum explanatio.

HActenus de iis sacris testimoniis actum est, quæ potissimum inter alia suadere videantur, in salutis negotio nihil prorsus in hominis potestate esse, omniaque à Dei decreto pendere, quippe in quibus id aliqua ratione in universum affirmatum videri possit. Reliquum est, ut de iis testimoniis agamus, in quibus singulare aliquod divinum decretum exponitur, unde conjici posse videatur, Deum in hominibus vel servandis vel damnandis, nullam penitus rei alicujus, præterquam suæ voluntatis, rationem habere, neque ea in re ullam esse hominis libertatem.

Antequam vero aliud faciamus, dicendum est, unica responsione omnia ejusmodi testimonia dilui posse: Ex singularibus enim quibusdam exemplis non fas est constitui regulam: sed regulæ ex iis constituendæ sunt, quæ ad omnes generatim pertinent, deque omnibus generatim dicuntur; vel si illæ ex singularibus exemplis petendæ sunt, ea tot esse debent, ut universitatem quandam inducere videantur. Mitto, quod exempla nullam vim ad regulam constituendam habere possunt, cum jam contraria regula invenitur constituta, quod hic factum esse alibi fortasse ostendemus. Nunc singularia ista exempla singulatim exponamus atque examinemus.

Occurrit primo loco Pharaonis exemplum, cujus cor induratum fuisse à Deo dicitur, Exod. 4. 21, & 10. 1. 20, & 11. 10, & 14. 4. & 17, ne dimitteret populum, decreto igitur Dei ejusque opera factum est, ut Pharao populum aliquandiu non dimiserit; & tamen ex ipsa historia patet, Deum multas plagas Pharaoni immisisse, ob eam ipsam causam, quod non dimitteret populum. Itaque ea ipsa propter quæ Deus pœnas aliquas hominibus irrogat, non ab hominis libera voluntate, sed ab ipsius Dei decreto proficiscuntur; & consequenter in homine condemnando seu puniendo, Deus suæ ipsius voluntatis tantum rationem habet, neque in ejus rei causa ulla hominis libertas animadverti potest. Respondeo: Quanquam de hoc exemplo nonnulla jam dicta à nobis fuerunt, ex quibus responsio facile colligi potest, tamen non abs re erit, hic ea latius explicare ac confirmare. Dico igitur Pharaonem illum ejusque decessorem, in Israelis populo contra omne jus fasque affligendo, tam graviter peccasse, ut merito potuerit Deus, non solum ejus cor indurare ne dimitteret populum, neve sibi per Mosen jubenti hac in re obtemperaret; verum etiam propter id ipsum deinde eum graviter punire. Nam, cum quis in scelus aliquod necessario prolabitur, si ejus necessitatis ipse sibi causam dedit, non excusatur, sed perinde punitur, ac si plane voluntarie ac libere scelus illud admisisset. Nam si quis dicat, illius quoque rei, quod Ægypti Reges Israelis populum affligerent, auctorem Deum fuisse, quemadmodum à nobis, cum de Dei præscientia ageremus, dictum est: Respondeo primum, me cum id dixi simul etiam ostendisse, quod Deus auctor illius afflictionis fuisset, causam similiter in ipso Ægyptiaco populo quærendam esse, eamque ejus populi, præter alia scelera, insignem idololatriam statui posse: deinde dico, Deum quidem multo ante constituisse, ut Israelis populus affligeretur, id est, servitute premeretur, ut ex prædictione illa apparet, Gen. 15. 13; sed non tamen decrevisse, ut tam graviter affligeretur ut afflictus fuit, utque Ægypti Reges tantopere in eum sævirent, ut, ne reliqua commemorem, etiam ipsum propagari tandem prohiberent, & qui exinde mares nascerentur interfici omnes juberent. Quocirca, cum Ægypti Reges multo gravius Israelis populum afflixerint, quam à Deo prædictum & constitutum fuisse deprehendatur, digni fuerunt, qui ob eam causam à Deo punirentur, & in alia scelera prolabendi necessitatem ejus decreto incurrerent; unde cum summa Dei gloria, ipsorum puniendi commodissime occasio quodammodo captari posset; etiamsi verissimum esset, afflictionem istam in universum sola Dei voluntate decretam fuisse, ejusque nullam prorsus causam in Ægyptiaco ipso populo quærendam esse. Totum autem hunc locum, quod scilicet justo Dei judicio factum sit, ut populus ille non modo gravissimas pœnas subierit, sed etiam in necessitatem ea perpetrandi incurrerit, unde via ad punitionem facta est, satis egregie tractat auctor libri sapientiæ, qui tandem cap. ultimo ℣. 4 ait, digna necessitate factum esse, ut Ægyptii Israelitas, quos supplicantes ejecerant, tanquam fugitivos persequerentur, & eorum quæ paulo ante acciderant obliviscerentur, quo non completam adhuc tormentis plane explerent suam punitionem. Quare (ut hoc obiter hoc loco dicamus, quod iis, quæ supra de Dei præscientia disputavimus, addendum erit) non mirum est, si in ipso capitis initio idem auctor dixerit cap. 19. 1, 2, istud Ægyptiorum factum prævisum iræ divinæ fuisse, quippe quod decretum jam foret, quemadmodum & Exod. 3. 19, dicit Deus, se scire Pharaonem non dimissurum populum suum, nempe, quia ut non dimitteret ipse decreverat, ejusque cor indurare constituerat, ut ex cap. 4. 21, & reliquis sequentibus capitibus aperte constat cap. 7. 3 &c. cap. 14. 4.

Aliud exemplum secundo loco antecedenti simile occurrit, de Sichon Rege Chesbon, cujus, ut Moses Deut. 2. 30 ait, Dominus Spiritum induraverat, & cor

eos obstinaverat, ne ea faceret, quæ justissime ipse Moses, tanquam Dux populi Israelis, ab eo petierat pro ipso populo, ut ea esset occasio cum ipso belligerandi, eumque cum sua gente perdendi, ejusque regionem occupandi. Hic enim similiter istius regis gentis illius peccata antecedebant, propter quæ commeriti fuerant, ut ipse ita induraretur, & proinde una cum universo populo suo funditus delerentur. Apparet enim ex compluribus locis, & inter cæteros ex cap. 20 Levitici ℣. 23, eas gentes quæ à populo Israelitico delendæ fuerunt, quorumque regiones ipse occupavit, sceleratissimas fuisse, ob idque tantæ cladi à Deo reservatas esse. Adde, quod iste Sichon ejusque populus Amorrhæi erant, de quibus ante annos amplius 400, ut propter iniquitates suas suis sedibus expellerentur, Deus decreverat, ut colligitur ex cap. 15. Gen. 16, ubi post quartum seculum futura ista expulsio ab ipso Deo prædicitur, & additur, idcirco eam usque ad illud tempus differri, quia nondum completa esset iniquitas Amorrhæorum.

Tertium exemplum erit, id quod scriptum est de filiis Heli Sacerdotis, 1 Sam. 2. 25, quod vocem patris sui ipsos monentis & à sceleribus retrahere conantis non audiverint, quia Dominus voluit eos interficere. Ad istud exemplum sunt qui respondeant, vocem Hebræam *Chi*, quæ reddita est *quia*, potuisse reddi *idcirco*, ita ut sensus sit, non Dei voluntatem illorum contumaciæ causam fuisse, sed contra, illorum contumaciam Dei voluntatis. Verum rari admodum vel potius nulli sunt loci, ex quibus intelligi possit, vocem *Chi* *idcirco* etiam significare. Quod in Hebræo est *Chaphets* isti interpretationi perinde ut illi alteri videtur posse accommodari. Declarat enim id verbum, non simplicem voluntatem, sed cum desiderio & oblectatione quadam, adeo ut sæpe nihil aliud significet quam cupere: quasi dicere voluerit scriptor ille, Deum desiderasse Heli filios interficere, & propterea ejus rei occasionem invenisse, efficiendo ut parentis dicto audientes non essent, vel, quod rectius est, propterea noluisse ut parenti auscultarent, ne justa causa illos puniendi sibi præriperetur. Quamobrem alia ratione ad exemplum istud respondendum est, nempe, hic quoque ejusmodi divinæ voluntatis, qua quis in scelus aliquod necessario incurrit, causam antecedentem extra ipsum Deum extitisse. Etenim isti Heli filii, antequam à patre monerentur, jam non solum deliquerant, sed & gravissime & sæpissime peccaverant, idque non una ratione, ut ex antecedente historia manifestum est, 1 Sam. 2. 25. Porro, quemadmodum Dei consilio factum est, ut Heli filii patri recta monenti non auscultaverint: sic etiam eodem Dei consilio factum est, ut Absolomus bonum, id est, utile Achitophelis consilium secutus non fuerit 2 Sam. 17. 14; & Roboamus senioribus recta monentibus non obtemperaverit 1 Reg. 12. ℣. 15. Nam & Absolomum perditum adolescentem suorum scelerum pœnas dare, nec quod flagitiose moliebatur ad optatum exitum perducere, decreverat; & à Roboamo, ob Salomonis patris idololatriam, decem tribus deficere volebat, quod etiam se facturum antea & comminatus fuerat, & per Achiam Prophetam confirmaverat, externoque adhibito signo adumbraverat 1 Reg. 11. 11, 12, 13, & 29 30, 31 &c.

Sed quid dicemus, quod ipse Deus, ut Davidem castigaret, ejus uxores coram toto Israele, & coram ipso sole, id est, (ut Vatablus explicat) palam & publice, ejus sodali (is fuit Absolomus filius) comprimendas dedit 2 Sam. 12. 11, 12. Nonne ex quarto hoc exemplo satis intelligi videtur, ipsa gravissima scelera, ob quæ Dei ira in homines venire solet, ab ipsius Dei voluntate pendere, & ideo fieri, quia Deus ut fiant antea decrevit. Animadvertendum est, ut alibi à nobis dictum fuit, Deum peccatis peccata punire, id est, pœnam peccatori constituere, ipsum deinde in alia peccata labi, quemadmodum Paulus primo capite Epistolæ ad Romanos ℣. 24, 26, 28 &c, diserte testatur, ubi propter spretam Dei cognitionem, propterque idololatriæ peccatum post cognitum Deum, homines ab ipso Deo in reprobum sensum (ut vulgata editio habet) traditos fuisse affirmat, ut facerent ea, quæ non conveniunt: & antea ℣. 27 dixerat, turpia quædam scelera, quæ homines ejusmodi admittebant, debitam esse mercedem impietatis eorum. Absolomus, cum ad stuprum patris sui uxoribus inferendum divino consilio adductus fuit, jam gravissime peccaverat, quippe qui non modo Ammonem fratrem suum dolose interemerat, sed & paternum regnum occupare aggressus fuerat 2 Sam. 13. 28 &c, & 15. 3, 4 &c; & per summum scelus jam plerosque ex Israelitis seduxerat, eosque à Patris sui, ipsorum legitimi Regis, obedientia averterat, ad seque traduxerat. Quare merito eo Deo volente, in tam atrox flagitium novercas suas publice constuprandi est prolapsus, quo solo turpissimo facinore admittendo, satis pœnarum pro præteritis sceleribus dedisse videri quodammodo poterit 2 Sam. 12. 11, 12, & 16. 21, 22. Atque interim Deus, idoneo instrumento ad eam rem delecto, Davidem, ut se facturum prædixerat, ea ratione ob adulterium ab eo commissum graviter castigavit.

Quintum exemplum id esse potest, quod de Semei legimus 2 Sam. 16. 6, 7, 8. 13, qui Davidi Absolomum fugienti maledicebat, idque ipso Davide teste ℣. 10, 11. Deo sic jubente faciebat: & tamen idem David moriens Salomoni mandat 1 Reg. 2. 8, 9, ut ipsum Semei, quia sibi maledixerat, interficiat, ejus rei nimirum occasione aliqua, quæ justa causa videri posset, inventa, ut ostendunt verba illa, ℣. 9. *Quia vir sapiens es tu &c.* In exemplo isto considerandum est, non ita apertum esse, Semei ipso Deo auctore Davidi maledixisse, ut plerique existimant. Nam, etsi David ipse dixerit, Deum illi præcepisse, ut sibi malediceret, non est intelligendum, Davidem in abditum Dei consilium inquirere voluisse, aut Spiritu Prophetico ita locutum fuisse: sed non sine Dei voluntate id fieri animadvertisse, quatenus non solum, si Deus noluisset, factum illud Semei externum sibi maledicendi non extitisset; verum etiam maledictio illa, pars divinæ castigationis ob adulterium & homicidium à se perpetratum, non minus quam ipsa fuga erat. Cæterum fieri potest, ut Semei plane sua sponte Davidi maledicere cogitasset & decrevisset, quod decretum Deus, ut Davidem castigaret, ad exitum perduci voluerit. Etsi enim David dicit Deum ita præcepisse, hyperbole tamen omnino est in ejus verbis, cùm nulla ratione id Deus præceperit, estque intelligendum, non nisi Deo volente, quemadmodum paulo ante exposuimus, id fieri. Quod si tamen velimus, ipsius Dei consilio factum esse, ut Semei ad Davidi maledicendum impelleretur, statuendum simul est, Semei malum hominem jam fuisse, atque ejusmodi, ut Deus merito ad id perpetrandum eo usus fuerit, unde factum sit, ut merito quoque ejusdem illius facinoris, in cujus admittendi necessitatem culpa sua incurrerat, pœnas dederit.

Sexto loco exemplum illud perpendendum est, quod extat 2 Sam. 24. 1, ubi scriptum esse videtur, Deum, cum iratus esset Israelis populo, incitasse Davidem, ut juberet numerare populum universum, propter quam causam Deus deinde ipsum populum & consequenter Davidem quoque punivit, & immissa per Angelum peste septuaginta millia hominum absumpsit. Ignoratio Hebraicæ linguæ, perversæ isti ejus loci interpretationi occasionem dedit. Sciendum est enim, pro eo quod apud Latinos impersonali quodammodo, id est, persona agente suppressa dicitur *incitatus est*, apud Hebræos dici solere *incitavit*, idemque in omnibus aliis usu venire, similesque locos ad hunc modum solere explanari: Incitavit Davidem, subaudi, is qui incitavit, quod, ut diximus, breviter idem est, quod apud Latinos, David incitatus est. Deinde animadvertendum est, simplicem copulam apud Hebræos (id quod etiam apud Græcos & Latinos fieri consuevit)

sæpissime exegeticæ particulæ vim habere; una cum quadam reddendi rationem significatione, ita ut commodissime in Latina lingua *nam* reddi possit. Quamvis igitur in Hebræo codice ad verbum ita scriptum sit: *Et addidit adhuc Jehova ad irascendum ad Israëlem, & incitavit Davidem in ipsos &c*: tamen sic totus locus Latine interpretandus est: *Et iratus est adhuc Jehova in Israëlem: Nam David incitatus fuit in ipsos &c.* Quis vero fuerit, qui Davidem incitaverit, videtur scriptum esse 1 Paralip. 21. 1, ubi ad verbum ex Hebræo legitur: *Et stetit Satan contra Israëlem, & incitavit Davidem &c.* Sed hic quoque eadem loquendi figura esse potest. Quare satius fortasse est Vatablum audire, qui superiori loco sic annotat: Quidam Hebræorum non male subaudit *cor*, incitavit cor Davidis Davidem, quasi dicat, David à propria concupiscentia fuit tentatus.

Septimo, alicujus momenti esse videtur id, quod scriptum est apud Hoseam 8. 4, & seq. Ibi enim Deus acriter Israëlitas increpare videtur, quod reges sibi elegissent Hieroboamum scilicet & alios (nam de decem tribubus loquitur) idque non ex se, id est, non ex ipsius sententia, & principes constituissent, quos ipse non cognovisset, id est, non approbasset. Et tamen defectio illa decem tribuum 1 Reg. 11. 12, 13. 31. 32 &c, ad Hieroboamum, ut supra diximus, & patet ex capite undecimo libri primi regum, à Dei consilio atque decreto profecta fuerat. Itaque videtur Deus eorum causa & auctor esse, quæ ipsemet deinde improbat, & propter quæ hominibus irascitur.

Ad hoc exemplum respondeo, Deum non increpasse Israëlitas ob id, quod ad Hieroboamum Roboamo relicto defecissent, sed, quod se inconsulto (idque significant verba illa, *Non ex me*) id fecissent: Etsi enim fieri non poterat, quin deficerent, non tamen eis libertas ea de re Dominum consulendi adempta fuerat. Adde, quod non decreverat Deus, ut Hieroboami stirps in eo regno perpetuo duraret, nisi is sibi obediens fuisset, in seque colendo Davidis vestigia insecutus esset, quemadmodum scriptum est ỳs. 38, eodem capite undecimo libri primi Regum 1 Reg. 11. Quod quia Hieroboamus non fecit, nulla prorsus causa erat, cur decem illæ tribus ejus posteros in regno confirmarent, præsertim cum ipsi quoque impii esse perseverarent: hoc enim nec tacite, id est, decreto suo Israëlitis non patefacto, nec expresse, id est, super ea re sententia sua promulgata, aut responso dato, approbavit Deus: propterea ait Hos. 8. 4, *Principes constituerunt & non cognovi.* Fuit igitur hac in re non leve peccatum Israëlitarum, idque nulla ratione ex decreto Dei, sed ex libera ipsorum voluntate manavit, propter quod merito illis Deus iratus est: etiamsi ut à Roboamo deficerent, & Hieroboamum Regem haberent, à Deo omnino decretum fuerat. Quanquam non desunt, qui ea quæ apud Hoseam leguntur, ad confœderationes referant cum Rege Ægypti factas, adque auxilia inde contra Assyrios petita, quod expresse illis exprobrat Deus, eisque propter idipsum comminatur, apud Esaiam 30. 1, 2, 3 &c. vide locum.

Octavo, Judæ Iscariotæ exemplum subit, de quo scriptum est, eum periisse ut impleretur scriptura Joh. 17. 12. Ex quo perspicuum esse videtur, ejusmodi hominem, antequam nasceretur, exitio devotum fuisse, & ob eam rem Christo prodendo, quæ causa ejus exitii extitit, destinatum. Hic diligenter considerandum est, fuisse quidem multo ante quam Judas nasceretur decretum, ut unus ex Christi domesticis & commensalibus eum proderet, sed non tamen ut Judas Iscariota is esset. Verum, tum demum ipse Judas divino consilio ad id electus fuit, cum à Christo in numerum duodecim discipulorum est cooptatus, id est, cum jam ejusmodi esset, ut ad divinum illud decretum exequendum merito eligi posset, quippe qui non modo improbus esset, sed etiam ea potissimum improbitate præditus, qua ea in re maxime esset opus: furem enim eum fuisse legimus Joh. 12. 6, & propterea avarum, quam avaritiam in eo summam fuisse oportet; cum in Christi ejusque familiarium convictu, quibus nihil ab eo vitio alienius fieri poterat, nihil ve ab eo magis revocans atque deterrens, avarus esse perseveraret. Atqui avaritia Judam ad Christum prodendum impulsum fuisse Sacræ Literæ apertissime testantur Matth. 26. 14, 15, 16: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam &c.* Dignus igitur fuit Judas, qui ei sceleri perpetrando destinaretur, ejusque avaritia ea ratione palam traducta, suæ improbitatis meritis pœnis addiceretur.

Nonum exemplum suppeditabit nobis universus ipse populus Judaicus, qui excisa urbe primaria Hierosolyma, ingente clade judicio divino affectus est: ob id potissimum, quod Jesum Christum interemerant, cum tamen, ut Jesus Christus ab ipsis interimeretur, multo ante à Deo constitutum fuisset, ut ex Prophetarum prædictionibus constat, & Petrus satis aperte testatur Act. 2. 23, & cap 3, 18, & reliqui Apostoli confirmant, Act. 4. 28.

Hic porro animadvertendum est, Judaici populi scelera jam inde ab ipso initio, ut ipsis Stephanus exprobrat, Act. 7. 51, 52, 53, tot tantaque fuisse, ut merito eorum malitia Deus ad Filium suum interficiendum abusus fuerit; idque multo antea constituerit, ut simul salutis æternæ nobis tradendæ viam inveniret, simulque occasionem ejus populi pro meritis puniendi quam accommodatissimam haberet.

Scio quid contradici possit: sed nimis longum esset ad omnia respondere, locosque Sacrarum Literarum huc pertinentes diligentius examinare. Hoc dixisse fuerit satis: si Deus omnino decreverat, ut filius suus à Judæis interficeretur, eorum perpetua & ingentia scelera id abunde commerita fuisse: sin vero id non omnino decreverat ipse, sed tantum prævideral (quod tamen nos falsum plane esse arbitramur) nihil esse cur exemplum in medium afferri deberet.

Decimo, scriptum invenimus apud Judam in initio fere ejus Epistolæ ỳs. 4, quosdam, qui irrepserant in Ecclesiam videlicet, ut eam falsa doctrina labefactarent, jam pridem ad eam damnationem descriptos fuisse. Ex quo intelligi potest, eos qui damnantur ideo damnari, quia sic antea Deus decrevit. Locus iste ut apparet, de falsis Prophetis ait, qui, ut diximus cum de Dei prænotione dissereremus, ab ipso Deo excitari solent. Intelligendum est autem, Deum falsos Prophetas in populo eos esse velle, qui jam sint scelesti, & propterea digni qui tam infami muneri destinentur, idque multo ante ipse Deus facit, quam munus reipsa suscipiant. Quamvis enim jam decretum factum sit, adhuc tamen Deus, qui neminem perire vult, sed omnes ad pœnitentiam venire, expectat summa cum patientia, si forte resipiscant, & decreti sui revocandi sibi causam præbeant, donec tandem rebus plane desperatis id exequitur, quod jam pridem decreverat: hæcque est damnatio illa, de qua loquitur Judas, qui, ut ex consequentibus patet, de impiis hominibus loquitur, qui, agnitam veritatem rejiciunt, & tandem eam insectantur, & factis dictisque blasphemant, quibus, quemadmodum idem Apostolus testatur ỳs. 13, caligo tenebrarum in æternum servata est.

Hucusque multa exempla expendimus malorum quæ Dei consilio fiant, ostendimusque non idcirco concludi posse, ex sola Dei voluntate damnationem pendere, cum in unoquoque ipsorum, in quo de Dei consilio apparet, de hominis etiam malitia appareat, quæ id consilium antecedit, quæque ejus consilii causa est. Estque in tota hac disputatione illud memoria repetendum, quod à nobis de Dei prænotione agentibus dictum est, Deum non culpæ seu peccati alicujus, quod in facto insit, auctorem causamque unquam esse, sed facti ipsius duntaxat. Malitiam enim & iniquitatem, à qua omnis culpa proficiscitur, reperit ipse in homine, quem ad aliquod facinus patrandum adigit,

adigit, quia jam malus & iniquus est, ut ea ratione, dum alia judicia sua exequitur, hominis iniquitatem in apertum producat, eumque cum illo ipso facinore patrando, tum pœnas eo facinore dignas subeundo, sibi debitum supplicium pati atque experiri cogat. Nunc de exemplis agendum esset, ex quibus, Deum sola sua voluntate quempiam servare, idque necessario, intelligi potest, aut certe ita videtur. Hæc fortasse multa sunt: sed nos duobus contenti erimus.

Prius erit de Paulo, qui se ab utero matris à Deo segregatum esse dicit, & per ipsius gratiam vocatum Gal. 1. 15. Verum ibi agitur non de segregatione & vocatione ad salutem, sed ad Euangelii prædicationem Christique cognitionem. Quod si de salute etiam æterna ipsius Pauli ageretur, nulla tamen necessitas intelligenda esset, cum ipse Paulus 1 Cor. 9. 27 dicat, se affligere corpus suum; ne quando, cum aliis prædicaverit, ipse reprobus fiat. Porro phrasis illa *ab utero*, pro verbalis est & hyperbolica, ut ex his locis patet, Psal. 22. 10, & 58. 4, & 71. 6. Esai. 48. 8, & 49. 1; & ad Dei summam provideatiam explicandam, hominisque merita excludenda usurpatur. Certe ipse Paulus 1 Tim. 1. 13 dicit, se misericordiam consecutum fuisse, quia ignorans peccasset. Ex quo satis constat, Deum in Paulo servando, eorum etiam quæ in Paulo erant aliquam rationem habuisse, nec vere atque omnino ab utero matris eum saluti destinasse.

Posterius exemplum, quo Augustinus & cæteri plurimum utuntur, est de ipso domino nostro Jesu Christo, quem certum est ante mundum conditum æternæ saluti omnino destinatum fuisse. Nam quale caput fuit, talia membra esse debere ajunt. Respondeo. Si ita certa deberent esse membra, sicut certum esse debuit caput, argumentum processurum. Nunc caput quidem certum esse debuit, alioquin ipsa via salutis nostræ, quam Deus elegisset, incerta fuisset: membra autem non modo incerta esse possunt, sed etiam debent: aliter Deus qui membra non essent, nulla ratione ob id ipsum quod membra non sint punire posset. Nec vero, si Christus non poterat non obedire Deo, ideo obedientiæ suæ præmio afficiendus non fuit: in ea enim obedientia non liberæ voluntatis, sed laborum & perpessionum ratio fuit habita. Idque nos vehementer in obedientia nostra confirmat. Nam si is, qui necessario obedivit, tanto præmio est affectus, certe nos, qui possemus non obedire, nostra mercede non fraudabimur.

Itaque tandem concludo, neminem esse, ex iis quibus Euangelium pure annunciatur, (nisi prius justo Dei judicio ob peccata sua induratus atque excæcatus fuerit) qui libere & sua sponte ei assentiri non possit: quo facto non est verendum, ne ipsius Euangelii præcepta facere non possimus. Iis enim, qui Euangelio assentiuntur, omnia largitur Deus, quibus ad ea perficienda indigent. Atque hac ratione liberum arbitrium in homine esse statuo, quod Dei gloriæ, ut quidam inepte ajunt, non repugnare, vel id docere potest, quod, ut inter omnes constat, Deus ipse homini à se condito liberum arbitrium dedit. Ex quo liquet, hanc vim in homine ad summam Dei gloriam pertinere, tantum abest, ut illi adversetur. Eam vero per primi hominis peccatum extinctam non fuisse, supra satis demonstratum fuit.

CAPUT XV.

Justificationis nostræ per Christum prolegomena quædam, eamque explicandi initium.

QUæ supra à nobis disputata sunt, eo pertinent, ut qualis homo & ante lapsum & post lapsum fuerit, cognoscamus. Conclusum est autem, eum in utroque statu mortalem natura fuisse, nec utriusque status hac in parte aliam differentiam esse, nisi quod in posteriore statu, id quod in priore naturale tantum erat, necessarium quoque est factum. Conclusum est similiter, hominem non minus post lapsum quam ante, liberum arbitrium habuisse, nihilque esse, cur homo Deo præcipienti non assentiri & obedire velle, & porro ipsius gratia, qua hominem sibi adhærentem nunquam deserit, obedire non possit. Nunc, qua ratione fiat, ut homo ab ista moriendi necessitate, ab ipsaque mortalitate liberetur, (huc enim omnes tendimus atque aspiramus) & nunquid Deus, cujus solius beneficio id nobis contingere potest, si id assequi velimus, nobis aliquid præceperit, & quale id tandem sit quod præcepit, videndum & explicandum nobis est.

Principio, cum certum sit, Deum peccato necessariæ mortis pœnam statuisse, unde sententiæ illæ Pauli Apostoli Rom. 5. 12, & 6. 23, *Per peccatum mors*, & *Stipendia peccati mors*: credendum omnino est, nolle Deum à necessaria morte eum liberare, qui coram ipso sine peccato non sit; nec porro naturalem mortalitatem cuiquam adimere velle, id est, eum natura immortalem efficere, in quo peccatum hæreat: ejusmodi enim hominem ipsi placere non posse, prædicta pœna, quam peccato constituit, docere potest: quemquam vero à Deo immortalem effici, qui illi non placeat, nullo modo credendum est.

Jam vero duplici ratione fit, vel potius fieri potest, ut quis coram Deo sine peccato inveniatur, vel, quia revera nunquam peccaverit, vel, quia si quid unquam peccavit, id apud ipsum Deum deletum fuerit, ita ut Deus, sive hac sive illa ratione, justum eum pronunciaturus sit, & pro justo habiturus. Atque hoc illud est, quod Sacræ Literæ justificare nominant, de cujus verbi significatione, quando sub ea appellatione de eo quod nobis propositum est disputandum erit, deque justificatione nostra per Christum nominatim explicandum, aliquid diligentius in præsentia docendum nobis videtur.

Justificare igitur in Sacris Literis, quemadmodum dictum est, justum pronunciare, proque justo habere proprie significat, id est, tanquam cum justo in sententia ferenda atque exequenda agere. Itaque tam justificari is dicitur, qui cum revera justus sit, justus etiam pronunciatur, & pro justo habetur, quam is, qui cum revera sit injustus, justus tamen pronunciatur, & pro justo habetur: ut hi loci ostendunt, Deut. 25. 1, (ubi in vulgata editione pro *justificabunt*, quod est in Hebræo, *justitiæ palmam dabunt*, scriptum est) & 1 Regum 8. 32, in quibus de justo justificando fit mentio; & Prov. 17. 15, atque Esai. 5. 23, in quibus de justificando impio est sermo: ex hac autem propria justificandi significatione fit, ut per metonymiam quandam, is etiam, sive id justificare dicatur, quod in causa est, ut aliquis justus pronuncietur. Hoc sensu scriptum est apud Esaiam cap. 53. 11, de Christo, quod is sui scientia justificaturus esset multos. Christus enim sui cognitionem nobis impertiendo, efficit ut justi à Deo pronunciemur. Hoc sensu etiam, (exempli causa) dicitur fides nos justificare Rom. 3. 28. 30, & 5. 1. Gal. 2. 16. bis. In hunc sensum denique accipiendum est verbum justificandi, cum quæritur, quid sit id, quod nos justificet? Quæritur enim revera, quid illud sit, quod efficiat, ut justi à Deo pronunciemur, proque justis habeamur? Quanquam in Sacris Literis non invenies fortasse phrasim istam, *Fides justificat*, aut aliam ei similem, cum quæritur, quid in nobis sit, aut esse debeat, quo fiat, ut justi pronunciemur à Deo, vel sine quo non fiat, ut justi à Deo pronunciemur. Non tribuunt, inquam, Sacræ Literæ actionem ipsam justificandi, fidei vel alii rei, quæ in nobis sit, aut esse debeat: sed ex fide, seu per fidem, vel ex alia aliqua illa re, nos justificari dicunt, idque vel re agente suppressa, (quod usitatissimum est) ut apud Paulum Rom. 5. 1. *Justificati ergo ex fide &c.*, & apud Jacobum 2. 21. *Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens &c.*

vel

vel ipsa re agente expressa, (quod perrarum est) ut apud eundem Paulum Rom. 3. 30, *Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Ex quo loco apparet, cum legimus nos justificari ex re aliqua, non intelligendum esse, rem illam nos justificare, sed Deum esse, qui ex re illa, id est, ea re interveniente, nos justificat, hoc est, justos pronunciat. Sed nos, ut dictum est, per metonymiam quandam, Sacras Literas slicubi imitati, illi rei, puta fidei, justificandi actionem tribuimus, quæ aliqua ratione in causa est, ut Deus nos pro justis habeat, sidemque nos justificare dicimus. Adeo autem verum est, metonymicum hunc nostrum loquendi modum à Sanctis Literis non abhorrere, ut in eis is etiam justificare dicatur, qui causam quoquo modo præbet, ut quis non quidem absolute, sed comparate justus pronuncietur, vel potius justus esse videatur. Nam Ezech. 16. 51, 52 Hierusalem dicitur justificasse Sodomam & Samariam sorores suas, id est, ingentibus suis sceleribus effecisse, ut illæ, quamvis scelestæ, justæ præ ipsa videri possent. Non queo autem satis mirari viros alioquin doctos, qui putaverunt, in Sacris Literis *justificare* idem sæpissime (præsertim vero in Novo Testamento) esse, quod probum facere, & à peccando reipsa retrahere, id est, ut verbum ipsum sonare videtur, revera justum efficere; adeo, ut cum de justificatione nostra in Novo Fœdere, & potissimum in Epistola ad Romanos & ad Galatas agitur, de eo agi putent, qua ratione fiat, ut nos justi revera efficiamur, & à peccando cessemus? Non possum, inquam satis istos mirari, cum nusquam fortasse in ipso Novo Testamento verbum *justificare* hanc significationem habeat. Quod enim scriptum est Apocalypsis capite ultimo ℣. 11, *Qui justus est, justificetur adhuc* &c; ubi sine dubio, ut locus iste demonstrat, de probitate vitæ agitur, ad hanc ipsam rem, de qua quærimus, non facit. Neque enim sensus est, ut qui justus est, ideft, vere probus, ab aliquo justus adhuc fiat, sed ipse justus esse pergat. Quocirca, non est vox *justificetur* ducta à passivo verbi *justificare*, sed intransitivi, ut vocant, verbi vox est, quo verbo utuntur Græci pro *Tsadak* Hebræo in prima ipsa conjugatione, in qua non justificatum, sed justum esse, seu juste agere significat. Exque hoc verbo est illud Psalm. 143. 2. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, id est, coram te nemo erit justus; & item illud, Psalm. 51. 6. Rom. 3. 4, *Ut justificeris in sermonibus tuis* &c, id est, ut sis justus, hoc est, fidelis & verax in sermonibus tuis. Sed nos quærimus de verbo Justificandi, quando agens persona aut res est aliqua, sive tacita, sive expressa, quæ justificet quempiam; & tunc dicimus verbum istud in Testamento Novo nunquam fortasse significare justum efficere, sed semper justum pronunciare, & pro justo habere. Et sane, cum Græci Novi Testamenti scriptores, verbum hoc ab Hebræis fuerint mutuati, (nam apud ipsos Græcos verbum δικαιόω aliud significat omnino, quam isti arbitrentur in Novo Testamento significare) debuerant isti Vetus Testamentum consulere, ipsosque Hebræos fontes intueri, ex quibus rem multo aliter se habere didicissent, quam ipsi arbitrati fuerint, decepti fortasse novi Latini verbi formatione, quæ justum facere ipsum significare indicat. Vidissent enim, apud eosdem Hebræos verbum esse, quod eadem analogia impiificare dici posset, quod tamen non impium facere, sed impium pronunciare significat, ut patet ex loco illo, quem in initio hujus disputationis attulimus, Prover. 17. 15. Quamquam Latine quoque dici potest, idque elegantissime, Justum facere, Impium facere, pro eo quod est, Justum esse dicere, Impium esse affirmare, seu mavis, Justum & impium inducere: qui sensus ab interpretatione nostra, & vero communi ac testatissima verbi Justificandi, nequaquam abhorret. Itaque nullam sui erroris excusationem habere videntur isti. Nam, quod Psalm 73. 13 in vulgata editione legitur, *sine causa justificavi cor meum*, ex quo ipsorum interpretatio confirmari aliquo modo posset, non ita est in Hebræo, *sed sine causa* (vel potius frustra) *mundavi cor meum*. Ex hæc satis esse volumus hoc loco, quod attinet ad verbi Justificandi significationem.

Cum igitur, ut ad propositum aliquando revertamur alterutra ex his duabus rationibus necesse sit, ut nos Deus justos pronunciet sive justificet, vel quia nunquam peccaverimus, vel quia peccata nostra coram ipso deleta fuerint: nemo autem, ut inquit Salomon 1 Reg. 8 46, inveniatur, qui non peccet; & nos omnes præsertim, ut de sui temporis Christianis scribit Johannes 1 Joh. 1. 8, 10, peccatum habeamus, id est, peccati rei simus: reliquum est, ut Deus ideo nos justificet, quia peccata nostra coram ipso deleta fuerint, eum nos justos pronunciat.

Porro, deleri peccata posse videntur, alterutro ex duobus modis: vel compensatione seu satisfactione, vel remissione ac condonatione.

Videndum est igitur, utro modo peccata nostra coram Deo deleantur, cum de immortalitate ejus beneficio consequenda agitur, hoc est, quæ ratio, quod ad hanc partem attinet, nostræ justificationis, per Christum fit? per Christum enim nobis, non per alium, neque alio modo immortalitatem & vitam æternam promittit Deus. Nec enim venit Christus; ut quidam arbitrantur, ut nos in eundem statum restitueret, in quo Adamus erat ante lapsum: sed ut ad multo excellentiorem eveheret, nec porro usquam, ubi Adamus cum Christo comparatur, sive ante, sive post lapsum, vel dictum vel indicatum reperis, Christum nos in pristinum illum, in quo Adamus conditus fuit, statum restituturum; eaque ratione ipsum Adamo opponi, nisi forte allegorice pristinum illum statum interpretentur Sacræ Literæ, ut cum in Apocalypsi Apoc. 2. 7, & Paradisi & arboris vitæ in ea media consitæ, fit mentio, ex qua suis Christus comedere fit daturus. Cœlestem enim immortalitatem, qua nunquam Adamus præditus fuit, ibi significari, nemo, opinor, sanæ mentis negaverit. Sed, ubicunque Adamus cum Christo comparatur, Adamus tanquam mortis vel naturalis, hoc est, mortalitatis, vel necessariæ, hoc est, mortis æternæ, Christus vero, tanquam æternæ vitæ atque immortalitatis auctor consideratur. Legantur diligenter, quæ scripta sunt à Paulo ad Rom. cap. 5, & 1 Cor. 15, nosque vera dicere deprehendetur. Manifeste enim, (ut cætera omittam) comparat Paulus, in eo loco Epistolæ ad Corinthios, Adamum, prout ab initio creatus fuit, cum Christo à mortuis excitato, & in cœlum translato, & illum terrenum fuisse ait ℣. 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, & propterea mortalem, corpusque habuisse corruptibile, vile, infirmum, animale denique, ipsumque Adamum fuisse tantum factum in animam viventem: Christum vero è cœlo esse, & idcirco immortalem, corpusque habere incruptibile, gloriosum, & potentia præditum, spirituale denique, ipsumque Christum factum esse in Spiritum vivificantem. Sed ad rem nostram.

Quærimus igitur, utrum in justificatione nostra per Christum, peccata nostra compensatione seu satisfactione aliqua deleantur, an vero remissione & condonatione? Plerique satisfactione interveniente id fieri arbitrantur: nos vero simplici condonatione. Nam, quod satisfactionem cum remissione ea in re conjunctam fuisse asserunt, plane nugatorium est, ut suo loco ostendemus. Rationes, cur ita statuamus, quatuor sunt. Una est, quod nusquam, in Sacris Literis istius satisfactionis fit mentio, nec alterius rei cujusquam, quæ tantundem valeat. Altera, quod compluribus in locis satis aperte testantur Sacræ Literæ nullam in justificatione nostra per Christum satisfactionem intervenisse. Tertia, quia satisfactio ista Dei gloriam maxime obscurat, & Christi potestatem labefactat. Quarta vero & ultima, quia fieri nullo modo potest, ut salvis nobis pro peccatis nostris Deo

satisfactum fuerit, ne per ipsum Christum quidem. Quæ omnia ita se habere, ex infra dicendis planissimum fiet. Primum enim, Deum jure peccata nobis condonare potuisse ostendemus, nulla vera (de hac enim loquimur, ut postea dicetur) à quoquam pro ipsis satisfactione accepta. Deinde, id facere eum voluisse demonstrabimus: quibus duobus exequendis secunda tertiaque ratio nostra abunde explicabitur. Tum vero, satisfactionem istam inter ea numerandam esse, quæ fieri nullo modo possunt, (quæ quarta nostra ratio est) docebimus. Postremo, Sacrarum Literarum testimonia, quibus Christum pro peccatis nostris Deo satisfecisse probari creditur, diluemus: ex quo prima ratio nostra satis explicata & confirmata videbitur.

CAPUT XVI.

Deum nobis peccata jure condonare potuisse, nulla vera pro ipsis à quoquam satisfactione accepta.

Deum igitur, contra quam nonnulli sentiant, jure potuisse nobis peccata nostra condonare, nulla à quoquam pro ipsis satisfactione accepta, id manifeste probare videtur, quod peccata nostra nihil aliud sunt, quam offensæ majestatis divinæ, & debita quædam, quæ cum Deo contrahimus. Sic enim in Sacris Literis appellari solent. Atqui nemo est, qui injurias sibi illatas, debitaque secum contracta, summo jure condonare & remittere non queat, nulla vera pro ipsis satisfactione accepta. Igitur, nisi velimus Deo minus concedere, quam hominibus ipsis concedatur, confitendum omnino est, Deum jure potuisse nobis peccata nostra ignoscere, nulla pro ipsis vera satisfactione accepta. At enim objiciunt adversarii, & ajunt, Dei justitiam omnino requirere, & ut peccata puniantur, & pro ipsius sibi satisfiat; Deumque nulla ratione non justum esse posse, suæque justitiæ quodammodo renunciare. Hæc ratio nullius pretii est. Neque enim in Deo ulla justitia est, quæ peccata puniri omnino jubeat cui ipse renunciare non possit. Est quidem in Deo perpetua justitia: sed hæc nihil aliud est, quam æquitas & rectitudo. Itaque nullum Dei opus est, in quo iniquitas & pravitas, ne minima quidem ex parte, deprehendi unquam possit. Et hanc justitiam Dei nominant ipsæ Sacræ Literæ, quæ non minus in condonandis, quam in puniendis peccatis conspicua est. Istam autem Dei justitiam, quam nos appellare solemus, quæ non nisi in puniendis peccatis conspicitur, Divinæ literæ nomine isto nequaquam dignantur, sed eam modo Dei severitatem, modo vindictam, tum iram, furorem, indignationem, & aliis ejusmodi nominibus appellant. Itaque insigniter graviterque sunt lapsi, qui vulgaris cujusdam appellationis specie decepti, putarunt istam esse perpetuam Dei qualitatem, eamque infinitam esse dixerunt; nec animadverterunt, si id verum esset, necesse futurum, ut Deus infinite severus & ultor esset, nec unquam peccata condonaret, contra id, quod de ipso Sanctæ Literæ passim prædicant, quæ Deum tardum ad iram, & multum misericordia esse, peccataque condonare, alicubi diserte testantur, ut Exodi 34.6,7. & Num.14.18,19. Quamobrem multo verisimilius dici posset, Dei propriam qualitatem esse, eam Dei misericordiam, quæ isti justitiæ opponitur. Unde plane contrarium ejus, quod adversarii sentiunt, concludi posset, Deum videlicet peccata jure punire non posse, nempe quia ejus misericordia requirat, ut peccata omnino condonentur. Verum utrumque est falsum. Quemadmodum enim justitia ista, vulgari nomine sic appellata, quæ misericordiæ opponitur, Dei qualitas non est, sed effectum tantum voluntatis ipsius: sic misericordia quæ isti justitiæ opponitur, Dei qualitas non est propria, sed effectus tantum voluntatis ejus. Cæterum cum ex misericordia ista, quæ Deo plurimum tribuitur, non fiat, quin Deus, quem velit, jure puniat atque ulciscatur, multo minus ex justitia ista, quæ Deo raro admodum tribuitur, fieri dicendum est, ut Deus, cuicunque velit, nulla vera satisfactione accepta plane ignoscere jure non queat. Multo plura pro hujus veritatis confirmatione, & contrariæ sententiæ, quæ mirum est quantum Deo adimat, confutatione, dici potuissent: Sed hæc pauca in præsentia satis esse volumus.

CAPUT XVII.

Deum nulla vera satisfactione accepta nobis peccata condonare voluisse.

Sequitur, ut Deum, nulla vera satisfactione accepta, peccata nostra nobis condonare voluisse, ostendamus, qua in re diligentius paulo versandum erit, quandoquidem in ea vis præcipua totius disputationis consistit. Primum igitur, etiam ante Jesu Christi adventum, ab ipso fere orbis initio Deum, nulla vera satisfactione accepta, peccata condonare consuevisse docebimus. Deinde, id per Christum eum fecisse demonstrabimus. Veram autem satisfactionem ubique nomino, quia nihil dubito, quin Deus ab iis quibus peccata ignovit, semper aliquid requisierit, sive aliquid in ipsis esse voluerit, quod satisfactionis cujusdam loco censeri possit. Id autem breviter nihil aliud est, quam vitæ puritas atque innocentia, eaque vel jam præsens, cum errata committuntur, quæ ignosci debent, vel ipsa errata subsequens. Aut enim errata, quæ ignoscuntur, lapsus quidam sunt & ignorantiæ, hæcque errata cum ipsa vitæ puritate atque innocentia consistere queunt, ut alibi (Deo dante) uberius explicabimus: aut iniquitates sunt atque scelera, hæcque vitæ puritatem ac innocentiam plane excludunt, sed si pro iis vitæ puritas atque innocentia succedat, condonantur à Deo, quemadmodum superiora illa errata, propter ipsam jam præsentem à Deo ignoscuntur. Hujusce rei specimen, in primo quod ad antiquam istam liberalitatem Dei in peccatis condonandi, comprobandam testimonio atque exemplo statim proferemus, intueri licet.

Abel Deo charus fuit, ob idque si quid peccavit, necesse est, ut illi condonatum à Deo fuerit. Cur vero? Num propter satisfactionem aliquam veram, quam vel ipse, vel alius pro eo, jam Deo exhibuisset, aut olim exhibiturus esset? Nihil minus. Testatur enim auctor ad Hebræos cap. 11.4. fide illum justum fuisse, quam fidem deinde explicans ait ꝟ. 6. illam esse, *Credere, quod Deus sit, & se inquirentium sit remunerator.* Ex hac autem fide necessario vitæ puritas atque innocentia proficiscitur. Qui enim Deum se quærentium, id est, sibi obedientium remuneratorem esse, ex animo credit, illi etiam obedit. Qui autem Deo obedit, is demum pure atque innocenter vivit. Atque hæc causa est, cur fides nos Deo acceptos faciat, quemadmodum alibi nobis explicandum erit. Itaque Abel, ob vitæ suæ puritatem atque innocentiam, (nam & Christus eum justum nominat, Matth.23.35 & Johannes Apostolus ejus opera justa fuisse tradit, 1 Joh.3.12) ignorantiarum & lapsuum suorum, si quibus, ut verisimile est, obnoxius interim erat, veniam à Deo est consecutus. At vero Cain, etiam antequam Abelem occidisset, malus erat, & propterea Deo invisus, & coram ipso abjectus, & tamen Deus illi dixit, si bene egisset, futurum ut acceptus esset atque extolleretur, idque per interrogationem, *Nonne si bene egeris* [erit] *elatio?* Gen. 4. 7. Quæ interrogatio ostendit plane verisimile esse, naturamque ipsam docere, Deum iis qui sceleribus relictis pure atque innocenter vivunt, ea scelera liberaliter condonare. Atqui ejusdem liberalitatis divinæ, qua scelera ipsa, si vitæ emendatio successerit, condonantur,

nantur, apertissima alia testimonia atque exempla in Vetere ipso Testamento extant. Nam præterea, quæ de Deo in hanc sententiam scripta sunt supra citatis locis, Exodi 34.6,7 & Num.14.18,19 eam liberalitatem divinam pollicetur aperte Moyses populo, Deut. 4. 29, 31 & 30.1, 2, 3, 4, 8, 9 &c. eamque reipsa præstitam fuisse, cum ipsa ejusdem populi historia docet, tum diserte testantur atque sæpius inculcant Levitæ, in precatione illa ad Deum, quæ scripta est Nehem. 9. Ezech. autem 18. & 33 quid aliud agit Deus, quam ut populum ad vitæ emendationem invitet, promittens fore; ut ei omnia præterita scelera condonet? Hieremias quoque capite 3.14,15,22 & 4. 1, 2, 3, &c. idem ajentem Deum inducit. Breviter omnes Prophetæ ejusmodi divinæ liberalitatis testimoniis abundant. Quid hic Davidis hac de re sententias commemorem, deque Dei bonitate in peccatis illorum qui ipsum timent ignoscendis, testimonia recitem? An non solus Psalmus 103 pro infinitis testimoniis esse potest? Quid, quod Deus in ipso Vetere Testamento, etiam sententia lata de aliquo perdendo; eam propter supervenientem pœnitentiam revocare est solitus? Legatur, præter vulgata illa exempla Ninivitarum & Ezechiæ Regis, Jonæ 3. & 4. 2 Reg. 20. 2 Paralip. 32. Esa. 38 id quod de Achabo scriptum est 1 Regum 21. 27, 28, 29 qui sola dejectione sua coram Deo, & iræ divinæ formidine potius quam vera aliqua pœnitentia effecit, ut Deus jam latam contra se sententiam ex parte revocaverit. Verum, quid exemplis agimus? cum Deus per Hieremiam Prophetam cap. 18. 7, 8 ejusce rei regulam tradat, & decretum quoddam promulget, inquiens; Cum civitati alicui ipse minatus fuerit malum, si civitas illa suorum scelerum pœnitentiam agat, se quoque mali, quod minatus fuerit, pœnitere. Nec vero, ut à quibusdam fit, exoticis explicationibus corrumpendi sunt hi & alii similes loci, & aliter atque sonant accipiendi, ne scilicet Deus mutabilis esse credatur. Neque enim, cum Deus sententiam revocat, ipse mutatur, sed is, contra quem lata fuerat. Imo, nisi eam Deus revocaret, tunc ipse mutaretur, cum jam constituerit resipiscentibus veniam dare. Et hæc satis esse possunt, ut ostendatur etiam ante Christum, Deum peccata, nulla vera satisfactione accepta, hominibus condonasse.

Patet igitur ex supradictis, Deum ab ipso ferme orbe condito, peccata hominibus liberaliter condonare consuevisse, nulla pro ipsis a quoquam vera satisfactione accepta. Nam si quis dixerit, etiamsi in exemplis ac testimoniis à nobis prolatis, nulla veræ satisfactionis mentio fiat, intelligendum tamen esse, propter Christi futuram satisfactionem, Deum peccata jam tum condonasse; Primum, ista de re nihil prorsus usquam apparet, humanumque omnino commentum est, ut ex infra dicendis aperte constabit. Deinde, ex ipsis locis eorumque circumstantiis satis constat, rem aliter se habere. Vidimus jam de Abele, qui sine dubio idcirco Deo charus fuit, & lapsuum suorum veniam ab ipso adeptus est, quod fide esset præditus, id est, Deum se quærentium remuneratorem esse crederet, ob eamque causam illi obediret, adeo, ut opera ipsius justa fuisse testentur Sacræ Literæ 1 Joh. 3. 12. Sed quid de Achabo dicemus? num participem illum futuræ per Christum satisfactionis fuisse affirmabimus, hominem scelestum atque impium, & deastrorum dæmoniorumque cultorem, breviter, omnium Israëlis regum, qui ante se fuerant, pessimum 1 Reg. 16. 30, 31, 32, 33? Quid plura? In altero testimoniorum, quæ ex Ezechiele citavimus, diserte scripum est, Quid sit, propter quod Deus, (intellige præter misericordiam suam, quam certum est primariam ejus rei causam esse) ipsa scelera condonet. Scriptum est enim cap. 33. 19 interprete Sancte Pagnino in magnis Bibliis Roberti Stephani, *Cum aversus fuerit impius ab impietate sua, & fecerit judicium & justitiam, propter ipsa ipse vivet*: quod idem paulo ante explicatum fuerat: ubi vides, nullam veræ satisfactionis mentionem fieri, sed pœnitentiam tantùm, seu resipiscentiam commemorari, propter quam Deus ipsis impiis peccata condonet. Jam vero, si sub Vetere Testamento, hanc vere Deo dignam liberalitatem Deum exercuisse legimus; quid est cur dubitemus, quin sub Novo etiam exercere voluerit? Nullo pacto verisimile est, gratiæ ac beneficentiæ tempore Deum restrictiorem fuisse, quam eo tempore, quod, si cum hoc comparetur, iræ atque ultionis tempus appellari potest. Atque hæc sola ratio cuilibet homini cordato, ad id quod volumus probandum, satis omnino videri debet. Veruntamen, ut veritas clarius eluceat, rationibus testimoniisque rei ipsius magis propriis ad idem comprobandum utemur.

Primum igitur videndum est, quale fuerit divinum promissum Novi Fœderis, quod Deus cum populo aliquando pacturus erat, & qualem sese in eo Fœdere pangendo Deum præbiturum fuisse legamus. Legimus autem, ut scriptum est, Hieremiæ 31. 34, & Heb. 8. 12 & 10. 17 ejusmodi in Novi Fœderis promisso Deum verba fecisse, quæ plane ostendant futurum, ut ille erga populum suum, ingentem beneficentiam ac liberalitatem in condonandis peccatis exerceat. Sic enim, ut habent verba Græca, scriptum est ab Apostolo: *Quia propitius ero injusticiis eorum, & peccatorum eorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius.* Quomodo autem propitius fuisset Deus injustitiis populi sui, si, cum eas omnes liberalissime condonare potuisset, sibi tamen plene pro ipsis satisfieri voluisset? aut, quomodo peccatorum & iniquitatum populi in Novo Fœdere pangendo recordatus non fuisset, si ne minimam quidem impunitam reliquisset? vel potius; quid mirum esset, si earum iniquitatum non recordatus fuisset amplius, postquam pro omnibus sibi plene satisfactum vidisset? Quænam tanta hæc ipsius liberalitas & magnificentia fuisset, si ne tantillum quidem de jure suo remittere voluisset? Nam; quod ajunt, Deum in eo maximopere liberalem & munificum fuisse, quòd, cum eos ipsos, qui iniquitates patraverant, plectere jure posset, iis impunitis dimissis, filium suum innocentissimum pro ipsis gravissime plectere non dubitavit; Hoc, inquam, cum ajunt nihil est, cum & hunc & illos, ut supra demonstratum fuit, immunes ab omni pœna dimittere, idque jure omnino, pro rei natura & summa auctoritate sua facere posset. Itaque nullo modo constare potest liberalitas ista, quæ aliqua ratione fortasse constitisset, si patratas iniquitates punire necesse fuisset. Quo magis autem is, in quo iniquitates istæ puniantur, Deo charus est, eo minus, non modo liberalitas ulla, sed facti (ut sic loquar) tolerabilitas apparet. Nam quid indignius, quam nulla necessitate hominem sibi charissimum supplicio afficere? Præterea animadvertendum est, non eum esse munificum ac liberalem, qui quacunque ratione efficit, ut quis beneficio vel maximo afficiatur, sed illum demum, qui de suo donat atque largitur. Quare nisi constet, Deum in Novo Fœdere pangendo de suo donasse & largitum fuisse, (id quod, si plenam pro peccatis populi satisfactionem accepit, nunquam constabit) nunquam ea in re munificentiæ & liberalitatis nomine commendari poterit, etiamsi alioqui voluntate ipsius & cura factum sit ut populus ipse suorum peccatorum pœnas non dederit. Sed operæ pretium est videre, num id quod antea promiserat Deus, suo tempore etiam reipsa præstiterit? Certe præcursor ipse illius, per quem Novum istud Fœdus pangendum Dei nomine erat, ei salutis cognitioni populo dandæ destinatus ab ipso initio fuit, ex qua peccatorum remissio per viscera misericordiæ Dei existeret, ut scriptum est Lucæ 1. 77, 78. Quis hic satisfactionem ullam intervenisse suspicari potest? Jam vero ipse Johannes, quid aliud prædicabat, quam pœnitentiam in remissionem peccatorum? Nulla igitur vera satisfactio, seu satisfactionis apprehensio,

sub Novo Foedere requiritur; si quis sibi peccata remitti velit; nec aliud, ut remissionis peccatorum à se oblatæ fructum populus sentiat, ab eo Deus postulat, nisi ut pœnitentiam agat & resipiscat. Nec vero huic sententiæ in Sacris Literis testatissimæ quidquam adversatur, quod Johannes ipse, qui pœnitentiam manifeste urgebat, ad Christum omnes tandem rejiciebat, utque in ipsum crederent, monebat. Nam, ut alia omittam quæ dici possent, hoc ipsum quod Johannes faciebat, ad pœnitentiam ipsam stabiliendam pertinebat. Quatuor enim de causis potissimum, ut conjicere licet, & res ipsa simulque Sacra Scriptura loquitur, Johannes populum ad Christum rejiciebat. Primum, ut qualis ea pœnitentia, id est, emendatio vitæ esse deberet, recte cognoscerent: ipse enim in præceptis dandis, absolutissimam illam Christianæ vitæ rationem non explicabat, sed id muneris ipsi Christo reservatum erat. Deinde, ut quid remissio illa peccatorum esset, probe tenerent, & cum eam vitam æternam esse animadverterent, multo vehementius ad vitam corrigendam moverentur. Nihil enim Johannes ante Christi prædicationem de vita æterna docuit, nisi, ut alii Prophetæ, sub involucro verborum. Hanc lucem Christus omnium primus Dei ipsius verbis clarissimam orbi terrarum ipsique Israëlis populo illaturus erat. Is enim ut ait Paulus 2 Tim. 1. 10 per Euangelium mortem destruxit, & vitam atque incorruptionem illustravit ac patefecit. Tertia causa, cur Johannes populum ad Christum rejiceret, confirmatio erat eorum, quæ ipse dicebat. Johannes enim nulla signa edebat, quibus doctrinam suam confirmaret, atque ea ratione auditores ad pœnitentiam agendam permoveret, quæ plurima & penè innumerabilia edebat Christus, qui, ut ex supra dictis intelligi potest, eandem de pœnitentia doctrinam, sed exquisitam magis, suisque numeris absolutam, populo proponebat. Quarta & ultima causa erat, ut populus Spiritu Sancto baptizaretur, cujus ope in pœnitentia sive emendatione illa vitæ perseverare, & ad extremum usque Spiritum perdurare posset, sine qua perseverantia nihil efficitur. Matth. 10. 22. Heb. 3. 6. 14. Porro, summam ipsius doctrinæ Jesu Christi nihil aliud esse, quam remissionem peccatorum iis qui pœnitentiam egerint, præter alia multa testimonia, hi loci demonstrant, Matth. 4. 17. Marc. 1. 15 & 6. 12. Luc. 24. 47. Act. 2. 38. & cap. 3. 19. 26 & cap. 5. 31. & cap. 11. 18. & cap. 17. 30. & cap. 26. 18. qua doctrinæ summa ipsa in Christum fides continetur, quæ non ullius satisfactionis apprehensio, sed Christi præceptorum obedientia est, sub spe futuræ immortalitatis, quemadmodum suo loco fusius ostendemus. Nam, quæ de pœnitentia supra disseruimus, non plane suo loco & ipsa dicta sunt, sed quasi prætereuntes ea attigimus, ut planum faceremus, Deum in salute nobis per Christum parta, nullius veræ satisfactionis sibi pro peccatis nostris exhibitæ, nulliusve ea de re cognitionis aut persuasionis nostræ rationem habuisse. Quid enim commune habet pœnitentia nostra cum aliena satisfactione? aut quomodo aliena satisfactione peccata nostra delere voluit Deus, si pœnitentiam nostram ad ea delenda omnino requirit? Verum de his latius postea.

Nunc unum adhuc, hujus divinæ sub Novo Foedere liberalitatis, quam nos asserimus, argumentum, quod pro omnibus esse potest, exponamus, & paulo diligentius explicemus. Sacræ Literæ ubique testantur, in salute nobis per Christum parta remissionem peccatorum nostrorum intervenisse, Deum, inquam, nobis remisisse peccata nostra, cujus remissionis tunc etiam aperta fit mentio, cum Christi sanguis commemoratur, ex quo veram pro peccatis nostris satisfactionem manasse volunt. Remittere peccata, & sibi pro ipsis vere satisfieri, plane contraria sunt, nec ulla ratione simul consistere queunt. At dicet aliquis, id verum esse, si quis velit ab eodem ipso satisfactionem proficisci, cui remittenda sunt peccata: hic vero alium esse eum qui satisfacit pro peccatis, alios eos quibus peccata remittantur. Respondeo, nullo modo ei remitti, pro quo est qui plene satisfaciat. Ubi enim nullum est debitum, ibi nulla remissio. Atqui nullum est debitum, ubi jam plene est satisfactum. Nam, ut satisfactio hic remissionem antecesserit, omnino necesse est, si verum est quod ajunt, idcirco nobis remissa esse à Deo omnia peccata, quia Christus pro ipsis plene satisfecerit. Mitto, quod si remissionem nihilominus antecessisse contendant, hoc nullo modo fieri potuisse id declarat, quod debito jam remisso, nullus est satisfactioni locus. Eodem quidem tempore remissio simul & satisfactio peragi non potuit. Dum enim debitum remittitur, condonatur: dum vero pro eo satisfit, exigitur. Etenim, si rursus dixerit quispiam, hic non ab iisdem exigi, quibus condonatur: Respondendum est, debitum non nisi ab eo qui debet exigi posse. Necesse est autem, ut is debeat, cui condonatur: à quo si exigetur, quomodo (quæso) ei condonabitur? Cum quis pro alio solvit, etiamsi debitor ipse pecuniam non numeret, à debitore tamen intelligitur exacta pecunia. Sed dices, Christum non modo pro nobis solvisse, verum etiam debitum ipsum in se transtulisse: Jam si ita res se habet, non eodem tempore satisfactio simul & remissio peracta fuit. Liberatur enim debitor, simul atque debitum translatum est, tum demum autem satisfit, cum pecunia numeratur. Quinimo, si debitum translatum est, nulla remissio nec ante nec post locum invenire potuit. Si enim ante remissum est debitum, quomodo in alium transferri potuit? Sin autem ante translatum est, quomodo potuit remitti? Vides igitur, debiti translatione ista nullo pacto remissum debitum, sed commutatum debitorem fuisse. Liberatus est quidem translatione ista debiti prior debitor, sed non tamen et remissum est debitum. Quamvis enim, cuicunque remittitur debitum, is etiam à debito liberetur, non tamen contra, quicunque à debito liberatur, ei etiam debitum remittitur. Liberatur quis sæpissime solutione ipsa. At in debito remittendo, ut verbum ipsum præ se fert, creditoris liberalitas requiritur, quæ nulla est, ubi creditor id universum recipit, quod sibi debebatur. Itaque non recte ego ipse locutus sum, cum supra alicubi dixi, sub Novo Foedere si quis sibi remitti peccata velit, nulla vera satisfactione opus esse, quasi vera satisfactio una cum remissione consistere queat? Sed, cum de ipsa remissione nominatim non ageretur, disputandi gratia communi nostrorum Theologorum errori, qui eas simul consistere posse opinantur, serviendum mihi fuit. Remissio igitur omnino duas partes habet, quarum si utravis desit, nulla remissio est. Unam, quod debitor liberatur: Alteram, quod creditori debitum non persolvitur. Quamobrem etiamsi nos, qui propter peccata nostra Deo debitores eramus, liberati simus; tamen, si Deo qui creditor erat debitum istud persolutum fuit, nobis nequaquam peccata nostra remissa fuerunt, aut remitti possunt. Per hanc autem debiti & solutionis translationem, hoc nostrum à peccatorum remissione ductum argumentum explicavimus, non solum quia verbum ipsum Remittendi translationem, in se continet, sed etiam quia ipse Dominus Jesus in hac remissionis peccatorum materia, eadem translatione manifeste atque explicite interdum usus est præsertim vero in parabola illa Regis, qui voluit rationes conferre cum servis suis Matth. 18. 23 & seq. Ex qua parabola præterea satis intelligi potest, in liberatione nostra à debito peccatorum nostrorum, nullam veram satisfactionem intervenisse. Rex enim ille sine dubio Deus est. Atqui Rex ille, ut servum suum, qui sumus nos, liberaret, neutiquam sibi satisfieri voluit: sed nulla satisfactione à quoquam pro eo quod servus sibi debebat accepto, universum debitum illi plane remisit. An non ibidem servus ille acerrime & increpatur & punitur, quod à conservo suo id quod sibi ille debebat omnino

exigere

exigere voluerit, ejusque misertus non fuerit, ut rex ipsius fuerat misertus? Quod si rex ille, non quidem ab ipso servo, sed ab alio quopiam, pro eo sibi plene satisfieri curasset, potuisset servus dicere: Quænam misericordia est ista, Rex, qua mecum es usus, quamque me imitari volueras? Nonne quod ego tibi debueram, id universum recepisti? Ratio igitur inveniatur, qua ego quoque id quod mihi conservus meus debet universum recipiam, & eum perinde ac dimissum faciam. Quamobrem, cum, ut ex ipsa Parabola liquet, nos in injuriis condonandis Deum in peccatorum nostrorum remissione imitari debeamus, necesse est profecto, aut nos curare posse, ut nobis non quidem ab eo ipso qui nos injuria affecit, sed ab alio quopiam pro eo plene satisfiat; (quod & ab omni æquitate, & a Sacrarum Literarum sensu penitus abhorret: aut Deum nulla vera satisfactione a quoquam accepta peccata nostra nobis remisisse, nisi velimus eos, qui vere Christiani sunt (hos enim præceptis illi de condonandis injuriis satisfacere certum est) multo & liberaliores, & clementiores esse in injuriis non ulciscendis, & offensis condonandis, quam ipse Deus fuit. Adde, quod Sanctæ Literæ, non Remittendi tantum verbo, cum de liberatione à debito peccatorum nostrorum agitur, uti solent, sed Condonandi quoque seu Donandi verbo interdum utuntur, quod χαρίζεσθαι in Græco est. Namque id verbum beneficentiam & liberalitatem prorsus significat, eamque multo magis, quam Remittendi verbum, quodammodo ob oculos ponit. Inquit autem Paulus ad Coloss. 2. 13 scribens, Deum nobis condonasse omnia delicta; & ad Eph. 4. 32 in fine, ad eosdemque Coloss. cap. 3. 13 ait, Deum in Christo & ipsum Christum nobis condonasse seu donasse, subaudi, offensas, quibus Deum in nos provocaveramus. Quid magis satisfactioni pro delictis omnibus atque offensis nostris, quam Deus a Christo acceperit, contrarium esse potest? Quid magis beneficentiam & liberalitatem istam ingentem, quam Deus per Christum nobiscum exercuit, non obscurare tantum, sed funditus tollere etiam potest, quam si statuamus Deum voluisse, ut sibi à Christo pro omnibus peccatis nostris plene satisfieret? Nam, quod quidam dicunt, (ut ad eandem debiti & solutionis translationem revertamur) Deum maxime in eo liberalem apparere, quod id ipsum nobis donaverit, quod sibi solvi voluit, adeoque ipsum Christum nobis largitus fuerit, quem nos ipsi deinde pro debitorum nostrorum satisfactione illi solvisse dici possumus; Animadvertendum est, istud probabile fortasse videri potuisse, si necesse fuisset, solutionem aliquam intervenire. Sed cum potuerit Deus, debitum universum sine ulla solutione remittere, quid circuitu isto inutili opus fuit, & collusione quadam. Præterea, si Deus ipse id donavit, quod sibi solvi voluit, liberalis quidem fuit in ea re donanda, sed non tamen in debito remittendo. Verum, præterquam quod nos de liberalitate loquimur, qua, ut universa scriptura testatur, Deus in ipsa peccatorum nostrorum remissione est usus, id etiam est considerandum, duplicem fuisse in salutis nostræ negotio Dei liberalitatem. Unam, quod nobis gratuito tantum debitum remiserit. Alteram, quod unigenam filium suum, ut remissionis istius fructum (quemadmodum postea explicabimus) sentire possemus, nobis largitus est. Quod si istorum sententiam amplectamur, unica tantum erit Dei liberalitas, eaque manca & obscura valde, ut mox dicemus. Sed prius quid sit, nobis à Deo donatum fuisse Christum, exponendum est. Dico igitur, non ita donatum nobis à Deo Christum fuisse, eumve ita nostrum effectum esse, ut nos deinde pro debiti nostri dissolutione illum ipsi dare potuerimus: sed dicitur Deus nobis Christum donasse, quatenus, ut nos ingente beneficio afficeret, eum impendit quodammodo atque profudit: id quod ex eo ipso loco satis constat, ubi Paulus non obscure testatur Rom. 8. 32 à Deo donatum nobis fuisse Christum: proxime enim ea verba scripserat, *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Nobis igitur Christum Deus donabit, (id enim, ut modo innuimus, ex sequentibus Apostoli verbis; *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* satis intelligi potest) quia illum pro nobis tradidit, nimirum in mortem. Hæc enim verbi Tradendi, cum de Christo est sermo, etiamsi simpliciter ponatur, significatio esse solet, ut Rom. 4. 25. Gal. 2. 20. Eph. 5. 25. Nec alia est reipsa vis verbi Dandi, quod propius ad Donandi significationem accedit, in loco illo Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Ex quo præterea loco perspici potest, quid sit Christum pro nobis traditum à Deo morti fuisse & sic nobis donatum esse: nempe, ut ea ratione fieret ut nos ipsi Christo ejusque verbis fidem adjungeremus, & ita non periremus, sed vitam æternam consequeremur: sequitur enim, *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quæ prior in intentione (ut loquuntur) ac potior illa liberalitas Dei est, in remissione peccatorum nostrorum; vel certe hoc vitæ æternæ dono ea liberalitas continetur, qua plane Deum spoliant, quicunque Christum, ad æs nostrum alienum quod cum Deo contraxeramus dissolvendum, à Deo in mortem traditum esse volunt. Sed & posterior ipsa Christi dandi liberalitas imminuitur & obscuratur. Nam quid mirum (dicet aliquis) Deum pro nobis Christum suum quodammodo profudisse, cum id ideo fecerit, ut quod sibi a nobis debebatur reciperet? Quod sane locum haberet, etiamsi nostra peccata sine satisfactione vera deleri potuissent. Quid igitur dicemus, cum nostrum istud æs alienum sine ulla solutione veraque satisfactione dissolvi potuerit? Certe ista Christi donatio, id est, in mortem traditio, immanitas potius atque sævitia, quam liberalitas dici debet. Nulla enim causa fuit, cur Deus filium suum innocentissimum morti traderet, quo sibi pro peccaris nostris satisfieret, cum satisfactione ista nihil opus esset.

Ex iis autem quæ hactenus disputata sunt, responsio ad rationes duas colligi potest, quæ à quibusdam afferri solent, cur Deus, etiamsi omnia delicta nostra nobis ignoscere, nulla pro ipsis vera satisfactione accepta, jure potuerit, id tamen facere noluerit. Primum enim ajunt, idcirco Deum in peccatis nostris delendis, satisfactionis potius quam ex omni parte prorsus gratuitæ remissionis viam elegisse, ut major quædam ipsius liberalitas appareret, dum filium suum charissimum, qui pro peccatis nostris satisfaceret, nobis donaret, atrocissimæque morti traderet. Quasi vero sine satisfactione ista, eadem filii donandi liberalitate uti non potuerit Deus, quemadmodum certe usus est, eaque non minus, imo multo magis, quam cum satisfactione ista solida atque conspicua: ut nihil interea dicam, quod dum istam satisfactionis viam, ad liberalitatem hanc donandi filii sui exercendam, sine causa elegisset Deus, alteram illam præstantissimamque liberalitatem, peccata prorsus gratuito remittendi non exercuisset, seque perpetua antehac propriaque sua in peccatis delendis gloria privasset. At deinde addunt isti, ideo voluisse Deum à Christo omnium peccatorum nostrorum pœnas repetere, ipsumque in eum finem acerbissimæ morti tradere, ut inde quanto is odio peccatum prosequeretur, intelligere possemus, eaque ratione à peccando abstineremus. Verum nonne ex Christi morte nihilominus, quantopere Deus peccatum oderit, manifeste apparet, etiamsi in ea morte nulla pro peccatis nostris satisfactio fuerit? Certe cum Deus, ut ad Christo sibique per Christum obediendum nos adduceret, & ita peccatum in nobis extingueret, tam atroci morte Christum mactari voluerit; cumque ad peccata nostra delenda (ea ratione quam suo loco exponemus) Christi mors, quamvis nullam satisfactionem pro ipsis attulerit, omnino pertinuerit, satis superque constat, Deum, qui eam mortem decrevit, capitalissimo (ut ita dicam) odio erga peccata

hominum affectum esse. Atque hæc inpræsentia satis erunt, ut Deum, in salute quam nobis per Christum procuravit, ut jure potuit, sic nulla vera satisfactione pro ipsis accepta, peccata nostra nobis ignoscere voluisse, omnibus veritatem Deique gloriam amantibus dilucide apparere possit.

CAPUT XVIII.

Nullo modo justitiæ divinæ salvis nobis pro peccatis nostris satisfieri potuisse, ne ab ipso Christo quidem.

SEquitur, ut satisfactionem istam inter ea numerari posse ac debere ostendamus, quæ nulla prorsus ratione fieri possunt. Sed prius animadvertendum est, adversarios revera duplicem istam satisfactionem statuere. Nam & Christum omnes pœnas omnibus peccatis nostris debitas morte sua persolvisse volunt, & innocentia sua vitæque sanctitate pro nobis Dei legem perfecte servasse contendunt. Priorem satisfaciendi modum præcipue urgent, cum de satisfactione nominatim loquuntur. Posteriori vero vix satisfactionis nomen accommodant, sed ad justitiæ imputationem referunt. Verum, quomodocunque ipsi loquantur, ostendamus nos ante omnia, vel ista duo simul consistere non posse, vel certe, alterutrum supervacaneum esse. Non videntur autem hæc duo simul stare posse, quia modus satisfaciendi per pœnarum solutionem ostendit manifeste, eum pro quo satisfit pro innocente non haberi. Ubi enim innocentia, id est, nullum delictum, ibi nulla pœna. Modus autem satisfaciendi per eorum præstationem quæ alter facere debuerit, omnino efficit, ut is pro quo ea præstantur innocens habeatur, deque eo perinde censeatur, ac si nullum delictum commisisset unquam. Alterutrum autem supervacaneum esse, id demonstrat, quod, si quis ea omnia fecisse censeatur, quæ facere debuerat, jam deleta sunt omnino peccata ejus universa. Quomodo enim vel minima quidem ex parte is peccasse censendus est, sive peccati reus haberi potest, qui omnia fecerit quæ debuerat? Similiter, si quis pœnas universis suis peccatis debitas persolvisse censeatur, jam prorsus deleta sunt ipsius peccata. Quomodo enim peccati reus is amplius haberi potest, pro cujus peccatis plene satisfactum fuerit? Siquidem animadvertendum est, in delendis peccatis non id agi videlicet, ut revera peccata admissa non fuerint, nec enim id fieri ullo modo potest: sed ut perinde judicetur, ac si nunquam commissa fuissent, & omnis peccatorum reatus aboleatur, quod utravis ex prædictis satisfaciendi rationibus plane fieri ostensum est, re alteram omnino supervacaneam esse. Namque, ut veritas clarius appareat, sciendum est, pervulgatam illam peccatorum distinctionem, quod alia sint peccata commissionis, alia vero omissionis, non Sacris Literis minus, quam rationi consentaneam esse, quemadmodum unusquisque per se eas legendo animadvertere potest. Hoc dico, ne quis existimet, pœnarum pro omnibus peccatis solutionem ad commissa mala tantum pertinere, & non etiam ad omissa bona. Nam, neque eorum omnium quæ fieri debebant præstatio ad commissa bona tantum pertinet, sed etiam ad omissa mala. Eadem enim justitiarum (ut eas nominat Scriptura) quæ peccatorum distinctio esse debet, ut scilicet, quemadmodum dictum est, aliæ sint commissionis, aliæ vero omissionis: Ex quo facile intelligi potest, nihil esse cur alterutra ex istis satisfactionibus plane supervacanea censeri non debeat. Causam vero hujus haud levissimi adversariorum erroris, quæ sane eos gravius accusat, tunc explicabimus, cum de imputativa justitia nominatim agemus. Nunc ad id, quod ostendendum nobis proposuimus, revertamur. Primum igitur, neutro ex istis modis justitiæ divinæ pro nobis satisfieri potuisse in universum demonstrabo: Deinde vero, de Christi persona privatim disputabo, eumque ipsum præstare id minime potuisse, aut certe ea non fecisse vel passum esse quæ id præstare potuerint, ostendere conabor.

Non potuit quidem per pœnarum solutionem pro peccatis nostris satisfieri, duplici potissimum de causa: quarum una hæc est, quod pœna nostris peccatis debita mors æterna erat, mors autem æterna corporalis pœna est. At corporales pœnas nemo pro altero pendere potest. Pecuniariæ pœnæ ideo pro altero pendi possunt, quia unius pecunia alterius effici potest; & cum quis pecuniam pœnæ nomine pro alio quopiam solvit, tunc is pro quo solvitur, tacite reipsa prius ea pecunia donatur, ipseque eam solvisse censetur. At mors unius, corporisve ulla vexatio, alterius fieri non potest. Altera causa est, quod, cum unusquisque nostrum propter peccata sua æternam mortem deberet, (sic enim, ut rem diligentius explicemus, loquendum nobis est) unus autem quispiam non nisi unam æternam mortem solvere possit, necesse fuisset totidem invenire qui æternam mortem subirent, quot nos sumus, qui ipsi scilicet nihil peccassent, neque ei pœnæ pro seipsis solvendæ obstricti essent. Quomodo vero id fieri potuit, cum omnes homines generatim peccaverint? Ex quo satis constat, cum adversarii contendunt oportuisse ut divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfieret, nihil aliud eos sive prudentes sive imprudentes dicere, quam oportuisse, ut omnes generatim in æternum periremus. Adde, quod etiamsi maxime fieri potuisset, ut alterius sive unius sive plurium innocentium æterna morte, pro nobis nostrisque peccatis Deo satisfieret, id tamen ut fiat nulla ratio patitur. Quid enim iniquius, quam insontem pro sontibus puniri, præsertim cum ipsi sontes adsunt, qui ipsi puniri possunt? An non ipse Deus ne quis alterius pœnas ferat in lege diserte cavit, inquiens Deut. 24, 16: *Non occidentur patres pro filiis, neque occidentur filii pro patribus, sed quisque pro peccato suo occidetur.* Et ne quis inepte cavilletur, Deum aliis, non autem sibi, legem istam posuisse, eorum meminerimus, quæ in puniendis populi sceleribus a se factum iri ait, apud Ezec. cap. 18. 4. 20. *Anima* (inquit) *quæ peccaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii*, &c. Quod si ex Dei ipsius sententia atque decreto, nec filius ipse propter patris peccata, nec pater propter peccata filii puniri debet, quomodo tandem fieri potest, ut ipse Deus pœnas peccatorum nostrorum ab alio ullo reposcere voluerit? Atque hoc pro tertia causa esse potest, cur pro peccatis nostris salvis nobis Deo satisfieri non potuerit. Etsi enim nulla prorsus ratione id fieri potuisse demonstrandum nobis proposuerimus, tamen id nulla ratione fieri posse merito dicitur, quod jure fieri nequit, præsertim cum à Dei voluntate, ut hic, id proficisci debet: siquidem fieri nulla ratione potest, ut Deus aliquid fieri velit, quod jure fieri nequeat. Cæterum, ex prædictis intelligi potest, eos qui volunt Deum peccatorum nostrorum pœnas ab alio quopiam repetiisse, non iniquitatis modo, verum etiam inscitiæ ipsum Deum turpissime insimulare: quippe quem non solum decreta sua irrita facientem, nullamque æquitatis manifestissimæ atque incommutabilis rationem habentem, sed ea conantem quæ ex ipsarum rerum natura nullo prorsus pacto fieri possunt, inducere non verentur. Nec vero (ut quantam imprudentes divinæ majestati notam inurant melius intelligatur) ullam causam invenies unquam, cur Deus sui quodammodo suorumque decretorum oblitus, nostrorum peccatorum pœnas ab alio ullo repetere voluerit. Si enim suam in nos clementiam ac liberalitatem exercere, eamque nobis commendare voluit, cur, cum id maxime facere posset, peccata nostra nulla vera à quoquam pro ipsis satisfactione accepta nobis non condonavit? Sin autem iram & severitatem suam in peccatis puniendis, quam, ut diximus, justitiam appellare solemus, ostendere decrevit, cur eos ipsos non punivit qui peccata commiserunt? At inquiunt adversarii, voluisse

voluisse eum eadem in re se misericordem simul & justum declarare: misericordem quidem, quatenus nos ipsos qui peccavimus non punit: justum vero, quatenus peccata nostra nihilominus punit. Quasi vero fieri ulla ratione possit, ut ipso sonte impunito dimisso, ejus scelera in alio puniantur; aut justitia ista, quæ in puniendis peccatis elucere potest, constare ullo modo queat, ubi æquitas & rectitudo negligitur, quemadmodum hic fieri ex iis quæ modo diximus perspicuum esse arbitramur. Omitto autem, quod nulla Dei misericordia apparet, ubi nulla ejus liberalitas conspicitur, & ubi ejus severitati in peccatis puniendis plenissime satisfit: quod hic merito dici posse, partim confitentur, imo vero contendunt adversarii ipsi, partim nos ante demonstravimus. Et sane, adversariorum commentum istud, quod Deus in salute nobis per Christum parta & justus & misericors simul fuerit, præsertim, cum nonnulli perfecte justum perfecteque misericordem fuisse dicant, istud commentum, inquam, plane ridiculum est, nec ullo pacto sustineri potest: quandoquidem non possunt ista duo eadem in re eodemque tempore simul jungi, quippe quæ invicem prorsus repugnent. Misericordia enim, ut peccanti ignoscatur, omnino requirit. Justitia autem ista, ut qui peccaverit pœnas det, plane postulat. Nam de ea, ut vidimus, scriptum est Ezech. 18. 4, 20: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Itaque, quocunque se adversarii vertant, quomodo istum per pœnarum solutionem pro peccatis nostris Deo satisfaciendi modum existere potuisse ostendant, nunquam invenire poterunt. Sed jam de altera illa pro peccatis nostris satisfaciendi ratione agendum est. Atqui utraque illarum priorum caussarum, propter quas superiorem satisfaciendi modum existere nullo modo potuisse ostendimus, hic quoque omnino locum habet. Primum enim, quemadmodum corporales pœnas nemo pro altero pendere potest: sic, quod quis facere omnino ex lege debet, alius pro eo præstare non potest: nec enim magis unius factum alterius esse potest, quam corporalis unius pœna alterius fieri possit. Et sicut in corporalibus pœnis non ipsa mors, aut alia corporis vexatio, simpliciter quæritur, sed cujusdam certi hominis mors & corporis vexatio: sic etiam in factis ex legis præscripto præstandis, non ipsum factum simpliciter quæritur, sed uniuscujusque, qui lege illa teneatur, proprium factum. Deinde, quemadmodum unusquisque nostrum propter peccata sua æternam mortem debebat: sic unusquisque nostrum legi divinæ, sive eam in cordibus nostris inscriptam, sive ab ipso Deo nobis datam & promulgatam haberemus, servandæ obstringebatur. Itaque, etiamsi unius factum alterius fieri posset, tamen plane necesse fuisset totidem invenire, qui pro nobis Legem Dei servarent, quot nos sumus. Unus enim quispiam, non nisi unam divinæ legis conservationem præstare potest. Quocirca unum quempiam (ut plerique factum esse crediderunt) existere potuisse, qui pro nobis omnibus Legem Dei conservaverit, non magis dicendum est, quam unum aliquem, qui aureos centum tantum habeat, pro innumerabilibus aliis, qui singuli centum aureos debeant, satisfacere posse. Est autem animadvertendum, quod sicut in superiore satisfaciendi modo, necesse erat, ut qui pro alio moreretur in æternum, ipse ei morti nequaquam obnoxius esset: sic etiam hic necesse est, ut qui divinam legem pro alio servet, ipse ab ea servanda liber sit atque immunis. Quomodo igitur hac ratione satisfieri pro nobis potuit, si ne unus quidem inventus est unquam, nec inveniri potest, qui divinam legem servare non debeat? Hinc apparet, alteram hanc caussam, cur satisfieri non potuerit pro peccatis nostris, in posteriore hoc satisfaciendi modo plus etiam valere, quam in priore. Siquidem fieri aliqua ratione potest, ut sive unus, sive etiam plures inveniantur, qui æternam mortem non sint commeriti: sed vel unum quidem inveniri, qui Dei Legi servandæ non sit obnoxius, nemo nisi aut stultus aut impius suspicari ausit. Et hæc satis esse arbitramur, ut in universum demonstretur, nullo pacto cum salute nostra pro peccatis nostris Deo satisfieri potuisse.

Nunc de ipsius Jesu Christi persona privatim videndum est, atque ostendendum, ipsum nihil singulare nec in se habuisse, nec fecisse, nec passum esse, ex quo intelligi possit, eum satisfactionem istam vel peregisse, vel peragere ulla ratione potuisse. Antequam vero ad rem ipsam propius accedamus, considerandum est, quod, cum à nobis demonstratum fuerit, satisfactionem istam, utrocunque modo eam peragi velimus, ex eorum genere esse, quæ nullo prorsus pacto fieri possunt, sequitur necessario, Christum ipsum minime eam peregisse, alioqui Christus id fecisset, quod plane fieri nequit: quæ duo invicem prorsus repugnant, nempe, aliquid fieri plane non posse, & id ipsum factum esse. Hinc fit, ut ne Deus quidem ipse ea faciat, quæ suapte natura fieri nequeunt. Huc accedit, quod priori illi ac potiori per pœnarum scilicet solutionem satisfaciendi modo, Dei ipsius Lex atque decretum, ut vidimus, aperte refragatur. Ex quo consequitur, non veram tantum satisfactionem pœnarum solutione factam, sed pro vera etiam à Deo habitam, penitus excludi. Hoc autem dico, quia sunt qui confitentur quidem, Christum eorum quæ passus est dignitate, vere pro nobis non satisfecisse, sed iidem tamen, pro vera satisfactione ea à Deo habita fuisse contendunt. Verumtamen, ut rem cominus agamus, demus ipsius rei naturam neutri istarum satisfaciendi rationum repugnare, nec legem aut decretum Dei aliquod extare, quo prior illa ratio penitus excludatur; & quæ fecerit aut passus fuerit Christus diligenter perpendamus, an scilicet ejusmodi fuerint, ex quibus satisfactio ista manare potuerit. Utque primo loco de priore satisfaciendi ratione agamus, jam dictum est, pœnam, quam nos propter peccata nostra debebamus, mortem æternam fuisse: *Stipendia enim* (inquit Apostolus Rom. 6.23) *peccati mors*. Æternam enim mortem eo loco (ut alibi sæpissime) à Paulo intelligi, & vitæ æternæ ibidem antithesis declarat, & res ipsa docet: cum temporariam mortem ii quoque experiantur, quorum omnia peccata remissa sunt atque deleta. Atqui Christus æternam mortem non est expertus, & væ nobis si eam expertus esset. Nam, ut Paulus ait, 1 Cor. 15.17, *Si Christus non resurrexit*, id est, si Christus à morte ita liberatus non est, ut amplius non moriatur, *vana est fides nostra, & adhuc sumus in peccatis nostris*, id est, nequaquam sunt deleta peccata nostra, &, qui in Christo obdormiunt pereunt omnes: & tamen, si Christus morte sua ideo delevisset peccata nostra, quia moriendo omnes pœnas peccatis nostris debitas pro nobis persolvisset, jam ante resurrectionem deleta nostra peccata fuissent: itaque ut ea delerentur, ejus resurrectione nihil opus aut esset aut fuisset. Quod si quis dixerit, idcirco oportuisse Christum resurgere, ut inde appareret, eum ejusmodi fuisse, qui pœnas istas pro nobis persolvere potuerit: Interrogabo, qua ratione id ex Christi resurrectione apparere potuerit? Si dixerit, quia resurrectio illum æternum Deum esse docuerit: Primum id negabo, & quidem jure, cum nos quoque resurrecturi simus, qui tamen æterni dii non sumus. Nam, quod hic quidam excipiunt: Christum propria vi resurrexisse, nos autem propria vi non resurrecturos, id nihil ad rem facit. Nam etiamsi Christus propria vi resurrexisset, non tamen id ex ipsa resurrectione constare ullo modo posset. Deinde dicam, quod Christus æternus Deus sit, aut esse credatur, id non modo nullam vim habere ad satisfactionem istam peragendam aut absolvendam, sed plane eam impedire, & commentitiam esse ostendere, quemadmodum postea docebimus. Verum non solum, ut dixi, Christi resurrectio eum æternum Deum esse minime probat; sed neque etiam eum, dum hic mortalis ageret, aliquid excellentius, quo nos careamus, habuisse docet, aut

quovis nostrum ulla in re excellentiorem fuisse. Potuisset enim Deus, à quo Christum excitatum à mortuis, & gloria donatum fuisse legimus, 1 Petri 1. 21, ea omnia quæ in resurrectione Christo dedit, cuicunque ex nobis dare. Neque vero hoc dico, quod negem, Christum quolibet nostrum, dum etiam hic esset, excellentiorem multo fuisse: sed, quod ex ipsius resurrectione id nequaquam constare affirmem, etiamsi resurrectionis Christi nomine hoc loco, quemadmodum in Sacris Literis fieri consuevit, universam simul potestatem, quam resurgendo adeptus est, intelligamus. Resurrectio Christi non eum talem fuisse ostendit, etiam ante resurrectionem, qualis nunc est, sed eum talem effecit. Idque intelligit Paulus, cum ait Rom. 1. 4, Christum definitum fuisse Filium Dei in potentia, per spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Definitum enim aut constitutum Paulus dicit, non autem declaratum, ut multi arbitrati sunt. Est namque ibi participium ὁρισθέντος, ὁρίζειν autem, non est declarare, sed definire aut constituere: nisi declarandi verbum eo sensu proferamus, quo boni Latinitatis auctores illud interdum usurpant, velut cum dicunt, quempiam consulem declaratum fuisse, id est, definitum & constitutum, seu mavis, creatum. Hujus autem Græci verbi significationem recte agnoverunt fere omnes loco persimili, ubi idem Paulus apud Lucam loquitur, Act. 17. 31. Nam, quod id vulgata editione scriptum est, *In viro in quo statuit &c*, in Græco legitur ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε &c: ubi tamen est animadvertendum, rectius multo conversurum fuisse locum veterem interpretem, si dixisset, *Per virum quem statuit &c*, non modo præpositionem ἐν *Per* reddendo, sed eam minime repetendo, quam idem Erasmus quoque & Castellio fecerint. Quidquid sit, certum est, ibi verbum ὁρίζειν non declarandi, sed constituendi, aut certe decernendi significationem habere. Sed dicet quispiam: Nunquid Christus non erat Filius Dei, etiam ante resurrectionem? Erat quidem, sed non in potentia, nec qualis post resurrectionem fuit: adeo, ut per ipsam resurrectionem à Deo generatus dicatur, Act. 13. 33. Ut igitur concludamus, necesse est fateri, per Christi resurrectionem nequaquam apparuisse, eum pœnas peccatorum nostrorum persolvendi vim habuisse. At enim dicent adversarii, quamvis Christus morte sua omnes pœnas peccatis nostris debitas persolverit, oportuisse tamen eum resurgere, ut pro nobis mortem superaret: Sed frivolum istud est in proposito nostro. Jam enim ista alia erit nos servandi ratio, & peccata nostra delendi, quam per satisfactionem & pœnarum solutionem, imo eam plane convellet. Satisfactio enim per pœnarum solutionem, æternam mortem in eo qui satisfacturus sit, ut vidimus, omnino requirit: Ista autem à morte peccatorum pœna nos liberandi ratio, æternam vitam, in eo qui nos liberaturus sit, plane postulat. Ad summam, cum Christus mortem æternam non subierit, sed à morte ad vitam æternam revocatus fuerit, & nisi revocatus fuisset, peccata nostra minime deleta fuissent, perspicuum esse potest, eum pœnarum pro nostris peccatis solutione dum moritur Deo non satisfecisse, neque ea ratione peccata nostra delevisse. Sed finge, Christum ipsam æternam mortem subiisse, aut quavis alia ratione ea perpessum fuisse, quæ quilibet nostrum propter commissa peccata perpeti debuisset, quid hoc ad plenam satisfactionem pro peccatis omnium nostrum? Nam, ut supra dictum est, unusquisque nostrum æternam mortem debebat, & ridiculum sane censeri debet, ejus solutione quod unus debet pro infinitis satisfieri qui idem omnes debeant. Sed ajunt adversarii nostri, Christi personam ejusmodi fuisse, ut etiamsi nec ea vere Christus passus fuerit, quæ quilibet nostrum propter peccata sua pati debuisset, & multo minus ea ipsa solus corpore suo dependerit, aut dependere potuerit, quæ nos omnes simul pendere debueramus, ejus tamen perpessiones pœnas peccatis omnium nostrum debitas non æquaverint modo, sed etiam superaverint. At nos dicimus necesse esse, ut si hoc verum est, id vel ex ipsius Christi personæ dignitate; vel ex vi quadam inde proficiscente, vel ex utraque re simul factum fuerit. Quod ad dignitatem personæ attinet, nullam apud Deum acceptionem personarum esse affirmamus, nec pluris apud ipsum esse levem pœnam dignissimæ personæ, quam gravem indignissimæ, ubi delicta sint paria. Quocirca cum Christus (ut ipsi volunt, aut certe si satisfactionem istam asserere pergant, velle debent,) omnia delicta nostra in se transtulerit, ac si ipsemet ea commisisset, nulla ratione potest per Christi perpessiones divinæ justitiæ satisfactum fuisse affirmari, nisi Christus eadem passus fuerit, quæ nos propter delicta nostra pati debebamus, & nihilo leviores pœnas dederit, quam eæ sint, quæ nobis constitutæ erant. Quanquam concedi facile potest, personæ dignitatem pœnam alioqui levem gravem efficere, seu, tanti esse dignissimæ personæ leviorem pœnam, quanti indignissimæ graviorem, sed ita tamen, ut inter ipsas pœnas aliqua sit proportio. Atqui nulla prorsus proportio est, inter ea quæ Christus pertulit & ea quæ nobis perferenda erant: non solum quia hæc tempore infinita sunt, illa vero finita; verum etiam quia utrorumque qualitas plane diversa est. Neque enim quæ passus est Christus pœnæ proprie sunt, aut dici possunt, cum ea ejusmodi beatitas & gloria consecuta fuerit, quam humana mens & lingua nec referre nec intelligere satis potest: sed labores revera fuerunt præmia antecedentes, quos si cum ipsis præmiis compares, quamvis gravissimi fuerint, levissimos tamen eos esse dices. Quod si tamen Christi personæ dignitas tanti hac in re fuit, ut nulla proportio inter ejus perpessiones & ea quæ nos perpeti debebamus requirenda fuerit, cur Deus levissima aliqua pœna (si ita loqui libet) de Christo sumpta contentus non fuit, verum ipsum tam atrociter excarnificari voluit? Cur tot ante ipsam mortem & animi & corporis angustiis premi? Cur denique morientem præ supplicii atrocitate se à Deo derelictum fuisse magna voce exclamare compelli? Certum igitur esse debet, nisi Deum injustitiæ & immanitatis per summum scelus insimulare velimus, aut Christi personæ dignitatem, omnem inter ipsius nostrasque perpessiones proportionem nequaquam exclusisse, aut ea quæ passus est Christus, eorum quæ nobis perpetienda erant loco substituta non fuisse. Quod vero attinet ad vim aliquam ex Christi persona proficiscentem, ea nullo pacto sat magna videtur esse posse, nisi sit infinita; & proinde Christus æternus & ex seipso natura Deus statuatur: quod nec adversarii unquam probabunt, nec si probarent, id tamen eorum sententiam aliquid revera juvaret, cum divina natura perpessiones aliquas experiri, easve ulla ratione participare non possit, & ad veram plenamque satisfactionem pro peccatis nostris peragendam necesse fuerit, ut ipsa humana natura quæ peccavit ex seipsa id universum exsolverit, quod nos propter peccata nostra debebamus. Adde, quod cum divina natura ea esset, cum qua, ut ipsis adversariis placet, istud nostrum æs alienum contractum fuerat, nullo modo potest ipsa illud satisfactione dissolvere, aut vim solutioni dare. Nemo enim sibi ipsi aliquid solvit, aut sibi ipsi satisfaciendi vim suppeditat. De vera enim & propria satisfactione loquimur, quæ satisfacientem non modo ab eo cui satisfit alium esse omnino requirit, sed etiam ex eo & satisfacere & satisfactionem perficere quod ipse habeat, nec ejus cui satis fit jam esse dici possit. Quare si Christus æternus & ex seipso Deus esset, cum ejusmodi Deus unus tantum sit, tantum abest, ut propterea satisfactionem istam peragendi vim habiturus fuisset, ut potius ob hanc ipsam causam ea vi plane fuisset destitutus. Apparet igitur, id ipsum unde satisfactionem istam à Christo peragi potuisse maxime suaderi posse videbatur, eam funditus tollere, &, si verum id esse volumus, ipsam, ut prædiximus, commentitiam esse omnino ostendere.

Sed jam de altero illo satisfactionis genere agamus.

Quæritur itaque, utrum Christus ea omnia aut præstiterit aut præstare potuerit, quæ nos facere debueramus? Et sane, cum Christus homo natus esset, & quidem sub lege, ut Paulus affirmat Gal. 4. 4, perspicuum esse potest, ipsum universæ Legi Dei perfectissime servandæ obstrictum fuisse. Quomodo igitur id pro aliis præstare potuit Christus, quod ipse debebat? Nam si dixerit quispiam, Christum multo plura præstitisse, quam Dei Lex præcipiebat: Respondeo, ea quoque Christum præstare debuisse, quippe quæ sibi à Deo Patre mandata & injuncta fuissent. Id enim vel ex eo intelligi potest, quod ipsam mortem ex Patris mandato subivit, Joh. 10. 18, quodque in ipsa crucis morte sustinenda obediens fuisse dicitur, Philip. 2. 8, nempe ipsi Deo, ut ex citato loco satis constat. Statim enim additur, ℣. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Atqui ubi obedientia est, ibi mandatum quoque fuisse oportet. Huc accedit, quod ibidem scriptum est, Christum obedientem fuisse usque ad mortem, mortem autem crucis: qui loquendi modus, in iis quoque quæ crucis mortem antecesserunt eum obedientem fuisse ostendit, & idcirco nihil præstitisse, quod ad sui ipsius demissionem attinet, quod sibi à Deo injunctum non fuisset. Itaque nihil quod in Dei Lege mandatum non esset præstitit Christus, quod præstare non deberet: ea enim sui ipsius demissione prorsus continentur. Apparet igitur, nullam pro aliis satisfactionem ex iis quæ Christus fecit proficisci potuisse. Adde, quod Christus ejusmodi præmium & mortis & omnium laborum suorum à Deo in sua ipsius persona reportavit, quod ipsos labores & mortem quam longissime superat, adeo, ut iis laboribus & morti pro aliis satisfaciendi nullus penitus relinquatur locus. Lege quæ supra scripto loco ad Phil. scripsit Paulus Phil. 2. 9, 10, 11. Ubi animadvertendum est, ipsos præcipuos * adversarios nostros fateri, verba illa, *Propter quod &c*, non causam exaltationis Christi, sed consequentiam tantum ostendere. Ita ut Christus ne sibi ipsi quidem, nisi ex Dei promisso, ea quæ accepit sua obedientia meritus fuerit, tantum abest, ut nobis aliquid proprie mereri potuerit, ut quidem necesse est, si iis quæ præstitit Deo pro nobis abunde satisfecit, & quidquid nobis ad divinam legem conservandam deerat plenissime supplevit. Sed finge Christum obedientiæ quam Deo præstitit præstandæ minime obstrictum fuisse, certum est, unius hominis obedientiam licet perfectissimam (si modo id alioqui fieri posset) pro uno quopiam tantummodo satisfacere posse: Nemo enim est ex iis pro quibus satisfaciendum sit, qui Deo perfectissime obedire non debeat. Jam vero, si hic quoque vel ad Christi personæ dignitatem, vel ad vim aliquam infinitam confugere adversarii velint, frustra similiter id erit: Nulla enim personæ dignitas tanta esse potest, quæ obedientiam perfectiorem efficere possit ea quam nos debemus, quæ, ut dictum est, perfectissima esse debet; nec sane quisquam erit, quin videat, personæ dignitatem hac in re nullius momenti esse. Nam quis, exempli causa, dixerit unquam, virum nobilissimum legibus parendo plus præstare, quam hominem rusticum qui iisdem legibus æque atque ipse pareat? De vi autem aliqua infinita ex Christi persona proficiscente nihil attinet dicere, cum humana natura, à qua sola obedientia divinæ legis præstari & potuit & debuit, infinita vi per se ipsa prædita esse nullo pacto queat. Etenim divinam naturam, cui obedientia debetur, quæque nullo modo obedire ipsa potest, aut vel sibi ipsi, vel alteri quidquam mereri, cum ipsa sit quæ merita, si qua sunt, præmio afficiat, hanc, inquam, vim aliquam vere ac proprie merendi alicui obedientiæ suppeditare, ridiculum simul & impossibile censeri debet: quod etiamsi fieri posset, tamen cum vis ista nihil amplius efficere queat, quam obedientia revera perfectissima efficeret, perfectissimam autem obedientiam quisque nostrum debeat, nihil inde amplius, quam pro uno quopiam ex nobis satisfactio, manare posset.

* Calvinus instit. lib. 2. cap. 16. sect. 6.

CAPUT XIX.

Ad testimonia, quæ pro Christi satisfactione afferri possent, responsio: & primum ad ea, in quibus de redemptione per ipsum facta disseritur.

Satis credimus probatum fuisse, Christi satisfactionem pro peccatis nostris ex eorum genere esse quæ fieri nullo modo possunt; nec porro ulla ratione eum pro nobis Deo satisfecisse. Nunc ad testimonia, quæ ex Sacris Literis pro ea satisfactione confirmanda afferri aut solent, aut possint, respondendum est. Ea autem omnia, præter pauca quædam, de quibus vel separatim vel certe nominatim agemus, ad quatuor capita revocanda sunt, quo commodius ad ea respondere possimus; & si quodpiam ipsorum omissum fuerit, (singulatim enim omnia prorsus examinare nimis longum esset) quomodo id explicandum sit, ex generali responsione intelligi possit. Primum caput erit eorum, in quibus de redemptione per Christum perque ejus sanguinem facta agitur; vel, quod seipsum sive animam suam redemptionis pretium pro nobis dederit affirmatur. Alterum eorum, in quibus scriptum est, Christum pro nobis & pro peccatis nostris seu propter peccata nostra percussum & occisum fuisse. Tertium eorum, ubi Christus dicitur tulisse seu portasse languores & dolores nostros, & peccata nostra, idque in corpore suo fecisse. Quartum & ultimum caput ea omnia testimonia complectetur, quæ ad expiationem peccatorum nostrorum per Christum referri possunt: in quo præcipue de Christi sacrificio & sacerdotio agetur, seu de similitudine, quæ inter Christum & victimas antiqui fœderis, antiquumque illum summum sacerdotem, ex Sacris Literis esse appareat.

Ut igitur de primo capite primum agamus, quid verbum *redimere* in Sacris Literis significare soleat, diligenter considerandum est; & videndum, num ex eo quod Christus in eis nos redemisse dicatur, statuendum sit, quemadmodum adversariis placet, Christum justitiæ divinæ id omne persolvisse, quod nos propter peccata nostra solvere debuissemus, & ita pro nobis plene satisfecisse? Propria quidem verbi redimendi, id est, verborum λυτροῦν & λύτρωσις atque ἀπολυτροῦν, quæ in Novi Fœderis scriptis extant, & redimendi verbo à Vetere Interprete Latino reddita sunt, notio ac significatio est, cum ad hominem passive refertur, captivum vel servum aliquem, ex illius manibus qui eum captivum detinet, cuive servit, pretio illi dato liberare. Verum Sacræ Literæ, quod etiam apud prophanos scriptores passim fieri videmus, ejusmodi verbis non propria, sed metaphorica significatione uti solent: præsertim vero, cum de hominum redemptione, quam Deus procuraverit, aut procuraturus sit, aliquo modo agunt. Metaphoricam autem significationem intelligo, ubi vel nullum prorsus, vel certe non verum pretium intervenit. At verum pretium intelligo, non pecuniam tantum, sed quidquid ut illi satisfiat ei datur, qui captivum aut servum detinet. Itaque affirmo, cum in Novo Testamento redemptionis per Christum factæ fit mentio, nihil aliud significari quam liberationem nullo vero pretio interveniente. Quod animadvertens Sebastianus Castellio, ubique ferme in interpretatione sua, pro verbis redimendi & redemptionis, liberandi & liberationis verba substituit. Sed libet ex Vetere Testamento locos afferre, unde metaphorica hæc istorum verborum significatio aperte constare possit. Sciendum est enim, in locis quos afferemus, in Hebræo esse verba *Padah* aut *Gaal*, quæ sine dubio si proprie accipiantur, veram redemptionem, id est, vero pretio interveniente significant, atque idem omnino pollent, quod verba illa Græca in Novo Testamento.

Igi-

Igitur Exodi 15. 13 scriptum est, *Dux fuisti*, (vel potius *Dux eris*) *in misericordia tua populo quem redemisti.* Hic certe dicitur Deus redemisse populum Israëliticum, quia ex servitute Pharaonis eum liberaverat, cum tamen nemini pretium aliquod pro eo liberando solvisset. Idem scribitur Deut. 7. 8, ubi expressius etiam dicitur, Deum redemisse Israëlem è manibus Pharaonis Regis Ægypti. Atque idem loquendi modus eadem de re habetur eodem lib. cap. 9. 26, & cap. 13. 5, & cap. 21. 8, & bis 2 Sam. 7. 23. Nehem. 1. 10, & Psalm. 77. 16. Propterea Moses, per quem Deus redemptionem istam peregerat, à Stephano Act. 7. 35, λυτρωτὴς seu redemptor est appellatus, quamvis nec etiam ipse Moses pretium aliquod pro ea peragenda alicui solvisset. Quemadmodum igitur Deus per Mosem, sive ipse Moses, potentia & auctoritate sibi à Deo tradita, non autem alicujus pretii solutione, Israelis populum ex Pharaonis servitute liberavit, & tamen ejus rei nomine eum redemisse, seu redemptor dicitur: sic Christus suprema potentia & auctoritate sibi à Deo concessa, nos ex peccati & mortis servitute nullo vero pretio alicui dato liberavit, quamvis nos redemisse dicatur. Nam qua ratione Deus populum Israëlis redemerit vide Exodi 6. 6. Quid potuit autem ad redemptionem per Christum factam explicandam magis accommodatum afferri, quam exemplum seu similitudo redemptionis per Mosen factæ, cum inter omnes constet, & Sacræ Literæ aperte omnes testentur, Mosen Christi typum fuisse; inque ea populi Israelitici redemptione redemptionem nostram fuisse adumbratam? Sed præterea, ut verbi redimendi metaphoricam significationem in Sacris Literis ita frequentem esse agnoscamus, ut propriæ locum obtinuerit, nulla alia re est opus, nisi Esaiæ vaticinationem & Psalmorum librum legere, ubi Deum redimere de morte, redimere de inimicis, redimere animam seu vitam, redimere denique aliquem simpliciter pro liberare, nullo vero pretio interveniente, persæpe scriptum est. Quinetiam in ipso Novo Testamento non pauci sunt loci, in quibus manifeste redimendi aut redemptionis verbum, non proprie sed translate accipitur. Sunt autem isti: Luc. 2 38, & 21. 28, & 24. 21. Rom. 8. 23. Eph. 4. 30, & 5. 16. Col. 4. 5. Imo nullus fortasse est in toto eo libro locus, ubi proprie accipi debere manifeste constet. Adde, quod Luc. 1. 68, apparet redemptionem per Christum factam ipsi Deo tribui, iisdem fere verbis quibus Psal. 111. 9, eidem redemptio per Mosen facta tribuitur. Ex quo satis intelligi potest, ipsi Deo sive ejus justitiæ in hac redemptione nostra nihil solutum fuisse. Nam quomodo Deus, ut apud Lucam est Luc. 1. 68, hanc redemptionem fecisset, si ipsi Deo ejusve justitiæ, redemptionis nostræ pretium ulla ex parte datum esset? Satis autem apparet, nos non ex Dei ejusve justitiæ manibus, sed aliunde redemptos esse, cum scriptum sit, nos redemptos esse, vel ab iniquitatibus nostris, Tit. 2. 14, vel ex vana conversatione nostra, 1 Petr. 1. 18, vel ab execratione legis, Gal. 3. 13. Legis enim execratio eo in loco non divinam aliquam justitiam, cui omnino satisfaciendum esset, sed pœnam ipsam in lege statutam significat. Quo sensu etiam dictum est, nos per Christum ab ira, sive supplicio liberandos esse, Rom. 5. 9. 1 Thess. 1. 10. Quod cum per ipsius Christi vitam, ut Paulus eodem ad Rom. 5. 10, loco docet, fieri debeat, satis constat, nos non vi alicujus Christi satisfactionis ab æterna morte, quæ futura illa ira, sive supplicium est, eximendos esse, sed quia Christus in æternum vivens potestate sibi à Deo tradita nos qui ipsi obedіverimus æterna vita donabit. Itaque ut ad propositum revertamur, patet, tunc etiam cum de redemtione nostra agitur in Sacris Literis redimendi verbum metaphoricè sumi, nec ulla ratione dici posse, propterea quod Christus nos redemerit, justitiæ divinæ quidquam à Christo pro nobis solutum fuisse. Adeo autem metaphoricus hic loquendi modus apud sacros scriptores invaluit, ut quemadmodum redimere pro liberare nullo pretio cuiquam dato sæpissime dixere, quod prophani quoque scriptores fecerunt, sic vendere pro in servitutem tradere, nullo pretio à quoquam accepto nonnunquam dixerint, quod apud prophanos scriptores vix inveniri putaverim. Igitur Deut. 32. 30. Hæc verba leguntur: *Quomodo persequeretur unus mille, & duo fugarent decem millia, nisi Petra eorum vendidisset eos, & Jehova conclusisset eos?* Ubi perspicuum est, vendere nihil aliud esse, quam in servitutem tradere, sive alicui subjicere. Eundem prorsus loquendi modum habes Judic. 2. 14, & cap. 3. 8, & cap. 4. 2, & idcirco vetus interpres in duobus posterioribus locis sensum magis quam verba reddens, pro *vendidit*, quod ex Hebræo legi debet, *tradidit* reposuit. Et Esaiæ cap. 50. 1 scriptum est, *Propter iniquitates vestras venundati estis*, id est, alienæ potestati estis mancipati: Et Paulus quoque hac translatione usus, inquit: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccatum*, Rom. 7. 14, quasi dicat peccati servus sum [illegible]us illique mancipatus: & hæc illa servitus atque captivitas est, ex qua nos Christus redemit, in qua redemptione nullo vero pretio opus fuit, ut postea videbimus. Dicet enim aliquis, se quidem metaphoricam verbi redimendi & redemptionis significationem in Sacris Literis agnoscere, verum tamen redemptionem nostram, quam scriptura commemorat, metaphoricam esse non posse, cum diserte alicubi pretii pro nobis dati mentio fiat, ut Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. 1 Tim. 2. 6. In quibus locis scriptum est, Christum dedisse animam suam vel seipsum pretium redemptionis pro multis, sive pro omnibus. Respondeo, eadem ratione, qua redimendi & redemptionis verbum metaphorice sumitur, pretii quoque redemptionis verbum, metaphorice sumendum esse. Nam si quid in metaphorica redemptione intervenit, quod commode pretio respondere queat, id redemptionis pretium merito appellatur. Atque tunc vere metaphora redemptionis suis partibus constat, cum aliquid in ea intervenit, quod per translationem decenter vero pretio in vera redemptione respondeat. Hoc autem de Christo ejusque anima in metaphorica (uti nos eam accipimus) redemptione nostra dici posse aperte constabit, si singulas ejus partes explicuerimus, & quatenus veritati respondeat, ostendemus. In vera hominis alicujus redemptione, captivus homo seu servus requiritur: hic in redemptione hac nostra humanum genus, sive nos ipsi sumus. Requiritur & is à quo captivus detinetur, sive cujus servus est: huic in redemptione nostra plura respondent, peccatum, Diabolus, mundus, & qui peccatum consequitur, mortis æternæ reatus, seu mortis æternæ nobis decreta pœna: verum nos ad unum peccatum omnia referemus. Requiritur præterea is qui redimat: hic autem est Deus, sive Christus per quem Deus nos redimit. Requiritur postremo pretium: hoc autem est ipse Christus, seu potius vita ejus. Nec aliud desideratur, ut redemptio nostra, non metaphorica, sed vera sit, nisi ut is, qui nos captivos detinebat, cuique serviebamus, pretium istud recipiat. Ridiculum est enim Diabolum id pretium recepisse affirmare, etsi ita Ambrosio & Augustino visum fuerit, quorum sententiam merito deridet Volfgangus Musculus in suis locis communibus. Porro, redemptio nostra dupliciter consideratur: vel quatenus ab ipso peccato in hac vita eximimur, dum sectatores bonorum operum efficimur: vel quatenus à morte peccati pœna liberamur. Utrumque primum in Deo, est, qui nos à tantis malis liberare & constituit & curat: deinde in nobis, qui hanc liberationem reipsa adipiscimur. Jam vero, sicut in vera redemptione pretium non ejus causa datur, qui redemptionem procurat, imo ipse est qui illud dat, & idcirco liberationem, quatenus ea in ipso est, non gignit, sed ejus causa solvitur, qui servus aut captivus est, & hac ratione is ex captivitate vel servitute eximitur, unde liberatio ex ejus parte gignitur & comparatur: ita Christus sive

five ejus anima in redemptione nostra pretium fuit, non quo liberatio ex parte Dei, qui eam procuravit, & ipsum dedit, compararetur nobis, sed quo nos eam reipsa consequeremur. Siquidem Christus sive ejus vita per crucis mortem profusa in causa est, ut utroque ex prædictis modis nos à peccato liberemur. Priore enim modo à peccato liberamur, id est sectatores bonorum operum efficimur, si Christi verbis fidem adhibeamus, qui nos pœnitentiam agere jussit, & novos homines fieri cœlestis hæreditatis præmio proposito, ut videre est toto cap. 5, & 6, & 7 Matthæi, & passim apud omnes Euangelistas. Atqui Christi resurrectio potissima causa est, cur ejus verbis fidem adhibeamus, ad resurrectionem vero non nisi per mortem pervenire is poterat; & simul ejus in cœlis gloria atque potentia, ad quam, ita Deo statuente, per violentam mortem eum perduci necesse erat, Luc. 24. 26. Hebr. 2. 9, 10. De hac autem liberatione nostra à peccato per Christi mortem loquitur Paulus cum de Christo ait: *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum*, Tit. 2. 14. Posteriore autem modo à peccato liberamur, id est, à morte peccati pœna exsolvimur, primum hic spe, deinde re ipsa in cœlis, ubi scilicet immortalitate donabimur: tunc enim vere justificati & à peccatis nostris absoluti erimus, cum ab æterna morte peccati pœna vindicati ad æternam vitam fuerimus in cœlum translati. Itaque dum hic sumus, spe potius quam re ipsa justificati dici possumus. Propterea Paulus ad Gal. 5. 5 ait. *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ expectamus*: & 2 Tim. 4. 8 affirmat, sibi in illa die Coronam justitiæ à Domino datum iri. Coronam justitiæ appellat, non justitiæ suæ mercedem, sed immortalitatis præmium: estque loquendi modus illi similis, cum dicimus Coronam vitæ, ut apud Jacobum & Johannem legitur, Jacob 1. 12. Apoc. 2. 10, & Coronam gloriæ, ut apud Petrum prioris Epistolæ 5. 4. Alludit enim Paulus, ut ex antecedentibus verbis liquet 2 Tim. 4. 7, 8, ad athletas, qui, ut idem alibi ait, perituram coronam accipiebant, ipse vero æternam expectabat, id est immortalitatem, quam hic justitiam nominat, 1 Cor. 9. 25, 26. Id quod Petrum quoque fecisse crediderim, cum dixit, 2 Petr. 3. 13, nos ex Domini promisso novam terram, novosque cœlos expectare, in quibus justitia habitat. Hanc igitur justitiam & à peccato liberationem, qua universa nostra salus continetur, sive spe in hoc mundo, sive reipsa in futuro seculo habere, non sine Christi morte nobis contingit. Firmam enim immortalitatis spem in nobis Christi resurrectio, quæ sine antecedente ejus morte esse non potest, potissimum gignit, ut ex Petri verbis constat, Epistolæ prioris cap. 1. 3, 4. Nec vero, ut nobis certa spes immortalitatis fieret, satis fuisset Christum simpliciter mori, sed atrocissimam mortem eum subire opus fuit, & per eam à Deo ad immortalitatem & gloriam perduci. *Decebat enim* (inquit divinus ille scriptor, Hebr. 2. 10,) *eum propter quem sunt omnia & per quem sunt omnia, multos filios in gloriam adducendo, principem salutis eorum per passiones consummare.* Afflictionum enim & calamitatum via est, per quam ad cœlorum regnum, & ad gloriam nos perducere decrevit Deus Act. 14. 22. Rom. 8. 17, hac siquidem ratione potissimum potentiam sapientiamque suam ostendit atque illustrat. Quamobrem, si Christus, qui nobis hanc Dei voluntatem patefecit, remque sic prorsus se habere persuadere voluit, & Dux præterea ad tantam salutem nobis datus fuit, eam viam ipse prior ingressus non fuisset, unde postea in cœlum ascenderet quo nos ea ductura tandem esset compertum non habuissemus; nec ipse vere Dux noster dici potuisset. Oportuit igitur Christum non solum mori, sed atrocissima & ignominiæ plena morte occidi, ut inde postmodum ad gloriosam æternamque vitam ac beatitatem perductus, nihil veri mali in ea via esse doceret, quam nobis præmonstraverat; & deinceps nulla quantumvis atroci & infami morte à spe immortalitatis ii qui ipsi obediunt demoveri possent. Atque huc respiciens Paulus Gal. 3. 13, merito dicere potuit, Christum factum pro nobis execrationem, ab execratione legis nos redemisse, non autem, ut multi sunt arbitrati, quia illam execrationem Christus subierit, quam nos propter peccata nostra alioqui subituri eramus. Namque, ut alibi dictum à nobis fuit, execratio quam nos subire ob peccata nostra debebamus, æterna mors erat, quam minime Christus subiit. Ab execratione igitur Legis Christus nos, execrationem legis ipse subeundo, redemit, non solum, quatenus crucis morte, quam ipse sustinuit, quæ ex lege execrabilis erat, factum est, ea ratione qua mox explicabimus, ut à morte æterna, quam legis dictum illud nobis minabatur, Deut. 27. 26, *Execrabilis quicunque non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*, liberandi simus; verum etiam quatenus, cum legis execrationem, quam ipse subiit, ab eo deinde superatam videmus, nihil est cur eam amplius horreamus, certo futurum jam perspicientes, ut si ipsius vestigia secuti, in ipsam inciderimus, nos quoque eam superaturi simus. Cæterum, ab ipsa æterna morte veram liberationem quomodo tandem reipsa consequi poteramus, nisi Christus qui nos ab ea vindicaturus erat, supremam in cœlo & in terra potestatem adeptus esset? Hanc vero quomodo adipisci poterat, nisi crucis morte præeunte, propter quam illum à Deo donatum ea fuisse Sacræ Literæ aperte testantur? Merito igitur Paulus ad Rom. 3. 24, 25, sic scribit: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in ejus sanguine, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium peccatorum.* Hujus enim loci sententia est, partam nobis esse justificationem, id est, à peccatis nostris absolutionem, eoque ab æterna morte liberationem ex Dei gratia, per fidem quam Jesu Christo adhibemus, in quo Deus adeo se placatum ostendit, ut non modo per illum, secundum antiqua promissa sua, in quibus servandis justum se, id est, fidelem atque veracem ostendit, nobis peccatorum remissionem obtulerit gratuitam, & ita per Christum ex parte sua nos à peccatis, id est, peccatorum pœna redemerit; sed etiam, ut nos hujus redemptionis fructum perciperemus, ipsum Christum sanguinem suum fundere, & tanquam scelerosum aliquem supplicio affici voluerit. Sciendum est enim primum, propitiatorii sive ἱλαστηρίου nomen, ad arcæ antiqui fœderis operculum alludere, quod eo nomine appellabatur, Hebr. 9. 5, quod non quidem placatum populo Deum reddebat, sed placatum ostendebat; & ex quo, populo Deus responsa dabat, id est, Mosi ea dicebat, quæ populo significari volebat Exod. 25. 21, 22. Quocirca decentissime est hoc loco à Paulo Christus eo nomine appellatus, quando non solum Deus in Christo nobis se placatissimum ostendit; verum etiam quidquid nos scire voluit per ipsum patefecit, unde fides nostra, & proinde justificatio consecuta est. Quod si quis Paulum in propitiatorii voce ad operculum illud arcæ ita appellatum alludere negaverit, non propterea Christum nobis Deum placasse concludendum erit: sed tantummodo, si Deum reipsa placatum experiri vellemus, & reipsa ab æterna morte vindicari, necesse esse, ut Christo fidem habeamus, id est, Christo obediamus, quemadmodum alibi à nobis planissimum fiet. Deinde animadvertendum est, verba illa Rom. 3. 25, *in ejus sanguine*, non cohærere cum antecedente verbo *fidem*, quasi de fide in Christi sanguine collocanda hoc loco agatur, ut Castellionis interpretatio habet, sed per se ipsa stare, atque idem significare, quod *interveniente ipsius sanguine*, quemadmodum Erasmus & Tigurini ea sunt interpretati. Quamvis enim Christi sanguis Deum ad redemptionem, id est, liberationem à peccatorum nostrorum pœna nobis concedendam, movere non potuerit, intervenire tamen debuit, ut nos eo ad oblatam liberationem accipiendam moveremur,

utque

utque ipsius liberationis effectus ad nos reipsa manare posset, iis rationibus & propter eas causas, quæ paulo ante à nobis expositæ fuerunt. Hunc autem Pauli locum, alius ejusdem Apostoli mirifice illustrat, in quo de hac eadem redemptione nostra agitur, is est ad Coloss. 1. 13, 14, 15; sic enim ibi de Deo Patre scribit: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii sui dilecti, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, &c.* Hic primum apparet, Deum fuisse, qui nos de potestate tenebrarum eripuit, id est, è Diaboli & peccati servitute liberavit, unde merito ab ipso Deo redempti fuisse dici possumus, id est, Deus ipse redemptionem nostram confecisse Rom. 3. 25: Deinde, superioris loci verba illa *in ejus sanguine*; sanguinis Christi interventum in redemptione nostra, ut diximus, significare, non autem Christi sanguinem esse, in quo fides nostra collocetur. Eandem enim vim, ut alibi sæpissime, habere eo loco constat dictionem, *in*, quam habet dictio *per*, cum hic dicatur *per sanguinem ejus*, & nulla fidei fiat mentio. Quanquam, nec in vulgata editione Latina, nec in Syriaca, nec in Complutensi Græco codice, extant verba ista, *per sanguinem ejus &c*: Sed tamen ea omnes codices habent in loco persimili, Eph. 1. 7. Postremo perspicuum est ex hoc loco, id quod etiam ex loco ad Ephesios patet, nihil aliud esse redemptionem, quam in Christo per ejus sanguinem habemus, nisi remissionem peccatorum. Peccatorum autem remissio, ut supra visum fuit, cum satisfactione nihil commune habet. Ex quo manifestum fit, veri pretii solutionem ullam in redemptione nostra non intervenisse, nec ut interveniret ullo modo fieri posse; & porro Christi sanguinem, quo interveniente redemptio nostra facta est, etiamsi redemptionis pretium appellatur, non tamen verum pretium, sed metaphoricum esse. Adde, quod ea verba, quæ Paulus subjungit Col. 1. 15, *Qui est imago Dei invisibilis &c*, satis indicant, non alia ratione magis redemptionem istam nobis obtigisse, quam quod per Christum Dei voluntatem plenissime assecuti fuerimus, atque ipsum Deum quasi præsentem conspexerimus, quod certe non fine sanguinis fusione factum est: Est enim Christi sanguis fusus, æterni fœderis sanguis, Hebr. 13 20, quo omnes per ipsum Christum divinæ factæ nobis promissiones confirmatæ & corroboratæ sunt. Quod si quis intelligere velit, universam salutem nobis per Christum partam, ipsamque redemptionem nostram, patefactione consilii Dei maxime niti, legat locum illum ad Ephesios primo capite 1. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10 &c, qui huic respondet, & paraphrasis quædam hujus loci dici potest: ubi etiam, quemadmodum & hic, redemptionem hanc nostram, quæ in Christo est, nihil aliud quam remissionem esse peccatorum comperiet. Respiciunt autem prædicti tres loci, in quibus de redemptione nostra per Christi sanguinem agitur, magis ad redemptionis spem, quam ad ipsum redemptionis effectum. At locus est, in quo de ipso redemptionis effectu, per Christi sanguinem aperte agitur, & ratio, qua per Christi sanguinem reipsa redempti simus, dilucidius exponitur. Is est in Epistola ad Hebr. 9. 11, 12 ubi scriptum est: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Christus igitur per suum sanguinem in cœlum ingressus est, ex quo æternam liberationem est adeptus, non solum quia jam ipse in æternum vivit; verum etiam quia nos quoque qui ipsius membra sumus, ea potentia quam ibi nactus est, à morte vindicabit, & una secum in æternum vivere faciet. Quodnam hic (quæso) vestigium solutionis alicujus veri pretii apparet? Vel quid opus fuit Christi sanguinem verum pretium esse, cum per ipsum quatenus via ipsi Christo fuit in cœlum ingrediendi, & immortalitatem ea ratione & sibi & suis comparandi, à nostrorum peccatorum pœnis redemptionem consecuti simus? Metaphoricum igitur pretium in redemptione nostra, ut ex jam allatis testimoniis patet, sanguis Christi est. Quocirca, cum Christus dixit, Matth. 20. 28, daturum se animam suam redemptionis pretium pro multis, non id voluit dicere scilicet, se cuipiam qui nos captivos aut servos detineret, vitam suam soluturum, qua tanquam justo pretio nostræ redemptionis accepto, ille nos liberos dimitteret: sed se vitam suam daturum, id est, se interfici permissurum, ut inde non secus ac soluto redemptionis pretio veris captivis evenire soleat, nos è spirituali peccati & mortis captivitate nostram liberationem consequeremur. Atque ob hanc ipsam causam Paulus dixit, Christum Jesum dedisse semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, 1 Tim. 2. 6. Ubi etiam quo sensu potissimum id dixerit, ex verbis quæ statim subjicit intelligi potest, *testimonium temporibus suis.* Dei enim de nobis servandis decretum per Christi mortem cumulatissime testatum videmus, unde factum est, ut ei obediverimus, atque ea ratione reipsa peccati servitute, spe autem à peccati pœna redempti & liberati simus. Hæc autem pretii redemptionis metaphora, alibi etiam in Sacra Scriptura reperitur, ut Prov. 13. 8. *Redemptionis pretium* (*Copher* enim est in Hebræo, & septuaginta habent λύτρον) *animæ viri, divitiæ ejus.* Nam quacunque ratione hæc verba interpreteris, necesse est fateri, metaphorice hoc loco redemptionis pretii nomen sumi. Sed objiciet fortasse quispiam: Si Christi sanguis seu mors, pretium redemptionis nostræ idcirco dicitur, quia sanguine Christi interveniente nos à peccato redempti sumus, cur non potius ejus resurrectio redemptionis pretium dicta est, quæ (ut nobis quidem placet) multo majorem vim in nobis à peccato redimendis habet? Facilis est responsio. Non enim eam proportionem vel similitudinem habet cum vero pretio Christi resurrectio, quam sanguis ejus & mors. Christus enim resurgendo nihil de suo dat, imo plurimum accipit: sed moriendo vitam suam profundit. Itaque, quemadmodum si quis amicum ex hostium manibus ipsis hostibus occisis liberasset, interim tamen cum hostibus confligendo non levia vulnera accepisset, non hostium interitum, sed suum sanguinem pro amico liberando se impendisse diceret, quamvis vulnera illa per se potius impedivissent, quam adjuvissent liberationem: sic Christus, quoniam dum nos è Diaboli manibus liberat, sanguinem suum interim fundit, non Diaboli ejusque imperii abolitionem, quæ revera ejus resurrectionis vi facta est, sed suum sanguinem pro nobis impendisse dicitur, & suo sanguine nos redemisse, quamvis sanguis ipse seu mors per se, non consecuta resurrectione, teste Paulo 1 Cor. 15. 17, ad nos à peccatis liberandos, nullam vim habitura fuisset. Mortis autem & sanguinis Christi in liberatione nostra peragenda, idcirco tam frequenter in Sacris Literis mentio fit, ut Dei ipsiusque Christi charitas erga nos, nobis quam maxime commendetur, quæ summa & admirabilis ea in re conspecta fuit: non autem ut nos alicujus occultæ virtutis, quæ ex morte & sanguine Christi fluxerit, admoneamur, qualis ea esset, quod ejus sanguinis fusione id omne divinæ justitiæ persolutum fuisset, quod nos propter peccata nostra illi debebamus: quod tamen, ut supra docuimus, nulla ratione fieri potuit, nec si factum esset, id nobis quatumvis ea de re monitis ullo modo nec ulla ex parte constare posset. Præterea mortis & sanguinis Christi, tanquam pretii redemptionis nostræ fieri mentio solet, ut sciamus, nos non amplius nostros esse, sed ejus qui nos redemit, & sibi asseruit. Is autem Christus quidem ipse est, sed Deus quoque, imo is præcipue. Deus enim per Christum & Christi sanguine nos emit, & Ecclesiam acquisivit Actor. 20. 28. Apoc. 5. 9. Propterea Petrus eos, ad quos scribit, vocat populum acquisitionis 1 Petr. 2. 9. Idem similiter ait 2 Petr. 2. 1, futuros inter eos, ad

ad quos scribebat, falsos Doctores, qui negent herum qui illos emit. Herum autem istum Deum esse docet Judas, qui Epistolam suam ex Petri Epistola illa posteriore quodammodo describens, hunc locum sic effert, Jud. ℣. 4. *Et solum herum Deum, ac Dominum Jesum Christum negantes.* Ex quibus locis aperte constat, Deum sibi nos per Christi sanguinem acquisivisse, tantum abest, quemadmodum ante diximus, ut ex Dei illiusve justitiæ manibus, cui satisfieri oporteret, Christi sanguine redemti simus. Cæterum, quod idcirco amplius nostri non simus, quia pretio à Deo & Christo empti sumus, & ob hanc ipsam causam hominum servi fieri non debemus, monemur diserte à Paulo 1 Cor. 6. 19, 20. & cap. 7. 22, 23. Quapropter non sine maxima causa monet Petrus 1 Pet. 1. 18. nos non corruptibilibus auro vel argento redemptos esse ex vana conversatione nostra à patribus tradita, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi; & propterea ante dixerat, debere nos tempore incolatus nostri in timore conversari, præsertim cum nobis res cum eo Patre ac Domino sit, qui sine acceptione personarum, secundum opus uniuscujusque judicat. Jubet igitur Petrus, ut postquam tanto precio ex iniquitatibus & ignorantiis nostris redempti sumus, ob eamque rem ei, qui pro nobis id pretium dedit, tantum debemus, quantum solvendo non sumus, eidem illi, qui alioquio iniquitatem abominatur & punit, maximo cum timore perpetuo obediamus. Mortis igitur Christi, ut dictum est, ejusque tanquam pretii quo redempti simus, in salute nostra explicanda ideo fit præcipua ac fere perpetua mentio, quia nihil Christus fecit, nihil ipse Deus, quo magis suam charitatem nobis testatam reliquerit, nosque sibi arctius devinxerit.

Hactenus de redemtione nostra per Christum disserere libuit, atque nisi vehementer fallimur, satis evidenter ostendere, fœde illos omnes lapsos fuisse, qui inde solutionem aliquam veri pretii per sanguinem seu mortem Christi factam stabilire sunt conati: unde loci illius & sententiæ Paulinæ 1 Cor. 1. 30, quod Christus nobis à Deo factus fuerit redemtio, longe aliam sententiam esse, quam vulgo existimetur, constare arbitramur. Quo de loco, quod is à nobis diligentius, cum de imputativa justitia agemus, examinandus sit, nihil aliud in præsentia dicemus. Unum autem adhuc superest, quod moneamus, apud Hebræos vocem esse *Copher*, quæ non minus Expiatiationem quam Redemptionem significat: Ex quo fieri potuit, ut Apostoli in locis supra expositis vocabulo ἀπολυτρώσεως, quod proprie Redemptionem significat, pro Expiatione abusi fuerint, quod sane suadere videtur ubique mentio sanguinis, qui non redemptionibus, sed expiationibus proprie convenit. Unus quidem est locus apud Auctorem Epistolæ ad Hebræos, ubi vocabulum ἀπολύτρωσις omnino Expiationem significare videtur, quemadmodum illud reddidit Castellio, qui alibi eam vocem Liberationem interpretatur, ut ab initio diximus: Est autem is locus in ea Epistola cap. 9. 15. Quod si in aliis illis locis ἀπολύτρωσιν similiter Expiationem significare velimus, pro eorum explanatione ea consulenda erunt, quæ à nobis, in postremo horum pro satisfactione testimoniorum capite, disputabuntur.

CAPUT XX.

Explicatio eorum locorum, in quibus Christus, propter peccata nostra, vel pro peccatis nostris vel pro nobis, traditus, percussus, & occisus esse, vel passus ac mortuus fuisse, dicitur.

SCribit Paulus, Christum propter peccata nostra traditum, & pro peccatis nostris mortuum esse, Rom. 4. 25. 1 Cor. 15. 3. idque Esaias multo ante non semel futurum esse ostenderat, cap. 53. 4, 5, 6, 8, 10 &c. Et Petrus ait, Christum, semel pro peccatis nostris passum fuisse, 1 Pet. 3. 18. Ex quo plerique colligi posse existimant, Christum morte sua pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfecisse, adeo, ut si quis eum satisfecisse neget, credant omnino ab eodem negari, Christum propter peccata nostra, seu pro peccatis nostris mortuum esse: quod quam longe à veritate abhorreat, mox patebit. Mori enim propter peccata seu pro peccatis alicujus, ut verba ipsa sonant, idem est, ac mori causa vel occasione peccatorum illius. Atqui sine dubio is peccatorum alicujus causa vel occasione moritur, qui ideo moritur, ut quis à peccatis retrahatur; utque illi fides fiat, si a peccando cesset, peccata sibi condonatum iri; ac præterea, ut is condonationem hanc reipsa consequatur. Cum igitur Christus, ut hæc in nobis fierent, mortuus sit, quemadmodum & supra ostensum est, & infra Deo volente demonstrabitur, merito propter peccata nostra seu pro peccatis nostris traditus esse, & passus ac mortuus fuisse dicitur, quamvis pro ipsis peccatis nostris nulli justitiæ divinæ satisfecerit. Atque ut aliquanto diligentius hac de re agamus, ubinam rogo dictio *Propter*, ut de ea prius loquamur, ejusmodi significationem habere deprehenditur, ut cum dicitur *propter peccata*, intelligendum sit, Ad satisfaciendum pro peccatis? Certe eadem ipsa locutio *propter peccata* frequens admodum est in Sacris Literis, nec tamen usquam (quod credam) satisfactionem pro peccatis significat. Imo dicet quis, ea locutione peccatorum punitio declaratur, & consequenter pro ipsis satisfactio, ut cum 1 Reg. 14. 16 scriptum est, *Tradetque Israelem propter peccata Hieroboam*, omnino significare videtur, Hieroboami peccata ab Jehova in Israele punienda fore. Primum negamus, ex peccatorum punitione satisfactionem pro ipsis consequi. Potest enim quis propter peccata puniri, nec tamen pro ipsis satisfacere. Exemplum esto in Davide, qui propter adulterium & homicidium à se commissum, à Deo, nec sane leviter punitus fuit 1 Sam. 12. 10, 11, 12, 14, tamen transtulit Deus peccatum illius, ut ibidem dicitur, ℣. 13, tantum abest, ut pro peccato suo, eas pœnas subeundo, satisfecerit. Deinde affirmamus, Israelis populum causa quidem sive occasione peccatorum Hieroboami afflictum & percussum à Deo fuisse, non tamen propter ejus peccata fuisse punitum, nisi quatenus occasione peccatorum Hieroboami & ipse peccaverat, ita ut revera non peccata Hieroboami, sed sua ipsius in eo punita fuerint. Adde, quod quicquid de peccatorum punitione intelligi debeat, cum dicitur, Israelem propter peccata Hieroboami traditum fuisse, id ex subjecta materia intelligendum est, non autem ex vi locutionis istius *Propter peccata*, quæ per se nihil aliud unquam significabit, quam causa sive occasione peccatorum. Huc accedit, quod attinet ad locos apud Esaiam, dictionem Hebræam, quæ reddita est *Propter* esse *mi*, quæ non causam finalem (quam vocant) sed efficientem declarat: ut nihil aliud ex Esaiæ verbis colligi possit, quam Christum à peccatis nostris quodammodo occisum fuisse, id est, peccata nostra Christi mortis antecedenten causam fuisse: non autem, Christum mortuum esse, ut inde effectus aliquis nostra peccata respiciens consequeretur, ut certe necesse fuisset, si idcirco mortuus esset, ut vel pro peccatis nostris satisfaceret, vel in ipso quomodocunque peccata nostra punirentur. Sequitur, ut de dictione *Pro* videamus. Sciendum est autem, ubicunque ea est, quod ad locos attinet, de quibus quærimus, ejus loco dictionem *Propter* reponi potuisse: quod tamen propterea factum non est, quia in illis locis dictiones Hebrææ aut Græcæ ejusmodi erant, quæ non nisi finalem causam significare poterant: verum dictio *Propter* non finalem tantum, sed efficientem quoque causam significare potest, dictio autem *pro* tantummodo finalem. Cum igitur scriptum legimus, Christum pro peccatis

nostris passum & mortuum fuisse, intelligendum quidem est, id propterea factum esse, ut inde effectus aliquis nostra peccata respiciens consequeretur, non tamen, ut pro illis divinæ alicui justitiæ satisfieret, sed ut dictum est, ut nos à peccatis retraheremur; utque nobis fides fieret, peccata nostra si ipsi Christo obediremus, nobis divina benignitate remissum iri; ac denique, ut remissionem peccatorum istam reipsa, ejusque fructum sentire & consequi possemus. Jam vero, quod ad eos locos attinet, ubi Christus pro nobis passus ac mortuus fuisse, scribitur, qui plures multo sunt, quam superiores, si dictionem *Pro* (ut quidem fieri debet) ea significatione accipere velimus, ut causam finalem declaret, omnia planissima esse videntur. Idcirco enim passus & mortuus est Christus, sive in mortem traditus, ut nos salutem æternam, quam is nobis de coelo attulerat, amplecteremur; eamque reipsa consequeremur. Hic vero nulla prorsus satisfactione est opus, ut supra satis explicatum fuit. Atque ut dictione *Pro* in hanc finalis causæ significationem accepta, nullam pro nobis satisfactionem declarari constet, cum Christus dicitur pro nobis passus & mortuus esse, perpendatur id quod scriptum est à Johanne Epist. 1. cap. 3. 16. *In hoc cognovimus charitatem, quod ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere.* Nam quis est qui nesciat, nos non ita pro fratribus animam ponere posse, ut pro ipsis vel minima quidem ex parte satisfaciamus? Sed tunc dicimur pro fratribus animam ponere, id est, mori, cum morte nostra beneficio aliquo longe à satisfactione diverso fratres nostros afficimus, aut afficere curamus. Idque Christi exemplo, qui, ut nos summis beneficiis citra ullam pro nobis satisfactionem afficeret, mori non recusavit, & ita animam suam pro nobis posuit. Scribit Paulus ad Coloss. 1. 24 se gaudere in passionibus suis pro illis, & complere quæ deerant afflictionum Christi pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Nemo tamen sanæ mentis dixerit, Paulum pro Colossensibus, aut pro Ecclesia Christi, ulla ex parte satisfecisse, sed tantummodo afflictum, fuisse, & multa passum esse, dum & Colossensibus, & Christi Ecclesiæ prodesse curat. Animadvertendum est tamen, non ita vere ac proprie fratrem pro fratre mori, vel Paulum pro Colossensibus proque Christi Ecclesia passum fuisse, ut Christus pro nobis passus & mortuus est. Idque duplici potissimum de causa. Una est, quia nec frater revera moritur, nec Paulus affligebatur sua sponte in hunc ipsum finem, ut alicui beneficium aliquod det, aut darent, etiamsi, dum prodesse alteri curant, mortem & afflictionem incurrant, & pro nihilo ducant. At Christus, non modo dum nobis prodesse studet, afflictiones & mortem subiit; verum etiam in hunc ipsum finem sponte passus & mortuus est, ut nos summis beneficiis afficeret. Altera causa est, quod is vere ac proprie pro alio mori videtur, qui non qualicunque beneficio eum sua morte afficit, sed insigni aliquo atque præstanti, præsertim vero si illum in vita conservat. Christus nos morte sua non qualicunque beneficio affecit, sed omnium maximo & præstantissimo, nobisque per suam mortem ad immortalitatem supremamque potentiam evectus æternam vitam comparavit. Quod nemo unquam præter ipsum, aut fecit, aut facere potest. Nam quicquid ex aliorum morte in nos derivari potest, quod ad vitam æternam nobis conciliandam quoquo modo pertineat, id omne nihil aliud est, quam confirmatio eorum, quæ nobis Christi mors attulit, & ita Christi morti quæcunque ex aliorum morte beneficia salutaria sentimus prorsus accepta referenda sunt. Ut nihil dicam, quod Christus omnium primus est primogenitus ex mortuis factus, cæteris mortem pro fratribus non recusandi & exemplum & causam dedit. Hinc Paulus 1 Cor. cap. 1. 13 ait, *Numquid Paulus pro vobis cruci fixus est?* Unde intelligi debet, neminem vel fuisse; vel esse posse, qui vere pro hominibus violentam mortem sustineat, præter unum Jesum Christum, qui pro salute nostra primus & solus morti ultro se obtulit, & crucis supplicium in eum ipsum finem volens sustinuit. Ut autem apertius fit, locutionem istam *pati & mori pro aliquo*, cum dictio *Pro* finalem causam declarat nihil cum satisfactione commune habere, aut certe non necesse esse, ut satisfactio ulla ea locutione significetur, consulantur hi loci præter jam allatos; Joh. 13. 37. Actor. 5. 41. & 9. 16. & 15. 26. (Nam Hebræa phrasi idem esse *pro alicujus nomine* quod *pro aliquo*, nemo est qui nesciat) 2 Cor. 12. 10. Eph. 3. 13. Phil. 1. 29. Rom. 16. 4 quibus adde 2 Tim. 2. 10 ubi etsi non est dictio *Pro*, est tamen dictio *Propter* cum significatione finalis causæ, ut ex loco ipso planissimum est. Sed dicet fortasse quispiam, dictionem *Pro* in locis illis, ubi Christus passus & mortuus pro nobis, fuisse dicitur, nihil aliud significare; quam vice seu loco, ut idem sit, Christum pro nobis passum & mortuum esse, quod, Christum eas perpessiones eamque mortem sustinuisse, quas nos sustinere debebamus, ejusque perpessiones ac mortem loco perpessionum ac mortis peccatis nostris debitarum substitutas esse. Hanc particulæ *Pro* in locis prædictis significationem, quam alibi ei convenire posse non negamus, vel illud dissuadere potest, quod, ut vidimus, scriptum est, Christum pro peccatis nostris mortuum esse, quod certe significare non potest, Christum loco peccatorum nostrorum esse mortuum. Itaque utrobique eadem significatio vocis illius agnoscenda est, quæ, ut diximus, causa finalis quidem est, sed à qua sensus iste, unius in alterius locum substituendi, quam longissime abest. Atque ut apertius constare queat, cum scriptum est, Christum pro nobis traditum fuisse, pro nobis passum & mortuum esse, nullam pro nobis satisfactionem significari, nec ullo prorsus pacto, substitutionem aliquam nostri loco ea in re intervenisse dici, operæ pretium est præcipuos locos, in quibus id scriptum est, diligentius examinare, quos etiam adversarii ad suam istam satisfactionem stabiliendam afferre consueverunt.

Primus locus erit, id quod legitur in Epistola ad Heb. cap. 2. 9, 10, adhunc modum: *Eum autem, qui modice quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, multos filios in gloriam adducentem, Principem salutis ipsorum per passiones perfectum reddere.* Inquit igitur Apostolus, ideo, Christum propter mortis passionem, gloria & honore coronatum fuisse, ut beneficio Dei (erga nos videlicet) pro omnibus gustaret mortem. Ex quo apparet, idcirco potissimum pro nobis Christum mortuum esse dici, quod ejus mortem consecuta sit gloria & honor, unde fit, (hocque est illud Dei beneficium, seu beneficii fructus) ut nos quoque post ipsam mortem gloria & honore coronandi simus. Neque enim fieri potest, ut caput sine suis membris ullo in statu sit; membrave sua sibi dissimilia, suarumque qualitatum plane expertia habeat. Ac præterea gloria & honor, qui Christum post mortem consecutus est, ejusmodi est, ut ei potestatem nos gloria atque honore afficiendi conciliaverit. Atqui ab omni verisimilitudine prorsus abest, ut quis suos sibique charissimos aliquo beneficio afficere queat, & id facere negligat, præsertim si ea ex re ipse sit summum aliquod bonum consecuturus, ut certe Christo in nobis gloria & honore afficiendis evenit. Tunc enim qualis quantusque sit apparebit. Tunc revera omnium hostium suorum victor & triumphator agnoscetur. Hinc autem efficicitur, ut nos in mediis ipsis calamitatibus alacres simus, cum animadvertimus, eum qui Caput & Dux noster est, per easdem calamitates ad tantam felicitatem, tantamque potestatem pervenisse. Quod si non esset, nulla ratione in tam difficili cursu perdurare possemus. Propterea addit Apostolus ℣. 10, *Decebat enim &c.* Ex quibus verbia perspicuum est, nos iisdem perpessionibus, eidemque morti ex Dei consilio obnoxios esse,

quibus

quibus Christus fuit; imo apparet idcirco Deum, in cujus manu sunt omnia, ut Christus pateretur ac moreretur constituisse, quia nos, quorum ipse Dux ad æternam salutem futurus erat, jam perpessionibus & morti ex ipsius consilio destinati eramus. Quis igitur hic vel cogitare quidem audeat, Christum vice seu loco nostrum omnium passum, & mortuum fuisse? Quis item ex eo, quod Christus pro nobis passus & mortuus esse dicatur, satisfactionem aliquam pro nobis colligi posse arbitretur, cum Apostolus eatenus pro nobis Christum mortem gustasse dicat, quatenus per mortis passionem gloria & honore coronatus fuit? Unde etiam planissimum fit, hic dictionem *Pro* non *Vice seu loco* significare, sed finalem tantum causam declarare.

Secundo, ea verba examinanda sunt, quæ scribit Petrus, 1 Epistola cap. 2. 20. *Si benefacientes & patientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut insequeremini vestigia ejus.* Primum hinc satis constare videtur, præcipuum Christi passionis scopum fuisse, non quidem pro nobis satisfacere, sed nobis exemplum relinquere, quod certe non esset, si passione sua pro nobis satisfecisset. Præcipuus enim finis & scopus ipsa satisfactio fuisset, quemadmodum ipsi adversarii sentiunt. Adde, quod etiamsi de præcipuo fine hic non ageretur, tamen vix fieri posse videtur, ut bi duo fines conveniant; Satisfacere & Exemplum relinquere, id est, ut una & eadem re & satisfiat & simul exemplum relinquatur. Satisfactio enim ostendit, illum pro quo satisfit rem illam facere non potuisse, & jam ab ejus faciendæ obligatione immunem esse. Exemplum vero quod relinquatur demonstrat, eum cui exemplum relinquitur & posse & debere rem illam facere. Deinde apertissimum est, Christum pro nobis passum fuisse, nullo modo significare posse, eum vice seu loco nostrum perpessiones illas expertum esse, cum, si non præcipue, saltem inter cætera, propterea passus fuerit, ut nobis ad eadem, si opus fuisset, perpettenda præiret.

Tertium locum faciemus Cajaphæ verba, cum imprudens vaticinatus est, quæ extant Johan. cap. 11. 49, 50. *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Jam vero, si recte intelligere velimus, quomodo, ut ex hac vaticinatione constat, Christus pro populo mortuus sit, Cajaphæ mentem inspicere oportet, ad eamque tanquam ad typum quendam totam rem accommodare. Certum autem est, Cajapham nequaquam dicere voluisse, bonum esse, ut Jesus vice populi, qui jam morti destinatus esset, moreretur: sed nihil aliud eum sensisse, nisi, cum necesse esset, aut populum perire, si Jesum vivere permitterent, aut Jesum occidi, si populus salvus esset futurus, præstare Jesum solum mori, & universum populum conservari, quam Jesum ipsum vivere, & universum populum perire. Itaque similiter dicendum est, ex hac vaticinatione nequaquam colligi posse, Christum, nostrum vice & loco, qui jam morti propter peccata nostra destinati essemus, mortem subire debuisse: sed tantummodo, cum necesse esset, aut Christum mori, & nos servari; aut Christum vivere, & nos perire, satius fuisse, ipsum mori, & nos omnes servari, quam ipsum vivere & nos omnes perire. Jam enim supra demonstratum fuit, nos non nisi Christi morte intervenienre ad salutem aspirare potuisse. Verum, quemadmodum ex ejusdem Cajaphæ mente non eadem vera erat perditio & salus illius populi, quæ ipsius Jesu: (Populus enim, ut Cajaphæ videbatur, ideo periisset, quod de quiete & auctoritate sibi à Romanis permissa periclitaturus esset: Jesus vero, quod mors sibi subeunda fuisset. Populus item, ideo salvus fuisset, quia auctoritatem ac quietem illam sibi conservasset: Jesus vero, quia in vita remansisset.) Sic quoque, non eadem est salutis & perditionis nostræ, cum salute & perditione Christi, de qua hic agitur, ratio. Salus enim nostra, vita æterna erat: perditio item, mors æterna. Christi vero salus, vita hæc temporaria: perditio, mors item temporaria erat. Apparet igitur, nullam ex Cajaphæ verbis substitutionem Christi mortis loco mortis nostræ elici posse, neque etiam de satisfactione aliqua in ejus ratiocinatione agi: sed id tantum inde colligi posse, idque tantum in ea dici, Non potuisse nos vitam æternam adipisci, nisi Christus mortuus esset: & ita pro nobis mortuum esse Christum, nihil aliud significare, quam Christum mortuum esse, ut nos ingenti beneficio afficeremur.

Quartus locus erit, ex Job. cap. 10. 11, 15. quibus duobus versiculis simul junctis, apertissime docemur, Christum tanquam bonum pastorem animam suam pro ovibus, id est, pro nobis posuisse. Atqui bonus pastor, non idcirco animam suam pro ovibus ponere dicitur, quia earum loco moriatur, sed quia ut illas conservet, si opus est, moritur. Neque enim, si mortuo pastore ut oves suas conservaret, oves nihilominus pereant, propterea is animam suam pro ovibus posuisse non dicetur. Præterea animadvertendum est, in hac parabola ac similitudine, *animam ponere* non significare ipsum mori, sed moriendi periculum adire. Nam si Pastor moriatur, qua ratione conservabuntur oves, qui scopus est boni pastoris? An non pastoris mors ovium perdendarum maxime propria ratio est? Non igitur mortem eligere potest bonus pastor, aut eam volens subire, ut oves servet: sed quemadmodum ibidem ait, Christus non est similis mercenario, qui viso lupo statim aufugit, eique oves discerpendas & dilaniandas relinquit; sed ipsum expectat ac aggreditur, atque ea ratione, ut oves suas earumque vitam ab ipso defendat, vitam suam in periculum adducere non dubitat. Similiter ipse Christus, ut nos ab interitu vindicaret, non interiit quidem, neque enim in morte remansit, alioquin & nos omnes una cum ipso periissemus, sed intereundi periculum, quantum humana mens & ratio assequi poterat, sponte adiit. Morte enim mori voluit, ipsi Deo in primis execrabili, & ab ipso derelinqui. Vidit venientem Diabolum, qui interitus nostri habebat imperium, Heb. 2. 14, non aufugit, quin imo cum ipso acriter, præsertim vero crucis mortem subeundo, conflixit, & tandem ea ratione potentiam ejus abolevit, & ita nos conservavit. Itaque animam suam pro nobis, tanquam bonus pastor pro ovibus suis posuit Christus, non vice nostrum moriendo: (nec enim ab ea morte, quam ipse subiit nos vel liberavit, vel liberare voluit,) sed interitus, qui nobis imminebat, periculum adeundo, dum sævissimum lupum Diabolum, ejusque omnem metum à nobis depellere curat. Ubi etiam animadvertendum est, quam longe absit id, quod Sacræ Literæ prædicant, Christum pro nobis mortuum fuisse, ab omni pro nobis satisfactionis significatione. Nam quid commune habet mors, quam pastor bonus pro ovibus subire non recusat, cum satisfactione aliquâ pro ipsis ovibus?

Quinto loco diligenter ea perpendenda sunt, quæ scribit Paulus ad Rom. cap. 5. 6, 7, 8. *Etenim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est. Vix enim pro justo quis moritur: Nam pro bono forsan quis audebit mori. Commendat autem charitatem suam in nobis Deus, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ex his etiam Pauli verbis, si paulo accuratius examinentur, satis intelligi posse videtur, primum pro nobis Christum mortuum fuisse, nullam pro nobis satisfactionem significare: deinde, nec substitutionem etiam aliquam Christi mortis nostræ mortis loco, ea locutione declarari. Nam quod ad satisfactionem attinet, certum est, in morte quam pro justo quis subiret, nullam satisfactionem ejus generis, cujus fuisse volunt Adversarii satisfactionem Christi pro nobis, locum habere posse. Et tamen hic à Paulo

mors pro justo per oppositionem comparatur cum morte pro impio, & sic cum Christi morte pro nobis: quæ comparatio, vel nulla, vel certe non satis apta esset, si mortuum esse Christum pro nobis, Christum pro nobis morte sua satisfecisse significaret. Quocirca certum esse potest, *Pro nobis* in illis Pauli verbis nihil præterea significare; quam *nostri causa*. Namque hoc pacto recte dicitur quis pro justo mori posse, non minus quam dicatur pro impio. Quod vero attinet ad substitutionem mortis Christi loco mortis nostræ, animadvertendum est, ex Pauli verbis intelligi posse, Christum etiam pro nobis justis mori potuisse. Atqui si justi fuissemus jam per Dei gratiam, qui, ut supra alicubi disputavimus, etiam ante Christum & sine Christo justis hominibus omnia peccata semper condonavit, ei morti quam nobis nostra peccata afferunt minime obnoxii fuissemus. Quare Christi mortem ejus loco substituere opus non fuisset, imo ne substitui quidem potuisset. Necesse est igitur, ut in Pauli verbis Christum mortuum fuisse pro nobis, aliud significet, quam ejus mortem loco mortis nostræ nobis propter peccata nostra debitæ substitutam fuisse.

Sexto & ultimo loco ejusdem Pauli verba expendere operæ pretium est, quæ habentur 2 Cor. 5. 14, 15. & 1 Thes. 5 9, 10. Utrobique enim dicitur, Christum pro nobis esse mortuum, ut ipsi vivamus. Nam in posteriore testimonio verba illa *Simul cum illo vivamus*, non vitam æternam, quam cum Christo in coelis victuri simus, sed spiritualem, quam in terris vivere debeamus, quod ipsi Christo vivere dicitur, declarant ibidem antecedentia verba. Jam vero, quo sensu dictum in utroque testimonio fuerit, Christum pro nobis mortuum fuisse, explicant aperte prioris testimonii verba illa, *sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit:* sicut enim pro nobis Christum resurrexisse, nullo pacto significare potest, ejus resurrectionem nostræ resurrectionis loco substitutam esse, nec per ejus resurrectionem alia quapiam ratione pro nobis satisfactum fuisse: sic etiam Christum pro nobis esse mortuum, neutrum istorum significare potest. Restant alii loci, in quibus eadem locutio aut similis legitur, quorum quis sit verus sensus, ex iis quæ dicta sunt facile intellectu est. Id tantum addam, *Si pro nobis* in ejusmodi locis *Nostrum vice* significaret, cum Christus dicitur dedisse semetipsum, sive animam suam redemptionis pretium pro nobis, necesse esset, Christum sive ejus animam captivam nostri loco remansisse, quo nihil absurdius dici potest. Igitur *pro nobis* in istis omnibus locis nihil aliud est, quam *Nostri causa*.

CAPUT XXI.

Locorum, in quibus Christus peccata nostra portasse dicitur, & similium explicatio, & quod ad satisfactionem pro peccatis nostris confirmandam nihil momenti habeant, demonstratio.

Sequitur, ut de iis Sacrarum Literarum testimoniis agamus, ubi scriptum est, Christum portasse peccata nostra, aut aliquid simile. Et primum quidem fatemur, locutionem hanc *portare*, *seu ferre peccatum* sive iniquitatem, idem significare solere, quod *peccati pœnas dare*, sive ut verbum verbo reddamus, *peccati pœnam ferre*. Peccati enim & iniquitatis nomine in hujusmodi locutionibus, peccati & iniquitatis pœna potissimum significatur. Quocirca, si hoc sensu dictum fuisset, Christum tulisse seu portasse peccata nostra, dicendum videretur, Christum peccatorum nostrorum pœnas sustinuisse, & ob eam causam pro peccatis nostris satisfecisse. Verum non semper hoc significat locutio ista, sed interdum *peccatum auferre* significat, id est, potissimum peccati pœnam. Auferuntur autem peccata seu pœnæ peccatorum alia etiam ratione, quam per satisfactionem. Imo, ut ex infra dicendis apertius constabit, nunquam apud Deum per satisfactionem ablata peccata fuisse leguntur. Jam vero *peccata portare* idem nonnunquam significare quod *peccata auferre*, ostendunt manifeste hi duo loci: Exod. 34. 7. Num. 14. 18: in quibus secundum Hebraicam veritatem Deus dicitur portare peccatum & iniquitatem, id est, auferre, ut ipsa vulgata editio habet. Est enim in Hebræo verbum *Nose* quod Portare proprie significat, quo quoque in ea locutione, cum etiam poenas sustinere declarat, uti solent Sacræ Literæ. Est autem significatio hæc verbi Portandi inde ducta, quod qui aliquid aufert, tantisper dum illud deponat aut abjiciat, id portare soleat: quo factum est, ut verbum Græcum βαστάζειν, quod sine dubio propria significatione nihil aliud est quam bajulo, cum Auferendi significatione apud ipsos Sacros Scriptores inveniatur. Nam Johan. 20. 15, verba illa, *Si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum*, in Græco sic leguntur: εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν, εἰπέ μοι, ποῦ αὐτὸν ἔθηκας. Cum igitur apud Esaiam scriptum legimus de Christo cap. 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, non est intelligendum, Christum omnes pœnas nostris peccatis debitas sustinuisse: (id enim, ut ante ostensum est, nec factum fuit, nec fieri ullo modo potuit) sed Christum morbos nostros, id est, peccata abstulisse, ab iisque ea ratione potissimum, qua cum de redemptione ageremus, expositum est, nos redemisse ac liberasse: quamvis in Hebræo verbum portavit sit *Sabbal*, quod proprie bajulare & ferre, ut jumenta onera solent, significat. Quod si quis adhuc hac de re dubitat, consulat Matth. cap. 8. 16, 17. & inveniet Euangelistam illum, vaticinationem istam Esaiæ, tunc impletam fuisse dicere, cum Christus omnes male habentes curaret. Quemadmodum igitur languores nostros tulisse, & dolores nostros portasse dicitur, cum omnium ægrotorum morbos abstulit: sic ad spirituales morbos, ut fieri quidem debet, Prophetæ dictum pariter accommodando, idem fecisse Christus dicendus est, cum à nobis peccata omnia, id est, ut dictum fuit, potissimum eorum pœnas atque reatum abstulit, quod non modo ratione ante exposita ab ipso factum est, quatenus scilicet viam, iræ divinæ, hoc est, supplicii peccatis constituti effugiendi, per proprii sanguinis effusionem ostendit ac confirmavit, & potestatem nos in perpetuum ab eo afferendi est adeptus; sed etiam quatenus ipse auctoritate sibi à Deo concessa, cuicunque voluit peccata dimisit & condonavit. Nam de Deo ipso quoque, ut vidimus, dictum est, eum *auferre* peccata, nempe quia illa dimittit atque condonat. Propterea Paulus ad Colos. 3. 13 scribens, ait, Christum nobis condonasse, videlicet peccata. Quod quomodo intelligendum sit, declarat locus isti respondens, ad Ephes. cap. 4. 32, ubi scriptum est, Deum in Christo, id est, per Christum condonasse: Ex quo perspicuum est, Christum non ut æternum Deum, sed ut mediatorem peccata condonasse, tantum abest, ut tanquam mediator pro ipsis satisfecerit. Quid enim commune habet condonatio cum satisfactione? aut, Quomodo fieri potest, ut qui peccata condonat idem pro ipsis satisfaciat? Christum autem, ut mediatorem & hominem peccata dimisisse, planissimum præterea facit historia illa de paralytico per eum sanitati restituto, ubi apud omnes tres Euangelistas Matth. 9. 6, Mar. 2. 10, Luc. 5. 24, à quibus ea narratur, scriptum est Christum dixisse, filium hominis potestatem habere peccata dimittendi in terra; & apud Matth. cap. 9. 8. legitur, paralytico sanato, quod effectum & signum fuit ab ipso Christo prædictum ejus potestatis, à turbis glorificatum fuisse Deum, qui tantam potestatem hominibus dedisset. Cæterum, ex hac historia animadvertendum est, Christum tunc etiam, cum hic mortalis ageret, non solum pec-

cata

ista remittendi potestatem habuisse, quatenus à quocunque ipse voluit peccatorum reatus ablatus fuit, sed etiam, quatenus reipsa potestate sibi tradita, plenum effectum liberationis a peccatorum pœnis præstare poterat. Sed hoc inter utramque istam remissionem peccatorum intererat, quod prior ad omnem prorsus peccatorum reatum pertinebat: posterior vero ad eas tantum peccatorum pœnas pro eo tempore pertinebat, quæ in hac vita à Deo infliguntur. Neque enim Christus vitam æternam conferendi, & sic à morte peccatorum pœna reipsa liberandi potestatem revera ante adeptus est, quam propter obedientiam suam, vim sibi subjiciendi omnia est consecutus. Quomodo autem vitam æternam reipsa is dare potuisset, & ab æterna morte alios liberare, qui ipse mortalis esset, cuique opus fuisset preces & supplicationes ei offerre, qui ipsum poterat liberare à morte? Heb. 5. 7. Hinc est, quod cum Pharisæis diceret, se habere potestatem dimittendi peccata, quia de posteriore hac remissione loquebatur, qua pœna ipsa peccati aufertur, addit illa verba *in terra*, quæ, ut ex Marco liquet, non cum verbis *potestatem habere*, sed cum verbo Dimittendi cohærent. Dimittere igitur omnino peccata jam poterat Christus, id est, peccatorum pœnas reipsa auferre, sed in terra tantum, id est, in hac vita mortali. Nam in cœlo quoque hac ratione peccata dimittere, id est, ad cœlestem vitam reipsa transferre, tum demum potuit, cum illi omnis potestas in cœlo & in terra data est, quod post resurrectionem factum esse, & ipse Matth, 28. 18, satis docet, & plane inter omnes constat. Verum hæc obiter hoc loco. Ex prædictis autem, præsertim vero ex Matth. cap. 8. 16, 17 testimonio satis apparet, quæcunque apud Esaiam cap. 53. 4, 5, 6, 11, 12 leguntur de Christo, quod portaverit seu tulerit peccata nostra, ad peccatorum ablationem referri debere, non autem ad pœnarum illis debitarum perpessionem. Nam Vatablus quoque ad finem capitis in verbis illis, *Et ipse peccatum multorum tulit*, verbum *tulit*, sustulit interpretatus est. Quoniam igitur Christus sustulit, id est, abstulit peccata nostra, idcirco ea portasse seu tulisse dicitur, præsertim cum, ut supra innuimus, elegans hic sit metaphora, ab iis qui aliquod grave onus à quopiam auferunt: tantisper enim dum illud deponant, aut abjiciant, ipsi id ferre solent. Quæ metaphora in ipsis peccatis auferendis, oculis quodammodo exposita fuit populo Israelitico in hirco illo emissario, de quo Levit. cap. 16. ubi ℣. 22 dicitur hircus ille portasse super se omnes iniquitates populi in terram desertam. Certissimum enim erat, hircum illum nullo prorsus modo iniquitates populi super se habere posse Verum, quia ea interveniente ceremonia, populi peccata auferebantur, propterea dicebatur hircus ille portare super se peccata populi. Perinde enim erat, ac si populi peccata ejusmodi fuissent, quæ super hircum illum poni potuissent, isque ea in locum illum desertum secum asportasset. Propterea ibidem scriptum est, ℣. 21, Aaronem antequam hircus amandaretur, debuisse in illo omnia populi peccata ponere Hinc perspici potest, in quem sensum accipienda sint Esaiæ verba Esa. 53. 6, (si ea ita legenda essent, ut leguntur in vulgata editione) dum ait, *Deum posuisse in Christo iniquitatem omnium nostrum*: Nempe, non revera peccata nostra, sive eorum pœnas in Christo positas fuisse, sive nostra peccata fuisse imputata, quod (ut etiam ex iis quæ infra dicenda sunt constabit) nullo modo fieri potuit: sed perinde fuisse, ac si peccata nostra in Christo fuissent à Deo posita, eaque ille secum aliquo asportasset, unde in nos redire amplius non possent. Sed præterea sciendum est, Hebræa verba aliter, quam à vetere Interprete factum sit, reddi Latine debuisse. Verbum enim, quod ille convertit *Posuit* est *Hipgiah* quod verbum *occurrere*, vel *occurrere facere* proprie significat, & per translationem *precari*, vel *precari facere*. Estque locus huic plane similis apud Jer. 15. 11. ubi videlicet verbum *Hipgiah* eodem prorsus modo constructum reperitur, & de Deo, ut hic, similiter dictum. Quo in loco necesse est, ut verbum istud *occurrere*, vel *occurrere facere* per translationem *precari facere* significet: nam ut significet *precari*, cum de Deo dicatur, (sicut neque hic ob eandem causam) nulla ratione fieri potest. Porro significatio illa *Precari facere* in loco nostro locum habere non potest, alioqui sequeretur Esaiam potuisse dicere, Deum fecisse, ut omnium nostrum iniquitas Christum vel pro Christo precata fuerit, quod longe absurdissimum esse, nemo non videt. Restat igitur, ut vel *occurrere*, vel *occurrere facere* id verbum hoc loco significet. Quod si *occurrere* significat, sensus omnino est, Deum in Christo, hoc est per Christum, vel cum Christo occurrisse iniquitati omnium nostrum, id est, sese illi opposuisse, & ejus impetum quodammodo à nobis avertisse, atque ea ratione nos ab omnibus malis, quæ inde nobis imminebant, liberasse. Atque hanc crediderim ego veram loci sententiam esse, præsertim cum antecedant verba illa: *Omnes nos, tanquam oves erravimus.* Nam in loco etiam illo apud Hieremiam Jerem. 15. 11 sensus omnino videtur esse, Deum per Hieremiam, hoc est, per populum Judaicum, cujus personam ille ibi sustinebat, sese inimico, hoc est, Nabuchodonosori oppositurum esse, afflictionis & angustiæ tempore, eaque ratione ejus impetum ab Hierosolymis aversurum, malaque omnia inde urbi illi imminentia depulsurum, quæ tamen loci sententia, nescio an ab aliis animadversa fuerit. At vero, si verbum *Hiphgiah* in loco nostro *occurrere facere* significare velimus, sententia erit, Deum, effecisse, ut peccata nostrum omnium Christo obviam sint facta, eumque quodammo fuerint aggressa, cum nostrorum peccatorum causa eum mori voluerit; & sic merito dici possit, peccata nostra Christo mortem attulisse, quod quid sit, jam antea vidimus, indeque nullam pro peccatis nostris satisfactionem colligi posse docuimus. At enim (inquiet aliquis) ibidem apud Esaiam Esa. 53. 5 scriptum est, castigationem pacis nostræ super Christum fuisse, quod satis ostendere videtur, in Christo fuisse punita peccata nostra; atque ea ratione ea ipsa peccata, id est, eorum pœnas in ipso positas, unde factum sit, ut nos pacem habuerimus, & cum Deo in gratiam redierimus, eique reconciliati simus. Respondeo, Castigationis verbum hoc apud Esaiam loco non punitionem significare, sed afflictionem, id quod antithesis verbi Pacis satis demonstrat, neque enim recte paci punitio opponitur, sed afflictio rectissime. Siquidem pax apud Hebræos sæpe nihil aliud, quam quietem & felicitatem declarat. Castigationem autem pro afflictione sumi (ii enim qui castigantur, affliguntur) docet Psal. 73. 14 ubi scripum est: *Et fui flagellatus tota die, & fuit castigatio mea singulis matutinis*, quem locum sic interpretatus est Vatablus: *Nam quotidie plagas fero, singulisque matutinis afflictio mea est.* Eandem autem pacis & afflictionis antithesin habes Jerem. 29. 11. Itaque loci nostri sensus est, Christum afflictionem subiisse, quæ nobis quietem & felicitatem peperit. Abunde enim supra demonstratum fuit, quomodo citra ullam satisfactionem Christi mors eamque antecedentes calamitates, nobis salutem æternam comparaverint; & quomodo non nisi Christi morte, & calamitatibus illis intervenientibus, ad felicitatem illam cœlestem, qua omnium peccatorum nostrorum plena condonatio continetur, nos aspirare potuerimus. Verum subjunget quispiam, illico apud Esaiam addi, ℣. 5, *Et in livore ejus sanitas nobis*, seu potius *medicatum est nobis*, ex quo intelligi debere videtur, ex Christi perpessionibus & morte petendum esse, quidquid ad peccatorum nostrorum morbos sanandos nobis est opus: nempe, quia perpessionibus & morte sua Christus pœnas universas nostris peccatis debitas sustinuerit: unde constare possit, in quem sensum accipienda sint antecedentia verba, *Castigatio*

pacis nostræ super eum. Atqui haud paulo aliter res se habet: neque enim petendum nobis aliquid ex Christi perpessionibus & morte, ait Esaias, sed inde factum esse, ut nos sani evaserimus. Ex eo enim, quod Christus in corpore suo vulnera & plagas lethales perpessus est, factum est, ut anima nostra ex suis morbis gravissimis erepta, veræ sanitati restituta fuerit. Quod quid sit, explicat divine Petrus, cum de Christo loquens, & ad hunc ipsum locum Esaiæ respiciens, ait, Epist. 1. cap. 2. 24, 25, *Cujus livore sanati estis: Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & curatorem animarum vestrarum.* En quid sit, Christi livorem sanitatem nobis fuisse, nimirum, Christi morte factum esse, ut nos ad Deum, seu mavis ad Christum ipsum conversi fuerimus, atque ab errore & perditione nostra in viam salutis revocati. Nam & Esaias ipse, quem sine dubio & imitari & illustrare voluit Petrus, post ea verba, *Et in livore ejus est medicatum nobis*, statim subjicit, *Omnes nos sicut oves errabamus, quisque in viam suam declinaverat.* Quocirca crediderim ego, totum hunc Esaiæ locum, Petro ex parte quodammodo auctore, sic παραφραστικῶς converti posse: *Ipse vulneratus atque occisus fuit propter transgressiones nostras, percussus, inquam, fuit, atque contusus propter iniquitates nostras, ipse afflictionem subiit, quæ nobis felicitatem peperit, ejusque plagis ac vibicibus nobis medicatum est. Omnes enim nos tanquam oves pastore carentes errabamus, unusquisque nostrum sibi indulgens à recta via declinaverat. Sed Jehova ipsum tot malis exponendo, iniquitati omnium nostrum sese opposuit, & perniciem imminentem inde à nobis depulit.* Eodem igitur sensu dixit Esaias, Christi livore nobis medicatum fuisse, quo Paulus dixit 2 Cor. 8. 9 Corinthios Christi inopia fuisse ditatos. Neque enim mens Pauli est, in ipsa Christi inopia revera divitias Corinthiorum repositas fuisse, vel, Christi inopiam, æstimatione sui, Corinthiorum inopiam compensasse eosque ditasse, sed Christi inopia interveniente factum esse, ut Corinthii ditati fuerint. Itaque hujusmodi loquendi modis, qui propter antithesim quam continent elegantes admodum habentur, & propterea etiam à quibusdam affectantur, non vis aliqua significatur, quæ ipsis rebus insit, sed res, sine quibus aliquid factum non est, exponuntur. Ut cum, exempli causa, Theologi quos patres vocant, aliique recentiores dicunt, Filium Dei de cœlo descendisse, ut nos in cœlum ascenderemus: hominem factum fuisse, ut nos deificaremur: mortalem fieri voluisse, ut nos immortales efficeremur: & pleraque similia, quæ ideo ab ipsis dicuntur, ut quæ & quanta Dei filius, (ut quidem ipsi putant) pro nobis fecerit, enarrent; atque ea ratione Dei ipsiusque Dei filii ingentem erga nos charitatem, quasi ob oculos eam ponentes, summopere commendent: quæ eadem plane est, (si sine iis modo quæ Christus fecit, nos salutem adepturi non eramus) quæ fuisset, si in ipsis quæ fecit, propria etiam nos servandi vis reposita esset: Sic in proposito nostro, dummodo non sine Christi plagis & cruce factum sit, ut nos ab animæ nostræ morbis liberati simus, recte atque eleganter dictum est, ejus livore nobis medicatum fuisse, & Dei ipsiusque Christi ingens erga nos charitas his verbis, quam maxime fieri potuit est commendata, etiamsi vis vera & propria nos servandi, alibi quam in ipsis plagis ipsaque cruce insit. Quomodo vero non sine Christi plagis & cruce nobis animæ sanitas restituta fuerit, & supra satis explicatum est, & deinceps infra reliquis testimoniis, quæ ad satisfactionem, de qua disputamus, confirmandam afferuntur, examinandis, copiosius explicabitur. Quanquam autem ex iis quæ hactenus disseruimus, non obscurum esse arbitramur, quid apud Esaiam & alibi sit, Christum tulisse seu portasse languores nostros, dolores & peccata nostra: est tamen nobis adhuc locus unus separatim explanandus, in quo adversarii maximam vim ad suam satisfactionem stabiliendam inesse putant. Sic enim apud Petrum, ante verba illa Esaiæ, quæ imitatus est, scriptum de Christo legimus, 1 Petr. 2. 24: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Nam quid aliud est *perferre*, quam sustinere ac pati? Et cum sæpe, præsertim vero in hujusmodi locutionibus, ut ab initio diximus, peccatorum nomine apud Sacros Scriptores pœnæ peccatorum intelligantur, quid aliud esse posse, Christum pertulisse peccata nostra, quam pertulisse pœnas peccatorum nostrorum? Adde, quod id fecisse dicitur in corpore suo, idque super lignum; ut dubium esse non videatur, quin Petrus dicere voluerit, Christum corpore suo, dum crucis mortem subiit, pœnas nostris peccatis debitas sustinuisse, atque ea ratione justitiæ divinæ pro peccatis nostris satisfecisse. Verum sciendum est; verba Græca, quæ reddita sunt Latine, *Qui peccata nostra ipse pertulit*, ad hunc modum se habere: ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν. Atqui ἀνενεγκεῖν τὰς ἁμαρτίας, non est, *perferre peccata*, sed auferre. Patet hoc ex loco, in quo nec præterea alibi, ut credo, in Novo Testamento, ea locutio invenitur. Is est in Epistola ad Hebr. 9. 28, ubi quod in Græco est, εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, ab Erasmo, cæteris recentioribus interpretibus assentientibus, Latine redditum fuit, *Ut multorum peccata tolleret*, & vetus interpres reddiderat, *Ad multorum exhaurienda peccata*: estque præcipue notandum, quod utrobique de Christo est sermo, ut appareat locos esse quam similimos, nec dubitari ulla ratione posse, quin quemadmodum ea locutio apud auctorem Epistolæ ad Hebræos manifeste, non *perferre*, sed *auferre peccata* significat, sic etiam significet apud Petrum. Præterea animadvertendum est, verba illa *in corpore suo* nihil aliud significare, quam *per corpus suum*. Præpositionem enim *in* loco præpositionis *per* Hebræorum more in Novo Testamento usurpari, vulgatissimum est. Itaque sic interpretandus est locus: *Qui peccata nostra ipse abstulit per corpus suum super lignum.* Quorum verborum sententia jam esse ea non potest, Christum in corpore suo dum crucifigeretur, pœnas peccatorum nostrorum sustinuisse: sed Christum, ut peccata nostra auferret, corpus suum crucifigendum tradidisse. Etenim diligenter notandum est, cum in Sacris Literis legitur, peccata nostra ablata fuisse, aut expiata, aut deleta, aut remissa, aut aliquid simile, idque hac vel illa ratione factum esse, non debere intelligi, jam id reipsa perfectum fuisse, vimque id perficiendi ex re quapiam sive actione jam profectam esse: sed Dei consilium de peccatis nobis condonandis, iisque à nobis auferendis significari, intelligendum est; atque id, eave commemorari, quæ ab ipso Deo, vel ipso Deo curante, facta sunt, ut hoc ejus consilium eventum suum sortiatur: Alioqui nihil esset, cur de peccatorum condonatione consequenda quisquam nostrum solicitus esse deberet; nec porro vel pœnitentia, vel fide, vel ulla re alia ejusmodi, quæ in nobis esse debeat, ad nos justificandos opus esset, si antequam crederemus & pœnitentiam ageremus, jam reipsa à peccatis absoluti, & justi coram Deo essemus: quo nihil vel magis ridiculum juxta atque impium, vel ipsis Sacris Literis magis contrarium excogitari potest. Cum igitur scriptum est, Christum per corpus suum cruci affixum abstulisse peccata nostra, non est intelligendum, quia Christus corpus suum crucifigendum tradiderit, ideo peccata nostra jam reipsa ablata esse, sive de ipsis peccatis, sive de peccatorum pœna loquamur. Quod tamen, quod attinet ad peccatorum pœnam, jam reipsa perfectum esset, si Christus omnes peccatorum nostrorum pœnas corpore suo crucis morti tradendo divinæ justitiæ persolvisset. Nam quod pertinet ad ipsa peccata, ea revera per Christi mortem ablata non fuisse, docet idem Petri locus 1 Petr. 2. 24, statim enim addidit, *Ut peccatis mortui justitiæ vivamus*: hoc enim non tanquam effectum prorsus necessarium, & qui jam omnino haberetur, mortis Christi à Petro commemorari, sed tanquam Christi mortis finem, quem nulla ex parte irritum fieri cuperet, ejus antecedentes exhortationes & com-

& commonefactiones abunde nos docere possunt. Quamobrem ex Petri verbis nihil aliud intelligere debemus, quam Christum, quem in summa patientia ac tolerantia malorum atque injuriarum ad imitandum proposuerat, adeo patientem, adeoque tolerantem fuisse, ut ipsam crucis mortem injustissime sibi illatam subire non recusaverit, idque ut Deo obediret, qui ea ratione peccata nostra auferre voluit, id est, efficere, ut nos peccatorum veniam ab ipso nobis oblatam reipsa consequeremur, & in posterum à peccando cessaremus. Verumtamen, ut veritas magis confirmetur, atque omnis dubitatio, quæ ex prædictis Esaiæ & Petri testimoniis oriri possit, penitus tollatur, quamvis ea quam supra attulimus, ut abunde à nobis demonstratum est, verissima illorum interpretatio censeri debeat, tamen demus locos illos interpretandos ita esse, ut in iis dictum fuerit, Christum pertulisse & sustinuisse peccata nostra, & Deum in ipsum fecisse incurrere, seu conjecisse iniquitatem omnium nostrum Esai. 53. 6, (sic enim multis placet verba illa ex Hebræo interpretari, quæ in vulgata editione ad hunc modum leguntur: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: quam lectionem, etiamsi vera esset, adversariorum sententiam nihil juvare supra ostendimus) demus, inquam, hæc de Christo dicta fuisse, quid inde necessario sequetur? Nunquid Christum omnes peccatorum nostrorum pœnas sustinuisse, atque ea ratione divinæ justitiæ pro nobis satisfecisse? Minime gentium. Loquendi enim consuetudine receptum est, ut, qui occasione peccatorum alicujus affligitur, is illius peccata perferre ac sustinere dicatur, etiamsi nulla prorsus satisfactio inde proficiscatur. Igitur, si quispiam ex sui vel filii, vel patris, vel fratris, amici, vel denique alterius conjunctæ personæ delicto aliquod damnum, ut fit, ad se redire sentiat, is (præsertim si ea in re ipse extra culpam plane fuerit) non dubitabit dicere, se conjunctæ illius personæ peccatum sustinere; quinetiam addet, se peccati illius pœnas dare, & tamen hic satisfactionis ullius ne umbra quidem est. Itaque merito dici potuit, Christum qui peccatum non fecit, nec inventus in ore ejus dolus (tantum abest, ut nostrorum scelerum particeps fuerit) peccata nostra sustinuisse; & si placet, pœnas quoque illorum dedisse, cum dubium non sit, quin ipse occasione peccatorum nostrorum multa sit passus, & detestabili tandem mortis genere fuerit occisus, quamvis nullo modo pro ipsis peccatis nostris satisfecerit. Nam, quod in illum, ita Deo volente, nostrum omnium iniquitas incurrerit, seu conjecta fuerit, quid hoc tandem est? Nonne incurrit in me iniquitas illius, propter cujus iniquitatem ego innocens divexor? Nonne præterea pœna iniquitatis illius in me conjicitur, ob cujus iniquitatem ego ea perfero, quæ perferre non commerueram, & quibus ille jure plecti poterat, quamvis multo etiam majores pœnæ ab ipso exigi potuissent, neque ego idcirco ea perferam, ut ulla ex parte pro ipso satisfaciam? Ita in Christum ideo iniquitatem omnium nostrum incurrisse, adeoque ipsam iniquitatis pœnam à Deo in Christum conjectam fuisse scriptum est, quia propter omnium nostrum iniquitatem ipse divexatus fuit, obque eandem iniquitatem ea pertulit, quæ, ut perferret, nunquam commeritus fuerat, quibusque nos merito plecti poteramus, quamvis multo majores à nobis pœnas exigere jure optimo potuisset Deus. Ex quo satis constare arbitror, ea quæ Christus pertulit, pro peccatis nostris neutiquam satisfecisse. Illud certissimum videtur, locutionem illam *portare seu ferre peccata sive iniquitates alterius*, de qua potissimum hoc loco agimus, nusquam id omnino significare, quod adversarii, cum Christus dicitur tulisse peccata nostra, eam significare volunt, ut scilicet is, qui peccatum alterius ferre dicitur, tanquam si id peccatum ipse commisisset, à Deo puniatur, cum interim tamen coram ipso Deo revera innocens alioqui & sit & habeatur. Ubique enim nisi vehementer fallor, aut significat illum qui dicitur alterius *peccatum portare*, propter peccatum illud, sive occasione illius peccati affligi tantum ac divexari, cum innocens tamen, sive extra culpam, ratione ejus peccati, coram Deo sit, sonte interim eo, qui peccatum commisit coram ipso Deo remanente: aut vero significat hujus peccatum & culpam illi ascribi, & ob eam causam illum juste puniri, hoc interim vel absoluto, vel nihilominus culpæ obnoxio remanente. Utcunque igitur sit, cum Christus extra omnem culpam revera semper fuerit, nihil amplius ex ea locutione colligi poterit, quam Christum propter peccata nostra, sive occasione peccatorum nostrorum afflictum & divexatum fuisse, ex quo nullam pro peccatis nostris satisfactionem consequi demonstratum est, quod quid sit, deinceps videndum est.

CAPUT XXII.

Introductio ad eorum locorum explicationem, in quibus Christi mors cum Veteris Testamenti sacrificiis comparatur, aut ipse Christus cum summo illo antiquo Sacerdote confertur; atque illorum simul, ubi Christi morti aliquid tribuitur, quod ad expiationes illas antiquas quoquo modo relationem habeat; & quod neque per collationem, neque per adumbrationem mortis Christi in victimis illis antiquis, satisfactio pro peccatis nostris ex Christi morte manans colligi possit, demonstratio.

RESTAT quartum caput eorum testimoniorum, quæ nobis ab adversariis objici possunt. Diligenter igitur inquirendum est, quid sibi velint Sacræ Literæ, cum Christum ejusque mortem cum Veteris Testamenti summo Sacerdote, ejusque sacrificiis conferunt, & Christi morti aliquid tribuunt, quod ad antiquas illas expiationes quoquo modo referri possit. Antequam vero aliud à nobis fiat, quia credunt omnes, Christi mortem in sacrificiis illis antiquis fuisse adumbratam, unde etiam comparatio omnis, inter hanc & illam trahi creditur, de hac adumbratione in universum aliquid dicendum est. Dico igitur, mihi verisimile non fieri, id quod plerique existimare videntur, in omnibus illis antiquis sacrificiis pro peccato seu delicto (nam de istis tantum loquimur) Christi mortem fuisse adumbratam. Rem enim adumbrantem rei adumbratæ respondere oportet. Atqui sacrificia privatorum, quæ pro peccato fiebant, Christi morti non recte respondent. Christus enim pro omnibus est mortuus, idque ex Dei ipsiusque Christi sola voluntate atque decreto, absque ullo eorum pro quibus mortuus est assensu antecedente; & non pro uno quopiam omnium peccato, sed pro omnibus peccatis est mortuus. Privatorum autem sacrificia illa, id est, quæ pro privatis offerebantur, non solum, ut verba ipsa docent, pro omnibus non offerebantur; sed neque etiam pro omnibus illorum privatorum peccatis, sed pro uno quopiam singulorum peccato; idque non sine antecedente voluntate uniuscujusque, quanquam à Deo sic præcipiente, si modo à reatu illius peccati liberari vellent. Sacrificia igitur pro peccato, in quibus Christi mortem adumbratam fuisse dici potest, ea erant, quæ ab ipsa tantum Dei ordinatione pendebant, & à summo Sacerdote, statis quibusdam temporibus, nulla populi expectata voluntate, pro universo populo offerebantur, præsertim vero anniversarium illud, de quo Exod. 30. 10. Levit. 16. per totum caput, & aliis in locis. Illud enim præterea pro omnibus peccatis (quæ scilicet expiari poterant, ut postea videbimus) offerebatur, atque alia habebat, quæ recte per typum ad Christi oblationem accommodantur, de quibus auctor ad Hebr. 9 potissimum, quæque in aliis sacrificiis non erant: qui auctor propterea nominatim de sacrificio illo agit, ad illudque maxime in Christi sacrificio explicando

respicit. Ubi obiter notandum est, quod quamvis in initio cap. 9. 1, 2, 3, distinguat auctor ille, inter Sancta & Sancta Sanctorum, tamen postea id, quod prius appellavit Sancta Sanctorum, Sancta simpliciter appellat ibidem ℣. 8. 12. 24, 25 &c, idque perpetuo. Mutatio autem ista appellationis ex ℣. 8. ejusdem capitis apertissime constat. Quanquam in verbis Græcis est aliqua distinctio, inter primam Sanctorum appellationem, & alias quæ Sancta Sanctorum designant: illa enim ἅγια simpliciter & sine articulo: hæc vero τὰ ἅγια cum articulo. Sed ad propositum revertamur. Diximus sacrificia privatorum non adumbrasse Christi mortem, quod ita intelligendum est, si de ipsis sacrificiis ipsaque morte loquamur: alioquin in Sacerdotis summi persona, etiam cum sacrificia pro privatis offerebat, Christus adumbratus fuit, per quem nos sacrificia nostra Deo offerimus 1 Petr. 2. 5. Ex quo loco etiam colligi potest, quemadmodum sacrificia illa antiqua Deo grata non erant, nisi per summi Sacerdotis manum oblata: sic sacrificia nostra spiritualia Deo grata non esse, nisi per Christum illi offerantur. Nam Paulus quoque monet, ut quidquid agimus, in nomine Domini nostri Jesu Christi agamus, gratias agentes per eum Deo & Patri Col. 3. 17. Est autem per Christum sacrificia nostra offerre, id Christo fidem habendo eique obtemperando facere: alioqui nos quoque sacerdotes sumus 1 Petr. 2. 9. Apoc. 1. 6, & 5 10. Nec vero dicat aliquis, nos Deo sacrificia quidem offerre, sed non expiatoria; & propterea non potuisse nostra sacrificia in antiquis illi, pro peccato privatorum oblatis adumbrari: assero enim omnino à nobis expiatoria sacrificia Deo offerri, de quibus David Psalm 51. 19. *Sacrificium Deo Spiritus confractus, cor contritum & confractum Deus non despicies:* Agit enim ibi David de expiatione sceleris sui, quam non legalibus sacrificiis, quæ pro ejusmodi peccatis expiandis instituta non fuerant: & idcirco in eum finem oblata Deo placere non poterant, sed cordis vere pœnitentis sacrificio se consecutum, aut consecuturum esse ait. Et Salomon Prov. 16. 6 ait, misericordia & veritate redimi seu potius expiari iniquitatem, & Petrus monet populum inquiens Act. 3. 19, *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Quod quid aliud est, quam pœnitentia & conversione expiari peccata? Verum, quomodo hæc expiatio nostra intelligenda sit, & qua ratione divinæ expiationi nihil deroget, sed universa ab ea dependeat, ex iis quæ paulo post dicentur planissimum fiet. Nunc ad totius rei tractationem aggrediendum est. Est autem tractatio ista in duas partes dividenda, quatenus vel mortem Christi in victimis illis antiquis adumbratam fuisse, ex Sacris Literis probari potest, vel ipsum Christum in Aharonici Sacerdotis summi persona.

Atque, ut priorem partem primum exequamur, dicimus hic quoque distinguendum esse. Aut enim volumus in victimis illis antiquis vim aliquam satisfaciendi pro peccatis fuisse: unde per collationem argumentari liceat, hanc eandem vim in Christi morte fuisse: aut concedimus in illis victimis revera vim istam non fuisse, sed tamen contendimus ea dicta de illis esse, quæ satisfactionem istam significent, quam necesse sit cum in re adumbrante non fuerit, in re adumbrata reperiri, & sic ex ipsa tantum adumbratione argumentari volumus. Quod attinet ad argumentum per collationem, inter omnes constat, eas victimas nullam satisfaciendi pro peccatis vim habuisse, idque rationi plane consentaneum est, cum inter hominem & pecudem nulla sit speciei communio; nec pecude sacrificanda, aliquid Deo dari possit Psam 24. 1: *Domini enim est terra & plenitudo ejus. Non est*, inquit Dominus Psalm 50. 9, 10, *ut accipiam de domo tua juvencum, nec de caulis tuis hircos: meæ siquidem sunt omnes feræ silvarum, pecudes in mille montibus.* Quamobrem, si ex victimarum vi (ut quidem ego arbitror fieri debere) ducendum esset argumentum, potius nullam penitus pro peccatis nostris satisfaciendi vim Christi mortem habuisse concludendum esset. Restat igitur, ut ex ipsa tantum adumbratione, ea ratione qua dictum est, argumentum duci velimus. Verum in isto argumentandi modo, in eo vehementer peccatur, quod pro concesso sumitur, rem adumbrantem ea qualitate penitus carere posse, quam in re adumbrata præfiguret: id enim plane falsum est. Semper enim in re adumbrante, aliquid ejusdem generis est cum eo, quod in re adumbrata præfigurat, quamvis id ejusmodi sit, ut si cum eo quod præfigurat comparetur, imago quædam veritati opposita esse videatur: Exempli causa, Serpens ille æneus Num. 21. 9, Christum adumbravit, inque eo exaltationem sive in crucem sive in cœlum, salutemque quam adepturi essent, quicunque ei fidem habuissent, præfiguravit. Atqui interim ipse quoque serpens exaltatus fuit, omnesque in eum intuentes servabantur. Itaque utrobique exaltatio, utrobique intuitus aliquis, utrobique salus: sed hic multo præstantiora omnia, quam ibi. 1 Petr. 3. 20, 21 Petrus ait, baptismum (non depositionem quidem sordium carnis, sed bonæ conscientiæ interrogationem apud Deum) ἀντίτυπον esse arcæ Noë, id est, ei tanquam rem adumbratam adumbranti respondere. Ut enim omnes, qui arcam illam ingressi fuerunt, ab ira Dei, quam diluvium immittendo exeruit, liberati sunt: sic omnes, qui baptismum istum acceperint, à divino æterni ignis supplicio servabuntur. Æterna igitur hæc salus per temporariam illam præfigurata fuit. Si quis autem recte hanc inter rem adumbrantem & adumbratam analogiam intelligere velit, legat quæ scribit Paulus 1 Cor. 10, ab initio capitis usque ad ℣. 12. Inveniet enim ab Apostolo bis dici, ea quæ populo Israelitico in deserto contigerant, figuram fuisse eorum, quæ Christianis, præsertim illis primis temporibus, eventura erant; idque non aliam ob causam, nisi quia utrobique rerum similitudo est, ac sub eodem genere utræque continentur; quamvis hic quodammodo rem ipsam, ibi vero rei imaginem spectare liceat. Hinc est, quod quidquid typice de Christo prædictum est, id aliqua ratione in typo quoque ipso conspectum fuit. Ut cum David, qui Christi typus erat, ait, Psal. 16. 10, Deum non derelicturum animam suam in inferno, nec permissurum ut ipse videret corruptionem. Hæc enim in ipso Davide eatenus locum habuerunt, quatenus pro eo tempore à morte & corruptione liberatus fuit. Verum eadem in Christo præstantiore multo ratione locum habuisse conspiciuntur, quæ cum ipsis verbis multo magis convenit, cumque huc potissimum Spiritus Sanctus, cujus instinctu David loquebatur, respiceret, idcirco factum est, ut Petrus & Paulus Davidis verba, non de ipso Davide, sed de Christo accipienda esse dicant Act. 2. 27. 31 &c, & 13. 35. 37 &c. Nam cum similiter idem David ait, Psal. 2. 7, se filium Dei esse, ab ipsoque Deo Regem constitutum, cui daturus esset possidendos terminos terræ, & alia ejusmodi, si quis verba ipsa respiciat, & Prophetici Spiritus mentem attendat, vere dixerit, hæc non de Davide, sed de Christo Jesu dicta fuisse. Sunt tamen sine dubio de Davide quoque ipso dicta, sed figurate atque hyperbolice, sic Deo ad confirmationem Christianæ veritatis mirifice rem omnem moderante, ut deinde alio respexisse Spiritum Sanctum, & mysterium subesse agnosceretur. Idemque in omnibus fere typicis de Christo vaticinationibus factum fuisse deprehendetur. Oportet igitur, (ut ad rem redeamus) si in victimis illis antiquis aliqua adumbratio fuit satisfactionis pro peccatis per Christi mortem, in iisdem quoque victimis aliquam satisfactionem pro peccatis fuisse: Sed, ut dictum est, nulla prorsus fuit: Ergo neque ullam etiam satisfactionis istius adumbrationem in ipsis fuisse dicendum est, quidquid de illis dictum fuerit, quod, si ipsa verba spectemus, satisfactionem pro peccatis illis tribuere videatur. Quanquam nihil ejusmodi de ipsis dictum est unquam, id quod hac ratione demonstrari potest, quod nihil de victimis

illis,

illis, quod huc magis pertineat, dictum est, quam cum illis sacrificandis, secundum recentiorum præsertim translationes, peccata expiari sunt dicta. Sed verbum seu verba Hebræa, quæ in prædictis locis verbo expiandi reddita sunt, nullam satisfactionem significant, ut mox docebimus. Prius enim notandum est, nusquam fortasse à Mose scriptum fuisse, victimas illas expiare peccata, sed ipsi sacerdoti fuisse tributum, quod victimas offerendo expiet peccata, vel potius, expiet populum, aut aliquem, aliquosve ex populo, sive etiam pro ipsis expiet, quod quid sit, infra suo loco videbimus. Verum tamen, ut concedamus scriptum esse, victimas illas peccata expiare, sciendum est Hebræum verbum, quod *expiare* redditum fuit, cum de ipsis peccatis per sacrificia expiandis agitur, esse aut semper, aut fere semper *Caphar*. Hoc autem verbum proprie *tegere* vel *oblinere*; sive *oblinendo obturare* significat: unde metaphorice pro *expiare* accipitur. Ideo enim expiantur potissimum peccata, quia teguntur quodammodo, & quasi oblinendo obturantur, nimirum à Deo sive Dei gratia ac benignitate. Hinc David Psal. 32. 1, beatum hominem prædicat, cujus peccatum tectum est. Hinc verbum istud de Deo peccata condonante frequenter dicitur, ut Hierem. 18. 23. & Psal. 78. 38. Utitur quidem Moses præterea verbo *Chitta*, quod *mundare* seu *purificare* significat, cum de altari expiando aliave ejusmodi expiatione loquitur: sed cum de expiatione peccatorum per sacrificia verba facit, nullus fortassis est usus apud ipsum verbi illius. Quidquid sit, certum est, ex verbo illo nullam satisfactionis significationem colligi posse: nam & ipsum de Deo dicitur peccata condonante. Cum enim David inquit Psal. 51. 9, *Asperges me hyssopo & mundabis* (sive expiabis) *me*, eo verbo usus est. Expiat igitur & Deus peccata, imo ipse solus vere expiat. Quandoquidem is solus est, qui tegit atque abscondit, mundatque atque purificat peccata nostra, ea nobis liberaliter condonando. Dicimur tamen & nos, aut certe dici possumus, expiare nostra peccata, cum id facimus, sine quo tantam suam liberalitatem nos Deus experiri non vult, ubi nullius nihilominus pro peccatis satisfactionis ne umbra quidem apparet. Quocirca, cum constituisset Deus, ut populus Israeliticus liberalitatem suam in condonatione quorundam peccatorum non ante experiretur, quam sacrificia quædam sibi obtulisset, merito iis sacrificiis offerendis, populus ille peccata illa sua expiare dici poterat, quamvis nulla prorsus ratione pro peccatis suis satisfaceret. Atque hac eadem de causa, ipsis sacrificiis, quod peccata expiarent, sine ulla satisfaciendi significatione, tribui potuit. Quemadmodum etiam fide nos justificari testatur scriptura, Rom. 5. 1, justumque ex sua fide vivere, Habac. 2. 4, non quod fides dignitate aut merito suo hominem à peccatis absolvat, eique vitam conciliet: sed quod Deus statuerit, neminem à peccatis absolutum iri, neminemque victurum, nisi qui fide fuerit præditus: qui autem ea præditus fuerit, hunc omnino, & à peccatis suis absolutionem, & vitam adipisci velit. Nam & sacrificiis illis peractis, voluit Deus peccata, pro quibus offerebantur, omnino expiari atque deleri. Non igitur quærendum est, ut expiatio illis sacrificiis tributa, in Christi morte quam illa adumbrabant reperiatur, tanquam ea scilicet, quæ verbotenus tantum illis tributa fuerit. Nam vere (ea tamen ratione, quam modo explicavimus) per sacrificia illa expiabantur peccata, non quidem omnia, sed ea pro quibus offerebantur. Offerebantur autem pro peccatis per ignorantiam admissis, vel per incogitantiam, & humanam quandam eamque frequentem fragilitatem, ut quisque ex cap. 4. 5, & 6. Levit. intelligere potest. Atque de iisdem peccatis, de quibus verba fiunt in initio cap. 6. Levit. accipienda sunt quæ leguntur Num. 5. 6 &c. In quo libro præterea cap. 15. 24, usque ad 32, habetur aperta distinctio inter ea peccata, quibus expiatio per sacrificia concedebatur, & ea quibus non concedebatur: hæc erant quæ per superbiam, idque scienter ac prudenter contra Dei mandatum committebantur: illa vero, quæ per errorem. Quod si, ut plerique existimare videntur, sacrificia illa nullum revera peccatum expiassent, sed tantummodo expiationem per mortem Christi, quæ futura erat, adumbrassent, cur potius pro levioribus quibusdam, quam pro gravioribus ea offerri voluisset Deus? Nonne per Christi mortem omnia quantumvis gravia peccata expiantur? Quinimo, si sacrificia illa per se inanis tantum umbra ac figura erant, ad Christi tamen mortem, qua omnia peccata etiam illius temporis expiantur, homines adducebant, non video cur non potius pro gravioribus peccatis, quam pro levioribus offerri deberent, siquidem graviora delicta animum & conscientiam magis perturbant, & ad desperationem quempiam facilius adducere possunt. Itaque curandum inprimis fuisset, ut qui gravia aliqua delicta commisissent, per sacrificia quæ pro illis offerrentur, Christi mortis admonerentur, per quam olim expianda forent; ne interim animum despondèrent: sed inde suis vulneribus salutarem medicinam petere possent. Ex prædictis satis constare videtur, neque per collationem, neque per simplicem adumbrationem, ex sacrificiis illis antiquis, id est, ex victimis ipsis, quæ Deo pro peccatis offerebantur, aliquid elici posse, unde satisfactionem istam pro peccatis nostris ex Christi morte manasse suspicari liceat: cum, ut demonstratum fuit, nec victimæ illæ ullam satisfaciendi vim haberent, nec eis, quod pro peccatis satisfacerent, ullo prorsus modo tributum fuerit, nec per se inanes umbræ essent, sed revera per eas peccata, pro quibus offerebantur, Dei beneficio expiarentur.

Verum iis quæ à nobis hucusque dicta sunt, duo potissimum obstare videntur. Unum est, quod in Epistola ad Hebr. 10. 4. 11, diserte dicitur, sanguinem taurorum & hircorum, & hostias illas antiquas, non posse auferre peccata. Alterum est, quod Levit. 16. 16. 21, 30, 34, aperte affirmatur, omnia peccata in illo anniversario sacrificio expiata fuisse, & hircum illum emissarium super se omnes prævaricationes, & omnes iniquitates, & omnia peccata populi in terram inhabitabilem portasse. Quod ad locum seu locos attinet Epistolæ ad Hebræos 10. 4, 11, quamvis postea de ipsis accuratius agendum sit, id tamen nunc monuisse præstabit, ablationem peccatorum, de qua ibi est sermo, non esse eam de qua hic disputamus, quatenus scilicet peccatorum reatus tollitur aliquorum præcedentium, sed eam qua ipsa peccata auferuntur, & ne quis amplius peccet, efficitur, atque hac ratione omnium peccatorum reatus in perpetuum tollitur, ut suo loco apertius ostendemus. Quod vero pertinet ad cap. 16. Levit. fateor de sacrificio illo dici, quod expiaret populum ab omnibus peccatis eorum, ut scriptum est, vs. 16, 21, 30, 34. Sed animadvertendum est, dictionem universalem *omnia*, ad ea peccata restringi debere, quibus in lege expiatio concedebatur, quæ simul omnia semel quotannis Deus expiari posse volebat, ut si quis inter eos, qui peccasset anno illo, vel errorem suum non agnovisset, vel sacrificium offerre neglexisset, posset nihilominus expiationem consequi, & coram Deo ea in parte mundus esse, confirmat aperte id quod diximus auctor Epistolæ ad Hebr. qui cap. 9. 7 ait, in eo sacrificio anniversario summum Sacerdotem pro suis & pro populi ignorantiis obtulisse. Nam, quod quidam ignorantiarum nomine ibi omnia prorsus peccata significari volunt, nullo modo sunt audiendi, cum contra perpetuum usum Sacræ Scripturæ loquantur, quæ etiam manifeste ignorantias ab aliis peccatis distinguit, (ut supradicto capite Num. 15. 24, 26, 27, 28, 29, 30, 31 &c. apparet) quibus per sacrificia in lege expiatio non conceditur. Jam vero, quod attinet ad hircum illum emissarium, dico primum necessarium esse, ut ceremonia illa, cum esset incruenta, nulla peccata expiarentur: Traditur enim regula in Epistola ad Hebr. 9. 22, Sine sanguine non fieri remissionem. Quare si ibi

ibi de peccatis remittendis agitur, id aliud esse non potest, quam repræsentatio quædam, vel potius adumbratio remissionis illius, quæ eodem die, eodemque solenni festo per sacrificium fiebat. Nam etsi in hirci ceremonia illa Levit. 16. 21, non peccatorum tantum, ut in sacrificio, sed prævaricationum quoque & iniquitatum fit mentio, tamen dicendum est, cum de sacrificio agitur, nomen peccatorum, ut sæpissime fit, latius accipi, cum vero de ceremonia angustius. Nam illa quoque peccata, quæ ultronea appellari solent, quæque sacrificiis expiabantur, prævaricationes nominari solere patet ex Levit. 6. 2 &c. & Num. 5. 6, 7 &c. Iniquitatis vero nomen ad ejusmodi peccata sacrificiis expianda accommodari posse ostendunt hi loci Levit. 5. 16, 17, & cap. 10. 17. Quanquam dici posset, ceremoniam illam nec repræsentationem etiam, vel adumbrationem ejus remissionis fuisse, quæ per sacrificium contingebat; sed populi, ut ex parte apparet, suorum delictorum & scelerum omnium confessionem, & simul vel professionem ea in posterum ab se quam longissime ablegandi, vel ad Deum precationem, ut eorum reatum ab ipsis penitus removeret, non secus ac si hircus ille ea revera secum in desertum illum atque inaccessum locum asportasset.

CAPUT XXIII.

Quid per comparationem Christi mortis cum victimis illis antiquis, de ipsa Christi morte, quod attinet ad delenda peccata nostra, statui possit; & locorum de expiatione per Christi mortem loquentium explanatio.

CUm igitur neque per collationem, neque per adumbrationem antiquarum victimarum, ulla ratione concludi possit, Christi mortem pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfecisse, videndum est, ecquid aliud inde, quod ad delenda nostra peccata attinet, de Christi morte constitui queat? Primum igitur de collatione seu comparatione videamus. Antequam tamen istud fiat, sciendum est, Christi corporis oblationem expiatoriam, quam auctor Epistolæ ad Hebræos antiquis illis victimis opponit, non esse ipsam Christi mortem, sed per Christi mortem ipsius ingressum in cœlum, ubi nunc pro nobis coram Deo appareat, ut postea demonstrabitur. Ex quo apparet, non leviter eos errare, qui ea, quæ auctor ille Christi attribuit oblationi, ad ipsam mortem accommodant: præsertim, cum ne ibi quidem, ubi mortis seu sanguinis Christi tantum fit aperta mentio, intelligendum sit, ipsam tantummodo mortem commemorari, cum sacri scriptores sola sanguinis seu mortis Christi appellatione metonymice universam ipsius oblationem (nam id quoque in commemorandis sacrificiis illis antiquis fieri consuevit, ut scilicet sanguinis solo nomine universa pecudis oblatio intelligatur) intelligere soleant. Verumtamen, ut de veritate apertius constet, ipsam Christi mortem cum victimis illis conferemus, atque adumbrationis etiam ratione habita, hanc illis longe præstare docebimus, etiamsi nulla ex ea pro peccatis nostris satisfactio proficiscitur. Jam vero, quemadmodum legales illæ victimæ non ideo peccata expiabant pro quibus offerebantur, quia vel Deum ad illa condonanda moverent, vel aliquid in ipsis esset, quod culpam ex ipsis peccatis manantem resarciret; sed, quia sacrificio peracto expiatio jam ante Dei benignitate decreta consequebatur: sic etiam Christi mors non idcirco peccata nostra expiat, quod vel Deum ad ea nobis condonanda moveat, vel culpam peccatorum nostrorum ullo modo resarciat; sed, quia Christi supplicio peracto liberatio à reatu peccatorum nostrorum consequitur, quæ jam antea erga nos Dei misericordia fuerat constituta. Simul enim atque Christus crucis mortem passus fuit, id ex Dei decreto consecutus est, ut non solum ipse ad vitam immortalem restituendus esset; sed etiam nos qui illi obedimus, & ipsius fuhili, eadem immortali vita donandi potestatem adipisceretur. Atqui nihil aliud est liberatio a peccatorum nostrorum reatu, quam à morte peccati pœna perpetua decreta liberatio. Præterea, sicut victimis illis oblatis, jam populus se à reatu peccatorum illorum liberatum, sibique Deum placatum esse agnoscebat: ita Christi supplicio peracto non modo, ut dictum est, nos à peccatorum nostrorum reatu liberi sumus, verum etiam id ipsi agnoscimus; Deumque nobis placatissimum esse intelligimus, qui charissimum filium suum, ut is nobis ad æternam salutem præiret, & certissimus Dux esset, teterrimæ morti objicere non recusaverit. Itaque expiationis peccatorum nostrorum tum effectus, tum etiam agnitio, non secus atque ex victimis illis, ex Christi morte manat. Ad expiationis effectum pertinent illa ipsius Christi verba, Matth. 26. 28. *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Non igitur dicere voluit Christus, sanguinem suum fusum iri, ut Deus ad remissionem peccatorum multis concedendam adduceretur, sed ut ad multos peccatorum remissionis effectus manare posset. Nisi enim Christus sanguinem suum fudisset, potestatem suos, id est, sibi obedientes (qui sunt illi multi) ab æterna morte vindicandi, qua re peccatorum remissio continetur, nullo modo, ut antea dictum fuit, adeptus fuisset. Ad eundem expiationis effectum pertinent verba illa Epistolæ ad Hebr. 9. 15. *Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub Veteri Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Vocabulum redemptionis, ut alibi diximus, hoc loco expiationem significat. Mors igitur Christi intervenit, ut nos, per Novum nobiscum à Deo per ipsum Christum percussum fœdus, expiationem consequeremur earum transgressionum, quæ non expiabantur sub Vetere Fœdere; atque ita quicunque vocati sumus, (loquitur autem hic Apostolus de vocatione cum effectu, de qua supra à nobis actum est) & ipsi Christo fidem habemus, æternæ vitæ hæredes fiamus. Ut enim, (quemadmodum ibidem subjicitur) nisi testatoris mors intercederet, Testamentum ratum non est: sic nisi Christi mors intercessisset, nullum effectum habituræ erant ejus promissiones, & fœdus quod nobiscum sanxit. Ubi animadvertendum est, Apostolum propter ambiguitatem vocis Græcæ διαθήκης quæ & Fœdus & Testamentum significat, à Fœdere ad Testamentum sermonem detorsisse, nec tamen id perperam factum est. Neque enim Fœdus tantum, sed Testamentum quoque fecisse Christus dici potest antequam moreretur. Nam certe Testamentum condentis videntur esse verba illa, Luc. 22. 29, 30. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit Pater meus mihi regnum, ut edatis &c.* Est quidem apud Veterem Interpretem in verbis paulo ante allatis vox *Testamentum*, sed ea ab ipso pro fœdere ubique usurpatur, tanquam si ea esset vox voci διαθήκης plane respondens, quod tamen non ita est. Neque enim apud Latinos vox *Testamentum* Fœdus significare unquam (ut arbitror) deprehenditur. Quod tamen desiderandum esset, ut hic locus recte Latine reddi posset. Sed quia neque hanc, neque ullam aliam vocem Latini habent, quæ una & Fœdus & Testamentum pariter significent, propterea hic locus in linguam Latinam conversus omnem vim omnemque venustatem amittit. Cæterum, similitudo quam hic instituit Apostolus inter Christi Testamentum (quod vocant) & aliorum Testamenta, in eo solum consistit, quod utrobique mors testatoris interveniat necesse est, si Testamentum ratum esse debet, quemadmodum ipsius verba demonstrant. Ratio vero, cur utrobique mors testatoris ad Testamentum confirmandum requiratur, longe diversa est. Aliorum Testamenta nullum effectum habere possunt vivo testatore: omnis enim eorum effectus post mortem differtur, & potest

testator

testator dum vivit, non modo Testamentum mutare, sed illud etiam penitus abolere. At Jesu Christi Testamentum, id est, illius promissiones, nullum effectum habituræ erant, nisi Christus ipse, qui illas nobis præstare debebat, æterna vita ac plane divina potestate præditus fuisset. Hisce autem rebus ex Dei ipsius decreto minime præditus esse poterat, nisi prius mortem expertus esset. De hoc eodem expiationis effectu accipiendus est locus ille apud Johannem prioris Epistolæ capite 4. 10. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem* (sive expiationem) *pro peccatis nostris.* Quid autem sit hæc peccatorum nostrorum expiatio, quam Dei filius peregit, declarant proxime præcedentia verba ℣. 9, in quibus, ut sæpissime solet, Apostolus eandem sententiam expresserat: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Expiat igitur peccata nostra Christus Dei filius, non quia divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfaciat; sed quia vitam æternam nobis confert, qua nostrorum peccatorum expiatio, id est, ab ipsorum pœna liberatio, plenissime continetur. Ad expiationis autem peccatorum nostrorum per Christum partæ cognitionem pertinent, ut arbitror, ejusdem Apostoli verba illa, 1 Joh. 1. 7. *Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Perinde est enim ac si dixisset, si hoc facimus, non est cur de expiatione nostrorum peccatorum dubitemus: Jesu Christi enim sanguis, quem, ut eam consequeremur, effundi voluit Deus, id nobis aperte testatur. Nam verbum *emundare* idem significare posse, quod *mundum pronunciare seu declarare*, probant inter cætera manifeste cap. 13, & 14. Levit. ubi de leproso vel mundo vel immundo pronunciando agitur. Etenim ibi perpetuo, secundum veritatem Hebraicam, ubi in Latinis editionibus est *mundum judicabit* aut quid simile, habetur *emundabit*: quemadmodum etiam ibidem, pro eo quod in Latinis codicibus est *immundum judicabit*, in Hebræo habetur *contaminabit*. Confirmatur autem hæc nostra hujus loci interpretatio ex eo quod Johannes paulo inferius scribit, ℣. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ipsi Deo nunc tribuit, quod filii ejus sanguini antea tribuerat, Deumque emundare, vel potius emundaturum esse nostra peccata affirmat. Ex quo satis constat, verbum emundandi hoc loco nihil prorsus cum satisfactione commune habere. Nulla enim ratione per satisfactionem emundaturus est Deus ipse peccata nostra, sed, ut ex ejusdem Apostoli verbis aperte colligitur, per remissionem ac condonationem. Cujus rei cum Jesu Christi filii ejus effusus sanguis indubitatam nobis faciat fidem, merito illi peccatorum nostrorum emundatio tribuitur. Id enim solum, post tantam Dei liberalitatem, si condonationem istam reipsa adipisci velimus, ut fiat necesse est: videlicet, ut nos rem ita se habere credamus, ob eamque rem tales evadamus, quales Deus requirit, & Johannes esse debere affirmat qui tanti boni participes sint futuri, in luce nimirum ambulantes, quemadmodum ipse Deus est in luce, & peccata nostra illi sincere ex animo confitentes. Superantur autem victimæ illæ antiquæ à Christi morte in peccatis expiandis duplici de causa. Primum, quia victimæ illæ, illæ etiam (inquam) quæ semel in anno offerebantur, quibusque potissimum, ut dictum est, Christi mors respondet, à peccatorum quidem pœna liberabant, cæterum à peccatis populum cessare minime faciebant: sed Christi mors non modo à peccatorum pœna nos liberat, verum etiam, ut à peccando cessemus, efficit. Deinde, victimæ illæ ab antecedentium anni illius peccatorum pœna populum immunem reddebant: Christi autem mors, & ab antecedentium omnium delictorum, & à futurorum reatu nos liberat. Utrumque hunc Christi mortis effectum complexus est auctor Epistolæ ad Hebr. his verbis, cap. 9. 11, 12. *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Redemptionis verbum, ut jam dictum est, ab hoc scriptore pro expiatione usurpatur: Opponit enim expiationem Christi sanguine & morte interveniente factam, expiationibus illis legalibus, atque eam æternam vocat, cum legales illæ temporariæ essent, non solum quia illæ, ut supra dixerat, pro tempore illo præsente, usque ad tempus correctionis, constitutæ erant: hæc vero in æternum duratura est; verum etiam, quia illæ, pro eo etiam tempore, in futurum nequaquam respiciebant: hæc vero ab omnibus peccatis etiam futuris, id est, ab ipsorum reatu & pœna liberat. Sic enim statuit Deus, ut postquam Christus ipsi obediens fuit usque ad mortem crucis, omnes qui illius sunt, in cœlis cum ipso tandem æternum vivant, & ita ab omnium peccatorum reatu & pœna liberentur. Et hic est unus ex illis duobus Christi mortis effectibus. Sed animadvertendum est, Christum pro suis eos tantummodo agnoscere, qui resipuerunt, atque, ut inquit Paulus Gal. 5 24, carnem suam una cum concupiscentiis & affectibus crucifixerunt. In quibus, si nihilominus quædam adhuc remanent peccata, incogitantiæ videlicet & fragilitates aliquæ, ea licet futura, divino decreto expiata jam sunt, & ipsis nunquam imputabuntur. Quocirca, ob hanc quoque causam æternam vocat hanc peccatorum expiationem, quod à peccatis cessare facit, (qui alter est illorum Christi mortis effectuum) hominemque justitiæ cultorem efficit; atque ea ratione ab omnium peccatorum pœna perpetuam liberationem parit. Ut autem hæc duo, quæ expiationi fa'æ per Christum tribuit, & cæteris, quemadmodum apertius deinde constabit, omnino adimit, per ipsius Christi mortem contigisse clarius demonstret, idque quod antea strictim complexus quodammodo fuerat, latius deinde explicet atque exponat, statim subjicit ℣. 13, 14. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus*, (vel potius aspergens) *inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* Quamvis enim videatur in his verbis de liberatione tantum ab ipsis peccatis agi, tamen, ut comparatio rectius procedat, dicendum omnino videtur, de liberatione quoque à peccatorum pœna verba fieri. Siquidem sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, non idcirco sanctificabat ad carnis emundationem, quod ne quis amplius inquinaretur efficerent, sed quia à labe illa jam contracta purificabant. Quod igitur ad liberationem à peccatorum reatu & pœna attinet, sic argumentatur scriptor ille: Si sacrificia & aspersiones illæ eam vim, propter effectum qui ita Deo volente consequebatur, habebant, ut carnis inquinamenta abstergerent, cum tamen hanc vim ex ipsius sacrificiis & aspersionibus nullo modo manare posse constaret: multo magis Christi sanguis vim habebit eam labem abstergendi, quam ob peccata nostra contraximus, cum non modo Deus in hunc finem præcipue Christum mori voluerit, sed ex ipsa morte Christi hanc vim proficisci ipsi sentiamus. Nam, cum videmus Christum per sui sanguinis effusionem æternam vitam æternumque sacerdotium adeptum fuisse; quid est cur timeamus, nostra peccata nobis unquam imputatum iri? Num fieri potest, si ejus simus, ut peccata nostra plenissime non expientur, & nos quoque æternam vitam non adipiscamur? Itaque ex Dei parte expiata esse peccata nostra per Christi sanguinem & mortem nos ipsi sentimus; & sic omnem labem, quam ex mortiferis nostris operibus contraxeramus, quod ad Dei voluntatem attinet, abstersam esse agnoscentes,

alacri

alacri animo, ut expiatio ex parte nostri etiam fiat, id est, ut expiationis effectum consequamur, ex ipsius Christi præscripto, viventi Deo, qui nos à morte in perpetuum vindicaturus est, ex animo serviamus, eique nos totos consecramus. Quod vero pertinet ad liberationem ab ipsis peccatis, tametsi alia ratio erat illius purgationis, & alia nostræ à peccando cessationis, (namque, ut jam dictum fuit, purgati illi erant, non quod amplius non peccarent, & ea ratione amplius se non inquinarent, sed quod à jam contracta labe mundabantur) potuit tamen Apostolus hæc, licet diversa, inter se comparare, quatenus ostendere voluerit, multo majores vires habere sanguinem Christi ad hoc efficiendum, quam habuissent victimæ & aspersiones illæ antiquæ ad illud præstandum, & ad hunc modum argumentari: Si sola Dei ordinatione ex victimis & aspersionibus illis effectus ille consequebatur, ipsis interim ea in re nihil vi propria vere efficientibus: multo magis ex Christi sanguine effectus de quo quærimus, consequetur; cum præter Dei ordinationem ipse Christi sanguis magnam vim ad id præstandum habeat. Quis enim est, qui cum consideraτ, Christum innocentissimum cœlos penetrasse, ibique æterna beatitate apud Deum fruiturum esse, sese ad eum imitandum non accingat, & mortuis, seu mortiferis operibus, hoc est, peccatis relictis, ad Deo serviendum se convertat? Quis, cum noverit Christum, qui pœnitentiam agentibus, vitamque corrigentibus æternam vitam Dei nomine est pollicitus, in Dei ipsius conspectu inculpatissimum pro nobis perpetuo astiturum, vitam corrigere negliget, & Deo se non dedicabit? Hæc autem quæ diximus, Christo non nisi sanguine ipsius prius fuso contingere, nec si sanguinem suum prius non fudisset, ipsi contingere poterant. Quare ejus morti & fuso sanguini beneficia omnia, quæ inde ad nos manant, accepta referenda sunt. Probat igitur Apostolus evidenter, ex Christi sanguine, quo fuso ipse in vera sancta ingressus sit, vitæ nostræ emendationem proficisci. Hoc autem evicto, continuo æternam expiationem illum nactum fuisse consequitur. Quicumque enim emendat vitam suam, ut supra dictum est, & universæ Novi Fœderis Literæ testantur, præterquam quod ab ipsis peccatis, ut manifestum est, liberatur & expurgatur, perpetuam etiam & plenissimam, Deo, quemadmodum nos Christus docuit, id pro sua bonitate statuente, à peccatorum suorum pœna liberationem adipiscitur. Et sic apparet, quomodo Apostolus per verba illa, *Si enim sanguis hircorum &c*, proxime antecedentia verba explicet atque confirmet; idque verissimum esse demonstret, quod dixerat, Christum per sui sanguinis fusionem æternam expiationem invenisse. Quod multo magis perspicuum fiet, si quid illud sit, quod ait, Christum per Spiritum æternum sese obtulisse immaculatum Deo, paulo diligentius explanaverimus; potissimum vero, si, quemadmodum polliciti sumus, Christi oblationem hanc, non ipsam crucis mortem, sed per eam mortem, ingressum in cœlum, ibique coram Deo sui ipsius (ut ita dicam) præsentationem esse demonstraverimus. Id quod, Deo dante, deinceps faciemus.

CAPUT XXIV.

Quod Christi oblatio, apud auctorem Epistolæ ad Hebræos, non in cruce, sed in cœlo post resurrectionem perfecta fuerit, demonstratio; & simul apud eundem scriptorem eorum verborum explanatio Hebr. 9. 14, Qui per Spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo; *sic præterea jam expositis inter Christi sacrificium & victimas illas legales discriminis confirmatio.*

Satis ex iis quæ supra disputavimus ostensum videtur, quomodo in verbis illis Epistolæ ad Hebr. 9. 13, *Si enim sanguis hircorum & taurorum &c*, utraque illa expiatio per Christi sanguinem contineatur, quibus antiquas illas victimas carere diximus, idque citra ullam pro peccatis nostris Deo exhibitam satisfactionem. Verum, quia verba illa, *Qui per Spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo*, recte explicata magnam lucem toti huic materiæ allatura sunt, operæ pretium duximus, illa paulo accuratius perpendere. Primum igitur dico, oblationem de qua hic verba fiunt, & sic oblationem Christi, de qua divinus hic scriptor tam copiose disputat, non tunc fuisse perfectam, cum Christus in cruce pro nobis mortuus est, sed tunc demum, cum Christus post resurrectionem in cœlum est ingressus, ut ibi pro nobis, quemadmodum scriptor hic loquitur, Hebr. 9. 24 vultui Dei appareat. Quod vel ex iis intelligi potest, quæ post ipsum loquendi modum, quo utitur Apostolus, statim leguntur: scriptum est enim in eo loco, ℣. 25, *Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno.* Nam quis est, qui ex his verbis non percipiat, Christi oblationem respondere ingressui pontificis in sancta, hicque satis aperte explicari decentissimam hanc similitudinem inter antiquum illum Pontificem & Christum: quod, quemadmodum ille non antea offerebat, quam ingressus esset in sancta, sic Christus non antea obtulerit, quam ingressus est in cœlum? Cœlum enim in hac similitudine Sanctis seu Sacrario illi legali respondere, vel ipse superior versiculus abunde ostendit, ℣. 24. *Nec enim in manu facta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, &c.* Nec sane quisquam esse potest, qui, si collationem inter Christi sacrificium, & victimarum illarum legalium anniversalium sacrificium ab hoc scriptore institutam perpenderit, non plane agnoscat, quemadmodum sacrificii illius oblatio non tunc perficiebatur cum pecudes mactabantur, id quod fiebat extra Sacrarium, sed tunc cum earum jam mactatarum sanguinem Pontifex in Sancta intulisset, (sanguinem enim illum in Sacrario pro Pontificis & populi ignorantiis oblatum fuisse testatur hic idem scriptor eodem cap. 7) sic non tunc fuisse oblatum Christum, cum mactatus fuit, id quod extra cœlum est factum, sed tunc demum, cum seipsum jam antea mactatum ipse in cœlum intulit. Cæterum, Christi oblationem apud hunc eundem scriptorem in cœlo fieri, vidit etiam ante me auctor marginalium illarum Novi Testamenti annotationum in Bibliis Vatabli, quæ etiam in Novo Testamento separatim eodem anno, hoc est, anno 1545, ab eodem Roberto Stephano sunt excusæ: capite enim octavo illius Epistolæ ℣. 5 ad verba illa, *Qui exemplari & umbræ deserviunt cælestium*, sic annotavit: Qui quidem exemplari & umbræ deserviunt eorum quæ agenda olim erant in cœlis per Christum: in cœlo enim Deo seipsum offert Christus. Hactenus ille: quem quidem nihil mirum est ista scripsisse, cum paulo ante ab Apostolo dictum animadvertisset, ℣. 2, 3, Christum in cœlo ministrum veri Sanctuarii fuisse factum, ob eamque rem necesse fuisse, sicuti omnes Pontifices aliquid habent quod offerant, sic istum aliquid offerendum habere, sive habuisse, nempe in cœlo: statim enim additur ℣. 4, *Quod si esset in terra, ne sacerdos quidem esset.* Nihil autem offert sive obtulit Christus Deo (de ea oblatione loquor, quam scriptor iste intelligit) præter seipsum. Ergo in cœlo sui ipsius oblationem peregit. Quare etiamsi concederetur, verba illa ℣. 3, ὅθεν ἀναγκαῖον ἔχειν τι καὶ τοῦτον ὃ προσενέγκῃ, ut Bezæ placet, convertenda esse per tempus præteritum, hoc pacto: *Unde necesse fuit hunc quoque habere quod offerret*, non tamen ulla ratione de oblatione in cruce, & ante ingressum in cœlum hic in terra facta, accipi deberent: cum manifestum sit, eo in loco de oblatione agi, quæ vel fiat, vel facta fuerit à Christo, postquam consedit in dextera throni majestatis cœlestis, ut satis diserte ibidem scriptum est ℣. 1. Quid, quod certissimum esse debet, apud hunc scriptorem,

Christum

Christum non prius Sacerdotem revera factum fuisse, quam post crucis mortem in cœlum ascendit? Id quod tunc à nobis planissimum fiet, cum ipsum Christum cum Aharonico Sacerdote conferemus. Jam vero plane constat, ubi verus sacerdos non est, ibi veram oblationem esse non posse. Igitur manifestum est, Christi oblationem veram, ante ipsius post crucis mortem in cœlum ingressum, esse non potuisse. Nec vero huic nostræ sententiæ de Christi oblatione illud obstat, quod scriptum est à Paulo Eph. 5. 2: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis:* ubi, cum dilectionis Christi fiat mentio, apparet de morte ipsius dici, vel potius de ipso quatenus mortuus est, quod fuerit oblatio Deo gratissima. Primum enim animadvertendum est, sententiam meam non sejungere Christi mortem ab ejusdem pro nobis oblatione: imo assero, Christum non se obtulisse Deo pro nobis nisi per mortem, id est, non nisi morte sua interveniente; quamvis affirmem, non ante oblationem perfectam fuisse, quam post resurrectionem & ascensum ipsius in cœlum. Hincque factum est, ut auctor Epistolæ ad Hebr. 10. 5 & deinceps, conferens Christi oblationem cum legalibus illis hostiis, eamque in illarum locum successisse ostendens, ipsam à Christi voluntate auspicetur, adeoque Christi voluntate & obedientia eam contineri dicere videatur. Quamvis enim ipsa voluntas & obedientia Christi non sit revera oblatio, de qua ibi verba fiunt, tamen quia sine Christi voluntate & obedientia oblatio existere non poterat, (neque enim, ut sæpius dictum est, poterat Christus cœlum ingredi, ibique pro nobis coram Deo perpetuo apparere, nisi prius crucis mortem volens sustinuisset) propterea sic loquitur Apostolus, & Christi oblationis initium ad Christi ipsius voluntatem & obedientiam refert, iisque eam metiri videtur. Deinde meminisse oportet, me, cum de Christi oblatione quam Sacræ Literæ memorant affirmo, eam in cœlo peractam post crucis mortem fuisse, non loqui nisi quatenus pertinet ad auctorem Epistolæ ad Hebræos, non autem ad omnes sacros scriptores, quanquam de omnibus idem affirmari posse crediderim. Postremo considerandum est, non dici a Paulo in loco illo ad Ephesios Eph. 5. 2, Christum obtulisse se Deo pro nobis, quod fortasse multi sunt arbitrati, inter quos sine dubio aliquando fuit Beza, qui ab initio eum locum ita converterat, ut aliter intelligi non posset. Addiderat enim de suo particulam *in*, hoc pacto: *Qui tradidit semetipsum pro nobis* [*in*] *oblationem &c.* Atqui verbum *tradidit*, quod in Græco est παρέδωκεν, non est conjungendum cum voce προσφορὰν, hoc est, oblationem, ut recte & Tigurini & Castellio animadverterunt, qui distinctionem inter ipsa adhibuerunt. Id autem omnino suadet non solum verbum παραδιδόναι, cujus in sacrificiis nullus fortassis est usus; verum etiam Apostoli mens; qui voluit Christi dilectionem erga nos summopere commendare, & aperte dicere, Christum seipsum pro nobis in mortem tradidisse. In mortem autem tradere simplici verbo *tradidit* expressit, ut alibi similiter, cum de Christo loquitur, facere consuevit, ut Gal. 2. 20. Rom. 4. 25, & 8. 32. Quinetiam hoc eodem cap. 5. ad Eph. ℣. 25 inquit: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Id autem non ita expressisset, si dixisset Christum obtulisse se Deo pro nobis, cum possit quis se Deo offerre, nec tamen mori, ut patet apud eundem Paulum ex initio capitis duodecimi Epistolæ ad Rom. 12. 1. Itaque loci sententia hæc est, Christum adeo nos dilexisse, ut seipsum pro nobis in mortem tradiderit. Deinde, ut Ephesii ad tantam Christi dilectionem imitandum magis accendantur, subjungitur à Paulo per appositionem, hoc Christi factum fuisse Deo oblationem & hostiam gratissimam. Nam ipsa facta sive opera ex charitate provenientia hostias Deo oblatas in Sacris Literis appellari, ex eo patet quod scriptum est, Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quin similem locutionis modum cum eadem appositionis figura habes apud eundem Paulum in Epistola ad Philip. 4. 18. *Habeo autem omnia & abundo, repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam gratam placentem Deo.* Sciendum autem est, Hieronymum quoque, etsi sensum verbi *tradidit* omnino assecutus non fuerit, tamen plane videri sensisse de oblatione expiatoria in hoc ad Ephesios loco minime agi: siquidem hanc Christi pro nobis oblationem, hominem vere Christianum imitari posse vult. Sic enim in hunc locum scribens ait: *Quemadmodum enim ille se tradidit pro nobis. sic & iste pro quibus potest libenter occumbens; imitabitur eum qui oblationem & hostiam in odorem suavitatis se Patri tradidit, & fiet etiam ipse oblatio & hostia Dei in odorem suavitatis.* Sed, ut ad propositum, & ad verba simul Epistolæ ad Hebræos, quæ nobis nominatim explananda sumpsimus, jam tandem revertamur, dico, ex eo ipso loco Hebr. 9. 14 satis constare, Christi oblationem aliud esse quam crucis mortem, quam ipse pro nobis, ut Deo obediret, sustinuit; & verba illa *seipsum obtulit Deo* non aliter explananda esse, quam *seipsum in cælis Deo pro nobis præsentavit*. Nam in tota illa periodo ℣. 13, 14, *Si enim sanguis hircorum & taurorum &c*, ratio redditur eorum quæ antea dicta fuerant, ut dictio *enim* aperte demonstrat. Dictum autem fuerat antea, Christum per proprium sanguinem ingressum in Sancta æternam redemptionem sive expiationem invenisse. Ergo hic ratio redditur, cur Christus in cœlum per proprium sanguinem ingressus, æternam expiationem nactus fuerit. Itaque non de ejus sanguinis fusione aut solum aut præcipue fit mentio in ea periodo, & consequenter in his verbis, in quibus quid Christus fecerit exponitur, sed præcipue ejus ingressus in cœlum commemoratur. Quod ex eo etiam satis constat, quod dicitur, Christi hanc sui ipsius oblationem per Spiritum æternum factam fuisse. Id enim Christi vitæ perpetuitatem significat, qua fit, ut in æternum pro nobis coram Deo apparere possit. Nam Spiritus tacite Literæ opponitur, id est, legi, quæ nec æterna fuit, nec in æternum sacerdotes constituebat. Estque hic brevissime ea sententia comprehensa, quæ pluribus verbis ad finem capitis septimi ℣. 28 explicata fuerat, *Lex enim homines constituit sacerdotes &c.* Latinus codex non habet *per Spiritum æternum*, sed *per Spiritum Sanctum*, nullo tamen Græco codice astipulante, & Syriaca interpretatione cum Græcis codicibus plane consentiente. Inusitatus (credo) loquendi modus à Vetere Interprete non intellectus, causam errori dedit, ad usitatamque loquendi rationem locum deflexit. Dicitur autem Christus se immaculatum obtulisse, non tam propter allusionem ad victimas illas legales, quas immaculatas esse oportebat, & ut intelligatur Christi oblationem undique perfectam fuisse & absolutam, quam ad significandum Christi immortalitatem & impatibilitatem: figurate enim immaculatus is dicitur, qui iis rebus omnibus prorsus caret, quæ propter maculas, id est, peccata contingere solent. Quamvis enim Christus, antequam à mortuis resurgeret, & in cœlum ascenderet, ab omni peccato quam longissime abfuerit, mortem tamen expertus est, & alia multa est passus, quæ pœna peccatorum esse solent. Verum hac de re inferius iterum agetur, & ratio, cur vocem *immaculatum* eo modo quo dictum est libenter interpretemur, planius explicabitur. Satis tamen fuerit monuisse, ex ea etiam voce non prorsus obscure apparere posse, quænam sit Christi sui ipsius oblatio, de qua hic verba fiunt, nempe, eam quam nos dicimus in cœlo factam, tantum abest, ut ex ea voce (quod fortasse plerique existimaverunt) de oblatione hic in terris facta sermonem esse constet.

Explanatis Apostoli verbis, in quibus utramque illam per Christi sacrificium à peccatis expiationem contineri dixeramus, simulque satis planum feceramus, consequens est, ut neutram illarum expiationum à sacrificiis illis Aharonicis fluxisse demonstremus, id est, per sacrificia illa nec reatum omnium peccatorum, eorum, inquam, pro quibus offerebantur, hoc est, ejus generis, sublatum fuisse, nec ab illis peccatis in posterum committendis, eos pro quibus sacrificabatur retractos esse. Patet

autem utrumque ex iis quæ scripta sunt ab eodem auctore in principio & deinceps cap. 10. 1, 2, 3, 4 &c. ubi scriptum est: *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum &c.* In quibus verbis Apostoli mens omnino est, affirmare, legem, quemadmodum umbram tantum futurorum bonorum continebat, non autem ipsam eorundem bonorum expressam imaginem, quam nimirum continet Evangelium, sic (ut quæ aliquando cessatura erat) in ipsa umbra vitio non vacasse. Quod vitium postea, expressa rerum imagine adveniente, animadversum est, & jure umbram abolitam fuisse comprobatum: Etenim summa sapientia Deus ab iis quæ aliquando abolere decrevit, perfectionem, rerum etiam ipsarum naturæ ratione habita, abesse voluit, ut nemo merito in illis conquiescere possit, sed unusquisque suspicandi causam habeat, perfectissimum illum artificem ac conditorem aliquid exactius suo tempore fabricaturum & conditurum, quod ejus rei in qua aliquid desideratur loco quodammodo reponat, idque perpetuum atque æternum esse jubeat.

Vitium porro, quod in sacrificiis illis legalibus, in illis etiam inquam anniversariis, quibus potissimum Christi sacrificium respondet, satis aperte inerat, hoc erat, quod illa sæpius repetere necesse erat, neque, ut Apostolus ait Hebr. 7. 19, & 10. 1, 2, vim aliquam habebant suos cultores perficiendi, id est, à peccatis in perpetuum expiandi. Quod vitium plane cessavit in sacrificio corporis Christi: id enim & semel tantum peractum est, & in perpetuum suos cultores, id est, qui illius sunt participes, à peccatis expiavit. Cujus vitii in sacrificiis illis duplex fuit causa: (& sic apparebit neutram ex illis duabus expiationibus ex sacrificiis illis manasse.) Una, quod sacrificia illa pro præteritis tantum peccatis offerebantur. Altera, quod à peccatis retrahendi nullam vim habebant. Quapropter, cum ii pro quibus sacrificabatur in eadem peccata denuo relaberentur, denuo etiam sacrificia offerenda erant, & peccatorum expiatio per ipsa procuranda. Itaque ait Apostolus ideo sacrificia illa quotannis peracta fuisse, quia nunquam populus ipsorum vi à peccatis illis retrahebatur; quare semper aliquam peccatorum conscientiam habebat; id est, semper se coram Deo reum agnoscebat. Id autem eveniebat, quia sanguis taurorum & hircorum nulla ratione potest ad animam usque pertingere, & eam ab ejus sordibus abluere, utque homo à peccando desistat, efficere. Hoc est enim id quod significant verba illa Hebr. 10. 4, *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*: non autem, ut permulti putaverunt, nullam vim ea sacrificia habere potuisse ad ea peccata expianda pro quibus offerebantur. Unde etiam factum est, ut nonnulli, inter quos præcipue Beza, existimaverint, in illis sacrificiis omnium peccatorum quorumcunque antecedentium annorum commemorationem factam fuisse, proque illis omnibus sacrificia illa fuisse oblata; quasi dicere voluerit Apostolus, idcirco id factum esse, quia nulla peccata sacrificiis illis tolli poterant. Hoc autem plane falsum ac ridiculum est. Quid enim attinuisset, quotannis sacrificare, si certum fuisset, nulla peccata ea ratione expiari, & frustra omnino ea sacrificia offerri? Nam, quod Levit. 16. 16. 21, 30, 34 scriptum est, sacrificium illud anniversarium, pro omnibus peccatis oblatum fuisse, id de omnibus peccatis anni illius accipiendum est, à quibus populus vere expiabatur, quemadmodum ex iis intelligi potest, quæ scripta sunt ad finem ejusdem capitis 34. *Sitque vobis hoc statutum perpetuum, ut expiet filios Israel ab omni peccato eorum semel in anno.* Quod vero hic Apostolus ait, in hostiis illis factam fuisse commemorationem peccatorum quotannis, (quæ verba Beza, ut suæ sententiæ magis patrocinari possent, alia ratione ab omnibus aliis diversa reddidit, & pro commemoratione *repetitam mentionem* in interpretatione sua reposuit) istud, inquam quod dicit Apostolus, ita accipiendum est, ut non ad eadem singularia sive individua peccatorum referatur, sed ad ejusdem generis peccata. Quanquam hac explanatione nequaquam indigemus, cum non dicat Apostolus diserte, eadem peccata commemorata fuisse, sed tantum, ut dictum est, commemorationem quotannis fuisse factam; At enim, ut ad rem redeamus, dicet aliquis, cur vitium illorum legalium sacrificiorum esse ab Apostolo censetur, quod vim non haberent a peccatis retrahendi? Nunquid à victimis aliud præterea requiritur, quam ut illa peccata expient, pro quibus offeruntur. Itaque videri potest, eam Apostoli mentem non esse, quam nos affirmamus. Respondeo, Apostolum, antea cap. 8, manifeste aliud quiddam huic plane simile dixisse, cui idem omnino objici posse videatur ℣. enim 7 aperte ait, Fœdus, quod cum populo per Mosem Deus pepigit non caruisse vitio. Quodnam vero illud vitium fuerit, ex sequentibus patet: nempe, vim non habuisse continendi populum in officio. Unde factum est, ut aliud fœdus in ejus locum substitutum fuerit, quod eam vim habet; per quod nimirum divinæ leges humanis mentibus induntur, & cordibus inscribuntur. Verum, quis audivit unquam, in fœderibus requiri, ut eas conditiones servari efficiant, quæ in ipsis continentur; Istud enim à voluntate eorum pendet, qui fœdus pepigerunt, seu potius, cum quibus fœdus pactum est, qui sæpius, quantumvis præclarum fuerit fœdus, & quantumvis rite sancitum, fidem fallunt, & fœderis conditiones servare negligunt. Sicut igitur fœdus illud prius vitio non vacasse dicit Apostolus, eo nomine, quod vi quadam carebat, quam posterius habuit, quamvis proprium fœderis non sit eam vim habere: ita quia sacrificia illa antiqua vi quadam carebant, quæ in sacrificio Jesu Christi inest, quamvis ea vis propria sacrificiorum non sit, digna illa judicavit, quæ vitii damnarentur; præsertim cum nemo negaturus sit, quin utrobique illa viis perfectionem quandam eximiam rei in qua est conciliet, quam altera minime habeat, quæ vi illa destituitur.

CAPUT XXV.

Conclusio disputationis de discrimine inter Christi sacrificium & legales victimas, una cum locorum aliquot explanatione, de expiatione per Christum facta loquentium.

IGitur, ut ex supradictis patet, idcirco sacrificia illa antiqua repetebantur, quia vim nullam habebant efficiendi, ut ii pro quibus offerebantur in posterum à peccatis illis abstinerent, qua vi cum Christi sacrificium minime caruerit, illud repetere necesse non fuit. Hinc verba illa ejusdem auctoris ad Hebr. eodem cap. 10. 11, 12, 13, 14. *Et omnis quidem sacerdos astat quotidie sacra peragens, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus: Una enim oblatione confirmavit in æternum sanctificatos.* In quibus verbis notandum est, adverbium *quotidie*, non significare singulis diebus, sed sæpe, vel certo quodam tempore perpetuo. Neque enim agitur hic de alio sacrificio antiquo, nisi de illo quod semel in anno idque perpetuo statuto quodam tempore peragabatur, quod sæpe peractum fuisse, præsertim præ Christi sacrificio, dici potest, ut ex iis constat quæ scripta sunt superiore cap. ℣. 25. Atque idem auctor cap. 7. 27, hac eadem de re loquens adverbium *quotidie* manifeste hoc sensu usurpavit: ait enim de Christo Hebr. 9. 25, 26 &c: *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis offerre, deinde pro populi, &c.* In nullis autem sacrificiis, quæ pro populo fierent, legitur sacerdos pro seipso quoque offerre debuisse, præterquam in sacrificio illo anniversario. Itaque quod semel quotannis fiebat, quotidie factum fuisse scribit Hebr. 10. 14. Ut autem Apostolus probet id verum esse quod toties affirmaverat, & prædicto capitis decimi loco, postremo clarissime repetierat, Christum unica oblatione eos qui ejus sunt participes perfecisse, ibidem statim subjungit, ℣. 15, 16, 17, 18; *Testificatur autem nobis etiam Spiritus Sanctus* Hierem. 31. 33, 34: *Nam postquam prædixit, hoc est fœdus quod paciscar cum illis post dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in corda illorum, & in mentibus illorum inscribam*

tas, & peccatorum ipsorum & iniquitatum ipsorum non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio, non est amplius oblatio pro peccatis. Ex his verbis duo illa apparent Christi oblationi attributa, quæ in sacrificiis illis antiquis minime fuerunt, sed prius quam id explicemus, duo notanda sunt. Unum est, quod non recte videtur ab Apostolo conclusum esse, cum ait, ex remissione peccatorum & iniquitatum sequi, nullam amplius esse oblationem pro peccatis. Quid enim, si, ut consueverat, oblatio fiat pro peccatis præteritis, unde eorundem peccatorum remissio consequatur, vel alia quapiam ratione præterita peccata & iniquitates remittantur? Nonne peccatorum & iniquitatum erit remissio, & tamen fieri poterit, ut pro futuris peccatis oblationes instituantur? Hinc igitur animadvertendum est, Apostolum verba illa apud Hierem. 31. 33, 34, ita interpretatum esse, ut futura quoque peccata comprehendant, atque eodem sensu verba illa sua protulisse, ℣f. 18, *Ubi autem horum remissio &c.* hacque ratione, tacite nos mysterium, quod in Hieremiæ verbis latebat, docuisse. Nam verba illa ℣f. 34, *Peccatorum &c. non recordabor amplius*, si quis ea in potiorem sensum accipiat (ut fere fit in prædictionibus ad Christum quoquo modo pertinentibus) significant, nunquam amplius futurum, ut Deus peccatorum ullorum rationem habeat, eorumve rationem exigere velit, quod non ita erit, si non omnia peccata sive præterita sive futura remittat. Alterum quod notandum erat est, quod similiter non recte argumentatus fuisse videtur Apostolus, qui ex eo quod nulla amplius oblatio sit pro peccatis, sine dubio colligi vult, Christum unica oblatione omnia peccata abstulisse. Siquidem fieri potest, ut, quemadmodum locus iste quem citat aperte demonstrare videtur, non ex oblatione Christi, sed ex fœdere quod Deus per Christum pepigit, factum sit, ut nulla sit amplius oblatio pro peccatis, nempe quia, ut ipsius verba declarant, peccata omnia fœderis vi remissa fuerint. Itaque necesse est, nisi Apostolum inepte prorsus locutum esse velimus, ut quod de fœdere scriptum est, id de oblatione dici posse pro concesso sumpserit, atque ob eam causam ab oblatione ad fœdus transire non dubitaverit, id quod etiam fecerat cap. 8. 6 & deinceps. Ex quo perspicuum est, non alia ratione Christi oblationem vim expiandi peccata habere nisi quia fœderi per ipsum sancito confirmando adjuncta est, ex quo fœdere vere ac proprie omnis vis peccata nostra expiandi proficiscitur. Idcirco enim revera peccata nostra expiantur, quia Deus sola bonitate sua impulsus, omnia peccata iis, qui Christo obedierint, condonare pollicitus & pactus est. Qua de re latius infra suo loco: hoc autem Dei pactum plenissime confirmat, imo ex parte etiam exequitur, Christi oblatio. Etenim ex eo, quod Christus in cœlum ascendit, ibique immortalis factus, supremam secundum Deum potestatem est adeptus, qua suos, id est, sibi obedientes vita æterna donare potest, quibus rebus ejus oblationem contineri, partim supra ostensum est, partim infra ostendetur, nemo est quin agnoscat plane futurum, ut qui Christo obedierint, æterna vita donentur, atque ea ratione omnium suorum peccatorum veniam consequantur, & porro ejus rei initia quædam jam cernat, & quæ ad eam plane exequendam pertinent, nec alio spectare possunt, existere & cognoscat & fateatur.

Jam vero, ut ad id quod nobis explicandum proposueramus sermo noster convertatur, dico, ex ante recitatis auctoris ad Hebr. 10. 15, 16, 17, 18, verbis satis constare de duplici illa expiatione, quæ Christi oblationis est propria. Demonstratum est enim, Christi oblationi ea jure tribui posse, idque ex ipsius auctoris mente, quæ revera à fœdere per ipsum sancito proficiscuntur. Fœderi autem huic tribuitur, quod Leges Dei in mente inscribat & corde: hoc autem, quid aliud est, quam efficere, ut quis à peccando desistat, quam unam ex illis duabus expiationibus esse diximus? Tribuitur etiam, quod Deus peccatorum & iniquitatem amplius non recordetur, quod certe ut hic scriptor ipse interpretatur, nihil aliud est, quam peccatorum omnium in perpetuum remissio: hanc vero alteram Christi oblationis propriam expiationem fecimus. Animadvertendum est autem, quod quemadmodum recitationis ordine hoc loco, sic reipsa inscriptio legis divinæ in corde hominis, Dei oblivionem peccatorum antecedit, cui consentit universa Sacra Scriptura, quæ pœnitentiam ab iis omnino requirit, qui remissionem suorum peccatorum à Deo sint adepturi. Pœnitentiam enim agere nihil aliud est, quam vitam corrigere, & sic legis peccati loco, legem divinam, quæ vera & sola justitiæ lex est, in corde inscriptam habere. Ex iis quæ de duabus istis expiationibus hactenus disseruimus, satis intelligi potest, quid sibi voluerit Johannes Baptista, cum de Christo dixit, Joh. 1. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, quandoquidem Christus vere peccata nostra sustulit, quatenus non modo, ut victimæ illæ legales, quædam præterita peccata delevit, & à peccatorum pœna liberavit; verum omnia etiam futura expiavit, & à peccando in posterum cessare fecit, ipsamque peccati radicem, quodammodo ex hominum corde extirpavit. Et idcirco eum, non agnum simpliciter, sed Dei agnum appellavit, qui divina videlicet & prius inaudita ratione peccata tolleret atque expiaret. Quanquam non nego, idcirco quoque Dei agnum ab eo appellari potuisse, quod ab ipso Deo non præordinatus solum, ut inquit Petrus Epistolæ prioris cap. 1. 20, ante mundi constitutionem fuisset, sed etiam ab eodem comparatus quodammodo atque exhibitus; quod denique, ut ipsa verba sonant, ipsius Dei esset. Atque huc pertinet illud, quod scriptum est Act. 20. 28. Deum sanguine suo Ecclesiam acquisivisse: ubi tamen Syriaca interpretatio pro Deo Christum habet. Cæterum quemadmodum à peccando Christus retrahit, & sic ipsa peccata penitus aufert, non quia pro peccatis satisfaciat; (quid enim ejusmodi peccatorum oblationi cum satisfactione ista commune esse potest?) Sed quia per spem æternæ ac beatæ vitæ, quam ii consecuturi sint, qui ipsius Christi præceptis obtemperaverint, Dei & proximi amorem in nobis gignit, eumque in cordibus nostris perpetuo fovet: sic à peccatorum pœna non ideo liberat, & ita peccata delet & aufert, quia pro peccatis nostris Deo satisfaciat; sed quia, postquam Dei & proximi amorem in nobis genuerit, postquam Dei Legem in cordibus nostris inscripserit, Deus peccata nostra nobis non imputat, neque illorum amplius recordatur. Quamvis autem Johannes, cum Christo tribuit quod peccata tollat, eum agnum nominaverit, & sine dubio ea in re ad expiatoria legis sacrificia alluserit, non crediderim tamen, eum in appellatione ista ad immolationem tantum respexisse, sive ad Christum, quatenus tantum immolatus fuit; sed ad totum Christum, qui, ut mox dicetur, pluribus modis peccata tollit. Cujus rei etiam argumentum esse potest, quod in expiatoriis illis legis sacrificiis, quæ nominatim pro peccato offerebantur, nullus agnus immolabatur. Ex quo apparet, cum Baptista Christum agnum appellavit, alterius etiam cujuspiam rei, præter sacrificia illa, rationem habuisse, & ad puritatem, innocentiam ac mansuetudinem illius respexisse, totumque Christum ea translatione quodammodo exprimere voluisse; præsertim cum, ut dictum est, Christus non ipsa sui immolatione tantum, sed pluribus aliis modis peccata tollat. Tollit enim peccata Christus, id est, ut ab eorum pœna liberemur, efficit, quatenus Dei nomine, primus ab orbe condito, omnium peccatorum veniam, quantumvis gravissimorum, iis omnibus offert, qui pœnitentiam ex ipsius præscripto egerint, idque perpetuo fœdere sancit. Tollit peccata Christus, quia ad pœnitentiam agendam, qua peccata delentur, cœlestibus iisque amplissimis promissis omnes allicit, & movere potens est. Tollit peccata Christus, quia non modo delendi modum docet, verum etiam doctrinam suam multis rationibus iisque plane mirabilibus verissimam esse confirmat. Tollit peccata Christus, quia potestatem habet peccata cuicunque voluerit remittendi, sive in terra, quod tunc quoque poterat, cum adhuc mortalis esset, sive etiam in cœlo, quod illi datum est, postquam est factus immortalis: quanquam hoc posterius aliquo modo ad ipsius oblationem sive immolationem pertinet, per

quam immortalis est factus, & supremam istam potestatem est adeptus. Quid autem sit *remittere peccata in terra* & quid appellare liceat *remittere peccata in cœlo*, ante alicubi, si recte memini, à nobis explicatum est. Breviter hac remissione æterna, illa, temporaria salus continetur. Tollit præterea Christus peccata, (ut de altera ablatione peccatorum agamus) quemadmodum ex jam dictis patet, quia ut à peccando cessemus, doctrina sua ejusque mirifica confirmatione, etiam citra sui ipsius immolationem efficit. Tollit denique (ut aliquid omittam) Christus peccata, quia vitæ suæ innocentissimæ exemplo omnes, qui deploratæ spei non fuerint, ad justitiæ & sanctitatis studium peccatis relictis amplectendum facillime adducit. Itaque ut dictum est, non propter immolationem tantum dictum fuit à Johanne, Christum agnum esse qui mundi peccatum tolleret; nec propter solam immolationem ea appellatione ad legis expiatoria sacrificia allusit; sed potissimum propter peccatorum ablationem, quæ, ut vidimus, in Christo, etiam antequam immolaretur, fuisse jure dici potest. Nam Petrus quoque Epist. 1. cap. 1. 19 ut paulo ante diximus, eum agnum nominavit, cum tamen ejus sanguinis, non tanquam in ipsius immolatione pro peccatis nostris fusi, sed tanquam pretii quo ex vana conversatione à patribus tradita illi ad quos scribit redempti fuissent, mentionem faciat: nimirum quia, sicut per immolationem alicujus pecudis peccata sub lege auferebantur: ita per Christi sanguinem, dum ipsius vi ex vana nostra conversatione eripimur, peccata à nobis auferuntur; & ita Christus cum victimis illis, non præcipue propter ipsam immolationem, sed propter peccatorum ablationem, tacite comparatur, & agnus appellatur. Auctor quoque ad Heb. cap. 9. 13, 14 Christi sanguinem non cum sanguine tantum qui in immolationibus illis antiquis fundebatur comparat; sed cum cinere quoque juvencæ, quo contaminati aspergebantur, non quidem propter aspersionem ipsam, quæ utrobique fit, sed propter eundem expiandi effectum, quem utrinque manare certum est. At Johannes in Apoc. primo capite ℣. 5 ad aliud respiciens, & alia translatione utens, quæ nihil aliud est, quam compendiaria quædam comparatio, de Christo deque ejus morte hæc dixit: *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis in sanguine suo.* Quemadmodum enim aqua sordes corporis abluuntur, sic Christi sanguine animæ labes absterguntur, inquam primo, quia ea est sanguinis Christi vis, ut ea ratione, qua à nobis explicatum fuit, homines à peccatis retrahat, & justitiæ cultores efficiat; quæ abstersio deinde alterius à peccatis ablutionis causa est, de qua non dubito quin Johannes potissimum loquatur: causa est, inquam, ut ab omni peccatorum reatu coram ipso Deo pro ejus bonitate abluamur. Ad priorem vero illam à peccatis ablutionem respicit potissimum Paulus, cum ad Corinthios scribens ait, 1 Cor. 6. 11 aliquos ex ipsis aliquando peccatis addictos fuisse, sed ablutos esse per nomen Jesu, & per Spiritum Dei, id est, à peccati servitute exemptos: qui locus etsi de Christi sanguine aut morte nominatim non loquatur, tamen à me hac occasione oblata libenter allatus & explicatus fuit, ut id probetur quod sæpius inculcandum videtur, Christum Jesum peccata nostra abstulisse, non solum quia à peccatorum pœna nos liberaverit, sed etiam quia ab ipsis peccatis nos retraxerit. Verum, ut ad propositum revertamur, dico, ex iis quæ dicta sunt satis constare, in Sacris Literis, diversis allusionibus, comparationibus, metaphoris, seu translationibus, sanguini Christi tribui, quod à peccatis nos liberet. Quoniam vero inter Cristi mortem & sacrificia illa legalia, non solum propter effectum ipsum expiationis, sed etiam propter mactationem effusionemque sanguinis, & alia nonnulla, magna omnino est similitudo, idcirco nihil (adumbratione etiam ipsa seclusa) reperiri potest, ad quod decentius, cum de expiatione peccatorum per Christi mortem peractà agitur, alludi possit, quam ad illa sacrificia. Quæ tamen, comparatione facta, longe, ut vidimus, ab ea superantur, ac potissimum in eo, quod sacrificia illa, quamvis divinis promissionibus roborata, non tamen propria vi aliqua, sed Dei voluntate tantum peccata expiabant: Christi autem mors divino Fœderi adjuncta, expiationem peccatorum nostrorum, ut sæpius ostensum est, sua vi, quam ipsi nos agnoscimus & sentimus, aliisque docere possumus, ipsa peragit. Ex quo consequitur, non solum in expiationis effectu, de quo hactenus disputatum est, sed etiam in expiationis cognitione gignenda, victimas illas antiquas à Christi morte multis partibus superari. Cæterum, quia ut dictum fuit, Christi mors divino Fœderi confirmando fuit adhibita: legalia vero sacrificia nulli Fœderi confirmando adjungebantur, sed pars Fœderis ipsa erant, propterea præter jam enumeratas dissimilitudines, hæc quoque inter Christi mortem & sacrificia illa dissimilitudo conspicitur, quod illis peractis statim reipsa expiatio, id est, peccatorum remissio consequebatur, hanc vero tum demum reipsa peccatorum remissio consequitur, si Fœderis conditiones serventur, id est, si vita corrigatur, atque à peccando cessetur.

CAPUT XXVI.

Quid ex eo ipso, quod Christi corporis sacrificium in victimis legalibus adumbratum fuerit, de eodem sacrificio in abolendis peccatis nostris statui atque affirmari possit.

Visum est supra abunde satis, de collatione sacrificii corporis Christi cum victimis illis antiquis, quid scilicet per collationem istam de Christi sacrificio in peccatis nostris delendis jure constitui possit: Nunc idem de ipsa ejus sacrificii in victimis illis adumbratione videndum est. Tametsi enim, quid ex ea adumbratione colligendum videatur, satis ex illis quæ disputata sunt intelligi queat, operæ pretium tamen erit, ea de re accuratius ac dilucidius aliquid disserere. Principio illud repetendum est, quod antea dictum exemplisque planum factum fuit, eam esse rei adumbrantis & adumbratæ proportionem, quæ (ut ipsa nomina præ se ferunt) est umbræ ad corpus cujus est umbra; & idcirco oportere, ut ea quæ in delendis peccatis nostris Christi sacrificium peregit, multo præstantiora sint iis, quæ victimæ illæ legales peregerunt. Cum igitur per victimas illas ignorantiæ & incogitantiæ, ac leviores quædam fragilitates expiarentur, & labes quædam corporis, eæque imaginariæ potius quam veræ, mundarentur, necesse est, ut quæ per Christi fusum sanguinem & oblationem expiata & mundata sunt, longe istis antecedant. Itaque nihil aliud hæc esse dicemus, quam mentis perversitates, & scelera ac voluntaria peccata, animique veras maculas; adeo, ut his expiandis ac mundandis proprie Christi mors adhibita fuisse videatur, non autem illis quæ per victimas illas expiabantur: non de corporis maculis illis tantum loquor, eas enim post Christum ne maculas quidem esse constat; sed de ignorantiis, incogitantiis, & levioribus fragilitatibus idem dico: id quod ita se habere facile demonstrari potest. Sæpius dictum est antea & probatum per Christi mortem duplicem peccatorum expiationem nobis contingere: unam, quod à peccando cessamus: alteram quod à pœna peccatis nostris debita liberamur; etiamsi hæc posterior tantum olim ex victimis legalibus manaret. Quod igitur attinet ad priorem expiationem, nulli dubium esse potest, quin per Christi sacrificium non perinde leviora illa peccata, ut graviora expientur: Siquidem certum est, eum qui particeps sit sacrificii Jesu Christi à gravioribus peccatis omnino abstinere, ita videlicet, ut neque ullius pravitatis ne mediocrem quidem sive imperfectum habitum habeat, nec scelus aliquod insigne sciens prudens perpetret, à levioribus autem non item, cum fieri possit, ut ejusmodi homo leviori cuipiam fragilitati aliqua ex parte adhuc sit obnoxius, & per ignorantiam aut incogitantiam in gravius aliquod crimen atque adeo scelus incurrat. Hæc autem vel ex eo solo manifesta fieri possunt, quod quicunque non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulaverit, Christianus merito dici poterit, nec quisquam Christianus esse potest, qui non secundum Spiritum, sed secundum carnem ambulat, quemadmodum

dum ex iis aperte docemur, quæ disputat Paulus cap. 8. ad Rom. ab ipso initio usque ad ℣ſ. 14 ubi tandem ad hunc modum concludit ℣ſ. 12, 13. *Ergo fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Nam quis negare audeat, eum secundum Spiritum, non autem secundum carnem ambulare, in quo Spiritus carne multo potentior esse deprehendatur, & in quo revera Spiritus regnet, caro vero obtemperet, licet eveniat interdum, ut is præ carnis imbecillitate labatur. Quod enim à Johanne 1 Joan. 3 9. & 5, 18 scriptum est, eum qui natus est ex Deo non peccare, nec peccare posse, non ita accipiendum est, quasi Christianus homo nunquam aliquid peccet, sed est intelligendum, hominem Christianum ut plurimum non peccare: id quod tribus rationibus confirmo.

Prima est, quia ex majore parte res omnes appellantur, hominumque æstimantur actiones: hinc fit, exempli causa, ut eum sobrium, atque in cibo & potu temperantem esse dicamus, (quod idem est, quod non helluari, non inebriari,) qui ut plurimum, ab omni ingluvie atque ebrietate abstinet, licet fieri possit, ut aliquando contra perpetuum morem atque institutum suum, in cibo potuve capiendo modum excedat, & ebrius etiam fiat, atque ita helluetur & inebrietur. Liberalem similiter eum appellamus, seu liberaliter sua bona erogare, qui ut plurimum modo & ratione adhibita, dat & largitur de suo, etiamsi interdum contingat, ut quapiam in re minus liberalis sit, aut ibi ubi opus erat de suo largiri, prætermittat. Quocirca, is etiam merito non peccare dicitur, qui ut plurimum ab omni peccato abstinet, quamvis nonnunquam eum peccare contingat.

Altera ratio est, quia ipsæ Sacræ Literæ, si quis animadvertat, non solum aliis verbis, sed hoc ipso Peccandi verbo sic uti solent, ut non id quod aliquando, sed quod sæpius fiat, plerumque intelligant: exempla & in Novo & in Vetere Testamento diligenter inspicienti passim sunt obvia. Illud certissimum est, eo verbo simpliciter atque indefinite prolato sæpissime non unum aliquem lapsum, vel peccandi actum, sed gravius aliquod scelus, quod scilicet hominem aliis non levibus peccatis obnoxium arguat, aut certe minime Dei timore vero præditum esse ostendat, significari, vel plures peccandi actus declarari. Exempla in Vetere Testamento, præsertim vero apud Prophetas, adeo frequentia sunt, ut aliqua in medium attulisse plane supervacaneum futurum sit: in novo autem hi loci consulantur, Luc. 15. 18. Joh. 9. 2, 3. Rom. 6. 15. 2 Cor. 12. 21 & 13. 2. Heb. 3. 17 ut alios multos omittam, qui tametsi ejusdem omnino generis sunt, tamen eorum vera sententia non ita omnibus patet, & compluribus fortasse dubii videri possunt.

Tertia ratio, cur in illis Johannis verbis, peccandi verbum non ad unum aliquem peccandi actum, sed omnino ad plures referri debeat, est, quod manifeste Apostolus ibidem id quod *peccare* vocat, *peccatum etiam facere* nominat, ut apparet, si quis legat Epist. 1. cap. 3, à ℣ſ. 6 usque ad ℣ſ. 10. Atqui *peccatum facere*, non potest significare aliquod peccatum committere, sed necesse est, ut sæpius peccare significet. Patet hoc ex opposito ibidem loquendi modo *justitiam facere*. Neque enim justitiam facere is dicendus est, qui aliquod justum opus faciat, sed cujus ut plurimum justa sunt facta: alioqui, si quis justum aliquod opus faceret, is continuo justus appellari possit, quod tamen manifeste falsum est. Dicitur enim ibi ℣ſ. 7 eum qui justitiam faciat, justum esse. Quemadmodum igitur *justitiam facere*, nihil aliud significat, quam justitiæ operibus reipsa addictum esse: sic etiam *peccatum facere*, & porro *peccare*, quod ut diximus, apud Johannem idem est, nihil aliud significare potest, quam peccatis reipsa esse addictum, & sic frequenter peccare, sive in aliquo peccati genere hærere, eoque implicitum esse. Et sane non leviter detestanda videtur Novatianorum seu Catharorum sententia, qui ex illis Johannis verbis, & paucis aliis quibusdam apud alios Novi Fœderis scriptores obiter lectis, aut certe non admodum diligenter perpensis, eum Christianum esse negarunt, qui undique perfectus non esset, quive adversus Christi præcepta vel minimum delictum admitteret. Etenim sententia ista homines vere pios atque ex animo Deum Christumque colentes indignissime a Christi regno & consortio excludit, & plurimos vel ad desperationem adducit, vel, peccatis licet onustos, de perfectione sese jactantes efficit; quippe qui, ut sibi ipsis id quod maxime cupiunt persuadere possint, se scilicet perfectos esse, (quando sine perfectione nemini salutem per Christum contingere posse constituunt) ea pro peccatis non agnoscunt, quæ peccata sunt, & quidem gravia; imo vitia nonnunquam virtutes esse interpretantur, sibique miseri in mediis peccatis egregie blandiuntur, quemadmodum experientia sæpius nos docuit. At vero non minus, imo certe magis culpandi sunt, qui, universo Novo Testamento reclamante, eos Christianos esse statuunt, qui studio Christi præceptis obtemperandi sint præditi, licet revera non obtemperent, imo adhuc carnales sint, & venundati sub peccatum, neque id faciunt bonum quod volunt, sed malum quod nolunt, qui denique ejusmodi sint, qualem seipsum videtur describere Paulus ad Rom. cap. 7. Neque enim inter cætera animadverterunt, ex ipsomet Pauli loco satis intelligi posse, Apostolum sub persona sua non de seipso tanquam Christi Spiritu prædito atque renato, sed de eo homine, qui Dei gratia destitutus, ab ipsa lege totus pendeat, omnino loqui, ut rationes atque testimonia omittam aliunde, præsertim vero ex ejusdem Apostoli scriptis, atque adeo, idque potissimum, ex eadem Epistola ad Rom. petita, quibus evincitur, fieri non posse, ut Paulus eo loco sive de seipso sive de quovis alio renato per Christi Spiritum homine loquatur. Qua tota de re à nobis, in peculiari nostra de interpretatione universi illius loci disputatiune, copiose disputatum atque explicatum est. Ubi interim ostendimus, istorum sententiam apprime perniciosam esse, omnique conatu è mentibus nostris evelli atque extirpari debere. Quin etiam ibidem non istos tantum, sed eos etiam errare docuimus, qui perfectionem illam, quam Cathari necessariam esse dixerunt, nullo prorsus modo in hoc mundo ulli hominum contingere posse constantissime asseverant, hoc est negant fieri posse, ut quisquam eo unquam perveniat in hac vita, ut nullum amplius peccatum admittat. Idque ea potissimum ratione freti affirmavimus, quod, si perfectio ista nullo prorsus pacto donec hic vivimus nobis contingere potest, necessario sequitur, neminem ex nobis conari debere, aut (si ita persuasum habuerit) conaturum esse, ut perfectus sit, quod tamen fieri debere omnes uno ore confitentur. Quis enim id conetur, quod se facere posse plane desperet? Ex quo consequitur, peccata plurima, quæ à nobis committentur, non ab imbecillitate carnis nostræ, sed à spontanea quadam nostra negligentia profectura esse. Ejusmodi autem peccata Deum ignoscere, ita ut pro Christi fratre ac membro agnoscat eum qui ea commiserit, ab ipsisque per totam vitam nunquam abstinuerit, nemo (arbitror) sanæ mentis dixerit. Jam vero ex iis quæ dicta sunt satis intelligi potest, qualis, quod ad vitæ sanctimoniam Christique præceptorum obedientiam attinet is esse debeat, qui Christianus merito appellari possit, nempe talis, qui nullo graviore peccati genere implicitus sit. Namque, ut antea dictum est, id vel ex eo patet, quod, Paulo teste, oportet istum non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulare. Quis enim secundum Spiritum eum ambulare dicat, qui graviore aliquo peccati genere sit implicitus, nedum ejusmodi peccata ex corde suo eradicaverit? Atqui legantur quæ scribit Paulus ad Gal. cap. 5 à ℣ſ. 18 ad finem usque capitis, & quam necesse sit, ut qui secundum Spiritum vivat, omnium scelerum radices ex animo suo extirpaverit, manifesto deprehendetur. Certum igitur (ut jam tandem ad propositum revertamur) esse potest, Christi sacrificium, non perinde priore illo expiandi genere incogitantias & ipsas leviores fragilitatea expiare, ut graviora peccata & scelera expiat, cum videamus Christianum hominem, & sic Christi sacrificii participem, adhuc

errare & labi posse, graviore autem aliquo peccato implicitum esse non posse. Nunc de altero expiationis genere videndum est, atque ostendendum, non ita proprie Christi sacrificium nos à leviorum peccatorum, de quibus dictum est, pœna liberare, quemadmodum à graviorum. Nam, cum leviorum illorum delictorum plenam veniam consequendi modus & ratio in ipsa Mosis Lege proposita populo in perpetuum fuisset, non ipsorum, sed graviorum, quibus in lege nulla venia dabatur, Christum proprie veniam attulisse, eaque ratione sacrificio suiipsius interveniente illa expiasse jure optimo dicere possumus. Hinc Paulus Act. 13.38. Judæis Antiochensibus Pisidianis ea verba dixit: *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc* [*Jesum*] *vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus quibus non potuistis in Lege Mosis justificari, in hoc omnis qui credit justificatur.* Hic satis aperte explicat Apostolus, quodnam proprium Christi munus sit in peccatis expiandis, id est, ipsorum reatu tollendo, nimirum ab iis peccatis expiare quibus in lege expiatio non concedebatur, & quæ adhuc sub Vetere Fœdere erant, unde Fœdus per quod expiata fuerunt merito Novum appellatum fuit, quod ex iis satis intelligi potest quæ scripta sunt Hebr. 9. 15, idque prædictum à Hierem. fuerat, cap. 31. 33, 34. Sed dicet aliquis, nunquid ante Christi adventum graviora peccata non expiabantur? Expiabantur quidem, idque non raro. Verum non ratione aliqua in ipsa lege ipsoque antiquo fœdere omnibus in perpetuum proposita, sed Dei gratia ac benignitate, cujus identidem populus admonebatur, & cujus complura manifesta argumenta atque specimina ab ipso orbe condito unusquisque animadvertisse poterat. Qua de re non nihil à nobis explicatius dictum est, cum ostendimus Deum in salute quam nobis Christus peperit, peccata nostra, nulla vera pro ipsis à quoquam satisfactione accepta, nobis ignoscere voluisse. At vero per Christum universali ac perpetuo fœdere, omnibus pœnitentiam ex ipsius Christi præscripto agentibus, quorumcunque delictorum etiam gravissimorum veniam obtulit, & daturum se verbo suo aliisque præterea modis aperte confirmavit. *Habuit igitur*, ut inquit Apostolus, ad Hebr. 10. 1. *Lex umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Nam, quid erat (obsecro) à levioribus illis delictis per pecudum immolationem expiari posse, si graviorum interim pœnas dare ex legis præscripto necesse erat? Annon hæc umbra tantum fuit illius vere divinæ benignitatis imaginis, quam in Christo conspeximus, per quem, ejus morte & oblatione suiipsius Deo facta interveniente, ab omnium scelerum pœna, hoc est, ab ipsa morte in perpetuum vindicamur? Nec vero objiciat quispiam, sub Vetere Testamento iis qui recens ad Dei populum aggregabantur, quique circumcidebantur, quæcunque gravia antecedentia scelera (ut quidem verisimile est, & nos facile concedimus) condonata fuisse, non minus quam sub Novo Testamento iis qui recens Christo nomen dabant, eaque ratione ad ejus Ecclesiam aggregabantur. Nam in eo adhuc ingens inter utrumque fœdus differentia est, quod qui sub priore nascebantur, si grave aliquod delictum admisissent, statim puniebantur, nec ad pœnam evitandam aliquid (quod ad ipsum Fœdus & Legem attinet) pœnitentia proderat. Sed qui sub posteriore nascuntur, id est, ab ipsis incunabulis Christum tanquam Servatorem suum in ore habent, in quæcunque licet gravissima delicta inciderint, si pœnitentiam agant, ab omnium reatu liberantur. Adde, quod in adultis Christi nomen postquam adoleverunt primum profitentibus, & pœnitentiam agentibus, non omnino ex ipso Novo Fœdere secundæ pœnitentiæ locus negatur; & per eam in Dei gratiam receptio ac peccatorum condonatio, quæ in adultis ad Judaismum conversis nullum locum ex ipso antiquo Fœdere inveniebant. Ut autem apertius constet, sub Christo secundæ pœnitentiæ locum esse, aliquid nobis dicendum est de duobus locis insignibus Epistolæ ad Hebræos 6. 4, 5. 6 &c, & cap. 10, 26, 27 &c. Ex quibus locis non secunda modo pœnitentia sub Christo excludi videtur, sed ve[l] unius tantum peccati post agnitam veritatem admissi condonatio. Quod igitur ad priorem locum attinet, ibi dicitur, impossibile esse, ut qui Spiritus Sancti participes fuerint facti, si prolapsi fuerint, iterum renoventur per pœnitentiam. Hic primum animadvertendum est, *Prolapsum esse*, non significare aliquod delictum admisisse, sed à recta via defecisse, & ad pristinam vitæ rationem reversum fuisse, id est, peccatis se denuo implicuisse, & tanquam terram inutilem spinas & tribulos proferre, ut patet ex iis quæ postea dicuntur ℣. 8. Deinde considerandum est, impossibile hic illud dici, quod admodum difficile est, & apud homines est impossibile, non autem apud Deum, qua ratione similiter Christo ipso teste dici potest, divitem non posse servari Matth. 19. 26. Idque ex ipsis Apostoli verbis patet, quæ proxime antecedunt Hebr. 6. 3. *Et hoc faciemus siquidem permiserit Deus.* Nam cum antea meminisset Apostolus ℣. 1, 2, non esse denuo jaciendum fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, subjungit postea, quamvis maxime id facere quis velit, ut scilicet fundamentum denuo jaceret &c, non tamen id in nostra potestate esse, & propterea rationem sui dicti reddens, addit ℣. 4, *Impossibile est enim &c.* Ex quo apparet, istam (ut ita dicam) impossibilitatem, non simpliciter, ut ajunt, sed secundum quid intelligendam esse. Porro, quod attinet ad posteriorem locum Hebr. 10. 26, 27 &c, sciendum est, pro eo quod in Latino codice est *voluntarie*, in Græco esse ἑκουσίως, quod spontaneam voluntatem significat. Verbum autem *peccantibus*, non de iis qui aliquod delictum admittunt, intelligendum est, sed de iis qui peccato se mancipant: hæc enim, ut ante diximus, vis verbi peccandi in Sacris Literis esse solet. Loquitur igitur ibi Apostolus de iis, qui sua sponte veritatis agnitione deserta, Christique Ecclesiæ valedicto, peccatis se totos addicunt, quemadmodum ex antecedentibus & consequentibus verbis patet, atque pro istis expiationem pro peccatis superesse negat. Sed nos de iis loquimur, qui tantum nova vitæ emendatione indigent.

CAPUT XXVII.

Ex eo, quod Jesus ipse Christus in legalis Pontificis persona adumbratus fuerit, nullo modo colligi posse, Christum morte sua, vel alia quavis ratione, pro peccatis nostris Deo satisfecisse, & quid inde colligi debeat.

Demonstratum fuit à nobis, ut arbitror, ex adumbratione mortis Christi in antiquis sacrificiis, sive per collationem, sive ex vi ipsius adumbrationis, nihil colligi posse, quod Christum pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfecisse doceat, & quid inde colligi & possit & debeat non indiligenter explicatum: Quare ad alteram hujus de sacrificiis tractationis partem accedendum est, & de adumbratione ipsius Christi in legalis Pontificis persona agendum. Atque hic quoque primum de collatione, quæ adumbrationi adjuncta sit: deinde de ipsa adumbratione per se considerata, videndum est. Quod igitur ad collationem seu comparationem attinet, cum jam & ratione, & Theogolorum testimonio comprobatum fuerit, victimas illas antiquas, nullam vim satisfaciendi pro peccatis illis, pro quibus offerebantur, habere potuisse, omnino concludendum videtur, multo minus Sacerdotis personam ullam satisfaciendi pro iisdem peccatis vim habuisse. Neque enim Sacerdos ipse Deo offerebatur, sed victima tantum. Nec vero dicendum est, ex Sacerdotis personæ dignitate vim satisfaciendi victimas illas sumpsisse. Nam neque ea de re quidquam usquam apparet, & satis intelligi potest, id neutiquam fieri potuisse. Ut enim, si creditori cuipiam satisfaciendum sit, cui centum nummorum summam quis debeat, nunquam quinquaginta tantum persolutis, vere illi satisfaciet, quicunque is tandem sit, qui pecuniam illam persolverit: sic non potest Sacerdotis persona, quantumvis digna, efficere, ut victima offerenda quæ per se vim satisfaciendi non habeat Deo cui offertur, revera satisfiat. Quod si creditor ille, propter personæ qualitatem quæ solutionem fecerit, minore licet

ex summa quam ea erat quæ sibi debebatur accepta, satisfactum sibi esse dicat, nec amplius se à debitore suo vel exigere, vel etiam petere posse omnino velit, non vera erit satisfactio, de qua quærimus, cum manifestum sit, creditorem istum, multum de eo quod sibi debebatur remisisse, neque id omne quod suum erat recepisse. Apparet igitur, cum qui solutionem istam fecit, dignitate personæ suæ non quidem vim aliquam satisfaciendi pecuniæ à se solutæ tribuisse, sed tantum eo creditorem adduxisse, ut debiti partem condonare voluerit, nec minus contentus esse, parte debitæ sibi summæ accepta, quam si integram summam accepisset. Atque ex hac similitudine argumentum (quod vocant) à minore ad majus recte in proposito nostro ducere possumus. Nam, si ubi bona pars ejus quod debetur solvitur, nisi totum solvatur, personæ solventis dignitas, quod ad veram satisfactionem attinet, nihil efficit: multo magis dicendum est, id evenire, ubi revera ne pars quidem ulla solvitur ejus quod debetur, quemadmodum victimis illis legalibus offerendis factum fuisse quilibet intelligere potest. Adde, quod personæ ipsius solventis dignitas, per se nihil omnino in liberando debitore præstare aut solet, aut etiam valet, nisi vel preces adjungantur, vel desiderii saltem significatio, ut creditor, quamvis minus accipiat quam sibi debetur, debitorem tamen liberare velit; hacque ratione antiqui Sacerdotis personam vim aliquam in peccatis expiandis habuisse, quispiam fortasse dixerit, expiationem videlicet precibus à Deo impetrando; unde per collationem, Christum quoque precibus nobis à Deo expiationem peccatorum nostrorum impetrasse, concludendum videatur. Verum, nec concedendum est, Sacerdotem illum antiquum precibus expiationem à Deo impetrasse, nec, si id maxime concedendum esset, ad propositum faceret, cum longe aliud sit satisfacere, & precibus aliquid impetrare. Qua de re postea agemus.

Sequitur, ut de vi ipsius adumbrationis videamus, utrum videlicet aliquid verbotenus tantum legali Pontifici, tanquam rei adumbranti, tributum fuerit, quod satisfactionem istam, de qua quærimus, indicet, quodque in Christo, tanquam in re adumbrata, reipsa inveniri statuendum sit. Quamvis enim, ex iis quæ supra in initio fere hujus de sacrificiis tractationis disputavimus, id fieri non posse appareat, cum, ut ibi dictum fuit, necesse sit, ut ea quæ adumbrantur, non verbotenus tantum, sed reipsa quoque aliqua ratione in re adumbrante reperiantur, tamen, ut nulla prorsus de satisfactione ista suspicio esse possit, recte est ut hac de re accurate explicemus. Dico igitur, ea quæ à Mose de legali Pontifice, quod ad expianda peccata attinet, dicuntur, omnia uno verbo *Cupher* contineri, de quo supra, cum de ipsis victimis ageremus, disputatum est, & ostensum, illud à satisfactionis significatione quam longissime abesse. Itaque statuendum est, id, cum Sacerdoti sacrificanti accommodatur, aliquid omnino à satisfactione diversum significare. Vetus quidem Interpres, ni fallor, ubique fere *Rogare*, sive *Orare*, ejus loco reposuit, quod alicubi alii quoque interpretes fecerunt. Verum tamen affirmare ego nihilominus ausim, verbum illud nusquam orandi seu rogandi vim obtinere, sed, quod ad propositum nostrum attinet, semper expiandi seu removendi reatum & pœnam peccati, significationem habere, sive id fiat orando, sive offerendo, sive condonando, sive quacunque alia ratione. Atque hoc sensu in recentioribus Latinis editionibus, plerunque verbum illud, etiam cum de summo Sacerdote sacrificante agitur, redditum fuisse animadvertimus, & dictum *Et expiabit eum Sacerdos &c.* Quid autem hoc sibi velit, ex iis quæ ante disseruimus satis intelligi potest, nempe, Sacerdotem peracto illo sacrificio liberaturum esse illum pro quo sacrificabat ab admissi peccati reatu, non quidem Deo ejusve justitiæ satisfaciendo, sed id peragendo, quod peragi voluit Deus, si is qui deliquerat delicti sui veniam consequi vellet. Unde factum videmus, ut in multis ejusmodi locis verbum *Chaphar* vel *Chipper* à doctissimis viris nihil aliud significare dictum sit, quam *Expiatum seu mundum declarare*, ut in annotationibus magnorum Bibliorum Roberti Stephani scriptum est, Levit.5.10.16, & 6,7, & 15.15. Idemque annotat Franciscus Vatablus cap.15 ejusdem libri, ✝f.30, & cap.16.30, hoc autem ubique fieri posse videtur, præsertim vero toto capite quarto ejusdem libri: ubi pro confirmatione hujus explicationis animadvertendum est, non addi ea verba, *Et expiabit, &c*, tunc cum de oblatione pro peccato ipsius Sacerdotis est sermo. Ex quo colligere licet, verbum expiandi in illis aliquid significare, quod non ita sacrificio pro peccatis Sacerdotis accommodari possit, ut pro aliorum. Id autem nihil aliud videtur esse posse, quam *Expiatum seu mundum pronunciare & declarare.* Neque enim seipsum mundum declarare perinde ac cæteros aut poterat aut debebat Sacerdos. Adde, quod alicubi verbum illud hanc significationem habere prorsus necessarium est, ut Levit.10.17 ubi legitur: *Cur non comedistis oblationem pro peccato in loco sanctitatis? Est enim sanctitas sanctitatum, cum illam dederit vobis ad portandum iniquitatem congregationis, & ad expiandum eos coram Jehova.* Cum enim jam sacrificium peractum fuisset, certissimum esse potest comestione illa non potuisse peccatum expiari, sed tantummodo expiatum declarari. In quibus verbis illud etiam obiter notandum est, phrasim illam *Portare iniquitates seu peccata*, de qua supra alibi egimus, adeo (ut ibi diximus) significare solere *auferre iniquitates seu peccata*, ut inde factum sit, ut ablata ea fuisse declarare significare possit. Ex his satis constare arbitror, nusquam cap. 4. 5, & 6 Levit. ubi potissimum sacrificia instituuntur, attributum summo Sacerdoti fuisse, quod pro peccatis satisfaceret, licet ibi sæpius repetitum sit, *Et expiabit eum Sacerdos &c.* Id quod ex eo præterea intelligi par est, quod ubique additur, *& remittetur ei.* Remissionem enim & plenam satisfactionem, (nam de hac loquimur) non solum ab ipso reo seu debitore, sed à quocunque pro eo exhibitam, simul stare non posse, supra (ni fallor) aperte demonstratum est. Sed jam de iis locis videamus, qui magis proprie ad quæstionem nostram pertinent, & sunt Levit.16, ubi de anniversario illo sacrificio agitur, in quo Christi sacrificium præcipue adumbratum fuisse ante docuimus, & cap.9 ejusdem libri, ubi de prima oblatione agitur, quam pro se & populo Aharon fecit, quæ cum universalis fuerit, Christi sacrificium adumbrasse aliqua ratione dici potest. In illis autem verbum *Chipper* orandi seu precandi significationem habere, à doctissimis viris annotatum fuit: Quod non ob aliam causam ab ipsis factum esse arbitror, nisi quia ab omnibus verbum illud cum præpositione *baad* construitur, cum in superioribus locis ubi expiandi seu expiatum declarandi significationem illud retinere dixerunt, cum præpositione *al* construatur. Verum hoc, ut mihi quidem videtur, nullam significationis differentiam inter utrosque locos constituere debet. Siquidem *al* non minus quam *bead*, & *super* & *pro* significare potest, ut nihil aliud esse queat *vechipper baado*, quam *vechipper alav*; nec illud aliquid significare, quod hoc pariter non significet. Quocirca, cum manifestum ex ipsorum sententia sit, *vechipper alav* nihil aliud esse quam *Expiabit eum*, sive *Expiatum illud declarabit*, cur *vechipper baado* ipsis auctoribus *Orabit pro eo* interpretabimur? Certe verbum cum præpositione *bead* constructum, expiandi significationem retinere perspicuum est ex cap.30. lib.2. Paral.17. 18 quem locum, si quis ea de re dubitet, consulere poterit. Non est igitur in his locis etiam ab usitata verbi *Chipper* significatione recedendum, & concludendum omnino est, ubicunque de legali Sacerdote sacrificante agitur, nihil illi majus attribui, quam quod id faceret, quo peracto is pro quo sacrificabatur divina benignitate à peccati sui reatu & pœna liberaretur, vel quod liberatum esse declararet seu pronunciaret. Ex quo efficitur, per adumbrationem Christi in summi illius Sacerdotis persona, ex ipsius adumbrationis vi nullo modo colligi posse, Christum pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfecisse.

Restat ut nos, quid ex hac adumbratione, tum adumbratam rem cum adumbrante conferendo, tum adumbra-

brationem ipsam per se perpendendo, colligi & possit & debeat, consideremus. Et primum cum antiquo Pontifice Christum conferamus, non simpliciter quidem, sed quatenus ad populi expianda peccata is à Deo Pontifex constitutus fuerat, & præsertim quatenus semel in anno, in Sancta Sanctorum ingrediens, id universe peragebat. Sic enim & collationem ipsam melius persequemur; & quæ hac de re in Epistola ad Hebræos scripta sunt, rectius intelligemus.

Cum igitur (ut hinc hujus collationis initium sumamus) certum sit, antiquum illum Pontificem non ea ratione populi peccata expiasse, quod pro illis satisfaceret, sed quod ea faceret, quibus peractis ex divina benignitate expiatio ante promissa reipsa consequebatur, vel etiam quod expiationem prædicto modo consecutam esse declararet, ac pronunciaret: certum quoque esse debet, Christum non idcirco nostra peccata expiasse, quod pro illis divinæ justitiæ satisfecerit: sed quod ea fecerit, quibus peractis peccatorum nostrorum expiatio, antea nobis divina benignitate promissa, consecuta reipsa fuerit, vel etiam, quod nos eadem benignitate divina jam expiatos esse pronunciaverit ac declaraverit. Utrumque autem quomodo Christus, seipsum crucis morti tradendo, suumque sanguinem pro nobis fundendo, effecerit, supra, cum victimas illas antiquas cum ipsius sacrificio contulimus, abunde à nobis demonstratum est. Porro de utroque loquitur auctor ad Hebr. 1.3. ubi de Dei filio sic loquitur: *Qui cum sit splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ illius, portetque omnia verbo potentiæ suæ, per semetipsum purgatione facta peccatorum nostrorum, consedit ad dextram majestatis in excelsis.* Ait igitur divinissimus hic scriptor, Christum splendorem esse gloriosum, & expressam imaginem substantiæ Dei, hoc est, per ipsum nobis gloriam & majestatem Dei insigniter admodum apparuisse, adeo, ut ipsummet Deum in ipso conspicere ac contemplari licuerit. Quod aliud non est, quam Deum ejusque voluntatem, quatenus hæc notitia nobis salutaris est, per Christum penitus cognovisse & perspexisse. Ait insuper, Christum portare, id est, moderari cuncta, verbo, id est, jussu potenti suo, quod idem est cum eo, quod alibi scriptum est, habere illum omnem potestatem in cœlo & in terra, & infernum quoque ei genua flectere Matth. 28. 18. Phil. 2. 9, 10, 11. Hæc igitur cum de Christo Apostolus dixisset, consequenter ac recte subjunxit, eum per semetipsum peccatorum nostrorum purgationem fecisse. Ex quo apparet, quam sint omnia supra citata ejus verba inter se aperte cohærentia. Id quod pauci, ut arbitror, vel animadverterunt, vel convenienter explicarunt. Atque inde apparet, utraque illa ratione, de qua dicebamus, Christum ad exemplum antiqui Pontificis nostra peccata expiasse. Quatenus enim Dei erga nos voluntatem omnem in ipso expressam vidimus, declaratum nobis apertissime est, remissa & deleta esse peccata nostra. Duplici autem ratione in Christo Dei erga nos voluntatem expressam vidimus. Primum, quia is eam nobis prædicatione sua patefecit, idque multis modis, præsertim vero crucis mortem obeundo, sanguinemque suum fundendo, confirmavit. Deinde, quia in ipso id jam re impletum scimus, quod Deus nobis per eum est pollicitus, & jam in ipso certissimum pignus divinæ bonitatis nobis patefactæ habemus. Quatenus vero Christus omnia potenti jussu suo moderatur & regit, jam effectus ipse expiationis, quam Deus pro singulari & pura sua clementia ac liberalitate nobis destinaverat, consecutus esse dici potest. Nam si Christus, cujus membra nos sumus, non solum ad sempiternam beatitatem perductus est, sed omnia etiam in cœlis degens in manu habet, nonne & nos una cum eo in cœlis versamur? Nonne mors atque infernus, quod ad nos attinet, vim suam prorsus amiserunt? Nulla igitur superesse amplius potest pro peccatis nostris pœna. Itaque apparet, suprema illa Christi potestate expiata revera esse peccata nostra, quod quidem morte ejus interveniente factum est, per quam ipse ad omnium moderationem & summum illud imperium pervenit. Nos Christus (ut inquit idem auctor ad Hebr. cap. 13. 12.) per proprium sanguinem sanctificavit, non quidem, ut Pontifex Aharonicus, qui victimarum sanguine fuso, populum propter solum Dei decretum expiabat, & expiatum esse pronunciabat, sed suiipsius sanguinis fusione interveniente, mortem peccatorum pœnam pro nobis extinguens, & divinæ voluntatis certissimam fidem nobis perpetuo faciens. Qua ratione qui semel sanctificatus fuit, & postea tantam sanctificationem aspernatur & rejicit, is gravissimis pœnis dignissimus est, quippe, qui ipsum Dei filium conculcet, & ejus admirabilem charitatem contemnat, ac sanguinem, quem, eadem charitate impellente, ut sanctificatio hæc consequeretur, fundere non dubitavit, & ob eam rem sanctissimus censeri debet, tanquam rem prophanam ducat, ut ait idem Apostolus cap. 10. 29. Ex quo loco aperte constat, Christi sanguine sanctificari, significare potissimum, per Christi sanguinem ad veritatis cognitionem, id est, divinæ voluntatis de peccatorum remissione pœnitentibus danda, qua æterna vita continetur, notitiam pervenire. Dixerat enim prius ϔ. 26, *Voluntarie enim peccantibus nobis post notitiam veritatis &c.* Quam sententiam deinde, ut manifestum est, latius explicat, & verba quæ modo recitavi sic uberius exponit, ϔ. 29, *Qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem Fœderis, per quem fuerat sanctificatus, prophanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit?* Ubi nemo est, qui negare possit, sanctificationem istam & Spiritum gratiæ, acceptæ veritatis notitiæ in superioribus verbis respondere. Quod ita esse id plurimum confirmat, quod non sanguinem simpliciter dixit Apostolus, sed *sanguinem Fœderis*, ut idcirco sanctificatum istum per Christi sanguinem significet, quia Christi sanguinis fusione divinæ promissiones sancitæ & confirmatæ fuerint, atque ob eam causam ab ipso pro veris agnitæ, unde omnis sanctificatio ista, quæ nihil aliud quam peccatorum expiatio est, pendet ac derivatur. Ad hanc divinæ voluntatis patefactionem, unde fit, ut à peccatis, id est, ab eorum reatu expiemur, pertinent fortasse, non minus quam ad ablutionem à peccatis ipsis, ea verba Johannis, Apoc. 1. 5, *Qui lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, id est, nos ablutos esse declaravit. Nam etiam paulo ante eum testem fidelem appellaverat. Si modo verba illa, *Qui lavit &c*, ad Jesum Christum referenda sunt, ut ego quidem cum cæteris arbitror. Quamvis non defuerint, ut Erasmus testatur, qui ad Deum, cui Jesus Christus fidelis testis fuisset, ea referri volebant, & non *sanguine suo*, sed *sanguine ejus* legebant. Cum de redemptione per Christum facta dissereremus, quæ ejus sanguine interveniente peracta fuit, observavimus, ubicunque fere de ea agunt Scriptores Sacri, patefactionis voluntatis divinæ mentionem fieri. Idem videmus plerumque contingere, cum de peccatorum expiatione eadem ratione facta agitur. Nimirum ut intelligatur, Dei voluntatem à Christo, dum sanguine suo interveniente peccata expiat, non conciliatam nobis, sed patefactam fuisse, & verbi expiandi ac similium significationem illam declarationis, non minus Christo quam legali Sacerdoti convenire.

CAPUT XXVIII.

De aliis similitudinibus inter legalem Sacerdotem & Christum, ex quibus intelligi potest, Christum alia ratione quam per satisfactionem peccata nostra expiasse.

Est præterea in hac Christi & summi legalis Sacerdotis collatione considerandum, quod quemadmodum Pontifex ille antiquus hostias quidem in anniversario illo sacrificio extra Sancta Sanctorum mactare debebat, nec antequam eas mactasset illuc ingredi poterat: hostiarum tamen ipsarum ante mactatarum sanguinem in ipsa Sancta Sanctorum debebat inferre, ibique expiationem iis hostiis faciendam peragere; Sic Christus hostiam quidem pro peccatis nostris seipsum mactandum tradere debuit, antequam in cœlum ingrederetur: Cæterum seipsum similiter postmodum in ipsum cœlum debuit inferre, ibique coram Deo pro nobis sistere, & peccatorum nostrorum expiationem peragere.

Ex

Ex quo perspicuum est, alia prorsus ratione, quam per satisfactionem, peccata nostra à Christo expiata fuisse. Si enim per satisfactionem ea expiasset, quid opus fuisset, ad expiationem hanc peragendam, seipsum in cœlum inferre? Certe, si satisfactio ulla divinæ justitiæ pro peccatis nostris à Christo fuisset exhibita, ea ante ipsius ingressum in cœlum, imo ante ipsam à mortuis resurrectionem, statim post ipsam mortem peracta fuisset. Non enim resurrectione, non ascensu in cœlum non denique sessione ad Dei dexteram, sed violenta morte & cruciatibus, quos pro nobis Christus sustinuit, eum pro peccatis nostris satisfecisse (si modo eum satisfecisse verum esset) necesse foret. Id quod uno ore omnes confirmant, qui satisfactionem istam asserunt, dum ad eam stabiliendam, nihil aliud quam Christi mortem perpessionesque, & quid de illis in Sacris Literis scriptum esse contendant, in medium afferunt. Verum quia Christus, ut supra dictum est, non per satisfactionem divinæ justitiæ pro peccatis nostris exhibitam illa expiavit, sed per divinæ voluntatis patefactionem, perque vitæ æternę supremæque illius potestatis adeptionem, propterea consentaneum seu potius necessarium ad expiationem hanc peragendam fuit, ut ipse in cœlum ingrederetur. Neque enim ante vel divinam voluntatem nobis plene patefecit, vel ipse æternam vitam supremamque illam potestatem revera est adeptus, quam à mortuis excitatus cœlos conscendit, ibi perpetuo mansurus. Ex sic apparet, quomodo recte constet inter Christum & legalem Pontificem similitudo ante exposita, quam idcirco plærique alii vel assecuti non sunt, vel certe non satis perpenderunt, quia persuasissimum illis fuit *expiare peccata*, idem esse, quod pro illis divinæ justitiæ satisfacere; aut certe, sine satisfactione ista peccatorum nostrorum expiationem consistere non posse, omnino crediderunt. Itaque statuerunt, in expiandis peccatis nostris necesse esse, jure quodam Deum ad illa nobis non imputanda quodammodo adigere; & ita expiationem, quatenus etiam ea ab ipso Deo proficiscitur, aliqua ratione nobis aliunde comparatam fuisse. Quod tamen longe aliter se habet, cum ad expiationem peccatorum nostrorum, quæ nihil aliud est, quam ab ipsorum pœna & reatu liberatio, nobis concedendam nihil Deum movere jure possit, præter ipsius voluntatem ac puram liberalitatem. Nam quæ pro expiandis peccatis nostris quocunque modo fiunt, ea non Deum ipsum, sed nos respiciunt: vel quia nos ad divinam liberalitatem jam nobis oblatam amplectendam movent: vel quia inde fit, ut divinæ liberalitatis effectus ad nos manet, quemadmodum ex iis, quæ supra disputata sunt, intelligi potest. Adeo autem verum est, peccata nostra, antequam Christus in cœlum ingrederetur, ab ipso expiata non fuisse, ut etiam, postquam cœlum est ingressus, expiare adhuc & quidem in perpetuum, nostra peccata dicatur. Qua pariter in re, similitudo inter ipsum & legalem Pontificem apparet. Siquidem is quoque, postquam in Sancta Sanctorum ingressus fuerat, continenter ac perpètuo, dum ibi erat, populi peccata expiabat, in hoc tantum Christo dissimilis, quod ipse ad brevissimum tempus in Sacrario illo manebat: Christus vero per omne ævum in coelis mansurus est. Jam vero Christum, postquam in cœlis est, expiare & quidem in perpetuum peccata nostra ex testimoniis, quæ mox afferentur, abunde constabit. Sed prius explicandum est, quid sit ista expiatio. Neque enim Christus in cœlis manens, ideo expiat peccata nostra, quod vis atque efficacitas expiationis ab ipso in cruce (ut plærique credunt) peractæ perpetuo duret: Sed, quia is, ad Dei dexteram in cœlis collocatus divinæ liberalitatis nos perpetuo admonet, ad eamque amplectendam jugiter movet, & summa potestate sibi à Deo in cælo & in terra concessa, à divina ira quæ de cælo identidem adversus impios & peccatores exeritur, & in die illa extrema adversus omnes simul cumulatissime exeretur, nos & servat & servaturus est Rom. 1.18. 2 Thess. 1. 8, 9. Leguntur apud auctorem Epistolæ ad Hebræos hæc verba de Christo cap. 2.17, 18. *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret* (sive esset) *& fidelis pontifex, in iis quæ apud Deum, ad expiandum peccata populi. Nam ex quo contigit tentatum esse, potest & iis qui tentantur, auxiliari* Ex his verbis planissimum fit, Christum, postquam passus est, expiare peccata nostra. Ideo enim passus fuisse dicitur, ut per ea, quæ passus est, fieret misericors & fidelis in nostris peccatis expiandis. Quod certe minime dici potuit, si Christi expiatio quæ adhuc durat, vis atque efficacitas est expiationis, quæ jam in cruce peracta fuerit. Qua enim obsecro Christi misericordia aut fidelitate opus est, ad vim atque efficacitatem istam producendam aut nobis impertiendam? Nonne, si expiatio in cruce est peracta, ex eo ipso perpetuo vis atque efficacia ista per se manat? Nonne, ut eam nos participemus, nihil aliud requiri, isti ipsi, cum quibus nobis disputatio est, confitentur, nisi ut illam eo modo, quo dictum est, peractam fuisse credamus? Igitur, si id credimus, jam istius expiationis effectum participamus, nec alia Christi ope ea ipsa in re præterea indigemus: sin autem non credimus, nullum auxilium à Christo, in effectu istius expiationis consequendo, sperare possumus. At vero, Christum eorum, qui ipsi confidunt adhuc peccata expiare, ex iis intelligi potest, quæ ab eodem auctore cap. 4.14, 15 scripta sunt in hunc modum: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia juxta similitudinem absque peccato.* Hic profecto, cum Christum tanquam Pontificem consideret, qui confessionem tenentibus auxiliari possit, aperte docet, Christum sibi confidentium peccata expiare. Nam neque à Pontifice tanquam Pontifice aliud auxilium proficiscitur, quam peccatorum expiatio; nec confessio illa in eo inveniri potest, qui Christo non confidat. Sed deinde subjungit, ℣. 16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Ex quibus verbis satis intelligitur, quid sit peccata nostra à Christo etiamnum expiari, nempe, misericordiam & gratiam ab ipso vel per ipsum nos consequi, ut opportuno auxilio non destituamur, id est, cum alii, qui fidem ipsi habere noluerint, meritas suæ contumaciæ pœnas dabunt, nos ab omni pœna liberi simus. Hæc autem expiatio, quid, quæso, cum satisfactione commune habet? Est autem observandum, hunc locum, in superioribus illis verbis, ℣. 15, *Non enim habemus Pontificem* &c, eandem plane sententiam continere, quam prior ex eadem Epistola allatus locus continet, cap. 2.17, 18. *Unde debuit per omnia* &c. Quamobrem, cum ibi expresse de expiatione peccatorum agatur, hic tacite de eadem agi confitendum est. Rursus, cum hic, quid sit expiatio ista, satis explicetur, eamque cum satisfactione nihil commune habere posse intelligatur, quid sibi velint in superiore loco verba illa Heb. 2.17, *Ad expiandum peccata populi*, atque in iis nihil de satisfactione dici, perspicue intelligi potest. Itaque vix dicere quisquam possit, quam turpiter erraverint illi, qui Italice vel Gallice ea verba interpretationibus suis N. Testamenti ita converterunt, ac si ad satisfaciendum pro peccatis populi scriptum esset. Sed ad rem redeundo dico, de hac eadem, quæ in cœlis à Christo peragatur, peccatorum nostrorum expiatione, locutum fuisse Joannem Apostolum, cum ait primæ Epistolæ cap. 2.1, 2, *Filioli, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum justum; & ipse est expiatio pro peccatis nostris; nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi.* Sensus enim Apostoli est, quod, cum Jesus Christus, qui justus est, id est, fidelis & verax, in cœlo apud Patrem in dextera majestatis confideat, ejus patrocinio sustentamur atque fovemur, quicunque tandem vel ad Euangelii prædicationem jam resipuimus, vel resipiscemus unquam, &, quæ ille promisit, nobis præstitum iri, certo statuere possumus. Promisit autem omnibus, ex ipsius præscripto resipiscentibus, à peccatorum pœna perpetuam liberationem. Ergo non est, si prædicta ratione resipuerimus, cur peccata nostra nobis imputatum iri vereamur, & ab ira Dei, quam ii, qui Euangelio non obediunt, experientur,

tur, nobis unquam metuamus, à qua ipse Jesus Christus potentia & auctoritate sua nos perpetuo defendit, & ita perpetuo nostra peccata expiat. Hanc autem expiationem interpeliationem quoque apud Deum pro nobis nominarunt Sacri scriptores, ut ad Heb. 7.24,25. *Hic autem eo quod permaneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: unde & servare ad plenum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro eis.* Quamvis enim Christus, postquam in cælum ascendit, supremam potestatem habeat sibi obedientes in perpetuum servandi: quia tamen illam à Deo accepit, quemadmodum, ut Dei prærogativam semper præ oculis habeamus Sacerdotis munere in cœlis fungi dicitur, sic Deum pro nobis, ut fidum & misericordem Sacerdotem decet, precari atque orare est dictus. Sic etiam Paulus ad Romanos scribens ait, cap. 8.33,34. *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est qui justificat: Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui est mortuus, imo qui & resurrexit, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ex quibus Pauli verbis satis constare videtur, Christi quidem mortem nobis spem facere salutis nostræ, quatenus Christi ipsius charitatem erga nos summam ostendit, qui futurus est omnium judex, & à quo salus nobis expectanda est; nec sine ipsa Christi morte nobis absolutionem à peccatis nostris, quæ reipsa nihil aliud quam vita æterna est, contingere potuisse, non obscure docent: Cæterum ipsius mortis vi, expiationem peccatorum nostrorum peractam minime fuisse, demonstrant. Nam quid aliud nobis declarant ea verba, *imo qui & resurrexit*, quam resurrectione Christi non consecuta, nihil nobis Christi mortem profuturam fuisse, ut alibi ex ejusdem Apostoli verbis aperte colligitur 1 Cor. 15. 14, 17? quod tamen absurdum plane esset, si per Christi mortem expiatio peracta fuisset. Sed nec resurrexisse quidem Christum satis futurum docent sequentia Apostoli verba: *Qui & est ad dexteram Dei, &c.* Necesse enim fuit ad hoc, ne nos condemnaremur, (nam hac de re manifeste ait Paulus) quod idem est, atque ut nostra peccata expiarentur, necesse fuit, inquam, ut Christus, postquam resurrexit, in cœlum transferretur, ibique supremam gloriam & potestatem adipisceretur; ex quo consequitur, eum pro nobis apud Deum continenter interpellare, id est, ut dictum fuit, auctoritate & potentia ista à Deo tradita nos à cunctis malis semper liberare, & ita peccatorum nostrorum perpetuam expiationem facere. Aliis tamen in locis non paucis, Christi resurrectionis nomine ejus simul gloria & potestas illa summa intelligitur, ut quando idem Paulus ait, Rom. 4. 25 Christum traditum esse propter peccata nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram. Unde etiam perspicitur, justificationem nostram, id est, absolutionem à peccatis nostris, sive peccatorum nostrorum expiationem, non à morte Christi revera, sed ab ejus gloriosa resurrectione proficisci. Traditus est quidem Christus propter peccata nostra, id est, peccatorum nostrorum causa, nisi enim fuissent peccata nostra, nihil opus fuisset eum crucis mortem subire, qua ad peccata nostra delenda via patefieret: sed resurrexit deinde, hoc est, à mortuis excitatus ad supremam gloriam & potestatem est perductus, propter nostram justificationem, id est, ut nos vita æterna ab ipso donaremur, qua vita peccatorum nostrorum absolutio & expiatio, justificationis nostræ nomine, ut dictum est, significata, plane continetur. Certissimum igitur esse potest, quemadmodum dictum est, ipsius Christi mortis vi non fuisse revera expiata peccata nostra; quod tamen necesse esset, si per satisfactionem pro ipsis divinæ justitiæ exhibitam ea à Christo expiata fuissent. Imo certissimum esse debet, antequam Christus in cœlum post resurrectionem suam ingrederetur, peccata, nostra non fuisse expiata; idque adeo verum est, ut Christus in cœlis manens perpetuo reipsa expiare peccata nostra dicatur. Ex quo apparet, nihil dubitari posse, quin Christi oblatio in ipso cœlo peracta fuerit, quemadmodum à nobis supra disputatum est. Ubi enim expiatio fit, ibi oblationem quoque fieri plane necessarium est. Sed dicet aliquis: Quomodo, si, ut affirmas, expiatio peccatorum nostrorum adhuc à Christo fit, dictum est multis in locis, expiationem istam jam factam fuisse, & Christum jam peccatorum nostrorum purgationem per seipsum fecisse? Heb. 1.3 & 10. 12 &c. Respondeo, ita scriptum esse, quia expiationis modus, jam inde ex eo, quod Christus ex mortuis resurgens, in suam gloriam intravit, perfectus fuit, id est, id factum fuit, unde & nos ad oblatam à Deo delictorum nostrorum veniam amplectendam movemur; & Christus nobis eam veniam reipsa dandi, id est, nos ab omnibus pœnis peccatis nostris debitis, liberandi potestatem habet. Ex quibus deinde perpetuo ipsa expiatio ad nos manat, & manatura est.

CAPUT XXIX.

Quod Christus non pro nobis tantum, sed pro seipso quoque obtulerit. De dissimilitudine quadam insigni inter legalem Pontificem & Christum. Quid ex sola ipsa adumbratione Christi personæ, in pontificis legalis persona colligi possit, breviter indicatum. Et conclusio hujus de sacrificiis tractationis.

VErum alia præterea inter Christum & legalem Sacerdotem similitudo est, eaque maximi momenti, quam à paucissimis animadversam fuisse constat, & tamen ea ab Auctore Epistolæ ad Hebræos clarissimis verbis non semel expressa invenitur. Ea autem est: quod, sicut Pontifex legalis non minus pro se quam pro populo offerebat: ita & Christus non minus pro seipso quam pro nobis obtulit. Videbitur, non dubito, prima fronte, impia & blasphema hæc sententia nostra, tanquam ex ea concludi necesse sit, Christum peccasse quem Sacræ Literæ innocentissimum fuisse testantur: Atqui multo aliter res se habet. Nam obtulit quidem Christus pro seipso, non tamen pro peccatis suis, quæ nulla eum habuisse certum est, sed pro infirmitate sua, quatenus videlicet, dum hic ageret, mortalis & patibilis erat, à qua ut liberaretur, non secus ac nobis illi opus erat, & nisi ab ea ipse liberatus fuisset, ne nos quidem unquam liberari fuissemus. Sed præstat, Epistolæ ad Hebræos hac de re testimonia expendere.

Igitur postquam scriptor ille Hebr. 4. 15 ad finem capitis quarti dixisset, Christum posse compati infirmitatibus nostris, quia tentatus fuerit per omnia absque peccato, capite deinde quinto, huc respiciens, hæc verba subjunxit ℣. 1,2,3,4. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant, & qui errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, sicut & Aharon.* Voluit Apostolus, (ut ex dictione *namque* intelligi debet) rationem eorum reddere, quæ antea dixerat, Christum scilicet, quem Pontificem vocaverat, posse compati infirmitatibus nostris, quia & ipse tentatus fuisset, &c id est, quia & ipse iisdem infirmitatibus sine peccato, circumdatus fuisset, & propterea ait, hoc mirum videri non debere. Nam Pontifex quoque ipse legalis, in quo Christus adumbratus fuit, infirmitate non minus quam populus circundatus erat, adeo ut pro seipso non minus, quam pro populo illi offerendum esset. Et addit, in sacerdotio illo summo legali, neminem propria auctoritate sibi munus illud sumpsisse, sed eum qui vocatus fuisset à Deo, ut Aharon: ex quo deinde ad ipsius familiam honor ille propagatus fuit. Itaque præter id, quod dixerat, Pontificem illum legalem infirmitate circumdatum fuisse; qua in re Christum fuisse illi similem, ex iis, quæ superiore capite scripserat, perspicuum erat, duo commemorat, quæ in Pontifice illo essent, & in Christo similiter fuerint. Unum, quod pro seipso non minus quam pro populo offerret. Alterum, quod à Deo ad munus illud vocatus esset. Et in priore quidem Christum similem legali Pontifici fuisse, ex antedictis, exque jam inter ipsos constituta illa prima simi-

litudi-

litudine necessario consequebatur. Nam si legalis Pontifex, qui & ipse circumdatus erat infirmitate, debebat, quemadmodum pro populo, sic etiam pro seipso offerre; certe cum jam constitutum fuerit, Christum & ipsum infirmitate circumdatum fuisse, sequitur omnino, ipsum quoque pro seipso offerre debuisse. In posteriore vero de similitudine inter utrumque nondum constabat; propterea fortasse, quod posterius propositum fuerat, prius exequitur, inquiens versu 5, 6 *Sic & Christus non semet-ipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui est locutus ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* Posteriore autem similitudine explicata, statim priorem explicat his verbis ℣. 7, 8, 9, 10. *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui poterat ipsum servare à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens; & exauditus pro reverentia,* (vel potius *ex metu:*) *Et quamvis filius esset, didicit ex iis, quæ passus est obedientiam: Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, cognominatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec.* Quis negare potest, in his verbis omnino affirmari, Christum pro se ipso obtulisse? Quid enim est aliud, offerre preces & supplicationes ad eum, qui possit ipsum liberare à morte, quam pro sua à morte liberatione, pro seipso, inquam, a morte liberando offerre? Aut cur ista hic dicuntur, nisi, ut proposita illa Christi cum legali Sacerdote similitudo de offerendo, quemadmodum pro populo, sic etiam pro seipso explicetur, & verissima esse demonstretur? Cæterum animadvertendum est, liberationem istam à morte, pro qua sibi comparanda obtulit Christus, non fuisse liberationem à crucis morte, quia scilicet Christus Deum precatus fuerit, ne sibi crucis mors subeunda esset Matth. 26. 39. 42, 44. Marc. 14. 35, 36. 39. Luc. 22. 48, quod illum fecisse videntur tres priores Euangelistæ scriptum reliquisse, cum narrant, eum jam jam in eorum, qui ipsum mox crucifixerunt, manus tradendum, patrem precatum fuisse, ut à se transiret calix ille. Non est, inquam, hic locus cum illis Euangelistarum locis conjungendus, quasi utrobique eadem sit sententia. Certum est enim hic Christum a morte, à qua se liberari supplex orabat, liberatum etiam fuisse. Aperte enim dicitur, ipsum fuisse exauditum: At vero ab ipsa crucis morte, à qua, ut liberaretur, eum orasse, Euangelistæ dicere videntur, non fuit liberatus Christus, id est, crucis mortem plane subiit. Hæc igitur liberatio à morte, de qua hic agitur, non est liberari à morte crucis subeunda; sed à mortis vinculis solvi, id est, in morte non remanere, verum post mortem in vitam revocari, eamque perpetuam atque immortalem. Quanquam, quidquid prima fronte Euangelistarum verba significare videantur, valde apud me dubium est, utrum Christus patrem ulla ratione rogaverit, ut crucis mortem subire non cogeretur. Etenim cum Christus, ut ipse ait, semper à patre exaudiretur, Joh. 11. 42. Luc. 22. 43, verisimilius mihi fit, eum rogasse, ut discederet à se angor ille & animi & corporis gravissimus, quem Lucas præcipue describit, à quo etiam liberatus fuit. Nam præterquam quod, ut idem Lucas ait, ℣. 43, *apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum*, is etiam, qui prius expavescebat, & graviter angebatur, Marc. 14. 33, precibus absolutis alacris ad mortem ivit. Sed ad propositum redeo.

Satis, ut arbitror, demonstratum est, Christum non solum pro nobis, sed pro seipso quoque à morte liberando obtulisse. Mortis autem nomine, non ipsam mortem tantum; vel potius mortalitatem, sed calamitates quoque & afflictiones intelligo, & breviter, universam (ut ita dicam) patibilitatem, quæ omnia *infirmitatum* vocabulo apud Auctorem Epistolæ ad Hebræos significata sunt, ut similitudo ista non solum pro populo sed etiam pro seipso offerendo, inter legalem Pontificem & Christum, concinnius explicaretur. Hac enim ratione ostenditur, utrumque pro infirmitatibus non alienis tantum, sed etiam suis obtulisse. Nec quidquam ad similitudinem convellendam pertinet, quod utriusque infirmitates diversæ fuerint, quodque Pontifex legalis pro suis peccatis offerret, Christus non item. Namque, ut similitudo constet, satis est, Christum pro seipso ejusdem rei causa obtulisse, cujus causa pro aliis præcipue obtulit. Sed dicet aliquis: Ergo cum Christus peccatorum nostrorum causa pro nobis obtulerit, sequeretur, eum peccatorum etiam suorum causa obtulisse. Respondeo, Christum peccatorum quidem nostrorum causa pro nobis obtulisse, sed non ut Deum ad ea nobis condonanda adduceret, verum, ut nos à morte, quæ peccati pœna nobis erat, reipsa, quemadmodum Deus antea decreverat, liberaremur, & immortales tandem efficeremur. Ex eo enim, quod Christus seipsum Deo obtulit, id est, ut supra explicatum fuit, ipsum cœlum ingressus est, ubi omnem potestatem & in cœlo & in terra est adeptus, necessario consecutum est, ut omnes à morte liberandi, æternaque vita donandi potestatem acceperit perpetuam: & porro nos qui ipsius sumus, immortali vita omnino aliquando sit donaturus. Hac, inquam, ratione potissimum, Christus pro nobis peccatorum nostrorum causa obtulit. Quapropter cum Christus, ut demonstratum fuit, pro seipso à morte liberando, proque æterna vita consequenda obtulerit, nemo negare potest, Christum quamvis suorum peccatorum causa, quæ nulla habebat, minime obtulerit: ejusdem tamen rei causa reipsa pro se obtulisse, cujus causa pro nobis obtulit. Adde, quod mors ipsa & afflictiones, à quibus ut ipse liberaretur, Christus obtulit, licet is innocentissimus fuerit, figurata nec insolenti loquendi ratione *peccata* appellari possunt. Nam peccatorum pœnæ sæpe in Sacris Literis, ex consuetudine Hebræi sermonis, *peccata* nuncupantur; mors autem atque afflictiones, quamvis in Christo ipso non fuerint, tamen peccatorum pœnæ esse solent. Hinc factum est, ut idem auctor Epistolæ ad Hebræos, non solum, ut vidimus, Christum pro seipso obtulisse dixerit, verum etiam (id, quod sane mirum videri potest) pro suis peccatis eum obtulisse non veritus sit dicere. Sic enim cap. 7. 27 scriptum de ipso reliquit: *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Pontifices, prius pro suis peccatis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo.* Cum enim pronomen, *hoc* necessario id, quod præcesserat referre debeat; præcesserit autem, *prius pro suis peccatis, deinde pro populi offerre*; certo, cum scriptum sit, Christum hoc fecisse, necesse est fateri, aperte scriptum esse, Christum prius pro suis, deinde pro populi peccatis obtulisse. Igitur quod vere & proprie Apostolus de Pontificibus illis dixerat, improprie & figurate, ut brevitati simul & comparationis concinnitati consuleret, de Christo dixit. Namque animadvertendum est, ibi nullam aliam in comparatione illa dissimilitudinem inter pontifices illos & Christum constitui, nisi quod illi quotidie, id est, stato quodam tempore perpetuo, & pro seipsis & pro populo offerebant, Christus vero id semel tantum fecit, quemadmodum cuique locum non oscitanter legenti constare potest. Hac autem eadem loquendi figura, in re tamen opposita, ibidem proximis in verbis usus fuerat Apostolus. quod profecto non mediocriter sententiam nostram confirmat. In illis inquam verbis ℣. 26, *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus.* Hæc enim, ut ex particula *enim* intelligitur, ex superioribus inferuntur. Atqui supra nihil de vitæ sanctimonia, quæ in Christo sit aut fuerit, dictum est, nec porro id ad propositum quidquam facit. Quare concludendum est, ista omnia, *sanctum esse, innocentem esse &c*, nihil aliud significare, quam omnium infirmitatum, quæ hominum peccatorum sunt propriæ, præsertim vero mortalitatis, esse expertem. Hoc enim optime cum iis congruit, quæ prius dicta fuerant, Christum videlicet in æternum manere, & semper vivere; atque ex eo rectissime infertur, eum non habere necessitatem offerendi quotidie pro seipso, quemadmodum deinde dicitur. Ut igitur prius sanctitatis, innocentiæ, impollutionis, & segregationis à peccatoribus nomine, immortalitatem & impatibilitatem Apostolus intellexerat, quibus homines peccatores penitus sunt destituti: sic deinde peccatorum nomine perpessiones ipsamque mortalitas

talitatem intellexit, quæ peccatis proprie debentur, ipsaque perpetuo comitantur. Atque hanc eandem figuratam loquendi rationem esse arbitror in voce *Immaculatum* cap.9.14. Ob id enim potissimum Christum se Deo immaculatum obtulisse, dixisse videtur Apostolus, ut ostenderet, Christum cœlos ingredientem, immortalem & impatibilem factum fuisse, id quod à nobis creditum atque animadversum in causa est, (ut ibidem subjungit Apostolus) ut conscientiam nostram expurgatam babeamus ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Verum dicet aliquis, si Christi oblatio in cœlo facta est, quemadmodum supra disputatum fuit, & modo non obscure est indicatum, qui fieri potest, ut Christus pro seipso à mortalitate & patibilitate liberando obtulerit, cum in cœlum ingrediens, nec mortalis nec patibilis amplius fuerit? Aut quid ad Christi oblationem pertinere possunt preces illæ & supplicationes ipsius Christi, ab ipso in diebus carnis suæ ei oblatæ, qui poterat illum servare à morte? Respondeo primum ad utrumque simul, cum à me ex manifestis cum verbis tum sententia Epistolæ ad Hebræos affirmatur, Christi oblationem in cœlo peractam fuisse, perfectionem oblationis seu perfectam oblationem me intelligere; nec à Christi oblatione ejus preces sejungere, quas pro se & pro nobis Deo obtulit, dum adbuc mortalis in terris ageret. Fuerunt enim hæ oblationis totius initium, & pars quædam. Deinde ad illud separatim, quod priore loco objectum fuit, dico, Christum cœlum ingredientem non jam fuisse immortalem & impatibilem, sed per ipsum ingressum in cœlum immortalem eum & impatibilem factum fuisse. Resurrexerat quidem Cbristus, tertia postquam crucifixus fuerat die, non iterum moriturus, sed non præterea naturam immortalem tunc statim ab ipsa resurrectione est adeptus. Nam neque id ad rem ullam utile fuisset; & nullo modo ejus resurrectionis à mortuis plena fides ejus discipulis fuisset facta, nisi idem ipse, qualis antea fuerat, resurrexisset, adeo, ut ipsa clavorum, quibus cruci affixus fuerat vestigia in manibus ac pedibus baberet, itemque latus ex vulnere sibi lancea inflicto apertum, quæ Apostolis ipsis de ejus resurrectione dubitantibus, quemadmodum fecit, ostendere posset; quæ nemo (arbitror) sanæ mentis dixerit, in corpore natura immortali inveniri ullo pacto posse. Mitto, quod, ut verisimillimum est, non sunt immortalia corpora, mortalium sensibus subjecta, aut certe tanto splendore sunt prædita, ut eorum aspectus vix à mortalium oculis ferri possit. Atqui nihil tale de Cbristi corpore à mortuis excitaro, antequam in cœlum ascenderet, scriptum legitur. Ut nihil etiam dicam, quod, postquam resurrexit, revera cum discipulis suis comedit, & bibit, idque ut ex Luca satis liquet, ut suæ resurrectionis illis fidem faceret. Cibum autem & potum nullo modo immortalibus corporibus convenire, in ipso ferme harum disputationum nostrarum initio à nobis ostensum est. Non igitur fuit Christus natura immortalis, & ab omni corporis patibilitate reipsa exemptus, antequam hinc ad Deum migraret, atque, ut scriptor ille divinus loquitur Hebr.7.26, segregaretur à peccatoribus, & cœlis sublimor fieret. Ex quo perspicuum est, recte dici, Christum pro seipso à corporis infirmitatibus liberando, Deo obtulisse, quamvis oblationem istam in cœlo factam fuisse affirmetur, & per Christi oblationem factum esse, ut ipsemet à mortalitate & patibilitate assereretur; cum certum sit, per præsentationem illam sui ipsius in cœlo coram Deo factam, æternam & ab omni prorsus malo securam vitam eum fuisse adeptum. Jam vero, ut disputationem concludamus, si Christus ea in re legali Pontifici similis fuit, quod non secus atque ille, pro seipso quemadmodum pro populo obtulit, potest hinc satis aperte colligi, oblationem quam pro nobis peregit Christus, nullam satisfactionem aut satisfaciendi vim, babuisse; sed solum per eam, id ad effectum perductum fuisse, quod Deus de nobis deque expiatione nostrorum peccatorum decreverat; quemadmodum Christi pro seipso oblatione nihil aliud factum est, nisi quod Dei decretum de eo, ab omni prorsus corporis infirmitate liberando, executioni mandatum fuit.

Hucusque de similitudinibus inter Cbristum & legalem summum sacerdotem actum est. Nunc de dissimilitudinibus agendum esset: sed cum in Epistolæ ad Hebræos capite septimo de iis satis diligenter explicatum inveniatur, de una tantum agemus, quippe, quæ nec ita aperte ab anctore illius Epistolæ explicetur; & magni ad rem nostram momenti esse videatur, ad easque quæ superius disputata sunt confirmanda propemodum necessaria, quæ paucis saltem verbis exponatur. Dico igitur hanc inter legalem Pontificem & Christum insignem fuisse differentiam, quod ille non modo antequam in Sancta Deo sacrificaturus ingrederetur, sed etiam antequam pecudem quam immolaturus erat, mactaret, revera jam Sacerdos erat, inque Dei Sacerdotem perfecte unctus & consecratus: Christus vero non est in Dei Sacerdotem revera unctus & consecratus, antequam in cœlum ipsum ingressus fuerit, nedum antequam crucis mortem fuerit passus. Nam quod ante crucis mortem revera Pontifex noster non fuerit, ex eo plane intelligi potest, quod oportuit illum in omnibus nostrum similem fieri, ut esset misericors & fidelis Pontifex, ut scriptum est in Epistola ad Hebræos cap.2.17, qua in re, ut ex ipso loco patet, mortis potissima ratio babetur. Idem planissimum faciunt ea ejusdem Epistolæ verba cap. 5. 5. *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te, &c.* Ex Pauli enim verbis Actor. 13. 33 manifestum est, hæc Jesu Christo à Deo dicta non fuisse, nisi post resurrectionem ejus à mortuis. Ex quo consequitur, eum non ante Pontificem consecratum fuisse, quam à mortuis resurrexerit. Quod autem nec etiam post resurrectionem, antequam in cœlum ascenderet, Pontifex revera fuerit Christus, illud aperte ostendit, quod scriptum est Hebr.7.26. *Talis enim decebat &c.* Ex quibus verbis apparet, non decuisse eum Pontificem nostrum esse, nec porro fuisse, antequam cœlis sublimior esset factus. Ut complura alia omittam ab eodem auctore scripta, quæ idem omnino confirmant. Quod si legalis Pontifex non ante expiabat peccata populi, quam in Sancta ingrederetur, licet jam perfecte Sacerdos esset: multo minus peccata nostra expiasse Christus dicendus est, antequam in cœlum ingrederetur, cum is nondum perfecte Sacerdos esset. Atque bic prædictæ dissimilitudinis à nobis explicatæ fructus est.

Superest, ut de ipsa adumbratione per se considerata agamus, & quid inde colligi possit explicemus. Verum id satis explicatum est, cum de victimis ipsis ageremus, nec aliquid alicujus momenti ex sola Sacerdotis persona colligi potest. Inde igitur quæ ad hanc partem attinent sunt petenda.

Atque hic bujus de sacrificiis tractationis finis erat, in qua abunde nos ostendisse arbitramur, ex sacrificiis illis antiquis, in quibus Christi mors adumbrata fuit, nullam satisfactionem pro peccatis nostris ex ea morte proficiscentem ulla prorsus ratione colligi posse.

FINIS.

TRACTATUS

DE

JUSTIFICATIONE

FAUSTI SOCINI SENENSIS.

Justus ex fide vivet HEBR. 10. 38.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

Justificationis nostræ per Christum
SYNOPSIS PRIMA.



DEus pro summa & sola sua bonitate olim decrevit omnibus resipiscentibus, & in posterum, mundanis cupiditatibus valere jussis, sobrie, juste ac pie in præsente sæculo viventibus, omnia peccata condonare, eosque post hanc mortalem vitam ad immortalem à mortuis excitando transferre; si modo ab eo vitæ instituto, ne ipsius quidem mortis terrore, teterrimæ licet ac detestabilissimæ, demoverentur.

Propterea Jesum Christum unigenitum filium suum, natum è muliere, in mundum misit, nimirum ut hanc ipsius voluntatem mundo patefaceret.

Hinc factum est, ut Christus Jesus non modo tantam Dei bonitatem nobis annunciaverit, ac mirandis infinitis operibus, nunquam antea visis nec auditis, confirmaverit, verum etiam ejus annunciandæ occasione mortem crucis, ipso Deo mandante, subierit, qua nulla execrabilior inveniri poterat, quamque innumerabilia eaque ingentia mala & incommoda sunt antegressa.

Neque hoc ad suam nobis voluntatem patefaciendam satis Deo visum fuit, sed præterea voluit, ut in ipsius Jesu persona, rem prorsus sic se habere, quemadmodum is nobis patris sui nomine exposuerat, videremus. Atque hanc ob causam, eum, quem nobis nostræ vitæ exemplar proposuerat, tertio, postquam interfectus fuerat, die à mortuis excitavit, ac postmodum in cœlum ad immortalem vitam transtulit.

Verum neque hoc etiam contentus, ne ullus penitus dubitationi locus relinqueretur, ipsi Jesu tantam in cœlo & in terra, tanquam obedientiæ scilicet usque ad mortem crucis insigne præmium, potestatem dedit, ut eos, qui viam, ab ipso cum verbis tum sui ipsius exemplo præmonstratam, ingressi & persecuti fuerint, in mediis etiam calamitatibus & ipsa morte, perpetuo fovere & confirmare, ac tandem æterna vita donare ipse possit.

Itaque nemo est, qui hæc omnia facta fuisse aut animadverterit, aut crediderit, qui de prædicta divina voluntate amplius dubitare potuerit, & ita, abnegata impietate, ad Deum ex Jesu Christi præscripto se non converterit, (atque hoc est in Christum, sive in Deum per Christum credere) ac proinde peccatorum suorum veniam ex Dei decreto non sit consecutus.

Cum igitur mors Christi, & ipsa per se veniam peccatorum nobis à Deo per ipsum Christum oblatam obsignaverit ac confirmaverit, & ad resurrectionem ipsius Christi, tanquam nostræ resurrectionis, qua delictorum nostrorum venia continetur, certissimum pignus nobis exhibendum, supremamque illam potestatem ipsi dandam necessaria fuerit, merito scriptum est, Christum mortuum fuisse pro peccatis nostris, nos sanguine suo à peccatis lavisse, sanguinem suum in peccatorum nostrorum remissionem effudisse, seipsum, ut nos ab omni iniquitate redimeret, pro nobis tradidisse, ejus sanguinem, si in luce ambulaverimus, nos ab omni peccato expurgare, ipsum animam suam, sive seipsum, redemptionis pretium, pro multis, sive pro omnibus dedisse, propitiatorium eum à Deo per fidem in ejus sanguine propositum fuisse, & alia ejusmodi: non quia is Deo morte sua id solverit, quod nos propter scelera nostra ejus justitiæ debebamus, atque ea ratione Deum nobis conciliaverit; aut quia merito tam insignis obedientiæ suæ iram Dei adversum nos placaverit, siquidem neque his rebus quidquam opus erat, neque ex ullo modo fieri poterant: sed quia nos, qui à Deo aversi eramus, sui sanguinis fusione ac morte interveniente, ad Deum, qui jam ultro pacem nobis offerebat, & in ipso Christo quam maxime propitium nobis se ea ratione ostendebat, adduxit, atque ut illi in posterum confideremus, exque illius præscripto obediremus, effecit. Quod & fieri poterat, & solum faciendum restabat: unde nobis reipsa peccatorum venia parta, & stabilis ac perpetua cum Deo nostro reconciliatio consecuta est.

Hinc apparere potest (ut de quibusdam ex prædictis & similibus scripturæ loquendi modis aliquanto apertius agamus) pro nobis mortuum esse Christum, non id significare, quod multi fortasse crediderunt, eum scilicet vice seu loco nostrum mortuum esse. Quemadmodum, pro peccatis nostris Christum mortuum fuisse, non significat vice seu loco peccatorum nostrorum eum mortem oppetiisse. Id quod etiam abunde ex eo constat, quod tantum abest, ut Christus moriendo vicem nostram obierit, ut nos ad ejus exemplum mori parati esse debeamus, alioquin ejus regni participes non futuri, sicut apertissime pluribus in locis Sacræ Literæ testantur. Ut igitur, pro peccatis nostris mortuum esse Christum, aliud nihil significat, quam nostrorum peccatorum causa eum occisum fuisse, sic, pro nobis Christum mortuum esse, nihil præterea declarat, quam illum propter nos violentam mortem subiisse.

Cum autem scriptum invenimus, sanguinem Christi nos expurgare ab omni peccato, non utique intelligendum est, vim quandam occultam Christi sanguini inesse, ad expurganda peccata nostra, sed eam, quam nos ipsi perspicue agnoscere possimus. Nam, cum Christus per fusionem sui sanguinis & non alia via, ad supremam illam potestatem pervenerit, apparet ejus sanguine factum esse, ut nos à peccatis expurgemur, id est, à pœna nostris peccatis debita liberemur. Siquidem ea suprema potestate omnes obedientes sibi ab æterna morte vindicare, & beata immortalitate donare potest. Et idcirco ita demum dicitur ejus sanguis nos ab omni peccato expurgare, si in luce ambulaverimus. Christus enim sanguinem suum fundens, id ex Dei Patris promisso consecutus est, ut non solum sibi beatam immortalitatem pepererit, sed etiam omnibus suis. Hi autem sine dubio sunt illi, qui ipsi obediunt, & in luce ambulant. Præterea animadvertendum est, hæc verba, expurgare, expiare, emundare, atque his similia, sæpissime in Sacris Literis, non rem ipsam, sed rei declarationem, significare. Vide Levit. 12 7, 8, & cap. 15. 15. 30, & cap 16. 30, & quid id his locis adnotarit Franciscus Vatablus homo Hebraicæ linguæ peritissimus. Vide insuper totum caput 13, & 14 ejusdem libri, una cum iis, quæ ibidem idem Vatablus ad verbum Mundandi sæpius annotavit. Quocirca rectissime, atque ex Sacræ Scripturæ more, scriptum fuisset, sanguinem Christi nos expurgare ab omni peccato, etiamsi Christi sanguis aliud nihil efficeret, quam declararet nos ab omni peccato expurgatos esse; quod certe efficit. Namque eo Deus, tanquam sigillo quodam remissionem peccatorum nobis ultro oblatam obsignavit, & novum atque æternum fœdus nobiscum sanxit. Nimirum enim sanguine Christi interveniente factum est, ut simul infinitam Dei charitatem erga nos perspexerimus, simul vitam æternam, quæ vera peccatorum nostrorum expurgatio est, nobis partam esse agnoverimus.

Jam vero cum legimus, Christum seipsum sive animam suam redemptionis pretium pro nobis dedisse, sciendum est, verbum redimere, præsertim in Sacris Literis, frequentissime nihil aliud esse, quam liberare (ut Castellio ubique fere id verbum reddidit in Novo Testamento) nullo vero pretio interveniente. Quod cuilibet Bibliorum concordantias (quas vocant) consulenti planissimum fiet: & tamen redimendi verbum, proprie pretio dato liberare significat; immo, si ipsius verbi vim spectes, emptionem omnino declarat, quæ sine pretio fieri nequit. Quare eadem usitatissima

sermonis figura, Christus, sive anima ipsius, dicitur redemptionis nostræ pretium; non quia verum pretium sit, quod cuipiam, Deo præsertim, pro nobis liberandis solutum fuerit, sed quia id datum est à Christo, & ab ipso Deo, ut nos à peccatis, id est, peccatorum pœna liberaremur. Hoc est, Christus Dei jussu seipsum, sive animam suam, impendit atque insumpsit, ut hac ratione ad immortalitatem perductus, nos quoque eodem secum traheret atque perduceret.

Mitto autem, quod & expurgare nostra peccata, & nos à peccatis nostris redimere dicitur Christi sanguis, quia, ut nos à peccando cessemus, efficit. Quod profecto longe aliud est, quam pœnas nostris peccatis debitas eo persolutas fuisse, nec cum ea re quicquam commune habet. De hoc autem Christi sanguinis seu mortis effectu, testimonia habes, 1 Pet. 1. 18, 19 & 2. 24, 25. Heb. 9. 14. Gal. 1. 4. Tit. 2. 14. Eph. 5. 25, 26, 27, & multis aliis in locis.

Quoniam vero, præter ea, quæ supra commemorata sunt, scriptum est, Christum sese obtulisse pro peccatis nostris, sciendum est, hoc per similitudinem legalium sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, dictum esse, maxime vero illius anniversarii sacrificii, quo peragendo, summus sacerdos in Sancta Sanctorum ingrediebatur, ut ex ipsa Epistola ad Heb. ubi de Christi oblatione expiatoria, ex professo & copiose agitur, aperte constat. Quemadmodum igitur sacrificiis illis peractis, populus à reatu peccatorum, pro quibus victimæ illæ offerebantur, liberabatur, non quia vis aliqua in ipsis inesset pro peccatis satisfaciendi, sed quia talis, qualem diximus, ex Dei voluntate effectus inde manabat, sic Christi sacro ministerii peracto, nos, qui Christi sumus, id est, qui illi confidimus & obedimus, à reatu omnium peccatorum liberamur: non quia in iis, quæ in ipsius Christi persona facta sunt, vis aliqua insit pro nostris peccatis satisfaciendi, sed quia, cum Deus decrevisset, si Christus sibi obediens fuisset usque ad mortem crucis, non solum ipsum beata immortalitate donare, sed etiam suos omnes beatos & immortales efficiendi potestatem ei concedere; certe cum Christus eam obedientiam Deo præstiterit, & eam ob caussam prædictam potestatem ab eo consecutus fuerit, apparet nos à peccatorum nostrorum reatu liberatos esse, neque in judicium venturos, sed à morte ad vitam transiisse. Ubi etiam animadvertendum est, quod sicut oblatio antiqui illius anniversarii sacrificii non tunc perficiebatur cum victima jugulabatur, sed cum jam jugulatæ sanguis in Sancta Sanctorum à Pontifice inferebatur, Scriptum est enim in Epist. ad Heb. 9. 7, Pontificem sanguinem istum pro se & pro ignorantiis populi obtulisse, sic Christi oblatio non tunc perfecta est, cum ipse mactatus & crucifixus fuit, sed cum, postquam crucifixus fuerat, se ipsum in cœlum intulit. Cœlum enim, in hac similitudine universa, Sanctis Sanctorum respondere ex eadem Epist. ad Heb. valde perspicuum est. Quare Christi oblationis in divinis litteris mentio nullam pro peccatis satisfactionem declarare potest, quæ ex ejus morte manaverit, neque ea ratione peccata nostra Christi oblatio expiare dicenda est: sed Christi beatam immortalitatem, & mirificam illam potestatem, cum illum se obtulisse ajunt, significare volunt Sacræ Literæ, qua vere nostra peccata expiantur, id est, nos ab omnibus malis, quæ propter peccata Deus hominibus immittit, & ab ipsa æterna morte asserimur & vindicamur, & simul, quemadmodum ad tantum beneficium consequendum necesse est, à peccando desistimus atque cessamus. Cum enim animadvertimus, Christum per sui sanguinis fusionem ad immortalitatem & supremam illam suos beatos efficiendi potestatem pervenisse, eaque in re, quantopere nos Deus dilexerit, intelligimus, ut Christi efficiamur (quod non nisi vitæ sanctimonia, ipsiusque Christi imitatione fit) omnino curamus, parati & ipsum sanguinem fundere potius, quam Deo non obedire, & in peccatis amplius manere.

ALTERA SYNOPSIS
justificationis nostræ coram Deo.

IN explicando articulo de Justificatione, primum simpliciter, quid sit justificatio ista quam brevissime docendum arbitror. Deinde, qua ratione ea nobis contingat, paucis exponendum. Postremo, quænam sint ejus effecta atque adjuncta, dicendum.

Justificatio nostra coram Deo, ut uno verbo dicam, nihil aliud est, quam à Deo pro justis haberi. Cætera, quæ hic adduntur, vel ad rationem, qua illa nobis contingit, vel ad ejus effecta pertinent. Ratio igitur, qua nobis illa contingit, aut Deum, aut nos respicit. Quod ad Deum attinet, nihil Deum movet ad nos pro justis habendos, nihilve, ut tantum bonum consequamur, in Deo esse necesse est, præter gratuitam voluntatem, spontaneumque decretum, in quo nihil nisi seipsum, suamque bonitatem Deus respicit: & quia justi ab ipso haberi non possumus, quin à reatu peccatorum nostrorum coram ipso absolvamur, nulla alia ratione, quod ad ipsum decretum Dei attinet, absolutionem istam consequimur, nisi quod Deus sua sponte, & plane gratuito, nobis peccata remittit. Quod vero ad nos pertinet, non aliter reipsa justi coram Deo habemur, & delictorum nostrorum veniam ab ipso consequimur, quam si in Jesum Christum credamus: hoc autem, ut mox dicemus, per ipsum Jesum Christum in nobis fit. Sua sponte igitur quidem, & plane gratuito nos Deus pro justis habet, nobisque peccata remittit, sed tum demum, si in Jesum Christum credamus. Credere autem in Jesum Christum, nihil aliud est, quam Jesu Christo confidere, & idcirco ex ejus præscripto, vitam instituere. Id autem ut faciamus, & Christo obediamus, multa efficiunt, quæ in ipso Christo animadvertere licet.

Primum, quod dum hic inter mortales ageret, doctrinamque suam mundo exponeret atque inculcaret, mira, nec prius audita opera fecit, quibus abunde eam confirmavit.

Deinde, quia suum ipsius sanguinem, eam annunciando, fudit, & teterrimam potius, omniumque maxime detestabilem mortem subire voluit, quam ab ea promulganda desistere.

Tum vero maxime, quia ex tam dira atque execrabili morte, brevi in vitam revocatus, atque restitutus est. Quod sane, satis superque esse debet, ad fidem de veritate doctrinæ ipsius, omnibus faciendam.

Huic tamen rei id adhuc præstat, quod cum ipse Christus genus illud vitæ exactissime servaverit, quod aliis præscripsit, ex mortuis non simpliciter tantum resurgendo, ut non amplius moriatur, sed in cœlis beatus in æternum vivat, spem certissimam nobis fecit, futurum, ut si ejus vestigia secuti fuerimus, nos quoque ex mortuis ita resurgamus, ut beati in cælis in æternum vivamus, quemadmodum is sibi obedientibus constantissime pollicitus est.

Huc postremo accedit, quod ipsemet nos ex mortuis suscitaturus est, & vita æterna donaturus, quodque interim omnem potestatem in cœlo & in terra est adeptus, qua suos fovere iisque auxiliari perpetuo possit, & ab omnibus malis, auctoritate atque potentia sua defendere ac liberare. Quoniam vero inter hæc omnia, quæ recensuimus, nullum est ipsius Jesu Christi opus magis ejus proprium, magisve arduum ac commendatione dignum, quam voluntaria mors, & per summum dedecus summosque cruciatus, sui sanguinis fusio, ex qua factum est, ut & resurrectionem, & beatam æternamque vitam, & supremam illam potestatem fuerit adeptus; idcirco jure optimo, ex iis omnibus, quæ in Christo conspecta, nos ad ei fidendum impulerunt, & ita, ut supra dictum est, justos nos coram Deo reddiderunt,

runt Christi mors & sanguis potissimum commemoratur, iisque peccatorum nostrorum expiatio tribuitur, & per ea nobis peccatorum remissio contigisse dicitur. Nam etsi Deus ad nos coram se justos habendos, nobisque omnium delictorum veniam concedendam, his minime opus habeat: nos tamen ad tantum bonum consequendum opus habebamus, siquidem sine his Jesu Christo nunquam obedivissemus. Sine obedientia autem ista, neminem id consequi posse, constitutum erat. Restat, ut de justificationis hujus nostræ effectis atque adjunctis agamus. Ea autem ut præstantissima sunt, sic etiam per se satis nota esse videntur. Indubitatum enim est, cum nihil aliud sit, quod nos Dei inimicos constituat, præter peccatum, peccato amoto, Dei amicos nos esse. Duplici autem ratione amovetur peccatum. Vel quia non imputatur, & perinde habetur acsi nunquam fuisset; vel quia peccatum ipsum revera aufertur, nec amplius peccatur. Utraque hæc amovendi peccati ratio, in justificatione coram Deo nostra, conspicitur. Nam & ejus vi peccata nostra nobis minime imputantur, & perinde censetur, quasi nunquam peccaverimus; imo ipsum justificare, ut dictum fuit, nihil aliud est, quam pro justo habere, itemque peccata remittere, ac condonare; & præterea, cum nemo coram Deo justificetur, nisi Christo obediat, & sic à peccando desistat, certum est, ubi justificatio ista fuerit, ibi quoque jam peccatum ipsum revera ablatum fuisse, eumque cui ea contingat, non amplius peccare. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi nullum prorsus, ne levissimum quidem peccatum admittat; sed non amplius illi ulla ex parte peccatum dominari, neque eum ullius peccati habitum (ut loquuntur) habere; adeo ut (verbi gratia) nec scortator, nec ebriosus, nec avarus, nec conviciator, nec injustus dici possit, neç, breviter, aliquid eorum facere, quæ qui faciunt, certum est, eos regnum Dei non possessuros. Ut autem cavendum est, ne, ut hodie plerique faciunt, vitæ sanctitatem atque innocentiam effectum justificationis nostræ coram Deo esse dicamus, sic diligenter cavere debemus, ne ipsam sanctitatem atque innocentiam, justificationem nostram coram Deo esse credamus, neve illam, nostræ coram Deo justificationis, caussam efficientem aut impulsivam esse affirmemus; sed tantummodo caussam, sine qua eam justificationem nobis non contingere, decrevit Deus. Ex hac præterea justificatione illud consequitur, quod cum, peccati stipendium mors sit, peccato in eo, qui justificatus coram Deo est, ablato, is morti amplius non est plane obnoxius, & ob eam caussam, etiamsi moriatur, non tamen à morte eum perpetuo detineri necesse est. Hunc autem justificationis nostræ coram Deo necessarium effectum, ita pro sua bonitate auxit, ut ita dicam, ac locupletavit Deus, ut non modo coram se justificatos, à necessitate moriendi, sive in morte perpetuo remanendi exemerit, verum etiam omnino vita æterna eos donare aliquando decreverit, &, si mortui fuerint, eos in vitam nunquam finiendam revocare; quemadmodum per Jesum Christum se facturum apertissime contestatus est, atque omni ratione abunde confirmavit. His, quæ hactenus exposuimus, per convenientes aptasque interrogationes & responsiones explicatis, possunt commode testimonia proferri, de natura nostra ad peccandum proclivi, & de peccato, quod in nobis ante Dei patefactam misericordiam, nosque justificandi rationem, dominatur. Deinde, ea afferri poterunt, quæ peccatorum remissionem testantur, gratis à Deo nobis concessam. Ea autem potissimum sunt afferenda, quæ ad nos spectant, id est, quæ in Novo Testamento habentur. Vel, si sunt in Testamento Vetere, aut prædictiones sunt ejus, quod futurum erat sub Novo Fœdere, aut ejusmodi sunt testimonia, quæ perpetuam vim habere constet, & ad utrumque fœdus peræque spectare. Nam de justificatione nostra, id est nostrum qui sub Novo Fœdere sumus, non autem illorum qui sub Vetere fuerunt, hoc loco agendum est. Est quidem sub utroque Fœdere, eadem hominis coram Deo justificandi ratio, quatenus utrobique ex parte Dei, peccatorum remissio requiritur, ex hominum vero parte resipiscentia, & Dei præceptorum in posterum obedientia, quæ illa fides est revera, quæ semper hominem Deo acceptum reddit, & redditura est: sed tamen, quia obedientia, quam à nobis requirit Deus in novo Fœdere, non eadem plane est cum ea, quam in veteri fœdere requirebat, sed multo quam illa absolutior atque præstantior, idcirco non sunt hæ tractationes confundendæ, nec una cum altera justificandi ratione miscenda: præsertim ubi de rudibus in religione Christiana instituendis agitur. Itaque, vel ea tantum in medium producenda sunt, quæ ad Justificationem nostram sub Novo Testamento pertinent, vel, si ea quoque proferuntur, quæ ad Testamentum vetus sunt referenda, diligenter prius inter utrumque Fœdus, in hoc justificationis negotio, distinguendum est; aut certe diserte monendus est lector, ea ideo afferri, ut appareat, etiamsi non omnino eodem modo utrobique homines justificentur coram Deo, tamen hoc perpetuum esse, ut nemo coram Deo justificetur, nisi cui Deus gratuito peccata remittat; id autem nemini contingere, nisi ei, qui resipiscat, Deoque in futurum se obedientem præstet.

II.
THESES.
de Justificatione.

Deus omnes, quibus Christi Euangelium annunciatur, salvos facere vult, ac vita æterna donare, si modo eidem Euangelio credant atque obediant; ut autem credere atque obedire possint, omnibus generatim concedit.

Deus, cum Filium suum morti propter nos tradidit, non id curavit, ut hac ratione justitiæ suæ, qua peccatores punit, ulla ex ex parte satisfaceret; sed ut nos ad se adduceret, & gratis, à peccatorum nostrorum pœnis, ipsisque adeo peccatis liberaret.

Quamvis autem verissimum ac testatissimum sit, Jesum Christum Dei Flium, sanguinem suum, in remissionem peccatorum nostrorum fudisse: tamen ipsa mors Christi per se, sine resurrectione, quæ consequuta est, & ad dexteram Dei sessione, nec nos ejus remissionis participes facere, nec nobis eam plane confirmare posset.

Deus ex pura sua gratia & misericordia nos justificat, id est, justos pronunciat, & peccatorum remissione vitaque æterna donat. Prius tamen, quam hæc re ipsa fiant, omnino à nobis requirit, ut credamus in Jesum Christum, hoc est, illi confidamus atque obediamus.

Itaque nemo justificatus est coram Deo, nisi prius Christo confidat, eique obediat; quæ obedientia sunt illa opera, ex quibus nos justificari Jacobus Apostolus affirmat: adeo ut, cum Paulus Apostolus negat nos ex operibus justificari, nomine operum, perfectam per totam vitam legis divinæ conservationem, intelligat, nec aliud quidquam dicere velit, nisi nos ex merito ipsorum operum, nequaquam justificari coram Deo; non autem ad nos, coram ipso Deo justificandos, nulla nostra opera requiri. Sunt enim opera nostra, id est, ut dictum fuit, obedientia, quam Christo præstamus, licet nec efficiens, nec meritoria, tamen caussa (ut vocant) sine qua non, justificationis coram Deo, atque æternæ salutis nostræ.

Jam vero obedientia ista, aliud nihil est, quam ipsius Christi præcepta servare. Christi autem præcepta, ut quam brevissime dicamus, sunt, præter moralia omnia quæ in Mosis lege continentur, abstinere ab omnibus mundanis cupiditatibus, ita ut rebus ad hanc vitam transigendam necessariis contenti simus, nec quidquam præterea quæramus aut usurpemus.

Quæ quidem præcepta, ut ne minima quidem ex parte transgrediamur, omnibus viribus conari debemus. Quodsi minus contingat nos istud assequi, modo eousque progrediamur, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulemus; Christo obedire jure tamen dicemur, nec nobis ea imputabuntur, quæ alioqui per humanam fragilitatem vel ignorantiam, contra Christi præcepta interdum committimus, justificatione nostra integra perpetuo permanente, donec ita vivamus, ut in nullo peccato maneamus, quod Christi præceptis adversetur.

Cæterum si eveniat, ut ab hac obedientia deficiamus & in unum plurave peccata relabamur, in eisque permaneamus, justificati esse desinimus.

Possumus tamen pœnitentia & vitæ ex Christi præceptis emendatione, denuo justificari. Verum iterata pœnitentia ista, non in nostra potestate est; sed Deus, ut eam habere possint, illis concedit, quibus vult, ipsique videtur.

III.
DE JUSTIFICATIONE
Dialogus N: N:

EXistimavi me operæ pretium facturum, si, quæ jam nuper ad quæstiones Johannis nostri, de justificatione domi vestræ differueram, charissimi fratres, literis mandarem; quamvis ea voluerim ad aliquod tempus, quod editioni tempestivum videretur, pressa esse: tamen non privatorum, verum commodi publici rationem habendam duxi. Spero enim hæc studiosis veritatis, qui in nullius, præter Christi verba jurarunt, candoremque ad legendum attulerunt, nonnihil profutura. Ad vos autem, fratres mei, nominatim mittere volui, ut communicata quondam in hoc studii genere, vobis in mentem revocarem. Etsi enim fortasse meis institutionibus non admodum egetis, cum Spiritum Sanctum præceptorem habeatis: tamen dabo operam, ut assiduam horum, quæ vobis per me Deus largitus est, mentionem facere valeatis; maxime ut studeatis recte factis, quemadmodum recte incepistis, ratam efficere vestri vocationem & electionem. Has ergo quæstiones legite, veritatis studio adjuncta judicandi libertate, simul Deo, Patre luminum invocato, ut mentem vestram divina sua luce, quotidie magis magisque illustret, ut aliquando lucem veritatis iis, qui ignorantiæ errorumque tenebris occupati fuerint, præferre, eosque ad justitiam erudire possitis. Accipite ergo Johannem ex me quærentem, meque ei respondentem. JOHANNES. Velim, mi Christophore, scire, quid sentias de justificatione. Itaque, si per ocium licet, etiam atque etiam te oro, ut ad ea, quæ ex te quæram, mihi respondere velis. CHRISTOPH. De justificatione, si petis, ut petis, quid sentiam, justam esse tuam petitionem judico; imo gaudeo, te investigandæ veritatis studio teneri. Quare quicquid de ea compertum habeo, quatenus Dei gratiam consequutus sum, libenter tibi communicabo. JOH. Ago tibi gratias, & quæro primum quid sit justificatio? 1. CHRIST. Peccatorum absolutio, divinæque naturæ participatio. JOH. Quæ est causa istius justificationis? CHR. Dei gratia, quæ nobis exponit insignem ejus amorem, quo nos omnes, hoc est Judæos & gentes complexus est; 2. adeo, ut nostri causa filium in mortem tradiderit, quo à morte liberaremur. Itaque Dei gratia per JESU Christi sanguinem liberati sumus, 3. non tantum à supplicio, sed etiam ab omnibus peccatis, & in eodem Filio in cælestibus collocati JOH. Quare fuimus morte digni? CHRIST. Omnes peccato subesse, convicti fuimus; peccati vero præmium est mors. JOH. Quænam ob peccata talem nobis contraxeramus culpam? Num ob nostra, in quibus versati sumus, aut ob parentum? 4. CHRIST. Ob nostra, à nobis ipsis commissa. Commentum enim illud de peccato originis, seu parentum culpa, fabula Judaica est, ut videre poteris, Jerem 31.29. Ezech. 18.2,3. Joh. 9.34. 5. Ab Antichristo vero est in Christi Ecclesiam introductum, ad stabiliendum perniciosa dogmata: nempe Dei incarnationem, infantum baptismum, maxime autem propterea; ut homines in perpetuis detineret peccatis. Verum injustum esset, nos debere luere, quod, non peccavimus; cum ipse Deus affirmaverit, filium parentis iniquitatem non esse laturum, sed quemlibet sua culpa moriturum esse, ita nos propriis peccatis mortui fuimus, in quibus sumus aliquando versati, Ephes. 2. Idcirco etiam Paulus, cum ratione, experientia, & scripturarum testimoniis, cum Judæos tum gentes peccati convicerit, non parentum aut Adami peccatum seu corruptam naturam accusavit, sed illis ipsis, qui peccarent, culpam imputavit. Nam ostendit Paulus, gentes potuisse Deum cognoscere, imo & cognovisse; sed eos non probe usos fuisse ea cognitione, Rom. 1.19. Act. 14.17. & 17.26. 1 Cor. 1.21. Quod cum ita sit, quomodo Judæi se potuerunt excusare, cum oracula divina habuerint, variisque modis sese illis Deus manifestaverit Joh. 7.19. Act. 7.53? quod autem peccaverint, experientia & scripturis à Paulo convincuntur, Rom. 2.17 & 3.13. JOH. Cum nemo unquam Deum viderit, quis nobis illam gratiam exposuit, & per quem contigit? 8. CHRIST. Per Jesum Christum: Ille enim eam nobis revelavit, & propterea ut eam fide consequeremur, sanguinem sum effudit. Ideo sanguine ejus justificati dicimur, Rom. 5.8, 9. JOH. Ad quos pertinet illa gratia? CHRIST. Ad omnes quicunque credunt in nomen ejus, Joh. 1.17. JOHAN. Quid est, credere in nomen ejus? CHRIST. Eum accipere, ejus dictis fidem habere, ei confidere, ei denique obtemperare. Itaque Paulus utitur voce *obtemperare*, pro *credere*, Rom. 10.16. & Petrus Act. 5.25. *obedientibus*, quod alibi solitum est dici, *credentibus*. Johannes vero dixit *accipere*, pro *credere*, Joh. 1.11 & Paulus Gal. 4.14. *Ceu Jesum Christum ipsum*, inquit, *me accepistis*: hoc est, Mihi, ut ipsi Christo, credidistis. Credere quoque dici pro Confidere, sæpius in Sacris Literis legimus, ut Matth 8.13. & 9.18. Mar. 5.26. Luc. 8.50, & in multis aliis locis. Similiter, fides in Christum non simpliciter significat persuasionem, sed confidentiam, sive fiduciam, quæ nobis, non tantum ut credamus ea vera esse, quæ à Domino Jesu dicta factaque sunt, persuadet, sed incitat etiam, ut credamus, 7. si obediverimus Euangelio, nos obtenturos peccatorum veniam & vitam æternam. Itaque recte dicit paulus, Heb. 11.1, Fidem esse speratorum substantiam, & rerum demonstrationem, quæ non cernuntur, remissio enim peccatorum & vita æterna, non videntur sed sperantur. JOH. Unde est fides? CHRIST. Ex auditione verbi divini, Rom. 10.17. JOH. Cur igitur non omnes credunt, qui verbum audiunt? CHRIST. Quidam nolunt, quidam non possunt credere. JOH. Quare quidam nolunt credere? CHRIST. Quia magis amant propriam, quam Dei gloriam, aut majoris faciunt divitias suas, voluptatemque & amicitiam hujus mundi, quam regnum cœleste, Joh. 5.40, 44 & 12.42. Act. 13.46. JOH. Cur quidam non possunt? CHRIST. 8. Quia præsens salutis tempus non solum contemnunt, sed & agnitæ veritati contradicunt, quod est peccatum in Spiritum Sanctum. 9. Igitur dat eis Deus animum torpentem, eorumque oculos excæcat, ne converti possint. 10. Ne hoc usu veniret Judæis, Paulus eos præmonuit, Act. 13 40 *Cavete* inquit, *ne vobis accidat, quod est in vatibus dictum: Videte, ô contemptores, & præ admiratione stupescite. Nam ejusmodi rem ego facio.*

facturus sum, vestris temporibus; quam non sit is crediturus, si quis vobis exponat. Joh. At cum fides Dei donum sit, qui fit, quod tu eam ponis in hominis arbitrio? Chr. Quid tum? In hominis arbitrio est, donum ab aliquo sibi oblatum accipere aut contemnere. 11. Aufertur vero ab aspernantibus donum, & datur aliis, ut legimus, Act. 13.46. *Vobis primum necesse erat*, dixerant Paulus & Barnabas, *proponi divinam doctrinam; sed quia eam rejicitis, neque vos sempiterna vita dignos judicatis, scitote nos ad gentes converti, sic enim praecepit nobis Dominus.* 12. Verum ad quaestionem de fide non pertinet illud, num sit donum Dei, nam id, de qualibet re bona dici potest. 13. Tamen & auditus est donum Dei; nihilominus mei est arbitrii, aliquem audire, aut aures avertere seu obturare. Quamvis non negamus, fidem, Dei donum esse, tamen illud explicandum est, ne simpliciores fallantur. 14. Fides tale donum est, quod Deus omnibus exhibuit, dum filium suum Jesum Christum ex mortuis in vitam revocavit, Act. 17.31. pro eo quod dicunt, Dei donum est, potius dicendum esset, fides Dei mandatum est, cum legamus, Marc. 11.22. praecepisse, ut crederent Euangelio; & Paulus testatur, se legationem adeptum esse ad omnes gentes, ut obedirent fidei, Rom. 1.5, & Act. 6.7. scriptum est, multos Sacerdotes obedivisse fidei; sed quis nescit, quod mandato obeditur? Itaque justius fides appellaretur Dei mandatum, quam donum, cum Deus omnino velit, ut omnes, qui Euangelium audiunt, credant, imo non credentibus ira immineat, Joh. 6.36. Joh. Unde cognoscitur fides? Chr. Ex illo, quod est, nempe ex forma, quae homini cum ipsa fide, ex auditione Euangelii ingeneratur: cujus initium est poenitentia & spes, ut videmus ex concionibus Domini Jesu, ejusque legatorum, ubi ut poenitentia agatur, jubent, simul addentes regnum coeleste in foribus esse, quod quidem non videmus, sed speramus: processus ejus sermonis continuatur, enarratione justitiae divinae, cujus servis promittitur beatitudo, & quidem propterea, ut adeo constanter ex illa justitia vivamus, ut malimus quaslibet miserias & ipsam mortem subire, quam ab ejus vivendi praescripto discedere. Si igitur aliquem mores suos secundum Euangelium correxisse videro, de eo mihi certo persuadeo, quod Euangelium audierit, & fidem habeat in Jesum Christum. Hinc fides discernitur ab omnium, qui impie vivunt, opinionibus, quas fidem esse arbitrantur, licet eas tam argute defendant, ut videntur: nunquam enim hoc refutabunt, *Qui eum sibi notum esse dicit, & tamen ejus praeceptis non paret, mendax est*, 1 Joh. 2.4, nec hoc evertent, *Ego*, inquit Jesus, *lux, in mundum veni, ut quisquis in me crediderit, non maneat in tenebris*, Johan. 12.46. 15. Joh. Ideo fides potest cerni? Chr. Imo & audiri, Rom. 1.8. 1 Thes. 1.8. Colos. 1.4. Joh. Age vero, quoniam declarasti fidem, jam nobis expone, quomodo fide justificamur? 16. Chr. Nemo justificatur, nisi credat promissionibus divinis, quae nobis persuadent, ut mundi effugiamus corruptelas, divinaeque fiamus participes naturae. 17. Ob assensionem sive persuasionem, quam plerique fidem esse putant, nemo justificatur; alias, omnis Papistarum fex, & reliqui Christianorum impii, qui verbo Dei assentiuntur, Christique passionem & mortem sibi applicant, justificati essent. 18. Quod si sunt justificati, ubi eorum justitia? Ubi Sanctitas? Ubi nostra cum illis communio? At fides, qua justificamur, venit ex promissionibus, quas adeo veras esse credimus, ut nullo modo, ea quae à Domino Jesu praecepta sunt, facere dubitemus, ad obtinendum peccatorum veniam, Spiritum Sanctum & vitam aeternam. Haec enim Deus sibi obedientibus, per Christum in Euangelio promisit, Hebr. 11.6, & 12.1, 2, & 10.22, 35, 36. Rom. 4.12. Gal. 5.6. Hac fide justificati, pacem cum Deo habemus, divinaeque naturae spe gloriamur, quod Spiritus Dei nobis testatur, quem accepimus, postquam Deus fide nostra corda purificaverit, Rom. 5.1. & 3.16. Joh. Plane percipio de Spiritu Sancto, quod à Deo donatur credentibus, cum antehac opinatus fuerim, neminem credere posse nisi prius Spiritum Sanctum haberet. 19. Chr. Certe opinatus res & contra rationem, & contra scripturae testimonia. Nam cum fide corda purificentur, necessario sequitur, ea immunda esse antequam homo credat. Ea vero immundicies à malo Spiritu, qui in eo homine est, proficiscitur, 1 Joh. 3.8. Ephes. 2.1. 20. Quomodo igitur Spiritus Sanctus ibi habitabit ubi est malus? Nonne idem hoc dicit scriptura, cum testatur, Spiritum sapientiae non ingressurum in malevolum animum? Quomodo ille Spiritus Sanctus intraret in hominem injustum, qui injustitiae adventu recedit? Tamen ipse Dominus Jesus affirmavit, quod mundus Spiritum veritatis accipere non potest, quod eum neque videt, neque cognoscit, Joh. 14.17. Nemo enim, antequam credit, Spiritum Dei cognoscere potest. Itaque opus est, ut primum credatur, nam fide homo mundatur à peccatis, ut sit idoneus ad Spiritum Sanctum accipiendum. Cujus multa possunt ex scriptura ostendi testimonia: inter caetera, observa haec pauca. Cum Petrus quinquagesimae die sermonem habuisset, ad tria millia capita hominum accesserunt ad Ecclesiam, qui compuncti animo, sic Apostolos alloquuti sunt: *Quid agemus fratres?* Et Petrus, *Redite ad frugem*, inquit eis, *& baptizetur unusquisque vestrum, in Jesu nomine, ad peccatorum veniam, & donum Spiritus Sancti assequemini*, Act. 2.37. Vides illos priusquam acceperint Spiritum Sanctum, credidisse? Quid multa? Diserte Paulus Gal. 3.2 scripsit, spiritum accipi per fidem. *Hoc tantum*, inquit, *volo à vobis discere: Per Legis opera Spiritum accepistis, an per orationem fidei?* 21. Et iterum ꝟ. 14, *ut ad gentes faelicitas Abrahamica perveniat per Christum Jesum, ut Spiritus promissum adipiscamur per fidem.* 22. Vide illustrem locum, Act. 8.14, quod autem Deus fide corda purgat, antequam impertiat eis Spiritum Sanctum, invenies Act. 15.7, 8, 9. Huc etiam pertinent Christi verba, Joh. 15.3. *Jam vos*, ait, *puri estis, propter sermonem quem ad vos habui.* 23. Joh. Quomodo fides nos purificat? 24. Chr. Homo audito & credito illo sermone, quod Deus poenitentiam omnibus vivere volentibus, contumacibus vero supplicium annunciat, mores suos corrigit, Spiritu se pauperem sentiens, sibi Spiritum Sanctum dari optat & rogat, luget super peccatis suis, sitit esuritque justitiam, omninoque immutatur, quantum ad animum. Itaque, qui credit Euangelio, fide purificatus seu ex Dei verbo renatus dicitur, Joh. 3.18, 19. Act. 17.30. 1 Petr. 1.23. 25. Joh. Verum, potestne fides in aliquo effici absque Spiritu Sancto? Chr. Minime; sed ille Spiritus non est in eo, qui credere debet, sed in Dei verbo, ejusque ore qui fidem audientibus annunciat: absque Spiritu sane illud verbum mortuum est, ideo qui isto Spiritu destitutus est, licet sit doctissimus & disertissimus, neminem tamen vere ad Christum convertet. 26. Spiritus autem Sanctus dat sermoni isti vitam, ut fortius quovis malleo percutiat, & acutius gladio penetret: propterea appellatur sermo ille vitalis Dei potentia, ipseque Dei sermo. Joh. Teneo rem; sed redeamus ad justificationem. Tu sane vis, ut intellexi, ut reipsa justi simus, alias nos minime justificari, cum tamen scriptura dicat, ipsam fidem nobis à Deo pro justitia imputari. 27. Chr. Imputatur nobis à Deo id, quod revera in nobis est, non aliquid quod à nobis absit, vel in alio sit, nempe, quod firmiter in animo decrevetimus, nihil dubitantes de Dei promissionibus, neque considerantes nostram infirmitatem humanasque rationes, nos propositum fidei certamen decurrere velle. Ejusmodi fidem Deus nobis justitiae ducit, cujus exemplum Paulus Rom. 4, proposuit Abrahami fidem, qui cum promissis Dei, quae impossibilia videbantur secundum carnem, crederet; 28. Justus reputatus est apud Deum. 29. Nobis autem ejusmodi res non sunt propositae, quibus credamus; non enim promisit Deus in Euangelio sobolem ex vetulis & atta-

attamen carni æque absurda & impossibilia videntur, æquamque requirunt fidem, ea quæ nobis per Christum dicta sunt. 30. Igitur qui his fidem habet, illius animus, quod tam magnifice de Deo sentit, ut paratus sit omnia promissionum obtinendarum gratia facere, Deo gratus est, ut illum hominem æque justum reputet, ac si ista omnia jam peregisset, quæ se facturum in animo habet. Joh. Ille autem reipsa nondum est justus, quoniam adhuc nihil fecit? 31. Chr. Imo reipsa justus est. Non enim Deus tam opus ipsum quam animum aspicit hominis, qui jam jam vellet omnia facere, si in sua essent facultate, quæ Deo placent: idcirco ad omnes probationes fidei sustinendas paratus est, nullique se subducit occasioni, in qua fidem suam Deo, ejusque fidei duci probare possit. 32. Nam si ibi se subduceret, ubi labore, charitate, patientia opus esset, Deo non placeret; ut Abrahamus non subduxit se, cum filium suum mactare deberet. 33. Itaque etsi reipsa mandatum illud non perfecerit, tamen animus ejus idem fuit apud Deum ac factum illud. Nulla vero ejus fuisset fides, si noluisset Deo hac in parte obedire, ut bonus & fidelis miles ille non esset, qui, cum pugnare deberet, sese subduceret, ob quod merito infamia notaretur, tantum abest, ut præmium acciperet: è contra, quanquam nunquam oblata fuerit pugnandi occasio, modo paratus sit ad pugnandum, tamen præmium militiæ accipit, quoniam se non subduxit. Ita & ille qui in Christum credit, quacunque occasione oblata id agit, quod faciendum, esse credit. 34. Quod si nulla occasio erit fidem ostendendi (quod vix fieri posse puto, nisi statim è vivis discesserit, ut latro ille in cruce) nihilominus promissa obtinebit, ac si omni Dei justitia persunctus esset? 35. Paratus enim fuit cibare & vestire pauperem, & ægrotum & captivum visitare, omnia Christi nomine relinquere, denique ipsam mortem subire. Talem fidem non habent impii, quamvis dicunt se credere pœnitentiam agendam esse, tamen nunquam resipiscunt. Dicunt se credere ebriosos damnandos esse, & divites difficulter in regnum Dei ingressuros, attamen nolunt sobrii fieri, neque desistere ab avaritia. Dicunt se credere ignoscendum esse hosti, subveniendumque egeno; interim vero in jus vocant, manus conserunt, sanguinem fundunt, & eorum pauperes conficiuntur fame. Certum igitur est, eos non credere, sed scientiam habere, quæ eos contumaciæ convincet & damnabit. Joh. Itaque illi duntaxat, qui talem fidem habent, gratiam Dei consequuntur, & justificantur? Chr. Omnino illi, absque fide enim, ut Deo placeatur, fieri non potest. Joh. At illa gratia, videtur mihi gratia non esse, sed meritum, cum illis, qui mandata faciunt, tribuatur? Chr. Imo insignis hæc gratia Dei est; non enim tanti est illa fides, ut tam eximia mereatur præmia. Verum tanta est Dei gratia, ut ob illud ipsum, quantulumcunque id tandem est, nos salvare velit. Certe manifestum est, neminem, nisi hanc fidem habuerit, salvum fore, 1 Joh. 2. 4, 5. 36. Qui se fide salvandos esse persuasi sunt, absque mandatorum Christi observatione, isti seipsos fallunt, & sunt ex eorum numero, de quibus Paulus scripsit, ad Tit. 1. 16, quod Deum se scire profitentur, & factis eundem negant. Joh. Quare tribuitur illis gratia (inquam denuo) qui mandata faciunt? Cum mihi videatur, ibi gratiæ locus non esse, ubi non peccatur? 37. Chr. Ob illud ipsum illis tribuitur gratia, quod mandata faciunt; quia nisi resipiscerent, doctrinasque Domini Jesu sequerentur frustra sibi à Deo gratiam pollicerentur. Propterea scripsit Paulus, Gal. 6. 15, *In Christo Jesu, neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatio: & quicunque ad hanc normam se gerunt, iis pax & misericordia tribuitur, una cum divinis Israëlitis.* Huc quoque pertinet dictum Christi, Matth. 7. 21. *Non quisquis mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in cœleste regnum; sed qui fecerit quod vult meus Pater, qui est in cœlis.* Ideo falsa, imo impia est ista opinio, gratiæ locum non esse, ubi non sunt peccata. Gratia datur obtemperanti & benefacienti, non peccanti. Ut certe cum Paulus Onesiphori familiæ precaretur, ut consequeretur à Domino misericordiam, non ob eorum peccata, sed quod sæpe ab eis recreatus esset, & quod Onesiphorum catenarum ejus non puduisset; eis id exoptabat, 2 Tim. 1. 16. 38. Non opus est peccatis, ut gratiam consequamur, sufficit nos superioribus seculis, antequam conversi fuerimus, injustitiæ serviviſſe. 39. Jam vero consequuti istam gratiam, per Christi sanguinem, stemus in ea, reliquumque tempus ad Dei voluntatem in corpore vivamus. Certa res est, gratia illa Dei pervenit ad nos per mortem Jesu Christi, cum adhuc peccatores essemus: attamen ea conditione affertur, ut à peccando desinamus, justitiæ vero vivamus, ut quemadmodum in morte regnavit peccatum, sic gratia quoque per justitiam regnet ad sempiternam vitam, per Jesum Christum, Rom. 5. 21. Qui propter peccata nostra mortuus, ob justitiam nostram revixit. Joh. Quid illud est, morte seu sanguine Christi justificari? 40. Chr. Id quod Paulus dicit, Tit. 2. 14. 41. *Jesus Christus seipsum pro nobis dedit, quo nos ab omni scelere vindicaret, & sibi peculiarem populum purgaret, recte factorum cupidum.* 42. Itaque, qui Christum propterea sanguinem suum fudisse & mortuum esse credunt, ut & ipsi peccato morerentur, Deo vero viverent & servirent, spe obtinendæ vitæ æternæ, illi desinunt à malo, bonum autem faciunt. 43. Quapropter ejusmodi dicuntur sanguine Christi loti, morte ejus redempti & justificati. Item, ob id dicitur, per sanguinem Christi nobis aditum esse factum, ad rempublicam Israëlis, denique ad ipsum Deum. At qui adhuc in peccatis vivit, nihil est quod glorietur de Christi morte & sanguine, cum nondum cum Domino Jesu resurrexerit; imo cum sanguinem Christi pedibus conculcet. 44. Quomodo enim ille dixerit, se à peccatis mundatum esse, qui peccare nondum desiit? Acsi quis glorietur, se opera medici à febri liberatum esse, qui adhuc crudelissima torqueretur febri: propterea dixit Johannes, 45. *Si in luce versamur, ut ipse est in luce, nobis est inter nos communitas, nosque Jesu Christi sanguis, ejus filii, expurgat ab omni peccato.* Joh. Hæc quidem se ita habere percepi. At dicunt quidam, nos non propterea justos esse, quod justa faciamus, sed quod Christus justus fuit, id nobis, si in Christum credimus, à Deo imputari pro justitia? Chr. Ad hoc commentum ita respondetur: *Filioli, nemo vos decipiat, qui justa facit, justus est, quemadmodum ille justus est*, 1 Joh. 3. 7. Joh. At Paulus videtur mihi in Epistolis suis, præsertim ad Rom. & Gal. tibi contrarius esse, cum nos sola fide, absque justitia nostra, seu bonis operibus justificari, constanter affirmat. Chr. Non mihi contrarius esset Paulus, sed sibi ipsi, qui scripserit Rom. 8. 1, *Nullos damnationi esse obnoxios, qui in Christo Jesu, non carnis, sed Spiritus arbitrio parent*, & iterum 6. 16, *An nescitis, cui vos ipsos servos præbetis obediendo, ejus servos esse cui obediatis, vel peccati ad mortem, vel obedientiæ ad justitiam.* En quam aperte, ut peccato mortem, sic obedientiæ justitiam ascribit? Apertius autem 1 Tim. 6. 19 testatur, eos, qui sunt bonis operibus divites, sibi præclarum congerere fundamentum, ad assequendam vitam æternam. Quinetiam nec sibi solum, sed diserte contradixisset Domino Jesu dicenti, Matth. 5, *Nisi justitia Scribis & Pharisæis excellueritis, non estis in cœleste regnum ingressuri.* 46. Ubi sane Dominus Jesus ostendit, nos minime cœleste obtenturos regnum, nisi aliqua in nobis fuerit justitia. At Paulus, nec sibi, nec Domino Jesu contrarius est, sed maxime consentit, ut qui fidelissimus ejus Euangelii præco fuit. Erroris hujus causa est, ignoratio differentiæ operum, ut cum alia sint mala, alia bona, alia legis opera, quidam opinati sunt, bona opera, quæ Dei sunt, eadem esse cum legis operibus, imo arbitrati sunt, bonorum operum præstantissima esse legis opera: propterea sic aliquis eorum scribere non dubitavit.

tavit. 48. Justificatio est ex mera Dei gratia, sine omnibus operibus, & tandem quoque sine legis operibus. 49. Cum tamen omnium operum sint inutilissima legis; quoniam nec sua natura bona sunt, nec aliquam vitæ æternæ promissionem habent: nihilominus ille ita loqui ausus est, ac si legis opera reliquis meliora seu perfectiora essent. Nostra quidem justitia, nostrisque operibus apud Deum justi fieri non possumus; 50. Nam ea ejusmodi fuere, antequam conversi fueramus, ut nobis potius supplicium, quam Dei misericordiam congesserint. 51. Sed esto; aliquem inculpatissime vixisse ex legis justitia, attamen ob id nondum apud Deum justus est. De quo Paulus disputat in Epistolis suis ad Rom. & Gal. Nam nisi habuerimus Dei justitiam, quæ in fide sita est, Deique opera fecerimus, salvari non possumus. Et hæc fuit causa Judæorum rejectionis, quod ignorantes Dei justitiam, sua se justitia, quæ legis est, apud Deum justos fieri posse statuerant, Rom. 10. 3, & 9. 31. 52. Joh. Quid est, Dei opera facere? Chr. Credere in Jesum Christum Joh. 6. 28. Quid vero sit in Christum credere, antea explicatum fuit. Joh. Memini. Sed quæ est illa Dei justitia, cujus mentionem fecisti? An non est illa Dei justitia, quam lex requirit? 53. Chr. Paulus manifestum facit discrimen inter Legis & Dei justitiam, Rom. 3. 21, & 9. 30, 31, & 10. 3. Gal. 2. 16, & 3. 8, usque ad finem. Phil. 3. 6, 7. Potest quidem legis justitia etiam Dei appellari, quatenus à Deo in Lege mandata est: sed Euangelium ita non loquitur; ut ex adductis testimoniis videre poteris. 54. Propterea & Johannes in Euangelio suo diversam illam facit à gratia & veritate, quæ per Christum contigit, Joh. 1. 17. 55. Est autem illa propria hominum justitia, quoniam natura quilibet eam cognoscere potest, nemine docente aut mandante, cum quilibet sciat, non esse male faciendum; non male facere autem, legis est justitia & charitas. 56. At qui non male facit, ille otiosus est, cum nihil agat. Verum Deus non est otiosus, nec nihil agit: (ut Epicurus suos Deos nihil agere dicebat) sed operatur; ut Christus ait, Joh. 5. 17. *Pater meus hactenus operatur, & ego operor.* 57. Quodsi illa legis esset Dei justitia, male nobiscum ageretur, quia non remitterentur nobis peccata nostra, sed oporteret nos mori, cum lex transgressoribus suis mortem afferat. Deus autem, cum sit insigniter bonus & misericors, pœnitentibus eorum peccata remittit. Hoc enim ascribitur justitiæ divinæ, ut fontem justificet Rom. 3. 24, 25, & 4, 5, 6. 1 Joh. 1. 9. 58. Itaque illa justitia, quæ male facienti, malum reddit, & hoc tantum præcipit, ne male faciamus, aliena est à Dei natura, quæ est bona & misericors, bonis ac malis benefaciens: Justitia vero Dei ex ejus natura est. Joh. Quæso, ostende ex Sanctis Literis, justitiam Dei ex ejus natura provenire? Chr. Recte mones; in eodem sermone, ubi Dominus Jesus affirmasset, nisi justitia excelleremus scribas & Pharisæos, nos minime ingressuros in cœleste regnum, docemur, quasi nos esse oporteat justitia præditos, si velimus beatitatem obtinere; nempe ut simus misericordes, pacifici, mites, tardi ad iram, casti, benefici, faciles in nos peccantibus, amantes inimicos, benefacientes malevolis; & tandem concludit, nos si tales erimus, filios fore patris cœlestis, & perfectos, ut ille perfectus est. 59. Igitur ista justitia, quam ibi Messias describens, à legis justitia diversam esse ostendit, ex Dei natura est, cum nos faciat Dei filios. 60. Porro & Petrus nos hortatus est ad Dei naturam participandam, quod nihil aliud est, quam Deum imitari, cujus imaginem habemus in Jesu Christo, quem si imitati fuerimus, consequemur beatam Dei immortalitatem. Hæc est divinæ naturæ participatio. Joh. Dixisti diversam esse Dei justitiam, ab illa quæ ex lege est. Itaque tollis legis justitiam? Chr. Absit, imo stabilimus, inquit Paulus Rom. 3. 30. Nam si mea repetere mihi prohibitum est, quomodo appetam aliena? Si fœminam sic aspicere, ut eam concupiscas, non licet; quomodo adulterari licebit? Si vetitum est vindictæ signum verbo ostendere, quomodo concessum erit occidere? Similiter judica de reliquis. Joh. In quo differt legis justitia à divina? Chr. Legis justitia non est mala, at Dei justitia & bona est. Joh. Quid audio? Diversumne est bonum a non malo? Ego hactenus putavi idem esse. Chr. Omnino sunt diversa, quamvis id à paucis in Sacris Literis observatum fuerit. 61. Propterea inquit scriptura, desine à malo, & fac bonum. quod si non malum idem esset quod bonum, satis fuisset dicere, desine à malo, vel, fac bonum. Diligenter illud observandum est in omnibus sacris scriptoribus Novi Fœderis, qui plerumque hoc conjungunt, peccato mortuum esse, justitiæ vero vivere. Ideo & Dominus Jesus jussit prius pœnitentiam agere, quod nihil aliud est, quam desinere à malo; postea autem, quomodo digne Deo vivendum esset, docuit. Vide hos locos, Rom. 6. 18. Eph. 4. 22. Col. 1. 13, & 3, 5, 10, 12. Tit. 2. 12. 14. Hebr. 10. 22. 24. 1 Petr. 2. 34, & 3. 11, & 4. 1. 2. Ratio ipsa docet, quamvis bonus & malus inter se è regione perpetuo adversentur, tamen inde non sequi illud esse bonum quod non sit malum. Notandum hic est, quædam contraria in medio aliquid habere, ut album & nigrum, multos colores intermedios habent, calidum & frigidum, in medio habent tepidum, sic bonum & malum, habent aliquid in medio, quod propria voce caret, nisi per metaphoram id velimus tepidum appellare, quod per circumscriptionem dici potest non malum. Quod quamvis Cicero viderit, tamen num id hactenus aliquis philosophorum constanter observarit, nescio. 62. Id quidem scio, quod in disputatione de justitia, nemo eorum id viderit, cum omnes, quotquot eorum sint, inter virtutem & vitium nihil medii ponant; quod non miror, cum divinæ fuerint ignari justitiæ, secundum quam aliquid medii est inter virtutem & vitium; ut, etsi non sit vitium non furari, tamen non sequitur, non furari, esse virtutem. Itaque hic est aliquid in medio, quod est otiari, quod posset, imo deberet appellari nihil. Nam qui non furatur, nil facit. Sed abstineamus à vocis ambiguitate, ne Dialectici aliquid arripiant, quod cavillari possint. Loquamur potius cum Christo, qui servum illum, qui nihil lucratus erat talento suo, appellat nequam, ignavum, inutilem, qui quamvis Domini sui pecuniam furto non intervertisset, aut incuria perdidisset, tamen nihil boni ea effecerat. 63. Hujus intermedia sunt, otium, ignavia, inutilitas; quæ secundum mundum & Mosen, vocantur justitia, secundum Christum vero, miseria, paupertas, cæcitas & nuditas. His intermediis, quamvis nihil sint, adeo quidam delectantur, ut illa pro summis divitiis habeant; de quo elegantissimam metaphoricam descriptionem habemus, Apoc. 3. 15, ubi ita inquit Dominus Jesus: *Novi tua facta, quod neque frigidus sis, neque fervidus. Utinam fervidus esses, aut frigidus. Ergo quia tepidus es, evomam te ex ore meo; quoniam te divitem ditatumque esse dicis, nec ulla re indigere; neque scis te ærumnosum & miserum & pauperem & cæcum & nudum esse, &c.* Hic tota res ita plane explicata est, ut vix planius explicari possit. Habes medium inter frigidum & calidum, quod Angelus Ecclesiæ Laodicensis pro summis divitiis agnoscebat, cum tamen nihil esset. Hoc nihilo seu inutili medio, multi seipsos decipiunt. Eo Pharisæi & scribæ valde inflati erant, imo fere omnes Judæi; qui cum se posse justos fieri legis justitia putarent, noluerunt à Domino Jesu aurum emere, igne candens, quo ditescerent. Et ob id ipsum scripsit Paulus literas suas ad Romanos, & Galatas, ut ostenderet istius medii inutilitatem. 64. Proinde & nunc multi reperiuntur, qui non leviter ditatos se esse putant, quod non sint mali, hoc est, quod alienos Deos non colant, quod parentes honorent, quod baptizati sint, quod sanctorum communioni, quantum ad panem & vinum attinet, intersint, quod non mentiantur, quod sese non inebrient, quod neminem occidant,

cidant, quod non adulterent, quod non furentur, quod neminem defraudent, denique quod non sint tales ut reliqui. Cum interim sint nudi, pauperes, cæci, & ad omne bonum opus inepti, servique inutiles, nam ob nullum bonum aliquis salvabitur, cum promissiones vitæ æternæ non habeant. Quin & gentes hæc facienda esse sciverunt, imo fecerunt, exceptis sacris ceremoniis. 65. Et qui hæc omnia fecerit, ille quidem male non fecit, sed bene nil aut parum, ideo adhuc servus est inutilis, qui cœleste regnum non est ingressurus, nisi Dei justitiam consequutus fuerit, quæ revera & sola bona est, quoniam bene facit, & ab omnis boni auctore, à quo ad nos per filium ejus venit, nomen habet. Nec a vulgari usu loquendi, illud medium boni & mali, adeo alienum est. Nam sæpe accidit, cum nolimus aliquid omnino reprehendere, vel commendare, quod dicimus, *non male*, pro quo alias utimur voce *mediocriter*. At quis vellet à mediocri bonitate, seu malitia commendari? 66. Apud hujusmodi sapientes, illa mediocritas in magno precio est, sed in divinis rebus nullum locum habet, ut audivimus ex literis illis ad Laodicenses scriptis. Inde etiam venit, quod, ut nec res ipsa, sic nec voces illæ, mediocris, mediocritas, mediocriter, in Sanctis Literis reperiantur. Valde celebratum est illud apud mundum, Medium tenuere beati. 67. Verum qui Christianus est, medio ire non potest, sed solummodo dextra; si aberraverit, nullum est medium, sed sinistra perveniet ad exitium. 68. Papistæ, medium inter cœlum & infernum habent, purgatorium. 69. Reliqui titulo tenus Christiani, qui Christo non obediunt, multa sibi talia media fingunt, extra illam viam, quam nos Dominus Jesus solam ad regnum cœlorum ducere ostendit, ex qua deflectunt, cum sit arcta carnique valde molesta, ad alia media, per quæ tamen ægre, ut Papistæ per suum purgatorium, ad speratam beatitudinem venient. Ab operibus carnis, ut etiam Antichristiani non sunt liberi, fallunt, luxuriantur, mentiuntur, superbiunt, scortantur, calumniantur, occidunt, furantur, concupiscunt aliena, &c, nihilominus se justos esse dicunt; sed cum contrarium ostenderis ad operibus eorum, mirificam quandam, quam opponunt, habent in promptu doctrinam de justificatione, quæ neque in verbo Dei, neque in ratione fundamentum habet. Ita enim respondent, nostra justificatio est in cœlo, in Jesu Christo: non ob nostra bona opera salvamur: Christus Jesus, pro omnibus omnia perfecit, & passus est, quod idem est, ac si nos ipsi justi essemus, nam ejus justitiam nobis Deus imputat. Denique, cum nec huic viæ satis fidant, concludunt, ab æterno Deum ad hoc omnes destinasse, ut tales sint quales sunt, omneque malum esse à Deo, igitur & peccata. Neque salutem nostram pendere ab obedientia seu nostra voluntate, sed ab æterna Dei prædestinatione. Alii alia media habent, quæ omnia illis videntur aliquid esse, cum nihil sint. Verum ne prolixior sim, puto te percepisse de bono & malo, eorumque medio, ex quo potes intelligere solam Dei justitiam bonam esse, legis autem non malam, quæ inutilis sit ad regnum cœleste obtinendum. JOH. Quæso, declara uno aut altero exemplo istam legis inutilitatem? CHR. Non omnino nego legem esse bonam seu utilem. Quod autem utilis sive bona appellatur, non est id ex ejus natura, sed ex alio aliquo adjuncto: quia nisi homines peccassent, nunquam lex in mundum venisset; ex quo manifestum sit, justos lege carere posse: at cum homines peccassent, data est lex, ut illi, ex quibus promissum semen venire debebat, sub illa custodirentur exercerenturque tanquam ab aliquo pœdagogo, donec veniret Messias, Gal. 3. 19. Itaque lex propterea bona & utilis appellari potest, quod malum impediat: quam ejus utilitatem eleganter Paulus descripsit, 1 Tim. 1. 8 dicens, *Scimus sane bonam esse legem, si quis ea legitime utatur, hoc intelligens, justis non esse latam legem, sed sceleratis, &c.* 70. Si igitur justis lex non est lata, quam inde habituri sunt utilitatem, cum illis nihil rei sit cum lege? Quare lex respectu justitiæ divinæ, omnino inutilis est, quemadmodum est otiosa, imo omnino mortua; ut qui neminem occidit, saltem non malefacit, interim vero nihil facit, igitur nec bene, nisi velimus illud nihil bonum appellare. Justitia autem divina, non tantum à nobis requirit ne occidamus, sed ut etiam à morte liberemur, & nostram ipsi animam pro fratribus impendamus. Hoc bonum est, quia aliis bene facimus. Accipe aliud. Si præterirem pauperem, eumque importunius clamantem non verberarem, male quidem non facerem, interea vero boni nihil, nisi ei stipem darem, quod bonum esset. Sic de reliquis judica, quæ secundum legem jure fiunt; & propterea a lege & mundo, justa appellantur, ut jure agere, jure sua repetere, jurare, non adulterari, non mentiri, aliena non appetere, injuriæ resistere, vim vi repellere; quæ sane omnia secundum legem justa sunt, sed nondum bona. 71. Igitur & Paulus plus tribuit bono, quam justo, Rom. 5. 7, proprie justus secundum legem appellaretur insons, quod etiam Castellio in sua Bibliorum versione observavit. JOH. At metuo, cum dicis, legem esse inutilem, ne, sceleratis occasionem præbeas peccandi. 72. CHR. Minime. Tamen antea explicavi, secundum quid hoc dicatur, legem non esse bonam seu inutilem, nempe respectu justitiæ divinæ, vitæque æternæ. 73. Neque ego sum auctor hujus sententiæ; dixit hoc ante me Paulus, qui fere aliud præter hoc, nullum argumentum tractat in Epistolis suis ad Rom. & Gal. Vide quid scripserit Hebr. 11. 18, & 8, 6. Dixerant hoc & alii viri docti & sancti, quos recensere nolo, ne, ut illi, hæreticus declarer: sed cum dico, illam justitiam esse inutilem, id propterea dico, ut aliam perfectiorem, nempe Dei, quæ ex fide est, sibi acquirant, quam si habuerint, tum non legis justitia destituentur: ut si jurare non licet, quemadmodum antea ostendi, quomodo audebis pejerare? Si oculus & animus castus fuerit, quomodo adulterabis? Si injuriæ resistere vetitum est, quomodo audebis occidere, &c. Itaque absit, ut per hanc verissimam doctrinam, alicui occasio peccandi præbeatur. Imo potius omnes peccati causæ auferuntur. JOH. Percepi de justitia Dei, quam ostendisti, patefactam esse per Jesum Christum in Euangelio, & diversam à lege, jam expone, num in vatibus aliquid habeatur de illa justitia per Messiam patefacienda? CHR. Maxime habetur, idcirco dixit Paulus, absque lege divinam justitiam patefactam esse, à lege & vatibus testatam, Rom. 3. 21. Quod si omnia vellem recensere vatum testimonia, dies nos deficeret; attamen, quæ in præsentia occurrunt, accipe, Psal. 85. 11. *Pietas veritasque inter se ocurrent, justitia & pax deosculabuntur invicem. Veritas ex terra germinabit, & justitia de cœlo exiftet.* Vide Psal. 19. 65. 93. 98. Porro lege Esaiæ 61 totum cap. de Messia, ubi in fine hæc verba sunt: *Ut terra stirpes suas edit, utque suum hortus seminarium procreat; sic procreabit Jehova justitiam atque laudem coram cunctis gentibus.* Daniel vero apertissime de ea patefacienda vaticinatus est, cap. 9. 24. *Septuaginta septenaris*, inquit, *destinati sunt tuo populo, tuaque sacræ urbi, ad consummandum peccatum, ad obsignanda delicta, ad ignoscendam culpam, & ad inducendam æternam justitiam, & ad obsignandam visionem ac vaticinationem, & ad ungendum sanctorum sanctissimum* Oseæ 10. 12. *Novate vobis novale, dum tempus est quærendi Jova, donec veniat, & vos justitiam doceat* Joël 2, 23. *O Sionii, gestite lætitia in Jova Deo vestro. Dabit enim vobis doctorem ad justitiam.* Huc pertinet vaticinium Mosis, Deut. 18. 15 de Messia. Plura occurrent diligenti lectori. JOH. Sufficiunt hæc, quæ satis aperta sunt. 74. Verum jam demum intelligo, non bona opera, quæ Deus ipse præparavit, sed legis opera à justificatione nostra excludi: sed est adhuc aliquid, quod videtur nobis contrarium esse, videlicet Luc. 17, ubi Christus inquit, *Si omnia feceritis, quæ vobis præcipio, dicite, inutiles servi sumus.*

C HR. Non dixit Christus, quæ ego vobis præcipio, sed quæ vobis mandata sunt, nempe in lege, id enim subintelligendum esse non dubito: sin minus, tunc Paulus contra hoc præceptum peccavit, cum ad Tim. scripsit, sibi justitiæ coronam repositam esse, quod egregium certamen certasset, cursumque absolvisset. Porro, si inutiles servi sumus, damnabimur, scriptum est enim, *Inutilem servum conjicite in imas tenebras.* Boni vero servi in Domini sui voluptatem intrabunt. Diligenter & hoc observandum est, quod Dominus Jesus sibi contrarius esset, si ista ejus verba Lucæ 17 de ejus præceptis intelligenda essent. Nam dixit alio in loco, *Si feceritis quæcunque ego vobis præcipio, amici mei estis.* Certe non puto illum inutilem esse, qui Christi amicus est, cum ipse Deus in eodem loco dixerit; *Non jam dicam vos servos, sed amicos*, quod si nec servos, quomodo inutiles servos? Esto autem Dominum ibi loquutum fuisse de suis præceptis: num inde efficietur, bona opera excludi à justificatione nostra? Minime, tantum eo doceremur, ne superbiremus, interim tamen promissiones Jesu Christi veræ sunt, quod qui fecerint, quæ docuit illos; Dei filios, suos fratres & amicos fore, denique vitam habituros æternam. J OH. Quanquam aliqui hæc non negaut, nihilominus conantur nobis persuadere, quod quidem debeamus bona opera facere, sed ob illorum observationem nihil sperare. C HR. Hoc est cum ratione insanire, & contra apertas scripturas loqui. Inquit enim Paulus, *Sic currite, ut assequamini. Enimvero omnes, qui certant, omnia perferunt, illi quidem, ut interituram assequantur coronam, at nos immortalem.* Unde vero illud currere seu certare? Certe ex spe coronæ obtinendæ immortalitatis. Et alibi idem Paulus ita scripsit, *Pietas ad omnia utilis est, promissiones habens & præsentis & futuræ vitæ. Certa res est, & summa approbatione digna. Nam ideo & laboramus, & probra patimur, quod spem habemus in vivente Deo, qui cum omnium hominum tum maxime fidentium servator est.* Videntur mihi illi, qui ita docent, velle nos credere, Deum, haud daturum esse justis vitam æternam. Conatur hoc Satanas dudum hominibus persuadere, ut ita omnem exstirpet pietatem, quod facillime efficere poterit apud eos, qui istam sententiam tuentur. Nam nisi sperare licuerit, quomodo credere poterimus, cum spes sit fidei materia? Quomodo vero pie vixerimus, nisi crediderimus? Sublatis enim causis, tollitur & effectum: maximeque nobis cavendum est, ab his ineptis disputationibus, quæ versantur circa morbos quæstionum, neque acquiescunt doctrinæ pietatis Jesu Christi, ut Paulus monet, 1 Tim. 6. 3. Quid ajunt? nihil esse sperandum pro bonis operibus? interroga illos doctores, cur convicia & persequutiones sustineant? Equidem cuperem omnes sperare pro bonis operibus vitam æternam, tunc id quod speraretur, operarentur, interrogandi essent; num hoc, quod scriptum est 2 Joh. 1. 8 credendum sit? *Date operam, ne perdamus*, inquit *quod elaboravimus, sed mercedem plenam accipiamus.* Si credendum esse dixerint, certe & sperandum, cum fides absque spe esse non possit. 76. Illud obiter observa: ista bona opera non sunt nostra (legis autem nostra sunt) sed Dei, qui ea præparavit, ut in illis versaremur, nos ista facimus ut Dei servi, nullus autem servus suum, sed Domini opus facit. J OH. Sæpius tamen ea nobis attribuuntur in Euangelio, ac si nostra essent. C HR. Ita sane est: id fit ratione officii nostri, non eorum natura, quæ ex Deo est. Ut in hujus seculi servis videmus, quamvis dominorum suorum opera agant, plerumque tamen ea eorum esse dicuntur. J OH. Satisfactum est mihi. Sed restatne aliquid, quod ad justificationis negotium pertinet? C HR. Imo totum adhuc, cujus gratia ista omnia fiant, restat, videlicet fidei finis, quæ est vita æterna. J OH. Illud antea sciebam, quia finis iste nos ad diligentius justificationem inquirendam mover. Ego vero me tibi plurimum debere fateor, quod hæc ita candide mihi patefecisti, quæ scibas. Deo imprimis gratias ago, qui oculos mentis meæ aperuit, ut tandem saperem salutis nostræ procurationem, in cujus cognitione hactenus misere cæcutivimus. Nullas enim justificationis partes recte considerabamus, ut pote aliorum doctorum opinionibus imbuti, nescientes quid Dei misericordia sit, ad quos pertineat; fidem inepte definimus, legis opera cum bonis operibus confundentes, quare nobis sit promissa vita æterna, & speranda, dubitamus: Justificationem, quæ sit per sanguinem Jesu Christi, secundum literam intelligimus, cum spiritualiter intelligi debeat, pietatem modo commendamus, modo extenuamus, interdum penitus excludimus. Itaque vehementer mihi gaudeo, cum videam me dubitatione, opinionibus & metu liberatum. C HR. Et ego gratulor istam mentem, Deumque oro, ut, quæ audivisti, fructum in te ferant, eaque aliis persuadere possis. Ita enim & illos & teipsum salvabis. Verum hæc quidem hactenus, Cætera si quæ sunt, quotiescunque voles, & hoc loco & aliis parata tibi erunt.

N O T Æ

F. S. in Dialogum præcedentem.

1. D*ivinæque naturæ participatio.*) Si hoc ad immortalitatem beatitatemque referatur, recte dictum censeo, sin autem ad vitæ sanctimoniam, non videtur hæc significatio vocabulo Justificationis, quod quidem ad usum scripturæ attinet, subesse, cujus scripturæ proprium est vocabulum istud.

2. *Adeo ut nostri causa*) Hic potius dicendum erat, Adeo, ut nobis omnia peccata nostra condonare voluerit, & vitam æternam largiri; atque hujus rei, cum testandæ, tum ad exitum perducendæ causa, unigenitum Filium suum Jesum Christum in mortem tradiderit; unde ab æterna morte, qua digni eramus, liberati sumus, & una cum eodem ejus Filio in cœlestibus collocati. Nam alioquin, ut scriptum hoc loco legitur, mortis Christi, & per eam à morte liberationis nostræ, intempestive fit mentio.

3. *Sed etiam ab omnibus peccatis.*) Hoc quamvis recte intellectum verum sit, atque adeo Sacris Testimoniis confirmetur, tamen ad justificationem ipsam, de qua hic agitur, per se non pertinet, sed per accidens, ut loquuntur, quatenus scilicet nemo à Deo per Christum justificatur, nisi jam in nullo peccato hæreat ac maneat.

4. *Commentum enim illud.*) Certissimum est pœnas primi parentis peccato constitutas, ad omnem ejus posteritatem pertinere, nulla habita peccati posteritatis ratione, ob id ipsum tantum quod, ipsius Adami sint posteri, ab ipsoque prognati. Hoc enim & res ipsa, & ratio manifesta, & denique sanctorum hominum auctoritas aperte comprobat, præsertim vero Pauli cap. 5. ad Romanos, ubi dicit mortem regnasse etiam in eis, qui non peccaverunt in similitudine peccati Adami, qui fuit forma seu figura futuri. Quemadmodum enim, quicunque ex Adamo carnaliter nascuntur morti sunt obnoxii, licet non peccaverint, ut Adamus peccavit, cui propter ipsius peccatum, mortis pœna constituta est: Sic quicunque ex Christo spiritualiter nascuntur, vitam adipiscuntur; licet non ita obedierunt, ut ipse Christus obedivit, cujus obedientiæ præmium, vita est constituta. Si quis hoc non intelligit, necesse est eum in magna totius hujus de peccato originis (quod vocant) tractationis ignoratione versari; nec, quid Paulus eo 5. cap. ad Rom. sibi velit, prorsus percipere.

5. *Joh. 9. 34.*) Quid hic locus ad rem faciat, non video. Quod enim quispiam in peccatis totus sit natus, nihil prohibet, quominus ex parentum peccato culpam contraxerit. Imo sunt, qui in peccato nasci, nihil aliud interpretentur, quam ex parentum peccato culpam

pam contrahere; quamquam non dubium est, quin Judæi illi, nequaquam hoc sensu verba illa protulerint, *In peccatis natus es totus.* Sed nec attendendum est, quid ipsi dixerint; nec si vera dixissenr, idque alioqui ad rem pertineret, ad omnes est trahendum, quod de uno tantum est dictum. Cæterum; in initio illius historiæ, ejusdemque capitis, Christi verba habentur, quæ opinionem illam confirment, contra quam locus iste ℣. 34 allatus est. Nam cum discipuli interrogent, Num aut cœcus ille, aur parentes ejus peccassent, ut is cœcus nasceretur; Christus autem respondeat, nec illum, nec parentes ejus peccasse, sed ad Dei opera in illo patefacienda id factum esse, tacite videtur Apostolórum opinionem comprobare, fieri scilicet alioqui potuisse, ut propter peccata parentum cœcus nasceretur.

6. *Et propterea, ut eam fide consequeremur.)* Esset hoc aliquanto clarius aperiendum, si fructum aliquem hinc lector percipere debet.

7. *Sed incitat etiam, ut credamus, si obedriverimus Euangelio.)* Atqui hoc ipsum, non confidentia est revera seu fiducia, sed persuasio. Itaque ad hunc modum dicendum erat: Sed incitat nos, ut obediamus Euangelio, firma cum spe obtinendi peccatorum veniam, & vitam æternam. Quanquam ne sic quidem recte diceretur. Neque enim fides incitat, si formatam fidem intelligamus, ut eam, qua justificamur; sed illud ipsum, ad quod hic incitari dicimur, quemadmodum paulo ante rectissime explicatum est, ubi dictum fuit, Credere in nomen Christi esse, eum accipere, ejus dictis fidem habere, ei confidere, denique ei obtemperare.

8. *Quia præsens salutis.* Oportuisset hæc per præteriti temporis verba enunciare, *contempserunt*, *contradixerunt.* Cum enim ab initio contemnunt & contradicunt, possent non contemnere, nec contradicere; & sic nondum eo devenerunt, ut non possint credere, quo postmodum justo Dei judicio, eo quod contempserint & contradixerint, devenire coguntur.

9. *Quod est peccatum in Spiritum Sanctum.)* Præstat hæc verba non addere. Nimis enim adhuc controversum est, quid sit peccatum in Spiritum Sanctum.

10. *Ne hoc usu veniret.)* Si pronomen *Hoc*, ad præcedens verbum *contemnunt*, &c. tantummodo refertur, est quidem locus, qui citatur, opportune ac merito allatus. Sed consentaneum est, ut non ad illud tantum membrum superioris orationis referatur, sed ad totam orationem, potissimum vero ad ultimam ejus partem. Atqui in citato loco, nec de contradicendo agnitæ veritati, nec de subeunda ista divina pœna, ut jam credere quis nequeat, quidquam legitur, quæ tamen in superiore oratione continentur, & pars potissima sunt totius sententiæ ea comprehensæ.

11. *Aufertur vero.)* Hic potius ita dicendum videbatur: Offertur autem fidei donum per prædicationem Euangelii, quæ oblatum hoc donum aspernantibus, id est, credere nolentibus, aufertur, & aliis datur, ut legimus.

12. *Verum ad quæstionem de fide.)* Ad quæstionem, utrum fides nostri arbitrii sit, nec ne, omnino pertinet cognoscere, num fides sit Dei donum, & quomodo; tametsi non simpliciter, ex eo, quod fides Dei donum sit, sequitur, illam nulla ratione esse nostri arbitrii, tum ob rationem superius allatam, quod libertas accipiendi aut respuendi aliquid, non tollit nec impedit, quominus illud sit donum, (quæ ratio tamen indicata potius quam expressa fuit) tum etiam ex eo, quod subjungitur, quamlibet rem bonam, Dei donum merito dici posse.

13. *Tamen & auditus.)* Quoniam adversarii objicere possunt, nullam rem bonam esse, quæ nostri arbitrii sit, propterea hæc pars ad hunc modum explicanda videbatur, ut exempli causa de auditu. *Tamen mei arbitrii est*, &c. Sed præterea animadvertendum est, hoc exemplum non videri appositum, præsertim si nomen Auditus, pro audiendi facultate non autem pro ipsa auditione accipiatur. Sive enim quis audire velit, sive ut ne audiat, aures obturet, audiendi facultate, & sic isto Dei dono nihilominus semper perfecte erit præditus. Quod si pro ipsa auditione, nomen *auditus*, accipiatur, seu pro ipso actu audiendi, (id quod præsenti quæstioni multo est accommodatius, siquidem hic fides, non facultatem, sed ipsum actum credendi significar) est tamen nihilominus hoc exemplum parum accommodatum, cum, nisi ipsi impedimentum aliquod ponamus, plurima, ne cogitantes quidem, audiamus; imo sæpius nolentes: nemo autem Euangelio credat, nisi & cogitans & plane volens.

14. *Quod Deus omnibus exhibuit.)* Hurum verborum sententia mihi non probatur. Christi enim resurrectio, non ad fidei donum exhibendum, sed ad fidem faciendam pertinet, sive ad fidei donum, quod per Euangelii prædicationem exhibetur, confirmandum. Nec locus ille Act. 17. 31 qui hic citarur, quamvis ab aliis quoque ad sententiam istam probandam allatus, & à quibusdam, ni fallor, ex Græco in eundem sensum interpretatus, ad rem facere videtur, cum ejus sententia sit, Deum Christum ex mortuis suscitando, fidem omnibus fecisse ejus, quod proxime dictum fuerat, nempe ab ipso Deo eundem Christum judicem, qui orbem terrarum, quodam die certo, juste sit judicaturus, constitutum fuisse; vel, ut aliis placet, Deum, ex mortuis Christum excitando, se omnibus fidelem præstitisse. Nam idem Paulus, qui hic loquitur, alibi id est supra, cap. 13. 32. 33 ait, Deum, resuscitando Jesum, præstitisse promissum, quod patribus fecerat. Nec sane verisimile est, Paulum, cum Ethnicis hominibus præsertim loquentem, & sacrarum rerum ac loqutionum ignaris, simplici fidei nomine, fiduciam in ipso Deo, sive in Deo per Christum collocandam, intelligere voluisse.

15. *Imo & audiri.)* Sunt hi omnino figurati loquendi modi, qui potius essent explicandi, quam ita simpliciter inculcandi.

16. *Nisi credat promissis divinis.)* Quamvis hoc recte intellectum verum sit, tamen & propter ea, quæ sequuntur, & ad totius rei explicationem, hæc annotare hic libuit. Fides, qua justificamur, non est credere promissionibus divinis; sed est, ipsi Deo confidere: quod ut fiat, propterea sunt à Deo proposita promissa, quibus creditis, necessario ipsi Deo confiditur. Et idcirco alicubi videtur, fidei isti, quod Dei promissa sunt vera, tribui, quod per eam justificemur, cum tamen revera non ista fide, sed fide in ipsum Deum, id est, fiducia in ipso Deo collocanda, justificemur; quæ fides, obedientiam præceptorum Dei, non quidem ut effectum suum, sed ut suam substantiam & formam continet atque complectitur. Meminisse enim debemus, ejus, quod supra recte conclusum est. Fidem, hanc scilicet, qua justificamur, Dei obedientiam esse. Adde, quod credere promissionibus divinis, non quidem necessario, & per se, sed per accidens, gignit fiduciam in ipsum Deum, & ita ejus præceptorum obedientiam. Per accidens, inquam, quatenus, divinæ istæ promissiones id continent, quod non desiderare nemo potest, hoc est, æternam vitam & felicitatem; ac præterea promissiones istæ, expressam conditionem habent *Si quis obedierit*, &c. Quodsi Deus aliquid promisisset quod possemus non desiderare, vel nullam conditionem addidisset, certe posset quis promissum istud verissimum esse credere, & sibi persuadere; & tamen vel rem promissam spernete, & ita Deo non confidere; vel, re promissa licet, desiderio ac spe accepta, nullam obedientiam Deo præstare. Ex quo patet, per accidens, ut diximus, id est, non ex eo ipso, quod sint divina promissa, & à nobis credantur esse vera, fieri, ut ex divinis promissis, videlicet per Christum factis, si ea vera esse credimus, fiducia in ipsum Deum ejusque præceptorum obedientia oriatur. Ut igitur ad propositum revertamur, cum hic statim subjicitur, neminem justificari, ob assensionem sive persuasionem

si id

si id ita intelligeretur, ut ex ipsa assensione sive persuasione, nemo justificaretur, recte id dictum esset. Verum sequentia verba,

17. *Alias omnis Papistarum, &c.* Declarant, id hoc loco intelligi, quasi possit esse assensio ista & persuasio, sine justificatione. Id quod falsum est, cum assensio & persuasio, veritatis promissorum divinorum, qualia, & quomodo sunt nobis per Christum facta, omnino fiduciam in ipsum Deum, illamque obedientiam gignant, qua justificamur. Quod igitur hic affirmatur, Papistarum fidem assentiri verbo Dei, minus vere, sui certe minus proprie dictum est. Siquidem isti levem tantum quandam opinionem habent veritatis verbi divini, non autem revera ei assentiuntur; quippe, quod etiam ex parte non intelligant. Rei autem non intellectæ, quomodo quis quæso, vere & proprie assentiri potest? Nam quod additur, eos sibi mortem & passionem Christi applicare, non est hæc illa assensio seu persuasio, de qua hoc loco quærendum est. Quærendum est enim de assensione ac persuasione, veritatis divinorum promissorum, qualia, & quomodo ea nobis fecit Christus, non autem de qualibet assensione ac persuasione rerum, ad Christum & Deum nostri ratione pertinentium.

18. *Quod si justificati, ubi eorum justitia, ubi sanctitas?)* Hic tacite continetur ea sententia, quam nos supra ab initio attigimus, & non obscure refutavimus, justificationem videlicet, à justo faciendo dici, & a justitia ac sanctitate, qua quis fit prædirus: cum tamen certissimum sit, justificationem in Sacris Literis aliud nihil significare, quam justum pronunciare, sive, ut justum tractare.

19. *Certe opinatus es.)* Hoc verissimum est, si modo recte intelligatur, id est, si Spiritus Sancti nomine virtus illa divina intelligatur, qua divinæ promissiones in cordibus nostris obsignantur. Hac enim id, quod jam audita Euangelii prædicatione, verum esse credidimus, ita se habere sentimus quodammodo, & experimur. At vero si Spiritus Sancti nomine, quælibet divina virtus, quæ nos ad salutem nostram, ut sic dixerim, afflet, nobisque aspiret, intelligatur, haud verum censeri debet, nos credere, ante acceptum Spiritum Sanctum. Quandoquidem, nisi Deus prior Euangelium suum nobis patefaciat, & ita hac salutari vi sua nos præveniat, nobisque aspiret, non generabitur in nobis fides. Sæpissime autem in Sacris Literis Spiritus Sancti nomine, divinam istam vim, quæ Euangelii patefactione continetur, & omnibus, quibus Euangelium patefit, exhibetur, intelligi invenies. Quo factum est, ut vulgo creditum sit, fidem non dari, nisi Spiritus ille Sanctus præcedat, quem non omnibus, quibus Euangelium patefit, dat Deus; sed ipsis tantum credentibus, non animadversa ὁμωνυμίᾳ vocis Spiritus Sancti, seu Spiritus Dei. Ephes. 2. 1. Primi versiculi loco, secundus citandus est.

20 *Quomodo igitur Spiritus Sanctus.)* Hæc ratiocinatio valde infirma est. Dicent enim adversarii, Sancto Spiritu pelli malum, eoque effici, ut quis credat, & porro ejus cor mundetur, & ita malus Spiritus ejiciatur. Imo ipsi sacra testimonia afferent, ex quibus probatur, Dei Spiritu nos ablui, & sanctificari, ut 1 Cor. 6. 11. Et sane nihil omnino prohibet, quominus in eo, qui ex malo Spiritu impurus est, per supervenientem Sanctum Spiritum fides gignatur, per quam ejus cor purificetur, malo Spiritu videlicet pulso ac fugato, & una cum eo malitia & injustitia, quæ illius cor possidebat. Non igitur ratiocinatione ista, sed testimoniis utendum est, quæ postmodum afferuntur, quibus probatur, Spiritum Sanctum non dari, nisi jam credentibus; & interim distinguendum inter utrumque Spiritum Sanctum, de quibus paulo ante meminimus; & fatendum, sine Dei Spiritu ne posse quidem in Christum credi, sed hunc Spiritum omnibus dari, quibus ipse Christus rite annunciatur. Divinum vero Spiritum, quo in cordibus nostris veritas divinorum promissorum obsignatur, & pignus futuræ nostræ felicitatis & cælestis hæreditatis in Sanctis Literis nuncupatur, hunc, inquam non concedi, nisi iis, qui jam in Jesum Christum credunt.

21. *An per orationem fidei.)* Aliud est per orationem fidei, aliud per fidem. Atqui propositum est probare, Spiritum accipi per fidem, non autem per orationem fidei. Quanquam non per orationem, sed per auditionem fidei, in citato loco ad Galatas, scriptum est.

22. *Vide illustrem locum, Act. 8. 14.)* Oportet ascribere & sequentia, ipse enim versus 14, per se nihil continet, quod ad rem faciat. Præterea totus hic locus minime illustris videtur, cum in eo expressum non sit, fidem antecessisse Spiritus Sancti acceptionem. Nihil enim vetat, quominus quis externe prædicato Euangelio adhæreat, & in Jesu Christi nomen baptisetur, & tamen interiore, cordisque fide careat, quam fidem sine dubio illi intelligunt, qui eam sine antecedente Spiritus Sancti acceptione, dari negant. Adde, quod locus iste, ad id probandum citatus omnino videtur, quod proxime affirmatum fuerat, Spiritum Sanctum dari per fidem. Id quod nullo modo ex eo colligi potest, etiamsi alioqui inde colligeretur, fidem acceptioni Spiritus Sancti præcessisse. Aliud enim est, fidem Spiritus Sancti acceptioni præcedere, aliud, Spiritum Sanctum per ipsam fidem dari.

23. *Ad vos habui.)* Addenda videbantur hæc, aut similia verba: siquidem intelligendum est, sermonem istum, fidem apud eos invenisse; & observandum, nondum tamen eos Spiritum Sanctum accepisse.

24. *Pœnitentiam omnibus vivere volentibus.)* Hæc verba mendosa videntur & manca, hocque aut simili modo supplenda, pœnitentiam agere, & sancte vivere volentibus.

25. *Minime, sed ille Spiritus.)* Hoc loco videtur corrigi illud, quod à nobis supra tacite reprehensum est, ubi scilicet absolute negari videbatur, Spiritum Sanctum fidei præcedere. Verum nec germana, nec vera hæc correctio est. Non est germana, nam de Spiritu Sancto agitur, quem is, qui credit, accipiat: Correctio vero agit de Spiritu Sancto, qui quoquomodo adsit, cum ille credit. Itaque dicendum erat, Spiritum quidem Sanctum à credente accipi, dum fides in corde credentis gignitur, sed hunc Spiritum omnibus ministrari, quibus verbum Dei annunciatur; quippe, qui necessario ac perpetuo cum ipso verbo sit conjunctus, ut supra à nobis expositum est. Non est autem correctio ista vera, quia nec ratione, nec sacra auctoritate ulla probabitur unquam, necesse esse, ut is, qui Euangelii prædicatione fidem in audientibus gignere debet, Dei Spiritu sit præditus; nec satis esse, quod Euangelium recte annunciet.

26. *Spiritus autem Sanctus.)* Non est, ut ante indicavimus, Spiritus Sanctus, qui necessario requiritur ad vim & efficaciam, verbo Dei conciliandam, quippiam diversum ab ipso verbo: imo verbum ipsum recte annunciatum, est virtus divina ad salutem. Euangelium enim Christi, ut ait Paulus, Dei virtus est, ad salutem omni credenti.

27. *Id, quod revera in nobis est.)* Non videntur hæc verba opportune dicta. Quandoquidem nihil aliud dictum fuerat, quam nobis à Deo fidem pro justitia imputari; quam fidem in nobis revera esse, quis obsecro dubitabit unquam? Sunt autem verba ista dicta, ad excludendam imputationem justitiæ Christi, de qua tamen in superioribus verbis ne suspicari quidem licet. Præterea certum est, ex Paulo, justitiam à Deo nobis imputari, Rom. 4. 6, ubi Davidis testimonio utitur. Ex quo apparet, Paulum ibi justitiæ nomine, peccatorum remissionem intelligere, vel potius beatitatem; quæ certe in nobis non est, nisi per imputationem, seu ipsius imputationis vi. Quomodo igitur hic affirmatur, non imputari nobis à Deo, nisi id, quod revera in nobis est?

28. *Crederet.)* Ut recte ad superiora illa verba relatio

habea-

habeatur, quibus fides nostra explicatur, quæ imputatur nobis ad justitiam, omnino addendum videtur hoc aut simile quippiam, & propterea scilicet Deo se obedientem præstare, se seque totum ipsi committere, velle constituere.

29. *Res.*) Aut non res, sed promissiones, seu promissa, hic scribendum videtur: aut sequenti versu, non quibus, sed quas credamus.

30. *Omnia.*) Adderem statim, sibi ab eo præscripta, aut præscribenda, sive imperanda, vel alioquin illi grata futura. *Se facturum*, rectius, facere.

31. *Reipsa justus est. Non enim.*) Est quidem iste aliquo modo reipsa justus, id est, à Deo pro justo habitus, & justus pronunciatus: sed non tamen omnino, nec æque ac si reipsa jam se obedientem præstitisset. Multa enim, ut in proverbio est, inter calicem, supremaque labra cadere possunt, veluti (ut in hac proverbii similitudine persistamus) si quis ægrotus à morbo liberetur, pharmacum sibi à medico exhibendum, quantumvis ingrati saporis & odoris, sumere prorsus constituat; fieri tamen potest, ut cum deinde poculum, ut pharmacum exhauriat, ejus labiis admovebitur, & ipse gustare cœperit, tetro odore ac sapore deterritus, exhaurire plane renuat: Sic nobis facile evenire potest, ut antequam experiamur, quam sit carni nostræ durum atque adeo horribile, Christi præceptis obtemperare, & crucem, ut jussi sumus, quotidie ferre, prorsus Deo obedire, ex Christi præscriptione constituamus; sed ubi ad rem ipsam ventum sit, ejus summa acerbitate ac difficultate deterreamur. Quocirca Deus & ante, & multo magis post Christum, tum demum revera ac plene justum aliquem pronunciat, cum se jam obedientem ipsius præceptis præstiterit; id quod in ipso Abrahamo patuit, qui non omnino justus est à Deo pronunciatus, nisi cum, præter alia, suæ in Deum fiduciæ ejusque præceptorum obedientiæ specimina, tandem ipso ita jubente, unigenitum filium suum ei immolare non recusavit. Nam & Deus ipse ait, tum demum se cognovisse, quod Abrahamus ipsum timeret, & Jacobus Apostolus affirmat, tum impletam fuisse scripturam, dicentem, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Itaque concludendum est, Deum quidem præcipue animum & cor hominis spectare, sed tamen de ipso animo & corde nihil firmiter omnino posse statui, donec ad rem ipsam ventum non fuerit.

32. *Nullique se subducit occasioni.*) Certe, si jam reipsa iste nulli se subduxit occasioni, de eo meritò dici potest, eum coram Deo plane justum esse; verum verba præcedentia & sermo institutus postulant, ut hic non quidem *subducit*, sed *subducere statuit*, scribatur.

33. *Etiamsi reipsa.*) Imo Abrahamus, quantum in ipso fuit, mandatum illud perfecit, jam enim cultrum acceperat in manum, ut Isaacum jugularet, sed divinitus prohibitus est: propterea Deus per Angelum illi dicit, *Quia non pepercisti filio tuo unico propter me.* Et rursus, *Quia hoc fecisti, nec pepercisti filio tuo unico.* Perfecta enim & confirmata hominis voluntas, quæ videlicet ad ipsum actum pervenit, adeo, ut nulla prorsus ex parte per ipsum hominem stet, quominus externum factum sequatur, perinde omnino habetur apud Deum, ac si ipsum externum factum omnino consequutum fuisset, seu mavis, pro ipso facto omnino habetur. Secus est in voluntate hominis nec perfecta nec consummata, & ubi ad ipsum actum perventum non est, quamvis enim ea in rebus bonis, Deo sine dubio placeat, in malis displiceat, suumque vel præmium vel pœnam apud ipsum habeat, non tamen pro ipso facto ab eo habetur.

34. *Ut latro.*) Videtur hic tacite affirmari, latronem illum nullam occasionem habuisse fidem ostendendi; quod tamen contra habet, ita ut etiam suam fidem egregie ostendisse, merito dici possit, ut unicuique vel leviter ejus verba, quæ ad alterum latronem & ad Christum fecit, perpendenti, aperte constabit.

35. *Ac si omni.*) Hoc, ut jam monuimus, minus vere dictum est. Nam nec sane miles, qui nulla oblata pugnandi occasione non pugnavit, quamvis se minime subduxerit, præmium, quod strenue reipsa pugnantibus constitutum fuerit, omnino accipiet; licet, ut hic paulo ante dicitur, militiæ præmio non fraudabitur. Aliud est enim militiæ, aliud pugnæ præmium, & jam ego sum fassus, bonam hominis voluntatem, quamvis non perfectam nec consummatam, suum apud Deum præmium habere, licet non illi par, quod perfecta ac consummata voluntas habet.

36. *Salvum fore.*) Rectius. *Sine mendacio dicere posse, se Deum nosse, aut, se Dei charitate esse præditum*, 1 Joh. 2. 4, 5, *& consequenter hunc minime salvum fore.*

37. *Cum mihi videatur ibi gratiæ locus.*) Hæc quæstio obscure admodum atque indistinctè & proponitur & dissolvitur. Distinguere enim primum clare oportet inter peccata, quæ resipiscentiam consequuntur, & inter peccata simpliciter. Deinde, in his peccatis quæ resipiscentiam consequuntur, adhibenda rursus est clara distinctio, siquidem simpliciter & absolute loquendo, verissimum est non esse locum gratiæ, ubi nullum est peccatum. Operanti enim, inquit Paulus, id est, legem Dei exacte servanti, merces non tribuitur ex gratia sed ex debito. Necesse est igitur, ut quis alioquin peccaverit, si gratiam, de qua videlicet in tota hac quæstione ac materia agitur, consequuturus est: quod si distinctio adhibeatur, & nominatim de peccatis agatur consequentibus resipiscentiam; haud verum est, non posse esse locum gratiæ, ubi non peccatur. Nec tamen idcirco concludendum est simpliciter & absolute, peccata post resipiscentiam una cum gratia consistere non posse, sed de iis peccatis tantum id affirmandum, quæ ex deliberata malitia fiant, vel quæ hominem irretitum tenent hactenus, ut habitum, sive unius sive plurium peccatorum, habere merito dici possit, aut tam frequentia sint, ut is non secundum spiritum, sed secundum carnem vivere, jure affirmari queat; & ab hujusmodi peccatis ea separanda & distinguenda, quæ vel ex ignorantia & incogitantia committuntur, vel etiam prudenter & scienter, nonnunquam etiam ex humana fragilitate, sed ita ut lapsus esse, non autem cecidisse homo dicendus sit, quippe, qui statim sese erexerit, & recto pede per præceptorum divinorum viam ire perrexerit.

38. *Sufficit nos.*) Hic recte attingitur distinctio, de qua modo dicebam; sed proxime non recte dictum est simpliciter, *Non est opus peccatis.* Addendum enim fuerat, *præsentibus*, aut tale quippiam, idemque in antecedentibus verbis explicandum, præsertim si nihil quæstioni à colloquutore propositæ, addatur. Nam illam ita simpliciter & indistincte proponi posse fateor, dummodo postea in solutione distinctiones, de quibus diximus, adhibeantur.

39. *Per Christi sanguinem.*) Et paulo post, *per mortem Christi.*) Tametsi hæc verba ex Paulo hic adhibita videntur, alia tamen est ratio loci Paulini, & alia hujus. Patet enim, quo sensu apud Paulum dicta fuerint, si quis diligenter animadvertat, nempe simpliciter Christi sanguinem seu mortem intervenisse in nobis justificandis, sine ulla necessitate intelligendi inde ullum meritum profectum fuisse, & apparet Apostolum ideo istud dixisse, ut inde colligeret, non posse dubitari, quin Deus per Christum nos sit servaturus. Nam si, cum essemus ejus inimici, ut nos sibi reconciliaret, Christum filium suum mori voluit, multo magis jam reconciliatos per eundem redivivum, quemque ad hoc efficiendum mori nullo pacto oportet, omnino servabit. Hic vero, nec quo sensu dicantur & adhibeantur verba ista, constare potest, eaque ita accipi possunt, ut Christi mortem, gratiam istam nobis promeruisse intelligatur, nec cui sint adhibita, perspicere quisquam valet. Quare vel eorum loco, *per Jesum Christum*, simpliciter est dicendum, vel ipsa ita explicanda, ut sensus & scopus eorum legenti appareat.

40. *Quid illud est.*) Hæc interrogatio non corrigit aut

aut tollit vitia, quæ in antecedentibus verbis inesse diximus. Semper enim verum erit, non suo loco & tempore supra dictum fuisse, per sanguinem seu mortem Christi, nos gratiam illam Dei adeptos fuisse. Potest autem hæc interrogatio ascribi, etiamsi supra hujus rei nulla fieret mentio, præsertim si ad hunc modum dicatur, *Quid illud est, quod Paulus scripsit, morte, &c.* Quod si tamen placet aliquid antecessisse, unde colloquutor ita interrogandi apertam habuerit occasionem, satis est proxime antecedentia illa verba, ex Paulo desumpta, retinere, *Qui propter peccata nostra, &c.* Quanquam in interrogatione addendum esset, cur Paulus, qui antea mortis Christi effectum, ab effectu resurrectionis distinxerat, inquiens, Christum traditum fuisse propter peccata nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram, postea dixerit, ipsa morte seu sanguine Christi nos justificatos esse.

41. *Id quod Paulus dixit.*) Apparet manifeste, justificari, ita intelligi, ut significet justum, id est, probum & Deo obedientem fieri, nulla habita ratione remissionis peccatorum & ascriptæ justitiæ, id est, quod quis à peccatorum, suorum reatu liberetur, & justus pronuncietur, seu pro justo habeatur; cum tamen, ut supra dictum est, verbo justificandi, in Sacris Literis hæc significentur, non autem illud.

42. *Itaque qui Christum propterea.*) Verissimum quidem est, Christum inter alias causas, propter id mortuum esse, ut nos peccatis moreremur, sed non propterea, proprie loquendo, hoc dicitur à nobis credi, nec usquam, ni fallor, Sacræ Literæ, quamvis id non uno in loco aperte commemorent, ut id credamus, jubent: sed, si proprie loqui velimus, id potius agnoscimus, & ex iis quæ de Christo credimus, colligimus. Credimus enim de Christo, quod nos, peccatis relictis, sibi summam vitæ innocentiam, æternæ vitæ spe proposita, præscribenti, obedire jusserit seque imitari, quem innocentissimum, carnisque prorsus peccati labe carentem fuisse, nobis persuademus. Atque insuper credimus ac persuasi sumus, ipsum, dum quæ jubet ac promittit, ut nos faciamus & speremus, omni conatu quærit, per summam invidiam morti traditum fuisse, quam ipse volens subierit, sciens se à Deo Patre tertio post die in vitam revocandum, & omni in cœlo & in terra potestate donandum, qua sibi obedientes perpetuo fovere, & beata tandem immortalitate donare posset; quæ & facta fuisse credimus. Ex his igitur, de quorum veritate nihil dubitamus, agnoscimus & videmus, Christum mortuum fuisse, ut nos peccatis moreremur, &c. Itaque, ut dictum est, hoc, proprie loquendo, non quidem credere, sed ex iis, quæ credimus, aperte colligere dicendi sumus. Multo autem minus dici potest, hoc esse fidem ponere in Christi sanguine, ut hic in margine annotatum video. Neque enim cohærent ista duo necessario, nedum idem sint. Quid enim prohibet, quominus credam, Christum mortuum fuisse, ut ego peccato morerer, nec interim tamen in ejus sanguine fidem ponam; vel contra, in ejus sanguine fidem ponam, nec tamen eum mortuum fuisse credam, ut ego peccato morerer? Adde, quod nusquam revera in scriptura legitur, nos aut debere aut posse fidem in Christi sanguine ponere, tametsi Sebast. Castellionis interpretatio id habeat, cap. 3. Rom. 25, ubi addidit de suo, verbum *Collocandam*; haud intelligens verba illa, *in ipsius sanguine*, non esse conjungenda cum voce *fidem*, quam statim sequuntur, sed per se stare, & idem significare, quod, interveniente ipsius sanguine, ut Erasmi interpretatio habet.

43. *Quapropter ejusmodi dicuntur.*) Non dubium est, quin isti, imo isti demum, nec videlicet alii, dicantur sanguine Christi loti, &c, sed non tamen præcipue propter hoc ipsum, quod desierint à malo, & bonum faciant; sed propter id, quod à reatu & pœna suorum peccatorum sunt liberati. Quod beneficium iis tantum conceditur, qui ejusmodi fuerint.

44. *Quomodo enim ille dixerit.*) Ὁμωνυμία sive æquivocatio est in verbis *mundari à peccatis*. Mundatus à peccatis is dicitur, cui peccata sunt remissa (& hoc sensu utitur potissimum scriptura hac loquutione) non tantum is, qui id est adeptus, ut jam in peccatis, ut antea, non maneat; nec, si ipsius rei naturam spectes, quippiam prohibet, quominus cuipiam sint remissa peccata, & tamen nihilominus peccare pergat, & sic idem ipse mundatus sit à peccatis suis, & non mundatus. Quod si nemo tamen mundatus à peccatis est, qui peccare non desistat, id non ex vi ipsius loquutionis, *mundari à peccatis*, neque ex ipsa rei natura proficiscitur, sed ex eo, quod Deus nemini peccata condonare statuit, qui peccare pergat.

45. *Si in luce versamur.*) Hoc testimonium, non id probat ad quod probandum allatum, scilicet contraria ista duo esse, & plane inter se pugnantia, Mundatum esse à peccatis, &, peccare nondum desiisse, ut exemplum seu similitudo allata ostendit, ejus qui crudelissima febri torqueatur, & tamen interim glorietur, se medici opera à febri liberatum esse. Neque enim Apostoli mens eo in loco est, docere, vel idem esse, in luce versari, (quod sine dubio sancte vivere significat) &, sanguine Jesu Christi expurgata esse omnia sua peccata; vel certum indicium, quod quis in luce versetur, esse, si omnia ejus peccata fuerint expurgata, quod nimirum Christi sanguine fiat. Non est inquam hæc mens Apostoli: sed hæc, docere, quid faciendum nobis sit si expiationis omnium peccatorum nostrorum participes esse velimus, quam attulit, seu testatur Christi sanguis: vel, si malumus, quid utilitatis ex eo habeamus, quod in luce versemur, nempe participes nos fieri expiationis omnium peccatorum nostrorum à Christo allatæ, & ipsius sanguine partæ & contestatæ; sicut etiam ex eadem id nos habere ibidem ait, quod cum Deo societatem habeamus. Itaque hic unus ex illis est locis, unde probatur, Mundari, seu expurgari à peccatis, idem esse, quod sua peccata expiari, id est, ea sibi à Deo remitti & condonari.

46. *Aliqua in nobis.*) Addendum videtur, *vera & solida. Justificari.*) Hic rursus confunduntur, justificari, & justum esse; quæ nisi distinguantur, necesse est in tota hac disputatione, & divinorum testimoniorum interpretatione, non leviter hallucinari.

47. *Eadem esse cum legis operibus.*) Atqui Paulus cap. 4. ad Rom. affirmat, hominem justificari à Deo sine operibus, non addita voce *legis*, idque exemplo Abrahami, & testimonio Davidis comprobat. Quorum alter non legitur justificatus fuisse apud Deum operibus, sed fide: Alter vero eos beatos esse testatur, quorum remissæ fuerint iniquitates, & tecta peccata, & quibus dominus peccata non imputaverit. Addit rationem: Quia in justificatione Abrahami, fides ad justitiam imputata dicitur. Unde liquet, gratiam & beneficentiam divinam, in eo justificando, id est, pro justo habendo ac præmio afficiendo intervenisse. Gratiæ autem locus non est, ubi ex operibus justificatio est. Operanti enim, inquit Paulus, merces debetur, non secundum gratiam, sed secundum debitum. Et alibi, quippiam esse ex gratia, plane opponit ei, quod est, esse ex operibus. Ex quibus omnibus manifestum fit, Paulum negare, non modo ex operibus legis, sed simpliciter, ex operibus nos justificari. Itaque alia ratione omnino est hic nodus solvendus, & dicendum, Paulum, operum nomine, non quælibet opera intelligere, nec quolibet modo accepta, sed quæ sua vi hominem justum coram Deo reddere possint, cum negat, nos ex operibus justificari, qualis esset absoluta & perpetua, per totum vitæ curriculum, legis divinæ observatio. Hanc Apostoli mentem esse, & operum simplici nomine, eum perfectam divinorum præceptorum conservationem intelligere, declarat manifeste, quod ait, *Operanti dari mercedem, non ex gratia, sed ex debito.* Et rursum: *Non operanti, sed credenti in eum, qui justificat impium, imputari*

 fidem

fidem ipsius ad justitiam. Ubi aperte constat, illum Operandi, & consequenter, Operum, simplici verbo, absolutam ac perpetuam divinæ legis conservationem, in tota hac disputatione, significare voluisse. Unde, nodi solutio patet. Nam, etsi verissimum est, non idcirco nos justificari, quasi Deo perfecte ac perpetuo obediverimus; non tamen sequitur, ad nos justificandos, nullam præceptorum Dei obedientiam requiri. Ea enim obedientia omnino requiritur, quæ fide in Deum continetur, qua nos justificari idem Paulus affirmat: quandoquidem fides ista aliud nihil est, quam Deo confidere, id est, sub spe felicitatis nostræ, illi obedire. Quod sane fit, ac fieri dicitur, cum mores, actionesque & vitam nostram, ad normam ab ipso nobis præscriptam, componimus & conformamus, licet vel antehac pessime vixerimus, vel posthac ex imbecillitate aliquando labamur, & à rectissima ista via leviter ac paulisper deflectamus.

48. *Propterea sic aliquis eorum.*) Potuit iste, quisquis fuerit, ob aliam causam ista scribere, quam quod existimet, legis opera, simpliciter loquendo, omnium præstantissima esse. Cum enim de justificatione nostra agitur, id est, de ratione, qua à Deo justi pronunciemur seu pro justis habeamur, & quæritur, num ex operibus id nobis contingat, nulla ad id aptiora esse videntur, quam ea quæ ipse Deus nobis præscripsit. Ejusmodi autem sine dubio sunt opera legis, quæ etiam post Christum quod ad moralia attinet, firma manent, adeo ut Paulus non dubitaverit, affirmare, per fidem, videlicet in Christum, legem non modo non abrogari, sed confirmari. Et Christus ipse dixit, se non venisse ad abrogandam legem, sed ad implendam, id est, perficiendam. Hæc igitur legis opera considerata, ut ab ipso Deo sunt nobis præscripta, & idcirco cum iis comparata, quæ minime à Deo præscripta fuerunt, sine dubio illis omnibus, quod ad nos justificandos attinet, longissime sunt anteponenda. Itaque crediderim, verba istius scriptoris ita accipienda esse, ac si dixisset, Justificatio nostra est ex mera Dei gratia, sine omnibus operibus, non solum quæ nos ipsi, vel nostra sponte facimus, atque Deo grata esse nobis persuademus, vel humana auctoritate atque consilio nobis sunt præscripta, sed etiam quæ Deus ipse nobis præcepit, atque præscripsit.

49. *Cum tamen omnium operum.*) Hoc non solum hyperbolice, sed plane minus vere mihi dictum videtur. Quid enim? An inutiliora sunt legis opera ad nos justificandos, quam opera, quæ, exempli causa, in Papatu præter divinum jussum præscribuntur? Jam rationes, quæ subjiciuntur, meo judicio, minus veræ aut firmæ sunt. Nam quod affirmatur legis opera sua natura non esse bona, pugnat manifeste cum infinitis prope sacrarum literarum locis, in quibus legis præcepta mirifice commendantur & extolluntur etiam post promulgatum Euangelium: pro quibus omnibus satis sit in præsentia locus ille apud Paulum. *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergo bonum est, &c.* Deinde, etiamsi verissimum esset, legis opera non esse sua natura bona; tamen cum de justificatione nostra agitur, istud nihil momenti habet, nisi Justificari, idem esse dicamus, quod justum, id est, probum fieri, id quod non recte dici supra ostensum est. Quinetiam, quamvis id rectissime in ipsa, de justificatione nostra, quæstione diceretur, non tamen quicquam momenti habiturum esset, ad justificandi vim legis operibus adimendam, quod non essent sua natura bona; satis enim esset, ea esse justa (distinguitur enim in hoc scripto inter justum & bonum, & justo bonum anteponitur) quod nemo arbitror negare audebit. Verum, ut jam sæpius dictum est, justificari à Deo aliud nihil est, quam à Deo justum pronunciari, id quod certe fieri necesse est, cum legis, quam dedit, præcepta servantur, qualiacumque tandem fuerint. Affertur alia ratio, ad justificandi vim, legis operibus magis quam quibuscumque aliis adimendam, quod in se nullam vitæ promissionem habeant: quasi vero omnia alia opera vitæ promissionem habeant. Præterea, cum, ut in sequentibus apparebit, non ideo hic affirmetur, inutilissima esse legis opera, ad nos justificandos, quia ipsa lex, sive ipsa opera legis per se, id est, à Dei gratia sejuncta, nullas vires subministrent cuiquam ea perficiendi, seu etiam, quod nemo illa exactissime, ut jussus est, præstare queat, sed quia, etiamsi quis perfectissime ea præstet, tamen nullo pacto justificatio inde consequatur; non video quid huc pertineat, ea non habere ullam promissionem æternæ vitæ, nisi justificandi verbum pleniore sensu accipiatur, ita ut perfectam ab omni peccatorum reatu absolutionem complectatur, & sic à morte peccati pœna, liberationem, id quod sane apud Paulum sæpe fieri agnosco. Atqui, quod pertinet ad ipsam quæstionem de justificatione nostra, ab ipso Paulo agitatam, & à nobis eodem scopo & ratione agitandam, plane ex accidente est, quod justificatio nostra vitam æternam complectatur, cum nihil aliud revera quæratur, quam unde fiat, ut justi à Deo pronunciemur, sive sub novo Testamento, sive etiam sub vetere; sub quo tamen, quicquid multi aliter affirment, nulla certa spes vitæ æternæ facta populo à Deo fuerat.

50. *Nam ea ejus modi fuere.*) Superius in operum distinctione, commemorata aperte fuerunt mala opera; hic vero eorum etiam operum fit tacita mentio, quæ non modo sunt mala, sed mala esse, ab iis qui ea faciunt, agnoscuntur. Ex quo clarius apparet, quam immerito dictum fuerit, legis opera omnium operum inutilissima esse. Nam & ipsis malis operibus, quæque mala esse ipsi facienti constat, hac ratione postposita fuerunt. Quanquam, cum disputatur, Utrum ex operibus justificemur, nullo pacto quæritur de operibus malis, sed de iis quæ bona sunt, vel saltem non mala, & studio pietatis & recte operandi facta. Quare superior illa distinctio, alia esse opera mala, alia bona, alia legis, non solum in eo peccat, quod bona opera à legis operibus distinguit, quasi opera legis bona merito appellari nequeant; sed etiam in eo, quod malorum operum meminit ac rationem habet, quæ nullo modo ad præsentem quæstionem pertinent. Neque enim, cum quæritur, utrum nos nostris operibus justificemur, quamvis inter opera nostra multa mala inveniantur, id tamen quæritur, utrum mala ista opera ad nos justificandos pertineant, id enim stulte ac perridicule quæreretur: sed quæritur simpliciter atque in genere, num opera nostra sint ejusmodi, ex quibus ipsis per se justi à Deo pronunciandi simus; & respondetur, non esse ejusmodi, nempe quia vel multa mala opera inter nostra opera inveniuntur, vel certe quia non omnino, id est, perpetuo atque exactissime (id quod debebamus) ea facimus, quæ nobis facienda erant. Jam non potuit superior illa distinctio afferri, tanquam plena divisio omnium operum, ex quibus deinde ea seligerentur, quæ ad præsentem quæstionem facerent. Neque enim omnia opera, vel bona sunt, vel mala, vel legis opera, si modo licet legis opera à bonis distinguere. Multa enim sunt opera, quæ legis non sunt, & interim nec mala sunt nec bona, quæque etiam ad præsentem disputationem pertinent. Unde apparet, distinctionem illam non uno vitio laborare. Ista autem opera ea sunt, quæ supra attigimus, quæ videlicet à Deo non fuerunt jussa, & cum per se indifferentia sint, ea tamen tanquam Deum ea ratione culturi, sive obtemperaturi, homines facienda suscipiunt.

51. *Sed esto aliquem.*) Sententia, quæ ex his verbis aperte colligitur, cum sacris literis, cumque manifestissima ratione mihi pugnare videtur, præsertim, si tempora etiam illa complectatur, quæ Christum præcesserunt, si quidem tunc etiam justus ex fide vivebat. Non quod is, qui legem perfectissime servasset, victurus & justus futurus non fuisset, sed quod hoc per

carnis

carnis infirmitatem fieri non contigerit, Rom. 8. 3, & hoc illud est, quod Paulus ait, vel potius innuit, legem non potuisse vivificare, Gal. 3. 21, & eodem cap. ante dixerat, neminem per legem justificari apud Deum, nempe quia nemo illam perfectissime servaret. Hanc Apostoli mentem esse, declarant aperte verba proxime antecedentia, in quibus ait, ideo maledictioni obnoxios esse, quotquot sunt ex operibus legis, quia scriptum sit, maledictum esse, quisquis non manserit in omnibus scriptis in libro legis, ut faciat ea. Constat enim necessario subaudiendum esse, neminem esse qui id faciat; alioquin Paulus & sacris testimoniis, & sibi ipsi palam adversaretur; illis passim contestantibus, victurum hominem, qui legis præcepta servaverint, & justum coram Deo futurum, ipso vero affirmante, legem datam fuisse ad vitam, Rom. 7. 10, & legis factores justificatum iri, Rom. 2. 13. Ex cujus verbis eadem Epistola cap. 3, ubi negat quenquam justificatum iri coram Deo ex operibus legis, liquido apparet, quo sensu id neget, quia videlicet omnes peccaverunt, & destituuntur gloria Dei, ac propterea gratis justificandi sunt. Nam qui legem perfectissime servat, is non gratis, sed ex debito justificatur, seu justus pronunciatur. Quid autem absurdius aut iniquius, quam non pronunciari justum eum, qui legem sibi datam perfectissime servaverit? Quamobrem, si verum esset, (de quo mox agemus) post Christum exhibitum eos non justificari, qui exactissime totam Legem Mosis conservent, nisi quiddam aliud præter ea præstent, id non aliunde fieri posset, quam ex eo, quod post illud tempus alia lex fuerit lata, & alia præcepta servanda proposita. Quanquam crediderim ego, etiam post Christum exhibitum, eos, quibus Lex Mosis lata fuerat, si eam perfectissime servassent, justos aliqua ratione apud Deum futuros fuisse, quamvis non ita justos, ut vitæ æternæ participes propter id essent futuri. Nam quod hic dicitur ex Paulo, causam rejectionis Judæorum fuisse, quod ignorantes Dei justitiam, sua se justitia, quæ legis est, apud Deum justos fieri posse statuerunt; id non ita accipiendum est, quasi Judæi, quantumvis exacte legem servaverint, rejecti tamen sint, aut pro injustis habiti: sed est intelligendum, eos spreta Dei justitia, quæ scilicet à Deo ipsis per Christi fidem offerebatur, Deum erga se irritasse, & parata justitia seipsos privasse, & omnino interea quæsiisse, ut per legis opera justificarentur, quamvis à peccatis contra ipsam legem, immunes non essent, (id quod justitiam suam statuere velle, vocat Paulus) cum tamen certissimum sit, neminem ex legis operibus justificari posse, qui contra ipsam legem quicquam unquam commiserit.

52. *Credere in Jesum Christum.*) Hoc non est simpliciter atque absolute verum, sicut etiam ipsius Christi verba in loco, qui hic affertur, ostendere possunt. Quamvis enim interrogassent eum Judæi, quid faciemus ut operemur opera Dei? Tamen ipse non respondit, hæc sunt opera Dei, sed, hoc est opus Dei, &c. Quod igitur hoc loco affirmatur, verum est quidem, sed habita ratione vitæ æternæ nobis patefactæ, seu viæ omnium excellentissimæ Deo serviendi.

53. *Paulus manifestum.*) Si discrimen istud ex Pauli sententia verum est, non tamen id ejus verba sonant in ipsis locis qui hic afferuntur: inter quos nullus videtur discrimen istud apertius statuere, quam is, qui primo loco allatus est, Rom. 3. 21, ex quo tamen nihil aliud certe colligi potest, quam per Euangelium Deum justificandi rationem quandam proposuisse absque lege, id est, legis, ut ita dicam, præstatione. Sed non idcirco negatur, quin, si quis legem etiam post publicatum Euangelium perfecte servaret, justus ob eam causam coram Deo foret. De reliquis hoc loco prolatis testimoniis, supra, vel aperte vel tacite actum est, & ni fallor, ostensum, ex eis non probari, non justificari coram Deo eos, qui Legem Mosis servent, & consequenter, non posse simpliciter dici, inde colligi manifestum discrimen inter Legis & Dei justitiam. Quod si non simpliciter, sed de certa quadam Dei justitia loquamur, poterit discrimen istud statui, ut postea explicabimus. Et videtur quidem hujus scripti auctor sua verba non de qualibet Dei justitia accipi voluisse, cum supra proxime, bis cum demonstrativo pronomine eam nominaverit, inquiens, *Illa Dei justitia*, & hæc statim subjunxerit, legis justitiam posse & Dei justitiam appellari: sed interim, cur illa Dei justitia à legis justitia distincta, ita appelletur, quidve illa sit, fortasse non recte exposuit, ut paulo post videbimus.

54. *Propterea & Johannes.*) Johannes ibi non legis justitiam, sed legem ipsam à gratia & veritate diversam facit. Sed ponamus, legis nomine, legis justitiam vel significari vel contineri, non idcirco diversa erit Dei justitia à legis justitia, quia ab ea gratia & veritas sit diversa. Quid enim impedit, quominus ex gratia, id est benignitate, ac veritate, id est fidelitate, nempe Dei, per Christum præstita, fiat, ut legem servemus, & sic legis justitiam habeamus, quæ simul Dei justitia sit, proposita quidem antea populo per Mosen, sed sine auxilio isto ad eam obtinendam?

55. *Est autem illa propria hominum justitia.*) Quod hic non obscure Dei justitia hominum justitiæ opponitur, & legis justitia, hominum justitia appellatur, propterea quod natura quilibet eam cognoscere potest, non admodum repugno, si modo recte intelligatur. Verum apparet, hic justitiam non pro justificatione, ut tota disputatio postulat, sed pro vitæ sanctitate accipi. Significat quidem sæpe justitiæ nomen, apud Sacros Scriptores, vitæ sanctimoniam atque innocentiam, sed sæpe etiam justificationem declarat, id est, eam conditionem, ut sic dixerim, humanarum actionum, eamque divinam voluntatem, ex qua fiat, ut quis justus coram Deo ipso pronuncietur, seu pro justo habeatur: & in hunc sensum accipi hic debet justitiæ nomen, & porro accipitur in ipsis omnibus locis Pauli Apostoli, supra ab hujus scripti auctore allatis, præterquam fortasse in eorum postremo, Phil. 3. 6. Nihil enim impedit, quominus ibi quoque justificationem significet, hæcque sit Pauli sententia, se, quod attinet ad ea quæ lex requirit, ut quis justus pronunciari possit, fuisse inculpatum: quod tamen, ut plerique senserunt, non coram ipso Deo, sed coram hominibus, intelligendum esse indicat, quod paulo post ait, nempe v. 9. *Non habens meam justitiam, quæ est ex lege.* Nec enim verisimile est, eum suam justitiam vocaturum fuisse, si coram ipso Deo perfectissime Legem servasset, & ipsiusmet Dei judicio, secundum Legem ab ipso datam, inculpatus fuisset. Vide quæ annotavimus ad verba illa superioris paginæ, *Sed esto aliquem, &c.* circa finem, explicantes verba Pauli Rom. 10. 3. Cæterum, ut paulo ante dictum est, fateor, legis justitiam etiam perfectissimam, à quadam Dei justitia distingui, id quod probari videtur, ex modo commemorato loco, Phil. 3. 9, qui versiculus supra afferendus ab auctore hujus scripti fuerat potius, quam 6. & 7. Quanquam, ut diximus, non simpliciter justitiæ legis, sed suæ ex lege justitiæ, divinam justitiam opponit Apostolus; ubi ex ipsius Pauli verbis manifestum est, hanc justitiam eam esse, quæ per fidem Christi est: quæ quidem qualitate quadam, nova Dei justitia erat, id est, si Christi ipsius personam & doctrinam consideres, quo fides ista respicit, at substantia eadem cum vetere, sub ipsa lege, justitia. Nam sub lege quoque, ut ante dictum est, & scriptura, tam nova quam vetus, abunde testatur, fide homines justificabantur, id est, in Deum fiducia. Quanquam non ex aperto & universali ac perpetuo Dei cum ullo hominum genere percusso fœdere, quale sub Euangelio, cum omni humano genere percussum est: sed ex libera, id est, nullo adhuc fœdere ejusmodi adstricta Dei voluntate. Nam ex ipso fœdere, justificationis ratio, omnibus proposita, nulla alia erat, quam per legis conservationem; quæ sane communis & plane cum humano sensu con-

consentiens, justificandi ratio est. Humanus enim sensus omnino dictat, ut si quis velit justus pronunciari, & ea consequi, quæ justorum hominum sunt propria, legem sibi præscriptam perfecte conservet. Alioqui, qui in uno peccat, ut ait Jacobus, omnium factus est reus, id est, quod ad hoc attinet, ut à reatu sit immunis, nihil amplius habet, quam is, qui in omnibus sibi præscriptis peccavit. Atqui pugnant hæc inter se, reum esse, & justum esse. Merito igitur, quamvis Lex servanda, & sic ratio justificationis, per ipsius legis conservationem, à Deo proposita & constituta fuerit, unde justitia hæc divina appellari potest; tamen aliam ob causam, humana potius quam divina justitia videtur appellanda: & divina illa demum hac ratione inspecta, dicenda, quæ à Dei misericordia, præter id, quod sensus humanus omnino dictat, proficiscitur, qualis est justitia per Christi fidem, ubi omnibus præteritis, quantumvis magnis & multiplicibus peccatis ac sceleribus gratuito condonatis, mortis æternæ loco, quam commeriti sumus, vita æterna substituitur, nobisque liberalissime donatur. At scripti auctor ait, ideo humanam justitiam vocari, eam quæ est ex lege,

56. *Quia natura quilibet eam cognoscere potest, nemine docente, aut mandante, cum quilibet sciat non esse male faciendum. Non male facere autem*, inquit, *legis est justitia & charitas.* Ex his verbis apparet, hic justitiæ nomen, ut ante dixi, sanctitatem ac vitæ innocentiam significare; quæ significatio ad præsentem disputationem revera non pertinet. Sed præterea nullo pacto admitti potest, sanctitatem, quæ in lege jubetur, omnibus natura esse cognitam, nemine docente aut mandante. Refragatur enim huic sententiæ aperte Paulus Apostolus, in verbis illis, cap 7 epist. ad Rom. *Concupiscentiam non cognovissem, nisi Lex dixisset, non concupisces.* Ut pleraque alia taceam, quæ opinionem istam aut convellere, aut certe labefactare possunt. Nam, quod subjungitur quemlibet scire, non esse male faciendum, nullam vim habet, nisi simul quilibet sciat quid sit male facere; id quod non modo cuilibet, sed ne multis quidem, imo nulli natura dari, ita scilicet, ut nihil hac in parte ignoret, & ratio & experientia & denique testimonia non pauca, tam divina quam humana docent atque testantur. Ad hæc, quomodo quæso affirmare simpliciter quis potest, in lege juberi tantum ne male fiat, & hanc esse demum legis justitiam & charitatem, cum, ut cætera sileam, in lege diserte præceptum sit, ut proximum suum quisque sicut seipsum amet? Quocirca, quicquid super hoc fundamentum deinceps in hoc scripto ædificatum est, quod Lex, ne male fiat, tantum præcipit ac docet id omne ruinosum est prorsus, nec ulla ratione subsistere potest, ut nihil dicam, quanto offendiculo & plerisque Christiani nominis, & Judæis omnibus, vox ista, si audita fuerit, sit futura. Sed dicet aliquis, nusquam in hoc scripto simpliciter ac diserte dici, legem tantum præcipere ne male fiat, imo paulo inferius expresse additum esse adverbium *præcipue*, hoc pacto: *Hoc tantum præcipue requirit, ne male faciamus.* At ego dico, veritatis vim, adverbium illud, eo in loco, scriptori quodammodo extorsisse. Nam alioqui ad suas rationes recte concludendas, opus est illi simpliciter affirmare, legem, ut ne male fiat tantum cavere, & idcirco sententias illas indefinitas, apud eum de lege præcipiente, ne male fiat, universalium vim, ut indefinitarum sententiarum mos esse solet, habere, censendas esse; perinde ac si dictum foret omnia quæ Lex præcipit, eo pertinere, ne male fiat. Taceo, quod in ipso Euangelio, multo plura sint præcepta negantia, quam affirmantia. Unde videtur de ipso quoque dici posse, quod hoc tantum præcipue requirat, ne male faciamus. Nam ubi nihil fit, ibi boni quicquam non fieri, scripti hujus auctorem sentire patet ex iis, quæ scripta sunt ab eo infra. Denique non est ista vera, inter legis & Euangelii præcepta, differentia, quod illa præcipue tantum ne male faciamus requirunt, hæc vero præcipue, aut certe non minus, ut benefaciamus: Sed hæc, quod in his major & absolutior sanctitas & vitæ innocentia præscribitur, quam in illis. Et in Euangelio multa censentur esse mala, & prohibentur, quæ in lege, vel non mala, vel bona esse existimantur & conceduntur, aut etiam jubentur.

57. *Quod si illa legis esset Dei justitia.*) Cum justitiæ nomen, ut vidimus, in hoc scripto, & in hac quæstione, accipiatur pro sanctitate ac vitæ innocentia, quod hic dicitur, non recte conclusum videtur. Nihil enim prohibet, quin sanctitas & vitæ innocentia in lege præscripta, divina sit prorsus, & tamen peccata contra eam admissa, quibusdam ex Dei benignitate condonentur, licet in ipsa lege mors statuatur eis, qui contra eam peccent. Verum apparet scripti auctorem, ut alibi quoque vidimus, vocabuli æquivocatione decipi; quod enim hic concludit, recte conclusum est, si justitia pro justificatione accipiatur, modo simul etiam nomen Dei, quod additur, id est epitheton, *Divina*, in potiorem quendam accipiatur sensum. Certe enim, si justificatio, id est, ratio id consequendi, ut justi coram Deo habeamur, ab ipso Deo proposita, ea demum est, quæ in lege explicatur, nec alia apud Deum ipsum est potior, male agitur nobiscum, qui legem transgressi sumus; in ipsa enim lege, mors, vel certe maledictio, eam transgredientibus, constituitur, nec alia ratio justificationem consequendi in ea explicatur, nisi ut quis ipsam legem servet.

58. *Hoc enim adscribitur justitiæ divinæ, ut sontem justificet*, Rom: 3.) Loci, qui hic citantur, non omnes justitiæ Dei mentionem faciunt; & qui faciunt, debent, vel certe possunt de ea justitia Dei accipi, quæ in promissis, seu multo ante per Prophetas, seu per ipsum Christum factis, servandis, consistit. Unde nova æquivocatio emergit, si modo scriptor, in vocabulo justitiæ, ad quæstionem, quæ hic agitatur, de Dei & legis justitia, respexit. Nihil enim hæc justitiæ nominis significatio ad quæstionem istam. Præterea hic perspicuum est, justificandi verbum, sua vera significatione accipi, id est, justum pronunciandi. Cur igitur idem non ubique fit? Certe hoc cum iis, quæ superius dicta sunt, non sententia, sed verbo tantum convenit.

59. *Igitur ista justitia.*) Rursus hic in vocabulo justitiæ æquivocatio committi videtur. Cum enim dicatur, justitiam, quam Matth. 5 describit Christus, ex ejus verbis diversam esse constare à legis justitia, ad quæstionem, de qua agitur, sine dubio is locus accommodatur. Atqui ibi non de justitia, qua justificamur, id est, justi pronunciamur, cujus etiam proxime erat facta mentio, & cujus explicandæ causa, ipse locus allatus fuerat; sed de sanctitate ac vitæ innocentia manifestus est sermo. Adde, quod, si quis recte animadvertat, intelliget Christum in illis verbis, *Nisi abundaverit, &c.* Noluisse sanctitatem ac vitæ innocentiam divinam ei opponere, quæ à lege est præscripta, sed ei, qua præditi erant Scribæ & Pharisæi, ut ipsa verba satis aperte docent. Quare quamvis apud me nullum sit dubium, quin Christus mox in eodem sermone, vitæ innocentiam, quam Deus à nobis sub Euangelio requirit, illi opponat, quæ in lege præscribebatur, tamen verba ista ipsius eo accommodanda esse, nequaquam arbitror.

60. *Porro & Petrus nos hortatus est.*) Non hortatur, meo quidem judicio, Petrus eo in loco, ut divinam naturam participemus, sed ex divinis promissis in Euangelio nobis factis, colligit, consilium Dei esse, idque eventu comprobatum iri, ut divinæ naturæ participes efficiamur. Itaque non Dei imitationem in hac vita, sed beatam tantum immortalitatem, naturæ divinæ nomine, intelligere eum censeo. Nec satis cohærere videtur id, quod hic dicitur participare divinam naturam, nihil aliud esse, quam Deum imitari, cum eo, quod postea subjungitur, si Christum in quo Dei imaginem habemus, imitati fuerimus, nos consequutu-

futuros beatam immortalitatem, & hanc esse naturæ divinæ participationem.

61. *Desine à malo, & fac bonum.*) Si verum est, in his Psalmi verbis, aliud esse facere bonum, quam desinere à malo; certe satis constare videtur, in lege non minus præscriptum fuisse ut bona fiant, quam, ut ne fiant mala. Cum enim David ibi, si quis vitam & felicitatem consequi velit, requirat, ut ista faciat, videlicet, ut desinat seu declinet à malo, & faciat bonum; Moses autem Lege proponenda, affirmet, se vitam & felicitatem proposuisse; quis non videt necesse esse, ut in lege, non solum ut mala non fierent, sed etiam ut fierent bona, præscriptum fuisse?

62. *Quod in disputatione de justitia.*) Philosophi nullum medium statuunt inter virtutem & vitium, cum, ut hic dicitur, de justitia disputant; si quidem inter hanc virtutem, quæ est suum cuique tribuere, & ejus contrarium vitium, id est, injustitiam, nihil revera est medii, ita ut necesse sit quemlibet secundum hanc nominis justitiæ significationem, singulatim vel justum vel injustum esse: sed non propterea inter alias virtutes singulas, eisque contraria vitia, vel generatim inter virtutem & vitium nihil medii statuunt. Imo ex Philosophorum sententia, reprehenditur à quibusdam Horatius Poëta, qui dixerit, *Virtutem esse, vitium fugere.* Quanquam ab aliis defenditur, ut qui non senserit nihil aliud esse virtutem, nisi vitium fugere; sed tantum initium virtutis, seu primam ordine virtutem esse, vitium fugere, quemadmodum ejusdem verba ostendunt, quæ statim subjicit, inquiens, *Sapientiam primam esse, stultitia caruisse.* Et sane plane immerito tacite in sequentibus verbis hoc loco philosophis tribuitur, quod satis habeant, si quis nihil mali committat, quamvis alioqui interim otietur; cum eorum, communi hodie sententia, princeps Aristoteles, hominis felicitatem, in agendo secundum virtutem, ponat.

63. *Hujus intermedia.*) Non apparet, quo referri debeat pronomen, *hujus. Otium, ignavia, inutilitas.* Dum hyperbolas quodammodo auctor scripti sectatur, plerisque videbitur parum aut nihil ab aperta blasphemia (ut vocant) abesse. Et certe, aut ego vehementissime fallor, aut hujusmodi assertionibus, ut pote prophanissimis & offendiculi plenissimis, penitus est abstinendum. Quod non Mosis tantum gratia dico, cui tam turpis atque adeo scelesta, si verba ipsa spectentur, sententia tribuitur, sed mundi quoque causa, cui eadam attribuntur. Quandoquidem mundi appellatione hoc loco, non quidem improbi, aut mundanis cupiditatibus irretiti homines, sed Dei vera cognitione carentes, inter quos omnes Ethnici Philosophi sunt, sine dubio significantur.

64. *Ut ostenderet illius medii.*) Nusquam, ni fallor, neque in Epistola ad Romanos, neque in Epistola ad Gal. conatur Paulus ostendere, ideo legem ad nos justificandos esse inutilem, quod tantum jubeat, ne fiant mala: sed vel quia ceremonialia & judicialia præcepta, quibus partim ratio expiandi peccata, partim modus ita vivendi, ut justus quis pronunciari posset, non minima ex parte continebatur, jam abrogata esse censebat, & quia propter carnis nostræ infirmitatem, nequaquam contingere animadvertebat (id etiam ipsa scriptura testante), ut quisquam perfectissime per totam suam vitam legem servaret; id quod omnino necesse erat cuicunque per ipsam legem justificationem consequi volenti.

65. *Ideo adhuc servus est inutilis.*) Atqui Christus discipulos suos Lucæ 17 monuit, ut appellarent se servos inutiles, etiamsi fecissent omnia sibi præcepta: quæ sane sententia, quemadmodum & ex antecedentibus, & toto sermone liquet, non legis tantum præcepta, quæ rata videlicet adhuc futura essent, sed omnia (imo hæc præcipue) quæ Deus per ipsum Christum vel jam illis præcepisset, vel præcepturus esset, complecti, censenda est; id quod etiam ratio, quam Christus subjecit, abunde demonstrat. Inquit enim, eos ita debere de se loqui ac sentire, quia quicquid fecissent, facere debuissent, non autem quia tantummodo à malis faciendis abstinuissent, cæteroqui vero otiosi fuissent. Sed de illis apud Lucam Christi verbis latius infra.

66. *Apud hujus mundi sapientes.*) Fallacia est in voce mediocritatis, quam enim in pretio sapientes hujus mundi habent, ea est mediocritas simpliciter & absolute, id est, medium inter extrema, quod medium aliud nihil est, quam virtus, cum extrema sint vitia. Hanc vero mediocritatem illi etiam, qui secundum Deum & Christum sunt sapientissimi, in summo habent pretio, quamvis nomen ipsum mediocritatis, aut simile aliud, in eorum scriptis non inveniatur. Jam mediocritas, quæ hic vituperatur, non est simpliciter & absolute mediocritas, sed secundum quid, id est, ipsius virtutis aut vitii mediocritas, vel potius medium inter virtutem & vitium; quod genus mediocritatis nemo sapientum hujus mundi commendavit unquam.

67. *Qui Christianus est*) Imo ista ipsa dextra est illud medium, quod sapientes hujus mundi à beatis teneri dixerunt. Quid enim tritius Pythagoræ Litera, quam vocant? Ubi ex tanti hujus mundi sapientis sapientia, duæ viæ tantum ponuntur, una virtutis, dextra videlicet, quæ ducit ad felicitatem, altera vitii, sinistra, quæ ducit ad miseriam. Quod igitur medium est ratione duorum extremorum, id est virtus ratione duorum sibi adversantium vitiorum, id utriusque simul vitii ratione, seu virtus in genere, respectu vitii, alterum est extremum, id est dextra quædam via, cum vitium sit sinistra. Est igitur hic rursus manifesta æquivocatio, eaque in voce Medii, quæ vel ex eo apparet, quod dicitur, Christianum medio ire non posse; cum nullum sit medium, nempe quia medium hic accipitur pro media quadam via, inter dextram & sinistram, id est, eam, quæ ad vitam, & eam quæ ad mortem ducit. At in illa sententia, Medium tenuere beati, vox Medium accipitur pro eo, quod est inter duo extrema, quorum utrumque vitiosum est, ut inter prodigalitatem & avaritiam est liberalitas.

58. *Papistæ medium inter cælum & infernum.*) Ad rem facere hoc exemplum videretur, si ad hunc modum explicaretur: Cum purgatorium sit medius quidam locus, ut papistis placet, inter cœlum & infernum, & in hunc locum, ut pote illis convenientem, velint ab initio quosdam ex hac vita migrare, qui postea tamen in cœlum evolent; Hinc videtur concludi posse, secundum ipsos papistas, mediam quandam viam esse inter dextram & sinistram, sive inter bonam & malam, quæ tamen ad cœlum eos perducat, qui eam ingressuri fuerint. Sed hæc speciosa licet ratiocinatio, sophismate non careret. Cum via illa, qua secundum papistas non itur in cœlum, nisi per purgatorium, non differat revera ab ea, quæ recta in cœlum ducit; sed tantum is, qui in purgatorium prius, quam in cœlum migrare cogitur, pro suis peccatis, temporarias, quas hic (ut quidem papistæ volunt) debebat, pœnas non dederit, qui vero recta in cœlum migrat, dederit.

69. *Multa sibi talia media.*) Apertissima hic, & deinceps, est æquivocatio nova, in eadem voce Medium. Neque enim jam sumitur pro media vitæ via, seu pro mediocritate, ut præsens disputatio postulat, sed barbara quadam, vulgata tamen significatione, pro ipsa via simpliciter, ut cum vulgo dicitur, hoc est medium eundi ad cœlum. Nam quod mediocritatem hic non significet, ex eo est manifestum, quod postea dicitur, istos, qui sibi fingunt ista media, multa scelera committere. Præterea animadvertendum est, media ista non posse dici multa, pauca enim sunt omnino, ut etiam ex ipsorum expositione quadam, quæ postmodum subjungitur, intelligi potest.

70. *Sic igitur justis lex non est lata.*) Hæc Pauli sententia, quod justo lex non sit lata, non ita intelligenda est, quasi ad hominem justificandum, ejus conservatio

nihil præstare queat. Ex ipsis enim Apostoli verbis patet, ejus sententiam ad Euangelica ipsa præcepta pertinere, quorum conservationem ad nos justificandos nihil præstare posse, non dixerit unquam ipse scripti auctor, nisi sibi ipsi adversari velit. Pauli autem sententiam ad Euangelica præcepta pertinere, perspicue docent verba illa, quæ postmodum subjungit, *Et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.* Cum igitur Paulus Legem justo positam seu latam non esse dicit, nihil sibi vult aliud, quam ipsa nuda præcepta Dei ad justos non pertinere, sed ad injustos; quatenus enim Deus simpliciter jubet aliquid, non sane eorum qui id faciunt, sed eorum qui non faciunt ratione, id jubet. At vero, quatenus id, quod jubet, facientibus vitam ac felicitatem, quæ idem reipsa est quod justificatio, promittit, ejus decretum ad ipsos facientes seu justos, spectare quis non videt? Quanquam alia esse potest Pauli sententia, nempe divinæ legis minas (ex ipsius tamen Dei benignitate) non pertinere ad eos, qui sancte atque innocenter vivunt, licet aliquando labantur, & contra ipsam legem aliquid delinquant (quos scriptura justos appellare consuevit) sed ad eos qui aliquo scelere sunt obligati, quales ipse ibidem ferme enumerat. Vide Gal. 5. 22, 23.

71. *Igitur & Paulus plus tribuit.*) Locus ille Pauli Rom. 5. 7, non solum differentiam istam inter bonum & justum non probat, sed pro eodem utrumque accipi docet. Manifesta enim est Pauli sententia eo in loco, *Christum pro injustis mortuum esse, cum tamen vix ullus reperiatur, qui pro homine justo mori velit. Vix inquam, nam fortasse audeat quis mori pro viro bono.* Itaque quem prius justum nominaverat, bonum deinde vocat; alioqui non cohærerent illius verba, nec quicquam ad rem loqueretur. Nec quenquam hactenus aliter accipere Pauli verba ista animadverti. Erasmus sane, qui ex celebrioribus enarratoribus opus illud fere concinnavit, ad hunc modum verba ista in sua paraphrasi extulit: „ Atqui inter homines vix ullum reperias tam amicum, „ ut integri promeritique amici periculum sua morte „ redimat. Sed demus inveniri, qui pro bono amico „ fortassis mortem non recuset adire, &c.

72. *Sed inutilem.*) Scribendum est, seu esse inutilem, vel seu non esse utilem.

73. *Paulus qui fere aliud.*) Quæ Pauli sententia sit, in Epistolis ad Rom. & Galat. quod attinet ad justificationem ex lege, supra satis indicavimus. Porro, quæ scripta sunt in locis hic citatis ex Epistola ad Hebr. hoc tantum docent, per Christi sacerdotium, legale abrogatum fuisse, & tanto præstantius esse Christi sacerdotium, quam illud sit, quod ex legis Mosaicæ præscripto institutum fuit, quanto Christus præstantioris fœderis mediator est, quam illud quod in Mosaica Lege fuit sancitum. Cæterum ad probandam legis inutilitatem, aut inefficaciam in homine justificando, loca ista per se nihil momenti fortasse habent.

65. *Sed legis opera à justificatione excludi.*) Quomodo vero hoc intelligere potuit, cum paulo ante dictum sit, eos, qui divinam justitiam habent, legis justitia non destitui, id est, divinam justitiam, legis etiam justitiam complecti? Non igitur excludi, sed non satis esse legis opera, hic dicendum fuerat, vel alicubi supra diligentius explicandum, quid apud Paulum sit, justificari hominem sine legis operibus, id autem nihil aliud est, nisi justificari hominem sine totius legis perfecta obedientia.

76. *Si omnia feceritis.*) De hoc loco supra satis disputatum est, ut ostenderetur, Christi verba, ad ipsius Christi præcepta non minus, quam ad præcepta legis pertinere. Hic tamen addo: Rationem, quam suorum verborum Christus subjunxit, de qua ante quoque est dictum, ejusmodi esse, ut ad omnia divina præcepta pertineat. Quis enim negaverit, quicquid Deus præceperit, fieri à nobis debere, seu, nos teneri, ad ea omnia facienda, quæ Deus jusserit, quæcunque tandem illa fuerint. Jam ad hanc obligationem nostram, ex ipso Dei jussu, non autem ex qualitate rei jussæ proficiscentem, Christi verba referenda esse, demonstrat similitudo ab ipso allata, domini jubentis, ut servus arator, aut pastor, ex agro rediens, (postquam videlicet suum ejus diei munus jam absolverit) non quidem jam discumbat, sed paret ipsi cœnam, seseque præcingat, ut ipsi, donec comederit & biberit, ministret. Ubi videri fortasse alicui possit, servum istum, ultra ipsius debitum, domini jussu gravari; cum tamen revera nemo sanæ mentis negaverit, ex eo ipso, quod servus est, teneri eum, licet proprium suum munus eo die absolverit, & jam requiete, ac cibo indigeat, quæ jussit dominus facere. . Neque vero obstat, quominus Christi verba ad omnia Dei præcepta pertineant, quod alioqui is, qui omnia Christi præcepta servasset, damnaretur, cum scilicet alibi scriptum sit, servum inutilem conjiciendum esse in imas tenebras. Nam quid (rogo) ratio illa, quia quod debueramus facere, fecimus, &c, ad eum servum, qui nihil utilitatis domino suo attulit, sive ad ejusmodi inutilem servum, qualis fuerat iste, qui in imas tenebras conjici jubetur? Nunquid iste, quod debuerat facere, fecerat? Quomodo vero? Cum dominus ipse illi dicat, *Oportuit te, &c.* Præterea, an qui fecit quod debuerat, conjiciendus est in imas tenebras? Quid quæso absurdius? Nunquid Christus, Lucæ 17, dicere voluit, non satis esse, ut quis omnia, quæ in lege jubentur, faciat, ut tenebras illas imas vitet, ubi erit fletus, stridorque dentium (ut quidem necesse esset, si servi inutilis nomen idem ibi significaret, quod Matth. 25) & non potius, ut apertissimum est, monere, ne quicquam nobis à Deo præceptum facere detrectemus, neve postquam omnia præcepta fecerimus, nos ipsos efferamus? Abstinendum est omnino ab istis violentibus sacrorum verborum interpretationibus, nec propter unius vocabuli similitudinem, perversæ, nec sibi ipsis consentientes explanationes inducendæ, sed æquivocationes diligenter vitandæ, & ejusdem vocabuli diversæ significationes suis locis observandæ, quod cum in hoc scripto sæpe non fiat, magna inde doctrinæ, quæ in eo traditur, obscuratio oritur, & multa vere alioquin & præclare in eo dicta, falsitatis, & absurditatis suspecta redduntur. Simili autem ratione, responsum volo ad locum Joh. 15, quod ad servi nomen attinet (nam de vere inutili, ea jam dicta sunt, quæ ostendunt, quo sensu quis, & amicus simul, & servus inutilis vocari possit) quamvis enim servi nomen certo quodam sensu prolatum, ut illum scilicet significet, qui nihil amplius est quam servus, cum amici nomine non conveniat, tamen in alium sensum acceptum, ut videlicet eum declaret qui servit, & dominum agnoscit, non excluso interea, si quid amplius, ratione habita ad eum ipsum qui dominus ejus est, habere inveniatur, nihil vetat, quin idem ejusdem & servus sit & amicus. Hinc Apostoli Christi, qui ab eo non jam servi, sed amici ipsius sunt dicti, passim se servos Christi appellant, ut sunt revera. Nam & Christus, se dominum ipsorum revera esse ante dixerat, Joh. 13. Nec quicquam sane detestabilius, quam si quis Christianum hominem, quantumvis ipsi Christo carum, præcise atque absolute negaret, esse Christi servum. An non enim Christus est omnium dominus? Ad hæc, si nomen servi, Lucæ 17, Christi respectu, qui videlicet sit dominus, prolatum est, necesse est, ut is, qui præcipit illa omnia, sit idem Christus. Et sic apparet, scriptoris hujus interpretationem, & locorum in speciem dissidentium, conciliationem admitti non posse, Christum scilicet apud Lucam, nequaquam de præceptis à se datis loqui. Sin autem servi nomen, non ipsius Christi, sed Dei respectu est ibi enunciatum, nihil ista conciliatione est opus, cum apud Johannem Christus nullo pacto neget, suos Apostolos esse Dei servos. Mitto, quod apud Lucam Christus revera non ait suos discipulos fore servos inutiles, etiamsi ser-

servaverint omnia sibi præcepta, sed ita debere eos sese nominare, seu de sese ita sentire, ubi ad modestiam tutius servandam, & superbiam vitandam, nihil mirum est, hyperbolem aliquam subesse.

77. *Illud denique observa.*) Hæc observatio & coacta, & minus vera, & denique inutilis mihi videtur. Coacta quidem propterea, quod cum Deus statuerit operibus nostris, quæ hic bona in hoc scripto vocantur, vitæ æternæ præmium (quemadmodum scriptor ipse & fatetur, & contendit) jam agnoscit ea ut nostra. Quod si Deus ipse, ut nostra, ea agnoscit, nimis coacte, ob id quod Dei servi sumus, non nostra, sed Dei esse dicuntur. Jam dicitur præparasse illa Deus, ut in illis versaremur, non ob eam causam, quod ipse in nobis sit ea effecturus, sed quod decreverit, ut nos, si salvi esse velimus, ea faciamus. Minus vera porro isthæc observatio est. Nam si ex eo, quod Dei servi sumus, sequitur, opera Euangelica non nostra, sed ipsius Dei esse, ob hanc ipsam causam, multo magis legalia opera, non nostra, sed Dei erunt, cum sub lege multo magis servorum nomen nobis conveniat, quam sub Euangelio. Denique inutilis est observatio ista, quia, si bona opera non sunt nostra, sed Dei, hinc constare potest, non esse, cur propter ipsa à Deo quicquam speremus, contra id, quod supra scriptor ostendit, ac proxime constanter asseruit.

78. *Justificationem, quæ fit per Christi sanguinem*) Non in eo errant nostri homines, quod justificationem secundum literam, non autem spiritualiter intelligant, sed quod credant, in verbis istis, *per Christi sanguinem*, aut similibus, in hoc de justificatione nostra argumento, in Sacra Scriptura expressis, significari omnino causam (ut ipsi loquuntur) meritoriam, & mediam efficientem, idque proprie, cum tamen ejusmodi verbis, causa tamen, sine qua non (quam vocant) significetur, & Christi sanguinis interventus, in nobis justificandis, simpliciter declaretur.

IV.

FRAGMENTA de Justificatione.

De significationibus vocabuli Justificationis.

VOcabuli justificationis tres sunt significationes.

I. Justificare significat, justum, hoc est, probum & sanctum facere.

II. Absolvere à peccatis, & ab omni condemnatione, & talem pronunciare, qui nunquam peccaverit.

III Justum pronunciare, hoc est, talem, judicare, qui omnino non debeat condemnari: vel talem pronunciare ac si nunquam peccasset.

Prima significatio non pertinet ad hanc nostram disputationem, & vix in Sacris Literis invenitur. Vix dico, Quia unus est atque alter locus, ex quo videatur ea probari posse, cum tamen ex illis non probetur. Non pertinere eam significationem ad nostram disputationem, inde apparet, quod hic non quæritur, quomodo quis justus fiat, sed quid sit, cur ille justus habeatur.

Reliquæ duæ posteriores, habent multum inter se convenientiæ, ita ut in Christiano homine quodammodo confundantur. Potest enim quis pronunciari justus duplici modo: vel quia nihil omnino deliquerit, vel quia pro tali habetur, ac si nihil deliquisset. Secunda autem significatio magis est impropria in hac nostra quæstione, & per accidens vera. Quia scilicet fiat, ut is, qui absolvitur, justificetur etiam. Tertia autem est omnium verissima, & hujus quæstionis propria. Cui etiam ad amussim respondet verbum Hebraicum, quod ubique per verbum justificandi effertur. Est autem verbum hoc justificationis Juridicum, in quo jure nemo justus efficitur, sed pronunciatur. Apparet hoc ex verbo contrario, impium facere, hoc est pronunciare, Proverb. 17. 15. Esai. 5. 23. Est autem notandum, quod in ipsa lingua Latina hæc phrasis inveniatur, ut exempli causa, ille, facit eum bonum Poëtam, hoc est, prædicat: Fecit me stultum, hoc est, prædicavit me esse stultum.

Qua ratione nos justi coram Deo pronunciemur, & quomodo fiat, ut nobiscum ita, ut cum justis, agatur?

PRimum opus est, ut à peccatis nostris absolvamur. Nam quærere de prima justificationis nostræ causa, nihil hic est, necesse, cum omnes fateantur, & ratio ipsa fateri cogat, Deum, sicut omnium aliorum bonorum, sic etiam hujus esse primam causam. Verum opus est quærere de aliis causis, potissimum vero de præcipua præter primam, & sic de eo, quod semper debuerit esse in nobis, ut justi à Deo pronunciemur. Hoc autem est, & semper fuit, fides in ipsum Deum. Certum enim esse debet, quod sive sub Vetere, sive sub Novo Testamento illi omnes justificati fuerint, & justificentur, qui in ipsum Deum credunt, & sic statuendum est, quod attinet ad rei substantiam, nihil differre modum, quo justificati sunt veteres illi ab eo, quod nos justificamur, utrobique enim per fidem in Deum contingit justificatio.

Quare dicatur, Ante legem fidem non extitisse, & tamen per fidem etiam sub lege homines fuisse justificatos?

PAulus Gal. 3, videtur asserere fidem, hoc est, viam justificationis nostræ per fidem, non extitisse, durante lege, sed tum demum cum Christus advenit; quod propterea dicit, non quia etiam sub ipsa lege non contingeret justificatio per fidem, sed quia talis justificatio, & consequenter peccatorum condonatio ejusmodi, ut ea est, quæ post Christum extitit, in ipsa lege, ipsoque Vetere Fœdere, non continebatur. Imo neque etiam alibi expresse, atque in perpetuum ejusmodi peccatorum condonatio à Deo proposita ac promissa legitur. Videtur enim, quicquid ad talem Dei promissionem pertinet, & in Vetere Testamento scriptum legitur, pro illo quidem tempore spectare ad pœnarum, quæ jam populo propter peccata infligerentur ablationem, & ad exemtionem ipsius populi ex ejusmodi pœnis, non autem ad integram & perpetuam peccatorum condonationem; & ad hunc sensum sunt interpretanda præcipue loca, Deut. 30. Ezech. 18, & 33, & si qua sunt alia similia. Neque quicquam est, quod ad condonationem istam sub Vetere Testamento datam, magis pertineat, quam, multa quæ in Psalmis leguntur, præsertim vero in Psalmo 103. Verum animadvertendum est non posse ex verbis Davidis aperte colligi. Dei promissum, ea de re populo factum & promulgatum, sed tantum, quid merito de ipsius Dei clementia ac benignitate erga eos, qui illum timent, sperari possit, seu sperandum omnino sit. Additur enim ibi, recordatur quia pulvis sumus. Hæc scilicet est causa, quare sperari possit, Deum peccata ignoturum se timentibus, non autem quia promiserit.

Quod vero sub lege homines justificarentur per fidem, præter testimonia & rationes supra allatas, illud maxime probat, quod alioqui vix fuisset inventus quisquam, qui justificaretur, justusque à Deo pronunciaretur. Cum lex, quæ fuerat populo proposita, ejusmodi esset, ut dici possit, impossibile fuisse, ut eam homo servaret. Tametsi hoc non ita intelligendum est, ut prorsus ac penitus impossibile fuerit. Alioquin enim

Deus, per summum scelus injustitiæ & insipientiæ accusaretur, qui jussisset ab homine id fieri, quod nulla prorsus ratione ab eo fieri posset. Ratio vero hujusce rei, quam conclusimus, & ipsius rationis, quam ad eam concludendam attulimus, hæc est, quod exclusa via justificandi per legem, necesse est ad viam justificandi per fidem devenire. Cum inter hæc duo, seu præter illa, nihil sit tertium, quod ad justificationem hominis ullo pacto pertinere possit. Animadvertendum est autem id, quod antea diximus. Quod justificatio per ipsam legem, requirit omnino perfectam ejus & integerrimam, per totam vitam conservationem. Nam alioquin fieri possit, ut quis possit dici legem servare, etiamsi aliqua in re, quæ ad legis præcepta pertineat, interdum labatur. Imo non modo potest hoc fieri, sed ab iis, qui sub ipso Vetere Testamento justi à Deo sunt pronunciati, quanquam non omnino ab omnibus, tamen à plerisque id factum fuisse, & per se verisimile est, & ipsis sacris testimoniis consentaneum. Sed interim isti non per ipsam legem, sed per fidem sunt servati, quatenus Dei præcepta servantes, quamvis interdum laberentur, plane ostendebant, idque reipsa præstabant, se Deo confidere.

Obedientiam requiri ad fidem, sic probatur.

Certum est ex Sacris Literis, requiri ad hoc, ut quis consequatur apud Deum remissionem peccatorum, & ita coram eo justificetur, ut de illo merito dici possit, quod pactum Dei servet, seu Dei mandata faciat, Psalm 103. Non irascitur in perpetuum iis, qui servant ejus mandata. Ex quo consequitur, quod cum ex testimoniis Sacrarum Literarum aperte constet, per fidem sub ipso Vetere Testamento homines justificatos fuisse, fide ista comprehendi conservationem divini pacti, seu mandatorum Dei. Alioquin enim pugnarent ista inter se, quod quis per fidem justificaretur, & tamen necessario ad justificationem requireretur, ut quis Dei pactum servaret, ejusque præcepta custodiret.

Utrum ista fides, qua veteres justificabantur, continuerit in se aliquomodo fidem in Christum? Hoc est, utrum, quemadmodum vulgo creditur, illi propterea justificati fuerint, quia & crederent Christum in mundum venturum, & in eum sperarent?

Resp. Nec revelatum vel indicatum fuit unquam in Sacris Literis, nec jussi sunt usquam illi veteres, ne dum aliud, sed neque etiam credere Christum venturum. Nam nec invenietur, quod Deus in fœdere, quod cum populo suo sancivit, adventum istum futurum Christi promiserit, aut ulla alia ratione universo populo id per Mosen ita patefecerit, ut aperte ab ipso populo intelligeretur. Quod vero apud Mosen scriptum, vel à Mose populo, Dei nomine promulgatum non invenitur, id universum populum, & singulos ex populo, prorsus ac penitus obligare nullo modo potuit.

Necesse est illum, qui Deo vult confidere, credere etiam dictis ejus. Deus autem promisit & dixit venturum Messiam. Ergo oportuit eum, qui se Deo confidere voluit, etiam credere Messiam venturum.

Resp. I. Non est verum, Deo confidere eum non posse, qui certis dictis Dei non credat. Fieri enim potest, ut causas habeat, vel saltem habere sibi videatur, quare certa dicta, quæ Dei esse creduntur, pro divinis non habeat. Nec ideo non credit, quia credere dictis Dei nolit: sed quia de illis dubitat, vel etiam falsa esse existimat. Non potest enim fieri, ut aliquis credat Deum aliquid dixisse, & tamen eidem credere nolit. Alia est ratio obedientiæ. In hac requiritur actus, qui, quia homini est gravissimus, ideo potest fieri, ut credat Deum aliquid dixisse, & tamen non obediat. Imo potest fieri, ut non obediat, & tamen non nolit, imo conqueratur de se, qui non obediat. Non potest autem quis statuere se, antequam ad actum perveniat, nolle Deo obedire, nisi sit deploratissimus & perditissimus.

II. Nego populo in universum, & semper promissum fuisse Messiam. Potuerunt omnes hoc scire, sed tamen non omnibus hoc fuit promissum. Quæ enim extra fœderis promissa sunt, ea non ad omnes pertinent. Quæ autem à Prophetis dicuntur, non vere sunt ex lege. Hinc Judæorum magna pars Charaim dicti, Prophetas rejiciunt. Multa poterant dici à Prophetis, quæ non opus erat populum credere.

Quid sit, sub Euangelio non ex operibus, sed ex fide justificari?

Hinc jam patere potest, quid sit illud, quod non per opera, sed per fidem justificemur. Nempe quod scriptura, cum affirmat, nos per opera non justificari, seu servari, non intelligit hoc tantum de operibus legis, quamvis Paulus ita videatur loqui, ut operum nomine, in hac sua sententia, opera legis intelligat. Unde etiam factum est, ut non pauci intellexerint, operum nomine, in prædicta sententia, sive enunciatione, intelligenda opera ceremonialia legis, non etiam moralia. Crediderunt enim ipsam vocem legis à Paulo additam fuisse, ut ipsa opera moralia in lege contenta excluderet, quippe, quæ non proprie atque absolute possent dici opera legis, cum etiam sine lege, si non omnia, maxima tamen ex parte, ab ipsa ratione dictari videantur. Id quod non contingit in operibus ceremonialibus. Ea enim non ratione ulla, nisi quod Deus ita jubet, & solo legis præscripto nituntur. Sic, inquam, isti existimarunt, sed falsi sunt, quia totius rei vim minime animadverterunt, nec perfecte Apostoli scopum sunt assecuti, qui non propterea legis mentionem facit, quod de operibus tantum in ipsa lege, lege inquam Mosis contentis loquatur, sed quia res illi erat cum Judæis, qui per legis opera justificari volebant, cum quibus disputans, interim ita loquitur, ut appareat ipsum absolute intelligere per ipsa opera, quæcunque illa tandem sint, si, ut opera considerentur, neminem justificari. Quod tamen non eam vim habet, ut à causa justificationis nostræ, omnino quæcunque opera, & quocunque modo considerata, excludere velit: sed sensus ipsius est, ut indicavimus, „ Nulla esse opera, quæ tanti sint, ut propter ipsorum „ meritum justificari possimus. Quando scilicet nemo „ est, qui perfectissime atque integerrime per totam vi- „ tam ea opera faciat, quæ sive sub Vetere sive sub No- „ vo Testamento præscripta sunt, id quod tamen om- „ nino requiritur, sive requireretur ad hoc, ut per ipsa „ opera, tanquam, ejus rei aliquo modo meritoria, „ justificatio contingeret. Diximus autem, aliquo modo meritoria, ut ab ipsis operibus excludamus, non modo absolutum & maxime proprium meritum, quod oritur ex ipsa operum præstantia per se considerata, sed etiam illud, quod minus proprie & respective meritum est, quippe, quod non ex ipsa per se operum præstantia, sed ex solo Dei promisso oritur ac proficiscitur, adeo, ut nemo neque per illud, neque per hoc meritum suorum operum, justificationem & absolutionem à peccatis suis adipiscatur. Ubi considerandum interea est, quod nihilominus merito dici potest, & verissimum est, dari obedientiam, quæ possit dici causa justi-

justificationis nostræ propter Dei promissum, nec tamen dicendum sit, operum merito tunc justificationem nobis concedi, quippe quod obedientia ista sub ipso Novo Testamento, si omnia præcepta in ea nobis data considerentur, non possit dici perfecta. quamvis Deus pro sua bonitate velit, si ea præditi fuerimus, nos justificatos pronunciare.

Jam quod Paulus generatim intelligat, opera ipsa per se & propter meritum suum, quæcunque illa tandem sint, non esse causam justificationis nostræ, liquido videtur apparere ex iis, quæ disputat in initio cap. 4. Epist. ad Rom. ubi negat simpliciter atque absolute, Abrahamum, quem proponit exemplum omnium, qui justificantur, ex operibus apud Deum justificatum fuisse. Unde quia fortasse hoc durum quibusdam videbatur, addita est in plerisque Latinis exemplaribus vox legis, ad hunc modum, *Si enim Abraham ex operibus legis justificatus est, &c.* Quod tamen perperam additum fuisse, vel ex eo apparet, quod Abrahami tempore nondum lex erat. Lex inquam Mosaica, de qua sine dubio sunt accipienda Pauli verba, cum alibi negat, ex operibus legis quenquam justificari. Subjicit autem Paulus ea verba, quæ manifeste doceant, illum non modo de legis operibus, sed de omnibus aliis velle sua verba accipi. Inquit enim, *At operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, at non operanti, credenti autem in justificantem impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Ex quibus verbis constat, illum generaliter negare, ex operibus quenquam justificari. Sed illud tantum est animadvertendum, quod ex iisdem verbis apparet, eum operum, seu operandi nomine, intelligere perfectam operum sibi præscriptorum conservationem. Constat inquam ex eo, quod dicat illum, qui justificatur, nihil operari, quod tamen falsissimum est, cum illud tantum sit verum, quod is, qui justificatur, etiamsi multum sine dubio operetur, & plus quam quisquam alius, tamen non omnia & singula prorsus sibi præscripta opera facit.

Quatenus igitur fides operibus opponitur, cum jam statutum sit, opera in hac disputatione intelligi perfectam conservationem mandatorum Dei, necesse est, ut perfectio ista, minime ad fidem, qua justificamur, formandam requiratur. Imo ut fides, de qua agimus, perfectione ista careat. Nam alioqui, si ea istam perfectionem contineret, jam non per ipsam fidem, sed per opera justificaremur, aut certe non minus per opera, quam per fidem. Quod tamen diserte Paulus negat, & ita ut totum hoc melius intelligatur, subit explicare, quomodo igitur intelligendum sit, quod Jacobus ad finem cap. 2, suæ Epistolæ ait, nos non fide tantum, sed operibus etiam justificari. Quod & Pauli verbis & nostris plane adversari videtur. Solutio hujus dubii est facilis, si ea in memoriam revocentur, quæ paulo ante diximus. Cum enim Paulus negat ex operibus nos justificari, considerat opera tanquam meritoria, & sua ipsorum vi hominem justificantia, & consequenter ejusmodi, quibus si ad Dei præceptum examinentur, nihil prorsus desit; at Jacobus operum nomine eam obedientiam intelligit; sine qua Deus hominem sibi carum habere non vult, seu mavis opera ejusmodi, sine quibus dici nequeat, ulla ratione hominem Deo obedire, & interea, si illa adsint, quamvis homo, qui illa facit, dici nequeat perfectissime Deo obedire: tamen de eo alioquin merito affirmari possit, & ab ipsa scriptura soleat, eum Deo obedientem esse. Ex hac collatione, istorum duorum Pauli & Jacobi locorum, & sententiarum, manifestum est, quemadmodum ad justificationem nostram non requiritur necessario, perfecta obedientia mandatorum Dei, sic ad eandem justificationem omnino requiri, ut Dei mandata ita conservemus, ut merito dici possit, nos Deo obedientes esse, & propterea cum Paulus affirmat, nos per ipsam fidem justificari, fidem intelligere, qua obedientia ista contineatur, & vicissim apparet, satis esse, si obedientia nostra mandatorum Dei, ejusmodi fuerit, ut merito affirmari possit, nos fide, nempe in Christum, sive in Deum per Christum, esse præditos; hoc est, nos Christo, sive Deo per Christum, confidere. Hinc autem proficiscitur omnino, summa consolatio nostra, cum videmus, Deum summo jure nobiscum non agere, & cum cognoscimus lapsus ac fragilitates nostras, imperfectionesque multas, quæ in nobis sunt, quando illæ non possunt efficere, ut de nobis affirmari nequeat, quod Christo confidamus, non habere talem vim, ut justificationem nostram quicquam impediant. Tantum interim nobis curandum est, ut omnibus viribus conemur nihilominus, ne quicquam tale in nobis sit, alioqui nisi id conati fuerimus, jam non per fragilitatem nostram, sed per malitiam; non nobis invitis, sed consulto ac volentibus nobis ipsis, fieri statuetur, ut peccata ista & lapsus admittamus, unde consequetur, nos minime justos pronunciatum iri a Deo.

His ita expositis, apparet simul, recta atque indubitata salutis nostræ ratio. Quæ media est inter duo extrema, ad quorum alterutrum facile de nostra natura ducimur. Unum extremum est, si quis statuat, necesse esse ad justificationem & consequendam & conservandam, nunquam quicquam peccare, quod sane extremum, id est, sic statuere, plane vitiosum est ac falsum. Falsum, quia multis Sacrarum Literarum locis aperte adversatur. & cum ista ratione salutis nostræ pugnat, quam nos modo ex Sacris testimoniis depromptam exposuimus. Vitiosum autem & periculi plenum. Quia vel hominem ad desperationem facile adigit, cum agnoscit, quemadmodum revera omnibus contingere solet, se non perfecte Dei Christique mandata servare, vel eo impellit, ut quis credat se nihil peccare, nec unquam quicquam adversus Christi mandata delinquere, cum tamen & sæpius peccet, & multa faciat, quæ cum Christi mandatis pugnant; quod duplici ratione contingere potest: vel quia scilicet non sentiat se id facere, quod tamen facit, vel quia sibi ipsi miserrime imponens, non credat esse peccata, seu delicta adversus mandata Christi, ea, quæ tamen omnino sunt.

Alterum est extremum, quod vulgo receptum est, non sine summa animarum pernicie, videlicet, ad justificationem nostram nihil prorsus bona opera pertinere: nisi quatenus sunt ipsius justificationis effecta. Ubi, qui ita sentiunt, coguntur fidem, qua justificamur, ejusmodi intelligere; quæ quatenus ad substantiam suam, sive essentiam ac formam, bona opera non requirat, ex quo consequatur, ut quando certum est, per fidem nos justificari, omnino eveniat, ut isti censeant justificatum esse hominem, etiam antequam boni quicquam faciat, licet postea sit facturus. Quod adversatur totum Sacræ Scripturæ: quæ, ut alia taceam, aperte contestatur, sine pœnitentia non consistere, neque existere, peccatorum nostrorum remissionem. Cum & verissimum sit, & isti ipsi id agnoscant, & fateantur, justificationem nostram aliud nihil reipsa esse, quam remissionem peccatorum nostrorum.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, satis intelligi potest, etiamsi verissimum sit, quemadmodum scriptura apertissime testatur, nos per mortem Christi, perque sanguinis ejus fusionem servatos esse, nostraque peccata deleta fuisse, non tamen hoc ipsum credere, esse eam fidem in Christum, qua ut Sacræ Literæ docent, justificamur, id quod multi & olim putarunt, & hodie putant, adeoque firmiter credunt. Longe enim aliud est, istud credere, &, sub spe vitæ æternæ, ab ipso consequendæ, Christo obedire, quod necessario requiri ad justificationem nostram, antea à nobis & dictum & demonstratum est. Non incidissent autem isti in tantum errorem, si recte intellexissent, quid sit Christi sanguine peccata nostra deleta fuisse. Nam hoc ipsum recte intellectum, ut à nobis supra expositum fuit, nempe ut sit, Christum sanguinis sui fusione adeptum esse potestatem, nos à morte vindicandi, qua re, pecca-

torum

torum nostrorum perfecta atque integra remissio continetur, & simul sit, per eandem Christi sanguinis fusionem factum esse, ut Christo obediamus, atque ut Spiritus Sanctus loquitur, purgatam habeamus conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi; hoc inquam ita intellectum, & cum eo junctum, quod illa suprema Christi potestas, quæ salutis nostræ media causa est, non pertinet, nisi ad illos, qui ipsi Christo obtemperaverint, ut intelligitur ex eo, quod legitur Hebr. 5. 9, satis aperte unumquemque monet ac docet, nullo modo fieri posse, ut fides in Christum, qua justificamur, sit credere, quod per ipsius sanguinis fusionem deleta fuerint peccata nostra, sed formam atque essentiam fidei in Christum esse, ejus præceptis obedire.

Jam ex his omnibus potest apparere, quemadmodum in ipsa rei summa convenit modus justificationis sub Vetere Testamento, cum modo justificationis sub Novo, quatenus utrobique per fidem in Deum, illa contingit; sic in hac ipsa re, esse insignem aliquam inter utrumque Testamentum differentiam, nempe, quod sub Novo Testamento requiratur, ac necessarium sit, confidere Deo per Christum. Quod quatenus ad id attinet, quod diximus per Christum, sub Vetere Testamento, neque necessarium fuit, nec porro in quoquam fuisse ulla ratione dici potest. Continet enim hoc quod dicimus, *per Christum*, duo maximi momenti, quæ fine dubio sub Vetere Testamento non fuerunt. Nam cum dicimus, *sub Novo Testamento, oportere confidere Deo per Christum*, primum idem est, ac dicere, oportere nos non Deo tantum, sed etiam ipsi Christo confidere. Quemadmodum ipse Christus monet discipulos suos apud Johannem in ipso initio cap. 14. Deinde ex hoc alterum consequitur, quod debeamus non modo ea præcepta servare, quæ sub Vetere Testamento à Deo data sunt, neque per Christum fuerant abrogata, sed etiam præcepta omnia, quæ illis idem Christus addidit. Neutrum autem istorum, vel necessarium sub Vetere Testamento fuisse, vel etiam ab ullo factum esse, id evidentissime probat, quod Christus nondum extitisset, & sic multa prorsus præcepta legi illi, quæ sub Vetere Testamento lata fuerat, addidisset.

Quare fidei, quæ est assensus merus, tribuatur salus?

Est autem animadvertendum, quod non pauca sacra loca, possunt nobis occasionem præbere, non bene intelligendi, quid sit fides in Christum, qua justificamur, & existimandi, Pontificiorum sententiam esse veram, quæ habet, quod fides ista sit, adhibere assensum illis quæ à Deo dicuntur. Quanquam enim ipsi hoc ita intelligunt, ut adhibeatur assensus vel explicite, vel saltem implicite omnibus, quæ divinitus dicta aut scripta sunt, id quod non potest probari ex locis istis, de quibus loquimur: tamen ad confirmandam aliquo modo ipsorum sententiam, videntur pertinere, propterea quod ex illis colligitur, nos justificari, si aliquid credamus, quod à Deo dictum fuerit. Omittemus autem hic loqui, de celeberrimo illo loco ad Rom. 4. unde videtur probari, Abrahamum propterea justificatum fuisse, quia crediderit Deo, sibi Isaacum promittenti. Nam de loco isto uberrime à nobis est explicatum in disputatione de servatore. Quamvis & de illis; de quibus hic acturi sumus, aliquid est ibi dictum, sed plenius aliquanto de iis agi nunc poterit. Sumemus autem tanquam præcipuum locum; pro uno loco ponentes id, quod non semel tantum in Novo Testamento legatur, licet non iisdem verbis, quod scilicet, *Qui credit Jesum esse Christum Dei filium, is habet vitam æternam*, ut legitur apud Johannem in fine cap. 20. Nam certe istud credere, aliud nihil est, quam assentiri esse verum aliquid, quod Deus dixit, seu testatus est, quemadmodum & res ipsa aperte docet, & intelligitur ex eo, quod scriptum est apud eundem Johannem tum in Euangelio, tum etiam in prima Epistola, & in Epistola quidem cap. 5. vs. 10, ubi ait, *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in se. Qui non credit filio, mendacem facit Deum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus, de filio suo.* Hic aperte habetur, quod qui non credit in Filium Dei, non credit Deo, & quod Deus testificatus est, de filio suo. Id autem quod intelligit Apostolus Deum testatum esse de filio suo, fine dubio est, ejus filium, id est, Jesum Nazarænum esse Christum, quemadmodum ex pluribus aliis illius Epistolæ locis clarissimum est, ubi sæpius inculcatur, & ad id probandum videntur omnia dirigi, Jesum esse Christum. Considerandum est, quod attinet ad explicationem illius loci, Job. 20. quod propterea tribuitur isti credulitati, ut sic dixerim, seu fidei, si ita loqui velimus, quod Jesus sit Christus Filius Dei, vitæ æternæ adeptio, & consequenter justificatio nostra, ob eam causam, quod nemo id credere potest, quin ipsi Christo confidat, eique obediat. Nam cum Jesus, qui dicitur Christus, si illi confisi fuerimus, & obedierimus, promisit vitam æternam, nullo pacto fieri potest, ut credamus, eum istud vere dixisse, quin illi confidamus, eique obediamus. Atqui nemo credit unquam, Jesum esse revera Christum Dei Filium, quin simul persuasissimum habeat, eum & hoc, & quicquid unquam dixit, vere dixisse. Quod autem, si hoc nobis persuadeatur, non possit fieri, quin illi confidamus, eique obediamus, ex eo patet, quod fieri nequit, ut quis prudens sciens, vitam æternam aspernetur. Est enim vita æterna, omnium rerum quæ excogitari possunt desiderabilissima, atque ejusmodi, ut ipsa natura nos cogat, ad illam vehementissime cupiendam. Est igitur agnoscendum, quod Johannes tribuit causas id, quod revera pertinet ad effectum, id est, tribuere fidei, quod Jesus sit Christus, vitæ æternæ adeptionem, cum tamen revera, vitæ æternæ adeptio proficiscatur à fiducia, quam in Christo collocamus, & ab obedientia, quam ejus præceptis præstemus, quæ sunt effectus ejus fidei, quod Jesus sit Christus. Idem dicendum est de loco ad Rom. 10, ubi justitia, seu justificatio nostra, tribuitur fidei, quod Deus Christum excitaverit à morte, quod sine dubio res est, quam Deus per ipsius Christi Apostolos, per orbem terrarum publicavit, atque testatus est. Nam hic quoque causæ ab Apostolo tribuitur, quod est effectus. Credere enim, quod Deus Jesum à mortuis excitaverit, est causa, & quidem necessaria, si id vere & ex animo creditur, ipsi Deo per Christum confidendi atque obediendi, nempe, quia hoc similiter vere credi non potest, quin simul credatur esse vera ea, quæ per ipsum Christum à Deo nobis promissa sunt, si illi obediverimus, & consequenter ei confidatur, atque obediatur, quæ est vera & proxima causa, quatenus ad ea attinet, quæ in nobis esse debent, nostræ coram Deo justificationis, ut antea abunde explicatum fuit.

V.

DE FIDE ET OPERIBUS, quod attinet ad Justificationem nostram,

Ex Italicis Literis, ad clarissimum virum N. N.

Ad tuas quæstiones, etsi per ea, quæ antehac ad te scripsi, satis respondum mihi videtur, tamen conabor adhuc, quoad ejus per me fieri poterit, respondere. Sed prius oportet me repetere, quidnam hic nomine intelligam, fidei inquam Christi, qua justificamur, ac perpendere, num Christi fides

fides io tota hac disputatione non in unum tantum sensum accipiarur, oe forte in homonymian seu æquicationem incidamus. Et quanquam hoc satis commode fieri potuisset io responsione ad secundam quæstionem, tamen bene erit, ut id ante omnia fiat.

Dico igitur, fidem Christi, id est, quæ quoquo modo, quaotum ad præsentem disputationem pertinet, ad Christum respicit, duplicem habere significatiooem. Una est, cum significat credere, Jesum, esse Christum, Dei Filium, &c, atque hæc fides ad ipsius Christi personam & munus, proprie respicit: accessorie autem (ut loquuntur) & consequenter, ad ejus præcepta & promissa. Altera significatio est, cum significat confidere Christo, atque hæc fides ad ipsius Christi præcepta & promissa præcipue respicit: accessorie autem, & (ut sic dixerim) antecedenter, ad ejus personam atque munus. Ex his duabus oon quidem prior sed posterior (cujus rei rationem postea explicabo, cum ad secundam quæstionem respoodebo) ea Christi Fides revera mihi esse videtur, qua scriptura testatur nos justificari, id est coram Deo pro justis haberi, nobisque oostra peccata condonari, ita ut loco mortis peccati pœnæ, nobis donetur æterna vita. Hæc siquidem sola res est, quæ pro Dei misericordia, nos illi ad vitam æternam gratos efficit. Nempe Christo confidere, eique totum se rradere: id quod reipsa nibil aliud est, quam ejus præceptis obedire, spe futuræ immortalitatis, quemadmodum breviter explicat Paulus in Epistola ad Titum, circa finem secundi capitis. Itaque prior fides quam expusui, non est illa Christi Fides, qua revera justificamur, sed eam antecedit, quemadmodum postea dicemus, nec sine hac illa haberi putest. Ut etiam fieri nequit, ut civitas aliqua cuipiam regis legato pareat ac speret, si paruerit, se id accepturam, quod legatus iste, vi potestatis sibi à rege concessæ, iis qui paruerint, se daturum promisit, nisi credat, istum revera esse regium legatum, eumque ejusmodi potestate præditum; sic nemo Christo parere potest, immortalitatemque sperare, quam is vi potestatis sibi à Deo concessæ iis, qui paruerinr, se daturum promisit, oisi credat eum revera esse Christum Dei Filium, &c. Præterea. quicunque priore hac fide est præditus, altera carere non potest, cum fieri nequeat, ur quisquam ex animo credat, Jesum esse Christum Dei Filium, &c. ac consequenter sibi persuadeat, eum habere potestatem daodi viram æternam iis, qui ipsius præceptis obediverint, nec ramen obediat. Alioqui posset quis sua sponte prudens sciens vitam æternam aspernari, quod tamen fieri nullo modo potest. Hinc factum est, ut isti priori Fidei Christi, rametsi non ea est, qua revera justificamur, interdum salus nostra adscripta fuerit, ur Johan. 20. 31 & alibi. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, intelligi potest, me, cum una tecum affirmo, sine Christi Fide non posse quenquam vitam æternam adipisci, etsi utramque istam fidem inrelligo, non tamen utramque eadem ratione intelligere, nec ob eandem causam, nec utrique eodem modo salutem nostram attribuere: sed priori, quatenus præcedit, & secum necessario trahit posteriorum: posteriori vero, quatenus ea ipsa est revera, qua justificamur, & Deo ad vitam æternam grati efficimur. Nunc ad tuas quæstiones venio.

I. Prima quæstio est, hoc posito, quod sine fide vita æterna nemini possir contingere, qualis & quanta efficacia, sur pars causæ efficientis justificationis nostræ, per me operibus tribuatur, antecedentibus & subsequentibus fidem. quando (ais) ad vitam æternam consequendam nihil momenti ipsa babent. Hicque me mones, ut aperte loquar, & nimias subtilitates ne persequar. Qua in re id tibi in memoriam redigendum putavi, complures paralogismos atque sophismata, oec retegi, nec dissolvi posse sine magnis subtilitatibus, quæ nunquam sunt nimiæ, dum modo veritatem contineant, & ad rem omnino faciant.

Jam vero aperte ac distincte loquendo, Respondeo, me, quod ad opera attiner, quæ fidem antecedunt, nullam eis efficaciam ad vitam æternam justificandi tribuere. Néc sane poterat à me aliud responsum expectari, cum concedam sine Christi Fide oemini vitam æternam posse contingere. Quod tamen eatenus intelligi volo, quatenus sub Novo Testamento sumus, nobisque patefacere Deo est visum. De eo enim rempore, quo Testamentum Vetus viguit, deque Dei arcanis nihil loquor. Possunt quidem opera, quæ fidem præcedunt, quempiam aliqua ratione Deo gratum efficere: verum non satis sunt, ut quis æternam salutem consequatur, eaque ratione justificetur, & Deo sit gratus, quam hoc loco intelligimus. Ut evidenter colligitur ex his duobus locis cum antecedente historia coojunctis Act. 10. 34. & 15. 14. Porro, quod attiner ad opera, quæ Christi Fidem subsequuntur, si de vera & propria subsecutione loquimur, ita ut opera sint quiddam re ipsa à fide distinctum, hæc Christi Fides, in quæstione rua, nihil aliud erit, quam prior illa fides, hoc est, credere Jesum revera esse Christum Dei Filium, &c. opera vero erunt reipsa posterior illa fides, hoc est, ipsi Christo confidere. Quamobrem bæc opera, ex iis, quæ initio sunt dicta, efficaciam habebunt justificandi coram Deo ad vitam æternam, non quidem ur opera, sed ut fiducia, quæ per Christum in Deo collocetur, & quia Deus pro bonitate sua ita vult. Nihil autem absurdi est io eo, quod istis operihus, non autem fidei illi, quæ ipsa antecedit, justificatio ista ascribatur. Non enim propterea negatur, nos fide justificari, siquidem jam dictum est, & opera ista aliud nihil reipsa esse, quam fidem, id est fiduciam; & fidem illam, quæ eis re ipsa præcedit, non esse revera eam fidem, quæ nos Deo ad vitam æternam gratos efficit.

At vero si de quadam subsecutiooe loquimur, non vera nec propria, sed tantum, (ut loquuntur) per viam intellectus, ira ut opera à fide, re ipsa non distinguantur, tunc Christi Fides, quam opera subsequentur, aliud nihil erir, quam ipsi Christo confidere, quod sine dubio coram Deo justificaodi vim habet, & consequenrer opera ipsa justificanr, quateous executio sunt ac perfectio, & tanquam forma ipsius fidei: Quocirca divinitus à Jacobo dictum est Jacob 2. *Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum Isaac super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est.* Et sequitur *Et suppleta* (vel potius *impleta*) *est scriptura dicens*; Gen. 15, *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est.* Ac tandem fidem, quæ operibus carent, corpori spiritu carenti assimilat. Unde constat, opera oequaquam simpliciter esse fidei fructus ut vulgo creditur, sed fidei formæ perfectionem indere, & vitam (ut sic dixerim) tribuere. Itaque vides, quomodo & cur dicam, opera, quæ fidem subsequuntur, efficaciam habere justificandi coram ipso Deo, idque divinarum literarum testimonio. Quapropter, cum Paulus negat opera coram Deo justificare, ea coosiderat, non quidem ut executiooem ac perfectionem, & quasi formam fidei, id est fiduciæ, quæ in ipso Deo collocetur, per quam Deus hominem justificat, nec ut conjuncta cum bonitate ac promissis divinis, sed, quemadmodum ex ipsiusmet verbis liquet, ea per se ipsa considerat, atque ut facta, legis divinæ impleodæ causa: ex quo fieret, ut merces daretur non ex gratia, sed ex debito, ac propter vim ac digoitatem ipsorum operum. Nam si quis hac ratiooe coram Deo justificari velit, oportebit eum nunquam ne minimum quidem peccatum, coram ipso Deo committere. Haoc autem non esse rationem justificationis nostræ coram Deo, David (ioquit Paulus) satis ostendit, cum air, Rom. 4. Psal. 32, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Formalis igitur (ut ita loquar) justificatio nostra coram Deo fuit, & semper erit, propter carnis nostræ infirmitatem, remissio peccatorum nostrorum, oon autem

impletio

impletio divinæ legis, quod Paulus operari vocat. Veruntamen nulli reipsa conceditur remissio ista, nisi Deo confisus fuerit, seque ipsi regendum ac gubernandum tradiderit. Ex quo, quamvis antehac Dei præcepta aut contemneret, aut minime conservaret, vel etiam nondum perfecte conservet, tamen jure affirmari possit, jam eum Deo obedire. Atque hoc pacto fides, id est, Christo confidere, (qui enim in Christum credit, in ipsum Deum credit Joh. 12) & opera, id est obedientia præceptorum Christi, quæ, ut dictum est, executio ac perfectio, & tanquam forma est ipsius fidei, coram Deo nos justificant, seu potius, ut magis proprie, atque ut scriptura solet, loquamur, Deus per illa, ex illisve nos justificat, sive per illa ex illisve justificamur, & consequenter ex Dei gratia ac bonitate, plurimum valent ad vitam æternam consequendam. Atque hæc satis quo attinet ad primam quæstionem.

II. Secunda quæstio est, utrum censeam, cum scriptura jubet, ut in Christum, aut Christo, aut per Christum credamus, debere hic præcipue rationem haberi doctrinæ de operibus ac vitæ innocentia, cum (sic loqueris) prima ac præcipua pars doctrinæ Christi & Apostolorum sit fidem prædicare, id est, quod Jesus sit Messias, Dei Filius, &c, quemadmodum fecerunt Apostoli omnes, & Johannes ante ipsos, prius testificantes de Christi persona, deinde de peccatorum pœnitentia, ut apparet in actis Apostolorum, & primo cap. Euangelii Johannis. Itaque à me quæris, cur, cum Christi doctrina has duas partes habeat, ego velim credere in Christum idem esse, ac credere ejus doctrinæ ad opera spectanti, præsertim cum (inquis) vanum sit opera prædicare, nisi prius prædicetur fides, ex qua omnis operum præstantia ac dignitas pendet.

Respondeo, scripturam, cum jubet nos credere in Christum, id præcipue jubere velle, ut Christo confidamus, quod quid sit, supra expositum fuit. Hoc autem dico, quia modus ipse loquendi, *Credere in &c.* qui propter Hebræam linguam proprius scripturæ est, id declarat. Nam in eadem scriptura, ad eundem modum sperandi verbum construitur, id est, cum præpositione *In*, veluti Joh. 5. 45. 1 Tim. 4. 5, nec dubium est, quin hoc verbum ita constructum, significet spem quæ collocetur in, &c. Cum vero scriptura jubet nos Christo credere, id præcipue jubere vult, ut fidem ejus verbis adjungamus, id est credamus verum esse, quicquid ille dixerit. Quæ interpretatio nulla probatione indiget, cum apud ipsos etiam profanos scriptores, & in qualibet lingua, hæc sit significatio propria, verbi credendi ad hunc modum constructi. Nam quamvis non defuerint viri linguæ Hebraicæ peritissimi, ut Bucerus, & Stancarus, qui censuerint, idem prorsus in Sacris Literis significare, credere in Deum, quod credere Deo, ego tamen arbitror eos deceptos fuisse, deceptionisque causa aperte à me exposita fuit, in disputatione illa mea de Jesu Christo Servatore, in ipso ferme initio ejus partis, ubi explicatur, quidnam sit ea fides in Christum, qua justificamur. Postremo cum scriptura jubet, nos per Christum credere, dico, eam nihil aliud præcipue jubere velle, quam ut Deo confidamus, eidemve credamus ex ipsius Christi præscripto, aut si mavis, hac ratione, ut Christo confidamus, ejusve verbis fidem adhibeamus. Itaque nullus ex prædictis tribus loquendi modis, præcipue, aut per se ipsum, significat judicio meo, credere Jesum esse Messiam, &c. Id tamen significant, seu potius complectuntur accessorie, ut dicitur, & per accidens. Quatenus videlicet accidit, ut nemo possit Christo confidere, aut ejus verbis credere, nec per Christum Deo confidere, aut ejus verbis credere, nisi prius credat Jesum esse Messiam, &c. Intelligendum est autem hoc prius (si de eo loqui velimus quod semper eveniat) potius intellectus ratione, quam reipsa. Quandoquidem facile fieri potest, immo quotidie fit, ut uno & eodem tempore hæc tria existere incipiant, Credere Jesum esse Messiam, &, ejus verbis adhibere fidem, &, ipsi confidere. Ubi etiam animadvertendum est, quod pariter ratione intellectus prius Christi verbis adhibetur fides, deinde ei confiditur. Etenim ordo perpetuus, ratione intellectus harum trium rerum talis est: Primum credimus Jesum esse Messiam, &c. Ex quo oritur necessario fides, quam ejus verbis adhibemus, id est, ut dictum fuit, firma persuasio omnia esse vera, quæ ille dixit, cum videlicet fieri nequeat, ut Jesus sit Messias, &c, & tamen quidpiam non verum dicat. Postremo ex hac persuasione necessario consequitur, ut ei confidamus id est spe vitæ æternæ, quam ille sibi obedientibus promisit, ei obediamus. Non quidem eam ob caussam, quòd fieri nequeat, ut quis cujuspiam verba vera esse credat, nec tamen illi obediat, (siquidem, exempli caussa, fieri potest, ut quispiam amicum à vita Christiana retrahere conetur, inquiens alioqui fore, ut persecutionem experiatur, isque amicus hoc verum esse credat, non tamen à Christiana vita recedat) sed propterea quod ipsa æterna vita, quam Christus sibi obedientibus promisit, ejusmodi res est, quam nemo prudens sciens, aspernari ulla ratione queat, ut supra dictum est. Ex his autem intelligi potest, eam Christi doctrinæ partem, quæ præcipuè ejus personam respicit, posse quidem primam appellari, quatenus intellectus ratione, eam partem antecedit, quæ præcipue ejus præcepta respicit, atque promissa; sed non idcirco posse, aut debere vocari præcipuam. Verum præcipuam partem istam debere dici, quæ illam sequitur, ut habet dictum illud: Primum in intentione, ultimum in executione. Quocirca id quod affirmas vanum esse opera prædicare, nisi prius prædicetur fides, intelligens sine dubio fidei nomine, credere Jesum esse Messiam, &c, etiamsi verissimum esset, nihil tamen meæ sententiæ adversaretur, cum fieri omnino possit, immo plerunque fiat, ut, quod necessario præcedit, eo quod sequitur, minus præcipuum sit. Idque eo exemplo demonstratur, quod huic rei (ni fallor) valde accommodatum supra attulimus. Nemo enim negaverit, magis præcipuum esse regis legato parere, quam credere eum esse regis legatum, & tamen necesse est, ut hoc prius fiat quam illud. An non aperte constat, credere quod sit legatus regis, eo tendere, ut illi pareatur, idque ut finem sibi propositum habere, non autem contra? Ad eundem igitur modum, etiamsi necessarium foret, ut prædicatio, quod Jesus sit Messias, &c, antecederet prædicationem obedientiæ, quæ illi debetur, non idcirco sequeretur, credere quod Jesus sit Messias, &c obedientiâ, quæ illi debetur, magis præcipuum esse. Cum manifestum sit, illud hanc, tanquam finem sibi propositum habere, non autem contra. Nam quis est, qui non clare perspiciat, propterea nobis prædicari Jesum esse Messiam, &c, ut illi confidamus, eique obediamus? Testatur hoc universa Sacra Scriptura, quæ finem & complementum totius Christianæ religionis, charitatem esse statuit, quæ aliud nihil est, quam obedientia ista dicente Christo, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Inter plurimos autem locos id apertissime docet divina illa (ut sic loquar) Christianæ pietatis epitome, de qua ab initio mentionem feci, quæ est apud Paulum Tit. 2. 11. Ubi breviter habetur, quicquid Christus ejusque Apostoli, nos Dei nomine docuerunt, nihil esse aliud quam vitæ innocentiam cum spe beatæ immortalitatis conjunctam, quod idem est prorsus, ac Christo confidere ipsique obedire, inibique concluditur, in hunc eundem finem mortuum esse Christum, videlicet ut nos ab omni iniquitate liberaret, ac bonorum operum sectatores efficeret. At enim ais tu, ex fide omnem præstantiam & dignitatem operum pendere. Hoc, cum fidei nomine intelligas, credere quod Jesus sit Messias, &c, non potest tibi ullo pacto concedi, neque hoc usquam innuunt Sacræ Literæ. Ex fide quidem præstantia & dignitas operum pendet, si fidei nomine fiduciam intelligamus quæ in Christo collocetur, & in Deo per ipsum, & ratione

ratione intellectus hanc fiduciam ab ipsis operibus distinguamus, quemadmodum in responsione ad primam quæstionem dictum est. Quin immo res plane contra se habet ac tu affirmas. Siquidem, credere Jesum esse Messiam, &c, eatenus præstans res est ac digna, id est, Deo grata, quatenus cum ea fiducia in ipsum Jesum, perque illum in Deum conjuncta est, & ita cum ipsa conjuncta sunt opera, quæ, ut dictum fuit, executio sunt ac complementum, & quasi forma istius fiduciæ. Arbitror autem ea, quæ hactenus à me dicta sunt, satis esse ad demonstrandum, cur, cum de Christi fide verba fiunt, fiduciam potissimum intelligam, quæ in ipso Christo collocetur, id est reipsa obedientiam præceptorum ejus, sub spe eorum quæ promisit; atque affirmem, hanc fidem, esse illam Christi fidem, qua revera justificamur, non autem persuasionem illam, quod Jesus sit Messias, &c, quamvis & Johannes, & Apostoli in suis concionibus aperte de dignitate personæ Jesu verba fecerint, ac testati fuerint, Jesum esse Messiam, &c, quod tamen judicio meo non fecerunt (præsertim vero Johannes) ea ratione, qua tibi videtur; nihil tuam opinionem juvantibus iis testimoniis, quæ ad eam confirmandam indicasti, quæ plenioris explanationis ac responsionis non indigent; cum jam ostensum sit, aliud esse, rem quampiam esse præcipuam, quod illud est, de quo agimus, aliud vero primam in ordine, quod est, quicquid ex testimoniis istis de persuasione ista dici potest.

III. Tertia tua quæstio est. Cum Deus per gratiam peccatorem vocat, datque illi spiritum vivæ fidei, an iste, antequam quidquam operetur, possit coram ipso Deo esse justificatus. Nam, si (subjicis) hoc concessero, necesse erit, ut omnia istius opera a justificatione excludam, fatearque ea, ut vere (ais) sunt, nihil aliud esse quam justificationis sequelam, seu appendicem quandam. Hic autem petis, ut scribam, quidnam his operibus tribuam, & num ea, dignitate atque efficacia, paria fidei esse censeam, an vero ipsius fidei effecta.

Respondeo primum, me in Sacris Literis scriptum non invenire, Deum ex gratia sua peccatorem ita vocare, ut det illi vivæ Fidei Spiritum, aut certe non eo sensu dictum, quo tu sine dubio intelligis. Nisi enim vehementer erro, nihil dubitandum est, quin tu, per verba ista significare volueris, Deum generatim occulta & arcana quadam ratione, ab Euangelii prædicatione, aut quavis alia patefactione distincta, in eorum quorum ipse vult corda vivam fidem infundere, quæ efficiat, ut Euangelio credant. Hoc, inquam, non invenio. Sed invenio, Deum per verbum suum, omnes quibus id annunciatur, aut quavis alia ratione patefit, ad credendum Euangelio invitare, & consequenter neminem ex istis esse (generatim loquendo) qui credere nequeat. Quod nisi aliud esset, vel ex eo constare posset, quod ii, qui non credunt, ob hoc ipsum gravissime puniuntur, Matth. 10. 18. Nec tamen propterea non est fides Dei donum, quemadmodum non propterea ejus, qui ex mera liberalitate aliquid dat, donum censeri non debet, quia videlicet in potestate illius, cui dat, sit positum, id quod datur, nec ne accipere. Fides igitur est Dei donum, eo quod Deus iis, quibus per Euangelii patefactionem fidem offert, nihil prorsus debet, non autem, quia eam alia ratione in hominum corda infundat. Generatim autem mea verba accipi volo, deque ea fide, qua justificamur, haud sane ignorans, Deum nonnunquam singulari quadam ratione, aut solere, aut certe posse fidem donare, eamque in cujuspiam cor, quemadmodum ipsi visum fuerit, infundere, eundemque Deum, solere Spiritum suum donare, quo in nobis confirmetur, & in omnibus gravioribus periculis corroboretur fiducia, quam in Christo Jesu collocavimus, Ephes. 1. 13, 14. Quamobrem cum Deus hunc Spiritum donat, jam is, cui donatur, justificatus est coram ipso. Jam enim pœnitentiam iste suorum peccatorum egit, eaque correxit, idque operatus est, quod ei per tempus & occasiones licuit.

Alioqui nequaquam affirmari posset, eum in Christo fiduciam collocasse. Deinde dico, non posse vivam fidem eam nominari atque ejusmodi, qua peccator justificetur, quacunque tandem ratione eam adeptus fuerit, quæ operibus careat, id est pœnitentia & vitæ correctione. Quinetiam videtur fieri non posse, ut quis vivam fidem, nempe in Christum habeat, nisi prius aliquo pacto pœnitentiam suorum peccatorum egerit. Ut ex eo intelligi potest, quod Johannes, antequam quicquam de Christo diceret, pœnitentiam prædicavit, hacque ratione viam ad Christum stravit, quemadmodum aperte docent, Matthæus, Marcus, & Lucas. Nam quod ad Johannem Euangelistam attinet, prætermittit ipse in sua historia istam pœnitentiæ prædicationem, eamque prius fuisse tacite ponit, non secus atque alia multa ab aliis narrata. Adde, quod omnino videtur, Christum ipsum & Paulum ejus Apostolum prius pœnitentiam prædicasse, deinde fidem, ut ex his locis colligi potest, Marc. 1. 15. Act. 20. 21. Immo perspicuum est, primum omnium quod & Christus & Apostoli prædicarunt fuisse pœnitentiam, Matth. 4. 17. Marc. 6. 12. Illud certissimum est, nun omnia bona opera post justificationem esse, & tanquam ejus appendicem censenda. Quin potius bona opera, quatenus ipsa complementum sunt, & quasi forma fiduciæ, nec reipsa aliud censeri debent, quam ipsa in Deum fides, ea sunt quibus per Dei gratiam justificamur. Quod autem bona opera non modo appendix quædam justificationis non sint, sed ipsa sint ante justificationem, hinc apparet, quod justificatio nostra nihil aliud reipsa est, quam peccatorum deletio. Peccatorum autem deletionem antecedit pœnitentia, & ad Deum conversio, Act. 3. 19. Quæ pœnitentia atque conversio, manifeste nihil nisi correctio vitæ est, & bona opera malorum loco quæ prius fiebant. Ut nihil dicam, quod in loco proxime notato, quemadmodum & in compluribus aliis apparet, peccatorum deletionem & sic justificationem nostram, esse pœnitentiæ ac conversionis, ac consequenter bonorum operum effectum, Petro isthic dicente, *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Sequuntur quidem etiam bona opera justificationem nostram, sed non ut ipsius appendix quædam. Immo ipsa sunt, quæ conservant justificationem, atque ut continuetur efficiunt. Ea enim deficit, quotiescunque is qui justificatus erat, ad priora peccata revertitur, sic Deo volente, ut quemadmodum ipse bona opera facere est oblitus, ita similiter ejus bona opera oblivioni tradantur, Ezech. 33. 13. Estque istius conditio deterior, quam ante cum justificationem nondum fuerat adeptus, 2 Petr. 2. 20 &c. Jam igitur ex iis, quæ dixi, satis intelligere potes, quid ego bonis operibus tribuam, ejusmodi videlicet operibus, qualia fieri præcipit Jesus Christus, quæque sub spe æternæ vitæ, ut illi obediatur, fiunt, cum affirmaverim Deum per ipsa nos justificare, id est ea, propter Dei bonitatem ac misericordiam, causam esse, ut ipse Deus nobis peccata nostra ita condonet, ut vitam æternam largiatur. Sunt, inquam, hujus rei causa, quatenus quisquis ea facit, talem suorum peccatorum condonationem adipiscitur; qui autem ea non facit, si modo tempus & opportunitatem ea faciendi habeat (nec quisquam antequam ea faciat) ejusmodi peccatorum suorum condonationem minime adipiscatur. Potes etiam intelligere, quanti illa à me pro fide fiant, & num ea paria, dignitate atque efficacia, fidei esse statuam, an vero ut ejus effecta agnoscam, cum velim, fidem nempe eam, qua justificamur (de hac enim loquimur) nihil aliud esse, quam Christo confidere,

id quod executioni mandatur, suumque complementum & quasi formam suscipit, cum per spem vitæ æternæ ipsius Christi præceptis obedientia præstatur. Adeo ut inter justificantem fidem & bona opera nullam, nisi ratione intellectus, differentiam constituam, sicut & scriptura facit, interdum pro obedientia fidem usurpans, easque invicem permutans. Id quod Hieron. quoque Osorius inter alios animadvertit, & lib. 1. de justitia cœlesti, à fine folii 21, & deinceps, quosdam istius scripturæ usus locos collegit.

IV. Quartæ quæstionis locum habebit id, quod ais, te nescire, quid mihi velim, cum scribo, oportere potius de iis quærere, quæ in nobis esse debeant, quam de iis quæ extra nos. Inquis enim in nobis nihil præter condemnationis materiam inveniri posse, extra nos autem, omnes salutis nostræ causas, nisi fortasse persuasum habeam, in nobis aliquod liberum arbitrium esse, aut facultatem, operibus nostris ad cœlum perveniendi.

Ad hoc respondeo, meorum verborum sententiam, quemadmodum ex ipso loco colligi arbitror, ubi ea sunt scripta, hanc esse, quod cum de justificatione nostra disputetur & quæratur, unde ea proficiscatur, vis præcipua quæstionis, si hinc fructus aliquis percipiendus est, non circa illa versatur, quæ extra nos sunt, sed quæ in nobis, cum scilicet justificati sumus, ut scire possimus, quidnam necesse sit in nobis reperiri, si jure affirmare velimus, nos esse justificatos, & si id in nobis minime esse, forte cognoverimus, demus operam ut sit; alioqui falsi ac decepti esse deprehendemur. Nam quod ad illa attinet, quæ extra nos sunt, & tamen justificationis nostræ sunt causæ, quamvis & digniora & nobiliora, inque ipsa justificatione nostra magis præcipua iis, quæ sunt in nobis, non est cur de eis solliciti admodum simus, quatenus quærimus ut justificemur. Etenim aut ista sunt & erunt, sine ulla nostra cura atque industria, nec necesse est, ut prius in nobis certum aliquid sit; & quid opus est de eis esse solicitum? Aut nec sunt nec erunt sine cura nostra atque industria, & nisi prius in nobis certum aliquid sit, & sane opus est curare, ut istud in nobis habeamus. Et sic apparet tandem vestigationem nostram circa ea esse debere, quæ in nobis inveniantur, cum justificati sumus. Pro majore vero explicatione ac confirmatione eorum, quæ dicta sunt, dico, jam perspicuum esse, magis præcipuam in justificationis nostræ negotio quæstionem de operibus esse ac fide: quæ res in nobis, id est, intra nos sunt: & in quibus voluntas & actio nostra requiritur. Quocirca diligenter primum vestigare debemus, an revera res istæ, sive utraque, sive una tantum, & utra (si modo res diversæ sunt, ad nos justificandos pertineat, ac deinde quid sint, aut quales esse debeant, ne erremus, nobisque fortasse videamur, illas habere, cum tamen longe ab eis absimus. Quod enim ad misericordiam Dei attinet, Christique personam una cum iis omnibus, quæ idem Christus pro nobis fecit & facturus est, quamvis hæ sint veræ & præcipuæ causæ justificationis nostræ, tamen aut jam illarum sumus erimusve participes antequam intra nos certum aliquid sit, & sic supervacaneum est de illis cogitare, quatenus per eas justificari velimus. Aut illarum, nec jam sumus, nec futuri sumus participes, nisi prius intra nos certum aliquid sit; & sic de hoc curiose quærere debemus. Id autem inveniemus tandem nihil præter fidem & opera esse, aut utraque simul aut alterutrum, si modo, ut dixi, res sunt inter se diversæ. Nec quisquam est, qui neget, eum, qui vera ac viva fide sit præditus, quæ absque bonis operibus esse nequit; justificatum esse, seu potius per ipsam hanc fidem à Deo justificari. Non igitur absolute verum est, in nobis nihil præter condemnationis materiam esse posse, aut omnes justificationis nostræ causas extra nos esse positas, quandoquidem, ut dictum est, viva ac vera fide justificamur, & consequenter ab omni condemnatione liberamur, estque fides prædicta, causa (ut ajunt) sine qua non salutis nostræ, quæ quidem fide, sine dubio intra nos est. Sic enim, ut supra attigi, accipienda sunt verba illa mea *In nobis*, non autem ut significent idem, quod, *In potestate nostra*, quemadmodum fortasse tu ea acceperas, cum ego tamen semper hoc sensu ea extulerim, ut videlicet idem significent, quod *Intra nos*, idque non sine voluntate atque actione nostra. Quod si hæc voluntas atque actio nullo modo est libera, sed prorsus necessaria existit, adeo ut circa rem hanc, nihil sit in potestate nostra, oleum operamque (quod dicitur) ii perdunt, qui hisce de rebus loquuntur aut scribunt. Verum ego penitus mihi persuadeo, voluntatem istam atque actionem nostram, aliqua saltem ratione in nostra esse potestate, cum videam id in Sacris Literis, ubique passim apertissime testatum esse, & testimonia, quæ pro contraria sententia afferuntur, nullum pondus ad eam confirmandam mihi habere videantur: cumque aperte cognoscam, sublata prædicta potestate, si ea animadvertantur, quæ hinc necessario consequuntur, ipsam etiam religionem, & pietatem universam, sublatum iri, & funditus everti. Quod ita se habere aliquando fortasse, Deo adjutore, scripto edito demonstrabo. Nec sane, ut mihi videtur, ullo pacto absurdum est affirmare, in nobis aliquod liberum arbitrium esse, aut facultatem per opera nostra ad cœlum perveniendi, quamvis fortasse tibi hoc non modo maxime absurdum, sed horribilis etiam quædam blasphemia videatur; dummodo verba ista recte explicentur, atque intelligantur. Nihil enim prorsus dubito, quin Deus benignissimus velit, quemcumque, quantumvis perditum antea peccatorem, qui in posterum secundum Jesu Christi præcepta vivat, ad cœlum pervenire; nec similiter dubito, quin ita vivere & Christo Jesu obedire; generatim in eorum omnium potestate ac libertate sit positum, quibus ipse Deus, dignatus est eundem Christum, ejusque Euangelium patefacere.

VI.

THESES DE CAUSA & fundamento in ipso homine, ejus fidei in Deum, qua hominem justificari, Sacræ Literæ testantur.

I.

HOmo, quantumvis institutione aut consuetudine mala alioqui depravatus, si modo discrimen aliquod habeat recti pravique, id est, quædam recta esse judicet, quædam vero prava: idem necessario, sic ratione dictante, quæ recta esse censet, facienda, quæ autem prava, vitanda sentit, etiamsi hæc sibi profutura, illa vero obfutura esse existimet.

II.

Perfacile siquidem fit, ut homo, quod ipsemet rectum esse statuit, si id fecerit, sibi obfuturum esse opinetur, & contra, profuturum id, quod pravum esse ipsemet judicat. Neque enim homini naturaliter

raliter apparet, recta quæ sunt, eadem sibi bona esse, quæ vero prava, mala: idque sapientissimo Dei consilio, ut nimirum & virtuti & vitio, in homine possit, esse locus.

III.

Nam cum homini à natura fuerit insitum, ut quæ sibi bona esse putat, hæc appetat, ab iis vero abhorreat, quæ putat sibi esse mala: si quæcumque recta esse arbitratur, eadem sibi bona, quæcumque autem prava, eadem sibi mala esse, naturaliter statueret; idem semper ac necessario ab iis, quæ prava censet, abstineret, atque ea faceret, quæ recta esse judicat; appetitu videlicet, ac ratione ad eadem perpetuo consentientibus. Atqui, ubi nulla appetitus & rationis pugna est, nec unquam fuit, ibi nullus locus nec vitio, nec virtuti esse potest.

IV.

Hac pugna igitur in homine existente, in ipsius hominis arbitrio positum est, utri parere malit, appetitui, aut rationi, id est, utrum malit recta facere & à pravis abstinere, quantumvis hoc sibi obfuturum existimet, an vero ea facere, quæ sibi profutura arbitratur, etiamsi non facienda esse ipsemet censeat.

V.

Jam vero, qui rationi adhærere constituit, is facile adducitur, ut ex animo credat, esse Deum, seu quendam summum omnium rerum Dominum & moderatorem, eumque recta sectantes, & prava vitantes remunerari. Qui autem appetitu ducitur, is hoc idem, vel nullo modo, vel leviter admodum sibi persuadere potest: quippe quod suo instituto adversetur, quemadmodum alterius favet.

VI.

Ex hac porro firma persuasione, quod Deus sit, id est, quidam summus omnium rerum Dominus & moderator, quodque is recta sectantes & prava vitantes remuneretur, necessario, præter voluntatem egregiam recta faciendi & prava vitandi, ipse effectus consequitur; & quia Deus recta fieri, prava autem vitari jubet, idque ut agnoscant efficit, quibuscumque sua præcepta dederit, atque insuper unusquisque per se agnoscit, rectum esse Deo obedire, & pravum non obedire; idcirco necesse est, ut qui ita ut diximus, persuasus fuerit, is à Deo sibi data præcepta faciat eique obediat.

VII.

Quoniam vero persuasione ista & obedientia, ea fides in Deum continetur, qua Sacræ Literæ, hominem coram Deo justificari testantur, jam satis ex prædictis constare potest, quænam in ipso homine hujus fidei sit causa & fundamentum, nempe recta faciendi & prava vitandi amor ac studium.

VIII.

Potest autem amor iste atque studium, vel jam adesse, antequam homo de Deo ejusque sibi datis præceptis quidquam audiat, vel per ipsam auditionem excitari. Quod si neutrum contingat, nunquam fides in Deum, de qua loquimur, existere in hominibus poterit.



ELENCHI
SOPHISTICI


a

FAUSTO SOCINO SENENSI
in gratiam amicorum explicati, &
exemplis Theologicis
illuſtrati.

Explicatio duplex eſt: altera brevior, altera fuſior: quam poſteriorem auctor ſine ſcripto amicis dictavit: verum nec abſolvit, nec recognovit.



IRENOPOLI
Poſt annum Domini 1656.



ELENCHORUM SOPHISTICORUM

Explicatio brevior.

FAllaciæ in argumentis ad aliquid evincendum extructis, ad tredecim capita ex mente Aristotelis rediguntur: quorum sex ad ipsa verba, seu dictionem pertinent; septem vero ad rem, quæ in ipsis verbis seu dictione continetur.

Primum caput earum fallaciarum, quæ ad ipsa verba pertinent, *Æquivocatio* (Græce ὁμωνυμία) vocatur. Hoc autem fallaciæ genus tum committitur, *cum vel verbum aliquod in oratione positum, vel ipsa oratio per se plures una significationes habet, eo quod una, pluresve in ea locutiones sint, quæ non unam tantum significationem habeant.* Exemplum de verbo aliquo sit, si quis ita argumentetur:

Is, per quem mundus sit factus, necesse est, ut extiterit ante creationem cœli & terræ.
Per Christum mundus est factus.
Ergo Christus extitit ante creatum cœlum & terram.

Vox *mundus* non modo præsentem hunc mundum, sed futurum etiam significat. In propositione in priorem sensum, in assumptione vero in posteriorem accipitur vox ista.

Exemplum porro in locutione aliqua hujusmodi erit:

Qui ad dextram alicujus perpetuo sedet, is perpetuo ibi est, ubi est ille.
Christus perpetuo ad dextram Dei sedet.
Ergo perpetuo ibi est, ubi est Deus.

In propositione *sedere ad dextram* sumitur proprie, in assumptione vero metaphorice.

Secunda istarum fallaciarum appellatur *Amphibolia*, quæ non ex varia verbi, seu locutionis significatione, *sed ex orationis constructione ambigua proficiscitur.* Ut si quis ita argumentetur:

Certum est, vincere Diabolum verum Christianum.
Sed qui alium vincit, illo validior est.
Ergo Diabolus validior est vero Christiano.

Prima enunciatio si admittenda est, debet habere pro suo nomine agente, ut Grammatici loquuntur, *Verum Christianum*, pro patiente vero *Diabolum.* At ex conclusione apparet, ita argumentantem, *Diabolum* pro agente, & *verum Christianum* pro patiente nomine accipere, in enunciatione ista, quæ ad hunc modum accepta, falsa est.

Tertia ex hoc fallaciarum numero, vocatur *fallacia accentus*, quæ tunc committitur, *cum verbum seu oratio, pro diverso accentu, quo proferri potest, diversam significationem habet.* Ut si quis ita ratiocinetur:

Qui venit, nondum adest.
Christus venit.
Ergo nondum adest, id est, nondum illum habuimus.

Nam verbum *venit*, si propositio vera est, priore syllaba brevi proferri debet, ut scilicet sit præsentis temporis. Atqui verbum istud in assumptione, si ea similiter vera esse debet, proferenda est priore syllaba longa, ut sit temporis præteriti. *Orationis diversus accentus est, cum*, verbi gratia, *quod interrogando profertur, accipitur ac si affirmando prolatum fuisset, vel contra.* Exemplum esto in illis discipulorum Johannis Baptistæ ad Christum, nomine ipsius Johannis, verbis Mat. 11. 3. *Tu is es, qui venturus est*; quæ ita accepta, ut vulgo fit, quasi per interrogationem fuerint prolata, indicare videntur, ipsum Johannem nondum certo scivisse, an Jesus esset Christus. Sed si per affirmationem prolata esse censeantur, contrarium plane ex ipsis colligitur. *Potest etiam Ironica loquutio pro seria accepta, vel contra ad hanc fallaciam pertinere.*

Quarta fallaciarum hujus generis nomen habet *Figuræ dictionis, in quam tunc inciditur, cum propter similem loquendi modum, sensus, qui quibusdam verbis subest, quibusdam aliis, quibus non subest, aliqua ratione accommodatur.* Ut si quis ita concludat:

Quicunque rem aliquam facit, ejus rei est auctor.
Ergo qui jacturam facit, ejus jacturæ est auctor.

Hic enim huic locutioni, *facere jacturam*, tribuitur activa significatio, qualis est, verbi gratia, locutionis *facere injuriam*, cum tamen locutio ista passivam tantum significationem habeat. *Est etiam huic fallaciæ locus, quando propter terminationis similitudinem, vel masculinum nomen pro fœmmino, aut contra; vel verbum deponens pro passivo, id est, significatione passiva accipitur; vel etiam quod quantitatis, seu substantiæ est, qualitatis esse creditur, aut contra: ac breviter, quando ab uno prædicamento ad aliud fit transitus.* Ut exempli gratia, si quis ad hunc modum ratiocinetur:

Quem populum Moses ex Ægypto eduxit, eundem Josue in terram Chanaän introduxit.
Sed Moses eduxit populum Lege Dei adhuc carentem.
Ergo Josue introduxit populum Lege Dei adhuc carentem.

Hic enim à prædicamento substantiæ transit argumentum ad prædicamentum qualitatis, & vox, *quem*, in propositione posita, ita accipitur, ac si dictum fuisset *qualem.*

Quinta fallacia appellatur *Compositionis, cum scilicet ea in oratione interpretanda componuntur, quæ dividenda sunt.* Quod faciunt fortasse illi, qui verba Christi ad latronem Luc. 23. 43, *Dico tibi hodie mecum eris in Paradiso*, ita interpretantur, ut Christum faciant dicentem, latronem illum eo die futurum cum ipso in Paradiso. Componunt enim vocem *hodie* cum vocibus *mecum eris*, quæ videtur debere ab illis dividi, & conjungi cum vocibus *dico tibi.*

Sexta fallacia dicitur *Divisionis. Hic* enim *contra ea dividuntur, quæ componenda sunt*: ut Matthias Glirius (jocone an serio) fecit, cum alicubi sua manu scripsit probari ex ipsius Johannis Apostoli verbis disertis, Jesum non esse Christum, 1 Epist. 2. 22, ubi scilicet diserte scriptum est, Jesus non est Christus. Sic enim ibi legitur: *Quis est mendax, nisi is qui negat, quoniam Jesus non est Christus.* Itaque homo impius, tanta in re fortasse ludens, dividebat à præcedentibus verbis, quibuscum omnino conjungi debent, verba illa, *quoniam Jesus non est Christus.*

Committi autem potest & hæc & superior fallacia ibi etiam, ubi sensui diviso & composito (ut loquuntur) *est locus*; ut si quis dicat: *sedens ambulare potest.* Hæc enim enunciatio, si ita accipiatur, ut quis dum sedet, seu seden-

ſedendo, poſſit ambulare, & ſic vox *ſedens*, componatur cum verbo *ambulare*, falſa omnino erit. Sin vero ita, ut intelligatur, eum qui ſedet, poſſe ambulare, non tamen dum ſedet; ſed nimirum poſſe eum deſinere ſedere, & ambulare: & ſic vox *ſedens* dividatur à verbo *ambulare*, vera ſine dubio erit enunciatio iſta.

Jam vero fallaciarum, quæ in re ipſa, & extra dictionem conſiſtunt, prima eſto illa, quæ *Accidentis* vocatur. *Ea* autem *committitur, cum illud, quod reſpectu ejus, de quo agitur, ex accidente eſt, ſumitur ac ſi eo omnino pertineret.* Ut ſi quis ex eo, quod Chriſtus cum Adamo confertur in eo, quod quemadmodum per Adami inobedientiam perditio hominibus contigit, ſic per Chriſti obedientiam ſalus; velit concludere, prout Franc. Puccius facit, univerſum genus humanum, non minus per Chriſtum in ſtatu ſalutis reipſa eſſe, ac per Adamum reipſa in ſtatu perditionis fuit. Nam quod omnes ac ſinguli homines ex Adamo propagantur, & ita ad univerſum humanum genus perditio ab ipſius inobedientia profecta pertinet, reſpectu ejus, de quo agitur, ex accidente eſt. Collatio enim iſta eo reſpicit tantum: quod ſicut ii, qui ex Adamo ſunt propagati, pereunt, ſi videlicet, quatenus ab eo propagati ſunt, conſiderentur: ſic ii, qui ex Chriſto ſunt prognati, eo ipſo, quod ab ipſo ſunt propagati, ſervantur.

Secunda hujus generis fallacia eſt ea, quæ vocatur *conſequentis, cum ſcilicet, ubi effectus aliquis ex pluribus cauſis proficiſci poteſt, tanquam ſi ex una quadam tantum poſſet proficiſci, vel ex ipſo effectu, una illa cauſa neceſſario colligitur; vel ex eo, quod iſta cauſa non eſt, nec fuit, effectus ipſe omnino negatur. Eadem eſt ratio, cum aliquid habet ſibi neceſſario adjunctum aliud quippiam, & inde colligitur, viciſſim iſtud aliud, ſine eo eſſe non poſſe.* Exemplum cauſæ & effectus ſit: Si quis ex eo, quod afflictiones Chriſtianorum cauſa ſunt, ut Chriſtiana religio confirmetur, concludat, ubicunque ſit aliqua confirmatio Chriſtianæ religionis, ibi neceſſario eſſe Chriſtianorum afflictiones; cum tamen ejuſmodi confirmatio aliunde etiam proficiſci poſſit, ut pote ex miraculis, & vitæ Chriſtianorum puritate, atque innocentia. Nam non ſanguis tantum, ſed ſpiritus quoque & aqua (ut eſt apud Johannem 1 Joh. 5. 6, 8) teſtimonium Chriſtianæ dant veritati. Exemplum porro alicujus neceſſario adjuncti ſit fides, quam neceſſe eſt adjunctam eſſe invocationi, ex quo non nemo colligebat: Quemadmodum juſſi ſumus, ac prorſus neceſſarium eſt, ut Chriſto confidamus, ſic & juberi nos, & prorſus neceſſarium eſſe, ut Chriſtum invocemus; quod perperam concluſum eſt, cum Deus ipſe adſit, cui ſimiliter, imo præcipue confidimus, ac confidere debemus; & conſequenter, ad quem perpetuo preces noſtras dirigere poſſumus. Ex fide igitur noſtra in Chriſtum, non quidem neceſſitas, ſed poſſibilitas illum invocandi, neceſſario colligitur; atque idcirco, qui poteſtatem iſtam vel negant vel non agnoſcunt, ii ſimiliter, Chriſto confidendum eſſe vel negant, vel non agnoſcunt.

Tertia fallacia eſt, quæ dicitur, *A ſecundum quid ad ſimpliciter, cum* videlicet *id, quod ſecundum quid dictum eſt, ita accipitur, ac ſi ſimpliciter & abſolute dictum eſſet.* Ut ſi quis ex eo, quod Chriſtus affirmaverit, principem hujus mundi, id eſt, Satanam foras ejectum iri Joh. 12. 31, colligat, Satanam jam plane à Chriſti fidelibus procul abeſſe, neque eos tentare, ut ſolebat, nec variis modis, ut antea, illis negotium faceſſere. Ut nihil dicam, quod verba iſta Chriſti, ſimpliciter accepta, ſignificare omnino videntur, Satanam in mundo jam nullum locum habere. Atqui verba iſta Chriſti non ſimpliciter ſunt accipienda, nec intelligendum eſt aliud, quam Satanæ imperium admodum debilitari debuiſſe ac minui, adeo ut non plane, ut antea, humanum genus, præcipue vero ii, qui Dei populus vocarentur, ei ſubjecti eſſent futuri.

Quarta extra dictionem fallacia, nominatur *Ignoratio Elenchi*, nomine alioqui omnibus fallaciis, tam in dictione, quam extra dictionem, communi. Jam hæc, quæ peculiariter hoc nomine appellatur, tunc *committitur, cum is, qui argumentatur, vel non de eodem, vel non ſecundum eandem rationem, vel non ſecundum idem tempus, vel ſimili aliqua alia diverſitate, ab eo, de quo agitur, argumentum ſibi format. Non de eodem*, ut ſi quis, cum de invocatione Chriſti agitur, afferat aliquid ad ejus adorationem pertinens, non animadvertens differentiam, quæ inter utramque eſt, in quem paralogiſmum & Franc. Davidis, & alii non pauci inciderunt. *Non ſecundum eandem rationem*, ut quia Paulus 1 Cor. 13 dicit, charitatem eſſe majorem fide, inde quis colligat, charitatem in homine juſtificando fidem excellere, ut Pontificii faciunt, non animadvertentes, ibi Paulum agere de majoritate reſpectu durationis, & cujuſdam rei ipſius perfectionis, non autem virium ac virtutis, quod attinet ad hominem coram Deo juſtum conſtituendum. *Non ſecundum idem tempus*, ut cum ex eo, quod Hierem. 10. 11 legitur, Deos qui non fecerint cœlum & terram, exterminandos eſſe; concludunt adverſarii, Chriſtum creaſſe cœlum & terram, ſi Deus ſit agnoſcendus. Non enim animadverterunt, Hieremiæ tempore, cum nondum Chriſtus natus, & exaltatus eſſet, potuiſſe iſtud axioma merito proponi: nunc autem nato & exaltato Chriſto, illi non eſſe locum, ſi modo Dei nomine, in illo loco is intelligatur, qui divino in homines imperio, ac poteſtate prædirus exiſtimetur, qualem fatemur nos, atque adeo contendimus, revera eſſe Chriſtum, id eſt, hominem illum Jeſum Nazaræenum, qui dicitur Chriſtus.

Quinta hujus generis fallacia, dicitur *Principii petitio, quod aliud nihil eſt, quam pro conceſſo id ipſum in argumentando ſumere, quod reipſa controvertitur; vel aliquid cum eo adeo aperte conjunctum, ut ſtatim conſtet, hoc ſine illo eſſe non poſſe.* Ut ſi quis volens probare, Chriſtum eſſe illum unum Deum, pro conceſſo ſumat, illum ſine principio eſſe. Evidentiſſime ac turpiſſime in hanc fallaciam incidit Vujekus, cum volens probare, hoc nomen *Verbum*, non ob hoc ſolum Chriſto à Johanne, in ſui Euangelii initio tributum fuiſſe, quod nobis Dei voluntatem patefecerit, ſeu quod per ipſum Deus nobiſcum loquutus fuerit; ait, hæc convenire illi tantum ſecundum humanitatem, non autem ſecundum divinitatem: Propoſitum autem Johannis fuiſſe, eo in loco ejus divinitatem deſcribere. Quandoquidem hoc ipſum illud erat, quod revera controvertebatur, & ad quod probandum attulerat ipſe poſt Bellarminum, appellationem iſtam verbi, ibi à Johanne Chriſto tributam.

Sexta, in re ipſa fallacia, vocatur *Non cauſa ut cauſa*, quæ ex mente Ariſtotelis, non ea eſt, quam appellatio iſta alioquin ſignificare poteſt, quæque à pleriſque vulgo eſſe creditur, ubicunque videlicet aliquid exiſtimatur eſſe alicujus rei cauſa, cum tamen non ſit. Fallacia enim iſta, ea continetur ex mente quidem Ariſtotelis) quæ accidentis fallacia dicitur: Sed *Non cauſæ ut cauſæ fallaciam tunc committi* Ariſtoteles tradit, *cum volentes probare, enunciationem aliquam eſſe falſam, abſurdum aliquod, tanquam ex ea proficiſcens, colligimus, cum tamen id, non quidem ex enunciatione illa, ſed ex alia quapiam, ad ratiocinationem concludendam aſcita, omnino proficiſcatur.* Egregium hujus fallaciæ exemplum, ſi recte memini, affert Fonſeca in ſua Dialectica, quod hujuſmodi eſt; volens quis probare, falſam eſſe hanc enunciationem, ſi tempus non eſt, dies non eſt; ita ratiocinando ex ea abſurdum colligit: ſi tempus non eſt, dies non eſt; ſi dies non eſt, nox eſt. Si nox eſt, tempus eſt. Ergo ſi tempus non eſt, tempus eſt. Quod non modo abſurdum, ſed ſeipſum deſtruens enunciatum eſt. Fallacia eſt in eo, quod tantæ abſurditatis, non quidem prima illa enunciatio, ſi tempus non eſt, dies non eſt: ſed ſecunda, ſi dies non eſt, nox eſt, cauſa ſit agnoſcenda; & propterea, ut revera eſt, falſa cenſenda. Non enim ex eo, quod dies non eſt, ſequitur eſſe noctem.

noctem, abſolute loquendo; cum poſſit fieri, ut nec nox ſit, nec dies, ut quidem erat, antequam mundus crearetur.

Septima & ultima hujus generis fallacia, appellatur *Duæ pluresve interrogationes, tanquam una: cum ſcilicet quis propoſitionem aliquam ſuæ argumentationis multiplicem, ei, cum quo diſputat, tanquam unicam & ſimplicem obtrudit, quæ videlicet tota videri poſſit vera, cum tamen pars ejus ſit falſa.* Ut ſi quis dicat, Chriſtum eſſe Servatorem, ac primam noſtræ ſalutis cauſam; hincque concludat, eum eſſe illum unum Deum; quam propoſitionem, diſputator incautus, cum veritatem manifeſtam retineat, quatenus nimirum Chriſtum Servatorem facit, credens unicam & ſimplicem eſſe propoſitionem, negare non audeat; cum tamen duplicem enunciationem contineat, quarum una, Chriſtum videlicet eſſe Servatorem, concedenda quidem eſt; verum altera, nempe, eſſe ſalutis noſtræ primam cauſam, prorſus neganda.

Finis explicationis brevioris Elenchorum Sophiſticorum.

ELENCHORUM SOPHISTICORUM Explicatio fuſior.

Cum quatuor ſint genera ſyllogiſmorum: Sunt enim alii *Demonſtrativi*, alii *probabiliter concludentes*, alii vero *Tentativi*, & alii denique *contentioſi* ſive *Sophiſtici*; & Ariſtoteles de prioribus tribus generibus ſupra egerit; in hac poſtrema hujus libri, quod Organum appellatur, parte, agit de reliquis, hoc eſt, de Sophiſticis ſeu contentioſis, ut nos illos agnoſcere poſſimus, & proinde etiam vitare; &, ſi adverſum nos formati fuerint, eos diſſolvere. In priore libro hujus tractationis, quinam ſint tales ſyllogiſmi, & unde proficiſcantur, docet; in poſteriore vero, quomodo ſint ſolvendi, demonſtrat. Quod ſi quis quærat, quemadmodum à multis quæritur, an Sophiſtici iſti ſyllogiſmi in materia peccent, an in forma? Reſpondendum eſt, poſſe eos vel in materia, vel in forma peccare; ſed tamen, quia in ſuperioribus ſuis libris Ariſtoteles ſatis docuit, quænam ſit legitima forma ſyllogiſmorum; ex qua doctrina intelligi poteſt, quinam ſyllogiſmi bene formati ſint, quique minus; veriſimilius eſt, Ariſtotelem potiſſimum ob hanc cauſam hunc extremum laborem ſuſcepiſſe, ut, ſi ſyllogiſmi alioqui adverſum nos recte formati fuerint, ſed in materia peccent, quod peccatum facile à viro perſpicace animadverti poſſit, & origo ejus cognoſci, ad cognitionem hanc pervenire & nos poſſimus. Sed hac de re, cum de eorum ſolutionibus agemus, accuratius aliquid explicare poterimus. Hæc pauca hoc loco diximus, ne intactam hanc rem relinqueremus, quæ à non paucis in hoc ipſo initio attingitur.

Jam vero Sophiſticas captiones, quæ in his ſyllogiſmis ſunt, vel ex verbis aliquibus, unde propoſitiones hauriuntur, proficiſci conſtat; vel ex re aliqua.

Captiones, quæ ex verbis ducuntur, numerantur ab Ariſtotele Sex. Nam vel ex Homonymia ſeu Æquivocatione, vel ex Amphibolia, vel ex Compoſitione, vel ex Diviſione, vel ex Accentu, vel denique ex Figura dictionis unius pluriumve verborum, ortum habent. Quæ vero ex re ipſa ducuntur, ſeptem ab eodem Ariſtotele numerantur. Nam vel ex accidente, vel ex dicto ſimpliciter aut non ſimpliciter, ſed ſecundum quid; vel ex ignoratione Elenchi, hoc eſt, modi convincendi; vel ex conſequente; vel ex petitione ejus, quod in principio eſt; vel ex non cauſa ut cauſa; vel denique ex duabus pluribuſve interrogationibus tanquam una ſit, originem trahunt. De quibus ſingulis, quid proprie ſint, & cur ita hi fontes fallaciarum ſeu captionum nuncupentur, diligenter poſtea explicabimus, idque eo ordine, quo à nobis ſunt expoſitæ. Quod attinet ad ſex captiones, quæ in verbis, ſeu, ut Ariſtoteles loquitur, in dictione conſiſtunt, ait idem Ariſtoteles, eas plures eſſe non poſſe, quod & inductione & ſyllogiſmo probari poſſe ait: non idem affirmare videtur de reliquis ſeptem, quæ in re, ſeu, ut ipſe ait, extra dictionem ſunt. Hujus differentiæ quænam ſit cauſa, cum de illis ſeptem agere incipiemus, dici à nobis aliquid poterit, nam de ſex prioribus facile Ariſtoteli credimus. Nam certe ſi quis diligenter inquirat, nullam, arbitror, inveniet fallaciam in dictione, quæ ad unam ex illis ſex captionibus non referatur.

Ut igitur ordine de illis agamus, primum occurrit nobis Homonymia ſive Æquivocatio, quæ quid proprie ſit, & quatenus porrigatur, vix à quoquam hactenus recte traditum eſt. Nos cenſemus, de fallacia iſta ita ſtatui poſſe, quod ſcilicet Homonymia ſive æquivocatio ſit vel oriatur ex diverſa ſignificatione, vel *unius*, vel *plurium* verborum, ſine ulla conſtructionis diverſitate. Unius autem verbi, vel proprie ſemper accepti; vel modo proprie, modo figurate; aut modo hac, modo illa figura; quam eandem prorſus diviſionem recipit plurium verborum diverſa ejuſmodi ſignificatio.

Jam proprii ſive proprie accepti appellatione Analogatum etiam intelligo, cum ſcilicet quid eo nomine perpetuo appellatur, aut iis verbis ſignificatur, quod, quæve, prius & excellentiore quadam ratione alii cuipiam rei conveniunt. Porro figurate dictum non modo illud eſt, quod per figuram aliquam qualis eſt Metaphora, Metonymia, & complures aliæ ſimiles, effertur: ſed etiam quod ex uſu alterius cujuſpiam linguæ ita dicitur.

Eſt autem in hoc uno genere fallaciarum, quod Homonymiæ dicitur, diligenter laborandum, multo magis, quam in ullo alio; quandoquidem ex hoc uno genere ducuntur omnes fere majores, qui in religione potiſſimum vigent, errores. Nam, exempli cauſa, error ille maximus, qui inter Pontificios viget, ut credant, Panem in Cœna Domini eſſe ipſum verum & naturale Chriſti corpus, non aliunde, quam ex iſto fonte manat. Illorum etiam error (ſunt autem ii maxima pars Chriſtianorum) qui credunt Jeſum Chriſtum eſſe ipſum illum Deum, qui cœlum & terram condidit, non aliunde ortum habet. Et prior quidem error ex alia ſignificatione eorum verborum, *Hoc eſt corpus meum*; poſterior vero ex diverſa ſignificatione tum nominis Dei, tum verbi creandi, tum aliorum multorum ductus eſt. Aliis exemplis afferendis ſuperſedemus. Poterit enim unuſquiſque ea per ſe animadvertere, poſtquam aliquid amplius de hoc fallaciarum genere tradiderimus, præſertim quod facile nobis occurret, ut iſtis exemplis utendum ſit, ad rem totam facilius explicandam. Cæterum ex his, quæ antea tradidimus de natura hujus fallaciæ, & unde ea proficiſcatur, facile intelligi poteſt, quam illi erraverint, qui tamen multi ſunt, iique viri alioqui eruditiſſimi, cum multas Metaphoricas locutiones ad Æquivocationem pertinere non agnoverunt, ſed eas ad Amphiboliam retulerunt. Qualis locutio eſt, & qua ipſi potiſſimum hic utuntur, *Arare littus*, quod proprie acceptum terram aratro ſcindere ſignificat, Metaphorice vero inutilem aliquam operam ſumere. Certiſſimum eſt enim, omnem Metaphoram, ſeu Metaphoricum loquendi modum, ad Æquivocationem pertinere, non autem ad Amphiboliam. Cujus rei ratio eſt, quod, ut ex exemplis Ariſtotelis, tam Æquivocationis, quam Amphiboliæ, intelligi poteſt, quemadmodum in Æquivocatione nunquam eſt diverſa ſermonis conſtructio, ſic in Amphibolia ſemper eſt.

Antequam vero ad exempla iſtius fallaciæ exponenda deſcendamus; animadvertendum eſt, cum ſyllogiſmus tribus terminis, quos vocant, conſter, majore ſcilicet, & minore extremo, ac medio; poſſe in unoquoque ex iſtis terminis Æquivocationem committi; id quod poſtmodum exemplo aliquo illuſtrabimus. Nunc

necessarium videtur propter Aristotelis auctoritatem, quem ducem, tanquam hujus tractationis primum inventorem, merito sequimur, ut exempla, quæ ipse attulit, hujus fallaciæ breviter explicemus. Primum igitur affert hoc exemplum: Si quis probare vellet, eos, qui aliquid sciant, illud idem addiscere, posset sic argumentari, sumpta occasione ex verbo Græco μανθάνειν, quod & addiscere, & intelligere significat. Nam certe is, qui aliquid scit, & illud recitat, dum id recitat, id ipsum etiam intelligit, id est Græce, μανθάνει, quod, ut diximus, discere etiam significat; unde concluditur istum id addiscere, quod scit. Alterum exemplum est: Si quis velit probare, mala esse bona, & ita argumentaretur: Quæ opus est fieri, ea bona sunt. Sed mala opus est fieri. Ergo mala bona sunt. Est enim æquivocatio in verbo *opus est*, vel potius τὰ δέοντα, quo Aristoteles utitur. Quemadmodum enim *opus est*, tam significat *expedire*, *convenire*, quam *necesse esse*: sic etiam τὰ δέοντα, Græce significant tam ea, quæ sunt necessaria, quam quæ expediunt. Posset quis istud exemplum Aristotelis accommodare ad Christi verba, quæ Lucæ 17, in ipso initio dixit: Necessarium esse, ut scandala veniant; si quis illud necessarium ita acciperet, ac si Dei voluntas talis esset: sed aptius multo est exemplum Pauli verborum 1 Cor. 11. 19 cum ait: *Oportere hæreses esse*. Nam sine dubio verbum *oportere* ambiguam habet significationem, non minus quam verbum *opus est*, sive τὰ δέοντα, de quibus jam diximus. Tertium exemplum affert Aristoteles, quod est valde quodammodo à reliquis duobus dissimile. Concurrit enim cum fallacia compositionis, ut postea videbimus. Ut si quis dicat, eundem posse & sedere & stare, & ægrotare & sanum esse. Nam si intelligatur eodem tempore, quemadmodum intelligi potest, falsa erit enunciatio: si vero diverso tempore, ut similiter verba accipi possunt, erit vera. Nam is, qui surrexit, antea sedebat, & qui sanus factus est, antea ægrotabat. Itaque cum & sedens & ægrotans dupliciter possit accipi, hoc est, vel pro eo, qui sedebat, & ægrotabat, vel pro eo, qui etiam nunc sedet & ægrotat; hinc æquivocatio ortum ducit. Hæc sunt Aristotelis exempla.

Nos autem ex Sacris Literis aliqua formabimus, & primum unum, in quo id apparebit verum esse, quod diximus, Æquivocationem in syllogismo, in unoquoque separatim ex tribus illis terminis, committi posse. Exemplum sit in nomine *Fidei*, quod nomen multiplicem omnino habet in Sacris Literis significationem. Nos de duabus tantum ipsius significationibus, ad id ostendendum, quod diximus, dicemus. Nam & fiduciam illam significat, quam in Deo per Christum ponimus; ut quando legimus in initio capitis 5. Rom. *Fide igitur justificati, &c*, quandoquidem ea fides, qua justificati sumus, aliud nihil est, quam fiducia ista, quam vides simpliciter & absolute appellari fidem: & cognitionem etiam significat. quam quis habet, rerum à Deo vetitarum, aut contra præceptarum in Euangelio. Legimus enim in eadem Epistola ad Rom. 14 verba illa ℣. 22; *Tu fidem habes, apud te habeto coram Deo*. Ubi ex præcedentibus patet, fidei simplici & absoluto nomine significari cognitionem istam; quod cum multi non animadverterent, ex verbis ejusdem Pauli in fine capitis, quæ sunt, *Quicquid non est ex fide, peccatum est*, concluserunt, quicquid agit homo fide in Christum non præditus, id esse peccatum; & sic æquivocatione vocis decepti, id statuerunt, quod omnino falsum est. De quo non est hic disserendi locus; satis est ostendisse, illos fallaciam istam omnino in ratiocinatione hac sua commisisse. Nunc explicemus, quomodo ob istas duas vocabuli Fidei significationes, syllogisando fallacia committi possit in tribus syllogismi terminis. Quæ fallacia ut magis appareat, argumentabimur ex Pauli verbis adversum ipsummet Paulum; & primum exemplum dabimus, cum medius terminus æquivoce accipitur. Exemplum tale erit: Quicunque fidem habet, secundum charitatem ambulat: Verum quicunque novit nullum cibum per seipsum pollutum esse, fidem habet. Ergo quicunque novit nullum cibum per seipsum pollutum esse, secundum charitatem ambulat. Syllogismus est in prima figura, in modo *Barbara*, & ita compositus, ut ad formam, & * perfectissimam conclusionem nihil desiderari queat. Unde videtur Paulum male locutum fuisse, cum ℣. 15 ait: *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas*; cum de hujusmodi homine inferius postea, ut vidimus, ℣. 22 illum fidem habere dixerit. Fidem habere in prædicto syllogismo habet locum, ut apparet, Medii termini, qui, si propositio utraque concedenda sit, necesse est, ut in una uno sensu, in altera altero ex illis duobus, quos jam diximus, accipiatur: in majore videlicet pro fiducia in Deum per Christum, in minore pro cognitione. Exemplum æquivocationis in majore extremo hoc sit: Quemcunque Deus assumsit, is fidem habet. Verum aliquem distinguentem inter cibum & cibum, ac diem & diem, Deus assumsit. Ergo quidam distinguens inter cibum & cibum, ac diem & diem, fidem habet. Hoc argumentum, quod similiter est in prima figura & in modo Darii, concluditur adversus Paulum, qui tacite prædicto loco nos docet, hominem inter cibum & cibum, ac diem & diem distinguentem non habere fidem. Nam fidei nomine, ut diximus, intelligit cognitionem illam, de qua si major hujus syllogismi accipi deberet, ea esset falsa. Ut autem accipiatur necesse est, si aliquid adversus Paulum hac ratiocinatione concludi debet. Fallacia igitur est in majore isto extremo, quod in propositione pro fiducia illa in Deum per Christum accipitur, in conclusione vero pro cognitione illa. Reliquum est, ut syllogismum nectamus, adversus eundem Paulum, Sophisticum ex æquivocatione minoris extremi. Syllogismus talis erit: Nemo charitate præditus scandalum sua culpa cuiquam præbet. Verum quicunque fidem habet, is charitate præditus est. Ergo nemo fidem habens cuiquam culpa sua scandalum præbet. Ubi vides, concludi adversus Pauli sententiam, qui non obscure in prædicto loco indicat, eum, qui fidem habeat, posse alteri culpa sua scandalum præbere. Atqui Paulus, ut dictum est, fidei nomine eo in loco cognitionem eam intelligit, in hoc vero syllogismo extremum minus, quod est, fidem habet, si vera assumptio esse debet, necesse est, ut intelligatur de fiducia in Deum per Christum. Et sic, si syllogismus iste aliquid adversus Paulum concludit, necesse est, ut minus istud extremum alia significatione accipiatur in assumptione, & alia in conclusione. Jam hoc tertium argumentum omnino recte formatum est, est enim in *prima figura*, in modo *Celarent*. Essent autem nobis hic exempla danda uniuscujusque membri æquivocationis, prout à nobis antea fuerunt exposita. Sed quia ad perfectam hujus rei intelligentiam, & exemplorum istorum exactam cognitionem, necesse quodammodo est, propter magnam similitudinem & convenientiam, quam inter se hæ duæ fallaciæ habent, de Amphibolia prius explicare: ideo cum Aristotele, postquam de Amphibolia dixerimus, & ejus naturam explicaverimus, utriusque fallaciæ genera tradere conabimur, aliquid repetentes, si opus fuerit, eorum, quæ antea dicta sunt, & exemplis, quoad licuerit, ex ipsis Sacris Literis petitis rem totam illustrantes. Prius igitur, quid Amphiboliam esse statuamus, breviter exponamus.

Amphibolia oritur ex diversa quadam constructione eorundem verborum, sine ulla ipsorum inter se conjunctionis aut divisionis varietate, nec mutata alioqui ipsorum verborum per se significatione, quamvis ipsius orationis significatio mutetur. Potest autem fortassis omnis ejusmodi diversa constructio, ad hoc unum caput referri, quod aliquod verbum modo agentis, modo patientis, ut Grammatici loquuntur, locum habet. Nam & ex ipsis nominibus, quæ cum verbo substantivo

* Al. efficacissimam.

con-

construuntur, id, quod subjecti locum habet, idem etiam patientis quodammodo locum habere, quod vero prædicati, agentis, omnino videri potest. Diximus autem *fortassis* ad hoc unum caput posse variam constructionem, quæ Amphiboliam facit, referri, propterea, quod ex sententia præstantissimorum virorum, omnis sermonis ambiguitas, quæ ex varietate casuum, ut Grammatici loquuntur, ortum ducit, ad Amphiboliam referri debere videtur. Atqui non omnis casuum variatio videtur efficere, ut nomen aliquod modo agentis, modo patientis, locum habeat. Veruntamen posito nunc pro constante, quod id verum sit, quod diximus de agente & patiente, vel certe aliud nil inde excipi possit, quod ad casuum varietatem non pertineat, de Amphiboliæ natura ad hunc modum omnino statuendum esse videtur; eam videlicet locum habere non posse in ea orationis, ut Grammatici loquuntur, parte, quod peculiariter verbum vocatur, nec etiam in nominibus adjectivis, sive inde eam oriri non posse, neque ex ulla alia orationis parte, præterquam ex nominibus substantivis, ex pronominibus, & ex participiis. Nam neque in verbis sic peculariter apud Grammaticos nuncupatis, neque in adjectivis nominibus, videtur locum habere posse varietas ulla modo agentis, modo patientis; & quamvis in adjectivis nominibus casuum varietas locum habeat, ex ea tamen non videtur ambiguitas ulla oriri posse, quæ ad hanc fallaciam pertineat; qua de re postea diligentius aliquid explicabimus. Jam in reliquis quatuor orationis partibus, præpositione, adverbio, conjunctione, & interjectione, cum in illis nec agentis, nec patientis, nec diversorum casuum, cum indeclinabiles sint, varietas locum habere possit; statuendum plane videtur, inde nullam Amphiboliam exoriri posse. In hoc igitur, præter alia, quæ in utriusque natura explicanda à nobis dicta sunt, differt Amphibolia ab æquivocatione, quod æquivocatio ex omnibus octo orationis partibus, si illarum per se natura consideretur, proficisci potest, sive, ut proficiscatur, nihil naturaliter & necessario impedit, sed fortasse ex accidente, quia scilicet, exempli gratia, forte contingat, ut nulla interjectio nisi sensum unum habere inveniatur, sive uno tantum sensu semper usurpetur, Amphibolia vero tantum ex iis orationis partibus, quas modo diximus, participio videlicet, pronomine, & nomine, hocque substantivo tantum, non etiam adjectivo, ut proficiscatur, necesse est.

Nunc antequam ulterius progrediamur, explicanda sunt nobis exempla hujus generis fallaciæ Aristotelis, quam una cum ipso Amphiboliam vocamus. Hic vero monere volumus, ne posthac quisquam miretur, aut in his, quæ antea à nobis dicta sunt, errare possit, quod, quando ipsam Æquivocationem vel Amphiboliam, vel aliquid tale, unde fallacia nectitur, fallaciam appellamus, improprie, brevitatis causa, loquimur, ut exempli causa, Amphiboliam fallaciam vocamus, pro eo quod proprie loquendo dicere deberemus, id esse fallaciam, quod ex Amphibolia oritur, & Sophistis fallendi materiam præbet: breviter, simplici nomine loci, unde fallacia ducitur, ut Amphiboliæ, utimur pro eo, quod Aristoteles appellat τρόπος τῆς ἀμφιβολίας. Sed jam ad Aristotelis exempla accedamus. Primum exemplum est: *Velle me hostes capere*. Hæc enim oratio ambigua est propterea, quia non constat, utrum nomen patientis agentisve locum obtineat, *Me*, vel *Hostes*. Potest siquidem tam esse sensus, quod velim, ut hostes me capiant, quam ut ego illos. Alterum exemplum est: Quod quis novit, hoc novit. Quo exemplo allato verba hæc Aristoteles subjungit: Nam & eum, qui novit, & id quod noscitur, tanquam notitiam habens, hac oratione significare licet, hoc est, illud *Hoc novit*, tam potest significare, quod cognitum ab aliquo cognoscendi vim habeat, quam quod ab aliquo cognitum, ab ipso sit cognitum. Tota vero ambiguitas est in pronomine, *hoc*; quod vel active, vel passive, sive, vel cum significatione agentis, vel cum significatione patientis accipi potest, id quod apud Grammaticos hoc pacto internoscitur, si vel nominativi vel accusativi sit casus. Nam si nominativi, tum agentis, sin accusativi, tum patientis locum habebit; alioqui eadem prorsus est vox. Ex quo constare potest, quam falsum sit, quod aliqui affirmant, si id, prout ipsorum verba sonant, accipi debet, nimirum, Amphiboliam nunquam ex voce una oriri. Tertium Aristotelis exemplum, est plane huic secundo simile, nisi quod Aristoteles eo allato, exponit etiam fallaciam ex eo argumentantium. *Quod quis videt, hoc videt: Videt autem columnam, igitur columna videt.* Ubi non videtur nobis esse opus quidquam ad Aristotelis verba addere, præter ea, quæ in superiori exemplo explicando dicta sunt.

Quartum exemplum apud Aristotelem est ejusmodi, ut fortasse non ita bene in Latina lingua fallacia appareat, ut in Græca. Exempli verba hæc sunt: *Quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse, dicis autem lapis esse, tu igitur dicis lapis esse.* Sic plane Aristotelis verba sonant, & in lingua Græca, nihil dubito, quin elegantissima sit ambiguitas. Verum in Latina omnino videtur, si ambiguitas esse debet, nomen lapidis in priore membro, non nominativi, ut est apud Aristotelem, sed accusativi casus esse debere. Ut exemplum tale sit: *Quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse*, id est, hoc te esse profiteris. *At lapidem esse dicis, igitur lapidem te esse profiteris.* Ubi etiam necesse est, ut in posteriore quoque membro non modo *lapis*, sed etiam *lapidem* dici possit. Ambiguitas porro in hoc exemplo est, quod verba illa, *Quod tu dicis esse*, dupliciter accipi possunt, vel ut significent, quod tu dicis te esse; vel ut significent, quod tu dicis quod sit; & sic vox *tu*, modo non tantum agentis, sed etiam patientis locum tenet; modo vero simpliciter agentis. Nam si ita accipi debent verba illa, ac si dictum esset, *Quod dicis te esse*, tunc illud *tu*, non modo *te* significat, quatenus dicis; sed etiam quatenus aliquid te esse dicis: quanquam fortasse in Græca lingua, hoc etiam sensu retento, potest pronomen *tu*, ita accipi, ut agentis tantum locum habeat: quod si ita exempli verba intelligenda sunt, ut dicas, quod aliquid sit, tunc sine dubio pronomen *tu*, *patientis* tantum locum habet.

Quintum adhuc exemplum ex Aristotele habemus, hoc videlicet, quod Græca lingua videtur esse omnino exprimendum, si ejus vis plane intelligi debeat. Verba hæc sunt, eaque duo tantum: Σιγῶντα λέγειν. Nam vox Σιγῶντα, tam silentem seu tacentem, quam tacentia (id est, ea quæ tacent) significat: unde ambiguus sensus emergit. Nam si tacentem significat, sensus est, aliquem tacentem loqui; sin vero significat tacentia, sensus erit, aliquem loqui de iis, quæ tacent. Itaque si aliquis hoc posteriore sensu verba ista extulerit, verum quidem dicet; sed interim Sophista poterit eum reprehendere, tanquam falsa & absurdissima dicentem; nimirum si velit horum verborum sensum esse, quem priore loco exposuimus, quid enim magis falsum aut absurdum, quam ut is loquatur, qui silet? Jam in istis omnibus Aristotelis exemplis apparet, id verum esse, quod diximus, Amphiboliam in eo consistere, quod una eademque vox modo agentis modo patientis locum habet, vel certe ex varietate casuum proficiscitur. De quatuor prioribus exemplis jam vidimis & explicavimus, quomodo in singulis eadem vox modo active, modo passive accipiatur; in quinto vero exemplo, varietas non casus quidem, sed interim & numeri & generis. Nam una & eadem vox, modo pro accusativo singulari generis Masculini; modo vero pro accusativo plurali generis Neutrius accipi potest; sed interim varietas nihilominus agentis & patientis hoc in exemplo perspicitur. Nam si vox ista accusativi singularis & generis Masculini esse intelligatur, agentis locum habebit: sin vero accusativi pluralis, generis neutrius, patientis locum omnino est habitura. Explicatis exemplis *Aristotelis*, quæ Amphiboliæ attulit, tempus videretur,

aliquid

aliquid expreſſius de iſtis duabus fallaciis, æquivocationis ſcilicet & amphiboliæ, tradere atque explicare: verum id ut rectius à nobis fieri poſſit, conſentaneum eſt, ut ea primum explicemus, quæ hoc loco ipſe Ariſtoteles ſtatim ſubjungit, indicans nobis utriuſque fallaciæ modos: ex quo, cum utriuſque ſimul indiſtincte modos tradat, ſatis conſtat, quanta ſit inter has duas fallacias ſimilitudo & convenientia, adeo ut difficile admodum videatur, ſemper poſſe aſſerere, utra ex iis committatur. Atque hinc factum eſt, ut, niſi fallimur, viri quamvis præſtantiſſimi, iique non pauci, hac in re ſint decepti, & ſæpe amphiboliam eam eſſe dixerint, quæ eſt æquivocatio, ut poſtea latius, exemplis prolatis, explicare poterimus. Nunc ad Ariſtotelem; cujus verba, quæ nobis explicanda nunc ſumſimus, ſane quam difficilia hæc ſunt: *Sunt autem tres modi fallacia ex æquivocatione & ex amphibolia. Unus quidem, quando oratio aut nomen, proprie plura ſignificat, ut aquila & canis. Alter vero, quando ita dicere conſuevimus. Tertius vero, quando aliquod compoſitum plura ſignificat, diſtinctum vero & per ſe aliquid ſimpliciter ſignificat; ut literas ſcire. Utrumque enim per ſe, ſi ita contigerit, unum quid ſignificat & ſcire, & literas; ſimul vero juncta, plura, aut ſcilicet literas ipſas ſcientiam habere, aut alium ipſarum literarum.* Jam vero modi iſti Ariſtotelici videntur ad utramque fallaciam poſſe pertinere; quod tamen non videmus quomodo vere affirmari poſſit. Nam primus modus, qui eſt, cum oratio aut nomen plura proprie ſignificat, quod ad nomen attinet, nullo pacto videtur ad amphiboliam poſſe pertinere; cum, etiamſi, ut ſupra diximus, poſſit amphibolia ex unica voce oriri, tamen id non fiat propter diverſam ipſius vocis ſignificationem, ſed propter diverſam ejus acceptionem, quod attinet ad actionem vel paſſionem: ita ut non ejus vocis ſignificatio diverſa, ſed diverſa cum aliis verbis conſtructio amphiboliam pariat. Quod vero attinet ad orationem; videtur quidem, ſi verba ipſa Ariſtotelis in hoc primo modo per ſe conſiderentur, varia orationis, eaque propria ſignificatio, ad amphiboliam pertinere poſſe, id quod ex ipſis Ariſtotelicis exemplis, quæ amphiboliæ dedit, ſatis conſtare poteſt. Nam quis negare poterit in ipſo primo exemplo hoc evenire? Quandoquidem certum eſt, verba illa, *Velle me hoſtes capere*, tam ſignificare, idque proprie, velle, ut hoſtes me capiant, quam velle, ut ego capiam hoſtes. Sed quominus credamus, non obſtante eo, quod diximus, ad amphiboliam primum iſtum modum, etiam quod attinet ad orationem ſpectare poſſe, tertius iſtorum modorum Ariſtotelicorum facit, alioquin enim eſſet is ſuperfluus. In primo ſiquidem iſto amphiboliæ exemplo, quod Ariſtoteles attulit, & in aliis ſimilibus, apertum eſt id evenire, quod in tertio modo dicitur. Etenim ibi quoque & *hoſtes*, & *me*, & *capere*, per ſe ipſa ſingula unum tantum ſignificant: conjuncta vero, ut in eo exemplo ſunt, ſignificant plura: Itaque ſi primus modus ad exemplum iſtud pertineret, nulla eſſet differentia, quod ad orationem attinet, inter primum & tertium modum. Quare concludendum eſt, verba Ariſtotelis in primo iſto modo, non eſſe ſimpliciter accipienda, ut ſonant, & ſic non eſſe intelligendum, modum iſtum tunc eſſe, quandocunque eadem oratio proprie plura ſignificat, ſed tantum cum plura ſignificat citra omnem diverſam conſtructionem; & ſic non pertinere modum iſtum, neque quod ad ipſam orationem attinet, ad amphiboliam, ſed tantum ad æquivocationem: & vice verſa, tertium modum ad æquivocationem non pertinere, ſed tantum ad amphiboliam; quippe cum ibi varia ſignificatio non aliunde proficiſcatur, quam ex diverſa conſtructione. Et niſi hoc pacto diſtinguantur inter ſe duo iſti modi, primus & tertius, non video, quomodo Ariſtoteles potuerit illos diverſos facere, intellige quod ad primum modum attinet, in ea parte, non quæ ad nomen aliquod, ſed ad orationem ſpectat. Dolendum vero eſt, quod Ariſtoteles, quemadmodum exempla dedit in primo iſto modo nominis alicujus, non eodem pacto dederit orationis. Nam ſi id feciſſet, ſine dubio res apertior eſſet, neque nobis fuiſſet laborandum in ſententia ipſius inveſtiganda. Cæterum exempla iſta nominis alicujus ſatis aperta ſunt, cum aquilæ nomen, præſertim apud Græcos, tam avem quandam, quam piſcem ſignificet: ſimiliter & nomen canis, tam animal quoddam quadrupes, quam ſidus cœleſte, & piſcem ſimiliter ſignificare inveniatur.

Sequitur, ut de ſecundo modo aliquid dicamus: Is eſt, inquit Ariſtoteles, *cum ita conſuevimus loqui:* Opponit loquendi conſuetudinem proprietati, & ſic ſecundo iſto modo complectitur omnes figuras orationis, quæ Rhetoricæ, ni fallor, appellari ſolent: ejuſmodi ſunt, ut ab initio attigimus, Metaphora, Metonymia, Synecdoche, & aliæ ejuſmodi: quæ figuræ, cum, ut antea diximus, ad æquivocationem pertineant, ac præterea non appareat, quomodo de vera ulla amphibolia, id eſt, ambiguitate, quæ ex diverſa conſtructione naſcatur, dici poſſit, *ſic loquendi conſuetudinem eſſe*; hinc ſequi omnino videtur, nec modum illum ad amphiboliam pertinere, ſed tantum ad æquivocationem. Eſt autem præterea animadvertendum, neceſſe eſſe, *vel* aliquid in hoc ſecundo modo explicando in Ariſtotele merito deſiderari poſſe, vel ipſius verba aliquanto latius patere, quam prima fronte præ ſe ferant. Neque enim ſi ea ſimpliciter, ut ſonant, accipiantur, complectentur eas ſingulares loquendi figuras, quas quis ex ſuo ingenio adinvenerit, neque enim de iſtis, cum novæ & inauditæ prius ſint, ullo modo dici poteſt, *ſic loquendi conſuetudinem eſſe*: & tamen non minus certum eſt, novas Metaphoras, novas Metonymias, & alias ſimiles ſingulares novas figuras, ad ambiguitatem orationis aut nominis alicujus pertinere, quam licere, imo laudabile eſſe eas facere, iiſque uti, modo alioqui ſecundum rationem cujuſque figuræ in genere propriam factæ fuerint. Quod ſi ad ambiguitatem orationis vel nominis, tales ſingulares novæ figuræ pertinent; neceſſe eſt etiam, ut vel ad æquivocationem, vel ad amphiboliam pertineant: quanquam nos, ut jam diximus, eas omnino ad æquivocationem pertinere ſtatuimus. Ex quo ſequitur, ſi verba Ariſtotelis ſimpliciter, ut ſonant, accipienda ſunt, aliquid omnino in ipſis deſiderari. Sed mirum mihi videretur, quod is aliquid magni momenti, ut ſane iſtud eſſet, hoc loco omiſiſſet. Quare cenſeo ipſius verba illa, *ſic conſuevimus* dicere, ita eſſe accipienda, ut non ad ſingularia quæque referantur, aut certe non ad illa ſola, ſed etiam in genere ad ipſam loquendi rationem, adeo, ut etiamſi, exempli cauſa, nova prorſus aliqua Metaphora fiat, poſſit tamen dici, *ita homines loqui conſueviſſe*, quia ſcilicet ſæpiſſime hac figura, quæ Metaphora vocatur, in loquendo uti ſolent, nec ulla eſt Metaphora, quantumvis nova, quæ ſimilitudinem ingentem cum alia aliqua non habeat, quæ in uſu ſit, vel communi, vel certe aliquorum. Idem dicimus de aliis ſimilibus figuris. Quod attinet ad tertium modum, jam videtur de eo ſatis dictum eſſe, ubi oſtendimus, quid differat à primo, nec aliud quidquam repetendum eſt, niſi monendum, primum modum, quod ad orationem pertinet, (nam quod ad nomen aliquod attinet, nihil poteſt commune habere cum modo tertio) ita intelligendum eſſe, ut tunc ei locus ſit, cum oratio proprie plura ſignificat, propter ipſam variam verborum ſignificationem, non autem propter diverſam ullam conſtructionem; contra vero, quod ad tertium modum attinet, varium verborum ſenſum non aliunde, quam ex varia conſtructione naſci. Jam igitur concludimus, ex tribus iſtis modis Ariſtotelicis, priores duos ad æquivocationem tantum pertinere, reliquum vero tertium tantum ad amphiboliam. Ubi notandum eſt, propterea nos de tertio iſto modo ſic ſentire, quia non modo ita neceſſe ſit, ob rationem ſuperius allatam; ſed etiam id ipſum ſuadent ipſa Ariſtotelis verba,

cum

cum ait: *Illa duo separata, unum tantum singula significare.* Hoc siquidem revera dici nequit, ubi æquivocatio fuerit, ex pluribus, quam verbo uno, licet progrediens. Tunc enim etiam singula separata ista verba plura significare poterunt, ad eandem rationem videlicet, qua conjuncta significant, ut exempli causa, *Arare littus*, metaphorice acceptum aliud significat, quam proprie: verum ipsum etiam *arandi* verbum, ipsumque *littoris* nomen, utrumque per se aliud significabit, si Metaphorice accipiatur, aliud vero si proprie. Jam vero quia Aristotelica ista doctrina de modis æquivocationis & amphiboliæ, quamvis vera, tamen ut ante indicavimus, si plena censenda sit, interpretatione, dextraque explicatione indiget: propterea conandum nobis est, an aliquid hac de re explicatius & distinctius tradere possimus; distinctius inquam, ut scilicet separatim aliquid de modis utriusque fallaciæ dicatur, non autem simul conjunctim, ut Aristoteles fecisse videtur. Quod ut melius exequi possimus, necesse est prius, etiamsi fortasse aliquid à nobis repetendum fuerit eorum, quæ ante dicta sunt, quid inter se commune istæ duæ fallaciæ habeant, exponere, & rursus earum specificam differentiam docere.

Hoc igitur inter se commune habent æquivocatio & amphibolia, quod utrobique ambiguus sermo redditur: hocque est etiam commune cum sequentibus duabus fallaciis compositionis & divisionis, ut postea videbimus. Unde fit, ni fallor, ut multi, quemadmodum in eo errant, quod æquivocationem sæpe pro amphibolia accipiunt, sic etiam fallacias quasdam vel compositionis, vel divisionis, ad amphiboliam pertinere credant. Totius hujus erroris, ni fallor, causa est, nomen ipsum amphiboliæ, quod videtur recte alioqui usurpari posse, ubicunque sermonis ambiguitas fuerit. Nam apud ipsum Ciceronem libro 2, ni fallor, de divinatione, dicitur esse amphibolia in illo Oraculo, Crœso dato: *Crœsus Halim superans magnam pervertet opum vim:* cum tamen ibi non amphibolia revera, sed æquivocatio sit: si quidem ex Aristotelis mente in istis libris suis loqui velimus; quæ mens omnino attendenda iis erat, qui de fallaciis istis agunt, quicquid alioqui ipsum fallaciæ nomen, id est, *amphibolia* significare posset. Habent præterea duæ istæ fallaciæ id inter se commune, quod in neutra ambiguitas ex varietate compositionis aut divisionis verborum oritur. Nam hac ratione distinguuntur à sequentibus duabus fallaciis. Fieri potest, ut aliquid præterea commune habeant; quod quia facile intelligetur ex iis, quæ deinceps dicemus, jam exponendum nobis est, quæ sit utriusque specifica differentia. Dicimus igitur in eo differentiam istam consistere, quod æquivocatio ex varia, citra omnem constructionis varietatem, significatione nascitur: amphibolia vero ex varia quadam constructione, ex qua varia etiam significatio oritur. Hæc, inquam, differentia specifica harum duarum fallaciarum est: quamvis non pauca sint alia, quæ tamen omnia ex hac una proficisci videntur differentia, in quibus inter se non conveniant, quemadmodum ex his, quæ ante tradidimus, intelligi potest. Ubi animadvertendum est, id, quod diximus de voce una, unde amphibolia oriri possit, quod videtur adversari aliorum doctrinæ, sano modo intelligendum esse. Quamvis enim ex una voce varie accepta, id est, varie cum reliquis constructa, amphibolia semper oriatur: tamen ambiguitas ista redundat in ipsam orationem. Ut enim supra monuimus, retinet tamen interea vox ista unicam tantum significationem, licet orationis ipsius significatio mutetur, & hoc arbitror sensisse alios, cum amphiboliæ in voce una tantum locum non dedere. Quare hic reprehendendi minime videntur, si modo quis æquus judex esse velit: sed in eo nullo pacto videntur posse excusari, cum contra æquivocationi, non nisi una aliqua in voce, non autem in ipsa oratione, locum esse dixerunt. Et propterea figuras locutionum, quæ orationis sensum variant, id est, efficiunt ut oratio plures sensus habere queat, ad amphiboliam retulerunt, & ad æquivocationem omnino pertinere non intellexerunt; cum tamen in figuris istis nulla sit constructionis diversitas, sed tantum significationis: quibus rebus specificam utriusque fallaciæ differentiam contineri diximus. Quod ut firmius à nobis teneatur, perpendenda sunt verba quædam Aristotelis capite 1. libri prioris Elenchorum, ubi ait, *Naturalem ac popularem fallendi modum eum esse, qui per nomina fit.* Nominum enim appellatione intelligit quæcunque verba, ut sæpe alibi, præsertim, si recte memini, in libr. de Poëtica. Necesse est autem Aristotelem in prædicto loco intelligere fallaciam æquivocationis: quandoquidem amphiboliæ fallacia, sive alia quæpiam, quæ ex verbis ipsis resultet, non adeo naturalis est ac popularis, ut fallacia æquivocationis. Subdit autem rationem Aristoteles, cur fallacia ista adeo sit frequens; quam esse dicit, quod, cum res ipsas disputando in medium afferre non possimus, sed loco earum voces afferre cogamur; res autem infinitæ sint, voces autem finitæ, (id est, certo numero comprehensæ;) necessario fit, ut unum idemque nomen, una eademque oratio plura significet: & sic nos docet, variam significationem verbi alicujus aut orationis, quæ non ex constructione aliqua, sed ex defectu vocum oritur, ad hanc naturalem & popularem fallaciam, nempe ad æquivocationem pertinere, & consequenter figuras omnes ad ipsam spectare; figuras, inquam, Rhetoricas, in quibus, ut dictum est, non nisi de diversa significatione agitur. Præterea ex altera parte videmus, in nullo exemplorum amphiboliæ ab Aristotele allatorum, haberi diversam verborum per se significationem, sed tantum quatenus varie construuntur. Nam quod in ultimo exemplo est verbum Græcum σιγῶντα, quod, ut postea dicemus, variam significationem habere merito dici potest, cum & tacentem, & tacentia significare queat, adeoque appareat, Aristotelem utriusque hujus significationis in ipso exemplo explicando rationem habuisse; animadvertendum est nihilominus, non ex diversa ista significatione revera, sed ex diversa constructione, in exemplo isto amphiboliam oriri.

Sed jam tempus est, ut aliquid de modis istarum duarum fallaciarum dicamus. Quod igitur ad æquivocationem attinet, sic dicere possumus, quod & antea attigimus, quemadmodum & reliqua, quæ dicturi sumus: videlicet quod vel unius, vel plurium verborum esse potest; qui sunt duo modi præcipui ac generales. Jam unius verbi vel proprie semper accepti; vel modo proprie, modo figurate; vel semper quidem figurate, sed modo hac, modo illa figura; & sic prioris generalis modi, tres modi erunt. Exemplum primi istorum modorum, cum scilicet semper proprie unum verbum accipitur, & *tamen diversa significatione*, fit in verbo ἐγένετο, quod legitur Johan. 1. 14. Cum enim verbum istud vere ac proprie tam *factum est*, quam *fuit* significare possit, fallacia inde orta est; & cum debuisset verbum istud Latine reddi *fuit*, quemadmodum totus illius loci contextus, & verborum ordo aperte docet; redditum tamen passim videmus *factum est*. Ex quo mirum est quam diversus sensus oriatur, atque ejusmodi, qui in re Theologica multas turbas dedit. Exemplum porro alterius in istis tribus modis, cum scilicet verbum aliquod modo proprie, modo figurate accipitur, fit in voce *Mundus*, quæ proprie significat globum hunc cœlestem ac terrestrem, quem intuemur, figurate vero, aliis ejus significationibus omissis, significat aliquando statum illum beatorum atque immortalis vitæ, qui nobis est futurus. Quæ res non animadversa effecit fortasse, ut minime intellectus fuerit locus ille apud eundem Euangelistam, eodem cap. 1. 10, ubi ait: *Mundum per ipsum*, id est per verbum seu Christum, *factum esse.* Creditur enim vulgo, ibi sermonem esse de globo hoc cœlesti ac terrestri, cujus creationem Moses descripsit, cum tamen verisimile admodum sit, per

eam

eam vocem, significatum eo in loco fuisse statum illum beatorum atque immortalitatis, quem certum est per Christum fuisse factum, id est, nobis partum ac paratum, & sic nobis factum. Nam quemadmodum futurus mundus status iste nominatur, quamvis reipsa jam sit, quia scilicet nobis futurus est: sic etiam factus esse à Christo simpliciter dicitur, quia videlicet nobis factus est.

Aliud exemplum ejusdem modi nobis afferendum visum fuit, quod est in voce Creaturæ. Quandoquidem vox ista proprie rem significat, quatenus primo est creata; figurate vero, quatenus postea est reformata. Quæ duplex istius vocis significatio, quamvis alioquin fortasse ab omnibus animadversa, in quibusdam tamen locis vulgo non visa, sensus alienos à spiritus divini mente, ni fallor, induxit: ut in 1 capite ad Colossen. versu 15, ubi Christus dicitur esse *primogenitus omnis creaturæ*. Neque enim vulgo animadversum est, isto in loco *creaturæ* nomen non propriam, sed figuratam significationem habere; cum tamen figurata significatio ista, apud scriptores Novi Testamenti non infrequentem habeat usum. Alia exempla similia afferre possemus, sed his duobus volumus esse contenti.

Sequitur ut tertii modi, quem fecimus, æquivocationis in verbo uno, exemplum aliquod afferamus. Eum autem modum esse dicimus, cum verbum aliquod modo hac, modo illa ratione figurate accipitur. Figuræ autem nomine in hac disputatione id intelligimus, quod tropus aliter vocari solet, per quam scilicet vocabulum a propria sua significatione ad aliam minus propriam transfertur. De quibus tropis, qui & quales sint, satis id sit, quod superius attigimus; reliquum ex ipsis Rhetoricis petere poterimus. Tantum hoc loco animadvertendum est, quod uno & eodem tropo in genere accepto, exempli causa, Metaphora, potest unius & ejusdem vocabuli significatio plurimum variari. Quapropter id, quod diximus de varia figurata acceptione vocabuli unius, non ita intelligendum est, ac si ad istum tertium modum constituendum requireremus, ut unum & idem verbum vario genere figuræ prolatum fuerit, exempli causa, Metaphora & Synecdoche. Satis enim est, etiamsi eadem figura, ut Metaphora, prolatum fuerit, cum vario tamen modo singulari ipsius Metaphoræ, variaque Metaphorica significatione fuisse prolatum. Quando jam hoc monuimus, quod omnino monendum erat, jam ad exempla veniamus. Nomen *creaturæ*, de quo superius in secundo etiam modo egimus, potest præterea non una ratione figurate accipi. Potest enim Synecdochice tantum sine ulla Metaphora accipi pro homine, non simul pro alia ulla creatura, ut Marci cap. ultimo, cum Christus ait discipulis suis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Col. 1 dicitur: *Euangelium prædicatum esse omni creaturæ, quæ sub cœlo est*: ubi sine ullo dubio creaturæ nomine hominum tantum genus, seu homo solus tantum intelligendus est. Hinc quidam, inter quos Aurelius Augustinus, cum legerent id, quod à Paulo scriptum est cap. 8. Epist. ad Rom. de universa creatura, quæ ingemiscit & parturit, &c, animadvertentes absurdum sensum, qui inde sequeretur, si creaturæ nomen proprie, ut sonat, acciperetur, (tametsi alii plurimi, quod sane mirum est, id non animadverterunt) merito statuerunt, vocem istam eo in loco non proprie, sed figurate accipiendam esse. Verum in eo sunt falsi, & æquivocatione decepti, quod id, quod Metaphorice prolatum fuerat, ipsi Synecdochice tantum prolatum intellexerunt; non animadvertentes, quod, etiamsi verissimum sit, ut ex exemplis allatis constat, creaturæ nomen simpliciter positum figurate accipi pro solo homine, sed interim pro omni homine: tamen non minus potest vox ista figurate accipi pro novo homine; figura videlicet, ut diximus, Metaphora, id quod probatur ex loco illo Jac. 1. 18 ubi ait: Deum genuisse se, & illos, de quibus intelligebat ibi, verbo veritatis, ut essent *primitiæ quædam creaturarum ejus*, nempe novarum, & quatenus novi homines facti erant. Alioquin falsum comperiretur dixisse Apostolus. Nam quod in loco cap. 8. Epist. ad Rom. *creaturæ* nomine homo simpliciter intelligi nequeat, multa, quæ ibi de creatura ista dicuntur, apertum faciunt, quæ nullo pacto cuilibet homini, sed tantum hominibus novis per Christi Euangelium reformatis conveniunt; quæ poterit unusquisque, locum diligenter inspiciens, per se ipse animadvertere. Et hoc sit de primo exemplo hujus tertii modi.

Secundo videtur accipi posse pro exemplo, quod quidam concludunt, errantes in voce *sponsi* seu *mariti* Metaphorice accepta, cum dicitur aut dici potest, Christum esse sponsum seu maritum Ecclesiæ, prout intelligitur ex cap. 5. Epist. ad Ephes. Nam quia Esai. cap. 54 legitur, quod Deus appellet se, vel Propheta appelletur *Maritus populi gentilis*; ex hoc isti ad hunc modum ratiocinantur: cum (inquiunt) Ecclesiæ sponsus seu maritus unus tantum sit, hinc sane sequitur, Christum esse ipsum Deum, illum unum, inquam, Israëlis Deum, de quo prædicto loco apud Esaiam verba fiunt. Sed perperam conclusa est ratiocinatio ista. Eo enim omisso, quod aliud est Ecclesia, aliud vero gentilis populus, ex quo tota argumentatio manifeste dissolvitur; & disputationis gratia istis, qui ita colligunt, concesso, quod idem sit gentilis populus & Ecclesia; dicimus, propterea illos male colligere & argumentari, quia æquivocationem, quæ in voce mariti, figurate licet utrobique accepta, omnino est, non animadverterunt. Cujus rei causam credo fuisse, quod figura ista utrobique ejusdem generis est, nempe, ut ante attigimus, Metaphora. Sed interim, cum de Christo vox ista profertur aut merito proferri potest, tunc plena quædam Metaphora in ea voce est, eo, quia, quemadmodum Ecclesia ex hominibus constat, ita Christus ipse homo est, & spirituali propterea ratione potest vere ac plene uniuscujusque sui fidelis, & porro omnium simul, tanquam unum corpus essent, acceptorum, & sic Ecclesiæ sponsus seu maritus esse: id quod de Deo illo uno Israëlis, patre ipsius Domini Jesu Christi, minime dici potest: cum is non modo homo non sit, sed quam longissime essentia sua ad hominum essentia distet. Ex quo fit, ut, cum nihilominus populi gentilis maritus Metaphorice esse dicitur, non possit Metaphora ista plena esse, sed tantum ex parte, & Synecdochica quædam Metaphora; quatenus scilicet sic Deus amabat populum gentilem, ut vir amat uxorem suam. Multa alia, quæ ad conjunctionem pertinent, quæ est inter maritum & uxorem, quæque inveniuntur esse inter Christum & Ecclesiam, ea nullo modo inter Deum & gentilem populum intercedebant, aut intercedere poterant. Nam quod ejusmodi conjunctio spiritualis inter Ecclesiam & Christum sit, de qua nunc disserimus, probat abunde diligenter illum inspicienti locus ille, quem supra commemoravimus Epist. ad Ephes. 5.

Tertio possumus pro exemplo afferre verbum *suscitandi*, quod in ipsis Sacris Literis Metaphorice quidem sæpius accipitur, sed non una ratione. Aliquando enim *suscitare* apud Sacros Scriptores significat idem, quod facere ut existat, atque exhibere: quemadmodum legitur capite 3. Act. Apostolicorum in verbis illis ex cap. 18. Deuter. translatis, *Prophetam suscitabit vobis, &c.* Aliquando vero significat à morte in vitam revocare, cujus rei valde multa sunt exempla in Novo Testamento. Sed satis sit afferre caput 6. Euang. Joan. ubi Christus ipse quater simplici verbo *suscitandi* cum hac significatione utitur. Ex hac duplici, eademque Metaphorica verbi *suscitandi* significatione factum est, ut locus ille celebris Act. 13. 33, non fuerit à quibusdam recte explicatus, ut aliquando à Theodoro Beza in suis annotationibus. Dixi autem *aliquando*; quia videtur postea sententiam mutasse. Ita enim tunc explicabat locum istum, ut vellet verbum suscitandi, ibi ad Christum passive relatum, significare primam ejus exhi-

exhibitionem; & ſic non concedebat id, quod magni momenti in re Theologica eſt, teſtimonium illud Pſal. 2 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quatenus de Chriſto intelligitur, referri debere ad excitationem ipſius Chriſti à mortuis: quod tamen debere fieri alia docent, quæ nunc commemorare non eſt opus. Verbum igitur ſuſcitandi, quod in loco iſto, ut pleriſque ſane placet, ea Metaphora prolatum fuit, ut ſignificet excitationem à mortuis: Beza alia Metaphora dictum accipiebat, ut ſcilicet ipſius exhibitionem ſignificaret: quanquam potius negabat ille, verbum ſuſcitandi ſimpliciter prolatum, deprehendi ſignificare à mortuis excitationem, quod tamen à veritate quam longiſſime abeſſe locus ille, quem attulimus, cap. 6. Euangelii Joannis indicat.

Explicatis per exemplorum indicationem tribus illis modis æquivocationis in verbo uno, videretur agendum de modis æquivocationis in locutione aliqua: ſed tamen priuſquam id faciamus, videtur aliquid dicendum eſſe de eo, quod ab initio diximus, videlicet propriorum appellatione nos hoc in loco analogas etiam voces intelligere: Figuratorum vero verborum nomine ea complecti, quæ ex alia quapiam lingua aliud ſignificent, quam proprie ſoleant: Videtur, inquam, recte eſſe, ut exemplis iſta illuſtremus, & interim, quid ſibi velint, apertius explicemus. Analogum igitur id vocamus, quando verbum aliquod præcipue, aut ex ſua ipſius vi, aut ex uſu, aliquid ſignificat, minus vero præcipue aliquid aliud. Cujus generis in ſcripturis eſt vox *Deus*: quandoquidem illa magis præcipue, & quaſi primum, ſignificat illum unum Deum cœli terræque creatorem, minus vero præcipue, & quodammodo ſecundario, ſignificat etiam vel Angelos, vel homines, qui aliqua poteſtate, præſertim a divino conſilio manifeſte profecta, inter alios ſunt præditi. Quemadmodum docent aperte, quod ad Angelos attinet, Pſalmus 8, & Pſalmus 97, ubi vox Elohim, quæ in Hebræo habetur, partim ex interpretatione autoris Epiſt ad Hebr. 1, & 2, partim ex reipſa apparet, ſignificare Angelos, cum tamen Hebræa vox iſta proprie idem ſonet, quod *Deus*. Jam de hominibus teſtimonia habemus aperta, Pſal. 82, in illis verbis, *Ego dixi dii eſtis*, quæ ad hoc ipſum quod dicimus, probandum afferuntur ab ipſo Chriſto Joan. 10, præterea cap. 21, & 22. Exodi, manifeſte magiſtratus, & quidem cap. 22 ter, ſimplici Dei nomine appellantur. Quid plura? Ex hac appellatione Dei, quæ etiam rebus creatis conveniat, quantumvis ſimpliciter prolata, factum eſt, ut ille unus ac ſummus Deus, Deus Deorum appelletur cap. 10. Deuter. & alibi quoque. Propterea nullo pacto excuſari ii poſſunt, qui ex ſimplici Dei appellatione, Chriſto in Sacris Literis aliquoties tributa, concluſerunt, eum eſſe eundem Deum cum Patre ſuo, quod ad ipſam etiam eſſentiam attinet. Æquivocatione enim nominis *Dei* manifeſta ſunt decepti. Nam ſi creaturæ aliæ, longe Chriſto inferiores, dii ſimpliciter appellantur ob aliquam poteſtatem, qua præditæ ſunt; (Dei ſiquidem nomen per ſe poteſtatem ſeu potentiam indicat;) multo magis Chriſtus homo, & quatenus homo eſt, Dei appellatione merito fuit inſignitus: cum divinum imperium in omnia habeat ſibi Patre datum, poſtquam illi uſque ad crucis mortem obediens fuit, ut habetur cap. 2. Epiſt. ad Philip. ita ut ei Pater præter ſeipſum omnia ſubjecerit, ut legitur 1 Cor. 15. 27.

Aliud exemplum proferemus in voce Angeli, quæ ſimiliter præcipua quadam ſignificatione apud ipſos Græcos, Sacros tamen Scriptores, (nam vox ipſa Græca eſt) quamvis alioquin proprie nuncium ſimpliciter ſignificet, tamen nuncios illos cœleſtes, à Deo ad varia peragenda ſæpius miſſos, omnino ſignificat, ita ut rariſſime apud ſcriptores iſtos alio ſenſu prolata inveniatur. Unde factum eſt, ut locus quidam, qui eſt Act. Apoſtolorum cap. 12, niſi vehementer fallor, vulgo non fuerit intellectus, ubi dicitur, quod cum Petrus ex carcere divini Angeli ope liberatus fuiſſet, & ad locum veniſſet, ubi fratres alii congregati erant, oſtiumque pulſaſſet, deſcendit, ut aperiret, ancilla quædam, quæ audita voce Petri ad fores ſtantis, non apertis illis præ gaudio, rediit ad eos, qui in ea domo congregati erant, affirmans Petrum ante fores ſtare; ipſi vero, cum hoc credere non poſſent, dicebant, illam inſanire, & non eſſe Petrum illum, qui ante fores ſtaret, ſed Angelum ipſius ℣. 15. Hic etiam locus ita vulgo acceptus eſt, ut de cœleſti divinoque nuncio ſit ſermo: cum tamen nihil cogat, ad hunc modum nomen Græcum Angeli à Luca ibi ſcriptum accipere, & multa abſurda ac ferme inexplicabilia inde oriantur, ſi ſignificatione iſta eo in loco id nomen accipi debeat. Quodſi æquivocatione animadverſa, relicta præcipua iſta ſignificatione, ad alteram, quæ propria eſt ipſius nominis, tranſeamus, & intelligamus iſtos dixiſſe, non Petrum eſſe, ſed ipſius nuncium, omnia plana ſunt. Nam quod in Græco articulus præpoſitus eſt iſti voci Angeli, hic id nihil momenti habet ad perſuadendum, non de ſimplici nuncio, ſed de Angelo locum accipi debere: quaſi ſcilicet articulus ille indicet, id quod alioqui etiam creditum eſt, unumquemque fidelem Dei hominem habere certum quendam Angelum ſui cuſtodem. Nihil enim vetat, quominus, articulus iſte certum quendam hominem ſignificet, qui ſoleret à Petro, dum in carcere fuerat, ad ſuos fratres ſæpius mitti.

Jam ad exempla tranſeamus verborum, quæ ex aliena lingua aliam ſignificationem habeant, præter illam, quæ illorum eſt propria. Unum exemplum eſto vocis *juſtitiæ*, quæ cum proprie aut virtutem quandam ſignificet, aut omnes ferme virtutes complectatur, tamen ex Hebræa lingua ſignificat etiam (ut alias ex eadem lingua figuratas in noſtra & in Græca lingua ejus vocis ſignificationes omittamus,) id, quod alio nomine juſtificationem appellamus: cum interim apud ipſos ſacros Scriptores, ex quibus exemplum proferre ſtatuimus, aliud verbum ſit, quod proprie juſtificationem ſignificare poteſt, atque adeo apud ipſos ſignificat: illud eſt Græce δικαίωσις; cum juſtitia δικαιοσύνη appelletur: quandoquidem nomen iſtud δικαίωσις à verbo δικαιόω formatum ſit, quod juſtificandi ſignificatione paſſim à Paulo Apoſtolo uſurpatur. Locus autem ubi propter æquivocationem iſtam in voce juſtitiæ erratum fuerit à non paucis, eſt 1 Cor. 1 ad finem, ubi ſcriptum eſt Chriſtum à Deo nobis factum eſſe juſtitiam. Non pauci enim loci ſenſum eſſe intellexerunt, quod Chriſti juſtitia nobis imputetur. Quod ſi animadvertiſſent, iſto in loco *juſtitiæ* nomen juſtificationem ſignificare, in errorem iſtum fortaſſe non incidiſſent: quanquam concedi poteſt, ibi nomen juſtitiæ ipſam juſtitiam declarare; nec tamen inde ſequetur, ſenſum loci eum eſſe, quem iſti putaverunt. Nam quemadmodum ibidem dicitur, Chriſtum factum eſſe nobis à Deo ſapientiam, non quod Chriſti ſapientia nobis imputetur; ſed quod per Chriſtum ſapientes facti ſumus: ſic intelligendum erit, eundem factum eſſe nobis juſtitiam, non quia ejus juſtitia nobis imputetur, ſed quia per ipſum juſti facti ſumus.

Alterum exemplum proferemus in verbo *prænoſco*, quod verbum proprie ſignificat *antenoſſe*; & tamen ex idiotiſmo ejuſdem linguæ Hebraicæ plærumque ſignificat eligere ſeu approbare, cujus rei exemplum apud eundem Paulum eſt cap. 11. Epiſt. ad Rom. in ipſo ferme initio, ubi affirmat Apoſtolus, Deum non repuliſſe, id eſt, rejeciſſe, populum ſuum, nempe Iſraëliticum, quem prænovit. Nam ſine ullo dubio ibi verbum *prænovit*, idem plane valet, quod elegit, quemadmodum omnes animadverterunt: interim tamen pauci fuerunt, qui hoc idem, hoc eſt, eligendi ſignificationem verbo iſto contineri agnoverint, in loco illo celebri ejuſdem Epiſt. 8, ubi ſcriptum eſt, Deum, quos præſcivit ſeu prænovit, prædeſtinaſſe conformes fieri imagini filii ſui. Putarunt enim, iſto in loco

verbum istud retinere suam propriam significationem: quamvis, si diligenter animadvertissent, vix fieri posse vidissent, ut is locus interpretationem istam ullo modo ferat. Neque enim ibi quicquam agitur de eo, quod de nobis Deus præsciverit proprie loquendo, sed de eo tantum, quod statuerit. Verum non est hic locus id pluribus ostendendi ac persuadendi.

Absoluto priore principali membro divisionis nostræ modorum æquivocationis, jam ad posterius transeamus, & exempla proferamus æquivocationis, non in unico tantum verbo, sed in locutione ipsa, quæ sane sæpissime duobus tantum verbis constat. Et primum demus exemplum locutionis, quæ proprie non unum tantum significet. Ea erit, quam legimus Joan. 6, ubi Christus interrogatus à discipulis, quid facere deberent, ut operarentur opera Dei, respondit ℣. 28. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Duplex enim est significatio hujus locutionis *opus Dei.* Nam & significat opus, quod ipse Deus facit, & etiam opus declarat, quod Deus probat. Et sane locus ipse, hoc est, præcedentia verba, ipsaque proxima Judæorum interrogatio ostendit, posteriore, quam modo exposuimus, significatione, locutionem hanc ibi accipiendam esse; & tamen non defuerunt, nec desunt, qui illam ita acceperint & accipiant, ut priorem significationem in isto ipso loco habeat; & hinc demonstrare conentur, quod in Christum credimus, hoc nullo pacto esse opus nostrum, sed Dei tantum; in quo quantopere per ambiguitatem istam locutionis decepti fuerint, non est instituti nostri nunc docere.

Illud, antequam ad alia exempla transeamus, omittendum nobis non est, (tametsi id inferius, cum de amphibolia nominatim agemus, dicendum reservari potuisset) quod plærique, qui de istis fallaciis scripserunt, similem locutionem, ejusque ambiguitatem, non ad æquivocationem, sed ad amphiboliam referunt; & quidam exemplum dant in ea locutione: Hic liber est Ciceronis. Sed falluntur omnino, judicio meo: cum ambiguitas locutionis istius, (quæ est, quod significare possit, librum possideri à Cicerone, & non minus etiam declarare, librum à Cicerone scriptum esse) non oriatur ex ulla diversa ipsorum verborum constructione, sed tantum ex varia significatione. Ciceronis enim nomen, genitivo casu enunciatum, ista duo significat, quamvis utrobique agendi significatione efferatur. Diximus autem, diversam constructionem inde pendere, quod vox aliqua modo agentem, modo patientem rem significat, & jam constituimus, specificam duarum istarum fallaciarum differentiam esse, quod æquivocatio ex varia significatione, amphiboliæ vero ex varia constructione ortum suum ducat.

Sequitur, ut exemplum demus locutionis, quæ proprie accepta quiddam significet, quod, si figurate accipiatur, significare nequeat, & porro figurate accipi possit. Ea sit celebris illa, Christi carnem comedere, & sanguinem bibere, quæ in eo Joh. cap. 6, sæpius repetitur. Peperit siquidem ambiguitas istius locutionis, ut omnes sciunt, ingentes controversias, quæ adhuc in Christiano populo durant, & quorum finem hactenus nullum videmus, aliis contendentibus, locutione ista declarari, proprie, vere, ac corporaliter, ut loquuntur, comedi Christi carnem, & sanguinem bibi; aliis vero, hoc, & quidem merito, non modo detestandum quiddam, sed etiam impossibile affirmantibus. Id certum est, ad horum sententiam persuadendam, satis debuisse esse idipsum, quod Christus ipse, cum videret ejus sermone fere omnes offensos fuisse, & dicere, durum esse sermonem illum, statim subjungere voluit, (quanquam Christi verba, ut in ipso textu jacent, subobscura sunt) eos tunc intellecturos, quo sensu ipsius verba essent accipienda, cum vidissent illum in cœlum ascendisse, ibique scilicet permansurum esse; hoc enim nimirum satis futurum erat ad ostendendum, Christi verba non proprie accipienda esse. Quis enim proprie loquendo in terra manens, corpus aliquod comedere potest, quod in cœlis perpetuo maneat? Sed hoc non contentus Christus addidit præterea, carnem nihil prodesse, & verba, quæ ipse locutus fuisset, spiritum & vitam esse; ac si diceret: Verba mea non corporaliter sed spiritualiter accipienda sunt. Sensus enim eorum, ut sic dixerim, corporalis, & consequenter proprius, & quem verba sonant, nihil prodesse potest; seu comestio illa corporalis nihil juvare quenquam valeret; sed spiritualis sensus, & consequenter figuratus, seu spiritualis comestio vitam est allatura, æternam scilicet ac beatissimam.

Tertium exemplum locutionis ambiguæ erit, cum figurate tantum locutio semper accipitur. Videtur autem non ineptum esse exemplum locutionis *dandi locum*, quæ licet non plane proprie accepta, duo tamen, & fortasse plura admodum diversa significat, ita ut contrariam etiam quodammodo significationem habere videatur. Nam & significat *permittere, ut aliquid transeat*, & quasi evanescat, & etiam declarat *permittere, ut aliquid maneat.* Prioris significationis locus est apud Paulum Rom. 12. 19 cum illos monet, ut dent locum iræ: ubi sine dubio, quamvis quidam de loci sensu dubitent, intelligendum est, Paulum monere, ut permittant iram transire, id est, evanescere & resolvi. Alterius vero significationis apud eundem locus est apertus ad Ephes. 4. 27, ubi illos monet, ne locum dent Diabolo, quod nemo dubitat significare, ne velint permittere, ut Diabolus apud ipsos maneat, id est, in eis aliquid efficiat, prout solet, & proprium ejus est; nempe, unde illi aliquid vel animo, vel corpore, vel cogitatione denique agant, quod Dei præceptis adversetur. Videmur satis de æquivocationis fallacia dixisse, præsertim cum, si quid adhuc dicendum remanet, id in fallacia amphiboliæ diligentius pertractanda intelligi possit. Hoc unum adhuc dicendum superest, nempe quod exempla æquivocationis ab Aristotele allata, quæ supra & recitavimus & explicavimus, pertinent omnia ad prius membrum divisionis, quam æquivocationis fecimus, id est, ad verbum unum, id primum ex tribus capitibus, quæ istius primi membri fecimus, cum scilicet istud unum verbum propria significatione acceptum, modo hoc, modo illud declarat, seu non unum tantum, sed plura declarare est aptum.

Nunc, quatenus ad amphiboliam pertinet, antequam ejus divisionem aliquam faciamus, id explicandum videtur, quod antea attigimus, an scilicet casuum varietas in nominibus ad amphiboliam referenda sit, quemadmodum diximus multos præstantes viros arbitrari. Cujus rei occasione, etiam de varietate generis & numeri aliquid dicemus, nec non de varietate passivæ & activæ significationis in verbis; an scilicet & ista ad amphiboliam necne pertineant. Quod attinet ad casuum varietatem, eo retento, quod jam diximus in ipsa amphibolia quodammodo definienda, quod scilicet ea oriatur ex diversa constructione, omnino concludendum est, si varietas ista casuum, in eodem scilicet genere & numero, (nam de his postea agemus) nullam constructionis varietatem inducat, non esse ambiguitatem, quæ inde oriatur, ad amphiboliam referendam. Ut exempli gratia, hæc verba, *Ego cornu ferio*, possunt significare, quod ipsum cornu loquatur, & dicat, se ferire, accipiendo videl. *Cornu* nominativo casu. Quodsi eandem istam vocem sexto casu accipias, tunc verba ista significabunt aliquem loquentem, qui dicat, se cornu ferire. Hic judicio meo, quatenus potest considerari aliqua diversa constructio (siquidem vox cornu, si ablativo casu accipiatur, instrumentum significat, si vero nominativo, rem agentem) dici etiam potest, ibi esse amphiboliam; sed interim, quatenus alia consideratione varietas inducitur, id est, vel ut vox cornu cum pronomine ego conjungatur, vel ab eo disjungatur, tunc varietas sensus, quæ inde simul nascitur, videtur non ad amphiboliam, sed ad conjunctionem & divisionem referenda. Si igitur

occurret

occurret exemplum aliquod, ubi ejusmodi casuum varietas sensum diversum quidem inducat, constructionem tamen citra conjunctionem aut divisionem nullo modo variet, dicendum erit, ibi non esse amphiboliam. Sic enim semper intelligenda sunt verba nostra, quando de amphibolia disputantes, varietatis constructionis mentionem facimus, ut scilicet varietas ista intelligatur, & fit, citra conjunctionem & divisionem verborum: alioquin enim ipsa divisio & conjunctio verborum orationis, sine ullo dubio constructionem variam ipsius sermonis facit.

Jam quod attinet ad varietatem generis & numeri in nominibus; crederem, ambiguitatem inde provenientem non ad amphiboliam, sed ad æquivocationem pertinere, ob id videlicet, quod varietas ista inducit in ipsam vocem, si non omnino, aliquo saltem modo, variam significationem. Propterea in exemplo illo, quod apud aliquem ex iis, qui istas fallacias tractant, scriptum invenimus: *Asini sunt Episcopi*: ubi ipsi volunt omnino esse amphiboliam, credimus (quatenus vox Episcopi, & unum Episcopum, & plures significare potest, unde etiam magna ex parte ambiguitas ipsius orationis oritur) ambiguitatem istam non ad amphiboliam, sed ad æquivocationem referendam esse.

Quod si quis nobis objiciat, Aristotelem exemplum attulisse amphiboliæ, ubi diversitas & numeri & generis in una voce simul est. Est autem hoc exemplum illud jam à nobis explicatum, Græce σιγῶντα λέγειν. Vox enim σιγῶντα, ut ipsemet Aristoteles exponit, & silentem, quod est masculini vel fœminini generis, & numeri singularis, & silentia, quod est generis neutrius, & numeri pluralis, (quanquam, quod attinet ad Genus, vox Græca non perinde ut Latina silentem, ad utrumque genus masculinum & fœmininum, sed ad masculinum tantum pertinet) si, inquam, objiciat quis nobis istud ipsum Aristotelis exemplum, respondendum est, diversitatem generis & numeri non illud revera esse, quod ambiguitatem istorum verborum facit, sed tantummodo variam constructionem, prout videlicet verbum σιγῶντα aut rem agentem, aut rem patientem significat, quod verissimum esse deprehendetur, si quis verbum istud semper eodem genere ac numero accipiat. Videbit enim, eo quoque casu non minus eandem varietatem in verbis istis inveniri, quam si diverso genere ac numero accipiatur. Fac igitur σιγῶντα semper silentem significare; est omnino hic nihilominus ambiguitas, si, inquam, hæc duo verba accipiamus, *silentem dicere*. Possunt enim significare & aliquem, qui silens dicat, & aliquem, qui dicat silentem, id est, de silente. Quamvis igitur Aristoteles commodioris exempli & usitatioris sermonis causa ita seipsum interpretatus fuerit, ut verbum σιγῶντα modo numero singulari, & genere masculino, modo numero plurali & genere neutro acceperit; non tamen sequitur, ex variatione ista nasci revera amphiboliam, sed, ut diximus atque docuimus, ex varia constructione.

De verbis porro, quorum voces modo active modo passive accipi possint, ut contingit apud Græcos in plærisque vocibus verborum mediorum, quæ vocant; crediderim, nisi subtiliter nimis velimus hac in re versari, istam varietatem nullo modo ad amphiboliam, sed ad æquivocationem pertinere. Quamvis enim necessario, ubi hæc varietas incidit, constructionis diversitas citra ullam verborum conjunctionem aut divisionem perpetuo adsit; tamen considerandum est, ex varia significatione ipsius vocis ambiguitatem revera nasci, quod jam diximus proprium esse æquivocationis; & ex varia ista significatione varietatem constructionis quodammodo per accidens consequi; non autem contra ex constructionis varietate significationis diversitatem oriri, quod tamen necesse esset, si ambiguitas orationis ad amphiboliam referenda esset.

Nunc videretur aggrediendum, ut divisiones aliquas ipsius amphiboliæ faceremus; sed prius adhuc de exemplo quodam agendum est, quod fere ab omnibus affertur hujus ambiguitatis, quam amphiboliam appellamus. Est namque exemplum illud celeberrimum, illud, inquam, quod Crœso adversus Cyrum exercitum ducturo ab oraculo responsum est: Crœsus Halim superans magnam pervertet opum vim. Quicquid enim alii dicant, nos nullo modo credimus, in responso isto, quantumvis ambiguo, illam amphiboliam ejus generis, de quo loquimur, (quæ scilicet ab æquivocatione præcipue distinguatur, & ab aliis similibus fallaciis, qualis est etiam conjunctionis & divisionis) contineri, sed varietatem, quæ ex duobus in eo responso nascitur, ad alia omnino genera ambiguitatum referendam esse, ut postea dicemus. Nec obstat, quod Cic. lib. 2, de divinatione appellet ambiguitatem istius responsi amphiboliam; neque enim Cicero in loco isto ad istas Aristotelis fallacias respexit, sed amphiboliæ nomine generali significatione pro ambiguitate est usus. Nam hoc idem, ni fallor, ipse Aristoteles in his ipsis libris duobus Elenchorum aliquando fecit, ut scilicet, quamvis aperte inter amphiboliam & alias ambiguitates sermonis in fallaciis istis enumerandis distinxerit, tamen amphiboli & amphiboliæ vocibus ita usus fuerit, ut etiam & æquivocationem & ambiguitates alias, præter illam specificam amphiboliæ, quam tradidit, omnino significet. Quicquid sit, illud certum est, varietatem hujus responsi, id est, significationis ejus, non habere, judicio meo, quicquam commune cum specifica illa amphibolia. Ambiguitas siquidem responsi istius, vel ex verbo *pervertet* oritur, vel ex eo, quod in oratione illa est tacitus defectus quidam. Quod attinet ad verbum *pervertet*, illud ita accipi potest, ut significet veram & propriam actionem, ita ut sensus sit: Crœsum vere ac proprie tanquam agentem, idque operantem, perversurum magnam vim opum. Hoc autem sensu verbum istud acceptum omnino efficiet, ut sensus sit, Crœsum alienarum opum vim perversurum. Neque enim suas ipsius opes quisquam, proprie loquendo & proprie agendo, pervertit: sed si verbum istud ita accipiatur, ut perversio non ab eo, qui id agat, proficiscitur, sed per accidens ex iis, quæ ab illo fiunt, oriatur, tunc sensus erit, non quidem Crœsum alienas opes perversurum, sed suas ipsius, dum interim aliud agit, id est, dum quærit alienas opes pervertere, perversurum suas. Quod porro attinet ad alteram ambiguitatis causam, quæ est, quod desideratur aliquid in voce opum, ut scilicet intelligi possit, an de suis, an de alienis opibus sermo fiat; certum est, si *suarum* subintelligendum sit, diversum plane fore sensum ab eo, si *alienarum* subintelligatur. Jam vero sive hæc, sive illa, sive utraque varietas ambiguitatem istam inducat, certissimum est, hic nullam variam constructionem inveniri, & propterea ne amphiboliam quidem esse proprie ac specifice dictam. Quæ igitur, quæret quis, est causa specifica istius ambiguitatis, seu ad quam fallaciam ex illis Aristotelicis, ea, quæ hoc responso continetur, referenda est? Si Aristotelis librum Poëtica & Rhetorica haberem, crederem me securius aliquid ex ipsius Aristotelis mente respondere posse. Videor enim mihi meminisse, vel in utroque, vel in alterutro istorum suorum librorum, Aristotelem hujusce exempli mentionem facere, eaque verba dicere, ex quibus facile intelligi possit, ad quam ex ipsius fallaciis, fallacia ista pertineat. Credo tamen, ni fallor, ipsum in Poëtica ad ænigma responsum istud referre. Quod si ita est, videtur posse concludi, istius responsi fallaciam ad æquivocationem pertinere. Nam, ut ipse, si recte memini, in eodem libro tradit, ænigma aliud nihil est, quam coacervatio figurarum sermonis, unde obscuritas necessario oritur. Sermonis vero figuras omnes ad æquivocationem pertinere, quatenus ambiguitatem aliquam continent, supra à nobis & dictum & ostensum est. Cæterum, si velimus utramque, quam diximus, ambiguitatis in responso isto causam separatim considerare, dici poterit, quod atti-

attinet ad priorem, quæ in verbo *pervertet* consistit, ibi accidentis fallaciam esse. Ex accidente enim, ut jam dictum est, pervertit Crœsus opes suas, dum alienas pervertere curat. Quod si quis admittere nolit, quod tamen nobis admittendum omnino videtur, tunc aliud nihil relinquetur, nisi ut in verbo isto sit æquivocatio, quatenus scilicet modo significat veram actionem, idque quod quis agere intendit, modo non veram, & id, quod ex accidente ex cujuspiam actione proficiscitur. Quod vero attinet ad alteram causam, quod, inquam, reticeatur verbum vel *alienarum*, vel *suarum* addendum voci *opum*; videtur Aristoteles in istis ipsis Elenchorum libris orationes ejusmodi ad aliud quodpiam genus referre, quatenus pertinet ad ambiguitates iu illis contentas, quàm ad ejusmodi, ubi dici possit, contineri aliquam ex fallaciis ab ipso in dictione existentibus enumeratis. Quod si quis tamen urgeat, & velit omnino diserte dici, quid sentiendum sit, si ad fallacias in dictione existentes, ut quidem omnino videtur, ista sit referenda, tunc dicendum similiter erit, eam ad æquivocationem pertinere, quandoquidem vox opum simpliciter prolata, tam suas, quam alienas opes significare est apta.

Hoc celebri exemplo à nobis examinato, jam ad ipsam amphiboliæ divisionem veniamus. Dico igitur, ut omnis perfecta divisio videtur ab initio bimembris tantum esse debere, aliam amphiboliam esse, quæ cum verbo, id est, ea orationis parte, sic proprie a Grammaticis dicta, fiat, aliam vero, quæ sine verbo. Rursus ejus, quæ fit cum verbo, alia est, quæ ambiguitatem suam ducit ex una tantum voce varie constructa; alia vero, ubi ambiguitas ex duabus simul vocibus varie constructis, proficiscitur. Utriusque istius amphiboliæ, quæ cum verbo fit, exempla habemus apud ipsum Aristotelem: quandoquidem exempla illa, *Quod quis cognoscit, hoc cognoscit; Et, quod quis videt, hoc videt*, pertinet ad amphiboliam cum verbo, quæ ex una tantum voce varie constructa oritur. Exemplum vero illud ejusdem Aristotelis; *Velle me hostes capere*, ad alteram illam amphiboliam cum verbo factam spectat, quæ ex constructione varia duarum vocum eodem tempore ducitur, ut per se, tam in hoc, quam in duobus superioribus exemplis id, quod diximus, arbitramur omnibus manifestum esse. Veruntamen non omittemus, quin dicamus, in hoc ultimo exemplo id, quod de eo affirmavimus, aperte constare ex eo, quod & vox *me*, & vox *hostes* isti varietati constructionis subjaceant. Uno siquidem sensu, *me* res agens est, *hostes* vero patiens: altero vero contra, *hostes* res agens est, *me* vero patiens. At in duobus prioribus exemplis, utrocunque sensu, qui illis subest, & ambiguitatem facit, pronomen *hoc* tantum varie construitur, & modo agentis, modo patientis locum tenet. Atque hic non omittam, quin moneam, ex exemplis istis Aristotelicis & aliis similibus, illa, in quibus ambiguitas ex constructione varia duarum simul vocum oritur, meo quidem judicio, vere ac proprie ac simpliciter amphiboliam esse: sed eam, quæ ex una voce tantum, qualis ea est, quæ in exemplis Aristotelis habetur, varie constructa ortum suum ducit, non mihi videri simpliciter amphiboliam appellari posse, quicquid Aristoteles contra sentire videatur. Arbitror enim, sano modo ipsius verba accipienda esse. Nimis enim, ni fallor, apertum est, in exemplis istis ambiguitatem potius ex conjunctione & divisione nasci, quam aliunde; & jam non semel diximus; ubi conjunctio & divisio verborum varietatem sensus inducit, quantumvis constructio varia merito dici possit, tamen ibi amphiboliam minime esse, seu fallaciam, quæ inde oriri possit, non ad amphiboliam, sed ad conjunctionem & divisionem pertinere. Quod autem in exemplis istis id fiat, quod diximus, ex eo apparet, quod cum dico, *Quod quis videt, hoc videt*, tunc, si sensus sit, quod aliquis id videat, quod ipse videt, verbum *videt* secundo loco positum, conjungi debet cum voce *quis*. Sed si sensus fuerit, quod id, quod aliquis videt, ipsum videat, tunc sine dubio verbum *videt* non cum voce *quis*, sed cum voce *hoc* jungendum est: & ita constare manifeste videtur, hic esse verborum conjunctionem aut divisionem. Arbitror autem Aristotelem, qui alioqui hac ipsa in re, id est, in animadvertenda conjunctione ac divisione verborum, eaque ab aliis, quæ ambiguitatem in oratione faciant, distinguenda, diligentissimus ac perspicacissimus, ut solet, omnino fuisse videtur, propterea ad amphiboliam ejusmodi exempla retulisse, quia illius tantum rei rationem habuit, quod in duabus illis vocibus, aut similibus, *hoc videt*, pronomen *hoc*, modo agentis, modo patientis locum tenet, seu tenere potest, quod amphiboliæ proprium esse diximus. Cui rei adde, quod in exemplo isto, utrumcunque ex illis duobus sensibus, quod diximus, sequaris, semper secundum verbum *videt* conjungitur cum *hoc*, id est, nunquam ab eo disjunctum est, id quod non videtur contingere in fallacia divisionis & compositionis hujus generis, seu malis dicere compositionis tantum, aut divisionis tantum. Cum enim bujus generis est seu divisio, seu compositio, quemadmodum postea videbimus, tunc verbum, seu verba aliqua, si cum uno præter id, quod fas est, componuntur, necessario ab altero dividuntur. Quod cum hic, ut jam ostensum est, non contingat, sed verbum illud *videt* secundo loco positum, quamvis in altero sensu cum pronomine *quis* conjungatur, in altero vero minime, cum pronomine *hoc*, ut dictum fuit, semper sit conjunctum, sed tantum pronomen *hoc* modo agentis, modo patientis locum teneat; nibil mirandum est, si Aristoteles non ad fallaciam divisionis aut compositionis, sed ad amphiboliæ fallaciam exemplum hoc retulit. Veruntamen negari id non potest, quod ab initio diximus, in ejusmodi exemplo esse mixturam quandam, nec simplicem amphiboliam in eo posse animadverti, cum illa, quæ in eo reperitur, sine varietate conjunctionis ac divisionis esse nequeat.

Vidimus de utroque modo amphiboliæ, quam primi ejus membri fecimus, quantum pertinet ad Aristotelis exempla: Nunc, prout nobis moris est, adducenda essent istiusmodi exempla ex Sacris Literis, atque, ut hactenus fecimus, & institutum nostrum est, ex ipso Novo Testamento. Sed quod attinet ad primum modum, cum scilicet una tantum vox varie accepta, id est, modo cum significatione aliqua agendi, & modo patiendi, variam ut constructionem, sic significationem orationis facit, nullum adhuc succurrit in scripturis Novis Testamentis exemplum: propterea ad exempla alterius modi accedemus; in quo tamen tractando, non afferemus exempla, quæ sint plane similia ejus unius, quod hujusmodi Aristoteles attulit, illius, inquam, *velle me hostes capere*, non quod non sint hujusmodi exempla in scriptis Novi Testamenti, nec sane raro: sed quia ejusmodi sunt, quæ nulli hominum, quod sciam, hactenus difficultatem aliquam pepererint, quominus locum ita intellexerint, ut intelligi debet, quamvis plane rudis atque inexercitatus fuerit. Et hoc quidem dico, quatenus ad ea exempla attinet, quæ à me hactenus observari potuerunt. Potest enim alioqui fieri, ut aliqua alia sint, plane istius Aristotelici similia, quæ efficiant, ut quis de loci sensu dubitet: sed ea mihi, ut nondum cognita, necessario hoc loco omittenda sunt: satis igitur fuerit, si exempla attulerimus, quæ ad istum secundum modum alioqui omnino pertineant, etsi aliquid dissimilitudinis cum Aristotelico exemplo, ejusque aliis similibus omnino habeant, satis inquam fuerit, si sint ejusmodi, in quibus non in una voce tantum, sed in duabus propter variam constructionem sit ambiguitas, quæ est quodammodo substantia hujus secundi modi.

Exempla igitur erunt, ubi cum verbo *sum*, quatenus, ut illud Grammatici vocant, vere substantivum est, duo conjunguntur, sive ab eo duæ voces reguntur,

quarum

quarum unam ante se, alteram vero post se, ut iidem Grammatici loquuntur, plane regat, ita ut, Dialectice loquendo, altera subjecti, altera vero prædicati locum teneat. In quo nos antea diximus posse interim animadverti id, quod amphiboliæ proprium quodammodo esse diximus, ut ambiguitas variaque ipsa constructio orationis inde nascatur, quod una aut duæ voces, modo agentis, modo patientis locum teneant: quandoquidem, ut diximus, *ea vox, quæ substantivo verbo juncta locum subjecti tenet, videtur passionem aliquam significare, ea vero quæ prædicati actionem.* Quam considerationem passionis & actionis ideo excogitavimus, ut omnia genera amphiboliarum complecteremur. Quod si quis in ea amphibolia, quæ verbum habet, sic proprie à Grammaticis appellatum, alia ratione id, quod nos intelligimus, exprimere velit, poterit eo modo loquendi uti, quo nos proxime usi sumus, *regendi ante se & post se*, unde sine dubio ambiguitas oritur.

Sed jam ipsa exempla exponamus. Primum exemplum erit illud, quod legitur 1 cap. 1. Joh. *Et Deus erat verbum.* Incertum enim esse videtur, utrum *Deus* subjecti, an vero prædicati locum in ista oratione obtineat? Et sic vicissim de voce *verbum* eadem est dubitatio; unde factum est, ut non desint viri doctissimi, tam hujus quam illius sententiæ defensores; adeo, ut ex hoc loco altera eorum pars omnino concluserit, quod Deus sit verbum, & inde multo vehementius ex loco isto Johannis argumentati fuerint adversus illos qui negant, verbum, id est, Christum, esse illum unum Deum. Nam certe id inde consequitur, si nomen Deus in illis Johannis verbis subjecti locum teneat. Hoc enim significat Deum illum unum ibi intelligi: nec, ut quidem arbitror, in toto Novo Testamento ullus est locus, ubi vox *Deus* subjecti locum tenens, illum unum Deum non significet. Verum dicendum est, istos, quantumvis eruditos, argumentatione ista sua, ex loco isto ducta, in amphiboliæ fallaciam incidisse: Cum non modo nihil cogat, ita Euangelistæ verba accipere, ut vox *Deus* subjecti locum teneat, *verbum* vero prædicati: sed etiam non desint rationes, quæ doceant, omnino Euangelistæ mentem fuisse, nomen *Dei* subjecti loco minime ponere, sed tantum prædicati; *verbi* vero non prædicati, sed subjecti: quas hoc loco enumerare atque explicare necessarium esse non duximus, tantum unius mentionem faciemus, quæ ab aliis etiam observata est, quod videlicet, si mens Euangelistæ fuisset, ut vox *Dei* subjecti locum teneret, omnino ei articulum addidisset. Nam alioqui, cum articulus voci tantum *verbi* appositus inveniatur, id solum satis indicare videtur, *verbi* vocem subjecti, *Dei* vero prædicati locum tenere; sensumque esse, quod verbum erat Deus, non quidem ille unus Deus, qui ibidem proxime nominatus est; siquidem cum articulo est nominatus, quem hic deesse diximus: sed tamen Deus, id est, divina potestate atque imperio præditus. Supra enim, cum de exemplis æquivocationum in Sacris Literis ageremus, satis docuimus, Dei nomen æquivocum esse, & sæpe illum significare, qui insigni aliqua potestate sit præditus; multo autem magis, si divina, etiamsi non sit ille unus Deus. Neque obstat, quod hac ratione videatur naturalis loquendi ordo immutatus, quippe quod talis ordo requirat, ut nomen illud, quod subjecti locum, si substantivo verbo junctum fuerit, tenere debet, non post ipsum verbum, sed ante collocetur, contra vero illud, quod prædicati locum tenet, non ante, sed post collocari debeat; quandoquidem, ut mox videbimus, non desunt exempla contrarii ordinis in ipso N. Testamento.

Alterum igitur exemplum nunc sit illud, quod legitur, Act. 8.17. Ubi Eunuchus ille, quem Philippus baptizaturus erat, hæc verba protulit: *Credo filium Dei esse Jesum Christum.* Quod sane exemplum aliquanto rectius dicitur amphiboliam continere, cum utrique voci, tam filio Dei, quam Jesu Christo appositus sit articulus. Est autem manifesta hujus orationis ambiguitas ex constructione varia, cum ex ipsis verbis statui omnino non possit, an Eunuchus dicere voluerit, quod filius Dei, ut subjectum, sit Jesus Christus, quod sit illius prædicatum; an vero contra, quod Jesus Christus, ut subjectum, sit filius Dei, quod sit ejus prædicatum. Quidam certe præcipuus inter illos, qui hodie contendunt, filium Dei, quamvis non sit ille unus Deus, fuisse ante orbem conditum, & postea hominem in virginis Mariæ utero factum esse, omnino ex loco isto probari vult, quod filius Dei sit factus Jesus Christus, idque ob naturalem illum ordinem, de quo diximus, cum nimirum filius Dei ante substantivum verbum collocatus fuerit, id est, vox ista *filius Dei*, post vero collocata fuerit vox *Jesus Christus*. Sed plurimum fallitur: Omnis enim scriptura testatur, Jesum, seu Jesum Christum, quatenus Christi nomen tanquam proprium una cum nomine Jesu illius personæ profertur, esse ipsum Dei filium, idque non omnino & absolute, nisi post resurrectionem suam à mortuis, ut inter cætera testimonia aperte colligitur ex iis, quæ à Paulo dicuntur, tum Act. 13, tum 1 cap. Epist. ad Romanos. In loco enim Actor. ad Christi resurrectionem accommodat locum Psal. 2.33, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: in loco vero ad Romanos ℣. 4, si vox Græca ὁρισθέντος recte exponatur, omnino dicit, Christum per resurrectionem à mortuis constitutum fuisse Dei filium. Ex quo sequitur, tantum abesse, ut Dei filius factus sit Jesus Christus, ut jam Jesus Christus esset (sumendo videlicet, ut diximus, hic nomen Christi tanquam appellationem ipsius Jesu, nec propriam ac perfectam ipsius significationem considerando, prout sine dubio factum fuit ab Eunucho illo, cum illa verba protulit) antequam plene ac perfecte filius Dei foret. Quanquam præterea ipsum nomen Jesus, quod personam ipsam omnino significat, satis per se ostendit, isto in loco, Jesu Christi nomen non prædicati, sed subjecti locum tenere; neque enim personæ prædicari ipsæ solent, sed de illis aliquid prædicatur. Hoc dixi, ne quis adversus ea, quæ proxime diximus, cavilletur, Eunuchum similiter, cum filium Dei nominavit, perfectam filiationem non intellexisse, hacque ratione credat se posse effugere, quominus fateatur, *Jesu Christi* nomen isto in loco subjecti locum tenere.

Ratio porro, quæ hominem istum, cujus antea meminimus, & alios fortasse, qui illum imitantur, movet, ad locum istum ita interpretandum, ut Jesu Christi nomen prædicati locum teneat, quæque nulla alia est, quam ut diximus, naturalis quidam, uti videtur, loquendi ordo, exemplis, ut antea indicavimus, ex ipso Novo Testamento sumptis, facile refelli potest: præcipue vero ex eo, quod legimus 2 Cor. 3, ubi hæc verba habentur ℣. 17, *Dominus autem spiritus est*, vel potius *ille spiritus*. Est enim ibi non minus in Græco contextu, tam voci Domini, quam voci spiritus articulus appositus, quam in loco Actorum voci *filii Dei*, & voci *Jesu Christi* appositus fuerit; & tamen nomen spiritus sine dubio subjecti locum tenet, Dominus vero prædicati. Dixerat enim proxime Apostolus verba hæc ℣. 16: *Ubi autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velum*: & statim subjungit, *Dominus autem spiritus est*. Explicat siquidem his postremis verbis, quid Domini nomine, quod in anteriore membro protulerat, intelligat, quidve sibi voluerit, cum dixit: *Ubi autem conversus fuerit ad Dominum*: nempe se Domini nomine, nihil aliud, quam ejus spiritum intellexisse, dicereque voluisse, ubi Judæus homo spiritus Christi particeps fuerit factus, ablatum iri velum illud quod super ipsius cor est, ut antea dixerat, quo minus cum Moses legitur, id quod legitur, intelligere possit: quod ipse Apostolus satis declarat, cum deinceps statim subjungit: *Ubi autem est Domini spiritus, ibi est libertas.* Patet igitur, etiamsi nomen spiritus posteriore loco sit positum, Domini vero nomen priore, tamen id nihil obstare, quominus spiritus nomen subjecti, Domini vero prædicati locum teneat. Nam etsi in exemplo isto verbum *est* legitur post utrumque nomen, tamen ordo, de quo diximus, quo illa scripta sunt, omnino requirit, ut perinde sit, ac si nomen *spiritus* verbo isti postpositum fuisset, & dictum foret, *dominus autem est spiritus.*

Sic enim intelligendum est, quod antea diximus de nomine ex illis duobus post substantivum verbum posito, ut scilicet non sit necesse id diserte fuisse factum, sed satis sit verba ita prolata fuisse, ut idem valeant, ac si id diserte sic factum esset; & breviter, ut intelligatur, quod diximus de nomine posito post verbum *est*, idem plane esse, ac si dixissemus, illud non priore sed posteriore loco respectu alterius nominis fuisse positum. Aliud adhuc exemplum afferemus istius non servati ordinarii ordinis, cum nihilominus interim id nomen, quod posterius est positum, subjecti, quod vero prius, prædicati locum teneat. Illud est Joh. 6. 51, in verbis illis Domini Jesu, *Et panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Vult enim Dominus explicare ac dicere, quod ejus caro sit ille panis, quem se daturum dixerat: non autem proprie loquendo, quod panis iste sit ejus caro; & tamen, ut videmus, caro ejus in istis verbis posteriore loco est nominata, licet subjecti locum teneat, panis vero ille priore, licet teneat locum prædicati. Ubi etiam notandum est, quod utrumque istud nomen similiter, ut in aliis proximis exemplis, habet sibi in Græco articulum appositum. Unum adhuc exemplum afferemus hujus generis amphiboliæ, ubi duo nomina sunt cum verbo substantivo, & interim non plane constat, utrum ante vel post ab eo verbo regatur. Est autem hoc exemplum id, quod legitur Johan.4.27, πνεῦμα ὁ θεὸς Quamvis enim nullum hic habeatur expressum verbum, tamen videtur omnino subaudiendum verbum *est*, quo subaudito, oritur dubitatio, an in istis Christi verbis intelligendum sit, quod Deus sit Spiritus. an vero, quod Spiritus sit Deus? Tametsi enim vix invenitur, qui ita locum interpretetur, ac si Christus dixisset. quod Spiritus sit Deus, tamen, cum videamus in illo alio exemplo. apud eundem Joh. 1. 1. *Verbum erat Deus*, non paucos esse, qui ita verba ista interpretentur, ac si scriptum esset, quod Deus sit verbum, nulla ratio est, cur iidem similiter hoc in loco non ita verba interpretentur, ac si hic scriptum foret, quod *Spiritus est Deus.* Non enim minus in alio illo loco, id, quod isti prædicatum faciunt, appositum habet articulum, id vero, quod subjectum esse statuunt, non habet, quam hoc in loco eveniat, si nomem *Spiritus* subjecti loco ponant, prædicati vero nomen *Deus*. Sed quia interpretatio ista, ut Christus dixerit, quod Spiritus sit Deus, satis per se coacta apparet, & minime accommodata ad Christi mentem, ejusque propositum; propterea factum est, ut verba ita accepta fuerint, quemadmodum ratio ipsa requirit, propter illud ipsum, quod modo commemoravimus, videlicet quod nomen *Deus* hoc in loco articulum habet, nomen vero *Spiritus* minime: hoc enim, ut superius diximus, satis esse potest, ad nobis demonstrandum, utrum nomen prædicati, utrum subjecti locum obtineat, quandoquidem sic loquendi ratio fert in similibus locutionibus, ut id nomen, quod articulum habet, sit subjectum, quod vero non habet, prædicatum. Nihil igitur dubitandum est, si verbum substantivum in istis Christi verbis subintelligi debet, nomen *Dei*, pro subjecto, nomen vero *Spiritus*, pro prædicato accipiendum esse, & istorum verborum esse sententiam, quod *Deus sit Spiritus*, id est, res, quæ sensibus nostris minime pateat, aut ulla ratione deprehendatur. Ex quo peraccommode Christus intulit, similiter Deum ita adorandum esse, ut rerum sensibus subjacentium nulla ratio habeatur, quasi sine hujusmodi rebus consistere non possit Dei vera ac legitima adoratio. Id enim est, quod dicere voluit Christus, affirmans Deum in Spiritu & veritate adorandum esse. Sed animadvertendum est, ut hoc obiter hoc in loco dicamus, tanquam necessarium ad perfectam istius loci, quod attinet ad sensum Grammaticum, examinationem, nempe, quod non omnino videtur esse necessarium, ut verbum substantivum subaudiatur; sed potest non incommode ex præcedentibus repeti verbum *quærit*, ita ut sensus sit, quod Deus quærit Spiritum; quandoquidem vox *Spiritus*, quæ, ut diximus, Græce est πνεῦμα, non minus accusativi casus esse potest, quam nominativi. Quod si ita locus interpretandus esset, haberentur hic duæ mistæ fallaciæ; una amphiboliæ, propter vocem πνεῦμα, quæ & hoc & illo casu, unde varietas constructionis oriri solet, accipi potest; altera vero divisionis, cum nomen πνεῦμα, quod debet conjungi cum verbo superiore, *quærit*, ab eo dividatur, si priorem sensum sequi velimus; quemadmodum priore sensu retento, necesse est nomen πνεῦμα esse nominativi casus: cum tamen, si posterior hic sequendus esset: necessario accusativi casus foret. Et hoc volumus esse satis ad primum membrum seu caput, quod amphiboliæ fecimus, explicandum, atque exemplis illustrandum, ubi scilicet verbum aliquod interveniat, quod vel expressum sit, vel omnino subaudiri debeat. Ad alterum igitur membrum seu caput accedentes, ubi nullum verbum sit, nec expressum nec necessario subaudiendum, & tamen amphibolia omnino appareat; dicimus, totum istud caput primum posse ita in genere exponi, quod ejusmodi amphibolia eveniat, cum ex duobus nominibus substantivis, ut Grammatici vocant, unum generandi casu prolatum est, alterum vero alio quopiam casu, ita ut alterum ab altero, quemadmodum iidem Grammatici loquuntur, regi dici possit. Extra hanc formam nullum mihi occurrit sive in sacris, sive in prophanis scriptoribus exemplum, in hac vero permulta; è quibus quædam, quæ in Novo Testamento inveniuntur, seligemus, eaque explicando examinabimus. Mirum est autem, quam ista duorum substantivorum nominum inter se conjunctio, varias ambiguitates in sermone pariat; quæ omnes tamen aut ad æquivocationem, aut ad eam, quam præ manibus habemus, amphiboliam referuntur. Nos de illis tantum agentes, quæ ad amphiboliam pertinent, non omittemus tamen, quin aliquid dicamus, ut internosci possit, utrum ejusmodi ambiguitas ad æquivocationem, vel ad amphiboliam referenda sit? Cætera, quæ ad ejusmodi locutiones explicandas pertinere possunt, quantumvis locutiones istæ in ipsis Sacris Literis inveniantur, hoc loco omittemus, ut ea, quæ, licet alioqui utilissima explicatu, extra propositum nostrum sint, & non ad Dialecticam, sed vel ad Theologiam, vel ad Grammaticam omnino pertineant.

Jam vero Caput istud, quod fecimus, & quale sit exposuimus, Amphiboliæ, dupliciter considerari potest. Nam vel ista duo substantiva nomina ita sunt prolata, ut illud, quod Genitivo casu prolatum est, possit & agentis & patientis locum tenere, unde Amphibolia proficiscatur: vel quamvis non omnino ita de tali nomine affirmari possit, varia tamen nihilominus constructio esse potest duorum istorum nominum inter se, ex qua aliqua tamen varietas Passionis & Actionis nascitur, quemadmodum postea apertius explicabimus. Prioris generis exemplum esto illud, quod apud Paulum cap. 8. ad Rom. legitur in verbis illis ℣. 35: *Quis nos separabit à charitate Dei?* Neque enim ulli dubium esse potest, quin charitas Dei ita intelligi possit, ac si dictum fuisset, charitas, qua Deus diligitur, & rursus, quin etiam possit intelligi charitas, qua Deus diligit. Et sic videmus verum esse, quod dixi hoc in exemplo, nempe, quod nomen substantivum ex illis duobus, quod generandi casu prolatum est, nempe Dei, modo agentis, modo patientis locum in verbis istis tenere possit. Cum autem patiens & agens hac in tractatione nominamus, jam abunde notum est, nos more Grammaticorum loqui, ne quis alioqui cavilletur, nos Deo passionem tribuere. Cum enim ita accipiuntur verba ista, acsi dictum foret, charitas qua Deus diligit, tunc Deus ut agens consideratur, cum vero ita, acsi scriptum esset, charitas, qua Deus diligitur, tunc Deus secundum Grammaticos patientis tenet locum. Non pauci autem sunt, qui propter Amphiboliam istam, verum sensum istius loci non sunt assecuti, ita eum interpretantes, ac si dictum esset, Charitas, qua Deus diligitur: Sed falluntur omnino isti. Altero siquidem sensu sine dubio Apostolus verba ista protulit, quemadmodum præter alia, quæ id docere possunt, satis ostendunt postrema verba ejus capitis, ubi Paulus eandem

dem ſententiam repetens, mentionem facit charitatis Dei, à qua nulla res ſeparare nos poſſit, quam charitatem ait eſſe in Chriſto Jeſu Domino noſtro; quod ſatis declarat illum loqui de charitate, quam Deus per Jeſum Chriſtum humano generi oſtendit, & conſequenter de ea charitate, non qua Deus diligitur, ſed qua ipſe diligit. Alius locus eſt magni momenti, qui ſimiliter propter talem Amphiboliam vulgo intellectus non eſt, & propterea non ſatis apte affertur à multis ad concludendum, quod Chriſtus jam Prophetarum Veteris Teſtamenti tempore non modo eſſet, ſed etiam illis ſpiritum ſuum impertiret. Apud Petrum ſiquidem 1 Epiſtola capite 1. ℣ſ. 10. 11, ad hunc modum legitur: *De qua ſalute exquiſiverunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vos gratia prophetaverunt, ſcrutantes in quod vel quale tempus, ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones & poſteriores glorias.* Quo in loco verba illa *Spiritus Chriſti*, ita ab iſtis accipiuntur, acſi dictum fuiſſet, Spiritus, quem Chriſtus ſpiravit; cum tamen, ut ita interpretentur, nihil cogat; cum ita illa accipere poſſimus, acſi ſcriptum eſſet, Spiritus, quo Chriſtus ſpiratur, id eſt, res ad Chriſtum pertinentes; quemadmodum ſine dubio accipiendum eſſe locum ea omnia teſtantur, ex quibus aperte docemur, Chriſtum non antea fuiſſe, quam ipſe Jeſus Nazarænus extiterit, qui ipſe Chriſtus eſt, & nemo alius præter aut ante illum. Sed non eſt hic iſta exactius & plenius tradendi locus: ſatis ſit ad locum explicandum, ambiguitatem locutionis indicaſſe. Ubi interim videtis, id quod antea diximus, Nomen, quod Genitivo caſu elatum eſt, & agentis & patientis locum tenere poſſe, unde Amphibolia ortum ducit.

Tertium adhuc locum ejuſdem formæ afferemus. Is eſt cap. 13 poſterioris Epiſt. ad Cor. in ipſo Epiſtolæ fine, ubi legitur; *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti, ſit cum omnibus vobis.* Verba enim illa *Communicatio Spiritus Sancti*, ita accipi poſſunt, ut Spiritus S. agentis locum teneat: poſſunt rurſus ita intelligi, ut patientis loco ſit: id eſt, intelligi poteſt, Spiritum S. aliquid communicare, & rurſus non minus poteſt intelligi, ipſum Spiritum Sanctum communicari. Non pauci, ni fallor, fuerunt, qui ita locum acceperunt, ut ſit intelligendum, Spiritum Sanctum aliquid communicare, & ſic ex loco iſto, non ſecus atque ex ſimilibus quibuſdam aliis, in quibus actio aliqua Spiritui Sancto tribuitur, concluſerunt, Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Et ſic Amphibolia verborum decepti id firmiter ſtatuerunt, & inde argumentati ſunt, ubi nihil firmi eſt; & ſane non modo nihil firmi in iſta interpretatione & argumentatione eſſe poteſt, propter Amphiboliam; ſed etiam ſatis apertum videtur, alterum ſenſum potius ſequendum eſſe, non modo quia tritiſſimum in Sacris Literis eſt, Spiritum Sanctum dari & communicari; ſed etiam, quia apud eundem Paulum in locutione ſimili, id nomen, quod genitivo caſu prolatum eſt, quemadmodum hic nomen Spiritus Sancti, non agentis, ſed patientis locum tenet. Is locus eſt 1 ad Corin. cap. 10. 16, ubi ſic ſcriptum eſt: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt; Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt?* Ubi ſine dubio nullo modo intelligi poteſt, vel ſanguinem, vel corpus Chriſti quicquam communicare; cum manifeſtum ſit ſententiam Apoſtoli eſſe, quod & ſanguis & corpus Chriſti communicetur. Ubi interim non omittemus, quin moneamus, non ita accipiendum eſſe locum iſtum Pauli, ac ſi affirmare voluerit, ſumptione calicis & fractione panis, ejuſque comeſtione in Cœna Domini communicari nobiſcum ſanguinem & corpus Chriſti; quandoquidem mens Pauli fuit, non de ipſa re, quæ ibi tum fiat, quicquam docere; ſed tantum de eo loqui, quod ii profitentur, qui ad Domini Cœnam accedunt. Profitentur enim, ſe jam cum ſanguine & corpore Chriſti communionem habere. Verum ſatis ſit loci veram ſententiam indicaſſe; ne extra propoſitum noſtrum ſine neceſſitate ulla evagemur. Nunc antequam alteram partem aggrediar hujus poſterioris capitis ac membri, quod fecimus, amphiboliæ; videtur aliquid dicendum, quod ad utramque partem melius percipiendam ſpectare plurimum videtur. Poſſet enim quis haud plane immerito dubitare: cur igitur, ſi iſtæ locutiones duorum ſubſtantivorum, quorum alterum ab altero regatur, referendæ ſunt ad amphiboliam; cur, inquam, à nobis ſupra locutiones illæ, *liber Ciceronis*, *opus Dei*, quæ poſterior locutio Johan. 6 legitur, ad æquivocationem ſunt relatæ? Ad quod reſpondeo, me jam ab initio hujus ipſius tractationis indicaſſe, ejuſmodi locutiones inveniri, quæ non ad amphiboliam, ſed ad æquivocationem pertineant. Quod ſi quis præterea quærat, quomodo internoſcenda ſint illa, quæ ad æquivocationem ſpectant, ab illis, quæ ad amphiboliam pertinent? Dicimus hanc eſſe certam notam, quod eæ, quæ ad æquivocationem referendæ ſunt, perpetuo habent, quod ſcilicet non modo nomen illud, quod genitivo caſu prolatum eſt, non variat, quod attinet ad actionem & paſſionem, ſed præterea ad utrumque ſenſum, qui ejuſmodi locutionibus ſubeſſe poteſt, explicandum, neceſſe eſt aliquod verbum in alterutro, aut in utroque eorum adhibere, quod non modo ibi expreſſum non eſt, ſed neque etiam ex altero illorum nominum elici poteſt. Unde etiam ſit, ut nulla varia conſtructio ex diverſo illo ſenſu emergat, quam diximus eſſe differentiam ſpecificam, quæ diſtinguat amphiboliam ab æquivocatione. Atque ut non recedamus ab exemplo jam allato ex Joh. 6. 29; Cum Chriſtus dicit, *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem ille miſit*, ſi velimus utrumque ſenſum, qui ſubeſt illis duobus nominibus *opus Dei*, plane explicare, neceſſe eſt, ut aliquod verbum addamus, quod non modo ibi expreſſum nullo pacto eſt, ſed neque etiam ex altero iſtorum nominum elici poteſt. Unus ſiquidem ex duobus ſenſibus iſtorum verborum eſt, ut operis Dei nomine intelligamus opus, quod Deus in nobis ipſe facit. Nam poteſt quidem per verbum exprimi, quod elici poteſt ex altero iſtorum nominum, id eſt ex nomine operis, ut nimirum pro verbo *facit*, quod proxime diximus, reponatur verbum *operatur*: at in altero ſenſu idem poſſe fieri non contingit. Eſt enim alter ſenſus, ut intelligamus opus, quod Deus probat, vel quod Deo eſt gratum, vel quod Deus jubet, vel aliquid ſimile, quod neceſſe eſt exprimere per verbum aliquod, quod ex neutro iſtorum nominum elici revera poſſit; quemadmodum nullum ex iſtis tribus, quæ nos protulimus, inde poteſt derivari. Ex quo, ut dixi, apparet, nullum in locutione iſta, utrumcunque ſenſum ſequaris, eſſe locum diverſæ ſeu variæ conſtructioni. Non ſic autem accidit in amphibolia, quæ ſimiliter ex eo conſtat, quod in duobus nominibus ſubſtantivis, quorum alterum generandi caſu prolatum fuerit, ambiguitas ſententiæ inveniatur. Ibi enim verbum, quod ſubaudiri poteſt, ex altero nominum iſtorum plane elicitur; aut ſi non ſatis eſt unum verbum ſubaudire, ſed duo ſubintelligere oportet, tunc ſimiliter utrumque ex duobus iſtis nominibus elici poteſt. Ut in exemplo illo, quod jam attulimus, *Charitas Dei*; verbum enim, quod ſubaudiri poteſt, eſt verbum *diligendi* ſeu *amandi*, cum in eo, ut diximus, ſit ambiguitas, quod dubium ſit, an in locutione iſta intelligi debeat, *Charitas*, qua Deus diligit, an vero qua diligitur ſeu amatur. Nam verbum diligendi ſeu amandi plane incluſum eſt in nomine *Charitatis*, & ſic apparet, ut dictum eſt, diverſam conſtructionem, quatenus neſcitur, an Deus hic ponatur ut is, qui diligit, an vero ut is, qui diligitur, ambiguitatis eſſe cauſam; & conſequenter talis ambiguitas ad amphiboliam referenda eſt. Exemplum, ubi non unum modo verbum, ſed duo ſubintelligi poſſint, & tamen utrumque ex ipſis illis duobus nominibus eliciatur, habebimus paulo poſt in explicatione alterius membri, quod fecimus amphiboliæ, ubi verbum nullum fuerit expreſſum. Ad quod membrum jam devenientes, dicimus, aliquando ſubſtantiva nomina duo, ea conſtructione, quam ab initio diximus, & ſæpius repetivimus, cum ſenſus ambiguitate inveniri, ſine ullo expreſſo verbo, ita

tamen ut de varietate illa actionis & paſſionis non admodum aperte conſtet, aut certe non ita ut in ſuperiore membro, & in exemplis eorum ſimilibus, quæ in eo explicando attulimus. Cujus rei ratio eſt, quod res illa, quæ ſignificatur, nomine generandi caſu prolato, non ponitur tali cum ſignificatione, ut manifeſte appareat, poſſe illam & agentis & patientis locum tenere: ſed nomen iſtud genitivo caſu elatum habet eam ſignificationem, ut declaret, quid ſit id, ex quo conſtet illud, quod altero nomine ſignificatur; & hoc perpetuum eſſe videtur in membro iſto. Neque enim hactenus ullum exemplum occurrit, quod ad poſterius hoc membrum referri poſſit, ubi res ſe hoc pacto non habeat. Eſt tamen neceſſaria in hoc quoque membro, ad efficiendum varium ſenſum, qui ex illis duobus nominibus eliciatur, varia omnino aliqua conſtructio, ut ſcilicet, ſi ſenſus ille, quem diximus ſolere eſſe talis locutionis (ut ſcilicet nomine generandi caſu prolato id ſignificetur, ex quo conſtet res altero nomine ſignificata) debeat propter alium ſenſum, qui ex iſtis duobus nominibus elici queat, videri non certus, ita, ut Amphibolia inde naſcatur, neceſſe ſit illum alterum ſenſum ex conſtructione naſci diverſa ab ea, quæ retinenda ſit, ſi ſenſus iſte ſequendus fuerit. Nam ſi poſſit quidem alius ſenſus, præter iſtum ex iſtis duobus nominibus elici, & tamen non interveniat conſtructio varia, tunc ambiguitas iſta non ad Amphiboliam, ſed ad Æquivocationem referenda erit. Id quod fortaſſe melius intelligetur ex aliquo illorum exemplorum, quæ ad poſterius hoc membrum illuſtrandum allaturi ſumus. Primum igitur exemplum ſit id, quod legitur in ſecunda Epiſtola ad Timoth. cap. 4. 8. Ubi ſic legimus: *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi dominus &c.* Ubi non pauci ſunt, imo plerique qui in interpretandis duobus illis verbis *Corona juſtitiæ*, propter eorum ambiguitatem, haud leviter erraverint: Putant enim Paulum dicere voluiſſe, Dominum coronaturum ipſius juſtitiam: cum tamen mens Pauli fuerit, Dominum daturum ipſi coronam, quæ juſtitiâ eſſet conſtitura, eo nimirum ſenſu, quo apud Petrum 1 Epiſt. cap. 5. 4 legimus, *Coronam gloriæ*; & apud Jacobum cap. 1. 12. *Coronam vitæ*; in Apocalypſi vero cap. 12. 1, *Coronam duodecim ſtellarum*. Certum enim eſt, in locis iſtis non poſſe intelligi coronam, qua vel gloria, vel vita, vel duodecim ſtellæ coronentur: ſed neceſſe eſſe intelligere coronam, quæ gloria, vita & duodecim ſtellis conſtet. Sed dicet aliquis: quomodo poteſt ſenſus iſte in eo loco Pauli eſſe? quomodo, inquam, inveniri poteſt corona, quæ juſtitiâ conſtet? Reſpondeo, ſine dubio id, quod iſtius dubitationis eſt cauſa, fuiſſe etiam cauſſam, ut locus iſte non intelligeretur. Neque enim iſto in loco *juſtitiæ* nomen id ſignificat, quod vulgo ſignificare ſolet: Sed immortalitatem atque æternam felicitatem declarat. Cum hac enim ſignificatione nomen iſtud alibi quoque invenitur, ut ſecunda Epiſtola Petri cap. 3. 13. ubi ſcriptum eſt, *Nos expectare terram novam, & cœlum novum, ſecundum Domini promiſſa, in quibus juſtitia habitat.* Ubi propter ignorantiam hujus ſignificationis verbi *Juſtitiæ*, non modo alii, ſed Eraſmus ipſe eſt lapſus, credens verba illa *in quibus* ſignificare nos, non autem terram illam ac cœlum novum, etiamſi neceſſe ſit, ſi quis ſenſum illum ſequatur, admodum duram verborum conſtructionem inducere. Quod ſi vel Eraſmus, vel alii quidam poſt eum, notionem nominis iſtius animadvertiſſent, ut ſcilicet immortalitatem, æternamque felicitatem ſignificare poſſit; nullo pacto relativum illud *quibus* ad nos, ſed ad novam terram & novum cœlum, ut omnino ipſa verba ſonant, retuliſſent. Ad Galatas quoque cap. 5. 7 ſcriptum eſt: *Nos per fidem ſpem juſtitiæ expectare.* Ubi niſi juſtitiæ nomine beatam immortalitatem intelligamus, nullus ſenſus inveniri poterit, qui commode poſſit verbis iſtis ſubeſſe. Cauſa vero, cur ſignificatio iſta vocis *juſtitiæ* à multis non fuerit animadverſa, eſt, quod ea ex Hebraica lingua, quæ paucis eſt nota, omnino fluxit; quanquam per figuram illam, quæ Metonymia appellatur, quæque in aliis etiam linguis locum hac ipſa in re habere poteſt, ſignificatio iſta inducta eſt: ſed uſus hoc non tulit, quemadmodum in lingua Hebræa, quæ non alia ratione, quam hac, *peccati* nomine intelligit non ipſum peccatum ſæpenumero, ſed peccati pœnam. Sic etiam nomine *juſtitiæ*, non ipſam quidem juſtitiam, ſed id, quod tanquam præmium juſtitiam conſequitur, intelligit; aut certe, ſi non proprie id, quod juſtitiam conſequitur, id, quod conſequi ſolet, ſeu conſecuturum eſt: quemadmodum etiam in nomine *peccati*, per figuram iſtam in ea lingua accidit, ut ſcilicet non ipſa pœna peccati, ſed id quod peccati pœna eſſe ſolet, aut futurum eſt, ſignificetur. Jam in hoc exemplo *corona juſtitiæ*, ambiguitatis iſtius, utrum intelligi debeat corona, quæ juſtitiâ conſtet, an vero corona, qua juſtitia afficiatur, quæve juſtitiæ detur? apparet variam quandam conſtructionem eſſe cauſam. Idem eſt enim, ac ſi ambigeretur, utrum in locutione iſta, juſtitia illa ſit, quæ coronet, an vero quæ coronetur? Et ſic ſimul apparet, ſubeſſe hic ambiguitatem, an juſtitia loco agentis ſit, an vero patientis? Quamvis id non ita ſit obvium. Poteſt ſiquidem duplex iſte ſenſus alio modo explicari, ut ſcilicet, quemadmodum jam diximus, dicatur unus ſenſus eſſe, ut de corona agatur, quæ juſtitiâ conſtet; alter vero, ut agatur de corona, quæ juſtitiæ detur: in qua explicatione varietas iſta actionis & paſſionis non animadvertitur, quæ apertiſſima eſt in ſuperiore explicatione: in qua etiam licet animadvertere, verbum *coronandi*, quod in locutione iſta ſubaudiri poteſt, non eſſe extraneum, ſive aliunde ſumptum, ſed plane altero iſtorum nominum, id eſt, nomine *coronæ* incluſum eſſe.

Alterum exemplum hujus poſterioris membri ſit nobis illud, quod legimus Tit. 3. 5, ubi mentio fit lavacri regenerationis & renovationis Spiritus Sancti. Ubi ſimiliter, qui non animadverterunt amphiboliam iſtam, crediderunt nomine *lavacri regenerationis* intelligi baptiſmum, per quem videlicet, ſi rite ſumatur, homines regenerentur: cum tamen, niſi valde fallor, Paulus per lavacrum regenerationis, intelligat ipſam regenerationem, qua lavamur, id eſt à noſtris peccatis abluimur; idque dupliciter: Primum, quia, qui regeneratur, peccata exuit, & ſic à ſordibus peccatorum liberatur. Deinde, quia exutus peccatis, omnem pœnam præteritorum peccatorum effugit: & tritum eſt in Sacris Literis, *peccatorum* nomine pœnas peccatorum intelligi. Quod autem in hunc ſenſum, quem modo explicuimus, ſint accipienda verba Pauli, mox rationibus demonſtrare conabimur. Sed antequam hoc fiat, explicandum eſt, in quo hic amphibolia conſiſtat, & oſtendendum, duplicem hunc ſenſum, nempe eum, quem priore loco expoſuimus, nec nobis probari diximus, & eum, quem poſteriore loco ſubjunximus, & nobis probari profitemur, ex diverſa verborum conſtructione quadam oriri; quæ varia conſtructio, ut ſupra à nobis ſæpe dictum fuit, eſt anima quædam & forma ipſius amphiboliæ. Conſtructio igitur varia in hoc eſt, quod iſta duo verba, *lavacrum regenerationis*, vel poſſunt ita accipi, ut intelligamus lavacrum, quod regenerat, vel regenerationem, quæ lavat. Priorem conſtructionem ſecuti ſunt, qui priorem ſenſum ſunt amplexi: poſteriorem vero, qui poſteriorem. Atque in hoc exemplo id evenit, quod ſupra indicavimus, & exemplo aliquo nos confirmaturos eſſe ſumus polliciti; quod ſcilicet ad amphiboliam explicandam neceſſe ſit, non unum tantum verbum, ſed duo ſubaudire: quorum tamen utrumque ex ipſis nominibus expreſſis plane colligatur. Siquidem hic, ut amphiboliam iſtam explicemus, neceſſe eſt ſubintelligere, non modo verbum *lavat* ex nomine *lavacri* ductum, ſed etiam verbum *regenerat*, ex regenerationis nomine elicitum. Ubi etiam animadverti poteſt, quomodo una & eadem res, ſecundum varium ſenſum, modo agentis modo patientis locum teneat: quod quidem in propoſito exemplo utraque in re contingit, quæ duobus illis nominibus continetur. Nam ſi ita illa interpretemur, ut dicamus lavacrum, quod regenerat, cum hoc idem ſit, ac ſi quis dicat, lavacrum, quod

quod regenerationem facit, tunc Lavacrum locum agentis tenebit, Regeneratio vero patientis. Quod ſi intelligamus regenerationem, quæ lavet, cum hoc ſimiliter idem ſit, ac ſi quis dicat, Regeneratio, quæ lavacrum efficit; certe contra prorſus, ac priore modo, Regeneratio agentis; Lavacrum vero patientis locum tenebit. Sed jam oſtendendum eſt, cur priore ſenſu poſthabito, quamvis plerique illum ſint amplexi, poſterior nobis tenendus ſit. Multæ quidem ſunt rationes, quæ hoc ſuadeant: ſed nos eas ad tres redigemus. Una eſt, quod prior iſte ſenſus videtur veritatem non continere. Neque enim ſimpliciter verum eſt, Lavacrum iſtud, quod, ut antea dixi, Baptiſmum iſti Interpretantur, nos regenerare. Multi enim ſunt (atque id utinam non eſſet) qui baptiſmo lavantur, nec tamen regenerantur. Quod animadvertentes illi ipſi, qui priorem iſtum ſenſum ſequuntur, coguntur id addere, quod in principio commemoravimus, nempe, ſi lavacrum iſtud, ſeu baptiſmus rite ſuſcipiatur: quæ tamen additio nihilominus non videtur eſſe ſatis. Nam baptiſmus quantumvis rite ſumptus, ipſe revera non regenerat, intelligendo regenerationis nomine vitæ renovationem, &, depoſito peccato, juſtitiæ & innocentiæ, ut ita dixerim, ſuſceptionem. Altera ratio eſt, quia in loco, qui iſtis priorem iſtum ſenſum ſequentibus huic ſimilis omnino videtur, ita verba conſtruuntur, ut appareat, conſtructionem, ex qua poſterior ſenſus oritur, anteponendam eſſe ei, unde oritur prior. Eſt autem is locus in Epiſtola ad Epheſ. cap. 5. 26. in illis verbis: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo.* Ubi neceſſario *lavacrum aquæ* ſignificat aquam, quæ lavet, ſeu lavacrum, quod aqua conſiſtat, quicquid tandem iſtud lavacrum aquæ ibi ſignificet. Sic igitur & in loco noſtro intelligendum eſt, cum Paulus dicit Lavacrum regenerationis, eum velle dicere, Regenerationem, quæ lavet, ſeu lavacrum, quod regeneratione conſtet: quæ explicatio poſterioris ſenſus omnino eſt, non autem prioris. Tertia poſtremo ratio ſit, quod ex ſequentibus ſtatim verbis, poſterior ſenſus omnino confirmatur, ex illis inquam, *& regenerationis Spiritus Sancti*, vel potius, ut quidam locum vertunt, & Syriacus interpres habet, *& renovationem Spiritus Sancti.* Quanquam in interpretatione Syriaca, Latina facta ab Immanuele Tremellio, legitur ſine ulla copula, ſed repetita præpoſitione *per*, legitur, inquam, *per Renovationem Spiritus Sancti*, quod in idem tamen recidit, & quidem, ſi legamus, non *renovationis*, ſed *renovationem*, & ita repetendum ſit *per* ex præcedentibus, manifeſtum eſſe videtur, quemadmodum nos ſervatos eſſe per renovationem Spiritus Sancti, non ſignificat, nos ſervatos fuiſſe per Renovationem, quæ afferat Spiritum Sanctum, ſed per Spiritum Sanctum quo renovati ſimus: ſic ſimiliter eſſe nos ſervatos per Lavacrum regenerationis, non ſignificabit, Servatos nos eſſe per Lavacrum, quod regeneret, ſed per Regenerationem, quæ lavet. Nam ſi quis dicat, imo Spiritum Sanctum ſolitum fuiſſe dari poſt regenerationem & poſt fidem, quæ ſine regeneratione eſſe nequit: animadvertendum eſt, nomine Spiritus Sancti iſto in loco non poſſe intelligi dona illa ſingularia & miraculi plena, quæ dabantur iis, qui jam crediderant: ſed annunciationem occultæ prius voluntatis divinæ, quæ haud raro Spiritus Sancti, ſeu Spiritus divini nomine appellatur ab ipſo Paulo, ut inter alia loca præcipue cap. 2. prioris ad Cor. Epiſtolæ. Nam certe per illa ſingularia ac mirabilia dona revera non ſervabantur credentes, ſed jam in ſalutis ſtatu poſiti, in eo magis confirmabantur, verum per occultam prius Dei voluntatem, quæ in Euangelio patefacta eſt, revera ſervabantur fideles, & adhuc ſervantur. Et ſane Pauli verba in toto eo loco videntur eſſe ejuſmodi, quæ ad omnia tempora, dum Eccleſia in terris manebit, referri poſſint; id quod fieri nequit, niſi Spiritus Sancti nomen poſteriore iſto ſenſu accipiatur: quandoquidem ſingularia illa ac mirabilia dona, jam diu vel plane in Eccleſia eſſe deſierunt, vel certe non omnibus, qui ſervantur, fuerunt aut ſunt communia. Jam vero, ſi non repetita præpoſitione *per* non *renovationem*, ſed *renovationis* in Pauli verbis legere velimus, quemadmodum maxima pars interpretum locum vertit; tamen ut ipſimet iſti interpretes in ſuis annotationibus & commentariis in hunc locum exponunt, neceſſe nihilominus erit fateri, non Spiritum Sanctum à renovatione ſed renovationem à Spiritu Sancto proficiſci; & ſic ſenſus erit, nos ſervatos eſſe per Lavacrum, quod conſiſtat in regeneratione, & renovatione per Spiritum Sanctum facta, ita ut hinc poſterior ille ſenſus, qui nobis priore rejecto probatur, ſimiliter emergat. Idem enim reipſa iſtud eſt, ac ſi quis dicat, Regeneratio & renovatio per Spiritum Sanctum facta, quæ nos lavat. Jam de hoc loco atque exemplo non eſt, quod aliud quicquam dicamus, niſi ut moneamus, hic illud eſſe, quod ſuperius monuimus, inveniri in exemplis omnibus, quæ nobis tunc in mentem veniebant, quod ſcilicet ex illis duobus nominibus id, quod ab altero regitur, ut hic evenit in nomine *regenerationis*, quod regitur à nomine lavacri, ſignificet id, quo illa res conſtet, quæ altero nomine ſignificatur, aut certe ſignificari poteſt; quemadmodum hic unuſquiſque fatebitur, verba ita poſſe accipi, ac ſi dictum eſſet: Lavacrum, quod regeneratione conſtat, quamvis alioqui fortaſſe illum alterum ſenſum ſequi malit, qui Amphibolicam facit locutionem iſtam, quem tamen nos, ut dictum eſt, nullo modo probamus.

Subjiciemus nunc tertium adhuc exemplum hujus ſecundi membri, quod fecimus amphiboliæ, ex nominibus ſine ullo expreſſo verbo reſultantis. Id autem exemplum eſſe volumus verba illa Pauli ad Eph. 2. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Neque enim ulli dubium eſſe poteſt, quin iſta verba, *Fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, vario ſenſu accipi poſſint. Aut enim in hac locutione poſſunt accipi Apoſtoli & Prophetæ pro agentibus quibuſdam, ita ut intelligamus Fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum in eum ſenſum, ac ſi dictum eſſet: Fundamentum, quod fecerunt, ſeu poſuerunt Apoſtoli & Prophetæ; aut rurſus, Prophetæ & Apoſtoli poſſunt hic accipi, tanquam res aliqua patiens, ita ut ſenſus iſtorum verborum ſit, Apoſtolos & Prophetas eſſe fundamentum poſitum, ſuper quod ædificemur. Ubi apparet ſimiliter, atque in præcedentibus exemplis, eam rem, quæ ſignificatur altero ex illis nominibus, quod ab altero regitur, id poſſe eſſe, quo illa res conſtet, quæ altero nomine regente ſignificatur: voces enim *Apoſtolorum & Prophetarum* ſine dubio, ex vi Grammaticæ reguntur à voce *fundamentum*, & poſſunt ſignificare id, quo fundamentum iſtud contineatur, nempe ipſos Apoſtolos & Prophetas eſſe fundamentum iſtud: & hunc ſenſum nos quidem probamus, & Pauli verbis in hunc ſenſum acceptis uſi ſumus ad probandum, quod Apoſtoli omnes, non autem Petrus tantum, ſint ejuſmodi, ſuper quos ædificata fuerit Eccleſia, cum celebrem illum locum Matth. 16. 18, *Tu es Petrus &c*, commentariolo quodam noſtro explicare atque illuſtrare conati ſumus. Ubi etiam alterum ſenſum, qui ex iſtis Paulinis verbis elici poteſt, ut ſcilicet intelligatur fundamentum, quod poſuerunt Apoſtoli & Prophetæ, non eſſe probandum docuimus, præſertim ſi fundamenti iſtius nomine Chriſtus ipſe intelligatur, quemadmodum neceſſarium videtur. Quamvis enim veriſſimum ſit, & Chriſtum eſſe fundamentum noſtrum, & fundamentum hoc ab Apoſtolis fuiſſe jactum, ut præter rem ipſam manifeſtam docent Pauli verba 1 Cor. 3. 10, 11, tamen iſto in loco non videtur ſenſus iſte eſſe admittendus; quandoquidem ſtatim poſt illa verba, *Fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, ſubjicit Paulus; *ipſo ſummo angulari lapide Jeſu Chriſto.* Ex quibus ſatis aperte conſtat, Paulum eo in loco fundamenti à ſe ibi nominati appellatione, non ipſum Chriſtum intelligere; cum illum ibi conſideret, non ut fundamentum, ſed ut fundamenti potiſſimam ac præſtantiſſimam partem.

Videntur tria hæc exempla, quæ hujus poſterioris membri amphiboliæ, ex ſolis nominibus reſultantis, attulimus, debere eſſe ſatis ad declarandum, quæ & qualis amphibolia in ejuſmodi locutionibus contineatur. Verum.

rum.

rumtamen ut tota hæc res melius intelligatur, atque hac occasione non pauca sacra testimonia recte explicentur, & in eum sensum, quem debent, à nobis accipiantur, non pauca adhuc dicenda nobis videntur de istis locutionibus, quas passim in Sacris Literis invenimus, ubi duo sunt substantiva nomina, quorum alterum ab altero regitur. Verumtamen ne vel nimis multa dicamus, vel in alienam quodammodo messem falcem mittamus, id est, cum Dialectica tradere volumus, ea tractemus, quæ ad Grammaticam simpliciter, aut Theologiam pertinere videntur, de duobus tantum modis adhuc agemus istiusmodi duorum substantivorum conjunctionis, qui modi in Sacris Literis inveniuntur, & quorum sensus ambiguitas, quamvis ex lingua, qua Sacræ Literæ utuntur, ortum ducat: tamen interim nihilominus, ut vel ad æquivocationem, vel ad amphiboliam, de quibus agimus, & breviter ad alterutram istarum fallaciarum Aristotelicarum referatur necesse est. Etsi enim superius multa diximus, ex quibus non magno negotio intelligi potest, utrum ambiguitas ista ex æquivocatione, an vero ex amphibolia proficiscatur; tamen recte est, ut hoc loco sermonem continuando constructionis illius, quam diximus, duorum substantivorum nominum, id dilucide explicetur.

Unus igitur modus est, cum illa duo substantiva nomina ita accipi debent, ut id, quod ab altero regitur, ita explicetur, ac si nomen adjectivum ex substantivo isto formatum fuisset, & cum altero nomine eodem casu, & numero, ac genere, prout conjunctio adjectivi cum substantivo secundum Grammaticos requirit, conjunctum esset. Est autem hæc phrasis propria linguæ Hebrææ, ex qua lingua Novi Testamenti scripta, non modo Veteris, quæ Hebraice scripta sunt, multa traxerunt, licet Græce scripserint Novi Fœderis scriptores. Quæ phrasis cum aliis in linguis non sit usitata, aut certe non earum propria, factum est, ut quædam loca Testamenti Novi non recte fuerint intellecta, & ad alium sensum translata, qui magis consentaneus visus est in tali duorum substantivorum conjunctione secundum alias linguas præter Hebræam. Exemplum esto id, quod legitur cap. 2. 14 Epistolæ ad Hebr. ubi scriptum est de Christo: *quoniam pueri* id est, Dei fideles, *participes sunt carnis & sanguinis, ipsum quoque similiter eorum fuisse participem, ut per mortem aboleret eum, qui imperium mortis habebat, hoc est, Diabolum.* Hic enim, quod Diabolus dicatur habere *imperium mortis*, vulgo ita acceptum videtur, ac si significet, in potestate Diaboli fuisse ipsam mortem: cum tamen, nisi nos vehementer fallimur, sensus sit, Diabolum habuisse imperium mortiferum, quod sine dubio aliud significat, quam mortem sub imperio Diaboli fuisse. Significat enim, non quidem potuisse Diabolum pro libitu suo inferre mortem, aut de morte ita statuere, prout vulgo, ut diximus, receptus sensus omnino fert: sed imperium, quod Diabolus in homines exercebat, qui videlicet sese illi subjiciebant, fuisse mortiferum, seu ejusmodi, ex quo mors istis miseris sua sponte Diabolo subjectis consequebatur. Animadversa est interim phrasis ista Hebræa fortasse ab omnibus, aliis in locis ejusdem Testamenti Novi, ut exempli causa 1 Cor. 2, ubi legitur, principes hujus mundi non cognovisse sapientiam Dei, quæ continebatur in mysterio Euangelii, & Jesu Christi prædicatione: *alioquin enim*, inquit Paulus ℣. 8, *si eam cognovissent, Dominum gloriæ non crucifixissent.* Ubi omnes videntur animadvertisse, idem esse isto in loco, *Dominum gloriæ*, quod Dominum gloriosum; tametsi nihil cogeret omnino locum ita accipere, & posset quis ista duo substantiva nomina ita interpretari, ut diceret, isthic scriptum esse, gloriam esse in dominatu ipsius Christi: hoc enim sano modo intellectum, verum esse negari nequit. Idem & multo plus evenit in Epist. Jacobi cap. 2, in ipso initio, ubi hæc verba leguntur: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Nemo enim non videt, necesse esse, ut illud *gloriæ* idem valeat ac *gloriosi*, adeo ut alii cuipiam sensui vix ullus locus esse videatur. Apparet igitur verissimum esse, quemadmodum etiam in confesso est apud omnes, ex illis duobus nominibus substantivis, ita, ut diximus, conjunctis, illud, quod generandi casu effertur, & ab altero regitur, per nomen adjectivum, quod inde formatur, explicandum esse non raro in Literis Sacris; quod tamen, ut dictum est, propter alium sensum, qui interim phrasi isti subesse possit, non est interdum animadversum. Verum ad utram ex illis duabus fallaciis ambiguitatem istam referemus? Credo, ut ante attigimus, nos superius ea dixisse, ex quibus constet, quid hac de re statuere debeamus. Diximus enim, ubi de varia significatione agitur, sine ulla constructionis varietate, ibi ambiguitatem omnem ad æquivocationem referendam esse; & præterea docuimus evenire, ut varius, & saltem duplex sensus & significatio ejusmodi ex eo proveniat, quod vox aut locutio aliqua modo proprie modo figurate accipiatur. Ad figuratam vero rationem loquendi ea retulimus, quæ ex aliena lingua originem suam trahunt: quemadmodum evenire videmus in exemplo, quod attulimus ex cap. 1. Epistolæ ad Hebr. ibi enim ex duobus illis sensibus, qui ex illis duobus nominibus *imperium mortis* elici possunt, alter, qui communiter receptus est, videtur proprius esse linguæ Græcæ, in qua Epistola illa est scripta: alter vero, qui nobis magis probatur, in lingua Græca est peregrinus, ita ut merito locutio ista, cum tali significatione ex Hebraico idiotismo proficiscente, figurata dici possit.

Sed jam alter modus, de quo nos acturos sumus polliciti, est exponendus. Is autem est, cum nomen *corpus* cum alio substantivo conjungitur, quod genitivo casu elatum fuerit. Tunc enim talis phrasis potest duos aut plures sensus habere, sed unum præcipue, quem trahit ex usu potissimum linguæ Syriacæ, ut scilicet corpus alicujus rei, aliud nihil quam rem ipsam illam significet: quod, ut potui animadvertere, à paucis admodum in Novo Testamento fuit observatum, & propterea etiam non pauca loca perperam à plerisque explicata fuerunt. Exempli causa, cum Paulus in Epistola ad Rom. 7 circa finem ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus?* Nullum ferme invenies, qui verum sensum istius loci sit assecutus, etiam inter eos, qui facile, utpote Syriacæ linguæ periti, Syriacam phrasim, quam diximus, potuissent animadvertere. Pro eo enim, quod verba ista ita accipere debuerunt, ac si Paulus dixisset, quis me liberabit a morte ista, cum idem sit secundum istam phrasim, *à corpore hujus mortis*, quod *ab hac ipsa morte*, alia satis diversa ab hoc vero sensu commenti sunt; præcipue vero intellexerunt, Paulum velle dicere, Quis me liberabit ab hoc corpore mortali, seu ab hoc corpore æternæ morti subjecto: intelligentes breviter, Apostolum corporis nomine suum ipsius corpus intelligere.

Errarunt similiter non pauci, cum in eodem capite superius ℣. 4 ait Apostolus *nos*, seu mavis Judæos, de quibus eo in loco potissimum loquebatur, *mortificatos esse Legi per corpus Christi.* Neque enim intelligentes *corpus Christi* ibi idem valere, quod ipsum Christum, multa dixerunt in ejus loci explicatione, quæ sive vera, sive falsa, ad Apostoli mentem non pertinent. Habebis hujus Syriacæ phrasis, ab Hebraica licet lingua profectæ, quippe quæ Syriacæ linguæ admodum familiaris, & valde frequens est, ut ii testantur, qui ejus linguæ sunt bene periti; habebis, inquam, exemplum cap. 6 ejusdem Epistolæ ad Rom. in illis verbis, *ut destruatur corpus peccati* ℣. 6, ubi nemo dubitare potest, quin *corpus peccati*, idem sit atque ipsum peccatum. Quod si tamen sint, qui aliter istum locum accipiant, ii nimirum non leviter falluntur. Non est nunc tempus & locus alia multa loca examinandi, ubi locutio ista invenitur in Sacris Novi Testamenti Literis: sed qui alioquin rerum Theologicarum imperitus non fuerit, facile poterit animadvertere, ubi illa ad eum modum, quem diximus, ex lingua Syriaca explicanda sit. Estque hæc res, judicio nostro, non parvi momenti, & diligenter ab unoquoque, qui Theologiæ dat operam, pensitanda atque expendenda.

Jam quid dicemus de ambiguitate, quæ propter locu-

locutionem istam invenitur, exempli causa, in allato exemplo ad finem 7 cap. Epistolæ ad Roman. ad quam fallaciam referendum dicemus errorem illorum, qui verum sensum, quem exposuimus, assecuti non sunt? Ad æquivocationem sine dubio, non minus quam illa superioris modi: neque enim ex varietate ulla constructionis revera, sed ex varia tantum significatione ambiguitas ista oritur; neque in alio videtur ab ambiguitate prioris modi ista esse diversa (non quidem in omnibus exemplis alterius hujus modi, sed in eo, de quo nominatim loquimur, & in aliis similibus) quam in hoc, quod ibi duplex significatio ex eo oriebatur, quod locutio modo proprie, modo figurate accipitur: hic vero ex eo videtur existere, quod eadem locutio modo hac, modo illa figura prolata intelligitur. Neque enim tantummodo figurata est locutio, si verus, quem nos omnino credimus, sensus retineatur, ut *corpus mortis hujus* idem sit, atque *hæc ipsa mors*; sed etiam si quis velit alterum illum sensum sequi, qui nobis minime probatur, ut scilicet *corpus hujus mortis* idem sit, atque *corpus hoc mortale*, sive de temporaria, sive de æterna morte id accipiatur. Est enim hæc phrasis hoc pacto accepta, eadem cum illa, de qua in superiore modo egimus, cum nomen substantivum genitivo casu prolatum per adjectivum inde deductum resolvitur, quod jam diximus in Græca lingua, in qua hac scripta sunt, censendum esse non proprie sed figurate dictum. Tantum obiter non est reticendum, quod locus iste in demonstrativo illo pronomine, quod nos semper *hujus* Latine protulimus, apud quosdam est ambiguus, ita, ut quamvis fateantur, vocem *τούτου* Græcam, quæ ibi legitur, posse, ut nos fecimus, & plerique alii faciunt, per vocem *hujus* reddi, tamen malint, ut Græca lingua ferre videtur, voce *hoc* illud reddi, ita ut Latine legendum sit, *quis me liberabit ab hoc corpore mortis*: inter quos est Erasmus ipse, vir tantæ eruditionis, præsertim vero in Græca lingua. Sed nihilominus videtur omnino illum, & qui ipsum sequuntur, hac in parte à veritate aperte deviasse; cum ipse Græcorum verborum contexus satis ostendat, pronomen istud omnino non cum *corporis*, sed cum voce *mortis* conjungendum esse.

Videmur, quemadmodum ante de æquivocatione, sic postea de amphibolia satis multa disputasse; quamvis nihilominus multa omiserimus, quæ à quibusdam traduntur circa istarum duarum fallaciarum divisiones, in quibus tradendis valde, judicio nostro, falsi interim sunt, confundentes sæpe alteram cum altera fallacia, & quod ad æquivocationem pertinet, non raro ad amphiboliam referentes, & vicissim, quæ ad amphiboliam spectant, æquivocationi sæpius tribuentes: quæ etiam fuit causa, ut nos in ipsorum de hac materia traditionibus recensendis, atque nostræ huic disputationi admiscendis nihil laboraverimus, satis habentes veram, ut nobis videtur, ac specificam differentiam utriusque fallaciæ tradidisse, & utramque ad quædam per divisiones capita redegisse; quæ possint adjumento esse ad omnia fortasse, quæ ad istam partem dividendi pertinent, recte percipienda ac tenenda.

Nunc videretur nobis ad reliquas fallacias Aristotelicas explicandas atque examinandas deveniendum esse: sed tamen, antequam id faciamus, necesse est, ut quemadmodum in æquivocatione fecimus, sic etiam in amphibolia ad praxin rem redigamus, atque ostendamus, quomodo per amphiboliæ fallaciam falsi syllogismi, falsique Elenchi fieri possint. Est autem Elenchus syllogismus Reprehensivus, & quo quis alterum revincere studet. Estque hoc loco partim fortasse repetendum, partim clarius explicandum, quomodo in genere captio contingat fieri in syllogismo sive Elencho. Sunt enim qui tradant, in hisce fallaciis, quæ in dictione consistunt, & autore Aristotele sunt omnino tantum sex numero, propterea syllogismum fieri non bonum, quod medius terminus ipsius syllogismi sit ambiguus, & varie accipi possit. Nos vero aliter sentimus, dicimusque, posse contingere, ut ab ejusmodi aliqua fallacia falsus syllogismus sive Elenchus proficiscatur, sine ulla ambiguitate aut varietate sensus medii termini. Quippe quod ambiguitas ista, quæ causa fallaciæ est, possit non minus in majore termino per se, aut in minore similiter per se contingere, quam in medio termino. Atque hujus rei in æquivocatione luculenta exempla, quantumvis à nobis ipsis formata, dedisse videmur, quæ rem sic se habere, ut diximus, ad oculum demonstrant. Tentemus igitur, an idem in amphibolia præstare possimus, atque in unico, ut ibi fecimus, fallaciæ exemplo, ex ipsis Sacris Literis petito, & à nobis jam abunde explicato, id contingere posse demonstremus: Ex unica, inquam, fallacia tres syllogismos sophisticos formari posse doceamus, in quorum primo medius terminus sit ambiguus, in altero terminus major, in tertio vero minor. Sumamus igitur exemplum illud ex cap. 3. 5, Epist. ad Titum, allatum: *Lavacrum regenerationis*: & primum ex eo talem syllogismum formemus: Per certum quoddam lavacrum regenerationis servamur. Baptismus est istud lavacrum. Ergo per baptismum servamur: hic syllogismus, ut videtis, quod attinet ad formam, nulla in re errare dici potest. Est enim (constituendo, quod singularia habeant vim universalium) syllogismus iste in prima figura, & in modo *Barbara*. Quandoquidem & certum quoddam lavacrum, & baptismus, cum in ratiocinatione ista singularis cujusdam loco utrumque sit, potest, ut dictum fuit, pro universali haberi. Jam quod attinet ad materiam, major propositio aperte probatur per locum ipsum Pauli antea commemoratum. Ibi enim Apostolus diserte dicit, Deum nos servasse per lavacrum regenerationis. Minor vero, nisi fallacia amphiboliæ advertatur, vera similiter esse videtur. Nam si duo illa verba, *lavacrum regenerationis*, ita accipiamus, ac si dictum esset, lavacrum quod regenerat; certe non poterit dari ullum aliud lavacrum seu lotio, per quam vel suspicari quidem possimus nos regenerari, præter baptismum, de vero & proprio lavacro seu lotione loquendo. Et sine dubio non desunt, qui talem aut similem syllogismum formant, ad baptismi aquæ, qui hoc loco intelligendus est, præstantiam ac dignitatem commendandam. Qui tamen syllogismus sophisticus censendus est, eo quod minor ista propositio non sit vera, neque ejus veritas probari ex loco isto Pauli ullo modo possit; cum, ut diximus supra, & satis aperte demonstravimus, duo ista nomina, *lavacrum regenerationis*, ita sint accipienda, ut intelligamus regenerationem, quæ lavet, non autem lavacrum, quod regeneret. Itaque videris ex fallacia amphiboliæ, in istis duabus vocibus formari sophisticum syllogismum, in quo illud, ubi fallacia residet, id est, duæ istæ voces medii termini locum habent, quod, ut dixi, alii quidem videntur velle semper contingere: id quod falsum esse ostendent duo sequentia exempla syllogismorum, quæ cum ista eadem fallacia formabimus.

Secundum igitur exemplum tale sit, sensu quidem non absimile à primo, sed tamen quod aliam formam syllogismi nobis exhibeat. Quicunque servatur, is ut lavacrum regenerationis accipiat necesse est. Christianus homo servatur. Ergo ut Christianus homo lavacrum regenerationis accipiat, necesse est; & sic baptismum. Nullum enim aliud lavacrum regenerationis præter baptismum dari potest. Hic similiter videtis syllogismum in optima forma esse, ac similiter ut præcedens in prima figura & modo *Barbara*. Major etiam satis videtur esse vera, per eadem Pauli verba jam citata: Nam si per lavacrum regenerationis Deus nos servat, certe inde necessario sequitur, eum qui servatur, omnino accipere regenerationis lavacrum. Minor nullum dubium habet. Et conclusio videtur necessaria esse, nisi amphibolia ista animadvertatur. Nam in conclusione apparet, similiter ut in præcedente syllogismo, duas illas voces, *lavacrum regenerationis*, ita intelligi, ac si scriptum foret, *lavacrum quod regenerat*. Cum igitur alia istas voces construendi ratione eæ explicandæ sint, ut à nobis & modo & supra alibi sæpius est demonstratum, sequitur sophisticum syllogismum esse. In hoc vero syllogismo non quidem medius terminus ambiguus ullo modo est, sed tantum

reg-

terminus major. Obtinet enim in eo locum termini majoris locutio ista, unde amphibolia oritur, *lavacrum regenerationis*.

Tenium exemplum sit ejusdem fere sententiæ cum isto secundo, hoc nimirum: Per quod homines servantur, eo Christianus homo carere non potest. Per lavacrum regenerationis homines servantur. Ergo Christianus homo lavacro regenerationis carere non potest; & sic baptismo carere nequit, cum nullum aliud præter baptismum lavacrum regenerationis inveniri possit. Apparet sane & hunc syllogismum nullo modo in forma reprehendi posse. Est enim, ut reliqui duo, similiter in prima figura, &, in modo *celarent*: eo posito, quod jam diximus, nempe singularia, seu quæ singularium rationem habent, vim universalium habere. Major non videtur ullum dubium habere posse. Minor per Pauli verba liquido demonstratur. Itaque videtur conclusionem omnino admittendam fuisse, nisi constaret de amphiboliæ fallacia: & quod hic similiter *lavacrum regenerationis*, locutio, inquam, ista ita accipitur, ut significet lotionem, quæ regeneret. Jam in hoc syllogismo nec medius terminus, nec major ambiguus est, sed tantum minor terminus. In eo enim minor terminus est *lavacrum regenerationis*. Et ita videtis, quod hæc eadem locutio, in qua amphibolia subest, ac proinde unde fallacia oritur, potest habere locum, nunc medii termini, nunc majoris, nunc vero minoris, & ubique efficere, ut syllogismus merito sophisticus dici debeat. Animadvertite autem hoc potissimum, quod in unoquoque ex istis tribus exemplis repetimus, id est, nullum in ilis esse formæ vitium, sed vitium in materia tantum latere. Ex quo conjici potest, illud verum esse, quod diximus ab initio, quamvis multi contra sentiant, fallacias istas Aristotelicas ad materiam potissimum referendas esse, non autem ad formam: id quod speramus, si Deus dederit, ut ulterius progrediamur, nos ostensuros in omnibus fortasse aliis fallaciis, nec ulla est inter ipsas, quæ videatur non posse ad materiæ falsitatem redigi, nisi forte principii petitio. Qua de re, & de aliis omnibus huc pertinentibus, suo loco, Deo volente, crebrius agendum à nobis fuerit. Nunc tempus est, ut ad reliquas fallacias explicandas atque examinandas ex Aristotelis ordine, una cum ipso Aristotele progrediamur.

Una igitur cum Aristotele ad eam fallaciam tractandam accedemus quæ dicitur *fallacia compositionis*; & mox ad eam, quæ *divisionis* nominatur. Et prius quam aliquid aliud dicamus, ut jam facere consuevimus, Aristotelis verba de hisce duabus fallaciis exponemus, eaque examinabimus. Ea vero hæc sunt: *Jam secundum compositionem ejusmodi sunt*: (nempe captionum exempla) *ut posse sedentem ambulare, & non scribentem scribere. Non enim idem significat, si quis dividens dicat, & componens*, (id est, non idem sensus erit, si quis sensu composito ista accipiat, ac si diviso; quod quid sit postea clarius explicabimus) *nempe possibile esse sedentem ambulare, & non scribentem scribere*. Hactenus videntur Aristotelis verba mendo prorsus carere: sed quæ mox sequuntur, omnino præ se ferunt mendum continere, & aliqua saltem ex parte esse superflua. Inquit enim: *& hoc similiter, si quis componat, non scribentem scribere. Significat enim, quod habet facultatem non scribendo scribendi: sin autem non componat, quod habet facultatem, quando non scribit, scribendi*. In his verbis prior illa periodus, *& hæc similiter*, videtur supervacanea, saltem aliqua ex parte. Videtur enim debuisse Aristotelem dicere: *Nam si componat non scribentem scribere*, & deinde subjungere *significat*, expuncto *enim*, quod post *significat* legitur, ita ut ad hunc modum verba ejus legi debere videantur: *Si quis enim componat non scribentem scribere, significat, quod habet, &c.* Itaque in jam dicta periodo superfluit illud, *& hoc similiter*; & interim desideratur vocula *enim*, in sequentem periodum translata. Mox subjungit Aristoteles: *Et discit nunc literas siquidem didicit, quæ scit*. Hæc Aristotelis verba valde difficilia mihi videntur, si mendo careant: qua de re mox aliquid latius dicam. Pergit Aristoteles: *Præterea, quod unum tantum potest ferre, multa posse ferre*. Jam antequam ea, quæ Aristoteles de divisione seu divisionis fallacia tradit, recitemus, recte est, ut ea declaremus, quæ exempli causa attulit, de compositionis fallacia verba faciens. Quod igitur attinet ad duo priora exempla, *sedentem ambulare posse, & non scribentem scribere*, in quo ista compositionis fallacia lateat, satis docet ipse Aristoteles, cum in exemplo illo, *non scribentem, scribere posse*, docet, qui sensus sit, si quis composite istud accipiat, & si quis accipiat divise. Veruntamen, quia Aristoteles aperte non explicat, uter sensus verus sit an falsus, sed tantum ex ipsius verbis consequitur, compositum esse falsum, divisum verum: (neque enim alioqui esset hic fallacia compositionis, ut ipse profitetur) propterea recte est, ut nos rem aliquanto dilucidius explicemus. Dicimus itaque in utroque istorum exemplorum, sensum, qui ex eo resultat, quod verba conjunctim accipiantur, esse falsum, ac propterea censendum esse, eum, qui ita loquatur, non conjunctim, sed divisim velle sua verba accipi. Nam si divisim accipiantur, ea sunt vera. Est autem hæc compositio & divisio in eo posita, quod quis id, quod significatur per participium, quod in utroque exemplo est, conjungat cum eo, quod significatur per infinitivum, ita, ut in priore exemplo illud, *sedentem ambulare*, ita accipiatur, ac si dictum esset, *sedendo ambulare*, si composite ista verba accipienda sint: & sic similiter in altero exemplo, *non scribentem scribere* ita accipiatur, ac si dictum foret, *non scribendo scribere*. Sin vero divisim sint accipienda, non fiat conjunctio ista, & sic neque ipsa sessio, neque ipsa non scriptio, ut sic dixerim, conjungatur cum verbo, quod mox subjicitur, sed tantum conjungatur is, de quo dicitur, quod sedeat, & is, de quo dicitur, quod non scribat. Qua de re iterum nobis uberius explicandum erit, cum verbis Aristotelis, quæ de fallacia tradit divisionis, recitatis atque explanatis, ea dicemus, quæ nobis videntur præter Aristotelis dicta desiderari ad cognitionem istarum duarum fallaciarum. Sequitur, ut tertium Aristotelis exemplum fallaciæ compositionis declaremus, nempe verba illa: *& discit nunc literas, siquidem didicit, quæ scit*. In quibus verbis prædiximus esse summam difficultatem, quod non sine causa à nobis factum fuisse, vel id indicabit, quod nos exemplum istud, ratione, ut nobis quidem videtur, duce, aliter cogimur accipere atque intelligere, ac cæteri, quos videre nobis hactenus contigit, accipiendum & intelligendum censuerunt. Ipsi enim exemplum hoc ita intelligunt, ac si quis ista ipsa verba diceret: *quod discit quis nunc, id scit*: vel potius, *quod scit quis, nunc didicit*. Ajunt enim, hic fallaciam compositionis esse, si quis adverbium *nunc* componat cum verbo *didicit*, cum videlicet adverbium istud sit componendum cum verbo *scit*, ut sit sensus, si is verus esse debet, eum, qui hoc tempore aliquid scit, id aliquando didicisse; non autem, ut ex fallaci compositione ista oritur, aliquem, qui quidquam sciat, illud nunc didicisse. Est enim hic sensus plane falsus. Verum non possumus nos exemplum istud ad hunc modum intelligere, idque tribus de causis. Prima est, quod Aristotelis verba nullo modo videntur illi convenire. Neque enim ex illis ullo modo apparet, in eo esse fallaciæ occasionem, quod adverbium *nunc* cum illo verbo componatur, cum quo non debet, & ab eo, cum quo componi debet, dividatur, quemadmodum istorum explicatio, seu, si ita loqui licet, exemplificatio omnino fert. Repetat quis ipsa verba Aristotelis, & nos verum dicere comperiet. Altera causa est, quod ejusmodi fallacia, ut postea apertius explicabimus, non videtur magis compositionis quam divisionis appellanda, si explicationem istorum recipiamus. Nam si in exemplo isto adverbium *nunc* componitur cum verbo, cum quo componi non debet, eodem tempore, ut dictum est, eademque opera, dividitur ab eo cum quo debet componi: & tamen Aristoteles aperte ac nominatim exemplum, quod ipse intelligit, in verbis ipsis numerat inter exempla fallaciæ *compositionis*. Tertia denique causa est, quod, ut postmodum explicandum à nobis erit, videtur Aristoteles duo genera fallaciarum, tam compositionis quam divisionis proponere & nobis tradere, & prius quidem exempla

exempla tantum unius generis, deinde vero exempla alterius. Quod nullo pacto fieret, si istorum exemplificatio recipienda esset; quia tunc mistim exempla utriusque generis traderet, quemadmodum suo loco videbimus. Itaque concludimus, non posse nos aliis hac in re adhærere, quamvis alioqui difficile admodum videatur exemplum fallaciæ compositionis ex ipsius Aristotelis verbis elicere. Nos tamen nihilominus, confisi eo sensu, quem verba ipsa Aristotelis omnino præ se ferunt, tentabimus, an possimus alia ratione, in qua neque ulla ex prædictis caussis tribus locum habeat, neque ulla alia, quæ impediat, ipsum Aristotelicum exemplum explicare. Cum igitur Aristoteles ita loquatur, quasi in exemplo, quod ipse intelligit, ex eo, quod quis didicerit, quæ scit, sequatur, quod nunc literas didicerit; necesse nobis videtur, (eo servato, quod sit vere fallacia compositionis, & sic in ipsa dictione, non autem extra dictionem) exemplum hoc modo explicare: quod nunc quis scit, id didicit. Sed nunc scit iste literas. Ergo nunc didicit literas. Fallacia enim hic in eo est, quod adverbium *nunc* cum solo verbo *scit* conjungendum, conjungitur præterea etiam cum verbo *didicit*, seu tacite ante ipsum verbum *didicit* repetitur. Cujus rei causa videtur esse illa, quam affert Aristoteles in ipsis verbis suis, quod scilicet, quæ quis scit, ea etiam didicit; id quod ex ipso nostro exemplo intelligi videtur: & propterea, quemadmodum hoc inde colligitur, sic fit, ut quis errans arbitretur, colligi simul, quod quemadmodum nunc iste scit literas, sic etiam nunc eas didicerit. Nam si quis dicat, ejusmodi fallaciam ex eorum numero videri, quæ extra dictionem sunt, & esse fallaciam non quidem compositionis; sed accidentis; respondemus, nihil vetare, quominus in uno eodemque exemplo committatur fallacia & in dictione, & extra dictionem, quamvis sensus ille falsus, qui inde proficiscitur, sit utrobique idem, pro ut scilicet diversa ratione propositum exemplum considerabitur. Nam si hic consideretur illud, quod nunc iste scit literas, quantum pertinet ad ipsum tempus, quo scit, ex accidenti esse respectu conjunctionis illius, quam inter se habent, *scire* & *discere*, erit sine dubio accidentis fallacia, si quis ex eo, quod nunc scit, concludat, istum etiam nunc discere aut didicisse. At si ita res consideretur, ut adverbium illud *nunc*, quemadmodum dictum est, tacite repetatur ante verbum *didicit*, & sic cum eo conjungatur, cum quo tamen conjungi seu componi non debet, tunc erit compositionis fallacia, & in ipsa dictione fallacia ista consistet, non minus quam superior extra dictionem.

Pergit Aristoteles, & adhuc exemplum unum affert fallaciæ compositionis inquiens: *Item, quod unum tantum potens est ferre, multa posse ferre.* Non satis mihi liquet, an alii exemplum hoc recte percipiant: sed nisi fallor, hic est in eo Aristotelis sensus: quod si quis dicat, istum posse ferre hoc & hoc, illud & illud &c, fallaciam compositionis committit, si verba ista ita acceperit, ac si is, qui ea protulerat intellexerit, istum simul & semel ista omnia ferre posse, non autem singula separatim, quemadmodum ille intellexit; ut sine dubio eveniret, si quis exempli causa, cum essent sacci multi tritico pleni, iique tales, quorum non plures uno quisquam ferre posset, & diceret aliquis: Videte, iste potest hunc saccum ferre, & hunc, & hunc, &c. Ubi enim iste, qui sic loquitur, sine dubio intelligit, singulos saccos ab isto ferri posse, per compositionis fallaciam faceret illum dicentem, quod omnes illos, quos nominavit, ferre simul posset.

Post hoc exemplum transit Aristoteles ad exempla divisionis, cujus fallaciæ videtur hic similiter tradere exempla quatuor; quemadmodum & compositionis tradidit; id quod sentire non paucos arbitror. Mihi tamen aliud videtur, nempe duo priora tantum afferri, tanquam certa & propria exempla fallaciæ divisionis: reliqua vero duo, utpote, ut postea dicemus, alterius generis, quam superiora omnia, ut communia utrique fallaciæ ab ipso allata fuisse. Jam primum exemplum, quod est etiam prius ex illis duobus, quæ proprie ad divisionem pertinent, tale est: quod quinque sint duo & tria, & imparia & paria. Ubi, quemadmodum ab aliquo interprete factum est, sine dubio addenda est ante vocem *imparia*, vocula *ita*, ac si Aristoteles dixisset: *Atque ita imparia & paria.* Exemplum enim continetur totum, si nudum per se consideretur, illis paucis verbis: *quinque sunt duo & tria*, exemplum, inquam, unde divisionis fallacia oriri possit. Namque illud *imparia & paria*, est id, quod per fallaciam istam concluditur. Verum siquidem est, quinque esse duo & tria, si illud *duo & tria*, conjunctim accipiatur. Nam sine dubio in quinque sunt & duo & tria; & merito dici potest, ex istis duobus numeris simul junctis fieri numerum istum *quinque*, sed si disjunctim isti duo numeri, seu verba illa, *sunt duo & tria*, accipiantur, ac si ille, qui ita locutus est, dixerit: *quinque & esse duo, & esse tria*, certe tunc per istam divisionem sensus efficitur falsus; & propterea etiam falsa est conclusio illa, quod *quinque sunt imparia, & paria*: cum istud nulla ratione concludi possit, nisi divisionis fallacia ista in ejusmodi verbis committatur.

Posterius exemplum ad divisionis fallaciam proprie pertinens tale est, ut quidem Aristoteles illud proponit: *Majus est æquale, tantundem enim est, & adhuc amplius.* Hic contraria ratione ac supra fecit, prius conclusionem falsam ex divisione resultantem posuit, deinde ipsum exemplum ubi fallacia ista committitur. Nudum enim ipsum exemplum est: *Id quod est majus, tantundem est atque id, quod est minus, & adhuc amplius*, certe quatenus tantundem est, eatenus est æquale. Quare si hoc per se accipiatur, & divisim ab eo, quod dicitur *adhuc esse amplius*, æquale erit id, quod est majus, minori. Sed quia divisio ista nullo pacto est admittenda, sed conjunctim intelligendum, totum illud esse tantundem atque eo amplius; propterea falsum est, præsertim simpliciter loquendo, majus minori æquale esse.

Sequuntur altera illa duo exempla, de quibus diximus nobis videri, quemadmodum alterius generis sunt, quam superiora omnia, ad eum tamen modum explicata, ut à nobis factum est, sic non esse propria fallaciæ divisionis, sed communia etiam fallaciæ compositionis. Prius exemplum hoc est: *Ego posui te servum existentem liberum.* Videtur exemplum hoc, ut alii monent, petitum ex aliquo antiquo Poëta Comico. Ubi sine dubio is, qui ita à Poëta illo inducitur loquens, dicere voluit, se istum, cum quo loquebatur, è servo fecisse liberum: & tamen ejus verba, ut jacent, ita accipi possunt, ac si contrarium dicere voluerit, nempe se fecisse istum è libero servum. Hujus diversi ac duplicis sensus causa est, quod verba varie possunt inter se componi ac dividi. Idem evenit in exemplo posteriore, quod tale est, & quidem ad verbum, si ita illud recitemus, ut verba ipsa Græca habent: *Quinquaginta virorum centum liquit Achilles.* Neque enim similiter hic dubium esse potest, quin sensus istius carminis (est enim hexametrum carmen) is sit, quod è centum viris Achilles quinquaginta reliquerit: & tamen, si verba ipsa spectemus, potest similiter sensus esse, quod Achilles è quinquaginta viris reliquerit centum, quem nemo non videt plane esse falsum atque adeo impossibilem. Sunt qui affirment, hoc exemplum petitum esse ex Homero: sed locum interim non citant. Nam alii sunt, qui simpliciter à Poëta aliquo, seu à Poëta quodam, eum interim non nominando, dicant hoc carmen scriptum fuisse. Quem versum conati sunt versu similiter Latine reddere. Quod quidem cum faciunt, alia ratione videntur fallaciæ dare locum; atque illa est, quæ ex ipso Græco versu resultat, quamvis plane ejusdem generis, ut mox, Deo volente, explicabimus: Prius enim recte erit, ut declaremus, quomodo in superiore exemplo fallacia committatur, seu quæ sit fallaciæ ratio. Ii qui locum istum Aristotelis explicant, exemplumque istud examinant, quos quidem mihi videre contigit, ajunt fallaciam in eo esse, quod verbum *posui*, conjungendum cum nomine *liberum*, conjungitur cum nomine *servum*. Hoc verum quidem esse fateor: sed interim tamen certum est, hac ratione non omnino explicari, quomodo fallacia committatur, & fortasse id dici, in quo

etiamsi, ut fassi sumus, fallacia insit, non tamen est propria fallaciæ vis, aut saltem maxime propria. Considerandum enim est, quamvis effectus plane idem sit ubique, tamen triplici ratione posse considerari, & committi in exemplo isto fallaciam, de qua hoc loco agimus, quæ scilicet in ipsa dictione insit. Primum enim, ut jam dictum est, in eo potest esse fallacia, quod verbum *posui*, conjungendum cum voce *liberum*, conjungatur cum voce *servum*, & hæc est prima ratio. Secunda ratio erit, quod vox *servum*, quæ debet conjungi cum voce *existentem*, conjungatur cum verbo *posui*. Tertia ratio est, si participium *existentem*, quod debet jungi cum nomine *servum*, jungatur cum nomine *liberum*. Hic manifeste videtis, non illo uno tantum modo, quemadmodum alii scribunt, committi in exemplo isto fallaciam, sed duobus etiam præterea. Est nihilominus tamen in singulis istis modis idem falsus sensus; & ex singulis id evenit, quod cum is, qui dixit, *ego te posui servum existentem liberum*, intellexit, se è servo fecisse istum liberum, intelligatur dixisse, se contra è libero fecisse istum servum. Quod si quis me interroget, quinam ex istis tribus modis, & sic, quænam, ut magis proprie loquamur, ex istis tribus causis, ut prædicta fallacia committatur, sit maxime propria; censeo dici posse, eam esse omnium maxime propriam, quam postremam & tertiam eas enumerando fecimus: ut scilicet omnis ratio fallaciam in verbis istis committendi inde nascatur, quod non appareat, ad utrum ex illis nominibus *servum* & *liberum*, debeat referri, cum eoque conjungi participium *existentem*. In aliis enim duobus modis, quamvis quiddam similiter ejusmodi eveniat: tamen verisimilior videtur, quod attinet ad verborum ipsorum structuram, ea compositio, ex qua falsus sensus provenit. Est quidem multo verisimilius, si verborum structuram consideremus, ut verbum *posui* conjungatur cum nomine *servum*, quam cum nomine *liberum*: itemque verisimilius videtur, nomen *servum* conjungendum esse cum verbo *posui*, quam cum participio *existentem*: At vero si quis tres illas voces, *servum existentem liberum*, per se consideret, non magis verisimile est ut participium *existentem* conjungatur cum hoc, quam cum illo ex istis duobus nominibus.

Sed jam ad secundum, seu posterius hujus generis Aristotelis exemplum revertamur. Dicimus igitur, inveniri idem hoc exemplum, ut quidem alicubi citatum legimus, apud Quinctil. lib. 7. cap. 10, ad hunc videlicet modum: *Quinquaginta ubi erant centum inde occidit Achilles.* Quæ verba non minus hexametrum carmen sunt, quam ea quæ ipse Aristoteles recitavit, & quidem, ut quidam affirmant, ex ipso Homero. Alius itidem, qui libros hos Aristotelis in linguam Latinam convertit, hexametro versu verba ista reddens, sic ea est interpretatus: *Quinquaginta viris de centum liquit Achilles.* Jam in istis duobus modis vertendi Græca illa verba, perit ex parte id, unde fallacia, judicio meo, oriri potest, si ipsa Græca verba spectemus. Quamvis enim minime negem, considerari posse, atque adeo affirmari id, quod alii omnes, quos legimus, sentiunt, nempe fallaciam in eo committi, quod verbum sic proprie à Grammaticis appellatum, quod in istis verbis habetur, pro eo quod jungi debet cum voce *quinquaginta*, conjungatur cum voce *centum*: animadvertendum tamen est, posse etiam secundum ipsa Græca verba fallaciam inde oriri, quod vox *virorum* seu *hominum*, quæ conjungi debet cum voce *centum*, conjungatur cum voce *quinquaginta*; idque ob eam causam, quod non appareat, utro casu, accusativo scilicet, an genitivo, utravis ex illis duabus numeralibus vocibus, cum utraque sit indeclinabilis, accipienda sit; quæ fallaciæ occasio omnino abest ab utrovis ex duobus recitatis modis, reddendi Latine versum istum Græcum. Et in modo quidem, qui apud Quinctil. legitur, alia interim fallaciæ occasio habetur, præter illam, quam diximus agnosci in isto exemplo ab iis, quos hactenus hac de re disputantes legimus. Ea est, quod verba illa, *ubi erant*, quæ secundum verum sensum conjungi debent cum voce *centum*, possunt ex usu loquendi & vi ipsa Grammatica conjungi etiam cum voce *quinquaginta*. quod si fiat, falsus omnino sensus inde orietur; cum fieri nullo modo possit, ut, ubi erant quinquaginta, inde Achilles occiderit centum. In eo similiter Latino versu, quem, ut diximus, interpres quidam in sua hujus loci translatione pro Græco reposuit, non retinetur ex Græco nisi illa communiter observata fallaciæ occasio, à varia verbi *liquit* conjunctione proficiscens. Sed tamen & hic alia præterea occasio habetur; cum non omnino constet, an vocula *de* jungi debeat cum voce *centum*, an cum voce *quinquaginta*; quamvis paulo durius videatur, si quis cum voce *quinquaginta* eam conjungere velit, & Poëtice tantum fortassis id fieri possit. Verum alii sunt, qui Græca verba carmine Latino, eoque hexametro, ut verba ipsa Græca sonant, reddiderunt, & interim tamen easdem omnino occasiones fallaciæ committendæ conservarunt. Sed fortasse isti id facientes, non admodum Latine sunt locuti. In Boëthii quidem interpretatione sic versum istum legimus: *Quinquaginta virûm centum heros liquit Achilles.* Apud Fonsecam vero sic legitur: *Quinquaginta hominum centum heros liquit Achilles.* Quod idem plane est cum eo, quod Boëthius vertit, nisi quod pro voce *virum*, quæ est apud Boëthium, reposita est vox *hominum*, idque sine ulla causa: cum vox quam Boëthius usurpavit, magis proprie reddat vocem Græcam *ἀνδρῶν*, quam illa, quam ejus loco Fonseca reposuit. Veruntamen, ut diximus, uterque modus videtur non bene esse Latinus. Vix enim liceat Latine dicere, *centum virorum Achilles liquit quinquaginta*, pro eo, quod est *de centum viris*. Sed quicquid sit, ut Aristotelis exemplum nulla ex parte mutetur, & eædem plane, neque plures neque pauciores, fallaciæ committendæ occasiones, quæ in verbis ab Aristotele citatis sunt, conserventur, præstat sine dubio, ea Latine vertendo minus Latine loqui, quam occasiones istas augere vel minuere, aut quocunque modo mutare. Verumtamen ab istis, qui hac in parte non peccarunt, in eo peccatum fuisse videtur, quod tamen voluerint versum versu reddere, quod nihil erat necesse. Unde multo minus videtur ferenda improprietas illa Latini sermonis, quæ alioqui ferenda videtur, cum quis profitetur, spreta carminis ratione, se verbum verbo reddere. Jam ex duabus illis fallaciæ occasionibus, quæ in exemplo isto, prout Græca verba habent, reperiuntur, si quis similiter me interroget, utram ego credam magis loci propriam, & secundum ipsius Aristotelis mentem; fatebor, non illam esse me existimare, quam ii existimant, quos mihi legere contigit, ut scilicet ea sit, quod verbum *liquit*, conjungendum cum voce *quinquaginta*, possit non minus conjungi cum voce *centum*. Quandoquidem non est hac ratione res par inter utrumque sensum: cum multo verisimilius sit, ut prædictum verbum conjungatur, si verborum structura ipsa spectetur, cum voce *centum*, ex qua conjunctione falsus sensus provenit, quam cum voce *quinquaginta*, ex qua verus. Sed quod vox *virorum* vel cum voce *centum*, vel cum voce *quinquaginta* conjungatur, id omnino rationis paritatem habet. Sive enim huic, sive illi voci jungatur, quod attinet ad ipsorum verborum sonum & structuram, pari omnino verisimilitudine, quod ita fieri debeat, utrumque fieri potest. *Cætera non absolvit Auctor.*

CHRISTIANÆ RELIGIONIS

breviſſima Inſtitutio,

Per Interrogationes & reſponſiones, quam Cathechiſmum vulgo vocant.

Acceſſit poſteriori Catecheſi novum fragmentum nunquam editum

Scripta

a

FAUSTO SOCINO SENENSI.



IRENOPOLI

Poſt annum Domini 1656.

CHRISTIANÆ RELIGIONIS INSTITUTIO.

Interrogans discipulus, Respondens magister

De Religione Christiana in genere.

Interrogans discipulus.



Uid est Christiana Religio?

Respondens magister.

Est via divinitus proposita & patefacta perveniendi ad immortalitatem, seu æternam vitam.

Interrog.

Numquid naturaliter & per se non habet homo quidquam commune cum immortalitate?

Respon.

Non habet.

Interrog.

Cur vero?

Respon.

Quia & de terra ab initio formatus Gen. 9.5, ob idque mortalis creatus est 1 Cor. 15.47, & propter violatum à se præceptum, quod ipsi dederat Deus Gen. 2.17, & 3.17 &c, ex ipsius Dei decreto, quod in ipso præcepto dando expressum fuerat, necessariæ perpetuæque morti obnoxius est factus.

Interrog.

Jam vero ista ad vitam æternam via quibus rebus continetur?

Respon.

Ut summatim dicam, unius Dei qui illam nobis proposuit, & Jesu Christi per quem eam proposuit, cognitione, sic enim ipse Jesus Christus affirmasse legitur, Joh. 17.3.

Interrog.

Qualem cognitionem istam intelligis?

Respon.

Intelligo potissimum Dei per Christum erga nos voluntatis notitiam, & ad eam, cogitationum, morum, actionumque nostrarum conformationem.

Interrog.

Quid? An non necesse est ad cognitionem istam, novisse præterea, quæ nam sit Dei Christique natura sive essentia?

Respon.

Istiusmodi notitia eatenus tantum est necessaria, quatenus sine ipsa, nec Dei per Christum erga nos voluntatem nosse, nec nos ad eam conformare possimus.

De cognitione Dei.

Interrog.

Quid igitur de Dei (ut de ipso primum, postea vero de Christo agamus) natura sive essentia nosse omnino nos debere statuis?

Respon.

Hæc duo in summa. Quod sit, & quod unus tantum sit. Ista enim de Dei essentia nosse, id est, sibi firmiter persuadere, necessaria censeo ad ejus voluntatem istam percipiendam eique obediendum.

Interrog.

Quid est de Deo nosse, quod sit?

Respon.

Est nosse, quod in nos divinum imperium ex seipso habeat.

Interrog.

Quid est nosse, quod unus tantum sit?

Respon.

Est nosse, seu sibi firmiter persuadere, ipsum solum esse, qui ex se ipso divinum imperium in nos habeat.

Interrog.

Quid est divinum istud in nos Dei imperium?

Respon.

Est jus atque potestas de nobis quidquid velit statuendi, ad ea etiam pertingens, ad quæ nullum hominum, vel alterius cujuscumque generis imperium pertingere potest; cujusmodi sunt cogitationes ipsæ nostræ, quantumvis in ipso cordis nostri recessu abditæ. Quibus pro suo arbitratu leges imponere, & præmia pœnasve constituere potest.

Interrog.

Quid est, quod imperium istud ex se ipso habet?

Respon.

Est, quod illud nulla prorsus ratione ab alio quoquam habet.

Interrog.

Quid est, quod illud solus habet?

Respon.

Non dixi simpliciter, solum habere, sed, solum ex seipso habere. Nihil enim vetat, quominus imperium istud, quod nemo alius præter ipsum ex se ipso habet, cum alio ipse communicaverit. Quanquam scriptura ipsa sic loquitur ut dicat, ipsum solum esse, qui potens, seu dominator sit 1 Tim. 6.15.

Interrog.

Cur igitur ita loquitur scriptura?

Respon.

Quia nimirum quisquis imperii non modo divini, sed etiam humani quidquam habet, ex ipsius dono habet.

Interrog.

An non de Dei essentia sive natura nosse etiam debemus, quod sit æternus, id est, nec principium nec finem habens?

Respon.

Necesse est sine dubio, ut eum æternum esse nobis persuadeamus, à quo vitam æternam tanquam ab ejus primo auctore speremus, sine spe autem æternæ vitæ, quam ex ipsius Dei voluntate simus adepturi, nullo modo ea præstare possumus, quæ, se à nobis velle, Deus per Christum patefecit. Verum quod Deus semper fuerit, & consequenter quod semper sit futurus, eo ipso necessario includitur, quod ex se ipso, & quidem solus, divinum imperium in nos habeat.

Interrog.

Sunt ne præterea res aliæ ad Dei naturam pertinentes, quæ similiter isto ipso includantur, quod Deus solus ex seipso divinum imperium in nos habeat?

Respon.

Sunt, eæque nobis ob id ipsum credendæ, quod alioqui ejus voluntati per Christum patefactæ non obediremus.

Interrog.

Quæ nam sunt istæ?

Respon.

Hæ tres. Justitia, sapientia, & potentia, eæque summæ, & nullis limitibus circumscriptæ.

Interrog.

Quid justitiæ nomine intelligis?

Respon.

Rectitudinem & æquitatem.

Interrog.

Quid Sapientiæ?

Respon.

Rerum scientiam, ac notitiam.

Interrog.

Quid denique potentiæ?

Respon.

Facultatem; ea quæ velit faciendi.

Interrog.

Cur vero, nisi ista tria summa in Deo esse nobis persuaserimus, ejus voluntati per Christum patefactæ obedire non poterimus? Responde autem (quæso) mihi ordine & singulatim; ac primum de justitia.

Respon.

Idcirco nobis persuasum esse debet, Deum esse summe & perfectissime justum, id est, rectum & æquum, si ei, ut per Christum jussit, obedire velimus, primum, ut certi simus, Deum, quæ nobis, licet alioqui indignis, sibi obedientibus per Christum promisit, ea etiam omnino præstiturum, & suis promissis staturum; deinde, ut in tentationibus, quæ Christi præceptis parere volenti multæ & gravissimæ accidunt, perpetuo persuasi simus; nullam prorsus iniquitatem ex ipsius Dei parte esse; quod ita nos affligi sinat.

Interrog.

Quid vero respondes de sapientia?

Respon.

Nimirum ideo necesse esse, ut credamus, Deum summam & absolutam rerum omnium scientiam ac notitiam habere, ne quidquam dubitemus, quin ipsum cor nostrum, ex quo potissimum nostra obedientia æstimanda est, illi notissimum perpetuo sit. Nihil enim alioqui hominis corde abstrusius & cognitu difficilius.

Interrog.

Quid denique de potentia dicis?

Respon.

Id quidem omnibus est in promptu. Quis enim sibi persuaserit Deum, ut primum ejus rei auctorem, nobis vitam æternam dare posse, nisi simul crediderit, ejus facultatem, ea quæ velit, faciendi, nullis limitibus esse circumscriptam? Quis ea ingentia mala subiret, quæ Deo per Christum obedientibus subeunda sunt, nisi persuasissimum haberet, omnia esse in ipsius Dei manu, nec sine ejus nutu & voluntate ista accidere posse, nihilque istorum, aut quidvis aliud sive in cœlo, sive in terra, esse, quod ullam vim habeat impediendi, quominus Deus ea præstare possit, quæ promisit, & ab eo expectamus?

Interrog.

An non necesse est præterea, ut de Dei natura sive essentia id sciamus, utrum scilicet in isto ipso uno Deo sint nec ne plures personæ, & quænam sint istæ?

Respon.

Interrogatio hæc tua implicat contradictionem.

Interrog.

Quomodo vero?

Respon.

Nimirum, quatenus in ea simul affirmatur Deum esse unum, simul dubitatur, ne non sit unus.

Interrog.

Sed an fortasse ignoras, aliud esse essentiam seu naturam, & aliud personam? An non intelligis interrogationem meam unum quidem Deum esse affirmare, essentiæ ratione, dubitare vero, an non sit unus, respectu personæ?

Respon.

Essentia, quæ aliud reipsa est à persona, non est ea, quæ numero est essentia, & prima essentia seu substantia vocatur, sed ea, quæ est essentia specie, & secunda essentia seu substantia nominatur. Jam Dei essentia est una numero, non autem specie, nec quicquam habet Deus cum secunda illa essentia commune, sed tantum cum prima, quæ ubi est intellectu prædita, idem prorsus est cum persona.

Interrog.

Quid igitur concludis?

Respon.

Nempe id, quod per te ipse jam intelligere potes, videlicet, cum Dei essentia sit una numero Deut. 6. 4, necesse esse, ut una etiam numero sit in Deo persona, & nullo pacto plures. Nam si plures divinæ personæ essent, plures quoque divinas essentias esse oporteret.

Interrog.

Estne necessarium ista scire aut credere?

Respon.

Est quidem necessarium, si quis veritatem plane nosse aut credere velit. Sed ad vitam æternam consequendam non crediderim esse omnino necessarium.

Interrog.

Cur ita statuis?

Respon.

Quia non omnis veritas, etiam in iis, quæ ad ipsam essentiam Dei pertinent, ejusmodi est, ut sine illius cognitione ipsius Dei per Christum nobis patefacta voluntas cognosci nequeat, aut illi, ut par est, obediri. Et sane, ut voluntas ista cognoscatur, illique obediatur, haud necessarium est scire aut credere veritatem hanc, licet certissimam, in Deo videlicet plures una personas non esse; modo alioqui credas, Deum unum tantum esse. Quamvis enim istorum duorum utrumvis ex altero necessario ac manifestissime consequatur; jam diu tamen fuerunt plerique Christiani nominis homines, hodieque sunt adeo hac in re dementati, ut sibi persuadeant, Deum omnino unum tantum esse, & tamen interim credant, tres esse in Deo personas, quarum quælibet sit ille idem unus Deus; quo nihil vel absurdius, vel impossibilius, vel denique divinis ipsis testimoniis repugnantius ne excogitari quidem potest.

Interrog.

Quid igitur ipse statuis de Christo Dei filio, quem isti volunt esse alteram ex istis tribus personis, unumque & eundem numero Deum cum Patre suo?

Respon.

De hoc respondebo tibi, ubi separatim de ipsius Christi essentia nobis agendum erit. Satis est hoc in loco, te intelligere, me statuere sententiam istam de Christo nullo pacto veram esse posse.

Interrog.

Verum quid, quæso, saltem de Spiritu Sancto nunc mihi dicis, de quo isti similiter affirmant, eum esse divinam personam, nempe tertiam, & unum atque eundem numero Deum cum Patre & Filio? Quid ipse cum istud nullo pacto admittas, de eo statuendum censes?

Respon.

Nempe, illum non esse personam aliquam à Deo cujus est Spiritus, distinctam, sed tantummodò (ut nomen ipsum *Spiritus*, quod flatum & afflationem, ut sic loquar, significat, docere potest) ipsius Dei vim & efficaciam quandam, id est, eam, quæ secum sanctitatem aliquam afferat.

Interrog.

Sunt ne testimonia aliqua divina, ex quibus præter ipsius nominis significationem, confirmari possit, Spiritum Sanctum esse vim quandam atque efficaciam Dei?

Respon.

Sunt; ut illud apud Lucam capit. ultimo, *quoadusque induamini virtute ex alto.* Apertissimum enim est, ibi *virtutis ex alto* nomine intelligi Spiritum Sanctum, quo futurum erat, ut Apostoli paulo post donarentur. Est autem, sine dubio, virtus ex alto idem, quod virtus altissimi; & propterea nihil etiam dubitari potest, quin apud eundem Lucam 1. Virtus altissimi similiter Spiritum Sanctum significet, vel potius proxime antea nominatum, quid sit declaret. Ut quidem non pauci viri doctissimi censuerunt.

Interrog.

Qua ratione igitur sacra illa testimonia interpretaris, in quibus Spiritui Sancto ea tribuuntur, quæ sunt propria personarum, & simul uni tantum Deo conveniunt?

Respon.

Sæpe in ipsis Sacris Literis 1 Cor. 13. 4 &c, Gal. 3. 8. Jac. 3. 17. Rom. 7. 8 &c. Joh. 3. 8, quibusdam rebus ea tribuuntur, quæ sunt propria personarum, nec tamen res

res istæ sunt personæ; & cum Spiritus Sanctus Dei vis sit atque efficacia, quemadmodum id ei merito tribuitur, quod ipsius Dei est proprium; sic sæpissime fit, ut Spiritus Sancti nomine, aliud nihil, quam ipse Deus, quatenus vim istam atque efficaciam exerit, intelligatur.

Interrog.

An non putas, istud nosse, quod & affirmas & demonstras, sicut videlicet Dei essentia una est numero, sic unam tantum esse Dei personam, quamvis id plane necessarium ad æternam salutem consequendam esse non censeas, magni tamen faciendum esse?

Respon.

Immo maximi, adeo, ut nullo pacto illos excusandos censeam, qui huic veritati obstinate repugnant, quive illius cognitionem adepti, eam profiteri non audent, &, si ad eam rem sint apti, aliis eam persuadere, ubi occasio sese offerat, non curant. Nam non solum de Dei, Domini nostri Jesu Christi Patris gloria hic agitur, quæ omnibus rebus perpetuo anteferri debet, sed etiam de salutis nostræ per Christum ratione exacte percipienda, quod ad salutem ipsam consequendam maximum nobis adjumentum afferre potest.

Interrog.

Est ne aliquid amplius, quod nos de Dei essentia cognoscere sit necesse, præter illa, quæ hactenus à te exposita sunt?

Respon.

Non est. Et hæc ipsa, ut dictum fuit, non per se, sed quatenus sine illorum cognitione seu persuasione, divinæ voluntati per Christum patefactæ obediri nequit, cognitu nobis sunt necessaria.

Interrog.

An non Dei bonitas ad ipsius Dei essentiam pertinet? An non Deum bonum esse ut cognoscamus necesse est?

Respon.

Dei bonitas quatenus ad ipsius essentiam pertinet, vel includitur tota in rectitudine & æquitate, de qua (ut pote quæ cognitu nobis est necessaria) sub nomine justitiæ jam dictum est. Vel si velimus, sub ea comprehendi quoque beneficam naturam quæ in Deo sit, seu beneficentiam naturalem à voluntaria distinctam, dico ad Dei præcepta, per Christum nobis data, servanda, nihil necesse esse, ut beneficentiam aliquam Dei naturalem cognoscamus, sed satis esse voluntariam agnoscere. Qua minime agnita, fateor neminem præcepta ista servare posse; & quidem voluntariam beneficentiam bonitatis nomen præcipue declarat, & sic dici potest Dei bonitatem etiam præter rectitudinem & æquitatem nobis cognitu plane necessariam esse; sed tamen non quatenus ad ipsius Dei essentiam, sed quatenus ad voluntatem pertinet.

De voluntate Dei.

Interrog.

Jam igitur, quænam de ipsa Dei voluntate cognitu nobis necessaria esse statuis?

Respon.

Quæ pertinent ad voluntatem divinam, & nobis cognitu sunt necessaria, sunt duplicis generis. Nam partim sunt, quædam ipsius operationes, quarum omnes & singuli homines semper fuerunt participes. Partim vero vel operationes sunt, vel præcepta, vel denique decreta, quæ ad eos proprie spectant, qui vitam æternam sint adepturi.

Interrog.

Quænam sunt istæ voluntariæ Dei operationes, quarum omnes & singuli homines participes semper fuerint?

Respon.

Hæ tres. Mundi, sive cœli terræque creatio Gen. 1; de singulis hominibus cura & providentia Gen. 18. 25, & remuneratio eorum, qui ipsum quærunt Hebr. 11. 6, id est ipsi obtemperant.

Interrog.

Necessariumne igitur statuis homini, qui velit Dei per Christum patefactæ voluntati obtemperare, sibi persuadere, ab ipso Deo creatum fuisse mundum?

Respon.

Omnino, idque duplici de causa. Una est, eaque potior, quia Deus hoc ipsum vult, & à nobis requirit. Ob hanc enim causam, & ipse Deus, & divini homines tam sæpe, tamque diserte, à Deo cœlum terramque, & omnia quæ in eis sunt, creata fuisse testantur. Altera quia, nisi id nobis persuadeamus, nihil erit, cur credamus, Deum singulorum hominum curam gerere, quod tamen ut firmiter credat, quemadmodum nos jam statuimus, sic nemo non videt pernecessarium illi esse, qui ipsi Deo obedire velit.

Interrog.

Hoc adeo apertum est, & ejus causa tam manifesta, ut de ea non sim te interrogaturus, sicut nec etiam de causa, cur Deo obedire volenti necesse sit credere, eum esse remuneratorem illorum qui ipsum quærunt. Nam ea similiter satis unicuique per se patet. Sed quænam illa sunt ad voluntatem Dei pertinentia, quorum cognitio nobis sit necessaria, non omnibus hominibus communia?

Respon.

Hæc quia ad Christi non minus, quam ad Dei cognitionem pertinent, necesse est, ut si de eis loqui velimus, jam de ipso Christo cognoscendo agamus.

De cognitione Christi.

Interrog.

Recte mones. Primum igitur, quid censes de Christi natura sive essentia nobis cognitu esse necessarium?

Respon.

Id, ut antea dixi, sine cujus cognitione voluntas Dei erga nos per ipsum Christum patefacta, à nobis vel sciri, vel servari nequeat.

Interrog.

Quid igitur ex iis, quæ ad Christi naturam sive essentiam pertinent, ejusmodi esse censes?

Respon.

Vix quidquam. Nam quædam, quæ ad ipsius Christi personam alioqui pertinent, & nobis omnino ob prædictam causam cognita esse debent, non naturalia illi sunt, sed à Deo postmodum ipsi data & concessa, & sic ad Dei voluntatem sunt referenda; & quidem ad primam quam fecimus ejus partem, id est ad Dei operationes.

Interrog.

Quæ nam sunt ista?

Respon.

Divinum imperium, quod in nos habet Rom. 14. 9, & suprema illa majestas Ephes. 1. 20 &c, qua quidquid usquam est, aut excogitari potest, præter unum tantum ipsius Dei majestatem longe excellit 1 Cor. 15. 27. Phil. 2. 8, & 9. Hebr. 2. 9. Hæc enim Christo haud naturalia esse, sed à Deo Patre illi data fuisse, ipsumque ea per & propter mortem atque obedientiam & resurrectionem suam adeptum esse, apertissime scriptura testatur.

Interrog.

Cur vero hæc de Christo cognoscere omnino debemus? Aut quid hæc pertinent ad Christum?

Respon.

Propterea pertinent, quia, ut Christum divino cultu afficiamus vult Deus Joh. 5. 23. Psal. 45. 12. Hebr. 1. 6. Philip. 2. 10; ejus generis inquam cultu cujus is est, quem ipsi Deo exhibere debemus. Qua de re explicatius postmodum agendum nobis erit.

De natura Christi.

Interrog.

Quid de ipsa tamen Christi essentia seu natura statuis?

Respon.

De Christi essentia ita statuo illum esse hominem Rom. 5. 15, in virginis utero & sic sine viri ope, divini spiritus vi conceptum ac formatum Matth. 1. 20, 23, Luc. 1. 35. indeque genitum, primum quidem patibilem ac mortalem 2 Cor. 13. 4, donec scilicet munus sibi à Deo demandatum hic in terris obivit; deinde vero postquam in cœlum ascendit, impatibilem & immortalem factum Rom. 6. 9.

Interrog.

Cur ea explicans quæ ad Christi naturam spectant, nullam mentionem omnium potissimæ rei fecisti, quod scilicet sit filius Dei, & quidem proprius Rom. 8. 32, & unigenitus Joh. 1. 14, & 18, ut scriptura testatur?

Respon.

Quatenus hoc, quod Christus sit Dei filius proprius & unigenitus, ad ipsius Christi naturam referri potest, id est à me explicatius dictum, quam si ista ipsa verba protulissem.

Interrog.

Rogo te, ut mihi ista explanatius dicas. Quid enim primum sibi vult, quod innuis, hoc quod Christus Dei filius sit proprius & unigenitus non omnino ad ejus naturam pertinere?

Respon.

Dicam. Divina ista Christi filiatio, eatenus tantum ad ejus naturam aliquo modo referri potest, quatenus id respicit, quod Christus divini Spiritus vi, sine viri ope in virginia utero conceptus & formatus fuit. Nam hujusce rei causa eum Dei filium vocatum iri, ipsius Dei Angelus ipsimet virgini, ex qua natus est, prædixit Luc. 1. 35; & quidem consequenter Dei filium proprium & unigenitum; cum nemo alius hac ratione & ab ipso primo ortu Dei filius unquam extiterit. Cum igitur naturam sive essentiam Christi explicans, dixi modum, quo sit ortus, apertius, quid ista ipsius divina filiatione comprehensum huc pertinere possit, exposui, quam si diserte dixissem, illum esse proprium atque unigenitum Dei filium. Nam hoc aliud potissimum significat, quod nec ad ipsius Christi essentiam pertinet, nec ab ea proficiscitur. Quanquam præterea istud ipsum, quod Christus ea ratione, qua dixi, conceptus ac formatus fuerit, & proprii atque unigeniti filii Dei appellatione continetur, proprie loquendo, ad ipsius Christi essentiam referri non debet; alioqui sequeretur, quia alii homines longe diversa ratione concepti ac formati sunt, diversam quoque ipsorum, & Christi hominis naturam esse, & aliam esse humanam Christi naturam, aliam nostram.

Interrog.

Hac longiore responsione tua satisfecisti aliis interrogationibus quibusdam, quas facere paratus eram; iis igitur omissis, interrogo te, quid illud sit, quod potissimum significari dixisti, cum Christus proprius & unigenitus Dei filius in Sanctia Literis esse dicitur?

Respon.

Nempe, eum revera illum esse quem ipsum ejus nomen indicat, id est, Christum. Quanquam ubi Christus filius Dei appellatur, nunquam fortassis simplex ipsum Christi nomen subjecti loco habetur. Sed cum nomine Jesu conjunctum, simplex vero nomen Jesus aliquando habetur Act. 3. 13. 1 Thess. 1. 10. Hebr. 4. 14.

Interrog.

Cur istud fit?

Respon.

Ob id videlicet, quod Jesus est nomen proprium illius Matth. 1. 21, & quamvis illi idcirco divinitus impositum, Ibid. quia servator populi sui futurus erat, ad ipsum tamen hominem simpliciter significandum perpetuo usurpatum. At Christus est nomen quod ipsius hominis præcipuam excellentiam & præstantiam declarat à Deo in ipsum profectam; nam subaudienda est ubique vox Dei, ac si diserte scriptum esset, Christus Dei.

Interrog.

Quænam præstantia ista est?

Respon.

Regem esse populi Dei. Quia enim reges divina ordinatione in populo constituti 1 Sam. 8. 9, & 10, eadem divina ordinatione ungebantur, idcirco Christi nomine quod proprie unctum significat sunt appellati, & quidem ipsius Dei uncti, seu Christi dicti.

Interrog.

Quæ igitur est tanta ista Jesu Christi, ipso Christi nomine indicata præstantia, adeo ut ipsa Christi appellatione proprii atque unigeniti filii Dei appellationem contineri velis, si alii quoque, impii aliquando & non secus ac vulgares quique homines mortis mancipia, Christi sunt nominati?

Respon.

Nomen istud, quod illis aliquo modo conveniebat, Jesu Christo maxime proprie atque absolute convenit, & idcirco in ipso id significat, quod in illis non significabat.

Interrog.

Quomodo ista intelligis?

Respon.

Intelligo, Jesum Christum maxime proprie, maximeque vere atque absolute Dei populi regem esse. Cum ratione regni, tum vero ratione ipsius populi; id quod illi non fuerunt.

Interrog.

Quam ob causam? Cur vero non erat illorum regnum absolutum regnum?

Respon.

Quia absolutum regnum requirit absolutam potestatem, quam nemo terrenus rex, ut illi erant, in suos subditos, & in ea, quæ ad illos spectant, habere potest. Quot subditi manus sui regis effugiunt, qui eos punire vellet? Quot mala ipsi regi à suis subditis impendent, quæ sæpius vitare nequit? Quot incommoda vel avertere vel auferre à suis subditis terreni reges omnino vellent, quæ non possunt? Quot beneficiis eos afficere, quæ non sunt in ipsorum potestate? Et ne plura dicam, nullam habent terreni reges in suorum subditorum voluntatem & animum potestatem, quæ tamen in homine pluris sunt, quam ipsa externa facta. Atqui hæc omnia quæ terrenis regibus desunt Jesus Christus habet.

Interrog.

Cur non erat populus ille Israëlis absolute Dei populus?

Respon.

Quia Deus pro suis absolute non agnoscit, nisi pios & justos, seque timentes. Atqui in populo illo Israëlis innumerabiles perpetuo fuerunt vel impii, vel injusti homines & Dei Legem parum curantes.

Interrog.

Cur tamen is populus, est Dei populus, in Sacris Literis dictus?

Respon.

Nempe ob id, quod Deus illum peculiariter elegerat Psal. 147. 19. & 20, cui aperte & manifeste suam voluntatem suaque judicia patefaceret.

Interrog.

Quid igitur hinc concludis?

Respon.

Id quod ante attigi; nempe Reges Israëlitici populi cum nec ipsi plenam & absolutam, id est, ipsorum voluntati parem, potestatem in eum populum exercere possent, nec is populus verus Dei populus esset, quamvis Christi, id est, uncti Dei fuerint appellati, non tamen proprie atque absolute tales fuisse, & propterea appellatione ista non fuisse in illis id significatum, quod significat, Dei proprium & unigenitum filium esse, quemadmodum in Jesu Christo significatur.

Interrog.

Conveniebatne illis tamen interea aliqua ratione filiorum Dei nomen, propter id regnum, quod in Israëliticum populum habebant?

Respon.

Respon.

Omnino. Divino siquidem testimonio vel ii qui ex Dei decreto, aliquo modo judicia in Dei populo exercent, filii altissimi nominantur & sunt Psal. 82.6. Joh. 10.35. Cum igitur Christus Jesus maxime propria & singularissima ratione, Deo sic statuente, non solum regnet, sed plenissimam & absolutissimam potestatem in eum, qui verus & proprius Dei populus est, solus habeat; & quidem ita solus, ut nec ante ipsum alius eam habuerit, nec post habiturus sit ullus; merito, ob ista, non modo Dei filius, sed proprius etiam & unigenitus Dei filius & nominatur, & est.

Interrog.

Quid igitur censes de eo, quod vulgo hactenus traditum est, Christum Dei filium proprium & unigenitum esse, quia ex ipsius Dei substantia sit generatus, nec ullus alius præter ipsum?

Respon.

Censeo, istud merum esse humanum commentum, id est, nec Sacris Literis ullo pacto consentaneum, quæ istius ex ipsius Dei substantia generationis nullam prorsus mentionem faciunt, & ipsi sanæ rationi penitus repugnans, quæ nullo modo patitur, ut Deus animalium corruptibilium more ex sua ipsius substantia generet, utve unica illa numero Dei essentia vel dividatur, vel multiplicetur, vel unica numero & integra manens, pluribus fiat communis. Adde, quod ipsa scriptura propriam & unicam Christi divinam filiationem aperte ita explicat, ut nos & modo diximus, & paullo ante, dum de ipsius Christi in utero virginis conceptione loqueremur, docuimus; & nominatim pro eodem accipit Jesum esse Christum, & Jesum esse Dei filium, Matth. 16. 16. Marc. 8. 29. Luc. 9. 20. Matth. 26. 63. Marc. 14. 61. Luc. 22. 67, & 69. Joh. 20. 31, illum, videlicet proprium atque unicum. Hinc enim factum est, ut quia Jesus Rex populi Dei & sic Christus perfecte & absolute non fuit, nisi postquam à mortuis resurrexit, per ipsam resurrectionem dicatur constitutus fuisse Dei filius, & tunc à Deo genitus cum illum Deus à mortuis excitavit, Rom. 1. 4. Actor. 13. 33. In loco enim ad Romanos est verbum ὁρισθέντος, quod definitum seu constitutum proprie significat.

Interrog.

Sed quid dices, quod Christus pluribus in locis Deus diserte appellatur? An non hoc indicat, ipsum ex Dei substantia esse genitum? An non hoc ad ipsius essentiam pertinet? Hujus tu tamen rei hactenus nullam mentionem fecisti?

Respon.

Etiamsi ipsius Dei nominis, quo Christus insignitur, nullam expressam mentionem hactenus feci, rem tamen ipsam quæ tanto nomine Christo tributo continetur ac significatur, diserte commemoravi, atque ad ipsius Christi essentiam minime pertinere aperte docui, & consequenter inde de generatione ejus ex ipsa Dei substantia nihil colligi posse, satis videor docuisse.

Interrog.

Quænam res ista est à te diserte commemorata?

Respon.

Nempe divinum ipsius Christi in nos imperium ac majestas, unde merito & Deus, & noster Deus esse dicitur Joh. 1. 1, & 20. 21: Dei siquidem nomen non substantiam sive essentiam ipsam illius, cui tribuitur significat, nec alicujus substantiæ sive essentiæ est revera proprium, sed est nomen, ut vocant, appellativum, quo in Hebraica lingua, cujus idiotismis referta sunt ipsa Novi Testamenti Græca scripta, significatur potentia, & inde potestas, & idcirco ii qui potentia, aut potestate aliqua sunt prædití, dii in Sacris Literis vocantur; ita ut non modo Angeli, quorum robur & virtus major est, quam hominum dominationem aliquam habentium 2 Petr. 2. 11, sed ipsi homines, qui munere aliquo cum potestate quadam conjuncto funguntur, Dei nomine decorentur, adeo ut simpliciter atque absolute dii esse dicantur. De Angelis testimonia habes Psal. 8, & 97, Interprete præsertim scriptore Epist. ad Hebr. 1. & 2. De hominibus vero potestate aliqua præditis testantur hi loci Exod. 21. 6, & cap. 22. 8, & 28, utque alia non pauca omittam, insigne est illud testimonium Psal. 82, *Ego dixi dii estis*, quippe quod ad hoc idem probandum ab ipso Christo affertur Joh. cap. 10, ubi interim non obscure docet, se, quamvis ipse sibi non Dei, sed tantum filii Dei appellationem tribueret, propterea jure dici posse & esse Deum, quod Pater, nempe summus ille Deorum Deus, ut Deut. 10, appellatur, ipsum sanctificaverit, & in mundum miserit.

Interrog.

Quid vero ista in mundum missio & sanctificatio significat?

Respon.

In mundum missio declarat munus inter homines obeundum Christo, quamvis in mundo jam existenti à Patre demandatum. Nam Christus ipse dixit quemadmodum ipse à Patre in mundum missus fuisset, sic se discipulos suos in mundum misisse Joh. 17. 18, qui tamen jam in mundo erant. Sanctificatio vero complectitur omnem Spiritus Sancti plenitudinem, omnemque excellentiam ac sublimitatem, & à terrenis rebus separationem, quam ex Patris sui dono vel jam adeptus, vel jam adepturus Christus erat. Quare vides, quod Christus sit Deus, id nihil habere commune cum sententia ista, quod ex ipsa Dei substantia sit generatus, quæ sententia, quemadmodum, ut dixi, nullum testimonium in Sacris Literis habet, sic ipsius Christi cognitionem, Deique admirabile in ipso ad divinum imperium evehendo opus vehementer obscurat.

Interrog.

Quid istis tam multis tamen fiet, qui istam ex ipsius Dei substantia Christi generationem mordicus tenent?

Respon.

Modo alioqui ipsi Christo obediant, & charitatem adversus eos exerceant, qui aliter sentiunt, nec præfracte illis eorumve sententiæ sese opponant, censendum est, errorem istum illis ad æternam salutem consequendam impedimento non futurum.

Interrog.

An non præstaret tamen, illos in errore isto non versari?

Respon.

Præstaret omnino, non ob id solum, quod in errore aliquo esse (præsertim in divinis rebus) res mala per se est, sed multo etiam magis ob id, quod error iste alios non paucos secum trahere potest, & quidem quosdam perniciosos; ac nominatim, quod maximo est impedimento ad humanæ, id est, nostræ naturæ in Christo exaltationem recte percipiendam. Quod & omnium divinorum operum, ut paullo ante attigi, præstantissimum est, & ad fidem ac spem nostram in Deo collocandam, eamque firmandam ac roborandam, aptissimum ac ferme necessarium 1 Petr. 1. 3, & 21, & cap. 3. 21, & 22. Hebr. 4. 15, & 16. Quippe in hunc ipsum finem ab ipso Deo patratum ac luculentissime divinis oraculis testatum.

Interrog.

Numquid humanæ naturæ in Christo exaltationem recte percipere non prorsus necessarium esse statuis?

Respon.

Eatenus rectam cognitionem istam prorsus necessariam esse statuo, quatenus quis sine illa non esset Christo Jesu divinum cultum exhibiturus, ob eam causam, quam antea dixi; nimirum, quod Deus, ut id à nobis fiat, omnino requirit. Unde merito conclusi, divinum Jesu Christi in nos imperium, divinamque ipsius majestatem nobis cognitu omnino esse necessariam.

De divino Jesu Christi imperio.

Interrog.

Quid divinum istud Jesu Christi imperium divinaque majestas significat aut complectitur?

Respon.

Illud ipsum, quod Jesum esse Christum seu regem veri populi Dei, seu mavis proprium atque unigenitum Dei filium, ut antea exposui. Ex quo consequitur, necessarium omnino esse, ut credamus, & agnoscamus, Jesum esse Christum, seu proprium atque unigenitum Dei filium.

Interrog.

Sed quid tamen istud ejus divinum imperium nominatim complectitur?

Respon.

Propter id quod jam dictum est, nempe quod hoc potestatem complectitur plenissimam & absolutissimam in verum Dei populum, hinc necessario sequitur, eodem divino imperio contineri potestatem ac dominationem in omnes Angelos & Spiritus tam malos, quam bonos.

Interrog.

Cur in Angelos & Spiritus bonos?

Respon.

Ut ipsorum opera ac ministerio uti pro suo arbitratu possit, ad justos & pios Deumque timentes (hi enim nec alii præter ipsos sunt (ut ante dixi) verus Dei populus) fovendos, tuendos, ac juvandos, & ad æternam felicitatem, ad quam contendunt, perducendos.

Interrog.

Cur vero in malos?

Respon.

Ut ipsorum conatibus, qui omnes huc tendunt, ut humanum genus perdant, sed potissimum ut pios, qui beatam immortalitatem sunt adepturi, penitus exterminent, obsistere eosque reprimere perpetuo valeat, atque etiam quandocumque ipsi libuerit, eorum vi ac potestate, (ut sic dixerim) abuti ad eos homines vel puniendos, vel malo aliquo refrænandos, qui vel ipsius gloriæ, vel piorum hominum saluti, quantum in ipsis est, obsistunt, aliave quapiam ratione, aut in ipsum aut in illos sunt injurii.

Interrog.

Nonne ex eadem tua ratiocinatione sequitur, Jesum Christum in omnes homines plenum dominatum habere?

Respon.

Sine dubio; nec solum in omnes homines, sed præter ipsum unum Deum 1 Cor. 15. 27, prorsus in alia omnia, quemadmodum divina testimonia nos diserte docent. Quod tamen ut ipsa mea ratiocinatio requirit, intelligendum est, quatenus id ad ipsius Christi regnum quoquo modo pertinere potest, sive videlicet de ipsius Christi majestate, sive de piorum Deumque per ipsum Christum timentium commodo, seu generatim, seu singulatim, aliqua & quidem vel minima ratione agatur.

Interrog.

An non inter ista omnia numeras mortem & infernum?

Respon.

Immo præcipue. Finis enim ad quem, ut antea attigi, tendunt ii qui sunt verus Dei populus, quem Jesus Christus regit, est vita & beata immortalitas, quam illis conferendi, necesse est Christum plenissimam potestatem habere, alioqui ipsius in Dei populum potestas non modo non plenissima, sed nulla ferme, quod ad ipsorum bonum spectat, censenda esset. Atqui nisi Christus in mortem & infernum ipsum dominationem & imperium habeat, quonam pacto poterit istos immortales ac beatos efficere, quod fieri nequit, nisi è mortis potestate atque inferni faucibus eximantur? Propterea ipsemet diserte ait, se claves inferni & mortis habere Apoc. 1. 18.

Interrog.

Ex eo quod recte conclusisti, necessarium nobis esse credere, Jesum esse Christum, id est, regem populi Dei, an non hinc omnino consequitur, necessarium similiter nobis esse, credere ipsum Jesum à mortuis resurrexisse?

Respon.

Sine dubio; cum alioqui apud omnes in confesso sit, eum mortuum fuisse. Quomodo enim credere possemus eum nunc esse regem populi Dei, nisi nobis persuasum esset eum in morte non mansisse? Certe sine Christi à mortuis resurrectione inanem esse fidem nostram Paulus Apostolus constanter affirmat 1 Cor. 15. 14, &c.

Interrog.

An non præterea necesse est credere, illum ita à mortuis resurrexisse, ut non modo etiamnum vivat, sed jam nunquam sit moriturus, morive possit?

Respon.

Omnino; nec sine causa id aperte scriptura commemorat Rom. 6 9., aliter enim in ipsam mortem dominatum habere non posset; quod tamen ut credamus, necesse nobis esse conclusi.

Interrog.

Quid de exauditione precum, deque non modo actionum sed cogitationum nostrarum cognitione statuis, an non his præditum Jesum Christum esse censes?

Respon.

Nihil hic dubii esse potest. Quomodo enim sine his nos regere ac gubernare posset, & nostri curam habere? Sine gubernatione autem & cura nullo pacto regnum consistere potest; præsertim vero Christi regnum, quod illi non est naturale, sed ipsi in hunc finem à Deo datum, ut pios regat ac gubernet, eorumque curam gerat, & consequenter, ut ipsius tanquam sui regis opem implorantibus sit præsto. Pietas porro in ipso hominis corde potissimum consistit; quare non modo regere, sed ne nosse quidem Christus suos posset, si illi ipsorum corda penitus perspecta non essent. Adde, quod ipse Christus disertis verbis testatus est, se esse eum qui renes & corda scrutetur Apoc. 2. 23.

Interrog.

Quid igitur censes de iis, qui ista Christo non tribuunt?

Respon.

Censeo, illos non esse Christianos, quippe qui re ipsa Christum non habeant, & Jesum esse Christum, licet fortasse aperte verbis non audeant, re tamen ipsa omnino negent.

Refutatio sententiæ Arianorum de Christi essentia.

Interrog.

Antequam ulterius de Christo interrogando progrediar, succurrit nunc à te id exquirere, quod antea debuissem, quid videlicet de ea sententia statuas, quæ habet, Dei filium unigenitum, non quidem ex ipsius Dei substantia genitum esse, sed nihilominus tamen substantia (una excepta ipsius Dei substantia) omnium excellentissima constare, & ante omnia sæcula extitisse, ac demum suo, id est à Deo definito tempore, in utero virginis carnem assumpsisse?

Respon.

Ego vero, antequam respondeo, te monitum volo, me ex iis, quæ ad Christi seu filii Dei essentiam pertinent, nihil magis nobis credendum ac cognoscendum esse statuere, quam, illum natum fuisse verum hominem. Hæc enim ea res est, quæ omnium maxime ad ejus vestigia insequenda, ad ea quæ nobis promisit, credenda, adque nobis persuadendum illum nostrarum in hoc mundo infirmitatum afflictionum misereri, nos animat atque inducit. Nunc ad interrogationem tuam venio, & dico, propterea sententiam istam de filio Dei, quam commemorasti, valde improbandam esse, quod ea non minus, quam illa altera de generatione ejus ex ipsa Dei substantia (id quod dicere antea oblitus fueram) hoc efficit, ut Dei filius seu Christus non sit verus homo, & nobis, peccato excepto, per omnia similis, quod videlicet ad ipsam naturam attinet.

Interrog.

Sed unde istam Christi nobiscum tantam similitudinem probas?

Respon-

Respon.

Non quidem ex eo loco, qui vulgo ad id probandum afferri solet, Hebr. 4. 15. ibi enim agitur non de naturæ similitudine, sed tentationum; & sensus eorum verborum est, Christum similiter, atque veris Christianis evenire solet, afflictiones ac perpessiones expertum fuisse, cujuscumque tandem illæ sint generis, idque citra omne ipsius peccatum, quippe qui ab istis omnibus malis ne ad minimum quidem aliquid delinquendum unquam fuerit adductus. Non, inquam, ex loco isto tantam naturæ Christi & nostræ similitudinem colligo, sed ex universa Scripturæ Sacræ analogia, & ex aliquot singularibus locis, ubi illa pro re concessa sumitur. Cujusmodi est ille 1 Cor. 15. 13. & 16. *Si resurrectio mortuorum non est, nec Christus resurrexit.* Nam si Christus, quod ad naturam suam attinet, aliquid haberet, quod cæteri homines non habent, idque plane essentiale & humana ipsa natura excellentius, nihil impediret, quominus ipse à mortuis resurgere potuerit, etiamsi nullus ex reliquis hominibus posset, nedum fideles ejus omnes, de quorum à mortuis resurrectione eo in loco agitur.

Interrog.

Quomodo vero probas, Christum verum hominem non esse, si talis sit qualem isti volunt?

Respon.

Hac nimirum ratione, quod nulla res quæ una sit, duas formas essentiales habere potest, seu duæ res diversæ esse; jam enim non una, sed duæ res essent. Christus sive Dei filius, unus omnino est, & res tantum una. Quare, si formam aliquam essentialem habet, quæ non sit esse hominem, quemadmodum istorum fert sententia; siquidem Dei filium perfecte jam extitisse contendunt, antequam esset homo, jam formam hanc essentialem, quæ est esse hominem, habere non potest; & sic verus homo esse nequit; sed necesse est, ut si quid tamen humanæ naturæ habet, quod postmodum adeptus sit, id non ad ipsius essentiam pertineat, sed tanquam vestis quædam sit, quam induerit; quemadmodum isti ipsi non raro loquuntur, asserentes, Dei filium humanam naturam, sive hominem induisse. Et ita ipsimet satis declarant, se non censere, filium Dei esse hominem revera. Longe enim aliud est aliquid induere, & id revera esse. Et hinc sane factum est & fit, ut multi ex iis, qui statuunt, Dei filium extitisse antequam ex Maria virgine nasceretur, sed interim tamen, eum ex ipsa Dei substantia genitum esse negant, partim sua sponte, partim si vehementius urgeantur, non dubitent affirmare, illum non esse verum hominem, quemadmodum, videlicet, unusquisque nostrum est.

Interrog.

Nonne hæc quæ modo adversus istos disputasti, valent etiam adversus eos, qui Christum ex ipsius Dei essentia generatum dicunt?

Respon.

Valent omnino, eorumque opinionem non minus quam istorum prorsus convellunt; nisi quod illi pertinaciores sint, præsertim ii inter ipsos qui * prius sentiunt, & statuunt Christum eandem ipsam numero cum Patre essentiam habere, quippe qui licet convicti nulla ratione adduci possunt, ut fateantur ex ipsorum sententia consequi Christum non esse verum hominem, ut nos sumus; quod tamen isti alii non modo fatentur tandem, sed etiam, ut dixi, interdum sponte affirmant.

Interrog.

Sed quomodo interim isti tot sacra testimonia interpretantur, in quibus Christus diserte homo seu filius hominis appellatur?

Respon.

Ajunt, vocem hominis, seu filii hominis in locis istis non ita accipiendam esse, ut cum de nobis profertur, Christum enim seu Dei filium, hominem quidem esse, sed novum & cœlestem, & ab eo diversum, qui de unoquoque nostrum prædicatur. Ad idque comprobandum afferunt potissimum ea, quæ Paulus 1 Cor. 15. 47, &c, de Christo scribit, inquiens, illum esse secundum & cœlestem hominem, quem Adamo primo & terreno, & sic reliquis omnibus nobis opponit; non animadvertentes, ibi Paulum de Christo loqui, ut jam immortali facto & glorificato; quod vel ex eo constat, quod statim subjicit, nos quemadmodum portavimus imaginem hominis terreni, sic portaturos imaginem cœlestis, id est, quemadmodum corpus habuimus & adhuc habemus plane illius simile, quod Adamus habuit, sic corpus habituros illius plane simile, quod nunc Christus habet, ut ex ejusdem Apostoli verbis aperte colligitur, Philipp. 3. 21.

Interrog.

Sed si ex eo, quod Christus seu Dei filius fuisset reipsa, antequam in virginis utero conciperetur, omnino secuturum esse vis, illum non esse verum hominem, adversus id, quod scriptura clarissime docet, quomodo igitur interpretaris ea sacra testimonia, in quibus diserte habetur Joh. 1. 3, 10, per ipsum facta esse omnia, & sine ipso nihil esse factum, mundum per ipsum factum esse, & omnia per ipsum fuisse creata Colos. 1. 16?

Respon.

Quod attinet ad primum testimonium, quod habetur Joh. 1. 3. Dictio universalis *omnia* non prorsus universaliter accipienda est, sed ad subjectam materiam restringenda, ut scilicet ea tantum omnia complectatur, quæ ad Euangelium pertinent. Est enim Euangelium ejus loci, & porro totius illius scriptionis subjecta materia. Nihil enim frequentius in ipsius Novi Testamenti scriptis, quam ut vox omnia, cum significatione eorum tantum omnium, quæ ad subjectam materiam pertinent, usurpetur; ut unicuique concordantiarum (quem vocant) librum consulenti apertissime constabit. Sed pro omnibus locis nunc satis sit ille, in quo de re agitur plane simili, immo cum hac, quam Johannem intelligere non dubitamus, conjuncta, is est 2 Cor. 5. ỷ. 17, ubi Paulus diserte ait, omnia nova fuisse facta. Cum tamen certissimum sit, permulta non fuisse facta nova. Nempe quia vox *omnia*, ad illa restringenda & accommodanda est, de quibus ibi agitur, & ad subjectam materiam pertinent.

Interrog.

Sed quid dices, quod in loco isto apud Johannem additur, sine verbo, id est Dei filio, nihil esse factum? Videntur enim verba ista ideo omnino fuisse addita, ut sciremus, in proxima superiore sententia nulli restrictioni esse locum.

Respon.

Immo, cum certum esse videatur, mox sequentia verba, *quod factum est* (quidquid nonnulli contra sentiant) cum additione ista conjungenda esse, & ipsius esse partem, ita ut sensus sit, nihil eorum quæ facta sunt sine verbo, id est Dei filio factum esse; dicendum potius videtur, voluisse Euangelistam, cum ista addidit indicare, se de quibusdam nunquam antea, & nova ac mirabili ratione factis loqui. Nam ad docendum, simpliciter se loqui de iis, quæ sunt facta, nec semper fuerunt, satis habebat illa verba addere, *& sine ipso factum est nihil.* Itaque mysterio non videtur carere, quod præterea addit, *quod factum est*, subaudi novum & mirabile, ad mundi ipsius statum pertinens. Sed hoc omisso, dico, propterea Euangelistam verba illa addidisse, *& sine ipso factum est nihil*, ut melius declararet, quod antea dixerat, omnia per ipsum fuisse facta. Quæ omnino videntur significare, per ipsummet verbum seu filium Dei omnia ista, quæ diximus, facta esse; cum tamen istius generis quædam & quidem maximi momenti, per ipsius Apostolos sint facta, ut est gentium vocatio, & ceremoniarum Legis Mosaicæ abolitio. Quanquam enim ejusmodi res originem suam habeant à verbis & factis Christi, non tamen per ipsummet Christum, sed per ejus Apostolos ad effectum sunt perductæ; sed non sine ipso Christo, cujus virtute & aucto-

* Prius non nulla manu scripta habent.

auctoritate illi omnia fecerunt, quemadmodum ipse illis dixit Joh. 15. 5, *Sine me nihil potestis facere*, ex quibus Christi verbis istorum Euangelistæ verborum sententia petenda est.

Interrog.

De eo vero quod mundus per Dei filium sit factus, Joh. 1. 10, ut paullo post idem Johannes testatur, quid ais?

Respon.

Dico, si vox Mundus, quæ ibi in uno & eodem versiculo ter repetitur, eodem ubique sensu prolata fuit, voce ista humanum genus significari, & figuratum, vel potius Hebraicum loquendi modum agnosci debere in verbo *factus est*. Figurate enim id fieri dici potest, quod conservatur, alioqui periturum, cuique vita datur. Scimus autem, Dei filium, mundi, id est, humani generis Servatorem esse Joh. 4. 42. 1 Joh. 4. 14, & ejusmodi esse panem, qui vitam det mundo 1 Joh. 6. 33. Hebræi porro, cum verbis compositis careant, interdum simplicibus pro compositis utuntur, præsertim in eo sensu, quem particula *re* Latinis verbis addita efficit; unde *factus est* isto in loco idem significare potest, quod *refectus est*, seu *denuo factus*, id est, instauratus; perierat enim humanum genus, & Christus illud instauravit, id est æternæ morti adjudicato atque obnoxio, æternam vitam attulit; & sic tacite exprobrat mundo Johannes quod per Christum ab interitu vindicatus, eum tamen non agnoverit, sed spreverit atque rejecerit, cum statim subjicit, *& mundus eum non cognovit*. Quæ verba nullam ejusmodi efficacem relationem ad superiora habebunt (quam tamen ut habeant requiri omnino videtur, eo posito quod vox mundi idem ubique significet) si *factus est* exponatur, *primo creatus est*. Neque enim etiamsi mundus per Christum primo creatus fuisset, id ullo modo constare ipsi mundo poterat, aut res erat, quam in eadem sui ipsius forma Christus fecisset, in qua rejectus fuit, quemadmodum id erat, quod mundum instaurasset.

Interrog.

Verum quid dices, si quis neget, mundi vocem, ubique in eundem sensum accipiendam in illis Euangelistæ verbis esse?

Respon.

Dicam, si istud non fiat, debere igitur ubique in diversum accipi. Nam quod alio sensu semel, alio vero bis accipiatur, nulla fortassis loquendi consuetudo permittit. Et primo quidem loco, ubi dicitur, verbum, id est, Christum in mundo fuisse, vox mundi, hunc mundum, id est hanc quasi hominum civitatem in terris significabit; cum vero subjicitur, mundum per ipsum esse factum, tunc mundi nomine futurus mundus intelligetur, id est immortale illud sæculum, quod expectamus, quod per Christum, quatenus ad nos pertinet, factum est. Quemadmodum futurum dicitur respectu nostri, quamvis jam ipsi Christo & Angelis sit præsens. Tertio porro loco, ubi dicitur mundus eum non cognovisse, mundi nomen homines carnales & variis cupiditatibus implicitos, quales fere mundus habet, declarabit, hi enim Christum non norunt, eumque rejiciunt.

Interrog.

Primæ & tertiæ significationis ex tribus istis voci mundi abs te attributæ, testimonia in Sacris Literis sunt satis frequentia, sed secundæ, ut scilicet hæc vox mundi simpliciter prolata futurum mundum significet, quænam proferre poteris?

Respon.

Quamvis fortasse id facere necesse non habeam, modo mihi concedatur, mundum, cum sæculum significat, duplicem esse, præsentem, videlicet ac futurum; tamen duo proferam testimonia, alterum in quo vox voci mundo æquipollens habetur, alterum vero in quo est ipsa vox mundi. Utraque autem est in una Epistola ad Hebræos, & prius quidem cap. primo in illis verbis, Hebr. 1. 6, *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Nam *orbis terræ*, seu, ut in Græco est, οἰκουμένην vocem idem pollere, quod vocem mundi, nemo, arbitror, negaverit.

Interrog.

Verum id quidem est; sed quid cogit de futuro mundo locum istum accipere?

Respon.

Tria omnino id facere cogunt; loci ipsius sententia, Psalmi 97, unde ista verba citantur materia seu argumentum, & verba quæ paullo inferius in eadem Epistola habentur.

Interrog.

Quænam est loci ipsius sententia ista, quæ id facere cogat?

Respon.

Ea nimirum, quæ omnibus est apertissima, tunc scilicet, cum Christus in eum terræ orbem sive mundum introductus est, de quo ibi agitur, jussos fuisse omnes Dei Angelos illum adorare. Neque enim Dei Angeli omnes jussi sunt Christum adorare, cum introductus est in hunc præsentem mundum, sed tum demum, cum in futurum mundum est introductus.

Interrog.

Qua ratione istud probas?

Respon.

Istius rei probatio omnibus in promptu esse videtur. Certum est enim, Christum in omnes Dei Angelos imperium non habuisse, nec illos ei fuisse subjectos, suprave illos omnes eum fuisse evectum, nisi post mortem crucis, immo postquam in cœlum ascendit & in dextera Dei sedit; ut clarissime constat ex his testimoniis Eph. 1. 20, &c. Philipp. 2. 8, &c. 1 Petr. 3. 22, quare nec etiam ante jubeti potuerunt omnes Angeli Dei illum adorare. Quid quod ex loco isto ad Philipp. apertissimum est, hujusce rei quod ii ipsi omnes qui in cœlo habitant, Christum adorare debeant, causam fuisse ipsius supra omnes exaltationem, quam illum à Deo propter obedientiam suam usque ad crucis mortem adeptum fuisse, ibidem disertissime scriptum extat?

Interrog.

Jam quæ est ista Psal. 97, materia sive argumentum, unde orbis terræ seu mundi appellatione cogamur in loco isto ad Hebr. futurum mundum intelligere?

Respon.

Psalmi illius prophetica materia & argumentum est Christi regnum, ut omnes fatentur, id est, Christi in suum regnum ingressus, ejusque recens possessio, quam necesse est, ut scriptor Epistolæ ad Hebræos isto in loco per verba illa significet, *cum introducit primogenitum in orbem terræ.* Atqui Christus, non cum in hunc præsentem mundum est introductus, sed quando in ipsum cœlum est invectus, & sic in futurum nobis mundum introductus est, in regnum suum ingressus ejusque possessionem adeptus fuit, gloriam enim Christi Luc. 24. 26. 1 Petr. 1. 11, ejus perpessiones quas potissimum cum jam ex hoc mundo egressurus esset, est expertus, antecedere debuerunt. Et propter passionem mortis fuit ipse gloria & honore conoratus Hebr. 2. ꝟ. 9.

Interrog.

Verba vero ejusdem scriptoris ad Hebr. quæ istam orbis terræ interpretationem in loco, quem attulisti, recipere cogant, quænam sunt?

Respon.

Illa sunt, quæ leguntur infra proximo cap. 2. 5. *Non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Est enim in Græco eadem vox οἰκουμένην, quæ in superiore loco habetur. Hæc igitur verba aperte docent, scriptorem illum divinum monere lectorem voluisse, se, cum de orbe terræ loquitur, futurum terræ orbem intelligere, nec aliter verba illa, *de quo loquimur*, accipi possunt, nisi ut respiciant ad ea, quæ ante dixerat; ante vero sui ipsius verbis nec tacite nec aperte,

vel

vel simpliciter orbis terræ, vel orbis terræ futuri ullam mentionem fecerat, nisi in loco isto quem attuli cap. primo ℣. 6, & paulo ante ℣. 2, in illis verbis, *per quem fecit & sæcula.* Quare necesse est fateri ex ipsius posterioribus istis verbis quæ cap. 2 extant, constare, illum vel in utroque ex istis locis, quæ sunt cap. primo, vel saltem in propiore; præsertim cum in eo diserte habeatur orbis terræ nomen, de futuro terrarum orbe loqui.

Interrog.

Alter locus ubi voce ipsa mundi apud eundem scriptorem futurum mundum significari dixisti, quinam is est?

Respon.

Ea verba sunt, quæ leguntur cap. 10. 5. *Ideo ingrediens mundum dicit, hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c.* Nam & locus, unde sumptum est testimonium istud, *Hostiam & oblationem &c*, & res ipsa docet, divinum istum scriptorem simplici mundi appellatione futurum mundum eo in loco intellexisse. Locus quidem, unde testimonium istud sumptum fuit, est Psalmus 40, in quo aperte agitur de insigni aliqua liberatione Davidis è calamitate gravi, Deo id efficiente; quem hanc ob causam David celebrat, eique novum canticum se canere ait. Et sic Prophetico Spiritu, Christi Jesu, cujus typum David gerebat, liberatio aliqua insignis ibi prædicitur; quæ alia esse non potest, quam ea, cujus meminit Petrus Apostolus Act. 2. 24, & 31, & 33, cum scilicet Deus eum excitavit solutis doloribus mortis, & anima ejus in inferno minime relicta, eumque sua dextera exaltavit, & sic ipse Christus in beatæ immortalitatis possessionem est ingressus; quod nimirum scriptor ille divinus verbia illis expressit, *ingrediens in mundum.* Est enim beatæ immortalitatis possessio mundus ille nobis futurus. Jam quod ad rem ipsam attinet, certum est, Christum non simul atque præsentem hunc mundum est ingressus, sed postmodum, hostias & oblationes illas taurorum & hircorum, &c. jam Deo non placere declarasse, in earumque locum sui ipsius corporis æternam hostiam & oblationem substituisse, id est, tunc, cum ipse in cœlum post mortem suam est ingressus. Ab eo enim tempore, nec sane prius, & sacrificia illa antiqua sunt abolita, & corporis Christi sacrificium perfectum est. Quippe cum Christus seipsum in cœlo Deo pro nobis obtulerit, adeoque perpetuo offerat Hebr. 8. 2, &c, & 9. 24, nec ante fuerit Sacerdos & Pontifex noster in æternum constitutus, quam in ipsum cœlum ingressus fuerit ibi perpetuo mansurus Hebr. 9. 20, & 7. 26, & 5. 9. & 10; quemadmodum ex compluribus locis ejusdem Epistolæ ad Hebræos aperte colligitur.

Interrog.

Quomodo igitur interpretaris verba illa *corpus autem aptasti mihi?* Namque ea videntur omnino docere, locum accipiendum esse pro eo tempore, quo primum Christus seu Dei filius corpus habere cœpit, & simul ostendere Dei filium aliquando corpus non habuisse, quippe cui appositum seu conjunctum corpus fuerit, & sic jam revera extitisse, antequam homo esset. Quod cum iis manifeste pugnat, quæ antea hac de re disputasti.

Respon.

Si verbum *aptasti*, quod in loco isto legitur, significaret *apposuisti*, seu *conjunxisti*, ut quidem potest, vera ista essent, quæ dicis; sed non habet hoc verbum eo in loco significationem istam. Idem enim ibi significat quod *apte concinnasti*, *composuisti*, *parasti*; quemadmodum sine dubio significare potest. Nam Græcum verbum, quod aptasti fuit redditum est *κατηρτίσω*, quod *apposuisti* seu *conjunxisti* reddi nequit, sed vel istam alteram quam dixi *aptandi* verbi significationem habet, vel idem declarat, quod *absolvisti* seu *perfecisti.*

Interrog.

Quis igitur erit istius loci sensus?

Respon.

Nempe, Deum, Christi in cœlum ad beatam immortalitatem possidendam ingredientis corpus apte concinnasse, seu mavis perfecisse, id est natura immortali donasse, ut sic, rejectis illis legalibus temporariisque sacerdotibus ac victimis, jam ipse Christus non legis seu Literæ, sed divini Spiritus vi, & Sacerdos & victima æterna esse posset Hebr. 7. 16. & 28, & cap. 9. 14. Nam *aptasti mihi corpus* pro eo quod est, *aptasti meum corpus*, usitatissime dici nemo est qui nesciat. Adde quod in ipso Psal. 40, secundum Hebraicam veritatem legitur *aures perfodisti mihi.* Quod sine dubio idem est, quod *aures meas perfodisti.* Verum jam tempus est, ut tibi ad id respondeam, quod de Christo seu Dei filio Paulus Apostolus dixit, per ipsum creata fuisse omnia.

Interrog.

Recte quidem. Veruntamen dic mihi antea, quid intelligis in eadem Epistola ad Hebræos Hebr. 1. 27, significare id, quod ipse non ita multo ante commemorasti, per Dei filium facta ab ipso Deo esse sæcula? Sæculorum siquidem nomine mundum hunc apud scriptorem istum significari indicat locus ille, ubi ait, Hebr. 11. 3, *Fide intelligimus aptata esse sæcula &c.*

Respon.

Ne de isto posteriore, quem citas, loco nunc quidquam disputem (non enim desunt qui ibi sæculorum nomine futurum mundum significari contendunt) dico, cum duo isti loci, is, inquam, cujus explicationem meam quæris, & iste quem citas, tam longo intervallo sint inter se disjuncti, nec ullam inter utrumque relationem esse appareat, nihil cogere aut suadere, ut utrobique *sæculorum* vocem in eundem sensum accipiamus, nec, etiamsi constaret, in altero ex illis, ea voce præsentem hunc mundum significatum fuisse, inde concludi posse, eodem sensu in altero quoque eam fuisse prolatam, præsertim, cum certissimum sit, ejus vocis etiam alium esse usum, eumque ad ipsam vocem magis accommodatum. Nemo enim negaverit *sæculorum* nomine ipsam æternitatem significari. Nam quid est in *sæcula* Matth. 6. 11, quod non raro ita simpliciter in Sacris ipsius Novi Fœderis Literis legitur, aliud quam *in omnem æternitatem* Rom. 1. 25. 9. 5. 11. 36. 16, 17. 2 Cor 11. 31. Hebr. 13. 8? An non hæc significatio æternitatis voci Græcæ *τῶν αἰώνων*, pro qua Latine habemus sæcula, multo magis accommodata est, quam significatio mundi hujus præsentis.

Interrog.

Estne aliud quod suadeat, non solum posse, sed etiam debere, ubi legimus Deum per filium sæcula fecisse, sæculorum appellatione, aliud quam præsentem hunc mundum significatum fuisse intelligi?

Respon.

Est. Nam in eo loco, qui est in initio Epistolæ istius ad Hebræos, aperte de Dei filio jam patefacto, & post Prophetas ultimis diebus exhibito, est sermo, & consequenter non de alio Dei filio, quam de homine illo Jesu Nazaræno; quem etiam ante ostendimus esse unigenitum ac proprium Dei filium, nec ullum alium præter vel ante ipsum, per quem nullo pacto hic mundus fieri potuit, qui aliquot annorum millibus ante ipsum creatus fuerat; quare necesse est, ut in sæculorum voce interpretanda, alteram, quam diximus, æternitatis significationem sequamur, ibique id dici intelligamus, quod & verissimum est, & alioqui etiam testatissimum, per Dei scilicet filium nobis conditam fuisse æternitatem, seu futura illa sæcula, quæ ex ipsius Dei promisso expectamus 2 Petr. 3. 13.

Interrog.

Jam quod ad locum istum attinet satis habeo. Quid igitur nunc ais de omnibus rebus per Christum creatis?

Respon.

Duo sunt omnino loci, in quibus diserte sit scriptum, omnia per Christum fuisse creata, & alter quidem in Epistola ad Eph. 3. 9, alter vero in Epist. ad Colol. 1. 16,

prior

prior autem locus in Græcis tantum codicibus habetur; nam in Latinis & Syriacis non leguntur verba illa *per Jesum Christum*. Quod ad priorem igitur istum locum attinet, dico, ex eo ipso satis aperte intelligi posse, in hac enunciatione, quod omnia per Christum sint creata, nec vocem *omnia* universe prorsus accipiendam esse, nec verbum creandi primam, sed secundam quandam creationem, id est, reformatinnem significare. Est enim ibi sermo de mysterio illo in Deo ab æterno abscondito, cujus quæ esset communio, Paulus Apostolus in lucem proferendi munus habebat, quo nihil pertinet omnium prorsus rerum prima creatio, sed tantum omnium quarumdam reformatio, qualis illa est Gentium & Judæorum, qui unus tantum populus per Jesum Christum sunt facti, unica eaque nova atque omnibus tum charitatis lege lata, tum vitæ æternæ promissione facta. Qua de re ibi nominatim agebatur, quæque & paullo ante Christi mysterium appellata fuerat Ephes. 3. 4 &c, & alibi mysterium esse dicitur æternis temporibus tacitum Rom. 16. 25. Sensus igitur loci est, omnia quæ ad divinum cultum & religionem pertinent, reformata à Deo per Christum fuisse, quemadmodum, ut antea monuimus, idem Apostolus alibi ait, omnia facta esse nova, nempe per Christum 2 Cor. 5. 17.

Interrog.

Quomodo vero alterum testimonium interpretaberis, ubi non modo universe dicitur, omnia per Dei filium creata fuisse, sed diserte additur, *quæ in cælis, & quæ in terra, visibilia, & invisibilia?*

Respon.

Eodem in loco paullo inferius legitur, per Christi crucis sanguinem pacificata fuisse sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt Coloss. 1, & tamen certum est, plurimas, immo plærasque res, quæ in terris & in cœlis sunt, istius pacificationis, quæ, Christi crucis sanguine interveniente, facta est, nullo modo esse aut fuisse participes; ex quo apparet in verbis, de quibus egimus, additionem istam, *quæ in cælis & quæ in terra*, & consequenter id, quod ad majorem ejus explicationem adjungitur, *visibilia, & invisibilia*, non impedire, quominus vox *omnia* non prorsus universe, sed de quibusdam omnibus accipiatur, & simul de quibus omnibus accipi debeat, declarare; nempe de iis rebus omnibus, quæ intelligentia sunt præditæ. Hæ enim & non aliæ ad pacificationem istam pertinent; immo ne istæ quidem omnes. Diaboli enim ad eam nequaquam pertinent, sed tantum Angeli & homines; nisi fortasse quis excipiat, Diabolus neque in cœlis neque in terra esse. Qua de re non est nunc disputandi tempus.

Interrog.

Sed quomodo Angeli per Christi crucis sanguinem sunt pacificati? Nam fortasse & ipsi iterum peccaverant, & ut Deo reconciliarentur illis opus erat?

Respon.

Quanquam hæc tua quæstio extra propositam est materiam, ejusque solutionem ab aliis petere potes; nemo enim est qui neget aut negare possit, ea quæ sunt in cœlis ad pacificationem istam pertinere, cum id diserte scriptum ab Apostolo fuerit; tamen, ut tibi satis faciam, te primum moneo, isto in loco non agi de pacificatione seu reconciliatione rerum cum Deo, sed earum inter se, cum respectu tamen in Deum, (id enim significant duæ illæ antecedentes voces *in ipsum*, vel potius *in seipsum*, ut in Græcis codicibus passim legitur) ad cujus cultum & gloriam ea tota refertur. Deinde dico, idcirco Angelos cum hominibus pacificatos fuisse per Christi crucis sanguinem, & quemadmodum in Græca & in Syriaca editione additur, *per ipsum Christum*; quia ubi Dei filius unigenitus crucis mortem propter homines subiit Philipp. 2. 9, & propterea Angeli una cum hominibus ejus imperio subjecti à Deo fuerunt; quemadmodum hac ratione hominum socii Angeli sunt facti, & vicissim homines Angelorum, sic quidquid inimicitiarum Angelis cum hominibus propter alienationem hominum à Deo, cui ipsi Angeli perpetuo adhæserant, antehac intercedebat, id totum, Dei consilio homines sibi per Christum, perque ejus mortem reconciliantis 2 Cor. 5. 19. Rom. 5. 10, eisque ipsorum peccata non imputantis, ab Angelis plane perspecto, penitus sublatum fuit.

Interrog.

Quid est tamen, quod throni, dominationes, &c, per Christum sunt creatæ? An non Angeli istarum rerum appellatione significantur, vel comprehenduntur? Nam quomodo, quæso, Angeli, ut tua verbi creandi interpretatio fert, reformati per Christum fuere?

Respon.

Nihil equidem dubito, quin Angeli istarum rerum appellatione comprehendantur, non tamen soli, distinguuntur enim 1 Petr. 3. 22, diserte Angeli à potestatibus, quæ sunt ex numero earum rerum quæ hic commemorantur, & quidem ibi, ubi hæc ipsa eorum reformatio, quam hic Paulus intelligit, aliis verbis attingitur, ut postea dicam. Sed & alio in loco aperte iidem Angeli à principatibus distinguuntur, Rom. 8. 38, qui principatus similiter hic commemorantur.

Interrog.

Qui igitur erunt isti, præter Angelos, istis appellationibus comprehensi?

Respon.

Certum est eundem Apostolum Eph. 6. 12, principatuum ac potestatum nomine malignos Spiritus, qui in cœlestibus, hoc est, in aëre degunt, & hujus sæculi tenebris dominantur, intellexisse; nec ulla ratio est, cur isto eodem nomine hic, sive soli, sive una cum aliis bonis spiritibus potestate præditis, qui ab Angelis distinguantur, significati non fuerint.

Interrog.

Verum qua ratione mali isti Spiritus una cum Angelis & aliis bonis spiritibus reformari per Christum potuerunt?

Respon.

Nempe hac potissimum, quod omnium est Christus dominus factus, omnesque illius imperio sunt subjecti, ut Petrus ait, ubi Angelos à potestatibus (quem locum antea indicavi) & præterea etiam à virtutibus distinguit, quæ virtutes idem videntur esse cum Thronis, si locus Ephes. 1. 21, cum hoc ad Coloss. de quo agimus, conferatur.

Interrog.

Sed cur conferri ista duo loca inter se aut debent, aut possunt?

Respon.

Quia apertissima res est, & ab omnibus animadversa, duas istas Pauli Epistolas magna ex parte ejusdem argumenti esse, quod sane ad utramque recte intelligendam multo majus etiam, quam hactenus creditum est, momentum affert. Apparet autem diligenter rem totam inspicienti, locum qui in Epist. ad Ephes. huic ad Coloss. respondeat, istum esse, si ei jungatur id quod legitur supra ℣. 10, qui, sine dubio, sensu junctus est cum ℣. isto 21, usque ad finem capitis. Unde etiam intelligitur, creationem istam, id est, reformationem istorum Spiritum per Christum factam, id potissimum esse, quod diximus, & eo continetur, quod Christus supra omnes illos ad Dei dexteram in cœlestibus est constitutus.

Interrog.

Suntne alia loca, in quibus verbum creandi non primam creationem, sed reformationem significet?

Respon.

Sunt omnino. Nam ut antea de verbo faciendi dixi, Hebraismus hic est, isque in hoc ipso creandi verbo potissimum usurpatus, ut simplex verbum pro composito ponatur. Utque Veteris Testamenti testimonia omittam, ex ipso novo quædam proferam, & quidem apud eundem Paulum. Primum enim in eo loco, de quo jam vidimus, Eph. 3. 9, verbum *creavit* sine dubio cum significatione non primæ creationis, sed

refor-

reformationis usurpavit, sive verba illa *per Jesum Christum* legantur, sive non legantur. Et quidem si legantur, locus erit ad locum, de quo nunc agimus, interpretandum accommodatissimus. Nam hoc pacto utrobique de creatione per Christum facta diserte fiet mentio. Sin vero non legantur, tanto magis constabit, verbum creavit ad primam creationem minime referendum esse. Nihil enim ad rem faceret, nulla mentione Christi facta, simpliciter eo in loco commemorare, quod Deus ab initio omnia creasset. Deinde in eadem Epistola ad Ephesios cap. 2. 10, legimus ea verba, *ipsius enim* (Dei) *sumus factura, creati in Christo Jesu, &c*, ubi nemo non videt *creati* idem valere, quod *reformati*, & tanquam denuo creati. Et paullo post ℣. 15, *ut duos crearet in semet ipso.* Est enim in Græco idem prorsus verbum, de cujus significatione nunc quærimus, & quod verbo creandi alibi passim vetus interpres reddidit, sed hoc in loco verbo condendi, quo nonnulli illud perpetuo reddunt, uti maluit, cum animadverteret loci sententiam esse, quod Judæi & gentes non quidem primo creati, sed per reformationem quandam unus populus sint per Christum & in ipso Christi facti, cui nimirum significationi melius accommodari posse censuit condendi, quam creandi verbum.

Interrog.

Numquid interpretationi isti verbi creandi in loco isto ad Coloss. non obstat, quod proxime ante Christus dicitur esse primogenitus omnis creaturæ, quodque pro hujus rei ratione vel explicatione hoc ipsum affertur, quod per ipsum creata sint omnia.

Respon.

Nihil prorsus, nam quemadmodum verbum creare novam quandam creationem significare invenitur, sic nomen creaturæ simpliciter licet positum, novam quandam creaturam declarare reperitur, non secus ac si novæ appellatio, ut alibi fit, fuisset addita. Locus unus est, ab omnibus, ut arbitror, animadversus, Jacobi Epistolæ cap. primo ℣. 18, ubi ex Græco legitur, *Volens progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum.* Ubi sine ulla controversia nomen *creaturarum* idem valet, quod *novarum creaturarum.* Alius est locus, ubi quater simplex creaturæ nomen pro creatura nova omnino usurpatur, quamvis id à paucis tantum quibusdam hactenus animadversum fuerit; nempe Rom. 8. 19, & deinceps. Nam si creaturæ nomen aliter in loco isto interpreteris, quam novam creaturam, id est, homines vere Christianos universe atque indistincte acceptos & consideratos, nunquam quid sibi Apostolus ibi velit, explicare poteris, teque in varias atque inexplicabiles difficultates conjicies.

Interrog.

Quid igitur significat Christum, primogenitum esse omnis novæ creaturæ?

Respon.

Significat, illum, ut dignitate sic tempore omnium novarum creaturarum primam esse. Nec aliter sane intelligendum est id, quod similiter de ipso alibi legitur, eum videlicet esse principium creaturæ Dei Apoc. 3. ℣. 14.

Interrog.

Ergo Christum in numero novarum Dei creaturarum reponis?

Respon.

Quid ni? Primogeniti enim appellatio ipsa, si nihil aliud esset, quod nos id aperte doceret, satis ad hoc unicuique probandum esse deberet, cum & usus, & ratio loquendi, & scripturæ denique perpetua consuetudo non ferat, ut quis primogenitus aliquorum appelletur, ex quorum genere ipse non sit. Certe qui negare velit, Christum creaturam esse, oportet ut simul neget, eum esse hominem. Qui vero dubitet, an sit nova creatura, necesse est, ut etiam dubitet, an ex mortuis excitatus fuerit, & immortalis ac gloriosus factus.

Interrog.

An non istud, quod Christus sit prima omnium novarum creaturarum, aliud etiam significare potest, præter id, quod primus omnium ex mortuis ad beatam immortalitatem translatus fuerit?

Respon.

Potest sine dubio. Nam & conceptio ex Spiritu Sancto, & ab omni peccati labe immunitas, eum novum hominem & consequenter novam creaturam constituunt, quæ duo cum in illo essent, antequam ulla alia nova creatura existeret; inde necessario efficitur, ut etiam propter hæc ipsa prima novarum creaturarum fuerit. Sed quia in duabus istis rebus aliæ novæ creaturæ non ita sunt ei similes, ut futuræ sunt in beata immortalitate adipiscenda, propterea non tam proprie ad illas, quemadmodum ad hanc refertur, quod Christus sit prima omnium novarum creaturarum.

Interrog.

Habentne nihilominus in istis duabus rebus similitudinem aliquam cum Christo aliæ novæ creaturæ?

Respon.

Habent, & quidem ipsius Spiritus Sancti testimonio, qui, quod ad priorem attinet, quod scilicet Christus non viri cujusquam opera, sed Dei virtute conceptus & natus sit, de aliis etiam novis creaturis audet dicere, Joh. 1. 13, quod non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo sunt natæ, quod vero attinet ad posteriorem, quod scilicet, Christus ab omni labe peccati immunis fuerit, de aliis similiter novis creaturis affirmare non dubitat, eas nec peccare, nec peccare posse, 1 Joh. 3. 6, & 8.

Interrog.

Sed nonne ista de Christo maxime vere ac proprie dicuntur, de aliis novis creaturis vel plane, vel saltem aliquo modo figurate?

Respon.

Omnino. Verum non propterea fit, quin similitudo aliqua inter Christum, & alias novas creaturas etiam istarum duarum rerum respectu sit agnoscenda. Nam sine ista aliqua similitudine, figurato quantumvis ejusmodi loquendi modo nullus locus esse potuisset.

Interrog.

Estne ratio ulla, qua demonstrari queat, locum istum ad Coloss. non tantum posse sed etiam debere non de prima creatione, sed de reformatione accipi?

Respon.

Jam ex verbis meis duas colligere potuisti, una est collatio ejus partis Epistolæ ad Ephesios, quæ isti loco Epistolæ ad Coloss. respondet; altera vero est, quod ex ipso loco tandem apparet, ibi omnium, sive eorum quæ in cœlo & in terra sunt, nomine, Apostolum ea tantum intelligere, quæ intelligentia sunt prædita; quod satis indicat primæ creationis, quæ ad illa quoque pertinet, quæ intelligentia carent, ibi rationem non haberi. Nam quod ad collationem locorum attinet, nulla prorsus in ea parte Epistolæ ad Ephes. quæ isti loco ad Coloss. respondet, creationis fit mentio, sed tantum recollectionis, sive ut Syriaca & vulgata editio habet, instaurationis & renovationis. Adde autem hisce duabus rationibus alias duas. Primum enim constat Apostolum de filio Dei loqui, quatenus in eo, id est per eum, habemus redemptionem, & peccatorum remissionem, quod non nisi ad Christum hominem pertinere potest, præsertim cum in Græco non minus hic, quam in loco ad Ephes. 1. 7, addatur, *per sanguinem ejus.* Certum est autem per Christum hominem, id est, quatenus est homo, non fuisse omnia primo creata, sed tantum reformata. Deinde, si de prima creatione hic ageretur, sine dubio cœli & terræ, non tantum, ut eorum in quibus ea sint, quæ creata sunt per Dei filium, mentio fieret, sed etiam ut eorum quæ per ipsum sint creata. Præcipue enim ad primam creationem pertinet ipsius cœli & terræ creatio;

immo sæpe cœli terræque creatorum seu factorum simplici nomine universa prima creatio in Sanctis Litteris intelligitur Gen. 2. 4. 2Reg. 19. 15. 2Par. 2. 12. Psal. 102. ℣. 26. 115. 16. Esa. 37. 16; Hinc in symbolo, quod Apostolicum dicitur, Deus pater simpliciter cœli & terræ creator dicitur, cum tamen universam primam creationem illi ibi tribui intelligendum omnino sit.

Interrog.

Quid igitur est, quod Dei verbo cœlos & terram extitisse 2 Pet. 3. 5, & in verbo Jehovæ cœlos factos esse legimus Psal. 33. 6, & simul testatissimum habemus Joh. 1. 1, &c, Dei filium seu Christum esse verbum, & nomen ejus esse Verbum Dei Apoc. 19. 13? An non hoc docet, per Dei filium cœlum & terram creatam fuisse?

Respon.

Etiamsi Dei Filius verbum Dei est, & nominatur; non tamen illud verbum Dei est, quo creatum est cœlum & terra. Istud enim Dei verbum, aliud nihil est quam decretum & jussus Dei. Decretum enim & jussus, verbi nomine, præsertim apud Hebræos, appellantur, nempe quia verbo fieri aut declarari solent; id quod in hac ipsa re de qua hic agitur, id est, in ipsa cœli & terræ creatione narranda & exponenda, expressum in Sacra historia videmus, ubi Deus loquens inducitur ac dicens Gen. 1. 6, *Fiat* vel potius *sit firmamentum*, vel potius, *expansum in medio aquarum*, &c. Et mox *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, & appareat arida.* Vide quo Dei verbo, seu quomodo Dei verbo cœlum & terra creata fuerit decreto nimirum & jussu Dei, ipsius verbo contento ac declarato. Hoc sane verbum Dei filius non est. Filius siquidem Dei certa quædam est persona, non autem decretum aut jussus aliquis. Nec profecto ii, qui per Dei filium cœlum & terram creatam fuisse volunt, aliter aut intelligunt, aut intelligere possunt, quam ejus personam vi sua divina mediam causam istius creationis fuisse, eamque peregisse.

Interrog.

Quodnam ergo Dei verbum est Dei filius?

Respon.

Illud nimirum, quod nobis Deum enarravit. Sic enim scriptum legimus Joh. 1. 18, *Deum nemo vidit unquam; unigenitus filius, qui est in sinu patris ipse enarravit.* Quæ verba eo magis in proposito nostro notanda sunt, quod ab Euangelista paullo post prolata fuerunt, quam Dei filium Verbum nominare desiisset. Pertinere enim omnino videntur ad explicationem nominis istius, quod alioqui inexplicatum manet. Quidquid sit, nemo negare potest, verbi Dei appellationem, Christo ob id optime convenire posse, quod per ipsum, omnem Dei de nobis voluntatem ac consilium intelleximus, nec ulla alia appellationis istius interpretatio est, quæ vel ita obvia atque inpromptu sit, vel cujus sensus tantopere cum Sacris Testimoniis ipsissimaque veritate consentiat. Immo aliæ fere omnes quæ afferri solent, id continent, quod alioqui nullum expressum testimonium in Divinis Litteris habet, nec alia quavis ratione cum veritate consentire apparet.

Interrog.

Nunquid igitur Verbi nomine, quo Dei filius apud Johannem Euangelistam appellatur, ipsum hominem Christum Jesum intelligis, nec aliud quidquam ante vel præter ipsum?

Respon.

Sic plane intelligo. Id enim nos docet non solum causa ipsius appellationis, quam modo & exposui & probavi, quamque nulli alii convenire apparet, quam ipsi homini Christo Jesu, sed ejusdem Euangelistæ verborum sententia ac conclusio. Nam & de verbo ipso, seu de Dei filio sub Verbi nomine non pauca dicit, quæ Christo homini tantum conveniunt, & tandem totum istum locum concludens, 1 Joh. 1. 17, pro Verbo simpliciter & sine ulla alia prævia declaratione Jesum Christum substituit.

Interrog.

Quænam sunt ista de Verbo ab Euangelista dicta, quæ Christo homini tantum conveniunt?

Respon.

Si recte ejus verba intelligantur, omnia sunt, quæ de ipso dicit; sed quædam tantummodo nunc commemorabo, quæ vel sunt, vel esse deberent apud omnes indubitata. Primum enim de ipso verbo ait, quod in mundo esset. Quod sane ad Christum hominem totum pertinet, quemadmodum plerique hodie fatentur; licet inveniantur quidam qui antiquioribus quibusdam adhærentes, aliter intelligunt, potissimum propter id, quod statim sequitur, Mundum per ipsum factum esse; quod quemadmodum Christo homini convenire possit, non vident. Sed nos jam quid istud significet exposuimus, quod certe Christo homini & maxime & soli convenit. Deinde addit Euangelista, *In propria*, id est *Ad suos venit*, quod nemo non videt ad Christum hominem tantum pertinere, qui seipsum illis patefecit, à quibus ortum secundum carnem ducebat. Subjungit præterea, *& sui ipsum non receperunt.* Quod similiter, & propter vocem sui, & propter totam ipsam sententiam, non nisi ad Christum hominem referri potest. Huc accedit, quod ea quæ superius dixit de luce, de qua testatus sit Johannes, de ipso verbo dicta intelligi debent: Atqui Johannes de Christo homine est testatus Joh. 1. 30, non autem de alia re quapiam, quæ præter, aut ante illum hominem fuerit.

Interrog.

Quid ergo sibi Johannes volebat, cum diceret verba illa, quæ paulo inferius leguntur Joh. 1. 15? *Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.*

Respon.

Verba ista *ante me factus est*, non ad existentiam, sed ad honorem referri debere, omnes fere animadverterunt; ut sit sensus, Christum non quidem extitisse ante Johannem, sed ei prælatum esse, quod vero sequitur, *quia prior me erat*, ad dignitatem & præstantiam omnino referendum sit, ut etiam ex aliis Euangelistis intelligi potest; qui omnes pro *prior me* habent *fortior me.* Quamquam, cum nihil constet, locum istum apud reliquos tres Euangelistas Matth. 3. 11. Marc. 1. 7. Luc. 3. ℣. 16, eundem esse cum hoc apud Johannem, magis mihi probatur, quod Baptista Christum se priorem dixerit ob eam causam, quod ipse ab illo pendebat, & ejus quoddam accessorium erat, & Christus ipsius principale; tametsi ipse prius, quam ille, apparuisset, & munus suum obire cœpisset. Ex quo etiam fit, ut mihi plus placeat verba illa, *ante me factus est*, ita interpretari, ut aliud nihil significent, quam ante me fuit. Præsertim cum adhuc ipsum modum omnino legi possint. Nam γέγονεν, quod in Græco est, rectissime *fuit* verti potest; ita ut totius loci sensus sit, Christum, quamvis tempore posteriorem, ante Johannem tamen fuisse, quatenus ipse principale quoddam, Johannes vero accessorium ejus erat. Illud certissimum est, nullo pacto esse verisimile, Johannem, in suis istis quæ citasti de Christo verbis, de existentia illius ante se locutum fuisse, unde scilicet concludi possit, quia Christus homo, post, non autem ante Johannem extitit, non de ipso homine Christo eum ista dixisse. Quod enim Christus proprie loquendo ante Johannem extiterit, hoc nihil per se ipsum ad mentem ipsius Johannis facit, quæcumque tandem illa in istis verbis fuerit. Adde quod Johannes hæc eadem postmodum de Christo repetens, inquit, *Hic est de quo dixi, Post me venit vir, qui ante*, &c. Vides ipsum Johannem declarare sua verba, quæ citasti, de viro quodam, & sic de ipso homine Christo accipienda esse.

Interrog.

Sed quomodo nihilominus consistere id potest, quod asseris, Euangelistam Verbi nomine ipsum hominem Christum Jesum intelligere, nec quidquam aliud ante aut præter ipsum, cum ipsemet diserte dicat, Verbum

factum

factum fuisse carnem Joh. 1. 14? Nunquid homo ipse Christus Jesus factus est, vel fieri potuit caro?

Respon.

Græca vox ἐγένετο quæ ab interpretibus reddita fuit *factum est*, reddi & potuit, & debuit voce *fuit*. Quod potuerit, nemo negat; & exemplum habetur ibidem paullo superius in illis verbis Joh. 1. 6, *Fuit homo missus à Deo* &c. Nam vox quæ reddita est *fuit*, in Græco est ἐγένετο. Quod autem debuerit, id plane inde constare videtur, quod ab omni verisimilitudine abest, Euangelistam, postquam dixisset, Verbum ad suos venisse, nec ab eis receptum fuisse, & quid illis contulerit qui ipsum receperunt explicasset, statim subjunxisse, illud factum fuisse carnem, etiamsi alioqui id verum esset, nimis enim inconcinna & præpostera narratio ista fuisset. Cujusmodi incommodum nullum est, si subjunxerit, Verbum carnem fuisse, id est non modo hominem, sed hominem, seu virum, ut Esaias loquitur Esa. 53. 3, dolorum, & qui infirmitatem fuerit expertus. Nam hoc recte atque opportune admodum & istis & aliis omnibus de eodem Verbo antea dictis additur, ut tandem aperte Euangelista declararet, se sub Verbi appellatione de homine loqui, & simul fateatur, quamvis ei talia & tanta tribuerit, & adhuc tributurus sit, cum tamen fuisse afflictionibus & perpessionibus obnoxium. Itaque quod, male interpretatum, videtur ostendere, Verbum apud Euangelistam omnino quidpiam aliud essentiale significare præter hominem; illud ipsum, recte interpretatum, hominem tantum (quod quidem ad ipsam essentiam attinet) nomine isto Euangelistam intellexisse demonstrat.

Interrog.

Si verbum apud Johannem aliud nihil reipsa est, quam homo ipse Christus Jesus, quomodo idem de hoc ipso Verbo, simulatque de eo loqui cœpit, & in ipso sui Euangelii initio Joh. 1. 1, & 2, & dicere & repetere potuit, illud fuisse in principio, & apud Deum? num homo ipse Christus Jesus apud Deum fuit in principio rerum, seu quando res esse cæperunt?

Respon.

Vox Principii sive Initii, quamvis absolute posita, semper ad subjectam materiam refertur, nec significat umquam ipsa per se rerum omnium initium; sed si aliquando in Sacris Litteris (quod rarissimum tamen esse arbitror) id significat, vel subjecta materia, vel aliqua alia vox ei adjuncta ejus rei est causa. Exempla manifesta in ipso Novo Testamento vocis *Principii* sive *Initii* (ut in vulgata editione legimus, nam in Græco una & eadem est ubique vox ἀρχὴ) absolute positæ, & tamen rerum initium minime significantis, multa sunt, præsertim apud hunc eundem scriptorem, Joh. 6. 64. xv. 27. Act. 11. 15. 2 Thess. 2. 13. 1 Joh. 2. ṽſ. 7, 8, 11. 2 Joh. 5, & 6, ex quibus constat eam, ut dixi, ad subjectam materiam referri debere.

Interrog.

Quomodo igitur vox ista in loco à me indicato accipienda est, & quænam est ibi subjecta materia?

Respon.

Quæ sit subjecta materia, jam antea exposui, cum ostendi, in verbis illis, quæ paulo post leguntur, *Omnia per ipsum facta sunt*, quomodo vox *Omnia* sit accipienda.

Interrog.

Pœne oblitus fueram. Ergo subjecta materia est Euangelium. Sed quid Euangelii nomine intelligis?

Respon.

Nempe id quod proprie vox ista in Novo Testamento significat, id est, non quidem historicam scriptionem de Christo, ut vulgo Euangelii vox sæpe accipitur, sed bonum illum nuncium à Deo profectum de peccatis humano generi remittendis, eique æterna vita donanda. Hæc enim subjecta materia est totius Euangelistæ scriptionis, ut antea dixi. Itaque cum statim suæ scriptionis initio ait Johannes *In principio*, subaudienda ex vox *Euangelii*, ac si diserte dixisset *In principio Euangelii*, quemadmodum Paulus Apostolus loquitur Philip. 4. 15, significans initium patefaciendi illis, ad quos scribebat, bonum istum ac divinum nuncium.

Interrog.

Significabitne igitur apud Euangelistam nostrum vox Principii initium patefaciendi Euangelii?

Respon.

Prorsus.

Interrog.

Quando verò dicemus fuisse initium istud?

Respon.

Tum nimirum cum Johannes Baptista prædicare cœpit. Tunc enim primum cœpit innotescere bonus iste Dei nuncius, prædicante Johanne universo populo baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Quinetiam alicubi diserte scriptum esse videtur, Euangelii Jesu Christi initium esse prædicationem Johannis Baptistæ. Nempe Marc. 1. in ipso initio. Quod si, cum Euangelium, ut Jesu Christi Euangelium consideratur, ab Johannis Baptistæ prædicatione initium suum habere dicitur, quamvis ipse Jesus Christus nondum prædicare cœpisset; multo magis id dici potest, cum Euangelium simpliciter consideratur, & simpliciter quæritur, istius boni ac divini nuncii quodnam fuerit initium.

Interrog.

Jam igitur quid sibi vult Euangelista noster, affirmans, in principio Euangelii, hoc est, cum Johannes Baptista prædicare cœpit, fuisse Verbum, id est Christum Jesum?

Respon.

Hoc nimirum sibi vult, jam tum Jesum Christum voluntatis Dei erga humanum genus patefaciendæ muneri præfectum fuisse. Appellatio enim ipsa verbi, qua hominem Christum Jesum significat, munus istud ipsius, ut antea diximus, simul declarat.

Interrog.

Quid autem hinc consequitur?

Respon.

Nempe, non Johannem Baptistam, sed Jesum Nazaræum, qui dictus est Christus, Euangelii auctorem agnoscendum esse, quamvis prius Johannes, quam Jesus prædicare cœperit. Nihil enim aliud fuit prædicatio Johannis, quam præludium quoddam prædicationis Christi Jesu, ante cujus faciem, ut scriptura loquitur Malach. 3. 1. Marc. 1. 2, Johannes missus fuerat, ut illi viam pararet. Maxima enim fuerat in populo Judaico, ad quem solum Christus missus ab initio fuit, opinio de Johanne Baptista, adeo ut multi ipsum pro Christo, aut certe pro eo haberent, qui Dei voluntatem plene populo annunciasset. Propterea non contentus Euangelista noster tacite docuisse, non Johannem, sed Jesum, qui dictus est Christus, munus istud à Deo sibi demandatum habuisse; aperte postea id docet Joh. 1. 6, &c, ipsum Johannem nominans; & affirmans, non illum fuisse lucem illam veram, quæ in mundum venerat ad humanum genus illuminandum, sed tantum ad testandum de ipsa missum fuisse.

Interrog.

Sed quid attinebat, cum Euangelista diceret, Verbum in principio fuisse, quod quid sit jam intelligo, addere verba illa *apud Deum*?

Respon.

Propterea addidit duo ista verba, ut qua ratione jam tum Jesus Christus Verbum Dei, id est interpres divinæ voluntatis esset, melius declararet, ac simul ei occurreret, quod objici ipsi poterat, quod videlicet non recte pro eo tempore Verbum illum appellasset, cum nondum reipsa munus istud Jesus Christus obire cœpisset. Itaque subjunxit (addendo ad verba ista) non quidem apud homines, sed apud Deum, talem jam tum eum fuisse.

De Christi Sacerdotio.

Interrog.

Hactenus explicatum abs re habeo, quid de Jesu Christi essentia seu natura statuendum censeas, & simul quædam, quæ ad ipsius qualitates (ut sic loquar) attiuent, cum ea scilicet non sint illi naturalia, sed, postquam natus est, à Dei voluntate in eum profecta fuerint. Itaque jam intelligo, quid apud te sit, eum esse filium Dei proprium atque unigenitum, & (quod divina filiatione ista contineri statuis) Christum, ac denique Dei verbum. Sed quid significare censes, eum esse sacerdotem nostrum ac pontificem in æternum? Sunt enim qui affirment, hoc Christi munus, ipsa Christi appellatione contineri, Psal. 110. 4. Hebr. 6. 20.

Respon.

Non solum hoc, sed illud etiam, propter quod nos Verbum Dei illum nominari statuimus, propheticum inquam munus Christi appellatione comprehendi plerique volunt, ob id videlicet quod & sacerdotes, Exo. 29. 7. & Prophetæ ungi solerent, 1. Reg. 19. 16. Christi autem nomen ut antea dictum est, unctum proprie significet.

Interrog.

Quid igitur ipse hac de re sentis?

Respon.

Non nego, Christi nomine ista etiam comprehendi, & simul quicquid io ipso Christo est, quod ad unctionem, quam à Deo patre suo illum accepisse scriptura testatur Act. 10. 38, referri possit. Sed tamen ita statuo, ob id potissimum isto nomine illum insignitum fuisse, quod Rex sit populi Dei, ut antea dixi. Nam reges populi Dei potissimum & ungebantur, & Christi appellabaotur.

Interrog.

Jam quid est igitur Christi sacerdotium & pontificatus æternus? Satis enim, quid sit illum regem esse populi Dei, antea docuisse videris?

Respon.

Est ejus munus & cura perpetua, peccata nostra expiandi.

Interrog.

Quomodo vero? Annoo Christus antequam sederet in dextera majestatis in excelsis Hebr. 1. 3, purgationem fecerat peccatorum nostrorum? ao oon unica oblatione coolummavit in æternum sanctificatos? Hebr. 10. 14. an noo denique in sanguine, seu per sanguinem suum lavit nos à peccatis nostris? Apoc, 1. 5.

Respon.

Scriptura secum ipsa pugnare nequit. Quare, cum io ea apertissima testimonia habeamus expiationis quam Christus perpetuo faciat peccatorum nostrorum, necesse est sententias istas ejusdem scripturæ, quas modo commemorasti, & alias ejusmodi ita interpretari, oe huic rei adversentur.

Interrog.

Quænam sunt ista apertissima testimonia?

Respon.

Primum idipsum, quod nunc quærimus quid sit, nempe, quod Christus æternum sacerdotium & Pontificatum habet. Proprium enim Pontificis est offerre dona & sacrificia pro peccatis, Hebr. 5. 1. & sic peccata expiare. Quare si Christus in æternum noster est pontifex, perpetuusque est pontificatus ejus, necesse est, ut perpetuum quoque peccata nostra expiandi munus habeat, atque exerceat. Deinde scriptum est, Heb. 2. 17. oportuisse Christum per omnia similem fratribus fieri, ut esset misericors & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum ad expiandum peccata populi.

Interrog.

Quid est, Christum factum esse per omnia similem fratribus?

Respon.

Est omnia mala expertum esse, quibus illi sunt obnoxii, inter quæ præcipue est cruenta mors, cui maxime subjacent Christi fratres, id est, Dei filii, qui spiritu ei obediendi præditi, immortali vita ab ipso donari expectant. Ex quo fit, ut misericordia & fidelitas ista Christi in expiandis peccatis populi, & sic ipsum peccatorum nostrorum expiandi munus quod Christus habet, post ipsius cruentam mortem esse cæperit, & perpetuo duret. Statim enim io eo loco ubi ista scripta sunt, quæ modo attuli, subjiciuntur hæc verba, *in eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potest iis qui tentantur auxiliari*. Namque his verbis significatur perpetua cura, quam suorum Christus gerit, in illis ab omnibus malis defendendis; qua cura oecesse est contineri ipsorum peccata expiandi munus. Nam vocula *enim* manifeste docet verbis istis explicari proxime antecedentia, *ad expiandum peccata populi*, & consequenter, cum cura ista, perpetuam quoque esse peccatorum expiationem.

Interrog.

Quid igitur sibi volunt ea quæ attuli testimonia de expiatione jam facta?

Respon.

Ea oimirum facta fuisse, unde fit, ut Christus nostra peccata expiandi perpetuum munus sit adeptus, in ejusque muneris possessione (ut sic loquar) fuerit coostitutus. Hæc sunt ipsius Christi sanguinis fusio, & sui ipsius oblatio, quorum in locis à te tacite indicatis fit mentio. Per fusionem siquidem sanguinis sui Christus io cælum ingressus est, jusque oiunere isto fungendi adeptus fuit; per oblationem vero sui ipsius, in ipsam tanti muneris possessionem venit, eamq; plenissimam cepit.

Interrog.

Video, te omnino ac re ipsa distinguere inter sanguinis Christi fusionem, & sui ipsius oblationem. Quid igitur tibi est ista sui ipsius oblatio.

Respon.

Libenter quod petis, exponam. Sic enim aperte intelliges, cur oblatiooi isti tribuerim, quod Christum in possessione muneris peccata nostra perpetuo expiandi posuerit; nam id tibi novum plane videri non dubito. Dico igitur Christi oblatiooem, qua expiata peccata nostra fuisse dicuotur, non in cruce, & per ipsam ibidem sanguinis sui fusionem, peractam fuisse, quemadmodum vulgo existimant, sed in cælo, & per sui ipsius ibi coram Deo pro nobis, ut sic dixerim, præsentationem. Manifeste enim apud auctorem Epistolæ ad Hebræos in expiatoria Christi oblatione cælum sanctis sanctorum respondet, Hebr. 9. 24. ubi à Pontifice Aharonico, cum quo Christus ab eodem auctore coofertur, Levit. 16. 12. &c. Hebr. 9. 7. oblatio pro peccatis fiebat in anniversario illo & publico sacrificio, & certùm est ipsam pecudis mactationem, & quæ io ea fiebat sanguinis fusionem, viam atque initium sacrificii & oblationis faciendæ fuisse, non autem ipsam oblatiouem. Pecudis autem mactationi quin Christi crux respoudeat, nihil dubitari potest.

Interrog.

Sed quomodo tamen, si Christi oblatio est facta in cælo, idque per sui ipsius coram Deo pro nobis præsentatiooem, positus est Christus in possessione muoeris peccata nostra expiandi per hanc ipsam oblationem?

Respon.

Credebam te meminisse, quæ paullo ante de peccatorum nostrorum expiatione per Christum dixeram atque concluseram, & propterea te id ipsum, quod nunc interrogas, jam aperte iotellecturum affirmaveram.

Interrog.

Quæ nam ista sunt?

Respon.

Nempe, Christum perpetuo peccata nostra expiare, hancque expiationem ea cura contineri, quam, io cælo manens, nostrum assidue gerit.

Interrog.

Jam probe memini. Sed ut rem totam melius teneam, dic, quæso, apertius, quomodo Christus expiet peccata nostra.

Respon.

Respon.

Expiat Christus peccata nostra, quia à pœnis peccatorum nostrorum nos liberat.

Refutatio Sententiæ vulgaris de satisfactione Christi pro peccatis nostris.

Interrog.

An non necesse igitur est, ut pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfaciat? Hoc vero quomodo in cœlo facere potest? Nonne per ea, quæ antea passus est, potissimum vero in cruce, id ab eo factum fuisse oportet?

Respon.

Immo liberatio per Christum à pœnis peccatorum nostrorum nihil cum satisfactione pro ipsis peccatis commune habet, sed potius cum ipsa pugnat. A pœnis siquidem peccatorum nostrorum ideo per Christum liberamur, quia Christus summa illa sua in cœlo & in terra potestate efficit, ne ullæ propriæ peccatorum pœnæ nos attingant, & tandem eadem potestate efficiet Phil. 3. 23. ut à morte quæ stipendium peccati est Rom. 6. 23, & ejus quam maxime propria pœna, prorsus atque in perpetuum liberi simus. Hæc certe ratio liberandi à pœnis peccatorum diversissima est ab ea, quæ satisfactione pro ipsis continetur. Adde, quod propterea Christus suam potestatem, eo modo quo dixi, in nobis à peccatorum pœnis liberandis exercendi jus habet, quia Deus per ipsum gratis nobis ipsa peccata remisit Rom. 3. 22. Ephe. 4. 34, atque condonavit. Nihil autem invicem magis pugnare potest, quam gratuita remissio seu condonatio, & satisfactio.

Interrog.

Numquid tamen justitia divina non requirit, ut omnino peccata nostra vel puniantur, vel sit, qui pro ipsis satisfaciat?

Respon.

Immo nulli homini vere cordato & pio istud in mentem venire unquam deberet, quippe quod vel potentiæ & auctoritati, vel certe bonitati & misericordiæ ipsius Dei aperte ac plurimum deroget; nec factum hactenus fuerit, aut fieri possit, ut quis, alicujus satisfactionis vi, liber sit apud Deum à pœnis peccatorum suorum.

Interrog.

Cur vero id fieri nequit?

Respon.

Nempe, quia hæc ipsa duo sibi invicem adversantur, liberari apud Deum à pœnis peccatorum suorum, & pro ipsis peccatis divinæ justitiæ satisfieri.

Interrog.

Cur quæso?

Respon.

Quia nulla alia ratione divinæ justitiæ satisfieri pro peccatis potest, quam si is, qui peccavit, pœnas det peccatorum suorum; Liberari autem à suorum peccatorum pœnis, & eorundem peccatorum pœnas dare, nemo non videt sibi invicem penitus adversari.

Interrog.

An non potest alius pro alio pœnas istas dare, quemadmodum alius pro alio pecuniam, quam quis debet, solvit?

Respon.

Nequaquam. Non enim sicut unius pecunia alterius fieri potest, sic unius pœnæ alterius fieri possunt. Est siquidem pecunia, ut juris consulti loquuntur, reale quiddam, & idcirco ab alio in alium transferri potest; pœnæ vero de quibus hic loquimur, & quæ peccatis hominum ex lege Dei debentur, sunt quiddam personale, & propterea ejusmodi, quæ illi ipsi, qui eas dat, perpetuo adhæreant, nec in alium queant transferri. Adde quod Deus ipse diserte vetuit, ne alius pro alio occidatur Deut. 24. 16. 2 Reg. 14. 6, sit quantumvis conjuncta persona, & seipsum minime id facturum apertissime testatus est Ezec. 18. 20. Unde apparet, etiamsi alioqui id fieri posset, ipsi tamen divinæ justitiæ repugnare, ut quis pœnas peccatorum, quibus mors potissimum continetur, pro altero det; tantum abest, ut hac ratione divinæ justitiæ satisfieri pro peccatis possit.

Interrog.

Cur Dei vel majestati, vel benignitati derogaretur, si necesse esset apud ipsum aut peccata nostra puniri, aut pro ipsis satisfieri?

Respon.

Propterea derogaretur, & sane, ut dixi, aperte ac plurimum, quia manifeste hinc sequeretur, Deum vel non posse, vel nolle nobis peccata remittere & liberaliter condonare. Neque enim remittitur liberaliterve condonatur peccatum, quod vel punitur, vel non sine satisfactione impunitum dimittitur. Jam quod Deus id facere non possit, id est, jure nequeat nobis peccata liberaliter condonare, nimis evidenter ejus majestatem lædit; sic enim minus auctoritatis haberet Deus, quam quilibet homo. Nemo enim est, qui jure non queat offensas sibi factas liberaliter condonare. Quid vero aliud sunt peccata nostra, quam offensæ ipsi Deo factæ? Quod autem Deus id facere nolit, hoc non minus evidenter ipsius benignitatem imminuit, & tantum non funditus tollit.

Interrog.

Verum si Deus prorsus liberaliter, & sine ulla satisfactione nobis peccata condonat, quid expiatione est opus? an fortasse alia ratione, quam per satisfactionem placata est aut placatur à Christo ira Dei adversus peccata nostra, & ad illa nobis liberalissime condonanda Deus adducitur, atque ob hanc causam expiari dicuntur à Christo peccata nostra?

Respon.

Quanquam non eadem est ratio placationis, quæ satisfactionis, & quamvis Deus nunquam propter veram satisfactionem sibi exhibitam à peccatis puniendis abstinuerit, contra vero haud raro ad peccata non punienda precibus servorum suorum, & aliis rebus, quæ ipsius iram placaverant, adductus fuerit; tamen certum est, in peccatorum nostrorum pœnis per Christum nobis condonandis, nullam à quoquam, ne ab ipso quidem Christo Dei iræ placationem factam, intervenisse; sed Deum ipsum sua prorsus sponte se nobis in Christo placatum exhibuisse, id est ejusmodi, qui nolit, etiamsi id facere summo jure potest, de peccatis nostris ullas pœnas sumere.

Interrog.

Si Christus hujus placationis causa non est, cur igitur & scriptura, & tu ipse una cum ea Christi mentionem hic facis, & in Christo se Deum nobis placatum exhibuisse ais? quid, inquam, est illud *in Christo*?

Respon.

Tria per id significantur. Unum est, quod per Christum hanc sui ipsius adversum nos nostraque peccata spontaneam ultroneamque placationem Deus nobis nunciat, testatur, ac confirmat; Alterum, quod necesse est, si tanti boni velimus esse participes, ut in Christo simus, ejusque per fidem, perque eundem quem ipse habuit obedientiæ spiritum membra efficiamur; Tertium, quod per ipsum Christum omnem effectum hujus suæ placationis Deus nos sentire facit, & ad suum ultimum ac perfectum exitum & finem eam per eundem perducit; atque hæc demum est peccatorum nostrorum expiatio, quæ per Christum fit.

Interrog.

Unde vero constat Deum à Christo minime placatum fuisse, sed ipsum sua prorsus sponte se nobis in illo placatum exhibuisse?

Respon.

Primum id satis ex eo constat, quod nusquam in Sacris Literis istius placationis à Christo factæ fit mentio; Deinde quia ibidem legimus, Deum, propterea quod dilexit nos, Christum in mundum misisse 1 Joh. 4. 10, & Christum visitasse nos in visceribus misericordiæ Dei Luc. 1. 78, aliaque complura, ex quibus aperte colligitur, Deum jam placatum & benevolum erga

humanum genus fuisse, antequam Christus munus suum obire cœperit. Adde quod ipse Christi præcursor jam baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum annunciaverat, unde apparet nihil fuisse opus, ut Christus Deum placaret, ut inde scilicet postmodum existeret Dei decretum de peccatis populo remittendis, ejusve decreti promulgatio. Et sane Christus ipse, cum ad se pertinere confirmat Luc. 4. 21, vaticinationem illam Esaiæ cap. 61, in ipso initio, manifeste nos docet, sui muneris non fuisse Deum ulla ratione placare, ut sic videlicet peccatorum remissionem consequi nos possemus, sed contra, in ipso sui muneris obeundi initio, captivis remissionem & annum acceptum Domini, id est, Jehovæ Dei prædicare. Et quid aliud erat Euangelium regni Dei prædicare Marc. 1. 14, quod statim eum docere incepit, Christus fecit, & ad quod faciendum se missum fuisse ipse testatus est Luc. 4. 43, quam ipsa ista prædicatio remissionis peccatorum iis qui pœnitentiam egissent? Nam ipsam pœnitentiam à Christo prædicatam statim ab initio fuisse, diserte Euangelistæ testantur Matth. 4. 17. Marc. 1. 15.

Interrog.

Quid igitur illud est, quod apud Paulum Apostolum sæpius legitur de reconciliatione per Christum facta?

Respon.

Est, quod Deus per Christum nos reconciliavit, quemadmodum ipse Paulus loquitur 2 Cor. 5. 18, nec usquam legitur, Christum nobis Deum reconciliasse. Unde apparet, hanc per Christum factam reconciliationem nihil aliud fuisse, quam nos, qui Dei inimici, ut idem Paulus ait Rom. 5. 10, adhuc eramus, eo adducere, ut Dei amici esse vellemus, id est, ab eo offendendo desistere, & sic oblatam nobis ab ipso Deo peccatorum remissionem adipisci, & in ejusdem gratiam recipi.

Interrog.

Quid ergo sibi vult idem Apostolus cum ibidem ait Rom. 5. 10, nos reconciliatos Deo fuisse per mortem filii ejus? An non hoc quidpiam aliud significat, & Deum filii sui morte placatum erga nos fuisse indicat?

Respon.

Nullo prorsus pacto. Primum enim vides, non mutari tamen hic consuetum Apostoli loquendi modum, id est, nos Deo reconciliatos fuisse dici, non autem Deum nobis. Deinde apertissima est eo in loco charitatis Dei erga nos commendatio, qui, ut nos sibi ex inimicis amicos omnino faceret, filium suum morti tradere non dubitavit. Id quod omnem placationem Dei per ipsam Christi mortem factam penitus excludit. Quomodo enim vel ira ibi esse potest, ubi tantus est amor, vel id cujusquam placare potest iram quod effectus est amoris ejus?

Interrog.

Jam qua ratione igitur per mortem filii Dei reconciliatos nos Deo fuisse Paulus intelligit?

Respon.

Sensus istius Paulini loci est, quem modo attigi, ut nos, scilicet, ad Deum converteremur, & re ipsa ei conjungeremur, ejusque æternæ gratiæ participes fieremus, idcirco Deo sic volente, Christum mortuum fuisse. Nam alibi quoque legimus 1 Petr. 3. 18, Christum fuisse passum ut nos ad Deum adduceret, per mortem siquidem & passionem suam Christus in ipsum cœlum ingrediens eam potestatem est adeptus, qua omnes sibi obtemperantes, & sic ad Deum ex ipsius præscripto conversos ab omnibus peccatorum pœnis liberare æternaque salute donare potest Hebr. 5. 8, &c, 9. 12; & eo ipso quod à morte teterrima licet, & ex ipsa Dei Lege plane execrabili non est ipse absorptus in eave detentus, sed per gloriosam resurrectionem ex ea eductus, & vitæ immortalis particeps est factus Hebr. 2. 14, & 15. Deut. 21. 23. Gal. 3. 15, aperte ostendit, eos qui ipsum secuti fuerint, non posse ab ulla quantumvis atroci & detestabili morte lædi, aut impediri, quominus æternam vitam assequantur. Ex quibus rebus fit, ut & Christo obtemperare, & eum sequi velimus; & sic ad Deum convertamur, ejusque amici efficiamur, & tandem hujus nostræ reconciliationis cum Deo plenissimum effectum sentiamus.

Interrog.

Verum tamen cur Christus mediator Dei & hominum ab eodem Apostolo Paulo est dictus 1 Tim. 2. 5, si non ita Deum nobis reconciliavit, quemadmodum nos Deo? An non ipsum mediatoris nomen mutuam hanc ab eo factam reconciliationem significat?

Respon.

Non ob eam causam Christus mediator est appellatus, quod reconciliationem aliquam fecerit, nedum nomine isto illi tributo mutua Dei & hominum reconciliatio ab ipso facta significetur, quemadmodum vulgo creditur. Quare ex eo, quod Dei & hominum mediator à Paulo Christus dicitur, etiamsi alioqui verissimum est, eum homines Deo reconciliasse; non tamen inde concludi potest, similiter ac vicissim ab eo Deum hominibus fuisse reconciliatum.

Interrog.

Quid igitur mediatoris nomen significat, & cur Christus Dei & hominum mediator est dictus?

Respon.

Nomen istud, in Sacris Literis, quarum est proprium, eum significat, qui Latine internuncius & interpres etiam dicitur, qui unius tantum, ut alibi de mediatore verba faciens Paulus ait Gal. 3. 10, esse non potest, sed, duorum ut sit, necesse est. Quoniam igitur illi duo, quorum Christus internuncius & interpres est, Deus sunt & humanum genus; propterea Christus Dei & hominum mediator esse dicitur. Itaque non quod pacem inter Deum & homines Christus componat, sed quod à Deo ad homines missus fuerit, ut ipsius Dei voluntatem illis exponat, ejusque nomine cum illis fœdus pangat, idcirco Dei & hominum mediator est Christus.

Interrog.

Nonne nunc etiam in cœlo residens, mediatoris officio Christus fungitur?

Respon.

Si hujus nominis mediatoris originem spectare velimus, quæ evidenter à medio est, certe cum nunc etiam Christus inter Deum & homines medius sit, id est, Deus per ipsum omnia, quæ ad populum suum pertinent, faciat & exequatur 1 Cor. 8. 6, & vicissim Dei populus per ipsum ad Deum perpetuo accedat Hebr. 7. 25, nulli dubium esse potest, quin Christus hodieque mediatoris Dei & hominum officio fungatur. Verumtamen Sacræ Literæ, cum eum mediatorem appellant, non hoc respexisse videntur, sed ad ea, quæ ante diximus; accessionis quidem per ipsum ad Deum in appellatione ista rationem habentes, sed non quatenus ille in cœlo manens adhuc medius est inter Deum & populum suum, sed quatenus in terris fuit. Opponitur enim per comparationem, & anteponitur in Sacris Literis non obscure Christus, ut mediator, Mosi, Hebr. 8. 5, &c, qui & ipse mediator fuit Gal. 3. 19; quod Moses quidem Dei voluntatem nec totam de ipso Dei populo Joh. 1. 17. Hebr. 7. 19, nec sine umbris & integumentis quibusdam exposuerit Hebr. 10. 1. 2 Cor. 3. 13, &c, & vetus atque aliquando desiturum fœdus Dei nomine cum ipsius populo pepigerit Hebr. 8. 9, & 13. 2 Cor. 3. 14, Christus vero clarissime ac perfectissime, quid Deus suo nomine nunciari hominibus velit, aperuerit Joh. 1. 18 2 Cor. 3. 14, 16, &c. Colos. 2. 9. 2 Cor. 4. 4. Joh. 14. 9. Hebr. 1. 3, seu divinæ humano generi patefaciendæ voluntatis absolutissimus interpres fuerit, & novum Hebr. 9. 15, & 12. 24, nec unquam, donec præsens sæculum steterit, desiturum Hebr. 13. 20. Apoc. 14. 6, & in futuro sæculo effectus suos æternos habiturum fœdus cum hominibus Dei nomine sanxerit, & stabiliverit Dan. 9. 27. Marc. 14. 14.

Interrog.

Video, neque ex reconciliatione nostra cum Deo, quam

quam Christus fecit, nec ex eo, quod Christus sit Dei & hominum mediator, colligi posse, ab ipso fuisse placatum Deum. Sed quid tamen est, quod Deus illum proposuit placamentum, ut Paulus ait Rom. 3. 25.

Respon.

Hoc nihil est aliud, quam, si velimus Deum placatum erga nos experiri, ex ipsius Dei decreto, credendum nobis esse in Christum. Sequuntur enim statim isto in loco, ubi Christus placamentum à Deo propositum dicitur, verba hæc, *per fidem, in ipsius sanguine.*

Interrog.

Sed nonne hoc significat confidendum esse Christi sanguini? Hoc vero ei additum, quod Christus sit propositus à Deo placamentum, quid aliud est, quam agnoscendum certoque tenendum esse, per Christi sanguinem Deum fuisse placatum?

Respon.

Verba *in ipsius sanguine*, idem prorsus valent, quod *interveniente ipsius sanguine*, * quemadmodum interpretes quidam egregii locum verterunt, & quemadmodum similis de eodem sanguine locutio accipienda est Luc. 22. 20. Hebr. 13. 20, ut taceam nihil vulgatius aut frequentius esse, quam voculam *in* apud sacros scriptores pro *cum* usurpari, & sic cum evidente significatione interventus rei illius, cui particula ista anteponitur. Non sunt igitur verba *in ipsius sanguine* conjungenda cum verbo *fidem*, licet illud statim consequantur; sed duæ illæ voces *per fidem* per se sunt accipiendæ; sicuti alibi frequentissime fidei simpliciter ab eodem Apostolo, idque in eadem Epistola fit mentio, & intelligendum, Christum propositum fuisse à Deo placamentum per fidem, nempe, ut ante diximus, in ipsum Christum, sive in Deum per Christum, idque à Deo factum fuisse non sine fusione sanguinis ipsius Christi; qui, scilicet, sanguis ad benignissimum hoc Dei erga humanum genus decretum confirmandum, & ad exitum suum perducendum adhibitus est. Jam nomen illud quod in loco isto apud Paulum *Placamentum* à plerisque, seu *Propitiatorium* est redditum, invenitur passim tributum operculo arcæ Dei in Vetere Testamento, eaque ad istud idem operculum significandum usus est auctor Epistolæ ad Hebræos Hebr. 9. 5, quem plurimi ipsum Paulum esse contendunt. Certum autem est, operculum illud Deum non placasse, sed tantum in eo, quatenus inde benigna sua responsa dabat Exod. 25. 22, placatum se Deum ostendisse & declarasse. Quare similiter Christo cujus illud operculum sine dubio typus fuit, nomen istud accommodavit Paulus, etiamsi Deum Christus revera non placaverit, sed tantummodo Deus in ipso (quod quid sit jam & modo & ante exposuimus) placatum se nobis ostenderit & declaraverit.

Cur Christum necesse fuerit mori.

Interrog.

Ex iis, quæ antea disputasti, cum explicandum suscepisti, quomodo per mortem filii Dei, ut Paulus loquitur, ipsi Deo reconciliati simus, satis mihi videor intelligere, cur idem Paulus mentionem sanguinis Christi fecerit, cum de Deo, qui se nobis placatum in Christo exhibuerit, verba fecit. Sed quid necesse tamen alioqui fuit ut Christus sanguinem suum funderet? Nam nisi hujus rei necessitas aliqua ostendatur, frigere videtur quidquid inde de Dei erga nos placabilitate atque clementia colligere nos posse affirmatur.

Respon.

Haud invitus interrogationi tuæ satisfacere conabor, & cur Christum sanguinem suum fundere, id est, violentam subire mortem necesse fuerit (quanquam aliquid hac de re jam dictum est ante) aperte exponam. Interim te monitum volo, satis esse ad Dei in nos amorem ex Christi cruenta morte colligendum, eumque ob eandem ipsam mortem pro nobis insigniter commendandum, quod aliqua causa fuerit ejusmodi mortis Christi ad nostram salutem pertinens & à peccatorum pœnis liberationem, quemadmodum fuisse ex iis quæ ante dicta sunt, intelligi potest, etiamsi alioqui ipsum Christum mori nulla ratione necesse fuisset. Jam vero ob id præcipue ac potissimum necesse fuit Christum violentam subire mortem, quia illi quos servaturus venit, eidem morti plurimum sunt subjecti.

Interrog.

Sed quid hoc ipsum sic se habere compulit? An non poterat Deus efficere, ut ii, quos Christus servatum venit, id est ipsius Dei & Christi, ut arbitror, fideles, violentæ morti minime essent subjecti?

Respon.

Poterat quidem si rerum naturam ipsam immutare voluisset. Sed hoc nunquam facit Deus, nisi interdum ac perraro, idque in rebus quibusdam singularibus & ad tempus, non autem perpetuo ac generatim, ut hic fuisset opus, si Christi fideles violentæ morti subjectos esse noluisset.

Interrog.

Cur vero ita opus fuisset?

Respon.

Nempe, quia Christi fideles & singulari quadam probitate atque innocentia sunt prædicti, nec illis seipsos ulcisci licet; quorum prius sua natura efficit, ut summo odio cunctis malis hominibus sint, & consequenter ab ipsis crudeliter vexati, & facile, ubi ejus rei occasio ac prætextus aliquis fuerit, morti traditi; posterius vero malos vehementius ad hæc animat, utque ea ad exitum perducere possint, promptam facultatem illis præbet.

Interrog.

Jam causam agnosco, cur Christi fideles ex ipsius rei natura cruentæ morti sint subjecti. Verum quid tamen propterea necesse fuit ipsum Christum eorum servatorem, ejusmodi mortem subire?

Respon.

Duæ sunt præcipue hujus rei causæ, quemadmodum dupliciter potissimum, Christus suorum fidelium servator est. Primum quia sui ipsius exemplo illos ad viam salutis quam ingressi jam sunt, perpetuo tenendam movet atque inducit. Deinde, quia ipse est, qui illos in omnibus periculis ac tentationibus fovet ac juvat, & tandem ab æterna morte liberat. Quomodo vero suo exemplo potuisset Christus movere atque inducere suos fideles ad singularem illam probitatem & innocentiam perpetuo retinendam, sine qua servari nequeunt, nisi ipse prior cruentam mortem, quæ illam facile comitatur, gustasset? Aut quomodo tantam curam in eorum perpessionibus ipsos roborandi, & ab omnibus malis liberandi habuisset, nisi ipsemet quam gravia, quamque humanæ per se naturæ intolerabilia illa sint, expertus abunde fuisset?

Interrog.

Habesne præter ipsam rationem testimonia aliqua divina, quæ ista confirmare possint?

Respon.

Immo quæ apertissime confirment, & ad ea cognoscenda nos quasi manu ducant. Sunt autem illa in Epistola Petri priore cap. 2, paullo ante finem (cum quo sane testimonio alia permulta consentiunt) & in Epistola ad Hebræos 2. & 4 capite: circa finem utriusque capitis. In priore enim testimonio diserte exprimitur, Christum, dum pro nobis patitur, id est cruentam mortem subit, exemplum nobis reliquisse, ut insequamur ejus vestigia; in reliquis vero duobus, quorum etiam ante mentio facta est, & sententia indicata expresse traditur, propterea Christum paratum esse ut nobis Dei ipsiusque fidelibus in perpessionibus nostris auxilietur, nostrumque misereatur, quia ipsemet mala omnia, quibus nos subjecti sumus, expertus fuerit.

* Erasmus, Tigurini.

De interpellatione Christi pro nobis.

Interrog.

Jam quid est, quod Christus pro nobis interpellare dicitur? Pertinetne hoc ad ipsius sacerdotium?

Respon.

Omnino, nam & hoc sacerdotis officium est, & Christum, ut sacerdotem id facere, divinæ literæ docent Hebr. 7. 25.

Interrog.

Sed quomodo id convenit cum ejus regia potestate? Aut quomodo fieri potest, ut is pro nobis adhuc quidquam Deum roget, qui jam ab ipso nobis subveniendi omniaque dandi plenissimam potestatem habet?

Respon.

Est hujusce rei causa eadem, quæ est, cur potissimum æternus noster sacerdos appelletur, atque, ut talis, peccata nostra expiare dicatur.

Interrog.

Quænam est illa?

Respon.

Hæc nimirum, quod scriptura voluit, firmissime ac perpetuo nostris mentibus hærere, Christum non à se ipso, sed à Deo, ut nostra peccata expiandi, id est, quemadmodum antea diximus, nos à pœnis peccatorum nostrorum liberandi, sic etiam nos qualibet alia in re juvandi, nobisque subveniendi potestatem habere. Id enim maxime Spiritus Sanctus cavit, ne tanta ac plane divina ista Jesu Christi potestas efficeret, ut is unicus ille Deus noster esse crederetur, & sic prærogativa sua Deo ipsius patri adimeretur, quæ est, ut is solus sit ille unus verus Deus, neve, si hac in re ii, qui Christianam religionem profiterentur quidquam errarent, (ut sane nihilominus graviter errarunt) erroris sui justam ullam excusationem haberent. Quis enim est, qui audiens, Christum non modo potestatem istam à Deo Patre suo accepisse, ut apertissime ac sæpissime scriptura testatur, verum etiam post acceptam ipsam potestatem, sacerdotem nostrum vocari, & pro nobis interpellare dici, causam ullam habeat suspicandi, ne ipse Christus sit ille unus Deus?

Interrog.

Sed cur, ut ista duo concilientur, dicendum est, figuratum esse loquendi modum cum Christus sacerdos vocatur, & pro nobis interpellare dicitur, potius quam, cum divina illa summaque potestas ei tribuitur?

De divina ac suprema Christi potestate.

Respon.

Nempe quia testimonia de potestate ista & multo frequentiora sunt, & plerumque ejusmodi verbis expressa, quæ nullum figuratum sensum admittant, ex quo, videlicet, intelligatur, Christum revera tantam potestatem non habere: ut exempli causa, cum ipse Christus ait Joh. 5. 22, & 23, Patrem non judicare quemquam, sed omne judicium filio dedisse, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Quæ verba adeo aperte, atque (ut sic dixerim) significanter divinam illam supremamque potestatem Christo tribuunt, ut figurato isti sensui nullus prorsus locus esse possit, ac necesse sit, ne Deus Pater à gubernatione Ecclesiæ & à judiciis in eos exercendis, quibus Christus patefactus fuerit, penitus excludatur, utque sua ei prærogativa hac in re conservetur, caute verba ista Christi interpretari; ut, scilicet, non intelligamus, Deum potestate & munere judicandi jam se ipsum exuisse, sed tantum jam non ex persona sua, seu per seipsum, sed ex persona filii, seu per filium ista exercere.

Interrog.

Quomodo vero verba quæ de judicando tantum agunt, pro aperto testimonio potestatis simpliciter accipis? Aut quid vetat, quominus in istis Christi verbis voces judicandi & judicii ad munus tantummodo & actionem ferendæ sententiæ accommodentur, prout ipsæ sonare videntur, & ad illam auctoritatem Christi referantur, qua in ultimo illo die mundum judicaturus est?

Respon.

Voces judicandi & judicii Hebraica phrasi regimen & gubernationem cum imperio conjunctam significare posse, nemo nescit. Hinc enim, ut cætera omittam, ii qui cum imperio, regendis & gubernandis populis præsunt, dicuntur judices terræ, hacque appellatione significantur, ut Psal. 2. 10, & Deus ipse ob rectionem totius orbis, quam cum summo imperio conjunctam habet, judicis universæ terræ nomine describitur Gen. 18. 25. Quod vero in hunc sensum voces istæ in Christi verbis accipi debeant, & non munus tantum ipsamque actionem ferendæ sententiæ declarent, multo autem minus ad solam auctoritatem mundum ultimo illo die judicandi sint referendæ, probant manifeste, quæ statim sequuntur à me jam citata verba, *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*; præsertim cum addatur, *qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Hoc enim aperte docet, hic agi de honore, qui jam Christo reipsa ac plene exhiberi debeat, & consequenter de causa hujus honoris, quæ jam reipsa ac plene adsit; illud vero demonstrat, id, propter quod sibi à Patre datum, Christus so honore ab o[illegible]ous affici debere affirmat, esse rem omnium, quæ in ipso Patre sint, ab ipsoque ullo modo dari alicui possint, maximam & præstantissimam. Alioqui perperam inde colligeretur, honorem istum debere esse similem illi, quo Pater ipse afficitur. Quamobrem necesse est, omne istud judicium, quod sibi à Patre datum fuisse Christus ait, esse (prout ipsam judicii vocem ferre docui) omnium ad ipsius Christi regnum quovis modo pertinentium hominum (de his enim sine dubio Christus loquitur) gubernationem cum summa potestate atque imperio conjunctam, & qualem ipse Pater habet, qui nunc eam, ut dictum fuit, non ex sua persona seu per se ipsum, sed ex persona Christi, & per Christum exercet.

Interrog.

Quænam sunt alia hujus supremæ Christi potestatis testimonia, quæ figurate accipi nequeant?

Respon.

Pleraque, ut dixi, sunt ejusmodi. Pro quibus omnibus esse potest ipsum Christi nomen, quo, ut ante docui, regnum potissimum significatur, quod Christus habet. Regnum enim sine plena atque absoluta potestate consistere non potest.

Interrog.

Sed an non potest nomine isto significari regnum non quod jam Christus reipsa habeat, verum, quod aliquando certo sit habiturus?

Respon.

Nullo prorsus modo; cum scriptura testetur, Christum jam consedisse in solio Patris sui, & ad ipsius Dei dexteram esse Apoc. 3. 21. Rom. 8. 34. Quæ sessio ad Dei dexteram expresse præterea supremam illam potestatem, quam Deus non jam per se ipsum, sed per Christum exerceat, nobis ob oculos ponit, ac mirifice cum testimonio illo jam à me explicato consentit, quod Pater non judicet quemquam, sed omne judicium dederit filio, ab eoque simul aperte quid ipsa sit declaratur; si quis tamen sit, qui ipse per se non clare perspiciat, dexteram locum honoratiorem significare.

Interrog.

Num igitur Christus in honoratiore loco, quam ipse Deus nunc sedet?

Respon.

Non quidem simpliciter, sed tamen aliquo modo, atque ut loquuntur, secundum quid, quatenus, scilicet, ut dictum fuit, jam non ipse Deus ex persona sua, sed Christus Ecclesiam gubernat, in eaque divina judicia

judicia exercet. Nam & Paulus Apostolus de Christo ita loquitur 1 Cor. 15. 24, & 28, ac si nunc Deo subjectus non sit, sed ipse Dei loco regnet. Id quod similiter præsentem ac veram Christi divinam & supremam in nos potestatem atque imperium declarat. Alia sacra testimonia missa facio de Christi summa illa potestate Matth. 28. 18. Ephes. 1. 22, &c. & Apoc. 5. 12, quæ ita expresse illam nobis proponunt, ut nulla ratione figurate accipi possint, vel cum veris Christi pro nobis ad Deum precibus, veroque ac proprio ipsius perpetuo sacerdotio convenire, illa enim, si non aliam ob causam, certe propter hactenus à me dicta, ejusmodi esse jam per se intelligere poteris.

Interrog.

Spero equidem ita fore. Venitque nunc in mentem potissimum illius loci, quem ob ejus non minorem brevitatem, quam miram quandam (ut sic dixerim) prægnantiam, recitare libet Hebr. 1, ubi videlicet dicitur de Christo seu filio Dei sedente ad dexteram Majestatis in excelsis, *Portansque omnia verbo virtutis suæ*, id est, moderans omnia potente suo jussu. Sic enim partim ex interpretatione & annotatione Erasmi, partim ex quodam Scholio in Bibliis Vatabli hunc locum accipio. Quid vero tibi hac de re videtur?

Respon.

Totum istud plane approbo.

Interrog.

Jam quid apertius ad ostendendam verissimam ac summam illam Christi in Ecclesia universa potestatem? Sed numquid aliam præterea rationem habes demonstrandi, testimonia, de Christi potestate proprie, non autem figurate accipienda esse?

Respon.

Habeo sane: ac præsertim ostendendo, non ita subesse posse causam, cur, si Christus potestatem istam revera non habet, dicere Spiritus Sanctus nihilominus potuerit, eum illam habere, ut docui subesse, etiamsi illam revera habeat, cur tamen scriptura ita aliquot in locis loquatur, ac si Christus precibus adhuc à Deo impetraret ea, quæ nobis largitur. Unde omnino consequitur, non quidem illa, sed hæc sacra testimonia figuratum loquendi modum continere.

Interrog.

An non potest hæc causa subesse, ut scilicet certi essemus, per Christi preces nos ea, quæ à Deo petimus, obtenturos, non secus, ac si in ipsius Christi plena atque absoluta potestate esset ea nobis dare?

Respon.

Summa ac singularissima dilectio & amor, quo Deus Christum prosequitur, ut universa scriptura testatur, ac supremus honoris & dignitatis apud se gradus, quo illum affecit, in suo ipsius solio ad suam dexteram illum collocando, quod toties in divinis testimoniis repetitum aperte est, præter ipsius Christi, dum adhuc mortalis in terris degeret, clarissimum dictum, quod Pater ipsum semper audiat Joh. 11. 42, satis superque esse poterant ad penitus persuadendum, fieri non posse, ut, si Christus nunc Deum pro nobis aliquid roget, ejus preces ulla ratione sint irritæ. Martha sane, Joh. 11. 22, quamvis nondum Christus glorificatus esset, & sic nondum potiora argumenta summæ auctoritatis ipsius apud Deum haberentur, ausa nihilominus tamen est ipsi Christo dicere, se scire, quod quæcumque ille à Deo petiisset, Deus ei daturus esset. Quare nihil erat, cur cum tanto idololatriæ inter Christi fideles exituræ periculo, Spiritus Sanctus summam illam potestatem Christo tribueret, si eam revera non haberet.

De Christi invocatione & adoratione.

Interrog.

Cujusnam idololatriæ?

Respon.

Nempe Christum majore honore afficiendi, quam illi deberetur, eoque plane divino, ab ipsoque ea petendi, quæ à solo Deo peti possent ac deberent.

Interrog.

Quomodo igitur sunt accipienda illa ipsius Christi repetita verba Joh. 14. 13, & 14? *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Nam videtur omnino Christus, dicere, se esse facturum id, quod à Patre in nomine ipsius petitum fuerit. Quandoquidem post verbum *petieritis* subaudiendum videtur *Patrem*, ut & habent expresse quædam Latina exemplaria, & infra in ejusdem Christi similibus verbis diserte legitur Joh. 15. 16; 16. 23. Ubi etiam id quod dixerat prius se facturum, Patrem ipsis petentibus daturum ait. Unde consequi videtur, scripturam figurato isto loquendi modo uti, ut scilicet dicat, Christum id faciendi potestatem habere, quod tamen non ipse revera, sed ipsius seu precibus seu gratia interveniente, Deus facit. Namque in Christi nomine à Patre petere, aliud nihil videtur esse, quam in nostris ad Patrem precibus eum orare, ut hac in re Christi rationem habere velit, qui sive tacite sive aperte interpellat pro nobis.

Respon.

Itaque, ut video, propter verba ista in prioribus duobus locis a Christo dicta, præsertim si cum iis conferantur quæ in posterioribus dixit, dubitas, ne recte dici possit, nihil absurdi in eo esse, si testimonia de divina illa & summa Christi potestate, de ejusdem pro nobis apud Deum interpellatione ac precibus; quibus nihil nobis non impetret, intelligantur.

Interrog.

Sic prorsus est. Jam quo pacto me hac dubitatione liberas?

Respon.

Primum considerandum tibi est, rationes, quas attuli, cur testimonia divinam illam summamque potestatem Christo tribuentia, non figurate sed proprie accipi debeant, ejusmodi esse, quæ & nos ita sentire plane cogant, nec istis, quæ dicis, quidquam attingantur, nedum labefactentur. Deinde ratiocinationem tuam universam minus firmam esse, propter illa ipsa quæ paullo ante dixi, cum explicui figuratum loquendi modum, cum Christus interpellare pro nobis dicitur, & noster æternus sacerdos esse. Ut enim prærogativa illa Patris, de qua dictum, perpetuo illæsa maneat, voluit ipse Christus ita loqui, ut ea, quæ se facturum & daturum esse, & sciebat & affirmabat, ab ipso Patre fieri & dari censerentur. Quemadmodum sane æquissimum est ut censeatur, cum inde omnis faciendi & dandi potestas, præsertim vero ac nominatim verè divina illa, qua Christus præditus est, proficiscatur. Nam quod dicebas, cum Christus ait, se facturum, quicquid discipuli petiissent in nomine ipsius, post petendi verbum omnino Patrem subaudiendum videri, etiamsi hoc tibi concedatur, non tamen hinc sequitur, figurate id dictum à Christo fuisse, cum inquit, se facturum. Nihil enim obstat, quominus ea à Christo fiant, quæ petuntur ab ipso Patre; qui videlicet ista quidem, ut is à quo petuntur, faciat, sed interim tamen per Christum. Præterea ex eo, quod Christus vel dixerit, vel dicere voluerit, ista à Patre peti, ne id quidem sequitur, eum non intellexisse ea eodem tempore à se peti, quæ ab ipso nominatim petantur. Est enim Christus Patri subordinatus, cum, ut dictum fuit, omnem suam potestatem ab illo acceperit, eamque pro eo exerceat, atque una cum ipsa totus perpetuo ab illo pendeat; ita ut necesse sit, quidquid, hac subordinatione inspecta (neque enim aliter licet) quantumvis nominatim atque expresse, à Christo petitur, id eadem opera à Patre peti. Hæc est enim subordinationis constantissima natura, ut omnia, quæ subordinato ipsius subordinationis gratia, tribuuntur, ad eum cui subordinatus est, referantur. Adde, quod illa Christi, quæ commemorasti, repetita verba, secundo loco

ad hunc

ad hunc modum in vulgata Latina editione leguntur, *Si quid petieritis me in nomine meo hoc faciam.* Cui lectioni astipulatur interpres Syriacus, unde etiam necessario sequitur, non deesse, aut certe olim non defuisse Græcos codices eandem lectionem habentes.

Interrog.

Sed annon plane inepta censenda est lectio ista, & propterea penitus rejicienda? Quid enim ineptius, quam dicere, ab aliquo peti in nomine ejusdem ipsius à quo petitur? Numquid non necesse est, ut alius sit is à quo, & alius, in cujus nomine quidpiam petatur?

Respon.

Ut ad hoc respondeam necesse est prius inspicere, quid significet locutio ista: In nomine alicujus petere, & interim atque adeo ante omnia de tua interpretatione ejusdem locutionis agere. Quod unum mihi faciendum restat ad tuam ratiocinationem prorsus examinandam, ut eam universam minus firmam, quemadmodum professus sum, esse ostenderem. Dico igitur, interpretationem istam tuam, quod petere Patrem in nomine Christi, aliud nihil esse videatur, quam petere à Patre, cum eum aliquid rogamus, ut hac in re Christi pro nobis interpellantis rationem habere velit, nec verbis ipsis consentaneam, nec satis per se congruam videri posse. Non est quidem verbis ipsis consentanea; quia potius dicendum videtur, interpellantem pro aliquo, dum id facit, in nomine illius petere pro quo interpellat, quam, ut ullo modo dici possit eum, qui petat, ut interpellantis pro se ratio ea in re habeatur, dum id facit, in nomine ipsius pro se interpellantis petere. Per se vero interpretatio ista minus congrua censeri debet, cum nequaquam sit verisimile Christum discipulos suos monuisse, idque valde obscure, ut Deum aliquid orantes, petant, ut ipsius Christi pro ipsis interpellantis, ea in re ratio habeatur; tum quia satis fuisset ut eos simpliciter ac diserte moneret, se pro illis interpellaturum, quo persuasum illis esset, ipsorum preces non inanes futuras (hic enim in monitione ista Christi scopus sine dubio erat) tum vero, quia plane impium videtur à Deo petere, ut Christi pro nobis interpellationis rationem habeat; nisi velimus, Christum, non quidem ex decreto & ordinatione ipsius Dei, sed sua tantum ipsius sponte munus pro nobis interpellandi obire. Quod nemo, arbitror, dicturus est, qui animadverterit, munus istud, ut antea dictum est, sacerdotalis muneris partem esse, Christum vero nostrum sacerdotem, non quidem sua ipsius sponte, sed ex Dei decreto atque ordinatione extitisse Hebr. 5. 5.

Interrog.

Agnosco, interpretationem istam meam defendi non posse; nisi fortasse, si pro concesso sumatur, Christum veris & proprie sic dictis precibus nunc apud Deum pro nobis interpellare, quod hoc loco nimis absurde fieret, cum hoc illud ipsum sit, de quo hic ambigitur. Nam si hac de re alioqui aperte constaret, fortasse posset locutio ista, petere in Christi nomine, huc ea ratione, qua à me fiebat, accommodari. Omissa igitur interpretatione mea, quomodo tu locutionem istam interpretandam censes?

Respon.

Varia omnino & multiplex est in Sacris Literis significatio hujus locutionis, facere aliquid in nomine alicujus, prout illud est quod fieri dicitur, adeo ut vix credam, istas omnes significationes ad unum aliquod caput seu genus, nisi admodum ipsarum singularum respectu remotum, commode referri posse; unde summa difficultas deprehenditur, in ea plerisque in locis recte, atque ita, ut nihil dubii supersit, vel explicanda vel etiam percipienda. *Verumtamen* quid hæc ipsa locutio, de qua agimus, petere in nomine Christi, proprie significet, videtur ex illis ipsis locis intelligi posse, ubi illa habetur. Non habetur autem, nisi fallor, alibi, quam in eo ipso Christi sermone ad discipulos suos apud Johannem. Sed nec, in cujuspiam alterius nomine, petitionis, usquam alibi, ut arbitror, diserte mentionem fieri invenietur, sed tantum invocationis; qua de re postea. Nunc videndum est, quid lucis nobis suppeditent ad obscuram alioqui hanc locutionem intelligendam ea loca, in quibus illa legitur, & potissimum inspiciendum, an ex ipsis primis locis aliquid claritatis haberi possit. Admodum enim verisimile est, Christum obscuritatem hujus suæ locutionis, cum primum illa uti cœpit, aliqua ratione minuere voluisse, ita videlicet, ut & tunc, & deinceps, ubi ea usus fuisset, percipi ejus sensus aliquo modo posset. Videtur autem id plane præstitisse, cum in ipso primo loco dixit, se facturum ea, quæ in ipsius nomine petita fuissent. Hoc enim indicat, in Christi nomine petere, aliud nihil re ipsa esse, quam ab ipso Christo petere, ut scilicet, ab eo in cujus potestate sit, id facere quod petitur. Quanquam enim, ut antea indicatum est, nihil vetat, Christum ea facere, quæ non ab ipso, sed à Patre ejus petantur, tamen loquendi ratio & usus postulat, ut cum quis aliquid se facturum affirmat, quod petitum fuerit, intelligatur, id ab ipso petendum esse.

Interrog.

At quomodo ad id respondes, quod paullo ante dixi, alium debere esse eum, à quo petitur, & alium cum in cujus nomine petitur? Hinc enim cum Christus is sit, in cujus nomine petitur, potius concludendum est, nullo pacto statui posse, Christum eum esse, à quo petatur?

Respon.

Jam istuc ibam, & exemplo similis locutionis confirmare volebam, interpretationem, quam attuli hujus, de qua quæritur, nihil absurdi continere; atque eadem opera docere, regulam istam tuam, licet probabilis videatur, non tamen esse veram. Similis autem locutio ea est, quam modo subobscure commemorabam, videlicet, invocare in nomine alicujus, nempe Dei, quæ omnino significat invocare ipsum Deum, ut loca, ubi illa invenitur, per se ipsa aperte docent, Gen. 12. 8. Exod. 34. 5. Joël 2. 32. Quemadmodum igitur idem invenitur esse is, in cujus nomine invocatur, cum eo qui invocatur; sic agnoscendum est, eundem esse posse eum, in cujus nomine petitur, cum eo, à quo petitur. Nam si dixeris, in hac petendi locutione nostra, alibi expressum esse, quis sit is à quo petitur, præter eum in cujus nomine petitur, nempe quod sit Pater, id quod numquam fieri contingat in locutione illa invocandi; ad hoc antea respondi, cum de subordinatione Christi ad Patrem sum locutus. Ea enim efficit, ut eodem tempore, cum à Christo petitur, ab ipso Patre petatur; & propterea rectissime dici possit, peti à Patre in nomine Christi, quamvis petere in nomine Christi, significet petere nominatim ab ipso Christo, ita ut integre ista locutio, petere quidpiam Patrem, id est, à Patre, in nomine Christi, quam bis, ut ab initio ipse indicasti, Christus expresse usurpavit Joh. 15. 16, & 16. 23, ad hunc modum explananda videatur, petere quidpiam à Patre, verba ipsa petitionis nominatim ad Christum dirigendo. Jam igitur conjicere potes, vulgatam illam Latinam & Syriacam lectionem, quæ facit, Christum dicentem Joh. 14. 14, *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*, non esse ineptam, aut saltem non ob illam caussam, quam ipse afferebas, quod scilicet necesse sit, diversum esse eum, in cujus nomine petitur, ab eo à quo petitur.

Interrog.

Atqui, si non ob istam caussam, ob hanc certe inepta censenda erit, quod indicet à Christo aliquid peti posse, sed non in nomine ipsius. Quod tamen falsum esse puto, si interpretatio tua eorum verborum *in nomine meo* recipienda est. Nulla enim ratione videtur fieri posse, ut à Christo aliquid petatur, nisi petitionis verba ad ipsum Christum dirigantur. Quid tu hic respondes, qui omnino videris lectionem istam non improbare?

Respon.

Reſpon.

Non improbo quidem. Nec ſane id facere auſim propter eas cauſas, quas attuli, cum ejus primum mentionem fieri, quod ſcilicet apud duos valde antiquos interpretes in duabus diverſiſſimis linguis inveniatur, quodque hinc conſequatur, eam in ipſo fonte, unde interpretationes iſtæ ſunt derivatæ, ſecundum alique exemplaria, olim inventam fuiſſe. Non tamen illam plane probo, aut probare poſſum, cum hodie nullum fortaſſe Græcum exemplar illam habeat, & inveniantur Latini manu ſcripti & antiqui codices, qui illam ſimiliter non habent. Verumtamen, ut ad id reſpondeam, quod adverſus ipſam attuliſti, cum, quod ei objicis, omnem ſuam vim ſumat ex interpretatione mea illorum verborum, *in nomine meo*, id haud ſatis firmum videtur. Nam facile poterit alia interpretatio afferri, quæ nullum locum iſti objectioni relinquat, & interim eandem ferme ſententiam, quam jam allata, contineat. Et ſane, quum vox, *nomen*, potentiæ aut poteſtatis ſignificationem habere deprehendatur, apud ſacros ſcriptores Joh. 17. 11, & 12. Epheſ. 1. 21. Hebr. 1. 4, idque in ipſo Novo Teſtamento, poſſunt verba *in nomine meo* ita accipi; ac ſi dictum fuiſſet *in poteſtate mea*, ut in Chriſti nomine petere, ſignificet, petere confidendo poteſtati Chriſti, ſeu mavis, propter poteſtatem Chriſti. Ut in Pſal. 18. 10, 11, & 12, illud ter repetitum *in nomine Jehovæ excidam eos*, idem omnino eſſe videtur, quod, Jehovæ potentiæ confiſus, ſeu propter Jehovæ potentiam excidam eos. Locum ſimilem habes Pſal. 44. 6, & alios alibi in iiſdem Pſalmis. Quare in illis Chriſti verbis recte legi poteſt pronomen illud me, *ſi quid petieritis me, in nomine meo*. Nam certe rectiſſime locutus fuiſſet Chriſtus, ſi dixiſſet, ſi quid petieritis me, confiſi potentiæ ſeu poteſtati meæ, ſive propter potentiam ſeu poteſtatem meam. Itaque vides, per hanc alteram interpretationem, quæ eandem ſententiam continet, quam prior, omnem vim tuæ objectionis evaneſcere. Quanquam poteſt ipſa etiam priore interpretatione retenta, quæ mihi maxime probatur, ab iſta tua objectione lectio illa defendi, & in Chriſti verbis pronomen illud *me* haberi: hoc videlicet ſenſu, ut moneantur diſcipuli petere à Chriſto, non ut ab eo, qui tantum impetrare id poſſit quod petitur, ſed ut ab eo, quid id facere ipſe poſſit; id quod tunc fit, cum ab ipſo ut nominatim, ſic etiam ſimpliciter aliquid petitur. Hoc autem ſecundum priorem interpretationem, ſignificatur vocibus illis in nomine meo, additis pronomini *me*, quod per ſe ipſum id non omnino exprimit. Quod ſi lectio iſta defendi poteſt, jam habemus alterum argumentum ex ipſis locis, & quidem ex primis duobus ubi illa invenitur, quod locutio iſta, petere in nomine Chriſti, ſignificet, verba petitionis ſuæ ad ipſum Chriſtum dirigere, & ab ipſo Chriſto, ut ab eo, qui id efficiendi aut dandi poteſtatem habeat, aliquid nominatim petere. Ubi etiam notandum eſt, in hoc ſecundo loco repeti verba illa primi loci, *hoc faciam*, unde prius argumentum deduximus. Hæc enim repetitio demonſtrat, rem eſſe magni ponderis, & Chriſtum voluiſſe eam mentibus diſcipulorum penitus inhærere: nec figurate ſed proprie verba iſta ab ipſo prolata fuiſſe.

Interrog.

Poſſuntne adhuc alia argumenta ſignificationis locutionis iſtius ex ipſis locis duci, ubi ille invenitur?

Reſpon.

Poſſunt, ſine dubio, ex reliquis locis aliæ rationes colligi, unde oſtendatur, locutionem iſtam id omnino ſignificare, quod diximus, & quidem ex illis ipſis, ubi diſerte Patris, à quo in Chriſti nomine petatur, quique det, quod petitur, mentio fit; ſi diligenter omnes tam locorum iſtorum, quam eliorum circumſtantiæ conſiderentur. Ex quibus apparet, Chriſti mentem ubique fuiſſe, de futura ſua poteſtate diſcipulos ſuos commonefacere, eamque illis commendare, ut nihil dubitarent, mox futurum tempus, cum ea, quæ prius à ſolo Patre nominatim peti poterant, ita ab eodem Patre peti poſſent, ut interim tamen nominatim ab ipſo Chriſto peterentur, cum firmiſſima ac certiſſima ſpe impetrandi, quidquid hac ratione petitum fuiſſet, non minus, quam ſi ab ipſo Patre nominatim petitum foret.

Interrog.

Hæc tua verba me monent, ut te quidpiam interrogem, quod prius interrogare debueram, idque locutionis, de qua adhuc agimus, interpretationi tuæ objicere; ut nunc ſimul ipſi, ſimul iiſdem his tuis verbis ſum objecturus. Nam dic, rogo te, an non jubentur diſcipuli à Chriſto iſtis in locis petere in ipſius nomine? An non conſequenter aliter unquam fieri nequit? Quomodo igitur tu ita loqueris, ac ſi peti poſſit quamvis non in Chriſti nomine? Aut quomodo tua interpretatio ſuſtineri poteſt, quæ vult in Chriſti nomine petere, ſignificare ab ipſo Chriſto nominatim ac ſimpliciter petere, quod tamen non facere ſæpe poſſumus? Nam ſane perpetuo ab univerſa Chriſti Eccleſie & ab ipſis Apoſtolis uſu comprobatum fuit, ut potiſſimum ad ipſum Chriſti Patrem nominatim & ſimpliciter precum verba dirigerentur.

Reſpon.

Nego, Chriſtum iſtis in locis quidquam præciſe juſſiſſe; ſed tantum diligenter monuiſſe etque adhortatum fuiſſe, contendo.

Interrog.

Atqui Paulus Apoſtolus tamen præciſe jubet, Coloſ. 3. 17, ut omnia à nobis in Domini Jeſu nomine fiant. Qua ratione igitur contendere potes, ubi ipſe Dominus Jeſus agit de petendo in nomine ſuo, eum nihil præciſe juſſiſſe?

Reſpon.

Propterea id nihilominus jure contendere poſſum, quod in iſto Pauli loco hæc locutio in Domini Jeſu nomine, aliud ſignificat, quam in ipſius Domini Jeſu verbis, de quibus agimus. Quid apud Paulum ſignificet omnie facere in Domni Jeſu nomine, tunc explicari poterit, cum de Chriſti præceptis loquemur. Nunc pergamus in eo quod inſtitueram, & amplius confirmemus, apud Johannem in Chriſti verbis, petere in ipſius Chriſti nomine id ſignificare, quod diximus; & omiſſa diligentiore explicatione circumſtantiarum ipſorum omnium locorum, quas diximus id ubique aperte indicare, (nam nimis longum id eſſet) poſtremum duntaxat locum, ubi locutio iſta habetur, aliquanto accuratius perpendamus. Sic igitur Chriſtus ad finem illius ſui ad diſcipulos ſermonis, ait Joh. 16. 25, *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annunciabo vobis, in illo die in nomine meo petetis.* Vocat Chriſtus annunciare de Patre, nota ea facere, quæ ad Patris voluntatem de ſe, & de myſterio ſalutis noſtræ per ipſum Chriſtum pertinebant, & ſic gloriam ſuam, id eſt, majeſtatem & poteſtatem, jam ſibi propter ſalutem noſtram à Patre decretam, patefacere; quod facturum ſe affirmat, & non ſubobſcure tantum ſuam apud Petrem auctoritatem indicaturum, quemadmodum proxime fecerat, inquiens Joh. 15. 16, (ut & antea, ſed ibi nec ita ſimpliciter, nec cum tanta aſſeveratione) omnino fore, ut quidquid petiiſſent Patrem in ipſius nomine, is illis daret. Ubi id, quod dixi, ſe facturum affirmavit, ſtatim ſubjicit, tunc futurum, ut in ipſius nomine petant; quod aliud nihil eſſe poteſt, quam, ubi cognoverint ac perſpexerint ipſius divinam ac ſumam illam poteſtatem à Patris decreto proficiſcentem, eos plane auſuros ab ipſo nominatim ea petere, quibus opus habeant.

Interrog.

Sed cur non poſſunt Chriſti verba ita accipi, ut dicat, ubi diſcipuli animadverterint, quanta ſit ipſius Chriſti gratia epud Patrem, tunc eos auſuros propter ipſum Chriſtum à Patre omnia petere?

Reſpon.

Scio equidem interpretationem iſtam pleriſque probari,

probari, eamque fateor videri ut simplicem atque expeditam, sic etiam ad ipsum locum accommodatam; ac præterea ex locis illis Psalmorum à nobis antea citatis & indicatis, aliisque similibus, admodum verisimile fieri, *in nomine*, idem significare, quod propter. Verumtamen quidquid de locis istis omnibus statuendum sit, mihi videtur, necesse esse, ut in loco nostro & aliis ejusmodi, quæ præcedunt, in nomine, aliud significet, quam propter. Etenim si propter Christum petere, interpretemur petere, quia Christus pro nobis interpellet, jam hoc neque ipsis verbis nec rei convenire, ante docui. Sin vero ita interpretemur (quemadmodum ii quidem faciunt, qui idem esse ajunt petere in Christi nomine, quod petere propter Christum) ut vox propter significet gratiam, qua Christus pollet apud Patrem (quod & ipse tua interrogatione es complexus) seu, ut alii loquantur, merita ipsius Christi apud Patrem; animadvertendum est, Jesu Christi sive gratiam sive merita apud Deum, quemadmodum nullum pondus habent, nisi ratione illorum hominum, qui ad ipsum Christum pertinent, sic omne pondus, ratione istorum jam per se habere: nec quidquam esse opus, ut aliquid præterea ex parte ipsorum accedat, utve ipsorum preces ad Deum seu Patrem alia forma concipiantur, quam antea conciperentur, in illisque istius gratiæ sive istorum Christi meritorum mentio fiat. Quod præter ipsam apertissimam rationem demonstrari potest ex ipsa oratione, quam ad Patrem habere ipse Christus suos discipulos jussit, quæque in perpetuo ac frequentissimo usu ab ipso Ecclesiæ Christi initio hactenus fuit, & porro usque ad finem sæculi futura est; in qua nihil prorsus habetur de gratia seu de meritis Christi apud ipsum Patrem. Si Christus in locis istis, ubi de petendo in nomine suo agit, suam gratiam suave merita apud Deum intelligere voluisset, nihil erat opus ita loqui, ut appareat, ipseque profiteatur, se novum quendam orandi modum docere; sed satis, vel potius opus omnino erat discipulos monere, ut plane studerent esse ipsius, ad ipsumque pertinere. Sic enim fore, ut quidquid petiissent à Patre, id etiam impetrarent.

Interrog.

Atqui, si Christi mens fuit dicere, discipulos in illo die, cum scilicet divinam ipsius Christi potestatem bene cognitam habuissent, ab ipso nominatim petituros quicquid opus illis esset, quid sibi voluit, cum illico ea verba subjunxit, *Et non dico vobis, quod ego rogaturus sim Patrem pro vobis, ipse enim Pater amat vos, &c.* Quid enim commune habet, quod discipuli ab ipso Christo nominatim petant, cum eo, quod Christus pro ipsis Patrem rogat?

Respon.

Jam antea conclusum est, quicquid scriptura loquitur de precibus Christi pro nobis ad Deum, id figurate dictum esse, istaque loquendi ratione significari Christi in nobis juvandis potestatem, & si tanta est, ut jam nihil sit opus, ut Deum Patrem suum pro nobis roget, universam tamen sicut ab ipso Deo & Patre profecta est, sic ab eodem perpetuo pendere, ita ut cum Christus aliquid nobis sive sua sponte, sive à nobis rogatus, nobis largitur, perinde omnino censendum sit, ac si tunc id suis precibus à Patre suo impetrasset. Optime igitur, postquam Christus indicasset, fore, ut ejus discipuli aliquando auderent ab ipso nominatim petere quibus indigerent, ad prærogativam illam Patris de qua antea locuti sumus intactam interim conservandam, quamvis in eodem proposito perrecturus, precum suarum pro illis ad Patrem mentionem fecit, & hunc posteriorem loquendi modum, qui figuratus est, illi priori petendi in ipsius nomine, qui obscuritate quadam sua cum figurato isto convenit, subjungere voluit. Ita ut hic tropo, illic velo detracto, ad hunc modum sint verba Christi per pleniorem quandam paraphrasim explananda. Ubi vobis sine ullis integumentis patefecero omnem Dei Patris mei voluntatem atque consilium de me, & de ratione per me salutis vestræ; tunc sine dubio, animadvertentes divinam ac summam potestatem meam, mirifice lætantes audebitis à me ipso nominatim petere, quæcumque vobis fuerint opus. Quanquam non est quod vobis dicam, vosque commonefaciam de suprema illa potestate in ea omnia, quæ ad vos quocumque modo pertinere possint, deque peculiari ac perpetua cura de vobis, quam mihi in cœlum ad se translato Pater meus daturus ac demandaturus est, ut, scilicet, cum videatis vos mihi tantopere esse caros, persuasum plane vobis sit, nihil vobis unquam defuturum. Jam enim ipsi Patri meo, qui fons omnium bonorum est, carissimi estis, adeo ut ad illum recta semper accedere nihil sit cur vereri aut debeatis, aut ullo modo, rei ipsius veritate inspecta, possitis. Hic, procul omni dubio, ut plenus sic verus est sensus illorum Christi verborum.

Interrog.

Cur igitur nihilominus Christus ea commonefactione est usus, si ipsemet illa nihil opus esse ait?

Respon.

Tametsi, proprie loquendo, Christus hoc ipso in loco, etiam secundum ipsam explanationem meam, nulla commonefactione est usus, sed tantummodo prædixit, quid facturi essent discipuli, ubi id animadvertissent, de quo ut commonefierent, opus non fuisse mox affirmavit; tamen quia nihilominus & hic aliquo modo dici potest, illum commonefactione ista usum fuisse, & alibi supra in hoc ipso sermone suo (si modo ejus verba ita accipiantur, ut ego accipienda censeo) ea plane est usus, ubi, videlicet, vel dicit, se facturum, quæ in ipsius nomine petita à suis discipulis fuissent, vel eosdem discipulos monet, ut petant in ipsius nomine, fore enim ut accipiant, vel denique quidquid Patrem in ipsius nomine rogaverint, id illis eum daturum ait. Dico animadvertendum esse, Christum non prorsus & absolute negare voluisse, discipulos non indigere commonefactione ista; id est, ut monerentur de summa illa Christi potestate, & de cura perpetua quam ipsorum habiturus esset; sed tantum (ut jam indicavi) si rei veritas inspiciatur; quæ est, quod illi sunt ipsi Deo & Patri supra modum cari. Verum cum fragilitas humana, & infinita quædam inter Deum & hominem naturæ ac conditionis distantia, præter id quod Deus non conspicitur, non permittat, ut ipsi hoc plane percipere & mente per fidem perfecte comprehendere possent; sicut amorem Christi, qui homo, ut ipsi, erat, quique illis erat conspicuus & familiaris, erga se summum, ipsis quodammodo sensibus plane percipiebant ac comprehendebant; propterea tali commonefactione non parum indigebant, & propterea Christus in eo sermone, ubi eos de multis ante discessum suum monere voluit, eam non omisit, sed aliquoties repetiit, quamvis sub involucro semper aliquo verborum; quod mox per Spiritum Sanctum, quem ad eos missurus erat, penitus auferri debebat.

Interrog.

Plurimum lætor, mea illa dubitatione & interrogatione de verbis Christi Joh. 14. 13, *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam*, ex quibus mihi videbatur posse statui, quod de Christo dicatur, eum potestatem habere illa faciendi, quæ suis nunc precibus veris ac proprie sic dictis à Patre impetret, factum esse, ut una cum pleniore confirmatione veræ ac summæ illius potestatis ipsius Christi, quæ cum ejusdem veris precibus consistere nequit, explicatum habeam, quid sit petere in Christi nomine, ac præterea occasione hujus tantæ rei explicandæ, & mihi hic quoque addubitanti plenius hac in re satisfaciendi, indicatum à te animadverterem locum, unde intelligi possit, quid illud sit, unde tota hæc fluxit disputatio, nempe quod Christus nunc in cœlo pro nobis interpellat, locum, inquam, illum, de quo postremo te interrogavi, ubi Christus, postquam dixisset, discipulos in illo die petituros in ipsius nomine, statim addidit, se non dicere, quod rogaturus sit

sit Patrem pro ipsis; cujus loci summa alioqui difficultas nulla alia ratione melius tolli posse videtur, quam si interpretemur preces istas suas ad Patrem, quarum Christus eo modo, quo dictum est, mentionem facit, aliud nihil esse, quam perpetuam curam, quam de suis, in cœlo manens, habiturus esset, cum summa potestate conjunctam illis largiendi, & propter ipsos faciendi, quidquid opus illis foret. Ut quidem nos interpretari debere satis videris docuisse. Verum, habesne præterea aliquod aliud sacrum testimonium, ubi Christi precum fiat mentio, ex quo ostendi possit, illas id significare, quod dicis, non autem id, quod verbum ipsum sonat?

Respon.

Habeo sane quoddam idque valde insigne. Sed antequam illud proferam, confiteor de duobus te monendum esse: unum est, quod, etsi de petendo nominatim ab ipso Christo, ut ab eo qui ea ipse facere dare-ve possit, quæ petimus, satis dictum ac disputatum à nobis fuisse videri potest; tamen quædam adhuc maximi momenti dicenda atque explicanda supersunt ad hoc ipsum, sive ad Christi invocationem spectantia, de quibus agendum erit, cum ad Christianæ religionis præcepta explicanda tuis interrogationibus sine dubio me adduces. Alterum est, ut caveas, ne fortasse tibi suspectam reddat interpretationem nostram locutionis petendi in nomine Christi id, quod ipse Christus in eodem illo suo sermone dixit discipulis suis Joh. 16. 24. *Usque modo non petiistis quidquam in nomine meo: Petite & accipietis.* Neque enim verum erat, discipulos antehac nihil nominatim ab ipso Christo petiisse, immo petierant non semel, & quidem res ejusmodi, quæ divinam aliquam potestatem, ut efficiantur, requirunt, veluti cum petierunt, ut adderet, sive adaugeret ipsis fidem, & cum rogarunt, ut se in navicula pereuntes servaret Luc. 17. 5. Matth. 8. 25. Nam si excepero, Christum loqui de petitione, quæ propria est sacrarum precum, ubi is, à quo petitur nusquam apparet, ac nihilominus exaudire precantes, illisque statim quæ petunt concedere posse creditur: ne sic quidem videor posse à vi istorum Christi verborum meam sententiam defendere de significatione ejus locutionis; cum omnino videatur Christus suis istis verbis indicare, discipulos jam potuisse antehac petere in nomine ipsius, & dum adhuc inter ipsos præsens ac conspicuus versatus fuerat, eosque monere, ut jam petant, neque diutius id facere omittant, ut hactenus præ ignoratione fecerant. Unde sequitur necessarium esse, ut petere in nomine Christi aliud sit, quam ab ipso Christo petere, si Christi verba de ejusmodi sacris precibus sint accipienda, cum nondum vel fuisset vel esset locus talibus ad ipsum Christum discipulorum precibus; quippe qui illum perpetuo præsentem ac conspicuum & habuissent, & adhuc haberent.

Interrog.

Fateor mihi in mentem non venisse, ut te de istis Christi verbis interrogarem, quæ sane, ut ipsemet ea perpendis, plurimum tuæ illi interpretationi, cui jam plane acquieveram, obstare mihi videntur. Qua igitur ratione, quæso te, totam istam tuam adversus te ipsum inde ductam ratiocinationem dissolvis?

Respon.

Vera id faciendi ratio est, animadvertendum proponere, quomodo locutus fuerit, quidve dixerit Christus, cum ab initio de petendo in nomine suo verba fecit. Inde enim constat, Christum ad id tempus tantum sua verba accommodasse, cum jam ipse ad Patrem abiisset; unde etiam factum est, ut vix inveniatur, qui aliter sentiat inter eos, qui Sacras Literas tractant, quidquamve dubitet, quin Christus, ubicumque in illo sermone suo de petendo in suo nomine mentionem facit, ad illud tempus respiciat, quo ipse in cœlo apud Patrem perpetuo usque ad consummationem sæculi futurus erat. Sunt enim in ipso initio verba Christi hujusmodi Joh. 14. 12: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet: & majora his faciet; quia ego ad Patrem vado; & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio.* Nemo est, arbitror, adeo stupidus, ut non videat, Christum de re cui locus nondum esset, sed postmodum esset futurus, & quidem post suum discessum ad Patrem, verba facere. Quare illud, quod postea dixit, *Usque modo non petiistis quicquam in nomine meo*, haud ita accipiendum est, quasi potuerint discipuli petere, & non petierint; sed simpliciter, ut sonant, sunt verba ista accipienda, ut videlicet nihil aliud ex ipsis colligatur, nisi hoc ipsum, quod scilicet hactenus discipuli ejus in ipsius nomine non petierint; id quod non minus verum est, si id facere non potuerunt, quam si potuerunt. Neque enim mens Christi fuit monere discipulos, ut jam ab ignorantia illa liberati, id facerent, quod prius facere omisissent, sed eis ostendere, non posse illos ab experientia ullum argumentum habere dubitandi de eo, quod ipse affirmabat, illisque promittebat; se videlicet facturum, sive illos accepturos quidquid petiissent in ipsius nomine, cum nondum factum esset, ut ad istum modum peterent. Namque verba illa, *petite & accipietis*, non ad præsens illud tempus, sed ad mox futurum referenda esse, jam docuimus ipsum Christum antea aperte indicasse, idemque mox iterum indicavit, cum ait, *in illo die in nomine meo petetis.* Spero me dubitationem quam videbar, dum te monere volo, in animo tuo excitasse, inde plane exemisse.

Interrog.

Exemisti sine dubio. Age igitur jam quodnam est insigne illud testimonium nondum à te prolatum, de eo, quid significent Christi preces ad Deum?

Respon.

Sunt verba illa ipsius Christi, cum Lazarum in vitam revocare vellet Joh. 11. 41, & 42, *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quod semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant, quod tu me misisti.* Certum est enim (nec quisquam ea de re dubitare videtur) Christum statim ab ipso initio, cum munus suum in terris aggressus est, potestate fuisse præditum mortuos ad hanc mortalem vitam revocandi, hancque potestatem in ipso, toto eo tempore perpetuo resedisse. Quod vel ex eo constat, quod Apostolos suos, cum eos primum, id est paullo post cœptum munus suum, Dei regnum prædicatum misit, inter alia, mortuos quoque suscitare jussit, quemadmodum legitur apud Matthæum Matth. 10. 8, in omnibus editis exemplaribus Latinis, atque in vulgatis Græcis, & Syriacis, præterquam, (ut quidem Lovanienses Theologi testantur) in editione Syriaca imperatoria. Neque enim potuisset Christus hoc jubere, hancque potestatem Apostolis suis dare, si ipse eam non habuisset, & quidem perpetuo in se residentem. Nam nec ratio patitur, nec ejus rei ullum exemplum habetur, ut quis miraculi alicujus faciendi potestatem in se ipso perpetuo residentem non habens, eam alteri dare, eamve cum altero communicare possit. Adde quod ipse Christus, antequam vel Lazarum, vel alium quempiam (ut ipsius verba indicant) à morte in vitam revocasset, aperte testatus est, se, sicut Patrem suum, vivificare quos vellet Joh. 5. 21. Et tamen, Lazarum suscitaturus, ex altera parte non obscure profitetur, se, cum quidpiam tale efficere vellet, id à Patre precibus impetrare solitum, idque adeo ipsum, quod Lazarum mox esset suscitaturus, ab eodem Patre tunc orando impetrasse. Unde manifestum fit, Christum precum suarum Patri adhibitarum nomine, aliud nihil significare voluisse, quam se totam illam suam admirabilem potestatem ab ipso Patre accepisse, illique acceptam plaue referre. Eamque, quantumvis jam in se perpetuo residentem, non à se ipso, sed ab eodem Patre universam pendere; ita ut quando aliquid vi istius potestatis efficeret, perinde esset, ac si semper, ut id efficere posset, à Patre suis precibus obtineret. Sic autem loqui,

Interrog.

Locus iste Epistolæ ad Hebræos (cujus verum sensum nunc demum percipere mihi videor) mihi quiddam suggerit, quod te interrogem, pertinens ad Christi sacerdotium, unde jam diu digressi sumus. Dic igitur annon, quando Christus cum antiquo illo legali sacerdote comparatur, ejusque similis esse ostenditur, hinc sequi videatur, Christum sacrificio suo nobis Deum placasse, & pro peccatis nostris illis satisfecisse, adversus ea quæ antea conclusisti?

Respon.

Quasi vero constet, antiquum illum sacerdotem, ratione illius populi, illorumve hominum, pro quibus sacrificabat, ista sacrificio suo peregisse.

Interrog.

Nonne apertum & illustre simul exemplum est placationis iræ divinæ, à sacerdote illo antiquo peractæ, cum Aharon, monente Mose Num. 16. 41 &c, accepto thuribulo eique igne ex altari & thure imposito, suffitum fecit, atque ea ratione populum expiando, ingentem illam plagam cohibuit à Deo irato adversus populum, qui contra ipsum Aharonem & Mosem, propter extinctos divinitus Chore, & socios ejus, murmuraverat?

Respon.

Exemplum istud nihil pertinet ad sacrificium illud anniversarium illius antiqui pontificis, cujus sacrificii ratione nominatim & expresse cum sacerdote illo Christus comparatur, eique assimilatur. Estque præterea factum istud Aharonis prorsus singulare atque extraordinarium, & idcirco non potest ex eo per comparationem ac similitudinem colligi, quale fuerit Christi munus, & qua ratione expiaverit, aut expiet peccata nostra.

Interrog.

An non potest tamen nihilominus ex eo colligi, Christum fuisse & esse aptum ad iram Dei adversus nos placandam?

Respon.

Potest sine dubio; sed non quatenus Christus est sacerdos. Idque non modo propter jam indicatam caussam, quod Aharonis factum istud non pertinuerit ad ordinarium ipsius sacerdotale munus, sed etiam propter id, quod in Christi sacerdotio nullum potest habere locum placatio Dei pro nobis.

Interrog.

Cur vero?

Respon.

Nempe quia, ut multo ante dictum à me fuit, Christus revera tunc sacerdos noster esse cœpit, cum in dextera majestatis consedit, & sibi à Deo decretæ in terra & in cœlo omnis potestatis possessionem (ut ita dicam) est adeptus; id est, cum jam (ut paullo ante satis longa disputatione demonstratum est) veris precibus ejus pro nobis ad Deum nullus est locus, & consequenter nec ulli alii rationi, quæ nobis Deum placet. Quando jam ipse est, qui nos plane regit ac gubernat, nostræque vitæ ac mortis imperium habet. Quod si quis tamen velit, Christi sacerdotium, antequam is per fusionem sui sanguinis in cœlum ascenderet, hic in terris cœpisse, ne tum quidem ratione ipsius sacerdotii fuit, cur Christus Deum nobis placaret, id est, illum nostris peccatis propitium redderet, cum, ut antea demonstratum fuit, Deus sua sponte nostra peccata nobis resipiscentibus ignoscere decreverit, & ad decretum hoc suum promulgandum, confirmandum, &anciendum Christum nasci voluerit, eaque omnia dicere & facere, quæ ipsius nomine, dum in terris versatus est, vel dixit vel fecit. Itaque nullo pacto ex similitudine, quam inter antiquum illum Pontificem & Christum scriptura agnoscit & statuit, colligi potest, Christum sacrificio suo Deum nobis placasse; sed neque alia quavis ratione id peregisse aut peragere; cum ea re nihil omnino opus sit aut fuerit, neque ei in negotio salutis nostræ per ipsum Christum ullus locus esse queat. Etiamsi alioqui Christi persona, si gratiæ, qua apud Deum pollet, ratio habeatur, ad eam peragendam est, supra quam dici aut cogitari possit, apta & accommodata.

Interrog.

De placatione respondisti, mihique sane satisfecisti. Quid jam de satisfactione dicis? Nonne sacerdos ille Aharonicus, victimis illis expiatoriis pro illis peccatis satisfaciebat, pro quibus offerebantur?

Respon.

Nihil minus. Nam & pecudes illæ, antequam sacrificarentur, ipsius Dei plane erant, nec etiam alioqui æstimatione sua ullam proportionem habebant cum Dei offensis, & cultus ille totus, quo offerebantur, una cum obedientia, quæ hac ratione Deo præstabatur, non tanti erat, ut compensare posset delictum ullum aut peccatum, quamvis minimum, adversus Dei Legem admissum.

Interrog.

An non tamen illo cultu peracto, illaque obedientia Deo præstita, omnis reatus tollebatur illarum divinæ legis transgressionum, propter quas ista fiebant?

Respon.

Tollebatur quidem; sed non ob istarum rerum pretium, seu propter res istas ipsas per se.

Interrog.

Propter quid igitur?

Respon.

Nimirum propter Dei decretum, divinamque benignitatem.

Interrog.

Estne aliquid simile in Christi pro nobis sacrificio?

Respon.

Est sine dubio. Nam Christi obedientia usque ad mortem crucis, ejusque sanguinis fusio, quæ ad ipsum Christi sacrificium pertinent, & solæ in eo sacrificio proprium ipsius Christi sunt opus, quamvis nec suo pretio, neque ipsæ per se effecerint, ut veniam peccatorum nostrorum adepti simus, illis tamen peractis, ex decreto & benignitate Dei factum est, ut nos a pœnis peccatorum liberati simus. Christus enim, cui nos servandos Deus dedit, per istam obedientiam & sanguinis sui fusionem, plenissimam potestatem ab ipso Deo est consecutus salutem reipsa nobis dandi, & ab omni miseria atque ab interitu, quæ propriæ peccatorum sunt pœnæ, nos penitus liberandi.

Hucusque auctor. Reliqua morte præventus non absolvit.

Frag-

FRAGMENTUM CATECHISMI PRIORIS F. S. S. QUI PERIIT IN CRACOVIENSI RERUM IPSIUS DIREPTIONE.

Magister.



Ransactum; sed tempus; quod præterierat à Christo ejusque doctrina patefacta. Agitur enim ibi de Christi doctrinæ perspicuitate atque constantia, atque idcirco de aliis omnibus doctriuis ab ea diversis perpetuo vitandis. Jam Apocalypsis verba illa de agno mactato, non ita interpungenda sunt, ut, *ab origine mundi*, conjungatur cum, *qui occisus est*, (sic enim locus redditus est in vulgata editione) sed cum antecedentibus verbis, *non sunt scripta nomina in libro vitæ*. Quemadmodum docet locus similis, ubi eadem prorsus repetitur sententia, cap. 17. 8, ejusdem libri.

Discipulus.

Qua igitur ratione veteres illi peccatorum suorum veniam sunt consecuti, si per fidem in venturum Christum eam à Deo non obtinuerunt?

Magister.

Nempe per fidem in ipsum Deum. Itaque in justificationis suæ ratione eatenus non differunt veteres illi à nobis, quatenus & nos non aliter, quam per fidem in ipsum Deum, justificamur 1 Petr. 1. 21, per Christum enim in Deum creditur, & qui in Christum credit, non in ipsum Christum credit, sed in eum, qui illum misit, id est, in Deum Joh. 12. 44.

Discipulus.

Unde probationes sumis istius veterum fidei, qua justificati fuerint, & quænam fuit ista in Deum fides?

Magister.

Fide in Deum Abrahamum justificatum fuisse, testatur aperte Moses Gen. 15. 6, id quod Paulus Apostolus Rom. 4, latius confirmat atque explicat, & Abrahami exemplo ostendit Gal. 3, qua ratione homines coram Deo justificentur Rom. 4. 11; quem virum omnium credentium præputiatorum Patrem esse ait, non quod ante ipsum nulli præputiati in Deum crediderint, aut si aliqui crediderunt, nulli justificati coram Deo propterea fuerint; sed quod ipse insigne præter alios omnes, qui præcesserant, fidei in Deum exemplum extiterit, quodque cum ipse primus omnium circumcisus fuerit, primus etiam omnium fuerit, qui, licet circumcisus, non tamen per ipsam circumcisionem, sed per fidem in Deum, dum adhuc præputiatus esset, justificatus sit coram ipso Deo. Nam & omnes, qui ante Abrahamum Deo placuerunt, fidem in ipsum Deum præditos fuisse, & propter, seu per istam fidem Deo placuisse, docet Auctor Epistolæ ad Hebræos cap. 11. 6, cum diserte ait: *sine fide impossibile esse placere*, subaudi ex præcedentibus, Deo; quam tamen vocem expressam habet, una cum Latina vulgata, Syriaca editio. De fide autem in Deum, sententiam istam accipi debere, demonstrant sequentia verba, quæ illam confirmant & explicant. Statim enim subjicit, *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Ex quibus etiam apparet, quænam sit ista in Deum fides; fiducia nimirum in ipso Deo collocata, per verum studium ei obtemperandi. Nam quod non modo sine ista fide nemo placere Deo possit, sed etiam ex ista fide fiat, ut quis Deo placeat, & veteres illos istius fidei vi probatos Deo fuisse, aperte ibidem idem scriptor tradit; cum non solum, fidem commendans, nempe illam, quam ipsemet deinde exposuit, exempla profert sanctorum hominum, qui per fidem Deo grati fuerint, verum etiam ante ipsa exempla hanc sententiam profert Hebr. 11. 2: Veteres, seu majores ab fidem, seu per fidem, testimonio ornatos fuisse. Non est autem omittendum, quod, cum Noë exemplum affert Hebr. 11. 7, dicit expresse, eum justitiæ, quæ per fidem est, hæredem fuisse factum; ut clarissimum fiat, etiam ante Abrahamum fide justificationem contigisse, & sane prophetæ seu potius apud Prophetam Habac. 2. 4, Dei dictum, *justus ex fide vivet*, manifeste à Paulo Gal. 3. 11, ita accipitur, ut universale sit, & ad omnia tempora omnesque ætates pertineat.

Discipulus.

Ex iis, quæ, meæ petitioni satisfaciens, dixisti, satis intelligo, illos ex veteribus, qui suorum peccatorum veniam à Deo sunt consecuti, ita, ut justi ab ipso pronunciati seu mavis, pro justis habiti fuerint, idcirco id consecutos fuisse, quod Deo fuerint confisi, nihil dubitantes, eum sui cultores remunerari, & propterea ei obtemperandi vero studio fuerint præditi; & hoc aliud nihil esse, quam fidem; unde constare possit, veteres illos non secus, ac nos, per fidem justificatos coram Deo fuisse, etiamsi fides in Christum ad eos non petinuerit.

Magister.

Rem tenes. Neque enim fides in Christum quidquam novi attulit, quod attinet ad ipsum rei genus; sed novas tantum quasdam qualitates ei addidit, quatenus Christus, ut ante ostendi, perfectiora & præstantiora tum præcepta, tum promissa Dei nomine nobis proposuit. Nam, quod præterea attulit, ut in ipso Christo fidem collocemus, idque multo præstantiore ratione, quam vel in Mose Exod. 14. 31, vel in Prophetis 2 Par. 20. 20, antea, (ut alicubi divinæ literæ perhibent) collocaretur, aut collocanda esset; ne hoc quidem rei genus quidquam mutat, quod est, fides in ipsum Deum. Quandoquidem, ut dictum est, qui in Christum credit, omnino in ipsum Deum, propter hoc ipsum, credit. Immo non ob aliam causam eam gloriam Deus Christo dedit, ex qua necessario consequitur, ut fiducia in ipso Christo sit collocanda, longe digniore ratione, quam in Mose & Prophetis collocaretur, id est, Regem ac Dominum nostrum cœlestem, & perpetuum illum fecit, cum summa potestate nobis ea dandi, quæ Dei nomine promisit; nullam, inquam, aliam ob causam hoc Deus fecit, nisi, ut nos hac ratione fidem & spem nostram in ipso Deo collocaremus 1 Petr. 1. 21.

Discipulus.

Quiddam nunc succurrit, quod dubium quodammodo mihi reddit, quidquid de fide, qua similiter ut nos, veteres illi justificati fuerint, docuisti. Memini enim, Paulum ad Galatas 3. 23, scribentem diserte dicere: *Antequam venisset fides, nos custoditos fuisse sub lege, conclusos in eam fidem, quæ revelanda erat*. Ex quo apparet, donec sub lege fuit populus, fidem non extitisse, ob eamque rem tunc temporis neminem fide justificatum fuisse.

Magister.

Pessime omnino cum hominibus illis actum esset, si ita res se haberet. Certum est enim ex altera parte, eodem Paulo ad eosdem Galatas 3. 11 teste: neminem coram Deo ex lege justificari. Quare nullo pacto illi justificari potuissent. Nulla enim tertia justificationem consequenti ratio, populo proposita aut indicata a Deo invenietur, præter Legem, & fidem.

Discipulus.

Explica igitur, quæso te, rem istam diligentius, & mihi scrupulum hunc prorsus exime.

Magister.

Quanquam hic nodus per se non adeo difficilis explicatu est; tamen ut scrupulus iste, ut petis, tibi prorsus eximatur, aliquanto altius repetendum videtur. Nulli dubium esse potest, quin nemo Deo gratus & acceptus, & porro justificatus coram ipso esse queat, qui probus non sit. Odit enim Deus omnino improbitatem, ut scriptum est Psal. 5. 5 &c; nec aliter sane summa Dei æquitas ac rectitudo ferre posse censenda est. Nihil autem hominem probum magis decet, aut, quo talis nominari possit, magis est aptum & necessarium, quam ipsi Deo se obedientem præstare; tum quia nihil æquius, quam suo conditori & summo absolutoque domino, omniumque suorum bonorum autori parere atque obtemperare, tum vero quia nihil velle aut jubere potest Deus quod æquissimum rectissimumque non sit; adeo ut ejus voluntas & jussus, omnis æquitatis & rectitudinis certissima regula censeri debeat. Propterea ab ipso creationis initio Deus homini præcepta dedit Gen. 1. 28. 11. 16, 17, ejusque obedientiam erga se requisivit, minas addens, nisi eam præstitisset. Jam Dei præceptorum (quorum nomine, quicquid constet Deum nos facere aut vitare velle, intelligo) obedientia duplex statui debet. Una cum quis perfectissime & ad unguem prorsus divina præcepta conservat, nec unquam, ne minima quidem ex parte illa transgreditur: Altera cum totus in eo est, ut illa omnino servet, ac porro id reipsa fere præstet, licet aliquando vel ignorantia, vel incogitantia, vel etiam humana fragilitate labatur, & à rectissima ista via aliquantisper deflectat. Nemo enim vel filium, vel servum qui erga ipsum talem se præstet, sibi obedientem non dicet. Quod apud Deum ipsum locum habere, & ratio ipsa postulat, cum unusquisque ex habitu & actionum suarum tenore, non autem ex quibusdam paucis actibus sit æstimandus; & Sacræ ipsæ Literæ abunde nos docet, cum justorum, qui fuerint, aut esse soleant, passim mentionem faciant, & ex altera parte neminem esse qui non peccet aut labatur, quibusdam in locis testentur 1 Reg. 8. 46. Jac. 3. 2. Prov. 20. 9. Eccl. 7. 21. Nam quomodo quis (rogo) justus nominari queat, de quo non liceat affirmare, eum Deo obedientem esse? Quinetiam eædem Sacræ Literæ sæpius afferunt quempiam in Dei præceptis ambulasse, aut id fecisse quod in ipsius Dei oculis rectum esset 2 Par. 17. 4. 1 Reg. 15. 11. 2 Reg. 18. 3. 22. 2, de quo tamen legitur, aliquid fecisse, quod Deo minus probaretur 2 Par. 16. 7, & 12. 2 Par. 19. 1. 32. 25: 35. 22; quales fuerunt Asa, Josaphat, Ezechias, Josias, Reges Juda, & ipse David, qui tanquam exemplar, cui alii se conformare debeant, ubique proponitur. Nam de eo præter alia multa, de ejus erga Deum obedientia, divina testimonia bis Solomoni ejus filio Deus ipse dicit, 1 Reg. 3. 14. 1 Reg. 8. 4, quod ambulaverit in ipsius viis & præcepta atque decreta ipsius servaverit, nulla prorsus exceptione addita; cum tamen certissimum sit, non modo eum gravissime peccasse in re Uriæ Chittæi 2 Sam. 12. 9 &c, quæ aliquando excipitur 1 Reg. 15. 5, cum ejus erga Deum obedientia prædicatur, sed etiam 2 Sam. 24. 10, non leviter deliquisse in numerando populo; quod tamen nunquam, ni fallor, excipitur. Adde quod ipse David in suis Psalmis Psal. 25. 7: 32. 5: 38. 5: 39. 9: 40. 13: 163. 3: 19. 13, haud obscure ostendit, se aliis etiam modis in Deum peccasse ac deliquisse, & alicubi petit à Deo se mundari, ab occultis, id est, sibi à Deo ignosci errores, quos imprudens admiserit, quippe quod nemo satis errores suos cognoscere possit. Itaque concludendum est, aliquot lapsus & peccata non impedire, quominus quis dici queat Deo obedivisse, eumque timuisse, atque ejus præcepta servasse. Qua de re luculenter ac diserte nos monet idem David Psal. 103. 13. 17, & 18, ubi affirmat, vel potius aperte inculcat, Deum peccata & iniquitates condonando, eorum misereri, qui ipsum timent, & pactum ipsius servant. Cujus rei haud ignarus Solomo, in templi dedicatione Deum orat 1 Reg. 8. 39, ut, parcens peccatoribus, qui ad ipsum ejusque misericordiam, in templo precantes confugerint, det unicuique secundum omnes vias suas, quippe qui omnium cor noverit. Ex quo apparet, ejus hominis vias, rectas dici, & coram Deo tales censeri, qui cor rectum habeat, Dei videlicet præceptorum studiosum adeo, ut ea omnibus aliis rebus anteponat, nihilque antiquius habeat, quam ut Deo obediat, tametsi nonnunquam aliquid committat, quod cum Dei præceptis ac voluntate non consentiat. Ut igitur ad propositum revertar; est sine dubio duplex Dei præceptorum obedientia, una perfectissima, & absolutissima, altera imperfectior & minus absoluta. Priorem quin Deus ab omnibus jure optimo requirere atque exigere queat; posteriore tamen jure optimo possit esse contentus, nemo arbitror negaverit, qui Dei authoritatem ac potentiam secum ipse vel leviter quidem reputet atque perpendat. Ac priorem sane in ipso fœdere cum Israëlis populo pangendo, ac repetendo, aperte requisivit Deut. 27. 26. Gal. 3. 10, maledictum pronuncians illum qui non fecisset omnia, quæ scripta erant in libro legis; cui etiam severo decreto voluit ut ipse populus universus, palam se assentiri testaretur. Nam & antea idem populus, requisitus (ut quidem ex ipsa facti narratione colligi potest) ab ipso Mose postquam eis omnia præcepta Dei exposuisset, totus una voce respondit, ac dixit Exod. 24. 3, *Omnia verba, quæ locutus est Jehova, faciemus.* Et cum paulo post ℣. 7, eadem præcepta Dei Moses scripsisset, eaque eidem populo recitasset, dixerunt. *Quæcunque dixit Jehova faciemus, & obediemus.* Ac tum demum Moses sanguine populum aspergens fœdus cum eo Dei nomine sanxit ac confirmavit. Itaque in ipso fœdere quod Deus cum Israëlis populo pepigit, nulla mentio facta est illius minus perfectæ obedientiæ qua Deus contentus esset futurus, & ubi ea adesset ignoturus populo omnia delicta, quæ alioqui adversus sua præcepta commisisset, tametsi id omnino facere decrevisset (quemadmodum ab ipso orbe condito fragilitatis humanæ misertus semper fecerat,) ejusque rei fœdere ipso jam percusso & sancito, non modo per alios Prophetas qui consecuti sunt, sed per ipsum Mosem non obscure populum admonuerit: nunc se simpliciter atque indefinite ad iram tardum & ad misericordiam propensum esse prædicans Exod. 34. 6. Num. 14. 18, nunc vero explicatius promittens se pœnitentibus veniam daturum, eosque ob ipsorum peccata à se expulsos, in pristinum statum restituturum, atque adeo beneficiis cumulaturum Deut. 4. 29 &c. Deut. 30. ℣. 1 &c, quod promissum quamvis non omnino id exprimat quod dixi de minus perfecta illa obedientia qua Deus contentus esse jam tum decrevisset; tamen docet non prorsus necessariam fuisse perfectam illam obedientiam, quam fœdus ipsum alioqui requirebat, quæque in ipsa lege continebatur. Quo respiciens Paulus, dixit, legis tempore, fidem non extitisse, id est divinum decretum perpetuo fœdere sancitum nondum promulgatum fuisse de justis pronunciandis iis, qui ipsi Deo confiderent, id est ut supra ex verba Epistolæ ad Hebræos explicatum fuit, spe futuræ remunerationis vero studio divinis præceptis parendi essent præditi. Quod idem reipsa est cum ea obedientia, qua licet minus perfecta, Deum contentum esse voluisse diximus. Tale enim decretum per Christum demum, publicatum est; & sic fides per Christum demum extitit;

tametsi per fidem etiam ante legem & sub ipsa lege homines justificarentur.

Discipulus.

Ex iis quæ dixisti, videor mihi percepisse, non solum ejusmodi solutionem, quam tibi solvendam proposueram, sed etiam veram causam & rationem, cur semper fide justificati sint homines coram Deo; si modo omnino verum est (quemadmodum sane satis probasse videris) imperfectiorem illam Dei præceptorum obedientiam fide contineri, & fidem reipsa idem esse eum obedientia ista. Nam & sine Dei præceptorum seu voluntatis obedientia, neminem justificari posse demonstrasti, & imperfectiorem illam obedientiam, obedientiam tamen appellari posse, ex ipsis etiam Sacris Literis docuisti. Perfectissimam vero qui præstet vix, aut ne vix quidem, inveniri, eum ratione, tum divinis testimoniis & confirmari facile potest, & ipsa haud leviter vel indicasti, vel etiam ostendisti. Verum adhuc quædam sunt, quæ dubiam mihi facere videntur sententiam istam, quod fides in Deum, & imperfectior illa Dei præceptorum seu voluntatis obedientia, idem sint reipsa, vel etiam altera alteram contineat.

Magister.

Credo equidem te adhuc hærere in sententia ista penitus probanda. Sed nihil prorsus, Deo dante, hærebis, ubi, quid sit fides in Christum qua justificamur, edoctus à me fueris; ad quem locum, istius sententiæ plena confirmatio reservanda est. Nunc tantum, idque summatim de discrimine agitur modi ac rationis qua Veteres illi Deo grati & accepti fuerint, & sic peccatorum suorum veniam ab ipso obtinuerint, & nos itidem simus. Ad quod explicandum satis sententiæ istius veritas demonstrata à nobis fuit, teque ad illud percipiendum, nullius uberioris declarationis egere puto.

Discipulus.

Jam intelligo, discrimen istud non in reipsa, seu rei genere, sed in ejus qualitatibus & accidentibus consistere. Nam modi istius ac rationis genus ipsum, est fides in Deum, quæ & veteribus illis & nobis eadem est, fiducia nimirum in ipso Deo, per verum studium obedientiæ voluntatis & præceptorum ejus, cum remunerationis spe conjuncta: sed in eo est differentia, quod & præcepta nobis data, & remuneratio, quæ nobis speranda est, longe præstantiora sunt. Ac præterea in eo, quod modus & ratio ista veteribus illis ex sola Dei benignitate semper contigit, ab eaque sola semper tota pependit; nobis vero quamvis ab eadem sola Dei benignitate profecta, fœdere tamen perpetuo sancita & confirmata fuit.

Magister.

Gaudeo me non falsum esse opinione de te mea, teque discrimen istud optime percepisse.

Discipulus.

Atqui unum adhuc mihi diligentius pernoscendum restat. Etenim cum istius discriminis vis maxima, maximique facienda in eo sit, quod non eadem veteribus illis, quæ nobis, divina fuerint præcepta, & quod ad moralia attinet, jam quid utraque inter se differant, satis perceperim; nunc ex te scire velim, quid de cerimonialibus, ut vocant, & judicialibus sentiendum sit; an scilicet statuendum quemadmodum plerique statuunt, cerimonialia illa & judicialia præcepta olim per Mosem Israëlis populo data nihil ad nos pertinere, & an ulla habeat Christiana Religio cerimonialia aut judicialia præcepta.

Magister.

Communis de præceptis istis Mosaicis sententia omnino vera est. Cum enim ceremoniæ istæ, umbra essent rerum futurarum, quæ videlicet per Christum extiterunt, ipsis rebus advenientibus & præsentibus, jam umbræ locus esse non potest. Sic enim Paulus ipse Apostolus Col 2. 16, 17, non obscure argumentatur. Porro quod attinet ad judicia, ea propterea Israëlis populo à Deo fuerunt constituta, quod is populus suam Rempublicam hic in terris terrenam esset habiturus & certam possessionem sibi in perpetuum assignatam adepturus, ad cujus etiam generis Rempublicam & possessionem, ipsis judicia fuerunt accommodata. At Christianus populus nullam in terris Rempublicam terrenam habet, nullamque certam sibi in perpetuum assignatam possessionem. Quippe cujus vera respublica in cœlis sit Phil. 3. 20, quique non habens hic in terra civitatem permanentem, futuram, id est, cœlestem, inquirat Hebr. 13. 4. Jam de eo, quod à me postea quæsisti, an nihilominus habeat Religio Christiana judicia & ceremonias aliquas, tunc agendum erit, eum Christi præcepta explicabimus. Ut tamen nunc tibi satisfiat, quantum necesse est ad discrimen Veteris ac Novi Fœderis hac in parte percipiendum, recordari debes ejus, quod antea conclusum est, præcepta promissis consentanea esse debere, cum igitur Veteris Fœderis promissa essent rerum fluxarum & pereuntium; & sic bonorum minime verorum & solidorum, consentaneum fuit, ut, quemadmodum quia bona illa exilia & imperfecta erant, data sunt præcepta minus præstantia minusque absoluta, ea etiam, quæ natura ut ratione nituntur, qualia sunt moralia; sic darentur præcepta, quæ minus firma & solida essent, id est, nec natura nec ratione niterentur, sed sola præcipientis voluntate, qualia sunt ceremonialia. At cum promissa Novi Fœderis bonorum sint verorum ac solidorum, non conveniunt cum illis ceremonialia præcepta; adeo ut non temere sit statuendum, aliquod ceremoniale præceptum in Novo Fœdere seu in religione Christiana fuisse datum, nisi de eo ex divinis testimoniis apertissima & certissime constet; ac potius censendum, nullum in ea esse præceptum, quod sit mere ceremoniale. De judiciis vero, quando ea in genere, & simpliciter loquendo, non sunt dissentanea Novi Fœderis promissis, censendum est, in ipsa Christiana religione aliqua fuisse data, quæ ad illam rempublicam proprie pertineant, quam veram Christianorum rempublicam esse diximus; quæ vero eo proprie non pertineant, nulla certe constituta fuisse, existimandum est; sed ea à Christianis, usu exigente, eatenus constituenda & exercenda esse, quatenus ab ipso Christo, ejusque Apostolis præcepta charitas, patientia, humilitas, & sui ipsius abnegatio postulat ac ferre potest; ut postmodum suo loco explicatius dicetur: Potes, ni fallor, ut ad rem ipsam tandem redeamus, jam satis percipere, me in Christiana religione definienda seu describenda ita locutum fuisse, ut patefactionem illam divinæ voluntatis, quæ fuit ante Christum exhibitum, minime meis verbis complexus fuerim, meque Christianæ religionis proprium id fecisse, quod revera ejus est proprium, cum illam rationem & viam esse dixi ad immortalitatem contendendi & aspirandi.

Discipulus.

Equidem agnosco, rem ita se habere. Lætorque me hujus rei percipiendæ occasione, Veteris Novique Fœderis discrimen rectius multo, quam antea, intellexisse: sed est nunc quod dubitem; cur in definitione non verba illa posueris, *divinitus patefacta*, cum satis futurum fuisse videatur ad excludendam religionem illam divinam, quæ fuit ante Christum (cujus veros cultores immortalitatis participes fore non negas) quod non *perveniendi* verbo, sed *contendendi & aspirandi*, ut ipse antea monuisti, usus fueris.

Magister.

Atqui verba ista, *divinitus patefacta*, idcirco apponenda fuerunt, ut, cum nobis de divinis arcanis non constet, excluderetur omnis alia via & ratio ad immortalitatem contendendi & aspirandi, si forte Deo placeat, etiam ex iis, qui Christum non norunt, illos, qui ipsum tamen Deum ex animo colunt, vel æqui rectique amantes ita omnino vivunt, ut eis ipsorum dictat conscientia, ad immortalitatem aspirare, ad eamque non frustra contendere. Quidquid enim Deus de istis statuerit, certum est ex altera parte, ut ait Petrus

Act. 4. 12, nullum aliud nomen datum esse sub cœlo, in quo oporteat nos servari, præter Christum Jesum, neque in ullo alio esse salutem, æternam intellige, similiter sub cœlo datam, id est, humano generi à Deo patefactam.

Discipulus.

Verum alia sunt, ut mihi quidem videtur, divina testimonia, ex quibus probari videtur, omnino & absolute neminem vitam æternam adepturum, qui Christum ignoret.

Magister.

Sunt quidem non pauca ejusmodi testimonia; sed cum nihilominus sint, qui velint ex iis sententiam istam non omnino confirmari, & res merito dubia videri possit, volui in definitione mea verba illa addere, & aperte Christianam religionem à quacunque alia distinguere.

Discipulus.

Hactenus mihi videris definitionem seu descriptionem tuam Christianæ religionis, ad ea, quæ seu tacite seu aperte illi objeceram, respondendo, satis confirmasse ac comprobasse. Ac tamen adhuc quiddam restat, quod de ea ex te quæram. Cur scilicet *immortalitatis* simplici vocabulo sis usus, non addito epitheto *beata*: vel cur non potius Sacras Literas imitatus, vitam æternam dixeris.

Magister.

Equidem ut tibi, tuisque objectionibus plene satisfacerem, multa hactenus dixi alieniore fortassis loco. Sed spero, te eorum, ubi opus fuerit, optime recordaturum: eruntque tibi, ut arbitror, tanquam præludia & introductio quædam ad potiora non pauca totius futuræ disputationis nostræ. Ut igitur & nunc tibi satisfaciam, si quid, non omnino fun loco dicendum mihi fuerit. Itaque scias, me immortalitatis nomine in Christianæ religione nbi delineanda, non autem vitæ æternæ propterea fuisse usum, quod mihi visum est, debuisse me ab initio tecum, quamvis Christi sacris initiato, ejusque disciplinæ non plane rudi, tanquam cum eo loqui, cui vocabula & loquendi modi, in hac disciplina usitati, ejusque quodammodo proprii, non satis cogniti ac perspecti essent. Nam alioqui idem voce immortalitatis declaratur, quod vitæ æternæ; nisi quod Latinis scriptoribus *immortalitatis* nomen usitatum est, *vita æterna* non item: & ii ex antiquis Christianis, qui Latinius scripsisse creduntur, qualis est Arnobius & Lactantius, libentius, nisi memoria me fallit, *immortalitatis* nomine, quam *vita æterna* utuntur. Vohi præterea, ut verum fatear, non modo tibi occasionem præbere statim ex me quærendi de hominis naturali conditione, quod attinet ad immortalitatem, verum etiam, tametsi tu nihil hac de re me interrogasses, in descriptione ista mea religionis Christianæ, satis aperte innuere, hominem sua natura nihil cum immortalitate commune habere. Vix enim quis cogitare potest, quantopere, hoc recte nosse, ad omnia sacratissimæ religionis mysteria intelligenda conducat, vel potius necessarium sit. Non addidi autem immortalitatis nomini epithetum *beata* (quod te idcirco mirari suspicor, quod ii etiam, qui pietatis Christianæ expertes fuerint, immortales, sed miseri fore creduntur) non tam ut Latinos scriptores imitarer, qui, licet Christiani, plerumque sic loqui mihi videntur, quam ne ab usu ipsorum divinorum scriptorum, atque adeo Christi ipsius recederem, qui vitæ æternæ nomini, quod eodem prorsus sensu usurpant, quo ego uns cum aliis compluribus immortalitatis nomen usurpavi, nullum ejusmodi epithetum addere consueverunt. Et tamen, ut ante attigi, si ipsius vocis vim spectes, nihilo plus significat vita æterna, quam immortalitas; &, si illi, qui pietatis Christianæ fuerint expertes, immortales nihilominus sunt futuri iidem certe in æternum etiam vivent. Paulus sine Apostolus Tim. 7. 10 ait. Jesum Christum per Euangelium vitam & immortalitatem in lucem protulisse (cum sine dubio beatam immortalitatem intelligeret) epitheto isto sut simili minime expresso vel adjuncto. Verum etiam ipsum simplex vitæ nomen haud raro in Sacris Literis justorum propriam plenamque mercedem sive beatam immortalitatem significat.

Discipulus.

Abunde mihi satisfactum est; nec amplius quicquam occurrit quod mihi in definitione tua Christianæ Religionis vel minimam quidem dubitationem facere possit. Quare ulterius jam, si tibi placet, progrediar [*desiderantur quædam*] & qualis sit Christiana Religio, seu quænam sit via & ratio ista ad immortalitatem aspirandi, ex te sciscitabor ac diligenter exquiram.

Magister.

Placet sane. Verumtamen præstat in sequentem diem disputationem nostram reliquam differre. Tarde enim admodum hodie me convenisti; & jam advesperascit. Mihique alia quædam ante noctem sunt agenda.

Secundi diei Dialogus.

CAPUT II.

Qualis sit Christiana Religio.

Capitis Secundi pars Prima, in qua de essentiæ nec non in genere de voluntatis Dei cognitione agitur.

Discipulus.

Scis, heri me à te quærere voluisse, qualis sit Christiana Religio, seu quænam sit ista via & ratio ad immortalitatem aspirandi, qua Christianam Religionem definiisti, idque tibi probatum fuisse. Jam igitur meo huic desiderio satisfacere velis.

Magister.

Jesus Christus ipse paucis verbis nos docuit, quænam sit via & ratio ista, cum Deum Patrem suum orans ait Joh. 17. 3, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Sic enim ego hæc verba interpretor; non quasi hæc cognitio sit ipsa æterna vita, seu hac cognitione, vere ac proprie loquendo, ipsa æterna vita contineatur, tametsi id, verba ipsa præ se ferant; sed, quod cognitio ista sit via & ratio ad vitam æternam perveniendi. Non enim infrequens est hæc metonymia in Sacris Literis, qua videlicet effectus pro causa ponitur; id est, aliquid dicitur esse id, cujus aliquomodo est causa; adeo ut satis sit vel remotam & ex accidenti simul causam esse. Atque, ne longius abeam, exemplum proferam in ejusdem Christi verbis, vitam æternam similiter quiddam aliud appellantis. Inquit enim Joh. 12. 50. *Et scio quia mandatum ejus* (de Patre suo loquitur) *vita æterna est.* In quemcunque enim sensum mandatum istud accipiatur, certe non ipsum mandatum est vita æterna, eove ipsa vita æterna continetur, sed ne causa quidem vitæ æternæ est, nisi quatenus istud mandatum servare, vitam æternam parit. Ut autem servetur, hoc, quod ad ipsum mandatum attinet, prorsus ex accidenti est. Namque nihilominus erit Dei mandatum, etiamsi nunquam servetur, nec ex ipsius rei natura est, ut omnino servetur.

Discipulus.

Facile mihi persuades metonymiam istam in Christi verbis esse posse. Sed quominus revera esse credam, illud me impedit, quod si ita esset, sequeretur, quemcunque, qui Patris Christi solius veri Dei, & Christi ipsius cognitionem habeat, vitam æternam adepturum esse, & sic sequeretur.

Desunt non pauca.

Magister. Scripto illo ita sim locutus. Perinde est enim ac si dixissem, si quis velit Dei Christique præcepta servare, sciendum illi esse, eum, quem ipse una cum aliis Deum nominat, non tantum esse, sed vere esse Deum. Nec aliter accipiends sunt sacri illius scriptoris verba. Dei autem nomen hic sine ulla controversia, in potiori quadam significatione accipitur, id est,

id est, eum significat, qui ex seipso divinum imperium in nos habeat. Quemadmodum igitur, si quis curet ad Deum accedere, credere debet, eum ex se ipso, divinum imperium in se habere; sic, si quis velit Dei Christique præcepta servare, necesse est, ut hoc ipsum noverit, id est sibi persuadeat. Ex quo apparet, sicut in verbis illius divini scriptoris, sic in meis nihil supervacaneum esse.

Discipulus.

Dum mihi, ut fecisti satisfacere curas, locum istum auctoris ad Hebr. luculenter sane explanasti. Quem miror te ut ex parte non etiam omnino esse imitatum, nec addidisse, ut ille addidit, aliquid de eo, quod Deus se quærentes remuneretur.

Magister.

Jamne tibi excidit, nos hic agere de Dei cognitione, quod ad naturam sive essentiam Dei attinet? Remuneratio vero se quærentium, non pertinet ad Dei naturam sive essentiam, sed ad ejus voluntatem.

Discipulus.

Agnosco errorem meum. Sed quando jam satis explicasti, quid sit scire Deum esse, explica similiter quæso te, cur necessarium statuas, si quis velit Dei Christique præcepta servare, scire quod Deus sit.

Magister.

Propterea ita statuo, non modo, quia in re ferme eadem, video idem constitutum divinitus, id est, ab auctore Epistolæ ad Hebræos fuisse, sed etiam quia satis constat, si quis velit alicujus præcepta servare, quæ jussa potius appellari debeant & pro jussis haberi, cujusmodi sunt Dei Christique præcepta, necesse esse, ut norit istum, cujus præcepta sunt, imperium in se habere. Quod sit præterea præcepta ista non actiones solum sed etiam mentem animumque respiciat ipsasque cogitationes, quo humanum imperium non pertingit, nulli dubium esse potest, quin istud imperium agnosci debeat divinum. At vero ejusmodi esse Dei Christique præcepta, quis est qui nesciat? Denique, si de eo, qui sui ipsius nomine præcepta det seu jussa, quæ divinum imperium requirant, persuasus quis non fuerit, illum ex se ipso imperium istud habere, nulla ratione persuadere sibi poterit, ab eo legitime jussa ista data fuisse, & consequenter ea exequi non curabit. Jam Dei Christique præcepta seu jussa omnia ab ipso Deo data, ut hic jam pro concesso tacite à me positum fuit, (licet aliorum, & præsertim Christi ministerio in ipsis dandis usus fuerit) ipsius unus nomine sunt data. Quare is, qui exequi illa sit curaturus, necesse est ut noverit Deum ex se ipso habere istud divinum imperium.

Discipulus.

Video te plene petitioni meæ satisfecisse, & tria illa, quæ Dei nomine complexus fueras, cum dixeras, ei, qui Dei Christique præcepta sit servaturus, sciendum esse, quod Deus sit, id est imperium, idque divinum, & ex se ipso habeat, singulatim demonstrasse ab ejusmodi homine in Deo agnosci debere. Nunc expecto, ut similiter doceas, non posse quenquam Dei Christique præcepta servare, nisi credat Deum esse unum.

Magister.

Satis proclive videtur id per se intelligere, si modo sciatur, quid hoc sibi velit, Deum unum esse. Quanquam hoc quoque intellectu satis facile videtur, ubi constitutum jam fuerit, quemadmodum hic factum est, quid nomen Deus in hac disputatione significet. Significat autem ut diximus eum, qui ex se ipso divinum imperium habeat. Ergo Deum unum esse, nihil est aliud, quam non esse nisi unum, qui ex se ipso divinum imperium habeat. Hoc nosse debet is, qui Dei Christique præcepta sit servaturus, & consequenter sibi persuadere, eum, à quo, ut à prima causa proficiscuntur, solum esse, qui ex se ipso divinum imperium habeat.

Discipulus.

Cur vero? An non satis est si noverit, illum ex se ipso in nos divinum imperium habere? Nam quid huc pertinet, ut noverit etiam esse solum qui tale imperium habeat.

Magister.

Pertinet omnino, immo, ut dixi, necessarium est; idque duplici potissimum de causa. Primum quia inter ipsa divina præcepta, hoc præcipuum est, ut agnoscamus Deum, qui illa dedit, solum esse Deum, quando jubemur ipsum solum adorare, ipsique soli servire Matth. 4. 10. Deut. 6. 13. x. 20. Certum est enim, eum, qui ex seipso in nos divinum habeat imperium, adorari a nobis debere. Ut enim adorationis objectum est divinum imperium, sic divini imperii necessaria sequela est, adorari debere. Quomodo igitur posset quis Deum, qui ista præcepta dedit, solum adorare, si crederet alium esse, qui præter ipsum, divinum imperium ex se ipso in nos haberet? Adde, quod diserte in primo divinæ legis præcepto habetur Exod. 20. Deut. 5, ne præter Jehovam Deum, qui Legis est auctor, ullum Deum habeamus. Quomodo vero posset non habere alium Deum ille, cui persuasum non foret, nullum alium esse, qui in se divinum imperium ex se ipso haberet?

Discipulus.

Cum dixisti, nos juberi solum Deum adorare, & ipsi soli servire, arbitror te respexisse ad Christi verba, quæ Diabolo ipsum tentanti respondit, adque ea loca, unde Christus verba ista protulit. Verum neque in illis locis, neque in Christi verbis habetur vox *solum*, cum Deus adorari jubetur.

Magister.

Circumstantiæ locorum ad quæ relationem habent verba Christi, omnino docent, perinde esse, ac si expresse additum esset *solum*. In Christi autem verbis vox *solus*, quæ etiam Deut. 6, in Græca editione legitur, quamvis postea, cum de serviendo Deo agitur, adjecta, censeri debet etiam antea adjecta; alioquin Christus Diabolum non repressisset, qui non se solum, sed simpliciter se adorari postulabat.

Discipulus.

Ita est. Nam memini nunc loci illius in Apocalypsi, cum Angelus Johannem à se adorando deterrere volens, ut Deum adoraret, illi dixit Apoc. 19. & 22; ubi quamvis vox *solus* non fuerit addita, perinde habetur ac si addita fuisset.

Magister.

Recte ais. Quanquam apud Cyprianum in illo Apoc. loco qui bis habetur, legitur non ***Deum adora***, sed, ***Jesum Dominum adora***. Ubi nihilominus subaudienda esset vox *solum*. Alioqui similiter Angelus Johannem non repressisset.

Discipulus.

Atqui si Angelus dixisset Johanni, ***Jesum Dominum solum adora***, exclusisset ab adoratione Deum Patrem. Quod impium est vel cogitare.

Magister.

Non exclusisset. Nam de rebus creatis accipienda essent Angeli verba, quemadmodum ipse erat res creata. Ac si dixisset, inter res creatas nec me, nec ullum alium adorare debes, præter Jesum. Namque ille est dominus, nos autem omnes servi, ut tu es. Quomodo enim istud non pugnet cum præcepto solius Dei adorandi, postea commodiore loco explicabitur. Nam jam tempus est, ut alteram causam exponam, cur Dei Christique præcepta servare volenti, necesse sit sibi persuadere, Deum solum esse, qui ex se ipso divinum imperium in nos habeat. Animadvertendum igitur est, Christi præcepta, quæ, ut in hesterna disputatione attigimus, & suo loco probabimus, Legi per Mosem datæ addidit, ejusmodi esse, quæ sine spe consequendæ æternæ vitæ servari non possint. Superant enim, ut superiore die disputavimus, ipsius hominis naturales vires, per se consideratas, quas spe hujus ingentis ac desiderabilissimi ab omnibusque necessario exoptatissimi præmii fulcire ac roborare oportet. Mitto, quod ipsa Christi præcepta hoc ipsum complectuntur, ut scilicet, sub

sub spe æternæ vitæ consequendæ fiant. Hoc enim obedientiam istam multo præstantiorem reddit, Deoque acceptiorem; ut non pauci docuerunt, & contra quam aliis aliter videri possit, demonstrarunt. Sed quia hac de re agendum postea erit, & aperte probandum, Christi præcepta hoc ipsum complecti, ut vitam æternam nobis illa servantibus datum iri credamus; hoc in præsentia omisso, satis habeo, sine fide, id est, firma persuasione ista, Christi præcepta, etiamsi istud ipsum præceptum non fuisset, servari non posse. Nam quomodo firma ista persuasione præditus esse potero, ac sperare, me à Deo per Christum habiturum vitam æternam, nisi simul persuasum mihi fuerit, Deum ejusmodi esse, qui solus ex seipso divinum imperium habeat, & sic hujus universitatis & ipsius naturæ absolutus sit dominus? Excitare siquidem à mortuis, & immortalitate ac perpetua felicitate donare, vim requirit, quæ omnia possit; qualis vis in eo tantum esse potest qui solus ex seipso divinum imperium habeat. Neque requirit modo, sed quod requirat, hoc omnes sentiunt, immo vix vulgo creditur tantam vim inveniri posse, quæ id præstet.

Discipulus.

Agnosco jam utramque causam, cur si Dei Christique præcepta servare velimus, persuasum habere debeamus, Deum unum esse, id est, neminem præter ipsum, divinum imperium ex seipso habere. Quorum prior ad Dei gloriam spectat, altera vero ad salutem nostram. Quare etiam priorem pluris faciendam existimo.

Magister.

Vera sunt ista, & recte existimas. Quanquam non potest esse salus nostra à Dei gloria disjuncta. Illud certissimum est, priorem quam attuli causam, certiorem esse, & nimis aperte constare, Deum supra omnia à nobis requirere, ut credamus, ipsum esse solum omnium bonorum auctorem, & solum ex seipso jus divini imperii in nos habere, utque ipsum, ut talem veneremur, colamus ac prædicemus; nec quidquam magis in nobis abominari, quam opinionem pluralitatis Deorum, id est, quod aliquis Deus præter ipsum sit, qui à nemine nisi à seipso dependens divina potestate sit præditus, quemadmodum innumerabilia ferme in Sacris Literis testimonia apertissimam fidem faciunt. Quæ omnia iis addi possunt, quæ de divino præcepto hujus rei antea disputavi. Vim enim omnino præcepti habent cuncta & singula testimonia ista. Cur enim (exempli causa) Moses populo dicit Deut. 6. *Audi Israël. Jehova Deus noster, Jehova unus est*, nisi ut jubeat eos id pro certo habere, & hinc agnoscant se debere id facere, quod diserte statim illis præcipit, inquiens, *Et diliges Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo &c.*

Discipulus.

Memini, te cum de his duabus causis dicere inciperes, cur agnoscendum nobis sit, Deum esse unum, si ipsius Christique præcepta servare velimus, ita locutum fuisse, ac si duæ istæ causæ non essent solæ, sed potiores; notavi enim te vocem *potissimum*, addidisse. Quod non sine causa arbitror à te factum fuisse.

Magister.

Prævenisti me; Jam enim, cur vocem istam addiderim, explicaturus eram. Videtur enim, etiamsi nec ipse Deus id præcepisset, nec Christi præcepta requirerent, ut vitæ æternæ præmium, ab iis qui illa sint servaturi speraretur, vix ac ne vix quidem fieri posse, ut quis Dei Christique præcepta servet, nisi persuasum habeat, Deum qui illa dedit solum esse, qui ex seipso divinum imperium in nos habeat. Ut enim quis Dei præcepta servet, non satis est simpliciter ea facere quæ Deus fieri præcepit, sed necesse est præterea ob hanc ipsam causam illa facere, quod Deus ea fieri præcepit, utque illi debita obedientia præstetur. Hoc autem necessario requirit, ut omnino ac certo nobis sit persuasum, illum habere jus, omnia & singula ista quæ præcepit acjussit, præcipiendi ac jubendi; quod fieri nequit, dum credimus aut dubitamus, ne quis alius præter eum sit, qui ex seipso divinum imperium in nos habeat. Sic enim necesse esset, ut divinum istud in nos imperium divisum esset, id est, in quibusdam tantummodo iste, in quibusdam rursus tantummodo ille, nobis imperandi jus haberet. Qua igitur ratione certi esse possemus, præcepta quæ tanquam à Deo data nobis servanda proponuntur, non excedere limites imperii ejus? Apparet igitur, ut præcepta ista in eum finem faciamus, in quem fieri debent, oportere nobis persuasum esse, eum qui illa dedit, nullis limitibus circumscriptum divinum imperium in nos habere, & consequenter solum esse, qui ex seipso tale imperium in nos habeat. Hinc intelligi potest, quamvis præceptum de hac ipsa re à Deo datum præcipue ad ipsius gloriam pertineat, simul tamen ad nostram quoque felicitatem pertinere, cum, si istud nobis persuasum non fuerit, Deo integram obedientiam præstare firmiter statuere non possimus, sine quo firmo proposito fieri non potest, ut Deo cari simus, & consequenter non nisi infelices esse possumus.

Discipulus.

Jam intelligo quam necessarium ad confirmationem Dei Christique præceptorum sit, sibi persuadere, Deum ex seipso divinum imperium in nos habere, & solum talem esse. Sed satis esse, ut hæc duo, ex iis, quæ ad ejus essentiam pertinent, cognita habeamus, haud facile possum credere. Nam ut cætera taceam, necessarium etiam omnino videtur, & quidem ad Dei Christique præcepta servanda, cognitum habere, Deum esse æternum, id est, ut principio sic fine carentem. Nam quomodo (quæso) ut reliqua omittam, poterit quis sibi persuadere, se vitam æternam ab illo habiturum, qui ipse non sit æternus? Conclusum est autem à te, vitæ æternæ consequendæ spem ad Christi præcepta servanda necessariam esse.

Magister.

Vera dicis. Sed oportet te animadvertere, Dei æternitatem aperte ac necessario eo contineri, quod Deus ex seipso, & quidem solus, divinum imperium in nos habeat. Hoc enim manifeste complectitur ac ferme diserte exprimit, Deum principium nullum habere. Neque enim ex se ipso divinum imperium habere, aliud est, quam illud & natura sua habere, & à nullo alio accepisse. Necesse est autem, ut is qui natura aliquid habet, nec aliunde id accipit, nullum initium ipse habuerit. Alioqui vel naturaliter id non haberet, vel per propagationem, & sic non ex seipso, sed ex propagante. Quod si hoc ita se habet in aliis omnibus rebus, quanto magis id verum esse debet in imperio divino, eoque ejusmodi quod solus quis habeat, cum tale imperium nec acquiri propriis viribus possit, nec aliunde accipi? Nullum igitur dubium esse potest, quin si Deus ex seipso & quidem solus, divinum habet imperium, nullum habuerit initium, sed semper fuerit, & consequenter nullum sit habiturus finem, sed perpetuo & in sempiternum ac futurus.

Discipulus.

An non censes adhuc alia esse, quæ ad Dei essentiam vel pertineant, vel pertinere affirmentur, eaque Deo Christoque obedire volenti cognitu sint necessaria?

Magister.

Censeo quidem; sed ea ejusmodi sunt; quæ non minus quam æternitas, illis duobus, quæ ego satis esse dixi, apertissime contineantur.

Discipulus.

Quænam sunt ista?

Magister.

Potentia, bonitas, ac sapientia summa, nullisque limitibus circumscripta. Placet enim alios hac in re imitari, ut scilicet his tribus ea omnia complectar, quæ in Deo sunt naturaliter, & in alia re quapiam qualitates & essent & dicerentur, sed in Deo, ut plerique statuunt, ad ipsius essentiam omnino referuntur. Quanquam videtur dici posse, qualitates essentiales dari, seu

seu qualitatem id etiam appellari posse; quod ad rei essentiam pertinet, ut est in homine rationabilitas. Sed hæc in præsentia logicis ac philosophis relinquamus, & una cum aliis simpliciter statuamus, tria ista quæ diximus, in Deo ad ipsam Dei essentiam omnino pertinere. Id tantummodo animadvertendum est, me hic bonitatis nomine potissimum id complecti, quod alii etiam necessario sunt complexi, justitiam videlicet, seu mavis rectitudinem & æquitatem, idque fere solum hoc loco intelligere, sapientiæ vero appellatione, rerum notitiam ac certam scientiam significare voluisse. De quibus antequam aliquid explicatius dicam, ostendendum mihi est, quomodo ex eo, quod Deus ex se ipso divinum imperium solus in nos habeat, necessario sequatur, in eo ista tria, quæ dixi, summa & nullis terminis circumscripta esse. Sequitur autem omnino ob hanc causam, quia necesse est, ut is, qui tale imperium solus habeat, sit omnium rerum quiddam perfectissimum, cum sit natura omnium summus, & consequenter, ut quæ in ipso sunt, perfecta & summa sint omnia, & nihil illi desit, quod sit bonum. Quare, cum potentia, bonitas, & sapientia res bonæ sint, non solum necesse est hæc omnia in Deo esse, sed etiam summa ac perfecta in ipso esse.

Discipulus.

Sed adhuc tibi exponendum restat, quomodo tria ista, Deo & Christo obedire volenti, necessarium sit cognoscere, summa ac perfecta in ipso Deo esse.

Magister.

De potentia jam satis expositum tunc fuit, cum ostendimus, ad Christi præcepta servanda, spem vitæ æternæ adipiscendæ requiri. Conclusimus enim non posse vitam æternam sperari, nisi ab eo, qui nullis limitibus circumscriptam potentiam habeat. De justitia seu rectitudine & æquitate, propterea statuendum est Deo Christoque obedire volenti, eam esse in Deo summam, ut nulla res esse possit, quæ ipsum à firma spe obtinendi à Deo, quæ sibi obedientibus promisit, quidquam demovere possit, utque in omnibus tentationibus, quæ Christi præcepta servare curantibus maximæ & plurimæ occurrunt, persistere perpetuo queat, hac firmissima persuasione imbutus, quod nihil iniquitatis ea in re esse potest, (quod quidem ad ipsum Deum attinet) quod ii qui Deo Christoque ejus obediunt, tot malis & periculis in hac vita sunt circumdati, cum, scilicet, in Deum nulla ne minima quidem iniquitas possit cadere, sine cujus nutu ista evenire nequeunt, quippe qui omnia noverit, & omnia possit. Jam de rerum omnium scientia perfectissima, quæ in Deo sit, necessario persuasum esse debere eum, qui Deo Christoque sit obediens futurus, id manifeste demonstrat, quod, cum obedientia ista ex corde potissimum hominis obedientis proficiscatur, ex eoque æstimetur, necesse est, ut Deus cor ipsum hominis inspiciat, noscat, atque examinet; hominis autem corde nihil abstrusius, nihil involutius, nihil denique ad cognoscendum & rimandum difficilius. Itaque necesse est, ut qui illud recte atque exacte noverit, summa atque inexplicabili rerum omnium scientia sit prædita.

Discipulus.

Si recte mentem tuam percipio, ex eo, quod ad Dei Christique præceptorum obedientiam cognoscendam & judicandam necesse esse ostendisti, ut Deus hominis cor penitus noverit, hinc concludere tacite voluisti, eum qui obediturus sit, necessario hoc ipsum sibi de Deo persuadere debere. Nam alioqui, quomodo statuere posset, se velle ei obedire, de quo persuasus non sit, eum exacte cogniturum obedientiam suam, de ipsaque ex suo ipsius decreto justam sententiam ferre suo tempore posse?

Magister.

Sic plane concludere volui. Nam vitæ æternæ præmium, sine cujus spe, ut diximus, Christo obedire non possumus, nullo pacto sperari à Deo posset, si persuasum non esset, illum obedientiam nostram perspectissimam habiturum, cui, ex pura sua benignitate, præmium istud ipse constituit. Itaque jam habes, cur Deo Christoque obedire volenti, necesse sit hæc tria summa in Deo nosse, potentiam, bonitatem, id est, potissimum rectitudinem & æquitatem, atque sapientiam, id est, rerum scientiam ac notitiam.

Discipulus.

Habeo sane. Sed quænam est causa, ut divinæ bonitatis & sapientiæ nomine, Dei benignitatem, & id quod in homine prudentia dicitur, expresse ac diserte complexus non fueris? Nunquid ista in Deo esse, haud necessario is nosse debet, qui Deo Christoque sit obediturus?

Magister.

Animadvertere primum debes, me in tota hac disputatione sciendi seu cognoscendi verbo, ut ex verbis meis observare potuisti, idem intelligere, quod sibi persuadere. Quia enim ista, quæ in Deo esse diximus, in se ipsis certissima sunt, licet apud nos non ita sunt certa, propterea persuasio, quam de ipsis habemus, cognitio & scientia appellari potest. Neque enim persuasio ista quidquam potest falli. Deinde animadvertendum tibi est, minus proprie dici, persuasum nobis esse debere, Deum benignum ac sapientem, id est, si de Deo ita loqui liceret, prudentem esse, nobis, inquam, qui Dei Christique præcepta servare volumus. Ipsa enim præcepta, junctis promissis & modo, quo Deus usus est, ut illis fidem habeamus, Dei benignitatem, & quam hic intelligimus sapientiam, quatenus illam nosse nobis necesse est, abunde declarant; & sic non quidem de illis persuasi esse debemus, sed illas plane agnoscimus. Id quod in aliis, quæ in Deo esse, diximus nos scire, id est, nobis persuadere debere, nequaquam evenit. Neque enim Dei vel æternitas, vel summa sive potentia, sive æquitas & rectitudo, seu denique rerum scientia, similiter ex divinis præceptis ac promissis, & modo, quo Deus est usus, ut promissa credamus, nobis statim apparet, quamvis alioqui satis constet, frustra Deum hæc facturum fuisse, & benignitatem ac sapientiam de qua nunc loquimur, per illa nobis fuisse patefacturum, nisi ista omnia in ipso essent, quemadmodum demonstratum antea fuit.

Discipulus.

Expectabam, ut quod attinet ad benignitatem responderes, illam non pertinere ad Dei essentiam, de qua cognoscenda nunc agitur, sed ad voluntatem.

Magister.

Quamvis Dei benignitas ad unumquemque nostrum singulariter relata, sive etiam ad ea beneficia in universum, quibus Deus res creatas, cum ipsas creando, tum postquam illas creavit, vel jam afficit, vel afficere decrevit, ad puram & simplicem ejus voluntatem pertineant, nec ab ipsius natura sive essentia necessario proficiscatur; tamen si aliter consideretur, id est in genere, & quatenus Deus simpliciter creatis rebus bene facit, videtur ea naturaliter in Deo esse, & sic ad ipsius essentiam omnino pertinere.

Discipulus.

Antequam ulterius progrediamur, id abs te scire velim, cur cum me docere voluisti, quæ sint nobis de Dei essentia cognoscenda, id est, credenda nobisque persuadenda, sacra testimonia simpliciter non protuleris, in quibus ista de Deo affirmantur, sed rationes conquisieris, ut probares ista cognosci à nobis de Deo debere.

Magister.

Causa hujusce rei hæc fuit, quod etiamsi nihil dubitandum est, quin quæcumque in Sacris, id est Veteris Novique Testamenti testimoniis, sive de Deo, sive de alia re qualibet, affirmantur, sint verissima, non tamen censeo prorsus necessarium esse, ea omnia intelligere, quæ, non dicam aliis de rebus, sed de ipso Deo in illis dicuntur. Qua de re postea plenius disserendum nobis erit.

Disci-

Discipulus.

Libenter patior, ut hujus rei pleniorem explicationem ulterius reserves, præsertim cum aliud sit, quod ex te quæram ad præsentem de essentia Dei tractationem summopere pertinens. Valde enim sum miratus, cum ostendisti, necessarium nobis esse ut sciamus, id est, nobis persuadeamus, Deum unum esse, te nullam mentionem fecisse personarum in Deo, sive illas agnoscas, sive minus, nec docuisse, an sit verum nec ne, Deum quidem esse unum essentia, sed tamen non unam in eo personam, sed plures esse, ut communis hodie Christianorum est sententia, atque, ut audio, per complura etiam sæcula communior etiam antea fuit. Rogo igitur, ut tui consilii, & hac de re silentii causam, mihi exponere velis.

Magister.

Cum disputatio nostra sit de cognitione Patris Jesu Christi, nullus locus esse potest isti quæstioni, an in Deo sint nec ne plures personæ. Cum in confesso sit apud omnes, in Jesu Christi Patre non esse plures personas. Nec te movere debet, quod jamdiu, immo ab ipso ferme initio, de Dei cognitione simpliciter disputo. Nam nemo est quin fateatur, in ipsa scriptura simplex Dei nomen ad solum Christi Patrem sæpius referri. Adde quod locus ipse, qui nobis ansam totius hujus disputationis dedit, ut ante dixi, ita accipi debet vel certe potest, ut in eo affirmetur, solum Christi Patrem esse verum Deum. Itaque merito potui, simplici Dei nomine solum Christi Patrem ubique intelligere ac nominare. Vides igitur justissimam atque adeo necessariam, mei hactenus de pluralitate personarum in Deo silentii causam. Quanquam alioqui etiam alia causa fuit, cur silentio rem istam præterierim; eam vero facile ipse potes per te ipsum divinare, cum & modo, ad superiorem tuam interrogationem respondens, & apertius ab initio hujus de divina essentia disputationis ea dixerim, unde constat, me non censere, necessarium esse omnia scire quæ ad Dei essentiam pertinent, hic vero de iis ageretur, quæ scitu sunt necessaria.

Discipulus.

Mirum est, necessarium non esse, veritatem scire ejus rei, de qua in Christiano populo & diutissime olim, ut historia Ecclesiastica testatur, & hac nostra ætate aliquandiu jam disputatum tam acerbe est, atque in dies magis disputatur.

Magister.

Si quis cum humani ingenii curiositatem, & concertandi studium, tum Satanæ astutias in Christi Ecclesia labefactanda, recte noverit, nihil istud mirabitur. Illud certissimum est, modo quis sibi persuadeat, Deum esse unum (quod quid sit, antea explicatum à nobis est,) nihil necesse esse ut plane norit, utrum unitas ista ratione tantum unius numero essentiæ sit, an etiam personæ. Quanquam enim necessarium alioqui est, ut ubi una tantum numero est essentia, ibi etiam una tantum sit persona, plerique tamen vel de hoc non cogitant, vel credunt, in divina essentia istam necessitatem locum non habere; immo non defuerunt, nec desunt, qui rationibus demonstrare conentur, omnino necessarium esse, ut in una licet numero divina essentia sint plures personæ. Et sane si ita est, ut divinæ essentiæ plures sint personæ, id ut etiam necessario sit oportet; necessario enim prorsus est quidquid ad divinam essentiam pertinet, cum ipsa essentia sit æterna & immutabilis.

Discipulus.

Quid igitur ipse de pluralitate personarum in divina essentia sentis?

Magister.

Ego quidem aliter sentire nequeo, quam quod modo dixi, videlicet, cum una tantum numero sit divina essentia, necesse esse, ut non sint plures divinæ ejus personæ, sed una tantum. Nullum enim vel divinum testimonium vel rationem habemus, cur in divina essentia istud fiat, quod alioqui fieri nullo pacto potest.

Discipulus.

Hoc (quæso te) mihi accuratius explica.

Magister.

Ut rem plane percipias, oportet, ut recte intelligas, quid essentia numero sit, & quid personæ nomine in hac disputatione intelligatur. Quanquam vero arbitror, tibi ista ignota non esse, tamen nihil obfuerit, certi aliquid de iis tecum constituere. Numero igitur essentia, qualem divinam essentiam esse omnes fatentur, ea est, quæ maxime proprie essentia vocatur, id est, natura quædam singularis & individua, quæ per se subsistit. Personæ vero nomine (nam hoc nomen alioqui potius alia quædam significare est aptum) hic rem intelligimus similiter singularem & individuam per se subsistentem, sed præterea intelligentia præditam. Adeo ut nulla alia inter numero essentiam & personam differentia sit, quam, quod omnis quidem persona est essentia numero, sed non omnis essentia numero est persona. Oportet enim, ut ad id quod satis est alioqui, ad essentiam numero constituendam, accedat intelligentia, si persona esse debet. Nam quod quidam existimant, numero essentiam intelligentia præditam in eo differre à persona, quod oporteat ad personam constituendam accedere subsistentiam, mirabiliter falluntur isti, cum ad ipsam numero essentiam constituendam subsistentia omnino requiratur. Et vera differentia inter essentiam specie, & essentiam numero, sive secundam & primam essentiam hæc sit, quod illa sine certa ac propria subsistentia consideratur, hæc vero minime. Nam alioqui etiam falsum esset id, quod tanquam principium quoddam pueris in scholis traditur, videlicet, primam seu numero essentiam de subjecto non prædicari. An non enim, si essentia ista vel esse, vel considerari posset sine subsistentia, merito dici posset ubi subsistentia accesserit, illam de subjecto illo prædicari. Cur vero de subjecto non prædicatur, nisi quia ipsa est subjectum? Quid autem est id subjectum, nisi res subsistens? Cum igitur certissimum sit, numero essentiam intelligentia præditam, à persona nihil differre, necesse omnino est, ut tot numero sint essentiæ quot sunt personæ, & consequenter, ut, si in Deo personæ sunt plures, plures etiam sint in Deo numero essentiæ, quod & longe absurdissimum, & maxime impium esse, nemo est quin videat ac fateatur.

Discipulus.

Memini me aliquando audivisse atque etiam legisse, in Dei essentia, quia infinita sit, locum non habere rationem istam, qua alioqui concluditur, tot esse essentias numero, quot sunt personæ.

Magister.

Immo si verum est, Dei essentiam (ut vulgo creditur) esse infinitam, multo minus fieri potest, ut cum ipsa una numero sit, divinæ personæ sint plures. Nam præter rationem à nobis allatam, quam cur infinitas sive immensitas essentiæ Dei labefactare quidquam possit, nihil apparet, accedit alia inexpugnabilis ratio, quod si plures essent divinæ personæ, plura etiam essent infinita, quod nullo prorsus modo esse posse, omnes uno ore confitentur. Infinitum enim hic vocamus id, quod est immensum, non duratione (tametsi immensitas ista sine ulla controversia in Deo est) sed ipsa sua substantia. Breviter quicquid contradictionem (ut loquuntur) implicat, id esse nulla ratione potest, sive in alia re quacumque, sive etiam in ipso Deo, immo, si hoc, quod impossibile esse omnes agnoscere coguntur, ex eorum esset genere, quæ magis & minus recipiunt, tanto magis in Deo, quam ulla alia in re id impossibile esset, quanto Deus magis, quam cætera omnia, ab iis, quæ invicem repugnant, ut absit necesse est, ob summam & undique absolutissimam perfectionem suam.

Discipulus.

Quanquam ex iis quæ antea disputasti, satis intelligere possum, quomodo hoc quod Dei essentia sit una tantum numero, personæ vero divinæ sint plures,

impli-

implicet contradictionem; tamen gratum mihi feceris, si id explicatius me docueris.

Magister.

Dixi ac probavi, idem plane esse personam, quod numero essentiam Intelligentis præditam, unde sequitur, Dei essentiam, quæ numero essentia eaque intelligentis prædita sine ulla controversia est, idem plane esse quod est divina persona. Quare qui Dei essentiam unam tantum esse fatetur, is necesse habet fateri divinas personas non esse plures; sed unam tantum; alioqui sequeretur, unam & eandem rem esse unam tantum, & non esse unam tantum, sed plures; quod manifestam implicat contradictionem. Itaque frustra penitus laborant, qui, dogma istud unius essentiæ in Deo & pluralitatis personarum, rationi non repugnare sibi demonstrandum suscipiunt; & ad Dei essentiæ infinitatem sive immensitatem recurrere, ut manifesta ista contradictio tollatur, vanum prorsus esse, nemo est qui non videat. Cum ista divinæ essentiæ immensitas efficere non possit, quin idem plane sit in Deo essentia, quod persona, alioqui per eam id, quod necessario verum est, falsum redderetur, ipsæque necessariæ rerum naturæ mutarentur; quæ non minorem contradictionem implicant, & porro plane absurdissima atque impossibilia sunt.

Discipulus.

Quando de divinæ essentiæ infinitate seu immensitate jam mihi persuasisti, illam non tollere, neque ullo pacto impedire, quominus si divinæ personæ sunt plures, plures etiam sint divinæ essentiæ, velim nunc ex te scire, quid tamen ipse de divinæ essentiæ immensitate sentias. Cum enim ipsius nullam mentionem antea feceris, ubi fieri abs te debere omnino videbatur, suspicor, te aliquid hic singularius habere, quod ne me celatum velis, te etiam atque etiam rogo.

Magister.

Nihil opus est his precibus. Nam statutum jam apud me est, te nihil celare eorum, quæ de rebus divinis sentio, modo illa inter disputandum mihi in mentem veniant; & hic nihil singulare habeo, præter id, quod non video, cur tandem necesse sit, quemadmodum vulgo sentiunt, quia immensa sit (verbi causa) Dei potentia, ejus quoque essentiam immensam esse. Nam sive potentiæ, sive alterius cujuslibet rei, quæ ad Dei attributa (ut vocant) pertineat, non ejusdem generis est immensitas, cujus illa est, quæ Dei essentiæ communiter tribuitur, & de qua loquimur. Hæc enim immensitas ad quantitatem (si ita, cum de Deo est sermo, loqui licet) illa vero ad qualitatem pertinet. Et sane si quis alicujus (puta) animantis vires, aut aliam quamlibet qualitatem, ex ipsius animantis quantitate metiri velit, merito ab omnibus deridebitur. Sed dicent fortasse, non posse ex re finita aliquid infinitum proficisci, cum inter finitum, & infinitum, ut vulgo dicitur, nulla sit proportio. Ad hoc respondeo, ipsam divinam potentiam, de qua, ut in exemplum allata, hic nominatim agimus, ita esse infinitam, sive ut antea nos ipsi locuti simus, nullis limitibus circumscriptam, ut ad omnia penitus, ac sine ulla prorsus exceptione pertingat, quæ fieri possunt. Quædam enim sunt, quæ nullo modo possunt fieri, ut sunt ea omnia, quæ, ut paullo ante attigimus, contradictionem implicant. Quale est illud in ipsis theologicis scholis decantatum, ut factum infectum fiat. Ad quæ omnes fatentur ipsam Dei potentiam non pertingere. Ex quo constat, non ita absolute infinitam esse Dei potentiam, ut nulla sit futura proportio inter ipsam & Dei essentiam, unde illa proficiscitur, etiamsi Dei essentia non sit immensa. Talis enim immensitas omnibus numeris ablolutissimam in suo genere infinitatem declarat.

Discipulus.

Suntne aliæ rationes, præter istam à Dei potentia vel alia re simili ductam, quibus uti soleant ii qui probare volunt, Dei essentiam infinitam sive immensam esse?

Magister.

Sunt sane. Sed quæ nihil ferme theologici habeant. Quare illas missas facio. Neque enim mihi propositum nunc est, tibi persuadere, Dei essentiam non esse infinitam, cum ipse nihil habeam quod hac de re prorsus statuam. Sed tantum mea cura fuit, te docere, ex iis quæ de Dei essentia tenenda esse statui, ut est nullis limitibus circumscripta tum potentia tum scientia Dei, non necessario sequi, Dei essentiam esse infinitam, & fieri posse, ut quis istam essentiæ Dei infinitatem non probet, nec tamen quidquam de aliis dubitet, quæ ad ipsam Dei essentiam pertinent, & necessario tenenda sunt.

Discipulus.

Atqui de Dei scientia, & si quid aliud simile potentiæ in Deo est, nihil hoc loc disputasti?

Magister.

Propterea id feci, partim, quod per te ipse ex iis, quæ de potentia dixi ea etiam quæ mihi de scientia, & si quid aliud est ejusmodi dicenda fuerent, satis intelligere potes, partim, quod nominatim de Dei scientia alibi commodius ea, quæ ad hoc propositum spectant, explicanda erunt.

Discipulus.

Jam quomodo (quæso) ais, te nihil habere, quod prorsus statuas de immensitate essentiæ Dei, cum non pauca sacra testimonia ejus rei habere videamur? Cujusmodi præcipue est illud, quod apud Hieremiam Deus ipse dicit, *Cælum & terram ego impleo.*

Magister.

Mihi vero videtur iste ipse locus seipsum in alium sensum interpretari, & simul nos docere, quomodo alii loci similes accipiendi sint. Immo superiora verba, *Numquid Deus ego è propinquo, & non Deus è longinquo?* suadere potius videntur, ipsius Dei substantiam non ubique pariter præsentem esse, & sic eam non esse immensam sive infinitam, quamvis ubique tamen sua virtute & providentia sit ipse Deus præsens. Nam hoc omnino id esse videtur, quod postea dicit, se cœlum & terram implere. Et sane cum ibi de eo agatur, quod nemo se in latebras aliquas abscondere possit, ita ut illum Deus non videat, nihil videtur esse opus ad id concludendum quod Deus vult, ut ejus substantia sit ubique, sed satis est, aciem (ut humano more de Deo loquar) oculorum ipsius quocumque penetrare. Tametsi non nego, posse quempiam suspicari, cum Deus dicat, se cœlum & terram implere, voluisse, quamvis alioqui non necessaria, ista ratione uti, quod ipse substantia sua cœlum & terram impleat, nisi obstarent superiora verba illa, ex quibus apparet, Deum nolle ista ratione uti, cum ipse se non è propinquo tantum, sed è longinquo quoque Deum esse dicat; sive propinquitatis & longinquitatis sui ipsius respectu consideratæ, mentionem secundum veritatem faciat, sive secundum hominum quorundam opinionem.

Discipulus.

Verba ista superiora in Bibliis, quæ Vatabli appellantur, ita accipiuntur, ac si Deus voluerit dicere, se non paullo ante Deum extitisse, sed jam diu, id est, se non esse novitium & recentem Deum, sed æternum, & in eundem sensum hunc locum Castellio est interpretatus.

Magister.

Ista interpretatio, judicio meo, nec verbis, nec totius loci sententiæ quidquam convenit. Nec puto ipsum Franciscum Vatablum, virum judicio & Hebraica Literatura insignem, istius annotationis auctorem esse, sed aliquem ex ipsius discipulis, qui, Vatablo Sacras Veteris Testamenti Literas publice explanante, annotationes illas calamo exceperunt, hunc locum, cum Vatabli interpretationis non meminisset, è suo capite interpretatum fuisse, atque ut potuit, conatum esse ostendere, hinc non probari, quod ipsa verba sonant, ipsi videlicet Dei substantiæ quædam propinqua esse, quædam vero longinqua; nempe qui hoc fortasse plane

impium & falsissimum esse existimaret. Quem ob eandem causam facile Castellio est imitatus. Potuisti, ni fallor, satis intelligere, verba quæ ipse ex isto Hieremiæ loco attulisti, non id probare quod putabas, & quis sit verus atque indubitatus eorum sensus percipere, unde aliorum quoque similium locorum sensum per te assequi ipse nunc poteris. Videbis enim in nullo similiter ex aliis locis, ut Esai. 66. 1. & Psal. 139. 7, ad id concludendum, quod ibi affirmatur, quidquam necesse esse, ut Dei essentia sit ubique, sed satis esse, ut ejus majestas & gloria virtusque simul ac providentia quocumque pertingat. Vide autem Amosi 9. 2 &c. Nam ibi explanationem loci Psal. 139 invenies. Addo autem, ex locis Hieremiæ & Esaiæ, etiamsi de ipsa Dei essentia sive substantia accipienda essent, nihil amplius posse de ipsa concludi, quam illam esse tantam, ut cœlum terramque attingat, atque adeo impleat. Ex quo nulla ipsius immensitas colligi potest, cum ipsum cœlum cum terra conjunctum non sit immensum, id est, ut hoc in loco intelligimus, infinite magnum. Et sane secundum ipsos Theologos, qui, ut dixi, vulgo sententiam istam immensitatis divinæ essentiæ defendunt, absurda multa sequerentur, si quis verba istorum locorum, ita ut sonant, de ipsa divina essentia acciperet, & una cum ipsis absurdis, sententiæ ipsius, quam nihilominus inde probare audent, confutatio. Sed ista longius persequi nolo, utpote minus necessaria, & nimis diu jam à nostro proposito digressi sumus.

Discipulus.

Digressio ista à quæstione de pluralitate personarum in una essentia divina, ad quæstionem de ejusdem essentiæ infinitate sive immensitate, haud plane extra propositum fuit. Adhuc enim de ipsa Dei essentia disputabamus, & porro disputamus.

Magister.

Ita est. Ut igitur ad propositum tamen ipsum redeam, satis tibi constare puto, ex infinitate sive immensitate essentiæ Dei, nullo modo probari posse, efficacissimam illam rationem, quam attuli contra pluralitatem personarum, ubi sit tantum una numero essentia, in ipso Deo locum non habere, tum propter aliud, tum etiam propter hoc, quod nullum certum in divinis literis testimonium habemus istius divinæ essentiæ immensitatis, sed potius contrarium ex illis videtur colligi posse. Hoc certum est, rationem istam à me allatam tanti ponderis esse, ut eos, qui inter Christianos pluralitatem aliquam in divina essentia statuentes, veritati indagandæ diligentius interim operam dederunt, vel coëgerit confiteri, rem istam ejusmodi esse, quæ ratione discuti atque inquiri nullo modo debeat, sed simpliciter credi (horumque ingens est numerus) vel eo adduxerit, ut crediderint divinam essentiam non numero sed specie unam esse, inter quos fuit Johannes Philoponus cognomento Grammaticus, vir, ut omnes fatentur, tum summæ alioqui eruditionis ac judicii, tum rerum philosophicarum peritissimus; aut contra eo pertraxerit, ut affirmaverint, pluralitatem istam in Dei essentia non esse revera personarum, seu intelligentiarum ac subsistentium per se rerum invicem distinctarum, sed potentiarum; è quorum numero fuit nostra ætate Jacobus Schegkius homo Philosophus ac præstanti eruditione præditus. Itaque adversus validissimam & alioqui inexpugnabilem rationem nostram nihil restat, nisi fortasse auctoritas divinorum aliquot testimoniorum, de quibus breviter aliquid dicendum nobis est.

Discipulus.

Huc ut devenires omnino expectabam. Quare explica quæso te, præcipua ex Sacris Literis petita testimonia, ex quibus pluralitas personarum in Deo colligi posse videatur.

Magister.

Animadvertendum est, testimonia ista duplicis generis esse, nam aut simpliciter & in genere videntur testari in Deo esse plures personas, aut, vel sola vel cum aliis conjuncta indicare, quænam sint istæ plures personæ. Seu, scilicet, aliquæ ex ipsis, sive omnes. De iis, quæ ad prius genus pertinent, ut prius disputemus res ipsa plane postulat, utque hanc tractationem absolvamus, dum adhuc de ipsa Dei essentia agimus. Nam de iis quæ posterioris sunt generis tum explicandum erit, cum de Jesu Christi essentia disputabimus, quem ejusdem numero cum Patre essentiæ esse, ex quibusdam sacris testimoniis intelligi posse videtur, cum tamen certissimum sit, personam hujus à persona illius differre ac distinctam esse. Primum igitur multis satis accommodatum testimonium ex ipsis Sacris Literis ad probandam pluralitatem personarum in Deo videtur, quod Hebraicum nomen ipsi Latinæ voci Dei respondens, cum Deus in ea lingua nominatur fere semper plurali numero usurpatur, cum tamen interim verbum, aut adjectivum nomen illi adjunctum singulari numero soleat efferri, quod arbitrantur omnino indicare, Deum quidem esse unum, plures tamen in ejus essentia esse personas. Verum aliquot sunt ex illis, qui pluralitatem istam personarum in Deo defendunt, ac tenent, viri magni & eruditi, qui tamen nullum testimonium hac de re inde sumi posse affirmant, ob id potissimum, quod compertissimum sit, nomina quæ apud Hebræos potestatem dominationemve aliquam significant, quantumvis de uno tantum homine, sive humana persona prolata, sæpius numero plurali efferri, & nihilominus similiter cum verbis aut cum nominibus adjectivis singularis numeri conjungi. Nam quod quidam ajunt, nomina ista potestatem dominationemve aliquam significantia de Deo proprie dici, de hominibus vero per translationem, & ideo cum de hominibus dicuntur, ita efferri, quemadmodum cum dicuntur de Deo etiamsi alioqui nulla sit in ullo homine personarum pluralitas, ut est in Deo. Animadvertendum est, res quidem ipsas, quæ nominibus istis significantur, magis proprie Deo convenire, quam hominibus, sed de nominibus tamen sentiendum potius esse, illa hominibus primum fuisse ex loquendi usu accommodata, & postea ad ipsum Deum translata, de quo, videlicet, homines loquuntur secundum captum suum, & non proprie ac vere secundum ipsius Dei naturam, quam partim ignorant, partim, quomodo decenter verbis exprimant, non inveniunt. Si alicubi testatum haberemus, nomen Elohim, quo Deus apud Hebræos appellatur & pluralis numeri est, Deum ipsum sibi indidisse, sive ut id ab hominibus, cum illum nominare vellent, usurparetur, jussisse, posset fortasse quis suspicari, istam pluralitatem personarum in Deo esse, quæ scilicet fuisset causa, ut ita constitueret ac juberet: sed cum nihil prorsus appareat, unde id Deum fecisse colligi possit, & verisimile plane sit, hominem ab initio, cum Deum nominare cœpit, appellatione ista, quæ dominationem ac potestatem significat, plurali numero ad id magis exprimendum uti voluisse, nullus est de ista pluralitate personarum in Deo suspicandi locus, omnes enim confitentur qui eam defendunt, hoc de divina essentia mirabile arcanum ab initio incognitum fuisse.

Discipulus.

Volunt tamen hoc mysterium quibusdam quoque ex antiquioribus fuisse cognitum; inter quos ipsum primum hominem, quem tot aliis donis à Deo insignitum faciunt, numerandum esse verisimile est.

Magister.

Mihi vero nullo pacto fit verisimile, Deum primo homini, antequam obedientiæ illius periculum faceret, mysteria sua abditissima patefecisse, & multo minus postea, cum periculo isto facto, illum minime obedientem deprehendit. Nam tot alia ista dona quibus antea insignitus à Deo fuisset, ego quidem neque in Sacris Literis lego, nec ratione duce intelligi posse video. Qua de re uberius explicabimus, ubi de humanis viribus in divinis præceptis servandis agemus. Concludo igitur, nihil esse causæ, cur ex nomine Elohim numeri pluralis, quo Deus Hebraica lingua, omnium

licet

licet antiquissima, & qua primum divina oracula expressa atque consignata sunt, appellatus fuit, colligi possit pluralitatem personarum in ipsius Dei essentia esse. Plura ad hoc idem concludendum, afferri à me potuissent; sed ea partim * alii scriptis consignarunt, idque ubi alioqui ex professo pluralitatem personarum in Deo probare conabantur, partim propter agnitam ab istiusmodi aliquot (ut dixi) magnis viris ratiocinationis infirmitatem omitti posse duxi.

Discipulus.

Firmius fortasse testimonium pluralitatis personarum in Deo præbere dicenda sunt illa loca, ubi Deus de se ipso in plurali numero loquitur, qualis est præcipue celeberrimus ille locus Gen. 1. 26: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

Magister.

Non est dubium quin aliquanto plus ponderis testimonium istius & similium locorum hac in re habere videatur. Neque hic sane, ut in superiore ratiocinatione, evenit, ut scilicet, ex iis qui alioqui personarum pluralitatem in Deo asserunt, judicio ac doctrina præstantes aliquot viri inveniantur, qui nihili faciant hujusmodi testimonium. Omnes enim eo utuntur, quos mihi legere contigit. Tantummodo † sunt, qui fateantur, Judæorum Rabbinos istiusmodi loca eludere, dicentes esse phrases linguæ; & addunt, difficile esse illos convincere, nihilominus Catholicos argumentis istis uti, quia Patres illis passim utuntur. Ubi tamen animadvertendum est, maximam partem istorum Patrum, præsertim antiquiorum, quantum meminisse possum, locum istum à te citatum, & quædam alia similia, non ad probandum in una numero Dei essentia plures esse personas affere solere, sed potissimum ad ostendendum jam tum fuisse aliam personam, quam Deus Pater vel alloqueretur, vel secum conjungeret in actionibus suis etiam præstantissimis, qualis est hominis creatio, quam à se nec plane sejunctam, nec alienam esse profiteretur, cum imaginem & similitudinem non meam sed nostram dicat. Unde concludunt, hinc certissime colligi posse, & Dei filium jam tum extitisse, & non esse illum ipsa sui substantia Patri dissimilem. Quæ ratiocinatio multo sane tolerabilior est, quam si quis velit ex istiusmodi locis probare non unam tantum personam in una tantum numero Dei essentia esse. Neque id quod Patres isti ratiocinantur ex eorum est numero quæ nullo modo esse possunt, quemadmodum hoc alterum omnino est.

Discipulus.

Videtur tamen alioqui istud alterum toti loco, quem citaveram, magis convenire, quam interpretationem ullam aliam ex qua identias (ut ita loquar) duarum vel plurium personarum quas verborum pluralis numerus indicet, non necessario concludatur. Statim enim ibi subjicitur Gen. 1. 27, *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, &c.* Hinc enim apparere videtur, cum a plurali numero in singularem illico fiat mutatio, personas istas numero plurali antea expressas, omnino esse unum Deum unamque divinam essentiam.

Magister.

Dicere potius debueras, istinc apparere, etiamsi Dei antecedentia verba plurali numero fuerint prolata, non tamen verbis istis plures una personas significari, & aliam quærendam esse causam, cur nihilominus Deus verba ista proferendo, plurali numero sit usus. Nam alioqui id statuendum esset ac tenendum, quod subsistere nulla prorsus ratione posse, antea demonstratum est, id est, plures personas esse, ubi una tantum numero essentia est. Et miror quidem esse, qui non malint figuratam aliquam locutionem sive hic, sive alibi suspicari, quam ea, quæ non modo absurdissima, sed etiam plane impossibilia sunt admittere.

* Bellarm. Tomo 1. 2. Contro. lib. 2. cap. 6. Col. 382.
† Bellarm. Tomo 1. cont. 2. lib. 2. cap. 6. Col. 385.

Discipulus.

Quæ igitur erit ista figurata locutio?

Magister.

Si Hebraicum verbum, quod redditum est Latine *faciamus*, quamvis futuri temporis sit, tamen omnino per præsentis temporis vocem in subjunctivo modo, quemadmodum factum est, Latine exprimi debet, crediderim defendi posse, nullam verbo isto significari pluralitatem personarum, & tamen locutionem ejusmodi esse, quæ vix figurata appellari possit, quippe quam loquendi usus in omnibus linguis requirere videatur. Jam quod Hebraicum istud verbum, quod proprie sonat *faciemus*, *faciamus* nihilominus reddi debeat (nam ex linguæ Hebraicæ usu id posse fieri, adeoque frequentissime alibi fieri debere certissimum est) cum omnium interpretum consensus, tum locus ipse per se docere videtur. Nam ubi simplex est decretum alicujus faciendæ rei, sine pollicitatione aut prædictione ulla; ibi futuri temporis verbum abrupte prolatum, quod, scilicet, ad quidquam vel expressum vel subauditum, nullam relationem habeat, ut in hoc loco contingit, vix usquam usurpatum invenietur. Exempli causa, cum Gen. 2. 18, in loco persimili, ubi videlicet agitur de muliere formanda, Deus ait, *Faciam illi adjutorium, &c.* (Quanquam vulgata editio, tam Græca quam Latina hic quoque habet *faciamus*) idcirco per verbum futuri temporis est locutus, quia proxime dixerat, *Non est bonum hominem* (vel potius *Adamum*) *esse solum.* Quo respiciens statim intulit *faciam, &c*, perinde ac si dixisset, *faciam igitur illi, &c*, sive, ut Vatablus locum supplendum censuit, *Propterea faciam illi, &c.* Hic, inquam, est, cum relatione videlicet ad aliquid, usus futuri temporis in verbis simplex decretum significantibus. Sed ubi plane abrupte verbum effertur, ut in nostro fit loco, vix crediderim futuro tempori, ut dixi, locum esse.

Discipulus.

Succurrit nunc locus ille, ubi Deus decernens diluvium, ait Gen. 6. 7, *delebo, &c.* Nam ibi quoque verba tum Dei ipsius, tum Mosis qui historiam scripsit antecedunt, ex quibus causa istius decreti aperte colligitur. Sed quid tandem efficietur, etiamsi nihil sit dubitandum, quin verbum Hebraicum in loco nostro reddendum sit *faciamus*, & non *faciemus*; quidve oportuit laborare in eo probando, quod omnes concedunt?

Magister.

Non ita omnes concedunt, ut ipse arbitraris. Sunt enim extra tot varios interpretes, qui, ut dixi, omnes (ni fallor) id concedunt, pauci quidam alii, qui id negant, voluntque futurum tempus omnino retineri. Sed præterea ego is sum, qui non satis habeam aliquid mihi ab omnibus concedi, ubi ipsius rei probabilem saltem si non necessariam rationem afferre possum. Jam si prorsus, ut probavimus, non per futurum tempus verbum Hebraicum, & consequenter per præsens subjunctivi modi Latine reddendum est, & omnino dicendum faciamus; jam unusquisque animadvertere potest, ex isto verbo pluralis numeri nullam personarum pluralitatem colligi posse; cum necesse sit, ut quævis unica & simplicissima persona, si per verbum præsentis temporis subjunctivi modi decretum aliquod, suum ipsius tantum, significare velit, plurali numero utatur; præsertim ubi consultatio simul aliqua, quam secum ipsa fecerit, subindicanda fuerit. Nam voluisse scripturam ita loquentem Deum inducere, ac si secum ipse prius consultasset, cum hominem creare decernit, plane verisimile videri debet; ut scilicet hac ratione innueretur, quanti momenti fuerit hominis creatio. Quidquid sit, sive consultatio aliqua indicetur sive minus, certum est, ut dixi, in hujusmodi decernentibus, & sui ipsius adhortationem omnino exprimentibus locutionibus per subjunctivum modum, necesse esse numero plurali uti.

Discipulus.

Quantum ipsius loquendi usus meminisse possum, & in me

in me ipso, si aliquod ejusmodi decretum meum effari velim, experior, te id quod verissimum est, dicere animadverto. Quanquam ad id quod instituisti probandum satis est, si modo constet, posse unam tamen personam de se ipsa in re ejusmodi plurali numero uti, etiamsi posset non uti. Nihil enim aliud agis, nisi ut probes, potuisse Deum, quamvis unicam personam, de se ipso tantum isto in loco pluralem numerum usurpare. Nec abs re esse arbitror, ex profano scriptore exemplum quod mihi nunc in mentem venit, similis locutionis afferre, id est, T. Livii * ubi Hannibalem inducit decernentem sibi veneno mortem conscire. Sic enim eum loquentem facit: *Liberemus diuturna cura populum Romanum.*

Magister.

Est quidem exemplum istud satis ad rem nostram accommodatum; ex quo liquet, in ejusmodi locutionibus non modo licere, sed etiam necesse esse, ut diximus, numero plurali uti, quamvis nulla ratio revera plurium personarum habeatur, nisi fortasse per fictionem quandam. Nam si quis in istis Hannibalis verbis verbum *liberemus* in *liberem* mutare velit, nihil eum dicentem faciet, aut certe non id quod vult, & insuetatissimo loquendi modo utentem. Itaque miror, cum ii, qui testimonio isto divino à te citato ad pluralitatem personarum in Deo probandam utuntur, concedant *faciamus*, non autem *faciemus* ibi legendum esse, non animadvertisse non potuisse aliter Deum loqui, etiamsi unica tantum sit in ipso persona. Sed multo magis eos miror, qui ad idem probandum aliud huic simile divinum testimonium attulerunt, ubi Deus civitatis & turris Babelis ædificatores dissipaturus sic loquitur Gen. 11. ℣. 7, *Age descendamus, & confundamus ibi labium eorum* In isto siquidem loco propter adhortandi vocem nimis manifestum est, Hebraica verba per subjunctivi modi præsens tempus, ut factum est, Latine reddi debere, & ipsam sui ipsius, de qua antea diximus, adhortationem expressam esse, quæ singularem numerum in quantumvis unica persona plane respuit, & pluralem omnino requirit. Adde quod divina ista actio descendendi & confundendi labium illorum ædificantium, haud ejusmodi est, ut illa hominum creandi idque ad suam imaginem & similitudinem, in qua videlicet Angeli nullam partem videantur posse habere, & propterea eorum in vocibus illis pluralis numeri nulla videatur potuisse haberi ratio. Immo, minime Deo ipsi convenire ut descendat, fatentur omnes quod tamen Angelis optime convenit Joh. 1. 52. v. 24. Apoc. 10. 1. XVIII. 1; propter quos, quasi & ipse una cum illis descensurus esset, potuisset Deus numero plurali uti, etiamsi ista alia causa ipsius locutionis numerum pluralem omnino requirentis non adesset. Admirari autem multo magis illos decet, qui argumentum ductum à nomine divino Elohim, aut alio simili pluralis numeri, nullius ponderis fatentur esse, & tamen istud à verbo pluralis numeri, quo Deus de se ipso loquitur, petitum, plurimi æstimant; cum tamen ex eo ipso & propter eandem causam, quod receptum in Hebræa lingua sit, Deum nominibus pluralis numeri appellari, verisimile admodum fit, alicubi de Deo verbis pluralis numeri Sacra Hebraica testimonia loqui. Denique, ex verbis pluralis numeri de seipso à Deo usurpatis, pluralitatem personarum in ejus essentia colligere, etiam extra locutiones istas, quæ decretum aliquod & sui ipsius adhortationem continent, in quibus, ut dictum est, singulari numero non est locus, res videtur esse inconsulto facta, cum certissimum sit, usum istum, ut quis de se ipso plurali numero loquatur, receptissimum esse in lingua Græca & Latina, idque ex omni antiquitate. Cujus rei in Hebraica ipsa lingua vestigia aliqua, seu mavis initia quædam apparere, cui mirum videri debet? Dominus quidem ipse Jesus cum ea lingua uteretur, quæ ex antiqua Hebraica fluxerat, de seipso Joh. 3. 11; cum tamen sine dubio unica persona esset, numero plurali locutus invenitur, idque verbis non paucis.

Discipulus.

Arbitror, te intelligere locum illum apud Johannem, *quod scimus loquimur, &c.* Sed sunt * quidam qui ajunt, propterea numero plurali eo in loco usum fuisse Dominum Jesum, quia haberet in se Patrem & Spiritum Sanctum.

Magister.

Ineptissimum est commentum istud; cum aperte constet Dominum Jesum ibi loqui, ut eum qui testaretur ea quæ vidisset. Id quod nullo pacto ad Patrem vel ad Spiritum Sanctum accommodari potest, seu mavis ad divinam naturam; quippe quæ cum aliquid testatur, non id quod viderit, sed quod ipsa fecerit aut decreverit, testetur. Sed jam explicandus est alius locus, ex quo qui conati sunt probare in Deo esse plures personas, majore excusatione digni videntur. Is est in illis ipsius Dei verbis, *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, ad sciendum bonum & malum.* Neque enim numero tantum plurali de se ipso hoc loco Deus loqui videtur, sed aperte exprimere ipsam pluralitatem personarum. Nam quid aliud est *unus ex nobis*, quam una ex personis nostris? Hæc ratiocinatio sine dubio non leve pondus haberet, si constaret Deum voce *nobis* nullum alium extra se intelligere. Sed nihil vetat, quo minus voce ista eos qui in cœlo habitant, ex quorum numero ipse est, intelligere voluerit Deus, ac si dixisset, unus ex nobis cœlitibus, seu mavis una secum voce *nobis* suum famulitium & quasi aulam complexus fuerit. Immo hoc multo verisimilius est, quam, ut Deus seipsum tantum intellexerit, cum scientia ista boni & mali, quam Adamus ex usu vetitæ arboris adeptus fuerat, non possit esse res ipsius Dei propria, sed necesse sit, ut Angelorum ejus quoque sit communis. Nam nec Serpentis verba Gen. 3. 5, ad quæ sine dubio Dei verba ista relationem habent, ejusmodi sunt, ut de ipso Deo accipi debeant. Propterea interpretes non quidem *eritis sicut ipse Deus* sed *eritis sicut dii* serpentem dicentem faciunt, quamvis in Hebræo sit vox Elohim, quæ passim ipsum Deum significat. Angelos autem Elohim seu Deos appellari solere, divina testimonia aperte docent Psal. 8. 6, XCVII. 7, & nemo diffitetur. Sed præterea sciendum est verbum Hebraicum quod redditum est *ex nobis* reddi etiam posse *ex se ipso*, ut sensus sit Adamum fuisse factum unum ex se ipso scientem bonum & malum, vel unicum in sciendo ex seipso bonum & malum, ut vertit Chaldaicus interpres; quam tamen in voce unici interpretationem respuendam censeo, cum non fint ulli respectu quorum Adam unicus dici tunc potuerit.

Discipulus.

Atqui, ut nosti non desunt, qui omnino velint, Deum verba ista *ecce Adam, &c*, ironice protulisse, unde, si id verum esset, viderentur aliquo modo labefactari ea, quæ in ipsorum explicatione dixisti.

Magister.

Istorum opinionem ego semper contempsi, cum ex sequentibus ejusdem Dei verbis satis constet, antecedentia ista serio prolata fuisse, & propterea quia revera Adamus jam cognitionem boni & mali habebat, & consequenter quanti sibi esus arboris vitæ æstimandus esset probe noverat, Deum, qui nolebat illum ex arbore ista comedere, apposuisse illi ejusmodi custodiam, quæ Adamum ad illam accedere vetaret.

Discipulus.

Ironia quæ mihi videbatur explicationes tuas labefactare, pertinet ad priora ex verbis istis Dei, non autem ad posteriora, in quibus videlicet fit mentio scientiæ boni & mali.

Magister.

Ita connexa & simul juncta sunt verba ista Dei, ut si, quemadmodum ostendimus, posterior eorum pars non ironice, sed serio prolata fuit, necesse sit, ut prior quoque serio prolata fuerit, & serio dixerit Deus,

* Lib. 21.

* Franc. Tol. Cyril.

Ada-

Adamum fuisse factum sicut unum, &c. Quamvis autem jam satis docuerim, id quod in istis verbis dicitur de Adami scientia boni & mali ironicum non esse, placet tamen id præterea commemorare, quod omnibus est obvium, arborem scilicet illam ex qua Adamus comederat, appellatam ab ipso Deo fuisse arborem scientiæ boni & mali; quod manifeste significat illam habuisse vim conferendi comedenti ex ea, scientiam boni & mali, & diserte ait Scriptura amborum primorum parentum apertos oculos fuisse tunc, cum ex ea gustarunt, eosque tunc novisse, se esse nudos. Quod, scilicet antea ignorabant; qua eorum notitia Deus postea usus est ad probandum ipsi Adamo, eique exprobrandum, quod ex arbore ista, cujus esum illi interdixerat, comedere ausus esset. Quæ res, præter id quod antea dixeram, efficiunt, ut vehementer eos mirer, qui videntur dubitare, an revera Adamus ex illius arboris esu boni malique notitiam adeptus fuerit, vel non parum se torquent, ut intelligant quid ista notitia seu scientia sibi velit, vel quod pejus est, ita illam interpretantur, ut eorum interpretatio nihil habeat commune cum indiciis apertissimis, & speciminibus quæ istius scientiæ in ipsa Scriptura habemus. Sed non est hic locus hac de re uberius disserendi. Tantum te monebo in Hebraico contextu pro *factus est* verbum haberi, quod proprie significat *fuit*, quod videtur caussam * quibusdam dedisse ut adversus manifesta ipsius Scripturæ verba ausi sint dicere, immo ipsum Deum tacite hic dicentem inducere, hominem ante comestum fructum arboris illius boni malique scientia præditum fuisse, quam postea perdidisset. Sed animadvertendum est, sæpius confundi in Sacris Litteris fuisse & factum esse, tam in Vetere quam in Novo Testamento, id est, uno eodemque verbo utrumque significari, ac præterea in loco, quem præ manibus habemus, si tamen ipsius verbi proprietas retinenda sit, præteritum tempus pro præsente usurpatum fuisse, quod in lingua sancta frequentissimum est, & locum ita vertendum esse, *Ecce Adam* (sive *homo*) *est sicut unus* &c. quæ verba si sic legantur, magis etiam conveniunt cum serpentis verbis, ad quæ, ut dixi, omnino relationem habent. Eodem enim substantivo verbo usus fuerat serpens, inquiens, *Eritis sicut dii.* Adeo autem verum est, rectissime, verbi ipsius proprietate conservata, Hebraicum verbum in loco isto verti posse *est*, ut id ipsum fecerint (quod satis sane admirari nequeo) isti ipsi, qui ex verbo præteriti temporis *fuit* alioqui inducti videri possunt ad comminiscendum, Adamum, ante suum peccatum boni malique scientem fuisse, & postea esse desiisse. Quamquam, ut interea mirabili isti & cum divinis ipsis litteris manifeste pugnanti ipsorum commento locus esse posset, addiderunt de suo post verbum *est*, particulam *ne*, ut intelligatur per interrogationem verba ista à Deo prolata fuisse, & ita ex illis elici possit sensus ei contrarius, qui ex eisdem manat, si affirmando illa protulerit Deus. Sed de his jam satis.

Discipulus.

Ut recte percipi possit, quos Deus intelligat per vocem *nobis*, si modo *ex nobis* non autem *ex seipso* legendum est; necessarium videtur istorum Dei verborum sensum tenere. Quare rectissime mihi fecisse videris, qui omnem difficultatem sustuleris, quominus verba ista de præsente scientia boni & mali, quam Adamus ex esu arboris illius adeptus esset, accipi debeant, & ad intelligendum quidnam scientia ista sit, viam ex totius ipsius loci verbis patefeceris. Verum an non aliquid etiam tibi dicendum censes de loco illo apud Esaiam Esai. 6. 8? *Quem mittam? Et quis ibit nobis?*

Magister.

Ad istud me accingebam. Scio enim passim à doctissimis viris, Dei verba ista afferri ad probandum in uno Deo plures esse personas. Sed certe tanta res super tam debile fundamentum extrui nullo pacto debuit. Primum enim ostensum est à nobis numerum pluralem, ut in aliis linguis passim sic in lingua sancta interdum usurpari, cum quis de seipso loquitur. Nec vero in illis tantum Christi verbis, quæ antea commemoravi Joh. 3. 11, sed in aliis non paucis quæ in Sacris Literis, præsertim vero in Novo Testamento, leguntur, figurata ista locutio invenitur, ut in illis Pauli Rom. 1. 5, *per quem accepimus gratiam & Apostolatum*: & in illis Gal. 1. 8, & 9, *etiamsi nos aut Angelus è cælo, &c.* Et mox, *Quemadmodum antea diximus, nunc rursus dico, &c.* Sed alia etiam sunt apud eundem Paulum ejusmodi exempla, ubi nulla potest esse suspicio, illum non seipsum tantum sed alios quoque intelligere. Scriptor etiam Epistolæ ad Hebræos Hebr. 5. 56. vi. 9, & 11, pluribus in locis, de se ipso loquens, plurali utitur numero, quamvis nullum indicium appareat, illum eam Epistolam cujusquam alterius præterquam sui ipsius nomine scripsisse; immo ex ejus verbis Hebr. 13. 22, in ipsius Epistolæ fine satis constet, ipsum unum fuisse, qui eam scripserit. Denique cum in lingua Sancta Dei nomen plurali numero efferatur, idque aliam ob causam, quam ob pluralitatem personarum, ut ante conclusum fuit, nihil est, cur ex vocibus pluralis numeri ipsi Deo accommodatis pluralitatem in eo personarum quisquam colligere audeat. Adde, quod in loco isto Esaiæ inducitur aperte Deus quasi consultans cum iis qui aderant; id quod ex simili loco 1 Reg. 22. 20, ubi de decipiendo Achabo agitur, melius intelligi potest, ibi enim apertius etiam apparet de consultatione, cum statim subjungatur, hunc quidem hoc modo, illum autem illo modo dixisse. Sed apud Esaiam quoque præter interrogationem qua Deus utitur, ipsam Dei consultationem satis exprimente, habetur responsio ipsius prophetæ in visione illa adstantis, *Ecce ego mitte me*, quæ verba indicant, illa Dei verba consilium quodammodo quærentis esse. Atqui in consultationibus evenit, ut is qui consultat, verbis suis secum eos conjungat cum quibus consultat, quasi ea res non minus ad ipsos quam ad se pertineat. Cujus rei illustre exemplum habes, ubi Roboam cum junioribus, suis intimis famulis consultat, quid populo respondere debeat petenti sibi allevari onera, quæ Salomon Pater ejus ipsis imposuerat. Sic enim loquitur Roboam 1 Reg. 12. 8, *Quid consulitis vos, ut respondeamus populo isti?* Aut certe isto in loco Roboam, retinens suam cum istis junioribus auctoritatem, cum seipsum tantum intelligeret, verbo pluralis numeri tamen est usus; quare etiamsi concedamus, Deum voce *nobis* seipsum tantum intellexisse, apparet illum ex ipso usu linguæ Hebraicæ, propter summam suam auctoritatem, sic potuisse loqui, quamvis unica tantum sit persona. Itaque, sive hoc sive illo modo Roboami verba accipias, locus est insignis ad ostendendam futilitatem argumentationis ductæ ex vocula ista pluralis numeri in ipsius Dei verbis apud Esaiam. Achabus quoque ad servos suos verba faciens vel propterea quia cum ipsis quodammodo consultaret, vel quia cum auctoritate loqui vellet, usus est similiter.

Cætera perierunt.

* Imm. Trem. Franc. Juni.

FINIS.

Quòd Regni

POLONIÆ

& Magni ducatus Lithuaniæ homines, vulgò Euangelici dicti, qui solidæ pietatis sunt studiosi, omnino deberent se illorum cœtui adjungere, qui in iisdem locis falsò atque immeritò Arriani atque Ebionitæ vocantur.

Ex scriptis

FAUSTI SOCINI SENENSIS.

HEBR. 6. 1.

Omisso inchoationis Christi sermone, ad perfectionem feramur.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

Quod Regni Poloniæ & magni Ducatus Lithuaniæ homines &c.

PRÆFATIO.

Lectori Pio S.



Udivi sæpe (atque ita rem se habere ex parte ipse comperi) inter eos, qui in regno Poloniæ & magno ducatu Lithuaniæ vulgo Euangelici appellantur, non paucos esse, qui libenter scirent, quænam sint causæ & rationes, cur aliquot viri eruditione ac virtute præstantes, ipsorum cœtum, eorum cœtui posthabendum censuerint, qui Arriani & Ebionitæ vocari solent. Quin etiam vir quidam nobilis, & bonarum literarum apprime studiosus, quique me ab se impense amari tunc temporis profitebatur, diligenter me aliquando rogavit, ut causas istas & rationes brevi scripto comprehensas sibi habere liceret, idque mea opera, quandoquidem ipse illi auctor eram, ut ab Euangelicis, quibus adhærebat, ac perpetuo in vita sua adhæserat, ad istos alios transiret. Ego vero ejus precibus victus, quin me id, quod tantopere expetebat, facturum promitterem, facere non potui, hocque meo promisso jamdiu stetissem, nisi haud ita multo post ejus animum ob ipsam religionis causam, à me prope abalienatum esse, animadvertere mihi visus fuissem. Hæc igitur hoc tempore mecum ipse partim considerans, partim memoria repetens, & nihil prorsus dubitans, quin consilium, quod nobili isti viro dabam, salutare plane sit, & homini Euangelicæ in hisce regionibus religionis, ad solidam pietatem contendenti, ferme necessarium, amicis monentibus atque hortantibus, ut hac de re aliquid scriberem, parendum atque obtemperandum mihi censui. Sperandum siquidem est, ut ex Euangelicorum numero ii, qui ista legere cupiunt, non sine fructu etiam illa legant, & fructu quidem ejusmodi, cui nullus par esse potest. Quid enim cum æterna salute comparandum? Agitur nimirum hic de salute æterna, de qua vehementer periclitantur ii ex Euangelicis, qui nescientes, quænam sint causæ, cur multi, qui non minus quam ipsi, Antichristi jugum excusserunt, Euangelicorum cœtui minime se addixerint, vel prius addicti ab ipso postmodum recesserint, & ad alium accesserint, in instituto suo adhuc pergunt, & in eodem Euangelicorum cœtu esse perseverant. Quare, ut huic tanto periculo pro viribus nostris melius ac facilius obviam iremus, non simpliciter causas istas nobis exponendas putavimus, sed ad illas exponendas, nostræ hujus scriptionis argumentum esse voluimus, ostendere ac probare, prædictarum regionum Euangelicos homines, qui solidæ pietatis sint studiosi, omnino debere se illorum cœtui adjungere, qui Arriani & Ebionitæ vocitantur. Quas appellationes falso atque immerito illis tributas esse propterea affirmamus,

quod longe ipſorum ſententiæ ab iſtorum opinionibus abſint.

Arriani enim ſentiunt, Dei filium unigenitum eſſe ſubſtantiam quandam ſpiritualem à Deo ante cœlum & terram atque ipſos Angelos creatam ex nihilo, per quam poſtea alias res omnes creaverit. Hancque ſpiritualem ſubſtantiam, ſeu mavis ſpiritum, volunt humanum corpus tandem ſic induiſſe ſive aſſumpſiſſe, ut corpori iſti fuerit loco animæ, ex quo fit, ut Chriſtus Jeſus, quem neceſſe eſt velint iſtum ſpiritum eſſe humano corpore indutum, ex ipſorum ſententia, humana anima careat, ſemperque caruerit, & ſic (quod ipſimet fateri coguntur) verus & naturalis homo non fuerit. Præterea maxima pars Arrianorum Dei filio Chriſto Jeſu divinum cultum, ſive ejuſdem generis, quo Deus Pater ipſius afficiendus eſt, denegare eſt auſa; & hanc ob cauſam maxime, ab aliis Chriſtiani nominis hominibus diſſenſerunt, eoſque aliquamdiu graviſſime ſunt perſecuti.

Ebionitæ vero, maxima & potiſſima ex parte, Chriſtum, ex concubitu & conjunctione Joſephi cum Maria uxore ſua, natum dixerunt; nec iſtius appellationis ullus fuit, qui Chriſtianis hominibus Moſaicam Legem ſervandam non cenſeret, quive Paulum Apoſtolum ejuſque doctrinam & Epiſtolas omnes non ſperneret ac rejiceret, eoque ſolo Euangelio uteretur, quod dicebatur ſecundum Hebræos, reliqua vero omnia parvi penderet. Atqui illi, qui in regno Poloniæ & magno ducatu Lithuaniæ Arriani & Ebionitæ appellari conſueverunt, iſta omnia, tam Arrianorum, quam Ebionitanum dogmata prorſus erroris damnant, ac pleraque ut impia & blaſphema penitus averſantur atque horrent. Voluimus hac nobis occaſione oblata, graviſſimam ex iſtis falſis appellationibus proficiſcentem calumniam, qua homines pii, & Dei Chriſtique vera cognitione præ cæteris imbuti, gravari ſolent, retegere, & ab illis depellere: etiamſi alioqui nihil vereamur, quiſquis es lector, modo cordatus ſis, ne ejuſmodi larvis, ut pueruli ſolent, abſterrearis, quominus & hæc noſtra legas, & ea diligenter examines, & denique ſi ex illorum numero es, quorum cauſa potiſſimum illa ſcribimus, ad horum hominum, quos tantopere commendamus, cœtum accedas, eiſque tete adjungas. Vale.

Quod

Quod regni Poloniæ, & magni ducatus Lithuaniæ homines, vulgo Euangelici dicti, qui solidæ pietatis sint studiosi, omnino deberent se illorum cœtui adjungere, qui in iisdem locis falso atque immerito Arriani & Ebionitæ vocantur.

PROOEMIUM.

In quo ea proponuntur, quæ in hoc scripto breviter ostendenda suscipiuntur.

SI vere ac solide pius jure dici posset, quicumque ab idololatricis aliisque falsis ac commenticiis in religione cultibus abhorret, ab iisque est liber, possent ii, qui in regno Poloniæ & magno ducatu Lituaniæ, Euangelicam (quam vocant) religionem sinceræ pietatis studio sunt amplexi, illo suo facto esse contenti, nec quidquam præterea ulterius quærere. Detestatur siquidem religio ista, & quemadmodum verbis, sic etiam factis abominatur idololatricos & alios falsos ac commentitios cultus; & qui illam profitentur, meritissimo, vel ob unam hanc causam, ab Ecclesia, quæ Romana dicitur, secessionem fecerunt, ab eaque penitus sese separarunt, quod in ea Ecclesia cultus isti maximopere ac mirifice vigent.

1. Sed, quando certissimum est, ad hominem vere ac solide pium constituendum, id est, ejusmodi, qui Deo sit carus, ita ut ad numerum filiorum ejus pertineat, & cœlestem hæreditatem sit consecuturus, non satis esse ejusmodi falsos cultus abominari, sed simul etiam requiri, ne in eo ullum aliud vitium aut peccatum, quod sanæ Jesu Christi Euangelii doctrinæ repugnet, regnare seu habitare merito dici possit, nullo pacto deberet quisquam ista Euangelica religione esse contentus; & in ea prorsus acquiescere, qui ad cœleste regnum aspirare velit.

2. Quandoquidem habentur in religione ista, dogmata aliquot ac sententiæ, quæ fundamenta quædam pietatis ac salutis nostræ æternæ esse censentur, quibus approbatis ac retentis, vix fieri potest, ut ab istis, quæ diximus, vitiis aut peccatis, humana natura, quæ ad eam maxime est prona, ita sit libera, ut a nullo ipsorum vincatur & possideatur.

3. Huc accedit, quod in eadem religione, Euangelica vulgo dicta, quædam conceduntur, quæ Christi præceptis adversantur, eo quod persuasum in ea sit, Christi præcepta ad mores pertinentia nihil differre à præceptis ejusdem generis à Mose traditis.

4. Præterea errores quidam in ea sunt, qui licet per se ipsi æternam salutem non adimant, tamen, vel quia circa res maximi momenti versantur, vel aliam quampiam ob causam, facile impediunt, quominus quis æternæ salutis viam recte aut norit, aut certe teneat.

5. Postremo multa in eadem ista religione Euangelica ignorantur, quorum cognitio inutilis esse non potest, cum, quemadmodum in humanis scientiis, sic etiam in ipsa scientia divina vel minimæ alicujus rei ignoratio possit facile (ut error errorem parit) obscurationem ipsius sinceræ veritatis afferre. Atqui ab his omnibus incommodis & periculis, vel penitus, vel certe maxima & potissima ex parte libera est ea religio, quam in eodem regno & magno ducatu ii profitentur, qui summa injuria Arriani & Ebionitæ appellari solent; adeo, ut, quantum resciri & ad nostram notitiam pervenire potuit, non solum in his locis, sed in toto ipso terrarum orbe nulla sit Ecclesia, seu Jesu Christi nomen profitentium cœtus, qui puriorem doctrinam, & quatenus ad salutem humani generis pertinet, majorem divinarum rerum cognitionem habeat, id quod facile ex iis, quæ deinceps dicturi sumus, partim intelligi, partim conjici poterit. Neminem autem negaturum arbitror, sicut Christiani hominis officium est, religionem suam profiteri, & palam se alicui cœtui adjungere, si modo aliquis ejusmodi cœtus sit, qui Christi doctrinam, quatenus ad salutem æternam est necessarium, teneat: ita eundem Christianum hominem debere Ecclesiæ illi palam adhærere, quæ omnium purissima, & ab erroribus liberrima sit. Ex quibus omnibus conficitur, debere homines Euangelicos supra dictorum locorum, quibus & sua ipsorum salus æterna, & Dei Christique gloria, & denique Christiani hominis officium est cordi, omnino ulterius progredi, & alteri isti cœtui sese publice adjungere, a quo, ut dictum est, multi & gravissimi errores exulant, qui à Romana Ecclesia fere accepti adhuc in Euangelicorum cœtu & locum habent, & vigent, adeo ut etiam periculum sit, ne idololatria quædam in illum paulatim sese insinuet. Qua de re postea suo loco apertius aliquid, Deo volente, dicturi sumus. Nunc ad ea probanda accedamus, quæ à nobis sunt proposita, & ex quibus id conficitur, quod modo conclusimus, & cujus persuadendi gratia hunc scribendi laborem sumpsimus; ut, si fieri possit, piæ mentis homines, & qui ex Antichristianis tenebris emergere ex animo cupiunt, nostra opera eam viam ingrediantur, qua facile ac tuto eo, quo tendunt, pervenire possint. Non expectandum tamen hic putet quisquam, ut quæ proposuimus ita probentur, ut ad pleraque, quæ contra disputari possent, respondeatur; nimis enim magnum opus res ista requireret; sed satis unusquisque habeat, si quam brevissime, ut institutum nostrum postulat, eas probationes attulerimus, quæ cum apertissima ratione, maxime vero cum clarissimis Sacrarum Literarum testimoniis omnino consentiunt.

CAPUT I.

Ad regnum Dei possidendum, necesse esse in nullo peccato manere, quod Euangelii doctrinæ adversetur.

UT igitur ordine singula quæ proposuimus, confirmemus, & quoad fieri potest, demonstremus, docendum nobis primo loco est, ad cœleste regnum possidendum, non satis esse, ab idololatricis aliisque falsis & commenticiis in religione cultibus abstinere, sed necesse præterea esse, ut nullum ex vitiis aut peccatis, quæ Euangelii doctrinæ adversantur, in nobis regnet seu habitet. Id autem manifeste probant verba Pauli Apostoli, in Epistola ad Gal. 5. 19, &c. Ubi, enumeratis præter idololatriam, multis aliis vitiis & peccatis, quæ carnis opera appellat, carnis inquam, quæ spiritui, & sic Euangelicæ doctrinæ opponitur & adversatur, tandem concludit, eos qui talia faciunt, regnum Dei non possessuros. Cujus rei se & antea Galatas illos præmonuisse, & tunc etiam se præmonere ait, aperte hac ratione indicans, quam vera, quamque cognitu necessaria ista ipsius conclusio esset; quam si quis, quamvis per se admodum claram, non omnino perspiciat, & dubitet, quomodo accipienda sint verba illa, *qui talia faciunt*, ipsorum explicationem

petat

petat ex verbis ejusdem Apostoli, 1 Cor. 6. 9, &c. *Nolite errare, neque fornicarii &c.* Ex quibus duo apparent: unum est, vocem *talia* idem significare, atque, *unum ex talibus*; ita ut ex Pauli sententia statuere debeamus, neminem possessurum Dei regnum, qui vel unum ex istis talibus fecerit. Alterum est, verbum *faciunt*, non idem valere quod, *aliquando faciunt*, sed, *consueverunt facere.* Neque enim (exempli causa) is ebriosus est, qui semel aut bis inebriatus fuerit, sed is qui sæpe inebriatur: non qui actum aliquem hujus vitii, sed qui habitum habet. Diserte enim Apostolus in prædicto loco ad Corinthios, sicut singulis per se vitiis & peccatis, quæ commemorat, hoc tribuit, quod à regno Dei hominem excludant, sic non simpliciter fornicationis, ebrietatis, &c, mentionem facit, sed fornicariorum, ebriosorum, &c. Quanquam enim homini Christiano omnis vitiosus actus, Christi præceptis repugnans summo conatu ac diligentia perpetuo est cavendus ac vitandus, tamen non quilibet ejusmodi actus, sed habitus vitiosus, vitiosave consuetudo, quæ Euangelicæ filii Dei doctrinæ adversetur, hominem à cœlorum regno excludit. Nihil igitur, ut concludamus, est dubitandum, teste Apostolo Paulo; quin, ad æternam salutem consequendam, non satis sit, idololatram non esse, sed præterea requiri, ut nullum aliud vitium aut peccatum, quod Euangelii doctrinæ adversetur, in nobis regnare seu habitare merito dici possit. Innumera prope alia hujus rei testimonia sacra omittimus. Instar enim ipsorum omnium duo ista, quæ attulimus, esse possunt.

CAPUT II.

In eorum, qui Euangelici vulgo appellantur, religione, dogmata & sententias haberi, quæ vix ullo modo permittunt, ut, qui eas tenet, in nullo peccato maneat.

SEquitur, ut id, quod secundo loco proposuimus, similiter verum esse demonstremus, nempe in religione, quæ hodie vulgo Euangelica appellatur, haberi dogmata aliquot & sententias, quibus approbatis & retentis, vix fieri possit, ut quis a nullo prædictorum vitiorum aut peccatorum vincatur & possideatur.

I. Primum autem hujus generis ponemus dogma de prædestinatione divina, quod præstantissimi fere quique Euangelicorum Theologi non solum constantissime asserunt, sed etiam fundamentum totius salutis nostræ esse affirmant. Id porro tale est: Deum ab æterno ex omnibus hominibus, qui unquam futuri essent, nominatim certos quosdam saluti æternæ destinasse, cunctos vero reliquos æternæ damnationi addixisse; non quidem quia horum contumaciam, illorum vero obedientiam prænoverit, sed quia sic ipsi placuit, esseque hoc ipsius de utrisque decretum prorsus immutabile. Hoc dogma haustum est potissimum ex libris Aurelii Augustini, cui cum Ecclesia Romana plurimum tribuat, factum est, ut istius Ecclesiæ Scholæ id passim tradiderint ac tradant, quamvis contra multi itque valde insignes ejusdem Ecclesiæ Theologi illud rejiciant, atque adeo summæ impietatis damnent. Jam quid potest excogitari accommodatius ad humanum genus à studio obediendi Deo, & vitia ac peccata Christi disciplinæ adversantia cavendi, penitus avocandum & retrahendum? Nam quid opus est studere, ut Deo & Christo obedias, si jam nulla habita futuræ tuæ ejusmodi obedientiæ vel inobedientiæ ratione, immutabili decreto divinitus statutum est, an servari, an vero damnari debeas? Et hæc sane ratio satis esse deberet ad falsitatem & impietatem istius dogmatis coarguendam. Duo tamen ex infinitis propemodum ei adversantibus divinis testimoniis hic commemorabimus, ut melius falsitas ista & impietas appareat; & alterum quidem ex vetere, alterum ex Novo Testamento. Nam apud Ezechielem ipse Deus, tum cap. 18. 23 & 32, tum (cap. 33. 11, contestatur & quidem cap 33, cum juramento) se nolle, seu, se non delectari morte impii, seu mavis improbi, sed id velle, seu se eo delectari, ut improbus recedat à via sua, & vivat. Quomodo vero nollet, seu non delectaretur Deus morte improbi, si omnes improbos qui moriuntur, id est, pereunt, etiam antequam essent, nedum essent improbi, nulla ipsorum improbitatis ratione habita, ut morerentur, id est, perirent, & in æternum damnarentur, prorsus decrevit? Petrus vero Apostolus cap. 3, posterioris suæ Epistolæ ℣. 9 diserte ait, Dominum nolle ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam venire, nempe ut serventur. At hoc verum esse non posset, si jam Deus ab omni æternitate de innumerabilibus hominibus, qui pereunt, ut perirent, nec ulla ratione se ipsa servari possent, omnino decrevisset. Scio, quomodo, ii, qui impium istud dogma defendunt, soleant hæc & similia testimonia interpretari. Verum interpretationes istæ adeo violentæ & simul ineptæ ac ridiculæ sunt, ut ne dignæ quidem sint, quæ commemorentur; nec nostri instituti hoc loco est, dogma istud plane refellere, sed tantum demonstrare, vix posse quemquam, qui illud approbet, ac retineat, ab omni vitiorum & peccatorum habitu vel consuetudine liberum esse, quod & præstitimus; nec præterea nihilominus omisimus ostendere, cum quibusdam divinis oraculis illud pugnare; si forte quis ita parum sciens rerum divinarum esset, ut crederet, fieri posse, ut cum sacris testimoniis consentiat ejusmodi dogma, quod causa esse possit, ne quis unquam peccatorum jugum excutiat, sed potius perpetuo in eis maneat.

Ne quis vero causetur, nos protulisse quidem testimonia unde probetur, Deum non statuisse ab omni æternitate, ut ii nominatum pereant, qui pereunt, sed non quibus ostendatur, non fuisse quosdam ab ipso nominatim prædestinatos ad vitam, qui perire nequeant, id quod dogmate isto continetur, & propter quod illi ab Euangelicis Theologis tribuitur, quod sit fundamentum salutis nostræ: primum lectorem monemus, ex ipsis à nobis allatis testimoniis probari, Deum velle, & curare, ut vivant illi ipsi qui pereunt, ac proinde posse perire, atque adeo evenire ut pereant ii, quos Deus velit vivere. Ex quo apparet, voluntatem Dei in servandis hominibus (generatim loquendo) non esse prorsus absolutam, sed cum conditione conjunctam, & propterea pro fundamento salutis nostræ non posse haberi, quod Deus nos servare prorsus absolute velit, qualis Dei voluntas isto divinæ prædestinationis dogmate continetur, & qualem Euangelici intelligunt ac prædicant. Deinde addimus, complura alia testimonia in Sanctis Literis extare, ex quibus constat, posse perire eos, quos Deus saluti destinaverat, idque ipsorum culpâ, & vicissim servari, quos Deus perdere decreverat, idque ob ipsorum pœnitentiam. Docent utrumque istorum ambo illa jam a nobis citata Ezechielis capita, potissimum vero cap. 33. à ℣. 13 usque ad 27. Ex capite etiam undecimo Epistolæ ad Rom. apparet, tum insitos olivæ ramos, ac propterea participandæ ejus radici & pinguedini in perpetuum destinatos, posse excindi, tum vicissim jam excisos denuo inseri; hos propter infidelitatem, illos propter fidem. Quid plura? Ut aperte constet, saluti a Deo destinatum perire posse, legatur quid de seipso dicat Paulus Apostolus 1 Cor. 9. in fine. Ibi enim diserte ait, se suum corpus in servitutem redigere, ne cum aliis prædicaverit, ipse reprobus fiat.

II. Huic de divina ista prædestinatione dogmati affine est, immo ex eo necessario consequitur aliud Euangelicorum dogma de servo humano arbitrio. Et mirum est Ecclesiæ Romanæ Scholas, tam stupidas esse, ut hoc non intelligant, & cre·ant, liberum hominis, in iis rebus quæ ad æternam salutem attinent, arbitrium, una cum prædestinatione ista divina consistere posse. Quam suam stupiditatem acceptam referre debent

eidem

eidem Augustino suo, qui re ipsa liberum hominis arbitrium non tantum sua illa prædestinatione divina proponenda, sed multo magis eadem explicanda satis evidenter tollens, verbis tamen illud constanter asserere videtur. Atqui necessario prædestinatione ista divina liberum hominis arbitrium convelli, & viderunt, & late explicarunt, in ipsa Romana Ecclesia illi ipsi Theologi, qui prædestinationem istam rejiciunt: immo ob hoc præcipue illam rejiciunt, quod ea admissa, liberum hominis arbitrium penitus tollatur; id quod apud illos ipsos suæ Ecclesiæ Theologos, quibus hac in re adversantur, absurdissimum esse norunt. Sed Euangelici mentem potius, quam verba Augustini, cui & ipsi plurimum tribuunt, spectantes, & quid ex prædestinatione illa divina omnino consequatur, probe animadvertentes, cum de illa nihil dubitandum una cum plerisque aliis censerent, nihil similiter dubitarunt, quin firmiter tenendum esset, hominis arbitrium in iis, quæ ad salutem æternam pertinent, nullam prorsus libertatem habere. Quod tamen dogma ejusmodi est, ut ipsum per se omnem religionem ac pietatem pessundare possit. Nam quomodo fieri potest, ut religiosus & pius is esse curet, qui persuasum habeat, sibi ne hoc quidem liberum esse, ut religiosus & pius esse velit? Quis porro, ut ad rem nostram propius accedamus, operam daturus est, ut in nullo eorum vitiorum seu peccatorum hæreat, quæ Christi disciplina damnat, si credat, se in hoc rerum genere ne liberam quidem voluntatem habere? An non quotidie audimus, eos, qui ita credunt, cum propter peccata, quibus sunt obnoxii, reprehenduntur aut monentur, respondere, humanas vires in peccatis vitandis nullas esse, & propter primi hominis peccatum atque inobedientiam, universum humanum genus, ipsius voluntatis libertate, in bene agendo Deoque obediendo, privatum esse? Quod tamen non modo nunquam verum esse ostendent, sed ne in speciem quidem id usquam in Sacris Literis indicatum fuisse, docere poterunt: immo infinita in illis testimonia deprehendet, quisquis illas, non plane aliud interim agens, legerit, liberæ humanæ voluntatis in ipsis præceptis Dei servandis. Et sane nulla ratione fieri posset, ut ii, qui illa contemnunt, vel servare negligunt, tam acerbe à Deo punirentur, quam eædem Sacræ Literæ testantur, nisi id saltem liberum homini esset, ut ea servare & velit & curet. Nam quæ inaudita hæc esset, nec tantum Deo, sed quolibet homine, adeoque sævo tyranno indignissima crudelitas, acerbissima pœna quempiam propterea afficere, quod ea non fecerit, quæ ne velle quidem facere in ipsius potestate erat?

III. Sed jam ad Euangelicorum de justificatione nostra sententiam transeamus, quæ ejusmodi est, ut mirum videri possit, si quis eam amplexus, vitam homine Christiano dignam ducat. Fuerunt, fateor, & adhuc sunt, qui eam se amplecti profitentur, & tamen Christiane vivunt. Verum aut isti non penitus eam imbiberunt, seu gustarunt, nec quid ex illa consequatur, accurate perpenderunt: aut sibi Deum, quamcumque tandem ob causam id fiat, singulariter faventem habent, nec permittentem, ut in eo periculo pereant, in quo perpetuo versantur. Primum igitur sentiunt Euangelici, nostræ justificationis coram Deo, id est, hujus rei, quod justi à Deo habeamur, atque ut tales ab ipso tractemur, hanc esse & causam, & rationem, quod Christus sui sanguinis fusione pro omnibus peccatis nostris, tam præteritis quam præsentibus & futuris, divinæ justitiæ plenissime satis fecerit; ita ut nihil aliud præterea ad nos justos coram Deo constituendos requiratur, nisi ut firmiter credamus, nos propter hanc causam, & sic propter ipsum Christum Deo esse acceptos & gratos. Hujus autem firmæ fidei fructus quidem esse bona opera nostra, sed ea tamen ad nos ita gratos & acceptos Deo faciendos, ut justi coram ipso ex ipsius benignitate constituamur, nihil pertinere, nec ad id præstandum ullo modo concurrere. Deinde volunt iidem Euangelici, ista bona opera, & sic, ut illis placet, hominis jam justificati opera, talia esse, ut potius dici possit, justificatum & Spiritu Dei regeneratum hominem conari, ut bene agat, quam revera bene agere. Nam ut alia complura omittam, ex quibus male ac perverse intellectis suam hanc opinionem eliciunt, huc præcipue accommodant, quæ leguntur apud Paulum Apostolum cap. 7. Epistolæ ad Rom. *Carnalis sum, venundatus sub peccatum*; &, *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago*; &, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me legi peccati, quæ est in membris meis*, una cum aliis similibus sententiis quæ ibidem habentur; existimantes, Paulum ibi, quia in prima persona loquitur, de se ipso, qualis erat, cum illam Epistolam scripsit, & sic jam Dei Spiritu regenito, verba facere. Cujus erroris manifesti (quippe quem redarguant alia multa, quæ idem Paulus cum alibi, tum in eadem ad Romanos Epistola, atque adeo in eodem cap. 7, & statim postea in ipso octavi cap. initio, de regeneratis hominibus plane istis contraria diserte scribit) auctorem habent Augustinum suum, & post ipsum, Theologos Pontificios fere omnes. Sed neque ipsi interea, nec Pontificii animadverterunt, Augustinum credidisse, istas Pauli sententias in cap. 7. ad Romanos ita posse ac debere accipi, ut de ipsa tantum concupiscentia verba fiant, sine ullo ei adhibito assensu, nedum ut ea ad effectum perducatur; à qua Apostolus dicat, se in hac vita plane liberum esse non posse, id est, non posse fieri, quin ipse donec vixerit, à concupiscentia tentetur ac sollicitetur, quod ipse appellat, *Venundatum esse sub peccatum*, & *facere malum quod quis nolit*, & *non facere bonum quod velit &c.* Non animadverterunt, inquam, * Augustinum (adversus id quod aliquando tamen & senserat, & alios secutus scripserat) velle quidem, Paulum ibi de se ipso jam regenito loqui, sed tamen ita, ut interim nihil amplius mali in se agnoscat, quam ipsam nudam concupiscentiam, id est, concupiscentiæ tentationes: & expresse non uno in loco addere, Paulum tentationibus istis, nec factis nec animo ullo modo succubuisse: vel si animadverterunt: non curarunt; & sic ex isto potissimum Pauli loco statuerunt, hominem quantumvis regeneratum & justificatum, donec in hac vita mortali fuerit, ab ipsius peccati servitute minime liberum esse, & perniciosissimam hanc, ipsiusque Pauli doctrinæ manifestissime adversantem sententiam amplecti maluerunt, quam agnoscere & fateri id quod veritas est, & ex compluribus ejusdem loci verbis, ipsaque universa sententia aperte deprehenditur, ibi Paulum sub persona sua hominem describere, qui adhuc sub ipsa lege sit, necdum Christi gratiæ sit factus particeps, vel saltem una cum eo, qui illos docuit de ipso Paulo jam regenito locum accipere, ita illum interpretari, ut sententia ista inde non eliceretur. Ex qua necessario consequitur, nihil esse opus, ut homo Christianus studeat sese ex peccati servitute eximere, & eum jam regeneratum & justificatum esse, qui velit bene agere, licet interim revera male agat. Itaque humani generis perpetuus & capitalissimus hostis, serpens ille antiquus, cum probe norit, sine vitæ sanctimonia neminem, ut ait Apostolus, Hebr. 12. 14, Dominum visurum, & interim certissimum sit, nihil arduum, cujusmodi est morum sanctitate esse præditum, à quoquam tentari, si credat, vel, se nullas vires ad id efficiendum habere, vel, ut id efficiat nihil esse opus; quemadmodum per opiniones illas de æterna Dei prædestinatione, & servo hominis arbitrio, persuasit, in hominis potestate, quod ad vitæ sanctitatem attinet, nihil esse positum, sic per istam de justificatione nostra sententiam, nihil esse opus, ut quisquam vitæ sanctimonia præditus esse curet, plane ut credatur, effecit. Quæ opinio cum vel ipso auditu horribilis sit, hinc factum est, ut apud Euangelicos

* Lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 27. & deinceps, atque alibi sæpius.

plurі-

plurimum invaluerit alia opinio imputatæ credentibus justitiæ Christi, quo scilicet fiat, ut, etiamsi Christi fideles, & sic justificati coram Deo homines, propria sanctitate vitæ non sint prædití, non tamen ipsa carere dici possint, quippe quibus Deus Christi sanctitatem & innocentiam imputet, cujus rei nomine exagitantur hodie vehementer iidem Euangelici a Pontificiis. Horum enim plerique diserte negant, quidquam in scriptura haberi de Christi justitia nobis imputata, id est, de ejus sanctitate, & innocentia nobis adscripta & attributa. Et sane Paulus Apostolus cap. 4 Epistolæ ad Rom. affirmat quidem, nobis imputari justitiam, id est, credentes in Deum pro justis haberi, sed quod Christi justitia nobis imputetur, id est, ejus sanctitas & innocentia nostra esse censeatur, nihil prorsus vel loquitur, vel loqui cuiquam merito videri potest. Quare jam cœperunt Euangelici dicere, se justitiæ Christi nobis imputatæ nomine aliud nihil intelligere, quam ex Christi justitia, id est obedientia usque ad mortem crucis, fieri, ut nobis in eum credentibus non imputentur peccata nostra, quia scilicet Christi obedientia ista pro ipsis plenissime fuerit satisfactum; id quod non modo Pontificii omnes similiter affirmant: sed quidam etiam ex ipsis concedunt, hoc sensu posse dici, Christi justitiam nobis imputari. Quomodocunque vero hæc imputatio justitiæ Christi ab Euangelicis vel hodie intelligatur, vel antea intellecta fuerit, id certissimum est, quod diximus, illos videlicet, non solum una cum pontificiis censere, Christi sanguine satisfactum divinæ justitiæ fuisse pro peccatis nostris (quamvis nec id usquam scriptum extet, & aperte pugnet cum peccatorum remissione, quam Deus nobis per ipsum Christum obtulit) verum etiam statuere, in iis, qui sint hujus satisfactionis participes, & sic coram Deo sint justificati, syncerum quidem studium & conatum esse debere Christi præceptis obtemperandi, cæterum effectu suo studium & conatum istum plerumque carere, & vitiositatem, quæ in contrariam partem rapiat, & peccati jugum excutere non sinat, omnibus justificatis & regeneratis perpetuo inesse: ac præterea quæ sunt in illis bona opera, ad eos justificandos nihil pertinere, sed tantum esse fructus fidei, qua homo coram Deo justificatur; eam vero fidem nihil aliud esse, quam firmiter credere, Deum, propter Christum, id est, quia Christus omnium peccatorum nostrorum pœnas persolverit, & pro nobis abunde satisfecerit, nobis esse propitium. Jam quid mirabilibus istis opinionibus inveniri potuit aptius ad hominem, in uno plutibusve peccatis manentem in eodem statu perpetuo retinendum, eumque plane deterrendum à studio sese à peccatorum laqueis extricandi? Omnino enim, ut & modo, & antea attigimus, ex illis colligitur, nihil opus esse, ut is, qui salvus esse velit, peccati servus reipsa non sit, immo ipsos Deo & Christo gratissimos homines, sub peccati jugo perpetuo esse, nec illud à suis cervicibus, donec hic vixerint dejicere unquam posse.

Explicandus autem apertius hic est ingens Euangelicorum error in definiendo, quænam sit illa fides in Christum, qua justificamur. Uno ex hoc siquidem errore cuncta ista mala proveniunt. Viderunt igitur Euangelici, & adversus Pontificios recte disputarunt ac concluserunt, sola in Christum fide nos justificari, ac præterea merito contra eorundem Pontificiorum sententiam, statuerunt fidem istam esse fiduciam, non autem, ut plerique illorum existimant, ipsum credere, seu quæ dicuntur, vera esse assentiri. Atque interim quæ & qualis sit ista in Christum fiducia non noverunt, & pro ea, qua sola revera justificamur, aliam induxerunt, quæ longe ab eo abest, ut id præstare possit. Legentes enim in Sacris Literis, ac sæpius reperi videntes, per Christi mortem deleta atque expiata fuisse peccata nostra, (non intelligentes interea quid hoc sit) fiduciam, qua deleantur peccata nostra, & sic justificamur, statuerunt esse, ut supra monuimus, sibi firmiter hoc ipsum persuadere, & sic confidere, quod per Christi mortem deleta fuerint peccata nostra, quodque Deus propter ipsum Christum nos acceptos & gratos habeat. Cum tamen hæc proprie fiducia non sit, sed potius historica fides, qua scilicet id, quod jam est, aut fuit, creditur, cuique historicæ fidei alioqui Euangelici, cum pontificiis dissentientes, nullam justificandi vim concedere videntur. Non igitur hæc est fides illa in Christum seu per Christum in Deum, qua justificamur, sed ea, quæ vere ac proprie est fiducia, nempe Christo seu Deo per Christum plane confidere, id est, sub spe ea consequendi, quæ à Deo per Christum iis sunt promissa, qui ipsius Christi præcepta ita servaverint, ut merito obedientes dici possint, ipsi Deo & Christo obedire, & sic, ut uno verbo dicam, non secundum carnem sed secundum spiritum ambulare. Quod certe nec in se ipsa, ut deberet, continet, nec etiam per se vel efficit, vel efficere potest ista Euangelicorum fides: & tamen certum est, id necessario requiri in eo, qui nulli condemnationi futurus sit obnoxius, & sic coram Deo justificatus sit, ac consequenter non in morte mansurus, sed à morte ad vitam æternam sit transiturus. Vide Rom. 8. 1, & 13. Atque hæc satis in præsentia esse volumus, de Euangelicorum dogmatibus ac sententiis, ex quibus fiat, ut vix quisquam curet, ne in vitiis seu peccatis uno vel pluribus maneat, neve ab ipsis vincatur & possideatur. Quod quantopere Apostolicæ doctrinæ repugnet, eique ex diametro, ut dicitur, adversetur, satis ab initio ostendimus. Nam quod dogmata & sententiæ istæ (quas vel hac ratione abunde aut certe, quantum præsens nostrum institutum requirit, confutatas fuisse credimus) ut præfati sumus, fundamenta quædam nihilominus æternæ salutis consequendæ inter ipsos Euangelicos habeantur, id & ipsi fatentur, & res ipsa loquitur.

CAPUT III.

In eorundem Euangelicorum religione quædam concedi, quæ cum Christi præceptis pugnant.

I. Sequitur, ut doceamus, quædam in religione eorundem Euangelicorum concedi, quæ cum Christi præceptis pugnent.

Id autem primo loco occurrit, quod apud ipsos permittitur, ut quis injurias suas per magistratum ulciscatur, id est eum puniri curet, qui injuriam sibi intulit, licet ex ea punitione nihil prorsus commodi ad se privatim rediturum esse probe intelligat, nisi quatenus suam injuriam hac ratione vindicatam sit visurus, seque non inultum esse sensurus. Atqui hoc manifeste pugnat cum ipsius Christi verbis, apud Matth. 5, ex quibus apparet, illum nolle, in disiplina sua locum esse illi Mosaicæ Legi, oculum pro oculo, dentem pro dente, Deut. 19. 21, quæ lex ad ulciscendas injurias suas per magistratum omnino pertinet, quod Moses concedit, vel potius jubet. Nam alioqui privata vindicta etiam ab ipso Mose fuit Lege vetita Levit. 19. 18. Suum judicio persequi, & damni sibi injuste illati compensationem per magistratum quærere, nequaquam Christus prohibet, quamvis nonnulli id sint arbitrati: sed tantum ultionem ac vindictam qualemcunque vetat, vultque nos potius duplum damni pati, quam cuiquam malo homini ita resistere, ut sive per nos ipsos, sive per magistratum injurias nostras ulciscamur.

II. Deinde apud eosdem Euangelicos conceditur, ita vim vi repellere, ut etiam hominem interficere liceat, si aliter vis repelli nequeat, præsertim vero cum bellum injustum nobis infertur; cum tamen Christus eodem cap. 5. Matth. iis qui nos affligunt ac persequuntur, bene facere jubeat, & antiquissimum ac severissimum Dei præceptum humani sanguinis non fundendi, uti habetur Gen. 9, nihil in tota Christi & Apostolorum ejus doctrina immutatum inveniatur, nec de eo quicquam remissum sub Euangelio esse deprehendi ullo pacto

pacto queat. Nam si dixerint, sub Vetere Testamento, ubi non minus quam sub novo, præceptum humani sanguinis non fundendi vigebat, licuisse tamen vim hostium, etiam cum ipsorum occisione, propulsare. Respondemus, id propterea tunc licuisse, quod Deus multis modis declaraverat, se id tunc temporis non improbare. Ut enim alia omittam, inter cætera præmia iis proposita, qui legem servassent, hoc etiam erat, quod si hostes adversus ipsos insurrexissent, cæsos ante se illos corruere visuri essent, Deut. 28. 7. Nec mirum, populo enim suo Deus sub Vetere Testamento, vel promiserat, vel jam assignaverat & dederat terrenum regnum, terrenamque possessionem, quam ab ipsis defendi ac conservari volebat. Quod fieri non potuisset, si hostes in se irruentes armis propulsare, & ad internecionem etiam interdum occidere non licuisset. At sub Testamento Novo, nullam suo populo terrenam possessionem Deus dedit; immo terra posthabita, cœlum eos inquirere jussit, & propterea nulla ratione unquam vel per Christum, vel per ejus Apostolos declaravit, se hostium invadentium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam approbare: & sic remanet hic firmissimum nec ulla ex parte immutatum sub Euangelio præceptum humani sanguinis non fundendi; præsertim cum Christus præcepta addiderit, quibus non modo ipsorum etiam hostium sanguinem fundere vetat, sed illis bene facere jubet. Mirum autem est, quod Euangelici tunc potissimum humanum sanguinem fundere populo Christiano permittunt, vel potius præcipiunt, cum maxime homines vere Christiani, non alienum sed suum sanguinem fundere, (idque non armis carnalibus præliando, sed spiritualibus tantum armis, id est fide, patientia, constantia, spe utendo) parati esse debent. Tunc videlicet, cum divinæ veritatis hostes nolunt illis permittere, ut Deum, & Christum pure colant, sed vi & armis illos ad impios cultus adigere volunt. Eo autem maximus hic ac perniciosissimus in Christiana religione error inter Euangelicos processit, nimirum puræ religionis & divini cultus conservandi gratia, si id aliter fieri nequeat, aliorum hominum sanguinem fundere licere, ut qui inter illos & eruditione & auctoritate sunt præcipui, doceant, Christiani magistratus officium esse, eos, qui hæreses disseminant, præsertim si ab incœpto desistere nolint, non modo vi reprimere, sed etiam interficere. Quos non pudet ad barbaram & truculentam istam sententiam suam afferendam ea potissimum afferre, quæ de iis interficiendis, qui alienorum Deorum cultum suadent, in Lege Mosis sunt præcepta Deut 13: nihil animadvertentes, primum longe aliud esse, alienorum Deorum cultum suadere, & sic à Jehova Deo cœli terræque Domino ac creatore colendo abducere conari: aliud vero, divino cultu, quem ipse Deus præcepit ac præscripsit, retento, alia falsa dogmata docere ac suadere, præsertim ubi appareat (quemadmodum in iis qui simplices, quamvis alioqui maximi sunt hæretici, evenire certum est) non mala voluntate, sed non bene sano intellectu, non, inquam, per malitiam, sed per errorem id fieri: ac deinde non considerantes vel potius oblivioni tradentes id, quod, ut verissimum est, sic ab omnibus Theologis traditur, judicialia Mosaicæ Legis præcepta sub Euangelio nullam vim habere, & non secus atque ceremonialia, post glorificatum Christum in Dei populo antiquata fuisse. Alia fortasse, si quis diligentius inquireret, inveniri possent, quæ à Christo vetita inter Euangelicos, inque ipsorum disciplina permittuntur, aut etiam jubentur: Sed his volo esse contentus. Nam de multis rebus, quas sibi Euangelici, propter quos nominatim hæc scribimus, permittunt, Dei Christique præceptis contrariis, quæ interim ab ipsorum præcipuis magistris minime approbantur, nec cum ipsius religionis Euangelicæ doctrina consentiunt, quales sunt, connubia cum idololatris, luxus & splendor in victu & vestitu, ludicræ multæ ac vanæ in vita actiones, mihi de erroribus ipsius doctrinæ Euangelicorum agenti, nihil dicendum censui. Tametsi dubium non est, quin hæc quoque justa censeri debeat causa unicuique pietatis studioso sese ab illorum cœtibus segregandi (præsertim ubi alii sunt cœtus hominum Christum Jesum colentium, qui sibi ista non permittunt) & istis aliis adhærendi. Nam & Paulus Apostolus jubet 2 Thess. 3. 6. 1 Cor. 5. 11, ut nos ab omni fratre inordinate ambulante separemus, an ne cibum quidem cum talibus sumamus; & certum est, unumquemque ab bene maleve agendum plus exemplo, quam hortationibus commoveri atque impelli.

CAPUT IV.

In Euangelicorum doctrina non paucos esse errores, qui facile veram salutis æternæ viam obscurant, atque impediunt.

Sed jam ostendendum nobis est, in Euangelicorum doctrina errores esse non paucos, qui licet per se ipsi æternam salutem non adimant, tamen facile impediunt, quominus quis recte viam, quæ ad eam ducit, cognitam habeat, perque eam gradiatur.

I. Primum, igitur in eo Euangelici una cum Pontificiis, non minus evidenter, quam vehementer errant, quod non patrem tantum Domini nostri Jesu Christi, illum unum Deum nostrum cœli terræque creatorem esse credunt, sed etiam ipsum Jesum Christum, seu Dei filium, nec non & Spiritum Sanctum eundem illum unum Deum esse statuunt. Quod non modo cum ipso communi sensu, ut ipsimet fateri tandem coguntur, manifeste pugnat, sed divinis testimoniis apertis Joh. 17. 3. Ephes. 4. 6. 1 Cor. 8. 6, adversatur, in quibus clare habetur, vel solum Jesu Christi patrem esse verum Deum, vel eum, qui sit unus ille Deus, esse patrem omnium, id quod de solo Jesu Christi patre dici potest, vel denique illum unum nostrum Deum, esse patrem illum ex quo omnia, quod similiter nemini convenire potest, nisi patri Domini nostri Jesu Christi. Jam quod attinet ad ipsum communem sensum, nemo est tam stolidus, qui non videat, pugnare hæc inter se, illum Deum nostrum cœli terræque creatorem, esse unum tantum numero, & tamen tres esse, quorum unusquisque sit ille Deus noster. Nam quod ajunt, unum quidem esse numero Deum, sed ratione essentiæ, trinum vero ratione personarum, rursus hic sibi invicem repugnantia loquuntur, cum tres vel etiam duæ personæ esse nequeant, ubi est una tantum numero sive individua essentia, & ad plures una personas constituendas, plures etiam unà individuæ essentiæ requirantur. Nam quid aliud persona est, quam individua quædam, intelligens essentia? Aut qua potissimum ratione diversa est persona alia ab alia, nisi diversitate individuæ sive unius numero essentiæ? Breviter, adeo res certa est, rem se habere ut dicimus, ut hæc sit causa, cur tam Pontificii, quam Euangelici, coacti sint fateri, mysterium, ut ipsi vocant, trinitatis, id est, trium in uno Deo personarum, omnem humanum captum excedere. Sed melius dicerent, si, quemadmodum ex ipsis quidam fortasse loquuntur, faterentur, non modo supra, sed contra omnem humanum captum illud esse. Nam ita rem se habere, ex iis quæ modo diximus, aperte constat. Quamobrem mirum est, illos tamen dicere, hanc esse rem ejusmodi, quæ non inquiri, sed firmiter nihilominus credi debeat. Quasi vero aliquid vel firmiter credi debeat, quod verum esse nequeat; vel quidquam verum esse queat, quod cum ipsa ratione manifeste pugnet, ac contradictionem, ut loquuntur, implicet. Ut certe istud implicat, divinam essentiam unam tantum numero esse, non tamen unam tantum esse divinam personam, sed plures. Cum divina essentia numero una, & divina persona idem omnino reipsa sint. Præterea, annon, si aliquid nihilominus firmiter credere debemus,

quod cum manifesta ratione pugnet, necesse saltem est, ut id divino aliquo testimonio aperte confirmetur? Præsertim vero in ipsis divinis rebus? Sed quodnam proferent Euangelici divinum testimonium, in quo aperte habeatur, in una numero divina essentia esse plures personas, vel id, unde istud necessario colligitur, & de quo hic nominatim agitur, Patrem, filium, & Spiritum Sanctum, unumquemque videlicet ex istis tribus esse illum unum Deum creatorem cœli & terræ? Certe ex Pontificiis præstantissimi nonnulli Theologi non verentur fateri, in ipsis Sacris Literis trinitatis divinæ mysterium expressum non esse. Verum Pontificii pro divinis testimoniis, quæ hodie proferri queant, non Sacras tantum Literas habent, sed multa alia præterea: quorum quibusdam etsi ipsi quoque Euangelici plurimum tribuunt, ut quatuor illis prioribus generalibus, ut vocant, conciliis, adeo ut aliquando vix Sacris Literis ea non æquare una cum Pontificiis videantur; tamen certissimum est, ipsos alioqui profiteri & adversus eosdem Pontificios acriter contendere, nullum firmum & indubitatum esse divinum testimonium, nisi id, quod ex ipsis divinis literis aperte colligitur; quas perquirant isti quantum velint, nunquam dogma istud, de quo hic disputamus, in illis expressum invenient, ut quidem necesse esset, si id tenendum foret. Cum alioqui, ut diximus, res sit quæ nullo pacto credi aut debeat aut possit. Sed profecto neque etiam (sive aperte sive obscure) inde id colligi deprehendent unquam: quemadmodum satis docere possunt disputationes non paucæ de hoc argumento & hodie & olim editæ, si quis modo sine ullo præjudicio illas diligenter evolvat atque perpendat. Quinimo, (ut interim de scripturæ testimoniis dogma istud aperte damnantibus aliquid jam explicatius dicamus) plane contrariam sententiam in Sacris Literis clarissime consignatam reperient. Nam quid clarius eo testimonio esse potest, quod in ipsius Dei filii verbis continetur in suis illis ad Patrem precibus, Joh. 17. 3, ut quidem ad unguem verba Græca habent: *Ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Priora enim verba ita accipienda esse, ac si scriptum foret, ut cognoscant te, qui solus es verus Deus, docet locus in Græco plane similis, 1 Timoth. 6. 16, ubi cum Græca verba ita sonent, *ille solus habens immortalitatem*, interpretes tamen fere omnes legunt, *qui solus habet immortalitatem.* Hæc siquidem est vis istius Græcæ loquutionis; adeo ut Christus in istis verbis dixerit, non modo Patrem ipsius esse illum solum verum Deum, ut quidam hoc tantum ex ipsis Græcis verbis colligi contendunt, sed etiam ipsum solum, nec videlicet præterea alium, esse verum Deum. Dei enim simplici nomine, & hic, & alibi frequentissime is intelligitur, qui ex seipso divinam potestatem habeat. Nam qui talis revera, & non opinione tantum hominum sit, nullus alius est præter ipsum Jesun Christi Patrem. Cæteri omnes vel ab ipso, vel nullam ejusmodi potestatem habent. Jam verba illa apud Paulum Ephes. 4. vs. 6. *Unus Deus & Pater omnium, &c.* Apertissime docent, eum qui sit Deus, unum tantum esse, & illum esse Patrem omnium, sic præter illum, qui omnium sit Pater, nullum esse Deum; Dei simplici nomine similiter hic eum significante, qui ex seipso divinam habeat potestatem. Ex quo necessario sequitur, ne ipsum quidem Jesum Christum esse istum Deum. Neque enim est Jesus Christus Pater omnium, immo ipse Patrem habet, eum videlicet, qui omnium est Pater, qui propterea ex Apostoli apertissima sententia est Deus iste, nec alius præter ipsum. Id similiter, quod apud eundem Apostolum legitur, 1 Cor. 8. 6. *Nobis unus (est) Deus, Pater ille, ex quo omnia*, clarissime demonstrat eum, qui non sit Pater ille ex quo omnia, non esse illum, qui unus nobis est Deus. Quare ne ipse quidem Jesus Christus est ille noster unus Deus, quippe qui non sit Pater ille ex quo omnia, sed filius ipsius, qui ab ipso missus ad nos venerit, & ab ipso omnia acceperit, quæ nobiscum vel jam communicavit, nobisve dedit, vel unquam communicaturus daturusve est. Quanquam præterea tam in superiore, quam in hoc Pauli loco aperte Jesus Christus ab uno illo nostro Deo distinguitur. In superiore enim antea proxime legitur, *Unus Dominus*, ubi sine ulla controversia Christus significatur; in hoc vero statim postea, subjicitur, *Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Ubi non modo vides Jesum Christum ab illo uno Deo diserte distingui, verum etiam addi notam, qua ab illo distinguatur, nempe, quod ex illo quidem omnia, ex ipso vero non item, sed tantum per ipsum. Quod si neque hæc, nec alia loca pœne innumerabilia, in quibus manifeste Christus ab illo uno Deo distinguitur, non satis sunt ad persuadendum unicuique, Christum non esse illum unum Deum, quippe quod non omnes fortasse distinctionem istam animadvertant, aut si animadvertunt, putent ibi verba fieri de Christo secundum humanam naturam tantum, ut ipsi loquuntur; certe illud satis superque esse debet, quod Jesus Christus illius unius Dei filius passim appelletur. Articulus enim in Græco plerumque nomini Dei additus, unum illum Deum significandi vim habet. Nam nulla est hic causa dubitandi, ne de Christo secundum humanam naturam tantum verba fiant, ubi ejus divina filiatio commemoratur; & nemo est tam stupidus, qui non intelligat neminem suiipsius filium esse posse, seu neminem esse posse illum, cujus ipse sit filius. Quare, si Christus unius illius Dei est filius, nulla ratione fieri potest, ut ipse Christus sit ille unus Deus. Debuissent saltem tam Pontificii, quam Euangelici, ex ipsa, quam ipsimet statuunt, fidei nostræ esse summam, ut vocant, & Apostolicum symbolum vulgo appellatur, addiscere unum illum Deum creatorem cœli & terræ, non alium esse quam Patrem Jesu Christi. Ibi enim nec ipse Jesus Christus, nec Spiritus Sanctus, quorum tamen ibidem diserte fit mentio, vel Deus vel creator cœli esse dicitur, sed tantum Jesu Christi Pater. Et hæc satis in præsentia esse volumus, ad istum insignem Euangelicorum errorem patefaciendum, dum una cum Pontificiis statuunt, non solum Jesu Christi Patrem, sed etiam tam Dei filium, quam Spiritum Sanctum esse illum unum Deum nostrum, cœli terræque creatorem, præsertim, cum, licet Euangelicorum ministri ita doceant, tamen paucos ex ipsorum auditoribus invenias, qui sic plane credant, ob id videlicet, quod res sit nimis absurda, & ab omni veritatis specie aliena. In quo etiam illud est notandum, Euangelicos Doctores magna ex parte, Calvinum & Bezam secutos, non concedere, filium Dei suam essentiam à Patre habere; quod tamen Papistæ, & concedunt, & contendunt, hæresisque nomine nonnulli ex ipsis Euangelicos hac etiam in parte damnant. Et sane istà sententià, quod filius Dei suam essentiam à Patre non habeat, omnis prærogativa, quam omnes fere etiam Trinitarii Theologi in Patre semper agnoverunt, tolli videtur atque aboleri, & ita error errore vehementer cumulari.

II. Quemadmodum vero Euangelici una cum Pontificiis in statuendo, quis sit ille unus noster Deus, gravissime errant, non agnoscentes, nullum alium esse, quam Patrem Domini nostri Jesu Jesu Christi; sic una cum iisdem insigniter falluntur in statuendo, quis sit unigenitus Dei filius, non intelligentes, nullum alium esse aut fuisse unquam, præter hominem illum Jesum Nazaræum, ex Spiritu Sancto in Mariæ virginis utero conceptum, & inde natum. Putant enim Deum more animantium sibi similem in essentia generare, idque (ut cætera taceam absurdissima, Deoque indignissima, quæ hinc consequuntur) Deo tribuere non verentur, quod cum absoluta perfectione, cumque incommutabili æternitate aperte pugnat. Nam certe si Deus sibi omnino similem generat, non est ipse natura sua & necessario singularissimus, & sic neque summe perfectus, cum summe perfectus esse nequeat,

nisi

nisi unus tantum. Quid vero cum incommutabili æternitate ac perpetuitate alicujus excellentissimi individui, cujusmodi Deus est, magis pugnare potest, quam sibi simile gignere, cum sibi similis generationem propterea in natura inveniri constet ut genitum in generantis locum quodammodo succedat, id est, hoc intereunte, illud remaneat, & sic subinde perpetuo fiat, quo rerum genera conserventur? Certe nusquam quidquam apud Sacros Scriptores legimus, quod nobis persuadere queat, aut saltem innuere, Deum ex sua substantia generare; immo, cum apud eosdem legimus Joh. 1. 13. Jac. 1. 18. 1 Joh. 3. 9, homines ex Deo nasci, sive à Deo generari, satis id nobis esse deberet, ut intelligamus, Deum alia prorsus ratione gignere, quam ex sua ipsius substantia. Nec vero *unigeniti* appellatio efficere potest, ut nihilominus credamus, filium Dei unigenitum ex ipsius Dei substantia genitum esse, cum scilicet interim nullus alius sit à Deo hac ratione generatus; vel alium esse aut fuisse unquam unigenitum Dei filium, quam hominem illum Jesum Nazarænum, idque tribus potissimum de caussis. Una causa est, quod ex ipsis Sacris Literis edocemur, *unigeniti* appellationem aliud significare posse, quam filiationem quandam (quod ad ipsius filiationis essentiam attinet) omnino solam. Scimus enim, Isaacum appellatum fuisse filium Abrahami unigenitum; cum tamen, quod ad filiationis ipsius essentiam attinet, non magis Abrahami filius esset Isaacus, quam Ismaël, qui & ante Isaacum natus erat, & eo tempore vivebat, pro quo Isaacus unigenitus Abrahami filius est dictus. Vide Gen. 22. 2, & 12. Hebr. 11. 17. Estque hoc exemplum, vel ob id rei nostræ accommodatissimum, quod Isaacus Jesu Christi, qui est ille unigenitus Dei filius, sine ulla controversia, typus & figura fuit. Altera causa est, quod expressum in ipsis Sacris Literis habemus, cur Jesus Christus Dei filius appellatur, nempe unicus & singularis ille Dei filius. Ea vero est duplex, Altera videlicet, quæ ad ejus ortum & nativitatem pertinet, Altera quæ ejusdem dignitatem, & personæ, quam sustinet, excellentiam respicit, sine ulla ipsius essentiæ, quæ aliorum Dei filiorum essentia præstantior ab eave diversa sit, vel mentione, vel consideratione; cum interim utraque ista causa illi homini Jesu Nazaræno, nec ulli alii præter vel ante ipsum verissime ac maxime proprie conveniat. Priorem causam expressit ipsius Dei Angelus Gabriël, inquiens ipsi virgini, mox Jesu Christi futuræ matri Luc. 1. 35, *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Vides modum conceptionis, & primæ existentiæ illius hominis Jesu Nazaræni, nempe quod Spiritus Sanctus & virtus altissimi illam sit operata, & sic Patris generantis loco Deus fuerit, causam esse, ut ipse homo Jesus Nazarænus, qui Christus est, Dei filius appelletur, & quidem consequenter singularis sive unicus & unigenitus Dei filius. Quandoquidem nemo alius unquam talem à Deo sui ipsius originem & generationem habuit. Posteriorem exprimunt loca illa, ex quibus apparet, unicum illum & singularem Dei filium idem esse, quod Christum. Nam Christus præcipue ac potissimum regem populi Dei significat. Vides hic rursus hominis illius Jesu Nazaræni summam post Deum dignitatem, & regiæ personæ, quam in ipso Dei populo sustinet, omnium maximam excellentiam, caussam esse, cur sit ille unicus & singularis Dei filius. Jam ex locorum numero, unde id apparet, quod diximus, ista accipe, & inter se confer, Matth. 16. 16. Marc. 8. 29. Luc. 9. 20. Nam quod apud Matth. est, *Tu es Christus filius Dei vivi*, apud Marcum & Lucam est simpliciter, *Tu es Christus*, vel, *Tu es Christus Dei.* Quod aperte indicat, sola Christi, seu Christi Dei appellatione id contineri, quod significat appellatio filii Dei vivi, illius, inquam, unici ac singularis filii (nam apud Matthæum in Græco nomen filii habet sibi præpositum articulum) & filii Dei nomen non ob id Christi nomini fuisse apud Matthæum additum, quod aliquid plus significet de ipso Jesu, quam solum per se Christi nomen de eo prolatum significet, sed ad significationem istam exornandam, ut sic dixerim, ac commendandam; quod idem de aliis non paucis locis, ubi similiter Christi nomini, filii Dei nomen adjungitur, intelligendum est. Conferantur item loca, Matth. 26. 63, & Marc. 14. 61, cum loco Luc. 22, 67, & quemadmodum ex superioribus locis, sic etiam ex istis constabit, Christi nomen in ipso Christo per se idem significare, ac si illi addatur nomen filii Dei. Idem porro valere Jesum esse Christum, quod eundem Jesum esse Dei filium, illum unicum, probatur ex loco 1 Joh. 5. 1, si conferatur cum eo, quod paullo post scriptum est ỳs. 5, & cum eo, quod legitur supra cap. 4. 15, utrobique enim nomini filii Dei, præponitur in Græco articulus. Id ipsum intelligitur ex eo, quod scriptum est cap. 2. 22, 23, ex isto enim loco apparet, idem esse, negare Jesum esse Christum, quod negare filium. Denique Christus ipse satis aperte docuit, idem esse in ipso, quod sit Christus, & quod sit Dei filius, cum Joh. 10. 36, Judæis ostendens, cur se appellasset Dei filium, rationem attulit, quod Pater ipsum sanctificasset & in mundum misisset. Nam quid aliud est sanctificatio ista, quam unctio illa, cujus meminit Petrus, Act. 10. 38 inquiens, Jesum à Nazaret fuisse unctum à Deo Spiritu Sancto & virtute, unde est Christi nomen, quod unctum proprie significat? Quid ista missio in mundum est aliud, quam ad munus aliquod inter homines obeundum legatio? Concludit igitur Dominus Jesus, se propterea esse Dei filium, quod sit Christus, & ad hoc ipsum Christi munus obeundum à Patre legatus, nec ullam aliam præterea causam suæ divinæ filiationis affert. Et sane cum Christi nomen & munus in Jesu Nazaræno unicum ac perpetuum eundemque cœlestem populi Dei regem significet, & ita omne divinum imperium ac majestatem quam Jesus habet, aperte declaret, quid amplius, quod huc pertineat, filii Dei nomen significare potest? Filios certe Dei & nominari & esse eos, qui aliquod imperium & judicium habent & exercent, docet locus ab ipso Christo citatus, Psal. 82. *Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes*; ex quo sequitur, Jesum esse unicum Dei filium, cum unicum imperium ac judicium habeat & exerceat, id est ejusmodi, quod alia omnia infinitis partibus superat, quodque nullus alius præter ipsum nec habet, nec habere potest. Hoc autem, ut dictum est, ipsa una Christi appellatione totum continetur. Ex quo sequitur, hominem illum Jesum Nazarænum sine ulla divinæ cujusdam alterius essentiæ, quam ipse habeat consideratione, esse unicum Dei filium. Nam ipse ille homo, nec aliter quam quatenus est homo, unctus à Deo fuit. Nominatim enim ipsum Jesum à Nazaret, ut vidimus, Deus unxisse à Petro Apostolo dicitur, & puerum suum Jesum, Deum unxisse, testantur similiter alii simul Apostoli & Christi fideles, Act. 4. 27. Restat tertia causa, cur statuendum omnino sit, Christum non propterea appellari Dei filium unigenitum, quod ex ipsius Dei substantia sit generatus, nec alium esse aut extitisse unquam unigenitum Dei filium, præter hominem illum Jesum Nazarænum. Ea autem hæc est, quod scriptura testatur filium Dei, nempe illum unigenitum ac proprium Dei filium, fuisse mortuum. Paulus enim Apostolus Rom. 5. 10, diserte mortis filii Dei mentionem facit. Ubi etiam notandum est, Apostolum, quod prius bis dixerat, affirmans, Christum fuisse mortuum, idem postea iterum repetiisse, pro Christi nomine, filii Dei nomine substituto, non ob id solum, quod Christus sit filius Dei, sed etiam, immo vel maxime ob id, quod Christi appellatio idem pollet, quod appellatio filii Dei; adeo ut non minus neque aliter affirmari possit, filium Dei fuisse mortuum, quam Christum fuisse mortuum. Nec sane Christus, cum ait, Deum ita mundum dilexisse, ut filium suum unigenitum daret,

vel idem Paulus Job. 3. 16. Rom. 8. 32, cum ait, Deum proprio filio non pepercisse, sed eum pro nobis omnibus dedisse, aliud sibi volunt, quam Deum unigenitum & proprium suum filium pro nobis mori voluisse. Quoties itidem Spiritus Sanctus per Apostolorum verba & scripta testatur Act. 3. 13, &c, & xxvi. 1 Thess. 1. 10, Deum resuscitasse filium suum, an non aperte docet, Dei filium fuisse mortuum? Cum igitur, sicut omnes fatentur, sic etiam divinitus testatissimum sit, Dei filium unigenitum fuisse mortuum, mori autem non potuerit substantia ulla divina, quæ in Christo fuerit, sed tantum humana, sequitur non divinam ullam, sed tantum humanam substantiam in Christo, esse unigenitum Dei filium; hoc enim est, quod intelligimus, cum affirmamus, præter illum hominem Jesum Nazarænum nullum extitisse unquam Dei filium. Id quod hoc in loco diserte exprimere voluimus, ne vel nos ambigue sententiam nostram tanta de re exponere voluisse videamur, vel aliis, qui diversum à nobis sentiunt, quosque insignis erroris hac ipsa in re accusamus, tergiversandi occasionem ullam præbeamus. Sed dicent fortasse isti, Dei filium unigenitum mortuum fuisse secundum humanitatem, licet minime sit mortuus secundum divinitatem. Nos autem dicimus, si filius Dei unigenitus non est mortuus secundum divinitatem, hinc necessario sequi, ipsam ejus divinitatem non esse Dei filium unigenitum. Neque enim unigenitus Dei filius per modum quendam loquendi, sed vere ac proprie est mortuus. Alioquin vana essent omnia, quæ ad commendationem divinæ charitatis erga humanum genus, de Dei consilio in suo unigenito proprioque filio morti tradendo, in Sacris Literis dicuntur. Adde, quod ne per ullum quidem loquendi modum dici posset, unigenitum Dei filium fuisse mortuum, si substantia aliqua divina, quæ in Christo esset, foret ipse Dei filius unigenitus; quemadmodum, si hominis anima immortalis sit, sicut immortalis est divina substantia, ne per loquendi quidem modum ullum dici poterit, ipsam hominis animam mori, licet corpus ejus moriatur. Concludendum est igitur, filium Dei unigenitum, non esse substantiam quandam divinam, ex ipsa substantia Dei genitam, quæ humanam naturam induerit, sed vere ac proprie illum ipsum hominem esse, illum, inquam, qui vere ac proprie loquendo, ex humana anima, humanoque corpore constans, ex Spiritu Sancto in Mariæ virginis utero conceptus ac formatus est. Hic enim, & non alius, revera est mortuus; ex quo etiam liquido apparet, humanam naturam in Christo esse ipsius filii Dei personam, cum necesse sit, si filius Dei sit mortuus, ejus personam esse mortuam, & ita merum somnium id esse, quod à Papistis acceptum Euangelici affirmant, filii Dei personam esse revera divinam naturam in Christo, qua humana sustentetur, quæ ipsa per se in Christo nequaquam sit persona. Quod cum affirmant, mirum est, eos non videre, se interim negare, Christum revera esse hominem, certum, inquam, atque individuatum (ut loquuntur) quendam hominem; ubi enim humana natura non est, quæ per se personam constituat, ibi ejusmodi homo esse nequit. Quantopere vero tota Christiana religio labefactetur, vel potius convellatur, si Christus non sit revera certus quidam & individuatus homo, apertius & apud omnes indubitatus est, quam ut hoc loco id docere oporteat.

III. Esset hic aliquid dicendum de Euangelicorum errore (quem similiter Pontificiis acceptum referre possunt, & auctoritati eorum Patrum, quibus Pontificii nihil non tribuunt) quod Spiritus Sanctus sit persona. Sed quia, si persuasum Euangelicis fuerit, eum non esse in ipsa essentia divina personam à persona Patris Domini nostri Jesu Christi distinctam, per se ipsi facile agnoscent, hinc sequi, eum ne personam quidem esse, sed vim atque efficaciam Dei, qua res aliquo modo sanctificantur, nihil est necesse hac de re pluribus agere. Satis enim ex iis, quæ antea disputavimus, intelligi potest, cum essentia divina sit una numero, unam etiam tantum necessario in ea personam esse, nempe Patrem Domini nostri Jesu Christi. Nam alioqui ea sine dubio Spiritui Sancto in Sacris Literis tribuuntur, quæ sunt propria ipsius Dei; ex quo consequitur, si non est divinæ ipsius essentiæ persona, ejus vim atque efficaciam esse, unde merito de eo non pauca dici possint, quæ de ipso Deo dicuntur, non autem aliquam aliam personam; præsertim cum de eo, multa idque admodum frequenter dicantur, quæ nullo pacto personæ conveniunt, ut est, illum sive de eo Deum & Christum effundere, eo Christum baptizare, eo Christum a Deo fuisse unctum, eo quosdam repleri, illum non ad mensuram à Deo dari Joël 2. 28, 29. Act. 2. 33. Matth. 3. 11. Act. 10. 38. Luc. 1. 15, 41, & 64. Joh. 3. 34, & ejusmodi alia multa, quæ personæ nullo modo convenire possunt. Nam si quis dicat, vicissim Spiritui Sancto multa tribui in Sacris Literis, quæ personæ tantum conveniant, non est hæc res nova in scriptura sacra, non minus quam in aliis scriptis & in ipso quotidiano sermone, de iis quæ personæ non sunt, ea dici quæ personarum sunt propria. Hinc legimus in ipso Novo Testamento, exempli gratia, scripturam providere, legem loqui, peccatum seducere seu decipere, Dei gratiam laborare Gal. 3. 8. Rom. 3. 19, & vii. 11. 1 Cor. 15. 10, & alia ejusmodi. Charitati vero in uno capite 13. prioris Epistolæ ad Cor. eæ fere omnes bonæ actiones tribuuntur, quæ ex persona, nec aliunde proficisci possunt. Sed jam de Spiritu Sancto, quod non sit persona, ut Euangelicorum doctrina fert, propter id quod ab initio dixi, hæc satis sint, hoc quidem in loco. Cæterum non dubito, immo certo novi, omnes tum Papistas, tum Euangelicos, nec non quosdam ex eo ipso cœtu, cui, ut se adjungant, Euangelicos hortor, ita statuere, ut errores circa essentiam sive Patris, sive filii, sive etiam Spiritus Sancti, ejusmodi sint, qui a Christi Ecclesia eos qui in illis versantur, excludant, & consequenter, ut quis æternam salutem adipiscatur, non permittant. Verum nos mitiorem multo hac in re sententiam sequimur, & constanter credimus, modo quis Deo & Christo confisus fuerit, eique obedientem se præstiterit, hunc vitam æternam omnino adepturum. Videmus autem non paucos errores circa istorum trium essentiam, & quidem illos ipsos quos ante commemoravimus, non necessario impedire, quominus quis Deo Christoque confidat, eique se inobedientem præstet; quamvis, ut supra attigimus, ex altera parte non dubitemus, quin id facile efficere possint, obscurata videlicet per errores istos, & in aliam quandam formam versa ratione & modo, quo nobis divinitus æterna salus contingit, & toto mysterio redemptionis nostræ non recte exposito atque explicato.

IV. Alius Euangelicorum error, ex quo multo facilius provenire potest, ut quis vitam æternam non consequatur, is est, quem in propositione & explicatione tertii capitis hujus scripti nostri indicavimus, atque attigimus, quod, scilicet, nihil differant præcepta moralia Novi Testamenti, à præceptis Testamenti Veteris similiter moralibus, id est, ad mores pertinentibus. Nam hinc potissimum fit, quemadmodum ibi diximus, ut ex Euangelicorum doctrina quædam liceant, quæ tamen vel Christus expresse vetuit, vel certe ipsius Christianæ disciplinæ analogia non permittit. Et sane hic error majorem etiam cladem Euangelicorum animabus inferret, quam afferat, nisi alius ipsorum circa hanc ipsam materiam, immo ex hoc ipso errore natus error, hujus malitiam quodammodo emendaret, id est, nisi crederent, quædam sub Veteri Testamento vel jussa, vel vetita fuisse, quæ tamen non fuerunt, sed tantum sub novo, & sic mandata ista divina Novi Testamenti propria non abjicerent; nam idcirco ita credunt, quia, ut dixi, utrumque Testamentum eadem plane, quod ad mores attinet, præcipere ac prohibere statuunt, & propterea verba illa Christi, Matth. 5, toties repetita, *Audivistis quod*

dictum

dictum est, &c. Ego autem dico vobis, ita interpretantur, ac si Christus Pharisæorum & scribarum perversas Legis Mosaicæ interpretationes reprehenderet atque corrigeret, non autem Legi Mosaicæ quidpiam adderet, eamve ad præstantiorem & exactiorem formam adduceret; cum tamen & vox *antiquis*, verbo *dictum est*, adjuncta, & recitatio fere ubique ipsissimorum verborum legis, aperte doceant, Christum id omnino facere.

V. Jam quid dicemus de Euangelicorum erroribus circa cœnam Domini? Ii quippe sunt tales, ex quibus, ut ab initio attigimus, idololatria facile in sacra ista cerimonia existere denuo queat. Primum enim, tametsi plerique Euangelicorum cognoscunt & confitentur, ipsum verum atque essentiale Christi corpus, ipsiusve veram carnem & sanguinem non esse in, sub, vel cum pane & vino illo, sed ab illis tantum abesse, quantum abest supremum cœlum à terra: tamen ex altera parte omnes una cum Pontificiis credunt, atque adeo adversus id negantes acerrime contendunt, verum & essentiale Christi corpus, veramque ipsius carnem & sanguinem revera in cœna Domini sumi, quamvis, plerique ex ipsis addant, spiritualiter, & à fidelibus tantum; id quod merito cum alii Euangelici, tum Pontificii omnes cum risu excipiunt. Pugnant siquidem hæc inter se, revera veram Christi carnem sumere, &, eam sumere spiritualiter: quemadmodum Zuinglius, qui patrum nostrorum memoria veram sententiam de cœna Domini, quam ejus discipuli in aliam quandam transformarunt, asseruit, optime animadvertit, ac propterea istam jam tum à quibusdam inductam, veræ carnis Christi veram, sed spiritualem sumptionem, explosit ac similiter derisit. Nam rem esse, quæ consistere nequeat, ipsimet ejus assertores satis fatentur, * quando ajunt, quomodo id fiat, explicari nulla ratione posse, aut certe se nescire. Sumitur quidem, sed alia ratione, ac comeditur à Christi fidelibus Christi caro, & bibitur ejus sanguis; nam hic vere est cibus, hic vere est potus, ut ipse Christus affirmavit Joh. 6. 55. Cibi enim ac potus usus & finis est vitam conservare, & quodammodo subministrare. Quare, cum caro & sanguis Christi eo modo sumptus, quo sumi potest, ut mox dicemus, in spirituali vita, quæ vere vita est, & quam verior adhuc, id est, æterna vita consequitur, nos conservet, eamque nobis quodammodo subministret, vere cibus ac potus esse, summa cum ratione à Christo dicitur. Sumitur autem, & figurato loquendi modo comeditur ac bibitur Christi caro & sanguinis, cum mente atque animo nostro apprehendimus & gustamus, quid Christi caro, quam ipse, ut se facturum prædixit Joh. 6. 51, pro mundi vita dedit, quidve sanguis ejus pro nobis fusus effecerit, id est, quam gloriam & potestatem divinam ac cœlestem, unde æterna nostra vita, & ex mortuis ad beatam immortalitatem resurrectio pendet, ac profectura est, ipsi Christo conciliaverit, & tunc similiter cum ipsi Christum (qui sui ipsius, ut institutam panis & cibi metaphoram pleniorem redderet, & ad potum quoque extenderet, duas quasi partes, carnem & sanguinem, in suo illo sermone facere potuit) imitamur, eique adhæremus, in eoque cogitationes omnes nostras & mentes defigentes, ejus doctrina & promissis penitus pascimur, eaque imbibimus. Verum hic esus & potus carnis & sanguinis Christi, non magis in ipsa Domini cœna celebranda fit, quam extra ipsam. Nec sane Christi verba illa in ea instituenda, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, huc pertineat, ut significent, eo sacro ritu obeundo comedi aliqua ratione Christi carnem, vel ejus sanguinem bibi; sed eo spectant, ut declarent quid mox futurum erat, nempe ipsius Christi corpus fractum, id est, violenter percussum, ac transverberatum, & sanguinem fusum iri, ut frangebatur tunc panis ille, & infundebatur vinum: cujus fracti sui corporis, & fusi sanguinis, & consequenter sui ipsius, cum ista pro salute nostra æterna sint facta, fieri Christus perpetuo voluit in Ecclesia sua, per hanc ipsam panis fracti & vini infusi actionem, quæ illa adumbrat, solemnem commemorationem. Jam cum in hac sacra cerimonia esus & potus contineatur, etiamsi is ad ipsum Christi corpus ibi comedendum & sanguinem bibendum non pertinet, pertinet tamen ad declarandum eos, qui ex illo pane comedunt, & ex vino illo bibunt; palam & constanter profiteri, animam suam, in spem æternæ vitæ; Christi corpore pro nobis fracto, & sanguine fuso, non minus ali & sustentari; quam pane & vino corpus ad caducam hanc vitam alatur & sustentetur. Unde factum est, ut Paulus Apostolus dixerit 1 Cor. 10. 16, panem, quem frangimus, esse communicationem Christi corporis, & poculum cui benedicimus, communicationem esse ejus sanguinis, id est, professionem hujus communicationis. Solet enim scriptura, & Paulus ipse in ejusmodi ritibus, qui Sacramenta vulgo appellantur Rom. 6. 4. Col. 2. 12. Gal. 3. 27, ea fieri dicere, quorum fit ibi professio, ut baptismo tribuit, quod nos consepeliat Christo, & quod per illum Christum induamus, cum sine dubio dicere velit, istarum rerum in baptismo professionem fieri. Verum de alio jam Euangelicorum errore agendum est, circa eandem Domini cœnam. Is est, quod effectus miros ei tribuunt, quorum tamen in Sacris Literis nulla fit mentio, immo qui cum usu & fine ipsius cœnæ Domini vel pugnant, vel certe nihil commune habent. Ei siquidem inter alia tribuunt, quod nostram fidem confirmet, quodque in memoriam nobis redigat Christi pro nobis mortem. Cum tamen potius firma jam fide eum præditum esse oporteat, & Christi pro nobis mortui probe meminisse, qui ad panem illum comedendum, & calicem illum bibendum accedere digne velit. Est enim, ut ante diximus, sacra hæc cerimonia, in eum finem à Christo instituta, ut solemnis commemoratio ipsius fiat, quatenus videlicet corpus suum pro nobis tradidit, & sanguinem fudit. Dixit enim ipse, *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. 19. Quomodo vero digne commemorationem ejus rei quisquam facere poterit, cujus optime antea non meminerit? Aut quomodo Christi pro se mortui memoriam celebrare, nisi jam sentiat & gustet fructum ipsius Christi mortis? Hunc vero sensum & gustum habere qua ratione is poterit, qui firma fide in ipsum Christum jam non sit præditus? Jam istis Christi verbis, *Facite hoc in meam commemorationem*, Paulus addit, *Quotiescumque enim manducatis panem hunc, & calicem bibitis, mortem Domini annunciatis, donec veniat.* En tibi usus, en finis cœnæ Domini, ab ipso Domino, ejusque Apostolo, diserte explicatus, qui omnino antecedentem, & Christi memoriam, & fidem in ipsum Christum requirit. Nec usquam apud Sacros Scriptores indicium ullum extat, quod ad hanc illamve in nobis renovandam aut confirmandam, fuerit hic sacer ritus institutus. Eo vero jam res devenit, ut falsa ac præpostera interpretatione hujus sacræ cerimoniæ, ejusque usus & finis explicatione, quam à suis magistris Euangelici hauserunt, plerique ipsorum, in hisce quidem regionibus credant, se, illa digne obeunda, suorum peccatorum veniam & remissionem consequi. Haud valde diversum ab eo, quod Papistæ sentiunt, qui eam propterea in sacrificium pro vivis & pro mortuis transformarunt, & idolum quoddam ex ea fecerunt, præter id, quod ipsum panem & vinum, tanquam non jam panis & vinum, sed Christi corpus & sanguis essent, colunt atque adorant. Quo paullatim imprudentes tendunt ii, qui vel cum ipso pane & vino, vel alia quacumque ratione, dum panis ille & vinum sumitur, Christi corpus & sanguinem sumi credunt, seu quidvis aliud, præter panem & vinum ibi se sumere arbitrantur; Hi, inquam, paullatim eo tendunt, ut idolum quoddam ex Domini cœna faciant, & panem illum vinumque adorent; haud animadvertentes, non ut aliquid

* Calvin. Institut. lib. 4, cap. 17. Sect. 7, 10, & 32.

nobis divinitus detur, sed ut nos testificemur, quæ nobis jam data esse agnoscimus & sentimus, non proprie ad nostram aliquam singularem utilitatem in ipso æternæ salutis negotio, sed ad Christi & Dei gloriam, summa atque ineffabili ejus in nos bonitate ac charitate prædicanda & celebranda, illustrandam atque amplificandam, sacram istam cerimoniam omnino pertinere.

VI. Statueram de Euangelicorum erroribus circa baptismum in sequente capite agere, ubi de iis erroribus agendum est, qui simplices ignorationes appellari possunt, non autem in hoc, ubi de iis agitur, qui facile à recta salutis via avocare queant. Sciebam enim Euangelicorum plerorumque, eorumque omnium præstantissimorum magistrorum doctrinam longe ab eo abesse, ut ex sacra ista cerimonia idolum quoddam aliquando sibi formaturi sint ipsorum discipuli, ut apud Pontificios factum videmus; qui Euangelicis propterea objectare solent, quod baptismum parvi faciant, eumque ad salutem necessarium esse non agnoscant. Verumtamen cum diligentius considero, quid pariat error, in quo Euangelici una cum Pontificiis versantur, statuentes infantium baptismum divinam esse ordinationem, aut certe rem divinæ ordinationi consentaneam; in hoc ipso capite de eo mihi aliquid dicendum censui. Ex hoc siquidem errore fit, ut eos qui contra sentiunt, nec infantes baptizandos censent, aut certe non baptizant, Euangelici abominentur, nedum eos pro veris Christianis habeant. Quod cum immeritissimo ab iis fiat, mirum est quantopere à Christiana charitate hac in re deflectant, & sic a vera salutis via aberrent. Quid enim ex ipsis Sacris Literis & manifesta ratione, apertius & clarius esse potest, quam rite administratum baptismum, fidem in Christum, in eo, qui baptizatur, ipsi baptismo præcedentem requirere? Administratur enim Christianorum baptismus in nomine Jesu Christi, in quem videlicet se credere is profitetur qui baptizatur, & hac ratione Christi discipulus esse declaratur Act. 2. 38, & 41. VIII. 16, & 37, &c, x. 48. XIX. 5; ut ab Apostolis post Christi resurrectionem administrati baptismi exempla & circumstantiæ aperte docent, nec ullum baptizati infantis exemplum usquam in Sacris Literis extat. Nam quod quidam pro hujusmodi exemplo afferunt id, quod semel atque iterum in Sacra historia narratur Act. 16. 15, & 33, & semel apud Paulum legitur 1 Cor. 1. 15, domum, id est, familiam sive *suos* alicujus baptizatos fuisse; non considerant isti, id intelligendum esse de iis, qui baptismo accipiendo essent idonei: quemodmodum in altero, ex istis Sacræ historiæ locis scriptum est Act. 18. 8, Verbum domini annunciatum fuisse omnibus qui in domo illius erant, de quo ibi est sermo, eumque cum universa domo credidisse. Qui loquendi modus, alibi quoque habetur: & ubique ita accipiendus est, ut omnes tantum complectatur qui Dei verbo audiendo eique credendo essent apti. Ubi etiam notandum est, cum de annunciato verbo eique fide adhibita agitur, universales voces addi, quæ in Complutensi Græca editione non leguntur, ubi de accepto baptismo verba fiunt. Quare, si nihilominus ibi infantes comprehensi non intelliguntur, multo certius esse debet, hic comprehensos non fuisse; cum non minus ad baptismum suscipiendum, quam ad fidem verbo Dei adhibendam infantes sint inepti; quippe cujus susceptionem, ut dictum est, fides verbo Dei adhibita antecedere debeat. Illud certissimum est, ex locis istis nullo pacto colligi posse, infantes baptizatos fuisse; non magis, quam illis Dei verbum annunciatum esse, illosque ei fidem adhibuisse. Adde, quod ad istud colligendum, necesse esset aliunde constare, infantes in domibus istis seu familiis fuisse; de quo tamen nihil prorsus apparet. Graviter igitur Euangelici peccant, dum eos aversantur & damnant, qui infantes non baptizant: cum non modo nullum divinum præceptum eos baptizandi, sed ne exemplum quidem ullum alicujus baptizati infantis in sacra historia extet. Quod enim non pauci, ut saltem infantibus quoque rite administrari baptismum posse doceant, illis fidem tribuunt, eosque in Deum credere contendunt, perridicule id ab ipsis fit: cum non solum id affirment, quod cum omni ratione, ipsoque sensu communi pugnat, nec ullum fundamentum in divinis testimoniis habet; sed etiamsi id verum esset, nihil tamen ad rem faceret: cum ad baptismum rite suscipiendum simplex in Deum fides non sit satis, sed necesse sit, ut adsit fides in Jesum Christum, id est, ut is qui baptizari debet, credat Jesum Nazaræum esse Christum, ejusque doctrinæ adhæreat, ac publice id profiteatur: quam fidem si quis infantibus tribuere, aut inesse posse asserere audeat, stultus meritissimo ab omnibus judicetur. Nec solus hic est Euangelicorum error circa baptismum; quod infantibus illum rite administrari contendunt; sed alius, cum infantium tum adultorum respectu, eum comitatur. Affirmant siquidem, eo obsignari divinitus peccatorum remissionem; id quod cœnæ dominicæ quoque tribuunt, & quemadmodum per domini cœnam, sic per baptismum adultorum, qui baptizantur, fidem confirmari credunt; cum tamen per baptismum non quidem obsignetur, sed tantum adumbretur peccatorum remissio. Ad obsignationem enim requiritur rei probatio & documentum aliquod; cujusmodi nihil præstat cerimonia & ritus iste, quantumvis sacer, quod ad peccatorum remissionem attinet, sed tantum illam verbis jam expositam, ablutione illa sua adumbrat, ut dictum est, & quodammodo delineat. Nam quod ad cœnam domini pertinet (ut hoc loco id obiter dicam, quod antea dicendum fuerat) mirum est, ab Euangelicis non secus atque à Papistis, pani illi & vino id tribui, quod proprium est Christi corporis olim pro nobis traditi, & ejus sanguinis pro nobis fusi. Quomodo enim, si ipsa Christi mors ea est, quæ nobis peccatorum remissionem obsignat, id ab eo effici potest, quod ad ipsam mortem commemorandam & celebrandam ex divina præscriptione à nobis usurpatur? Immo quantum abest rei commemoratio & celebratio ab ipsa re: tantum necesse est, ut hujus effectus ab illa absit: ac propterea, cum cœna domini fit, non quidem obsignetur peccatorum remissio, sed tantum consequenter una cum Christi morte, cujus effectus obsignatio ista est, illam olim obsignatam fuisse commemoretur, ac prædicetur. De fidei confirmatione, quæ adultis ex baptismo, quem suscipiant, contingat, nihil attinet amplius dicere, quam nec ullum indicium ejus rei in divinis literis extare sed potius in ipsis fidem ex toto corde ante baptismum requiri, Act. 8. 37, nec quidquam alioqui esse, quod id nobis vel leviter quidem suadere queat, cum ipsa baptismi cerimonia nihil habeat, quod ea vi possit esse præditum, sed necesse sit, ut si quid firmitatis fidei post baptismum susceptum accedat, id à Spiritu Sancto, qui post baptismum detur, omnino proficiscatur. Sed dari hodie Spiritum Sanctum omnibus, qui baptismum, quantumvis rite, suscipiant, nemo temere affirmare ausus fuerit, qui animadverterit donum istud iis qui baptizabantur, olim ad veritatem Christianæ religionis publice confirmandam datum fuisse, ejusque effecta palam visa & conspecta fuisse, quæ nec hodie apparent, nec ut ullo modo existant, jam diu opus fuit, postquam videlicet Christianæ religionis veritas, & istis & aliis simul rebus, satis superque, quantum ad eam mentibus à pietate minime alienis persuadendam est necesse, confirmata fuit. Possem alios circa baptismum Euangelicorum errores recensere; sed quia leviores sunt, nec facile à recta salutis via quempiam revocare queunt, prorsus hoc loco omittendos duxi, & ulterius progrediendum.

CAPUT V.

De ignorationibus seu levioribus erroribus multis Euangelicorum.

JAm enim de eo, quod postremo loco à nobis propositum fuit, agendum videtur, & breviter indicandum, multos præterea errores sive ignorationes in Euangelicorum religione esse, quæ licet ipsæ per se viæ, quæ ad salutem ducit, cognitionem non impediant, non possunt tamen nisi aliqua ratione obesse, & graviores alios errores tandem inducere, qui tanti mali sint causa.

I. Primum ejusmodi errorem faciemus, quod sicut vulgo ab Euangelicis creditur, sic etiam ab eorum præcipuis quibusdam magistris traditur, Adamum ante peccatum fuisse natura immortalem, post peccatum vero mortalem factum: Cum tamen veritas sit, eum etiam ante peccatum fuisse natura mortalem, & propter peccatum, non quidem in mortalitatem naturalem, sed in mortem, ut scriptura loquitur Gen. 2. 17. Rom. 5. 12 incidisse. Nihil enim prohibebat, quominus Adamus, licet sua natura mortalis, divina gratia à morte liberari posset, à cujus gratiæ spe, peccato suo omnino excidit, & mortis mancipium plane est factus, ita ut id quod naturale illi erat, prorsus necessarium etiam sit factum. Nam quod etiam ante peccatum Adamus mortalis esset, & talis à Deo creatus fuisset, multa aperte docent Gen. 2. 7. 1 Cor. 15. 47. Gen. 1. 28, 29. Primum, quod ex terra formatus fuit; deinde quod simul atque fuit creatus, cibis vescendis, & liberis gignendis, ab ipso Deo destinatus fuit; quarum rerum utramque cum immortali natura pugnare, nemo non intelligit. Adde, quod Paulus Apostolus 1 Cor. 15. 45, citra ullam peccati considerationem, sed tantummodo ejus naturam & creationem expendens, ipsum primum hominem Adamum mortalem facit, eique ex altera parte, secundum hominem, Christum Jesum, à mortuis videlicet excitatum, & cœlestem factum, opponit, utpote immortalem. Et sane si Adamus immortalis creatus fuisset, nihil attinebat illi arborem vitæ una cum aliis arboribus vescendam dare Gen. 2. 9. 16; &, si naturalem mortalitatem homini peccatum attulisset, essetque ea propria peccati pœna, certe Christus, qui peccatum, id est, peccati pœnam sustulit, ipsam naturalem mortalitatem abstulisset; quod tamen non fecit.

II. Secundus hujus generis Euangelicæ doctrinæ error sit, quod Adamo ante peccatum justitiam quandam originalem tribuunt, quam videlicet, simulatque est creatus, ex Dei gratia habuerit, præter eam, quod nulla labe infectus esset; quam justitiam seu rectitudinem, Salomon intellexit, cum scripsit Eccl. 7. 29, hominem à Deo rectum fuisse creatum seu factum; & præter quam, nec ratio ullo modo fert, nec usquam scriptura testatur, Adamum etiam ante peccatum alia ulla justitia fuisse præditum. Et certe si illam habuisset, quam Euangelici, una cum Pontificiis volunt, non tam facile ipsius Dei creatoris sui apertissimum simul ac severissimum, ac præterea servatu facillimum præceptum violasset, ac contempsisset.

III. Tertium errorem ejusmodi generis statuo, quod omnino Euangelici docent, hominis ad peccandum pronitatem ex illo primo primi hominis peccato profectam esse. Nam sive id ex ipsius illius peccati vi factum esse volunt, pugnat hoc cum ratione manifesta, cum peccati unius, id est, unius peccati actûs tanta vis esse nequeat; sive Deo ita decernente, ut peccatum illud ista pœna in homine plecteretur, atque hac ratione tanti mali causa esset, id evenisse statuunt, hoc & Dei rectitudini penitus adversatur, expressæque ejus voluntati, qui & peccatum odio habet, & ne homines peccent, apertissime jubet; nec ullum ex Sacris Literis habet testimonium, quippe in quibus diligens enumeratio fiat pœnarum, quas Deus homini ob primum illud peccatum inflixit, inter quas tamen nulla ejusmodi pœnæ mentio facta reperitur Gen. 3. 16, &c. Pronitas ad peccandum, quæ in homine conspicitur, sicut ab ipsa prima creatione ortum non habet (namque, ut dictum est, Salomone teste, Deus fecit hominem rectum) sic neque à primo illo peccato, sive ab uno illo primi hominis peccandi actu statim exorta est, sed, continuatis post peccatum illud, aliis peccandi actibus, peccandi habitum paullatim homines contraxerunt, seque ipsi corruperunt, & sic corruptionis illius semina per propagationem, ad posteros transmiserunt. Et idcirco Salomon in loco antedicto, ut ostenderet unde factum esset, ut rectitudo illa, in qua homo à Deo conditus fuerat, desisset, non ait, ipsum primum hominem peccatum illud commisisse, sed homines quæsisse cogitationes plurimas. Quidquid denique Euangelici una cum Pontificiis malorum effectum in humano genere, primo illi primi hominis peccato tribuunt; præter eos, quos ipsemet Deus & ante & post illud perpetratum, suis verbis expressit Gen. 2. 17, & 3. 16 &c, vana hominum commenta ac somnia ut sint necesse est. Malis autem istis effectibus, quos Pontificii excogitarunt, addiderunt Euangelici amissionem liberi arbitrii; qui ingens est error: non quia jactura ista peccato illi adscribatur, sed quia vel inducit, vel pro concesso ponit jacturam istam, & humanum genus universum libero arbitrio privat. Qua de re satis supra secundo capite à nobis dictum est. Exclamabunt, scio, Euangelici, quod ad alios multos effectus attinet illius primi peccati, sociosque ea in re habebunt Pontificios, me Pelagianum esse, pessimumque hæreticum, qui peccatum originale non agnoscam. Quasi vero usquam in Sacris Literis originalis alicujus peccati diserte mentio fiat, vel quasi inter ipsos constet, quid sit istud originale peccatum. Ego quidem & agnosco & fateor, una cum Paulo Apostolo Rom. 5. 19, & prædicandum esse censeo, ob inobedientiam illam primi hominis factum esse, ut multi, id est, omnes homines, constituti sint peccatores, id est (quod proprium est eorum qui peccant) necessariæ ac perpetuæ morti sint obnoxii; non quidem quia inobedientia ista illis imputetur (quid enim iniquius, nisi illi similiter inobedientes fuerint?) Sed quia ea ipsi inobedienti Adamo, merito atque ex ipsius Dei decreto, necessariæ perpetuæque mortis fuit causa, utque ille hanc conditionem tali morti subjacendi subiret, plane effecit; quæ conditio, ipsius tantum propagationis vi (ut in aliis omnibus ejusmodi conditionibus, puta servili, vel contra ingenua, vectigali, vel contra immuni, & aliis similibus evenire certum est) ad posteros ejus omnes est transmissa. Hoc ergo modo originale peccatum, si ita loqui libet, una cum scriptura agnosco. Quicquid aliud Theologi vulgo de originali peccato disputant, præter reatum hunc necessariæ perpetuæque mortis, quem per propagationem ipsam, sine ulla ipsius peccati imputatione ab Adamo traximus, id omne, ut apud ipsosmet incertum omnino ac varium, sic humani ingenii figmentum prorsus censendum est.

IV. Quartum, ex leviorum numero, doctrinæ Euangelicorum errorum faciemus quiddam, quod à Stoicis, ut quædam alia, videntur esse mutuati, & in quo nequaquam ut in plerisque aliis, secum consentientes Papistas habent, id est, quod simplicem & plane naturalem in homine concupiscentiam, quamvis ei nullo pacto assentiatur, sed statim & semper eam reprimat, peccatum esse statuunt, idque ejusmodi, ut vel ob id solum homo à Deo damnari jure possit. Neque enim animadvertunt, divinum præceptum de non concupiscendo, ex quo uno sententiam istam ut probare conentur, necesse est, nullo modo de ea concupiscentia accipi posse, quæ in nostra non sit potestate, qualis sine dubio illa est, quæ plane est naturalis. Indignissima enim res est vel cogitare quidem, Deum homini quidquam præcepisse, quod ipsi homini factu omnino sit im-

impossibile; quamvis iidem Euangelici audacter affirment ac doceant divinam legem à nemine quantumvis Dei Spiritu prædito, servari posse, id quod quincti erroris loco numerandum est. Sed quia nihilominus verissimum est, neminem à Deo justum pronunciari ob eam causam, quod ejus legem ad unguem servaverit Rom. 8. 20. Gal. 2. 16. III. 11, nihil est opus de hoc errore pluribus agere, eumve latius hoc loco explicare.

V. Superiore capite gravem illum errorem Euangelicorum commemoravimus, circa moralia præcepta Veteris & Novi Testamenti; quod scilicet eadem utriusque omnino esse arbitrentur. Qui error inde proficiscitur, quod discrimen inter utrumque Testamentum minime norunt; qua de re hujus nostræ scriptionis brevitas non patitur, ut nunc plenius disseramus; tantum unum adhuc atque alterum errorem inde proficiscentem indicabimus.

VI. Et primum quidem eum commemorabimus, quem Euangelici cum Papistis communem habent, eumque sexti erroris loco inter leviores ponemus. Is est, quod existimant, eos qui sub Vetere Testamento coram Deo justi sunt habiti, propterea habitos fuisse, & salutis æternæ nobiscum fore participes, quod sicut nos in Christum jam exhibitum, sic ipsi in eundem, quem exhibitum iri sperabant, omnino crediderint. Hunc errorem, cui alioqui universa scriptura repugnat, quippe quæ fidei in Christum nullam prorsus mentionem, nisi pro eo tempore, quo exhibitus jam fuit, usquam faciat, pauci quidam loci male intellecti genuisse videntur: duo vero præcipue, & ambo in Petri Apostoli verbis, quæ leguntur in Actis Apostolorum prior igitur locus est, Act. 4. 12, sententia illa ab ipso Apostolo pronunciata, nullum aliud nomen sub cœlo esse, quod datum sit in hominibus, sive inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi nomen Jesu Christi Nazaræni. Verum ipsamet sententia sui ipsius explicationem, & ad ratiocinationem, quæ inde vulgo ducitur, responsionem secum adfert, cùm nulla mentione præteriti temporis facta, tantum in præsente tempore dicat, nullum aliud nomen sub cœlo esse, &c., & proxime ante similiter præsente tantummodo tempore enunciatum legitur, in nullo alio esse salutem, addito etiam in Græco voci *Salutis*, articulo; nempe ut intelligatur, de nova & prius inaudita illa salute hic agi, quam proponere cœperat Johannes Baptista, remissionis quorumcumque multiplicium quantumvis & gravissimorum peccatorum, & à ventura ira Dei perpetuam ac plenissimam liberationem, omnibus pœnitentiam agentibus; & ita animadvertatur, & dictum istud, & sententiam istam, quæ statim subjicitur, & in qua ipsius dicti redditur ratio, nullo pacto ad prisca illa tempora, sed ad nova tantum pertinere. Alter locus sunt verba quæ leguntur Act. 15. 11. *Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* Videtur enim pronomen *illi*, referri debere ad patres; tum quia proxime fuerunt nominati, tum quia gentes, quarum antea mentio fuerat facta, in Græco sunt generis neutri, pronomen vero istud relativum, generis masculini. Verum cum non admodum raro & pronomina relativa non ad proxime, sed ad paullo longinquius nominata referri debeant Joh. 9. 22. Rom. 2. 14, & vocabulum Græcum, quod gentes significat, neutri licet generis, pronomine masculini generis relatum inveniatur; sentiendum omnino est, pronomine *illi*, non quidem *patres*, qui obiter sunt ibi nominati, sed *gentes* referri, de quibus ex professo agebatur, ad ostendendum, quænam esset salutis via à Deo per Christum proposita, eamque esse fidem in ipsum Christum sine operibus legis: quandoquidem gentes, quæ in Christum crediderant, sine operibus legis servabantur, id attestante Deo ipso, dato illis Spiritu Sancto, non minus quam Judæis, qui Christo fidem habuerant.

Potest etiam hujus erroris, quem sextum inter leviores fecimus, fuisse causa, quod certum sit, etiamante Christum exhibitum, salutem & justificationem non nisi per fidem cuiquam obtigisse; & creditum fuerit, nullam salutarem & justificantem fidem unquam fuisse, nisi fidem in Christum: sed animadvertendum, iis, qui ita crediderunt, fidem in Christum, ut ipse Christus Joh. 12. 44 ait, esse fidem in eum qui illum misit, nempe Deum ejus Patrem, & propterea per eum salutem & justificationem contingere. Quare si veteres illi in ipsum Deum crediderunt, non modo fide fuerunt præditi, sed ea fide per quam justificatio & salus contingit. Vide autem de fide in Deum, quæ hominem illa præditum ipsi Deo gratum facit, & ante Christi adventum sine ullius in ipsum Christum fidei consideratione id præstabat, cap. 11. Epistolæ ad Hebræos.

VII. Sequitur ut alterum, quem ante indicavimus, errorem ex ignoratione discriminis Veteris & Novi Fœderis manantem, qui Euangelicorum est proprius, aut certe a paucis Pontificiis receptus videtur, breviter explicemus, eritque is ejus generis, de quo nunc agimus, septimus. Credunt enim Euangelicorum magistri, vitam æternam non primum ac demum in Novo Fœdere, sed antea quoque in Vetere fuisse promissam, & ex ipso Dei promisso à fidelibus ejus temporis expectatam. Quo vix quidquam inveniri potest divinis testimoniis & oraculis magis contrarium. In illis siquidem, quemadmodum vitæ æternæ à Deo hominibus ipsique populo suo promissæ pro eo tempore, quod Christi adventum præcessit, nulla prorsus fit aperta mentio; sic apertissime commemoratur atque inculcatur, vitam æternam per Jesum Christum à Deo promissam fuisse, & per ejus Euangelium, hominibus patefactam, cum ea prius apud Deum lateret 1 Joh. 1. 2, & 2. 25. 2 Tim. 1. 10. Hebr. 8. 6; ac denique Novum Fœdus in melioribus promissionibus, quam vetus fuisse sancitum. Verumtamen ne sit nihilominus, qui arbitretur, non habituros æternam vitam eos, qui fideles ante Christi adventum fuerint, quamvis illis non fuerit à Deo promissa. Nihil enim impedit, quominus Deus multo plus det, quam promisit; & Christus satis aperte nos docet, fideles Dei, etiam qui ante ipsius adventum à condito orbe extiterunt, vitam æternam adepturos; cum ex ipsius Dei verbis Luc. 20. 37, verissime & acutissime colligit, Abrahamum, Isaacum, & Jacobum resurrecturos & victuros. Quem imitatus auctor Epistolæ ad Hebræos ait Hebr. 11. 16, non pudere Deum istorum, licet (subintellige) jam mortuorum, Deum nominare, quia nimirum illis præparavit civitatem, nempe cœlestem patriam, & sic, ut in æternum vivant, decrevit.

VIII. Innuimus capite superiore, esse leviores quosdam Euangelicorum errores circa baptismum, præter graves, quos ibi commemoravimus, ex quibus unum tantum hic indicandum duximus, & octavi erroris hujus generis loco ponendum. Is autem est, quod una cum Pontificiis censent, aquam baptismi sanguinis Christi figuram esse, cum tamen ejus rei nullum divinum testimonium habeant. Verissimum quidem est ac testatissimum, Christi sanguine ablui, seu abluta fuisse peccata nostra, & in baptismo peccatorum ablutionem adumbrari, res ipsa loquitur: non tamen hinc sequitur, baptismi aquam, Christi sanguinis figuram esse. Cum ea sit figura divinæ gratiæ, qua potissimum ac primaria ratione peccata abluuntur, gratiæ, inquam, per Christum à Deo nobis exhibitæ, & in nos effusæ, quanquam ejusdem Christi sanguine designatæ, eoque interveniente ad exitum suum perductæ: unde factum est, ut ipsi Christi sanguini ablutio peccatorum nostrorum merito in Sanctis Literis tribuatur. Quod si Euangelici una cum Pontificiis non ignorassent, qua ratione Christi sanguis peccata nostra abluat, quod is in baptismi aqua adumbretur, nunquam dixissent. Monet autem hic locus, ut aliquid dicamus de Euangelicorum errore circa rationem, qua Christus peccata nostra expiet, præter id, quod supra capite secundo attigimus, cum illi tribuunt, quod suo sanguine justitiæ divinæ pro nobis

nobis satisfecerit. Qua de re propter ejus pondus, & maximum ad viam æternæ salutis recte tenendam momentum, uberius aliquid nobis dicendum sane fuisset, vel in eodem secundo capite, vel in proxime superiore. Sed rei amplitudo & studium nostrum in hoc scripto brevitatis, inde nos absterruit. Poterit tamen ex eo, quod statim dicturi sumus, clarius aliquanto intelligi tum Euangelicos, tum Pontificios plane ignorare, quomodo Christi sanguine expiata fuerint peccata nostra.

IX. Dico igitur Euangelicos una cum Pontificiis errare, (& hunc nonum errorem hoc loco, seu nonam ignorationem istorum facio) arbitrantes Jesu Christi sacrificium & oblationem expiatoriam pro peccatis nostris in cruce peractam & absolutam fuisse, eamque totam obedientia illius usque ad crucis mortem, & ipsa sanguinis fusione contineri. Certum enim est, oblationem illam expiatoriam, quam singulis annis sacerdos ille antiquus, & secundum Aharonis ordinem populi Dei Pontifex, faciebat, & quam auctor Epistolæ ad Hebræos Hebr. 9. 11, & 24, &c, vult typum fuisse expiatoriæ oblationis Christi, non fuisse peractam & absolutam, nisi prius pontifex iste in Sancta Sanctorum ingressus esset; cui loco in expiatione per Christum facta vult omnino idem auctor respondere ipsum cœlum, in quo Christus, postquam mactatus fuit, (ut in illum locum Aharonicus Pontifex postquam juvencum & hircum mactasset) ingressus est. Ex quo necessario sequitur, Christi oblationem expiatoriam non ante ipsius, post sui mactationem, ingressum in cœlum peractam & absolutam fuisse: unde clare liquet, nec in ipsa cruce oblationem istam peractam fuisse, nec eam revera ipsius Christi obedientia usque ad mortem crucis, & sanguinis fusione contineri; sed propterea illis tribui expiationem peccatorum nostrorum, quia nec sine ipsis, nec nisi per ipsas potuit Christus in cœlum ad expianda peccata nostra ingredi, id est, ad supremam illam potestatem obtinendam pervenire, qua nos ab omnibus omnium nostrorum peccatorum pœnis liberos atque immunes perpetuo facit, & ab ipsa morte, propria & summa peccati pœna, eximit ac vindicat; nos, inquam, qui ipsius sumus, & ipsi obtemperamus, quibus & non ullis aliis ea ratione, qua dictum est, salutis æternæ causa fuit. Hinc satis superque intelligi potest longe alia ratione per fusionem sanguinis Christi expiari ac deleri peccata nostra, quam divinæ justitiæ pro illis satisfaciendo Hebr. 5.9. Nec sane satisfactione ista quidquam erat opus, & qui illam afferunt, ii imprudentes, summæ vel potestati vel benignitati divinæ erga nos plurimum detrahunt, vel etiam utramque simul convellunt. Verumtamen, quia totius sui erroris circa rationem expiationis peccatorum nostrorum per Christum, videntur Euangelici, præter jam inveteratam aliquot seculorum opinionem, ex non paucis figuratis id est, non omnino propriis, licet alioqui usitatissimis, Sacræ Scripturæ loquendi modis occasionem habuisse; & error iste, quantus quantus est, salutis æternæ viam nec præcluderet, nec ita obscuraret, ut ea teneri non possit, si modo firmum maneret, omnis & cujuscumque expiationis peccatorum per Christum factæ, eos tantum esse participes, qui ipsi Christo obediunt, nec antequam obediat, posse quemquam ad illam penitus aspirare; propterea potest hic Euangelicorum error simplex ignoratio censeri, nec cuiquam mirum videri debet, quod eum in hac postrema errorum Euangelicæ doctrinæ classe reposuerimus. Errant præterea Euangelici, maxima ex parte pontificios hic, ut alibi, imitati, ignorantes quinam sit status mortuorum ante extremi judicii diem, & quo corpore resurrecturi simus, id est, quale sit futurum corpus nostrum post resurrectionem. Verum quia, ut id ipsis demonstraretur, longiore disputatione esset opus, placet tantum quiddam indicare, quod ad posteriorem partem ejus, quod diximus, pertinet, & decimum errorem sive ignorationem illorum facere.

X. Credunt igitur Euangelici una cum Pontificiis, corpus Domini nostri Jesu Christi in ipsa resurrectione immortalitatem naturalem & glorificationem adeptum fuisse; quamvis nec quidquam apud Sacros Scriptores legatur, quod id suadendi vim habeat, & quædam contra apud eosdem extent, quæ id falsum esse docent; ut est, quod Dominus Jesus post resurrectionem suam revera comedit & bibit, quodque in ipsius corpore erant adhuc vestigia clavorum in manibus & in pedibus ejus, & lanceæ in latere. Quæ cum naturali immortalitate ac glorificatione pugnare, nemo est qui statim non animadvertat. Resurrexit quidem Christus, non amplius moriturus 1 Cor. 15. 31, &c; sed aliud est, quempiam non moriturum esse, aliud vero natura esse immortalem. Cujus rei exemplum sint ii, quos ex suis vivos deprehensurus est Christus in adventu suo. Isti enim, quamvis, etiam antequam Christus adveniat, de ipsis decretum divinum futurum sit, ne moriantur, non tamen natura immortales erunt, nisi postquam Christus advenerit, & corpora eorum immutaverit; qua immutatione nihil esset opus, si jam natura immortales essent. Nam quod Dominus Jesus post resurrectionem suam legitur Joh. 20. 19, & 26, ad suos discipulos quodam in loco congregatos, ejusdem loci januis clausis venisse, id non ita accipiendum est, quasi per ipsas januas, quantumvis clausas, dum ingrederetur, permanentes, ingressus fuerit: sed tantummodo, quamvis discipuli januas clausissent, nec illas ante Domini Jesu ingressum quisquam ex ipsis, aut qui intus cum ipsis esset, aperuisset, tamen ad illos Dominum Jesum venisse, non expresso qua, nec quomodo ingressus fuerit; id quod divina vi citra ullum ejus rei discipulorum sensum fieri potuit, quamvis Christi corpus adhuc eandem naturam haberet, quam ante resurrectionem habuerat. Quod sane necesse erat, si certa fides ipsis discipulis facienda erat, & per eos aliis omnibus, eum ipsum Jesum Nazarænum, qui crucifixus fuerat, à mortuis resurrexisse: quemadmodum faciendum fuisse, divina oracula ac testimonia passim docent atque confirmant. Et hic volumus finem facere, errores & ignorantias Euangelicorum doctrinæ indicandi, & sic ea, quæ ab ipso initio proposuimus, exequendi; & cujusdam appendicis loco, de alia quadam re agere, quæ sola satis esse debet, donec ea non mutetur, ad unumquemque veræ pietatis studiosum inducendum, ut puriori alicui cœtui sese adjungere omnino curet, quam sit cœtus Euangelicorum in Poloniæ regno, & magno ducatu Lithuaniæ.

APPENDIX.

De defectu disciplinæ Ecclesiasticæ in cœtu Euangelicorum, & de causis, cur hic cœtus in dies minuatur, Arrianorum vero (quos vocant) crescat.

Est igitur res ista defectus, aut certe neglectus, omnis spiritualis coërcitionis & disciplinæ, ut vocant Ecclesiasticæ, qui adhuc in universo isto cœtu cernitur. Ex quo non solum id fit, quod in fine tertii capitis jam attigimus, ut scilicet, qui ad istum cœtum pertinent, multa sibi permittant, sibique licere opinentur, quæ tamen ab ipsorummet magistris improbantur, verum etiam tantam licentiam sibi plerique sumant, ut ejusmodi moribus sint præditi, quos, si verum fateri velint, ipsimet non probant, & cum liberi ab ipso præsente affectu, & animi perturbatione sunt, satis vident atque intelligunt, eos verum Christi discipulum minime decere, & interim isti ad participandam Domini cœnam admittuntur, una ac pariter cum iis paucis, qui Christianis moribus sunt præditi; qui hac ratione, si Christi præcepto obtemperare velint, & mortem ejus ritu isto prædicare ac commemorare,

cum

cum iis communicare coguntur, & sacrum, id est, ad res sacras adumbrandas divinitus institutum cibum sumere, cum quibus ne prophanum quidem seu vulgarem capere ex Apostoli præscriptione licet 1 Cor. 5. 11. Scio equidem etiam in aliis multis Euangelicorum aliarum regionum Ecclesiis disciplinam Ecclesiasticam vel plane desiderari, vel certe non ita exerceri, ut ad excommunicationem ipsam deveniatur, & ad arcendum quenquam à cœna Domini participanda, sive in perpetuum, sive etiam ad tempus. Verum non erant, neque sunt Polonis aut Lithuanis Euangelicis eæ aliarum gentium Ecclesiæ imitandæ, quæ imperfectiores ab omnibus habentur, sed eæ, quas omnibus aliis præstare ipsimet judicant, qualis est Genevensis, aliæque omnes, quæ ad ejus exemplum sese conformarunt; cujusmodi non paucas & in Gallia & in Scotia adhuc esse arbitror. Fuerunt enim antehac sine ullo dubio. Scio similiter non defuisse viros alioqui doctos & pietatis laude præstantes, qui excommunicationem, seu cujusquam à cœnæ Domini usu exclusionem non approbarunt: sed hujusce eorum sententiæ potissima causa fuit, quod isto ritu obeundo crediderunt aliquod insigne spirituale beneficium accipi, quo nefas esse putarunt quenquam privare, si forte is, qui ut ab eo arceretur, dignus esse censebatur, antequam plane illum obeat, suorum scelerum, unius aut plurium tali tamque vera pœnitentia ducatur, ut digne jam illum obire dicendus sit. Verum, ut supra, cum de ipsa cœna Domini, id est de Euangelicorum circa eam erroribus ageremus, breviter indicavimus, non ad ullum singulare beneficium conferendum ritus hic sacer institutus fuit, sed ad accepta jam beneficia commemoranda ac concelebranda. Si quæ aliæ causæ sunt, cur isti alioqui probi atque eruditi viri excommunicationis usum non probaverint, refellit eos satis accurate ac solide Theodorus Beza, magnus excommunicationis patronus & assertor; cui inter Euangelicos Theologos pauci omnino sunt pares, sive eruditionem spectes, sive judicii atque ingenii acumen & elegantiam. Huic igitur tanto viro, tamque eximio ac præcipuo magistro suo, ut Euangelici, quorum causa hæc scribimus, hac in parte parere velint, etiam atque etiam eos hortor: & propterea, si nondum perspicere queunt, quanto sine ulla comparatione ejus cœtus doctrina sit purior, ad quem ipsos se adjungere debere censemus, quam illius, in quo adhuc sunt, adhucque persuasi sunt, in altero hoc cœtu, quem illis tantopere commendamus, sententias quasdam teneri, quæ sint impiæ prorsus ac blasphemæ (tametsi revera nihil magis pium, nihilque cum Dei Christique vera gloria magis conjunctum, ut tempus ipsum declarabit, illis inveniri potest) ita ut sibi ab eo penitus abhorrendum esse statuant, si, inquam, hactenus sunt persuasi, nec ab ista quantumvis injusta persuasione demoveri adhuc possunt, moneo, ut saltem omni conatu curent, ut in suis cœtibus vigeat disciplina Ecclesiastica, nec ita pessum omnia apud se ire sinant, & ex ipsorum ruinia Antichristi ædificia fulciri atque ampliari; id quod pii viri non sine lacrymis ne cogitare quidem possunt, nedum, quemadmodum coguntur, in singulos dies aut videre aut audire aliquem ex Euangelicorum numero, & quidem ex præstantioribus, id est, oculis hominum magis conspicuis, ad Pontificios deficere, & cultibus divina lege expresse ac diserte prohibitis sese dedere atque involvere. Si Euangelici, de quibus loquimur, serio cogitarent, quantam jacturam suorum, haud sane multorum annorum spatio, fecerint, necessario subiret ipsos pariter cogitatio, quænam hujusce rei causa fuerit. Et facile animadverterent atque agnoscerent, nullam potiorem tanti mali causam fuisse, quam disciplinæ Ecclesiasticæ neglectum. Unde factum est, ut omne veræ pietatis & vitæ suæ ac morum emendationis studium refrixerit inter eos, & tantum non penitus extinctum fuerit. Quid enim facilius & proclivius, quod hominem de vita moribusque suis emendandis parum curantem à puriore ad impuriorem & religionem & doctrinam deficere, modo defectio ista aliquid majoris commodi allatura videatur? Quod sane in defectione ad papatum evenire nemo non aperte videt. Quanquam ipsa per se Euangelicorum doctrina, ut supra ostensum fuit, aptissima est ad hominem à solidæ pietatis & vitæ sanctimoniæ studio retrahendum, adeo ut etiamsi ipsorum ministri seu pastores (qui an diligenter hac in re suo munere fungantur, valde dubito) perpetuò urgerent, ut ii, qui eorum curæ sunt commissi, pie ac sancte viverent, parum tamen omnino efficerent, cum ex altera parte ea dogmata suis auditoribus tradere, eorumque mentibus instillare nunquam desinant, quæ contrarium in ipsis plane efficiunt. Quid contra causæ esse dicemus, cur cœtus ad quem Euangelicos invitamus, hoc eodem tempore, quo tantopere Euangelicorum numerus deficit, non modo nihil imminutus, sed pro sui ipsius proportione non parum auctus fuerit? Certe non aliud magis, quam una cum ejusmodi doctrina, quæ habenas vitiis nihil laxat, & mundanas cupiditates mirifice refrenat, conjunctus disciplinæ Ecclesiasticæ perpetuus usus, quo homines valde in officio continentur, & ab hujus vitæ illecebris ac commodis revocantur; quo fit, ut nec illi qui jam in ipso cœtu sunt, facile ab iis, quæ hic mundus promittit, vincantur, & sic deficiant; & exteri, si non magna, majore saltem aliqua, quam aliorum sit, ipsorum generatim vitæ sanctitate conspecta, omnino commoveantur, ac suspicari incipiant, doctrinam quoque illorum meliorem, quam aliorum esse, ac proinde diligentius de ea inquirant, eaque ratione tandem ei adhæreant. Est enim sine dubio alia, immo quæ omnium aliarum potissima videri potest, cum Euangelicorum diminutionis, tum alterius cœtus accretionis causa, hic videlicet doctrina, scripturæ & rationi maxime consentanea, ibi vero utrique admodum repugnans, præsertim in quibusdam ex iis, quibus cum Pontificiorum doctrina non consentit. Cujusmodi sunt liberi arbitrii humani, etiam quod ad simplicem voluntatem attinet, ad bonum negatio, & ab eodem homine coram Deo justificando, quorumcunque bonorum operum exclusio. Nam vel hæc duo dogmata, quæ & à veritate longissime abesse (ut certe absunt) quilibet facile suspicatur, & interim circa res maximi momenti versari, aperte constat, satis sunt, si de illis disputetur aut inquiratur, ad hominem ab eo cœtu alienandum & separandum ubi illa tradantur atque asseverentur, ad eumque inducendum, ut alii cœtui se adjungat, in quo his contraria doceantur. Neque quidquam ego sane dubito, si Lutherus, & alii, qui Antichristianæ tyrannidi sese opposuerunt, & falsos in religione cultus ab Antichristi spiritu inductos abolere cœperunt, ista duo nova dogmata non invexissent, facile futurum fuisse, ut ad hoc tempus Ecclesia Latina universa, Satanæ isto jugo excusso, ad frugem rediisset.

Jam ea, quæ de causis, cur Euangelicorum nostrorum cœtus tam valde imminutus fuerit, eorum vero, qui Arriani prorsus immerito vocari solent, creverit, hactenus breviter attigimus, verissima esse videbunt, spero ac fatebuntur cordati omnes, qui secum reputaverint, multas alioqui fuisse causas, cur plane contra fieret. Habebant enim Euangelici ex numero suo non modo maximam vim præcellentium ac divitum nobilium, sed ex ipsis magnatibus complures; ita ut & auctoritate, & opibus, & potentia non parum abundarent. Non deerant illis, partim præsentes, partim absentes, quos vel accersere ad se poterant, vel de omnibus gravioribus, quæ inciderent, consulere, viri eruditione ac prudentia præstantes, quibus mirifice ad cœtum suum firmandum ac stabiliendum juvari poterant. Regiones ac regna integra, & prope & procul non pauca habebant, ut etiamnum habent, secum in religione consentientia. Adde, quod ipsorum

doctrina

doctrina fert, licere armis & vi, cum effusione etiam alieni sanguinis, ut supra exposuimus, religionem suam ejusque cultum defendere. Atqui ista omnia ab altero illo cœtu semper abfuerunt. Nobiles pauci, quia nimirum fratrum numerus ipse parvus, iique maxima ex parte vel pauperes, vel parum potentes; ex magnatum numero vix ullus unquam fuit, qui serio ei faveret, nullus, qui sese ei plane adjungeret: virorum eruditorum summa penuria, sive præsentium, sive absentium; alterius regionis aut regni nullæ prorsus Ecclesiæ, quæ cum ipsis omnino consentirent; quæ vero non dissentirent, præ Euangelicorum Ecclesiis, mirum quam paucæ. Præterea firma sententia, quæ perpetuo in ipsis viguit, non licere homini Christiano armis carnalibus vim sibi in spiritualibus rebus factam repellere, præsertim vero ubi periculum fundendi humani sanguinis appareat. Nihil autem dico de modo & forma hactenus constanter servata, sese horum cœtui adjungendi, à qua tantopere vulgo abhorrent, cum alias ob causas, tum vero quia hac ratione nomen & olim & hodie valde invisum anabaptistæ acquiritur, & aliis derisionis plenis appellationibus quis se subjicit. Hoc, inquam, omitto, etiamsi certum est, vel hoc unum magnam vim habere ad homines, quominus istius cœtus sese declarent, impediendos aut certe retardandos. Indignum enim prorsus homine vel leviter quidem pio atque cordato, ejusmodi rebus absterreri, semper mihi est visum. Eandem ob causam severitatem doctrinæ de moribus non commemoro, quamvis optime sciam non paucos ob hanc unam, ad illum cœtum non accedere. Tantum dico, quemadmodum Euangelici ceremonia ista carent, qua adultos, qui jam Christi nomen profitentur, in suum cœtum recipiant, sic ipsorum de moribus doctrinam multo minus severam esse. Ut tanto clarius appareat, præter à nobis enumeratas antea causas vix quidquam inveniri posse, quod non magis ipsorum cœtum conservare & augere potuerit, quam illorum, quibus ut se adjungant, ex animo opto. Quoniam vero id non nisi temere fieri ab ipsis potest, nisi prius perspectum habeant, illorum doctrinam sua multo puriorem esse, duabus rebus hic est opus; una, ut libros illorum & suorum simul diligenter legant atque examinent, vel saltem de controversis inter hos duas cœtus dogmatis cum utriusque partis viris doctis serio conferant, vel denique Sacras Literas, præsertim vero Novi Testamenti scripta sibi quam familiarissima reddant. Altera, ut omnino apud se statuant, se velle Deo servire, ejusque voluntatem omnibus aliis rebus anteponere. Quod ad priorem ex istis duabus rebus attinet, vel ex hoc possunt intelligere, ipsos suos doctores & pastores doctrinam ipsam suam suspectam falsitatis habere, & eam quam alter iste cœtus tradit, veram esse suspicari, quod ab eo editos libros, præcipue vero eos, in quibus plenius ac diligentius res pertractantur, quantum in ipsis est, ne à suis legantur & curant & vetant; nec cum istius cœtus hominibus disputare aut conferre illis concedunt. Sunt hæ artes Machometanæ & Antichristianæ, ad errores suos occultandos, & populum in tenebris ignorantiæ divinarum rerum retinendum, & propterea iis, qui Antichristo sese opponere profitentur, indignissimæ; præsertim cum illud; quod ipsimet faciunt, in aliis tam acriter semper culpaverint ac culpent, deque Pontificiis pastoribus tam vehementer conquerantur, quod suis, librorum quos ipsi edunt, lectionem interdicant. Neque enim minus vel blasphemi vel perniciosi Pontificiis pastoribus Euangelicorum libri esse videntur, quam Euangelicis alterius istius cœtus libri. Porro quod attinet ad posteriorem rem, quam faciendam Euangelicis diximus, nihil certius esse potest, quam, firmum propositum voluntatis Dei faciendæ, potissimam esse viam veritatem cognoscendi. Sic enim Christus Dominus ait Joh. 7. ℣. 16, &c. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Hæc denique monitio, ut Dei voluntatem facere prorsus statuant, non potest non esse utilissima, sive in suo cœtu sint permansuri, sive ad alterum accessuri. Quare illam grato animo, quæso, accipiant, præsertim ab eo homine, qui illos sincere amat, nec, quamvis in multis & gravibus erroribus eos versari credat, sic tamen damnat, ut omnino à cœlesti regno exclusum illos iri affirmet; immo plane sibi persuadet, si alioqui pie vixerint, & mundanis cupiditatibus valedicant, fore ut omnino serventur. Verum quam ipsis sit difficile hoc facere, dum in eo cœtu, in quo sunt, adhuc permanent, ex iis fortasse intelligent, quæ supra à nobis breviter sunt disputata. Quocirca eo revertor, ut ex ipsis illos, qui solidæ pietatis sunt studiosi, hortor ac moneam, ut ad alterum, quem nos probamus, cœtum accedant, eique sese adjungant. Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, suo spiritu nos omnes regat; nec permittat, ut desidia & negligentia nostra in ipsius præceptis servandis, talique vitæ nostræ ratione, quæ illos plane dedeceat, qui se ex Antichristianis sordibus emersisse gloriantur, causa simus, ut in dies magis Antichristi regnum reflorescat, & vera Christi Ecclesia atteratur & obscuretur.

Anno 1599. mense Julio. In Agro Luclaviciano Abrahami Blonscii.




DE BAPTISMO AQUÆ DISPUTATIO

FAUSTI SOCINI SENENSIS.

Cui acceſſerunt Ejuſdem Fauſti Socini

I. Reſponſiones ad priores & poſteriores notas ANDREÆ DUDITHII in Diſputat. de Baptiſmo.

II. Reſponſio ad MARTINI CZECHOVICII Notas in Appendice libri ipſius de Pædo-Baptiſmo.



IRENOPOLI
Poſt annum Domini 1656.

DE BAPTISMO AQUÆ.

An homini Christiano aquæ baptismo carere liceat,

DISPUTATIO.

PRÆFATIO.



Um præsentem Ecclesiæ statum multis de causis omnes vehementer miserari debemus, tum illud maxime deplorandum videtur, quod tot tantaque propter opinionum diversitatem discidia in ipsa conspiciuntur, dum pauci sunt, qui pro Christianis fratribus eos plane agnoscere velint, qui ab ipsis in re vel minima, quæ controversa sit, dissentiant, multo autem pauciores, qui ad Christianum hominem constituendum, quænam omnino requirantur, probe teneant. Quod consilium, atque ignoratio eo magis culpanda est, quod non aliunde, quam ex pravitate mentis, & charitatis defectu originem ducit. Ac de tota quidem re alias à nobis, Deo volente, disputabitur, cum ea, quæ ad salutem æternam consequendam necessaria sunt, particulatim explicabimus. Nunc vero, quoniam inter cætera, quæ maximam in Ecclesia discordiarum occasionem dederunt, baptismus aquæ externus, si recte animadvertatur, primum locum obtinere dici potest, de eo nominatim separato hoc libello, antequam majus illud opus aggrediar, agendum existimavi, præsertim cum quibusdam ex iis ipsis, qui mecum non sentiunt, optimis alioqui & eruditissimis viris me rem non ingratam facturum, sciam. Mirum est sane, quantas turbas ritus iste hactenus dederit, & posthac nisi Deus ipse mira aliqua ratione tanto malo occurrat, daturus sit, Euangeliique cursum remoraturus. Hic ait, infantes omnino baptizari debere, ille plane negat, & alter alterum tanquam non modo Christi institutum aliquod singulare, sed universam ejus religionem pervertentem, rejicit prorsus, atque abominatur. Hic censet eos, qui à ministris Christi Jesu nomen profitentibus aquæ baptismo aliquo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, sive in nomine Jesu Christi tincti fuerint, sat rite baptizatos esse, ille vero nisi à veris Christi ministris, omnibus superstitionibus & humanis additamentis rejectis, pura aqua fuerint abluti, seu quoquo modo respersi, vel nullo pacto, vel perperam baptizatos esse affirmat. Quo fit, ut hic illum anabaptistam, id est ad verbum, rebaptizatorem, vel potius catabaptistam, hoc est submersorem, seu baptismi eversorem, contumeliose appellet, & diris quodammodo devoveat, ille vero vicissim hunc despiciat, & pro adulterino aut certe non satis legitimo fratre habeat. Ita misere scinditur Ecclesia, seu, ut verius dicam, fœdissime laceratur, dum non modo alteri ab alteris penitus dividuntur: sed paucissimi sunt, qui vel hisce altercationibus implicati, vel non exiguam pietatis partem in ritibus istis, & ejusmodi aliis rebus, contineri statuentes, à vera pietate interim non desciscant, & ab ipso Christo tandem separentur. Mitto non verbis tantum, ut dictum est, sed factis quoque ad mortem usque insectationes, mitto ipsas fratrum suorum per pietatis speciem cædes, ac lanienas. Hæc enim non omnibus communia: sed propria quorundam esse constat. Atqui nihil horum esset, nisi persuasissimum omnibus hactenus fuisset, baptismum aquæ externum ita à Christo, ejusque Apostolis institutum & præceptum fuisse, ut nemo prorsus sit, qui eo vel neglecto, vel non rite suscepto, merito Christianus appellari possit. Quod certe non persuasum modo, sed plane compertum iis potissimum esse debebat, qui hac ætate nostra ejusce ritus tantum causa à cæteris secessionem aut jam fecerunt, aut facere sunt parati, ne aliter, quam coacti eo devenisse viderentur, unde animus Christianus, id est, concordiæ & pacis amantissimus & studiosissimus, quantum in ipso est, quam longissime semper abesse debet. Id vero ut ita factum fuerit, sane vereor. Nam omnia Euangelistarum & Apostolorum scripta diligentissime perquirens, nusquam nec apertis verbis baptismum aquæ

externum omnibus in perpetuum, qui Christiani esse velint, peræque præceptum esse invenio, nec aliquid dictum ex quo eam sententiam elici omnino debere, aut posse, appareat. Quod ut Ecclesia dijudicare possit, statui eos omnes locos primum accurate expendere, in quibus præcepti illius vel species quidem aliqua, aut vestigium extare videatur, deinde vero rationes exponere, quæcunque præceptum illud datum fuisse cuipiam fortassis persuadere queant, easque ita examinare, ut, si qua ex illis à nobis prætermissa fuerit, possit quilibet, ex iis, quæ dicentur, quid de ea statuendum sit, intelligere. Magnum quoddam opus, haud ignoro, moliri videbimur, qui hac ratione terrenæ aquæ baptismo Christianum hominem carere, eoque abstinere posse, demonstrare aggrediamur, nosque ipsos complurium conviciis, & maledictis objiciemus. Sed non propterea veritas supprimenda est, quæ à nobis, ut spero, multo aptius & melius, quam à quibusdam, qui eam ipsi nondum plane sunt assecuti, fortassis antehac tentatum fuit, in lucem prolata, nihil prorsus mali, sive recepta fuerit, sive non, parere posse videtur: sed tantummodo multum boni, ubi fuerit recepta, omnino paritura est, concordiam scilicet saltem & pacem, atque adeò perfectam conjunctionem inter eos, qui alioqui se invicem pro Christi discipulis proque veris fratribus agnoscunt. Unde quantum ipsius Christi, & Dei gloriæ, quantum hominum saluti accessurum sit, nemo facile dixerit. Faxit idem Deus & Christus, ut hic qualiscunque labor noster, quemadmodum hoc ipsò duntaxat divinæ gloriæ, & humanæ salutis amplificandæ studio susceptus est, sic nobilissimum istum, quem sibi proposuit, scopum, aliquando tandem attingat.

CAPUT I.

PRimus locus, qui ab ipso Matthæo, & deinceps Euangelistarum & Apostolorum scripta repetentibus sese nobis excutiendum offert, in quo baptismus aquæ externus omnibus in perpetuum, sub Novo Testamento, peræque præceptus esse videatur, est apud Matth. 3. 15, ubi Jesus Christus Johanni ipsum baptizare quodammodo detrectanti, sic ait, *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Ex quibus Jesu verbis satis constare videtur, baptismum aquæ externum ex Dei decreto omnibus peræque suscipiendum fuisse, cum ipsemet Jesus, ut eo tingeretur, necesse haberet, nec deberet Johannes ipsum ab illo prohibere, si omnem justitiam implere volebant, id est ea facere, quæ ut fierent, à Deo mandatum erat.

Hunc locum nihil continere ejus, quod quæritur, non uno modo ni fallor perspicue ostendi potest. Primum enim ex eo, quod a Deo Johanni, & ipsi Jesu mand tum fuerit, illi ut baptizaret, huic ut baptizaretur, non continuo sequitur omnibus peræque mandatum fuisse, ut à Johanne baptizarentur. Neque enim Jesus idcirco baptizari debuit à Johanne, quod ipse quoque mandato aliquo Dei generali comprehenderetur. Siquidem Johannis baptismus erat baptismus pœnitentiæ, Marco, Luca, Pauloque testibus. Nam & ipse Johannes se baptizare in aqua in pœnitentiam affirmabat Matth. 3, Jesus autem ut pote innocentissimus, nulla pœnitentia indigebat. Quocirca concludendum est, cum Christus baptizandus inquit, *Sic decet nos implere omnem justitiam*, sive pronomine illo, *Nos*, & numero plurali utens, non seipsum tantum, sed Johannem quoque intelligeret, sive de se solo loqueretur (id quod factum est etiam alibi, ut videre est, Joh. 3. 11.) non ad mandatum aliquod Dei generale, quo ipse quoque comprehenderetur eum respexisse: sed vel ad singulare præceptum & decretum Patris, quo ipse à Johanne baptizari juberetur, quodque ipse sub omnis justitiæ nomine complecteretur, vel ad id, quod alioqui tamen valde consentaneum esset, quemadmodum verbum *decet*, videtur ostendere, atque interim omnis justitiæ nomine ea omnia intelligeret, quæ populus divinitus jussus erat facere. Certum est enim populum generatim, quippe qui generatim pœnitentia, & remissione peccatorum egeret, ex Dei ipsius voluntate ab Johanne, qui ad aqua baptizandum ab eo missus fuerat, aqua baptizari debuisse. Cur autem vel Deus ut Christus omnino baptizaretur jusserit, vel certe id ipse Christus valde alioqui consentaneum esse existimaverit, cum hæc inquisitio nec inutilis, nec sane admodum ardua videatur; infra commodiore loco differemus.

Adde, quod non satis esset generale Dei mandatum extitisse (verbi gratia) ut omnes prorsus, qui in Israëlis republica censebantur, quive sub lege nati erant, à Johanne baptizarentur, quo mandato & ipse Christus comprehensus fuisset, nisi etiam constaret idem de gentibus quæ Dei populus fieri debebant, fuisse decretum, idque ad omnem posteritatem in perpetuum pertinuisse. Quod certe ex Christi verbis illis nullo pacto constare posset. Sed nec ulla unquam ratione ostenderetur, cum nemo Johanni in baptizandi munere successor datus à Deo fuerit, nedum hodie inveniantur, qui viri illius ea in re successores agnosci debeant, adeo ut præceptum de Johanne datum intelligatur, & qui ab ipsis baptizatus fuerit, se a Johanne, quemadmodum mandatum illud postulasset, baptizatum fuisse merito affirmare possit. Præterea, etiamsi concederetur, ex Christi verbis Johanni respondentis, omnino colligi mandatum Dei extitisse, ut peræque omnes tam gentes, quam Judæi in perpetuum eo baptismo, quo Johannes baptizabat, tingerentur, nihil hoc tamen ad præsentem disputationem faceret, cum Johannis Baptismus non sit idem cum eo, quem Christum & Apostolos instituisse, & præcepisse volunt, & quo si quis semel tinctus fuerit, non opus est, ut iterum, sive eodem illo, sive alio quopiam tingatur, qui denique Christianorum proprius esse creditur, de quo nos agimus. Quod ita se habere, postea demonstrabitur. Quare jam satis, arbitror, perspicuum est, locum istum, istave Christi verba, ne indicare quidem baptismum aquæ externum à Christo & Apostolis, ut creditur, institutum, a nemine qui Christianus jure nominari velit, negligi aut prætermitti debere.

CAPUT II.

Sequitur locus ille insignis apud eundem Matthæum ad finem postremi capitis. Ubi ita scriptum est: *Et accedens Jesus locutus est eis*, (undecim discipulis) *dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine* (vel potius *in nomen*) *Patris, & filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

In his Jesu Christi verbis diserte jubentur Apostoli baptizare, & quidem omnes gentes postquam doctæ fuerint. Quis ergo negare poterit, mandatum fuisse à Christo, ut quicunque ipsius disciplinam amplectatur, simul etiam baptizetur? Certe cum uno verborum contextu, & doceri omnes gentes & baptizari jubeat, si baptismum omitti posse velimus, Euangelii quoque prædicatio omitti poterit. Quod cum absurdissimum censeri debeat, illud etiam plane absurdum censendum est. Constat autem præceptum istud baptizandi Apostolis datum, ad alios, qui ipsis deinceps in Euangelio ministrando successerint, similiter pertinere, vel ex eo, quod ejusmodi Apostolorum successores tanquam ipsi Apostoli hoc eodem loco habentur. Neque enim cum ipsismet Apostolis usque ad seculi consummationem se futurum dicere voluit Christus, & tamen inquit eis, *Ecce ego vobiscum sum, &c.* Nempe ipsorum nomine eorum quoque successores manifeste intelligens. Ex quibus omnibus efficitur perpetuum esse mandatum istud baptizandi, & ob eam causam, neminem, qui se Christi discipulum, sive hodie, sive in posterum, dum præsens seculum durabit, profiteri velit, baptismi expertem sua sponte esse debere. Hæc breviter sunt, quæ ex hoc loco ad baptismum aquæ ita asserendum, ut à nullo homine Christiano negligi possit, elicienda videntur. De quibus diligenter inspiciendum fuerit.

In duas autem partes disputatio hæc distribuenda est. In quarum priore concedemus, Dominum Jesum in illis verbis de baptismo aquæ præceptum dedisse, nec tamen omnes Christianos eo præcepto teneri ostendemus. In altera, de aquæ baptismo eum locutum non fuisse, demonstrare conabimur.

Demus igitur, ut priorem disputationis partem exequi aggrediamur, Christum in verbis illis Apostolis suis mandasse, ut aqua baptizarent, hocque mandatum non ipsis tantum Apostolis, sed omnibus eorum successoribus, in perpetuum datum fuisse, & pro Apostolorum successoribus (quanquam hic nimium concedimus) eos omnes agnoscamus, qui Euangelii verbo populum, quisque sibi commissum fideliter pascant. Certe videndum est, cujusmodi fuerit mandatum istud, & quales esse debeant baptizandi in ipso comprehensi. De hoc enim potissimum quærimus. Apparet autem istos non eos omnes esse, qui Christi discipuli nominentur: sed eos tantum, qui ab ipsis Apostolis, eorumve successoribus Christi Euangelium edocti fuerint. Inquit enim; *Docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Conjungit hic Christus manifeste una cum baptismo ipsum docere, adeo ut, quemadmodum neminem ab Apostolis doceri vult, quin simul etiam ab ipsis baptizetur, sic neminem ab ipsis baptizari hoc loco præcipiat, quem ipsi non docuerint. Quod si dicas, imo eos quoque, qui ab ipsis docti non fuerant, ab Apostolis aliquando fuisse baptizatos, ut legitur Act. 19, ubi Paulus eos baptizari curat, qui ab aliis edocti jam discipulorum nomine censebantur, quemadmodum ex ipso capitis initio liquet. Respondeo, recte quidem fecisse Paulum: sed non quia id à Christo in loco quem præ manibus habemus ipsi tanquam Apostolo mandatum fuisset, verum quia alia ratione ei de divina voluntate constaret, si modo concedere velimus, eos discipulos, quos Paulus baptizari in Jesu Christi nomen voluit, ab ipso prius viam Domini exactius edoctos non fuisse. Quod sane mihi verisimile non fit, cum videam ipsum Apollo jam viam Domini edoctum, & loquentem ac docentem diligenter ea, quæ sunt Domini, quia tamen, non secus atque discipuli illi, baptismum tantum Johannis sciebat, opus habuisse ab Aquila & Priscilla in Dei via diligentius, sive exquisitius institui, ut habes eodem libro capite antecedente, à versu 24, usque ad versu 27. Quid quod ex ipsis Pauli verbis à Luca expositis id satis aperte colligitur? Ait enim: *Johannes quidem baptizavit baptismum pœnitentiæ, populo dicens, in eum, qui venturus esset, post ipsum, ut crederent, hoc est, in Christum Jesum.* Ex quibus intelligi potest, nondum scivisse discipulos istos in Christum Jesum credendum esse, & non solum aliquid ad Christi disciplinam spectans: sed ipsam fidem in Christum, sine qua in ejus nomen baptizari non essent, à Paulo edoctos fuisse. Quocirca nihil fecit Paulus, cum eos (ut quidem probabile est, nam hoc ibi non exprimitur) ipse baptizari curavit, quod in Christi mandato illo expressum non fuisset, etiamsi ea ratione, quam verba ipsa plane requirunt, & qua à nobis fit, illud omnino explicetur, ut scilicet ibi eos demum baptizare jussi sint Apostoli, quos ipsi docuissent. Animadvertendum est autem, istos appellatos fuisse discipulos, non quia jam re vera essent: sed quia ipsi tales se esse & profiterentur, & crederent, propterea nimirum, quod baptizati fuissent baptismate Johannis, quem unicum divinæ veritatis magistrum esse putabant, ut ex Pauli verbis perspicuum est. Nec vero exemplum Ananiæ, qui Paulum quamvis à se non edoctum monuit ut baptizaretur, huc pertinere potest, cum Ananias non tanquam Apostolus, nec propter mandatum illud Christi Apostolis datum: sed tanquam ab ipso Christo ad hoc nominatim delectus, ut Paulum moneret eorum quæ facere deberet, & propter ejusce rei singulare mandatum, sibi ab eo traditum id fecerit, ut ex historia ipsa, quæ & 9, & 22. cap. Actorum scripta est, non obscure colligitur. Veruntamen demus præterea in Christi verbis, quæ nobis examinanda proposuimus, satis expressum fuisse, ut Apostoli singuli & eorum successores non modo à se ipsis, sed ab aliis edoctos, sive etiam quacunque alia via ad Christi cognitionem perductos aquæ baptismo tingerent, non idcirco tamen sequitur omnes prorsus, qui Christiani dici velint, ab ipsis baptizandos esse, sed eos tantummodo, qui similes illorum fuerint, quos tunc cum mandatum ipsis fuit, ut baptizarent, baptizandos fuisse constat. Nempe eos, qui aliam, quam Christi religionem aliquando fuerint professi, nec ab ineunte ætate Christo nomen perpetuo dederint, tales enim ii omnino erant. Hæ autem qualitates in iis, de quorum baptismo hodie tam anxie laboratur minime reperiuntur, quod magnam sane inter hos, & illos dissimilitudinem constituit, vel potius in eo, de quo quæritur omnium maximam, cum baptismus aquæ ab Apostolis & eorum successoribus usurpatus nihil aliud revera fit, quam Christi nominis publica, & solennis quædam professio, quemadmodum ex iis, quæ infra dicenda sunt, clarius patebit. Sed fac postremo hos illorum prorsus similes esse, certe, cum præceptum non ipsis, ut omnino baptizentur, sed Apostolis, atque eorum successoribus, ut baptizent, datum fuerit, nihil amplius ex Christi verbis colligi poterit, quam debere omnes, quos Apostoli, eorumve successores aqua baptizare velint, ab istis eum baptismum accipere. Cæterum nemo, ut aqua baptizetur ipsemet per se curare cogetur. Ita fieri poterit, ut multi aquæ baptismo sponte careant, nec tamen aliquid adversus hoc Christi mandatum comittant. Atque hæc pauca satis sint, ut, etiamsi concederemus in illis Christi verbis de aquæ baptismo agi, non tamen propterea omnes Christianos baptismum illum omnino suscipere debere, doceamus.

Sequitur altera pars disputationis, in qua demonstran-

strandum nobis est, in Christi præcepto illo de baptismo terrenæ aquæ verba non fieri. Id autem duplici ratione ostendi posse videtur. Prima est, quod, si Christus eo in loco, per verbum *baptizantes*, aquæ terrenæ baptismum intellexisset; sine dubio ut adversarii ipsi (liceat mihi eos a quibus dissentio, ut commodius universam disputationem persequi possim, hoc nomine deinceps appellare) inde colligunt, non minus baptismum istum externum, quam ipsam Euangelii prædicationem Apostolis commendasset, nec minus ad baptizandum, quam ad prædicandum eos misisset. Atqui hoc falsum est, falsum igitur & illud. Hoc autem falsum esse demonstrant verba Pauli Apostoli, qui priore ad Corint. cap. 1. 17. apertissime testatur, se à Christo non ad baptizandum missum fuisse: sed ad Euangelizandum. Unde constare videtur, non modo insignem differentiam extare inter præceptum de baptizando aqua & præceptum de euangelizando à Christo Apostolis datum, (quæ tamen, ut dictum est, si in illis verbis de aquæ baptismo Christus egit, nulla esse potest) sed etiam baptismi illius ministerium ipsis Apostolis à Christo non fuisse injunctum. Quod etsi ego prorsus affirmare non ausim, nihil tamen adhuc video, quod aliter, quam verba ipsa sonent, locum illum Pauli, nos interpretari cogat. Nam si dixeris errasse igitur ipsum Paulum, & cæteros Apostolos, qui aqua baptizaverint. Respondeo, non omnia, quæ jussa non sunt, censeri prohibita, imo ut sensus ipse communis aperte docet, omnia quæ expresse non sunt prohibita, censeri permissa, sive ad ipsum divinum cultum pertineant, sive minus, præsertim, si neque iis, quæ interdicta fuere, similia videantur, & iis, quæ fuerunt jussa, sint maxime consentanea. Nec enim testimonia illa, quæ in Sacris Literis antiqui fœderis extant Deut 4. 2. XXII. 32, voluntatis divinæ, quæ ea sit, ut nihil addatur, nihil detrahatur iis, quæ mandata sunt, idque omnino fiat, quod præceptum est, ita intelligi possunt, (ne in iis quidem, quæ ad ipsius Dei cultum pertinent) ut nihil penitus fieri debeat, nisi quod præceptum est. Alioqui errasset, exempli causa, Gedeon, qui, viso Angelo Jehovæ facie ad faciem Jud. 6. 24, ibi ipsi Jehovæ aram extruxit, cum tamen ejus extruendæ præceptum nullum habuisset, quemadmodum alterius extruendæ deinde habuit. Nam factum illud à Deo improbatum non fuisse ex eo constare potest, quod neque eo nomine Gedeon ab ipso reprehensus unquam fuit, neque ut ara illa dirueretur jussum aut curatum. Imo ara illa multis post annis, cum scilicet historia illa scripta fuit, adhuc extabat, atque eodem nomine quo ipsam Gedeon nominaverat, appellabatur. David quoque errasset 2 Sam. 7. 1 Paral. 16. & 22, & 28, qui domum Jehovæ ædificare cogitavit, licet id nec sibi, nec alii ante se mandatum fuisse sciret, imo ipsius Jehovæ voluntas, quam tamen ipse ignorabat, esset, ut non ipse David, sed Salomon ejus filius eam ædificaret. Attamen tantum abest, ut erraverit, ut etiam ob id ipsum commendatus fuerit, & Jehovam sibi dicentem audiverit 1 Reg. 8. 2 Par. 6, *Propterea quod fuerit cum corde tuo, ædificari domum nomini meo, bene fecisti, quod [hoc] fuerit cum corde tuo.* Ex quibus locis perspicuum est, posse, ut diximus, etiam in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, nonnulla fieri, quæ mandata non fuerint, modo interdicta non sint, nec interdictis paria, aut similia, & ab iis, quæ præcepta fuerunt, non abhorrentia. Jam vero nihil à Christi præceptis minus abhorrens, vel potius ipsis magis conveniens, licet à Christo expresse non mandatum, censeri debet, quam eos, qui ad ipsum convertebantur, sive ex Judæis, sive ex Gentibus in nomine ipsius, ab Apostolis aqua baptizatos fuisse. Qui aqua baptizandi ritus, jam ab ipso Euangelii initio, & à Johanne, & ab ipso Christo in recipiendis, ut ita loquar ad pœnitentiam peccatoribus, & discipulis suis quodammodo declarandis usurpatus fuerat. Quandoquidem non obscure præceperat Christus Apostolis Luc. 24. 47, ut in ipsius nomine prædicarent pœnitentiam, & remissionem peccatorum, omnibus gentibus incipientes ab Hierosolymis, & docerent eos servare omnia, quæ ipsis mandaverat. Mat. 28. 20. Sed quid plura opus est, ut appareat, fieri posse, ut Apostoli aqua baptizandi, nullum Christi præceptum habuerint, quamvis certissimum sit eum ritum ab illis usurpatum fuisse? Nonne iidem Apostoli ritum manus in Christum credentibus imponendi, sive ut Spiritum Sanctum acciperent, sive ut cuipiam muneri in Ecclesia præficerentur Act. 8. 17. VI. 6. 1 Tim. 4. 15. V. 22, & ipsi usurparunt, & suis successoribus usurpandum tradiderunt, nec tamen ut id facerent unquam a Christo jussi fuerunt? Nec vero est quod quis dicat, Paulum, in eo loco ad Cor. nihil aliud dicere voluisse, quam se a Christo missum non fuisse, ut ipsemet baptizaret, nam id unus per alium facere poterat, quod & apud ipsos fecerat. Si enim hoc voluisset Paulus, non recte dixisset, cum ait, se gratias agere Deo, quod pauculos quosdam tantummodo ex ipsis baptizasset, ne (si multos scilicet baptizasset) suspicaretur quispiam ipsum baptizasse in nomen suum. Quid enim refert, quod ad suspicionem istam attinet, ipsummet baptizasse, an alium loco ipsius? Certe Christus ipse non baptizabat Joh. 3. 27. IV. 1, (inquit Johannes Euangelista) sed discipuli ejus, & tamen ipse baptizare dicebatur. Quod & ipse Euangelista prius affirmaverat eodem cap. 3. 22. Ex quo id saltem intelligere possumus, Paulum si non semetipsum baptizasse, sed per alium id fecisse, dicere voluisset, non simpliciter dicturum, se non baptizasse, sed aliquid expressius additurum, unde id evidenter percipi posset. Hinc apparet, ne eos quidem audiendos esse, qui dicunt. Pauli mentem fuisse, affirmare se ad baptizandum non principaliter, ut ad euangelizandum, sed secundario missum esse. Sive enim principaliter, sive secundario ipsi baptizandum fuisset, sine dubio vel per se, vel per alium omnes suæ prædicationi fidem adjungentes, baptizasset. Quod si nec per se, nec per alium sibi baptizandum ex Jesu Christi præcepto fuisse, dicere voluit, jam satis constat, præceptum illud baptizandi Apostolis datum, ad eum baptismum referri debere, de quo ibi loquitur Paulus, id est, baptismum aquæ, sed ad alium quempiam. Nam cum Christus diserte præcepisset ipsis ut baptizarent, si aquæ baptismum intellexisset, non satis fuisset, tantum monere credentes ut aqua baptizarentur (id quod Corinthi Paulum fecisse facile concedi potest) sed opus fuisset omnino vel ipsosmet, vel alios pro ipsis, qui ipsorum personam in ea re sustinerent, aqua baptizare. Aliter ei præcepto nequaquam satisfecissent. Nec vero excipiat aliquis eo præcepto undecim Apostolis tradito fortasse Paulum comprehensum non esse, & aliud Paulo, aliud illis in baptismi negotio à Christo mandatum fuisse. Nam nec fieri potest, ut in re administranda, quam tanti momenti esse volunt, ut ea neglecta nemo Christi discipulus dici mereatur, Christus ipse diversa mandata dederit, & ridiculum plane est, Paulum Apostolum, præcepto aliis Apostolis dato, comprehensum nullo modo fuisse, interim tamen id præceptum, ad Ecclesiastas nostri temporis omnino pertinere. Jam igitur Pauli Apostoli exemplo patet, à Christo Apostolis præceptum aqua baptizandi datum non fuisse, & idcirco in loco isto apud Matthæum, ubi aperte ut baptizent, illis præcipit, de baptismo aquæ non agi. Et hæc sufficiant pro prioris nostræ rationis explicatione.

Altera ratio, qua omnino probari videtur, ibi de aquæ baptismo non esse sermonem, talis est. Præcipit ibi Christus Apostolis, ut baptizent in nomen Patris, filii, & Spiritus Sancti. Atqui cum Apostoli aqua postea baptizarent, aut baptizari jusserunt, id in nomen, sive in nomine tantum Christi non semel, sed semper factum legimus, ubi nominis in quod sive in quo baptismus ille ministratus fuit, fit mentio. Igitur in eo Christi præcepto non de aquæ baptismo, sed de alio quopiam actum est, nisi velimus Apostolos aliter fecisse,

atque

atque Chriſtus eos facere juſſerat. Loci in quibus baptiſmi aquæ ab Apoſtolis, ſive Apoſtolorum juſſu, miniſtrati una cum nomine, in quod ſive in quo id factum eſt, fit aperta mentio, hi ni fallor ſunt, Act. 2. 38. & 10. 4. & 19. 5. quibus adde id quod ſcriptum eſt, eodem libro cap. 8. 16. & cap. 22. 16. in quorum priore loco, etſi id minime expreſſum eſt, tamen ex Apoſtolorum inſtituto id Philippo Diacono monente, & curante factum fuiſſe omnino dicendum videtur. In altero vero Chriſto ipſo, de cujus verborum interpretatione quærimus, mandante, id Ananiam dixiſſe plane eſt veriſimile. Adde inſuper ea, quæ de hoc baptiſmo ſcribit Paulus 1 ad Cor. cap. 1. ex quibus perſpicuum eſt, aquæ baptiſmum ſimpliciter in nomine Domini Jeſu Chriſti miniſtratum & acceptum fuiſſe. At vero dicet aliquis, ſatis in nomine Patris etiam & Spiritus Sancti id factum eſt, ſi in Jeſu Chriſti nomine factum fuit. Ut enim cum Jeſus Chriſtus, ſive Jeſus ſimpliciter annunciatus fuiſſe dicitur, non intelligendum eſt ipſius Jeſu Chriſti tantum, ſed Patris quoque & Spiritus Sancti, mentionem factam fuiſſe. Sic ſimiliter cum aquæ baptiſmum miniſtratum fuiſſe legimus, in nomen ſive in nomine Jeſu Chriſti, ſive Domini Jeſu, ſive Domini, non intelligendum eſt, Jeſu Chriſti tantum mentionem fuiſſe factam, ſed Patris quoque & Spiritus Sancti. Reſpondeo, longe aliam eſſe rationem prædicationis, quam baptiſmi. Nec enim Dominum Jeſum, quis annunciare poteſt, quin Patris ſimul, & Sancti Spiritus aperte meminerit. Siquidem Dominum Jeſum annunciare non eſt ſimpliciter ipſum Jeſum commemorare, ſed muneris, præceptorum, promiſſionum, poteſtatis denique ipſius meminiſſe, deque ipſis explicate docere. Quod ſine Patris, à quo hæc omnia profecta ſunt, & ad quem omnia ſunt referenda, nec ſine Sancti Spiritus, cujus vi eadem omnia & facta ſunt, & fiunt, aperta mentione fieri nequit. Sed nihil vetat, quominus in Jeſu nomen aquæ baptiſmus miniſtretur, nulla nec Patris, nec Spiritus Sancti expreſſa mentione facta.

Quod ſi dixeris Jeſu Chriſto commemorato ſatis commemorari patrem quoque & Spiritum Sanctum, cum is ſine ipſis conſiderari nequeat, præſertim cum Chriſti, hoc eſt uncti, nomine, (ut quidam ex antiquioribus Theologis de ipſo etiam baptiſmo loquentes ſcriptum relinquerunt) non ejus tantum, qui unctus eſt, ſed & ungentis, & unguenti commemoratio fiat, Animadvertendum eſt, primum, multos eſſe ex locis ſupra citatis, in quibus nomen Chriſti expreſſum non eſt, Imo id tantum uno in loco additum fuit (nempe Act. 2. 38.) ſecundum communem Græcorum codicum lectionem.

Deinde reſpondendum eſt, ſi res ita ſe haberet, non præcepturum fuiſſe Chriſtum diſerte, ut in nomen quoque Patris, & Spiritus Sancti baptizarentur omnes gentes, quemadmodum fecit ſola Filii nominis expreſſa mentione non contentus. Præterea eſt dicendum, aliud eſſe mentionem fieri, & quidem apertiſſimam alicujus, cum quippiam adminiſtratur, & geritur, aliud in ejus nomen id adminiſtrari & geri, Quare non ſatis eſt, veriſimile eſſe, cum quis in Chriſti nomen aqua baptizatur, plane commemorari Patrem quoque ipſum, & Spiritum Sanctum: ſed neceſſe eſt, ut in ipſorum ſimul nomen expreſſe præterea baptizetur, ſi modo præceptum illud, de aquæ baptiſmo loquitur. Quod cum, ut diximus, Apoſtolorum tempore factum fuiſſe nuſquam legatur, quin etiam nunquam fuiſſe factum merito affirmari poſſit, quid cauſæ eſt, cur dubitare poſſimus, Chriſtum Apoſtolis ſuis non præcepiſſe, ut in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, aqua baptizarent, & propterea in loco de quo quærimus, non fuiſſe de aquæ baptiſmo actum? Verum audio quoſdam dicentes, cum aſſeritur, Chriſtum in præcepto illo aquæ baptiſmum intellexiſſe, hoc non ita accipiendum eſſe, quaſi lotionem illam duntaxat externam intellexerit: ſed totum baptiſmum, qui tamen ſine externa illa lotione non eſt. At ego iſtos rogo dicant mihi, quid tandem totius baptiſmi nomine intelligant, quidve præter illam externam corporis lotionem eo in loco ſignificatum eſſe velint. Si interiorem animi lotionem dicant; rurſus rogo, an eam quæ Euangelii prædicatione fit, an vero eam quæ Spiritus Sancti ope peragitur intelligant, an poſtremo ejuſmodi mentis ablutionem dicere velint, quæ prædicatione ſimul Euangelii & Sancti Spiritus ope perficiatur. Si dixerint eam ſe intelligere, quam Spiritus Sanctus ſive ſolus, ſive una cum Euangelii prædicatione peragit, jam ipſos errare apparebit, cum neque Apoſtolorum ullo modo eſſet Spiritum Sanctum illum qui mentem hominis expurgat, impertire, nec is Spiritus Sanctus in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, vel daretur, vel dari poſſet. Sin vero eam, quæ Euangelii prædicatione fiat, ſe intelligere affirment, quam in Patris & Filii & Spiritus Sancti nomen, ut poſtea explicabitur, fieri debuiſſe, nos quoque non confitemur modo, verum etiam contendimus, jam fatebuntur ipſi id verum eſſe, quod ſupra à nobis dictum fuit, & alia ratione probatum, videlicet, ſi modo in eo præcepto aquæ baptiſmus comprehenditur, non poſſe illum ab Euangelii prædicatione ſeparari: ſed neceſſe eſſe, ut qui aqua baptizare velit, iis quos baptizaturus ſit Euangelium prædicaverit, aut prædicet, atque ea ratione eos ſimul interius lavet atque expurget. Ubi igitur nulla Euangelii prædicatione opus fuerit, ibi nullus ei Chriſti præcepto locus eſſe poterit. Quocirca ſi eos qui prædicatione ulla non egent, ab Apoſtolorum ſucceſſoribus baptizandos eſſe velimus, aliunde quam ex præcepto illo id colligi omnino oportet. Itaque apparet, nullam Chriſti verbis interpretationem adhiberi poſſe, qua baptiſmum aquæ in ipſis comprehendi, nedum præcipue ſignificari demonſtretur, niſi hoc ſaltem concedatur ex præcepto illo probari non poſſe illud, de quo potiſſimum diſputatur, & nos verum eſſe negamus, omnes peræque qui Chriſti diſcipuli jure appellari velint, aquæ baptiſmo indigere.

Nec vero ut credamus in mandato illo de aquæ baptiſmo actum fuiſſe, quenquam moveat, quod Petrus ab ipſo initio juſſerit Act. 8. 38, eos qui ad Chriſtum convertebantur aqua baptizari, quaſi omnino iſtud Petri factum executio fuerit illius mandati. Nam magna hic deceptio eſt, & manifeſtus Paralogiſmus. Quamvis enim veriſſimum ſit, ſi ibi Chriſtus præcepiſſet Apoſtolis, ut aqua baptizarent, Petri factum ea in parte præcepto iſti conſentaneum futurum, & debuiſſe Petrum aqua baptizare, non tamen continuo verum eſt, ſi Petrus aqua baptizari juſſit, mandatum fuiſſe à Chriſto Apoſtolis, ut baptizarent aqua, nedum eo nominatim loco id mandatum fuiſſe conſtet. Ut enim ſupra demonſtratum fuit, potuerunt Apoſtoli ſine ulla reprehenſione aqua in Jeſu Chriſti nomine baptizare, etiamſi id eis ab ipſo Chriſto expreſſe mandatum non fuiſſet. Quin imo ex ipſius Petri verbis ipſoque facto perſpicuum eſt, ſic aqua baptizare, ut Petrus fecit, ſeu fieri juſſit, non eſſe executionem illius Domini Jeſu mandati, etiamſi in eo mandato, de aquæ baptiſmo actum fuiſſet. Baptiſmus enim ille aquæ Petro jubente miniſtratus, quamvis ſine doctrina de ipſo Chriſto miniſtratus non fuerit, anteceſſit tamen doctrina baptiſmum, neque in ipſo baptizandi actu ejus doctrinæ ullam mentionem fieri neceſſe fuit. Sed Petro jubenti pleniſſime fuit obtemperatum, ſi illi, quos baptizari juſſerat, Chriſti nomine ſimpliciter invocato, aqua abluti, ſeu tincti fuerunt, atque ea ratione ipſi Chriſto quodam modo conſecrati, ejuſque familiæ adſcripti. Hoc enim eſt in Jeſu Chriſti nomine baptizari, (id autem diſerte nec præterea aliud Petri verba fieri jubebant) ut etiam ex loco illo Pauli 1. ad Cor. 1. intelligi poteſt. Cum igitur ipſum Patris & Spiritus Sancti nomen expreſſe commemorari minime ſit opus, doctrinæ ſimiliter de ipſo Chriſto

tunc mentionem factam fuisse necesse non sit, qua explicanda Patris quoque & Spiritus Sancti mentio fuerit facta, quomodo obsecro in Jesu Christi nomine aqua baptizare, ut Petrus fecit, sive, ut fieret, mandavit, illius præcepti executio esse potest, in quo diserte cautum est, ut in nomen quoque Patris & Spiritus Sancti baptismus ministretur, non modo ut in eo ministrando ipsorum quoque expressa mentio fiat. Atque hæc satis esse volumus, ut demonstretur in Domini Jesu mandato aquæ baptismi rationem habitam non fuisse, præsertim si ad omnes, qui ejus discipuli esse velint, nullo discrimine habito illud pertinere statuamus.

Sed quæret fortasse aliquis, quid igitur sibi vult Christus, cum præcipit Apostolis, ut baptizarent in nomen Patris, & filii, & Spiritus Sancti. Nihil omnino est, quod me ita quærenti respondere cogat, & nodum istum expedire. Nam satis superque id quod debui, præstiti, si, ut me fecisse arbitror, de aquæ baptismo eum locutum non fuisse docui. Verumtamen, ut omnibus, quoad possumus, satisfaciamus, tanquam si hæc pars quædam officii nostri in præsente diputatione plane esset, totam rem aperire conabimur. Dico igitur primum, (quod prorsus nemo dubitat) in Sacris Novi Fœderis Literis, non unum esse usum verbi baptizandi, & nominis baptismi seu baptismatis. A propria enim & magis usitata ipsorum significatione, quæ immergendi, seu tingendi vel etiam abluendi est, sæpe ad alias significationes, aut metaphorice, aut metonymice sunt quodammodo detorta, adeo ut vix interdum sermonis figura recte percipi queat, & quo sensu usurpata fuerint, plane intelligi, ut bis in ipsius Christi verbis factum esse deprehendimus, Marci videlicet cap. 10. 38, 39. & Luc. 12. 50. Cum enim (ut fere receptum est) sibi multa mala subeunda esse, & mortem acerbissimam perferendam significare vellet, dixit se baptismo quodam baptizandum esse. Id autem quomodo ea locutione ab usitatis verborum figuris, non recedens, declarare potuerit, non est hic explicandi locus, cum significatio illa ad propositum nostrum minime faciat, satis est hisce exemplis planum fecisse, id verissimum esse, quod de verbis *baptizo* & *baptismus*, deque eorum usu in Novo Testamento omnes sentiunt. Invenimus autem nonnunquam baptismi nomen, baptizantis, id est lavantis, vel tingentis, disciplinam, seu mavis dicere, doctrinam significare, nulla lotionis ipsius vel tinctionis ratione habita, ut cum Act. 18. 25. scriptum legimus, Apollo baptismum duntaxat Johannis scivisse. Ut enim ex ipso loco satis constat, nihil penitus ibi ad rem faciebat, quod Apollos sciret, aquæ baptismum illum, quo utebatur Johannes, cum manifeste de sola doctrina Domini ageretur, quam dicitur Apollos non probe adhuc tenuisse, cum Johannis baptisma tantummodo sciret. Quod perinde est, ac si diserte dictum fuisset; de doctrina Domini nihil amplius eum novisse, quam id quod Johannes docuerat. Baptismum autem ipsum aquæ à Johanne ministratum, partem nullam fuisse ejus doctrinæ Domini, de qua ibi verba fiunt, ex infra dicendis clarius patebit. Eadem omnino ejusdem verbi significatio esse videtur, sequenti capite ℣f. 3, ubi discipuli illi à Paulo Ephesi reperti, & ab ipso interrogati, in quid baptizati essent, respondent, se baptizatos esse in baptisma Johannis. Nam quomodo potuerant quæso illi, baptizari in ipsum aquæ baptismum? An parum constat nihil aliud eos sibi voluisse, nec velle potuisse, præsertim si ad Pauli interrogationem, recte respondisse videri volebant, quam se fuisse baptizatos in doctrinam Johannis, hoc est eo proposito ut se Johannis disciplinæ penitus addicerent, eumque pro duce & magistro in via Dei agnoscerent?

Mitto alios locos complures, in quibus baptismi voce doctrinam significari certum est, atque ut ego quidem credo citra ablutionem aliquam externam. Duo enim hi, quos attulimus, cuicunque vel moroso satisfacere posse videntur. Hæc autem verbi baptismi notio, vel per metonymiam inducta est, quia nimirum Johannes simul & baptizabat, & docebat, & ita ejus, quod ab ipso fiebat pars una pro altera sumpta est, vel per metaphoram (hæc autem in ipsa quoque Christi doctrina locum invenire potuit) cum non secus atque per baptismum Johannis corpus abluebatur, similiter per doctrinam illius animus expurgaretur. Sumitur etiam aliquando baptizandi verbum, ut arbitror, pro eo, quod initiare alio modo dicere possumus. Ut, cum Paulus priore ad Cor. 10. 2 ait, Hebræorum patres baptizatos fuisse in Mosen, in nube, & in mari. Quod nihil aliud esse videtur, quam eos, cum ductore Mose, mare mirabili ratione transissent, nubisque beneficio ipsis præeunte affecti fuissent, initiatos & quasi consecratos fuisse ipsi Mosi, hoc est Deo per Mosen, quem ille ipsis præfecerat, & cui tanquam sibi ipsi eos obtemperare volebat. Sed, & cum idem Paulus discipulos illos, quos Ephesi invenerat, interrogat Act. 19. 3, *In quid ergo baptizati estis?* baptizandi verbum, initiandi significatione omnino usurpasse videtur, quamvis enim non sine aquæ baptismo discipuli initiari solerent, quia tamen istos aqua baptizatos, non plane esse constabat, ut jam pro discipulis haberi manifestum erat, quod certe sine initiis, seu mavis initiatione aliqua fieri non potuerat, non de aquæ baptismo, sed de initiatione ipsa Paulum interrogasse credendum est. Non secus ac si explicite ad hunc modum dixisset: si, cum credidistis, Spiritum Sanctum non accepistis, imo Spiritum Sanctum dari, ne audivistis quidem, quæ igitur est fides vestra? Cui doctrinæ vos ipsos consecrastis? Cujus denique discipuli declarati estis? Atque hanc eandem notionem eidem baptizandi verbo, seu nomini baptismo, alibi in Euangelistarum, & Apostolorum scriptis, subesse crediderim. Quod sane decentissima metonymica translatione factum est, cum per baptismum id potissimum intelligatur, & fiat, ut, scilicet qui baptizatur, ea ratione initietur, & quodammodo consecretur.

Hæ duæ docendi & initiandi significationes verbo baptizandi per usitatissimos sermonis tropos attributæ, ad locum nostrum mirum in modum quadrant. Siquidem Apostolorum munus erat (quod eis tunc mandasse Christum, verisimillimum est) ut doctrinam de Christo exacte hominibus exponerent, & ejus agnitioni illos initiarent, ad illum Patrem & filium & Spiritum Sanctum eos adducendo, ipsisque consecrando, sine quibus nec doctrina ipsa explicari, nec ex ea fructus ullus percipi potest. Atque hoc loco non pigebit ea referre, quæ virum nostra memoria Sacrarum Literarum cognitione præstantissimum in ea Christi verba, aliud tamen quam nos agentem, & de alia re disputantem, scripta reliquisse comperimus, quod loco interpretationis nostræ, quam latius exponere statueramus, esse poterit. Inquit igitur: *Sed ego quorum illic mentio fiat, dubium, aut obscurum esse nego, quia non simpliciter, & indefinite verba prolata sunt, verum cum relatione manifesta addito singulis articulo, cujus tanta vis est, ut certos quosdam designet, & quorum antea meminisset. In fonte enim legitur:* εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, *ad quam articuli vim exprimendam adjungendum esset, in versione Latina singulis, pronomen, hoc pacto: Baptizantes eos in (vel ad) nomen illius Patris, & illius Filii, & illius Spiritus Sancti, de quibus scilicet antea sum vobis locutus, & vos probe tenetis. Illius inquam Patris vestri cælestis, qui vos tantopere diligit, à quo me profectum esse vere cognovistis, cujus nomen vobis declaravi, & sermonem tradidi; qui me ducem & præcursorem vestrum excitavit à mortuis, ad quem jam jam ascendam, ut cum eo vivam in gloria sempiterna. Et illius inquam Dei filii unigeniti, de quo cælestem illam vocem audistis, Hic est meus charissimus filius, quem vos Christum Dei viventis filium confessi estis, quem Deus misit, ut servetur per eum mundus, cui dedit omne judicium, ut omnes filium honorent, quemadmodum Patrem honorant, qui ex divino præcepto amicorum suorum causa animam posuit, ac tertio die sus-*

suscitatus, nunc abit in cælum sessurus ad dexteram majestatis, donec veniat cum multa potentia, & gloria, & judicet mundum, & quoscunque ei dedit Pater, iis vitam det æternam. Et illum (inquam) Spiritus Sancti in meo nomine à Patre mittendi, quo intellexistis vos abluendos esse, qui prævibit vobis ad omnem veritatem, qui apud vos manet, & in vobis futurus est, quem mundus consequi non potest, quem Deus & Pater cælestis dabit à se petentibus, mihique obedientibus sic impertiet, ut flumina ex ipsorum intimis fluant aquæ vivæ, fiatque in ipsis fons scaturiens ad vitam æternam. Hactenus ille. Sic igitur ut tantus vir fecit, ego quoque Christi verba explano, & idcirco verbum *baptizantes*, merito non ad aquæ baptismum refero, in quo ministrando hæc neque dicebantur, nec intelligebantur: sed vel antequam ministraretur, omnia prorsus, vel post etiam ex parte explicabantur. Verum ad doctrinam & ad initiationem illam, quæ docendo fit, referendum affirmo. Qua interpretatione admissa, locus totus planissimus est, nec ulla superest difficultas. Nam, si quis objiciat, non opus fuisse, neque verisimile videri, ut Christus, qui jam dixerat, *Docete omnes gentes*, subjunxerit statim præceptum de docendo: Dico primum, istud nihil esse, cum manifestum sit, ipsum postea de doctrina iterum præcepisse dicentem, *Docentes eos servare omnia quæ præcepi vobis.* Nam profecto hoc omnino in verbis illis comprehenditur ab initio dictis. *Docete omnes gentes.* Atqui quod prius implicite Christus dixerat, explicat deinde apertius. Cumque doctrina illa & mysterium salutis nostræ, & vitæ præcepta complectatur, de priore parte agit in verbis illis, *baptizantes eos*, &c. de posteriore vero in illis, *docentes eos servare*, &c. Itaque tantum abest, ut interpretatio nostra coacta videri possit, ut nisi ea recipiatur, mutilus omnino aut imperfectus, & parum ipso dignus videatur sermo Christi, qui doctrinæ salutaris, quam publicari volebat, ex duabus alteram tantummodo partem explicet.

Præterea dico, animadvertendum esse, nulla ratione, quæ absurdissima non sit, posse verba illa, *baptizantes*, &c. explanari, nisi concedatur ibi quoque aliqua saltem ex parte doctrinæ publicandæ factam fuisse mentionem, & de ea præceptum datum, alioquin ut supra disseruimus, nunquam quomodo Apostoli in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizarint, & Christo paruerint, explicari poterit. Ut sive nostra, qui eo in loco baptismi aquæ præceptum datum fuisse negamus, sive adversariorum, qui affirmant, sententia admittatur, fieri non possit, ut illud quod dicitur de doctrinæ iterato præcepto semper verum non sit. Postremo dico, verbum Græcum μαθητεύσατε, quod interpretes verterunt, *docete*, proprie, non docere, sed discipulum facere, significare, ut ex nomine μαθητὴς unde derivatur, quod discipulum significat, apertissimum est, & abunde confirmatur per id, quod legitur, Act 14. 21. *Cumque evangelizassent, urbi illi,* καὶ μαθητεύσαντες ἱκανοὺς, id est, *& multos discipulos fecissent.* (Quod ibi viderunt Erasmus quoque ac Tigurini, & Sebastianus Castellio, quorum hic in sua translatione habet, *Et compluribus factis discipulis.* Illi vero, *Discipulos quoque astruxissent multos.*) Non autem ut vetus interpres, quem alii quidam imitari voluerunt, interpretatus est, *Et multos docuissent.* Quæ interpretatio, cum jam dictum fuisset, eos Euangelizasse urbi illi, quod sane nihil aliud est, quam illos ibi publice docuisse, nullo modo sustineri potest, nisi verbum docendi in eam sententiam accipiatur, in quam interdum apud bonos autores accipi solet, ut scilicet non ipsam modo doctrinæ traditionem, sed ejus etiam receptionem significet, quod tamen satis non esse, ad vim illius Græci verbi, suo præsertim loco exprimendam, videbit aperte quisquis animum adverterit, & ipsum locum inspexerit. Proprietate igitur verbi considerata, apparet nihil aliud in verbis illis mandasse Christum Apostolis, nisi ut discipulos facerent, ex omnibus gentibus, post quod mandatum convenientissime consequitur, ratio discipulorum faciendi, quæ potissimum ut ipsum nomen indicat, in disciplina consistit. Quare merito statim adjungit Christus, quid docere debeant eos, quos discipulos facere aggrederentur. Discipulos autem intelligo non Apostolorum, sed ipsius Christi. Sic enim nomen discipuli simpliciter positum, accipitur sæpissime in Sacris Literis Novi Fœderis, imo semper ut arbitror, idque multo frequentius post ipsorum Apostolorum prædicationem. Tempus enim fuit, cum ii, qui Christiani postea sunt dicti, simplici discipulorum nomine appellarentur, ut docent verba Lucæ, Act. 11. 26. Itaque ut concludamus rectissime à nobis verba illa, Baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, etiamsi ad aquæ baptismum referri possent, quod tamen contra se habere demonstravimus, ad disciplinam præcipue relata sunt. Atque ex his tandem cuilibet constare posse credimus, quam injuria, ex ipsis verbis illis præceptum baptizandi aqua (quod præsertim peræque omnes, qui Christiani jure appellari velint, complectatur) colligi affirmetur. In quibus explicandis (quanquam multo plura dicere potuissemus) si aliquanto longiores fuimus, eo breviores erimus in cæteris locis excutiendis, qui ad receptam illam de aquæ baptismo confirmandam sententiam videntur posse afferri. Multa enim quæ in hoc examinando, quem adversarii inter omnes maximi faciunt, dicenda fuerunt, ad reliquos explanandos jam nobis viam straverunt, neque ea licet ad id maxime conducentia pluribus verbis repetere opus fuerit, sed indicare tantum atque in memoriam redigere satis erit.

CAPUT III.

Tertius locus, ex quo præceptum illud videtur posse colligi, sunt verba illa Domini Jesu, quæ undecim discipulis dixit, apud Marcum cap. 16. 15, & 16. *Euntes in mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Nam, cum Christus dicat, eos servatum iri, qui crediderint, & baptizati fuerint, satis manifestum esse potest præcepisse illum ut omnes credentes baptizarentur, alioqui solius fidei mentionem fecisset, neque vero duæ illæ rationes, quibus in superiore loco de aquæ baptismo actum non fuisse disputatum est, quod scilicet aliunde constet, Apostolis mandatum à Christo non fuisse, ut aqua baptizarent, & quod aquæ baptismus simpliciter in nomine Jesu Christi, non autem in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ab ipsis ministraretur, hic locum habere possunt, ubi nec ipsis Apostolis, ut baptizent, aperte mandatum est, sed tantum, qui servandi sint, baptizatos esse debere, expresse dictum videtur, nec ulla baptismi ministrandi ratio, sive formula præscripta fuit.

Verum quamvis ego neutram ex illis rationibus hic aliquid momenti habere mea sponte aut confitear, aut certe concedam, putaverim tamen nihilominus ostendi posse, ne in hoc quidem loco, de aquæ baptismo Dominum Jesum locutum fuisse. Quid enim? Num dicemus ad salutem consequendam ita requiri aquæ baptismum, ut fides requiritur. Certe neminem audivi unquam, qui hoc ausus sit affirmare. Atqui si de baptismo aquæ ibi locutus est Christus, satis constat in iis servandis, quibus Apostoli Euangelium prædicaturi erant, non minus aquæ baptismum, quam fidem ab ipso requisitam fuisse. Vel, si hoc fateri nolimus, dicentes Christum quidem affirmasse eum, qui credidisset, & aqua baptizatus esset, servatum iri, non idcirco tamen negasse, quenquam servari posse, qui non baptizaretur, quemadmodum de iis, qui non crederent, in sequentibus verbis affirmavit, inquiens, *qui vero non crediderit, condemnabitur.* Si inquam hac ratione permoti fateri nolimus baptismum à Christo fidei æquiparatum fuisse, quid rogo ex ipsius verbis ad præceptum de aquæ baptismo confirmandum elici poterit. Nihil enim diserte præcipit ibi Christus, cum de baptismo loquitur.

Quocirca ejus verba vim præcepti habere nulla præterea ratione demonstrari potest, quam si probetur, ex ipsis colligi, sine baptismo non secus ac sine fide, quenquam servari non posse, quod plane falsum esse, ne ipsos quidem adversarios negaturos confido. Finge enim alicui Christi Euangelium prædicatum fuisse, sive alia quapiam ratione innotuisse, nulla tamen baptismi aquæ, quem is suscipere deberet, mentione facta, vel cognitione habita. Nunquid iste, si Christi Euangelio ex animo fidem adjungat, & in vitæ novitate deinceps ambulet, non servabitur, propterea quod aquæ baptismo tinctus non fuerit? Quid absurdius dici posset, cum passim in divinis literis fidei in Christum, & resipiscentiæ hominum salus tribuatur? Finge rursus eum, qui Euangelii notitiam adeptus fuerit, & sibi præterea postquam crediderit, baptismo aquæ opus esse putaverit, illum accipere non potuisse, nunquid, si alioqui dum vixit, vitam Christiano homine dignam duxerit, ab æterna salute idcirco excludetur, quia aquæ baptismo caruit?

Quod si dicant, Christi verba ita interpretanda esse, ut eos tantummodo complectantur, qui & de baptismo aquæ accipiendo audiverint, & illum accipiendi facultatem habuerint.

Respondeo, istius interpretationis nullum vestigium in Christi verbis apparere, qui simpliciter & fidem & baptismum in homine, cui ab Apostolis prædicatum foret Euangelium, servando requisivit. Nec enim, cum deinde subjunxit, *qui vero non crediderit, condemnabitur*, nulla baptismi mentione facta, ideo illud fecisse dicendus est, ut innueret non perinde necessarium esse ad salutem baptismum illum, de quo locutus fuerat, ut fides erat, ac tum demum omnino requiri, cum quis de ipso monitus, eum accipiendi facultatem haberet. Sed idcirco ita locutus est Christus, quia primum omnium in homine servando id requiritur, ut Euangelio assentiatur. Quod si non fecerit, nihil præterea quærendum est, sed de ejus salute desperandum. Id tamen per se ad salutem non sufficere, satis antea docuerat, cum, non qui credidisset modo; sed qui credidisset, & baptizatus esset, servandum fore dixerat. Adducit autem me, præter jam explicatam rationem, ut credam de aquæ baptismo, in illis Christi verbis non agi, quod in Complutensi codice sic habetur, ὁ πιστεύσας καὶ ὁ βαπτισθεὶς σωθήσεται. Id est, qui crediderit, & qui baptizatus fuerit, servabitur. Quamvis enim fortasse locus aliquis in Novo Testamento inveniri possit, ubi articulus participio, aut adjectivo (ut vocant) nomini aliud participium aut adjectivum nomen sequenti additus plane abundet, tamen multo plures reperientur, in quibus articulus non appositus subaudiendus est. Ex quo fit, ut multo verisimilius sit in vulgata editione articulum participio βαπτισθεὶς præpositum subaudiri debere, quam in Complutensi abundare. Atqui, articulo in vulgata editione subaudito, ea sententia ex Christi verbis aperte colligitur, ut & is, qui crediderit, & is quoque qui baptizatus fuerit, servandus sit. Quæ sententia falsitate, eaque evidente, non vacat, si baptismus aquæ eo participio intelligatur, cum palam sit aquæ baptismum citra baptizati salutem contingere posse. Quare de alio baptismo, cui Euangelicæ prædicationis auditorum salus merito ascribi possit, Christum locutum fuisse necesse est. Neque vero est novum, ut baptismo cuidam salus nostra adscribatur.

Id enim fit à Petro priore Epistola ad finem tertii capitis, ubi affirmat baptismum nos servare, & simul de quo baptismo loquatur aperte explicat, negans se de eo baptismo loqui, quo corporis sordes abluuntur: sed de alio quodam, ut infra suo loco aperte demonstrabitur.

At vero objiciet aliquis, quomodo fieri potest, ut sine fide Euangelio adhibita quisquam servetur? Aut si baptismus ille, cui in Christi verbis salutem eorum, quibus Euangelium prædicatum fuerit, adscriptam fuisse dicitur, sine fide non est, cur illi seorsum à fide ea salus tribuitur. An non satis superque fuerat, jam ipsam fidem commemorasse, cui eam salutem adscribendo, omnino & ipsi baptismo adscripta fuisset, id est affirmatum esset, eum, qui Euangelii prædicatione audita, eo baptismo tinctus fuisset, salvum futurum?

Respondeo, fidem ipsam in hominis corde residere, & non nisi per externa opera deprehendi posse. Quare, cum vellet Christus Apostolos docere, quinam ipsorum prædicatione audita servandi essent, postquam credentes commemorasset, baptizatos quoque nominavit, id est eos, qui à peccatorum sordibus per pœnitentiam essent abluti, quibus non tanquam à credentibus diversis salutem attribuit: sed tanquam iis, quos vere credentes esse constaret. Nam simplicem copulam, non semper inter diversa poni, sed non raro etiam inter ea, quorum posterius antecedentis explicatio est, vel, ut uno verbo dicam, Et, pro, id est, usurpari, non minus in Sacris, quam in profanis literis, adeo omnibus notum est, ut nulla probatione indigeat. Quam tamen si quis requirat, in proxime sequentis loci examinatione inveniet. Hæc autem non ideo à me dicuntur, quod Complutensem editionem vulgatæ anteponendam censeam, vel omnino hoc loco in vulgata articulum illum subaudiri debere contendam: Sed ut, quæ loci non absurda sententia esse possit, ostendam, si Complutensis lectio retineatur, quæ sane nec temere damnanda aut rejicienda est, & evidenter demonstrat, nos primos non esse, qui Christum hoc loco de aquæ baptismo locutum fuisse negemus, verum id antiquitus quoque præstantibus doctrina viris visum fuisse. Nam certe alioquin in tam celebri, eaque ex pervetustis codicibus, concinnata editione, ea lectio nunquam obtinuisset. Satis à nobis, ut videtur, probatum est, hic de aquæ baptismo non agi, etiamsi vulgata lectio, nullo subaudito articulo, omnino sequenda sit, quod mihi, ut verum fatear, vehementer placet. Nec aliud faciendum restat, quam Complutensi codice omisso, quid per baptismum hoc loco Christus intellexerit explicare.

Dico igitur, baptismi nomine in verbis illis, *& baptizatus fuerit*, comprehensi, vel veram pœnitentiam, vel Christi nominis, & ejus Euangelii publicam professionem, vel utrumque simul recte intelligi posse. Quid enim est, quod per baptismum, convenientius significari possit, quam pœnitentia vera, quæ animæ & spiritus ablutio est? Aut Euangelii & nominis Jesu Christi professio publica, cum baptismus ipse aquæ, ab Apostolis usurpatus, in eum finem potissimum respiceret, ut quis publice Christo nomen daret? Paulus ad Ephes. 5. 26 ait, Christum lavacro aquæ, mundasse Ecclesiam per verbum, ut eam exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam. Quis negare potest eo in loco aquæ lavacrum, nihil aliud significare, quam veram pœnitentiam, per quam peccator mundatur, & sine macula & ruga gloriosus efficitur, Christoque exhibetur? Quæ mundatio, (ut ita loquar) per verbum, id est per Euangelii prædicationem contingit, quæ fidem gignit, ex qua pœnitentia oritur. Atque is Pauli locus (ut etiam in annotationibus Bibliorum Vatabli animadversum est) huic nostro elegantissime respondet, eumque mirum in modum illustrat. Nam idem prorsus est, hic, Euangelii prædicatione audita credere, & baptizari, quod ibi per verbum, id est (quemadmodum in prædictis annotationibus explicatum fuit) per fidem in verbum Euangelicum mundari, & sine ruga, & macula Christo exhiberi, terrenæ autem aquæ baptismus profecto has vires non habet. Idem Paulus ad Titum scribens, cap. 3. 5 affirmat, Deum servasse nos per lavacrum regenerationis. Ex quo conjici potest, cum in Sacris Literis baptismo, seu lavacro cuipiam tribuitur, quod per ipsum aliqua ex parte servemur, ut certe in loco nostro fit, quodnam baptisma, seu lavacrum intelligi debeat, nempe regenerationis lavacrum, quod nihil aliud, quam vera per Euangelii prædicationem pœnitentia est, per quam novi homines efficimur, & denuo nasci dici possumus. Qua de re in

sequente

sequente cap. plenius disseremus. Auctor item ad Hebræos cap. 10. 19, ita scribit: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu, (vel potius ad introitum) sanctorum, in sanguine Christi, quem initiavit nobis, viam novam & viventem per velamen, id est carnem suam, & sacerdotem magnum, super domum Dei, accedamus cum vero corde, & plenitudine fidei, aspersi corde à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, &c.* Non modo aqua ablui: sed corpus ipsum aqua ablui, pro vera vitæ emendatione usurpavit auctor iste præclarissimus. Nam, cum de re, ad quam faciendam hortetur, ibi sine dubio agat, nec terrenæ aquæ baptismum (quod tamen neminem fere existimasse arbitror) nec Spiritus Sancti gratiam (quod multi existimant) in illis verbis eum intellexisse dicendum est. Quod enim ad baptismum externum attinet, ejusmodi hominibus eum scribere, qui eo non indigerent, plus satis ex ipsa Epistola manifestum est. Quod vero ad Spiritus Sancti gratiam, ea ipsos perfundi, non ipsorum, sed Dei proprium munus erat. Itaque nihil aliud sibi vult scriptor ille, quam ut non modo ipsum cor à conscientia mala expurgatum habeant, quod prius eos monuerat, verum etiam, ut factis minus bonis inquinati non sint.

Ex his igitur locis abunde constare credimus, eum vere baptizatum, seu lotum dici posse, & debere, qui pœnitentiam egerit, hoc est resipuerit, & à peccatorum surdibus sese abluerit, quod qui non fecerit, non est, quod servatum se iri, ullo modo speret. Quocirca merito præter fidem, quæ Euangelio adhibeatur, baptismus iste à Christo in servandis requisitus fuit. Siquidem *credendi* verbo, ut sæpe alibi factum est, non perfectam fidem illam, qua omnino justificamur, & salutem consequimur, quæque sine vitæ emendatione esse nequit: sed primum illum Euangelii prædicationi adhibitum assensum, quem sæpe vitæ emendatio non consequitur, quique propterea non cum salute, sed majore cum condemnatione non raro contingit, Christus significare potuit, atque, ut ego quidem arbitror, prorsus significavit.

Loci, in quibus credendi verbum, in Euangelii negotio, pro assensione illa, quæ ab initio ejus prædicationi adhibetur, usurpari constat, inter cæteros complures hi sunt, Joh. 7. 31, & 8. 30, & 12. 42. Act. 8. 13, quibus adde, quicquid scribit Jacobus Epistolæ suæ cap. 2. 14, usque ad finem capitis. Tametsi enim vix ipsum credendi verbum ibi expressum est, sed de fide perpetuo agitur, idem tamen prorsus censeri debet. Quin etiam loci sunt, in quibus diserte fidei Euangelio adhibendæ, seu fidei in Christum pœnitentia tanquam ad salutem necessaria adjungitur, ita ut explanatione hac nostra verborum Christi, nihil Sacris Literis magis consentaneum excogitari posse videatur. Inquit enim ipse Christus alibi, pœnitentiam agite, & credite in Euangelio, Marc. 1. 15. Paulus autem Senioribus Ephesinæ Ecclesiæ in memoriam redigit, quomodo ipse & Judæis & Gentibus pœnitentiam in Deum, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum prædicaverit, Act. 20. 21. Quod si verbis illis, *& baptizatus fuerit*, publicam Euangelii & nominis Christi professionem significatam fuisse velimus, quid decentius excogitari potest, cum certum sit, sine ea nemini salutem contingere posse, Domino ipso Jesu apertissime testante, se coram suo Patre cœlesti, eos demum pro suis agniturum, qui ipsum coram hominibus confessi fuerint? Matth. 10. 32, Paulo vero diserte oris confessionem, cum cordis fide conjungente, & in eo requirente, qui salvus futurus sit, Rom. 10. 9. Qui locus sane hujus nostri explicatio, seu potius paraphrasis quædam esse videtur. Nec vero est, cur aliquis dicat, professionem istam publicam nominis Christi non aliter fieri quam per aquæ baptismum, sive baptismo aquæ interveniente. Nam præterquam quod alia prorsus ac multo sane præstantiore ratione id fieri posse palam est, ut si quis, (exempli gratia) propter Christi nomen publice mortem ipsam oppetere non recuset, aliud etiam, quod ante diximus, absurdum omnino sequeretur, multos inveniri posse, qui ea habeant, quibus passim in Sacris Literis hominum salus ascribitur, & tamen quia aquæ terrestris baptismo tincti non fuerint, nequaquam serventur. Id quod sæpissime præsertim vero memoria nostra contigisse, & adhuc contingere, certissimum esse debet, si modo vel infantium, vel a non veris Christi ministris datus baptismus, verus & legitimus baptismus non est.

Hactenus in Domini Jesu verbis illis apud Marcum, nec de aquæ baptismo agi, & de quo baptismo agatur, explicatum & demonstratum est. Sed quid si concedamus de aquæ baptismo agi? Num propterea verum erit, ita præceptum fuisse aquæ baptismum, ut in perpetuum nemo possit Christianus merito vocari, qui eo se rite tingi non curaverit? Minime vero. Primum enim Christi sermonem, quem tunc cum Apostolis habuit, ad omnes consequentes ætates, nisi quatenus id fieri debere aliunde constet, pertrahendum non esse, docent, quæ postmodum sequuntur verba, *Signa autem eos, qui crediderint, &c.*, vel dicendum est, neque hodie extare, nec à multis jam seculis extitisse ullos credentes, cum neque hodie, neque à multis jam seculis ea signa conspiciantur. Deinde non ad omnes homines, qui ejus ope servandi sint, Christi verba, de quibus controversamur, pertinere, satis constare potest ex iis, quæ in superioris loci examinatione dicta sunt, ad quæ lectorem rejicimus. Non enim minus hic, quam ibi, doctrina, seu prædicatio cum baptismo conjungitur, nec minus hic, quam ibi, de iis baptizandis sermo est, qui antea Christo nomen non dederant, & in religione, non re tantum, sed nomine quoque à Christi religione diversa ab ineunte ætate alti & educati fuerant. Nam si dixeris, tunc nullos alios præterea fuisse, nec de aliis, quam de ejusmodi hominibus baptizandis potuisse agi. Dico primum, Imo potuisse Christum de iis etiam omnibus, qui post futuri erant, aperte loqui. Quod certe fecisset, si neminem unquam eorum, qui servandi essent, baptismo illo sponte carere posse, significare voluisset, cum maximum sit, in hoc baptismi aquæ negotio, inter eos, qui tunc erant, & innumerabiles alios, qui postea consecuti sunt, discrimen. Deinde respondeo, exceptionem istam tum demum locum fortassis habituram, si ego is essem, qui ex verbis illis Christi probare vellem aquæ baptismum ad quosdam homines hodie non pertinere. Sed quando adversarius est, qui inde colligi omnino affirmat, aquæ baptismum peræque ad omnes homines omnibus seculis tanquam ab ipso Christo præceptum pertinere, necesse est profecto, vel de omnibus in perpetuum diserte ibi à Christo verba facta fuisse, vel eos, de quibus eum locutum fuisse constat, nulla in re quæ momentum aliquod in aquæ baptismi negotio habeat, à reliquis differre, alioqui non ex ipsis Christi verbis, sed ex nostris præjudicatis opinionibus, non ex Christi verborum sententia, sed ex nostro sensu ejus præcepta eliciemus.

CAPUT IV.

Sequuntur ex ordine nobis proposito examinanda verba illa Domini Jesu, apud Johannem cum Nicodemo Joh. 3. 5: *Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Ex quibus satis perspicuum esse videtur, præter Spiritus baptismum à Christo baptismum quoque terrestris aquæ requisitum fuisse, si quis salvus esse velit, & ob eam rem omnibus peræque in perpetuum præceptum esse, ut aquæ baptismo tingantur, quicunque non injuria se Christianos esse, profiteri cupiant. Jam vero, quamvis neminem fere hodie esse credamus, in divinis literis paulo exercitatiorem, qui locum istum ad externum aquæ baptismum pertrahat, idque si fiat, non recte fieri ex iis, quæ superiore loco excutiendo diximus,

pla-

planissimum esse possit, tamen quemadmodum, ut omnibus satisfaciamus, cum pro quarto adversariorum testimonio proferre non piguit, sic etiam separatim examinare non pigebit, præsertim cum ejus explicatio ad ea, quæ antea dicta sunt, confirmanda plurimum conducere queat. Dico igitur, ex eo solo satis constare hic de aquæ terrenæ baptismo sermonem non esse, quod alioqui neminem in Dei regnum ingressurum esse sequeretur, nisi eo baptismo initiatus foret. Quod, ut supra dictum fuit, ne adversarii quidem ipsi affirmare audebunt. Est autem hic locus, illis ejusdem Christi verbis, apud eundem Johannem similis, cum ait Judæis non habere eos vitam æternam in seipsis, nisi comedant carnem filii hominis, & sanguinem bibant. Quæ verba diu ad cœnam Dominicam a multis detorta fuere, donec tandem animadversum est, id perperam fieri. Nam alioqui nemo vitam æternam habiturus esset, qui cœnam Domini non aliquando manducasset, contra vero quicunque manducasset, vitam æternam adipisceretur, cum ibidem illico subjungat Christus, eum, qui comedat ipsius carnem, & ipsius sanguinem bibat, habere vitam æternam, quorum utrumque longe absurdissimum esse, præsertim vero hoc posterius, nemo est qui non perspiciat. Ut igitur ista ratione factum est, ut iidem illi, qui in cœna Domini veram & naturalem ipsius carnem & sanguinem percipi contendunt, tamen de cœna Domini, ibi non agi jam agnoscere incipiant, sic quoque nulli, quamvis acerrimo terrenæ aquæ baptismi propugnatori dubium esse potest, de eo baptismo ibi agi non posse, ubi aperte aqua tanquam prorsus ad salutem æternam necessaria requiratur, ut certe fit. Verum quid aquæ nomine hoc loco intelligi debeat, non perinde inter omnes constare video. Mihi tamen ea maxime sententia probatur, quæ à peccatorum sordibus ablutionem sive ipsam pœnitentiam, per quam à peccatis abluimur, ea voce significatum esse vult. De altera enim quadam hominis nativitate agens Christus, nihil opportunius commemorare potuit, quam peccatorum depositionem, nec ulla re alia convenientius ad ipsam exprimendam uti. Siquidem per eam depositionem, sive per pœnitentiam, & vitæ emendationem denuo quodammodo nascimur, & novæ creaturæ efficimur. Itaque in ipsis Sacris Literis, non modo in novitate vitæ eos ambulare scriptum est, qui in peccatis amplius non manent, Rom. 6.4, verum etiam ii, in quibus fides per dilectionem operatur, seu qui Dei mandata conservant, novæ creaturæ appellantur. Ut cuilibet manifestum erit, qui ℣. 19. cap. 7, prioris ad Corinth. & ℣. 6. cap. 5. ad Gal. cum ℣. 15. cap. 6, ejusdem ad Gal. Epistolæ conferre voluerit, cui plane consentit versus 17. cap. 5, posterioris ad Corinth. Hinc veterem exuere novumque hominem induere ii dicti sunt, qui peccatis relictis, justitiæ opera sectantur, ut legitur cap. 4. Epist. ad Ephes. 3. ad Colos. ut alia multa, quæ huc pertinent omittam, omnibus qui vel semel Novi Fœderis scripta perlegerint, satis, ut arbitror, cognita, atque comperta. Conjungit autem Christus cum aqua ista, hoc est peccatorum ablutione, Spiritum, ex utroque hominem, qui in Dei regnum ingressurus sit, nasci oportere, affirmans, quia nisi Spiritus divini ope hominis sensus interiores purgentur, & ipse intellectus renovetur, etiamsi instauraretur voluntas, homo tamen ipse denuo natus, & plane renovatus dici non posset. Sed ne voluntas quidem ipsa ullo modo renovaretur, nedum actiones seu facta universa, ut quidem necesse est, si quis à peccatorum sordibus se ablutum esse, ipsaque peccata deposuisse, citra mendacium affirmare velit. Proinde tantum abest, ut hic locus adversariorum sententiæ faveat, ut etiam ei maxime adversetur. Ostendit enim apertissime ipsum aquæ vocabulum in salutis nostræ negotio, non terrenam aquam, & veram, sed spiritualem quandam, & metaphoricam interdum significare. Quare nihil est, etiamsi nulla præterea ratione niteremur, quod nos cogat in iis locis, in quibus, tanquam ad salutem nostram pertinens, baptismus commemoratur, baptismum aquæ externum intelligere: præsertim cum ipsius aquæ nulla aperta mentio fiat: hocque de iis locis potissimum dicendum est, qui huic sunt valde similes, ita ut utrobique eandem prorsus sententiam contineri merito existimari possit, qualis est, quem proxime examinavimus. Nam quid obsecro similius his verbis, *Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei*, illis inveniri potest, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Si modo ea tantam vim habent, ut baptismum de quo ibi agitur, ad salutem requiri ostendant, quemadmodum & nos credimus, & adversarios asseverare necesse est, si velint ex ipsis aquæ terrenæ baptismum, à Christo præceptum fuisse, colligere. Qua de re, supra satis disputatum est. Quod ibi est credere Euangelio, hic est ex spiritu nasci, siquidem Euangelium seu Novum Fœdus, quod nobiscum Deus per Christum pepigit, spiritus ministratio est, & qui ejus ministri sunt, spiritus ministri dicuntur, 2 Cor. 3.6.8. Porro quod ibi est baptizari, hic est ex aqua nasci, quod vero salvum esse, in Dei regnum intrare. Quamobrem, ut diximus, eandem utrobique sententiam esse, plane affirmare possumus, quod si ita est, nulli dubium esse potest, ibi de aquæ terrenæ baptismo non agi, nisi & hic quoque agatur. Hic autem non agitur, ut à nobis demonstratum est, & plerique omnes hodie videntur sentire, ergo ne ibi quidem. Sunt tamen, qui hoc loco, aquæ nomine, nihil aliud, quam ipsum Spiritum Sanctum intelligant, qui alibi quoque per aquam significatur, idque in ejusdem Christi verbis, apud eundem Euangelistam, veluti cum ait, futurum, ut qui in se crediderint, ex eorum ventre flumina aquæ vivæ profluant, Joh. 7.38. & cum Samaritanæ mulieri dicit IV. 10. 14, se habere aquam vivam, quam possit ei dare, quamque si quis biberit, in æternum siticurus non sit, quippe quod ea aqua in ipso evasura sit, in fontem aquæ salientis, in vitam æternam. Quam interpretationem, si sequamur, quid est, cur hic locus, ad universale & perpetuum aquæ terrenæ baptismi præceptum confirmandum afferri possit? Nec vero interpretationi isti adversatur, quod ipsius Spiritus nominatim mentio fiat, isque cum aqua conjungatur. Nam, ut supra attigimus, conjunctivæ particulæ non semper inter diversa ponuntur: sed sæpe expositivarum vicem gerunt. Cujus rei accommodatissimum, ad locum nostrum, exemplum habemus in Johannis Baptistæ verbis illis, de Christo, *Ipse baptizabit vos Spiritu Sancto & igne*, Matth. 3. 11. Luc. 3. 16. In quibus, nemo non videt, pro eadem re accipi ignem & Spiritum sanctum, nisi quod alter, ad alterius explicationem additur. Ac perinde est, atque si dictum fuisset, ipse baptisabit vos igne sancto & spiritali, quod decentissimam antithesin, ut locus omnino postulat, continet ejus, quod ante dictum fuerat, *Ego baptizo vos aqua*. Nam, quin corpoream & terrestrem aquam Johannes intellexerit, nemo est, qui dubitet, & res ipsa aperte docet. Quapropter hic quoque, cum Christus Spiritum cum aqua conjungit, nihil aliud, quam spiritualem aquam intellexisse videtur, quam tacite corporeæ aquæ, à Johanne ministratæ opponat, monens Nicodemum, ad Dei regnum participandum, parum futurum, si quis baptismo illo aquæ externo abluatur, nisi interiore spiritus baptismo mundetur. Nam & alibi dixit, Luc. 7. ℣. 28, magnum quidem esse Johannem Baptistam, adeo ut inter natos ex mulieribus nemo major propheta, quam ipse esset, eum tamen, qui minimus esset in regno cœlorum, ipso esse majorem. Nimirum, quia non modo Johannis discipuli, quique ejus baptismo tincti fuerant, divini regni participes nondum erant, sed ne ipse quidem Johannes institutionis & disciplinæ suæ vi, in eo regno versari dici poterat. Id enim ipsi quoque non aliter, quam per Christi gratiam spiritumque contigerat. Quoniam igitur Christus aquam commemorans, nihil diversum ab ipso spiritu intellexerat,

idcirco

idcirco institutum cum Nicodemo sermonem persequens, non amplius aquæ, sed spiritus tantum mentionem facit, ut videre est ỳ. 6, & 8. ubi id, quod prius ex aqua & spiritu nasci appellaverat, ex spiritu nasci simpliciter appellat, quemadmodum Johannis quoque Baptistæ verba, in quibus apud Matthæum & Lucam, non Spiritus Sancti solum, sed ignis etiam mentio fit, apud Marcum, & Johannem Euangelistam, nullam prorsus ignis, sed Sancti tantummodo Spiritus mentionem continent. Atque hac quoque horum verborum Christi explicatione, superiorum, quam nos attulimus, interpretatio confirmatur, dum dicebamus fieri posse, ut Christus post fidem baptismum commemorans, baptismi nomine nihil diversum ab ipsa fide intellexerit, sed quid sit illa fides explicare voluerit. Nam ibi similiter, sermonem suum absolvens, non amplius baptismi, sed fidei tantum meminit, inquiens, *qui vero non crediderit, condemnabitur*. Itaque videmus id verissimum esse, quod prædiximus, horum Christi cum Nicodemo verborum examinatione multa ex iis, quæ supra dicta sunt, illustrari, ac confirmari. Quod multo magis perspicuum fieret, si in ipsis excutiendis, diutius immorari vellemus: sed quæ dicta fuerunt, homini non plane rudi aut veritatis inimico satis esse possunt. Id tamen silentio prætermittendum non est, nos in hujus loci examinatione, ut quicquid magis adversarios juvare potest, concederemus, perpetuo ita locutos fuisse, ac si certissimum esset in Christi sermone, ingredi in regnum Dei, nihil aliud significare, quam servari, seu vitam æternam adipisci. Nam si ea verba, ut à multis fit, & fieri debere videtur, ita interpretari velimus, ut ad divinarum rerum cognitionem referantur, quis obsecro non videt, aquæ nomine hic externum baptismum intelligi non posse. Manifestum est enim, nec terrenam aquam, nec universam ceremoniam illam aliquid cum divinarum rerum scientia commune habere, nedum ut ad eam scientiam consequendam eo baptismo tingi necessarium sit. Quod tamen ea interpretatione admissa, ex hoc loco omnino colligeretur, si ex aqua nasci idem esset, ac terrena aqua baptizari, vel in his verbis, *Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu*, is baptismus quoquo modo contineretur. Sed jam ulterius progrediamur.

CAPUT V.

PRo quinto igitur adversariorum testimonio, Petri Apostoli verba afferenda censuimus, quæ scripta sunt, Act. 2. 38. Quærentibus enim iis, qui ejus prædicatione audita, corde compuncti fuerant, tum ab ipso Petro, tum à reliquis Apostolis, *Quid faciemus viri fratres?* Respondet Petrus, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*. Hic autem non est, quod quispiam causetur, de aquæ externo baptismo non agi. cum & loci circumstantia, & id, quod paulo post scriptum est, *Qui ergo libenter receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, &c*, apertissime demonstrent, de eo baptismo Petrum locutum fuisse. Quod cum ita se habeat, satis constare videtur, aquæ terrenæ baptismum ab Apostolis mandatum fuisse, & si quis inter Christianos numerari velit, ejus partes esse, ut eo baptismo tingi se curet.

Respondeo: Præceptum istud seu Petri sive Apostolorum, nec universale, nec perpetuum esse. Universale quidem non est, nam certis quibusdam hominibus datum fuit, ad quorum exemplum, si aliis quoque datum fuisse velimus, necesse est omnino istos alios eorum, quibus vere fuit datum, in iis, quæ huc pertinere possunt, prorsus similes esse. Itaque ubi dissimilitudo aliqua extiterit, quæ hac in re quidpiam momenti habere posse videatur, ibi præceptum istud nullas vires habere poterit. Sed & supra ostensum fuit, & paulo post apertius ostendetur, eos, de quibus potissimum, an baptizari debeant, nec ne, inter nos controversia est, valde dissimiles in baptismi negotio, eorum esse, quibus Apostoli mandarunt, ut baptizarentur. Ergo mandatum istud non omnibus expresse datum, nec universalibus indefinitis verbis conceptum ad ipsos pertinere ulla ratione potest. Perpetuum vero qui poterit præceptum istud censeri, cum ejus rei nullum vestigium in Petri verbis appareat, quæ præsens tantummodo tempus respiciunt, nec quid in futurum, vel ad brevissimum tempus faciendum sit, ne indicant quidem. Quod si dicas hac ratione effici, ut ne præceptum quidem pœnitentiæ, quod in Petri verbis continetur, perpetuum sit: Itaque hoc tempore, non necesse esse, ut, qui servari velint, pœnitentiam agant. Respondeo, sine dubio in Petri verbis, nullum perpetuum de pœnitentia agenda præceptum extare, nec, si hodie quoque pœnitentia ad salutem consequendam necessaria est, ut certe est, id ex Petri & Apostolorum mandato illo colligi, sed ex universis Sacris Literis evidentissime constare, in quibus nihil æque, ac vitæ ex Christi præceptione emendatio præcipitur atque inculcatur, si quis ad salutem, hoc est ad vitam æternam aspirare velit. Si quicquid ab Apostolis præceptum est, perpetuum censeri debet, cur quæso (ut nonnullis placere audio) suffocato & sanguine non abstinemus, aut saltem iis, qui ad Christum convertuntur, ut abstineant, non præcipimus? Apostoli enim iis ex gentibus, qui ad Deum per Christi cognitionem convertebantur, expresse mandaverunt Act. 15. 29, ut ab istis abstinerent, quæ etiam, (non secus atque Petrus baptismum aquæ cum pœnitentia conjunxit) cum fornicatione conjunxerunt, quam certissimum est omnibus Christianis in perpetuum interdictam esse. At dicet aliquis, idcirco præceptum illud abstinendi à sanguine & suffocato, à nobis nec servari, nec aliis servandum tradi, quia Paulus Apostolus ejusmodi ciborum delectus, & mandata de illis tradita, ad nos minime pertinere ait Col. 2. 16, & tanquam futuri corporis, quod jam advenerit, umbram fuisse affirmat atque inter cætera satis aperte docet, 1 Cor. 8, 9, &c. & x. 27, posse Christianum hominem, si citra offendiculum, cum bona conscientia id fiat, iis, quæ idolis sacrificata fuerint, vesci: quorum tamen esu non minus, quam sanguinis & suffocati in eo Apostolorum decreto fratres ex gentibus prohibiti fuerant: sed ex nullo divinarum literarum loco apparet, eos, qui Christiani esse velint, aquæ baptismo abstinere posse. Ad hæc respondeo: primum, satis esse, ut infirmitas adversariorum argumenti coarguatur, ostendisse non omnia quæ ab Apostolis præcepta fuere, perpetua esse, & sane ad id ostendendum Pauli verba, quæ de ciborum usu agunt, plurimum conducunt, tantum abest, ut ea ratiocinationem nostram convellere existimanda sint. Præterea dico, etiamsi Paulus eorum ciborum usum, quem Apostoli interdixerant, suis verbis nunquam approbasset, nec quisquam alius Dei spiritu, ut ille præditus, cibis illis nobis licere uti aperte dixisset, non tamen nos Apostolorum præcepto illi servando, tanquam in perpetuum dato obstrictos futuros. Pugnat enim præceptum illud cum libertate Christiana, in quam nos Christus vindicavit, qui nihil ejusmodi unquam præcepit, cujusque lex, quæ tota spiritualis est, totaque interiorem hominem præcipue respicit, ab istis carnalibus, & plane externis ritibus in universum non abest solum: sed penitus quodammodo abhorret. Nec vero Paulus, cum ciborum omnium usum approbavit, illud ideo fecit, quod Deus sibi ea in re quippiam singulariter patefecisset, atque ea ratione decretum Apostolorum illud abrogasset: sed ut ex ejus verbis, ubicunque ea de re agit, præsertim vero ex iis, quæ in Epistola ad Rom. 14 disputat, perspicuum est, quia viderat, cum Christi lege, & Euangelio, cumque fidei nostræ analogia, ac demum cum ipsa recta natura ciborum quorumvis interdictum minime consentire.

Quare

Quare non simpliciter, quid Apostoli aliquando præceperint, inspiciendum est, si inde perpetuum Ecclesiæ præceptum datum colligere velimus: sed etiam, an cum universa Christi lege, ac fide bene congruat, considerandum, alioquin ad tempus certis de causis, quæ interdum etiam nobis ignotæ esse possunt, id eos præcepisse omnino statuendum est. Quod si hoc in præcepto illo, à sanguine & suffocator abstinendi locum habet, quod tot ante seculis ab ipso Deo Nohæ, qui solus in toto terrarum orbe cum sua familia extabat, & ejus filiis, ob eamque rem universo orbi datum fuerat Gen. 9. 4, 5, quodque Apostoli unanimi consensu, deliberatione diligente adhibita, repetierunt, atque iis omnibus, qui illud antea vel ignorabant, vel non servabant, indefinitis verbis utentes dederunt, diserte testantes, id non sibi tantum, sed Spiritui quoque Sancto visum fuisse, multo magis, profecto, locum in baptismi aquæ præcepto habebit, quod à Petro (quanquam pro aliis etiam Apostolis) statim respondente, certis quibusdam hominibus traditum fuit, in quo tradendo nec Spiritus Sancti, quo autore id fieret, expressa mentio facta est, nec divinum aliquod antecedens mandatum Petrum secutum fuisse apparet. Nunquam enim probabitur, Deum, sive Christum, illud ipsum præceptum antea dedisse. Nam quod Johannes Baptista ait Joh. 1. 33, se missum fuisse à Deo, ut aqua baptizaret, id nihil ad rem facit, cum propter alias caussas, tum vero quia, ut supra dictum, & infra demonstrabitur, Johannis baptismus alius est, à baptismo quem Petrus interrogantibus illis, quid sibi faciendum esset, præcepit, atque præscripsit. Jam vero præceptum, aut præscriptio ista, quod ad ipsum baptismum attinet, omnino in re externa, & ad corpus spectante versatur, nec aliquid habet, quod cum Christi lege, fideique analogia consentiat, nisi professionem illam apertam nominis Jesu Christi, quam nihil prohibet pro temporum & locorum ratione modo hoc, modo illo, quodcunque Ecclesia elegerit, externo signo declarari, imo nullo præterea nisi iis, quæ rem ipsam naturaliter quodammodo ac necessario comitantur, consignari, quæ satis superque ad hominem Christianum declarandum esse possunt. Si quid externi, quod ipsius rei natura non secum adferat (seu ut loquuntur) ceremoniale sit, in Ecclesia Christi perpetuo servandum est, id ab ipso Christo præceptum fuisse oportet, sive etiam ab ejus Apostolis, verùm ita, ut cum Christi lege consentiat, & ipso Christo autore id factum fuisse constet, ut in cœna Domini contingere videmus, quam & ipse Christus instituit, & Paulus, qui eam Corinthiis commendaverat, ab eo se accepisse testatur, 1 Cor. 11. 23, ipsa verba recitans, quibus instituta fuerat.

Ex iis, quæ hactenus breviter de Apostolorum præceptis disputata sunt, satis constare arbitramur, præceptum illud Petri perpetuum non esse: sed ad tempus datum fuisse Præceptum inquam ablutionis illius externæ, quam in illis Ecclesiæ initiis usurpatum merito fuisse, ex eo apparet, quod, ut primo capite diximus, ab ipso Euangelii exordio, seu potius quodam præludio, id est à Johannis Baptistæ prædicatione, & deinceps qui pœnitentiam agebant, & sive ipsius Johannis, sive etiam Christi discipuli fiebant, aqua abluebantur. Consulendum enim fuit populorum ruditati in ipsis externis ritibus educatorum, & jam plane consenescentium. Cum igitur eo tempore, aliquis externus ritus ad eos initiandos, qui ad Christum convertebantur, adhibendus esset, nullus decentior videri potuit, quam is, qui non modo novitatem illam vitæ Christianorum propriam, ac peccatorum per Dei gratiam deletionem atque absterfionem repræsentaret, (ut sic dixerim) & pœne ob oculos poneret, verum etiam in Dei populo jam receptus, & frequente usu comprobatus fuisset. Quemadmodum, cum Apostoli Judæorum infirmitati, in placitis Mosaicæ Legis adhuc servandis aliquid concedendum esse perspicerent, & gentibus quoque onus aliquod ex iis imponendum esset, quæ Moses populo ferenda dederat, nullum convenientius deligere potuerunt, quam illud, quod etiam ante ipsam Legem Mosaicam, & ante populi Israëlitici, à cæteris populis distinctionem hominibus ab ipso Deo impositum fuerat, ob eamque rem, nec tunc à quorundam ex gentibus, & aliquando à nonnullorum populorum institutis abhorrebat.

Sed quid, si demus, præceptum istud externi baptismi à Petro, Apostolisque datum perpetuum esse? An non satis est, id quod primo loco diximus, non esse universale, sed certis quibusdam hominibus fuisse datum, quorum ii, de quibus quærimus, hac in re nequaquam sunt similes? Quod idcirco a plerisque hactenus animadversum non fuit, quia ritui isti plus tribuerunt, quam decebat, nec, in quem usum ab Apostolis institutus fuerit, bene cognitum habuerunt. Crediderunt enim per ablutionem, sive immersionem illam externam in Christi Jesu, sive in Patris, & filii, & Spiritus Sancti nomine factam, aliquid Deum etiamnum hominibus largiri, & tanquam instrumentum quoddam conferendorum bonorum spiritualium, ab ipso initio fuisse usurpatam, Ecclesiæque præscriptam. Atqui longe secus res se habet: cum nihil vere aliud sit, in nomine Domini Jesu Christi aqua baptizari, quam, publice Christo nomen dare, ejusque fidem, quæ in corde lateat, palam testari ac profiteri, ita ut non Christianum ulla ex parte baptismus efficiat, sed indicet, atque declaret. Propterea scriptum est, postquam illi Petri jussu baptizati fuissent, addita esse eo die animarum circiter tria millia, id est, aspectabilem Christi Ecclesiam ter mille hominum plus minus numero auctam fuisse. Quod perinde est, ac si dictum foret, ad tria millia hominum eo die baptismum accepisse: nihil enim aliud sibi vult Lucas, quam baptizatorum numerum exponere, neque vero de ullius conscientia illi testandum fuit, nec (quod solius Dei est) quinam veræ & inaspectabilis Christi Ecclesiæ membra essent, pronunciandum. Philippus Eunucho aqua baptizari (in Jesu Christi nomine) cupienti, ait Act. 8. 37, *si toto corde credis, licet.* Toto igitur corde in Christum credere oportet eum, qui rite in Jesu Christi nomine baptizari velit Ergo nihil, quod ad salutem consequendam necessarium sit, confert baptismus iste, sed jam iis quæ necessaria sunt, eum qui baptizatur, præditum esse testatur. Itaque mentitur is, qui baptismum istum accipit, nec tamen adhuc Christo ex animo confidit, & ipsi quidem Spiritui Sancto mentitur. Quare merito nos docet Philippus, nefas esse eum, qui jam vere Christo fidem non adhibeat, isto baptismo tingi, tantum abest, ut ipse baptismus eam fidem, ut quidam existimarunt, aut conferat, aut etiam (nisi id aliunde plane constet) ullo modo confirmet. Quod si post acceptum baptismum Spiritus Sanctus dabatur, neque id perpetuum erat, nec propter ipsum baptismum, sive etiam per baptismum dabatur. Perpetuum quidem non fuisse, ex eo perspicuum est, quod legitur, Act. 8. 16, & cap. 10. 44. In quorum priore loco scriptum est, in Samaria nonnullos fuisse, qui in nomine Domini Jesu baptizati essent, nec dum tamen Spiritum Sanctum accepissent. In posteriore vero narratur, super omnes, qui Petrum Cornelio Centurioni, Dominum Jesum annunciantem audiebant, adhuc ipso Petro loquente, Spiritum Sanctum cecidisse, quamvis nec ii, qui cum Cornelio erant, nec ipse Cornelius adhuc baptizatus esset, quod postea fieri jussit Petrus. Propter baptismum autem Spiritum Sanctum datum non fuisse, sed potissimum propter fidem in Christum, cum posterius ex modo prolatis testimoniis non obscure indicat, tum vero satis aperte docet ipse Christus, cum ait Marc. 16. 17, *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, &c*, ut pleraque alia testimonia omittam, quæ idem plane confirmant. Sed ne per baptismum quidem Spiritum Sanctum dari consuevisse, sed per impositionem manuum Apo-

Apostolorum, nemo est, qui ipsorum acta à Luca descripta legerit, qui ea de re dubitare possit. Id enim ex modo citata Samaritanorum historia clare liquet, ibique mox additur Act. 8. 18. *Cum vidisset autem Simon, quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, &c*, cui adde insuper historiam eorum discipulorum, quos Paulus Ephesi reperit, ubi verba illa habentur Act. 19. 5: *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, &c.* Solebat quidem Spiritus Sanctus, tum demum dari, cum quis baptizatus esset, quia idcirco sine dubio dabatur, ut de Christo prædicatio confirmaretur, populusque ad fidem ipsi adjungendam adduceretur, videns quibus mitis donis à Deo manifeste afficerentur ii, qui illi confidebant, quos ab aliis internoscere, nonnisi ex publica & aperta nominis Jesu Christi professione licebat, cujus professionis symbolum, & tessera quædam baptismus aquæ erat, in ipsius Domini Jesu nomine susceptus. Atque ob eam causam plerunque post baptismum Spiritus Sanctus dabatur, non autem quia ejus dandi, quasi instrumentum quoddam baptismus esset. Quamobrem etiamsi hodie idem fieret, non tamen idcirco aliud baptismo terrenæ aquæ tribuendum esset, quam quod per ipsum Jesu Christo palam nomen daretur. Quanto igitur magis id dicendum est, cum hoc tempore conspicua illa Spiritus Sancti dona cessaverint, quæ ipsius Spiritus Sancti nomine in tota hac disputatione intelligere necesse est? Quandoquidem Spiritus Sancti dona inconspicua, aut certe non omnium oculis, ut illa erant, exposita, quæque etiamnum credentibus in Christum dari certissimum est, nihil unquam cum aquæ terrenæ baptismo commune habuerunt. Itaque ut ad rem ipsam redeamus, cum ii, quos Petrus baptizari jussit, nunquam antea publice & aperte Christo Jesu nomen dedissent, quippe qui tum primum ipsum pro servatore ac principe suo agnoscere cœpissent, cumque is baptismus nihil aliud sit, quam publica & aperta Jesu Christi nominis professio, sive ejus professionis symbolum, quid obsecro attinet, etiamsi præceptum illud Petri perpetuum esse concesserimus, ad eos id pertrahere, quos certum est multo antea palam Jesu Christo nomen dedisse, & pro iis qui ejus religionem profiterentur, publice ab omnibus agnitos semper fuisse? Dicam libere, quod sentio, non conviciandi, aut irridendi animo, (Deus novit) sed admonendi, & à veterno quodam, si fieri potest, excitandi gratia. Non possum sane hominum quorundam, sive hujus nostri seculi, seu quorumcunque præteritorum stupiditatem, & oscitantiam, ut ita dicam, satis mirari, qui ex Petri mandato illo, vel etiam ex iis omnibus, quæ Apostoli, in hoc baptismi aquæ negotio, aut præcepisse, aut fecisse leguntur, baptismum istum ad eos etiam pertinere intellexerint, ipsisque omnino ministrandum statuerunt, qui non modo simulatque per ætatem licuit, Jesum Christum pro Servatore se agnoscere publice sunt professi, seque quod ad religionem attinet, nunquam aliter quam Christianos, vel ipsi nominarunt, vel ab aliis nominari sunt passi, verum etiam ab ipsis incunabulis, Jesu Christi nomen tanquam Domini ac redemptoris sui in ore semper habuerunt, à quibus eos, quibus cum Apostolis res erat, ut pote vel in Mosaica Lege, vel in prophanis gentium superstitionibus natos atque educatos, & perpetuo à Christo non re tantum sed verbis quoque prorsus alienos, tam longe quod ad præsentem inquisitionem pertinet, abesse constat, ut non multo magis terra ab ipso cœlo distare videatur. Verum quia hac eadem de re, antequam disputationem hanc nostram absolvamus, nonnulla fortassis aliquanto explicatius dicenda erunt, ad reliqua in præsentia pergamus. Quoniam autem, quicquid Apostoli de aquæ baptismo, aut ipsi præceperunt, aut jam præceptum fuisse confirmare videntur, superioribus locis examinandis, præsertim vero Petri verbis postremo excutiendis, satis & examinatum & excussum videtur, hic testimoniorum, pro adversariorum sententia proferendorum finis erit. Quare deinceps, ut propositum fuit, rationes, quas eidem sententiæ suffragari quispiam fortasse putaverit, afferemus, quantique æstimandæ sint, singulatim, idque non indiligenter inquiremus. Ac primum de iis agemus, quæ ex ipsis Sacrarum Literarum testimoniis ita petitæ sunt, ut ipsæ testimonia quodammodo dici possint.

CAPUT VI.

PRima ratio, quam nobis ipsæ divinæ literæ subministrare videntur, unde probetur, neminem, qui Christi discipulus esse velit, aquæ baptismo abstinere posse, hujusmodi est. „Quidquid Christus „fecit, quod muneris sibi singulariter à Deo mandati „proprium non esset, & interim tamen ad divinum „cultum quoquo modo pertineret, id ejus quoque dis„cipuli omnes facere debent. At Christus sponte aqua „baptizatus fuit, ut patet Matth. 3. 13, & 16, quod „certe muneris singulariter ipsi a Deo mandati pro„prium non erat, cum alii præter ipsum innumerabi„les aqua baptizarentur, idque ad divinum cultum, „sive ad religionis negotium pertinebat. Ergo nullus „ex Christi discipulis aquæ baptismo sponte carere debet. Etsi ad hanc ratiocinationem, si quis acutius paulo rem inspexerit, satis supra responsum videtur, tamen operæ pretium nos facturos arbitramur, si, diligentius eam expendendo, iis, quæ jam dicta sunt, nonnulla addiderimus. Itaque dico primom, non verum esse id quod in ea assumitur, videlicet, quod Christus aqua baptizari voluerit, id muneris ipsi nominatim à Deo demandati proprium non fuisse. Tametsi enim alii quoque infiniti aqua baptizabantur, non tamen eandem ob causam id à Christo, & ab illis fiebat, neque Christus generali illo divino decreto, ut populus aqua baptizaretur, quod ex Johannis Baptistæ verbis intelligi poterat, ulla ratione tenebatur. Johannes enim, ut apertissimum est, baptizabat ad pœnitentiam in remissionem peccatorum, quæ in Christo nullum locum invenire poterat. Atque catenus populus baptizari debebat, quatenus pœnitentia, & remissione peccatorum indigebat. Hoc dico ne quis putet, universum prorsus Israëlis populum, qui Johannis prædicationem audiebat, quive in ea regione, ubi Johannes prædicabat, degebat, ab ipso Johanne baptizari debuisse, adeo ut ipse quoque Christus, qui ex Israëlis populo erat, ei baptismo suscipiendo obstrictus esset. Ego quidem nihil dubito, nonnullos fuisse præter ipsum Christum, qui eo decreto divino non tenerentur, quamvis ex Israëlitico populo essent, eos videlicet omnes, qui justi erant, quique, si aliquando peccatores fuerant, jam ante Baptistæ prædicationem ex animo resipuerant, & vitam correxerant, jamque illis omnia peccata divina benignitate condonata fuerant, nec ad peccatorum remissionem consequendam, ulla amplius pœnitentia illis opus erat. Hujusmodi autem homines licet admodum paucos, aliquos tamen adhuc in eo populo fuisse, id docere potest, quod de Simeone, Anna Phanuelis filia, Zacharia, & Elizabeta ipsius Johannis parentibus, deque Josepho Mariæ Christi matris viro, qui vel ea tempestate fuerunt, vel etiam Johanne prædicante adhuc fortasse vivebant; scriptum legitur Luc. 1. 6. 2. 25. 37. Matth. 1. 19. Nam omnes præter Annam diserte justi fuisse dicuntur, & aliqui ex ipsis non justi modo, verum etiam coram ipso Deo justi & inculpati. Annæ vero ejusmodi testimonium datur, ex quo eam justam fuisse aperte colligitur. Certe qui tales erant, ad eos baptismus ille Johannis ad pœnitentiam datus non pertinebat. Nam nec ipse Christus, justos se, sed peccatores ad pœnitentiam vocatum venisse affirmat Luc. 5. 32. Quare istiusmodi homines, ne accessisse quidem ad Johannis Baptismum, verisimile est. Unde constare potest, si Christus & accessit, & baptizatus est, vel, ut primo cap. diximus, id illi nomi-

nominatim injunctum à Deo fuisse, vel alioqui tamen valde consentaneum ab ipso fuisse existimatum, licet se nullo præcepto teneri sciret, & sic tanquam proprium ipsius Christi muneris censendum esse; ex quo præceptum aliquod omnibus deinceps in perpetuum datum, nullo modo elici possit. Nec vero est, quod dicat quisqiam, si Christus, quem singulari Dei mandato exclulo, certissimum est, ab aquæ baptismo abstinere potuisse, eo tamen tingi voluit, multo magis eo tingi cæteros debere, de quibus idem perinde asseverare non licet. Nam ut alia multa omittam, in quibus argumentatio ista evidenter peccat, & ex quibus fallaciæ plenissima demonstrari potest, animadvertendum est, non posse Christi personam, ejusve in aquæ baptismo suscipiendo factum, ulla ratione in hac quæstione nostra, ab eo singulari Dei mandato separari, aut ab aliqua alia singulari causa, quæ ipsum ad baptismum accipiendum impulerit. Hæc autem diversitatem longe maximam, inter ipsum Christum, & alios constituunt, quos nec ullum ejusmodi præceptum habuisse constat, imo de quibus quæritur; (atque de eo tantum nominatim hic agitur) utrum id quod Christus fecit, ipsi quoque Christi exemplo omnino facere debeant, nec ob singularem aliquam aliam causam, ad baptismum accipiendum accedere debere ullo modo apparet. Quod si quis neget, Christo singulariter a Deo præceptum fuisse, ut aqua a Johanne baptizaretur, vel singularem aliquam aliam causam eum habuisse cur baptizari voluerit, aut saltem ea de re dubitet, præter ea, quæ paulo ante à nobis disputata sunt, legat quæ primo cap. hac de re scripsimus. Sed quæret fortasse aliquis, cur fieri potuerit, ut singulare istud præceptum aquæ baptismi, quem Johannes ministrabat, accipiendi Jesu Christo a Deo fuerit datum, aut quæ potuerit alia singularis esse causa, quæ Christum ad baptismum istum accipiendum impulerit. Responderi potest, quod ad præceptum attinet, (hincque simul, citra ullum etiam mandatum, non unam tantum, sed plures singulares causas Johannis baptismum accipiendi Christum habuisse constabit) idcirco id fieri potuisse primum, ut Christus ab ipso sui patefaciendi initio modestiæ, atque humilitatis, cujus ipse perfectum quoddam exemplar, aliis ad imitandum propositum esse debebat, publica specimina daret, & jam tum suo exemplo doceret, neminem quantumvis justum, & ab hominum vulgo virtutum ornamentis disjunctum, de se ipso alte sentire debere, adeo ut à reliquo populo separari quodammodo velit, & pro eo haberi, qui inter vulgares homines nequaquam sit numerandus. Nam idem Christus quoque, ut alia ejusdem rei exempla præteream, cum, ut ipse ait Joh. 13. 13, esset & magister & Dominus, discipulorum tamen suorum pedes lavit, hoc est id fecit, quod alioqui ab ipsius dignitate, ac præstantia, quam longissime aberat, quo nimirum illis (ut idem aperte testatur) exemplum præberet, ut quemadmodum ipse fecisset, sic ipsi facerent; id est, alii aliis, ubi opus esset, inservirent, ac ministrarent. Id enim sine dubio pedum mutua ablutione significare voluit. Ut igitur nos & modestos, & humiles suo exemplo efficeret, debuit Christus baptismum Johannis adire, & interea tanquam unus de populo censeri, quamvis alioqui nihil sibi cum eo baptismo esse posset. Deinde ut mox futuram prædicationem suam ea ratione populo probaret, qui propter magnam quæ de Johannis excellentia opinio erat, perfacile ac perlibenter ei aures, accommodaturus videbatur, quem certum esset non solum à Johanne non dissentire, sed sese illi quodammodo subjicere, non recusasse, & illius disciplinam facto suo evidentissime comprobasse. Præterea, ut, quoniam innumerabiles in populo futuri erant, qui à Johanne baptizati essent, ii præsertim, qui ad Dei regnum idonei forent, ipsorum similis efficeretur, ne scilicet quisquam eorum esset, qui propter dissimilitudinem aliquam inter se, & Christum in iis quæ ad Dei cultum quoquo modo spectant, & simul humanarum virium omnino sunt, de ea salute consequenda desperare, aut non plane confidere posset, quam ipse Christus adeptus fuisset. Atque huc sine dubio potissimum respexit Christus, cum dixit, *Sic enim decet nos omnem justitiam implere*, Si modo omnis justitiæ nomine, non ea quæ sibi ipsi à Deo mandata: sed quæ populo generatim præcepta erant, intellexit. Adde postremo si placet, ideo debuisse Christum a Johanne baptizari, ut nobis exemplo esset, ne hominibus divinis obedire cunctemur, sed quicquid illi jusserint, alacri animo semper exequi velimus. Atque hæc satis sint, ut Christi factum illud baptismum Johannis suscipiendi proprium muneris illi à Deo mandati fuisse constet, & propterea falsa esse argumenti adversariorum assumptio demonstretur. Verum tamen concedamus, assumptionem illam veram esse, quid tum postea, cum propositionem falsam esse appareat? Neque enim perpetuum est, debere Christi discipulos ea omnia facere, quæ Christus fecit, si nec ad ejus munus singulare proprie spectent, & ad Dei cultum aliquo modo pertineant. Nam si istud perpetuum esset, nemo ex nobis est, qui circumcidi non deberet, quia Christus ipse circumcisus fuit, quod certe nec ad ipsius singulare munus proprie spectabat, cum id ex Lege Mosis, & multo ante ex divinioris certissima præceptione, Gen. 17. 10, omnibus Abrahami posteris æque servandum esset, & ad Dei cultum eandem ob causam omnino pertinebat Levit. 12. 3. Et ne quis in circumcisione inepte cavilletur, inquiens, eam non ex eorum numero dici posse, quæ Christus fecerit, quippe qui non propria voluntate, cum voluntatis usum nondum haberet: sed aliis id curantibus infans & imprudens, ex majorum more, & instituto circumcisus fuerit; de ciborum delectu, deque aliis, non paucis externis ritibus in Mosis Lege præscriptis quid dicemus, quos necesse est confiteri Christum sponte servasse. Nunquid idem nos facere oportet, alioqui Christi discipuli non merebimur appellari? Nunquid ipsismet Judæis, qui ad Christum convertuntur, eos ritus servandos esse dicemus? Minime vero, nisi cum quibusdam, qui se falso Christianorum nomine venditant, & cæteris plus sapere videri volunt, Christianam libertatem vel aspernemur, vel non agnoscamus, & interim Pauli Apostoli auctoritatem nihili æstimemus. Quod si quis sit, qui hic quoque dicat, de ritibus illis externis abrogatis apertissima testimonia in divinis literis extare: Quod autem aquæ baptismo Christiani carere possint, nusquam scriptum esse. Respondeo, ut superiore cap. feci, eos ritus externos vi ipsius Christi disciplinæ omnes penitus concidisse, non autem quia vel a Paulo, vel alii cuipiam ex Apostolis id singulariter patefactum fuerit, ablatos fuisse, & quamvis in Dei Lege disertissime præscripti fuerint, quia tamen cum analogia Christianæ fidei non bene consentiunt, etiamsi nullum præterea ejusce rei divinum testimonium haberemus, nos tamen iis servandis obstrictos non futuros. Quanto igitur minus aquæ baptismo suscipiendo obstricti erimus, cum de eo ritu servando nullum apertum præceptum extare videamus? Nam externa illa immersio, sive ablutio nihil per se ipsa, non magis quam decreta illa Mosaica, cum Christiana disciplina commune habet, & quidquid secum conjunctum habet, quod cum fidei nostræ analogia consentiat, id nullo incommodo ab ipsa separari potest, multoque excellentiore ratione, quam per istum, aut allum quempiam certum externum ritum peragi, atque præstari, quemadmodum ex iis, quæ supra disseruimus, intelligi posse arbitramur. Quocirca, ut de Apostolorum præceptis proximo capite statuimus, sic hoc loco de iis, quæ Christus fecit statuendum est, ea demum nobis omnino imitanda esse, quæ vel ab ipso aliquo modo omnibus mandata fuerint, vel cum reliqua ipsius disciplina ita sint conjuncta, sive consentanea, ut ab ea divelli nequeant, aut ab ipsa fluere dicenda sint. Sed fac præterea, baptismum aquæ externum, quo Christus tinctus fuit, ex istorum numero esse, certe si nobis in eo

Chri-

Christus imitandus est, non semper neque à quocunque Dei ministro baptizari possumus, sed tum demum, cum aliquis extiterit, qui à Deo ad aqua baptizandum missus fuerit, qualem constat fuisse Johannem, à quo Christus baptizatus est. At vero quis hodie est, quem ad id munus, se divinitus delectum esse, affirmare non pudeat, cum Paulus ipse, quem tamen baptizasse certum est, se à Christo ad baptizandum missum fuisse neget? Sed quod postremo totam adversariorum argumentationem nullius ponderis esse demonstrat, est, quod ejus vi necessario concluditur, Johannis baptismo nos contentos esse posse, vel potius Johannis baptismo nos omnino tingi debere, quorum prius. (si modo, ut adversarii disputant, baptismus, quem Apostoli post Christi resurrectionem ministrarunt, nobis suscipiendus est) verum esse non potest, alterum vero plane falsum esse constat. Neque enim, ut supra monuimus, idem fuit Johannis baptismus, qui Apostolorum à resurrectione Christi. Imo in re maximi momenti differebant. Quandoquidem Apostolorum baptismus in Christi Jesu nomen ministrabatur, Johannis vero minime. Id quod præter alia multa eorum discipulorum historia, quos Paulus Ephesi invenit, evidentissime demonstrat Act. cap. 19, in qua affirmatur, eos, qui Johannis baptismum ante susceperant, postea in nomen Domini Jesu baptizatos fuisse. Quamvis enim, cum discipuli illi respondent se baptizatos esse in Johannis baptisma, verbum baptizandi, quod à Paulo interrogante prolatum fuerat, & in ipsorum verbis subauditur, non aquæ baptismum, sed initiationem, ut ante dictum fuit, significare videatur, tamen ridiculum est existimare, plus continuisse ipsum aquæ baptismum à Johanne ministratum, quam aliam qualemcunque in ejus disciplinam initiationem. Deinde, ut appareat, discipulos illos aquæ baptismo à Johanne ministrato tinctos fuisse, satis est, ipsos dixisse, se Johannis disciplinæ fuisse initiatos. Nam ea disciplina sine aquæ baptismo consistebat, quem propterea, quicquid eruditi aliqui interpretes eo loco sentiant. post Johannem ejus quoque discipulos, qui ad ejus exemplum populum docerent, usurpasse, omnino statuendum est. Unde etiam aperte colligitur, non satis esse iis, qui baptizandi sunt, baptismum Johannis accepisse: præter id, ad quod probandum nominatim historiam istam attulimus, baptismum videlicet Johannis in Jesu Christi nomen ministratum non fuisse. At vero in nomen Domini Jesu baptizari, id potior pars baptismi est, ab Apostolis post Christi resurrectionem instituti, vel potius ipsius baptismi anima quædam atque substantia, qua sublata funditus corruat ipse baptismus necesse est. Namque ejus baptismi vis universa in eo esse videtur, ut quis per eum Christo initietur, atque ei publice & aperte nomen dare incipiat. Hoc autem non aliunde proficisci potest, quam ex eo, quod in ipsius Christi nomen ministretur. Nec vero ii audiendi sunt, qui dicunt, discipulos illos vel non fuisse iterum externo baptismo tinctos, vel, si fuerunt, non propterea id factum esse, quod Johannis baptismus, quem antea susceperant, in Jesu nomine non ministraretur: sed quia nondum Spiritum Sanctum acceperant. Utrumque enim apertissimis historiæ verbis repugnat, ubi scriptum est diserte, eos, Pauli verbis auditis (cui prius ipsi dixerant, se baptizatos esse in Johannis baptisma) in nomen Domini Jesu baptizatos fuisse: & ne quis hic Spiritus Sancti baptismum intelligeret, subjungitur postea, Paulum illis manus imposuisse, & Spiritum Sanctum in ipsos descendisse. In qua porro narratione, quis negare potest, baptizari in Domini Jesu nomen, pro re diversa à Johannis baptismate poni? Jam vero si discipuli illi in Domini Jesu nomen jam tum, cum baptismum Johannis susceperant, baptizati fuissent, ut Spiritum Sanctum quoque acciperent, nil opus deinde fuisset, eos iterum in Domini Jesu nomen baptizari, nec ullo modo id curaturum fuisse Paulum, aut etiam permissurum, credibile est, id enim ad Domini Jesu nominis ludibrium, & contemptionem omnino pertinuisset. Sed satis fuisset, Paulum pro ipsis orare, & illis, ut fecit, manus imponere: quemadmodum Petrum, & Johannem fecisse legimus, cum curare vellent, ut quidam, qui in Domini Jesu nomen jam baptizati fuerant, Spiritum Sanctum consequerentur, quem nondum acceperant; Act. 8. 15. Monebat quidem Johannes, ut in eum crederetur, qui post se venturus erat Act. 19. 4. hoc est in Christum Jesum, non tamen in ejus nomen baptizabat, quin etiam ne Apostolos quidem ipsos, ante Christi resurrectionem id fecisse, vel legitur, vel verisimile est, quemadmodum nec legitur, neque est verisimile ante Christum à mortuis excitatum, & in cœlis ad Dei dexteram collocatum, pœnitentiam ac remissionem peccatorum in Jesu nomine prædicatam fuisse. Quod satis intelligi potest, ex illis ipsius Domini Jesu verbis Luc. 24. 46: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma.* Et ex illis Petri Act. 5. ℣. 30, *Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem & salvatorem Deus exaltavit dextra sua, ad dandam pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum.* Ex quibus locis planum fit, prædicationem pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine Christi, sive Israëli separatim, sive omnibus gentibus simul, non ante ipsius Christi à mortuis resurrectionem, & adeptam gloriam cœpisse. Nec mirum, cum una cum ipsis præmium esset, à Deo, Christi obedientiæ usque ad mortem crucis propositum, & constitutum. Prædicabat quidem ipse Dominus Jesus, dum adhuc mortalis in terris degeret, pœnitentiam & remissionem peccatorum, quod idem Apostoli quoque ab eo missi faciebant, sed non in nomine ipsius Jesu, qui nondum homines vita æterna donandi, qua peccatorum remissio illa continebatur, potestatem, nisi destinatione adeptus fuerat, quamvis dæmonia ipsa in ejus nomine ejicerentur, quippe quorum ejiciendorum jam plenissima potestate donatus fuisset. Quare nec etiam baptismus, qui in remissionem peccatorum ministrabatur Joh. 3. 22, 26, in ipsius Jesu nomine dari tunc temporis ab Apostolis potuit, quamvis pro ipso Jesu baptizarent, & ipsis baptizantibus, Jesus ipse baptizare & diceretur, & dicendus esset. Nam Johannes quoque baptizabat ipse, non pro alio quopiam, sed ex proprio munere, non tamen in suum nomen, sive in suo nomine baptizabat, quamvis qui ab ipso baptizabantur, non minus Johannis discipuli, & essent, & dicerentur, quam Jesu discipuli ii, qui ab Apostolis baptizati erant. Verum, ut ad id revertamur, quod nobis propositum est, baptismum scilicet Johannis non fuisse in Jesu Christi nomine ministratum, dico, id vel ex eo aperte constare, quod sacerdotes, & Levitæ ab Hierosolymitanis Judæis missi Joh. 1. 19, interrogant ipsum Johannem: quis esset, & cum respondisset, se non esse Christum, quærunt, cur igitur baptizet, cum ipse non sit Christus. Ex quibus ipsorum verbis perspicuum est, eos antea ignorasse, an Johannes esset Christus, vel se esse profiteretur. Quod sane fieri non potuisset, si is in Jesu Christi nomen baptizasset. Sic enim jam publice testatus fuisset, se non esse Christum, cum ipsum non quidem Jesum, sed Johannem appellari omnibus notum esset. Mitto, quod si Johannes in Jesu Christi nomen baptizabat, ipse quoque Jesus in Jesu Christi nomen baptizatus fuit, aut certe alio baptismi genere, quam cæteri omnes fuit tinctus. Quorum prius plane ridiculum est: posterius vero, præterquam quod valde absurdum censeri debet, universam etiam adversariorum rationem convellit, ad quam recte concludendam necessarium est, ut Christus eundem baptismum acceperit, quem aliis omnibus suscipiendum esse contendunt. Certissimum igitur tandem esto, non eundem fuisse Johannis & Apostolorum baptismum, & propterea si baptismus ab Apostolis, post Christi resurrectionem institutus, nobis omnino suscipiendus est;

non satis esse Johannis baptismum suscepisse. Atqui id satis esset, si Christus in eo, quod a Johanne baptizatus fuit, nobis imitandus foret, & is a Christo susceptus baptismus, baptismi quem nos quoque suscipere debeamus, argumentum & exemplum esset. Quin potius, ut dictum est, inde sequeretur, debere nos omnino Johannis baptismo baptizare, & cum non idem sit Johannis baptismus, & Apostolorum, vel Apostolorum baptismum prætermitti posse, vel duos baptismos nobis omnino suscipiendos esse. Quorum utrumque non dubito, quin adversariis longe absurdissimum videatur. Sed negabunt (opinor) alterutrum ex istis sequi, etiamsi Johannis baptismus & diversus aliquantum sit, ab Apostolorum baptismo, & nullo modo à nobis omitti debeat. Dicent enim in Apostolorum baptismo illum contineri, cum Apostolorum baptismus quicquid in Johannis baptismo est, plane complectatur, & præterea (quod ipsius est proprium, quodque solum inter ipsum & Johannis baptismum interest) in Jesu Christi nomine ministretur: quod ut fiat prorsus necesse est. Ita unico Apostolorum baptismo suscipiendo, & ipsorum simul instituto & præcepto, quod in Christi à Johanne baptizati exemplo continetur, plene satisfieri. Quibus breviter sic respondeo, aut Christi exemplum nullam penitus baptizandi necessitatem nobis affert, aut si affert, semel nos eadem prorsus ratione baptizari debemus, qua Christus ipse baptizatus fuit, nulla re nec addita, nec detracta, nec immutata, quæ aliquod momentum habere posse videatur. Alioqui non ad exemplum illius, nec quia ipse baptizatus fuerit: sed alio modo, & aliam quampiam ob causam baptizabimur. Et hæc quidem primæ huic adversariorum rationi, ex Christi exemplo ductæ solide refellendæ sufficient.

CAPUT VII.

SEcundo loco pro adversariis ex Sanctarum Literarum testimonio ad hunc modum argumentabimur. *Nemo potest jure Christianus appellari, cui peccata remissa non fuerint. Atqui peccata per baptismum aquæ externum remittuntur. Nemo igitur Christianus jure appellari potest, qui eum baptismum sumere neglexerit.* Probatur argumenti assumptio, ex illis Ananiæ ad Paulum verbis Act. 22. 16: *Et nunc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Domini.* Ubi vides, quia per aquæ baptismum remissio peccatorum contingit, non modo dictum Paulo fuisse, ne baptizari, id est ablui cunctaretur, & ita deleret peccata sua, sed eam deletionem abluendi verbo significatam fuisse.

Pro responsione ad argumentationem istam considerandum est primum, me non negare (ut etiam ex iis, quæ supra disputata sunt, satis constare credimus) quin in baptismo aquæ post Christi resurrectionem instituto aliquid sit, quod ad peccatorum remissionem, seu ad peccata delenda aliquo modo pertineat. Est enim in ipso, cum in Jesu Christi nomine ministretur publica & aperta Jesu Christi nominis professio, quæ nullo pacto omitti debet, alioquin à peccatorum reatu liberatio non continget. Verum professio ista externæ illi ablutioni alligata non est, adeo ut etiam alio modo fieri non queat, quemcunque vel Ecclesia pro temporum & locorum ratione elegerit, vel res ipsa per se necessario tulerit. Itaque si contingat, aliquem citra externam illam ablutionem publice & aperte Christi Jesu nomen professum fuisse, & pro eo, qui ipsi nomen dederit, passim habitum esse, quacunque tandem ratione id fieri contigerit, iste id omne habebit, quod in aquæ baptismo ab Apostolis & aliis post Christi resurrectionem usurpato continetur, ad peccatorum deletionem pertinens, nec ullo modo ut peccata sibi remittantur, aqua præterea ablui necesse habebit. Deinde animadvertendum est, ex Ananiæ verbis non aperte & omnino colligi, remissionem peccatorum per aquæ baptismum contingere. Inquit enim, *& ablue peccata tua invocato nomine Domini.* Quæ verba eandem sententiam habere possunt, ac si dictum fuisset, & per invocationem nominis Domini, ablue peccata tua: ita ut hæc sermonis pars posterior per se stet, neque ad baptismum, de quo in priore dictum fuerat, referri debeat, sintque omnino duo, de quibus Ananias Paulum admoneat, unum, ut baptizetur, alterum vero ut nomen Domini invocet, id est ejus benignitatem imploret, quo per eam invocationem peccatorum remissionem consequi, & salvus esse possit. Nam ut Joel 3. 5, scriptum est, dies illi advenerant, à Joële pronunciati, in quibus, quicunque nomen Domini invocasset, salvus futurus esset Act. 2. 21. Et sane hæc hujus loci explanatio nihil prorsus habet, quod & verissimum, & verbis ipsis accommodatissimum non sit. Nam quod abluendi, pro delendi verbo usus fuerit Ananias, id per simplicem translationem nulla aquæ baptismi ratione habita, etsi baptismi antea meminerat, ab ipso fieri potuit, ut ab aliis quoque alibi factum est. Paulus enim ad Corinthios scribens postquam dixisset, peccatores quosdam non adepturos Dei regnum, statim subjungit 1 Cor. 6. ℣. 11, *Et hæc quidam eratis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu, & in Spiritu Dei nostri.* Hic nulla aquæ alicujus, sive alterius rei, per quam vera ablutio fieri possit, mentione facta, vel (quod appareat) ratione habita, abluti dicuntur ii, qui à peccatis expurgati erant, & quorum peccata deleta fuerant. Sed quodnam magis insigne hujusce simplicis translationis exemplum desideramus, quam illud in celeberrimo Davidis Psalmo Psal. 51. 2, *amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Sed & Hieremias ait Hierem. 4. 14, *Lava à malitia cor tuum Hierusalem, ut salva fias.* Pluribus exemplis, tanquam in re indubitata proferendis supersedeo. Postremo autem sciendum est, verba ista, Abluendi, Lavandi, Purgandi, Mundandi, Expiandi, Remittendi, & si qua sunt similia, sæpe in Sacris Literis, non rem ipsam, quam proprie denotant, sed ejus rei declarationem significare. Sic annotat Franc. Vatablus pluribus in locis Veteris Testamenti, & Hebraismum esse ait. Vide Levit. 12. 7, 8, & xv. 15. 30. & 16. 30, & quid in unoquoque istorum locorum ipse annotaverit. Quid plura? Si quis de hac Hebraica locutione dubitat, legat totum caput 13. & 14, ejusdem libri, in quibus de leproso mundo declarando agitur, & inveniet, eam ibi passim fuisse usurpatam, idque sæpius ab eodem Vatablo ibidem animadversum fuisse. Et certe si ullo in loco eam locutionem fuisse usurpatam, credendum est, ibi potissimum id factum esse, verisimile videtur, vel potius est necessarium, ubi baptismo aquæ externo peccata abluendi vis sive ex toto, sive ex parte tributa fuerit. Etenim, cum certissimum sit, poenitentia & fide peccata deleri, & utramque aquæ baptismo, si rite suscipiatur antecedere oporteat, nihil aliud, aquæ baptismo peccata ablui significare dicendum est, quam per baptismum peccata jam deleta esse declarari, & publice quodam modo obsignari. Quamobrem, etiamsi concederetur Ananiam, cum monuit Paulum, ut baptizaretur, & ablueret peccata sua, invocato nomine Domini, intellexisse, per baptismum, id est externam illam ablutionem, peccata ablui, non tamen vere per baptismum istum peccata ipsa deleri, eum dixisse continuo sequeretur, sed tantummodo deleta esse palam ostendi & quasi consignari. Atque hac eadem ratione explicandus est locus ille Act. 2. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Nam vel baptismo illi, hoc est solenniter peractæ ablutioni, peccatorum remissionem nequaquam tribuit Petrus, sed totam pœnitentiæ, cujus prius meminerat, adscribere voluit: vel si baptismi quoque ea in re rationem habuit, aut quatenus publi-

publicam Jesu Christi nominis professionem continet, eum tantummodo consideravit, aut si ipsius etiam externæ ablutionis omnino rationem habere voluit, quod ad ipsam attinet remissionis peccatorum nomine, non ipsam remissionem vere, sed remissionis declarationem, & obsignationem quandam intellexit. Nec vero desunt in Novo Testamento loci alii non pauci, in quibus remitti peccata, aut similis alia locutio, vel Hebræorum, ut dictum est, more, vel per simplicem Metonymiam, omnibus linguis peræque communissimam figuram, non ipsam rem, sed rei declarationem significant. Qualis est locus ille, qui propter ejusce locutionis ignorationem, etiamnum plerosque non leviter torquet: ubi Dominus Jesus ait Luc. 7.47, multum peccatrici illi remitti, quia dilexisset multum. Nam si alia ratione ibi verbum remittendi interpreteris, quam, ut idem significet, quod remissum esse, aperte ostendi ac declarari, nullus unquam sensus, qui antecedenti parabolæ bene respondeat, & ob eam rem Christo, qui eam parabolam attulerat, dignus sit, ex verbis illis elici poterit. At si eo pacto, quo dictum est, verbum illud explicetur, omnia consentiunt, & elegantissima vereque Christo digna sententia inde elicitur, nempe, debuisse Pharisæum illum, ex tanta mulieris illius dilectione perspicere, jam non amplius peccatis illam onustam esse, nec tanquam peccatricem ab ullo amplius rejici aut vitari debere. Nam, ut idem Christus, institutum sermonem persequens, & ad expositam ante parabolam eum prorsus accommodans, ait: *Cui parum remittitur, parum diligit.* Nec dilucidæ huic explicationi ne tantillum quidem officiunt verba illa, quæ mox sequuntur, *remittuntur peccata tua.* Neque enim remissionem ipsam, sed remissionis contestationem, & confirmationem quandam aperte significant, (jam enim dixerat Christus, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*) Unde ipsa explicatio nostra mirifice contestata, & confirmata dici potest. Hæc obiter quodammodo à nobis dicta sunt, non tamen inutilia futura ad eos omnes locos recte intelligendos, ubi aquæ baptismo peccatorum remissio, vel tribuitur, vel tribui videtur. Quod unum nobis postremo propositum fuerat, ne singulos hic examinare necesse haberemus. Id autem quia nos abunde jam præstitisse confidimus, ad alia transire operæ pretium fuerit.

CAPUT VIII.

Pro tertia igitur adversariorum ratione, quæ aliquo divinarum literarum testimonio inniti videatur, hanc afferemus. *Aquæ baptismus ea res est, per quam omnes Christiani in unum corpus conglutinantur, atque cohærent. Ergo nemo Christiani corporis pars esse potest, ideoque nec Christianus, qui aquæ baptismo lotus non fuerit.* Probatur assumptum per ea, quæ Paulus priore ad Corinthios scribit, cap. 12.13. Inquit enim: *Etenim in uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi.* Quod perinde est, ac si dixisset, nos omnes, quicunque Christiani sumus, unico tantum spiritu impellente, idcirco baptismum sumpsimus, ut unum corpus efficeremur. Nam in uno spiritu idem esse, atque per unum spiritum, & frequentissimus præpositionis, *In*, pro *Per*, in Sacris Literis usus, suadet, & ejusdem locutionis complura exempla satis docere videntur, quæ ne longius abeamus, in hoc eodem capite aliquot numero habemus. Bis enim ÿs. 3, & iterum bis ÿs. 9, *In spiritu*, pro eo quod est, per spiritum, dictum fuisse constat. Atque hæc hujus loci explanatio; Erasmi, Tigurinorum, Bezæ, & quorundam aliorum interpretum auctoritate confirmatur, quorum omnium interpretationes, *Per unum Spiritum*, habent.

Verum, (ut hinc ad argumentum respondendi initium sumamus) ignoscant mihi omnes isti, plus ipsis omnibus vidit hac in re unus Sebastianus Castellio, qui eadem verba, *uno spiritu*, interpretatus est, quamvis in quatuor illis superioribus locis omnibus, *per spiritum*, sive aliis verbis idem pollentibus, id, quod in Græco est, *in spiritu*, & ipse reddiderit. Nempe quia, ut arbitror, duo animadverterat, unum, hic de alio spiritu non agi, quam de eo qui aquæ baptismum ut plurimum, non antecedit, sed subsequitur, & per quem non baptismus suscipitur, sed recte & jure susceptum fuisse, vel etiam suscipi posse declaratur, id est de donis spiritualibus, ut unicuique totum caput accurate legenti, constare poterit. Alterum, hoc loco non esse simpliciter eam locutionem, in spiritu, sed baptizari in spiritu. Quæ quid significet, ex aliis locis, ubi ea inveniatur, intelligi debet.

Sex autem ni fallor, in Græcis codicibus præter hunc sunt loci, in quibus ea invenitur, & nusquam per spiritum, sive spiritu impellente, sed spiritu baptizari, ubique significant. Spiritus inquam baptismum declarat, qui aquæ baptismo opponi solet, tantum abest, ut ubi ea locutio sit, aquæ baptismum intelligere, vel debeamus, vel etiam possimus. Porro hi sunt sex illi loci, Matth. 3.11. Marc. 1.8. Luc. 3.16. Joh. 1.33. Act. 1.5, & 11.16. Quin etiam nunquam alio loquendi modo utitur scriptura, ubi spiritus baptismum expresse nominat, (nusquam enim, ut arbitror, alibi, quam in prædictis locis, diserte ac nominatim spiritus apud sacros scriptores baptismus commemoratur) adeo ut, quamvis ibidem sæpe aqua baptizari antea dicatur, sine præpositione in, mox tamen manifesta licet antithesis sit, nunquam, ut dictum est, aliter, quam in Spiritu Sancto baptizari subjungatur. Ex quibus omnibus, (opinor) perspicuum est, hoc loco non de aquæ baptismo locutum fuisse Paulum, qui per spiritum, sive impellente spiritu suscipiatur, sed de spiritus baptismo omnino egisse. Et sane, si quis rem ipsam secum animo reputare velit, atque ab inveteratis opinionibus cogitationem paulisper abducere, & videbit, & fatebitur, non per aquæ, sed per Spiritus Sancti baptismum, Christianos in unum corpus coalescere. Ille enim cum res externa & omnibus conspicua sit, neutiquam posse dicendus est, verum Christianorum corpus (de quo nimirum adversariorum argumentum loqui necesse est) hoc est veram Ecclesiam, quæ corporis oculis non cernitur, conglutinare, atque conficere: hic vero, qui res est interior, & non nisi per sua effecta aspectabilis, inaspectabilem similiter alioqui Christi Ecclesiam recte conjungere, ac constituere potest. Quis autem nunc veri corporis Christiani membrum, seu partem eum esse affirmare ausus fuerit, qui aquæ baptismum, quantumvis spiritu impellente susceperit, nisi spiritus quoque baptismo eum ablutum etiamnum esse comperiat? Neque enim aquæ baptismum, spiritus licet ipsius impulsu susceptum, spiritus baptismus perpetuo comitatur, nec, si is, qui aquæ baptismum semel rite accepit, semper aqua baptizatus merito dicetur, is similiter, qui semel spiritus baptismo tinctus fuit, semper spiritu baptizatus jure dici poterit, nisi in fide permanserit: qua deficiente, deficiat quoque & aboleatur spiritus baptismus necesse est. At vero quis negare audebit, eum vere Christianum esse, qui Spiritu Sancto fuerit lotus, etiamsi (quod & factum legimus, & quotidie fieri credendum est) aquæ baptismo ab Apostolis usur-

usurpato rite tinctus non fuerit. Viderunt autem, per aquæ baptismum non fieri, ut Christiani in unum corpus coalescant; nonnulli ex iis ipsis, qui hoc loco de aquæ baptismo Paulum locutum fuisse putaverunt, tanta est veritatis vis, & de hisce Pauli verbis agentes dixerunt, non ita accipienda esse, quasi per baptismum transeamus in Christi corpus, nam prius transimus, deinde ad id testificandum baptismo consignamur. Ad hunc modum illi. Itaque certissimum esse debet, præsertim si Paulus de eo Christianorum corpore loquitur, quod adversarii sine dubio intelligunt, in his verbis non de aquæ baptismo. qui spiritu impellente suscipiatur, sed de ipsius spiritus baptismo agi. Nec vero aliter persuaderi debemus, quia mox sequatur, *Et omnes in unum spiritum potati sumus.* Quasi necesse sit, cum hic manifeste de spiritualibus donis agatur, supra alia de re actum fuisse. Sciendum est enim, etiamsi utrobique de Spiritus Sancti donis agitur, non tamen idem utrobique dici. Plus enim postea dicitur, quam antea dictum fuerat, quanto plus est liquore aliquo potari, quam eo tingi, seu lavari. Siquidem multo plus illo, quam hoc modo ejus liquoris particeps corpus fieri contingit. Quidquid sit, illud certum est, aliud esse re aliqua potari, quam eadem tingi, aut lavari. Usus est autem Apostolus elegantissime, duplici hac translatione lavandi, & potandi, ut quemadmodum, si quis liquore aliquo & lavetur simul, & potetur, totum corpus & exterius & interius ejus liquoris fit particeps: sic Christianos eo tempore, & exterius & interius, id est totos & omnino unius divini spiritus participes cunctos factos fuisse, evidenter significaret. Et certe posterior manifestissima translatio prioris unumquemque admonere poterat, sive ad poculum cœnæ Domini, ut quibusdam placet, (quod tamen nobis non probatur) Paulus in ea alluserit, sive minus. Nam si allusit, in priore quoque ad aquæ baptismum allusisse quidem eum dicemus, non tamen de eo locutum fuisse. Neque enim iis assentiendum est, qui de ipso Dominicæ cœnæ poculo, Paulum verba fecisse omnino volunt, & propterea spreta omnium codicum, cum Græcorum tum Latinorum, qui extant fide, Græcos nescio quos scholiastas secuti, & Græci cujusdam vetusti, sed obscuri codicis, Clementisque præterea authoritate freti, non, in unum spiritum potati sumus, sed, unam potionem potavimus, sive una potione potati sumus, in unum spiritum legunt, & ajunt, ea verba, *In unum spiritum*, superioribus illis respondere, *In unum corpus.* Ut scilicet quemadmodum antea fuerit dictum, Christianos per unum spiritum aqua baptizari, ut unum corpus fiant, sic postea dicatur, eosdem in cœna Domini ex eodem poculo bibere, ut unus spiritus fiant. Quæ loci explanatio, quam absurda sit, non facile fuerit explicare. Primum enim relatio illa corporis & spiritus, & inepta est, & eo in loco supervacanea. Inepta, quia non magis per aquæ baptismum unum corpus fiunt Christiani, quam per poculum cœnæ Domini, nec magis per cœnæ Domini poculum unus spiritus fiunt, quam per aquæ baptismum. Eo autem in loco supervacanea, quia, unum corpus fieri Christianos Paulum dixisse, satis erat ad ipsius institutum, ut ex iis, quæ statim infert, usque ad finem capitis, valde perspicuum est. Deinde superiora verba illa, in uno spiritu, sive, ut ipsi interpretantur, per unum spiritum, nulla habent sibi respondentia, si inferiora illa, in unum spiritum, non ipsis, sed illis, in unum corpus, respondere velimus. Imo habent quidem; sed pessime respondentia. Nam quæ relatio, huic præsertim loco consentanea, esse potest ejusdem potionis qua Christiani in cœna Domini potentur, ad eundem spiritum, per quem baptizentur aqua? Aqua ipsa cum potione, non autem spiritus impulsio conferenda erat, neque enim minus spiritu impellente Christianus in cœna Domini potat, quam in baptismo aqua abluatur. Præterea cur quæso Paulus cœnam Dominicam cum baptismo collaturus potionis tantum mentionem fecisset, non etiam comestionis sive cibi, quæ præcipua ex duabus quodammodo cœnæ illius partibus censenda est, & cujus solius nomine alicubi tota cœna intelligitur, ut 1 Cor. 11. 33, non secus atque corporis tantum Christi nomine, quod panis in cœna Domini repræsentat, ipse quoque sanguis, quem repræsentat vinum, significatur, ut eodem cap. 30. Ad cujus rei confirmationem vide etiam, quæ scripta sunt eadem Epistola cap. 10. 16, 17. & Joh. 6. 56, 57. Et sane frequentissime in Sacris Literis solius cibi, aut etiam panis mentione facta, ipse quoque potus intelligitur. Id quod (saltem in cœna Domini) nunquam potionis solius nomine fieri contingit, ut scilicet ea tantum commemorata cibus quoque intelligatur. Postremo, si Paulus cœnam Dominicam intellexisset, non verbo præteriti temporis, potavimus, sed potamus, præsentis usus fuisset: cum ea cœna non à quolibet Christiano homine plane & omnino jam manducata fuerit aliquando, sed identidem in posterum ubi facultas detur, manducari debeat. Sic enim alibi, per verba præsentis temporis, de cœna Domini locutus est Paulus, inquiens 1 Cor. 10. 17, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est.* Quamobrem à vulgata lectione, &, ut arbitror, explanatione, non est recedendum: sed legendum simpliciter, in unum spiritum potati sumus: & in unum spiritum, pro uno spiritu dictum, agnoscendum, ut ipse vetus interpres videtur agnovisse, qui non in unum spiritum, sed in uno spiritu transtulit, (quin etiam, quidam codices habent, unum spiritum potavimus,) & præter ipsum veterem interpretem, agnoverunt etiam non pauci recentiores, Erasmus inprimis qui & ipse, unum spiritum potavimus, transtulit, quo pacto alii item explicarunt: alii vero vel explicarunt, vel interpretati sunt, unum spiritum hausimus, inter quos est Sebastianus Castellio. Adde, quod hæc sive explicatio, sive interpretatio, ut scilicet in unum spiritum hoc loco idem sit, atque uno spiritu, confirmatur ab ipso illo codice vetusto, licet obscuro, cujus ante mentionem fecimus, qui ita habet, εἰς ἓν πόμα ἐποτίσθημεν εἰς ἓν πνεῦμα, id est, in unam potionem potati fuimus, in unum spiritum. Ubi nemo non videt, in unam potionem idem prorsus esse, quod una potione. Et hæc ad explanationem illam hujus loci refutandam, & nostram asserendam satis esse volumus. Quod si quis tamen verba illa, in unum spiritum, superioribus illis, in unum corpus, omnino respondere velit, non acriter pugnabo, & totum hunc locum illi similem esse posse concedam, *unum corpus & unus spiritus, &c*, Ephes. 4. 4, modo ne hic de cœna Domini, supra vero de aquæ baptismo agi dicamus, nisi fortasse ad utrumque alludere voluerit Paulus. Nam aliter, ut diximus, relatio illa prorsus inepta esset. At vero, si de spirituali baptismo, deque spirituali potione Apostolum loqui concedamus, satis apta erit relatio illa, cum enim spiritus quiddam interius sit, corpus vero exterius, recte & de coalescendo in unum corpus verba faciens baptismi seu lotionis, quæ ad exteriora pertinet, translatione usus esset, & coalitione in unum spiritum potionis, quæ ad interiora pervadit, translationem adjunxisset. Cæterum explanatione hac verborum, in unum spiritum, admissa, repetenda sunt ante ipsa καὶ γὰρ illa superiora, in uno spiritu, ut integra loci sententia sit; Uno spiritu baptizatos sive ablutos fuisse omnes, ut unum corpus fierent, & uno spiritu pariter potatos, ut unus spiritus omnes evaderent. Atque ne longiores, quam par est, alicui videri possimus, iis quæ dicta sunt, pro responsione ad argumentum ex hoc divino testimonio ductum contenti erimus, ea omittentes, quæ dici potuissent, etiamsi hic de aquæ, non autem de spiritus baptismo sermo esset; cum præsertim unusquisque per se infirmissimam & prorsus ἀσυνάρτητον esse hanc rationem animadvertere possit. *Hoc per illud fieri contingit: Ergo aliter fieri nequit.* (Quod vitium in superiore quoque argumentatione est,

est, ex Ananiæ verbis ducta) & simul videre, si hic de aquæ baptismo agatur, unius corporis nomine non ipsam veram, & in aspectabilem Ecclesiam, sed aspectabilem & apparentem significari, quam nihil prohibet (nisi aliter expresse præceptum fuerit, quod factum esse nunquam probabitur) pro locorum & temporum ratione, modo hoc, modo illo externo signo notari, vel etiam sine ulla exteriore & constituta nota coalescere, atque unum corpus fieri.

CAPUT IX.

QUartum adversariorum argumentum ex aliquo Sacrarum Literarum loco petitum tale erit. *Baptismus res est communis omnibus Christianis, & ipsos perpetuo comitatur. Ergo nemo potest Christianus esse, qui baptismum suscipere neglexerit.* Probatur id quod assumptum fuit, satis evidenter ex iis, quæ à Paulo scripta sunt ad Ephes. 4. *Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.* Hic manifeste Paulus, ut unitatem Christianis commendet, inter cætera ab eo, quod baptismus unus sit argumentatur. Quod certe facere non posset, nisi baptismus ad omnes Christianos pertineret, eorumque perpetuus comes esset. Idque inde etiam aperte constat, quod ipsum inter illa numerat, quæ omnino hujusmodi sunt, Dominum, scilicet fidem, & Deum Patrem. Quis igitur negare audebit, quemadmodum Christianus sine Domino aut fide, aut Deo Patre esse nequit, eundem sine baptismo item esse non posse?

Totum argumentum facile concedi potest. Nam & nos idem fatemur, sine baptismo nullum Christianum esse posse. Sed videndum est, de quo baptismo & nos loquamur, & Paulus sine dubio locutus fuerit. Cumque diserte pluribus locis scriptum sit, Christum Spiritu Sancto baptizare, idque ita dicatur, ut baptismus iste, aquæ baptismo opponatur, & perinde sit, ac si dictum fuisset, Christum non aqua, sed Spiritu Sancto baptizare, certe ubicunque de iis agitur, quæ Christianorum sunt propria, vel etiam ad Christanos pertinent, simplici baptismi nomine, nisi aliud loci circumstantiæ suadeant, non aquæ, sed spiritus baptismus intelligendus est. Nemo autem inficiari poterit, baptismum hoc loco recenseri, non modo ut rem ad Christianos pertinentem, verum etiam, ut aliquid Christianorum proprium, id est, quod ipsis unis perpetuo conveniat: quemadmodum ipsis unis perpetuo convenit, & Dominus, & fides, & Deus Pater. Siquidem qui Christianus non est, is nec Dominum, id est Christum, nec fidem illam, quam Paulus intelligit, nec Deum Patrem habet. Qui autem vel unum ex istis habet, is Christianus sit necesse est. Quare statuendum omnino videtur, eum quoque qui baptismum habeat, de quo hic agitur, prorsus Christianum esse. Atqui innumerabiles vel sunt, vel esse possunt, qui aqua rite baptizati fuerint; & propterea aquæ baptismum habere merito dicantur, & tamen revera Christiani non sint. Sed nemo Spiritus Sancti baptismum habere jure dici potest, quin idem vere sit Christianus, quemadmodum superiore capite disputatum est. Patet igitur non aquæ, sed Spiritus Sancti baptismum in his Pauli verbis, simplici baptismatis nomine intelligi debere. Adde, quod plus quam verisimile est, Paulum hoc loco Spiritus Sancti distincte mentionem facere non prætermisisse, cum mox ex iis, quæ dixisset, sermonem de ipsius Spiritus Sancti donis illaturus esset. Subjungit enim, *unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Nam superiore quoque loco, id est, 1 ad Cor. 12, de spiritualibus donis in Ecclesia varie distributis acturus, inquit prius, eundem esse spiritum, eundem Dominum, eundem Deum, qui ea omnia largiantur atque distribuant. Quin ne fidei quidem, ut pote, quam spiritualibus donis conjunctam esse oporteat., si quis recte animadvertat, mentionem prætermittit, ea enim in illis verbis includitur, quæ sunt ℣. 3. *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesum: & nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto.* Non enim de simplici oris confessione ibi loquitur Paulus, quæ etiam sine Spiritu Sancto fieri potest, sed de ea, quæ ex vera fide provenit, imo de ipsa cordis confessione, quæ per verba, & alia externa declaratur, quæque nihil aliud, quam vera fides est. Quocirca nihil fere isto loco huic nostro similius inveniri potest. Ob eamque rem, cum hic alioqui Spiritus Sancti separatim Paulus non meminerit, ejus satis apertam mentionem, voce baptismatis contineri dicendum est. Ita fiet, ut & alter locus alteri exacte respondeat, & hic nihil plane desiderari possit. Nam & ibi quoque, ut vidimus, postmodum, cum eandem, quam hic esse contendimus, sententiam exprimere vellet, baptismi translationem usurpavit. Nec sane quicquam verisimilius dici potest, quam idem hoc loco esse, *unum baptisma*, quod ibi est, *uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus.* Tenenda est autem regula illa, quam supra posuimus, de baptismi nomine simpliciter prolato, cum tanquam res ad Christianos spectans, præsertim vero, cum tanquam ipsorum propria commemoratur. Quandoquidem ea & divinarum literarum authoritati, & rationi, ut demonstratum fuit, est maxime consentanea. Verumtamen, si quis nec authoritate, nec ratione adduci queat, ut regulam illam admittat, & præterea iis omnibus spretis, quæ hactenus à nobis dicta sunt, de aquæ baptismo hoc loco agi omnino velit, non idcirco tamen aliquid sententiæ nostræ contrarium efficietur. Quamvis enim Paulus de re ad Christianos pertinente loquatur, quæ omnibus ipsis sit communis, non tamen de omnibus prorsus Christianis loquitur: sed de iis omnibus ad quos scribit, sive etiam de iis, si ita videtur, qui ipsis vel tunc essent, vel postea in perpetuum futuri essent similes. De iis omnibus, inquam, qui aquæ baptismum vel jam accepissent, vel in posterum accepturi essent. Atque hos monet, ut, quando omnibus unus & idem aquæ baptismus communis est, quo religioni, quam profitentur, omnes pariter initiati sunt, velint quoque, cum præterea eandem fidem, eundem Dominum, eundem Deum Patrem habeant, unum corpus, & unus spiritus omnes esse. Sed non propterea aut dicit, aut innuit Paulus nullum esse, aut futurum, Christianum, qui aquæ baptismo ablutus non fuerit, neque cum omnibus Christianis in perpetuum eandem prorsus qua ipse hoc loco cum Ephesiis usus est, argumentandi rationem valituram docere voluit, sed ejus eam duntaxat partem, quam ad omnes perpetuo spectaturam certissimum esse poterat: quæ non minus efficacitatis, quam ipsa integra argumentatio habere deprehenditur. Neque enim minus unitatem servandam esse persuadere potest, quod unus Dominus, una fides, unus Deus Pater omnibus sit, etiamsi nulla ratio unius aquæ baptismatis haberi possit, quam (ubi id possit fieri) quod propterea omnes uno eodemque aquæ baptismo fuerint tincti. Sed profecto ad has quamvis aptissimas, & quæ pertinacissimo cuique satisfacere possint responsiones, & mentis ac verborum Pauli explicationes confugere nihil est opus, cum, ut paulo ante ostendimus, satis manifestum est, de aquæ baptismo hic sermonem esse non posse. Quod præter jam dicta, id demonstrare potest, quod si Paulus in monendis Ephesiis, ut unitatem spiritus inter se conservare vellent, istorum externorum rituum rationem habere voluisset, nullo modo Dominicam cœnam commemorare prætermisisset: qua vel maxime unitas illa Christianorum declaratur, & quodammodo obsignatur: ac sine dubio multo magis atque evidentius, quam per aquæ baptismum, qui semel tantum, & singulis aliquando, nec unquam simul omnibus ministratur, cum cœna Domini iterato, ac sæ-

ac sæpius atque ab omnibus simul manducetur: quam etiam idem Paulus alibi, ut supra visum est, dixit esse communicationem corporis & sanguinis Christi, ac deinde statim adjunxit, *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim ex uno pane participamus.* Cum igitur maxime insignis, & præcipui Christianæ unitatis Symboli, nullam prorsus hoc loco mentionem Apostolus fecerit, nemini dubium esse potest, quin de hujusmodi rebus, ideoque nec de aquæ baptismo, cum hæc scriberet, ne cogitaret quidem.

CAPUT X.

QUinta adversariorum ratio, quam locus aliquis divinarum literarum, exhibere videatur, hæc esse potest. *Nemo Christianus est, qui Christum non induerit. Christus autem per baptismum induitur, ut probant evidenter, verba illa ad Gal. 3. 27. Quicunque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis. Ergo nemo Christianus erit, qui baptismum non acceperit.*

Hujus argumenti assumptio duo vitia habet. Unum, quod falsa est, alterum, quod etiamsi vera esset, non tamen recte ejus vi argumentum conclusum fuisset, quod idem vitium in secundæ quoque ac tertiæ argumentationis assumptionibus animadversum fuit. Primum igitur falsum est, per aquæ baptismum (nam de eo baptismo argumentum loqui necesse est,) Christum indui, & locus ille Pauli ad Galatas nihil ad rem facit. Aut enim non de aquæ, sed de spiritus baptismo ibi verba fiunt, aut, si de aquæ baptismo (ut quidem nobis quoque videtur) sermo est, alia prorsus est eorum verborum sententia, quam ea, quæ ex argumentatione ista colligitur, ut mox ostendemus. Porro de aquæ baptismo locum istum non loqui, id docere fortasse potest, quod proxime hæc verba antecedunt, *Omnes enim filii Dei estis per fidem* [quæ est] *in Christo Jesu.* Hic expresse de fide agitur, qua Dei filii efficimur, quæ non per aquæ, sed per spiritus baptismum comparatur, & sine qua baptismus aquæ esse potest, spiritus autem non potest. Quare cum deinde subjungitur, *quicunque enim, &c*, quæ verba ex vi particulæ *enim*, superiorum rationem reddunt, certe non de aquæ baptismo, sed de baptismo aliquo spirituali sermonem esse dicendum videtur. Dicet aliquis: Paulus non de quolibet aquæ baptismo in Christum suscepto loquitur, sed de eo, qui omnino rite susceptus fuerit, nempe quem fides antecesserit. Hæc mentis Pauli explicatio nihili facienda est, cum ejus rei in ipsius verbis nullum vestigium appareat, quæ simpliciter de baptismo in Christum loquuntur, & propterea nisi aliud dicatur, multo tutius videtur ad spiritus baptismum ea referre. Sic enim nihil subaudiendum fuerit, nec de Pauli mente divinandum. Præterea, cum Paulus, etsi verbis præteriti temporis utitur, tamen de re loqui videatur, quæ adhuc duret, & ob eam rem affirmare Galatas propterea quod in Christum baptizati essent, Christo etiamnum esse indutos, profecto, non de aquæ baptismo, qui quantumvis rite susceptus fuerit, licet ipse duret, tamen fieri potest, ut Christi indutio illa, ut ita dicam, cessaverit: sed de baptismo spiritus, quo durante, eam quoque indutionem durare necesse est, eum verba facere statuendum plane videtur. Nec vero hæc eo à me dicuntur, quod velim omnino non de aquæ, sed de spiritus baptismo Paulum ibi locutum fuisse: quin imo, ut præmonui, in contrariam sententiam multo sum propensior: sed ut quanta sit argumentationis adversariorum infirmitas melius cognosci possit. Quomodo autem si de aquæ baptismo ibi agi velimus, ad ea, quæ modo diximus, respondendum sit, mox subjiciemus. Itaque fateor locum istum ad aquæ baptismum referendum esse, sed aliam esse prorsus loci sententiam, atque adversarii existiment, plane affirmo. Neque enim de eo, quod revera esset, sed quod Galatæ professi fuerant, & ipsorum vocationis proprium erat, loquutus est Paulus Gal. 1. 6, cum ait, eos Christum induisse. Patet hoc vel ex eo, quod in eadem Epistola miratur eos tam cito transferri ab eo, qui ipsos vocaverat in Christi gratia, ad aliud Euangelium, quod eos dementes & fascinatos appellat Gal. 3. 1, 3. & iv. 11, 19, adeo ut veritati non obedirent, & cum spiritu incœpissent, carne finirent, quod veretur, ne frustra in ipsis laboraverit, quod denique eos se iterum parturire dicit, donec formetur in ipsis Christus. Ut interim nihil dicam, quod solius Dei est, posse affirmare, quempiam revera Christum induisse. Quamobrem concludendum est, nihil aliud Paulum dicere voluisse, quam Galatas, cum in Christum baptizarentur, necessario professos fuisse, se Christum & induisse, & induere velle, quandoquidem hæc professio ejus baptismi scopus est & finis, seu potius ejus natura atque essentia. Nec vero alia exempla istius figuratæ locutionis desunt, cum scilicet aliquid esse affirmatur, non quia revera sit, sed quia esse debeat, & sic præseferant ii, in quibus id esse dicitur. Imo ea exempla in ipsis Pauli Epistolis pœne innumerabilia sunt, ubicunque enim, verbi causa, eos ad quos scribit, sanctos, Deo dilectos, fideles in Christo Jesu, & ejusmodi aliis nominibus, quod persæpe facit, appellare non dubitat, ibi ea sermonis figura utitur. Et ne longius abeamus, proxime præcedentia verba, quæ ante protulimus, eam figuram omnino continent. Neque enim, vel verum erat, vel Paulus scire poterat, omnes illos Galatas per fidem filios Dei esse. Non igitur eos vere esse, sed sic ipsos profiteri, & hunc eorum vocationis esse scopum, dicere voluit Apostolus. Quid quod alibi similiter de ipso baptismo loquens, eandem hanc figuram usurpat? Cum enim Romanos ad quos scribebat, monere vellet, non ideo esse in peccato manendum, ut gratia abundaret, ait; Quicunque in Christum Jesum baptizati essent, eos consepultos esse cum ipso per baptismum Rom. 6. 3. Atqui si hoc jam revera esse dicere voluisset, nihil opus fuisset monitione illa. Sed idcirco ita locutus est Paulus, ut ostenderet, quid professi essent illi, qui in Christum Jesum baptizati fuissent, & ea ratione indignum esse demonstraret, ejusmodi homines in peccatis amplius manere. Eodem argumento tacite utitur, scribens ad Collossenses, dum eos monet, ut Christo, omnibus humanis documentis, & superstitionibus rejectis, penitus adhæreant, inquit enim Col. 2. 12, *Consepulti* (estis) *ipsi* (Christo) *in baptismo, in quo simul quoque resurrexistis per fidem, &c.* Quod non factum jam revera esse, sed ita in baptismo Colossenses professos fuisse intelligendum est. Hac verborum Pauli explicatione, quæ, ut arbitror, minime repudianda est, recepta, cessant ea, quæ supra ad probandum, in eis de aquæ baptismo non agi, allata sunt. Ea enim omnia pro concesso sumunt, vel Apostolum dixisse, Galatas, qui baptizati in Christum essent, vere Christum induisse, vel proxime antea testatum fuisse, eos omnes, ad quos scribebat, ea fide, quæ filios Dei efficit revera præditos esse. Quorum utrumque per explicationem nostram penitus convellitur. Nec porro ullo modo hæc duo simul vera esse possunt, videlicet ibi de aquæ baptismo agi, & verba illa, *Christum induistis*, non figurate, sed proprie, atque ut sonant, accipienda esse. Alterutro autem istorum falso reddito, tota adversariorum argumentatio redditur falsa, quæ ut utrumque verum sit, omnino requirit. Sed demus deinde, ut alterum vitium adversariorum assumptionis explicemus, utrumque verum esse, & sic (quanquam ne id quidem plane consequitur) verum esse id, quod in argumentatione assumptum fuerat, concedamus: nempe, per aquæ baptismum Christum à nobis vere indui. Num propterea sequetur, non alia ratione, quam per aquæ baptismum, Christum à nobis vere indui posse, ut quidem necesse est, si argumentum recte conclusum esse velimus? Certe si istud consequitur, fateor me argumentandi scientia penitus destitutum esse, & jam me pudet Dialecticas præceptiones ne pri-

ne primoribus quidem, quo ajunt, labris ex ipsis fontibus deguitasse: sed sola ferme (quod ad hanc partem attinet) natura ac ratione duce, de non minimis rebus disputare aliquando ausum fuisse. Verum quis ita cœcus esse potest, ut non videat, consequentiam istam nullam esse? Quodsi assumptio illa ita intelligenda est, ac si dictum fuisset, per aquæ baptismum, & non alio modo Christus induitur, dico eam nullo pacto concedi posse: nisi velimus, baptismum aquæ prorsus necessarium ad salutem esse, id quod nemo hactenus fortasse ausus est dicere. Nam profecto Christum induere ad salutem est prorsus necessarium. Nec tamen rursus concedendum est, aquæ baptismum esse ordinariam quandam viam Christum induendi, cum nihil per eum baptismum, vere vel a Deo hominibus conferatur, vel quavis ratione ipsis accedat: nisi quod per ipsum Christo publice nomen dant, & ejus familiæ quodammodo adscribuntur. Qua de re vide quæ cap. 5. a nobis disputata sunt.

CAPUT XI.

SExtum hujus generis adversus sententiam nostram argumentum tale erit. *Baptismus inter Christianæ disciplinæ rudimenta numeratur. Ergo nemo Christianus ejus expers esse debet.* Rudimentum autem Christianæ disciplinæ baptismum esse, demonstrant verba illa Epistolæ ad Hebr. in initio capitis 6. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ, ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.* Ex quibus verbis baptismum, non modo Christianæ disciplinæ rudimentum esse constat: sed tale rudimentum, ut sine eo nequeat ea disciplina consistere. Nam & pars fundamenti esse dicitur, & inter ea recensetur, sine quibus Christi cognitio non datur. Ad hunc modum scilicet ex hoc loco argumentari adversarios arbitramur.

At nos dicimus, tantum abesse, ut hinc aliquid colligi possit, quod ipsorum sententiam juvet, ut potius hic locus eam plane convellat, aut certe nihil prorsus ad rem faciat. Neque enim hic de aquæ baptismo ipso agitur, sive vox baptismatum, cum sequente voce doctrinæ conjungi debeat, & ab ea regi, ut fere receptum est, & vulgata cum in Græcis, tum in Latinis codicibus interpunctio docet: sive ab ea disjungi, ut nonnulli sentire videntur, & in quibusdam Græcis codicibus interpunctum invenimus. Nam priore modo non de baptismo ipso, sed de doctrina baptismatum verba fieri palam est, posteriore vero, cum baptismorum, non autem baptismi fiat mentio, certum est, utrumque baptismum, Johannis scilicet & Apostolorum intelligi debere. Aquæ enim & spiritus intelligi non posse id declarat, quod deinde sequitur, *impositionis quoque manuum.* Etenim neque ante manuum impositionem, sed per ipsam manuum impositionem Spiritus Sanctus dari solebat, ut supra ostensum fuit. Absurdissimum autem est, ut bis, idque præpostere baptismus spiritus hic commemoretur, ubi & distinctio, & mirus ordo in enarrando manifeste apparet. Quodsi Johannis & Apostolorum baptismus, ea voce baptismatum significantur, perspicuum est ipsum aquæ baptismum intelligi non posse. Alioqui duobus aquæ baptismis nobis opus esset. Itaque baptismatum nomine, si vocem hanc à sequente *doctrinæ*, sejungere velimus, id, quod per utrumque baptismum adumbratur, intelligi debet, nempe remissio peccatorum, quæ sane per Apostolorum baptismum etiam contigisse aliqua ratione dici potest, ut supra cap. 7, disputatum fuit. Et idcirco quemadmodum manuum impositionis nomine, non ipsam manuum impositionem, sed id, quod per ipsam adumbrari, & simul dari solebat, sine dubio intellexerit Apostolus: sic baptismatum nomine, non ipsa baptismata, sed (quod præsertim attinet ad Apostolorum baptismum) id, quod per ipsa adumbrari, ac dari quoque consuevisse dici potest, omnino intellexit. Et certe, nisi remissio peccatorum sub baptismatum nomine intelligatur, unum ex præcipuis Christianæ disciplinæ rudimentis, vel potius Christianæ pietatis solidissimum fundamentum, in hac enarratione prætermissum fuerit. Sed quid (inquies) doctrinæ nomine intelligemus? Nimirum exactam Christi præceptorum traditionem, sine qua ejus disciplina, cujus hic rudimenta exponuntur, nullo prorsus pacto fundari potest. Verum vulgatam receptamque interpunctionem sequi præstat, & baptismatum doctrinam intelligere. Unde apertius idem sensus elicietur. Quandoquidem utriusque aquæ baptismatis doctrina simul juncta nihil aliud erat, quam peccatorum remissio, & Christi legis præscriptio. Quanquam enim Apostolorum baptismus per se utrumque complectebatur, peccatorum tamen remissio, proprium quiddam Johannis Baptismi videri poterat: eamque ab ipso Apostolorum baptismus quodammodo mutuatus fuerat. Apparet igitur, locum hunc cum in ipso de aquæ baptismo revera non agatur, nihil ad rem facere, nisi quatenus nos docet baptismum istum Christianæ disciplinæ rudimentum non esse, alioquin inter ipsa hic numeratus fuisset, & propterea per hunc ipsum locum, si non ipsam de qua controversamur adversariorum sententiam, at certe argumentum ipsum, quod ex eo ducunt, funditus everti constat.

CAPUT XII.

SEptimo loco ad hunc modum ex divinis literis adversarii argumentari posse videntur. *Quicquid nos servat, eo nemo prorsus nostrum carere debet. Atqui baptismus nos servat: Nemo igitur prorsus ex nobis baptismo carere debet.* Baptismum autem nos servare ad verbum scriptum est, 1 Petr. 3. 21, *quod & nos nunc similis formæ salvos facit baptismus, &c.*

Hæc argumentatio, si ea quæ statim consequuntur verba paulo attentius legantur, plane futilis apparebit. Pergit enim Apostolus, & ait, *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Ex quibus verbis perspicuum est, Petrum baptismatis nomine, non aquæ baptismum intellexisse, de quo nos loquimur, sed aliud omnino baptismi genus. Nam quod quidam ea verba ita interpretantur, quasi dictum fuerit, baptismum quidem aquæ, sive in quo aqua ministratur, nos servare, non tamen quatenus corpus abluit: sed quatenus eo fit, ut bona conscientia interroget &c, sive, non quatenus in eo sordes corporis deponuntur, sed quatenus in eo bona conscientia interrogat, &c.

Hæc inquam interpretatio ipsis verbis nullo prorsus pacto consentanea est, in quibus nec dictio, *quatenus*, nec alia, quæ idem polleat, legitur: sed ejusmodi sunt, ut nominis baptismatis explicationem in ipsis contineri necesse sit. Nam quid obsecro aliud est, vel esse potest, *nos salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio* (sic enim ad verbum, ut vetus interpres vertit, legitur in Græcis codicibus) Quam, Nos salvos facit baptisma, baptismatis autem nomine intelligo, non carnis sordium depositionem, sed bonæ conscientiæ interrogationem, &c? Sive baptisma, inquam, non quod carnis sordium depositio est, sed quod est bonæ conscientiæ interrogatio. Certe in hunc sensum & planissimum & elegantissimum accepit ea verba autor ille, quisquis est, vere aureorum illorum quæ in Vatabli Bibliis extant, in complures Testamenti Novi locos scholiorum. Sic enim ibi annotat: *Quasi dicat, baptisma, quo nos servamur, non est ablutio, qua eluuntur sordes corporis: sed declaratio recti & fidelis animi erga Deum, qua sordes animæ eluuntur, ut aqua sordes corporis.* Non poterat rectius neque concinnius, & Apostoli mens explicari, & ratio simul,

simul, quare ita locutus fuisset, paucissimis verbis exponi. Atque hac hujus loci explanatione retenta, ex ipso loco apparet, falsum esse id, quod in adversariorum argumento assumptum fuisse oportet, baptismum aquæ nos servare; tantum abest, ut ea assumptio hoc Petri testimonio confirmetur. Præterea interpretatio illa, sive explicatio, quæ adversariis favet, idcirco penitus est rejicienda, quod falsam sententiam continet. Neque enim verum est, baptismum aquæ nos servare, quatenus in eo fit bonæ conscientiæ interrogatio illa. Potest enim fieri, ut in aquæ baptismo suscipiendo fiat interrogatio illa, nec tamen is baptismus suscipientem servet, quippe quia in ea interrogatione, ex qua salus proficiscitur, non perseveraverit. Non igitur baptismus, in quo aqua ministratur, servat nos, quatenus eam interrogationem continet: sed ipsa interrogatio nos servat. Durat enim baptismus ille, etiamsi cesset interrogatio. Nam semel rite susceptus aquæ baptismus, ut ipsi adversarii volunt, nunquam aboletur, sed si interrogatio cessaverit, quomodo, quæso, interrogatio ipsa durabit? Nec vero quia Apostolus supra cum de eo cui respondet baptismus, qui nos servat, loqueretur, aquæ mentionem fecerit, per quam octo illæ animæ quæ in arca erant, diluvii tempore servatæ sint, idcirco dicendum est, aquæ baptismi in comparatione hac rationem habitam fuisse. Primum enim, verba illa, *per aquam*, idem valere possunt, quod *in aqua*, quemadmodum & Castellio, & Beza locum citat, ad hanc interpretationem confirmandam aptissimum, in Epistola ad Rom. 4. 11. Ubi scriptum est, *Ut esset* (Abraham) *Pater omnium credentium, per præputium.* Ibi enim manifeste, *credentium per præputium*, idem est, atque credentium in præputio, id est existentium in præputio & credentium: seu credentium præputiatorum. Cui loco omnino similis est ille, quanquam à Beza non animadversus, eadem Epistola cap. 2. 27. *Et judicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam, & circumcisionem prævaricator legis es.* Idem est enim, *per literam & circumcisionem*, quod, in litera & circumcisione, sive, in litera & circumcisione existens, id est, literam & circumcisionem habens, ut vertit Castellio, & ante ipsum annotator ille in Vatabli Bibliis explicuerat. Sed & alia nonnulla ejusdem locutionis in Novo Testamento exempla extant. Quæ locutio sane hoc loco omnino agnoscenda videtur, cum ut ait Beza, Noë cum suis non per aquam (si res penitus introspiciatur) sed ex aqua servatus sit, sive (ut ipsa locutio fert) in ipsa aqua conservatus. Nec præpositionis *per*, propria vis hic retineri posse videtur, nisi idem sit per aquam, ac si dictum foret, per medias aquas, ut recte idem Beza animadvertit. Quæ cum ita sint, nihil ad comparationem ipsam explicandam, & persequendam aqua baptismi pertinere potest: cum neque ex ea, nec in ea servemur ullo pacto, aut certe non eo salutis genere, de quo hic agitur. Quod Bezam non vidisse, & existimasse Apostolum ad emersionem illam ex aqua baptismi respicere potuisse, vehementer miror. Nam, quod ait, baptismum hoc loco, & tanquam rem adumbratam, in liberatione Ecclesiæ è diluvio, & tanquam rem, quæ veram Christi Ecclesiæ liberationem adumbret, considerari, id nequaquam est concedendum, cum apertissimum sit, baptismum hic non tanquam veram salutem nostram adumbrantem, sed tanquam ipsius instrumentalem causam commemorari. Inquit enim Apostolus, ut vidimus, *quod & nos nunc similis formæ salvos facit baptisma.* Non enim ipsius liberationis, sed liberationis modi, seu potius instrumentalis causæ comparatio fit. Ex quo etiam apparet, baptismum non tanquam aliquid in ipsa liberatione è diluvio adumbratum, sed tanquam id, quod illius liberationis instrumentali causæ, in liberatione nostra respondeat, considerari. Itaque comparatur baptismus, ut manifestum est, cum arca. Ut enim tunc temporis arca illa octo illas animas cæteris omnibus pereuntibus, in medio aquarum, quas Deus ad scelestos homines puniendos terris immiserat, conservavit, sic hodie baptismus, baptismus inquam, non quo corporis sordes eluuntur, sed conscientia ab operibus mortuis expurgatur, nos in medio omnium malorum, quæ Deus ad impiorum hominum scelera vindicanda orbi terrarum immittit, & immissurus est, perpetuo & conservat, & conservabit. Ita aquis diluvii in hac comparatione, non baptismi aquæ, sed mala quibus cœlitus demissis homines obruuntur omnino respondent. Quod verissimum censeri poterit, etiamsi nobis non concedatur, nec ea verba, *per aquam*, tanquam, si, In aqua dictum fuisset, explicari posse, nec in alium sensum accipienda esse, quam, ut dicatur, aquæ ipsius ope octo illas animas, in arca conservatas fuisse: aqua scilicet arcam sustollente, ut in Vatabli Bibliis annotatum est. Possunt enim mala & calamitates etiam in hac parte aquis illis optime respondere. Siquidem calamitates impios quidem obruunt, ac deprimunt, pios vero servant, atque extollunt, dum per eas & à mundi illecebris retrahuntur, probantque, ut Paulus ait Rom. 3. 2, 3, divinæ gloriæ spe aluntur, ac confirmantur, & quanta sint virtute præditi, quamque cæteris omnibus præstent, manifestum faciunt. Nec tamen (si hæc dictionis *per*, significatio retineatur) prorsus negaverim, Petrum in hac similitudine afferenda, & explicanda, aquæ ipsius, quæ in baptismo ministratur, aliquam rationem habuisse, non quod in ipsa aqua hujus similitudinis partem ullam revera constituerit, sed quod ad ipsam dontaxat alluserit, ut aqua nimirum cum aqua conferretur. Nam, quemadmodum baptismum, non proprium, sed metaphoricum revera intelligit, sic necessario aquæ nomine, cujus mentio tacite hic fiat, non veram, sed metaphoricam aquam, eum intelligere statuendum est: per aquam, non secus atque Noë cum suis per diluvii aquas in altum sublatus, & ob eam rem conservatus fuit, nos quoque in altum feramur, id est terrena incommoda omnia superemus, atque hac ratione servemur. Jam vero nihil dico, quod si baptismum aquæ nos servare, ita intelligendum est, ut alia tamen ratione sine ipso servari possimus, infirmissima tota argumentatio redditur: sin vero ita, ut sine ipso nulla ratione salus nobis contingere possit, id plane falsum est, & propterea indignissimum, quod à Petro dictum fuisse affirmetur. Nam supra non semel rationem hanc nostram, accuratius explicavimus, & ejus vi argumenta adversariorum convellimus. Quare jam satis superque hæc quoque ipsorum argumentatio convicta videbitur. Quam earum postremam faciemus, quas testimonium aliquod Sanctarum Literarum suppeditare credatur. Nam locus ille 1 Joh. 5. 6. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem, &c*, ex quo si ibi de baptismo verba fierent, aliquod pro adversariis argumentum elici posse videretur, adeo obscurus est, ut in eo explicando nimium diu nobis immorandum esset. Quocirca, quod paucissimi hodie sunt, qui aquæ nomine baptismum ibi significatum minime fuisse non animadverterint, id in præsentia pro responsione ad quamcunque rationem inde ductam satis esse putabimus, deque illis adversariorum rationibus deinceps videbimus, quæ etsi Sacris Literis consentaneæ esse creduntur, longius tamen sunt petitæ, nec quæ in ipsis sumpta assumptave sunt, aperto aliquo divino testimonio niti videntur.

CAPUT XIII.

Hujus igitur generis prima ratio hæc erit. *Circumcisio & aquæ baptismus pares sunt. Utraque enim nota est quædam externa ac peculiaris populi Dei, illa antiqui sive Hebræi: hæc novi sive Christiani. Ut quemadmodum Christianus populus in Hebræi populi locum successit, sic quoque baptismus in circumcisionis locum successisse videatur. Quocirca sicut circumcisio nemini prorsus, qui Hebræus merito dicendus esset, negligenda, aut præter-*

prætermittenda erat, ita baptismus nemini prorsus, qui Christianus merito dicendus sit, negligendus aut prætermittendus est.

Hæc ratio infirmissima censeri debet, cum plane à veritate abhorreat, baptismum circumcisioni parem esse, & in ejus locum successisse. Quod ita se habere fateantur necesse est ii saltem ex adversariis nostris, qui non modo infantes baptizari debere non concedunt, verum etiam si id fiat ipsum baptismum omnino perverti, & non levi injuria Christum affici aperte contendunt. Certissimum est enim in populo Hebræo, non solum circumcisionem infantibus fuisse ministratam, sed severissime ab ipso Deo præceptum Gen.17. 12. Lev.12.3, ut mares omnes, octavo, postquam nati essent die omnino circumciderentur. Quod si dicant satis esse, si in eo baptismus circumcisioni par sit, ut non secus atque ipsa Dei populi nota quædam peculiaris censeri debeat, cæterum animadvertendum esse, neminem nasci Christianum, sed per fidem in Christum fieri, Hebræos vero nasci: quare mirum videri non possit, si circumcidendi erant filii Hebræorum recens nati, Christianorum vero filii tum demum baptizandi sunt, cum in Christum crediderint. Respondeo, ne id quidem verum esse, ut scilicet perinde Christianorum peculiaris nota baptismus aquæ sit, atque circumcisio Hebræorum erat. Hicque dico pro concesso ab adversariis sumi id de quo potissimum inter nos disputatur. Cum enim baptismus aquæ non alia ratione peculiaris nota Christianorum esse possit, nisi quia divinitus mandatum fuerit, ut omnes Christiani aqua baptizentur, idem est profecto baptismum istum peculiarem notam Christianorum esse affirmare, atque illum divinitus omnibus Christianis præscriptum fuisse, asserere, id quod ego pernego. Et sane si par ea in re baptismus circumcisioni futurus fuisset, quemadmodum apertissimis & comminationis si quis non obtemperasset, plenissimis verbis Hebræo populo universo imperatum fuit, ut omnes mares in perpetuum circumciderentur, sic & diserte & severe Christianis universis imperatum fuisset, ut omnes in perpetuum baptismo aquæ tingerentur, quod cum nusquam factum esse legatur, confitendum est, baptismum in eo, quod peculiaris nota Dei populi sit, circumcisioni neutiquam parem esse, sed longe diversam utriusque rationem, ea etiam in re statui debere. Id autem vel ex eo intelligi potest, quod circumcisio nota est certa atque evidens ipsique corpori perpetuo inusta: adeo ut semper eos, qui ipsa insigniti fuerint, nullo errore à cæteris distinguere possit. Baptismus vero aquæ, præterquam quod nullam certam formam in ministrando habere dici potest, ut tot diversi ejus ministrandi modi in Ecclesia usurpati satis demonstrant, postquam ministratus fuerit, nec apparet, nec corpus charactere aliquo signat, quo ullo prorsus modo, qui aqua baptizati fuerint, ab iis, qui minime fuerint, internosci queant. Unde perspicitur, si modo in aquæ baptismo aliquod Symbolum Christianismi est, id non ipsam tinctionem sive immersionem esse, sed nominis Jesu Christi apertam & publicam professionem, quæ Christianorum certissima atque evidentissima simul ac perpetua nota est, quæ cum, ut ante non semel dictum fuit, ritui illi aqua tingendi alligata non sit, sed alio & alio modo, eoque multo etiam excellentiore in homine imprimi possit, eaque non semel tantum impressa sufficiat, ut pote quæ nisi subinde renovetur, & quodammodo continuetur, prorsus deleatur, ineptum sane est eam à ritu illo externo petere, qui semel duntaxat obitur, & nullum suiipsius post se vestigium relinquit. Multa prudens prætereo, quæ ad æquiparationem istam baptismi cum circumcisione refellendam & porro adversariorum rationis fundamentum labefactandum afferri possent, idque inter cætera, quod circumcisio ad mares tantum pertinebat, baptismus vero fœminis quoque est communis. Nam si nihil præterea docuissem, nisi in ea principium (ut loquuntur) manifeste peti, funditus tamen tota argumentatio eversa fuisset. Quare de aliis, quæ supersunt, accurate videamus.

CAPUT XIV.

Itaque secundum hujus generis rationum locum hæc argumentatio occupabit. *Baptismus & cœna Domini, quod ad utriusque necessitatem attinet, pares sunt. At nemo, qui Christianus jure haberi velit, à cœna Domini sponte abstinere potest, igitur ne à baptismo quidem.* Baptismi autem & cœnæ Domini in usu necessitate æquiparationem id primum probare videtur, quod baptismus non minus quam cœna Domini Ecclesiæ Sacramentum est. Deinde id, quod scriptum est à Paulo in initio cap. 10, prioris ad Corinth. ubi patres antiqui populi quadam ratione & baptizatos fuisse, & ex eodem spirituali cibo ac potu comedisse, ac bibisse affirmat: nec tamen iis, qui peccaverunt, Deum percepisse demonstrat. Quod illis in figura contigisse ait, id est adumbrationem quandam fuisse ejus, quod cum novo populo Deus facturus esset. Quare monet Corinthios, vel potius omnes Christianos, ut sibi caveant, neque, si peccaverint se evasuros esse sperent, quasi dicat, exemplo illorum doceri possumus, nihil nobis profuturum, quod & baptizati fuerimus, & mensæ Domini participes facti simus, nisi à sceleribus abstineamus. Ex quo perspicuum esse videtur, baptismi non secus ac cœnæ Domini usum Christianorum proprium esse. Adde, quod cœnæ Domini, ejusque usus, in Sacris Literis rara fit mentio, baptismi admodum frequens. Quod sane indicare potest, si cœnæ Domini usus necessarius est, multo magis necessarium esse usum baptismi, vel, si cœnam Domini nemo nostrum negligere debet, multo minus ab ullo ex nobis baptismum negligendum esse.

Ut ad universam istam ratiocinationem per partes ordine respondeam, dico primum, si quis negaret, baptismum pariter & cœnam Domini Ecclesiæ Sacramenta esse, haud facile sane futurum id ex Sacris Literis probare. Verum quia hac de re privatim paulo post agemus, concedatur interea ita esse. Num idcirco in usus necessitate omnino statuetur utriusque æquiparatio illa, quam adversarii intelligunt? Non putarim. Hinc enim colligunt ipsi, omnibus Christianis accipiendum esse baptismum, ut omnibus cœna Domini manducanda est. Ego vero nihil præterea colligendum esse dico, quam sicut cœna Domini ab iis, quibus ejus usus commendatus fuit, nequaquam negligi, aut prætermitti debet, baptismum similiter ab iis, quibus ejus usus commendatus est, seu pro quibus institutus fuit nequaquam negligi, aut prætermitti debere. Neque enim video, cur Ecclesiæ Sacramentum, sive sacer ritus, sub quo mysterium aliquod lateat, seu mavis cum quo mysterium aliquod sit conjunctum, id etiam esse non possit, quod non omnibus, qui in Ecclesia sunt, peræque sit commune. Finge enim sic rem se habere, ut nos affirmamus, aquæ videlicet baptismum pro iis tantum fuisse, qui ab alia quapiam sive etiam nulla religione, ad Jesu Christi religionem converterentur, idque etiamnum observari debere, prorsus constitue: nunquid baptismus aquæ Ecclesiæ certa omnino ac præstituta ceremonia haud mysterio vacans non erit? Potest igitur fieri, ut baptismus Ecclesiæ Sacramentum jure dici queat, nec tamen ejus usus omnibus Christianis peræque sit communis. Jam vero deinde, quod attinet ad Pauli Apostoli testimonium de baptismi & cœnæ Domini in usus necessitate æquiparatione, dico, non leviter eos falli, quicunque tandem illi sint, qui eo loco de aquæ baptismo Christianorum, deque cœna Domini tacite verba fieri opinantur. Quandoquidem manifestum est, ibi agi de donis à Deo Ecclesiæ concessis, quibus se illam in gratiam recepisse aperte testatur, quæ nihil profutura esse affirmatur, vel certe Dei punitionem non aversura, aut cohibitura, nisi quis

divinis

divinis monitis convenienter vivat. Quid quæso huc aquæ terrenæ baptismus, & cœnæ Domini manducatio pertinere potest, quæ, licet ab ipso Deo utrumque institutum dici possit, non tamen Dei, sunt dona Ecclesiæ concessa, sed ipsius Ecclesiæ voluntarii actus sive operationes? Quamvis enim concederemus per baptismum, & cœnam Domini multa bona nobis Deum largiri, eaque in ipsis omnino contineri, & quodammodo inclusa esse, ea tamen, quæ in expressa comparationis, seu collationis priore parte commemorantur, manifestum faciunt, in altera quæ reticetur, non res ejusmodi, quæ in nostra potestate aliqua ex parte sint positæ, sed quæ plane divinitus ad nos proficiscantur, ea in re nihil nobis agentibus intelligendas esse. Et propterea certissimum esse debet, baptismum illum Hebræi populi, qui Mose ductore ipsis ea in re nihil agentibus, nisi quod Mosem secuti erant, contigerat, non cum aquæ, quod magna ex parte ipsius baptizati opus erat, sed cum spiritus baptismate, id est cum illis Spiritus Sancti conspicuis donis, quæ Christo auctore iis statim dabantur, qui ipsum Christum secuti essent, mannæ vero cœlitus demissæ comestionem, & aquæ ex petra ope divina manantis potum, non cum Dominicæ cœnæ cibo, ac potione, quæ ipsorum hominum operationes sunt, sed cum donis aliis spiritualibus, quæ deinde Ecclesiæ divinitus perpetuo concedebantur, de quibus late disserit idem Apostolus, 1 Cor. 12. 13, 14, & Ephes. 4, à Paulo eo in loco tacite conferri. Qui tacite quoque posteriora hæc dona potionis & cibi nomine ideo appellat, quod, quemadmodum cibo & potione corpus alitur, & sustentatur, sic donis istis Ecclesia construitur, & conservatur, ut ex modo citatis locis liquido apparet. Nam alibi etiam iis donis cibi ac potionis Christianorum appellationem tribuit, ut videre est eodem cap. 10, prioris ad Corinth. 17, & 12. 13. Quorum donorum, cum ob eam causam, in cœna Domini Symbola quædam extarent, priorum autem in aquæ baptismo (nam baptismi nomine, ea potissimum appellata fuisse palam est) non negaverim potuisse Paulum cum collationem illam instituit, ad baptismum aquæ, & ad cœnam Domini alludendo respicere. Quippe certum est, tunc temporis eos, qui ex Judæis & gentibus ad Christum convertebantur, baptismo aquæ primum semel tingi consuevisse, deinde vero identidem Domini cœnam manducasse. Non tamen propterea baptismus aquæ cœnæ Domini æquiparatur, nec porro vel ipse, vel illa eo loco, tanquam aliquid omnium Christianorum proprium atque perpetuum ab Apostolo consideratur, cum ne ipsa quidem spiritualia dona, de quibus revera ait, tanquam talia ab ipso considerari potuerint. Namque compertum est, postquam satis ea ratione Christiana veritas confirmata fuit, manente adhuc vera Ecclesia, desiisse dona illa maxima ex parte, præsertim vero conspicua illa priora, quæ statim Christo obtemperantibus concedebantur. Ex quo apparet, si quid modo ex Pauli loco isto colligere libet, quod ad præsentem quæstionem pertineat, nihil sane aptius colligi posse, quam baptismum aquæ similiter desiisse, qui, ut dictum est, eorum donorum imago quædam erat, & ad quem eam ob causam Paulum allusisse dici fortasse potest, tantum abest, ut ex Pauli verbis baptismi aquæ in Ecclesia perpetuitas, ut ita dicam, & necessarius usus, sive propter ipsius cum Dominica cœna æquiparationem, sive alia quavis ratione elici queat. Postremo, quod dicebatur, baptismi in Sacris Literis multo frequentiorem mentionem esse, quam Dominicæ cœnæ, id adeo frivolum est, ut nulla refutatione indigeat. Quid enim refert vel millies baptismi mentionem fieri, cœnæ autem Dominicæ semel tantum, nisi quemadmodum cœna Domini fuit, sic baptismus, quoque Ecclesiæ universæ in perpetuum præscriptus esse inveniatur? Manifestum est de cœna Domini ipsius Domini Jesu præceptum Luc. 22. 19. 1 Cor. 11. 24: *Hoc facite in mei commemorationem.* Quod & ad omnes peræque Christianos, & perpetuo pertinere non secus ac pleraque alia, quæ ipsis Apostolis suis dixit, & præcepit Christus, cum ratio ipsa aperte docet, tum Pauli auctoritas plane convincit: qui, ut supra alibi observavimus, ad Corinth. scribens 1 Cor. 10. 16, 17, sic ait, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Omnes enim de uno pane participamus.* Quæ verba profecto ad omnes Christianos peræque tanquam universæ Ecclesiæ ritum cœnam Domini pertinere, manifeste ostendunt. Id autem perpetuo futurum illa evidenter declarant, quæ sive ex persona ipsius Christi, sive ex persona sui eisdem Corinthiis scribit 1 Cor. 11. 26, *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quibus etiam Corinthiis, ab ipso Christo de suo instituto monitus, quemadmodum ibidem apparet, ut ritum illum servarent, multo ante præceperat, cujus servandi modum, quatenus necesse erat, adhuc præscribit, invectum in eam Ecclesiam morem acriter redarguit, & summam religionem inculcat. Quid tale obsecro usquam de aquæ baptismo legitur? Certe non modo nihil ejusmodi de eo baptismo scriptum usquam fuisse, sed ne ejus quidem mentionem ita frequentem in divinis literis esse, ut adversarii putant, ex iis, quæ hactenus disseruimus, satis intelligi posse arbitramur. Ex quibus duæ præterea quæ adhuc restant, ejusdem generis adversariorum ratiunculæ satis confutatæ videntur. Quosdam enim ex ipsis dicentes audivimus, nisi recepta de baptismo aquæ, adversus quam nos disputamus, sententia vera sit, non futura duo Ecclesiæ Sacramenta, sed unum tantum. Quasi vero alicubi diserte scriptum in Sacris Literis inveniatur, duo omnino esse Sacramenta Ecclesiæ. In quibus ne Sacramentorum quidem Ecclesiæ ulla fit mentio. Nam neque cœna Dominica unquam Sacramentum, ne dum Ecclesiæ Sacramentum, in ipsis nominatur. Ut supervacaneum sit, de vocabuli vi disserere, atque docere, aquæ baptismum Ecclesiæ Sacramentum dici posse, etiamsi peræque omnibus qui Christiani jure dici velint, suscipiendus non sit, quod tamen paulo ante à nobis in rudiorum gratiam factum est. Cœna Domini non idcirco ad omnes Christianos ex æquo spectat, quia Sacramentum Ecclesiæ sit, sed quia & Christus ita præcipit, & ejus Apostoli docuerunt, neque ulla causa est, cur Christianus aliquis ab ea abstinere possit. An non quilibet Christianus Domini Jesu, donec veniat mortem annunciare debet, ejusque rei memoriam solennem celebrare, ipsique Domino de tam eximia charitate, tantoque beneficio publice gratias agere? Aut quid est, cur magis uni, quam alii Christianorum generi, seu magis uno, quam alio tempore id mandatum fuisse suspicari possimus? At vero, ut ex supra disputatis liquet, nec ullum prorsus generale præceptum de aquæ baptismo suscipiendo extat, nec causa ulla est, cur ii, qui Jesu Christo nomen publice ac perpetuo dederunt, eo tingendi sint, nec desunt rationes, quæ suadeant, pro iis etiam, qui Apostolorum jussu, eo tingebantur, seu pro ejusmodi hominibus non in perpetuum, sed ad tempus institutum fuisse. Altera adversariorum ratiuncula est, fieri non potuisse, ut toties in divinis literis tanquam res ad Ecclesiam pertinens baptismus commemoratus esset, nisi omnes Christiani pariter eo tincti esse perpetuo debuissent. Hæc ratio, quam sit futilis, ea demonstrant, quæ paulo ante diximus. Nonnulli ex iis locis, quos adversarii intelligunt, non de baptismo aquæ, de quo nos agimus, sed de alio quopiam loquuntur. Itaque non adeo frequens, ut ipsi putant est aquæ baptismi mentio in Sacra Scriptura. Sed ne frequens quidem admodum esset, etiam si omnes illi loci de eo baptismo loquerentur. Pauci enim sunt omnino. Præterea, non quam sæpe aliquid tanquam ad Ecclesiam pertinens commemoratum fuerit, sed quomodo pertinere, vel explicatum sit, vel indicatum, attendendum est.

Quid

Quid enim, si alicubi ita pertinere ad Ecclesiam aquæ baptismus indicetur, ut non omnes Christianos ejus participes esse omnino debere, simul ostendatur? Quod sane factum fuisse postmodum docebimus. Ad hæc satis esset, ad eos omnes aquæ baptismum pertinere, qui similes essent illorum, qui tunc cum ea verba dicta sunt Christi Ecclesiam constituebant, & de quibus sermo erat, ut enim sæpius dictum fuit, ingens discrimen est in aquæ baptismi negotio inter primitivam illam ex gentibus & Judæis ad Christi nomen conversis constantem Ecclesiam, & eas quæ deinceps usque ad hæc tempora ex iis, qui ab ipsis incunabulis Christo nomen publice dederunt, coagmentatæ fuere.

CAPUT XV.

Hactenus ad ea omnia respondimus, aut certe respondere conati sumus, quæ ad sententiam adversariorum confirmandam, vel ex ipsis Sacris Literis elici posse videbantur, vel tanquam illis consentanea excogitari poterant. Nunc de alterius generis ratione quadam agendum est. Objicitur enim nobis perpetuus ab Apostolorum temporibus Ecclesiæ usus, in quo nemo unquam receptus fuerit, quin prius aqua baptizatus esset.

Isthæc ratio nullius ponderis idcirco censenda est, quia in ipsa id sumitur pro concesso, quod nunquam probabitur. Nam quomodo unquam de isto perpetuo Ecclesiæ usu docebimur? In historia certe à Luca de actis Apostolicis conscripta, quæ ut ante omnes Ecclesiasticas historias perscripta fuit, sic omnium certissima est, imo sola inter omnes indubitata habetur, istius usus initium non apparet. Quin potius ex ea, si aliquid huc pertinens colligi potest, contrarium colligitur. Primum enim eorum, de quibus potissimum controversamur, nullius in ea baptizati exemplum extat. Nemo enim ex iis, qui postquam adoleverant, & per ætatem Euangelii prædicationi assentiri, & credere potuerant, nullam præter Christi religionem professi erant, baptizatus fuisse legitur, quamvis magnum numerum istorum in eo annorum spatio, quod ea historia comprehensum est extitisse plane sit verisimile, filios scilicet illorum, qui ad Christum conversi fuerant, omnes, qui vel postea nati erant, vel cum parentes crediderant, infantiæ tempus nondum excesserant. Atque ex posterioribus his si tamen aliquos baptizatos, in ea historia legi, quispiam contenderit, certum est, istud tunc factum fuisse narrari, cum infantes adhuc essent, & eodem tempore, quo parentes ipsi baptizati sunt, ut non modo Christi religionem nunquam professi essent sed ne Christianorum quidem filii dici possent. Atqui nos de iis præcipue quærimus, qui & Christianorum sunt filii, & ipsi jam Christi nomen publice sunt professi. Christianos autem hoc loco eos omnes appello, qui Christo nomen dederunt. Mitto, quod nusquam in actis Apostolorum legitur, eos præcepisse, ut filii eorum, qui credidissent, vel nascituri, vel qui per ætatem nondum credere poterant, postea baptizarentur, & hunc morem in Ecclesia instituisse. Sed neque ipsum morem alia quavis ratione receptum fuisse ibi scriptum invenies. Cujus rei profecto, si ita factum esset, si non in historia illa, at alicubi saltem in Novi Fœderis scriptis mentio facta fuisset. Quemadmodum de cœna Domini Paulum præcepisse, & ejus ritus servandi morem jam in Ecclesia institutum, & ab omnibus Christianis usurpatum fuisse legitur. At nihil ejusmodi de aquæ baptismo, in universo Testamento Novo scriptum extat, sed quædam potius, quæ contrarium demonstrare possint, ut sequente capite dicetur. Deinde ne ii quidem omnes, qui ad Christum convertebantur, aquæ baptismo ab Apostolis in ejusmodi hominibus initiandis tincti fuisse leguntur. Apollos natione Judæus, & de Domino ea tantum edoctus, quæ Johannes dixerat Act. 8. 24, exquisitius ab Aquila & Priscilla in Dei via instituitur; nec tamen ab ipsis in Domini Jesu Christi nomen aqua baptizatur, vel, ut baptizetur, curatur. Nec vero ab alio quopiam id antea factum fuisse verisimile est, cum is baptisma tantum Johannis scivisse dicatur. Nam, si quis dicat verisimile esse, ut is ab Aquila & Priscilla vel baptizatus, vel ut baptizaretur admonitus fuerit, quamvis id in historia expressum non sit; quam plane contra res se habeat, id est quam nullo modo sit verisimile, Lucam vel id ignoraturum vel prætermissurum fuisse, omnibus judicandum relinquo. Cæterum non est, quod iis respondere laboremus, qui dicant, satis baptizatum aqua Apollo fuisse, qui Johannis baptismate tinctus fuit, supra enim capite sexto demonstratum est, alium fuisse Johannis baptismum, quam Apostolorum post Christi resurrectionem, & nos de hoc, non de illo quærimus. Adde, quod, si Apollo aquæ baptismo à Johanne usurpato tinctum fuisse propterea asserere possumus, quia scriptum sit eum scivisse Johannis baptisma, multo magis id affirmare licebit, de discipulis illis, quos Paulus Ephesi reperit Act. 19, qui ab ipso interrogati, in quid baptizati essent, respondent, in Johannis baptisma. Hoc autem verum esse non potest, quin simul verum sit, eum baptismum Apostolorum instituto non sufficere, cum discipuli illi postea in Domini Jesu nomen baptizati fuerint, quemadmodum eodem sexto capite disputatum est. Johannis porro baptismum Apostolorum instituto non fuisse satis, id etiam demonstrat, quod ab ipso initio in aggregandis ad Christi Ecclesiam credentibus jubet Petrus, ut baptizentur omnes in nomine Jesu Christi, nulla prorsus Johannis baptismatis ratione habita, cum tamen verisimile esset, permultos ex illis tribus circiter millibus baptizatos fuisse à Johanne, ad quem ut baptizarentur universam Judæam Matth. 3. 5, & Hierosolymam ac Jordanis oram paucis ante id est quatuor plus minus annis accessisse, & omnem populum ab eo baptizatum fuisse constabat. Quod si quis rationem diversitatis inter Apollo, & discipulos illos quærat, cur scilicet hi in Domini Jesu nomen aqua baptizati fuerint, ille vero minime, nulla alia reddi potest, nisi quod discipuli illi nunquam antea aperte Christo nomen dederant, quippe qui ne credendum quidem in Christum esse bene noverant, ut ex ipsa historia satis liquet. Apollos vero licet Johannis tantum baptisma sciret, id est doctrinam teneret, eam tamen adeo recte perceperat, ac penitus imbiberat, ut κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου, id est in via Domini institutus dici meruerit, & non solum Jesu Christo, in quem credendum esse Johannes monuerat, fidem habuisset, sed jam sua sponte (licet nondum alioqui Christi sacris initiatus) spiritu fervens diligenter, quatenus noverat, de eo docuisset, & in ipsa Judæorum synagoga libere locutus esset. Quod certe plus etiam est, quam Jesu Christo publice nomen dedisse. Ex quo mirifice confirmatur sententia nostra, aquæ baptismum in Jesu Christi nomen ab Apostolis ministratum, id est baptismum de quo disputamus, pro iis institutum fuisse, qui antea Jesu Christi nomen publice professi non essent, eos vero qui jam essent professi eo baptismo tingi non consuevisse, aut certe non opus fuisse. Nihil autem dico, quod admodum frequenter in illis Lucæ commentariis conversorum ad Christum fit mentio, & Ecclesiæ recens adnumeratorum, nulla prorsus aquæ baptismi mentione facta, ut apparet ex capite 4. 4. cap. 5. 14. cap. 6. 7. cap. 9. 34. & 42. cap. 11. 21, & 24. & cap. 12. 12. cap. 13. 12, & 43, & 48. cap. 14. 1. cap. 17. 4, 12, & 34. & cap. 19. 18. Nam facile concedo, etiamsi isti omnes aqua baptizati fuissent, potuisse tamen ejus baptismi mentionem omitti. Videoque ex verbis Petri cap. 10. 47, & Eunuchi cap. 8. v. 36, colligi posse, eum ritum in Ecclesia jam receptum fuisse, ut ii, qui ad Christi Ecclesiam recens aggregarentur, sive ad Christum converterentur, aquæ baptismo in ejus nomine tingerentur. Verum vicissim ex locis ante dictis adversarios suspicari par est, non

uſque adeo neceſſe fuiſſe eum morem ſervare, & non invitos fateri, in ea ſcilicet hiſtoria & in univerſis Apoſtolorum ſcriptis ne veſtigium quidem extare moris illius baptizandi eos, qui Jeſu Chriſto nomen ab ineunte ætate dediſſent. Quod ſane non leve argumentum eſt, non ſolum oil nos cogere, ut eum morem ſervemus, verum etiam in ipſa primitiva Apoſtolica Eccleſia ſervatum non fuiſſe. Quid igitur reliquorum ſcriptorum auctoritas, qui de more Eccleſiæ in baptiſmo miniſtrando jam tum recepto aliquo modo teſtentur, ponderis habere poterit, præſertim cum nemo ex ipſis ſit, cujus modo ſcripta adulterina aliqua ſaltem ex parte eſſe non credantur, qui ab illis temporibus centum plus minus annorum ſpatio non abfuerit? Certe Euſebius ſe primum fuiſſe, qui poſt Apoſtolorum tempora Eccleſiaſticam hiſtoriam ſcribere aggreſſus fuerit, in ipſo hiſtoriæ ſuæ initio affirmat. Is autem poſt trecenteſimum Chriſti annum floruit. Quod ſi morem iſtum de quo ambigimus, ab ipſo Eccleſiæ initio receptum fuiſſe non conſtat, quid attinet conſequentium annorum morem uſumque ex hiſtoricis, quantumvis gravibus & veridicis afferre, maxime cum palam ſit, ſtatim poſt Apoſtolorum mortem, quin etiam ipſis Apoſtolis adhuc viventibus, multas aniles ſuperſtitiones, multas divini cultus corruptelas, multas denique hæreſes in Eccleſiam irrepſiſſe, eamque perturbaſſe? Sed finge perpetuum iſtum Eccleſiæ uſum, Apoſtolis etiam ipſis vel auctoribus, vel approbantibus. Num propterea is nobis pro lege inviolabili eſſe debebit, nec, etiamſi præſens neceſſitas aliter poſtulare videatur, ab eo diſcedere licebit? Tanta profecto vis atque auctoritas non moribus, quamvis antiquiſſimis, præſertim in rebus iſtis externis, quæ non natura & veritate ipſa, ſed inſtituto tantum nituntur, verum divinis iiſdemque apertiſſimis præceptis, duntaxat tribuenda eſt. Quapropter, niſi divinum, idque expreſſum mandatum proferatur, non ſolum morem iſtum aqua omnes Chriſtianos rite baptizandi vetuſtiſſimum licet atque perpetuum, ſervari omnino debere non probabitur, ſed fieri etiam poterit, ut eum mordicus retinere ſit nefas; non quidem propter ipſum morem, qui alioqui aliquid mali continere poſſit, ſed quia Chriſtiana charitas propter mutatas temporum, & perſonarum rationes aliud requirat, eumque vel ex parte, vel ex toto abjici debere, plane ſuadeat. Quod & factum aliquando fuiſſe, mihi ſane ſit veriſimile. Novatianos quidem ſaltem ab initio, nullo baptiſmo fuiſſe uſos, & multos ſemper inter ipſos baptiſmo caruiſſe, id ſatis docere poteſt quod Novatus baptiſmum abrogaverat, teſte apud Euſebium *a* Dionyſio Alexandriæ Epiſcopo viro inſigni, in Epiſtola quarta de baptiſmate. Quare cum in nono Nicenæ Synodi Canone, ut apud Rufinum *b* extat, Clericos Catharos, qui iidem plane ſunt, qui Novatiani, ſi per pœnitentiam ad Eccleſiam converterentur, & Eccleſiaſtica dogmata confiterentur in ſuo ordine ſuſcipi debere decretum fuerit, nulla prorſus baptiſmi mentione facta, ſatis conſtare videtur, non ſemper, neque in omnibus baptiſmum ab Eccleſia requiſitum fuiſſe. Nam certe, ſi Nicæna Synodus ex iſtis, qui forte baptizati non eſſent, baptizari omnino voluiſſet, id etiam aperte dixiſſet; quemadmodum diſerte Canone 21 ſtatuit, ut Paulianiſtæ, qui Photiniani ſunt, rebaptizarentur. Atque hæc ad argumentum ex perpetuo (ut credebatur) Eccleſiæ inſtituto ductum reſpondiſſe ſit ſatis.

a Lib. 7. cap. 7. Eccl. Hiſt. *b* Ruf. lib. 1. cap. 6.

CAPUT XVI.

Jam vero, cum nihil à nobis vel teſtimoniorum, vel rationum prætermiſſum fuerit, unde adverſariorum ſententiam probari cuipiam ſano homini videri poſſe putaverimus, atque ea in re optima cum fide perpetuo verſati ſimus, nihil verbis extenuantes eorum, quæ pro adverſariis allata fuerunt; cum niſi vehementer fallimur, ſatis ad omnia reſponſum per nos fuerit, confecta certe res videtur, atque ut præfati ſumus, abunde probatum, non fuiſſe omnibus, qui Chriſti diſcipuli eſſe velint, peræque & in perpetuum aquæ baptiſmum ſuſcipiendi præceptum datum, & ob eam rem poſſe quempiam & nominari, & revera eſſe Chriſtianum licet aquæ baptiſmum vel nunquam vel non rite, cum tamen poſſet, acceperit. Quod ſi aliqui ſunt, qui à nobis præterea omnino requirant, ut vel Sanctarum Literarum teſtimoniis, vel rationibus inde ductis ſententiam noſtram confirmemus ii profecto aut diſputandi, veritatemque inveſtigandi rationem nullo modo tenent, aut iniqui prorſus adverſum nos ſunt. Quis enim audivit unquam, neceſſe eſſe, ut is, qui negat, probet ſententiam ſuam, nec ſatis eſſe, ſi omnia refellat, quæ id, quod ipſe negat, probare videantur? Præſertim, cum id quod affirmatur, nullam penitus cum ipſa rerum natura ſocietatem habet, ſed totum ex conſtituto pendet, nec de eo aliquid conſtat, niſi, quod ab affirmante in medium prolatum fuerit? Nam ejus generis aqua baptizandi præceptum eſſe, cum per ſe manifeſtum eſt, tum ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, intelligi poteſt. Quanquam, ſi quis recte animadverterit, non pauca hucuſque à nobis dicta fuere, quæ per ſe ipſa facile oſtendere poſſunt, jure à nobis negari de baptiſmo aquæ ſuſcipiendo ullum Chriſti, vel Apoſtolorum ejus generale & perpetuum mandatum extare. Verum ne quid à quoquam hac in diſputatione noſtra deſiderari poſſit, ea in unum colligentes, quæ diſperſe antea dicta ſunt, atque iis præterea nonnulla addentes, primum divina teſtimonia, deinde rationes illis conſentaneas, quæ ſententiam noſtram potiſſimum confirmare poſſint, hoc capite, quam breviſſime fieri poterit, perſtringemus.

Primum igitur divinum teſtimonium ſit id, quod multis in locis ſcriptum eſt Luc. 3. 16. Act. 1. 5. XI. 6, *Johannem quidem aqua baptizaſſe, Chriſtum vero Spiritu Sancto baptizare.* Ex quo apparet, proprium Chriſtianorum eſſe non aqua, ſed Spiritu Sancto baptizari, ob eamque rem ad Chriſtianum hominem ſive efficiendum, ſive etiam declarandum, aquæ baptiſmum non requiri, eumque ritum tanquam Johannis proprium agnoſci debere, qui quod attinet ad ipſius diſciplinam, ſub lege erat, nec dum in regno Dei verſabatur Matth. 11. 11. Et ſi is ritus ab Apoſtolis in Eccleſiæ initiis ſervatus fuit, cum ſcilicet Evangelicæ diſciplinæ adhuc rudes erant homines, nihil idcirco tamen Eccleſiam cogere, ut eum perpetuo ſervet, cum jam ſpiritualis Chriſti lex mundo innotuit univerſo, nedum ut eum ritum, aliter uſurpet, quam unquam Apoſtoli ipſi uſurpaſſe leguntur, & aquæ baptiſmum iis etiam miniſtret, qui ex Chriſtianis, hoc eſt Chriſtianam religionem profitentibus nati ſunt, & ab ineunte ætate Chriſto nomen publice dederunt, vel quamvis aliam ob cauſam jam pro Chriſtianis ab omnibus habentur, & agnoſcuntur.

Secundum teſtimonium, idque judicio meo apertiſſimum, erunt verba illa Pauli 1 Cor. 1. 17. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* Nam ſi præceptum Chriſti eſſet, ut ipſius diſcipuli baptizarent, idque munus, ut quidem neceſſe eſſet, Apoſtolis mandaſſet, falſo omnino ita loquutus fuiſſet Apoſtolus. Reſponſionem ad ea, quæ contra hanc noſtram ejus loci interpretationem, ſeu mavis ex eo loco (ut ita dicam) collectionem dici poſſunt, partim habes ſupra cap. 2. partim per te inveſtigare poteris, ſi conſideraveris, etiamſi Chriſtus Paulo Apoſtolo mandaſſet, non quidem ut ipſe vel per ſe, vel per alium baptizaret, ſed tantummodo ut credentes de baptiſmo ſuſcipiendo admoneret, non tamen ad eum modum locuturum Paulum fuiſſe, nec ſimpliciter dicturum, ſe à Chriſto ad baptizandum miſſum non fuiſſe, quæ verba omne de baptiſmo præceptum ipſi à Chriſto datum, excludere videntur, ſed totam rem accuratius omnino explicaturum.

Ter-

Tertium testimonium, sunt ejusdem Pauli ea verba ad Galatas scripta Gal. 3. 27, *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quæ aperte ostendunt aliquos fuisse inter eos, ad quos scribit, qui vel non essent, vel possent non esse baptizati. Nam si omnes omnino baptizati fuissent, non, quicunque baptizati estis, sed omnes quia baptizati estis, &c, sine dubio dixisset. Atqui ut in ipsius Epistolæ initio apparet, ad Galatiæ Ecclesias scribit Paulus. Ergo in Ecclesia ipsa reperiri possunt, qui baptizati non sint. Nec sane video, quid habeant adversarii, quod respondeant, nisi Paulum, etiamsi secundis verborum personis utitur, non tamen de iis tantum ad quos scribit, sed de aliis quoque loqui velint, ejusque verba perinde accipienda esse contendant, ac si dixisset, quicunque baptizati sunt. Cujus loquendi modi, nisi exemplum aliquod proferatur, non coacta solum, sed plane absurda penitusque rejicienda isthæc interpretatio videri debet. Nos quidem, eum is, qui loquitur similis ea in re aliorum est, ut Paulus erat, qui & ipse in Christum baptizatus fuerat Act. 9, ejusmodi locutionem, vix usquam reperiri posse persuasi sumus. Illud certissimum est, verba Pauli id præ se ferre, atque sonare, quod à nobis dictum est, ut non satis sit eandem locutionem alio sensu scriptam invenire, nisi etiam, cur hoc loco non frequens & usitata, sed rara quædam atque insolens interpretatio sequenda sit, validissimis rationibus demonstretur. Nam quod quidam consuetam eorum verborum vim, hoc etiam loco agnoscentes, ajunt, Paulum propter catechumenos qui vel erant, vel esse in Galatiæ Ecclesiis poterant, ad eum modum locutum fuisse, nullo pacto est admittendum, ut enim modo dicebamus ad ipsas Ecclesias Galatiæ scribit Paulus, catechumeni autem, præsertim vero si adversariorum de baptismi necessitate sententia vera est, membra, seu pars Ecclesiæ non sunt, sed ne in Ecclesia quidem esse ulla ratione dici possunt. Mitto, quod mos iste catechumenos quosdam habendi, id est homines per aliquod tempus antequam baptismo aquæ tingerentur, in Christiana pietate instituendi, jam tum in Ecclesia receptus fuisse, nusquam in Sacris Literis indicatur: ex quibus intelligi potest, eos qui baptizabantur, nulla alia prævia diligentiore institutione simul atque Evangelii prædicationi assentiebantur, baptismum accipere consuevisse. Quod si quis quærat, qui igitur erant isti, vel esse poterant in Galatiæ Ecclesiis, non baptizati? Dico, eos omnes fuisse, aut esse potuisse, qui post primam Galatarum ad Christum conversionem in Christiana religione, deinceps inter ipsos educati essent, quorum non exiguum numerum fuisse plane est verisimile. Sed quid attinet, quinam isti essent, inquirere? Satis est ad sententiam nostram confirmandam, ex Pauli verbis aperte colligi, Ecclesiæ membra aliquos esse posse, qui baptizati non sint. Quibus consona sunt illa ad Rom. 6. 3. *Quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ipsius baptizati sumus.* Sed quoniam non ita aperta sunt, & possunt non ad Romanos illos tantum, & Paulum, sed ad omnes homines referri, ac si dictum fuisset, non quicunque ex nobis (quod quidem probabilius videtur) sed quicunque ex omnibus hominibus; propterea ab eis in testimonium adducendis, abstinui.

Pro quarto testimonio proferemus id, quod scriptum est in initio cap. 6. Epist. ad Hebr. ubi rudimenta Christianæ disciplinæ enarrantur, nec tamen ipse aquæ baptismus inter ea commemoratur, ut supra cap. 11. demonstratum fuit. Nam certe, si aquæ baptismus omnibus, qui Christiani merito dici velint, suscipiendus esset, nec, antequam aqua baptizatus fuisset, quisquam jure Christianus nominari posset, non modo Christianæ disciplinæ rudimentum, sed unum ex præcipuis rudimentis aquæ baptismus esset. Atqui in hoc differt à baptismo cœna Domini, quod quamvis cœna Domini, omnibus Christianis communis esse debeat, rudimentum tamen Christianæ disciplinæ dici non potest, sed perfectorum Christianorum, id est, eorum qui Christi mortis beneficium jam re ipsa experiuntur, & sentiunt, opus quoddam & actio censenda est. Adde quod non unicuique separatim, sed Ecclesiæ mandatum est, ut cœnam Domini manducet, ut, si quis ibi degat, ubi Ecclesia non sit, possit cœna Domini carere, nec ob id tantum, ut cœnæ Domini intersit, alio migrare cogatur: præsertim si alioquin in loco ubi est, non sancte solum & inculpate vivat, sed Dei etiam gloriæ promovendæ non inutilis sit. At vero, sine aquæ baptismo, si is mandatus omnibus esset, tanquam eo per quem aditus & ingressus in Christi Ecclesiam foret, nemo sua sponte esse posset, & eo se conferre cogeretur, ubi eum posset accipere. Hæc autem omnia eo pertinent, ne quis dicat, in enumeratione illa rudimentorum Christianæ disciplinæ, nec cœnam etiam Dominicam recenseri, non tamen inde sequi, quin ea omnibus mandata fuerit. Quare ne baptismum quidem aquæ propterea omnibus mandatum non esse intelligi debere, quod inter illa rudimenta numeratus non fuerit.

Quintum & postremum testimonium faciemus, quod Petrus ad finem cap. 3. prioris Epist. ita baptismum aquæ elevet. Quamvis enim nihil præterea illi adimere videatur, quam hominum salutem, tamen si quis recte consideret, fatebitur, non ad eum modum locuturum fuisse Petrum, si aquæ baptismus omnibus suscipiendus esset, sed vel eo modo, quo ipsum adversarii locutum fuisse opinantur, ut scilicet diceret, baptismum istum nos servare quidem, sed non tamen quatenus sordes corporis abluit, aut si id minus recte dictum visum fuisset, alia quavis ratione, quæ ritum illum non ita deprimeret, ac non magnifaciendum esse indicaret. Vide quæ cap. 12, scripsimus, ut loci sententiam probe teneas, & nos illum haud inepte in testimonium adduxisse intelligas.

Nunc ad rationes, pro sententia nostra divinis testimoniis consentaneas veniamus. Prima ratio erit, quod cum Christi disciplina tota spiritualis sit, & interiorem hominem respiciat, ac propterea in universum ab externis, iisque certis & constitutis ritibus tantum non abhorreat, ea solum externa facta omnino requirens, quæ ab interiore novo homine necessario proficiscuntur, nullus ejusmodi ritus Christi Ecclesiæ præscriptus censeri debet, qui apertissimis verbis, id est, quæ nullum non modo dubitationi, sed ne tergiversationi quidem locum relinquent, institutus & perpetuo servandus traditus non fuerit. Quod de aquæ baptismo nequaquam dici posse, satis constaturum arbitror, si quis ea quæ supra in adversariorum testimoniis examinandis scripsimus, accurate perlegerit. In iis enim testimoniis, non dicam & tergiversandi, & dubitandi locum relictum fuisse, sed nihil penitus esse ostendimus, ex quo baptismum aquæ ullo tempore, nedum in perpetuum omnibus mandatum fuisse, vel levissime quidem suspicari possimus.

Secundæ rationis loco id erit, quod superiore capite docuimus, nullum ex Novi Fœderis scriptis exemplum proferri posse baptismi aquæ iis ministrati, qui vel in Christiana religione alti atque educati essent, vel postquam adolevissent se Christianos esse, publice ac perpetuo professi fuissent, nec ullum item locum ostendi ex quo ejusmodi homines baptizandi morem ab Apostolis Ecclesiæ per manus (quod ajunt) traditum fuisse vel appareat, vel saltem conjecturam ducere liceat.

Tertiam & ultimam rationem faciemus, quod permulti veri, & reliquis præstantiores Christiani eo aquæ baptismo tincti non fuerunt, de quo controversamur. Ut enim Apollo missum faciam de quo satis proximo capite disputatum fuit, quis dubitare potest, quin duodecim ipsi Apostoli eo baptismo caruerint? Nam quis rogo illos in Jesu Christi nomen aqua baptizavit? Ipsum etiam Johannis baptismum ab illis omnibus susceptum fuisse, quis affirmare audebit? Ego sane de nemine eorum, præterquam de Andrea, quem Johannis

discipulum fuisse legimus Joh. 1. 37, 41. Math. 9. 9. Luc. 5. 27, id asseverari posse crediderim. De Levi quidem sive Mathæo qui cum à Christo vocatus fuit ad publicanorum mensam sedebat, & publicanus adhuc erat, contrarium potius suspicari licet. Jam vero quid de septuaginta discipulis dicemus? Quid de illis qui numerum illum centum & viginti explebant, de quo Act. 1. 15? Quid porro de plusquam quingentis illis fratribus, quibus semel Dominum Jesum postquam resurrexerat à mortuis visum fuisse Paulus 1 Cor. 15. 6. scribit? Quid denique de omnibus, ubi ubi erant, qui ante institutum sive usurpatum in Jesu Christi nomine baptismum jam ipsi Jesu fidem adjunxerant, & ejus institutionis tempore adhuc vivebant, & pro Christi discipulis habebantur? Certe neminem ita stolidum, vel impudentem esse putarim, qui hosce in Jesu Christi nomen baptizatos fuisse affirmet, imo qui eo baptismi genere baptizatos fuisse non neget, si modo concedat eum baptismum, non nisi post Christum in cœlum ascensum usurpatum fuisse, quod equidem neminem non concessurum arbitror, qui ea quæ hac de re capite 6. disseruimus diligenter expenderit. Apparet enim manifeste ex ipsa sacra historia post Christi in cœlum ascensum, eos tantum baptizatos fuisse, qui antea in Christum non credidissent, aut certe ipsi publice nomen non dedissent. Qui autem jam nomen dederant, eos omnes vel Johannis, vel Apostolorum ante Christi resurrectionem baptismo ablutos fuisse nec ullo pacto asseverari potest, nec si posset, quicquam ad rem faceret, cum baptismi illi propterea quia in Jesu Christi nomen minime dabantur ab eo diversi essent, qui postea institutus est, & quem solum (si modo ullus fuit) aquæ baptismum Ecclesiæ præceptum fuisse palam est. Cum igitur tot tantosque Christianos eo baptismo sponte caruisse affirmare liceat, nihil est cur asserere dubitemus; nullam prorsus ei qui Christianus esse velit, baptismum accipiendi necessitatem fuisse impositam, præsertim, si ut illi fecerant, jam alia ratione Christo nomen dederit, & pro Christi discipulo habitus fuerit. Et hæc quidem hactenus.

CAPUT. XVII.

Quid igitur? Dixerit fortasse quispiam, Num tu alter Novatus esse vis, & aquæ baptismum abrogare?. Minime gentium. Imo nunquam eos laudare potui, qui sive nostra, sive patrum memoria, hac in re aliquid novare tentarunt. Quoniam igitur passim receptum est, ut qui Ecclesiæ annumerari debeant, aquæ baptismo sint tincti, tingantur porro aquæ baptismo omnes, qui pro jam tinctis non habentur. Nihil enim prohibet, quominus id fieri possit, quamvis ut fiat, præceptum non fuerit. Quemadmodum nihil prohibet, quominus, exempli causa, ab esu carnium, ubi id receptum fuerit, abstinere possimus, quamvis, ut abstineamus, nullum præceptum habeamus. Qui scientiam habet, ut inquit Paulus Rom. 14. vs. 26, apud se habeat, coram Deo; non quin eam scientiam alios etiam docere possit, ut ipse Paulus faciebat, præsertim ubi ignorantia multorum malorum est causa, ut certe hoc tempore est ignoratio Christianæ libertatis, in aquæ baptismo suscipiendo: sed caveat, ne sua scientia aliis sit offendiculo, neve Dei Ecclesiam perturbet. Baptizetur igitur aqua, etiamsi ab eo baptismo se abstinere posse noverit. Quodsi licet non vere, nec rite baptizatus pro baptizato tamen habetur, nun est; quod amplius baptizari se curet, maxime vero, si id curando plerisque eorum, qui Jesu Christi nomen profitentur, male facere videbitur, & ob eam rem ab ipsis secessionem facturus est. Quanquam id nullo modo esse deberet, licet enim hic Pauli in re simili præceptum usurpare Rom. 14, & verba imitari Qui non baptizat, baptizautem ne spernat, & qui baptizat, non baptisantem ne judicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabilietur autem, potens enim est Deus stabilire illum. Hic quidem distinguit inter baptismum, & baptismum, ille vero omnes baptismos eodem loco habet. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui infantem baptizat, Domino baptizat, & qui a non veris Christianis baptisatum, Christo tamen fidentem pro fratre agnoscit, Domino agnoscit: gratias enim agit Deo. Similiter, qui infantem non baptizat, Domino non baptizat, & gratias agit Deo. Nec vero est, quod diversa, imo dissimilia a nobis conferri quisquam dicat: nisi fortasse quatenus ciborum, & dierum distinctiones, de quibus loquitur Paulus, aliquando in ipsa divina lege præscriptæ fuerant, quin etiam ex parte multo ante ipsam legem Gen. 9. divino decreto peræque omnibus constitutæ, & ab ipsis Christi Apostolis item ex parte denuum repetitæ Act. 15, baptismus vero aquæ nunquam à Deo, sive à divino aliquo homine peræque omnibus præscriptus fuit. Ex qua dissimilitudine intelligi par est, si Paulus de ciborum, & dierum delectu ea ausus est scribere, permulto magis de aquæ baptismo eadem nobis dicere licere. Qua de re vide, quæ supra cap. 5. & 6. explicavimus.

Quod si quis à nobis quærat, ut, quid Ecclesiæ bene cæteroquin constitutæ, in hoc baptismi negotio hoc tempore faciendum esse judicemus, enucleatius exponamus: dico primum, censere me, ut quicunque ex Judæis, vel Turcis, vel aliis, qui Jesu Christi religionem minime profitentur, ad ipsum Christum convertuntur, in ipsius Jesu Christi nomen omnino aqua baptizentur, ipsique ea ratione initientur. Etsi enim ea de re nullum expressum & perpetuum mandatum extat, Apostolos tamen, qui id facere consueverunt imitari decet: præsertim cum ab universa Ecclesia eum morem receptum ac perpetuo usu comprobatum fuisse, aut constet, aut certe admodum credibile videatur, quæ si aliter aliquando facere instituerer, aliter quoque singulis privatis Ecclesiis faciendum esset. Deinde vero, qui jam antea Jesu Christi disciplinam se amplecti aperte sunt professi, ipsique Christo nomen publice dederunt, eos licet è multis iisque gravibus erroribus emergentes, ad veram tum primum Christi cognitionem perveniant, si jam pro baptizatis à plerisque habeantur, etiamsi vere non fuerint, tamen baptizari non debere existimo, nisi ipsi baptizari omnino velint: minime vero omnium de istis eos, quibus non modo se baptizatos vere esse persuasum est, sed alium baptismum aut petere, aut accipere summa est religio. Ejusmodi enim homines, aut ad baptismum suscipiendum adigere, aut in cœtum suum non recipere, sive pro vere fratribus non agnoscere, plane nefas esse arbitror. Fit enim, vel, ut conscientia ipsorum interim reclamante baptismum accipiant, vel, postquam se ab aliis, qui eandem Christi cognitionem habent, sperni, ac rejici vident, animum despondeant, & ad pristinas tandem superstitiones, aut vere, aut simulate revertantur. Nam de iis, qui multo ante non solum Christo nomen publice dederunt, sed recte quantum satis est, in ejus disciplina fuerunt instituti, quid attinet quærere? Certe istos, etiamsi non dicam pro baptizatis à quibusdam non habeantur, sed ipsimet se baptizatos non esse arbitrentur, modo à plerisque baptizati esse credantur, nec præterea baptizari velint, admittendos tamen in Ecclesiæ communionem, & pro fratribus plane agnoscendos censeo: præsertim si facti sui Sacra Scriptura judice rationem reddere sint parati. Hæc autem omnia de iis potissimum asseveramus, qui ab ipsis incunabulis, quatenus per ætatem licuit, Jesum Christum, suum servatorem & Dominum perpetuo se agnoscere sunt professi, ejusve unam sanctam disciplinam, optimam ac salutarem esse, confessi sunt, quamvis alioqui ab ejus disciplinæ vera cognitione, vel longissime abfuerint. Jam de eorum baptismo, qui ex parentibus pro fratribus agnitis & receptis nascuntur, ita statuo, ut,

quando

quando jam diu de infantium baptismo quæstio agitata est, nec vel si infantes baptizentur, id per se ipsum quicquam mali parere posse videtur, potestas unicuique fiat suos infantes vel baptizandi, vel secus: modo id ferant purioris doctrinæ aliæ Ecclesiæ, aut omnes, aut pleræque, nec ob eam causam discidium aliquod consecuturum appareat. Hanc autem infantium suorum baptizandi vel non baptizandi libertatem, ad eos etiam extendimus, qui tum primum ad Christi Ecclesiam sint aggregandi, idque eo magis, quod alioqui facile hac ætate nostra fieri posset, ut quis nisi infantes suos baptizandi potestas sibi fieret, ad Ecclesiam aggregari recusaret. Porro qui infantes, ex fratribus nati, baptizati non fuerint, ii, quoniam, ut diximus, adhuc baptismum aquæ à nemine negligi debere, plerique omnes sentiunt, omnino postquam ita adoleverint, ut suæ fidei rationem reddere possint, in Jesu Christi nomen aqua tingantur. Omnia denique fiant, quæ ad totius Ecclesiæ unitatem, atque concordiam, & singulorum simul ædificationem, atque salutem pertinere possint. Illud enim Pauli semper præ oculis habendum Rom. 15. 1. *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, &c.*

Scio quid huic nostræ de baptismo ministrando sententiæ objecturi sint nonnulli. Primum enim dicent, nunquam Antichristianismum abolitum iri, nisi ii, qui à sacrificulis illis adulterino nescio quo baptismo tincti fuerunt, vero Christi baptismo, à veris Christi ministris abluantur, atque ea ratione character quidam magnæ illius bestiæ ipsis inustus deleatur. Deinde clamabunt, nefas esse infantes baptizare, cum non nisi fidem suam, in Christum profiteri valentibus, baptismus ministrari debeat: ut pote qui fidei contestatio, atque obsignatio quædam sit, nec minus perverti dicent baptismum, si infantibus ministretur, quam pervertatur cœna Domini in missa, quæ pro mortuis quoque celebratur. Postremo (horum autem ingens omnino erit numerus) diversitatem istam & opinionum, & factorum in Ecclesia ferri non posse, nec debere affirmabunt, ut quidam sint, qui baptismum in ea accipiant, quidam vero non accipiant, alii sint, qui suos infantes baptizent, alii vero qui non baptizent.

Atqui ad hæc omnia perfacilis est responsio. Nam, quod ad primum attinet, dico, Antichristianismi abolendi rationem nullo modo esse posse baptismum illis ministrare, qui sub eo baptizati quomodocunque fuerint. Quin imo factum istud Antichristianismum aliqua ex parte confirmat. Eo enim facto affirmatur, omnibus Christi discipulis aquæ baptismum omnino ministrandum esse. Hoc autem ex reliquis Antichristiani Spiritus est, qui, ut veram Christi religionem sensim aboleret, ab ipso ferme initio nascentis Ecclesiæ, hujuscemodi superstitiones in eam induxit, quandoquidem ad omnem veram religionem funditus tollendam nihil accommodatius est ipsa superstitione. Nec vero magnæ illius bestiæ characterem ullum homini imprimit, baptismus ille ab Antichristi sacrificulis ministratus. Nec superstitiosum modo, sed plane ridiculum, & puerile est, istud cogitare. Quasi vero ejusmodi res, quæ externæ sunt omnino, & præterea nobis ignorantibus contigerunt, ullam vim nos quodammodo signandi habuerint, & animum nostrum (nam de animo hic, non de corpore quærendum est) inficere aliqua ratione potuerint, vel infectum indicare possint, quæ ne ipsi quidem corpori ullam prorsus notam inurere potuerunt. Sed finge, characterem istum nobis per eum baptismum impressum fuisse. Nunquid ejus delendi ratio, alterius baptismi, ejusque, ut demonstratum fuit, neque à Christo, nec ab Apostolis præcepti voluntaria susceptio erit? Alia profecto ratio est delendi, quidquid magnæ illius bestiæ nobis impressum fuerit. Nempe vitæ puritas atque innocentia, ab omnibus præsertim falsis Dei cultibus summa cautio, & veræ Christi disciplinæ aperta professio, atque ab illa malignantium Ecclesia re ipsa potius, quam verbis, constans & perpetua secessio, ac separatio. Sequitur, ut de infantium baptismo dicamus. Nam quid tandem mali per se ipsum habet infantes baptizare? Pervertitur ajunt Christi & Apostolorum institutio. Atqui nulla, ut vidimus Ecclesiæ commendata aquæ baptismi nec Christi, neque Apostolorum institutio est. Sed fac esse. Non idcirco tamen ea perverteretur, quod infantes baptizarentur, etiamsi hos baptizari illi minime jussissent, sed quod adulti non baptizarentur. Finge enim aliquem, qui infans baptizatus fuerit, adultum deinde iterum baptizatum fuisse, quid hic adversus Christi, & Apostolorum institutionem commissum esset? Certe, si illi adultos baptizari jusserunt, ipsorum institutioni omnino satis factum est, nam adultus baptizatus fuit, quod autem infans baptizatus fuerit, nihil ei institutioni adversatur, in qua nequaquam cavetur, ne infantes baptizentur. At enim id, quod credentium symbolum est, & obsignatio quædam, iis, qui nondum credunt, aut credere possunt, ministrare est nefas. Si ita res se haberet, non jussisset Deus, ut circumciderentur infantes, nam circumcisio, teste Paulo, sigillum justitiæ fidei fuit, quod Abrahamus accepit, qui primus omnium circumcisus est. Non repugnant igitur hæc duo. Aliquid ad obsignandam accipientis fidem, sive id, quod à fide proficiscitur, ministratum ab initio fuisse, & id postea iis quoque ministrari, in quibus nondum fides inveniri potest. Atque ex jam dictis constat, quam sit dissimilis baptismi infantium cum missa comparatio, in qua ea fiunt, quæ nobis omnino interdicta fuere, & plane execranda, & detestabilia sunt. Nec vero idcirco potissimum pervertitur in missa cœna Domini quia ibi pro mortuis quoque sacrificetur, sed quia pro ipsis viventibus sacrificare, cœnæ Domini plane adversatur, in qua commemoratio fieri debet, illius hostiæ mactatæ, quæ semel in æternum pro omnibus sacrificata & Deo oblata est, nulla amplius pro peccatis oblatione relicta. Restat tertium de diversitate opinionum & factorum in Ecclesia. Hic, dico, maxime quidem optandum esse, ut nullarum rerum prorsus in Ecclesia diversitas sit, sed non propterea consociatio nostra deserenda est, qui non in omnibus conveniamus, satis enim est, dummodo in iis concordes simus, sine quibus Christiana pietas consistere non potest. In reliquis, ut inquit Paulus, unusquisque in suo sensu abundet. Satis est, inquam, in istis, ut Pauli Græca verba significare videntur, suam sententiam exploratam habere, & nihil dubitanter facere. Quin etiam, si recte animadvertatur, non libertas tantum in Ecclesia in iis, quæ indifferentia sunt, id est, nec præcepta, nec interdicta fuerunt, sed ipsa quoque opinionum quarundam, & factorum diversitas, & ad Spiritus Christi vim declarandam pertinet, & ad singulorum charitatem mutuam patefaciendam, ac commendandam, utramque enim maximam esse oportet, cum animos alioqui ex parte dissidentes conjungere tamen, & conglutinare possunt. Proinde qui propter opinionum quamlibet diversitatem, ab aliis sponte separantur, ii se Christiana charitate destitutos esse demonstrant. In ipsa primitiva Ecclesia magnæ quædam fuerunt, non minus factorum, quam opinionum diversitates, ut ex ipso illo Pauli loco constat, quem paulo ante ad propositum nostrum accommodavimus. Ex quo etiam perspicuum est, Apostolum sensisse, ut ejusmodi diversitates in Ecclesia ferantur, nec propter illas ulla separatio fiat, & graviter eos peccare, qui illas ferre nolunt. An non, ut illi in nascentis erant, sic nos in ipsis renascentis Ecclesiæ initiis adhuc sumus? Quid mirum igitur, si, quemadmodum tunc temporis propter antecedentes, easque inveteratas in religione, ac divino cultu opiniones, non omnibus, qui in Ecclesia erant, idem statim visum est, nec in omnibus omnes consenserunt, divina veritate sese paulatim universæ Ecclesiæ patefaciente, sic hodie quoque non omnes statim, qui ex corpore Ecclesiæ sunt, idem in omnibus sentiunt, præsertim,

cum multo majorem sui cognitionem, & longe clariorem, tunc Deus hominibus impertiisset, quam hac ætate nostra hactenus impertierit? Vix dum ex densissimis & antiquissimis ignorantiæ tenebris, in quibus demersi quodammodo eramus, caput attollere, & veritatis lucem cernere incipimus & miramur, non omnibus plenam adhuc rerum omnium cognitionem contigisse, nec omnibus omnino idem videri? Miremur potius ullam Ecclesiam hodie inveniri, in qua idem prorsus omnes in omnibus sentire videantur, nec, si quæ tales sunt, eas temere pro veris Christi Ecclesiis, & spiritus libertate, quatenus decet, utentibus agnoscamus; sed conspiratorum potius hominum, quasdam quasi factiones omnia ex præscripto serviliter agentium, ipsa experientia jam plus satis edocti, esse suspicemur. Deum vero assidue rogemus, ut nobis aliquando dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Interim amemus inter nos, nec nobis ipsis singuli placeamus, sed alter alteri in bonum, ad Ecclesiæ ædificationem, neve puerilibus nostris dissidiis sacrosanctum Jesu Christi Domini ac servatoris nostri nomen, ejusque salutarem disciplinam, ludibrio exponamus, & bonum nostrum blasphemandum cæteris demus. Non est enim regnum Dei in aquam immersio, & corporis ablutio, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. *Ipse Deus & Pater noster, ipse Dominus pacis, nobis ut arctissimo sanctissimoque charitatis vinculo copulemur, & conjuncti perpetuo simus, pro sua incomparabili bonitate concedat.*

Cracoviæ 15 Aprilis 1580.

Ad priores notas ANDREÆ DUDITHII in Disputationem de Baptismo.

RESPONSIO F. S.

Circumcisio erat conversionis, vel cordium circumcisionis signum, & in eum finem instituta erat. Ergo, &c.

Resp. HÆc nusquam scripta sunt, nec porro eo sensu, ut ad rem faciant, vera censeri debent. Circumcisio enim erat fœdus, seu signum fœderis, inter Deum & Abrahamum, ejusque posteros, & propterea in eum finem instituta, ut ea gens, tanquam cum Deo fœderata, ab aliis internosceretur. Jam vero Pascha, & aliæ ceremoniæ, nullam præcipuam ob causam fuerunt institutæ, quæ communis non esset omnium ex Jacobo, sive ex Israële prognatorum. Quid vero attinet à circumcisione & aliis ceremoniis ad Johannis baptismum argumentari, nisi prius demonstretur, baptismum Johannis omnibus Israëlitis mandatum fuisse, quemadmodum illæ mandatæ fuerant: Nec enim ex eo, quod ad pœnitentiam in remissionem peccatorum baptismus ille institutus fuisset, colligere auderem, Christum non propterea debuisse à Joanne baptizari, quia generali aliquo mandato comprehenderetur, si mandatum aliquod omnibus Israëlitis datum extaret. Nec aliud intelligo, nisi, cum mandatum istud nusquam appareat, ex ipsius rei natura statui posse, baptismi istius generale mandatum, si aliquod tamen fuit, ad eos, quibus pœnitentia & remissione peccatorum opus non erat, minime pertinuisse. Nam quod dicitur, Christo non pro se, sed pro nobis, quorum personam sustinebat, pœnitentia opus fuisse, à Sanctarum Literarum sensu penitus abhorret, in quibus Christum nostrum personam sustinuisse nusquam legitur, quidquid dicant alii. Sed finge sustinuisse, in hoc profecto nullo modo sustinere potuit, ut pro nobis pœnitentiam ageret. Agere enim pœnitentiam, sive pro se, sive pro alio (si tamen pro alio, quocunque tandem sensu dictio *pro*, efferatur, pœnitentia agi potest) nihil aliud est, quam vitam & mores corrigere ac resipiscere, quod in Christum nulla ratione cadere potuit. Quod si tamen potuisset, certe si Christus in eo personam nostrum omnium sustinuisset, & sic pro nobis pœnitentiam egisset, nos ipsi pœnitentiam agere necesse non haberemus. Cæterum quod additur, uno fine sublato, non propterea tolli alios omnes: fateor id ita se habere, sed nego alium baptismi Johannis finem fuisse, qui generali aliquo mandato ejus baptismi accipiendi contineretur, præter hunc pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Poterat quidem is baptismus in alium etiam finem accipi; imo plures causæ, cur Christus eum vel acceperit, vel accipere debuerit, enumeratæ sunt à nobis capite 6. Verum nulla ipsarum generali aliquo mandato comprehendi potuit.

Minor est debilis. Non dicitur in textu. Ergo non pertinet ad gentes.

Resp. Nolo ego, ex eo quod non dicatur in textu, probare, non pertinere ad gentes, sed dico, ex verbis illis Christi, *Sic enim decet nos, &c.* nullo modo constare posse, mandatum ullum generale de baptismo Johannis accipiendo ad gentes quoque pertinere. Et, si velint adversarii, ex mandati generalitate aliqua ejus baptismi usum ad nos transferre, necesse esse ut probent, mandatum ita generale esse, ut gentes quoque complectatur. Itaque hac in re illis probandi onus incumbere ajo. Ego vero hucusque nihil probare conor, sed excipio tantum. Legantur diligenter quæ scripsi capite primo.

Deinde videntur Apostoli suscepisse, aut simul utrisque mandatum id munus fuisse, quia Christus jussit ut baptizent, adhuc docente & baptizante Johanne.

Resp. Quamvis Apostoli baptizaverint adhuc docente & baptizante Johanne, non tamen sunt ei successores à Deo dati, (sic enim ego loquor, non autem successisse eos simpliciter nego) sed neque etiam utrisque mandatum id munus fuisse dici potest. Neque enim legitur, jussisse Christum ut baptizarent, quemadmodum, tanquam ea de re aperte constaret, nobis objicitur. Sed plane verisimile est, Apostolos in baptismo iis ministrando, qui discipuli Christi fiebant, Johannem imitari voluisse, cui soli, ut aqua baptizaret, mandatum à Deo fuisse legimus; Christum, vero, ut id facerent (quippe quod indifferens in disciplina sua, quiddam esset) temporis & personarum rationem habentem, libenter permisisse, aut etiam (si ita placet) priorem monuisse, non quidem eo consilio, ut eos pares, aut successores Johannis constitueret, sed quia, ut dictum est, sic pro eo tempore iisque personis conducere videbat.

Major negatur, quia Johannis & Apostolorum baptismi eadem est substantia & principalia capita.

Resp. Negatur assumptio. Nam baptismi Apostolorum forma quædam & substantia est, ministrari in nomen Domini Jesu, id quod in baptismo Joannis non fuit. Legantur accurate quæ hac de re scripsimus cap. 6.

Negatur major, quia sequeretur Apostolorum discipulos, vel ipsos quoque Apostolos non debuisse docere, nisi à se baptizatos, vel docendos aut doctos rebaptizare.

Resp.

Resp. Verba mea sunt sunt hæc cap. 2. Conjungit hic Christus manifeste una cum baptismo ipsum docere, adeo ut quemadmodum neminem ab Apostolis doceri vult, quin simul ab ipsis baptizetur, sic neminem ab ipsis baptizari hoc loco præcipiat, quem ipsi non docuerint. Ex quibus verbis nullo modo potest ea propositio colligi, quam refellere conaris, neque enim dicitur à me Apostolos non debuisse baptizare nisi à se doctos (nam sic arbitror te scribere voluisse, non autem ut scriptum est, docere nisi à se baptizatos) sed non fuisse illis præceptum, ut alios baptizarent præter à se doctos. Ex quo id necessario sequitur, quod probari intelligo vi illius præcepti, etiamsi Christus de aquæ baptismo loqueretur, id non effici quod adversarii volunt, unumquemque videlicet, qui rite aqua baptizatus non sit, omnino ab aliquo verbi Dei ministro baptizari debere, vel cuilibet verbi Dei ministro curandum esse, ut qui aqua rite baptizati non sint, baptizentur. Hæc autem dico, quia non dubito, quin, non debuisse baptizare, in verbis tuis idem significet, quod cavere debuisse, ne baptizarent. Nam & in argumentatione ex verbis meis formanda scriptum est à te, *non vult alios baptizari*, (quanquam pro baptizari, doceri scripsisti) *nisi quos docuere*, cum tamen, non præcipit, scribendum tibi esset. Nihil autem absurdi in eo reperies unquam, quod Apostoli non tenerentur, (sic enim ad amphiboliam vitandam, quæ in verbo *debendi* est, etsi fortasse minus Latine, loqui libet) alios baptizare præter eos quos ipsi docuissent, sed absurdum putasti, non potuisse ab Apostolis eos etiam baptizari, qui ab ipsis docti non fuissent, idque me sentire es arbitratus, quod tamen multo aliter se habet.

Non est probabile omnes eodem die & doctos & baptizatos fuisse.

Resp. Non video quorsum hoc, præsertim cum ego, ut dictum est, non negem, potuisse Apostolos etiam quos ipsi non docuissent baptizare, sed tamen id ex eo Christi præcepto Matth. 28, colligi nullo modo posse dicam. Jam vero finge, neminem eodem die & doctum & baptizatum fuisse, quid vetat quo minus omnes ab eodem ipso Apostolo, à quo docti fuerant, sive ab alio quopiam ejus nomine ac verbis baptizati fuerint?

Quod autem Act. 19. Paulus eos baptizavit, qui ab aliis docti fuerunt, ob speciale mandatum, hoc probandum est.

Resp. Neque ego istud dixi, neque si dixissem, probandum mihi esset. Non dixi quidem. Nam sic habent verba mea cap. 2. Respondeo. Recte quidem fecisse Paulum, sed non quia id à Christo, in loco, quem præ manibus habemus, ipsi tanquam Apostolo mandatum fuisset, verum quia alia ratione ei de divina voluntate constaret, id est, quia alia ratione quam ex præcepto illo; optime sciret Deum factum illud suum non improbaturum. Nihil igitur hic de speciali mandato affirmo. Quod tamen si affirmassem, hic verborum meorum sensus fuisset, eo posito, quod sine mandato nec Paulus, nec quisquam alius jure baptizare potuerit, quemadmodum adversarii sentiunt, necesse fuisse, ut Paulus speciale mandatum habuisset, cum generale illud, de quo disputatio erat, ad casum illum minime porrigere posset, ut jam per me probatum fuerat, si modo, ut ibi statim subjungo, Paulum discipulos illos non docuisse plane statuendum esset. Quocirca nihil mihi amplius probandum relinqueretur. Rectissime enim conclusa videretur ratio mea, quam nemo infirmare poterit, nisi probationes meas refellendo, Christi præceptum illud ipsiusque verba ad eos quoque, qui ab ipsis Apostolis non docerentur, accommodari posse doceat.

Quod eos docuerit prius, etsi conceditur, nihil tamen aliud inde sequitur, nisi adultos prius doceri, quam baptizari debere.

Resp. Imo id potius necessario sequitur, ex eo Pauli facto colligi non posse, Christi præceptum in iis etiam locum habere, qui ab ipsis Apostolis docti non fuissent. Quod solum mihi probandum fuerat.

Paulus per Asiam & alibi docuit, nec tamen, ut dicis, baptizavit. Ergo baptismus non fuit inseparabiliter conjunctus cum doctrina.

Resp. Igitur Christus de aquæ baptismo non loquitur. Nam alioquin is baptismus inseparabiliter cum doctrina conjunctus fuisset. Neque enim, cum disputandi gratia, Christum de aquæ baptismo locutum fuisse concedo, æquum est ex iis adversus me argumentari, quæ id, quod concessum est, & in disputatione ponitur, plane falsum esse demonstrare possint, & à me ipso ad id demonstrandum alibi afferantur.

Circumcisio erat solennis professio Dei veri, & tamen non ii tantum circumcidendi erant, qui Deum nondum erant professi.

Resp. Negatur circumcisionem fuisse solennem professionem Dei veri. Nam infantes octavo ab ortu die circumcidendi omnino erant, qui tamen Deum verum profiteri non poterant. Vide autem quæ ad primam notam respondimus, ut intelligas, in hac disputatione nostra, argumentum à circumcisione ad baptismum non posse duci.

Mandatum de doctrina quoque Apostolis datum. Ergo doctrina carere possumus, aut ab Apostolis tantum doceri debemus, aut successoribus? Ubi sunt isti successores?

Resp. Nisi de doctrina aliud scriptum extaret, præter id, quod eo Christi præcepto continetur, verissimum istud esset, si modo verba illa ab Apostolis tantum doceri debemus, idem significant, quod, Non cogimur doceri nisi ab Apostolis. Neque vero ex eo Christi præcepto aliquid probandum mihi sumpsi, sed tantummodo ostendere volui, ex eo nihil elici posse ad aquæ baptismum, tanquam à Christo mandatum, in Ecclesia omnino & perpetuo retinendum.

Non missus sum ad baptizandum, &c. Dictum Pauli accipitur secundum quid scilicet ut principaliter, &c.

Resp. Exceptio ista abunde confutata est 2. cap. Nam cum jam probatum fuisset, Paulum nec per se, nec per alium plerosque ex Corinthiorum Ecclesia baptizasse, hæc verba statim subjiciuntur: Hinc apparet, ne eos quidem audiendos esse, qui dicunt Pauli mentem fuisse affirmare, se ad baptizandum non principaliter ut ad euangelizandum, sed secundario missum esse. Sive enim principaliter, sive secundario ipsi baptizandum fuisset, sine dubio vel per se vel per alium, omnes suæ prædicationi fidem adjungentes, baptizasset, &c.

Quod tamen ipsum fecisse se dicit eodem capite.

Resp. Non quidem quia ad baptizandum missus fuisset; aliter sibi ipsi contrarius plane esset.

Gedeon, David laudati, etsi nullo præcepto Dei, &c. Singularia & exempla non evertunt mandatum generale.

Resp. Negatur istud mandatum generale. Et exempla, quæ mandati sententia sit, aperte explicant. Addere igitur Dei præceptis, quod Moses fieri vetuit, nihil est aliud, quam aliquid inducere, vel faciendum dicere, tanquam à Deo præceptum, quod tamen Deus non præceperit, non autem simpliciter id facere, id est, eo nequaquam apposito, quod Deus ita præceperit. Præterea Deut. 4. 2 scriptum est: *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis.* Quod si hæc interpretatio non adhibeatur, sequetur nihil prorsus fieri posse, quod Deus non præceperit, quod & ipsi sensui communi, & sacræ historiæ, mille in locis manifeste adversatur. Nam si dicamus præceptum ad ea tantum accommodandum esse, quæ ad cultum Dei pertinent, futile plane est istud. Aut enim cultus Dei pro universa religione accipitur, & quid scire possumus, an aliquid ad cultum Dei pertineat, nisi Deo ipso patefaciente? Aut pro Dei proprio cultu atque adoratione, & palam est ad omnia legis præcepta, non autem ad ea tantum, quæ ad cultum Dei proprium pertinent, præceptum illud respicere.

Deinde sequeretur bonam intentionem & Pharisaicas ἐθελοθρησκείας stabiliendas esse.

Resp. Bona intentio, nisi in actum, Dei præceptis adversantem, erumpat, culpanda non est. Pharisaicæ

vero ἐθελοθρησκείας, nisi interim Dei præcepta negligantur, per se ipsæ non damnantur in Sacris Literis, namque hoc satis est. Stabiliendi autem verbum ad rem non facit, & nimis prægnans censeri debet. Præterea animadvertendum est, me ita loqui, ut ex exemplis illis non quidem omnia, sed illa demum fieri posse contendam, quæ ab iis, quæ præcepta sunt, minime abhorreant, licet ipsa nominatim præcepta non fuerint, & talem aquæ baptismum esse demonstro.

Impositio manuum non fuit præcepta, &c, non usurpata fuit ut necessaria, & tanquam cultus Dei, sed ut ἀδιάφορος.

Resp. Duo hic partim tacite, partim expresse dicuntur, quorum neutrum verum censeri debet, & in quibus principium peti videtur aliqua ex parte. Negatur enim, deque hoc contenditur, baptismum tanquam rem necessariam usurpatam fuisse. Negatur item manuum impositionem, tanquam Dei cultum, usurpatam non fuisse. Hinc apparet tertium, quod similiter à veritate alienum videtur, & hic tacite sumitur, nihil ut ἀδιάφορος, simul, & Dei cultum, usurpari posse. In Epistola ad Hebr. 6, manuum impositio & baptismata eodem loco habentur. Quare, etsi ibi, ut disputatum est à nobis cap. 11, ipsum aquæ baptismum, ipsamque manuum impositionem Apostolus non intelligit, tamen quemadmodum quæ per utrumque adumbrabantur, paria censentur, sic paria quoque ea, quibus adumbrabantur sunt existimanda.

Potuit sic administrari baptismus, quamvis non diserte tres nominentur, quia qui ponit Filium, ponit Patrem, &c.

Resp. Nihil hic vel tacite vel aperte dicitur, quod cap. 2, unde argumentatio mea deprompta est, confutatum (ut spero) non fuerit, dum à non dissimilibus, & fere iisdem oppositionibus (nisi quod illæ ut explicatiores sic ad rem ipsam aptiores videntur) eam tueri conor.

Si aquæ baptismus notaretur, tam esset necessarius quam fides, &c. negatur. Nam diversis instrumentis salus non eadem ratione tribuitur, ut cum Spiritus Sanctus & Evangelium corda renovare, salvare dicitur.

Resp. Et ratio ista non videtur ad rem facere. Fateor enim fieri posse, ut & fides, & aquæ baptismus hominem servent, diversa tamen ratione. Sed quid impedit, quo minus interim utrumque æque necessarium sit? Exemplum: Christus servat, fides servat, sed ratione diversa, quæ in Christo multo præstantior est, æque tamen necessaria est fides ac Christus ad salutem consequendam. Porro in allato exemplo id deest, quo maxime est opus; neque enim locus profertur, ubi cum Spiritu Sancto Euangelium conjungatur, & una cum ipso ad hominis salutem requiratur, quemadmodum in eo apud Marcum loco cum fide aquæ baptismum conjungi, unaque cum ipso ad hominis salutem requiri, contendunt adversarii. Adhæc, si quis dixerit, non minus ad renovanda corda, adque salvandum, necessarium esse Euangelium, quam Spiritum Sanctum, id est, ex Dei patefacta voluntate omnino utrumque requiri, à scopo fortasse non aberraverit, dummodo quid Euangelium sit, recte intelligatur.

In Complutensi articulus additur, ὁ πιστεύσας καὶ ὁ βαπτισθεὶς σωθήσεται, rationem hujus consequentiæ non assequor.

Resp. Ratio consequentiæ planissima videtur, eaque his verbis cap. 3. est exposita: Atqui articulo in vulgata editione subaudito, ea sententia ex Christi verbis aperte colligitur, ut & is quoque, qui baptizatus fuerit, servandus sit. Quæ sententia falsitate eaque evidente non vacat, si baptismus aquæ eo participio (βαπτισθεὶς) intelligitur. Cum palam sit, aquæ baptismum citra baptizati salutem contingere posse.

Deinde in sacra scriptura ab articulorum positione aut omissione nihil probatur. Sæpe enim hæc regula negligitur.

Resp. Perrarum omnino est in ipsa Sacra Scriptura ut articulus in simplicibus duobus aut pluribus participiis, vel adjectivis nominibus repetitus, plane supervacaneus sit. Videbar mihi in ipsa Complutensi editione, locum unum observasse, cujus meminisse nunquam potui. Ejusmodi sane exemplum mihi ostendi vehementer cuperem. Vereor enim ne opinio mea me fefellerit. Hoc, dico, quia, ut in eodem 3. cap. scripsi, mihi magis probatur, ut in vulgaris codicibus articulus ille non subaudiatur.

Baptismus pœnitentiam significat, quæ est ablutio animæ, Ephes. 5. Tit. 3. Hebr. 10. Resp. Non est firma argumentatio talis, alibi sic sumitur, Ergo & hic.

Resp. Non sic ego argumentor, sed cum antea probaverim, de aquæ baptismo hic sermonem esse non posse, inquiro deinde, quid igitur baptizatum esse hoc loco significet; atque aptissime ac commodissime pœnitentiam egisse significare posse, rationibus exemplisque allatis, confirmare studeo. Nec solum tamen interpretationem istam sequor, sed aliam quoque addo, Euangelii ac nominis Jesu Christi publicam professionem eo verbo declarari docens.

Intelligitur per Credendi *vocem assensus prædicationi Euangelii. Nego. Hic enim locus repugnat. Nam omnis non credens condemnatur: Ergo, omnis credens salvatur. At alii assentientes Euangelio non salvantur. Ergo, &c.*

Resp. Negatur illatio ista & consequentia. Neque enim eadem ratio est credendi ad salutem consequendam, quæ non credendi ad condemnationem subeundam. Sed quia, cum de significatione verbi credendi eo in loco non conveniamus, ad locutionis ipsius vim transeundum est, respondeo per instantiam quandam. Si quis diceret, qui non honoraverit patrem suum & matrem suam condemnabitur, recte loqueretur; non tamen sequeretur, eum servatum iri, qui patrem & matrem honoravit, nisi in aliis quoque divinis præceptis se obedientem præstiterit. Sed locum ipsum pro exemplo sumamus, verbo credendi in assentiendi sensum accepto. Qui non assensus fuerit Euangelii prædicationi condemnabitur, rectissime dictum. Ergo qui assensus fuerit servabitur? Minime, vel te ipso teste, qui ad tuam rationem concludendam non omnes qui assentiuntur servari assumsisti.

Ista denique metaphorica baptismi acceptio tollit sacramentalia signa & analogiam. Nullus enim sacramentalis ritus non metaphoricus esset.

Resp. Si baptismi seu baptizandi verbum temere, aut saltem sine necessitate aliqua, metaphorice acciperetur, aliquis locus isti reprehensioni esse posset. Nunc quando id necessario fieri debere ostenditur, non est quod quisquam sententiæ sive explicationi nostræ istud objiciat. Præterea cum ego excipiam non autem probem aliquid explanatione mea, non video, cur ad adversariorum probationes infirmandas, non mihi & liceat, & satis sit, ostendere, testimonia ab ipsis allata aliter intelligi & accipi posse, quam illi fieri debere contendant.

Non sequi propterea (etiamsi de aquæ baptismo loquamur) ad omnes posteros trahendum esse Christi sermonem, quia sequentia de miraculis locum non habent. Negatur consequentia. Sequentia verba omnia non conveniunt omnibus Christianis. Ergo neque præcedentia omnibus sunt accommodanda.

Resp. In argumentatione mea addita sunt illa verba cap. 3, nisi quatenus id fieri debere aliunde constet, quæ consequentiam nulla probatione egere docent. Quis enim negare potest, cum pars unius ejusdemque orationis de quibusdam hominibus in posterum prolatæ, idque indefinite, ad omnes posteros nullo modo trahi possit, alias quoque partes trahi non debere, nisi id faciendum esse aliunde appareat? Nam si ex eo, quod Christus dixisset, requiri aquæ baptismum ad salutem illis conciliandam, quibus Apostoli Euangelium prædicassent, colligere liceret, omnes, qui usque ad seculi consummationem salutem ex Euangelii cognitione adepturi essent, aqua baptizari debere, certe ex eo, quod ibidem eodem orationis contextu Christus dixit, eos, qui credidissent Euangelicæ Apostolorum prædicationi mira quædam facturos, sequeretur similiter omnes usque

usque ad sæculi consummationem qui Euangelio fidem adhibuerint, mira illa facturos esse. Atque hoc falsum est: falsum igitur & illud. Nihil ergo ex illis Christi verbis (utut de aquæ baptismo loquatur) tanquam ad omnes posteros pertineant, ad sententiam adversariorum confirmandam elici potest, nisi ad omnes posteros ea in oratione illa separatim pertinere aliqua ratione demonstretur.

Loqui Christum non de futuris omnibus, sed de iis tantum, qui ante Christo nomen non dederint, probationem requiro.

Resp. Nulla probatione est opus, cum manifestum sit, eos omnes, quibus Euangelium Apostolos prædicare jubet Christus, ipsi Christo antea nomen non dedisse. Erat autem in nota ista scribendum, dederant, non dederint. Sic enim habent verba mea cap. 3. Non enim minus hic quam ibi (Matth. 28.) doctrina seu prædicatio cum baptismo conjungitur, nec minus hic quam ibi de iis baptizandis sermo est, qui antea Christo nomen non dederant, & in religione non re tantum, sed nomine quoque à Christi religione diversa, ab ineunte ætate alti & educati fuerant.

Eisdem do. Ergo illa verba de credendo etiam ad illos solos, non ad omnes pertinebunt.

Resp. Quidni? Sed recte intelligenda sunt verba mea, quæ tamen, ut arbitror, nulla explanatione indigent. Apertum enim est, quid sentiam. Nempe, cum Christus de iis loquatur, quos constat ipsi nomen antea non dedisse, non posse, aut certe omnino non debere ex ejus verbis aliquid de iis statui, qui jam Christo nomen dederint, præsertim cum hæc differentia in quæstione nostra maximi momenti esse videatur, sed quidquid de istis plane constituendum sit, id aliunde peti debere. Quocirca non sequitur ex verbis meis id verum esse, quod quidam sentiunt, & Palæologus potissimum eis, qui ex Christianis sunt nati, fide in Christum Jesum opus non esse. etiamsi de istis Christus eo in loco non loquatur. Nam fide in Jesum Christum istis etiam, ut ipsius Christi ejusque Euangelii beneficium participent, opus esse, ex aliis Sanctarum Literarum locis perspicuum est. Idem porro dico de iis, qui jam Christo nomen dederint, de quibus tamen videtur Palæologum sentire, eos omnino in Christum credere, quippe qui fidem in Christum confessione, quod Jesus sit Christus, contineri autumet.

Diversus est Johannis & Apostolorum baptismus. Resp. Negant hoc docti. Illa enim verba, Audientes autem baptizati sunt, &c, *non ad discipulos à Paulo interrogatos, sed ad auditores Johannis concionis & ab eo baptizatos, referunt.*

Resp: Scio plerosque viros doctos, hac nostra ætate, eundem fuisse Johannis & Apostolorum baptismum affirmare. Sed aliter antiquiores Theologi sensisse videntur, aut certe ex ipsis non pauci, inter quos Basilius. Istam vero loci illius Act. 19, explicationem, fateor me nunc primum audivisse, quam si docti aliqui viri sequuntur, eos satis mirari non possum, cum & loci sententia, & Grammaticæ ratio, & loquendi usus, & veritas. denique manifesta, eam prorsus respuat. Palæologo sane nec ullo alio magis, dignissima esset. Piget autem eam pluribus refutare.

Deinde dicitur, Johannem baptizasse in fidem Jesu, hoc quid aliud est, quam nomen Christi? Absurdum videtur ergo prædicationem, &c.

Resp. Id nusquam dicitur. Monebat Johannes ipsos baptizatos, ut in eum, qui venturus esset crederent, hoc est, in Jesum, ipsos baptizatos inquam, monebat. Nam ex sacra historia satis constat, eum baptizasse, antequam ullam illius, qui venturus esset, mentionem faceret, tantum abest, ut in Jesu fidem baptizaret. Quomodo autem in Jesu fidem baptizasse dicendus est Johannes, si posteaquam multos baptizaverat, imo ex eo quod baptizaverat, dubium erat, ne ipse esset Christus? Vide disputationis nostræ caput 6. Itaque non est absurdum, ante resurrectionem non cœpisse prædicationem pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine Christi. Ratio vero, quæ absurdior credebatur, firma adhuc permanet, nam illud, *ut sciatis filium hominis habere potestatem, &c*, ut alia omittam, adjunctum habet *in terra*: id est, quatenus hic in terra, pœnæ peccatorum re ipsa auferri possunt. Retorquetur igitur telum istud in adversarium. At Christus erat Agnus, qui tollebat peccatum mundi. Verum est, sed hoc illud idem est pro eo tempore, quod *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Quem locum miror allatum adversum me fuisse, cum nulla prorsus ibi fiat mentio de potestate filii. Jam vero cum ipse filius dicit, *Do eis vitam æternam*, apparet præsens pro futuro usurpatum fuisse. Neque enim, etiamsi potestatem dandi vitam æternam jam tum habuisset, dicere sine tropo potuisset se eam dare, sed tantum daturum esse, ut alibi, *Ego resuscitabo eum in novissimo die*, Joh. 6. Vide autem extremum ℣. 12. cap. ejusdem Johan. ut intelligas, Christum jure dicere potuisse, se jam vitam æternam dare, licet nondum homines immortales efficiendi potestatem haberet.

Hic contendit Paulum baptizasse illos discipulos. Supra negare videbatur eum vel per se, vel per alios baptizasse, quod non missus esset ad baptizandum.

Resp. Supra dictum est, Paulum plerosque ex Corinthiis nec per se, nec per alium baptizasse, licet à se doctos, non autem simpliciter non baptizasse.

Ex locis adductis, de significatione ablutionis, &c, nihil contra baptismum externum concluditur, quin potius sequitur usurpandum esse, quia sit σφραγὶς remissionis peccatorum.

Resp. Ex locis istis non conamur baptismum externum evertere, sed tanquam ex clarioribus obscura quædam testimonia interpretari. Nec loci illi aquæ baptismum σφραγῖδα, sed adumbrationem quandam peccatorum remissionis esse, vel potius esse posse ostendunt.

Ad posteriores notas ANDREÆ DUDITHII in Disputationem de Baptismo.

RESPONSIO F. S.

In Responsionem ad secundam rationem pro adversariis ex Sacrarum Literarum testimonio aliquo allatam cap. 7.

Nota 1. *Quod ait publicam & apertam nominis Jesu professionem baptismo quidem contineri, externæ tamen illi ablutioni alligatam non esse; Hoc concedo, modo ipse quoque fateatur, illum externum ritum ablutionis esse testimonium remissionis peccatorum in legitimo usu.*

Resp. Neque istud simpliciter fatendum est, nec etiamsi verissimum esset, aliquam baptismi aquæ accipiendi necessitatem ostenderet. Vide quæ dicemus infra in examinatione Resp. ad quintum argumentum adversariorum.

Nota 3. Di-

Nota 3. *Dicit, Ananiam intellexisse, per externam illam ablutionem peccata deleta esse palam ostendi & consignari. Hoc ipsi facile largior; nam inde nihil contra baptismum externum concludi potest, quin potius sequitur eum usurpandum, quia sigillum remissionis peccatorum*

Resp Non dicit auctor Ananiam istud intellexisse, sed si externæ illi ablutioni deletionem peccatorum tribuisset, quo pacto commode ejus verba explicari queant ostendit, etiamsi externa ablutio illa vere peccata non deleat. Quare nihil ex ejus dicto contra ipsum colligi potest, cum id ex re adversariis (ut loquuntur) data non autem concessa pendeat, idque non ad aliquid probandum, sed ad excipiendum prolatum fuerit, & demonstrandum, assumptionem argumenti adversariorum nulla ratione ex loco illo probari posse. Cur igitur hic dictum fuit, nihil inde contra baptismum externum concludi posse? Quasi vero Socinus id quærat, cui nihil aliud nec propositum est, nec ut esset opus fuit, quam adversariorum rationem convellere. Verum ut intelligas ex ipsius dicto, etiamsi asseveranter prolatum fuisset, nihil adversariorum sententiam juvari posse; Vide quæ scripturi sumus infra in examinatione responsionis ad 5. rationem cap. 10.

In responsionem ad tertiam pro adversariis rationem cap. 8.

Nota 1. *Sic argumentatur. Baptismus aquæ non facit nos membra Ecclesiæ seu corporis Christi. At baptismus de quo Paulus, facit nos membra Ecclesiæ. Ergo baptismus de quo Paulus, non est baptismus aquæ. Ad majorem. Baptismus non facit nos membra Ecclesiæ, scilicet invisibilis; sed tamen visibilis, id est, testificatur nos esse in cœtu Ecclesiæ: At Paulus loquitur de baptismo, qui nos inserit corpori Christi visibili, quia alloquitur totum cœtum, in quo non omnes erant electi. Ita quoque Martyris dictum accipiendum videtur.*

Resp. Cum dicitur, per baptismum aquæ nos fieri membra Ecclesiæ, sive in unum corpus coalescere, hoc non pertinet revera ad probandum, Paulum non loqui de baptismo aquæ, sed est enunciatio contraria assumptioni adversariorum, eaque rationibus comprobata, ut inde constet argumentum, quod eorum nomine allatum fuerat, nihili esse, ut patet ex verbis illis (de quo nimirum adversariorum argumentum loqui necesse est.) Affirmatur quidem & ab initio tacite, & postea aperte, ex eadem enunciatione, si ea vera sit, sequi, Paulum non de aquæ, sed de Spiritus baptismo loqui, verùm non prorsus neque omnino, nisi, eo posito, quod Paulus de eo Christianorum corpore loquatur, de quo argumentum adversariorum loquebatur. Nam inferius quoque ad hoc significandum ea verba scripta sunt: præsertim, si Paulus de eo Christianorum corpore loquitur, quod adversarii sine dubio intelligunt. Itaque non assumitur à Socino, Paulum de vero Christianorum corpore loqui, sed tanquam ad adversariis, in suæ ipsorum assumptionis probatione positum id pro concesso sumitur. Hoc autem corpus per baptismum aquæ coalescere non posse ostenditur, & inde infertur, Paulum de aquæ baptismo loqui non posse. Nam Petri Martyris dictum non ideo affertur, ut confirmetur, aquæ baptismo nullum Christianorum corpus coalescere posse, sed id Christianorum corpus, de quo agebatur; vel si mavis ipsum verum Christianorum corpus, per baptismum aquæ coalescere quidem, sed non ea ratione, qua opus fuisset, si adversariorum argumentum vim ullam habiturum esset. Sive ut ipse Petrus Matyr loquitur, per aquæ baptismum non transire nos in Christi corpus, sed postquam transivimus, ad id testificandum eo baptismo consignari. Quamobrem, nisi velimus, adversariorum argumentum, non de vero Christianorum corpore, vel non de vera ejus corporis coalitione loqui, sed de visibili tantum Ecclesia, nihil est, cur Socinus male ratiocinatus fuisse ulla ex parte videri possit. Atqui, si istud volumus, infirmum plane reddimus id argumentum, non solum propterea, quæ ab auctore in fine responsionis ad illud ipsum dicta sunt, sed præterea etiam ob hanc causam, quod fieri facile possit, ut quis sit verus Christianus, & tamen nullius visibilis Ecclesiæ sit membrum.

Nota 2. *Negat consequentiam, ait esse ἀσυλλόγιστον istam rationem, etsi de baptismo aquæ locus acciperetur; Hoc per illud fieri contingit, Ergo aliter fieri nequit. Quia possint Christiani modo hoc, modo illo externo signo in unum corpus coalescere. Respondeo. Non licere nobis alia signa statuere, quam quæ nobis Christus & Apostoli tradiderunt.*

Resp. Nec Christus aquæ baptismum ullo modo tradidit, nedum tanquam signum congregandæ Ecclesiæ, nec Apostoli illum ita tradiderunt, ut eum congregandæ Ecclesiæ signum nobis præscriberent. Quod satis est, ut pro locorum & temporum ratione aliis signis ad eam rem uti possimus, vel etiam, si placet, nullo externo eoque constituto ac certo signo uti: quemadmodum in extremis suæ responsionis verbis Socinus antea monuerat. Quod quidem nostro seculo, præter eos, qui Anabaptistæ vocantur, eos omnes fecisse dicendum est, qui ab Ecclesia Romana desciscentes Ecclesias congregaverunt. Nam quod illis ad eam rem externum certumque signum fuerit baptismus ille aquæ, quem unusquisque vix natus, olim in Ecclesia Romana acceperat, id nec fieri ulla ratione potest, & ridiculum alioqui plane censeri debet.

In responsionem ad quartam rationem cap 9.

Nota 1. *Sic ratiocinatur. Paulus loquitur de iis quæ sunt Christianorum propria. Ergo non de aquæ baptismo, qui non est Christianorum proprius. Respondeo. Majorem posse negari, si acci...tur universaliter, quod de solis electis, qui vere sunt Christiani, loquatur. Compellat enim Apostolus totum cœtum visibilem.*

Resp. Nihil impedit, quo minus Apostolus compellet totum cœtum visibilem, & tamen illi tribuat quæ sunt propria Christianorum; nempe quia loquatur de omnibus, tanquam si ii essent, quales se esse profitentur. Imo hoc peculiare & Paulo & cæteris Apostolis est, qui Epistolas scripserunt. Vide quæ scripta sunt in responsione ad sequentem rationem, ubi ipse notarum scriptor hanc ratiocinationem bonam esse agnoscit.

Nota 2. *Deinde quid obstet, quominus de ritu baptismi intelligatur, qui testimonium est nostræ Christianitatis & conjunctionis? Alias enim similia argumenta extant, à signo sacramentali ad ipsum signatum. Ut illud, de uno pane participamus. Ergo sumus unum corpus.*

Resp. Si conceditur Apostolum de iis quæ sunt propria Christianorum loqui, inanis est ista argumentatio. Jam enim apparet, quid obstet. Sin autem negatur, ea nihil est opus, cum Socini argumentum eo tantum innitatur. Quanquam non satis est negare, nisi prius ad probationes allatas respondeatur, id quod hactenus factum non est, vel saltem contrarium probetur, quod, ut modo vidimus, frustra tentatum fuit. Deinde dico, in universa ista argumentatione principium peti. Negat enim Socinus ritum baptismi (universe loquendo) esse signum nostræ Christianitatis ullo modo, & multo minus nostræ conjunctionis. Atque etiamsi universe loquamur, vix signum nostræ conjunctionis dici posse concedit, eorum etiam, inquam, qui illo sunt initiati. Negat denique parem esse baptismi ritum ritui cœnæ Domini, sive cum illo, hac ipsa in re de qua agitur, conferendum esse; ut ex ipsius universa disputatione, & ex iis præsertim quæ hoc loco in extremis verbis disputat, de quibus paulo post agemus, aperte constat.

Nota. *Deinde hac conjectura utitur, ad probandum, quod de Spiritus Sancti baptismo agatur, quia verisimile sit, Paulum non prætermisisse Spiritus Sancti mentionem, quia*

non

mox subjungat de Spiritus Sancti donis. Unicuique autem data est gratia. Sicut 1 *Cor.* 12, *de spiritualibus donis acturus, prius dicat, eundem esse Spiritum, &c. Ergo baptismatis voce contineri Spiritus Sancti mentionem. Sed ista consequentia nulla est.*

Resp. Si consequentia nulla esse dicitur, quia fieri possit, ut sub alia quam baptismatis voce Spiritus Sancti sit facta mentio, non video quomodo hoc cuiquam probari queat; cum & baptismatis vox ad id accommodatissima sit (manifestum siquidem est, non minus Spiritu Sancto quam aqua baptizari homines in Sanctis Literis dici) nec alia vox ibi habeatur, sub qua id ne incommode quidem fieri potuerit. Non enim de implicita, sed de distincta Spiritus Sancti mentione in sua conjectura ista author diserte loquitur. At vero si propterea nulla esse consequentia affirmatur (quanquam minus proprie id dictum foret) quia fieri facile possit, ut Spiritus Sancti nulla mentio distincte facta fuerit; Respondeo, & verba illa, *unicuique autem*, &c, & similimi loci, 1 Cor. 12, exemplum allatum, satis ostendere vix fieri id potuisse. Et sane, quod attinet ad verba illa, *unicuique autem*, &c, ea omnino videntur docere Spiritus Sancti, quem omnes participassent, mentionem antecessisse, qua in re æquales omnes essent, quam æqualitatem ipsa deinde quodammodo moderentur, & tacitæ cuidam objectioni occurrant; ut perinde sit, ac sic dictum fuisset, quod autem dixi omnes vos eundem Spiritum Sanctum participasse, in eaque re pares esse, non ita accipiendum est, quasi non sit ulla distinctio aut inæqualitas ipsius Spiritus Sancti donorum, quæ singuli accepistis, sed ita, ut unicuique tamen, &c.

Nota 11. *Negat consequentiam in argumento: Et si baptismus aquæ intelligatur, qui ad Christianos pertinet, non tamen de omnibus Christianis loqui Paulum, sed de iis ad quos scribit, seu de iis, qui ipsis futuri essent similes, non propterea innuere Paulum, nullum esse Christianum, qui aqua ablutus non fuerit.* I. *Hoc dicitur tantum non probatur, eoque facile quoque negari potest.*

Resp. Primum, onus probandi non Socino, sed adversariis, incumbit, qui ostendere debent, id quod Paulus Ephesiis illis dicit ad omnes Christianos, etiam futuros, pertinere, alioqui principium petent; ponentes omnes Christianos, quotquot futuri erant, aquæ baptismo tingendos fuisse, hoc enim est de quo præcipue disputatur. Deinde satis probatum est id, quod Socinus affirmat, cum sensus ipse communis nos doceat, cum Paulus certos quosdam homines alloquatur, ejus verba ad alios accommodanda minime esse, nisi id fieri aut debere aut posse aliunde appareat, præsertim in iis, quæ non quidem illis præcipit, sed tantummodo de ipsis narrat, seu quoquo modo enunciat.

II. *Deinde nulla est dissimilitudo in argumentando, quin jam quoque eadem ratione uti possimus: Per eundem baptismum religioni Christianæ initiati estis, & habetis eundem Dominum & Deum Patrem, Ergo sitis unum corpus & unus spiritus. Quidni recte ratiocinari possimus à baptismo eodem modo quo Paulus?*

Resp. Dubitavi aliquando, an hæc de sententia Socini explicata fuissent. Nam profecto, nisi vehementer fallor, ea potius huc pertinent quam alio. Vult enim ipse argumentum Pauli semper habere locum; siquidem omnes inveniantur baptismum accepisse, pro ea etiam parte quæ ad baptismum attinet, sin minus pro reliquis partibus, ex quibus non minor efficacitas argumento inerit, quam si baptismus quoque illis accederet. Non negat igitur posse nos eodem modo ratiocinari ab ipso baptismo quo Paulus ratiocinatus est, nec dissimilitudinem aliquam in argumento constituit, modo baptismus adsit. Imo hoc putat ad responsionem suam confirmandam aliquid momenti habere; sed negat necesse esse, ut argumentum Pauli pro ea etiam parte, quæ ad baptismum pertinet, semper in omnibus Christianorum coetibus locum habere possit, & sic necesse esse ut perpetuo omnes Christiani, qui in aliqua Ecclesia sint, baptismum accepisse inveniantur. Hoc, inquam, negat Socinus, & dissimilitudinem, de qua loquitur, non quidem necessariam, sed possibilem esse statuit.

Nota. *Redit denique ad priorem responsionem; & eam hac quoque ratiuncula confirmare conatur, si externorum rituum Paulus in monendis Ephesiis, ut unitatem Spiritus inter se conservare vellent, rationem habere voluisset, non prætermisisset dominicam cœnam, qua maxime Christianorum unitas obsignatur. At nullam fecit mentionem insignis hujus & præcipui Christianæ unitatis symboli. Erga de baptismo aquæ ne cogitavit quidem.* Respondeo. *Nego majorem: satis erat nominasse baptismum, quo & singuli utebantur, & religioni Christianæ initiabantur. Alioqui si conjungendi semper essent ritus, qui idem significant, multi absurdi sermones invenirentur.*

Resp. Non ea videtur esse Socini mens, ut velit, Paulum debuisse una cum baptismo cœnam conjungere, sed hanc potius, quam illum commemorare, ut satis intelligi potest ex eo, quod multo cœnam baptismo præstare ostendere conatur; in ea ipsa re de qua Apostolus agebat. Ex quo etiam efficitur, ut concidat omnino ratiocinatio ista ab absurdo ducta: *Alioqui si, &c.* Nam neque de conjungendis ritibus loquitur Socinus, nec, quod attinet ad unitatem illam, de qua agebatur, idem æque significare dici potest baptismus, quod cœna Domini. Imo, si cum cœna comparetur, ne significare quidem.

In Responsionem ad quintam rationem cap. 10.

Nota *Negat consequentiam distinguendo (ut arbitror) majorem, Nullus Christianus est qui non induerit Christum, scilicet aliqua ratione. Non autem per solum baptismum indui Christum, quia non sit necessarius ad salutem: imo ne esse quidem illum ordinariam viam Christum induendi, quod nihil per baptismum hominibus à Deo conferatur, nisi quod per ipsum publice Christo nomen dant. Hoc posterius nego, quia baptismus est testimonium remissionis peccatorum, quam Deus nobis confert. Alioqui erit inane spectaculum, non Sacramentum, quod constat è re terrena & cœlesti.*

Interea consistet principale argumentum hoc modo, baptismus tanquam visibile pignus, obsignat nobis beneficia indutionis Christi. Ergo non est negligendus. Ratio consequentiæ, quia externos ejusmodi ritus Deus mandavit nobis, ut servaremus, quo consuleret imbecillitati nostræ.

Resp. Non distinguit Socinus majorem, sed minorem, si ea concedi debeat, quæ est per aquæ baptismum Christum à nobis indui, idque vere, non autem figurato loquendi modo. Aut enim ea ita accipitur, ac si dictum fuisset, per solum aquæ baptismum, &c, seu, tantum per aquæ baptismum, &c. Et hoc pacto ne ipsis quidem adversariis veram illam videri posse docet; aut ita, ut ipsa verba sonant & simpliciter, & tunc ἀσυλλόγιστον argumentum esse ostendit. Quod vero negatur Socini dictum illud, nihil per baptismum revera hominibus à Deo conferri, idque ob eam causam, quod baptismus sit testimonium remissionis peccatorum, quam Deus nobis confert. Nos causam istam plane negamus, nec testimonium remissionis peccatorum baptismum esse concedimus, ei præsertim, qui baptismum accipit. Loquitur autem hoc loco de iis, quæ per baptismum conferuntur, nempe ei, qui baptizatur. Probatio porro istius causæ ab absurdo multam vim habere potest, cum nec baptismum Sacramentum esse concedatur, nec quid sit Sacramentum inter nos constet; & quicquid sit, illud sine dubio à nobis negetur, ipsum è re terrena & cœlesti constare, eo nimirum sensu, quo id hoc loco dictum fuisse necesse est. Nec propterea erit baptismus inane spectaculum, si inane pro eo quod frustra fiat, quodque nullus effectus consequatur, accipias. Nam & publica

Christi

Christi nominis professio, & in ejus familiam manifestaria cooptatio, & adscriptio quædam, si rite administratus fuerit, ei nihilominus perpetuo, tanquam ejus forma, & necessarius effectus, conjunctæ erunt. Sin aliter, inane, accipias, id nihil moramur, præsertim vero, si in eum sensum quem consecutio ista requirere videtur. Nobis enim nihil absurdi in eo esse videtur, quod per baptismum ipsum nihil prorsus ipsi accipienti divinitus conferatur. Imo hoc illud ipsum est, quod Socinus dixerat, quodque impugnandum notarum scriptor sumpserat.

Jam vero quod attinet ad argumentum adversariorum reformatum, etiamsi ejus assumptio, quam tamen nos, ut diximus, nullo modo concedimus, vera esset, consequentia tamen non teneret, nisi si quis ea consequentiæ verba, *Ergo non est negligendus*, ita interpretaretur, ac si dictum fuisset, Ergo non spernendus ac vili pendendus. Neque enim, si baptismus obsignat nobis beneficia indutionis Christi, idcirco sequitur, eum à nobis omitti non posse.

Quid enim si ea obsignatione nullo prorsus pacto egeamus? Ut certe non egent illi, qui jam ex animo credunt, sibi, eo quia Christum revera induerint, omnia peccata remissa fuisse. Nam consequentiæ ratio, quæ allata fuit, nihil momenti habere videtur, cum Socinus nulla ratione concessurus sit, baptismum aquæ, simpliciter loquendo, à Deo nobis mandatum fuisse, multo minus autem ut servaremur, etiamsi verissimum esset, per illum nobis obsignari beneficia indutionis Christi. Hoc enim (ut dictum est) ad eos modo pertineret, qui obsignatione ista indigerent, quibus ritus iste mandatus esse dici posset. Namque illud, quod in ratione consequentiæ additur, quo consuleret imbecillitati nostræ, si ullo modo admitti debet, non de omni imbecillitate nostra, sed de ea tantum accipiendum est, quæ obsignatione ista juvari queat.

In Responsionem ad sextam rationem cap. 11.

Nota *Quod profert vulgatam interpunctionem, & ait, baptismatum doctrinam esse remissionem peccatorum, & Christi legis præscriptionem. Non igitur agi de aquæ baptismo. Nego ipsi hanc interpretationem. I. Quia Apostolus primo statim loco nominat μετάνοιαν ℣. 1, eoque non statuenda est ταυτολογία.*

Resp. Nulla est ταυτολογία. Nam aliud est μετάνοια, seu pœnitentia, aliud remissio peccatorum & Christi legis præscriptio. Non est quidem pœnitentia sine remissione peccatorum tanquam suo necessario effectu, verum id non ex ipsius rei natura, sed ex Dei benignitate atque decreto est. Quocirca post pœnitentiam omnino commemoranda fuit remissio peccatorum. Alioquin, ut à Socino dictum est, Christianæ disciplinæ & pietatis præcipuum quoddam rudimentum, vel potius solidissimum fundamentum prætermissum fuisset. Proprium siquidem Novi Fœderis est, ut pœnitentibus (idque perpetuo ad hujus sæculi finem) peccata omnia, quantumvis gravia, condonentur. Jam vero legis Christi præscriptio post pœnitentiam sequi solet; & à baptista pœnitentia prius indicta est, deinde subsecuta est legis Christi præscriptio. Quamvis autem perfecta Christianorum pœnitentia legis Christi notitiam requirat, tamen simplex pœnitentiæ nomen etiam post baptistæ prædicationem solet ad ea accommodari, quæ etiam citra Christi cognitionem quisque vitanda esse novit, tanquam Deo invisa. Unde illud, pœnitentiam agite & credite in Euangelio, Mar. 1. 15, & illud, pœnitentiam in Deum, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, Act. 20. 21. Et Christus ipse pœnitentiam prædicavit, antequam legem suam præscriberet, Matth. 4. 17. Adde, quod non simpliciter pœnitentiæ Apostolus mentionem fecerat, sed pœnitentiæ ab operibus mortuis, id est, ejusmodi quæ mortem concilient, tanquam morte digna, & propterea per se mala sint ac detestanda. Atqui multa nobis vitanda in Christi lege præscribuntur, quæ per se mala & detestanda non sunt, licet ea nos vitare Christus velit, si beatam immortalitatem, à se primum generi humano allatam, participare velimus.

II. *Si concedam, intelligere Apostolum pœnitentiam, non valet tamen hæc consequentia. Agit de re significata. Ergo excludit aut rejicit signum. Imo inverte argumentum. Loquitur de doctrina pœnitentiæ, quæ in baptismo proponebatur, & quæ per tinctionem aquæ significabatur. Ergo ritum baptizandi aqua tum usurparunt Apostoli, & acceperunt qui Christianismum amplectebantur.*

Resp. Nullus hic est locus, vel negationi consequentiæ, vel argumenti inversioni. Neque enim ad istum modum argumentatur Socinus. Imo quod attinet ad ipsam refutationem argumenti adversariorum, nihil revera argumentatur, sed ostendit solum, ejus argumenti assumptionem, non probari eo testimonio, id est, ibi non fieri disertam ejus baptismi mentionem, de quo agitur, ut quidem ad eam assumptionem probandam, vel certe ad probationis expressum modum confirmandum necesse erat. Cum vero ait, ex eo loco potius contrarium probari, quia scilicet nulla fiat ibi revera mentio baptismi aquæ; assumptionem hanc suam non ex eo probat, quod ibidem mentio fiat rei, quæ per ipsum baptismum significabatur, sed quod ipse aquæ baptismus non sit ibi nominatus. Non fuisse autem nominatum unicuique legenti satis constare potest, nisi illum voce baptismatum nominatim significari dicamus. Hoc vero dici non posse, jam docuerat ipse. Quod si non invertendo quidem ejus argumentum, cui rei, ut diximus, nullus est locus, sed posterioris argumenti tacitam majorem negando, & contrarium ex plane diversa propositione probare conando, ita quis argumentetur; Ubi illud nominatur quod in baptismo aquæ proponebatur, quodque per illum significabatur, ibi baptismi aquæ revera fit mentio, sed hic illud nominatur, Ergo, &c. Hoc erit quicquid, judicio meo hoc loco ex ipsius forsitan opponentis mente Socino objici poterit. Verum hoc argumentum incidit in eam fallaciam, quæ dicitur, Ex accidente, nisi in pejus ruat, & principium petat. Quod enim doctrina pœnitentiæ in aquæ baptismo proponeretur, &c, id ex accidente erat. Nam nec natura ipsius rei id requirebat, alioquin ante baptismum nulla fuisset doctrina pœnitentiæ, & sine baptismo nulla pœnitentia daretur, quorum utrumque falsum est, nec ut ita omnino ac perpetuo fieret, erat constitutum. Vel certe, fuisse constitutum, probare necesse est, si quis nequaquam ex accidente id fuisse, ostendere velit. Aliter principium petet, id pro concesso sumendo, de quo potissimum disputatur. Cæterum id, quod ipse notarum scriptor in argumento suo diserte concludit, non videtur ad rem facere. Nam etiamsi verum esset, Apostolos tunc ritum baptizandi usurpasse, & eum illos accepisse, qui Christianismum amplectebantur; Non idcirco sequeretur, Apostolum hoc loco ipsum baptismum inter Christianæ pietatis rudimenta numerasse, quod illi probandum omnino fuerat. An non ipse Socinus pluribus in locis, præsertim vero cap. 14. 15, & 17, facile concedit, in primitiva Ecclesia omnes, qui nunquam antea Christi nomen professi fuerant, ex ipsorum Apostolorum instituto, in Domini Jesu nomine aqua baptizatos fuisse? Postremo non est silentio prætermittendum, quod Socinus nusquam scribit, per tinctionem aquæ significatam fuisse pœnitentiam (quanquam non pœnitentiam ipse sed peccatorum remissionem voce baptismatum contineri ait) ne (quæ vis verbis significandi esse potest) quisquam credat illum sentire, aquæ tinctionem sine pœnitentia esse non potuisse. Quod vero attinet ad peccatorum remissionem, eam per aquæ baptismum adumbratam quidem fuisse & dari quodammodo consuevisse hoc ipso loco fatetur. Verùm hoc posterius non alia ratione intelligendum est, quam id, quod

quod hoc eodem loco de datione Spiritus Sancti per manuum impositionem commemorat, ut scilicet res, quæ dabatur, nullo modo ipsi ritui externo alligata esset, nec ab ipsius vi aliqua proficisceretur, quamvis ea cerimonia rite peracta, ex divina benignitate omnino dari consuevisset. Qua de re videnda sunt quæ scripsit cap. 7. Prius vero illud de adumbratione aliud quiddam est ab eo, quod hic dicitur de significatione. Nam certe adumbratio tantum imago quædam est rei adumbratæ, quam non quidem esse, quantum attinet ad propositum nostrum (adumbrantur enim illa quoque, quæ vel olim fuisse, vel futura esse contingat) sed si sit, qualis sit aliqua ratione ostendit: significatio vero rei significatæ indicium esse potest, atque eam esse ostendere. Hanc igitur Socinus aquæ baptismo non tribuit, quod pertinet ad peccatorum remissionem, sed adumbrationem tantum, eamque sane valde accommodatam, ita ut rem pœne ob oculos ponere videatur; atque hoc idem concedit de ipsa pœnitentia & renovatione vitæ, ut apparet ex iis quæ scripta sunt cap. 5.

In Responsionem ad secundam rationem, pro adversariis, non ex testimonio aliquo Sacrarum Literarum petitam, cap. 14.

Nota. *Ad Pauli locum 1 Cor. 10, respondet, quod in eo non de aqua baptismo, vel de cœna Domini verba fiant, sed de donis Ecclesiæ concessis à Deo, quæ non profutura sint, nisi divinis monitis convenienter vivas.* I. *Videtur hoc ἀπροσδιόνυσον ad locum Pauli; & ipse Socinus cogitur fateri, Paulum ad baptismum & cœnam Domini respexisse. Non tamen inde sequi, baptismum debere esse perpetuum. Quia ne spiritualia quidem illa dona, de quibus loquatur, fuerint perpetua; desiisse enim præsertim conspicua illa, postquam Christiana veritas satis confirmata fuit, Ergo multo magis desiisse baptismum aquæ, qui eorum donorum imago quædam fuerit.* II. *Nego hanc consequentiam: desierunt dona primitivæ Ecclesiæ, Ergo & baptismus. Quia hic non recensetur inter illa in Sacris Literis:*

Resp. I. Imo ad locum Pauli ἀπροσδιόνυσον plane esset, si diceremus illum agere de baptismo aquæ, & de cœna Domini, cum, ut ipse notarum auctor fatetur, hæc non recenseantur inter dona primitivæ Ecclesiæ, Paulum autem de donis à Deo tunc temporis iis concessis, qui Christi nomen profitebantur, loqui necesse sit, quemadmodum exempla beneficiorum olim, Israëlitico populo sub Mosis ductu datorum, aperte docent, & totius rei ratio omnino postulat. Nam quod paulo inferius eodem capite Apostolus diserte mensam Domini commemorat, cujus illi, ad quos scribebat, participes essent, id non propterea factum est, quia superius de ejusmodi rebus revera actum fuisset, sed cum vellet eos reprehensione dignissimos demonstrare, qui inter ipsos quoquo modo Idolis servirent, addit absurdissime plane eos facere, ea potissimum ratione, quod solerent mensæ Christi Domini interesse, non posse enim eos mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum. Non est autem coactus Socinus fateri, Paulum ad baptismum & cœnam Domini respexisse, sed tantum sua sponte concedit, posse fieri, ut ad ista, non quidem simpliciter, sed alludendo respexerit. Quod si verum sit, non tamen propterea sequi ait, Apostolum vel baptismum, cœnæ Domini parem fecisse, vel utrumque eo loco tanquam perpetuum aliquid, & proprium omnium Christianorum consideratle.

II. Nec vero vult Socinus probare baptismum cessasse ex eo quod cessaverint dona illa, quorum baptismus imago quædam erat, alioqui hac ratione, cœnam quoque ipsam cessavisse ostenderet, à qua sententia ipse vehementer abhorret. Nam & cœna Domini, ut ipse fatetur, imago quædam illorum donorum erat, sed ait, si quid modo, quod ad præsentem quæstionem pertinet, hoc loco colligere libet, cum illa dona, de quibus Paulus revera agit, in Ecclesia maxima ex parte desierint, nihil aptius colligi posse, quam baptismum aquæ similiter desiisse, qui donorum illorum imago quædam erat. Sed nec ipse vult, aliquid revera colligi posse; nec per illum notarum scriptorem, licet, si Paulus de spiritualibus donis agat. Cujus tamen ratio mihi non probatur. Nam etsi baptismus inter illa dona non numeretur, non tamen sequitur, ab illis ad hunc argumentum duci non posse, præsertim vero Socini argumentum, in quo satis confitetur ipse, baptismum inter dona illa non numerari. Neque enim ait, ideo ex cessatione donorum, baptismi cessationem colligi posse, quia baptismus unum ex illis donis fuerit, sed quia cessantibus donis, verisimile sit, baptismum, qui illorum imago quædam erat, simul cessasse. Itaque ad convellendam Socini consequentiam, quam ille convelli posse non negat, nihil est ostendere, baptismum non fuisse unum ex illis donis, sed necesse est, ut ostendatur, posse imaginem quandam rei durare, quamvis res ipsa non duret.

In Responsionem ad tertiam rationem, seu priorem ex duabus ratiunculis, eodem capite.

Nota. *Quod dicitur, generale mandatum de baptismo suscipiendo nullum extare, nec causam esse, cur, qui Christo nomen publice dederint, eo tingendi sint. Hoc tam facile nego, quam tu affirmas.*

Resp. Quæstio erat, Nunquid baptismus Sacramentum Ecclesiæ esset, ut cœna Domini esse dicitur, & propterea non minus illum, quam hanc necessario retinendum esse constaret. Respondetur, ne cœnam quidem ipsam Ecclesiæ Sacramentum in Sacris Literis vocari, & idcirco, si retinenda est, ut profecto est, non quia sit Sacramentum Ecclesiæ, sed quia in perpetuum omnibus Christianis præcepta fuerit, id fieri, & quia nulla causa sit, cur omnes Christiani mortem Domini commemorare, eique de tanto beneficio perpetuo gratias publice agere non debeant, quarum rerum causa cœna Domini instituta est. Ejusmodi vero aliquid in baptismo esse negatur, seu non esse affirmatur. Hanc sive negationem sive affirmationem probare non est necesse, sed ipsi adversarii contrarium probare debent, si baptismum cum cœna Domini, ut ipsorum argumentum requirit, conferri posse velint. Præterea jam id satis proxime probatum fuerat (quatenus probari aut poterat aut debebat) quod in universa ista responsione dicitur. Et idcirco in ipso hujus generis duarum adhuc pro adversariis rationum refellendarum initio scripta sunt verba illa. Ex quibus duæ præterea, quæ adhuc restant, ejusdem generis adversariorum ratiunculæ satis confutatæ videntur. Mitto autem, quod ex iis, quæ toto libro à Socino variis in locis & dicta fuerunt, & mox dicenda erant, ipsius dicti probatio apertissime colligi poterat, quodque ipsemet id aperte monet, dum dictum profert, & suam rationem concludit.

In Responsionem ad ultimam rationem cap. 15.

Nota. *In nono Nicænæ Synodi canone, Ruffino teste, clericis Catharis jubentur recipi, si pœnitentiam agant, nulla baptismi facta mentione, cum tamen illa statuat, ut Paulianistæ rebaptizarentur. Non igitur semper ab Ecclesia baptismum requisitum fuisse. Talis argumentatio à testimonio negativo non est necessaria.*

Res. Non est argumentatio à testimonio negative, simpliciter, sed cum probatione ab exemplo, eoque à minore ad majus. Nam si Synodus eos baptizari diserte jubet, qui jam baptizati aliquo modo fuerant,

cur eos baptizari discere non jussisset, qui nullo baptismo fuerant tincti, si eos baptizari omnino voluisset, & baptismum omnibus necessarium esse censuisset? Auctores quidem Centuriarum, ut à quodam annotatum vidi, ex eo apud Ruffinum Canone collegerunt, atque scripserunt, Catharos pœnitentes sine baptismo receptos fuisse. Nec tamen argumentationem istam tanquam necessariam, ipse Socinus attulit, sed tanquam admodum verisimilem, ut ex verbis eam antecedentibus intelligi potest, quæ sic habent: Quod & factum aliquando fuisse, mihi fit verisimile, Novatianos quidem, &c.

In primum testimonium ex Sacris Literis petitum, cap. 16.

Nota. *Testimonium est id, quod pluribus in locis est scriptum, Johannem quidem aqua baptizasse, Christum vero Spiritu Sancto baptizare. Argumentum tale erit, Qui Spiritu Sancto baptizantur, non debent aqua baptizari. At Christiani Spiritu Sancto baptizantur, Ergo non debent aqua. Nego majorem, Quia in Sacramento conjungenda sunt signum & signatum, non divellenda, &c.*

Resp. Etsi nihil dubito, quin in argumento isto Socino attributo verbum *debent*, pro coguntur, sive ut vulgo loqui solent, *tenentur*, positum fuerit, tamen dico, ex Socini verbis, exque ipsorum sententia ab ipso notarum scriptore relata, satis constare, illum non ita argumentari: sed ad hunc modum; Quidquid proprium Christianorum non est, id ipsis ne necessarium quidem est. Sed aquæ baptismus proprius Christianorum non est, Ergo ipsis ne necessarius quidem est. Appellat autem proprium, non ut Logici solent, id, quod uni soli perpetuo convenit, sed quod perpetuo tantum, sive omnino convenit, ut sæpe boni Latinitatis auctores loquuntur. Talem autem minime baptismum aquæ esse, ex allato testimonio satis constare existimat. Præterea ratio, cur major negatur istius illi adscripti argumenti, non videbatur afferenda. In ea siquidem manifeste principium petitur, cum asseritur baptismum aquæ, una cum baptismo Spiritus esse Sacramentum, & unum esse signum, alterum vero signatum. Nam & hæc à Socino negantur, & minime vera esse vel ex illo apparet, quod utrumque baptismum separatim, id est, alterum sine altero dari, in ipsa primitiva Ecclesia contigit, ut patet ex Actis cap. 8. & 10, id quod ipse Socinus cap. 5. diserte monet.

In secundum testimonium eodem cap.

Nota. 1 Cor. 1. 17. *Non misit me ad baptizandum sed ad Euangelizandum; si Apostolorum mandatum munus fuisset, falso id dixisset Apostolus. Respondeo. Dictum illud accipiendum non absurde, sed cum grano salis; quia ipse Apostolus ibidem dicit, se Crispum & Cajum, & alios quosdam Corinthiorum baptizasse. Anne igitur contra officium suum fecit? Item, cur Act. 19. discipulos illos rebaptizari jussit, ut supra quidem iste solebat?*

Resp. Ad hoc satis responsum est, in eluendis prioribus notis, & antea cap. 2, ab ipso Socino responsum fuerat. Et sane mirum est, multos ad hoc saxum offendere. Quasi vero nefas fuerit, Paulum aliquid fecisse in iis, quæ ad externos ritus pertinent, quod ipsi mandatum non fuisset, & propterea necesse sit ipsius apertissima verba explanationis adhibendæ loco non modo tenebris involvere, sed etiam plane subvertere atque delere.

In tertium testimonium eodem cap.

Nota. *Gal. 3. Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis. Ergo aliqui fuerunt non baptizati. Alioqui dixisset omnes, quia baptizati estis. Scribit autem ad Ecclesiam Galatiæ. Ergo in Ecclesia reperiri possunt, qui baptizati non sint. Futile videtur argumentum. Nam illud, Quicunque, cur non universaliter accipi possit?*

Resp. Primum non concludit Socinus in priore argumento simpliciter, Ergo aliqui fuerunt non baptizati; sed, ergo aliqui erant, aut esse poterant, non baptizati. Deinde nego prorsus, illud quicunque, ita universaliter posse capi, ut vi sua omnes comprehendat, ad quos Paulus scribit, nec sane alia universalitas, in eo verbo contineri potest, nisi ut comprehendat inter eos, ad quos scribit, omnes, qui baptizati in Christum erant, si modo de ipsis tantum, ad quos scribit, loquitur, & interim ostendat, vel sic loquenti constitisse, non omnes illos baptizatos fuisse, vel certe non constitisse, omnes fuisse baptizatos, & sic fieri potuisse, ut aliqui essent non baptizati. Vis enim pronominis illius est, ut omnino res quasdam sive homines ab aliis omnibus secernat. Et quidem in iis ipsis, de quibus, vel cum quibus est sermo, cum illud, quod ipsi pronomini adjungitur, ejusmodi est, ut in aliis quoque aut inveniatur, aut inveniri possit, præter eos vel ea, de quibus vel cum quibus verba fiunt. Sin minus, ii, eave, de quibus vel cum quibus est sermo, à reliquis omnibus, ejus pronominis vi, penitus secernuntur. Exempli gratia, si ad eos qui Romæ sunt sic scribam: Quicunque in primaria totius Italiæ urbe estis. Quia nemo in urbe totius Italiæ primaria est, qui non sit Romæ, propterea recte loquutus fuero, quamvis necesse sit, ut omnes, ad quos verba mea diriguntur, sint in primaria totius Italiæ urbe. At si ad eosdem hoc modo scribam: Quicunque ex animo Pontificem colitis, cum multi reperiantur, aut reperiri possint, qui ex animo Pontificem colant, etiamsi Romæ non sint, necesse est, ut, si ad eos solos mea verba diriguntur ad quos scribo, inter illos sint, aut esse possint aliqui Pontificem non ex animo colentes. Ratio diversitatis est, quia in priore exemplo retinet pronomen *Quicunque* suam vim secernendi, etiamsi id quod illi est adjunctum necessario omnes illos complectatur, ad quos verba diriguntur, secernit enim illos à reliquis omnibus, id est, ab iis qui Romæ non sunt. At in posteriore exemplo hoc fieri non potest, cum ut dictum est, etiam ex iis qui Romæ non sunt, inveniantur, aut inveniri possint, qui Pontificem ex animo colant. Quare necesse est, ut, si ad eos tantum verba illa diriguntur, secretio eo pronomine indicetur, & fiat inter ipsos qui Romæ sunt, eorum videlicet qui Pontificem ex animo colunt, ab iis qui fortasse non colunt. Nec unquam negari poterit ex eo sermone apparere, fieri omnino posse, ut quidam ex iis qui Romæ sunt, Pontificem ex animo non colant, nisi ita verba accipiantur ac si sermo esset cum omnibus qui ubique locorum Pontificem ex animo colunt. Tunc enim pronomen *Quicunque*, suam secernendi vim haberet, etiamsi omnes qui Romæ essent, necessario Pontificem ex animo colerent. Secerneret enim omnes ubicunque locorum sint, qui Pontificem ex animo colunt, ab aliis omnibus, id est, ab iis qui non colunt. Igitur, ut ad rem redeamus; cum Paulus ad Galatiæ Ecclesias scribat, non soli autem homines Ecclesiarum illarum baptizati essent, solive baptizati esse possent, necesse est fateri, si pronomen *Quicunque* suam vim retinere debet, vel Paulum in illis verbis sic loqui, ac si verba sua ad omnes baptizatos dirigeret, & idem significare ejus verba, quod, Quicunque in Christum sunt baptizati, vel aliquos in Ecclesiis illis esse potuisse, qui baptizati non essent. Atqui illud prius propter rationes à Socino allatas non est dicendum, Ergo hoc posterius verum esse oportet, & sic patet, nihil prohibere, quo minus sis in Ecclesia, & porro vere Christianus sis, etiamsi baptizatus non fueris.

Nota *Nec propter Catechumenos sic loqui Paulum, quia illi non sint membra Ecclesiæ. At Paulus scribit ad Ecclesias, &c. Respondeo. Nego majorem.*

Resp. Majorem, arbitror, intelligit, Catechumenos non esse membra Ecclesiæ. Atqui non credidissem ego

ego hoc illi probandum esse, qui cum iis disputet, qui baptismi necessitatem asserunt. Sed præterea, quomodo ii Ecclesiæ membra esse possunt, qui non solum Christo capiti sunt initiati? Qui ad Domini cœnam non admittantur, quæ unitatem corporis Ecclesiæ refert? Qui denique Spiritum Ecclesiæ non participent, id est, Spiritus Sancti donis illis, quæ unicuique Ecclesiæ membro suppeditentur, non sint præditi? Nam profecto simul atque dona illa, quæ tunc temporis dabantur, ad quod tempus tota hæc disputatio referenda est, fuissent conspecta (nec enim occulta esse poterant) Catechumeni esse desiissent, & statim baptizati fuissent. Nam ut Petrus, de Gentibus loquens, ait, *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur ii, qui Spiritum Sanctum acceperunt*, Act. 10. 47.

Nota. *Denique nusquam in Sacris Literis indicari, receptum fuisse morem aliquos instituendi, antequam baptizarentur. Constare tamen ex aliis autoribus.*

Resp. Imo non potest ulla ratione constare, cum præterea ex ipsis Sacris Literis appareat, eos qui baptizabantur, nulla prævia diligentiore institutione, simul atque Evangelii prædicationi assentiebantur, baptismum accipere consuevisse. Atque hoc ipsum ad verbum scripserat Socinus in isto loco. Quanquam meminisse videor, ex aliis quoque auctoribus constare, non, nisi post Apostolorum tempora morem istum receptum fuisse. Sed hic libris destituor, neque id temere ausim affirmare.

Nota. *Illos autem in Galatia non baptizatos, fuisse eos, qui post primam Galatarum conversionem deinceps in Christiana religione educati essent. Conjectura est authoris, quæ nondum persuadet.*

Resp. Nihil hic opus est persuasione aliqua ex conjectura ista. Jam enim satis probatum est, ex loco illo Pauli constare, aliquos in Christi Ecclesia esse posse non baptizatos, nec istos tamen Catechumenos esse. Nam quid aliud auctori (ut ipsemet scribit) quærendum est? Quod si tamen de veritate ipsius conjecturæ quæritur, certe si, quæ ante disputata sunt, admitti debent, ea nullo pacto rejici potest, nisi tunc temporis receptum fuisse velimus, ut ii etiam, qui nunquam Christum antea professi fuissent, sine baptismo ad Ecclesiam aggregarentur, quod non adversarii modo, sed ne ipse quidem Socinus facile concederet; aut dicendum esset, Paulum eorum habuisse rationem, qui licet in Ecclesiis illis non educati, neque ex Christianis parentibus orti, Christum tamen jam antea, nullo accepto baptismo, professi essent. Id quod propter ejusmodi hominum (si qui tamen erant) nimiam paucitatem nullo modo verisimile videtur.

In quartum testimonium eodem cap.

Nota. *Hebr. 6. Ubi rudimenta Christianæ disciplinæ enarrantur. Inter ea non commemoratur baptismus. Relegat nos ad suam refutationem supra expositam. Qualis est confutatio, talis est quoque confirmatio.*

Resp. Sed confutatio bona fuit, ut ex responsione ad notas in eum locum intelligi potest, Ergo confirmatio quoque bona erit. Præsertim cum præter ea hoc loco aliquo adminiculo à Socino diligentius fulciatur. Inde constare potest, si aquæ baptismus præceptus Ecclesiæ à Christo & Apostolis fuisset, nequaquam verisimile futurum, ut ibi Apostolus de ipso diserte mentionem non fecisset.

Nota 1 *Petr. 3. Baptismum aqua elevat. Nego hoc. Adimit ei salutem, Ergo non magnifacit.*

Resp. Quod Petrum baptismum non magnifacere, vel potius non magnifaciendum esse indicare ait Socinus, id non simpliciter accipiendum est, sed respective & comparate. Nam certe ea quæ necessaria sunt ad salutem, qualem adversarii esse volunt aquæ baptismum iis, qui eum accipiendi potestatem habent, etiamsi ab iis revera salus non proficiscatur, solent tamen in Sacris Literis eo nomine commendari, quod salutem aliquo saltem modo conferant. Tantum abest, ut illis salus aperte adimatur. An non Paulus oris confessionem ad salutem fieri ait Rom. 10. 10 Jac. 1. 21. An non Jacobus verbo seu sermoni Evangelico in nobis Dei ministrorum opera insito servandi potestatem, operibus autem diserte justificationem tribuit? Quid plura? An non Paulus ait & 2. 24. Rom 11. 11, 12, delicto Judæorum salutem gentibus obtigisse? Et certe adversarii multos locos, qui vel aliqua ratione aquæ baptismo salutem tribuere videntur, vel si de aquæ baptismo loquerentur, ei sine dubio salutem aliquo modo adscriberent, avide arripiunt, censentes jure optimo id factum fuisse, si baptismus ita sit, quem ipsi esse contendunt, Socinus negat. Hinc factum est, ut ipsi adversarii nullo pacto ferre possint, si quis dicat in Petri loco aquæ baptismo salutem adimi, imo si quis neget illi non usui ut, licet fateantur hoc non esse verum, quatenus ille corporis sordes abluit, & hanc Petri mentem omnino esse affirment, nec ulla prorsus ratione ab ipso totam illam cerimoniam Arcæ Noë minime comparatam fuisse, ut credant, adduci possint.

Nota. *At non ad eum modum (inquit) locuturus fuisset, si aqua baptismus omnibus suscipiendus esset. Cur non? Hanc rationem non assequor.*

Resp. Quæ & qualis sit ratio ista, ex modo disputatis facile intelligi potest. Nunquam enim, si aquæ baptismus omnibus suscipiendus esset, & idcirco necessarius ad salutem consequendam iis saltem foret, qui eum accipere possent, salutem ei, nulla moderatione adhibita, ademisset Petrus, ut quidem hoc loco ademit, si Socini explanatio recipienda est, quam ipse cap. 12. abunde probat, nec eam notarum scriptor in dubium revocat. Causæ enim sine quibus non (ut appellari solent) etiamsi præcipue causæ non sint, aliquo modo causæ sunt tamen. Adde quod plerique ex iis, qui baptismum aquæ tanquam necessarium defendunt, ita necessarium esse volunt, ut eum non accepisse, iis quoque, in quorum potestate id non erat, salutem ademisse velint, & nonnulli non salutem solum ademisse, sed sempiternos etiam cruciatus attulisse contendant. Inter quos maxime Augustinus.

In primam rationem eodem cap.

Nota. *Ratio est: Christi disciplina est spiritualis, interiorem hominem respicit, & ab externis ritibus tantum non abhorret. Ergo ritus nullus est præscriptus, nisi apertissimis verbis instituatur, qualia ipsi non sunt baptistica. Hac ratione & templa, & Ministros, & externum ministerium Evangelii, ex Christianismo ejicere poterimus: cœnam quoque domini, de qua non magis præcipitur à Christo, quam de baptismo.*

Resp. Templa & alia, quæ hic commemorantur, sunt quidem externa, tamen non sunt ritus. Neque enim revera, ex constituto pendent, sed ab ipsius rei natura proficiscuntur. Nisi enim conveniant homines identidem ad verbum Dei audiendum, inque pietate non erudiantur modo, verum etiam ad eam excitentur atque incendantur, ac propterea sæpius una simul concorditer precentur ac laudent Deum, facile omnia pessum eunt, omnisque religio sensim extinguitur. Quod si fieri posset, ut religio sine istiusmodi externis omnino conservaretur, (ut certe sine baptismo aquæ conservari potest) nulla causa esset, cur ea abjicere non possemus, (nisi quatenus illa expresse Christianis mandata fuisse constaret) etiamsi, ut dictum est, non comprehendantur ista in eorum numero, de quibus Socinus modo agit. Agit enim ille manifeste de iis externis, quæ ceremoniæ appellantur. Quis autem unquam templa, Ministros, & Evangelii prædicationem ceremonias esse dixerit? Quod si tamen contenderit quispiam, aliquid in istis esse, quod ceremoniale videatur, veluti quod locus quidam publicus, isque certus & proprius verbo Dei audiendo, cœnæque Domini comedendæ, nec non communibus precibus & laudibus ad Deum fundendis constituatur, quodque unus certus homo verbo

Dei ministrando præficiatur. Dico, nihil omnino vetare, quo minus in privata domo aliqua, modo hac, modo illa, fiant ista, & non unus tantum, sed plures sint, iique non omnes certi & constituti, qui verbum Dei ministrent. Et, si superiorem rationem tamen servari passim videmus, id non ideo fit, quia aliter fieri nequeat, sed quia sic ad politiam quandam & ordinem in Ecclesia, sine quibus rebus vix possiint hominum coetus durare, magis conducere plane constat, & quia ad ipsam pietatem id plus adjumenti afferre ratione & experientia compertum est. Jam vero in eo, quod objicitur de cœna Domini, manifesta est petitio principii, cum Socinus non solum ubique neget, eadem ratione præceptum fuisse à Christo baptismum, qua cœna Domini præcepta fuit, imo ne præceptum quidem fuisse contendat, sed etiam id nullo modo probari posse jam antea ostenderit.

Post testimonia & rationes omnes recitatas, & maxima ex parte reprehensas.

Hæc sunt illa Achillæa argumenta contra baptismum aquæ.

Resp. Argumenta Socini non sunt contra baptismum. aquæ: sed contra necessitatem baptismi aquæ. Nam alioqui sibi ipsi turpiter adversaretur, qui cap. sequenti censeat, hodie in Ecclesia eum baptismum omnino, retinendum esse. Nec vero opus illi erat, Achillæa argumenta proferre, sed neque illa se prolaturam, quod tamen verba ista indicant, professus fuerat. Id quod unusquisque intelligere poterit, qui ea legerit, quæ ante ipsa argumenta allata scripsit. Satis autem ille videtur esse habiturus, si ipsius argumenta vel Patroclea fuerint: præsertim cum illorum hactenus prolatæ refutationes nullo pacto Hectoreæ videri queant, ut ex responsionibus nostris perspicuum esse arbitramur.

Ad MARTINI CZECHOVICII notas, quæ in appendice libri ejus de Pædobaptismo habentur,

RESPONSIO F. S.

Nota 1. *Duplici via aggrediuntur. Una quidem cum baptismum pro adiaphoro habent: altera vero, cum negant mandatum ullum de eo extare.*

Resp. NOn duplex, sed unica est via, nempe ostendere, nullum de aquæ baptismo mandatum extare. Nam adiaphorum esse aquæ baptismum, vel illud ipsum est, quod isti probare nituntur, vel certe non alia ratione id verum esse contendunt, nisi quia de eo baptismo nihil mandatum sit.

2. *Ut ipsi somniant.*

R. Ergo, te ipso teste, somniant, qui mandatum de aquæ baptismo extare putant.

3. *Qua in re & Catabaptistas & Catharos, puros, inquam, & Sanctos, si Diis placet, &c.*

R. Infantium est larvis terreri. Quocunque in speciem formidabili nomine istos appellari posse contendas, non tamen propterea ab ipsorum sententia eos demovebis. Quanquam cum isti nec baptismum rejiciant, & se coram Deo multorum peccatorum reos, Christi gratia seclusa, probe agnoscant, non est cur eos vel Catabaptistas, vel Catharos nominare possit.

4. *Nisi penitus cœnam quoque Domini, ministerium prædicationis Euangelii, disciplinam Ecclesiasticam, cum omni pietate, simul explodant, & è vivorum memoria exterpent.*

R. Indignum est, aliarum opinionum falsitate, eam quæ verissima est in invidiam vocare; quasi hanc illæ omnino consequantur.

5. *Quidam.*

R. Isti quidam de aliis tibi respondeant. Nos de iis tantum, quæ ad aquę baptismum pertinent, aliquid dicemus.

6. *Populus Novi Testamenti, &c.*

R. Contra hujus thesis auctores, acriter à nobis in aliis non paucis pugnatum est, quare nobiscum nullo pacto conjungendi erant, maxime vero, cum in hac ipsa thesi cum illis minime consentiamus. Imo quod attinet ad cœnam Dominicam, toto, quod ajunt, cœlo ab ipsis dissideamus.

7. *Nisi etiam omnia simul ejecta velimus.*

R. Cur vero? Certe quantum etiam ad ipsa externa attinet, (nam de fide postea videbimus) consecutio nulla est. Primum enim non omnia externa sunt ceremoniæ Nam quis, quæso, dixerit, verbi causa, prædicationem Euangelii esse ceremoniam? Et tamen aliquid externum est. Atque hinc apparet, argumentum à baptismo aquæ ad Euangelii prædicationem non valere, cum, ut ipse fateris, baptismus iste sit ceremonia. Unde fit, ut baptismus aquæ, tanquam ceremonia, sub N. Test. à quo omnes ferme ceremoniæ exulant, parvi fieri possit: Euangelii autem prædicatio, quia ceremonia non est, sed fidei in nobis gignendæ & alendæ instrumentalis causa, maximi fieri debeat. Deinde cum dicitur, baptismum, quia externa ceremonia sit, non magnifaciendum esse in Christi Ecclesia, hoc non ita intelligendum est, quasi omnis externa ceremonia à Christianis parvi æstimari debeat, sed argumentum ad eas tantum externas ceremonias accommodandam, quæ à Christo, sive ab Apostolis, diserte Ecclesiæ in perpetuum præscriptæ non fuere. Itaque cœna Dominica, quamvis externa ceremonia sit, non propterea parvi æstimabitur, in Christi Ecclesia, cum ea à Christo ipso instituta fuerit, & à Paulo Apostolo teste in perpetuum Ecclesiæ commendata. Quod de baptismo nequaquam dici potest. Legatur disputatio nostra cap. 14.

8. *Et crescit ac corroboratur externis omnibus.*

R. Nemo sanæ mentis hoc tibi concesserit. Sunt enim multa externa, quibus fides minuitur atque infirmatur. At quod ad ceremonias ipsas attinet, dico iis non augeri aut confirmari fidem, sed indicari & palam fieri.

9. *Verum etiam externæ ceremoniæ, quæ passim ab omnibus Sacramenta nuncupantur, ita sint annexæ, ut non prius fides, sitne in corde hominis, palam appareat, quam dum homo, externe ceremoniis istis initiatus, Christo nomen dederit.*

R. Negamus ceremonias, quæ passim Sacramenta appellantur, prædicationi Euangelii annexas esse, perinde ut fides est: adeo ut illis cessantibus fides quoque cessare possit. Sine fide enim vana est Euangelii prædicatio. Sin autem adsit fides, jam prædicatio non est inanis, nec aliud præterea requiritur, quam oris confessio, teste Paulo, ad Rom. 10. 9. Oris autem confessio, etiam sine ceremoniis istis, nisi nominatim præscriptæ fuerint, fieri plenissime potest, & multo quam per ipsas, clarius atq; apertius.

10. *Et tandem vitam homine Christiano dignam vixerit.*

R. Hoc illud est, unde fides aperte colligitur, non autem ea facere, quæ infideles quoque facere possunt.

11. *Baptismus aquæ in externa ceremonia situs.*

R. In disputatione nostra cap. 2. & 3. satis probatum est, in neutro istorum locorum, de aquæ baptismo agi.

12. *Ita multo minus juvabit baptismus.*

R. Non satis habuisti hac in re baptismum fidei parem facere, sed anteponere etiam voluisti, cum tamen fidei, tanquam ad salutem necessariæ ubique mentio fiat, baptismi autem, de quo loquimur, nusquam. Quantum in hominum animis superstitio potest? Adde, quod nulla, quod ad fidem attinet, inter illos, qui primi crediderunt, & eos qui ex ipsis nati sunt, differentia constitui potest, sed maxima, quod ad baptismum attinet, constitui debet, ut à nobis pluribus in locis disputationis nostræ demon-

stratum

ſtratum eſt præſertim vero c. 2. 3 & 5. Adde præterea, quod id ipſum, quod vera fides in homine præſtat, à nulla re alia præſtari poteſt; quod vero baptiſmus, ab aliis multis.

13. *Fidei ſuæ ſigillum.*

R. Nuſquam legitur baptiſmum aquæ eſſe fidei ſigillum.

14. *Per quod Chriſto conſepeliatur, & Chriſtum induat, Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. Quomodo enim, &c.*

R. Ad ea, quæ hic dicuntur, abunde reſponſum eſt diſputationis noſtræ cap. 10. ubi, in quem ſenſum Pauli verba accipienda ſint, explicatur.

15. *Aut quomodo certus eſſe de peccatorum remiſſione poterit, qui peccata per baptiſmum non abluerit?*

R. Vide diſputationis noſtræ cap. 7.

16. *Erat Paulus, &c.*

R Pauli & Centurionis exempla nihil ad rem faciunt. Nemo enim negat, iis baptiſmum aquæ dari poſſe, vel etiam dandum eſſe, qui Spiritum Sanctum acceperint: ſed iis dari neceſſe non eſſe, qui jam publice Chriſtum ſint profeſſi, præſertim ſi nullam præter Chriſti religionem ſe amplecti unquam præ ſe tulerint.

17. *Jam ergo vel ex iſtis ſolis, quæ adhuc dicta ſunt, liquido conſtat, ceremonias externas non ad primordia tantum naſcentis Eccleſiæ & Euangelii pertinere.*

R. Imo quod de Paulo & Centurione baptizatis dixiſti, ad primordia naſcentis Eccleſiæ omnino ſpectat.

18. *Et veluti cordi noſtro ingeruntur, ut per ea firmi, &c.*

R. Hæc omnia hominum, atque adeo ipſius Antichriſti, figmenta ſunt: cum potius, niſi hæc omnia prius cordi noſtro ingeſta fuerint, & jam nulla ratione dubitemus, quin ea nobis à Deo donentur, quæ nobis per Euangelii prædicationem offeruntur; ad iſtas ceremonias nos accedere ſit nefas, Act. 8. 37. 1 Cor. 11. 20, 29.

19. *Adde quod non tantum illi externis iſtis ceremoniis, &c.*

R. Tota hæc argumentatio futilis eſt, cum non de Dei populo ſimpliciter, ſed de Chriſtiano populo quæratur. Quinimo cum jam nemo ex Dei populo tunc dici poſſet, niſi publice Chriſto Jeſu nomen dediſſet.

20. *Quam Chriſtus juſtitiam vocat.*

R. Vide diſputationem noſtram cap 1. & 6.

21. *Si etenim verum eſt quod dicunt, &c.*

R. Prorſus ſupervacanea, ne dicam ridicula, tota hæc pars cenſeri debet; quaſi ii, qui baptiſmum aquæ omnibus peræque neceſſarium eſſe negant, fateantur, eum quidem à Chriſto univerſe & in perpetuum mandatum fuiſſe, interim tamen ſe eo præcepto non teneri contendant. An non animadvertiſti ab ipſis, plane negari præceptum illud, à Chriſto datum fuiſſe?

22. *Qua enim fronte pars una verbi Dei contemnitur?*

R. Videbaris ante hæc verba aliqua ex parte reſipuiſſe, verum iterum eodem relaberis, & ſumma cum injuria eos, qui ad ſe præceptum aquæ baptiſmi (ſi modo ea de re hodie præceptum aliquod viget) non pertinere contendunt, Sacrarum ceremoniarum contemptores facis, nec interim (quod facere ſaltem debueras) ad rationes reſpondes, quibus ſe ab eo præcepto immunes eſſe affirmant.

23. *Quod ſi vero Euangelium, &c.*

R. Vide quæ dicta ſunt ſupra Numero 7.

24. *Docete eos ſervare omnia, &c.*

R. Reſponſum eſt pleniſſime diſputationis noſtræ c. 2.

25. *Quod utinam non fiat, &c.*

R. Hoc ſane à nobis ne per ſomnium quidem fit, ut ex tota diſputatione noſtra apertiſſimum eſt.

26. *Verum eſto quod quidam, &c.*

R. Qui ita ſentiunt, ii tibi reſpondeant.

27. *Siquidem labefactatis, &c.*

R. Rurſus ad ingenium redis, vide quæ notavimus, Num. 21.

28. *Adde, volunt ne, &c.*

R. Mirum, quam hac calumnia toties repetita delectaris, à nobis ſcilicet Chriſti mandata contemni.

29. *In quod corpus, omnes omnino, per unum ſpiritum, quicunque Chriſtum pro capite ſuo agnoſcunt, baptizati coeunt, 1 Cor. 12. 13.*

R. Reſpondimus exacte ad hunc Pauli locum diſputationis noſtræ cap. 8.

30. *Quo Chriſtus ipſe, &c.*

R. Vide diſputationis noſtræ cap. 1. & 6.

31. *Et ejus diſcipuli baptizati ſunt.*

R Si Apoſtolos & pleroſque alios inſigniores diſcipulos intelligis, nimis audacter loqueris, etiamſi Joannis baptiſmo eos baptizatos fuiſſe affirmare velis, aut profer teſtimonia.

32. *In quam omnes, per baptiſmum fide ſuſceptum, ingrediebantur.*

R. Hoc multo adhuc audacius dictum eſt, cum in Sacra Scriptura nullum exemplum extet baptiſmi accepti ab iis, qui à Chriſtianis nati, vel in Chriſtiana fide educati eſſent.

33. *Et hucuſque, qui Chriſti fieri volunt, ingrediuntur.*

R. Hoc vero injurioſum eſt, & inter cæteras Eccleſias eas, quæ in Tranſylvania nobiſcum de Deo & Chriſto conſentiunt, à Chriſti Eccleſia excludit.

34. *Act. 2. 41, 42, &c. &c.*

R. Oppone his locis eos, quos ex eadem hiſtoria duplo ferme plures cap. 15. noſtræ diſput. collegimus.

35. *Ut ita eſſet ſanctificata, Epheſ. 5. 26.*

R Miror te non animadvertiſſe, non de vera, ſed de tranſlatitia aqua Paulum loqui, & tanta ſuperſtitione adhuc obligatum eſſe, ut ſine aquæ baptiſmo Chriſti ſanctificationem nobis contingere non poſſe credas. Vide quæ ad locum hunc Pauli illuſtrandum ſcripſimus diſputationis noſtræ c. 3. Quibus præter alia multa, quæ paſſim à nobis in eo opere dicta ſunt, adde potiſſimum ea, quæ c. 7. de remiſſione peccatorum per aquæ baptiſmum diſſeruimus.

36. *Sed etiam hoc comprobare illos Dei verbo oportebit.*

R. Imo tuum eſt ex verbo Dei demonſtrare, ſanctam genituram ab aqua illa externa aliqua ſaltem ex parte pendere, id quod nunquam facies.

37. *In qua unus eſt Deus Pater, &c.*

R. Vide diſputationis noſtræ cap. 9.

38. *Quod illi rejiciunt.*

R. Calumnia eſt hæc manifeſta, ut ex diſputationis noſtræ poſtremo capite aperte conſtat.

39. *Et eo tutius poſſumus, &c.*

R. Quaſi vero poſſit quid eſſe adiaphorum, & ſimul hominem neceſſario obligare.

40. *Quam me vehementer mirari hominum audaciam, &c.*

R. En veſtri baptiſmi mirabilia effecta, ut, qui ea acceperint, hominum corda ſcrutari ſe poſſe credant, & adverſus omnia Chriſtianæ charitatis præcepta, non ſolum de alio male cogitare & dicere, ſed etiam à manifeſtis calumniis non abſtinere nihili faciant.

41. *Quia nullus unquam ex omnibus Novi Teſtamenti ſcriptoribus uſus eſt hac voce Adiaphori.*

R. Ergo, ſi tibi credimus, ne ciborum quidem delectus res adiaphora erit, nempe quia vox ipſa adiaphori in Novo Teſtamento non legitur. Iſtud non de re, ſed de verbis contendere eſt.

42. *Baptiſmum talem eſſe Chriſti ordinationem, &c.*

R. Ut aliquid adiaphorum merito dici debeat ſatis eſt id nec mandatum nec interdictum fuiſſe. Quod de aquæ baptiſmo (quod ad univerſam Eccleſiam præſertim attinet) veriſſime dici poſſe conſtanter aſſerimus.

43 *Sed neque illi qui jam errores quoſdam, &c.*

R. Si diſputationem noſtram legiſſes, quam tu hic impugnare velle videris, non te tantopere ἀπειρίαν prodidiſſes. Nam ibi prope finem c. 15. ex Euſebio lib. 7. cap. 7. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ notatum vidiſſes, Novatum baptiſmum abrogaſſe. Cui adde, quod ſcribit Socrates lib. 5. c. 21. In Theſſalia conſuetudinem fuiſſe, ut diebus feſti duntaxat Paſchatis baptizarent. Ob quam cauſam, ut ipſe ait, omnes, paucis admodum exceptis, ſine baptiſmo moriebantur, Num putas Eccleſias iſtas baptiſmum inter adiaphora non numeraſſe, ſed neceſſarium eſſe Chriſtianis docuiſſe? Hoc autem eo pluris æſtimandum eſt, quod Eccleſias iſtas pro hæreticis habitas fuiſſe, ex ipſa hiſtoria non conſtat. Ipſe quidem ſcriptor,

consuetudinem istam inter pleraque alia adiaphora recenset, in quibus Ecclesiæ invicem dissidebant.

44. *Ex quibus omnibus liquido constat, &c.*

R. Oportuisset te omnes Sectas in Christiana religione, quotquot unquam fuerunt, enumerasse, & a nulla prorsus baptismum aquæ, non autem Christi baptismum, pro adiaphoro habitum fuisse, demonstrasse, & ad hunc modum merito concludere posses.

45. *Nisi fortasse ab illis, &c.*

R. Jam tandem resipiscis. Verum ista exceptio universam tuam argumentationem destruit. Quanquam non crediderim ego, Novatum, a quo Novatiani, qui idem cum Catharis sunt, propterea baptismum abrogasse, quod se ab omni parte purum esse arbitraretur. Quia immo ipsi Cathari non ante baptismum acceptum absolutam eam puritatem ab homine Christiano requirebant.

46. *Prorsus nullis externis, &c.*

R. Imo quasi vero à nobis omnia externa rejiciantur.

47. *(Ut in papatu videmus.)*

R. Papatus non vocem adiaphori, sed res adiaphoras pro necessariis in Ecclesiam induxit.

48. *Sed non nisi dementandos, &c.*

R. Imo ad erudiendos simplices ea vox usurpatur, atq; eos ex Antichristi laqueis liberandos, ut sic inter necessaria Christi mandata, & adiaphora Antichristi, pro necessariis obtrusa, distinguere norint, seq; ex tanta servitute eximere.

49. *Ut jam omnia ferme etiam expressissima præcepta, &c.*

R. Jam vides, aliquam adiaphori nomine, Antichristum ad eludenda Christi manda usum fuisse.

50. *Jubet manifeste Christus, ut injurias, &c.*

R. Hæc Papistarum cum nobis comparatio prorsus inepta est. Nam fatentur Papistæ, Christum omnia ista dixisse, sed non tamen tanquam præcepta seu mandata, verum tanquam consilia dedisse. Nos autem negamus, Christum ulla ratione dixisse, ut omnes sui discipuli aquæ baptismo tingantur.

51. *Paucissima quædam esse, &c.*

R. Bene habet, quod contra quam ante velle videbaris, concedis aliqua in Novo Fœdere esse, quæ adiaphora sint. Quanquã negamus nos, baptismum aquæ pro iis, qui jam professione sunt Christiani, in Novo Fœdere vel nominari

52. *Sed longe alia res est baptismus, &c.*

R. Hæc de baptismo aquæ, quatenus Christum perpetuo antea professis ministratur, probes, & tibi manus dabimus.

53. *Nam tametsi per se, &c.*

R. Multa, quæ in hac parte latent, errata, non est hic retegendi & coarguendi locus.

54. *Christi sanguine, cujus typus est aqua baptismi, &c.*

R. Hoc nec verum est, nec usquam legitur.

55. *Baptizetur quisque vestrum in remissionem peccatorum, Act. 2. 38.*

R. Vide disputationem nostram cap. 5. & 7.

56. *Quibus perplacet quædam recipere, &c.*

R. Ad hanc calumniam, jam non semel responsum est.

57. *Ostendant nobis Scripturam Sacram, &c.*

R. Hoc à nobis fieri necesse esset, si ex altera parte scriptum inveniretur, aquæ baptismum omnibus peræque, qui Christiani esse velint, suscipiendum esse. Vide quæ cap. 16, disputationis nostræ paulo post initium scripta sunt. Atque in eo capite nihilominus, hoc quod à nobis inique requiritur, præstare non omisimus.

58. *An in illis sit & contineatur mandatum, &c.*

R. Non an in Christi verbis illis sit mandatum, quod nemo negat, sed quale sit, quæritur.

59. *Utrum illi verba hæc Christi intellexerint.*

R. Non utrum, sed quomodo.

60. *Audiant igitur adversarii, quid Lucas Euangelista, Act. 2. 35. de Petro dicat.*

R. Jam audiveramus. Vide disputationis nostræ cap. 5, ubi hic locus diligenter admodum excutitur.

61. *Jam Petrus etiam hoc.*

R. Insignis paralogismus & fallacia hic subest, ut cap. 2, nostræ disputationis demonstratum est.

62. *Sed etiam baptismum illis.*

R. Non baptismum, sed resipiscentiam potissimum in remissionem peccatorum inculcat Petrus. Soli enim resipiscentiæ alibi dum eidem populo concionatur, peccatorum remissionẽ attribuit, Act 3. 19. Soli autem baptismo nusquam. Vide quæ scripsimus disputationis nostræ c. 7.

63. *Et baptizetur unusquisque vestrum, &c.*

R. Non satis candide hic versaris, cum verbum, pœnitentiam agite, seu resipiscite, quod solum antecedit, & à quo Petrus suam responsionem auspicatur retices. Sed id nimirum fecisti, ut ipsi baptismo peccatorum remissionẽ a Petro ascriptam fuisse (rectene an secus) persuaderes.

64. *Mandatum Christi exequuti sunt.*

R. Quanquam hoc falsum est (nihil enim Christus de aquæ baptismo mandaverat, ut c. 2. disputationis nostræ ostendimus) quid tum postea? Adhuc enim tibi probandum est, non ad eos tantum, quibus ab Apostolis primum Euangelium prædicabatur, sed etiam ad cæteros omnes, qui Christi discipuli futuri essent, mandatum istud pertinuisse.

65. *Videmus eum tantam diligentiam adhibuisse.*

R. Hoc nos quoque, Deo est gratia, videmus, sed tamen de aquæ baptismo minime Christum locutum fuisse simul videmus, quod tu nondum videre potes.

66. *Certe si quis adeo sit cæcus.*

R. At in hoc turpiter tu hallucinaris, cum manifeste Christi verba de iis tantum loquantur, qui ab Apostolis eorumque successoribus docendi erant.

67. *Et simul doctrinæ Euangelii baptismum adjungunt.*

R. Imo quia adjungitur baptismus doctrinæ, sequitur manifeste, ubi doctrina non est opus, ibi baptismo quoque opus non esse.

68. *Baptizabat Joannes.*

R. Nihil ad præsentem disputationem pertinet, quidquid Johannes in negotio baptismi fecerit aut dixerit. Vide disputationis nostræ cap. 6.

69. *Alioqui quomodo Eunuchus de baptismo scire potuisset?*

R. Imo potuit Eunuchus (nec aliter credendum est) ex iis, quæ Hierosolymis fieri viderat, intelligere, morem esse, ut ii, qui in Jesum Nazaræum crederent, ad ipsumque ab alia religione converterentur, aqua in ejus nomine tingerentur.

70. *Et non universale mandatum.*

R. Non est necesse ut sit universale, satis est enim ad tuam ipsius rationem concludendam, si sit perpetuum. Sed perpetuum potest esse mandatum illud, nec tamen ad eos pertinere qui docendi non sunt, ut certe non pertinet, sive de aquæ baptismo, sive de quovis alio Christus locutus fuerit.

71. *Qui illi semper adhæret.*

R. Fidei non aquæ baptismus, sed oris confessio semper adhæret, vel potius adhærere debet, quacunque tandem ratione illa fiat.

72. *Ne quis existimet aliquem absque fide.*

R. Ergo si Christus dixisset, qui non crediderit, vel baptizatus non fuerit, condemnabitur, ex ejus verbis colligi potuisset, aliquem absque fide sola baptismi perceptione posse salvari. Quid minus verum dici potuit? Ista enim verba baptismum quidem ad salutem requiri declarant, sed per se sufficere nulla ratione. Imo dummodo absit fides, salutem contingere non posse aperte significat.

73. *Fidem quoque inutilem esse, &c.*

R. Si de fide in Christum loqueris, falsa dicis. Et Cornelii exemplum nihil ad rem facit, cum is fide Christiana præditus ante prædicationem non esset, quemadmodum ipse diserte fateris. Sin autem aliam fidem intelligis, hoc similiter nihil ad rem facit, cum supra de Christiana fide agatur. Pauli porro locus non quidem inutilem esse fidem, quam non præcedat prædicatio, sed non solere fidem sine prævia prædicatione contingere nos docet.

74. *Et ita universale, ut universalis est Euangelii prædicatio.*

R. Si ita universale est de baptismo mandatum, ut universalis Euangelii prædicatio; Igitur quemadmodum iis qui jam credunt non necesse est Euangelium prædicare, sic iisdem baptismum ministrare non est necesse.

75. *Tam prædicationi Euangelii, quam veræ fidei perpetuo adnexum esse baptismum videmus.* R. Quo

R. Quo sæpius hoc repetis, eo te negligentiorem in observandis sacris scriptoribus prodis, qui frequentissime fidei Euangelio habitæ mentionem faciunt, nihil prorsus de baptismo commemorantes. Lege quæ scripsimus Num. 34.

76. *Quod in se universale mandatum contineat.*

R. Quasi vero necesse sit, quicquid universale mandatum non est, esse adiaphorum vel consilium. Igitur præceptum (verbi causa) prædicandi Euangelium, quia universale non est, sed certis quibusdam hominibus a Christo datum, erit adiaphorum aut consilium. Et sic falsus fuerit Paulus, qui ait: *Necessitas mihi incumbit, væ autem mihi nisi Euangelizavero*, 1 Cor. 9. 16. Mitto autem, quod universale dici potest Christi mandatum illud, quod omnes complectitur, quibus annunciatur Euangelium, etiamsi omnes Christianos non complectatur. Quod si de aquæ baptismo locutus fuisset Christus, mandatum dedisse universale dici posset, ut quicunque ab Apostolis aliisve docerentur, iidem aquæ baptismo tingerentur. Sed quid hoc ad eos, qui ab ipsis incunabulis, aut saltem multo ante docti fuisse inveniuntur; quam de ipsis baptizandis agatur. Verum quando Christus de aquæ baptismo in eo præcepto non loquitur, non est cur hac de re hoc loco soliciti simus. Vide disputationis nostræ cap. 2.

77. *Eos omnino à Joanne fuisse baptizatos.*

R. Hoc satis non est, nisi eo baptismo, quem à Christo, ipsiusque Apostolis institutum esse vis, baptizati fuerint, qui à Johannis baptismo non parum differt. Id autem nullo prorsus modo est verisimile. Vide quæ scripta sunt 6. & 16. cap. disputationis nostræ.

78. *Ut Euangelista testatur, Joan. 1. 35, 37.*

R. Euangelista in locis à te citatis dicit, duos ex discipulis Johannis sequutos fuisse Christum. Sed quicunque Christum sequebatur, non continuo ejus Apostolus erat. De uno igitur tantum ex duobus illis certum est eum fuisse Christi Apostolum. Is autem Andreas fuit, ut scribitur paulo post ℣. 40. Tu tamen antea *quosdam* dixisti.

79. *Quorum pars præcipua fuerunt antea Joannis discipuli.*

R. Sed unde hoc colligis? Certè ut modo ostendimus, loci à te citati de uno tantum probant, imo nec de illo quidem, nisi cum loco à nobis citato conjungatur.

80. *Unum est, omnes istos qui nunc contradicunt baptismo.*

R. Hoc fortasse dici posset, si hodie quispiam adesset à Deo missus ad baptizandum, ut Johannes fuerat, à quo tamen isti baptizari nollent.

81. *Latronem etiam cum aliis omnibus (fieri potest) baptismo Joannis.*

R. De Latrone nihil à nobis unquam dictum fuit.

82. *(Quod citius concedent adversarii.)*

R. Hoc à nobis nunquam concedetur, si de Christi baptismo ab ipsis Apostolis primum usurpato, & de quo tota disputatio nostra esse debet, loqui velimus.

83. *Et baptizandi omnes credentes exequerentur.*

R. Verum hoc nihil ad rem, nisi seipsos quoque primum baptizare curaverint, de ipsorum enim non de aliorum baptismo hoc loco agitur.

84. *Etiamsi absque baptismo adjunxit sibi Christus.*

R. Non quæritur, cur, si baptismus necessarius est, Christus adjunxerit sibi Apostolos sine baptismo, sed cur ipsi post missum Spiritum Sanctum, baptismum in Christi nomine, quem antea non acceperant, suscipere neglexerint.

85. *At postea neminem illi adjunctum videmus.*

R. Vide quæ supra annotavimus Num. 34. & 74.

86. *Tamen temere sola obstinati animi pertinacia.*

R. Satis hac de re dictum Num. 4.

87. *Ut ita suæ opinionis, & tandem, &c.*

R. Nihil minus à nobis quæritur, sed tantum ne vos in Christum peccando ejus veros discipulos aversemini.

88. *Secundo, quia non de omnibus in genere dicit Paulus.*

R. Vide tertium testimonium, pro confirmanda sententia nostra, allatum, disputationis nostræ cap. 16, ut intelligas, te vim argumenti, ex eo Pauli loco desumpti, minime percepisse.

89. *Ubi ὅσοι non est universalis.*

R. Imo fatemur & ibi & alibi eam vocem esse universalem, sed non simpliciter, ut postea dicemus, ubi etiam quomodo, ex Pauli verbis argumentemur, breviter exponemus.

90. *Sed non respectu aquæ, sed Spiritus.*

R. Imo & respectu aquæ. Baptismus enim aquæ ipsius Christi, id est, quem Apostoli post Christi resurrectionem ministraverunt, in ipsius Christi Jesu nomen dabatur: Johannis vero minime. Quæ sola differentia satis superque est, ad ostendendum hunc baptismum ab illo longe diversum fuisse, vide quæ scripta sunt disputationis nostræ cap. 6.

91. *Quod Joannes in futurum Messiam, quem nondum noverat.*

R. Erras dum credis, quia Johannes monebat populum, ut in Christum crederent, idcirco eum in futurum Messiam baptizasse. Si caput 6. disputationis nostræ legeris, errorem tuum fortasse agnosces.

92. *Ut essetne Spiritus Sanctus nondum à quoquam audiverint.*

R. Imo hoc non à nescio quo Johannis baptismo baptizatos istos fuisse ostendit, sed in ipso Johannis baptismo nullam Spiritus Sancti mentionem fieri necesse fuisse demonstrat.

93. *Tantum abest ut eo peruncti.*

R. Quasi vero nemo rite baptismum Johannis suscipere posset, nisi prius Sancto Spiritu perfusus esset, de quo ibi est sermo. An non ipse Christus postmodum eum Spiritum Sanctum daturus erat? An non iidem ipsi qui ab Apostolis, post Christum glorificatum, baptizati sunt, post ipsum baptismum Spiritum Sanctum accipiebant?

94. *Et resipuerint.*

R. Quid prohibet, quo minus illi ex animo resipuerint, etiamsi Spiritum Sanctum non accepissent? Certe contra quam tu existimas Spiritus Sanctus post resipiscentiam dabatur, Act. 2. 38.

95. *Et in nomen Messiæ baptismum illum poposcerint & susceperint.*

R. Hoc sane perridiculum est. Non rite scilicet baptismum Johannis ministratum fuisse; nisi ipse baptizandus in nomen Messiæ illum postularet. Præterea unde colligis istos id non fecisse? Nonne ex eo, quod, ut ex ipsa historia satis liquet, nesciebant an in Christum Jesum credendum esset? Ergo si tibi credendum est, non solum in Messiæ nomen, sed in Jesu, tanquam Messiæ nomen, eum baptismum petere oportebat. Et quia Johannes ipse absque dubio non nisi rite baptizabat, non baptizabat nisi qui in ipsius Jesu nomen, tanquam Messiæ, baptismum abs se non peteret. Quis hæc portenta tulerit? cum ex ipsa historia aperte constet, & ipse paulo ante sis fassus, ne Johannem quidem ipsum, cum baptizare incœpit, Jesum pro Messia plane agnovisse.

96. *Sed quod alii ab ipso Joanne in omnibus istis probe instructi, &c.*

R. Imo aut ipse Johannes perperam multos baptizavit, aut certe ista instructio, ut rite à Johanne ministraretur baptismus, non necessaria erat; aut denique adhuc Christi discipuli baptismo opus habebant. Alioqui cum tota Hierosolyma à Johanne, ut ipse confiteris, jam baptizata fuisset, nunquam jussisset Petrus, ut Hierosolymis tria illa hominum millia in Jesu Christi nomine baptizarentur.

97. *Parvi pendere, vel ut verius dicam, pro nihilo ducere.*

R. Johannis baptismum non parvi pendimus, aut pro nihilo ducimus. Sed eo baptismo aliquem hodie tingi satis non esse constanter affirmamus, quod & vos confiteri necesse est, nisi baptizari quempiam rite posse, Jesu Christi nomine non invocato, plane contendatis. Non porro potuit Christus suo exemplo ulla ratione baptismum ullum nobis consecrare, nisi velimus ipsum Christum in sui ipsius nomen baptismum suscepisse.

98. *Pœnitentes & peccata sua confitentes baptizari.*

R. Non quidem omnes, sed eos tantum, qui antea publice Christo alia ratione, quam per baptismum, nomen non dedissent.

99. *In remissionem peccatorum.*

R. Nunquam, ut alibi innuimus, baptizatus fuit quis-

quam aquæ in remissionem peccatorum, sed in remissionem peccatorum pœnitentiam egit, quam consecuta est publica Christi nominis confessio, nulli præstituto ritui prorsus alligata.

100. *Neophyti.*

R. Imo Neophyti omnino baptizati erant, si modo nemo sine baptismo ad Ecclesiam aggregari poterat. Quandoquidem Neophytus is est, qui recens ad Ecclesiam aggregatus est.

101. *Catechumeni.*

R. De his Catechumenis respondimus in disputatione nostra cap. 6.

102. *Infantes.*

R. Atqui infantes non sunt pars Ecclesiæ, neque ad eos scribere potuit Paulus.

103. *Sed illos Apostolis induere Christum.*

R. Neque nos istud quærimus, sed dicimus Paulum, cum ad Ecclesias Galatarum scripsit, & iam aperte indicet, inter eos, ad quos scribit nonnullos fuisse non baptizatos, necesse esse, ut in Ecclesia aliqui etiam, qui baptizati non sint, locum habere possint.

104. *Tantum abest, ut illos cum aliis baptizatis unum corpus, & unam Ecclesiam faceret.*

R. Hic tecum ipse pugnas, qui, ut argumentum meum eluderes, paulo ante dixisti illos fuisse in Ecclesia.

105. *Neque verisimile est.*

R. Quomodo igitur isti ii esse possunt, quos inter eos, quibus scribit, baptizatos non fuisse, ex ipsius Pauli verbis constat?

106. *Sed constat eum solis baptizatis.*

R. Verum interim tu tibi non constas, qui, ut supra diximus, jam quosdam non baptizatos in illa Ecclesia esse potuisse concesseras. Nam ad Ecclesias Galatiæ, & sic ad omnes qui erant in illis Ecclesiis Paulus scripsit. Hic autem pro concesso sumis id quod nos maxime pernegamus, solos videlicet baptizatos Christum induere.

107. *Non tantum nobis & illis baptismum illum commendat.*

R. Longe admodum ab Apostoli scopo aberras, ut intelligere poteris ex cap. 10. disputationis nostræ.

108. *Ut pote per quem Christus induitur.*

R. Etiamsi Paulus eo in loco affirmaret, Christum per aquæ baptismum indui, non idcirco tamen negaret alio modo eum indui non posse.

109. *Sed particularem quæ ad quosdam tantummodo pertineat.*

R. Nemo est qui hoc dicat. Nam sciunt omnes ὅσοι apud Græcos idem valere, quod *quicunque*, sive *omnes qui*, apud Latinos. Quare manifestum est, eam vocem universalem esse, non tamen simpliciter, ut πάντες, sive omnes, sed ad aliquot relatum. Nam si dicam, omnes mortales sumus, hæc verba significabunt, neminem esse, qui mortalis non sit. At si dixero, quicunque, sive omnes, qui Christo obediunt; quamvis hæc verba, neminem Christo obedientem non complectantur, indicant tamen apertissime, aliquos esse, qui Christo non obediant. Cum igitur Paulus Galatis Christum profitentibus, sive Galatiæ Ecclesiis scribens dicat, quicunque baptizati estis: his quidem verbis omnes baptizatos complectitur, qui in illis Ecclesiis erant, sed interim aperte ostendit, in illis Ecclesiis aliquos fuisse, aut esse potuisse, qui baptizati non essent.

110. *Ὅσους ἂν εὕρητε.*

R. Repone hic pro ὅσους, πάντας, & videbis sermonem non cohærere, ex quo apparet, non idem esse ὅσοι, quod πάντες. Dic Latine, omnes invenerint. Quid hoc significabit? Nihil sane. Nonne hic quoque, cum dicitur, quoscunque invenerint, seu omnes, quos invenerint, num obscure significatur, non omnes ab ipsis inventum iri, seu fieri posse, ut aliquos non inveniant.

111. *Ὅσα αὐτοῖς ἐνετείλατο αὐτοῖς.*

R. Hoc exemplum similiter sententiam nostram comprobat. Apparet enim ex eo, etiamsi aliunde id non constaret, aliqua esse, quæ Christus Apostolis non præcepisset. Quanquam hic, non ὅσα simpliciter, sed πάντα ὅσα scriptum est.

112. *An putas ausos fuisse Apostolos docere aliqua.*

R. Quid hæc, quæso, ad rem? Non enim, ut interpretatio nostra consistat, ista necesse est vera nulla ex parte esse, sed satis est, aliquid esse (quicquid illud tandem sit) quod a Christo Apostolis injunctum non fuerit.

113. *Sequitur ne vel ipsum Patrem habere.*

R. Non sane ex istis quidem verbis, sed sequitur fortasse quædam esse posse, quæ Pater non habeat, ut certe non habet multa mala, quæ nos habemus, & hoc est, quod requirit interpretatio illa nostra vocis ὅσοι. Quanquam loci nostri, ut istius, quem attulisti, longe est diversa ratio, quam hic explicari non est necesse.

114. *Contra est igitur ac dicunt adversarii.*

R. Ita loqueris, quasi nos ex illis Pauli verbis probare velimus, etiam sine baptismo Christum indui, quod tamen minime conamur. Sed dicimus tantum, ex Pauli verbis perspicuum esse, aliquos ex iis ad quos scribit, fuisse, aut esse potuisse, qui baptizati non essent.

115. *Omnes nos ὅσοι ἐβαπτίσθημεν.*

R. Hunc locum quoque eodem cap. 10. disputationis nostræ enucleavimus.

116. *Num nisi istis tam apertis.*

R. Vide, quid Num. 21. scripsimus.

117. *Desiderant.*

R. Non quidem desideramus, sed tamen consistere eam posse asserimus. Vide disputationis nostræ cap. ultimum.

118. *Et abluto corpore aqua pura.*

R. Falsa est hæc eorum Apostoli verborum interpretatio, ut ex iis intelligi potest, quæ scripsimus cap. 3.

119. *Ad Galatas.*

R. Imo hunc locum de aquæ baptismo accipimus, quamvis aliter accipi posse demonstramus cap. 10 disputationis nostræ.

120. *Quia inibi nullam aquæ.*

121. *Quem quia internum habere.*

R. Aliæ prorsus sunt causæ, cur Paulum eo loco ad Cor. de aquæ baptismo loqui minime concedamus. Vide disputationis nostræ caput 8.

R. Sed neque hæc est causa, cur aquæ baptismo tingi non curemus, sed quia Christi nomen perpetuo professi sumus, & qui tales sunt, iis nulla prorsus accipiendi aquæ baptismatis necessitas incumbit.

122. *Idque in eo quod gratias agit Deo.*

R. Neque hic similiter mentem nostram es assecutus. Non enim in hoc nobis Paulum favere dicimus, sed in eo, quod affirmet, se ad baptizandum à Christo missum non fuisse, ut ex iis perspicuum est, quæ scripta sunt cap. 2. disputationis nostræ.

123. *Utrisque enim baptismus aquæ est medela.*

R. Nihil magis falsum aut superstitiosum dici potuit. Nam quod attinet ad eos, qui Spiritu S. gubernantur, quomodo quæso baptismus aquæ iis medebitur, cum jam ab omni morbo sint liberati? Ii vero, qui onere peccatorum premuntur, num, obsecro, ab aquæ baptismo suis morbis medicinam petent? Cum nemo ad aquæ baptismum, nisi jam fide firma præditus, & resipiscens, & sic peccatis liberatus, jure accedere possit.

124. *Cornelium illum Centurionem.*

R. Cornelius nunquam ante illum diem Christo publice nomen dederat.

125. *Quemadmodum neque Petrus.*

R. Vide disputationis nostræ cap. 12, ut intelligas, te Petri mentem non tenere.

126. *Nam si ideo enervar. debeat baptismus.*

R. Per illa Pauli verba non simpliciter enervatur baptismus, sed locus ille Matth. 28. enervatur, & ostenditur, Christum Apostolis non mandasse, ut aqua baptizarent. Vide disputationis nostræ cap. 2. ubi de illis Pauli verbis satis accurate disputatur.

127. *Itaque jam non habent amplius quicquam.*

R. Quid est canere triumphum ante victoriam, si hoc non est? Saltem disputationem nostram prius accurate legisses, quam hæc tam confidenter jactares.

128. *Desinant pacatos, humiles & abjectos turbare.*

R. Desinemus jam, quando tantopere superstitiosi estis, vobis (quod in rem alioqui vestram, & Dei gloriam esset) hac de re aliquid dicere: nec unquam aliquid locuti fuissemus, nisi vos priores, non ad loquendum modo, sed etiam ad scribendum nos provocassetis.

FAUSTI SOCINI SENENSIS

DE COENA DOMINI

Tractatus brevis.

UNA CUM

Ejusdem adversus scriptum Domini Johannis Niemojevii Defensione.

Adjecta sunt præterea alia quædam ejusdem auctoris de hoc argumento.

ACCESSERUNT

Fragmenta Duorum Scriptorum

FAUSTI SOCINI SENENSIS,

In quorum priore sententiam eorum, qui JESUM CHRISTUM DEI filium unum illum & altissimum DEUM esse, vel saltem antequam ex Maria nasceretur, reipsa extitisse affirmant, argumentis allatis refellere; in posteriore ad rationes adversariorum, quibus tres in unica Dei essentia personas adstruere conantur, respondere instituerat.



IRENOPOLI

Post annum Domini 1656

Ad Cœnæ Domini, finem & usum recte percipiendum,

BREVIS INTRODUCTIO.

Cœna Domini, ideo potissimum ab ipso Domino instituta est, ut perpetua extet in Ecclesia commemoratio & ipsius, & mortis, quam pro nobis sustinere voluit. Et merito quidem, cum nihil nec magis arduum, nec in quo magis ejus erga nos charitas eluxerit, eum fecisse constet. Namque, ut ipse ait Joh. 15. 13, majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Quid quod pro inimicis etiam suis mori voluit Christus? Nam certe omnes impii, ejus sunt inimici: pro iis autem, qui impii erant, eum mori sustinuisse, Paulus Apostolus locuples est testis Rom. 5. 6.

Probatur autem, istum fuisse præcipuum instituendæ Cœnæ Domini finem, ex ipsius Domini eam instituentis verbis, quæ apud Lucam & Paulum leguntur Luc. 22. 19. 1 Cor. 11. 24.

Primum enim uterque dicit, eum, postquam panem gratiis actis fregisset, discipulisque suis aut dedisset, aut porrexisset, statim post verba illa, *Hoc est corpus meum, &c.* addidisse: *Hoc facite in mei commemorationem.* Hanc porro Christi commemorationem, eo præcipue respicere debuisse, ut ejus mors, id est, corporis sui traditio in mortem, & sanguinis fusio, quam ipse nostri causa fieri voluit, commemoraretur à nobis & celebraretur, eamque usque ad ipsius adventum iterandam fuisse, partim res ipsa loquitur, partim apud Paulum plane testantur verba illa, (quæ tamen non Christi, sed ipsius Pauli censeri debent,) quibus ratio reddi videtur, cur jussisset Christus ista fieri in sui commemorationem; illa, inquam, verba: *Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, donec venerit &c.*

Ex istis autem Pauli verbis apparet, graviter errasse illos*, qui existimarunt, verbum (ut vulgata & Erasmi interpretatio habet) commemorationem, quod præcessit, quod in Græco ἀνάμνησιν, mutari debere in recordationem. Neque enim dicit Paulus, mortem Domini recordamini: sed mortem Domini annunciatis: quod profecto non recordationem, sed commemorationem & prædicationem omnino significat. Verbum autem ἀνάμνησιν commemorationem significare posse, cum per se verissimum est; tum probatur manifeste per locum illum Hebr. 10. 3. *Atqui in istis commemoratio fit peccatorum quotannis.* In Græco enim est, ἀνάμνησις. Atque haud scio, an fortasse usquam alibi (præterquam videlicet apud Lucam in loco, qui isti apud Paulum respondet) in Novo Testamento ea vox inveniatur. Non est igitur, quod quis ex verbo illo colligat, Cœnam Domini in eum finem institutam fuisse, ut nobis suggerat & in memoriam revocet mortem ipsius Domini. Id quod nulla alioqui Sacrarum Literarum auctoritate, nullave ratione probari potest. Commemoratio autem ista, & prædicatio mortis Christi, id necessario conjunctum habet, ut gratiæ agantur, cum ipsi Christo, tum vero Deo Patri ejus, cujus mandato ille animam suam posuit Joh. 10. 18. Nam quod summam charitatem & dilectionem erga nos præstiterit Deus in morte filii sui, plura Sacrarum Literarum testimonia apertissime docent, præsertim vero illud Rom. 5. 8: *Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod, cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.* Gratiarum certe actionis in Domini Cœna potissimum rationem semper habitam fuisse, vel id satis ostendit, quod ab ipsis ferme Ecclesiæ Christi primordiis Eucharistia potissimum nominata est, quod vocabulum nihil aliud significat, quam gratiarum actionem. Itaque tantum abest, ut hic Cœnæ Domini ritus idcirco institutus fuerit, ut nobis beneficium mortis Christi, ut plerique hodie asserunt, in memoriam redigat, ut nisi quis id beneficium ante non solum recte meminerit, sed etiam interiore animo agnoverit ac senserit, indignus sit, qui ad eum ritum accedat, & mensam Domini participet. Nam quomodo potest quisquam gratias agere pro eo beneficio, quod non vere agnoscat & sentiat? Cæterum, quod omnes fere opinantur, hoc ritu, quem Sacramentum appellant, confirmari saltem fidem nostram; ne id quidem verum censeri debet; cum nec ullo sacro testimonio comprobetur, nec ratio ulla sit, cur id fieri possit. Quomodo enim confirmare potest nos in fide id, quod nos ipsi facimus, quodque, licet à Domino institutum, opus tamen nostrum est, nihil prorsus miri in se continens, aut præ se ferens, nihil denique habens, quod quicquam eorum verum esse nobis ostendat, vel suadeat, ex quibus fides nostra confirmari queat. Nec enim panis ille fractus, & à nobis comestus, vinumque in poculum infusum, & à nobis epotum, ostendunt nobis, aut suadent, vere Christi corpus pro nobis fractum fuisse, & sanguinem fusum: sed nos pane illo frangendo & comedendo, vinoque infundendo ac bibendo, tanquam ii, qui jam ista firmiter credimus, ea, ut possumus, & ipsi Christo visum est, commemoramus, & quodammodo repræsentamus, comedentes, inquam, ex ipsius Christi præscripto, ex isto pane, & bibentes ex vino, ut simul etiam nos corpore Christi pro nobis fracto, & sanguine fuso in spem vitæ æternæ ali ac nutriri, non secus ac pane & vino ad hanc mortalem vitam alimur ac nutrimur, palam profiteamur; non autem ut comedendo & bibendo spem istam nanciscamur, aut illam augeamus.

Denique in cœna Domini, nihil ex ipsius Domini instituto præter panem & vinum ex ipsa cœna accipimus, sed jam accepta commemoramus, deque iis gratias agimus. Nam quod Dominus eam instituens, discipulis suis dixit, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, &c, bibite, Hic* sive *hoc, est sanguis meus*, aliud sine dubio significat, quam Dominum ipsum corpus & sanguinem suum sive corporaliter sive spiritualiter illis commedendum ac bibendum dedisse. Corporaliter enim, præterquam quod res fuisset per se horribilis plane, ac nefaria & monstrosa, nihil etiam omnino profuisset. Spiritualiter vero, nullo modo id ea ratione fieri poterat, non enim ore, sed corde id fit; nec porro id ipsum aliqua ex parte creditur, sed prorsus sentitur; idque non potius in ea cœna, quam extra illam & ubique, & semper. Quocirca certum esse debet, non aliam ob causam potissimum, panem suum corpus, & vinum suum sanguinem, Dominum appellasse, quam quod eo frangendo & infundendo, edendo & bibendo, corporis & sanguinis ipsius pro nobis fracti & fusi commemoratio fieri debeat. Quemadmodum in re simillima, quamque in Vetere Testamento huic plane respondere omnes volunt, factum esse videmus, ut scilicet agnus ille, quem quatuordecima die primi mensis jussi fuerant Israëlitæ comedere Exod. 12. 11, 21, 43, 48, quatenus ab illis comedebatur, Pascha, seu potius Pesach, id est transitus, seu transilitio (videlicet Domini, id, quod alicubi expressum fuit) sæpissime est appellatus, nempe quia eo secundum Domini præceptum comedendo commemoratio fiebat transi-

* Beza.

tranſitus, vel potius tranſilitionis Domini, cum egreſſus eſt Angelus ejus, ad occidendos una nocte primogenitos Ægyptiorum in ipſorummet domibus, tranſilitis vero interea omnibus Iſraëlitarum domibus, quarum poſtes agni ſanguine illiti ab ipſis & notati fuerunt. Adde, quod rectiſſime potuit Chriſtus panem illum, quatenus frangebatur, ſuum corpus appellare, ut diſcipulis ſuis futuram mox corporis ſui fractionem adumbraret. Ac ſi dixiſſet: ſicut videtis frangi panem hunc, quem vobis do comedendum: ſic certo ſcitote, mox futurum, ut corpus meum pro vobis frangatur. Idcirco leguntur apud Paulum, ut habetur in Græco codice, verba illa, *Quod pro vobis frangitur.* Idem dico de vino, quatenus infundebatur. Namque apud omnes tres Euangeliſtas, qui inſtitutionis cœnæ Domini meminerunt, non ſimpliciter ſanguinem ſuum illud appellat Dominus, ſed ſuum, qui pro multis, ſeu pro illis, quibus poculum porrigebat, funderetur, ſanguinem. Ex quo etiam conſtare poteſt, Chriſtum nec corpus, nec ſanguinem ſuum revera diſcipulus dediſſe, cum nondum aut illud revera frangeretur, aut hic funderetur. Similis autem admodum res & locutio eſt apud Ezechiëlem cap. 5. ℣ſ. 1. & d. cui cum juſſiſſet Dominus caput & barbam radere, atque unam pilorum partem igne comburere, alteram circumquaque gladio concidere, tertiam ad ventum diſpergere, reſervato autem prius ſub alis ſuis ex hac tertia parte exiguo pilorum numero, ex quibus rurſus quoſdam igne combureret; poſtquam (inquam) hæc juſſiſſet Dominus, quibus mox futura clades civitatis Hieroſolymitanæ adumbrabatur, ſtatim additur, *iſta* ſive *iſtud eſt Hieruſalem, &c.* Quin & ipſe agnus Paſchalis cum primum inſtitutus & comedi juſſus fuit. Vide Exod. 12. 11, 21, etiam ante Domini tranſitum, vel tranſilitionem illam, cum jam ea inſtaret, Peſach Domini vocatus eſt. Ut igitur ad propoſitum revertamur, & concludamus; dico, in ſumptione illa panis & vini, quæ fit in cœna Domini, nihil præter panem ipſum & vinum, ſive a credentibus ſive à non credentibus accipi, nec corporaliter, nec ſpiritaliter. Quandoquidem non aliquid nobis dandi cauſa ritum hunc inſtituit Dominus; ſed ut, quæ jam dedit, à nobis commemorentur, deque iis gratiæ agantur; idque communiter comedentibus & bibentibus nobis ſimul ex eodem pane & ex eodem poculo, unde nos ejuſdem corporis eſſe intelligatur, omneſque ſimul eorundem beneficiorum Chriſti participes, & indiſſolubili mutuæ charitatis nodo inter nos conjunctos. Ex quo factum eſt, ut hic ritus ab antiquiſſimis temporibus, nominibus communionem & conjunctionem ſignificantibus, appellatus fuerit. Itaque non percipitur ullo modo, nec ab ullis in cœna Domini, ex vi aliqua ſingulari, ſive ex ipſa cœna manante, ſive inibi potius, quam alibi divinitus proficiſcente, corpus & ſanguis Domini, ſed jam ſumptum utrumque eo modo fuiſſe, quo ſumi poteſt, declaratur. Id autem aliud nihil eſt (quatenus ſcilicet alterum pro nobis fractum, alter vero eſt fuſus; de hac enim utriuſque ſumptione hic agitur) quam agnoſcere & ſentire, ex plagis, vulneribus, & morte, quam in cruce Dominus ſuſtinuerit, factum eſſe, ut & nos voluntatem Dei teſtatam atque obſignatam habuerimus, qui ipſi Chriſto fidem habentibus, id eſt, ei obedientibus, peccatorum omnium remiſſionem, & porro æternam vitam, quemadmodum ipſe Chriſtus promiſerat, largiri & donare decreverit; & Chriſtus ipſe eam poteſtatem cum immortalitate conjunctam ſit adeptus, non modo quæ futuræ noſtræ immortalitatis certiſſimum pignus nobis eſſe poſſit, verum etiam, qua ipſe Chriſtus, ex promiſſo ſuo nos immortales reddere queat, ut nihil nobis deſit, quo ſpes beatitatis noſtræ, ſi Chriſti fuerimus, hoc eſt, ſi illi obediverimus, ejuſque ſpiritum, qui juſtitiæ, ſanctitatis, & innocentiæ, ac ſui ipſus abnegationis, omniumque mundanarum cupiditatum abjectionis ſpiritus eſt, participaverimus, ali & ſuſtentari poſſe videatur.

Quamobrem non immerito dixit Chriſtus, poculum illud eſſe Novum Teſtamentum in ſuo ſanguine, nimirum quia ceremonia illa fœdus, quod nobiſcum Deus per ipſum Chriſtum pepigit, ejuſque ſanguine ſanxit, à nobis omnibus commemoratur, & concelebratur, idque ex ipſius Chriſti inſtituto uſque ad conſummationem ſeculi, cum ipſe veniet nos è terræ pulveribus excitaturus. Ejuſmodi autem perpetui ritus, & omnibus prorſus communes, Fœdera ſeu Teſtamenta divina per ſe ipſa nominari ſolere, circumciſio eo nomine ab ipſo Deo decorata, abunde teſtari poteſt Gen. 17. 10, 13.

Poſtremo animadvertendum eſt, poſſe quidem in ipſa cœna Domini celebranda confirmari & augeri fidem: ſed non ex ipſa panis & vini ſumptione, nec ex virtute aliqua divina, quæ ibi potius, quam alibi exeratur; ſed ex mutuis cohortationibus, mutuoque Chriſti præceptis obedientiæ exemplo, ex ſolenni illa commemoratione & concelebratione beneficiorum Dei & Chriſti, & denique ab ipſo divino verbo, toti ceremoniæ adjuncto. Ad quam nemo accedere debet, vel ſine fide & charitate, quam, ut dictum eſt, omnes in ea neceſſario profitemur; vel ſine debita reverentia, alioqui reus erit ſpreti corporis, & ſanguinis Domini, quorum cauſa ea inſtituta eſt, & tanquam is, qui cum Spiritu Sancto quodammodo luſerit, eive mentitus ſit, eas pœnas, quas Ananias cum uxore Saphira dedit, Deo & Chriſto dare dignus fuerit.

APPENDIX

Ad ſcriptum de Cœna Domini.

SUnt, qui omnino credant, cœnam Domini nobis teſtari Dei erga nos benivolentiam. Hoc nullo modo verum eſſe poteſt, quemadmodum ſatis ex iis conſtare arbitramur, quæ ſupra à nobis dicta ſunt, cum hac ceremonia fidem noſtram minime confirmari oſtendimus. Certum enim eſſe debet, nulla alia ratione iſtud teſtimonium à cœna Domini proficiſci poſſe, (ſi modo proficiſcitur,) niſi quia illa nobis teſtetur, Chriſtum Dei filium pro nobis mortuum fuiſſe, & corpus ſuum frangendum, ſanguinemque ſuum fundendum noſtri cauſa dediſſe. Atqui hoc nobis nullo pacto teſtatur cœna Domini. Ergo teſtimonium iſtud ab illa proficiſci non poteſt. Quod autem hoc cœna Domini non teſtetur, vel ex eo ſatis patet, quod fieri poſſit, ut Chriſtus pro nobis mortuus non fuiſſet unquam, & tamen nos hac ceremonia uteremur. Nam quid inſulſius, quam ſi quis ita argumentaretur: Nos panem iſtum frangimus & comedimus, vinum item iſtud infundimus & bibimus, idque ut prædicemus, Chriſtum corpus ſuum & ſanguinem pro nobis tradidiſſe: Igitur verum eſt, Chriſtum ita feciſſe. An non manifeſtum eſt, rem contrario ordine colligendam eſſe; hoc nimirum pacto: Nos jam omnino perſuaſum habemus, Chriſtum, Deo ita volente, ſuum corpus, ſuumque ſanguinem pro nobis tradidiſſe. Idcirco ea de re illi, Deoque ipſius Patri gratias agentes, ex ipſius Chriſti, ut credimus, inſtituto, ad ejuſdem rei commemorationem & prædicationem, panem hunc frangimus & comedimus, & vinum hoc infundimus & bibimus, atque hac ratione id, quod factum aliquando fuit, & cujus teſtimonium in Sanctis Literis, in Chriſti martyrum ſanguine fuſo, in tot hominum id olim profitentium innocentiſſima cum doctrina, tum vita, in miris operibus ad ejus rei confirmationem per aliquot ſecula, in orbis terrarum conſpectu, patratis, in cœleſtibus denique donis, quæ ii, qui hoc profeſſi ſunt, tam longo tempore perſpicue acceperunt, & etiamnum aliqua ratione accipiunt & ſentiunt, apertiſſime extat; hoc, inquam, ita teſtatum, nos non quidem teſtamur (quid enim hæc cerimonia ad illud teſtificandum) ſed adumbramus tantum & quodammodo delineamus, & quicquid

quid testimonii à nostra ista ceremonia proficiscitur, id non ad rem ipsam, quam commemoramus & prædicamus, sed ad animum & fidem nostram testandam pertinet; qui animus & fides (ut dictum fuit) jam vel adest, vel certe adesse debet, antequam ad ceremoniam ipsam accedamus, nec ejusmodi rebus vilibus per se, & terrenis, immo plane mutis & mortuis, qualis est panis & vinum: sed aliis præstantissimis & cœlestibus, iisque vivis quodammodo & loquentibus, in nobis & gignitur & augetur

Verum quidam ex iis, qui cœnam Domini, ut diximus, omnino divinam nobis gratiam & benivolentiam testari volunt, afferunt locum illum 1 Joh. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Dicunt enim spiritus nomine intelligi verbum Dei; Aquæ, baptismum; sanguinis, cœnam Domini. Hæc ejus loci explanatio, non ab ita multis hodie, ut arbitror, comprobata deprehendetur, inter illos etiam, qui baptismo & cœnæ Domini plus tribuunt, quam unquam in Sacris Literis tribuatur. Et sane, si ea recipienda esset, oporteret saltem fateri, Johannem graviora testimonia omisisse, ut leviora commemoraret. Nam demus, baptismum & cœnam Domini aliquo modo in terra nobis cœlestem veritatem testari, (quod tamen quam longissime à veritate abhorret) nunquid non eam multo magis illa testantur in terra, quæ à nobis paullo ante commemorata sunt, doctrinæ videlicet, vitæque innocentia eorum, qui Christum sunt amplexi, ipsiusque Christi martyrum effusus sanguis? Atqui nisi hæc aquæ sanguinisque nomine, non autem baptismus, aut cœna Domini intelligantur, ea omnino reticuisse Johannem confitendum erit. Adde; quod nusquam alibi sanguinis nomine cœnam Domini significatam invenies, nec porro ulla causa est, cur id hoc loco suspicari liceat, præsertim, cum, si recte quis animadvertat, ne aquæ quidem simplici nomine, aquæ baptismum (nisi me memoria fallit) usquam significatum fuisse, jure affirmari possit. Jam vero (ut de hoc etiam aliquid dicamus, & totius loci veram explicationem afferamus) Spiritus nomine Dei verbum nec solum nec præcipue intelligendum est, quamvis nos minime dubitemus, quin prædicatio Euangelii alicubi spiritus nomine à Sacris Scriptoribus fuerit appellata. Alioqui hic quoque graviora prætermisisset Johannes, ut leviorum mentionem faceret, aut certe id, quod levius est, graviori antetulisset. Multo enim gravius est testimonium miraculorum & donorum cœlestium, quæ vel una cum Euangelii prædicatione conjuncta fuerunt, vel etiam separatim in Ecclesia, ad confirmationem tamen Euangelii prædicationis extiterunt, quam ipsius prædicationis Euangelii. Immo, si proprie loqui volumus, Euangelii prædicatio per se non est testimonium, quale Johannes intelligit, & nos in tota hac disputatione intelligimus, id est, quæ rem sic se habere approbet: sed potius ea ipsa res est, quæ testimonio indiget: maxima autem ejus rei, inter cætera, testimonia, sunt miracula & dona prædicta. Adeo, ut vix credam, Johannem sub spiritus nomine, ipsam Euangelii prædicationem comprehendere voluisse. Quid igitur? Cum Johannes enumerare vellet præcipua testimonia, non quidem simpliciter divinæ gratiæ & benevolentiæ erga nos, sed totius veritatis divinæ, quæ Christi & Euangelii mysterio continetur, ea sub nomine spiritus, & aquæ, & sanguinis commemoravit, alludens interea sine dubio, quod attinet ad aquam & sanguinem, ad eam aquam & sanguinem, qui ex Christi latere fluxit, cujus rei ipse diligenter in ipsa de Christo historia meminit Joh. 19. 34, tanquam scilicet typi cujusdam divini rei alterius, quam hic intellexerit. Itaque spiritus nomine, omnia Spiritus Sancti opera, quæ ab ipsius Christi prædicationis initio in Ecclesia, ad veritatis divinæ confirmationem, vel jam extiterant, vel adhuc extabant, comprehendere voluit: Aquæ, vitæ doctrinæque primum ipsius Christi, deinde etiam Christianorum, non puritatem tantum & innocentiam, sed admirandam etiam quandam novitatem: sanguinis vero, primum similiter ipsius cruciatus & cruentam mortem (nam & ante dixerat, Christum per aquam & sanguinem venisse;) deinde etiam omnes Christianorum afflictiones, & cruces, potissimum vero violentas, crudelesque mortes, quas ob Christi & Euangelii ejus professionem perpetuo subire non detrectabant. Hæc sunt & præcipua; & vera, & propria, & fortasse omnia aperta divinæ veritatis testimonia. Quare hanc omnino verborum Johannis explanationem sequamur, & rebus frivolis atque inanibus relictis, ea, quæ certa & solidissima sunt, toto animo amplectamur & retineamus.

Ex Articulis Synodi Lublinensis generalis Anno 1593. quos Ministri & Seniores Ecclesiarum de uno Deo Patre per Poloniam, & Magnum Ducatum Lithuaniæ consentientes, in eadem Synodo congregati, unanimi consensu approbarunt,

Articulus Octavus.

Finis vel scopus cœnæ Dominicæ est commemoratio Christi & annunciatio mortis ejus, id est, celebratio, quæ proprie cum gloria Domini Jesu Christi, & gratiarum actione conjuncta est, cum nostra (dicimus) gratiarum actione Domino Jesu Christo, quod is corpus suum pro nobis crucifigendum & sanguinem effundendum tradiderit, quod per panis fractionem, & vini in calicem fusionem repræsentatur, & ob oculos ponitur. Quod vero ad manducationem corporis Christi attinet, & sorbitionem sanguinis ipsius; nullo pacto in ipsa cœna dominica magis manducamus Christi corpus, & bibimus ejus sanguinem, nec corporaliter, nec spiritualiter, quam alibi. Eadem etiam ratione, quod fides nostra per cœnam Dominicam augeri & confirmari debeat, nullibi scriptum extare asseveramus. Quamvis, si id forte accidat vel eveniat, non ex ipsa cœna Domini, neque ex rebus, sine quibus ipsa celebrari nequit, sed ex aliis accidentibus omnino provenire seu proficisci affirmamus.

Ad Epistolam D. JOHANNIS NIEMOJEVII ad D. GEORGIUM SCHOMANNUM, ab ipso quidem Polonice scriptam, nunc vero in Latinum conversam, ubi de F. S. scripto agitur, in quo de usu & fine Cœnæ Domini breviter disputatur; ejusdem S. Responsio.

JOHANNES NIEMOJEVIUS ad GEORGIUM SCHOMANNUM.

Gratia & pax à Deo Patre & Domino Jesu Christo &c.

REddita mihi sunt scripta mea duo, quæ tibi chare frater Georgi, miseram examinanda. Expectabam tuum judicium: sed loco judicii tui, reddita est mihi D. Socini in alterum istorum scriptorum censura.

F. S. Cum apud D. Georgium Schomannum, dum nuper Cracoviæ aliquandiu fui, vidissem D. Johannis Niemojevii scriptum Polonicum adversus theses Emanuëlis Vegæ Latinas, de Transubstantiatione, quam vocant, in Eucharistia, seu cœna Domini, ab eodem Schomano impetravi, ut mihi illud legendum & examinandum concederet. Nam cum ab eo rescissem, D. Niemojevium de scripto publice edendo cogitare, cognoscere volui, num aliquid in eo esset, quod correctionis indigere mihi videretur, ut quantum in me esset, conarer, ne nostrorum hominum scripta ulli justæ reprehensioni obnoxia essent, & quam emendatissima in lucem prodirent, nihil dubitans, quin D. Niemojevius pro sua pietate ac prudentia à me, quantumvis ab se minime rogato, in ejusmodi rebus commonefieri, nequaquam ægre laturus esset; immo sperans, eum mihi gratias pro labore, quem ipsius & Ecclesiæ causâ sumpsissem, humaniter acturum. Perlecto igitur & satis diligenter perpenso ejus scripto, cum quædam mihi in eo deprehendisse viderer correctione digna, potissimum vero, quod ea Sacramentis (quæ dicuntur) tribueret, quorum in Sacris Literis nulla fieret mentio, adeo ut eorum sincerus ac germanus usus & finis, præsertim vero cœnæ D. perverteretur, aliis in præsentia omissis, ut de hoc ipsum plenius commonefacerem, quod maximi momenti mihi est visum, misi statim ad eum quoddam breve meum scriptum de usu & fine cœnæ D. in amicorum gratiam jam pridem conscriptum, ex quo videlicet aperte intelligere posset, quid ego, & quamobrem ab ipso hac in re diversum sentirem, & propterea ejus scriptum corrigendum putarem. Postmodum vero animadversiones mas non paucas, partim de gravioribus aliis, partim etiam de levioribus quibusdam rebus in universum ejus scriptum ad eum misi. Hæ sunt, quas ille hic censuram meam in ipsius scriptum vocat, de quibus tamen in hac Epistola non agitur revera: sed meum scriptum notatur, & sententia, quæ inde elicitur, graviter reprehenditur atque oppugnatur.

N. Nescio, an tu cum D. Socino in negotio Sacramentorum consentias: Ego ingenue fateor, meam sententiam tantum distare ab opinione D. Socini, quantum cœlum à terra distat.

S. Satis est mihi, si sententia mea cum divinis testimoniis consentiat, ut certe consentit, quidquid alii ab ea abhorreant. Quanquam plurimi hodie sunt, & antea fuerunt, viri cum doctrina tum pietate præcellentes, qui eam & amplexi sunt, & constanter fovent.

N. Non miror, quod vilipenso sacri baptismatis usu, sanam ac veram de eo sententiam haud teneat: quod ipsi sufficienter ostendit frater noster Alexander piæ memoriæ, si modo veritati locum dare vellet, aut posset.

S. Tanti à me fit aquæ baptismus, quanti à scriptura fit, & ne pluris eum faciam, quam Spiritus Sanctus velit, diligenter mihi caveo, divinis testimoniis, ratione, ipsoque usu edoctus, alioqui ingentem fenestram ad hypocrisim & superstitionem patefieri, qua veræ pietati ac religioni nihil magis adversari potest. Jam D. Alexandri Vitrelini scriptum, quod meæ disputationi de baptismo aquæ opposuit, tantum abest, ut vel me, vel alium quempiam a mea de baptismo sententia revocare aut deterrere jure possit, ut in ea potius confirmandi vim habeat, & ne responsione quidem dignum censeri debeat. Id quod fortasse aliquando omnibus piis & cordatis viris palam fiet.

N. Quod ad cœnam Domini attinet, id cogor dicere, me neminem hactenus legisse, qui adeo contentim hac de re sentiat, ut in brevi hoc scripto, quod mihi D. Socinus per fratrem nostrum D. Joëlem misit, apparet; quod ex aliquot rebus ostendam &c.

S. Et tamen Zuinglius variis in locis, Oecolampadius, Capito, Borrhaus, ante annos 60, multa scripserunt, quæ per Dei gratiam publice extant, illis, quæ in illo meo scripto continentur, plane consentanea. Quin & ipse Bucerus, sententiæ, quam D. Niemojevius tuetur, vel auctor, vel certe propagator insignis, alicubi ea scripta reliquit, quæ cum mea sententia prorsus conveniunt, quod ipsis locis prolatis ad finem hujus meæ responsionis ostendam, si modo libros scriptaque mea habere potero, quæ in habitatione mea, quam regii aulici occupant, relinquere coactus fui.

N. Opponit sese interpretationi hominum eruditorum, qui voce Recordationis loco Commemorationis utuntur. Ego Græcus non sum, nec ad ejusmodi controversiam de verbis descendo: Mirum tamen mihi est, doctos istos Viros proprietate vocis Græcæ tam bene non esse usos, eamve intellexisse, ut D. Socinus. Sed apparet, quod ipse etiam D. Socinus præbeat hac de re aliquam dubitationis speciem, ita scribens: *Verbum autem ἀνάμνησις commemorationem significare posse &c.* quo indicat, hanc vocem fortasse utramque significationem posse recipere, hoc est, & commemorationem & recordationem significare.

S. Scripseram ego nominatim in loco Pauli Apostoli 1 Cor. 11, non debuisse mutari verbum commemorationem, quod in Vulgata & Erasmi interpretatione legitur, in recordationem: sequentia enim verba manifeste demonstrare, Paulum non recordationis sed commemorationis sensu verbum ἀνάμνησιν protulisse, quod adeo verum est, ut Erasmus & eum sequuti Tigurini, nec non Castellio, qui prius ambiguitate vocabuli decepti in simili apud Lucam loco recordationem vocabulum illud interpretati fuerant, scripserantque, *in mei recordationem*; postea cum ad Pauli locum ventum est, loco ipso monente, coacti quodammodo fuerint alteram ejus verbi præcipuam significationem amplecti, ac scribere, illi quidem; *in mei commemorationem*; hic

vero,

vero, *ad mei memoriam*: neque enim *ad mei memoriam*, aliud revera significat, quam *in mei commemorationem*. Nihil autem opus erat, ut D. Niemojevius ostenderet, ex ipsis verbis meis colligi, me ipsum concedere, verbum ἀνάμνησιν recordationem significare posse. Neque enim propterea colligitur, me dubitare, utrum in Pauli loco, & consequenter etiam apud Lucam, id verbum recordationem significare possit. Siquidem, ut antea me in meo scripto jam scripsisse monui, nihil prorsus dubito, quin propter sequentia illa Pauli verba: *Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, donec venerit*; verbum illud ibi non quidem recordationem, sed commemorationem significet. Et propterea in notis meis ad scriptum D. Niemojevii contra Vegam asserui, recte fecisse D. Czechovicium; qui in sua Polonica interpretatione modo wspominanie / modo przypominanie / illud reddidit. D. autem Niemojevium non recte, qui non semel hoc ipsum verbum in eo scripto Pamięć interpretatur. Nam quod verbum ἀνάμνησις commemorationem in ipsis Sacris Literis significet, ut pridem in meo scripto monui, ex hoc loco patet, qui fortasse unicus est in toto Novo Testamento, præter hunc Pauli & Lucæ locum, ex verbis videlicet illis Epistolæ ad Hebr. 10. *Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit*, ut habet vulgata editio. In Græco enim est verbum ἀνάμνησις, quod una cum vetere interprete alii omnes, quos ego quidem vidi, vel Commemorationem, vel, quod hic idem est, repetitam mentionem reddiderunt: nec sane aliter, quam ejusmodi vocibus reddere potuerunt.

N. Verum non de voce, sed de rebus agitur. Mihi ita videtur, quod, ubi fit rei alicujus commemoratio, id sine recordatione non fiat. Immo si coram aliis [quippiam] debemus commemorare, consentaneum est, ut ipsi ejusdem non obliviscamur, sed in memoriam id nobis redigamus. Dicet, mortem Domini nostri nunquam debere nobis excidere memoriâ: verum, quia adhuc sumus in fragili hoc corpore, & tentationibus obnoxii, non sine causa, perpetua exercitatione in verbo divino indigemus, ut assidue beneficium Dei & Domini Jesu Christi expendentes & commemorantes, in officio Christiano exhortari nos ipsos queamus. Israëlitæ cum agno vescebantur, nonne beneficium divinum commemorabant?

S. De re quidem, non de verbis agitur, sed tamen res ex verbis elicitur, quæ si quis spernit, is & rem ipsam imprudens aspernatur. Res, de qua agitur, est, utrum cœna Domini in eum finem instituta fuerit, ut ipsa nobis suggerat, & in memoriam revocet mortem ipsius Domini, nec ne: id quod nequaquam explicari potest, nisi intelligatur, quid sibi velit verbum ἀνάμνησις, in illis Domini verbis: *Hoc facite in mei ἀνάμνησιν*. Ego quidem institutionis cœnæ Domini finem istum non agnosco, & propterea verbum istud in illis Domini verbis, non recordationem, sed commemorationem interpretandum esse affirmo. Quid igitur, quæso, est, quod Dominus Niemojevius de re ipsa agens ait, sibi videri, iż gdy frorenyrzecży bywa rospominanie ie bez wspeminania to nie bywa: Nunquid fortasse duorum istorum verborum Rospominanie & wspominanie / alterum recordationem, alterum commemorationem significat? Ego sane, quamvis linguæ Polonicæ admodum rudis, neutrum recordationem, sed utrumque commemorationem significare ausim asserere. Deinde quid, obsecro, ad propositam quæstionem pertinet, vel recordationem sine commemoratione, (quod tamen manifeste falsum est) vel contra commemorationem sine recordatione esse non posse? Neque enim quæritur, num mortis Domini utrumque, an alterum, in ipsius cœna sit, nec ne: sed num in eum finem ea fuerit instituta, ut alterum istorum, nempe recordationem ipsa in nobis gignat. Nihil igitur est, quod subjicitur, consentaneum esse, ut cum quid coram aliis commemorare volumus, ipsi ejusdem non obliviscamur, sed in memoriam id nobis redigamus; præsertim cum non oblivisci, & sibi in memoriam redigere, omnino ipsam commemorationem antecedat, & ex ipso usu cœnæ Domini commemoratio quidem mortis ipsius Domini proficiscatur, recordatio autem minime; quippe quæ ipsum usum antecedere plane debeat, si modo legitimus & non præposterus is usus est futurus. Jam vero, quamvis verissimum sit, id quod ipse D. Niemojevius verum esse agnoscit, & me dicturum putat, mortem Domini non debere nobis unquam è memoria excidere: tamen nunquam negatum est à me, fragilitatem nostram indigere ad hanc rem præstandam adminiculis quibusdam; sed cœnam Domini propterea institutam fuisse, ut ejus usus unum ex istis adminiculis sit, hoc vero & pernegavi, & pernego, ac constanter assevero, tantum abesse, ut quis idcirco ad cœnam Domini aut debeat, aut etiam possit accedere, ut vi ejus ceremoniæ, sumptione scilicet ejus panis & vini, sibi in memoriam Christi mortem redigat, ut, nisi antequam illuc accedat, non modo recte ejus meminerit, sed ejus efficaciam & fructum jam interiore animo gustet ac sentiat, indignus plane sit, qui eo accedat. Cæterum nequeo videre, cur D. Niemojevius interroget, an non Israëlitæ, cum agno illo paschali vescebantur, beneficium Dei commemorarent; quasi vero ego negem, in cœna Domini Dei beneficium commemorari, cum potius id urgeam atque inculcem, & præcipuum ejus sacri ritus finem esse statuam.

N. Sed audiamus quippiam majus, dum ita scribit: *Cæterum quod omnes fere opinantur, hoc ritu, quem Sacramentum appellant, confirmari saltem fidem nostram, ne id quidem verum esse censeri debet, cum nec ullo sacro testimonio comprobetur, nec ratio ulla sit, cur id fieri possit. Quomodo enim confirmare potest nos in fide id, quod nos ipsi facimus, quodque licet à Domino institutum, opus tamen nostrum plane est, nihil prorsus miri in se continens, aut præ se ferens, nihil denique habens, quod quicquam eorum nobis verum esse ostendat vel suadeat, ex quibus fides nostra confirmari queat, &c.* Hujusmodi argumento nonne etiam auditioni verbi divini id adimit, quod per eam confirmemur in fide; siquidem & hæc est opus nostrum? At legimus, ex auditione esse fidem, quæ per eandem auditionem in animis piis perpetuo confirmatur & augetur. Usui vero Sacramentorum an minus tribuere debemus, quam auditioni verbi divini? Fortasse ita videtur D. Socino. Sed non spero homines Deum timentes, & res divinas considerantes, & recte de iis judicantes, illi hac in parte assensuros.

S. Videtur D. Niemojevio novum fortasse & inauditum, aut certe impium, asserere, cœnæ Domini ritu non confirmari fidem nostram: & tamen hac de re fuis ab initio inter Pontificios seu potius Lutheranos, & eos, qui se ab illis segregarunt, magna controversia, Pontificiis Lutheranisque contendentibus, aliis vero negantibus, Sacramenta vim confirmandæ fidei nostræ habere, cujus rei testimonium faciunt Zuinglii scripta, ex quibus excerpta aliquot loca ad finem hujus disputationis Deo volente adscribemus. Nam quod, si cœnæ Domini usu non confirmatur fides nostra, inde sequi, ne auditione quidem verbi Dei fidem nostram confirmari, censet D. Niemojevius, idque ex verbis & ratiocinatione mea, qua utor ad probandum, cœnæ Domini ritu fidem nostram confirmari non posse, aperte colligi putat; error & fallacia est hic, nisi ego vehementer fallor, sane insignis. Primum enim ego non ex eo tantum argumentor, quod cœna Domini sit opus nostrum, quemadmodum D. Niemojevius mihi tribuit, sed ex eo simul, quod addo, nihil prorsus miri eam in se continere, aut præ se ferre: nihil denique habere, quod quidquam eorum verum esse nobis ostendat vel suadeat, ex quibus fides nostra confirmari queat. Nam certe, ut alia omittam, Dei verbum in se multa habet, quæ ea vera esse suadeant, ex quibus fides nostra confirmari possit.

Continet enim & rationes & causas rerum, quæ nobis credendæ sunt, atque earundem certissima testimonia partim ostendit, partim plane verisimilia facit. Quæ omnia à ritu ipso cœnæ Domini per se, qualis & institutus & divinitus commendatus nobis est, abesse constat. Simplex enim est actio nostra, omnibus probationibus eorum, propter quæ fit, quod ad nos ipsos attinet, destituta, ex quibus sane, si vera esse credantur, non confirmatur tantum, sed etiam gignitur fides nostra. Atqui ista vera esse, aliunde vel docendi vel commonefaciendi sumus, quam ex hac ipsa actione, ad quam etiam obeundam minime accedere debemus, nisi jam de istis & docti & commonefacti, quantum sat est, simus. Si quid igitur ipse cœnæ Domini usus hac in parte præstare queat, ut scilicet quicquam suadeat eorum, propter quæ fit, id nullo modo nostrum ratione, qui hoc ritu decenter utimur, sed aliorum quorundam, ut præstet, necesse est, quibus videlicet fortasse verisimile fiat, nos non usuros ejusmodi ritu, nisi causæ, quas ejus utendi profitemur, nobis quodammodo compertæ essent, aut saltem dignæ forent, quæ veræ esse crederentur. Quod tamen (quæso) quam per se ipsum leve est ad fidem faciendam, quamque illis inferius, quæ nobis, antequam actionem istam obeamus, istarum causarum veritatem probant? Et sane ridiculum prorsus videtur affirmare, cuiquam ex eo ipso, quod ipsemet facit, quidquam suaderi eorum, quæ ipsum ad id faciendum impulerunt, & ad quæ prædicanda & commemoranda potissimum id facit. At deinde animadvertendum est, non ipsa auditione verbi Dei, quæ opus nostrum fortasse aliquomodo dici potest; sed verbo ipso audito confirmari, immo etiam gigni fidem nostram. Quare cum Paulus ait, fidem esse ex auditu, intelligendum est, fidem non gigni nisi ex aliqua re audita, quam verbum Dei esse, ibidem statim idem Paulus docet, quod verbum nostrum nullo prorsus pacto nostrum opus dici potest; nostrum enim nomine hic necessario ii intelligendi sunt, qui Dei verbum audiunt, quemadmodum cum de cœna Domini agitur, ii sunt intelligendi, qui eam (ut Pauli verbo utar) comedunt. Jam ii, qui verbum Dei audiunt, non ipsi profecto id annunciant, sive ejus auctores aut ministri ullo modo sunt. At ii, qui cœnam Domini comedunt, sine dubio ipsi ritum cœnæ Domini peragunt, atque id ipsum faciunt, de quo quæritur, an ipsorum fidem, nec ne confirmet? Quod si Dei verbum nullo modo nostrum est opus, plurimum abest, ut hac in parte cum cœna Domini conferri queat, quæ, ut diserte, nec sine causa affirmavi, opus nostrum plane est. Qua de re in sequente particula agemus, & differentiam inter ipsam & Dei verbum, quod pertinet ad statuendum, cujus sint opera, latius explicabimus. Hic tantum monebimus, valde mirum videri posse, D. Niem. ubi de confirmanda fide nostra agitur, nullo pacto ferre posse, ut usui Sacramentorum anteponatur verbi Dei auditio, immo ita loqui, quasi manifesto ille huic præstet, cum tamen certissimum sit, verbum Dei non modo confirmare, sed etiam, ut paullo ante dictum est, & ex divino testimonio, quod ipse D. Niem. citaverat, ostensum, etiam gignere in nobis fidem, quod certe iis, quæ Sacramenta vocantur, nemo tribuere audebit unquam.

N. Dominus noster Jesus Christus porrigens panem, commemorat corpus suum pro peccatis nostris traditum; similiter calice [porrecto,] sanguinem pro peccatis effusum. Quod dum audio, & apertissimum horum omnium typum in usu cœnæ Domini habeo, an non corroborari in fide debeo? quando hæc verba à Christo semel prolata, in usu cœnæ Domini ita considerantur ac recipiuntur, non ut verba humana, sed ut verba Christi Domini, & actio cœnæ Domini, licet hominum manibus administretur, nihilominus tamen repræsentat illam actionem, quam Christus Dominus manibus suis propriis administrare dignatus est. Unde contra D. Socinum concludere possumus, quod legitimus cœnæ Domini usus, non tantum sit opus nostrum, sed etiam opus Christi. Id enim facientes in memoriam nobis redigimus sanctam illam actionem Christi, quam non propter se, sed propter suos credentes instituit.

S. Quia in cœna Domini, ad Christi ipsius eam instituentis imitationem, mentio fiat corporis Christi pro peccatis nostris traditi, & sanguinis fusi, non idcirco ex ipsa cœna Domini fides nostra confirmari potest. Nam aut quis, antequam ad Domini cœnam accedat, ista vera esse credit, aut non credit. Si non credit, præterquam quod indignus plane est, qui cœnæ Domini sit particeps, quomodo, quæso, confirmabitur ejus fides, quæ nulla est, aut quomodo mentionem istam simpliciter fieri audiens, nec ad ista, quæ affirmari audit, quidquam addi animadvertens, quod ea confirmandi vim ullam habeat, ut ea vera esse credat, adduci poterit? Nunquid panis fractio illa, & vini in poculum infusio, eorumve sumptio probat, Christi corpus pro nostris peccatis fractum fuisse & sanguinem fusum? Nihil minus. Nihil enim prorsus revera commune hæc inter se habent, & natura conjunctum, sed tantum similitudinem quandam, quæ etiam per se non apparet, nec nisi ex iis, quæ ibi dicuntur & commemorantur, intelligitur, tantum abest, ut ipsa ibi dictorum & commemoratorum fidem ullam cuiquam facere possit. At enim tanquam à Christo olim dicta repetuntur ista, ut quidem D. Niem. placet; quid tum postea? Num, rogo, iste qui vera illa nondum esse credit, jam Christo fidem adjungit, sed nondum audivit hæc ab illo fuisse dicta; aut quia tanquam à Christo olim dicta repetuntur, ideo etiam revera à Christo olim dicta fuisse sibi persuadet? Nemo, arbitror, non videt, quam hæc vel absurda vel falsa sint. Quod si quis, antequam ad Domini cœnam accedat, jam ista, ut quidem oportet, vera esse credit, quid, obsecro, ejus fidei addi post, iis ipsis simpliciter commemorandis? Annon aperte constat, coram jam ista credentibus ea non ideo commemorari, ut magis firmiusve illa vera esse credant, sed ut communiter istorum jam firmiter creditorum memoria celebretur, deque eis gratiæ agantur? Nam & in hunc ipsum, finem ad eum ritum peragendum omnes conveniunt; si modo rite eum peragere velint. Nec jam firmiter ista credenti, adeoque (ut cœna Domini usuro necesse est) eorum vim & fructum sentienti, quidquam ad credendum firmitatis adjungere valet, quæ hæc tanquam à Christo olim dicta repeti audiat: quippe qui vel jam plane persuasus sit, ea à Christo ipso fuisse dicta, vel certe novam nullam ejus rei probationem hinc habeat, aut si tamen habet, multo iis inferiorem habeat, quibus ad id credendum prius adductus fuit. Sed præterea diligenter considerandum est, minus verum esse, in cœna Domini ita mentionem fieri corporis Christi pro peccatis nostris traditi & sanguinis fusi, quasi Christi verba in ipsa instituenda cœna dicta repetantur, & ejus nomine iterum proferantur. Neque enim in hunc finem Christus ea verba protulit, eave suo nomine postea repeti jussit: sed sic locutus est, quia nam finis & usus esset ejus ritus, quem instituebat, suis discipulis non quidem ipsius nomine, sed proprio ipsorum posthac peragendum. Nulla etiam est præscripta à Christo verborum forma in ritu hoc peragendo: ut præter id, quod historia ipsa docet, ex suo capite Pontificii somniarunt. Sed neque institutum, ut unus aliquis Christi personam hic repræsentet, & ejus nomine, quemadmodum ipse fecerat, panem & vinum cæteris porrigat. Nam quid quod ad Christi mortem faceret ab omnibus prædicandam & commemorandam, quem hujus ritus præcipuum finem esse ex Paulo constat? An non potius ad hunc finem requiritur, ut omnes eadem ratione & modo, ex eadem mensa sibi ex eodem pane & vino pariter sumant? Certe eos ipsos, qui ab initio in reformatis Ecclesiis uni certo homini, eique verbi Dei ministro, hoc munus assignarant panis & vini cæteris porrigendi, non hoc animo id fecisse, ut is quodammodo Christi vicem ea in re obiret, illud satis indicat, quod, ut is non minus quam cæteri ex eodem pane & ex eodem vino sumeret, nemine licet por-

porrigente, statuerunt: neque enim vel legimus, vel verisimile est, Christum ipsum, cum ritum hunc instituit, ex eo pane & vino, quod discipulis suis porrexit, sumpsisse. Non igitur actionem illam Christi in hoc ritu instituendo cœna Domini repræsentat, quemadmodum D. Niemojevius opinatur: sed Christi corporis fractionem & sanguinis fusionem adumbrat, & sic ea peragenda Christi mors, quam pro nobis subiit, commemoratur & prædicatur. *Hoc facite*, inquit Christus, *in meam commemorationem.* Quidnam illud est, quod fieri jubet Christus, & quænam aut qualis est ista Christi commemoratio? Utrumque explicat Paulus statim subjiciens: *Quotiescunque enim comeditis panem hunc, & calicem bibitis, mortem Domini annunciatis, donec veniat.* Ergo id quod jubemur facere, non est actionem illam Christi totam prorsus imitari, sed panem illum comedere & calicem bibere, non quidem ad ipsam Christi actionem illam, sive ex toto, sive ex parte quodam modo renovandam, sed ad Christi mortem annunciandam. Quocirca frustra conatur D. Niemojevius ostendere cœnam Domini, quæ à nobis comeditur, non modo opus nostrum, sed etiam ipsius Christi esse, ex eo, quod ibi scilicet actio illa Christi repræsentetur & commemoretur, & frustra (ne quid gravius dicam) affirmare audet, ritum istum institutum esse à Christo non propter se, sed propter suos fideles, cum ex ipsius Christi & Pauli verbis manifestum sit, propter se illum institutum fuisse, id est, ad sui commemorationem, suæque mortis prædicationem, sine ulla mentione boni alicujus, quod ipsius fideles inde percepturi essent, nedum propter ipsos fideles, non autem propter Christum hic ritus institutus dicatur. Scio quidem, Christianorum vulgus ita ad cœnam Domini accedere, quasi à Christo aliquid per ejus ministri manum accepturum, quæ persuasio omnis erroris, qui circa hunc ritum extitit, pravæque superstitionis & idololatriæ tandem prima origo & causa fuit. Nam si vel hoc unum, ut Sacris Literis testatissimum est, sic nobis Antichristianus spiritus illibatum reliquisset, cœnam videlicet Domini ex ipso Christi instituto nostrum plane esse opus ad ipsius Christi nomen concelebrandum prorsus pertinens, non autem ad aliquod bonum, tanquam à Christo ibi datum, nobis comparandum, quam longissime perpetuo abfuissent à Christianorum cœtibus tot tantaque circa hunc sacrum ritum errorum monstra atque portenta. Ex prædictis satis constare arbitror, quantum inter cœnam Domini & Dei verbum intersit, quod attinet ad statuendum, cujusnam sint opera: Siquidem verbi Dei annunciatio, quæ propter nos nostramque salutem instituta est, opus ipsius Christi censeri debet. Cujus ea in re vicem gerunt ii, qui illud annunciant & Christus ipse, qui per suos fideles ministros nobis salutis viam prædicat, nosque ad fidem in ipso collocandam hortatur & excitat, ac per eosdem monet, ut ad sui memoriam ex ipsius instituto ad panem frangendum & comedendum, vinumque infundendum & bibendum conveniamus: non autem ad hunc panem & vinum à se per eorundem manus sumendum incitat.

N. Et non sine causa poculum appellat poculum Novi Testamenti; quæ verba explicet D. Socinus, prout ipsi placet, nihilominus tamen fateri cogetur, aut sigillum, aut signum, aut testimonium Novi Fœderis [esse] usum cœnæ Domini. Quare non video, quo pacto usui cœnæ Domini illud velit adimere, quod, cum sit monumentum ac pignus quoddam Novi Fœderis, fidem in nobis confirmet. Quandoquidem Fœderi, quod Deus nobiscum per filium suum dilectum pepigit, inclusa est fides, & sine fide participes divini fœderis esse non possumus. Utentes igitur signo, vel sigillo, vel testimonio Novi Fœderis, profecto in fide nostra confirmari & certificari possumus.

S. Nusquam legitur, Christum appellasse poculum illud poculum Novi Testamenti, sed ipsum Novum Testamentum, ut est apud Lucam & Paulum: Vel sanguinem suum N. Testamenti, ut est apud Matth. & Marcum, si modo demonstrativum illud pronomen τοῦτο, ad ipsum poculum referendum est, & non potius ad vinum, quod poculo continebatur. Jam cur Christus poculum illud N. Test. appellaverit, statim intelligetur, si constiterit, cur, seu idem poculum, seu vinum in ipso contentum, suum N. Testamenti sanguinem vocaverit, præsertim cum non simpliciter Nuvum Testamentum: sed Novum Testamentum in suo sanguine esse dixerit. Certum est autem, si Christus poculum illud sanguinem suum Novi Testamenti esse dixit, poculi nomine vinum in ipso contentum intellexisse, qua sermonis usitatissima figura usus est manifeste Paulus de hoc ipso ritu verba faciens, calicem illum bibi affirmans. Cur vero suum sanguinem Christus vinum illud vocaverit, jam explicatum est à me pluribus verbis in eo scripto, quod D. Niem. oppugnat. Ex quibus (ut uno verbo dicam) idcirco vinum illud à Christo suum sanguinem appellatum fuisse apparet, quod vino illo Christi sanguinis commemoratio fieri debeat. Jam quod addit N. Testamenti, ad vim sanguinis sui exprimendam addit, siquidem Christi sanguine N. Testamentum confirmatum fuit. Hinc apparet, cum ipsum poculum Novum Testamentum esse in suo sanguine, Christus dixisse legitur, aliud nihil intelligendum esse, quam vini ex illo poculo potu, Novi Testamenti, quod nobiscum suo sanguine interveniente pepigit, seu potius sui sanguinis, qui ad N. Testamentum confirmandum fusus fuit, commemorationem fieri, ex qua commemoratione nullo modo confirmatur fides eorum, qui commemorationem ipsam (ut sic dicam) faciunt, immo firma fides, qua jam sunt prædití, declaratur: si modo digne ac firme ab ipsis ea commemoratio fiat. Quod igitur N. Testamenti appellatio poculo seu vino illi tribuatur, nihil pertinet ad probandum, eo fidem illud bibentium confirmari, etiamsi ipso N. Testamento fides nostra non modo confirmetur, sed etiam gignatur. Neque enim ideo appellatio ista illi tribuitur, quia N. Testamentum in memoriam bibentibus revocet, ipsisve testetur aut significet: sed quia ipsi bibentes Novum Testamentum prædicant & commemorant, idque secum pactum fuisse aliis testantur ac significant. Testantur, inquam, & significant, non quia id probent, ejusve rei fidem faciant: sed quia rem sic se habere profitentur, sicque sibi persuasum esse indicant. Nihil igitur contra me concludi posset, etiamsi præter id, quod in Sacris Literis expressum est, concederem, cœnam Domini aliquomodo testimonium, aut signum seu sigillum N. Testamenti esse, cum appellationes istæ nec effectum illum necessario significent, qui in ipsis cœnam Domini comedentibus fiat, & non propter fidei confirmationem illam, quæ ab ipsa cœna proficiscatur, sed tantum propter animi & fidei indicationem & declarationem, quæ in ea fiat, admitti possint.

N. Sed videns D. Socinus, difficile sibi esse negare, cœnam Domini fidem in nobis confirmare, coactus est id fateri, ita scribens: *Postremo animadvertendum est, posse quidem in ipsa cœna Domini celebranda confirmari & augeri fidem: sed non ex illa panis & vini sumptione, nec ex virtute aliqua divina, quæ ibi potius quam alibi exeratur: sed ex mutuis cohortationibus, mutuoque Christi præceptorum obedientiæ exemplo, ex solenni illa commemoratione & celebratione beneficiorum Dei & Christi, & denique ex ipso divino verbo ceremoniæ adjuncto, &c.* Vide quomodo veritas homines constringat. Et quisnam ex nobis cœnam Domini sine his rebus, & prælertim sine doctrina verbi Dei describit & statuit? Cum vero coactus fuerit fateri, his rebus fidem & confirmari & augeri, quæ causa illum impulit, ut scriberet, actione cœnæ Domini fidem non confirmari? Istiusmodi repugnantiæ in scripto D. Socini sæpe reperiuntur.

S. Nulla repugnantia est in verbis meis neque hic, neque, ut spero, alibi. Cum quæritur, utrum cœna Do-

mini ritus fidem nostram confirmet, an id ipse per se faciat, quæratur, & eorum vi, quæ ipsius propria sunt, non autem ex re aliqua vel adjuncta, vel aliis actionibus communi. Adde, quod in ipsa quæstione non ejus, quod ab aliis aut separatim, aut communiter ibi fit, ratio habetur: sed ejus, quod quisque per se facit. Adeo, ut id tandem quæratur, ounquid is qui ad cœnam Domini accedit, & rite panem illum ac vinum sumit, ea ipsa sumptione suæ fidei confirmationem aliquam, nec ne, nanciscatur. Mitto, quod id quæritur, num in hunc ipsum finem cœna Domini & instituta fuerit, & comedatur, ut fides eam comedentium confirmetur. Hæc autem fere omnia non solum ex eotum scriptis qui ante me hac de re disputarunt, sed etiam ex toto ipso scripto meo potissimum vero majore ex parte, ex ipsis ejus scripti verbis, quæ hic à Domino Niem. sunt recitata, aperte constant. Nec dubium est, quin ipse D. Niem. una cum aliis, contra quos in meo scripto disputo, sentiat, cœnam Domini ideo confirmare fidem nostram, quia sit sigillum & testimonium, quo Deus nobis sua promissa obsignet, atque ob oculos quodammodo ponat, quemadmodum ex ejus scripto contra Emanuëlem Vegam perspicuum est. Quid igitur mihi contra sententiam hanc in meo scripto tacite disputanti, & quæstionem, ut eam modo exposui, me accipere, non obscure declaranti, adversari potest, quod ipse ibidem fatear, in cœna Domini celebranda posse confirmari & augeri fidem nostram ex rebus vel illi adjunctis, vel ipsius non propriis, & non ab unoquoque per se, sed ab aliis, vel separatim, vel communiter factis? Quamvis enim D. N. dicat, neminem ex iis, qui cum ipso sentiunt, describere aut statuere cœnam Domini sine illis à me commemoratis rebus, & præsertim sine doctrina verbi Dei: tamen non quid vel ipse vel alii dicant, hic quærendum est, sed quid verum sit. Dico igitur ex quatuor à me commemoratis rebus duas esse, sine quibus cœna Domini rite celebrari potest, & sic inter adjunctas numerandas esse, videlicet mutuas cohortationes & verbum divinum. De eo enim divino verbo sum locutus; quod præter illud est, sine quo ritus ipse peragi fortasse nullo modo potest, quod expressum est à me illis verbis, *ceremoniæ adjuncto*. Jam nihil vetat, quo minus cœna Domini rite celebretur absque ullis mutuis cohortationibus, & sane alioqui vix unquam apud nos rite celebrata fuisset; siquidem apud nos minister tantum verbi Dei in ea celebranda loqui solet, cæteris omnibus tacentibus. Verbum porro divinum, vel nullum revera (quidquid alii omnes sentiant) est in ea celebranda necessarium, vel certe non ejusmodi, quo cujusquam eam celebrantis fides confirmari queat. Satis enim omnino esse videtur, ut in ea celebranda simplicissima mentio fiat corporis Christi pro nobis traditi, & sanguinis fusi, quæ ipsa per se vel divinum verbum dici nequit, vel certe, ut supra 8 particula ostensum est, celebrantium fidem confirmandi nullam vim haber. Quanquam præterea ex Pauli verbis intelligi potest, ne hoc quidem necessarium esse, ut in cœna Domini celebranda mentio ista apertis verbis & diserte fiat. Nam apud Corinthios illam non fuisse solitam fieri, id demonstrat, quod Paulus illis Christi institutionem in memoriam revocat, nec interim tamen eos reprehendit, quod mentionem istam disertis verbis facere omitterent, reprehensurus sine dubio, si eam necessariam judicasset. Videtur igitur statuendum, commemorationem & prædicationem Christi mortis, quæ necessario fit in cœna Domini ipsa illa panis & vini fractione & infusione, eorumdemque sumptione contineri, indeve proficisci, non autem ex verbis illi adjunctis. Id quod indicant satis aperte verba illa Pauli: *Quotiescunque enim panem hunc comederitis & poculum biberitis, mortem Domini annunciatis.* Quanquam Erasmus verbum Græcum καταγγέλλετε, eo quod non indicativi, sed imperativi modi esse censuerit, non *annunciatis*: sed, *annunciate*, interpretatus est, quasi Paulus non quidem moneat, quid eo pane comedendo & poculo bibendo fiat; sed jubeat, quid præterea fieri debeat. Quam interpretationem nullo modo mihi ferre videtur dictio *enim*, in initio horum verborum posita: quæ, *igitur*, potius esse debuisset, si ista mens Pauli fuisset. In Agni certe Paschalis ceremonia ad transitus illius seu transilitionis Domini memoriam instituta & usurpata, nullam legimus disertis verbis ejus rei commemorationem fuisse factam, immo legimus Mosen in eo ritu instituendo Israëlitis præcepisse, ut si ipsorum filii interrogassent, quid sibi vellet cultus iste, curve ab ipsis servaretur, tunc illis id exponerent. Ex quo constat, in ipso ritu peragendo, ejus causam diserte exponere, minime fuisse necessarium. Apud me quidem vel hoc exemplum rei præsertim tantopere cœnæ Domini similis, & cui cœna Domini quodammodo successisse videtur, maximum pondus habet ad persuadendum, in cœna Domini ne ipsam quidem mentionem Christi corporis pro nobis traditi, & sanguinis fusi disertis verbis faciendam necessariam plane esse. Qua tamen de re nihil nunc statuo; satis enim habeo ostendisse, verbum Dei, ex quo fides nostra confirmari possit, in cœna Domini non esse necessarium. Adde autem supra dictis, quod nec mutuarum cohortationum, nec verbi Dei ratione quibus in cœna Domini confirmari & augeri fides nostra possit, ulla hic nostra uniuscujusque videlicet per se, actio est. Quare nec ad quæstionem nostram eorum consideratio quidquam pertinet. Jam ex reliquis duobus à me commemoratis rebus una, id est, mutuum Christi præceptorum obedientiæ exemplum, nequaquam propria est cœnæ Domini, quemadmodum nec etiam duæ, de quibus jam egimus, quæ propterea, etiamsi adjunctæ non essent, nihil tamen ad ipsam quæstionem pertinerent. Altera vero, id est, solennis illa commemoratio & concelebratio beneficiorum Dei & Christi, neque ipsa cœnæ Domini est propria, cum nihil impediat, quo minus alia ratione, ut quotidie ex parte fit, Dei Christique beneficia & commemorentur & concelebrentur. Nam quod solenniter id fiat, hoc ad fidem confirmandam nihil pertinet. Intelligendum est autem, cum dico, posse fieri, ut, commemoratione illa & concelebratione beneficiorum Dei & Christi, fides nostra in cœna Domini confirmetur & augeatur, me non ita loqui, quasi ea ratione nobis Dei Christique beneficia in memoriam redigantur: hoc enim pernego: sed propterea ita loquor, quia cum videmus, tot alios nobiscum alacriter atque constanter eorum Dei & Christi beneficiorum memoriam celebrare, ex quibus fides nostra alitur & sustentatur, facile fit, ut tali exemplo magis etiam commoveamur, & hæc, quæ jam firmiter ad salutem nostram credimus, firmius etiam credamus. Ex quo apparet, quidquid confirmationis & augmenti fidei nostræ ex commemoratione & concelebratione ista in cœna Domini potest proficisci, id non actioni illius, cujus fides confirmatur & augetur: sed aliorum communi actioni tribui debere; hoc autem, ut supra monuimus, extra quæstionem est. Atque hoc idem dicendum est de exemplo obedientiæ præceptorum Christi, quod in cœna Domini habetur. Satis, arbitror, me ostendisse, me mihi ipsi nihil prorsus adversatum fuisse, & quidquid, ut candide, quemadmodum decet, agerem, in cœna Domini celebranda esse posse dixi, quod fidem nostram confirmet, id omne, quod ad ipsam cœnam Domini attinet, plane ex accidente esse, quatenus præsertim quæritur, utrum cœnæ Domini ritu fides nostra, nec ne, confirmetur.

N. Sed ulterius progrediamur, & argumenta D. Socini audiamus, dum ita scribit: *Ut igitur ad propositum revertamur, & concludamus, dico in sumptione illa panis & vini, quæ fit in cœna Domini, nihil præter panem illum & vinum, sive à credentibus sive à non credentibus accipi, nec corporaliter, nec spiritualiter, &c.* Istiusmodi sermonem fidelibus horribilem esse necesse est. Nam etiamsi panis & vinum naturam suam non perdat aut immutet, nihilominus,

ratione

ratione institutionis Domini, quam fideles commemorant, non potest pro simplici pane reputari atque haberi: hac enim ratione cogeremur præstantius quid sentire de sanguine pecudum sub lege, qui in hunc usum separatus, ut esset sanguis Veteris Fœderis, certum est, quod jam habuerit quippiam præstantius, quoad significationem & obsignationem, quam simplex pecudum sanguis. Et tam ingrato animo suscipiemus pignora atque monimenta à Christo Domino instituta & commendata, ut non plus illis tribuamus, quam simplici pani & vino?

S. Profitetur hoc loco D. Niemojevius, se argumenta mea exponere velle, & interim tamen nullum argumentum meum exponit, sed simplicem nudamque sententiam, quodam loco meo recitato, qui epilogus quidam est, eoque omisso, qui prius in meo scripto occurrit, ubi eadem sententia una cum nonnullis suis probationibus & argumentis latius explicatur, quemque si recitasset, non habuisset, cur diceret, verba mea horribilia fidelibus esse debere. Sed videamus ecquidnam horribilis contineat, aut etiam præ se ferat fidelibus simplex ipsa mea nudaque sententia, ut loco ab ipso recitato legitur: *Dico igitur in sumptione illa panis & vini, quæ fit in Cœna Domini, nihil præter ipsum panem & vinum à credentibus, sive non credentibus accipi, nec corporaliter, nec spiritualiter.* Quid hic, quæso, homini fideli horribile? Certe Zuinglius & alii, qui, ut ipsi homines nostri sentiunt, primi omnium omnes perniciosiores crassioresque de Cœna Domini opiniones ex Christi Ecclesia exterminare cœperunt, hoc idem dixerunt; quippe qui aperte vidissent, Cœnam Domini non eo institutam fuisse, ut ibi aliquid ad salutem nostram accipiamus, sed ut ad eam pertinentia accepta quædam commemoremus, deque eis gratias agamus. Ex quo fit, ut homini fideli potius horribile videri possit, si quis Christi institutum & totam religionis Christianæ rationem pervertens asserat, pane illo ac vino sumendo aliquid præterea ad salutem nostram pertinens sumi, quamvis ea de re nihil prorsus appareat. Hypocritis ac superstitiosis hominibus sunt ista relinquenda, qui hac sola via (per speciem nimirum fidei, quæ Deo habeatur, commendandæ) vel sibi ipsis videlicet vel aliis persuadendi quædam mira, quæ Deus in quibusdam ritibus præstet, non apparere, sed credenda tamen nobis esse; sensim ac pedetentim progredientes, portentosissimas tandem ac perniciosissimas quasdam opiniones in Dei Ecclesiam invexerunt. A via ista nondum penitus recedens D. N. ait, panem illum & vinum in Cœna Domini non posse esse simplicem panem & vinum. Nam si ita res se habet, ergo aliud quidpiam sunt præter panem & vinum. cumque interea sensibus nostris nihil omnino præter ipsum panem & vinum appareat, mirum tamen quiddam & plane inusitatum, ac præter id quod unquam Deum fecisse constet, credendum nobis hic est. Sed explicet D. Niem., quid illud sit, & si ex Christi instituto, quo ipse hic nititur, id peti vult, dicat necesse est, illud esse ipsius Christi corpus pro nobis traditum, & sanguinem pro nobis fusum; nihil enim aliud præterea substantiale, ut sic loquar, quodque efficere possit, ut panis ille & vinum non sit simplex panis & vinum, in Christi instituto commemoratur. Atqui ipsemet D. N. opinionem, quod cum pane & vino conjunctum sit ipsum illud pro nobis traditum Christi corpus, & ipse ille sanguis fusus, nisi memoria me fallit, in suo scripto contra Vegam plane rejicit. Verum, arbitror, ipsum hoc loco *simplicis*, seu, *prosto* nomine aliud intellexisse, quam ipsum verbum sonat, id quod ex absurdo, quod inde colligit, si diceretur, panem illum & vinum, simplicem, seu prostý panem & vinum esse, animadverti potest. Sequeretur enim, inquit, nos præstantius quid sentire de sanguine pecudum sub lege. Nam certe sanguis pecudum, quidquid alioqui præstaret, simplicissimus tamen sanguis pecudum erat. Videtur igitur nomen *simplex*, seu prostý/ pro *vulgari*, seu mian, ið pospolitego usurpasse. Sed quid contra illa verba aut sententiam meam, si panis ille & vinum haud vulgaris panis & vinum censendum sit? Id enim ego facile concedo, cum ejus usus ad sacrum divinitusque institutum ritum obeundem pertineat. Nihil ego aliud loco à D. N. citato dixi, quam nos pane illo & vino sumendo, nihil præter panem ipsum & vinum sumere. Hoc autem nullo modo caussas & effectus non vulgares nec usitatos panis & vini sumendi ab hoc sumendo pane & vino excludit: sed in eo vis est, quænam sint istæ caussæ, quive effectus. Putat D. N. illo pane & vino significari nobis & obsignari Novum Testamentum seu fœdus, & tanquam à minore, à sanguine pecudum argumentatur, quo significatum & obsignatum fuerit fœdus seu testamentum vetus. Ego vero existimo, non quidem panem illum & vinum quidquam ullo modo nobis, sed nos eo ex Christi præscriptione sumendo aliis quidpiam aliqua ratione significare. Eo vero Novum Testamentum seu fœdus obsignari prorsus nego. Argumentum enim D. N. à sanguine pecudum ductum, non recte ductum est: siquidem sanguini illi non vinum illud, quod in Cœna Domini bibitur, sed Christi sanguis respondet, quo confirmatum fuit novum fœdus, quemadmodum sanguine illo pecudum vetus fuerat confirmatum. Vinum autem illud non adhibetur in Cœna Domini ad confirmandum novum fœdus, sed ad Christi sanguinem, quo semel tantum in æternum confirmatum fuit, adumbrandum & commemorandum. Itaque multo præstantior sine dubio respectu Veteris Fœderis fuit sanguis ille pecudum, quam respectu novi sit panis ille & vinum, tantum abest, ut argumentum ab illo respectu Veteris Fœderis, ad ista respectu novi, tanquam à minore ad majus duci possit. Adde quod nulla in proposito nostro recta comparatio inter hæc & illum fieri potest, cum ille semel tantum in Veteri Fœdere sanciendo adhibitus fuerit; hic vero in novo commemorando identidem adhibeatur. Quanquam D. N. in sua argumentatione sanguinem illum pecudum intellexisse, qui quotidie sub Vetere Fœdere fundebatur, ostendunt verba ipsius illa, pod Zakonem/ id est, sub lege. Nam sanguis ille, qui semel tantum in Vetere Fœdere sanciendo fuit adhibitus, non revera sub Lege, sed potius in Lege, approbante populo, ferenda, adhibitus fuit, ut ex loco ipso apparet Exod. 24. ubi etiam ob hanc caussam sanguis illius fœderis appellatur. Atqui sanguis ille, qui quotidie in Vetere Fœdere fundebatur, nusquam, (quod credam) illius fœderis sanguis appellatur. Cæterum perpendenda sunt verba illa D. Niem. y bedźiemy tak niewdźięcznymi wpomin kow. Quamvis enim supra Cœnam Domini monimentum Novi Testamenti esse dixerit, tamen quia nondum recte intelligebam, quid sibi eo nomine vellet, id silentio pertransii. Nunc vero ex istis verbis intelligo, eum omnino velle eo nomine (cui etiam alioqui arbitror hanc notionem subesse) rem significare, quæ quasi pignus quoddam nobis quidpiam in memoriam revocet, quam vulgo memoriale appellant. Nam agit hic de grato animo nostro erga Christum, ratione monimentorum ab ipso institutorum & commendatorum, quæ scilicet, ut ipsi placet, sunt panis ille & vinum quod in Cœna Domini sumitur. Itaque pro concesso sumit, Christum in hunc finem instituisse & commendasse ritum istum, ut nos beneficio afficeret, hac videlicet ratione nobis seipsum suamque mortem in memoriam subinde revocando. Sed hoc, ut pote maxime in hac disputatione controversum probare oportuisset, non autem pro concesso sumere.

N. Sed quid ulterius scribat, audiamus: *Sunt, qui omnino credant, cœnam Domini nobis testari Dei erga nos benevolentiam. Hoc nullo modo verum esse potest*, &c. At quid aliud est, mortem Christi annunciare, quam Deo pro beneficiis ipsius, qui filium suum dilectum in diram mortem propter delicta nostra tradidit, gratias agere? gratias vero hoc nomine agentes Deo, nonne in hoc beneficio ab ipso accepto certificari

& confirmari debemus? Et mira sunt ea Domini Socini verba, dum negat, cœnam Domini amorem Dei adversum nos testari; cum antea fuerit confessus, illam propterea esse institutam, ut Deo & Christo pro ineffabili amore gratias agamus. An per religiosam gratiarum actionem, & celebrationem memoriæ mortis Christi, beneficium Dei, & Christi gratia in pectoribus nostris renovari & confirmari non debet?

S. Immo mirum est, D. Niemojevium contra ipsum sensum communem contendere, ipsam actionem gratiarum pro benevolentia aliqua, posse illi ipsi, qui gratias agit, eandem benevolentiam testari. Ergo, si ei credimus, potest quis suo ipsius facto sibi ipsi alterius factum seu animum testari, quamvis etiam sibi factum suum jam cognitum, & sine cujus cognitione ac persuasione antecedente factum istud suum existere non possit. Hujus sententiæ absurditatem, atque adeo (ut sic dixerim) impossibilitatem videtur ipse D. Niemojevius sensisse, cum in suis rationibus concludendis non testandi, sed (sic enim oportet) certificandi, confirmandi & renovandi verbis sit usus, & sic quæstionis terminos mutaverit, ut minus absurde concluderet. Quæ enim istis verbis significantur, absque ullo vero testimonio ex ipsa re manante, sed sola excitatione, & commonefactione eorum, quæ jam aliunde percepimus, fieri in nobis alicujus rei vi possunt. Id autem quod verbum testari significat, nullo modo sine vero testimonio ex ipsa re manante fieri potest. Jam de iis, quæ istis aliis verbis significantur, ex parte supra satis egimus: ostendimus enim, quidquid confirmationis fidei nostræ ex cœna Domini proficisci potest, id quod ad ipsam cœnam Domini & quæstionem nostram attinet, ex accidente esse. Quod idem de confirmatione & certificatione in nobis divinæ erga nos benevolentiæ dici debere apparet. Porro quod ad renovationem attinet, si id ita accipitur, quasi in cœna Domini benevolentia divina, quæ nobis memoria quodammodo excidisset, in mentem nobis recurrat, nihil à veritate alienius excogitari potest, cum, ut sæpius dictum est, nemo digne ritum istum obire possit, nisi jam mortis Christi non solum recte meminerit, sed etiam ejus fructum sentiat. Sin vero aliter verbum renovationis accipitur, jam per ea, quæ de confirmatione, & certificatione diximus, renovationi quoque satis factum est.

N. Sed audiamus miras (ne quid dicam aliud) argumentationes: *Certum enim esse debet, nulla alia ratione istud testimonium à cœna Domini proficisci posse, (si modo proficiscitur) nisi quia illa nobis testetur, Christum Dei filium, ex ipsius Dei voluntate pro nobis mortuum fuisse, & corpus suum frangendum, sanguinemque suum fundendum nostri causa dedisse. Atqui hoc nobis nullo pacto testatur cœna Domini, &c.* Ecquid magis erroneum potuit scribere? Dominus Jesus Christus instituens sanctam suam cœnam; traditionem corporis sui in mortem, & fusionem sanguinis commemorat, & in commemorationem sui id facere jubet: Dominus autem Socinus affirmat, usum cœnæ Domini non testari mortem Christi, quam ex Dei voluntate subiit &c. Cor pium ad hæc verba contremiscat.

S. Apparet, Dominum Niemojevium in testandi verbo deceptum fuisse, & satis insigniter, ut loquuntur, æquivocasse. Duplex enim, quod ad propositum nostrum attinet, est hujus verbi significatio. Nam & simpliciter quidpiam affirmare atque asserere, seu etiam commemorare, & vel præterea etiam ejusdem rei fidem facere, vel simpliciter quidpiam verum esse ostendere significat. D. Niemojevius in priorem significationem verbum istud accepit, cum tamen in posteriorem accipiendum hic esse constet: cum ex ipso, quod quæritur, num cœna Domini nobis Dei benevolentiam testetur, (quis enim tam tardus est, qui nesciat, in cœna Domini corporis Christi pro nobis traditi & sanguinis fusi commemorationem fieri;) tum vero ex tota disputatione mea, ubi etiam hæc verba scripta leguntur: *Immo si proprie loqui volumus, Evangelii prædicatio per se non est testimonium, quale Johannes intelligit, & nos in tota hac disputatione intelligimus, id est, quod rem se sic habere probet.* Ex quibus perspicuum est, hic quæri, non quidem, utrum in cœna Domini affirmetur seu commemoretur, Christi corpus pro nobis traditum, & sanguinem fusum fuisse; sed utrum cœna Domini horum nobis fidem faciat, eaque vera esse probet. Igitur in tota hac sua ratiocinatione, aërem, ut est in proverbio, diverberat D. Niemojevius, & plane immerito mihi tribuit, quod ea dicam, ad quæ pium cor contremiscat. Deus pro sua bonitate istum in eo ipsius zelum, qui minime secundum scientiam est, in meliorem mutare velit.

N. Verum quidnam præterea ad opinationis suæ probationem afferat, audiamus: *Quod autem hoc cœna Domini non testetur, vel ex eo satis patet, quod fieri posset, ut Christus pro nobis mortuus non fuisset unquam, & tamen nos hac ceremonia uteremur, &c.* Per Deum te rogo, dilecte frater Georgi, ut cum timore Dei judices, quomodo in rebus divinis lasciviat humana ratio, & quam noxium sit, nimium sapere, & non sapere ad sobrietatem. An fieri hoc posset, si Christus non fuisset mortuus, ut nos cerimoniam, quæ in memoriam mortis ipsius, aut in commemorationem (quæ Socino placet interpretatio) instituta est, obire possemus? Potuissemus quidem panem comedere & vinum bibere: sed si Christus pro nobis non fuisset mortuus, quomodo potuissemus institutum cœnæ Domini, quemadmodum ab Euangelistis descriptum est, celebrare & commemorare? Cur ergo scripsit: *Quod fieri posset, ut Christus pro nobis mortuus non fuisset unquam, & tamen nos hac ceremonia uteremur, &c.* An satis attentus fuerit, cum hoc scriberet, tuum est judicare.

S. Ut nos cœnam Domini rite, ut apud Euangelistas descripta est, celebremus, satis est id facere, quod ibi præscribitur. Præscribitur autem, ut panem illum comedamus & vinum bibamus in commemorationem Christi mortis. Quod si facimus, sive verum, sive falsum sit Christum pro nobis mortuum fuisse, præscriptioni isti prorsus satis facimus. Ad ceremoniam igitur ipsam rite à nobis peragendam nullo pacto requiritur, ut revera (quanquam id alioqui verissimum est) Christus pro nobis mortuus fuerit, sed tantum, ut nos id verum esse credamus. Credi autem, idque firmissime, aliquid fieri posse, & tamen id minime verum esse, quis est, qui nesciat? Rectissime igitur ac consultissime, & sine ulla, ne minima quidem piarum aurium offensione dictum est à me, fieri posse, ut Christus pro nobis mortuus non fuisset unquam, & tamen ceremonia ista uteremur.

N. Quanquam & illud parum apte dictum, immo perniciosa hæc est opinio, ita scribere: *potuisset fieri, ut Christus pro nobis non fuisset mortuus.* Non arbitror hoc à Dei Spiritu profectum, qui affirmat, Christum Dominum ante mundum conditum fuisse prædestinatum, ut esset agnus peccata hominum delens, &c. Vide ut error errorem pariat. Sed hac de re, ut brevitati consulam, nunc satis, &c.

S. Videtur omnino D. Niemojevius id curare, ut me in invidiam vocet; adeo ut interim sibi suæque existimationi parum consulat. Nam quod evidentius sophisma esse potest isto quo in me utitur, verbis meis dividendis; & eo, quod secundum quid à me dictum est, simpliciter accipiendo? Neque enim dixi ego simpliciter, fieri posse, *ut Christus pro nobis mortuus non fuisset:* Sed (ut sane ad id concludendum, quod volebam, mihi necesse omnino erat) addidi; *& tamen nos hac ceremonia uteremur:* Ex quo nihil aliud colligi potest, quam hæc duo, Christum pro nobis mortuum esse, & nos ista ceremonia uti, natura inter se non esse conjuncta, & alterum sine altero esse posse, non autem simpliciter, sive hoc, sive illud, falsum esse posse. Quid igitur opus erat, ut D. Niemojevius ex Spiritus Dei testimonio probaret, Christum ante constitutionem mundi ad hoc præcognitum fuisse, ut esset Agnus,

qui

qui hominum peccata deleret? Quasi vero id ego negem, aut simpliciter fieri potuisse dixerim, ut Christus pro nostris peccatis mortuus non fuisset. Quanquam, etiamsi id dixissem, non tamen impie locutus fuissem, Potuisse enim non fieri id etiam recte dici potest, quod Deus, ut fiat, omnino decrevit: hoc sensu videlicet, quia fieri potuisset, ut id Deus minime decrevisset, quale ab omnibus Theologis hoc ipsum esse agnoscitur, de quo hic loquimur. Fatentur enim omnes fieri potuisse, ut Deus alia ratione quam per Christi mortem nostra peccata delenda decrevisset. Sed de his satis, quando hac defensione, ut modo ostendi, nihil mihi est opus. Libenter autem sane audivissem, quæ D. N. hic brevitati consulens reticuit. Suspicor autem, nec quidem immerito, cum intellexisse, me ita scribere ac sentire, quasi negem, peccata nostra Christi morte deleta fuisse, quia scilicet & scribo & sentio, alia ratione Christi mortem delevisse peccata nostra, quam ipse cum plerisque aliis opinetur. Sed Deus suo tempore veritatem patefaciet.

N. Illud quoque in brevi hoc scripto considerandum est, dum sanguinem martyrum, & externa miracula, atque opera hominum pia, usui cœnæ Domini præfert, quoad testimonium de gratia Dei: quod dum facit, satis audacter institutum Christi contumelia afficit, ita scribens: *Quæ fides (ut dictum fuit) jam vel adest, vel certe adesse debet, antequam ad ceremoniam ipsam accedamus: nec ejusmodi rebus vilibus per se & terrenis, immo plane mutis & mortuis, qualis panis est & vinum, sed aliis præstantissimis & cœlestibus, iisque vivis quodammodo & loquentibus, in nobis gignitur & augetur, &c.* Fateor, quemvis erraturum, qui Christum Dominum in usu demum cœnæ acquirere velit, aut per externum hoc opus fidem nancisci debeat: immo quisque cum fide viva ad tam præstantem atque sanctam actionem debet accedere. Verumtamen non potest probari contrarium ejus, quod ii, qui ex vera fide id faciunt, fidem in seipsis augeant & confirment, quemadmodum supra est ostensum. Quod vero D. Socinus adeo contemtim de sacra Domini cœna scribere audeat, appellans munera illa terrena, muta, & mortua: si ex natura ingenita ea æstimet, jure id de illis potest scribere: sed si intueatur institutionem Christi, & rem illam, quam nobis significant, nescio qua fronte id ausus fuerit scribere. Quanquam non miror, ipsi, qui cœna Domini non utitur, eam non sapere: & quemadmodum baptismum sprevit, ita etiam de cœna Domini contemtim scribere. Pontificii Scripturam Sacram Literam mortuam, non nos, &c. appellant: alii chartam tantum & atramentum: hi omnes externam tantum speciem intuentur, at interiorem rei gustum nullum percipiunt. Sed fideles, quemadmodum verbum divinum atramento chartæ inscriptum non contemnunt, ita nec signa Sancta in Sacramentis floccipendunt. Sed brevitati studens amplificare [id] nolo.

S. Cur D. Niemojevius dicat, me Christi institutione vituperare, sane non video. Mihi quidem sum optime conscius, me eam in summo honore habere, & tanti facere, quanti ipse Christus eam fieri voluit. Verba quidem mea ab ipso D. Niemojevio ad id probandum allata nihil tale continent. Primum enim in illis non de ipsa Christi institutione agitur, sed de pane & vino, quæ certe non sunt ipsa Christi institutio, licet ad eam pertineant. Deinde nihil præterea de pane & vino ibi dicitur, nisi quod sint res per se viles & terrenæ, immo plane mutæ & mortuæ. Nunquid hæc dicens, panem istum & vinum, quod in cœna sumitur, vitupero? Si ita est, vituperat illa ipse quoque D. Niemojevius, quippe qui fateatur, me merito posse ista scribere, siquidem ex ipsorum natura ista æstimare velim. At quid aliud sibi volunt rogo, in verbis meis, duæ illæ dictiones *per se*: nisi me ita loqui habita ratione tantum naturæ ipsorum? Hoc enim, ut aperte dixi, sic etiam dicere volui, fidem in nobis nec gigni neque augeri pane & vino, quæ in cœna Domini sumuntur, quippe quod panis & vinum res sint per se, id est, ex sua natura viles & terrenæ, immo mutæ & mortuæ. Potest quidem fieri, ut hæc mei dicti ratio D. Niemojevio infirma merito videri possit, sed digna reprehensione, quod attinet ad ea, quæ in ipsa affirmantur, nullo modo, cum ipse hæc eadem fateatur. Sibi igitur manifeste adversatur, cum me propter ea, quæ in ipsa affirmantur, tam acriter reprehendit. Quod fortasse, ne injuria facere, ipse animadvertisset, nisi sibi ipsi imponens, repetendis Polonice verbis meis, duas illas voces, *Per se*, omisisset, quas si repetiisset, distinctionem illam minime attulisset, sed in eo fuisset, ut rationem meam, quamvis veritatem alioqui contineret, infirmam esse ostenderet, hucque ea accommodasset, quæ altero membro illius suæ distinctionis, alioqui supervacaneo, & cui in verbis meis non est locus, ad falsitatem meæ rationis probandam, complexus est, ut latius postea explicavit Sacræ Scripturæ testimonio allato, quod tamen nihil ad rem facit, ut ex iis intelligi potest, quæ supra Partic. 7. disputavimus verbum Dei cum cœna Domini conferentes. Quid enim aliud est Scriptura Sacra, quam Dei verbum? Quam mortuam literam & mutam Pontificii, quantum velint, sophismatis suis utentes appellent, viva tamen Dei vox, eo sensu, quo hic est intelligendum, ea semper erit. Jam ipsum dictum meum, pane scilicet vinoque illo non gigni neque augeri in nobis fidem, confirmat hic ex parte ipse D. Niemojevius cum diserte fateatur, non debere quenquam accedere ad illa sumenda, ut ibi fidem primum nanciscatur. Concedit igitur non obscure, iis sumendis fidem in nobis non gigni. Sed neque augeri ex ipsa sumptione illa fidem nostram facile concederet, si paullo diligentius perpenderet, ex quibusnam rebus revera in nobis fides gignatur, & talis fiat, ut digne panem illum & vinum sumere possimus, qualisque illa esse debeat. Videret enim, panis & vini illius sumptionem plurimis partibus inferiorem rebus illis esse, & tali fidei nihil omnino, nisi fortasse ex accidente, quemadmodum supra dictum est, addere posse. Nam quod dicit mihi cœnam Domini non sapere, qui illa videlicet non utar: Dico, me illa nunc non uti, quia illi, quorum Ecclesiæ, utpote cæteris in hoc regno puriori, alioqui publice adhæsi, quantumvis à me rogati, id mihi non permittunt, quia scilicet jugo, quod illi præter jus & æquum, sacrorumque testimoniorum sensum, idque cum maximo infirmorum offendiculo, & renovati Euangelii cursus retardatione, fratribus imponunt, me summittere nolo, meoque exemplo ipsorum magnum hunc errorem confirmare: ut certe præter vocationem & professionem meam fieret. Atqui alibi, quam in hoc regno, videlicet Tiguri, Lugduni, Basileæ, Claudiopoli, sæpius, idque mea sponte ac perlibenter cœna Domini sum usus, & mihi illam plurimum sapere deprehendi; quamvis nullam unquam meæ fidei confirmationem vel augmentum ex eo ipso ritu sim expertus. Vehementer enim semper affectus sum gaudio, interioreque lætitia perfusus ex publica illa commemoratione & concelebratione Jesu Christi Domini & servatoris mei, & mortis ejus: propter quæ, non autem propter confirmationem & augmentum fidei nostræ, quod inde omnino proficiscatur, sapere nobis cœna Domini debet, si modo divinis testimoniis & rationi manifestæ, immo communi sensui reluctari nolimus.

N. Tantummodo, (quod eodem adhuc pertinet) alia verba D. Socini subjiciam: *Nam demus baptismum & cœnam Domini aliquo modo in terra cœlestem veritatem nobis testari (quod tamen à veritate quam longissime abest) &c.* Cui ergo usui sancta ista monimenta, si nobis veritatem cœlestem non testantur? Num propter res terrenas, & terrenis tantum hominibus sunt instituta? D. Paulus scribit: *Quicunque baptizati estis Christum induistis &c.* Sed hoc fortasse de spirituali, removens, aut potius contemnens aquæ baptismum, interpretabitur. Quod an recte faciat, tuum esto judicium.

De cœna autem Domini nonne idem Paulus scribit: *Poculum benedictionis, quod benedicimus nonne communio sanguinis Christi est, Panis quem frangimus, nonne communio est corporis Christi?* Perspicuum est, usum cœnæ Domini, communionem, quam habemus in corpore & sanguine Domini Jesu Christi, testari. Communionem autem habere cum Domino Jesu Christo, nonne cœlestis res ac veritas est? Et tamen scribit D. Socinus, baptismum & cœnam Domini veritatem cœlestem non testari.

S. Quo sensu in meis verbis accipi deceat verbum testandi, supra jam expositum est, & ex ipso meo scripto demonstratum, ut scilicet significet, rem sic esse probare, id quod satis est ad ostendendum, nihil à Domino Niemojevio dici, quod de veritate meorum verborum quidquam detrahat. Placet nihilominus tamen ea, quæ meis verbis objecit, diligentius examinare. Quærit, si baptismus & cœna Domini nobis veritatem cœlestem non testatur, cui usui sint sancta ista (ut ipse ea appellat) monumenta, sive, ut vulgo loquuntur, memorialia; num propter res terrenas & terrenis tantum hominibus instituta sint? Quasi vero nihil sit medium inter hæc duo, circa quod usus istorum rituum versari possit, aut nisi cœlestem veritatem nobis testentur, non ad cœlestem rem ullam, sed ad terrena tantum quædam eos pertinere sit necesse. Nunquid res terrenæ tantum sunt adumbratio remissionis peccatorum per Christum, & commemoratio corporis Christi pro nobis traditi, & sanguinis fusi? Non sane. Atque hi sunt præcipui usus, & ab omnibus agniti, baptismi & cœnæ Domini. Ubi quæso, hic testimonium, quale in hac nostra disputatione intelligimus, quod scilicet rei ipsius faciat fidem? Annunciat is, qui baptizat, ei, qui baptizari debet, remissionem peccatorum in Jesu Christi nomine, cui annunciationi baptizandus, si fidem adjungat, & propterea baptizetur, peccatorum remissionem consequitur, id, quod eo modo, quo potest ablutione, illa externa adumbratur, & quodammodo ob oculos ponitur; non quidem, quatenus ea ratione rem sic se habere probetur (quomodo enim corporis externa ablutio probare potest, cuiquam esse remissa peccata?) Sed quatenus id, quod verbis dicitur, ut melius intelligatur, & altius animo & memoriæ imprimatur, depingitur etiam quodammodo ceremonia illa & figuratur. Ita alia ratione probata prius jam satis, & idcirco credita peccatorum remissio, baptismo deinde externo non quidem probatur ullo modo, sed tantum, ut diximus, adumbratur. Similiter in cœna Domini, cum iis, qui eam celebraturi sunt, jam aliunde antea firmiter persuasum fuerit, Christi corpus pro nobis traditum fuisse, & sanguinem fusum, & hæc eadem non quidem probent, sed adumbrent ac figurent, idque non quidem sibi ipsis, sed aliis: idcirco panem frangunt & comedunt, vinumque infundunt ac bibunt, atque ita corporis Christi pro ipsis traditi & sanguinis fusi commemorationem faciunt. Illud certissimum est; si baptismus & cœna Domini hæc modo efficiant, quæ diximus, ut certe efficiunt, non esse, cur ulla ratione dicere possimus, hos ritus ad res terrenas, terrenosque homines tantum pertinere. Sed jam de iis videamus, quæ ex Sacris Literis contra verba mea affert D. Niemojevius. Locus ille ad Gal. 3. *Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis*, non ad spiritualem baptismum, quemadmodum ipse suspicatur, sed ad ipsum aquæ baptismum à me refertur, ut patet ex disputatione mea de baptismo aquæ, cap. 10. Sed quid præterea inde colligi potest ad probandum, baptismum aquæ testari nobis cœlestem veritatem? Num quod per eum baptismum Christum induimus, Christum autem induere cœlestis est veritas? Primum si verba ita, ut videntur sonare, accipiantur, certe non rei testimonium, sed ipsam rem per baptismum nobis dari probabit locus iste. Deinde Christum induere cœlestis quidem res est, sed non tamen cœlestis veritas: quippe quod cœlestis veritatis effectus potius quidam sit. Certe verba scripti mei ad locum illum Johannis respiciunt: *Tres sunt, qui testimonium dant, &c.* Et ejus rei occasione sunt dicta, quod quidam dicerent, cœnam Domini nobis testari divinam benevolentiam erga nos. Ex quibus apparet, me cœlestis veritatis verbo proprie fuisse usum, & intellexisse Dei erga nos, & propter nos decreta & operationes, non autem in nobis effecta. Jam verba loci istius non ita, ut sonant, accipi debere, & libenter fateor; & ipse alibi demonstro, ac simul urgeo, quemadmodum similis alter locus de cœna Domini 1 Cor. 10. hic à D. Niemojevio allatus aliter, atque verba ipsa sonant, accipiendus est, vel ipso D. Niemojevio teste, qui sine dubio videt, cum alioqui ad mea verba reprehendenda nihil pertinere, propter illud ipsum, quod paullo ante a me dictum fuit de altero loco ad Gal. quia videlicet alioqui de reipsa, non autem de rei testimonio, quod à Cœna Domini proficiscatur, in eo ageretur. Propterea D. Niem. concludens ait, palam esse, Cœnæ Domini usum communionem, quam habemus cum corpore & sanguine Domini Jesu Christi, testari. Non dixit igitur efficere vel esse, ut verba ipsa sonant, sed testari, atque istud idem, quamvis à se minime expressum, oportet eum sensisse, colligendum de baptismo ex illo loco ad Gal. si modo velimus, haud præter rem fuisse citatum. Et sane ego quoque utrumque locum non de reipsa, sed de rei professione accipio: quæ quidem professio potest testandi verbo significari: sed tamen, ut dictum est, alio sensu in verbis meis à D. Niem. reprehensis id verbum manifeste usurpavi. Fateor igitur, baptismo professionem contineri induendi Christi: Cœna autem Domini contineri professionem communicationis nostræ cum corpore & sanguine Christi: sed vel illo Christum revera indui, (quod tamen, ut diximus, ad propositum non faceret) aut etiam indutum iri fidem fieri: vel hac Christi corpus & sanguinem communicari (quod tamen similiter ad rem non faceret) aut etiam communicatum esse fidem fieri, prorsus nego. Adde, quod, etsi vel ex Cœna ipsa Domini testimonium istud fidem faciens haberetur, id non ad fidem ipsis, qui baptisantur, ipsisve, qui Cœnam Domini participant, sed aliis faciendum pertineret; quemadmodum nec professio illa, quæ omnino in istis ritibus fit, ulla de re eos ipsos monet, qui illis utuntur, sed aliis ipsorum animum declarat; quæ professio si vera sit sine dubio terrenorum hominum non est. Unde apparet, propter id, in quo præcipuus & apud omnes confessus Baptismi & Cœnæ Domini usus consistit, de quo supra egimus, aliud etiam esse, ad quod isti ritus pertineant, quod terrenum quiddam dici nequit, nec tamen est, quemadmodum nec illud, ullo modo testimonium cœlestis veritatis faciens fidem; sine quo hos cultus ad terrena quædam tantum spectare; debuerat D. Niem. ostendere, si ratiocinationem suam ad verba mea reprehendenda quidquam momenti habere volebat.

N. Sed audiamus reliqua. Explicans illa verba D. Johannis: *Tres sunt, qui testantur in terra, Spiritus, aqua, & sanguis*; reprehendens eos, qui aquæ nomine baptismum, voce vero sanguinis Cœnam Domini, intelligunt, (quod ego non defendo) ipse vero aliud quippiam intelligit, & circa finem ita scribit: *Quare hanc omnino verborum Johannis explanationem sequamur, & rebus frivolis atque inanibus relictis, ea, quæ certissima & solidissima sunt, toto animo amplectamur & retineamus, &c.* Haud scio, quomodo hæc verba sint intelligenda: qui attente legerit id, quod supra scripsit, perspiciet, quod baptismum & cœnam Domini adeo vilipendat, ut ne ad minimam quidem partem testimonii de gratia Dei, & certificationis in veritate divina ea velit admittere, atque ita fortasse Sacramenta Christiana res frivolas & inanes appellat.

S. Injuriam summam, quam mihi hoc loco facit D. Niemojevius, ne quisquam me minime sentire existimet, quia modeste sum responsurus, quemadmodum

etiam

etiam supra ubique sum conatus. Antequam autem hanc gravissimam, licet apud ipsum auctorem dubiam, criminationem diluam, quod baptismum & cœnam Domini res frivolas & inanes appellem, rogo D. Niemojevius ut dicat, in quem finem has literas ad D. Schomannum nostrum scripserit. Nam si mei accusandi & vituperandi, meque in invidiam vocandi causa, aut ex parte, aut ex toto, eas scripsit, videat ipse, quid egerit, quidve agat, & quam hoc cum Christiana pietate conveniat. Certe illum huc ex parte saltem respexisse, multa indicant, sed præcipue locus iste. Quod si, ut debuit, sententiam meam rationesque refellendi tantum gratia scripsit, quid attinet hæc scribere, quæ nonnisi ad me criminandum pertinent, præsertim cum ipsemet, justane esset hæc criminatio, ambiguerit? Sed jam de ipsa criminatione videamus. Dicit se nescire, quomodo illa verba mea ab se recitata intelligere debeat. Sed ego dico, ex istis ipsis verbis meis satis constare, quid mihi velim. Cum enim dico: *Quare hanc omnino verborum Johannis explanationem sequamur:* & statim addo; *& rebus frivolis atque inanibus relictis &c*, annon apparet, me de sententiis, ad explanationem ipsam pertinentibus loqui? Cum autem postea subjicio; *ea, quæ certissima & solidissima sunt, toto animo amplectamur & retineamus*: nonne perspicuum est, me verbis illis, *rebus frivolis &c*; idem prorsus significare velle, ac si dixissem; *iis, quæ sunt frivola &c*: sed elegantiæ cujusdam causa voce, *rebus*, usum fuisse, quæ ad omnia accommodari potest: non autem, quia ea voce res certas quasdam, qualis est baptismus & cœna Domini, intelligerem. Nonne apertum est, me ea, quæ certissima & solidissima sunt, opponere rebus frivolis & inanibus? Atqui Epitheta illa, *certissima* & *solidissima*, perspicue docent, de sententiis seu sensibus ad explanationem verborum Johannis pertinentibus verba fieri, quorum quæ certissima & solidissima sunt, sensibus frivolis atque inanibus oppono. Denique nonne ex verbo, *relictis*, & ex verbis, *toto animo amplectamur & retineamus*, liquido apparet, de sensibus recipiendis & approbandis sermonem esse, nec ullo pacto verba illa mea, *rebus frivolis atque inanibus*, ad baptismum & cœnam Domini referri posse? Quando enim unquam à me dictum est cœnam Domini debere relinqui? An non semper apertissime sum professus, & scriptis meis contestatus, cœnam Domini esse Jesu Christi præceptum Ecclesiæ in perpetuum datum, quod spernere nullo modo possimus, quippe quod ad ejus erga nos bonitatem concelebrandam, ad ejusque gloriam amplificandam potissimum pertineat? Certe in ipso initio scripti mei à D. Niemojevio carptim hinc inde in hac sua Epistola sugillati, hæc verba leguntur: *Cœna Domini ideo potissimum ab ipso Domino instituta est, ut perpetua extet in Ecclesia commemoratio & ipsius, & mortis, quam pro nobis sustinere voluit.* Oportebat D. Niemojevium quando exiis, quæ supra dixeram, colligere volebat, quid sibi velint illa verba mea, *rebus frivolis atque inanibus relictis*, ad alia ista apertissima respicere, & apud se statuere, non posse illa propter verbum, *relictis*, ullo modo ex mente mea ad cœnam Domini referri; quam cum ego Christum propter se suamque gloriam instituisse dicam, profecto multo magis eam relinqui seu sperni à nobis non posse ostendo, quam D. Niemojevius qui affirmat, Christum non propter se, sed propter suos fideles illam instituisse, qui non video, quidquid non jam à piis omnibus explosum cœnæ Domini tribuatur, quomodo non facile eadem & multo plura ac majora aliunde habere possint, quam à cœna Domini sint habituri. Jam aquæ baptismum, quamvis à me res indifferens esse statuatur, præsertim iis, qui ab ipsa infantia Jesu Christi nomen, ut Domini ac Servatoris sui publice sunt professi, ut censeam ritum istum neque à Christo, neque ab Apostolis Ecclesiæ generatim & in perpetuum fuisse præceptum; tamen nunquam dixi, eum esse relinquendum, immo plane retinendum in Ecclesia censui. Tantum ad eum suscipiendum neminem cogendum judicavi, qui vulgo rite jam eum accepisse credatur, ut ex postremo cap. meæ de aquæ baptismo disputationis apertissime constat, cujus ipsa prima verba sunt: *Quid igitur? Dixerit fortasse quispiam, num tu alter Novatus esse vis, & aqua baptismum abrogare? Minime gentium, &c.* Quamobrem jam perspicuum esse arbitror, quam injuria D. Niemojevius illa verba mea, *rebus frivolis atque inanibus relictis*; ad ipsum baptismum & cœnam Domini detorquere conatus fuerit, & quam necesse sit, me aliud nihil dicere, quam sententias illas, de testimonio in terra veritatis divinæ ex baptismo & cœna Domini proveniente, quæ ad verba Joannis aliter, atque ego docebam, explananda adhibebantur, frivolas esse atque inanes, ac propterea relinquendas, ut etiam ex proxime antecedentibus patet: proxime enim, cum alia exposuissem, unde testimonium istud proficisceretur, ea verba dixeram: *Hæc sunt & præcipua & vera, & propria, & fortasse omnia aperta in terra divinæ veritatis testimonia. Quare hanc &c* Nam quod D. Niemojevius existimat, quia superius dixeram, nullum gratiæ divinæ testimonium, nullamque in veritate confirmationem ex baptismo & cœna Domini proficisci, inde colligi posse, me hic baptismum & cœnam Domini res frivolas & inanes appellasse, quantopere fallatur, quamque nulla sit consequentia ista, superiore particula satis ostensum est.

N. Redditum est mihi scriptum ipsius in lecto decumbenti, quod cum legerem, morbi vis aucta est; dolebam [enim] opiniones adeo noxias ad Ecclesiam nostram advolare, quæ infirmos turbant, alienis autem [ab Ecclesia] fastidium atque offensionem pariunt.

S. Doleo sane casum, nec posthac meis scriptis D. Niemojevium turbabo; quanquam ea cum aliis communicare, ubi id divinæ veritatis propagatio, & hypocrisis ac superstitionis abolitio requirere videbitur, (quod hactenus haud fecisse videri possum, parcissimus enim antehac in meis scriptis communicandis fui) posthac non verebor. Video enim vel infirmos turbari, vel ab Ecclesia alienos offendi, non quidem ipsis scriptis meis perlegendis, sed falsis sententiarum mearum expositionibus vel audiendis, vel legendis facile posse: quales plurimas jam in vulgus sparsas esse, compertum habeo.

N. Cæperam cum D. Socino de quibusdam controversiis per scripta disputare: sed perspexi, quod huic homini, non modo ego homo simplex, sed ne sapientissimus quidem sit satisfacturus: nihil enim tam bene atque juste potest adduci, quod ille in suam partem pertrahere non conetur. Quod quamvis subtiliter faciat, adeo tamen interdum perplexus est, ut ipse sibi appareat contrarius. Quare constitui scriptione supersedere: sed, si tamdiu vitam produxerit Deus, in futura Synodo Lublinensi cum ipso coram cœtu de his controversiis agam; &, etiamsi ipse non adfuerit, constitui tamen, Deo adjuvante, ea, quæ me in ipsius scripto offendunt, fratribus proponere. Video enim, animos quosdam probos opinionibus extraneis esse infectos: nostrum autem est curare pro viribus, ut doctrinæ in cœtu nostro secundum veræ fidei normam tradantur.

S. Non fuerat inter D. Niemojevium & me ex communi consensu disputatio per scripta instituta, ut is mihi in iis, in quibus ab ipso dissidebam, satisfaceret: sed ut cœtus postea universus, aut pars melior, & ad judicium de ejusmodi rebus ferendum aptior, de controversiis nostris judicare melius posset. Quare non debuerat ipse ab instituto nostro, eoque, quod inter nos convenerat, recedere, quia scilicet mihi satisfacere nequeat. Nam quod interdum in scribendo adeo sim perplexus, ut etiam mihi ipsi adversari appaream, hoc ipsius causam juvare, & ad pergendum in instituta disputa-

disputatione eum potius incitare, quam inde retrahere debuisset. Vult coram fratribus in Synodo his de rebus agere, & quænam sint in scriptis meis, quibus offendatur, exponere, me sive præsente: sive absente: ut videlicet auctoritate, qua inter fratres pollet, & sua eloquentia, nudis etiam sententiis meis propositis, eisque, ut in ipsis suis scriptis solet, interdum truncatis, veritati præjudicet. Cum interim ego me defendere ac purgare nequeam: vel, quia absim: vel quia, si præsens fuero, cum propter gravem auditum meum, tum propter linguæ, qua in me invehetur, ruditatem, quæ ab ipso fuerint dicta, percipere nequeam: & si tamen percepero, non ad omnes ei respondendo loqui possim, ad quos ipse me accusando locutus fuerit: Cum multi ex eo numero sint futuri, qui Polonice tantum noverint, ego vero Polonice quid quam loqui nequeam. Si D. Niemojevius candide & nullis præjudiciis mecum agere velit, scripta mea & sua, quæ habet, integra cœtui legenda tradat, & curet, ut non sit grave fratribus in eis perlegendis & pensitandis aliquantum temporis ponere. Quodsi nondum scripto mihi plene respondit, respondeat sane verbo, sed rhetoricis coloribus & amplificationibus omissis, ac denique non victoriæ, sed veritatis; non mei criminandi, sed, ut ipse profitetur, perniciosis in religione nostra sententiis occurrendi cupidum se ostendat.

N. Si quid voluerit respondere D. Socinus, ne id faciat: nam si verum fateri velim, tædio afficitur anima mea ejusmodi scriptis, quæ paradoxa offensionis plena continent. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit nobiscum omnibus. Amen. Datæ Lublini Marc. 8. Anno Domini. 1588.

Tui studiosus in Domino frater

J. Niem.

S. Iniquum sane est adversus quemquam ad alium scribere, & interim curare, ne is quidquam rescribat, aut si rescripserit, ejus responsionem nolle legere: quid hoc aliud significare videtur, quam eum qui ita se gerat, parum suæ causæ fidere, & veritatem minime inquirere velle? Nam quod D. Niemojevius ait, animam suam ejusmodi scriptis, quæ noxia paradoxa continent, tædio affici; annon devorandum ipsi hoc tædium esset, ut paradoxa ista deinde efficacius refellere posset? Nam quomodo, quæso, cogitat, ut quidem præ se fert, perniciosa dogmata ex nostro cœtu exterminare, eaque convellere, nisi rationes, quibus niti videntur, refutet, atque inanes esse doceat? Quod si huic rei præstandæ imparem se esse putat, cur tot libros contra Pontificios scribit, totque disputationes contra ipsos Jesuitas, tantos videlicet sophistas, suscipit, vel potius cur ipse prior eos, qui paradoxa ista tuentur, lacessit, & eorum scripta confutare aggreditur? Satius profecto est silere quam hac ratione agere. Nam fratres vel summa contentione dehortari, ut à quibusdam dogmatis sibi caveant, quæ etiam nondum sint bene cognita, immo perperam exponantur: vel ad ea refellenda speciosas tantum quasdam rationes, & non bene perpensa divina testimonia afferre, & quid contra afferatur, non audire, nec ut audiatur, concedere, aut certe audita non perpendere, hoc nihil est aliud quam ad rudiores decipiendos viam sternere, & ad veritatem amplius inquirendam aditum præcludere, prophetiamque in Ecclesia & Spiritum velle extinguere. Sed de his alias, Deo dante, apertius atque uberius. Nunc satis fuit rem indicasse: cum non hoc agendi, sed scriptum, sententiamque meam de cœna Domini, à D. Niemojevii impugnationibus defendendi gratia hæc scriptio suscepta fuerit. Dominus Jesus Christus suis opituletur, piisque mentibus sese indies magis magisque aperiat. Cracoviæ 24 Maji Anno Dn. 1588.

Statueram, ut hujus meæ responsionis particula quarta dixi, aliquot præcellentium nostri sæculi Theologorum testimonia hic subjicere meo scripto de usu & fine cœnæ Domini plane consentanea: sed libros scriptaque mea habere non potui. Quare ex Zuinglii tantum scriptis, quæ publice extant, loca quædam pauca, excerpta ex multis, quæ amico dederam, & mihi ab ipso vicissim commodata sunt, bona fide ad scribam: ut vel hinc lector judicet, num tam nova tamque inaudita scripserim, quam D. Niemojevius putat.

Huldricus Zuinglius in declaratione de peccato originali ad Urbanum Regium circa finem. Tomo 2. fol. 122. a.

Signa igitur nihil quam externæ res sunt, quibus nihil in conscientia efficitur. Fides autem sola est, qua beamur: Ea vero fides, quæ Dei promissis veraciter ac firmiter hæret. Symbola igitur sunt externa ista rerum spiritualium, & ipsa minime sunt spiritualia, nec quidquam spirituale in nobis perficiunt, sed sunt eorum, qui spirituales sunt, veluti tesseræ.

Idem de baptismo tractatu postremo Tomo 2. fol. 63. a.

Cæterum uti de signis quoque nonnulla diximus, inprimis necessarium est, ut error, quo & nobis à quibusdam impositum est, in lucem omnibus conspiciendus protrahatur. Quosdam in ea opinione fuisse cernimus, ut docuerint, signa in hunc finem data esse, ut fidem internam confirment, & id, quod edocti sumus, aut quod nobis promissum est, ceu sigillo quodam infallibili obsignent. Qui hæc tradidere, à vero longissime aberrarunt.

Et paullo post.

Nec tamen negamus, esse signa quædam in hunc finem nobis divinitus concessa, ut in fide certiores magisque securos reddant, & carni, quæ nunquam non novis turbis fidem exagitat, aliqua ex parte satisfaciant. Hæc autem signa miraculosa sunt, non sacramentalia, quibus Mosis virgam, Gedeonis vellus, & alia quædam hujus generis infinita, quæ veteribus tradita sunt, adnumerare licet. Nos vero non de miraculis hoc loco, sed de signis, quæ recipientes vel insigniunt, vel eosdem officii & debiti sui admonent (cum inter miracula non sint) disputamus, qualem quidem veteribus circumcisionem fuisse constat. Nec enim hæc Abrahami fidem confirmavit, quin potius fœderis & datæ fidei (ut sic dicam) signum inter Deum & Abrahamum, ejusque genus & posteritatem extitit. Abrahamo enim tum demum circumcisionis signum datum est, cum jam ante per fidem justi nomen & titulum à Deo recepisset, quemadmodum Genes. 15, sacra historia testatur. Circumcisionem vero initi fœderis signum, non in hoc, ut fidem confirmet, institutam esse, ipsius Dei verbis manifestum fit. Sic enim is Gen. 17. pronunciat: *Hoc est pactum, quod servabitis inter me & vos, & inter semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum &c.* Tamen ut circumcisionis signum diserte pactum esse dicit: eadem ratione agni Paschalis solennitas pactum fuisse dicitur, quemadmodum Exod. 12. cap. videre licet: *Custodi enim* (inquit Deus) *istud legitime tibi, vel solenniter, & filiis tuis in æternum.* Quapropter & Agnus hic signum pacti fuit, in hunc finem institutum, ut transitum, quo Deus ab Angelo vastatore ipsos custodierat, quotannis digna gratiarum actione celebrarent. Cum enim omnia totius Ægypti primogenita feriret Dominus, solis Israëlitis parcere, & eosdem à Pharaonis acerba feritate eximere dignatus est, omni hostium exercitu, qui eos, ut in servitutem retraheret, persequebatur, maris Erithræi verticibus submerso. Similiter in Novo Testamento baptismus Fœderis vel pacti signum est,

non

non in hunc finem institutum, ut eum, qui baptizari solet, justum efficiat, vel fidem baptizati confirmet. *Et mox.* Quod idem simili ratione de Eucharistia quoque, vel cœna Domini pronunciamus. *Ac postmodum*: cum vero hæc sententia tam temere & inconsideratis rebus omnibus ubique recepta esset, ut omnes crederent, fidem per signum confirmari.

Idem tractatu 3. *De Pædobap. in ipso fere initio*, fol. 54. a.

Ad eundem modum Abrahamo quoque, circumcisionem fœderis vel pacti Sacramentale signum tradidit, non quidem, ut externa hac nota fidem ipsius augeri vel confirmari vellet: Tanta enim priusquam circumcideretur, ille fide fuit, ut scriptura Gen. 15, de illa testimonium ferat dicens: *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam.* Præsertim tanta in eo ante circumcisionem quoque fuit fidei constantia, tantum robur καὶ πληροφορία, ut Paulus Apostolus eam nobis exemplo esse velit, cum ad Gal. 3. dicit: *Qui ex fide sunt, filii Abrahæ sunt*: Sed circumcisionem ut fœderis & pacti cum eo initi signum esset, tradidit, quo tam ipse, quam posteritas ipsius & fœderis & officii sui admoneretur.

Idem de vera & falsa religione cap. de Sacramentis Tom. 2. fol. 198. a.

Sacramentum ergo, cum aliud porro nequeat esse, quam initiatio, aut publica consignatio, tum nullam habere vim potest ad conscientiam mundandam.

Et paullo post.

Toto igitur cœlo errant, qui Sacramenta vim habere mundandi putant. Quod cum secundi vidissent, tradiderunt, Sacramenta esse signa quædam, quæ, dum fiunt, certum reddant hominem de eo, quod intus fit. Quamvis & hoc frustra invenerint, quasi vero dum aqua tingitur homo, jam aliquid in eo fiat, quod ipse nescire nullatenus potuisset, nisi aqua simul perfusus esset.

Et pagina sequente: Tertio loco prodierunt, qui, quum aperte viderent, Sacramenta purificare non posse, nec divini spiritus operationem sic esse Sacramentis mancipatam, ut, cum ista fierent, illa simul cogeretur intus operari: Constat enim Spiritum Sanctum interdum ante baptismum esse traditum, interdum vero post, ut Act. 10. & 19. Tradiderunt ergo, Sacramenta signa esse, quæ hominem certum faciant rei intus peractæ. Unde, ut exempli causa, dicamus, baptismum omnibus negant, qui non prius fidem sic diserte tum docti, tum confessi sint, ut ad omnes ejus articulos respondere possint. Quorum opinio æque, ut proxima, à vero declinat. Nam qui sic fidem & docti & confessi sunt, jam dudum certi fuerant salutis, ut paullo ante in confutatione erroris secundorum patuit. Si enim mens jam fidit, ignorare non potest fiduciam suam. Quid ergo baptismo eget, qui jam dudum per fidem in Deum certus fuit abolitionis criminum? Sunt ergo Sacramenta signa vel ceremoniæ (pace tamen omnium dicam, sive neotericorum, sive veterum) quibus se homo Ecclesiæ probat aut candidatum aut militem esse Christi; redduntque Ecclesiam totam potius certiorem de tua fide, quam te. Si enim fides tua non aliter fuerit absoluta, quam ut signo ceremoniali ad confirmationem egeat, fides non est. Fides enim est; qua nitimur misericordiæ Dei inconcusse, firmiter & indistracte, ut multis locis Paulus habet. Tantum de nomine. Sacramenta vero duo omnino reliquit nobis Christus, baptismum & cœnam Dominicam, quibus sic innitamur, ut altero nomen demus; altero victoriæ Christi memores, nos ejus Ecclesiæ membra esse probemus. Accipimus in baptismo symbolum, quod cursum sumus ad regulam Christi formaturi: cœna Dominica damus experimentum, quod morte Christi fidamus, quum gratulantes & læti adsimus in eo cœtu, qui Deo gratias agit pro beneficio redemptionis, quod moriendo pro nobis liberaliter dedit.

Aliorum testimonia, ac ejusdem Zuinglii plura, Deo volente, aliqvando proferam. Sed si quis est, qui Martini Cellarii, sive Borrhai Libellum habeat de operibus Dei, satis, nisi me memoria fallit, ille habebit, ut sententiam meam nec novam, nec nostro seculo inauditam primum esse agnoscat.

Cæterum iis, quæ supra disputavimus, hæc vel addere, vel explicatius dicta adscribere libuit, sententiam nostram de usu & fine cœnæ Domini, quod attinet ad ea, quæ à nobis affirmantur, ab omnibus approbari, sed à nobis vehementius quam ab alis urgeri: ut scilicet omnes, ea sui ipsorum prius facta probatione ad eam accedant, qua decet, seque ibi Christo cultum quendam præstare secum diligenter animo reputent; ac sciant, se eo ritu obeundo profiteri, memores se esse ac gratos beneficii per Christi mortem accepti. Deinde ea, quæ à nobis negantur, ideo negari, quod non solum falsa ea esse agnoscimus, sed etiam periculi plena, ut postmodum explicabimus. Nam cum negamus, ipsam cœnam Domini per se confirmare vel augere fidem nostram, aut Dei erga nos benevolentiam nobis testari, aut in ea ex ipsius Christi instituto quidquam sumi, præter panem & vinum; non de eo revera loquimur, quod quisquam ratione vel experientia manifeste intelligere potest in cœna Domini fieri; sed de eo, quod nec ratione, nec manifesta experientia adducti, alioqui vel ex verbo Dei expresso, vel ex ejusmodi rituum aliorum usu, ibi fieri nobis persuadere debeamus. Atque, ut breviter dicam, cum ista negamus, aliud nihil dicere volumus, nisi, non debere quemquam sibi persuadere, se ibi accepturum esse quidquam, quod re ipsa accipere non sentiat, nec in eum finem cœnam Domini institutam fuisse, ut quidquam ibi accipiamus, sed tantum, ut accepta commemoremus, & de iis gratias agamus? quemadmodum alicubi in hac disputatione diserte scripsi. Hinc fit, ut, quemadmodum nullum est periculum, etiamsi ea vera essent, quæ nos negamus, si quis merito ea nos negare crederet; sic contra fit maximum, siquidem merito à nobis ista negantur, & tamen vera esse creduntur. Quid enim nocere potest, si quis non credat, se in cœna Domini quidquam consequi præter id, quod reipsa se inde percipere sentit: tametsi quædam præterea ibi accipiantur. Nunquid iste propter hoc solum, quod non credit se ista accepturum, neque etiam accipiet? Ubi hoc, rogo, scriptum est? Aut quomodo est verisimile, eum, qui in Christo fidem, suam collocet, atque, ut ipsi obediat, huncque cultum illi præstet, ad cœnam Domini accedit, ex animo memoriam corporis ipsius Christi pro se traditi & sanguinis fusi celebraturus, qualem nos ad cœnam Domini accedentem esse volumus; hunc, inquam, quomodo verisimile est, ea non accepturum, quæ in ipsa Domini cœna dantur, quia scilicet ea se accepturum minime antea sibi persuaserit? Nunquid, si quis ista se accepturum, antea persuasus non fuerit, cœnam Domini negliget? Minime vero, modo alioqui cognoverit, sibi præceptum à Christo esse, ut eam celebret, & in celebranda de ipsius Christi gloria agi, & Christi sit fidelis: aliter enim, quidquid alioqui de cœna Domini sentiat, indignus est, qui illam celebret. At vero, si quis sibi persuadeat, se in cœna Domini suæ fidei confirmationem & augmentum accepturum, & ad suam salutem pertinens quidpiam sumpturum, præter id, quod re ipsa se sumere experitur ac sentit, jam facile fiet, quemadmodum quotidie fieri videmus, ut non admodum sit solicitus, antequam eo accedat, de firmitate & augmento suæ fidei; quippe, quod ibi certo se

hæc

hæc adepturum speret; & postquam accesserit, se adeptum fuisse omnino credat, quamvis id minime sentiat. Quod si præterea frustra ac falso ista speret & credit, quanta, Deus bone, fenestra hic ad eam hypocrisin patesit, quæ omnium est pessima, cum quis videlicet putat, se esse pium, & tamen interea à vera pietate plurimum abest. Quantopere etiam cultus iste sacer pervertitur, & facile ejus verus usus aboletur, & proprius usus oblivioni traditur, aut certe obscuratur; unde, ut in responsione nostra Partic. 8. attigimus, ad omnem superstitionem & idololatriam paulatim fit aditus. Testis istius oblivionis & obscurationis mihi fuit vel libellus ille D. Niemojevii contra Emanuelem Vegam, in quo, ubi nominatim de fine & usu cœnæ Domini agebatur, nulla prorsus fiebat mentio, quod in cœna Domini annuncietur ac celebretur Christi mors, ejusque corporis pro nobis fracti & sanguinis fusi publica fiat commemoratio cum gratiarum actione; qui verus & proprius est cœnæ Domini usus ac finis, Sacris Literis, Ecclesiasticisque historiis, hujusque ritus nominibus ipsis antiquissimis testatissimus. Sed aperte & ibi dicebatur, & alibi inculcabatur, in cœna Domini contineri sigilla & confirmationes divinorum promissorum & fidei nostræ, & similia alia quædam, quorum in Sacris Literis, nec fortasse apud ullum ex antiquioribus Ecclesiasticis scriptoribus nulla fit mentio. Sed de his hactenus.

SELECTIORES QUÆDAM NOTÆ,

Ex Animadversionibus F. S. in librum D JOHANNIS NIEMOJEVII contra Imman. Vegam Polonice scriptum, in quo de cœna Domini disputatur, quarum supra tum à Niemojevio tum à S. facta est mentio.

Verba, in quæ S. animadvertit, è Polonico in Latinum conversa habes, eaque interdum paullo plenius recitata, quam S. fecerat, ut sensum notarum ipsarum tanto facilius assequaris.

Omissæ autem à nobis sunt animadversiones non paucæ, in quibus vitia argumentationum & responsionum quarundam, aliorumque dictorum notantur, quæ vix ulli possunt esse usui, nisi fortasse iis, qui ipsum Niemojevii librum, qui in paucorum nunc est manibus, habent; quinetiam eæ, in quibus jam antea dicta repetuntur.

In D. JOHANNIS NIEMOJEVII adversus Vegam librum Polonicum Notæ.

FOl. 2. à lin. 23, & seqq. *quod is* (Christus) *existens homo verus, fratribus in omnibus, excepto peccato, similis, corpus ejusmodi habeat, quod non sit phantasma, neque spiritus aliquis invisibilis, neque incomprehensibilis, sed quemadmodum proprietates omnes corporis humani, excepto peccato, semper ostendit, ita etiam nunc glorificatus, verus homo esse non desierit.* Ex his verbis apparet auctorem sentire Christi corpus quamvis glorificatum, corpori nostro simile esse excepto peccato. Id quod inferius fol. 3 b 16 & fol. 16. a 21. repetitur clarius. Atqui glorificatorum corpora spiritalia sunt, non glorificatorum vero animalia 1 Cor. 15. 44, & aliud est corpus spirituale esse, aliud vero sine peccato esse. Nam Christi corpus nondum glorificatum, & sic adhuc animale, sine peccato tamen fuit. Quantum vero inter animale & spiritale corpus, quod ad ipsam substantiam atque essentiam attinet, de qua hic potissimum agitur, revera intersit, vel ipsa nomina satis indicant. Nusquam igitur urgendum est judicio meo, Christi corpus glorificatum nostris corporibus, excepto peccato simile esse; sed tantum Christum quamvis glorificatum, verum corpus habere, ut certe habet. Ex hoc enim solo satis superque papisticum transubstantiationis commentum detegitur ac confutatur.

Fol. 12. b. 8. *Baptismus lavatrum regenerationis est appellatus.* Locus ille Tit. 3, à multis, qui alioqui aquæ baptismo plus fortasse, quam auctor tribuunt, non ad aquæ baptismum, qui ibi nullo modo nominatur, sed ad ipsam regenerationem refertur, quæ lavacrum opportune admodum & eleganter ibi à Paulo appellatur, per quam videlicet contigerat liberatio ab iis vitiis, quæ supra nominaverat, & consequenter salus. Quemadmodum igitur Renovatio Spiritus Sancti, cujus ibidem statim fit mentio, aliud nihil significat, quam renovationem quæ facta est per Spiritum Sanctum, non autem tertium quiddam, quod hoc nomine appelletur; sic lavacrum regenerationis, aliud nihil significat, quam lavacrum illud quod ipsa regeneratione continetur, non autem tertium quiddam, baptisma scilicet aquæ, quod hoc nomine decoretur.

Ib. lin. 16. &c. *Ex quibus verbis* (Matth. 26. 26, & 28. Luc. 22. 19, & 20.) *perspicere posses, si velles, cœnam Domini ex parte fuisse figuram passionis & mortis Christi, quod in fractione panis & effusione vini egregie fuit ostensum: quod autem ad sumptionem atque usum panis & vini attinet, in eo effectus & fructus passionis & mortis Christi ostenditur, ut Apostoli, & postmodum omnes fideles certi redderentur, se ex corpore Christi, pro se tradito, & sanguine pro se effuso, vitam æternam habituros.* Aliud est aliquid adumbrare quodammodo & figurare, aliud vero ita demonstrare, ut certum fiat. Illud Sacramenta, quæ vocantur, præstant; hoc vero nullo modo. Quanquam fateor hic non de ipso Sacramento, seu de esu & potu panis & vini in cœna Domini per se agi, sed de Christo, qui panem & vinum suum corpus & sanguinem appellans, eaque comedi & bibi jubens hac ratione efficere voluerit, ne quidquam dubitemus, quin ex corpore ipsius pro nobis tradito & sanguine pro nobis fuso vitam habituri simus. Verum neque hoc recte dictum videri debet; cum potius dicendum fuisset, quia ex corpore Christi pro nobis tradito & sanguine pro nobis fuso vita ad nos manatura erat, idcirco Christum convenienter pane & vino, quibus potissimum vita hæc sustentatur, ad comedendum & bibendum datis, corpus suum tradendum, & sanguinem fundendum adumbrasse, & propterea etiam panem illum, suum corpus, vinum vero suum sanguinem appellasse. Sed hac tota de re infra clarius aliquid dicturi sumus.

Fol. 13. à. 13. *Nam Sacramenta nihil aliud sunt, quam visibile verbum: quo Deus promissiones suas gratuitas confirmat atque obsignat.* Si Sacramenta visibile seu aspectabile quoddam Dei verbum essent, quo Deus confirmaret atque obsignaret promissa sua, præter quam quod alicubi id in Sacris Literis scriptum extaret, quod tamen, nisi vehementer fallor, nusquam extat, de ratione etiam, qua rantus effectus ex ceremoniis istis proficiscatur, aut proficisci possit, aperte constaret. Atqui contra apparet, hanc vim illis inesse non posse, cum nihil miri in se contineant, nihil non vulgaris, & in potestate cujuslibet hominis positi, nihil denique eorum quæ ad confirmanda promissa sua Deus adhibere solet. Quæ enim ejusmodi, qualia Sacramenta sunt, alicubi promissis adjuncta fuerunt, ea non quidem ad confirmanda & obsignanda ipsa promissa, sed tantum ad ea adumbranda, & figuranda adhibita sunt.

Quæ

quæ adumbratio & figuratio, promittentis quidem, quam præ se fert, voluntatem, depingunt quodammodo, & ob oculos ponunt, non tamen ulla ratione vel promissi præstandi, vel ex animo facti fidem faciunt. At enim circumcisiu sigillum à Paulo appellata est Rom. 4. Fateor, sed non divini promissi, verum justitiæ fidei, quam habuit Abrahamus ante circumcisionem. Obsignari enim circumcisione voluit Deus Abrahamum, una cum ejus posteritate tota, ut ea nota à cæteria hominibus distinguerentur, & quantopere, quamque peculiariter Deus Abrahamo ejusque universæ posteritati faveret, perpetuo omnibus constare posset. Quo favore neutiquam Deus familiam illam prosecutus semper fuisset, aut prosequi statuisset, nec consequenter eam tali nota insigniri jussisset, nisi Abrahamus antea ipsi confisus fuisset, ob idque, justus ab ipso fuisset habitus, ac reputatus. Quid quod cœna Domini, de qua hic agimus, revera nulli Dei, sive ipsius Domini promisso est adjuncta; sed ad quædam adumbranda, quæ pro nobis Dominus fecit eaque commemoranda & concelebranda instituta? Sed infra adhuc apertius de istis agendum erit.

Ib. lin 15. *Quemadmodum ergo Sacramenta à verbo Dei sejungi nequeunt: ita etiam nihil amplius in se continent aut porrigunt, quam quod Deus omnipotens in verbo suo promittit & porrigit.* Hic aliquanto tolerabilius loquitur auctor, sed tamen meo judicio multo plus adhuc Sacramentis tribuit quam deceat; videtur enim tacite affirmare Sacramenta continere, ac porrigere id, quod Deus in verbo suo promittit ac porrigit: cum tamen Sacramentum cœnæ Domini nihil porrigat præter panem & vinum, nihilve porrigendum significet, quo sensu fortasse hic verbo porrigere seu Φυδαινας usus est auctur. At sane, si cœna Domini porrigeret id, quod Deus in suo verbo promittit, porrigeret nobis fructum comestæ carnis & epoti sanguinis Christi, qui teste ipso Christo vita æterna est Joh. 6, id quod nimium à veritate abhorret. Neque enim ullum aliud divino verbo comprehensum promissum video, ad quod cœna Domini pertinere queat, nisi istud. Nam quod quidam putant in ipso divino verbo cœnæ Domini adjuncto promitti corpus & sanguinem Christi, manifesto falsum est. Datur enim evidenter in cœna Domini, non autem promittitur Christi corpus & sanguis, quanquam id Sacramentali (ut loquuntur) ratione intelligendum est. Quandoquidem ea dantur, quæ Christi corpus & sanguinem figurant atque adumbrant (id est panis & vinum) non tamen simpliciter, sed quatenus illud pro nobis fractum, hic vero fusus fuit.

Ib. lin. 18. *Et quod verbum auribus nostris, idem etiam Sacramenta oculis afferunt.* Sed neque hoc admitti potest, nisi magna cum modificatione. Multo enim verius atque efficacius affert verbum id, quod continet, auribus nostris, quam Sacramentum idem oculis afferat. Immo ad aures ferri nulla efficaciore ratione quidquam potest, quam per verbum, (de rebus loquor quæ ipsæ auribus non usurpantur, quales hæ sunt, de quibus est sermo) ad oculos vero longe efficaciore ratione quam per Sacramenta ista; ut si vel res ipsæ oculis, ubi & quoad fieri potest subjicerentur, ut ab initio loco cœnæ Domini ipsa fractio corporis & fusio sanguinis Christi, vel in tabella aliqua ad vivum ista penicillo exprimerentur. Quin deme verbum Sacramentis, nihil plane cuiquam ob oculos ponent eorum, ad quæ adumbranda adhibentur. At deme Sacramenta verbo, aures tamen nihilominus id percipient, quod ex ipso percipienddm est.

Ib. b. 6. *In baptismo habemus figuram visibilem per lavacrum externum, invisibilis & spiritualis ablutionis, per quam conscientiæ nostræ, in sanguine Christi, efficacia Spiritus Sancti, vere repurgantur.* Tametsi verum est sanguine Christi nos ablutos fuisse à peccatis nostris; tamen ejus rei in baptismo aquæ rationem haberi, ita ut aqua per figuram Christi sanguini respondeat, ut auctor alibi infra se sentire apertius ostendit, nunquam probabitur, nec id sane Sacræ Literæ usquam commemorant indicant.

Fol. 14. a. 8. *Sacramenta nostra non sunt nuda signa, aut sigilla inutila: sed nobis veras Dei promissiones, & gratiam Christi, & communionem, quam per fidem cum ipso habemus, ob oculos ponunt atque ostendunt.* Si non sunt nuda signa, Ergo aliquid plus præstant, quam significare; quemadmodum sane auctor sentire videtur, qui confirmandi vim & divina promissa continendi ac porrigendi illis tribuit. Atqui quæ hoc loco statim subjiciuntur ad eorum vim explicandam, significandi vim nequaquam excedunt, nisi verbum ποϑαζυτα *ostendunt*, eo sensu prolatum fuerit, ut probationem quandam notet. Propterea ab ipso initio monui ejusmodi verbum caute interpretandum esse, & propterea etiam caute eo utendum. Id quod de verbo ipso σημαινειν *significare*, per se, quod simul cum eo ibi prolatum fuerat, intellexi. Proprie enim signare aut significare id dicitur, quod rei signatæ aliquam saltem facit fidem, qui effectus, ut dixi, a Sacramentis, meo quidem judicio, longe abest, quapropter si signi nomine proprie uti velimus, tantum abest, ut ego quidquam detrahi Sacramentis existimem, si quis ea nuda signa appellet, ut ea appellatione plus illi tribui quam deceat, penitus persuasum habeam. Nec alia ratione concedi posse credam, Sacramenta significare, nisi eo sensu, quo Pontificii cum mysteria suarum ceremoniarum explicant, dicunt, *hoc significat rem aut factum tale, &c*, id est, adumbrat, seu, ut nostri theologi aliquando loquuntur, figurat.

Ib. 9. *Sed nobis veras Dei promissiones &c, ob oculos ponunt & ostendunt.* Si auctor cum *nobis* dicit, eos ipsos intelligit, qui Sacramenta participant, ut satis ex ejus verbis constat; quidquid ea præstent, id in cœna Domini minime concedendum videtur. In qua is, qui panem illum comedit, vinumque bibit, nihil sibi ea comestione revera & potu adumbrari aut significari sentit, sed ipse aliis ea ratione illa adumbrat, quæ ceri monia ista peragenda profiteri vult.

Ibid. b. 12. *D. Paulus scribit*, (Gal. 3. 27.) *quod quicunque vere sunt baptizati, Christum induerunt.* Hic verbo isto *vere*, Pauli verbis addendo eo gravius erratur, quo ipsa quodammodo verba Pauli se recitare auctor profiteri videtur. Qui si animadverterit, eum locum, multis aliis apud eundem Paulum & alios Sacros Scriptores posse esse similem, ubi non de eo quod revera sit, sed de eo quod esse deberet, quodque quis professus est, verba fieri apparet, suspectam sane plurimum suam istam additionem habebit.

Fol. 15. a 6. *Corpus Christi nemo vere potest comedere; nisi is, qui in Christo habitat, & in quo etiam Christus manet.* Hic videtur requiri, ut quis jam in Christo habitet, & Christum habeat in se manentem, si comesturus sit corpus Christi. At verba Christi Joh. 6. 59, videntur potius innuere (præsertim verbis præcedentibus & subsequentibus consideratis, & rei ipsius natura perpensa) ex esu carnis & potu sanguinis Christi, id consequi, ut quia in Christo maneat, & Christus in ipso. Et sane, si quis jam in Christo manet, & in Christus in ipso, quid præterea illi est opus Christi corpus comedere?

Ib. b. 25. *Jam hæc verba* (quod pro vobis tradetur) *ad illum panem quem Apostoli acceperunt & comederunt, pertinere non possunt, sed ad verum Christi corpus &c. Ecce igitur Apostoli accipientes illum panem, & comedentes, at verba Christi audientes, Christum ipsum, quem habebant præsentem respexerunt, & ibi corpus ipsius considerarunt, &c.* Itaque Adversariis conceditur, Christum jussisse, Apostolos suum corpus tunc comedere, quod ut periculo est plenum, sic meo judicio non recte factum est. Neque enim jussit Christus Apostolos suum corpus tunc comedere; sed panem tantum. Quamvis illum fractum & ad comedendum datum, corpus suum, quod pro ipsis traderetur seu frangeretur,

appellaverit. Nimirum ob similitudinem quæ erat inter utrumque.

Fol. 16. a. 25. *Mirum fuisset Apostolis, si tredecim Christos confiteri & credere fuissent coacti, duodecim ex pane factos, &c, decimum tertium visibilem, mensæ una cum illis assidentem &c.* Hæc verba aperte indicant, scriptorem sentire, Judam cœnæ Domini interfuisse. Atqui, eum jam antea abiisse, quidam nostra ætate editis ea de re scriptis, non male, ni fallor, demonstrarunt.

Fol. 18. a. 24. &c. *Et non vult homo miser seductus* (Vega) *credere, spiritum nostrum carnem Christi comedere, & cum ipsa veram habere communionem posse, nisi illam hic in pane præsentem habeat, & corporaliter comedat.* Non existimo Vegam, negare, etiam citra corporalem esum carnis Christi, Spiritu posse carnem Christi comedi, sed Calvinum tamen merito (ut quidem ego censeo) irridet, vel potius carpit ac reprehendit, qui dicat, Christum non quidem ad nos in sua cœna descendere, sed nos, id est spiritum nostrum ad se evehere. Nam certe qualis est descensus Christi ad nos, qui negatur, talem esse portet spiritus nostri ascensum seu evectionem ad Christum, quæ affirmatur. Atqui descensus ille realis (ut ita loquar) est. Ergo realem quoque ascensum sive evectionem istam esse oportet. Alioqui, si non realis, id est non rei ipsius videlicet ipsius spiritus seu animi nostri ascensus sive evectio ista fit, non magis nos ad Christum evehi, quam Christum ad nos descendere confitendum Calvino erit.

Ib. b. 17. *Dum nos sentimus & confitemur, spiritum nostrum, operatione divini spiritus, per fidem participare corpus Christi; id propterea pro re impossibili habet* (Vega) *quod nos corpus Christi uno in loco in cælo confitemur, nos autem in terra sumus &c.* Calviniani, præcipue vero ipse Calvinus, quibus cum Jesuita iste disputat, sentiunt, ipsissimam corporis substantiam, qualis ea nunc est in cœlo, à veris Christi fidelibus, in ipsius cœna participari, idque plane (ut loquuntur) realiter, quamvis id spiritali ratione fiat, corpore ipso Christi interea in cœlo perpetuo, unoque in loco manente, id quod Jesuita ait, nullo pacto fieri posse, (nec sane immerito) Christi fidelibus interim perpetuo in terris manentibus. Quomodo enim realiter ipsa Christi corporis substantia a quoquam participari potest, qui tamen immenso intervallo ab ea distet? Spiritualis Christi corporis esus, qui ab ipso Christo Joh. 6, commendatus fuit, quid sit, & quomodo fiat, & plane sentitur, & aperte intelligitur, ac verbis explicatur. At Calvinianus iste corporis Christi esus, nullo pacto, quid revera sit, quomodove fiat, aut etiam fieri possit à quoquam vel sentiri, vel percipi, vel exponi potest. Itaque Calvinus ipse in sua institutione, ubi de cœna Domini agit, fatetur, nec mentem suam cogitando, nec linguam explicando tanto mysterio parem esse posse, satisque audacter sane postmodum ait, se modum comedendi Christi corporis in cœnæ Sacramento experiri magis, quam intelligere, cum prius iterum dixisset, non pudere se fateri sublimius esse arcanum, quam ut vel ipsius ingenio comprehendi, vel enarrari verbis posset. Risit monstrosam hanc de reali ipsius corporis Christi substantiæ esu, spirituali tamen ratione, opinionem, Zuinglius ipse, quam tamen Bucerus post ejus mortem, tanquam scilicet ab ipsius Zuinglii mente non discrepantem, acriter promovit, quam Calvinus arripuit, ipsaque Tigurina Ecclesia primi sui pastoris doctrina deserta, tandem est amplexa.

Fol. 19. b. 23. *Stephanus ait* (Act 7.) *Abrahamo datum esse fædus circumcisionis, ex quibus universis liquet, signo externo* circumcisioni) *nomen rei ipsius* (fœderis) *fuisse attributum.* Quemadmodum auctor vult verba hæc Stephani *fœdus circumcisionis*, significare circumcisionem esse fœdus, sic verba illa Pauli, *lavacrum regenerationis*, agnoscere debet, significare regenerationem esse lavacrum.

Fol. 24. a. 9. & seqq. *Quod vero scribis*, Vegam alloquitur) *necesse esse, ut de corpore Christi aliquo modo dici possit, quod frangatur; disce mi Sacerdos, alium modum esse non posse quam Sacramentalem, dum id quod ad signum vere pertinet, corpori etiam Christi, suo modo potest adscribi.* Adversario igitur concedetur, ea quæ Christus cum cœnam suam institueret, de corpore suo dixit, non ad ea, quæ circa illud acta sunt extra ipsam cœnam pro salute nostra, non inquam ad mortem & perpessiones, quas pro nobis subire Christus voluit, sed ad ea, quæ in ipsa cœna fiebant, referri debere. Nam certe, si corpus Christi frangi dici nequit, nisi Sacramentali ratione, quia scilicet, panis qui Sacramentaliter corpus Christi in ejus cœna est, omnino frangitur, sequitur nullo modo posse ea verba ad corpus Christi extra Sacramentum pertinere. Id quod adeo falsum est, & iis contrarium, quæ supra alicubi in hoc eodem scripto dicta sunt, ut mirer sane auctorem ista scripsisse. Præsertim cum ipse fol. 12. b. 18, admodum cordate dixerit, in fractione panis, quæ fiebat, cum Christus ritum illum instituit, represensatos fuisse cruciatus, & mortem Christi. Quod certe fieri non potuisset, nisi aliqua ratione Christi corpus subeundis cruciatibus & morte fractum fuisse dici posset. Quamobrem nulla ratione, seu tacite sive expresse, concedendum est Adversario, verba illa, *quod pro vobis frangitur*, ad corpus Christi, quatenus morti traditum est, referri non posse; præsertim cum certum sit omnia Christi verba, quæ de corpore sanguineque suo tunc protulit, ad mortem cruciatusque suos pertinere, quippe quod earum rerum perpetuam commemorationem celebrandam in posterum à suis institueret, nec aliud quidquam tunc ageret. Nam, quod Vega ait, verbum Græcum κλᾶν non nisi de ea re, quæ tanquam panis dividi possit, vere dici; non leviter fallitur, ut lexica consulentibus constare potest. Et quamvis non sim negaturus, magis proprie verbum illud significare posse, panis in cœna illa quam Christi corporis fractionem in cruciatibus & morte; tamen satis recte etiam ad corporis Christi fractionem istam accommodatum fuisse dico. Quanquam nihil prohibet uni fractioni proprie, alteri vero improprie verbum istud convenire. Nam in altera hujus Sacramenti parte est apud Euangelistas verbum fundere sive effundere, quod sanguini quidem Christi in cruciatibus & morte fuso proprie admodum accommodatur: vino vero in poculum infuso plane improprie. Et tamen effusionis illius cum hac infusione alicujus similitudinis rationem hic habitam fuisse, nemo opinor negaverit, qui inter rem adumbrantem & adumbratam similitudinem esse debere, negare non audeat.

Fol. 27. b. 2. *D. Paulus ita scribit Ephes. 4.* (nempe de communione nostra vera quam cum corpore Christi habeamus, &c.) *Unum corpus, & unus spiritus, quemadmodum etiam vocati estis in una spe vocationis vestræ, &c.* Non video quid hoc Pauli testimonium contra Vegam suppeditet; cum Paulus hic nec loquatur de unione fidelium cum ipso Christo, sed ipsorum inter se; nec dicat aperte, unde ea proficiscatur, nisi quatenus ait, eos esse vocatos in una spe. Quanquam satis ex præcedentibus verbis apparet, Paulum non dicere, unionem istam jam esse, sed esse debere, ad eamque Ephesios hortari, cum una esset omnium ipsorum vocationis spes, & alia prorsus eadem communia haberent, quæ statim deinde enumerat.

Ib. 6. *Ut habitet Christus per fidem in cordibus vestris &c.* Sed & hoc testimonium nihil probat contra Vegam, qui nunquam negaturus est, Christum habitare in cordibus nostris per fidem, præsertim eo sensu, quo id Paulus hoc loco dicit; qui nihil aliud his verbis precatur, quam, ut Ephesii ex intimis cordium suorum Christo confidant, hocque appellat, Christum habitare per fidem in cordibus ipsorum. Nam quod antea precatur, ut iidem Ephesii corroborentur in hominem interiorem per Spiritum Dei, hoc nihil ad rem facit; cum interior ille homo aliud nihil sit, quam hominis mens & ratio superior, quam hoc nomine alibi

quoque Paulus appellat, nempe ad Rom. 7. Quod igitur hæc per Spiritum Dei corroboretur, nihil commune habet cum eo, quod per solum Dei Spiritum perfecta & absoluta fiat nostrum cum Christo unio atque conjunctio; qua de re hic agitur.

Ib. 28. *An illi, qui Christum Dominum vere induunt unum corpus cum ipso non fiunt? Quid vero illud? Nam in uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, &c.* Infirmius etiam hoc videri debet, quippe quod, ut de alio illo ad Ephes. 4, paullo ante diximus, non de conjunctione cum Christo ipso seu cum ejus corpore, sed de summa unione fidelium inter se, aperte loquatur.

Fol. 38. à. 5. *Vegam agnoscere posse, in baptisma nos unum corpus cum Christo evadere, ex illis Pauli verbis Ephes. 5. 26, ut eam* (Ecclesiam) *sanctificaret,* (Christus) *purificans lavacro aquæ in verbo, &c.* Aliud dicet Vega esse sanctificare, aliud vero sibi perfecte unire atque conjungere. Neque concedet ullo pacto, etiamsi hoc loco Paulus spirituale matrimonium Christi cum Ecclesia indicet, propterea sanctificatione ista commemoranda totum matrimonium omnesque ejus effectus explicari. Miror autem auctorem, qui ita sine ulla hæsitatione pro certo sumat, Paulum hoc loco cum lavacri aquæ meminit, baptismum aquæ intelligere; præsertim cum ipsemet supra fol. 21. b. 8, in loco simili Hebr. 10. 22, figurate aquæ vocabulum accipi recte animadverterit. Neque enim id quod hoc loco additur *in verbo*, id est *per verbum*, modificatio quædam est antecedentium, sive expositio, quomodo, aut cujus rei vi lavacro illo aquæ Christus Ecclesiam suam purgaverit; sed illius lavacri aquæ, ad purgationem istam ob oculos ponendam metaphorice à Paulo usurpati, explicatio quædam atque interpretatio. Ipso enim verbo per se, quod spiritualis quædam est aqua, non autem adjuncta aqua ulla corporea, quam nunquam ipsemet ministravit, mundos reddidit ac purgavit Christus discipulos suos, & sic Ecclesiam suam. Nam ipse Christus suis discipulis dixit, *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis* Joh. 15. Satius igitur est hoc loco illud tantum urgere, nullam cœnæ Domini in verbis Pauli mentionem fieri

Fol. 31. b. Ostensurus Niem. infirmitatem argumenti, quo Vega nititur ad sententiæ suæ de orali corporis Christi manducatione in Eucharistia, probationem, ex cap. 6, Joh. 55. petiti, ait lin. 19. & seqq. ipsos etiam adversarios necesse habere fateri, in verbis Christi a Johanne descriptis, figuratos loquendi modos sæpe reperiri, *primum, dum Christus seipsum panem appellat, &c.* ad hæc ita notat Socinus. Christus eo in loco nunquam simpliciter se panem nominat, sed semper aliquid addit, unde figurata locutio agnosci possit. Tantum semel dicit, panem, quem ipse dabit esse carnem suam, quam dabit pro mundi vita; ubi videtur carnem suam simpliciter appellare panem. Verumtamen illa verba, *quem ego dabo*, satis indicant illum figurate loqui, immo sequentibus præcedentibusque juncta verbis ipsam figuram explicant.

Fol. 31, 32. Cum Niem. adduxisset verba Christi Joh. 6. 51. ad probandum, figuratos loquendi modos in Christi verbis à Johanne descriptis reperiri, subjicit fol. 32. à lin. 1. *Quæro ex te, Sacerdos, an panis vivus, realis ex cœlo descenderit? Cogeris ista verba volens nolens aliter exponere quam verba sonant.* In Christi verbis est articulus redditus Polonice particula Ou *ille*, quæ hic omittitur, & tamen maximam vim habet. Nam certe panis ille vivus realiter & substantialiter de cœlo descendit. Christus enim est revera panis ille vivus, ut hic ipse affirmat. Christum autem de cœlo descendisse nemo negabit, qui ipsius Christi verbis fidem habuerit. Jam non modo ex articulo illo, sed etiam ex epitheto vivus, quamvis Christus ipse panis ille esse non diceretur, tamen satis constaret, hic de alio pane agi, quam frumentaceo, & proprie ac vulgo sic vocato.

Fol. 36. à. penult. *Fideles in cœna à Christo debere pascere, ut eos ipse, in sacra illa cœna, Spiritu suo Sancto pascat, & sacro suo sanguine potet.* Immo si quis digne ad cœnam illam accedere velit, in qua, sine dubio, gratiæ Christo aguntur, de carne sua pro nobis data & sanguine fuso, necesse esse beneficium istud sentire, & consequenter carne Christi jam pastum, & sanguine potum esse; nec id magis in ipsa cœna quam extra cœnam fieri à Christo, orandum est nobis.

Ib. b. 4. &c. *Hoc autem fiet* [*hoc est, ut Christus fideles suos in cœna pascat Spiritu suo Sancto, & sanguine suo sacro potet*] *cum illis per Spiritum suum Sanctum, per quem in illis habitat, in memoriam rediget, & fidem in ipsis excitabit & confirmabit, ut commemorantes passionem & mortem ejus, eo sese solentur, quod Deus omnipotens ex misericordia sua filium suum dilectum atque unicum pro ipsis tradidit &c.* Et paullo post: *Atque hoc est, quod Christus dignatus est dicere: Hoc facite in mei recordationem, aut quod D. Paulus scripsit: Quotiescunque ederitis panem hunc, & calicem hunc biberitis () mortem Domini annunciabitis &c.* Ubi ad verba priora: *in memoriam illis rediget, &c,* sic notat Socinus: Quæ hoc loco dicuntur, pleraque nullum fundamentum in verbo Dei habent: immo nisi dextre admodum accipiantur, cœnæ Domini finem & usum plane pervertunt ac corrumpunt. Demonstrant hoc satis duo illa testimonia, quæ hic postea citantur; præsertim vero posterius. Neque enim jussit Christus ad recordationem, sed ad commemorationem sui cœnam celebrari. Id quod Paulus planissimum facit, inquiens, non quidem, mortem Domini vobis in memoriam revocatis, sed, mortem Domini annunciatis seu prædicatis, & recte D. Czechovicius apud Lucam & Paulum verbum [illegible] [illegible] & [illegible] *commemorationem* reddidit, non autem [illegible] *recordationem*, ut auctor hic fecit.

Ib. 27. & seqq. *Cœna Domini non supervacanea, sed utilis est &c. Videns enim Christus infirmitatem nostram, quod in hoc seculo ex parte tantum credamus, & primitias quasdam Spiritus Sancti accipiamus, volens fidem nostram confirmare, & infirmitati nostræ succurrere: ideo externum ministerium in sancta sua Ecclesia instituere dignatus est, quod in vera dispensatione verbi ejus sancti, & Sacramentorum verorum consistit.* Hic dicendum erat, nam Christus Dominus mortis violentæ, quam pro nobis subiit, commemorationem & prædicationem (id quod nobis ipsis inutile esse nullo modo potest) in sua Ecclesia solenni quodam ritu ad gloriam nominis sui fieri voluit. Et sane mirum est, auctorem, qui alibi in hoc scripto hoc satis agnoscit, tamen hic ubi nominatim de fine & usu cœnæ Domini agitur, id ne indicasse quidem, quamvis tam aperte in Sacris Literis expressum, & alia huc attulisse, quæ ut dictum est, nec Sacris Literis sunt prodita, & finem atque usum verum cœnæ Domini pervertere, facile possunt, eam potissimum ob causam, quod ea in cœna Domini quærantur, ab eaque saltem ex parte petantur, quæ omnino ad eam afferri debent, & id, quod testimonium grati animi nostri est adversus Dominum, ipsius Domini testificatio & obsignatio esse credatur beneficiorum ac promissorum, quæ nobis fecit.

Ib. 29. *Et primitias quasdam Spiritus Sancti accipiamus &c.* Apparet, scriptorem sensisse, primitias Spiritus Sancti in Sacris Literis appellari initia quædam, & quasi portiunculam Spiritus Sancti, quam omnes Christi fideles in hac vita consequantur. Verum aliter res se habet, ut ipsum vocabulum primitiarum declarat, quod per translationem metonymicam, rei alicujus potiores ac selectiores partes quasdam significat, eo quod primitiæ rerum Deo offerantur. Itaque in Sacris Literis, ubicumque primitiarum nomen metaphorice accipitur, aliquid excellens significatur. Quamobrem cum Paulus ad Rom. 8. 23, ad quem locum sine dubio auctor respexit, primitiarum spiritus mentionem fecit, tantum abest, ut spiritus paucitatem (ut ita dicam) primitiarum vocabulo significare voluerit, ut potius spiritus

Tttt 2 præ-

appellaverit. Nimirum ob similitudinem quæ erat inter utrumque.

Fol. 16. a. 25. *Mirum fuisset Apostolis, si tredecim Christos confiteri & credere fuissent coacti, duodecim ex pane factos, &c, decimum tertium visibilem, mensæ una cum illis assidentem &c.* Hæc verba aperte indicant, scriptorem sentire, Judam cœnæ Domini interfuisse. Atqui, cum jam antea abiisse, quidam nostra ætate editis ea de re scriptis, non male, ni fallor, demonstrarunt.

Fol. 18. a. 24. &c. *Et non vult homo miser seductus* (Vega) *credere, spiritum nostrum carnem Christi comedere, & cum ipsa veram habere communionem posse, nisi illam hic in pane præsentem habeat, & corporaliter comedat.* Non existimo Vegam, negare, etiam citra corporalem esum carnis Christi, Spiritu posse carnem Christi comedi, sed Calvinum tamen merito (ut quidem ego censeo) irridet, vel potius carpit ac reprehendit, qui dicat, Christum non quidem ad nos in sua cœna descendere, sed nos, id est spiritum nostrum ad se evehere. Nam certe qualis est descensus Christi ad nos, qui negatur, talem esse portet spiritus nostri ascensum seu evectionem ad Christum, quæ affirmatur. Atqui descensus ille realis (ut ita loquar) est. Ergo realem quoque ascensum sive evectionem istam esse oportet. Alioqui, si non realis, id est non rei ipsius videlicet ipsius spiritus seu animi nostri ascensus sive evectio ista fit, non magis nos ad Christum evehi, quam Christum ad nos descendere confitendum Calvino erit.

Ib. b. 17. *Dum nos sentimus & confitemur, spiritum nostrum, operatione divini spiritus, per fidem participare corpus Christi; id propterea pro re impossibili habet* (Vega) *quod nos corpus Christi uno in loco in cœlo confitemur, nos autem in terra sumus &c.* Calviniani, præcipue vero ipse Calvinus, quibus cum Jesuita iste disputat, sentiunt, ipsissimam corporis substantiam, qualis ea nunc est in cœlo, à veris Christi fidelibus, in ipsius cœna participari, idque plane (ut loquuntur) realiter, quamvis id spirituali ratione fiat, corpore ipso Christi interea in cœlo perpetuo, unoque in loco manente, id quod Jesuita ait, nullo pacto fieri posse, (nec sane immerito) Christi fidelibus interim perpetuo in terris manentibus. Quomodo enim realiter ipsa Christi corporis substantia a quoquam participari potest, qui tamen immenso intervallo ab ea distet? Spiritualis Christi corporis esus, qui ab ipso Christo Joh. 6, commendatus fuit, quid sit, & quomodo fiat, & plane sentitur, & aperte intelligitur, ac verbis explicatur. At Calvinianus iste corporis Christi esus, nullo pacto, quid revera sit, quomodove fiat, aut etiam fieri possit à quoquam vel sentiri, vel percipi, vel exponi potest. Itaque Calvinus ipse in sua institutione, ubi de cœna Domini agit, fatetur, nec mentem suam cogitando, nec linguam explicando tanto mysterio parem esse posse, satisque audacter sane postmodum ait, se modum comedendi Christi corporis in cœnæ Sacramento experiri magis, quam intelligere, cum prius iterum dixisset, non pudere se fateri sublimius esse arcanum, quam ut vel ipsius ingenio comprehendi, vel enarrari verbis posset. Risit monstrosam hanc de reali ipsius corporis Christi substantiæ esu, spirituali tamen ratione, opinionem, Zuinglius ipse, quam tamen Bucerus post ejus mortem, tanquam scilicet ab ipsius Zuinglii mente non discrepantem, acriter promovit, quam Calvinus arripuit, ipsaque Tigurina Ecclesia primi sui pastoris doctrina deserta, tandem est amplexa.

Fol. 19. b. 23. *Stephanus ait* (Act 7.) *Abrahamo datum esse fœdus circumcisionis, ex quibus universis liquet, signo externo* circumcisioni) *nomen rei ipsius* (fœderis) *fuisse attributum.* Quemadmodum auctor vult verba hæc Stephani *fœdus circumcisionis*, significare circumcisionem esse fœdus, sic verba illa Pauli, *lavacrum regenerationis*, agnoscere debet, significare regenerationem esse lavacrum.

Fol. 24. a. 9. & seqq. *Quod vero scribis*, Vegam alloquitur) *necesse esse, ut de corpore Christi aliquo modo dici possit, quod frangatur; disce mi Sacerdos, alium modum esse non posse quam Sacramentalem, dum id quod ad signum vere pertinet, corpori etiam Christi, suo modo potest adscribi.* Adversario igitur concedetur, ea quæ Christus cum cœnam suam institueret, de corpore suo dixit, non ad ea, quæ circa illud acta sunt extra ipsam cœnam pro salute nostra, non inquam ad mortem & perpessiones, quas pro nobis subire Christus voluit, sed ad ea, quæ in ipsa cœna fiebant, referri debere. Nam certe, si corpus Christi frangi dici nequit, nisi Sacramentali ratione, quia scilicet, panis qui Sacramentaliter corpus Christi in ejus cœna est, omnino frangitur, sequitur nullo modo posse ea verba ad corpus Christi extra Sacramentum pertinere. Id quod adeo falsum est, & iis contrarium, quæ supra alicubi in hoc eodem scripto dicta sunt, ut mirer sane auctorem ista scripsisse. Præsertim cum ipse fol. 12. b. 18, admodum cordate dixerit, in fractione panis, quæ fiebat, cum Christus ritum illum instituit, representatos fuisse cruciatus, & mortem Christi. Quod certe fieri non potuisset, nisi aliqua ratione Christi corpus subeundis cruciatibus & morte fractum fuisse dici posset. Quamobrem nulla ratione, seu tacite sive expresse, concedendum est Adversario, verba illa, *quod pro vobis frangitur*, ad corpus Christi, quatenus morti traditum est, referri non posse; præsertim cum certum sit omnia Christi verba, quæ de corpore sanguineque suo tunc protulit, ad mortem cruciatusque suos pertinere, quippe quod earum rerum perpetuam commemorationem celebrandam in posterum à suis institueret, nec aliud quidquam tunc ageret. Nam, quod Vega ait, verbum Græcum κλᾶν non nisi de ea re, quæ tanquam panis dividi possit, vere dici; non leviter fallitur, ut lexica consulentibus constare potest. Et quamvis non sim negaturus, magis proprie verbum illud significare posse, panis in cœna illa quam Christi corporis fractionem in cruciatibus & morte; tamen satis recte etiam ad corporis Christi fractionem istam accommodatum fuisse dico. Quanquam nihil prohibet uni fractioni proprie, alteri vero improprie verbum istud convenire. Nam in altera hujus Sacramenti parte est apud Euangelistas verbum fundere sive effundere, quod sanguini quidem Christi in cruciatibus & morte fuso proprie admodum accommodatur: vino vero in poculum infuso plane improprie. Et tamen effusionis illius cum hac infusione alicujus similitudinis rationem hic habitam fuisse, nemo opinor negaverit, qui inter rem adumbrantem & adumbratam similitudinem esse debere, negare non audeat.

Fol. 27. b. 2. *D. Paulus ita scribit Ephes. 4.* (nempe de communione nostra vera quam cum corpore Christi habeamus, &c.) *Unum corpus, & unus spiritus, quemadmodum etiam vocati estis in una spe vocationis vestræ, &c.* Non video quid hoc Pauli testimonium contra Vegam suppeditet; cum Paulus hic nec loquatur de unione fidelium cum ipso Christo, sed ipsorum inter se; nec dicat aperte, unde ea proficiscatur, nisi quatenus ait, eos esse vocatos in una spe. Quanquam satis ex præcedentibus verbis apparet, Paulum non dicere, unionem istam jam esse, sed esse debere, ad eamque Ephesios hortari, cum una esset omnium ipsorum vocationis spes, & alia prorsus eadem communia haberent, quæ statim deinde enumerat.

Ib. 6. *Ut habitet Christus per fidem in cordibus vestris &c.* Sed & hoc testimonium nihil probat contra Vegam, qui nunquam negaturus est, Christum habitare in cordibus nostris per fidem, præsertim eo sensu; quo id Paulus hoc loco dicit; qui nihil aliud his verbis precatur, quam, ut Ephesii ex intimis cordium suorum Christo confidant, hocque appellat, Christum habitare per fidem in cordibus ipsorum. Nam quod antea precatur, ut iidem Ephesii corroborentur in hominem interiorem per Spiritum Dei, hoc nihil ad rem facit; cum interior ille homo aliud nihil sit, quam hominis mens & ratio superior, quam hoc nomine alibi

quo-

quoque Paulus appellat, nempe ad Rom. 7. Quod igitur hæc per Spiritum Dei corroboretur, nihil commune habet cum eo, quod per solum Dei Spiritum perfecta & absoluta fiat nostrum cum Christo unio atque conjunctio; qua de re hic agitur.

Ib. 28. *An illi, qui Christum Dominum vere induunt unum corpus cum ipso non fiunt? Quid vero illud? Nam in uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, &c.* Infirmius etiam hoc videri debet, quippe quod, ut de alio illo ad Ephes. 4, paullo ante diximus, non de conjunctione cum Christo ipso seu cum ejus corpore, sed de summa unione fidelium inter se, aperte loquatur.

Fol. 38. à. 5. *Vegam agnoscere posse, in baptismo nos unum corpus cum Christo evadere, ex illis Pauli verbis Ephes. 5. 26, ut eam* (Ecclesiam) *sanctificaret,* (Christus) *purificans lavacro aquæ in verbo, &c.* Aliud dicet Vega esse sanctificare, aliud vero sibi perfecte unire atque conjungere. Neque concedet ullo pacto, etiamsi hoc loco Paulus spirituale matrimonium Christi cum Ecclesia indicet, propterea sanctificatione ista commemoranda totum matrimonium omnesque ejus effectus explicari. Miror autem auctorem, qui ita sine ulla hæsitatione pro certo sumat, Paulum hoc loco cum lavacri aquæ meminit, baptismum aquæ intelligere; præsertim cum ipsemet supra fol. 21. b. 8, in loco simili Hebr. 10. 22, figurate aquæ vocabulum accipi recte animadverterit. Neque enim id quod hoc loco additur *in verbo*, id est *per verbum*, modificatio quædam est antecedentium, sive expositio, quomodo, aut cujus rei vi lavacro illo aquæ Christus Ecclesiam suam purgaverit; sed illius lavacri aquæ, ad purgationem istam ob oculos ponendam metaphorice à Paulo usurpati, explicatio quædam atque interpretatio. Ipso enim verbo per se, quod spiritualis quædam est aqua, non autem adjuncta aqua ulla corporea, quam nunquam ipsemet ministravit, mundos reddidit ac purgavit Christus discipulos suos, & sic Ecclesiam suam. Nam ipse Christus suis discipulis dixit, *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis* Joh. 15. Satius igitur est hoc loco illud tantum urgere, nullam cœnæ Domini in verbis Pauli mentionem fieri

Fol. 31. b. Ostensuri s Niem. infirmitatem argumenti, quo Vega nititur ad sententiæ suæ de orali corporis Christi manducatione in Eucharistia, probationem, ex cap. 6, Joh. 55. petiti, ait lin. 19, & seqq. ipsos etiam adversarios necesse habere fateri, in verbis Christi à Johanne descriptis, figuratos loquendi modos sæpe reperiri, *primum, dum Christus seipsum panem appellat, &c.* ad hæc ita notat Socinus. Christus eo in loco nunquam simpliciter se panem nominat, sed semper aliquid addit, unde figurata locutio agnosci possit. Tantum semel dicit, panem, quem ipse dabit esse carnem suam, quam dabit pro mundi vita; ubi videtur carnem suam simpliciter appellare panem. Verumtamen illa verba, *quem ego dabo*, satis indicant illum figurate loqui, immo sequentibus præcedentibusque juncta verbis ipsam figuram explicant.

Fol. 31, 32. Cum Niem. adduxisset verba Christi Joh. 6. 51. ad probandum, figuratos loquendi modos in Christi verbis à Johanne descriptis reperiri, subjicit fol. 32. à lin. 1. *Quæro ex te, Sacerdos, an panis vivus, realis ex cœlo descenderit? Cogeris ista verba volens nolens aliter exponere quam verba sonant.* In Christi verbis est articulus redditus Polonice particula Ou *ille*, quæ hic omittitur, & tamen maximam vim habet. Nam certe panis ille vivus realiter & substantialiter de cœlo descendit. Christus enim est revera panis ille vivus, ut hic ipse affirmat. Christum autem de cœlo descendisse nemo negabit, qui ipsius Christi verbis fidem habuerit. Jam non modo ex articulo illo, sed etiam ex epitheto vivus, quamvis Christus ipse panis ille esse non diceretur, tamen satis constaret, hic de alio pane agi, quam frumentaceo, & proprie ac vulgo sic vocato.

Fol. 36. à. penult. *Fideles in cœna à Christo debere petere, ut eos ipse, in sacra illa cœna, Spiritu suo Sancto pascat, & sacro suo sanguine potet.* Immo si quis digne ad cœnam illam accedere velit, in qua, sine dubio, gratiæ Christo aguntur, de carne sua pro nobis data & sanguine fuso, necesse esse beneficium istud sentire, & consequenter carne Christi jam pastum, & sanguine potum esse; nec id magis in ipsa cœna quam extra cœnam fieri à Christo, orandum est nobis.

Ib. b. 4 &c. *Hoc autem fiet* [*hoc est, ut Christus fideles suos in cœna pascat Spiritu suo Sancto, & sanguine suo sacro potet*] *cum illis per Spiritum suum Sanctum, per quem in illis habitat, in memoriam rediget, & fidem in ipsis excitabit & confirmabit, ut commemorantes passionem & mortem ejus; eo sese solentur, quod Deus omnipotens ex misericordia sua filium suum dilectum atque unicum pro ipsis tradidit &c.* Et paullo post: *Atque hoc est, quod Christus dignatus est dicere: Hoc facite in mei recordationem, aut quod D. Paulus scripsit: Quotiescunque ederitis panem hunc, & calicem hunc biberitis () mortem Domini annunciabitis &c.* Ubi ad verba priora: *in memoriam illis rediget, &c.* sic notat Socinus: Quæ hoc loco dicuntur, pleraque nullum fundamentum in verbo Dei habent: immo nisi dextre admodum accipiantur, cœnæ Domini finem & usum plane pervertunt ac corrumpunt. Demonstrant hoc satis duo illa testimonia, quæ hic postea citantur; præsertim vero posterius. Neque enim jussit Christus ad recordationem, sed ad commemorationem sui cœnam celebrari. Id quod Paulus planissimum facit, inquiens, non quidem, mortem Domini vobis in memoriam revocatis, sed, mortem Domini annunciatis seu prædicatis, & recte D. Czechovicius apud Lucam & Paulum verbum ἀνάμνησιν wspominanie & przypominanie *commemorationem* reddidit, non autem pamiątke *recordationem*, ut auctor hic fecit.

Ib. 27. & seqq. *Cœna Domini non supervacanea, sed utilis est &c. Videns enim Christus infirmitatem nostram, quod in hoc seculo ex parte tantum credamus, & primitias quasdam Spiritus Sancti accipiamus, volens fidem nostram confirmare, & infirmitati nostræ succurrere: ideo externum ministerium in sancta sua Ecclesia instituere dignatus est, quod in vera dispensatione verbi ejus sancti, & Sacramentorum verorum consistit.* Hic dicendum erat, nam Christus Dominus mortis violentæ, quam pro nobis subiit, commemorationem & prædicationem (id quod nobis ipsis; inutile esse nullo modo potest) in sua Ecclesia solenni quodam ritu ad gloriam nominis sui fieri voluit. Et sane mirum est, auctorem, qui alibi in hoc scripto hoc satis agnoscit, tamen hic ubi nominatim de fine & usu cœnæ Domini agitur, id ne indicasse quidem, quamvis tam aperte in Sacris Literis expressum, & alia huc attulisse, quæ ut dictum est, nec Sacris Literis sunt prodita, & finem atque usum verum cœnæ Domini pervertere, facile possunt, eam potissimum ob causam, quod ea in cœna Domini quærantur, ab eaque saltem ex parte petantur, quæ omnino ad eam afferri debent, & id, quod testimonium grati animi nostri est adversus Dominum, ipsius Domini testificatio & obsignatio esse credatur beneficiorum ac promissorum, quæ nobis fecit.

Ib. 29. *Et primitias quasdam Spiritus Sancti accipiamus &c.* Apparet, scriptorem sensisse, primitias Spiritus Sancti in Sacris Literis appellari initia quædam, & quasi portiunculam Spiritus Sancti, quam omnes Christi fideles in hac vita consequantur. Verum aliter res se habet, ut ipsum vocabulum primitiarum declarat, quod per translationem metonymicam, rei alicujus potiores ac selectiores partes quasdam significat, eo quod primitiæ rerum Deo offerantur. Itaque in Sacris Literis, ubicumque primitiarum nomen metaphorice accipitur, aliquid excellens significatur. Quamobrem cum Paulus ad Rom. 8. 23, ad quem locum sine dubio auctor respexit, primitiarum spiritus mentionem fecit, tantum abest, ut spiritus paucitatem (ut ita dicam) primitiarum vocabulo significare voluerit, ut potius spiritus

præstantiores ac digniores quasdam partes intellexerit, inquiens, non solum creaturam illam, id est novam creaturam, Christi nimirum fideles generatim, suspirare sub cruce, expectantes redemptionem sui corporis; sed hoc idem accidere sibi etiam, tanto videlicet Christi Apostolo, aliisque sui similibus, qui primitias spiritus habebant, id est singulari aliqua ratione præ Christianis aliis, Spiritum Sanctum participaverant.

Fol. 37. à. 11. *Per quod* [*hoc est, dum id in Sacramentis videmus, quod in verbo Dei audimus &c.*] *non tantum fides nostra confirmatur, verum etiam interior homo* (*cum quis Sacramento legitime & digne utitur*) *augetur.* Quantopere hoc à sensu Sacrarum Literarum distet, jam supra indicatum est. Nec, si posthac in similes sententias inciderimus, quidquam amplius hac de re monere opus fuerit. Tantum illud addemus, verum quidem esse, quod hic dicitur, si quis digne Sacramento utatur seu vescatur, eum, quod attinet ad interiorem hominem, in dies augeri; sed non tamen ex ipsius Sacramenti vi aliqua, verum ex eo unde fit, ut digne eo utatur, quod etiam citra Sacramentum ullum, idem prorsus in ipso efficeret. Neque unquam probabit auctor, id quod postea affirmat, Sacramenta esse media quædam fidelibus necessaria ad istud interioris hominis augmentum; cum Eucharistia, de qua hic nominatim agitur, eatenus tantum sit necessaria, quatenus à Christo instituta & præcepta est, non quidem ad augendam confirmandamve fidem nostram, sed ad beneficia ejus erga nos commemoranda & prædicanda, quemadmodum ex divinis testimoniis apertissimum est, & illi senserunt, qui primi omnium hoc nostro sæculo hunc sacrum ritum suæ integritati restituendum curarunt.

Fol. 49. b. 21. *Cum Antichristus crescere ac vires sumere cœpit, omnia hæc invertit, dum non tantum imperatoribus, ut ad pedes ipsius sese prosternant, mandat, verum etiam eos pedibus conculcare ausus est.* Historia ista de Alex. 3. pedibus Fridericum 3. conculcante, id est pede ejus cervicem calcante, hodie doctissimis historicis, iisque Romano Pontifici minime faventibus, merito ex multis documentis, suspectissima est.

Fol. 5. à. 8. *Cyprianus de jejunio & tentatione Christi: Etiam &c. Idem de dupliti Martyrio: Atque hoc gravius &c.* Hæc duo Cypriani testimonia non sunt certa, quia opus de jejunio & tentatione Christi, suspectum est. De duplici vero martyrio, præter stylum, non esse Cypriani, indicat aperte, quod ibi Diocletiani & Maximiani fit mentio, ante quos Cyprianus sub Valeriano martyrio est affectus, quanquam in eodem opere, alioquio erudito admodum atque eleganti, à Christi temporibus dicuntur tunc temporis fluxisse anni plus minus ducenti quadraginta, quod cum eo tempore quo Cyprianus floruit, consentit. Itaque auctor ejus libelli Diocletianum Maximianumque quinquaginta ante circiter annis extitisse facit, quam revera extiterunt. Deinde etiamsi certa essent hæc Cypriani testimonia, ea tamen ad Rom. Pontifices de quibus paullo ante hic dictum est, quod per trecentos annos perpetuo pauperes & afflicti sub cruce fuerunt, neutiquam accommodari possint. Immo hoc Romanorum Pontificum insignem virtutem, in vera que pietate constantiam ostenderet, quando jam Pastorum sacerdotumque ordine degenerante, ipsi tamen vere pii esse perseverassent.

Hominis Pontificii Argumenta pro sua de Eucharistia sententia.

Quæstio fuit sive status quæstionis:

Quidnam in cœna postquam benedixit porrigebat Apostolis Christus, utrque nostrum rationes suas probare debuit ex historia cœnæ, aut saltem aliis scripturæ quæ de Eucharistia proprie ageret, ita ut scripturæ termini semper retinerentur.

Argumentum meum fuit ejusmodi.

Quidquid porrigebat seu porrexit Apostolis Christus, idem illos recepisse erat necesse. Ratio, à Christo enim porrigente non aliud neque plus accipitur, sive id ore fiat, sive fide, sive utroque, quam quod ipse porrigit, & è converso; ita ut si plus acceperint Apostoli quam illis datum, hoc est, ut iste vult, si panem porrectum ore, corpus autem non porrectum corde, hoc ipsum ei scriptura de Eucharistia probandum sit omnino.

Responsio.

Apparet, disputationem cum homine Calviniano (ut vocant) fuisse; & porro contra illum argumentum esse. Contendunt enim Calviniani, in cœna Domini ab infidelibus panem tantum sumi, & vinum, à fidelibus vero non panem tantum & vinum, sed corpus quoque ipsum, & sanguinem Christi; illa quidem ore, hæc vero corde per fidem. Hæc sententia falsa est. Nec enim ullo modo in ipsa cœna Domini corpus & sanguis Christi sumitur, sive à fidelibus, sive ab infidelibus, sive ore, sive corde. Sed perpetuo extra ipsam Domini cœnam comeditur spirituali ratione à fidelibus Christi corpus, & sanguis bibitur. Quod vero præterea in ipsa cœna sumitur, nihil aliud est, quam panis, & vinum; quorum ille frangitur, hoc in poculum infunditur in commemorationem corporis Christi pro nobis fracti, & sanguinis fusi; ille comeditur, hoc bibitur, publice contestandi gratia, nos Christi corpore, & sanguine, quatenus fractum illud, hic vero fusus pro nobis fuit, in spem vitæ sempiternæ ali ac sustentari. Nihil igitur est, cur ad propositum argumentum refellendum quidquam à nobis afferatur. Veruntamen, ut argumenti nullam auctoritatem aut fidem adjungendam esse constet, ipsius argumenti vitia retegenda esse duximus.

Quæstio est, *Quidnam in cœna, postquam benedixit, porrigebat Apostolis Christus*; Argumentum vero de receptione concludere videtur. Estque ipsum argumentum confuse adeo, ac perturbate expositum, ut vix, quid sibi ejus auctor velit, intelligi queat. Ad hunc igitur modum erant verba argumenti conficienda: Necesse est, Apostolos in cœna Domini nihil recepisse, quod à Christo ipsis porrectum non fuerit, sive id ore fuerit receptum, sive corde, sive utroque. Sed, ut iste vult, Apostoli in cœna Domini, corde Christi corpus receperunt. Ergo Apostolis Christus suum corpus porrexit. Itaque, quod pro ratione propositionis suæ attulit, argumenti propositio esse debuerat. Assumptio autem tanquam non plane evidens suo loco reticenda non erat, & integro syllogismo, non autem enthymemate utendum fuerat, in re præsertim tam gravi, & ubi veritas diligentissime inquiri debet. Immo vero, non erat assumptio cum conclusione, ut hic factum est, inepte commiscenda. Ipsa postremo conclusio non alia esse debuerat, nisi, quam nos fecimus. Argumenti enim si qua vis est, ea contrariam sententiam adversarii sententiæ prorsus concludit, Christum videlicet Apostolis suum corpus porrexisse. Hoc siquidem ipse negabat, & de hoc ipso quæstio erat. Atqui argumenti auctor in sua conclusione nihil aliud facit, quam onus suam sententiam probandi adversario imponit. Nihil autem dicimus, quod perperam factum est ab argumenti auctore, qui ante argumentum, quid eo sibi aut probandum aut improbandum sumpsisset, non explicaverit. Ut divinandum sit nobis, si de ipsius argumenti veritate judicare velimus. Præterea, ut aliquid pro Calvinianis respondeamus, majorem propositionem negamus. Dicimus enim, potuisse recipi ab Apostolis id etiam, quod à Christo porrectum non fuerat. Si modo porrectionis nomine

nomine manu corporis factam exhibitionem intelligamus. Quid enim vetat, quominus aliquid recipiatur, quod corporea manu non fuerit exhibitum, præsertim à Christo. Qui pleraque alia invisibili ratione dare consuevit? Aut quid vetat, quominus Christus unum corporea manu, aliud vero spirituali exhibere potuerit? Quod si porrectionis nomine omnem, sive corporea sive spirituali manu, exhibitionem factam intelligit argumenti auctor, extra quæstionem vagatur, & in æquivocationis fallaciam incidit. Neque enim negat adversarius, aut negare vult, corpus a Christo ulla ratione fuisse porrectum, sed, manu corporis id ab ipso factum, negat, hocque illud est, quod in controversia est positum; & de hac tantum porrectione quæstio loquitur. Quare mirum videri debet, argumenti auctorem ausum fuisse dicere, nihil fide a Christo porrigente accipi posse, quod porrectum ab ipso (manu videlicet corporis) non fuerit; cum certissimum potius, sit, nihil fide à Christo porrigente accipi posse, quod manu corporis ab ipso fuerit porrectum.

Argumentum de sanguine.

Illud quod pro nobis effundi debet, aut debuit, sanguis Christi fuit.

At Lucas poculum, seu mavis quod in poculo porrigebat Apostolis Christus, pro nobis effundi sive effusum esse dixit.

Poculum igitur illud, seu mavis quod in poculo porrigebat Apostolis Christus, sanguis Christi fuit. Verba Lucæ sunt cap. 22. τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Quam lectionem Beza in omnibus Græcis se reperire fatetur, nec aliud quam Lucam de Grammatica accusat.*

Responsio.

Minor propositio est falsa, cum apud Lucam diserte dicatur, poculum, seu mavis quod in poculo porrigebat Apostolis Christus, fuisse Novum Testamentum in Christi sanguine. Certum est enim Novum Testamentum in Christi sanguine minime pro nobis effundi sive effusum fuisse, & consequenter fieri non posse, ut apud Lucam revera legatur, poculum, seu mavis quod in poculo porrigebat Apostolis Christus, pro nobis effundi sive effusum fuisse, quidquid alioqui verba ipsa præ se ferant. Itaque confitendum omnino est, in verbis Christi apud Lucam solœcismum esse, quales non pauci in Novo Testamento leguntur, & τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, non ad τοῦτο τὸ ποτήριον, sed ad τῷ αἵματί μου, quod proxime antecedit, referendum esse; quamvis utriusque nominis casus non conveniant. Atque vix aliter existimamus, eum locum à quoquam docto viro hactenus constanter acceptum fuisse. Sebastianus quidem Castellio in sua interpretatione, aliquando Grammaticæ rationem secutus fuerat. Sed postea eum pœnituit, & in postrema operis castigatione ea verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ad sanguinem, ut alii recentiores interpretes, manifeste retulit. Adde, quod alibi in scriptis Novi Testamenti manifeste deprehenditur, simplicem articulum præpositivum, ut Græci Grammatici loquuntur, vim habere articuli postpositivi, cum adjuncto verbo substantivo; ut Apoc. 1. 5, καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστός; ubi nemo non videt, idem prorsus valere ὁ μάρτυς, quod ὅς ἐστι μάρτυς. Quare & in isto apud Lucam loco censendum omnino est, idem valere, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, quod ὃ ἐστι ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Sed fac Lucam dixisse, poculum, quod Christus Apostolis porrigebat, pro nobis effundi sive effusum esse (quanquam in eo palam argumentator errat, quod Lucam ipsum id dicentem facit, quod Christus apud Lucam dicit) certe perperam concepta est hæc minor argumenti propositio, & quatuor esse terminos argumentationis facit, seu duplicem medium terminum. Medius enim terminus in majore propositione est, *pro nobis effundi debet, aut debuit*; in minore vero *Lucas pro nobis effundi*, sive, *effusum esse, dixit*. Nam si dicat argumentator, se eodem tempore probationem ejus propositionis afferre voluisse, suaque verba perinde accipienda esse, ac si dixisset, at poculum seu mavis, quod in poculo porrigebat Apostolis Christus, pro nobis effundi debet aut debuit, Lucas enim dicit, illud pro nobis effundi, sive effusum esse. Respondemus primum, non posse hac ratione argumenti vitium excusari, in quo ipsius rei loco ejus probatio ponitur. Deinde negamus, istam esse bonam probationem; non modo quia non sequitur ex eo, quod quippiam fiat, aut factum fuerit, id ipsum fieri debere aut debuisse, quod hoc loco levius est, verum etiam (quod est gravius) quia non est solida probatio, à dicto, quantumvis vero, ad rei, quam dictum præ se fert, veritatem. Infinitæ enim sunt locutiones figuratæ, quæ aliud revera significant, quam prima facie ostendant. Quales nos in cœna sua instituenda (unde hic principium petere argumentatorem liquet) usurpatas à Christo fuisse contendimus. Sic enim usus est perpetuus divinorum hominum loquendi in ejusmodi rebus, quæ Sacramenta à Theologis appellantur. Cujus rei, quam contendimus, evidentissimum est argumentum, quod apud Lucam, & Paulum Christus poculum, quod Apostolis porrigebat, Novum Testamentum esse dixit in suo sanguine. Neque enim poculum illud revera Testamentum Novum erat in Christi sanguine, etiamsi poculi nomine id, quod in poculo erat, intelligas (ubi tamen nihilominus figuratam omnino locutionem esse oporteret) sed poculum erat, poculum revera, & id, quod in poculo erat, vel vinum, ut nos plane credimus vel certe, ut argumentator opinatur, sanguis Christi erat revera; non autem Novum Testamentum in Christi sanguine.

Quæ sequuntur ex Socini cum aliis colloquentis ore raptim sunt excepta. Quare si quid minus perspicue dictum deprehendes, id festinationi eorum qui exceperunt imputabis. Omittere tamen ea visum non est, quia ad negotium cœnæ Domini recte percipiendum non parvo videntur esse adjumento.

In Cœna Domini hæc quatuor consideranda.

1. An sit Christi præceptum.
2. Quale.
3. Quomodo celebrandum.
4. Quis sit usus.

De primo affirmatur, quod sit universale & perpetuum Christi mandatum quia legitur Luc. 22. *Hoc facite in mei commemorationem.* Idque repetitur à Paulo 1 Cor. 11.

1. *Objectio.*

Vocabulum Græcum ποιεῖτε, est ambiguum; incertum igitur est, an sit imperandi modi, an indicandi.

1. *Responsio.*

Non potest hoc loco accipi in modo indicandi. Nam alioquin sequeretur, cœnam Domini posse celebrari absque fractione, quod falsum est. Tunc autem non Apostoli, sed Christus panem frangebat. Deinde additur: *in mei commemorationem.* Unde apparet, verbum ποιεῖτε, imperandi modo usurpari, & futurum quiddam præcipi. Nam commemoratio non est rei præsentis vel futuræ, sed præteritæ.

2. *Objectio.*

At hoc solis Apostolis dictum fuit: Ergo non Ecclesiæ.

Responsio.

Apostoli tunc temporis figuram referebant totius Christi Ecclesiæ. Nam Paulus Ecclesiæ Corinthiorum illud idem præcepit. Et commemoratio corporis vel mortis Christi ad omnes pertinet, quæ est causa finalis cœnæ Dominicæ. Ergo etiam ipsa cœna. *Quidam* Ergo etiam baptismus ad omnes pertinet: quia publica nominis Christi professio ad omnes pertinet. *Resp.* Sed jam nos agimus de iis, qui sunt Christi nomen professi. Et aliam rationem esse posse dicimus, qua quis Christi nomen publice profiteatur. Præterea expressi sunt ii, ad quos baptismus pertinet, quos scilicet Apostoli docuissent. Hac vero nemo excluditur.

3. Objectio.

Religio Christiana caret rebus externis. Ergo neque cœna Dominica pertinet ad illam.

Responsio.

Caret rebus externis, quas Deus ipse & Christus expresse non præcepit. Potest autem indefinite dici de Christi religione, quod rebus externis & ceremoniis careat: quia paucissimis est alligata.

4. Objectio.

Per externa homines facile adducuntur in idololatriam. Ergo sinenda, &c.

Responsio.

Deus ita vult excæcare hominum improborum mentes, ut quia resipiscere nolunt, hac ratione occasionem interitus sui habeant.

5. Objectio.

Cœna Dominica similis est cerimoniæ lotionis pedum: quia eadem hora, fere utraque fuit instituta. At lotio pedum mystica est. Ergo etiam cœna Dominica.

Responsio.

Signa sunt evidentia, quæ indicant lotionem pedum esse mysticum aliquid, quæ non inveniuntur in cœna Domini. Nam Johannis 13. 17, dicitur beatos fore Apostolos, si alius alii pedes lavet: quod de sola lotione pedum falsum est, & de cœna Domini nulla ratione affirmari potest: illum scilicet beatum esse, qui cœna Domini fruatur.

6. Objectio.

Nusquam legitur in Actis Apostolorum, cœnam Dominicam celebratam fuisse, cum tamen baptismi celebrati, qui mandatus non fuit, sæpissime fiat mentio.

Responsio.

Nusquam mentionem fieri cœnæ Dominicæ celebratæ, falsum est. Fit enim mentio Act. 20. *In una* (hoc est) *prima Sabbathorum, cum convenisset discipuli ad frangendum panem &c.* Non enim credibile est discipulos ideo convenisse, ut cibum vulgari modo sumerent. Et de hac re accipiendus est etiam locus Act. 2. sub finem ℣. 42. Nam agitur ibi de rebus ad religionem pertinentibus. Non fieri autem crebram ejus mentionem, ut baptismi, propterea accidit, quod non tam necesse erat hoc describere, quam illud: nec occasio sese offerebat, quod postea ex altera re, quæ in hac quæstione agitanda est, conspicietur.

7. Objectio.

1 Cor. 11. Quotiescumque bibitis, in mei commemorationem hoc facite. Ergo una cum vulgari usu ciborum & potus, potest cœna Domini celebrari.

Responsio.

Paulus ibi agit de certo modo bibitionis, cujus scilicet superius ibidem mentionem fecerat: nam statim etiam addit: *Quotiescunque ex hoc calice biberitis &c.*

8. Objectio.

Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi 1 Cor. 10. Ergo cœna Domini nihil aliud est, quam congregatio fidelium, qui sunt corpus Christi, ad colendum Deum, & sunt in communione congregati, quando Deo serviunt.

Responsio.

Verba illa: sunt communicatio corporis Christi, ut infra dicetur, idem valent, quod, per panis fractionem nos profitemur & adumbramus, nos communionem habere, & participes factos esse corporis & sanguinis Christi.

De secundo. Quale sit Christi præceptum.

Est tale Christi præceptum, quod non habet semper sui occasionem, vel certum tempus sui celebrandi, ut alia Christi præcepta. Duplicia enim sunt Christi præcepta. Negantia & affirmantia. Negantia semper ubique & absolute obligant. Affirmantia autem sunt duplicis generis. Unum est, quod habet sui ipsius occasionem, id est, in quibus occasio sese offert illud faciendi, quod præceptum continet. Alia sunt, quæ non habent istam occasionem, certam inquam & indubitatam. Quæ habent occasionem, semper obligant, cum illa occasio evenerit, modo præceptum illud bene intelligatur. Quæ vero non habent ejusmodi occasionem, non habent etiam ullum certum tempus quo obligent. Inter ista, quæ non habent istam occasionem, videtur esse cœna Domini, quia non apparet aliqua ratione certa & indubitata, quando sit occasio eam celebrandi: Quapropter etiam præceptum ejus celebrandæ non potest ullum certum tempus habere, quo obliget, & interim tamen nulla ratione negari potest, quin obliget: ita ut Ecclesia teneatur cœnam Domini celebrare. Quod igitur attinet ad tempus, videtur hoc in arbitrio repositum esse Ecclesiæ, prout illa viderit expedire ad commemorationem Christi mortis faciendam, & publice Christo gratias solenni & publica ratione agendas.

De tertio. Quomodo sit cœna Domini celebranda.

Necessarium est ad hanc ceremoniam panem frangi, & vinum infundi, & discipulos participare de pane & vino. Causam hujus ceremoniæ exponi, & Christo gratias agi, nec prius discedendum, quam hoc fiat.

Fieri potest post cœnam. Nam illud: *Nonne domos habetis ad edendum?* Non docet alibi fieri non posse, quam in Ecclesia. Sedendo vel stando potest celebrari. Geniculari est idololatricum. Capite tecto potest celebrari, aperiendum est autem propter alios, nisi videamus, hoc etiam vergere ad idololatriam. Satis est caput aperiri, dum Christo gratiæ aguntur. Ingemiscere sublatis in cœlum oculis est idololatriæ species: si tamen ex animo probo & candido proficiscatur, laudem meretur. Abstemii aquam bibant. Mensa sit, sternatur. Hostia etiam, quam oblatam vocant, esse potest; quia panis est, & frangi potest.

De Quarto. Quis sit finis & usus cœnæ Dominicæ.

I. Annunciatio, hoc est, publica & solennis commemoratio mortis Christi 1 Cor. 10. 16. Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi, hoc est, illi qui panem frangunt & comedunt, profitentur, se esse illorum participes, quæ ut haberent, Christus mortuus est: vel, illius beneficii, quod ex tradita pro nobis carne, vel fuso pro nobis sanguine manavit. Quomodo paullo inferius dicitur, Israëlitas participes fuisse altaris, hoc est, illos, qui simul de victimis comedebant, professos fuisse, se pertinere ad istum cultum, & omnia quæ in eo promittebantur. Res enim sæpe non pro re ipsa, sed pro professione rei ponitur, ut Gal. 3. 27. *Quicunque baptizati estis Christum induistis*, hoc est, professi estis, vos Christum induisse. Locum

autem

autem hunc de professione accipiendum esse, duplici modo evincitur. 1. Quia non omnes, qui vel ritissime baptizati sunt, Christum induerunt; aut id quod majus est, induti sunt Christo. 2. Quia Paulus non opus habuit ad propositum suum probare, eos justos fuisse, sed satis erat probasse, eos Christum professos esse. Probat enim eos injuria à Christo deficere. Vide à ℣. 20, usque ad finem. Sic etiam Rom 6. *Consepulti sumus cum Christo per baptismum*: quod idem etiam dicitur ad Colos. 2. 12.

De uno pane participamus. Est Synecdoche partis, ut etiam per fractionem panis solam cœna Dominica intelligitur Act. 2. & 20.

II. Adumbratio est cœna Dominica ejus quod profitemur, communionis scilicet corporis & sanguinis Christi: dum ita unanimiter contestamur, nos esse Christi populum, & sanguine ejus ita copulatos.

Poculum benedictionis, hoc est quod cum gratiarum actione sumimus 1 Cor. 10 16.

Ὃ εὐλογοῦμεν. hoc est, quod poculum pro re sancta habemus, & sacro usui destinavimus.

Hoc est corpus meum; hoc est, ita agetur cum corpore meo & sanguine, quemadmodum jam agetur cum hoc pane & vino.

Corpus quod frangitur 1 Cor. 11. Quia est quædam similitudo inter corpus & panem, inter sanguinem item & vinum, & in uno, quod recte & proprie dicitur de re adumbrante, minus proprie dicitur de re adumbrata. In altero vero quod proprie dicitur de re adumbrata, minus proprie de re adumbrante. Quatenus enim attinet ad corpus & ad panem, de pane quidem, qui est res adumbrans, proprie dicitur quod frangatur, sed de corpore, quod est res adumbrata, minus proprie id dicitur. At ex altera parte, respectu vini & sanguinis, proprie dicitur, quod attinet ad sanguinem, qui est res adumbrata, eum fundi. At quod attinet ad vinum, quod est res adumbrans, minus proprie dicitur quod fundatur, cum revera non fundatur, sed infundatur. Quemadmodum ex altera parte, corpus non revera frangitur, corpus inquam Christi fractum non fuit, sed tamen contusum & flagellatum, & clavis atque lancea transfixum.

Usus est autem potissimum hac, & non alia ceremonia Dominus noster Jesus Christus, & eadem uti nos voluit: quia animæ nostræ morte Christi, quam esu panis & bibitione vini commemoramus, ita alantur, quemadmodum corpora nostra cibo & potu aluntur. Huc pertinent verba Christi Joh. 6. 55.

Abusus autem cœnæ Dominicæ est, credere, illam nobis aliquid conferre beneficii, vel gratiam Dei: vel nos ejusdem certiores facere. Nam quod ad externa attinet, quæ nos confirmare possunt in veritate divina, nulla sunt alia, quam aqua, hoc est, innocentia: sanguis, hoc est, mors truculenta: & Spiritus, hoc est, miracula Jesu Christi, Apostolorum, & aliorum credentium. Quod ad interna attinet, nihil aliud nos in gratia divina confirmare potest, quam Spiritus Dei.

Quicquid fit in Ecclesia, fit ad colendum & laudandum Deum & Christum Dominum nostrum. Itaque graviter peccant, qui hanc ceremoniam spernunt, propterea potissimum, quod audiant, se nihil ibi beneficii accipere. Nam Christo honorem debitum non tribuunt. Cujus tamen potior est habenda ratio, quam alius rei, quæ vel ad proximi nostri, vel etiam nostri ipsorum commodum carnale, vel etiam spirituale pertinet. Pluris faciendus est Christi honor, quam aliud bonum opus.

Ad cœnam Domini non accedant, qui peccato aliquo sunt illaqueati, quod eos à vita æterna arcere possit. Et si ipsi hoc non faciunt, debet eos Ecclesia arcere. Quia solis Christianis hoc est mandatum. Hactenus de cœna Domini.

Themata de Officio Christi.

I.

AD plenam & solidam Christianæ religionis cognitionem plurimum confert, si recte intelligatur, quid de Jesu Christi natura seu essentia sentiendum sit, plus vero si probe cognoscatur, quid sit statuendum de ejus officio: quandoquidem in eo Christi potissimum cognitio consistit, sine qua vitam æternam consequi non possumus.

II.

Jesu Christi itaque officium dupliciter consideratur, nimirum, & quatenus eo functus fuit mortalis adhuc in terris existens; & quatenus eodem, dum in cœlis immortalis vivit, perfungitur, & durante seculo hoc perpetuo functurus est.

III.

Id vero, quo functus fuit in mundo, est Propheticum; quo fungitur in cœlo, Regium, & Sacerdotale.

IV.

Et Propheta quidem ac Rex appellatur passim in Sacris Literis: Sacerdos autem diserte dicitur in locis non paucis Epistolæ ad Hebræos, quæ Epistola cur auctoritatem habere non debeat in controversis quæstionibus discutiendis, nullam satis firmam afferri posse rationem existimamus.

V.

Jam Propheticum Christi munus in eo consistit, quod Dei Patris voluntatem perfecte nobis cum revelaverit, cum etiam confirmaverit.

VI.

Quæ Patris voluntas continetur in Novo Fœdere, quod Christus cum hominibus pepigit: unde etiam Novi Fœderis Mediator appellatur.

VII.

Sed Novum hoc Fœdus, à Vetere illo per Mosen patefacto, multum differt: idque tum sui ipsius ratione, tum etiam ratione eorum, cum quibus sancitum est.

VIII.

Et ratione quidem eorum, cum quibus sancitum est, differt in eo, quod non tantum ad Judaicum populum, sed ad omnes gentes pertineat.

IX.

Ratione autem sui ipsius, tum quoad præcepta, tum quoad promissa.

X.

Quoad præcepta; quod Veteris Fœderis mandata quædam excludat, & tollat; quædam multo perfectiora reddat; adeo ut etiam peculiariter addat, quorum in Mosis lege nulla est facta mentio, tantum abest, ut utraque pars consentire possit.

XI.

Excludit autem præcepta ceremonialia, & (ut vocant judiciaria: hac ratione, ut eis nec ipsi Judæi amplius teneantur. Moralia vero perficit, nempe ea præstantioribus præceptis illustrando, quod nos perfectiora reddidisse intelligi volumus; & mandata quædam peculiariter præscribit, quod addidisse.

XII.

Cum enim ceremoniæ legales maxima ex parte futurorum essent umbræ, id referente Apostolo; sequitur, earum nullum jam esse posse usum, quod nimirum jam corpus ipsum, nempe Christus advenerit.

XIII.

Nec judiciaria (prout vocantur) locum hic habere possunt; cum ea Respub. sit sublata, pro qua illa à

Mose erant instituta. Neque nunc Dei populus, ut est populus Dei, ullam terrestrem Rempub. à Deo sibi habet traditam atque concessam, in qua hujusmodi leges vigere debeant, aut possint, quemadmodum sub Mose fiebat. Quo etiam (præter alias maximi ponderis rationes) & hoc accedit, quod Lex Judiciaria à Mose tradita non conveniat cum natura Novi Fœderis, & tempore Euangelii, quod est gratiæ & clementiæ: illa vero lata fuerat pro eo, quod erat iræ ac severitatis.

XIV.

Ex quo etiam efficitur, magistratum Christianum ejusmodi legibus & judiciis uti debere, quæ cum natura Novi Fœderis, & lege perfectæ charitatis à Christo præscriptæ consentiant, & à rigida illa Mosaica severitate quam longissime absint, usque adeo, ut etiam homines maleficos membris ne mutilet, vel saltem neci ulla ratione dedat.

XV.

Quod autem moralia Mosis præcepta in Novo Fœdere perfectiora sint reddita, id liquido apparet ex capite quinto, sexto, & septimo Matthæi, ubi non tam falsas Pharisæorum & scribarum interpretationes legis rejici, quam ipsam legem reformari censemus.

XVI.

Neque doctrinas, prædictis locis à Christo traditas, ad ipsos tantum Apostolos, & verbi Dei ministros pertinere, cum quibusdam existimamus: sed ad omnes, quicunque religionem Christianam profitentur, spectare, constanter asserimus.

XVII.

Reformat igitur Christus ibidem in primis ipsam homicidii legem latam, scilicet illud addendo, ne irascendum quidem esse fratri immerito. Pœnam enim eum, qui secus fecerit, homicidii incurrere: talia vero à Mose tradita non esse.

XVIII.

Illustrat secundo & illam legem non committendi adulterii, ea ratione, eum, qui alienam uxorem, desiderio ipsius potiendæ, conspexerit, jam in animo adulterium commisisse: qualia apud Mosem neminem usquam legisse, in plano est.

XIX.

Legem etiam tertio de divortio arctioribus includit terminis: unicam tantummodo repudiandæ uxoris causam faciens reliquam, nempe adulterium: & alibi addens, eum, qui uxorem dimittat, extra fornicationis causam, & aliam ducat, omnino mœchari.

XX.

Unde non minus evidenter, quam necessario consequitur, tum πολυγαμίαν, tum etiam διγαμίαν sub Novo Fœdere plane esse illicitam, cum tamen sub Mose esset permissa.

XXI.

Tum etiam legi de jurejurando (ut eam quarto loco ponamus) Christus perfectiorem multo attribuit naturam, tollendo non tantum perjuria, quæ sola à Mose prohibita erant, sed etiam quævis juramenta, voluntaria, licet alioqui verissima, resecando.

XXII.

De vindicta vero (ut hanc quinto) legem plane abrogat, ita, ut ne magistratus quidem ope, injurias nobis illatas vindicare permittat.

XXIII.

Legem autem (ut hanc ultimo) de charitate ita extendit, ut etiam inimicum, quem lex odisse concedebat, amari à nobis velit, & omni beneficiorum genere affici.

XXIV.

Ex quo consequitur, homini Christiano, sive magistratum gerat, sive vitam privatam agat, non licere hostis interficiendi causa arma vel stringere vel belligerare, sive bellum suscipiat offensivum, (ut vulgo dicitur) sive defensivum.

XXV.

Eo maxime, quod nobis Christianis, qui populus Dei, non haberi, sed esse volumus, nulla terrestris hæreditas est promissa vel assignata, ut olim Israëlitico populo, quam armis vel capiamus, vel captam ab hostium impetu defendamus.

XXVI.

Quinetiam, si modo victus conveniens & amictus nobis suppetat, terrenarum possessionum acquirendarum, vel etiam mordicus retinendarum studium est nobis prohibitum: immo, omnibus terrenis rebus spretis, cœlum cœlestesque thesauros quærendos esse, eoque omnia & studia, & conatus, & consilia conferenda, annunciatum & demandatum.

XXVII.

Præterea extat generale Dei mandatum, idque antiquissimum, de humano sanguine non fundendo, quod sub Mose partim per specialia mandata, partim etiam per ipsam totius religionis Judaicæ ἀναλογίαν restringebatur: hic autem sub Novo Fœdere neque per ullum speciale mandatum restringitur, nec per universam Christianæ religionis ἀναλογίαν restringi potest.

XXVIII.

Ut autem de iis præceptis jam agere incipiamus, quæ in Novo Fœdere peculiariter sunt tradita, absque respectu Mosaicæ Legis, ea duplicia esse censemus, partim bonos mores, partim externas ceremonias concernentia.

XXIX.

Quæ ad mores pertinent, sunt, seipsum abnegare, crucem suam tollere, Christum imitari.

XXX.

Ceremoniale unicum est, sacra nimirum cœna, quæ à Christo est instituta in commemorationem mortis suæ, id est, ut ipsum etiam Christum solenni laude celebremus, atque pro augusto illo beneficio, & ineffabili ejus amore, quod corpus suum nostra causa contundendum, & sanguinem effundendum tradiderit, gratias ipsi religiose agamus.

XXXI.

Atque hanc potissimam ac præcipuam causam esse censemus, propter quam hæc sacra ceremonia est instituta, ad quam tanquam secundarium & accidentarium hoc accedit, quod nimirum hac ratione eundem panem frangendo & comedendo, & ex eodem poculo bibendo, conjunctionem & unitatem in Jesu Christo nostram profitemur ac contestamur.

XXXII.

Hisce paucis exponere voluimus, quantopere Novum Fœdus differat à Vetere ratione præceptorum, tum quantopere hoc ab illo hac in parte superetur. Nunc jam idem fieri ostensuri ratione promissorum.

XXXIII.

Dicimus igitur Novum Fœdus apertissimam vitæ æternæ promissionem nobis attulisse; præterea promissum remissionis omnium peccatorum, quatenus hoc à vitæ æternæ promissione seu consecutione, per viam intellectus, ut dicitur, distingui potest; denique promissum, omnibus fidelibus consequendum, Spiritus Sancti. Quibus omnibus cum Vetus illud Fœdus careat & caruerit, & terrenam felicitatem proposuerit, facile est Novi Fœderis præstantiam hac in parte cognoscere.

XXXIV.

Hactenus egimus de Prophetico Christi munere, quatenus Patris voluntatem perfecte nobis revelavit: Nunc exponemus, quid de eodem ejusdem munere statuamus, quatenus patefactam nobis Patris voluntatem confirmavit.

XXXV.

Itaque censemus, Christum confirmasse nobis Dei voluntatem, quam patefecit, insigni ac perfecta vitæ innocentia ac sanctitate, tum innumerabilibus ac stupendis miraculis atque prodigiis, tandem morte cruenta, quam jussu & voluntate Patris subiit.

Et

XXXVI.

Et morte quidem cruenta ita hoc præstitit: Primo, quod ipsa mors ejus manifeste nos certus reddat de ingenti & admirabili Patris erga nos amore. unde etiam certi sumus nos consequuturos, quicquid in N. Foedere promissum est; (quapropter etiam sanguis Christi dictus est sanguis Novi Foederis, & ipse Christus fidelis testis & verax est appellatus) secundo, quod per resurrectionem Christi, quæ absque prævia morte existere non poterat, certi sumus redditi de resurrectione nostra, & vitæ æternæ adeptione, si Christo obedientes fuerimus.

XXXVII.

Resurrectio autem Christi de salute nostra certos nos reddit dupliciter: primum, quia in ipso exemplum habemus, quod ii, qui Deo confidunt, ex atrocissima morte sint liberandi. Postea, quia omnem potestatem in cœlo & in terra à resurrectione ipse Christus consequutus est, & auctoritatem nos etiam à morte vindicandi. Unde persuasi sumus, quod pro eo in nos amore, quem, sanguine suo pro nobis omnibus effuso, contestatus est, certo certius vitam æternam, quam promisit, reipsa nobis suo tempore sit largiturus. Et ita hac ratione fides & spes nostra perpetuo alitur atque fovetur.

XXXVIII.

Hanc Igitur verissimam Christi mortis causam esse credimus. Non, quemadmodum plerique sentiunt, ut justitiæ divinæ pro peccatis nostris satisfaceret, vel Deum ex irato & severo judice propitium nobis clementemque Patrem redderet; aut, ut quidam somniant, ut per mortem gentilium Rex evaderet, quippe absque hac Judæorum tantum Rex futurus. Nam ne Judæorum quidem Rex reipsa existere potuisset, nisi per mortem & sanguinis fusionem cœleste solium adeptus fuisset: neque enim mundanum aut terrestre, sed spirituale & cœleste ejus regnum erat futurum.

XXXIX.

Redemit quidem nos Christus sanguine suo, et non irato Patri pretium statuens, sed potius ingentem clementissimi Patris amorem nobis obsignando, à peccatis & ab omni injustitia, ab ipsa denique morte liberans. Quare, eum de redemptione nostra per Christi sanguinem agit scriptura, non proprie, sed metaphorice eam loqui statuimus.

XL.

Quatenus autem à peccati servitute per Christi sanguinem liberati sumus, jam reipsa eam redemptionem sumus consecuti; quatenus vero à morte vindicabimur, redemptionis hujus effectum firma spe adhuc expectamus.

XLI.

Cæterum isthæc divinæ voluntatis per Christum patefactio & confirmatio parit in nobis vivam fidem ob quam justificamur, id est, à peccatorum nostrorum reatu absolvimur. Absque hac fide autem nemo vel justificationem consequitur, vel etiam Novi Foederis reipsa particeps esse potest; ubi qui contra sentiunt, hi carnali propagationi hac in parte non parum tribuere videntur.

XLII.

Fides autem hæc nihil aliud est, quam sub spe consequendæ vitæ æternæ Christi mandatis obtemperare: & hoc intelligi existimamus, quandocunque iis in Sacris Literis salus promittitur, qui credunt Jesum esse Christum.

XLIII.

Justificationis autem unica semper est, & fuit semper ratio, nimirum per fidem. Nam ex operibus ea nemini contigit, vel contingere potest. Si quid tamen de justificatione ex operibus in Sacra Scriptura legitur, quæ alicui contigerit, vel contingere debeat, ea recte explicata, eadem erit cum justificatione fidei, & aliter tum opera erunt consideranda, quam dum fidei opponuntur.

XLIV.

Sed jam tempus est, ut etiam de regio Christi munere sententiam nostram proferamus.

XLV.

Hoc autem in eo consistere dicimus, quod à mortuis excitatus sedeat ad dexteram throni majestatis in excelsis, obtinens omnem potestatem in cœlo & in terra, & omne imperium in omnes & spiritus & homines, & vim sibi omnia subjiciendi habens; & præterea quod ipsa etiam corda nostra norit, in omnibus calamitatibus nobis subvenire, ab omnibus malis nos asserere, & ab ipsa denique morte nos liberare possit.

XLVI.

Hine necessario consequitur, quod Christum religioso cultu, tanquam Regem & Servatorem nostrum, adorare teneamur, & in quibuscumque necessitatibus nostris ad ejus auxilium confugere, opemque ipsius, precibus nostris nominatim ad ipsum directis, implorare jure possimus.

XLVII.

Denique quod ad munus Christi sacerdotale attinet, id quidem non reipsa, sed tamen per viam intellectus à regio ipsius munere distinguimus.

XLVIII.

Nam quemadmodum dum Regem spiritualem & cœlestem Christum esse novimus, ejus admirandam & infinitam in nobis servandis contemplamur potestatem: ita dum Pontificem esse seu Sacerdotem intelligimus, (quod tamen figurate accipitur) sollicitam curam, quam nostri gerat, ob oculos nobis ponimus, & hac ratione incredibilem animi consolationem percipimus. Certimus enim, quod non tantum possit, sed etiam velit nobis perpetuo opitulari.

XLIX.

Rejicimus autem eorum opinionem, qui, proprie loquendo Christum pro nobis interpellare, & veris precibus à Patre nobis aliquid impetrare autumant.

L.

Cæterum Sacerdos sive Pontifex Christus reipsa non extitit, antequam sublimior cœlis factus vultui Dei pro nobis apparere cœpit.

LI.

Unde etiam statuimus, sacrificium ejus expiatorium non fuisse in cruce perfectum, sed in cœlis etiamnum perfici ac peragi, ubi Christus existens perpetuo nos à peccatis nostris mundat, nimirum per verbum & spiritum suum ab ipsis peccatis nos retrahens, & ab omnibus malis, quatenus veræ sunt peccatorum pœnæ, suos defendens.

LII.

Hæc voluimus in præsentia de Jesu Christi officio disputanda proponere, ut hujus quæstionis veritas quam diligentissime indagetur; quippe, quod hic, nostra quidem sententia, longe erretur perniciosius, quam si quis circa quæstionem de Christi natura in errore versetur.

Discur-

Discursus Brevis de ratione salutis nostræ, ex F. S. sermonibus exceptus & concinnatus.

DEus ad ostendendam suam gloriam, quam non potest non curare & quærere, decreverat, hominem, natura mortalem & miserum, suæ naturæ participem facere, & ad vitam immortalem transferre. Et quoniam ipsius admirabilis illa proprietas, à qua nunquam recedere potest, quæ justitia appellatur, & in æquitate ac rectitudine, quæ omne in se decorum complectitur, consistit, postulabat, ne quisquam in illam sedem immortalitatis, quæ eadem sedes est omnis puritatis & sanctitatis, ingrederetur, & perpetuam cum Deo, qui ipsissima puritas & sanctitas est, conjunctionem haberet, qui non & ipse ab omni impuritate recederet, omnesque terrenas cupiditates abjiceret; decrevit, ut non nisi ii ad vitam æternam aspirare possent, qui pie, & juste, & sancte viverent. Poterat autem talem hominem creare, qui sancte tantum vivere, nec aliter facere posset, sed ut majorem haberet campum potentiæ & sapientiæ suæ exerendæ, constituit creare talem hominem, qui posset etiam secus facere, quique insitas sibi haberet non leves quasdam affectiones, quæ ipsum ad vitam & mores cum tanta sanctitate minus convenientes perpetuo sollicitarent. Unde potentia & sapientia ejus talis apparuit, quod, ut nulla vi adactus homo sponte sibi pareret, effecerit, & viam ad efficiendam rem tam admirandam invenire noverit. Quis vero homini hoc libero arbitrio dato, facile futurum erat ut multi impie viverent; & ita, cum naturale odium sit vitii cum virtute, omnino magnis probi ab improbis vexarentur injuriis, ipsa inquam rei natura ita ferente, non modo Deus noluit naturam istam tollere, sed etiam eam suo stabilivit decreto, ut per multas calamitates, quicumque vellet salvari, tenderet ad regnum cœleste, ut inde etiam tanto major ejus sapientia & potentia eluceret. Potentia quidem, si suos ab insidiis & insultibus hostium tueretur, & omnes impetus Diaboli, contra eorum felicitatem summa vi nitentis, ab eis averteret. Sapientia vero, quia talem viam eos salvandi elegisset, qua & ipse videre posset, qui se ex animo colerent, atque in fide sibi data constantes ad finem futuri essent; & nos ipsi etiam agnosceremus, an constanter Deo serviamus, & an revera, justitiæ & sanctitatis studiosi simus, necne. Fit enim sæpe numero, ut multi extra pericula & calamitates constituti, Deo se servire, & constantes in religione esse existiment; mox autem, ubi fortuna reflaverit, atque aliquid adversi patiendum sit, referant pedem, & suam deserant stationem. Qui autem hic perdurant, & omnia fortiter excipiunt, hi & Deo fidem suam probant, & hominibus virtutem suam reddunt conspicuam, & ipsi agnoscunt se vere Dei cultores esse, & magna perfusi lætitia firmam spem habent futuræ felicitatis. Quemadmodum autem divina justitia requirebat, ut iis tantum, qui pure & innocenter viverent, beata immortalitas constitueretur; Deo autem, pro summa sua sapientia, placeret talem hominem creare, qui pro suo libitu utrumvis facere, pie vivere, vel non vivere posset; unde etiam (ut dictum est) evenire posse Deus cernebat, ut multis calamitatibus homines pii essent obnoxii: ita exigebat ejus sapientia, (quia nimirum ea res quam hominibus promulgaturus esset, naturam nostram excedebat, & facile futurum esset, ut novitate & magnitudine rei deterriti homines, eam viam non ingrederentur; siquidem etiam humanis majoribus rebus, quæ tamen præ his nullæ sunt, tarda solet in esse fides) ut iis uteretur mediis, quibus istud decretum revera ad suum exitum perduceretur, neque ullo pacto ex parte hominum irritum fieret. Quare constituit ista omnia evidentissimis rationibus, argumentis, & exemplis declarare, confirmare, ac stabilire, ut nullus revera esset cuiquam de ejus rei certudine dubitandi locus.

Creato autem homine, non statim ei Deus hanc suam voluntatem de eo beando aperuit, ut homines seipsos prius agnoscerent, quam fragiles & multis miseriis circumsepti essent; ut postea sic exerciti tanto avidius gratiam Dei arriperent, & viam ab eo propositam ingrederentur. Ubi autem venit plenitudo temporis, fecit sibi Deus filium ex Maria, quem tantæ rei legatum esse volebat. Hunc, cum ætate processisset, in cœlum accepit, eique ibi omnia ostendit, tum quæ ad ipsum in suo munere confirmandum, tum quæ ad nos docendos pertinerent: & ita instructum ad nos misit. Publicavit ergo is hanc Dei voluntatem hominibus, Deum nimirum omnibus, quicumque nuncio peccatis remissio, ex suo præscripto pie & juste in posterum vivere vellent, etiamsi in eo cursu nonnunquam, vel ignorantia, vel incogitantia, vel fragilitate sua abrepti labantur, modo ne ullius peccati assuetudinem & habitum habeant, peccatorum omnium veniam daturum, & à morte vindicatos vita æterna donaturum; siquidem in eo vitæ genere ita constantes fuerint, ut ne teterrima quidem morte ab eo deterrerentur. Quia vero (ut antea dictum fuit) rebus arduis, potissimum autem ipsius naturæ nostræ limites excedentibus, difficillime fides adhibetur, & id innocentiæ atque sanctimoniæ genus, quo nos Deus sub Euangelio sibi obedire vult, antea incognitum erat; quippe quod & ipsum naturæ nostræ vires superat, voluit Deus, ut ipse Jesus, hanc suam voluntatem vitæ innocentia confirmaret, & in sua persona Deo obediendi exemplum nobis ostenderet; siquidem virtutis exempla, & maximopere nos erudiunt, & ad imitandum movere facile possunt. Omni enim oratione majus habet pondus vita dicentis. Itaque vixit Jesus tam sancte, tam innocenter, ut magnum inde, de doctrina & ejus certudine, argumentum haberi posset, (quia nimirum verisimile hominibus probis videri merito non poterat, quemquam tam singulari præditum esse innocentia, qui itidem homo plane divinus non esset) & qualis esse deberet ea vitæ puritas, quam Deus ab hominibus ad immortalitatem aspirantibus requirit, aperte cerneretur. Quia tamen accidere solet, ut majorem quis innocentiam præ se ferat, quam re ipsa sit, quandoquidem virtus simulari potest, ne quisquam dubitare merito posset, an non ille idem fecerit; licet, ob perfectam ejus sanctitatem, hæc suspicio apud hominem probum vix locum habere posset; voluit Deus præterea, ut eam suam doctrinam Jesus insignibus miraculis confirmaret. Adhibuit ergo tanta miracula, quanta nunquam audita, nedum visa fuerant usquam: dum morbos verbo sanaret, dæmones ex hominibus expelleret, mortuos in vitam revocaret, dæmonibus & elementis imperaret, quæ tam admiranda ejus & divina opera, cum absoluta vitæ innocentia conjuncta, facile eum divinum esse hominem probabant, & quidem talem, qualem se esse profitebatur. At ne & hic aliquis hæreret; miracula enim si adsint, non tam probant aliquem divinitus venisse, cum & falsis prophetis, suorum periclitandorum gratia, ea Deus concedere solitus fuisset: quam si non adsint, certissimo signo sunt aliquem à Deo non venisse; licet & hæc dubitatio homini probo vix suboriri posset, cum essent stupenda & nimis frequentia illa opera, voluit Deus, ut Jesus morte, omnium, etiam in conspectu Dei, detestabilissima moreretur; ut, & quam constanter Deo obediendum esset, nobis ostenderet, & se veracem fuisse omnibus probaret. Nemo enim non modo falsorum vatum, sed nec etiam eorum, qui alias veritatem haberent, si modo vel

tam

tantillum de illa dubitarent, mortem tam diram oppetiisset pro sua doctrina; præsertim si elabi posset, ut Jesus se, non tantum elabi posse, ratione scilicet virtutis & potentiæ sibi insitæ, sed & inimicos suos prosternere posse demonstrabat. Fecit ergo ita Jesus; ultro crudelissimam mortem subiit, quam infiniti dolores præcesserunt, atque ita & modum obediendi Deo nobis ostendit, & certitudinem doctrinæ suæ confirmavit. Sed quia mors Christi, non subsecuta resurrectione, nondum ostendebat viam hanc ad felicitatem ducere, sed potius contrarium; & tantum abest, ut perfectam spem immortalitatis in nobis ingeneraret, ut potius eam tolleret; quemadmodum in discipulis Emauntem petentibus apparuit, ut & hic fragilitati nostræ Deus succurreret, Jesum (quemadmodum ipsemet Jesus id fore prædixerat) tertia die in vitam revocavit, quo fidem fecit hominibus, eum vera docuisse, & à se missum fuisse, (neque enim si falsus vates fuisset, vel aliquid aliter, quam à Deo jussus fuerat, docuisset, illum excitasset, cum, ut omnia mendacia ita multò magis mendacii auctores, odio prosequatur) ac simul etiam ostendit, posse se omnes fideles, etiam atrocissima morte sublatos in vitam revocare. Revocato in vitam Christo, idque tertio, ut dictum est, die, ne scilicet ejus corpus corrumperetur, quo illi, quibus exhibendus erat, omnino agnoscere possent, illum ipsum esse qui occisus fuerat, (in quo corpore cum iis per multos dies conservatus est, bibit atque comedit) postulabant divina judicia, & decebat ejus sapientiam, ne eum omnes viderent. Judicia, inquam, ejus ita postulabant, ut illi scelerati homines, quos jam Deus salvare nolebat, perirent. Quippe, qui cum aliis suis sceleribus & flagitiis, tum vero maxime Christi Euangelium rejiciendo, ipsumque Christum crucifigendo, se salute plane indignos reddiderant; qui, fieri non potuisset, si Christum redivivum vere agnovissent, quin in ipsum credidissent, nisi natura summa vi à Deo fuisset immutata. Sapientia vero ejus ita requirebat, ut fidei exercendæ locus esset. Nam quod videmus, id fide ut apprehendamus necesse non est. Quemadmodum autem judicia divina postulabant, & ejus sapientia, ut non omnibus à resurrectione conspicuus fieret: sic requirebat eadem divina sapientia, ut nonnulli eum cernerent; ii vero præcipue, qui ejus resurrectionis testes esse debebant, & qui futuri erant non tantum simpliciter membra, sed fundamentum ipsius Ecclesiæ. Quo nimirum hac ratione etiam ita confirmarentur, & ad munus suum alacriter obeundum incenderentur, ut nec à Christiana religione deficere, nec à munere suo obeundo desistere possent. Quia vero Christo à mortuis revocato, nondum erat perfectum exemplum in Christi persona illius felicitatis, quam Deus suis dare decreverat, sustulit Deus Christum in cœlum videntibus iisdem Apostolis, ubi jam plenissime ostendit, quò hæc via tam aspera duceret, & quanta felicitas suos maneret. Poterant ergo jam homines firmiter credere, posse Deum suos beata immortalitate donare; nihilominus tamen cum considerarent, quantum suam pietatem & sanctimoniam Christi sanctimonia superaret, præterea, quum nihil commune haberet Deus cum sua natura, dubitare poterant, an tantam sui curam habiturus esset Deus, & idem cum ipsis, quod cum Christo, facturus; sustulit & hunc scrupulum Deus, data Christo in cœlo & in terra potestate, & vita immortali in illius manibus posita, qui ejusdem naturæ nobiscum erat, & omnia hæc, quæ nos patimur, perpessus est. Hoc autem ita factum esse (quemadmodum, dum adhuc mortalis in terris versaretur, fore prædixerat) Christus ipse probavit dimissis Apostolis per totum mundum, qui eum omnium Dominum ac judicem vivorum & mortuorum esse palam annunciabant; & in ipsius nomine, virtute ab ipso sibi concessa, multis argumentis, variis prodigiis, rem ita se habere ostendebant. Quoniam autem homines poterant dubitare, an Christus jam defunctus omnibus malis, sui curam gereret, seque salvare vellet, licet de potentia ipsius bene essent persuasi, ostendit Christus in quibusdam, se curam suorum gerere, videlicet in Stephano confirmando, in Paulo à persequendis suis reprimendo, *Me*, inquit, *persequeris*, licet fideles persequeretur: quamvis jam antea hujus dubitationis causa satis esset sublata. Promiserat siquidem Christus, se, & nobis vitam immortalem daturum, & nobiscum ad consummationem seculi mansurum. Tum, si, cum adhuc ipsius essemus inimici, tanta passus est, ut ad eam potestatem perveniret, qua nos immortales & vere felices reddere, & ab omnibus malis tueri posset, eaque cum summa ignominia sua conjuncta, nihil dubitandum est, quin, cum jam ipsum amamus, curet, ut nos salvemur, & ut eam immortalitatem nobis ipse det, quod cum summa ipsius gloria conjunctum erit. Præterea, cum videmus quicquid Christus potestatis habet, eum propter Ecclesiam habere, quæ si nulla sit, nullum esset ipsius regnum, nulla gloria, simul animadvertimus, eum non posse non curare, ut sint quam plurimi fideles, & quam maxime sua propagetur Ecclesia, atque etiam non posse non amare eos, qui ipsi obediant, quibus immortalibus effectis gloria ipsius magis illustrabitur. Siquidem potestas quam habet in Angelos, in eo est, ut eorum ministerio ad suos tuendos, custodiendos, & defendendos utatur: In dæmones, ut eos à suis arceat, reprimat; eorum conatus, quibus piis nocere volunt, impediat, & irritos reddat: In infernum & mortem, ut ea profligata, suos ab ea vindicet, & immortales reddat; quæ omnia, si nulla sit Ecclesia, facere, & propterea suam gloriam, quam maxime cupit, tantopere non posset exercere. Et propterea apud Paulum Christi Ecclesia ipsius plenitudo dicitur, & consideratur tanquam unum cum Christo, dum ipsa corpus & sponsa, ille vero caput ipsius & sponsus dicitur. Jam quemadmodum nec sponsus suæ sponsæ, memoriam deponere potest, nec caput perfectum est sine suo corpore; sic neque Christus nostri memoriam depositurus est unquam; nec perfectam, nisi nobis beatis effectis, gloriam habere potest; quippe, quod in morte abolenda complementum ipsius regni & gloriæ consistat. Ex quibus omnibus etiam facile videre est, quod quidquid sui fideles felicitatis experiuntur, id totum in ipsum redundet.

Quia vero fit sæpenumero, ut nostra natura nimium fragilis est & infirma, ut dum nobis mors intentatur ob nomen Christi, dum parantur cruces & gladii, dum incenduntur ignes, metu perculsi angamur animo, & fluctuemus quodammodo, nequis in eo statu constitutus, conscius sibi tantæ imbecillitatis, existimans Christum hac sua imbecillitate offendi, despondeat animum, & salutem desperet, jam antea huic dubitationi Deus occurrit, & hunc scrupulum sustulit; dum omnes terrores, omnes angores Christi animum pervadere voluit ante crucis supplicium, ita ut ipse diceret, se vehementer perculsum, magno timore emori, & animo deficere, dum ad terram pronus collapsus Patrem rogaret, ut illum calicem à se, si id possibile esset, transferret, dum in concursu gravissimorum terrorum ex ejus corpore sudor, ad similitudinem sanguinis guttatim defluentis, stillaret, ita ut Angelo, qui ipsum confirmaret, opus haberet. Hæc enim dum expendimus, dum consideramus, etiamsi nobis mors maxime horrenda paretur propter Euangelium, nullas tantas animi perturbationes, tantos terrores in quemquam nostrum cadere, nihil denique tam atrox cogitatione fingi posse, quod antea Christus expertus & perpessus non fuerit; idque Deo ita volente, ut in omnibus exploratus, misericors & fidelis Pontifex fieret, ad succurrendum infirmitatibus nostris, nihil est quod eum fragilitate nostra offendi, & propterea nostri minus curam habere, nosque amare putemus; dum modo iis animi perturbationibus ab ipso confitendo, & morte etiam pro ejus gloria obeunda, non deterreamur. Siquidem quo major est illa animi anxietas, quo major supplicii metus, eo no-

eo nostra in Deum & Christum fides, & amor constans magis elucescit, dum id quod tantopere metuimus, subire tamen non detrectamus. Atque ita ex parte Dei tota salutis nostræ ratio consummata est.

De officio hominis Christiani.

CHristianus homo in universa vita sua id curare diligenter debet, ut si jam, Dei gratia, à quibusdam vitiis longe abest, adeo ut, etiamsi incitamenta non modo occasiones eorum vitiorum habuerit, possit facile se ab illis incontaminatum conservare, primum, Deo gratias agendo, in eo statu perseveret, neque se à recto instituto unquam, ne leviter quidem demoveri finat. Deinde, diligenter considerandum illi est, num alia fint vitia in quæ paullo propensior adhuc sit: ita ut facile fieri possit, ut in ea, nisi diligenter sibi caveat, aliqua saltem ex parte prolabatur. Quod si id esse senserit, devitandæ sunt illi omnes ejusmodi delictorum occasiones. Quas si penitus effugere non poterit, tunc cum vitio & tentationibus illis, non secus atque cum acerrimis ac pessimis hostibus, pugnandum illi est. Nec debet existimare se aliquid egregium fecisse, propterea quod in aliis, ubi fere pugna ei non est opus, non superetur, nisi in his etiam, ubi summum illi est & laboriosum subeundum certamen, omnibus animi & spiritus viribus contentis, Deo adjutore, ad cujus opem inprimis assiduis precibus confugere debet, victor tandem evadat.

Si contingat, ut aliqua gravi tentatione exerceamur, & jam animus noster labascere incipiat: si quis sit, qui nos serio officii nostri admoneat, & simul etiam ob nostram ignaviam objurget, nullo pacto ad id confugere debemus, ut dicamus, illum, quia valeat, facile nobis ægrotis consilium dare: sed potius una cum gratiarum actione confiteri, eum verissima loqui, & nos pessime facturos, nisi ipsius monitis, quam celerrime & diligentissime per nostram imbecillitatem licuerit, obtemperemus.

De Libero Hominis arbitrio, deque æterna Dei Prædestinatione, scriptum Johanni Jacobo Grynæo oblatum.

THESIS.

Hominem oblatam sibi Dei gratiam efficacem respuere posse.

ARGUMENTUM.

QUicumque jam à se receptam Dei gratiam efficacem potest abjicere, is eandem sibi oblatam respuere potest.

Homo jam à se receptam Dei gratiam efficacem potest abjicere. Ergo homo sibi oblatam Dei gratiam efficacem respuere potest.

Major præcedentis argumenti propositio, satis patere videtur. Nam, si id quod minus videtur inesse &c. Sed profecto minus fieri posse videtur, ut quis jam receptam gratiam, quæ in possessionem quodammodo sui cordis venerit, possit expellere, quam ut venire volentem repellere queat. Ergo &c.

Minor vero ita probatur.

Quicumque ex fideli infidelis fieri potest, is Dei gratiam efficacem jam à se receptam abjicere potest.

Homo ex fideli infidelis fieri potest.

Ergo homo Dei gratiam efficacem jam à se receptam abjicere potest.

Cujus syllogismi major propositio ex eo patet, quod vos dicitis, neminem sine speciali, eaque efficaci, à se recepta divina gratia posse quidquam boni velle; nedum Dei verbis fidem adhibere, & rursus, neminem, dum gratiam istam habet, posse à fide desciscere.

Minor autem inter cæteros Sacræ Scripturæ locos, qui innumeri pœne sunt, apertissime desumitur ex cap. 11. Epistolæ ad Rom. ubi Paulus diserte scribit, eum, qui jam fide coaluit in olea illa sancta, posse resecari, nisi in benignitate permanserit. Neque est, quod quis causetur, illam non esse veram fidem, sed fidei potius imaginem. Nam Apostolus aperte ait, illum non modo fide stare, verum etiam participem jam factum fuisse radicis, & pinguedinis ipsius olivæ, quod profecto non nisi vere in ea coalescenti & porro vere fidenti contingere potest. Id quod etiam manifestum fit ex antithesi diffidentiæ, qua avulsos dicit naturales ramos. Nam veram necesse est fateri fuisse diffidentiam, alioqui avulsi non fuissent. Adde, quod ne imaginem quidem illam fidei, quam temporariam fidem alii vocant, sine speciali vocatione & illuminatione, & propterea sine Dei efficaci gratia contingere posse, vos ipsi aperte profitemini.

Ex quo satis constat, Dei gratiam, quanquam efficacem, repudiari à nobis, seu nostro vitio nobis auferri posse, nisi velitis Deum absque ulla causa dona sua revocare; atque hac ratione, cum tamen maxime omnium, etiam ubi minime opus est, Deum à mutabilitatis suspicione apud homines vindicare velle videamini, mutabilitatem sane prorsus inexcusabilem ei adscribere non dubitetis.

THESIS.

Impios, quos præ cæteris Deus puniet, inscrutabili & immutabili consilio ab eo ab æterno reprobatos non fuisse.

ARGUMENTUM.

Nemo id tenetur facere, quod nulla ratione potest.

Cuicumque Euangelium prædicatum fuerit, tenetur illi obedire. Ergo nemo cui Euangelium prædicatum fuerit, nulla ratione illi obedire potest.

Sed, quicumque ab æterno à Deo inscrutabili & immutabili consilio reprobatus est, Euangelio obedire nulla ratione potest.

Ego nemini, qui ab æterno à Deo inscrutabili & immutabili consilio reprobatus sit, prædicatum est Euangelium.

Sed impiis, quos præ cæteris Deus puniet, prædicatum est Euangelium.

Ergo impii, quos præ cæteris Deus puniet, non sunt ab eo inscrutabili & immutabili consilio ab æterno reprobati.

Si primi syllogismi major propositio, in quo tota vis universæ argumentationis residere videtur, non recipiatur simpliciter, sed cum hujusmodi adjectione, videlicet, nisi sibi ipsi ejus rei causam dederit; eam libens admitto. Tum, ut ad rem ipsam statim deveniam, dico, primum hominem nihil commisisse, propter quod facultate obediendi divinæ voci privatus fuerit. Nam, quod ad Sanctarum Literarum testimonia attinet, nec tale illi à Deo irrogatum fuisse supplicium usquam legitur, nec is propter vim ipsam transgressionis suæ, in hanc miseriam lapsus fuisse scribitur. Jam si rationibus agere velimus, nihil suadet, vel Deum illi voluntatis libertatem ademisse, cum nihil ejusmodi, si præceptum suum transgrederetur, ei comminatus fuisset; vel eum, qui semel peccaverit, vi ipsius peccati, recte deinceps agendi potestate omnino privari; cum ne illis quidem, qui continuatis actibus vitiosum habitum contraxerint, id evenire, & ratio, & experientia ipsa, in ejusdem etiam generis, nedum in cæteris omnibus actionibus, morales naturalesque philosophos satis aperte docuerit. Præterea, si velimus, ideo humani generis partem potuisse merito à Deo, propterea quod omnino pravi futuri essent, ab æterno

æternis

æternis pœnis destinari, quia licet recte agendi facultate sint omnino destituti, ejus tamen rei illis causa fuerit primus eorum parens transgressione sua; certe, præterquam quod non inscrutabile, sed plane scrutabile esset hujusmodi consilium, prævisam etiam transgressionem illam à Deo fuisse prius, quam decretum istud factum, oportuit; & propterea, destinationem Dei non solum ordine intellectus, ut loquuntur, ejusdem præscientia posteriorem esse; sed etiam ab illa in rejectaneorum reprobatione pendere. Quod cum doctrinæ vestræ, tum etiam ipsi veritati plane adversari credo. Huc accedit, quod, si primus homo liberi arbitrii compos fuit, profecto si ob prævisam Adami transgressionem Deus decretum istud fecit, Dei certam præscientiam una cum libero hominis arbitrio stare posse manifestum fit. Quod tamen præcipui istius prædestinationis patroni negare videntur, & præsertim Lutherus, qui ex Dei certa præscientia, rerum omnium futurarum necessitatem arguit, & homini idcirco penitus liberum adimit arbitrium. Addo insuper, etiamsi probaretur, Adamum, & ejus posteritatem ob transgressionem illam libero arbitrio prorsus destitutum fuisse, non tamen propterea id posteritati vitio verti debuisse, adeo ut imperata à Deo nihilominus exequi teneatur, quæ exequi nulla ratione potest. Sed vel pœnæ loco, vel ob jam depravatam naturam satis fuisse, totum humanum genus labem istam servitutis voluntatis suæ à primo parente contraxisse, quam tamen deinde abstergere, præsertim post Christi adventum, qui sontes servatum in hunc mundum venit, divinam justitiam omnino decebat, ut immorigeros & refractarios, post auditam sui nobiscum fœderis & voluntatis vocem, tanquam eos, qui, si voluissent, ei parere potuissent, merito damnare posset. Quid enim hinc decederet gloriæ ipsius? Immo quid non accederet? Cum & in iis qui obedirent, misericordiæ thesauros illos suos inexhaustos ostendendi, & in contumacibus infinitam potentiam suam, & eam justitiam, cujus ipsi quoque impii rectitudinem agnoscere cogerentur, & exerendi, & patefaciendi, hac ratione pulcherrimam, & vere Deo dignam, occasionem sibi comparasset. Nam quoquo te vertas, nihil unquam absurdi ex eo, quod hominis voluntati gratiæ divinæ, quæ eum præveniat, & a qua tota ejus salus pendeat, libera assentiendi & resistendi facultas, & data, & conservata, vel saltem restituta fuerit, oriri comperies; cum infinita propemodum ex contraria sententia descendere sit necesse. Quod si quædam sunt Sacrarum Literarum testimonia, quæ eam suadere videantur, perpendenda sunt innumerabilia alia, quæ prorsus contrariam multo manifestius probare videntur, &, cum utraque, ut præclare inquit Erasmus, optime conciliari possint, si cum divina ope atque auxilio humanæ voluntatis conatus conjungatur, non est, rejecta ea opinione, quam reipsa experimur, & verissimam & sanctissimam esse, in Ecclesiam Dei invehenda illa, quam & sensus communis aspernatur atque horret, & Dei justitia non patitur, & quæ in labyrinthos inextricabiles mentes nostras conjicit atque detrudit. Quæ omnia, si opus fuerit, Deo bene juvante me demonstraturum esse confido, locis omnibus Sacrarum Scripturarum, & rationibus undelibet desumptis, quæ vel minimum obstare videantur, dilucide expositis, & manifestissime confutatis. Interim obsecro te, doctissime & humanissime vir, ut ad hæc pauca respondere ne graveris.

De convenientia & differentia Veteris & Novi Testamenti.

VEtus & Novum Testamentum in eo conveniunt, quod tam sub illo, quam sub hoc ex fide fuerit justificatio. Quod apertissime probatur à Paulo, & testimonio Habacuci, & exemplo Abrahami, & aliis rationibus multis. Differentia vero hac ipsa in re est in eo, quod Novi Fœderis substantia & quasi anima sit, justificationem per fidem promittere & exhibere; quod secus erat in Vetere. Nam ibi, quod ad ipsa expressa fœderis verba attinet, observatio mandatorum legis omnino requirebatur, secundum id, quod dictum erat, „Hoc fac, & vives: &, Maledictus „qui non perseveraverit in omnibus, quæ scripta sunt „in libro legis &c. Quod vero per fidem sive ex fide justificarentur homines, non proficiscebatur ex aperto quodam promisso, quo Deus in ipsa lege populo sese obstrinxisset, neque ex ipsa fœderis illius substantia; sed tantum ex quibusdam legis appendicibus apparebat, ubi dicebatur, Deum tardum esse ad iram, &c, & ubi monebantur ii, qui contra ipsam legem peccassent, ut ad Dei misericordiam confugerent: & si qua erant similia.

Differentia etiam est magna inter hoc & illud fœdus in præceptis & promissis. Promissa enim ibi erant tantummodo temporalia, & felicitates terrenæ: quanquam nihilominus credendum est, quod æternam fælicitatem cœlestemque beatitatem illis, qui vera fide præditi sub ipso Vetere Testamento fuerint, Deus sit donaturus: Hic vero æterna felicitas atque beatitas apertissime est promissa. Jam quod attinet ad præcepta, quemadmodum promissa Veteris Testamenti, non superabant naturæ humanæ conditionem, sic neque præcepta humanæ naturæ vires ullo modo excedebant. Novi vero quemadmodum promissa naturæ humanæ conditionem longissime excedunt, sic etiam nonnulla præcepta ipsius naturæ humanæ vires plane excedere videntur. Loquimur autem hic de præceptis moralibus, nam quod attinet ad ceremonialia & judicialia, vix est qui non noverit ac fateatur, quæ sunt ejusmodi tradita in Testamento Vetere, ea partim nullum locum, partim nullam eorum servandorum præcisam obligationem sub Novo Testamento habere: & sic hac in parte inter Novum & Vetus Testamentum manifestum atque ingens discrimen esse.

Scriptum F. S. in quo sententiam eorum, qui Jesum Christum Dei filium, unum illum & altissimum Deum esse, vel saltem antequam ex Maria nasceretur, reipsa extitisse affirmant, argumentis allatis refellere instituerat.

SCripsimus ante annos non paucos, amicorum hortatu, perbrevem expositionem sententiæ nostræ in Johannis Euangelii principio interpretando, quam, quum non tantum nostra ætate, sed etiam multis ante seculis inauditam sciremus, nostrum nomen supprimentes, aliorum de ea judicium cognoscere decrevimus, antequam plura ad eam confirmandam scriberemus, amicis, quando illis ita videbatur, scriptum nostrum in lucem emittendi curam omnem permittentes. Dum interea silemus, ecce Dei optimi

maximi summa atque ineffabili benignitate effectum audimus, ut illa eadem sententia nostra a quam plurimis, qui vel ex scripto illo edocti fuerant, vel aliunde eam hauserant, veritatis vi impulsis, & recepta, & approbata fuerit. Quin & integras ferme Ecclesias postmodum ei subscripsisse ipse cognosco, & nobilissimas disputationes cum iis, quorum mentibus tam salutaris divinarum rerum scientiæ radius nondum affulsit, summis principibus non modo annuentibus, sed præsentibus quoque institutas habitasque comperio. Secutæ sunt una cum interpretatione illa nostra, ipsarum disputationum, atque ejusdem argumenti librorum editiones, in quibus licet abunde satis & veritas explicata, & ab adversariorum impugnationibus defensa videatur, ad eam tamen & clarius adhuc patefaciendam, & validius propugnandam non parum adjumenti nos afferre posse, Deo bene juvante, confidimus. Quocirca non amplius silendum censui, sed tum quæ à nostris vel levius pertractata, tum quæ ab adversariis allata non adeo plene, sive etiam minus recte confutata videbantur, illa quidem in medium proferre & latius exponere, hæc vero ea via & ratione qua opus est refellere constitui. Itaque de Jesu Christo Dei filio, de quo nobis omnis instituendus est sermo, duos mihi libros conscribendos putavi. Quorum primus rationes, & præcipua testimonia è Sacris Literis petita, contineat, quibus manifestum fiat, non esse eum Jehovam unicum Deum nostrum, neque vel ipsum, vel ipsius naturam aliquam, vere, seu, ut loquuntur, hypostatice extitisse, antequam is ex Maria ejus Matre nasceretur: in altero ad ea, quæ hanc solidissimam veritatem magis concutere, vel etiam labefactare alicui fortassis prima facie videri possent, diluenda me convertam. Nomen autem meum, quando in hanc arenam adversus nobilissimos antagonistas descendendum erat, adhuc reticere fraudi & vitio mihi datum iri sum subveritus. Verumtamen, ut unicuique sua constet laus, iique in Ecclesia perpetuo agnoscantur, quos Deus donis suis præclarissimis, suæque veritatis præstantissima cognitione dignatus est, me & sententiam illam in Johannis Euangelistæ verbis explicandis, & quæ ad eam asserendam vel jam dixi, vel posthac dicturus sum, magna ex parte ex Lælii Socini Senensis sermonibus, dum adhuc viveret, & post ejus mortem ex aliquibus ipsius scriptis, quæ in manus meas non absque mirabili Dei opera atque consilio pervenerunt, & hausisse & desumpsisse, non minus libenter quam ingenue fateor. De quo viro multa mihi dicenda forent, ut & incomparabilis amici memoriam posteritati commendarem, & unicum fortassis hac ætate nostra, cum morum integritatis vitæque innocentiæ, tum vero maxime Sacrarum Literarum peritiæ, divinorumque oraculorum intelligentiæ exemplar omnibus proponerem. Satius tamen duxi ea in illud tempus reservare, cum Deo volente tanti viri famam à quorundam maledictis nominatim asseram. Illud unum oblata occasione de eo dixisse in præsentia sat fuerit, tantum abfuisse, ut is in religione nihil certi habuerit, quemadmodum aliqui constanter affirmant, ut nemo unquam exactius, de omnibus Christianæ religionis dogmatibus, vel senserit, vel cum opportunum ei videbatur, locutus fuerit. Verum cum præter pauca quædam, ea videlicet, quæ ad salutem sunt prorsus necessaria, nihil fere in Ecclesiis, quæ Romanum Antichristum execrantur, post tantas tamque diuturnas tenebras, suæ pristinæ claritati restitutum videret, nolebat ille sententiam suam, nisi in levioribus quibusdam controversiis, omnibus aperire, ne turbarentur Ecclesiæ, & infirmi, quorum maximam semper habuit rationem, offenderentur, & a vero Dei cultu ad idola fortasse iterum adducerentur, neve tandem divina veritas ab eo prædicata, qui neque pastoris neque doctoris officio in Ecclesia fungeretur, ob auctoris non magnam auctoritatem, magno Christiani orbis detrimentu, passim rejiceretur, ac propemodum conculcaretur. Præsertim cum apud aliquas Ecclesias eam opinionem, eumque morem jam invaluisse cerneret, ut execrabiles haberentur quicumque adversus receptas sententias vel mutire quidem ausi essent. Præstare igitur arbitrabatur, dubia & quæstiones illustribus in Ecclesia viris identidem proponere, ut ea ratione paullatim via ad veritatem sterneretur, addubitantibus illis interdum ob argumenta ab eo allata de inveteratarum opinionum firmitate, easque non amplius populo tanquam Christianæ religionis axiomata obtrudentibus, quod tamen, ut omnem offensionem vitaret, addiscendi tantum studio à se fieri dicebat, (qua tamen ratione ab initio idem vere ab eo factum fuisse verisimile est) quare etiam discipulum semper se, nunquam autem doctorem profitebatur. Hoc tamen suum institutum amicis non usque adeo probari sentiebat, quibus dum obsequi recusat, non sine Dei consilio vir summus immatura morte sublatus est, quod mox patefieri cœpit, cum statim fere post mortem ejus, eorum, quæ ipse palam docere non audebat, pars aliqua & literis consignari, & passim divulgari est cœpta, id quod eo vivente nunquam fortasse contigisset, amicis ex iis, quæ ipse scripserat, quod apud eum laterent, non adhuc plene edoctis & adversus præceptoris voluntatem, aliquid eorum, quæ ab ipso didicerant, in vulgus prodere minime audentibus. Hac scilicet ratione Deus, quæ illi uni patefecerat, omnibus manifesta esse voluit, ut ignorantiæ tenebris penitus discussis incipiat tandem Christianus populus ei ex animo fidere, debitamque obedientiam præstare, exteri vero ad ejus veram & salutarem per Jesum Christum cognitionem facilius pertrahi possint. Faxit ille, ut quemadmodum vanissima hæc hominum commenta, de ipsius Christique ejus natura & substantia, jam eo majestatem & gloriam suam vindicante, detegi ac derideri cœperunt, ita quam plurima alia humani ingenii adinventa, quæ procul dubio Euangelii cursum, id eo ob scelera nostra permittente, impediunt, ex dilectissimi filii sui Ecclesia oris sui spiritu expellantur, & clarissima purissimaque divinæ veritatis luce omnes aliquando collustrentur. Sed jam ad institutum nostrum accedamus.

Cum igitur id, quod nobis priore hoc libro probandum proposuimus, duas partes habeat, de priore primum, deinde de altera agamus. Si Jesus Christus Dei filius servator noster, esset ille Jehova unicus Israelitarum & Christianorum Deus, manifeste, ut omnes fatentur, consequeretur, Deum hominem fuisse factum, quod, quum ab humana ratione penitus abhorreat, id quidem disertis verbis, ut ita esse credamus, oporteret, & non in uno tantum, sed in quam plurimis Sacrarum Literarum locis scriptum extare, quod in omnibus, quæ paullulum modo ad credendum difficilia sunt, factum fuisse conspicimus. Etenim & cœli terræque divina creatio, & humanarum rerum absoluta Dei cura & providentia, & mortuorum resurrectio, & vita æterna hominibus Christo fidentibus danda, & si qua sunt hujusmodi, vel aliquanto etiam leviora, quæ nos credere vel necesse sit, vel saltem expediat, ea & sæpius repetita, & clarissimis verbis in divinis oraculis exposita sunt. Atqui non solum id, ut jam dictum est, humanæ rationi plane adversatur, verum etiam, si modo fieri contigisset, ad salutem consequendam nobis cognitu esset prorsus necessarium, id quod adversariorum confessione probatur, qui nos, quoniam factum esse negamus, & impios & blasphemos, & Mahumetistas appellant, & omni graviore supplicio dignos censent, tum ipsa ratione fit manifestum. Nam fieri non posset, ut in nostræ salutis mysterio, æternus ipse & immortalis Deus, omnium creator & Dominus se usque eo demisisset, ut & humanas calamitates, & mortem ipsam, eamque acerbissimam, subire voluisset, ni hac via nos servare destinasset, & propterea id nos scire omnino constituisset, ut & illi debitas gratias de tam admirabili benignitate perpetuo ageremus, & viam salutis nostræ certam tenere possemus. At vero tantum abest, ut stupenda isthæc Dei metamorphosis à Sacris

auctori-

auctoribus identidem nobis aperte prædicata fuerit, ut ne uno quidem loco obscure saltem significata deprehendatur. Quo fit, ut ejus assertores, non claris divinarum literarum testimoniis, immo ne testimoniis quidem ullis, sed potius meris quibusdam consecutionibus sententiam suam adstruere conentur, quæ quantum ponderis habeant, postmodum, Deo favente, videbimus.

Describunt Lucas & Matthæus, præsertim vero Lucas, exacte admodum nativitatem Domini nostri Jesu Christi, at Matthæus cap. 1. 18, cum illa verba præmisisset, *Jesu vero Christi nativitas talis erat*, nihil antiquius vel excellentius, quod ad illam attinet, de eo narrat, quam Mariam ejus matrem, priusquam ipsa & Josephus vir ejus convenissent, inventam fuisse gravidam è Spiritu Sancto. Lucas autem, qui paullo altius rem repetit, & diligentissime in ea versatur, ab eadem Spiritus Sancti virtute initium hujus nativitatis & ortus sumit, dicente apud eum Gabriële angelo Mariæ cap. 1. 35, *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, cujus loci perfitationem quandam Tertulliani, propterea quod in Græco pro Ideoque habeatur διὸ καὶ, non autem simpliciter διὸ, quam & affert, & probat unus ex adversariis nostris, prorsus indoctam, & tanto viro penitus indignam esse, suo loco ostendemus. Certe si usquam aliquid clare & expresse de Deo homine facto, qui Jesus Christus sit, dictum fuisset, id his duobus locis scriptum legeretur, ubi expresse ea de re agitur, in qua & per quam hoc plus quam divinum mysterium peractum fuisse volunt, hoc est, de ipsa Christi Jesu conceptione in virginis utero. Etenim quemadmodum de admirabili hac divina operatione, totius naturæ limites exsuperante, aperta fit mentio: ita de hypostatica illa (quam vocant) Dei cum carne assumpta unione meminisse debuerant hi Euangelistæ, idque adeo diserte, ut & nemo in futurum de ea ambigere posset, & Jesu Christi nativitas, ad quam peragendam unio hæc, tanquam formalis & præcipua caussa, concurrisse creditur, imperfecte prorsus ab illis tradita non videretur, alioqui vel unicam salutis nostræ viam nobis invidisse, vel tanti mysterii se ignaros fuisse, ipsimet non obscure declarassent. Utrumque autem quum longe absurdissimum sit, intelligi facile potest, nusquam hujusce rei apertam in Sacris Literis mentionem factam esse, & propterea totam istam Dei, ut ita dicam, humanationem, merum humani ingenii fuisse commentum. Et quoniam in nostro hoc uno argumento maxima vis inesse videtur ad omnes adversariorum machinas demoliendas, istius adhuc illud prosequamur. Igitur ex quatuor Euangelistis duo, qui etiam Jesu Christi filii Dei nativitatem, & in matris utero conceptionem diligenter nobis exponunt, nihil penitus de Deo in ea seu per eam homine facto tradiderunt, ex duobus autem reliquis, alter quidem in tota historia omnino hac de re tacet, alter vero manifestis, minimeque dubiis verbis eam certe non docet, quamvis adversarii eum partem hanc ab aliis omissam, post aliquot annos, quasi Jesu Christi historiam supplentem, addidisse affirmare non erubescant. Itane vero? Tres viri præstantissimi, divino etiam, ut credere par est, spiritu impellente, quorum unus ex duodecim Apostolorum numero fuit, alii Petro & Paulo Apostolis dictantibus seu approbantibus id fecisse creduntur, filii Dei salutarem historiam conscribere aggressi fuerint, & eam partem intactam reliquerint, sine qua nihil veræ salutis inde nobis manare possit, idque quod totius historiæ tanquam caput & fundamentum est, silentio præterierint? Quid quæso vel indignius, vel etiam detestabilius aut dici, aut excogitari potuit? At quartus saltem, qui postmodum errorem tam noxium quasi emendaturus successerit, nullum in ea re dubitationi locum relinquere debuerat. Id vero non modo non fecit, sed quam plurima in sua historia recensuit, quæ contrariam sententiam confirmare credantur, de quibus inferius dicendum erit. Cæteri vero novæ sacræ paginæ auctores, & Jesu Christi Apostoli & legati, quorum acta post Domini sui in cœlum ascensionem, permultasque ad populum & gentes edocendum, & ad salutis viam convertendum habitas orationes, separato opere unus ex iis quatuor Euangelistis luculenter enarrat, tot tantisque occasionibus sibi oblatis, immo potius rem uti erat edisserendi necessitatibus, mirum, quam non solum de hac re ne hiscere quidem deprehendantur, sed etiam ab ea longe diversa, & plane dissentientia doceant & inculcent. Legat quivis Petri ad populum binas conciones Act. 2, & 3, iv. 5, ejusdem vel solius, vel una cum cæteris Apostolis ad principes populi, & seniores habitos de Jesu Christo sermones, ejusdem item ad Cornelium centurionem & ejus comites Euangelii & salutis nostræ explicationem cap. 10. Pauli in Antiochensi Pisidiana synagoga ad Judæos exhortationem cap. 13. & 17, Athenis in Areopago concionem, & Cæsareæ coram Aggrippa rege & Festo præside cap. 26. adversus Judæos defensionem, & fidei suæ professionem, nihil profecto de Jesu Christo majus aut sublimius dictum inveniet, quam illum à Deo Patre suo Dominum & Christum fuisse factum, & licet à Judæis ultimo eoque detestabili supplicio affectum, ab ipso tamen immortali vitæ restitutum, & in cœlis ad dexteram suam collocatum, vivorum & mortuorum judicem esse constitutum. Hos autem locos postea aliquanto diligentius expendemus. Nunc illud tantummodo annotare libet, quod nulla unquam commodior occasio hujusce admirabilis & penitus abstrusæ, ut hoc vocabulo utar, theanthropopœjæ patefaciendæ data alicui fuit, quam ea, quam Paulus ipse Act. 17. 23, ad Euangelium prædicandum Athenis arripuit, ignoti videlicet Dei, cui ara in ea civitate dicata exstabat, declaratio. Poterat enim Paulus, immo debuerat, ignotum illum Deum Jesum Christum esse, quem ipse prædicabat, asserere, qui cœli terræque conditor, & omnium bonorum primus auctor, sub humana illa forma, ut eo pacto mortalium æternam salutem procuraret, quasi delitesceret, & ad tempus mundo ignotus esse voluisset. Atqui tantum abest, ut istud eo loco faciat, ut apertissime ignotum illum Atheniensibus Deum, omnium creatorem ac moderatorem, adeo à Jesu Christo, quod ad naturam & substantiam attinet, separet atque disjungat, ut Jesum ipsum non nisi virum appellaverit, ab illo Deo à mortuis suscitatum, & mundi judicem decretum & declaratum Act. 9. 1, & tamen is est Paulus, qui ab ipso Jesu Christo nominatim ad hoc delectus fuerit, ut portaret nomen suum coram gentibus & regibus, & filiis Israëlis. Quid, quod idem Apostolus, & alii tam sæpe, tam præclare in Epistolis suis, Dei in humanum genus admirabilem charitatem benignitatemque, prædicant atque commendant Jesu Christo exhibitam & patefactam Rom. 5. 8. 2 Cor. 5. Ephes. 2. Colos. 1. 1 Tim. 2. 2 Tim. 1. Tit. 2. 1 Petr. 1. 2, 3. 2 Petr. 1. 1 Joh. 3. 4, neque tamen verbum ullum apponunt unquam, de ipso Deo hac ratione propter salutem nostram homine facto? quod certe præcipuum & præstantissimum tantæ bonitatis & argumentum & opus fuisset, nec sine piaculo ab illis in ea explicanda prætermitti potuisset. Cujus tamen rei & antiquorum & recentiorum omnium, qui id verum esse putaverunt, & opportune & importune sunt referta volumina. De Veteris Sacri Fœderis Testimoniis non est quod laboremus, cum omnis eorum hac in re lux & interpretatio à Novi Fœderis scripturis dependeat, & fateantur omnes adversarii, antiquis adumbratum duntaxat fuisse hoc divinum mysterium, sed tantummodo concludendum omnino videtur, si post Christum natum nulla hujusce rei extant aperta & indubitata divina oracula, multo minus ante extare. Si quid autem ad hujus nostri argumenti explicationem sive confirmationem adhuc deesse videbitur, id à nobis, dum aliud agemus, inferius commodioribus locis addetur.

Nunc ad alia transeamus, quid enim, si istam Dei ἐνανθρώπησιν nulla ratione fieri potuisse ostendamus? At illud quidem satis in promptu est. Verum dicet aliquis, estne aliquid reperire, quod à Deo fieri nequeat? An non omnipotens est Deus? Est ille quidem omnipotens, & idcirco omnia, quæ fieri possunt, & facere potest, &, cum libet, facit, sed quædam, non dicam reperiuntur, sed potius excogitantur, quæ cum suapte natura prorsus fieri nequeant, à Deo nunquam fiunt, non quod is omnia facere non possit, sed quod ea potentiam aliquam non admittant. Hæc & Philosophia & theologis omnibus indubitata sunt, & ab utriusque ejus rei exempla afferuntur. Atque inter cætera, nam multa sunt, solent Philosophi illud, τὸ ἀγένητον τὸ γεγονὸς εἶναι, libenter usurpare, Theologis vero familiare admodum est, Facta infecta reddi. Itaque, si Deum hominem fieri, ea nimirum ratione, qua ipsi Adversarii volunt, ex hoc numero esse demonstraverimus, jam certum erit illud à Deo factum non fuisse, & propterea Jesum Christum non esse Jehovam unicum Deum nostrum. Primum, si illud verum est, quod theologi omnes passim affirmant, Deum videlicet esse immensum & substantia infinitum, certe, cum homo materialis & suis dimensionibus constet, & substantia finitus sit, rei autem finitæ ad infinitam, ut dicitur, nulla sit proportio, nemo non videt Deum cum materiali homine nullo pacto ita conjungi potuisse, ut ex utroque unum, ut vocant, suppositum factum fuerit. Oportet enim vel materialem hominem immensum & substantia infinitum evasisse, vel Deum dimensionibus obnoxium & substantia finitum factum fuisse, quæ nemo non videt, quam non absurda modo, verum etiam impossibilia sint. Substantiam autem infinitam, & substantiam finitam in unum coaluisse, aut coalescere potuisse, quis sanæ mentis unquam dixerit, utraque naturam & proprietatem suam retinente, quæ invicem penitus dissident, neque ulla ratione convenire possunt? Hinc ortum habuit in disputatione de cœna Domini portentiosa illa de Christi corpore ubique diffuso, & tam vehementer jam diu agitata opinio. Cujus auctores, si hanc divinæ humanæque substantiæ confictam copulationem omnino retinere velimus, non ita culpandi sunt, ut plerisque videtur, nisi quod in eo certo falluntur, quod corporis Christi ubiquitatem illam, quam vocant, dum adhuc is mortalis esset, agnoscere non videntur, quum tamen argumentum ex mirabili ista conjunctione desumptum, & quo solo ipsimet potissimum nituntur, non minus ante quam post Christi glorificationem polleat. Quod si illis objici non posset, profecto ab iis, qui hactenus adversus eos scribunt, & interim nobis una cum illis adversantur, nunquam erroris convincerentur. In quorum inter se miseras digladiationes, hac de re in lucem editas, si quando incidi, putas me, utrorumque licet haud mediocriter sane misertum, risum tenere potuisse, quum ita acerbe de nihilo contendentes viderim? Deinde, eum esse Deum, eamque ipsius substantiam, omnes & Philosophi & Theologi pro comperto habent, cui nihil unquam accidere possit, alioqui nec primus solus & sempiternus motor, nec omnis prorsus alterationis (illorum voce utimur) & corruptionis expers suapte natura foret, denique summus omnium rerum princeps Deus non esset. At vero mortalem hominem ita vel induisse, vel assumpsisse, ut una cum eo in tertium aliquid evaserit, non solum esset aliquid ei, ejusque substantiæ accidisse, sed maximi momenti rem accidisse. Nam & de ejus substantia id nunc vere prædicari posset, quod antea nullo modo poterat, videlicet illi hominis substantiam inhærere, & ei homo, hoc est, res, quæ sui natura à Deo quam longissime abest, individue conjunctus fuisset. Adde quod isthæc conjunctio vel inanis penitus & supervacanea fuit, id quod mox planum faciemus, vel illud effecit, quod etiam cogitare horremus, Deum scilicet vere & reipsa, non autem imaginarie, ut ita dicam, & per idiomatum communicationem passum fuisse, & humanas miserias mortemque ipsam expertum esse. Quod si Christianorum Deus is est, cui hæc accidere possint, minime mirandum videtur, si & Turcæ à Deo defecerunt, & Judæi adhuc ei obfirmatis animis reluctantur atque obedire recusant. Nos autem, qui ipsius Christi verbis indubitatam fidem adhibemus, illique nomen dedimus, omnium miserrimi sumus, quorum salus & vita, inter tot mala, totque mortis genera, quæ subire coacti sumus, non aliunde, quam ab ejusmodi Deo pendeat, qui vere non secus ac nos & afflictari & mori potuerit. Satis demonstratum esse videtur, (multa enim, quæ ad idem comprobandum afferri possent, ne nimium Philosophari videamur, consulto omittimus) quam Dei cum homine, sive substantiæ divinæ cum humana conjunctionem in Jesu Christo factam fuisse asserunt, inter ea recenseri debere, quæ fieri omnino non possunt. Quod cum ita sit, valde mirari subit Theologos nostros, qui nullo expresso, & specie saltem indubitato Sacrarum Literarum testimonio impulsi, eam factam fuisse non tantum tradiderunt, sed etiam Christianæ religionis basim, præcipuumque dogma esse statuerunt, quum tamen eam asserere divinorum etiam oraculorum verbis consentientibus fas neutiquam fuisset. Quemadmodum enim nec pœnitere Deum, nec contristare sese, nec irasci, nec descendere, nec accedere, nec recedere vere & proprie dicere audemus, licet horum omnium & satis frequentia, & apertissima extent Sacra Testimonia, nempe quod nihil eorum in Deum cadere posse persuasi rationibus & argumentis sumus, sed divina verba, in quibus hæc vel iis similia clarissime exprimi videntur, ita interpretamur, ut commodior sensus, quam quem ipsa præ se ferunt, inde eliciatur, eaque propterea ab usitata, & magis propria significatione deflectere non veremur, sic etiam, si aliqua in divinis monumentis loca reperirentur, ubi diserte scriptum extaret, Deum hominem factum fuisse, aut humanam carnem induisse vel assumpsisse, quod tamen, ut diximus, nunquam in eis traditum reperies, non statim ita, ut sonant, verba accipienda essent, cum id divinæ majestati prorsus repugnet, sed ea ratione exponi deberent, ut per figuras à loquendi usu non penitus abhorrentes, & aptior sententia nobis constaret, & ipsa natura funditus non everteretur. Quod certe tunc semper fiet, cum divina oracula ita interpretabimur, ut inde aliquid consequatur, quod plane impossibile esse, & Deus & natura ipsa aperte docuerit. Sed quoniam hac eadem de re non ita multo post latius tractabimus, nihil aliud præterea hic addendum censuimus, quam satis constare, si, ut ea quæ naturæ refragantur admittamus, ipsius divini spiritus apertis verbis adduci nec possumus nec debemus; multo minus credenda nobis esse ea, quæ præter ejusdem spiritus clarissima certissimaque testimonia adversus ipsam naturam manifeste homines comminisci sunt ausi, de quibus id vere dici potest, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Nam qui in re se magis sapere vel crediderunt, vel etiamsi non aperte, tacite saltem jactarunt, in ea profecto, pace illorum dixerim, stultiores evaserunt, id quod æquo animo hæc nostra legentibus, aliqua ex parte palam factum iri non diffidimus. Verumtamen ut erroris sui nullam omnino habeant excusationem, demus illis ineffabilem hanc Dei, ut ipsi vocant, incarnationem peragi potuisse: fatebuntur, credo, non frustra peractam fuisse. Quin immo hujus illorum mirabilis adinventi ea fuit potissima caussa, quod alioqui humani generis, quam ipse Deus per Jesum Christum salutem illi dedit, constare non posse sunt opinati. Quod si nos illam, non solum ad eam salutem non necessariam, sed etiam prorsus inutilem, ac demum quavis ratione omnino supervacaneam fuisse ostenderimus, quam fœde lapsi, quamque misere hallucinati fuerint, non minus apparebit, quam certum fiet, Deum, licet fieri potuisset, humanam naturam nequaquam assumpsisse. Age igitur, quæ proposuimus singula diligenter exequamur.

Ac

Ac primum quidem, quod ultimo loco positum est, dilucide expedire conemur. Certe, si velimus istam substantiæ divinæ cum humana conjunctionem frustra omnino factam non fuisse, fateri oportet, per eam aliquid effectum fuisse in alterutra, sive utraque earum substantiarum: sed quia in humana nihil hac ratione effectum est, ut statim demonstrabitur, sequitur, ut in divina hoc contigisse dicamus. Illud vero aliud esse non potest, quam humanæ substantiæ sive naturæ qualitates eam suscepisse, adeo ut saltem aliqua ex parte vel alterari, vel corrumpi potuerit, quod quidem, uti supra diximus, horribile plane est. Hinc tamen factum videtur, ut audacter à plerisque nostrorum Theologorum sæpissime scriptum fuerit, Deum ipsum, cœli & terræ conditorem, & esurire, & sitire, & defatigari, & frigere, & calere, & dolore affici, & pavere, & mori denique nostrum caussa voluisse, omnia tandem ab ipsis ei tributa sint, quæ homo ille Jesus Christus vel fecit, vel passus est. At enim cum ista, ipsis etiam assentientibus, vere & proprie dici nequeant, divina substantia ea omnia penitus refugiente, sed verbotenus tantum, & per alloeosin sive idiomatum communicationem dicantur, hoc est ea ratione, quod in humana natura, cui divina individue adhæsisset, ea fieri contigerit, intelligi sane potest, non solum per ejusmodi conjunctionem, nihil in natura, seu substantia divina effectum fuisse, sed etiam quam inanes & futiles sint eorundem Theologorum hac in parte divinæ erga mortalium genus benignitatis tam frequentes, tamque multiplices & prædicationes & exaggerationes, quum dicunt ita Deum homines dilexisse, ut eorum beandorum gratia & homo nasci, & omnes humanas miserias subire, & tanquam scelerosus quispiam in crucem agi non dubitaverit, & pleraque alia id genus, veluti ea, quæ supra modo, commemoravimus, quibus & oratoribus & poëtis humanæ eloquentiæ & ingenii vires ostentandi maximum argumentum est datum, & propterea nulla erga nos Dei bonitatem injuria affici, si negetur eum hominem esse factum, quum ea omnia, quæ illam hac in re maxime commendare creduntur, prorsus vana esse, vereque fieri nulla ratione posse nemo non fateatur. Consequens est igitur, ut frustra tam admirabile Dei opus factum fuisse dicamus. Nam in humana substantia sive natura, nihil per conjunctionem istam cum divina effectum fuisse ex eo manifeste apparet, quod in homine illo Jesu Christo, nihil, excellentissimum licet & divinissimum, & humanam naturam longe transgrediens, reperiri potest, quod ab ipsius Patre, cujus personam minime ea ratione cum homine conjunctam fuisse omnes fatentur, illi datum non legamus. Ea enim omnia vel sanctitatem vitæque innocentiam, vel rerum humanarum vel divinarum scientiam, vel admiranda faciendi potestatem, vel in universa dominationem atque imperium, vel denique illi debitam adorationem respiciunt, nihil præterea in eo homine, quod humanam conditionem exsuperet, inveniri posse videtur. At cuncta hæc Dei patris sui beneficio illum consequutum fuisse clarius est, quam ut probatione aliqua indigeat. Primum enim, quod ad sanctitatem vitæque innocentiam attinet, id tum ipse apud Johannem aperte fatetur, quum inquit Joh. 10. 36, *Quem Pater sanctificavit* &c. tum apertius nos docet Paulus, quum ait Rom. 8. 3, *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccatu damnavit peccatum in carne* &c. ostendit enim eo loco Paulus, Deum Patrem Jesu Christi in ejus carne, quæ similis fuerat carni peccatrici, id præstitisse, quod lex non poterat, eam nimirum ab omni peccato immunem reddidisse. Hæc est enim illius loci vera sententia, non repugnantibus etiam aliquibus ex adversariis nostris, si modo peccatum illud, quod ibi in carne à Deo damnatum fuisse dicitur, culpam ipsam peccati, ut cæteri interpretantur, non autem peccati pœnam, id quod mihi verisimilius fit, significare velimus: mortem inquam, cui totum humanum genus est obnoxium, quam in Christo damnatam; hoc est, penitus per resurrectionem à mortuis ex immutabili divino decreto abolitam, vidimus, quod tamen illi sine prævia vitæ sanctimonia, perfectaque Deo Patri præstita obedientia contingere non poterat. De omnium autem rerum scientia loca sunt quam plurima apertissima, præsertim vero in Euangelistæ Johannis historia. Inter cætera autem hæc præcipua Joh. 3. 35; *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus*, (Etenim de rerum cognitione locum intelligi debere aperte indicant verba præcedentia; atque in eandem sententiam apud Matthæum & Lucam ait Christus Matth. 11. 27. Luc. 10. 22, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, ut utrobique ex ipso contextu cuilibet constare potest.) *Et à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater sic loquor* Joh. 8. 28. *Omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis* Joh. 15. 15. Quod si quæratur de admirabilia faciendi potestate, satis superque sunt ea, quæ idem Euangelista in solo quinto capite suæ historiæ scripta reliquit. Sunt autem hæc ℣. 19, *Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit* ℣. 20. *Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini* ℣. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & filius quos vult vivificat.* Et paullo post ℣. 25, *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Quorum verborum genuinus sensus, à nonnullis ex nostris theologis & antiquis & recentioribus fœde depravatus, abunde confirmatur per ea, quæ eodem capite inferius recensentur, videlicet ℣. 36: *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*, quæ de ipso homine Jesu intelligi debere, nemo ambigere potest. Sed quid, quod idem Jesus alibi apud eundem Euangelistam Joh. 10, eadem opera quæ facit admiranda, & ejusmodi ut testimonium de ipso perhibeant, in Patris sui nomine se facere fatetur? quod perinde est, ac si diceret, vi & potestate à Patre mihi concessa, non propria & naturali virtute ea facio. Quare etiam paullo post, non sua sed Patris sui opera appellat. Quid quod Lazarum mortuum vitæ restituturus, oculis sursum sublatis ait Joh. 11. 41, & 42, *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam quia me semper audis?* Nonne hæc verba superiora illa ex quinto capite, à nobis allata, quanquam clarissima, si cuipiam obscura forent, dilucide interpretantur, præsertim vero ea quæ nobis objicere ineptus aliquis posset; illa nimirum ℣. 21, *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & filius quos vult vivificat?* Nempe ea ratione filius quos vult vivificat, quia Pater semper eum audit. Quæ eadem sententia eodem etiam capite expressa fuerat illis verbis: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.*

Sequitur ut de dominatione & imperio in universa videamus, de eo, inquam, quod Jesus Christus semper habuit, non de eo, quod post crucis supplicium & obedientiam suam consequutus est, quid attinet quærere, cum manifestum sit, ex hypostatica illa cum divina natura conjunctione, quæ semper, ut volunt, in eo fuit, id fieri non potuisse? Verum id quod ille etiam ab initio habuit, si recte rem perpendere velimus, magis spe & destinatione eum habuisse, quam reipsa dicemus. Nam quod & mari, & ventis, & morbis, & morti, & dæmonibus ipsis, dum in terris ageret, imperaret, id admirabilia opera faciendi potestatem, de qua modo vidimus, potius, quam partem hanc respicere videtur. Nec mirum alicui sit, quod diximus Jesum Christum ante crucis supplicium, quod ut Patri obediret volens subiit, supremum illud imperium revera non obtinuisse,

cum satis constet id obedientiæ hujus præmium fuisse, quod & auctor ad Hebræos Hebr. 2. 9; & Paulus Phil. 2. 9. aperte testantur, & ipse Christus non obscure significasse videtur, quum discipulis suis post resurrectionem suam à mortuis inquit Matth. 28. 18, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, &c.* Quin etiam ne nunc quidem omnia ei esse subjecta, & propterea nondum absolute omnino sibi datum imperium Christum obtinere idem auctor ad Hebr. 2. 9, & Paulus 1 Cor. 15. 25. clare pronunciant. Sed ad propositum revertamur, dominationem atque imperium, quod adhuc mortalis Christus habuit, qualecumque illud tandem fuerit, à Patre proculdubio accepit, Johanne dicente de illo Joh. 13. 3, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, &c.* Ipso autem, dum Patrem orat, confitente his verbis Joh. 12. XVII. 2, *Sicut dedisti ei* (de filio autem, hoc est de se ipso loquitur) *potestatem omnis carnis, &c*, quod in eadem oratione sæpius confirmat ea in parte, quæ dominatum in electos suos spectat, eos enim sibi à Patre datos identidem fatetur Joh. 6. 37. & 39. Joh. 10. 29, atque id antea non semel testatus fuerat. Superest, ut de adoratione ipsi debita idem dici debere demonstremus. Atque hic omissa distinctione temporum, quæ in hoc quoque adhibenda esset, ut brevitati consulamus, præsertim cum inferius, dum libro sequente adversariorum objecta diluemus, hæc eadem examinanda veniant; dicimus illud unicuique constare posse, qui apud Johannem ipsius Christi hæc verba legerit Joh. 5. 22, 23, *Neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui eum misit.* Ex quibus apparet, adorationem illam, quam adhuc in terris degens Christus non recusavit, ex Patris sui voluntate & decreto ratam fuisse, qui eum tanquam seipsum honore affici volebat. Præterea sciendum est, ideo nos, ut ostenderemus humanam substantiam à divina, quæ una cum ea Jesum Christum constituerit, nihil accepisse, quod à Patre illi data omnia fuerint, demonstrasse, ut omnis tergiversandi via præcluderetur, quum, ut dictum est, plane constet, Patris personam carnem non assumpsisse. Loca tamen, in quibus non Patrem, sed simpliciter Deum aliquid Christo dedisse affirmatur, quæ infinita prope sunt, idem non minus aperte indicant. Nam profecto, nisi Nestoriani esse volumus, duasque personas in Christo asserere, quum Deum illum, qui in eo tot tantaque effecisse eique dedisse dicitur, alium ab ipso Christo esse necesse sit, nemo enim vel in se ipso aliquid ejusmodi efficere, vel sibi ipsi quicquam dare potest, manifeste consequitur, eundem illum Deum divinam naturam Christi, quæ alia ab ipsomet Christo, nisi eum, ut Nestorius faciebat, dividamus, esse nullo modo potest, intelligi non debere. Hinc factum est, ut ipsimet adversarii nostri, ea quidem, quæ Deum Christo dedisse legimus, ad Christi humanam tantummodo naturam pertinere dicant, Deum autem illum solam divinam Christi naturam significare, affirmare non audeant, sed plerumque, licet Patris nomen non adscribatur, vel de Patris persona, vel, ut ipsi loquuntur, de tota trinitate aperte ea verba interpretentur. Sed quidnam humana sive substantia, sive natura à quoquam unquam accipere potuit, si ab ipso Jesu Christi nativitatis, & in matris utero conceptionis initio divina natura, immo, ut volunt, Deus ipse omnipotens ei adeo conjunctus & copulatus fuit, ut ex duobus hypostatice unum fieret, & hunc ipsum Deum, qui secundum eorum doctrinam idem etiam æternus Dei filius est, & in Dei prorsus indivisibili essentia, persona & est, & appellatur, in Jesu Christo tamen personam esse, ne invicem naturæ illæ ratione aliqua separentur, omnes dicere plane horreant? Supervacanea igitur, ut jam diximus, omnino ista divinæ substantiæ, sive naturæ cum humana copulatio, si neque humana à divina aliquid, sed omnia à Deo Patre, qui ei hypostatice junctus non fuit, accepit, & divinam ab humana quidquam vere & re ipsa mutuatam fuisse piaculum est cogitare, nedum asserere velle. Accedit eo, quod frustra id fieri, & supervacaneum esse recte id dicitur, ex quo nihil efficitur, quod commodiore & magis compendiaria quadam via effici non potuerit. Quare, licet hominem illum Jesum Christum, seu mavis ejus humanam naturam atque substantiam, à divina sibi incredibili illo modo copulata, omnia præstantiora quæ habet accipere potuisse, constaret, cum tamen ex sola divina virtute ac potentia, sanctique spiritus operatione idem fieri potuisset (id quod vel ex eo, quod factum fuisse probavimus, satis cuilibet patere potest) quid opus fuerat, Deum ipsum ineffabili quadam ratione illi conjunctum esse, & suæ ipsius quodammodo majestatis & gloriæ oblitum, seu potius prodigum & desertorem, humanam naturam despectam atque contemptam, infinitisque malis obnoxiam induere? Neque vero silentio prætereundum est, omnes fateri divinam & humanam naturam in Christo Jesu non adeo conjunctas fuisse, ut vel mistæ vel confusæ fuerint, ne minima quidem ex parte, ne quis hac ratione contendere velit, conjunctione illa aliquid effectum, quod absque ea, sola Dei vi atque gratia, effici non potuerit. Quanquam quid ex illa mistione & confusione consequutum fuisset, præter id quod Deus ipse sola potentia & favore suo præstare potuisset, neque nos videmus, nec quenquam nobis ostendere posse satis persuasi sumus. Plura quidem in hanc eandem sententiam à nobis possent afferri, sed, tum quia quæ allata sunt, quod demonstrandum sumpsimus, satis probare videntur, tum vero quia in eum locum ea rejicere satius duximus, ubi divinarum literarum testimoniis Jesum Christum æternum Israëlitarum & Christianorum Deum, & mundi hujus creatorem primum non esse, postquam rationibus, ut nunc facimus, illud comprobaverimus, ostendere decrevimus, ad reliqua pergamus. Visum est, quam in universum supervacanea & prorsus inanis fuisset hypostatica illa divinæ humanæque substantiæ conjunctio, nunc ad rem ipsam proprius accedentes, nominatim ad eam salutem, quam in humanum genus Deus Opt. Max. per Jesum Christum conferre dignatus est, non inanem tantummodo, verum etiam plane inutilem futuram, sequitur ut videamus. Atqui operæ pretium est nosse, cur eam salutem sine illa constare non posse contendant adversarii. Præcipua autem illorum, recentiorum præsertim, ratio hæc est, quod, cum ad salutem æternam, qualis est ea quæ nobis in Christo Jesu exhibetur, hominibus dandam, necesse fuerit eorum peccata deleri, propter quæ sempiterno exitio erant obnoxii, peccata autem, hoc est in Deum offensæ, deleri nequeant, nisi ipsius Dei justitiæ plene satisfiat, neque humana natura per se hoc facere aliquo modo possit, utpote quæ & tota peccati labe coinquinata sit, & propter sui vilitatem, certisque, iisdemque admodum angustis terminis circumscriptas vires, nihil habeat, quod ad Dei summam infinitamque justitiam sua vi pertingere possit, oportuerit illi eidem humanæ naturæ, per quam tantum scelus in ipsa admissum expiari par fuerat, conjunctam esse naturam divinam, quæ omnia suppleret, malisque omnibus mederetur, adeo ut is, in quo utraque natura reperiretur, morte sua & sanguinis effusione, meritas pœnas pro cunctis dare, & Dei iram erga nos placare posset: cumque Dei & hominum μεσίτης (nostri mediatorem dixerunt) idem futurus esset, certe, ajunt, medium inter duo hæc extrema illum esse oportebat, & utriusque naturæ participem, ut & homines ad Deum adducere, & hominibus Deum conciliare posset. Addunt præterea, præsertim vero antiquiores Theologi, multa, de Dei hac ratione facta cum humano genere conjunctione, valde quidem illa speciose dicta, sed quæ vere nihil habeant ponderis, & quæ lingua exprimi magis quam mente percipi possint, de quibus, licet examinari non mereantur, postea videbimus. Nunc de præcipua, quam modo ex eorum, qui consecuti sunt, mente attulimus, ratione agamus.

Primum

Primum igitur sciendum est, hanc humanæ salutis viam, tanquam à Deo nobis in Jesu Christo exhibitam, quam adversarii nostri asserunt, à veritate longe abhorrere, quippe cum Jesus Christus non ea ratione humano generi salutem pepererit, quod divinæ justitiæ de eorum offensis cumulate satisfecerit, justasque ei pro illis poenas persolverit: sed quod gratuitam delictorum veniam, vitæque æternæ consequendæ rationem, è sinu Dei Patris sui prolatam, & primus & solus mundo non patefecerit tantum, sed etiam morte & sanguine suo sanciverit & testatus fuerit, suique demum exemplo, à Deo è mortuis excitatus, sempiternaque vita donatus, eam nobis omnibus abunde confirmarit, potestatem ab immortali Deo adeptus, omnes, qui ei fidem adhibuerint, ejusque dictis paruerint, in extrema illa die à morte liberandi, immortalique vitæ restituendi. Hinc ipsemet se ideo natum esse dixit Joh. 18. ỳſ. 37, & in mundum venisse, ut testimonium daret veritati, & alibi in sacris Literis modo testis fidelis appellatur Apoc. 3. 14, modo sub Pontio Pilato bonam confessionem testatus fuisse dicitur 1 Tim. 6. 13. Quumque Deus, secundum magnam suam misericordiam, nos in spem vivam regenuisse dicatur per resurrectionem Jesu Christi à mortuis 1 Petr. 1. 3, is consummatus omnibus obtemperantibus sibi causa æternæ salutis factus fuisse legitur Hebr. 5. 9, & corpus nostrum humile, ut conforme sit corpori suo glorioso, reformaturus traditur ea potestate, qua etiam sibi omnia subjicere potest Phil. 3. 21, quam à Patre Deo accepisse, qui ei omnia subjecit, eumque ad dexteram suam collocavit, & regnare vult, donec ponat omnes ejus inimicos scabellum pedum ejus, scriptum esse non ignoramus 1 Cor. 15, 27. Eph. 1. 20. Psal. 110. 1. 1 Petr. 3. ỳſ. 22. Act. 2. Psal. 8. Hebr. 1. Matth. 28. 18. Verum quia hoc, ut adversariorum objecta diluerentur, veritasque, eorum culpa tenebris obruta, in clarissimam lucem proferretur, longiorem disputationem requireret, humanæque justificationis argumentum, quod & varium & multiplex est, tractandum & explicandum esset, idque à nobis (faveat modo Deus cœptis nostris) separatum volumen aliquando expectat, ne, adversariorum opinionem simpliciter negando, manus cum eis hac in re conferendi occasionem refugere videamur, eam illis in præsentia demus, quam tamen maxima cum divinæ bonitatis injuria, salute nostra in discrimen adducta, aliquibus Sacrarum Literarum testimoniis metaphorice aut metonymice loquentibus, quæ tamen & ipsi per metaphoram aut metonymiam, seu alios loquendi tropos exponere coguntur, misere decepti, divinis oraculis licet undique reclamantibus, ipsaque ratione penitus abhorrente, confixerunt, lectoremque tanti erroris obiter admonuisse sufficiat. Oportuit igitur, ut ipsi ajunt, divinæ justitiæ de humanis sceleribus cumulate satis fieri. Quid tum? An ipsemet Deus eas poenas persolvere debuit? Quid absurdius? Primum id fieri nullo pacto potuit. Deus enim, ut jam visum est, neque dolore affici, neque perpessiones aliquas experiri potest. Deinde, nemo sibi ipsi aliquid solvit. At dicunt, satis fuisse, si humanæ naturæ, quæ & poenas subire potuit, & eas Deo debeat, divina individue hæserit. Verum eodem revolvi videntur; nam neque adhæsio ista aliquid momenti allatura fuit, si humana tantum natura vere pati poterat, cujus cruciatus omnes, utcumque eos consideres, finitos prorsus ac terminatos esse oporteret, quum infinitatis cujusdam, ut ipsimet aperte profitentur, poenas, quæ infinitæ divinæ justitiæ satisfaciendi causa persolvuntur, necesse sit esse participes, neque ut delictorum conscientia humanos animos amplius non excruciet, propter satisfactionem istam, in qua salutis suæ spem positam habeant, Deum ipsum, cui satisfaciendum erat, ad eam peragendam aut absolvendam propria persona ulla ratione concurrisse dicendum est, necesse est enim omnino satisfacientis personam, ab ejus, cui satisfit, disjungi ac separari; alioqui veram satisfactionem factam fuisse, nemo sibi ipsi penitus persuadere poterit, & propterea, nisi alia ratione servari nos dicamus, quam si illam factam fuisse certo crediderimus, labefactari ac corruere salutem nostram fateri plane cogemur. Quocirca statuendum videtur, istam divinæ substantiæ cum humana conjunctionem, hanc salutis viam prorsus tollere, tantum abest, ut eam vel parere vel stabilire possit, eosque, qui hac eadem ratione nos servari credentes, Jesum Christum æternum quidem Deum, sed non eundem illum, cui satisfaciendum fuerat, esse dixerunt, multo consultius hac in parte loquutos fuisse, quos nihilominus tamen longe a vero scopo aberrare suo loco demonstrabimus. Quam igitur rationem ad opinionem suam confirmandam præcipuam adversarii esse autumant, ea maximè illorum commentum detegit, sententiamque convellit, præsertim cum Jesu Christi cruciatus & mortem, non satisfactionis loco Deum duxisse, sed verissimam & plenissimam satisfactionem de universi humani generis offensis agnovisse plerique contendant, quod ut consistere posset, dum Jesu Christi personam adeo sublimem atque excelsam effingere student, ut sui sanguinis fusione tantum æs alienum omnium nostrum nomine dissolvere potuerit, non animadvertunt, se illum, qui debitor potius quam creditor esse potuisset (potest enim debitor, si solvendo sit, & pro se & pro aliis satisfacere) ipsummet creditorem facere, qui ex persona sua non nisi gratuita condonatione debitores liberare potest, gratuita inquam, quod non solum ab iisdemmet debitoribus nihil repetat, verum etiam quod neminem pro illis quidquam sibi solvere velit. Nam si alium sibi solutionem facere vel postulet, vel patiatur, non quidem ex persona sua, sed ex aliena eos liberabit. Itaque præstabat à veritate non omnino discedentes, Jesum Christum non ipsummet unicum Deum nostrum opinari, sed divinissimum hominem agnoscere, tanta dignitate pollentem, ut tantum onus subire merito potuisset. Neque enim ut ea, quæ humanæ naturæ deerant, supplerentur, si modo, quod ad propositum attinet, suppleri poterant, necesse erat Deum hominem fieri, sed satis fuisset, divina potentia atque virtute cui omnia sunt in manu, & cui nihil difficile est, eam penitus perpurgari, ac numeris omnibus absolutam reddi, eique infinitam vim, cujus participes omnes ejus operationes forent, communicari. Atque eo casu, quemadmodum si quis ab alio ita ditatus fuerit, ut ea, quorum illius benignitate plenam possessionem ac dominium habet, summam illi à cæteris quibuscumque debitam, æstimatione vel æquent, vel etiam superent, posset is profecto, si vellet, cunctorum debitorum nomine de suo eidem illi vere ac plene satisfacere; sic etiam homo Christus Jesus, ipsimet Deo, à quo facultatem hanc dono accepisset, quicquid ei cæteri homines debent, persolvere potuisset: id quod nequaquam fieri potuit, si Deus facultatem hanc Christo homini plene largitus non est, sed eam, vel ejus saltem partem aliquam solus ita retinuit, ut ad solutionem perficiendam ipsius persona omnino opus fuisse dicamus: cum nullus creditor de pecunia sua, quam nemini donavit, sibi ipsi debitorum nomine satisfacere aliqua ratione queat. Neque est, quod quis, ut argumenti nostri vim effugiat, hæcque absurda devitet, dicat, in divinis aliam esse personam Patris, aliam filii, & idcirco potuisse Patri à filio, qui solus humanæ naturæ hypostatice conjunctus fuit, & vere & plene satisfieri. Nam præterquam, quod hæc in unico Deo nostro personarum distinctio humanum prorsus commentum est, nec ulla ratione admitti potest, ut paullo post videbimus, nonne & filii personæ juxta illorum doctrinam satisfaciendum erat, in quam non minus, quam in personam Patris homines peccaverant? Nonne ex eorum sententia, adversus quam nos disputamus, Jesus Christus est ille unicus Deus noster, cujus majestatem, quantum in nobis fuerat, sceleribus nostris fœde imminueramus? Quid ergo attinet hujusmodi diverticula absurdis ac plane falsis suis

assertionibus quærere? Omitto, quod satis est Patris personæ & filii, omnia, quibusdam exceptis quæ ad rem nihil faciunt, quemadmodum ipsi credunt, prorsus esse communia, ut à filio Patri aliquid solvi nostrum nomine non potuerit, vel solutio per humanam naturam, cui is uniter hæsisset, Patri facta perfici.

Venio ad τοῦ μεσίτου appellationem. Qua in re, mirum, quam graviter erraverint adversarii nostri, existimantes, μεσίτην illum significare, qui duos inter se dissidentes ad concordiam adducat, & alterum alteri conciliet, quique utrorumque naturæ sit particeps, neque animadvertentes Mosen ita appellatum fuisse ab Apostolo Paulo Gal. 3. 19, ipsumque, se inter Jehovam & Israëliticum populum stetisse, eidem populo in memoriam revocasse Deut. 3. 5, qui tamen Moses nec Jehovam Israëlitico populo conciliaverat, sed ferme invitus ac tantum non coactus, mira Dei benignitate, qui promissa patribus solvere volebat, ad eum & liberandum & regendum est missus, nec divinæ naturæ, ea ratione qua adversarii intelligunt, unquam particeps fuit. Atque ut fuisset, satis est longe alia ratione ab Apostolo mediatorem dictum esse, ipsumque Mosen se eum fuisse, qui medius inter Jehovam & Israëliticum populum stetisset, commemorasse, ut ex eorum verbis clare liquet, nimirum quia eo tanquam legato, seu potius internuntio atque interprete, Deum ad legem populo suo dandam usus fuisset, sive, ut ipsarum Sacrarum Literarum verbis utar, quia judicia atque præcepta & leges inter se, & inter filios Israëlis, dedisset Dominus in monte Sinai per manum ejus, ut habetur Levitici cap. 26, ad finem, eumque, per quem populus voluntatis suæ quotidie admoneretur, ad seque accederet, constituisset. Neque vero Christus ipse alia de causa μεσίτης, seu mediator dictus est, quam quod medius inter se & homines à Deo constitutus fuerit, non quidem ut Deum hominibus placaret, sed ut eum illis jam placatum esse & prædicaret, & apertissime per semetipsum confirmaret, homines vero Dei osores atque inimicos ipsi Deo reconciliaret, atque æternus legislator, & divinæ voluntatis fidissimus & certissimus interpres illis foret, per quem in perpetuum ad Deum accedere possent, & sempiternam vitam consequi, quod quia nemini unquam præter eum datum fuit, unicus etiam Dei & hominum mediator merito est appellatus. Hæc breviter veritatis indicandæ potius, quam patefaciendæ gratia perstrinxisse sufficiat. Adversariorum autem rationem diligentius expendamus. Mediator, inquiunt, utriusque eorum, quorum mediator est naturam participare debet, quod nulla ratione fieri potest, nisi sui ipsius quempiam mediatorem esse velimus, quod longe absurdissimum esse nemo est qui non videat. Sed quemadmodum Christus Jesus humanam quidem naturam participavit, non tamen idem ille homo fuit qui Deo reconciliandus erat, ita divinam naturam eum participasse dicemus, non tamen eundem illum Deum fuisse, cui hominem reconciliari oportebat. Quumque in hac utriusque naturæ participatione duo conjungi opus sit, quæ omnino inter se dissident, & tanquam duo extrema censeri possunt, divinam scilicet & humanam naturam, eam divinam autem naturam superius extremum esse appareat, humanam inferius, nunquam hujusmodi conjunctio fiet, nisi se divina natura demittat humana vero extollatur, hoc est, nisi à summo gradu divinitatis & infimo humanitatis multum recedatur. Quod quidem in humana natura factum fuisse omnes & perspicimus & confitemur. Jesus enim Christus licet verus homo fuerit, humanam tamen conditionem, etiam qua homo longe excessit, & in eadem ipsa humanitate plus quam homo fuit. Cur igitur in divina idem factum fuisse non dicemus, & verum quidem Deum esse Jesum Christum, ab ipso tamen Deo multis gradibus distare, atque & qua Deum, Deo minorem esse, adeo ut vere & proprie, non autem per loquendi tropos & figuras, non minus humanus Deus, quam divinus homo dici possit?

Atque hæc fuit, quæ & fieri potuit, & necessaria erat in Christo mediatore, humanæ divinæque naturæ participatio. Neque enim, ut præclare hac in parte Lactantius * ait, salutis viam suo exemplo, nobis ostendere potuisset, nisi iisdem malis, quibus nos sumus, & ipse obnoxius fuisset, nisi nostrum similis extitisset, nisi tandem vere homo natus esset, id quod diserte comprobat auctor Epistolæ ad Hebræos Hebr. 2, quum ait, decens fuisse principem salutis nostræ per passiones consummari, & non secus ac nos carni & sanguini communicare, nostrique debuisse eum per omnia similem fieri; neque rursus nobis Dei arcana patefacere, omnemque ejus erga nos voluntatem & aperire, & confirmare potuisset, vel id reipsa præstare posset quod promisisset, nisi thesauri omnes sapientiæ & scientiæ in eo absconditi fuissent, nisi suprema potestate præditus in Dei forma extitisset, nisi denique vere Deus esset. Neque tamen ea ratione hujusmodi etiam hominis & Dei naturæ participatio in Christo fuit, quod is Dei & hominum mediator futurus esset. Poterat enim & Angelus, si ita Deus voluisset, inter nos ipsumque mediator esse, sed quia mediationis, quam Deus elegit, modus eam requirebat. Quam vero theologi nostri confixerunt, ea, ut supra visum est, nec fieri aliqua ratione potuit, neque ad salutem nostram quidquam momenti attulisset. Nam, ut millies demus, oportuisse Deum hominibus conciliari, idque mediatoris officium esse, profecto se ipsum alteri, ut jam dictum est, nemo conciliat, nemo à seipso alterius nomine vel pœnam deprecatur, vel veniam impetrat. Ex quo fit, ut non tantum mediatoris munus, quod ipsi commenti sunt, per eam non stabiliatur, sed funditus etiam subvertatur. Quod autem ajunt, hac ratione Dei cum hominibus conjunctionem esse factam, adeo, ut & Deus homo, & homo Deus quodammodo factus sit, id quidem, ut dicebamus, speciosa dictum est, sed idem vel prorsus nihil est, vel aliunde pendet. Nam si per hujusmodi Dei & hominis conjunctionem nihil aliud intelligunt, quam ipsam humanæ naturæ cum divina in unica hypostasi copulationem, hoc certe non illius rei, de qua quærimus, effectum est, sed eadem ipsa res. Sin autem Dei in humanum genus bonitatem atque clementiam, hominis vero beatitatem, & ad Deum conversionem intelligunt, hæc à participatione illa divinæ naturæ, quam homini Jesu Christo tribuunt, nequaquam proficisci posse liquido apparet. Dei enim bonitas atque clementia, si eas proprie, & prout in ipso Deo resident, accipias, causæ non effecta illius fuissent, neque hæ ab ills, sed potius illa ab his dependisset. Sin eas improprie, & ut plerumque fit, pro ipsius Dei benefactis & largitione capias, earum non isthæc utriusque naturæ conjunctio, sed divina voluntas est causa. Hominis autem ad Deum conversio, quæque illam consequitur vera beatitas, non ex eo proveniunt, quod utraque natura, divina & humana in Christo fuerit, sed quod Dei benignitatem agnoscentes, qui omnes, quicumque resipuerint, delictorum venia, æternaque vita dignatus est, cujus rei apertissima testimonia per Christum, & in Christo nobis exhibita sunt, ad ipsum Deum toto pectore convertimur, & propterea vere beati ex ipsius dono tandem efficimur. Quod si hypostaticam illam in Christo unionem, non tanquam efficientem harum rerum causam, quod modo examinavimus, sed tanquam vel formalem, vel materialem considerent, id quam longissime à veritate abest, nisi si priore sensu Dei cum homine conjunctionem intelligamus. Sed eo casu quidnam evincent? Nihil plane. Neque enim satis est, per incarnari, ut eorum verbis utamur, verbi mysterium divinam humanamque naturam in unum suppositum cohæsisse, nisi ex hac illorum cohæsione aliquid boni in homines, quorum causa factam esse fatentur, vel provenerit, vel aliqua ratione redundaverit. At priori illo sensu rejecto, rem penitius inspiciamus. Ac bonitatis quidem & clementiæ

* Lib. 4. cap. 23. 24. & 25.

divinæ,

divinæ, quocumque tandem eas sensu accipere velimus, formalem aut materialem causam, quam in Jesu Christo humanæ divinæque naturæ conjunctionem commenti sunt, esse non posse palam est. Nam ipsius Dei erga homines bonæ voluntatis, quatenus in ipso residet, & beneficiorum, quæ nobis contulit, est causa, neque forma, neque materia extra ipsummet Deum, ne excogitari quidem sine summa stultitia, vel potius impietate potest. Dei autem in nos per Christum Jesum collatum beneficium atque largitio, in delictorum nostrorum nobis oblata gratuita condonatione, atque ipsi Jesu Cristo fidem habentibus æternæ vitæ destinatione, propriam formam & materiam habet. Nostræ vero ad Deum conversionis sempiternæque beatitudinis, & forma & materia in ipsa resipiscentia, fideque in Christo ipso collocanda, inque divinæ majestatis & gloriæ visione fruitioneque, & consistit, & constitura est. De instrumentali causa, ubi major verisimilitudo apparet, non est quod quæramus. Satis enim jam à nobis demonstratum est, instrumentalem causam, hujus salutaris, de qua loquimur, Dei cum humano genere conjunctionis, istam cum humana natura admirabilem incredibilemque copulationem esse non posse, cum nihil eam momenti ad salutis rationem illam, quam potissimum nobis in Christo exhibitam credunt, attulisse probavimus. Hæc à nobis partim exactius, partim brevius, ac propterea obscurius fortasse, quam par fuerat, disputata sunt: sed & adversariorum inanem speciosamque fallaciam detegere, & acuti ingeniosique lectoris, cujus præcipue gratia hæc attigimus, rationem habere voluimus. Hactenus ex eo, quod Deum hominem fieri oportuisset, id quod primo loco factum non esse, deinde fieri non potuisse, postremo supervacaneum omnino futurum fuisse, demonstravimus, satis probatum videri potest, Jesum Christum unicum Israëlitarum & Christianorum Deum non esse. Sed a idem adhuc plenius & apertius confirmandum, aliam rationem, quanquam unicuique satis notam & obviam, afferre ne gravemur, cumque adversarii in ea ruditatis, & divinorum mysteriorum turpis inscitiæ nos insimulent, eam diligentius examinemus, & num ipsi potius in ejus vi non agnoscenda insignis cujusdam vecordiæ, & sacrarum rerum miserabilis ignorantiæ argui possint, dispiciamus.

Cætera non absolvit auctor.

INITIUM SCRIPTI F. S. in quo ad argumenta, quibus in unica Dei essentia personæ adstrui solent, respondere instituerat.

ADVERSARIORUM THESIS In una numero essentia Dei plures esse personas.

ARGUMENTUM.

Scriptura, quæ Deum unum esse affirmat, eadem ipsum plures esse ostendit. Igitur Dei quidem essentia una numero est, personæ autem plures.

Responsio.

NEgatur consequentia. Nam, etiamsi nomen unus nunquam nisi ratione aut essentiæ, aut personæ enunciaretur, non minus tamen ex argumenti assumptione concludi posset, Dei personam unam numero esse, essentias vero plures, quam unam numero essentiam, plures vero personas. Neque enim minus absurdum est, ubi una numero essentia est, plures personas, quam ubi una numero est persona, plures essentias constituere. Satis hoc ex iis, quæ superiore libro disputata fuere, constare arbitramur, cum à nobis probatum fuit, fieri non posse, ut in una numero essentia plures distinctæ suis proprietatibus personæ inveniantur. At vero, cum non personæ essentiæve tantum ratione res aliqua una esse dici possit, si omnino statuere velimus pluralitatem personarum in Deo, quid prohibet, quominus, cum Sacræ Literæ Deum unum esse dicunt, id non ad essentiam, sed ad voluntatem pertinere existimemus, ita ut non unam numero in Deo essentiam, sed unicam voluntatem, id est, in illis pluribus divinis personis, summam indissolubilemque consensionem atque concordiam, esse agnoscamus? Præstat enim aliquid, quod absurdum censeatur, suspicari, quam id quod nullo modo fieri possit, asserere. Absurdum quidem esse statuimus pluralitatem divinarum essentiarum inducere, at impossibile plane est, ubi plures sint personæ, ibi unam numero essentiam esse. Adeo, ut, etiamsi nullus alius locus inveniretur, ubi nomen unus vel ad personam, vel ad essentiam non referretur, tamen necesse esset, admissa personarum pluralitate in Deo, eos omnes locos, in quibus Deus unus esse dicitur, de alia quapiam unitate, quam de essentiæ individua unitate interpretari Itaque, aut pluralitatem illam, quam Sanctæ Literæ Deo tribuere videntur, ad personas referri debere, prorsus negandum est, aut necessario plures essentiæ divinæ statuendæ. Illud certissimum est, si pluralitatem illam ad personas referre velimus, non minus plures essentias divinas, quam in uno individuo Deo plures personas inde colligi posse. Verum pluralitas illa pluralitatem personarum minime ostendit, ut ex sacrorum verborum examinatione, quibus adversarii argumenti sui assumptionem probare nituntur, liquido apparebit. Scripturam igitur Deum, quem unum esse affirmat, eundem plures esse ostendere, pluribus ex ea prolatis testimoniis demonstrare conantur. Quæ nos per argumenta quædam disponemus.

Primo ex eo argumentantur, quod Deus in ea Hebraice *Elohim* vocatur, quod nomen numeri pluralis est, atque apud Hebræos idem prorsus sonat, quod apud nos Dii, quam vocem fere semper, cum de Deo est sermo, in constructione numero singulari junctam videmus, nimirum (inquiunt) ut agnoscamus Deum & unum, & plures esse, id est in una numero Dei essentia plures esse personas. Hæc ratiocinatio futilis prorsus censeri debet. Nam apud Hebræos usitatum est, in nominibus pluralem numerum pro singulari usurpare, præsertim vero in iis, quæ imperium, dominationem, potentiam, gubernationemve aliquam declarant, ut patet in nominibus *Adon & Baal*, quorum prius Dominum aut sustentatorem, alterum vero & Dominum, & possessorem, & virum seu maritum significat. Quæ nomina licet plane appellativa, & in Sacris Literis frequentius hominibus, quam Deo tributa, numero tamen plurali, præsertim vero prius, sæpissime efferuntur, tunc etiam cum de uno tantum homine est sermo, ut de *Adon* videre est Gen. 24. 9, & ℣. 50, & cap. 39. 17, & ℣. 20. Exod. 21. 4. & 32. Deut. 23. 15. Job 3. 19. Esai. 24. 2. Qui omnes loci, una cum aliis non paucis, à Pagnino in suo linguæ Sanctæ thesauro citantur. Quibus, ne hoc in statu regiminis tantum, (ut loquuntur) aut cum affixis fieri imperite quispiam causetur, adde locum illum 1 Reg. 22. 17, à Forstero notatum, *Lo Adonim laellah*, ad verbum, non Domini illis, id est, non habent Dominum. Ubi manifeste Domini pro Dominus usurpatum est: & illum à Pagnino citatum quidem, sed non animadversum nisi in sua Grammatica Esai. 19. 4. *Et tradam Ægyptum in manum Adonim kasibah* id est Dominorum duri. Pro Domini enim Dominorum dictum est, non autem duri pro durorum, ut quibusdam placet,

sed

sed in uno & eodem versu, & cum affixo, & in statu absoluto habetur idem nomen in numero plurali pro singulari Malach. 1. 6. Quamvis enim, cum in statu absoluto est, de Deo fit sermo, apparet tamen ibi mere appellativum esse. Atque ex eo loco aperte colligitur, non alia ratione pluralitatem in eo nomine Deo tribui, quam homini tribuatur. Quod vero attinet ad nomen *Baal*, vide quos citat locos idem Pagninus Exod. 21. 29. & cap. 22. 10, & 11. Esai. 1. 3. Quare mirum videri non debet, si, cum Deus nomine nuncupandus esset, quod gubernationem, potestatemque declararet, numero plurali apud Hebræos id factum est, quamvis nullam personarum pluralitatem in Deo esse constaret. Siquidem *Eloah*, quod est singulare nominis pluralis *Elohim*, quamvis κατ' ἐξοχὴν, summi illius rerum omnium moderatoris potentissimi, quodammodo proprium factum sit, appellativum tamen vere est nomen, non secus atque Θεὸς apud Græcos, & Deus apud Latinos, & judicem sive gubernatorem, potentemque significat. Quod si pluralitatem aliquam propter pluralem numerum omnino significari velimus, non personarum quidem, sed gubernationum, & potentiarum pluralitatem, quæ in Deo animadverti possunt, nomen *Elohim* significabit. Et quamvis unus prorsus sit, tamen quasi essent plures potentes gubernatores, honoris gratia Deus eo nomine appellatus dicetur. Nam honoris quoque gratia, ea nomina, *Adon* & *Baal*, numero plurali de uno homine sæpius enunciata fuisse, & ratio ipsa docet, & linguæ Hebrææ peritissimi quique tradiderunt. Hinc factum est, ut tum etiam, cum Dei nomen prorsus appellative positum est, & simul ab iis prolatum qui veri Dei cognitionem non habebant, quique pluralitatem aliquam personarum in uno Deo, vel ipsis adversariis judicibus, ne somniabant quidem, quamvis de uno tantum sit sermo, *Elohim* tamen numero multitudinis scribatur. Exempla passim occurrunt. Insignis est tamen inter cæteros locus ille Jon. 1. 6. *Surge & clama ad Deum tuum; si forte de nobis cogitet Deus, & non pereamus.* Nam & *Elohecha*, & *Elohim* ibi manifeste scriptum est. Nec vero est, quod quis adhuc urgeat, nomen numeri pluralis *Elohim*, de summo illo Deo simpliciter pro numeri singularis nomine usurpatum non fuisse, quia aut verbis, aut adjectivis nominibus pluralis numeri nonnunquam junctum reperiatur. Verbis, ut Gen. 20. 13. *Hithu othi Elohim*, ad verbum *Errare me fecerunt dii &c.* Nominibus adjectivis, ut Josue 24. 19. *Non poteritis servire Jehovæ, quoniam Elohim kedoschim hu*, id est, Dii Sancti ipse. Animadvertendum enim est in istis, & si qui similes sunt loci, habitam fuisse rationem terminationis nominis *Elohim*, quæ est numeri pluralis, & quamvis de uno tantum sit sermo, nomina quoque & verba illi adjuncta fuisse pluralis numeri amplioris adhuc honoris gratia, quem præter modum, Deo tribui nunquam contingere potest. Quanquam non desunt ex ipsis adversariis nostris, qui prius illud testimonium Gen. 20. 13, de Angelis interpretentur, quorum ministerio Deus, in alloquendo atque è paterna domo educendo Abrahamo, usus fuisset. Cui simile est illud eodem libro cap. 35. 7. *Nam ibi apparuerant ei dii &c.* Quem locum non pauci de Angelis loqui affirmant, & Vatab. Chaldæum paraph. imitatus ita interpretatur; *Apparuerant ei Angeli.* Quod si quis nihilominus utrobique de ipso Deo agi contendat, consideret locum illum 1 Sam. 28. 13. *Deos vidi ascendentes de terra*, ubi non de Deo, sed de alia re quadam erat sermo, quam tamen unam tantummodo fuisse demonstrat relativum sequens numeri singularis, ut recte ibidem annotat Vatablus, qui propterea affirmat, nomen *Elohim* vertendum fuisse Deum, non Deos. Nam quod Nicolaus de Lyra ait, Saulem, quamvis ii qui apparuerant duo essent, de uno tamen quæsiisse, quia de uno Samuele curabat, id plane nugatorium est, ut unicuique locum legenti constabit. Ut enim alia omittamus, etsi Saul de uno Samuele curabat, non tamen si duos aut plures eos qui apparuerant, esse intellexisset, de uno tantum quæsiisset, sed de omnibus, ut videret an inter eos Samuel esset. Alioqui potuisset, mulier illa formam unius describere, qui Samuel non esset, ex quo fieret, ut Saul aut non crederet Samuelem apparuisse, aut saltem adhuc incertus esset, & iterum quærere debuisset; Nec enim ex mulieris verbis, si de pluribus locuta fuisset, unum ex iis qui apparuerant, vel primum, ut Lyrano placet, apparuisse, vel ita excellere colligi poterat, ut ipsam de uno interrogatam, de illo uno, tanquam de eo, qui evocatus fuisset, responsuram omnino credendum esset, nec si per se jam eam optime Samuelem nosse, vel agnituram existimasset Saul, de ejus forma ab ea quæsiisset, sed simpliciter an Samuel esset interrogasset. Quod si de ejus fide dubitasset, non minus ab ea se falli posse suspicatus esset in referendo, quænam personæ forma, quam, quæ ipsa persona esset. Ex quibus omnibus efficitur, ut & unum tantummodo fuisse, quem mulier se vidisse dixerat, intellexerit Saul, & cum eam habitum, & formam Samuelis non bene cognitam habere putaret, de illius forma, qui unus ipsi apparuerat, eam interrogaverit, ut vel hac ratione, an Samuel is esset, & an ab ipsa, quæ se Samuelem evocaturam promiserat, deciperetur, manifeste deprehenderet. Patet igitur nomen *Elohim* verbo numeri pluralis junctum nullam personarum pluralitatem significare. Quod idem evenire exemplo aliorum nominum ostendi potest, cum jungitur adjectivis pluralis numeri, nam apud Ezech. 46. 6, vitulus seu juvencus filius bovis, & numeri, & significationis singularis, jungitur adjectivo immaculati, seu perfecti, numeri pluralis. Sic enim ibi ad verbum scriptum est. *Et in die novilunii* [offeret] *vitulum* (sive *juvencum*) *filium bovis immaculatos* (sive perfectos) quod enim Lyranus, ut hoc testimonium eludat, ait, nomen Hebræum *themimim* esse genitivi casus, & locum hoc pacto verti debere, vitulum de armento immaculatorum, sive hanc esse loci sententiam, id prorsus nihil est, cum nulla ibi mentio armenti fiat, & necesse sit, ut vel ad bovem, vel ad vitulum id nomen referatur, sed ad bovem referri non debere ex eo intelligi potest, quod non satis erat bovem, ex quo natus esset vitulus, immaculatum esse, sed ipsum vitulum omni vitio carere oportebat. Præterea nemo est, qui nesciat, filium bovis idem plane esse quod vitulum, qui ad eum modum περιφραστικῶς in lingua Hebræa nominatur, adeo ut nomen bovis in ea appellatione per se non consideretur. Ad vitulum igitur nomen illud adjectivum referendum est. Verum sive ad bovem, sive ad vitulum referas, dicimus genitivi casus esse non posse. Neque enim mos est linguæ sanctæ, ut adjectiva nomina hac ratione, cum substantivis conjungat, ita ut hoc loco idem sit immaculatorum, quod ex immaculatis. Quo tamen loquendi modo si hic uti voluisset scriptura, non videtur dubitandum, quin *mitthemimim* dictura fuisset. Junguntur igitur aliquando in lingua sancta adjectiva pluralis numeri substantivis, non modo singularis numeri significationem habentibus, sed etiam terminationem. Quid quod ipsum nomen *Elohim* appellative positum, & singularis omnino significationis, cum adjectivo pluralis numeri fuisse conjunctum in illis verbis decalogi, constare videtur? *Non habebis Elohim acherim &c*, quidam enim Hebrææ linguæ inter Christianos peritissimi viri, ad hunc modum ea verba interpretari solebant: *Non habebis alium Deum.* Quod quidem recte factum fuisse ratio ipsa omnino suadere videtur, cum Dei mens in illis verbis sit prohibere populo, ne alium quemvis pro Deo suo agnoscat præter se Jehovam, & verbum singularis numeri, cui nomen illud jungitur, idem per se satis ostendere videtur. Siquidem in Hæbræo, pro *non habebis* est *Lo-jihjeh-lecha non erit tibi.* Cæterum tametsi satis probatum videtur, posse nomen *Elohim* verbis & adjectivis numeri pluralis jungi, absque ulla pluralitatis personarum significatione, non abs re tamen erit, monere lectorem, quod attinet ad locum illum

illum à Lyrano citatum 2 Sam. 7. 23. *Quæ est &c. gens una in terra cujus iverint Elohim, &c.* Quamvis 1 Paral. 17. 21, idem locus *ivit* habeat, & *Haelohim* cum ה scilicet, ut appellant, notificativo, quæ duo de solo Jehova sermonem esse confirmant, posse tamen dici, propter pluralitatem Deorum, quos aliæ gentes colebant, de quibus ibi loqui voluerit David, id factum fuisse, sive potius numerum illum pluralem distributive explicandum esse, ac si dictum fuisset: Quivis cujusvis gentis Deus. Quod vero ad testimonium illud pertinet ab eodem Lyrano prolatum, Hier. 23. 36. *Pervertistis verba Elohim chaijim &c,* dicimus vocem *chaijim*, non minus substantivum, quam adjectivum nomen esse posse, & converti fortasse ea verba debere, non *Deorum vivorum*, sive *Dei vivi*, sed *Dei vitæ*. Id quod plane suadet similis locus apud eundem Prophetam cap. 10. 10. *Et Jehova Deus veritatis ipse Elohim chaijim &c.* Ubi nemo dubitare potest, quin, *Elohim chaijim* vertendum sit, *Deus vitæ*. Sic enim elegantia sermonis, cum antea dictum fuerit, *Deus veritatis*, omnino requirit. Et quando jam sæpius Lyrani dicta, vel ab eo allata testimonia aut confutavimus, aut diluimus, operæ pretium fuerit, quandam ipsius argumentationem ex pluralitate hujus vocis *Haelohim*, & vocum ipsi junctarum, ad pluralitatem personarum in Deo confirmandam, recitare, eamque paucis refellere. Sic igitur scribit. „ Intentio Moysi erat inducere po- „ pulum ad cultum unius Dei, & ipsum ab idolatria re- „ vocare, ad quam ille populus erat pronus, ut patet „ ex toto discursu Veteris Testamenti. Cum igitur per „ modum prædictum loquendi in plurali, posset haberi „ aliqua occasio cogitandi absolutam pluralitatem in di- „ vinis, non est verisimile, quod Moyses cognoscens „ pronitatem populi ad idolatriam, usus fuisset tali vo- „ cabulo, vel modo loquendi, & in scripturis reliquis- „ set; nisi per hoc subtiliter sapientibus indicare vo- „ luisset, quod cum unitate simplicis essentiæ in Deo „ stat pluralitas personarum. Aliter enim suus modus „ loquendi esset contrarius suæ intentioni. Est autem „ sciendum, quod in Hebraico mysteria abscondita, „ & solum sapientibus nota, ex modo scribendi incon- „ sueto frequenter designantur. Hactenus Lyranus. Nos autem dicimus primum nullo modo constare, vocabulum illud, & eum loquendi modum à Mose introductum fuisse, sed plane verisimile esse, ipsum iis vocabulis, iisque loquendi modis fuisse usum, quibus populus loquendo uti solebat. Sic enim solent historici omnes, quibus, si aliter faciant, summo vitio datur. Deinde etiamsi concederetur, Mosen illud vocabulum, eumque loquendi modum primum usurpasse, vel saltem, licet parum admodum utrumque usitatum, in scripturis relinquere voluisse, non tamen continuo ejus rei eam fuisse causam dicendum esset, quam Lyranus affert. Potuit enim alia esse, eaque & apertior, & scopo illi populum ab idololatria revocandi, magis consentanea. Nempe quod videns Moses gentem illam pluralitati Deitatum credendæ addictam esse, voluerit Jehovam illum verum ipsorum Deum, quem unum tantummodo esse diserte scriptum relicturus erat, plurali numero nominare, deque eo tanquam de pluribus aliquando loqui, ut moneretur populus, pluralitatem illam Deitatum, quam ipsi animo conceperant, totam in eo uno Jehova esse, qui omnes potentias, omnes virtutes, omnes efficacitates, omnesque gubernationes, vel in seipso solo contineret, vel sibi uni penitus subjectas haberet, quas ipsi & in plures distribui necesse esse, & ad unum omnino caput, ad unum principem & Dominatorem redigi & referri non posse, sibi antea persuasissent. Hæc populum secum expendere, & intelligere potuisse nemo negaverit. Quæ vero Lyranus excogitavit, ea, ut ipsemet imprudens fatetur, solis sapientibus, & excellenti ingenio præditis in mentem venire poterant. Quomodo igitur non idem scrupulus remanet, quod Moses, cum ab idololatria populum revocare vellet, in ipsa idololatria persistendi ei non levem occasionem dederit, de Deo tanquam de pluribus loquendo, si ideo ita locutus est, ut mysterium illud de una essentia divina & pluribus personis indicaret, quod non à populo quidem, sed ex ipso populo à per paucis quibusdam vel intelligi, vel etiam animadverti poterat? Sed jam Lyranum missum faciamus. Quem refellere idcirco voluimus, quod nemo diligentius ex iis, quos vidimus, & quatenus res ipsa fert, acutius in argumento hoc à nomine *Elohim* ducto confirmando, versatus fuisse videatur. Atque per ea quæ dicta sunt volumus ad ea quoque testimonia responsum esse, in quibus Deus numero plurali factores Israëlis & populi sui nominatur, ut Psal. 149. 2. & Esai. 54. 5. Nam quod ibidem apud Esai. *Boalajich* id est, *viri*, sive *Domini tui*, de uno Jehova dictum est, jam eodem prorsus modo de homine uno scripturam loqui, loci in initio supra citati manifestum facere possunt. Non erat autem, nisi imperitorum rationem habere voluissemus, in argumento hoc adversariorum confutando ex nomine *Elohim* tracto, tantopere laborandum, cum nonnulli ex ipsis ejus infirmitatem agnoverint, præsertim vero Johannes Calvinus, qui sine dubio nulli ipsorum nostra ætate doctrina ingeniique acumine secundus fuit, quique, si Theodoto Bezæ credimus, doctissimus inter Sacrarum Literarum Interpretes appellandus est. Is igitur in explicatione eorum verborum, *In principio creavit Deus &c.* sic scribit: „ Nomen *Elohim* pluralis „ numeri habetur apud Mosem, unde colligere solent, „ hic in Deo notari tres personas. Sed quia parum so- „ lida mihi videtur tantæ rei probatio, ego in voce non „ insistam. Quin potius monendi sunt lectores, ut sibi „ à violentis ejusmodi glossis abstineant. Putant illi se „ testimonium habere adversus Arianos ad probandam „ filii & spiritus divinitatem, interea se involvunt in er- „ rorem Sabellii. Quia postea subjicit Moses, Elohim „ locutum esse, & Spiritum Elohim incubuisse aquis. „ Si tres personas notari placet, nulla erit earum distin- „ ctio. Sequetur enim & filium à se ipso genitum, & „ spiritum esse non patris, sed sui ipsius &c. Cum igitur ipsi adversarii hanc assumptionis argumenti sui probationem non magni faciant, multa consulto prætermittentes, quæ ad eam refellendam adhuc dici possent, jam ad alias excutiendas transeamus.

Secundo igitur, eam ex eo probare conantur, quod Deus ipse de se uno tanquam de pluribus loquatur. Id autem quibusdam scripturæ locis allatis demonstrare nituntur. Primo enim afferunt locum illum Gen. 1. 26. *Et dixit Deus: Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram &c.* Quis enim, inquiunt, non videt, idcirco de seipso Deum numero plurali fuisse locutum, quod Deus & unus sit, & plures? Nam quod, ajunt, quidam dicunt, Deum Angelos alloquutum fuisse, id nullo modo verum esse potest, cum nusquam homo ad similitudinem, aut imaginem Angelorum factus esse dicatur, sed ubique ad imaginem Dei, & nefas, adeoque sacrilegium sit, Angelis vel minimam quidem partem creationis attribuere. Nos, quanquam non asserimus hoc loco Deum cum Angelis locutum fuisse, non tamen ita absurdum esse statuimus, affirmare, hominem ad imaginem, & similitudinem Angelorum fuisse creatum, & partem aliquam Angelos in hominis creatione habuisse, ut isti faciunt. Primum enim quod attinet ad illam imaginem, sive eam in mente rationeque potissimum consistere dicamus, certissimum est, nos in hac parte Angelorum simillimos esse, qui ratione & mente sunt præditi, sive ad imperium & gloriam, quam homo in hoc mundo habet, eam referamus, apparet in hac quoque parte hominem Angelorum esse similem, qui sine dubio non levi sunt gloria præditi, & imperium habent. Quod vel ex eo aperte colligi potest, quod à sacris scriptoribus throni, dominationes, potestates, principatus, virtutesque appellantur. Neque enim istas appellationes non Angelis Sanctis, sed dæmonibus tantum tributas fuisse propterea dicendum est, quod 1 Cor. 15. 24. scriptum sit,

sit, Christum aboliturum omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Dictio enim universalis omnis, ad eos tantum principatus, & potestates, atque virtutes referenda est, quæ, ad regnum Dei & Christi perficiendum, ut aboleantur necesse est, & adhuc Deo & Christo adversantur. Quæ si cum aliis, quæ id regnum non detrectant, sed ipsum Deum & Christum pro rege agnoscunt, comparentur, solæ eo nomine proprie appellari posse videntur, non quidem ob majus imperium quod habeant, sed quia inter Dei Christique voluntarios subditos non numerantur, & potestatem qua sunt præditæ, tanquam si neutri illorum subjectæ forent, quin etiam contra utriusque voluntatem, & gloriam perpetuo exercere conantur, cum Sancti Angeli contra, etsi non dicam majore, sed certe non minore imperio potiuntur, Deo tamen & Christo subjectos se esse agnoscant, & illorum jussa exequi sint paratissimi, idque unum perpetuo curent. Atque hac ratione id quoque sententiæ nostræ non obstare dicimus, quod ait idem divinus scriptor Ephes. 6. 12, colluctationem nobis non esse adversus carnem & adversus sanguinem sed adversus principatus, & potestates &c, & quidem tanto minus, quanto in hoc loco Paulus indefinite, in superiore vero universaliter loquitur. Idemque dicimus de aliis sacris testimoniis, si qua sunt ejusmodi. Ex quibus cum intelligi debeat, dæmones, sive malos Angelos imperio præditos esse, quos, postquam peccarunt & à Deo desciverunt, id consecutos fuisse, ab omni prorsus verisimilitudine abest, consequens est, ut intelligamus etiam, Angelos, qui boni esse perseverarunt, nec unquam à Deo defecerunt, pari saltem imperio potiri. Hoc autem propter eos dictum volumus, qui Sanctis Angelis Dei supradictas illas appellationes tributas unquam fuisse, contra receptissimam sententiam, testimoniis freti modo pro eorum opinione confirmanda allatis, negare pergant, & quamvis ea à nobis diluta fuerint, id tamen nobis concedere nullo pacto velint, confisi præterea verbis illis Petri ad finem cap. 3. prioris Epistolæ, *subjectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus*, ex quibus constare putent, Angelos potestatum & virtutum appellatione non contineri, & ita Angelos, potestates aut virtutes non esse. Quod etiamsi verum esse concederetur, non propterea tamen probatum fuisset, Angelos non esse thronos, dominationes, aut principatus, sub quibus nominibus Paulum Angelos intellexisse necesse est, cum ad Eph. 1. ℣. 21, & Col. 1. 16. scribens, & ea numerans, quæ per Christum sunt condita (quod quid sibi velit suo loco videbimus) & illi à Deo subjecta fuere, Angelorum alioqui nullam apertam mentionem faciat, quos tamen in earum rerum numero esse compertissimum est. Sed nihil impedit, quominus à generali appellatione Angelorum, quidam potentiores, & magis insignes Angeli à Petro sejuncti fuerint. Nam & ipse Petrus propterea, quia cæteris Christi discipulis & Apostolis quadam ratione antecellebat, à generali eorum appellatione sejunctua fuit Marc. 16. 7. & 1 Cor. 9. 5. Non igitur, ut ad propositum revertamur, ita absurdum censendum est, ut adversarii opinantur, si quis dicat, hominem ad imaginem Angelorum creatum fuisse, quamvis id nusquam diserte scriptum extet. Quanquam satis id expressum in Sanctis Literis videtur, cum in Psal. 8, ubi de divina in homine imagine præclare cecinit regius vates, ex auctoris Epistolæ ad Hebr. interpretatione scriptum sit Hebr. 2. 7: *Minuisti eum paullo minus* (sive *paulisper*) *ab Angelis*. Ex quo hominis encomio clare liquet, parvam sive temporiam inter hominem & Angelos differentiam extare, & idcirco, cum creatus fuit homo, ejus rei, nempe ut Angelorum similis esset, rationem omnino habitam fuisse. Nam in futuro sæculo pares nos Angelis futuros aperte testatur Christus Luc. 20. 36, quo demum tempore divinam hominis imaginem suis numeris absolutam fore, nemo est qui ambigere possit. Et hæc quidem hactenus de similitudine & imagine Angelorum in homine. Quod vero secundo loco dicebatur, indignum esse Angelos ulla ratione creationis participes facere, dicimus, quam longissime à vero aberrare eos qui ita ratiocinantur, cum apertissimum sit, Deum iis creaturis, quarum ministerio ad opera excellentissima facienda utitur, id tribuere, & cum illis communicare, quod ipsius proprium est. Qua de re infra latissime Deo volente disseremus, cum de iis, quæ scriptura Christo tribuit, & Dei propria aut sunt, aut esse videntur, agendum erit. Nunc ejus rei lectorem commonefecisse satis fuerit: præsertim cum creatio hominis non ea fuerit, quæ solo Dei jussu sit facta, ut de aliarum complurium rerum creatione dici posse videtur. Nam antequam homo vere homo esset, formatum primum è terræ pulvere eum fuisse legimus, & de[illegible]de inspiratum, sive in sufflatum fuisse in faciem, seu potius in nares ejus, spiraculum vitæ, id est, spiritum vitalem. Quæ licet à Deo facta esse dicantur, vix tamen fieri potest, quin Angelorum ministerio in ipsis Deus sit usus, ut verba formare, seu fingere, & inspirare seu insufflare demonstrare possunt. Quid mirum igitur, si à quibusdam ex nostris asseveratum fuerit, Deum cum Angelis suis loquentem dixisse, *Faciamus hominem &c*, ut interim nihil dicamus de adversariorum errore, qui putent verbum creare idem fere esse, quod ex nihilo, vel solo jussu facere, cum innumerabilia exempla diversæ ab ista hujus verbi significationis afferri possint, & vera significatio ipsius sive apud Hebræos, sive apud Latinos sit, facere ut aliquid sit, quod prius non erat. Quod profecto fit, cum materiæ nova forma inditur, nec necesse est, ut solo jussu, & multo minus ex nihilo fiat. Quod tamen in ipsa cœli & terræ creatione factum fuisse, ex ipso verbo creavit seu *Bara*, plerique ex Christianis interpretibus se colligere posse sunt arbitrati, quamvis id diserte scriptum in canonicis libris nusquam legatur. Sed de creandi verbo, deque ejus propria significatione non est quod laboremus, cum in his Dei verbis, de quibus agimus, id verbum prolatum non fuerit, & ob eam rem, etiamsi cum Angelis suis eum locutum fuisse statuamus, non tamen Angelos creandi operis participes faciamus. Quamvis igitur creare omnino vel solo jussu, vel ex nihilo facere significaret, quod unius Dei proprium esset, nihil tamen Dei gloriæ decederet, si in verbis illis Deus Angelos sibi quodammodo socios adhibuisset, cum id quatenus in homine condendo aliquid solo jussu, aut ex nihilo faciendum esset, dictum fuisse nullo modo constaret, sed, quatenus ministerio aliquo externo opus foret, ita locutum Deum esse dici posset. Verum demus, Deum non cum Angelis, præsertim tanquam cum iis, quos sibi socios in condendo homine fecerit, sed secum ipsum sive de seipso locutum fuisse, num propterea efficietur Deum plures aliquos esse, quia dixerit *Faciamus &c* numero plurali? An non à nostris satis responsum fuit, cum dictum est, Deum more principum loquentem à Mose inductum fuisse, quemadmodum alia quoque permulta humano more dicens, & ab ipso, & à cæteris sacris scriptoribus inducitur? At rident ipsi hanc responsionem, & eum loquendi morem barbarum prorsus esse dicunt, & non nisi ante pauca sæcula receptum & usitatum. Neque interim animadvertunt, ab antiquissimis temporibus in Hebræa lingua receptum & usitatum fuisse, ut nomina imperium & dominationem significantia, numero plurali pro singulari efferrentur, ut ex ipsius Mosis scriptis, in locis supra citatis apertissimum est. Quod cum ita sit, non quidem barbarum & exoticum in lingua Hebraica, sed & elegans, & consuetum censendum est, ut qui imperant & dominantur, de se ipsis loquentes, pluralem numerum pro singulari usurpent. Cujus rei indicia extant aliqua in Sacris Literis, ut 1 Reg. 12. 9. & 2 Par. 10. 9, ubi Roboamus Rex dicit juvenibus, qui secum educati fuerant quique ei ministrabant; „Quid consulitis vos *venaschib dabar* id est, ut respon„deamus populo isti &c. Quamvis enim, cum antea à senioribus, qui Solomoni Patri suo ministraverant, consi-

consilium peteret, non ad eum modum locutus fuerit, sed dixerit. Quid consulitis vos *lehaschib dabar*, id est, ut respondeatur &c. Ex quo colligi posse videtur, propter familiaritatem, quam cum juvenibus illis a puero habuisset, tanquam eos sui regni socios & participes facientem Roboamum numero plurali usum fuisse, considerandum est tamen multo aliter rem se habere. Non usus est Roboamus à senioribus consilium petens numero plurali de se uno loquens, quod majorem quandam auctoritatem, & potestatem præ se ferre videtur, immo ne de se ipso quidem loquutus est, sed ut respondeatur inquit, quasi non ad se solum, sed ad ipsos quoque pertineret responsum populo dare, non aliam profecto ob causam, quam quod eos, & quia senes erant, atque ætate longe ipsum antecedebant, & quia non sui familiitis unquam, sed patris viri præstantissimi & sapientissimi diu fuerant, vel reverebatur, vel se revereri profiteri volebat. A juvenibus vero illis, qui nec ipso grandiores erant, & ipsi privatim serviebant, consilium petiturus, non erat quod aliqua modestia uteretur, sed cum auctoritate, & pro majestate regia loqui decentissimè poterat, ideoque numero illo plurali est usus 1 Reg. 22. 3. Nam & Rex Israëlis Achabus cum servis suis verba faciens, eodem modo loquutus est. Inquit enim: *Scitisne, quod nostra sit Ramoth Gilead? Nos autem cessamus tollere illam de manu Regis Syriæ.* Quod quidem non ob summam aliquam familiaritatem, quam secum ipsius servi haberent, nec quia ipse eos tanquam socios & participes regni sui agnosceret, ab Achabo factum fuisse dici potest, sed ut, quemadmodum regem cum servis suis loquentem decebat, cum auctoritatis, & Imperii quadam significatione verba sua proferret. Quod si dicas in hisce exemplis constare, illos reges cum aliquibus esse locutos, in loco autem nostro nihil dici, unde appareat, Deum cum quopiam fuisse locutum, istud nihil est. Satis enim est eos reges numero plurali de se ipsis, & tanquam personam unam locutos esse. Ex quo id falsum efficitur, potuisse Deum de homine creando cum Angelis suis tanquam personam unam loqui, & nihilominus tamen plurali numero uti. Nec vero præterea abs re erit (si tamen omnino velimus, reges tunc temporis nunquam in numero plurali de seipsis locutos fuisse, nisi cum in consilium aliquo modo alios adhiberent) existimare, Deum de homine condendo statuentem, numero plurali loquentem à Mose inductum fuisse, ut, quanti momenti hominis creatio esset, indicaret, quam scilicet non satis pro rei dignitate explicaturus fuisset, nisi Deum humano more tanquam de ea consultantem, seu consultatione præcedente decernentem fecisset. Verum ab iis, qui auctoritate pollent & eam præ se ferre volunt, ob id solum cum de seipsis loquuntur, numerum pluralem pro singulari usurpari demonstrat aperte Christus, qui apud Johannem cum Nicodemo sic loquitur Joh. 3. 11. *Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis.* Nam de seipso solo Christum loqui, cum res ipsa aperte docet, nemo enim erat quem sibi socium ea in re facere posset, tum sequentia verba declarant. Inquit enim: *Si terrena dixi vobis, & non creditis? Quomodo si dixero cœlestia creditis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo &c.*, & infra de eo ait Baptista Joh. 3. 32, *Qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit, & audivit hoc testatur, & testimonium ejus nemo accipit.* Idem Christus Marci cap. 4. 30. *Cui assimilabimus* inquit *regnum Dei*, aut *cui parabolæ comparabimus illud?* Cum tamen de se uno loquatur, ut patet ex Luca cap. 13. 18, qui ita habet: *Cui simile est regnum Dei, & cui assimilabo illud?* Quod autem Christus eam auctoritatem, qua præditus erat, in verbis suis præ se ferret, ostendunt manifeste omnes ejus conciones, & sermones, & diserte testantur Euangelistæ Matth. 7. 29. Marc. 1. 22. Luc. 4. 32: qui eum non tanquam scribas, sed tanquam auctoritatem habentem docuisse affirmant.

Sed quid opus est, vel ad usum Hebrææ linguæ, vel ad morem loquendi eorum, qui auctoritate, & dominatione sunt præditi, confugere, cum apud ipsos Græcos & Latinos frequentissimum sit, ut privati homines cum de seipsis loquuntur, plurali numero pro singulari utantur? Locos citare, vel auctores nominare non attinet, cum hi omnes sint, ut quidem arbitror, qui aliquo numero habentur, illi vero ubique passim sint obvii, adeo ut rem ipsam commemorasse sufficiat. Id tantum dixisse præterea volumus, quo probatiores sunt auctores, eò frequentius hac loquendi figura usos fuisse, præsertim cum de se ipsis quadam cum dignitate, & orationis apparatu loqui voluerunt, ut in Xenophonte, & Cicerone apparet. Quorum ille in proœmio egregii illius operis de majoris Cyri institutione, & in præfatione libelli de re equestri, de se ipso loquens, perpetuò numerum pluralem usurpat. Hic vero in exordiis complurium suorum librorum de se ipso verba faciens, libentius plurali, quam singulari numero uti videtur. Quocirca satis mirari non possumus adversarios nostros, qui usum hunc plurali numero de se ipso loquendi barbarum, & recens inductum appellare non dubitaverint, cum potius, si & non prorsus inerudite loqui, & in speciem saltem non plane inepte nobis respondere videri voluissent, dicendum illis fuisset in linguis quidem politioribus & excultioribus, qualis est Græca & Latina, eum usum jam à quam plurimis sæculis invaluisse, & tunc maxime, cum maxime florerent, at vero in rudioribus & incultioribus, qualis Hebræa est, ejusmodi orationis figuras atque pigmenta non obtinuisse. Et sane ejus usus exempla, quæ, ut diximus, in Græca & Latina lingua frequentissima sunt, in Hebræa admodum sunt rara, & fortasse non nisi, cum is, qui de seipso loquitur, imperio aut auctoritate aliqua insigni est præditus, cum apud Græcos & Latinos, tametsi, ut diximus digniorem orationem efficere videatur, modestiam tamen quandam simul præ se ferre videri possit, quasi is, qui de seipso loquitur, sibi ipsi soli nihil vendicare audeat, sed in omnibus, quæ dicat aut faciat, socios & adjutores quosdam habere se profiteatur. Quod si hunc usum tum demum novum & barbarum esse dicere se voluisse affirment, cum quis tanquam imperium habens loquitur, vix enim in lingua Græca & Latina aliter, quam singulari numero ejusmodi personam sustinentes, apud probatos auctores loquentes inveniri, jam satis est probasse, in Hebræa lingua, de qua nobis agendum est, illum & elegantem nec inusitatum censeri debere. Verum enim vero aliud adhuc est, quod in adversariis nostris multo magis mirati sumus, unde intelligi potest, quid studium sua defendendi aliquando homines facere quodammodo cogat, & quam misere illos excæcare soleat. Nam dicant, obsecro, si ita omnino locus ille legendus est: *Faciamus hominem &c.* ut ipsimet tacite confitentur, quanam ratione idem plane sensus eademque verborum vis numero singulari exprimi potuisset? Num si dictum fuisset faciam? At istud futuri temporis fuisset, & decretum loquentis simpliciter significasset, faciamus vero & præsentis temporis est, & simul cum decreto cohortationem quandam sui ipsius præcipue, continet. In nulla autem celebri lingua receptum est, ut quis seipsum ad aliquid faciendum simplici verbo cohortari, numero utens singulari, possit, nisi cohortandi vox ipsa exprimatur, sed solo plurali numero id posse fieri contingit, sine ulla ejus, qui loquitur, pluralitatis significatione. Nunquid cum Hannibal apud Livium * venenum sponte sumpturus ait, *Liberemus diuturna cura populum Romanum*, aut cum Aristoteles in initio libri de Poëtica sic scribit, *De Poëtica, ipsaque &c. dicamus, incipientes primum à primis*, vel in Hannibale, vel in Aristotele pluralitatem aliquam fuisse significatur? Sed quid plura opus est, cum necesse omnino sit, si adversarii argumentum, quod ex numero illo plurali ad pluralitatem in Deo

* Dec. 4. lib. 9.

image
not
available

hic verbum illud positum est, ut exempli causa apud Hieremiam cap. 5. 5. *Elechach li, Iho mihi ad magnates, & alloquar eos*, quam phrasim, in linguam quoque Italicam & Gallicam derivatam fuisse, animadvertimus. Cum igitur hac phrasi sane quam eleganti uti hoc loco vellet Esaias, & simul eam sententiam exprimere: Quis ibit ex nobis? Compendio orationis aliam insuper elegantiam persequi voluit, & sine dubio pro *Mi jelech lo mimmennu*, dixit *Mi jelech lanu*. Jam si hæc nostra interpretatio, cujus nos primos auctores esse non arbitramur, quamvis à nemine eam acceperimus, vel saltem sententia, quæ ex ea colligitur, quamque multi fortasse in illis verbis agnoscunt, admittatur, mirum in modum confirmabitur id, quod in sequenti adversariorum testimonio examinando dicturi sumus, nempe sub pronomine *Nos* cum Deus loquitur, Angelos, & ipsius Dei proprium quodammodo famulitium comprehendi posse. Nam si id hic fit, ubi Deus ipse sub ea voce contineri non potest, quanto magis id ibi fiet, ubi nihil vetat, quominus ipse Deus quoque ea dictione intelligatur? Atqui certum est eum, qui omnino missurus est, numero & nomine eorum non posse comprehendi, qui tanquam ab eo missi ire possunt, & idcirco hoc loco sub dictione *Nobis*, ipsum Deum qui loquitur comprehendi non posse, sed tantummodo eos, qui illi ministrant. Quod si quis ex adversariis nostris, fateatur quidem hujus loci sententiam eam esse, ac si dictum fuisset, *Quis ibit ex nobis?* Sed non tamen sub dictione *Nobis* Dei Angelos atque ministros contineri, sed plures illas personas in Deo tantummodo significari, jam hoc simpliciter dictum falsum esse constabit, cum una ex illis personis eo numero contineri nequeat, quippe quæ nunquam tanquam missa eat, sed solum mittat. Itaque ea sententia admissa, semper verum erit eum, qui hic loquitur à numero eorum, quos dictio *Nobis* complectitur, penitus excludi. Is enim sine dubio loquitur, qui mittit, cum dicat, *Quem mittam?* Sed perquam absurdum esset de personis illis tantum, quas adversarii intelligunt (etiamsi verum esset eas in Deo reperiri) vocem illam debere exponi, si concedatur idem esse, *Quis ibit nobis?* Quod est, *Quis ibit ex nobis?* Primum enim quæreret pater quem missurus esset, cum non modo ad duas tantum personas filium scilicet & Spiritum Sanctum, ejus verba referri possent, quæ tamen verba multo plures, qui mitti possint, indicare videntur, sed etiam ad solum filium referenda essent: cum etiamsi Spiritus Sanctus mittatur, nunquam tamen mittatur, nisi ut consoletur, ut excitet, ut confirmet, ut mentis oculos & aures aperiat, & ejusmodi alia faciat, non autem ut simpliciter aliquid annunciet, & multo minus, ut vel ea annunciatione, vel aliqua quavis ratione eos, quibus annunciaturus est, induret, excœcet, & surdos efficiat. Quod, ut ex ipsis mittentis, quæ subjiciuntur, verbis clare liquet, facere debebat is, qui mittendus erat. Quæreret igitur pater quem mitteret, cum tamen filius solus ad id munus, ex eo numero quem intelligeret, mitti posset. Quo quid ineptius existimari debeat non video. Deinde ea patris verba audisset Esaias, quæ cum filio & Spiritu Sancto locutus fuisset, id quod nullo modo fieri potest, aut saltem ab omni verisimilitudine abest. Fieri quidem non posse videtur, si id verum est, quod Trinitarii isti statuunt, opera Trinitatis ab extra, ut ipsi loquuntur, indivisa esse. Sed quam istud eorum axioma, sine quo tamen ruit, quidquid de indivisa illa, & una numero essentia divina in tres personas distincta, commenti sunt, ipsismet alicubi assentientibus, falsum sit, superiore libro satis demonstratum fuit. Verisimile autem nullo modo censendum est, cum nulla causa subesse possit, cur ipse Esaias, qui id factum fuisse narrat, verba, quæ divinæ illæ personæ inter se loquerentur, exaudiret. Quamvis potuisset postea divino patefaciente spiritu id novisse, ut alis narrare posset. Postremo quid absurdius excogitari potest, quam Esaiam se personis illis divinis immiscuisse, & quærente patre, quem mitteret, dixisse, *Ecce ego mitte me*, quasi is quoque ex numero illarum esset? Neque vero est quod quis dicat, non patrem solum sed totam trinitatem ea verba protulisse, & quæsisse quem mitteret, nempe extra se, aut quænam ex suis personis itura esset, quam sententiam secuti fuisse videntur Tigurini in sua editione, in qua perperam disjunctivam particulam pro conjunctiva hoc loco reposuerunt. Sic enim habet editio illa, *Quemnam mittam? Aut quis ibit nobis?* Nam in Hebræo prorsus est, *Quem mittam? Et quis ibit nobis?* Et satis constare potest, simplicem illam copulam hoc loco non disjunctivæ particulæ vim habere, quod perraro fit, sed ἐξηγητικὴν omnino esse, quod frequentissimum est non in Hebræa tantum, sed in omnibus aliis linguis. Præterea quomodo tota trinitas dicere potuit: *Quis ibit ex nobis ipsis divinis personis?* Cum, ut dictum fuit, certum esset, non modo unam ex illis, nempe patrem, non ituram, sed spiritum quoque sanctum, licet alioqui ire potuisset, ad id munus, de quo ibi agebatur, deligi non posse. Cum igitur adversariorum ex hoc loco ducta argumentatio, ægre admodum verbis convenire possit, propterea quod linguæ proprietas & elegantia, alia ratione ea explicari concedere non videntur, quam, ut perinde sit ac si dictum fuisset, *Quis ibit ex nobis?* Et, si concederent, numerum tamen pluralem pro singulari fuisse usurpatum, ratione & exemplo ut credamus adduci aut possimus, aut etiam debeamus; planum jam esse confidimus, eos hoc sacro testimonio ad sua commenta confirmanda omnino abusos fuisse. Potuisset autem supradictis testimoniis addi locus quidam, sed qui magis interpretationes nostras probet, & adversariorum errorem, in pluralibus illis Dei de se loquendi modis explicandis, plane coarguat. Verba videlicet illa Dei apud Esaiam cap. 41. 22, & 23, in quibus Deus perpetuo numero plurali loquitur. Quod tamen pluralitatem aliquam in Deo non indicare agnoverunt adversarii ipsi. Ibi enim Deus socium sibi adjungit populum Israelis, & propterea numero plurali utitur, quamvis ipse solus sit qui loquatur. Quod si Deus homines terrenos & mortales sibi charos, in sermone socios sibi adjungere non dubitat, quanto magis cælites ipsos, immortales inquam Angelos suos, sibi dum loquitur socios adjungere solere putandus est? Verum adhuc, ut assumptionem illam præcipui argumenti probent adversarii, id est, ut unum Deum plures esse in Sanctis Literis ostendi evincant, inde tertio loco argumentantur, quod Deus manifeste sibi uni plures personas tribuat. Ex quo non solum argumenti assumptio, sed ipsa thesis, quæ habet in una numero essentia Dei plures esse personas, citra ullum argumentum plane astrui, si id verum esset, videretur. Ad id autem demonstrandum afferuntur verba illa Dei Gen. 3. 22. *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum &c.* Hic enim non est quod quis numerum pro numero positum esse dicat, cum dicatur *Unus ex nobis*, quod aperte de pluribus personis sermonem esse demonstrat. Atqui unus Deus est, qui ita de seipso loquitur. Igitur in uno Deo plures sunt personæ. Nos vero dicimus, tantum abesse ut ex hoc loco evidentius, quam ex superioribus, in Deo pluralitatem illam personarum esse demonstrari possit, ut ex eo una ex responsionibus, quas ad superiores attulimus, aperte confirmetur. Diximus autem, in illis idcirco Deum numero plurali loqui potuisse, quia vel cum Angelis suis loqueretur, vel saltem eorum rationem in suo sermone haberet. Quod fortasse alicui durum videri potest, cum nulla Angelorum mentio fiat, sed simpliciter scriptum sit, *Et dixit Deus.* Atqui hic, ubi similiter nulla Angelorum mentio fit, sed simpliciter scriptum est, *Et dixit Jehova Deus*, cum Angelis, vel certe non de seipso tantum, sed de Angelis quoque Deum fuisse locutum, satis manifestum est. Primum enim & subsequentia ipsius Dei verba, & idquod verbis consentiens factum fuisse narratur, non

leviter indicant, Deum secum ipsum locutum non fuisse. Nam inquit, *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Quæ verba ad Angelos, quorum ministerio ad periculum illud cavendum Deus usurus erat, facta fuisse, admodum verisimile est. Propterea Franciscus Vatablus, cum aliquid omnino in hisce verbis post *veattah*, quam vocem Vetus Interpres reddidit *Nunc ergo*, subaudiendum sit, ait subaudiri posse *Vos Angeli videte, sive cavete ne mittat &c.* Ministerio autem Angelorum ea in re usum Deum fuisse declarat sequens narratio: *Et emisit eum Jehova Deus de horto Heden ad colendam terram, de qua sumptus fuerat. Ejecitque Adam, & collocavit à plaga orientali horti Heden Cherubim, & laminam gladii versatilis ad custodiendam viam ligni vitæ.* Deinde, si secum ipsum verba fecisse Deum velimus, se ipsum solum tamen dictione illa *Nobis* eum non intellexisse; id ostendere potest, quod ipsius verba sine dubio ad verba illa serpentis respiciunt: *Eritis sicut dii scientes bonum & malum.* Poterat autem in his verbis vox *Elohim*, quæ reddita fuit *dii*, ut quidam faciunt, & Vatablus non diffitetur, verti *Angeli*. Illud nobis certum esse videtur, serpentem noluisse dicere eos futuros similes ipsi summo Deo. Nam profecto, si id dicere voluisset, ut ipsos ad comedendum ex arbore, illa magis accenderet, & Deum invidentia, non autem desiderio felicitatis eorum, id illis vetuisse apertius ostenderet, clarius multo illud expressisset. Sed nihil aliud dicere voluit serpens, quam, futurum, si ex fructu arboris illius comedissent, ut essent pares cœlitibus, & iis, qui divinitate aliqua sunt præditi, propterea quod boni & mali cognitionem adepti essent, quæ talium propria est, non autem, ut hactenus erant, hac in parte cæterorum terrestrium animalium & bestiarum similes essent, quæ ea cognitione sunt penitus destituta. Neque enim serpentis verba eam vim tantummodo habere censenda sunt, ut illi miseri ea in re similes diis futuri essent, quod bonum, malumque cognoscerent, sed etiam, ut, quia boni malique cognitionem haberent, tanquam dii essent futuri. Nam quod ex esu fructus illius arboris boni malique scientiam essent adepturi, id ipsis jam satis notum erat, cum arborem scientiæ boni & mali eam vocari optime nossent, & ea scientia Deos, seu cœlites præditos esse, vix fieri potest, quin jam sibi persuaderent. Sed quod, postquam boni malique cognitionem ipsi quoque adepti fuissent, tanquam dii censeri possent, id vero eos prorsus latebat. Et idcirco serpens non (quemadmodum Deus dinde locutus est,) ait, *Eritis sicut dii Ladaath*, ad agnoscendum, id est, in hoc quod cognoscetis bonum & malum, sed *Eritis sicut dii jodej, cognoscentes*, id est, quia cognoscetis bonum & malum. Quod si verbum *cognoscentes* ad Deos referas, ut fortasse fieri debet, & ad hunc modum locum convertas, *Eritis sicut dii, qui cognoscunt bonum & malum*, idem & quidem multo planior erit sensus, & aperte constabit id serpenti propositum fuisse, ut omnino persuaderet mulieri, si ex vetita illa arbore comedissent, futuros illos Deorum similes. Quod autem quis, eo quod boni malique cognitionem habeat, tanquam Deus ille summus censeri debeat, nihil est quod suadere possit. At vero eum tanquam unum ex cœlitibus & divinitate quadam præditis, existimandum esse, facile est, ut quis monitus aut agnoscat, aut credat. Quare huc respiciens Deus dixit: *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis. Ex nobis*, scilicet cœlitibus & qui ab iis, qui terram incolunt, longe, lateque disjuncti sumus. Non igitur mirum alicui videri debet, hic Deum alios cœlites sibi socios facere, &, Nos dicendo, ipsos quoque intelligere, cum non nisi quatenus & ipsi cœlum incolunt, id ab ipso fiat. Nam & ipsius quoque Jehovæ nomine, hac ratione reliquos simul cœlites intelligi, non uno in loco apud sacros auctores animadverti potest, præsertim vero in Psal. 115. ỷ. 16. *Cœli cœli* [inquam] *Jehovæ* [servati sunt] *terram autem dedit filiis hominum*, id est, *Jehova sibi habitandum cœlum delegit, hominibus vero terram incolendam attribuit.* Ubi apparet Jehovæ nomine, non ipsum solum Jehovam, sed cœlites quoque omnes significari, qui una cum ipso in cœlis degunt, & ipsius proprium famulitium sunt. Itaque quemadmodum ibi & similibus in locis, cum cœlites ab iis, qui terram incolunt distinguendi sunt, solo Jehovæ nomine eos significari videmus, sic hoc loco, cum Deus ipse loquens cœli habitatores, à terræ habitatoribus distinguere vellet, Nos eos appellavit. Præterea, etiamsi vel ad serpentis verba Deus non respexisset, vel serpens mulieri dicere voluisset, fore, ut si ex arbore illa comedissent, ipsi summo Deo similes essent, ab omni tamen verisimilitudine abest, Deum id ipsum factum fuisse verbis suis confirmasse. Quamvis enim videri possit, satis correcta à Deo fuisse serpentis verba, cum non *Cognoscentes* ut ipse, sed *Ad Agnoscendum* dixerit, quæ correctio quanti momenti sit, supra exposuimus, adhuc tamen nimia hyperbole, eaque intempestiva, in ejus verbis esset, si, quod attinet ad cognitionem boni & mali, Adamum sibi similem factum esse, affirmaret. Hoc fortasse videntes plerique eorum, qui Deum de seipso tantum locutum fuisse contendunt, non ex animo, sed per ironiam quandam ea verba ab ipso prolata fuisse dixerunt. Contra quam sententiam, quam nos omnino rejiciendam esse putamus, longum esset, & à proposito nostro alienum, si ea omnia afferre vellemus, quæ afferri possent, & iis respondere, quibus ipsi eam tutari conantur. Satis erit lectorem monuisse, primum, arborem illam ab ipso Deo appellatam esse arborem scientiæ boni & mali. Ex quo liquet, ex esu fructus illius comparatam vere fuisse boni & mali cognitionem, non secus atque ex esu arboris illius, quæ ab ipso Deo vitæ arbor appellata fuerat, vere vitæ propagatio & conservatio comparabatur. Deinde non cohæsura verba illa, *Nunc ergo ne forte &c.* Si Deus ex animo locutus non fuisset. Tametsi enim in Hebræo simpliciter est *veattah*, id est *Et nunc*, rectissime tamen simplicem copulam Hebræam ו, quæ ut omnes norunt, varias habet significationes, seu mavis aliarum particularum, quibus Hebræi non multum abundant, non raro vicem obtinet, illativa, quam vocant, particula *Ergo*, explicavit Vetus Interpres, ut alibi sæpissime fieri necesse est, præsertim cum jungitur, ut hic, adverbio *Attah*, ut exempli causa 1 Reg. 18. 19. Psal. 2. 10. Cur enim illa verba præmisit Deus, *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis*, nisi ut causam afferret, quare illum ab esu arboris vitæ prohibere decrevisset? Nempe, quia cum boni & mali cognitionem adeptus esset, jam vel ejus arboris vim, vel saltem quanti ea vis facienda esset, quod prius ignoraverat, agnoscebat, & ob eam rem dubium esse non poterat, quin ex ejus fructu in posterum, si sibi ejus rei facultas daretur, comesurus esset, unde fieret, ut pœna mortis, quæ illi à Deo constituta fuerat, & quam eum subire Deus omnino volebat, vana esset. Sciendum est enim (quod rudiorum gratia dictum volumus) dictionem Hebræam *Pen*, quam Vetus Interpres, ut fere solet, reddidit *Ne forte*, non semper esse dubitantis, sed sæpe nihil aliud significare, quam significet simplex particula *Ne* apud Latinos. Exemplum, (ne longius abeamus) esto supra hoc eodem cap. in illis verbis mulieris Dei comminationem recensentis, *Pen-themuthun, Ne forte moriamini.* Nam certum est Deum non dixisse, posse fieri ut morerentur, sed Adamo sine ulla dubitatione ita locutum fuisse, *Quacumque die comederis ex ea, morte morieris.* Quæ verba omnem dubitationem excludunt, præsertim si verba illa, *Quacumque die comederis*, ut nonnullis sanctæ linguæ peritissimis viris placet, idem significent, quod certissime si comederis. Quod si quis aliam quandam verborum Dei interpretationem sequi velit, cavisse scilicet Deum, ne Adamus ex arbore vitæ comedere posset, ut vel in perpetuum, vel saltem

saltem quam diutissime in miseriis illis, quibus eum subjecerat, vivere coactus non esset, quam interpretationem hic refellere non est opus, firmum tamen nihilominus id manebit, quod diximus, Non posse verba illa, *Nunc ergo ne forte &c*, cohærere præcedentibus, si præcedentia non ex animo, sed εἰρωνικῶς dicta fuisse velimus. Nam ista quoque interpretatione admissa, necesse est ut scientiæ boni & mali, quam adeptus esset Adamus, non temere prius mentio facta fuerit, sed vel ut indicaretur propter eam scientiam majus periculum esse, ne Adamus ex arbore illa vitali comederet, quam esset antea, vel eam scientiam miserias illas ita aucturam, ut bonum esset curare, ne infelix ille nimis diu vivere posset. At vero (excipiet aliquis) ironia est in illis verbis tantum, *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis*, non autem in sequentibus, *sciens*, sive *ad sciendum bonum & malum*. Ac si Deus dixisset, Ecce quia Adamus adeptus est cognitionem boni & mali, idcirco fortasse, ut serpens illi prædixit, se mei similem factum esse opinatur. Hæc verborum Dei sententia nullo modo esse potest, propter modum illum loquendi *Ladaath, Ad cognoscendum &c*, qui eam omnino respuit, & aperte indicat in quo consisteret jam revera illa similitudo, non autem causam, cur eam consistere existimari possit, de qua similitudine si per ironiam affirmatum fuit, per ironiam quoque id, in quo illa consisteret affirmatum fuisse necesse est. Verum ex animo, ut probavimus, id affirmatum fuit, igitur ex animo quoque de similitudine est affirmatum. Postremo monendus est lector, verbum Hebræum *Mimmennu*, quod versum est *Ex nobis*, verti quoque potuisse *Ex ipso*, sive *Ex seipso*, ut sit sensus, Adamum factum fuisse tanquam unum ex illis, qui ex seipsis, id est, nullo præmonstratore egentes, per se ipsos bonum & malum cognoscunt. Qui sensus pro fecto peregregius est, adeo ut quamvis similis locutionis exemplum nobis non succurrat, & dura fortassis verborum cum structura tum explicatio videri possit, nosque ii simus, qui insolentes & coactas verborum interpretationes mirum in modum refugiamus, tamen, nisi relatio illa verborum Dei ad verba serpentis nobis decentissima & manifestissima videretur, ab hac interpretatione recessuri non essemus. Id sane affirmare non verebimur, potius quam ut illam admittamus, quæ vult, Deum de seipso tantum locutum fuisse, hanc nos omnino amplexuros. Nam si hæc vim aliquam verbis afferre videtur, illa veram sententiam plane convellit, & Deum ingenti quadam hyperbole abs re utentem facit. Cæterum si simpliciter, ut quidem verisimilius est cogitationem Dei, qui, videns Adamum boni malique cognitionem adeptum fuisse, statuerit illum ab esu arboris vitæ penitus arcere, à Mose verbis illis à se confictis expositam fuisse dicamus, non autem ipsa verba Dei narrata, multo magis erit interpretatio isthæc repudianda, cum multo magis hoc loco de seipso tantum, tanquam de pluribus, Deum loquentem inducere absurdum sit, quam ipsum Deum ita vere locutum fuisse. Cur enim, cum fere semper Deus de seipso tanquam de uno loquatur, & sic ubi numerum pluralem usurpat, existimari possit numerum pro numero positum fuisse, vel ea ratione ejus majestatem, & dominationem indicatam, quæ nec linguæ usus, nec ratio refugit, aut aspernatur, cur inquam hoc loco de se ipso tantum tanquam de pluribus loquens induceretur, ubi nullo modo vel numerum pro numero usurpatum esse, vel honoris gratia id factum fuisse dici potest? At dicunt adversarii, hoc est quod volumus, nam ideo id fecit Moses, ut pluralitatem personarum in Deo evidenter indicaret. Nos vero id nequaquam credendum esse affirmamus, cum nullus locus ei rei magis ineptus excogitari possit. Siquidem Angelorum respectu ita loquentem Deum inductum fuisse, omnes circumstantiæ, ut supra exposuimus, omnino suadent. Itaque Moses nihil effecisset ejus quod cogitasset, & præterea valde imprudens esse deprehenderetur, qui nec seipsum explicasset, & sine ulla causa, ut dici solet, cœlum terræ miscuisset. At vero, si Deum ipsum revera ita fuisse locutum statuamus, cessant hæc absurda, & recte fecit Moses, qui rem, uti est, narravit. Verum, ut diximus cogitationem Dei, non autem ipsa verba, & hic & alibi verbis suis Mosem expressisse, verisimile est. Et si verba ipsa expressit, cum propter circumstantias, tum ne Deum intempestiva illa hyperbole utentem faciamus, non secum de seipso tantum, sed vel cum suis Angelis, vel secum de iis quoque, qui una cum ipso cœlum inhabitant, locutum eum fuisse prorsus credendum est. Sed quid amplius in hoc adversariorum testimonio diluendo laboramus, cum Calvinus ipse ex eo nihil ad doctrinam de tribus in Deo personis statuendam elici posse ingenue fateatur, ob eam causam, quod ipse Adam sub dictione illa *Nobis* comprehendatur? Quod etsi non satis feliciter ab ipso expressum fuit, idem est tamen revera, quod nos diximus de hyperbole illa. Sic enim argumentari voluit Calvinus, Adamus quasi unus ex illis, qui sub dictione *Nobis* comprehenduntur, factus fuisse dicitur, & inter illos jam numerari poterat: sed Adamum inter personas trinitatis numerari potuisse, & tanquam unum ex illis factum fuisse, plane absurdum est. Ergo ii, qui sub ea dictione comprehenduntur, non possunt esse personæ trinitatis. Sed, ut dictum est, non recte quod sentiebat expressit Calvinus. Neque enim unquam verum erit, Adamum ipsum sub dictione *Nobis* comprehendi, cum illis, qui sub ea comprehenduntur, similis factus dicatur. Nec vero, etiamsi velimus similitudinis particulam pro veritatis significativa, ut sæpius in lingua sancta fieri solet, hoc loco accipiendam esse, ita ut perinde sit, ac si dictum foret, *Ecce Adam factus est unus ex nobis*, sub dictione tamen *Nobis* vere Adamus ipse comprehensus fuisset; cum ii, qui sub ea dictione comprehenduntur, tanquam distincti ab ipso Adamo, & qui jam essent antequam is ex eorum numero fieret, in illis verbis considerentur, quamvis postquam ipse quoque ex eorum numero factus fuisset, si quis ex illis nulla antecedentis temporis ratione habita, *Nos* dixisset, Adamum quoque eum intellexisse necesse esset. Hæc autem non idcirco à nobis dicta sunt, ut Calvinum sugillemus, sed ut ejus verba interpretemur, & tam insignem adversarium nostrum nobiscum, hac in parte, facere demonstremus, ut, si qui sunt qui ratione ipsa nondum moveri possunt, auctoritate fortasse ejus viri moveantur, & coactas sacrorum verborum interpretationes, immo absurdas atque perversas, quas nobis adversarii opponere solent, detorsiones, eo ipso duce aliquando agnoscere incipiant. Hæc erant, quæ ad probandum, in scriptura unum Deum nostrum plures esse indicari, afferri posse videbantur, & idcirco ab adversariis, ad pluralitatem personarum in una Dei essentia confirmandam, congeri consuevere. Quæ quantum ponderis habeant, unusquisque ex iis, quæ à nobis dicta fuerunt, facile dijudicare potest. Quare jam ad alia transeamus.

Sunt autem ex ordine nobis proposito ea testimonia afferenda & diluenda, quibus adversarii non pluralitatem modo, sed etiam ipsam trinitatem personarum in uno Deo probare contendunt, id est, eas personas, quas plures in Deo esse affirmant, numero tres esse, & quanquam ea ejusmodi sunt, ut quilibet per se nihil ad rem pertinere perspicere possit, est tamen adversariis hac etiam in parte satisfaciendum.

Primo igitur, ad id probandum affertur historia de tribus viris, qui Abrahamo apparuerunt Gen. 18, qui tres viri Jehova esse dicuntur. Siquidem scriptum est, in ipso initio capitis, Jehovam Abrahamo apparuisse. Quod paullo post ad hunc modum explicatur: *Ecce tres viri stabant juxta eum.* Quid autem ad triplicitatem personarum in uno Deo significandam aptius dici potest?

Agnovisse autem ipsum quoque Abrahamum tantum mysterium ex eo patet, quod eos tres viros singulari numero compellavit. Nam posteaquam adorasset, dixit: *Domine, quæso, si inveni gratiam in oculis tuis, &c.* Hæc est, aut esse deberet adversariorum argumentatio ex hoc loco. Pro responsione animadvertendum est, dictum quidem fuisse Jehovam apparuisse Abrahamo, idque postea ita explicatum esse, *Ecce tres viri &c.* non quia illi tres viri simul in ea apparatione Jehovæ personam sustinerent, sed quia, is qui tunc Jehovæ personam sustinebat, duobus aliis comitatus apparuit. Itaque, cum is aliis præcelleret, dixit Abrahamus numero singulari, *Domine &c*, sic autem rem se habere id aperte ostendere videtur, quod discedentibus duobus ex illis, & uno remanente, is qui remanet Jehovæ nomine appellatur, cum quo Abrahamus tanquam cum Jehova loquitur, & salutem Loti sui longo verborum circuitu tacite procurat. Quamvis enim dicatur in historia viros illos jam abiisse Sodomam, non omnes tamen, sed duos tantummodo abiisse demonstrat initium cap. sequ. ubi scriptum est, *Venerunt duo illi Angeli Sodomam.* Cum igitur in ea narratione dicatur: *Et converterunt se viri illi, & abierunt Sodomam. Abraham vero adhuc stabat coram Jehova*, quis est qui discrimen manifestum non videat, inter eum qui remansit, & eos qui abierunt, in Jehovæ persona sustinenda, cum hi Angeli, ille vero Jehova nominetur, ut ex versu quoque 27. cap. seq. apparet, & manifeste hac ratione ab illis distinguatur? Quamobrem mirum videri non debet, si Abrahamus tanquam illum unum allocuturus, ab initio non plurali numero, sed singulari est usus. Sed quid si concedamus omnes æque Jehovæ personam in apparitione illa sustinuisse, & coram Jehova stetisse Abrahamum dictum fuisse, non quia Angelus ille, qui remansit duobus aliis præcelleret, sed quia quivis ipsorum Jehovæ nomine appellari poterat, & idem esse quod steterit Abrahamus coram Jehova, ac si dictum esset, stetisse eum coram Angelo uno, qui ex illis tribus remanserat? Certe non propterea quidquam evincent adversarii, cum trinus ille numerus, non tam trinitatem personarum in una Jehovæ essentia arguere, quam aliud quiddam demonstrare possit, ut mox dicetur, & Abrahamus tres illos viros alloquens singulari numero uti potuerit, non propter occultum aliquod mysterium, sed quia sic, quamvis cum pluribus sit sermo, loquendi interdum mos est in Hebræa lingua, si plures illi simul sint, & quodammodo personam unam sustineant. Nam Lotus quoque cap. sequ. ℣. 19. duos illos Angelos alloquens dixit: *Ecce nunc invenit servus tuus gratiam in oculis tuis*, quod tamen ad trinitatis mysterium, cum duo tantum essent, nec tertium cum illis antea fuisse sciret Lotus, referri nequaquam potest. Et 1 Sam. 9. 12, puellæ illæ Sauli & puero ejus interrogantibus, num eo in loco esset videns, id est Propheta, responderunt, *Est, en ante te, Nunc ergo festina &c.* Quod enim cum utroque loquerentur, manifestum faciunt sequentia verba: *Cumque ingressi fueritis civitatem, illico invenietis eum.* Et postmodum, *Nunc igitur ascendite, quoniam hodie invenietis eum.* Cur autem tres fuerint illi, in quibus Jehova Abrahamo apparuisse dicitur, potest hæc valde probabilis causa reddi, quod tria à Deo essent facienda, unum annunciare Saræ, quod conceptura & paritura esset filium, alterum Lotum ex Sodomæ civitate educere, & liberare, tertium ipsam Sodomam evertere, ac delere. Et sane si trinitatis mysterium eo trino Angelorum numero indicatum fuisset, nunquam duo illi à reliquo tertio se separassent, sed semper omnes conjuncti fuissent, præsertim si pervulgata regula illa adversariorum vera est, opera Trinitatis ad extra esse indivisa. Non erimus autem in testimonio hoc diluendo longiores, cum præstantissimi ex recentioribus, qui nobis adversantur, ejus infirmitatem agnoverint, inter quos præcipue sunt Lutherus, Calvinus, Musculus, & Borrhaus. Nam, ut reliquorum verba non recenseamus, hæc sunt à Calvino in hunc locum scripta. *Quod autem Patres hinc Trinitatis, & unitatis mysterium eliciunt, frivolum est, & sannis, calumniisque obnoxium.*

Secundo, ad hanc personarum trinitatem in una Dei essentia confirmandam, affertur inclamatio illa *Seraphim* apud Esaiam cap. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova exercituum*, cui similis est illa quatuor animalium Apocal. 4. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Cur enim (inquiunt) cum ad unum Deum hæc referantur, & de uno tantum Deo dicantur, ter Epithetum Sanctus repeteretur, nisi in uno illo Deo tres essent personæ? Atqui nos profecto non possumus satis mirari, adversariorum, ut leviter dicamus, hac in re levitatem. Siquidem hæc trina repetitio non admodum infrequens est in Sacris Literis, sine ulla alicujus trinitatis, nedum trium ὑποστάσεων, significatione, sed tantummodo perfectionis cujusdam & incrementi causa. Certe Vatablus in eo loco Deut. 10. 14. *Ecce Jehovæ Dei tui* [sunt] *cœli, & cœli cœlorum*, annotat, eandem vocem ter repetitam esse incrementi causa. Cum apud Hieremiam Deus dicit: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ sunt*, quis aperte non videt, ter idem dictum fuisse majoris & absolutæ assertionis gratia? Quamvis enim Vatablus afferat ibi sententiam (ut arbitramur) Rabbi David Kimchi, quæ est, id factum esse propter vestibulum, templum ipsum, & aditum, non credimus tamen Vatablum eam comprobasse. Sapit enim hoc omnino (pace illius tanti Rabini dictum volumus) Judaicam, in explicandis Sacris Literis, superstitiosam & imperitam curiositatem. Quid, cum apud eundem Hieremiam ad finem cap. 22. legimus; *O terra, terra, terra, audi verbum Jehovæ*, num ibi quoque aliquam terræ triplicitatem significari dicemus? Aut cum apud Ezechielem cap. 21. 27. dicit Deus de corona Regis Sedechiæ, sive ipsius regni Judæ: *Obliquam, obliquam, obliquam ponam eam*, ad quasdam incertas & ineptas, de triplicitate aliqua in obliquanda seu pervertenda corona illa, recurremus, & non potius, ut loquentium usus, & ratio ipsa aperte docet, maximam ejus futuræ obliquitatis asseverationem, obliquitatisque ipsius magnitudinem à Deo decretam agnoscemus? Est autem ternarius numerus perfectioni cuidam indicandæ aptissimus, & idcirco quæ ter repetita sunt, perfecte, ac plane indubitanter affirmata censentur, & simul in suo genere perfecta indicantur. Ratio est, quia ternarius numerus primus est omnium, qui initium, medium, & finem habeat. Unum enim in numero ternario principium est, Duo medium censeri debent, tria vero finis, sive, ut apertius loquamur, prima unitas principium, secunda medium, tertia finis. Hinc factum est, ut, & apud sacros & apud Profanos scriptores, multa ter facta legantur. Atque, ut Profanos missos faciamus, ex quibus innumera exempla peti possent, legimus apud Johannem cap. ultimo, Dominum Jesum ter à Petro quæsiisse, num se amaret, & ter illi dixisse ut pasceret agnos, sive oves suas. Nam si quis hoc ad trinam illam Petri negationem respicere dicat, de quo tamen nihil apparet, dicimus in ipsa Petri negatione, ternarium illum numerum extitisse non aliam ob causam, quam ut is, qui, etiamsi oportuisset se mori, nunquam fore ut magistrum & Dominum suum abjuraret, nimis audacter affirmaverat, perfecte imbecillitatem suam agnosceret. In illa ejusdem Petri visione, qua Dominus illi ostendere voluit, Gentes quoque participes Euangelii gratiæ Dei fieri debere, & à Dei populo non amplius excludendas esse, ter idem factum est, non quidem propter aliquod latens mysterium, sed ut Petrus rem sic se habere penitus persuaderetur. Paulus cum Dominum ter rogasset, ut ab se Angelus ille Satanæ discederet, postea quievit. Ipse Christus ter Patrem

rogavit, ut si fieri posset, transiret à se calix ille, deinde ab orando cessavit. Longum esset si ex Sacris Literis omnia proferre velim, quæ huc pertinere possunt, & unusquisque per se ea facile observabit. Videat tamen lector hos locos Num. 22. 28. & 32. & cap. 24. 10. 1 Sam. 3. 7. & cap. 20. 41. 1 Reg. 18. 34. Proverb. 22. 20. Ezech. 21. 14. Joh. 21. 14. 2 Cor. 12. 14. Verum dicet aliquis, in eo loco Apoc. 4. 8, in Complutensi editione novies vox sanctus repetita est. Ex quo apparet, ter, perfectionem illam & incrementum quod ternario numero continetur, exprimi debuisse, nimirum, ut unicuique trinitatis personæ sua integra & absoluta δοξολογία constaret. Respondemus primum, Complutensis editionis auctoritatem non tanti esse, ut cæteris omnibus anteponi debeat, in quibus summo consensu ter tantum id nomen eo loco legitur. Deinde dicimus, novenam illam repetitionem absolutissimum quoddam incrementum continere ter ternario numero repetito, qui numerus per se, ut dictum est, perfectionem quandam significat, & quo incrementi causa uti solent Sacri Scriptores. Addimus præterea, ex hoc ipso Apoc. loco vanitatem argumentationis adversariorum aperte constare, siquidem ea δοξολογία ad Patrem solum refertur, qui toto eo libro cum nomine Dei distinguitur à filio, tum vero nomine ejus qui est, qui erat, & qui venturus est, ab ipso evidenter separatur, ut videre est cap. primo, ubi precationem gratiæ & pacis à Jesu Christo à precatione earundem rerum ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est, manifeste Johannes distinguit. Atqui ea δοξολογία, & Deo, & ei aperte tribuitur qui erat, qui est, & qui venturus est, qui etiam omnipotens appellatur, eodem scilicet nomine, quo idem qui est, qui erat, & qui venturus est, cap. primo ℣. 8. appellatus fuerat, quam appellationem propriam patris in primitiva Ecclesia fuisse indicat symbolum, quod Apostolorum vocatur, ubi soli Deo Patri id Epitheton tributum fuit. Itaque apparet locum istum, etiam Complutensi lectione retenta, non modo adversariorum argumentationem non juvare, verum etiam eam funditus delere, cum de una tantum persona ter, sive etiam novies, id est tribus vicibus ter idem dictum fuerit, interpretationem vero nostram, & sententiam de numero illo ternario mirifice confirmare. Ex qua interpretatione & sententia nostra, credimus abunde responsionem colligi posse ad omnes hujusmodi locos, qui ab adversariis proferri aut solent aut possunt, in quibus triplicitatis alicujus mentio fiat, quæ ad Deum quoquo modo pertineat. Inter quos valde insignis est ille Dan. 9. 19. *Domine audi, Domine propitius esto, Domine attende, & fac, & ne moreris, propter te Deus meus &c*, ubi manifeste unus Deus ter Domini nomine compellatur, quod non modo ad perfectionem quandam illius precationis pertinet, non autem ad personarum aliquam in Deo triplicitatem, sed etiam idcirco factum est, quia per tres quosdam gradus eo, quo contendebat, ascendere ac pervenire voluit Daniel. Primum enim orat Deum ut audiat, deinde ut misericordia moveatur, postremo ut reipsa jam opem ferat, neque amplius moretur, quod postremum id revera erat quod expetebat, & à Deo precibus quodammodo extorquere aggressus fuerat. Nam quid attinet ad ea testimonia respondere, ubi de Deo nihil dicitur, quale est illius loci Eccl. 4. 12. *Funiculus triplex difficile rumpitur?* Quem tamen Lyranus ipse afferre non dubitavit. Quo nihil insulsius, aut ineptius fieri potuit, cum manifestum sit, nihil aliud eo loco sibi Solomonem voluisse, quam non bonum esse ut quisquam sit solus, sed præstare unum atque alterum socium sibi ajungere. Non longe ab hac eadem culpa abesset, si quis ad istam personarum in uno Deo trinitatem probandam aliquid momenti habere crederet, quod Arca Noë tribus tabulatis, sive contignationibus extructa fuerit Gen. 6. 16, & quod in templo illo Ezechiëli per visionem ostenso, atriola quædam & cellulæ terno numero sive ordine essent Ezech. 40. 10. & 41. 6. & si quæ sunt his similia, quorum locorum testimoniis diluendis, præsertim cum, ut dictum est, de Deo ibi nulla mentio fiat, ad quem triplicitatem illam respicere appareat, tempus insumere supervacaneum, atque adeo inutile omnino esse duximus. Alia potiora ad trinitatem ipsam simplicem personarum in uno Deo confirmandam nulla, quod sciamus, ab adversariis proferuntur. Quare jam de aliis controversiæ capitibus agamus. Sequitur autem, ut ea testimonia examinemus, per quæ omnino probari contendunt non modo plures, easque tres in uno Deo esse personas, verum etiam has patrem, filium, & Spiritum Sanctum esse.

Cætera desiderantur.

In Theses de Trinitate CLAUDII ALBERII TRIUNCURIANI, Notæ F. S. scriptæ in gratiam N. N. Regis Galliarum ad Principes Germaniæ legati.

JOh. 1. 15. *Ante me factus est, quia prior me erat.*) Rectius sensum aliquando in sua translatione sic expresserat Beza, *Mihi prælatus est, quia præstantior me est.* In priore membro habet Beza adstipulatores, non modo quos ipse in suis annotationibus citat, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum, sed omnes, arbitror, paullo eruditiores. In posteriore vero non est cur habere non debeat, cum verba ipsa id ferant, & infirmissima alioqui sit ratio ista, *quia prior me erat*, si de prioritate temporis id intelligatur, immo indignissima quæ afferatur, & plane ridicula. Adde, quod ℣. 27, ubi membrum hoc posterius desideratur, videtur omnino ejus loco positum fuisse, *Cujus non sum dignus &c.* Cæterum si quid scrupuli adhuc restat, ad illud eximendum consule Bezæ annotationes.

Gen. 1. 23. *Faciamus hominem &c.* In omni fortasse lingua obtinuit, ut cum aliquis seipsum, quantumvis solum, ad aliquid faciendum adhortatur, vel se facturum decernit, si id efferat, ut per subjunctivum modum Græce aut Latine enunciari debeat, numero plurali utatur; ut apud Livium lib. 39. Annibal venenum sponte hausturus, *liberemus*, inquit, *diuturna cura populum Romanum.*

Gen. 3. 22. *Adam factus est sicut unus ex nobis.* Vox *nobis* eos una cum Deo complectitur, qui cum ipso in cœlo habitant, vitamque cœlestem & immortalem degunt. Nam simplici etiam Dei vel Jehovæ nomine, hujusmodi ejus cohabitatores aliquando intelliguntur. Ut Psal. 115. 16, *Cœli Cœlorum Jehovæ, terram autem dedit filiis hominum.* Ad hæc locus ex Hebræo sic verti potest, *Ecce Adam factus est sicut unus ex seipso sciens bonum & malum.*

1 Cor. 10. 2. Item, quod sumus baptizati in nomen Patris &c. Israëlitæ dicuntur à Paulo baptizati in Mosem. Itaque possunt similiter Christiani baptizari in filium Dei, quamvis filii Dei actiones non sint simul natura cum Dei actionibus, quemadmodum nec Mosis actiones fuerunt simul natura cum actionibus Dei; in quem (tametsi id Paulus non exprimit) baptizatos eodem tempore, quo in Mosem Israëlitas fuisse, nemo, arbitror, negaverit. Adde, quod alibi expresse creaturæ cum Deo simul junguntur, in actionibus sive hominum erga Deum, sive Dei erga homines, iisque maximis, & quibus divinus cultus continetur. Exempla habes Exod. 14. 31. Judic. 7. 18, & 20. 1 Sam. 12. ℣. 18. De Spiritu Sancto nihil attinet respondere, nisi prius probetur, eum esse personam à Patre, & sic ab ipso Deo, cujus est spiritus, distinctam, id


quod nunquam fiet. Sed etiamsi fieret, jam ostensum est, ex eo, quod in ipsum, seu in nomen ipsius, eodem tempore, quo in Patris nomen baptizemur, nihil posse colligi de ipsius actionibus natura cum Patre communibus.

Si ὁ λόγος *& spiritus essent creaturæ tantum, vis τοῦ λόγου filii Dei, & vis Spiritus Sancti non pertineret rétro, &c.*

Tametsi hic merito negari potest consequentia; tamen hoc omisso, dico, nos non concedere assumptionem, quod ad τὸν λόγον attinet, τοῦ λόγου scilicet vim retro pertinere, &c. Videbitur hoc durum; sed disputatione, ni fallor, mollescet. Spiritum Sanctum nos creaturam non facimus, si in potiore significatione accipiatur, sed tantum negamus, eum esse personam ab ipso Deo seu Christi Patre, cujus spiritus est, distinctam.

Neque ὁ λόγος esset ille ἀρχῆς κοινῶν, &c. Ubi probationes hujus rei, sive ex Aristotele, sive aliunde afferentur, & simul probabitur, Dei filium esse istum λόγον, tunc, Deo juvante, respondebimus.

Quantum ad id pertinet, quod in isto scripto dicitur, ἕνωσιν ὑποστατικὴν duarum naturarum in Christo non esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, &c, opus esset scire, quibus rationibus moveatur scriptor ille ad hoc asserendum. Alioqui ad istas responderi nequit, quæ fortasse (nisi ego fallor) fallaciam ignorationis Elenchi continent. Adde, quod instantia de anima & corpore in homine, nihil solidi habere potest, cum nondum, neque apud philosophos, neque apud Theologos liqueat, quid & qualis sit anima humana.



Animadversiones N. N.

In loca quædam Fausti Socini, *in quibus adversariorum suorum argumenta satis solide refutasse, vel verum quorundam Sacræ Scripturæ locorum sensum, non satis recte assecutus esse videtur, & in eundem finem Explicatio brevis 53ti Capitis* Esaiæ.



Tomo 1. pag. 538 b. l. 7. ad locum Rom. 1. 20. *Invisibilia enim ejus à creatione mundi* &c, ex qua alii conantur elicere cognitionem Dei hominibus naturaliter insitam esse, vel saltem solius rationis ductu, ex lumine naturæ hauriri posse, ita respondet, ut sensum ejus faciat, quod per ea quæ ab hominibus divinis, præcipue vero à Christo ejusque Apostolis sint patrata mirabilia opera, Dei mandata & promissa hominibus innotuerint: Quem sensum, quamvis mira subtilitate inde exstructum, cum multis non satisfacturum confidam, alia ratione argumentum ex illo loco desumtum, retenta vulgari verborum explicatione, diluere conabimur.

Quamvis ergo Apostolus istis verbis Ethnicos objurget, quod Deum non aliter quam facerent cognoscerent ex rebus creatis, ac idcirco eos cupiditatibus ipsorum tradidisset, prout aperte verba versus 24 indicant. Certum tamen est Apostolum de ejusmodi hominibus loqui, qui divinitatem aliquam agnoscerent. Unde vero cognitionem istam hausissent, id hic non exprimitur, sed hoc tantummodo, *quod Deum cognoscentes, eum non tanquam Deum honoraverint, nec gratias ei egerint* &c, versu 21. Eo nomine autem acriter eos perstringit, *quia cognoscibile Dei in ipsis est manifestum* versu 19. Id quod nihil aliud est quam *æterna ipsius potentia & divinitas* versu 20, quæ ex operibus Dei, à creatione mundi exhibitis, recte examinatis (id enim vox νοούμενα indicat) & perpensis, satis evidenter intelligi possint, ab iis, qui jam divinitatis notitiam habeant, quales illi erant quos Apostolus istis verbis reprehendit. Sensus igitur verborum est, istos homines gravissime in Deum peccasse, quod, cum scirent mundum à Deo esse conditum, exinde non perspexissent illum esse unum, æternum, & potentia infinitum, sed Deos excogitassent, qui post mundi creationem Dii essent facti, & quorum potentia certis terminis esset circumscripta, sic ut hic maris, alter terræ, tertius cœli esset Dominus, & multa similia absurdissima de Diis suis statuerent

Regeres: qui ex solis rebus creatis potest perspicere Deum potentia & divinitate esse infinitum, eundem facile ex illis posse colligere Deum esse.

Respondeo, id nullo modo sequi, quia, qui ex creaturis acumine rationis concludit Deum esse unum, æternum, immensum, id non potuisset facere, nisi jam divinitatis cognitione antea imbutus fuisset, id quod à Socino fusius est demonstratum.

Pag. 540 a. lin. 1 & seq. Responsioni auctoris potest addi: quod si ex eo quod *bonus* dicatur fuisse homo quem Deus creaverat, quis velit concludere, in homine fuisse justitiam quandam originariam, idem etiam de bestiis & reliquis creaturis esse statuendum, de quibus itidem dicitur Genes. 1. 10, 12, 18, 21, 25 Deum vidisse *quod essent bona*.

Pag. 546 a cap. 9. lin. 13 à fine. Ad argumentum pro præscientia futurorum contingentium, quæ Deo adscribitur, ex prædictionibus Prophetarum desumto, responderi etiam potest, quasdam earum tacitam conditionem subintellectam habere, præcipue vero tales, quæ certas personas respiciunt: quæ vero nullam conditionem subintellectam habent, eas non agere de rebus contingentibus, de quibus controversia est. Conditio autem commode adjungi potest Dei verbis Gen. 18. 17, 18, 19. (quæ author pag. 547. a l. 1. examinat) *Scio Abrahamum filiis suis præcepturum ut Dei mandata custodiant*, nempe si in pietate perseveret. Cujus rei exempla quædam in medium afferemus. 1 Sam. 23. 12 David percunctatur Deum, num incolæ civitatis Kegila ipsum Sauli essent tradituri, respondet Deus, *tradent te*, nempe si illic remanseris, quam conditionem, non expressam, sed subintellectam, eventus apertissime evincit. Idem accidit in Jonæ prædictione, de Ninivæ intra 40 dies peritura Jonæ 3. 4. Sic 2 Sam. 7. 14 dicit Deus Davidi de Salomone, *ero ipsi in patrem, & ipse mihi in filium, & sedem regni ipsius confirmabo in æternum*, vers. 15. *sed misericordia mea ab ipso non recedet in æternum, sicut eam à Saule abstuli*, ubi non tantum eventus, sed & ipse David & Salomon 1 Reg. 2. 4 aperte docuerunt, conditionem fuisse subintellectam, nempe, *si Filii tui viam meam custodiverint fideliter* &c. confer Psal. 132. ℣. 12. Similiter Matth. 21. 37, & Marc. 12. 6 Dominus vineæ, missurus Filium ad agricolas, dicit, *reverebuntur Filium meum*, quod Lucas cap. 20. 13 explicans, addit *forte reverebuntur Filium meum*, id est reverebuntur, si resipiscant.

Cap. 10. p. 549 a. lin. 35. Iis quæ author respondet etiam addi potest, Deum à mundi fundatione decrevisse ut Christus à peccatoribus mactaretur, & ipsum consequenter scivisse homines peccaturos. Hoc enim ad institutam quæstionem nihil facit, qua quæritur utrum Deus peccata singulorum hominum speciatim præcognoscat, idque vi incomprehensibilis cujusdam præscientiæ, adeo ut per eam libera hominis voluntas tollatur. Nam quod Deus præsciat in genere impios homines non defuturos, modo id de particularibus personis non statuatur, nemini peccandi necessitatem imponit, quandoquidem ex hominum constitutione facile perspicere poterat, si talem qualem mittere constituisset, hominem, nempe externa pompa, splendore & auctoritate destitutum, qui præcepta, hominum genio, affectibus & moribus tantopere adversantia urgeret, qualia Christus proposuit, procul dubio eventurum, ut non deessent homines, qui maximam partem impii forent, ipsum capitali odio persequentes, tandem vita privaturi essent. Quidni etiam sub hac conditione potuit Deus decrevisse mortem Messiæ, si nimirum homines existerent adeo perversi, ut ipsum morte afficere vellent?

Dicet aliquis: cum omnia ista adhuc incerta fuerint, adeo ut fieri potuerit quod Christus à nemine interemtus fuisset, manet ista non exigua difficultas, Socino ab adversariis suis objecta, si omnino Deus decreverit humanum genus, non nisi interveniente

veniente morte violenta salvare, quod salus æterna ludibrio quasi fortunæ vel casus exposita fuerit: Quocirca necesse est alterutrum statuere, vel Christum necessario obedivisse (quod Socinus infra concedit, à nobis vero refutabitur, & necessario homines impios extituros, quod cum arbitrii libertate consistere nequit. Vel, si impii essent defuturi, ut Christus ab aliquo pio homine (sicut Isaacus ab Abrahamo) esset mactandus. Ne cogamur salutem universi generis humani in incerta unius hominis obedientia, & absurda impiorum (ut sic loquar) necessaria existentia collocare. Conf. cum dictis hæc paulo inferius.

Porro non videtur Socinus satis distincte respondisse ad hanc objectionem: *Si nimirum Deus futura contingentia non prænoscat, id propterea statui, vel quia Deus nolit, vel quia non possit illa præscire.* Auctor vero cap. 8 ostendit futura contingentia inter non entia, quorum nulla est affectio, reponi debere, ac propterea non esse scibilia. Quod recte intellectum nullam absurditatem habet. Meo tamen judicio, si rem accuratius examines, dici potest Deum futura contingentia scire posse. Si enim nullo modo ea scire posset, nullam potestatem haberet ut ex contingentibus necessaria efficeret. Cum vero Deus omnia contingentia certo decreto determinare possit, ne aliter quam ipse vult evenire queant, omnino statuendum est Deum ea posse certo præscire, (quamvis certum sit ea tum non amplius manere contingentia) quod author Deum nolle facere multis rationibus & S. Scripturæ testimoniis ostendit. Præcipue quia Deus vult ut ordinariæ hominum actiones, respectu virtutis & vitii, liberæ maneant, sine qua libertate, nec virtuti nec vitio, & consequenter præmio & pœnæ nullus locus relinqueretur. Prout Socinus solide demonstrat.

Cap. 12. pag. 551. lin. 16 Auctor ad Esa. 6. 9, 10. respondens, concedit ibi indicari Deum ipsum cæcitatis & pervicaciæ, quam Deus populo Judaico minari videtur, causam fuisse, quod tamen nulla necessitate coactus facit. Possunt enim verba Esaiæ ita interpretari, ut *audiendo audite & ne intelligatis*, nihil aliud significet quam audiendo audietis & non intelligetis, & imperativus loco futuri temporis sit positus, & vaticinium ista verba in se comprehendant; cujusmodi loquendi modi Job. 22 24. xxxij. 24. Prov. 2. 3. xx. 13. Esai. 4. 14. Jer. 2. 19 & alibi reperiuntur. Quid quod in Græca 70 Interpr. translatione hæc ipsa Esaiæ verba per futurum tempus sint expressa. Verba vero *Crassum reddito cor populi hujus*, nihil aliud volunt, quam ut Propheta palam diceret, cor populi, propria ipsorum culpa incrassatum esse, quæ causa fuit cur auribus audientes ipsum non intelligerent. Similes locutiones non modo frequenter in S. Literis, verum apud ipsos prophanos auctores non raro occurrunt. Sic Ovidius de Apollinis cantilena in libro Metamorphoseon:

Tum Paëtontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos, &c.

id est de rebus istis cecinit. Ita Levit. 13. 6, 17, 23, 28, 34, 37, 59 aliquoties in Hebræo dicitur Sacerdotes aliquem purum vel impurum reddituros, id est pronunciaturos vel declaraturos esse. Vide similia loca Deut. 13. 1. Job. 9. 28. xj. 3. Esai. 41. 15, 16. Jer. 1. 10. xv. 1. Ezech. 13, 18. xxxij. 18. Act. cap. 10. 15. Rom. 7. 11. 1 Cor. 1. 20. 2 Tim. 1. 10.

Ibid pag. 552. b. lin. 13. à fine, Author ad locum 2 Cor. 3. 5 respondens, adversariorum argumentum optime diluit. Dictis tamen addi potest, Apostolum non simpliciter dicere se non posse aliquid cogitare, sed quod id non possit *ex nobis ipsis tanquam ex nobis ipsis*, id est, se res tam eximias non posse prædicare ita ut ipse absque divina revelatione illa excogitaverit, atque adeo ipse causa fuerit potentiæ quæ in ipso erat. Quo ipso indicat se non tantum rem aliquam exiguam, sed etiam valde arduam, qualis erat munus Apostolicum, exequi posse, quando Deus ad id vires largiri dignaretur.

Cap. 14. pag. 561. a. lin. 20. statuit author Deum hominem graviter punire propter istiusmodi peccata, quæ per Dei ipsius indurationem necessario commisit. Quod nimis durum merito videri potest, nec etiam ullo modo statuere est necesse, & indubie Deus induratos homines non puniat ob peccata quæ indurati, sed quæ ante indurationem commiserant. Cum enim v. g. Pharao propterea tantum à Deo in vivis esset conservatus, ut Deus justitiæ & pariter potentiæ suæ specimen in ipso ederet, pœnam istam qua affectus est, jam antea sceleribus suis plenissime erat commeritus.

Ibid. pag. 563. b. lin. 48. Concedit auctor certos homines à Deo propter scelera sua esse destinatos ut sint falsi Prophetæ. Præterea non satis commode mihi videtur ad argumentum ex isto loco petitum respondere. En ergo aliam solutionem. Primo enim, quid opus est concedere Deum falsos Prophetas proprie excitare? Nonne sufficit ut permittat Satanæ istiusmodi sua mancipia decipere & falsa suggerere? Verba autem Judæ sic sonant: *Nam subrepserunt quidam homines, olim ad hoc judicium antea scripti.* Quibus nihil aliud indicare Apostolum puto, quam Veteris & Novi Fœderis Prophetas jam olim scripsisse, extituros impios homines, falsos Prophetas. Ut *antea scripti*, vel *descripti*, nihil aliud sit, quam de quibus antea Prophetæ sint vaticinati, nimirum quod futurum sit ut Deus homines in impietate pertinaciter perseverantes, ita potestati Diaboli sit relicturus, ut ex illis falsos Prophetas sit facturus. Sic voces istas non opus est de Dei aliquo decreto accipere.

Ibid pag. 564. a. lin 28. Auctor admodum inepte ad Argumentum Augustini & aliorum, ab exemplo Christi petitum respondet, dum concedit Christum non libere sed necessario obedientem fuisse. Nec juvat ipsum quod neget in eo Christum nobis esse dissimilem, quod is necessario, nos vero libere Deo pareamus. Undenam quæso id probare posset? Et si Christus non potuit non obedire, nullius profecto pretii fuit ipsius obedientia, quam tamen tantopere Apostolus deprædicat Phil. 2. 6. & seq. Cum vero Hebr. 2. 17. expresse dicatur *Christum in omnibus fratribus similem debuisse fieri*, & cap. 4. 14. *quod in omnibus, quemadmodum & nos, tentatus fuerit, sine peccato* (quod sane nullo modo verum esse posset, si in tentationibus nullo modo peccare potuisset) necessario sequitur, si ipse peccare non potuerit, nec etiam pios posse, & si necessario obediens fuerit, idem in nobis locum habere debere. Atque adeo firmum manet Augustini argumentum. Quocirca omnino negandum est Christum necessario obedivisse, quod nulla solida ratione confirmari potest, & apertis Sacræ Scripturæ testimoniis & rectæ rationi repugnat. Cujus sententiæ non modo non pauci hodie reperiuntur defensores, sed & ante nos Scotus, Durandus, Gabriel Biel, Gregorius de Valentia & Molina eam palam scriptis propugnarunt, & ex professo à Simone Episcopio contra Cameronem, Operum Tomo 1 pag. 214, 288 & sequentibus prolixe asseritur, ad quæ lectorem remittimus, ubi etiam pag. 290. a. lin. 30, loca ubi citati a nobis authores, sententiam hanc in suis operibus propugnant, annotata sunt.

Ad argumentum ex Prophetarum vaticiniis petitum, pro necessaria Christi obedientiarum, paulo superius satis respondimus.

Posset

Posset tamen aliquis objicere, si Christus defecisset, non modo omnes Prophetias falsas futuras fuisse, sed etiam de salute humani generis actum fuisse.

Respondendum est id nullo modo sequi, quandoquidem statui potest prædictiones non de certa aliqua persona, sed in genere de eo tantum agere qui Messiæ munere suscepto, in eo ad vitæ finem usque fidelis & constans esset permansurus, omniaque ad id requisita reipsa præstiturus. Quodsi contigisset ut persona aliqua, v. g Jesus, ad tantum honorem designatus, sub onere succumbens, carnis habenas laxaret & à pietate descisceret, Deus alium eligere potuit per quem ad exitum hoc negotium perduceret. Nec desunt sane in Veteri Testamento exempla eorum qui in salvando populo Israëlitico ad munus Salvatoris à Deo electi, optato fine non sunt potiti, quales fuere Saul, Salomon, Samson, & si qui alii similes reperti sunt, qui postquam à Deo ad liberationem populi à Deo destinati essent, vel per impietatem, vel per summam imprudentiam, a Deo rejecti, vel ad tempus derelicti sunt, nec plena liberatione, quod alias facturi fuissent, populum Dei beaverunt.

Quod si vero omnes quibus Deus munus istud imposuisset, sub onere succubuissent, quod sane, posita arbitrii voluntate, omnino concedi debet possibile fuisse, nonne tunc saltem res tanti ponderis incerta, irrita, vel in longam dilationem protracta fuisset?

Responderi potest, quod eventus docuit, cum primus qui ad munus hoc delegatus fuit, ad exitum id plene perduxerit, in eo non fuisse majus errandi periculum, quam si quis certo prædicat cras in urbe Londino non defuturum ignem. Quamvis enim omnino possibile sit ut omnes incolæ ad unum usque, per incuriam vel negligentiam ignem non servarint in crastinum, nemo tamen vel capitis periculo dubitaret id pro certo polliceri. Sic etiam possibile quidem fuit ut omnes qui à Deo ad Salvatoris munus eligi possent, ad unum usque deficerent, sed quæ vel minima verisimilitudo in eo agnosci potest? Prædixit Christus Apostasiam Ecclesiæ suæ, & Antichristianam tyrannidem, absolute tamen loquendo potuerunt ista non impleri, si omnes homines pii evasissent, qua conditione illa fuisse prædicta omnino credibile est: Quod cum nullo modo sit verisimile, potuit Deus hæc absque ullo errandi periculo prædicere. Sed fac tamen, ut ad propositum revertamur, periculum fuisse ne omnes ad munus Servatoris eligendi deficerent, quod possibile fuisse eo quo dictum est modo, non omnino negari potest, nonne potuit Deus absque tali qualis Christus fuit, vel etiam absque ullo mediatore, humanum genus servare? Mihi profecto non fit verisimile Deum omnes homines in damnationis æternæ barathro relinquere voluisse, si homo Christus ipsi ad mortem usque obedire recusasset, & sic æternam hominum salutem in præcipitio incertæ unius hominis obedientiæ collare. Quod cum sapientia, benignitate & dominio ipsius absoluto minime consistere potest. Crediderim potius Deum in hoc nogotio nihil aliud decrevisse, quam homines ad immortalem vitam perducere, per ejusmodi qualem, misit Messiam, ea tamen cautione, ut si is in obedientia non esset constans, per aliud medium idem effectui daturum fuisse. Confer cum his animadvers. ultimam.

Pag. 572. a. lin. 7 a fine, cap. 18. Iis quæ auctor ad argumentum ex dignitate personæ Christi desumtum respondet, addi etiam potest, quodsi Christus culpam omnium peccatorum nostrorum ita in se suscepit, ac si ea ipse perpetrasset, eo ipso omnem personæ ipsius dignitatem tolli, sic enim non modo non dignior nobis, sed nobis omnibus simul sumtis indignior & execrabilior, vel saltem æque indignus & execrabilis statuitur, adeo ut nulla amplius dignitas in ipso locum habere, & sic nullo modo pro nobis satisfacere potuerit.

Cap. 21. pag. 580 Author ad argumenta adversariorum pro satisfactione Christi, ex Esaiæ 53 capite desumta respondet. Quamvis autem satis feliciter ostendat eam ex Esaiæ verbis nullo modo adstrui posse, à sensu tamen verborum Prophetæ non leviter aberrat. Quod cum ansam alicui præbere possit, in sententiam quam alioqui merito defendit non descendendi, nostram istius capitis explicationem mox subjungemus.

Cap. 25. pag. 590. b. Author discrimen Veteris & Novi Fœderis explicans, quoad remissionem peccatorum, ex loco Jerem. 31. 33, 34, coll. cum Hebr. 9 25, 26, 27. vult in Novo peccatorum futurorum remissionem per Christi sacrificium esse impetratam, ut ostendat quomodo non amplius opus sit ut sacrificium Christi repetatur, quandoquidem post illud multa peccata a Christianis sint commissa & quotidie committantur. Cum vero author supra, de futuris contingentibus agens, recte asseruerit ea inter non entia, quorum nulla est affectio, esse reponenda, peccata autem futura proculdubio sint contingentia, in quibus nulla remissio proprie locum habere potest, nullo modo opus est ad tam incertam opinionem confugere, cujus nullum vestigium in S. Literis reperiri credo, alia ratio discrimen istud expediendi est instituenda. Remissio igitur peccatorum, quam Christus suo sacrificio nobis peperit, in eo consistit, quod non tantum peccatorum pœnas à nobis abstulerit, sed etiam effecerit ne amplius peccemus, in quo maxima differentia inter Christi & legalia sacrificia consistit. Atque istud est quod Apostolus ex Jeremiæ verbis probare voluit, prout manifestum faciunt ipsius verba versu 11, ubi de Legalibus Sacrificiis asserit, ea nunquam potuisse auferre peccata, quorum sensus est, quod non possent efficere, ne homines in peccata rursus inciderent: nam quod ad pœnam attinet, ea per ista sacrificia penitus auferebatur. Præterea confirmat idem oppositio quam versu 14 instituit, inquiens: Christus *uno sacrificio in æternum consummavit eos qui sanctificantur*, quod nihil aliud est, quam quod efficiat ut adeo sancti sint, ne amplius peccent, ac idcirco nullo sacrificio amplius opus habeant. Cum vero statim 15 versu subjungit: *Et Spiritus Sanctus nobis etiam idem testatur*, manifeste apparet, ipsum Jeremiæ testimonium adferre ut id quod diximus probet, nimirum quod per Sacrificium Christi ipsum peccare tollatur. Adeo ut *remittendi* vox non debeat intelligi de peccatis futuris, quæ quatenus futura, nondum commissa sunt, nec remitti possunt; sed de tali remissione quam repetere non est opus. Cum vero peccata non amplius committuntur, nulla etiam remissione amplius est opus.

Præterea vox peccati alio sensu in Vetere, alio in Novo Testamento, est accipienda. Certum enim est per oblationes legales nil nisi infirmitates, ignorantias & levia delicta expiata fuisse, pro peccatis vero elata manu perpetratis, nullam oblationem fuisse constitutam. Per Christi vero sacrificium præcipue talia peccata expiata sunt, quæ in Lege expiari per oblationes nullas potuerunt. Quicunque igitur fide in Christum suscepta, remissionem peccatorum accipiunt, illis e vestigio tantæ vires à Deo conceduntur, ut iis bene utentes non modo elata manu non peccent, sed ne peccare qui-

dem possint, Joh. 3. 9. (de quo loco statim pluribus agendum erit) Quocirca in tali remissione nulla amplius oblatione opus est.

Quæres, quid ergo de illis qui post remissionem peccatorum, enormia quædam peccata committunt, sit statuendum, quod nonnunquam contingere exemplum Corinthiaci incestuosi, sed & locus ad Gal. 6. 1. & alii complures apertissime ostendunt? Nonne hinc liquido constat præcedentem remissionem ipsum non posse liberare, (quod & parabola Matt. 18. 34 non obscure innuere videtur) novaque oblatione opus esse?

Respondeo ex ipsis allatis locis satis constare posse, quod in istiusmodi casu nullo novo sacrificio sit opus, cum ousquam istud ab Apostolis indicetur, sed sola resipiscentia requiratur, quam cum quis ex animo præstat, remissio illa prior vim suam obtinet, quam non prius amittere potest, quam cum penitus religionem Christianam cum pietate prorsus rejicit. Quod ubi quis fecerit, ne tum quidem ullum novum sacrificium requiritur, quandoquidem tunc penitus impossibile est ut convertatur, quemadmodum verba Hebr. 6. 5,6,7, & x 26,27, aperte ostendunt.

Cap. 26. pag. 593. a. lin 17. Auctor ad locum superius citatum 1 Joh. 3. 9 respondens, *non peccare*, & *non posse peccare*, non de nullo prorsus gravi peccato, sed tantum de eo quod raro fit, intelligi vult. Quæ solutio, si nulla commodior daretur, omnino admitti posset. Si vero recte percipiamus quid Apostolus per *peccare* significare voluerit, sensus fiet planissimus. Cum ergo Apostolus voce *peccandi* ab hominibus piis removeat id quod Diaboli faciunt, *qui ab initio peccare* dicuntur, apparet ipsum per *peccare* nihil aliud significasse, quam contumaciter in peccato perseverare, quandoquidem id quod de Diabolo affirmavit, de piis apertissime negat fieri posse. Talia peccata impossibile est ut is qua talis committat qui ex Deo genitus, id est revera pius est & manet. Idem quod de voce *peccandi* diximus, locum habet in vocibus *justitiam facere*, de quibus author in tertia ratione sua agit.

Cap. 26 pag. 594. lin. 6 a fine. Author postquam sub Novo Fœdere secundæ pœnitentiæ locum esse validissime adstruxisset, duo ad Hebr. Epistolæ loca enodare aggreditur, quæ ipsius sententiæ non parum obstare videntur, scilicet cap. 6. 4, 5, 6 & x. 26,27. Ubi desidero quod vocem *impossibile* proprie accipi nolit, cum tamen nihil sit cur istud non concedere possit, nec ulla ratio nos a vocis proprietate discedere cogat. Secundo cum talia de istis hominibus affirmet, ex quibus aperte colligi potest plane impossibile esse ut denuo cum Deo reconcilientur. De istiusmodi enim hominibus agit *qui postquam semel fuerunt illustrati, gustaverunt donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, Gustaveruntque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri sæculi*, & tamen eousque prolabuntur *ut Filium Dei rursum sibimetipsis crucifigant, & ad ignominiam exponant* cap. 6. 4, 5, 6, imo *Filium Dei conculcent, & sanguinem Fœderis per quem sanctificati fuerant, profanum ducant* cap. 10. 29, id est Christum ut falsum Prophetam merito morte mulctatum fuisse. Non itaque mirum est quod de istis affirmet cap. 6. 8 eos *maledictioni affines* esse, id est tempus eorum maledictionis instare, quocirca statim subjicit, *quorum finis est ad exustionem*, & cap. 10. 26 nihil ipsis, *nisi horrendam judicii expectationem & fervorem ignis, qui adversarios sit devoraturus* exspectare. Id quod comparatio inter Legis transgressores cum istis apostatis, quorum supplicium longe gravius esse statuitur quam istorum, apertissime evincit. De illis enim dicitur quod absque misericordia debuerint interfici, his vero multo gravius supplicium denuncians, istud similiter absque misericordia, non exspectata conversione, cujus tempus ipsis præcisum esse jam indicaverat, inflictum iri. Et quamvis statuamus conversionem talibus hominibus nullo modo concedi, non tollitur tamen discrimen quod ratione remissionis peccatorum inter Legem & Euangelium locum habet. In Lege enim, qui semel tantum elata manu peccarent, absque misericordia, sive resipiscerent, sive non resipiscerent, interfici, hic vero qui sæpius talia peccata commiserunt, modo seriam agant pœnitentiam, remissionem obtinere possunt, dummodo post tam sublimem statum non penitus à religione Christiana deficientes, Christum pro seductore habeant.

Auctor, ut ostendat vocem *impossibile* improprie accipi debere, subjungit Apostolum, quamvis de ipsis affirmasset ipsos tales quales dixerat esse, cap. tamen 6. 3 promittat, se nihilominus de novo fundamentum inter ipsos jacturum.

Nos vero negamus Apostolum de istis Hebræis affirmare ista quæ mox citavimus, imo expresse contrarium de illis asserit cap. 6. 9, *de vobis enim dilecti*, inquit *persuasimus nobis meliora, & cum salute conjuncta, quamvis ita loquamur*. Et versu 4. rationem reddit cur *omisso sermone fundamentorum, ad perfectionem* pergendum sit, quia nimirum impossibile esset rursus jacere fundamentum, si ab eo defecissent, quocirca verba versus tertii non ad fundamenti collocationem, sed ad doctrinæ perfectioris propositionem referri debere, omnibus qui locum diligenter inspexerint, apertissime constabit.

Cap. 28. p. 598. à l. 26. item initio cap. 29. Author affirmat, nos absque Christi morte remissionem peccatorum minime consecuturos fuisse, quod quamvis superius ad cap. 10. p. 549 satis à nobis refutatum sit, placet tamen hic addere, verba Pauli ad Rom. cap. 8. 33, 34, ab authore citata, id nullo modo indicare. Si vero absque Christi morte peccata nobis non fuissent condonata, id propterea fieret, vel quia Deus nollet, vel quia id non posset facere. Utrumque vero falsum esse, eædem rationes evincunt, quibus Author contra Covetum ostendit, Deum absque Christi satisfactione peccata voluisse & potuisse condonare pag. 186 & seq. item in Prælect. cap. 16 & 17. Deum non interveniente morte Christi peccata nostra condonare non potuisse, quis asserere audeat? & quibus vel rationibus vel Scripturis id probare posset? Noluisse autem nullo modo verum esse potest. Nam, præterquam quod nullibi in S. Literis istud inveniatur, fac Christum noluisse Deo usque ad mortem obedire (quod fieri potuisse satis ut arbitror ab Episcopio & aliis est demonstratum) & homines interea Deo in omnibus obedire paratos fuisse, quales sane plurimi ab omni ævo reperti sunt, num propter Christi inobedientiam, cujus nos minime causa fuimus, omnes in æternum exitium præcipitandi essemus? Quis tam crudele facinus Deo adscribere audeat? Secundo: quandoquidem Deus ex ardentissima, qua genus humanum prosecutus est charitate, filium suum unigenitum ad mortem tradidit Joh. 3. 16, an ullo modo verisimile est, si is refractarius fuisset, ipsum non potius quodvis aliud medium adhibiturum fuisse, quo homines ab æterna condemnatione liberarentur, quam dilectionem suam in irreconciliabile odium propterea commutando ipsos æternum damnare, nulla ipsorum Christi inobedientiæ culpa accedente? Nihil obstat quod passim in Sacris Literis remissio peccatorum Christi morti adscribatur: ex eo enim non sequitur, quod Christo nolente mori, remissio peccatorum non fuisset exhibita; sed istud tantum,

quod

quod postquam Christus ad mortem usque Patri obediverit, nulla via peccatorum remissionem, quam per ipsius mortem ac resurrectionem pateat. Quid quod divinæ sapientiæ nullo modo consentaneum esse videatur, quod universam generis humani salutem, ex incerto unius hominis obedientiæ filo suspendere, & in præcipitio collocare voluisset. Certum quidem est, si Christus non fuisset interfectus, nos viam per istud medium vitam æternam adipiscendi non fuisse cognituros. Sed multis aliis modis Deus nos de ratione vitæ æternæ adipiscendæ certos reddere potuit. Confer quæ superius pag. 802. ad finem dicuntur.

Ibid. paucis interjectis author affirmat, non fuisse necesse ut Christus mortem crucis experiretur, si nostra peccata non antecessissent. Quod nescio an adeo certum sit. Quidni non potuit istud necesse esse, ut nos de promisso vitæ æternæ certos redderet? imo ut per istum obedientiæ suæ colophonem, ad gloriæ ipsi destinatæ fastigium à Deo extolli posset?

EXPLICATIO
ESAIÆ CAPITIS LIII.

Explicationibus Textus Ariæ Montani præfixus est, sed in quibusdam locis secundum Hebraicam veritatem emendatus.

ARGUMENTUM.

Propheta postquam præcedenti capite, secundum mysticum sensum, spiritualem populi sui liberationem, per Messiam, prædixisset, cœperat versu 13 eum describere per quem ad effectum perducenda esset. In quo pergens, hoc capite latius eundem describit: nempe quomodo respectu sui ortus atque progenitorum, valde humilis conditionis existens, ad versum 3, etiam à populo suo diversis modis male tractandus esset, & hæc omnia patienter toleratur, usque ad versum 8. Deinde enarrat ejus ex miseria liberationem, cum causa ob quam Deus ipsum ita exaltaverit, usque ad finem capitis.

Vers. 1. *Quis credidit auditui nostro?* Verba Prophetæ, quibus populi Judaici incredulitatem, quando liberator, per quem Deus populum suum liberabit, versu 13 præcedentis capitis memoratus, venturus sit, animo suo, Spiritu Dei afflato, magno mœrore repræsentat. Quasi diceret; Quis nostræ prædictioni, aut rebus quas hactenus de istius ministri eminentia prædicavimus, fidem est adhibiturus?

Et cui brachium Domini est revelatum? Per *brachium Domini*, potest commode intelligi Messias, qui etiam cap. 52. ℣. 10. *brachium sanctitatis Domini* est nominatus. Quasi dicat; Et quisnam istum potentem judiciorum Dei exsequutorem, quando ad nos liberandos veniet, pro tali agnoscet? Nam præteritum tempus ponitur hic pro futuro, per totum hoc caput. Et *revelatum* significat tantundem ac ita revelatum ut quis id credat: Nam qui non credit id quod ei revelatur, perinde est atque si ei non revelatum fuisset. Sic *vocati* aliquoties sumuntur pro iis qui vocationi obediverunt, ut Act. 2. 40. Rom. 8. ℣. 28. 1 Cor. 1. 24. Hebr. 9. 15.

Vers. 2. *Et ascendit ut tener ramus*. Orditur descriptionem Messiæ (quem ab omnibus in ipso requisitis, per valde clara indicia, ad populi divini instructionem, vivis coloribus depingit & ob oculos ponit) ab ejus ortu seu origine, per similitudinem germinis, seu surculi, qui per fœcundum incrementum, in proceram arborem adolescit. Quasi dicat, ex vili & obscura origine atque conditione ad altissimam potestatem in cœlo & in terra adscendet. *Et* ponitur sæpe in Hebræo pro *nam*. Propheta rationem reddit, cur hæc res tam parum fidei sit inventura, nempe quoniam secundum carnale judicium hominum nullo modo verisimile sit futurum personam tam abjectæ conditionis, qualis est fabri, apud Deum in tanta existimatione futuram esse.

Coram facie ejus. Hoc est coram Domino, cujus brachium, id est potens exsequutor liberationis populi Dei, est is, cujus ductu hæc res est eventura.

Et sicut radix ex terra siccitatis. Quam incredibile est, ut ramus tener in terra arida insitus, subito in arborem magnam excrescat, sic nullo modo verisimile videbitur, ut tam vilis persona ad tantum dignitatis, potentiæ atque dominii gradum evehatur. Vide cap. 49 7.

Non ei forma neque decor & vidimus eum. Nunc declarat similitudinem surculi. Propheta adjungit se ipsum suis popularibus incredulis. Vide similem loquendi modum cap. 59 9, 10 &c. Jer. 6. 24. Dan. 9. 5. Mal. 1. 9. 2 Cor. 2. 10. Jac. 3. 1, 2, 6, 9. 1 Petr. 4. 3. Non habebit externum carnalis potentiæ opum, ministrorum & similium, ob quæ homines ab aliis honorantur, splendorem. *Et* pro ut, ut in sequenti membro mox explicatur.

Et non adspectus ut desideraremus eum. In Hebræo est, *& desideravimus eum*; *Et* positum est pro *ut* vel *ita ut*, sicut cap. 26. 2. Dan. 2 3. confer cum vers. 4. Sensus est: vultus ejus non erit splendidus, neque quidquam magnificum præ se feret, ut quis propterea facile ad eum consectandum alliciatur. Ad id respicit, quod nec ipse ullas terrenas opes possessurus, nec aliis eas promissurus sit, quo populum ad se alliciat. Hoc ipsum est quod etiam antea indicaverat.

3. *Despectus est*. Significat Propheta, eventum cum reipsa concordaturum seu ei responsurum. Sicut ipse nullam speciem externam habiturus est, talem etiam inter homines existimationem est obtenturus. Imo, sicut ipse pro eminentissimo inter homines seipsum geret, qualis etiam revera erit, sic ab iis pro vilissimo & omnium deterrimo reputabitur, & ut talis tractabitur: prout ex sequentibus patet.

Et abjectus est inter vos. Ab hominibus rejicietur, & à populo diris devovebitur: sicut cap. 49. ℣. 7 de eo dictum est.

Vir dolorum. Id est plenus doloribus. Vide Job. 6. ℣. 25.

℣.25, & confer ibidem versum 2, ubi in Hebræo est *terra siccitatis* pro terra sicca.

Et notus ægritudine. *Notus* pro expertus, peritus, & *ægritudo* pro afflictione, ut Rom. 8. 26. 1 Cor. 2. 3. 2 Cor. 11. 30. xii. 5, 9, 10 &c. Hebr. 4. 14, ubi hæc ipsa res claris verbis est expressa.

Et [*quisque*] *erat quasi faciem abscondens ab eo.* Quilibet ex nobis faciem ab eo averteret, velut ab homine impuro. Alii, ut Piscator, & Junius, interpretantur; *erat quasi faciem abscondens à nobis*, id est, geret se ut leprosus. Nam leprosi (sicut videre est Levit. 13. 45, 46.) debebant superiorem partem faciei sut superius labium operire, extra urbes degere, & homines sibi ovios voce monere se impuros esse, ne vel halitu ipsorum polluerentur. Hebræa vox *Mimmennou* significat tam *à nobis*, quam *ab eo*.

Despectus erat, & non reputavimus eum. Sicut ipse despectus erat, quod ad speciem externam attinet, ita nos eum, quamvis apud Deum in summo fuerit pretio, ut hominem execrandum tractavimus.

4. *Vere languores nostros ipse tulit.* Progreditur ulterius in describendo contemtibili statu Messiæ. Hæc verba à Scriptoribus Novi Fœderis accommodantur ad sanationem morborum corporalium Matth. 8. 17, quos Christus ab hominibus auferens, quasi procul detulit, atque deportavit. Non quod is sit istorum verborum sensus, sed illorum tantum applicatio ad aliam impletionem, qualem habemus Matth. 2. 17, ubi infantum Bethlehemiticorum cædi, verba Jerem. 31. 15, accommodantur, quæ non de ista puerorum cæde; sed de Israëlitarum abductione loquuntur. Quæ verba tamen infanticidio isti ita accommodantur, quasi eam prædixerint, quoniam idem quod in isto infanticidio locum habet, antea etiam in illa abductione evenit. Similiter fit Rom. 10. 18, ubi prædicationi Apostolorum, quæ per totum mundum facta est, verba Davidis Psal. 19. 5 accommodantur, cum tamen verba Davidis, Cœlum, Stellas, & Planetas spectent. Sed quoniam id quod David Poëtica venustate dicit de cœlo, optime quadrat in prædicationem Apostolorum, ideo Paulus ea ad Apostolorum prædicationem ita adaptat, quasi David, aut Spiritus Sanctus per ipsum, his verbis eo respexisset. Confer cum his ea quæ habentur Matth. 2. 23, & alia similia plura. Quodsi quis velit ista verba ad peccatorum ablationem accommodare, commode possunt eodem modo exponi, nempe quod ipse reatum, actum & pœnam peccatorum à nobis sit ablaturus, atque in abyssum æternæ oblivionis, conversionem ac remissionem eorum in hominibus efficiendo, quasi delaturus. Nam quum Matthæus id expresse nominet *morbos nostros accipere, & languores nostros portare*, quod Christus eos sanaverit, etiamsi ipse corpore suo æger non evaserit, similiter de peccatis potest hoc ita intelligi, quod ea ita abstulerit, ut ipse non fuerit peccator, neque etiam ob nostra peccata à Deo punitus. Quemadmodum verbum hoc *ferre* sæpe pro auferre sumitur, ut Matth. 3. 11. confer cum 8. 17. Joh. 20. 15. Num. 16. 15. confer cum ℣. 6. 1 Pet. 2. 24. collat. cum Hebr. 9. 28 2 Reg. 20. 17. Verumtamen nos existimamus, salvo meliori judicio, verum sensum istorum verborum esse, quod ipse Judæorum peccata, (nam de istis hic est sermo) id est, odium, crudelitatem, & injustitiam sustinere, & per eos male tractari, debuerit. Qui sensus cum sequentibus verbis & versibus optime convenit, sicut ostendemus. Nam vox ista *languores* notat dolores qui ex vulnere proveniunt: sicut Pagninus observavit. Quasi dicat; ipse dolores quibus nos eum affecimus, sustinuit. Propterea velut declarans idipsum, addit:

Et dolores nostros bajulavit eos. Onus seu pondus nostræ crudelitatis; seu molestos dolores quos nos ei inferemus, is perferet seu sustinebit.

Et nos putavimus eum plagatum, à Deo percussum, & humiliatum. Nos Judæi (inquit) videntes odia, vexationes, contumelias, & miserias, quibus eum seniores populi affecerunt, opinati sumus hæc esse signa Divini odii, poenæ, atque afflictionis ob ipsius peccatum ipsi immissæ. Nam voculæ *à Deo*, quæ in medio interseruntur, debent de omnibus istis tribus vocibus intelligi. Exprimit Propheta causam ob quam Judæis scandalo seu offensioni futurus esset, nempe persequutiones seu afflictiones, quibus ipse à senioribus Judæorum afficeretur, quæ in Veteri Fœdere inter pœnas à Deo infligendas recensentur.

Vers. 5. *Et ipse vulneratus est à prævaricationibus nostris.* Nostræ transgressiones, contumacia, impietas, & crudelitas, impellent nos ad eum multis doloribus, & lethiferis ictibus convulnerandum. *Et* ponitur hic pro *sed*, quemadmodum etiam Ordinum Belgii fœderati interpretes id sunt interpretati. Nam Propheta exprimit veram causam miseriarum Messiæ, contra perversam populi sui opinionem, versu præcedente indicatam. Quasi dicat; Nos existimavimus quod Deus ei miserias ob ejus peccata immitteret, sed erat nostra propria malitia, quam Deus propter nostram salutem, & ipsius proprium commodum (quemadmodum in fine hujus, & versu 8 ostendemus) noluit impedire. Judæi dicunt verba ista a *prævaricationibus nostris* idem significare, quod à nobis qui prævaricatores sumus, quod cum nostra explicatione consentit. Vocula *min*, voci *prævaricationis* annexa in Hebræo, ab interpretibus Ordinum & aliis quibusdam vertitur *propter*. Verum sciendum est quod ea proprie nihil aliud significet quam *ab* vel *ex*, quamvis sæpe in aliis significationibus sumatur, ut pro *cum*, pro *absque* &c. Imo locus quem Pagninus affert ubi pro *propter* posita sit, ut Jer. 48. 45. ab Interpretibus Ordinum pro *ab* sumitur: & vicissim ubi Ordinum Interpretes vertunt *propter*, ut Psal. 31. 12, ibi Pagninus ponit, *inter*. Præterquam quod ibi possit etiam accipi pro *per* nempe hoc modo, *per potentiam inimicorum meorum*. Quicquid sit, quoniam propria significatio hujus voculæ *min* hic retineri potest, & sensum efficit qui non modo non est absurdus, sed etiam omnino verus, ex hoc loco nequaquam ostendi potest (ut Socinus vult) quod Christus mortuus sit causa aut occasione peccatorum nostrorum, hoc est, quod nostra peccata talis antecedens causa mortis Christi fuerint, ut non fuissent ablata, nisi ipse obediens fuisset usque ad mortem. Etiam ex hoc loco non potest probari opinio eorum qui statuunt, quod Christus mortuus non fuisset si homines non peccavissent. Multo minus illa opinio quod Christus mortuus sit loco nostri, aut propterea ut pro nostris peccatis satisfaceret, aut sufficiens pretium persolveret. Confer cum his ea quæ ad finem versic. 8 à nobis dicentur, ubi eadem vocula *min* usurparur.

Attritus ab iniquitatibus nostris. Nos impietate nostra instigati, injustissime ipsum affligemus.

Castigatio pacificationum nostrarum [erat] *super eum.* Postquam Propheta ostendit causam miseriarum quæ Messiæ erant obventuræ, jam exprimit quomodo Deus per suam admirandam sapientiam rem hanc ita sit directurus, ut quamvis jam de salute generis humani actum esse videretur, quia illi Servatorem suum erant rejecturi atque necaturi, contra potius homines per id ipsum sint salvandi: nempe quod ipse Messiæ perpessiones atque mortem adhibiturus

biturus sit pro medio ad eos qui in ipsum credent salvandos. Hic igitur est horum verborum sensus: Calamitates quas ipse ita patienter perferet, tantum abest ut sint divinæ in eum iræ indicia, aut ut eum faciant infelicem, ut potius ipsa nobis, si resipiscamus, & eum pro Messia recipiamus, supremam felicitatem sint allatura. Nam *pax* Hebræis significat quamvis felicitatem, ut Job. 8. 6. XII. 6. XXI. 9. Psal. 4. 9 &c videre est. Vox *castigatio* non significat propriè pœnam, (quæ semper a Deo ex odio in alicujus perniciem immittitur) sed solummodo aliqua incommoda & calamitates, quibus quis quempiam quem diligit, afficit, ad eum servandum & felicem reddendum. Confer Heb. 12. 6,7,8,9,10,11 & Psal. 73. 14. Castigatio quidem vulgo propter delictum aliquod adhibetur, quod tamen in Christo nullum habuit locum, & idcirco vox ista non potest hic accipi pro miseria ac dolore qua aliquis, quia peccat afficitur. Hebræa vox *mousar*, quæ hic ab interpretibus Ordinum vertitur *pœna*, ab Aria Montano, a LXX Interpretibus, a Vatablo, & ab antiquo Latino Interprete per *castigationem* exprimitur. Quemadmodum ipsi Ordinum Interpretes eandem vocem interpretantur Hos. 7. 12. Jer. 2. 30. Prov. 1. 2, 7. iij. 11. IV. 13. VIII. 10. XXIII. 12. Esai. 26. 16. & passim alibi.

Et in [aut *per*] *livore ejus medicatum est nobis*. Exprimit idem clarius aliis verbis, quod antea dixerat. Quasi dicat; Nos ex occasione perpessionum ejus, dummodo in eum credamus, ab omnibus nostris spiritualibus & corporalibus miseriis liberabimur.

Vers. 6. *Omnes nos, tanquam ovis, erravimus*. In eo persequendo & male tractando, ita imprudentes & stupidi erimus, sicut ovis ratione destituta, opinantes eum esse seductorem, quum sit noster Servator. Sunt hæc verba Ecclesiæ Judaicæ, posteaquam conversa Messiam agnoscere didicerit.

Unusquisque ad viam suam conversi sumus. Causa erroris nostri futura est, quod quisque præconceptam opinionem, non autem Domini præcepta sit secuturus, agendo secundum malas carnis nostræ concupiscentias, quas Messias palam verbis & factis redarguens, in nobis capitale contra eum odium excitabit.

Et Dominus fecit occurrere in eum iniquitatem omnium nostrum. Deus per suam sapientem & summam providentiam, nostram simul & illius salutem promovens, permissurus est, ut calumniis nostris & nefariis factis, impiam nostram crudelitatem in eum exerceamus, neque quiescamus donec illum è medio sustulerimus. In quo ille Patris sui voluntati obsequutus, rursus è morte liberabitur, sicut in sequentibus indicatur.

Vers. 7. *Oppressus est, & ipse afflictus est, & non aperiet os suum*. Nunc describit magnam Christi patientiam, quod nimirum à Judæis, omnibus modis, per injustam sententiam, convitia, flagellationes, & denique mortis supplicium afflictus, nequaquam os suum ad maledicta, aut ultionem spirantes minas, imo neque ad intempestivam defensionem, sit aperturus: Sicut Matth. 26. 63. XXVII. 12, eum fecisse narratur, & Act 8. 32, hæc ipsa verba eo fine adducuntur. Loco istius *oppressus est*, Interpretes Ordinum habent [quum] *ipse requisitus est*, quod etiamsi verba Hebræa pati possint, tamen hic non quadrat, sed sensum obscurat. Nisi transferatur, *ipse requisitus est*, & intelligatur, quod requirendus sit ad mortem; ad quam hic respicitur.

Sicut agnus ad occisionem ducetur, & sicut ovis coram tondentibus eam obmutuit. Hoc dicitur opposite ad alia animalia, quæ si vel ad mundandum, necandum, vel in alium finem, contrectentur, magnam edunt vociferationem, quod oves non faciunt. Hoc Christo applicatur, contradistincte ad seductores sive Pseudo-Christos, qui ad mortem postulati, convitiis, minis, cædibus, incendiis, magnas strages ediderunt.

Et non aperiet os suum. Sicut ovis solet. Quoniam Verbum *Jiphthach aperiet*, est masculini generis in Hebræo, & nomen *Rachel, ovis*, fœmini, ideo hoc respicit etiam Christum, sicut præcedens, & non ovem.

Vers. 8. *Ex clausura & ex judicio sublatus est*, aut potius, *assumtus est*. Per *clausuram* potest commode intelligi sepulcrum, in quo sub gravi lapide sepulcrali obsignato conclusus erat. Hæc verba igitur comprehendunt præmium quo eum Deus pro ipsius obedientia erat coronaturus, nempe quod sententiam & exsequutionem supplicii mortis, quo Judæi increduli eum affecturi erant, justo suo judicio erat aboliturus, eum ex morte excitando atque in cœlum evehendo.

Et generationem ejus quis enarrabit? Quis possit injustitiam illius ævi, id est hominum qui illo tempore vivent, quo ista fient, satis pro merito fando explicare, aut scribendo declarare? Quis perversitatem populi gentis nostræ qui Messiam per falsas accusationes ad mortem truculentam est postulaturus, possit verbis depingere? Quod is sit verborum istorum sensus, verba sequentia non obscure indicant. Et à Vatablo in eundem sensum explicantur. Calvinus super hæc verba ita scripsit: *Quæ sequitur exclamatio in varios sensus tracta & quasi lacerata fuit. Hoc loco abutebantur veteres adversus Arrianos, cum æternam Christi generationem probare vellent; sed apertioribus Scripturæ Testimoniis contenti esse debuerant, ne se ridiculos hæreticis præberent, qui hac occasione interdum pertinaciores redduntur. Exceptio enim prompta erat, Prophetam de hac re ne cogitasse.* Postea quum diversas istorum verborum expositiones recensuisset, ponit suam propriam explicationem: quæ etiam ab ipso in Religionis Christianæ institutionibus, cap. 6. de fide est expressa, ubi ita scripsit: *Veteres qui æterna Filium generatione à Patre extitisse sentiebant eam ostendere ex Esaiæ testimonio conati sunt: Generationem ejus quis enarrabit? In quo eos stunde hallucinatos fuisse palam est. Non enim illic quomodo Filium genuerit, sed quam diuturno tempore regnum ejus propagaturus esset, tractat Propheta.*

Quoniam abscissus est de terra viventium. Propheta reddit rationem suæ admirationis super Messiæ generatione, seu natione. Quasi dicat: Hæc illius populi malitia eo usque progredietur, ut per eum princeps vitæ vita spoliandus sit. Ista & præcedentia verba, videntur à Luca Act. 8. 33, paulo aliter enunciari. *In humilitate ejus judicium ejus sublatum est: quis autem generationem ejus enarrabit! quoniam tollitur à terra vita ejus.* Sed si vox *humilitatis*, pro afflictione & ad mortem usque humiliatione sumatur, sicut Philip. 2. 9 sumitur; sensus idem erit.

Propter prævaricationem populi mei plaga [evenit] *ei*. At quamvis Deus miserias ab eo avertet, easque ad finem tam bonum convertet, tamen populi mei culpa per propriam eorum malitiam manebit, qui sua impietate ac incredulitate causa miseriarum suarum erunt, ita ut ii nisi convertantur nihilominus ob eas graviter sint puniendi. Vide quid de voce *transgressionum*, ad versiculum quintum diximus. Voculam Hebræam *lamo*, quam nos exponimus *ei*, Judæi interpretantur *eis*, & referunt eam ad populum Judaicum. At præterquam quod iste sensus nihil ipsis prosit, (nam tunc sensus esset quod pœna

quæ

quæ Judæis postea supervenit, ob obstinatam malitiam, quam in Messiam exercuerunt, à Deo sit ipsis immissa) exemplaria quædam habent hoc loco voculam *lo ei*. Præterea ipsa vocula *lamo* etiam pro *lo* id est *ei* sumta invenitur Gen. 9. 26, 27: *Canaän sit ei* (Semo) *servus*, sicut etiam Jobi 20. 23. XXII. 2. Esai. 44. 15.

Vers. 9. *Et dedit cum impiis sepulturam ejus. Dedit* pro data vel posita est, secundum Hebraicum loquendi modum. Sensus est: Exsequiæ ejus non cum regali pompa funebri, neque etiam comitatu amicorum & næniis atque ejulatu cognatorum, celebrabitur: sed postquam ipse tanquam maleficus ac scelestus necabitur, à paucis hominibus absque strepitu ad sepulchrum deducetur.

Et cum divite, in mortibus ejus. Post mortem tamen tanquam dives aromatibus conditus, & in magnifico divitum monumento est repositus.

Quoniam iniquitatem non fecit. Hoc Deo gubernante ac disponente ita eveniet; quoniam, quamvis tanquam blasphemus interficietur, insons tamen revera erit. Vel vox *quoniam* sumi potest pro *quamvis*. Quasi dicat; Hæc supplicii perpessio ei obveniet, etiamsi nihil iniqui fecerit; atque ita cum sequentibus paulo melius conveniet.

Nec dolus in ore ejus. Dolus, spectat eò quod se pro propheta gesserit, & Messiam se esse dixerit, in quo non est mentitus, etsi Judæi hujus criminis eum insimulaverint &c.

Vers. 10. *Et Dominus voluit contundere eum, ægrotare fecit* [*eum*]. In hoc versu ratio redditur, quare Deus permissurus sit ut iste crimine vacuus Propheta à suo ipsius populo tam male tractetur: nempe quod Deus voluerit ut per ejusmodi perpessiones in gloriam suam ingrederetur: quæ gloria verbis sequentibus exprimitur. Ideo Christus ipse dixit Luc 24. 26: *Nonne oportuit ista pati Christum, & ita ingredi in gloriam suam?* Quocum consentit illud quod dicit Joh. 12. 23, 24: *Venit hora qua Filius hominis est glorificandus; Amen amen dico vobis: Nisi granum tritici in terram cadat & moriatur, manet solum*, nempe absque fructu suo ipsius, vel alterius, *sed si moriatur, fructum multum profert.*

Si [*se*] *posuerit pro delicto, anima ejus videbit semen. Delictum* seu *peccatum* ponitur hic pro pœna: sicut Job. 14. 16. xxij. 23. Psal. 31. 11. Esa. 24. 20. Zach. cap. 14. 19. Hæc est causa ob quam Deus eum, sicut antea dictum est, humiliare voluit, scilicet quia apud se constituerat, eum pro tanta obedientia ejusmodi gloria coronare, ut ex mortuis resuscitatus, innumerabilem numerum sobolis spiritualis videret. Quasi dicat: Nam hæc perpessio & obedientia est conditio, sub qua ego ei hanc felicitatem sum pollicitus: quod vocula *si* confirmat.

Per *delictum* sive *peccatum* intelligit miserias & afflictiones quibus à Judæis est affectus, & qualibus Deus peccatores punire solet. Cum quo convenit quod dicitur 2 Cor. 5. 21. Gal. 3. 13, quod Deus Christum fecerit peccatum, & exsecrationem. Vox *aschan delictum*, apud Hebræos sæpe sumitur pro pœna, quæ alicui injuste infertur; ita ut, si non sit reus seu crimini obnoxius, saltem pro tali habeatur. Nonnulli interpretantur hanc vocem *hostiam pro peccato*, ut sumitur Lev. 5. 6, 18, 19. vj. 17. vij. 1, 2, 7, 37. Numer. 18. 9. Ezech. 40. 39. In quibus omnibus locis vox *aschan peccatum* seu *delictum* in Hebræo ponitur, & ab Ordinum interpretibus vocibus *hostia pro peccato* optime exprimitur. Ita ut sensus sit, quod seipsum pro peccato hostiam ad mortem esset traditurus, & ista gloria idcirco à Deo in ipsum conferenda esset. Quod Apostolus Philip. cap. 2. 8, 9 exprimit illis verbis: *Et specie inventus ut homo, humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem crucis. Ideoque Deus eum superexaltavit, & gratis donavit ei nomen quod est supra omne nomen.* Adeo ut ne sic quidem ex isto loco ulla satisfactionis Christi pro peccatis nostris demonstratio inferri queat.

Prolongabit dies. Longævam etiam vitam adipiscetur, quæ nullo unquam fine terminabitur.

Et voluntas Domini per manum ejus prosperabitur. Intelligit voluntatem Dei de hominibus ad salutem perducendis, ac judiciis ejus temporalibus atque æternis, super bonos atque malos exercendis. *Manus* notat ministerium, sicut Esa. 20. 2. Dan. 9. 20. Mal. 1. 1. Act. 15. 23. Quasi dicat; Deus sua placita in omnibus per ministerium hujus ministri pro suo beneplacito exsequetur.

Vers. 11. *Propter laborem animæ suæ videbit*, [*&*] *saturabitur.* Propter tantam obedientiam, videbit hanc felicitatem atque istud semen, ac ut rebus propriis ad satietatem perfruetur. Vide similia dicta Gen. 25. 8. XXXV. 29. 1 Chron. 23. 1. XXIX. 28. Exprimit rursus causam quæ Deum permovit ad eum glorificandum, nempe *laborem*, id est molestias atque afflictiones quas patienter erat toleraturus.

In scientia sua. Per eam quam ipse habiturus est divinæ voluntatis notitiam, à Spiritu Dei sibi communicatam.

Justificabit servus meus justus multos. Ipse justus existens, & revera sanctus compertus, multos homines è Judæis & Ethnicis ad sanctimoniam ac justitiam vitæ convertet.

Et iniquitates ipsorum ipse bajulabit. Et interim dum circa eos convertendos est occupatus, debebit onus ipsorum malitiæ, convitiorum, vexationum, & mortis cruentæ ab ipsis illatæ tolerare. Confer ea quæ ad vers. 4, 5, 6, de hoc loquendi modo diximus. Alii hoc intelligunt de peccatorum ablatione, quod peccata sit expiaturus, ac per viam conversionis, reatum, pœnam, & ipsum peccandi actum ablaturus.

Vers. 12. *Ideo dabo ei partem multorum.* Quoniam istud hic additur, ideo quod antecessit malim intelligere de patientia Messiæ, cui hic rursus præmium adjicitur. Subintelligi vero his & præcedentibus verbis debent voces: *dicit dominus*. Dabo ei sortem multorum, id est id quod particulatim multi possederant, & cujus quisque certam aliquam portionem tantum tenuerat, id totum ipsi soli dabo, dominium scilicet cœli & terræ, in quibus antea homines & Angeli sibi invicem subordinati, sub Dei suprema directione dominati fuerant. Confer Col. 1. 16, 17. Philip. 2. 9, 10, 11.

Et cum fortibus partietur spolium. Quoniam Christus in cœlo & in terra potestatem solus est adeptus, præpositioni *cum* hic nullus locus relinquitur, quocirca potius pleonasmus hic est agnoscendus. Impletionem hujus Prophetiæ fere ad verbum habemus Ephes. 4. 8 expressam: *adscendens in altum, captivitatem duxit captivam, & hominibus dona dedit.* Vide etiam Colos. 1. 16. Sensus est: de magno quod ipsi tribuam spolio (inquit Dominus) primum Angelis potentibus, deinde etiam hominibus potentibus, id est Regibus, Principibus & Dynastis, hac tandem etiam suis sanctis, partem aliquam sui in populos dominationis distribuet, quod posterius in fine seculorum demum perfectiori modo implebitur. Qua de re videatur D. Brenii tractatus *de Regno Christi glorioso*, item ejusdem explicatio libri Apocalypseos. Vocula אֵת, quæ frequenter *cum* significat, dandi casu etiam non raro effertur, ut Levit. cap. 13.

cap. 23. 49. Job. 26. 4. Levit. 16. 15. 1 Reg. 6. 31. 1 Sam. 22. 14, nonnunquam etiam πλανάζῃ, ut 1 Reg. 15. 23. Jer. 2. 37. Ezech. 6. 9.

Pro eo quod effudit in mortem animam suam. Idem sensus Philip. 2. 9, 10, 11 expressus est. Causa indicatur, quæ Deum, ut ipsum tanto præmio remuneraretur, permovit, aliis verbis quam superius versu 11 & alibi expressa.

Et cum prævaricatoribus numeratus est. Subintellige hic & in duobus sequentibus membris ex præcedenti membro *pro eo quod.* Altera Christi obedientiæ pars, qua divinæ voluntati obtemperans, se ut peccatorem tractari permisit, & ut maleficum cum latronibus seipsum occidi sivit. Confer 2 Cor. 5. 21. Gal. 3. 13.

Et ipse peccatum multorum tulit. Tertia obedientiæ Christi pars, quod impias multorum hominum divexationes, & multiplices persecutiones patienter toleraverit. Pergit enim Propheta in describenda summa Christi patientia. Ex quo facile intelligi potest hic non agi de ablatione peccatorum nostrorum, & multo adhuc minus de pœna peccatorum proprie dicta, quam Christus sustinuisse creditur. Probe vero notandum est, nos non ea fini explicationem hujus capitis exhibuisse, ut inde nostram de vi mortis Christi sententiam adstruamus, sed tantum ut ostendamus quam commode totum istud caput exponi possit, ita ut nullum satisfactionis Christi in illo vestigium appareat. Atque ex his, & quæ versu 4. diximus explicatio peti potest similium loquendi modorum in Novo Testamento, ut 1 Petr. 2. 24, ubi Christus dicitur *peccata nostra tulisse in corpore suo super lignum.*

Et [pro] prævaricatoribus intercedet. Quarta obedientiæ Christi, in perferendis injuriis pars, quod pro profligatis istis hominibus, à quibus tam crudeliter est tractatus, tot tantisque doloribus affectus, eo ipso tempore quo ad summum impietatis fastigium ascenderint, Deum oraverit, ne illos in peccatis interire sinat, sed uberiorem adhuc conversionis occasionem ipsis benigne præbere velit post suam in cœlis adscensionem. In quo etiam à Deo exauditus est.

Quoniam vero Author prolixe totum hoc de nostri justificatione & liberatione per Christum præstita negotium fusius est persecutus, & propter errores à nobis superius indicatos non ubique adeo feliciter sese expedivit, placuit hic materiæ istius synopsin quandam ob oculos ponere. Cum autem eorum qui à vulgo recepta opinione discedunt duæ de hac materia sint opiniones. Altera eorum qui statuunt Deum in negotio redemptionis primo in genere decrevisse fideles salvare, deinde istud non aliter, nisi per Christum ejusque mortem & quæ eam sunt subsecuta, facere. Altera vero eorum qui statuunt Deum quidem decrevisse fideles servare, sed nullo certo medio vel Mediatori seipsum alligasse, quam nos amplectimur, eamque sic breviter explicamus.

Christus voluntati Patris plenissime satisfecit, in eo consistenti ut is perfectam ipsius religionem, in finem seculorum servatam, sanctissimis præceptis & excellentissimis promissionibus constantem (remissionis scilicet peccatorum, communicationis Spiritus Sancti, vitæ denique æternæ ad finem usque vitæ obedientibus exhibendæ) hominibus Dei nomine annunciaret, eandem tanquam viæ dux vita sua exprimeret, & sanguine suo Novum istud Fœdus (quo voluntas ista comprehenditur) confirmaret. Hanc vero obedientiam ab ipso postulavit Deus tanquam præcedentem conditionem, sub qua eum, & non absque ea Luc. 24. 26. Joh. 12. 23, 24. Philip. 2. 9, ad tantum gloriæ fastigium evehere vellet, ut universum genus humanum, una cum omnibus Angelis Coloss. 1. 16, 17, 18 ab ipso penderent, ejus mancipia essent, tanquam supremi post Deum in cœlo & in terra Monarchæ, summaque potentia præditi, ut, tanquam summus Dei vicarius & judex vivorum atque mortuorum, ea quæ jam indicata sunt, potenter exequeretur, non modo ad æternam vere credentium salutem, sed etiam ad æternum eorum qui Euangelio non obtemperant exitium pertinentia. Quicunque igitur istud Fœdus (primo per ipsum tanquam Prophetam, postea vero, cum ob suam cruentam obedientiam in regem summum atque Pontificem esset exaltatus, per legatos suos hominibus est annunciatum) vera fide amplectitur atque profitetur, gratis ex mera misericordia justificatur, cum Deo reconciliatur, & in Filium Dei adoptatur. In qua reconciliatione, justificatione & filiatione magis magisque extollitur & confirmatur per observationem mandatorum Christi, Jac. 2. 21, 22, 23. 2 Cor. 5. vers. 18, 19, 20. 2 Petr. 1. 5, 6, 7, 8, 9, 10. Quousque vero observatio ista mandatorum Christi se extendat, de eo passim Socinus in his operibus tractat. Videatur inter alia Lect. Theol. cap. 26. item tractatus *de Officio Hominis Christi:* &c. hoc titulo impressus: *Quod Regni Poloniæ & magni ducatus Lith.* &c. c. 1. item contra Covetum de Salvatore Parte 1. cap. 4. p. 128. nec non Comment. In 1 Epist. Joh. passim. Ut verbo totum negotium expediatur, sic Deum filium suum alloquentem inducimus. Talia, mi fili, docebis, observabis & sustinebis, & tum pro ista obedientia ad summam potestatem & gloriam ex mera gratia te extollam, adeo ut ipsi quoque Angeli tibi subjiciendi sint, omnesque populi prædicationi tuæ immorigeri, sive vivant, sive mortui sint, æterna maledictione per teipsum puniendi. Quicunque vero ex istis in te sunt credituri, hos à servitute diaboli, peccati & æternæ condemnationis vindicatos, tibi in proprium populum tradam, ut ipsorum caput, Dominus, Judex & Salvator sis, à quo vitam æternam, cum omnibus quæ ad eam acquirendam ullo modo pertinent, à te solo expectent. Simili plane modo, quo Deus ad Pontificem Veteris Fœderis dixisse censendus est: tales ceremonias, oblationes & preces facies, & sic Tibi & toti populo omnia peccata ex infirmitate & ignorantia commissa condonabo, ne propter ista, tanquam Politia Israelitica indigni, rejiciamini.



TRACTATUS

De

DEO, CHRISTO,

& SPIRITU SANCTO,

FAUSTI SOCINI
SENENSIS.



IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.



Argumenti pro Trino & uno Deo, omnium potissimi, aut certe usitatissimi, Examinatio,

SIVE

TRACTATUS,

De Deo, Christo & Spiritu Sancto,

Cujus rei occasione tota de re, præcipue vero de Christi divinitate ac natura quæstio, breviter explicatur.

Adjectæ sunt Theses quædam de Christo à vera divinitate excludendo, nisi sit cœli terræque creator.

Et ad eas brevissima responsio.

BENEVOLE LECTOR.

TRactatulus iste, per errorem, non suo loco repositus, Tomo 2 ante pag. 423 collocari debuit. Ad hunc enim respiciunt Assertiones Theologicæ *de Trino & uno Deo, adversus novos Samosatenicos*, pag. 423 collocatæ, quas Socinus, ex Collegii Posnaniensis prælectionibus excerpras, una cùm suis in eas *Animadversionibus*, præfixo dicto Titulo, in lucem edidit. Animadversionibus istis *Gabriel Eutropius* Jesuita, nomine Collegii Posnaniensis, defensionem assertionum suarum opposuit, quam Defensionem Socinus, nova *Animadversionum* suarum *Defensione*, quæ Tomo 2 pag. 625 collocata est, refutavit. Vale.

Auctor ad Lectorem.

QUando uberiora atque exactiora de hac trini & unius Dei, Christique potissimum divinitatis quæstione scripta nostra tecum communicare nondum possumus, hæc tibi, optime lector, damus. quæ exilia licèt ac minùs elaborata, tibi haud inutilia fore speramus. Utrumque scriptum non nostra sponte, sed partim ab amicis rogati, partim ab ipsis adversariis exstimulati, qui & argumentum istud, & theses diversis temporibus refellendas proposuerant, haud tamen gravatè, jampridem exaravimus. Ex quibus si te in vera Dei Christique cognitione quidquam juvari senties, ipsi Deo Christoque gratias ages. Sin minùs; conatum nostrum te juvandi boni consules. Vale.

ARGUMENTUM.

DEUS *est tantùm unus, ut ex multis Scripturæ testimoniis apertè constat. Atqui Pater in sacris litteris dicitur Deus, Filius item, & Spiritus sanctus dicitur Deus. Ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt unus Deus, & consequenter Deus unus quidem est essentiâ, sed trinus personis.*

RESPONSIO.

VOX DEUS, duplici modo potissimùm in sacris literis accipitur. Prior modus est, cùm significat illum, qui tum in cœlo, tum in terra ita aliis dominatur ac præest, rerumque auctor est & origo, ut neminem superiorem aut principem habeat, nec ab ullo pendeat. Atque hoc priore modo dicitur Deus esse unus. Alter modus est, cùm significat eum, qui summum aliquod imperium aut vim, aut potestatem ab ipso uno Deo habet, vel aliqua alia ratione divinitatis illius unius Dei est particeps. Hinc enim ille unus Deus, id est Jehova, Deus deorum dicitur, Psal. 50.1. Hoc altero modo in ipsis sacris literis vocatut nonnunquam Filius, seu Christus, Deus. Patet totum hoc ex verbis ipsius Christi, Joh. 10 35. *Si*, inquit, *illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* His verbis Christus manifeste ostendit, nomen Dei in sanctis literis iis etiam tribui, qui illo uno Deo multò inferiores sunt; seque nulla alia potiore ratione potuisse seipsum appellare Dei filium, & porrò Deum, quàm quia à Patre sanctificatus & in mundum missus fuisset. Est igitur quidem Christus Deus: sed non tamen ille unus Deus. Immo propterea est Deus, quia ab uno illo Deo (hic enim idem prorsus est, qui Pater, ut postea probabimus) excellentissima ratione à cæteris segregatus, & cælestibus donis cumulatus, saluti æternæ hominibus & annunciandæ & reipsa dandæ præpositus fuit. Hæc est enim illa ipsius à Patre sanctificatio & in mundum missio.

Quod ad Spiritum sanctum attinet, is nusquam disertè atque ad literam (ut dicitur) in Scriptura Deus appellatur. Sed tantùm haud rarò ea illi tribuuntur, quæ Dei sunt propria; vel quod Spiritui sancto alicubi tribuitur, id aut ibidem, aut alibi Deo tributum invenitur. Hujus rei caussa est, quòd Spiritus sanctus virtus est atque efficacia Dei. Quod enim virtuti atque efficaciæ Dei tribuitur, id sine dubio ipsi Deo tribuitur. Sed non est propterea Dei virtus & efficacia persona aliqua divina; sicut nec Dei bonitas, aut justitia, aut misericordia, aut judicium, aliique Dei vel effectus vel proprietates, sunt personæ aliqu divinæ. Alioqui multò plures etiam, quàm tres, eas esse oporteret.

Cæterùm vel ex eo solo, quòd Deus unus esse apertè traditur, meritò concludi potest, eum non esse nec trinum, nec binum. Opposita sunt enim inter se Unus, & Trinus; sive Unus & Binus. Ita ut, si Deus sit trinus aut binus, non possit esse unus. Nam distinctio ista, Unus essentia, Trinus personis, nec usquam extat in Sacris Literis, & cum certissima rstione ac veritate manifestè pugnat. Certissimum enim est, non pauciores esse individuas essentias, quàm personas. Cùm persona nihil aliud sit, quàm individua essentia intelligens.

Jam, quòd hic unus Deus non alius sit, quàm Pater domini nostri Jesu Christi, non etiam Dei Filius, & Spiritus sanctus, probatur apertè pluribus modis; atque his præcipuè.

1. Primùm, ut ostensum fuit, si Deus unus est, non potest esse trinus aut binus. Constat autem inter omnes, & Scriptura passim testatur, Patrem Christi esse ipsum Deum. Sequitur ergo necessariò, nullum alium, quàm Patrem Christi, esse hunc unum Deum.

2. Deinde ex illis ipsis locis, in quibus expressè traditur, Deum esse unum tantùm, non pauci sunt, ubi dicitur, hunc unum Deum esse Patrem illum omnium, vel Patrem Jesu Christi. Joh. enim cap. 17. ỳ.3 Christus ipse dicit, Patrem suum, esse illum unum solum verum Deum, etiam respectu sui. Se ipsum namque ibidem nominat, atque a Patre distinguit; & quidem ita, ut non possit dici, illum loqui de se secundùm humanam naturam tantùm. Nam eatenus se nominat, quatenus ipso cognoscendo vita æterna continetur. Quod ad totum Christum, quantus quantus, referendum omnino esse, nemo non videt. Etenim, quòd quidam olim Christi verba ita accipienda censuerunt, ut intelligatur, Patrem, & Jesum Christum esse illum solum verum Deum, rejectum est hodie hoc ab ipsis ferme omnibus Trinitariis, cùm propter id, quòd nec verborum structura, nec locus ipse id ferre videtur; tùm vero, quòd Spiritus sanctus hac ratione ab illa sola vera divinitate, quæ ad vitam æternam consequendam cognitu necessaria est, non obscurè excluderetur. Locus item 1 Cor. 8. 6, apertè docet, unum illum Deum nostrum, esse Patrem illum, ex quo omnia, & nos in illum, illum (inquam) Patrem, qui a Christo distinguitur, quatenus Christus est ille unus Dominus, per quem omnia, & nos per illum. Ita ut, quemadmodum in superiore loco, hîc quoque nullo modo possit dici, de Christo verba fieri secundùm humanam naturam tantùm. Similiter in loco Ephes. 4. 6, ubi unus Deus esse dicitur, diserte etiam simul affirmatur, istum unum Deum esse Patrem omnium, isque aperte à Christo distinguitur, quatenus Christus est unus Dominus.

3. Præterea ad probandum, quòd Pater tantùm sit ille unus Deus, inexpugnabilis ratio videtur, quòd millies simplici Dei nomine, quando subsistentiam ipsam significat, Deus tantùm Pater certissimè intelligitur; quemadmodum Adversarii ipsi omnes fateri sunt coacti. Nunquam autem, cùm, prædicta ratione, simplex Dei nomen est positum, solus Christus seu Filius, solusve Spiritus sanctus apertè ac citra omnem controversiam significatur. Nam etsi Christus nonnunquam, ut dictum est supra, Deus appellatur: tamen tunc Dei nomen subsistentiam ipsam non significat, sed subsistentiæ tantùm attributum. Seu mavis, tunc Dei nomen non subjecti, sed prædicati locum obtinet. Nusquam enim in divinis literis invenies scriptum, Deum aliquid vel fecisse, vel dixisse, aut de Deo quidpiam aliud affirmari, quod ad Christum à Patre distinctum sit omnino ac necessàriò referendum.

4. Adde quòd, cùm Christus, ut revera est, sic passim appelletur Dei filius, Spiritus autem sanctus, Dei spiritus, & sine dubio is Deus, qui in ejusmodi locis nominatur, sit ille unus Deus, sequitur, nec Filium, nec Spiritum sanctum esse illum unum Deum. Alioqui Filius esset sui ipsius filius, & Spiritus sanctus sui ipsius spiritus.

5. Quodsi certissimum est, Christum esse illius unius Dei filium, certissimum quoque est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum simul, non esse illum unum Deum, sed Patrem tantum. Cum Patris, Filii, & Spiritus sancti simul non sit Christus Filius, sed Patris tantùm.

Jam si quis est, qui ob ea, quæ Christo in divinis literis tribuuntur, magnificentissima omnino & maxime sublimia, dubitet, an ipse sit ille unus Deus, aut saltem ejusdem cum ipso essentiæ, is consideret, nihil vel magnificentius vel sublimius Christo in Scriptura tribui, quàm divinum cultum ei ab omnibus debitum. Sed hoc, ut homo, à Deo Patre Christus habuit. Igitur nihil inveniri poterit Christo divinis testimoniis tributum tam magnificum tamque sublime, quod, nisi aliud obstet, quàm rei magnificentia & sublimitas, illi, ut homini, convenire non possit. Quòd autem divinus cultus Christo ab omnibus debitus, illi, ut homini, a Deo Patre sit constitutus, probant primùm verba ipsius Christi, qui apud Johannem cap. 5. 22, & 23 ait, Patrem non judicare quempiam, sed omne judicium Filio dedisse, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Unde apparet, ex judicio à Patre Filio dato, consequi cultum divinum, illi ab omnibus debitum. Atqui hoc judicium Patrem Filio, ut homini, dedisse, testatur ibidem ipse Christus paulo post vers. 27, cum ait: Patrem dedisse Filio potestatem judicium faciendi, quia Filius hominis est. Deinde hoc idem probant verba Pauli Apost. ad Philip. cap. 2, ubi de exaltatione Christi agit propter ipsius obedientiam usque ad mortem crucis. Inquit enim vers. 9 & deinceps, quòd propter istam obedientiam Deus illum tantopere extulit, ut in nomine Jesu debeat omne genu flecti. Quod quid aliud est, quàm divinum cultum ab omnibus illi deberi? Atqui certum est, Jesum, ut hominem, prædicta ratione fuisse exaltatum. Obedientia enim usque ad mortem crucis in ipsum hominem tantùm cadit. Et ex ipsis Pauli verbis liquido constat, eum ipsum planè fuisse exaltatum, qui usque ad crucis mortem obediens fuit.

Breviter nihil tam vel sublime, vel demissum est in Sacris Literis Christo tributum, quod ad hominem illum Jesum Nazarenum propriè non pertineat. Quare nulla caussa fuit, in uno & eodem Christo duas naturas, id est essentias, comminiscendi, divinam & humanam; & cum excellentia Patris supra Christum in Sanctis Literis clarissimè consignata ostenditur, ad distinctionem istam confugiendi, divinæ & humanæ naturæ; ac dicendi, quod tunc non secundum divinam, sed tantum secundum humanam Christi naturam Scriptura loquitur. Ut, cum ipse Christus ait, Patrem se majorem esse, Joh. 14 28; cùm fatetur, Filium ignorare futuri divini judicii diem & horam, sed Patrem solum illam scire, Mar. 13. 32. cùm, jam à mortuis excitatus, Patrem non minus suum, quam discipulorum Deum esse testatur, Joh. 20. 17. quod idem, jam in coelum translatus & planè glorificatus, affirmat quater in uno versiculo, Apoc. 3. 12; cum denique, ne singula recenseam, suam doctrinam, sua verba, sua signa, sua opera omnia, unà cùm auctoritate ac potestate sua, Deo patri accepta refert; adeo, ut alicubi non sua, sed ejus esse dicat, qui ipsum miserat, id est Patris. Vide Joh. 5. 19,20,22,23,27,30,36,43, & 7.16,& 10.25, & 17.2. Ut Pauli, & aliorum Apostolorum innumera pene testimonia omittam, quibus evidentissimè hæc Patris supra Filium eminentia confirmatur.

Quamquam, cum viderent Adversarii, in multis ex prædictis testimoniis ejusmodi verba esse, quæ ipsa per se secundum humanam Christi naturam nulla ratione accipi posse existimabant, duo alia refugia quæsiverunt: Unum, quod testimonia ista ad æternam generationem referantur, per quam Filius à Patre illa habuerit, quæ ibi commemorantur. Alterum, quod per figuram quandam sermonis, quæ Idiomatum communicatio appellatur, quod unius tantum naturæ est, alteri separatim tribuatur.

Verùm oportebat prius, quam mirabili hac ratione sacra testimonia interpretarentur, istam æternam generationem, istamque duplicem Christi naturam apertè ex aliis probasse. Alioqui, simplici istarum rerum negatione, interpretatio ipsa meritissimo rejici, ac confutari potest.

Præterea, quod ad istam generationem attinet, cùm eam non solum æternam, ut ipsi volunt, sed, si æterna est, naturalem quoque ac necessariam esse oporteat, nullo modo possunt huc referri ea, quæ vel in tempore (ut loquuntur) Christo à Patre data dicuntur, vel ita commemorantur, ut ex libera voluntate, aut certe in aliquem finem, aliquove consilio donata esse appareat, qualia sunt ea, quæ in testimoniis istis recensentur. Pugnant enim prorsus æternum, & in tempore: nec non Naturale, ac Necessarium, & Ex libera voluntate, aut In aliquem finem, aliquove consilio, donatum.

Quod vero attinet ad idiomatum communicationem, ea nequaquam efficere potest, ut, quod unius naturæ

turæ tantùm est, alteri separatim tribuatur. Licèt efficere fortasse possit, ut, quod unius naturæ est, ipsi personæ simpliciter accommodetur. Nemo enim, exempli causa, dixerit: Anima mea est procera; aut Anima mea induitur talari veste; aut, Anima lavatur in balneo, etiamsi corpori, cujus hæc sunt propria, ita in homine ejus anima sit conjuncta, ut ex utroque ipse idem unus homo constet; quemadmodum volunt, ex divina & humana natura, vel, ut alii loquuntur, ex Deo & homine, constare unum eundem ipsum Christum Jesum. Adhæc, quomodocumque hæc Idiomatum communicatio in locis de Christo loquentibus admittatur, hoc nihil est aliud, quàm cum sacris verbis quodammodo ludere, & plane incertum de loci sententia, deque reipsa sæpissime reddere lectorem.

At enim dicent, quædam esse, quæ omnino sine ista Idiomatum communicatione, & porrò duarum in Christo naturarum agnitione explicari nequeant. Ut, cùm dicuntur omnia à Deo per Jesum Christum creata, Ephes. 3. 9. ut quidem Græci codices habent; aut, cùm dicitur Filius hominis in cœlo fuisse antequàm conspicientibus ipsius discipulis, eò ascenderet, Joh. cap. 6. 62; aut etiam in cœlo esse, dum tamen in terra loqueretur, Joh. 3. 13.

Respondeo, nihil esse, cur hæc ad hominem illum Jesum Nazarenum propriè non referantur. Cum enim omnia creata à Deo per Jesum Christum dicuntur, non ea sunt intelligenda, de quorum creatione diligentissime scripsit Moses in initio suæ historiæ. Is enim ibi, cùm creandi actionem exponit, nullius personæ, quæ partem in ea habuerit, præter Deum ipsum, mentionem facit. Atqui hîc necesse est, alium esse Deum, & alium eum, qui Jesu Christi nomine intelligitur; cùm Deus per Jesum Christum creasse dicatur. Præterea nusquam Christus universe aut generatim creasse dicitur, sed per eum factam fuisse creationem. Itaque nulla Christi, sive ejus, qui Christi nomine apud Paulum intelligitur, in creatione, quam Moses exponit, facta est mentio. Moses enim Dei, ut creantis, meminit, non autem, ut per quem sit facta creatio. De aliis igitur rebus creatis est Pauli locus accipiendus, & vox *Omnia*, ad ea omnia referenda, quæ ad novam creationem pertinent, quam per hominem illum Jesum Nazarenum factam fuisse constat. Quemadmodum idem Paulus alibi ait, omnia nova esse facta, 2 Cor. 5. 17. Cùm tamen certum sit, infinita esse, quæ in eodem statu manserunt, in quo erant antea, nempe quia ibi vox *Omnia*, ad ea omnia referenda est, quæ ad Dei fœdus cum hominibus, adque religionem pertinent, & ad ea, sicut in superiore loco fieri debere contendimus, restringenda.

Similiter, quòd Filius hominis in cœlo fuerit antequàm eò conspicuè ascenderit, revera & propriè ad hominem illum Jesum Nazarenum referri & potest, & debet. Nam quòd revera homo ille, postquam natus est ex virgine, & antequam Euangelium annunciaret, in cœlum raptus fuerit, ibique ab ipso Deo ea didicerit, quæ humano generi patefacienda per ipsum erant, adeò est verisimile, ut aliter fieri non potuisse videatur. Non est igitur sine ulla causa, immo præter & contra omnem rationem vis verbis inferenda: sed ea, ut sonant, accipere & in hoc, & in similibus aliis locis oportet. Et sic plana erunt omnia.

Jam in loco Joh. 3. 13. licet vulgò legatur, *qui est in cœlo*, potest tamen ex Græco legi, *qui erat in cœlo*, quemadmodum Erasmus, Beza, & alii monuerunt. Itaque erit hic locus superiori similis. Quod si quis tamen vulgatam lectionem mordicus retinere velit, non tamen sequetur, aliam, præter humanam, fuisse in Christo naturam sive essentiam; secundùm quam scilicet fuerit tunc revera in cœlo. Istud enim, Esse in cœlo, ita accipiendum erit, ut ipsi humanæ naturæ, seu ipsi homini, de quo disertè verba fiunt, convenire possit. Eo nimirum sensu, quo ibidem dicitur, Filium hominis ascendisse in cælum, & neminem præter ipsum. Hoc enim nec secundùm humanam, nec secundùm divinam naturam rectè potest, ut ipsa verba sonant, explicari, nisi fortasse, si concedatur, hominem illum revera ascendisse in cælum antequàm hæc verba proferret. At verò, cum hoc, unde, ut dixi, omnia plana fiunt, licèt verissimum, non agnoscatur, factum est, ut plerique istum ascensum in cœlum, penetrationem (ut ita loquar) ad rerum divinarum cognitionem sint interpretati. Sic igitur similiter, Esse in cœlo, ipsam jam adeptam rerum divinarum cognitionem interpretabimur.

Sed sunt, qui omnino ex eo maximè putent colligi duas in Christo naturas, divinam & humanam, quòd Filius Dei & appelletur, & sit; unde per communicationem idiomatum fiat, ut homo ipse Jesus Nazarenus Filius Dei esse dicatur. Nam alioqui, quomodo, inquiunt, purus homo, id est, cum ipsa divina essentia non copulatus, Dei Filius esse potest? An non necesse est, ut, sicut homo hominem, ita Deus Deum generet?

Ad hoc sic respondeo. Si constaret, fieri posse, ut Deus, quemadmodum homo, & cætera animalia, ex sua ipsius substantia gigneret sibi similem, vim aliquam videretur habere hæc ratio. Verùm non modò id non constat, sed contrarium facile probatur. Namque ex ipso consensu omnium Trinitariorum, exque ratione manifesta intelligi potest, Dei substantiam, id est essentiam, nulla ratione dividi aut multiplicari posse. Ipsam autem totam & numero unam ac prorsus eandem pluribus personis communem esse non posse, id evidenter demonstrat, quod suprà diximus. Videlicet necesse esse, ut non pauciores sint individuæ essentiæ, quàm personæ. Porrò autem quomodo Deus generet sibi similem, satis declarat Scriptura, quæ compluribus in locis homines pios, maximè verò Christo confidentes, ex Deo natos, ab ipsoque generatos esse, affirmat. Adeò ut alicubi neget, eos ex hominibus esse natos, ut Joh. 1. 13. Cur hîc verò duas naturas non comminiscimur, divinam & humanam; negantes, puros homines posse ex ipso Deo generari & nasci, nec ex ipsis hominibus ortum ducere? Quemadmodum igitur hic agnoscimus, unum & eundem hominem, duplici ratione consideratum, videlicet ratione spiritus, & carnis, & esse, & non esse Filium Dei, aut hominis: sic etiam agnoscamus, eundem ipsum hominem Jesum Nazarenum & secundùm carnem, esse Filium hominis, & secundùm Spiritum, esse Filium Dei; Rursus, secundùm carnem, non esse (si ita placet) Filium Dei, secundùm autem spiritum, non esse Filium hominis. Quamquam, ut postea dicemus, Jesus Nazarenus, etiam secundùm carnem, Filius Dei a Scriptura agnoscitur. Ista autem distinctio in ipso Christo Pauli Apostoli verbis apertissimè confirmatur: qui unum & eundem Dei Filium ex semine Davidis generatum esse secundùm carnem, at secundùm spiritum sanctificationis, Dei Filium fuisse definitum, testatur Rom. 1. 3, 4.

Verùm, dicet aliquis, Christus non solùm Dei Filius, sed etiam unigenitus ac proprius Dei Filius in sacris literis appellatur. Quamobrem necesse est, illum singulari aliqua ratione ex Deo esse natum, præter reliquos omnes Dei filios.

Hîc fateor libenter, atque agnosco singularitatem istam: sed non propterea concedo, eam in eo consistere, quòd Christus ex ipsa substantia Dei sit generatus, alii verò minimè. Jam enim ostensum est, Dei substantiam nec dividi, nec multiplicari, nec eandem ipsam unam numero pluribus personis communem esse posse. Cæterùm in quibus consistat hæc Christi nativitatis ex Deo singularitas, ex ipsis sacris testimoniis intelligi potest.

1. Primùm enim in eo consistit, quòd Christus, simulatque natus est homo, Filius Dei fuit; & sic naturâ Filius Dei est: reliqui autem homines Dei filii, non sic. Adeò ut hac ratione inspecta, alii præ Christo non nati, sed adoptati, ut alicubi videtur Scriptura loqui, filii Dei dici debeant. Natus est autem Dei Filius, homo ille Jesus Nazarenus, qui dicitur Christus, quia non ex virili semine, sed ex Spiritu sancto virtuteque Altissimi in virginis utero conceptus est. Hanc enim

enim ipsam ob causam id, quod ex virgine nasceretur, Dei filium vocatum iri, ipsi virgini prædixerat angelus Dei, Luc: 1. 35. Unde apparet, etiam secundum carnem, eum meritò posse dici Dei filium. Id quod nemini alii contigit, aut contingit.

2. Deinde, cum aliis hominibus Deus spiritum suum, ex quo filii Dei fiunt, ad mensuram largiatur, huic homini Christo sine mensura suum spiritum, unde sublimior, quàm antea, ratione Filius Dei est factus, largitus est, Joh. 3. 35. Si modò is locus ad Chistum referri debet. Sic enim simpliciter verba habent, *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, nulla Christi mentione in eis facta. Possunt autem commodè hæc verba ad totum Euangelii prædicationis ministerium referri; ubi Deus non parcè & restrictè, sed abundanter & effuse suum spiritum est humano generi largitus. Quicquid sit, certum est ex ipsis divinis literis, aliis singulis hominibus Deum multa spiritualia dona dare potuisse, quæ non dedit; at Christo homini nihil spirituale non dedisse, quod dare potuerit. Quocirca meritò singulari ratione ex Deo præter alios natus dicitur.

3. Adhæc, cùm Christus homo ante alios omnes solus & immortalitatem ac glorificationem sui corporis adeptus sit, & hæres ac Dominus universorum fuerit constitutus, quibus rebus maximè similitudo cum Deo, ob idque divina filiatio continetur, apparet, illum singulari ratione, præter alios omnes, ex Deo natum fuisse. Cumque hæc, dum adhuc in terris degeret, ab ipso initio certissimè futura omnino essent, meritò jam tum, ob has ipsas caussas, unigenitus ac proprius Dei Filius est appellatus.

Quædam alia omitto, propter quæ Christus homo Dei Filius unigenitus ac proprius jure potuit nominari, & tantùm illud moneo, Isaacum, cùm in ara Deo oblatus est, unicum sive unigenitum Abrahami Filium fuisse dictum, Gen: 22. 2, & 12. Heb. 11. 17, cùm tamen Abrahamus tunc temporis alium Filium ex sese verè, non minùs, quàm Isaacus, natum haberet, hoc est Ismaëlem. Nam qua ratione tamen nihilominus Isaacus ejus filius unicus sive unigenitus dici potuisse ostendetur, eâdem, aut simili, Christum hominem, unigenitum seu proprium Dei Filium nominari potuisse demonstrabitur; tametsi alios etiam similiter ex Deo natos esse constet.

Ut autem tota hæc res meliùs intelligatur, examinentur loca omnia facrarum literarum, in quibus vel tacitè, vel apertè caussæ exponuntur, cur Christus Dei Filius nominetur. Nusquam enim invenies nec expressam, nec indicatam caussam istam, quòd ex ipsa Dei substantia sive essentia sit generatus. Sed vel propter modum conceptionis in matris utero; vel propter sanctificationem Dei & in mundum missionem; vel propter resurrectionem à mortuis, quam scilicet consecuta est glorificatio, & supra omnes res creatas exaltatio; vel propter æternum sacerdotium ac regnum, quod à Deo habuit; vel propter alia ejusmodi, eum Dei Filium & esse, & nominari invenies. Vide autem hæc loca, ex quibus jam aliquot suprà attulimus. Luc: 1. 35. Joh: 10. 36. Act: 13. 33. Rom: 1. 3, 4. & 8. 29. Psal: 2. 6, 7. Heb: 5. 5.

Theses de Christo à vera divinitate excludendo, nisi sit creator cæli, & terræ.

Thesis I.

QUEM *Deum vetus Israëlitica colebat Ecclesia, hunc & nostra colit, creatorem scilicet cæli, & terræ.*

Thesis II.

Jam verò, ut illa hunc unum & solum verum esse Deum profitebatur, sic & nostra hunc unum & solum pro vero Deo agnoscit; alium verò præterea neminem.

Thesis III.

Hinc sequitur, Christianos non esse, qui, præter hunc cæli terræque creatorem, alium quempiam Deum colunt, verumque esse Deum arbitrantur.

Thesis IV.

Quamquam verò magistratum, aliasque nonnullas res creatas hoc Dei nomine insigniant interdum Scripturæ: hoc tamen æquivocè fieri nemo non novit: ut solus, qui cælum & terram creavit, Deus verus sit, reipsa verè & natura Deus, illæ omnes nomine tantùm.

Thesis V.

Jam si Sermo (quem Johannes Deum appellat) in rerum creatarum album redigatur, Deus verus non erit (quandoquidem solus mundi creator verus Deus est) sed falsus Deus, æquivocè scilicet & nomine tantùm. Absit autem ejusmodi blasphemia à Christiano pectore longissimè.

Thesis VI.

Qui scopulum hunc effugere student, verum quidem esse Deum Sermonem concedunt, sed non eum qui mundum condidit. Binos igitur veros Deos colunt, in binos credunt, & binos adorant, naturâ & essentia diversissimos. Quantum enim creator immensus ab exili caducaque creatura differt!

Thesis VII.

Atqui & hæc blasphemia est priori nihilo minùs execrabilis. Tam enim dualitatem Deorum detestatur Scriptura, quàm pluralitatem.

RESPONSIONES.

Ad Primam Thesin.

CONceditur hæc thesis, simpliciter atque, ut ipsa verba sonant, accepta.

Ad Secundam.

Si Veri Dei nomine is intelligitur, qui ab æterno, & a se ipso, sive ex seipso, divinitatem habeat, vera est thesis. Si verò is intelligitur, qui divino imperio & potestate revera sit præditus, nequaquam vera est thesis. Quamvis enim Israëlitica Ecclesia nullum ejusmodi verum Deum agnoverit, præter creatorem cæli & terræ: Ecclesia tamen Christiana agnoscit; hominem videlicet illam Jesum Nazarenum, qui dictus est Christus, sub Augusto, Tiberioque imperatoribus Romanis, demum ac primùm natum, & mundo exhibitum ac patefactum, divinamque istam majestatem ab ipso creatore cæli & terræ adeptum.

Ad Tertiam.

Dubia significatio jam detecta est appellationis Veri Dei, & consequenter etiam simplicis vocis Dei. Quare de hac thesi idem, quod de superiore statuendum.

Ad Quartam.

Non simplex & nuda est homonymia sive æquivocatio in nomine Dei, creatori & creatis rebus tributo, sed analogica, ejus generis, quod vocant A caussa. Ita ut multa res creatæ, potissimùm verò homo Christus Jesus, non nomine tantùm, sed re etiam sint dii. Sic tamen, ut priùs creatori, posteriùs verò rebus istis creatis, Dei nomen conveniat, seu de illis prædicetur. Neque enim ludit scriptura, quam Christus ipse solvi posse negat, cum quosdam homines, Deos appellat. Nec sanè Christus, illam adversus Judæos citans, sophistam agit.

Ad Quintam.

Hæc thesis jam per ea, quæ ad superiorem notavimus, minùs vera esse deprehenditur.

Ad Sextam.

Cùm Sermo ille, qui aliud nihil est, quàm homo Jesus Christus, creatori cæli & terræ, Deo verò, divinitatem suam prorsus acceptam referat, cumque illi sit planè subordinatus; etiamsi verus Deus & ipse est: non tamen hinc duo veri dii eo sensu constituuntur, ut quisquam jure offendi possit. Sic enim neuterque à se ipso, sive ex seipso, Deus, aut æquè verus Deus statuitur, nec diversa utriusque divinitas censetur. Jam, quòd utriusque essentia sit diversissima, id cultum utrique, ut vero Deo, debitum nihil impedit. Nam præterquàm quòd ad divinum cultum, & quidem ei similem, qui ipsi creatori debetur, Christo homini exhibendum, satis est, sic creatorem jussisse, ut certè jussit; cultus etiam alicui, ut vero Deo, exhibendi, propria & necessaria caussa est divinum imperium atque potestas; quam nihil prohibet in re creata ei similem inveniri, quæ in ipso creatore est, ex beneficio videlicet creatoris, ut quidem in Christo homine invenitur, tametsi dissimilis planè utriusque essentia sit. Nec tamen quælibet res creata simpliciter exilis & caduca appellari potest; præsertim vero homo Christus Jesus, postquam glorificatus est.

Ad Septimam.

Duos Deos summos, quorumque alter ab altero minimè pendeat, sive sit subordinatus, planè abominatur universa Scriptura. Sed unum ex quo, alterum per quem, cùm dependentia hujus ab illo, ad eumque subordinatione, non modò non abominatur, sed partim prædicit, partim prædicat Scriptura tota; & utrique divinum cultum exhibendum esse docet; atque unius, id est subordinati, cultum ad alterum, id est, ejus, cui est subordinatus, honorem & gloriam pertinere affirmat, ad eumque referri, & hac demum ratione unam utriusque divinitatem, & unum Deum utrumque esse, non obscurè ostendit.

FINIS.







